ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE BAPT. SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO,

PETRO BOSCHIO

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

AUGUSTI TOMUS PRIMUS

QUO DIES PRIMUS, SECUNDUS, TERTIUS ET QUARTUS CONTINENTUR

CUM TRACTATU PRÆLIMINARI DE PATRIARCHIS CONSTANTINOPOLITANIS

QUORUM SERIES AB INITIO ISTIUS CATHEDRÆ USQUE AD ÆTATEM NOSTRAM DEDUCITUR

PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALME, BIBLIOPOLAM

1867



J. B. Jongelins. Scul

CAROLO VI

ROMANORUM IMPERATORI

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO,

REGI

Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ,
Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, etc.

ARCHIDUCI AUSTRASIÆ,

DUCI

Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, etc., etc.

MARCHIONI MORAVIÆ

COMITI

Habsburgi, Tyrolis, Goritiæ, etc.

TURCARUM DOMITORI

DOMINO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

Tertius hic de Actis Sanctorum MENSIS AUSTRIACUS post Junium divo Parenti Leopoldo et Tibi, CÆSAR AUGUSTISSIME, REX NOSTER CATHOLICE CLEMENTISSIME, Julium porro integrum Tuo et Tuorum nomini sacrum, tertius hic, inquam, sequitur mensis Augustus, non alteri denuo quam Augustissimæ Tuæ Majestati gratissimo animo dedicandus, tam multis titulis Imperatori Carolo VI debitus, ut eo perduci Opus grande non potuerit, nisi subsidiis Tuis, Tua Cæsarea munificentia promotum sustentatumque. Accipe igitur, MÆCENAS AUGUSTISSIME, ab obstrictissimis Tibi clientibus Augustum tuum, re sane Augustum et nomine, præclarissimo nimirum in Dei Ecclesia Sanctos ex omni ordine porrigentem : ex ipso veteri Fœdere fortissimos pro tuenda divina Lege Martyres fratres septem ex celebri heroum genere dictos Machabæos, cum sene Eleazaro et matre prorsus incomparabili; plurimos inter Christianos Martyres, præter Bartholomæum Apostolum, inclytum sane Laurentium, Pontificem autem doctissimum juxta ac gloriosissimum Stephanum, et ipsum laureatum istius nominis primum; illustrissimos et magno numero celeberrimos Antistites, e quibus omnium instar esse possit Magnus Pater et Ecclesiæ Doctor Augustinus; quot vero fundatores Ordinum aut restauratores Bernardum, Dominicum, Caietanum, Raymundum Nonnatum, Claram, Albertum, Philippum Benitium, Bernardum Ptolomæum, Rosam, Claramque alteram; adde Reges et Reginas, Ludovicum, Helenam, Radegundem, præter tot eminentes alios Rochum, Arnulfum, Ludovicum Tolosanum, Hyacinthum; et quid ceteros æque præcellentes enumerem, quibus manifeste pateat, mensem hunc, non jam ex seculari, sed ex sanctitatis gloria Augusti nomine meritissime compellari potuisse. Recte igitur, SACRA MAJESTAS, Augustum Augustissimo reddimus et consecramus; acturi suo ordine de Sanctis singulis, quorum ii soli qui quatuor primis diebus celebrantur, hoc Tomo illustrati sunt, Magno illi sancto Dominico Prædicatorum insignis Ordinis Conditore potissimam partem gestis suis et genere et numero mirandis occupante. Est et aliorum illustris plane series, quos inter et ii fulgent, qui gloriosis Tuis trophæis merito prædicandis uberem materiam subministrent,

strent,

strent, ut proxime patebit manifestius. Hic ea præmitti patieris, IMPERATOR AUGUSTISSIME, quæ temporum ordine a Te præclare gesta recensenda existimavimus. Exornandæ pridem nobis fuerunt relatæ Tuis auspiciis celebratissimæ per Hispaniam, Italiam, Germaniam Belgiumque nostrum victoriæ, quarum triumphos tunc merito retulimus, eos præcipue quos de immanibus Christiani nominis hostibus, plaudente utique Christiano orbe universo, incredibili prope celeritate reportasti, dum lue illa Ottomanica totum, quam late patet, Hungariæ regnum, tot seculis sub turpissimo jugo gemens, felicissime expurgatum est, in Serviam usque propulsatis hostibus, inexpugnabili arce Tauruno seu Belgrado Barbaris præfixa, ad quam acceptæ, Virginis beatissimæ patrocinio, funestissimæ cladis æternum meminerint; Danubii Sabisque confluentium terminos haud facile prætergressuri imposterum: ut Te, CÆSAR AUGUSTISSIME, et ipsorum et aliorum Tuorum hostium insuperabilem DOMITOREM justissime extulerimus. Patere modo ad mitiorem stylum orationem converti, Teque orbis ejusdem diu desideratum PACIFICATOREM pari æquitate a nobis pronuntiari. Est illud nimirum singulare Tuum præcipuumque studium, est Tibi subditorum Tuorum felicitati prospiciendi innatus ardor, eo collimant prudentissima Tua consilia omnia, eo legati et oratores ad ceterum Regum Principumque aulas diriguntur, non solum, ut qua modo pace, quam toto ferme seculo Belgium non viderat, Te potissimum procurante, tamdiu fruiti sumus, eadem, Te vivo, gaudere pergamus, verum etiam si quando Omnipotens, Sanctis omnibus bene propitiantibus, Te æterna gloria donaverit, eadem illa pax optatissima toto Christiano orbe constanter perseveret. Quod quid aliud est quam clementissimum et benignissimum Cæsareum Tuum animum tam luculentis argumentis testatissimum reddere? Conantur porro et Tui vices rependere. Quo enim subditorum Tuorum ardentissimæ preces, quo tot piorum hominum et Religiosorum suspiria, quo Sanctorum nostrorum et quotidie et constantissime invocata patrocinia dirigantur, sacræ Majestati Tuæ sentio esse quam exploratissimum. Id utique a supremo Numine studiosissime efflagitant, ipso misericorditer donante, Augustissimi Tui sanguinis desideratissimus Archidux nobis enascatur, præventurus pericula omnia, quæ, Te aliquando deficiente, CÆSAR AUGUSTISSIME, orbi Christiano imminere possent. Confidere pergimus, facturum Deum ter Optimum Maximum, ut nostra et subditorum tuorum omnium vota optatissimum effectum sortiantur. Verum ut inscrutabilia sunt ejus judicia, si aliter fortasse Altissimo visum fuerit, quæ Tua est prudentia vere Cæsarea, providentiam pene dixero, id enimvero exsequi feliciter pergas, quod sapientissimo consilio perficiendum statuisti, quo non solum, uti dicebam, hostium Tuorum DOMITOR, verum et Orbis totius verissimus PACIFICATOR justissimo titulo appellari pergas. Nos interim Sanctos nostros omnes, eosque

præcipue,

præcipue, qui hoc primo Augusti Tomo illustrantur, interponere non cessabimus, quo repetita jam toties vota benigne a Domino exaudiantur. Hic mihi Henricus ille sanctissimus Imperator deest, cujus cum gestis præclaras Tuas Cæsareas virtutes alias conferre licuit; ast alii hoc ipso in Tomo occurrunt, CÆSAR AUGUSTISSIME, REX NOSTER CATHOLICE CLEMENTISSIME, præcellentes Sancti plurimi, insignes Martyres, piissimi magno numero Præsules, quorum et protegi patrociniis, atque eximiis ad Christianam pietatem exemplis excitari possis, quodque huc refert maxime, votorum Tuorum nostrorumque omnium summam consequaris. Verum in iis recensendis ne multitudo confusionem pariat, Italia, Hispania, Gallia, Anglia aliisque regnis tantisper præteritis, ex Tua Germania unum proponere liceat numeris omnibus absolutum Gundekarum II, dignissimum ecclesiæ Eystettensis Præsulem, laudati jam piissimi Cæsaris Henrici ferme synchronum, sanctitate non inferiorem, virtutibusque Principe dignis ornatissimum, atque apud suos summa hodie in veneratione; cujus inter elogia ad argumentum meum id conducens præcipue, quo Tibi, IMPERATOR AUGUSTISSIME, vere præluxit, dum id cummaxime præ oculis habuit, ut et vivus et mortuus ecclesiæ sibi creditæ subditis omnibus benevolentia vere paterna usque et usque benefaceret, merito a Vitæ scriptore dictus: *Vir totius prudentiæ, cujus semper erat intentio, omnia sua in usum convertere Ecclesiæ*, restaurando ejus templa destructa, absolvendo inchoata, eaque elegantibus ornando altaribus; civitati de cetero totique ditioni munifice prospiciens. Exemplum singulare exhibuit, dum præbendam sane prædivitem, quam jure optimo sibi vindicare poterat, *tradidit perpetualiter, in usum fratrum, quorum ipse non Dominus sed pater exstitit benignissimus.* Huc, CÆSAR CLEMENTISSIME, huc flecte oculos, veram Tui imaginem, dicamus prototypum intuiturus, ut cui hæc alte animo insita virtus, quam divinam quis jure merito dixerit, certe a Christo Servatore mirifice præmonstrata, utpote qui toto pretiosissimæ vitæ decursu *pertransiit benefaciendo* omnibus. Et vero quis Te, IMPERATOR BENIGNISSIME, in Gundekaro non contempletur, quis non agnoscat? *Virum* Te singularissimæ *prudentiæ* jam satis ostendimus, ubi curas tuas gratiosissimas, non ad præsentia dumtaxat, sed ad secutura tempora provide dirigis, disponis, extendis, paterna Tua solicitudine, vel post fata ipsa, futura superstite. Ecquis porro Tuam in universos subditos patentissimam vel hodie clementiam, in afflictos benignitatem, in oppressos misericordiam toto Tuæ amantissime fluentis gubernationis tempore, non obstupescit, non extollit, non meritis ornat encomiis? Dicamus apertius, quis non Gundekarum alterum Te prædicat, non jam *Tuorum Dominum* sed *Patrem benignissimum?* Ita nobiscum sensit, CÆSAR AUGUSTISSIME, PATRONE NOSTER CLEMENTISSIME, ita, inquam, nobiscum sentit tota, quam late patet, Austriaca

Dominatio,

Dominatio, vota sua pro diuturna Tua, imo Nestorea incolumitate, ut pro *Patre benignissimo,* sexcenties, ausim dicere, quotidie renovans, Deumque exorare non desinet donec Archiducem nobis Carolum largiatur, qui prærepti Leopoldi fratris vices suppleat, sicque æternum perseveret Austriaca paterna benignitas, ut in Sanctos munifica, sic a Sanctis perpetuo conservanda. Ita demississimo juxta ac sincerissimo animo vovent,

AUGUSTISSIME ET CLEMENTISSIME IMPERATOR

SACRÆ CÆSAREÆ AC CATHOLICÆ MAJESTATIS TUÆ

Devotissimi Clientes :

JOANNES BAPT. SOLLERIUS
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
PETRUS BOSCHIUS

Societatis Jesu.

SYNOPSIS

TOMI PRIMI

DE ACTIS SANCTORUM

AUGUSTI

Exacto non ita pridem mense Julio, ordine subsequitur Augustus, ejusque adeo Tomus primus, in serie totius Operis tertius supra trigesimum, solos primos quatuor dies complectens Sanctosque nominatim expressos centum ac viginti quatuor, præter classes nonnullas Anonymorum sub famoso Abenner Persa aliisque Christiani nominis persecutoribus diverso tempore martyrii laurea coronatorum. Inter Sanctos autem, de quibus hic nominatim agitur, servata est recepta dispositio, ut in solitas classes ex more dispescantur secundum triplicem Ecclesiæ statum, *Ecclesiasticum* nimirum, *Monasticum* et *Secularem*, solito etiam regionum ordine minime neglecto; Feminis vero, cujuscumque conditionis aut status fuerint, quartam et postremam classem constituentibus. Ex antiquo Fœdere elucent inclytissimi fratres, dicti *Machabæi*, de quorum vetusto juxta ac recepto Catholico cultu agitur, nec non de præclaris encomiis quibus ab ipsis Ecclesiæ primordiis a Sanctis Patribus exornati sunt. Neque vero ab ipsis divelli potuere *Mater* fortissima et gloriosus senex *Eleazarus*. Quorum omnium gesta ac passio a variis metro etiam olim exornata, fidelissime reddita sunt, non aliunde quam ex ipsa Canonica Historia. Neque de sacris ipsorum reliquiis, earumque variis locis veneratione quidquam prætermissum est, concertationibus inter varias civitates, quoad licuit, utcumque compositis.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Aristarcho Pauli discipulo si non dignitate, saltem antiquitate primus debetur locus. Fueritne Thessalonicensium episcopus ac subinde martyr, disquiritur ; fuisse individuum Apostoli comitem et concaptivum, ex Magistri testimonio certissimum est.

Stephani Papæ I ingentes pro Ecclesia exantlati labores satis noti sunt, uti et agitata controversia super hæreticorum rebaptizatione adversus Cyprianum aliosque ab ipso finita : de quibus omnibus, uti etiam et de pluries translatis reliquiis accurata redditur ratio. Quemadmodum et dubia multa explicanda fuere, quæ de *Aspreno* primo Neapolitano episcopo circumferuntur : de baculo et ara S. Petri, deque illius ordinatione ab hoc prætense facta, de ætate aliisque ad ipsum spectantibus. Non tantum negotii facessit *Maximus* Pataviensis. *Petri* Anagnini nobilitas, monachatus, gesta in curia Romana, legatio Byzantina, peregrinatio Hierosolymitana, exstructa demum insignis ecclesia aliaque gesta abunde illustrata sunt. *Agabius* Veronensis cultu potius quam gestis celebris, non recte ab aliquo scribitur, sedem Cæsariensem in Palæstina prius occupasse. *Raynerium* Spalatensem, pluribus præclare gestis memorandum, illustrem fecit martyrium pro ecclesiæ suæ juribus, ab impiis toleratum. *Augustini* ex PP. Prædicatorum ordine Zagabriensis præsulis pro cleri institutione et pace inter Hungaros concilianda orationes relatæ sunt, ipse demum ad sedem Lucerinam in Apulia translatus, eam postmodum sacris suis spoliis ditavit.

Undecim Sanctos Præsules suppeditat Gallia, quorum agmen ducit *Arcadius* Bituricensis, non multis quidem sed solide laudatus, quod de *Nectario* et *Vero* Viennensibus etiam prædicandum est. Non minus illustres sunt *Euphronii* bini synonimi Turonensis atque Augustodunensis : quorum ille encomiasten omni exceptione majorem nactus est Gregorium Turonensem ; hic vero meritissime etiam laudatus a sacrarum Scripturarum studio ceterisque virtutibus episcopo dignis, quibus mirum in modum excelluit. *Exuperius* Baiocensis, post sanctissime administratam ecclesiam ibi honoratus, metu barbarorum in interiorem Galliam transferri debuit, unde Corbolium tandem perductus, summa ibidem veneratione hodiedum colitur. Quæ *Bandarido* Suessionensi toleranda fuerint, satis explicata sunt. *Auspicius* Aptæ in Provincia apud suos meritam venerationem obtinet ; *Serenus* vero Massiliensis Blanderati in Insubria eo loco habetur ab incolis, ut ejus ibi cultus majora capiat incrementa, pretiosis etiam monumentis expressa. *Betharii* Carnotensis vitam, et quæ ad eam spectant, diligenter etiam eruderata invenies ; quod idem dici potest de *Gaufrido* Cenomanensi.

Oxomensem seu Uxamensem in Hispania ecclesiam rexit *Petrus* monachus, origine Gallus ; utrum in cœnobio Saguntino, non satis constat : a Bernardo Toletano ad infulas promotus est, quibus dignissimum fuisse et gesta et signa demonstrarunt. In Germania gloriose floruit *Gundekarus* Eystettensis, tum in vita, tum post mortem mirum in modum munificus, ut ex ditata ecclesia et subsecutis insignibus miraculis facile intelliges. Nec minus illustrem suggerit Anglia *Ethelwoldum* ex abbate Abbendoniensi Wintoniensis ecclesiæ præsulem, cujus miranda gesta fideliter ac satis fuse tradidit Wolstanus monachus.

chus.

chus. *Tertullinus* presbyter ac martyr Romæ et Anicii in Gallia celebris est; uti et *Severus* presbyter in Novempopulonia Galliæ.

EX STATU MONASTICO.

Dalmati seu *Dalmatii* archimandritæ, cum *Fausto* filio monacho, singularis conversio et vita monastica in Fastis Græcis solenniter memoratur. De *Gregorio* abbate Nonantulano pauca supersunt. Succedit autem latissimus campus in gestis *Waltheni* abbatis in Scotia, temere confusi et duplicati, quibus ad rectam normam reducendis labori minime parcitum est. Neque facilius fuit ea digerere, quæ Hiberni satis liberaliter de suo abbate *Luano* seu *Lugidio* paulo intricatiora tradiderunt. De *Jonato* Marchianensi in Belgio abbate dicta sunt, quæ reperiri potuerunt omnia: imputent sibi symmystæ, quod plura rogati non suggesserint.

Ut numero, præstantia ac varietate excelluere admiranda Magni *Dominici*, Ordinis Prædicatorii dignissimi Patriarchæ gesta, ita longiori commentario operose juxta ac diligenter illustranda fuerunt. Vitæ imprimis vetustissimorum scriptorum a recentioribus non usque adeo probatis, characteribus suis distinctæ, ad editionem accurate selectæ. Datur Chronologicum totius vitæ compendium. Tum de signis nativitatem prænuntiantibus, de patria, parentibus, pia pueritia, studiis ac virtutibus sermo est. Describuntur vita inter canonicos regulares acta, itinera cum Didaco Uxamensi episcopo, certamina cum Albigensibus toto decennio constantissime protracta, multisque prodigiis divinitus confirmata, rigore etiam in pertinaces hæreticos eorumque fautores adhibito, qua occasione de munere Inquisitoris agitur, itemque de Mariani Rosarii, quod tunc primum institutum fuisse dicitur, antiquitate. Elucidatur institutio et confirmatio Ordinis, non una appellatione principio insigniti, sed prævalente *Prædicatorum* nomine. Enumerantur itinera varia diversis temporibus per Italiam, Galliam et Hispaniam non absque stupendis miraculis nec non visionibus et ecstasibus; adde gesta Segoviensia et quæ de stigmatibus circumferuntur, non neglecto sacri Palatii Magisterio. Eruderantur prima duo Ordinis Capitula digeruntur que reliqua Sancti præclarissime gesta usque ab obitum, cujus et facta revelatio memoratur. Ipsa Sancti etiam forma describitur, agiturque de operibus ejus litterariis. Sequuntur sepultura, elevatio, canonizatio, cultus mire quaquaversum propagatus et auctus etiam Soriani. Præcipua sacra ossa Bononiæ asserta, translatis alio variis reliquiis; unde et posthuma gloria ex innumeris miraculis hodiedum lucidissime resplendet. *Gualterius*, S. Francisci discipulus, primus in Lusitaniam socios deduxit, ibidem Vimarani celebri cultu notissimus. Inter Tertiarios eminuit *Ciccus* seu *Franciscus*, post duram eremiticam vitam, apud Pisaurenses eximia in veneratione.

EX STATU SECULARI.

Qui hoc die Tarsiæ in Bithynia refertur *Eleutherius*, a synonymis distinguitur, martyrio nobilitatus atque sepulcro et insigni ecclesia. *Hermillus* et alii ex solis Fastis noti sunt. De *Leo* seu *Leone*, Viguentiæ in diæc. Ferrariensi notissimo, pura quæ ad vitam spectant, enodanda fuerunt; pretiosum depositum etiam Clemens VIII Papa veneratus est. De *Felice* et *Nicetio* MM. Veronensibus aliisque sola superest cultus memoria. *Peregrinum* inter Mantuam et Lucam, non nisi cultu etiam celebratum, frustra Dempsterus ad regiam Scotiæ progeniem evehere conatus est. De *Justino* puero martyre in territorio Parisiensi non pauca perperam combinata sunt; securior videtur translationis historia in novam Corbeiam Germaniæ. *Friardi* et *Secundelli* singularis in diœcesi Nannetensi veneratio; Vita ex ipso Gregorio Turonensi desumpta est. *Peregrinus* et socii Cenomanenses non nisi martyrio et cultu celebrantur. *Baumadus* Tutelensis Baluzio propemodum debetur. *Nemesii* solum ferme nomen superest. *Felicis* Gerundensis gesta laudatissima sunt, cui in martyrio socius *Romanus* adjungitur. *Kinedum* eremitam suggessit Wallia.

EX SEXU FEMINEO.

Lydia Purpuraria ab Apostolo satis laudata est. *Theodota cum tribus filiis* antiqua item veneratione gaudet. Acta Suriana a critici scrupulis vindicantur, iis non neglectis, quæ a Combefisio edita sunt, aliisque paulo brevioribus. *Ia cum sociis* in Perside MM., apud Græcos celebratissima est, quemadmodum et *Eudocia* ibidem gloriose consummata. Neque iis multum postponendæ sunt *Marana* et *Cyra* Berœæ in Syria solitudine claræ. *Perpetuam* Romanam sacra monumenta suspiciunt, ut quæ virum Africanum et filium Nazarium ad fidem perduxerit. Exstetne usquam corpus, inquiritur; nec satis certa ætas aut mortis tempus. *Fides*, *Spes* et *Charitas* cum matre *Sapientia* celebres sunt, non apud Latinos solum et Græcos, sed et apud Coptos, diversis tamen ubique nominibus, quæ ferme appellativa dici possint. De patria, loco martyrii, ætate, et reliquiis controversa sunt omnia. Sic ex obscuriori sacra Aquilana historia non nisi implexa *S. Justæ* Acta erui potuere, quæ nihilominus satis accommode a nostro Philippo Allegambe disposita sunt. *Mariæ*, dictæ *Consolatricis*, nobilis virginis Veronensis vita pictis tabulis repræsentatur; ipsa ibidem solennissimo cultu pridem honorata est. Vita porro recte a Bagata describitur. *Sigrada* vidua sane inclyta præstantissimorum martyrum Guarini ac Leodegarii mater, nobile Suessionense virginum cœnobium sanctimonialis facta, virtutibus, sanctitate ac miraculis non parum illustravit. Sic *Etheldrita* Virgo reclusa apud Anglos nominatissima est.

Atque hi sunt præcipui Sancti, quorum Acta aut breviora etiam elogia hoc Tomo illustrantur: quo autem die quibusve paginis quærenda sint singula, docet index alphabeticus eorumdem, toti volumini præfixus; ætatem porro Chronologicus. Cetera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt. Frontem vero occupat Tractatus præliminaris Historico-Chronologicus de Patriarchis Constantinopolitanis, parergis hinc inde et antidotis adversus schisma Græcum necessariis apte et abunde communitus, auctore Guilielmo Cupero.

FACULTAS

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II, Regum, confirmatis 2 *Decembris* 1692, *et* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos et Bibliopolas qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere et vendere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet : cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;*

Ego infrascriptus, Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Francisco Retz, concedo Jacobo Antonio van Gherwen *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum primum de Actis Sanctorum Augusti, collectis et illustratis per Joannem Bapt. Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum et Petrum Boschium, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* XXV *Julii* MDCCXXXIII.

GREGORIUS VAN PARYS.

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Bapt. Sollerii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium et aliis gravibus pœnis mulctabitur, ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jesu, permitto Jacobo Antonio van Gherwen, ut Tomum primum de Actis Sanctorum Augusti, meo permissu ab ipso impressum, publicet. Datum Antverpiæ XXV Julii MDCCXXXIII.

APPROBATIO

ORDINARII.

Ad Augustum mensem promotum est magnum illud Opus de Actis Sanctorum, cujus primum Tomum in lucem producunt scriptores iidem PP. Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus et Petrus Boschius, Societatis JESU *presbyteri, ea qua priores diligentia elaboratum, cum Tractatu præliminari de Patriarchis Constantinopolitanis, in quibus nihil occvrrit quod non consonet fidei et bonis moribus, aut eruditorum exspectationi non respondeat. Ita testor Antverpiæ* XXV *Julii* MDCCXXXIII.

F. G. ULLENS

Presb. Can. Schol. Offic. et Lib. Censor Antverpiæ.

PROTESTATIO

AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc Primum Tomum Augusti denuo protestamur.

GUILIELMI CUPERI

AD TOMUM I AUGUSTI

TRACTATUS PRÆLIMINARIS

DE

PATRIARCHIS

CONSTANTINOPOLITANIS

Quorum series ab initio istius cathedræ usque ad ætatem nostram deducitur.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Reluctante ferme animo, vel invita, ut vulgo aiunt, Minerva, hunc Tractatum aggressus sum, eo quod intelligerem, varios magni nominis auctores, quibus major Græcorum monumentorum supellex ad manum erat, in eodem studio versari : nam Anselmus Bandurus in præfatione ad tomum primum *Imperii Orientalis* sive *Antiquitatum Constantinopolitanarum*, quem Parisiis anno MDCCXI edidit, de hac re propositum suum explicat his verbis : *Ceterum animus est, cum plus otii nactus fuero, integram de patriarchis Constantinopolitanis historiam texere, præsertim cum nemo alius huc usque id præstiterit*; *atque inde spero, non parum lucis ad illustrandam historiam ecclesiasticam, et præsertim rem Romanam accessurum : unde facile constabit perpetua Pontificis Maximi in omnem Ecclesiam auctoritas, et Græcorum inanis ac fastuosa ambitio.* Præterea Michael le Quien, ex sacro Prædicatorum Ordine, in quodam Opere, cui titulus erit *Oriens Christianus*, et Philippus Riceputus e Societate nostra in prospectu Illyrici sacri, cujus historiam edere meditatur, jam a decennio seriem præsulum Constantinopolitanorum promiserunt.

Cum interim viderem, nihil horum in lucem prodire, animum ad scribendum appuli, idque negotii credidi mihi potissimum dari, ut Chronologicam antistitum Constantinopolitanorum seriem ordinarem. Ne tamen tetricum solius chronologiæ examen lectori tædium afferret, plerumque ex scriptoribus synchronis, aut saltem ætati rerum gestarum vicinioribus, historiam chronotaxi breviter immiscui, et occurrentes nonnullas quæstiones polemice discussi. Sic sanctitatem Attici Constantinopolitani ab accusationibus Tillemontii vindicare conatus sum. Sic etiam occasione S. Macedonii atque Euphemii præsulum Constantinopolitanorum, audax quoddam ejusdem Tillemontii effatum variis argumentis impugnavi. Sic denique propter excommunicationem et absolutionem, quæ in schismatica Græcorum ecclesia etiamnum prodigiosam efficaciam plerumque habere dicuntur, contra Jacobum Goar et Nicolaum Comnenum Papadopolum fusius disputavi. Insuper, opportunitate oblata, huic opusculo inserui alia *Parerga*, quibus historiam elucidarem, occurrentia dubia dissolverem, aut Ecclesiam Catholicam ab hæreticorum et schismaticorum calumniis vindicarem. Nunc quoque de aliis quibusdam hujus Tractatus adjunctis lectorem præmonere oportet.

Seriei antistitum præmisi dissertationem de exordio sedis Constantinopolitanæ seu Byzantinæ, quam nonnulli ab Apostolo Petro vel Andrea institutam volunt. Sed lutulentum istius opinionis fontem detexi, et variis rationibus demonstravi, primum fabulosæ illius antiquitatis auctorem plura absona comminisci de fictitiis istis Byzantii præsulibus, ita ut vix ullam fidem mereatur, quamvis S. Nicephorum Constantinopolitanum, aliosque plures Græcos fraude sua in errorem induxerit. Attamen ex diversis Græcorum catalogis antiquos istos episcopos, quos incauti quidam scriptores urbi Byzantinæ perperam affigunt, curioso lectori exhibui, eosque observationibus criticis examinavi. Denique in eadem dissertatione prævia protuli quædam testimonia ipsorum Græcorum, qui initium cathedræ Byzantinæ diu post tempora sanctorum Petri et Andreæ distulerunt.

Porro in ipsa historia chronologica præsulum Constantinopolitanorum, quos subinde *patriarchas*, et promiscue *episcopos* aut similibus nominibus appello, de Sanctis pauca dixi, quia gesta eorum copiosius relata aut referenda sunt in Opere nostro de Actis Sanctorum, ad quod lectorem remitto. Illis, quorum sanctitas utcumque dubia aut incerta est, nusquam titulum Sancti addere ausus sum, eumque ulteriori disquisitioni determinandum reliqui; at eumdem prorsus abjudicavi hæreticis aut schismaticis ejusdem ecclesiæ præsulibus, etiamsi aliqui horum in Menæis impressis aliisve Græcorum Menologiis honorifice celebrentur. Quinimo propterea in parergo peculiari ac sæpius per decursum monui,

nui, Menæis excusis, et similibus recentiorum præsertim Græcorum monumentis, caute fidendum esse.

Prioribus seculis in ipso titulo antistites heterodoxos ab orthodoxis distinxi, et nomini istius, quem hæresi infectum fuisse constabat, cognomen *hæretici* adjunxi, sicut etiam cognomentum *schismatici* Photio et Michaeli Cerulario addidi; sed post schisma Cerularii prætermisi epitheton *schismatici*, tum quod plerique hujus successores fuerint tales, tum quod ambigua sit aliquorum religio, quam tamen ex variis rerum ac temporum adjunctis utcumque eruere tentavi. Non egi de patriarchis Latinis, qui honorarium ecclesiæ Constantinopolitanæ titulum tantummodo gesserunt; sed Latinos antistites, qui seculo decimo tertio sedem istius ecclesiæ per quinquaginta et plures annos re ipsâ occuparunt, recensui in parergo singulari, ne interrumperem continuam seriem præsulum Græcorum, qui interim eodem tempore Nicææ in Bythinia titulum cathedræ Constantinopolitanæ gerebant.

Post captam a Turcis Constantinopolim non tam scrupulose indagavi initium aut finem singulorum patriarcharum, licet seriem eorum usque ad initium seculi decimi octavi deduxerim, et tunc etiam chronologiam non omnino neglexerim. Ceterum inter digerendos annos propter silentium veterum auctorum nonnumquam in tenebris palpandum ac conjecturis indulgendum fuit. Quare vix dubito, quin alii me feliciores, ac Græca supellectile instructiores, facilius eas tenebras dissipaturi sint. Interea viros eruditos rogatos volo, ut me libere corrigant, sicubi a veritate aberravero, et saltem conatum hunc qualemcumque æqui bonique consulant. Hæc sunt præcipua, de quibus curiosum lectorem præmonendum existimavi.

CATALOGUS CHRONOLOGICUS

Patriarcharum Constantinopolitanorum a sancto Metrophane usque ad Cyprianum, qui post annum Christi MDCCVI *in illa cathedra sedere cœpit.*

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: *initium*	*finis*	Num. marg.
1	S. Metrophanes	315	325	55
2	S. Alexander	325	340	57
3	S. Paulus I	340	*mox expellitur.*	67
4	Eusebius	340	441	72
	S. Paulus I iterum *vel* tertio	347	350	87
5	Macedonius I	341	360	80
6	Eudoxius	360	370	96
7	S. Evagrius	370	*mox expellitur.*	108
8	Demophilus	370	380	110
9	S. Gregorius I	381	*mox abdicat.*	127
10	Nectarius	381	397	130
11	S. Joannes I	398	404	149
12	Arsacius	404	405	152
13	S. Atticus	406	425	160
14	S. Sisinnius I	426	427	188
15	Nestorius	428	431	193
16	S. Maximianus	431	434	203
17	S. Proclus	434	446	207
18	S. Flavianus I	446	449	220
19	S. Anatolius	449	458	224
20	S. Gennadius I	458	471	227
21	Acacius	471	489	229
22	Phraïtas, *vel* Flavitas, *aliis* Flavianus II	489	490	235
23	Euphemius	490	496	241
24	S. Macedonius II	496	511	288
25	Timotheus I	511	518	292
26	Joannes II	518	520	298
27	Epiphanius	520	535	342
28	Anthimus I	535	536	349
29	S. Mennas	536	552	354
30	S. Eutychius	552	565	368
31	Joannes III	565	577	372
	S. Eutychius iterum	577	582	377
32	Joannes IV	582	595	382
33	Cyriacus	595	606	416
34	S. Thomas I	607	610	430
35	Sergius I	610	638	433
36	Pyrrhus	639	641	441
37	Paulus II	641	654 *vel* 655	446
	Pyrrhus iterum	655	655	455
38	Petrus	655	666	458
39	Thomas II	667	669	463
40	Joannes V	669	674	470
41	S. Constantinus I	674	676	474
42	Theodorus I	676	678	478
43	S. Georgius I	678	683	482
	Theodorus I iterum	683	686	489
44	Paulus III	686	693	498
45	Callinicus I	693	705	504
46	S. Cyrus	705	711 *vel* 712	515
47	Joannes VI	711 *vel* 712	715	517
48	S. Germanus I	715	730	524
49	Anastasius	730	753	532
50	Constantinus II	754	766	565
51	Nicetas I	766	780	582
52	S. Paulus IV	780	784	589
53	S. Tarasius	784	806	596
54	S. Nicephorus I	806	815	598
55	Theodotus I	815	821	601
56	Antonius I	821	832	609
57	Joannes VII *vel* Jannes	832	842	617
58	S. Methodius I	842	846	625
59	S. Ignatius	846	857	642
60	Photius	857	867	645
	S. Ignatius iterum	867	877	652
	Photius iterum	877	886	656
61	S. Stephanus I	886	893	661
62	S. Antonius II	893	895	664
63	S. Nicolaus I	895	906	667
64	Euthymius I	906	911	669
	S. Nicolaus I iterum	911	925	679
65	Stephanus II	925	928	683
66	S. Tryphon	928	931	686

67 Theophylactus

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: *initium*	*finis*	Num. marg.
67	Theophylactus	933	956	694
68	S. Polyeuctus	956	970	700
69	Basilius I	970	974	702
70	Antonius III	974	978	707
71	Nicolaus II	982	995	712
72	Sisinnius II	995	999	716
73	Sergius II	999	1019	719
74	Eustathius	1019 *vel* 1020	1025	725
75	Alexius	1025	1043	731
76	Michaël I	1043	1058	738
77	Constantinus III	1059	1063	750
78	Joannes VIII	1064	1075	754
79	Cosmas I	1075	1081	762
80	Eustratius	1081	1084	769
81	Nicolaus III	1084	1111	772
82	Joannes IX	1111	1134	779
83	Leo	1134	1143	783
84	Michaël II	1143	1146	791
85	Cosmas II	1146	1147	794
86	Nicolaus IV	1147 *vel* 1148	1151	810
87	Theodotus II	1151	1153	814
88	Constantinus IV	1154	1156	829
89	Lucas	1156	1168	832
90	Michaël III	1168 *vel* 1169	1177	837
91	Chariton	1177	1178	846
92	Theodosius	1178	1183	847
93	Basilius II	1183	1186	852
94	Nicetas II	1186	1189	856
95	Leontius	1189	1190	860
96	Dositheus	1190	1191	862
97	Georgius II	1191	1198	867
98	Joannes X	1198	1206	872
99	Michaël IV	1206	1212	921
100	Theodorus II	1213	1215	925
101	Maximus I	1216	1216	930
102	Manuel I	1217	1222	933
103	Germanus II	1222	1240	935
104	Methodius II	1240	1240	951
105	Manuel II	1244	1255	954
106	Arsenius	1255	1260	964
107	Nicephorus II	1260	1260	973
	Arsenius iterum	1261	1266	977
108	Germanus III	1266 *vel* 1267	1267	987
109	Josephus I	1267	1274	997
110	Joannes XI	1275	1282	1000
	Josephus I iterum	1282	1283	1008
111	Gregorius II	1283	1289	1014
112	Athanasius I	1289	1293	1020
113	Joannes XII	1294	1303	1025
	Athanasius iterum	1303	1311	1037
114	Niphon I	1313	1314 *vel* 1315	1044
115	Joannes XIII	1316	1319 *vel* 1320	1050
116	Gerasimus I	1320	1321	1053
117	Esaïas	1323	1333	1060
118	Joannes XIV	1333	1347	1065
119	Isidorus I	1347	1349	1072
120	Callistus I	1350	1354	1077
121	Philotheus	1354	1355	1082
	Callistus I iterum	1355 *vel* 1356	1362	1085
	Philotheus iterum	1362	1375 *vel* 1376	1089
122	Macarius	1375 *vel* 1376	1378 *vel* 1379	1096
123	Nilus	1378 *vel* 1380	1386 *vel* 1388	1098
124	Antonius IV	1386 *vel* 1388	1394 *vel* 1396	1101
125	Callistus II	1395 *vel* 1396	*eodem anno.*	1103

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: *initium*	*finis*	Num. marg.
126	Matthæus I	1395 *vel* 1397	1407 *vel* 1408 *aut* 1410	1106
127	Euthymius II	1410	1416	1110
128	Josephus II	1416	1439	1114
129	Metrophanes II	1440	1443	1139
130	Gregorius III	1445	1451	1144
131	Gennadius II	1453	1458 *vel* 1459	1181
132	Isidorus II		*brevi tempore.*	1198
133	Joasaphus I		1460 *vel* 1461	1200
134	Marcus			1204
135	Symeon			1207
136	Dionysius I		*annis* 8	1211
	Symeon iterum		*annis* 3	1218
137	Raphaël I			1220
138	Maximus II	*annis* 6	*post* 1481	1223
139	Niphon II			1313
	Dionysius I iterum	*annis* 2	*post* 1490	1320
140	Maximus III			1328
	Niphon II iterum	*circa annum* 1492		1330
141	Joachimus		*circa annum* 1500	1334
142	Pachomius I		*anno uno.*	1339
	Joachimus iterum			1341
	Pachomius I iterum	*ante annum* 1509	*circa annum* 1513	1342
143	Theoleptus I	1513	1521	1356
144	Jeremias I			1358
145	Joannicius I			1362
	Jeremias I iterum	*ante* 1537	1545	1365
146	Dionysius II	1546	*circa annum* 1555	1372
147	Joasaphus II		1565	1385
148	Metrophanes III	1565	1572	1390
149	Jeremias II	1572	1579	1393
	Metrophanes III iterum	1579	1580	1401
	Jeremias II iterum	1580	*ante* 1585	1404
150	Pachomius II		*brevi tempore.*	1414
151	Theoleptus II	1585		1415
	Jeremias II tertio	*post* 1585		1416
152	Matthæus II		*per aliquot dies.*	1417
153	Gabriel I		*mensibus* 5	1418
154	Theophanes		*mensibus* 7	1419
	Matthæus II iterum		*annis* 4	1419
155	Neophytus I	*post* 1600	*anno uno.*	1426
	Matthæus II tertio	*ante* 1603	*per aliquot dies.*	1426
156	Raphaël II	*ante* 1605	*annis* 5	1427
	Neophytus I iterum		*annis* 5	1427
157	Timotheus II	*ante* 1617	*ante* 1621	1433
158	Cyrillus I	1621	1622	1437
159	Gregorius IV	1622	*mensibus* 3	1452
160	Anthimus II *vel* Anthymus		*diebus* 3	1453
	Cyrillus I iterum		*annis* 8	1453
161	Athanasius II		*diebus* 22	1455
	Cyrillus I tertio		*anno uno.*	1455
162	Cyrillus II	1635		1457
	Cyrillus I quarto			1466
163	Neophytus II	1636	*anno uno.*	1467
	Cyrillus I quinto	*anno uno.*	1638	1468
	Cyrillus II iterum	1638		1469
164	Parthenius I	1639	*post* 1642	1477
165	Parthenius II		*circa annum* 1644	1481
166	Joannicius II	*circa annum* 1646		1483
	Parthenius II iterum	*circa annum* 1650		1483
	Joannicius II iterum	*circa annum* 1651		1483

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: initium	finis	Num. marg.
167	Cyrillus III		*diebus* 20	1484
	Athanasius II iterum		*diebus* 15	1484
168	Païsius		*mensibus* 9	1485
	Joannicius II tertio		*mensib.* 11	1485
	Cyrillus III iterum		*diebus* 14	1485
	Païsius iterum		*mensib.* 11	1485
169	Parthenius III	*circa annum* 1656	*mensibus* 8	1487
170	Gabriel II		*diebus* 12	1488
171	Parthenius IV	*circa annum* 1657	*annis* 3	1492
172	Dionysius III		*circa annum* 1665	1493
	Parthenius IV iterum	1665		1494
173	Clemens		*ante* 1667	1497
174	Methodius III	*circa annum* 1668	*ante* 1671	1499
	Parthenius IV tertio	1670 *vel* 1671		1499
175	Dionysius IV	*circa annum* 1671		1501
176	Gerasimus II	*post* 1672		1503
	Parthenius IV quarto	*post* 1672		1503
	Dionysius IV iterum	*post* 1672		1503
177	Athanasius III		*diebus* 12	1504
178	Jacobus			1505
	Dionysius IV tertio			1505
	Parthenius IV quinto			1505
	Jacobus iterum			1506
	Dionysius IV quarto			1506
	Jacobus tertio		*ante* 1687	1506
179	Callinicus II	1687		1509
180	Neophytus III		*per aliquot dies.*	1512
	Callinicus II iterum			1512
	Dionysius IV quinto			1512
	Callinicus II tertio		*circa annum* 1702	1512
181	Gabriel III	1702	*circa annum* 1706	1513
182	Neophytus IV		*brevi tempore.*	1515
183	Cyprianus	*post* 1706		1516

CATALOGUS ALPHABETICUS

eorumdem Patriarcharum Constantinopolitanorum.

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: initium	finis	Num. marg.
	A			
21	Acacius	471	489	229
2	S. Alexander	325	340	57
75	Alexius	1025	1043	731
49	Anastasius	730	753	532
19	S. Anatolius	449	458	224
28	Anthimus I	535	536	349
160	Anthimus II *vel* Anthymus		*diebus* 3	1453
56	Antonius I	821	832	609
62	S. Antonius II	893	895	664
70	Antonius III	974	978	707
124	Antonius IV	1386 *vel* 1388	1394 *vel* 1396	1101
12	Arsacius	404	405	152
106	Arsenius	1255	1260	964
	Arsenius iterum	1261	1266	977
112	Athanasius I	1289	1293	1020
	Athanasius I iterum	1303	1311	1037
161	Athanasius II		*diebus* 22	1455
	Athanasius II iterum		*diebus* 15	1484
177	Athanasius III		*diebus* 12	1504
13	S. Atticus	406	425	160
	B			
69	Basilius I	970	974	702
93	Basilius II	1183	1186	852
	C			
45	Callinicus I	693	705	504
179	Callinicus II	1687		1509
	Callinicus II iterum			1512
	Callinicus II tertio		*circa annum* 1702	1512
120	Callistus I	1350	1354	1077
	Callistus I iterum	1355 *vel* 1356	1362	1085
125	Callistus II	1395 *vel* 1396	*eodem anno.*	1103
91	Chariton	1177	1178	846
173	Clemens		*ante* 1667	1497
79	Cosmas I	1075	1081	762
85	Cosmas II	1146	1147	794
41	S. Constantinus I	674	676	474
50	Constantinus II	754	766	565
77	Constantinus III	1059	1063	750
88	Constantinus IV	1154	1156	829
183	Cyprianus	*post* 1706		1516
33	Cyriacus	595	606	416
158	Cyrillus I	1621	1622	1437
	Cyrillus I iterum		*annis* 8	1453
	Cyrillus I tertio		*anno uno.*	1455
	Cyrillus I quarto			1466
	Cyrillus I quinto	*anno uno.*	1658	1468
162	Cyrillus II	1635		1457
	Cyrillus II iterum	1638		1469
167	Cyrillus III		*diebus* 20	1484
	Cyrillus III iterum		*diebus* 14	1485
46	S. Cyrus	705	711 *vel* 712	515
	D			
8	Demophilus	370	380	108
136	Dionysius I		*annis* 8	1211
	Dionysius I iterum	*annis* 2	*post* 1490	1320
146	Dionysius II	1546	*circa annum* 1555	1372
172	Dionysius III		*circa annum* 1665	1493
175	Dionysius IV	*circa annum* 1671		1501
	Dionysius IV iterum	*post* 1672		1503
	Dionysius IV tertio			1505
	Dionysius IV quarto			1506

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: initium	finis	Num. marg.
	Dionysius IV quinto			1512
96	Dositheus	1190	1191	862
	E			
27	Epiphanius	520	535	342
117	Esaias	1323	1333	1060
7	S. Euagrius	370	*mox expellitur.*	108
6	Eudoxius	360	370	96
23	Euphemius	490	496	241
4	Eusebius	340	341	72
74	Eustathius	1019 *vel* 1020	1025	725
80	Eustratius	1081	1084	769
64	Euthymius I	906	911	669
127	Euthymius II	1410	1416	1110
30	S. Eutychius	552	565	368
	S. Eutychius iterum	577	582	377
	F			
18	S. Flavianus I	446	449	220
22	Flavianus II *vel* Flavitas	489	490	235
	G			
153	Gabriel I		*mensibus* 5	1418
170	Gabriel II		*diebus* 12	1488
181	Gabriel III	1702	*circa annum* 1706	1513
20	S. Gennadius I	458	471	227
131	Gennadius II	1453	1458 *vel* 1459	1181
43	S. Georgius I	678	683	482
97	Georgius II	1191	1198	867
116	Gerasimus I	1320	1321	1053
176	Gerasimus II	*post* 1672		1503
48	S. Germanus I	715	730	524
103	Germanus II	1222	1240	935
108	Germanus III	1266 *vel* 1267	1267	987
9	S. Gregorius I	381	*mox abdicat.*	127
111	Gregorius II	1283	1289	1014
130	Gregorius III	1445	1451	1144
159	Gregorius IV	1622	*mensibus* 3	1452
	I			
59	S. Ignatius	846	857	642
	S. Ignatius iterum	867	877	652
119	Isidorus I	1347	1349	1072
132	Isidorus II		*brevi tempore.*	1198
	J			
178	Jacobus			1505
	Jacobus iterum			1506
	Jacobus tertio		*ante* 1687	1506
144	Jeremias I			1358
	Jeremias I iterum	*ante* 1537	1545	1365
149	Jeremias II	1572	1579	1393
	Jeremias II iterum	1580	*ante* 1585	1404
	Jeremias II tertio	*post* 1585		1416
141	Joachimus		*circa annum* 1500	1334
	Joachimus iterum			1341
11	S. Joannes I	398	404	149
26	Joannes II	518	520	298
31	Joannes III	565	577	372
32	Joannes IV	582	595	382
40	Joannes V	669	674	470
47	Joannes VI	711 *vel* 712	715	517
57	Joannes VII *vel* Jannes	832	842	617

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi: initium	finis	Num. marg.
78	Joannes VIII	1064	1075	754
82	Joannes IX	1111	1134	779
98	Joannes X	1198	1206	872
110	Joannes XI	1275	1282	1000
113	Joannes XII	1294	1302	1025
115	Joannes XIII	1316	1319 *vel* 1320	1050
118	Joannes XIV	1333	1347	1065
145	Joannicius I			1362
166	Joannicius II	*circa annum* 1646		1483
	Joannicius II iterum	*circa annum* 1651		1483
	Joannicius II tertio		*mensib.* 11	1485
133	Joasaphus I		1460 *vel* 1461	1200
147	Joasaphus II		1565	1385
109	Joseph I	1267	1274	997
	Joseph I iterum	1282	1283	1008
128	Joseph II	1416	1439	1114
	L			
83	Leo	1134	1143	783
95	Leontius	1189	1190	860
89	Lucas	1156	1168	832
	M			
122	Macarius	1375 *vel* 1376	1378 *vel* 1379	1096
5	Macedonius I	341	360	80
24	S. Macedonius II	496	511	288
102	Manuel I	1217	1222	933
105	Manuel II	1244	1255	954
134	Marcus			1204
126	Matthæus I	1395 *vel* 1397	1407 *aut* 1408 *vel* 1410	1106
152	Matthæus II		*per aliquot dies.*	1417
	Matthæus II iterum		*annis* 4	1419
	Matthæus II tertio	*ante* 1603	*per aliquot dies.*	1426
16	S. Maximianus	431	434	203
101	Maximus I	1216	1216	930
138	Maximus II	*annis* 6	*post* 1481	1223
140	Maximus III			1328
29	Mennas	536	552	354
58	S. Methodius I	842	846	625
104	Methodius II	1240	1240	951
174	Methodius III	*circa annum* 1668	*ante* 1671	1499
1	S. Metrophanes I	315	325	55
129	Metrophanes II	1440	1443	1139
148	Metrophanes III	1565	1572	1390
	Metrophanes III iterum	1579	1580	1401
76	Michaël I	1043	1058	738
84	Michaël II	1143	1146	791
90	Michaël III	1168 *vel* 1169	1177	837
99	Michaël IV	1206	1212	921
	N			
10	Nectarius	381	397	130
155	Neophytus I	*post* 1600	*anno uno.*	1426
	Neophytus I iterum.		*annis* 5	1427
163	Neophytus II	1636	*anno uno.*	1467
180	Neophytus III		*per aliquot dies.*	1512
182	Neophytus IV		*brevi tempore.*	1515
15	Nestorius	428	431	193
54	S. Nicephorus I	806	815	598
107	Nicephorus II	1260	1260	973

51 Nicetas I

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi. *initium*	*finis*	Num. marg.
51	Nicetas I	766	780	582
94	Nicetas II	1186	1189	856
63	S. Nicolaus I	895	906	667
	S. Nicolaus I iterum	911	925	679
71	Nicolaus II	982	995	712
81	Nicolaus III	1084	1111	772
86	Nicolaus IV	1147 *vel* 1148	1151	810
123	Nilus	1372 *vel* 1380	1386 *vel* 1388	1098
114	Niphon I	1313	1314 *vel* 1315	1044
139	Niphon II			1313
	Niphon II iterum	*circa annum* 1492		1330
	P			
142	Pachomius I		*anno uno.*	1339
	Pachomius I iterum	*ante* 1509	*circa annum* 1513	1342
150	Pachomius II		*brevi tempore.*	1414
168	Païsius		*mensibus* 9	1485
	Païsius iterum		*mensib.* 11	1485
164	Parthenius I	1639	*post* 1642	1477
165	Parthenius II		*circa annum* 1644	1481
	Parthenius II iterum	*circa* 1650		1483
169	Parthenius III	*mensibus* 8	*circa annum* 1656	1487
171	Parthenius IV	*circa annum* 1657	*annis* 3	1492
	Parthenius IV iterum	1665		1494
	Parthenius IV tertio	1670 *vel* 1671		1499
	Parthenius IV quarto	*post* 1672		1503
	Parthenius IV quinto			1505
3	S. Paulus I	340	*mox expellitur.*	67
	S. Paulus I iterum, *vel* tertio	347	350	87
37	Paulus II	641	654 *vel* 655	446
44	Paulus III	686	693	498
52	S. Paulus IV	780	784	589
38	Petrus	655	666	458

Ordo	Nomina	Duratio sedis, vel anni Christi *initium*	*finis*	Num. marg.
121	Philotheus	1354	1355	1082
	Philotheus iterum	1362	1375 *vel* 1376	1089
60	Photius	857	867	645
	Photius iterum	877	886	656
22	Phraïtas	489	490	225
68	S. Polyeuctus	956	970	700
17	S. Proclus	434	446	207
36	Pyrrhus	639	641	441
	Pyrrhus iterum	655	655	455
	R			
137	Raphaël I			1220
156	Raphaël II	*ante* 1605	*annis* 5	1427
	S			
35	Sergius I	610	638	433
73	Sergius II	999	1019	719
14	S. Sisinnius I	426	427	188
72	Sisinnius II	995	999	716
61	S. Stephanus I	886	893	661
65	Stephanus II	925	928	683
135	Symeon			1207
	Symeon iterum		*annis* 3	1218
	T			
53	S. Tarasius	784	806	596
42	Theodorus I	676	678	478
	Theodorus I iterum	683	686	489
100	Theodorus II	1213	1215	925
92	Theodosius	1178	1183	847
55	Theodotus I	815	821	601
87	Theodotus II	1151	1153	814
143	Theoleptus I	1513	1521	1356
151	Theoleptus II	1585		1415
154	Theophanes		*mensibus* 7	1419
67	Theophylactus	934	956	694
34	S. Thomas I	607	610	430
39	Thomas II	667	669	463
25	Timotheus I	511	518	292
157	Timotheus II	*ante* 1617	*ante* 1621	1433
66	S. Tryphon	928	931	686

AD HISTORIAM

CHRONOLOGICAM

PATRIARCHARUM

CONSTANTINOPOLITANORUM

DISSERTATIO PRÆVIA

DE EXORDIO CATHEDRÆ CONSTANTINOPOLITANÆ SEU POTIUS BYZANTINÆ.

§ 1. *An S. Petrus, an S. Andreas, primum Byzantii episcopum constituerint.*

Ecclesiam Byzantinam ab Apostolo Petro institutam esse,

Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiast. ad annum Christi XLIV num. 12 existimat, primum Byzantii episcopum ab apostolo Petro constitutum fuisse. Hanc opinionem eruit ex litteris Agapeti Papæ, Constantinopoli scriptis ad Petrum Patriarcham Hierosolymitanum de depositione Anthimi et subrogatione Mennæ in sede Constantinopolitana, quæ lectæ sunt in concilio Constantinopolitano sub Menna, et in quibus apud Labbeum nostrum tomo 5 conciliorum col. 47 ad commendationem Mennæ leguntur sequentia: *Et hoc dignitati ejus* (Mennæ scilicet) *additum esse credimus, quod a temporibus Petri apostoli, nullum alium umquam Orientalis ecclesia suscepit episcopum, manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad repellendos inimicorum insultus res tanta contigit; ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit.* Ex hac, inquam, epistola doctissimus Cardinalis primam Byzantinæ cathedræ erectionem Petro præ Andrea attribuit.

perperam eruit Baronius ex litteris Agapeti Papæ,

2 At, salva tanti viri pace, non video, quomodo ex his Romani Pontificis verbis istud necessario sequatur: Agapetus enim non loquitur expresse de ecclesia Constantinopolitana; sed tantummodo simpliciter dicit, quod *orientalis ecclesia* a temporibus Petri apostoli nullum alium umquam acceperit episcopum a Romanis Pontificibus ordinatum. Dum igitur asserit, Mennam esse similem illis, quos *in his quandoque partibus* princeps Apostolorum ordinavit, id juxta antecedentem expressionem commode de partibus Orientalibus intelligi potest. Unde si Petrus in Ponto, Bithynia, aliisve regionibus orientalibus, ubi Evangelium prædicavit, quosdam episcopos consecraverit, vera est Agapeti assertio, quamvis Byzantium tribus primis Ecclesiæ seculis nondum episcopali dignitate fulgeret. Adde, quod ex nullis antiquis monumentis probari possit Petrum aliquando venisse Byzantium; etsi alia istius Apostoli itinera usque ad ejusdem Romanam commorationem a Luca in Actibus Apostolorum vel a veteribus auctoribus describantur.

cum Nicolaus I papa testetur,

3 Præter alia explicationi nostræ favet Nicolaus I Papa, qui apud Labbeum tomo 8 conciliorum col. 545 et sequenti, in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 92 sic scribit: *Desideratis nosse, quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur: Romanam videlicet, et Alexandrinam, et Antiochenam. Romanam, quam sanctorum principes Apostolorum Petrus ac Paulus et prædicatione sua instituerunt, et pro Christi amore, fuso proprio sanguine, sacraverunt; Alexandrinam, quam Evangelista Marcus, discipulus et de baptismate Petri filius, a Petro missus instituit et domino Christo cruore dicavit; Antiochenam, in qua conventu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, et quam beatus Petrus, priusquam Romam veniret, per annos áliquos gubernavit.*

neminem ex Apostolis eam instituisse.

4 *Constantinopolitanus autem et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt:* NAM CONSTANTINOPOLITANAM ECCLESIAM NEC APOSTOLORUM QUISQUAM INSTITUIT, *nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit; sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius, quam ratione, patriarcha ejus pontifex appellatus est. Jerosolymitanus autem præsul, li-*

cet et ipse patriarcha dicatur, et secundum antiquam consuetudinem ac Nicænam synodum honorandus sit, salva tamen metropoli propria dignitate ; sed et in eadem sancta et magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ episcopus dicitur. Nolui hic more aliorum verba, quæ litteris majusculis expressa sunt, a reliquo textu avellere ac mutila exhibere, ne videar lectori velle imponere : nam scio, huic auctoritati utcumque responderi posse, si totus textus mature expendatur. Nemo tamen inficiari potest, Nicolaum Papam expositioni nostræ favere, dum rotunde negat, Constantinopolitanam ecclesiam a quoquam Apostolorum institutam fuisse. Sed hanc singularem Baronii opinionem validioribus argumentis refutabimus, dum eadem opera refellemus alteram quorumdam auctorum sententiam, de qua nunc agendum est.

Neque S. Andreas primum Byzantii episcopum ordinavit,

5 Nicephorus Callistus tomo I Histor. eccles. lib. 8, cap. 6 erectionem cathedræ Constantinopolitanæ sancto Andreæ apostolo ita adscribit : *Verum enimvero hoc loco faciendum mihi omnino videtur, ut altius ab ipsis Apostolis repetitos Byzantios episcopos recenseam, et veluti sacram quamdam inscriptionem historiæ huic adjiciam. Andreas Domini apostolus Thraciam, Macedoniam, et Euxinum provincias sortitus, Byzantii Christum prædicavit. Et cum a Zeuxippo, tyrannidem tum ibidem tenente, ad cædem quæreretur, Argyropolim transiit, atque ibi biennium conventus agens, permultos ad Christi fidem pertraxit. Ceterum sacra eo loco fundata æde, et Stachy apostolo episcopo ordinato, Sinopen concessit. Stachys, sacro eo munere annis sedecim administrato, ibidem sepultus Onesimum habuit successorem.* Deinde seriem eorumdem præsulum pergit texere usque ad tempora Constantini Magni imperatoris, qui Byzantium ita auxit atque ornavit, ut ab ipso *Constantinopolis* nomen acceperit. Nicephorus Callistus hanc antistitum seriem videtur descripsisse ex S. Nicephoro patriarcha Constantinopolitano, qui et ipse sua hausit ex antiquiori fonte, quem postea investigabimus. Utrumque Nicephorum secuti sunt passim recentiores Græci, et quidam Latini, inter quos est R. P. Ambrosius Gardebosc, Carmelita Gallus, qui in Synopsi historiæ ecclesiasticæ tomo I, lib. 2, dissert. 2, quæst. I fundationem sedis Constantinopolitanæ sancto Andreæ apostolo attribuit.

ut colligitur ex silentio Eusebii Cæsariensis,

6 Cardinalis Baronius, Cangius, Bandurus, aliique viri eruditi hanc recentiorum Græcorum traditionem passim explodunt, et contra illam silentium veterum scriptorum allegant. Nos ei potissimum opponimus silentium Eusebii Cæsariensis, qui tamen lib. I, Hist. eccles. cap. I præfatur, se *sanctorum Apostolorum successiones ac temporum seriem* a Christo nato usque ad suam ætatem describere ; atque inter alia eos recensere, *qui præcipue in celeberrimis civitatibus... ecclesiæ non sine laude præfuerint, et qui subinde per ordinem temporum sua quisque ætate verbum Dei vel voce vel scriptis prædicaverint,* et qui pro religionis *defensione tormenta ac mortem ipsam perpessi fortissime certaverint.* Tum non multo post repetit, se, *si non omnium, illustrissimorum certe Servatoris nostri Apostolorum successiones in iis ecclesiis, quæ etiamnum celeberrimæ habentur, posteritatis memoriæ commendare.*

7 Jam vero quis post Petrum illustrior Andrea, qui in Apostolorum serie apud Matthæum cap. 10, v. 2 collocatur secundo loco ? Quæ autem tempore Eusebii civitas fuit celebrior Constantinopoli? Præterea an nulli fuerunt ex episcopis Byzantinis, qui *verbum Dei vel voce vel scriptis prædicaverint?* An nullus eorum in tot persecutionibus palmam martyrii obtinuit, qui ab Eusebio commemorari posset? An ullo modo sit verisimile, quod Eusebius, qui ad Constantini ejusque urbis laudem multa conscripsit, taciturus fuisset præcipuam gloriam, quæ ex antiquitate fidei ac cathedræ, per Petrum vel Andream institutæ, in urbem Constantinopolitanam redundasset? Cum igitur Eusebius siluerit omnia, quæ tamen amplam aptamque scriptioni ejus materiam suppeditabant, ex hoc silentio contra utramque memoratam opinionem validum, ut putamus, argumentum attulimus. Hæc pluribus confirmata vide ad diem IV Junii in commentario historico de Actis S. Metrophanis, § 6.

et probatur testimonio S. Leonis I Papæ,

8 Sed ne solo argumento negativo rem conficere velle videamur, addo testimonium S. Leonis Magni Pontificis, qui in epistola, Marciano imperatori scripta, apud Labbeum tom. 4 conciliorum col. 847 de ambitione archiepiscopi Constantinopolitani hæc habet : *Satis sit prædicto,* (scilicet Anatolio, qui cathedram suam Constantinopolitanam ad secundum dignitatis locum evehi cupiebat) *quod vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem,* QUAM APOSTOLICAM NON POTEST FACERE SEDEM ; *nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri.* Videtur S. Leo per *apostolicam sedem* hic talem cathedram intelligere, qualem Tertullianus in libro de Præscriptionibus contra hæreticos, cap. 32 indicat his verbis : *Edant ergo origines ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveravit, habuerit auctorem et antecessorem : hoc enim modo ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum ecclesia Polycarpum ab Joanne consecratum refert,* etc. Videtur, inquam, S. Leo *apostolicam sedem* hoc sensu accipere : quamvis enim Tertullianus deinde eodem capite loquatur de recentioribus ecclesiis, quæ *non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ,* tamen posterior hæc significatio in litteris S. Leonis locum non habet, ut controversiam inter ipsum et antistitem Constantinopolitanum expendenti patebit.

qui Marciano imperatori respondet,

9 Præterea dum Patres concilii Chalcedonensis præsuli Constantinopolitano secundum post sedem Romanam locum concedunt, non recurrunt ad Andream institutorem, sed ad regiæ civitatis præstantiam ; neque opponunt legatis Pontificis, huic decreto contradicentibus, antiquam Byzantinæ cathedræ originem, ex qua aliquo modo potuissent elicere, secundum locum deberi huic ecclesiæ, quæ a secundo Christi Apostolo fuerat instituta. Nihil simile allegarunt illi, aut alii, qui hoc concilii Chalcedonensis decretum a Pontifice Romano probari cupiebant, ut etiam satis liquet ex litteris Marciani imperatoris, qui in collectione Romana bipartita Holstenii, part. I, pag. 105 et sequenti, Leonem Papam inter alia sic rogat : *Quoniam vero et hoc statutum est, ut ea quæ centum quinquaginta sanctissimi episcopi sub divo Theodosio Majore de honore venerabilis ecclesiæ Constantinopolitanæ statuerunt, et quæ nunc a sancta synodo de eadem re statuta sunt, firma serventur, scilicet : ut post sedem Apostolicam, Constantinopolitanæ urbis antistes secundum obtineat locum, quoniam et eadem*

splendi-

splendidissima civitas junior Roma nuncupatur, dignetur Sanctitas tua etiam huic parti proprium adhibere consensum, quamvis reverentissimi episcopi, qui tuæ religionis vicem agentes ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili ecclesia a synodo aliquid ordinari.

10 Pontifex in eadem Holstenii collectione part. I pag. III Marciano post alia sic respondet : *Apud Christianum et vere religiosum, vereque orthodoxum principem loquor ; multum Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum secularium, alia divinarum ; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem,* QUAM APOSTOLICAM NON POTEST FACERE SEDEM, etc. An Marcianus imperator vel Anatolius antistes Pontifici Romano non respondisset, sedem Constantinopolitanam esse apostolicam, et ab Andrea apostolo institutam ? An Patres concilii Chalcedonensis, aliive Græci, qui ecclesiam Constantinopolitanam, quoquo modo extollere desiderabant, tacuissent hanc ejus prærogativam, quæ intentioni eorum tantopere favebat ?

ecclesiam Constantinopolitanam non esse Apostolicam ;

11 Opinio nostra contra Græcos recentiores ulterius confirmatur ex facto, quod S. Gregorio Nazianzeno contigit : cum enim sanctus ille ad cathedram Constantinopolitanam evectus esset, quidam invidi id ægre tulerunt, atque inter alia multa ipsi objecerunt, quod esset advena et peregrinus. Sanctus præsul hanc cavillationem diluit respondendo, S. Andream prædicasse in Epiro, ubi etiam erat extraneus. At nonne magis ad rem dixisset, S. Andream in Thracia et Byzantii peregrinum fuisse, si eum illic prædicasse credidisset ? Nonne aptius ora obloquentium obturasset episcopus Constantinopolitanus, si primum cathedræ Constantinopolitanæ institutorem etiam extraneum fuisse ostendisset ?

quod etiam confirmatur

12 Juverit ipsummet sanctum virum audire, qui oratione 25 in Græco-Latina Jacobi Billii editione, tom. I, pag. 437 hanc rem ita narrat : *At etiam peregrinum et exterum præconem habemus, dicet fortasse quispiam ex his, qui nimis circumscripti et carni dediti sunt.* Tum pagina sequente huic cavillationi sic respondet : *Quid ? Nonne Apostoli peregrini fuerunt ? Nonne multarum nationum atque urbium hospites, in quas divisi sunt, ut Evangelium quaquaversum curreret, nec quidquam triplicis luminis expers esset, ac veritatis luce minime perfusum, adeo ut iis etiam, qui in tenebris ac mortis umbra sedebant, ignorantiæ caligo discuteretur. Audi quid Apostolus dicat : Ut nos, inquit, ad gentes, illi autem ad circumcisionem. Sit sane Petri Judæa. Quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Joanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia ? Quid ceteris omnibus cum iis, ad quos profecti sunt ? Quare aut illos etiam objurga, aut mihi quoque ignosce, aut ostende, cum veræ doctrinæ potissimam curam geras, ex insulsis tantum nugis tibi calumniam strui.* Haud dubie Gregorius Nazianzenus hic silet de Byzantina S. Andreæ prædicatione aut ejusdem cathedræ institutione, quæ tamen ad scopum ejus maxime pertinuisset, quia eo tempore talis traditio nondum exstabat.

ex verbis S. Gregorii Nazianzeni,

13 Ambrosius Gardebosc in supra memorato opere pag. 75 hic miserum quærit effugium, atque isti argumento respondet in hunc modum : *Si autem quæratur cur de Epiro potius, quam de Thracia, aut etiam de Achaia, ubi crucifixus interiit, mentionem fecerit Gregorius, respondendum existimo, Epirum prius, quam Thraciam et Achaiam ipsi in mentem venisse.* At quis facile credat, Gregorium oblitum fuisse Thraciæ, in qua tunc Thraces alloquebatur ? Quis credat, eum non meminisse sedis Constantinopolitanæ, de qua in ipsa urbe Constantinopolitana sermonem habebat ? Adde, quod Gregorius Nazianzenus procul dubio mature præmeditatus fuerit, quomodo hac oratione calumniatoribus suis optime responderet. Nunc danda est notitia auctorum, qui ab Apostolo Andrea continuam præsulum Byzantinorum seriem texuerunt, atque detegendus fons, ex quo illi hanc opinionem hauserunt.

cujus auctoritatem Ambrosius Gardebosc frustra eludere nititur.

§ II. *Quinam continuam præsulum Byzantinorum seriem ab Andrea apostolo deduxerint, et ex quo fonte illam hauserint.*

Inter scriptores Græcos, quorum certam ætatem novimus, primus est S. Nicephorus, patriarcha Constantinopolitanus, qui in Chronographia compendiaria, post Chronographiam Georgii Syncelli, Parisiis anno MDCLII Græco-Latine impressa, catalogo decessorum suorum pag. 412 hunc præfigit titulum : *Universi Byzantii episcopi a Christi et Apostolorum temporibus.* Deinde eumdem sic exorditur : *Andreas Apostolus, cum Byzantii prædicaret, oratorium Argyropoli trans portum exstruxit, et ejus urbis episcopum ordinavit Stachym, cujus Paulus epistola scripta ad Romanos meminit.* Ita quidem S. Nicephorus, qui in hac re antiquiorem quemdam impostorem incaute secutus est, ut per decursum videbimus.

S. Nicephorus Constantinopolitanus,

15. Ne quis autem terreatur auctoritate hujus sancti scriptoris, audiat Baronium, qui in Annalibus ad annum Christi XLIV, num. 12 post relata Agapeti Papæ verba, quæ nos superius explicuimus, sic concludit : *Hæc Agapetus, cujus auctoritatem, in synodo, præsertim œcumenica recitatam, majoris esse ponderis existimamus, quam recentiorum Græcorum, ut Nicephori vel aliorum, qui dixerunt eas ecclesias ab Andrea apostolo institutas, ab eodemque episcopos illis datos ; quod recentiores Græcorum in Menologio, et uterque Nicephorus, ille episcopus Constantinopolitanus in suo Chronico, et alter cognomento Callistus tradiderunt.* Deinde ad annum Christi CCCXIV, num. 94 iterum de eadem re sic agit : *Nicephorus tamen Callistus, nec non Nicephorus episcopus Constantinopolitanus seriem texunt ejusdem civitatis episcoporum ab ipsorum Apostolorum tempore, in hunc fere modum ab Andrea exordientes.* Tum refert communem præsulum Byzantinorum catalogum, post quem num. 96 de istius opinionis fundamento sic judicat : *Huc usque uterque Nicephorus de successione episcoporum usque ad Metrophanem : idque totum conati sunt illi, ut demonstrarent, Byzantinam ecclesiam apostolicam esse, cum nemo umquam antiquorum id dixisse reperiatur : nam*

quem Baronius nec hic deserit,

recen

revera Byzantina ecclesia, ut testatur Gelasius, non tantum apostolica sedes non erat, sed ne metropolis quidem, sed parochia tantum Heracleensis ecclesiæ. Quamvis hic Baronio in deserenda Nicephori patriarchæ auctoritate consentiam; liceat tamen illum obiter interrogare, an ecclesia Byzantina juxta sensum Græcorum non fuisset apostolica, si eam Petrus apostolus instituisset, ut ipsemet opinatur?

collector juris Græco-Romani,

16 Jus Græco-Romanum, quod Francofurti anno MDXCVI Græco-Latine impressum est, circa finem libri quarti tom. I a pag. 296 alterum eorumdem episcoporum catalogum exhibet, illumque ab Andrea apostolo usque ad patriarcham Josephum, antea Galesii abbatem, deducit. Cum vero Josephus ille post medium seculi XIII Constantinopolitanam sedem occupaverit, conjicio, istum catalogum eo tempore collectum fuisse. Sic etiam suspicor, similem catalogum, quem Labbeus noster in Apparatu historiæ Byzantinæ pag. 36. Græce ex codice Ms. edidit, circa medium seculi XV conscriptum esse, quia desinit, in Josepho patriarcha, qui Florentiæ tempore concilii ibidem celebrati, diem obiit. Porro hunc deinceps appellabimus *catalogum Ms. Labbeanum* ad distinctionem alterius, ab eodem Labbeo Græce ibidem pag. 35 editi, qui a sancto Metrophane incipit, et carmine Iambico conscriptus est, quem propterea sub nomine *catalogi metrici* postea citabimus.

Nicephorus Callistus,

17 Præter hos anonymos scriptores Nicephorus Callistus ab apostolo Andrea usque ad sua tempora concinnavit aliam antistitum Constantinopolitanorum seriem, quam supra laudatus Bandurus lib. 8 Antiquit. Constantinop. à pag. 191 ex codice Ms. nuper Græco-Latine vulgavit, et de qua in præfatione ad tomum I Imperii Orientalis, pag. X sic præmonet: *Secundo loco habetur catalogus patriarcharum CP. à Nicephoro Callisti conscriptus; qui nunc primum in lucem prodit a nobis Latine versus, et notis chronologicis ac historicis illustratus. Exstat autem in codice Ms. bibliothecæ regiæ num.* 3502, *adeo exeso ac detrito charactere conscriptus, ut non absque magna difficultate legi possit; imo pagina prima nonnulla verba penitus deleta comparent, quæ quidem ex aliis catalogis supplemus, et, ut ab aliis distinguerentur, uncinis inclusimus....... Hic autem catalogus patriarcharum CP. a Nicephoro Callisti conscriptus, qui mihi accuratissimus videtur, desinit in Joannem, qui et Cosmas dicitur, Sozopolitanum, qui quidem inauguratus fuit patriarcha post Athanasium anno Christi* MCCXCIV, *et e sede sua pulsus fuit* MCCCIV. Quæ Bandurus hic in primi istius Ms. codicis pagina uncis includere aut omittere coactus fuit, ex ecclesiastica ejusdem Nicephori Callisti historia, lib. 8 cap. 6 etiam suppleri poterant, ut postmodum videbitur.

aliique Græci, qui initium sedis Byzantinæ S. Andreæ attribuunt,

18 Circa medium seculi XVII Matthæus Cigala et Philippus Cyprius ab Andrea quoquo usque ad sua tempora continuam episcoporum Byzantinorum et patriarcharum Constantinopolitanorum seriem perduxerunt. De his vero laudatus Bandurus in præfatione tomi primi pagina proxime citata sic loquitur: *Quartum locum tenet catalogus patriarcharum CP. ex nova variarum historiarum synopsi Matthæi Cigala a nobis descriptus, quem quidem, quod sit diversus ab aliis, Latinum fecimus atque hic edidimus. Desinit autem hic catalogus in Neophytum illum, qui ex Heracleensi episcopo creatus fuit patriarcha CP. anno Christi* MDCXXXVI. *Quinto loco habetur Philippi Cyprii magnæ ecclesiæ protonotarii libellus, qui continet catalogum patriarcharum Constantinopolis; et sedes episcoporum, quæ sub iis olim fuere hodieque permanent, ex variis libris chronicis, qui exstant, collectus: quem pro more nostro emendatum proferimus..... Quam vero imperfecti sint catalogi Patriarcharum CP. editi a Matthæo Cigala et Philippo Cyprio, et maxime post Athanasium ad captam usque a Turcis urbem, in commentariis nostris monuimus.* Quamvis recentiores hi scriptores in rebus antiquis exiguam fidem obtineant, tamen usui esse poterunt, ubi de sua ætate loquuntur.

secuti sunt antiquiorem fabulatorem Græcum,

19 Hactenus enumerati auctores Græci circa primos Byzantii episcopos secuti sunt vetustiorem quemdam fabulatorem, qui sub nomine Dorothei martyris hanc sedis Constantinopolitanæ antiquitatem confinxit, et cujus scripta inserta sunt Chronico paschali, quod Cangius anno MDCLXXX Parisiis Græco-Latine vulgavit. Non opus esse arbitror, ut hic operose probem, istud scriptum Dorotheo affictum esse, cum de ea re passim consentiant eruditi bibliographi, quorum judicium in libris ubique obviis videri potest. Porro ipse auctor tempus et causam fictionis suæ satis prodit, dum in editione Cangiana pag. 434 post enumeratos Byzantii episcopos usque ad seculum IV, hæc subjungit: *Hæc ab omni virtutum genere insigni Dorotheo in commentariis Latinis relicta a nobis excerpta sunt, Philoxeno et Probo consulibus,* (id est anno Christi DXLV, duobus circiter post Dorotheum seculis) *quando Constantinopolim venit Joannes Romæ episcopus: persuasus enim ab urbis archiepiscopo, ut secum in Christi natalitio sacris operaretur, id facere renuit, nisi ante urbis episcopum primus ipse sacra faceret, utpote Roma ante urbem Constantinopolitanam episcopum nacta. Ex hisce igitur oborta contentione, convenere Constantinopolitani, ostendereque ex magni Dorothei commentariis, Romano antiquiorem esse episcopatum Constantinopolitanum. Joannes quidem Romanorum episcopus Dorothei scripta vera esse asseruit; præferri tamen se debere, quod Principis Apostolorum locum teneret, contendit: cujus tandem rei gratia prærogativa ipsi est concessa, non autem quod Romanus episcopatus ante Constantinopolitanum præexstiterit.*

ut ipsimet heterodoxi,

20 Hæc lubuit homini Græco in gratiam sui patriarchæ nobis Græca fide obtrudere, ut ne ipsi quidem heterodoxi dissimulare potuerunt; qui tamen alias in sedem Romanam iniquiores esse atque Græcorum statui ac rebellioni favere consueverunt. Inter illos Guilielmus Cave Anglus in historia litteraria, anno MDCXCIV Genevæ recusa, pag. 88 et sequenti, sic ad rem nostram scribit: *Totius imposturæ originem ex ipso fragmento eruere licet; quæ non alia videtur, quam πολυθρύλλητος illa inter sedem Romanam et Constantinopolitanam de πρωτοκαθεδρίᾳ contentio.* Deinde post relatas quasdam inter Pontifices Romanos et patriarchas Constantinopolitanos controversias ita pergit: *Tandem sub Justino seniore pax quædam inter utriusque sedis episcopos resarcita est, lite tamen non usquequaque sedata. Cum enim anno* DXXV *Joannes Papa a Theodorico Gothorum rege Constantinopolim missus esset, cum episcopo Constantinopolitano sacra facere renuebat, nisi ipse prior celebraret; nec teste Nicephoro* (is est Nicephorus Callistus, qui lib. 17 cap. 9 de hac re agit, et cui Caveus in margine Chronicon Marcellini adjungit) *regiæ urbis antistiti assidere voluit; sed ut Apostolicæ sedis prærogativam tueretur, su-*

pra

pra episcopum Constantinopolitanum etiam in ecclesia patriarchali in throno collocabatur.

alioquin fastui Græcorum contra Romanam Ecclesiam favere soliti,

21 *Hac occasione recruduit controversia, Joanne Sedis suæ Apostolicam dignitatem et antiquitatem obtendente; Constantinopolitanus e contra ecclesiæ suæ prioritatem strenue asserebat, eamque a sancto Andrea apostolo, fundatam, antequam ipse Petrus Romam veniret. Quæstione igitur hac de re mota, teste ipsomet anonymo nostro, prolata sunt hæc monumenta Dorotheana; unde argumenta hauserunt Constantinopolitani ad probandam ecclesiæ suæ vetustatem, eam Romana antiquiorem esse contendentes. Quin hac occasione primum conficti sint sub Dorothei nomine hi commentarii, nemo, opinor, prudens denegabit; et forsan ideo Latine scriptos esse prætendebat impostor, ut Joannem Romanum fortius argumentum stringeret. Huc denique spectant, quæ de martyribus Byzantinis, de reliquiarum illuc translatione, de ædibus sacris, etiam primis hisce nascentis Christianismi temporibus, inibi magnifice exstructis, et de aliis, quæ ad sedis Byzantinæ dignitatem evehendam faciebant, auctor noster splendide fabulatur.*

fateri coguntur;

22 *Hinc liquet, ex quibus tabulis catalogos suos præsulum Byzantinorum ab Andrea apostolo usque ad Metrophanem, Constantini Magni æqualem, deprompserint: Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in Chronographia, et Nicephorus Callistus lib.* 8 *cap.* 6 *: nempe ex auctore nostro, quocum ad amussim conveniunt, uno aut altero errore in annorum numeris excepto; quin et Nicephorus Callistus integram auctoris nostri periodum bene longam ad verbum transcripsit. Eamdem fere episcoporum successionem exhibet series illa patriarchalis, quæ exstat juris Græco-Romani libro* IV *pag.* 296. *Ab his in paucis recedit Philippi Cyprii protonotarii Constantinopolitani catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum sive* CHRONICON, *ceu vocatur*, ECCLESIÆ GRÆCÆ *a Nicolao Blancardo non ita pridem Græce et Latine editum.* Igitur hæc Constantinopolitanæ ecclesiæ traditio, quam posteriores incaute vel avide scriptis suis inseruerunt, orta est ex æmulatione Græcorum adversus sedem Romanam, ut censet heterodoxus Caveus, cujus judicium in hac re suspectum esse non debet.

imo causam suæ fictionis nimis aperte prodit.

23 Sed redeamus ad ignotum fabulatorem, qui in jam dicta Chronici paschalis editione pag. 435 scopum figmenti sui rursus manifestat his verbis: *Hæc in Latinis suis commentariis ex Græcorum et Judæorum scriptis collecta nobis tradidit Dorotheus, quæ quidem velut bona et probe accepta simul congesta in publicum emisimus, ut vel inde Constantinopolitani episcopatus pateret initium.* Tandem pagina sequenti post relatas quasdam fabulas, quarum nulla apud Eusebium aliosque veteres fit mentio, commentarium suum ita concludit: *Procopius quidam presbyterii dignitate donatus, vitæ sanctitate ac eloquentia præstans, et in omni circa disciplinas concinnitate et experientia semper versatus, cum in historicos sanctissimi et beatissimi episcopi et martyris Dorothei commentarios incidisset, hæc omnia scriptis nobis reliquit. Gratias igitur agamus illius laboribus et immortali memoriæ nunc et semper et in secula seculorum. Amen.* Ex his colligo, Procopium quemdam sub nomine Dorothei hæc confinxisse, vel alium anonymum sub nomine Dorothei ac Procopii ea vulgasse.

ignotus et imperitus fabulæ auctor

24 At parum refert, uter fuerit primus fabulæ auctor, de quo memoratus Caveus in mox citata Historiæ litterariæ editione pag. 88 sic disserit: *Quis umquam ex scriptoribus ecclesiasticis, qui primis his seculis floruerunt, synopsis hujus Dorotheanæ meminerit, imo vel ex iis, qui scriptorum ecclesiasticorum catalogos nobis ex professo tradiderunt? Quis nisi bardus et cui vix sanum sinciput, Dorotheum, hominem Græcum, et Tyri inter Phœnices antistitem, commentarios suos Latino sermone conscribentem nobis sisteret? Restat igitur, vel anonymum nostrum hæc confinxisse, vel saltem a Procopio presbytero suo conficta in lucem evulgasse. Unde pro more omnium pene impostorum, hæc diu incognita latuisse fingit, nec nisi duobus pene integris post Dorothei mortem seculis orbi innotuisse.* De hoc Dorotheo, cui quædam opuscula perperam adscribuntur, videri possunt Acta nostra tomo I Junii a pag. 534, ubi Henschenius gesta et scripta illius sancti Martyris commentario historico illustravit.

25 Juverit coronidis loco audire eruditissimum Cangium, qui in notis ad Chronicon suum paschale pag. 524 de tota hac re sic judicat: *Conficta sunt ab otiosis et male fidei Græculis, qui Romæ Veteris primatum iniquo ferentes animo, Novæ prærogativam quavis ratione asserere semper sunt adnixi. Atque id sane concilii satis aperit ille, a quo confictus est, quique suam ætatem prodit,* ὑποβολιμαῖος *ille Dorotheus, dum post recensitos* LXX *Christi discipulos, Byzantiis longe ante, quam Romanis Christianam fidem prædicatam fuisse probare contendit, indeque Constantinopolitano episcopo primas partes deberi conficit, captata exhinc occasione Byzantiorum episcoporum ab eorum primo Stachy ad Metrophanem usque catalogum et seriem pertexendi, vel etiam forte confingendi: qui quidem licet prorsus, ut diximus, confictus sit, futilis tamen auctoris apud Græculos ea invaluit auctoritas, ut pro vero habitus sit ac genuino, adeo ut hunc Nicephorus ipse Constantinopolitanus patriarcha in suam Chronologiam eadem omnino serie retulerit, licet totus iste tractatus insulsis narrationibus, ac ridiculis anachronismis, ut dixi, ubique scateat.* Quod Cangius de anachronismis ac falsis narrationibus hic generatim asserit, nos jam sigillatim ostendere conabimur, ne quis imposterum insulsis hujusmodi Græcorum monumentis incaute fidem adhibeat.

ut eruditissimus Cangius recte observavit.

§ III. *Deteguntur varia Græci impostoris figmenta, et examinatur series præsulum Byzantinorum, qui ante Metrophanem sedisse dicuntur.*

Anonymus fabulator vel Procopius, quem etiam pseudo-Dorotheum interdum appellabimus, post longum procemium et ineptam battologiam, in Cangiana Chronici paschalis editione primum pag. 431 narrationem suam serio auspicari videtur his verbis: *Andreas quippe in Pontum trajiciens, Byzantiis Christum annuntiare decrevit. At cum ea tempestate vir insigni crudelitate Zeuxippus locum illum tum regeret, quotquot ex advenis Byzantium appellebant, priusquam ingrederentur, an Christum colerent, rogabat, permisso postea, si negarent, urbis ingressu; si vero Christum quispiam confiteretur, confestim in vincula conjiciebatur, ac deinde pedibus manibusque ligatis in mare præcipitari jubebatur.* Verum eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi XLIV num. 31 de hac Græcorum assertione

Præter alias ineptias fabulator Græcus

tale

tale fert judicium : *Sed fide nutant hæc ob apertum mendacium de Zeuxippo tyranno : nullus enim incumbebat tempore Claudii tyrannus in Thracia, quam provinciam præses summa pace moderabatur.* Cum tamen hæc Baronii censura Tillemontio tomo I Monument. eccles. pag. 589 et Gardeboscio tomo I Hist. eccles. pag. 74 non satis certa videatur, de ea operose non disputo, sed ad evidentiora figmenta progredior.

27 Pseudo-Dorotheus apud Cangium pag. 432 ita pergit : *Qua quidem audita crudelitate, Byzantium prætemavigans Andreas, in ea Thraciæ parte, quæ Byzantio adjacet, stadio circiter uno ab Argyropoli, per biennium constitit, coacto illic legis ac veritatis amantium hominum cœtu. Duobus igitur circiter millibus ibi collectis, erectoque Argyropoli Christo altari, ac Stachy constituto episcopo, Sinopen Ponti perrexit.* Imprimis hic aures meas offendit recentius *Argyropolis* nomen, quod infra etiam aliquoties recurrit. Quæ enim fuit tempore S. Andreæ ista Argyropolis, de qua nullus geographus aut historicus quatuor primis Ecclesiæ seculis meminit? Imo si ostendero, huic loco prope Byzantium seu Constantinopolim primum ineunte seculo V tale nomen fuisse inditum, quam fidem adhibebimus Procopio, sive anonymo auctori, qui sese hæc et similia in Dorotheo invenisse affirmat?

tempore S. Andreæ locum Byzantio vicinum vocat Argyropolim,

28 Audiamus igitur Socratem, seculi V scriptorem qui lib. 7 Hist. eccles. cap. 25 in editione Valesiana pag. 366 de hujus appellationis origine ita scribit : *Idem* (nempe Atticus episcopus Constantinopolitanus, qui seculo V floruit) *præterea in nominibus imponendis elegans fuit ac venustus. Navale quidem in ostio Ponti Euxini situm, quod ab ultima vetustate* φαρμακεὺς *dicebatur, ipse* θεραπείαν *nominavit, ne forte Collectas illic celebrans, locum illum infami vocabulo appellaret. Aliud quoque suburbanum Constantinopoleos* ARGYROPOLIM *cognominavit ob hanc causam : vetus navale est Chrysopolis in capite Bosphori sita, cujus mentionem faciunt cum alii veteres historiæ scriptores, tum Strabo et Nicolaus Damascenus, et admirandus ille Xenophon in libro sexto de expeditione Cyri. Idem in libro primo rerum Græcarum ait, Alcibiadem, cum eam muro cinxisset, decimæ portorium in ea exegisse : nam ex Ponto navigantes illic decimam pendere cogebantur. Atticus igitur cum locum, e regione Chrysopoleos situm, gratum imprimis et amœnum esse cerneret, consentaneum esse dixit, ut Argyropolis nominaretur; quod ab eo dictum, statim cognomentum loco indidit.* Hæc Socrates Attico coævus. Unde liquet, hunc locum seculo quinto dumtaxat appellationem Argyropoleos accepisse. Quomodo igitur Dorotheus, Tyriorum episcopus, qui circa medium seculi quarti martyrio coronatus est, eumdem locum eo nomine exprimere potuit? Nemo mihi reponat, forte a Procopio hic exprimi loci nomen, prout sua ætate in usu erat : nam idem scriptor Constantinopolim plerumque antiquo Byzantii nomine appellat, et alias locorum mutationes satis studiose indicat, ut per decursum poterit observari.

qui tantum seculo quinto ita appellari cœpit,

29 Nunc examinanda est Byzantinorum præsulum series, in qua primus ab ipso collocatur

STACHYS.

et falso primum Byzantii episcopum constituit Stachyn,

Menologium, quod jussu Basilii imperatoris seculo X collectum est, hunc tamquam sanctum, die ultima Octobris apud Ughellum tomo 6 Italiæ sacræ col. 1119 ita annuntiat : *Stachys apostolus, episcopus Byzantii ab Andrea sanctissimo apostolo lectus, cum templum Argyropoli ædificasset, in quo Christianorum duo millia docebat, præfuissetque annos sexdecim, in pace quievit.* Stachys ille vocatur hic *apostolus*, qui titulus in latiori significatione accipiendus est, quia forte fuit unus ex septuaginta Christi discipulis, ut in catalogo pseudo-Dorothei et Hippolyti refertur. Dixi, illum *forte* fuisse ex numero septuaginta discipulorum : quamvis enim Paulus in epistola ad Romanos cap. 16 ℣ 9 salutari jubeat *Stachyn dilectum* suum (si tamen is idem est cum nostro) non inde sequitur, illum septuaginta Christi discipulis annumerandum esse; siquidem eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiast. ad annum Christi XXXIII num. 40 de hac incerta septuaginta discipulorum recensione sic scribit : *Nomina autem discipulorum, qui a Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui, omnes fere, quorum invenerunt in epistolis Pauli fieri mentionem, quos ejusdem Apostoli constat fuisse discipulos, simul confarcinantes, nulla prorsus habita ratione veritatis, inter discipulos Domini adnumerarunt; et quod deterius est, eos admiscuerunt, qui nec Apostolorum discipuli fuisse noscuntur.* Eusebius autem lib. I Hist. eccles. cap. 12 scrupulum nostrum auget his verbis : *Quod vero ad septuaginta discipulos attinet, eorum series nullibi perscripta reperitur.* Si tempore Eusebii nulla septuaginta discipulorum series exstiterit, unde eam pseudo-Dorotheus et alii posteriores scriptores acceperunt? At quantum fidei catalogis hujusmodi sit tribuendum, ad diem XV Julii, tomo IV istius mensis pag. 17 ostendimus.

30 Alterum Menologium Græcum, quod ex interpretatione eminentissimi Sirleti Henricus Canisius tomo 2 Antiq. lect. Latine edidit, eadem die ultima Octobris Stachyn cum aliis ita memorat : *Natalis sanctorum Stachys, Ampliæ, Urbani, Aristoboli, Narcissi, et sancti martyris Epimachi; ex quibus sanctus Stachys ab apostolo Andrea episcopus constitutus est, qui et ecclesiam in Argyropoli ædificavit, in quam conveniebat Christianorum multitudo innumerabilis, quam beatus Episcopus docebat; cumque ita vixisset annis septemdecim, dormivit in pace.* Cum his fere conveniunt Menæa impressa, præterquam quod locum episcopatus Byzantium exprimant, quodque dumtaxat sedecim gubernationis annos Stachy adscribant. Supra memorati catalogi circa episcopatus durationem cum Menæis concordant, excepto catalogo Ms. Labbeano, qui tantummodo sex regiminis annos ipsi tribuit. Ceterum hæc Græca posterioris ævi monumenta corruptum pseudo-Dorothei fontem sapere videntur.

qui in variis Martyrologiis refertur tamquam sanctus,

31 Haud dubie ex his Græcorum Menologiis Stachys ille transiit in Martyrologium Romanum, quod XXXI Octobris de ipso ita meminit : *Constantinopoli, sancti Stachis episcopi, qui a beato Andrea apostolo primus ejusdem civitatis episcopus ordinatus est.* Miror, Baronium hic in notis ad Martyrologium Romanum, ubi Menologium, aliosque auctores Græcos citat, nihil notasse circa Byzantinum Stachys episcopatum, qui cum superius relata eminentissimi istius scriptoris opinione conciliari non potest. Attamen ob hactenus dicta non abrogamus huic Stachy titulum sanctitatis, quem vetus S. Sabæ Typicon eadem die sic ipsi cum aliis simpliciter tribuit : Τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Στάχυος, Ἀμπλίου, Οὐρβανοῦ, Ἀριστοβούλου,

et forte fuit episcopus apostolicus vel regionarius,

Ναρκίσσου,

Ναρκίσου, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἐπιμάχου. Id est: *Sanctorum apostolorum Stachys, Amplii, Urbani, Aristobuli, Narcisi, et sancti martyris Epimachi.* Imo neque dignitatem episcopalem ei ereptam volumus: potuit enim S. Stachys fuisse in Thracia episcopus apostolicus, quales initio nascentis Ecclesiæ existimamus fuisse in variis regionibus plures, qui fixam sedem non habebant. At illum fuisse primum antistitem Byzantinum negamus, donec id ex fide dignioribus monumentis didicerimus. Quidquid sit de illius Actis, quæ ad diem XXXI Octobris fusius discuti poterunt, ei in supra citatis præsulum Byzantinorum sex catalogis successisse dicitur:

ONESIMUS.

cui imperite successorem assignat Onesimum, de quo S. Paulus meminit,

32 Procul dubio his recentioribus catalogorum concinnatoribus fundamentum præbuit pseudo-Dorotheus seu Dorotheo-Procopius, qui in editione Cangiana pag. 432 de ipso hæc habet: *Exactis autem a Stachy in episcopatu annis sedecim, ei successit Onesimus, cujus meminit Paulus apostolus in epistola ad Philemonem.* Huic impostoris assertioni tota reclamitat antiquitas, quæ istum Onesimum, antea Philemonis servum, postea Ephesium episcopum fuisse affirmat, ut videri potest in epistola, quam S. Ignatius martyr ad Ephesios scripsit. Ne quis autem hypercriticus circa authenticam hujus epistolæ fidem cavilletur, audiat Eusebium lib. 3 Hist. eccles. cap. 36, ubi de S. Ignatii gestis et scriptis agens illam testimonio suo ita confirmat: *Epistolam scripsit ad ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum pastoris mentionem facit.* Porro ne hic actum agam, consuli potest Opus nostrum ad diem XVI Februarii, ubi Majores nostri ex Martyrologiis aliisque antiquis monumentis Acta ejusdem sancti Onesimi illustrarunt. Onesimo post quatuordecim sedis annos (manuscriptus Labbei catalogus tantum tredecim ipsi adscribit) adjungitur vel subrogatur:

POLYCARPUS.

et huic Polycarpum,

33 Dixi, Polycarpum Onesimo adjunctum aut subrogatum fuisse, quia fabulosus commentarii Cangiani auctor ita ibidem scribit: *Cumque eo esset functus officio* (scilicet Onesimus, de quo loquitur) *per annos quatuordecim, cum illo Polycarpus Byzantii episcopus triennium constituitur.* Videtur his verbis indicare, quod Onesimus, senio aut morbo oppressus, per tres annos Polycarpum habuerit adjutorem. At Nicephorus Callistus lib. 8 Hist. eccles. cap. 6 innuit, Polycarpum Onesimo mortuo dumtaxat successisse, dum ibi sic scribit: *Onesimus quatuordecim annos ecclesiam cum gubernavit, eique Polycarpus subrogatus, qui decem et octo annis munere suo cum laude functus Plutarcho id reliquit.* Omnes catalogi nostri octodecim gubernationis annos isti Polycarpo tribuunt; sed nescio, utrum pseudo-Dorotheus illis octodecim annis annumerare voluerit tres annos, vivente Onesimo, in episcopatu transactos, de quibus Nicephorus Callistus non meminit. Utcumque hæc sese habeant, parum nostra interest, cum nec veteri fabulatori nec recentiori schismatico in hac re tuto fidem adhibeamus. Matthæus Cigala hunc Polycarpum ad septimum locum removet, atque deinde loco undecimo alterum Polycarpum recenset, ut infra dicetur.

34 Hunc priorem Polycarpum in jam sæpe memorato memorandoque commentario Cangiano sequuntur:

PLUTARCHUS,

SEDECION,

DIOGENES.

cui successisse dicuntur Plutarchus, Sedecion, et Diogenes.

Fictitius Dorotheus hos ibidem ita recenset: *Episcopatum adeptus est Plutarchus, cui, annis sedecim peractis, Sedecion successor substituitur per annos novemdecim; post quem Diogenes anno pontificatus decimo quinto vitam exuit.* Observa, huic Sedecioni *annos novemdecim* ab interprete perperam assignari: nam in textu Græco legitur ἐπὶ ἐννεαετῆ χρόνον, id est, *per novem annorum tempus.* Cum hac correctione conveniunt reliqui catalogorum scriptores, excepto Matthæo Cigala, qui episcopatui Sedecionis annos novemdecim assignat, et seriem istorum præsulum perturbat: remoto quippe ad septimum locum Polycarpo, ut supra monuimus, Sedecionem octavo loco collocat, et Onesimo statim Plutarchum, Diogenem ac Felicem subjungit. Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in Chronographia, Parisiis anno MDCLII Græco-Latine simul cum Georgio Syncello edita, pag. 412 alio modo eamdem seriem invertit: omisso enim Plutarcho, immediate Onesimo postponit Polycarpum, Eleutherium et Felicem, quamvis in aliis quibusdam editionibus commentarium pseudo-Dorothei exacte imitetur. Quis ordo ex his melior sit, non facile dixero, cum Eusebius aliique antiqui scriptores de illis episcopis Byzantinis altum siluerint; quod etiam intelligi volo de sequentibus, qui juxta eumdem commentarium Dorotheo-Procopianum hoc ordine collocantur:

ELEUTHERIUS,

FELIX,

POLYCARPUS.

Post hos ab eodem collocantur tres alii, quorum primus refertur in Martyrologio Romano,

35 Baronius die XX Februarii hunc Eleutherium Martyrologio Romano inseruit, et in notis affirmat, illum fuisse octavum Byzantii episcopum. Verum ea auctoritas, quantumvis magna, Majoribus nostris non successit, ut eum, tamquam Sanctum, in Opere nostro reponere auderent. Quare contenti illum inter prætermissos retulisse, ibidem ea die rationem omissionis istius reddiderunt. Dum vero eminentissimus scriptor in iisdem notationibus memorat templum quoddam Constantinopolitanum, ejus nomine insignitum, videtur hunc confundere, cum Eleutherio martyre et episcopo Illyrici, cujus Acta Papebrochius ad diem XVIII Aprilis discussit, ubi tomo II istius mensis pag. 528 et sequente, celebrem hujus cultum apud Græcos, et templum ei in urbe Constantinopolitana exstructum indicavit. Facile autem fuit impostori Græco præsulem Constantinopolitanum ex episcopo Illyrici effingere. Itaque præter alias omissionis istius causas, quas Bollandus die XX Februarii inter Prætermissos expressit, allegari potest hæc verosimillima duplicatio unius ejusdemque S. Eleutherii, de quo Martyro-

Martyrologium Romanum die XVIII Aprilis iterum egit.

36 Nemo imposterum, ut spero, hunc Majorum nostrorum scrupulum seu potius cautum procedendi modum temere accusabit, qui in Responsionibus Papebrochianis ad Art. I, § 4, num. 54 legerit sequentia : *Dubitavit Bollandus ad diem* XX *Februarii de sanctitate Eleutherii episcopi Constantinopolitani, ideoque ausus non fuit inter Sanctos eum reponere, licet in Martyrologium Romanum, etiam post emendationem ejus, relatus sit. Rationes, cur ausus non fuerit, videre licet ad dictum diem inter prætermissos pag.* 168 *col.* I. *Nec inventus hactenus Romæ est, qui ejus prætermissionis auctori ea causa litem moveret, vel de reverentia erga Romanum Martyrologium imminuta verbum faceret ; quin potius fuit, qui inde scripserit ad me, ut si plura ejusmodi longo usu notassem corrigenda, ea suggererem pro nova Martyrologii editione ; quod facere detrectavi, quia currente adhuc Opere, necdum plene informatus de singulis sum.*

quem tamen Actis nostris inserere non sumus ausi;

37 Ceterum Procopius sive pseudo-Dorotheus his tribus tempus cathedræ Byzantinæ ita dividit : *Post hunc* (videlicet Diogenem) *sedem episcopalem obtinuere Eleutherius per septem, Felix deinde per quinque, ac denique Polycarpus per annos tredecim.* Alii catalogi hic iterum inter se differunt : nam Matthæus Cigala Eleutherium Sedecionis successorem facit, eique Athenogenem, ac deinde alterum Polycarpum postponit ; at Felicem Polycarpo primo, Sedecioni ac Eleutherio præponit. Philippus Cyprius Felicem collocat inter Eleutherium et Athenogenem, et huic Polycarpum secundum vult successisse. Catalogus, qui tomo I Juris Græco-Romani a pag. 296 insertus est, unum dumtaxat Polycarpum agnoscit, eumque Onesimo successorem assignat, dum interim alii in eodem pseudo-Dorothei fonte duos Polycarpos inveniunt; et unicuique homonymo septemdecim aut octodecim sedis annos tribuunt. Vides quam diversa et incerta tradantur de his primis, ut quidem Græci nonnulli existimant, Byzantii episcopis, quos in quibusdam catalogis sequitur :

et his tribus,

quorum apud alios diversa est successio,

ATHENODORUS *vel* ATHENOGENES.

38 Fabulosus jam sæpe dicti commentarii auctor de hoc præsule acturus, circa templum quoddam eo tempore exstructum præmittit sequentia : *Ecclesia autem illa fortibus illis ac piis in lege septem pueris et Eleazaro pontifici deinceps dicata est, retenta tamen veteri loci appellatione : Elæon quippe sive Olivetum ab antiquo locus vocabatur ; quod quidem oratorium Athenodorus, qui post Polycarpum exstitit episcopus, primus incepit, hicque per quadriennium pontificatum obtinuit.* Observari meretur, quod Procopius de antiquo istius loci nomine hic meminit. Etiam paulo infra circa aliam ecclesiam, ab altero Byzantii episcopo ædificatam sic admonet : *Ecclesiam aliam rursum erexit versus maris littora in loco, qui Sycæ nuncupatur, Irenes data appellatione.* Qui ita de veteribus locorum nominibus loquitur, cur non indicat antiquam Argyropolis appellationem, quam seculo V primum natam esse supra ostendimus ? Nempe impostor ille ignorabat, hanc fraudem suam tam facile a posteris detegendam esse. Porro qui ab ipso et utroque Nicephoro nominatur Athenodorus, in tribus aliis catalogis Athenogenes appellatur. Huic successores assignantur :

sufficitur Athenodorus vel Athenogenes,

EUZOIUS,

LAURENTIUS,

ALYPIUS,

PERTINAX.

39 De illis idem scriptor hæc habet : *Post hos undecimus Byzantii episcopus constituitur Euzoius, qui et ipse, cum annos sex sedisset, Laurentio pontificatum reliquit. Hunc, post undecim annos sexque menses exactos, excepit Alypius, annis tredecim cum dimidio eo potitus. Rursum post hunc Pertinax fit episcopus, qui annis novemdecim sedem obtinuit.* In horum serie enumeranda catalogi satis conveniunt, nisi quod solus Matthæus Cigala Alypium post Pertinacem removeat, et manuscriptus Labbei catalogus Pertinaci tantum quatuordecim regiminis annos adscribat.

cui subrogantur quatuor alii,

40 Ceterum de isto ultimo pseudo-Dorotheus noster hanc narrat historiam : *Hic autem Pertinax vir Romanus et consularis ac magister militum cum in difficilem incidisset morbum, atque in Thraciæ partibus ea tempestate versaretur, plurimaque miracula Byzantii fieri a Christianis accepisset, Alypium in Elææ appellata ecclesia episcopum convenit, cujus usus contubernio, illius manus impositione quibus vexabatur doloribus liber factus est, indeque idolorum abdicato cultu ac errore, militiæque dimissa prærogativa, baptismo donatus, fide in Christum eximia ab Alypii latere non discedebat, a quo presbyterii dignitatem consecutus, in compunctionis lacrymis singulis diebus exactis, tandem post Alypii excessum in episcopum ordinatur. Cum porro admodum locuples esset Pertinax, ecclesiam aliam rursus erexit versus maris littora in loco, qui Sycæ nuncupatur, Irenes data appellatione : quem quidem locum, a Christianis in urbis speciem deinceps effectum, variis ac compluribus excitatis ædibus, Constantinus semper augustus mœnibus postea donavit.* Penes auctorem, alias fallere consuetum, sit fides hujus narrationis, quam tota antiquitas videtur ignorasse. Post Pertinacem recensentur :

de quorum ultimo incerta narratur historia.

OLYMPIANUS, *vel* ALYPIANUS,

MARCUS,

CYRILLIANUS *vel* CYRIACUS,

CASTINUS *vel* CESTENUS.

41 Horum chronotaxim pseudo-scriptor sæpe memoratus ita explicat : *Post Pertinacem in æde Irenes nuncupata episcopus constituitur Olympianus, in qua per annos undecim sedit. Huic successor fit Marcus per annos tredecim, post hunc Cyrillianus,* (alii tres catalogi *Cyriacum* appellant) *per annos sedecim, ac deinde Castinus per annos septem episcopi extitere.* Reliqui catalogorum textores in assignandis episcopatus annis cum Procopio consentiunt, nisi quod solus Ms. Labbei catalogus Olympiano, quem etiam *Alypianum* vocat, annos quatuordecim et Cyrilliano quindecim tantum adscribat. Castinus autem a Philippo Cyprio *Cestenus* nominatur.

Quatuor præcedentium successoribus,

42 Verum notatu dignus est parachronismus,

quem

A quem pseudo-Dorotheus noster occasione Cesteni vel Castini ibidem addit his verbis : *Constantinus igitur primo ipsius anno aliam intra Byzantium erexit ecclesiam versus Aquilonem, ubi Anemodulium prostat, Euphemiæ martyris, quæ ea tempestate martyrium obiit, ecclesia appellata.* Eligat Græculus quiscumque hujus fabulosi commentarii defensor, an hæc æquivoca Græci textus verba : Ὁ οὖν Κωνσταντίνος ἐν τῷ πρώτῳ αὐτοῦ ἔτει, ita velit interpretari, ut pronomen αὐτοῦ referatur ad annum primum Constantini imperatoris, an ad primum annum episcopi Castini, de quo supra auctor egerat. Certe alterutra significatio admittenda est; at neutra cum veritate potest consistere : non enim potuit Constantinus ecclesiam S. Euphemiæ ædificare primo Castini antistitis anno, cum mors istius Castini diu nativitatem Constantini præcesserit juxta ipsum memorati commentarii calculum, ut ex infra dicendis patebit. Sed neque id fieri potuit primo anno Constantini imperatoris, qui primis imperii sui annis contra varios hostes in Occidente certare debuit, et Byzantium eo tempore

in quorum postremo crassus parachronismus occurrit,

B numquam vidit. Nec Constantinus absens exstruendam Christianis ecclesiam curare poterat in ea urbe, quæ ad suam ditionem nondum pertinebat, et quæ tunc acerrimi Christianorum hostis dominio subdita erat.

43 Post prædictos episcopos dicuntur Byzantinam cathedram ascendisse alii quatuor, qui in memoratis catalogis nostris hoc ordine recensentur :

rursus subnectuntur alii quatuor,

TITUS *vel* TRATUS,
DOMETIUS,
PROBUS,
METROPHANES.

Commentarius Dorotheo-Procopianus eosdem enumerat hoc modo : *Reliquo igitur pontificatus tempore ibi exacto*, Castinus *Titum successorem reliquit, qui annis tringinta quinque cum mensibus sex expletis, Domitium Probi imperatoris fratrem successorem constituit; cui post exactos annos viginti quatuor cum sex mensibus, Probus Domitii filius in*

C *pontificatu sufficitur, in quo annos duodecim exegit; post quos Metrophanes, Probi frater et Domitii filius, Byzantii fit episcopus, qui per annos decem sedem obtinuit.* Quamvis plerique catalogi nostri consentiant in diuturno episcopatus regimine, quod primus ex his quatuor præsulibus ultra triginta quinque annos tenuisse dicitur; tamen in exprimendo illius nomine maxime dissentiunt : nam Titus ille in Jure Græco-Romano *Tratus*, a Matthæo Cigala *Taratus* seu *Titus*, ac denique a Philippo Cyprio *Taratus Citites* appellatur. At imperita pseudo-Dorothei loquacitas nobis de hoc Tito, licet toti antiquitati ignoto, ampliorem disserendi materiam suppeditat, ut ex sequentibus patebit.

44 Imprimis auctor ille imprudens in jam sæpe laudata editione Cangiana pag. 430 de hoc Tito sic garrit : *Ipse igitur magnus pontifex Dorotheus scripto reliquit venerandam ædem sanctæ et invictæ martyris Euphemiæ in Petrio a quodam Tito primum fuisse conditam; qui quidem Titus cum Byzantii esset episcopus, in eaque urbe martyrio vitam terminasset, juxta veteres muros depositus est, ex quo sanctus Andreas apostolus ad hæc loca*

et in hac serie quædam narrationes ineptæ,

D *venit, quo tanta Christianorum multitudo confluxit, ut tot aliis in locis minime invenirentur. Universi enim Byzantii doctores, qui hactenus multa passi fuerant, tyrannicis ex quadam animi pusillanimitate vitatis minis, iis, qui ex gentilibus erant, vel ex Judæis, divinam disseminabant sermonem, Tito interea multa edente miracula, et qualia Servator ediderat.* In hac brevi narratione tria observo intellectu difficilia, quæ mihi explicari cupio. Ac primo quidem, quomodo hic Titus ecclesiam S. Euphemiæ condidisse dicitur, quam superius a Castino vel Constantino constructam fuisse ex eodem auctore retulimus? Secundo, quis facile credat, eo tempore Byzantii tot fuisse Christianos, ut nusquam tanta multitudo inveniretur? An non est verosimilius, quod Hierosolymis, Romæ aut Antiochiæ plures fuerint? Tertio, si Titus ille tanta miracula patraverit, ac glorioso martyrio vitam finierit, miror, in ecclesiastica Eusebii historia aut in sacris Græcorum monumentis memoriam istius thaumaturgi et martyris non celebrari.

45 Porro sequamur pseudo-Dorotheum, qui Titi martyrium sub Diocletiano perperam collocat, et alias evidentes fabulas nobis ita obtrudit : E
Adhuc porro vigente Licinii et Diocletiani tyrannide, rebus ita se habentibus, Titus *interficitur; et Carus imperator ejusque filii duo Carinus et Numerianus tyranni deinceps effecti, ad Christianorum supplicia promiscue progressi sunt, ex iis usque ad mille per singulos dies interfectis, cum quibus Adrianus etiam Probi filius morti sese exposuit.* Quot verba, tot fere errores. Imprimis Diocletiani ac Licinii persecutiones ita conjungit, acsi eas simul movissent, atque sub alterutro Titus lauream martyrii obtinuisset, cum tamen Licinius non fuerit cæsar aut imperator, Diocletiano imperante. Præterea juxta ipsum pseudo-Dorothei calculum debuit Titus ille martyrio affectus fuisse, antequam Diocletianus vel Licinius imperium adepti essent : nam duobus Titi successoribus usque ad Metrophanem adscribit plus quam triginta sex ecclesiastici regiminis annos, quibus detractis ab anno CCCXV vel CCCXVI, quo Metrophanes Byzantinam cathedram ascendisse videtur, mors Titi incidet in annum CCLXXIX vel CCLXXX, quo Diocletianus aut Licinius nondum imperabant. Adde, quod imperitus ille scriptor ordine prorsus præpostero post Diocletianum Caro ejusque filiis imperium affingat. F

quæ cum communi chronologia

46 At ecce impostor ille novo miraculo resuscitat Licinium, quem supra dixerat una cum Diocletiano tyrannidem ante Carum exercuisse, dum ita inepte fabulari pergit : *Cum enim in Nicomediensium urbe post Cari necem versaretur*, (nempe Adrianus Probi filius, quem tamen Acta Græca in codice bibliothecæ Cæsareæ fratrem Probi appellant) *videretque Christianorum multitudinem a Licinio sine ullo delectu sublatam, accedens ad tribunal ita hunc est affatus : « Cur Romanorum exercitus ita temere nullaque de causa interficitur? Ecce pleraque Romanorum a barbaris occupantur. » Tum Licinius ad Adrianum : « An et tu, inquit, Christianus es? » Cui Adrianus : « Quinimo, ait, longe potius mihi est, ut in hac confessione moriar, quam Christum negem. » Licinius multis tormentis intentatis, multis etiam adulationibus et adhortationibus, quibus flecteretur, adhibitis, ut in Christianæ fidei confessione constantem advertit, iracundia ac animo exæstuans hunc securi percuti jussit.* Vides hic Licinium redivivum, et Adrianum sub eo martyrem, de cujus mar-

et historia pugnant,

A tyrio aliisque adjunctis varia discuti possent, quæ ad diem VIII Septembris, S. Adriano sacram, operosius examinanda relinquimus.

47 Denique idem pseudo-scriptor manifestas *ac evidentes fabulæ* fictiones aut contradictiones nihil curans sic prosequitur : *Quo* (scilicet Adriano) *in hac confessione exstincto, Metrophanes, qui nuper (Byzantii) episcopatum inierat, assumptis comitibus Christianis, Nicomediam venit, clamque subreptas Adriani martyris reliquias in prima ab ipsis condita ecclesia, quæ modo Byzantio adjacet, loco quem Argyropolim vocant, deposuit ; ubi et Titus, qui primus exstitit Constantinopoleos episcopus, Adriani, qui sub Maximino martyrium subiit, reliquias deposuit, ut et Nataliæ illius uxoris, ac ceterorum, qui cum illis vitam martyrio finierunt, ubi perinde repositum erat cadaver Stachys, unius e septuaginta discipulis, quem Andreas apostolus eodem in loco primum Byzantii episcopum constituerat.* Inter alia, quæ hic ab erudito lectore notari possunt, aut de quibus jam supra egi, observo, Titum vocari primum Constantinopoleos episcopum. Si autem Stachys fuerit primus istius urbis episcopus, ut B pseudo-Dorotheus paulo post affirmat, quomodo hæc duplex ipsius assertio cohæret ? Neque responderi potest, Titum dumtaxat vocari primum Constantinopoleos episcopum, prout hæc urbs a Byzantio distinguitur : quomodo enim potest dici primus Constantinopolitanus episcopus, qui facile quinquaginta annis obiit, antequam Byzantium nomine Constantinopoleos insigniretur ? Nullum igitur hic video pseudo-Dorotheo aut ejus defensoribus effugium. Atque hæc occasione Titi dicta sufficiant.

48 Quod ad tres Titi successores attinet, pau- *deteguntur.* cis expediam ex Menæis impressis, quæ ad diem IV Junii occasione S. Metrophanis de aliis duobus sic simul meminerunt : *Vixit Metrophanes tempore Constantini magni, inter Christianos imperatoris primi, filius Dometii, qui frater exstitit imperatoris Probi, genuitque filios duos, Probum et Metrophanem. Erat Dometius moderatus ac prudens ; unde considerans, idolorum cultum falsum erroneumque esse, ad fidem Christianam accedens, baptizatus est, ac Byzantium profectus familiaritatem contraxit cum Tito, istius urbis episcopo, viro sancto et Dei pleno ; a quo et in ordinem clericorum* C *adscitus, post mortem ejus cathedram episcopalem accepit. Dometio successit Probus filius, imperatoris* ex fratre nepos ; *et cum annos duodecim ecclesiam illam rexisset, migravit ad Dominum. Statimque Metrophanes, Probi frater, Dometii filius, patriarchalem ascendit sedem.* Janningus noster ad diem IV Junii in commentario historico de Actis S. Metrophanis num. 31 et sequentibus circa hanc successionem nonnullas movet difficultates propter longævam S. Metrophanis ætatem, quam Photius adstruit. Nos studiosum lectorem remittimus ad ejus ratiocinationem tomo I Junii pag. 390 et 391 examinandam, ne hic actum agamus. Quandoquidem hactenus enumerata Byzantinorum præsulum series sola fabulosi scriptoris auctoritate nititur, eam non magni facimus, atque idcirco ut incertam huic dissertationi præliminari inseruimus. Nunc nobis indagandum superest, quis juxta alios auctores fide digniores fuerit primus prædictæ urbis episcopus, quod paragrapho sequenti præstabitur.

D

§ IV. *Refertur diversa quorumdam opinio circa primum antistitem Byzantinum seu Constantinopolitanum.*

Scriptores Græci in assignando primo Byzantii *Non convenit inter scriptores Græcos,* episcopo inter se non concordant. Georgius Cedrenus in Compendio historiarum tomo I pag. 256 ita scribit : *Eo tempore* (videlicet sub imperio Antonini Caracallæ, qui ab anno CCXI ad CCXVII rexit) *primus Byzantii episcopus constitutus est Philadelphus, et annos tres præfuit : ante enim per octennium ecclesiæ præfuit quidam presbyter.* Eadem fere habet, teste Banduro tomo II Imperii Orientalis pag. 888, Symeon Magister et Logotheta in Chronico manuscripto, qui præterea secundum Byzantii præsulem sic memorat : Τὸ δὲ τρίτον ἔτος Γορδιανοῦ, δεύτερος ἐπίσκοπος βυζαντίου γέγονεν Εὐγένιος ἔτη κέ. Id est : *Tertio anno Gordiani, secundus episcopus Byzantii fuit Eugenius annis* E XXV. Cedrenus autem in laudato historiarum Compendio pag. 257 agens de imperio Gordiani, tantummodo ita loquitur : *Eugenius episcopatum Byzantinum occœpit ac gessit annos viginti quinque,* ut ibidem vertit interpres, seu potius, ut habent Græca : *Eugenius fuit episcopus Byzantii annis* XXV.

50 Symeon Magister ac Logotheta in præfato *quis fuerit primus Byzantii episcopus,* Chronico Ms. tertium ejusdem civitatis antistitem ita indicat : Εἶτα βασιλεύει Νουμεριανὸς Δοὺξ τυγχάνων Μυσίας · ἐπὶ τούτου μαρτυρεῖ ὁ ἅγιος Γεώργιος καὶ ὁ ἅγιος Βαβύλας ἐν Ἀντιοχείᾳ · τῆς δὲ ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλεσίας περιίστατο Ρουφῖνος ἔτη θ'. *Deinde imperat Numerianus dux Mysiæ : sub eo sanctus Georgius ac sanctus Babylas martyrium passi sunt Antiochiæ ; Rufinus autem præfuit ecclesiæ Byzantinæ annis* IX. Quamvis Cedrenus pag. 264 tradat, martyrium S. Babylæ sub duce Numeriano Antiochiæ peractum, cujus tempus alibi in Actis nostris discussum est ; tamen de hoc Rufino Byzantino episcopo non meminit. Etsi vero de hoc tertio præsule siluerit, nihilominus videtur illum implicite admisisse, dum in prædicto opere pag. 272 quartum recenset his verbis : *Nonum annum imperante Constantino, Metropha-* F *nes quartus episcopus Byzantii creatus est.* Verum Metrophanes, quem Cedrenus hic quartum ordine numerat, ab aliis primus Byzantii episcopus statuitur, ut jam videbimus.

51 Chronicon Alexandrinum seu Paschale, *quem auctor Chronici Alexandrini et alii putant fuisse S. Metrophanem,* quod Cangius edidit, pag. 281 ita diserte pronuntiat : *Byzantinæ ecclesiæ* PRIMUS *præest Metrophanes, annos* X. Teophanes seu quisquis est auctor forulorum, qui patriarchatus continent ac textui chronographiæ ejus interseruntur, post tres patriarchas orientales Pontificatui Romano subjungendos, quintam Byzantinorum præsulum seriem ita exorditur : *Byzantii* PRIMUS *episcopus Metrophanes, annis* X. Huic opinioni consonant plures manuscripti Græcorum catalogi, ut Carolus a sancto Paulo, abbas Fuliensis, ac deinde episcopus Abrincensis, in sua Geographia sacra, Amstelodami anno MDCCIV cum notis Holstenii recusa, pag. 209 testatur his verbis : *In omnibus hujus sedis patriarcharum catalogis, quorum plures antiquos manu scriptos in regia bibliotheca reperimus, Metrophanes, Constantini synchronus,* PRIMUS *recensetur, qui etiam archi-sacerdos primus magnusque civitatis Constantinopolis in perantiquo*

Græco

A *Græco Ms. dicitur, nec non in Chronico Alexandrino, ubi de Constantino imperatore.*

quorum opinionem ob rationes hic allatas,

52 Hactenus vidimus, quam diversa Græci de Byzantinæ cathedræ initio tradiderint: Procopius enim sive pseudo-Dorotheus originem illius ab apostolo Andrea repetit, et continuam eorumdem præsulum seriem usque ad Metrophanem texit, ut paragrapho præcedenti dictum est. Sed tres Metrophanis decessores, quos Cedrenus vel Symeon Logothet anominat, ipse non agnoscit. Quid de Procopiano catalogo sentiendum sit, satis aperte supra diximus. Nunc superest, ut ex duabus aliis Græcorum opinionibus alterutram eligamus. Mihi quidem verisimilior videtur illa, quæ Metrophanem facit primum ecclesiæ Byzantinæ antistitem, tum quod ea ex citatis scriptoribus et antiquis catalogis stabiliatur, tum quod sententia Cedreni et Logothetæ sedem nimis diu vacantem relinquat: nam Antoninus Caracalla, sub quo Philadelphus primus sedisse dicitur, obiit anno CCXVII, centum fere annis, antequam Metrophanes cathedram ascenderet. Si igitur Philadelphus dumtaxat tribus annis, deinde Eugenius viginti quinque, ac denique Rufinus annis
B novem Byzantinam ecclesiam gubernaverint, plus quam quinquaginta annorum hiatus relinquitur. Quare suspicor, hos tres vice Heracleensis episcopi, cui Byzantina civitas suberat aliquando Byzantii curam Christianorum gessisse, atque inde per errorem appellatos fuisse episcopos Byzantinos, qui proprie chorepiscopi dicendi fuerant.

et propter auctoritatem Gelasii Cyziceni

53 Præterea ad eam opinionem amplectendam me movet silentium Eusebii, qui in scriptis suis multos variarum ecclesiarum episcopos recensens, nusquam mentionem facit præsulis Byzantini, nisi lib. 3 de Vita Constantini cap. 7, ubi sic loquitur: *Ipsorum etiam Hispanorum unus celeberrimi nominis cum reliquis consedit; urbis vero regiæ antistes aberat quidem senio præpeditus; sed aderant ejus presbyteri, qui vices ejus obibant.* Quod autem per regiæ urbis antistitem hic intelligatur episcopus Byzantinus seu Constantinopolitanus, contra quosdam probatur ex Gelasio Cyziceno, qui seculo V floruit, et in Historia concilii Nicæni apud Labbeum nostrum tomo II
C conciliorum col. 155 eadem ex Eusebio sic fusius ac clarius refert: *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis et famæ celebritate insignis, qui Silvestri episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Bitone et Vincentio, cum aliis multis in consessu illo adfuit: urbis autem illius, penes quam imperium est, episcopus, Metrophanes nomine, ingravescente ætate præpeditus abfuit; sed presbyteri ejus, qui aderant, illius locum suppleverunt, quorum unus Alexander illi postea in ejus urbis episcopatu successit.* D

probabilius sequimur.

54 Denique Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum DXXXVI num. 59 citat scriptorem anonymum, quem rebus anno DXXXVI Constantinopoli gestis interfuisse existimat, et qui de *Epiphanio* tamquam *vigesimo urbis regiæ episcopo* meminit. Hic autem, num. 60 eminentissimus auctor solerter observat, quod antiquus ille anonymus Epiphanium appellaverit vigesimum Constantinopolitanæ urbis episcopum, *ita quidem numerans a Metrophane prædecessore Alexandri episcopi Constantinopolitani, qui vixit tempore Constantini: ab ipso enim usque ad Epiphanium, demptis hæreticis et schismaticis, totidem numerantur ejus ecclesiæ episcopi; ut plane appareat, Nicephori catalogum* E *Constantinopolitanorum antistitum a Stachi, ut ait, ab Andrea apostolo ordinato inchoatum, his temporibus prorsus ignotum fuisse.* Si Epiphanius tantum fuerit vigesimus ejus ecclesiæ episcopus, quomodo Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi XLIV num. 12 asserit, *Petrum Apostolorum Byzantiis... primos dedisse episcopos*, nisi forte intelligat episcopos apostolicos, qui fixam sedem non habebant? Cur autem vetustus ille scriptor episcopos istius ecclesiæ numerat a Metrophane, si hunc alii ejusdem ecclesiæ antistites præcesserint? Adde, quod ab eodem antiquo scriptore apud Baronium in Annalibus, anno Christi DXXXVI num 63 Mennas vocetur *vigesimus primus ecclesiæ suæ episcopus*: ex quibus apparet, ab auctore illo hæreticos et schismaticos prætermitti, et Metrophanem numerari primum istius urbis antistitem. His itaque argumentis inducti, nos etiam Metrophanem omnino primum Byzantii episcopum existimamus, et ab ipso seriem Constantinopolitanorum præsulum ordinare incipimus. F

HISTORIA

A D

HISTORIA CHRONOLOGICA

PATRIARCHARUM

CONSTANTINOPOLITANORUM

AB INCHOATO SECULO QUARTO, USQUE AD INITIUM DECIMI OCTAVI.

SECULUM IV

B

I S. METROPHANES I.

Usque ad annum Christi 325 præfuit CP. ecclesiæ S. Metrophanes,

Acta hujus sancti Antistitis ad diem IV Junii tomo I istius mensis a pag. 384 illustrata sunt, et chronologia ipsius, quantum per intricatissimas difficultates fieri potuit, utcumque stabilita est : illic enim ex Gelasio Cyziceno aliisque scriptoribus antiquis contra quosdam probatur, S. Metrophanem adhuc vixisse tempore concilii Nicæni, quod anno CCCXXV celebratum est, et in summa senectute, ob quam huic concilio non interfuerat, eodem aut sequenti anno obiisse conjicitur. Nullo modo verisimile est, quod in Chronographia Theophanis, Parisiis annis MDCLV Græco-Latine impressa, post enumeratos alios concilii Nicæni patres, sic pag. 16 legitur : *Alexander demum Byzantii præsul ob extremam senectutem et corporis invalitudinem synodo non interfuit; presbyteri tamen ipsius locum tenuerunt.* Opinor, hic a Theophane unum nomen alteri erronee substitutum fuisse, ac pro Alexandro legendum esse Metrophanem : quis enim credat *ob extremam senectutem* concilio Nicæno non interfuisse Alexandrum, qui usque ad annum CCCXL, teste ipso Theophane, ecclesiam Byzantinam gubernavit, et multa contra Arianos strenue gessit, ut ex sequentibus apparebit? Cum vero in omnibus catalogis Metrophani constanter tribuatur decennium, quo ecclesiæ Byzantinæ præfuit, initium episcopatus ejus anno CCCXV statuendum est, si anno CCCXXV sive CCCXXVI obierit, aut decem anni elapsi accipiantur. Hanc Janningi nostri chronotaxim amplector, quia hactenus verisimiliorem non inveni. Ceterum quod ad sancti Præsulis stirpem et gesta attinet, ea non satis certa sunt, ut videri potest in laudato Janningi commentario, ubi indicantur monumenta, ex quibus Photius aliique similia hauserunt.

C

cujus episcopatum aliqui ad tres annos perperam restringunt,

56 Nescio, quo fundamento eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CCCXIV num. 96; et rursus ad annum CCCXVII num. 17 episcopalem S. Metrophanis gubernationem contra communem scriptorum consensum intra triennium coarctaverit. Solus Eutychius, patriarcha Alexandrinus, quantum huc usque comperire potui, tam breve episcopatus tempus Metrophani assignat in Annalibus, ubi in editione Latino-Arabica Pocockii tom. I pag. 456 ita loquitur : *Anno imperii ejusdem vicesimo tertio* (hic annus Constantini imperatoris, de quo agit, respondet anno Christi CCCXXVIII) *mortuus est Metrophanes patriarcha Constantinopolitanus, cum três annos cathedram occupasset, factusque est post ipsum Alexander patriarcha Constantinopolitanus, qui octo annos sedit, dein mortuus est.* At hæc Eutychiana temporum ratio cum Baroniana chronologia componi non potest, et repugnat omnibus iis auctoribus, qui anno Christi CCCXXIII Byzantium a Constantino captum, et Metrophanem episcopum in ea urbe ab ipso repertum asserunt. Occurret infra opportunior disserendi locus circa octo annos, quibus in cathedra Byzantina sedisse dicitur ejus successor, de quo nunc agendum est.

E

II S. ALEXANDER.

F

et cui S. Alexander, zelo contra Arianos clarus,

Metrophani successit Alexander, ardenti catholicæ religionis zelo ac mira vitæ sanctitate inclytus, quem Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Theodoretus, aliique veteres scriptores meritis laudibus extulerunt. Obscuriora sunt ejus gesta usque ad exortam hæresim Arianam, quam in concilio Nicæno cum aliis Patribus damnavit, et cui deinde semper strenue restitit. Præditus etiam fuit gratia miraculorum, inter quæ Sozomenus lib. Hist. eccles. cap. 18 refert, quomodo philosophum ethnicum, qui cum ipso de religione Christiana publice disputare voluerat; subito in nomine Christi elinguem reddiderit. Athanasius in epistola ad Serapionem, quæ in novissima editione Parisiensi tomo 1 a pag. 340 Græco-Latine legitur, alterum narrat miraculum; nempe quod S. Alexander inexspectatam Arii mortem precibus a Deo impetraverit, atque ita Arianam hæresim ingenti clade affecerit. Hæc aliaque præclara ejus gesta fusius elucidari poterunt die XXVIII Augusti quod apud Latinos colitur, Græcis festum ipsius ad diem XXX ejusdem mensis celebrantibus. Mihi hic potissima chronologiæ ratio habenda est, de qua tamen paucis disseram, cum præcipua illius fundamenta alibi jacta fuerint, ut per decursum indicabo.

58 Chro-

A

successit post synodum Nicænam, sive annum Christi 325.

58 Chronicon Paschale in Græco-Latina Cangii editione pag. 282 ad annum decimum octavum Constantini, *Severo et Rufino consulibus*, id est anno Christi CCCXXIII, hæc habet : *Byzantinæ ecclesiæ secundus præest Alexander annos* VII. At Alexander non potuit anno CCCXXIII inchoare episcopatum, cum tempore synodi Nicænæ, quæ anno CCCXXV haud dubie habita est, nondum esset episcopus, ut Gelasius Cyzicenus in Historia concilii Nicæni lib. 2 cap. 7 apud Labbeum tom. 2 conciliorum col. 166 testatur his verbis : *Cum his generose decertabant sancti patres nostri, Alexander* TUNC *presbyter Constantinopolitanus et Athanasius archidiaconus ecclesiæ Alexandrinorum.* Imo idem Gelasius lib. 2 cap. 27 et 36 apud Labbeum tomo citato col. 227 et 267 inter presbyteratum Alexandri et ejus episcopatum sic clarius distinguit : *Alexander Constantinopolis* TUNC *solum presbyter, postea vero ecclesiæ illius episcopatum sortitus.* His adde Libellum synodicum, in quo apud eumdem Labbeum tom. 2 col. 84 diserte dicitur *vice Metrophanis Constantinopolitani Alexander presbyter* concilio Nicæno interfuisse. Non potest igitur initium episcopatus S. Alexandri ante annum CCCXXV vel CCCXXVI collocari, ut jam supra diximus.

B

Omnes illi auctores, qui septem,

59 Neque etiam septem anni episcopatus, quos Chronicon Paschale Alexandro solum tribuit, cum certissima historia componi possunt : sanctus quippe Athanasius, Alexandro synchronus, in supra laudata epistola ad Serapionem ex fide Macarii, testis oculati, refert, quod Alexander precibus a Deo prodigiose impetraverit Arii mortem, quæ juxta chronologos in annum CCCXXXVI incidit. Quomodo ergo hæc narratio vera erit, si Alexander anno Christi CCCXXV vel CCCXXVI episcopatum inchoaverit, eumque dumtaxat septem annis tenuerit ? Hinc patet, quid sentiendum sit de octo annis, quos Eutychius Alexandrinus episcopatui illius assignat, præsertim cum Janningus noster tomo 6 Junii part. I a pag. 71 solidis argumentis probaverit, S. Alexandrum usque ad annum CCCXL supervixisse.

vel viginti tres annos episcopatui S. Alexandri tribuunt,

60 Non minoribus difficultatibus sese implicant illi, qui Alexandro viginti tres cathedræ annos adscribunt : aut enim initium illius ante synodum Nicænam statuunt atque ita Gelasio Cyziceno aliisque scriptoribus contradicunt, aut usque ad mortem S. Alexandri spatium viginti trium

C

annorum non inveniunt, si episcopatum illius post synodum Nicænam differant. In hanc posteriorem difficultatem incidit Cedrenus, dum in Compendio historiarum tom. 1 pag. 272 ita scribit : *Nonum annum imperante Constantino*, (hic annus Constantini imperatoris pro majori parte annum Christi CCCXV denotat) *Metrophanes quartus episcopus Byzantii creatus est.* Quod autem Cedrenus Metrophani ut minimum decem episcopatus annos concedat, patet ex eodem Compendio pag. 285, ubi ipsum concilio Nicæno interfuisse perperam indicat his verbis : *Anno Constantini vigesimo* (id est Christi CCCXXV) *sanctum primumque œcumenicum concilium Nicææ actum fuit, congregatis eo trecentis decem et octo sanctis Patribus. Præfuerunt ei Silvestri Romani Papæ locum tenentes Viton et Vincentius presbyteri : Metrophanes Byzantii, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Hierosolymæ episcopi.* Quod si is Alexandro viginti tres episcopalis regiminis annos cum Socrate et Sozomeno velit tribuere, quomodo inveniet sufficiens temporis spatium, cum mors sancti istius Præsulis certo ultra annum CCCXL differri non possit ?

SEC. IV.

magnis difficultatibus sese implicant.

61 Baronius quidem spatium viginti trium annorum invenit ; sed pro libitu suo episcopatum Alexandri anno Christi CCCXVII exorditur, et de episcopatu Metrophanis contra communem opinionem septem annos detrahit. Audiamus ipsum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CCCXVII num. 17 ita disserentem : *Hoc eodem anno cum Metrophanes episcopus Byzantii sedisset annos tres, senio valde confectus, substituendum sibi Alexandrum curavit, qui (ut auctor est Sozomenus) annos viginti tres sedit. Ex his eluduntur, qui Metrophanem ecclesiæ præfuisse tradunt annos decem, et quæ de eo feruntur incerto auctore ex quadam oratione de Nicæno concilio, ubi habetur, Metrophanem post Nicænam synodum coram Patribus, qui eidem interfuerunt, egisse de subrogatione Alexandri. Nam si, ut dictum est, constat, Alexandrum sedisse annis viginti tribus, atque decessisse, ut idem Sozomenus testatur, eo anno, quo Constantinus junior filius Constantini Magni necatus est (qui est annus Domini trecentesimus quadragesimus) necesse est affirmare, hoc anno Alexandrum loco Metrophanis sedem Byzantinam capessisse. Mendose autem apud Nicephori chronicon ponuntur anni* LXIII *pro* XXIII *sedis Alexandri.*

E

ex quibus se non expedient,

62 Totum hoc Baronii ratiocinium procedit ex hypothesi, quod Sozomenus viginti tres episcopatus annos Alexandro concesserit. At quid si gratis admisero, tot annos a Sozomeno clare notatos fuisse ? Nonne Sozomenus in ea re facilius hallucinari potuit, quam dum agens de concilio Nicæno Julium Pontificem Romanum perperam Silvestro substituit, de quo crasso errore ipse eminentissimus scriptor in Annalibus ad annum Christi CCCXXV num. 10 ita conqueritur : *Quidnam est, cum tam perspicue constet, eamdem sanctam synodum celebratum esse sub Silvestro Romano Pontifice, id quidem manifeste profitentibus legatis suis ipsorum subscriptionibus ; quidnam est, inquam, quod Sozomenus sub Julio Papa celebratam affirmat?.... Secutus est Nicephorus quoque Sozomenum tam turpiter errantem.* Nonne etiam hic Sozomenus facile confundere potuit annos Alexandri Byzantini cum annis Alexandri Alexandrini antistitis, cujus posterioris episcopatui passim viginti tres anni a Græcis adscribuntur ? Nonne aliquis ætate Sozomeni per propriam aut amanuensis incogitantiam in numero errare potuit, quem ipse in-

F

caute secutus fuerit ? Certe idem Sozomenus in editione Valesiana lib. 4 Hist. eccles. cap. 8, Julio Papæ Romano *annos quinque ac viginti* Pontificatus tribuit, cum interim constet illum dumtaxat quindecim annis Romanæ Ecclesiæ præfuisse. Quidquid sit, ego Sozomeno, ac, si vis, etiam Socrati, oppono Gelasium Cyzicenum ac Libellum synodicum, aliosque, qui Alexandrum Metrophani, peracto concilio Nicæno, primum successisse testantur.

nisi nobiscum suspicentur, errorem in numeros irrepsisse,

63 Præterea vehementer suspicor, librariorum negligentia in hos numeros mendum irrepsisse, quia Chronicon Paschale septem, Eutychius Alexandrinus octo, et duplex Chronici Nicephoriani editio evidenti excessu sexaginta tres annos Alexandro assignant. Sane chronicon Nicephori, Lipsiæ a Camerario editum, pag. 182 sic notat : *Alexander vixit annis* XCVIII, *et episcopus fuit annis* LXIII. Eadem plane verba leguntur in Parisiensi ejusdem Chronici editione anni MDLXXIII, cui tamen editor hunc magnificum præfigit titulum : *Chronologia tripartita ex beato Nicephoro episcopo Constantinopolitano, in Latinum olim conversa per Anastasium Sedis Apostolicæ bi-*

bliothecarium,

SEC. IV.

bliothecarium, et ante aliquot annos per Joachimum Camerarium, nunc vero ad fidem Anastasiani exemplaris emendata et notis illustrata per Antonium Contium. Cardinalis Baronius hunc errorem corrigit, ut supra videre est, et pro LXIII annis putat XXIII ponendos esse. At eodem jure ego dicam, litteram numeralem L illic abundare, eaque rejecta, XIII annos legendos esse.

et nodi istius gratia dissolvendi

64 Nec Baronii opinionem juvare potest Chronicon S. Nicephori, Parisiis anno MDCLII post Georgii Syncelli chronographiam Græco-Latine editum, in quo pag. 413 dicitur S. Alexander XCVIII annis vixisse, et XXIII episcopatum gessisse : nam ibidem legitur S. Metrophanes per X annos ecclesiæ Byzantinæ præfuisse, quod tamen Baronius inficiatur. Verum si Alexander gubernaverit ecclesiam Constantinopolitanam XXIII annis, quæ correctio hic forte pro arbitrio editoris facta est, oritur difficultas, quæ ipsi Nicephoro ejusque sectatoribus solvenda est. S. Nicephorus post enumeratos ecclesiæ Byzantinæ antistites, de quibus in dissertatione præliminari egimus, pagina proxime citata sic concludit : *Isti omnes* B *fuerunt episcopi Byzantii, antequam Constantinus Magnus imperator declararetur. Is vero Byzantium belli in Licinium suscepti causa profectus, Metrophanem episcopum invenit.* Quod si ab anno CCCLX, quo Alexander obiit, viginti tres episcopatus annos retrocedendo computaveris, pervenies ad annum CCCXVII, quo Alexander Metrophani successisse debuit. Quomodo itaque Metrophanem episcopum invenire potuit Constantinus Magnus, qui Byzantium post victoriam de Licinio relatam tantummodo intercepit anno CCCXXIII, ut Tillemontius tom. 4 Historiæ imperatorum a pag. 642 pluribus argumentis evincit?

recurrant ad conjecturam nostram,

65 Idem nodus solvendus est Theophani, qui in laudata editione Parisiensi pag. 26 et 27 sic computat : *Constantinus annos omnino duos et triginta imperavit; qui primis decennalibus actis, tertio et decimo imperii anno* (is anno Christi CCCXVIII, et ex parte CCCXIX juxta exactiores chronologos respondet) *Byzantium profectus, Metrophanem, qui prior Alexandro præsulatum gessit, primum invenit. Metrophani vero successor Alexander viginti tres annos in episcopi dignitate exegit, adeo ut ab imperii Magni Constantini principio usque ad Alex-* C *andri obitum, septem supra triginta, quos Constantinus haud attigit, numerentur anni.* Chronographia Theophanis, quæ alibi sæpius vacillat, hic etiam non satis exacta est : nam si Alexander viginti tres annos in episcopi dignitate exegerit, quomodo eos ab anno CCCXVIII vel CCCXIX, quo Constantinus Magnus Metrophanem Byzantii episcopum reperit, usque ad annum CCCXL numerabit? Adde quod plures accurati chronologi adventum Constantini imperatoris Byzantium usque ad annum CCCXXIII vel CCCXXIV differant. Eadem difficultas magis urget Henricum Valesium, Tillemontium, aliosque scriptores, qui mortem Alexandri anno CCCXXXVI collocant, adeoque episcopatus ejus initium ad annum CCCXIII vel CCCXIV referunt. Sed eorum opinio nos hic morari non debet, cum Janningus noster tomo 6 Junii in appendice ad diem VII istius mensis pag. 71 et sequentibus eam operose convulserit, ac illorum objectiones solide dissolverit. Quare eo lectorem remittimus.

66 Ex hactenus dictis sequitur, aut falsa esse ea, quæ laudati auctores de Metrophane et adventu Constantini in urbem Byzantinam tradiderunt, aut errorem irrepsisse in numeros, quibus episcopatus Alexandri determinatur. Hæc secun- D da propositionis disjunctivæ pars multo credibilior videtur, cum Græci soleant numeros exprimere per litteras alphabeticas, quarum mutatione aut transpositione facillime error committitur. Sic per κγ' XXIII, per ιγ' XIII significant. At quam facile κ pro ι poni potuit, sicut in supra memoratis chronici Nicephoriani editionibus haud dubie ξγ', id est LXIII anni mendose scripti fuerunt, ut adversarii fateri coguntur. Si itaque ιγ' pro κγ' substituamus, inveniemus tredecim annos, quos S. Alexander in episcopatu suo ab anno CCCXXXVI vel CCCXXVII usque ad CCCXL implevit, et quos sine extremis annorum partibus numero rotundo computamus. Atque hæc est conjectura nostra, quam tuebimur, donec quis certiora suggesserit.

qua putamus forte annos 23 pro 13 scriptos esse.

III S. PAULUS I.

S. Paulus, strenuus orthodoxæ fidei defensor,

Franciscus Baertius noster ad diem VII Junii tomo 2 istius mensis a pag. 13 Acta hujus sancti Præsulis Constantinopolitani et martyris adeo copiose illustravit, ut mihi vix quidquam E agendum reliquerit ; laudatus vero Janningus noster tomo 6 Junii in appendice ad diem VII istius mensis a pag. 71 præcipuam eorumdem Actorum chronotaxin tot argumentis confirmavit, ut mihi hic operosius non sit disputandum. Quare lectorem ad citatos operis nostri commentarios remitto, et præclara S. Pauli gesta in compendium chronologicum redigo. Videtur Sanctus noster anno CCCXXV interfuisse concilio Nicæno, tamquam Alexandri, tunc presbyteri, ac postea episcopi Byzantini, notarius, ut innuit Gelasius Cyzicenus, a quo apud Labbeum tomo 2 conciliorum col. 267 post alios istius concilii Patres recensetur *Alexander Constantinopolis tunc solum presbyter, postea vero illius ecclesiæ episcopatum sortitus, cum Paulo tunc lectore atque ipsius notario.*

qui ante episcopatum jam in Pontum relegatus fuerat,

68 Porro fervens hujus Sancti zelus contra Arianos sufficientem calumniandi materiam præbebat hæreticis illis, ita ut Paulus, teste Athanasio in epistola ad solitarios, *primo quidem a Constantino in Pontum relegatus* fuerit. Quo autem anno S. Paulus tunc in exsilium pulsus fuerit, F non facile definiri potest, antiquis auctoribus de tempore istius exsilii altum silentibus. Attamen videtur illud contigisse ultimo imperii Constantiniani septennio, intra quod non pauci orthodoxi variarum ecclesiarum presbyteri et episcopi exsilio mulctati sunt, Constantino subdolis Arianis nimis faciles aures præbente. Imo non incongrue statui potest, id accidisse anno CCCXXXVI, quo conciliabulum Arianorum Constantinopoli habitum est, et quando S. Athanasius in Gallias exsulatum ivit. Neque improbabile est, S. Paulum ex Ponto Constantinopolim revocatum fuisse, quando S. Athanasius anno CCCXXXVIII ex Galliis Alexandriam reversus est : tunc enim varii orthodoxi exsules ad sua redierunt, consentientibus tribus fratribus imperatoribus, quorum pater Constantinus anno præcedenti obierat. Licet hæc chronotaxis non sit certa, tamen verisimilitudinis limites nullo modo excedit.

anno 340 in locum S. Alexandri mortui successit;

69 Supra laudati Baertius et Janningus firmioribus argumentis ostendunt, quod S. Paulus anno CCCXL in locum S. Alexandri episcopi Constantinopolitani suffectus fuerit, quamvis id alii citius factum esse arbitrentur. At statim ea orthodoxi Viri dignitas excitavit invidiam Aria-

norum

A norum, qui Eusebii Nicomediensis ambitioni faventes, Paulum non diu post ordinationem falsis criminationibus sede expulerunt, et callidissimum hæreseos suæ propagatorem in locum ipsius intrudi curarunt. Tota hæc res in Libello synodico apud Labbeum tomo 2 conciliorum col. 89 sic narratur : *Constantius imperator Orientis renuntiatur ; et cum fratres ipsius orthodoxi essent, ipse solus in Arianorum sensum prolapsus est. Confestim enim, qui cum Eusebio Nicomediensi faciebant, ipsum contra sanctissimum Paulum accedunt, cum multis calumniis et hoc deferentes : Sine tuo, imperator, decreto, Alexandro mortuo, in solium Constantinopolis se ipsum collocavit. Ille autem consessum hæreticorum Constantinopoli contra divinum symbolum congregari præcipiens, Paulum confessorem ex ecclesia ejici, ejusque loco pridem Beryti, tunc autem Nicomediæ episcopum Eusebium introduci jussit.*

sed statim rursus in exsilium pellitur,

70 Similia habet Socrates, lib 2 Hist. eccles. cap. 7 ita scribens : *Imperator vero non multo post* (scilicet episcopalem S. Pauli ordinationem) *Constantinopolim ingressus, ob illam ordinationem* B *gravissima exarsit ira : collectoque Arianorum antistitum concilio, Paulo quidem episcopatum ademit ; Eusebium vero ab urbe Nicomedia translatum Constantinopoleos episcopum designavit.* Ex his testimoniis sequitur, S. Paulum non fuisse episcopum tempore Constantini Magni, ut aliqui perperam existimant, cum accusetur apud Constantium, tunc imperantem, quod sine ipsius decreto se episcopum Constantinopolitanum fecerit. Deinde ex iisdem colligo, S. Paulum non diu post ordinationem suam, id est probabiliter eodem anno CCCXL, quo episcopalem cathedram ascenderat, e sede sua deturbatum esse, et locum ejus ab Eusebio Nicomediensi statim occupatum fuisse.

et sedem ejus invadit

71 Huic chronotaxi nostræ consentit Pagius, dum in Critica historico-chronologica ad annum Christi CCCXL num. 20 ex quibusdam argumentis antecedentibus ita concludit : *Liquet primo, sanctum Alexandrum episcopum Constantinopolitanum usque ad præsentem annum* (nempe CCCXL, de quo agit) *vixisse. Secundo, Paulum eodem anno eum excepisse. Tertio, translationem Eusebii ad sedem Constantinopolitanam hoc anno peractam, ac denique* C *concilium Alexandrinum in causa Athanasii, quod habitum fuit, postquam jam Eusebius Constantinopoli sedebat, ad præsentem annum pertinere.* Infra iterum atque iterum de S. Paulo recurret sermo, quando revertetur ad ecclesiam suam, quam interim invasit

IV EUSEBIUS hæreticus.

Eusebius Nicomediensis, cujus scelera

Constantinus Magnus imperator turbulentam ac vafram hujus Eusebii indolem vivis coloribus depinxit in epistola, ad Nicomedienses scripta, quam Theodoretus lib. 1 Hist. eccles. cap. 20 refert hoc modo : *Quisnam vero adeo simplicem plebem ista docuit ? Eusebius nimirum tyrannicæ crudelitatis consecraneus : nam quod tyranni* (Licinium intelligit) *cliens perpetuo fuerit, ex multis perspici potest. Id enim episcoporum cædes testantur, sed verorum plane episcoporum. Id crudelissima Christianorum persecutio aperte clamat : nihil enim de illatis mihi contumeliis dicam, per quas cum adversarum partium concursus plurimum laborarent, hic etiam oculos exploratores contra me emisit, et propemodum armatum ministerium tyranno præbuit. Nec me quisquam imparatum esse existimet ad harum rerum probationem : certissimum enim argumentum est, cum diaconos et presbyteros, Eusebium assectantes, manifesto a me comprehensos esse constet. Verum hæc missa facio : quæ quidem a me non indignationis meæ testificandæ causa, sed ad pudorem eis incutiendum nunc prolata sunt. Id unum metuo, id recogito, quod vos in societatem criminis vocari video : per institutionem enim ac perversam Eusebii doctrinam, conscientiam a veritate aversam induistis. Sed haudquaquam tarda erit curatio, si, episcopo fideli ac sincero nunc tandem accepto, ad Deum oculos convertatis. Quod quidem jam in vestra est potestate, et ex vestro judicio pendere jam dudum oportuit, nisi supra memoratus Eusebius, iis, qui tunc temporis valebant, omni ope adjuvantibus, istuc venisset, et rectum ordinem disciplinæ conturbasset.*

et hæreticam fraudem

73 *Sed quoniam de hoc ipso Eusebio caritati vestræ pauca dici oportuit, meminit patientia vestra, synodum in urbe Nicæna fuisse celebratam, cui et ipse, sicut conscientiæ meæ cultus poscebat, interfui,* E *nullo alio consilio, quam ut concordiam inter omnes constituerem : imprimis vero ut coarguerem ac depellerem malum illud, quod ex Arii quidem Alexandrini dementia initium sumpserat, mox autem absurdo et exitiali Eusebii studio erat confirmatum. Idem vero iste Eusebius, amantissimi et carissimi, cum quanta putatis concursatione, utpote ab ipsa conscientia convictus, quanta cum ignominia confutatæ undique falsitati patrocinatus est : nunc diversos homines ad me clam mittens, qui pro ipso orarent ; nunc auxilium aliquod a me postulans, ne tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur ? Testis hujus rei mihi est Deus ipse, qui et mihi et vobis semper propitius adsit. Nam et ille me circumvenit ac turpiter decepit, sicut et vos ipsi agnoscetis. Tunc enim omnia gesta sunt, prout ipse cupiebat. Sed ut alia improbitatis illius facinora prætermittam, quid nuper una cum Theogonio, dementiæ suæ socio, admiserit, quæso, accipite. Alexandrinos quosdam, qui a nostra fide desciverant, istuc abduci præceperam, propterea quod eorum opera ac ministerio discordiæ fax excitabatur. Verum isti egregii scilicet episcopi, quos synodi clementia ad agendam pænitentiam servaverat, non solum istos susceperunt,* F *et apud se tuto degere jusserunt, sed etiam malitiæ illorum socios se ac participes adjunxerunt. Quamobrem adversus ingratos istos id agere decrevi ; abreptos videlicet quam longissime deportari jussi.*

Constantinus Magnus imperator,

74 *Vestrum nunc est, ea fide in Deum oculos mentis conjicere, in qua vos semper fuisse constat, et esse decet ; et efficere ut gaudeamus, puros orthodoxos atque benignos episcopos nacti. Si quis vero mentionem illarum pestium facere, aut in laudem eorum temere excitari præsumpserit, statim opera famuli Dei, hoc est nostri, audacia ejus comprimetur. Divinitas vos servet, fratres dilectissimi.* At vaferrimus Eusebius iratum mansueti Constantini animum postea subdolis artibus ita placavit, ut post aliquot annos ab exsilio revocatus fuerit, et non sine orthodoxorum damno in principis istius gratiam redierit.

et S. Alexander patriarcha Alexandrinus recensent.

75 Sanctus Alexander, patriarcha Alexandrinus, hæticam ejusdem Eusebii fraudem apud Socratem lib. 1 Hist. eccles. cap. 6, in epistola encyclica ad Catholicos episcopos sic post alia describit : *In nostra igitur parœcia exstiterunt nuper homines iniqui, et hostes Christi, docentes defectionem ejusmodi, quam jure quis præviam ac præ-*

nuntiam

SEC. IV.

nuntiam Antichristi appellaverit. Ac volueram equidem hoc quidquid est silentio involvere, ut malum intra ipsos apostatas clausum consumeretur; ne forte in alia transgressum loca, simpliciorum hominum aures contaminaret. Sed quoniam Eusebius is, qui nunc est Nicomediæ, res Ecclesiæ ex nutu suo pendere existimans, eo quod, relicta Berytiorum ecclesia, ad Nicomediensem episcopatum, nullo ulciscente, impune transgressus est, horum apostatarum patrocinium suscipit, et litteras quaquaversus ausus est scribere, commendans illos, ut imperitos homines ad pessimam Christoque infensam hæresim traducat: necessarium duxi silentium abrumpere, utpote sciens id quod in lege scriptum est, vobisque omnibus renuntiare, quo et apostatas ipsos et infelicissima erroris illius verba cognoscatis, ac, si forte Eusebius scripserit, ei minime attendatis: pristinam enim malevolentiam suam, quæ longinquitate temporis jam oblivioni ac silentio tradita videbatur, per istos renovare nunc studens, simulat quidem, se eorum causa litteras scribere; reipsa tamen declarat, se sua causa laborantem id agere.

B 76 Post mortem Constantini Magni ambitiosus ille Eusebius, relicta sede Nicomediensi, cathedram Constantinopolitanam occupavit. Eusebius Cæsariensis lib. I, contra Marcellum Ancyratem cap. 4, ex hac episcopatuum mutatione etiam laudem homonymi sui Eusebii extundere nititur, eique adulari non veretur his verbis: *Procedente porro sermone ad illam contra Asterium calumniam, Eusebii quoque adjunxit accusationem: illius Eusebii, quem sibi quamplures civitates et provinciæ, eædemque clarissimæ, episcopum postularunt.* At non ita de hac iterata sedium mutatione judicant centum fere Patres concilii Alexandrini, qui apud Harduinum nostrum tom. 1 conciliorum col. 575 ordinationem S. Athanasii contra Eusebii Nicomediensis calumnias sic defendunt: *Eusebius ordinationem Athanasii reprehendit, homo, qui ipse forte numquam ordinatus est; aut si umquam fuit, ordinationem suam irritam fecit: nam initio quidem Beryti episcopus fuit, relictaque Beryto, Nicomediam venit: illam quidem contra legem deserens, istam vero contra legem invadens; et cum suam sine ulla caritate reliquerit, alienam sine causa occupat: prioris episcopatus caritatem alieni cupiditate contempsit; nec tamen illum alterum, quem tanta aviditate occuparat, retinuit. Ecce enim illinc quoque* C *discedens, alienum rursus arripuit, semper alienas civitates concupiscens, ratus in opibus et magnitudine urbium religionem esse sitam, et sortem Dei, secundum quam quisque ordinatus est, pro nihilo ducit.*

Sed impius ille invasor, cujus illegitimas episcopatuum mutationes

77 Theodoretus lib. 1 Hist. eccles. cap. 9, *de illegitima translatione Eusebii Nicomediensis* (in editione Valesiana is est capitis decimi noni titulus) ita disserit: *Eusebius impietatis propugnator, parvi habitis regulis, quas ipse una cum reliquis episcopis paulo ante conscripserat, relicta Nicomedia, Constantinopolitanam sedem invasit: cum canon diserte prohibeat, ne episcopi aut presbyteri ab una civitate in aliam transiliant. Verum eos, qui adversus unigeniti Filii divinitatem tanta dementia insurrexerant, alias leges licenter violasse, haudquaquam mirandum est. Nec vero ille tunc primum novitatis hujus auctor fuit; sed jam ante idem facinus admiserat: nam cum Berytensis ecclesiæ episcopus olim constitutus fuisset, inde ad episcopatum Nicomediæ transilierat: ex quo deinde episcopatu post Nicænum concilium ob apertam, quam profitebatur, impietatem dejectus est, et una cum illo Theogonius episcopus Nicææ.* Tum capite sequenti refert epistolam Constantini imperatoris, quam nos supra D exhibuimus, ac deinde cap. 21 ad rem nostram sic prosequitur: *Eusebius vero episcopatum quoque Constantinopoleos, ut supra dixi, tyrannica quadam violentia occupavit: atque ita majorem potentiam nactus, cum imperatorem adiret de proximo, et ex crebrioribus cum eodem colloquiis fiduciam sumpsisset, adversus veritatis propugnatores insidias machinatus est.*

omnes orthodoxi damnabant,

78 Verum potens ille Arianæ hæreseos defensor non diu ambitionis suæ fructu gavisus est, ut satis indicat Sozomenus, dum lib. 3 Hist. eccles., cap. 7, ita scribit: *Hunc in modum consilia eorum, qui contrariam hæresim tuebantur, felicem successum habuerunt, depositis episcopis, qui per Orientis provincias fidem in Nicæna synodo stabilitam pertinaciter defendebant. Jamque occupatis nobilissimis sedibus, Alexandriæ scilicet, quæ est in Ægypto, Antiochiæ in Syria, et urbis regiæ, quæ ad Hellespontum sita est, omnes earum partium episcopos sibi parentes habebant. Verum Romanæ Antistes ecclesiæ, et universi per Occidentem sacerdotes hæc non secus ac contumeliam, sibi privatim illatam, accepere: nam cum sententiam eorum, qui* E *apud Nicæam congregati sunt, jam inde ab initio in omnibus approbassent, usque in hunc diem in eadem opinione perseverarunt. Itaque Athanasium ad se venientem benevole exceperunt, et causæ illius judicium sibi vindicarunt. Quæ cum Eusebius iniquo animo ferret, scripsit ad Julium, ut ipse judex esse vellet eorum, quæ contra Athanasium decreta fuerant Tyri. Verum ille, priusquam sententiam comperisset, paulo post synodum, Antiochiæ celebratam, ex hac luce migravit.*

non diu fructu violentiæ suæ gavisus est,

79 Cum constet, hanc synodum Antiochenam in encæniis circa medium anni CCCXLI habitam esse, sequitur Eusebium eodem anno CCCXLI obiisse. Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum CCCXLII, num. 43 mortem Eusebii in principio ejusdem anni CCCXLII collocat. Plura de hac chronologia vide apud Tillemontium tom. 6 Monument. eccles. pag. 758 et sequente. Ex hactenus dictis patet, Eusebio perperam in vulgaribus catalogis annos duodecim sedis Constantinopolitanæ adscribi, cum eam tantummodo duobus annis, iisque non integris occupaverit. Quare suspicor ιϐ′ pro β′, id est XII pro II, vitiose scriptum fuisse, atque ita primam litteram ἰῶτα redundare. F

quandoquidem anno 341 obiit.

V S. PAULUS iterum vel tertio et MACEDONIUS I

hæresiarcha.

Postquam Eusebius e vivis excesserat, *qui apud Constantinopolim Nicænæ fidei patrocinabantur*, inquit Sozomenus lib. 3 Hist. eccles. cap. 7, *Paulum in ecclesiam deduxerunt. Eodem tempore Theognius Nicææ et Theodorus Heracleæ episcopi, aliique ejusdem sectæ sacerdotes, qui tum Constantinopoli versabantur, in alia ecclesia congregati, adjuvante Arianorum multitudine, Macedonium ordinaverunt Constantinopoleos episcopum. Hinc vero crebræ in urbe seditiones exstiterunt, bellis haud absimiles: plebe enim ex utraque parte in se mutuo irruente, plurimi interierunt.* Mansit S. Paulus Constantinopoli in hac rerum perturbatione, cui haud dubie maximam causam præbebant turbulenti hæretici, contra quos Catholica plebs indi-

S. Paulus sedi suæ restitutus

screto

A screto zelo nimis acriter se defendebat. Quamvis hæ seditiones a mansuetudine sancti Præsulis alienissimæ essent, tamen eas præcavere non poterat, nisi hæreticos in ecclesia Constantinopolitana libere dominari permisisset. Præterea quis cohibeat plebem furentem, quæ sæpe crudelem privatæ injuriæ vindictam falso nomine zelum fidei appellat?

inter varias plebis seditiones

81 Deinde Sozomenus loco proxime citato sic pergit : *Eratque civitas plena tumultu, adeo ut imperator, qui tum Antiochiæ morabatur, ea de re certior factus sit, iraque inflammatus Paulum iterum extrudi jusserit. Imperatoris mandata exsecutus est Hermogenes, magister equestris militiæ : qui cum eo tempore missus esset in Thraciam, transiens per Constantinopolim, Paulum militari manu ex ecclesia ejicere conabatur. Sed cum plebs nequaquam id fieri permitteret, imo vim vi repelleret; milites vero violentius instarent, ut, quod imperatum fuerat, perficeretur, seditiosi in Hermogenis domum irruentes, eam quidem incenderunt, ipsum autem interfecerunt, et, fune pedibus ejus innexo, per civitatem traxerunt. Quo audito, imperator* B *equorum celeri permutatione venit Constantinopolim eo animo, ut plebem male multaret. Sed cum illos flentes ac supplices sibi occurrere vidisset, ipsis quidem pepercit; annonæ tamen illius, quam pater ipsius Constantinus quotannis de publico ex tributis Ægypti civitati, donaverat, dimidiam circiter partem civibus ademit, ratus fortasse, multitudinem, utpote otio ac deliciis abundantem, ad seditiones proclivem esse. Iram autem suam in Paulum vertens, eum ex civitate pelli jussit. Sed et Macedonio graviter succensuit, tum quod Hermogenis magistri militum et aliorum complurium cædis causam præbuisset, tum quod ante ipsius consensum ordinatus fuisset. Verumtamen nec approbata illius ordinatione, nec abrogata, illum ita relinquens, Antiochiam revertit.* Videtur tunc tantum unica ecclesia Macedonio relicta fuisse, cum Socrates, lib. 2 Hist. eccles. cap. 13 de hac imperatoris expeditione agens, sic clarius concludat : *Passus ergo illum* (nempe Macedonium) *plebem colligere in ea ecclesia, in qua fuerat ordinatus, rursus Antiochiam contendit.* Verosimile autem est, Paulo absente, Catholicos presbyteros curam reliquarum ecclesiarum Constantinopoli gessisse.

semel atque iterum Macedonio hæresiarchæ loco cedere cogitur,

82 Paulus non diu post ad cathedram suam C rediit, quam tamen iterum Macedonio cedere coactus est. Hanc tragicam S. Pauli expulsionem, ac cruentam Macedonii promotionem Socrates lib. 2 Hist. eccles. cap 16 describit hoc modo : *Porro imperator Constantius Antiochiæ degens, cum ei nuntiatum esset, Paulum sedem suam denuo occupasse, eam rem permoleste tulit. Philippo igitur præfecto prætorii, utpote qui majorem reliquis provinciarum rectoribus potestatem obtineret, et secundus ab imperatore diceretur, mandat per epistolam ut Paulum quidem pellat ecclesia; Macedonium vero illius loco in ecclesiam inducat. Præfectus itaque Philippus seditionem populi pertimescens, Paulum circumvenire aggressus est. Et imperatoris quidem mandatum penes se occultat; specie vero, publicorum negotiorum progressus ad balneum publicum, quod Zeuxippi vocatur, Paulum honorifice ad se accersit, ejusmodi necessitatem adesse dicens, ut quam primum illi veniendum esset. Paruit Paulus; qui cum accitus venisset, statim præfectus mandatum imperatoris ei ostendit; et episcopus quidem se, indicta causa, damnatum animadvertens, patienter tulit. Præfectus vero circumstantis multitudinis impetum reformidans (plurimi enim rumore ac suspicione ducti illuc convenerant) unam ex lavacri januis aperiri jubet, per quam Paulus in palatium abductus et conjectus in navem ad id comparatam, confestim in exilium mittitur. Præcepitque ei præfectus, ut Thessalonicam Macedoniæ metropolim, ex qua urbe Paulus jam inde a majoribus suis erat oriundus, proficisceretur, utque in ea civitate degeret : et reliquas quidem urbes Illyrici adeundi facultatem ei concessit; ceterum ad Orientis partes vetuit accedere. Paulus igitur, præter expectationem ecclesia simul et urbe pulsus, celeriter abducitur.* SEC. IV.

qua occasione oritur cruentus tumultus,

83 *Præfectus autem imperatoris Philippus ex balneis publicis progressus recta ad ecclesiam contendit. Aderat una Macedonius, velut ex machina quadam demissus : et cum præfecto in curru sedens, omnium oculis ostentabatur. Circa illos militum manus strictis gladiis incedebat : quo spectaculo conterrita est plebis multitudo; cunctique simul, tam Homusiani, quam Ariani, ad ecclesiam properarunt, prævenire singuli et ecclesiam occupare summo studio adnitentes. Postquam præfectus una cum Macedonio ecclesiæ appropinquare cæpit, repentinus absque ulla causa metus plebem ipsosque adeo* E *milites invasit. Nam quoniam ingens illic aderat hominum multitudo, ita ut præfecto Macedonium deducenti nullus daretur transeundi locus, milites plebem violenter impellere aggressi sunt; sed cum contrusa plebs propter loci augustiam retrocedere non posset, rati milites, plebem obsistere ac de industria transitum intercludere, velut in hostem irruentes, districtis gladiis uti, et obvios ferire cæperunt. Tria igitur hominum millia ac præterea centum et quinquaginta tunc occubuisse dicuntur : alii a militibus trucidati, alii constipatione multitudinis oppressi. Post tam præclara facinora Macedonius, perinde quasi nihil mali gessisset, sed integer vacuusque esset ab omni culpa, a præfecto verius quam per ecclesiasticam regulam in episcopali sede constituitur. In hunc modum Macedonius et Ariani per tot tantasque hominum cædes ecclesia potiti sunt.*

quem more suo Ariani orthodoxis imputabant.

84 Quamvis Ariani modis adeo violentis passim alienas ecclesias occuparent, tamen ut orthodoxis episcopis invidiam conflarent, omnem hujusmodi seditionum ac cædium culpam, consueto hæreticorum more, in Catholicos rejicere non verebantur, sicuti patet ex conciliabulo Sardicensi, quod apud Labbeum nostrum tomo II F conciliorum a col. 699 refertur, ubi col. 706 post alia crimina, causam horum tumultuum Asclepæ et Paulo impudenter affingunt. Sed hic exscribi meretur, quod Socrates lib. 2 cap. 15 ad similes illorum calumnias ita recte observavit : *Ceterum quoniam, Athanasio Alexandriam ingrediente, tumultus exstitit eorum, qui Georgio Ariano adhærebant, ex quo seditiones cædesque hominum consecutæ esse dicuntur; et Ariani probra ista et crimina in Athanasium tamquam in auctorem malorum omnium rejiciunt, de hac re pauca mihi dicenda sunt. Veras quidem rerum istarum causas novit Deus, qui ipsius veritatis est judex. Hæc vero plerumque ita contingere, quoties vulgus intestina seditione agitatur, prudentibus viris haudquaquam obscurum est. Frustra sunt igitur calumniatores Athanasii, qui horum causam illi adscribunt, ac præcipue Sabinus, Macedoniorum episcopus : qui si secum ipse reputasset, quot et quantis malis Athanasium et reliquos Homusianos affecerint Ariani, vel quot synodi propter Athanasium congregatæ, de his conquestæ sint, vel quæ ipse Macedonius hæresiarches per universas ecclesias gesserit, aut tacuisset*

SEC. IV.

omnino, aut si loqui voluisset, Athanasium laudibus extulisset. Jam vero his omnibus consulto prætermissis, res gestas illius falso criminatur. Sed ne nomen quidem ipsum Macedonii hæreticorum principis usquam commemorat; id agens scilicet, ut tragica illa facinora penitus occultet : et quod multo plus habet admirationis, de Arianis quidem non male locutus est, quos tamen ipse fugiebat; Macedonii vero, cujus ipse sectam sequebatur, ordinationem tacitus prætermissit. Quippe si ordinationis mentionem fecisset, commemoranda prorsus fuissent ejus viri scelera, sicut constat ex iis, quæ in illa ordinatione gesta sunt. At ab hac digressione in viam redeamus.

Cum S. Paulus in Italiam navigasset,

85 *Non longo post tempore*, inquit Socrates lib. 2 cap. 17, *Paulus Thessalonica Corinthum se pergere simulans, in Italiam navigavit*, ut apud Julium Romanum Pontificem et Constantem Occidentis imperatorem contra Arianorum calumnias una cum Athanasio sese defenderet Quid porro istic actum sit, accipe ex Sozomeno, qui lib. 3, cap. 1, res ibi gestas ita exponit : *His aliisque de causis* Julius Papa *æquum omnino esse censebat, ut Athanasio et Paulo succurreret : nam et ille non*
B *multo post in Italiam advenerat, et calamitates suas deplorabat. Sed cum litteris, quas ad Orientis sacerdotes de Athanasio et Paulo scripserat, nihil proficeret, causam eorum ad imperatorem Constantem retulit. Ille vero Constantio fratri scripsit, ut ex Orientis episcopis quosdam mitteret, qui depositionis illorum rationem redderent. Tres igitur ad eam rem eliguntur episcopi, Narcissus episcopus Irenopolis in Cilicia, Theodorus Heracleæ in Thracia, et Marcus Arethusæ, quæ est in Syria : qui cum in Italiam venissent, acta sua defendere cœperunt, et imperatori persuadere conati sunt, Orientalis synodi justam fuisse sententiam.... Itaque Constans, cum animadverteret, eos injuste insidiatos esse Paulo atque Athanasio, nec ob crimina aut ob vitæ turpitudinem, ut depositionis sententia continebat, sed ob dissensionem fidei, illorum communionem esse aversatos, in patriam eos remisit, cum persuadere nequivissent id, cujus gratia venerant.*

et causam suam in concilio judicari petiisset,

86 Dein capite sequente sic pergit : *Cumque Constans augustus id beneficii loco a fratre suo postulasset, ut Athanasium in sedem suam restitueret, nec tamen litteris suis quidquam proficeret, obsisten-*
C *tibus scilicet hæreticæ factionis hominibus; Athanasius vero ac Paulus Constantem adeuntes, synodum fieri flagitarent, tamquam idcirco insidiis appetiti, ut rectæ fidei doctrina subverteretur, ex communi consensu utriusque imperatoris placuit, ut tam Orientis quam Occidentis partium episcopi constituto die Sardicam convenirent, quæ urbs est Illyrici. Igitur Orientales cum Philippopolim Thraciæ prius convenissent, Occidentalibus jam Sardicæ congregatis scribunt, ut Athanasium a concilio et communione sua submoveant, utpote depositum episcopatu : alioquin se ad concilium venturos non esse. Post hæc Sardicam ingressi, negarunt, se in ecclesiam pedem illaturos, quamdiu convenirent ii, qui ab ipsis depositi fuissent. Ad hæc Occidentis episcopi rescripserunt, se numquam ab eorum communione recessisse, nec impræsentiarum recessuros esse; præsertim cum Julius episcopus Romanus, examinato illorum negotio, eos neutiquam condemnasset. Adesse porro illos paratos subire judicium, et crimina sibi illata iterum confutare. His per litteras significatis, cum nihil apud illos proficerent, et præscriptus jam excessisset dies, quo negoita, quorum gratia convenerant, dijudicari oportebat, ad extremum ea sibi ultro citroque scripserunt, per quæ infensiores, quam* D
antea, facti sunt; et separatim collecti contrarias sententias protulerunt : etenim Orientales posteaquam ea, qaæ contra Athanasium, Paulum, Marcellum et Asclepam gesserant, confirmassent, Julium Romanæ urbis episcopum deposuerunt, eo quod primus cum illis communicasset. Sic septuaginta sex Ariani sese trecentis circiter episcopis orthodoxis pervicaciter opposuerunt.

sedi suæ restitutus est ope Constantis imperatoris,

87 Idem scriptor post multa alia historiam suam cap. 20 ita ad propositum nostrum prosequitur : *Constans vero, postquam ea, quæ in Sardicensi concilio gesta erant, cognovisset, scripsit fratri, ut Athanasio et Paulo ecclesias suas redderet. Cumque hic procrastinaretur* *, *iterum scripsit, ut aut viros susciperet, aut se ad bellum pararet. Constantius itaque, re cum Orientalibus episcopis communicata, stultum esse censuit, ea de causa civile bellum suscipere. Athanasium igitur ex Italia accersit, cursus publici copiam ei faciens, et frequentibus litteris invitans, ut quam celerrime reverteretur.* Denique Sozomenus eodem libro 3, cap. 24 in fine reditum aliorum exsulum ita simul commemorat: *Athanasius igitur ex Occidentis partibus in Ægyptum reversus est. Paulus quoque* E
et Marcellus, Asclepas ac Lucius sedes suas recuperarunt : etenim imperatoris litteræ redeundi facultatem istis etiam concesserant. Et Constantinopoli quidem, ingresso Paulo, Macedonius se subduxit, et privatim conventus egit. Sic itaque S. Paulus post concilium Sardicense, quod anno CCCXLVII celebratum est, sedi suæ iterum restituitur.

* *lege* procrastinaret.

quo mortuo, rursus in exsilium mittitur,

88 Ea, quæ superius ex Sozomeno retuli, testimonio suo confirmat Socrates, et lib. 2, cap. 23 Pauli restitutionem sic breviter narrat : *Constantinopoli autem, Macedonius Paulo ad modicum tempus loco cessit, in privata quadam urbis ecclesia seorsum conventus agens.* Tunc saltem S. Paulus per duos annos ecclesiam Constantinopolitanam pacifice gubernavit, adeoque hoc *modicum tempus* intelligendum est respectu quadraginta annorum, quibus Socrates lib. 5, cap. 7, Arianos in ecclesia Constantinopolitana dominatos fuisse testatur. Certe Paulus Constantinopoli mansit usque ad annum CCCL, quo Constans præcipuus Catholicorum defensor, in Gallia occisus est : tunc enim Ariani, omni timore deposito, libere iterum orthodoxos præsules persequi cœperunt, ut Sozomenus lib. 4, cap. 2 satis indicat his verbis : F
Imperator vero Constantius, Arianorum calumniis fidem adhibens, in eadem sententia non stetit; sed episcopos, qui in sedes suas restituti fuerant, contra decreta synodi Sardicensis expelli præcepit....... Paulus perpetuo exilio damnatus, Cucusum Armeniæ abductus est, ibique extremum diem clausit; utrum morbo an vi exstinctus, equidem ignoro : fama tamen etiamnum viget, eum a Macedonianis laqueo strangulatum esse.

et tandem ab Arianis circa finem anni 350 interficitur.

89 Ne quis autem ob hæc ultima Sozomeni verba existimet, levem de violenta Pauli morte famam fuisse, aut de vero ipsius martyrio dubitet, audiat S. Athanasium, testem omni exceptione majorem, qui in novissima editione Parisiensi anni MDCXCVIII, tom. I, pag. 348, diversa S. Pauli exsilia et gloriosorum laborum ejus finem ita describit : *Primo quidem Paulus a Constantino in Pontum relegatus est; secundo autem a Constantio ferreis catenis vinctus Singaris Mesopotamiæ exulavit, illinc postea Emesam translatus; quarto Cucusum Cappadociæ* (hic locus, exsilio S. Joannis Chrysostomi etiam clarus, postea Armeniæ secundæ seu minori adscriptus est) *ad deserta*

Tauri,

A *Tauri, et istic, ut renuntiarunt, qui cum eo erant, ab ipsis strangulatus obiit. His ita gestis, nihil veriti sunt, homines illi in nullo veraces, post mortem ejus falso ac subdole pervulgare, illum morbo exstinctum fuisse, licet res omnibus, qui eum locum incolunt, comperta sit : etenim Philagrius, qui tunc temporis eorum locorum vicarius erat, et omnium fabularum arbitratu eorum histrio ; cum tamen ideo fortasse stupore perculsus ac mœstus esset, quod non ipse, sed alius id sceleris perpetrasset, permultis, ac quibusdam ex notis nostris, imo ipsi episcopo Serapioni, renuntiavit, Paulum ab illis in angusto et tenebroso quodam loco inclusum fuisse, ut fame illic interiret : deinde post sex dies, cum eo ingressi illum adhuc spirantem invenissent, demum irruentes hominem strangulasse, talemque revera illius exitum fuisse. Illius autem carnificem fuisse aiebant Philippum, olim prætorii præfectum. At hoc facinus divina vindicta inultum non præterivit : anno quippe nondum elapso, cum multo dedecore Philippus a præfectura deturbatus est.* Hoc modo S. Paulus circa finem anni CCCL, exantlatis plurimis pro Catholica fide laboribus, triumphalem B martyrii palmam obtinuit. Intricata variorum ejus exsiliorum chronologia, aliæque eorumdem Actorum difficultates tomo 2 Junii nostri, a pag. 13 satis probabiliter explicatæ sunt, de quibus etiam consule Tillemontium tom. 7 Monument. eccles. a pag. 251 et 697.

MACEDONIUS solus.

Occiso S. Paulo, impius Macedonius

Etsi hic hæresiarcha, tamquam rapax lupus, jam ab anno CCCXLI aut CCCXLII ovile Constantinopolitanum invaserit, tamen infame illius nomen nunc repeto, quia post mortem S. Pauli apertius violentiusque gregem Catholicum dilaniare cœpit, et liberiora crudelitati suæ frena laxavit, ut facile intelligetur ex Socrate, qui in editione Valesiana, quam in hoc tractatu semper sequor, caput 27 libri 2 ita exorditur : *Ea tempestate Macedonius apud Constantinopolim ecclesiis potitus est, Paulo, sicut diximus, e medio sublato. Qui maximam libertatem apud principem nactus,* C *bellum inter Christianos commovit, nihilo levius eo, quod tunc temporis a tyrannis gerebatur : nam cum persuasisset imperatori, ut sibi ecclesias vastanti opem ferret, operam dedit, ut quæcumque nefarie agere decreverat, lege data confirmarentur. Continuo igitur in singulis civitatibus proposita lex est, et militaris manus ad præceptorum regalium exsecutionem destinata. Pellebantur non modo ab ecclesiis, verum etiam ex civitatibus, quicumque Consubstantialis fidem asserebant. Et initio quidem id unum agebant, ut eos expellerent ; postea vero, progrediente ulterius malo, ad id se verterunt, ut communicare sibi etiam invitos cogerent, parum scilicet de ecclesiis solliciti. Eratque ea vis nihilo minor illa, quam olim adhibuerunt hi, qui Christianos ad simulacrorum cultum adigere conabantur : quippe verbera ac tormenta, et omnis generis cruciatus admovebantur.*

orthodoxos,

91 *Alii bonorum proscriptione, alii exilio mulctati sunt : et hi quidem in ipsis cruciatibus interierunt ; illi vero, dum ad exilium abducerentur, necati sunt. Et hæc quidem per omnes urbes orientalis imperii gerebantur, maxime vero Constantinopoli. Hanc intestinam persecutionem, cum antehac modica esset, Macedonius episcopatum adeptus, auxit pluri mum.* Imo Macedonius post martyrium S. Pauli persecutionem ita auxit, atque impiam potestatem contra orthodoxos tam violenter et aperte exercuit, ut Theodoretus existimaverit, illum tunc primo ab Arianis in locum Pauli substitutum fuisse, sicuti lib. 2 Hist. eccles. cap. 6, innuit his verbis : *Hunc in modum Ariani cum Paulum morte affecissent, vel potius ad cœleste regnum transmisissent, Macedonium in ejus locum substituerunt, suæ illum sectæ atque sententiæ esse arbitrati, eo quod de Spiritu sancto perinde ac ipsi, impie loqueretur.* Sozomenus lib. 4, cap. 3, nominatim memorat Martyrium ac Marcianum, S. Pauli domesticos et contubernales, qui sub eodem impio Macedonio mortem forti animo pertulerunt. SEC. IV.

92 Si quis nosse cupit horrendam ejusdem tyranni sævitiem, quam contra Novatianos exercuit, quia consubstantialem Patri Filium fatebantur, legat Socratem lib. 2, cap. 38, ubi in fine ejusdem capitis narrat, quomodo Macedonius barbara ejusmodi crudelitate sese ipsis suis fautoribus atque imperatori odiosum reddiderit : E *Porro hoc facinus Macedonii, inquit, non solum apud eos, quos injuria affecerat, verum etiam apud suos justum contra ipsum odium excitavit. Ipsum quoque imperatorem offendit Macedonius tum ob hanc, quam dixi, tum ob aliam hujusmodi causam. Ædes, in qua erat arca, quæ imperatoris Constantini reliquias continebat, ruinam minari videbatur ; atque idcirco tum ii, qui in ædem introibant, tum qui illic manebant et precabantur, maximo in metu erant constituti. Macedonius igitur imperatoris reliquias transferre statuit, ne arca ruina violaretur. Quod cum populus fieri cognovisset, impedire conatus est, nefas esse dicens, imperatoris ossa transferri : perinde enim esse, acsi effoderentur. Statimque populus in duas partes divisus est. Hi nullam noxam ex translatione inferri cadaveri affirmabant ; illi contra impium id esse contendebant. Convenerant illuc etiam Homusiani, palam obsistentes, ne id fieret.*

eliosque hæresi suæ contrarios tam violenter persecutus est,

93 *At Macedonius parvi pendens eos, qui reluctabantur, imperatoris cadaver in ecclesiam, in qua conditum est corpus Acacii martyris, transfert. Quo facto, populi duas in partes divisi ingens multitudo ad ecclesiam illam concurrit ; et cum adversus se invicem ambæ partes stetissent, protinus ventum est ad manus, tantaque hominum cædes facta est, ut ecclesiæ illius atrium sanguine compleretur ; puteus quoque, qui erat in atrio, cruore redundaret, et sanguis in conjunctam porticum efflueret usque ad ipsam plateam. Imperator vero de hac calamitate certior factus, adversus Macedonium excanduit, tum propter eos, qui occubuerant, tum eo quod Macedonius citra ipsius consensum cadaver patris sui loco movere ausus fuisset. Relicto igitur in Occidentis partibus Cæsare Juliano, qui regionum illarum curam gereret, ipse in Orientem proficiscitur. Sed quomodo Macedonius brevi postea depositus sit, pro tantis sceleribus tam exiguas luens pœnas, paulo post commemorabo.* Constantius anno CCCLIX in Orientem reversus est triennio postquam patris sui corpus a Macedonio translatum fuerat. F

ut propter crudelitatem, aliasque causas

94 Interea Ariani aliique diversarum sectarum hæretici varia conciliabula habuerunt, in quibus tum Catholicos tum heterodoxos quosdam episcopos accusarunt, ac tandem anno CCCLX in pseudo-synodo Constantinopolitana Macedonium e cathedra, quam injuste occupaverat, dejecerunt, quod Socrates lib. 2, cap. 42 sic refert : *Ceterum Acacius et Eudoxius, et qui cum illis*

anno 360 ab ipsis hæreticis depositus fuerit :

erant

SEC. IV. *erant Constantinopoli, id maxime ambibant, ut et ipsi vicissim nonnullos adversarum partium deponerent. Sciendum porro est, neutros ob religionem, sed propter alias causas hujusmodi depositiones decrevisse : nam quamvis in fide dissentiebant, tamen cum se vicissim deponerent, neutra pars alterius fidem insimulavit. Qui igitur ab Acacio stabant, abutentes imperatoris indignatione, quam ille jam pridem animo conceptam tum adversus alios, tum præcipue contra Macedonium explere satagebat, primum quidem deponunt Macedonium, tum quod plurimarum cædium auctor fuisset, tum quod diaconum in fornicatione deprehensum ad communionem admiserat.*

qui ejectus novam hæresim excogitavit.

95 Sozomenus lib. 4, cap. 27 narrat quomodo Macedonius post depositionem suam auctor novæ hæreseos fuerit, pluresque ad eam amplectendam induxerit : *Postquam enim Macedonius Constantinopolitana exutus est ecclesia*, inquit, *non amplius eamdem cum Acacio et Eudoxio opinionem tenuit : docebat enim, Filium quidem Deum esse, per omnia similem Patri, adeoque secundum substantiam ; Spiritum vero sanctum ejusdem honoris* B *et dignitatis expertem esse asserebat, famulum ac ministrum eum appellans, et quæcumque alia quispiam de angelis dicens non aberraverit. Eamdem cum illo opinionem amplexi sunt Eleusius et Eustathius, et reliqui omnes, qui eo tempore a contrariæ sententiæ assertoribus depositi fuerant Constantinopoli : quibus haud exigua pars populi adhæsit, tam Constantinopoli, quam per Thraciam, Bithyniam, et Hellespontum, finitimasque provincias. Nam vivendi ratio, quam vulgus potissimum spectare solet, haudquaquam in illis culpanda erat : etenim incessus quidem eorum gravis ; disciplina vero monasticæ similis fuit. Ad hæc sermo non invenustus, et ingenium ad persuadendum accommodatum.* Socrates lib. 2, cap. 45 dicit, hujus hæresis sectatores communiter ex antesignani sui nomine Macedonianos, seu ex re Πνευματομάχους, id est, Spiritus oppugnatores, vocatos fuisse, et ibidem opinionem Macedonii de æqualitate Filii cum Patre paullo aliter interpretatur. Ceterum non constat, quo anno hæresiarcha ille mortuus sit, quamvis non diu post annum CCCLXII supervixisse videatur.

C

VI EUDOXIUS hæreticus.

Ariani Macedonio statim substituunt Eudoxium,

In Tractatu historico-chronologico de patriarchis Antiochenis, quem tomo 4 Julii præfiximus, hujus Eudoxii gesta, seu potius scelera, usque ad episcopatum Constantinopolitanum a pag. 49 explicata sunt. Nos hic eadem ab occupata cathedra Constantinopolitana usque ad ejus mortem prosequemur cum jam sæpe laudato Sozomeno, qui lib. 4, cap. 26 illum in Macedonii depositi locum successisse ita asserit : *Ceterum Macedonius, Constantinopolitana spoliatus ecclesia, in locum quemdam juxta urbis regiæ portas se recepit, ibique* (intellige post aliquot annos) *extremum diem obiit. Eudoxius vero ejus loco ecclesiam obtinuit, Constantio Augusto decies et Juliano Cæsare ter consulibus.* Hi consulatus denotant annum CCCLX, ut manifestum est. Chronicon Paschale apud Cangium pag. 294, non tantummodo eumdem hujus successionis annum, sed etiam istius anni mensem ac diem indicat hoc modo : *Macedonius episcopus Constantinopolitanus propter multa ipsius propria crimina exauctoratus est, et in locum ejus surrogatus Eudoxius mense Audynæo,* id est Januario, *die* XXVII, *præsentibus episcopis septuaginta duobus.* D

qui mox impiam suam doctrinam crude in concione publica proponit,

97 Circa medium mensis sequentis ecclesia S. Sophiæ Constantinopoli solenniter dedicata est, quam solennitatem sacrilegus Eudoxius impia concione contaminavit, ut idem Sozomenus loco proxime citato narrat his verbis : *Quo quidem tempore cum primum plebem colligeret in dedicatione magnæ ecclesiæ, quam Sophiam vocant, conscenso sacerdotali suggestu, utpote concionaturus ad populum hæc in ipso sermonis exordio dixisse fertur :* PATER QUIDEM IMPIUS EST, FILIUS AUTEM PIUS. *Cumque plebs tumultuaretur : Conquiescite, inquit. Pater quidem impius est, propterea quod neminem colit; Filius vero pius, quia colit Patrem. Quo dicto, auditoribus risum movit.* Sic nempe hæreticus ille in materia sacratissima histrionem agebat, et ridicula sua interpretatione significare volebat, unigenitum Dei Filium, tamquam creaturam, Deo Patri cultum exhibere. Socrates lib. 2, cap. 43 de hac cruda Eudoxii æquivocatione sic E etiam meminit : *Porro Eudoxio in urbe regia sacerdote constituto, magna ecclesia, quæ Sophia cognominatur, sub idem tempus dedicata est, consulatu Constantii decimo, et Juliani Cæsaris tertio, quinto decimo die mensis Februarii. Eudoxius vero simul atque in sede illa collocatus est, primam hanc protulit sententiam, quæ omnium sermone celebratur : Pater* ἀσεβὴς *Filius* εὐσεβής. *Unde cum tumultus ac seditio exorta esset : Nolite, inquit, turbari ob ea, quæ dixi : nam Pater quidem* ἀσεβὴς *est, quippe qui neminem colit; Filius autem* εὐσεβής, *quia colit Patrem. Quæ cum dixisset Eudoxius, tumultus quidem sedatus est; ingens vero risus in ecclesia excitatus tumultum excepit. Atque hoc dictum cum risu et cachinno hactenus commemoratur. Hujusmodi cavillationibus utentes hæresiarchæ, et in talibus voculis occupati, ecclesiam disciderunt.*

et post varias sedes illegitime occupatas,

98 Præterea Socrates eodem loco illegitimam Eudoxii promotionem jam ita accusarat : *Tunc vero, expulso Macedonio, Eudoxius Antiochenam sedem parvi pendens, Constantinopoleos episcopus constituitur, ordinantibus eum Acacianis ; qui quidem non animadvertebant, se contraria iis, quæ ipsi antea judicaverant, decernere : nam qui Dra-* F *contium idcirco deposuerant, quod ex Galatia Pergamum transiliisset, iidem Eudoxium tunc secundo ad alium episcopatum transilientem ordinantes, illud minime reputabant, se suis ipsorum decretis contraria gerere.* Non magis legitimam fuisse priorem sedis Antiochenæ invasionem, declarat Theodoretus, lib. 4 Hæreticarum fabularum, cap. 2, ubi in Græco-Latina omnium operum suorum editione, Parisiis anno MDCXLII facta, tomo 4, pag. 234 et 235 de Eudoxio sic scribit : *Eudoxius hic Germaniciæ, urbis Tauro vicinæ, episcopus erat ; sed contempto oppidulo, cum Leontii mortem audivisset, Antiochiam profectus est. Deinde sedem præter ecclesiasticas leges rapuit. Imperatoriis porro litteris illinc ejectus, et ad synodum, quæ Seleuciæ in Isauria cogebatur, ire jussus, accessit quidem, ut fuerat imperatum, sed consessum ingredi non est ausus; Constantinopolimque propere contendens, et imperatoriis cubiculariis blandiens, persuasit, ut ibi synodus cogeretur. Ac ne omnibus dicendis sim longior (horum enim omnium in opere illo memini) illius quoque civitatis sedem invadere potuit, et veritatis prædicatoribus ecclesias orbare.*

99 Quanta

A *contra orthodoxos persecutionem movet,*

99 Quanta contentione ac violentia Eudoxius ecclesias orthodoxis pastoribus orbaret, satis indicat Sozomenus lib. 4, cap. 26 his verbis : *Porro tam ipse* (nempe Eudoxius, de quo ibi agit) *quam Acacius simul juncti omni ope laborarunt, ut eorum, quæ Nicææ statuta fuerant, memoriam ex omnium animis abolerent, et fidei formulam, quæ Arimini recitata est, una cum additamentis, quæ ipsi, tamquam ea correcturi, adjecerant, ad omnes imperii Romani provincias miserunt, eosque, qui huic fidei subscribere renuissent, in exilium ablegari jusserunt ex imperatoris mandato : id enim illi studuerant, cum existimarent, se hoc pacto ea, quæ vellent, facile perfecturos esse. Verum ea res gravissimarum calamitatum causa exstitit : nam per universum orbem Romanum tumultus non dissimilis iis, quos supra retulimus, exortus est, et omnes ubique ecclesias quædam quasi persecutio occupavit, cujusmodi olim sub ethnicis imperatoribus grassata fuerat.*

ut S. Gregorius Nazianzenus narrat,

100 Gregorius Nazianzenus orat. 21 in editione Billiana tom. 1, pag. 387 eamdem persecutionem ita describit ac deplorat : *Hinc profani Sanctorum judices et nova atque inusitata mixtio; mysticæ nempe quæstiones, spectante vulgo, tractatæ,* B *atque iniqua rerum gestarum inquisitio, et pretio conducti sycophantæ, et sententiæ stata mercede pronuntiatæ. Hinc alii ab ecclesiarum thronis injuste pellebantur; alii in eorum locum subrogabantur; sic tamen, ut ab iis impietatis chirographa, non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent. Atque in promptu atramentum erat, et calumniator a tergo. Ea res permultos e nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversi acti sunt, atque cum illis, utroque nomine improbis, consenserunt, ac, si non flammæ, fumi certe participes fuerunt. Quod quidem ipse multis sæpe lacrymis prosecutus sum, impietatem eam, quæ tunc longe lateque manabat, et persecutionem, quæ nunc ab ipsis Verbi patronis adversus orthodoxam doctrinam excitata est, conspiciens.*

et Theodoretus confirmat.

101 Hæc violentia feroci Eudoxii genio optime conveniebat : *Neque enim*, teste Theodoreto lib. 2 Hist. eccles. cap. 20, in citata operum ejus editione tomo 3, pag. 623 *malitiam suam, sicut Leontius, occultabat; sed aperte adversus Apostolica dogmata rabiem suam exercens, eos qui con-* C *tradicere auderent, omnibus incommodis conficiebat.* Hinc liquet, Philostorgium Arianum more suo mentiri, dum lib. 4, cap. 4, in editione Valesiana pag. 494 dicit, *Eudoxium moribus mitem fuisse ac modestum, nec mediocri solertia ac dexteritate præditum.* Quod hic Philostorgius de illius *solertia ac dexteritate* addit, facile ei concedemus, si per solertiam et dexteritatem velit intelligi perjuria, fraudes, ac mendacia : noverat enim subdolus Eudoxius nonnumquam tempori servire, hæresim tegere, et metu pœnarum ferocem indolem cohibere, ut jam duobus exemplis confirmabimus.

Tandem violentus ille hæreticus,

102 Cum Constantius imperator ex Occidente Constantinopolim reversus esset, quidam præsules coram eo Eudoxium de impia doctrina accusarunt, teste Theodoreto in Historia ecclesiastica lib. 2, cap. 33 Sirmondianæ editionis, atque inter alios Sebastæ episcopus *Eustathius dixit : Quando igitur de fide disceptari placet, imperator, Eudoxii blasphemias, temere in Unigenitum effusas, considera. Et hæc dicens formulam fidei ab eo scriptam obtulit, in qua inter cetera impie dicta hæc inerant : « Quæ dissimili modo proferuntur dissimilia sunt secundum substantiam ; unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus dominus Jesus Christus, per quem omnia : dissimilia autem sunt* EX QUO *et* PER QUEM. *Dissimilis ergo Filius Deo et Patri. » Hanc fidei et expositionem cum recitari jussisset Constantius, impietate illa vehementer commotus, Eudoxium interrogavit, utrum ipse ista scripsisset. Negavit extemplo, et Aetium scripsisse respondit.* SEC. IV.

qui tamen interdum perjurio hæreses suas tegebat,

103 Tum Theodoretus Eudoxium *una cum impietate Sybariticis deliciis indulgentem* et Aetio parasito familiarissimum describit, atque ita ibidem pergit : *Quibus auditis, imperator introduci jussit Aetium, et ingresso formulam illam ostendit, rogavitque, an illius auctor esset. At ille rerum gestarum, et quorsum interrogaretur, prorsus ignarus, laudemque ex confessione adepturum se ratus, scripti illius auctorem se professus est. Tum imperator, impietatis perspecta magnitudine, exulare mox illum, et in locum quemdam Phrygiæ deportari jussit. Sic ille palatio, blasphemiæ fructum referens infamiam, deturbatus est. Eustathius vero in eadem sententia Eudoxium etiam esse affirmabat : Aetium enim ejus contubernalem et convivam fuisse, ejusque voluntati ut serviret, blasphemiam illam condidisse ; atque hinc satis argumenti esse aiebat, conscium hu-* E *jus scriptionis fuisse, quod præter ipsum nemo Aetium illius auctorem memoravit. Atqui ex conjecturis, ait imperator, decernere judices non debent, sed res gestas diligenter investigare. Cui Eustathius : Fidem ergo nobis omnibus faciat Eudoxius, se ista non sentire, anathemate damnans scriptum Aetii. Quam postulationem cum probasset imperator, atque ita fieri mandaret, tergiversatus est Eudoxius, multisque modis provocationem eludere conatus est. Tandem, quia indignabatur imperator, et exilium cum Aetio, velut impiæ sententiæ socio, minabatur, propriam ipse doctrinam ejuravit, quam et illo tempore et postea semper profiteri non destitit.* Viden' qua *solertia ac dexteritate*, id est quam perjura fraude Eudoxius indignationem imperatoris evaserit, et quomodo sese hoc negotio expedierit ?

et propter periculum

104 Nunc alterum perfidæ dissimulationis exemplum accipe ex eodem Theodoreto, qui lib. 2 Historiæ ecclesiastiæ cap. 35 de Eunomio hæretico, et Eudoxii amico hæc scribit : *Postquam, vivente adhuc Eleusio, Cyzicum occupavit Eunomius, sanam plebis fidem cernens Eudoxius, et imperatoris in eos odium considerans, qui creatum unigenitum Dei Filium affirmabant, Eunomium ad-* F *monuit, ut sententiam suam occultaret, neque hanc illis proderet, qui accusandi occasionem aucupabantur. Tempus, aiebat, opportunum aliquando nacti ea prædicabimus, quæ nunc celamus, et ignaros docebimus, adversantesque aut verbis adducemus, aut vi cogemus, aut pœna mulctabimus. His monitis morem gerens Eunomius, obscuritate involutam proferebat impietatem. Sed qui divinis litteris fuerant innutriti, latens ulcus cernentes, ægre ferebant quidem; palam autem adversari temeritatis potius esse ducebant, quam prudentiæ. Itaque hæreticæ pravitatis persona induti, domum ad eum veniunt, orantque, ut dogmatis veritatem aperte ipsis exponat, nec eos despiciat, qui diversis doctrinis huc illucque jactarentur. Tum ille fidentior factus, opinionem, quam celabat, aperuit. At illi porro iniquum atque impium dicebant esse, si non omnes, qui sub eo essent, veritatis fierent participes.*

tempori servire noverat

105 *Itaque his et similibus verbis inductus, in publicis ecclesiæ conventibus blasphemiam suam patefecit. Illi vero ardenti studio incitati Constantinopolim contendunt, Eunomiique nomen primo defe-*

runt

SEC. IV.

runt ad Eudoxium: deinde, cum ille non reciperet, imperatorem adeunt de pernicie, quam inferebat, lamentantes, ejusque dicta blasphemiam Arii impietate superare affirmantes. Quibus ad iram provocatus imperator, Eudoxio mandat, ut accersat Eunomium, eumque, si convictus fuerit, privet sacerdotio. Cum autem ab accusatoribus sæpe interpellatus Eudoxius moras nectere pergeret, redeunt iterum ad imperatorem, queruntur que et clamitant, Eudoxium nihil eorum fecisse, quæ fuerant imperata, tantamque civitatem Eunomii blasphemiæ expositam contemnere. Tunc Constantius Eudoxio ipsi exilium minatus est, nisi judicium habeat de Eunomio, in eumque de objectis convictum animadvertat: quibus minis exterritus Eudoxius, per litteras significat Eunomio, ut fuga se Cyzico subducat, sibique ipsi succenseat, quod monitis non paruerit. Eunomius ergo metu perculsus se subduxit, sed impatiens ignominiæ proditionem accusabat Eudoxii, sibique et Aetio injuriam ab eo factam prædicabat. Hic iterum vides, quomodo Eudoxius impiam doctrinam aliquando suam occultarit, et tempori perfide servierit.

B

anno Christi 370 mortuus est,

106 Cum scelestus ille hæreticus ob plures hujusmodi fraudes et turbas, quas hic enumerare longum esset, sese Deo et hominibus exosum reddidisset, evocatus est ad divinæ justitiæ tribunal, rationem daturus omnium malorum, quibus ecclesiam Catholicam afflixerat. Quod autem obitus illius in annum CCCLXX inciderit, ostendunt hujus anni consules, qui apud Socratem lib. 4, cap. 14 ita recensentur: *Eudoxius Arianæ factionis episcopus post imperatoris discessum statim extremum diem obierat, Valentiniano tertium et Valente tertium consulibus, cum novemdecim annis Constantinopolitanam ecclesiam rexisset.* Dum vero hic dicitur Eudoxius *novemdecim annis* ecclesiam Constantinopolitanam rexisse, non Socratis, sed librarii error est: alioquin sibi ipsi clare contradiceret Socrates, quando lib. 2, cap. 43 ait, *consulatu Constantii decimo et Juliani Cæsaris tertio*, id est anno Christi CCCLX, Eudoxium Macedonio successisse. Hinc Valesius in notis ad ecclesiasticam Socratis Historiam pag. 52 asserit, pro δεκαεννέα id est *novemdecim*, δεκαένα, hoc est *undecim*, scribendum esse.

C

postquam decem aut fere undecim annis ecclesiam CP. devastaverat.

107 Cum hac correctione congruit computus Sozomeni, qui lib. 6, cap. 13 ita habet: *Interea imperator Valens Antiochiam, ad Orontem sitam, proficisci decrevit: qui dum in itinere esset, Eudoxius ex hac vita discessit, undecim annis* (Græce ἕνδεκα, ubi tamen undecimus annus dumtaxat inchoatus numerari potest) *episcopatu Constantinopolis perfunctus.* Cum Sozomeno facile conciliari potest S. Nicephorus, qui in Parisiensi Chronographiæ compendiariæ editione pag. 413, decem iniquæ possessionis annos, nempe completos, Eudoxio adscribit. Si autem numero rotundo decem anni Eudoxio tribuendi sint, suspicor, in textu Socratis litteram numeralem θ' abundare, et pro ι seu decem, numerum ιθ', id est XIX perperam ab amanuensi scriptum fuisse. Hinc ea confirmantur, quæ supra num. 66 de annis S. Alexandri disserui. Hinc etiam patet, quantum deferendum sit vulgaribus Banduri catalogis, qui eidem Eudoxio septem aut octo annos assignant.

D

VII S. EUAGRIUS, et DEMOPHILUS

hæreticus.

Cum Catholici S. Euagrium, et Ariani Demophilum

In Actis nostris tomo 1 Martii, pag. 427, ad diem VI ejusdem mensis, de S. Euagrio egimus cum Martyrologio Romano, quod hac die annuntiat: *Constantinopoli, sancti Euagrii, qui tempore Valentis a Catholicis electus episcopus, ab eodem imperatore in exilium missus, migravit ad Dominum.* Nullus autem scriptor antiquus, quantum scio, memoriæ prodidit, quamdiu sanctus præsul in exsilio vixerit. Ceterum de hoc sancto præsule, et hæretico ipsius competitore audiamus Socratem, lib. 4, cap. 14 ita disserentem: *Porro imperator Valens, relicta Constantinopoli, iterum Antiochiam contendit. Cumque Nicomediam Bithyniæ venisset, illic substitit ob hanc causam: Eudoxius Arianæ factionis episcopus post imperatoris discessum, statim extremum diem obierat, Valentiniano tertium et Valente tertium consulibus, cum novemdecim annis Constantinopolitanam ecclesiam rexisset. Quamobrem Ariani in ejus locum Demophilum subtituerunt; Homousiani vero opportunum sibi tempus oblatum rati, quemdam fidei suæ virum, Euagrium nomine, elegerunt; eumque ordinavit Eustathius, olim Antiochiæ episcopus, qui prius quidem Joviani principis edicto ab exilio fuerat revocatus; tunc vero cum venisset Constantinopolim, eo consilio, ut Homousianorum fidem stabiliret, occultus in ea urbe commorabatur.* Baronius, Tillemontius, aliique viri eruditi passim contendunt, Socratem hic hallucinatum fuisse, eo quod S. Eustathium, olim Antiochiæ episcopum, perperam cum altero quodam homonymo confuderit, cum Theodoretus tomo 3 operum suorum pag. 639 in Historia ecclesiastica lib. 3, cap. 2 disserte asserat, Eustathium Antiochenum *ante Meletii creationem*, seu ante annum CCCLXI, obiisse, de quo plura videri possunt ad diem XVI Julii, ubi Acta S. Eustathii commentario historico illustrata sunt.

E

F

ad cathedram CP. evexissent, illo statim expulso,

109 Sedem Constantinopolitanam non diu ab Euagrio occupatam fuisse, satis indicat S. Nicephorus in jam citata Chronologia compendiaria, ubi pag. 413 dicit, quod *Euagrius orthodoxus*... STATIM *a Valente in exilium pulsus* fuerit. Eutychius patriarcha Alexandrinus in Annalibus Arabicis, a Pocockio Latine redditis, tomo 1 pag. 492 spatium duorum mensium ipsi ita concedit: *Euagrius patriarcha Constantinopolitanus,... Cum duos menses sedisset, in exilium pulsus est.* Socrates lib. 4, cap. 15 brevem S. Euagrii possessionem etiam indicat his verbis: *Ea res* (nempe Euagrii electio) *ad imperatoris notitiam* CELERITER *perlata est: qui veritus, ne ex contentione multitudinis orta seditio civitatem subverteret, militares copias ex urbe Nicomedia Constantinopolim misit, jussitque, ut comprehensi simul ambo, tam is, qui ordinaverat, quam ille, qui ordinatus fuerat, alius alio in exilium ejicerentur. Et Eustathius quidem in oppidum Thraciæ Bizuam* (Theophanes in Parisiensi Chronographiæ editione pag. 49 pro Bizua *Cyzicum* posuit) *est relegatus; Euagrius vero in alium abductus est locum.* Ex antecedentibus et consequentibus Socratis ac Sozomeni narrationibus colligo, Euagrium eodem anno CCCLXX electum ac depositum fuisse.

VIII

A

VIII DEMOPHILUS solus.

Demophilus varius erroribus infectus,

Imperator Valens, sic ejecto Euagrio, ecclesiæ Constantinopolitanæ administrationem (melius dixero devastationem) reliquit soli Demophilo, qui tamen populo non placebat: teste enim Philostorgio, lib. 9, cap. 10 in editione Valesiana pag. 519, *dum Demophilus in episcopali sede collocaretur, multi ex populo, qui tum aderant, non* DIGNUS *acclamarunt, sed* INDIGNUS. Nec tantum plebi, sed etiam doctioribus hæresis suæ sectatoribus ob exoticam doctrinam videtur displicuisse: nam ipsemet Philostorgius Arianus lib. 9, cap. 14, in jam dicta editione pag. 520 testatur, *Demophilum miscere omnia et confundere solitum, ac præcipue ecclesiastica dogmata: adeo ut quodam tempore, dum sermonem haberet ad populum Constantinopoli, dixerit, corpus Christi permixtum divinitati penitus evanuisse eo modo, quo lactis sextarius in universum maris elementum conjectus evanescit.* Suidas in suo Lexico, quod Coloniæ Allobrogum anno MDCXIX Græco-Latine impressum est, part. 1, pag. 684 et 685 ad vocem Δημόφιλος alias illius blasphemias recenset, quas hic referre superfluum duximus.

B

ficta pietatis specie diversas hæreticorum sectas uniebat,

111 Nihilominus noverat hæreticus ille pseudo-episcopus detestabilem doctrinæ suæ impietatem externa quadam pietatis specie tegere, ita ut S. Basilius Magnus epistola 254, quæ in editione Parisiensi anni 1618 tomo 2 operum ejus pag. 1025 legitur, de eo affirmet sequentia: *Jam dudum Constantinopoli hæret Demophilus, ... de quo, qui huc ad nos appellunt, singuli unanimi consensu deprædicant, illum veritatis et pietatis fictam sibi personam superinduisse, eo tamen successu, ut divulsæ civitatis illius et distractæ factiones coaluerint, nec non e vicinis episcopis nonnemo* (melius juxta textum Græcum et Latinam syntaxin redditur *aliqui*) *ad hanc unitatem conflatam convolaverint.* Hæc unio de diversis hæreticorum sectis haud dubie intelligenda est, cum eo ipso tempore Catholici in Oriente acerbissimam persecutionem passi fuerint, ut apud Theodoretum, Socratem, Sozomenum, Baronium, Tillemontium, aliosque obvios historiæ ecclesiasticæ scriptores fuse legi potest.

C

cum interim Valens imperator

112 Attamen non possum, quin hujus persecutionis acerbitatem atque extensionem ipsis synchronorum auctorum verbis breviter exponam. Imprimis Gregorius Nazianzenus in oratione 20 tom. 1 editionis Billianæ, pag. 347 et sequenti barbaram Valentis imperatoris contra orthodoxos tyrannidem solita sua facundia sic explicat: *Porro cum illustria prima illius facinora fuerint, tum vero illustriora ea certamina fuerunt, quæ postrema adversus nos habuit. Quænam autem prima dico? Exilia, fugæ, bonorum proscriptiones, insidiæ tam apertæ quam obscuræ, sermonum illecebræ, ubi occasio se offerebat; vis, ubi verborum blanditiis locus non erat. Alii ab ecclesiis extrudebantur, qui scilicet fidem orthodoxam ac nostram profitebantur; alii introducebantur, nempe qui pestiferam et exitialem imperatoris doctrinam tenebant, qui impietatis chirographa exigebant, qui his adhuc graviora scribebant; marinæ presbyterorum exustiones;* (alludit hic sanctus scriptor ad octoginta martyres, qui anno CCCLXX jussu Valentis in mari combusti sunt, de quibus ad diem V Septembris cum Martyrologio Romano fusius agetur) *impii belli duces, non Persas superantes, non Scythas in potestatem redigentes, non aliam quamdam barbaram gentem repurgantes; verum ecclesiis bellum inferentes, in altaribus saltitantes, et incruenta sacrificia hominum et victimarum sanguine contaminantes, ac virginum pudorem probro afficientes... Habetis primorum ipsius facinorum historiam, quorum ipsa quoque commemoratio et auditio multis etiamnum lacrymas movet.* SEC. IV.

orthodoxos crudeliter persequeretur,

113 Gregorius Nyssenus, Parisiis anno MDCXV Græco-Latine editus, tomo 2, pag. 51 in libro contra Eunomium ostendit, hanc Valentis persecutionem longe lateque diffusam fuisse. *Quod si hujus rei testes petis*, inquit, *res ipsas intuere. Quem enim locum intactum reliquit temporis illius calamitas? Quænam gens hæreticæ vastationis et grassationis expers mansit? Quis eorum, qui in ecclesia florebant, non dejectus est a cœptis et laboribus suis? Quis populus insultationem illam effugit? Non Syria universa, non Mesopotamia usque ad fines barbarorum; non Phœnicia, non Palæstina, non Arabia, non Ægyptus, non incolæ Lybiæ usque ad terminos nostri orbis; neque alii, qui in eo degunt, Pontici, Cilices, Lycii, Lydi, Pisidii, Pamphilii, Cares, Hellespontii, insulani usque ad ipsam Propontidem; non gentes Thraciæ, qua patet Thracia, et finitimi quique usque ad ipsum Danubium. Quæ ex his omnibus provinciis calamitatis hujus expers fuit, nisi forte illa, quæ antea hoc malo tenebatur?* E

et aliis quibuslibet liberum suæ sectæ exercitium permitteret.

114 Etsi imperator Valens ita ubique in Catholicos sæviret, tamen Judæis et sacrilegis cujusvis sectæ hæreticis, atque ipsis idolatris liberum superstitioni suæ cultum permittebat, ut Theodoretus tomo 3, pag. 695 et 696, sive lib. 4 Historiæ eccles. cap. 21 post commemoratum octoginta orthodoxorum martyrium testatur his verbis: *Antiochiæ autem longissimo temporis spatio commoratus Valens licentiam omnibus concesserat, et gentilibus, et Judæis, et aliis, quotquot sub nomine Christiano doctrinam Evangelicæ repugnantem profitebantur: nam et gentilium sacra obibant, qui errore illo tenebantur, et ab Joviano post Julianum exstincta seductio, illius permissu reflorescebat. Nec jam in occulto Jovis, et Bacchi, et Cereris festa peragebantur, sed per medium forum bacchantes cursitabant. Solis ille inimicus fuit Apostolicæ doctrinæ cultoribus.* Theodoretus infra lib. 5, cap. 20, fere eadem aliis verbis repetit. Porro concilium Aquileiense in epistola, imperatoribus Gratiano, Valentiniano, et Theodosio scripta, quæ apud Labbeum nostrum tom. 2 conciliorum a col. 999 exhibetur, in Lucium Alexandrinum ac Demophilum Constantinopolitanum, tamquam in præcipuos diræ hujus persecutionis impulsores, maximam horum malorum culpam ita conjiciunt: *Cum post multa tempora et persecutiones varias, quas Catholicis intulerant Ariani, maximeque Lucius ille monachorum et virginum impia cæde grassatus, atque Demophilus, dirum perfidiæ caput, omnes ecclesiæ Dei per orientem Catholicis restitutæ sint, in occidentalibus autem partibus vix duo hæretici, qui obviare possent sancto concilio sint reperti, quis est qui putet, se gratiarum vestrarum fore idoneum relatorem?* Audis, hic Demophilum accusari, veluti *dirum perfidiæ caput*, cui tam flebiles illorum temporum calamitates fuerint imputandæ. F

115 Tandem Valens, invadentibus imperium Gothis, suam contra orthodoxos persecutionem abrumpere coactus est, et anno CCCLXXVIII bar-

baris

Sec. iv. *Cum Valens in tugurio combustus esset,*

baris illis cum exercitu occurrere voluit, quamvis Isaac monachus et Bretanio episcopus ob illatas Catholicis injurias ipsi certam cladem prædixissent, ut lib. 4, cap. 31 affirmat Theodoretus, qui capite sequente mortem istius tyranni ita narrat: *At Valens, spretis optimis illis consiliariis, instructas copias ad conserendum prælium misit; ipse in quodam vico remanens victoriam exspectabat. Sed milites barbarorum impetum non sustinentes, terga dedere, et ab insequentibus cæsi sunt: fugiebantque illi celeritate summa, isti pro viribus persequebantur. Et cum pervenissent barbari ad vicum illum, in quo Valens, audita clade, latere coactus est, igne admoto pietatis hostem una cum vico incenderunt. Ita ille etiam in hac vita scelerum suorum pœnas dedit.* Sic nempe tyrannus, qui octoginta orthodoxos in mari flammis consumi jusserat, igne periit, et justo divinæ providentiæ judicio pœnam talionis expertus est.

succedens ei imperator Theodosius furentes Arianos compescuit,

116 Catholici post mortem Valentis paulatim cœperunt respirare, et ab imperatore Theodosio, cui Gratianus ineunte anno CCCLXXIX sceptrum Orientalis imperii tradiderat, obtinuerunt legem, qua quidem audax Arianorum potentia et libertas restringebantur; B sed non exstinguebatur pervicax eorum in orthodoxos furor, quem sensit ipse S. Gregorius Nazianzenus, eo tempore Constantinopolim veniens, ut testatur in Carmine de vita sua, ubi in Græco-Latina Billii editione tomo 2 operum pag. 11, hæc ad rem nostram leguntur:

Ingressus urbem plurimis jactor malis.
Exarsit in me tota primum civitas,
Multos perinde ac si deos inducerem . . .
Imbres tacebo saxeos, epulas meas:
Vanos fuisse quos queror tantummodo,
Hæc assecutos, assequi quæ nil juvat,
Necem nec infert. Post velut sicarius,
Vultu superbo præditos ad præsides,
Queisque una studio lex erat plebi obsequi,
Trahor ipse, sceleris qui nihil patraveram.

His aliisque modis plebs hæretica furebat contra Gregorium Nazianzenum, qui Constantinopolim accersitus fuerat, ut exiguum Catholicorum gregem, vero pastore destitutum, tamquam episcopi vicarius gubernaret, sicuti postea fusius dicetur, C quando Sanctus ille ab omnibus fere Orientis præsulibus ad cathedram Constantinopolitanam evectus est.

et Demophilum Constantinopoli expulit,

117 Theodosius anno CCCLXXX die XXIV mensis Novembris venit Constantinopolim, ut Socrates lib. 5, cap. 6 accurate notat, et paulo post Demophilum, Arianorum antistitem, urbe expulit, quod Sozomenus, lib. 7, cap. 5 refert hoc modo: *Ceterum imperator per internuntios mandavit Demophilo, ut Nicæni concilii fidem sequeretur et populum ad concordiam revocaret; sin minus, ecclesiis cederet. Qui statim convocata populi multitudine, præceptum imperatoris eis exposuit, et postridie extra urbem se collectas celebraturum pronuntiavit. Quandoquidem, inquit, divina lex jubet: Si vos persecuti fuerint ex hac urbe, fugite in aliam. Hæc cum dixisset, populum extra urbem deinceps collegit . . . Cum igitur Demophilus una cum suis ecclesia abscessisset, imperator in eam ingressus, Deum oravit. Atque ex eo tempore hi, qui Trinitatem consubstantialem profitebantur, ecclesias obtinuerunt. Annus autem hic erat, quo Gratianus quintum, et Thodosius primum consulatum gessere; ex quo vero Ariani ecclesias occupaverant, quadragesimus.* Hi consules, et quadragesimus Arianæ dominationis annus, designant annum Christi CCCLXXX, ut ex supradictis facile colligetur. D

qui expulsus dicitur postea Berrœam discessisse.

118 Porro quod hic Sozomenus asserit de commemoratione Demophili circa urbem Constantinopolitanam, contrarium videtur Philostorgio, qui, lib. 9, cap. 19 agens de Arianis, quos tunc Theodosius Constantinopoli expulit, post alia sic habet: *Ex quorum numero fuit etiam Demophilus; qui, cum ejectus fuisset, ad civitatem suam Berræam* (in qua antea episcopum egerat: nam *ortus fuit ex urbe Thessalonica*, ut Philostorgius, lib. 9, cap. 14 dixerat) *se recepit.* Quamvis hæc duo inter se pugnare videantur, tamen aliquo modo conciliari possunt, si dicatur Demophilus Berrœam se recepisse, quando Theodosius anno CCCLXXXIII legem tulit, qua omnia hæreticorum conventicula tum intra tum extra urbes prohibebantur. Si id non placet, dic, Demophilum post aliquot menses Berrœam excurrisse, ac postea ad viciniam Constantinopolitanam rediisse. Ut ut est, pertinax ille hæreticus anno CCCLXXXVI infelicem animam efflavit. Sozomenus, lib. 7, cap. 14 ait, illum *Constantinopoli* obiisse; at Socrates lib. 5, cap. 12 locum mortis non nominat. E

PARERGON I.

Quomodo Maximus philosophus sedem Constantinopolitanam vi et fraude occupare tentaverit.

Cum philosophus quidam, nomine Maximus, vi sedem CP. invadere tentasset,

Maximus ab imprudenti Cynicorum philosophorum secta, quam profitebatur, dictus cognomento Cynicus, ficta pietatis specie S. Gregorium Nazianzenum ita decepit, ut intimus Sancti amicus ac contubernalis evaserit. Verum hypocrita iste anno CCCLXXX larvam deposuit, et infami ac violento modo conatus est invadere F thronum ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam tunc legitimo pastore carentem S. Gregorius loco episcopi gubernabat. Omnia, quæ in hac nocturna et ridicula Maximi Cynici ordinatione peracta sunt, lepide describit ipsemet S. Gregorius in Carmine de vita sua, ut in Actis nostris, tomo 2 Maii a pag. 436 stylo soluto legi potest. Catholici Constantinopolitani, qui eo tempore Gregorium in oculis ferebant, invasionis hujus indignitate commoti, Maximum statim ex urbe sua ejecerunt, qui Thessalonicam profectus est, ut apud Theodosium de illata injuria conquereretur, et cathedram Constantinopolitanam auctoritate imperatoria occuparet. At illic etiam repulsam passus, rediit in patriam suam, quæ erat Alexandria Ægypti, ibique Petro patriarchæ minatus est, se sedem Alexandrinam invasurum, nisi ipsius auctoritate Constantinopolitanam obtineret. Præfectus Alexandrinus hanc violentiam intelligens, ac seditionem metuens, turbulentum hominem Alexandria expulit.

120 Neque post hæc ambitiosus philosophus quievit; sed in Occidentem profectus, mendaciis

ac

et post subitam comæ resectionem, ac clandestinam ordinationem

A ac fraudibus tantum effecit, ut quidam Italiæ præsules patrocinium illius susciperint, sicuti patet ex eorum epistola ad Theodosium imperatorem, quæ a Labbeo nostro, tom. 2 Conciliorum, col. 1007 et 1008 refertur. At postea illi causam Maximi deseruerunt, forte errorem suum dedocti a Theodosio imperatore vel ab ipso Papa Damaso, qui posterior Acholio præsuli Thessalonicensi et aliis Macedoniæ episcopis apud eumdem Labbeum, tomo 4 Conciliorum, colum. 1699 circa ordinationem Maximi Cynici ita respondit: *Decursis litteris dilectionis vestræ, fratres carissimi, satis sum contristatus, eo tempore, quo, Deo præstante, hæretici iverant abjecti, nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. Qui igitur is fuerit ardor animi, quam fœda præsumptio, scire non possumus. Hinc apparet, inquietos homines, cum multa præsumunt, quid agere debeant, ignorare. Non legerant Apostolum scribentem: Vir autem si comam nutriat, ignominia est illi? Nesciebant, Philosophorum habitum*
B *non convenire incessui Christiano?*

Constantinopoli expulsus in Occidentem profugisset,

121 Postquam deinde philosophicam Cynici professionem pluribus reprehenderat, col. 1700 sic pergit: *Sed fortasse dicturi sunt aliqui: Christianus erat. Huic homini, qui in habitu idoli incedit, numquam adscribendum est nomen Christiani; quia fieri non potest, ut qui hinc placere gentibus desiderat, ullum nobiscum consortium integræ fidei possit habere. Non immerito autem qui ex Ægypto venerant, notati ab omnibus discesserunt, errorem suum condemnantes, ut amputatis ejus postea capillis, qui non recte fuerat ordinatus, et jacturam capitis sustineret, et quod ambierat, esse non posset. Recte igitur factum est, ut id, quod male cœptum erat, auctoritate publica destrueretur.* Idem Pontifex in alia epistola, ad Acholium antistitem Thessalonicensem scripta, ibidem col. 1700 eamdem Maximi Cynici ordinationem ita improbat: *Ad litteras sanctitatis tuæ plene rescripsi, non mihi placuisse, quod nescio quem Maximum ex Ægypto venientes comatum vel maxime, cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli episcopum*
C *ordinare voluissent.*

illum S. Gregorius Nazianzenus acriter exagitat ob resectos capillos,

122 Sanctus Gregorius Nazianzenus in editione Billiana, tomo 2, pag. 15 eumdem Maximum ob detonsam cæsariem acriter exagitat his versiculis Iambicis:

Canem resecta præsulem signant coma
Nequissimum, haud vi, nec ligatum: nam canis
Ad summa quæque promptus ac fervens erat.
Subiitque cinnos sectio cultos diu,
Manuum laborem non breuem solvens brevi:
Unumque munus huic ferens, quod crinium
Nudavit ejus abditum mysterium,
Qui robur ejus, unicæ ac vires erant.
Sampsoni ut enim contigit, quem prodidit
Sævis resectus hostibus crinis suis,
Messis capillis tempore perincommodo,
Quos uxor, hosti dum favet, scidit mala.
Ut factus autem pastor est canis improbus,
Ex opilione fit canis rursum (o grave
Probrum!) canisque solus, et pulcro carens
Jam crine, sacrum nec tamen moderans gregem;
Ad ossa rursum seque jam confert fori.
At quid venustis nunc ages de crinibus?
Alesne rursum? An sic manens ridebere?
Utrumque turpe: reste nec dempta potest
Quidquam inveniri tertium. Quin tu comam
Ubinam locabis, aut eam quonam feres?
An ad theatra? vel potius ad virgines?
Quas rursus istas? An tuas Corinthias,
Studiis quibuscum tu sacris quondam dabas
Operam, remotis arbitris cum his disserens?

Sec. IV.

Sanctus hic sæpe alludit ad cognomen Cynici, quod Græce dicitur κυνικὸς id est *caninus*, et quod provenit a vocabulo κύων, *canis*, a quo ob caninam impudentiam nomen inditum est Cynicæ philosophorum sectæ, quam Maximus profitebatur.

et ignorantiam,

123 Dum Maximus negotii sui promovendi causa in Occidente versabatur, ad captandam Gratiani imperatoris benevolentiam composuit, aut saltem componi curavit, librum contra Arianos, quem Hieronymus in opere suo de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 127 ita laudat: *Maximus philosophus, natus Alexandriæ, Constantinopoli episcopus ordinatus est, et pulsus insignem de fide adversus Arianos scripsit librum, quem Mediolani Gratiano principi dedit.* Paulo superius dixi, quod Maximus saltem librum contra Arianos componi curaverit: nam Gregorius Nazianzenus in proxime citata operum suorum editione, tom. 2, E pag. 249 et sequente indicat, eum litteris levissime tinctum fuisse, dum in carmine Iambico contra eumdem Maximum sic scribit:

Quid hoc sibi vult, Maxime? Audes scribere!
Audes-ne vero scribere? impudentia
Quanta est? caninam superat hæc dubio procul...
Saul propheta, Maximusque scriptor est.
Quis non propheta? continebit quis manum?
Est carta cunctorum, stylusque.....
.... At audes scribere
Pauxillulum. Tu dic mihi, undenam atque ubi
Edoctus? Eccujus manu scriptum est opus?
Non noveras heri hoc; satisque erat tibi,
Si arctam placentam angusta ferret penula,
Vitaque inepta et moribus latratio.
Tunc litteræ fuerant tibi, ut cythara asino.

Hæc inscitiam Maximi satis indicant, et false explodunt. Quare creditu difficile est, eum proprio Marte composuisse librum, quem S. Hieronymus *insignem* appellat. F

(forte tamen aliqua opuscula damnata scripsit)

124 Non tamen inficior, alia quædam opuscula ab ipso forsan exarata fuisse, cum Gelasius I Papa in concilio Romano apud Labbeum nostrum, tomo 4 Conciliorum col. 1265 videatur scripta ejusdem Maximi inter apocrypha seu hæretica recensere: quamvis enim illic in textu tantummodo nominetur *Maximus*, tamen Labbeus in margine monet, quod in aliis exemplaribus addatur *Cynicus*, atque ex Mss. ita omnino legendum putat. Opinionem Labbei confirmat novissima Harduini nostri editio, in qua, tomo 2 Concil., col. 942 diserte *Maximus Cynicus* exprimitur. Eidem lectioni adstipulantur duo antiqui codices, ex quibus Justus Fontaninus decretum Gelasii Papæ in Appendice ad antiquitates Hortæ a pag. 317 nuper edidit. Etsi autem ibidem, pag. 331 ex Codice Vaticano legatur *Maximus Unicus;* nihilominus pronum est judicare, quod illic mendum irrepserit, et quod cum codice Jurensi aliisque manuscriptis *Maximus Cynicus* legi debeat. Gelasius verosimiliter scripta illius damnavit ob traditam in iis Apollinaristarum hæresim, qua Maximum Cynicum infectum fuisse Theodoretus, lib. 5, cap. 8 testatur.

125 Quid Proteo isti deinceps acciderit ignoramus. Attamen scimus, quod præsules Orientales

SEC. IV.

ejusque consecrationem synodus CP. anno 381 irritam declarat.

tales in concilio Constantinopolitano, quod anno Christi CCCLXXXI celebratum est, ordinationem ipsius declaraverint irritam, et apud Harduinum nostrum, tomo 1 Conciliorum, col. 810 decreverint, *ut neque Maximus fuisse aut esse etiam putetur episcopus, neque hi, qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum clericatus obtineant, omnibus scilicet, quæ circa eum vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis.* Theodorus Balsamon in Græco-Latina editione Parisiensi anni MDCXX, pag. 307 verba ejusdem concilii ita recitat : *Statuerunt etiam de Maximo Cynico et ejus petulantia et insolentia, quæ fuit Constantinopoli, ut Maximus episcopus nec fuerit vel sit, nec qui ab eo ordinati fuerunt, in ullo, quicumque is sit, gradu cleri, omnibus, et quæ circa ipsum fuerunt, et quæ ab illo facta sunt, infirmatis.*

quam historiam Balsamon breviter narrat.

126 Post relatum synodi Constantinopalitanæ canonem, Balsamon historiam hujus Maximi paucis contrahit ac notat sequentia : *In historiis autem traditum est, quod hic Maximus fuit Ægyptius, philosophus Cynicus; Cynici autem dicebantur propter eorum arrogantiam, audaciam, et impudentiam. Et cum ad magnum Gregorium Theologum accessisset,*

B

et ab eo initiatus seu inter catechumenos receptus esset, baptizatus est, et in clerum cooptatus, eique familiaris effectus est. Cum autem patriarchalem Constantinopoleos sedem desiderasset, pecuniis ad Alexandriæ episcopos missis, magno studio contendit, ut eligeretur. Cam autem ii episcopi Constantinopolim venissent, et ex Maximi voluntate facere aggressi essent, quoniam a fidelibus ab ecclesia expulsi sunt, in cujusdam Cholauri domum venerunt, et Maximum non canonice elegerunt. Hæc ergo sancta synodus eum abdicavit, definiens, nec ipsum esse vel fuisse episcopum, eo quod nefarie et contra leges electus sit; nec eos, qui ab ipso ordinati essent, cujuscumque sunt gradus, esse clericos. Hic autem cum postea intellectum esset, eum cum Apollinario sentire, anathemate ictus est. Meminit istius Theologus in quadam ex suis orationibus, quæ in ecclesia non leguntur. Itaque philosophum illum Cynicum inter antistites Constantinopolitanos recensere nolui, tum quia cathedram illam numquam occupavit, tum quia tumultuaria ista electio nullius

C

roboris habita est a memorato concilio, in quo ad episcopatum ecclesiæ Constantinopolitanæ solenniter evectus est.

IX S. GREGORIUS I, cognomento Nazianzenus.

S. Gregorius anno 381 evehitur ad cathedram CP. quam vice episcopi ab anno 379 rexerat,

Etiamsi hic acerrimus Catholicæ fidei defensor jam ab anno Christi CCCLXXIX, ut supra verbo indicavimus, Constantantinopoli orthodoxum gregem pastorali solicitudine paverit, quia tamen eo tempore dumtaxat locum episcopi supplebat, idcirco Constantinopolitanum ipsius episcopatum differimus usque ad annum CCCLXXXI, circa cujus medium pluribus Orientalium præsulum suffragiis episcopus urbis Constantinopolitanæ electus est in synodo Constantinopolitana, ad quam centum et quinquaginta antistites *convenerunt Eucherio* et Euagrio* consulibus, mense Maio*, ut Socrates lib. 5, cap. 8 affirmat. Theodosius imperator orthodoxos imperii sui præsules ad hanc synodum vocari jusserat, tum ut Nicæni concilii decreta confirmarent, tum ut Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopum constituerent. Imo tri-

* *al.* Eucherio
* *lege* Syagrio

D

ginta sex episcopos Macedonianos ad hoc concilium venire permisit, quia illos facile ad ecclesiam Catholicam reduci posse sperabat. Sed eum sua spes fefellit : nam Macedoniani in hæresi sua pertinaces e concilio decesserunt. *Reliqui vero episcopi*, inquit Sozomenus, lib. 7, cap. 7 *qui Constantinopoli remanserant, inter se consultaverunt, cuinam potissimum episcopatus ejus urbis committeretur. Etenim, aiunt, imperatorem quidem, cum Gregorium ob vitam atque doctrinam, magnopere miraretur, eum hoc pontificatu dignum sensuisse, et plerosque ex episcopis, qui concilio intererant, præ reverentia, qua Gregorii virtutem prosequebantur, imperatoris judicium comprobasse.* Sic igitur S. Gregorius Nazianzenus communi omnium lætitia in throno Constantinopolitanæ ecclesiæ collocatus est, Gregorio Nysseno aliisque episcopis eam solennitatem facundia sua exornantibus.

et statim ob quasdam turbas ultro se abdicat ea dignitate;

128 Verum brevi lætitiam illam interrupit subsecuta S. Meletii patriarchæ Antiocheni mors, post quam exortæ turbæ Gregorium Nazianzenum moverunt ad deserendam Constantinopolitanæ urbis cathedram, atque ad exemplum præbendum aliis, ut potius se dignitate abdicarent, quam Ec-

E

clesiam turbari sinerent. Accessit, quod postea quidam Macedoniæ et Ægypti præsules ordinationem Gregorii carperent, acsi contra canones ab una sede episcopali ad aliam translatus fuisset. Quamvis autem hæc facile refelli et ab electoribus suis defendi potuissent, tamen hanc occasionem Vir sanctus libenter arripuit, ut propositum suum tanto citius ac securius executioni mandaret. Igitur, ne quid dissensionis in synodo ob hanc controversiam oriretur, teste Theodoreto, lib. 5, cap. 8 *divinus Gregorius orabat illos* (nempe episcopos causæ suæ faventes) *ut qui constituendæ concordiæ causa convenerant, mutuum ipsi consensum unius hominis injuria potiorem ducerent. « Nam et ego, aiebat, multis curis liberatus gratam « mihi quietem recipiam, et vos post longum illud « et grave bellum optatissima pace fruemini. Absur« dius enim profecto nihil fuerit, quam eos, qui ho« stilia nuper tela evaserint, suis inter se telis figi, « et vires consumere : sic enim risum inimicis læti« tiamque parabimus. Quare virum quærite aliquem*

F

« laude dignum, intelligentiaque præditum, qui tot « curarum pondus subire ac sustinere recte possit, « atque hunc episcopum designate. » His monitis obsecuti, optimi pastores, Nectarium virum patricium, generis nobilitate clarum, virtutibusque omnibus illustrem, maximæ illlius urbis episcopum ordinarunt. Hæc omnia ipsemet Gregorius fusius describit in Carmine de vita sua, quod Cardonus noster in Actis istius Sancti, quæ ad diem IX Maii illustrata sunt, in solutam orationem vertit, et ubi, tomo 2 istius mensis, à pag. 444 hujus historiæ adjuncta distinctius exponuntur.

unde explicantur scriptores, huic ipsius episcopatui plures annos adscribentes.

129 Ex hactenus dictis liquet, hallucinari eos scriptores, qui Gregorio Nazianzeno decem aut plures Constantinopolitani episcopatus annos tribuunt; nisi forte voluerint computare omne illud tempus, quod ab anno CCCLXXIX, quo Constantinopolitanos regere cœpit, usque ad mortem ejus effluxit, quia semper postea etiam absens curam ecclesiæ Constantinopolitanæ gessit, ut Pagius in Critica historico-chronologica ad annum Christi CCCLXXXI, num. 10 et sequente observavit. Theophanes in Chronographia, pag. 58 numero rotundo, duos annos ipsi adscribit, quia forte putabat numerandum esse illud tempus, quo Gregorius ad gubernandam ecclesiam Con-

stantinopoli

A stantinopoli commoratus fuerat. At si stricte loqui velimus, constat, Gregorium paucis tantum hebdomadis vere episcopum Constantinopolitanum fuisse, cum circa medium anni CCCLXXXI in eodem concilio sedem illam ascenderit ac dereliquerit. Imo ex Codice Theodosiano, libro 16, tit. 1, leg. 3 in editione posthuma Jacobi Gothofredi, tom. 6, pag. 9 et 10 patet, jam Gregorii successorem anno CCCLXXXI ante diem XXX Julii in cathedra Constantinopolitana sedisse: nam illic in constitutione de fide Catholica, quam edidit Theodosius III *Kalend. Aug. Heracl. Eucherio et Syagrio coss.* (id est die XXX Julii in urbe Heraclea anno CCCLXXXI) ante alios antistites fit mentio *Nectari* episcopi Constantinopolitanæ ecclesiæ*, de quo nobis nunc agendum est.

* *lege* Nectarii

X NECTARIUS.

Anno Christi 381 Nectarius

Sozomenus, lib. 7 Hist. eccles., cap. 8, miram Nectarii electionem sic narrat: *Eo tempore Nectarius quidam, Tarso Ciliciæ oriundus, vir senatorii ordinis, Constantinopoli degebat: qui cum in patriam reverti jam pararet, adiit Diodorum episcopum Tarsi, velut laturus epistolas, si quas ille Tarsum scribere voluisset. Forte tum Diodorus secum ipse tacitus agitabat, quisnam potissimum eligendus esset ad eam ordinationem, quæ tanta ambitione celebrabatur. Qui Nectarium conspicatus, eum episcopatu dignum esse censuit, statimque in intimo mentis recessu suffragium suum ei contulit, canitiem viri vultumque sacerdotio dignum, et morum suavitatem considerans. Itaque tamquam alterius negotii causa eum ad episcopum Antiochensem deduxit; multisque laudibus prosecutus, oravit episcopum, ut illum suffragio suo adjuvaret. Ille vero in tanti momenti negotio, ubi multi illustres viri eligendi proponebantur, Diodori suffragium derisit. Nihilominus evocatum ad se Nectarium aliquantulum temporis opperiri jussit.*

B

131 *Haud multo post cum imperator mandasset episcopis, ut nomina eorum, quos quisque episcopatu dignos judicaret, in charta perscriberent, unumque ex omnibus eligendi facultatem sibi ipse reservasset, alii quidem aliorum nomina perscripserunt; Antiochensis autem ecclesiæ antistes scripsit et ipse eos, quos voluit: omnium tamen postremum adjecit Nectarium in gratiam Diodori. Imperator igitur, perlecto indiculo eorum, qui inscripti fuerant, substitit in Nectario, et intenta mentis acie secum ipse consultabat, digito in postremum vocabulum impresso: rursusque ad caput reversus, cum cunctos ordine percurrisset, Nectarium elegit. Tum vero admiratio omnes invasit, quærebantque, quis et unde esset Nectarius ille, et quod vitæ genus sectaretur. Cumque didicissent, ne sacro quidem lavacro initiatum esse, inopinatum principis judicium eo amplius mirabantur. Ignorabat autem istud, ut opinor, etiam Diodorus: neque enim, si scivisset, ausus esset umquam viro nondum initiato sacerdotii suffragium dare; sed, ut verisimile est, virum jam canum pridem baptizatum fuisse existimabat.*

ex catechumeno statim creatur CP. episcopus,

C

132 *Verum hæc non sine Dei nutu evenere: siquidem imperator, postquam eum baptismi expertem esse intellexisset, in eadem sententia permansit, multis licet episcopis refragantibus. Postquam vero universi cesserunt, et imperatoris sententiam suffragio suo comprobarunt, baptizatus est, et adhuc neophyti vestem indutus, communi totius concilii calculo episcopus Constantinopolis renuntiatur. Multi porro crediderunt, hæc ita ab imperatore gesta esse, Deo id illi mandante ac præcipiente. Sed utrum id verum sit, necne, certo equidem affirmare non possum. Mihi tamen ipse persuaserim, non sine divina providentia id actum esse, dum et ordinationis illius miraculum considero, et ex iis, quæ consecuta sunt, animadverto, Deum mansuetissimo et optimo atque honestissimo viro hunc episcopatum conferre voluisse. Et hæc quidem in ordinatione Nectarii ita gesta sunt, ut auditione accepi.* Forte hæc Sozomenus audiverit ex credulis quibusdam hominibus, et juxta popularem sui temporis traditionem incaute eadem historiæ suæ inseruerit.

quod dicitur contigisse miro modo,

SEC. IV.

133 At quocumque modo mira illa electio facta sit, nonnullæ hujus narrationis circumstantiæ nobis parum verisimiles videntur. Quis primo credat, piissimum Theodosium sibi tam multum juris in ea electione arrogasse, ut supremam eligendi potestatem sibi soli reservaret? Quis deinde credat, illis temporibus virum ecclesiasticæ disciplinæ imperitum et adhuc catechumenum, *multis licet episcopis refragantibus*, ad regendam Ecclesiam Constantinopolitanam tam cæce ac pertinaciter assumptum fuisse à Theodosio, de cujus pia solicitudine in hoc ipso negotio Sozomenus, lib. 7, cap. 7 ita scribit: *Porro cum imperator et episcopi, tamquam de re maximi momenti consultantes, admodum anxii solicitique essent, et imperator ipse cohortaretur, ut diligens inquisitio fieret optimi atque integerrimi viri, cui amplissimæ ac regiæ civitatis sacerdotium committeretur, synodi tamen episcoporum nequaquam idem studium fuit: singuli enim aliquem ex necessariis ordinare cupiebant.* Quis, inquam, post talem imperatoris solicitudinem credat, Theodosium in re maximi momenti tam temere processisse, ut hominem ignotum et nondum sacro baptismate initiatum ad tantam Ecclesiæ dignitatem evexerit?

cujus adjuncta nobis parum videntur verosimilia,

E

134 Si hic de Ambrosio Mediolanensi aut simili catechumeno sermo esset, mirabilem hujusmodi electionem singulari divinæ voluntatis significationi adscriberemus; sed non videmus, tales fuisse Nectarii dotes ante susceptum baptisma, ut ad peculiarem Dei instinctum recurri hic debeat: nam idem Sozomenus, lib. 7, cap. 10 narrat historiam, quæ in anteacta catechumeni nostri vita non levem morum corruptionem prodit: *Nectarius vero*, inquit, *Cyriaco Adanorum episcopo præceptore usus, sacerdotale officium condidicit: Diodorum enim Tarsensem episcopum rogaverat, ut iste aliquamdiu secum maneret. Sed et alios multos Cilicas pellexit, ut secum morarentur, atque inter ceteros Martyrium; quem cum familiarem haberet ac medicum, et omnium, quæ in juventute deliquerat, conscium, diaconum ordinare cogitabat. Sed Martyrius nequaquam id fieri passus est, indignum se divino ministerio esse affirmans, ipsumque Nectarium anteactæ vitæ suæ testem esse jubens. Cui Nectarius: An non ego, inquit, qui nunc sacerdos sum, meam retro vitam multo quam tu negligentius traduxi, sicut tu ipse testari potes, qui intemperantiæ meæ sæpius ministrasti? Ille subjiciens: At tu, inquit, o beate, percepto recens baptismo mundatus es, et post baptismum sacerdotium accepisti; horum vero utrumque ad expianda peccata lege divina constitutum est, ac mihi quidem videris ab ipsis infantibus recens natis nil differre. Ego vero, qui jam pridem sacrum baptismum consecutus sum, in eadem, qua prius, vivendi ratione perseveravi. Atque hic quidem hujusmodi causam allegans, ordinationem detrectavit.*

tum ob antea corruptos Nectarii mores,

F

135 Præ-

SEC. IV.

tum ob silentium veterum scriptorum de miris circumstantiis istius electionis,

135 Præterea, si electio illa tam prodigioso modo aut divino instinctu facta fuerit, mirum sane est alios ecclesiasticæ historiæ scriptores id litteris non mandasse, dum interim multo minutiora istius temporis gesta posteritati reliquerunt. Certe miror, hoc tacuisse Socratem, Constantinopoli natum ac educatum, qui, lib. 5, cap. 8 de eadem electione hæc dumtaxat memoriæ prodidit : *Erat tunc vir quidam generis senatorii, Nectarius nomine, moribus placidus, et in omni vita plane admirandus, quamvis prætoris officio fungeretur. Hic a populo raptus ad episcopale munus obeundum eligitur, et ab episcopis centum et quinquaginta, qui tunc illic aderant, ordinatur.* Ista verosimiliora sunt : facile enim credidero, Nectarium ob lenem ac blandam agendi rationem expetitum fuisse a populo, qui rigidos vitiorum suorum censores odisse solet, et propter eamdem morum facilitatem plerosque episcopos et imperatorem populo consensisse. Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CCCLXXXI, num. 69 de hac electione agens, inter hunc neophytum et Gregorium Nazianzenum instituit
B comparationem, Nectario parum honorificam.

quam sedes Romana prius reprobavit,

136 Quamvis Orientales episcopi in epistola synodica, ad Damasum Papam et alios Occidentis præsules scripta, apud Theodoretum, lib. 5 Hist. eccles., cap. 9, jactent : *Nectarium in generali concilio, communi omnium consensu, et præsente religiosissimo imperatore Theodosio, cleroque universo, et cuncta suffragante civitate, episcopum* Constantinopolitanum fuisse constitutum ; tamen Occidentales antistites censuerunt, illegitimam fuisse illius promotionem, quia sine Romanæ Ecclesiæ consensu peracta fuerat. Imo ipse imperator Theodosius judicavit, non satis firmam esse Nectarii electionem, nisi a Sede Romana confirmaretur. Bonifacius Pontifex in epistola, quam anno CDXXII ad quosdam Macedoniæ vicinarumque regionum episcopos direxit, pluribus argumentis ostendit, Sedem Romanam in causis gravioris momenti semper ab Orientalibus consultam fuisse, et post alia apud Labbeum, tomo 44 Conciliorum, col. 1708 sic id ipsum exemplum allegat : *Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem,*
C *missis e latere suo aulicis cum episcopis, formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret.* Hic per *formatam* intelliguntur litteræ communionis indices, quibus recentis episcopi ordinatio approbatur, licet eo nomine etiam appellentur epistolæ, quæ laicis aut clericis peregre abeuntibus dabatur, ac de eorum fide vel ordinis gradu testimonium reddebant.

et tantum postea ratam habuit.

137 Haud dubie Ecclesia Romana electionem Nectarii postea facile ratam habuit, cum Nicolaus I Pontifex apud Labbeum, tomo 3 Conciliorum, col. 283 et sequente, promotionem ipsius ex laïcali statu ad ordinem sacerdotalem excuset ob ingentem necessitatem; ex qua tamen licitam consuetudinem fieri posse negat : nam Photio Constantinopolitano, qui ordinationem suam exemplo Ambrosii, Nectarii, ac Tarasii defendere nitebatur, ibidem ita respondet : *Temere atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere præsumpsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario occasionem, quem sancta secunda synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere atque ordinare ex laïcali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in sancta*
D *Constantinopolitana ecclesia nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosa caligine non fuerit impeditus ; et ob hoc ne diu jam dicta ecclesia sub destitutione pastoris quasi viduata maneret, prædictum Nectarium, expugnatorem hæreticorum, et defensorem atque gubernatorem ecclesiarum, ad ecclesiasticam curam et dignitatem sacerdotalem jam dicta secunda synodus elegit ; sed ut hoc iterum fieret, non confirmavit, neque sanxit aut instituit. Et ideo licet contra patrum atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est,* etc. Ex his colligo, tempore Nectarii coram Sede Romana talem necessitatis excusationem ab Orientalibus allatam fuisse. Ceterum dum Pontifex Nectarium hic vocat *sanctissimum virum et expugnatorem hæreticorum*, honorifico ipsum exornat elogio, propter quod sequens fabella etiam minorem fidem apud cordatos inveniet.

Fabulam de Nectario in favorem Novatianorum.

138 Cum Theodosius omnes hæreticos ad Ecclesiam Catholicam perducere cuperet, præcipuos variarum sectarum propugnatores ad synodum Constantinopolitanam invitavit, ita ut pro Arianis Demophilus, pro Eunomianis ipse Eunomius, E
pro Novatianis Agelius, ac pro Macedonianis Eleusius Cyzicenus ad synodum convenerint. *Nec multo post uniuscujusque sectæ episcopi*, inquit Socrates lib. 5, cap. 10 *undique convocati adfuerunt, iisdem consulibus* (nempe Merobaude et Saturnino, de quibus paulo superius egerat, hoc est anno CCCLXXXIII) *mense Junio. Imperator igitur, accito Nectario episcopo, solicita deliberatione cum eo tractavit, quonam modo Christiana religio dissensionibus liberari, et ecclesia ad unitatem revocari posset : aiebatque, discutiendam esse controversiam, quæ ecclesias segregaret, ut, amputatis discordiarum causis, ecclesiis concordia restitueretur. His auditis, Nectarius anxius ac solicitus hærebat, et accersito Agelio, tunc temporis Novatianorum episcopo, utpote qui cum ipso in fide consentiret, imperatoris consilium ei aperit. Ille cum vir esset alioqui pius ac religiosus, sed qui de fidei doctrina cominus disputare haudquaquam valeret, Sisinnium lectorem suum, qui hoc disserendi munus obiret, elegit.* Sozomenus Socratem secutus similia narrat, lib. 7, cap. 12 et uterque eventum istius concilii fusius describit.

narrant Socrates et Sozomenus, ambo de hæresi Novatiana suspecti,

139 Quis imprimis sibi in animum inducat, orthodoxum Theodosium ita in fide vacillasse, ut dixerit, *discutiendam esse controversiam*, quæ jam F
dudum finita fuerat? At omissis iis, quæ nulla verisimilitudinis specie narrantur ad lædendam piam Catholici principis memoriam, quis facile credat, Nectarium consilii petendi causa ad indoctum Novatianorum episcopum recurrisse eo tempore, quo inter Catholicos viri doctissimi florebant? Quis sibi persuadeat, orthodoxos ita fuisse hebetes, ut fidem suam hæretico lectori defendendam reliquerint? Itaque non immerito suspicor, multas hujus historiæ circumstantias a Socrate et Sozomeno confictas esse in gratiam Novatianorum, quibus plus æquo favere consueverunt, ut etiam eminentissimus Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis notavit his verbis : *Socrates et Sozomenus historiam ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore, in quo desinit historia Eusebii Cæsariensis usque ad tempora Theodosii Junioris. Eodem tempore ipsi vixerunt, et quod dolendum est, uterque Novatianis erroribus favisse dignoscitur.* Equidem scio, Henricum Valesium ante Græco-Latina amborum opera orthodoxam horum auctorum religionem tueri ; sed saltem fatetur, illos Novatianis favisse, quod ad

elevandam

A elevandam eorum in hac re fidem nobis observare sufficit.

quam Baronius solide refellit.

140 Hinc Baronius in Annalibus ad annum Christi CCCLXXXIII num. 19 eamdem narrationem ita explodit : *At quoniam suspecta fides est hæreticorum, de suis dogmatibus et eorum sectatoribus aliquid affirmantium, æque nobis dubium redditur, immo (ut verius dicam) mendacium esse convincitur totum hoc, quod de Nectario ait, in causa tanti momenti Novatium episcopum consuluisse, atque (ut illud usurpem) perinde acsi in Israel Deus non esset, Deum Accaron adiisse. Quis sibi persuadeat, in eam synodum, in qua fortiores hæresum propugnatores audiendi essent, non vocatos esse a Theodosio Catholicos episcopos, qui doctrina ceteris eminerent? ut inter alios Gregorium Nyssenum, quem constat non solum hoc tempore fuisse superstitem, sed et plures adhuc vixisse annos, Amphilochium Iconii episcopum æque disertum, Diodorum Tarsensem, eumdemque Nectarii studiosum, et illos ipsos, quos idem Diodorus dederat eidem Nectario in divinis Litteris consultores atque doctores, ut Evagrium relictum a Gregorio Nazianzeno prætermittamus atque* B *alios complures, quibus synodus creditur abundasse, qui omnes Agelium decrepitum senem, et juvenem Sisinnium antecellerent doctrina rerumque peritia. Quis igitur persuadere sibi poterit, his omnibus posthabitis, Nectarium convenisse Novatianos hæreticos, eorumque præscripto dumtaxat rem tantam administrasse, et in tanto negotio, tacentibus reliquis, soli Nectario cum hæreticorum antesignanis sermonem habere permissum esse?* Deinde eminentissimus scriptor ad confirmandum suum ratiocinium narrat lepidam Amphilochii inventionem, qua zelum Theodosii imperatoris contra Arianos magis accendit.

Nectarius, qui non fuit tam iners contra hæreses et vitia,

141 Etsi igitur nullo modo sit probabile, Nectarium tantam cum Novatianis familiaritatem habuisse; propterea tamen non inficior, majorem contra hæreticos vigilantiam in illo subinde desideratam fuisse : cum enim heterodoxi cujusvis generis Constantinopoli libere degerent ac conventicula haberent, Gregorius Nazianzenus oratione 46, seu in longiore ad Nectarium epistola, quæ tomo I operum a pag. 721 legitur, ipsum in hoc periculo dormitantem excitavit his verbis: *Quod autem ex omnibus ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum, Apollinaristarum licentia est, quos* C *haud scio, quonam modo pietas tua conventuum, æque ac nos habendorum auctoritatem sibi arrogasse, passa fuerit. Quamquam autem omnino Dei beneficio mysteriis divinis instructus et eruditus, non modo rectæ doctrinæ patrocinium nosti, verum etiam ea omnia, quæ adversus sanam et orthodoxam fidem ab hæreticis excogitata sunt; honorificentiam tamen tuam a tenuitate nostra certiorem fieri nequaquam intempestivum fuerit.* Tum post multa alia eum in fine ita exhortatur : *Quomodo igitur excelsus et præstans animus tuus ad tanti mali correctionem consueta libertate non uti sustinuit? Verum etiamsi nondum hoc factum est, nunc saltem inimitabilis numerisque omnibus absoluta virtus excitetur, ac pientissimum imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga ecclesias studio redditurum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem per eorum libertatem licentiamque prævaleat.* Ita Sanctus ille nimis lentum Nectarii animum ad compescendos hæreticos fortiter simul ac suaviter exstimulat.

quam a Tillemontio depingitur,

142 Patet ex hac ipsa monitione, in qua ab homine adulationibus minime assueto Nectarii *excelsus et præstans animus, numerisque omnibus absoluta virtus* commemorantur, non adeo mollem ac inertem fuisse Nectarium, quemadmodum depingitur a Tillemontio tom. 9 Monument. eccles. pag. 488, ubi etiam fratris ejus Arsacii vitium maligne in ipsum detorquet. Quod si aliquando fervor pastoralis officii intepuerit, et Nectarius *consueta libertate* usus non fuerit, an propterea dici potest, quod nullis umquam sese vitiis opposuerit, ut ibidem Tillemontius nimis audacter pronuntiat? Forte etiam hæc ipsa Gregorii Nazianzeni exhortatio effecit, ut Nectarius iterum majorem contra hæreticos zelum ostenderit, sicut ex supra allato Nicolai I Pontificis elogio, et violento Arianorum contra ipsum odio colligi videtur : cum enim Theodosius imperator adversus Maximum tyrannum in Italia bellum gereret, Ariani falsum rumorem sparserunt de clade Theodosii, quo hæretica plebs confidens domum Nectarii incendit, ut Socrates lib. 5, cap. 13 refert hoc modo : *Tunc vero Ariani, resumpta fiducia, in apertam eruperunt insaniam, domumque episcopi Nectarii conjectis facibus incenderunt. Id factum est Theodosio Augusto iterum et Cynegio consulibus,* hoc est anno Christi E CCCLXXXVIII.

pœnitentiam publicam ob justas causas abrogavit,

143 Anno CCCXC Nectarius publicam pœnitentiam abrogavit occasione mulieris, quæ se a diacono stupratam fuisse palam prodiderat, atque ita magnam clero infamiam intulerat, ut apud Socratem lib. 5, cap. 19 et Sozomenum lib. 7, cap. 16 fusius narratur, qui tamen hanc abrogationem non videntur probare. Non dubito, quin Nectarius maturo consilio id egerit et non nisi ob gravissimas rationes eam consuetudinem prudenter aboleverit : nam S. Gregorius Nyssenus in oratione funebri, quam post mortem Placillæ imperatricis Constantinopoli habuit, singularem Nectarii prudentiam laudat. Unde etiam in hac re non temere aut imprudenter processisse censendus est. Calvinus ex hoc Nectarii facto concludit, auricularem peccatorum confessionem abrogatam esse ; sed hæresiarcha iste hanc historiam Catholicis objiciens, plura coagmentavit mendacia et cæci illius sectatores dissimulant, hic de publica confessione seu pœnitentia sermonem esse, atque ipsum Sozomenum initio hujus historiæ asserere, quod *in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat.* Non est hujus loci similibus heterodoxorum cavillationibus diluendis diutius inhærere, quas eminentissimus Bellarminus tomo 3 Disputationum de Controversiis Christianæ fidei lib. 3, cap. 14 erudite refutavit. F Videri etiam potest Ludovicus Thomassinus in opere de Vetere et Nova Ecclesiæ disciplina part. I, lib. 2, cap. 7, num. 13 et sequentibus.

et anno 397 ex hac vita discessit.

144 Denique Nectarius, qui post Gregorii Nazianzeni abdicationem anno CCCLXXXI ecclesiam Constantinopolitanam regere cœperat, exactis in episcopatu sedecim annis et aliquot mensibus, anno CCCXCVII, die XXVII Septembris mortuus est, sicut Socrates lib. 6, cap. 2 tradit his verbis : *Nectarius Constantinopolitanus episcopus extremum diem obiit, Cæsario et Attico consulibus, quinto Calendas Octobris.* Græci ad diem XXVII Septembris in Synaxario Ms. Collegii Claromontiani et altero Chiffletiano annuam Nectarii memoriam recolunt. In Menæis impressis XI Octobris (nescio ob quam causam eo die positus sit) idem Nectarius cum duobus aliis ita refertur : Τῶν ἁγίων πατριαρχῶν Κωνσταντινουπόλεως Νεκταρίου, Ἀρσακίου, καὶ Σισινίου. Id est : *Sanctorum patriarcharum Constantinopoleos Nectarii, Arsacii, et Sisinii.*

Sisinii. Ex his nondum infero, Nectarium certo inter Sanctos collocandum esse, ut postea dicturus sum, ubi ad Arsacium pervenero. Non tamen ignoro, magnum esse discrimen inter Arsacium et Nectarium, qui posterior a sancto Joanne Cassiano lib. 7 de Incarnatione Domini cap. 31 *sanctimonia insignis* appellatur, et ab aliis antiquis scriptoribus titulo *beati* et *sanctissimi* decoratur. Attamen nihil ex his testimoniis hactenus definio, quia antiquitus istud epitheton etiam promiscue adscribebatur illis, maxime præsulibus, qui in communione Catholicæ Ecclesiæ vivebant, aut obierant. Quare hic semper abstinui ab appellatione *sancti* aut *beati*, quam utrum mereatur, die XXVII Septembris aut XI Octobris discutiendum relinquo.

PARERGON II.

B

De Arianis, qui titulum episcopi Constantinopolitani inter suos gesserunt, eorumque dissensione.

Post ejectum Demophilum Ariani,

Sozomenus lib. 7, cap. 14 Arianos Demophili successores ita assignat : *Constantinopoli quoque Demophilus, Arianæ sectæ episcopus, extremum diem obiit*, (videlicet anno CCCLXXXVI, ut supra dictum est) *cujus in locum Marinus quidam ex Thracia est substitutus. Sed cum Dorotheus Antiochia Syriæ advenisset, tamquam magis idoneus, Arianorum sectæ illic præfuit*. Socrates autem lib. 5, cap. 23 discordiam eorum sic commemorat : *Sed et inter Arianos dissidia exstiterunt ob hujusmodi causam. Contentiosæ quæstiones, quæ quotidie apud illos agitabantur, sermones illorum ad absurdas quasdam sententias perduxerunt: nam quoniam creditum semper fuit in Ecclesia, Deum patrem esse Filii verbi, orta et inter eos quæstio, possetne Deus etiam, antequam Filius subsisteret, vocari Pater. Cum enim Dei Verbum non ex Patre* C *genitum esse, sed ex nihilo substitisse affirmarent, in primo ac summo fidei capite prolapsi, merito in absurdam de nudo vocabulo disputationem inciderunt.*

qui inter se de hæresi sua dissidebant,

146 *Dorotheus igitur Antiochia ab illis accersitus, Patrem nec esse nec vocari posse dixit, nisi existente Filio*; *Marinus vero, quem ante Dorotheum ex Thracia evocaverant, opportuna occasione arrepta (ægre enim ferebat, quod Dorotheum sibi prætulissent) contrariæ sententiæ patrocinium suscepit. Hac de causa dissidium inter illos exstitit, et ob supradictam voculam separati seorsum singuli collectas agere cœperunt. Et ii quidem, qui sub Dorotheo erant, in suis sedibus mansere; qui vero Marinum sequebantur, structis sibi privatis oratoriis, conventus in illis celebrarunt, Patrem semper fuisse Patrem asseverantes, etiam cum Filius non existeret. Hi porro cognominati sunt Psathyriani, propterea quod Theoctistus quidam, natione Syrus, psathyropola, id est placentarum venditor istud dogma acerrime defendebat*. Theodoretus lib. 4 Hæreticarum fabularum, cap. 4 plures Arianorum sectas ac blasphemias recenset.

147 Cum tempore hujus dissensionis Dorotheus anno CDVII, die VI Novembris obiisset, D Barba, etiam Arianus, titulum ipsius assumpsit, sicut idem Socrates lib. 7, cap. 6 testatur his verbis : *Dorotheus vero Arianæ factionis episcopus, quem ex Antiochena sede Constantinopolim ab Arianis translatum fuisse supra retulimus, cum centum ac novemdecim vixisset annos, ex hac luce migravit, Honorio septimum et Theodosio Augusto iterum consulibus, die octavo Idus Novembris. Post hunc Arianæ sectæ præfuit Barba*. Quod hic de longæva Dorothei istius ætate traditur, forte ex litterarum arithmeticarum erronea mutatione aut transpositione provenit : nam oportuisset, hunc Dorotheum jam fere centenarium ad regendos Arianos Antiochia evocatum fuisse, quod parum est credibile.

singuli suos episcopos clanculum habuerunt,

inter quos fuit Deuterius, cui memorabile aliquid evenit.

148 Post multos annos tempore Anastasii imperatoris iisdem hæreticis præfuit quidam Deuterius, de quo Theodorus Lector in editione Valesiana lib. 2, pag. 562 aliquid memorabile refert his verbis : *Deuterius Arianorum apud Constantinopolim episcopus, cum quemdam Barbam* (Theophanes pag. 130 *Barbarum* nominat) *ita dictum* E *baptizaret, Domini traditionem respuens, ausus est inter baptizandum dicere : Baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in sancto Spiritu. Quibus dictis aqua, quæ in piscina erat, statim evanuit; Barba vero confestim inde aufugiens, rem cunctis declaravit*. Jam imposterum non amplius enumerabo obscuros hujusmodi antistites, qui Constantinopoli clanculum, dissimulantibus vel conniventibus imperatoribus, sectæ suæ præerant alio interim publice ecclesiam Constantinopolitanam gubernante. Quare iis deinceps omissis, de sancto Nectarii successore jam pauca dicam.

XI S. JOANNES I, cognomento Chrysostomus.

Post mortem Nectarii inter plures cathedræ CP. competitores

Constantinopoli autem, ait Theodoretus lib. 5 Histor. eccles. cap. 27 *mortuo Nectario, qui ecclesiam illam gubernarat, Arcadius, cui imperii pars illa obvenerat, cum Joannem, magnum lumen orbis terrarum, Antiochiæ inter presbyteros cooptatum cognovisset, ad se accersivit, et congregatis episcopis mandavit, ut divinam episcopatus gratiam ei* F *conferrent, maximæque urbis pastorem illum constituerent*. Sed id non factum esse sine aliqua mora et invidia multorum, qui eamdem dignitatem ambiebant, Palladius in Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi cap. 5, pag. 42 significat his verbis : *Moritur beatus Nectarius episcopus Constantinopolitanæ ecclesiæ. Tunc concurrunt quidam, qui non quærebantur, ambientes episcopatum : viri quidam, minime viri ; presbyteri quidem dignitate, sed sacerdotio indigni : alii prætorium fatigantes, alii donis corrumpentes, alii vero ad plebis etiam genua procumbentes*.

S. Joannes Chrysostomus anno 398 eligitur,

150 Imo Socrates lib. 6, cap. 2 satis innuit, deliberationem ob tot competitores ad aliquot menses protractam fuisse, ac tempus ordinationis illius sic distincte indicat : *Brevi post tempore Nectarius Constantinopolitanus episcopus extremum diem obiit, Cæsario et Attico consulibus, quinto Calendas Octobris*, id est anno CCCXCVII, dies XXVII Septembris, ut supra diximus. Tunc Socrates ibidem ita pergit : *Statim igitur de ordinando episcopo contentio exorta est, aliis alium postulantibus. Cum-*

que

A *que hac de re consilium sæpius initum fuisset, placuit tandem, ut Joannes Antiochensis ecclesiæ presbyter Antiochia accerseretur : fama enim de illo increbuerat, eum doctrina simul et eloquentia pollere. Modico igitur temporis spatio interlapso, imperator Arcadius communi omnium suffragio, cleri videlicet ac populi, eum accersit : utque ejus ordinationi plus accederet auctoritatis, ex imperatoris mandato adfuerunt cum alii complures episcopi, tum Theophilus Alexandrinus, qui quidem summo studio laborabat, ut Joannis quidem gloriam detereret Isidorum vero presbyterum suum ad episcopatum urbis regiæ promoveret... Verum qui in palatio erant, Joannem prætulerunt.... Ordinatus igitur Joannes in episcopali sede constituitur quarto Calendas Martii, consulatu proxime insequenti,* scilicet Honorio IV et Eutychiano consulibus, seu anno Christi CCCXCVIII, die XXVI Februarii. Est hic aliqua minoris momenti controversia inter Pagium et Tillemontium de die ordinationis, circa quam Tillemontius tomo XI Monument. eccles. pag. 579, consuli potest. *Sec. v.*

cujus sedem post iteratum exsilium,

151. Cum S. Joannes munere suo strenue fungeretur, et potentiorum vitia intrepide carperet, odium Eudoxiæ imperatricis et aliorum quorumdam incurrit. Hinc anno CDIII ab inimicis episcopis in conciliabulo ad Quercum exauctoratus atque in exsilium pulsus est. Sed Eudoxia ob statim exortum terræ motum magno timore affecta exsulem revocari curavit. Nihilominus post duos menses alia occasione odium recruduit, et S. Joannes iterum anno CDIV dejectus est e sede sua, quam Arsacius interim invasit, ut mox dicemus. Denique sanctus Præsul, toleratis plurimis miseriis, in exilio animam Creatori reddidit anno CDVII, die XIV Septembris, quo Acta ejus copiose illustrari poterunt. Nobis hic sufficit, initium ac finem episcopatus ejus assignasse.

SECULUM V.

XII ARSACIUS.

B

anno Christi 404 invasit Arsacius, ineptus senex,

Postquam mense Junio anni CDIV iterum in exsilium ductus fuerat Joannes Chrysostomus, cujus intrepidam eloquentiam Eudoxia ferre non potuerat, post paucos dies eodem mense locum fortissimi præsulis occupavit ignavus senex, ob cujus inertiam imperatrix nihil sibi timendum noverat: nam supra laudatus Palladius in Græco-Latina Bigotii editione pag. 94 segnem ejus indolem ita describit: *Arsacius autem, frater beati Nectarii, substitutus est in locum Johannis, magni sacrorum interpretis ; homo pisce magis mutus, et rana rebus agendis minus idoneus.* Nicephorus Callisius lib. 13 Hist. eccles. cap. 28 citans quemdam Symeonem, hanc inertis hominis descriptionem sic amplificavit: *Arsacius porro, ubi non longius quam decem et quatuor menses in sede episcopali vixisset, diem suum obiit ; cum quidem, ut aliquis dicat, nullum viventis hominis opus peregisset, longo tempore per frigidiorem naturæ ignaviam et stuporem quasi confectus, nec minus ante naturalem finem præmortuus. Proh pudor! Quis cui, inquit* C *Symeon, quasi quidam, ut ita dicam, vetus truncus, multa principum facilitate substitutus est? Vir octogesimum supergressus annum, tumulto magis quam throno appositus, delirus quidam et desipiens, ad dicendum quidem ineptissimus, ad cogitandum autem de rebus decentibus stupidissimus, ad faciendum vero ignavissimus, parum admodum ab inanimatis dissidens, lecto et angulo dignus : qui cum per se ipsum esset inutilis, et populus Joannis amore teneretur, quod is ei ex parte altera obstaret, ingratus prorsus omnibus et illaudatus fuit.*

qui fautores S. Joannis Chrysostomi crudeliter afflixit,

153 Etsi Arsacius a Sozomeno lib. 9, cap. 23 *vir mansuetus et erga Deum religiosus* appelletur, et crudelitas adversus amicos S. Joannis Chrysostomi maxime clericis ipsius imputetur, tamen Sozomenus ibidem paulo post fateri cogitur sequentia : *Sed præcipue infamarunt illum ea, quæ Joannis fautoribus postmodum acciderunt. Nam cum illi haudquaquam sustinerent, nec cum ipso nec cum consortibus ipsius communicare aut precationem facere, eo quod permixtos illis videbant Joannis inimicos ; atque idcirco seorsum, uti diximus, congregati in extremis civitatis partibus collectas celebrarent, ipse de ea re ad imperatorem retulit.* E *Tribunus itaque cum militibus in congregatos impetum facere jussus, plebem quidem fustibus et saxis cædens fugere compulit; nobiliores vero eos, qui Joannis partes ardentius tuebantur, custodiæ tradidit. Tum vero, sicut fieri solet, cum militibus licentia conceditur, mulieres ornatu suo per vim spoliatæ sunt, dum alii monilia, zonas aureas et torques diripiunt ; alii inaures simul cum auriculis ipsis detrahunt.* Tum eodem capite et sequentibus narrat alias injurias, defensoribus Chrysostomi violenter illatas, quibus omnibus Arsacius injusta sua invasione saltem ansam præbuit, quasque etiam fovisse aut excitasse videtur. Hinc forte Socrates, qui in S. Joannem Chrysostomum iniquus judex esse consuevit, has persecutiones omittendas esse existimavit.

ut ipsemet S. Chrysostomus testatur,

154 Nos fidem adhibere malumus ipsi sancto Chrysostomo, qui epistola 125 in Montfauconiana operum editione tomo 3, pag. 670 ad Cyriacum episcopum exsulantem ita scribit: *Allatum autem ad me est de deliro illo Arsacio, quem imperatrix in throno collocavit, eum fratres eos omnes, qui cum ipso communicare recusabant, afflixisse ;* F *et multos ex ipsis mei causa in vinculis diem vitæ extremum clausisse. Siquidem lupus ille, ovis speciem pro se ferens, etsi episcopi larvam gerat, adulter tamen est : ut enim mulier adultera vocatur, quæ vivente viro alteri nubit ; eodem modo hic quoque adulter est, non carnis, sed spiritus : me enim vivente, ecclesiæ thronum invasit.* Hæc certe non redolent magnam Arsacii mansuetudinem, quam tamen virtutem Sozomenus in eo laudavit.

et quem Palladius de perjurio accusat.

155 Neque sincerior fuit ipsius religio erga Deum, ab eodem Sozomeno laudata, cum Palladius synchronus in proxime citata editione Bigotii pag. 94 et sequente Arsacium etiam de perjurio ita accuset: *Ille cum ad quatuordecim menses vitam suam protendisset, mortuus est, violato suo in Evangelia juramento : quippe fratri suo Nectario juraverat, nullius umquam episcopatus ordinationem admissurum se, quando Nectarius exprobravit ipsi, quod noluisset Tarsensi ecclesiæ præfici, quasi mortem ipsius specularetur. Fuit causa perjurii pri-*

mum

SEC. V.

mum quidem vana gloria, propter quam ambiebat, ut ita dicam, nuptias uxoris fratris sui; deinde pudor increpationum ipsi a fratre prophetice factarum. Cum igitur crudelitas mansuetudini et perjurium religioni opponantur, ex his duobus auctorum synchronorum testimoniis apparet, quam imperitus virtutum æstimator fuerit Sozomenus, a quo Arsacius *vir mansuetus et erga Deum religiosus* vocatur. Nunc de illegitimo Arsacii episcopatu paucis disserendum est.

Arsacius, cujus iniqua sedis possessio ab Innocentio I Papa

156 Sanctus Innocentius I, Pontifex Romanus, in epistola ad clerum et populum Constantinopolitanam, quam Petrus Coustant tomo 1 Epist. Pontif. Rom. a col. 795 post alios Græco-Latine nuper edidit, de hac Arsacii ordinatione ibidem col. 798 tale fert judicium : *Nunc autem præpostero more sacerdotes innoxii e sedibus ecclesiarum suarum exturbantur : quod quidem primus injuste perpessus est frater et consacerdos noster Johannes, episcopus vester, cum nulla ratione fuisset auditus. Nullum crimen offertur, nec auditur. Et quodnam est hoc perditum consilium, ut non sit aut quæratur ulla species judicii? In locum viventium sacerdotum alii substituuntur : quasi qui ab hujusmodi facinore auspicati sunt, aliquid recti aut habere, ant egisse, judicari possint. Neque enim* B *talia umquam a patribus nostris gesta esse comperimus, sed potius prohibita, cum nemini licentia data sit locum viventis alium ordinandi. Nam reproba ordinatio honorem sacerdotis auferre non potest : siquidem is episcopus omnino esse nequit, qui injuste substituitur.*

ob violatos canones reprehensa, ac reprobata est,

127 Dum Innocentius hic asserit, talia a patribus prohibita fuisse, haud dubie indicare voluit canonem quartum concilii Sardicensis, (de hac ipsa synodo paulo post in eadem epistola meminit) qui apud Labbeum tomo 2 Conciliorum col. 630 sic sonat : *Si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum, qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere; non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus episcopus, causa cognita, sententiam tulerit.* Manifeste igitur adversarii S. Joannis Chrysostomi contra hunc canonem peccarunt, quando Arsacium in ipsius locum intruserunt, etiamsi Chrysostomus ad sedem Romanam appellasset. Hinc Theodoretus lib. 5, cap. 34 ita scribit : *Iniquum porro facinus supra ceteros detestati sunt episcopi Europæ, et se ab auctorum communione* C *sejunxerunt... et Arsacium quidem, qui ei suffectus fuerat, nec salutatione dignati sunt.*

mense Novembri anni 405 obiit,

158 Arsacius non diu iniqua sua possessione gavisus est, sicuti Socrates lib. 6, cap. 20 testatur his verbis : *Ceterum Arsacius post susceptum episcopatum non diu supervixit : sequente enim anno, id est Stilichone iterum et Anthemio consulibus, die tertio Idus Novembris mortem obiit,* scilicet anno CDV, die XI Novembris. Cum vero juxta Chronicon Paschale Cangianæ editionis pag. 307 Arsacius Constantinopolitanam Chrysostomi sedem invaserit *Honorio Augusto* VI *et Aristæneto consulibus... VI Kalendas Julias* id est anno CDIV, die XXVI Junii, sequitur, eum sedisse anno uno, mensibus quatuor, et diebus septemdecim, si Socrates in assignando Arsacianæ mortis tempore non fallatur : etenim in figendo episcopatus illius initio non videtur dissentire ab auctore Chronici Paschalis, dum lib. 6, cap. 19 refert, ecclesiam Constantinopolitanam conflagrasse *eo ipso die*, quo Chrysostomus denuo in exsilium abduci jussus est. *Id accidit* XII *Calendas Julii*, inquit ibidem, *Honorio sextum et Aristæneto consulibus*, seu anno CDIV, die XX Junii. Tum capite D sequente historiam suam ita prosequitur : *Paucis post diebus Arsacius Constantinopoleos episcopus constituitur.* Arsacio itaque sedecim gubernationis menses tribuit Socrates, quem in illo computu errasse putamus, quia Palladius synchronus, et de rebus Chrysostomi optime edoctus, *quatuordecim menses* dumtaxat ei adscribit, ut supra vidimus.

et perperam in Menæis Græcis pro Sancto colitur.

159 At quocumque die aut mense Arsacius obierit, satis mirari nequeo, illum Græcis XI Octobris in Menæa impressa referri, atque ibidem tamquam Sanctum his versiculis ornari :

Τὸν Χριστὸν ἐν γῇ Ἀρσάκιος δοξάσας,
Πρὸς αὐτὸν ἐλθὼν ἀντεδοξάσθη πλέον.
Arsacius hic dum gloria Christum afficit,
Ad eum profectus gloriam accepit magis.

Satis, inquam, mirari non possum, in ecclesiasticis Græcorum fastis inter Sanctos numerari virum illum, cujus scelera ex Chrysostomo et Palladio supra retulimus, et quem Romanus Pontifex aliique Occidentis præsules iniquum sedis Constantinopolitanæ possessorem fuisse judicaverunt. Hinc patet, quam caute fidendum sit Menæis aliisque Græcorum synaxariis, dum quosdam numero Sanctorum adscribunt. Nos E itaque Arsacium titulo *sancti* indignum censebimus, donec quispiam solidis argumentis ostenderit, illum aliqua sinceræ pœnitentiæ indicia dedisse, atque in communione Ecclesiæ Romanæ mortuum esse, uti non temere affirmari potest de ipsius successore, qui fuit

XIII S. ATTICUS.

Atticus anno 406 illegitime sedem CP. occupavit,

Sozomenus lib. 8, cap. 27 tempus hujus successionis ita definit : *Sed et Arsacius cum ecclesiam Constantinopolitanam brevi temporis spatio administrasset, ex hac luce migravit : cujus successionem cum multi essent qui ambirent, quarto post obitum illius mense ordinatus est Atticus, presbyter cleri Constantinopolitani, qui unus fuerat ex Joannis insidiatoribus.* Si Arsacius anno CDV, die XI Novembris obiit, ut superius ex Socrate retulimus, et juxta Sozomenum *quarto post obitum illius mense ordinatus est Atticus*, debuit circa F mensem Martium anni sequentis Arsacio Atticus successisse. Verum cum Socrates sedecim, et Palladius tantummodo quatuordecim gubernationis menses Arsacio tribuant, de determinato electionis illius mense aut die nihil certi statui potest; sed solum sequitur, Atticum ineunte anno CDVI cathedram Constantinopolitanam occupasse, ut ex supra dictis eruitur, et testimonio Socratis confirmatur, qui lib. 6, cap. 20 annum ordinationis istius ita diserte exprimit : *Cum autem multi episcopatum illum ambirent, eamque ob causam multum jam temporis elapsum esset, altero post anno, Arcadio sextum et Probo consulibus.* (horum consulatus in annum CDVI incidit) *ad episcopatum promotus est Atticus vir religiosus.*

quam culpam pœnitentia eluit,

161 Etsi Atticus a Socrate *vir religiosus* appelletur, non ideo inficiamur, religionem aliasque ipsius virtutes nævis quibusdam contaminatas fuisse : nam non modo Joannem Chrysostomum in conciliabulo ad Quercum accusavit, verum etiam sedem Constantinopolitanam illegitime invasit, sancto Præsule adhuc vivente, et ipsius

fautores

A fautores indiscreto zelo persecutus est, ita ut a Palladio pag. 95 *omnium adversus Johannem molitionum artifex* vocetur. Sed videtur hanc culpam pœnitentia et revocatione eluisse, ut paulo post contra Tillemontium ostendere conabimur. Certe Atticus postea nomen S. Joannis Chrysostomi sacris tabulis inseruit, ut in Historia Tripartita lib. 12 cap. 2 traditur his verbis : *Atticus porro episcopus causas ecclesiæ sapientia mirabiliter disponebat, doctrinisque populum ad virtutis studium provocabat: cumque videret divisam eclesiam, cum Joannitæ seorsum apud se ipsos sacra solennia celebrarent, jussit, ut in orationibus memoria Joannis haberetur, sicut aliorum dormientium episcoporum fieri consuevit, per hoc sperans plurimos ad ecclesiam revocari.* Ceterum auctor Historiæ Tripartitæ et alii antiqui scriptores pastoralem Attici vigilantiam, ferventem Catholicæ fidei zelum, munificam erga pauperes misericordiam, aliasque illius virtutes magnis laudibus extollunt, ut videri potest in Opere nostro ad diem VIII Januarii, ubi Bollandus Acta ipsius illustravit.

antequam mense Octobri anni 425 moreretur.

B 162 Nos memores propositi nostri, quo chronologicam episcoporum Constantinopolitanorum seriem præcipue texendam suscepimus, omissis aliis Attici gestis, pergimus ad ejus mortem, quam Socrates, lib. 7, cap. 25 ita refert : *Ceterum Atticus etiam tempus obitus sui præscivit : nam cum Nicæa discessurus esset, Calliopio illius loci presbytero ita dixit: Cura, ut ante autumnum Constantinopolim venias, si me adhuc vivum videre cupis. Quod cum dixisset, a veritate non aberravit : anno quippe episcopatus sui primo et vicesimo, die sexto Idus Octobris abiit e vita, consulatu Theodosii undecimo, et Valentiniani Cæsaris primo.* Hæc denotant annum Christi CDXXV, et diem x Octobris. Ex his corrige errorem chronologicum Papebrochii nostri, qui tomo 3 Junii, pag. 307 mortem S. Attici obiter anno CDXXVIII consignavit. Haud dubie Socrates computando vigesimum primum episcopatus annum, hallucinatus est, aut error in ejus numerum irrepsit : cum enim Atticus primis mensibus anni CDVI cathedram Constantinopolitanam ascenderit, ut supra dictum est, ab ineunte anno CDVI usque ad mensem Octobrem anni CDXXV non nisi novemdecim anni effluxerant, et Atticus ante mortem nondum C vigesimum episcopatus annum obsolverat, ut Baronius, Pagius, aliique viri eruditi ante me observarunt. Quare in variis præsulum Constantinopolitanorum catalogis apud Bandurum, tomo 1 Imperii Orientalis, a pag. 188 melius viginti anni Attico rotunde tribuuntur.

PARERGON III.

Sanctitas Attici, episcopi Constantinopolitani, vindicatur contra Tillemontium.

Bollandus in Opere nostro Atticum CP. inter Sanctos retulit.

Bollandus noster religioni sibi duxit, Atticum Constantinopolitanum episcopum, cujus nomen quibusdam Græcorum Latinorumque Menologiis inscriptum legerat, ex immemorabili cultus sui possesione deturbare. Hinc ad diem VIII Januarii Acta illius ex variis antiquis Scriptoribus operose collegit, et Commentarium suum ita inchoavit : *Multi sanctum Chrysostomum acri studio impugnarunt, qui tamen errorem deinde suum agnoverunt, atque omni sanctitatis laude floruerunt. In his S. Atticus episcopus Constantinopolitanus fuit, qui zelo immoderato et nequaquam secundum scientiam abreptus, non adversatus tantum est sancto Chrysostomo, sed post Arsacium in ejus, etiamnum superstitis, cathedram successit : quod crimen pœnitentia deinde et recte factis egregie expiavit, et scriptis litteris auctor sancto Cyrillo Alexandrino fuit, ut Chrysostomi nomen in diptychis inscriberet.*

SEC. V.

ex Menologiis aliisque monumentis;

164 Deinde Bollandus numero sequente exhibet honorifica quædam veterum scriptorum de S. Attico testimonia, quæ Actis ejus præmittenda censuit, *ne asperiore aliquorum in sanctum Atticum stylo*, inquit, *ejus fortassis in dubium sanctitas revocetur.* Præter alia, quæ Bollandus non vidit, aut videre non potuit, ad comprobandam hujus Attici sanctitatem, allegari potest fragmentum epistolæ *beati Attici Constantinopolitani episcopi*, quod in concilio Chalcedonensi apud Harduinum nostrum, tomo 2 Conciliorum, col. 654 citatur E inter varia *testimonia sanctorum patrum, qui et duas naturas in Christo confessi sunt, et consubstantialem Patri Deum Verbum, etiam nobis secundum carnem ex Maria consubstantialem factum, veraciter asseruerunt*, ut ibidem, col. 651 legitur. His adde antiqua S. Dalmati Acta, quæ ad diem III Augusti illustranda sunt, et in quibus apud Anselmum Bandurum, tomo 2 Imperii Orientalis, pag. 699 præsul ille Constantinopolitanus merito Sancti titulo ita decoratur : *Nec diu postea obiit* SANCTUS *episcopus Atticus, in cujus locum Sisinnius suffectus est, vir pius ac religiosus.*

quæ omnia sanctitatis testimonia contemnit Tillemontius,

165 Tillemonius, tomo 12 Monument. eccles. a pag. 416 hisce omnibus non acquiescit; sed contra, citato ad marginem Bollando, famam Attici libere proscindit, et audacter pronuntiat, nulla ipsum pœnitentiæ signa umquam dedisse, et nihil fecisse, ut illegitimam suam ordinationem repararet. Imo plane laudabiles S. Attici actiones, puta misericordiam erga pauperes, in deteriorem partem interpretatur, et post explosa aut maligne explicata illius elogia, tandem pag. 419 concludit, haud immerito timendum esse, ne desiderium sese extollendi ac in alios dominandi F (sive per auctoritatem benevolentiamque, sive saltem per terrorem id posset assequi) in Attico fuerit præcipua animi propensio, aut *cupiditas cordis ejus dominatrix*, ut Gallicam Tillemontii phrasim fidelius Latine exprimam.

dum postea famam Attici audacter proscindit.

166 Non video, quo jure Tillemontius de internis S. Attici affectionibus tale tulerit judicium, quod soli Deo convenit, quodque supremo cordium Scrutatori prudentius reliquisset. Nolo hic Tillemontio objicere vulgarem juris regulam, qua tamdiu quispiam præsumitur bonus, donec probetur malus. Nolo ipsi opponere notissimam Christianæ charitatis legem, qua jubemur actiones proximi benigne explicare, quamdiu manifestæ malitiæ non convincuntur. Nolo denique hic proferre varias S. Attici virtutes, quæ in Actis ejus ad diem VIII Januarii inveniri possunt. Hoc unice contendo, Atticum in immoderato suo contra S. Chrysostomum zelo atque in illegitima episcopatus possessione usque ad mortem non perseverasse. Id autem ostendere conabor duplici argumento, quorum unum erit a posteriori, et aliud ad hominem, ut in scholis vulgo loquuntur. Nunc rem ipsam aggrediar.

167 Theo-

SEC. V.

Ex narratione Theodoreti,

167 Theodoretus, lib. 5 Hist. eccles., cap. 35 primum opinionis nostræ fundamentum ita ponit : *Sed et defuncto orbis terrarum magistro, episcopi Occidentales non prius episcoporum Ægypti, Orientisque, et Bosphori ac Thraciæ communionem admisere quam divini viri* (nempe sancti Joannis Chrysostomi) *nomen inter defunctos episcopos retulissent. Et Arsacium quidem, qui ei suffectus fuerat, nec salutatione dignati sunt; Atticum vero Arsacii successorem post multas legationes et pacis petitiones, tandem receperunt, cum tabulis nomen inscripsisset.* Audisne, hic *multas legationes et pacis petitiones* commemorari? Qua igitur fronte Tillemontius assere potuit, Atticum nihil umquam fecisse, ut illegitimam suam ordinationem repararet? An nihil fecisse dicendus est, qui sæpe pacem petit ab illis, quos iniqua episcopatus Constantinopolitani occupatione offenderat, et multas mittit legationes, ut ecclesiæ Romanæ reconcilietur? Equidem fatebor, tempore Innocentii I Pontificis inutilem fuisse Maximiani episcopi intercessionem pro Attico, quia propositas ab Innocentio conditiones nondum impleverat. At ex hoc ipso colligo, postmodum omnia illa, quæ Innocentius exegerat,
B ab Attico fuisse facta, antequam in communionem Romanæ Ecclesiæ sit receptus.

et litteris S. Innocentii I Papæ colligimus,

168 Juverit de hac re audire epistolam ipsius Innocentii ad Maximianum, quæ apud Labbeum, tomo 2 Conciliorum, col. 1266 et sequente, sic sonat : *Miramur, prudentiam tuam scripta ad Atticum, episcopum Constantinopolitanæ urbis, a nobis et prosecutione propria et dato libello, qui subter annexus est, postulare, a quo nec missas ullas saltem epistolas ad nos vel ad vestram synodum utique pertulisti; idque non petenti tribuendum existimes, quod vides deprecantibus, discussa ratione, concessum : communio enim suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, et profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos (ut prædixi) Atticus, missis aliquibus suorum, vel dicere voluit vel demonstrare completum, quemadmodum Antiochenæ ecclesiæ frater et coepiscopus noster Alexander digna legatione et prosecutus est et probavit. Quibus omnibus utique interesse dignatus cognovisti, quemadmodum singulatim omnia scriptorum nostrorum antehac** (* *al.* anteriorum) *de causa beatissimi Joannis quondam episcopi*
C *nostri discusserim, ut quæ illi in omnibus satis evidenter ostenderint, universa, quæ apud Antiochiam fieri debuerint, fuisse completa. Quorum amplexati pacem, utique fidem fecimus, et magno tramite omnibus eamdem postulaturis** (* *al.* quæ præstolaris) *ostendimus; si modo, quæ discussa sunt atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse vel complesse, aliquando monstraverint, communionemque, ut isti, legatione solenniter destinata, sibi rogaverint redhiberi.*

ab Attico impletas fuisse conditiones,

169 *Exspectamus ergo et professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diversis temporibus prædiximus, et petitionem communionis, ut recte et petenti, et probanti se eamdem mereri, reddamus.* Quas vero conditiones Innocentius requisiverit, et quomodo eas exsecutioni mandari voluerit, ipse satis declarat in epistola, quam in eadem causa dedit ad Acacium Berœæ episcopum, ubi apud Labbeum, tomo proxime citato, col. 1270 post alia sic scribit : *Unde has ad præstantissimum fratrem et coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus unanimitati: videlicet ut, si omnes inimicitiæ, omnis æmulatio, tam de nomine sancti Joannis mirandi episcopi, quam de omnibus ejusdem communionis participibus, a tua animositate discessit, has nostræ*
D *societatis recipias litteras, frater carissime; modo, ut omnia quæ his** (* *al.* hic *vel* de his) *actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum ore proprio, ut communicantem convenit, fatearis.* Ex his Innocentii litteris infero sequentia : primo, Atticum, necdum quidquam fecisse anno CDXV, quo videtur fuisse scripta prior epistola, ut communionem Ecclesiæ Romanæ obtineret; secundo, nullam hujus communionis spem Attico relictam fuisse, nisi propositas ab Innocentio conditiones impleret; tertio, Innocentium ab adversariis Chrysostomi non postulasse dumtaxat, ut nomen sancti istius Præsulis sacris tabulis inscriberent, sed etiam contra ejus fautores omnem inimicitiam ac æmulationem deponerent, atque hæc apud Alexandrum, aut alium a Pontifice Romano designandum, ore proprio faterentur, ut communionis cupidos et errori suo renuntiantes decebat.

quas Pontifices Romani requirebant,

170 Cum igitur Atticus, teste Theodoreto, *post multas legationes et pacis petitiones*, tandem in communionem Romanæ Ecclesiæ receptus fuerit, probabilissime concludo, ipsum antea oblatas ab Innocentio conditiones omnino implevisse, adeoque sufficientia pœnitentiæ indicia dedisse : nam E
eminentissimus Baronius, in Annalibus, anno Christi CDVIII, num. 41 ad priorem Innocentii epistolam recte observat, *non solere Romanum Pontificem reddere communicationem, nisi propositis ante impletis conditionibus, et emendatis erroribus illis, quorum causa communicatione interdici meruerant.* Si itaque Atticus ob injustam S. Chrysostomi persecutionem et illegitimam cathedræ Constantinopolitanæ occupationem communione Ecclesiæ privatus fuerit, debuit prius exsequi omnia illa, quæ ad hos errores emendandos a Romanis Pontificibus præscribebantur.

ad communionem Sedis Apostolicæ obtinendam.

171 Neque multum refert, utrum Atticus sub ipso Innocentio, ut aliqui volunt, an sub egregiis illius successoribus Zosimo vel Bonifacio, nomen S. Chrysostomi diptychis inseruerit : non enim mihi facile persuaderi patiar, strenuos hosce auctoritatis Apostolicæ defensores in ea re molliores fuisse, præsertim cum Bonifacius in epistola ad quosdam Macedoniæ episcopos apud Labbeum, tomo 4 Conciliorum, col. 1708 innuat, Innocentium in admittendis ad communionem adversariis S. Chrysostomi non difficilem fuisse, atque ad propositum nostrum post alia sic F
loquatur : *Ante breve tempus, id est, sub prædecessore meo beatæ recordationis Innocentio, Orientalium ecclesiarum pontifices dolentes, se a beati Petri communione sejunctos, per legatos pacem, sicut caritas vestra retinet, poposcerunt : quo tempore Apostolica Sedes omnia non difficulter indulsit.* Nunc adversarium propriis suis armis aggrediamur, et, ut vulgo dici solet, ad hominem argumentemur.

Cum Tillemontius citet Nicephorum Callistum,

172 Tillemontius, tomo 14 Monument. eccles., pag. 280 fatetur, S. Cyrillum Alexandrinum in suo immoderato contra S. Joannem Chrysostomum zelo diutius quam alios omnes perseverasse, ipsumque maluisse ab Ecclesia Romana et forte pluribus aliis separatum manere, quam nomen ejus diptychis inscribere. Sed deinde citans in margine Nicephorum Callistum, lib. 14 Hist. eccles., cap. 28 erroneam S. Cyrilli persuasionum his Nicephori verbis excusat : *Quoniam vero dissidium hoc quidem ex æmulatione, quamvis non secundum scientiam, non autem ex invidia, neque diabolica contentione manavit, non oportere virum et doctrina et virtute præstantem, hac una in re claudicare, quo minus ad summam perfectionem perveniret,*

A ret, *Deo visum est. Homines enim illi erant, et humanis affectionibus obnoxii.* Hæc excusatio etiam pro Attico adferri potest.

ut S. Cyrillum in eadem causa excuset,

173 Denique Tillemontius ibidem, pag. 281 ex eodem Nicephoro Callisto narrat, quomodo tandem S. Cyrillus nomen S. Chrysostomi sacris tabulis inseruerit, ut nos ad diem XXVIII Januarii in Actis S. Cyrilli § VI retulimus. Sed Tillemontius ibidem de suo addit, Cyrillum haud difficulter obtinuisse communionem Ecclesiæ Romanæ, cui tunc præerat Zosimus, missa haud dubie Romam legatione. Sed nullos hujus legationis testes aut tabulas allegat, sicut tamen in aliis historiæ suæ ecclesiasticæ monumentis ubique sedulo facere consuevit. Hoc silentio indicavit, sese Romanam Cyrilli legationem nusquam apud veteres scriptores invenisse, eamque dumtaxat intulisse a posteriori; quia videlicet inter communionis et pacis conditiones a Romanis Pontificibus requirebatur. Adversarius igitur non ægre ferat, nos superius eodem argumenti genere usos esse, atque a posteriori collegisse, quod S. Atticus (cujus saltem Romanas legationes te- B statur Theodoretus) satisfecerit omnibus conditionibus, quæ ab Innocentio I Pontifice exigebantur.

nos verba ejusdem Nicephori allegamus

174 Si Tillemontius in Causa S. Cyrilli tantam auctoritatem tribuat Nicephoro Callisto, nobis etiam licet eumdem auctorem allegare, qui lib. 14 cap. 24 Atticum ita laudat : *Atticus autem episcopus Constantinopolitanus, ut ecclesia incrementa sua caperet, mirifice operam dedit : summa enim prudentia eam administrans, continua doctrina populum ad studium virtutis excitavit; et ad misericordiam atque largitionem tam proclivis fuit, ut non modo eis, qui in parœciis ejus erant, egenis providendum duceret, sed etiam vicinis Constantinopoli ecclesiis pecuniam multam ad pauperum consolationem mitteret.* Easdem S. Attici virtutes lib. 7 cap. 25 memorat Socrates, quem tamen Tillemontius explodit. Porro idem Nicephorus lib. 14 cap. 25 innuit, Atticum vere cum S. Chrysostomo mortuo in gratiam rediisse, talemque fuisse illius emendationem ac pœnitentiam, *ut reprehensionem eam, qua expetitus est, quod Joannis sectatores male acceperit, a se amolitus, aliis obvelaverit bonis.* Quid ergo peccavit Bollandus, dum C initio Commentarii sui dixit, S. Atticum crimina injustæ suæ persecutionis ac illegitimæ invasionis pœnitentia et recte factis expiasse?

ad similem S. Attici causam defendendam.

165 Nicephorus denique citatum caput 25 ita concludit : *Ceterum cum Atticus quoque episcopus propter Joannitas ecclesiam esse scissam videret, de principum sententia ipse quoque mentionem illius fieri in precationibus jussit, quemadmodum id et in aliis episcopis, qui vita excessissent, fieri solitum erat. Atque ex eo tempore pax exstitit, donec postea quoque reliquiæ ejus urbi imperanti illatæ sunt. Atticus invidiam, in quam propter divinum Joannem deciderat, hoc modo magnifice abolevit. Nec ille modo id fecit; sed aliis quoque Joannis memoriam precibus inserere recusantibus, et Cyrillo maximæ Alexandriæ præsuli, qui hostiliter Joannem oderat, quod ille a Theophilo patruo suo dissensisset, persuasit.* Tum Nicephorus sequentibus capitibus recitat litteras Attici et Cyrilli, ultro citroque in hac causa scriptas, ex quibus Tillemontius tomo 12 Monument. eccles. pag. 416 infert, Atticum reliquis suis peccatis addidisse hypocrisim, si in animo habuerit sensa, quæ in istis litteris expressit. Durum enimvero judicium!

Quod si Atticus externe dumtaxat nomen S. Chrysostomi diptychis inscripserit,

SEC. V.

176 Ingenue fateor, ex duabus S. Attici epistolis nonnullam difficultatem moveri posse cum in iis significet, se timore et necessitate potius quam amore aut pœnitentia inductum fuisse ut memoriam S. Joannis Chrysostomi in diptychis celebraret. Præterea Atticus in epistola, ad Petrum et Ædesium diaconos scripta, innuere videtur, depositionem Chrysostomi in pseudo-synodo Quercetana legitimam fuisse. Sed cum scripta et gesta illustrium aut sanctorum virorum semper in meliorem partem explicanda sint, imprimis suspicari possemus, Atticum initio existimasse, quod ad suam reconciliationem et ecclesiarum pacem sufficeret, si nomen Chrysostomi quomodocumque sacris tabulis insereret. Sic potuit S. Cyrillo, quem Joanni Chrysostomo maxime adversari noverat, hanc molliorem pacis conditionem proponere, ut eam facilius amplecteretur. At quis asseret, illam Attici hypothesin ab Ecclesia Romana probatam fuisse? Forte hæc fuit prima pacis conditio, quam Atticus Sedi Romanæ obtulit, et præter quam Ecclesia Romana ab ipso alias exegit, quæ implendæ erant antequam suæ communioni restitueretur : dum enim Theodoretus scribit, Atticum *post multas* E *legationes et pacis petitiones, tandem* ab Occidentalibus ad communionem admissum fuisse, satis indicat, plures utrimque propositas fuisse conditiones, antequam inter Atticum et Romanam Ecclesiam conveniret.

et cum fautoribus ejus communicaverit,

177 Adde, quod ipsi Orientales Atticum exhortati fuerint, ut defensoribus Joannis Chrysostomi sese conciliaret. Id manifeste colligimus ex Synesio, episcopo Cyrenæo et auctore synchrono, qui occasione cujusdam Alexandri, quem S. Joannes Chrysostomus Basinopolitanum episcopum consecraverat, epist. 66 ad Theotimum post alia sic scribit : *Cum Joanne defuncto familiaritate conjunctus est : honoretur enim a nobis memoria mortui, quia omnis malevolentia cum hac vita una deponitur. Cum eo familiaritate conjunctus, antequam ecclesiæ seditione conflictarentur, ab illius manibus episcopus declaratus est Bithynorum Basinopolis. Posteaquam autem orta est dissensio, permansit ei, a quo designatus fuerat, amicus, et fuit ex illis, qui in seditione ejus partes secuti sunt. Posteaquam autem concilii sententia vicit, aliquamdiu quidem permansit seditio. Quid vero narrem* F *scienti, imo ipsi, qui administravit conciliationem factam? Præsertim cum quemdam libellum legerim doctum, quem ad beatum, ni fallor, Atticum scribebas, hortans illum ad receptionem illorum virorum,* qui videlicet partes Chrysostomi sequebantur. Forte Atticus, his aliisque Orientalium amicorum exhortationibus motus, postea sinceram cum fautoribus Chrysostomi amicitiam iniit, et plene satisfecit conditionibus, quas Romana Ecclesia ab ipso exigebat. Si hæc conjectura nostra non placet, alteram responsionem offero.

ut externam Ecclesiæ pacem servaret,

178 Atticus ex una parte per erroneam opinionem verebatur, ne colendo memoriam Joannis Chrisostomi ecclesiasticos canones satis exacte observaret; ex altera vero videbat se a Sede Romana separatum, et Ecclesiam magnis perturbationibus agitatam, eo quod memoriam Chrysostomi celebrare recusaret. Cum in hoc perplexo rerum statu diu dubitasset, quid sibi potius faciendum esset, tandem scrupulosæ canonum observationi obedientiam et communem Ecclesiæ pacem prætulit, ut ipsemet in epistola ad Cyrillum his verbis declarat : *Cogitationibus nostris ad populi concordiam inclinati, canonibus quidem Patrum detrimentum nullum afferimus;*

exactæ

SEC. V.

exactæ autem verborum observationi universi orbis pacem præferimus. Deinde quibusdam exemplis probat, aliquando ob caritatem aut publicam utilitatem, de severitate ecclesiasticarum constitutionum aliquid remittendum esse.

etsi tunc nondum convictus esset de injustitia suæ causæ,

179 Tota igitur S. Attici culpa in eo consistit, quod post restitutam S. Chrysostomi memoriam (si tamen hæc fuerit perfecta et ultima memoriæ Chrysostomianæ restitutio, de qua re paulo superius num. 176 disputavimus) nondum omnino convictus fuerit de injusta S. Chrysostomi depositione, et adhuc erronee putaverit, canones ecclesiasticos possessioni suæ favere. At eo tempore S. Cyrillus in eodem errore versabatur, ut patet ex responsoria illius ad Atticum epistola, quæ apud Nicephorum Callistum lib. 14 cap. 27 sic incipit: *Lectis quæ a pietate tua ad me missæ sunt, litteris, Joannis nomen sacris inscriptum esse tabulis intellexi. Ubi vero eos, qui inde ad nos venere, interrogavi, non in laicorum sed episcoporum catalogo adscriptum esse audivi. Porro despicienti mihi, atque in animo reputanti, an qui hoc fecere, Nicænorum Patrum decreta sequantur, et aliquantulum* B *mentis luminibus in magnam illam synodum intendenti, universum sanctorum illorum Patrum collegium quibusdam veluti oculis renuere, et viribus omnibus, quo minus ad rem eam comprobandam accurram, obsistere videntur. Quomodo namque inter sacerdotes Dei censebitur, illorumve feret sortem, cui sacerdotalis dignitas abrogata est? Quomodo vero in catalogo sacrorum ministrorum erit, qui ecclesiasticis mœnibus ejectus est?* Omitto reliquam S. Cyrilli epistolam, quæ durissimis contra S. Chrysostomum expressionibus ac odiosis comparationibus plena est, ut etiam Facundus Hermianensis pro Defensione trium capitulorum concilii Chalcedonensis lib. 4 cap. I post allatum ejusdem epistolæ fragmentum conqueritur.

postea verosimiliter eam agnovit, aut innoxie erravit cum S. Cyrillo,

180 Non est ullo modo verisimile, S. Atticum in ea opinione perseverasse, cum Ecclesia Romana plures ab ipso exegerit pacis conditiones, ut supra diximus. Imo etiamsi gratis concederem, illum incaute in eo errore permansisse, an propterea statim ex albo Sanctorum expungendus erit? Ut hic alia prætermittam, quomodo in Sanctorum catalogo relinquetur S. Cyrillus, qui anno CDXXXI vel CDXXXII, postquam jam diu C nomen S. Chrysostomi diptychis inseruerat, tamen in epistola ad Acacium Berœensem ita scribit: *Volo autem tuam sanctitatem utile* * *aliquid commemorare, quod ad præsens pertinet tempus: quando enim in magna Constantinopoli sancta vestra synodus congregata est, tunc quando Johannes est accusatus, deinde gesta sunt super eo a multis in scripto commentaria, cum futurum esset, ut contra eum definitio proferretur, et essem ego unus adstantium, scio, me audisse sanctitatem tuam sanctæ synodo sic dicentem:* QUIA SI SCIREM, QUOD NUNC, SI JOHANNI VENIAM LARGIREMUR, MELIOR FIERET SEMETIPSO, ET RECEDERET A DURITIA ET ASPERITATE, QUÆ IN EO EST, OMNES VOS ROGASSEM PRO EO. *Admirabilis ergo etiam circa hoc iterum judicata est sanctitas tua, quippe ut quæ dixerit veritatem. Quid igitur oportebat sanctum synodum facere, quæ impœnitentem et sic pertinacem reperit illum, qui rectæ fidei repugnavit?* Hanc S. Cyrilli epistolam inter alias variorum patrum ad concilium Ephesinum spectantes, Christianus Lupus Lovanii anno MDCLXXXII cap. 56 a pag. 129 edidit, et Stephanus Baluzius in nova conciliorum Collectione, seu supplemento ad collectionem Philippi Labbei, Parisiis anno MDCCVII D a col. 758 recudit, ubi utrolibet loco integra legi potest.

* *Lupus* ut ille

qui post restitutam S. Chrysostomi memoriam simile judicium tulit,

181 Ex toto hujus epistolæ contextu apparet, quod Cyrillus Acacio persuadere cupiat, Nestorium hæresiarcham jure merito condemnatum fuisse. Ut autem id clarius probet, inter alia allegat exemplum Joannis Chrysostomi, atque a simili argumentatur in hunc fere modum: Joannes Chrysostomus in sancta synodo ad Quercum ab episcopatu depositus est ob duritiam et asperitatem (sic adversantes sancto Præsuli invictam ejus constantiam perperam appellabant) a qua ipsum numquam recessurum Acacius vere prædixerat. Cur igitur sancta synodus Ephesina non deposuisset Nestorium ob hæresim, quam pertinaciter propugnabat? At videtur S. Cyrillus hoc ratiocinio innuere, quod tunc nondum de injustitia Chrysostomianæ depositionis convictus esset: si enim innocentiam S. Chrysostomi eo tempore agnovisset, quam vim haberet ejus argumentatio? Quomodo invidiosam inter Nestorium hæreticum et S. Joannem Chrysostomum comparationem institueret? Quomodo denique iniquissimum conciliabulum ad Quercum, in quo E S. Chrysostomus falso accusatus ac damnatus fuerat, hic a Cyrillo *sancta synodus* vocaretur, et cum sancto concilio Ephesino compararetur!

et quem adversarius propterea ex albo Sanctorum non expungit,

182 Ex his secundum sententiam Tillemontianam inferre possem, nomen Cyrilli, æque ac Attici, ex ecclesiasticis tabulis delendum esse, cum Cyrillus in hac epistola nondum agnoscat injuriam, qua S. Joannem Chrysostomum affecerat, nec ullum hic præbeat pœnitentiæ indicium, ob quam causam Tillemontius tomo 12 Monument. eccles. pag. 416 et 425 Atticum præcipue reprehendit, eumque e catalogo Sanctorum expungit. Si igitur propterea Atticum albo Sanctorum eradat, cur in eo Cyrillum relinquit? Ne his diutius immorer, unicum Tillemontio dilemma propono. Cyrillus erroneam suam de depositione S. Chrysostomi opinionem post datas ad Acacium litteras vel retractavit, vel in ea usque ad mortem permansit. Si velit primum, proferat auctores fide dignos, aut ipsa Cyrilli scripta, in quibus ea retractatio expresse legatur. Saltem in Actis S. Cyrilli, quæ tomo 14 Monument. eccles. a pag. 267 usque ad 676 ex veteribus scriptoribus copiose illustravit, nullum hujus retractationis F testem hactenus produxit. Si secundam dilemmatis partem eligat, sequitur, hunc innocuum Cyrilli errorem sanctitati ejus non officere.

cum tamen sit eadem utriusque causa,

183 Sed forte Tillemontius hoc dilemma declinare conabitur recurrendo ad regulam criticæ, quam tomo 14 Monument. eccles. pag. 798 sic tradit: *Historici tam frequenter omittunt res verissimas et aliquando maxime memorabiles, ut periculosum sit, ex earum silentio certas conclusiones deducere.* Hinc inferet, S. Cyrillum postea verosimiliter errorem suum agnovisse ac retractasse, etiamsi apud ipsum S. Cyrillum aut alios antiquos scriptores id non legamus. Totum istud probe intelligo, atque etiam libenter admitto, ut S. Cyrillum de pertinacia erronei et iniqui sui judicii excusem. At vicissim exigo, ut eadem regula in S. Attico locum habeat. Si igitur Atticus nondum satis noverat injustitiam Chrysostomianæ exauctorationis, quando ad S. Cyrillum scribebat, dicatur secundum hanc Tillemontii regulam, quam probo et amplector, iniquitatem istius judicii postea agnovisse, quamvis antiqui scriptores eam notitiam clare ad posteros non transmiserint. Secundum ea, quæ superius dixi-

mus

mus, forte eo tempore Atticus nondum sese omnino cum Romana Ecclesia reconciliaverat, quod tamen postmodum effecit, etsi perfectam illius reconciliationem antiquitas diserte non expresserit. Haud dubie prima aut præcipua pacis conditio fuit, ut nomen S. Chrysostomi diptychis inscriberetur, præter quam secundum supra dicta Atticus adhuc alias implere debuit, de quibus ab ipso impletis veteres historici non meminerunt. Ceterum dumtaxat rogo, ut S. Cyrillus et S. Atticus juxta hanc Tillemontianam regulam æqualiter judicentur.

ut ex ipsis adversarii principiis ostenditur:

184 Non video, quomodo hinc evadere possit adversarius, nisi confugiat ad alteram regulam, quam tomo 10 Monument. eccles. pag. 541 sibi aliisque præscribit, et qua dubiam Flaviani Antiocheni sanctitatem ita vindicat : *Igitur dicendum est, quod ecclesia Græca antiquam traditionem secuta sit, quando illum* (scilicet Flavianum, de quo ibi agit) *publico cultu veneratur. Quod si in ejus gestis occurrant aliqua, quæ ægre videntur conciliari posse cum spiritu caritatis, qui solus Sanctos efficit, meminisse oportet, nos esse homines, nimis debili ac tenui lumine illustratos, ut de humanis actionibus earumque circumstantiis recte judicemus.* At numquid hoc axioma æque favet Attico, quam Flaviano? Nonne etiam hic dici potest, quod Græci (addo quoque Latinos quosdam Martyrologos) antiquam traditionem secuti sint, dum Atticum sacris suis Fastis inseruerunt? Verbo uno, quidquid adversarius hic dixerit, nos eodem jure de Attico affirmabimus. Certe si Tillemontius traditas a se regulas observasset, tam durum ac temerarium judicium non tulisset de præclaro Viro, quem antiquitas magnis exornavit laudibus, quarum hic nonnullas in gratiam adversarii breviter congeremus.

S. Atticus quoque ab orthodoxis viris,

185 Imprimis S. Cyrillus Alexandrinus in epistola ad clericos Constantinopolitanos apud Labbeum tomo 3 Conciliorum, col. 333 de Nestorio ita interrogat : *Numquid æqualis vel sapientior est beato Attico?* Cœlestinus Papa in litteris ad Nestorium vigilantiam S. Attici contra Pelagianos ibidem col. 353 sic laudat : *Denique sanctæ recordationis Atticus, Catholicæ magister fidei, et vere beati Joannis etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro Rege communi, ut nec standi quidem illic copia præstaretur. Mansit nos post ejus exitum solicitudo vel maxima, cum successor ipsius utrum etiam in ejus fide succederet, quæreremus; quia difficile est continuari, quæ bona sunt : nam sibi sæpe alternis vicibus adversa succedunt.* An Romanus Pontifex Atticum appellaret verum S. Joannis Chrysostomi successorem, si Atticus nihil umquam fecisset ad reparandam illegitimam sedis Constantinopolitanæ invasionem, ut Tillemontius nimis temere affirmat? Adde, Cœlestinum Papam in eadem epistola ad Nestorium satis indicare, quod Atticus cum Romanis Pontificibus amicitiam coluerit, dum ibidem col. 361 de nimia Nestorii erga Pelagianos indulgentia sic conqueritur : *Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea, quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur, cum certum sit, illinc ad nos a Catholico tunc antistite Attico gesta directa? Cur non sanctæ memoriæ Sisinnius ista quæsivit? Quia utique sub decessore suo probaverat eos jure damnatos.* Hinc satis liquet, S. Atticum amicam litterarum communionem cum Ecclesia Romana conservasse.

sanctitate et doctrina illustribus,

186 Idem Pontifex in epistola ad clerum et populum Constantinopolitanum tomo Labbei proxime citato col. 365 post celebratas S. Chrysostomi laudes, de illius successore ita loquitur : *Rexit enim sanctæ memoriæ episcopus Atticus Christianum populum decessoris exemplo, et sacrilegos persecutus est hæreticorum furores.* Præterea Cœlestinus eodem tomo col. 1073 S. Maximianum episcopum Constantinopolitanum, quia cum S. Attico conjunctissime vixerat, hoc elogio ornat : *Ita enim reverendissimæ memoriæ viro Attico, Catholicæ fidei propugnatori fortissimo, mente pariter et officio cohærebat, ut jam tunc futuri in eodem episcopatus insignia prælucerent.* At ex hac ipsa S. Maximiani cum Attico conjunctione confirmatur opinio nostra : cum enim, juxta vulgare effatum, amor aut pares inveniat aut faciat, quis facile credat, sanctissimum Maximianum tam firmo amicitiæ vinculo conjunctum fuisse huic præsuli, si Atticus manserit injustus cathedræ Constantinopolitanæ possessor, ac talis fuerit, qualem Tillemontius depinxit? Denique idem Pontifex Romanus columna sequente hunc S. Maximianum ita hortatur : *Sequere priorum, a quibus eruditus es et nutritus, exempla pontificum; beatissimi Joannis in prædicando scientiam, sancti Attici in repurgandis hæresibus vigilantiam, decessoris tui Sisinnii, cujus te successorem credimus, simplicem puritatem.*

Sec. V.

post mortem impense laudetur.

187 Sanctus Prosper in Carmine de ingratis quod novissime Parisiis anno MDCCXI inter ejus opera a col. 115 editum est, zelum Attici contra Pelagianos ibidem col. 121 prædicat his versibus :

Quid loquar et curam, magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? De qua tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent velamine forma
Judicii, et tacitæ tulerant tormenta repulsæ.

Præterea hic quædam Orientis concilia, quæ antistitem illum tanti fecerunt, ut inter alios sanctos Patres scripta beati Attici adversus hæreticos citarint. Omitto etiam Theodoretum, Socratem, Leonem Magnum Papam, qui omnes Atticum magnis laudibus extulerunt : nam hæc pauca sanctorum virorum testimonia, quæ de ipso produximus, omnibus Tillemontii conjecturis et cavillationibus longe præferenda censemus. Nunc tempus est, ut post hanc velitationem rursus filum historiæ nostræ arrepturi, finiamus vindicias S. Attici, cui successit

XIV S. SISINNIUS I.

Post obitum S. Attici eligitur anno 426 Sisinnius,

De hoc digno S. Attici successore Socrates lib. 7, cap. 26 sic scribit : *Ceterum post obitum Attici ingens contentio de ordinatione episcopi exorta est, aliis alium postulantibus : quidam enim Philippum presbyterum cupiebant; quidam Proclum, qui etiam presbyter erat. Sed universus populus communi consensu Sisinnium optabat, qui et ipse presbyter quidem erat, non tamen in ulla intra urbem ecclesia constitutus; sed in suburbano Constantinopoleos, cui nomen est Elæa, presbyterii gradum sortitus fuerat.... Hujus autem viri desiderio omnes laici flagrabant, tum quod pietatis nomine celeberrimus ubique esset, tum præcipue quod paupe-*

ribus

SEC. V. *ribus fovendis etiam ultra vires suas incumberet. Prævaluit igitur studium laicorum, ordinatusque est Sisinnius pridie Kalendas Martii, consulatu proxime sequenti, qui fuit Theodosii duodecimus, et Valentiniani Junioris augusti secundus.* Ex hac distincta temporis notatione constat, Sisinnium anno Christi CDXXVI, die ultima Februarii in locum S. Attici suffectum esse. Idem annus etiam notatur in Chronico Marcellini Comitis, quod in editione Panviniana pag. 63, sic habet : *Indictione IX, Theodosio XII et Valentiniano II coss., Sisinnius, vir sanctæ simplicitatis et simplicis sanctitatis, Constantinopolitanus episcopus factus est.*

zelo contra hæreticos clarus,

189 Sisinnius statim post ordinationem suam exemplo S. Attici ferventem zelum ostendit contra hæreticos Messalianos, ut apud Photium in Bibliotheca, ab Andrea Schotto Græco-Latine edita, cod. 52, col. 39 et 40 legi potest. Ceterum vir pacificus ecclesiam suam pie gubernavit; sed grex Constantinopolitanus non diu tam bono pastore gavisus est, ut idem Socrates, lib. 7, cap. 28 testatur his verbis : *Sisinnius autem cum in episcopatu nondum biennium explevisset, ex hac luce* B *migravit, Hierio et Ardaburio consulibus, die nono Kalendas Januarii,* seu anno Christi CDXXVII, die XXIV Decembris. Dum igitur Nicephorus et Theophanes duos gubernationis annos Sisinnio indeterminate tribuunt, illi pro incompletis accipiendi sunt.

quem Cœlestinus Papa ob sanctam simplicitatem

190 Porro Socrates ibidem indolem Sisinnii ita paucis exponit : *Vir ob temperantiam quidem vitæque sanctitatem, et ob benignitatem erga pauperes celeberrimus; moribus vero simplex et affabilis, ac proinde a negotiis alienus : quam ob causam molestus fuit negotiosis hominibus, apud quos in opinionem venit ignaviæ.* Sed cum juxta Apostolum sapientia hujus mundi, stultitia sit apud Deum, imprudens illud inquietorum hominum judicium honori tam præclari Præsulis nihil detrahet : nam qui puriore rerum spiritualium cognitione præditi erant, de tranquilla Sisinnii simplicitate aliter judicarunt. Sic memoratus Cœlestinus Papa præter alia, quæ superius occasione S. Attici attigimus, in epistola ad Nestorium in Labbeana Conciliorum collectione tomo 3, col. 353 de ipso scribit : *Habuimus tamen post hunc* (videlicet Atticum, quem paulo antea laudaverat) *a quo eramus continuo deserendi, sanctum Sisinnium cele-* C *bratum simplicitate et sanctitate collegam, eam fidem, quam invenerat, prædicantem. Legerat profecto simplex sanctitas et sancta simplicitas, timendum magis, quam alte sibi esse sapiendum.*

et simplicem sanctitatem laudavit,

191 Idem sanctissimus Pontifex in litteris suis tomo Labbei proxime citato col. 365 clerum et populum Constantinopolitanum adversus hæresim Nestorii præmunit, et inter alia prudentem Sisinnii nostri simplicitatem ita prædicat : *Habuimus, hoc* (Attico) *decedente, collegam beatæ memoriæ Sisinnium, scientem quid possit gloriæ remanere, si integra et intemerata, quæ ad se usque pervenerant, Catholicæ fidei ornamenta servaret. Intelleximus, ei nec columbæ simplicitatem, nec prudentiam defuisse serpentis. Flevimus, fratres carissimi, velut præscii futurorum, cito nos ejus præsidio destitutos.* Denique sanctus Cœlestinus eodem tomo col. 1070 in epistola, post Nestorii damnationem ad synodum Ephesinam scripta, de laudatis apud se S. Maximiani successoris moribus ita loquitur : *Talem successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnii beata simplicitas, ut locum suum non nisi sui similis obtineret : etenim melius agimus, si abstinentes jam ab illius sacrilegi* (nempe Nestorii, qui Sisinnio immediate successit) *nomine, sedem vacasse dicamus.* D

postquam mense Decembri anni 427 ad Superos migraverat.

192 Ex hactenus dictis colligi potest, Sisinnium perperam a negotiosis hominibus ignaviæ accusatum fuisse, cum hæc omnia potius in eo tranquillam alacritatem et simplicem simulque prudentem agendi rationem commendent. Quare existimationem hujus pii Antistitis violare non potest hæc insulsa obtrectatorum calumnia, quæ forte originem duxit ex æmulatione Philippi, qui cathedram Constantinopolitanam ambiens Sisinnio postpositus fuerat, sicut Socrates lib. 7, cap. 26 innuit narrando sequentia : *Post hæc Philippus presbyter, quoniam alter ipsi antepositus fuerat, ordinationem illam pluribus reprehendit in ea, quam conscripsit, historia Christiana; ubi et ordinatum simul et ordinatores perstringens, ac præcipue laicos, ea dicit, quæ litteris mandare equidem nolim : neque enim ullo modo probare possum ejus temeritatem, qui talia scriptis suis prodere ausus fuerit.* Certe hæc invidi hominis obtrectatio nos tam parum movet, ut Sisinnium numero Sanctorum adscribendum putemus, tum quod Romanus Pontifex de illius jam mortui fide et virtute tam E illustre testimonium reddiderit, tum quod Græci in Menæis impressis annuam ejus memoriam celebrent XI Octobris, ad quam diem versiculi, quibus ibidem decoratur, more nostro Latine verti poterunt, et fortasse cultus ipsius ex pluribus Menologiis confirmari. Nunc dicendum est, qua ratione candido isti viro successerit versutissimus

XV NESTORIUS hæresiarcha.

Nestorius in locum S. Sisinnii defuncti substituitur anno 428,

Socrates lib. 7, cap. 29 infelicem hujus hypocritæ electionem ita narrat : *Post obitum Sisinnii, propter homines inanis gloriæ studiosos, placuit imperatoribus neminem ex ecclesia Constantinopolitana ad episcopatum promovere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari summo studio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare satius visum est. Erat illic vir quidam, nomine Nestorius, ortus ex urbe Germanicia,* F *sonora voce et expedita facundia : atque idcirco illum, tamquam idoneum ad docendum populum, accersere decreverunt. Elapso itaque trium mensium spatio, Nestorius Antiochia adducitur, qui ob temperantiam quidem a plurimis prædicabatur; in reliquis vero quali ingenio et quibus moribus fuerit, ex prima ejus concione prudentiores quique statim deprehenderunt : ordinatus enim die quarto Idus Apriles, Felice et Tauro consulibus* (id est die X Aprilis, anno Christi CDXXVIII, quam diem mox examinabimus) *illico coram universo populo imperatorem alloquens, celebrem illam protulit dictionem* : DA MIHI, *inquit*, IMPERATOR, TERRAM HÆRETICIS PURGATAM, ET EGO TIBI CŒLUM RETRIBUAM. MECUM HÆRETICOS DEBELLA; EGO PERSAS TECUM DEBELLABO. *Hæc verba licet quidam ex vulgo, qui hæreticos oderant, libenter amplexi sint; iis tamen, ut dixi, qui interiorem animi sensum ex verbis conjicere norunt, perspecta statim fuit hominis levitas et violentia, cum inanis gloriæ studio conjuncta.*

die I vel 10 Aprilis,

194 De die ordinationis inter eruditos nonnulla est controversia : nam Baronius, Petavius, et Garnerius cum Socrate assignant ei diem de-

cimam

A cimam Aprilis ; Norisius vero et Bandurus cum aliis sequuntur Liberatum diaconum, qui cap. 4 sui Breviarii apud Labbeum tomo 5 Conciliorum, col. 743 asserit, ordinationem Nestorii peractam esse *die primo mensis Aprilis, consulatu Felicis et Tauri*. Pagius in Critica historico-chronologica Annalium Baronii ad annum Christi CDXXVIII num. II putat, quod Socrates diem, quo Nestorius in sede episcopali collocatus est, pro die ejus ordinationis perperam acceperit, additque hanc rationem, quod isto anno dies Dominica, qua Constantinopolitani præsules ordinari consueverant, in Kalendas Aprilis seu diem primum ejusdem mensis inciderit. Sed Tillemontius tom. 14 Monument. eccles. pag. 286 contendit, hanc rationem non convincere, citatque Cardinalem Norisium, qui in Historia Pelagiana lib. 2, cap. 24 contraria quædam Orientalis ecclesiæ exempla allegat. Dum de anno et mense ordinationis inter omnes conveniat, nobis non lubet diutius altercari de ambigua paucorum dierum differentia, cujus determinatam veritatem forte numquam assequemur. Missis itaque pau-
B lisper chronologicis exigui momenti tricis, ad historicum Nestoriani episcopatus initium relabimur.

195 Cassianus lib. 7, de Incarnatione Domini cap. 30 significat, populum Constantinopolitanum vana spe delusum fuisse in hac electione, et verba S. Joannis Chrysostomi Nestorio objiciens, sic contra hunc concludit : *Hujus ergo fidem atque doctrinam, etiamsi aliorum ignorabas, sequi ac tenere debueras ; cujus utique amore ac desiderio te antistitem sibi plebs religiosa delegit : quia cum de Antiochena ecclesia te sibi sumeret sacerdotem, ex qua illum ante prælegerat, recepturam se in te credidit, quidquid in illo habere desiisset.* Nec profecto mirum est, Constantinopolitanos falsa Nestorianæ pietatis imagine deceptos fuisse, ac pestilentis illius doctrinæ virus non statim sensisse : cum enim Vincentius Lerinensis affirmasset in suo Commonitorio, quod Baluzius Parisiis anno MDCLXIX inter alia Veterum opuscula edidit, hæreses a Deo permitti ad tentandam fidelium dilectionem, pag. 330 quibusdam exemplis assertionem suam sic probat : *Nam ut a proximis et manifestis incipiam, qualem fuisse nuper*
C *tentationem putamus, cum infelix ille Nestorius subito ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset, cum eum hi ipsi, qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoque morsibus ejus magis paterent? Nam quis eum facile errare arbitraretur, quem tanto imperii judicio electum, tanto sacerdotum studio prosecutum videret, qui cum magno Sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat eloquia, et noxios quosque Judæorum et gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recta sentire, qui, ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur?*

qui populum fefellerat sua hypocrisi

196 Theodoretus lib. 4 Hæreticarum fabularum cap. 12 gesta Nestorii altius repetit, et fictos illius mores ita graphice depingit : *Hic ex Germanicensium ortus oppidulo, nescio cujusmodi ab initio studiis educatus, aliam ex alia regionem commutans, ut flagellum quoddam Ægyptiacum, in magnam Antiochenorum civitatem irrupit. In hac cum liberalibus disciplinis mediocriter esset imbutus, vocemque pulcherrimam et maximam exercuisset, in ecclesiam Dei se ingessit, et in numerum presbyterorum relatus est, docendique populi munere imposito, statim in exordio ostendit, qualis tota vita esset futurus : neque enim generosum et genitalem, quique hominum animas excolere posset, dicendi characterem secutus est. Sed cum ad populi delectationem orationem suam conferret, et inanes plausus, ut qui maxime, aucuparetur, turbulentum et instabile vulgus ad sui desiderium excitavit, fusca veste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, pallore corporis continens videri affectans, libris domi ut plurimum incumbens, ac in otio et quiete secum habitans. Hoc habitu et hac simulatione populum inescans, magnam ætatis partem transegit, Christianus videri potius, quam esse studens, et Christi gloriæ suam præferens.* Tunc de promotione illius ad cathedram Constantinopolitanam narrat ea, quæ nos jam supra ex Socrate retulimus, et exponit passim notas hujus hæresiarchæ blasphemias contra Deiparam, illasque refellit. Minime suspectus esse potest hic testis, qui a teneris Nestorio amicissimus fuit, et propter illius defensionem postmodum plurima adversa toleravit, donec tandem in concilio Chalcedonensi anathema dixit Nestorio, et errorem suum dedoctus, E
hæc de illo litteris mandavit.

et fucata facundia

197 Quamquam Nestorius fucata sua facundia populo imponeret, et egregius orator videretur, tamen illustres istius temporis scriptores testantur, solidam eruditionem ei defuisse. Inter alios laudatus Vincentius Lerinensis in jam citata Baluzii editione pag. 330 et 331 illum cum aliis hæresiarchis comparat, ac iis scientia inferiorem fuisse innuit hoc modo : *Et ut Nestorium prætereamus, in quo plus semper admirationis quam utilitatis, plus famæ quam experientiæ fuit, quem opinione vulgi aliquamdiu magnum humana magis fecerat gratia, quam divina, eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multaque industria præditi, non parvæ tentationi Catholicis hominibus exstiterunt.* Marcellinus Comes in suo Chronico Panvinianæ editionis pag. 63 ad consulatum Felicis et Tauri seu annum Christi CDXXVIII de eo hæc habet : *Nestorius Antiochiæ natus* (etiam Cassianus lib. 6 de Incarnatione Domini, cap. 6 diuturnam ejus in urbe Antiochena habitationem pro loco natali perperam accepit) *vir satis quidem eloquentiæ, sapientiæ vero parum habens, Constantinopolitanis admodum adnitentibus, ex presbytero* F
episcopus factus, ordinatus est.

etiamsi solida eruditione careret,

198 Socrates autem, qui Nestorium propius nosse poterat, lib. 7, cap. 32 de illius doctrina tale fert judicium : *Ego vero cum libros a Nestorio editos legissem, hominem imperitum esse deprehendi. Prorsusque dicam, ut se res habet : nam neque odio et inimicitia adductus, vitia illius antea commemoravi ; nec ut quibusdam gratificer, bona, quæ in illo deprehendi, orationi mea extenuabo. Mihi quidem videtur Nestorius nec Paulum Samosatensem nec Photinum imitatus* (hic causidicus Constantinopolitanus perperam theologum voluit agere, ut Vincentius Riccardus in commentario ad primam orationem S. Procli pag. 92 et 93 recte ostendit) *neque omnino nudum hominem Christum dicere. Sed solam Deiparæ vocem velut larvam quamdam reformidat. Idque illi ex gravissima contigit imperitia : cum enim naturali facundia esset præditus, eruditus quidem videbatur, revera tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haudquaquam legere dignabatur : arrogantia enim elatus ob dicendi facultatem, non satis accurate vetustioribus legendis operam dabat, sed se ipsum reliquis omnibus præstare arbitrabatur.* Deinde hæresim

ut præter alios testatur Socrates,

SEC. V.

resim ipsius de Deipara quibusdam testimoniis impugnat, et idem caput ita concludit : *Et hanc fuisse Nestorii sententiam, partim ex libris ejus, quos quidem perlegi, partim ex fautorum illius sermonibus deprehendi. Ceterum stulta illa Nestorii garrulitas orbem terrarum non mediocriter perturbavit.*

et aliis vitiis infectus esset.

199 Denique S. Cyrillus Alexandrinus in homilia, Ephesi adversus Nestorium habita, apud Labbeum tomo 3 Conciliorum col. 586 hæreticum illum etiam de aliis vitiis ita suspectum reddit : *Omnem gentem, nefariis lasciviis et dissolutionibus indulgentem, hic sua malitia excessit : gentes enim plerumque, cum Scripturas ignorent, Deum incaute imprudenterque blasphemant. Hic autem, qui universam Scripturam tenet, et magicis quoque illusionibus fortasse (ausim dicere) operam navavit divinam Scripturam non sincere inspexit; inspexit autem argentum et aurum.* Licet hæc ultima periodus nonnihil obscura sit, videtur tamen indicare, Nestorium arti magicæ studuisse, ac pecuniæ avidum fuisse. Hæc est a synchronis scriptoribus depicta effigies famosi illius hæresiarchæ, qui tantas in Ecclesia turbas excitavit. Sed cum non sit hujus loci singula illius gesta prosequi, et ea in Annalibus ecclesiasticis aliisque libris passim occurrant, breviter dumtaxat ex antiquis auctoribus referam genus mortis, quo periit, quia singulare divinæ ultionis indicium videtur exhibere.

B

Hic pertinax hæresiarcha anno 431 in exsilium ejectus,

200 Postquam Nestorius anno CDXXXI circa finem mensis Junii in synodo Ephesina propter hæreticam pertinaciam episcopatu Constantinopolitano dejectus fuerat, jussu imperatoris Theodosii post alia exsilia relegatus est in locum, qui Oasis dicitur. Sed propterea pervicacem animum non mutavit : *Illic enim degens Nestorius a blasphemia sua nequaquam destitit,* ut Euagrius Scholasticus lib. 1 Historiæ eccles. cap. 7 testatur. Deinde propter barbarorum incursionem ex hoc loco fugit in Thebaidem. ubi variis calamitatibus afflictus infelicem animam reddidit, ut apud Euagrium loco citato distinctius narratur. Nescitur, in quem determinate annum obitus ejus inciderit. At colligo, illum inter annum Christi CDXXXIX et CDL obiisse : nam Socrates, qui anno CDXXXIX Historiam suam ecclesiasticam absolvit, lib. 7, cap. 34 de ipso adhuc superstite sic scribit : *Quippe etiamnum depositus, et in exsilium missus, Oasin incolit.* Non vixit autem ultra annum CDL, quo Theodosius imperator ex hac vita migravit : Marcianus enim Theodosii successor cum indignatione rejecit fautores Nestorii, qui anno CDLI reliquias hujus hæresiarchæ Constantinopolim deferri postulaverant, ut apud eumdem Euagrium lib. 2, cap. 2 ostenditur.

C

postea manifesto divinæ ultionis indicio

201 Laudatus Euagrius peculiare mortis ipsius genus lib. 1, cap. 7 ex antiquiore quodam auctore sic refert : *Ego vero scriptorem quemdam legi, de illius morte ita narrantem; eum lingua vermibus erosa ad graviora et sempiterna migrasse supplicia.* Dignum enimvero supplicium blasphemo homine, qui toties impia lingua contra Christum ac Deiparam abusus fuerat ! Neque huic mortis generi contradicit Theodorus lector, dum diu ante Euagrium lib. secundo Historiæ ecclesiasticæ in editione Valesiana pag. 565 tantummodo sic breviter scripsit : *Nestorii corpus putredine consumptum est :* sanctus enim Theophanes in Chronographia, anno MDCLV Parisiis Græco-Latine edita, pag. 79 utrumque facile conciliat hoc modo : *Impium tandem blasphemumque Nestorium divina justitia in exsilio ulta est, membris ejus omnibus, et impura maxime lingua, tabo fluentibus, quo quidem corrosus letho absumitur.*

D

meritas blasphemiæ suæ pœnas dedit.

202 Quamvis Theodoretus supradicto libro 4 Hæreticarum fabularum cap. 12 istud mortis genus aperte non exprimat, tamen manifestum quoddam divinæ vindictæ signum in obitu illius intervenisse ibi satis innuit his verbis : *Unde quoniam horrenda morte peribunt impii, pontificatu per sanctos Ephesi congregatos divino suffragio dejectus est, et jussu imperatoris Oasim habitare jussus, futuri impiorum supplicii illinc sumpsit exordium, suæ ipsius amentiæ factus ludibrium, et in se dictum illud complens Apostoli : Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium.* Imo non prorsus temere suspicari quis posset, hic illam totius corporis aut linguæ putredinem a Theodoreto tacite indicari, dum de horrenda impiorum morte meminit, et Nestorium suæ ipsius amentiæ ludibrium factum esse asserit : cum enim Nestorius fucata linguæ suæ facundia plausum populi captaret, ut supra a Theodoreto dictum fuerat, et forte ob elegantiorem linguæ usum superbia elatus in hæresim et stultas blasphemias incidisset, verissime est *suæ ipsius amentiæ factus ludibrium,* quando in eo ipso membro meritas impietatis suæ pœnas exsolvit. Sane dolendum est, quod post tam manifestam divinæ justitiæ ultionem sacrilegus ille hæresiarcha hactenus in Oriente habeat tot stupidos simulque pervicaces impiæ doctrinæ suæ sectatores, qui illum in liturgia sua tamquam sanctum venerantur, ut apud Pagium in Critica Baronii, ad annum CDXXXVI, num. 3, et Renaudotium in Liturgiarum Orientalium collectione tomo 2, pag. 639 et alibi videri potest. Ceterum huic superbo Ecclesiæ Catholicæ oppugnatori successit humilis orthodoxæ fidei defensor

E

XVI S. MAXIMIANUS.

et post ejus exsilium eodem anno 431 electus est S. Maximianus

Cum Nestorius in synodo Ephesina ante diem XXV Junii anno CDXXXI exauctoratus esset, elapsis quatuor mensibus, in locum ejus substituitur S. Maximianus, de quo Socrates lib. 7, cap. 35 ita loquitur : *Elapso igitur quatuor mensium spatio a depositione Nestorii, Maximianus eligitur episcopus; vir monasticam quidem vitam degens, in presbyterorum tamen ordinem ipse quoque cooptatus. Hic sanctitatis opinionem jam pridem fuerat adeptus, eo quod propriis sumptibus monumenta construxisset, in quibus religiosi viri post obitum sepelirentur. In sermone autem rudis fuit atque imperitus, vitamque quietam et a negotiis alienam præoptabat.* Dum hic Socrates dicit, Maximianum in sermone rudem atque imperitum fuisse, videtur de imperitia linguæ Græcæ intelligendus esse. At profecto non miror, S. Maximianum linguam Græcam omnino non caluisse : siquidem Romæ natus et educatus fuerat, ut ex Synaxario Basiliano et quibusdam Romanorum Pontificum epistolis colligitur. Quod autem a negotiis moderate ac prudenter gerendis non adeo alienis fuerit, patet ex ejus Actis, quæ Henschenius noster ad diem XXI Aprilis seu tomo 2 istius mensis a pag. 847 collegit, in quibus etiam aliæ ipsius virtutes et laudes commemorantur, quas proinde hic repetere supervacaneum foret.

F

204 Idem Socrates lib. 7, cap. 37 diem electionis,

A *qui post brevem duorum annorum et aliquot mensium gubernationem anno 434 obiit,*

ctionis aut consecrationis ejus sic accurate notat: *Cum Maximianus ad episcopatum Constantinopolitanum evectus fuisset, Basso et Antiocho consulibus, die octavo Kalendas Novembris* (anno CDXXXI, die XXV Octobris) *ecclesiarum tumultus quievere.* Deinde eodem libro cap. 40 annum et diem mortis ejus ita assignat: *Maximianus vero cum per biennium ac menses quinque ecclesiam pacate administrasset, fato functus est, Areobindo et Aspare consulibus, pridie Idus Apriles. Erat tunc septimana jejuniorum, quæ festum Paschale proxime antecedit, ejusque septimanæ feria agebatur quinta.* Hæc anni ac diei computatio exacta est, cum Pascha anno CDXXXIV, qui per hos consules designatur, inciderit in XV Aprilis, adeoque feria quinta Majoris hebdomadæ in diem XII ejusdem mensis. Porro ex isto episcopatus initio ac fine sequitur, quod S. Maximianus duobus annis, mensibus quinque, et octodecim aut novemdecim diebus ecclesiam Constantinopolitanam rexerit; ut cuivis supputanti manifestum erit.

de quo mortis tempore recentiores chronologi B

205 Anselmus Bandurus, tomo 2 Imperii Orientalis, pag. 893, ex hoc computo sic concludit: *Unde apparet, Maximianum in episcopatu Constantinopolitano vixisse annis duobus, mensibus quinque, et aliquot etiam diebus, quod quidem non animadvertit Valesius in notis ad eumdem Socratem, neque Pagius, qui rem ex professo, ut aiunt, tractat.* At bona Banduri venia, ipsemet non advertit, Pagium id observasse, dum in Critica ad Annales Baronii anno Christi CDXXXIV, num. 2 ita scripsit; *Addit Socrates, Maximianum sedisse per biennium et menses quinque, ideoque non recte scripserat, eum ordinatum die* XXV *Octobris anni* CDXXXI. Vides, Pagium id satis animadvertisse, atque ex nimis scrupuloso dierum computo intulisse, quod S. Maximianus die XXV Octobris non fuerit ordinatus.

circa aliquot dierum differentiam disputant.

206 Attamen hanc Pagii consequentiam non admitto: potius enim opinor, Socratem annos et menses numero rotundo computasse, nulla habita ratione aliquot dierum, qui mensem non explebant. Inde etiam suspicor, Valesium id in notis suis observare noluisse, eo quod sciret, similia sæpius rotunde numerari. Imo ipse Bandurus fateri debet, in plerisque præsulum Constantinopolitanorum catalogis, quos tomo 1 Imperii Orientalis, a pag. 187 edidit, annos gubernationis atque interdum etiam menses exprimi; at communiter omitti dies, qui tamen in multis haud dubie superfuerunt. Nunc ab hac disputatiuncula ad S. Maximiani successorem progrediamur.

C

XVII S. PROCLUS.

Mortuo S. Maximiano statim successit S. Proclus,

Hic mitissimus vir, qui jam ter ad regendam Constantinopolitanam ecclesiam frustra a populo expetitus fuerat, statim post mortem S. Maximiani eligitur, quia imperator variis istius cathedræ competitoribus omnem ambitionis ac contentionis occasionem præcidere cupiebat, sicut Socrates, lib. 7, cap. 40 tradit his verbis: *Quo quidem tempore imperator Theodosius prudenter huic negotio prospexit: etenim ne rursus de eligendo episcopo ambigeretur, eaque res tumultum in ecclesia excitaret, absque ulla cunctatione, nondum deposito Maximiani corpore, episcopis, qui aderant, mandavit, ut Proclum in episcopali solio collocarent..... Itaque Proclus in sede episcopali collocatus, corpus Maximiani sepulturæ tradidit.* Ex his liquet, S. Proclum anno CDXXXIV, die duodecima Aprilis, quo S. Maximianus obiit, aut una alterave ex sequentibus diebus, ad Constantinopolitanam cathedram evectum fuisse. SEC. V.

qui contra quamdam Socratis calumniam

208 De mansuetissima hujus sancti Præsulis indole memoratus Socrates eodem libro 7, cap. 41 post alia sic loquitur: *Vir optimis moribus, si quisquam alius, præditus: quippe ab Attico eruditus, cunctas ejus virtutes studiose imitatus est. Patientiam vero magis etiam, quam Atticus, excoluit: nam hic quidem interdum terribilem se hæreticis exhibebat; Proclus vero placidus erga omnes fuit, dum hæreticos hac ratione potius, quam vi, ad rectam fidem adducere studeret. Cum enim nullam omnino hæresim exagitare instituisset, mansuetudinis dignitatem integram conservavit, ac veluti depositum quoddam Ecclesiæ restituit. Qua in re imperatorem Theodosium imitatus est: nam huic quidem ratum fixumque fuit adversus sontes non uti imperiali potestate; isti vero propositum erat parvifacere, si quis de Deo aliter, quam ipse, sentiret.*

defenditur E

209 Hæc ultima Socratis verba omnino displicent, quia sanctum episcopum turpissimæ indifferentiæ ac criminosæ ignaviæ arguunt. Non inficior, S. Proclum erga fratres a recta fide aberrantes leniorem fuisse, eo quod illos potius mansuetudine quam violentia ad Ecclesiæ gremium reducendos judicaret; sed pernego ipsum, in materia dogmatum adeo fuisse indifferentem, ut non curaret, *si quis de Deo aliter, quam ipse, sentiret*: si enim hoc verum esset, quomodo ausus fuisset publice refellere hæresim Nestorii, qui tunc Ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat, et adhuc Theodosii imperatoris favore fruebatur? Impia autem Nestorii dogmata in publico consessu a Proclo refutatata fuisse, Theophanes in jam citata Chronographiæ editione, pag. 76 ita tradit: *Die vero quodam Dominico, ipso Nestorio ecclesiæ præsidente, Proclus sacram concionem exponere jussus, dixit: Homilia in Deiparam. Homiliæ principium hac fuit:* VIRGINIS HODIE CELEBRITAS, FRATRES. *Exinde impius Nestorius propter fastum et pravam fidem cunctis execrandus exstitit.*

ex suis gestis, F

210 Testis hujus rei est ipsa S. Procli oratio, quam Vincentius Riccardus Romæ anno MDCXXX inter alia ejus opera a pag. 59 edidit, ac eruditissimis notis illustravit. Nestorius tam graviter tulit, doctrinam suam hac oratione impugnari, ut ei tres quatuorve conciones opposuerit, in quibus furens hæresiarcha S. Proclum probroso hæretici et calumniatoris nomine traducit, sicut in præfatione Garnerii nostri ante partem posteriorem operum Marii Mercatoris, a pag. 9, ac ibidem postea in ipsis Nestorii sermonibus, a pag. 26 videri potest. Si S. Proclus ante adeptum episcopatum Constantinopolitanum tanto orthodoxæ fidei defendendæ ardore flagraverit, ut tam potentem adversarium aggredi non sit veritus, quis credat, eum postea in munere pastorali negligentiorem fuisse?

quæ ad diem 24 Octobris copiosius illustranda erunt.

211 Sane episcopalem S. Procli zelum testatur ejus epistola, quæ in Romana Riccardi editione a pag. 632 refertur, et quæ integra legi non potest, quin insulsum Socratis mendacium ultro in oculos incurrat, et a lectore cordato explodatur. Sed cum hic nostrum non sit, sanctam istius Præsulis famam operosius tueri, hæc aliaque ejus gesta elucidanda reservamus ad die XXIV Octobris, quo a Græcis et Latinis præcipue festum ipsius celebratur. Quare jam properamus ad illius mortem, de cujus certo tempore inter varios

SEC. V.

auctores intricatissima quæstio agitatur, ut nunc breviter referemus.

Auctores discrepant in assignando anno mortis S. Procli

212 Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis, Vincentius Riccardus ante Analecta S. Procli, pag. 45, Henschenius noster ad diem XVIII Februarii in Actis S. Flaviani § 6, ac denique Tillemontius tomo 14 Monument. eccles., pagg. 717, 797 et sequentibus, putant, S. Proclum anno Christi CDXLVI obiisse, postquam ecclesiam Constantinopolitanam gubernaverat duodecim annis et aliquot mensibus, qui saltem a medio Aprili anni CDXXXIV numerandi sunt; ut ex supradictis apparet. Contra vero Pagius in Critica, Garnerius noster in Dissertatione de libris Theodoreti, tomo 5 operum ejus, pag. 208, aliique nonnulli contendunt, S. Proclum anno CDXLVII mortuum esse, eique tredecim gubernationis annos et aliquot menses adscribunt; cum interim Theophanes, Menæa, aliaque Græcorum Synaxaria tantummodo duodecim annos et tres menses ipsi tribuant.

propter terræ motum, qui anno 447 contigit;

213 Posteriores hi auctores præcipuum pro sua opinione argumentum desumunt ex terræ motu, qui juxta Marcellinum Comitem et Chronicum Alexandrinum anno CDXLVII contigit; qua

B

occasione miram narrant historiam de puero ad cœlum sublato, ex cujus revelatione consuetudinem canendi Trisagion a Proclo inductam esse affirmant. Non ignoramus, hunc pueri raptum illamque Trisagii revelationem a Samuele Basnagio Flottemanvillæo in Annalibus politico-ecclesiasticis ad annum Domini CDXLVII, num. 11, et ab aliis heterodoxis inter aniles fabulas reponi; sed parum nos movet corrupta eorum crisis, qui substantiam hujus historiæ, ab antiquis scriptoribus traditam, cum severis criticis Catholicis admittimus. Non tamen idcirco obitum S. Procli usque ad annum CDXLVII differre cogimur, etiamsi gratis concedamus, terræ motum anno CDXLVII recte collocatum esse in Chronico Alexandrino, quod nihilominus integro anno a vera chronologia aberravit, quando conciliabulum Ephesinum anno CDL habitum esse statuit. Non cogimur, inquam, propterea mortem S. Procli differre : nam hic forte de alio terræ motu agitur, cum Constantinopolis sub imperio ejusdem Theodosii sæpius concussa fuerit, ut in Chronico

C

Alexandrino videri potest.

sed silentium historicorum de aliis terræ motibus,

214 Tillemontius tomo 14 Monument. eccles., pag. 798 fatetur, anno CDXLV vel CDXLVI nullum terræ motum apud primigenios auctores expresse notari; at contendit, inde certo concludi non posse, quod nullus eo tempore fuerit : nam ex silentio auctorum, inquit, certa conclusio inferri non potest, cum scriptores subinde verissima et notatu dignissima omittant. Sic de magno terræ motu, qui in Chronico Alexandrino ad annum CDL refertur, alii historici non meminerunt. Itaque alius terræ motus, qui tempore S. Procli accidit, cum altero confundi aut omnino a scriptoribus taceri potuit, quia forte plus timoris quam damni attulit. Præterea non habemus exactos historicos, qui res omnes sub Theodosio juniore gestas memoriæ prodiderunt. Sic viri eruditi tuentur prodigiosam septem Dormientium Ephesinorum resuscitationem (omnes saltem memorabilem corporum eorum sub Theodosio juniore inventionem admittunt); quamvis auctores synchroni miram illam historiam posteritati non reliquerint, ut tomo VI Julii, pag. 387 retulimus.

215 Imo ipsa hujus concussionis desinentis memoria, quæ quotannis in ecclesiasticis Græcorum fastis celebratur, nobis nonnullum præbet fundamentum suspicandi, quod circa eosdem annos varii terræ motus Constantinopolim terruerint, nam in Menologio Basiliano aliisque Synaxariis ad diem XXIV vel XXV Septembris recolitur annua memoria terræ motus, qui sub episcopatu S. Procli miro modo sedatus est, ut ibidem fusius narratur. Postquam vero auctor Chronici Alexandrini sub *Ardaburio et Alipio consulibus*, seu anno Christi CDXLVII, quemdam terræ motum retulerat, nulla de Proclo facta mentione, post alias illius circumstantias scribit sequentia : *Quotannis celebratur litaniæ istius memoria pro Clementis Dei bonitate ac patientia in Triconcho ex a. d.* VIII *Idus Novembres.* Ex hac duplici sedatæ concussionis commemoratione, quæ diversis mensibus ac diebus instituitur, non prorsus temere conjicio, etiam duplicem circa illa tempora accidisse terræ motum, et illum anni CDXLVII diversum esse ab altero, qui sub Proclo exstitisse memoratur.

D

qui circa hæc tempora frequentiores fuisse videntur,

nos non cogit deserere opinionem Henschenii,

216 Huic conjecturæ adde ea Henschenii argumenta, quæ ad diem XVIII Februarii in Commentario historico ad Acta S. Flaviani § 6 proponuntur. Equidem fateor, Pagium in Critica ad annum CDXLVI, num. 9, et ad annum CDLI, num. 60 his Henschenii argumentis utcumque respondisse;

E

sed nec ejus responsa nec Garnerii nostri ratiocinia Tillemontium movere potuerunt, ut mortem S. Procli ultra annum CDXLVI differret : neque eadem nos hactenus ita convincunt, ut a Majorum nostrorum opinione recedere cogamur. Cum tamen in verba magistrorum non juremus, sententiam Henschenii non ægre deseremus, si quis alicunde certiora contra nos monumenta eruerit. Quare successores nostri ad diem XXIV Octobris, quo S. Proclus colitur, hæc iterum accurate discutiant, et, si plus lucis in hac obscura controversia interim affulserit, libere nostra repudient ac refellant. Nunc de die, quo hic sanctus præsul obiit, non minus implicata et incerta quæstio paucis examinanda est.

quocum adhuc putamus S. Proclum obiisse anno 446,

217 Ex supradictis constat, S. Proclum anno CDXXXIV ante medium mensis Aprilis ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse. Cum igitur Menologium Basilii imperatoris, Menæa impressa, aliaque Græcorum Synaxaria episcopali ipsius gubernationi constanter duodecim annos et tres menses assignent, ex facto hujus temporis computo sequitur, illum anno CDXLVI circa

F

medium mensis Julii mortuum esse. Quod si forte superfuerint aliquot dies, qui juxta superius dicta interdum non adeo exacte notantur, saltem certo concludi potest, mortem S. Procli ante medium mensis Augusti accidisse. Attamen Garnerius noster, proxime citato tomo 5 operum Theodoreti, pag. 208 ita confidenter pronuntiat : *Certe necesse est fateri, peccatum esse in numero mensium : neque enim tres, ut habetur apud eos, qui appellati sunt, sed sex cum duodecim diebus dici debuerunt; siquidem a die* XII *Aprilis, qua die certe ordinatus est Proclus, ad diem* XXIV *Octobris, qua constat esse defunctum, menses, quos dixi, diesque interfluxerint.* Vincentius Riccardus in notis ad Vitam S. Procli, pag. 53 etiam contendit, in arithmeticis Græcorum litteris erratum fuisse, ac pro tribus mensibus potius sex menses substituendos esse. Ac sicuti non negamus, in hujusmodi numeros facile errorem irrepere posse, ita tamen re ipsa irrepsisse sine probabili quadam ratione non admittimus.

mense Julio vel Augusto.

218 Hi aliique scriptores supponunt id, quod versatur in quæstione, ut vulgo dici solet : nam

firmiter

A firmiter sibi persuadent, S. Proclum ex hac vita migrasse XXIV Octobris, eo quod die illa festum ejus in fastis ecclesiasticis colatur. Sed nos quotidiana experientia discimus, annuam Sanctorum festivitatem propter reliquiarum inventionem, translationem, aliasve causas sæpius celebrari alio die, quam quo obierunt. Sic ex supra dictis constat, S. Maximianum die XII Aprilis mortuum esse, cum tamen ad diem XXI ejusdem mensis annua illius memoria in Menologiis referatur.

quamvis Menæa aliis mensibus festum ejus celebrent.

219 Quare judico, ex annua venerationis die non deduci sufficiens argumentum, ut de die mortis aliquid certi statuatur, aut in diversis monumentis concordans numerus pro libito corrigatur. Si enim ratio ista sufficeret, eodem jure posset obitus S. Procli usque ad diem XX Novembris differri, quia sanctus ille præsul eo die in Menæis impressis solenniore Officio honoratur. Non inficior, ex die annui cultus recte conjecturam fieri posse de die obitus, quando aliunde nihil obstat; sed cum huic Garnerii aliorumque auctorum conjecturæ repugnet communis Græcorum monumentorum textus, verosimilius existimo, S. Pro-
B clum mense Julio, aut ineunte Augusto animam Creatori suo reddidisse. Nunc juxta hanc probabiliorem chronologiam consequenter agendum est de tempore, quo in locum S. Procli suffectus est

XVIII S. FLAVIANUS.

Quandoquidem de exordio

Hic iterum in tenebris palpandum est : nemo enim veterum scriptorum accurate assignavit tempus, quo hic sanctus Vir Proclo successit. Theophanes in Chronographia, pag. 84 ad annum Theodosiani imperii trigesimum nonum, qui partim anno Christi CDXLVI partim CDXLVII respondet, S. Flaviani electionem ita refert : *Proclum quidem Flavianus presbyter, et ecclesiæ Constantinopolitanæ sceuophylax, vir sacris præstans et ornatus virtute, excepit.* Eutychius patriarcha Alexandrinus in Annalibus Arabicis Pocockianæ interpretationis, tomo 2, pag. 84 eumdem annum sic notat : *Anno regni ejusdem tricesimo nono constitutus est Flavianus patriarcha Constantinopolita-*
C *nus, qui cum biennio sedisset, mortuus est.* Ex his testimoniis certo decernere non possumus, post quantum temporis intervallum (sedem Constantinopolitanam interdum aliquot mensibus vacasse ex supra dictis constat) Flavianus S. Proclo sit substitutus.

et duratione episcopatus S. Flaviani nihil certi traditur.

221 Neque id certius colligere licet computando temporis spatium, quo Flavianus ecclesiam Constantinopolitanam gubernavit. Aliqui enim cum Theophane episcopatui illius biennium adscribunt; Jus Græco-Romanum, Matthæus Cigala, et Philippus Cyprius, quorum catalogi apud Bandurum, tomo 1 Imperii Orientalis, a pag. 201 referuntur, ipsi duos annos et sex menses assignant; alii vero catalogi, apud eumdem Bandurum ibidem a pag. 187 relati, ei tantummodo annum unum et decem menses tribuunt, quibus Pagius in Critica ad annum Christi CDXLIX, num. 14 consentit; eminentissimus Baronius S. Flaviano duos annos et menses decem concedit; denique catalogus Labbeanus, quem in dissertatione præliminari, § 2 citavi, non nisi octo menses gubernationis exprimit, ubi haud dubie unus alterve annus incuria librarii omissus est, ita ut indicare velit, S. Flavianum uno anno aut biennio et octo mensibus in cathedra Constantinopolitana sedisse. Si igitur quisque hanc diversam annorum et mensium chronotaxin opinioni suæ accommodet, liceat etiam nobis exemplo aliorum eamdem systemati nostro aptare. SEC. V.

ex probabili conjectura statuimus, illum mense Octobri anni 446 electum esse,

222 Itaque ponamus, S. Flavianum anno CDXLVI circa finem Octobris S. Proclo jam duobus aut tribus mensibus mortuo successisse. Hoc posito, anni duo et decem menses effluxerint usque ad ejusdem Flaviani mortem, quæ anno CDXLIX mense Augusto accidit, ut fere omnes consentiunt, et satis colligitur ex tempore prædatorii conciliabuli Ephesini, cui sanctus præsul non diu supervixit. Nihil est in hac hypothesi, quod verisimilitudinis terminos excedat, quamvis eam certitudine carere libenter fateamur. Cum ergo de duratione istius episcopatus tam diversæ ac incertæ sint opiniones, ut supra vidimus, cur nobis non licebit unam ex illis eligere, quæ cum chronotaxi nostra maxime conveniat? Neque nobis adversantur Theophanes et Eutychius Alexandrinus, qui S. Flaviano duos annos numero rotundo adscribunt; quia computus mensium et dierum sæpe omittitur, ut pluribus exemplis demonstrare E possem. Porro cum in quibusdam catalogis menses sex, alibi octo, ac denique in aliis decem expressos invenerimus, in tanta temporis incertitudine liberam mensium electionem nobis relictam esse putavimus.

et cum plerisque chronologis mortem ejus anno 449 consignamus.

223 Auctores unanimi consensu asserunt, S. Flavianum anno CDXLIX palmam martyrii adeptum esse, excepto Garnerio nostro, qui novum systema excogitavit, quod tomo 5 operum Theodoreti, pag. 209 sic proponit : *Restat igitur, ut Flavianus Hypæpis seu superveniente seu ingesta morte defunctus sit; sed quo mense, quove die, definite nemo tradit. Probabile tamen, id contigisse die XVIII Februarii, anno CDL, quo die fit S. Flaviani memoria in Menologio Græcorum et Martyrologio Romano.* Hic iterum ex annua festivitate diem mortis temere deducit. Deinde profert argumenta, quibus contra communem chronologorum sententiam contendit, obitum S. Flaviani anno CDL illigandum esse, tum quod inter ejus depositionem et mortem longior temporis mora requiratur, tum quod illius mors in posterioribus quibusdam epistolis sileatur. Verum hæc facile refelli possunt, et jam satis explicata sunt F in Opere nostro ad diem XVIII Februarii, ubi Henschenius Acta S. Flaviani ex antiquis monumentis collegit. Quare curiosum lectorem eo remitto, præsertim cum omnia Garnerii fundamenta corruant ex diserto Theodori Lectoris testimonio, qui affirmat, quod anno CDXLIX in locum S. Flaviani substitutus fuerit

XIX S. ANATOLIUS.

Theodorus Lector asserit, S. Anatolium anno 449 ad sedem CP. evectum esse,

Cum Pinius noster Acta hujus sancti præsulis ad diem III Julii, tomo 1 istius mensis, a pag. 651 copiose illustraverit, ubi etiam fidei morumque ejus integritas contra acerbiores Baronii et Tillemontii accusationes satis vindicata est, nihil hic nobis restat, nisi ut tempus electionis ac mortis ejus diligenter investigemus. Laudatus Theodorus Lector apud Harduinum nostrum, tomo 4 Conciliorum, col. 67 de initio episcopatus illius hæc habet : *Dioscorus enim contra id, quod regulis placet, sibi ordinationem Constantinopolitani episco-*

patus

SEC. V.

patus indulgens, provehit in ejus præsulatum Anatolium quemdam, Alexandrinorum ecclesiæ responsa Constantinopoli facientem, habens præsto et Eutychem comministrantem. Ad quem Anatolius grato animo * *dixit, quod futurum erat ignorans : Quocumque ambulasti, sanctificasti. Agebantur autem hæc consulatu Protogenis et Asterii,* qui in annum Christi CDXLIX incidit.

* *al.* scite

ex quo corruit opinio Garnerii, qui mortem S. Flaviani ad annum 450 differt.

225 Hoc antiquitatis instrumentum prævalet omnibus Garnerii nostri ratiociniis, quibus contendit, mortem Flaviani, et consequenter electionem Anatolii, usque ad annum CDL differendam esse : nam dici non potest, Anatolium Flaviano viventi episcopum subrogatum esse, ut Tillemontius tomo 15 Monument. eccles., pag. 907 recte ostendit. Henricus Valesius inter aliqua historiographorum opera, quæ Parisiis anno MDCLXXIII Græco-Latine edidit, pag. 580 idem Theodori testimonium paulo aliter e Græco vertit, et ibidem ad illud notat sequentia : *Hoc insigne fragmentum de ordinatione Anatolii, episcopi Constantinopolitani, quæ facta est Asterio et Protogene consulibus, anno Christi* CDXLIX, *Baronii diligentiam fugit. Depromptum autem est ex libro primo Historiæ Theodori.* B *Nam Theodorus Lector Historiam suam exorsus est a fine librorum Socratis. Cum ergo Socrates desierit in episcopatu Procli CP., Theodorus Lector Historiam suam inchoavit ab exordio Flaviani, id est ab anno Christi* CDXLVI. Observa, Valesium hic adhærere opinioni nostræ de anno CDXLVI, quo episcopatum S. Flaviani supra inchoavimus. Jam, relictis Anatoli gestis, quæ tomo 1 Julii loco citato legi possunt, ad finem episcopatus ejus transiliamus.

et ex computato regiminis tempore sequitur, illum anno 458 obiisse.

226 Anatolium in cathedra Constantinopolitana octo annis ac totidem mensibus sedisse, tradit S. Nicephorus in Chronographia compendiaria, cui apud Bandurum plerique catalogi consentiunt. Cum his facile conciliatur Zonaras, qui libro 14 Annalium in Parisiensi editione anno MDCLXXXVII, tomo 2, pag. 51 dumtaxat octo annos ei tribuit ; neque ipsis contradicit Theophanes, dum eidem novem annos concedit : hic enim more satis usitato annos incompletos intellexit ; ille vero annos numero rotundo computavit, neglectis mensibus, quod ab auctoribus non raro fieri supra observavimus. Si igitur Anatolius Constantinopolitanam sedem ascenderit anno C CDXLIX, ut ex Theodoro Lectore ostensum est (puta initio Novembris, cui hypothesi nihil obstat) potuit anno CDLVIII moriens die III Julii, quo annua illius memoria celebratur, octo gubernationis annos ac totidem menses explere. Attamen non volumus ex annuo venerationis festo certum mortis diem deducere. Quare pro libito statue, illum anno CDXLIX circa finem Novembris aut initium Decembris S. Flaviano successisse, et consequenter exeunte Julio aut ineunte Augusto anni CDLVIII obiisse. Nobis sufficit tueri illum annum, quo Baronius, Pagius, Tillemontius aliique scriptores communiter obitum ipsius collocant.

XX S. GENNADIUS I.

S. Gennadius anno 458 ad cathedram CP. evectus,

De hujus sancti Antistitis chronotaxi etiam satis convenit inter auctores, qui exordium episcopatus illius anno CDLVIII, ac ejusdem finem anno CDLXXI consignant : cum enim post mortem Anatolii Gennadius sederit annis tredecim, quos D Theophanes et Zonaras ei rotunde tribuunt, oportet eum anno CDLXXI adhuc ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse, ut consideranti patebit. Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus his tredecim regiminis annis superaddit menses duos, ex quibus tempus mortis exactus colligere possemus, si de episcopatus initio propius constaret. Græci in Menæis impressis memoriam S. Gennadii episcopi Constantinopolitani recolunt die XXV Augusti et XVII Novembris, non autem XVII Septembris, ut Tillemontius tomo 16 Monument. eccles., pag. 75 perperam existimavit.

ad cœlum migravit anno 471.

228 Si sciremus, eum obiisse hoc ipso die XVII Novembris, quo memoria ejus in Menæis iterum agitur, possemus de mense inchoati episcopatus liberiorem conjecturam facere : nam inde sequeretur, ipsum anno CDLVIII circa medium Septembris cathedram Constantinopolitanam ascendisse, atque ita usque ad diem XVII Novembris anni CDLXXI explevisse tredecim annos ac duos menses, quos S. Nicephorus ei expresse adscribit. Certe non est improbabile, inter Anatolii mortem et Gennadii electionem spatium unius alteriusve mensis effluxisse, cum aliqui Acacium mallent eligere, ut Theodorus Lector apud Vale- E sium, pag. 553 testatur his verbis : *Mortuo Anatolio, Gennadius presbyter ecclesiæ Constantinopolitanæ in ejus locum substituitur, simul nominato quorumdam suffragiis Acacio, orphanotrophii præposito.* Sed quia hactenus nobis non liquet, utra, vel an alterutra venerationis dies cum die obitus vere conveniat, nihil determinamus, et lectori liberum de conjectura nostra judicium relinquentes, mortem ejus anno CDLXXI affigimus. Ceterum de S. Gennadii virtutibus et rebus præclare gestis hic silemus, cum ea in Opere nostro ad diem XXV Augusti vel XVII Novembris fusius sint explicanda. Interim consuli potest Tillemontius, qui tomo 16 Monument. eccles., a pag. 67 Acta ejus ex antiquis scriptoribus concinnavit.

XXI ACACIUS.

Anno 471 in locum S. Gennadii substitutus est Acacius,

Hic perfidus hæreticorum fautor in locum S. Gennadii successit anno Christi CDLXXI, ut ex tabulis Theophanis colligitur, et tempore episcopatus sui maximas in Ecclesia turbas excitavit, quas Theodorus Lector in editione Valesiana, pag. 555 ab ipso dæmone prænuntiatas fuisse sic narrat : *Gennadius cum nocte orandi gratia ad altare descendisset, dæmoniacum quoddam spectrum vidit : quod cum objurgasset, audivit illud exclamans in hæc verba, se, ipso quidem superstite, quiescere : postea vero Ecclesiam penitus vastaturum.* Sanctus Theophanes in Chronographia, Parisiis anno MDCLV Græco-Latine impressa, pag. 97 refert eamdem dæmonis prædictionem, cui partim respondit eventus : nam Acacius orthodoxam Ecclesiam, quam tranquillam et de hostibus suis triumphantem invenerat, variis dissidiorum procellis turbavit, sive quod ipsemet esset hæreticus, sicut a sancto Nicephoro appellatur, sive quod saltem impense hæreticis faveret. Non est nostrum hic enumerare diversas turbulenti istius hominis machinationes, quas fuse Baronius in Annalibus et accurate Pagius in Critica ab anno Christi CDLXXI recensent, quasque non ita pridem Tillemontius tomo 16 Monument. eccles., à pag. 285 operose collegit. Suidas in suo Lexico ad vocem Ἀκάκιος, tomo 1, pag. 117 et sequente, fraudulentam ac

simul

simul superbam hujus adulatoris indolem vivis coloribus depingit.

occultus hæreticorum fautor.

230 Sanctus Avitus Viennensis, qui tempore Acacii in Gallia florebat, perfidam illius in fide simulationem etiam indicat, et in editione Sirmondiana, pag. 19, epist. 3 ad Gundabaudum Burgundionum regem de hoc occulto hæreticorum fautore sic scribit : *Quieverat ergo post Acacii quondam Constantinopolitani sacerdotis excessum, mali ejus, quod expugnandum suscepimus, pullulans ab Eutychete persuasio, cujus idem Acacius, ut celsitudo vestra potest habere compertum, amator magis trepidus, quam assertor publicus erat; laudans quidem, quæ ab illo repererat, sed prædicare ea devoto tunc itaque impolluto populo non præsumens : pro cujus obumbratione figmenti simulati, ob gratiam imperatoris seculi sui, non impunitus tantummodo, verum et indiscussus interiit.* Hæc postrema S. Aviti verba, quæ obscuriora sunt, ita intelligo, ut significent, Acacium de hæresi convictum non fuisse, quamvis ob favorem hæreticis impensum aliaque crimina a communione Ecclesiæ rescissus fuerit, ut patet ex epistola Felicis III Papæ, quæ apud Labbeum tomo 4 Conciliorum, col. 1073 et sequentibus refertur. Vide etiam Henricum Valesium in notis ad Græcos historicos, anno MDCLXXIII editos, ubi, pag. 179 de Acacii damnatione fuse disserit.

qui post veram

231 Videtur tamen Acacius initio episcopatus sui publicum pietatis ac sinceræ fidei testimonium habuisse, cum Simplicius Papa Romanus in Labbeana Conciliorum editione col. 1078, ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos de ipso sic scribat : *Ad Christianissimum quoque principem, vel ad fratrem et coepiscopum nostrum Acacium competentia simul scripta direximus, cujus accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse, quod tacuit.* Sed inconstans præsul bonam famam, quam eo tempore adeptus fuerat, postea ob apertam cum hæreticis communionem fœde contaminavit, ut S. Ennodius in editione Sirmondi nostri pag. 483 indicat his verbis : *Fluxa ecclesiasticorum corda aut turbant, quæ in præsenti vita sunt, aut delectant : quibus Acacius, qui diro diaboli a sententia sua motus imperio, erubuit diu propugnatorem se fuisse veritatis, et clari deserens ornamenta certaminis, triumphum suum, quem, sub Basilisco, pio sudore meruerat, debellavit.*

sive fictam orthodoxæ fidei defensionem.

232 Sanctus Theophanes pag. 105 innuit, Acacium dumtaxat ex metu et ficta zeli specie Basilisco restitisse. *Hoc anno*, inquit, *cleri monachorumque Constantinopolitanorum agmine pro Chalcedonensi synodo decertante, territus Acacius, in unam cum eis ire sententiam dissimulans, ea de causa adversus Basiliscum et Zenonem ex ecclesiæ suggestu peroravit. Quo comperto, populi furorem Basiliscus metuens excessit civitate, ne quis Acacio familiaritatis aut convictus præberet consortium indicens senatui : jam enim populus igne civitatem devastare parabat.* Hinc forte Acacius apud Labbeum tomo 4 Conciliorum col. 1125, in epistola Romanæ synodi ad clericos et monachos Orientales *hypocrita* vocatur. At quocumque animo id tunc fecerit, certe postmodum aperte hæreticis favit, et contra iteratam Romani Pontificis monitionem cum iis familiariter communicavit, ob quam pervicaciam justo Sedis Apostolicæ judicio condemnatus, et ab Ecclesiæ corpore tamquam putridum membrum jure merito est abscissus, ut Gelasius I Papa in litteris ad episcopos Dardaniæ apud Labbeum tomo 4 Conciliorum a col. 1199 fuse ostendit.

SEC. V.

postmodum aperte hæreticis favit, et propterea ab Apostolica Sede excommunicatus.

233 Verum homo pertinax more hæreticorum aut schismaticorum latam a Romano Pontifice sententiam contempsit, et quamvis omni exercitio muneris episcopalis ac sacerdotalis interdictus esset, *tamen usque ad mortem, patrocinante imperatore, remansit sacrificans*, ut Liberatus diaconus in Breviario cap. 18, apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 770 loquitur. Imo jam ad quidlibet audendum obstinatus, Romanam excommunicationis sententiam nihil curavit, et Felicem Pontificem, a quo damnatus fuerat, gravi injuria affecit, sicut S. Theophanes pag. 114 tradit his paucis verbis : *Acacius absque animi motu depositionem excepit, et Felicis nomen e diptychis expunxit.* Porro Acacius usque ad mortem in pertinacia sua perseveravit, quod Gelasius I Papa in litteris ad Dardaniæ et Illyrici episcopos apud Labbeum tomo 4 col. 1197 et 1198 sic affirmat : *Nec quisquam omnino vobis persuadeat, Acacio prævaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis, jureque meruit ab Apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est.* Nunc de tempore, quo infelicem animam exhalavit, breviter disputandum est.

infelicem animam anno 489 exhalavit.

234 Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor ad annum Christi CDLXXXVIII, num. 1 ita scribit : *Qui sequitur annus quadringentesimus octogesimus octavus, duobus consulibus Dinamio atque Siphidio* * *adnotatur ; quo et finem vivendi fecit Acacius Constantinopolitanus episcopus in anathemate perseverans, cum sedisset annis (ut Nicephorus habet in Chronico) decem et septem atque mensibus novem.* At salva tanti viri pace, censeo, mortem Acacii potius anno sequente consignandam esse : nam Victor Tununensis in suo Chronico sic habet : *Eusebio V. C. cos. Acacius Constantinopolitanus episcopus sub damnatione moritur.* Eusebius autem anno Christi CDLXXXIX simul cum Probino consulatum gessit, ut apud Pagium et in Fastis consularibus notatur. Præterea eminentissimus Scriptor fatetur, a Nicephoro septemdecim gubernationis annos et menses novem Acacio adscribi. Cum igitur Acacius circa finem anni CDLXXI Gennadio successerit, oportet eum usque ad mensem Septembrem aut Octobrem anni CDLXXXIX vixisse, ut facile comperiet, qui septemdecim annos et novem menses intra illud tempus elapsos numeraverit, et superius a nobis dicta levi oculo relegere voluerit.

* *al.* Fifidio

XXII PHRAITAS, vel FLAVITAS,

alias FLAVIANUS II.

Phraitas vel Flavitas dicitur anno 489

His similibusque nominibus appellatur idem ille, qui sub finem anni CDLXXXIX Acacio successit, et de cujus electione Nicephorus Callistus, lib. 16 Histor. eccles. cap. 18 miram historiam narrat hoc modo : *Post hunc* (videlicet Acacium, cujus mortem capite præcedente retulerat) *Flavitas Constantinopolitanum suscepit episcopatum : vir, qui quidem presbyter esse visus sit sed usque adeo (ad) audaciam et improbitatem summam pervenerit, ut id, quod dicturus sum facinus, satis, qualis is fuerit, indicare possit. Zeno chartam puram in sacro reposuit altari, atque in charta alia per scriptum Deo supplicavit, ut per angeli manum,*

quæ

SEC. V.

quæ in hominum conspectum non veniret, nomen ejus adscriberet, quem cœlesti calculo Constantinopolitanæ ecclesiæ hierarcham præfectum vellet : atque ob eam rem quadraginta dierum jejunium indixit, et Deum omnes orare, ut qui illi placitus esset, ostenderet, jussit.

thronum CP. obtinuisse per impiam fraudem,

236 *Hæc ubi Flavitas cognovit, auro multo templi custodem, qui idem princeps imperialium cubiculariorum erat, corrupit, ut in charta pura nomen ejus annotaret, eamque rursus imperatoris sigillo obsignaret. Hoc ubi factum est, atque ubi constitutum jejunii præteriit tempus, sigillo in charta sublato, derepente Flavitas ingenti gloria, perinde atque a Deo designatus esset, affluens correptus est, et magnifico saltu in patriarchæ thronum is conscendit. Verumenimvero piaculum id omnipotens providentia non diu latere passa, illusionem eam scenicamque actionem quamprimum in apertum produxit : infelix enim ille cum non totos quatuor menses in sede ea transegisset, morte repentina ex hominibus sublatus est, cum ne dimidiam quidem partem muneris ejus, quo episcopalem dignitatem redemerat, corradere potuerit.*

B

quæ postmodum eruperit.

237 *Argentarii hæredibus ejus instituere, et pecuniam nuper admodum mutuo datam exegere : atque illi, quod solvendo non essent, Zenonem adiere, eique, ut eos ab acerbis illis creditoribus liberaret, supplicarunt, et rem ipsam secreto ei ipsi, qui de illa inquirebat, indicarunt. Zeno, ea audita, obstupuit, et postquam non Christum, sed chrysum, hoc est aurum potius, Flavitæ nomen in libello illo adscripsisse cognovit, judicium revera et justitiam (juxta psalmum) fecit; atque eunuchum quidem, qui sibi divinam existimationem et gloriam arrogasset, abigi ; pecuniam autem creditam ex substantia ejus dissolvi argentariis jussit.* Fides hujus historiæ sit penes auctorem, qui varia nobis monumenta conservavit ex iis scriptoribus, quorum opera jam perierunt. Attamen mirum est, veteres auctores, quorum libri etiamnum exstant, de hac fraude non meminisse. Quare de veritate hujus narrationis nihil definio, etsi Flavitas videatur hujusmodi fallaciæ capax fuisse, ut ex sequentibus patebit.

et post brevem aliquot mensium gubernationem,

C

238 Liberatus diaconus in Breviario cap. 18, apud Labbeum tomo 5, col. 761 de ipso sic scribit : *In istis posita ecclesia, moritur Acacius, et ordinatur post eum Flavitas presbyter, qui fuit a sancta Thecla, qui non consensit sine Romano episcopo inthronizari; sed transmisit synodicam Papæ Romano Felici.* Interea tamen contra expressam Romani Pontificis voluntatem cum Petro Mongo communicabat, ut Euagrius lib. 3 Hist. eccles. cap. 23 tradit his verbis : *Inter hæc Acacio Constantinopolitano fatali sorte sublato, Fravita in ejus locum succedit : qui cum synodicas suas ad Petrum misisset, rescripsit ei vicissim Petrus, de Chaldedonensi synodo eadem dicens, quæ supra commemoravi. Mortuo deinde Fravita, qui quatuor dumtaxat menses episcopatum gessit, Euphemius ejus loco episcopus est ordinatus. Hic accepit synodicas epistolas, quas Petrus ad Fravitam scripserat : cumque in illis anathematizari gesta Chalcedonensis synodi deprehendisset, magnopere conturbatus est, seque a Petri communione sejunxit.* Horum postea juverit meminisse.

perfidamque Romanæ Ecclesiæ deceptionem

239 Sanctus Theophanes pag. 114 eamdem Flavitæ perfidiam ita clarius exponit : *Acacio defuncto, Phravitas tres menses episcopatu potitus, Felici litteris significat, se cum illo quidem communionem habere, cum Petro Mongo nullam. In adversum Mongo scribit, se cum illo communione conjungi, a Felice vero se penitus alienum.* Non ignoro, a Tillemontio tomo 16 Monument. eccles. pag. 768 contra hoc Theophanis testimonium aliquam difficulatem moveri; at ea solvi potest, si dicantur aliquæ Felicis Pontificis epistolæ intercidisse, sicut ipsemet Tillemontius tomo proxime citato pag. 386 fateri cogitur, quamdam ejusdem Papæ epistolam periisse, quam ad archimandritas Constantinopolitanos scripserat. Quidquid sit, saltem ex laudato Euagrio habemus, Flavitam cum Petro Mongo communicasse, et colligimus ex responsoria Felicis Papæ epistola, quæ apud Labbeum tomo 4 Conciliorum a col. 1089 legi potest, ipsum eodem tempore ad Romanum Pontificem dedisse litteras, Catholicæ fidei zelo et unionis amore plenas, adeoque juxta Græcam parœmiam ex eodem ore calidum et frigidum efflavisse. D

240 Verum simulator ille non diu Romanæ ecclesiæ illusit, ut patet ex S. Nicephoro patriarcha, qui brevem ejus episcopatum ita indicat : *Phraitas presbyter sanctæ Theclæ Sycarum mensibus* III, *diebus* XVII. Cum hoc computo facile conciliantur, qui ipsi tribuunt quatuor menses, nempe incompletos, aut qui dumtaxat tres, non numeratis septemdecim diebus, prout supra semel atque iterum diximus. Joannes Zonaras in Annalibus tomo 2, pag. 54 ei *menses tres cum semisse* adscribit. Videtur itaque Flavitas circa finem anni CDLXXXIX (puta ineunte mense Decembri) in locum Acacii suffectus esse, et consequenter mense Martio anni CDXC e vivis excessisse.

circa mensem Martium anni 490 mortuus est.

E

XXIII EUPHEMIUS.

Juxta jam traditam chronotaxin potuit Euphemius exeunte Martio anni CDXC in locum Flavitæ successisse, de cujus Catholico zelo Theophanes pag. 115 ita scribit : *Phravita tandem mortuo, Euthymius * presbyter, et pauperum in urbe Neapoli curator, Constantinopolitanum episcopatum assecutus est. Is extemplo Petri Mongi nomen e sacris tabulis erasit manibus propriis, et Felicis Pontificis Romani reposuit, atque ita consedit in throno.* Dein pagina sequente hæc notatu digna addit : *Hoc anno synodales Euphemii litteras Felix accepit, et, ut Catholico, communionis impertiit consortium haud tamen episcopum agnovit, quod Acacii, quique in episcopatu successerat, Phravitæ nomen e tabulis ecclesiasticis non expunxerit.* Nicephorus Callistus lib. 16 Hist. eccles. cap. 19 similia habet, et modum suspensæ communionis inter Felicem Papam et Euphemium episcopum Constantinopolitanum paulo aliter sic exprimit. *Porro Papa scripta quidem illius recepit et Euphemio veluti orthodoxo favit; sed illum in episcopalem communionem non admisit.*

Euphemius anno 490 cathedram CP. ascendit,

* *lege* Euphemius

F

242 Hinc liquet, Euphemium fuisse apprime Catholicum, quamvis Joannes Malala, Oxonii anno MDCXCI Græco-Latine editus, parte 2 Historiæ chronicæ pag. 116 illum ita calumnietur : *Eodem imperante* (videlicet Anastasio) *Euphemius patriarcha Constantinopolitanus, ut qui Nestorii partibus adhæserat, sede sua deturbatus, in Euchaïtam Ponti relegatus est, suffecto in locum ejus Macedonio, qui et ipse ob hæresim Nestorianam ejectus est.* Dionysius patriarcha Antiochenus, apud Assemanum tomo 1 Bibliothecæ Orientalis pag. 406 relatus, Euphemium ejusdem hæreseos ita falso

qui falso hæreseos accusatur,

insimulat :

A insimulat : *Anno* DCCCIX (is annus DCCCIX Græcorum, anno Christi CDXCVIII respondet, adeoque a vera chronologia aberrat, ut postea ostendetur) *pulsus fuit in exilium Euphemius Constantinopolitanus episcopus, eo quod Nestoriana hæresi laborare deprehensus est, eique Macedonius subrogatus.* Verum eruditissimus Assemanus ad hunc Dionysii locum recte notat sequentia : *Quod autem Euphemius Nestoriani erroris a Dionysio accusatur, mirum non est, cum Dionysius Monophysita fuerit; Monophysitæ vero Catholicos synodi Chalcedonensis propugnatores, qualis Euphemius fuit, Nestorianismi insimulare consueverint.* Ex his colligimus, illam heterodoxorum calumniam exortam esse, quia scilicet, teste Theophane, *Euphemius Constantinopolitanus præsul, coactis, qui tum in urbe versabantur, episcopis, sanctam Chalcedonensem synodum confirmavit.*

quamvis edicto Zenonis imprudenter subscripserit

243 Attamen Euphemius edicto Zenonis imperatoris, quod Græce ἑνωτικὸν id est *unitivum* vulgo vocabatur, et in quo tacita concilii Chalcedonensis abrogatio dolose latebat, nimis facile et imprudenter subscripsit, ut ex verbis Theodori B Lectoris apud Valesium, pag. 566, satis eruitur: *Cum omnes alii patriarchæ,* inquit, *Zenonis Henotico consensissent, solus Romanæ urbis Episcopus Felix communicare ei noluit.* Idem colligitur ex Liberato diacono, qui in Breviario, cap. 18, apud Labbeum, tomo 5, col. 761 de communi Henotici subscriptione hæc memorat : *Non post multum tempus moritur et Petrus Moggus Alexandriæ, et post eum in ea sede ordinatur Athanasius, qui et ipse in edicto* (scilicet *unitivo* Zenonis admittendo, ut ibidem paulo inferius exprimitur) *Constantinopolitanæ et Antiochenæ et Hierosolymitanæ communicavit ecclesiæ.* Inter hos omnes haud dubie comprehenditur Euphemius, qui ab ipso Zenone ad cathedram Constantinopolitanam evectus est. Ceterum quomodo post mortem Zenonis Euphemius odium Anastasii imperatoris incurrerit, ac demum ab ipso e sede sua pulsus fuerit, apud Theodorum Lectorem, Theophanem, aliosque historiæ ecclesiasticæ scriptores facile invenietur. Nos jam investigabimus probabiliorem exauctorationis istius annum, de quo etiam inter antiquos chronologos non convenit.

et qui injuste ab Anastasio imperatore

244 Marcellinus Comes in suo Chronico exauctorationem et exsilium Euphemii ita refert : *Indictione* III *Viatore solo cos.* (hic consulatus certe C annum Christi CDXCV denotat) *Euphemius augustæ civitatis antistes, de quo superius fecimus mentionem, falso ab Anastasio principe accusatus atque damnatus, in exilium ductus est.* Marcellini chronologiam secutus est eminentissimus Baronius, dum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CDXCV, num. 21 et 23 sic scripsit : *Sed et in Acacii fautorem Euphemium, Constantinopolitanum antistitem, Deus pariter ultus est, cum eum (ut diximus) per Anastasium imperatorem in exilium duci voluit..... Passus hæc quidem est Euphemius, licet injuste et a perfido imperatore Catholicæ fidei adversario; quod tamen contempsisset parere Romanis Pontificibus in abdicatione Acacii nominis, meruit ipse justo Dei judicio abdicari.* An eminentissimus scriptor hic perperam insultarit Euphemio in calamitate, ut Tillemontius contendit, paulo post videbimus, interea examen chronologicum prosecuturi.

in exsilium ejectus est verosimiliter anno 496,

245 Victor Tununensis eamdem Euphemii depositionem anno sequente sic narrat: *Paulo V. C. cos.* (hujus autem Pauli consulatus anno Christi CDXCVI respondet) *Anastasius imperator hæreticorum synodum faciens, Henoticum Zenonis confirmat, et Euphemium episcopum Constantinopolitanum, Chalcedonensis synodi defensorem, deponit, quem Euchaïda in exilium mittens, pro eo Macedonium facit.* Confirmatur hic annus ex bello Isaurico, quod *cum..... quinque continuos annos durasset,* (nempe computato simul quinto anno, qui currebat) *Anastasius belli pertæsus, arcanum suum aperuit Euphemio Constantinopoleos episcopo, se nimirum pacem optare,* ut Theodorus Lector apud Valesium, pag. 559 loquitur. Cœpit autem hoc bellum Isauricum juxta Marcellini Comitis Chronicon *Indictione* XV, *Anastasio Aug. et Rufo coss.*, sive anno Christi CDXCII, et consequenter anno Christi CDXCVI quintus istius belli annus fluebat. Hæc testimonia nos movent, ut depositionem Euphemii potius anno CDXCVI, quam CDXCV, collocemus ; cui opinioni nostræ sequens administrati episcopatus computus adstipulatur.

SEC. V.

ut etiam ex probabiliore administrati episcopatus tempore,

246 Theophanes in suis tabulis chronologicis Euphemio septem administrationis annos adscribit, quos incompletos accipere oportet : cum enim Euphemius exeunte Martio anni CDXC, ut supra statuimus, ecclesiam Constantinopolitanam regere cœperit, post Martium anni CDXCVI septimus gubernationis annus currebat. Hos autem E annos ita incomplete accipiendos esse, probat distinctior computus Nicephori patriarchæ, qui in Chronographia compendiaria, pag. 414 sic habet : *Euphemius presbyter Constantinopolitanus et pauperum curator Neapoleos, annis* VI. *mensibus* III. At compendiaria ejusdem Nicephori Chronographia, quam Bandurus non ita pridem ex codice regio excerpsit, et tomo 1 Imperii Orientalis a pag. 187 inseruit, Euphemium *annis* VI, *mensibus* VI in cathedra Constantinopolitana sedisse affirmat. Huic posteriori Nicephori editioni consentit Nicephorus Callistus, dum ibidem pag. 193 ait, Euphemium *annis sex cum dimidio* ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse.

seu annorum computo conjicimus,

247 Imo in quibusdam catalogis apud eumdem Bandurum dicitur Euphemius *annis* XVI, *mensibus* VII episcopatum gessisse. Sed haud dubie numerum denarium annis adjecit oscitantia librarii, quem errantem alii incaute secuti sunt. Catalogus Labbeanus ei rotunde sex annos tribuit. Cum igitur Nicephorus patriarcha circa menses in duabus editionibus Græco-Latinis secum pugnet, videtur nobis relicta libera electio utriuslibet editionis, quæ cum annis successoris ejus facilius F poterit conciliari. Malumus tamen eligere editionem Bandurianam, in qua sex anni et sex menses Euphemio tribuuntur, quia plerique catalogi circa numerum mensium cum hac editione concordant, dum sex menses numero annorum superaddunt. Unde sequitur, Euphemium exeunte mense Septembri anni CDXCVI e sede sua deturbatum fuisse, ut calculos subducere volenti patebit.

quocumque demum mortis genere,

248 Nostra parum interest, quo modo, quove tempore Euphemius obierit, quia ei in exsilium abeunti Macedonius statim successit, quod ad continuam præsulum Constantinopolitanorum seriem texendam sufficit. Ut tamen curioso lectori, quantum breviter fieri potest, plene satisfaciamus, modum mortis indicamus ex Libello synodico, qui apud Labbeum, tomo 4 Conciliorum, col. 1415 sic habet : *Anastasius igitur imperator Macedonium Constantinopolitanum innumeris circumventum criminationibus, solioque exturbatum, Gangras in exilium exegit : nec multo post etiam ipsum, et qui ante eum fuerat, Euphemium, quod ad Gotthos confugissent, et seipsos invisissent, patriarchas gladio punivit.* Theophanes, qui pag. 138

ex

SEC. V.

ex aliorum fide similem Macedonii mortem refert, ibi de Euphemio non meminit. Quare hanc violentam Euphemii mortem eruditis ulterius indagandam relinquimus.

aut seculi sexti anno postea interierit.

249 Victor Tununensis tempus ejusdem mortis nobis ita indicat : *Florentio V. C. cos. Ugni Armeniam, Cappadociam, et Galatiam Pontumque atrociter vexavere. Eo tempore Euphemius Constantinopolitanus episcopus apud Ancyram Galatiæ, et Ariadne Augusta in regia urbe, de hac vita transiere.* Cum autem anno Christi DXV Florentius in Occidente consulatum gesserit, et tunc Ariadna imperatrix Constantinopoli vivere desierit, verosimillime concludo, Euphemium eodem anno DXV ex hac vita migrasse. Non ignoro Tillemontium, tomo 16 Monument. eccles., pag. 806 et 807 huic anno dubitationem quamdam opponere, cui fuse respondere, non est operæ pretium. Sed idem scriptor occasione Euphemii nobis suggerit aliam disserendi materiam, ad quam discutiendam jam paulisper ab instituto itinere deflectemus.

B

PARERGON IV.

Occasione Euphemii et Macedonii præsulum Constantinopolitanorum audax Tillemontii effatum examinatur.

Tillemontius inter alia cruda sua dicta asserit,

Tillemontius, aut quisquis posthuma illius scripta edidit et forte interpolavit, sæpius Sedem Apostolicam et summos Ecclesiæ Pontifices modesta malignitate vellicat, et subinde ambiguis aut duris suis phrasibus prodit animum, ut mitissime dicam, nonnihil ab Ecclesia Romana alienum. Sic tomo 16 Monument. eccles., a pag. 725 refert, quomodo præsules Orientales in magno ecclesiarum suarum periculo per litteras ad Symmachum Papam confugerint, et opem ipsius frustra imploraverint. Deinde ibidem, pag. 727, quasi Orientalium advocatum et simul causæ judicem agens, contra sanctum Pontificem et Ecclesiam Romanam ita crude pronuntiat : *Nescio, an Orientales etiam recurrerint ad episcopos Galliarum; sed in regione tam longe a se dissita inter ipsos barbaros et Arianos repererunt plus bonæ voluntatis, quam Romæ invenerant.* An hæc sententia digna est scriptore, qui genuinus Ecclesiæ filius vult videri? An ingenuus filius tam contemptim de matre sua loqui solet, ut maternum ejus affectum bonæ barbarorum et hæreticorum voluntati postponat? Nonne hic de inhumana duritie et gravi muneris sui negligentia condemnat S. Symmachum, cujus præclara gesta ad diem XIX Julii ex antiquis auctoribus illustravimus?

C

Sanctos quosdam extra communionem Ecclesiæ Romanæ mortuos fuisse.

251 Sed hæc et similia Tillemontii axiomata hic nos morari non debent, qui dumtaxat unum ex iis discutiendum suscepimus, quod proxime, citato tomo 16, pag. 661 et sequente in Actis Euphemii ita profert : *Valde mirum est, quod Baronius insultet in depositionem Euphemio tam gloriosam, quæ potuit delere culpas, quas tempore episcopatus sui commiserat, puta subsignando Henotico, et quæ facit, ut ei titulum confessoris denegare non possimus : nam si omnes illi, qui moriuntur* EXTRA COMMUNIONEM ROMANAM, *non possint mereri titulum Sanctorum aut confessorum, ipsius erat* (nempe Baronii) *expungere ex Martyrologio S. Meletium et S. Flavianum Antiochenos, S. Eliam Hierosolymitanum, et S. Danielem Stylitam, e quibus tres posteriores, quantum scimus, non ita impense, sicut Euphemius, laborarunt ad illam communionem obtinendam. Quod si Græci, qui exiguo libertatis suæ tempore Euphemium ejusque successorem Macedonium, tamquam sanctæ memoriæ episcopos, solenniter in diptycha referri curaverant, tandem ecclesiasticæ pacis causa cesserint Romæ urgenti, ut eos expungerent, per Romam non stetit, quin S. Flavianus et S. Elias eadem injuria afficerentur; et tota Hormisdæ auctoritas non impedit, quo minus hodiedum publice inter Sanctorum numerum recenseatur Macedonius, etsi gravius deliquerit, quam Euphemius.* In hoc textu Gallico Latine reddendo potius fidelis quam elegans esse volui. D

et id aliquibus exemplis frustra probare nititur.

252 Ceterum Tillemontius, eodem tomo 16, pag. 372 et 708 similem doctrinam semel atque iterum repetit, et lectoribus suis (nescio qua intentione aut utilitatis specie) inculcare conatur. Argumenta, quæ ex Meletii Antiocheni aliorumque Sanctorum gestis falso eruit, hic sigillatim refutanda esse non arbitror, ne operose actum agam, et longiorem disputationem, quæ hic a scopo meo nimis diu aberraret, cogar instituere. Quare curiosum lectorem ad Opus nostrum remitto; et quidem pro S. Meletio ad diem XII Februarii ac Tractatum de patriarchis Antiochenis, qui tomo IV Julii nostri præfixus est. Acta vero SS. Flaviani et Eliæ ad diem IV Julii illustrata sunt. Adde, quod Victor Tununensis in suo Chronico apud Schottum nostrum, tomo 4 Hisp. illust. pag. 134, de hoc Flaviano sic scribat : *Cethego V. C. coss. Flavianus Antiochenus episcopus sera pœnitentia Anastasium imperatorem deserit.* Die autem XI Decembris, quo S. Daniel Stylita in Martyrologio Romano refertur, facile ostendi poterit, falsa esse ea, quæ de illo adversarius tam confidenter affirmat. Imo satis apparebit ex his ipsis, quæ de Euphemio et S. Macedonio jam per decursum dicturi sumus, quid sentiendum sit de aliis Sanctorum exemplis, quæ Tillemontius perperam allegat : hæc enim argumenta adeo sunt similia, ut, si unum solveris, omnia solveris. Nunc durum ipsius ratiocinium, quod numero præcedente fideliter ex Gallico idiomate Latinum fecimus, maturo animo expendamus. E F

Ex quibusdam historiis sacræ Scripturæ concludimus,

253 Imprimis non videtur eminentissimus Baronius Euphemio insultare, dum exauctorationem ejus putat a Deo permissam esse, eo quod Romano Pontifici non paruerit : nam lib. 3 Regum, cap. 13 legimus, pium Domini prophetam a leone occisum esse propter levem inobedientiam, quæ ab interpretibus communiter multum minuitur, quia deceptus fuerat ab alio propheta, qui falso asserebat, se contrariam revelationem accepisse. Sic etiam, testantibus sacris Litteris, exigua quædam diffidentia Moysen a terra promissionis exclusit, muliebris curiositas uxorem Loth in statuam salis commutavit, inanis gloriola in computando populo Davidem septuaginta millibus subditorum privavit, vana opum ostentatio Ezechiam thesauris suis spoliavit. An his Dei amicis insultat, qui eorum punitionem divinæ ultioni adscribit? Quam igitur injuriam Baronius infert Euphemio, dum a Deo punitam dicit ejus inobedientiam, quam ipse graviorem et schismaticam fuisse existimabat?

Baronium non esse injurium Euphemio,

253 His adde, quod Euphemius Henotico Zenonis subscripserit, et forte alias culpas commi-

serit,

serit, quas Tillemontius non inficiatur. Quis itaque miretur, quod justus Deus Euphemium exauctorari et in exsilium pelli permiserit, atque ita prævaricationem ejus ulcisci voluerit? Neque refert, illum exsilio aliisque miseriis ab improbo imperatore afflictum fuisse : sic enim Deus homicidium et adulterium Davidis vindicavit scelerata Absalonis rebellione, malisque ex ea consecutis, ut lib. 2 Regum, cap. 12 prædixerat. Quis tamen injurius est Davidi, dum dicit, hæc mala a Deo permissa fuisse, eo quod Dominum offendisset?

quæ conclusio etiam verbis S. Augustini confirmatur.

255 Præterea an in persecutiones Paulo Apostolo tam gloriosas censendus est insultare S. Augustinus, qui Enarratione in psalmum 36, serm. 2 in novissima editione tomo 4, col. 200 Ananiæ, qui Saulum suscipere verebatur, Dominum ita respondentem inducit : *Et contra Dominus : Sine, inquit, ego illi ostendam, quæ illum oporteat pati pro nomine meo. Reddam illi, inquit; vindicabo me de illo, et patietur pro nomine meo, qui sævit in nomen meum. Erudio vel erudivi per eum alios, erudiam et ipsum per alios.* Deinde ibidem sanctus Doctor, hanc divinæ ultionis prædictionem impletam esse affirmat his verbis : *Factum est hoc ; et novimus, quanta sustinuerit Saulus ; multo plura, quam fecerat, quasi avarus exactor cum usuris recepit, quod dederat.* Idem sanctus præsul Hipponensis Enarratione in psalmum 108 tomo proxime citato col. 918 significat, S. Paulum persecutione Judæorum afflictum fuisse, quia ipse Christianos antea persecutus fuerat. Denique sanctus Doctor lib. 18 De civitate Dei cap. 51 sic scribit : *Saulus, qui postea Paulus Apostolus factus est, vastabat Ecclesiam ; ubi ipse quoque jam fidem, quam persequebatur, evangelizans, qualia faciebat, est passus.* Quid igitur peccasset Baronius, depositionem Euphemii Deo vindici attribuens, etiamsi cum aliis scriptoribus inobedientiam illam a graviori culpa et schismate exemisset?

Imo Baronius recte argumentatur

256 At, inquies, Baronius clare supponit Euphemium extra communionem Ecclesiæ Romanæ mortuum esse, ac propterea injurias pro fide orthodoxa toleratas nihil ipsi ad salutem consequendam profuisse, dum ad annum Christi CDXCV num 23 ita scribit : *Passus hæc quidem est Euphemius, licet injuste et a perfido imperatore, Catholicæ fidei adversario : quod tamen contempsisset parere Romanis Pontificibus in abdicatione Acacii nominis, meruit ipse justo Dei judicio abdicari. Sic plane qui gloriosum fuisset confessionis ob hæc, quæ passus est, titulum consecutus, quod ab ipsa Romana Ecclesia minime meruit ad communionem admitti (extra quam nulla potest esse, ex sententia Patrum, vera confessio, neque martyrium) infelix decessit inglorius, et postea (ut dicemus) nomen ejus e diptychis est sublatum.* Hic adversarium volebam, ac ista objicientem audire cupiebam, ut ex infra dicendis intelliges.

in sua hypothesi,

257 Interim respondeo, Baronium in sua hypothesi, quam tamen ob rationes postea proferendas non admittimus, recte argumentari, quandoquidem sancti Patres concordi voce clamant, quod extra communionem Ecclesiæ salus æterna sperari non possit. Audi præter alios S. Cyprianum, qui occasione schismatis Novatiani hanc doctrinam Carthaginensibus suis studiose inculcat in opusculo De unitate Ecclesiæ, ubi in editione Pameliana pag. 257 inter alia de schismaticis hæc pronuntiat : *An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est...... Cum Deo manere non possunt, quia esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt : ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Si ergo Euphemius *extra Christi Ecclesiam* collectus fuerit, ut cum S. Cypriano loquar, nonne Baronius juxta jam traditam Cypriani sententiam legitime infert, exsilium aliasque ærumnas ab Euphemio toleratas nihil ipsi ad salutem æternam profuisse? Nonne ex his recte sequitur, Euphemium non posse nominari sanctum aut verum Christi confessorem?

quæ Tillemontio evertenda erat.

258 Quod si quis Tillemontii defensor opponat, falsam esse hypothesin, ex qua Baronius talem conclusionem deduxit; quæro, cur Tillemontius falsitatem istius hypotheseos non ostenderit, ac suffoderit fundamentum, quo tota Baronii argumentatio nitebatur. Certe fundamento illo everso, omnia ei susperstructa consectaria corruebant. Interim adversarius, transmisso aut concesso antecedente, solam Baronii consequentiam ita oppugnat : *Si omnes illi, qui moriuntur extra communionem Romanam, non possint mereri titulum Sanctorum aut Confessorum, ipsius erat* (nempe Baronii) *expungere ex Martyrologio S. Meletium et S. Flavianum Antiochenos, S. Eliam Hierosolymitanum, et S. Danielem Stylitam, e quibus tres posteriores, quantum scimus, non ita impense laborarunt, sicut Euphemius, ad illam communionem obtinendam.* Numquid hoc loco Tillemontius implicite asserit, Euphemium et quatuor alios extra communionem Ecclesiæ Romanæ mortuos esse, et nihilominus recte sanctos aut confessores vocari? Si id indicare non voluerit, quomodo affirmare potuit, Euphemium impensius, quam alios tres ibi memoratos, operam dedisse, ut communionem Ecclesiæ Romanæ obtineret? Itaque supponit, illos caruisse ea communione, ad quam obtinendam plus aut minus laborarunt, et extra quam tamen, ipso teste, obierunt.

et quam ex regulis sanctorum Patrum

259 Huic Tillemontiano ratiocinio, quod aures nostras vehementer offendit, præter superius relata S. Cypriani verba, opponimus S. Fulgentium, qui de Fide ad Petrum diaconum cap. 39 ita scribit : *Firmissimum tene et nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* Juvat etiam audire S. Pacianum Barcinonensem, qui in epistola secunda ad Symphorianum ita loquitur : *Porro etiamsi passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus : etiamsi occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui martyr est.*

solide impugnare potuisset.

260 Tillemontius juxta hanc tutissimam sanctorum Patrum regulam sic ratiocinari debuisset : Nullus extra Ecclesiam potest esse verus martyr aut sanctus confessor : ergo Meletius, Flavianus, Macedonius, et reliqui non obierunt extra Ecclesiam, quandoquidem Ecclesia illos, ut sanctos, veneratur. Tum deinde ex his contra Baronium consequenter concludere potuisset, Euphemium non obiisse schismaticum, eo quod ipsi de nomine

SEC. V.

Acacii eradendo communis causa fuerit cum Macedonio, aliisque, quos Ecclesia sanctos agnoscit. Sed forte in gratiam contubernalium suorum maluit adversarius adhibere aliud argumenti genus, quo etiam freti hodiedum Janseniani et Quesnelliani dogmaticis summorum Pontificum decretis pertinaciter resistunt, Vaticana fulmina rident, et publice ab Ecclesia poscriptam suam hæresim mordicus tuentur.

Certe tunc adversarius non favisset novis hæreticis.

261 Hinc isti iniquitatis filii cum antiquioribus hæreticis identidem objiciunt exemplum S. Cypriani, quem contendunt decisioni Stephani Papæ constanter restitisse, et tamen extra communionem Ecclesiæ Romanæ vera martyrii laurea coronatum fuisse. Si mihi luberet aut potius hoc loco liceret illam SS. Cypriani ac Stephani historiam fusius discutere, facilis et abundans materia statim ad manum esset : tantummodo enim in compendium redigere deberem libellum Gallicum, qui nuper hanc rem contra novatores erudite tractavit, ac Parisiis anno MDCCXXV prodiit sub hoc titulo : *Dissertatio theologica de celebri controversia inter S. Stephanum Papam, et S.* B *Cyprianum episcopum Carthaginensem, ubi explicatur genuina mens S. Augustini circa hanc disceptationem.* Sed ea Dissertationis theologicæ synopsis nos longius a via abduceret, ac in hoc satis prolixo parergo nimis diu detineret. Quare lectorem mittimus ad Acta S. Stephani Papæ, die II Augusti illustranda, et ad laudatum libellum Gallicum, aliosque obvios Ecclesiæ defensores, qui hanc hæreticorum cavillationem toties totque modis refutarunt, ut supervacaneum sit, hic fuse responsa eorum accumulare.

qui similibus cavillationibus

262 Nos interim urgere pergimus adversarium, qui summum Pontificem et Ecclesiam Romanam ab Ecclesia Catholica distinguit, ut jam memorata sanctorum Patrum testimonia eludat. Hanc distinctionem, qua etiam novatores rebellionem suam contra Sedem Apostolicam colorare nituntur, in citato tomo 16 Monumentorum ecclesiasticorum tacite et astute indicat, dum ibi pag. 697 de Euphemio et Macedonio asserit, eos *non fuisse schismaticos, sed episcopos sanctissimos, et cum Ecclesia conjunctissimos.* At cum qua Ecclesia, dic amabo, tam conjuncti fuerunt? An cum Romana? Hoc sane Tillemontius affirmare non C potest, cum alibi sæpe repetat, illos extra communionem Ecclesiæ Romanæ obiisse. Quomodo igitur hi episcopi in Ecclesia et simul extra Ecclesiam esse potuerunt? Quomodo adversarius hoc parodoxum explicabit, nisi dixerit, Euphemium et Macedonium a summo Pontifice et Ecclesia Romana fuisse separatos, et tamen cum Ecclesia Catholica maxime unitos mansisse?

errores suos contra Sedem Apostolicam cum pertinacia tuentur.

263 Verum hac distinctione Tillemontius occulte novis Ecclesiæ hostibus subministrat arma, quibus præcipuum Catholicorum telum repellere nequidquam conantur : mirifice enim recentioribus nostræ ætatis schismaticis ac hæreticis placet illa doctrina, quam famosis suis libellis ad nauseam inserunt, et simplicioribus Catholicis importune obtrudunt. Fortasse adversarius sensit, sese hoc modo illis novatoribus favere, atque ideo opinionem suam tam obscuris verbis involvit, ut ex duobus locis simul sumptis genuina illius mens fuerit eruenda, quam alterutro loco clarissime aperire potuisset. An videbat, se perspicua sententiæ suæ explicatione nimis aperte patrocinaturum fuisse Jansenianis et Quesnellianis, qui ubique gloriantur, sese cum Ecclesia Catholica conjunctissimos esse, dum interea omnem summi Pontificis et Romanæ Ecclesiæ auctoritatem procaciter explodunt? An verebatur, D ne manifesta mentis suæ declaratione nimium offenderet quosdam Catholicorum animos, quibus olim tradita Christianæ doctrinæ elementa obedientiam ac venerationem erga summum Pontificem et Romanam Ecclesiam a teneris inspirarunt? Quacumque de causa id fecerit, saltem ex his Tillemontii textibus inter se collatis patet, quod summum Pontificem et Romanam Ecclesiam ab Ecclesia Catholica distinxerit, ut se præfatis sanctorum Patrum testimoniis extricaret.

Sed effugio Tillemontiano S. Irenæus martyr,

264 Sed huic effugio jam diu viam præcluserunt iidem sancti Patres, atque inter alios antiquissimus Irenæus, sanctitate et martyrio illustris dum lib. 3 adversus hæreses cap. 3, de Romana ecclesia sic disserit : *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maxime et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes,* E *confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui* * *placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet, colligunt :* AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM, NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, HOC EST EOS, QUI SUNT UNDIQUE FIDELES, *in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Sanctus præsul Lugdunensis his verbis indicat, quod omnes particulares ecclesiæ, earumque fideles subditi huic Ecclesiæ Romanæ debeant adhærere, adeoque eam agnoscit Catholicam propter universalem rerum sacrarum potestatem, quam in omnes ecclesias inferiores jure potest exercere. Observationes Francisci Feu-ardentii in hunc S. Irenæi textum legi merentur.

* *al.* sibi

S. Cyprianus martyr,

265 Similiter de Romano Pontifice sensit inclytus Africæ martyr Cyprianus, qui litteras suas responsorias ad Antonianum in jam laudata Pamelii editione pag. 91 sic incipit : *Accepi primas litteras tuas, frater carissime, concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinentes et Catholicæ Ecclesiæ cohærentes, quibus significasti, cum Novatiano* F *te non communicare, sed sequi consilium nostrum, et cum Cornelio coepiscopo nostro* (is tunc Romanæ Ecclesiæ præerat, et Pontificatum suum non diu post gloriosa martyrii laurea decoravit) *unum tenere consensum. Scripsisti etiam, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni solicitudine jam sciret, te* SECUM, HOC EST CUM CATHOLICA ECCLESIA *communicare.* Vides S. Cyprianum hic inter Pontificem Romanum et Ecclesiam Catholicam non distinguere; ita ut cum Catholica Ecclesia communicare censeret illum, qui cum S. Cornelio Papa communicabat? Nonne hinc converso argumento inferri potest, illos ab Ecclesia Catholica segregari, qui a communione Romani Pontificis avelluntur; sicut recte dicitur membrum a corpore separari, quod a vivo capite abscinditur?

S. Optatus Milevitanus

266 Sanctus Optatus Milevitanus lib. 2 De schismate Donatistarum adversus Parmenianum ita argumentatur : *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum*

caput

A *caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent : ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus.* Deinde enumerat reliquos S. Petri in Romana Cathedra successores usque ad Siricium tunc viventem, quocum se communicare asserit, et ex ea communione ostendit, sese esse in vera Ecclesia, a qua Donatistæ excludebantur, quamvis eam suæ sectæ perperam vindicarent. Tum paulo inferius Donatistas ita interrogat : *Unde est ergo, quod claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris præsumptionibus et audaciis, sacrilegio militatis?* Denique eosdem schismaticos sic hortatur : *Intelligite vel sero, vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscisos palmites a vite, vos esse rivum concisum a fonte.* His similitudinibus et argumentis indicat, illos ab Ecclesia Catholica avulsos esse, eo quod Apostolicæ Sedi nollent adhærere, et contra Cathedram Petri sacrilege militarent. B

S. Eulalius episcopus Syracusanus,

267 In Vita S. Fulgentii, quam discipulus ejus conscripsit, et quam Bollandus noster die I Januarii exhibuit, capite 12 narratur, quomodo Sanctus ille ad eremum Thebaïdos proficisci voluerit, ut ibi austeriorem vitam duceret. Verum S. Eulalius, episcopus Syracusanus, apud quem S. Fulgentius in via hospitabatur, dissuasit illi iter cœptum prosequi, proposita hac sola ratione : *Terras*, inquit, *ad quas pergere concupiscis, a communione beati Petri perfida dissensio separavit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi solatiis spiritualibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Revertere, fili, ne vita melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris.* Sanctus itaque antistes ille judicabat, omnes orationes, vigilias, aliasque corporis afflictationes nihil istis monachis prodesse, adeoque ab Ecclesia omnino exclusos fuisse eos, quos *a communione beati Petri, perfida dissensio* separaverat. Haud dubie tamen monachi illi contendebant, se in Ecclesia Catholica permanere, etsi satis scirent, se C a communione beati Petri seu Ecclesiæ Romanæ separatos esse.

et S. Maximus

268 Sanctus Maximus, qui pro orthodoxa fide vincula et tormenta fortiter sustinuit, hanc Tillemontianam distinctionem etiam ignoravit : nam tomo 2 Operum suorum, quæ Combefisius anno MDCLXXV Parisiis Græco-Latine edidit, pag. 76 ita scribit : *Omnis, qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat,* SEDEM ROMANAM, ID EST CATHOLICAM ECCLESIAM, *anathematizat.* Hic iterum vides, Sedem Romanam ab Ecclesia Catholica non distingui, adeoque Tillemontium cum aliis temere ad talem confusionem confugere. Paulo post idem Sanctus Catholicæ fidei propugnator ibidem citata pag. dicit, Pyrrhum frustra laborare, dum se apud alios excusare nititur, *et non satisfacit et implorat* SANCTISSIMÆ ROMANORUM ECCLESIÆ BEATISSIMUM PAPAM, ID EST APOSTOLICAM SEDEM, *quæ ab incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos, universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem, et potestatem ligandi et solvendi.*

269 Cum igitur S. Maximus hic primo nullum discrimen faciat inter *Sedem Romanam* et *Catholicam Ecclesiam;* deinde autem inter *Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam* ac *Apostolicam Sedem* non distinguat, juxta axioma Philosophorum : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, non inepte concludo, summum Pontificem, Cathedram Romanam, Sedem Apostolicam, aliaque id genus synonyma, quibus sancti Patres promiscue utuntur, in materia dogmatica ab Ecclesia Catholica non differre. Plura de hac re videri possunt in quodam Tractatu de schismate, qui non ita pridem in Belgio primum Gallice ac postmodum Latine impressus est : nam nobis hic diutius hærere non licet, qui ad alteram Tillemontiani effati partem discutiendam properamus.

SEC. V. jam diu viam præcluserunt.

Ceterum Tillemontius inter Pontificem Romanum et Orientales

270 Non sunt molliora, quæ Tillemontius præcedentibus, quorum examen jam institutum est, ita subnectit : *Quod si Græci, qui exiguo libertatis suæ tempore Euphemium ejusque successorem Macedonium, tamquam sanctæ memoriæ episcopos, solenniter in diptycha referri curaverant, tandem ecclesiasticæ pacis causa cesserint Romæ urgenti, ut eos expungerent, per Romam non stetit, quin S. Flavianus et S. Elias eadem injuria afficerentur.* E Audax enimvero privati hominis judicium de Romana Ecclesia summisque ejus Moderatoribus, quorum sanctitatem et doctrinam tota Ecclesia veneratur! Quandoquidem adversarius Flaviano et Eliæ tam accurate titulum sanctitatis addit, cur etiam Hormisdam Pontificem honorifico Sancti nomine non compellat? Tamen satis noverat, illam injuriam, quam in temeraria sua hypothesi Pontifex iste Euphemio et Macedonio intulit, quamque etiam aliis inferre voluit, non impedire, quo minus Hormisdas die VI Augusti inter Sanctorum numerum recenseatur.

nimis audacter judicem agit,

271 Præterea quisnam Tillemontium inter Orientales antistites et Romanos Pontifices constituit judicem, ut statim in favorem Orientalium audeat litem dirimere, et sanctissimos Romanæ Ecclesiæ Pontifices de gravi culpa condemnare? Si quis contubernalium forte eum ad tale judicium ferendum impellebat, debuisset ipsi respondere, quod in suo Libro Apologetico Paulus Orosius cuidam Pelagianorum fautori respondit, ut in Coloniensi Patrum Bibliotheca, tomo 15, sive in supplemento pag. 145 legimus his verbis : *Nos filii Ecclesiæ Catholicæ sumus : non exigas a nobis, pater, ut doctores super doctores esse audeamus, aut judices super judices..... Cur interrogas filios, cum patres audias, quid decernant?* Non equidem ignoro, F presbyterum Orosium hic de quæstione pure dogmatica agere; sed adversarius etiam in hac materia eamdem regulam sequi potuisset, et judicium suum suspendere, aut prudenter supponere, quod S. Hormisdas Papa non sine justa causa nomen Euphemii et Macedonii e diptychis deleri voluerit, ac postea iisdem iterum inseri permiserit, ut ex sequentibus apparebit.

et sanctitatem Macedonii sanctitati Hormisdæ Papæ opponit,

272 Denique Tillemontius insigne suum effatum ita concludit : *Tota Hormisdæ auctoritas non impedit, quo minus hodiedum publice inter Sanctorum numerum recenseatur Macedonius, etsi gravius deliquerit, quam Euphemius.* Non video cur adversarius sanctitatem Macedonii auctoritati Hormisdæ vel auctoritatem Hormisdæ sanctitati Macedonii opposuerit, quasi hæ ambæ inter se pugnarent. Potius observare atque addere debuisset, nomen Macedonii eadem S. Hormisdæ auctoritate, qua ex diptychis sublatum fuerat, postea iis restitutum fuisse, dum Pontifex ille Epiphanio episcopo Constantinopolitano vices suas in hoc negotio delegavit,

Sec. v.

delegavit, ut post Natalem Alexandrum Pagius in Critica sua ad annum Christi dxxi num. 15 ostendit.

licet utramque ex historia,

273 Certe in Labbeana Conciliorum collectione tomo 5, a col. 151 legimus, quod S. Hormisdas Epiphanium constituerit in Oriente suum vicarium, et præter alia totum hoc negotium de restituendis Euphemii et Macedonii nominibus prudentiæ ejus reliquerit, ea tamen conditione, ut Epiphanius ad Romanum Pontificem referret, quosnam in communionem Sedis Apostolicæ recepisset, et quidquid in ea controversia faciendum judicasset. Hinc colligo, illam nominum restitutionem in diptycha, quam Orientales tantopere desideraverant, tandem ab Hormisda ut minimum implicite probatam fuisse, dum in communionem suam admisit Orientales ecclesias, quamvis Euphemium et Macedonium, aliosque episcopos e diptychis non expunxissent. Quis autem facile credat, sine novis gravibusque rationibus permissum fuisse ab Hormisda publicam illorum nominum in diptychis recitationem, quam antea prohibuerat, aut saltem ad tempus suspenderat?

B

et probabilibus conjecturis facile conciliare potuisset.

274 Nonne Hormisdas justa de causa potuit interdicere, ne nomina horum præsulum in sacris tabulis recitarentur; et tamen postea ob alias temporis circumstantias novamque rerum notitiam consentire, ut eorum memoria in iisdem iterum ageretur? Quid si Papa Euphemium et Macedonium hoc honore privaverit, quia Romanæ Ecclesiæ non satis prompte obediverant, aut *quia initia eorum sancto fini non responderant*, ut Pagius ad annum Christi dxxi, num. 15 loquitur; et nihilominus postmodum propter amorem concordiæ illos denuo diptychis inscribi permiserit? Quid si sanctus Pontifex prius sibi obedientiam præstari et illam nominum recitationem intermitti voluerit, donec gesta horum episcoporum accurate examinarentur? Quid si tandem publicam sanctitatis famam et certa Macedonii miracula ex Epiphanio audiverit? Quid si denique ex eodem Epiphanio intellexerit, ambos istos præsules in exsilio ultricem Dei manum agnovisse, et inobedientiam suam aliasque maculas lacrymis pœnitentiæ eluisse? Quid in his omnibus conjecturis a verisimilitudine alienum est? Numquid hoc modo auctoritas Hormisdæ cum sanctitate Macedonii conciliari posset?

C

Ex ipsis adversarii dictis et argumentis eruimus.

275 Forte quispiam opponet, gratis excogitatam esse a nobis hanc Euphemii et Macedonii pœnitentiam, de qua veteres auctores non meminerunt. At nemo id nobis serio objicere potest, si sequatur prudentem criticæ regulam, quam Tillemontius tomo 14 Monument. eccles., pag. 798 tradit his verbis : *Historici tam frequenter omittunt res verissimas et aliquando maxime memorabiles, ut periculosum sit, ex eorum silentio certas conclusiones deducere.* Cur igitur adversarius se toties huic periculo temere exponit? Cur tam intrepide asserit, Euphemium et Macedonium in sua opinione contra Romanos Pontifices usque ad mortem perstitisse, quia expressam eorum retractationem nusquam apud veteres legerat? Cur tam confidenter affirmat, Macedonium aliosque Sanctos extra communionem Ecclesiæ Romanæ obiisse (tantisper hic suppono, illos ab ea Ecclesia aliquando separatos fuisse) quia antiqui historici de ipsorum reconciliatione disertam mentionem non fecerunt?

276 Jam ulterius demonstramus, pœnitentiam Euphemii et Macedonii non absque solida ratione a nobis excogitatam esse : nam illam eruimus ex ipsa assertione adversarii, qui affirmat, quod *Macedonius gravius deliquerit, quam Euphemius.* Unde legitime videor inferre, quod Macedonium magis delictorum suorum pœnitere debuerit, quam Euphemium, etsi veteres auctores de salutari utriusque pœnitentia altum siluerint : nullus enim Catholicus admittet, Macedonium aut quemvis alium gravioris peccati reum sine debita pœnitentia ad salutem aut sanctitatem pervenisse. Cum itaque adversarius titulum confessoris Euphemio denegare non audeat, et Macedonii sanctitatem agnoscat, consequenter sinceram utriusque pœnitentiam debet agnoscere, etiamsi de illa antiqui scriptores tacuerint.

D

Euphemium et S. Macedonium pœnitentiam egisse,

adversa utiliter tolerasse,

277 Neque hic aliquis dicat, hanc pœnitentiam ab antiquis historicis sufficienter exprimi, dum narrant exsilium aliaque adversa, quæ Euphemius et Macedonius pro Christo pertulerunt : nam hæc omnia nihil ipsis profuissent, si extra communionem Ecclesiæ Romanæ mortui essent, ut supra ex sanctis Patribus probavimus. Sic Nestorius similes pœnas tulit, quibus tamen scelera sua non expiavit, quia extra communionem Ecclesiæ eas ferebat. Sic etiam, teste S. Paciano, *passus est aliquid Novatianus..... non tamen coronatus*, quia *extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam* patiebatur. Præterea quomodo adversarius probabit, has ærumnas et injurias a Macedonio patienter exceptas et animo pœnitente toleratas fuisse, ut divinæ justitiæ pro præteritis delictis satisfaceret? Nobis edisserat, ubinam antiquitas talem S. Macedonii pœnitentiam memoriæ prodiderit. Quod si eam expressam non inveniat, sicut a nemine umquam inveniendam arbitror, nobiscum a posteriori secure concludat, Macedonium culpas suas vera pœnitentia expiasse, et exsilium aliasque miserias corde contrito et humiliato utiliter sustinuisse, quia sanctitatem illius Ecclesia veneratur.

E

et Ecclesiæ Romanæ unitos, aut unioni ejusdem restitutos fuisse.

278 Quinimo ipse Tillemontius, tomo 16 Monument. eccles., pag. 806 nobis aliud suggerit argumentum, ex quo pœnitentiam S. Macedonii et omnimodam illius cum Ecclesia Romana reconciliationem evidenter elicere videmur : illic enim ex Labbeana Conciliorum collectione tomo 4, col. 1428 ostendit, Hormisdam anno dxv legatis suis in Oriente mandasse, ut Macedonium exsulem ad sedem suam revocari curarent. An Tillemontius viris cordatis persuadere cupit, quod Papa Romanus sedi Constantinopolitanæ restitui voluerit episcopum, qui extra communionem Ecclesiæ Romanæ esset? An Hormisdas, quem adversarius adeo durum et propositi sui tenacem depingit, per legatos suos operam dedisset, ut sedi Constantinopolitanæ restitueretur antistes, qui eo tempore adhuc Ecclesiæ Romanæ parere nolebat? Nobis sane nullo modo istud fit verosimile, et Tillemontius paucos lectores inveniet adeo credulos, ut huic paradoxo assentiantur. Desinat ergo lectoribus suis identidem obtrudere, quod Macedonius aliique Sancti extra communionem Ecclesiæ Romanæ obierint. Etiam proprio argumento convictus discat, non semper a communione Ecclesiæ Romanæ separari illos, quorum nomina in diptychis delentur. Quare ex hactenus dictis concludo, nomen Macedonii varias ob causas omitti potuisse, illæsa illius sanctitate, quam tunc fortasse sanctus Papa Hormisdas adhuc ignorabat.

F

Ostenditur ex verbis S. Augustini.

279 Hæc conclusio nostra confirmari potest ex S. Augustini epistola 78 alias 137, cui mona-

chi

A chi Benedictini in novissima editione, tomo 2, col. 137 et 138 hanc materiæ synopsim præfixerunt : *Quidam e monasterio Augustini, Spes nomine, accusatus a Bonifacio presbytero, crimen in Bonifacium ipsum transtulit. Cum res evidentibus argumentis cognosci ab Augustino non posset, jussus est uterque adire sepulcrum S. Felicis Nolani, ut miraculo transfigeretur judicium. Id clam fieri curarat Augustinus : verum quoniam res eruperat in notitiam hominum, permittit interea, ut Bonifacii nomen inter presbyteros non recitetur.* Sed nos ex attenta totius epistolæ lectione comperire non potuimus, an S. Augustinus nomen Bonifacii re ipsa in catalogo presbyterorum supprimi jusserit. Quidquid sit de certa hujus facti veritate, saltem sanctus Antistes clero et populo Hipponensi, quem forte publica nominis illius recitatio offendebat, tomo proxime citato, col. 139 sic scribit : *Et nunc si vobis placet, ut nomen ejus non recitetur, ne iis, qui ad ecclesiam accedere nolunt, sicut ait Apostolus, demus occasionem quærentibus occasionem; non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causa fuerit factum : quid enim obest homini,* B *quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?*

quibus Janseniani sæpius abutuntur

280 Obiter observo, Jansenianos et Quesnellianos his postremis S. Augustini verbis ad pertinaciam suam colorandam abuti ; sed malunt eam clausulam allegare ex Jure Canonico, ubi in Decreto Gratiani causa XI, quæst. 3 can. 50 a reliquo textu avulsa legitur, et repetere non cessant : *Quid obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?* Nempe hoc modo se ipsos contra quaslibet Apostolicæ Sedis censuras præmuniunt, et cæcos suos sectatores adversus spiritualia Ecclesiæ arma adeo intrepidos reddunt, ut pertinaciter immoriantur justissimis excommunicationibus, quas summus Pontifex et alii præsules legitime ipsis infligunt. Sæpe etiam alibi fraudulenter truncatis sanctorum Patrum textibus incautos decipiunt, et exemplis toto cœlo diversis hæresim suam tueri nituntur. Sic in præsenti casu quid causa Bonifacii commune aut simile habet cum causa istorum novatorum, qui hæresim ab Apostolica Sede solenniter damnatam pervicaciter propugnant, et C propterea validis excommunicationis vinculis constringuntur? Præterea qualis est comparatio, quæ inter Ecclesiam Romanam vel summum Pontificem, et privatum particularis ecclesiæ antistitem hic ab illis instituitur? Nolo pluribus de ea re disputare, quia hanc crassam eorum fallaciam facile quivis perspiciet, qui leviter utramque materiam inter se conferre voluerit.

erasionem nominum e diptychis ab excommunicatione differre.

281 Ceterum ex hac S. Augustini sententia liquet, nomen alicujus ob justas rationes e sacris tabulis expungi posse, etsi ille propterea e libro vivorum non deleatur, aut a communione Ecclesiæ non separetur. Sic Bonifacius iste omni culpa vacare poterat, quamvis sanctus Antistes Hipponensis nomen illius propter pusillorum scandalum in catalogo presbyterorum recitari vetuisset, ut ex supra dictis abunde intelligitur. At idem sanctus Doctor non ita judicat de hæreticis vec schismaticis, etiamsi extra communionem Ecclesiæ laudabiliter vivere videantur : nam in novissima Operum suorum editione tomo 3, part. 2, col. 289 tract. 13 in Joannem num. 15 de illis sic loquitur : *Evidenter ergo, fratres mei, nihil prodest istis servare virginitatem, habere continentiam, eleemosynas dare : omnia illa, quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis prosunt, quia conscindunt unitatem, id est tunicam illam caritatis.* Cum itaque S. Augustinus hic et alibi sæpe doceat, e libro vitæ æternæ deleri nomina eorum, qui extra communionem Ecclesiæ moriuntur, et in supra memorata sententia asserat, nomen Bonifacii in libro vitæ seu salutis æternæ manere potuisse, ex his testibus inter se comparatis patet, sublationem e diptychis ab excommunicatione multum differre. Videtur tamen adversarius hæc duo voluisse confundere, dum variis locis innuit, Euphemium et Macedonium, aliosque sanctos episcopos extra communionem Ecclesiæ Romanæ obiisse, quia Hormisdas Papa nomina eorum e diptychis expunxit vel expungere voluit. Hæc dicta sunto ad discutiendum Tillemontii effatum, de quo judicium Sedi Apostolicæ relinquimus.

Denique contra opinionem Baronii contendimus,

282 Nunc superest, ut juxta superius promissa, Euphemium et Macedonium vindicemus ab obstinati schismatis crimine, quod Baronius in Annalibus ad annum Christi DXVIII num. 31 sic illis impingit : *Reddita sunt nomina Euphemii et Macedonii Constantinopolitanorum antistitum* E *propter fidem exulum, pariterque in sacra diptycha revocata ; quos constat in schismate tanta passos, neque fuisse receptos in communionem ab Apostolica Sede ob retentum ab ipsis pertinaciter nimis nomen Acacii schismatici et hæreticorum communione polluti. Hi, inquam, infructuosi palmites Apostolica prius fuerunt præcidendi falce, ut culta vinea dignos fructus afferret.* Non tam confidenter hæc pronuntiasset, si scivisset, S. Macedonium celebrari in variis Græcorum Menologiis, quæ ad diem XXV Aprilis in Actis illius noster Henschenius assignavit. Sed eminentissimus vir satis indicat, ea sibi ignota fuisse, dum ad annum Christi DXV num. 50 ita de Macedonio scribit : *Nec quidem apud Græcos coli memoriam ejus, sicut aliorum Sanctorum, Menologia, quæ vidimus, vestigium ullum reddunt.* At plura Menologia, quæ ille non viderat, cultum S. Macedonii diserte testantur.

Euphemium et Macedonium ante mortem resipuisse,

283 Quod si eminentissimus scriptor sanctitatem Macedonii cognovisset, et nihilominus judicasset, dissensionem illam inter præsules Orientales et Romanos Pontifices schismaticam fuisse, haud dubie dixisset, Macedonium ante mortem resipuisse, et schismaticis maculam salutari pœ- F nitentia abstersisse. Quamvis autem hæc pœnitentia apud antiquos auctores clare non exprimeretur ; tamen illam non sine solida ratione asserere potuisset : nam præter alias conjecturas, quibus ea assertio verisimilis redderetur, tantummodo afferre debuisset peremptorium argumentum, quod nos supra in Tillemontium intorsimus, quando ex ipsomet juxta antiqua monumenta vidimus, Hormisdam Papam anno DXV per legatos suos operam dedisse, ut Macedonius exsul ad sedem Constantinopolitanam revocaretur. Quis autem credat, quod Romanus Pontifex episcopum sibi rebellem et in schismate adhuc pertinacem sedi suæ restitui voluerit? Recte igitur infertur ex hoc solo argumento, cujus etiam infra meminisse juverit, Macedonium saltem in schismate non perseverasse, tametsi gratis concederemus, eum aliquando schismaticum fuisse.

aut eorum dissensionem ad schisma non pervenisse.

284 Hæc hactenus in hypothesi Baroniana disputavimus : probabilius enim cum aliis auctoribus opinamur, controversiam illam de nomine Acacii eradendo, ad verum schisma non pervenisse, quamvis in ea re nimiam Euphemii et Macedonii tergiversationem non eximamus ab omni

culpa,

SEC. V.

culpa, quæ tamen ob bonam eorum fidem ac rectam intentionem multum minui, aut fortasse omnino excusari posset. *Unde inter Orientalem ecclesiam et Occidentalem*, inquit Natalis Alexander loco mox citando, *Euphemii et Macedonii episcoporum tempore, et sub Gelasii, Anastasii, Symmachi et Hormisdæ pontificatu, suspensa potius, quam abrupta penitus erat communio.* Inter alia, quibus hanc conclusionem suam probat, allegare potuisset testimonium S. Aviti Viennensis, qui in editione Sirmondi nostri pag. 20, epist. 3 de hoc ipso dissidio ita obscure scribit : *Tracta est interim, non per manifesta sed subita, nec tam* SEPARATIONE, *quam simultate, dissensio.*

quod dilemma ex responso,

285 Porro cum Natalis Alexander in Historia sua ecclesiastica sec. V part. 2 dissert. 20 operose ostenderit, Euphemium et Macedonium nec hæreticos nec schismaticos fuisse, et Pagius in Critica ad annum Christi DXIX a num. 3 huic opinioni subscripserit, nolumus hic contra Baronium instituere longiorem disputationem, quæ apud memoratos scriptores legi potest. Verumtamen omnibus ipsorum argumentis (supradicta S.
B
Hormisdæ Pontificis cura de Macedonio exsule ad sedem suam revocando idem evincit) addimus unicum ratiocinium, quod ex epistola Gelasii I Papæ deducimus. In ea sanctus Pontifex episcopis Dardaniæ et Illyrici post alia significat, Acacium in excommunicatione mortuum esse, adeoque non amplius posse absolvi, quod apud Labbeum tomo 4 Conciliorum col. 1198 sic probat : *Absolutionem, quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare; siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est :* QUÆ LIGAVERITIS SUPER TERRAM, ET QUÆ SOLVERITIS SUPER TERRAM. *Ceterum jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere præter id, in quo eum dies supremus invenit.*

seu litteris Gelasii I Papæ,

286 Cum Gelasius hic et alibi sæpe affirmet, Acacium absolvi et in diptychis relinqui non posse, quia extra communionem Ecclesiæ usque ad mortem pertinaciter perseveraverat, quomodo S. Hormisdas permittere potuit, ut nomina Euphemii et Macedonii post obitum eorum diptychis restituerentur, si illi in schismate mortui fuissent, ut eminentissimus Baronius contendit? Qua
C
fronte Orientales, qui jam tandem nomen Acacii ob schismaticam pertinaciam e sacris tabulis expunxerant, ausi fuissent iteratis precibus et argumentis Pontificem Romanum urgere, ut nomina Euphemii et Macedonii in iisdem tabulis recitarentur, si illi etiam schismatici obiissent? Nonne Hormisdas exemplo Gelasii dicere debuisset, quod jam de iis, qui in divino erant judicio constituti, sibi fas non esset aliud decernere præter id, in quo eos dies supremus invenerat?

et gestis S. Hormisdæ Pontificiis probatur.

287 Nihil tamen simile illis respondit, sed vices suas in Oriente commisit Epiphanio Constantinopolitano, ut negotium istud pro sua prudentia dirigeret, et judicium suum de hac re ad notitiam Papæ Romani referret. Cum vero Epiphanius episcopos Orientales ad communionem Sedis Apostolicæ admiserit, licet nomina Euphemii et Macedonii in diptychis recitarent, recte colligere videmur, illam nominum recitationem ab Hormisda implicite probatam fuisse, sicut supra diximus, et Pagius in Critica ad annum Christi DXXI num. 15 et 16 ex ipsis Hormisdæ verbis ostendit. Certe Macedonii nomen in diptychis, quibus inscriptum fuerat, remansisse, et e quibus ablatum, restitutum fuisse, indicat sacer cultus, quem ei Græci ab immemorabili tempore exhibuerunt, ut illorum Menologia testantur. Nunc sane tempus est, ut Euphemio, qui huic longiori digressioni occasionem præbuit, successorem assignemus. D

XXIV S. MACEDONIUS II.

S. Macedonius, qui anno 496 locum Euphemii exsulis occupaverat,

De sancto illo ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopo hic paucis agemus, tum quod præcipua ipsius gesta ad diem XXV Aprilis in Opere nostro collecta sint, tum quod in præcedente parergo varia de eo dixerimus. Cum igitur Euphemius in exsilium expulsus esset anno CDXCVI, ut supra contra Baronium probabilius putamus, locum illius occupavit Macedonius, qui iniquum episcopatus sui exordium aliaque delicta plurimis adversis pro orthodoxa fide toleratis utiliter purgavit : nam inter alia imperator Anastasius innocentem Macedonium insimulavit fœdissimi crimi- E
nis, ut Euagrius in editione Valesiana lib. 3 Hist. eccles. cap. 32 prodit his verbis : *Cum Macedonius strenue admodum resisteret, seque fidem proditurum negaret, omni insidiarum genere eum appetiit Anastasius, ut episcopatum ei adimeret. Inducti sunt igitur in judicium pueri quidam calumniatores, qui tum se, tum Macedonium turpis flagitii falso accusarent. Verum ubi deprehensum est, Macedonio abscissa esse genitalia, ad alias artes conversi sunt.* Similia narrat S. Theophanes, ut in Actis S. Macedonii tomo III Aprilis pag. 371 videri potest.

post varia adversa

289 Cum itaque calumniæ optato successu carerent, et impius Anastasius timeret, ne populus insontem suum præsulem vi defenderet *(erat quippe cunctis charus Macedonius*, teste Theophane pag. 133, *tum ob vitæ munditiem, tum ob rectam et sinceram de fide sententiam)* illum noctu in exsilium abduci jussit. Determinatum hujus expulsionis tempus, quod hic præcipue nobis indagandum est, Marcellinus Comes in Chronico indicat, quando in editione Sirmondiana pag. 51 sub *Secundino et Felice consulibus*, id est anno Christi DXI, sic scribit : *Macedonius augustæ urbis episcopus, licet olim Anastasii imperatoris donis* F
fallaciisque circumventus, pravorum testimoniis eidem accusatus, quoniam tomum sanctorum Patrum apud Chalcedonem, sancta dudum scriptione roboratum, eidem principi dare distulit, ab eodem Euchaita in exsilium deportatus est. Multum hic a vera Chronologia aberrat Victor Tunnensis, dum in suo Chronico idem Macedonii exsilium sub *Abieno et Pompeio consulibus* hoc est anno Christi DI collocat.

ab Anastasio imperatore expellitur anno 511.

290 Chronologi recentiores in determinanda Macedoniani exsilii epocha Marcellinum Comitem sequuntur, inter quos Pagius in Critica ad annum Christi DXI num. 6 ita scribit : *Hoc ergo anno Macedonius in exsilium missus, et Timotheus in ejus locum subrogatus, ut etiam habet Marcellinus in Chronico ad consulatum Secundini et Felicis, quod et Baronius recte hoc anno narrat. . . Sedem inierat Macedonius anno* CDXCVI ; *quare annos quindecim, ut habet Baronius, vel annos sexdecim utrimque incompletos, ut legitur in tabulis Theophanis, ecclesiam Constantinopolitanam rexit.* Hanc opinionem etiam amplectitur Bandurus, qui tomo 2 Imperii Orientalis pag. 895 chronotaxim

Macedonii

A Macedonii sic explicat : *Macedonius anno* VI *imperii Anastasii, Christi* CDXCVI *sedem Constantinopolitanam suscepit; pellitur vero in exsilium ab eodem Augusto, consulibus Secundino et Felice anno Christi* DXI, *ut scribit Marcellinus in Chronico. Unde fallitur hic Nicephorus Callisti, dum ei annos sexdecim et menses septem attribuit : melius Theophanes in tabulis, qui ei annos sexdecim utrimque incompletos adscribit. Quod vero dicitur in Chronographia sancti Nicephori, Macedonium sex tantum annos ecclesiam Constantinopolitam rexisse, id factum puto scribæ incuria, qui numerum denarium omisit.*

postquam sedem CP. sedecim annis incompletis tenuisset.

291 Sciendum est, hos sedecim administrati episcopatus annos ab illis auctoribus *utrimque* imcompletos numerari, quia eos acceperunt ex Theophane, apud quem in usu est æra Alexandrina, quæ vulgarem æram septem annis præcurrit, et a Kalendis Septembris incohatur, ut Pagius in Prolegomenis ante tomum 1 Criticæ suæ contendit. Quidquid sit de hoc Theophanis computo, quem Papebrochius noster in Exegesi tomo III Martii præfixa examinavit, nos more jam cœpto sedecim illos annos incompletos ad vulgarem Christi æram reducemus. Cum igitur secundum supra dicta Euphemius anno CDXCVI circa finem Septembris e sede sua deturbatus fuerit, et ei Macedonius ineunte mense Octobri ejusdem anni succedere potuerit, sequitur, ab eo tempore usque ad Kalendas Octobris anni DXI integros quindecim annos effluxisse, et decimum sextum episcopatus annum inchoatum fuisse. Quare pro libito quindecim annos completos, aut sedecim incompletos usque ad exsilium S. Macedonii computa. Tempus mortis ejus colligi potest ex iis, quæ superius num. 248 et 249 de Euphemio diximus, cum quo dicitur occisus fuisse. Sed cum nec modus nec annus mortis ad seriem nostram continuandam spectet, ea operosius indaganda non duximus, et ad ejus successorem pergimus.

B E

SECULUM VI

XXV TIMOTHEUS.

Anno 511 statim S. Macedonio exsuli substituitur Timotheus,

Macedonio in exsilium pulso statim successit Timotheus, ut Theodorus Lector lib. 2 Historiæ ecclesiasticæ apud Valesium pag. 563 testatur his verbis : *Imperator existimans, si Macedonius judicaretur, plebem illum tamquam insontem, defensuram esse, noctu violenter eum abduxit Chalcedonem, atque inde Euchaita illum deduci jussit. Sequenti die episcopum designavit Timotheum quemdam presbyterum et vasorum custodem ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui vulgo Litrobulbes et Colon vocabatur ob facta quædam his nominibus respondentia.* Theophanes in Chronographia pag. 133 dicit illum ob quasdam actiones his nominibus accomodatas *Litrobulem et Celonem* cognominatum fuisse. Non est opus, turpia illa Timothei cognomina hic explicare, de quibus interpres Theophanis pag. 584 sat fuse disputavit. Marcellinus in Chronico hanc Timothei successionem ad consulatum Secundini et Felicis sive ad annum Christi DXI refert, eamque circa meridiem (haud dubie sequentis diei post exsilium Macedonii, ut Theophanes etiam asserit) contigisse narrat hoc modo : *Locum Macedonii Timotheus meridiano tempore ab Anastasio Cæsare episcopus ordinatus invasit.*

C

adversarius synodi Chalcedonensis,

293 Libellus Synodicus apud Labbeum tomo 4 Concil. col. 1415 indicat causam, ob quam sacrilegus imperator Timotheum præ aliis elegerit, et post narratum Macedonii exsilium hæc subjungit : *Hæreticum autem Timotheum, qui Colon et Litrobulus cognominabatur, ecclesiæ reddidit, tamquam ejusdem secum sententiæ, et consiliis suis obtemperantem.* Quam cumulate impius iste episcopus exspectationi imperatoris satisfecerit, abunde patet ex eodem Libello synodico, qui ibidem de Timotheo hæc addit : *Is, impiissima congregata synodo, contra sanctam Chalcedonensem synodum calcitravit.* Præterea sceleratus ille adulator ubique animum S. Macedonio infensum ostendebat, ut odium imperatoris contra eumdem approbaret. Id satis apparet ex iis, quæ Theodorus Lector loco proxime citato sic narrat : *Porro hic Timotheus, in quamcumque ecclesiam ingressus fuerat, numquam illic Missarum solemnia inchoavit, nisi prius Macedonii imagines illinc detractæ fuissent.* Leguntur ibidem alia, quibus odium suum contra S. Macedonium prodebat.

seu potius homo variæ aut nullius religionis,

294 Quomodo impius ille antistes variam, aut potius nullam, pro tempore et loco religionem haberet, satis liquet ex quadam illius actione, quam supra laudatus Theodorus, auctor subæqualis, in editione Valesiana lib. 2 Hist. eccles. pag. 563 et sequente sic exponit : *Cum præfectus monasterii Studitarum mortuus esset, Timotheus episcopus perrexit ad monasterium, ut præfectum illic ordinaret. Sed is, qui ordinandus erat, dixit Timotheo, se ordinationem suscipere non posse ab eo, qui Chalcedonensem synodum anathemate damnaret. Tunc Timotheus dixit ei : Anathema sit omnibus, qui aversantur aut qui anathematizant synodum Chalcedonensem. Hoc modo is, qui ordinandus erat, ordinationem Timothei, suscepit. Joannes autem archidiaconus, cum esset Manichæus, conviciatus ob id Timotheo, currens ad palatium, ea, quæ Timotheus dixerat, imperatori renuntiavit : qui mox Timotheum ad se accersitum gravi ignominia affecit. At ille id a se dictum negavit, his verbis usus : Anathema omnibus, qui Chalcedonensem synodum suscipiunt.* Sic Proteus iste hæresim suam et orthodoxam fidem curabat scilicet, dum utramque commodis suis aptabat! Theophanes in Chronographia pag. 133 et sequentibus plura impietatis ejus exempla commemorat, quæ hic non vacat referre. Solum itaque superest, ut agamus de tempore, quo perfidam animam efflavit.

F

qui verosimilius anno 518 obiit,

295 Victor Tununensis in editione Schotti nostri tomo 4 Hisp. illust. pag. 136 mortem Timothei sub *Agapito V. C. consule*, id est anno Christi DXVII sic collocat : *Timotheus Constantinopolitanus episcopus, obtrectator synodi Chalcedonensis quinta die mensis Aprilis occubuit, et Joanni Cappadoci syncello proprio atque presbytero episcopatum tradidit.* Sed Victor hic iterum hallucinatus est, ut alias non raro solet, et uno anno rectam

SEC. VI.

ctam chronologiam prævertit : nam Theophanes in Chronographia pag. 140 de Timothei morte et successoris ejus ordinatione sic loquitur : *Timotheo vero Constantinopolitano episcopo fatis functo, Joannem Cappadocem, prebyterum et syncellum, Constantinopolitanum instituerunt episcopum. Hic ordinatus tertio Paschatis die apostolicum induit amictum.*

ut ex initio successoris,

296 Ex his duobus textibus inter se collatis sic argumentor : Si Timotheus anno DXVII Christi *quinta die mensis Aprilis occubuit*, non potuit eodem anno Joannes Cappadox *tertio Paschatis die* ordinari, et in defuncti Timothei locum succedere, ut Theophanes diserte affirmat : nam anno Christi DXVII Pascha in diem XXVI Martii incidit. Si itaque *tertio Paschatis die* anni DXVII Joannes Cappadox ordinatus fuisset, debuisset die XXVIII Martii ordinari, et consequenter viventi Timotheo succedere, cum is juxta Victorem Tununensem *quinta die mensis Aprilis* dumtaxat obierit. Nec facile dici potest, quod anno DXVII Timotheus *quinta die mensis Aprilis* occubuerit, et Joannes Cappadox *tertio Paschatis die* anni sequentis in locum ipsius substitutus fuerit, cum nullo modo sit verosimile, sedem Constantinopolitanam tunc integro anno vacasse. Probabilius ergo obitum Timothei et ordinationem Joannis Cappadocis referimus ad annum Christi DXVIII, quo Pascha die XV Aprilis celebratum est.

ac tempore episcopatus illius probatur.

297 Hic mortis annus etiam confirmatur ex spatio temporis, quo Timotheus sedem Constantinopolitanam tenuit : plerique enim catalogi apud Bandurum circa durationem episcopatus conveniunt, et Timotheo sex annos ac totidem menses adscribunt. Quare non capio, ubinam Tillemontius in Chronico Nicephori *sex annos et octo menses* invenerit, ut tomo 16 Monument. eccles. pag. 691 affirmat : nam Nicephorus patriarcha, quem hic ab ipso indicari puto, in omnibus editionibus, quas vidi, numero rotundo gubernationi Timothei tribuit sex annos, omissis mensibus, quos omnes alii catalogi expresserunt. Neque id potuit intelligere de Nicephoro Callisto qui apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis lib. 8 Antiq. Constantinop. pag. 193 sic clare scribit : Τιμόθεος πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως σκευοφύλαξ ἔτη ς′, ἥμισυ. Hoc est : *Timotheus presbyter Constantinopolitanus, vasorum custos annis* VI *cum dimidio*. Præterea hi sex anni et sex menses cum morte Timothei et ordinatione Joannis Cappadocis optime concordant : siquidem Timotheus, expulso in exsilium Macedonio, invasit episcopatum Constantinopolitanum anno DXI sub initium mensis Octobris, ut supra statuimus. Si igitur computare volueris tempus ab ineunte Octobri anni DXI usque ad diem quintam Aprilis anni DXVIII, quo Timotheus obiit, comperies, interea sex annos et sex menses elapsos esse. Computus ille plane congruit cum *tertio Paschatis die* ejusdem anni DXVIII, quo post mortem Timothei ordinatus est

XXVI JOANNES II, cognomento Cappadox.

Mense Aprili anni 518 Timotheo successit Joannes Cappadox,

Theophanes in Chronographia pag. 140 de morte Timothei et ordinatione hujus Joannis sic scribit : *Timotheo vero Constantinopolitano episcopo fatis functo, Joannem Cappadocem presbyterum et syncellum Constantinopolitanum instituerunt episcopum. Hic ordinatus tertio Paschatis die apostolicum induit amictum.* Tertia autem Paschatis dies anno DXVIII in diem XVII mensis Aprilis incidit. Itaque ad hunc annum reducendus est eminentissimus Baronius, dum in Annalibus ecclesiasticis anno DXVII num. 61 de Joanne hæc habet : *Equidem sequenti anno sedisse Timothei successorem, epistolæ ultro citroque datæ significant. Qui autem in locum ejus subrogatus est Joannes Cappadox, populi conatu potius, quam voluntate Anastasii imperatoris electus creditur, orthodoxæ fidei cultor; cui tamen, quamdiu idem Anastasius supervixit, nec licuit respirare : eo autem paucos post menses defuncto, quam strenue pro Catholica unitate atque concordia laborarit, quæ suo loco dicentur, palam facient.*

qui ob orthodoxiam suam laudatur,

299 Post mortem Anastasii imperatoris, quæ juxta exactiores chronologos anno DXVIII die IX Julii contigit, statim serio agi cœpit de unione ecclesiæ Orientalis cum Occidentali, ut patet ex litteris Justini imperatoris, Hormisdæ Pontificis Romani, et Joannis Præsulis Constantinopolitani, quæ in Labbeana Conciliorum collectione tomo 4 a col. 1469 leguntur. Quantum vero Joannes ad hanc concordiam stabiliendam allaboraverit, colligitur ex epistola Hormisdæ, in qua Pontifex tomo 4 Labbeanæ collectionis col. 1498 post alia sic ipsum laudat : *Talem fraternitatem tuam* divina providentia *ecclesiæ suæ præsulem dedit, quem non esset ambiguum cum Sede nostra id est Apostolica certam mansuramque fidei subiturum esse concordiam : etenim libello libenter accepto, cum redintegrationis in Christo fueris avidus, numquam in prædestinatione divina fuisse a nobis cognosceris alienus. Itaque, dilectissime frater, Dei nostri sponte currentibus instate beneficiis, sparsi olim gregis plenius membra colligite, et custodite collecta.* Avitus episcopus Viennensis in Sirmondiana Operum suorum editione epist. 7 pag. 48 et sequente hanc unionem eidem præsuli Constantinopolitano gratulatus est. Legi etiam apud Labbeum tomo 4 Conciliorum col. 1486 et 1487 meretur libellus, quem idem Joannes ad Hormisdam misit.

et forte in Menæis Græcorum pro Sancto celebratur,

300 Quæri hic posset, utrum Joannes ille inter Sanctos sit numerandus, quia Menæa Græcorum plures hujus nominis antistites Constantinopolitanos celebrant : nam præter alios, qui cognominibus suis satis distinguuntur, die XVIII Augusti Joannes quidam cum Georgio ita annuntiatur : Τῶν ἐν Ἁγίοις πατρῶν ἡμῶν πατριαρχῶν Κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου καὶ Γεωργίου : *Sanctorum patrum nostrorum patriarcharum Constantinopolitanorum Joannis et Georgii.* Ibidem post versiculos duos de Georgio, sequuntur hi alii de Joanne :

Σκυθρωπὰ τὰ πρόσωπα τῆς ἐκκλησίας
Στέρησιν οὐ φέροντα τὴν Ἰωάννου.
Ecclesia dolet morte Joannis, sui
Privationem non ferens antistitis.

Nihil hic occurrit, ex quo colligam, de Joanne Cappadoce illic agi. Nihilominus Raderus noster in Mss. observationibus ad Menæa hac die sic notat : *Joannes iste gente Cappadox, Anastasio et Justino imperatoribus, præfuit ecclesiæ Constantinopolitanæ semper orthodoxus et Catholicus, qui ecclesiam Orientalem Occidentali et Romanæ atque Apostolicæ per fidem et synodum reconciliavit.*

ut Raderus noster existimat.

301 In iisdem Menæis die XXV Augusti post alios præsules Constantinopolitanos celebratur memoria : Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως : *Joannis archiepiscopi Constantinopolitani.*

Raderus

A Raderus ad hunc Menæorum textum in laudatis Mss. observationibus scribit sequentia: *Admodum multi fuere hoc Joannis nomine insigniti patriarchæ Constantinopolitani : alii orthodoxi, alii cacodoxi, ut est apud Democharem. Ex hæreticis ad hoc album Sanctorum nemo respirat. De Joanne Chrysostomo supra* III *et* XXVII *Januarii et* XIV *Septembris : de Jejunatore* II *Septembris; de Cappadoce* XVIII *Augusti. Omitto reliquos. Hic præter nomen nihil adjicitur, ex quo intelligamus, quis fuerit.* Doceri cupio, quam ob causam Raderus noster Joannem Cappadocem potius ad diem XVIII Augusti, quam ad XXV ejusdem mensis retulerit, cum neutro die quidquam deprehenderim, quod festivitatem Joannis Cappadocis certo significet.

Vir ille a S. Sophronio laudatus

302 Attamen propterea non nego, illum alterutro hoc die indicari, aut alibi in Menæis referri : nam sanctitati ipsius nihil obstare video, cum præter laudes, quibus Romanus Pontifex et Avitus Viennensis eum ornarunt, a sancto Sophronio Hierosomilitano acceperit illustre elogium, quod in Bibliotheca Photii cod. 231 col. 889 sic legitur : Ἰωάννης ὁ Κωνσταντινουπόλεως, B ὁ ἐκ Καππαδοκίας ἕλκων τὸ γένος καὶ τὸ ἐπώνυμον, ἀνὴρ ἀρετῆς οἰκητήριον. Id est ad verbum : *Joannes Constantinopolitanus, ex Cappadocia trahens genus et cognomen, vir virtutis domicilium.* Hoc elogium, quod aliqui perperam Joanni Jejunatori tribuunt, infra Joanni Cappadoci vindicabimus. Quare tuto videmur illum posse Operi nostro postmodum inserere, si certa dies festivitatis inveniatur. Nunc paucis indagandum est, quamdiu Joannes ille ecclesiam Constantinopolitanam gubernaverit.

post brevem episcopatum

303 In Annalibus ecclesiasticis Baronii ad annum Christi DXX, num. 7, ei *tres anni* gubernationis tribuuntur. Sed tantum temporis intervallum effluxisse non potuit inter tertium Paschatis diem anni DXVIII, quo eum ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse ostendimus, et annum DXX, quo juxta ipsum Baronium vita functus est. Propius ad veram episcopatus durationem accedunt tabulæ Theophanis, aliique scriptores, qui duos annos numerant ; at longius ab ea recedit Nicphorus patriarcha in Banduriana Imperii Orientalis editione, tomo 1, pag. 189, ubi ἔτη δ', μῆνας ι', id est *annos* IV, *menses* X sedisse dicitur. C Sed haud dubie hoc loco mendum librarii irrepsit, cum in eadem Nicephori patriarchæ Chronographia compendiaria, quam R. P. Goarus edidit, et in duabus antiquis editionibus dumtaxat annus unus et decem menses notati legantur.

anno 520 ex hac vita migravit.

304 Eumdem Bandurianæ editionis errorem corrigunt alii patriarcharum Constantinopolitanorum catalogi apud Bandurum relati, in quibus annus unus et decem menses Joanni Cappadoci adscribuntur. Atque hic est accuratus computus, si dies aliquot addideris, quos illi catalagorum concinnatores sæpe negligunt : nam ab anno DXVIII, die XVII Aprilis, quo Constantinopolitanæ ecclesiæ gubernacula suscepit Joannes Cappadox, unus annus cum decem mensibus et aliquot diebus elapsus est, usque ad annum DXX et diem XXV Februarii, quando Epiphanius Joanni defuncto successit, ut postea dicemus. Nunc occasione hujus Joannis seriem Patriarcharum nonnihil interrumpemus.

PARERGON V.

An Joannes Cappadox nomen patriarchæ œcumenici primus usurpaverit, et quomodo aliqui præsules Constantinopolitani eumdem titulum affectaverint.

Titulum œcumenici quibusdam episcopis CP. affictum

Scio, jam antea nomen œcumenici seu universalis in conciliabulo secundo Ephesino datum fuisse impio Dioscoro, patriarchæ Alexandrino, ut apud Labbeum, tomo 4 Conciliorum, col. 270 videre licet. At hic quæritur, quis inter antistites Constantinopolitanos primus titulum œcumenici sibi arrogaverit. E Pagius in Critica ad annum Christi DXX, num. 5; Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis, pag. 895; et nonnulli alii scriptores de hac arrogantia Joannem Cappadocem accusant. Hæc eorum accusatio haud dubie nititur inscriptionibus epistolarum, quas clerici Antiocheni et episcopi Syriæ secundæ ad hunc Joannem miserunt, et quas Labbeus tomo 5 Conciliorum, col. 158 et 211 recitat. Idem inferri potest ex acclamationibus populi Constantinopolitani, quæ in Concilio Constantinopolitano sub Menna apud Labbeum eodem tomo 5, a col. 177 referuntur, ubi Joannes ille sæpius *patriarcha œcumenicus* appellatur.

posteriores Græci veteribus instrumentis fraudulenter inseruerunt,

306 Sed Baronius in Annalibus ad annum Christi DXVIII, num. 14 existimat, quod posteriores Græci hunc titulum Actis illis postmodum fraudulenter addiderint. *Admonendum putamus lectorem,* inquit loco citato Eminentissimus scriptor, *ut inter læta hæc, posterorum Græcorum caveat imposturam : cum enim ipsa Acta vera omnino atque legitima sint, haud tamen dubium putamus, ipsa quidem in eo esse falsata, dum quoties nominatus reperitur ipse Joannes Constantinopolitanæ ecclesiæ* F *episcopus, toties fere additus est titulus patriarchæ œcumenici. Haud enim recepisset Romana Ecclesia ejusmodi Acta, in quibus adeo frequens titulus ejusmodi legeretur, quo episcopus Constantinopolitanus, patriarcha œcumenicus diceretur. Etenim Pelagius Papa, sancti Gregorii prædecessor, in Joannem Constantinopolitanum antistitem, ejus nominis tertium, qui sibi hujusmodi titulum usurpaverat, impugnator insurgens, cum ad universos episcopos scribit, inter alia plurima in detestationem novæ præsumptionis hæc habet : « State fortes, state securi; scripta, quæ universalis nominis falsitate condemnata sunt, nec dare umquam, nec accipere præsumatis. » Idemque superius tradit, nihil ejusmodi ad ejus Joannis prædecessoribus Constantinopolitanis episcopis aliquando tentatum fuisse, in quam sententiam sanctus etiam Gregorius Papa ad eumdem epistolam dedit.*

ut probabilius opinamur cum Baronio

307 *Cum igitur adeo graves exstent testificationes Romanorum Pontificum de ejusdem tituli detestatione atque abrogatione, quonam pacto inter publica Acta Concilii illa reperiuntur esse descripta, atque recepta Acta, in quibus idem damnatus rejectusque titulus toties legitur repetitus? Præterea si* *in*

SEC. VI.

in eadem synodo idem sæpe titulus lectus, nec rejectus ab aliquo fuit, cur hæc non citata fuerunt contra eosdem Romanos Pontifices Pelagium atque Gregorium? Eadem Baronii argumentatio militat contra inscriptionem, quæ in codice Justiniani imperatoris, lib. 1, tit. 1, lege 7 sic ponitur : *Idem imperator* (videlicet Justinianus) *Epiphanio sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo regiæ hujus urbis, et œcumenico patriarcha.* Si enim posteriores Græci publica Concilii Acta titulo patriarchæ œcumenici interpolare ausi sint, quid ni Græci legum collectores in codice Justinianeo idem fecerint? Attamen hoc unico fundamento niti suspicor Pagium, quando in Critica superius citata ad annum Christi DXX, num. 5 de hoc Joanne Cappadoce sic pronuntiat : *Joannes episcopus patriarchæ* ŒCUMENICI *nomen primus ausus est usurpare, quod Justinianus, qui eum amabat, legibus suis postea inscripsit.*

contra Thomassinum, aliosque,

308 Thomassinus in Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina, part. 1, lib. 1, cap. 11, num. 5 asserit, a Pontificibus Romanis vanum œcumenici titulum in Joanne Cappadoce et Mena toleratum aut potius dissimulatum fuisse. *Prudenter ergo neglecta a Pontificibus vocis novitas est*, inquit, *et facile concessum episcopis Constantinopolitanis, ut quo tempore Joannis patriarchæ antecessores plurimi condemnabantur; et ipse, cui Menas successit, deponeretur Anthimus, eo sedis suæ dejectionem et contumeliam inani saltem nominis grandioris specie solarentur.* At nobis præplacet ratiocinium Baronii, ex quo sequitur, hunc œcumenici seu universalis titulum a posterioribus Græcis hic utrobique intrusum fuisse. Ne autem temere Græcos accusare videamur de addito nomine, quod tantopere ambiebant, similem eorum fraudem evidenti exemplo demonstramus.

B

et demonstramus ex simili impostoris fraude,

309 In Labbeana Conciliorum collectione, tomo 7, col. 700 legitur epistola Hadriani I Papæ, cui præfixa est hæc inscriptio : *Dilecto fratri Tarasio* GENERALI *patriarchæ Hadrianus servus servorum Dei salutem.* Verum editor ad vocem *generali* ibidem in margine sic recte notavit : *Hoc videtur Græculus quispiam apposuisse.* Certe Græcus ille impostor nobis persuadere voluit, Pontificem Romanum episcopo Constantinopolitano titulum œcumenici seu generalis patriarchæ dedisse. Sed nimis aperta et crassa est ejus fraus, cum ipsemet Hadrianus Pontifex apud Labbeum eodem tomo 7, col. 117 Constantino et Irenæ Augustis scribat sequentia : *Valde mirati sumus, quod in vestris imperialibus jussis pro patriarcha regiæ urbis, scilicet Tarasio, directis,* UNIVERSALEM *ibidem eum reperimus exaratum : sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel hæresim iniquorum scriptum est, ignoramus; sed deinceps suademus vestræ clementissimæ imperialique potentiæ, ut minime in suarum exarationum serie* UNIVERSALIS *describatur, quia contra sanctorum canonum instituta, seu sanctorum Patrum traditionum decreta esse videtur.*

C

quæ manifeste detegitur.

310 *In secundo enim ordine, si non per sanctæ nostræ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ auctoritatem (sicut in omnibus patet) numquam voluit nomen habere; quod nimirum si universalis super prælatam sibi sanctam Romanam Ecclesiam, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum synodorum rebellem atque hæreticum manifestare se certum est : quia si universalis est, etiam Ecclesiæ nostræ Sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi beato Petro apostolo principatus ac potestas data est, et per eumdem Apostolum, cujus vel immeriti vices gerimus, sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia usque hactenus et in ævum tenet principatum, ac potestatis auctoritatem : quatenus (quod non credimus) si quispiam eum universalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei esse alienum, et nostræ sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ rebellem.* Ex his vides malam fidem stupidi interpolatoris, qui nobis persuadere voluisset, ipsum Hadrianum Pontificem Tarasio Constantinopolitano titulum œcumenici vel generalis patriarchæ concessisse.

D

Inter episcopos CP. Joannes cognomento Jejunator

311 Nos igitur cum Baronio probabilius arbitramur, similem titulum a posterioribus Græcis dolose insertum esse illis monumentis, quæ præcedunt tempora Joannis Jejunatoris, de quo S. Leo IX Papa apud Labbeum, tomo 9 Conciliorum, col. 954, præter alia sic pronuntiat : *Hic nimiæ vanitatis novum nomen* PRIMUS *sibi usurpavit, ubi se a cunctis œcumenicum patriarcham, id est universalem et dici et scribi debere decrevit.* Sanctus Gregorius Magnus, Pontifex Romanus, acriter reprehendit hunc Joannem Jejunatorem, qui primus superbum nomen istud assumpsit, ac pertinaciter retinuit, ut infra dicemus. Porro per decursum ostendemus, quanto studio nonnulli præsules Constantinopolitani sibi vindicaverint titulum œcumenici, ubi prius variam hujus vocis significationem exposuerimus, ut deinceps dicenda clarius intelligantur.

E

primus usurpare ausus est titulum œcumenici,

312 Horatius Justinianus, bibliothecæ Vaticanæ custos, in notis ad Concilium Florentinum part. 2, collat. 22, pag. 325 de illa voce sic disserit : *Hunc titulum œcumenici, id est universalis sanctus Gregorius Papa adversus Joannem patriarcham, qui primus hunc sibi titulum temere assumpsit, ita est interpretatus, ut sibi ipsi etiam denegaverit : interpretatus est enim privative quoad omnes alios, ita ut qui se inscriberet œcumenicum, id est universalem, omnes alios patriarchas et episcopos censeret esse privatos, et se solum pastorem crederet habitabilis terræ.* Deinde ex epistolis S. Gregorii Magni citat aliqua fragmenta, quibus hanc vocis significationem ab illo sancto Pontifice sic acceptam fuisse demonstrat. Eminentissimus Baronius, tomo 8 Annalium, ad annum Christi DXCV, num. 31 et 32 ex verbis S. Gregorii similem explicationem eruit.

F

quæ vox varie intelligi potest,

312 Innocentius III Pontifex, lib. 2 epist. 209, in editione Baluziana, tomo 1, pag. 474 alteram ejusdem vocis expositionem suggerit, dum Joannem patriarcham Constantinopolitanum ita docet : *Dicitur universalis Ecclesia, quæ de universis constat ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur. Et secundum acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet et præcipua, veluti caput in corpore : quoniam in ea plenitudo potestatis existit; ad ceteros autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet ecclesias universas : et secundum hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut et Deus universalis dominus appellatur, non quasi jam divisus in species specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur.* Hoc sensu Pontifices Romani ab ipsis Orientalibus appellati fuerunt œcumenici vel *universæ orbis terræ patriarchæ*, ut apud Thomassinum in Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina, part. 1, lib. 1, cap. 11, num. 2 et 3 licet videre.

314 At

A

et quam Græci inepte interpretantur,

* *al.* quod

* *al.* œcumenicum

314 At fortasse nonnemo dicet, Græcos neutro hoc sensu titulum illum sibi vindicasse, ut Anatasius Bibliothecarius in præfatione synodi septimæ, apud Labbeum, tomo 7 Conciliorum, col. 30 et 31 indicat his verbis: *In eo sane, quo* frequenter universalem* in hac synodo Græci patriarcham suum inconvenienter appellant, Apostolatus vester* (scribit ad Joannem VIII, Romanum Pontificem) *adulationi veniam det sæpe prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, et fastus vel arrogantiæ redarguerem, asserebant, quod non ideo œcumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat præsulatum, sed quod cuidam parti præsit orbis, quæ a Christianis inhabitatur: nam quod Græci œcumenen vocant, a Latinis non solum orbis, a cujus universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur.*

ut Baronius recte existimavit.

315 Verum frivola ista Græcorum excusatio nobis non magis satisfacit, quam Eminentissimo Baronio, qui ad annum Christi DCCLXXXVII num. 6 et sequenti, post relatum Anastasii Bibliothecarii textum sic respondet: *Ita tunc Græci frigide admodum excusantes errorem atque absurde nimis: etenim hac ratione, qua œcumenicum dici posse suum ipsorum patriarcham professi sunt, quod etsi non orbi, loco tamen et habitationi ejusdem præesset, ceteri omnes episcopi œcumenici pariter dici possent, quod quilibet eorum habitabili orbis loco præsit. Ceterum si ex divinis Scripturis ejus nominis petatur interpretatio; quod apud Septuaginta, qui Græce Eloquia divina scripsere, οἰκουμένη sæpe habetur, Latini interpretes (ut est frequenter videre in Psalmis) orbem terræ sive orbem terrarum transtulere ex ejus vocis proprietate, quam Græci, secundum Græcos interpretes quotidie psallentes, ignorasse minime potuerunt, qui tam inepte redargutionem Anastasii eluserunt.* Certe inepta est hæc Græcorum interpretatio, quam jure merito exploserunt Romani Pontifices, inter quos supra laudatus Hadrianus I loco proxime citato sic recte ratiocinatur: *Si universalis est, etiam Ecclesiæ nostræ Sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet.* Nunc investigemus verosimilem tantæ ambitionis originem, quæ paulo altius repetenda est.

B

C

Ex prærogativis,

316 Cum sedes imperii Byzantium seu Constantinopolim translata esset, cœpit ecclesia illa paulatim caput efferre, adeo ut Patres concilii Constantinopolitani I apud Labbeum tomo 2, col. 948 tertium canonem ita condiderint: *Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa nova Romana.* Deinde circa medium seculi V Anatolius episcopus Constantinopolitanus apud eumdem Labbeum tomo 4, col. 769 canonem vigesimum octavum synodo Chalcedonensi adjecit in hunc modum: *Sanctorum patrum decreta ubique sequentes, et canonem, qui nuper lectus est, centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis* sanctissimæ ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ: etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure patres privilegia tribuerunt, et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem, quæ et imperio et senatu honorata sit, et æqualibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem.*

* primatu

Sec. VI.

quas præsules CP. violenter sibi usurparunt.

317 Quomodo Anatolius cum aliquot episcopis sibi faventibus illegitime hunc canonem concilio Chalcedonensi addiderit, patet ex Breviario Liberati diaconi, qui apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 762 et sequente hanc rem ita exponit: *Post discessum judicum et senatorum et legatorum Apostolicæ Sedis, regulæ constitutæ sunt ecclesiasticæ, et quædam privilegia deputata Constantinopolitanæ ecclesiæ, usurpante sibi hoc Anatolio ejusdem urbis episcopo, occasione accepta ex Dioscori damnatione. Quod alia die cognoscentes legati Papæ Leonis (quæ est ultima et duodecima dies concilii) petiverunt, ut rursus cum judicibus ad concilium convenirent: quibus requirentibus a concilio, quid pridie fuerit ordinatum, lectis gestis cognoverunt, quid Anatolius, consentiente concilio, egerat et obtinuerat. Quibus ejus præsumptioni contradicentibus, a judicibus et episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est. Et licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod a synodo firmatum est, imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

et quas S. Leo I Papa Romanus improbavit.

318 Sanctus Leo I Pontifex Romanus, intellecta hac arrogantia, in litteris ad Anatolium datis justam legatorum suorum resistentiam laudat, et post acrem istius ambitionis reprehensionem apud Labbeum tomo 4 col. 845 similes canones concilii Constantinopolitani et Chalcedonensis ita reprobat: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, numquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Tandem S. Leo Papa apud Anatolium, et imperatorem Marcianum paternis suis admonitionibus apostolica constantia tantum effecit, ut ambo decisioni sancti Pontificis se submiserint, sicut in Actis Anatolii tomo 1 Julii pag. 654 et sequente contra cavillationes Quesnelli ostensum est.

E

paulatim ambitio eorum crevit.

319 Scimus, successores Marciani imperatoris et Anatolii episcopi huic S. Leonis decreto non paruisse: etenim Justinianus imperator Novel. 131 cap. 2 postea sancivit, *sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum; beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem: aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Imo Græci antistites postmodum freti potentia suorum imperatorum canones, olim a Leone Papa rejectos, in conciliabulo Quini-sexto seu Trullano apud Labbeum tomo 6 col. 1160 confirmari conati sunt his verbis: *Renovantes, quæ a sanctis centum quinquaginta patribus in hac a Deo conservanda et regia urbe convenerunt, et sexcentorum triginta, qui Chalcedone convenere, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, et in ecclesiasticis, ut ille, rebus magni fiat ut qui sit secundus post illum: post quem magnæ Alexandrinorum civitatis numeretur thronus; deinde Antiochiæ; et post eum Hierosolymitanæ civitatis.* Hoc modo præsules Constantinopolitani non sine aliarum sedium patriarchalium injuria secundum dignitatis locum invaserunt.

F

320 Neque hic stetit superbia posteriorum Græcorum, qui ægre ferebant, sedem Constanti-

nopolitanam

SEC. VI.

ita ut posteriores Græci Romano Pontifici et patriarchæ CP. æqualem potestatem tribuerint

nopolitanam secundo loco dumtaxat collocari. Quapropter ambitiosa quorumdam ingenia excogitarunt ridiculam canonis Constantinopolitani et Chalcedonensis interpretationem, quasi in iis canonibus præpositio Græca μετὰ vel Latina *post* non inferiorem honoris gradum, sed tantummodo posteriorem temporis ordinem significaret. Sic Alexius Aristenus apud Leonem Allatium in opere de ecclesiæ Occidentalis et Orientalis perpetua consensione lib. 1 cap. 17 num. 5 hos canones explicare non erubuit : *Constantinopolitanum æqua cum Romano privilegia possidere*, inquit, *in canone tertio Constantinopolitano et vigesimo octavo Chalcedonensis synodi decretum est; adeo ut secundus ordine sit a Romano, non honore, sed tempore. Non aliter hic præpositio* POST *intelligenda est, tamquam quæ tempus, non honorem importet.* Theodorus Balsamon, Simeon Thessalonicensis, aliique infensissimi Latinorum hostes eamdem interpretationem cæce sequuntur.

contra sententiam ipsiusmet Zonaræ schismatici,

321 Sed ipsemet Zonaras, rei evidentia convictus, hanc violentam explicationem rejicit, et apud Allatium in proxime citato Opere lib. 1 cap. 16 num. 2 ex Novella Justiniani et canone Trullano ita concludit : *Quo ex loco, de subjectionis, non temporis solius, ordine, et de inferiori honoris gradu canonem accipiendum esse, facile est intelligere; cum alioquin præsertim honoris æqualitas in utraque sede retineri nullatenus queat : nam sive ipsa præsulum nomina recitanda, sive in eodem utique consessu assidendum, sive utriusque chirographo eadem syngrapha sit firmanda, alterum certe præferri necesse est. Quicumque ergo particulam* POST *solam temporis seriem, non inferiorem quoque dignitatis gradum significare contendat, is et vim huic loco afferat, et sententiam neque rectam neque bonam eliciat.*

B

et ad alias absurdas assertiones processerint.

322 Postmodum Doxapatrius, aliique Græci schismatici effutire ausi sunt, Pontifices Romanos ab imperatoribus et conciliis omnes suas prærogativas obtinuisse, et primatum Ecclesiæ Romanæ, amisso Occidentali imperio, ad ecclesiam Constantinopolitanam translatum fuisse, ut in laudato Allatii Opere lib. 1 cap. 14 fusius videri potest. Sed eorum majores eo impudentiæ non sunt progressi, quamvis cum Apostolica Sede contenderent de qualicumque nonnullorum privilegiorum æqualitate, quam in synodo Constantinopolitana et Chalcedonensi sibi concessam arbitrabantur, et ob quam aliqui præsules Constantinopolitani titulum patriarchæ œcumenici usurparunt, ut jam ex probabili conjectura aperiemus.

C

Titulus œcumenici datus est Pontifici Romano,

323 Libellus Theodori diaconi Alexandri in concilio Chalcedonensi contra Dioscorum exhibitus apud Labbeum tomo 4 col. 396 hanc habet inscriptionem : *Sanctissimo ac Dei amantissimo et universali* (Græce οἰκουμενικῷ) *archiepiscopo et patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ et universali Chalcedonensi synodo*, etc. Baronius in Annalibus ad annum Christi CDLI num. 150 suspicatur, eumdem œcumenici titulum, qui in epistola synodali ad Leonem Papam hodie desideratur, ab ea dolo librarii subductum esse. Quidquid sit, S. Gregorius Magnus in variis epistolis asserit, Pontificem Romanum a synodo Chalcedonensi sic honoris causa nominatum fuisse, et lib. 4 epist. 38 ipsum Joannem Jejunatorem ita interrogat : *Numquidnam, sicuti vestra sanctitas novit, per venerandum Chalcedonense concilium hujus Apostolicæ Sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales honore oblato vocati sunt?*

D

quem deinde Joannes Jejunator præsul CP.

824 Certe Joannes Jejunator noverat, in concilio Chalcedonensi Leonem Papam nomine œcumenici patriarchæ appellatum fuisse, et idcirco verosimiliter eumdem titulum sibi dari volebat, eo quod vigesimus octavus ejusdem concilii canon throno Romano et Constantinopolitano *æqualia privilegia* tribuisset, ut haud dubie Joannes iste cum aliis illius temporis Græcis perperam contendebat. Poterat itaque præsul Constantinopolitanus in hac falsa hypothesi sic secum argumentari : In synodo Chalcedonensi decretum est, ut antistites Romani et Constantinopolitani æqualibus honoris prærogativis fruerentur; at in eadem synodo Pontifex Romanus vocatus est patriarcha œcumenicus ; ergo idem titulus antistiti Constantinopolitano competit.

sibi pertinaciter arrogavit,

325 Attamen non videtur Joannes Jejunator simile ratiocinium Pelagio II Pontifici Romano aut S. Gregorio Magno opposuisse : satis enim sciebat, hunc concilii Chalcedonensis canonem a Leone Papa rejectum fuisse, et ab Ecclesia Romana nondum admitti. Sciebat monitionibus Romani Pontificis tunc obtemperasse Anatolium episcopum Constantinopolitanum, cujus exemplum imitari nolebat. Quare imperatoria potestate confisus non solum patriarchæ œcumenici nomen, sed etiam officium assumpsit, quando sine consensu Romani Pontificis concilium coegit, in patriarcham Antiochenum potestatem usurpavit, et judicare voluit de causis majoribus, quæ ad Sedem Apostolicam pertinebant, ut postea fusius dicetur. Is igitur primus præsulibus Constantinopolitanis viam aperuit ad ambiendum œcumenici titulum, qui postea tot dissensiones excitavit, ut per decursum hujus Tractatus videbimus. Nos interim in hoc parergo summa rerum capita tantummodo attingemus, et paucis docebimus, quam varia fuerit hujus vani tituli fortuna.

E

et quem ejus successores

326 Joanni Jejunatori successit Cyriacus, qui simul ac thronum Constantinopolitanum conscenderat, legatos ad Gregorium Magnum una cum litteris et fidei professione Romam misit; sed titulum patriarchæ œcumenici exemplo sui decessoris affectavit. Hoc ubi S. Gregorius Pontifex intellexit, Sabiniano apocrisiario suo mandavit, ne assisteret eidem Cyriaco Missarum solennia celebranti, nisi illicitum œcumenici nomen penitus dimitteret. Imo Cyriacum ipsum per litteras monuit, fieri non posse, ut mutua concordia intercederet, nisi superbum nomen deponeretur, et plures ejusdem argumenti epistolas ad imperatorem Mauritium aliosque scripsit. Nobis non constat, utrum Cyriacus auctoritati Pontificis Romani tandem cesserit; sed scimus, Bonifacium III Pontificem Romanum ab imperatore Phoca non diu post impetrasse, ut præsules Constantinopolitani titulum œcumenici non amplius usurparent.

F

pro variis rerum ac temporum circumstantiis

327 At rursus mutata est rerum facies sub imperatoribus Monothelitis, ut colligimus ex concilio Lateranensi, in quo authentice referuntur ea, quæ Sergius et Pyrrhus Monothelitæ ad defendendam Heraclii imperatoris ecthesim gesserunt, et ubi apud Labbeum tomo 6 col. 203 uterque ille episcopus Constantinopolitanus οἰκουμενικὸς πατριάρχης, *universalis patriarcha* appellatur. Verum hæc injuria Sedi Apostolicæ sub hæreticis imperatoribus tunc illata tacite reprobatur a concilio tertio Constantinopolitano seu œcumenico sexto, cui apud Labbeum tomo 6 col. 1028 legatus Agathonis Papæ ita primus subscribit :

Theodorus

A *Theodorus humilis presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ et locum gerens Agathonis ter beatissimi et* UNIVERSALIS *Papæ urbis Romæ subscripsi.* Deinde iisdem verbis subscribunt duo alii ejusdem Romani Pontificis legati, post quos quarto loco episcopus Constantinopolitanus nomen suum ita humiliter notat : *Georgius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ definiens subscripsi.* Denique ibidem col. 1100 imperator Constantinus Pogonatus epistolæ, quam ad Leonem II Agathonis successorem dedit, hanc inscriptionem præfigit : *Leoni sanctissimo et beatissimo archiepiscopo veteris et clarissimæ urbis Romæ, et œcumenico Papæ.*

et pro suo erga Sedem Apostolicam affectu

328 Opinor, seculo octavo sub imperatoribus Iconoclastis æque inconstantem fuisse nominis œcumenici usurpationem inter episcopos Constantinopolitanos pro amore vel odio, quo præsules illi hanc hæresím prosequebantur. Non dubito, quin antistites Iconoclastæ illum titulum sibi arrogaverint, ut postea fortasse clarius apparebit ; at nusquam lego S. Germanum Constantinopolitanum, qui pro defensione sacrarum imaginum contra Iconoclastas tam acriter decertavit, eo nomine usum fuisse. B Equidem non ignoro, S. Tarasio patriarchæ Constantinopolitano titulum œcumenici ab aliis datum fuisse ; sed hoc ipsum Hadrianus I Papa graviter reprehendit, ut supra retulimus, et ipsemet Tarasius concilio II Nicæno, sive œcumenico septimo, post legatos Romani Pontificis apud Labbeum tomo 7 col. 558 sic modeste subscribit : *Tarasius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, paterna dogmata sequens et traditionem Catholicæ ecclesiæ, definiens subscripsi.*

cum Photio superbe affectarunt,

329 Facile mihi persuaderi sinam, plerosque Græcos hactenus titulum universalis ita intellexisse, ut tantummodo voluerint patriarcham Constantinopolitanum dici œcumenicum in Oriente, sicut Romanus Pontifex eodem titulo in toto terrarum orbe gaudebat. Facile, inquam, id mihi persuaderi sinam, quamvis illa etymologiæ Græcæ interpretatio violenta sit atque inepta, ut superius indicavi. Sed jam ad ea pervenimus tempora, quæ S. Gregorius Magnus videtur prævidisse, quibus impius Photius totam hujus tituli significationem ac potestatem sibi arrogavit, C omnem Romani Pontificis auctoritatem aperte contempsit, et manifesto schismate ecclesiam Orientalem ab Occidentali avulsit : nullum enim agnoscens superiorem, sine consensu Sedis Apostolicæ convocavit Conciliabulum, quod Græci schismatici concilium œcumenicum appellare hactenus non erubescunt.

aut aliorum exemplo abdicarunt.

330 Huic pseudo-synodo, quam Harduinus noster tomo 6 Conciliorum, part. 1, a col. 213 primus integram ex codice Græco Bibliothecæ Vaticanæ nuper edidit, præfigitur is mendax titulus : *Acta sanctæ synodi Constantinopoli congregatæ sub Photio sanctissimo et œcumenico patriarcha pro unione sanctæ Dei et Apostolicæ ecclesiæ.* Deinde hæc sequuntur : *Præsidente Photio sanctissimo et œcumenico patriarcha*, etc. Denique in ipsis Actis idem œcumenici titulus summa affectatione sæpius repetitur, et Photio ad nauseam tribuitur. Nicolaus I Papa Romanus in litteris suis apud Labbeum, tomo 8 Conciliorum, col. 472, inter alia de hoc superbo nomine sic conqueritur : *Sed quid mirum, si hoc isti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanæ Sedis ad Constantinopolitanam ecclesiam transmigrasse ; et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse ; ita ut ejusdem invasor ecclesiæ Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet ?* Photio successere aliquot antistites sanctitate illustres, qui haud dubie ab hoc superbo titulo abstinuerunt. An autem alii minus Sedi Apostolicæ obsequentes istud nomen usurpaverint, infra per decursum apparebit. Saltem præsules Constantinopolitanos tunc in pacifica istius tituli possessione non fuisse, manifestum sit ex historia sequente, quam jam verbis auctoris synchroni referemus.

SEC. VI.

Seculi XI *Græci,*

331 Glaber monachus lib. 4, cap. 1, rem ita narrat : *Circa annum igitur Domini millesimum vicesimum quartum Constantinopolitanus præsul cum suo principe Basilio, aliique nonnulli Græcorum consilium iniere, quatenus cum consensu Romani Pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem dici et haberi. Qui statim miserunt, qui deferrent multa ac diversa donorum xenia Romam tam Pontifici, quam ceteris, quos suæ parti favere conspicerent. Ubi convenientes exposuerunt apud Pontificem suæ profectionis querelam.* E *Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? Estque proverbium : aureo pugillo murum frangere ferreum. Ac licet pro tempore philargyria mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit. Mox namque ut videre Græcorum sibi deferre* fulgidas opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, pertentantes, an forte clanculo concedere quiverant, quod petebatur.*

* forte deferri

oblatis etiam muneribus,

332 *Sed nequaquam : non enim potest falli summa Veritas, quæ spopondit : Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Dum ergo adhuc leni sub murmure hujusce machinatores in conclavi sese putarent talia tractavisse, velox fama de ipsis per universam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quam vehemens commotio per cunctos exstitit, qui audierunt, dici non valet. Præcipue tamen vir prudentissimus, pater videlicet Willelmus,* (hujus S. Willelmi seu Guilielmi abbatis Acta ad diem 1 Januarii Majores nostri dederunt) *de quo jam diximus, ad Romanum Pontificem de hac re misit epistolam corpore brevem, sed materia ingentem ac sermone pungentem, talia continentem.* Hic sequitur ipsa istius S. Guilielmi epistola, quam mendosam F esse queritur Baronius, qui in Annalibus suis ad annum Christi MXXIV, num. 5 et 6 eamdem historiam et epistolam ex Glabro describit. Nos eam emendatiorem ex Chronico Virdunensi mox exhibebimus.

eumdem œcumenici titulum

333 Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum nostrum in Bibliotheca manuscriptorum librorum, tomo 1, pag. 174, eamdem Græcorum legationem exponit hoc modo : *Igitur post Benedictum Papam anno* MXXIII *frater ejus Johannes largitione pecuniæ ex laicali ordine neophytus ordinatus est ; a quo cum requisisset Constantinopolitanus antistes, ut sua ecclesia, sicut et Romana, universalis diceretur, et donis eum Romanosque, qui curiæ præerant, innumeris flecteret, ita ut clanculo tentarent concedere, quod rogabatur, omnis ob hoc vehementissime commota est Italia. Sed Galliarum episcopi et abbates his obviare conati sunt ; quidam in persona sua, quidam vero litteris missis, Sedem Apostolicam visitantes, et tantum opprobrium et dedecus auctoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, a Romana Ecclesia propulsantes. Nec defuit in his patris Richardi authentica præsentia ; imo omnino sategit, ut*

Constan-

SEC. VI.

Constantinopolitana præsumptio confutata conquiesceret, filium se Romanæ Ecclesiæ, dum matris honori providebat, ostendens. Inter alios quoque Willelmus abbas eximius epistolam Papæ misit corpore brevem, sed materia ingentem, et sermone locupletem, quam hic inserere non piguit.

ab Apostolica Sede

334 Tunc subnectit illam Willelmi abbatis epistolam, quæ multo correctior, quam in Annalibus Baronii aut in duabus Glabri editionibus, hic ita sonat : *Gratia Dei et reverentia beati Petri Sedi in orbe terrarum excellentissimæ indepto Papæ Johanni Willelmus crucis Christi servus, sedem judicii cum Apostolis et coronam regni. Magistri gentium dictis instruimur, seniorem non increpandum; idem tamen aliis dicit : Factus sum insipiens, vos me coegistis. Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram Paternitatem, ut in uno imitemini cogitationes hominum pervidentem Dominum Salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum et ipse Petro : Quid dicunt homines de me? Si vero responsum ejus ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit : si clare, custodite ne obfuscetur; si vero obscure, Lux mundi* B *oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio Ecclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed est fama rei, quæ nuper apud vos accidit, de qua quis audiens si non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari : quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diversa terrarum loca innumeris regatur sceptris, ligandi solvendique in cœlo et in terra potestas incumbit magisterio Petri. Atque idcirco ista diximus, ut animadvertatis non aliter Græcos quam cenodoxia hoc, quod audivimus requirere, impetravisse. De cetero quoque optamus, uti universalem decet antistitem, vos acrius in correptione et disciplina sanctæ et Apostolicæ Ecclesiæ vigere, æterneque et in Christo feliciter valere.*

frustra obtinere tentarunt.

335 Eminentissimus Baronius ad annum Christi MXXIV, num. 7 probat, Græcos spe sua excidisse : *Quod autem ad dictam legationem Græcorum attinet*, inquit, *eos nihil penitus ab Apostolica Sede impetrare potuisse, docent epistolæ Leonis Papæ noni, post annos viginti conscriptæ ad Michaelem Constantinopolitanum patriarcham, quibus expostulat de hujusmodi titulo* ŒCUMENICUS, *quem suæ sedis episcopi* C *præter jus fasque, reclamante semper Apostolica Sede, nimia arrogantia usurpassent. Ex quibus aperte cognoscitur, ab ea petitione legatos tandem fuisse repulsos : quod etiam ex eo redditur manifestum, quod illa ecclesia hactenus Ecclesiæ Romanæ nova redintegratione conjuncta, rursus schismate se divisit, ut quæ suo loco sunt dicenda, demonstrant.* Confirmare id potuisset testimonio ipsius Glabri scriptoris coævi, qui citatum caput ita concludit : *Constantinopolitani ad propria remeantes, confutata illorum undique tumida præsumptio conquievit.* Ex hac legatione patet, ipsos Græcos tunc judicasse, quod suo patriarchæ Constantinopolitano sine licentia Romani Pontificis titulum œcumenici tribuere non possent.

Hunc titulum tamen arroganter sibi tribuit Michael Cerularius,

336 At post aliquot annos Michael Cerularius omne unionis vinculum aperte disrumpens et jura Apostolicæ Sedis conculcans, inter alia rebellionis signa superbum œcumenici patriarchæ nomen assumpsit. Unde S. Leo IX Papa in litteris suis apud Labbeum, tomo 9 Conciliorum, col. 979 illum sic increpat : *Qualis vero et quam detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, qua te universalem patriarcham jactas ubique et scripto et verbo, cum omnis Dei amicus hujusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis post* D *Christum convenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc. Verumtamen quia ille non invenitur universalis apostolus dictus, quamvis princeps Apostolorum sit constitutus, nullus successorum ejus tam prodigioso prænomine consensit appellari penitus, licet Magno Leoni prædecessori nostro et successoribus ipsius hoc sancta decreverit Chalcedonensis synodus.* Leo Papa hic titulum œcumenici seu universalis intelligit eo sensu, quo S. Gregorius Magnus olim eumdem interpretatus fuerat, de qua interpretatione consule Annales Baronii ad annum Christi DXCV, num. 31 et sequentibus.

quem aliqui in hac re secuti sunt,

337 Post schisma Michaelis Cerularii unio inter Ecclesiam Græcam et Latinam interdum renovata ac rursus dissoluta est. Verosimile est, patriarchas Constantinopolitanos post hæc tempora, pro majori vel minori sua erga Sedem Apostolicam reverentia, hunc titulum œcumenici omisisse aut usurpasse. Videntur tamen plures tunc eo titulo liberius usi fuisse, ut Eminentissimus Baronius in Annalibus ad annum Christi DCCLXXXVII, E num. 8 innuit his verbis : *Verum posteriores qui exstiterunt Constantinopolitani episcopi majori quam prædecessores levitate nomen illud sibi rursus vindicarunt; quod tamen licet numquam probatum, toleratum tamen a Latinis fuit. Sed accidit miseris, ut dum inani gloriantur nomine, rerum etiam, quæ legitime possiderent, facerent sub Turca diro tyranno jacturam.* Nemo miretur, tandem a Latinis toleratum fuisse illum titulum, cui tamdiu acriter obstiterant : nam theologiæ ac historiæ ecclesiasticæ peritis notum est, ab Apostolica Sede quamdam propositionem aut consuetudinem, quam antea ob periculum doceri aut usurpari vetuerat, postea justis de causis posse permitti aut tolerari.

forte etiam orthodoxi,

338 Nonnulli disputant, utrum Josephus et Bessario, orthodoxi Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopi, sese œcumenicos patriarchas appellaverint. Affirmantibus favet testimonium unionis, quod Josephus Florentiæ paulo ante mortem exaravit, et cui apud Labbeum, tomo 13 Conciliorum, col. 494, hic titulus præfigitur : *Joseph miseratione divina archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, et œcumenicus patriarcha.* Bessario autem dicitur eodem titulo usus fuisse in epistola F generali, quam ad Ecclesiam Constantinopolitanam scripsit. Sed hæc suspecta sunt Horatio Justiniano, qui eodem Labbei tomo, col. 1175 in notis ad Concilium Florentinum scribit sequentia : *Utinam hic subscriptio religiosissimi viri legeretur : non enim in ea cerneretur ab Apostolicæ Sedi obsequentissimo usurpatum nomen* ŒCUMENICI, *in titulo hujus sententiæ a scriptore quopiam appositum, ut observat etiam Arcudius in notis ad epistolam generalem Bessarionis una cum aliis ejusdem Bessarionis opusculis editam.* Quod vero ad Bessarionem attinet, Arcudius apud Allatium in opere de Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis perpetua consensione, lib. 1, cap. 19, num. 7 testatur, *se in bibliotheca Bessarionis Reipublicæ Venetæ data, per amicos inquisisse, utrum ea vox* ŒCUMENICUS *in ea esset epistola exarata, vel in titulo vel in subscriptione; qui negarunt, eam reperiri. Quare concludit, vel eum deceptum ita scripsisse; quemadmodum et Josephum Constantinopolitanum Florentiæ, dum extremam manu sua de fide sententiam subscriberet, vel titulum hunc ejus operibus a Græcis posterioribus additum.*

339 Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad

annum

quos posteriores Raynaldus

A annum Christi MCDXXXIX, num. 6 illam Josephi orthodoxi subscriptionem ita excusat : *Non ex arrogantia, sed ex simplici consuetudine titulum hunc inanem, ab antecessoribus perperam usurpatum, adjecisse videtur Joseph, quem toleravit prudenter Eugenius, ne Græci inde offensionis publicæ occasionem sibi dari putarent. Simili ratione sæpe Romani Pontifices passi sunt, patriarchas Armeniorum et Georgianorum* CATHOLICOS *se appellasse, cujus vocis eadem atque* ŒCUMENICI *significatio est; sed abusive ab iis sumpta, scilicet sicut pro orbis parte, orbis accipi solet, et reges orbis imaginem præferunt manibus, quamvis exigua orbis parte potiantur.*

et Thomassinus excusant,

340 Thomassinus de Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina part. 1 lib. 1 cap. 26 num. 10 titulum œcumenici his duobus patriarchis ita relinquit : *E vivis abeunte Isidoro, Bessario in patriarchalem Constantinopoleos sedem, et in Eubœæ archiepiscopatum vocatus est. Consultissime Romani Pontifices Græcæ gentis homines et lumina in hanc sedem subrogabant, ut Græcos demererentur. Bessario nulla interposita mora, litteras perscripsit ad ecclesiam*
B *Constantinopolitanam, summa tum eloquentiæ vi, tum eruditionis copia refertas, ut illam ad unitatem et communionem cum Latinis inflammaret. Non abstinuit in hac encyclica epistola Bessario patriarchæ œcumenici nomine; persuasus non immerito, tam æquo animo laturos id Latinos nunc, quam non ita pridem tulerant, cum in concilio Florentino Josephus Patriarcha Græcus eo uti abutique a Papa sineretur. Potuit et in mentem illi hoc venire, non exasperandos esse Græcos ista quasi jam imminutione jurium ac prærogativarum ecclesiæ suæ, si œcumenici patriarchæ nomen expungeretur.*

etsi Balsamon id de omnibus impudenter neget.

341 Quomodocumque ea res sese habeat, satis mirari non possumus impudentiam Theodori Balsamonis, qui loco proxime citato apud laudatum Allatium mendaci calamo hæc expressit : *Idem* (videlicet patriarcha Constantinopolitanus) *nec subscriptiones quidem suas magnificas facit, tamquam pater universalis, licet a nobis ita vocetur et celebretur.* Qua fronte id asserere potuit, cum propter hoc nomen, ab episcopis Constantinopolitanis usurpatum, sæpius dissensiones in Ecclesia ortas esse non ignoraret? Imo etiamnum miseri illi patriarchæ, dum sub duro Turcarum jugo
C gemunt, hoc titulo superbe gloriantur, ut patet ex synodis, quas Græci seculo præterito contra Calvini errores celebrarunt, et in quibus apud Harduinum tomo XI patriarcha Constantinopolitanus sese ubique *œcumenicum* appellat. Nunc nimis diu interruptum seriei nostræ filum retexamus.

XXVII EPIPHANIUS.

Evidenter errat Evagrius in assignanda successione Epiphanii,

Quamvis Euagrius Scholasticus hisce temporibus vicinus fuerit, tamen manifeste hallucinatur, quando lib. 4 Hist. eccles. cap. 36 seriem episcoporum Constantinopolitanorum ita invertit : *Anthimo, uti supra a nobis dictum est, ex Constantinopolitana sede ejecto, Epiphanius in ejus locum successit : post Epiphanium vero Menas episcopatum illum sortitus est.* Manifestus est hic Euagrii error, ut constat ex suggestione Dioscori diaconi, qui tomo 4 Labbeanæ Collectionis col. 1523 ad Hormisdam Pontificem Romanum ita scribit : *Erat optabile et voto nostro conveniens, consonantia præteritis annuntiare, scilicet pontificem Constantinopolitanæ ecclesiæ Joannem esse superstitem, et confessionem libello editam : cujus merita non est dubium Deo placere, qui inter catholicos et communicatores Sedis Apostolicæ meruit ad aliam ex hac vita discedere.* SEC. VI.

quia hic in locum Joannis Cappadocis successit

343 *In cujus locum Epiphanius quidam presbyter, quondam syncellus ejus, successit, cujus initia bona videntur : nam rationabilia loquitur, et promittit, patrum se regulas servaturum, pacem unitatemque ordinatam non dissipare, sed magis augere. Ista sunt, quæ promittit. Quid tamen opere possit implere adhuc ignoramus : has siquidem litteras quarta post ordinationem ejusdem die, reperta occasione, transmisimus. Necdum cum eo communicavimus, non quasi resistentes, sed qui adhuc ab eo non sumus invitati.* Hæc legati. Epistola Romæ est accepta VII *Idus Aprilis, Rustico viro clarissimo consule,* id est anno Christi DXX, die VII Aprilis, ut in fine notatur.

mense Februario anni 520,

344 Quandoquidem igitur juxta Theophanem in Chronographia pag. 142 *Joanne porro Cappadoce Constantinopolitano episcopo defuncto, Epiphanius ejusdem ecclesiæ presbyter et syncellus mensis* E
Februarii die vigesimo quinto fuit ordinatus, colligo, litteras Dioscori, quæ *quarta post ordinationem ejusdem die* transmissæ sunt, anno DXX, ultima die Februarii Constantinopoli datas esse, et eo anno, qui bissextilis fuit, ordinationem Epiphanii in festum S. Mathiæ incidisse, ut Pagius observavit. Ex his itaque liquet, Euagrium errasse, et Joanni Cappadoci non successisse Anthimum, sed Epiphanium, quod ex infra dicendis confirmabitur.

et laude dignus propter varias dotes

345 Constantinopolitana synodus apud Labbeum tomo 4 Conciliorum col. 1524 Pontifici Romano electionem Epiphanii litteris indicat, et novum patriarcham inter alia his laudibus extollit : *Post obitum sanctæ recordationis quondam archiepiscopi et patriarchæ Joannis Constantinopolitanæ civitatis, Deus qui propriam ecclesiam in petra rectæ fidei incorrupta fundavit, et portas inferi non prævalere ei decrevit, dedit nobis sanctum pastorem et patriarcham Epiphanium, virtutibus et correctionibus, et meditatione divinarum florentem Scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, et orbatorum paternam regentem solicitudinem, et quid amplius dicam? omnem præconiorum fontem transcendentem.* F
His ergo vitutibus pollens, non immerito proprias et creditas sibimet maximas ecclesiæ curas sapienter et honorifice gessisse dignoscitur, habens in mente illud, quod a sacri Cantici auctore relatum est : Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. Unde secundum rectam et probabilem fidelissimi et Christianissimi nostri principis et piissimæ reginæ, et gloriosissimorum communis reipublicæ procerum sententiam, nostra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium testificatione, judicium Pauli mirabilis, communis Ecclesiæ doctoris, non est in eo fraudatum, qui irreprehensibilem debere esse episcopum denuntiat; ita et nostrum pontificem virtutibus undique coronatum esse videmus.

servatamque cum Romano Pontifice concordiam

346 Cum Epiphanius initio sui episcopatus legatos ex more novorum patriarcharum ad Romanum Pontificem non misisset, Hormisdas Papa apud Labbeum tomo 4 Conciliorum col. 1533 fortiter ac suaviter illum officii sui ita commonefecit : *Diu nos non nuntiata tuæ primordia dignitatis tenuere suspensos, et in ipsa communis gratulatione lætitiæ mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum; quia reparata ecclesiarum,*

Deo

SEC. VI.

Deo annuente, concordia plenum fraternæ pacis id flagitabat officium; præsertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad Apostolicam Sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse, ut et quem tibi debeamus affectum bene cognosceres, et vetustæ consuetudinis formam rite compleres, etc. Epiphanius huic Pontificis postulationi abundantissime satisfecit : non enim tantummodo orthodoxam fidei professionem et legatos, sed etiam pretiosa munera ad Hormisdam transmisit, ut ibidem apud Labbeum col. 1534 et sequentibus videri potest. Quanta vero inter hunc patriarcham Constantinopolitanum, et Pontificem Romanum fuerit concordia, ex mutuis eorum litteris ibidem relatis facile quisque intelliget. Ceterum præclaris illius gestis, quæ apud Baronium aliosque ecclesiasticæ historiæ scriptores passim occurrunt, immorari mihi non licet, qui potius chronologiam ordinare, quam historiam texere, intendo. Quapropter, his prætermissis, ad assignandum mortis ejus tempus transilio.

B

ineunte mense Junio anni 535 moriens,

347 Jam sæpe laudatus laudandusque Theophanes pag. 183 de obitu illius hæc habet : *Hoc anno* (ad loculos annorum indices non attendo, quia tam male collocati confusique sunt, ut ex iis plerumque nihil possis concludere) *Epiphanio præsule, mensis Junii die quinto, indictione decima quinta, post episcopatus annos sexdecim et menses tres vivis erepto, hæreticus Anthimus Trapezuntinus episcopus in sedem Constantinopolitanam translatus est.* Pagius in Critica ad annum Christi DXXXV num. 9 recte demonstrat, hæc anno Christi DXXXV contigisse, et Epiphanium dumtaxat quindecim annis ac tribus mensibus in cathedra Constantinopolitana sedisse. Etiam Baronius ad annum Christi DXXXV num. 59 apud nos, tantummodo quindecim episcopatus annos rotunde ita numerat : *Sic igitur Epiphanius, cum sedisset annos quindecim, hoc ipso anno ex hac vita decessit.*

transactis in gubernatione quindecim annis,

348 Videtur itaque in Theophanis Chronographiam aliosque quosdam catalogos mendum irrepsisse, ita ut pro ιε′ seu XV scriptum fuerit ις′, id est XVI anni cum tribus mensibus, qui fere ubique adduntur. Quam facile autem error in numeros hujusmodi irrepat, patet ex Labbeano

C

episcoporum catalogo, qui in ejus Protreptico ad historiam Byzantinam pag. 36 exhibetur, in quo tantum VI anni Epiphanio assignantur, ubi interim in catalogo Philippi Cyprii apud Bandurum tomo I Imperii Orientalis pag. 220 contra manifestam veritatem ἔτη κ′, μῆνας ι′ id est anni XX et menses X eidem adscribuntur. Verum hæc omnia majorem lucem accipient ex duobus Epiphanii successoribus, quorum prior fuit

XXVIII ANTHIMUS I *vel* ANTHEMIUS

hæreticus.

successorem habuit Anthimum hypocritam,

Anonymus Marcellini Comitis continuator *indictione* XIII *Belisario V. C. solo cos.*, id est anno Christi DXXXV hæc tradit : *Epiphanius episcopus regiæ urbis ante adventum Romani Præsulis moritur; cujus episcopatum contra canones Anthemius, Trapezuntina ecclesia relicta, invadit.* Liberatus diaconus, scriptor synchronus, in Breviario cap. 20 apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 773 indicat, cujus favore hæreticus ille in sedem

D

Constantinopolitanam intrusus fuerit : *Ea tempestate*, inquit, *mortuo Epiphanio Constantinopolitano episcopo, Theodora Augusta Anthimum transtulit in eamdem sedem, qui fuit episcopus civitatis Trapezuntis regionis Ponti, latenter Calchedonense concilium non suscipientem.*

qui cathedram CP. fraudulenter invasit,

350 Quibus artibus sacrilegus ille hypocrita hæresim suam tegeret, accipe ex veteri scriptore, et forsan teste oculato, quem Eminentissimus Baronius in bibliotheca Vaticana invenit, ut in Annalibus ad annum Christi DXXXVI num. 59 testatur, et ex quo ibidem num. 61 refert sequentia : *Anthimus, qui relicto dudum apud Trapezuntium civitatem episcopatu, Constantinopolim venerat, vitamque suam jejuniis commendabat, sive* patrum decreto, sive * Augusti favore, sive * procerum voto, hæreticorum pecuniis et seditiosorum turbis fretus, in Constantinopolitanæ ecclesiæ sedem irruit improvisus, adulter invasit, et apostolicum thronum, ingemiscente clero, populoque ad cœlum oculos referente, homo inimicus insedit, atque cunctis ceteris insaniam suam tacitus seminavit, stipem egenis simoniaco ritu disseminans.*

**** forte ubique legendum* sine

E

et propter hæresim

351 Deinde idem antiquus scriptor ibidem narrat, quomodo Agapetus Papa Romanus Anthimum in urbe Constantinopolitana exauctoraverit. *Talem*, inquit, *hunc ecclesiæ adulterum et populi seductorem Agapitus Papa sine ullis morarum obstaculis ecclesia expulit, et pœnitentiæ eidem tempus indixit : quod cum sine mora repelleret, et antiquam ecclesiam, quam reliquerat, reprobaret, perfidiamque suam alta mente reponeret, Papæ Agapiti voce et canonica secure percussus est; complicesque ejus Severus et Petrus. Antiochenæ et Apamenæ civitatum quondam episcopi de exilio in exilium deportati; Zoaras quoque presbyter, eorumque sequax, Apostolica voce ligatus est. Agapitus vero Papa, vas Catholicum, Evangelii tuba, præco justitiæ sacra altaris sedisque velamina, sacrilegi Anthimi infecta flatibus, suis Catholicis precibus eluit* (Gratianus de consecratione dist. I, c. 23 citat eadem fere verba, ex quibus patet, non tantum hæreticorum templa, sed etiam eorum utensilia expiari consuevisse) *omnesque templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis, orthodoxis obsecrationibus expiavit, mercenario lupoque ovium a dominica caula detruso extra ecclesiæ parietes.* Tum

F

refertur, quomodo Mennas ab Agapeto consecratus fuerit episcopus Constantinopolitanus, ut dicemus, postquam tempus, quo Anthimus depositus est, examinaverimus.

ab Agapeto Papa depositus est,

352 Anonymus Marcellini comitis continuator, et Joannes Antiochenus, cognomento Malala, depositionem hujus Anthimi *indictione* XIV *post consulatum Belisarii*, id est anno Christi DXXXVI collocant. Occupavit autem ille sedem Constantinopolitanam decem mensibus, uti præter Nicephorum patriarcham, aliosque præsulum istorum catalogos, Theophanes in Chronographia pag. 183 et 184 indicat his verbis : *Romanus autem Pontifex Agapetus Constantinopolim hoc anno profectus adversus impium Severum, et Halicarnassi antistitem Julianum, et reliquos alios Theopaschitas conciliorum convocavit. Ex his Anthimus Constantinopoleos episcopus, tamquam eorum sententiæ particeps, cum sedem mensibus decem tenuisset, munere abdicatus et depulsus est; Menas vero presbyter, et hospitii, cui Sampson nomen, præpositus, a Romano Pontifice Agapeto in ejus locum ordinatus.*

postquam sedem illam aliquot mensibus occupasset.

351 Apud Bandurum tomo I Imperii Orientalis a pag. 201 catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum ex jure Græco-Romano desumptus,

A sumptus, et alii duo ibidem pagg. 209 et 218 a Matthæo Cigala et Philippo Cyprio collecti, Constantinopolitano Anthimi episcopatui tantum quatuor menses concedunt. In ea hypothesi oportet sedem Constantinopolitanam aliquot mensibus post mortem Epiphanii vacasse, et forte dumtaxat numerari menses Anthimi usque ad tempus, quo de hæresi accusari cœpit, et causa illius agitari coram Romano Pontifice Agapeto, qui *animam ipsius paterne revocare studuit...... deferens ei tempus pœnitentiæ*, ut synodus Constantinopolitana in sententia contra Anthimum apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 87 testatur. Quod si cum Nicephoro et Theophane mavis ei decem menses tribuere, memento illos utrimque incompletos computare, cum decessor ipsius Epiphanius anno DXXXV, die V Junii obierit, et successor anno DXXXVI, die XIII Martii, ut mox ostendemus, in depositi Anthimi locum substitutus fuerit

B

XXIX S. MENNAS *vel* MENAS.

Mense Martio anni 536 electus est S. Mennas,

Hunc virum orthodoxum anno DXXXVI ante diem secundam Maii Anthimo hæretico successisse, liquet ex synodo Constantinopolitana, quæ haberi cœpit *post consulatum Flavii Belisarii clarissimi, sexto Nonas Maias, indictione decima quarta, in Dei amantissima et imperiali civitate Constantinopoli nova Roma, præsidente domino nostro sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo et patriarcha Mena*, ut in Actione prima ejusdem concilii apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 3 refertur. Eodem anno disctincte ipsam ordinationis diem indicat codex Ms. bibliothecæ Vaticanæ, quem ex Norisio citat Pagius in Critica ad annum DXXXVI num. 6, et in quo pag. 45 leguntur sequentia: *Exemplar libelli Mennæ presbyteri ac xenodochi, qui factus est episcopus Constantinopolitanus sub die* III *Idus Martias, iterum post consulatum Paulini Junioris viri clarissimi.* Ne quis hic hæreat ad relatum in utroque textu consulatum, qui prima ronte diversus videtur, hanc temporis notam ad eumdem annum DXXXVI pertinere de-
C monstrabo.

ut ex chronologicis Consulum notis

355 Sirmondus noster tomo 1 Conciliorum Galliæ pag. 241 exhibet concilium Arvernense, quod VI *Idus Novembris, post consulatum Paulini Junioris V. C.*, id est anno Christi DXXXV celebratum est, ut ex aliis ibidem concurrentibus temporis characteribus apparet. Deinde laudatus Sirmondus in eodem tomo pag. 606 in notis ad hanc synodum ita scribit: ANNO CHRISTI DXXXV: *is enim est annus post consulatum Paulini Junioris, qui proximo ante anno consul fuerat, juniorque in Fastis nuncupatur propter Paulinum alterum, qui consulatum multo ante gesserat anno* CDXCVIII. *Hoc igitur anno, quo habita est synodus, consulem habuit Oriens Belisarium; at in Occidente, quia nullus est renuntiatus, annum appellabant* POST CONSULATUM PAULINI JUNIORIS. Tum ex aliis characteribus chronologicis ostendit, hanc synodum Arvernensem anno Christi DXXXV habitam esse. Ex his infero, annum DXXXVI indicari per hanc primam temporis notam; *post consulatum Flavii Belisarii;* et alteram: *iterum post consulatum Paulini junioris.*

colligimus;

356 Hæc chronologia confirmatur ex concilio Aurelianensi tertio, quod eodem tomo 1 pag. 247 *quarto post consulatum Paulini junioris V. C.* id est anno Christi DXXXVIII celebratum fuisse dicitur, et ad quod idem Sirmondus ibidem pag. 607 hæc notat: ANNO CHRISTI DXXXVIII. *Restituta consulatus nota, quæ hactenus corrupta legebatur, certum annum concilio definivit: quartus enim annus post consulatum Paulini junioris, annus est Christi* DXXXVIII. *Nam consules in Occidente post Paulinum, propter Italiæ bella, nulli adhuc fuerant; ideoque hos annos post consulatum, et iterum, tertio, quarto post consulatum Paulini nuncupabant.* Ex his rursus sequitur, per *post consulatum Paulini Junioris* annum Christi DXXXV, per *iterum post consulatum Paulini Junioris* annum DXXXVI, ac denique per *tertio* et *quarto post consulatum* ejusdem, annos DXXXVII et DXXXVIII indicari. Sic explicato episcopatus initio, nonnulla Mennæ gesta summatim attingamus.

qui ab Agapeto Papa laudatur;

357 Agapetus Papa in epistola ad Petrum Hierosolymitanum, quæ apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 47 et sequentibus refertur, narrata Anthimi depositione, successorem ejus Mennam ita laudat: *Hoc autem ad excitandam vestræ unanimitatis lætitiam significo, quod Mennam fra-* E *trem et coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana ecclesia episcopum suscepit: cui licet præter ceteros serenissimorum imperatorum electio arriserit, similiter tantus et totius cleri ac populi consensus accessit, ut et a singulis eligi crederetur. Etenim alicui neque scientia, neque vita fuit ignotus, sed et fidei integritate, et sacrarum Scripturarum studio, atque etiam piæ administrationis officio sic prædicta viri fama resplenduit, ut ipsi tardius venire videretur, quo dignus habitus erat. Et hoc dignitati ejus additum esse credimus, quod a temporibus Petri apostoli, nullum alium umquam Orientalis ecclesia suscepit episcopum, manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad repellendos inimicorum insultus, res tanta contigit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit.*

sed postea imprudenter subscribens edicto Justiniani imperatoris

358 Nihilominus idem Mennas postmodum contra voluntatem Vigilii Pontificis Romani, cum occasione famosorum Trium Capitulorum inter Orientales et Occidentales orta esset discordia, edicto Justiniani imperatoris ex humana fragilitate, seu potius formidine, imprudenter subscri- F psit, ut Facundus, Hermianensis in Africa episcopus ad eumdem imperatorem pro defensione Trium Capitulorum scribens, lib. 4 cap. 4 exponit his verbis: *Illud est insuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quod ipsos quoque præsumptores internis conscientiæ stimulis fateri coegit, ad destructionem synodi Chalcedonensis hæc fuisse composita: nam primus confirmator eorum Mennas Constantinopolitanus episcopus, cum adhuc cunctaretur scripto, sicut præceptum fuerat, eis præbere consensum, contra synodum Chalcedonensem fieri protestatus est. Sed et posteaquam consensit, a prædicto venerabilis memoriæ Stephano Ecclesiæ Romanæ diacono et apocrisiario conventus, cur priori sententiæ suæ contrarius acquievisset his, quæ ante culpaverat, et de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat, sub ea se conditione cessisse, et juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si hæc Romanus episcopus non probaret. In quo satis ostendit, de judicio se potius humano, quam divino, esse solicitum. Sed numquid vel si propriam manum, Romano Episcopo non probante, recipiat, nihilque illi, quod*

Sec. VI.

metuit, de judicio humano contingat, ideo sententiam Dei judicis atque ultoris effugiet? Numquam hoc ei alterius secreta juratio, sed sola correctio sua præstabit. Hæc quidem narratio culpam Mennæ minuit, sed non aufert, ut Facundus, auctor synchronus, hoc loco satis declarat.

a Vigilio Papa excommunicatus est,

359 Quamobrem Vigilius Pontifex apud sæpe laudatum Labbeum tom. 5 Conciliorum col. 334 et sequentibus, lata in Theodorum Cæsariensem severiore sententia, ibidem col. 336 mitiorem pœnam Mennæ Constantinopolitano infligit his verbis : *Teque Mennam Constantinopolitanæ civitatis episcopum, qui non dissimili culpa constringeris, cum omnibus metropolitanis et micropolitanis episcopis, ad tuam diœcesim pertinentibus, sed et tuos Orientales, vel diversarum provinciarum majorum minorumque civitatum episcopos, qui his excessibus, pro quibus Theodorum Cæsareæ Cappadociæ quondam episcopum condemnavimus, præbuistis assensum, humaniore sententia, pro Dei consideratione, tamdiu a sacra communione suspendimus, donec unusquisque vestrum errorem suæ prævaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit.*

B

et falso dicitur vicissim Papam excommunicasse,

360 Nicephorus Callistus lib. 17 Hist. eccles. cap. 26 asserit, quod Vigilius Papa *Menam a communione quatuor mensibus excluserit.* Quibus continuo ibidem hæc subdit : *Idem sane et Menas adversus illum fecit.* Baronius in Annalibus ad annum Christi DLII num. 16 propter hæc postrema verba Nicephorum sic mendacii arguit : *Ex iisdem pariter habes,* inquit, *ex quibus redarguas Nicephorum Callistum, qui de hujuscemodi turbis historiam scribens, multipliciter errasse comperitur, dum parum æquus in Vigilium Papam, quod Constantinopolitanum episcopum Mennam a communione suspenderit, in eum invehitur, et mendacissime asserit, parem sententiam adversus Vigilium ipsum a Menna latam. Quod si ille ausus fuisset, necessario plane et præcipue de his habenda mentio erat in ejusdem Vigilii epistola circulari.*

ut etiam Theophanes narrat,

361 Facile cum eminentissimo Baronio crederem, hæc a scriptore schismatico conficta esse, nisi similia apud S. Theophanem in Chronographia pag. 190 legerem : *Hoc anno,* ait, *Roma a Gotthis capta est; Papa vero Vigilius Constantinopolim profectus, et ab imperatore summis honoribus exceptus, Catholicæ Ecclesiæ unitatem et concordiam se præstiturum, et Tria Capitula anathemate proscripturum pollicitus est. Tantis honorum et cultus indiciis ab imperatore decoratus, adeo animatus est, ut a communione exclusionem menses quatuor sustinendam Menæ Constantinopolitano episcopo in pœnam imponeret; et ex adverso Menas parem animadversionem in eum constitueret. Ob irrogatam itaque pœnam hujusmodi, tum quod ea, quæ de ecclesiarum concordia et unione consulta decretaque fuerant, a Vigilio non adimplerentur, imperator indignatus misit, qui ipsum detinerent. Ille imperatoris iram veritus, ad Sergii martyris altare, quod in Hormisdarum monasterio erectum, confugit; a quo vi revulsus, apprehensas altaris suffulcientes columnas, seu gravi proceroque corpore validus, secum traxit et omnino evertit.* Deinde narrat, quomodo Justinianus imperator, et Mennas patriarcha in gratiam Romani Pontificis redierint.

C

cui narrationi aliquid falsi adjungitur,

362 Verum suspicor, hæc a schismaticis Theophani inserta esse. Certe falsum est, ad *Sergii martyris altare* Vigilium confugisse, cum ipse in epistola sua encyclica asserat, se ad basilicam S. Petri fugisse, et ab ejus altari violenter retractum fuisse. Accipe ipsa epistolæ verba, quæ apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 330 sic sonant : *Cum ad beati Petri basilicam in Ormisda fundatam, Augusto mense nuper præterito, fugissemus, nullum latere confidimus, quia cum in eadem ecclesia a comitatu prætoris, cum multitudine armatorum militum veniente, tamquam ad bellum instructa acie, a sancto ejus altari tracti pedibus traheremur, tenuimus, et super nos etiam ipsa altaris mensa ceciderat, nisi clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata.* D

et quæ forte ex suppositiis quibusdam instrumentis accepta est.

363 Quinimo forte hæc sententia contra Vigilium sub Mennæ nomine conficta est ab hæreticis, qui etiam alia scripta tum ei, tum Vigilio Papæ, affinxerunt, ut liquet ex concilio III Constantinopolitano, ubi in Labbeana Conciliorum editione tomo 6 col. 984, post detectam falsariorum fraudem, patres hujus concilii ita exclamant : *Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, et qui eum fixerunt, sive scripserunt : Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divæ memoriæ, qui et sunt falsi demonstrati : Anathema simul omnibus, qui falsaverunt Acta sancti et universalis quinti concilii.* Quid si posteriores Græci similia ex suppositiis veterum hæreticorum monumentis incaute hauserint? Quidquid sit, hæc aliaque S. Mennæ gesta operosius discuti poterunt ad diem XXV Augusti, quo nomen ejus Martyrologio Romano inscribitur, et ad quem Acta illius, favente Deo, copiosius illustrabuntur. E

Mennas humiliter veniam delicti sui petiit,

364 Nobis hoc loco sufficit, Mennam erroris sui pœnituisse, et Pontifici Romano reconciliatum fuisse, ut historici passim tradunt, et constat ex Constituto Vigilii Papæ apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 338, ubi Mennas post emissam fidei professionem cum aliis ita loquitur : *Libellum autem in causa Trium Capitulorum, de quibus quæstio nata est, contra constitutum piissimi principis et Beatitudinis vestræ ego quidem nullum feci; sed volo atque consentio, ut omnes libelli, qui facti sunt sub hac forma, Beatitudini vestræ reddantur. De injuriis autem, quæcumque Beatitudini vel Sedi vestræ factæ sunt, eas quidem non feci; sed quia pro pace Ecclesiæ modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiæ excommunicatos vel non receptos a Beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo.* Utinam nostra ætate nonnulli, qui decretis Romanorum Pontificum superbe resistunt, tam præclarum submissionis exemplum imitarentur! Nunc tempus mortis ejus examinandum superest. F

et anno Christi 552 obiit.

365 Sanctus Nicephorus aliique patriarcharum catalogi apud jam sæpe laudatum Bandurum tom. 1 Imperii Orientalis pag. 109 et sequentibus, episcopatui S. Mennæ sedecim annos et sex menses constanter assignant. Cum igitur anno DXXXVI, die XIII Martii, cathedram Constantinopolitanam ascenderit, oportet illum anno DLII obiisse. De hoc mortis anno satis inter chronologos convenit, et eumdem indicare videtur Theophanes, dum in Chronographia pag. 193 hæc conjungit : *Eodem anno Hebdomi portus repurgatus; eodemque tempore Menas episcopus Constantinopoleos defunctus est.* Sed non intelligo, quid idem scriptor sibi velit, dum ibidem ista addit : *Ceterum annum unum Anthimi in patriarchæ Menæ tempus conferri oportet, ut sexdecim annorum ratio constet.* Hæc, inquam, non intelligo : nam ipse Theophanes supra asserit, Anthimum munere abdicatum ac depulsum esse, *cum sedem mensibus decem tenuisset.* Quomodo itaque *annum*

unum

A *unum Anthimi in patriarchæ Menæ tempus conferri oportet?* Præterea sedecim anni S. Mennæ sine tempore Anthimi inveniuntur, ut calculum subducere volenti manifestum fiet.

juxta Norisium mense Decembri,

366 Superius dixi, de mortis anno satis inter chronologos convenire : nam Baronius, Pagius, Norisius, et Bandurus obitum S. Mennæ anno DLII collocant. At Norisius circa mensem ab aliis differt, dum in Dissertatione historica de synodo quinta œcumenica cap. 5 sub finem ita scribit : *Ineunte circiter Decembri Mennas diem obiit, magno apud Constantinopolitanos sui desiderio relicto : consecratus fuerat ab Agapeto Papa, ejecto Anthimo hæretico, anno* DXXXVI. Nos probabilius existimamus, S. Mennam mense Augusto mortuum esse, ut Pagius in Critica ad annum Christi DLII num. 18 indicat his verbis : *Colitur Mennas in Martyrologio Romano die* XXV *Augusti, quemadmodum et in Menologio; isque forsan dies ejus emortualis fuit : cum ex dictis ante Indictionem primam, Kalendis Septembris hujus Christi anni cœptam, obierit.*

B *vel potius mense Augusto, ut cum aliis opinamur.*

367 Pagius ibidem antea illud probaverat ex numero sedecim annorum et sex mensium, quos S. Nicephorus et alii catalogi episcopatui Mennæ passim adscribunt : si enim a decima tertia Martii die anni DXXXVI usque ad annum DLII et diem vigesimam quintam Augusti numeraveris, invenies sedecim annos et sex menses incompletos, qui computandi modus satis usitatus est. Potest idem mortis tempus confirmari ex Joanne Antiocheno, cui cognomentum Malala, qui parte 2 Chronographiæ, pag. 230 hæc habet : *Mense Augusto, Indictione* XV, *Menas archiepiscopus Constantinopolitanus diem suum obiit, reliquiis ejus magnæ ecclesiæ juxta sacrum altare repositis : cujus in locum Eutychius, Amaseæ apocrisiarius, suffectus est.* Ex hactenus dictis probabiliter concludimus, obiisse S. Mennam die XXV Augusti, quo in Martyrologio Romano memoratur.

XXX S. EUTYCHIUS.

C *S. Eutychius anno 552 post mortem S. Mennæ statim electus*

Cum Henschenius noster ad diem VI Aprilis gesta hujus sancti patriarchæ copiose illustraverit, nobis hoc loco sufficiet breviter electionem ejus, exilium, reditum, aliaque præcipuorum Actorum puncta chronologice annotare. Sanctus Mennas anno DLII, verosimiliter die XXV Augusti, ad Superos migravit, ut supra ostendimus; *in cujus locum*, teste Theophane in Chronographia, pag. 193, *suffectus apocrisiarius Amaseæ, presbyter, et monasterii ipsius Amaseæ monachus Eutychius eo ipso die, quo Menæ cadaver in sacris adytis adhuc expositum jacebat.* Hinc corrigendus est Baronius, qui in Annalibus anno Christi DLII, num. 23 agens de obitu Mennæ, successionem S. Eutychii usque ad initium anni DLIII ita differt : *Hoc enim anno* (Mennas) *finem vivendi fecit, cum sedisset annos sexdecim, in cujus locum sequentis anni exordio subrogatur Eutychius. De ejus electione, divinitus facta, anno sequenti, quo contigit, nos agemus.* Si Mennas obierit anno DLII, ut ipse Baronius fatetur, et Eutychius juxta Theophanem mortuo Mennæ suffectus sit *eo ipso die, quo Menæ cadaver in sacris adytis adhuc expositum jacebat*, qua ratione potest electio ipsius ad annum sequentem differri?

369 Dum S. Eutychius Ecclesiam Constantinopolitanam strenue administrat, et impio Justiniani imperatoris edicto subscribere renuit, post duodecim gubernationis annos et aliquot menses in exsilium pellitur. Baronius hoc exsilium in Annalibus ecclesiasticis ad annum DLXIV refert; sed Pagius in Critica anni DLXIII, num. 3 illud anno Christi DLXV contigisse ostendit ex Theophane, qui in Chronographia, pag. 203 habet sequentia : *Ejusdem quoque Indictionis decimæ tertiæ mense Aprili, ejusque die duodecimo, patriarcha Constantinopolitanus Eutychius a Justiniano dignitate motus est, et Amaseam relegatus; Joannes vero exscholasticus magnæ Antiochiæ responsalis in ejus locum subrogatus est.* Obscura ambiguitas, quæ in hoc Theophanis textu circa diem depositionis occurrit, ex certioribus monumentis exponenda ac auferenda est : facile enim quispiam primo intuitu putaret, Theophanem asserere, quod S. Eutychius die duodecimo Aprilis in exsilium pulsus fuerit; at Theophanem intelligendum esse de die, qua Joannes Scholasticus in locum Eutychii exsulis intrusus est, ex jam dicendis apparebit.

Sec. VI. dum edicto Justiniani imperatoris suscribere renuit,

370 Eustathius presbyter, et S. Eutychii domesticus familiaris, in Vita ipsius, cap. 5, apud nos tomo 1 Aprilis, pag. 558 primam violentiam et initium exsilii sic describit : *Festo namque sancti Timothei die, dum illud in novo palatio Hormisdæ dicto celebraretur, et S. Eutychius divinam rem faceret, tribunus militum et satellites tribuni, seu potius feræ immanis ministri, invaserunt patriarchium, comprehenderuntque et distraxerunt Viri sancti familiares, qui contra illum testificarentur, ut quoquo modo verosimile facerent, cum non sine causa fuisse a pontificatu depositum.* Deinde idem auctor synchronus narrat, quomodo paulo post sanctus Præsul ad monasterium Choracudim, ac inde ad alterum prope Chalcedonem abductus fuerit. Notari hic velim, quod festum S. Timothei celebretur a Græcis XXII Januarii, et a Latinis XXIV ejusdem mensis, ut eo die videre est apud Baronium in notis ad Martyrologium Romanum. Ex his concludo, S. Eutychium circa diem XXII Januarii exsilio multatum fuisse, ac post vanam citationem, quæ ibidem in Actis refertur, et qua pseudo-synodus odium suum tegere cupiebat, Joannem Scholasticum die XII Aprilis locum ipsius injuste occupasse.

E *anno 565 in exsilium pellitur,*

371 Hæc anno DLXV facta esse probat computus annorum et mensium, quibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante exsilium suum præfuit : laudatus enim Eustathius duodecim annos, omissis pro more mensibus, ibidem cap. 4, seu apud nos tomo 1 Aprilis pag. 556, Eutychio ante depositionem ita rotunde tribuit : *Magnus autem hic vir Dei Eutychius annorum numero, duodecim Apostolis pari, gregem Christi pavit.* Theophanes eidem in tabella chronologica tredecim annos assignat, qui incomplete accipiendi sunt, ut statim videbimus. Cum itaque Eutychius mense Augusto anni DLII cathedram Constantinopolitanam ascenderit, et circa diem XXII Januarii ab ea depositus fuerit, liquet, Eustathium explicandum esse de mense Januario anni DLXV, inter quod temporis intervallum duodecim anni cum quinque circiter mensibus effluxerunt. Huic supputationi optime congruit catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum, qui part. 1, pag. 299 Juri Græco-Romano inseritur ; cui Nicephorus Callistus et Philippus Cyprius apud Bandurum consonant, dum S. Eutychio ante expulsionem ἔτη ιβ΄, μῆνας ε΄, id est XII *annos et* V *menses* concedunt. Juxta

F *cujus sedem mense Aprili ejusdem anni 565 injuste invasit*

superius

SEC. VI.

superius datam Theophanis explicationem locum S. Eutychii exsulantis anno DLXV, die XII Aprilis, invasit

XXXI JOANNES III,

cognomento Scholasticus.

Joannes Scholasticus,

Hic a quibusdam cognominatur *Scholasticus*, et a Theophane *exscholasticus*, quæ postrema vox videtur significare eum, qui olim scholasticus fuit, et jam non amplius isto munere fungitur. Nomen autem scholastici varias habet significationes, quæ apud Cangium in Glossario tum Græco tum Latino videri possunt. Hic videtur ea voce indicari causidicus vel advocatus, cum Bandurus tomo 1 Imperii Orientalis, pag. 220, textum græcum Philippi Cyprii ita interpretetur : *Joannes presbyter Antiochiæ scholasticus seu advocatus sub Justino, Justiniani filio, et sub Tiberio, annos* XII *menses* VI. Hæc de cognomine ipsius
B dicta sufficiant. Euagrius lib. 4 Hist. eccles., cap. 38 patriam ejus sic indicat : *Eutychius quidem ex pontificali sede urbis regiæ expulsus est; Joannes vero in ejus locum subrogatus : ortus hic erat ex Sirimi, qui vicus est Cynegicæ regionis in territorio Antiochensi.*

subdolus adulator, et hæreticorum fautor,

373 Baronius in Annalibus ad annum Christi DLXIV, num. 14 mores illius ita breviter depingit : *Ubi primum autem de exilio Eutychii sententia lata est, continuo de successore eligendo actum, delectusque fuit Joannes, cognomento Scholasticus, ex apocrisiario ecclesiæ Antiochenæ, homo plane servus gloriæ et nundinator rerum sacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus est dignitatem.* Certe Justiniano imperatori, in Aphthartodocitarum hæresim lapso, hic Joannes consensit, aut saltem tempori servivit, ut ex depositione S. Eutychii satis colligitur. Postea sub imperio Justini, S. Anastasius, patriarcha Antiochenus, contra hunc Joannem Scholasticum scripsit, ac propterea jussu ejusdem imperatoris e sede sua expulsus est, ut Theophanes in Chronographia, pag. 206 tradit his verbis : *Eodem etiam anno cum magnus ille Anastasius, Antiochiæ episcopus, in synodales epi-*
C *stolas Joannis Constantinopolitani episcopi, qui Joannem Alexandrinum consecraverat, atque etiam in ipsum Joannem Alexandrinum, qui ordinatus fuerat, rescriptis suis invectus fuisset, Justini mandato sede depulsus est.*

qui tamen in excusis Græcorum Menæis

374 Nihilominus impressa Græcorum Menæa ad diem XXI Februarii hunc eumdem Joannem ita Sanctis annumerant : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, ὁ ἀπὸ σχολαστικῶν ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται. Id est : *Eodem die, sanctus pater noster Joannes patriarcha Constantinopoleos, unus ex scholasticis in pace obiit.* Eodem die, Maximus Cythereus, in Græco-barbaris Sanctorum Vitis hanc commemorationem totidem verbis descripsit. Quinimo citata Menæa memoriam illius ibidem exornant sequentibus versiculis :

Χριστοῦ τέθνηκας, ὁ σχολαστικὸς, θύτης,
Καὶ τῶν μακρῶν σου νῦν σχολὴν ἄγεις πόνων.
Tibi Christe moriens presbyter scholasticus,
Nunc post labores arduos requiem capit.

Allusio inter voces græcas σχολαστικὸς et σχολὴν hic satis manifesta est.

perperam pro Sancto colitur,

375 Majores nostri ad diem XXI Februarii hunc D
Joannem prudenter inter Prætermissos collocarunt : episcopus enim ambiguus, qui sedem S. Eutychii invasit, ac hæreticis favit, locum inter Sanctos non meretur, ut patebit ex maturo viri eruditi judicio, quod jam profero. Matthæus Raderus noster in observationibus Mss. ad Menæa Græcorum hac die notat sequentia : *In nullis Latinorum tabulis hunc Scholasticum lego; nec in Menologio est ulla ejus mentio, meritoque ab omnibus præteritus est. Nusquam hunc Joannem hæreticum fuisse lego, quamvis hæreticis præfuerit; sed Justiniano tamen hæreticis Aphthartodocianis faventi non restitit. Nulla hujus sanctitatis vestigia deprehendo, nec Baronius in Justiniano Joannem laudat. A sacris ergo fastis exesto.* Hoc Raderi judicium pro nostro haberi volumus, et hac occasione lectorem rursus monemus, ut non nimium fidat impressis Græcorum Menæis, dum de sanctitate quorumdam pronuntiant, ut postmodum pluribus ostendemus.

et qui anno 577 moriens, iniquam possessionem relinquere coactus est.

376 Nunc tempus est, ut progrediamur ad mortem hujus Joannis, quam Theophanes in Chronographia, pag. 209 sic accurate assignat : *Ejusdem etiam anni* (Pagius tomo 2 Criticæ, pag. 659 probat, Theophanem de anno Christi DLXXXVII E
intelligendum esse) *mensis Augusti die trigesimo primo, Indictione decima, Joannes epiocopus Constantinopolitanus obiit.* Cum igitur juxta Theophanem anno Christi DLXV, die XII Aprilis, Joannes in locum S. Eutychii intrusus fuerit, et anno DLXXVII, die XXXI Augusti, obierit, recte ei tribuit duodecim gubernationis annos, neglectis scilicet mensibus. Alii catalogi passim duodecim annos et sex menses episcopatui ejus adscribunt; sed errorem irrepsisse in numerum mensium, et tantummodo duodecim annos cum quinque mensibus incompletis ei concedendos esse, ex jam dictis conficitur, ut spatium temporis exacte supputanti apparebit. Joanne defuncto, in cathedra Constantinopolitana sedit

S. EUTYCHIUS secundo.

S. Eutychius mense Octobri ejusdem anni 577 sedi suæ restitutus est,

Theophanes in jam sæpe laudata Chronographia, pag. 210 indicat tempus, quo sanctus hic Vir sedi suæ restitutus fuerit, dum anno DLXX Incarnationis juxta Alexandrinos, qui anno Christi DLXXVII a Kalendis Septembris incipit, ita scribit : *Hoc anno, mense Octobri, Indictione un-* F
decima, Eutychius thronum Constantinopolitanum secundo accepit. Eustathius, testis oculatus, in Vita S. Eutychii apud nos tomo 1 Aprilis, pag. 566 ipsum restitutionis diem sic exacte notavit : *Vigesima secunda Januarii tentatus Vir sanctus et ejectus fuit; restitutus est autem tertia Octobris, quæ Dominica erat.* Hinc etiam patet, id anno Christi DLXXVII contigisse, quo Dominica in diem tertium Octobris incidebat. Quam honorifice tunc S. Eutychius a Justino et Tiberio exceptus fuerit, in Actis nostris tomo proxime citato a pag. 565 legi potest.

et erroneam quamdam doctrinam, quam scriptis suis inseruerat, revocavit

378 Non diu ante mortem Vir sanctus edidit librum de resurrectione mortuorum contra gentiles et hæreticos, cui tamen quemdam Origenis errorem inseruit, negans, eam in carne palpabili futuram. Fortiter ei obstitit S. Gregorius, qui tunc temporis Constantinopoli apocrisiarium Pelagii Papæ Romani agebat, et post multam dis-

putationem

A putationem tam evidenter ipsum erroris convicit, ut Tiberius imperator librum Eutychii comburi jusserit. Tulit hanc ignominiam Constantinopolitanus Antistes, ut solent viri sancti, qui ex ignorantia erraverunt; et ipse errorem suum agnovit : nam quandocumque familiares Gregorii illum jam ægrotantem salutationis gratia adibant, pellem manus suæ tenens dicebat : *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.* Pluribus hæc refert ipse Gregorius Magnus lib. 14 Moralium, cap. 29, quæ tamen Eustathius in Vita S. Eutychii dissimulavit, et in alium sensum detorsit, ne forte sancto Patriarchæ suo injurius videretur. Sed sanctitatem illius lædere non potest innoxia hallucinatio, quam etiam publice retractavit.

ante obitum, qui contigit anno 582, die 6 Aprilis,

379 Porro cum sanctus Præsul post reditum, quatuor annis, sex mensibus et aliquot diebus ecclesiam suam pie gubernasset, migravit ex hac vita, mercedem laborum suorum in cœlo recepturus. Theophanes juxta æram Alexandrinam anno divinæ Incarnationis DLXXIV, qui apud nos anno DLXXXII Kalendis Septembris finitur, tempus B mortis ejus in proxime citata Chronographia, pag. 212 et sequente sic exacte exprimit : *Hoc anno, die sexto Aprilis, Indictione decima quinta, Eutychius patriarcha diem ultimum obiit, et post dies sex Joannes magnæ ecclesiæ diaconus, qui Jejunator dictus, consecratus est.*

ut ex ejus Vita,

380 Eadem mortis epocha confirmatur ab Eustathio, qui in Vita S. Eutychii apud nos tomo 1 Aprilis, pag. 569 et sequente narrat, quomodo sanctus ille Antistes die festo Paschatis sacra mysteria celebrarit, et post persolutas in ecclesia preces vespertinas eodem die ægrotare cœperit : *Reversus deinde in episcopium*, inquit testis ille oculatus, *in lectulo suo decubuit, vehementique febri circa mediam noctem correptus est; atque ita mansit dies septem orationibus continuis incumbens, seque signo crucis muniens..... Porro cum totam hebdomadam ægrotasset Sanctus, simplex moribus sed gubernandi scientia multiplex, sapiens in verbis, sed sapientior sensu; magnus, inquam, patriarcha Eutychius, mente firma Deum precatus pro universis usque ad septimam horam Dominicæ secundo-primæ post Pascha (conveniebat enim ut septima hora perageret ea, quæ sunt quietæ obdormitioni* C *propria) post benedictionem cunctis datam, ut olim filiis suis dedit Jacob, novus ipse Jacob pedes extendit, et circa nonam aut decimam horam in manus Domini commendavit spiritum suum, et discedens ex hac vita in senectute bona, ab angelis ad cælestes choros est sublevatus.*

et ratiocinio Pagii ostenditur

381 Pagius ad annum Christi DLXXXII, num. 7 ex hoc Eustathii textu sic recte argumentatur : *Hoc anno Pascha incidit in diem* XXIX *Martii, quo die decumbens Vir sanctus, septem dies ægrotavit, nocteque sequenti benedictionem adstantibus dedit, et jam illucescente die sexta Aprilis ad Deum migravit, non quidem Dominica in Albis, ut quidam perperam interpretantur, sed feria secunda jam illucescente, quæ hoc Christi anno in diem* VI *Aprilis conveniebat. Nocte itaque Dominicæ in Albis benedictionem suis dedit Eutychius, et post medium ejusdem noctis, animam Deo reddidit.* Deinde Pagius ibidem explicat, cur Dominica in Albis vocetur *secundo-prima*, circa quam vocem etiam Henschenius noster tomo 1 Aprilis, pag. 571 in Annotatis aliqua observavit.

XXXII JOANNES IV, cognomento Jejunator.

Anno 582, die 12 Aprilis ad cathedram CP. evectus est Joannes Jejunator,

Hic consecratus est episcopus Constantinopolitanus *post dies sex* a morte S. Eutychii, quæ anno Christi DLXXXII, die VI Aprilis accidit, ut superius ex Theophane ostendimus. Facta est igitur consecratio Joannis Jejunatoris die XII Aprilis, in quam illo anno Dominica incidebat. Miror, quod Guilielmus Caveus post tam manifestos temporis characteres in Historia litteraria Scriptorum ecclesiasticorum, Genevæ anno MDCXCIV edita, pag. 301 scripserit, illum anno DLXXXV in locum Eutychii mortui substitutum fuisse. Casimirus Oudinus, infelix Ordinis sui ac fidei apostata. in Commentario de scriptoribus Ecclesiæ antiquis, tomo 1, col. 1473 errantem Caveum cæce secutus est. Hunc trium annorum parachronismum etiam deglutivit famosus Elias Dupin in Gallica Scriptorum Bibliotheca, ubi non raro sua ex heterodoxis temere transcripsit.

in cujus chronotaxi et Actis examinandis

383 Caveus hic non tantum in chronologia, E sed etiam in aliis hallucinatus est, dum loco proxime citato elogium hujus Joannis ita texere incipit : *Joannes, natione Cappadox, a stupenda, cui se assuefecit, abstinentia* νηστευτὴς *seu Jejunator dictus; primo quidem vitam egit privatam, et non inhonesto opificio dedit operam : postea ob præstantes, quibus enituit, virtutes* (ἀνὴρ ἀρετῆς οἰκετήριον, *ut de eo Sophronius) ad altiora promotus. Unde mortuo Eutychio CP. anno* DLXXXV, *in sede patriarchali subrogatus est.* At in Menologio Basilii et Menæis impressis ad diem secundam Septembris Joannes Jejunator expresse dicitur *natus Constantinopoli.* Videtur ergo Caveus hunc Joannem confudisse cum Joanne Cappadoce, episcopo Constantinopolitano, de quo supra egimus. Equidem scio, quod ab Isidoro Hispalensi in opere de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 26 hic Joannes, qui sub imperio Mauritii floruit, etiam *natione Cappadox* vocetur. Sed vereor, ne Isidorus Hispalensis, longe ab Oriente distans, patriam unius Joannis episcopi Constantinopolitani alteri perperam applicuerit.

errarunt varii scriptores

384 Ex hoc errore profluxit alter, dum Caveus Joanni Jejunatori aptat elogium, quod Sophro- F nius Hierosolymitanus apud Photium, cod. 231 Joanni Cappadoci præsuli Constantinopolitano tribuit. Verum ut error ille clarius deprehendatur, juverit allegare integrum textum Græcum, quem Caveus truncavit, et in quo apud citatum Photium Codice 231, col. 889 inter alios orthodoxæ fidei defensores numeratur Ἰωάννες ὁ Κωνσταντινουπόλεως, ὁ ἐκ Καππαδοκίας ἕλκων τὸ γένος καὶ τὸ ἐπώνυμον, ἀνὴρ ἀρετῆς οἰκητήριον, id est *Joannes Constantinopolitanus* sive Constantinopoleos episcopus, sicut ibidem alii præsules a suis sedibus denominantur, *ex Cappadocia trahens genus et cognomen, vir virtutis domicilium.* Hæc supra memorato Joanni episcopo Constantinopolitano, qui a patria sua passim *Cappadox* cognominabatur, potius conveniunt, quam huic Joanni Jejunatori, qui *natus est Constantinopoli*, ut Menologium Basilianum, et Menæa impressa testantur.

qui corriguntur.

385 Pagius in Critica ad annum Christi DXCVI num. 2 idem Sophronii elogium Joanni Jejunatori perperam applicat, illudque ex citato Photii codice sic Latine citat : *Joannes, Constantinopolitano genere, et cognomine Cappadox, homo virtutis domicilium.* Si Pagius textum Græcum consu-

luisset

SEC. VI.

luisset, facile deprehendisset, se deceptum fuisse ab interprete, cujus fidelitati nimium confidit. Forte etiam ille interpretationis error proficiscitur a typotheta, qui in isto Photii textu Latino excudendo unam alteramve litteram et interpunctionem invertit : nam juxta Græcum Photii textum, paucis mutatis, ita Latine legi debet : *Joannes Constantinopolitanus, genere et cognomine Cappadox, homo virtutis domicilium.* Hæc facilius ignoscimus Pagio, qui dumtaxat Latina Sophronii verba ex Photio allegat, et fidelem eorum interpretationem ex Græco idiomate supposuit. At Caveus malam fidem aut ignorantiam prodit, dum nobis unam Græci textus partem obtrudit, et omittit alteram, ex qua error ipsius detegi potuisset. Nunc ad alia pergamus.

Cum Jejunator ille titulum œcumenici sibi superbe arogasset,

386 Circa annum Christi DLXXXVIII Joannes Jejunator occasione Gregorii Antiocheni, qui de variis criminibus accusatus fuerat, concilium Constantinopoli celebravit, non tantum ut Gregorii causam discuteret, sed etiam synodali decreto titulum episcopi œcumenici seu universalis sibi vindicaret. At cum Pelagius II Papa Romanus id B intellexisset, cuncta synodi istius gesta, præter sententiam pro Gregorio Antiocheno latam, dissolvit, ut discimus ex S. Gregorio Magno, qui lib. 4, epist. 39 ad Eulogium Alexandrinum et Anastasium Antiochenum de hac re sic scribit : *Ante hos siquidem annos octo sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore, frater et coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem quærens, synodum fecit, in qua se universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis litteris, ex auctoritate sancti Petri apostoli ejusdem synodi acta cassavit.* Litteræ Pelagii II Pontificis, de quibus hic fit mentio, jam verosimiliter perierunt : nam illæ, quæ apud Labbeum, tomo 5 Conciliorum, a col. 948 sub hoc nomine leguntur, tamquam suppositiæ jam passim ab eruditis rejiciuntur. Nobis interim sufficit hæc nosse ex S. Gregorio Magno, qui lib. 4, epist. 38, et lib. 7, epist. 69 similia repetit.

S. Gregorius Magnus Papa apocrisiarium suum

387 Postea Joannes eumdem œcumenici seu universalis titulum affectavit in Actis, ad Pontificem Romanum transmissis, ut patet ex S. Gregorio Magno, qui lib. 4, epist. 39 ad Sabinianum Sedis Apostolicæ apocrisiarium dedit se- C quentes litteras : *De causa fratris nostri reverendissimi Joannis, episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere volui ; sed una breviter facta est, quæ utrumque habere videtur admixtum, id est et rectitudinem et blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi, propter voluntatem imperatoris dare studeat : nam de subsequenti talis alia transmittitur, de qua ejus superbia non lætetur. Ad hoc enim usque pervenit, ut sub occasione Joannis presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum οἰκουμενικὸν patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisim illius superna Majestas solvet.*

in litteris monet,

388 *Miror autem quod dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domino imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuissem. Qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut se a superbo vocabulo compesceret, et protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate a prædicto fratre nostro Joanne factum sit, minime, suspicor, pensasti : idcirco enim hoc ille fecit, ut audiretur dominus imperator, et ille in sua vanitate confirmatus esse videretur ; aut non a me audiretur, et ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenemus, nihil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes.* D

389 *Unde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia, quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat ; in omnipotentis Dei gratia atque beati Petri apostoli adjutorio confidat. Vocem Veritatis recolat dicentis : Major est, qui in cœlis est, quam qui in mundo ; et in hac causa quidquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam pro utilitate reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes, perdidimus, nimis ignominiosum est, ut per eos etiam fidem perdamus : in isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere. Unde, sicut tibi jam transactis epistolis scripsi, numquam cum eo procedere præsumas.* Eodem libro 4 de hac controversia inveniuntur plures S. Gregorii epistolæ, quas etiam eminentissimus Baronius Annalibus suis ad annum Christi DXCV inseruit, et variis observationibus illustravit. Infra discutiemus, an Joannes Jejunator superbum hanc titulum retinere voluerit usque ad obitum, de cujus tempore nunc pau- E cis agendum est.

ut fortiter compescat ejus ambitionem,

cui tandem mors, juxta Baronium anno 596,

390 Baronius in Annalibus eccl. annum Christi DXCVI ita exorditur : *Quingentesimo nonagesimo sexto Domini anno, Indictionis decimæ quartæ, elatum illum, fastu plenum, ac superbia tumidum hominem, is qui superbis resistit et humilibus dat gratiam, Deus ex hac luce subtraxit Joannem Constantinopolitanum episcopum, quem se efferentem amplius, quam par erat, sanctus Gregorius quot litteris, tot fulminibus, anno superiori percussit.* Baronius obitum illius hoc anno consignavit, quia S. Gregorius Papa inter mensem Septembrem et Octobrem Indictione XIV ad eumdem Joannem Constantinopolitanum scripsit, ut in Registro Gregorii, lib. 5, epist. 15 refertur : inde enim conclusit, Joannem usque ad annum DXCVI vixisse, cum Indictio XIV à Kalendis Septembribus anni DXCV currere cœperit. Verum inde tantummodo sequitur, Gregorio ignotam fuisse Joannis Jejunatoris mortem, quando hanc epistolam ad eum direxit, ut Pagius in Critica ad annum Christi DXCVI, num. 2 recte observavit.

aut juxta nostram opinionem anno 595, finem imposuit.

391 Nos probabilius existimamus, illum obiisse anno Christi DXCV, die secunda Septembris, qua in Menologio Basiliano et Menæis impressis annua ejus memoria celebratur. Huic opinioni nostræ favet duratio episcopatus ipsius, cui S. Nice- F phorus, aliique patriarcharum catalogi apud Bandurum, passim tredecim annos et quinque menses assignant. Cum igitur anno Christi DLXXXII, die XII Aprilis, episcopatum Constantinopolitanum susceperit, oportet eum usque ad ineuntem mensem Septembrem anni DXCV superfuisse, ut tredecim administrationis anni cum quinque mensibus incompletis inveniantur. Idem mortis annus confirmatur ex catalogo Nicephori Callisti, qui apud sæpe laudatum Bandurum, tomo 1 Imperii Orientalis, pag. 194, sic habet : *Joannes diaconus magnæ ecclesiæ et sacellarius, Jejunator dictus, sub Mauricio annis* XIII, *mensibus* V. *Ordinatus est post dies.....* (supple *sex a morte Eutychii*, ut supra ex Theophane diximus) *imperante Tiberio. Obiit autem anno decimo quarto Mauricii imperatoris.* Ex his ultimis verbis liquet, illum anno Christi DXCV mortuum esse, cum annus decimus quartus imperii Mauritii huic anno DXCV respondeat, ut apud Pagium aliosque exactiores chronologos videre est. Non tamen inutile futurum arbitror, si jam

paulisper

Sec. vi.

A paulisper divertero ad intricatam alterius speciei quæstionem, in qua examinabitur, an hic Patriarcha mereatur titulum Sancti, quem Menæa, aliaque Græcorum Synaxaria ei concedunt.

PARERGON VI.

Disquiritur, utrum præsul Constantinopolitanus Joannes, cognomento Jejunator, inter Sanctos sit numerandus.

Etiamsi Joannes Jejunator in sacris Græcorum

Hunc Joannem, tamquam sanctum, commemorant varia Græcorum monumenta, ex quibus hoc loco præcipua enumerabo. Typicon S. Sabæ die secunda Septembris celebrat memoriam τοῦ
B ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ νηστευτοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. Id est: *Sancti patris nostri Joannis Jejunatoris, patriarchæ Constantinopolitani.* Huic annuntiationi consonant multa tum impressa, tum manuscripta, ecclesiæ Græcæ Synaxaria, quæ in Museo nostro conservamus. Molanus haud dubie secutus est Græcos, dum hunc eadem die in Additionibus Usuardinis recenset.

Moscorumque fastis

393 Certe etiam cultus illius Joannis ex Menologiis Græcis ad sacros Moscorum fastos transiit: nam Rutheni in suo Sobornik seu Synaxario eadem die secunda Septembris hæc habent: *Sancti confessoris ac patris nostris Joannis Postnika* (vox Russica *Postnik* Jejunatorem significat, ut Georgius David noster, anno MDCLXXXVIII Moscuæ missionarius, in quibusdam observationibus ad Synaxarium notavit) *patriarchæ Constantinopolitani.* In Menologio Slavo-Russico, quod nobilissimus baro de Sparwenfeld nobis Latine interpretatus est, eadem die sic legitur: *Item sancti patris nostri Joannis Postnici* (hic interpres vocem Russicam Latine inflexit) *Constantinopolitani, qui antea aureos nummos fabricabat.* Martyrologus Russus hic in fine artem indicat, quam antea
C exercuerat, et ob quam in Menologio Basiliano ac Menæis impressis vocatur χαράκτης τὴν τέχνην, id est *arte statuarius*, ut interpres Menologii vertit, vel juxta Moscum *nummorum fabricator*, vel denique *sigillorum artifex* aut *cælator*, ut Raderus noster hanc vocem ex Menæis interpretatur. Verum hæc operosius indagari poterunt, si umquam Acta ejus sint a nobis illustranda.

et Menologio Basiliano

394 Menologium Basilianum, quod tomo 6 Italiæ sacræ Latine editum est, col. 1057 hunc Joannem sequenti exornat elogio: *Joannes, cognomine Jejunator, natus est Constantinopoli, præfuitque eidem ecclesiæ Justino, Verio *, et Mauritio imperatoribus. Hic primum quidem statuariam artem exercuit; deinde ob multas atque eas egregias animi dotes patriarcha renuntiatus urbis ipsius magnæ, multo magis virtutes excoluit: pauperes enim summa persecutus est benignitate, vir singulari lenitate et misericordia; quippe qui ex alterius sollicitudine et calamitate parem cum eo dolorem susciperet.*

* *lege* Tiberio

popularem sanctitatis famam adeptus sit,

395 *Quare Deus illum multis mirabilibus factis insignem reddidit: nam barbaræ gentes ex Macedonia fugatæ, urbsque gravissima liberata peste, multisque salus restituta fuit. Plerique etiam pessime habiti a cacodæmone pristinam precibus sancti Viri recuperarunt sanitatem. Reliquit orationes animæ utilissimas, quales magnus Joannes Chrysostomus conscripsit. Cum igitur populum suum sancte pieque pavisset, sacramque ecclesiam ad annos tredecim, menses quinque integerrime gubernasset, vixissetque ad summam senectutem, felicem ab omni laude Deo restituit spiritum, vir certe singularissimi omnium recte factorum exempli.* Virtutes et miracula ejusdem patriarchæ fusius ac distinctius narrantur in impressis Græcorum Menæis, quæ Maximus Cythereus pro more suo ad diem secundam Septembris secutus est, et ex quibus Acta Joannis Jejunatoris Græco-barbare contexuit.

cui opinioni Mauritius imperator

396 Qualem de sanctitate hujus Joannis opinionem habuerit Mauritius imperator, non obscure eruitur ex Theophylacto Simocatta, qui ineunte seculo septimo floruit, et lib. 7 Historiarum cap. 6 inter res a Mauritio gestas refert sequentia: *Ante quatuor hosce annos (rursum enim ad antiquiora revolvitur narratio) Joannes, ecclesiæ Byzantinæ præsul, hujus lucis usuram reddidit: qui, quod voluptates egregie pessumdaret, et vitiosas animi motiones compesceret, ventrique assiduum bellum faceret,* νηστευτὴς (hoc est *Jejunator*) *a Byzantiis cognomentum tulit. Fertur quoque a Mauricio complura talenta mutuatus, syngrapham illi dedisse, et rem familiarem pignori opposuisse.* E

auctoritate et exemplo suo initium dedit;

397 *Postquam die suo est perfunctus, Mauricius in ejus facultates inquirens, paupertatem consectatum invenit, ac magnopere singularem Hierarchæ sanctimoniam admiratus, syngrapham paulo ante conscriptam gratuito conscidit. Nihil siquidem aliquid invenisse aiunt, præter lectum ligneum et laneum stragulum nullius pretii, ac deformem penulam: vili enim vestitu delectabatur vir frugalitate vitæ conspicuus. Atque ista, ista inquam, grandi pecuniæ et Indicis lapillis Mauricius anteponens, in palatium transfert, iisque glorians, vernis Christianorum Jejuniis* (verno Jejunio tempus Quadragesimæ nostræ indicatur) *aureos gemmatosque lectulos, et stragula serica valere jubens, ligneo antistitis cubili totam noctem incubat, cum se divinam quamdam gratiam inde percepturum arbitraretur.* Nicephorus Callistus lib. 18 Hist. eccles. cap. 34 similia de illo narrat. Hactenus relata testimonia pro sanctitate Joannis militant, et ad illam admittendam sufficerent, nisi aliunde ei obstarent quædam argumenta, quæ jam proferemus. F

tamen eminentissimus Baronius,

398 Baronius in Annalibus ad annum Christi DXCVI num. 1, narrata Joannis Jejunatoris morte, sic confidenter de eo pronuntiat: *Porro qui jejunando et eleemosynas dando magnam vivens sibi laudem comparasset, post mortem a suis sanctus falso est habitus.* Vir eminentissimus etiam noverat, reliquias ejus a Mauritio imperatore magni æstimatas fuisse, et huic venerationi, quam ipse ex Nicephoro Callisto et nos ex Theophylacto Simocatta superius retulimus, initium falsi cultus ibidem num. 2 ita adscribit: *His erga Joannem exhibitis post obitum ab imperatore postremis officiis, factum est, ut populus regem sequens, eum uti sanctum coluerit, eaque opinione propagatum sit nomen ejus ad posteros. Sed quid de his sit sentiendum, provoco te, lector, ad S. Gregorium Romanum Pontificem, eum instar Samuelis Saul lugentem.*

aliique scriptores Latini sanctitatem illam explodunt,

399 Nec mitius de eo passim loquuntur scriptores Latini, qui illum depingunt velut ambitiosum hypocritam, qui externa virtutis specie superbiam suam tegebat. At qualiscumque in vita fuerit, potissimum hic quæritur, an Joannes titulum œcumenici contra expressum Romani Pontificis

tificis

SEC. VI.

tificis mandatum pertinaciter retinuerit, et in sua pervicacia usque ad obitum perseverarit. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Papæ ad diem XII Martii apud nos tomo 2 ejusdem mensis pag. 179 obstinatum ejus animum aperte declarat his verbis : *Ceterum Joannes Constantinopolitanus hypocrita, qui ab Universalis nominis ambitione converti multis tergiversationibus recusabat, juxta ejusdem Patris prophetiam, judicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium subita morte defungitur, et cujus ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in unius sepulcri angustia facile collocatur.*

et ipse S. Gregorius Magnus Papa innuit,

400 Quinimo ipsemet S. Gregorius pertinaciam illius satis indicat, dum post Joannis Jejunatoris mortem lib. 7 epist. 69 ad Eusebium Thessalonicensem aliosque episcopos ita scribit : *Cognoscat fraternitas vestra, Joannem quondam Constantinopolitanæ civitatis antistitem, contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectum* B *et injuriam sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, et illicite in synodo superbum ac pestiferum Œcumenicum, hoc est Universalis, sibi vocabulum usurpasse : quod beatæ recordationis Pelagius decessor meus agnoscens, omnia gesta ejusdem synodi, præter illa, quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorii episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo et temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo ut suum illi diaconum, nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet.*

Joannem istum monitis suis pertinaciter restitisse,

401 *Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione, Deo protegente, servamus : quia dignum est, ut rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni Judicis tribunal exspectat. In qua re ne quid omittere, quod ad pacem Ecclesiæ pertinet, videremur, nostris eumdem sanctissimum Joannem scriptis semel iterumque convenimus, ut amoto superbiæ vocabulo, cordis sui elationem ad humilitatem, quam Magister et Dominus noster docuit, inclinaret : quem* C *quoniam neglexisse comperimus, hæc eadem et beatissimum fratrem et consacerdotem nostrum Cyriacum, successorem ipsius, concordiæ studio non destitimus admonere.*

et in superba tituli œcumenici usurpatione perseverasse.

402 *Sed quia jam, ut videmus, mundi hujus termino propinquante, in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, ut ipsos, qui ei contradicere bene atque humiliter vivendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum præcursores habeat sacerdotes, hortor atque suadeo, ut nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus id consentiat, nullus scribat, nullus, ubi fuerit scriptum, admittat, vel subscriptionem suam adjiciat; sed, sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab hujuscemodi venenata infectione custodiat, et callido insidiatori in se locum non præbeat : quoniam hoc in totius Ecclesiæ injuriam ac discissionem, et sicut diximus, in omnium vestrum despectum fit.* Cum S. Gregorius hic asserat, Joannem monita sua *neglexisse*, et se propterea successorem ejus Cyriacum admonuisse, ne malum prædecessoris sui exemplum imitaretur, videmur recte concludere, quod Joannes ille Jejunator in superbia sua usque ad mortem perseveraverit. Propterea forsan ab Allatio in fine Operis, quod contra Hottingerum scripsit, inter scriptores schismaticos *Joannes Nesteuta, patriarcha Constantinopolitanus*, recensetur.

403 At fortasse aliquis cum Pagio in Critica ad annum Christi DXCVI num. 3 dicet : Quomo- D do Gregorius *post ipsius Joannis mortem, quando vere laudari possunt homines*, illum in hac ipsa epistola *sanctissimum* appellat? Quomodo idem Pontifex lib. 6 epist. 6 Joannem istum *sanctæ memoriæ*, et in aliis litteris, post obitum ejus scriptis, passim *sanctum* episcopum nominat? Respondeo, hunc esse honorarium episcoporum titulum, qui tum viventibus tum mortuis promiscue tribuitur, licet nulla morum sanctitate sint illustres. Uno alterove exemplo istud responsum meum confirmo. Dum Joannes IV Papa post mortem Sergii episcopi Constantinopolitani ad imperatorem Constantinum scribit, in ea Romani Pontificis epistola apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 1759 vocatur *Sergius reverendæ memoriæ patriarcha*, quamvis eo ipso tempore jam accusatus et vehementer susceptus esset de hæresi Monothelitica, ob quam paulo post, tamquam exsecrandæ memoriæ hæreticus, anathemate percussus est.

Pagii argumentum pro sanctitate Joannis Jejunatoris

404 In sexta synodo apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 949 *Georgius Deo amabilis diaconus et chartophylax* Constantem appellat *sanctæ memoriæ quondam imperatorem nostrum, et patrem piissimi nostri domini et magni imperatoris.* E Nunc audi quid de eodem Constante, Constantini imperatoris patre, Theophanes in Chronographia pag. 292 scripserit : *Imperator Constans*, inquit sanctus scriptor, *Syracusis Siciliæ in balneo, cui nomen Daphne, dolis in eum paratis occisus est. Necis autem causa fuit hujusmodi : morte Theodosio fratri ejus opera illata, Byzantinorum odium in eum vehemens exarsit, ubi maxime Martinum sanctissimum Papam Romanum cum dedecore Constantinopolim transvexit, et in Chersonæ regionem relegavit, et Maximum insuper eruditissimum confessorem lingua mutilavit, et ejus abscidit manus; multosque præterea orthodoxos, suam nimirum hæresim approbare recusantes, verberibus exiliis, atque proscriptionibus insectatus est, geminosque tandem Anastasios, confessoris et martyris Maximi probatos discipulos, exilio et cruciatibus subjecit.* Jam antea S. Theophanes pag. 276 enumeraverat mala, quæ propter has Constantis persecutiones a barbaris imperio illata sunt, *quorum finis nullus fuit*, ait ibidem, *donec Ecclesiæ persecutor in Daphnes balneo in Sicilia infeliciter occisus fuit.* Hæc certe sanctitatem istius imperatoris non indicant F etiamsi in citata synodo *sanctæ memoriæ* vocetur.

variis exemplis

405 Quinimo ipsi imperatores ethnici ab orthodoxis juxta receptam istius temporis consuetudinem *sanctissimi* appellabantur, ut patet ex confessione fidei, quam Dionysius Alexandrinus coram præfecto Æmiliano edidit, et in qua sanctus ille confessor apud Baronium in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CCLX num. 21 post alia sic loquitur : *Nos proinde unum Deum, rerum omnium fabricatorem, qui Valeriano et Gallieno cæsaribus Augustis, viris* SANCTISSIMIS, *imperium largitus est, et colimus et veneramur : huic etiam sine intermissione pro eorum regno, ut stabile et firmum maneat, preces adhibemus.* Eminentissimus scriptor numero sequente ibidem explicat, quomodo gentiles isti a sancto Dionysio vocentur *sanctissimi*, et circa finem ejusdem numeri ita concludit : *Quod si impii sic dicti sunt, quomodo non etiam hac saltem ex parte quique episcopi, quantumlibet moribus depravati, sanctissimi jure dicendi?* Interdum itaque non sanctitatis, sed dignitatis causa, teste Cangio, ἅγιοι *dicuntur et compellantur apud Græcos, antistites et imperatores; hi ob ordinationem, isti ob sacram unctionem.*

refutatur,

Consule,

A Consule, si lubet, eumdem Cangium in Glossario Latino ad vocem *sanctus* vel *sanctitas*, et in Græco-barbaro ad vocem ἅγιοι, ubi id pluribus exemplis probat. Hanc aut similem explicationem necessario admittendam esse, sequens testimonium docebit.

et ea refutatio verbis

406 Sanctus Leo IX, Romanus Pontifex, reprehendens Michaëlem Cerularium, eo quod titulum œcumenici patriarchæ usurpasset, post alia apud Labbeum nostrum tomo 9 Conciliorum col. 954 sic eidem scribit: *Successit quoque huic* (nempe Eutychio, de quo immediate antea egerat) *Joannes, cujus superbiam, quamvis universus mundus capere nequiverit, angustus tamen cespes* * *post non multum temporis compressit. Hic nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit, ubi se a cunctis Œcumenicum patriarcham, id est Universalem et dici et scribi debere decrevit. Pro qua utique præsumptione a beatis Pontificibus Pelagio et Gregorio digna perculsus est excommunicatione: cujus contagii macula adhuc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit, ut nunc quoque vos ipsos Œcumenicos patriarchas et appellare et scribere non timeatis....... Vestra ergo fraternitas videat quanta apud se protervia tumeat, quæ nec oblatum sibi a quoquam nec concessum, sed potius denegatum, et sub anathematis interpositione ab Apostolica et prima Sede, et a sanctis atque orthodoxis patribus interdictum superstitiosum vocabulum, tantæ obstinationis contumacia, per quadringentos jam a beatissimo Papa Gregorio et amplius annos usurpare non cessat.*

* *id est* tumulus.

B

S. Leonis IX Papæ confirmatur.

407 Idem sanctus Pontifex in alia ad eumdem Michaelem epistola apud Labbeum tomo proxime citato col. 979 sic de Joanne Jejunatore loquitur: *Ecce ille Joannes vester cujus vesanæ adinventionis adhuc heredes permanetis, qui secundum Psalmistam per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis, cum interiit, non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria ad infernum: quia cum in honore esset, non intellexit. Ipse a beatissimis Pontificibus Pelagio et Gregorio, successoribusque eorum pro hac insolentia anathematizatus,* IN SUA PERTINACIA IRREVOCABILIS PERIIT, *jamque per quadraginta et quadringentos annos suæ contumaciæ sequaces præcipitare non cessavit.* Quis hæc, obsecro, cum vera Joannis Jejunatoris sanctitate et licito illius cultu facile conciliabit? Attamen Pagius putat, a se inventum esse virum, qui id fecerit, dum in Critica ad annum Christi DXCVI num. 3 in fine sic scribit: *Thomassinus tomo* I *de Vetere et Nova Ecclesiæ disciplina lib.* I *cap.* XI *num.* XIX *ostendit, qua ratione possit ex sanctorum Patrum regulis Joannis Jejunatoris sanctitatis fama conciliari cum iis, quæ aculeatissime in eum a divo Gregorio dicta sunt.* At videamus, an scriptor ille re ipsa præstiterit, quod Pagius affirmat.

C

Thomassinus pertinaciam ejusdem Joannis

408 Ludovicus Thomassinus in assignato citati operis loco ita disserit: *Porro si ea fuit Joannis Jejunatoris vitæ sanctitas* (observa, quod hic auctor tantummodo conditionate loquatur, et sanctitatem istius Joannis supponat), *quam Græci commendant historici, non est tamen quod quemquam moveat Gregorii adversus illum excandescentia: factum enim hoc ejus unum, non personam, non reliquam vitam, vehementius insectatus est. Nemo nescit, præclarissima sanctimonia et innocentia homines, homines tamen fuisse; instar siderum, instar solis etiam effulsisse, sed et nonnullis ipsos maculis, nonnullis quandoque defectionibus obscuratos fuisse. Si ultra, quam fas erat, in asserendis et promovendis sedis suæ juribus progressus est Joannes, forte non tam rei suæ studio fecit, quam ecclesiæ. Nec prospiciebat animo, quo olim audaciæ venturi essent, quos habiturus erat dignitatis magis suæ successores et heredes, quam virtutis. Si ipsam pietatis famam lacessivit Gregorius, ut quam fucatam personatamque existimaret, non alio, quam modestiæ et humilitatis amore stimulatus fecit; in ea invectus, quæ vitii cujuscumque et superbiæ maxime speciem præ se ferrent. Invehi paulo vehementius illum in Joannem, et æquum erat et necessarium: impeti enim et labefactari par erat, non facta tantum ejus, sed consilia et furtivam spem, non præsentem tantum, sed futuram; nec ejus tantum, sed et successorum ejus, quorum consilia in ecclesiæ Orientalis perniciem sese tandem explicuere.*

SEC. VI.

variis modis

409 *Viris etiam sanctissimis sua invicem consilia inexplorata inviaque sunt, inaccessi mentium sinus. Hinc inter eos quandoque lites ebulliunt et pugnæ, ubi non aliud quam virtutes aliæ aliis collidi videntur; quæ tamen adeo non vel maculantur innocuo hoc certamine, vel debilitantur, ut incrementum etiam vel puritatis consequantur non mediocre, vel fortitudinis. In his sane ultro citroque non homines, sed hominum vitia impugnantur, et ubi adversus vitia, immerentibus aspersa, certatur, non certatur tamen, nisi contra vitia.* Deinde ex Facundo Hermianensi lib. 7 cap. 6 deducit, viros apprime orthodoxos magna animorum contentione olim inter se decertasse, *cum pari utrimque erroris odio, pari veritatis amore æstuarent omnes; sed pari suæ invicem mentis, in qua latere putarent errorem, ignorantia deluderentur.* E

frustra excusare nititur.

410 Verum (quod salva eruditi viri pace dictum sit) his omnibus verborum ambagibus nodum difficultatis non attingit, multo minus dissolvit. Non ignoramus, viros orthodoxos et sanctos, qui in Ecclesia instar siderum fulgebant interdum nonnullis errorum maculis obscuratos fuisse. Scimus, eosdem nonnumquam magna animi contentione de rebus fidei et moribus utrimque innoxie disceptasse. Sed hic quæritur, an Joannes Jejunator in re gravissimi momenti, qualem Pelagius II et Gregorius Magnus eam judicabant, iteratis Superiorum suorum mandatis parere non debuerit. Quæritur, an superbum Œcumenici titulum contra tot expressas Pontificum Romanorum admonitiones sine culpa pertinaciter retinere potuerit. Quæritur, an in excommunicatione sibi inflicta a duobus Pontificibus, penes quos ligandi ac solvendi potestatem esse noverat, secure usque ad mortem perseverare potuerit. Denique quæritur, an ille Joannes, qui juxta S. Leonem Papam IX *in sua pertinacia irrevocabilis periit,* inter beatos cœli incolas possit recenseri ac legitimo cultu honorari. F

et nemo facile ambitionem ejus tueri potest,

411 Nemo hic nobis objiciat, Joannem Jejunatorem in assumendo Œcumenici titulo secutum esse exempla suorum decessorum, inter quos S. Mennas in secundo concilio Constantinopolitano apud Labbeum tomo 5 col. 50, 59 et 71 Œcumenicus patriarcha vel archiepiscopus appellatur, et nihilominus in Martyrologio Romano ad diem XXV Augusti inter Sanctos refertur. Nemo, inquam, similia nobis objiciat: istud enim argumentum falsa hypothesi niteretur, cum jam superius contra quosdam auctores demonstraverimus, hunc Joannem Jejunatorem verosimillime primum fuisse, qui nomen Œcumenici sibi arrogaverit, et titulum illum a posterioribus Græcis fraudulenter insertum esse iis monumentis, in quibus ante tempora ipsius invenitur.

412 Quinimo etsi gratis concederemus, nomen

etsi gratis daremus, præcessores illius hoc nomine usos esse,

men istud tunc a Pontificibus Romanis toleratum aut dissimulatum fuisse, ut nonnulli existimant nondum affectata et pervicax ejusdem nominis usurpatio in Joanne Jejunatore excusanda esset: nam in utroque casu ingens discrimen assignari posset, cum scriba concilii aut alii hunc titulum S. Mennæ tantummodo dederint; ipse autem sibi non sumpserit, dum post sententiam contra Anthimum prolatam in Labbeana Conciliorum collectione tomo 5 col. 61 sic simpliciter subscribit : *Mennas Dei miseratione episcopus Constantinopolitanus diffinivi et subscripsi.* Præterea S. Mennas ibidem summam suam erga Romanam Sedem observantiam profitetur his verbis : *Nos enim, sicut vestra caritas novit, Apostolicam Sedem sequimur, et obedimus; et ipsius communicatores, communicatores habemus; et condemnatos ab ipsa, et nos condemnamus.* Denique Pontifices Romani S. Mennam de nomine isto deponendo numquam monuerunt. At Joannes Jejunator nomen illud in litteris suis superbe ac importune affectavit, et contra iteratas Romanorum Pontificum monitiones pertinaciter retinuit, ut supra ostendimus.

B

cum ipsemet Thomassinus

413 Ipsemet Thomassinus citato capite hanc discrepantiam non diffitetur, et ibidem num. 7 alia temporum ac rerum adjuncta sic observat : *Ubi vero coacto Constantinopoli concilio Joannes Jejunator de causa Gregorii patriarchæ Antiocheni judicium sibi sumpsit, tunc assumptum ab eo Œcumenici nomen et Pelagio II, et Pelagii successori Gregorio justam suspicandi causam præbuit, eoque Pontifices impulit, ut quæ inde mala nasci poterant, pro virili sua prævertere conarentur : jam enim tanti nominis splendor non ut antea dejectis erat solatio; sed præsidii instar habebat, quo communiretur recens usurpata potestas supra patriarchas ceteros adversus primariæ Sedis auctoritatem.*

inter ipsos et Joannem Jejunatorem

414 *Quod Joannes coegerat concilium, id inter generalia numerandum erat, cum judicium ibi de patriarchæ causa ferendum esset; concilium autem generale sine auctoritate Pontificis nec convocari debuit, nec haberi, nec sine primæ ejusdem Sedis assensu vel damnari patriarcha poterat vel absolvi : quæ enim ad universalis Ecclesiæ dispositionem pertinent causæ, non possunt eæ sine capitis interventione finiri. Non poterat patriarcha Constantinopolitanus extra patriarchatum juris sibi quidquam arrogare; multo minus in eum patriarcham, cujus erat sine controversia et justior et antiquior potestas. Cum ergo vir ambitionis œstro percitus studiose sibi nomen indueret, quod universalem in totam Ecclesiam potestatem innuebat, et ea ipsa tunc in patriarcham Antiochenum uteretur potestate, nonne tunc justæ erant suspicandi causæ, illam ambiri ab eo auctoritatem, qua supra patriarchas ceteros ceterasque Ecclesiæ sedes eveheretur ?*

C

ingens discrimen agnoscat.

415 Denique idem scriptor ibidem num. 8 ex his ita infert : *Integrum ergo jam nec Pelagio erat, nec Gregorio ea uti indulgentia, qua usi aliquando fuerant Hormisda et Vigilius, ubi per ipsos et Joanni et Menæ licuit Œcumenici uti vel abuti patriarchæ nomine.* Ex postremis hisce verbis liquet, auctorem hunc cum aliis quibusdam sensisse, quod Joannes Cappadox et S. Menas titulum Œcumenici gesserint. At maxime miror, quod Thomassinus Joannem Jejunatorem, quem hoc loco tantæ ambitionis arguit, postea in fine ejusdem capitis excusare conetur. Sed verboso suo conatu rem nondum confecit, ut superius indicavimus, ubi etiam defensoribus Joannis Jejunatoris nonnullas quæstiones proposuimus. Si quispiam omnibus his difficultatibus abunde satisfecerit, et sanctitatem Joannis Jejunatoris contra adversantia ipsi argumenta solide probaverit, die secunda Septembris nomen ejus ex ecclesiasticis Græcorum tabulis non erademus. Ceterum Joanni isti, propter quem hæc digressio facta est, successit D

XXXIII CYRIACUS.

Contra auctorem Chronici Alexandrini putamus.

Quisquis superius stabilitam Joannis Jejunatoris chronotaxin memoria recolere voluerit, is non difficulter fatebitur, errorem irrepsisse in Chronicon Alexandrinum seu Pascale, quod in editione Cangiana pag. 378 successionem Cyriaci saltem uno anno prævertit per has notas chronologicas : *Indictione* XII, *post consulatum Mauricii Tiberii Augusti* X, *Sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha Cyriacus, presbyter et œconomus ejusdem ecclesiæ, præfuit annis* XII. Sed tempus post consulatum decimum Mauritii et Indictio duodecima respondent anno Christi DXCIV, ut Pagius in Dissertatione Hypatica pag. 338 ostendit. At in ea hypothesi non potuit Joannes Jejunator ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse annis tredecim et mensibus quinque, quos tamen varii scriptores, et omnes fere catalogi, ipsi concedunt. Præterea Chronicon Alexandrinum Cyriaco duodecim gubernationis annos assignat, quos alii auctores communiter ad undecim restringunt, ut postea videbimus. E

Cyriacum circa finem anni 595 Joanni Jejunatori successisse.

417 Baronius in Annalibus ad annum Christi DXCVI num. 3 de inchoato Cyriaci episcopatu ita meminit : *Hoc ergo sublato de medio* (videlicet Joanne Jejunatore) *substitutus est in locum ejus Cyriacus œconomus, optimi nominis vir, nonnihil antea reluctatus : qui simul ac regiæ civitatis episcopalem thronum conscendit, mox ad promerendam Catholicam communicationem a Romano Pontifice, duos legatos Romam misit, Georgium presbyterum et Theodorum diaconum, quibus et cum fidei professione litteras dedit ad ipsum Gregorium. Constant hæc quidem ex redditis ab ipso Pontifice ad eum litteris, quibus et reciprocam misit Catholicæ fidei regulam. Reddidit alias quoque litteras, cum et ipse Cyriacus alias ad ipsum scripsisset, commendavitque Joannem Chalcedonensem et Athanasium presbyteros absolutos in Romanæ Ecclesiæ judicio, qui hæresis fuerant accusati. Scripsit et ad Mauritium imperatorem Gregorius litteras de electione Cyriaci, ubi dum ait, Mauritium esse moratum, multumque temporis distulisse* (S. Gregorius lib. 6 epist. 6 de Mauritio tantum dicit, quod tempus *paulo longius* distulerit) *successoris Joannis Jejunatoris episcopi electionem; facile inducimur, ut credamus, hujus anni primo exordio, vel fortasse præteriti anni extremo tempore, ipsum Joannem esse defunctum, ut plane intelligas, divinam haud retardatam esse vindictam.* Verum nos cum Banduro et Pagio probabilius opinamur, Cyriacum circa finem anni DXCV Joanni Jejunatori, qui eodem anno die secunda Septembris obierat, successisse, ut ex duratione episcopatus et tempore mortis postmodum probare conabimur. F

S. Gregorius Papa illum etiam reprehendit ob usurpatum œcumenici nomen.

418 Cum Cyriacus exemplo sui præcessoris etiam titulum Œcumenici usurparet, Gregorius Papa lib. 6 epist. 28 illum de hoc superbo nomine deponendo admonuit, et Sabiniano, qui Constantinopoli erat Sedis Apostolicæ apocrisiarius, dedit in mandatis, ne assisteret eidem Cy-

riaco,

riaco, Missarum solennia celebranti, nisi nomen Œcumenici penitus omitteret, ut ex lib. 6 epist. 30 et 31 colligitur. Quia autem Gregorius in litteris Mauritii accusabatur, acsi propter frivolum nomen turbaret pacem Ecclesiæ, sanctus Papa lib. 6 epist. 30 eidem imperatori post alia sic respondet : *Eumdem vero fratrem et consacerdotem meum studiose admonere curavi, ut si habere pacem omnium concordiamque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis jussionibus dominorum pietas præcipit dicens, ut pro appellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat.*

quod licet quibusdam magis vanum, quam noxium appareret,

419 *Sed rogo, ut imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. Numquid non, cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit; sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ; si vero pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se ceteris præponit : nec dispari superbia ad errorem ducitur; quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super ceteros sacerdotes se extollit. Sed quoniam veritas dicit : Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; scio, quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem frivoli nominis scandalum gignant, qui in superbia typhum ceciderunt : nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum.*

tamen sancto Pontifici recte periculosum videbatur,

420 Certe ex illo Œcumenici titulo, qui primo intuitu magis frivolus et vanus, quam noxius apparere poterat, ortas postmodum hæreses et perniciosas sequelas prævidisse videtur S. Gregorius, dum lib. 6, epist. 24 ad Anastasium Antiochenum, similia monentem, post nonnulla sic scribit : *Quod vero dicitis pro nulla causa dare nos locum scandalo debere, hæc mihi et piissimus dominus filius vester, pro cujus vita incessanter orandum est, jam sæpius scripsit : et quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus sum vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor et potestas : nam utraque principaliter præsumunt, utraque per auctoritatem loquuntur.*

ut eventus postea docuit

421 *Et quidem in suscipienda fratris et consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit, ut pro causa profani vocabuli moras facerem, ne unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem; sed tamen de eodem superstitioso et superbo vocabulo eum admonere studui dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit. Vos tamen eamdem causam nullam esse, dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus : scitis enim, quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ, de Constantinopolitana ecclesia sunt egressi.* Sanctus Gregorius in aliis epistolis sæpe declarat, quantum ab hoc Œcumenici nomine abhorreat, quod post aliquot secula Græci schismatici ita explicarunt, ut illud Pontifici Romano competere negaverint, et omnem istius tituli potestatem, pereunte Occidentali imperio, ad antistitem Constantinopolitanum translatam esse impudenter asseruerint, sicut jam supra narravimus.

Sec. vi.

Non constat, Cyriacum sancto Papæ monenti paruisse,

422 Non videtur Cyriacus Romano Pontifici paruisse, quamdiu Mauritius imperium tenuit : cum enim Gregorius Papa Bonifacium apocrisiarium suum mitteret Constantinopolim, simul ad Cyriacum dedit litteras, quas Baronius in Annalibus ad annum DCIII num. 8 ex lib. XI epist. 47 Romanæ editionis sic refert : *Quanta sit pacis virtus, carissime frater, ex voce Dominica diligentius intuentes, quæ ait : Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, ita in ejus nos decet dilectione persistere, ut locum præbere discordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius aliter vivere non valemus, nisi mente et actu humilitatem, quam ipse Auctor pacis docuit, teneamus : cum ea caritate, qua dignum est, suademus, ut profanam elationem, quæ animabus semper adversa est, cordis pede calcantes perversi superbique vocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis, ne a pacis nostræ societate divisi inveniri possitis; sed unus in nobis spiritus, una mens, una caritas, una in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ : nam quam durum, quam indecens, quam crudele, quamque a sacerdotali proposito sit extraneum, pacem illum, quam aliis prædicat, non habere, sanctitas vestra consideret, et suos de superbia fratres scandalizare abstineat*, etc. Nescimus, an Cyriacus tot tamque paternis monitionibus tandem cesserit.

etsi ille postea strenue restiterit Phocæ imperatori,

423 Saltem Antistes ille postea intrepidum se exhibuit in defendenda immunitate ecclesiastica, quam Phocas imperator violare volebat, ut S. Theophanes in Chronographia pag. 246 narrat his verbis : *Hoc anno* (scilicet Phocæ imperatoris quarto, quem Georgius Cedrenus etiam notat, et qui anno Christi DCVI respondet) *Scholasticus eunuchus vir in palatio clarus, Constantina imperatrice cum filiabus tribus mediæ noctis silentio educta, Germani patricii imperium ambientis consilio, ad magnam ecclesiam confugit. Magna itaque per urbem seditio exoritur : Prasini etenim ad Cochliam collecti, diris et exsecrationibus Constantinam insectabantur; quamvis Germanus ad suppetias sibi ferendas eos adducturus, ad Prasinorum tribunos auri talentum dono misisset; oblatum tamen factionis principes respuerunt. Quare mulierculas illas templo educendas tyrannus jussit. At patriarcha Cyriacus tyranno se opposuit, mulierculas ab ecclesia tyrannice avelli minime passus. Juramentis a Phoca interpositis securus redditus, nil indignum laturas, sacris septis extrahuntur, et in monasterio includuntur.*

qui propterea dicitur huic titulum œcumenici abrogasse,

424 Aliqui scriptores existimant, quod propterea Phocas ex odio contra Cyriacum hoc anno ediderit decretum quo statuit, præsules Constantinopolitani nomen Œcumenici non amplius usurparent. Inter alios Brietius noster in Annalibus ad annum Christi DCVI hanc opinionem sic breviter indicat : *Simultates inter Phocam et Cyriacum sunt enatæ, cum Constantina, relicta Mauritii, consilio Germani patricii ambientis imperium, cum tribus filiabus in ecclesiam confugisset ; has enim cum per vim retrahere conatur Phocas, huic restitit Cyriacus, et fretus populo rejecit imperatorem. Mox tamen illæ, fide data, exeuntes, clausæ sunt in monasterio. Itaque Phocas iratus Cyriaco, sancivit edicto suo, nomen Œcumenici seu Universalis unum decere Romanum Pontificem, non autem Constantinopolitanum, qui id antea male usurparat. Quare antiqui scriptores tradunt, hoc Bonifacium tertium ab imperatore Phoca obtinuisse bono hominis improbissimi facto.* Hæc Brietius hausit ex Baronio, qui Eminentissimus scriptor ad annum Christi DCVI num. 7 de Cyriaci morte addit sequentia : *Ubi igitur hæc per Phocam imperatorem*

sunt

SEC. VI.

sunt instituta, Cyriacus Constantinopolitanus episcopus, propugnator acerrimus præsumpti Œcumenici tituli, mœrore consumptus et dolore confectus, diem obiit, ubi sedisset annos decem, et undecimum inchoasset.

quamvis Phocas ob evidentem causæ æquitatem,

425 At verosimilius est, istud Phocæ decretum post obitum Cyriaci primum prodiisse, et imperatorem potius ob manifestum Ecclesiæ Romanæ jus, quam ex odio adversus Cyriacum, ita judicasse. Præterea Bonifacius III Papa, qui hoc impetravit, antea Constantinopoli usque ad obitum S. Gregorii Magni apocrisiarium Sedis Apostolicæ egerat, et in amicitiam Phocæ se insinuaverat, ut Baronius ad eumdem annum DCVI num. I affirmat. Denique princeps ille, licet cetera vitiosus, venerabatur Pontifices Romanos, ut patet ex Pantheo Romano, quod Bonifacio IV Papæ in ecclesiam mutandum concessit. Non est hujus loci refutare Molinæum et Othomanum, qui hanc Romanæ Ecclesiæ primatum tyrannice usurpatum, a tyranno Phoca concessum blaterant, et quos ob hanc calumniam Eminentissimus Baronius ibidem num. 4 et sequentibus satis depexuit. Nihil etiam hic moror Basnagium aliosque recentiores hæreticos, qui eamdem cramben impudenter ad nauseam usque recoquunt. Audiamus potius antiquos auctores, qui hujus rei memoriam posteris reliquerunt.

B

vel reverentiam erga Romanos Pontifices id forte fecerit,

426 Paulus Warnefridus, diaconus Foro-Juliensis, scribens de Gestis Langobardorum lib. 4 cap. 37 hanc justam Phocæ actionem inter alia sic memorat : *Focas igitur, ut præmissum est, exstincto Mauritio ejusque filiis, Romanorum regnum invadens, per octo annorum curricula principatus est. Hic, rogante Papa Bonifacio, statuit, Sedem Romanæ et Apostolicæ ecclesiæ caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat. Idem, alio Papa Bonifacio petente, jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ et omnium Martyrum fieri; ut ubi quondam omnium non deorum, sed dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.* Anastasius Bibliothecarius de eadem Phocæ actione meminit, dum gesta Bonifacii III Pontificis ita describere incipit : *Bonifacius, natione Romanus, ex patre Joanne Cataaudioce, sedit menses octo, dies viginti octo. Hic obtinuit apud Phocam principem ut Sedes Apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium ecclesiarum, id est Ecclesia Romana, quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat.*

C

ut cum Francisco Pagio probabilius existimamus.

427 Amplectimur itaque sententiam Francisci Pagii, qui in Breviario Pontificum Romanorum tomo 1 pag. 380 sic disserit : *Baronius, Binius, et alii volunt, Phocam edictum illud edidisse in odium Cyriaci, episcopi Constantinopolitani, in quem exacerbatus erat. Sed hæc conjectura non videtur admittenda, cum Cyriacus obierit mense Octobri anni* DCVI, *et Thomas magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus die* XXIII *Januarii anni* DCVII *ei suffectus fuerit, antequam Bonifacius* III *ordinaretur Romanus Pontifex. Quare cum nullibi constet, illud decretum in ejus odium editum esse, quid vetat dicere, Phocam, cum bene nosset Ecclesiam Romanam jure divino primatum semper tenuisse super omnes totius orbis ecclesias, ex æquitate causam illam dijudicasse; cum præsertim constet, eum erga Romanos Pontifices propensum fuisse, ut videtur in Bonifacio IV. Ex quibus corruit, quod Baronius ait Cyriacum mœrore consumptum, quod Phocas id decretum edidisset, diem suum obiisse.* Consuli potest Critica Antonii Pagii tomo 2 pag. 727, ubi probat, Bonifacium III anno Christi DCVII primum ad Romanam S. Petri cathedram evectum esse. Nunc tempus, quo Cyriacus obiit, indagandum est. D

Cyriacus mense Octobri anni 606 mortuus est,

428 Chronicon Alexandrinum seu Paschale quarto Phocæ imperatoris anno, *Indictione* IX, *post consulatum Focæ Augusti* II (hi characteres chronologici annum Christi DCVI indicant) mortem Cyriaci in editione Cangiana pag. 381 accurate consignat his verbis : *Hoc anno Cyriacus, patriarcha Constantinopolitanus moritur mense Hyperberetæo, secundum Romanos Octobri, die* XXIX, *feria* VII, *illiusque funus curatum est* XXX *ejusdem mensis, feria* I, *et depositum est corpus illius juxta morem receptum in æde sanctorum Apostolorum.* Hic mortis annus confirmatur ex duratione episcopatus ejus, cui SS. Theophanes et Nicephorus, aliique catalogi communiter tribuunt undecim annos, quos incompletos intelliges, si ab ultimo mense anni DXCV, quo verosimiliter cathedram Constantinopolitanam ascendit, usque ad exeuntem Octobrem anni DCVI computum inire volueris. E Computationi undecim annorum incompletorum aperte favet Zonaras, dum in editione regia Parisiensi anni MDCLXXXVII tomo 2 lib. 14 pag. 80 ita loquitur : *Cyriaco patriarcha, undecimo a designatione anno, mortuo, patriarcha factus est Thomas sacellarius, magnæ ecclesiæ diaconus.* His verbis clare indicatur, quod undecimus gubernationis annus nondum esset elapsus.

et in quibusdam Græcorum Menologiis, tamquam Sanctus, celebratur.

429 Cyriacus ille in quibusdam Græcorum Menologiis die XXX Octobris memoratur ; sed in Menæis impressis die XXVII ejusdem mensis ita refertur : Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κυριακοῦ, πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Sancti patris nostri Cyriaci, patriarchæ Constantinopolitani.* Deinde huic annuntiationi adduntur duo sequentes versiculi :

Ὁ Κυριακὸς ἐκλιπὼν γῆν καὶ βίον,
Πρὸς αὐτὸν ἥκει Κύριον τῶν κυρίων
Cyriacus hanc vitam et humum dum deserit,
Properavit ad Dominum ille dominorum omnium. F

Hic satis aperta et plumbea allusio est inter nomen proprium Κυριακὸς et voces κύριον τῶν κυρίων. Nescio, ob quam causam in manuscripto supplemento Chiffletiano ad Menæa excusa idem Cyriacus die XXX Martii sic memoretur : Ὁ ἅγιος Κυριακὸς πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται. Hoc est : *Sanctus Cyriacus patriarcha Constantinopolitanus in pace vitam finivit.* Ibi autem sequuntur duo alii versiculi hoc modo :

Σοῦ Κυριακὸς ποιμνίων ποίμην μέγας
Ποιμένεται νῦν μυστικῇ, Σωτὴρ, χλόῃ.
Cyriacus hic, magnus tui pastor gregis,
Salvator, herba mystica nunc pascitur.

Ceterum successores nostri ad diem XXVII vel XXX Octobris indagare poterunt, an Cyriacus ille titulum Œcumenici tandem deposuerit, et locum in Opere nostro habere mereatur.

SECULUM

SECULUM VII.

XXXIV S. THOMAS I.

Mense Januario anni 607 ad sedem CP. evectus est S. Thomas,

Majores nostri ad diem xx Martii Acta hujus sancti præsulis Constantinopolitani collegegerunt, et chronotaxim ejus recte ordinarunt, ita ut hic dumtaxat vestigiis eorum sit insistendum. Chronicon Paschale supra laudatum pag. 381 anno Phocæ imperatoris v, *Indictione* x, *post consulatum Focæ Augusti* III, id est anno Christi DCVII, initium S. Thomæ in episcopatu Constantinopolitano sic exacte notavit: *Hoc anno, mense Audynæo, secundum Romanos* XXIII *Januarii, dictus est patriarcha Constantinopolitanus Thomas ex diacono* * *magnæ ecclesiæ, et sacellarius patriarchæ, et ordinationibus præpositus.* Hinc corrigendus est Theophanes, in quo pag. 246 ad annum Phocæ quartum, seu Christi DCVI, sic legimus: *Patriarcha porro Cyriaco vivis erepto, Thomas diaconus et sacellarius ejusdem ecclesiæ, mensis octobris die undecimo in ejus locum sufficitur.* Verum hoc loco chronologia Theophanis adeo perturbata est, ut integer annus desideretur, aut cum præcedente confusus sit, quemadmodum Majores nostri jamdudum observarunt.

* *al.* diaconus

B

cujus Acta die 20 Martii in Opere nostro dedimus,

431 Præcipua illius gesta ad diem xx Martii breviter narrantur in Menologio Basiliano, ubi potissimum laudatur, quia *plurimum contra hæreses decertavit, ipsosque hæreticos pudore confudit, orthodoxam finem doctrinamque stabilivit, et ovile suum bene et ad Dei beneplacitum ac præscriptum administravit, imperatores pios præclare instruxit, ac senatui totique sacerdotali ordini apparuit venerandus. Post hæc,* ait Menologii istius scriptor, *adversa valetudine correptus, gaudens et exultans, uti æquum erat, in cœlum transcurrit.* Alia ipsius gesta excerpta sunt ex Actis S. Theodori Siceotæ, cui familiaris fuit, et quem impense venerabatur, ut ibidem apud nos tomo 3 Martii pag. 92 potest videri. Nos interim ad investigandum mortis ejus tempus procedimus.

C

et quem anno 610 morientem.

432 Chronicon Paschale anno Phocæ imperatoris VIII, *Indictione* XIII, *post consulatum Focæ Augusti* VI (hæ temporis notæ anno Christi DCX respondent) obitum S. Thomæ apud Gangium pag. 382 sic recte consignat: *Hoc anno, mense Dystro, secundum Romanos Martio,* die xx, *feria* VI *moritur Thomas patriarcha Constantinopolitanus, et* XXII *ejusdem mensis, feria* I *terræ mandatur.* Itaque ab anno Christi DCVII, die XXIII Januarii, usque ad annum DCX et diem XX Martii sedit S. Thomas annis tribus, ac fere duobus mensibus, quos Menologium Basilianum, Nicephorus Callistus, aliaque Græcorum monumenta communiter ipsi adscribunt. Dum autem Nicephorus patriarcha tres annos et quinque menses ei tribuit, episcopatum illius ab obitu Cyriaci numerare cœpit, vel a vero computo aberravit ad tres fere menses, quibus sedes Constantinopolitana post mortem Cyriaci vacavit. Sanctum Thomam, strenuum Catholicæ fidei defensorem, secutus est indignus successor

XXXV SERGIUS I hæreticus.

subsecutus est Sergius, qui mense Aprili ejusdem anni cathedram CP. ascendens,

Auctor Chronici Paschalis seu Alexandrini ad annum Christi DCX, ut ex chronologicis ipsius characteribus supra collegi, assignata S. Thomæ morte, successionem Sergii ibidem sic indicare pergit: *Et* VIII *Artemisii, secundum Romanos Aprilis, ejusdem Indictionis* XIII, *magno Sabbato Constantinopoleos patriarcha creatus est Sergius, magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus, et ptochiorum præfectus, custos portus.* At Pagius tomo 2 Criticæ Baronianæ pag. 729 monet, duplex mendum in hunc Chronici textum irrepsisse, ut levi oculo deprehendi potest: cum enim Pascha illo anno DCX in diem XIX Aprilis inciderit, Sabbatum magnum seu sanctum eodem anno in diem XVIII ejusdem mensis incurrit. Unde patet, pro VIII scribendum esse XVIII, vel numero Græco ή præponendum ι, ita ut pro ή sive VIII, ιή id est XVIII legatur. Præterea pro mense Artemisio ponendus est Xanthicus, cum ipse ejusdem Chronici scriptor alibi mensem Maium Artemisii, Aprilem vero Xanthici nomine semper appellet. Hujusmodi errores ultro se produnt, et librariorum oscitantiæ abscribendi videntur.

E

optimam de se spem præbuit S. Theodoro Siceotæ;

434 Laudabilia fuere hujus patriarchæ initia, ut eruitur ex Vita S. Theodori Siceotæ, in qua auctor synchronus apud nos tomo 3 Aprilis pag. 59 de ipso narrat sequentia: *Sergius, qui creatus est patriarcha, venit ipse ad Dei Servum* (nempe Theodorum Siceotam) *et ad pedes ejus prostratus, rogavit illum, ut pro se Dominum precaretur, quo divina ipsius gratia dignus effectus episcopatu et apostolica sede, ex voluntate ejus populum in pace regeret et gubernaret : se enim juniorem esse et imperitiorem, quam ut sine præcipuo et singulari Dei præsidio id præstare posset. At Dei servus, precibus fusis, ipsumque complexus: Idcirco, inquit, tibi juveni tantum Deus onus imposuit ut majore virtute viribusque sustineas calamitates et molestias impendentes; id quod præcessor tuus sibi præstare non posse videbatur. Confirma igitur te, et robustus sis, atque viriliter age: Deo enim confisus spero, administrationem tuam et diuturnam et præclaram fore. Ex eo tempore majores vires suscipiens patriarcha, in suo munere administrando se recte gessit.*

F

sed expectationem ejus fefellit,

435 Hic addi meretur monitum Eminentissimi Baronii, qui ad annum Christi DCVIII num. 4 istam S. Theodori Siceotæ prædictionem seu potius conjecturam sic explicat: *Porro Sergius instar Saül, qui ipso exordio coram Samuele magnum specimen dedit optime administrandi regni, cum esset humilis in oculis suis, neque (teste divina Scriptura) esset vir melior illo in Israel; ex vita hactenus virtutibus exculta pie sancteque ducta magnam de se apud omnes, præsertim vero apud præclaros sanctitate viros concitaverat exspectationem: cujus rei gratia sanctus Theodorus ita magnifice eadem ferme fausta responsa de eo dedit, quæ de Saüle Samuel, eo quod eamdem ipse spem de Sergio concepisset, quam Samuel de Saüle. At non semper propheticus spiritus prophetis sanctis inhæret, futura aperiens cuncta, ut fusius sanctus Gregorius docuit super Ezechielem. Quæ igitur de Sergio prænuntiata audisti a*

Theodoro

Theodoro (ne scandalum patiaris) non prophetice dicta intelligas, sed (ut accepisti) quod ita ipse fore speraret : Deo enim confisus, inquit, spero, administrationem tuam et diuturnam et præclaram fore. Talia namque de ipso sperare cogebat vita Sergii famaque vulgata, et ostensa illa tunc convenientis ipsum et sternentis se ad pedes ejus humilitas. Vide ibidem apud Baronium numero sequente eximias laudes, quas Georgius Pisida, Græcus istius temporis poeta, cumulate in Sergium congessit.

dum postea in hæresim Monothelitarum prolapsus est,

436 Verum tam bonis principiis non respondit reliquus vitæ cursus : nam postea in hæresim Monothelitarum prolapsus est, ut S. Theophanes in Chronographia pag. 274 testatur his verbis : *Cum imperator Hierapoli moraretur, Athanasius Jacobitarum patriarcha, vir vafer et perniciosus, ut ex innata sibi vafritie sunt Syri omnes, ad eum accessit, motisque cum imperatore de fide sermonibus, si modo synodum Chalcedonensem vellet admittere, patriarcham Antiochiæ se constituturum Heraclius promisit. Is, enuntiatis in Christo naturis duabus, hæresim ad tempus simulans, propositam synodum probavit et recepit. Tum vero de operatione et voluntatibus imperatorem interrogavit; quales asserere deceat, geminas, an unicam? Imperator inusitata sibi vocum novitate implicatus, Sergio Constantinopolitano episcopo scribit. Is Cyrum Phasidos episcopum ad se accersitum interrogat, et in unicam voluntatem, et actionem pariter unicam consentire reperit: Sergius etenim, seu patria Syrus, et Jacobitis parentibus ortus, unam physicam volendi actionem unamque operationem in Christo confessus et scripto testatus est.* Ceterum in Historia Monothelitarum, anno MDCLXXIX Parisiis Latine edita, et apud Baronium, aliosque historiæ ecclesiasticæ scriptores legi potest, quam subdole et pertinaciter Sergius hæresim suam defenderit usque ad obitum, de cujus tempore nunc disserendum est.

et in ea pertinax obiit ante medium mensem Decembrem anni 638,

437 Sanctus Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in Historia pag. 18 mortem hujus Sergii sic chronologice refert : *Indictione duodecima Sergius Constantinopolitanus patriarcha moritur.* Indictio illa a Kalendis Septembribus anni DCXXXVIII currere cœpit, adeoque sequitur, Sergium obiisse illo temporis intervallo, quod ab ineunte Septembri anni DCXXXVIII usque ad Kalendas Septembres anni DCXXXIX effluxit. Baronius in Annalibus ad annum Christi DCXXXIX num. 17 de morte ipsius sic ratiocinatur : *Animadvertit Deus in Sergium turbarum auctorem et architectum : siquidem hoc ipso anno post promulgatam ecthesin et in synodo confirmatam, cum se summa rerum potitum arbitraretur, vocatus est a summo Judice reddere rationem ad tremendum illud divinum examen Dei viventis et videntis. In hunc usque annum pervenisse Sergium, quæ ex synodalibus Actis sunt dicta, demonstrant; ex quibus est, quod corrigas Nicephori Chronicon, in quo octo tantum anni et menses septem tribuuntur Sergii episcopatui, quem liquet sedisse annis triginta et amplius, utpote quem sedere cœpisse vidimus anno Redemptoris sexcentesimo octavo.*

ut contra Baronium

438 At nos supra ex probabilioribus monumentis eruimus, Sergium anno Christi DCX ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse. Quare Baronius ex erronea sua hypothesi gratis concludit, illum *sedisse annis triginta et amplius,* quod tamen nemo veterum scriptorum ei concessit : nam Theophanes numero rotundo annos viginti novem, nempe imcompletos, computavit ; alii autem patriarcharum catalogi apud Bandurum passim XXVIII annos, et VII menses episcopatui ejus adscribunt. Nec eminentissimum virum juvat, quod viderit mendosum Nicephori Chronicon, in quo dumtaxat VIII anni et VII menses notabantur ; quia ex aliis ejusdem Chronici editionibus satis liquet, pro illis VIII annis substituendos esse XXVIII, et forte litteram κ, quæ apud Græcos numero XX æquivalet, ab amanuensi in aliquo codice omissam fuisse. Hinc putamus, accuratissimum esse illud Nicephori Chronicon, quod Bandurus tomo 1 Imperii Orientalis ex codice regio non ita pridem edidit, et in quo ibidem pag. 189 duratio Sergiani episcopatus sic exacte exprimitur : *Σέργιος διάκων τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ἔτη κη', μηνας ζ', ἡμέρας κα'.* Hoc est : *Sergius diaconus ejusdem ecclesiæ annis* XXVIII, *mensibus* VII, *diebus* XXI.

cum Antonio Pagio

439 Assentimur itaque Pagio, qui in Critica ad annum Christi DCXXXIX num. 8 contra Baronium sic argumentatur : *Indictio duodecima Kalendis Septembribus superioribus Christi anni inchoata est, indeque Baronius aliique deduxere, Sergium currenti anno, quo Indictio illa usque ad mensem Septembrem in cursu fuit, vitam cum morte commutasse. Verum Pyrrhum ineunte mense Januario hujus Christi anni* (videlicet DCXXXIX) *ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse, infra visuri sumus; ideoque ecthesis anno antecedenti divulgata. Durationem episcopatus Sergii recte expresserat idem Nicephorus in Chronico ; sed librarii numeros depravarunt. In editione Græca a Scaligero curata legitur, sedisse Sergium annos* XXI ; *in ea, qua usus est Baronius, anni* VIII *et menses* VII *ejus episcopatui tribuuntur ; in editione regia anni* XXVIII, *dies* XXI ; *in tabulis Theophani insertis anni* XXIX : *ex quibus vera Nicephori lectio erui potest.* Adde, quod vera Nicephori lectio nuper a Banduro in codice regio inventa fuerit, ut supra monuimus.

verosimilius arbitramur.

440. Pagius vero sic ratiocinari pergit : *Successit Sergius sancto Thomæ die* XVIII *Aprilis, anno* DCX, *ideoque mortuus est, currente Indictione duodecima ac mense Decembri prioris Christi anni, postquam ecclesiam Constantinopolitanam administrasset annos viginti octo, ut legitur in editione regia, non vero annos octo, ut habuit exemplar Baronii, menses septem, ut recte in eo exemplari, et dies* XXI, *ut in editione regia, qui dies in editione Scaligeriana errore librarii in annos* XXI *conversi sunt, ideoque dies octavus vel nonus mensis Decembris anni antecedentis* (scilicet DCXXXVIII) *fatalis fuit Sergio; et Pyrrhus post interpontificium unius circiter mensis in ejus locum subrogatus est, et quidem mense Januario hujus anni* (DCXXXIX) *ut suo loco monstrabimus. Ex quibus tandem sequitur, ecthesim anno præcedenti promulgatam esse, cum eam in dicta synodo Constantinopolitana Sergius approbarit.* Propter hæc aliaque argumenta probabilius opinamur, Sergium anno DCXXXVIII ante medium mensis Decembris ad tremendum supremi Judicis tribunal evocatum esse, ut rationem redderet de malis, quibus Ecclesiam Catholicam afflixerat. Proximus Sergianæ impietatis ac sedis heres fuit

XXXVI PYRRHUS hæreticus.

Sergio Monothelitæ successit Pyrrhus,

Cum Heraclius imperator hæresi Monothelitarum faveret, defensorem ejusdem sectæ Sergio mortuo substitui curavit, ut S. Nicephorus in Historia pag. 18 innuit his verbis : *Indictione duodecima Sergius Constantinopolitanus patriarcha*

moritur :

A *moritur : et quia Pyrrhum Heraclius amabat, adeo ut fratrem appellaret, quod imperatoris sororem e sacro fonte susceperat, simul quod eumdem Sergii familiarem fuisse, cum eoque vixisse cognoverat, in illius locum substituit.* Pyrrhum Sergianæ doctrinæ sectatorem fuisse, Theophanes in Chronographia pag. 275 sic aperte declarat : *Post Sergii vero obitum,* inquit, *Pyrrhus Constantinopolitanam sedem excepit, qui a Sergio et Cyro temere asserta mordicus et impie retinuit.*

ejusdem hæresis propugnator,

442 Auctor Libelli synodici etiam satis indicat, quam acriter Pyrrhus impiam Sergii doctrinam tueretur, dum ad eam confirmandam conciliabulum ab illo celebratum fuisse asserit in Labbeana Conciliorum collectione tomo 5 col. 1697 his verbis : *Sergio vero mortuo, Pyrrhus, qui et ipse falsæ illi opinioni erat addictus, solio potitus est ; et synodo hæretica instituta, ea, quæ a Sergio et Cyro Phasiano decreta fuerant, corroboravit.* Quinimo et ipsemet Pyrrhus in Disputatione cum S. Maximo habita satis clare fatetur, se pseudo-synodum illam celebrasse, ad defendendam Sergii ecthesim, sub Heraclii nomine scriptam : cum B enim S. Maximus dixisset, taceri posse personas et hæretica eorum dogmata damnanda esse, Pyrrhus apud Labbeum tomo proxime citato col. 1833 sic ei respondet : *At si hoc fiat, reperientur cum his simul ejecti Sergius, et synodus, me patriarcha, habita.* Hic obiter observo, Baronium in Annalibus ad annum Christi DCXXXIX num. 15 hanc hæreticam Pyrrhi synodum cum altera Sergiana confudisse.

verosimiliter ineunte Januario anni 639,

443 Porro initium episcopatus, quod hic tam studiose non exprimitur, colligendum est ex spatio temporis, quo Pyrrhus usque ad exsilium suum præfuit ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus administrationis anni, menses ac dies in Chronico S. Nicephori ita scrupulose notantur : *Pyrrhus presbyter ejusdem ecclesiæ, monachus et monasteriorum præfectus, Chrysopoleos abbas, annis* II, *mensibus* IX, *diebus* IX. *Tumultu autem in eum concitato, abdicavit se dignitate.* Cum autem ex eodem Nicephoro constet, Paulum Pyrrho exsuli successisse *Octobri mense, Indictionis decimæ quintæ,* quæ anno Christi DCXLI a Kalendis Septembris numerari cœpit, Pagius tomo 2 Criticæ pag. 827 recte conjicit, *Pyrrhum paulo post inchoatum* C *mensem Octobrem abdicasse, ideoque circa initium Januarii anni sexcentesimi tricesimi noni ordinatum fuisse,* ut manifestum fiet ei, qui a medio Octobri anni DCXLI usque ad mensem Januarium anni DCXXXIX retrocedendo duos annos, novem menses ac dies novem computare voluerit.

qui anno 641 in exsilium expulsus est,

444 Theophanes in Chronographia pag. 275 causam, ob quam Pyrrhus in exsilium expulsus est, ita exponit : *Heraclio tandem fatis functo, Constantinum ejus filium imperii successorem Pyrrhus et Martina, quo ad Heracleonam Martinæ filium imperii dignitas devolveretur, veneno sustulerunt; senatusque subinde et urbis plebs Pyrrhum, ceu sacrilegum et impium, cum Martina et ejus filio abrogavit et expulit. Constans autem Constantini filius imperium adipiscitur, et Paulus etiam ipse hæreticus in Constantinopolitanum thronum subvehitur.* Sanctus ille scriptor ibidem pag. 283 similia repetit, atque hæc superaddit : *Heracleonam, matrem ejus Martinam et Valentinum ab administrando imperio senatus repulit; lingua vero Martinæ abscissa, amputatisque Heracleonæ naribus, iisdemque in exilium actis, Constantem Constantini filium et Heraclii nepotem ad imperii thronum subvehit. Imperavit autem annos viginti septem. Pyrrho vero episcopi dignitati abdicato, Paulus presbyter et œconomus ordinatus est mense Octobri, Indictione decima quinta.*

aut ultro discessit

445 Nicephorus patriarcha de propinato veneno tacet, et hanc historiam ita refert, acsi Pyrrhus ob tumultum populi ultro in exsilium discessisset : nam post narratam plebis seditionem in Historia pag. 21 sic pergit : *Hæc ubi Pyrrhus comperit, sequenti nocte in templum ingreditur; ubi sacris omnibus salutatis, ac detracto humerali et in sacra mensa deposito : Non sacerdotio, inquit, me abdico ; sed contumaci populo cedo. Inde furtim egressus apud religiosissimam quamdam feminam delituit, et opportunitatem nactus, Chalcedonem navigavit : de cujus adventu simul ac monachi, qui illic erant, acceperunt, de iis quæ ab Heraclio imperatore ac Sergio patriarcha vulgata erant super duabus Christi voluntatibus et actionibus percunctati sunt, quarum patroni ac defensores erant Maximus ac Theodosius, qui tum in Africa versabantur. Hæc sunt, quæ Pyrrho per illud tempus acciderunt.* Quid autem deinde Pyrrhus in Africa, Romæ, ac iterum Constantinopoli egerit, postmodum exponemus, quando sedi Constantinopolitanæ restituetur. Interim videamus, quo tempore locum E ipsius occupaverit

XXXVII PAULUS II hæreticus.

et cujus locum mense Octobri anni 641 occupavit Paulus subdolus hæreticus,

Sanctus Nicephorus in sua Historia pag. 21 circa initium hujus episcopatus cum supra laudato Theophane sic consentit : *His ita confectis, Paulus, majoris ecclesiæ œconomus, patriarcha Constantinopolitanus eligitur Octobri mense, Indictionis decimæ quintæ,* id est anno Christi DCXLI, ut supra ostendimus. Ad hanc dignitatem evectus perfidus ille hæreticus in litteris suis synodicis, quas de more ad Romanum Pontificem misit, tam subdole orthodoxum se simulavit, ut Theodorus Papa in epistola responsoria apud Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 1778 fidem ipsius sic laudaverit : *Lecti apices dilectionis vestræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, et sicut prædicamus, prædicare, et quemadmodum credimus, credere, et sicut docemus, indiminute docere manifestarunt.* Tum in altera epistola ibidem col. F 1781 idem Pontifex dicit, se de electione Pauli gaudere ; sed simul monet, Pyrrhum prius canonice ab episcopatu deponendum fuisse, antequam Paulus consecraretur. Sic etiam vafer iste hæreseos suæ occultator plures alios Catholicos decepit.

qui primo hæresim Monotheliticam

447 Attamen non ita semper hæresim occultare potuit, quin de ea suspectus redderetur apud orthodoxos quosdam Africæ episcopos, qui suspicionem suam minime temerariam Pontifici Romano indicarunt. Unde pestiferum Pauli ulcus, quod Theodorus Pontifex durioribus litteris tetigerat, tandem apertum est : Paulus enim in responsoria ad Theodorum epistola post fraudulentam blandiloquentiam et fictum pacis desiderium apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 227 hæreticum pectoris sui virus ita detegit : *Omnes pietatis doctores et prædicatores hujusmodi unius voluntatis mente detinentur : quorum, si opus est requisitione proveniente, et competenter relegimus testimonia : quibus concordantes et consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius et Honorius ; unus quidem novæ, alter autem antiquæ Romæ summi sacerdotii sedem decorantes.* Scriptores polemici Hono-

rium

SEC. VII. rium Romanum Pontificem ab hac calumnia passim vindicant.

448 Sicut antea Sergius promulgaverat ecthesin, tamquam ab Heraclio præscriptam, ita Paulus sub nomine Constantis imperatoris, typum quemdam, seu fidei formulam et expositionem composuit, in qua sub falsa pacis ac unionis specie silentium imponebatur tum Catholicis, tum Monothelitis; ne scilicet imposterum quis auderet de una vel duplici in Christo voluntate et operatione sermones instituere. Hoc silentium ab hæretico præsule excogitatum erat, ut orthodoxam Ecclesiam securius læderet. Ut autem perniciosum suum consilium magis occultaret, et Catholicos facilius falleret, jussit ecthesin Heraclii ab ecclesiæ valvis deponi, ut patet apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 234 ex his typi verbis: *Ad perfectam autem unitatem sanctarum Dei ecclesiarum et communem concordiam, et ut nulla occasio relinquatur iis, qui sine fine volunt contendere, et chartas, quæ positæ fuerant in narthica * sanctissimæ magnæ ecclesiæ hujus a Deo conservandæ regiæ nostræ urbis, quæ continent prædictas quæstiones, jussimus levari.*

sub falso pacis conservandæ studio

* narthece

B

449 Sed prudentiores Catholici dolum astuti Monothelitæ statim olfecerunt. Unde abbates et monachi in concilio Lateranensi apud Labbeum tomo proxime citato col. 116 coram Martino Papa damnant *typum, qui contra orthodoxorum fidem factus est*, inquiunt, *ex subreptione, non ex studio aut mente piissimi nostri imperatoris, sed ex suasione importuna et falsiloquio Pauli, depositi a prædecessore vestræ sanctitatis Theodoro, sanctissimæ recordationis Papa vestræ Apostolicæ Sedis.* Hinc etiam Martinus Pontifex Romanus ibidem apud Labbeum col. 384 Amando episcopo Trajectensi inter alia sic scribit: *Nunc successor hujus Sergii Paulus, temerator fidei, episcopus Constantinopolitanus, aliud nequius excogitavit in præjudicium Catholicæ fidei conamen, quasi quæ a decessoribus suis hæretice exposita fuerunt, destruens, et imperialem typum sacrilego ausu, totius plenum perfidiæ, a clementissimo principe nostro fieri persuasit.* Dum Vasquezius noster in Commentario ad tertiam partem divi Thomæ disputatione 73 cap. 1 typum in hominem hæreticum et Pauli Constantinopolitani discipulum transformavit, meliorem se theologum quam historicum ostendit, et exemplo suo docuit, viros etiam doctissimos crassis erroribus obnoxios esse.

occulte promovit;

C

440. Cum vero Paulus videret, fraudes suas non succedere, omnem modestiæ larvam deposuit, et varios orthodoxæ fidei defensores injuriis affecit, de quibus Martinus Papa in Concilio Lateranensi apud Labbeum tomo 6 col. 91 sic conqueritur: *Pravitatem suam defendens, quod numquam nec a prioribus hæreticis præsumptum est, ipse illicite præsumere studuit: altare enim sanctæ nostræ Sedis, in domo Placidiæ sacratum, in venerabili oraculo subvertens diripuit, prohibens, ne adorandam et immaculatam hostiam, id est sacram celebrationem apocrisiarii nostri ibidem Deo offerre valeant, et vivifice divinæ communionis Sacramenta percipiant. Quos videlicet apocrisiarios, qui ex præceptione Apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet, nec non contestari visi sunt, persecutionibus diversis cum aliis orthodoxis viris et venerabilibus sacerdotibus insecutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus submittens.*

sed dein aperte persecutus est orthodoxos,

451 Denique videtur Paulus suasisse imperatori Constanti, ut Martinum Papam violenter Roma abduci atque in exsilium expelli juberet, quod consilium postea exsecutioni mandatum est. Sed scelestum consultorem facti pœnituit, cum intelligeret, Romanum Pontificem in orthodoxa fide immobilem persistere, et post varias miserias Constantinopolim adductum nimis crudeliter et indigne tractari, sicut apud Labbeum tomo 6 col. 71 unus ex comitibus S. Martini Papæ narrat his verbis: *Sequenti vero die abiens imperator in patriarchium visendi gratia Paulum patriarcham (proximus enim erat morti) narravit ei, quæ consummata sunt in sanctissimum virum. Ingemiscens vero Paulus, et conversus ad parietem dixit: Hei mihi! et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est! Percunctatus autem ab imperatore, quam ob rem hoc dixerit, respondit: Numquidnam, domine, non est miserabile *, talia pati Pontifices *? Tunc attentius adjuravit imperatorem sufficere ei in his, quæ passus est, nihilque amplius sustinere.* Propter hanc exteriorem Pauli Constantinopolitani pœnitentiam, quam vehementes conscientiæ stimuli extorserant, nonnulli ipsum comparant Judæ, qui *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens: Peccavi tradens sanguinem justum.*

D *atque ipsum Romanum Pontificem,*

* al. mirabile

* al. Pontificem?

452 Eminentissimus Baronius ad annum Christi DCLI num. 24 de illa Pauli pœnitentia sic judicat: *Sed non prætereamus absque consideratione, quam terribilis sit Deus in consiliis super filios hominum: eodem enim tempore, quo hæc tam iniquo judicio agitantur contra sanctum Pontificem Constantinopoli, in cœlo throni positi sunt, et sedit antiquus dierum, Deus judex justus et potens, judicare eum, qui Martinum iniquo judicio judicandum exposuit, malorum, inquam, omnium architectum Paulum Constantinopolitanum episcopum, qui sisti judicio jussus, perterrefactus, eadem passus, quæ quondam Pilati uxor, coactus est eadem fere, quæ viro illa, dicere imperatori: Nihil tibi et justo illi. Quod enim graviter et iste peccasset, vitæ dispendio oportuit luisse supplicium, sed antea manifesta confessione, extorquente eam ultore Numine, professum ad cumulum suæ damnationis, tanta inique Romanum passum esse Pontificem, ubi ait: Hei mihi! et hoc ad abundantiam judiciorum sive suppliciorum meorum actum est! Talem tantamque extorsit importuna mors imminens veram confessionem.* Plura de hac re ibidem sequuntur, quæ hic exscribere non vacat, cum præcipue nobis incumbat indagare tempus, quo Paulus jam morti proximus talia fatebatur, et ex eo præterpropter obitus ejus chronologice sic determinandus.

D *quod ultimum crimen inutiliter deploravit jam morti proximus,*

F

453 Baronius existimat, Paulum anno Christi DCLI obiisse. At Pagius tomo 3 Criticæ pag. 8 contendit, Baronium tribus annis a vera chronologia aberrare, idque deducit ex quibusdam temporum characteribus, qui in supradicta oculati testis relatione notantur: nam postquam S. Martinus Pontifex Romanus in carcere Diomedis positus esset, quod Pagius anno DCLIV die XIX mensis Decembris contigisse probat, dicitur imperator Paulum moribundum invisisse. Deinde S. Martinus anno DCLV die XIII Martii ex carcere Diomedis translatus est ad domum Sagolabæ scribæ, *post dies duos* in Chersonesum deducendus, ut Pagius ibidem ostendit.

quam exeunte anno 654 vel ineunte 655 obiit,

454 Tum vero ex his antecedentibus ita concludit: *Addit auctor Relationis, inter hæc defunctum esse Paulum: quare hujus mors accidit inter diem decimum nonum mensis Decembris anni sexcentesimi quinquagesimi quarti, et diem* XIII *Martii anni insequentis; cumque episcopus Constantinopolitanus ordinatus fuerit mense Octobri anni* DCXLI,

ut contra Baronium cum Pagio probabilius censemus.

ut

A *ut suo loco ostendi, sedit annos tredecim et menses aliquot; et tam Zonaras quam Theophanes in Chronico et in tabulis eidem insertis manifestissime errarunt, cum ei annos tantum duodecim tribuerunt, ac multo magis Nicephorus in Chronico tam juxta editionem Scaligerianam quam Lupaream, qui ait sedisse Paulum annos duos, dies viginti sex; ubi tamen librarius loco* ANNOS XII, *scripsit* ANNOS II. Fateor plerosque patriarcharum Constantinopolitanorum catalogos juxta hanc chronotaxim deserendos esse; sed cum narratio illa unius ex comitibus S. Martini magnam fidem mereatur, et inde deducta Pagii argumenta dissolvere nequeam, hactenus sententiam ipsius amplector, et Paulum Constantinopolitanum circa finem anni DCLIV, vel initium anni DCLV, obiisse probabilius opinor.

PYRRHUS iterum.

Pyrrhus post admissam orthodoxam doctrinam in hæresim relapsus, B

Præcipua, quæ a Pyrrho post relictam sedem Constantinopolitanam seu fugam gesta sunt, Theophanes in Chronographia pag. 275 sic paucis commemorat : *Pyrrhus autem in Africam profectus, mutuis sanctissimi abbatis Maximi, monasticorum institutorum observantia conspicui, familiaritate et conspectibus usus, et in pontificum divinam religionem spirantium consessum admissus, ab eis acerrime reprehensus, ut ad Papam Theodorum se conferat, eorum hortatibus impellitur. Is ita Romam transmissus, tradito sanæ rectæque doctrinæ libello, a Pontifice suscipitur. At Roma digressus, cum Ravennam appulisset, denuo ad vomitum canis instar reversus est. Id ubi Theodorus Papa rescivit, universo Ecclesiæ conventu convocato, ad coryphei Apostolorum sepulcrum adstans, calice afferri jusso, ex vivifico Christi Sanguine stillam excutiens, Pyrrhi ceterorumque, qui cum eo communicarent, abrogationem et condemnationem propria manu exaravit. Pyrrhus subinde Constantinopolim delatus, Paulo defuncto, ab audacioribus variæ vanæque fidei propugnatoribus in Constantinopolitanum thronum restituitur.*

tremendo modo a Papa Romano condemnatur, C

456 Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi DCXLVIII apud nos num. 15 circa hanc extraordinariam condemnationis scriptionem notat sequentia : *Sed de Sanguine Christi, ex calice distillato in atramentum, in signum maledictionis et damnationis æternæ, in ritibus sacris Ecclesiæ Romanæ haud aliqua hujusmodi de his reperitur esse præscripta lex, vel factum ipsum aliquo alio, quod sciamus, declaratum exemplo.* At hujusmodi insolita scriptio legitur etiam facta esse ante medium seculi IX, ut Odo Aribertus apud Baluzium in notis ad Opera S. Agobardi Lugdunensis pag. 129 testatur his verbis : *Pace itaque cum Sanguine eucharistico separatim per regem et Comitem confirmata et obsignata, Bernardus comes Tolosanus ex Barcinonensi, Tolosam venit, et regem Carolum in cœnobio sancti Saturnini juxta Tolosam adoravit.* Præterea Photius simili præsulum subscriptione in concilio Constantinopolitano quarto seu œcumenico octavo exauctoratus est, ut infra ex teste synchrono referemus.

et post paucos menses sedis CP., in quam ineunte anno 655 restitutus fuerat, moritur.

457 Ex supradicta Pagii chronologia conjicio, Pyrrhum sub initio anni DCLV sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse ; sed brevi pœnas apostasiæ suæ dedit, ut patet ex Collectaneis Anastasianis, quæ Sirmondus noster Parisiis anno MDCXX edidit, et in quibus pag. 112 leguntur sequentia : *Ceterum de Pyrrho sciendum est, quoniam postquam certi facti sunt a ter beato Apostolico, ac Platone, quod sponte fecerit libellum suum, locaverunt eum in throno isto, quamquam Deus statim justo judicio suo deleverit eum de libro viventium,* id est, e vivis eripuerit. Tum immediate de successore ejus Petro hæc addit : *Similiter autem et novus præsul, ut comperimus, Pyrrhum et prædecessores ejus, beatos patres et sanctos vocavit.* Quanto autem tempore post reditum suum sederit, Nicephorus in chronographia compendiaria apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 190 indicat disertis his verbis : *Pyrrhus denuo restitutus mensibus* IV, *diebus* XXIII. Plures catalogi apud eumdem Bandurum, neglectis diebus, quatuor menses rotunde numerant. Pyrrhum eodem anno Christi DCLV secutus est

SEC. VII.

XXXVIII PETRUS hæreticus.

Petrus eodem anno 655 in locum Pyrrhi substitutus, E

Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum parens de tempore, quo hic Monothelita sedem Constantinopolitanam occupare cœpit, ad annum Christi DCLIII num. I hæc habet : *Sequitur ordine annus Redemptoris sexcentesimus quinquagesimus tertius, Indictione undecima inchoata, quo in Pyrrhi locum subrogatus fuit ab hæreticis Petrus, hæreticus et ipse Monothelita, qui ut faciem saltem Catholici hominis ostenderet, ad Eugenium loco S. Martini sedentem, quo ab eo in communionem recipi mereretur, litteras Romam misit ambagibus involutas atque perplexas : sed, prohibente clero atque populo, minime receptæ fuerunt.* Juxta superius a nobis admissam Pagii chronotaxim Baronius duobus hic annis anticipat Petri episcopatum, cujus initium anno DCLV figendum est. Quinimo Pagius tomo 3 Criticæ pag. 14 solidis argumentis probat, Eugenium dumtaxat anno Christi DCLIV ad Romanam cathedram evectum fuisse. Quomodo igitur Petrus Constantinopolitanus anno Christi DCLIII *ad Eugenium loco S. Martini sedentem* perplexas et ambiguas litteras mittere potuit? Hæc itaque ad posteriores annos differenda sunt.

hæresim suam obscuris verbis involvit, F

459 Porro versipellis iste Petrus obscuris verbis hæresim suam involvere perrexit, et apocrisiarios Romanos induxit, ut novo erroris monstro consentirent. Nam Catholicis et hæreticis satisfacere volens, triplicem in Christo voluntatem prædicabat : unam scilicet subsistentialem cum Monothelitis; duas vero naturales cum orthodoxis. Hæc eruimus ex epistola Anastasii synchroni ad monachos Caralitanos scripta, in qua inter supra laudata Collectanea Anastasiana pag. 146 leguntur sequentia : *Quibus, ut dictum est, suum corrigere nolentes sermonem* (nempe Petrus aliique Monothelitæ) *adhuc et senioris Romæ propriæ consentire sectæ coegerunt apocrisiarios, unam super duas, id est tres secum prædicandi in eodem Domino nostro Jesu Christo voluntates et operationes, similem scientiæ ligno gustum commiscentes, quemadmodum et isti fidem ex bono et malo proferunt affectantibus.* Idem discimus ex epistola Agathonis Pontificis Romani, qui apud Labbeum tomo 6 col. 668 et sequente ad Constantinum imperatorem ita scribit : *Petrus ejus successor ad sanctæ memoriæ Vitalianum Papam scribens, et unam et duas voluntates, et unam et duas operationes in dispensatione Incarnationis magni Dei et Salvatoris sapere se profitetur.* Nunc videndum,

SEC. VII.

quanto tempore infelix ille præsul sibi Catholicisque nocuerit.

et post annos fere duodecim ab occupata CP. sede,

460 Baronius breve administrationis tempus Petro tribuit et ad annum Christi DCLVI num. 38 mortem ejus ita refert : *Qui obniti hactenus visus est veritati, imperatoris favens pravis affectibus, idem ipse ad supernum tribunal vocatur reddere rationem, mortis nuntio interpellatus : hoc siquidem anno Petrus patriarcha Constantinopolitanus hæreticus, ubi sedisset annos duos et menses tres, moritur, atque in ejus locum subrogatus est Thomas, qui in concilio œcumenico Constantinopolitano asseritur fuisse Catholicus. Ceterum de annis, quibus sederit Petrus, textus Nicephori corrigendus est, dum habet, sedisse annis duodecim, cum duobus dumtaxat ei ecclesiæ præfuisse legatur.* Ex hac clausula colligo, Baronium vidisse correctiorem Nicephori codicem, juxta quem vitiosæ ejusdem auctoris editiones emendandæ sunt, cum Petrus ille sederit annis duodecim incompletis, ut jam demonstrare conabimur.

ut ex verbis S. Tarasii eruimus,

461 In concilio septimo œcumenico seu Nicæno secundo apud Labbeum tomo 6 col. 91 S. Tarasius patriarcha Constantinopolitanus ita loquitur : *Plures eorum, qui in sexta sancta synodo*

B

consederunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo et Petro, præceptoribus videlicet hæreseos unam voluntatem in Christo prædicantium, ordinati sunt; quoniam hi vicissim Constantinopoleos thronum sortiti sunt : et a Petro, qui ex his novissimus eidem throno præsedit, usque ad sextam synodum anni plus non transierunt, quam quindecim; et ipsi, qui intra hoc tempus fuerunt, Thomas et Joannes et Constantinus pontifices, in præsignato tempore a prædictis hæreticis ordinati sunt (sic clarius Græce legitur) *et præterea non sunt improbati : per quinquaginta enim annos tunc hæresis perduravit.*

anno Christi 666 ex hac vita discessit

462 Ex his infero, Petrum duodecimo administrationis suæ anno et Christi DCLXVI mortuum esse. Si enim duos tantummodo annos ei tribuero, et cum Baronio dixero, illum anno Christi DCLVI obiisse, jam non anni quindecim, ut asserit Tarasius, sed ferme viginti quatuor effluxerint a morte Petri usque ad concilium sextum œcumenicum, quod anno Christi DCLXXX celebratum est. Præterea Theophanes in Tabulis et Zonaras in Annalibus tomo 2 pag. 88 duodecim gu-

C

bernationis annos eidem rotunde assignant, quos pro more satis recepto intellige incompletos, cum tantummodo undecim annis et aliquot mensibus cathedam Constantinopolitanam tenuerit, ut ex dictis dicendisque facile colligetur. Ex his sequitur, Petrum S. Maximo supervixisse, et nullo modo mala ac tormenta, quibus hic sanctus vir, aliisque orthodoxæ fidei defensores affecti fuerunt, imputanda esse ejus successori, qui fuit

XXXIX THOMAS II.

Mense Aprili anni 667 Petro successit Thomas,

Nicephorus Callistus in catalogo patriarcharum apud Bandurum tomo I Imperii Orientalis pag. 194 asserit, thronum Constantinopolitanum post mortem Petri *mensibus* VI, *diebus* XVI vacasse. Tum de ejus successore subjungit sequentia : *Thomas diaconus, chartophylax, notarius et cancellarius, referendarius, vasorum custos, et gerocomus Scalæ, et pauperum curator Neapoli.... in sancto sabbato constitutus, sedit annis* II *mensibus.* VII. Anno Christi DCLXVII sabbatum sanctum in diem XVII Aprilis incidit. Si igitur Petrus anno DCLXVI obierit, et sedes Constantinopolitana post mortem ejus sex mensibus et aliquot diebus vacaverit, ac denique Thomas *in sancto sabbato* ordinatus fuerit, oportet initium episcopatus ejus anno Christi DCLXVII, die XVII Aprilis, consignare. D

quem Baronius de hæresi suspectum habet,

464 Baronius in Annalibus ad annum Christi DCLVI num. 38 episcopatum Thomæ decennio anticipat, et hac falsa hypothesi ibidem infert, Thomam non fuisse orthodoxum, S. Maximum ei communicare noluisse, et ab ipso persecutionem passum esse. Ast juxta chronologiam nostram patriarcha ille, qui sanctum Maximum persecutus est, et cum quo is communicare noluit, alius non est, quam Petrus Monothelita, qui post S. Maximi mortem superstes fuit, ut supra monuimus.

et cujus litteræ synodicæ

465 Thomas initio episcopatus sui scripsit litteras synodicas, ad Romanum Pontificem dirigendas; sed illæ ob assiduas Saracenorum incursiones mitti non potuerunt, ut in concilio sexto œcumenico apud Labbeum tomo 6 col. 964 narratur his verbis : *Georgius Deo amabilis diaconus et chartophylax dixit : Codicillus, domine, sive regestum, in quo continentur exemplaria synodicorum, quæ facta sunt tam a Thoma, Joanne, et Constantino sanctæ memoriæ quondam patriarchis hujus* E *regiæ urbis, hic mihi præsto est, cum his et authentica synodica bulla, quæ facta sunt a Thoma, sanctæ memoriæ quondam patriarcha ad Vitalianum sanctæ memoriæ quondam Papam Romanum, quæ etiam volens ad eum dirigere, propter impiorum Saracenorum incursum assidue imminentem, ut nostis, et obsidionem, quæ facta est per biennium, quo gessit episcopatum, non valuit dirigere.*

propter assiduas Saracenorum incursiones

466 Non ignoro, hanc biennalem urbis Constantinopolitanæ obsidionem Baronio displicere, atque ea de causa totam narrationem ipsi suspectam esse : nam ad annum Christi DCLVI num. 40 ita scribit : *Quod insuper in iisdem synodalibus recitatis Actis Constantinopolitana civitas biennali fuisse obsidione fatigata traditur, haud mediocrem pariter de impostura suspicionem auget : siquidem neque Theophanes, qui per annos singulos imperatorum res gestas recensuit, neque quisquam alius Græcorum historicorum tantæ rei vel leviter meminisse reperitur.* Verum Pagius tomo 3 Criticæ pag. 64 hanc difficultatem plane dissolvit, et solerter observat, Latinum concilii istius interpretem errasse, dum vocem Græcam παράστασις pro F obsidione accepit : nam ea vox proprie repræsentationem et his affinia significat. Unde dici potest Constantinopolis per biennium habuisse continuam repræsentationem Saracenorum, qui undique circumcursabant, et nonnumquam incursionibus suis vicina urbis loca depopulabantur, ac sic quodammodo conspectui civium se semper repræsentabant.

Romam mitti non potuerunt.

467 Huic interpretationi favet altera ejusdem concilii sexti versio longe accuratior, quam Harduinus noster tomo 3 Conciliorum a col. 1479 ex antiquo codice manuscripto edidit, et in qua idem textus apud ipsum tomo proxime citato col. 1606 sic legitur : *Dixit Georgius religiosissimus diaconus et bibliothecarius : Codex, o domine, seu registrum, quod continet exempla litterarum synodalium Thomæ, Joannis et Constantini, sanctæ memoriæ patriarcharum hujus regiæ civitatis, sunt hic apud me; præterea etiam authenticæ synodales litteræ bullatæ a Thoma sanctæ memoriæ patriarcha ad Vitalianum olim Papam Romanum, quas etiam cum vellet mittere, propter continuam impiorum, ut scitis, Saracenorum incursionem, etiamsi duos an-*

nos

A nos postea gessit episcopatum, non potuit mittere. Vides, nullam hic fieri mentionem de obsidione Constantinopolitana, quæ Baronium tantopere offendit.

Porro plures Thomam illum agnoscunt orthodoxum,

468 Porro Patres sextæ synodi apud Labbeum tomo 6 col. 995, lectis Thomæ duorumque ejus successorum epistolis, nihil invenerunt *contrarium de orthodoxa fide eos sensisse sive scripsisse*, et propterea ibidem jubent *sanctæ memoriæ tres viros, id est Thomam, Joannem et Constantinum.... in sacris diptychis sanctarum ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati et irreprehensibiles inventi sunt circa rectam nostram Christianorum fidem.* Baronius quidem Acta sextæ synodi de falsitate et corruptione accusat; sed alii critici solidis argumentis opinionem ipsius refutarunt. Certe veteres scriptores videntur ea Acta pro genuinis habuisse, atque inter alios supra laudatus S. Tarasius Constantinopolitanus, dum dicit, hos tres patriarchas in sexta synodo improbatos non fuisse, etiamsi ab hæreticis ordinati essent. Præterea Zonaras tomo 2 Annalium pag. 88 de orthodoxia Thomæ sic testatur: *Ei* (scilicet Pyr- B rho) *succedit Petrus, et ipse a prioribus non dissentiens, quo post annos* XII *mortuo, Thomas veræ sententiæ defensor orthodoxis præfuit, qui post annos duos et menses mortuus, Joannem habuit successorem.*

et Menæa excusa eumdem pro sancto colunt,

469 Propter hæc testimonia Thomam, tamquam Catholicum, agnoscimus, sed nondum ut Sanctum veneramur, quamvis Menæa impressa annuam ipsius festivitatem die XV Novembris ita videantur annuntiare: Τοῦ ἁγίου Θωμᾶ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ νέου. Id est: *Sancti Thomæ junioris, patriarchæ Constantinopolitani.* Deinde ibidem ornatur his versiculis:

Ζωὴν ὁ Θωμᾶς ἐκλιπὼν μετρουμένην,
Ζωὴν πρεπόντως εὗρεν οὐ μετρουμένην.
Thomas caducam deserens vitam, statim
Interminatam repperit vitam, ut decet.

Isto die celebrari memoriam hujus Thomæ conjicio ex epitheto τοῦ νέου, id est *junioris*, quo distinguitur ab altero Thoma seniore, de quo supra egimus, et cujus Acta Majores nostri cum Græcis ad diem XX Martii illustrarunt.

C

ut Raderus noster nobiscum sentit,

470 Raderus noster ad hanc Menæorum annuntiationem die XV Novembris in Mss. Observationibus conjecturam nostram ita confirmat: *Junior hic dictus est Thomas patriarcha ratione illius, qui olim Thomas præcesserat, vir inclytus, justus, orthodoxus, et sanctus. Hic vero junior, quamvis a Demochare scribatur fuisse Catholicus, idemque in œcumenico concilio Constantinopolitano tradatur, repugnat tamen Baronius anno Christi* DCLVI *num.* 38, *ostenditque Acta illius sexta synodi fuisse corrupta, et Thomam hunc appellat Monothelitam.* Nescio, an idem sit Thomas, qui in Synaxario Sirmondi post alios patriarchas Constantinopolitanos die XX Novembris refertur. Quidquid sit, requirimus majorem de cultu et gestis hujus Thomæ notitiam, ut eum Sanctis annumeremus. Quare successores nostri ad alterutrum Novembris diem dispiciant, an alicunde eruere possint certiora sanctitatis indicia, ob quæ Thomas ille Operi nostro inseratur.

qui anno 669 moriens sedem CP. reliquit

471 Si Thomas iste obierit die XV Novembris, quo in Menæis impressis refertur, recte plerique catalogi apud Bandurum ei duos annos et septem menses administrationis tribuunt: nam juxta superius citatum Nicephorum Callistum ordinatus est sabbato sancto, qui anno Christi DCLXVII in diem XVII Aprilis incurrebat; a quo dum usque ad medium Novembrem anni DCLXIX numerando descenderis, invenies duos annos et septem menses, uno alterove die excepto, quæ temporis minutiæ plerumque negliguntur, et anni mensesque rotundo numero computantur. Cum hoc computo facile conciliabitur Theophanes, qui in tabulis tres annos, nempe incompletos, ei adscribit. Eodem anno Christi DCLXIX, ni fallimur, in locum Thomæ suffectus est SEC. VII.

XL JOANNES V.

cuidam Joanni, qui anno 674 obiit.

Cum de hujus patriarchæ gestis vix quidquam noverimus, sola ipsius chronotaxis hoc loco investiganda est. Quandoquidem igitur Joannes circa finem anni DCLXIX, ut putamus, Thomæ successit, facile annum mortis ejus inveniremus, si de duratione episcopatus inter auctores conveniret. Nicephorus patriarcha ei annos quinque et menses novem concedit. Nicephorus Callistus, E qui sæpe sua ex veteribus monumentis hausit, apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 195 de ipso hæc habet: *Joannes presbyter, protecdicus et chartophylax magnæ ecclesiæ annis* IV, *mensibus.... eodem imperante.* Catalogus, quem Labbeus noster pag. 36 Protreptico suo de scriptoribus historiæ Byzantinæ præfixit, huic Joanni dumtaxat annos quatuor assignat, nulla de mensibus facta mentione. Denique Theophanes in Tabulis eidem rotunde sex annos adscribit. Cum itaque in antiquis scriptoribus sæpe corrupti sint numeri, in tanta computandi varietate videtur nobis data licentia, ut cum Pagio obitum ipsius anno Christi DCLXXIV alligemus.

et non fuit Monothelita, ut Baronius perperam putavit.

473 Baronius ad annum Christi DCLVIII num. 1 et 2 hunc Joannem etiam de Monothelismo suspectum habet, dum ibidem sic scribit: *Annus sequitur Redemptoris sexcentesimus quinquagesimus octavus, Indictione prima, quo Thomas Constantinopolitanus episcopus, ubi sedisset (ut habet Nicephori Chronicon) annos duos et menses septem, moritur, atque in ejus locum subrogatur Joannes presbyter,* * *ejusdem ecclesiæ syncellus et custos vasorum..... Probatum vero cognitumque fuisse Catholicum eumdem Joannem episcopum inferius eadem Acta* (sextæ synodi videlicet, ut supra dixerat) *testantur, quæ commentitia existimantur: valde namque repugnant iis, quæ in S. Maximum facta sunt, atque in discipulos ejus, cum omnes simul toto hoc tempore durissimo detinerentur exilio, eo quod nollent communicare cum Constantinopolitana ecclesia, cujus esset ipse Thomas episcopus Monothelita: si enim secus fuisset, communicare eidem minime recusassent; sicque ab exilio liberati Deo gratias egissent de reddita Ecclesiæ pace, quam diu optassent, et pro ea Deum jugiter rogassent. Quamdiu igitur perseverare videmus in orthodoxorum præcipuos agonistas persecutionem, quæ scripta habentur de Catholica fide ejus ecclesiæ patriarcharum, æquo animo haud ferre possumus absque suspicione commenti.* Hoc speciosum ratiocinium falsa hypothesi nititur, et ex perturbata chronologia originem ducit, ut supra ostendimus. Nos itaque hunc Joannem agnoscemus Catholicum, donec quis chronotaxim nostram everterit, et solidis argumentis demonstraverit, Acta sextæ synodi nullam fidem mereri. Interim videri possunt ea, quæ ad diem XXIX Julii de Actis tertii concilii Constantinopolitani seu œcumenici

* diaconus

F

menici

Sec. VII.

menici sexti dicta sunt, ubi tomo VII istius mensis pag. 84 et sequentibus orthodoxiam Thomæ et Joannis defendimus occasione successoris ipsorum, qui fuit

XLI S. CONSTANTINUS I.

S. Constantinus, quem Operi nostro ad diem 29 Julii inseruimus,

Quamvis ecclesia Constantinopolitana varios habuerit hujus nominis præsules, tamen soli huic Constantino convenire potest titulus sanctitatis, ut tomo VII Julii nostri pag. 84 dictum est, et per decursum hujus tractatus infra clarius apparebit. Omnia igitur illa, quæ die XXIX Julii ad probandum ejus cultum ex diversis Græcorum Menæis allata sunt, probabilissime huic nostro tribuimus, licet tantummodo indeterminate in iis sanctus Constantinus patriarcha Constantinopolitanus memoretur. Baronius de Constantino illo mitius judicium tulit, quam de duobus ejus decessoribus, dum ad annum Christi DCLXIV num. 1
B sic loquitur : *Ceterum quod ad Constantinum pertinet, nihil prohibet, quin potuerit esse Catholicus, imperatore jam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico : sed de duobus aliis Thoma et Joanne, quæ dicta sunt superius, obstant.* Verum nos jam dicta die XXIX Julii et superius in hoc tractatu orthodoxiam horum trium patriarcharum ex Actis sextæ synodi abunde vindicavimus. Cum autem de reliquis S. Constantini gestis nihil inveniamus, ad chronotaxim ipsius progredimur.

anno 674 cathedram Constantinopolitanam ascendit,

475 Chronographia compendiaria S. Nicophori, quam R. P. Jacobus Goar Parisiis anno MDCLII Græco-Latine edidit, durationem episcopatus indicat his verbis : *Constantinus diaconus ejusdem ecclesiæ, vasorum custos et œconomus, anno* I, *mensibus* VIII, *et diebus* VII. At alter ejusdem Nicephori catalogus, quem Bandurus tomo 1 Imperii Orientalis non ita pridem ex regio codice excerpsit, annum unum, menses undecim, et dies septem ei assignat. Duæ antiquiores istius Nicephori editiones cum postremo Banduri catalogo circa computum temporis plane concordant. Baronius haud dubie vidit aliam S. Nicephori editionem, dum ad annum Christi DCLXVI num. 1 sic scri-
C bit : *Constantinus patriarcha Constantinopolitanus, ubi sedisset annum unum, menses duos, et dies septem, ut Nicephori Chronicon habet, moritur.* Sed ab his multum differt Nicephorus Callistus, qui apud laudatum Bandurum tomo proxime citato pag. 195 hæc habet : *Constantinus cancellarius et vasorum custos annis* VIII *mensibus* XI, *diebus* VII, *imperatore Pogonato.* Catalogus Labbeanus, qui pagina 36 Protreptico Historiæ Byzantinæ præfigitur, etiam octo annos ipsi tribuit, neglectis mensibus ac diebus.

et post brevem ejusdem possessionem

476 Catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum, qui juri Græco-Romano insertus est, alium temporis computum instituit, et Constantini ejectionem, ab antiquis scriptoribus non expressam, addit hoc modo : *Constantinus diaconus ejusdem ecclesiæ vasorumque custos et œconomus, eodem Constantino imperante, cum pontificatum annis duobus, mensibus tribus gessisset, ejectus est.* Matthæus Cigala apud Bandurum pag. 211 in nova variarum historiarum Synopsi similia sic refert : *Constantinus sceuophylax sub Constantino Pogonato (tandem ejectus fuit) annis* II *mensibus* III. Denique Philippus Cyprius ibidem pag. 220 et 221 notat idem administrationis tempus, atque etiam memorat S. Constantini ejectionem, de qua veteres scriptores altum siluerunt. D

anno 676 mortuus vel ejectus,

477 Vix scio, quid in tanta temporis incertitudine sit potius eligendum. Cum tamen in tabulis Theophani insertis ei rotunde duo anni tribuantur, et hic numerus facile cum diversis S. Nicephori editionibus conciliari possit, prudentius acturi videmur, si huic præsuli annum unum et aliquot menses concesserimus, et cum Pagio dixerimus, illum anno Christi DCLXXIV cathedram ecclesiæ Constantinopolitanæ ascendisse, atque anno DCLXXVI mortuum aut forte ejectum fuisse. Addo, illum forte ejectum fuisse, quia id tres præfati patriarcharum catalogi affirmant, licet non videam verisimilem rationem, ob quam Constantinus Pogonatus, imperator orthodoxus, sanctum patriarcham ejecisset. Cum tamen id ob falsas accusationes fieri potuerit, hanc trium catalogorum assertionem in medio relinquo, donec illa ejectio ex antiquioribus auctoribus ostendatur.

XLII THEODORUS I. E

successorem habuit Theodorum

Baronius ad annum Christi DCLXVI num. 1 hunc patriarcham atris coloribus ita depingit : *Constantinus patriarcha Constantinopolitanus, ubi sedisset annum unum, menses duos, et dies septem, ut Nicephori Chronicon habet, moritur, subrogaturque in locum ipsius Theodorus presbyter syncellus et custos vasorum. Fuit iste hæreticus omnium impudentissimus, subdolus, versipellis, malorum concinnator egregius, Monothelitarum sectæ propugnator audacissimus.* Combefisius part. 2 Auctarii Græcorum Patrum in Dissertatione apologetica pro Actis sextæ synodi cap. 2, § 1, col. 113 contendit, Theodorum illum fuisse Monothelitam timidum et *molliorem, quem Macarius in suo foveret errore, et cui forte ejusdem fuisset auctor.* Sane non satis intelligo, quomodo tam apertus hæreticus, et juxta Baronium *Monothelitarum sectæ propugnator audacissimus* a sancto decessore suo syncellus et vasorum custos relictus fuerit. Propterea tamen non inficior, eum usque ad tempora concilii sexti fuisse Monothelitam; sed arbitror, illum tunc occulte ac subdole hæresim suam propugnasse. F

cui Baronius perperam duodecim gubernationis annos tribuit,

479 Quidquid sit de his aliisque criminibus, quæ ipsi imputantur, Baronius supra indicatum decennii metachronismum hic sero corrigere nititur : nam annos decem, quos Petro Monothelitæ perperam ademerat, huic Theodoro, gratis superaddit, ut patet ex ipsis Baronii verbis, quæ in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi DCLXXVIII num. 13 ita sonant : *Tu vero corrigas, quod apud Nicephorum legitur, sedisse Theodorum annos duos et menses tres, ut loco duorum ponas duodecim : ad hoc namque tempus usque pervenisse, litteræ ejusdem imperatoris ad Donum Pontificem datæ (ut diximus) docent.* Fateor, Theodorum usque ad annum DCLXXVIII, quo hæc epistola ab imperatore ad Pontificem Romanum data est, pervenisse ; at nego, illum tunc duodecim annis in cathedra Constantinopolitana sedisse. Quinimo Combefisius loco proxime citato probabiliter infert ex his ipsis imperatoris Constantini litteris, quæ apud Labbeum tomo 6 Conciliorum a col. 594 leguntur, Theodorum eo tempore nondum diu ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse. Nos idem ex communi chronographorum consensu jam probare conabimur.

480 Theo-

Sec. VII.

A

quia catalogi tantum duos annos passim ei adscribunt.

480 Theophanes in tabulis ipsi assignat duos annos, quibus S. Nicephorus tres menses adjecit. Nicephorus Callistus et reliqui patriarcharum catalogi apud Bandurum eidem ante depositionem solummodo duos annos adscribunt. His posterioribus consonat Zonaras, qui tomo 2 Annalium pag. 90 sic loquitur : *Theodorus in sedem pontificiam introducitur, cui post biennium ejecto Georgius succedit.* Saltem hactenus nullum reperi catalogum aut veterem scriptorem, qui Theodoro isti duodecim gubernationis annos concedit. Quapropter Baronius ad annum Christi DCLXVI num. 1 lectorem nullo fundamento sic iterum monet : *Qui igitur in malum Ecclesiæ Catholicæ hoc anno sedere cœpit Theodorus, pervenit usque ad annum duodecimum sedis suæ. Ita corrigas textum Nicephori, ubi legitur sedisse annos duos, et menses tres, ut restituas annos duodecim.*

ita ut anno 678 sedem CP. reliquerit.

481 Eminentissimus ille scriptor etiam putat, Theodorum episcopatu spoliatum fuisse, eo quod hæresim Monothelitarum pervicaciter defenderet, et Vitalianum Papam e diptychis expunxisset. At Pagius in Critica ad annum Christi

B

DCLXXXI num. 6 ostendit, neutram causam probabiliter allegari posse. Combefisius autem parte 2 Auctarii Græcorum Patrum in Dissertatione apologetica pro Actis sextæ synodi cap. 2, § 1, col. 112 conjicit, Theodorum alio prætextu episcopatum Constantinopolitanum sponte reliquisse, ne ab œcumenico concilio, quod contra Monothelitas celebrandum noverat, ob hæresim publice cum magna famæ suæ jactura damnaretur. Sed quæcumque fuerit depositionis causa, nobis sufficit, eum exauctoratum fuisse, aut ultro cessisse, anno Christi DCLXXVIII, quo eodem anno in ipsius locum subrogatus est

XLIII S. GEORGIUS I.

Georgius Theodori successor

Venerabilis Beda in Chronico seu libello de sex ætatibus mundi apud nos tomo 2 Operum ejus pag. 192 agens de sexta synodo œcumenica innuit, hunc patriarcham prius pro Monothelitis stetisse, ac postea eorum partes deseruisse : *Convicti sunt*, inquit, *qui unam voluntatem*

C

et operationem adstruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus est; Macarius vero cum suis sequacibus, simul et prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo et Petro anathematizatus. Paulus Warnefridus lib. 6 de Gestis Langobardorum cap. 4 eumdem præsulem Constantinopolitanum inter primos hæresis Monotheliticæ defensores collocat; at illum postea resipuisse significat his verbis : *Gregorius quidem patriarcha correctus est* (ipsum cum nonnullis aliis scriptoribus *Gregorium* pro *Georgio* perperam appellat) *ceteri vero in sua defensione perseverantes anathematis ultione perculsi.* Similia habet Humbertus Sylvæ candidæ episcopus et S. R. E. Cardinalis apud Canisium tomo 6 Antiq. lect. pag. 182, ubi integrum Bedæ textum fere ad verbum exscribit.

hæresim Monothelitarum deseruit,

483 At cur exteros hujus rei testes operose quærimus, cum ex ipsis sextæ synodi Actis pateat, Georgium Catholicæ doctrinæ tandem consensisse : nam apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 729 interrogatus ab imperatore, an judicio Agathonis Papæ acquiesceret, post maturum examen ac diligentem codicum collationem, *Georgius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos dixit : Inspiciens, pie domine, omnem virtutem suggestionum directarum ad piissimam vestram fortitudinem, tam ab Agathone sanctissimo Papa Romæ, quam ab ejus synodo, et scrutans libros sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in venerabili meo patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia et in nullo discrepantia a sanctis ac probabilibus Patribus, et consentio eis, et sic profiteor, et credo.*

et tanta sinceræ conversionis signa dedit,

484 Ut autem ostenderet, conversionem suam esse sinceram, Georgius petiit, ut nomen Vitaliani Pontificis Romani, quod antea erasum fuerat, diptychis restitueretur, sicut in proxime citato Labbei tomo col. 737 legimus hoc modo : *Georgius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos accedens ad piissimum imperatorem Constantinum dixit : A Deo coronate domine, jubeto mitti in diptychis sanctarum ecclesiarum nomen sanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ.... Constantinus piissimus imperator dixit : Quod postulatum est a sanctissimo Georgio patriarcha hujus a Deo servatæ nostræ regiæ civitatis, fiat. Sancta synodus exclamavit : Constantino magno imperatori multos annos, orthodoxo imperatori multos annos..... Agathoni orthodoxo Papæ Romano multos annos, Georgio orthodoxo patriarchæ multos annos!*

E

ut in Typico S. Sabæ

485 Ex his satis liquet, Georgium inter præsules Catholicos recensendum esse; sed oritur alia quæstio, an etiam numero Sanctorum sit adscribendus : Græci enim illum (aliis ejusdem nominis patriarchis Constantinopolitanis sanctitatis titulum non convenire, infra videbimus) ecclesiasticis suis Fastis inseruerunt. Imprimis Typicon S. Sabæ ad diem VI Aprilis sic habet : Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Sancti patris nostri Georgii archiepiscopi Constantinopolitani.* Menæa excusa die XVIII Augusti eumdem, ni fallor, cum Joanne sic memorant : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τῶν ἐν ἁγίοις πατρῶν ἡμῶν πατριαρχῶν Κονσταντινουπόλεως Ἰωάννου καὶ Γεωργίου. Id est : *Eodem die memoria sanctorum patrum nostrorum patriarcharum Constantinopolitanorum Joannis et Georgii.*

aliisque Græcorum Menologiis

486 Raderus noster in Mss. Observationibus ad Menæa putat, hic Joannem Cappadocem indicari; sed cum plures istius nominis præsules

F

Constantinopolitani sine ullo distinctionis epitheto in Menæis memorentur, lectorem remittimus ad ea, quæ de Joanne Cappadoce superius diximus. Porro ibidem huic annuntiationi subnectuntur duo sequentes versiculi, qui ad Georgium nostrum pertinent.

Ὁ Γεώργιος, ὡς κελεύεις Χριστέ μου,
Ἔφασκε θνήσκων, ἔρχομαι κληθεὶς ἄνω.
Morte imminente, Georgius dixit : Peto
Sedes supernas, Christe, cum primum vocas.

inter Sanctos relatus fuerit,

487 Supplementum ad Menæa ex Ms. Synaxario Sirmondi nostri post Joannis et Georgii annuntiationem eadem die XVIII Augusti locum publici cultus ita exprimit : Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύνναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ. Id est : *Celebratur autem solennitas ipsorum in sanctissima magna ecclesia.* Cum igitur sanctitati hujus Georgii aliunde nihil obstet, videmur prudenter propter hæc testimonia illum inter Sanctos posse numerare, sicut supra Constantinum ob similes rationes numero Sanctorum adscripsimus. Nihilominus die XVIII Augusti poterunt hæc argu-

menta

SEC. VII.

menta rursus ad examen revocari, ac tunc operosius inquiri, an alicunde de gestis ejus major notitia hauriri possit. Interim nos jam tempus gubernationis ac mortis ejus ex probabilissimis monumentis ordinabimus.

cum sedem CP. ab anno 678 usque ab annum 683 tenuisset.

488 Contra varias catologorum corruptiones nos præmunit Theophanes, dum in Chronographia pag. 301 et 302 de tempore sexti concilii disserens affirmat, illud celebratum fuisse, *patriarcham nimirum agente in sancta œcumenica synodo Georgio, cujus patriarchatus annus tertius numerabatur, cuique post synodum alii tres in dignitate exacti sunt. Post hunc vero Theodorus annos tres.* Ex hoc Theophanis textu jam aliquot corollaria deducemus. Primo inde inferimus, Georgium anno Christi DCLXXVIII cathedram Constantinopolitanam ascendisse, cum tempore sextæ synodi œcumenicæ, quæ circa finem anni DCLXXX celebrari cœpit, tertium episcopatus sui annum numeraret. Hinc secundo colligimus corruptos esse illos patriarcharum catalogos, qui tantum duos aut tres annos Georgio assignant; Theophani autem ferme consentire Nicephorum Callistum,
B qui in suo catalogo apud Bandurum ipsi sex annos ac tres menses adscribit. Denique ex his sequitur, Georgium obiisse, seu ut loco citato scribit Nicephorus Callistus, sede sua pulsum esse anno Christi DCLXXXIII, quo cathedram Constantinopolitanam occupavit supra memoratus

THEODORUS iterum.

Theodorus circa finem anni 683 sedi suæ restitutus

Combefisius, Pagius, et supra laudatus historiæ Monotheliticæ scriptor anonymus ex hac Theodori in sedem Constantinopolitanam restitutione conjiciunt, illum hæresi Monothelitarum renuntiasse. Neque id diffitetur Baronius; sed in Annalibus ad annum Christi DCLXXXII num. 2 asserit, Theodorum id ficto animo fecisse, ipsumque de corruptis sextæ synodi Actis ibidem ita accusat: *Iste versipellis, formas mutare doctus, Catholicam fidem ceu larvam suscipiens, eam ad exhibendum se foris Catholicum cum aggressus est profiteri, ad patriarchatum sibi reditum præparavit: quem nactus, par est credere, quod omnia, per*
C *quæ in Actis ejusdem œcumenicæ synodi novit sibi infamiam ob hæresim irrogatam, prorsus abstulit, atque alia pro animi sententia adjecit.* De sincera aut ficta hæresis ejuratione soli cordium scrutatori Deo judicium relinquimus.

non potuit corrumpere Acta sextæ synodi,

490 Verum Acta sextæ synodi ab isto Theodoro corrumpi non potuisse, putamus cum Garnerio nostro, qui in Dissertationibus ad Librum diurnum Romanorum Pontificum pag. 184 et sequente sic argumentatur: *Jam quod dicitur de Theodoro Actorum corruptore, fidem fere omnem omni ex parte superat: nam primo, quod propter Monothelismum depositus sit, et quidem paulo ante synodum, nemo veterum tradit, nemo ante Baronium, quamquam suspicio Baronii non improbabilis videtur: nam et Macarii Antiocheni fidei subscripsit, et eo facto depositionem meruit, qua Macarius multatus est. Deinde etsi consenserit Macario, quemadmodum et Georgius successor; at pertinax non mansit, sed Georgium imitatus resipuit: quamobrem defuncto mox successit, restitutus in sedem prius relictam. Synodus vero neminem proscripsit, nisi aut defunctum aut pertinacem.*

ut argumentis Garnerii

491 *Verum etsi ficte professus dicatur Catholicam fidem cupiditate sedis recipiendæ, etsi retinue-*

rit animo non tantum errorem, sed etiam odium in D
Sedem Apostolicam, qua ratione tandem potuit, quamvis maxime tentaverit, toties Acta vitiare, quoties Honorii mentio facta est? Quomodo licuit homini uni professionem fidei episcoporum manibus subscriptam, ipsasque Constantini imperatoris litteras adulterare? An non erat fides sigillis obsignata? An non suas litteras Constantinus apprime Catholicus manu sua subscripsit? An præcipiti imprudentia et non matura potius, ut in re tanti momenti par erat, lectione recognovit, quod subscriberet? An ipse etiam imperator, quem Constantino Magno synodus parem dixit, venit in societatem facinoris cum Theodoro? Quis sibi, quis aliis persuadeat, id tentatum a principe tam pio, tamque ardenter Catholico, ut ipsiusmet parentis Typum, avique Ecthesim proscripserit? Cum hic nostri instituti non sit famosam illam de Honorio Papa quæstionem operosius agitare, lectorem remittimus ad alia ejusdem Garnerii argumenta, quibus ibidem hanc controversiam ita discussit, ut Actorum integritati, synodi sextæ auctoritati, et Apostolicæ Sedis honori simul consuluerit.

et Antonii Pagii

492 Pagius in Critica ad annum Christi DCLXXXII E
num. 7 ex tribus annis, quos Theophanes post sextam synodum reliquo Georgii episcopatui tribuit, eamdem Baronii sententiam ita refellit: *Major Theophani hac in re, quam Nicephoro fides habenda quoad annos sedis Theodori post ejus restitutionem. Ex utroque tamen auctore constat Georgii mortem et Theodori restitutionem ante annum sequentem* (nempe Christi DCLXXXIII) *non contigisse; indeque ruunt omnes conjecturæ Baronii, quibus probatum existimat, Theodorum Acta sextæ synodi falsasse, et cum in eis nomen ejus inter damnatos hæreticos legeretur, nomen Honorii in sui locum subrogasse, ac Acta vitiata legatis Romanis, antequam ex urbe regia recederent, tradidisse, cum ea in potestate habuerit: nam certum est legatos, vel superioris anni fine, vel præsentis initio Romam pervenisse, cum Joannes Portuensis episcopus, qui unus ex illis erat, consecrationi Leonis II interfuerit, eosque Acta synodalia attulisse, quæ non multo post a Leone ad episcopos Hispanos missa sunt. Neque legati Acta vitiata Constantinopoli accipere voluissent. Quamobrem et Leo II Hispanis et Gallis recipienda misit, ac in professione fidei, a summis Pontificibus emittenda, inter sacra decreta recenseri vo-* F
luit. Non potuit itaque Theodorus Acta, quæ jam in Occidente huc illuc circumferebantur, corrumpere.

contra Baronium probatur.

493 Certe hoc chronologicum Pagii argumentum inter alia non exiguam vim habet: si enim ante annum Christi DCLXXXIII varia sextæ synodi ecgrapha per Occidentem dispersa fuerint, quomodo in Oriente autographum Actorum corrumpere potuit Theodorus, qui eo tempore illud nondum in potestate sua habebat, cum tantummodo circa finem anni DCLXXXIII sedi Constantinopolitanæ restitutus fuerit? Longe itaque verisimilius est, legatos Romanos a Georgio, qui post synodum sextam adhuc tribus annis ecclesiam Constantinopolitanam rexit, sincera Actorum exemplaria accepisse, ac Romam attulisse, antequam ea Theodorus potuerit interpolare.

Theodorus ille, anno 986 mortuus,

494 Ex his omnibus concludo, Theodorum exeunte anno Christi DCLXXXIII sedem Constantinopolitanam rursus occupare cœpisse, et anno DCLXXXVI mortuum esse, cum post restitutionem suam tribus annis sederit, ut supra citatus Theophanes testatur. Baronius catalogum Nicephori secutus secundo Theodori patriarchatui unum dumtaxat annum et decem menses adscribit, et

idcirco

A idcirco in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi DCLXXXIV num. 8 mortem ejus sic refert: *Hoc eodem anno Theodorus, Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus, moritur, cum sedisset annum et menses decem : ita Nicephorus ejusdem sedis episcopus. Haud diutius a Deo permissus est vivere omnium fabricator malorum ter impius Theodorus ad supernum vocatus tribunal reddere de omnibus rationem.* Certe istud Eminentissimi scriptoris judicium orthodoxiam et sanctitatem hujus Theodori minime commendat.

in Menæis excusis inter Sanctos refertur,

495 Nihilominus impressa Græcorum Menæa ad diem XXVII Decembris catalogo Sanctorum hunc ipsum Theodorum ita inscribunt : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Eodem die memoria sancti patris nostri Theodori archiepiscopi Constantinopolitani.* Deinde ibidem sequitur breve ipsius elogium, seu vitæ compendium, quod sic Latine interpretor : *Ille in hac ipsa urbe* (nimirum Constantinopolitana) *habuit nativitatem et educationem. Factus est autem propter singularem pietatem sacerdos sanctissimæ et magnæ ecclesiæ;* B *dein syncellus et vasorum custos. Patriarcha autem Constantinopolitano defuncto, coactus est a toto senatu, et ipso imperatore, magisque a sacra synodo gubernacula ecclesiæ suscipere. Cum vero eam duobus annis ac tribus mensibus bene gubernasset, ad Dominum emigravit. Memoriam ejus magna ecclesia celebrat die Dominica.* Maximus Cytherorum episcopus eadem Græco-barbare ex Menæis recitat. Sed ea auctoritas nobis hactenus non sufficit, ut hunc præsulem Sanctis adscribamus. Quare successores nostri ad diem XXVII Decembris dispiciant, an aliunde certiora veræ conversionis et sanctitatis testimonia erui possint. Certe suspicari non poterunt, in Menæis hic de alio Theodoro agi, cum non nisi unicum antistitem Constantinopolitanum istius nominis inveniamus, ut ex tota horum patriarcharum serie apparet.

XLIV PAULUS III.

et exeunte eodem anno 686 successorem habuit Paulum,

Ex stabilita superius chronologia sequitur, hunc patriarcham circa finem anni DCLXXXVI Theodoro successisse. Illum autem ex laicali statu ad eam dignitatem assumptum esse indicat S. C Nicephorus in Chronographia compendiaria his verbis : *Paulus ex laico a secretis, annis* VI, *mensibus* VIII. Hunc Paulum tempore sextæ synodi imperatori a secretis fuisse, conjicimus ex Epilogo Agathonis diaconi, qui apud Labbeum tomo 6 Conciliorum a col. 1401 sic incipit : *Ego peccator et omnium minimus Agatho, indignus diaconus et Bibliothecarius sanctissimæ hujus magnæ ecclesiæ et venerandi secreti patriarchalis protonotarius et cancellarius secundus* (abhinc) *triginta duobus plus minus annis, cum essem adhuc ætate juvenis in lectoris gradum connumeratus et inutilis notarius, fui administer huic sanctæ et œcumenicæ sextæ synodo, omnia, quæ in ea acta sunt, ordine persecutus simul cum Paulo, qui fuit sanctus hujus civitatis archiepiscopus et patriarcha, cum esset adhuc laicus et a secretis imperatoris.* Combefisius in Auctario Græcorum Patrum part. 2 col. 199 fere similem hujus textus interpretationem exhibet.

qui anno 693 ex hac vita migravit,

497 Quod vero ad sex annos et octo menses gubernationis attinet, quos S. Nicephorus Paulo tribuit, rara concordia omnes catalogi apud Bandurum Nicephoro consentiunt, et eumdem annorum ac mensium numerum episcopatui ejus assignant. Neque ab iis discrepare censendus est Theophanes, qui tum in laterculis, tum in ipsa Chronographia menses ac dies administrationis plerumque omittit, et hic pag. 302 more suo *annos septem* videlicet incompletos ipsi adscribit. Porro si a fine anni DCLXXXVI numeraverimus sex annos et octo menses, perveniemus ad annum Christi DCXCIII, quo Paulus ex hac vita migravit. Baronius in Annalibus ad annum Christi DCXCI num. 4 mortem Pauli ita collocat : *Hoc pariter anno, ubi Paulus Constantinopolitanus episcopus sedisset annis septem, moritur, et in locum ejus suffectus est Callinicus, homo novandarum rerum studiosissimus.* At ex nostra partriarcharum chronotaxi apparet, Eminentissimum scriptorem duobus annis a recta chronologia aberrare. Ceterum Pauli successorem novandarum rerum studiosissimum appellat, quia illum conciliabulo Quini-sexto seu Trullano præfuisse arbitrabatur. Sed istud facinus, de quo Baronius aliique Callinicum accusant, huic Paulo tribuendum esse jam ostendemus.

postquam conciliabulo Quini-sexto seu Trullano subscripserat,

498 Ad opinionem nostram probandam sufficit sola subscriptio, quæ apud Labbeum tomo 6 E col. 1188, et Harduinum in nova Conciliorum collectione tomo 3 col. 1698 post centum et duos conciliabuli Trullani canones ita diserte legitur *Paulus indignus episcopus Constantinopolis novæ Romæ, definiens subscripsi.* Sola, inquam, subscriptio illa sufficit, nisi omnes Callicini accusatores demonstrent, eam falsam et ab aliquo intrusam esse. Severinus Binius, qui eamdem subscriptionem in sua Conciliorum collectione edidit, nihil ad eam annotavit, et interim notas suas in istud conciliabulum ita exorditur : *Auctoritate Callinici Constantinopolitani episcopi, qui hoc tempore post obitum Pauli Constantinopolitanæ ecclesiæ præsidebat, hæc erratica pseudo-synodus in Trullo Constantinopoli congregata fuit.* Miror, ipsum in notis nihil de ista subscriptione monuisse.

quam subscriptionem aliqui perperam attribuunt

499 Christianus Lupus in synodorum decretis illustratis part. 2 pag. 1074 disserens de hoc pseudo-concilio Trullano sic clarius loquitur : *Respondeo, præsidentiam a quibusdam adscribi Paulo tertio patriarchæ Constantinopolitano, quem sanctus Nicephorus patriarcha affirmat e laico promotum. At verius est, fuisse ejus successorem Callinicum, hominem Latinæ ecclesiæ penitus adversarium, aptumque ejusmodi tragœdiis : eum quippe* F *proximo ante synodum anno constat Paulo defuncto successisse.* Lupus hic sine maturo examine cæce secutus est Baronium, quia Eminentissimus scriptor nusquam idoneis testibus aut tabulis probat, Paulum proximo ante synodum anno obiisse, quamvis Lupus de eo constare gratis asserat. Imo nos ex hactenus deducta patriarcharum serie, si non constare, saltem probabilissime inferri putamus, Callinicum uno alterove anno post istam pseudo-synodum gubernacula ecclesiæ Constantinopolitanæ primum tenuisse. Quod autem habet de Callinico, tamquam infenso Latinæ ecclesiæ hoste ac turbis ciendis apto, ex eodem Baronio hausit, ut postea apparebit.

successori ejus Callinico,

500 Interea Lupus de Callinico hæc ibidem addit : *Malum consilium consultori pessimum : postmodum enim a Justiniano Augusto, quem ad hanc pseudo-synodum faciendam seduxerat, fuit excæcatus, sede ejectus, relegatus, Romam missus castigandus. Ejus, ut viri infamis, nomen existimem erasum a posterioribus synodi patronis, ac intrusum nomen Pauli. Fuit id satis facile : nam supra audivimus,*

Sec. VII.

divimus, synodi hujus canones et Acta tempore Anastasii Bibliothecarii necdum fuisse indita archivis sedium patriarchalium, nec translata in linguam Latinam. At licet aliquid facile fieri possit, non inde continuo sequitur, ita factum esse. Deinde si fas est in dubium revocare subscriptiones synodorum illarum, quæ archivis patriarchalium sedium non fuerunt insertæ, et quæ ab aliquot seculis nondum in linguam Latinam translatæ fuerant, quid judicandum erit de tot monumentis ecclesiæ Græcæ, quæ Lupus ipse, Binius, Labbeus, Cossartius, Cotelerius, Baluzius, Harduinus, aliique viri eruditi primum e tenebris eruerunt, ac Latine reddiderunt?

sicut ex fide veterum codicum,

501 Præterea nomen Pauli Constantinopolitani in antiquis codicibus inter subscriptiones expressum fuisse, colligo ex admonitione Græco-Latina, quæ conciliabulo Trullano præfigitur, et in qua apud Labbeum tomo 6 col. 1128 post alia sic monemur : *Hæc ita se habere constat ex vetustissimo codice, qui etiam nunc exstat in bibliotheca Vaticana ad veritatis comprobationem : siquidem in eo codice continenter post canones habetur Justiniani*
B *imperatoris subscriptio, cum pater ejus Constantinus post omnes episcopos subscripserit definitioni sextæ synodi, idque non nisi rogantibus episcopis. Deinde vacuus relictus est locus subscriptioni Papæ cum hac annotatione :* Locus sanctissimi Papæ Romani. *Tum sequuntur subscriptiones patriarcharum,* Pauli Constantinopolitani, *Petri Alexandrini,* etc. Matthæus Blastares, qui ante medium seculi XIV Græce scripsit, in prooemio sui nomocanonis de synodo Trullana loquens, *Paulum Constantinopolitanum* inter hujus synodi principes numerat, ut Pagius in Critica ad annum Christi DCXCII num. 8 testatur.

improbabili errandi periculo,

502 Forte quispiam objiciet, oscitantia amanuensium nomen *Pauli* pro nomine *Callinici* in hos codices irrepsisse, sicut citatus Blastares *Paulum* pro *Petro* Alexandrino posuit, et sicut numeros annorum in catalogis patriarcharum sæpe corruptos fateri cogimur. At respondeo, multo faciliorem esse lapsum in temporum consignatione, quam in subscriptione episcoporum : plurimum quippe variantur numeri, si una littera excidat vel mutetur ; sed non tam facile potest totum unius episcopi nomen substitui alterius no-
C mini, maxime quando nulla est inter ea similitudo aut affinitas, veluti in *Paulo* et *Callicino* contingit. Adde quod error Matthæi Blastaris detegatur ex aliis codicibus, qui Petrum Alexandrinum manifeste exprimunt. Adversarii exhibeant nobis antiquos codices, in quibus Callicinus subscriptus legatur, et tunc de genuina lectione disputabimus. Quod si contra communem omnium codicum fidem pro Paulo Callinicum intelligi sine ullo fundamento velint, voluntatem eorum pro ratione stare, æqui æstimatores judicabunt. Denique argumentemur ad hominem, ut vulgo aiunt, et chronologico vinculo adversarios constringamus.

et ex recta chronologia contra eos ostenditur.

503 Pagius in Critica ad annum Christi DCXCII a num. 1 refert varias auctorum sententias de anno, quo habita sit pseudo-synodus Trullana, et ipse ibidem num. 7 contendit, eam anno Christi DCXCI celebratam fuisse. Baronius, Binius, et Lupus putant, illam usque ad annum DCXCII differendam esse. Audiamus ex ipsis Binium, qui in notis ad istud conciliabulum de tempore ejus sic breviter statuit : *Verior est sententia, quam tenet reverendissimus et illustrissimus Cardinalis Baronius in Annalibus, hanc erraticam pseudo-synodum celebratam fuisse anno Domini* DCXCII, *qui* D
est decimus post sextam synodum absolutam, quintus Sergii, et octavus Justiniani imperatoris : nam prædicto canone III *apertis verbis asseritur, quinta Indictione conventum hunc coactum fuisse.* De hac controversia inter Pagium et alios nihil pronuntio ; opinionem Baronii, Binii et Lupi circa tempus celebratæ pseudo-synodi libens amplector. At quæro, quomodo canonibus istius conciliabuli anno DCXCII subscribere potuerit Callicinus, qui post mortem Pauli, quæ anno DCXCIII contigit, ad cathedram Constantinopolitanam dumtaxat evectus est, ut ex computo Theophanis supra ostendimus. Igitur chronologia nostra solidis argumentis evertenda est aut hæc ignominiosa subscriptio imputanda Paulo ; post quem anno Christi DCXCIII sedere cœpit

XLV CALLINICUS I.

Dum Bollandus obiter agit de gestis Callinici,

Bollandus noster, Baronium incaute secutus, ad diem VIII Januarii in Vita S. Cyri hunc Callinicum, tamquam hominem hæreticum et impium depinxit. Sed memoriam istius patriar- E
chæ Catholicis tam odiosam reddidit, quia cum aliis magni nominis scriptoribus putabat, illum fuisse præcipuum conciliabuli Trullani auctorem, et canonibus ejusdem pseudo-synodi subscripsisse. *Verum chronotaxi episcoporum Constantinopolitanorum nunc in integrum restituta,* ut Pagius in Critica ad annum Christi DCCIII num. 2 loquitur, *hæc omnia corruunt, liquetque, non Callicinum, sed Paulum synodo Trullanæ præsedisse. Cumque a nullo antiquo historico vel Græco vel Latino alicujus culpæ insimulatus fuerit Callinicus, nec etiam a recentioribus debet. Si enim Leontio, postquam urbem occupavit, adhæserit, hoc illi commune cum omnibus Orientis antistitibus fuit.* Si Bollandus vidisset omnia argumenta, quæ posteri pro defensione Callinici attulerunt, haud dubie pro solito suo candore mutasset opinionem, quam Baronio et Binio fretus obiter tantum indicavit, et cujus ulteriorem discussionem successoribus suis liberam reliquit. Nunc præcipua hujus patriarchæ gesta ex antiquis auctoribus referemus.

quem sibi adversantem Justinianus Rinotmetus,

505 Theophanes in Chronographia pag. 307 F
rem satis miram narrat hoc modo : *Ad hæc imperator* (nempe Justinianus postea propter abscissum nasum dictus cognomento Rhinotmetus) *a Callinico patriarcha contendebat, ut preces conciperet ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, cui Metropolitæ nomen, juxta palatium sitam destruendam : in ejus quippe solo fontis machinam, et Venetæ factionis, imperatorem illic excepturæ, sedilia exstruere annitebatur. Respondit patriarcha : Preces in templi conditum conceptas habemus ; subruendo templo nullas a majoribus accepi. Imperatore ardentius instante, et preces fieri etiam vi expetente, dixit patriarcha : Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, jugiter, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen. Et audito, subverterunt ecclesiam, et fontem excitaverunt.* Similia apud recentiores historicos clarius exponuntur ; sed nos ea ex veteri auctore transcribere maluimus.

imperio suo recuperato, excæcari jussit,

506 Cum Justinianus crudeliter imperium administraret, odia multorum in se concitavit, et orta est civilis seditio, cui patriarcha sese immiscere coactus est, ut S. Nicephorus in Historia pag. 25 et sequente tradit his verbis : *Leontius cum monachis et aliis amicis Callinicum tunc urbis*

antistitem

A *antistitem adit, ac descendere cogit, et ad populum clamare : Hæc est dies, quam fecit Dominus. Populus vero Justiniano malecidebat. Post hæc universi in Hippodromum confluunt; moxque ut illuxit, Justinianum ad eos producunt. Ceterum vociferante plebe, ut in imperatorem gladio animadverteretur, Leontius pro sua cum ejus patre Constantino amicitia vitæ perpecit; sed lingua ac naso mutilatum in Chersonam urbem deportat, anno ejus imperii exacto decimo*, qui anno Christi DCXCIV et DCXCV respondet. *Leontius imperator a populo salutatus est.* Hæc fere eadem apud Theophanem in Chronographia pag. 308 leguntur.

ac Romam relegavit,

507 Postea Justinianus Rhinotmetus auxilio Bulgarorum imperium recuperavit, quod Pagius tomo 3 Criticæ pag. 154 probat anno Christi DCCV contigisse, et *Callinicum patriarcham oculis orbatum Romam relegavit, et in ejus locum Cyrum quemdam in Amastris insula monachum inclusum, quod imperii secundo gerendi vaticinium edidisset, suffecit*, ut ex Chronographia Theophanis pag. 313 discimus. Sanctus Nicephorus in Historia pag. 28 causam hujus punitionis ita addit : B *Callinicus patriarcha, quod in Leontii inauguratione probrose quædam in imperatorem jactasset, oculis orbatus Romam deportatus est.* Forte Justinianus sibi probrosum existimabat, quod Callinicus in illa præterita seditione ad populum exclamasset : *Hæc dies, quam fecit Dominus.* An autem patriarcha id libens, an invitus fecerit, nescimus, cum supra ex S. Nicephoro ea retulerimus : *Leontius..... Callinicum..... descendere cogit, et ad populum clamare*, etc. Saltem præsul ille excæcatus et in exsilium pulsus est, quia Leontio favere videbatur.

incaute Baronium aliosque secutus est.

508 Baronius in Annalibus ad annum Christi DCXCII num. 8 hanc Callinici pœnam divinæ ultioni sic adscribit : *Fuit autem tam insolentis conspirationis* (intelligit pseudo-synodum Trullanam sine auctoritate Pontificis Romani coactam) *antesignanus, et ejusmodi confusionis erectæ turris architectus Callinicus Constantinopolitanus episcopus, quem Deus noluit inultum in aliorum exemplum ex hac vita discessisse : nam (ut suo loco dicetur inferius) ab eodem Justiniano imperatore oculis orbatus est, atque Romam in exilium missus.* Deinde Eminentissimus scriptor ad annum Christi DCCIII num. 2 eadem pathetice repetit. Sed hæ piæ conC jecturæ, ut jam sæpe superius ostendimus, falsa hypothesi nituntur. Fortasse Callinicus hæc passus est ob alia peccata, quorum justum supplicium jam cæcus vidit, et quæ ultricem Dei manum agnoscens hac pœna expiavit.

Callinicus iste, qui in Menæis inter Sanctos colitur,

509 Quidquid sit, Græci in Menæis excusis die XXIII Augusti annuam ipsius memoriam ita annuntiant : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Καλλινίκου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. Hoc est : *Eadem die memoria sancti patris nostri Callinici patriarchæ Constantinopolitani.* In Ms. Synaxario Sirmondi, locus venerationis ita additur : Τελεῖται δὲ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ. *Celebratur ipsius festum in sanctissima magna ecclesia.* Lambecius lib. 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 210 monet, illic Acta Callinici exstare, ac festum ejus ibi die XXIV Augusti consignari. Leopoldus I imperator gloriosæ memoriæ hanc Vitam Græcam aliasque plures nobis benigne ex sua bibliotheca transcribere permisit, quas inter collectanea nostra conservamus suo tempore producendas. Habemus alterum eorumdem Actorum exemplar, ex bibliotheca Ambrosiana excerptum, in cujus margine dies XXIX Augusti notatur. Hæc duo ecgrapha Græca brevitate narrationis vix differunt ab Actorum compendio, quod ex Menæis impressis jam exhibebo.

SEC. VII.

et cujus elogium,

510 Raderus noster elogium Græcum, quo Callinicus in Menæis ad diem XXIII Augusti ornatur, ita Latine vertit : *Erat Callinicus ante presbyter et custos sacræ supellectilis templi sanctissimæ Dei Genitricis in Blachernis, ac propter insitam ipsi virtutem postea electus archiepiscopus Constantinopolitanus, imperante Justiniano juniore, Heraclii nepote**, *qui multas ipsi meditatus afflictiones, petivit, ut preces funderet pro templis regiarum urbium divæ Dei Genitricis abolendis. Cui Sanctus : « Preces, inquit, non sunt faciendæ pro templis evertendis, sed ædificandis. Deus condidit mundum, ut maneret, non ut periret. » Sed urgentibus ministris, qui ab imperatore missi erant, et obstrepentibus, urgentibusque, ut imperium Cæsaris exsequeretur, exclamavit Beatus : « Gloria tibi, Christe, qui semper pateris adhuc, semper et sustines. » Statimque templum eversum est.*

* pronepote

seu Actorum compendium

511 *Imperator autem propter summam rerum omnium confusionem et scelera imperio dejectus, naribus et lingua præcisis, in Chersonem exulatum relegatus est : qui inde ad Bulgaros profugit, assum-* E *ptoque exercitu urbis Constantinopolitanæ mœnia oppugnavit, interimque patriarcham et senatum malo dolo ad se evocavit, ut ab iis in urbem reciperetur; sed receptus pactis omnibus et juramentis, ipsaque sancta cruce et sanctis Evangeliis, et pretioso corpore et sanguine Domini propositis, in quæ juraverat, violatis, statim atque in urbem venit, totam civitatem cædibus replevit, patriarcham Callinicum per satellites rapuit, et Romam exulatum misit, cum illi prius ipse imperator Justinianus excisam linguam et præcisas nares ostendisset, et veluti conscium conjurationis, majestatis reum postulasset, cum tamen Homo Dei et magnus Patriarcha prorsus omnis culpæ exsors esset.*

ibidem legitur,

512 *Ductus Romam in quodam cavo muri fundamento conclusus est, locusque foris calce inductus : hoc enim ut fieret, tyrannus imperarat. Quadragesimum inde post diem sublata calcis inductione, adhuc spirans repertus est; sed post quatriduum ad Dominum emigravit, et in æde sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quemadmodum statim sancti Apostoli Papæ Romano præceperant depositus est.* In utroque Ms. Græco clarius dicuntur Principes Apostolorum Romano istius temporis Pontifici apparuisse, F eumque in somno monuisse, ut Callinicus in templo suo honorifice sepeliretur. Si antistes ille ad diem XXIII Augusti videatur Operi nostro inserendus, poterunt hæc Mss. Græca accuratius inter se conferri, et omnia ipsius Acta diligentius examinari. Nunc pergamus ad statuendam illius chronotaxim, quam hac longiore gestorum narratione interrupimus.

oculis orbatus et in exsilium pulsus est anno 705,

513 Theophanes, Nicephorus, et omnes patriarcharum Constantinopolitanorum catalogi apud Bandurum miro consensu duodecim annos gubernationis Callinico adscribunt. Unde sequitur, eum anno Christi DCCV excæcatum et exsilio mulctatum fuisse, quandoquidem anno DCXCIII Constantinopolitanam cathedram ascendit, ut supra ostendimus, et Pagius in Critica ad annum Christi DCCIII num. 2 confirmat his verbis : *Callinicus patriarcha Constantinopolitanus, qui Leontio adhæserat, quando Justinianum e solio dejecit et Chersonam relegavit, ab isto in imperium restituto oculis orbatur, Romam in exilium mittitur, et in ejus locum Cyrus quidam, in Amastris insula monachus inclusus, substituitur, ut refert Theophanes. Sedit Callinicus annos duodecim, ut legitur tam in*

SEC. VII.

Chronico Nicephori, quam in Chronico Theophanis ad annum XVII *Constantini Pogonati. Idem Theophanes Callinici depositionem alligat cum anno Incarnationis secundum Alexandrinos* DCXCVIII, *qui Kalendis Septembribus anni Christi* DCCV *inchoatur.*

ut cum Francisco Pagio probabilius opinamur.

514 Jam epimetri loco accipe chronologicam totius historiæ anacephalæosin, quam Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tomo 1 pag. 500 sic breviter exponit: *Non multo post mortem Joannis* VI (videlicet Romani Pontificis) *certe eo anno, quo obiit, scilicet septingentesimo quinto in finem vergente, Justinianus in imperium restitutus est. Eo dejectus fuerat a Leontio, qui imperium invasit anno sexcentesimo nonagesimo quinto: quo, anno sexcentesimo nonagesimo octavo, in* D *monasterium detruso, Tiberius Apsimarus imperium invasit, quod tenuit usque ad annum septingentesimum quintum, quo Justinianus opera Trebellii Bulgarorum regis Constantinopolim clam ingressus (est, et) tam Leontius quam Tiberius capite truncati sunt. Justiniano imperante, Paulus Constantinopolitanus episcopus dictus fuerat, ut in fine pontificatus Joannis V dictum est. Paulo, anno sexcentesimo nonagesimo tertio, defuncto successit Callinicus, qui Leontio adhæserat, quando Justinianum e solio dejecit et Chersonam relegavit. Quare Justinianus, recuperato anno* DCCV *imperio, Callinicum oculis orbatum Romam in exilium misit, ubi carceri inclusus misere obiit.* En accuratam totius tragœdiæ synopsim, post quam ingredimur æque tragicum

SECULUM VIII

B

XLVI S. CYRUS.

Callinico exsuli statim successit S. Cyrus,

Quandoquidem Acta hujus sancti Patriarchæ a majoribus nostris ad diem VIII Januarii elucidata sunt, lectorem ad cognoscenda ejus gesta eo remittimus, et hic solam ipsius chronologiam attendimus. Theophanes in Chronographia pag. 313 post restitutionem Justiniani Rhinotmeti in imperium, anno primo, id est Christi DCCV, initum a Cyro episcopatum indicat his verbis: *Callinicum patriarcham oculis orbatum Romam relegavit, et in ejus locum Cyrum quemdam in Amastris insula monachum inclusum, quod imperii secundo gerendi vaticinium edidisset, suffecit.* Nicephorus patriarcha, Zonaras, Cedrenus, aliique historici exsilium Callinici, et successionem S. Cyri, etiam cum anno primo Justiniani iterum imperantis connectunt. Unde nos cum Pagio, Banduro, et majoribus nostris initium hujus episcopatus anno Christi DCCV alligamus.

qui exeunte anno 711 vel ineunte 712 ab imperatore Philippico exauctoratus est,

516 Theophanes in Tabulis, Nicephorus in Chronographia, Zonaras in Annalibus, et Catalogi apud Bandurum concorditer huic patriarchæ sex administrationis annos assignant. Hinc liquet, corruptum esse locum Theophanis, qui in C Chronographia pag. 302 sic habet: *Cyrus denique annos duos sedit.* At ibi sex annos pro duobus legendos esse, manifeste ostendit ipsemet Theophanes, qui eadem pagina mox addit, quod *primo imperii ipsius Philippici anno insanum conciliabulum adversus sanctum œcumenicum concilium celebratum sit; Cyroque expulso sub sextum patriarchatus sui annum Joannes Constantinopolitanus patriarcha factus fuerit.* Cum igitur S. Cyrus sex annis sederit, et Philippicus juxta exactiores chronologos medio circiter Decembri anni DCCXI imperium occupaverit, ex supradictis sequitur, ut hic sanctus Patriarcha, exeunte anno DCCXI vel ineunte anno DCCXII, statim a Philippico imperatore exauctoratus fuerit, ac alterutro anno ipsi successerit

XLVII JOANNES VI.

eique substitutus Joannes,

Theophanes in Chronographia pag. 319 hunc Patriarcham, tamquam sextæ synodo adversantem, ac Philippico imperatori consentientem, E ita describit: *Cyro vero patriarcha sede ab eo dejecto, Joannem quemdam improbitatis et pravæ opinionis consortem in ejus locum promovit.* Hinc idem ab eminentissimo Baronio in Annalibus ad annum Christi DCCXII num. 2 vocatur *Monothelitarum antesignanus*, et ibidem numero sequente sic accusatur: *Evecto igitur in solium patriarcha Monothelita, cum ipso et in ipso tamquam in cardine universo Orientalis movetur ecclesia: nam imprimis, quæ tunc sunt repertæ ecclesiæ carere pastoribus, ad eas non nisi impietate bene noti hæretici Monothelitæ promovebantur episcopi; sed et horum immensus cito auctus est numerus ex eis, qui, licet Catholici, tamen jacturam cathedræ, quam passus fuit Cyrus patriarcha, sibi timentes, eamdem perfidiam, quam imperator, e vestigio agressi sunt profiteri: ita stabiliri sibi sedem episcopalem putantes, si quam fidem assererent imperator et patriarcha, æque et ipsi profiterentur; nutare vero sedem eorum, qui sextæ synodi agerent defensores, vel resistere aut dissentire reperirentur imperatori, et contradicere patriarchæ.* Fateor, hanc accusationem niti auctoritate S. Theophanis; sed ab illo etiam S. Germanus et S. Andreas Cretensis de eadem hæresi accusantur, ut postea dicetur. F

quem cum Antonio Pagio

518 Pagius ad annum Christi DCCXII num. 3 et sequentibus asserit, hunc Joannem et alios nonnullos ex animo orthodoxos fuisse, et tantummodo in hac periculosa tempestate dissimulasse, ne hæreticum imperatorem irritarent, et totam Orientalem ecclesiam indiscreto zelo pessumdarent. Itaque hoc medium invenerunt, vel ab aliis inventum approbarunt, ut ederent fidei formulam sensu Catholico, qua tamen supprimerentur voces, geminæ in Christo operationis et voluntatis, quæ Philippico nimis erant exosæ. *Qua in re*, inquit ibidem Pagius num. 5, *non solum non peccarunt; sed rem dignam laude egisse videntur, majori scilicet depulso malo ab Ecclesia, ac minori permisso potius, quam acto. Sed quia inter duo extrema medium invenire aut tenere difficile, Joannes, Germanus et Andreas hoc suo zelo medioque tantam sibi conflarunt invidiam, ut passim Monothelitæ audierint, ejusdemque cum Philippico sententiæ. Verum quia scriptores illi sola conjectura et præsumptione loquuntur nec certa monumenta eorum temporum sequuntur, ea de re varii sunt, eo magis, quo ab illa ætate non minimum dissiti præ-*

fatam

A *fatam œconomiam ignorarunt.* Deinde exemplo S. Basilii, aliisque argumentis. Joannem Constantinopolitanum excusare conatur.

ab hæresi Monothelitica vindicamus

519 Fortasse Baronius aliter sensisset, si vidisset epistolam apologeticam ipsius Joannis, quæ in Labbeana Conciliorum collectione tomo 6 a pag. 1409 refertur, et in qua Joannes se apud Constantinum Pontificem Romanum purgare nititur de iis, quæ tempore Philippici imperatoris gesta fuerant. Initio istius epistolæ Romanum Pontificem, tamquam totius Ecclesiæ caput, agnoscit ac veneratur. Deinde significat, quomodo invitus episcopatum Constantinopolitanum admiserit, ne alter hæreticus in illum intruderetur. Præterea testem orthodoxi animi sui appellat ipsum Deum, ac apocrisiarium Sedis Apostolicæ, cui suam agendi rationem sincere indicaverat. *Quomodo nos et quo consilio ita gesserimus*, inquit col. 1412, *ut depelleremus ejus vim tyrannicam et protervam; ad id autem, quod est moderatius, deduceremus insolentiam, scientes ut in malis non esse omnino rejiciendam indifferentiam, quando non ipsum bonum licet primo loco obtinere, nobis testimonium feret ipsa Potestas, quæ cordium consilia* B *intuetur: quin etiam inter homines sanctissimæ vestræ Sedis religiosus apocrisiarius, qui hic agit, cui nos tunc maxime urgente tempestate dato jurejurando satisfecimus, ei puram, quæ nobis inerat, in orthodoxam fidem affectionem aperientes.* Denique variis Sanctorum exemplis ac testimoniis licitum dissimulationis suæ usum defendit. Quid autem Constantinus Papa ipsi responderit, ignoramus.

contra accusationem Baronii,

520 Constantino mortuo successit Gregorius II Pontifex, cui Joannes patriarcha litteras synodicas misit, ut Anastasius Bibliothecarius in Vita Gregorii II Papæ tradit his verbis: *Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus antistes synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est Pontifex.* Quamvis responsoria istius Pontificis epistola ad nos non pervenerit, tamen Baronius ad annum Christi DCCXIV num. 3 synodicas Joannis litteras ab illo Pontifice rejectas esse affirmat hoc modo: *Quod enim idem Joannes hæreticus esset, ut vidimus, intrusus a Philippico imperatore, haud dubitari potest, rejectam a Gregorio Joannis synodalem epistolam, qua ipse et alii cum eo episcopi scribentes ad recens creatum Romanum Pon-* C *tificem, ab illo communionem Catholicam suffurari tentarent: sed eos tamquam hæreticos ipse Pontifex est aversatus, et ipsum pseudo-patriarcham e throno deponendum curavit.* Dein post alias conjecturas perperam hæc addit: *Verum hoc anno* (videlicet Christi DCCXIV) *qui secundus Anastasii numeratur, fuisse Joannem in ordinem redactum, Theophanes affirmat, cujus et * sententia hoc pariter anno Kalendis Augusti electum fuisse sanctum Germanum possumus intelligere.*

* *forte* ex

qui etiam perperam putavit,

521 Quidquid sit de hac epistolæ synodicæ repulsa, quam Baronius ex incerta hæreseos hypothesi deducit, certe fallitur Eminentissimus scriptor, dum pro depositione Joannis Theophanem testem citat, cum Theophanes in Chronographia pag. 302 Germanum Joanni *mortuo* successisse ita diserte asserat: *Post tres annos vero mortuo Joanne, Germanus Cyzico translatus est Constantinopolim, et patriarchatum tenuit annos quindecim.* Equidem fateor, quod Zonaras in Annalibus lib. 14 num. 27 sic scribat: *Patriarcha Joanne, ut non orthodoxo, a sede, quam triennum tenuerat, avulso, Germanum Cyzico revocatum in ejus locum substituit* Anastasius imperator. Sed cum nullus alius historicus, quantum scimus, de illa Joannis depositione meminerit, Theophani antiquiori majorem in hac re fidem, quam Zonaræ, adhibendam esse censemus. SEC. VIII.

Joannem anno 714 exauctoratum fuisse,

522 Porro Baronius putat, S. Germanum anno Christi DCCXIV locum Joannis occupasse, et hunc annum haud dubie determinavit ex verbis Theophanis, qui in Chronographia pag. 322, ad annum Incarnationis juxta Alexandrinos DCCVII, qui anno Christi DCCXIV a Kalendis Septembris inchoatur, sic scribit: *Eodem porro secundo* anno *imperii Artemii, qui etiam Anastasius, Indictione decima tertia, mensis Augusti die undecimo, e Cyzicena metropoli Constantinopolim Germanus translatus est.* Sed Pagius in Critica ad annum Christi DCCXIV num. 2 ostendit, uno anno a vera chronologia aberrasse Baronium, *qui non adverterat, Theophanem imperatorum annos a Kalendis Septembris morti decessoris proximioribus cum anno civili incohare, ideoque anno DCCXV mense Augusto juxta computandi rationem, a Theophane usurpatam, secundum Anastasii imperatoris annum adhuc in cursu fuisse. Eo autem Christi anno dies Dominica in diem undecimam mensis Augusti incidit, et ordinationes episcoporum diebus Dominicis aut festis so-* E *lennibus fieri solitas sæpe inculcavimus.*

cum verosimilius anno 715 in locum Joannis mortui

523 Dein ita pergit: *Goarus in notis ad Theophanem contendit, sanctum Germanum anno primo Anastasii imperatoris die quarto mensis Augusti Constantinopolim translatum esse, Anastasiumque seu Artemium præsenti solum anno ad imperium evectum; et juxta eam sententiam textum Theophanis corrigit, seu, ut verius dicam, corrumpit: Anastasium enim anno elapso dictum esse imperatorem jam demonstravimus; Germanum vero die XI Augusti anni DCCXV ordinatum esse, ex dicendis anno DCCXXX, quo abdicavit, magis confirmabitur.* Hæc cum chronotaxi nostra optime concordant: si enim cum Theophane, et plerisque catalogis, tres gubernationis annos Joanni concesseris, eosque ab exeunte anno DCCXI, vel ineunte DCCXII numeraveris, comperies, Joannem sedisse annos tres cum aliquot mensibus, qui menses sæpe non exprimuntur, ut jam aliquoties observavimus. Probabilius itaque existimamus, quod Joannes anno Christi DCCXV obierit, et eodem anno, die XI Augusti in locum ejus suffectus fuerit

F

XLVIII S. GERMANUS I.

subrogatus fuerit S. Germanus.

Cum Henschenius noster ad diem XII Maii Acta hujus Patriarchæ illustraverit, hic rursus præcipuam chronologiæ rationem habebimus postquam hunc sanctum Virum purgaverimus ab hæreseos labe, quam Theophanes in Chronographia pag. 302 sic ipsi aspergit: *Andreas autem Cretæ metropolita, et Germanus Cyzici pariter metropolita insano illi concilio manifesto subscripserunt, et cum omnibus ejusdem ætatis episcopis celebratum adversus Monothelitas præfato more sanctum sextum concilium anathemate proscripserunt.* Dein ibidem pag. 320 similia repetit, et plures ejusdem perfidiæ socios nominatim Germano adjungit. Sanctus Nicephorus in Historia pag. 31 Germanum insimulat ejusdem criminis hoc modo: *Post hæc Philippicus imperium turpiter ac negligenter administrat, et eos patres, qui in sexta œcumenica synodo convenerant, anathemate condemnat, quæ ab iis de duplici Christi Domini voluntate et actione decreta erant, improbans: qua in re adjutorem nactus est Joannem Constantinopolitanum patriarcham, et*

Germanum

SEC. VIII.

Germanum Cyzici metropolitanum, aliosque tam sacerdotes, quam senatores plurimos.

quem juxta opinionem Henschenii nostri

525 Henschenius noster tomo III Maii pag. 156 respondet, hoc omnino falsum esse, et ex subdolis hæreticorum chartis exceptum. Responsioni huic favet testimonium ipsiusmet Theophanis, a quo postmodum in Chronographia pag. 342 *sacer ille ac divinus Germanus decretorum veræ religionis defensor*, et alibi sæpe *sanctissimus* vocatur, cum interim ab eodem retractatio aut pœnitentia S. Germani nusquam memoretur. Quis porro facile credat, Theophanem post hanc accusationem nullibi indicaturum fuisse, quod S. Germanus postea mentem mutasset, ac hæreticam opinionem retractasset? Hæc itaque tam parum cohærentia Henschenio fundamentum præbebant, ut suspicaretur, similia in textum Theophanis et Nicephori ab hostibus S. Germani intrusa esse, aut saltem ex falsis quorumdam scriptis sine maturo examine in historiam eorum transiisse.

ab omni hæresis suspicione liberamus.

526 Si quis cum Pagio dicere malit, S. Germanum aliosque nonnullos hanc hæresis suspicionem incurrisse, eo quod tempore Philippici voces

B

a sexta synodo usurpatas et imperatori exosas suppressissent, non refragabimur. Sed is simul meminerit eorum, quæ paulo superius de hac dissimulatione ex Pagio monuimus, et firmiter sibi persuadeat, S. Germanum semper ab hæresi Monothelitarum prorsus abhorruisse: nam ipsum collaborasse, ut sexta synodus contra Monothelitas convocaretur, discimus ex epistola Gregorii II Papæ, qui apud Labbeum tomo 7 col. 18 Leoni imperatori post alia sic scribit: *Cum enim dominus Germanus, quique tum temporis patriarcha erat, dominus Georgius suggessissent persuasissentque Constantino Constantis filio, Justiniani patri, ut Romam ad nos* (hoc est ad Romanum Pontificem tunc existentem) *scriberet, sicut interposito jurejurando scripsit ad nos, et nobiscum egit, ut ad universalem synodum congregandam viros utiles mitteremus..... Tum nos, Deo bene volente, misimus, et cum pace sexta synodus celebrata est.* Adde, quod ipse Germanus, jam factus patriarcha Constantinopolitanus, coegerit synodum, in qua præcipui Monothelitæ iterum damnati sunt, ut in libello synodico apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 1451 et 1452 legimus. Hæc ad vindi-

C

candam S. Germani orthodoxiam sufficiant. Nunc chronotaxim episcopatus ejus examinemus.

S. Germanus mense Augusto anni 715 ad sedem CP. evectus est.

527 Si apud Theophanem recte signati sint numeri, S. Germanus cathedram Constantinopolitanam ascendit anno Christi DCCXV, die XI Augusti, quæ illo anno in diem Dominicam incidebat, ut supra notavimus. Theophanes autem in Tabulis et Chronographia pag. 302 Constantinopolitano ipsius episcopatui quindecim annos rotundo numero ita tribuit: *Post tres annos vero, mortuo Joanne, Germanus Cyzico translatus est Constantinopolim, et patriarchatum tenuit annos quindecim.* Verum illos quindecim annos incomplete intelligendos esse, patet ex eodem Theophane, qui in Chronographia pag 342 tempus ejusdem sic scrupulose computat: *Tenuit pontificatum annos quatuordecim, menses quinque, dies tres.* Ibidem paulo superius narraverat, quomodo S. Germanus *die* VII *mensis Januarii, indictione* XIII, *feria hebdomadis tertia* Leoni imperatori fortiter restiterit, et episcopatu se abdicarit. Sed Henschenius noster tomo III Maii pag. 158 ostendit pro *die* VII *mensis Januarii* legendum esse XVII *mensis Januarii*, ut numerus ille diei ac feriæ conveniat.

D

licet in exacta computatione dierum

528 At jam restat difficultas conciliandi *annos quatuordecim, menses quinque, dies tres*, quos Theophanes numerat, cum hac correctione, quandoquidem usque ad XVII diem Januarii plures quam tres dies supersunt: nam ab anno Christi DCCXV, die XI Augusti usque ad annum Christi DCCXXX, die XI Januarii quatuordecim anni et quinque menses effluxerant, et ab undecima die Januarii usque ad decimam septimam ejusdem mensis supererunt dies septem, si diem ordinationis et abdicationis simul computaveris. Pagius in Critica ad annum DCCXXX num. 2 se hac difficultate ita expedit: *Sanctus Germanus tenuit pontificatum annos quatuordecim, menses quinque, dies tres, inquit Theophanes citatus. Quare cum episcopus Constantinopolitanus die* XI *mensis Augusti anni* DCCXV *consecratus fuerit, liquet Baronium sancti Germani ordinationem in annum* DCCXIV *perperam contulisse. Sic enim non annos quatuordecim, sed quindecim integros cum aliquot mensium appendice pontificatum tenuisset. Liquet secundo, loco horum verborum* DIES TRES *legendum esse cum Anastasio, auctore Miscellæ, et cum Cedreno,* DIES SEPTEM.

E

quibus episcopatum tenuit,

529 Nescio, quid in mentem venerit Anselmo Banduro, dum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 903 et sequente, post relata Pagii verba, computum illius ita carpit: *Sic Pagius; at perperam: nam melius legendum* DIES TRES; *siquidem a die* XI *mensis Augusti, anni Christi* DCCXV, *quo Germanus consecratus fuit episcopus Constantinopolitanus, ad diem* XXII *(Januarii,) anni Christi* DCCXXX, *quo Anastasius in ejus locum suffectus est, intercedunt anni quatuordecim, menses quinque, et dies tres.* Pagius cum Henschenio nostro censuit, pro die septima Januarii, decimam septimam ejusdem mensis substituendam esse, et hinc cum Anastasio, auctore Historiæ miscellæ et Cedreno septem dies pro tribus legit, et hac ratione accuratum annorum, mensium, ac dierum computum invenit. At Bandurus, qui alibi in Theophane similes numerorum correctiones facile admittit, et hic Pagium propterea erroris arguit, videtur ipse errasse: nam a die XI Augusti, anno DCCXV usque ad XXII diem Januarii, anno DCCXXX quatuordecim anni, menses quinque, et plures quam tres dies intercedunt, ut manifestum fiet illi, qui elapsum temporis spatium inter hæc extrema numerare voluerit.

F

aliqua minoris momenti difficultas occurrat.

530 Præterea episcopatus S. Germani ab Anselmo Banduro non erat numerandus usque ad diem XXII Januarii anni DCCXXX, cum antea eum abdicarit, cui abdicationi forte Bandurus animum non advertit, licet illam Theophanes in Chronographia pag. 342 sic clare expresserit: *Ceterum die septima * mensis Januarii, Indictione decima tertia, feria hebdomadis tertia, irreligiosus Leo silentium* (significatur hic silentio conventus optimatum jussu imperatoris convocatus, ut Pagius loco proxime citato explicat) *contra sanctas venerandasque imagines in novemdecim accubitorum tribunalio celebravit, Germano sanctissimo patriarcha advocato, cui persuadendum arbitrabatur, ut suo de abolendis sacris imaginibus decreto tandem subscriberet. At fortis Christi Servus abominando Leonis consilio nequaquam cedens, imo veritatis verbum recto sensu distribuens, episcopatu sese abdicavit. Quin etiam pallium pontificium sponte deponens, post satis longum meræ doctrinæ plenum sermonem demum dixit: Si ego sum Jonas, in mare me projicite; absque universalis etenim concilii authoritate, imperator, circa fidem quidquam innovare non valeo. Tum*

* lege decima septima

vero

vero in locum, qui Platanius dicitur, in paternam domum se recipiens, vitæ reliquum summo silentio transegit. Tenuit pontificatum annos quatuordecim, menses quinque, dies tres.

et mense Januario anni 730 eam dignitatem abdicavit,

531 Ex his omnibus tricis chronologicis concludo S. Germanum probabiliter anno Christi DCCXV, die XI Augusti cathedram Constantinopolitanam ascendisse, eamque anno DCCXXX, die XVII Januarii reliquisse, *si apud Theophanem recte signati sint numeri*, ut superius dixi propter conjecturam Henschenii nostri, qui tomo 3 Maii pag. 158 sic scribit : *Quod si aliunde constaret, dies solum tres, non sex, numerandos pro Germani pontificatu, tunc eum dicerem in solenni Assumptionis Marianæ die*, XV *Augusti in sede Constantinopolitana locatum : facillime enim ιά pro ιέ irrepere potuit in numeros Græcos ; et hoc cum insigni Sancti erga Deiparam affectu eximie quadraret.* Verum hæc Henschenii verba non ultra conjecturam accipi volumus, sicut ipse ea proposuit. Huic addere possemus alteram conjecturam Baronii, qui in Annalibus ad annum Christi DCCXIV num. 3 ex Theophane colligit, *Kalendis Augusti electum fuisse sanctum Germanum*, adeoque lectionem diei septimæ, qua sanctus Vir episcopatum abdicasse dicitur, præ decima septima retinendam existimat. Quocumque modo chronotaxim illam explices, semper mutandus est aliquis numerus, ut Theophanes secum concilietur. At saltem in eo omnes consentiunt, quod mense Januario anni DCCXXX, optimo magistro successerit pessimus discipulus, nempe

XLIX ANASTASIUS hæreticus.

quam statim obtinuit Anastasius

Quibus moribus iste Anastasius ante episcopatum præditus fuerit, discimus ex Theophane, qui in Chronographia pag. 341 et sequente hæc narrat : *Tantum abfuit, ut cœpti miserum Leonem puderet, ut præterea in hoc incubuerit, patriarchæ* Germani *sermones captando, aliosque dolose miscendo, ut eum læsæ majestatis reum convinceret, quo eum tamquam seditiosum, non vero tamquam confessorem, throno depulsaret : eam ad rem adjutorem atque participem nactus Anastasium, Germani discipulum et syncellum, ut sensuum suorum æmulo ac per omnia conscio, sedis adulterum ac successorem eum fore pollicitus est.*

perfidus ejus discipulus ac syncellus,

533 *Hunc cum ita adversum se prave affectum Beatus non ignoraret, Dominum suum imitatus, tamquam alterum Iscariotam, aperte quidem sed leniter ipsum de proditione commonuit. Cum vero ab errore illum revocari non posse cerneret, quadam die eidem Anastasio, Germani, imperatorem adeuntis, posteriorem vestis oram calcanti ipse patriarcha dixit : Noli festinare ; in circi etenim stadium citius, quam voles, ingredieris. At ille hisce verbis turbatus, nec alii præsagium intellexere : quod tamen quindecim post annos, tertio videlicet persecutoris Constantini, Indictione duodecima, exitum tandem habuit, ac non sine divino impulsu prolatum fuisse constitit : etenim Constantinus, Artabasdo genero expulso, cum solus imperio potitus esset, Anastasium una cum aliis suis inimicis verberibus cæsum, deinde nudum, asinoque facie retro versa insidentem per circi stadium palam circumduci jussit, utpote qui una cum inimicis suis se imperatoris munere abrogatum imperio ejecerat, atque Artabasdum coronaverat, quemadmodum inferius suo loco demonstrabitur.*

SEC. VIII.

qui eodem mense Januario anni 730 sedem CP. invadens

534 Theophanes ibidem pag. 342 et 343 tempus, quo Anastasius cathedram Constantinopolitanam invasit, ita indicat : *Die autem septima ejusdem mensis Januarii* (scilicet anno Christi DCCXXX, ut omnes chronologi asserunt) *Anastasium falsi nominis virum, ipsius beati Germani discipulum, et concellaneum, in ejus locum suffecerunt, qui videlicet dominii secularis ambitione motus, cum Leonis impietati assentiret, falsus Constantinopoleos episcopus creatus est.* Baronius, Henschenius, Pagius, et Bandurus unanimi consensu admittunt, pro *die septima ejusdem mensis Januarii* substituendum esse *die vigesima secunda ejusdem mensis Januarii*, ut inter hos postremus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 904 affirmat his verbis : *Et quidem legendum esse τῇ δὲ κβ΄; non vero, ut in textu editionis regiæ habetur, τῇ δὲ ζ΄, suadent codex Barberinus, Miscella, et Anastasius : et quidem dies vicesima secunda mensis Januarii hoc anno cum Dominica concurrebat, qua ordinationes episcoporum fieri solitæ erant, ut supra sæpe monuimus.* Nos igitur juxta hanc probabiliorem lectionem initio episcopatus Anastasiani annum Christi DCCXXX et diem XXII Januarii assignamus.

hæresi Iconoclastarum favit,

535 Quales tragœdias impius ille patriarcha statim excitaverit, colligimus ex Vita S. Stephani Junioris, quæ ab auctore coævo scripta est, et Parisiis anno MDCLXXXVIII Græco-Latine prodiit inter Analecta Græca, ubi tomo 1 pag. 414 et 415 leguntur sequentia : *Iisdem miseris diebus impius Anastasius impietatis manu pontificatum occupavit, vi militum, non suffragio divinæ pietatis ; qui quidem omnia ad ecclesiam pertinentia imperatoriis ædibus tradidit. Tum tyrannus, libera potestate prodendæ hæresis accepta, illico sanctam et dominicam Christi Dei nostri imaginem, quæ supra imperatoria atria collocata, ob effigiem sancta Ænea dicebatur, dejicere et igni tradere tentavit, quod quidem peregit.*

et magnas turbas excitavit.

536 *Interim vero dum tollebatur, divino zelo roboratæ honorabiles mulieres fortiter irruerunt, arreptaque scala, spatharium, qui imaginem amovebat, in terram projecerunt, distractumque morti dederunt. Post hæc ad patriarchicam domum statim properantes, impium Anastasium lapidibus petunt aientes, « Impurissimum caput, et veritatis hostis, » ergone idcirco sacerdotium invasisti, ut sancta et « sacra anathemata sive donaria everterentur? » Hanc de se victoriam non ferens profanus, a conspectu piarum mulierum aufugit, et ad tyrannum confugiens, ei auctor fuit, ut sanctas illas mulieres ferro interimeret. Quod quidem factum est, illæque pro Christi imagine, inito certamine, victoriæ præmium ab ipso Christo receperunt cum omnibus sanctis victricibus in regno cœlorum lætantes.*

Attamen unionem cum Papa Romano frustra ambiens,

537 Nihilominus ita affectus Anastasius unionem cum Romano Pontifice ambiebat. Sed Gregorius II Papa, rerum gestarum conscius, communionem ipsius respuit, ut idem Theophanes in Chronographia pag. 343 sic breviter innuit : *Ceterum Gregorius sacer Romæ præsul, quemadmodum jam præmisi, Anastasium una cum libellis ejus abjudicavit.* Anastasius Bibliothecarius in Vita Gregorii II Papæ apud Labbeum tomo 6 Conciliorum col. 1435 et 1436 eamdem rem confirmat his verbis : *Etiam Germanum, sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ antistitem, eo quod ei consensum præbere noluisset, pontificatu privavit isdem* * *imperator* (nempe, Leo Isauricus) *sibique complicem Anastasium presbyterum in ejus loco* * *constituit ; qui missa Romam synodica dum tali hæresi eum consentientem reperiret vir sanctus* (videlicet Gregorius

* al. idem.

* al. locum

SEC. VIII.

rius Pontifex Romanus) *non censuit eum fratrem aut consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem a sacerdotali officio esse mandavit.*

538 Cum mortuo Leoni imperatori successisset ejus filius Constantinus, cognomento Copronymus, qui propter hæresim et crudelitatem subditis suis exosus erat, Artabasdus illius gener hac occasione usus imperium affectavit, ac, fusis Constantini Copronymi copiis, obtinuit. Quamvis Artabasdus esset sacrarum imaginum defensor, et Anastasius iconoclasta, tamen sacrilegus ille patriarcha tempori serviebat, et religionem (si forte umquam ullam habuit) ambitioni suæ accommodabat : nam cum falsum nuntium de morte Constantini Copronymi allatum esset, teste Theophane in Chronographia pag. 348, *confestim populus universus, Anastasio falsi nominis patriarcha duce, diris et maledictis, ceu naturæ monstrum et a Deo alienum, Constantinum insequitur, cædem ejus, quasi ingenti malo liberati, gratanter excipit, et Artabasdum velut orthodoxum et sacrorum dogmatum defensorem, imperatorem proclamat.*

religionem tempori,

B

539 Præterea dolosus ille patriarcha, ut fortasse novum imperatorem sibi demereretur, et memoriam Constantini magis odiosam redderet, illum de summa impietate accusavit, ut Theophanes loco proxime citato refert his verbis : *Ceterum Anastasius falso nomine patriarcha, veneranda ac vivifica crucis ligna manibus tenens, interposito jusjurando* *, *coram plebe disseruit :* « *Per eum, qui lignis istis suffixus est, ita mihi dixit imperator : Ne Dei Filium, quem genuit Maria, quique Christus dicitur, uspiam reputaveris, quam simplicem ac nudum hominem ; eum etenim in lucem Maria protulit in eum modum, quo me mater mea Maria genuit.* » *His auditis, populus universus eum imperio abdicatum pronuntiavit.*

et imperatorum fortunæ

* *lege* jurejurando

540 Hæc accusatio non abhorret a vero, quamvis eam testis suspectus instituat, quia id facile credi potest de illo homine, quem S. Theophanes, aliique scriptores, tamquam impietatis monstrum, depingunt, et de quo Georgius Cedrenus in Compendio historiarum part. 2 pag. 459 scribit sequentia : *Ut primum in patrium regnum et impietatem successit, longius etiam a Deo, Deipara, omnibusque se Sanctis abalienavit ; ac deinceps veneficiis, libidinibus, dæmonum invocationibus, viscerum exsectionibus, aliisque malis studiis, tum venationibus et ludis circensibus deditus, idoneum se Antichristo instrumentum præbuit. Atque adeo universali edicto vetuit, ne quis in universum Domini servorum, Sancti titulo cohonestaretur ; quinimo conspui eorum inventas reliquias jussit, prohibuitque eorum intercessionem postulari, quod eos nihil posse diceret. Atque addidit scelestus, Mariæ quoque Virginis intercessionem non esse implorandam : nihil enim eam præstare posse. Quin et Deiparam hanc noluit appellari : sumptis enim in manus auro plenis loculis, ac præsentibus demonstratis, sciscitatus est, quanti eos putarent esse pretii. Cum responsum esset : Magni ; evacuato auro, rursum interrogavit, quanti loculos æstimarent? Cumque responsum esset : Nihili, Ita, inquit, Maria quoque, dum Christum gestavit utero,*

accomodabat ;

C

D

in honore fuit : postquam eum peperit, nihilo reliquis mulieribus præstantior est. En quibus majoribus et sectæ suæ defensoribus hodierni hagiomachi atque iconoclastæ gloriari possint? Sed ad sacrilegum patriarcham nostrum revertamur.

541 Mutata belli fortuna, Artabasdus a Constantino Copronymo capitur, et tunc Anastasius patriarcha dedit perfidiæ pœnas, quas olim S. Germanus ei obscure prædixerat : nam Constantinus victor, ut Theophanes in Chronographia pag. 353 narrat, *celebratis etiam in circo ludis equestribus, Artabasdum una cum filiis et amicis vinculis alligatum, nec non Anastasium, falsi nominis patriarcham, oculis privatum, et asino facie ad caudam versa insidentem, publice per medium circi stadium invexit, et de iis ludibrii triumphum egit.* Cum tamen hæreticus imperator neminem nosset magis idoneum sectæ suæ propagandæ, hac ignominia affectum patriarcham sedi Constantinopolitanæ iterum præfecit, ut Theophanes ibidem ita testatur : *Ceterum Anastasium, ceu sententiæ suæ sectatorem, probe subactum et renovandæ pœnæ timore emendatum, in sacerdotii sedem restituit.* Nunc ad mortem hujus scelerati antistitis procedamus.

sed tandem pœnas perfidiæ suæ dedit, ut S. Germanus ei prædixerat,

E

542 Theophanes in Chronographia pag. 359 ad annum decimum tertium Constantini Copronymi, quo nempe post mortem patris sui imperabat, et qui juxta Pagium aliosque chronologos, in annum Christi DCCLIII incidit, obitum Anastasii patriarchæ sic refert : *Hoc anno Anastasius sacrilegus throni Constantinopolitani antistes anima simul et corpore mortuus est infelicissimo morbo, qui chordapsus dicitur, proprium stercus per os egerens, dignamque persolvit ultionem suorum in Deum ac præceptorem injuriarum.* Hic mortis annus optime convenit cum duratione episcopatus ipsius, cui Theophanes in Tabulis et in Chronographia pag. 302 *annos viginti quatuor* assignat : si enim elapsum tempus numeraveris ab ineunte anno Christi DCCXXX, quo Anastasius cathedram Constantinopolitanam invasit, usque ad finem anni DCCLIII quo infelicem animam efflavit, invenies anno viginti tres et aliquot menses, quos Theophanes juxta usum satis receptum, neglectis mensibus, numero rotundo pro viginti quatuor annis computavit.

ac dein anno 753 infelicem animam efflavit,

F

543 Huic annorum computationi consonant omnes patriarcharum catalogi apud Bandurum, et Zonaras in Annalibus, ubi lib. 15 num. 6 de morte hujus patriarchæ sic scribit : *Tunc et patriarcha Anastasius, cum Ecclesiæ per annos viginti quatuor* (Græce sine litteris numeralibus sic anni illi diserte exprimuntur, ἐπὶ χρόνοις εἴκοσι πρὸς τοῖς τέταρσι) *impie insultasset, vitam cum morte commutavit.* In regiam S. Nicephori editionem, quæ tantum XXI annos ipsi tribuit, haud dubie error irrepsit, ut liquet ex Banduriana ejusdem Nicephori editione et duabus antiquioribus, ubi cum omnibus aliis catalogis Anastasio anni XXIV adscribuntur. Post mortem hujus pseudo-patriarchæ sedes Constantinopolitana aliquantisper vacavit, ut postea ostendemus, dum hic prius non inutilem disputatiunculam interseruerimus.

postquam fere 24 annis ecclesiam CP. tyrannice rexisset.

PARERGON

A

PARERGON VII.

Quæritur, an Anastasius patriarcha Constantinopolitanus in sacris Græcorum fastis sit relinquendus, et hac occasione auctoritas Menæorum examinatur.

Anastasius Iconoclasta perperam Menæis Græcorum insertus est,

Post ea omnia, quæ hactenus de Anastasio retulimus, jure merito mirabitur lector, si illum in ecclesiasticis Græcorum monumentis inter Sanctos numeratum invenerit. Attamen in Menæis impressis ad diem x Februarii leguntur sequentia : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Eodem die, memoria sancti patris nostri Anastasii archiepiscopi Constantinopolitani.* Deinde majoris ornatus gratia hi duo versiculi adduntur :

B

Ἀναστάσιος τὸν δρόμον τείνων πρόσω,
Γῆς ἐξαναστὰς πρὸς τὸν Ὕψιστον τρέχει.
Anastasius dum promovet cursum suum,
Terra resurgens advolat ad Altissimum.

Hic satis manifesta allusio est inter nomen proprium Ἀναστάσιος et participium ἀναστὰς vel ἐξαναστὰς, quod *exsurgentem* vel *resurgentem* significat. Ex hac allusione etiam certiores reddimur, non esse erratum in nomine Anastasii exprimendo. Martyrologus Moscus in Menologio Sclavo-Russico, quod nobilissimus baro de Sparwenfelt nobis Latine redditum reliquit, eadem die x Februarii Anastasium archiepiscopum Constantinopolitanum celebrat; et Maximus Cytherorum episcopus, omissis versiculis, annuntiationem Menæorum totidem verbis expressit.

ut Raderus in Mss. observationibus,

545 Jam juverit audire judicium Raderi nostri, qui in Mss. observationibus ad Menæa typis excusa, hac die sic notat : *Inter episcopos, archiepiscopos, et patriarchas Constantinopolitanos centum et duodecim, quos ordine recenset Demochares, unicus fuit Anastasius dictus, sancti Germani parum germanus discipulus, cui, propter sacrarum imaginum cultum expulso, hic a Leone ichonomacho suffectus est, quod imperatoris sententiæ subscriberet, ut mirer, illum hic inter Sanctos a Græcis in Martyrologio Menæorum relatum, cum alias ubique et toto opere iconomachos omnes detestentur et exsecrentur; Anastasius vero vitam pessima et infami morte finierit. Baronium adi anno Christi* DCCLIII *num.* IV. *Itaque expungendus est hic e syllabo et albo Sanctorum, vel alius aliquis quærendus Anastasius, quem ego nullum reperio.*

C

et præcessores nostri ad diem 10 Februarii notarunt.

546 Etiam nullum alium istius nominis præsulem Constantinopolitanum repererunt Majores nostri, dum inter prætermissos ad diem x Februarii sic monent : *Anastasius archiepiscopus Constantinopoleos celebratur a Græcis in Menæis, titulo attributo* SANCTI PATRIS NOSTRI, *et distichi unius elogio. Refertur et a Maximo Cythereo. Unicum in vulgatis catalogis legimus ejus sedis archiepiscopum Anastasium tempore Constantini Copronymi eumque hæreticum.* Neque nos hactenus alium invenimus, ut ex tota nostra patriarcharum serie postmodum apparebit. Quare hunc Anastasium albo Sanctorum prorsus eradendum putamus, et hoc manifesto erroris exemplo iterum monemur, ut caute fidamus similibus Græcorum monumentis, quorum auctoritatem hac occasione paulo scrupulosius examinabimus.

Hac occasione judicium,

547 Dum Bollandus noster in præfatione generali ante tomum 1 Januarii cap. IV, § XI varia Græcorum menologia enumerat, ibidem pag. LV de Menæis excusis hæc habet : *Maximo mihi usui Græcorum Menæa fuere, quæ Venetiis aliquot voluminibus edita multos quotidie Cœlites recensent, plerosque eorum, quorum est in Latinis fastis celebris ab antiquo memoria, tum alios partim ignotos omnino Latinis, partim a scriptoribus laudatos, non tamen ecclesiæ Catholicæ Martyrologiis inscriptos. Timide primum ea volvere cœpi, veritus, ne quos schismatis adversus Latinam Ecclesiam propugnatores Menæis inseruissent; itaque eram affectus animo, ut mallem aliquos præterire, etiam sanctitate illustres, sed mihi ignotos, quam temere ullum immerito ornare titulo sanctitatis.* E

quod Bollandus de impressis Græcorum Menæis tulit,

548 *Sciebam, in veteribus Sanctis minus esse periculi, præsertim martyribus, etsi nihil de iis traditum litteris legissem; uti multi sunt etiam in Romano Martyrologio, quorum vel exciderunt, vel numquam fortassis integre scripta sunt Acta. Jam si sunt multi in omnibus fere Occidentalibus provinciis Sancti, quorum nulla in Romano Martyrologio memoria exstat; quid mirum in Græcia Asiaque esse complures, ubi prius, quam in multis occiduis regionibus seminata Christi religio est, multoque Martyrum sanguine irrigata? Verum ubi diligenter examinavi Menæa illa, nullum adhuc reperi inscriptum, quem constaret aut Ecclesiæ Romanæ debitam obedientiam abjecisse, aut hæreticis inflatum erroribus. Si qui ulla ratione suspecti fuere, hos omisi.*

ab aliquibus nimis late intellectum, verbis ipsiusmet explicatur.

549 Hoc Bollandi judicium tantummodo intelligendum est de illa Menæorum parte, quam usque ad illud tempus examinaverat, ut ipsemet in præfatione ad tomum 1 Februarii cap. V, pag. XXI testatur disertis his verbis : *Quod autem in præfatione ad Januarium cap.* IV, § XI, *pag.* LV *scripsimus, nullum adhuc reperisse nos inscriptum Menæis, quem constaret aut Ecclesiæ Romanæ debitam obedientiam abjecisse, aut hæreticis inflatum erroribus; quidam latius acceperunt, quam nos scribentes cogitabamus, quasi id de omnibus, quorum essent in Menæis descripta nomina, pronuntiassemus : quod sane neutiquam ita intelligi voluimus; sed de iis solum, quorum jam Acta atque elogia expenderamus : neque enim universum Menæorum opus examinavimus, sed prout in progressu Operis nostri necessarium visum..... Quando minus solida esse, quæ de Sanctorum illorum cultu publico memoriaque traduntur, visa nobis fuerint, vel taciti prætermimus, quasi inserendum numero Divorum talem aliquem non putemus, vel plerumque, cur abstineamus ab ejus commemoratione calamum, lectori indicamus.* F

Præter indignos, et quosdam dubiæ sanctitatis præsules, qui in hoc tractatu assignantur.

550 Bollandus ejusque successores hanc regulam sibi præscriptam prudenter observarunt, et propterea in progressu Operis varios e numero Sanctorum expunxerunt, aut inter prætermissos collocarunt, etiamsi in Menæis titulo Sancti ornarentur. Exemplo sit hic ipse Anastasius, cujus occasione hoc examen instituimus, quem die x Februarii inter prætermissos rejecerunt, ut jam supra vidimus. Quinimo discimus ex hoc ipso Tractatu de patriarchis Constantinopolitanis, propter quos magna Menæorum pars percurrenda fuit, quam caute fidere oporteat sacris hisce

Græcorum

SEC. VIII.

Græcorum fastis, cum in iis plures patriarchæ celebrentur, quibus titulus Sancti minime convenit, aut de quorum sanctitate saltem non immerito dubitamus. Ne hic repetamus ea, quæ de hac re per decursum dicta sunt, aut deinceps dicentur, aliis quibusdam exemplis ostendemus, quam parum auctoritati Menæorum sit tribuendum.

Græci Menæis suis inseruerunt

551 Die XIX Decembris in Menæis impressis celebratur memoria omnium Justorum, qui in antiqua lege Deo placuerunt, et ordinatur longa eorum series, cui præmittitur hoc monitum, quod ita ex Græco Latinum reddimus : *Sancti Deoque pleni patres statuerunt, ut ipsa Dominica, quæ Christi Nativitatem præcedit, perageretur memoria omnium Justorum, qui Deo placere studuerunt ab orbe condito; nempe ab Adamo usque ad Josephum, sanctissimæ Deiparæ sponsum juxta genealogiam, ab evangelista Matthæo historice enumeratam; similiter et prophetarum et prophetissarum.* Tum longo ordine sequuntur expressa omnium B nomina, et ornatus gratia singulis duo versiculi adjunguntur.

aliquot improbos reges veteris Testamenti,

552 Verum inter illos justos, quorum memoria tunc colitur, recensentur : Salomon, Roboam, Abias, Joram, Ochozias, Achaz, aliique, quos sacra Scriptura acriter reprehendit, et quorum salus in dubio versatur. Norunt omnes, quantopere inter eruditos de salute Salomonis disceptetur. Salianus noster juxta varia testimonia asserit, Roboamum et Abiam in impietate sua mortuos esse, ut in Annalibus ecclesiasticis veteris Testamenti ad annum mundi 3076 et 3079 videri potest. Unde Raderus noster in Mss. observationibus ad excusa Græcorum Menæa sic scribit : *Expunguntur ergo duo reges isti ex albo Sanctorum, Roboam et Abias, quidquid interim Menæa suggerant : nemo enim potest duobus dominis servire.*

de quorum pœnitentia et salute

553 Salianus in iisdem Annalibus veteris Testamenti ad annum mundi 3150 num. 3 de Joramo hæc disserte affirmat : *Neque vero Joram morte felicior, quam vita fuit : nam ea in summa impietate, in publico scandalo idololatriæ, quod iterum in regnum invexit, et aliis atrocibus sceleribus transacta, nec Deo per pœnitentiam in longa ægri-* C *tudine requisito (id enim si factum fuisset, Scriptura minime tacuisset) utique subsecuta est mors, quæ ad æterna supplicia aditus fuit; corpus autem ejus contumelia affectum est hoc ipso, quod regum sepultura caruit.* Deinde ibidem refert ex sacris Litteris, aliisque auctoribus ignominiosam illius mortem, et populi exsecrationem, qui cadaveri ejus insultavit, et ex tali morte conjectavit, quam invisus Deo fuisset. Hinc iterum Raderus in proxime citatis observationibus ita monet : *Eradendus hic ex Menæis non quidem e genealogia Christi; sed e numero justorum et Sanctorum : impius enim obiit.*

plurimi eruditi auctores merito dubitant,

554 De rege Ochozia liber 4 Regum cap. 8 tradit sequentia : *Anno duodecimo Joram, filii Achab, regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram regis Judæ..... et ambulavit in viis domus Achab, et fecit, quod malum est coram Domino, sicut domus Achab : gener enim domus Achab fuit.* Libro 2 Paralipomenon cap. 22 similia de illo leguntur his verbis : *Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab : mater enim ejus impulit eum, ut impie ageret. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab : ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui in interitum ejus, ambulavitque in consiliis eorum.* Tum sacra Scriptura ibidem narrat, quomodo Ochozias post breve regnum occisus fuerit, de qua violenta morte Flavius Josephus lib. 9 Antiquitatum Judaicarum cap. 5 sic meminit : *Paulo post ex eo vulnere mortuus, relatusque Hierosolyma, illic sepultus est, cum regnasset anno uno, patre suo longe sceleratior.* D

et inter illos refertur rex Achaz,

555 Denique in illa serie celebratur μνήμη Ἄχαζ βασιλέως, υἱοῦ Ἰωάθαμ. Id est : *Memoria Achaz regis filii Joatham*, ac ibidem decoratur his versiculis :

Τὸ τῆς κεφαλῆς στέμμα τῆς Ἰωάθαμ,
Στέφει κεφαλὴν εὐπρεπῶς καὶ τὴν Ἄχαζ.
Corona, regis Joatham exornans caput,
Etiam decore post Achaz cinxit caput.

At quam indecore corona regia caput istius Achaz cinxerit, discimus ex libro 4 Regum cap. 16, et libro 2 Paralipomenon cap. 28, in quo posteriori sacro textu post alia illius scelera a ℣ 21 memorantur sequentia : *Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit.* E *Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum. Ipse per se rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei atque confractis, clausit januas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem. In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum...... Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem : neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel.*

quem Salianus aliique in impietate sua mortuum esse asserunt.

556 Inde Salianus noster in Annalibus ecclesiasticis veteris Testamenti ad annum mundi 3309 num. 5 de infelici istius regis morte sic disserit : *Hic ergo ultimus est annus impiæ vitæ Achaz, et regni ejus ærumnosi, idemque vitæ, ut dixi, trigesimus sextus : cujus memoria non solum infamis, sed etiam exsecrabilis præ omnibus regibus Judæ qui eum antecesserunt, perseverat. Nam insanus furor Salomonis paucorum annorum fuit et extrema pœnitentia correctus est; hic toto regni sui tempore impius fuit, et in eadem impietate extremum vitæ clausit diem, ut Josephus, Genebrardus, omnes fatentur.* F *Ille templum condidit ac consecravit, omnibusque modis ornavit; hic profanatum atque expilatum impie clausit, ne quis Deo supplex fieret, ut ipsum placatus aliquando respiceret, eique bonam mentem largiretur. Ille victus libidine, a Deo aversus, sese ad idola convertit; hic sua ipsius impietate et malitia actus in rabiem, ferrum quodammodo distrinxit in ipsum Deum, ejus aram evertit, vasa confregit, templum obstruxit, et ei quantam potuit vim atque injuriam afferre molitus est. Denique verberibus, quibus Dominus aliorum scelera expiavit, factus deterior, augensque contemptum, ab eo in perpetuum abjectus est.*

Nihilominus Achaz ibidem ad diem 1 Aprilis Sanctis adscribitur,

557 Interim Græci, quasi non sufficiat semel hunc impium regem inter Justos memorasse, in Menæis suis die I Aprilis peculiarem ejusdem idololatræ memoriam ita repetunt : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Ἄχαζ. Id est : *Eodem die, sancti et justi Achaz.* Ut autem clarius intelligamus, hunc esse eumdem Achaz, ad quem Isaias propheta missus fuerit, addunt hos versiculos :

Ἄχαζ Θεοῦ πέφυκεν ἑστὼς πλησίον,
Ἄχαζ, ὃς εἶπεν · οὐ Θεὸν μοῦ πειράσω.
Deo propinquus quando factus est Achaz,
Tentare nolo, inquit, Deum Dominum meum.

Majores

A Majores nostri ad hanc Menæorum annuntiationem inter prætermissos die I Aprilis notaverunt sequentia : SANCTI ET JUSTI ACHAZ *memoria hoc die notatur in Menæis cum tali disticho, quasi ipse is fuerit, qui dixisse legitur, Isaïæ* 7 : NON TENTABO DOMINUM :

Ἄχαζ Θεοῦ πέφυκεν ἑστὼς πλησίον,
Ἄχαζ, ὃς εἶπεν· οὐ Θεὸν μοῦ πειράσω.

Eodem facere videtur titulus JUSTI, *solis fere veteris Testamenti Sanctis addi a Græcis solitus. At profecto impius fuit Achaz iste : quare dum aliunde intelligamus distinctius, quis hic inter Sanctos colendus proponatur, ipsum omittimus.*

qui ab impio istius nominis rege diversus non est,

558 At non erat dubitandum, quin hic colendus proponeretur idem ille Achaz, filius Joatham, de quo Græci ad diem XIX Decembris rursus meminerunt : id enim satis evidenter patet ex cap. 7 Isaiæ, ubi hæc leguntur : *Et factum est in diebus Achaz, filii Joatham, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee, filius Romeliæ rex Israel in Jerusalem ad præliandum* B *contra eam, et non potuerunt debellare eam..... Et dixit Dominus ad Isaïam : Egredere in occursum Achaz, tu, et qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis. Et dices ad eum : Vide ut sileas : Noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ...... Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum.*

ut patet ex verbis ab eo usurpatis,

559 Quare Raderus noster in laudatis Mss. Observationibus ad Menæa die I Aprilis, hunc Græcorum errorem confidenter ita explodit : *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis, o Pelasgi, dum impium regem et idololatram, et ceteris regibus omnibus sceleratiorem, inter Divos reponitis, et hanc unicam vocem Isaiæ 7 excipitis, qua sanctitatem Achazi comprobatis :* NON PETAM, ET NON TENTABO DOMINUM. *Recognoscat lector, quæ de illo sacra Litterarum oracula testentur 4 Regum cap. 16 ; et 2 Paralipomenon cap. 28, ubi nil fere nisi de idolorum cultu, ab illo instituto, et odio Numinis tractatur. Quod autem ad illa apud Isaïam* C *verba regis attinet :* NON TENTABO DOMINUM, *non est ille sensus, quem nonnulli eliciunt, et interpretantur, quasi pie locutus sit illic Achaz. Diffidentia fuit.* Dein citat nostrum Cornelium a Lapide, qui in Commentariis ad caput 7 Isaïæ hæc verba regis Achaz hypocrisi et impietati adscribit.

quæ S. Hieronymus

560 Sed in gratiam Græcorum malumus hoc loco allegare notissimos et antiquos sacræ Scripturæ interpretes, inter quos merito numerandus est S. Hieronymus, qui in novissima editione Parisiensi tomo 3 col. 69 et 70 memoratum Isaïæ textum ita explicat : ET DIXIT ACHAZ : NON PETAM, ET NON TENTABO DOMINUM. *Non humilitatis est, sed superbiæ, quod non vult signum a Domino postulare : quamquam enim scriptum sit in Deuteronomio :* NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM ; *et hoc contra diabolum Salvator usus sit testimonio ; tamen jussus, ut peteret, obedientia debuit explere præceptum, præsertim cum et Gedeon et Manue signum petierint et acceperint. Quamquam juxta Hebræi sermonis ambiguitatem, in quo scriptum est :* ULO ENASSE ADONAI, *et omnes similiter transtulerunt :* NON TENTABO DOMINUM, *legi possit :* NON EXALTABO DOMINUM. *Sciebat enim rex impius, quod si signum peteret, accepturus esset, et glorificaretur Dominus. Ergo quasi idolorum cultor, qui in omnibus angulis platearum, et in montibus lucisque nemorosis aras constituerat, et pro levitis habebat phanaticos, non vult signum petere, quod præceptum est.*

SEC. VIII.

et S. Cyrillus Alexandrinus,

561 Præterea Græci audiant suum S. Cyrillum Alexandrinum, qui lib. 1 Commentariorum in Isaïam, Orat. 4 eumdem prophetæ istius locum sic exponit : *Achazo thronum regni obtinente Hierosolymis, et ad effrenationem quamdam valde prolapso, et dæmoniorum cultibus falsis adhærescente, eum omnibus modis conatur ad melius traducere, et ut veritatis opinionem consectetur ac cupiat, et recta de Deo sentire velit. Quoniam igitur idolorum cultores magnifecit, ac curæ studioque ei fuit, rerum eventus curiosius scrutari et ex sacris sciscitari oracula, verbisque falsorum vatum ludificari, periculis impendentibus, Achazum hæc molientem retrahit ante et impedit, præcipitque, ut non jam ex consuetis sibi delubris, non ex vanis vatibus, sed a Domino Deo potius signum petat. Genus etiam et modum petitionis assignat sua sententia, cum dicit : In profundum vel in excelsum, hoc est, in cœlum vel in terram, atque adeo inferiora. Quibus verbis probat* E *ac significat, Deum esse universitatis Dominum, et per potestatem et auctoritatem, quidquid visum est, efficere, sive rerum cœlestium, sive terrestrium procurationem voluerit suscipere.*

aliique Patres ad declarandam ipsius impietatem exponunt,

562 *Repudiat deinde Achazus, non quasi Deum reveritus ; sed contumelia potius afficiens miser, etiamsi verbis piis et religiosis glorietur. Non enim, inquit, petam, nec tentabo Dominum : nam cum, jubente Deo petere, si petere nolis, sapit manifestam impietatem, simulat, se nolle ipsum tentare, et verba fere legis obtendit : Non enim tentabis Dominum Deum tuum. An non autem est huic perversitati Achazi pleno ore reclamitandum? Nam cum Deus petere juberet, an non præstabat illud, quod præcipit, facere, quam maligne captiones comminisci, et excusationem inobedientiæ frivolam prætexere? scilicet : Non tentabo Dominum. Verum hoc illi in animo erat, superos atque divinos sermones non amplecti, sed fatidicorum potius deliramenta coronare, et candidiore calculo anteferre, auguriorum responsa curiosius sciscitari, et dæmonum præsidium implorare.* Denique Basilius Magnus, et Joannes Chrysostomus, aliique tum Latini tum Græci sacræ Scripturæ interpretes, in Commentariis suis ad F cap. 7 Isaïæ, simili fere modo illa impii regis verba interpretantur.

contra quos frivola est interpretatio recentiorum Græcorum,

563 Ex his liquet, quam ruinoso nitantur fundamento recentiores Menæorum collectores, dum tali hominis scelerati aut hypocritæ responso omnem ipsius sanctitatem superstruunt. Istos Menæorum collectores vocavi *recentiores*, quia sacris Græcorum fastis verosimiliter hi similesque errores inserti sunt a schismaticis, ut existimo cum Leone Allatio, qui Dissert. 2 de libris ecclesiasticis Græcorum pag. 114 et 115 ad rem nostram sic scribit : *Auctores libri* (examinat ibi Triodium Græcorum, et hujus libri errores detegit) *quo propius aberant a Christo et divina progenie, melius, quæ erant veritatis, cernentes, optime et sine ulla offensione divinas Sanctorum laudes et fidei dogmata decantarunt ; sequiores affectibus propriis distracti, sæpe etiam odio in Romanam Ecclesiam, multa, quæ a veritate aberrant, intruserunt. Quod sane manifestum est in hoc libro : nam antiqua fere omnia plana sunt ; nihil in se continent, quod pias aures offendat : recentia multis scatent erroribus, et subdole sæpius in Romanam Ecclesiam garriunt,*

SEC. VIII.

riunt, multas etiam hæreseon labes lectionibus inspergunt; quibus abcisis, liber nitori suo pristino restitutus, nulla expurgatione indigebit.

qui rituales ecclesiæ suæ libros corruperunt,

564 *Inter auctores recentiores, qui librum novis scriptorum accessionibus fœdaverunt, præcipui sunt Nicephorus Callistus Xanthopulus, et Philotheus patriarcha Constantinopolitanus, schismatici et hæretici..... Philotheus Palamæarum partium assertor multis contra Latinos invectus est; multum etiam pro Palama, illiusque hæresibus, a plerisque Græcis oppugnatis et damnatis, defendendis, et scriptis et operibus insudavit. Tandem ipsum Palamam inter Sanctos retulit, et Officium in ejus laudem composuit, ut infra videbimus.* Tum inferius in eadem Dissertatione pag. 194 et 195 recitat varios honoris et sanctitatis titulos, quos in solum Palamam Philotheus iste tam liberaliter congessit, ut summis ecclesiæ Græcæ patribus vix similes divisim tribuantur. Quinimo Allatius ibidem addit, hymnum divæ Virgini sacrum, qui recitari solet in Officio Acathisti (sic appellatur, quia ob reverentiam Deiparæ numquam in eo sedetur) ab isto Philotheo inde avulsum, et paucis mutatis, impudenter huic Palamæ aptatum esse, ne scilicet hæreticus iste sanctissima Virgine inferior videretur.

B

iisque schismaticos, tamquam Sanctos intruserunt;

565 Hinc etiam Josephus Methonensis, cui postea vindicabimus hoc opusculum, quod sub nomine Gennadii Constantinopolitani prodiit, in Defensione quinque capitum concilii Florentini cap. 5 sect. 13 illam impietatem schismaticis ita exprobrat: *Vos namque Latinos tamquam a fide alienos existimatis, et ab eis refugere, tamquam a facie serpentum, simpliciores edocetis (idque liquido patet) ac si quis ex Latinis videtur sanctus, vos hunc salutare non vultis; imo vero maledicta ingeritis: Græcos, quamvis flagitiosissimos et stultissimos, si solum adversus Latinos dicant, omnium sanctissimos arbitramini. Inter alios quidem multos quemdam, qui vocatur Palamas, et Ephesi Marcum, hominem nec satis mentis compotem, sed tumidum sapientiæ ostentatorem, nulla virtute vel sanctitate subnixos, quia loquuntur solum et scribunt contra Latinos, extollitis et celebratis, eorumque imagines exornatis, festumque agentes diem colitis, ac veluti Sanctos adoratis.*

quæ corruptio etiam in Menæis locum habere videtur.

C

566 Ex hactenus dictis patet, quam caute procedendum sit in discernendis sacris Græcorum monumentis, quæ recentiores schismatici variis modis corruperunt, ut Leo Allatius in laudata Dissertatione de libris ecclesiasticis Græcorum pag. 229 testatur his verbis: *Pentecostarii, quemadmodum de Triodio supra diximus, varii fuere auctores, antiqui et recentiores. Antiqui sua vetustate et modestia venerandi; recentiores ex schismate, audacia, atque omnia attentandi libidine, contemnendi.* Postquam deinde ostendit, ab ultimis editionis Venetæ correctoribus varia pro eorum arbitratu fuisse addita, in temerarios illos venerandæ antiquitatis corruptores pag. 230 et sequente sic invehitur: *A correctoribus ipsis ac similium librorum editoribus petere possumus, quanam auctoritate tantum facinus audent, et temeratas manus in intemeratos ecclesiæ ritus imponunt? Homines vilissimi sunt, nulla scientiarum laude, nulla auctoritate, nulla dignitate conspicui, qui ex arbitrio Officia ecclesiæ moderantur, addunt, subtrahunt, mutant, de novo consarcinant, quidquid illis videtur.* Quæ hic de Triodio, Pentecostario, aliisque ecclesiasticis Græcorum libris dicuntur, etiam intelligi possunt de Menæis, quæ circa idem tempus typis Venetis prodierunt. Ceterum jam aliquot exemplis in hoc *parergo* probavimus, quam dubia sit illorum Menæorum fides, quod etiam deinceps, data opportunitate, per decursum confirmabimus, quando illo nonnulli antistites Constantinopolitani malæ famæ aut incertæ sanctitatis inserentur, quemadmodum antea quoque pluries fecimus. D

L CONSTANTINUS II hæreticus.

Sedes CP. post mortem Anastasii aliquot mensibus vacavit,

Pagius in Critica perperam existimavit, hunc patriarcham anno Christi DCCLIII statim in locum Anastasii suffectum fuisse, nec advertit, sedem Constantinopolitanam post mortem Anastasii aliquot mensibus vacasse. Unde in ea falsa hypothesi ad annum Christi DCCLXVI num. I ratiocinatur hoc modo: *Constantinus monachus et episcopus Syllæi, patriarcha Constantinopoleos ab imperatore renuntiatus fuerat anno* DCCLIII, *ideoque sedit annos* XIII, *non vero* XII, *ut legitur in Chronico Nicephori, et in Tabulis Theophanis.* Id ipsum paulo superius confirmare nititur ex tempore, quo Constantinus in exsilium missus fuerat, et quo Nicetas ei successerat. Sed Bandurus tomo 1 Imperii Orientalis pag. 904 istud Pagii ratiocinium ita evertit: *Si Pagius non tantum Theophanis versionem, sed ipsum textum Græcum legisset, animadvertisset procul dubio, interpretem omisisse in versione numerum Indictionis, qui sane in textu Græco septenarius reperitur. Insuper ex eodem Theophanis loco, nimirum ad annum* XIII *Constantini Copronymi intelligere facile potuit Pagius, et Anastasium obiisse hoc ipso anno, et conciliabulum indictum fuisse, ac celebrari cœptum a mensis Februarii die decimo, Indictione septima, hoc est anno Christi* DCCLIV, *et sub finem illius conciliabuli die octavo mensis Augusti ejusdem anni Constantinum hunc renuntiatum fuisse ab imperatore patriarcham.* E

et Constantinus post conciliabulum Iconoclasticum

568 Deinde citat textum Theophanis, qui in Chronographia pag. 359 post narratam Anastasii patriarchæ mortem subjungit sequentia: *Eodem etiam anno* (scilicet Constantini Copronymi post patrem imperantis decimo tertio, qui partim anno Christi DCCLIII partim DCCLIV respondet) *impius Constantinus adversus sanctas et venerandas imagines illegitimum trecentorum triginta et octo episcoporum in Hieriæ palatio coegit conciliabulum, cujus præses exstitit Theodosius Ephesi episcopus, Apsimari filius, et Pastillas Pergensis antistes. Isti privatas suas sententias privata auctoritate sancientes, nullo Catholicarum sedium, Romæ dico, Alexandriæ, Antiochiæ et Hierosolymorum præsente, a mensis Februarii die decimo facto initio, ad Augusti diem octavum cœptis instirere eadem Indictione* (Græce legitur τῆς αὐτῆς ζ' ἰνδικτιῶνος, id est *eadem septima Indictione*, ut Bandurus supra monuit) *qua ad Blachernas convenientibus istis Deiparæ adversariis, Constantinus Constantinum monachum, qui Sylæi episcopus fuerat, manu tenens, conscendit ambonem, et clara elataque voce votis conceptis bene precatus;* CONSTANTINO, *inquit*, ŒCUMENICO PATRIARCHÆ MULTI ANNI. F

anno Christi 754 ad eam evectus est,

569 *Et vicesimo septimo mensis Augusti imperator in forum progressus, cum sacrilego Constantino et reliquis episcopis, qui omnes pravam suam hæresim coram universo populo promulgaverunt, et sanctissimum Germanum, Georgium Cyprium, Joannem Chrysorrhoam, Mansuris filium, viros sanctos et venerandos doctores, anathemate ferire ausi sunt.* Ex hoc ipso narrationis ordine patet, Constan-

tinum

A tinum monachum sub finem istius pseudo-synodi dumtaxat in sedem Constantinopolitanam intrusum esse. Idem facile colligitur ex præsidibus ejusdem pseudo-synodi, qui Theodosius Ephesinus et Pastillas Pergensis fuisse dicuntur : si enim tunc Constantinopolitana ecclesia patriarcham habuisset, is haud dubie, tamquam dignitate superior et regiæ urbis antistes, isti conciliabulo præsedisset.

ut Bandurus ex testimonio SS. Theophanis et Nicephori

570 Sed quid hic diutius moramur? cum habeamus evidens hujus rei testimonium ex hactenus inedito S. Nicephori Opere, cui titulus : *Liber antirrheticus* ; et ex quo Bandurus tomo proxime citato pag. 905 refert sequens fragmentum : *Hi igitur a sacris locis omnique sacerdotali ac Christiano statu procul dissiti* (loquitur S. Nicephorus de episcopis, qui huic conciliabulo interfuerunt) *in Sanctos sententiam ferunt, impietatis suæ ducem ac magistrum nacti impietate celebrem, postquam, permittente Deo, imperium adeptus est. Itaque impia hæc officina vere capitis expers, inutilis ac traditione destituta (ut ipsorum verbis utamur) merito vocaretur : quandoquidem et sedes Constantinopolitana tunc temporis vacavit.* B *Nam sub finem eorum, quæ ipsi impie moliti sunt, Mamonas cognominem sibi Constantinum, infelicem sane ac miserrimum, nefarie ac impie episcopum Constantinopolitanum renuntiat ac creat in animæ ac corporis sui exitium. Unde et a Romano Antistite plurimas contumelias retulit, sæpenumero ab ipso ob pravam doctrinam reprehensus.*

contra Pagium ostendit.

571 Hinc Bandurus pagina sequente sic concludit : *Satis quidem superque quispiam ex propositis intelliget, per plures menses vacasse tunc sedem Constantinopolitanam, et non nisi sub finem concilii Copronymiani Constantinum ab imperatore Copronymo nuntiatum fuisse patriarcham : quod quidem accidit, ut scribit Theophanes, die octavo mensis Augusti, Indictione septima, nimirum anno Christi* DCCLIV, *uti paulo superius demonstravimus, non vero anno* DCCLIII, *ut Pagius existimavit.* Nos itaque cum Banduro initium Constantini pseudo-patriarchæ anno Christi DCCLIV, die VIII Augusti figimus, et præcipuas ejus actiones, aut potius calamitates, referre pergimus.

Imperator Iconoclasta

572 Constantinus Copronymus imperator impium de Deipara dubium Constantino patriarchæ Constantinopolitano proposuit, ut Theophanes C in Chronographia pag. 366 exponit his verbis : *Ceterum imperator patriarcham ad se accersitum ita alloquitur : Si Dei genitricem, Christi matrem asseruerimus, quid inde mali portendetur? Ille imperatorem complexus : Miserere, domine, inquit, nec mentem tuam cogitatus hujusmodi umquam subeat. An non vides, quam diffamatus et exsecrandus per universam ecclesiam habetur Nestorius? Ad hæc imperator : Discendi cupidus, ait, quæstionem proposui; apud te secretum hoc nulli revelandum permaneat.* Postea imperator hoc blasphemum Nestorii dogma publice amplexus est, ut supra ex Cedreno retulimus, quamvis prima illius revelatio verosimiliter Constantino patriarchæ extremum supplicium acciverit, ut infra dicemus.

patriarcham publice ejurare jubet cultum sacrarum imaginum,

573 Fortasse imperator propter hoc responsum de satis firma patriarchæ sui impietate dubitare cœpit, eumque sententiam suam circa cultum imaginum publico juramento aperire jussit, ut laudatus Theophanes pag. 368 sic narrat : *Postmodum vero ipsum Constantinum, falsi nominis patriarcham, ambonem conscendere et veneranda vivificaque ligna manibus tollentem, e numero eorum, qui venerarentur imagines, se numquam existere, jurare compulit : ac confestim ex monacho nuptiales coronas gestare, carnes delibare, et in regia mensa cytharœdorum vocibus aures præbere persuasit. Sed non multo post divina vindicta hunc in manus Constantini sanguinarii homicidæ tradidit.* Sanctus Nicephorus in Historia, quam Petavius noster anno MDCXVI Parisiis Græco-Latine edidit, pag. 225 de eodem juramento sic breviter meminit : *Nec ea re contentus imperator, jurejurando insuper subditos sibi omnes adstringere voluit, nullam se deinceps Sancti cujusquam imaginem adoraturos esse. Tum urbis patriarcham narrant, qui viderunt, salutaribus signis in altum sublatis, jurasse, se ex eorum numero non esse, qui sacrosanctas imagines adorarent.* SEC. VIII.

et eum sibi impie obsequentem, tamen anno 766 in exsilium pellit,

574 Certe Deus hoc sacrilegum patriarchæ juramentum non diu impunitum reliquit, ut supra dixerat Theophanes, qui ibidem pag. 369 subjungit sequentia : *Mensis autem Augusti die tricesimo, eademque Indictione* (scilicet quarta, seu anno Christi DCCLXVI) *in cognominem ipsi et ejusdem sententiæ consortem Constantinum ipse nominis putidi homo furiis invectus est, quibusdam monachis clericisque, nec non laicis, quos magis fidos patriarchæ amicos putabat, inventis et inductis, qui dicerent : Audivimus patriarcham adversus imperatorem cum Podomagulo loquentem. Mox eos criminis illum convicturos in patriarchæ ædes summisit. Ille crimen admissum negans, ut illud in veneranda ligna jurati assererent, eos compulit. Affirmaruntque : Ejusmodi convitia ex patriarchæ ore audivimus. Missis igitur, qui patriarchales ædes regio sigillo obsignarent, ipsum patriarcham primum Hieriam, tum in Principum insulam exsulem deportari sanxit.* E

cum sedisset annis duodecim, ut recte probat Bandurus,

575 Huc usque numerandus est episcopatus Constantini, in cujus locum eodem Christi anno substitutus est Nicetas, ut postea ostendemus. Idcirco supra laudatus Bandurus, postquam contra Pagium ostenderat, sedem Constantinopolitanam a morte Anastasii per plures menses vacasse, et non nisi sub finem conciliabuli Copronymiani Constantinum ab imperatore Copronymo creatum fuisse patriarcham, idque accidisse juxta testimonium Theophanis die octavo mensis Augusti, Indictione septima, nimirum anno Christi DCCLIV, tomo 2 Imperii Orientalis pag. 906 sic ratiocinari pergit : *Restat modo, ut videamus, quo anno Constantinus e sede dejectus fuerit; quod quidem ipse Theophanes facile præstabit, dum scribit ad annum* XXV *Constantini Copronymi, die tricesimo mensis Augusti, Indictione quarta, hoc est anno Christi* DCCLXVI *imperatorem Constantino patriarchæ ejusdem sententiæ consorti accusatores subornasse ipsum primum in Hieriam, tum in Principum insulam exsulem deportari sanxisse.* F

qui tamen in diebus episcopatus computandis errat.

576 Paulo inferius in eadem pagina hæc repetit : *Constantinus deponitur, uti supra ex Theophane diximus, die tricesimo mensis Augusti, Indictione quarta.* Nihilominus ex toto hoc ratiocinio citata pagina sic concludit : *Unde liquet, Constantinum sedem Constantinopolitanam obtinuisse annis duodecim, et diebus octo.* Recte quidem hic demonstrat Bandurus, non annos tredecim, ut vult Pagius, sed cum Nicephoro et Theophane, aliisque catalogis tantum annos duodecim episcopatui Constantini tribuendos esse; sed non intelligo, quomodo ab octavo die Augusti, quo Constantinum ab imperatore patriarcham renuntiatum fuisse fatetur, usque ad diem trigesimum ejusdem mensis, quo eumdem depositum esse asserit, tantummodo dies octo computaverit, cum præter duodecim annos, qui anno Christi DCCLXVI

post

SEC. VIII.

post diem octavam Augusti effluxerant, usque ad trigesimam Augusti diem ejusdem anni DCCLXVI, ut minimum viginti dies supersint. At hæc minutia chronologica jam forte tædio afficit lectorem, qui potius scire desiderat, qualem vitæ exitum patriarcha ille habuerit. Huic desiderio satisfaciemus, ubi prius investigaverimus, causam, ob quam nondum exsilio satiata imperatoris crudelitas Constantinum in urbem Constantinopolitanam reduci jusserit, eumque summa ignominia et extremo supplicio affecerit.

Constantinus forte propter revelata blasphemi imperatoris arcana

577 Baronius in Annalibus ad annum Christi DCCLXVII, num. 23 Cedrenum et alios citans putat, patriarcham has pœnas dedisse, eo quod vindictæ cupidus in insula, ad quam relegatus fuerat, omnibus propalasset impia Constantini Copronymi circa Christum ac Deiparam sensa, quæ olim secreto ab ipso imperatore acceperat. Verum Cedrenus non meminit de loco aut tempore, quo patriarcha hæc revelavit, etsi in Compendio historiarum part. 3 pag. 465 post narratum sacrilegum patriarchæ juramentum, omisso ipsius exsilio, statim eamdem supplicii causam ita subjungat : *Sed non multo post divina vindicta hunc in manus cruenti homicidæ tradidit : etenim Constantinus certior factus patriarcham multis hominibus pro certo persuasisse imperatorem sibi dixisse, se Christum pro Deo, ac proinde Matrem ejus pro Deipara nequaquam habere, furore adversus eum, ut qui secretum ipsius publicatum traduxisset, incensus est.*

B

ex loco exsilii sui accersitur, Constantinopolim adductus,

578 Deinde Cedrenus narrat tragicam ipsius catastrophen, quam audire malumus ex sancto et antiquiore Theophane, qui in Chronographia pag. 371 et sequente illam ita graphice depingit : *Hoc anno mensis Octobris die sexto, Indictione sexta, Constantinus falsi nominis patriarcha ex insula Principo in urbem accitus, tot verbera a tyranno Constantino tulit, ut pedibus suis progredi non valeret. Eum itaque lectica efferri, et a se digressum in ecclesiæ magnæ solea considere jussit. Aderat porro unus a secretis præferens libellum, quo omnia accusationum capita descripta erant. Universo autem urbis populo, imperatoris jussu, congregato et spectante, in omnium auditu libellus ille publice recitabatur, et ad singula capita faciem ejus a secretis percutiebat, patriarcha Niceta in throni consessu sedente, ac omnia prospiciente. Eo deinde in ambonem evecto, et recto in pedes constituto, libellum accipit Nicetas : mox episcopo ad eum misso, et anathemate in eum pronuntiato, pallium sustulerunt, scotiopsimque * sæpius vocitatum, retrogrado passu ab ecclesia jusserunt excedere.*

C

* *id est* tenebrionem

ignominia et extremo supplicio afficitur,

579 *Sequenti vero luce ludis in Circo celebratis, universam ejus faciem depilantes, barbam, supercilia atque capillitium abrasere, et serico brevi et sine manicis vestimento indutum, in asinum clitellis instructum, facie retro versa, adeo ut manibus caudam teneret, imposuere; atque per Diippiam in Circum produxere, plebe universa ipsisque factionibus eum convitiis atque sputis prosequentibus. Constantinus vero ejus nepos, præcisis naribus deformis, asinum trahebat. Cum autem ad factionum locum devenit, tum omnes sputis eum denuo respergere, et pulverem in eum projicere. Ad locum deinde, quo consistunt equi, adductum asino præcipitem deturbaverunt, ejusque demum collo pedibus conculcato, e factionum regione considentem sales, jocos, ludibria in se deblaterata, donec absolverentur ludi, coegerunt audire.*

580 *Ad hæc mensis Augusti* (Historia Miscella lib. 22 habet *eodem quoque mense* videlicet, Octobri, quem paulo superius expresserat, et quem hic pro Augusto legendum arbitror) *die decimo quinto, missis ad eum patriciis interrogat : Quid de fide nostra, et ea, quam habuimus, synodo sentis? Is vero animi plane vani homuncio: Optime, respondet, credis, et synodum recte celebrasti : nimirum hoc pacto imperatorem rursus placare sperans. Illi, dato responso, citius subinferunt : Hoc unum erat, quod ex impuro ore tuo audire volebamus. Nunc itaque in tenebras et in malam horam perge. Itaque sententia in eum lata, in Cynegio capite truncatus est. Ejus porro caput auribus devinctum in Milio per continuos tres dies populo spectandum suspendere; corpus autem, rudente ad pedem alligato, tractum cum morte violenta sublatorum cadaveribus projecere, ac pariter caput post idem dierum trium spatium suspendio solutum illuc eodem deportavere.* Auctor Historiæ Miscellæ lib. 22 hanc tragœdiam narrat simili fere modo, quam Cedrenus et S. Nicephorus paucioribus verbis exposuerunt. Hic fuit infelix exitus Constantini patriarchæ, qui opprobria illa et ingominiosam mortem convertere potuisset in gloriam sempiternam, si eum hæreseos sincere pœnituisset, et interrogatus, quid de fide imperatoris, ejusque conciliabulo sentiret, orthodoxam veritatem constanter profiteri ausus fuisset.

D *postquam morti proximus impiam Iconoclastarum hæresim approbasset,*

E

qui nihilominus in Menæis Mss. celebrari videtur.

581 Cum itaque sub vitæ ipsius finem nulla pœnitentiæ indicia, imo contraria hæreticæ professionis testimonia habeamus, nihil nos movebunt manuscripta quædam Græcorum Menologia, ut eum Sanctis adscribamus. In Ms. supplemento Sirmondo-Chiffletiano ad diem XXX Julii ita legitur : Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου τοῦ νέου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Memoria sancti patris nostri Constantini Junioris patriarchæ Constantinopolitani.* In apographo ex codice Taurinensi et Menæis bibliothecæ Ambrosianæ etiam additur epitheton τοῦ νέου *Junioris*, ut eum distinguas a Constantino seniore, ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha, de quo superius egimus. Cum tamen sequentibus seculis fuerint alii hujus nominis patriarchæ Constantinopolitani, forte Græci hoc epitheto unum ex illis recentioribus indicare voluerint. Sed ex infra dicendis apparebit, nemini eorum titulum Sancti convenire. Nunc discutiendum est, quo tempore locum hujus Constantini occupare cœperit

F

LI NICETAS I hæreticus.

Nicetas, qui locum Constantini exsulis anno 766

Omnes chronographi affirmant, hunc patriarcham anno Christi DCCLXVI in locum Constantini exauctorati successisse; sed S. Nicephorus circa mensem, quo Nicetas cathedram Constantinopolitanam ascendit, ab aliis scriptoribus videtur discrepare, dum in Historia sua editionis Petavianæ pag. 230 de imperatore Copronymo ita scribit : *Postridie Constantino patriarchæ accusatores subornat ex ejus familiaribus, qui Antiochi ac Theophylacti consilia audisse se de eo jurejurando firmarant. Statim igitur in Hieriam pontifex relegatur (est hoc imperatoris palatium e regione Constantinopolis ad subsolanum positum) moxque Nicetas sanctorum Apostolorum ecclesiæ presbyter eunuchus in ejus locum substituitur. Atque hæc omnia Augusto mense, Indictione quarta contigerunt.* Indictio quarta anno Christi DCCLXVI usque ad Calendas Septembris currebat. Forsan vox *omnia* accommode intelligenda est, ita ut sanctus Nicephorus tantum velit, mense Augusto Indictionis quartæ

Constan-

A Constantinum accusatum, exauctoratum, ac relegatum fuisse, quæ omnia isto mense contigerunt. Quod si inter hæc omnia etiam successio Nicetæ comprehendatur, dicere opportebit, Nicetam die trigesimo Augusti, quo Constantinum ab episcopatu depositum fuisse supra ostendimus, aut saltem postridie locum ejus occupasse.

et probabilius mense Novembri occupavit,

583 At Theophanes in Chronographia pag. 370 mensem et diem hujus successionis ita distincte notat : *Ceterum mensis Novembris die decimo sexto quintæ Indictionis* (hæc indictio anno Christi DCCLXVI a Calendis Septembris fluere cœpit) *Nicetas a Sclavis originem ducens eunuchus, præter fas canonum Constantinopolitanus patriarcha imperatoris suffragio consecratur.* Theophani consentit auctor Historiæ Miscellæ, qui lib. 22 Romana numerandi methodo eumdem mensem ac diem sic exprimit : *Porro decima sexta Kalendas Decembris ejusdem quintæ Indictionis, decreto imperatoris promovetur Nicetas eunuchus e Sclavis ortus, irregulariter patriarcha Constantinopoleos.* Nos Nicephorum juxta superius dicta accommode explicandum censemus, vel probabiliorem Theophanis chronologiam arbitramur, eo quod illa melius concordet B cum annis et mensibus episcopatus, quos ipse Nicephorus et alii patriarcharum catalogi passim ei adscribunt, ut mox videbimus.

erat homo litterarum ignarus,

584 Porro quam indoctus et litterarum ignarus fuerit hic patriarcha, produnt duo scriptores, qui ante medium seculi duodecimi floruerunt, inter quos prior Joannes Zonaras lib. 15 Annalium num. 7 post memoratam supradicti Constantini accusationem, de illius successore sic scribit : *Quo facto, patriarcha relegatus est, et alius a tyranno creatus Nicetas eunuchus, non ingenuus, sed servili genere ortus, qui vix legere poterat, in muliebribus ministeriis versatus.* Alter Michaël Glycas in Annalibus Græco-Latinis editionis regiæ part. 4 pag. 284 peculiare hujus imperitiæ exemplum ita refert : *Tunc et Nicetas quidam eunuchus, principe apud Copronymum loco, qui nihil aliud sciret, quam edere et bibere, patriarcha creatus est. Cum aliquando Evangelium in cellula sua recitaret, pro eo quod dicendum erat : Ex Evangelio secundum Matthæum, pronuntiavit : Ex Evangelio secundum Matthaium. Ibi quodam ex adstantibus subjiciente : Noli Æ diphthongum (gemini soni vocem) dividere.* C *Nugaris, ait quadam cum iracundia : nam quæ geminos et trinos sonos habent, anima mea vehementer odit.*

et tamen pertinax Iconoclasta,

505 Verum hæc crassa ignorantia non obfuit, quo minus idiota ille hæresim profiteretur, et abolendo sacrarum imaginum cultui operam impenderet, ut discimus ex Theophane, qui in Chronographia pag. 373 hanc Nicetæ impietatem ita indicat : *Eodem etiam anno, Nicetas falso nomine patriarcha imagines in patriarchalis ædis minore secreto, opere tesselato depictas erasit ; magni quoque secreti ambitum, imaginibus ligneis dimidiata eminentia effictis ornatum, deposuit, et reliquarum omnium imaginum facies alio colore perunxit, idemque prorsus in Abramiæo præstitit.* Sanctus Nicephorus in supradicta Petavianæ editionis Historia pag. 237 eamdem hæretici patriarchæ iconomachiam explicat his verbis : *Sub idem tempus Nicetas patriarcha Catholicæ ecclesiæ ædificia quædam, quæ vetustate collapsa fuerant, instaurat. Tum in attinentibus domiciliis, ubi stationes in processibus obiri solent, quæ Romani secreta vocant, tam in majore quam minore, Christi Domini ac Sanctorum imagines opere tesselato atque ex cera factas eradit.*

SEC. VIII. *qui mense Februario anni 780 obiit,*

586 Quandoquidem hebes ille Iconoclasta se nullis aliis actionibus memorabilem reddidit, progredimur ad ipsius mortem, cujus tempus a Theophane in Chronographia pag. 382 sic accurate signatum est : *Mensis autem Februarii die sexto* (auctor Historiæ Miscellæ lib. 23 eumdem obitus mensem ac diem Romano more numeravit) *eoque Dominico, Indictione tertia, die Dominico quo ante Quadragesimam ultima caseum comedendi fit potestas, Nicetas genere Sclavus, eunuchus, Constantinopolitanus patriarcha diem extremum obiit.* Hi characteres chronologici annum Christi DCCLXXX designant, et optime conveniunt, cum tempore episcopatus, ut jam ostendemus.

ut ex tredecim annis et quatuor mensibus sedis,

587 Nicephorus in editione Banduriana aliisque antiquioribus, episcopatui Nicetæ annos tredecim, et quatuor menses adscribit. Huic annorum et mensium numero omnes patriarcharum catalogi apud Bandurum consentiunt. Hinc patet, errorem irrepsisse in regiam ejusdem Nicephori editionem, in qua anni quindecim ei tribuuntur ; si enim ab anno Christi DCCLXVI, et die XVI Novembris, quo Theophanes initium episcopalis gubernationis collocat, usque ad sextam Februarii E diem anni DCCLXXX, quo juxta eumdem Theophanem Nicetas obiit, tempus numeraveris, invenies annos tredecim cum quatuor mensibus utrimque incompletis, ut computanti manifestum est. Dum igitur Theophanes in Tabulis et in Chronographia pag. 302 eidem Nicetæ quatuordecim annos concedit, eos incompletos intelligere oportet, cum inter episcopatus initium ac finem, ab ipso Theophane assignatum, quatuordecim anni integri effluere non potuerint. Inde etiam confirmantur ea quæ de annis ac mensibus incomplete accipiendis supra sæpe monuimus.

et initio episcopatus eruimus.

588 Præterea in figendo episcopatus istius exordio Theophanem potius, quam Nicephorum, superius secuti sumus : nam si Nicetas ab exeunte mense Augusto anni DCCLXVI, ut Nicephorus innuit, usque ad sextam Februarii diem anni DCCLXXX sedem Constantinopolitanam occupasset, jam non tantum tredecim annis et quatuor mensibus incompletis, sed tredecim annis quinque mensibus integris, et aliquot diebus sedisset. Cum itaque ipse Nicephorus in plerisque editionibus, cum quibus alii omnes partriarcharum catalogi concordant, episcopatui Nicetæ tredecim F annos et quatuor menses assignet, supra citatum Nicephori textum accommode interpretati sumus, vel chronologiam Theophanis sequi maluimus, quia alioquin Nicephorus secum pugnaret.

LII S. PAULUS IV.

Paulus anno 780 regimen ecclesiæ CP. admittere coactus,

Cum supra laudatus Theophanes in Chronographia pag. 382 narrasset, Nicetam mortuum esse *die Dominico ante Quadragesimam,* qui anno Christi DCCLXXX in diem VI Februarii incidebat, de successore ejus ibidem hæc addit : *Secunda vero jejuniorum Dominica Paulus venerabilis lector, Cyprius natione, doctrina et virtute præstans, quamvis ob hæresim, quæ tunc obtinebat, multum reluctaretur, imo vim omnino passus, Constantinopoleos patriarcha instituitur.* Collector Historiæ Miscellæ lib. 23 idem mortis tempus notat, quamvis aliqua hujus textus verba aliter expresserit. Ex his characteribus chronologicis eruo, Paulum anno Christi DCCLXXX, die XX Februarii ad cathedram Constantinopolitanam eve-

ctum

SEC. VIII.

ctum esse : si enim ultima dies Dominica ante Quadragesimam in diem sextam Februarii tunc inciderat, Dominica secunda Quadragesimæ in diem vigesimam ejusdem mensis incurrebat, ut ex subducto dierum calculo comperies.

palam hæresim Iconoclastarum damnare non audebat,

590 Baronius in Annalibus ad annum Christi DCCLXXX num. 2 asserit, hunc Paulum externa professione hæreticum Iconoclastam fuisse, licet sua conscientia orthodoxus esset, utpote qui probe sciret, se errore duci, et ibidem de illo hæc subjungit : *Cum revera intus crederet, quæ sunt Catholicæ fidei, tamen ob timorem imperatoris, persequi aggredientis cultores sacrarum imaginum, silentio rem obtegens et communicans cum hæreticis, indignissimum se throno illo judicabat. Cum enim videret Leonem Augustum agressum esse persequi Christianos catholicos, timore percitus, numquam est ausus, quam corde credebat, pandere veritatem, probe sciens id haud sibi licere absque vitæ discrimine, jam pluribus Constantinopolitanis civibus dire cæsis, et aliis paulo post nobilibus viris eadem ex causa ingenti quoque ignominia affectis.* Hæc Baronii assertio confirmatur ex iis, quæ jam infra
B referemus.

donec anno 784 in morbum incidens, publice ignaviam suam deploravit,

591 Theophanes in Chronographia pag. 385 et sequente, pœnitentiam et mortem hujus Patriarchæ ita describit : *Mensis autem Augusti die trigesimo primo, eadem Indictione septima* (id est anno Christi DCCLXXXIV) *Paulus vir religiosus et patriarcha sanctissimus in morbum incidens, throno nuntium remisit, et ad Flori monasterium se conferens, ibi, imperatrice propositi ejus inscia, monasticum habitum assumpsit. Rei gestæ notitiam ut habuit imperatrix, confestim eum cum filio convenit, ac querulis vocibus insectata ; Quid hoc, inquit, fecisti? Ille lacrymis perfusus, responsum ad eam dedit : Utinam, ecclesia Dei tyrannice administrata et a reliquis thronis ea de causa rescissa, dirisque et exsecrationibus devota, in sacerdotii throno Constantinopolitano numquam ego sedissem !*

et utiliter orthodoxam fidem professus est,

592 *Illa patricios et senatus spectatissimos quosque ad se primum accitos ad eum postmodum destinavit, quæ ipse narraret ore proprio, audituros. Qui ad ipsos : Nisi synodum, inquit, universalem coegeritis, et obtinentem apud vos correxeritis errorem, nulla vobis superest salus. Responderunt ipsi : Cur ergo patriarcha designatus inter ordinationis solem-*
C *nia imagines te numquam adoraturum subscripsisti? Tum ille : Hæc, ait, lacrymarum mearum causa est ; illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit, Dominum Deum deprecantem, ne me veluti pontificem huc usque mutum redditum, nec veritatem (solo insaniæ vestræ metu detentum) palam enuntiantem corripiat. Inter has voces, Paulus in pace obdormivit, magno de se tam imperatrici, quam ceteris in republica pietate conspicuis viris luctu relicto : venerabilis quippe vir exstitit, et misericordiæ operibus impendendis bene affectus, omnique omnino dignus reverentia, maximamque ei fidem cum imperatrix, tum respublica habebat.* Hac exhortatione et publica confessione pœnitens antistes tantum effecit, ut impune orthodoxis licuerit Iconomachos argumentis impugnare, et contra eorum hæresim ea occasione concilium œcumenicum convocatum fuerit ; atque ita Paulus plus in morte et post mortem, quam in vita, ecclesiæ suæ profuit.

qui forte propterea in Menæis,

593 Ex his colligo, ipsum anno DCCLXXXIV obiisse, ineunte Septembri, et forsan die secunda istius mensis, qua in Menæis impressis ita annuntiatur : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Παύλου τοῦ νέου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Id est : *Eodem die memoria sancti patris nostri Pauli Junioris, archiepiscopi Constantinopolitani.* Ibidem ad ejus honorem addun- D tur hi duo versiculi :

Δρόμους ὁ Παῦλος ἐνλιπὼν τοὺς τοῦ βίου,
Εὕρηκε παῦλαν καὶ πόνων τῶν τοῦ βίου.
Dum Paulus hujus terminum vitæ attigit,
Vitæ laborum repperit requiem simul.

Hic satis frigida allusio est inter nomen proprium Pauli, et vocem appellativam παῦλαν, quæ cessationem laboris vel requiem significat.

aliisque Græcorum Synaxariis,

594 Superius dixi, illum *forsan* obiisse die secunda Septembris, quia eo die in Menæis impressis annuntiatur ; sed etiam memoria illius in iisdem Menæis ad diem XX et XXX Augusti celebratur, et die trigesima istius mensis in Menæo Ms. membranaceo, quod apud FF. Prædicatores in conventu S. Ludovici Parisiis servatur, et cujus ecgraphum manu Papebrochii nostri descriptum habemus, una cum aliis episcopis Constantinopolitanis refertur, et locus venerationis ita indicatur : Μνήμη τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν καὶ ἀρ- E χιεπισκόπων Κωνσταντινουπόλεως Ἀλεξάνδρου καὶ Ἰωάννου καὶ Παύλου τοῦ νέου · τελεῖται δὲ ἡ τούτων σύναξις ἐν νῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ. Hoc est : *Memoria sanctorum patrum nostrorum et archiepiscoporum Constantinopolitanorum, Alexandri et Joannis, et Pauli Junioris : celebratur autem eorum festivitas in sanctissima magna ecclesia.* Eodem die tres illi præsules Constantinopolitani in Typico S. Sabæ etiam memorantur.

sanctitatis elogium obtinuit ;

595 Ex epitheto τοῦ νέου, *junioris* liquet, hic utrobique in Menæis et Typico Paulum nostrum indicari : nam Paulus, primus istius nominis præsul Constantinopolitanus, senior est, alio die colitur, et titulo martyris satis distinguitur ; aliis vero duobus ejusdem nominis episcopis Constantinopolitanis titulus *sancti* non convenit, ut supra suo loco ostendimus. Non dubitamus, quin Græci hunc Paulum catalogo Sanctorum adscripserint propter illustre pœnitentiæ exemplum, quod in fine vitæ exhibuit, et quo ecclesiæ Constantinopolitanæ orthodoxam fidem restituit. Cum itaque in Typico S. Sabæ, aliisque Menologiis celebretur, et sanctitati ipsius post singularem pœnitentiam nihil obstare videamus, nomine *sancti* F illum appellavimus, quod tamen mense Augusto vel Septembri operosius poterit discuti, et forte pluribus testimoniis confirmari.

LIII S. TARASIUS.

cui S. Tarasius exeunte anno Christi 784 successit,

Majores nostri die XXV Februarii Vitam S. Tarasii, ab Ignatio synchrono scriptam Latine ediderunt, et Commentario prævio notisque copiosis elucidarunt. Quare hic tantummodo breviter initium et finem episcopatus ipsius indicabimus ex Theophane, qui in Chronographia pag. 388 sic scribit : *Ceterum mensis Decembris die quinto supra vicesimum, et eadem Indictione octava* (hæc Indictio a Calendis Septembribus anni DCCLXXXIV currere cœperat) *religiosus pater noster Tarasius Constantinopolitanus patriarcha renuntiatus est.* Legerat hæc Henschenius noster, et ex iis in laudato Commentario prævio ad Vitam hujus sancti patriarchæ § 1 num. 2 sic infert : *Factus est ergo patriarcha sanctissimus vir Tarasius ipso die Christi Natali, octavo Kalendas Januarias,*

anno

A *anno quinto imperii Constantini et Irenes, Indictione octava, anno Christi* DCCLXXXIV *ad finem labente, ut nobis auctores sunt Theophanes, Cedrenus, aliique.*

et post piam gubernationem anno 806 ad cœlum migravit.

597 Theophanes in Chronographia pag. 406 et 407 tempus mortis ejus ita annotavit : *Hoc anno, mensis Februarii die vicesimo quinto Indictione decima quarta* (hæc tunc usque ad Calendas Septembris cum anno Christi DCCCVI concurrebat) *Tarasius sanctissimus archiepiscopus gloriosam mortem obiit.* Hinc primo sequitur, S. Tarasium annis viginti et uno cum duobus mensibus ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse. Sequitur secundo, errorem irrepsisse in illas S. Nicephori editiones (inter eas est editio Græco-Latina anni MDCLII opera et studio R. P. Jacobi Goar regiis typis excusa) quæ S. Tarasio annos gubernationis viginti et unum, ac duos dies tribuunt, cum pro duobus diebus menses duo sint substituendi. Tertio sequitur, juxta jam assignatum temporis computum conciliandos esse Theophanem et Ignatium Vitæ scriptorem, dum unus XXI, alter XXII annos episcopatui S. Tarasii adscribit : nam Theophanes, neglectis mensibus, annos viginti et unum rotundo numero expressit; Ignatius vero annos viginti duos incompletos numeravit, et S. Tarasium anno vigesimo secundo administrationis suæ obiisse significavit. SEC. IX.

SECULUM IX.

LIV S. NICEPHORUS I.

B

S. Nicephorus mense Aprili anni 806 sedem CP. ascendit,

Hoc loco iterum sola chronologia ordinabitur, cum Henschenius noster præclara hujus Patriarchæ gesta, ab Ignatio supra memorato conscripta, ad diem XIII Martii typis vulgaverit, atque abunde illustraverit. Imprimis tempus, quo S. Nicephorus ad thronum Constantinopolitanum evectus est, a Theophane in Chronographia pag. 407 post indicatam decessoris mortem ac sepulturam accurate signatur his verbis : *Mensis vero Aprilis die duodecima, magna Paschatis Dominica, Nicephorus sanctissimus patriarcha, prius a secretis, populi totius, sacerdotum, atque etiam imperatorum suffragio electus est.* Zonaras lib. 15 Annalium num. 14 idem tempus sic breviter indicat : *Patriarcha Tarasio prima jejuniorum hebdomade defuncto* (videlicet anno Christi DCCCVI, ut ex supradictis liquet) *inclytus Nicephorus a secretis, Dominica Paschatis communi suffragio patriarcha est electus.*

et anno 815 relegatur, etsi circa diem et mensem exsilii auctores discrepent,

599 Pagius in Critica ad annum Christi DCCCXIV num. 1 et sequentibus ex anonymo Theophanis Continuatore demonstrat, quod S. Nicephorus anno Christi DCCCXV in exsilium fuerit expulsus; at circa determinatum expulsionis diem et mensem nonnulla occurrit difficultas : quidam enim scriptores antiqui exsilio ipsius diem XI Februarii assignant, in quam Dominica Sexagesimæ incidebat. At Theophanes presbyter et præpositus in Oratione de exsilio S. Nicephori et translatione reliquiarum apud nos tomo 2 Martii pag. 321 scribit, eum honorifice sepultum esse *tertio Idus Martii, quo quidem die in exsilium etiam ejectus fuerat, ut utraque re sit memorabilis.* Hic itaque auctor dicit, utramque illam diem esse memorabilem, quia XIII Martii S. Nicephorus magna cum pompa tumulo illatus est, et antea eadem die in exsilium expulsus fuerat. Sed dies XIII Martii eo anno DCCCXV in feriam tertiam incidebat, cum interim Ignatius synchronus in Vita S. Nicephori ibidem apud nos pag. 312 sic diem exsilii accurate notet : *Patricio namque illius carceris, quo divinus pater tenebatur, præfecto* imperator, *contradita militari manu, media nocte Dominicæ lucis præcepit, ut virum Sanctum in exsilium deportaret.* Quomodo hæc inter se componentur?

C

600 Verum Pagius loco proxime citato hos scriptores satis probabiliter inter se conciliat, dum ibidem num. 4 dicit, quod Theophanes præpositus dies illos, quibus S. Nicephorus in monasterio prope Constantinopolim moratus fuerat, pro exsilio non habuerit, atque ita illud usque ad diem XIII Martii distulerit. Id etiam confirmat ex computo Ignatii biographi, qui S. Nicephoro tribuit novem episcopatus annos, *uno mense dempto* : etenim si ab anno Christi DCCCVI, die XII Aprilis, qua consecratus est episcopus Constantinopolitanus, usque ad diem XIII Martii, anni DCCCXV elapsum temporis spatium exacte computaveris, invenies, S. Nicephorum octo annis et undecim mensibus, sive juxta phrasim Ignatii novem annis, *uno mense dempto* ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse. Theophanes in Tabulis novem annos, et in sua Chronographia pag. 302 dumtaxat *octo* Nicephoro patriarchæ tribuit; sed modo jam sæpe explicato facile conciliatur secum, et cum iis auctoribus, qui eidem S. Nicephoro novem annos rotundo numero adscribunt.

quos Pagius satis probabiliter inter se conciliat.

E

LV THEODOTUS I hæreticus, cognomento Cassiteras.

F

Post exsilium S. Nicephori Theodotus

Continuator anonymus Theophanis, qui post ejus Chronographiam editus est, pag. 441 narrat, quomodo Leo Armenus quemdam Joannem, Pancratii filium, hæresi suæ adhærentem, in locum S. Nicephori substituere voluerit; sed addit, patricios id imperatori dissuasisse, eo quod Joannes ille juvenis ac ignobilis esset. *Quam ob rem,* teste eodem anonymo, *Theodotum Michaëlis patricii Melisseni, Constantini imperatoris Cabbalini ob tertiam ejus conjugem leviri filium elegit : istum inquam, Theodotum spatharo-candidatum, opinatis ejus consentientem, maritali nuptiarum corona notatum, tonderi jussit et patriarcham consecrari.*

anno 815, die prima Aprilis fit patriarcha,

602 Ibidem scriptor ille tempus, quo Theodotus ex milite factus est episcopus, ita exacte notat : *Celebrata est ordinatio ejus Paschatis festo; hominis, inquam, qui nihil spirituale calleret, nulla Scripturæ parte foret eruditus, nisi forte levissima, qui nullam erga Deum pietatem ostentaret; tantum quod mansuetudine præstaret, et bonus hominibus appareret, commendabatur. Hic cum patriarchalem dignitatem subiisset, opipara meridiana serotinaque carnibus appositis cœpit agitare convivia, clericosque et monachos, nec non episcopos, a juvenili ætate*

carnium

SEC. IX.

carnium esu abstinentes, continentiam abrumpere et ad ingluviem comedere compulit : et ubi primum pietas plurima, honestas, continentia, et virtus enitebat, ibi risus, lusus, luctas, turpiloquia haberi absque disciplinæ cujuscumque jugo vidisses. Ex hoc antiquo auctore patet, Theodotum ipso Paschatis festo, quod anno Christi DCCCXV in diem primam Aprilis incidebat, ordinatum fuisse.

qui cognominabatur Cassiteras

603 Constantinus Porphyrogennetus, qui Parisiis anno MDCLXXXV inter scriptores Byzantinæ historiæ post Theophanem Græco-Latine prodiit, in Vita Leonis Armeni pag. 18 idem ordinationis tempus indicat his verbis : *Theodotus interim Cassiteras circa divini Paschæ solenne tempus, navatæ operæ præmium, episcopalem sedem nanciscitur.* Dum hoc loco illustris ille historicus *navatæ operæ* meminit, intelligit fraudes, quibus Theodotus imperatorem ad amplectendam Iconoclastarum hæresim induxerat, et quas iste scriptor antea fuse exposuerat. Quod vero ad cognomen Cassiteræ attinet, sic etiam cognominatur a Leone Grammatico, Symeone Magistro ac Logotheta, aliisque auctoribus, inter quo Zonaras lib. 15
B Annalium num. 20 ita scribit : *Venerando Nicephoro sic ecclesia expulso, in ejus locum introductus est Theodotus Melissenus, cui duplex erat cognomentum : nam et Cassiteras dicebatur.* Vox Græca χασσίτερος proprie *stannum* significat ; sed opinor, hoc cognomen accipiendum esse in sensu quodam metaphorico, quem hactenus sat clare detegere non potui.

forte ex contemptu,

604 Attamen suspicor, Theodotum ita contemptim cognominatum fuisse, eo quod Theosterictus in Vita S. Nicetæ hegumeni apud nos tomo 1 Aprilis pag. 263 sic scribat : *Igitur acerbi persecutores veritatis, accepta quidlibet agendi impunitate, cœperunt libere propagare atque docere impia dogmata, constitueruntque patriarcham Theodotum quemdam ex spathario assumptum, tamquam si pueris ludos facerent, hominem ineptum, et cerebri tam levis, ut theatri ludibrium cognominari soleret ad excitandum risum jocari volentium. Hunc aiunt, famulam quoque habuisse in comitatu, propterea quod ex renibus laboraret, aut potius explendæ libidinis causa.* An forte propterea in cognomine Cassiteræ fiat allusio ad vocem Græcam κάσσα vel κασσωρὶς, quæ *scortum* significat, curiosis
C etymologiæ Græcæ scrutatoribus investigandum relinquimus.

quem propter vitia et hæresim merebatur,

602 Hujusmodi coloribus hunc Theodotum depingunt jam citati auctores coævi, quibus hic addere sufficiet Nicetam, cognomento Davidem Paphlagonem, qui eodem seculo in Vita S. Ignatii Constantinopolitani apud Labbeum tomo 8 Conciliorum col. 1184 de Leone Armeno ita scribit : *In throno vero Constantinopolitano, Theodotum quemdam profanis moribus ac negotiis innutritum, atque omnis doctrinæ et liberalis disciplinæ prorsus expertem (hoc tamen uno, quod Christianos calumniantis Iconomachorum hæreseos æmulator haberetur) attonsum profanissimus collocavit.* Legi etiam potest supra laudatus Ignatius diaconus, testis synchronus, qui in Actis S. Nicephori apud nos tomo 2 Martii pag. 313 eumdem Theodotum *boum voratori Herculi* comparat, et tamquam *soli ventri saginando intentum, et eduliorum delicias consectantem* describit.

etsi subdole unionem cum Romano Pontifice frustra affectaret.

606 Attamen hæreticus ille helluo, in sua impietate persistens, unionem cum sancto Paschali I Papa affectare ausus est, ut Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor ad annum Christi DCCCXVII num. 24 tradit his verbis : *Accidit vero, ut et creato Romæ eodem Paschali Pontifice, ex veteri consuetudine ipse etiam Theodotus pseudo-patriarcha Constantinopolitanus ad eum mitteret apocrisiarios pro responsis ecclesiasticis, communionem hac via conatus subripere ab ipso Romano Pontifice : quos cum audisset Paschalis in Urbem adventare, eosdem ne propius accederent, eos exsecratus valde, prohibuit.* Baronius solerter id eruit ex epistola, quam S. Theodorus Studita ad Paschalem Pontificem dedit, et quam nos ad diem XIV Maii, tomo 3 istius mensis pag. 392, in Commentario prævio ad Acta S. Paschalis I Papæ exhibuimus. Nunc mors hujus Theodoti chronologice indaganda est. D

Theodotus e vivis excessit ineunte anno 821,

607 Theophanes in Chronographia pag. 302, et plerique catalogi apud Bandurum huic patriarchæ Iconomacho sex gubernationis seu potius tyrannidis annos adscribunt. Eumdem annorum numerum ei tribuit Zonaras, qui lib. 15 Annalium num. 24 sic habet : *Patriarcha Theodoto mortuo, qui sex annos ecclesiæ impie præfuerat, Antonius cognomento Cassimatas, in ejus locum est suffectus, perversa et ipse religione præditus.* Catalogus Labbeanus, Apparatui historiæ Byzantinæ insertus, E
pag. 37 tantum quinque annos Theodoto assignat : unde conjectura fieri posset, fortasse sex annos, qui ab aliis episcopatui ipsius tribuuntur, incomplete numerandos esse. Quod si eos completos intelligere volueris, saltem ex pleno sex annorum computo sequitur, Theodotum in cathedra Constantinopolitana non sedisse ultra mensem Aprilem anni DCCCXXI, quandoquidem anno Christi DCCCXV ab ipso Paschatis festo, sive prima die Aprilis sedem illam occupare cœpit, ut supra dictum est. Quare non improbabiliter conjicimus, ipsum ineunte anno DCCCXXI obiisse, cum tunc fere sex anni episcopatus effluxissent.

ut conjicimus ex tempore successoris ejus,

608 Huic conjecturæ et chronologiæ nostræ favet Symeon Magister et Logotheta, dum inter scriptores historiæ Byzantinæ, Parisiis anno MDCLXXXV editos, pag. 412 prima Michaëlis Balbi imperatoris gesta narrans, de Theodoti successore ita meminit : *Eo tempore summi sacerdotii arcem tenebat Antonius Sylæi, qui a sacrarum imaginum cultu abhorrebat.* Post hæc verba Symeon statim refert, quod Michaël imperator Theophilum filium suum augustali corona donaverit in F
magna ecclesia. Hæc Theophili inauguratio contigit anno Christi DCCCXXI, ut Pagius in Critica ad eumdem annum num. 7 et sequentibus probat, adeoque juxta prædictum narrationis ordinem Antonius Theodoti successor jam eo tempore cathedram Constantinopolitanam occupabat. Deinde ibidem narratur rebellio Thomæ tyranni, quam Baronius eodem anno DCCCXXI cœpisse existimat. Ex his itaque concludimus, Theodotum verosimiliter obiisse ineunte anno DCCCXXI, ad quem proinde reducendus est Zonaras, etsi de morte illius serius mentionem facit, cum ipsemet sex administrationis annos ei dumtaxat concedat. Non miramur, episcopatum Theodoti a Joanne Scylitza Curopalata et Georgio Cedreno diutius protractum fuisse, cum videantur ignorasse immediatum ipsius successorem, qui fuit

LVI ANTONIUS I hæreticus, cognomento Byrsodepsas.

Dixi, duos prædictos scriptores videri ignorasse immediatum Theodoti successorem : Joannes

Antonii, quem Joannes Scylitzæ et Georgius Cedrenus,

A Joannes enim Curopalata in editione Veneta anni MDLXX fol. 20 verso sic scribit: *Cum vero Theodotus Melissenus, quem Cassiteram appellari superior demonstravit oratio, diutius Constantinopolis thronum obtinuisset, ac vita functus nuper esset, Joannes Theophili pædagogus, illius excipit thronum, accepto sacerdotio, veluti impietatis ac perfidiæ præmio.* Cedrenus autem in Græco-Latino historiarum Compendio tomo 2 pag. 527 Joannem Curopalatam more suo ita imitatur: *Interim vita defuncto Theodoto Melisseno, quem supra ostendimus Cassiteram cognomento dictum, qui aliquamdiu patriarcha Constantinopolis fuerat, Joannes pædagogus Theophili succedit, sacerdotium istud impietatis suæ atque perfidiæ præmium adeptus.*

eosque incaute secutus Baronius

610 Eminentissimus Baronius a Joanne Curopalata in eumdem errorem inductus fuit, ut ad annum Christi DCCCXXXV num. 27 prodit his verbis: *Quod pertinet ad res Orientalis ecclesiæ, hoc anno, mortuo Theodoto Melisseno, cognomento Cassitera, id est stanneo (ut habet Joannes Curopalata) episcopo Constantinopolitano hæretico Iconoclasta, Joannes sextus hujus nominis, ejusdemque hæresis*
B *propugnator acerrimus, eidem per Theophilum imperatorem substituitur.* Deinde in assignando Theodoti fine, et Joannis initio ibidem sic errat: *Quod ad tempus pertinet, cum, auctore Zonara, certum sit, sedisse annos sex usque ad obitum ipsius promotoris, imperatoris Theophili, et ejus imperii non nisi sex anni supersint, plane concedendum est, hoc ipso anno* (nempe Christi DCCCXXXV, ut perperam existimat) *sedere hunc cœpisse, prædecessore longe scelestiorem.* Neque hic oculatior fuit Jacobus Basnagius, hæreticus Baronii censor, qui in Gallica Ecclesiæ historia, mendaciis referta, lib. 6 cap. 5 historicum et chronologicum Baronii errorem cæce secutus est. Sed Antonium immediate Theodoto successisse, nunc demonstrabimus.

in serie patriarcharum CP. omiserunt.

611 Præter jam citatos auctores, Theophanes Præpositus in Oratione de exsilio S. Nicephori et translatione reliquiarum, apud nos tomo 2 Martii pag. 319 de hac successione sic meminit: *Tunc in sacra regiæ civitatis sede tres veri Pastoris adversarii, ordine unus post alium, impie consederunt: Theodotus, Antonius, et Joannes, qui tamquam graves quidam lupi passim Ecclesiam laceraverunt ac devorarunt.* Nicetas seu David Paphlago
C in Vita S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani apud Labbeum tomo 8 Conciliorum col. 1183 de eodem Antonio ita scribit: *Theodoto, quem Cassiteram appellitabant, exstincto, Michaël Antonium, cognomento Byrsodepsam*, jam Pergæ metropolitam, et hæreseos participem, tunc cessantem accersit, urbisque regiæ patriarcham pronuntiat.* Ex his antiquis auctoribus patet, hunc Antonium a Joanne Curopalata, Georgio Cedreno, et eminentissimo Baronio in serie patriarcharum Constantinopolitanorum perperam omissum fuisse.

* *id est* cerdonem *vel* coriarium

Tamen Antonius ille satis notus est apud veteres scriptores,

612 Porro Antonius ille satis notus fuit antiquis scriptoribus, inter quos anonymus Theophanis Continuator pag. 436 genus et mores illius vivis coloribus depingit. At cum textus Græcus et illius interpretatio sint aliquanto obscuriora, narrationem auctoris breviter exponam verbis meis juxta notas, quæ ibidem post Theophanis Chronographiam pagg. 633 et 668 leguntur. Itaque Antonius, qui antea Constantinus vocabatur, natus est patre sutore; primum Constantinopoli pueros Grammaticam docuit, et post alia hujusmodi munia ad vitandam criminum sibi objectorum pœnam in monasterium confugit; ubi detonsus, nomen Antonii assumpsit. Deinde monachis præfectus tam turpem et inhonestam vitam duxit, ut anonymus auctor fateatur, se ignorare, qua ratione hic *risus et ludorum sectator* ad episcopatum Pergæ seu Sylæi evectus fuerit. Denique vanæ gloriæ et aulicæ conversationis appetens, hæresim Iconoclastarum amplexus est. Idcirco ab imperatore Iconoclasta accitus, contra emissam fidei professionem perfide asseruit, imagines non esse honorandas; ut ibidem pluribus explicatur. SEC. IX.

qui inter alia enarrant

613 Synodica Orientalium epistola ad Theophilum imperatorem de sanctis ac venerandis imaginibus, quam Combefisius in Manipulo originum rerumque Constantinopolitanarum edidit, clarum hujus perfidiæ exemplum pag. 133 et sequente suggerit his verbis: *At imperator rei eventu animi anxius, irritoque conatu percussus, animo cogitabat, quem demum operis adjutorem inveniret; nuntiatumque illi est de Antonio metropolita, qui erat in Sylæo, quem mox in aula præsto esse jubet; ad quem imperator: Una operam præsta, o metropolita, in id, quod molimur, teque patriarchalis sedis antistitem collocabo.*

perfidam ejus impietatem,

614 *Pollicetur ille, propensissime se jussa facturum. Quo cognito, sanctissimus patriarcha Nicephorus virum accersens, num hæc ita se habeant,* E
quærit. Cui ille: Absit, domine, istud a nobis, et ut aliquid fecerim: quin adeo majorem facturus fidem, manu propria exaratas cruces, sententiæ tenax, fidei libello apponam; quod et ocyus sub sanctissimorum metropolitanorum, qui simul inventi sunt, præsentiam fecit, uti etiam, quando ordinatus est, hæc subscripserat: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Antonius Dei misericordia Sylæi metropolita manu mea subscripsi. Qui in sanctam et consubstantialem ac vivificam Trinitatem credimus, venerandas imagines amplexamur ac suscipimus. Qui non ita sentiunt, sint anathema: qui non ita credunt, procul ab Ecclesia arceantur. Hæc est fides sanctorum Patrum: hæc fides orbem terrarum illustravit. Qui igitur posthac ausi fuerint evertere aliquid eorum, quæ Ecclesiæ legitima tradita sunt, sive pictas imagines, sive crucis figuram; siquidem sacerdotes sint, prorsus deponantur; sin autem monachi aut laici, anathematizentur. » Hæc Antonius cum sigillo obsignasset, patriarchalibus ædibus excedit. Hæc autem imperatore ex illo percunctante, ait: « Illusimus F
eis, imperator, ut curis liberior sis in iis, quæ moliris. »

ob quam S. Nicephorus ipsum anathemate percussit.

615 Cum S. Nicephorus hanc perfidam agendi rationem et certam Antonii hæresim cognovisset, synodum ducentorum septuaginta Patrum collegit, ut in eadem epistola synodica pag. 135 legimus, et publice coram populo applaudente anathema contra Antonium ex Ambone pronuntiavit his verbis: *Antonius novus Arius ligatus est in hoc seculo et futuro, in cœlo et super terram ex sancta consubstantiali et vivifica Trinitate, Patre, et Filio, et Spiritu sancto, exque sancto et Apostolorum principe Petro; ex duodeno Apostolorum collegio; ex sanctis trecentis decem et octo Patribus; ex sanctis magnis et universalibus synodis, ex sanctis magnis patriarchalibus et Apostolicis sedibus, et a me, qui ipsum ordinavi, cunctique illi communione juncti: tamquam Christi hostis, ut qui manu propria fixas cruces prævaricator violaverit, ut qui a recta fide desertor sit, ut imaginum effractor, ut idolorum cultor, ut Christianorum calumniosus accusator, ut Christianorum persecutor, ut sacerdotum occisor. Sacerdotum ille et patriarcharum exsecratio, ille scelestissimus, abominatio desolationis, prima discessio*

SEC. IX.

sio ac defectio, Antichristi præcursor, homo iniquitatis, filius perditionis, qui nunc temporis revelatus est.

Cum Iconoclasta ille anno 832 obisset,

616 Antonius ob hujusmodi facinora imperatori Iconoclastæ placuit, et ab eo post mortem Theodoti, quam ineunte anno Christi DCCCXXI contigisse supra diximus, ad cathedram Constantinopolitanam evectus est. Non convenit inter catalogos, quot annis impius iste Iconoclasta sedem occupaverit: Theophanes enim in Chronographia pag. 302 *sexdecim*, catalogus Labbeanus *quindecim*, Zonaras *tredecim*, et appendix ad Chronographiam S. Nicephori annos *duodecim* ei adscribunt. In tanta catalogorum discrepantia annos duodecim eligimus, quia utrimque incompletus illorum computus cum tempore successoris facile conciliatur, quandoquidem anno DCCCXXXII, die XXI mensis Aprilis, ut mox videbimus, in locum Antonii substitutus est

LVII JOANNES VII, sive JANNES.

B

mense Aprili ejusdem anni successit ei Joannes,

Constantinus Porphyrogennetus in continuatione Theophanis lib. 3 supradictæ editionis Parisiensis pag. 75 initium hujus pseudo-patriarchæ ita indicat: *Interim vero etiam Jannes Constantinopolitanus episcopus ordinatur Aprilis vigesima prima, die Dominica; impietatis præmium perversæque fidei, ac sacris imaginibus negati cultus sacerdotium consecutus.* Ex his cum Pagio in Critica ad annum Christi DCCCXXXII num. 2 sic concludo: *Cum itaque currenti anno* (nempe Christi DCCCXXXII) *dies XXI mensis Aprilis in diem Dominicam incidat, et Anastasius in Appendice ad Chronologiam Nicephori testetur, Jannem seu Joannem sedisse annos novem; Antonium vero ejus in sede Constantinopolitana decessorem, qui anno DCCCXXI pontificatum iniit, sedisse annos duodecim, apparet, Porphyrogennetum recte Jannis ordinationem consignasse.*

quem veteres historici

618 His de initio episcopatus dictis, nonnulla referamus de ipsius moribus, quos iisdem fere coloribus depinxerunt Scylitzes, Cedrenus, Zonaras, âliique veteres scriptores; inter quos Leo Grammaticus, editioni Theophanis subjunctus, pag. 453 illum hoc brevi exornat elogio scilicet: *Ceterum patriarcha Antonio vita functo, in ejus locum ordinatus est Joannes syncellus, vere dicam novus Jannes et Jamares* [*], *præstigiis et per pelves divinationibus, omnique impietate nominatissimus. Hic, velut instrumentum aptissimum imperatoris impietatis et propensionis repertus, ipsi per omnia in perniciem cooperabatur.* Hic scriptor alludit ad nomina magorum Pharaonis, quorum præstigiæ in libro Exodi cap. 7 narrantur, et de quibus Apostolus in epistola secunda ad Timotheum cap. 3 ℣ 8 ita meminit: *Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hoc Jannis cognomen ab orthodoxis inditum est Joanni ob ejus scelera, quæ jam citati auctores fuse narrant, et de quibus antiquiorem, qui ante medium seculi X floruit, juvat audire.

C

* *lege* Mambres

de magicis præstigiis,

619 Is est supra laudatus Constantinus Porphyrogennetus, qui lib. 4 pag. 96 et sequentibus, ipsius patriam, stirpem, variamque fortunam ita commemorare incipit: *Fuit vero ille non advena, aut barbarus, sed indigena, ipsaque ortus urbe regia; nam et ex vite rubum enasci auditum est. At neque obscura satus prosapia; sed valde nobili: stirpe scilicet, quam Morocharzamiorum vocant. Hic ergo, ut ejus res scripto consignemus, monasterii sanctorum martyrum Sergii et Bacchi, quod ad Hormisdæ ædes situm est, olim præpositus, ac palatino adscriptus clero, Michaëli Balbo imperatori charissimus fuit; sive eo solum nomine, quod hæresis illi socius erat, sive quod excellentis eruditionis sibi nomen quæsierat, illaque ejus fama percrebuerat. Ut ut sit, illi charissimus fuit, ac Theophili præceptor constituitur. Theophilus vero, suscepto imperio, primum eum syncelli dignitate ornat; tum deinde patriarcham Constantinopolitanum præficit, cum is illi divinatione ex pelvi vates, ac præstigiis quædam auguratus esset.* Tum fuse narrat, quomodo Jannes incantationibus suis hostes Theophili, in imperium irrumpentes, clade affecerit. Sed nos illam historiam brevitatis causa hic omittimus.

D

aliisque criminibus accusant,

620 Dein pag. 97 sic pergit: *Huic porro præstigiatori frater carnalis erat, Arsaberus nomine, patricii honorem a Theophilo consecutus. Huic suburbanum ad Euxini sinistram enavigati partem, ad S. Phocæ monasterium, ædificiis maximis ac splendidis, porticibus, balneis (ac præterea cisternis) instructum fuit. Illic crebro solitum diversari patriarcham, subterraneum quoddam domicilium, Trophoniano haud absimile, construxisse ferunt. In ejus postico in promptu fores erant, multis inde gradibus intromittentes eos, qui intus penetrare vellent. Illic modo ad cubiculi thalamique delicias cum sacræ virgines, tumque aliæ insigni forma mulieres condebantur, quibuscum meretricio ritu fœdaretur; modo jecinorum inspectiones, exque pelvi divinationes, ac præstigiæ aliæ, mortuorumque evocationes, his illi sociabus ac adjutoribus, exercebantur. Hincque adeo non raro, non solum Theophilo, sed et aliis ejusdem sententiæ atque hæresis hominibus vera quædam dæmonum ope prædicebat.* Deinde auctor exponit, quod infamis ille locus postea in monasterium conversus fuerit.

E

et qui post mortem Theophili imperatoris.

621 Theophilo imperatore mortuo, qui filium triennem reliquerat, imperii curatores imperatrici Theodoræ suaserunt, ut statim antiquum sacrarum imaginum cultum restitueret, quibus ipsa apud citatum Constantinum Porphyrogennetum lib. 4 num. 2 sic respondit: *Hoc semper et desideraveram, nec versare animo umquam cessabam; et si hactenus plurium senatorum procerumque, qui illi studeant hæresi, ingens deterruit numerus, ne quid hactenus ejus rei molirer; nec minus, qui tuendæ ecclesiæ sibi partes vendicant, metropolitæ, omniumque maxime patriarcha: is namque cum maritus exiguam quamdam hujus hæresis radicem a majoribus traxisset, eam longe auxit, auctor nimirum illi effectus, ut ad verbera tormentaque adjiceret animum, quorum quotidie adversus Sanctos novus artifex erat, taliumque ei malorum miser incensor ac doctor fuit.*

F

ab imperatrice Theodora,

622 Cum autem illi imperatricem hortarentur, ut pium suum desiderium intrepide exsecutioni mandaret, et præcipuum hæresis fautorem primo aggrederetur, Janni patriarchæ nuntiari jubet, ut orthodoxis consentiat, aut sedem relinquat. Sed audi, quo modo sceleratus ille dignitatem retinere, et imperatricem odiosam reddere conatus fuerit, ut idem Constantinus lib. 4 num. 3 testatur hac narratione: *Erat Jannes in patriarchalium ædium triclinio, quod Thessalum vocant, in lectulo jacens, cum ad eum regia mandata perlata sunt: moxque auditis animo perculsus, unum hoc respondit, se de his probe deliberaturum; idque locutus, mandatorum latorem dimisit. Ac dicto citius, arrepto in manus cultello seu lanceola, ven-*

triculi

A *triculi venas secat, ex quibus effluente sanguinis copia, exterrendum vulgus ac miseratione tangendum sciebat; mortem vero aut periculum aliud nullum sibi creandum timebat.*

quam tetro scelere exosam reddere frustra tentaverat,

623 *Confestim ergo tumultuantium clamor ac vociferatio ecclesiam circumstrepere; quin et ipsas regias aures ante reditum ipsius Drungarii occupare, patriarcham imperatrice auctore interfectum esse. Missus itaque Bardas patricius, qui rumores istos diligenter exquireret, vulnera de industria inflicta sensim deprehendit; nec fabula coargutionis lucem effugit, cum ipsi famuli delatores essent, et incisoria venarum instrumenta seu scalpella in medium proferrent. Exinde igitur nulla cujusquam miseratione (ut qui talis reus criminis, suæque ipsius animæ insidiator deprehensus esset) expellitur, ejectusque miser ecclesia, in suburbanum suum ita dictum Psichæ (acsi micas dicas) relegatur; inducitur vero is, qui multis laboribus atque ærumnis integram ac illibatam virtutem conservaverat, ac cui ex diuturno (ut par est) carceris pedore atque fœtore pili defluxerant; quamquam ei Dei nutu, ac Theodoræ Augustæ assensu ecclesiæ gubernatio clavusque debebatur;*
B *magnus scilicet invictusque Ecclesiæ defensor Methodius.* Reliquas hujus Jannis impias molitiones, quia sub patriarchatu S. Methodii contigerunt, postmodum referemus. Nunc discutiamus, quo tempore hæc justissima Jannis exauctoratio acciderit.

anno 842 ex sede CP. dejicitur.

624 Pagius in Critica ad annum Christi DCCCXLII num. 6 probat, Theophilum imperatorem anno DCCCXLII, die XX Januarii obiisse. Porro ex allegata Constantini Porphyrogenneti narratione satis apparet, Jannem statim post mortem imperatoris, et consequenter ineunte anno Christi DCCCXLII, exauctoratum fuisse. Igitur in appendice S. Nicephori recte episcopatui ejus assignantur novem anni, quos completos, omissis mensibus, numerare oportet: si enim ab anno Christi DCCCXXXII, die XXI Aprilis, quo eum cathedram Constantinopolitanam invasisse supra diximus, usque ad ineuntem mensem Februarium anni DCCCXLII computaveris, invenies, annos novem et aliquot menses effluxisse. Alii patriarcharum catalogi apud Bandurum inter se non concordant, et in nonnullos manifesti errores irrepserunt. Hæc chronotaxis confirmabitur ex tempore, quo
C ecclesiam Constantinopolitanam gubernavit

LVIII S. METHODIUS I.

Post expulsionem Joannis statim eligitur S. Methodius,

Constantinus Porphyrogennetus lib. 4 num. 6 tempus, quo restituta est sacrarum imaginum veneratio, indicat his verbis: *Interea recepta ecclesia, sanctissimoque Methodio pontificali honore sublimato, sanctorum Jejuniorum prima Dominica, una cum Augusta, peractis in sacra sanctissimæ Dominæ nostræ Deique genetricis Blachernensi æde in Dei laudibus et canticis, nocturnis vigiliis, mane solenni supplicatione ac pompa ad magnum Dei Verbi templum veniunt* (nempe orthodoxi præsules, de quibus scriptor supra egerat) *riteque peracta re sacra, suum rursus ecclesia ornatum recipit, inque eum modum proficiebat orthodoxa ecclesia, et ut verbis Scripturæ utar, renovabatur ut aquila, proscriptis toto terrarum orbe cunctis hæreticis, eorumque antistite Joanne scilicet, cui a fidelibus ob suam impietatem Jannis nomen inditum est.* Pagius in Critica ad annum Christi DCCCXLII num. 14 ex hoc textu sic concludit: *Die itaque XIX mensis Februarii, in quam Dominica prima Quadragesimæ hoc anno incidit, jam Methodius patriarcha erat, sed a paucissimis diebus, ut in morte ejus ostendam.* SEC. IX.

qui forsan die 19 Februarii, anno 842 consecratus est,

626 At nihil impedit, quo minus dicatur S. Methodius Dominica prima Quadragesimæ consecratus fuisse, si hunc Constantini Porphyrogenneti textum ita legamus: *Interea recepta ecclesia, sanctissimoque Methodio pontificali honore sublimato sanctorum Jejuniorum prima Dominica,* orthodoxi antistites una cum imperatrice ad magnum templum veniunt. Si hæc periodus ita legatur sine interpunctione, quam forte interpres vel editor pro suo arbitrio hic inseruit, consecratio S. Methodii ad primam Dominicam Quadragesimæ, adeoque ad diem XIX Februarii referetur. Imprimis hac ratione invenimus majus temporis intervallum, ut eodem anno a morte Theophili imperatoris, seu die XX Januarii, usque ad consecrationem S. Methodii sive diem XIX Februarii facilius fieri potuerint ea omnia, quæ Pagius minori temporis spatio facta esse arbitratur.

in qua opinione non cogimur mutare numerum mensium cum Pagio,

627 Præterea in nostra hypothesi non cogimur mutare numeros in additamento S. Nicephori, cujus auctorem Pagius eodem seculo vixisse fatetur, et qui in omnibus editionibus, quas vidi, episcopatui S. Methodii quatuor annos ac tres menses constanter adscribit. Sed Pagius ad annum E
Christi DCCCXLVII num. 17 sine solido fundamento numerum mensium corrigendum esse asserit his verbis: *Continuator Nicephori, aut potius librarius errat, cum ait eum sedisse annos* IV, *menses* III: *a die enim* XIX *Februarii, anni* DCCCXLII *Dominicæ Orthodoxiæ sacra* (eadem apud Græcos est cum Dominica prima Quadragesimæ) *ad diem* XIV *Junii anni superioris, fluxere anni quatuor, menses tres, et dies viginti sex, die emortuali excluso. Quare loco* MENSES III, *legendum* MENSES IV, *sicque Methodius ordinatus fuerat die* XII *Februarii, in quem Dominica anno* DCCCXLII *cecidit.* Pagius igitur initium S. Methodii diei XII Februarii affigit, quia in illam anno DCCCXLII incurrebat dies Dominica, qua ordinationes præsulum passim peragi solebant. At juxta lectionem sine interpunctione a nobis superius propositam S. Methodius consecratus est die XIX Februarii, in quam eodem illo anno DCCCXLII Dominica prima Quadragesimæ incurrebat, et ita episcopatui ipsius cum continuatore F
Nicephori rotunde quatuor annos et tres menses tribuimus, omissis diebus, qui sæpe a catalogorum textoribus non exprimuntur.

cujus computum

628 Bandurus Pagium non intellexit, et crasse hallucinatus est, dum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 908 de chronotaxi ejusdem Methodii sic disserit: *In appendice ad Chronographiam sancti Nicephori, Methodio anni quatuor et menses tres assignantur. Verum Pagius Methodium sedisse ait annis quatuor, mensibus quatuor, et viginti sex diebus, die emortuali excluso: quippe a die* XII *Februarii, in quam Dominica incidebat anno Christi* DCCCXLII, *et qua Methodium ordinatum fuisse apparet ex continuatore Constantini Porphyrogeniti, ad diem* XIV *Junii, qua Methodius obiisse dicitur in Vita sancti Joannicii abbatis apud Surium ad diem* IV *Novembris, hoc est, anno Christi* DCCCXLVI, *ut scribit laudatus Pagius, intercedunt anni quatuor, menses quatuor, et viginti sex dies, die emortuali excluso.*

Bandurus non intellexit.

629 At primo Pagius non dixit, ab anno DCCCXLII, die XII Februarii usque ad diem Junii decimam quartam anni DCCCXLVI, annos quatuor, et menses quatuor cum viginti sex diebus effluxisse;

xisse;

Sec. IX.

xisse; sed tantum affirmavit, a die Februarii decima nona anni DCCCXLII, usque ad diem Junii decimam quartam anni DCCCXLVI, quatuor annos, *menses tres*, et dies viginti sex elapsos esse. Deinde qua numerandi ratione Bandurus inter diem Februarii duodecimam anni DCCCXLII, et diem Junii decimam quartam anni DCCCXLVI, inveniet *annos quatuor, menses quatuor, et viginti sex dies;* cum intra istud temporis spatium dumtaxat quatuor anni, quatuor menses, ac unus dies intercesserint, die emortuali excluso, ut computanti patebit? Denique Bandurus supra laudatum scriptorem vocat Constantini Porphyrogeniti continuatorem, quem Pagius et alii ipso Constantini Porphyrogenneti nomine appellant. Circa certum obitus annum non minus intricata occurrit difficultas, quæ jam eruditis proponenda est.

In assignando anno mortis S. Methodii

630 Pagius tomo 3 Criticæ pag. 605 mortem S. Methodii alligat anno Christi DCCCXLVI, et sententiam suam probat hoc ratiocinio : *Theodora Augusta instaurandæ pietatis in imperio Orientali ab Iconomachis, qui illud per annos triginta afflixerant, Methodio aptiorem non reperit, ideoque illum ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcham præ-* B *fecit ipso imperii sui initio, anno nempe* DCCCXLII. SED CUM ECCLESIAM DEI OPTIME SANCTISSIMEQUE PER QUADRIENNIUM REXISSET, AD DEUM SEMPITERNA POTITURUS PACE ABIIT, *inquit Nicetas, cognomento Paphlago, in S. Ignatii, Methodii successoris, Vita, tomo* VIII *Conciliorum pag.* 1180 *et sequentibus integra recitata. Annos etiam quatuor Methodio assignant Porphyrogenneta, Curopalates, Cedrenus et Zonaras, dum de Michaële Balbo imperatore verba faciunt. Imo in Additamento Chronici Nicephori patriarchæ Constantinopolitani, cujus auctor hoc seculo vixit, hæc verba leguntur* : METHODIUS ORTHODOXUS *(quia scilicet de Joanne hæretico proxime locutus est)* ANNIS IV, MENSIBUS III. *Quare cum auctor Vitæ S. Joannicii abbatis apud Surium die* IV *Novembris prodat, Methodium excessisse ex hac vita* QUARTO DECIMO JUNII, *hunc die illo, ac anno octingentesimo quadragesimo sexto ad Deum migrasse, apud me certum.*

veteres et recentiores auctores

631 Attamen Baronius obitum ejusdem S. Methodii differt usque ad annum Christi DCCCXLVII, quia antiquus auctor in Vita S. Joannicii apud Surium die IV Novembris num. 67 sic scribit :
C *Quinto anno imperii Michaëlis* (is post mortem patris ab anno DCCCXLII, die XX Januarii imperare cœpit, adeoque quintus ipsius annus usque ad vigesimam Januarii diem anni DCCCXLVII fluebat) *qui ecclesiam regebat Methodius, cum magni Joannicii ad Dominum excessum præscivisset jam appropinquare, ad eum venit et ultimas preces ab eo petiit. Ille autem cum maximi fecisset convenire Methodium, et in longum tempus cum eo produxisset sermonem,..... subjunxit, quod nec multum tempus post suum decessum viveret Methodius. Qua quidem in re non fuit falsus : tertio enim die, postquam hæc dixisset (erat vero tertius* * *Novembris) D. Joannicius spiritu quidem migrat ad eum, quem diligit, deductus a choris angelorum ; corpus autem deponitur in loculo. Methodius autem, qui clarissime refulsit inter patriarchas, ipse quoque octavo mense post illius decessum excessit ex hac vita quarto decimo Junii.* Propter hæc veteris scriptoris verba Henschenius noster chronologiam Baronii secutus est, et in Actis S. Methodii, die XIV Junii mortem ipsius anno DCCCXLVII consignavit. Si verum sit hujus biographi testimonium, evidenter sequitur, sanctum Præsulem istum eo anno mortuum esse.

* *forte quartus*

632 Sed huic testimonio aperte contradicit Nicetas Paphlago, scriptor synchronus, qui in Vi- D ta S. Ignatii Constantinopolitani apud Labbeum tomo 8 Conciliorum col. 1190 post narratam S. Methodii mortem de successore illius subjungit sequentia : *Multis vero tum ad ecclesiæ administrationem designatis, aliisque alias ob causas voto frustratis, uti destinata Dei sententia staret, Ignatius sanctissimus presbyter, cum per multos annos sacerdotii muneribus magna cum laude perfunctus esset, bonumque sibi in multa auctoritate et in Jesum Christum fide jam gradum exstruxisset, ac propterea omnium ore celebraretur, quantumvis dignitatis magnitudinem refugiens, vi tamen sancti Spiritus, et antistitum auctoritate et sententia, honore sacro dignissimus judicatus, in imperantis urbis sacra sede collocatur, lucernaque candelabro imponitur. Cum ante omnium episcoporum et populi sententias imperatrix ad Joannicium anachoretam consultum misisset, ecquemnam hoc patriarchatus honore dignum per Dominum cognosceret; Ignatium eximius ille Joannicius divinitus pronuntiavit.* Si Theodora imperatrix, mortuo Methodio, Joannicium de successore eligendo consuluerit, non video, quo modo Nicetas Paphlago conciliari possit cum scri- E ptore Vitæ S. Joannicii, qui numero præcedente affirmat, Methodium octavo mense post mortem S. Joannicii obiisse.

inter se dissident,

et Baronius sibi non constat,

633 Ex his primo patet, eminentissimum Baronium sui immemorem fuisse, quando in Annalibus ad annum Christi DCCCXLVII num. 34 ex Vita S. Ignatii seu Niceta Paphlagone refert, *consuluisse imperatorem et matrem ejus hoc tempore sanctum Joannicium anachoretam, quis in sede patriarchali collocandus esset; ipsum vero respondisse, eligendum esse Ignatium.* Deinde ibidem summam Nicetæ synchroni fidelitatem commendat. Sed tunc certe non meminerat eorum, quæ in iisdem Annalibus ad annum Chricti DCCCXLVI num. 18 jam ita scripserat : *Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno, tertia die Novembris, magnus ille et sanctitate celebris, quem suis scriptis adeo laudavit Theodorus Studita, admirandis operibus clarus, virtutibus insignis, Joannicius anachoreta, de quo sæpe tomo superiori dictum est, ex hac vita migravit ad Dominum.* Hic etiam Actorum istorum sinceritatem laudat, et ex illis recitat ea, quæ nos paulo superius ex iisdem dedimus. Verum si S. Joannicius mense Novembri anni F DCCCXLVI ante mortem S. Methodii octo fere mensibus obierit, quomodo idem mense Junio anni DCCCXLVII de successore S. Methodii interrogatus respondit, eligendum esse Ignatium?

eamque nos anno 846 probabilius affigimus.

634 Igitur secundo patet, alterutrum biographum errasse, sicut in Actis S. Ignatii ad diem XXIII Octobris, et in Vita S. Joannicii ad diem IV Novembris curiosius poterit examinari. Interea amplectimur opinionem Pagii, qui obitum S. Methodii anno DCCCXLVI collocat, et auctoritatem Nicetæ synchroni testimonio auctoris anonymi præferendam censet. Consequenter chronologiam Henschenii nostri, qui tomo II Junii pag. 960 mortem S. Methodii etiam ad annum Christi DCCCXLVII distulit, tamquam minus probabilem deserimus, quia omnes antiqui auctores et catalogi tantummodo quatuor gubernationis annos et aliquot menses S. Methodio attribuunt. Si autem mense Junio anni DCCCXLVII obiisset, jam a mense Februario anni DCCCXLII usque ad mensem Junium anni DCCCXLVII effluxissent quinque episcopatus anni, et aliquot menses, quos nemo veterum ei assignat. Atque hæc de tricis chronologicis satis superque dicta sunto.

635 Etiamsi

A

Impius Joannes exsul ob iteratam Iconomachiam oculis privandus,

635 Etiamsi Henschenius ad diem XIV Junii Acta S. Methodii ex variis auctoribus collegerit, tamen tunc nondum legerat Constantinum Porphyrogennetum, qui primum anno MDCLXXXV Parisiis Græco-Latine prodiit, et in quo fusius distinctiusque narrantur nonnulla, quæ alii scriptores tantum breviter attigerunt. Quapropter juverit ex ipso unum alterumve exemplum proferre, quo pertinax scelerati Jannis impietas, et admiranda S. Methodii virtus melius cognoscatur. Itaque nobilis ille historicus, sive Chronographia jussu ipsius conscripta, lib. 4 num. 9 de Janne exauctorato hæc narrat : *Sacerdotio itaque motus, cum in monasterio quodam exul versaretur, pictaque imago quædam in tecto velut intentis in eum oculis esse videretur ; non ferens ille imaginis sic de alto quasi intuentis aspectum, per unum e famulis tolli eam jubet, atque ejus oculos effodi, unum hoc addens, non posse se ejus effigiem formamque intueri. Audivit hæc Augusta, ac qua virum decebat castigatione, scuticæ taureisque subjecit.*

forsan intercessione S. Methodii mitius punitur.

636 Forsan intercessione S. Methodii factum est, ut impius Jannes majores pro hoc scelere pœnas non persolverit : nam Joannes Scylitza Curopalates in editione Veneta fol. 24 rem hanc

B

ita exponit : *Exsecrabilis vero Joannes in quoddam monasterium inclusus, cum in quadam parte conspicatus esset restitutam imaginem Christi Dei, ejusque Matris et angelorum, suo diacono præcepit, ut eo ascendens venerandarum imaginum oculos effoderet : quod ubi audivit pia regina, zelo divino accensa, eidem oculos effodi jussit ; verum hoc factum non est, quod quidam probi et idonei viri intercessere. Sed missis satellitibus, ducentis eum loris percutiendum curavit.* Cedrenus, Zonaras, aliique historici etiam tradunt, decretam Jannis excæcationem in aliud supplicium mutatam fuisse intercessione quorumdam, inter quos facile fuisse potuit S. Methodius, qui accusatores suos publice de mendacio convictos gravioribus calumniæ pœnis liberavit, ut ex sequenti historia apparebit.

et nihilominus postea S. Methodium

637 Laudatus Constantinus Porphyrogennetus eodem lib. 4 num. 10 inquietam Jannis aliorumque Iconoclastarum malevolentiam sic referre pergit : *At ne sic quidem, ut quietus ageret, in animum inducebat ; sanctumque Methodium, structa in eum calumnia, circumvenire tentabat. Hæc autem in eo erat,*

C

constuprasse scilicet mulierem, unici filii matrem, id est Metrophanis, ejus videlicet, qui haud multo post Smyrnensis episcopus fuit. Hanc, auri multa vi conducentes, aliaque polliciti, modo solum eorum fraudi acquiesceret, acriter apud Augustam, ejusque filii procuratores accusant. Mox itaque formidolosum tremendumque tribunal ponitur, exque utroque ordine (civili scilicet sacroque) judicium cogitur. Nemo non piorum, nemo non impiorum aderat ; monachi omnes, ac quisquis audire poterat aut loqui, præsto erant. Alios pro criminis novitate mœstos pudor adduxerat, alios insultandi cupido, et ut petulantia oblectarentur.

de turpissimo crimine accusari curat,

638 *Producuntur ergo accusatores in medium et quæ reum erat peractura, mulier coram sistitur. Methodius simul atque mulier adstitit, nihil quidquam veritus, deque solita subtrahens comitate et salutatione, cunctis audientibus, ex illa percontari : Quonam te modo habes, domina? (dudum enim virtutis nomine illi nota erat.) Quonam modo hic atque ille? De marito, iisque qui ullo eam modo contingebant. Tantus in eo candor ac simplicitas efflorebat. Adversarii, majori clamore sublato, aucta inde accusatione, superbe gaudio gestiebant, jamque aperte crimen se evicturos putabant.*

Sec. IX. qua calumnia palam detecta,

639 *Is porro, ubi tantam calumniam sensisset, zelo succensus, ne quid ejus causa ecclesiæ res Christique honor labefactarentur (nempe non nesciens, aliud pudoris, aliud subticendi et gravitatis tempus esse) paulisper se a throno subrigens, sinumque ad se colligens, verenda nuda ostendit miraculo arefacta, nec qualia virorum esse solent ; simulque ut se res habuerit, gestumque miraculum sit, referebat. Cum nimirum pridem jam ad seniorem Romam venisset, adhucque in ipse ferverent ac vigerent carnis libidines, majore quam pro affectus ipsa vi, amore exarsisse. Hinc itaque aucto periculo, ac cum vim tantam libidinis non posset superare, Petrum apostolorum principem expansis ad ejus templum manibus exorasse, ut ab eo opem aliquam impetraret. Dumque tandem precandi labore fessus in somnum sese reclinasset, visum in somnis Apostolum, qui eam tangendo partem, libidinis sensum omnem exstingueret, simulque dixisse : Methodi, liberatus es a libidinum tyrannide ac dura vi. His ille fidem tanto illi conventui fecit, ac veritatis hostes pudore implevit.*

Sanctus iterum pro suis accusatoribus intercedit,

640 *Nolebat tamen magister Manuel his objecta crimina dilui. Quinimo mulieri minitabatur, se illi vitam adempturum, nisi rei omnem veritatem doceret. Illa porro totam statim fabulam eloquitur, ac* E *palam fecit, tanto se redemptam esse, auri pondus accepisse, adhucque in arcula, uti acceperat, signatum, subque illorum sigillo, domi se habere. Confestim ergo cum misissent, mulieris illa indicatione inventum in arca aurum ac allatum est. Accusatores, miserante patriarcha, serioque rerum dominos exorante, non quarum rei erant, pœnas dederunt, justæque ultionis supplicia tulerunt ; sed veniam consecuti sunt, ea dumtaxat indicta mulcta, ut quotannis solenni restitutarum imaginum die (Ὀρθοδοξίας festum vocant) prælucentibus facibus a venerabili Dei Genitricis Blachernarum æde ad divinum celeberrimumque Sapientiæ templum venirent, dictumque in eos anathema, ob eorum in sacras imagines odium, suis ipsi auribus audirent. Quod in multos annos servatum est, ac quoad illi vitæ superstites fuerunt.*

ut Constantinus Porphyrogennetus testatur.

641 Joannes Scylitza, Georgius Cedrenus, Michaël Glycas, Joannes Zonaras, aliique scriptores Græci eamdem historiam posteritati reliquerunt ; sed inter hos omnes citatum Constantinum elegi, eo quod tempori, quo res illa contigit, vicinior vixerit, et ab Henschenio nostro in Actis F S. Methodii adductus non fuerit. Porro reliqua, quæ sanctus iste Præsul Constantinopolitanus pro defensione orthodoxæ fidei fortiter tulit ac præclare gessit, in Opere nostro ad diem XIV Junii, tomo 2 istius mensis, a pag. 960 legi possunt. Secundum supradicta sanctus Vir mense Februario anni DCCCXLII cathedram Constantinopolitanam ascendit, et medio fere mense Junio anni DCCCXLVI ex ea ad Superos evolavit. Nunc primo videndum est, quandonam ipsi mortuo successerit

LIX S. IGNATIUS.

Ineunte Julio anni 846 in locum S. Methodii successit S. Ignatius;

Videtur hic sanctus Præsul in locum defuncti Methodii suffectus esse anno DCCCXLVI die IV Julii, ut ex tempore depositionis ejus colligimus : nam auctor Libelli synodici, qui hoc seculo scripsit, annos, menses et dies primæ administrationis Ignatianæ apud Harduinum nostrum tomo 5 Conciliorum col. 1547 sic exacte numerat ;

SEC. IX.

rat : *Photius in templo sanctorum et clarissimorum Apostolorum Christi, synodo eorum, qui Ignatium deposuerunt, convocata, adduci ad eam sacrorum antistitem Ignatium curavit, et septuaginta duobus e plebis fæce falsis testibus productis, iisque, qui laicis essent, minas promissionibus innectendo, persuasis, ut per omnipotentiam Dei jurarent, Ignatium, qui* ANNOS UNDECIM, MENSES QUATUOR, DIES VIGINTI, *thronum patriarchæ occupasset, electum numquam fuisse.* Dum vero auctor appendicis ad Chronicon S. Nicephori tribuit Ignatio annos undecim cum quinque mensibus, et Nicolaus Papa apud Labbeum tomo 8 Conciliorum col. 279 in epistola ad Michaëlem imperatorem scribit, Ignatium *per duodecim fere jam annos regiæ urbis* episcopatum tenuisse, juxta communem consuetudinem numero rotundo annos vel menses expresserunt, et cum auctore Libelli synodici facile conciliantur.

ut colligimus ex tempore expulsionis ejus,

643 Jam vero Nicetas Paphlago in Vita S. Ignatii apud Labbeum tomo 8 Conciliorum col. 1230 agens de ipsius restitutione, diem præteritæ expulsionis simul sic indicat : *Tunc vero Basilius imperator adductum in Magnauræ palatium Ignatium, silentio indicto, multis laudibus cohonestavit. Dies erat Dominica, tertia et vigesima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exsilium pulsus erat, qui Dei præsidio et clementia fretus, novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, ecclesiæ suæ throno restituitur.* Pagius in Critica ad annum Christi DCCCLVIII num. 12 contendit, his verbis non indicari dumtaxat anni tempestatem, qua Ignatius expulsus aut in sedem restitutus est; sed ipsum diem et mensem expulsionis et restitutionis accurate notari. Certe textus Græcus ita habet : Εἰκάδα δὲ καὶ τρίτην εἶχε Νοέμβριος, ὥσπερ καὶ ὅτε πρῶτον ἐξωρίζετο. Id est, ut verbum de verbo exprimam, *vigesimam autem et tertiam habebat November, sicut etiam quando primum relegatus est.* Præterea Pagius ad annum Christi DCCCLXVII num. 15 circa *novennalem ex virtutis certamine lauream* notat, prono librarii errore Græce ἐννέα, id est *novem*, pro ἕνδεκα, id est *undecim* scriptum fuisse, et S. Ignatium per undecim annos utrimque incompletos absque administratione episcopatus vixisse : nam juxta ipsummet Nicetam die XXIII Novembris anno DCCCLVII exauctoratus est, et eodem die anni DCCCLXVII sedem recuperavit, ut postea videbimus.

quæ verosimiliter mense Novembri anni 857 contigit,

644 Ex hactenus dictis Pagius ad annum Christi DCCCLVIII num. 12 ita concludit : *Quare cum auctor Libelli synodici, qui hoc tempore vivebat, referat synodum Constantinopolitanam currenti anno in templo Apostolorum habitam a Photio, in qua legitur, Ignatium annos undecim, menses quatuor, dies viginti thronum patriarchalem occupasse, manifestum est, non solum Ignatium anno* DCCCXLVI *die quarta mensis Julii, in quam Dominica cadebat, ordinatum fuisse; sed etiam anno octingentesimo, quinquagesimo septimo, die vigesima tertia mensis Novembris, e sede pulsum esse; cum a die* IV *præfati mensis Julii ad diem* XXIII *mensis Novembris anni* DCCCLVII, *anni* XI, *menses* IV, *et dies* XX *intercurrant, et Ignatii ordinatio, quæ non nisi in Dominica facta fuit, ab anno* DCCCXLVI *removeri non possit, sicuti nec ejus depositio ab anno* DCCCLVII. Hanc Pagii chronologiam amplectimur, et injustam S. Ignatii depositionem anno Christi DCCCLVII probabilius affigimus. Nihil hic de generosis illius certaminibus aliisque gestis dicimus, cum hæc omnia ad diem XXIII Octobris in Opere nostro copiosius illustranda sint, et interim præcipua ipsius Acta apud Labbeum tomo 8 Conciliorum a col. 1179 legi possint.

LX PHOTIUS schismaticus.

et hujus sedem eodem anno invasit Photius,

Famosissimus ille auctor schismatis inter ecclesiam Græcam et Latinam, eodem anno DCCCLVII locum exauctorati Ignatii occupavit, et statim ex laico factus est episcopus Constantinopolitanus, *intraque sex non amplius dies*, ut Nicetas Paphlago in Vita S. Ignatii apud Labbeum tomo proxime citato col. 1199 loquitur, *manibus hominum initiatus, concupitam ecclesiæ cathedram invasit. Eratque vere cernere, ut fertur adagio, extemporalem fictitiumque seu personatum sanctum : nam primo die monachus ex laico, altero lector, tum hypodiaconus, ac diaconus, et presbyter, sexto deinde,* QUI FUIT CHRISTI NATALIS, *et ipse sacrum conscendens tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit.* Ex his apparet, Photium ipso Natalitiorum festo, seu die XXV Decembris, anno Christi DCCCLVII in cathedram Constantinopolitanam intrusum esse. Qua porro fraude ac violentia sedem illam per aliquot annos tenuerit, apud laudatum Nicetam Paphlagonem, eminentissimum Baronium, aliosque scriptores licet videre.

de quo scriptor quidam refert enormia scelera, quæ hic omittimus.

646 Symeon Magister et Logotheta, inter scriptores post Theophanem anno MDCLXXXV Parisiis editos, hunc pseudo-patriarcham pag. 442 et sequentibus teterrimo colore depingit : nam asserit, illum ex sacrilego conjugio ortum esse, impietatem ipsius variis Sanctorum visionibus et vaticiniis prænuntiatam fuisse, eumque insimulat magiæ, aliorumque criminum, de quibus plerique auctores non meminerunt. Satis certa et enormia sunt turbulenti hujus viri scelera, quamvis ea non exaggerentur, et alia ex uno scriptore, reliquis tacentibus, hic non referantur. Quare omnem harum accusationum fidem penes Symeonem relinquimus, et memoriam Photii, aliunde omnibus Catholicis satis odiosam, incertis flagitiis gravare nolumus.

Etiamsi Photius ille esset eruditus,

647 Quinimo Photium privare non volumus debita eruditionis laude, quam ipse Nicetas synchronus, et testis minime suspectus, ei non denegat, dum apud Labbeum tomo 8 col. 1198 de injusta illius electione sic scribit : *Postquam igitur administri regii, sæpe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id, quod inique petebant, suam illo dignitatem fortiter et constanter tuente, a se ipsi consilium de cetero petiverunt, rebusque inter se diu agitatis, omnemque in partem versatis, tandem Photium protospatharium, et primum a secretis, patriarcham urbis regiæ designant; hominem sane minime obscurum et ignobilem, sed claris et illustribus oriundum natalibus, rerumque civilium et politicarum usu, prudentiaque et scientia clarissimum. Grammaticæ enim litteraturæ et carminis pangendi, dicendique laude, quin et philosophiæ et medicinæ, et omnium prope liberalium disciplinarum externarum studio, cognitioneque tantopere florebat, ut ævi sui facile princeps haberetur, imo et cum veteribus jam certare posset : omnia quippe in illo concurrebant, aptitudo quædam et naturæ vis ac felicitas, studium, opes, quibus sibi librorum omnium maximam copiam comparabat, et, quod præ cunctis, gloriæ laudisque cupido, qua incensus totas noctes, ut lectioni assidue vacaret, ducebat insomnes.*

648 At

SEC. IX.

A *tamen scientia et superbia inflatus,*

648 At Photius numerari poterat inter eos, quos Apostolus in epistola 2 ad Timotheum, cap. 3, ℣ 7, nominat *semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Teste etenim ibidem Niceta, *neque viam modestiæ et submissionis ingressus est, qua ad cœlestem gratiam veramque sapientiam pervenitur; neque deposito fastu voluit converti, et fieri ut parvulus propter regnum Dei, juxta Domini vocem; neque animam suam et mentem altius fodere, et omni subjectione demittere, ut jubet Dominus per abjectiorem humilioremque semitam, atque ita per affectuum mortificationem petræ Christo conjungi, et super ipsum inconcussum fidei fundamentum ponere, et piis operibus se ipsum domicilium sapientiæ constituere. Nihil horum huic venit in mentem; alia omnia cogitabat, fragili et arenoso vanæ profanæque sapientiæ fundamento et insolentiæ, non secundum Christum doctrinæ cor suum mentemque confirmans, vanis hominum laudibus et plausibus inflatus, elatusque inani gloria, per ipsam inimicæ Deo superbiæ se conjunxit, ex quo omnis impietatis, omniumque offensionum materiem edoctus est.*

B *sacratissima Christinæ religionis mysteria*

649 Præterea Nicetas ibidem col. 1214 et sequente Photium de nimia erga Michaëlem imperatorem aulicosque indulgentia, et perniciosa publicæ impietatis permissione accusat : cum enim inter alios aulæ mimos impudens quidam Theophilus, alio nomine Gryllus, veneranda fidei nostræ mysteria comice imitaretur, ac publice ludibrio exponeret, pseudo-patriarcha eum non reprehendit, ut laudatus Nicetas ibi testatur his verbis : *Sed Michaël tantopere infamia hac gloriabatur, ut nec publice quidem hæc erubesceret jactare : Mihi Theophilus, Cæsari Photius, Christianis Ignatius est patriarcha. In hoc, amentiæne dicam an impietatis potius, tandem chaos est devolutus. Ita sacrilegus ille scurra, ut dixi, Theophilus exerta sua petulantia aulas lambens regias nefandis sceleribus, lascivia et facetiis, turpissima imitatione per contemptum rerum divinarum, mysteria et sacramenta traducebat et illudebat; quod ne gentes quidem, quamvis impiæ, ausæ sunt aliquando.*

ludibrio exponi permittebat in aula,

650 *Quæ Photius cum coram se geri cerneret, rem indignissimam nec reprehendit, nec restitit impietati, neque, quod res divina ludibrio haberetur, verbum ullum contra seu grave seu leve edidit. Quod*

C

mirum videri non debet : erat enim mercenarius opilio, non germanus pastor; quocirca illi de pereunte grege cura nulla. Ad hæc duo tantum toto pectore intentus: alterum, ut iis, qui rerum potiri videbantur, blandiendo modisque omnibus gratificando et obsequendo, patriarchatum sibi firmaret; alterum, ut Ignatium, si qua ratione fieri posset, etiam vita exueret. Imo idem scriptor synchronus alia occasione ibidem col. 1218 asserit, Photium impiis hisce comœdiis delectatum fuisse : *De quo,* inquit, *nihil solicitus erat mercenarius opilio; quin ipse paulatim sacrilegiis illis pariter oblectabatur, et una cum impuris histrionibus pueroque consuescebat et comessabatur, neque ab eorum consuetudine et ludibrio procul aberat.*

ubi cum impio imperatore comessabatur.

651 Quod autem ad comessationes attinet, Symeon Logotheta in supradicta editione Parisiensi, pag. 438 singularem hujus accusationis probationem ita affert : *Non diu post, sanctissimo Ignatio patriarcha cessare jusso, atque amoto, cum ad imperatoris mensam coram Photio res sacra sic mimice perageretur, turpissimaque imitatione a contemptoribus exsecrandisque viris, divinis illuderetur, non solum ille non increpavit arguitque, ac absurdissimum institutum abolevit, verum etiam nefandissimus homo rem nefandam magis confirmavit, Deo exosum Theophilum illum (qui et Gryllus) precibus communiens, quem perditissimus ac bardissimus hominum imperator suum patriarcham vocitabat..... Sed et cum misero Michaële imperatore conserta pugna, uter plures calices hauriret, decem ille superior fuit? Michaële enim quinquaginta oppleto, Photius magnifice gloriari atque jactare, ut qui sexaginta epotis, vino dejectus non esset.* Sic Photius placere cupiebat imperatori, quem ob crudelitatem, impudicitiam, aliaque vitia nonnulli scriptores Neroni compararunt. Sic serviebat tempori, ut firmaret cathedram suam, quam cum manifesto animæ suæ detrimento tenuit, donec Basilius Macedo, Barda et Michaële interfectis, imperium adeptus est : tunc enim ecclesiam Constinopolitanam administravit

S. IGNATIUS iterum.

E *Cum S. Ignatius anno 867 sedi suæ restitutus esset*

Nicetas Paphalgo apud jam sæpe citatum Labbeum col. 1226 de tempore, quo hic sanctus Præsul sedi suæ restitutus est, habet sequentia: *Initio autem Indictionis primæ* (Indictio illa a Calendis Septembribus anni DCCCLXVII fluere cœperat) *octavo Kal. Octobris, Basilius, regia occupata, imperator est consalutatus,.... posteroque die, quam renunciatus erat imperator, Photium de throno deturbatum, in cœnobium, Scepen appellatum, ejicit, postridieque Eliam splendidissimum regiæ classis drungarium cum dromone regio, seu celoce, ad sanctissimum Patriarcham ex insula Constantinopolim ea, qua par est, honoris pompa reducendum mittit, qui illum tantisper in paternis ædibus suis, quas Mangana appellant, collocat.* Deinde post pauca Nicetas col. 1230 subjungit, S. Ignatium *tertia et vigesima Novembris,* quæ *dies erat Dominica,* solenniter sedi suæ redditum fuisse, ut supra num. 642 ex verbis ipsius eruimus. Hanc itaque restitutionem factam putamus anno Christi DCCCLXVII, quo dies XXIII Novembris in Dominicam incidebat.

et quarta synodus Constantinopolitana F

653 Postquam S. Ignatius sedi suæ restitutus fuisset, ex Orientalibus ac Occidentalibus congregata est synodus, quæ dicitur quarta Constantinopolitana vel œcumenica octava, et in qua Photius solenniter damnatus fuit, ut jam sæpe laudatus Nicetas apud Labbeum tomo 8 col. 1231 narrat his verbis : *Deinceps illa synodus per episcopos duos supra centum celebrata, omnia ordine decenterque et ratione optima ex legum et canonicorum decretorum præscripto dicendo agendoque, reum Photium, quamvis reluctantem, præsentem adesse cogit; et severe illi objiciunt concilia exitialia adversus Ignatium inita, factam præter rationem insana mente ejus depositionem; mendacia item et calumnias, aliaque omnia, quæ clam adversus Nicolaum pontificem fuerat molitus. Deinde quærunt ex eo, quid respondeat ad illam olim Romæ latam contra se damnationis sententiam. Cum obmutesceret, quod nullam criminum suorum veram defensionem reperiret, a legatis Romanis, ipsoque imperatore, et toto senatu admonitus, ut veniam precaretur, et saltem tamquam laicus ad fidelium communionem reciperetur, superbe et contumaci animo consilium penitus repudiavit.*

Photius horrendo modo damnasset,

654 *Ergo communi omnium æquissimo judicio damnatur, abdicatur, anathemateque percellitur, veluti violator et adulter, maximarumque calamita-*

tum

Sec. IX.

tum et infinitarum offensionum ac scandalorum in Ecclesia Dei auctor; et pronuntiat synodus juxta Nicolai Papæ sententiam, qua primum Photius maturo cum judicio, canonicaque seu synodica fuerat depositione damnatus. Subscripsere (episcopi) depositioni calamis, non nudo atramento, sed (in quo penitus contremiscas, ut eos, qui rem norant, asseverantes audivi) ipso Salvatoris sanguine tinctis. Ita, inquam, demum Photium exauctorarunt damnaruntque, unaque omnes ab illo sacris initiatos. Alterum tremendæ hujusmodi scriptionis exemplum in condemnatione Pyrrhi Monothelitæ supra retulimus.

ille anno 877 ad æterna laborum suorum præmia vocatus est.

655 Cum sanctus Pastor gregem Constantinopolitanum rursus per decem fere annos verbo et exemplo pavisset, tandem octogenarius anno Christi DCCCLXXVII ad æternam laborum suorum mercedem vocatus est, et juxta testimonium laudati Nicetæ apud Labbeum col. 1243 *Ignatius ex hac vita die tertia supra vigesimam Octobris ad Dominum emigravit.* Paucis interpositis, biographus ille ibidem col. 1246 hæc subdit : *Ergo Ignatius iterum patriarcha decennio præfuit; tricennium* B *vero, pauloque amplius, universe magnus Antistes solium tenuit, annorumque octoginta in pace ad magnum illum pontificem Christum est profectus.* Hoc ultimum decennium incomplete accipiendum est, cum a die Novembris vigesima tertia anni DCCCLXVII, usque ad diem Octobris vigesimam tertiam anni DCCCLXXVII, ad complendos decem annos unus mensis defuerit, ut manifestum est. Denique ex universali totius episcopatus computo etiam liquet, Ignatium anno Christi DCCCLXXVII obiisse : nam ab anno DCCCXLVI, die IV Julii, qua cathedram ascendit, usque ad diem XXIII Octobris anno Christi DCCCLXXVII, *tricennium, pauloque amplius*, seu triginta anni, tres menses, et aliquot dies effluxerunt.

PHOTIUS iterum.

Cum Photius Basilium imperatorem, avitæ nobilitatis avidum

Forte nonnulli mirabuntur, Photium sub imperio Basilii Macedonis, a quo in exsilium pulsus fuerat, sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse. Sed astutus ille exsul imperatorem, C antiquæ nobilitatis avidum, callide circumvenit, eumque sibi demeruit lepida fraude, quam Nicetas Paphlago apud Labbeum col. 1251 multis exponit. At cum hæc fusior narratio in Actis S. Ignatii ad diem XXIII Octobris exhibenda sit, eamdem historiam hic breviter referemus ex Symeone Logotheta, qui in Opere supra citato pag. 459 et sequente sic scribit : *Ejectus ex ecclesia Photius, et in monasterio, quod Scepæ vocant, exsulans, ejuscemodi figmentum commentus est. Basilii imperatoris genealogiam pertexens, quasi a Teridate, magnæ Armeniæ principe, is originem traheret, librum in regia bibliotheca reponi curat Theophanis, cognomento Sphenodæmonis, opera, tunc palatini clerici, viri sapientiæ ac eruditionis nomine Basilio chari.*

ficta genealogia decepisset,

657 *Excerptis namque initialibus nominum litteris in hunc modum, Basilii, Eudociæ, Constantini, Leonis, Alexandri, Stephani, ex quibus legendo vox* BECLAS *conficitur; Basiliique a principio genealogiam doctus, sive regionem, sive res illic gestas spectes, eaque in commentarios redacta, sicque subtili arte libello composito, ut probe antiquum codicem referret, in regia, uti dictum est, bibliotheca reponit, ejus, quem dicebam, Sphenodæmonis opêra.* D *Dumque is aliquando imperatoris jussu in eadem bibliotheca librum quærit, istoque invento, curiosius inquirens, animi anxium agit, imperatori ostendit, atque, excepto dumtaxat Photio, neminem esse, qui in illo scripta intelligere posset. Statimque is ipse ad Photium mittitur. Facilisque prætextus : Nisi, inquit, imperatorem videro, non dicam, quis sit liber, ejusve inscriptio. Ingressus itaque, librum legit, ac quasi ab angelo didicisset, percurrit. Hinc rursus Photii cum Basilio necessitudo coaluit.*

mortuo S. Ignatio, statim sedem CP. recuperavit,

658 Postquam igitur Photius hac mendaci adulatione gratiam ab imperatore Basilio iniisset, et magnum aulicorum favorem sibi comparasset, ut Nicetas apud Labbeum col. 1254 affirmat, *non toto, quam Ignatius obierat, triduo elapso, tribunal patriarchale, revocata pristina et parricidali tyrannicaque mente, occupavit.* Unde juxta hunc scriptorem synchronum videtur Photius anno Christi DCCCLXXVII, die XXVI Octobris rursus cathedram Constantinopolitanam invasisse. Eam vero dignitatem tenuit usque ad imperium Leonis Philosophi vel Sapientis, qui mense Martio anni DCCCLXXXVI post mortem patris sui Basilii solus imperare cœpit, et primo imperii sui E anno hunc pseudo-patriarcham, de conspiratione cum Santabareno accusatum, e sede Constantinopolitana expulit, et in monasterium Armeniacorum relegavit.

ex qua iterum anno 886 dejectus est,

659 Circa tempus expulsionis Baronius cum aliis chronologis convenit, et ad annum Christi DCCCLXXXVI num. 29 de Photio sic scribit : *Ejectus autem hoc anno (ut audisti) penitus Photius, nec amplius restitutus, sed in monasterium relegatus, quando obierit, quomodove diem extremum clauserit, in obscuro est; idque dolo schismaticorum, ipsum auctorem ductoremque suum mire colentium.* Etsi Eminentissimus scriptor asserat, ignotum esse tempus, quo Photius ex hac vita migravit, tamen Pagius in Critica ad eumdem annum num. 5 ex Breviario Græco synodi Constantinopolitanæ octavæ non improbabiliter colligit, hunc schismatis auctorem, a novem Pontificibus Romanis excommunicatum, anno Christi DCCCXCI obiisse.

post mortem a suis sectatoribus pro sancto honoratus

660 Quod vero ad schismaticos Photii sectatores attinet, illi ducem suum non tantummodo miris fictisque laudibus extollunt, sed etiam sanctissimum appellant. Sic Theodorus Balsamon in F præfatione ad Nomocanonem Photii dicit, sibi ab imperatore Manuele Comneno et patriarcha Michaële Anchialo mandatum esse, ut diligenter examinaret illa, *quæ a sanctissimo illo patriarcha domino Photio scripta sunt, et in quatuordecim titulis composita cernuntur.* Hinc alii nomen ipsius Sanctorum catalogo adscribunt, ut liquet ex Synaxario Claromontano, quod in apographo nostro ad diem VI Februarii sic habet : Μνήμη τοῦ ὁσίου Βαρσανουφίου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Φωτίου· τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ προφητείῳ τοῦ ἁγίου προφήτου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, τῷ ὄντι ἐν τοῖς ἠρεμίας. Hoc est : *Memoria sancti Barsanuphii, et sancti patris nostri archiepiscopi Constantinopolitani Photii. Celebratur autem festum illius in æde sacra sancti prophetæ et baptistæ Joannis, quæ sita est in loco Quietis.* Sic hanc ultimam vocem interpretatus sum, quia ἠρεμία significat *quietem*, a qua voce forsan templum istud aut sacellum S. Joannis Baptistæ ita cognominabatur, eo quod loco solitario et quieto situm esset. Sed inter varias S. Joannis Baptistæ

A stæ ecclesias, quas Cangius et Bandurus in descriptione urbis Constantinopolitanæ assignant, nullam hujus cognominis inveni. Quidquid sit de vero istius ædis sacræ cognomine, saltem videmus hic Photium perperam inter Sanctos numeratum; quod ab aliquo privato et audaci schismatis sectatore factum esse arbitror, cum alia Græcorum Menologia de illo non meminerint.

LXI S. STEPHANUS I.

Photio exauctorato successit S. Stephanus

S*ubstitutio Stephani in locum Photii*, inquit Baronius ad annum Christi DCCCLXXXVI num. 15, *haud ita perfunctorie facta est, inconsulto Romano Pontifice Stephano: nam ab eo ut dispensaretur, quod ordinatus fuisset a Photio diaconus, opus erat; et lex erat ecclesiastica, ut ordinati a Photio cessarent omnino; nec majori gradu elevarentur.* Quare Stylianus, Neo-Cæsariensium in Euphratesia antistes, una cum Leone imperatore Romanum Pontificem per litteras rogavit, ut cum de- B signato Photii successore pro Apostolica auctoritate dispensare dignaretur, quemadmodum ibidem Baronius ex antiquis monumentis collegit. Hanc autem gratiam a Sede Apostolica impetratam fuisse, deinceps usurpata utriusque sedis communio, et ipsa Stephani Constantinopolitani sanctitas abunde testari videntur: etsi enim admodum juvenis ad cathedram Constantinopolitanam evectus fuerit, tamen ecclesiam sibi commissam prudenti vigilantia rexit, et singulari morum integritate exornavit, ut in Actis ipsius ad diem XVII Maii ex Synaxario Basiliano retulimus.

circa finem anni 886, et obiit mense Maio anni 893,

662 Nunc igitur hoc loco tantum superest, ut figamus chronologiam episcopatus, cujus initium ac durationem Leo Grammaticus post Chronographiam Theophanis pag. 475 sic indicat: *Leo Basilii filius annos quinque supra viginti, menses octo imperavit: Stephanus autem ejus frater, syncellus erat cum Photio patriarcha, ab eo educatus et eruditus. Leo idem post assumptum imperium* (illud post mortem patris assumpsit mense Martio anni DCCCLXXXVI, ut supra diximus)..... *fratrem etiam* C *Stephanum in patriarchium induxit, qui imminentibus Christi Natalitiis patriarcha consecratur a Theophane, primæ post patriarcham sedis episcopo, et a reliquis præsulibus; vixitque in patriarchatu annos sex et menses quinque, et vita functus in Sicellorum* monasterio sepelitur.* Totidem annos ac menses S. Stephano tribuunt anonymus Theophanis continuator, Simeon Logotheta, et Georgius monachus, inter quos postremus etiam affirmat, quod sanctus ille Leonis imperatoris frater *ante Christi Natalem* patriarcha ordinatus fuerit.

* *al.* Syceorum

ut ex correcta Henschenii chronotaxi statuimus.

663 Henschenius noster tomo 4 Maii pag. 37 totam hujus sancti Præsulis chronotaxim sic recte digessit: *His ita deductis, restant pauca de tempore sedis S. Stephani breviter indicanda. A Leone Philosopho fratre S. Stephanum in patriarchium inductum, et in patriarcham, imminentibus Christi Natalitiis, consecratum testatur Leo Grammaticus: factum vero id est anno imperii Leonis primo, Christi* DCCCLXXXVI, *et forte circa* XVIII *Decembris. Addit Leo Grammaticus, vixisse in patriarchatu annos sex, et menses quinque, ac proinde decessisse* XVII *Maii, anno* DCCCXCIII; *ad quem annum initium S. Antonii successoris retulit Marquardus Freherus in Chronologia præposita tomis duobus Juris Græco-Romani, Francofurti anno* MDXXVI *excusis. Sed perperam initium Stephani opposuit anno* DCCCLXXXV, *quando scilicet adhuc imperabat Basilius, cui, sequenti dumtaxat anno vita functo, successit filius Leo philosophus, sub quo initiatum esse patriarcham omnes admittunt, etiam Cedrenus et Scylitza; licet perperam anno sequenti hic, ille tertio anno e vita decessisse asserant. Atque ita tribus eum annis præfuisse etiam scribitur sub finem libri 4 dicti juris Græco-Romani, et nos cum Baronio ad Vitam S. Antonii Cauleæ, ubi mortem S. Stephani, et successionem S. Antonii retulimus ad annum* DCCCLXXXVIII: *quod proinde hic cuperemus emendatum.* Hanc correctam Henschenii chronologiam Pagius et Bandurus amplectuntur.

SEC. IX.

LXII S. ANTONIUS II, cognomento Cauleas.

In locum S. Stephani anno 893 subrogatur S. Antonius,

N icephorus Philosophus non diu post mortem E sancti hujus Antistitis exposuit pia ipsius gesta, quæ Bollandus noster ad diem XII Februarii edidit, et commentario prævio illustravit; sed cum tunc nondum vidisset Menologium Basilii Porphyrogenneti seu Junioris, istud ibidem Basilio Macedoni perperam adscripsit. Quare errorem istum hic corrigendum monemus, et ibi prætermissum sancti Præsulis elogium nunc damus ex Menologio Basiliano, quod nuper Venetiis recusum est, et tomo 10 Italiæ sacræ in Anecdotis Ughellianis col. 341 ad diem XII Februarii sic habet: *Antonius cognomento Bacleas* parentibus, divitiis, pietate et genere illustribus, natus (nam pater erat senatus facile princeps) septimo ætatis anno senili prudentia, quæ erant puerilia, contemnebat. Ferebat inique tam præcocem in filio modestiam mater; at pater illum, mortua matre, monasterii septis inclusit; in quo vitæ genere tantos in virtute progressus fecit, ut vel invitus presbyteratum suscipere coactus fuerit, patremque virtutis suæ, sanctique instituti æmulum, monastico ipse induerit cultu, ut cujus natura filius esset, ejus spiritu esset pater.*

* *lege* Cauleas

cujus elogium alibi omissum hic exhibemus.

665 *Nobilitavit etiam hominem insignis in pauperes beneficentia, ut dum aliquando deambularet, audierit, qui se invitaret, ut magnum auri pondus pauperibus distribuendum acciperet, porrigentem ta-* F *men non videret. Quapropter imperatoris et concilii suffragio creatus patriarcha Constantinopolitanus, postea mortuus est.* Hoc Actorum compendium convenit cum longiore Nicephori Philosophi oratione, in qua singularia quædam miracula adduntur. Menæa impressa ad eamdem diem sua ex his fontibus videntur hausisse. Nunc juxta superius indicatam Henschenii correctionem, chronologica series hic continuanda est.

et qui anno 895 ad Cœlites migravit,

666 Cum S. Stephanus anno DCCCXCIII, die XVII Maii obierit, Henschenius, Pagius, Bandurus, aliique initium S. Antonii successoris eodem mense et anno collocant, quia nulla apparet ratio, ob quam dicatur sedes Constantinopolitana eo tempore vacasse. Jus Græco-Romanum, Nicephorus Callistus, aliique patriarcharum catalogi apud Bandurum ei tantum duos administrationis annos assignant. Unde sequitur, ipsum anno Christi DCCCXCV ad Superos migrasse. Imo duo illi episcopalis gubernationis anni incomplete numerandi sunt, si S. Antonius eo anno ex hac vita discesserit die XII Februarii, quo annua ipsius

Sec. x.

memoria a Græcis et Latinis celebratur. Quidquid sit de certo obitus die, illum anno Christi DCCCXCV mortuum esse confirmatur ex tempore, quo in ejus locum suffectus est

LXIII S. NICOLAUS I, cognomento Mysticus.

quandoquidem eodem anno 895 S. Nicolaus sedem CP. ascendit,

Symeon Logotheta in Annalibus supradictæ editionis pag. 463 initium suscepti ab hoc sancto Viro episcopatus ita chronologice indicat: *Imperii Leonis anno decimo, mortuo Antonio patriarcha, ordinatur patriarcha Nicolaus imperatoris mysticus.* Symeon ordinationem S. Nicolai recte copulat cum Leonis imperatoris anno decimo, qui ab ineunte Martio anni DCCCXCV fluere cœperat, ut apud Pagium in Critica ad annum Christi DCCCLXXXVI num. 1 videri potest. Baronius annum Leonis decimum cum anno Christi DCCCXCV recte conjungit; sed huic Symeoni aperte repugnat, dum in Annalibus ad annum Christi DCCCXC,
B sive Leonis imperatoris quintum, ut ipsemet notat, mortem S. Antonii et successionem S. Nicolai mystici num. 13 ita refert: *Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno moritur Antonius patriarcha Contantinopolitanus, ubi tantum annos duos sedisset..... Successit huic Nicolaus, cognomento mysticus.* Verum ex supradictis patet, obitum S. Antonii, et ordinationem successoris ejus anno Christi DCCCXCV probabilius collocandam esse. D

et anno 906 ex ea deturbatus est,

668 Nolo hic commemorare Acta S. Nicolai, quæ Henschenius noster ad diem XV Maii ex variis auctoribus collegit; sed tantum præcipua chronologiæ capita attingam, et imprimis breviter assignare conabor annum, quo patriarcha iste exauctoratus est: cum enim quartas Leonis imperatoris nuptias canonibus ecclesiasticis contrarias putaret, et nullo modo adduci posset, ut eas probaret, a sede sua in exsilium depulsus est, *cum annos undecim ecclesiæ præfuisset*, ut Zonaras lib. 16 Annalium num. 13 notavit. Quandoquidem ergo S. Nicolaus cathedram Constantinopolitanam adiit anno Christi DCCCXCV, ut supra ostensum est, ex computatione Zonaræ sequitur, illum anno CMVI relegatum fuisse. Leo Grammaticus, Joannes Scylitza, Georgius Cedrenus, Michaël Glycas, Constantinus Manasses, Symeon Logotheta, aliique scriptores Græci eamdem expulsionis historiam narrant, quos, omnes Pagius tomo 3 Criticæ pag. 781 et 793 ad annum Christi CMVI reducendos esse contendit. Eutychius patriarcha Alexandrinus modo ab omnibus aliis historicis diverso hæc refert, ut tomo 2 Annalium E
Arabicorum pag. 418 et sequentibus potest videri. Sed ex nemine eam rem certius possumus novisse, quam ex ipso S. Nicolao, cujus duæ epistolæ apud Labbeum tomo 9 Conciliorum a col. 1264 leguntur.

SECULUM X.

LXIV EUTHYMIUS I.

In locum S. Nicolai exsulis

Constantinus Manasses in Compendio chronico, quod Parisiis anno MDCLV Græco-Latine recusum est, pag. 110 de hoc S. Nicolai successore scribit sequentia: *Itaque Nicolaus grege suo et cathedra pellitur, et solum vertere jubetur; substitui-*
C *tur autem ipsius loco quidam alius, sacrarum rerum longe peritissimus, qui a teneris unguiculis et ætate prima solitariam in Olympo Mysiæ monte vitam egerat, et dono vaticinandi præditus erat. Hic de mandato divino ecclesiam ad unitatem reduxit, multipliciterque distractam ac in partes divisam propter delictum Leonis, quartas ad nuptias progressi.* Aretas Cæsariensis, scriptor coævus, in Vita Euthymii archiepiscopi Contantinopolitani apud Lipomanum tomo 3 fol. 97 memorat ipsius stirpem, patriam, institutum monasticum, et præcipuas virtutes, de quibus etiam alii auctores antiqui meminerunt.

anno 906 suffectus est Euthymius,

670 Euthymium anno Christi CMVI in locum relegati Nicolai suffectum esse, colligitur ex veteribus historicis, inter quos Joannes Scylitza post narratam Nicolai expulsionem, quæ juxta superius dicta anno CMVI contigit, in editione Veneta Gabii fol. 49 statim sic pergit: *Nec multo interjecto tempore, patriarcha declaratur syncellus Euthymius, vir pius et summa virtute præditus; quem aiunt sacerdotium renuentem divino oraculo impulsum, ut illud susciperet.* Zonaras lib. 16 Annalium num. 13 de eodem Nicolai successore hæc habet: *Ejus vero loco patriarcha designatus est syncellus Euthymius, vir sacer, qui omni studio obstitit, ne lex ab imperatore promulgaretur, ut ipsius exemplo cuivis liceret secundam, tertiam et quartam etiam uxorem ducere.* Noluit igitur Euthymius legem Orientalis ecclesiæ, quartas nuptias prohibentem, exemplo Leonis prorsus aboleri, quamvis quartum ipsius matrimonium ob justas causas non damnaret, judicaretque, in eo casu facile dispensandum esse, eo quod imperator ex tribus præcedentibus uxoribus nullum imperii heredem haberet.

de cujus successione quæri potest,

671 At forte aliquis quæret, quo jure Euthymius, qui ab omnibus antiquis historicis propter vitæ sanctitatem laudatur, locum S. Nicolai exsulis occupaverit. Aretas Cæsariensis in laudata Euthymii Vita apud Lipomanum tomo 3 fol. 97 verso indicat, Nicolaum muneri suo renuntiasse, et *repudii libellum*, ut ibidem, loquitur *ecclesiæ* Constantinopolitanæ dedisse. Sed ipsemet S. Nicolaus in litteris, ad Romanum Pontificem datis, aperte significat, se violenter ab ecclesia sua avulsum fuisse, dum apud Labbeum tomo 9 Conciliorum col. 1265 de injuria sibi ab imperatore illata sic conqueritur: *Deinde me jussit in regiam accersiri ad convivium, quod illi instruere quotannis in beati Tryphonis festo moris erat. Accedo imperterrita fretus conscientia, solenni cœtui intersum, epulis accumbo: inter sacra mensæ denique abripior, atque navigio impositus in exsilium agor immitissimum, non amico, non famulo, non libro denique, cujus lectione me solari possem, fugam comitante: ubi non tam hiemis rigore, rerumque omnium egestate pressus, quam custodum violentia pene enectus, diu mansi.*

A *utrum fuerit legitima,*

672 Euthymius tamen ab omni culpa eximi potest, si dicamus, ipsum divinitus monitum fuisse, ut gubernationem istius ecclesiæ arriperet, quod Leo Grammaticus pag. 484 tradit his verbis : *In ejus locum Euthymius syncellus, vir gravis et temperatissimus, suffectus est; quem dicunt divina revelatione id muneris suscepisse.* Præter alios veteres historicos anonymus Constantini Porphyrogenneti continuator pag. 228 id etiam indicat hoc modo : *Ordinatur autem Euthymius syncellus patriarcha, vir venerabilis modestusque ac religiosus, quem aiunt ex divina revelatione episcopi munus suscepisse.* Si quis non satis certam existimet hanc revelationem, de qua Aretas, synchronus Euthymii laudator, non meminit, dici etiam posset, Euthymio fraudulenter persuasum fuisse, quod Nicolaus ultro dignitatem suam abdicasset. Sunt et alia, quibus hæc Euthymii successio excusari posset.

et qui ignominioso modo

673 Interea Leo imperator, qui S. Nicolaum anno Christi CMVI in exsilium expulerat, juxta communem historicorum sententiam mense Maio anni CMXI obiit, et Constantino filio suo septenni B reliquit imperium, cujus administratorem designavit fratrem suum Alexandrum. *Mox itaque mittens Alexander* (verba sunt Symeonis Logothetæ pag. 471) *Nicolaum ex Galacrenis tulit, ac in sede collocavit, deturbato ea Euthymio, quem ad Agathi exsulare jussum, non post multos dies ad Magnauram duxit, quo loco habito conventu atque synodo, exque illa eo exauctorato, turpiter venerandi sacrique Viri ac prorsus colendi vulsa barba, aliaque opprobria et injuriæ ac cruciamenta illata, quæ ipse sacer Pastor silentio sustinebat ac mansuete. Rursus ad Agathi ædes missus, atque ibi vita functus, in monasterio suo in urbe ad Psamathii ædes conditus est.*

in exsilium pulsus est

674 *Clerico, qui patriarchæ pilos vulserat, mox ac sanctus jussus est exsulare, ea ipsa hora, invisibili igne domus omnis combusta est. Ejus filia sic tota epileptico morbo oppressa est, ut nec manum, neque os, nec ullam partem corporis movere posset, aut vocem mittere; quæ et lecto affixa ac stipem emendicans ad Nicephorum usque Phocam imperatorem duravit.* Joannes Scylitza, Georgius Cedrenus, aliique historiographi illata Euthymio probra et divinam contumeliosi istius clerici punitionem quoque commemorant. Nunc investigandum est tempus, C quo ea contigerunt.

ante mortem Leonis imperatoris,

675 Plerique veteres historici illam Euthymii depositionem ita narrant, acsi post mortem Leonis inperatoris facta esset, quando frater ipsius Alexander pro Constantino puero imperium administrare cœpit. At ipse S. Nicolaus huic narrationi contradicere videtur, dum apud Labbeum col. 1267 Pontifici Romano post alia de sua restitutione ac Leonis pœnitentia sic scribit : *Ille vero antequam hinc emigraret, agnovit flebiliter errorem suum, veniamque a Deo petiit, me inter primos hortatore ac deprecatore : aderam enim tunc forte ab exsilio reversus, ab eoque ecclesiæ gubernationi restitutus.* Hinc liquet, Nicolaum ante mortem Leonis ab exsilio revocatum ac sedi suæ redditum fuisse.

mense Aprili vel Maio anni 911.

676 Pagius in Critica ad annum Christi CMXI num. 4 testimonium S. Nicolai cum scriptoribus Byzantinis conciliare nititur, licet eos subobscurius locutos esse fateatur, et ex verbis Georgii monachi colligit, Euthymium bis relegatum fuisse. Unde ibidem contendit, S. Nicolaum opera Alexandri, vivente adhuc Leone, gubernationi ecclesiæ Constantinopolitanæ restitutum esse, et solennem Euthymii depositionem, in qua tot injuriis affectus dicitur, post obitum Leonis contigisse. Non placet hæc explicatio Banduro, qui tomo 2 Imperii Orientalis pag. 910 asserit, Pagium hic hallucinatum esse. Quidquid sit de hac illorum dissensione saltem censemus, ipsimet S. Nicolao majorem fidem adhibendam esse nobisque sufficit, ex communi utriusque opinione Euthymium mense Aprili vel Maio anni CMXI exauctoratum fuisse. SEC. X.

Etsi Euthymius ille fuerit pius et orthodoxus,

677 Ceterum omnes supra citati scriptores virtutem istius Euthymii magnis laudibus extollunt, atque inter alia Aretas testis oculatus narrat, quam celebri pompa ac frequenti populi concursu corpus ejus Constantinopolim translatum fuerit. Deinde apud laudatum Lipomanum fol. 98 idem synchronus laudator hæc addit : *Itaque dum hujusmodi cum laudatione funus celebratur, in hoc religiosissimum templum ab omnibus convenitur, ubi peractis reliquis, quæ ad persolvenda funeri justa deerant, cum jam periculum esset, ne, quod superfuerat sanctissimi Viri tabernaculum, propter eorum, qui eo confluxerant, fidem discerperetur, violenter de raptorum manibus extortum excussumque est, atque hoc modo in sacrosancto hoc, quem* E *videmus, loculo sacrosanctum vere Dei hominem collocavimus.* Denique idem auctor ibidem fol. 100 alteram panegyrim ita exorditur : *Euthymio patri ac patriarchæ sanctissimo orationis nostræ primitias dedicaturus, commode mihi videor posse clamans in vocem illam erumpere : Vere mirabilem fecit Dominus Sanctum suum.* Hæc satis indicant, qualis fuerit populi et hujus scriptoris de sanctitate Euthymii existimatio.

necdum tamen cum Sanctis adscribere audemus.

678 Præterea Georgius Cedrenus in Compendio historiarum pag. 640 ad honorem Euthymii refert sequentia : *Polyeuctus primo sui patriarchatus anno, Euthymii patriarchæ nomen in sacras tabulas retulit, ejus qui imperatorem Leonem ad sacrorum communicationem admiserat, cum is quartam uxorem duxisset. Eam ob rem quidam summorum pontificum aliquamdiu noluerunt res sacras cum Polyeucto communes habere : mox imperatoris voluntati obsequentes, ridendos se disceptantibus controversiam exhibuerunt.* Cum nomen Euthymii a sancto Polyeucto relatum sit in diptycha, in quæ hæretici et schismatici non admittebantur, facile agnoscimus, ipsum fuisse orthodoxum; at non continuo sequitur, illum idcirco inter Sanctos nu- F merandum esse, ut variis exemplis demonstrari posset. Quare cum memoriam ipsius ac diem mortis nusquam hactenus in menologiis Græcorum invenerim, ubique abstinui a titulo Sancti, quem aliqui recentiores ei liberaliter adscripserunt. Si quis tamen diem obitus aut cultus indicaverit, indagari poterit an Euthymius ille in Opere nostro inter Sanctos referri mereatur.

S. NICOLAUS iterum.

S. Nicolaus anno 911 sedi suæ restitutus,

Hic Vir sanctus juxta superius dicta probabilissime sedi suæ restitutus est anno Christi CMXI ante diem XI Maii, qua plerique veteres historici Leonem imperatorem obiisse affirmant. Symeon Logotheta in Annalibus pag. 485 secundam episcopatus durationem, et annum mortis indicavit his verbis : *Mensis Maii die quinto decimo, indictione tertia* (Græce perperam scriptum est γ′ pro ιγ′, ita ut ι exciderit, et pro *indictione tertia*, legendum sit *decima tertia*, quæ anno Christi CMXXV respondet)

Sec. x.

respondet) *moritur Nicolaus patriarcha, patriarchatu potitus annos quatuordecim ex quo secundo sedem conscendit, sepeliturque in monasterio suo Galacrenorum; mense autem Augusto Stephanus Amaseæ metropolita, ipse eunuchus, patriarcha creatur.*

mense Maio anni 925 obiit,

680 Latinus interpres post restitutionem S. Nicolai recte quatuordecim annos administrationis numerat, quamvis in textu Græco dumtaxat ιγ', id est *tredecim* exprimantur : nam ab ineunte Maio anni CMXI, quo S. Nicolaus sedi suæ redditus est, usque ad medium Maium anni CMXXV, quo vita functus est, anni quatuordecim et aliquot dies effluxerunt. Utrum interpres in textu Græco quatuordecim annos legerit, an vero amanuensis vel typotheta erraverit, non facile dixero. Attamen ex inito hactenus computo apparet, secundæ ipsius gubernationi annos quatuordecim tribuendos esse. Hinc etiam liquet, Baronium nimis diu mortem S. Nicolai Constantinopolitani distulisse, ut Pagius in Critica ad annum Christi CMXXX num. 3 demonstrat.

postquam dissentientes suos subditos

681 Etiamsi hic gesta S. Nicolai referre nolim, nihilominus memorari meretur concordia, B quæ post ipsius restitutionem mense Julio anni CMXX inita est, *cunctis metropolitis et clericis, qui a Nicolai et Euthymii partibus*, ut Leo Grammaticus pag. 497 loquitur, *divisis steterant animis, in consensionem redeuntibus.* Imo ipse Nicolaus hanc unionem in epistola sua, quam Labbeus tomo 9 Conciliorum a col. 1267 edidit, Joanni X Pontifici Romano sic indicat : *Quot quantisque ærumnarum fluctibus per* XV *annos jactati simus (tot enim plus minus effluxere, ex quo primum scandala ecclesiam Constantinopolitanam pervagata, omnia turbarunt) et meminisse mihi permolestum est, beatissime Pater, et memorare scienti tibi supervacuum. Læta potius amicis et coexcubitoribus impartiri juvat, ecclesia nempe pacem subsecutam, conspirantemque omnium ordinum in his, quæ sunt fidei, consensum.*

perfecte inter se conciliaverat.

682 *Cum enim in eo esset res, ut nulla amplius spes humanis experimentis nostra metientibus superesse videretur, affulsit subito illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet et Deus noster Jesus Christus, qui sævam illam hiemem atque tempestatem, communis hostis opera coortam, in ipsa halcyonia mutavit, adeo ut nullum penitus dis-* C *sensionis vestigium remanserit, nulla odii cicatrix. Omnes velut ex condicto veterum obliti, idem plane sentiunt; omnes sanctæ matris Ecclesiæ, quæ eos obviis ulnis diu expectarat, optatissimum eunt in amplexum.* Hæc atque alia, quæ ibi sequuntur, Actis S. Nicolai inseri potuissent, nisi ea ante editionem hujus epistolæ typis fuissent vulgata. Porro historiam hujus dissensionis, et modum unionis in jure Græco-Romano tomo 1 pag. 103 et sequentibus fusius licet videre.

LXV STEPHANUS II.

Mense Augusto anni 925 eligitur Stephanus,

Georgius monachus pag. 581 initium hujus Antistitis Constantinopolitani ita indicat : *Maii mensis die quinta decima, Indictione tertia decima moritur Nicolaus patriarcha, cum a secunda sua provectione annos tredecim throno potitus esset. Ejus corpus in monasterio, quod ipse condiderat, ac Galacrenas vocant, conditum est. Mense vero Augusto patriarcha sufficitur Stephanus Amaseæ metropolita, eunuchus.* Hinc patet, istum præsulem mense Augusto anni CMXXV ex sede Amasena ad D Constantinopolatanam transiisse. Porro de gestis Stephani in episcopatu nihil apud historicos invenimus, nisi quod in nuptiis regis Bulgariæ cum Maria Græca celebratis sacra peregerit, ut Leo Grammaticus pag. 503 testatur his verbis : *Octobris deinde mensis die octavo* (scilicet anno Christi CMXXVII, ut Pagius tomo 3 Criticæ pag. 824 ostendit) *progressus patriarcha Stephanus una cum Theophane protovestiario, et Maria Christophori imperatoris filia, et universo senatu ad sanctissimæ Deiparæ templum ad Pegas Petrum et Mariam conjugali benedictione sociavit.*

qui anno 928 mortuus est,

684 Non fuit diuturnus Stephani patriarchatus, quem omnes fere scriptores ad duos annos ac undecim menses restringunt. Quandoquidem igitur ex supra dictis mense Augusto anni CMXXV cathedram Constantinopolitanam ascendit, eamdem anno Christi CMXXVIII moriens reliquit, ut Georgius monachus tradit hoc modo : *Mensis Julii die decima octava, Indictione sexta* (utique legendum *Indictione prima*, quæ anno Christi CMXXVIII currebat) *moritur Stephanus patriarcha, cum ei muneri præfuisset annos duos, menses undecim.* E Similia habent alii auctores, apud quos etiam Indictio sexta pro prima perperam ponitur. Quare Pagius et Bandurus recte monent ac ostendunt, Indictiones per tempora Constantini et Romani imperatorum sæpius in scriptoribus Byzantinis corruptas inveniri. Quamvis autem omnes illi historici circa annum, quo Stephanus iste obiit, inter se consentiant, tamen circa diem mortis discrepant, ut jam videbimus.

verosimiliter mense Julio,

685 Leo Grammaticus pag. 504 scribit, Stephanum *Julii die decimo octavo* obiisse. Incertus Constantini Porphyrogenneti continuator pag. 258 sic habet : *Mensis Julii quinta decima, Indictione sexta moritur Stephanus patriarcha, cum ei muneri præfuisset annos duos, menses undecim.* Symeon Logotheta pag. 487 tradit, eum mortuum esse *die decima octava Junii mensis*, pro quo verosimiliter mensis Julius legendus est, cum omnes alii scriptores illum mensem clare exprimant, et die XVIII Julii in Synaxarii Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ celebretur memoria τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ἐξ Ἀμασείας μετατεθέντος. *Sancti patris nostri Stephani patriarchæ Constantinopolitani, ex Amasea translati.* F Epitheton τοῦ ἐξ Ἀμασείας μετατεθέντος, *ex Amasea translati*, evidenter ipsum distinguit ab altero Stephano patriarcha Constantinopolitano, de quo supra egimus, et cujus occasione tomo IV Maii pag. 37 nonnulla simul de hoc Stephano juniore dicta sunt. Etsi autem hic Stephanus secundus eadem die XVIII Julii in Menæis Taurinensibus ac Parisiensibus etiam memoretur, tamen hic a titulo Sancti abstinuimus, tum quod ob superius dicta, manuscriptis hisce Græcorum monumentis non satis fidamus, tum quod gesta ipsius aliunde non noverimus.

LXVI S. TRYPHON.

cui circa finem ejusdem anni successit S. Tryphon,

Henschenius in Opere nostro ad diem XIX Aprilis, Acta hujus sancti Præsulis illustravit; sed Baronium incaute secutus, non advertit, Indictionem sextam pro prima apud scriptores Constantinopolitanos vitiose positam fuisse, ideoque ordinationem S. Tryphonis usque ad annum

CMXXXIII

A CMXXXIII perperam distulit, et consequenter cum ea connexam aliquot patriarcharum chronologiam ibidem male ordinavit. Georgius monachus pag. 585 initium S. Tryphonis ita assignat : *Mensis autem Decembris quarta decima Tryphonem adducunt in Opsicio monachum, virum religiosis moribus ac sanctitate probatum, ordinantque patriarcham ad certum tempus, donec scilicet Theophylactus, Romani filius, maturæ ætatis annos attingeret, quem patriarcham Constantinopolitanum præfecturi erant.* Similia habet incertus Constantini Porphyrogenneti continuator, ut inter scriptores post Theophanem Parisiis anno MDCLXXXV editos pag. 258 potest videri.

ut probat Antonius Pagius

687 Ex his Pagius ad annum Christi CMXXXIII num. 1 sic argumentatur : *Quare cum anno* CMXXVIII *dies Dominica in diem* XIV *Decembris inciderit, eo etiam anno ordinatio sancti Tryphonis contigit, et tam citatus continuator, quam Leo Grammaticus aliique ex ipsismet corrigendi sunt, quando aiunt, Stephanum* INDICTIONE SEXTA, *qua præsens annus notatur, vita functum esse. Quem historicum Byzantinorum errorem cum non animadvertissent* B *neque Baronius, nec alii plerique, Stephani mortem usque ad hunc Christi annum* (nempe CMXXXIII) *perperam distulere ; exindeque Tryphonis et Theophylacti, qui eidem successere, initia male consignarunt. Corrigendi etiam Curopalates et Cedrenus, qui Stephanum Indictione* XV *mortuum asserunt ; alioquin ipsimet a se ipsis dissentirent, et Theophylacti patriarchæ mortem, quam cum anno Christi* CMLVI *exacte copulant, male collocarent. Jam sæpius monuimus, per Constantini et Romani imperatorum tempora Indictiones in scriptoribus Byzantinis depravatas esse, easque certo emendavimus.*

et eruitur ex variis veterum scriptorum textibus

688 Dum hoc loco Pagius dicit, Leonem Grammaticum aliosque scriptores Byzantinos ex se ipsis corrigendos esse, haud dubie ad contrarios illorum auctorum textus alludit. Etenim Leo Grammaticus pag. 504 de Tryphonis initio sic scribit : *Mensis autem Julii decimo octavo, Indictione sexta, Stephanus patriarcha, moritur ; tum Decembri mense Tryphonem monachum, pietatis et sanctitatis testimonio insignem, ordinant patriarcham, donec ætatis metam imperatoris Romani filius Theophylactus, quem Constantinopolis patriarcham creare statuerant, attigisset.* Deinde idem scriptor C pagina sequente depositionem Tryphonis ita narrat : *Tryphonem porro patriarcham Augusto mense, Indictione tertia deposuerunt, eoque in proprium monasterium se recipiente et defuncto, annum unum et menses quinque, nondum matura Theophylacti imperatoris filii Romani ætate, ecclesia pastore viduata permansit.* Ex utroque hoc ejusdem scriptoris textu inter se collato manifeste patet, errorem in Indictiones irrepsisse. Quomodo enim Tryphon *Indictione sexta*, seu mense Decembri anni CMXXXIII episcopatum Constantinopolitanum suscepit, et post triennalem ferme ejusdem administrationem *Indictione tertia*, quæ anno Christi CMXXX currebat, exauctoratus est? Eadem contradictio in anonymo Theophanis sive Constantini Porphyrogenneti continuatore pag. 258 et 261 atque apud Georgium monachum pag. 585 et 587 reperitur.

inter se collatis.

689 Symeon Logotheta pag. 487 initium Tryphonis ita figit : *Die decima octava Junii mensis, Indictione sexta, moritur Stephanus patriarcha, cum sedem tenuisset annos duos, menses undecim. Quarta decima vero mensis Decembris Tryphonem virum religiosum ac notæ sanctitatis ex Opsicio adducunt, atque ad certum tempus patriarcham constituunt.* Tum idem auctor pag. 489 tempus depositionis ejus sic indicat : *Mense Augusto, Indictione quarta, mortuus est Christophorus imperator, atque in domo patris sepultus. Trypho quoque patriarcha, qui præstitutum jam tempus munere functus esset, abdicatus, in suo monasterio videndi finem fecit. Porro ecclesia annum unum et menses quinque ob immaturam Theophylacti, Romani filii, ætatem pastore vidua agit.* Hinc iterum liquet, Indictionem sextam pro prima vitiose scriptam esse. Christophorus imperator *Indictione quarta*, seu anno Christi CMXXXI, *mortuus est*, ut cum Symeone Logotheta alii historici apud Pagium in Critica ad annum Christi CMXXXI num. 4 testantur. Ceterum cum Pagio et Banduro probabilius opinor, Tryphonem eadem Indictione quarta, sive anno Christi CMXXXI exauctoratum esse, ut ex annis episcopatus ejus jam videbimus. SEC. X.

Anno 931 S. Tryphon

690 Omnes patriarcharum catalogi apud Bandurum Tryphoni tres gubernationis annos assignant. At triennium istud incomplete intelligendum esse, ex reliqua chronotaxi apparet : nam ab anno Christi CMXXVIII, die XIV Decembris, qua sedem Constantinopolitanam occupare cœpit, usque ad exeuntem mensem Augustum anni CMXXXI duo anni, octo menses, et aliquot dies elapsi sunt, qui numero rotundo et more satis recepto tres anni appellari potuerunt. Deinde sedes Constantinopolitana anno uno et quinque mensibus vacavit, ut laudati historici testantur. Quare si ab exeunte Augusto anni CMXXXI numeraveris annum unum, quinque menses, et paucos dies (in rotundo computo dies fere semper negliguntur) pervenies ad ineuntem mensem Februarium anni CMXXXIII, quo successorem Tryphonis ordinatum fuisse postea ostendemus. E

cujus chronotaxim Bandurus breviter exhibet,

691 Placet hic nobis breve Banduri ratiocinium, cujus verbis accipe sequentem chronologiæ anacæphaleosim, quam tomo 2 Imperii Orientalis pag. 911 sic exponit : *Tryphon ordinatus fuit patriarcha Constantinopolitanus, ut tradunt sæpius laudati scriptores post Theophanem, die quarta decima mensis Decembris, Indictione prima, non vero sexta, ut apud eosdem legitur, hoc est anno Christi* CMXXVIII. *Tryphon vero per fraudem depositus Indictione quarta, hoc est anno Christi* CMXXXI, *ut scribit Symeon Logotheta pag.* 489. *Post hujus abdicationem ecclesia Constantinopolitana viduata fuit pastore annum unum, menses quinque, ut tradunt incertus continuator Theophanis, Symeon Logotheta, et Georgius monachus. Igitur si a die secunda mensis Februarii anni Christi* CMXXXIII, *qua Theophylactus ordinatus fuit patriarcha Constantinopolitanus, retrocedas per annum unum et menses quinque, quibus ecclesia Constantinopolitana pastore viduata mansit, pervenies procul dubio ad diem secundum mensis Septembris anni* CMXXXI. *Itaque tres anni, quibus Tryphon præfuisse dicitur, integri non fuere.* F

fraudulenter exauctoratus est,

692 In Actis S. Tryphonis ex Cedreno retulimus, quo dolo ex cathedra sua depulsus fuerit. Symeon Logotheta pag. 487 et sequente breviter exponit fraudem, qua vir simplex inductus fuit, ut facile post aliquot tempus ab episcopatu deponi posset, et eamdem historiam diverso modo sic narrat : *Illo ad tempus fungi munere non sustinente, sed ad finem usque vitæ sedem retinere volente, dolo in sententiam inducunt hoc modo : nolente enim assensum præbere, aiunt, nescire eum litteras, nec posse scribere, eaque ratione obniti ac resistere. Probaturus itaque, sibi scribendi atque legendi peritiam non deesse, chartam sibi et atramentum*

afferri

Sec. x.

afferri jubet. Novo igitur allato tomo, ad oram infra scribere faciunt : Tryphon Dei misericordia monachus et patriarcha, quæ præscripta sunt, grata habens, eisque assensum præbens, manu propria subscripsi.

ut Simeon Logotheta narrat.

693 *Libello accepto, patriarcham inaugurant; tum quidquid videbatur in charta vacua ante Tryphonis subscriptionem exarant. Postea, ac ubi præstitutum illi tempus effluxerat, invitum patriarcham sede deturbant, propriæ tamen cedentem subscriptioni, et cum ille factam sibi fraudem moleste ferret. Inde vero tota instructa fraus, quod Theophylactus, Romani imperatoris filius, ætatis jam modum, et ut in sacerdotio maturus videretur, attingeret.* Quamvis hæc fallacia tam crassa sit, ut vix fidem mereatur; tamen volui hanc diversam Symeonis Logothetæ narrationem proferre, ut ex ipsius testimonio appareret, S. Tryphonem sibi titulum *œcumenici* patriarchæ non tribuisse. Nihilominus inter alios Joannes Zonaras lib. 16 Annalium num. 19 Tryphonem in charta pura hæc scripsisse asserit : *Tryphon ex Dei misericordia archiepiscopus novæ Romæ et œcumenicus patriarcha.* Sed
B cum Symeon Logotheta eamdem S. Tryphonis subscriptionem aliter exhibeat, et de tam superbo *œcumenici* titulo non meminerit, non improbabiliter suspicamur, illum ab ambitiosis Græculis (forte schismaticis, qualis fuit Zonaras) hic fraudulenter intrusum esse. Certe evidens similis fallaciæ exemplum supra dedimus.

LXVII THEOPHYLACTUS.

Theophylactus adolescens ineunte Februario anni 933

Cum post dolosam S. Tryphonis expulsionem sedes Constantinopolitana per annum et quinque menses vacasset, ut ex supra citatis scriptoribus dictum est, Theophylactus admodum juvenis anno Christi cmxxxiii, die secunda Februarii, ad illam evehitur, ut apud Leonem Grammaticum pag. 506 indicatur his verbis : *Præfatus autem imperatoris filius Theophylactus Februarii die secundo, Indictione sexta, patriarcha consecratus est, adstantibus Romani Pontificis legatis, et tomum synodalem de ejus ordinatione tractan-*
C *tem proferentibus, eumdemque collocantibus in throno patriarchali.* Etiamsi in Latina hujus textus interpretatione legatur, id factum esse *Indictione secunda*, nolui manifestum interpretis aut typothetæ errorem exscribere, quia in Græco Leonis Grammatici textu diserte exprimitur, illud Φεβρουαρίῳ β΄, ἰνδικτιῶνος ϛ΄, id est *Februarii* ii, *Indictione* vi contigisse.

ad sedem Constantinopolitanam evehitur,

695 Accuratum istud ordinationis tempus etiam notatur ab aliis historicis Byzantinis, inter quos anonymus Constantini Porphyrogenneti seu Theophanis continuator pag. 261 simul de laudabilibus Theophylacti initiis ita scribit : *Quem vero dicebam, imperatoris filius Theophylactus, patriarcha ordinatur Februarii mensis die secunda, Indictione sexta, patris in omnibus animos sensumque præveniens; sed et ad ea quæ a fronte virtutes recteque facta, cum ea qua præditus erat eruditione atque doctrina sese extendens. Aderant vicarii Romani Antistitis, qui tomum synodalem de illius tractantem ordinatione afferrent; qui etiam in patriarchali sede eum collocarunt.* Haud dubie jam S. Tryphon obierat, quando legati Sedis Apostolicæ hanc Theophylacti successionem approbarunt. Porro qua de causa illi Constantinopolim missi fuisse dicantur, apud Leonem Allatium in opere D
de perpetua ecclesiæ Occidentalis et Orientalis consensione lib. 2 cap. 7 potest videri.

qui insano venationis

696 Quod vero ad hic indicatos Patriarchæ adolescentis mores spectat, ii postmodum prorsus mutati sunt, ut Georgius Cedrenus pag. 638 narrat hoc modo : *Cum* patriarchatum *iniret, id quod contra leges ecclesiasticas fiebat, annos erat natus* xvi, *et patriarcha sub pædagogis (proh indignam rem!) aliquamdiu egit. Quamquam utinam id perpetuum fuisset : nam eatenus visus est modeste ac cum gravitate aliqua vitam agere. Adultior, cum jam suo arbitrio vivere permitteretur, nihil eorum, quæ turpissima et omnino legibus prohibita sunt, facere omisit. Gradus ecclesiasticos et episcoporum electiones venumdans, aliaque agens aliena veri patriarchæ officio, insano equorum studio et venationum perditus, multaque alia indecenter committens, quæ singulatim enarrare et inconveniens et nefas est.*

ac equorum studio

697 *Unum par est commemorari, argumentum ipsius male instituti animi. Equorum parandorum amore infræni tenebatur, ferturque habuisse ultra duo equorum millia : iis alendis perpetuo erat intentus; neque vero iis fœnum et hordeum propone-* E
bat edendum, sed metarum fructus, thasia, et pistacia ac palmulas, uvas passas, caricas, eaque omnia lectissima, vino fragrantissimo temperata, admixtis etiam croco, cinnamomo, et balsamo, aliisque aromatibus. Memoriæ traditum est, ei aliquando sacrificanti magnæ Cœnæ Dominicæ quinta feria, et jam preces mysteriorum recitanti, supervenisse eum, cui equorum cura ab ipso demandata fuerat, lætumque attulisse nuntium, quod nobilissima equarum peperisset, addito etiam equæ nomine; patriarcham præ nimio gaudio re sacra utcumque absoluta, ad Cosmidium accurrisse; visoque pullo recens edito, et satiatum spectaculo bruti in magnum templum rediisse, ut de Servatoris nostri pro nobis tolerato supplicio hymnorum recitationem ad finem perduceret.

aliisque indignis moribus dignitatem illam

698 *Quin et hunc morem introduxit, qui hodieque obtinet, quod in splendidis atque solennibus festivitatibus Deo et Sanctorum recordationi fit contumelia per fœdas cantilenas ac risus et insanos clamores, quibus adhibiti sancti hymni cantantur, quos a nobis oportebat corde compunctis atque contritis pro nostra salute Deo offerri. At ille cœtu flagitiosorum hominum coacto, iisque præfecto Euthymio quodam, quem cognomine Casneñ appellabant, et ab* F
ipso est domesticus templi constitutus, diabolicas illas saltationes, obscuras vociferationes, cantilenasque e triviis et lupanaribus petitas, tunc adhiberi instituit. Hac vitæ usus ratione interiit ex inepta equitatione ad murum quemdam maritimum afflictus : ex quo casu cum sanguinem vomuisset, ac biennium morbo conflictatus esset, aqua intercute exstinctus est.

usque ad exeuntem Februarium anni 956 contaminavit.

699 De hoc infami Patriarcha similia narrant Glycas, Zonaras, aliique, inter quos Joannes Scylitza Curopalates in editione Veneta fol. 63 verso tempus mortis sic exacte indicat : *Anno autem duodecimo imperii Constantini, mundi vero sexies millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto* (anni mundi a recentioribus Græcis ita computantur) *mensis Februarii vigesima septima, Indictione decima quarta, decessit e vita Theophylactus patriarcha, sacerdotio functus annos viginti tres, dies viginti quinque.* Hæc et alia Cedrenus more suo e Scylitza etiam descripsit. Ceterum omnes hi characteres chronologici annum Christi cmlvi designant, et cum duratione episcopatus accurate conveniunt : si enim elapsum temporis spatium numeraveris ab anno Christi cmxxxiii et die secunda Februarii, qua Theophylactus ordinatus

est,

A est, usque ad vigesimam septimam Februarii diem anni CMLVI, comperies, ipsum annis viginti tribus, ac diebus viginti quinque, in cathedra Constantinopolitana sedisse. Dum igitur aliqui scriptores ei annos viginti quatuor attribuunt, numero rotundo loquuntur.

LXVIII S. POLYEUCTUS.

quando ineunte Aprili ejusdem anni ei successit S. Polyeuctus,

Laudatus Cedrenus post narratam Theophylacti mortem pag. 639 immediate subjungit sequentia : *Eadem Indictione* (videlicet decima quarta, qua Theophylactus obiit, et quæ in annum Christi CMLVI incidebat) *tertia Aprilis die, in ejus locum sufficitur Polyeuctus monachus, Constantinopoli natus atque educatus, castratus a parentibus, longoque tempore monastica vita cum laude functus, imperatore eum ob gravitatem morum et insignem sapientiam, atque paupertatis causa eo provehente.* Acta hujus sancti Patriarchæ legi B possunt in Opere nostro ad diem V Februarii, ubi Bollandus præcipua illius gesta ex historicis Græcis collegit. Nos interim ad indagandum mortis ipsius tempus progredimur.

qui mense Januario anni 970 ex hac vita migravit.

701 Cedrenus pag. 665 obitum S. Polyeucti ita indicat : *Polyeuctus post Tzimiscæ designationem tantum triginta quinque dies vixit.* Zonaras lib. 17 Annalium num. I post imperatoris Tzimiscæ inaugurationem, idem mortis tempus designat his verbis : *Patriarcha Polyeuctus, cum post Tzimiscæ proclamationem triginta quinque dies vixisset, obiit.* Joannes Scylitza in editione Veneta fol. 73 verso asserit, eum mortuum esse *post triginta dies, ex quo* Tzimisces *declaratus fuit imperator*. Forte in textu Scylitzæ oscitantia librarii aut interpretis quinque dies exciderunt. Sed parum refert, uter dierum computus sit præferendus, cum ex his saltem colligamus, S. Polyeuctum circa medium Januarium anni CMLXX ex hac vita migrasse : nam Joannes Tzimisces circa medium Decembrem anni CMLXIX imperator declaratus est, ut Leo Constantinopolitanæ ecclesiæ diaconus, et scriptor synchronus apud Pagium in Critica ad annum Christi CMLXIX num. 5 et C sequentibus testatur.

LXIX BASILIUS I, cognomento Scamandrenus.

Basilius in locum S. Polyeucti substituitur

Mox citatus Leo diaconus de hoc S. Polyeucti successore apud Pagium in Critica anno Christi CMLXX num. 2 sic habet : *Porro Polyeuctus cum dies haud plures a Theodori ordinatione* (Polyeuctus exeunte anno CMLXIX vel ineunte CMLXX Theodorum eremitam suasu Joannis Tzimiscæ imperatoris patriarcham Antiochenum consecravit) *superstes fuisset, ex humanis migrat, relictis ecclesiæ monumentis, virtutum scilicet simulacris, divinæque et humanæ sapientiæ scientiæque notitia, qua ad summum excultus fuit. Polyeucto autem annis tredecim patriarchatus gubernacula moderato, atque ad beatam vitam translato, diligentem adhibuit Joannes operam, ut in sacerdotali throno virum virtutibus atque moribus præstantem collocaret. Postridie igitur convocatis in palatium episcopis et senatu dixit : Ego, cujus vita a longo tempore indubitatum periculum feci, hunc in ecclesiasticam sedem proveho, ne lateat in angulo vitam tolerans vir, omnis generis virtutum excellentiis clarus, cui et prænoscendi futura Deus donum concessit : multa enim mihi ejus generis divino edidit oraculo, quæ temporibus suis evenerunt.* SEC. X.

mense Februario anni 970,

703 *Dixerat imperator et Basilium monachum in medium produxit, qui a teneris unguibus, arrepta vita monastica, crebros agones religiosæ palæstræ ludorum in Olympi montis arduis clivis ostenderat. Hunc videlicet in patriarchales ædes jussit ascendere, postridieque (ea scilicet Dominica, qua sancti patres orthodoxam fidem de cultu venerabilium imaginum sanxerunt) Basilius summi sacerdotii unctionem accipit, ac œcumenicus patriarcha acclamatur.* Quod vero attinet ad titulum, quo Basilius hoc loco *œcumenicus patriarcha* appellatur, nescio, utrum is ex populi acclamantis, an ipsius scriptoris adulatione referatur. Facile etiam fieri potest, ut aliquis posterior librarius Græcus superbum istud nomen narrationi Leonis diaconi inseruerit. Saltem nusquam legimus, ipsum Basilium patriarcham sibi hunc titulum arrogasse. Circa tempus ordinationis, Pagius loco proxime E citato notat, festum Orthodoxiæ anno Christi CMLXX, quo Basilius consecratus est, in diem XIII Februarii incidisse.

et ineunte anno 974 e sede sua pulsus est,

704 Eminentissimus Baronius initium Basilii patriarchæ etiam anno Christi CMLXX recte alligat ; sed usque ad annum Christi CMLXXV gratis differt depositionem ipsius, quæ anno præcedente probabilius consignanda est : nam omnes catalogi apud Bandurum, et Zonaras lib. 17 Annalium num. 4 non tribuunt ei plures, quam quatuor annos, qui circa medium Februarium anni CMLXXIV effluxerant, quandoquidem anno CMLXX, die XIII Februarii, cathedram Constantinopolitanam ascendit. Quod si hæc depositio differatur usque ad medium Februarium anni CMLXXV, Basilius jam non quatuor, sed quinque integris annis sedisset, quod communi catalogorum consensui repugnat. Itaque eum Pagio statuimus, Basilium ineunte anno Christi CMLXXIV exauctoratum esse, eique Antonium statim successisse. At in ea hypothesi non video, cur Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 912 quatuor annos Basilii *utrimque* incompletos numeret : si enim anno Christi CMLXX, die XIII Februarii episcopatum Con- F stantinopolitanum suscepit, ut ipsemet ibidem fatetur, et ineunte mense Januario anni CMLXXIV e sede depulsus est, quatuor anni ex una parte dumtaxat incomplete computandi sunt, et tantum mensis unus et aliquot dies deerant, ut quartus administrationis annus compleretur.

quem Leo diaconus

705 Præterea Leo diaconus una cum rebus gestis anni CMLXXIV apud Pagium tomo 4 Criticæ pag. 37 depositionem Basilii moresque ejus ita exponit : *Tunc et patriarcha Basilius episcoporum invidia apud imperatorem calumniam passus, quasi in aliquem procerum moliretur transferre imperium, nec ecclesiam regeret ex præscripto sacrorum canonum, ad imperatoris tribunal vocatur. Quoniam vero renuebat, ac œcumenicam synodum cogendam asserebat, in eaque diluenda esse crimina aiebat (hoc enim etiam velle divina patrum constituta, cogendam universalem synodum, cum patriarcha deponendus sit) in monasterium ad Scamandrum situm, ac quod ipse exstruxerat, imperatoris jussu relegatur.*

ob mores laudat.

706 *Vir scilicet nullo pene cibo utens ac carnis expers, qui a teneris jam unguibus religiosæ palæstræ laboribus ultra humanum modum exercitatus*

esset,

esset, vir uno amictu æstate hiemeque utens, nec ante exuens, quam difflueret, nulliusque jam operæ factus esset. Alius ei nullus cibus aut potus, quem gustaret, præterquam aqua, nucesque ac poma. Aiunt præterea nec in lecto quidem cubavisse, sed humi per omne tempus, quo religiosa palæstra certavit. Hoc unum Viro vitio datum ferunt, quod longe plurimi haberet, ut hominum instituta moresque ac actus cognosceret, atque iis rimandis, curiosiusque scrutandis, quam pro officii ratione, majorem operam poneret. Si Basilius ille tanta vitæ austeritate, spiritu prophetico omnique virtutum genere præditus fuerit, ut Leo diaconus affirmat, certe miramur, nomen ipsius nusquam in ecclesiasticis Græcorum Fastis occurrere. Hæc admiratio nostra etiam locum habere potest in illius successore, qui fuit

LXX ANTONIUS III, cognomento Studita.

B

Antonius qui anno 974 cathedram CP. ascenderat,

Leo diaconus apud laudatum Pagium tomo 4 Criticæ pag. 37 et sequente initium et virtutes hujus Antonii sic describit: *Basilio itaque exsilio damnato* (id ineunte anno Christi CMLXXIV accidisse arbitramur) *patriarchalia gubernacula Antonius regenda suscipit, vir in Studii monasterio a juventute asceticam professus disciplinam, vitamque ducens apostolicam : præter enim necessaria indumenta, ac quibus caro tegatur, ferebat nihil; tametsi a viris principibus, ipsisque imperatoribus plurimum coleretur. Neque vero id solum; sed et quos sumptus habebat ex ea dignitate, qua fulgebat (prius enim syncelli dignitate ornatus fuerat) omnes in pauperes erogabat : divinaque et humana scientia, si quis alius, pollebat. Vultu, totaque corporis compositione mirabilem quamdam gratiam in profundissima canitie lucentem exhibebat. Nec enim ullus eorum, qui deliciis diffluunt, altumque vanorum tabernaculoram sapiunt, ad eum divertebat, qui non statim castigatior obiret. Nec contra funestissimis malis ærumnosam quisquam trahens vitam, qui non æquo animo discederet.*

ultro se ea abdicavit,

C

708 Tunc post mortem Joannis Tzimiscæ, quæ ineunte anno Christi CMLXXVI accidit, Bardas cognomento Sclerus adversus imperatores rebellavit, et exorta sunt varia bella civilia quæ diu durarunt, ob quæ Antonius patriarcha se ultro dignitate sua abdicavit, ut Joannes Scylitza Curopalates in jam sæpe laudata editione Veneta fol. 85 significat his verbis : *Tunc etiam Antonius patriarcha post Scleri rebellionem, cum sacerdotio se abdicasset, excessit e vita, et patriarcha deligitur Nicolaus cognomento Chrysoberges, cum ecclesia pastore vacasset annos quatuor cum dimidio.* Baronius hæc Scylitzæ Curopalatis verba sic intellexit, ut velit, illam sedis Constantinopolitanæ vacationem computari inter annos, qui episcopatui Antonii usque ad mortem tribuuntur. Quare in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CMLXXVI num. 1 ita scribit: *Quo pariter anno ob Bardæ rebellionem, Antonium Studitam patriarcham sponte se abdicasse, vacasseque sedem illam annis quatuor* (addendum erat *cum dimidio*, ut post Scylitzam Cedrenus et Zonaras etiam numerant) *idem tradit Curopalates : non enim datus est ei successor, quousque idem Antonius vixit. Qui numerant ejus sedis annos ad ipsius obitum, quo successor est datus, sex annos ipsius patriarchatui tribuunt.*

709 Non videtur hæc opinio Baronii facile componi posse cum verbis Zonaræ, qui lib. 17 Annalium num. 6 sic loquitur : *Antonius porro patriarcha cum sacerdotio renuntiasset, quod per sex annos tenuerat, ac paulo post obiisset, et ecclesia annis quatuor cum dimidio vacasset, Nicolaus Chrysoberges est designatus.* Ex hoc Zonaræ textu et similibus Cedreni verbis Pagius in Critica ad annum Christi CMLXXVI num. 3 sic contra Baronium concludit : *Quare Antonius Studita, qui ipso initio anni* CMLXXIV *patriarcha Constantinopolitanus constitutus fuerat, anno nongentesimo septuagesimo nono ineunte abdicavit, et paulo post medium annum nongentesimum octogesimum tertium, Nicolaus Chrysoberges patriarcha Contantinopolitanus ordinatus est : anni enim sex Antonio attributi non potuere non esse incompleti, si vera sint, quæ Cedrenus et Zonaras de duratione pontificatus Nicolai litteris prodiderunt. Ex quibus liquet, perperam Baronium scripsisse, Antonium Studitam præsenti anno* (scilicet Christi CMLXXVI) *abdicasse, et quoad vixit, ei successorem non datum.* D

quod contra Baronium

710 Equidem cum Pagio probabilius opinor, hanc sedis vacationem ab annis episcopatus distinctam esse; sed adduci non possum, ut Antonio concedam sex administrationis annos, propter quos Pagius postea duplicem characterem chronologicum in Scylitza et Cedreno gratis mutare cogitur, ut paulo post apparebit. Quare cum Philippo Cyprio apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 222 tantummodo quatuor episcopatus annos Antonio Studitæ adscribo. Forte Philippus Cyprius hanc quatuor annorum gubernationem ex perfectioribus catalogis aut antiquis scriptoribus hausit. Saltem testimonio hujus scriptoris Constantinopolitani nixus, verosimilius dicam, in Zonara sex annos pro quatuor vitiose positos esse, quam sine ullo fundamento asseram, duplicem errorem chronologicum in textum Scylitzæ et Cedreni irrepsisse.

et Antonium Pagium

E

711 In nostro igitur systemate putamus, Antonium post expletos quatuor episcopalis administrationis annos, mense Januario anni CMLXXVIII muneri suo renuntiasse, et paulo post (puta exeunte mense Februario) mortuum esse. Si huic temporis spatio addas annos quatuor cum dimidio, quibus sedes vacavit, pervenies usque ad mensem Septembrem anni CMLXXXII, ut computum instituenti constabit. Jam vero secundum hanc chronotaxim non improbabiliter supponimus, mense Septembri ejusdem anni CMLXXXII vacuam ecclesiæ Constantinopolitanæ cathedram antistite impletam fuisse, ut figamus aliquod punctum, juxta quod reliquam chronologiam ordinemus. Nunc experiamur, an hoc systema Chronologicum conciliari possit cum annis sequentium patriarcharum, inter quos Antonio Studitæ post satis diuturnam sedis vacationem primus successit

anno Christi 978 contigisse existimamus.

F

LXXI NICOLAUS II, cognomento Chrysoberges.

De hujus Patriarchæ electione, quæ juxta hypothesim nostram mense Septembri anni CMLXXXII non improbabiliter fieri potuit, præter supra laudatos scriptores Byzantinos, Cedrenus pag. 694 sic meminit : *Ceterum Antonius patriarcha cum sacerdotio renuntiasset, Duro rebellionem movente, tum temporis mortuus est; creatusque patriarcha*

Sedem CP. anno 982 conscendit Nicolaus,

A *triarcha Nicolaus Chrysobergius, cum per quatuor annos cum dimidio ecclesia pastore caruisset.* Zonaras lib. 17 Annalium num. 8 tempus episcopatus ejus sic exacte notat : *Interea Nicolao Chrysoberge, cum pontificatum annos duodecim et octo menses, ornasset, defuncto, Sisinnius magister, vir ab ineunte ætate in litteris versatus, patriarcha designatur.* Omnes catalogi apud Bandurum, aliique veteres scriptores, quotquot videre mihi licuit, totidem annos et menses huic Nicolao adscribunt.

et illam anno 995 moriens reliquit,

713 Præterea Joannes Scylitza Curopalates in editione Veneta fol. 88 annum, quo Nicolaus Chrysoberges obiit, et Sisinnius ei successit, designat his verbis : *Cum autem Nicolaus Chrysoberges annos duodecim, menses octo, ecclesiam gubernasset, ac vita functus esset, Sisinius magister deligitur, vir eloquens et medicinæ peritissimus, anno sexies millesimo quingentesimo tertio, Indictione octava.* Georgius Cedrenus pag. 702 eosdem temporis characteres ita expressit : *Nicolao Chrysobergio post administratum per annos duodecim cum besse patriarchatum vita functo, substituitur Sisinnius magister, vir insignis et medicæ artis peritissimus, anno mundi supra sexies millesimum quingentesimo tertio, Indictione octava.* Teste Pagio, annus mundi 6503 juxta Constantinopolitanos anno Christi CMXCIV a Calendis Septembribus incipiebat, et ab eodem tempore usque ad Calendas Septembres anni CMXCV Indictio octava currebat. B

ut contra Antonium Pagium

714 Sed cum Pagius initium Nicolai fixerit post medium anni CMLXXXIII, mortem ipsius et Sisinnii successionem usque ad annum Christi CMXCVI differre cogitur, ut ei duodecim gubernationis annos et octo menses concedat. Unde in sua Critica ad annum Christi CMXCV num. 5 Cedrenum sic erroris arguit : *Non dubito, quin Cedrenus in anno emortuali Chrysobergii memorando erraverit, et Chrysobergius usque ad annum sequentem* (videlicet Christi CMXCVI) *in vivis fuerit, cum iidem auctores unanimi consensu ei annos* XII *et menses* VIII *adscribant. Præterea ipsemet Cedrenus annos tres Sisinnio, annos vero* XX *Sergio ejus successori attribuit, huncque* INDICTIONE SECUNDA, MENSE JULIO, *anno scilicet Christi* MXIX *vita functum asserit. Quare Sisinnius ante annum sequentem* (nempe Christi CMXCVI) *Chrysobergio non successit, et Cedrenus ex ipso Cedreno corrigendus, vel potius Curopalates, ex qua sua Cedrenus depromere solet.* C

probabilius opinamur,

715 At cum Cedrenus sua ex Curopalate depromere soleat, sequitur, hunc duplicem characterem chronologicum in Curopalate ab ipso inventum esse, et istum errorem librario probabiliter adscribi non posse. Porro quis sine solido fundamento credat, apud utrumque hunc auctorem in anno mundi atque Indictione erratum esse? Præferendum itaque videtur nostrum systema, in quo facile reperimus duodecim Nicolai annos et octo menses, qui anno Christi CMXCV complentur : si enim ab exeunte Septembri anni CMLXXXII, quo initium Nicolai Chrysobergis figi potest, annos duodecim et octo menses computaverimus, perveniemus ad mensem Junium anni CMXCV, quo Sisinnius Nicolao mortuo potuit succedere. Saltem hac ratione mortem Nicolai et successionem Sisinnii consignamus illo anno, quem Joannes Scylitza Curopalates et Georgius Cedrenus diserte expresserunt. Nunc videndum, an hæc chronotaxis repugnet tempori, quo sedit

SEC. X.

LXXII SISINNIUS II.

cui Sisinnius eodem anno 995 successit,

Discordiam, quæ ecclesiam Græcam diviserat, opera hujus Patriarchæ sublatam esse, Cedrenus pag. 702 sic affirmat : *Substituitur Sisinnius magister, vir insignis et medicæ artis peritissimus, anno mundi supra sexies millesimum quingentesimo tertio, Indictione octava. Is dissidium propter quartas nuptias dudum ortum sustulit, concordia facta; cumque tres tantum annos ecclesiæ præfuisset, vitam cum morte commutavit.* Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi CMXCV num. 17 illam concordiæ restitutionem Nicolao Chrysobergi adscribendam esse contendit his verbis : *At non Sisinnio, sed ejus prædecessori Nicolao tribuuntur ista in synodalibus actis tunc confectis, ut de his nulla dubitatio esse possit. Cujus initæ concordiæ monumentum exstat post edictum de unione ante annos octoginta promulgatum in codice juris Græcorum.* Deinde Eminentissimus scriptor refert ipsa Acta synodalia, quæ ibidem numeris sequentibus E vel in Jure Græco-Romano a pag. 108 legi possunt.

qui de violata ecclesiarum unione accusatur,

717 Verum ex publicis istius synodi acclamationibus colligo, ecclesiam Constantinopolitanam eo tempore rursus paulatim ad schisma inclinasse, cum ibi præsules sancti cum improbis callide laudentur, et memoria Photii schismatici, tamquam orthodoxi, celebretur. Hinc mihi non improbabilia videntur ea , quæ Leo Allatius in Consensione perpetua ecclesiæ Occidentalis et Orientalis lib. 2 cap. 8 de hoc Sisinnio ita tradit : *Quies nihilominus ecclesiarum per tot annos continuata, qua quælibet ecclesia suis juribus utebatur, ita tamen ut suprema potestas soli Romanæ vindicaretur, videtur interrupta fuisse a Sisinnio patriarcha : non ita tamen ut vel Latini communi Græcorum calculo condemnarentur, vel Græci ab illis separarentur. Sisinnius namque (ob quam id egerit causam, ipse nescio) Photii epistolam encyclicam, quam in Latinos ille temeritatis ac audaciæ plenam exaraverat, titulo tantummodo immutato, et suo nomine supposito, ad reliquos patriarchas ipsissimis verbis transmisit homo nequissimus, licet multa in ea continentur, quæ ad Photium et Photiana tempora pertineant, quæ ipse non immutaverat. Adeo importune iste verborum magistri observator religiosus ineptit! Nisi* F *etiam dicamus, nomen Sisinnii ab aliis illi epistolæ appositum fuisse.* Cum ipse Leo Allatius hic in fine dubitet, utrum ea epistola a Sisinnio promulgata fuerit, fidem hujus rei penes accusatorem relinquimus.

et juxta chronotaxim nostram anno 999 obiit.

718 Scylitza, Cedrenus, Zonaras, et plerique patriarcharum catalogi apud Bandurum huic Sisinnio tribuunt tres gubernationis annos, quibus nihil vetat aliquot menses et dies superaddi, quos illi scriptores sæpe non exprimunt, cum plerumque numero rotundo de episcopatus annis loquantur. Igitur ponamus, Sisinnium tribus annis, et septem vel octo mensibus in cathedra Constantinopolitana sedisse. In ea hypothesi calculum subducens comperiet, illum mense Februario vel Martio anni CMXCIX obiisse, cum ipsius initium mensi Junio anni CMXCV affixerimus. Nunc superest, ut discutiamus, an nostrum systema chronologicum etiam concordet cum annis, quos antiqui auctores assignant successori ipsius, qui appellatur

Sec. x.

LXXIII SERGIUS II

Eodem anno 999 ad sedem CP. evehitur Sergius

Eminentisssimus Annalium ecclesiasticorum parens initium hujus Patriarchæ ad annum Christi cmxcix num. 20 sic recte refert : *Quod ad res Orientales pertinet, hoc anno defuncto Sisinnio, patriarcha Constantinopolitano, cum sedisset annos tres, subrogatus est in locum ejus Sergius abbas ex progenie Photii, schismatis auctoris, cujus secutus vestigia eo amplius obfuit, quo diutius præfuit, propagato sedis tempore ultra vigesimum annum. Hujus nomine contra Occidentales invenitur alicubi scripta epistola, quam Photii vere esse, et ejus titulo restitutam superius recitavimus.* Baronius hoc loco viginti episcopatus annos Sergio optime tribuit; sed postea ad annum Christi mxix num. 9 litteræ, quas Petrus Antiochenus ad Michaëlem Cerularium scripsit, illum a priori sententia revocarunt, eo quod ex vitiosa et perperam intellecta Petri Antiocheni epistola putaret, Joannem quemdam Sisinnio successisse, eumque ante Sergium
B
in cathedra Constantinopolitana sedisse. Unde Eminentissimus scriptor post recitatum istius epistolæ fragmentum ibidem sic erronee concludit : *Cum igitur hæc ita se habuisse noscantur, longe minor erit Sergii episcopatus numerus, totque annos fit necesse minui a sede Sergii, quod tenuerit eam idem ipse Joannes.*

quem Pagius binominem fuisse perperam asserit,

720 Cum Pagius hac Baronii objectione constringeretur, in Critica ad annum Christi mxix num. 5 effugium quoddam excogitavit, gratis asserens, Sergium illum fuisse binominem, atque etiam Joannem appellari. Sic nempe eruditissimus Pagius scindere conatus est nodum, quem solvere facili negotio poterat, si consuluisset Leonem Allatium, qui in Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. 8 num. 3 Græco-Latinum hujus epistolæ fragmentum ita profert : *Præterea ipse quoque testis irrefragabilis et alii mecum plerique ex ecclesiasticis primatibus, sub beatissimo patriarcha* Antiocheno domino beato Joanne *Pontificem Romanum, Joannem et ipsum nuncupatum, in sacris diptychis commemorari. Et ante annos quadraginta et quinque Constantinopolim appellens sub beatæ memoriæ patri-*
C
archa Sergio, jam dictum Papam inter sacra Missarum solennia cum aliis patriarchis commemorari audivi. Quomodo vero postea ejusdem commemoratio erasa fuerit, et quam ob causam, ignoro. Joannes Cotelerius Parisiis anno mdclxxxi inter Monumenta ecclesiæ Græcæ tomo 2 a pag. 145 Græco-Latine edidit integram illam Petri Antiocheni epistolam, ex qua etiam constat, Joannem illum non fuisse patriarcham Constantinopolitanum, sed Antiochenum. Ex his igitur liquet, Baronium et Pagium ob imperfectam epistolæ istius editionem, et ambiguam ejusdem interpretationem deceptos fuisse.

et in cujus chronotaxi ordinanda Petrus de Marca erravit,

721 Petrus de Marca in Dissertatione de epistola Vigilii ex iisdem Petri Antiocheni verbis infert sequentia : *Unde patet, Sergium patriarcham (qui sedem Constantinopolitanam tenuit ab anno* cmxcvii *usque ad annum* mxvii) *communione junctum fuisse cum Joanne* XIX *seu mavis* XVII, *qui sedit ab anno* miii *ad annum* mix, *quemadmodum ex hac Petri epistola observavit quoque illustrissimus Annalium conditor.* Baronius videlicet ad D
annum Christi mix num. 1 concludit ex eodem Petri Antiocheni testimonio, quo nomina Romanorum Pontificum in diptychis Constantinopolitanis recitari asserit, ecclesiam Constantinopolitanam eo tempore cum ecclesia Romana unitam fuisse. Sed unio illa non diu perseveravit : nam Nicetas Nicænus apud Leonem Allatium in Opere proxime citato lib. 2 cap. 8 num. 2 schisma sub illo Sergio renovari cœpisse testatur his verbis : *Sub Sergio, qui sub Bulgaroctono patriarchatum tenuit, dicitur rursum Schisma exortum fuisse; sed quam ob causam, ipse ignoro, videtur tamen propter sedes fuisse.*

cum juxta veteres scriptores

722 Porro illustrissimus Petrus de Marca rectam chronotaxim perturbat, dum episcopatum Sergii ab anno Christi cmxcvii usque ad mxvii numerat : Scylitza enim fol. 94 durationem administrationis, et determinatum mortis annum ita assignat : *Cum viginti integros annos Dei rexisset ecclesiam, Julio mense, Indictione secunda, anno sexies millesimo quingentesimo vigesimo septimo ad Dominum migravit.* Cedrenus pag. 717 Scylitzam more suo sic exscribit : *Sergius, cum* E
per annos xx *ecclesiam Dei moderatus esset, Indictione secunda, mense Julio, anno mundi sexies millesimo quingentesimo vigesimo septimo ad Dominum emigravit.* Hi characteres chronologici juxta Baronium, Pagium, aliosque chronologos in annum Christi mxix incidunt. Unde manifeste sequitur, Petrum de Marca duobus annis initium et finem episcopatus Sergiani perperam prævertisse.

viginti integris annis sederit,

723 Præter Scylitzam et Cedrenum laudatos, Zonaras lib. 17 Annalium num. 9, et omnes patriarcharum catalogi apud Bandurum affirmant, Sergium viginti annis in cathedra Constantinopolitana sedisse. Hos autem viginti annos complete accipiendos esse contendo, adeoque illis menses aliquot ac dies superaddi posse arbitror. Neque id sane gratis assero, cum Cedrenus de Sergio Græce scribat, illum ἐπὶ εἴκοσιν ὅλους ἐνιαυτοὺς : id est, *ad viginti* integros *annos* ecclesiæ præfuisse. Unde etiam apparet, sensum Græcum Cedreni ab interprete Latino, qui Parisiis anno mdcxlvii ex typographia regia prodiit, non satis perfecte ac fideliter expressum fuisse. Scylitza quoque viginti *integros* gubernationis annos F
computat, ut ex numero præcedente manifestum est.

et mense Julio anni 1019 obierit.

724 Si igitur Sergius ineunte mense Martio anni cmxcix ad sedem Constantinopolitanam evectus fuerit, sicut supra statuimus, et eam viginti annis ac quatuor mensibus occupaverit, isto temporis spatio expleto, mors ejus incidet in mensem Julium anni mxix, quo antiqui auctores obitum ipsius diserte consignarunt. In hoc nostro systemate nihil hactenus vidi, quod verisimilitudinis terminos excedit. Verum si quis nos certiora docuerit, libenter opinionem illius amplectemur. Porro schisma, quod sub Sergio revixerat, una cum ipso exstinctum, seu potius sopitum est, ut apud Leonem Allatium in jam sæpius laudato Opere lib. 2 cap. 8 num. 4 licet videre. Dixi, schisma istud potius sopitum esse, quam exstinctum, quia post aliquot annos cum majori tumultu et ecclesiæ Constantinopolitanæ damno repullulavit, ut postea observabimus.

SECULUM XI.

A

SEC. XI.

SECULUM XI.

LXXIV EUSTATHIUS.

Sergio successit Eustathius,

De Sergii obitu et hujus Patriarchæ successione Zonaras lib. 17 Annalium num. 9 sic scribit : *Is patriarcha Sergius cum ecclesiam ad annos viginti rexisset, mortem obiit, ac in ejus locum suffectus est Eustathius, sacerdotum ædis palatinæ princeps.* Similia habent alii historiographi, qui præterea certum Sergianæ mortis annum et mensem assignarunt. Sed nullus eorum clare exprimit, an Eustathius eodem mense vel anno in locum decessoris sui substitutus fuerit. Quod si ille statim successerit Sergio, qui juxta Scylitzam et Cedrenum mense Julio anni MXIX obiit, jam episcopatui Eustathiano oportebit sex annos et
B aliquot menses concedere : Eustathius enim ex hac vita migravit paucis diebus ante mortem Basilii imperatoris, cognomento Bulgaroctoni, quæ circa finem anni MXXV contigit, ut jam ostendemus.

et mortuus est circa finem anni 1025,

726 Cedrenus pag. 719 obitum Basilii imperatoris et Eustathii patriarchæ simul ita narrat : *Post hæc in Siciliam molitus expeditionem Basilius Orestam quemdam de fidissimus suis eunuchis præmitit cum magnis copiis ; ipse fato interceptus subsequi non valuit : nam mense Decembri, Indictione nona, anno sexies millesimo quingentesimo trigesimo quarto, subito correptus morbo decessit. Paucis ante mortem ejus diebus obit Eustathius patriarcha, in cujus locum imperator substituit Alexium monachum, Studiani collegii magistrum, qui ad ipsum invisendi causa venerat, afferens secum caput Joannis Baptistæ. Eum ergo cum per Joannem protonotarium, cujus opera in administrandis publicis negotiis utebatur, in solio patriarchæ collocasset, vespere exspiravit.* Cedrenus hæc more suo hausit ex Scylitza, qui in editione Veneta fol. 93 totidem fere verbis tempus Eustathianæ mortis exponit. Porro juxta computum recentiorum
C Græcorum annus mundi 6534, et Indictio nona currere cœperunt anno Christi MXXV a Calendis Septembris, ut chronologi passim observant. Quare ex Scylitzæ ac Cedreni testimonio sequitur, Eustathium mense Novembri aut Decembri ejusdem anni MXXV mortuum esse, adeoque sex annis et aliquot mensibus ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse.

cui Zonaras octo

727 Verum hæc conciliare nequeo cum annis, quos Zonaras episcopatui Eustathiano assignat, dum lib. 17 Annalium num. 9 mortem Basilii imperatoris et Eustathii patriarchæ ita conjungit : *Cum in animo haberet ire in Siciliam, consilium ejus fatalis morbus imterrupit. Sed paulo ante ejus obitum Eustathius patriarcha moritur, cum orthodoxorum ecclesiæ annos octo præfuisset.* Quomodo inter mensem Julium vel Augustum anni MXIX et mensem Novembrem vel Decembrem anni MXXV octo annos inveniemus? Intra istud temporis intervallum tantummodo sex anni et aliquot menses elapsi sunt, ut computanti apparebit. Nihil igitur superest, nisi ut dicamus, errorem in numeros Zonaræ irrepsisse, quem supra ob similem causam deseruimus.

728 Neque facilius cum hac chronologia componi possunt catalogi patriarcharum apud Bandurum, in quibus tantum quatuor anni Eustathio tribuuntur, nisi quis solide ostenderit, sedem Constantinopolitanam a morte Sergii per unum alterumve annum vacasse, de quo antiqui scriptores non meminerunt, et quod sine expressa veterum auctoritate non est gratis asserendum. Certe in computo suo erravit ipse Bandurus, dum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 914 ex recte stabilita chronotaxi sic perperam concludit : *Igitur si Eustathius statim post mortem Sergii, quæ contigit, uti supra ex Cedreno diximus, mense Julio anni Christi* MXIX, *patriarcha Constantinopolitanus renuntiatus fuit, certe Eustathio non anni quatuor, sed anni quinque, menses quatuor et aliquot dies attribuendi sunt.* Si Eustathius statim Sergio successerit, arithmeticæ non omnino ignarus et vel digitis computans plane comperiet, E
ipsum, sex annis et aliquot mensibus ac diebus in cathedra Constantinopolitana sedisse. Hæc de tricis chronologicis dicta sufficiant.

et alii catalogi annos quatuor gubernationis tribuunt,

729 Ceterum inter gesta hujus patriarchæ memorabile est, quod ipse simul cum Basilio imperatore tentaverit muneribus corrumpere Pontificem Romanum, ut ab eo titulum œcumenici patriarchæ sibi ac suis successoribus obtineret. Sed eorum conatus successu caruit, sicut eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MXXIV num. 5 et sequentibus refert, et nos alia occasione superius ex vetustis monumentis exposuimus. Ex eo facto etiam colligi potest, ecclesiam Constantinopolitanam eo tempore non divisam fuisse ab ecclesia Romana, sine cujus consensu antistes Constantinopolitanus titulum œcumenici patriarchæ assumere non audebat.

qui titulum œcumenici a Papa Romano obtinere frustra conatus est,

730 Marquardus Freherus in Chronologia, Juri Græco-Romano præmissa, adscribit huic Eustathio patriarchæ doctissimos in Homerum commentarios ; sed illum toto fere sesqui seculo a vera chronologia aberrare, eosque Thessalonicensi ejusdem nominis antistiti tribuendos esse, observaverunt recentiores quidam critici; F
inter quos Leo Allatius lib. 2 de Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 8, num. 4 lectorem ita monet : *Notandus est hic obiter supinus Marquardi Freheri error in chronologia, qui asserit, hunc patriarcham Eustathium, eum fuisse, cujus exstant doctissimi illi commentarii in Homerum et alia, cum Eustathius Homeri interpres longe illo posterior sit, tamquam qui centum fere et quinquaginta post annos vixerit sub Manuele Alexio et Isaacio Comnenis.* Deinde ibidem Eustathii Thessalonicensis præsulis ætatem variis testimoniis confirmat. Cum autem Eustathius patriarcha Constantinopolitanus secundum supra probatam Chronologiam mense Novembri aut Decembri anni MXXV obierit, statim mense Decembri ejusdem anni in defuncti locum successit

et falso dicitur commentarios in Homerum scripsisse.

LXXV ALEXIUS.

In ejus locum substituitur Alexius

Joannes Scylitza fol. 93 tempus, quo hic Patriarcha conscendit cathedram Constantinopolitanam,

SEC. XI.

politanam, sic nobis indicat : *Cum vero institueret imperator cum exercitu in Siciliam proficisci, Orestem cum frequentibus copiis præmisit, unum ex suis fidelissimis eunuchis ; verum ipse huc ire prohibitus est, siquidem eum mors occupavit. Decembri enim mense, Indictione nona, anno sexies millesimo quingentesimo trigesimo quarto, repentino morbo correptus excessit e vita, cum aliquot diebus ante ejus obitum etiam Eustathius patriarcha decessisset : cujus successorem instituit imperator Alexium monachum et monasterii præfectum, qui ad eum invisendum venerat cum pretioso Præcursoris capite, quemque per missum protonotarium Joannem in sede collocandum curat, quo adjutore in republica administranda utebatur, et vespere mortuus est, cum vixisset annos septuaginta, et omnes imperasset, ad quinquaginta autem annos imperium solus administrasset.*

mense Decembri anni 1025

732 Zonaras lib. 17 Annalium num. 9 etiam significat, Alexium in sede Constantinopolitana collocatum fuisse eo die, quo Basilius imperator exspiravit : nam ibi post relatam Eustathii patriarchæ mortem hæc subjungit : *Cum autem monasterii* B *Studii abbas Alexius imperatori ægrotanti sacrum caput Præcursoris attulisset, illo statim patriarcha designato, eodem vespere mortuus est.* Ex his aliisque supra dictis statuimus, Alexium mense Decembri anni MXXV ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse, quamvis certum istius mensis diem ignoremus. Nunc nonnulla hujus patriarchæ gesta ex antiquis scriptoribus breviter referamus.

qui criminosis nuptiis

733 Primum memoratu dignum, quod de hoc patriarcha reperio, juxta Baronium et Pagium anno Christi MXXXVIII contigit, et crassam Alexii ignorantiam, aut profligatam ipsius conscientiam prodit, ut eruitur ex ipso Cedreno, qui pag. 722 rem exponit his verbis : *Romanus in palatium adducitur, daturque ei optio, ut vel oculos sibi erui patiatur, vel dimissa sua legitima uxore, filiam imperatoris ducat, ac cæsar designetur. Hæsitante eo, uxor marito metuens ultro comam posuit, ac seculo renuntiavit ; viroque et oculos servavit, et imperium paravit. Erant Constantino ex filia patricii tres filiæ, quarum natu maxima Eudocia monachatum fuit amplexa ; minima Theodora conjugium Romani aversata est, sive ob propinquitatem, ut ferebatur,* C *generis ; sive quod uxorem ejus sciret adhuc vivere. Media Zoë facile eum sibi dari maritum passa est. Disputatione autem de cognatione mota, res a patriarcha et ecclesiasticis discussa, et Romanus Zoë copulatus est, imperatorque declaratus.*

per crassam ignorantiam aut impietatem

734 At non tantum de cognatione, sed de legitima Romani uxore adhuc superstite erat disputandum. Rigidi scilicet illi theologi Græci, vivente prima legitima conjuge, marito alteram uxorem ducere permittebant, dum interim juxta ecclesiæ suæ consuetudinem tertias aut quartas nuptias, in Occidentali ecclesia licitas, severe prohibebant, ut tomo 1 Juris Græco-Romani in libello unionis a pag. 104 legimus. Nonne austeri hujusmodi doctores, qui quartas nuptias vetant, et istud Romani matrimonium approbant, vocari possent *duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*, ut in Matth. 23 ℣ 24 de Pharisæis dicitur ? Certe in illos etiam convenit, quod Christus apud Marcum cap. 7 ℣ 8 Pharisæis exprobrabat : *Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditionem hominum.*

semel atque iterum benedixit

735 Laudatus Cedrenus pag. 733 narrat, quomodo imperator Romanus feria quinta majoris hebdomadæ insidiis uxoris suæ Zoës interfectus fuerit, et ipsa statim Michaëlem adulterum, quocum antea consueverat, sibi matrimonio copulaverit, cui Alexium patriarcham bene precari voluit, ut exponit his verbis : *Eadem nocte, cum sacra Passio caneretur, patriarcha Alexius, quasi jubente Romano, in palatium vocatur : quo cum venisset, mortuum Romanum invenit. Et Zoë aureo triclinio exornato in suggesto sedens Michaëlem producit, et a patriarcha contendit, ut hunc sibi maritum sacra comprecatione copulet. Attonito et voce oppressa hærenti Joannes ac Zoë quinquaginta auri libras totidemque clero largiuntur. Ita patriarchæ persuasum, ut matrimonium hoc consecraret.* Baronius in Annalibus hæc eadem ad annum Christi MXXXIV num. 28 et sequente commemorat. D

736 Denique hic tacendum non est callidum Alexii consilium, quo quemdam dignitatis suæ æmulum, ejusque fautores astute delusit, ut apud eumdem Cedrenum pag. 740 refertur hoc modo : *Interim cum patriarchatus Constantinopolitani amor absurdus Joannem imperatoris fratrem cœpisset, re communicata, episcopi Demetrius Cyzici, Antonius Nicomediæ, Sidæ et Ancyræ fratres germani cum aliis metropolitis consultarunt de Alexio deturbando,* E *eique sufficiendo Joanne. Ad eos Alexius et reliqua ecclesiæ pars litteras dant, hoc significantes : « Quando, ut vos dicitis, non suffragiis pontificum, sed » jussu Basilii imperatoris ego hoc solium contra » canones conscendi ; agedum, quos ego constitui » metropolitas, jam per undecim annos ac anni semissem, ecclesiam gubernans, deponantur. Ana» thema quoque obnuntietur tribus imperatoribus, » quibus ego coronas imperii imposui. His factis, » cedo solium ei, qui vult succedere. » Hoc accepto nuntio, Demetrius cum sociis metu pudoreque confusi, quod plerique ab ipso erant creati, nihil antiquius silentio et quiete habuerunt ; et ipse Joannes cupiditatem solii patriarchæ in posterum dimisit.* Atque hæc sunt præcipua, quæ ex gestis Alexii hoc loco proferenda esse censuimus. Nunc paucis indicandum est, quo tempore obierit.

et callide sedem sibi eripiendam conservavit

737 Jam sæpe laudatus Cedrenus pag. 758 tempus mortis ejus sic accurate notat : *Vigesima die Februarii, Indictione undecima, Alexius patriarcha rebus humanis excedit.* Scylitza fol. 110 eamdem Indictionem, mensem ac diem morti ipsius assignavit. Hinc concludimus, octodecim annos, quos Zonaras et catalogi apud Bandurum episcopatui ejus passim tribuunt, incomplete accipiendos esse : mensis enim Februarius Indictionis undecimæ in annum Christi MXLIII incidit, ut apud obvios chronologos videre est. Si igitur Alexius sedem Constantinopolitanam occupaverit a mense Decembri anni MXXV, ut supra probavimus, usque ad vigesimam Februarii diem anni MXLIII, calculos subducenti constabit, illum dumtaxat septemdecim annis, et duobus circiter mensibus sedisse, cum nobis sit ignotum, quo die mensis Decembris anno Christi MXXV patriarcha electus fuerit. In locum ipsius eodem anno MXLIII suffectus est F

usque ad annum Christi 1043.

LXXVI MICHAEL I,

cognomento Cerularius, schismaticus.

Hic fuit infensissimus Latinorum hostis, de cujus promotione Zonaras lib. 17 Annalium num. 22 sic scribit : *Alexio patriarcha mortuo, cum sedem illam annos octodecim quiete tenuisset, Michaël, cognomento Cerularius, in ejus locum est suffectus,*

Huic mense Martio ejusdem anni 1043 successit Michaël,

A *suffectus.* Tempus istius successionis post Scylitzam Cedrenus pag. 758 accurate ita notavit : *Vigesima die Februarii, Indictione undecima, Alexius patriarcha rebus humanis excedit : ei sufficitur die Annuntiationis festo Michaël Cerularius, qui vixerat monachus, ex quo eum orphanotrophus ob paratas insidias relegaverat.* Festum Annuntiationis apud Græcos die XXV Martii celebratur, ut in Menæis excusis aliisque ecclesiasticis ipsorum fastis videre est. Unde patet, Michaëlem Cerularium anno Christi MXLIII, die XXV Martii, Alexio ante mensem defuncto successisse. Nunc aliqua illius gesta summatim referemus.

qui schisma ecclesiæ Græcæ

739 Anno Christi MLIII Michaël Cerularius una cum Leone Acridano Bulgarorum metropolita scripsit epistolam adversus Latinos, eamque misit ad Joannem, Tranensem in Apulia episcopum, ut etiam populos Occidentales ad schisma concitaret. Hanc ab Humberto Cardinale, et Silvæ candidæ episcopo Latine redditam eminentissimus Baronius Annalibus suis ad annum Christi MLIII a num. 23 inseruit. Canisius quoque illam simul cum doctissima Humberti Cardinalis refu- B tatione tomo 6 Antiq. lect. a pag, 114 typis vulgavit. Eidem S. Leo IX Papa egregie respondit, ut apud Labbeum tomo 9 Conciliorum a col. 949 licet videre.

contra Latinos renovavit.

740 Anno sequente S. Leo Pontifex Constantinopolim misit legatos, deditque eis litteras ad Constantinum imperatorem et Michaëlem patriarcham, ut pax inter utramque ecclesiam conciliaretur. Sed vota ipsius successu caruerunt : etenim legati Apostolici pervicacem Michaëlem in ecclesia S. Sophiæ publica anathemate percutere coacti sunt propter varios ipsius errores, qui apud laudatum Labbeum tomo 9 Conciliorum a col. 992 in ipsa excommunicationis sententia exprimuntur. Tunc vero contumax Cerularius magis furere cœpit, et edictum adversus legatorum excommunicationem publicavit, quod Leo Allatius in Opere de Libris ecclesiasticis Græcorum dissert. 2 a pag. 161 Græco-Latine edidit. Porro præter citatos auctores de rebus scriptisque ad hoc schisma spectantibus legi possunt litteræ ipsius Michaëlis et Petri patriarchæ Antiocheni, quos Cotelerius inter Monumenta ecclesiæ Græcæ tomo 2 vulgavit, Wibertus synchronus in Vita C S. Leonis IX Papæ apud nos tomo 2 Aprilis pag. 662 et 663, aliaque instrumenta passim occurrentia, quæ nostri instituti non est hoc loco fusius referre. Potius jam narrandum est, quomodo et quando Isaacius Comnenus imperator tandem Michaëlem Cerularium e sede Constantinopolitana expulerit.

Scylitza describit superbiam ejus,

741 Joannes Scylitza Curopalates Parisiis anno MDCLXVII post Cedrenum Græco-Latine partim editus, pag. 808 et sequente hanc rem ita exponit : *Patriarcha autem inexplebili benevolentia fretus imperatoris, contra ipsum elatus est, non petitionibus modo et admonitionibus utens, si quando alicujus rei et pro aliquo indigeret; verum sæpe minime voti compos propter frequentes et odiosas petitiones, minas et absurdas increpationes adhibebat; ac nisi pareret, imperii amissionem minabatur, vulgare et tritum hoc dictum proferens : Ego te condidi, furne, ego et te dejiciam. Agressus est etiam cocco tincta induere calceamenta, antiqui sacerdotii morem hunc asserens, et oportere his uti novum quoque archiepiscopum : nam inter sacerdotium et regnum nihil interesse, vel admodum parum, et in rebus pretiosioribus amplius fortasse et magis colendum sacerdotium.*

Sec. XI.

ob quam ab imperatore in exsilium abreptus est,

742 *Hæc audiens imperator illum mussitantem, studuit potius aliquid ipse perpetrare, quam pati. Quare cum archangelorum dies festus advenisset, egreditur patriarcha ad suburbana loca, ut ibi studiose ac solenni ritu, quæ ad diem festum pertinerent, perageret. Imperator autem ut lucro, sibi oblata occasione arrepta, veritus ne quis tumultus aut perturbatio fieret, turmam militum misit, qui communi lingua appellantur Barangi, qui ipsum non sine ignominia e throno correptum ac mulo impositum usque ad littus, quod est in Blachernis, impellentes deduxerunt et ipsum et patrueles ejus, atque inde lembo impositum ad Proconnesum, ut exsularet, perducendum curant.*

et nihilominus affingit ei mortuo miraculum,

743 *Ipse cum aliquibus metropolitis collocutus, et de ipso abdicando spectatissimis ipsorum electis, eorum opera nuntiat, ut archiepiscopatum deponat, priusquam ipsum cum dedecore amittat, iis, quæ contra ipsum decreta erant, expositis et propalatis synodo et concilio. Sed cum ipsis visus esset ejusmodi, qui expugnari et deprimi non posset, quantum ad ipsum attinebat, desperata fuit depositio sacerdotii, de qua imperatore assidue cogitante, interea vitam cum morte patriarcha tranquille commutat : cujus corpus imperator, quod ipsum jam pœnituerat,* E *honorifice importandum, et in suo monasterio reponendum curat, perculsus eo miraculo, quod acciderat, non ipse modo, sed omnes, qui cum ipso erant : nam dextra patriarchæ manus in crucis figuram conformata, ut mos est benedicendi populo acclamanti pacem, ita firma permansit, neque cum mortuo corpore est immutata.*

quod Baronius jure merito explodit,

744 Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MLVIII num. 18 illam dextræ manus figuram, quæ hic pro miraculo obtruditur, paucis verbis ita jure merito explodit : *Talia sunt miracula schimasticorum, humana arte composita. Et quis ignorat, defuncti mox hominis membra adhuc calentia, quam quis velit, recipere formam et situm, eademque ipsa obrigescentia frigore immobiliter permanere?* Certe de hoc miraculo non meminit Michaël Psellus, schismatis fautor, qui Michaëlem Cerularium hæreseos accusat, illumque episcopalis muneris ac divinarum rerum imperitissimum fuisse asserit, ut Pagius in Critica ad annum Christi MLIV num. 2, et ad annum MLVIII num. 11 testatur.

et quod Zonaras schismaticus

745 Quinimo Zonaras schismaticus de illo schismaticorum commento scribere erubuit, qui interim non dissimulat superbiam Michaëlis Ce- F rularii, dum lib. 18 Annalium num. 5 ipsius depositionem, mortem, ac honorificam sepulturam sic narrat : *Neque vero patriarcha superbia illi* (nempe Isaacio Comneno imperatori, de cujus vitiis immediate antea egerat) *cedebat; sed imperare illi volebat : ac si quando non impetrasset ea, quæ petierat, ægre ferebat, increpabat; denique minabatur, quæmadmodum imperium illi contulisset, ita se idem illi erepturum. Quæ cum talis imperator ferre æquo animo haud utique posset, providit ut malum daret potius quam ferret. Cum igitur patriarcha in suum monasterium instante sanctorum angelorum, qui ibi colebantur, festo, ut illud splendidius celebraret, iturus esset, missa illuc cohorte militum, (nec enim eum ex ecclesia Verbi divini sapientiæ avellere voluit, ne vel cleri vel populi motus oriretur) et ipsum et nepotes ejus relegat.*

referre non est ausus.

746 *Deinde de abrogando illi patriarchatu cogitans, opera quorumdam primariorum sacerdotum utitur, et Pselli variarum et absurdarum criminationum coacervatoris, quas in oratione contra illum scripta congessit, et per quosdam Viro significat, ut*

simulet,

SEC. XI.

simulet, se ultro pontificatu cedere, quem alioqui invitus cum publica infamia sit amissurus. Ut autem ille refragabatur, imperatoris de ejus exauctoratione solicitudinem mors sustulit : neque enim multo post illius obitus a quodam est ei nuntiatus; qui cum se lætum illi afferre nuntium et curas ademptarum putaret ille statim, mutata sententia, ejulavit, ejusque cadaver cum honorifico comitatu ab exsilio revocatum in monasterio ab illo condito reposuit, nepotibus ejus pristina dignitate restituta. Vides, hic nullam mentionem fieri de fictitio illo miraculo, quod tamen Michaël Glycas schismaticus, et Zonaræ coævus, parte 4 Annalium pag. 323 eamdem Cerularii depositionem ac sepulturam narrans incautis posteris persuaderi posse existimavit.

Verosimilius cum Baronio putamus,

747 De tempore, quo imperator Michaëlem Cerularium relegavit, Pagius in Critica ad annum Christi MLVIII num. 13 sic disserit : *Baronius aliique passim Cerularii depositionem et Lichudis creationem ideo hoc anno collocant, quia in serie patriarcharum Constantinopolitanorum in lib.* IV *Juris Græco-Romani Cerulario anni quindecim attribuuntur : die enim* XXV *mensis Martii anni* MXLIII
B *ad culmen pontificale evectus fuerat. Verum cum Constantinus Lichudes post sedem annorum quatuor et sex mensium, circa initium mensis Januarii anni millesimi sexagesimi quarti vivendi fidem fecerit, anno millesimo quinquagesimo nono post diem octavum mensis Junii patriarcha creatus est. Curopalates enim, cujus verba Baronius recitat, asserit Cerularium die festo archangelorum dignitate depositum esse, cui Zonaras suffragatur. Græci autem, ut in earum Menologio videre est, festum archangelorum ac S. Michaelis bis in anno celebrant, die nempe octava Junii et die sexta Septembris. Cerularius itaque non annos* XV, *sed annos* XVI *et menses circiter tres ecclesiam Constantinopolitanam administravit, et anno solum sequenti* (videlicet Christi MLIX) *mortuus est.* Ita ille.

relegatum esse Michaëlem anno 1058 circa festivitatem archangelorum

748 At imprimis non video, quo fundamento Pagius contra omnium catalogorum consensum Michaëli Cerulario sedecim annos et tres menses adscribat. Præterea die VIII Junii et VI Septembris apud Græcos fit quidem aliqua S. Michaelis archangeli commemoratio propter miracula intercessione illius patrata; sed in Menologio Basiliano ἡ σύναξις τῶν ἀρχαγγέλων, *festivitas archan-*
C *gelorum*, die VIII Novembris celebratur. In Menæis impressis eadem die VIII Novembris præcipuum angelorum festum ita annuntiatur : Ἡ σύναξις τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων. Id est : *Festivitas Michaelis, ducis militiæ (cœlestis), et reliquarum incorporearum potestatum.* Hanc autem esse unicam vel saltem maximam angelorum festivitatem, de qua Joannes Curopalates et Zonaras antonomastice meminerunt, colligi potest ex solenni Officio, quod eo die in Menæis assignatur, et cui juxta consuetudinem celebriorum festorum præfigitur pictura, in qua plures angeli repræsentantur cum hac epigraphe, antiquis characteribus Græcis expressa : Η CΥΝΑΞΙC ΤΩΝ ΑCΩΜΑΤΩΝ. Id est : FESTIVITAS INCORPOREORUM.

quæ præcipue a Græcis ad diem VIII *Novembris celebratur.*

749 Ex his infero, non esse temere recedendum ab opinione eminentissimi Baronii aliorumque illustrium auctorum, qui juxta communem catalogorum computum, episcopatui Michaëlis annos quindecim tribuunt, et mortem ejus anno Christi MLVIII consignant : si enim Cerularius anno Christi MXLIII a die XXV Martii cathedram Constantinopolitanam occupaverit usque ad annum MLVIII et diem VIII Novembris, qua festum angelorum apud Græcos colitur, jam rotunde numerare possumus quindecim administrationis annos, licet supersint aliquot menses, qui ex sæpe supra dictis rarius exprimuntur. Deinde ex irrito imperatoris conatu, quo Cerularium exsulem ad spontaneam dignitatis suæ abdicationem inducere nitebatur, aliisque post depositionem gestis conjicimus, facile sex aut septem menses post exsilium elabi potuisse, antequam opportuna Michaëlis mors imperatorem solicitudine liberaret. Quin etiam post electionem successoris aliqua controversia exorta est, et nonnulla mora intercessit, ut mox videbimus, antequam ille episcopali dignitate ornaretur atque in sede Constantinopolitana collocaretur. Quare in nostra chronologia nihil erit absonum, si ponamus, quod mense Junio anni MLIX tandem ab imperatore in locum Michaëlis Cerularii defuncti substitutus fuerit D

LXXVII CONSTANTINUS III,

cognomento Lichudes.

E

Circa medium anni 1059

De hujus Patriarchæ successione Joannes Scylitza Curopalates post narratam Michaëlis Cerularii mortem pag. 809 sic scribit : *Sufficitur in ejus locum patriarcha Constantinus Lichudes præses et protovestiarius, qui primus metropolitanorum et cleri, totiusque populi suffragiis delectus fuerat; vir ob regia atque civilia munera clarissimus a Monomacho usque ad illud tempus; quique magnam gloriam ob reipublicæ administrationem reportaverat, et Manganorum procurationem, ac juris custos ab eo imperatore, quem diximus, relictus fuerat. Et quamvis delectus fuisset, non sine contentione archiepiscopatum et patriarchatum, neque sine controversia adeptus est. Verum imperator studens talia sibi jura vindicare, hoc ipsi tempus idoneum ratus, presbyterum ordinatum vetuit, ne archiepiscopatus unctionem perfectam acciperet; quoad, inquit, ea quæ contra te jactantur, per synodum canonice examinentur. Constantinus autem non ignorans, hæc quomodo contra se inquirerentur, inopinatum dedecus secum reputans, quæ quærebantur tradidit imperatori. Ex eo tempore sine controversia et sine excusatione omnia ab ipso perficiebantur, quæcumque in initiandis pontificibus consuevere.* F

Michaëli mortuo successit Constantinus,

751 Zonaras lib. 18 Annalium num. 5 eamdem rem sic clarius exponit : *In ecclesia vero* Isaacius Comnenus imperator *Constantinum Lichudem præsidem et protovestiarium constituit, virum longo tempore in administrationibus rerum communium cum laude versatum, spectatæque fidei, cui Monomachus etiam, Manganorum œconomia commissa, tabulas de eorum immunitate commiserat; quas cum sibi vendicare Comnenus conaretur, commentum improbitatis plenum excogitat, ac plane partum quemdam diabolicæ mentis edit : nam cum Lichudes per suffragia electus, ac sacerdos jam creatus esset, arcano eum monet, dici quædam, quæ a patriarchali officio illum arcerent, et si in synodo agitarentur, nec rite confutarentur, non posse eum pontificatus unctionem adipisci. Verum si Manganorum sibi privilegia traderet, se neglecturum criminationes illas, neque impedimento fore, quo minus ungatur. Lichudes qui videret, non licere sibi ad pristinam conditionem redire, sic vero manere turpe esse, propere allatis iis, quæ petebantur, nemine obstante, pontificio ritu initiatur.*

752 Michaël Glycas part. 4 Annalium pag.

323

qui nobis de schismate suspectus est,

323 mores ipsius ita laudat : *Suffectus est in ejus locum alius patriarcha, nimirum Constantinus præses et protovestiarius, cognomento Lichudes, cujus liberalem ac munificam manum, solertemque providentiam nemo non expertus est.* Joannes Curopalates loco proxime citato eamdem munificentiæ ac solicitudinis laudem ei tribuit. Sed præ ceteris impensius illum laudavit Michaël Psellus, magnus ipsius amicus, qui schismati contra ecclesiam Romanam promovendo omnem operam impendit, ut Pagius in Critica ad annum Christi MLIV num. 2 ex lectis quibusdam Mss. Pselli opusculis certo constare affirmat. Psellus in honorem Constantini Lichudis composuit panegyrim, viginti tribus capitibus divisam, quæ adhuc manuscripta Parisiis exstat, ut Pagius ad annum Christi MLXVI num. 10 testatur. Laudatus Pagius ad annum Christi MLVIII num. 12 exhibet quoddam fragmentum, in quo Psellus facundiam aliasque dotes Constantini magnis laudibus extollit. At propter hoc ipsum encomium et tantam cum Psello schismatico amicitiam nobis Constantinus ille de schismate suspectus redditur, qui propterea forte
B
a Brietio nostro in Annalibus contractis ad annum Christi MLVIII, vocatur *vir addictior imperatori, quam Latinæ ecclesiæ.* Cum reliqua hujus Patriarchæ gesta ignoremus, ad mortem ipsius chronologice assignandam transimus.

et exeunte anno 1063 e vivis excessit.

753 Varii patriarcharum catalogi apud Bandurum episcopatui Constantini Lichudis quatuor annos ac dimidium concedunt. Illis consentit Zonaras, dum lib. 18 Annalium num. 9 de morte ipsius ita scribit : *Cum autem patriarcha Constantinus Lichudes, ecclesia per annos quatuor et sex menses gubernata, in aliam migrasset vitam, Joannes Xiphilinus in pontificiam Constantinopoleos sedem evehitur.* Cum igitur initium ipsius supra constituerimus mense Junio anni MLIX post numeratos quatuor annos et sex menses perveniemus ad mensem Decembrem anni MLXIII, circa quod tempus probabiliter ex hac vita migravit. Hæc chronotaxis concordat cum annis, quos Zonaras successori ipsius adscribit, ut ex dicendis apparebit.

C

LXXVIII JOANNES VIII, cognomento Xiphilinus.

Initio anni 1064 huic suffectus est Joannes

Putamus, ineunte anno Christi MLXIV in locum Constantini defuncti successisse hunc Patriarcham, de cujus promotione et moribus Joannes Scylitza Curopalates pag. 817 tradit sequentia : *Mortuo vero patriarcha Constantino, Joannes monachus, cognomento Xiphilinus, deligitur. Trapezunte natus, vir sapiens et eruditissimus, et in rebus politicis spectatus, et virtutem sedulo sectatus, adeo ut in principio florentis ætatis monasticam administrationem susceperit, et vitam solitariam degere instituerit tempore haud exiguo in Olympo monte : quare nemo præter ipsum dignus habebatur, qui ad altum patriarchæ gradum perduceretur, tametsi recusans ac fugiens, ad eum honorem compulsus est.* Glycas part. 4 Annalium pag. 325 ipsum breviore elogio sic exornat : *Constantino patriarcha mortuo, Joannes Xiphilinus monachus in ejus locum suffectus, vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem admirandus.* Zonaras lib. 18 Annalium num. 9 similia de illo tradit.

755 At quibuscumque laudibus hi scriptores Joannem Xiphilinum extollant, ambitionem ipsius arguit sequens historia, quam Michaël Glycas part. 4 Annalium pag. 326 sic narrat : *Cum spiritum extremum duceret* (videlicet Constantinus Ducas imperator, de cujus liberis et morbo idem auctor paulo superius egerat) *ab omnibus scriptam cautionem exegit, qua pollicerentur, numquam se imperatorem ullum admissuros extraquam filios suos, et imperatricem ipsam promittere coegit, numquam se respecturam ad alteras nuptias. Hoc modo illa cum filiis imperium septem mensibus administravit. Scripta cautio, fidei patriarchæ credita, ejusdem studio custodiebatur..... Imperatrix autem nubere cuidam ex viris illustribus volens, cum ob scriptam cautionem et illos, qui cautioni subscripserant, in metu versaretur, tandem aliquid supra naturam muliebrem audendum, et dolo patriarcham circumveniendum esse decrevit.*

SEC. XI. cujus ambitionem imperatrix callide delusit,

756 *Itaque rem cum quodam ad hujusmodi molitiones idoneo communicat. Quid inde factum? Erat patriarchæ frater, nomine Bardas. Hoc cum sciret ille spado, cum quo communicasse consilia sua imperatricem diximus, patriarcham accedit, secreto rem totam ei renuntiat; fieri nimirum posse, ut si* E
quidem aliqua dispensatio nomine cautionis intercederet, frater ejus in complexum imperatricis perveniret, ac deinde imperator designaretur. Hac arte captus patriarcha singillatim senatoribus ad se vocatis persuadet, scriptam illam cautionem ab æquitatis ratione prorsus alienam esse, nec ob unius hominis æmulationem concedi debere, ut Romana respublica detrimentum caperet ; sed potius, ita poscente necessitate, tradendam in matrimonium alicui viro imperatricem, ut hoc modo respublica, pristino statui restituta, vicissim floresceret. His verbis cum omnes patriarcha suam in sententiam perduxisset, Diogenes armatus regiam ingressus est, ac imperatrice sibi copulata, sceptris potitus. Sic astuta mulier delusit ambitiosum Patriarcham, qui ex hac vana spe nil præter ignominiam et ridiculam superbiæ notam acquisivit.

ut auctores passim narrant.

757 Zonaras eamdem historiam in Annalibus lib. 18 num. 9 et 10 fuse exponens ab aliis scriptoribus in eo differt, quod Bardam illum non appellet fratrem patriarchæ, sed ἀνεψιόν, id est, sororis aut fratris ejus filium, quod discrimen hic nihil nostra interest. Præterea ibidem affirmat illam cautionem seu promissionis syngrapham ab F
imperatrice et senatoribus jurejurando confirmatam fuisse, ut etiam satis innuit Joannes Scylitza, qui pag. 822 cum Zonara addit, quod ex senatoribus *alii suasu et adulatione, alii pecuniæ largitione et crebris muneribus*, Joanni patriarchæ consenserint. Propter talem solennis juramenti abolitionem Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MLXVIII num. 5 eumdem patriarcham accusat, quod privato commodo religionem posthabuerit. Ob eamdem causam, ni fallor, Joannes Xiphilinus a Brieto nostro in Annalibus contractis ad annum MLXVI, *vir litteratior, quam melior*; et ad annum MLXVIII, *prævaricator religionis* appellatur.

Joannes ille post undecim annos et aliquot menses regiminis

758 Catalogi apud Bandurum huic Patriarchæ passim tredecim annos et sex menses adscribunt. Catalogus Labbeanus, Protreptico Historiæ Byzantinæ insertus, annos undecim dumtaxat cum sex mensibus ei assignat. Zonaras vero in Annalibus lib. 18 num. 18 tempus episcopatus ipsius sic diserte exprimit : *Joanne Xiphilino patriarcha in æternas mansiones translato, cum ecclesiam annos undecim et menses septem rexisset* (Græce sine litteris numeralibus ita ad longum legitur : ἐπὶ δέκα

ἐνιαυτοὺς,

SEC. XI.

ἐνιαυτοὺς ἐφ' ἑνὶ, καὶ μησὶν ἑπτὰ) *patriarcha designatus est Cosmas monachus.* Nos probabilius existimamus, catalogos Bandurianos juxta catalogum Labbeanum vel Zonaram corrigendos esse : si enim Joanni Xiphilino tredecim annos cum dimidio tribuamus, jam mortem ejus nimis diu differre cogemur contra auctoritatem veteris testimonii, ut nunc videbimus.

anno 1075 ex hac vita migravit;

759 Anna Comnena lib. 3 Alexiados pag. 75, tempus, quo hic patriarcha obiit et successorem accepit, sic accurate notat : *Rebus igitur sic pendentibus, Alexius coronatur manu patriarchæ Cosmæ : etenim quarto anno imperii Michaëlis Ducæ et filii ejus Constantini, cum esset mortuus sanctissimus patriarcha Joannes Xiphilinus, secunda die mensis Augusti, Indictione decima tertia, subrogatus in ejus sedem fuerat hic Cosmas, illo loco dignissimus et sanctitate plenus.* Hi characteres chronologici annum Christi MLXXV designant : nam usque ad Calendas Septembres anni MLXXV fluxit Indictio decima tertia, quæ mihi in citato textu tum ad Joannis Xiphilini mortem, tum ad successoris promotionem pertinere videtur. Unde
B opinor, paucis diebus ab obitu ipsius statim alterum in sede Constantinopolitana collocatum esse, quod ex infra dicendis confirmabitur. Præterea quartus Michaëlis Ducæ annus, quo Joannes iste obiit, anno Christi MLXXV ultra diem secundam Augusti adhuc currebat, sicut ex Michaëlis istius initio, apud Pagium in Critica ad annum Christi MLXXI signato, evidenter potest deduci.

unde chronologicus Cavei error corrigitur

760 Huic mortis tempori computus Zonaræ vel catalogi Labbeani optime congruit : nam si Joannes Xiphilinus mense Januario anni MLXIV in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit, ut supra statuimus et anno Christi MLXXV, die secunda Augusti ex hac vita migraverit, ut Anna Comnena testatur, jam in isto gubernationis intervallo annos undecim et sex vel septem menses invenies. Erravit itaque Guilielmus Caveus heterodoxus, dum in Historia litteraria Scriptorum ecclesiasticorum pag. 430 initium hujus patriarchæ anno MLXVI et obitum anno MLXXVIII alligat, ubi tamen recte rejicit communem opinionem, quæ huic patriarchæ perperam adscribit compendium Dionis, quod tribuendum est
C Joanni Xiphilino, qui hunc Patriarcham ejusdem nominis habuit patruum, ut ex ipsa auctoris epitome demonstratur. Porro aliqua Joannis Xiphilini patriarchæ opuscula recentiores bibliographi passim recensent.

et titulus sanctissimi huic patriarchæ datus examinatur.

761 Nihil quemquam moveat, quod hic patriarcha Constantinopolitanus ab Anna Comnena vocetur *sanctissimus*, cum interim superius narrata soluti juramenti historia sanctitatem ipsius minime commendet : nam mulier illa schismatica et Latinis infensissima, Romanum Pontificem ejusque subditos contemnere, et schismaticos suos laudare consuevit. Quare non immerito eos, quos ipsa laudibus exornat, infectos putamus schismate, quod Alexius Comnenus, pater illius, numquam serio tollere voluit, quamvis astutus ille princeps pro rerum necessitate interdum amicitiam cum Romanis Pontificibus simularet. Unde etiam nonnulli critici observarunt, Annam Comnenam in Alexiade sua nimis amori erga patrem indulsisse, et potius panegyrim parentis sui quam historiam scripsisse. Igitur sub diuturno Alexii Comneni imperio schisma inter ecclesiam Romanam et Constantinopolitanam perseveravit, cujus etiam juverit meminisse pro sequentibus aliquot patriarchis inter quos primus post mortem Joannis Xiphilini secutus est D

LXXIX COSMAS I, cognomento Hierosolymitanus.

Anno 1075 in locum Joannis subrogatur Cosmas,

Cum juxta supradictum Annæ Comnenæ testimonium Joannes Xiphilinus e vivis excessisset, quarto Michaëlis Ducæ anno, Indictione decima tertia, die secunda Augusti, quæ omnes notæ chronologicæ in annum Christi MLXXV concurrunt, eadem Indictione adhuc fluente, sive mense Augusto anni MLXXV, post paucos a morte ejus dies, et verosimillime ante diem VIII Augusti, ut ex infra instituendo temporis computo apparebit, in locum defuncti Joannis substitutus est Cosmas, de cujus promotione et moribus Joannes Scylitza pag. 860 hæc prædicat : *Sepulto autem patriarcha Joanne Xiphilino, et ad domos æternas translato, imperator alium delegit, non ex senatorio ordine, neque ex ecclesia, neque ullum alium Byzantiorum, sive eloquentia sive rebus gestis* E
clarorum et celebrium ; sed Cosmam quemdam monachum, qui a sancta civitate venerat, et in maximo honore apud imperatorem habebatur propter virtutem, qua præditus erat : nam etsi externæ sapientiæ expers erat, et illius mysteria minime gustaret, attamen variis virtutibus efflorescebat ; quapropter, omnibus aliis neglectis, ipsum ad ecclesiæ gubernacula collocat. Zonaras lib. 18 Annalium num. 18 de eodem Patriarcha dicit, quod fuerit *ineruditus ille quidem, sed omnis generis virtutibus ornatus, qua de causa etiam ab imperatore in maximo pretio habebatur.*

quem Anna Comnena schismatica

763 Anna Comnena præter alias laudes huic Cosmæ liberaliter tribuit spiritum prophetiæ, si lubet credere, dum lib. 2 Alexiados pag. 60 narrat, Nicephorum Botoniatem suasione istius patriarchæ imperium abdicasse : *Verum qui tum temporis patriarcha erat,* inquit, *vir plane dignus illo loco, vere pauper, et monasticam austeritatem nihilo remissius, quam qui olim in desertis et montibus degebant patres, in urbe retinens, quem etiam ferebant prophetiæ gratia præditum, ut qui multa prædixisset, quæ vere acciderant ; certe ita viveret, ut officii forma, virtutisque exemplar æqualibus po-* F
sterisque esset. Is, inquam, sive divino instinctu admonitus, quo loco Botoniatæ res essent, quidve illo denique futurum esset, sive suggestione arcana Cæsaris (nam et id dicitur) qui admiratione virtutis ejus magnam a longo tempore cum Patriarcha conjunxerat amicitiam, in tempore superveniens cum Borilus Botoniatem ad audendum excitabat, sapiens et denique creditum Augusto consilium dedit ; ne dubitaret throno regio cedere, neve divino imperio repugnans rempublicam discerpendam civili bello, urbem Christiano cruore polluendam daret ; sed potius Dei voluntati cedens de medio abiret. Deinde refert, quomodo imperator huic Cosmæ consilio paruerit.

et Menæa Græcorum magnis laudibus extollunt.

764 Quinimo Menæa impressa et Maximus Cythereus hunc Patriarcham appellant thaumaturgum sive miraculorum patratorem, et die secunda Januarii annuam ejus festivitatem ita annuntiant : Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κοσμᾶ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ θαυματουργοῦ, τοῦ ἐν τῇ σεβασμίᾳ μονῇ τῆς Χώρας. Hoc est : *Memoria sancti patris nostri Cosmæ, archiepiscopi Constantinopolitani, thaumaturgi, qui est in venerando monasterio Choræ.* Cangius lib. 4 Constantinopolis

A tinopolis Christianæ cap. 15 de hoc Choræ monasterio varia tradit. Sed sive ibi quiescat aut colatur, alia auctoritate opus est, ut jactatis hisce miraculis fidem adhibeamus, et hominem non parum de schismate suspectum Sanctis adscribamus. Quare Bollandus noster ad diem secundam Januarii prudenter illum inter Prætermissos rejecit, et lectores ibidem ita monuit: *Cosmas patriarcha Constantinopolitanus, thaumaturgus prædicatur a Menæis. Eum omitto, donec certiora habeam argumenta, quia posterior fuit, quando Græci merito suspecti.* Nomen aut cultum Sancti multo minus posse convenire alteri Cosmæ Constantinopolitano præsuli, qui ab ipsis Græcis seculo sequente propter hæresim depositus est, ut ex infra dicendis patebit.

Patriarcha iste post coronationem imperatricis

765 Anna Comnena lib. 3 Alexiados pag. 75 exponit, quomodo mater Comnenorum callide conata sit Cosmam inducere ad spontaneam patriarchatus abdicationem, ut eam dignitatem in monachum sibi gratum transferret: *Erat tum monachus quidam*, ait, *Eustratius nomine, cognomento Garidas, prope magnam Dei ecclesiam habitans, magna* B *specie virtutis, qui jam ex longo tempore adire ac visere solitus Comnenorum matrem, etiam illi nescio quid de imperio prædixerat. Illa in monachorum genus alioqui propensior, hujus insuper delinita sermonibus, majorem in dies erga ipsum fiduciam benevolentiamque demonstrabat. Jamque eo venerat, ut de transferendo in istum urbis regiæ patriarchatu consilia versaret, certosque adhiberet homines, quibus commemorata simplicitate atque ineptitudine ad res gerendas ejus, qui tunc erat patriarcha, dabat negotium adeundi hominem et quasi pro amicitia admonendi, nihil eum ipsi sibi utilius facere posse, quam si ultro dignitatem abdicaret. Non fefellit ea machinatio virum sanctum, auditisque aliquamdiu amicis subornatis, per proprium nomen jurans dixit illis: « Per Cosmam, non cedam patriarchali thro» no, priusquam mea manu Irene Augusta coro» nata fuerit » .....Septimo igitur post inaugurationem Alexii die, uxor quoque ipsius Irene ministerio Cosmæ patriarchæ solennem coronæ impositionem accepit.*

ultro se dignitate abdicavit

766 Attamen non diu post Cosmas se dignitate sua ultro abdicavit, ut Michaël Glycas part. 4 Annalium pag. 332 refert his verbis: *Cum se*-C *cundum hæc imperator* (videlicet Alexius Comnenus, Annæ Comnenæ pater) *pecuniis egeret, donationes annuas, et munera dari consueta magistratibus, præcidit, ac sibi retinuit; senatoribus etiam locupletioribus opes eripuit. Hanc administrationem reipublicæ cum sanctissimus ille patriarcha Cosmas probare non posset, nec emendationem, de qua desperaverat, ullam exspectaret amplius: Tolle, inquit ministro suo, librum hunc Psalmorum, et me sequere. His dictis, ex ecclesia discessit.* Zonaras lib. 18 num. 21 eadem fere habet hoc modo: *At imperatricis urbis pontifex, inclytus ille Cosmas, qui communium rerum tractationem improbaret, atque emendationem desperaret, ministro suo Psalterium auferre seque sequi jusso, ecclesia excessit, nec in eam rediit, quamvis imperatoribus id magnopere flagitantibus, cum fidelem populum annos quinque et menses novem pavisset.*

anno 1081 in festo S. Joannis Apostoli

767 Præfata Alexii Comneni filia hanc abdicationis causam, ac ignominiosam patris sui avaritiam caute silet; sed hujus ultroneæ cessionis tempus, quod nostra maxime interest, lib. 3 Alexiados pag. 79 sic exacte indicat: *Interim is, cujus superius meminimus, patriarcha Cosmas post aliquot ab Irene coronata dies, ipsa memoria confessionis sancti Joannis Theologi, peracto Sacro in templo ejusdem sancti apostoli, ad Hebdomum sito, patriarchalem dignitatem ultro abdicavit, postquam eam tenuisset annos quinque et menses novem, secessitque in monasterium Calliæ.* Si quis ab ineunte Augusto æræ Christianæ MLXXV, quo tempore Cosmam Joanni Xiphilino successisse diximus, quinque annos et menses novem, ab Anna Comnena et Zonara ei adscriptos, computare voluerit, perveniet ad mensem Maium anni MLXXXI quando Cosmas patriarcha ipso S. Joannis apostoli festo dignitatem suam abdicavit.

Sec. XI.

quod Græci ter quotannis celebrant.

768 At Græci memoriam S. Joannis Theologi quotannis ter celebrant, nempe VIII Maii, X Julii, et XXVI Septembris, ut in Menæis impressis licet videre. Ex tribus his festis primum hic ab Anna Comnena indicari colligo ex tempore, quo coronata est Irene, quod mense Aprili anni MLXXXI contigit, ut Pagius tomo 4 Criticæ pag. 277 recte ostendit. Cum igitur Cosmas patriarchatum reliquerit *post aliquot ab Irene coronata dies*, ut Anna Comnena loquitur, hoc loco primum S. Joannis Theologi festum, quod in diem VIII Maii incidit, probabilissime indicatur. Præterea ex E Menæis ad diem VIII Maii patet, annuam S. Joannis apostoli festivitatem solenniter eodem die celebrari in ecclesia ipsius, quæ sita est in Hebdomo, de quo loco Anna Comnena expresse meminit. Ex his omnibus manifeste sequitur, Cosmam anno Christi MLXXXI, die VIII Maii, dignitati suæ nuntium remisisse.

LXXX EUSTRATIUS, cognomento Garidas.

Post abdicationem Cosmæ anno 1081 eligitur Eustratius,

Jam aliquoties citata Anna successionem Eustratii, de quo superius cum ipsa meminimus, et quem Baronius perperam Eustathium nominavit, lib. 3 Alexiados pag. 79 sic commemorat: *Gubernacula vero patriarchalis sedis suscepit in manus prius memoratus ennuchus Eustratius Garidas.* Zonaras in Annalibus lib. 18 num. 21, narrata Cosmæ abdicatione, imperitiam successoris describit his paucis verbis: *Alium itaque pontificem ecclesiæ præfecerunt, spadonem quemdam mona*- F *chum, nomine Eustratium, neque eruditum, neque in rebus gerendis versatum, sed hominem simplicem, et otio ac potius angulo aptiorem.* Michaël Glycas part. 4 Annalium pag. 332 eumdem hominem simili colore sic breviter depingit: *Ejus in locum suffectus est Eustratius spado, simplici vir ingenio, et dignus in angulo qui degeret.*

homo litterarum ignarus,

770 Exemplum hujus inscitiæ suggerit Anna Comnena, dum lib. 5 Alexiados pag. 143 et sequente narrat, quomodo imperatoris frater Italum quemdam Pythagoricæ metempsychoseos aliorumque errorum assertorem detexerit, a quo ipse patriarcha Eustratius hæresi infectus est: *Is talem reipsa deprehendit Italum*, inquit ibi Anna, *qualem erat suspicatus imperator indicio famæ publicæ. Palam ergo convincit nebulonem, apparere se coram in corona multorum jussum. Deinde, idipsum jubente Augusto fratre, illum ejusque causam ad tribunal ecclesiasticum remisit: ubi cum tanto magis homo amens rueret, et imperitiam occultare amplius suam non valens, dogmata effutiret canoni fidei contraria, ac præterea coram venerabili cœtu patrum ac præsidum ecclesiæ multa nugatorie, acerbe, maledice ac petulanter declamare non desineret, alia-*

SEC. XI. *que edere inhumanæ importunæque documenta indolis, Eustratio Garidæ, synodi tum ejus cœtus et sedis præsuli dedocendus atque at frugem reducendus est traditus. Verum contra evenit: nam paucis diebus, quibus fuit eum Eustratio in superioribus ædificiis magni templi, ita illum patriarcham, hominem non doctissimum, verbis ac sophismatis obruit, ut e censore suo ac judice in suffragatorem errorum suorum, suique ac malæ causæ patronum verteret ac vindicem.* De erroribus hujus Itali, qui a Cangio in notis ad Alexiadem Joannes appellatur, Pagius in Critica ad annum Christi MLXXXIII num. 9 et 10 consulatur.

et anno 1084 e sede sua dejectus est; 771 Eustratius sedem Constantinopolitanam tribus dumtaxat annis tenuit, ut Glycas part. 4 Annalium pag. 33 testatur, de ipso sic scribens: *Verum et ille post triennium administrati pontificatus, contra voluntatem suam, eo propter ignotam quamdam causam deturbatur, evecto vicissim ad patriarchici solii sublimitatem Nicolao Grammatico.* Zonaras in Annalibus lib. 18 num. 21 eumdem annorum numerum ei tribuit, et insuper dotes successoris ipsius ita indicat: *Cum eam dignitatem*
B *per annos tres usurpasset, ob causam non satis notam ab imperatoribus sacra æde est deductus, atque in ejus locum suffectus Nicolaus monachus, cognomento Grammaticus, qui in studio virtutis ætate acta, litterarum non rudis erat, etsi non exquisite peritus.* Catalogi patriarcharum apud Bandurum de illo episcopatus spatio cum Glyca et Zonara consentiunt. Cum itaque Eustratius anno Christi MLXXXI post diem octavam Maii in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit, ab ea expulsus est anno Christi MLXXXIV ante mensem Septembrem, ut patebit ex Indictione, qua pro illo substitutus est

LXXXI NICOLAUS III, cognomento Grammaticus.

cui ante mensem Septembrem ejusdem anni 1084 Nicolaus successit, Dum Anna Comnena lib. 10 Alexiados pag. 273 narrat, quomodo pater suus de expeditione contra Comanos suscipienda Deum consuluerit, prius ea occasione initium hujus patriarchæ sic exacte notavit: *Ducibus igitur ac tribunis,*
C *sacerdotibusque simul universis ad se vocatis, cum iis vespere ad magnam Dei ecclesiam se confert, patriarcha ipso præsente Nicolao: nam is patriarchicum jam thronum ascenderat Indictione septima anni sexies millesimi quingentesimi* (interpres male vertit *sexcentesimi*, ut textus Græcus indicat) *nonagesimi secundi post Eustratii Garidæ abdicationem.* Indictio septima, et præfatus Græcorum recentiorum annus, a Calendis Septembribus anni MLXXXIII fluere cœperant, et consequenter maxima ex parte in annum Christi MLXXXIV incidunt, ut apud chronologos passim obvios videre est. Unde concludimus, Nicolaum istum ante mensem Septembrem anni MLXXXIV in cathedra Constantinopolitana sedisse.

Qui una cum imperatore 773 Quamvis hic patriarcha diu thronum Constantinopolitanum occupaverit, tamen pauca illius gesta novimus, inter quæ Anna Comnena lib. 10 Alexiados pag. 270 refert, quomodo hæresis Nili et Armeniorum damnata fuerit in synodo, cui Nicolaus ille præsidebat. Deinde lib. 15 ejusdem Operis a pag. 486 fuse narrat, quomodo Alexius Comnenus imperator detexerit nefandam Bogomilorum hæresim, eamque variis modis exstinguere conatus fuerit. Inter alia pag. 488 et se- D
quente pertinaciam cujusdam Basilii, qui erat præcipuus hujus fanaticæ sectæ auctor, sic describit: *Præsidebat tum in regiæ civitatis throno beatissimus patriarcha Grammaticus domnus Nicolaus. Recitata coram sunt impia et exsecrabilia dogmata; negandi criminis facultas nulla, cum abundarent ad convictionem evidentissima testimonia. Ergo adversarius fatendi necessitatem in impudentiam vertens, quod inficiari non poterat, ultro affirmare perfricta fronte, ac contumaci ore multis verbis adstruere instituit, addens, sese ad propugnationem sui dogmatis ignem, flagella, mortesque innumeras paratissimum subire.* Tunc pag. 498 rationem reddit, cur impura horum hæreticorum dogmata exponere non audeat, et lectorem curiosum remittit ad Panopliam monachi Zygadeni, quam hactenus sub nomine Euthymii Zigabeni habemus, et in qua tit. 23 impia Bogomilorum deliria recensentur.

774 Denique pag. 492 et sequentibus eadem testis oculata graphice explicat, quomodo pervicax hujus hæresis auctor in Hippodromo vivus combustus fuerit: *Basilium sectæ principem quod* *hæresim Bogomilorum persecutus est,* E
attinet, inquit, *obduratissimum et desperatæ pœnitentiæ caput animadvertentes sacri præsules ac clerici, præcipuique Nazaræorum, ipso sententiæ auctore, qui tunc erat, patriarcha Nicolao, igne dignum censuerunt: quibus accedens tandem imperator, post multa in illo convincendo commonendoque verba perdita, ubi lævum nebulonis ingenium et obstinationem in hæresi plane immobilem perspexit, parari rogum jussit, in quo exemplum palam de perfidiæ auctore sumeretur.* Post hæc extremum obstinati hujus hæretici supplicium longa narratione exponit. Tota Bogomilorum historia, quam nobis hic non vacat exscribere, apud Annam Comnenam lib. 15, et Euthymium Zygadenum in Panoplia tit. 23 legi meretur.

775 Ex illo Patriarchæ ac imperatoris zelo contra hæreticos minime sequitur, utrumque cum ecclesia Catholica conjunctum fuisse: nam scimus, quod ab uno alterove seculo Lutherani et Calvinistæ hæreticos alterius sectæ flamma ferroque persecuti fuerint, cum interim ipsi in sua adversus Ecclesiam Romanam rebellione persisterent. *etiamsi quæ inter schismati favisse videatur.* Sic præfatus Euthymius monachus Bogomilos oppugnabat, et simul scripsit contra Latinos de F
processione Spiritus Sancti, ut testatur ipsius Opusculum, quod in bibliotheca regis Galliæ et alibi conservatur. Quod vero ad Alexium Comnenum imperatorem spectat, is videtur schisma Græcorum fovisse: cum enim archiepiscopus Mediolanensis a Paschale II Pontifice Romano Constantinopolim missus esset, et contra Græcos ostenderet, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ipse imperator contra hunc Pontificis Romani legatum disputavit, ut apud Leonem Allatium lib. 2 de Consensione Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 10 Nicolaus Hydruntinus indicat his verbis: *Hoc lemma solertiæ est prudentissimi imperatoris Alexii; eo enim usus fuit aliquando adversus Mediolanensem episcopum disputans.* Hinc quidam non immerito suspicantur, jussu Alexii Comneni scripta fuisse Opuscula, quæ Græci schismatici contra archiepiscopum Mediolanensem eo tempore ediderunt. Ceterum Annales Baronii ad annum Christi MCXVI num. 7 et sequentibus de fragmento hujus disputationis, ac Græcis istius præsulis adversariis consuli possunt. Inter ea revertamur ad Patriarcham nostrum, qui tam suspecto schismatis tempore ec-

clesiam

A clesiam Constantinopolitanam rexit, et annum mortis ipsius investigemus.

Nicolaum illum qui sedem CP. usque ad annum 1111 tenuit.

776 Jus Græco-Romanum Nicolao Grammatico viginti septem annos gubernationis et tres menses adscribit. Alii quidam Patriarcharum catalogi eidem rotunde tribuunt viginti septem annos cum Zonara, qui lib. 18 Annalium num. 25 obitum ejus sic memorat : *Patriarcha vero Nicolaus, ecclesia per annos viginti septem gubernata, senex admodum decessit, cujus funus imperator magnificis honoribus prosecutus, alium in patriarchico solio collocavit.* Cum igitur Nicolaus ante mensem Septembrem anni MLXXXIV ad cathedram Constantinopolitanam evectus fuerit, ut supra ex verbis Annæ Comnenæ ostendimus, haud dubie mortuus est anno Christi MCXI, sicut viginti septem administrationis annos et tres menses computanti constabit.

cum altero confudit Baronius,

777 Dum Baronius de hoc Nicolao agit, secum ipse pugnat, et seriem præsulum Constantinopolitanorum perturbat : nam in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MLXXXIX num. 19 de Patriarcha isto sic scribit : *Eodem quoque* B *anno Constantinopoli moritur Eustathius patriarcha* (Eustratium pro Eustathio legendum esse, supra monuimus) *cum sedisset annis tribus ; in cujus locum subrogatur Nicolaus, cognomento Grammaticus, qui tenuit eum annis viginti septem et menses tres, temporibus, quibus imperabat Alexius Comnenus.* Deinde Eminentissimus scriptor post viginti septem annos, nempe juxta ipsius computum, anno Christi MCXVII num. 15 eumdem Nicolaum Grammaticum cum altero Nicolao Muzalone sic confundit : *Eodem anno moritur Nicolaus Muzalon patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos viginti septem, ut testatur Zonaras, qui his erat præsens, aitque ejus funus imperatorem magnificis honoribus prosecutum fuisse.* At, salva tanti viri pace, Zonaras hæc asserit de Nicolao Grammatico, qui plane diversus est a Nicolao Muzalone, ut ex infra dicendis patebit. Nihil hic dico de parachronismis ipsius, qui ex chronotaxi nostra satis deteguntur.

et hinc tempora et seriem patriarcharum perturbavit.

778 Ex hac duplicis Nicolai confusione oritur alius error, ita ut quatuor præsules Constantinopolitani ab Eminentissimo viro omittantur, et sequens patriarcharum series omnino perturbetur, sicut liquet ex ipsius verbis, quæ ad annum Christi MCXVII numero proxime citato sic sonant : *Successit autem in locum ejus,* (scilicet Nicolai Muzalonis, quem cum Nicolao Grammatico confuderat) *ut idem Zonaras ait, unus ex diaconorum ordine, patria Chalcedonensis, nomine Theodorus.* Nusquam Zonaras successorem Nicolai nominat, multo minus Theodorum appellat. Sed ex aliis monumentis infra ostendemus, Nicolao Muzaloni E successisse Theodorum, quem Baronius errore unius litteræ perperam Theodotum vocavit. Ex his etiam videmus, Baronium a Nicolao Grammatico ad Nicolaum Muzalonem transiliisse, ac prætermisisse patriarchas intermedios, aut saltem invertisse ordinem eorum, quos jam loco suo restituemus.

SECULUM XII.

LXXXII JOANNES IX,

cognomento Hieromnemon.

Nicolao successit Joannes,

Zonaras lib. 18 Annalium num. 25 successionem hujus Patriarchæ, quamvis suppresso nomine, indicat his verbis : *Patriarcha vero Ni-* C *colaus, ecclesia per annos viginti septem gubernata, senex admodum decessit ; cujus funus imperator magnificis honoribus prosecutus, alium in patriarchico solio collocavit, e cleri ecclesia numero illum quidem, sed ordinis diaconorum, et unum ex patriarchicis principibus, ex fratre nepotem ejus, qui tum Chalcedonensi præerat ecclesiæ, in litteris tum profanis tum sacris ab ineunte versatum ætate, quem ipse imperator in ecclesia declaravit.* Plures patriarcharum catalogi nomen hujus successoris prodiderunt, et in jure Græco-Romano tom. 1 lib. 4 pag. 302 post Nicolaum Grammaticum nominatur *Joannes Hieromnemon, cognomento Chalcedonii, sub eodem Alexio Comneno, et Joanne in porphyra nato, annis* XXIII. Nicephorus Callistus apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 197 nomen et sedis tempus etiam diserte exprimit his verbis : *Joannes Hieromnemon Chalcedonensis eodem imperatore, annis* XXIII, *et pervenit usque ad Joannem Comnenum.* Philippus Cyprius et catalogus Labbeanus cum his circa nomen consentiunt, et Joannem Nicolao Grammatico successorem assignant. Unde sequitur, hunc patriarcham perperam a Baronio supra citato Theodorum appellari.

præsulis Chalcedonensis ex fratre nepos

780 Nescio, quo fundamento Bandurus asserat, hunc Joannem antea ecclesiæ Chalcedonensi præfuisse, dum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 915 de illo sic disserit : *Joannes Hieromnemon, qui, ut scribit Zonaras in Alexio imperatore, tum Chalcedonensi præerat ecclesiæ, et in litteris tum profanis, tum sacris ab ineunte ætate versatus, sufficitur in locum Nicolai, anno nimirum Christi* F MCXI. *Hic vero cum ecclesiam Constantinopolitanam rexisset annis viginti tribus, obiit anno Christi* MCXXXIV. At Zonaras, cujus verba numero præcedente retulimus, nullo modo indicat, hunc Nicolai successorem ecclesiæ Chalcedonensi præfuisse ; sed tantum dicit, post mortem Nicolai ab imperatore in sede Constantinopolitana collocatum esse *ex fratre nepotem ejus, qui tum Chalcedonensi præerat ecclesiæ,* adeoque his verbis significat, præsulem Chalcedonensem hujus successoris patruum fuisse. Unde etiam suspicor, hunc Joannem ab habitatione vel patria in variis patriarcharum catalogis Chalcedonium aut Chalcedonensem appellari.

cognomento Hieromnemon

781 Quod vero spectat ad cognomen Hieromnemonis, quod in plerisque catalogis huic Joanni tribuitur, vox illa apud Græcos significat munus ecclesiasticum, de quo Georgius Codinus Curopalata inter officia ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ lib. 1 in editione Parisiensi anni MDCXLVIII pag. 3 sic meminit : *Hieromnemonis munus est pone patriarcham preces inspicere ; habetque in sua potestate enthroniasmum et contacium seu librum ordinationis.* Jacobus Goar in notis ad hoc Codini caput, ex Mss. Græcis ibidem pag. 5 istud officium

Sec. XII.

cium ita describit : *Hieromnemon in Missis patriarchæ librum missalem tenet reliquorumque pontificum subscriptiones servat* (quæ jam sequuntur, interpres claritatis gratia addidit) *id est fidei professionem in eorum ordinationibus emissam.* Si quis plura circa hanc rem nosse cupit, adeat Gretserum nostrum in observationibus ad Codinum cap. 8, pag. 164 et sequentibus laudatæ editionis, ubi de hoc officio fuse disputat.

qui sedem CP. ab anno 1111 usque ad 1134 occupavit.

782 Catalogus Labbeanus episcopatui hujus Patriarchæ viginti quatuor annos tribuit; sed malim sequi Nicephorum Callistum, Philippum Cyprium, et Catalogum Juri Græco-Romano insertum, qui omnes tantum viginti tres annos ei adscribunt. Quare amplector opinionem Pagii, qui in Critica ad annum Christi MCXXXIV, num. 42, sic scribit : *Usque ad hunc annum pervenit Joannes Hieromnemon, cognomento Chalcedonii, patriarcha Constantinopolitanus, qui jam ab anno* MCXI *ecclesiam Constantinopolitanam regebat : in serie enim episcoporum Byzantii libro* IV *Juris Græco-Romani recitata, ei tribuuntur anni* XXIII. Hisce consentit Bandurus, qui loco superius citato recte dicit, eum ab anno Christi MCXI usque ad annum MCXXXIV in cathedra Constantinopolitana sedisse. B

LXXXIII LEO,

cognomento Stypes *vel* Styppiota.

Quamvis Leo, anno 1134 Joanni succedens,

Juxta superius dicta hic Patriarcha anno Christi MCXXXIV in locum Joannis Hieromnemonis successit. Onuphrius Panvinius in Chronico ad annum Christi MCXXXV de illo sic meminit : *Leo Zyptes,* * *alias Styppiotes, octogesimus tertius patriarcha Constantinopolitanus sedit annis* IX. At hos novem annos incomplete computandos esse, patet ex Nicephoro Callisto, qui apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 197 annos episcopatus ejus sic numerat : *Leo Stypes sub eodem Joanne Comneno, annis octo et dimidio.* Jus Græco-Romanum, aliique patriarcharum catalogi apud Bandurum, octo annos et menses octo passim ei adscribunt. Baronius de hujus Leonis initio tacuit, C quia hoc loco chronologicam præsulum Constantinopolitanorum seriem turbavit, et Joannem illius decessorem prætermisit, quamvis finem Leonis Styppiotæ ad annum Christi MCXLIII recte retulerit, ut postea videbimus.

* *lege* Stypes

hæreticos damnaverit,

784 Inter præcipua hujus Patriarchæ gesta numerari potest, quod hæresim Constantini Chrysomali damnaverit, ut liquet ex ipsa damnationis sententia, quam Leo Allatius in Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. II Græce et Latine integram edidit, et quæ ibidem sic incipit : *Mense Maio, Indictione tertia,* (id est anno Christi MCXL), *præsidente sanctissimo nostro domino et œcumenico patriarcha, domino Leone, in dextris Cathecumeniis sancti Alexii, assidentibus et sanctissimis præsulibus Ancyrano, Cyziceno,* etc. Deinde absurda hujus hæretici dogmata ibidem severe proscribuntur.

et ab unione cum Latinis ineunda

785 Tempore hujus Patriarchæ etiam habita fuisse videtur pacifica illa disputatio, quam Anselmus Havelbergensis in Marchia Brandeburgica episcopus, ab imperatore Lothario Constantinopolim missus, cum archiepiscopo Nicomediensi contra Græcos schismaticos modeste ac erudite instituit, et quam Lucas Dacherius in Spicilegio novæ editionis tom. 1 a pag. 161 typis D vulgavit. Dum Anselmus ibidem pag. 172 exorditur librum secundum Dialogorum, in quo de processione Spiritus Sancti adversus Græcos doctissime disputat, de Joanne Comneno seu Calojoanne imperatore, et de Patriarcha istius temporis sic mentionem facit : *Igitur cum essem constitutus in urbe regia, et crebro varias a Græcis quæstiones susciperem, et ibidem alias illis proponerem, placuit imperatori piissimo Calojoanni, placuit etiam patriarchæ N. viro religioso, ut publicus conventus fieret; et statuta est dies, ut in audientia omnium ea sonarent, quæ hinc et inde dicerentur.* Denique tota illa disputatio tandem eo rediit, ut Græci desiderarent concilium œcumenicum, in quo controversiæ inter ipsos ac Latinos definirentur.

prorsus non abhorruerit,

786 Hæc quidem probant, imperatorem et Patriarcham ab unione cum ecclesia Occidentali tunc non magnopere abhorruisse; sed ex iis nondum sequitur, illos cum Romano Pontifice unitos fuisse. Imo is ipse Calojoannes postea Latinis bellum intulit, ac ultricem Dei manum sensit, ut Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCXLIII num. 15 narrat E his verbis : *Porro quod ad genus mortis pertinet ejusdem Joannis imperatoris, non nisi divina contigisse vindicta, historici omnes tam Græci quam Latini affirmant : cum enim a Latinis abripere Antiochiam pertentasset, et quamvis monitus ab Innocentio Romano Pontifice per legatum, episcopum Gabulensem, minime destitisset; imo acerbius desævisset etiam in viros sanctissimos (ut testatur Otto) eremum incolentes; factum est, ut post obitum duorum filiorum, quo potuisset a cœptis desistere ita admonitus, suæ ipsius sagittæ venenatæ vulnusculo, cum in venatione ea, pharetra eversa, caderet, sibi ipsi mortem intulerit.* Sic periit Joannes Comnenus imperator, mense Aprili anni MCXLIII, ut Pagius in Critica ad eumdem annum num. 9 ostendit, et cujus temporis postmodum juverit meminisse.

tamen cum quibusdam Mss. Græcorum Menæis

787 Theodorus Balsamon, acerrimus schismatis defensor, de hoc Leone meminit, eumque nomine *sanctissimi patriarchæ* compellat, dum canonicam S. Basilii epistolam ad Amphilochium cap. 83 explicat. Sed schismaticus ille Latinorum calumniator titulo *sanctissimi* verosimiliter non exornasset hunc Patriarcham, si cum Romana F seu Latina Ecclesia conjunctus fuisset. Equidem fateor, ex hoc vulgari dignitatis titulo nihil certi de ejus schismate inferri posse; attamen ob has aliasque conjecturas Sanctis adscribere non audeo illum Leonem, etsi in manuscriptis bibliothecæ Ambrosianæ Menæis ad diem XII Novembris ita annuntietur : *Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Λέοντος πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως.* Id est : *Memoria sancti patris nostri Leonis patriarchæ Constantinopolitani.*

illum inter Sanctos referre non audemus.

788 Deinde ad majorem ipsius honorem ibidem hi duo versiculi adduntur, qui ad nomen proprium et appellativum leonis sic frigide alludunt :

Ἐναερίους δαίμονας φλέγει ὁ Λέων
Βίου μετελθὼν, ὡς λέων ἐκ βαλάνου.
Terrore complet dæmones moriens Leo,
Ut terret homines carcere erumpens leo.

Hæc de Leone nostro intelligi necesse est, cum nullus alius hujus nominis inter præsules Constantinopolitanos reperiatur. Synaxarium Sirmondi eadem die XII Novembris illum simul cum Flaviano Constantinopolitano commemorat. Verum

rum

A rum hæc omnia nos parum movent, ut homini tam ambiguo titulum Sancti tribuamus, nisi aliunde major auctoritas accesserit, cum in similibus Græcorum monumentis ipsum schismatis auctorem Photium pro Sancto haberi supra viderimus. Jam tantum superest, ut nonnihil disseramus de anno, quo Leo iste ex hac vita discessit.

Leo iste anno 1143 obiit,

789 Baronius, Pagius, aliique chronologi obitum ipsius recte anno Christi MCXLIII alligant : si enim post medium anni MCXXXIV in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit, eamque octo annis et sex vel octo mensibus occupaverit, ut supra dictum est, facta istius intervalli computatione, ingrediemur annum Christi MCXLIII, quo hic Patriarcha certe obierat, antequam Manuel Comnenus eodem anno, elapsis aliquot mensibus, post patris sui Joannis mortem insignibus imperii solenniter in urbe Constantinopolitana exornaretur.

ut ex narratione Nicetæ eruimus,

790 Hanc tempori notitiam nobis suggerit Nicetas Acominatus Choniata, dum in Historia sua, Parisiis anno MDCXLVII Græco-Latine excusa, lib. 1 num. 2 de primordiis Manuelis imperatoris ac simul de successore Leonis patriarchæ B sic scribit : *Facta igitur re divina pro declaratione et imperii auspiciis, de patriarchici throni successore, et ecclesiasticæ functionis gubernatore, a quo in templo Domini corona imperatoria ornaretur, deliberat : nam Leo Styppiota morte rebus humanis exemptus erat. Proinde sententiam suam cum cognatis, senatoribus, et sacerdotibus communicat. Cum autem multi in maximi pontificatus suffragiis nominarentur, eorum sententia vicit, ceteris fere omnibus assensis, qui Michaëlem acuti monasterii monachum designabant, virum et virtute celebrem, et nostris litteris eruditum. Is igitur patriarcha declaratus, eum, a quo unctus erat, vicissim ungit sacram ædem ingressum.* Joannes Comnenus, venenata sagitta interfectus, anno MCXLIII, die VIII Aprilis in Cilicia perierat, quando Manuel filius ejus post triginta dies ex ea regione Constantinopolim properavit, ut secum delatum patris sui cadaver ibidem honorifice sepeliret, et imperii insignia solenniter susciperet. Cum itaque ad istud iter aliaque negotia peragenda videantur aliquot menses requiri, non omnino temere conjicio, quod circa medium anni MCXLIII, sicut ex infra C dicendis confirmabitur, in locum Leonis defuncti substitutus fuerit

LXXXIV MICHAEL II, cognomento Oxites.

et in ejus locum eodem anno 1143 subrogatus est Michaël,

Joannes Cinnamus lib. 2 Historiarum num. 2 prima Manuelis imperatoris gesta, et ea occasione electionem hujus Patriarchæ ita narrat : *Cumque vacaret patriarchalis sedes Constantinopoli, Michaëlem illi imponit, monasterio in insula, quam Oxiam ex situ vocant, antea præfectum, virum liberalibus disciplinis humanioribusque litteris leviter quidem imbutum, at morum elegantia, rerumque divinarum scientia nemine inferiorem, unumque adeo ex iis, quorum ea ætate virtus erat maxime conspicua. Hujus vicissim manibus cum in ecclesia imperatorio diademate fuisset insignitus, deposito in sacra mensa auri centenario, inde excessit, omnibus uno ore liberalitatem ipsius et magnificentiam prædicantibus. Clero etiam annuam ex palatio duorum centenariorum pensionem assignavit, id numismatis vulgo secundum nuncupant. Ejusmodi fuere Manuelis imperii primordia.*

Sec. XII.

qui impiam Bogomilorum hæresim damnavit,

792 Michaël Patriarcha statim zelum suum ostendit adversus nefandos Bogomilos, ut colligere licet ex sententiis, quas Leo Allatius lib. 2 de Consensione Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 15 integras Græco-Latine profert. Inter illas prima ibidem hunc titulum habet : *Decretum factum in depositione pseudo-episcoporum, Sasimorum et Balbissæ ex diœcesi Tyanorum, qui præter canones ordinati, tandem Bogomili deprehensi sunt mensis Augusti vigesima, die sexta, Indictione sexta* (mensis et Indictio illa in annum Christi MCXLIII incidunt) *præsidente sanctissimo domino nostro et œcumenico patriarcha, domino Michaële in Thomaïte, considentibus magnæ sanctitati illius sanctissimis præsulibus, Ephesino, Heracleensi*, etc. Deinde ibidem legi possunt duæ aliæ sententiæ, quibus Michaël patriarcha, aliique præsules Niphonem quemdam, de hac hæresi convictum, et anathemate percussum, in monasterio Periblepti custodiri jubent, et aliis omne cum ipso commercium severe interdicunt.

et anno 1146 sedem CP. ultro abdicavit.

793 Omnes patriarcharum catalogi apud Bandurum tribuunt huic Michaëli tantummodo duos annos et octo menses, post quod gubernationis spatium dignitati suæ (non indicatur causa) ultro nuntium remisit. E Cum igitur circa medium anni MCXLIII in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit, eamdem tenuit usque ad Martium vel Aprilem anni MCXLVI, ad quod proinde tempus referenda sunt, quæ Nicetas Choniata lib. 2 num. 3 sic narrat : *Is Michaël summa sede ultro cessit, et in Oxiam insulam rediit, in quo vitæ inopis et simplicis institutum a puero fuerat amplexus : ibi in templi vestibulo prostratus cuivis monacho collum calcandum præbuit, quod contra, quam sibi expediret, adamatam a primis annis quietem repudiasset, nulloque cum fructu thronum sublimem conscendisset.* Magna enimvero humilitas, si cum debita erga Romanum Pontificem submissione fuerit conjuncta, de qua propter periculosum hoc schismatis tempus non immerito dubitamus.

LXXXV COSMAS II, cognomento Atticus. F

Michaëli statim suffectus Cosmas

Chronologicum hujus Patriarchæ initium ex duratione episcopatus et ex tempore depositionis proxime determinari potest : nam Cosmas decem mensibus dumtaxat ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit, ut catalogus, libro IV Juris Græco-Romani insertus, pag. 302 indicat his verbis : *Cosmas Atticus, cum sub eodem principe pontificatum mensibus decem administrasset, ejectus est ; et ecclesia vidua mansit mensibus decem.* Philippus Cyprius habet omnino similia, quibus alii plerumque consentiunt circa durationem administrationis, excepto catalogo Labbeano, qui episcopatui ipsius tantum novem menses adscribit. Matthæus Cigala apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 213 eidem more satis recepto annum unum rotunde assignat. Nos cum Nicephoro Callisto et aliis plerisque probabilius putamus, illum decem mensibus in cathedra Constantinopolitana sedisse.

post decem gubernationis menses deponitur

795 Quod vero attinet ad tempus, quo Cosmas e sede dejectus est, istud evidenter colligitur ex ipsa depositionis sententia, quam Leo Allatius

SEC. XII. latius in Opere proxime laudato lib. 2 cap. 12, et Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis a pag. 916 Græce ac Latine ediderunt. Ea autem apud utrumque editorem sic incipit : *Sententia depositionis patriarchæ Constantinopolitani, Cosmæ Attici, qui una cum Bogomilo Niphone sentire compertus est, extracta, et ut moris est, corroborata, editaque anno* VIMDCLII, *mense et Indictione sententiæ præfixis. Mensis Februarii* XXVI, *die* IV (id est feria quarta) *Indictione* X ; *præsidente in palatio Blachernarum potentissimo et a Deo coronato, sancto nostro rege et imperatore domino Manuele Comneno, assistentibus fortunatissimo Cæsare,* etc. Hoc loco mensis et Indictio annum Christi MCXLVII certe indicant, ut apud Baronium, Labbeum aliosque chronologos licet videre.

anno Christi 1147, die 26 Februarii

796 At hinc patet, errorem irrepsisse in annum mundi hic notatum, qui in præfata depositionis sententia Græce exprimitur litteris numeralibus σχνϐ', quæ annum mundi 6652 designant. Verum pro ultima littera β' scribendum est ἐ, legendusque juxta computum recentiorum Græcorum annus mundi 6655, qui in annum Christi B MCXLVII incidit, ut Pagius in Critica anno MCXLVI num. 16 ad relatum prædictæ sententiæ textum recte observat his verbis : *Annus mundi secundum æram Constantinopolitanam a Septembri incipientem corruptus est, legendumque* ANNO VIMDCLV, *qui mense Februario sequentis anni* (nempe MCXLVII) *concurrit cum Indictione* X, *quo feria quarta incidit in diem* XXVI *Februarii.* Correcto igitur hoc errore, qui ex Indictione et mense adjunctis facile deprehenditur, depositionem Cosmæ anno Christi MCXLVII et diei XXVI Februarii alligamus. Si jam ab hac depositionis die retrocedas per decem menses, quibus ille sedem Constantinopolitanam occupavit, pervenies ad annum Christi MCXLVI et diem XXV Aprilis, circa quod tempus cathedram ascendit. Certe initium ipsius affigi potest medio mensi Aprili anni MCXLVI ut dicatur decem mensibus et forte aliquot diebus ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse.

suspicionem hæreseos,

797 Hisce de chronologia præmissis, ad historicam hujus depositionis causam accedamus, quam Joannes Cinnamus lib. 2 num. 10 ita refert : *Sub idem tempus Cosmas, qui ea tempestate res ecclesiasticas moderabatur, vir vitæ integritate* C *et gravitate sermonis illustris, a sede ob hanc causam depulsus est. Monachus quidam, Niphon nomine, qui liberales disciplinas humanasque scientias ne summis quidem labris degustaverat, etsi sacris a pueritia litteris imbutus, cum, Michaële pio virtuteque insigni ecclesiasticam dignitatem regente, haud sana circa Christianam religionem sentire visus esset, ideoque judicio synodali fuisset condemnatus, barba, ad talos usque protensa, derasa, carceri mancipatur. Ut vero vita functo Michaële, sedem excepit Cosmas, Niphon liberiori statim usus licentia, publicos congressus egit in compitis, pravasque suas opiniones ubique diffudit, Hebræorum Deum palam repudians.*

quia Niphone quodam hæretico familiariter utebatur,

798 *Amabat hominem supra modum Cosmas, admittebatque in sui consortium, subindeque decreta in eum lata injustitiæ arguebat. Licet tunc etiam immodice in illum et ad petulantiam usque propensus, atrocissime repulsus fuerit, propter virtutem tamen divinis propemodum laudibus efferebat, addebatque, jam olim illi prædictum ab eo, fore ut patriarchalem thronum conscenderet. Hæc multis non placuerunt. Unde ex iis nonnulli, quibus potissimum Cosmæ salus curæ erat, accedentes non sine indignatione, « Quid, aiebant, o divine pastor, temet» ipsum lupo concredis? An non vides, propterea te » a grege despici? Recede ab exitiosa societate : cum » homine enim sacris interdicto cohabitare, per se » idonea satis est accusatio. » Hæc et similia illi ingerebant. Qui vero Patriarcham oderant, obstestabantur palam, appellabantque Dei et imperatoris oculos. At ille, neglectis iis, mordicus adhærebat Niphoni, neque etiam, si quid immineret damni, ab eo se divelli patiebatur. Unde ex nimia simplicitate suimet oblitus, magnas incurrit calamitates : quippe cum hominem rursum carceri mancipari præcepisset princeps, adessentque ducturi, parum abfuit, quin Patriarcham vox deficeret. Collecto demum spiritu, ad templi usque atrium pedes progressus, a satellitum manibus conatus est avellere; cumque reluctarent ii, una cum illo agi in carcerem volebat.* D

799 *Inde enatæ in ecclesia contentiones, ipso Cosma in judicium vocato; nec ante ab ejuscemodi tumultibus liberata est, quam se Byzantium imperator recepit, quem ad hanc usque diem res bellicæ detinuerant : tum enim ille throno excidit, eo, quem mox dicturus sum, modo. At primum quidem separatim præsules allocutus, interrogansque de fide et pietate Niphonis, singulis id, quod erat, vere enuntiantibus, tandem et ipse super eo rogatus est Cosmas, qui in Niphonis laudes immensas, prout consueverat, ex tempore conversus, pium illum propalam profitetur, virtuteque nemini conferendum.* *cumque laudabat,* E

800 *Res tandem ad tribunal deducta; jamque non singulos pontifices separatim, sed omnes simul princeps interrogat, quid de Niphone sentirent. Palam illi impium hominem proclamant : atque eorum ejusmodi fuit sententia. Conversus inde imperator ad Cosmam, Tu vero, domine, inquit, quid de homine sentis? Et Cosma eadem simpliciter liberiusque affirmante, conclamavit cœtus universus, minime in throno perstare illum debere. Eapropter de medio tollitur vir, præterquam nimia simplicitate, uti ego quidem existimo, reliquis omnibus bonis copiosissime instructus.* Frivola est hæc clausula, qua Cinnamus Cosmam excusare nititur : nam ipsemet supra fatetur, Niphonem prava sua dogmata post mortem Michaëlis patriarchæ liberius sparsisse, et Cosmam ei favisse. Frustra nobis allegat nimiam Cosmæ simplicitatem, qua pertinax ille idiota apertum hæreticum et in synodo condemnatum defendebat. Præterea an tam rudis erat ille hæreseos fautor, ut crassos Bogomilorum errores ab orthodoxa doctrina non distingueret? F Attamen is ipse ab altero scriptore *eruditissimus* appellatur, ut mox videbimus. *quam consuetudinem Joannes Cinnamus frustra excusare nititur.*

801 Nicetas Choniata lib 2 num. 3 aliam depositionis istius causam comminiscitur, et post narratam Michaëlis patriarchæ ultroneam abdicationem his laudibus successorem ipsius Cosmam extollit : *Cosmas vero tum in numero diaconorum erat, patria Ægineta, et quamvis eruditissimus, virtutum tamen choro erat illustrior; imprimis benignitate erga pauperes insignis, quæ tamquam in pretioso monili gemma radians, sic ipsa inter virtutes reliquas elucebat : adeo ut aliquando pallium et tunicam, et lineam calyptram capitis pauperibus misericordia motus distribueret; nec de suo tantum largiretur, sed alios etiam, ut pauperum inopiæ subvenirent impelleret. His de causis ille vir omnibus erat venerabilis. Isaacius vero Manuelis frater sebastocrator ei tantum non immolabat, id Deo gratum et faciendum judicans quod Patriarcha monebat; contra vero invisum Deo et abominandum, quod is vetabat.* *Nicetas historiographus Græcus*

802 *At factio pontificum virtutis inimicorum, et huic sanctissimi viri instituto adversantium, eum apud imperatorem deferunt, quasi Isaacio fratri regnum* *aliam depositionis causam comminiscitur,*

A *gnum conciliare studeret: manifestos illius in sacrum palatium ingressus, ut clandestinos, et quæ palam colloquebantur, tamquam occultas conspirationes calumniantur, Manuel igitur ut ambitiosus adolescens, cui facile a patriarchæ accusatoribus persuadebatur fratrem regnum affectare, hunc throno deturbare cupiebat. Et quia nihil tam sanctum est, quod calumnia tentare non audeat, et omnes ad nocendum procliviores esse constat, de successore ei dando agitur, per causam, quod cum Niphone quodam monacho perperam sentiret. Erat is monachus ei familiaris, et sæpe mensa ejus, iisdemque ædibus utebatur; crimini autem ei dabatur prava opinio, et rasa erat in longum maxilla, et a patriarcha Michaële in carcerem conjectus fuerat.* Non est ullo modo verisimile, quod etiam ex invidia innocuum Niphonem damnaverit atque in carcerem compegerit Michaël patriarcha, cujus virtutes ac summam humilitatem ipse Nicetas supra pleno ore laudavit. Tanta igitur cum homine hæretico et publice damnato familiaritas, quam idem Nicetas agnoscit, Cosmam jure merito de hæresi suspectum reddebat.

et Cosmam imperitc laudibus exornat,

803 Sed ineptus Cosmæ defensor ibidem sic pergit: *Itaque Cosmas etiam, ut sectator ejus et suffragator, in crimen venerat: qua speciosa calum-* B *nia freti adversarii, Patriarcham aperte incursabant, et vi superare ac in ordinem cogere manifestis suffragiis nitebantur. Proinde in judicium adductus, aut potius præjudicio condemnatus, cum ea rogaretur, quæ ignorabat, ob eaque per ostracismum quemdam pelleretur, indignatione plenus, imperatricis uterum exsecratur, ne mares liberos pariat, et ex proceribus quosdam censura ecclesiastica notat, et concilium ejiciendi sui causa indictum, ut quod palatii fores frequentaret et personarum rationem haberet, seque per injuriam et contra instituta majorum sede et grege pelleret, insectatus est.* At imprudens historiographus non advertit, has imprecationes et contumelias potius pervicaci ac furenti hæreseos fautori convenire, quam sancto et mansueto præsuli, quem superius omnibus virtutibus illustrem depinxerat.

eique spiritum prophetiæ adscribit;

804 Quinimo Nicetas iracundo huic Patriarchæ spiritum prophetiæ ita tribuit: *Contostephanus autem, unus ex iis qui sellam imperatoris circumsistunt et familiarius cum eo colloquuntur, ægerrime* C *ferre se herilis uteri exsecrationem ostendebat, et simulata ingenti præ ceteris omnibus indignatione, ira æstuans, Patriarcham aggreditur, quasi alapam impacturus, quamquam ab eo sibi temperavit. Id nec imperatori cordati hominis factum esse visum; quod suum judicium iracundia declaravit, et consanguinei imperatorii et senatus Contostephani facinus nefarium reprehenderunt, qui tellurem vasto ore hominibus adeo iniquis inhiantem non horreret. Ipse vero Patriarcha leni voce dixit: Sinite istum, jamjam suam petræam accepturum. Quibus verbis per ambages innuebat, quo mortis genere periturus esset.* Tum eodem lib. 2 pag. 53 narrat, quomodo eventus prædictionem probaverit, et in oppugnatione Corcyrensi dux Contostephanus lapide vulneratus interierit: *Tandem ipse quoque magnus dux fragmine saxi machina excussi lumbos ictus, et semianimis caput jactans, vulneri non diu superstes mansit. Ita prædictio Cosmæ Attici patriarchæ, qui Michaëli Oxitæ successit, eventu comprobata est.* Verum de Cosmæ imprecatione, prophetia, aliisque, quæ hic historicus suppar confidenter obtrudit, nullum verbum facit Joannes Cinnamus, qui tamen in multis testis oculatus res sub imperio Manuelis Comneni gestas copiose conscripsit.

805 Quare etiam circa veram depositionis causam narrationi unius Nicetæ præfero testimonium triginta et plurium præsulum, qui sententiæ damnationis subscripserunt. In ea autem post consuetas formulas et præmissa præsentium nomina, antistites isti apud Bandurum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 918 sic loquuntur: *Si homini laqueus sunt validus propria labia, et proprii oris sermonibus singuli capiuntur, qui in suggestu est, eoque imperiali, assistente senatu, assistente etiam divina ac sacra synodo et alia innumera multitudine, de quibus ab aliis in judicium vocabatur, ea ipse per se deponens, et ita rem se habere dicens, ut qui ea retulerunt, potentissimo et sancto nostro imperatori narraverunt, quanam ratione propriis labiis, velut inevitabili lege, non compedietur, jureque merito eorum sermonibus, quasi infragilibus compedibus, non adstringetur?* SEC. XII. *sed nos potius credimus triginta præsulibus,*

806 *Tale quid et patriarchæ reginæ hujus urbium Cosmæ hodie accidit: namque cum nonnulli sanctissimi antistites illi offensi, quod eum conspicerent hominem, paucos ante annos synodo coacta rejectum, tamquam alia sentientem, et a catholica ecclesia diversa suggerentem, edocentemque, ut sen-* E *tentiæ de eo in plena synodo latæ tradunt; hunc, inquam, scelestum, et monachum ementitum Niphonem, quem tum celebrata sacra synodus ita condemnavit, ut nulli accessus ad ipsum concederetur, et a communione omnium, etiam verbulo et salutatione, arceretur: supervacaneum enim erit dicere de convictu illius, et oratione, aliisque, quibus mutuo consuescere solemus.* *qui in juridica damnationis sententia testantur,*

807 *Propter hæc itaque offensi, ut diximus, quod viderent Patriarcham, hunc hominem mordicus propugnantem, nec in colloquiis tantum et cum ipso conventibus, sed et innumeris aliis illi communicantem, accesserunt ad potentem et sacrum nostrum imperatorem, et pro iis maximum in modum tristes, condolentes, piissimæ illius majestati cuncta nuntiarunt. Ut itaque is est vere inflammatus, et zelo ad pietatem succensus, non sustinens simile in ecclesia offendiculum, Patriarcham ipsum, omnesque nos in urbe immorantes hodie coegit. Et jam Patriarchæ res in medium afferri examinarique cœpta erat (testis veritatis Deus) cum omni animi dejectione et submissis ad Deum precibus, a Deo coronatus noster imperator de eo quæstionem habens sua artificiosa atque epistemonarchica sapientia Patriarcham inter-* F *rogavit; qui sua edixit omnia, absque eo quod ullus redargueret: ab ipso enim imperatore interrogatus, qualem censeret Niphonem esse, impudenter nimis et aperto capite, quod aiunt, Niphonem non hæreticum, sed orthodoxum se existimare affirmavit.* *Cosmam a se exauctorari,*

808 *Hac itaque ratione hoc secundo capite comperto, et palam Patriarcham synodicis decretis adversari, supervacaneum rati, quod ipse quoque potentissimus et sanctus noster imperator, qui una nobiscum sententiam ferebat, et ipse senatus senserunt, de eo exactius inquirendum esse, et quomodo synodalia edicta nihili faciat, sed proprio tantum arbitrio adhæreat, illique obsecundet, et quomodo hodie, omnibus audientibus, semetipsum solum Lot inter Sodomos nuncupavit, omnes simul eum condemnamus, tamquam una sentientem cum ejecto Bogomiloque Niphone, et secundum edictorum tenorem dejicimus et indignum archieratica dignitate declaramus.* *eo quod Niphonem defenderet,*

809 Hæc authentica facti declaratio optime concordat cum superius relata Joannis Cinnami narratione; ac proinde tot testibus synchronis majorem fidem adhibemus, quam uni Nicetæ suppari, qui solo suo testimonio Cosmam ab omni *et de hæresi Bogomilorum suspectus esset.*

SEC. XII.

omni hæresis suspicione immunem reddere conatur. Nec refert, quod Cosmas misericordia erga pauperes, aliisque virtutibus quibusdam præditus fuerit, ut hic laudator ipsius affirmat: quamvis enim id gratis concedamus, tamen virtutes illæ nihil ei ad salutem æternam profuerunt, si impiæ Bogomilorum hæresi mordicus adhæserit, cum juxta Apostolum sine fide impossibile sit Deo placere. Quapropter etiam superius occasione Cosmæ primi antistitis Contantinopolitani diximus, annuam Cosmæ Constantinopolitani patriarchæ memoriam, quæ in Menæis excusis die secunda Januarii recolitur, ad hunc Cosmam non pertinere, eique nomen Sancti nequaquam convenire, quia nullo modo est probabile, ecclesiam Constantinopolitanam Fastis suis ecclesiasticis inseruisse illum hominem, quem ipsa ob manifestam hæresis suspicionem publice damnaverat. Quod si quis forte contendat, quosdam posterioris ævi Græcos, et Nicetæ Acominato similes ipsius patronos, hunc Cosmam in Menæa retulisse, non magnopere refragabimur; sed tunc ob rationes supradictas jure merito suspicabimur,
B utrumque Cosmam titulo Sancti indignum esse.

LXXXVI NICOLAUS IV, cognomento Muzalon.

Exeunte anno 1147, vel ineunte 1147 vel ineunte 1148,

Cum ex dictis Cosmas anno Christi MCXLVII, die XXVI Februarii exauctoratus fuerit, et post ejus depositionem ecclesia Constantinopolitana per decem menses pastore caruerit, calculos subducenti facile constabit, non nisi exeunte Decembri ejusdem anni MCXLVII, vel ineunte Januario anni sequentis ad cathedram regiæ urbis evehi potuisse hunc Nicolaum, cujus nonnulla scripta Baronius in Annalibus ad annum Christi MCXVII num. 15 ex jure Græco-Romano assignat; sed perperam tribuit huic Nicolao duo posteriora decreta, quæ spectant ad Nicolaum Grammaticum, cum quo juxta superius dicta Nicolaum Muzalonem confudit. Theodorus Balsamon in scholiis ad synodum Trullanam can. 63 de eo memorat sequentia: *Porro sanctissimus ille Patriar-*
C *cha dominus Nicolaus Muzalon cum Vitam sanctæ Parasceves, quæ in quodam Callicratiæ vico colebatur, a quodam vicino inepte ac indocte, et Sanctæ angelica vivendi ratione indigne compositam invenisset, eam igni mandari jussit, et diacono illi Basilico mandavit, Deo gratam et acceptam ejus Vitam conscribere.* Totum hoc scholion utiliter legetur a successoribus nostris, qui intricata S. Parasceves Acta illustrabunt.

in locum Cosmæ substituitur Nicolaus,

811 Joannes Cinnamus lib. 2 Historiarum, num. 18 de hujus Patriarchæ initio ac fine sic scribit: *Interea dum hæc geruntur, imperator Nicolaum quemdam, cognomine Musalonem ad patriarchalem sedem provehit, qui in ecclesiasticis primum dignitatibus versatus, ecclesiamque Cypriorum adeptus, ultro postmodum inde recesserat. Verum ut res administrare cœpit, omnium statim ora in eum commota sunt, injuste occupatum ab illo thronum clamitantium, ut qui cum ecclesia, quam nactus fuerat, sacerdotium quoque deposuisset. Sed is obstinatus primo, throno se deturbari haudquaquam passus. Ubi autem, re ad imperatoris examen delata, male sibi cessurum agnovit, judicium nolens denuo experiri, abdicata ultro dignitate, ad vitam rursus privatam rediit.*

812 Ne quis autem putet, statim post electionem contigisse ea omnia, quæ hic simul narrantur, audiendus est Nicephorus Callistus, qui apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 197 illa sic explicat: *Nicolaus Muzalon monachus, qui fuerat archiepiscopus Cypri, cum ipsum archiepiscopatum ut quidam narrabant, abdicasset; vel ut alii dicebant, solam rerum administrationem, et per annos* XXXVII *vacasset, demum sub imperatore Manuele Constantinopolitanam sedem tenuit annis tribus, mensibus quatuor: et cum ambigue abdicasset, ex violentia multorum episcoporum, qui schisma adversus eum effecerant, ex quorum numero quidam ab eo ordinati fuerant, ejectus est.* Catalogus Juris Græco-Romani tomo 1 pag. 302 prorsus similia habet, ubi etiam lib. 4 cap. 4 pag. 295 de hoc Nicolao referuntur sequentia: *Nicolaus Muzalo, cum erat archiepiscopus Cypri, renuntiavit ei throno, dataque est ei mansio Cosmidii, cui præfuit annis... Deinde factus est etiam patriarcha Constantinopolitanus.* D

qui post tres annos et quatuor menses regiminis,

813 Vix intelligo, quid Matthæus Cigala sibi velit, dum apud proxime laudatum Bandurum pag. 213 de hoc Patriarcha sic scribit: *Nicolaus archiepiscopus Cypri annos* XXXVII. *Deinde sese abdicavit; postremo iterum patriarchatu functus est annos tres, mensibus tribus.* Catalogus Labbeanus eidem tres annos rotunde adscribit. Philippus Cyprius Constantinopolitanam ipsius gubernationem extendit ad quatuor annos et totidem menses, pro quibus cum Nicephoro Callisto et catalogo Juris Græco-Romani tres annos et quatuor menses legendos existimo. Nos igitur cum duobus istis antiquioribus catalogis Constantinopolitano Nicolai Muzalonis episcopatui tribuimus tres annos et quatuor menses, quos si numeraveris ab exeunte anno MCXLVII vel ineunte MCXLVIII, quo sedere cœpit, pervenies ad exeuntem Aprilem vel ineuntem Maium anni MCLI, circa quod tempus Nicolao dignitatem suam deserenti successit

dignitatem patriarchalem anno 1151 abdicavit.

E

LXXXVII THEODOTUS II.

Mense Aprili vel Maio anni 1151 Theodotus sedem CP. ascendit,

Joannes Cinnamus loco proxime citato post relatam Nicolai Muzalonis abdicationem de successore ipsius statim sic meminit: *Theodotus ei sufficitur, vir monachicis institutis apprime instructus.* Nicephorus Callistus apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 197 spatium temporis, quo ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit, ita indicat: *Theodotus monachus, et abbas monasterii sanctæ Christi Resurrectionis sub imperatore Manuele annis duobus.* Catalogus Juris Græco-Romani similia habet; sed certos episcopatus annos non exprimit. Matthæus Cigala et Philippus Cyprius tres administrationis annos ei concedunt. Denique catalogus Labbeanus cum Nicephoro Callisto concordat, et etiam duos annos ipsi adscribit. Itaque ex dictis patet, initium Theodoti circa exeuntem Aprilem, vel ineuntem Maium anni MCLI probabiliter collocari posse; sed ob diversos catalogorum annos difficilius est, certum illius finem invenire.

F

quam post duos annos et quinque menses

815 Attamen hæc annorum discrepantia videtur utcumque conciliari posse ex Græco patriarcharum Constantinopolitanorum codice, qui in bibliotheca regis Galliæ servatur, et ex quo Cangius lib. 4 Constantinop. Christ. pag. 88 Græce citat sequentia: Θεόδοτος μοναχὸς καὶ καθηγού-

μενος

A μενος τῆς σεβασμίας μονῆς τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου Ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ βασιλέος πορφυρογεννήτου κυροῦ Μανουὴλ Κομνήνοῦ, ἔτη β', μῆνας π. Hoc est ni fallor : *Theodotus monachus, et abbas venerandi monasterii sanctæ et gloriosæ Resurrectionis Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, sub eodem imperatore porphyrogenneto, domino Manuele Commeno, annos duos, menses quinque.* Hic litteram π pro πέντε seu *quinque* interpretatus sum, in qua significatione apud Græcos sæpe usurpatur, ut Grammatici linguæ Græcæ passim observant.

circa ineuntem Octobrem anni 1153 reliquit.

816 Ex codice isto intelligi potest, quomodo in quibusdam catalogis duo, in aliis tres anni Theodoto tribuantur : aliqui enim pro duobus annis et quinque mensibus rotunde tres annos computarunt; alii vero numerarunt duos annos, neglectis quinque mensibus, ut sæpe fieri consuevit. His positis, episcopatui Theodoti imponendus est finis circa ineuntem Octobrem anni MCLIII, quandoquidem secundum superius dicta exeunte Aprili vel ineunte Maio anni MCLI sedere cœpit, ut computum instituenti evidenter apparebit. B Verum hic chronotaxi nostræ, satis feliciter procedenti, remora occurrit, et aliunde ex ambiguo Theodoti successore oritur difficultas, ob quam ab instituta patriarcharum serie paulisper digredi oportet.

PARERGON VIII.

Disquiritur, an Neophytus, cognomento Inclusus vel Claustrarius, inter patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus.

Varii catalogi Neophytum

C Huic quæstioni causam præbet diversitas catalogorum, ex quibus nonnulli Neophytum in serie patriarcharum Constantinopolitanorum recensent; alii vero prorsus omittunt. Jam sæpe laudatus catalogus, qui Juri Græco-Romano inseritur, illum Theodoto ita subjungit : *Neophytus, Inclusus, ex monasterio Euergetidis, annis....* In catalogo Matthæi Cigalæ apud citatum Bandurum tomo I pag. 213 *Neophytus Claustrarius* solo nomine et cognomine sine aliis adjunctis memoratur. Sed Philippus Cyprius cum catalogo Juris Græco-Romani etiam de monasterio illius sic meminit : *Neophytus monachus seu claustrarius monasterii Euergetidis.* Erat autem hoc monasterium τῆς Εὐεργέτιδος, id est *Benefactricis*, verosimiliter ob singularia Deiparæ beneficia, sanctissimæ Virgini Mariæ consecratum, de quo Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 87 et sequente potest videri.

cum Pagio

818 Pagius sequitur catalogum Juris Græco-Romani, et idcirco in Critica anno Christi MCLIII num. 20 hunc Neophytum patriarchis Constantinopolitanis ita accenset : *Mortuus est hoc anno Theodotus patriarcha Constantinopolitanus, qui juxta seriem episcoporum Byzantii lib.* IV *Juris Græco-Romani Nicolao* III (legendum IV) *Musaloni dicto successit, et quem excepit Neophytus, inclusus in mansione Euergetidis. Utrumque prætermisit Baronius; et Onuphrius Chronico, qui legerat seriem illam tunc ineditam, pro Theodoto perperam Theodosium habet, et Neophytum Inclusum prætermittit, quia exemplar mancum nactus fuerat.* Deinde in Critica ad annum Christi MCLV num. 12 de incerto Neophyti fine hæc tradit : *Neophyto Incluso, patriarchæ Constantinopolitano, incerto anno demortuo, successit Constantinus Chliarenus.* At unde novit Pagius, Constantinum Chliarenum potius Neophyto mortuo, quam exauctorato, vel sponte discedenti, successisse?

et Baronio inter patriarchas CP. numerant;

819 Quod hic spectat ad Baronium, is utrumque non prætermisit, ut perperam hoc loco Pagius asserit, sed potius Nicolaum Muzalonem cum Nicolao Grammatico confudit, et hac occasione in Annalibus ad annum Christi MCXVII num. 15 de Neophyto etiam sic meminit : *Eodem anno moritur Nicolaus Muzalon patriarcha Constantinopolitanus.... Successit autem in locum ejus, ut idem Zonaras ait, unus ex diaconorum ordine, patria Chalcedonensis, nomine Theodorus* *. *Quantum autem hic sederit, in serie Græca, quæ ponitur Constantinopolitanorum patriarcharum, quæ habetur* E *cusa in codice Juris Orientalis, non legitur; sicut nec ejus successorum, scilicet Neophyti Inclusi, Constantini, et Lucæ Chrysobergis, quorum nec nominum quidem est aliqua mentio apud Nicetam Choniatam, ut plane divinare convincantur, qui texentes in fastis seriem Constantinopolitanorum patriarcharum, multis omissis, loca certa singulis, quos recitant, tribuisse inveniuntur.* Equidem ex his colligo, Baronium varia perperam commiscuisse; sed non video, Nicolaum Muzalonem et Neophytum Inclusum ab ipso omissos fuisse, quamvis ignoraverit certos Neophyti et aliquot sequentium patriarcharum annos, qui revera in catalogo Juris Græco-Romani non exprimuntur. Porro per decursum ostendemus ex aliis monumentis, quæ Baronius non vidit, nos non *plane divinare*, dum loca certa singulis patriarchis assignamus.

* *lege* Theodotus

Bandurus vero

820 Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 920 hunc Neophytum e numero patriarcharum Constantinopolitanorum eradendum censet, et ibidem de hac re sic disserit : *Inter Theodotum laudatum et Constantinum Chliarenum recensetur Neophytus cum in catalogo hic a nobis edito ex Jure* F *Græco-Romano, tum in aliis catalogis; sed quonam hic anno obierit, non liquet, cum sedis ejus numerus annorum in laudatis catalogis non compareat, fortassis temporis injuria deletus. Verum ipse puto hunc Neophytum patriarcham, cum nemo alius ex scriptoribus, quod sciam, hujus meminerit, commentitium esse, uti ex iis, quæ infra dicturi sumus, facile videre est. Unde apparebit, quanti faciendus sit catalogus hic Nicephori Callisti, absque cujus subsidio Baronius, Pagius, aliique sæpe in errorem prolapsi sunt, ut cuilibet videre licet.*

cum aliis catalogis

821 Non video, quomodo Bandurus sententiam suam ex infra dicendis stabilire possit; cum initia sequentium aliquot patriarcharum incerta sint, ut Cangius in notis ad Historiam Cinnami pag. 466 de Luca Chrysoberge observat his verbis : *Quando Lucas Chrysoberges patriarchalem dignitatem adeptus sit, incertum. Id tantum constat ex serie patriarcharum, Constantino Chliareno successisse.* Adde, quod inter catalogos non conveniat, quamdiu Lucas ille sederit, ut infra dicemus. Quare hæc Banduri opinio potissimum nititur auctoritate Nicephori Callisti, qui in catalogo suo Neophytum omisit. Huic majoris roboris

causa

SEC. XII.

causa adjungo duos patriarcharum Contantinopolitanorum catalogos, a Labbeo nostro in Apparatu Historiæ Byzantinæ pag. 35 et sequente ex manuscriptis codicibus editos, qui de Neophyto non meminerunt, eoque omisso, Constantinum Chliarenum Theodoto immediate subnectunt.

eumdem e numero patriarcharum expungendum censet.

822 Propter istud trium catalogorum silentium Banduro libenter concedemus, Neophytum illum non esse numero patriarcharum adscribendum; at ideo non statim admittimus hunc patriarcham *commentitium esse*, si Bandurus ea phrasi significare velit, nomen Neophyti ab aliquo fabulatore confictum, atque ita temere catalogo patriarcharum Constantinopolitanorum insertum fuisse : quamvis enim scriptores synchroni aut suppares de illo non meminerint; non tamen de continuo sequitur, eum in rerum natura non exstitisse. Sic Joannes Cinnamus et Nicetas Choniata in copiosis suis historiis non nominant quosdam patriarchas Constantinopolitanos, de quibus tamen nemo dubitat, et quos ex posterioribus monumentis abunde novimus. Præterea non habemus omnes auctores, qui res gestas illo-
B
rum temporum conscripserunt. Ex hactenus dictis conjicimus, Neophytum istum non absque ratione in quibusdam catalogis memorari, atque in aliis prætermitti; cujus diversitatis causam jam ex manuscripto patriarcharum catalogo eruere conabimur.

Cangius pro patriarchatu Neophyti citat textum Græcum,

823 Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 87 et sequente agens de monasterio Euergetidis, Neophytum ea occasione inter patriarchas Constantinopolitanos refert hoc modo : *Ut cumque sit, ejusce monasterii monachus fuit Neophytus, patriarcha Constantinopolitanus, Theodoti successor, de quo ita catalogus 'patriarcharum Constantinopolitanorum in codice regiæ bibliothecæ signato* MMCDXXIII : Νεόφυτος μοναχὸς ὁ ἀπὸ τῆς σεβασμίας μονῆς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῆς Εὐεργέτιδος · περὶ οὗ πρὸ τοῦ χειροτονηθῆναι διωμολόγηται, ὡς Ἀναγνώστου ἔχων σφραγῖδα, καὶ τὴν στολὴν τούτου ἠμφιεσμένος, ἐκβαλὼν αὐτὴν, λαϊκὸν ἄμφιον ἠμφιέννυτο · καὶ διὰ τοῦτο κεκώλυται τῆς χειροτονίας, καὶ ὑπεχώρησε τῶν πατριαρχικῶν κελλίων, προσμείνας ἐν τούτοις η μῆνας ε'.

quem Latine reddimus,

824 Sane Cangius non exiguum nobis obsequium præstitisset, si ipsemet Latine vertisset
C
hunc ambiguum et corruptum textum, quem nihilominus ita interpretamur : *Neophytus monachus ex venerando monasterio sanctissimæ Deiparæ Benefactricis : de quo, antequam consecraretur, affirmatum est, quod habens characterem Lectoris, et veste illius indutus, ea deposita, laicalem habitum assumpserit. Propterea prohibitum est, ne consecraretur, et subduxit se ex ædibus patriarchalibus, postquam manserat in illis.... menses quinque.* Hic aliqua puncta interponere coactus sum propter litteram η, quæ nec spiritu, nec accentu notatur, et idcirco de accurato mansionis illius tempore nos æque dubios relinquit. Si quis me felicior claram hujus litteræ explicationem invenerit, libenter discam, et ei de palma gratulabo. Cum interea aliud non liceat, varias de illa expressione conjecturas proponam.

et de cujus expressione chronologica

825 Imprimis nonnemo suspicari posset, hoc loco subintelligi vocem Græcam ἔτη id est *annos*, ac tempus mansionis sufficienter exprimi per litteram numeralem η, quæ *octo* significat. Igitur juxta hanc interpretationem Neophytus ἔτη η', μῆνας ε'. Hoc est : *annos octo, menses quinque* in patriarchalibus ædibus mansisset. Verum ea suspicio nobis nullo modo placet : nam dum littera illa numerum indicat, accentu acuto sic η' notari D
consuevit. Præterea prorsus ab omni verosimilitudine alienum est, hanc consecrationis controversiam tamdiu durasse. Denique tantum temporis intervallum cum annis sequentium patriarcharum conciliari non potest, ut ex infra dicendis constabit.

quæ sane obscura ac ambigua est,

826 Saltem non tam improbabiliter quispiam conjectaret, duas litteras in hoc codice desiderari, ac certum annorum numerum excidisse, ita ut ex voce mutila ἔτη tantum supersit η, pro quo legendum sit ἔτη...., omisso annorum numero, quemadmodum in catalogo Juris Græco-Romani incertum hujus Neophyti tempus eo modo exprimitur. At in ea hypothesi ut minimum Neophyto concedere opportebit duos annos et quinque menses commorationis in domo patriarchali, quod temporis spatium cum reliqua successorum chronotaxi difficulter componi posset, ut infra apparebit. Deinde ista controversia de ordinando Neophyto nimis diuturna videtur, et nobis non fit verosimile, Constantinopolim tamdiu consecrato patriarcha caruisse, qui interea sine successore in æde patriarchali commoraretur. Deni- E
que in Cangiana hujus textus editione nullum est lacunæ signum, quo indicetur, aliquid in Ms. codice deesse, aut in eo quosdam characteres obsoletos legi non potuisse.

diversas conjecturas

827 Quare malim suspicari, istud ἐν τούτοις η. scriptum fuisse pro ἐν τουτοισὶ *in hisce*; vel certe, neglectis male accentu ac spiritu leni, additoque perperam ad latus puncto, η. positum fuisse pro ἦ tertia persona verbi εἰμὶ in imperfecto indicativi, quæ relata ad participium προσμείνας, more Græcorum significabit *manserat*, et hunc continuatum faciet sensum : *Subduxit se ex ædibus; manserat in his menses* v. Quod si hæ conjecturæ displiceant ob omissum spiritum vel accentum, et additum punctum, quod litteræ η. istic ita subjungitur, etiam dici posset, oscitantia librarii illud η. perperam in textum irrepsisse. Saltem secundum has posteriores conjecturas, sensus erit planus, et clare significabit, Neophytum dumtaxat quinque mensibus in æde patriarchali mansisse, dum lis inter ipsum et adversarios agitaretur, et tandem ex ea sine consecratione discessisse, cum post quinque menses causa cecidisset. Non inficior, has esse tetricas minutias, F
quæ tamen discutiendæ fuerunt, quia pro cujusque arbitrio explicatæ chronologiam nostram non parum perturbarent.

eruditis proponimus.

828 Quidquid sit de incertis hisce conjecturis, ex hoc Cangiano codicis regii fragmento elicimus non contemnendam rationem, ob quam aliqui catalogorum scriptores Neophytum inter patriarchas Constantinopolitanos numeraverint; alii autem eumdem in illorum serie prætermiserint : priores enim videntur Neophytum numero illorum adscripsisse, eo quod patriarcha designatus esset, et notabili temporis spatio in ædibus patriarchalibus mansisset; posteriores vero illum omisisse, quia judicabant, non esse accensendum episcopis virum, qui numquam episcopalem consecrationem impetrasset. Nos horum opinioni consentientes exclusimus Neophytum a nostra patriarcharum serie, ad quam jam revertimur. At hic lectorem præmonemus, quod sequens aliquot patriarcharum chronologia ex antiquis catalogis ita ordinetur, acsi sedes Constantinopolitana tempore Neophyti, juxta postremas conjecturas nostras, quinque mensibus vacasset.

A

LXXXVIII CONSTANTINUS IV,

cognomento Chliarenus.

Cum Constantinus ab ineunte Martio anni 1154 CP. cathedram

Joannes Cinnamus et Nicetas Choniata de hoc Patriarcha nullam mentionem faciunt, etiamsi res sub imperio Manuelis Comneni gestas copiose litteris mandaverint. Catalogus Juris Græco-Romani, Matthæus Cigala, et Philippus Cyprius illum quidem memorant; sed annos sedis ipsius non exprimunt, ut patet ex lib. 4 Juris Græco-Romani pag. 303, ubi de eo sic legitur : *Constantinus Chliarenus diaconus et sacelli præfectus annis.....* Sic etiam Matthæus et Philippus supradicti apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 213 et 223 de annis administrati episcopatus Constantinopolitani non meminerunt. At Nicephorus Callistus apud eumdem Bandurum pag. 197 annos illos ita indicat : *Constantinus Chliarenus diaconus et sacellarius magnæ ecclesiæ, annos duos, eodem imperante,* scilicet Manuele Comneno. B Catalogus Labbeanus etiam duos gubernationis annos eidem Constantino assignat.

duobus annis ac quinque mensibus possedisset,

830 Verum supra laudatus patriarcharum Constantinopolitanorum catalogus, cujus aliqua fragmenta Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 87 et 88 ex Ms. codice bibliothecæ regiæ exhibuit, duobus istis episcopatus annis, quos Nicephorus Callistus et catalogus Labbeanus numero rotundo computant, accurate quinque menses ita superaddit : Κωνσταντῖνος διάκονος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ ἐπὶ τῆς πατριαρχικῆς μικρᾶς σακέλλης, ὁ Χλιαρηνὸς, ἔτη β', μῆνας π. Id est : *Constantinus Chliarenus, diaconus magnæ ecclesiæ, et minoris thesauri patriarchici custos, annis duobus, mensibus quinque.* Littera π significat πέντε seu *quinque*, ut supra cum obviis linguæ Græcæ Grammaticis monuimus. Ceterum de officio sacellarii in ecclesia Græca consuli potest Gretserus noster, qui in notis ad Codinum Curopalatam cap. 3 pag. 156 et sequentibus, de etymologia et communi significatione hujus dignitatis fuse disputat.

eamdem anno 1156 deseruit,

831 Ad chronologiam nostram exacte ordinandam spectant hi quinque menses, qui ab aliis C more satis recepto omittuntur, et quos tamen accurate numerandos esse censemus, quando in catalogis exprimuntur. Cum igitur juxta superius dicta Theodorus administrationi suæ finem imposuerit circa ineuntem Octobrem anni MCLIII, ac postea de consecratione Neophyti per quinque menses disceptatum fuerit, atque ita sedes Constantinopolitana quodammodo quinque mensibus vacaverit, successionem hujus Constantini Chliareni differimus usque ad ineuntem Martium anni MCLIV, quo circiter tempore ad cathedram regiæ urbis evectus fuisse nobis videtur. Jam vero computemus duos annos et quinque menses, quibus ex testimonio præfati catalogi ecclesiam Constantinopolitanam rexit, et ingrediemur mensem Augustum anni MCLVI, circa quod tempus ei succedere potuit

LXXXIX LUCAS,

cognomento Chrysoberges.

Joannes Cinnamus lib. 5 Historiarum num. 6 narrat, quomodo hic Patriarcha principem Mahometanum ad ecclesiam sanctæ Sophiæ deduci prohibuerit, ac tunc primum de illo sic meminit : *Imperator rerum prosperarum magnitudine elatus, triumphum ab ipsa Acropoli usque ad celeberrimum divinæ Sapientiæ templum apparaverat, quo una cum Sultano procederet. Sed quod intenderat, non confecit : Lucas enim, qui tunc temporis rebus ecclesiasticis præerat, huicce consilio obstitit, non decere, inquiens, inter divinam supellectilem et sacra ornamenta impium hominem transire. Alius præterea casus rem impediit : quippe profunda jam nocte validior quædam agitatio totam repente terram concussit. Unde Byzantini Lucæ monita vera esse rati, Deo haud placere ejusmodi consilium aiebant.* Nicetas Choniata lib. 3 num. 5 etiam refert, hunc triumphum terræ motu et aeris intemperie impeditum fuisse, et illius editor in chronologia Operi præfixa statuit, hæc anno Christi MCLVIII contigisse. Hinc saltem colligeremus, Lucam illo anno Patriarcham fuisse, si alii chronologi huic editori consentirent. Sed cum Pagius aliique in numerandis Manuelis imperatoris annis ab hac chronologia discrepent, et ex ea historia certum Lucæ Chrysobergis initium eruere non possimus, E juxta superiorem chronotaxim nostram verosimile putamus, eum mense Augusto vel Septembri anni MCLVI ad cathedram Constantinopolitanam promotum fuisse.

Sec. XII. et mense Augusto vel Septembri ejusdem anni 1156

in locum ipsius suffectus est Lucas,

833 Lucam adhuc anno Christi MCLXVI in eadem cathedra sedisse, constat ex synodo tunc habita, de qua Leo Allatius in Consensione Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. 12 num. 4 sic scribit : *Synodus ex conventu principum et patriarcharum, metropolitarum, episcoporum, et aliorum ecclesiasticorum numero spectatissima, anno* XXIII *Manuelis, ab orbe condito* VIMDCLXXIV, *Christi nempe* MCLXVI *celebrata fuit..... Adfuere Lucas patriarcha Constantinopolitanus, Athanasius Theopolitanus,* etc. Hanc synodum a se perlectam fuisse, Leo Allatius ibidem testatur his verbis : *Synodi hujus nondum editæ lectio eo gratior accessit, quod eo ipso tempore celebrata et scripta sit correctissime et characteribus grandioribus, et horum episcoporum subscriptiones majori ex parte autographas ob oculos objiciat.* Cinnamus lib. 6 num. 2 occasione hujus synodi quædam de Luca narrat, ut loco citato licet videre. Præter varia hujus Lucæ decreta seu responsa, quæ lib. 3 Juris Græco-Romani F pag. 217 et sequentibus leguntur, consuli potest Theodorus Balsamon, scriptor synchronus, qui in Commentariis ad Nomocanonem Photii tit. 13 cap. 2 indicat, eumdem *mense Aprili, Indictione* XIV, id est, anno æræ Christianæ MCLXVI, adhuc munere patriarchali functum esse. Hæc satis probant, Lucam usque ad annum Christi MCLXVI ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse; sed non tam facile certum episcopatus ipsius finem invenimus, ut jam ex catalogorum silentio ac discrepantia experiemur.

cui Nicephorus Callistus quindecim annos et tres menses tribuit,

834 In plerisque catalogis apud Bandurum anni episcopatus ejus non notantur. Solus ibi Nicephorus Callistus tomo 1 Imperii Orientalis pag. 197 eos ita expressit : *Lucas monachus Chrysoberges sub eodem Manuele, annis* XV, *mensibus* III. At supra laudatus catalogus patriarcharum, ex Ms. codice bibliothecæ regiæ excerptus, apud Cangium lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 88 tantum annos duodecim gubernationi ipsius ita assignat : Λουκᾶς μοναχὸς ὁ Χρυσοβέργης, ἔτη ιβ'. Hoc est : *Lucas monachus Chrysoberges, annis* XII. Catalogus Labbeanus cum hoc annorum numero concordat, et etiam duodecim

admi-

SEC. XII.

administrationis annos eidem rotunde assignat. Quapropter malim credere duobus catalogis, inter se consentientibus, quam uni Nicephoro Callisto, in quem forsan negligentia librarii error irrepsit, ita ut pro ἔτη ιε', μῆνας γ', id est *annis* 15, *mensibus* 3, potius ἔτη ιβ', μῆνας γ', *sive annos* XII, *menses* 3 legere oporteat : nam duodecim annis, quos duo isti catalogi sine mensibus more recepto rotunde computant, nihil vetat adjungere tres menses, hic a Nicephoro Callisto expresse notatos.

et cui nos verosimilius cum aliis catalogis duodecim annos et tres menses adscribimus,

835 Ad hanc duodecim annorum lectionem alteri præferendam nos etiam movet ipse Bandurus, qui Nicephorianum quindecim annorum ac trium mensium computum frustra conciliare nititur cum sua patriarcharum chronotaxi, ut patet ex chronologico ipsius ratiocinio, quod tomo 2 Imperii Orientalis pag. 920 et 921 de annis hujus Patriarchæ sic instituit : *Lucas Chrysoberges sufficitur in locum Constantini anno Christi* MCLV, *qui cum rexisset ecclesiam Constantinopolitanam annis quindecim, mensibus tribus, ut scribit hic Nicephorus, non ante annum* MCLXIX *e vivis excessit. Unde*
B *corrigendi sunt Baronius, Pagius, Leunclavius, aliique, qui ejus mortem prædicto anno non consignant.* Igitur ille Nicephoriani catalogi sectator asserit Lucam anno Christi MCLXIX obiisse, ut magis perspicuum fit ex iis, quæ de successore illius mox ita subjungit : *Michaël diaconus et sacellarius magnæ ecclesiæ successit Lucæ Chrysobergi sub finem anni Christi* MCLXIX. At qua arithmeticæ methodo Bandurus ostendet, ab anno Christi MCLV usque ad finem anni MCLXIX annos quindecim et tres menses elapsos esse? Adhibita quacumque numerandi ratione, et expensis ipsius Banduri antecedentibus ac consequentibus, nos dumtaxat comperimus, intra istud temporis spatium quatuordecim annos et aliquot menses effluxisse. Jam chronologiam nostram juxta laudatos catalogos explicemus.

ita ut sedem CP. usque ad finem anni 1168 tenuerit.

836 Primo ex præcedente chronotaxi statuimus, Lucam mense Augusto vel Septembri anni MCLVI ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse. Dubitanter autem dicimus, id *mense Augusto vel Septembri* contigisse : quis enim prudens in tanta temporis incertitudine confidenter asserat, patriarchas Constinopolitanos sibi invicem
C tam celeriter successisse, ut inter unius mortem et alterius successionem nullum interstitium relictum fuerit? Quinimo probabilius dici potest, quod propter imperatoris absentiam, plurium ambitum, aliasque causas, electio patriarchæ aliquando ad unum alterumve mensem debuerit differri. Secundo juxta testimonium duplicis catalogi tribuimus episcopatui ipsius annos duodecim, quibus denique etiam tres menses, in catalogo Nicephori diserte expressos, libenter adjecimus. Si quis jam ab Augusto vel Septembri anni MCLVI illos duodecim annos supputaverit, pertinget præterpropter ad finem anni MCLXVIII, quo Lucas ecclesiam Constantinopolitanam gubernare desiit, et locum ipsius exeunte eodem anno, aut initio sequentis, occupavit

XC MICHAEL III,

cognomento Anchialinus.

Nullus historicus, quod sciam, huic Michaëli determinatum episcopatus initium assignat. Attamen ipsum jam ab ineunte anno Christi
D MCLXXI in cathedra Constantinopolitana sedisse, colligimus ex Jure Græco-Romano, ubi tomo 1 lib. 3 pag. 227 citatur aliquod hujus Patriarchæ decretum, quod editum est μηνὶ Ἰανουαρίῳ ιγ', ἡμέρᾳ δ', ἐπινεμήσεως δ'. Hoc est, *mense Januario, die* XIII, *feria* IV, *indictione* IV, qui characteres chronologici annum Christi MCLXXI indicant, ut Eminentissimus Baronius recte in Annalibus observavit ad annum Christi MCLXVI num. 41, ubi etiam plura de hoc Michaële referuntur. Sed cum ex his aliisque, quæ in Commentariis canonicis Theodori Balsamonis, et lib. 3 Juris Græco-Romani pag. 227 et sequentibus leguntur, certum ipsius initium figere non liceat, chronotaxi nostræ inhærentes, episcopatum ejus exeunte anno MCLXVIII, vel ineunte MCLXIX, exordimur.

Exeunte anno 1168 vel ineunte 1169 ad cathedram CP. evectus est Michaël,

qui unionem inter Græcos

838 Circa hæc tempora Manuel Græcorum imperator ad Alexandrum III Pontificem misit legationem, qua promittebat, se ecclesiam Græcam cum Romana conjuncturum, si Pontifex Occidentale imperium sibi conferre vellet. Alexander postulationem de transferendo in ipsum imperio humaniter reprobavit, et duos Cardinales ad imperatorem destinavit, ut Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum auctor ad annum Christi
E MCLXX num. 54 et 55, ex antiquis Alexandri III Actis fusius exponit. Nonnulli putant, Manuelem ficto animo hanc ecclesiarum unionem obtulisse, ut imperium Occidentale obtineret, fractisque Latinorum viribus, periculum ab Orientali averteret, Quidquid sit de illius intentione, quam supremo cordium scrutatori dijudicandam relinquimus, eo tempore exterius ita se gessit, ut serio illam ecclesiarum unionem cupere videretur : nam doctissimo Hugoni Etheriano librum de processione Spiritus sancti contra Græcos scribere permisit, et de pace inter utramque ecclesiam concilianda tractari jussit in synodo, cujus infelix successus huic Michaëli patriarchæ potissimum imputatur, ut jam referemus.

et Latinos ineundam disturbasse dicitur,

839 Leo Allatius in Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. 12 de irrito hujus synodi eventu ita scribit : *Videns itaque imperator, indies schismaticorum procacitatem et insolentiam contra Latinos augeri, concilium indixit Constantinopoli, ut, querelis sopitis, modus inveniretur ad pacem cum Latinis conciliandam, et damna, quæ illius imperio inferebantur, propulsa-*
F *rentur ; sed nefarius homo, Michaël Anchiali patriarcha (quæ eum causa induxerit, nondum comperi) a proposito specie pietatis, avertit. Quare nihil in ea synodo conclusum est. Colligitur ex dialogo, quem ipse patriarcha conscripsit, in quo introducit imperatorem, anxie pacem peroptantem, ad eam consequendam summis conatibus contendentem, se vero ab ea dehortantem, et Latinos modis omnibus expostulantem..... Ejusdem etiam Anchiali circumfertur epistola, calumniis et conviciis plena in Romanam Ecclesiam.*

suosque contra crucesignatos videtur incitasse.

840 Nequaquam ab indole aut tempore hujus violenti Patriarchæ alienum est, quod Fredericus I imperator narrat in epistola, quam anno Christi MCLXXXVIII ad filium Henricum ex Oriente dedit, ubi de perfidia Constantinopolitani imperatoris conqueritur, et inter alia apud Edmundum Martene tomo 1 Collectionis amplissimæ veterum monumentorum col. 911 de odio Constantinopolitani Patriarchæ contra Latinos scribit sequentia : *Alexandro hæc Papæ scribere non omittas, quod aliquos Religiosos per diversas provincias destinet, qui populum Dei contra inimicos crucis exhortentur, et præcipue contra Græcos, quibus præ-*

sentibus

A *sentibus et legatis nostris, Monasteriensi episcopo et suis collegis, in ecclesia Sanctæ Sophiæ Patriarcha Constantinopolitanus publice prædicaverit, quod quicumque Græcus centum peregrinos occideret, si decem Græcorum reatum incurrisset, indulgentiam consequeretur a Deo.* Saltem barbara illa concio ad hoc circiter tempus referenda est, et odium Græcorum adversus Latinos satis indicat. Sed ad scripta schismatici hujus Patriarchæ redeamus.

Græci recentiores prætexunt falsas causas suo schismati

841 Ex ipsa memorati dialogi epigraphe, quam Allatius ibidem Græco-Latine exhibet, evidenter discimus totam ac veram causam schismatis, quod recentiores Græci schismatici aliis titulis ornare ac confictis calumniis tueri solent : hic enim tempore Manuelis Comneni dicuntur multi antistites, qui Romano Pontifici suberant, unionis procurandæ gratia Constantinopolim venisse, *nihil aliud a Græcis exposcentes, quam cessionem primatus ipsi Papæ et appellationum, et illius commemorationem fieri.* Igitur Latini a Græcis tantummodo exigebant, ut primatus Papæ Romani, quem Christus Petro concesserat, in tota Ecclesia agnosceretur, undique ad Sedem Apostolicam
B appellari posset, et nomina Pontificum Romanorum diptychis restituerentur; quæ tria controversiæ puncta Græci tribus vocibus exprimunt, et communiter πρωτεῖον, ἔκκλητον, μνημόσυνον, id est *primatum, appellationem* et *commemorationem* vocare consueverunt.

quod ex sola præsulum CP. superbia ortum est,

842 Ex his patet mendacium Macarii Ancyrani, qui ibidem apud Allatium aliam infructuosæ synodi causam fingit, eamque Latinis sic falso imputat : *Rursum sub imperio Manuelis, labore prævio, Constantinopolim primi Cardinalium advenere, et celebrata est magna synodus. Et cum multa dixissent et audissent, ita casu ferente, non condescenderunt; sed insistebant, omnes omnino ad suum arbitrium et consuetudines trahere. Quare, re desperata, imperator et synodus, et universus senatus calculum dederunt, ut totali separatione Papam et qui cum eo sentirent, omnes abscinderent, judicium super hoc Deo relinquentes.* At falsum est, quod Latini Græcos trahere voluerint ad suas consuetudines, quas ipsi probant, et Græcis unitis tum in Oriente tum in Occidente permittunt. De hoc inepto Romanæ Ecclesiæ calumniatore apud eumdem Allatium in Opere laudato lib. 2 cap. 18
C num. 15 plura videri possunt. Quapropter initio non rituum discrepantia, non panis azymi et fermentati diversitas, non denique ipsa controversia de processione Spiritus sancti Orientalem ecclesiam ac Occidentali divulserunt : nam Græci schismatici similes quæstiones contra Latinos agitarunt, ut specioso pallio rebellionem suam tegerent, atque hoc prætextu ambitiosam suam ecclesiam potestati Romanæ Ecclesiæ subtraherent. Schismati causam præbuit sola præsulum Constantinopolitanorum superbia, qui Romano Pontifici, legitimo Christi in terris vicario, parere nolebant, et supremam in alios præsules jurisdictionem exercere cupiebant.

ut anonymus Græcus fatetur.

843 Ne quis hoc a me gratis dictum arbitretur, audi anonymum Græcum, qui id satis innuit in quodam fragmento, quod Ismaël Bullialdus in notis ad Historiam Ducæ ex manuscripto bibliothecæ regiæ Græco-Latine edidit, et quod in observatione ad caput XXXI pag. 256 sic interpretatur : *Imperante Constantino Monomacho, in sedem patriarchalem collocatus est Michaël Cerularius, qui statim ubi creatus fuit, Papam Romæ e sacris diptychis abrasit, ei objiciens, quod pane azymo Eucharistiam conficeret, et symbolo additam Spiritus sancti a Filio processionem..... Michaël ipse Cerularius schismatis malum auxit, et in majus discordiæ incendium prorumpere fecit. Italus quoque quidam, nomine Argyrus, rebus quibusdam secularibus admixtis, vulnus illud exasperavit : maxime vero ac præcipue patriarchæ libido, qui se suosque successores Romanæ Sedis jurisdictioni subtrahere voluit; nec ad Papam amplius provocari, nec ab eo judicari. Propositum insuper illius erat, in aliorum patriarcharum thronos auctoritatem et jurisdictionem in se trahere, quamque antea Papa Romæ in ceteros habuerat, potestatem ad Constantinopolitanum patriarcham transferre.* Pluribus hanc præcipuam schismatis causam prosequi possemus, nisi præfixus lucubrationi nostræ scopus nos alio avocaret. Quare etiam hic nos morari non debet Casimirus Oudinus, impudens Religionis ac fidei suæ apostata, qui in Commentario de scriptoribus ecclesiasticis tomo 2 col. 1532 Michaëli Anchialo, ceterisque Græcis schismaticis patrocinatur, et ex communi hæreticorum more Ecclesiam Romanam calumniis incessit. Hæc itaque breviter dicta sufficiant occasione istius synodi Constantinopolitanæ, quam disturbavit Michaël patriarcha, ad E
quem jam revertimur.

SEC. XII.

Cum Michaël iste octo annis et duobus mensibus sedisset,

844 Nicephorus Callistus apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 198 tempus hujus Patriarchæ determinat his verbis : *Michaël diaconus et sacellarius magnæ ecclesiæ, Anchialinus et supremus philosophorum, eodem imperante, annis* VIII, *mensibus* II. Catalogus Juris Græco-Romani, Matthæus Cigala, et Philippus Cyprius rotundum octo annorum numerum eidem adscribunt; catalogus vero, quem Onuphrius Panvinius præ oculis habuit, et Labbeanus ei novem annos assignant. Verum ista temporis discrepantia utcumque conciliari poterit, si dicamus, quod uterque catalogus Panvinii et Labbei nonum episcopatus annum, per duos menses inchoatum, pro integro connumerarit; alii autem annos octo, neglectis duobus mensibus, rotunde computaverint. Cum ergo Michaël juxta supradictam chronotaxim exeunte anno MCLXVIII vel ineunte MCLXIX cathedram Constantinopolitanam occupare cœperit, supputatis octo annis ac duobus mensibus, eamdem circa ineuntem Martium anni MCLXXVII reliquit.

mense Martio anni 1177 et successit Chariton.

845 At hic iterum non intelligo arithmeticam Anselmi Banduri, qui tomo 2 Imperii Orientalis pag. 921 de annis hujus Patriarchæ sic disserit : F
Michaël diaconus et sacellarius magnæ ecclesiæ successit Lucæ Chrysobergi sub finem anni Christi MCLXIX. *Hic cum sedisset annis octo et duobus mensibus, ut scribit Nicephorus, obiit anno Christi* MCLXXVII. Quod autem Bandurus obitum Michaëlis initio anni MCLXXVII collocet, liquet ex iis, quæ de successore ipsius ibidem ita scribit : *Chariton initio anni Christi* MCLXXVII *thronum Constantinopolitanum conscendit.* Deinde ad fidem ejusdem anni MCLXXVII refert mortem Charitonis cui cum Nicephoro Callisto undecim gubernationis menses tribuerat, ut loco citato videre est. Sed qua computandi ratione Bandurus inter finem anni MCLXIX et initium anni MCLXXVII octo annos et duos menses Michaëlis inveniet? Nos igitur alia numerandi methodo eumdem Banduri annum admittimus, affigentes finem Michaelis ineunti Martio anni MCLXXVII, circa quod tempus ei successit

SEC. XII.

XCI CHARITON.

qui juxta plerosque catalogos ante medium anni 1178 gubernationi suæ finem imposuit.

Hic Patriarcha pauco tempore sedem Constantinopolitanam tenuit, ut patet ex Nicephoro Callisto, qui apud Bandurum, tomo 1 Operis proxime citati pag. 198 episcopatum illius ita circumscribit : *Chariton monachus nobilissimus abbas Manganorum, mensibus* XI. Huic consentiunt reliqui catalogorum collectores apud eumdem Bandurum, excepto Matthæo Cigala, qui μῆνας ια′ in ἔτη ια′, id est *menses* XI, in *annos* XI perperam transformavit. Onuphrius Panvinius in Chronico ecclesiastico ad annum Christi MCLXXVI, ex suo catalogo illum sic memorat : *Charito* XCI *Constantinopolitanus patriarcha sedit an.* I, *mens.* II, *di.....* Catalogus Labbeanus nullum dierum indicium notat ; sed etiam annum unum et duos menses Charitoni assignat. Si Nicephoro Callisto, aliisque catalogorum scriptoribus adhærere velis, episcopatum Charitonis mense Februario anni MCLXXVIII
B finiam ; sin vero duplicem Panvinii et Labbei catalogum sequi malis, finem illius ad tres menses differam. Saltem ex omnium catalogorum consensu sequitur, Charitonem ante medium anni MCLXXVIII episcopatui suo finem imposuisse, cum initium ipsius mensi Martio anni MCLXXVII affixerimus.

XCII THEODOSIUS, cognomento Borradiotes.

Probabiliter circa medium anni 1178 ecclesiam CP. regere cœpit Theodosius,

Etiamsi ex historicis synchronis aut subæqualibus certum hujus Patriarchæ initium assignare nequeamus, tamen illum jam ab anno MCLXXIX in cathedra Constantinopolitana sedisse, colligimus ex Jure Græco-Romano, ubi tomo 1 lib. 3 pag. 231 leguntur sequentia : *Scito, tempore sanctissimi et universalis patriarchæ domini Theodosii, trigesima Julii mensis, duodecimæ Indictionis, factam esse subnotationem synodalem, quæ ad verbum sic habet.* Tum subditur ipsa Patriarchæ responsio, qua propositum de nuptiis dubium
C resolvit. Porro ex appositis hic temporum notis apparet, Theodosium jam mense Julio anni MCLXXIX ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse, quandoquidem Indictio duodecima illo anno usque ad Calendas Septembres currebat. Dum igitur primordia episcopatus Theodosiani juxta superius institutam chronologiam, ante medium anni MCLXXVIII ponimus, veteri historiæ non contradicimus, nec a verisimilitudine aberramus.

qui schismaticus fuisse videtur.

848 Nicetas Choniata varias hujus Patriarchæ actiones commemorat, atque inter alias sub imperio Manuelis Comneni lib. 7 num. 6 fuse narrat, quomodo imperator ille sub vitæ finem ex omnibus catecheticis libellis deleri voluerit, anathema, quod contra fictitium Mahometis deum pronuntiabatur; causatus, Mahometanos qualibuscumque in Deum blasphemiis offendi. Sed accersitus ab ipso Theodosius, opinioni ejus acriter resistebat, ac disceptatio tandem eo devenit, ut imperator scripserit litteras, quæ juxta phrasim Nicetæ *cum summo pastore Theodosio et pontificibus ob præposteram adversationem expostulantes, majus concilium minabantur, et controversiæ disceptationem, ipso veteris Romæ Papa adhibito, jurejurando testificabantur.* Ex his conjicio, Theodosium, aliosque illos præsules schismaticos fuisse. Imperator D
enim non intentasset has minas obedientibus Ecclesiæ Romanæ filiis, qui ultro optassent, ut hujusmodi controversia ad Romanum Pontificem deferretur, et decretorio illius judicio finiretur.

Hic relegatus, ac mox sedi suæ restitutus

849 Præterea Nicetas in imperio Alexii Comneni junioris num. 8 refert, quomodo Theodosius ab Alexio Protosebasto ob falsas accusationes in monasterium Pantepopti relegatus, ac paulo post intercessione procerum sedi suæ honorificentissime restitutus fuerit; ibi autem Theodosium appellat *virum sanctissimum*, et deinde ibidem num. II asserit, quod injuriarum oblitus, calamitatem ejusdem Protosebasti, mutata rerum fortuna, consiliis et consolationibus levaverit. At ubique lector meminerit, Patriarcham schismaticum ab auctore schismatico laudari. Postea idem scriptor ibidem num. 12 graphice depingit primum hujus Patriarchæ congressum cum Andronico tyranno, et more suo multis exponit aculeatum illorum colloquium, quod hic nobis exscribere non vacat, quamvis apud citatum auctorem legi mereatur.

tandem ob incestas Andronici tyranni nuptias

850 Denique Nicetas sub imperio ejusdem Alexii junioris num. 15 memorat, Theodosium incestis nuptiis, quas Andronicus tyrannus conciliare nitebatur, fortiter cum quibusdam præsulibus restitisse, ac tandem majori approbatorum E
numero superatum, dignitati suæ ultro renuntiasse. Unde post laudatam Theodosii constantiam hæc subdit : *Cum se nihil proficere, et mala manifeste ingruere, et partem meliorem a majore vinci cerneret, e sacro palatio in insulam Terebintum, ubi sibi diversorium et sepulcrum struxerat, discedit. Andronicus vero, ut desideratum, ita inopinatum ejus discessum, instituto suo commodissimum ratus, nuptias perfecit, Bulgarorum episcopo, qui tum forte in urbe erat, cæremonias matrimonii peragente.* Pagius, aliique chronologi probant, ista anno Christi MCLXXXIII contigisse, juxta quod tempus jam chronologia nostra ordinanda est.

post medium anni 1183 abdicavit se ultro dignitate,

851 Nicephorus Callistus annos administrationis ejus sic exprimit : *Theodosius Borradiotes sub eodem imperatore* (scilicet Manuele Comneno) *et Andronico Comneno, annis* VI, *et abdicavit ob imperatoris (iram).* Catalogus, quem vidit Panvinius, huic annorum numero assentitur. Scriptor Catalogi, qui Juri Græco-Romano insertus est, sibi annos hujus Patriarchæ ignotos fuisse, significat F
hoc modo : *Theodosius monachus, oriundus ex Antiochia, qui longo tempore monasticam exercuerat in colle sancti Auxentii, an..... tandem renuntiavit.* Denique recentiores quidam catalogi tantummodo tres annos ei adscribunt. Nos antiquiori Nicephoro, et catalogo Panviniano potius adhærentes, sex annos huic Theodosio assignamus : si enim ante medium anni MCLXXVIII Charitoni successerit, ut supra diximus, et anno Christi MCLXXXIII se dignitate sua abdicaverit, invenies sex annos incompletos, cum id verosimilius post medium anni MCLXXXIII contigerit, ut ex infra dicendis colligetur.

XCIII BASILIUS II, cognomento Camaterus.

quam statim sub impia conditione obtinuit Basilius,

Videtur Andronicus statim eodem anno Christi MCLXXXIII in locum Theodosii substituisse hunc commodum sibi Patriarcham, ut innuit Nicetas Choniata, quando post superius relatum Theodosii discessum, immediate de isto tyranno

subjungit

A subjungit sequentia : *Cum de successore suæ factionis patriarchæ dando, deliberaret, Camatero Basilio œcumenicum pontificatum defert, aut potius illius syngrapha impulsus vendit, qua is promiserat, se quidquid cordi esset Andronico, quantumvis illicitum, facturum, et ea declinaturum, quæ illi displicerent.* Certe mercenarius ille Patriarcha impiis promissis stetit : cum enim Andronicus Alexium juniorem interfici jussisset, ac imperium occupasset, alterius *nefarii voti compos factus* (verba sunt Nicetæ sub imperio Andronici lib. 1 num. 1) *a Patriarcha suo et concilio aliam gratiam petit, ut jurejurando, quod imperatori Manueli et infelici ejus filio dederat, solvatur, ac ceteri una, quos sacramenti ceperat oblivio. Illi vero, quasi absque ullo discrimine, et vinciendi et solvendi quemlibet, potestatem divinitus accepissent, statim litteris publice affixis, impunitatem scelerum perfidis concesserunt.* Deinde Nicetas ibidem explodit vanam ac brevem mercedem, quam Andronicus rependit ignavis istis aulæ mancipiis, inter quæ improbus hic Patriarcha primum locum obtinebat.

qui ab imperatore Isaacio ob quamdam offensionem,

853 Cum autem Isaacius Angelus post ignominiosum Andronici supplicium imperio potitus esset, fortuna Patriarchæ periclitari cœpit, quamvis hic tunc etiam tempori caute serviret, ut satis indicat Nicetas, dum sub imperio Andronici B lib. 2 num. II narrat, Isaacium a tumultuante populo coronatum fuisse, et novum imperatorem ex maximo templo discessisse, *etiam Basilio Camatero patriarcha comitante, quem populus, quamvis invitum, approbare acta illa compulerat.* Attamen novus imperator non diu Basilium dignitate sua frui passus est, ut laudatus Nicetas sub imperio Isaacii Angeli lib. 2 num. 4 testatur his verbis : *Principatum adeptus Isaacius, Basilio Camatero, quamquam ejus ope maxime adjutus, patriarchatu dejecto (causa prætexebatur, quod, quas nobiles matronas Andronicus in monasteria invitas abstrusisset, iis ipse, nigro vestitu deposito, reditum ad pristinum habitum et vitæ rationem concessisset) Nicetam Muntanum pro eo patriarcham designavit.*

quam Nicephorus Callistus aliter exponit,

854 Vix intelligo, quam expulsionis causam nobis obtrudat Nicephorus Callistus, qui apud Bandurum tomo 1 sæpe laudati laudandique operis pag. 198 de hoc Patriarcha sic scribit : *Basilius diaconus et Chartophylax magnæ ecclesiæ, cog-* C *nomento Camaterus et Phylacopulus, sub Andronico patriarcha fuit, et ab Isaacio Angelo expulsus est, ne alium coronaret, qui se coronaverat. Occasio autem depositionis fuit, quod projectis in caput mulieris (pannis) benedictionem fecisset. Patriarchatum vero tenuit annis duobus et dimidio.* At longe probabilior nobis videtur occasio depositionis, quam indicat Nicetas Choniata, qui circa hæc tempora florebat. Nunc indagabimus annum, quo Isaacius imperator Basilium e sede Constantinopolitana dejecit.

circa initium anni 1186 e sede sua dejectus est.

855 Theodorus Balsamon synchronus in Commentariis ad Nomocanonem Photii tit. 13 cap. 2 citat decretum Isaacii Angeli, quod editum est *Indictione* IV, *anno* VIMDCXCIV, *cum dominus Basilius Camaterus patriarcha esset.* Cum itaque Indictio quarta et annus mundi 6694 a Calendis Septembribus æræ Christianæ MCLXXXV fluere cœperint, ex hoc testimonio certiores reddimur, illum post hoc tempus adhuc in cathedra Constantinopolitana sedisse. Baronius, Pagius, et Bandurus expulsionem illam ad annum Christi MCLXXXVI referunt, et eodem anno ipsi successorem assignant. Libenter amplectimur hanc unanimem illorum sententiam, quæ cum chronotaxi nostra optime concordat : plerique enim catalogi cum Nicephoro Callisto duos annos et sex menses episcopatui ipsius adscribunt. Si ergo secundum supradicta, administrationem Basilii post medium anni MCLXXXIII inchoaverimus, et cum plerisque catalogis duos annos ac sex menses episcopatus ejus numeremus, ingrediemur annum Christi MCLXXXVI, quo is expulsus est, et locum illius occupavit

Sec. XII.

XCIV NICETAS II, cognomento Muntanes.

Isaacius mox ei subrogat Nicetam,

Nicetas Choniata sub imperio Isaacii Angeli lib. 2 num. 4 de hoc imperatore sic scribit : *Nicetam Muntanum pro eo* (videlicet Basilio Camatero exauctorato) *patriarcham designavit, ecclesiæ maximæ sacellarium; sed ne hunc quidem, hominem natu maximum, in sacra sede exspirare passus, invitum expulit, senium et delirium et levitatem causatus.* Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 922 de isto Nicetæ Choniatæ textu lectorem ita monet : *At ex hisce Nicetæ verbis non sequi-* E *tur, Nicetam Muntanum statim e patriarchatu pulsum, ut perperam existimavit Baronius : siquidem illa verba denotant tantum, hunc Patriarcham, etsi senex esset, ante mortem suam dignitate motum fuisse.* Pagius in Critica ad annum Christi MCLXXXVII num II eamdem Baronii explicationem refert, ab eaque recedit.

in cujus gubernatione commutanda sibi Baronius non constat,

857 Verum Baronius in hac opinione sua non videtur secum constare : nam in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCLXXXVII num. 2 hæc habet : *Hoc eodem anno, Basilio Camatero patriarcha Constantinopolitano in ordinem redacto ab imperatore, in locum ejus subrogatus Nicetas, cognomento Mundanus, qui, ut Nicetas Choniata tradit, statim ejectus est, Leontiusque monachus suffectus.* At Eminentissimus auctor oblitus est prioris suæ interpretationis, aut eam revocavit, dum in iisdem Annalibus ad annum Christi MCXCIII num. 25 ita scripsit : *Quod spectat ad res Orientalis ecclesiæ hoc anno Isaacius Angelus imperator loco amovet Nicetam Mundanum patriarcham Constantinopolitanum, cum annos sex, atque sex sedisset menses, de quo hæc Nicetas Choniata.* F Tum subdit ipsa Choniatæ verba, quæ nos supra dedimus, et ex quibus Eminentissimus scriptor antea collegerat, Nicetam Muntanem statim ab Isaacio Angelo imperatore ejectum fuisse. Hæc inter se conciliet, qui potest, dum nos interim annos episcopatus ejusdem Patriarchæ indagamus.

et catalogi dissentiunt,

858 Methodius monachus apud Allatium in Exercitatione contra Creygtonum pag. 330 Nicetæ Muntani unum dumtaxat annum tribuit, ut Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 924 testatur. At Philippus Cyprius et Matthæus Cigala sex annos et sex menses eidem adscribunt. Catalogus, quem Onuphrius Panvinius sequitur, etiam tot annos, totidemque menses exprimebat. Nicephorus Callistus multum ab his discrepat, dum apud Bandurum tomo 1 pag. 198 de illo sic scribit : *Nicetas Muntanes diaconus, magnus sacellarius magnæ ecclesiæ, eodem imperante Isaacio, annis* III, *diebus* X. *Expulsus autem est, accusatus, quod sacra faciens in bemate minxisset.* Ad Nicephorum proxime accedit catalogus Labbeanus, qui eidem tres annos et sex menses assignat.

859 Quandoquidem igitur Nicephorianus trium

annorum

SEC. XII. *etsi probabilius circa medium anni 1189 exauctoratus fuerit,*

annorum computus aliunde confirmatur, illum tamquam antiquiorem amplectimur, et Nicetæ tribuimus tres annos, quibus forte addendi sunt sex menses, quos Nicephorus Callistus omiserit, et qui ab omnibus fere catalogis exprimuntur. Si ergo ab ineunte anno MCLXXXVI, quo initium Nicetæ patriarchæ supra fiximus, tres annos ac sex menses numerare voluerimus, pertingemus usque ad medium anni MCLXXXIX, quo Isaacius Angelus imperator ei successorem subrogavit. Solus Nicephorus Callistus Nicetæ Muntani Dositheum immediate subjungit; sed probabilius est, ut ex infra dicendis apparebit, quod Nicetæ successerit

XCV LEONTIUS, cognomento Theotocites.

quando ei successit Leontius,

Occasione hujus Patriarchæ Nicetas Choniata lib. 2 de Isaacio Angelo imperatore num. 4 narrat sequentia : *Cum autem diligentius de gubernatore CP. ecclesiæ cogitaret, Leontium monachum quemdam, magnum pastorem designat, in populi frequentia pro tribunali jurejurando testatus, eum virum, prius ignotum, sibi a Dei Genitrice noctu esse demonstratum, non forma et virtute ejus dumtaxat descripta, sed loco etiam ostenso, in quo habitaret. Verum eo quoque Dei-Genitricio, priusquam annus elaberetur, repudiato, nihil verecundatus, quod coram tam multis eum, ut divinum hominem, laudibus extulisset, mutationem instituit, Hierosolymitanum Dositheum ad œcumenicum patriarchatum evecturus.* Haud dubie Leontius ille ab hoc imperatoris figmento cognomen Theotocitæ accepit.

B

qui post septem menses anno 1190 deserere coactus est.[1]

861 Nicephorus Callistus brevem illius gubernationem ita determinat : *Leontius, Theotocites dictus, abbas sanctorum Apostolorum in colle sancti Auxentii, de quo dicebat imperator, Deiparam illum sibi noctu ostendisse, sedem tenuit mensibus* VII, *et abdicatione facta, depositus est, dicente iterum Isaacio imperatore : Deipara ita jubet.* Omnes alii catalogi apud Bandurum etiam tantummodo septem administrationis menses ei assignant. Itaque manifestus error irrepsit in catalogum Labbeanum, qui eidem duos annos tribuit; cum Nicetas synchronus diserte asserat, ipsum exauctoratum fuisse, *priusquam annus elaberetur.* Computatis his septem mensibus, ingrediemur mensem Februarium anni MCXC, quo tempore (puta circa Nonas istius mensis) Leontio successor assignandus est

C

XCVI DOSITHEUS.

Cum imperator Dositheum a sede Hierosolymitana

Hic fuit monachus Studita, qui Isaacio Angelo imperio prædixisse fertur, et imposturis suis animum Isaacii abalienavit a Frederico, quasi hic sub prætextu expeditionis contra Saracenos Græcum imperium affectaret. Propterea in præmium suorum vaticiniorum primo patriarchatum Hierosolymitanum, deinde Constantinopolitanum obtinuit, ut Nicetas Choniata loco proxime citato exponit, ubi etiam de illo hæc subnectit : *Is vates erat Dositheus quidam, Studiensis monachus, Venetiis oriundus et patre Viticlino, ut ferebatur, natus, qui Isaacio, cui familiaris erat, privato adhuc imperium prædixerat : qua prædictione eventu comprobata, summo honore et auctoritate apud hunc imperatorem florens, Hierosolymorum patriarcha post Leontii viri eruditi et virtute celebris obitum designatus est.*

D

ad Constantinopolitanam transferre cuperet,

863 Occasione hujus Dosithei, Nicetas ibidem narrat, quomodo Isaacius imperator lepide deluserit Theodorum Balsamonem, qui titulo patriarchæ Antiocheni insignitus erat; sed propter occupatum a Latinis Antiochiam Constantinopoli degebat. Isaacius Leontium e sede Constantinopolitana expulerat, ut superius ex Niceta diximus, *Hierosolymitanum Dositheum ad œcumenicum patriarchatum evecturus : quod cum canones non permittere sciret, Theodorum Balsamum, magnæ Antiochiæ episcopum, virum ea ætate jurisconsultissimum, astu circumvenit, et in privato colloquio indignationem simulat, quod ecclesia piis et doctis viris ita destituatur, et monastica virtus ita absoleverit atque evanuerit, ut nemo sit, qui universalem sedem, non secus ac solis irrequietus circuitus orbem terrarum, illustret, cœtumque fidelium quam optime gubernet.*

callide delusit Theodorum Balsamonem,

864 *Hæc et id genus alia non sine dolore præfatus subjunxit, olim fuisse sibi in animo illum ex Antiochena sede in œcumenicam, ut illustrem legalis puritatis lucernam, transferre; sed ab ea mutatione veterum canonum et ecclesiasticarum sanctionum interdicto deterreri. Si vero ipse, ut legum et canonum peritissimus, translationem, ut olim, ita nunc quoque habere locum, demonstrare ac vulgo persuadere possit, se omnino id in lucro deputaturum, eumque (modo liceat) incunctanter designaturum. Hoc modo tractatus Theodorus, omnia rata fore affirmavit. Postridie concilio pontificum in æde sacra indicto, et quæstione illa agitata, translatio statim concessa, et litteris imperatoriis confirmata est. Ac Antiochenus, ut ante fuerat, ita mansit Antiochenus.* Sic nempe callidus imperator Theodorum inani Constantinopolitanæ sedis obtinendæ spe lactaverat, ut is potius e re sua, quam ex ecclesiæ praxi, canones explicaret.

E

et tamen Dositheum brevi deponere coactus est,

865 Isaacius itaque hac auctoritate munitus propositum suum executioni mandavit, ut Nicetas ibidem narrare pergit hoc modo : *Dositheus vero a sede Hierosolymitana Constantinopolim est translatus cum tam frequenti et splendido comitatu, ut haud dubie regium triumphum æquaret. At primarii sacerdotes, ceterique facundia insignes, qui se, canonibus temere violatis, deceptos videbant, obstupefacti, cum risum diutius perferre non possent, extraordinaria conciliabula et plebis conventicula instituunt. Alienæ ecclesiæ occupator audit Dositheus; secundo honore abrogato, e sede educitur. Imperator vero ignominiam illam non ferens, omnibus modis adversatur; ac nihil non facit, ut approbata illa translatio valeat. Nec multo post, abrogatione sublata, Dositheumque denuo confirmatum per bipenniferos satellites et palatinos proceres, in sacram ædem deducit, populi motum veritus : erat enim Dositheus ob ambitionem et imperatoris intempestivam pertinaciam, et parum laudatum sui studium omnibus invisus. Ceterum rursus sede ejicitur, eodemque modo, quo canis Æsopicus, et pontificatum, quem tenuerat, amittit (nam alius Hierosolymis electus erat) et majori sede excidit, magno vasorum custode Xiphilino Georgio patriarcha designato.* Nicephorus Callistus de Dosithei successione et reditu Hierosolymam aliter loquitur; at Nicetæ synchrono in hac re majorem fidem adhibemus.

F

866 De tempore, quo hic Patriarcha sedem Constantinopolitanam tenuit, plerique catalogi inter se dissentiunt : nam Philippus Cyprius et

catalogus

A

cum hic anno et medio usque ad Augustum anni 1191 cathedram CP. occupasset.

catalogus Labbeanus administrationi ipsius tres annos tribuunt; catalogus vero Onuphrii Panvinii annum unum; Matthæus Cigala duos; ac denique Nicephorus Callistus annum et dimidium eidem adscribunt. Catalogus autem Juris Græco-Romani tempus gubernationis non expressit. Quare hoc loco sequimur antiquiorem Nicephori Callisti catalogum, quocum alter unius aut duorum annorum computus non difficulter juxta rotundum numerandi modum componi potest, et Dositheo concedimus annum ac dimidium, quo temporis intervallo supputato, perveniemus ultra medium anni MCXCI, et depositionem ipsius affigemus Nonis Augusti, cum ille circa Nonas Februarias anni MCXC in locum Leontii suffectus fuerit, ut supra statuimus.

XCVII GEORGIUS II, cognomento Xiphilinus.

Mense Augusto anni 1191 in locum Dosithei

B

Theodorus Balsamon, mendacissimus Romanæ Ecclesiæ calumniator, commentarios suos in Nomocanonem Photii, jussu Manuelis Comneni imperatoris et Michaëlis Anchialini patriarchæ inceptos, huic Georgio nuncupavit, eumque impense laudat, ut Eminentissimus Baronius ad annum Christi MCXCI num. 50, aliique scriptores passim affirmant. Cum simile gaudeat simili, ut habet vetus adagium, ex hac Theodori Balsamonis dedicatione non temere suspicabimur, hunc Patriarcham Constantinopolitanam etiam schismati adhæsisse. Porro ex historia istius temporis aliisve antiquis monumentis certum episcopatus illius initium figere non possumus; sed juxta hactenus deductam chronotaxim nostram probabiliter putamus, ipsum mense Augusto anni MCXCI ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse. Hæc opinio nostra cum tempore administrationis optime convenit, et sequenti chronologiæ non repugnat, ut per decursum patebit.

succedere potuit Georgius Xiphilinus

868 Hunc Georgium Xiphilinum anno Christi MCXCVII in cathedra Constantinopolitana sedisse, constat ex ipsius decreto de juribus territoriorum, quod lib. 4 Juris Græco-Romani pag. 283 sic incipit: *Mensis Februarii die quarta, feria secunda,*

C

Indictione decima quinta, præsidente sanctissimo domino nostro et universali patriarcha, domino Georgio, in Thessalo adsidentibus in concilio magnæ ipsius sanctitati sacratissimis pontificibus, Stephano Amaseno, etc. Imo illum mense Februario anni sequente adhuc eidem ecclesiæ præfuisse, liquet ex constitutione Joannis Camateri, successoris ipsius, quæ ab ipso edita est *mense Februario, Indictione secunda*, seu anno Christi MCXCIX, et ibidem in Jure Græco-Romano pag. 285 post alia sic habet: *Cum Alexius Capandrites sub decessore nostro sanctissimo patriarcha comparuisset coram sacro consessu sanctæ synodi nostræ mense Februario, præterita prima Indictione, narravit, se matrimonio legitimo fuisse copulatum Eudociæ*, etc. At mensis Februarius Indictionis primæ designat annum Christi MCXCVIII, quo usque ad finem mensis Maii sedem suam tenere potuit, ut ex annis gubernationis ipsius jam ostendemus.

cui plerique catalogi annos sex et aliquot menses tribuunt,

869 Nicephorus Callistus tempus episcopatus ejus ita accurate notat: *Georgius Xiphilinus diaconus, et magnus vasorum custos, eodem imperante* (nempe Isaacio Angelo) *annis* VI, *mensibus* IX, *diebus* XXVII, *et detonsus est in monasterio Phryganorum, quod exstruxerat, sub imperio Alexii Angeli, fratris Isaacii.* Catalogus Juris Græco-Romani dies XXVII pro mense sic computavit: *Georgius Xiphilinus, magnus vasorum custos, qui cum annos* VI, *menses* X *præclare ac religiose vixisset, ad Dominum migravit. Et quoniam aberat peregre dominus Alexius augustus, domini Isaacii frater, in expeditione Occidentali, caruit suo patriarcha thronus mensibus duobus.* Matthæus Cigala et Philippus Cyprius eumdem annorum ac mensium numerum exprimunt, et posterior etiam de bimestri sedis vacatione meminit; catalogus vero Labbeanus, omissis mensibus et diebus, tantum sex annos ei adscribit.

SEC. XII.

licet Nicetas Choniata ei septem annos rotunde adscribat,

870 Cum Nicephoro Callisto, aliisque facile conciliari potest Nicetas Choniata, qui occasione cujusdam controversiæ, quæ sub hoc patriarcha inter Græcos orta fuerat, lib. 3 imperii Alexii Comneni num. 3 rotunde septem annos episcopatui ejus ita assignat: *Eodem tempore dogma de divinis mysteriis vulgatum Christianos in factiones divisit. Unde in foro et triviis res veneratione et silentio dignæ palam contemnebantur: nam Georgio Xiphilino septem annis patriarchatu functo, Joannes Camaterus successit, qui, cum opinio, quæ sub Xiphilino pullularat, radicitus exstirpanda, et ejus auctor nequam monachus Sicidites, ut hæresiarcha et homo seditiosus condemnandus fuisset, et aliis ipsius exemplo silentium imperandum, ut mysterium rursus esset mysterium, disserendi arte et demonstrationibus, quæ adversarium convincerent, in rebus humani ingenii captum excedentibus, et artificium respuentibus, usus est.* Erat autem quæstio de Eucharistia, et inter aliquos controvertebatur, ut ibidem subdit Nicetas, *utrum Christi corpus post perceptionem incorruptibile sit, quale post passionem et resurrectionem fuit, an corruptibile, ut ante passionem.* At inter utramque partem de reali Christi præsentia conveniebat, ut colligitur ex ibidem allatis sanctorum patrum testimoniis, quæ rubore suffundere debent Calvinianos, qui ecclesiam Græcam sensui suo figurato patrocinari, contra manifestam veritatem impudenter contendunt. Sed ad rem nostram redeamus.

E

ita ut anno 1198 finem gubernationi suæ imposuerit..

871 Nos hic exacte sequimur distinctum Nicephori Callisti computum, quocum alii scriptores facile conciliantur, et Georgio Xiphilino tribuimus sex annos, novem menses, et dies viginti septem, quibus omnibus juxta superiorem chronotaxim scrupulose supputatis, ab inchoata per aliquot dies Augusto anni MCXCI (puta ab octava die istius mensis) attinges fere Nonas Junias anni MCXCVIII, ut calculum subducere volenti apparebit. His adde duos sedis vacantis menses, quos catalogus Juris Græco-Romani et Philippus Cyprius ante successoris electionem diserte exprimunt, et eodem anno MCXCVIII pervenies ad Nonas Augusti, circa quam diem Georgius Xiphilinus episcopatui suo finem imposuit, ut ex infra dicendis confirmatur. Hinc corruit chronologia aliquot patriarcharum, quos Pagius in Critica ad annum Christi MCXCI num. 16 leviter digessit, et ubi initium Georgii Xiphilini usque ad annum MCXCIV perperam distulit, quia non attendit ad tempus, quo ei succedere debuit

F

XCVIII JOANNES X, cognomento Camaterus.

Deinceps sæpe laudandus Annalium ecclesiasticorum continuator, illustrissimus Henricus

SEC. XII.

Mense Augusto anni 1198 cathedram CP. ascendit Joannes Camaterus,

Spondanus superiori chronologiæ nostræ fere omnino adstipulatur, et ad annum Christi MCXCVIII num. 30 initium hujus Patriarchæ sic recte collocat: *Quod attinet res ecclesiæ Græcorum*, inquit, *hoc eodem anno, die septima mensis Augusti factus est Constantinopoli patriarcha ex diacono et chartulario Joannes Camaterus post Georgium Xiphilinum, ut colligitur ex serie episcoporum Contantinopolitanorum in codice Juris Orientalis, ubi dicitur Georgius sedisse annos sex, menses decem, et post duos menses suffectus Joannes, qui præfuerit ad captam usque urbem a Francis et Venetis, annis quinque, mensibus octo, diebus septem: captam autem esse urbem Indictione septima, die decima tertia Aprilis*, id est anno Christi MCCIV, chronologi passim notarunt. Spondanus cum catalogo Juris Græco-Romani præter sex annos Georgii Xiphilini pro novem mensibus et viginti septem diebus *menses decem* rotunde numerat, et expugnationem urbis Constantinopolitanæ *die decima tertia Aprilis* ponit, quam alii die duodecima ejusdem mensis, feria secunda collocarunt. Sed non litigabimus de differentia paucorum dierum, ad quam
B chronotaxis nostra facile accommodari potest.

quem Romanus Pontifex ad unionem cum Latinis ineundam

873 Innocentius III Pontifex hunc Patriarcham cum suis subditis ad unionem Ecclesiæ Romanæ reducere conatus est, et propterea legatos una cum litteris Constantinopolim misit, Græcosque ad futuram synodum invitavit. Verum Joannes Camaterus datis ad Innocentium litteris dubitationes quasdam de primatu Ecclesiæ Romanæ proposuit, quas idem Pontifex responsione sua omnino dissolvit. Litteræ hujus Patriarchæ, et Romani Pontificis responsoriæ, aliæque ad eamdem rem spectantes inter epistolas Innocentii III, quas Baluzius duobus voluminibus edidit, tomo 1 pag. 471 et sequentibus legi possunt. Ex his lector satis clare intelliget, in tollendo schismate hic iterum Græcos more suo tergiversatos esse, et ad Pontifices Romanos dumtaxat recurrisse, quando eorum ope indigebant.

frustra allicere conatus est,

874 Certe desiderium Innocentii III tunc optato successu caruisse, testantur antiqua hujus Pontificis Acta, quæ Baluzius epistolis ejus in laudata editione præfixit, ubi coætaneus gestorum collector num. 62 de hac re sic loquitur: *Cum autem imperator et patriarcha litteras hujus-*
C *modi recepissent, et eas sibi fecissent diligenter exponi, non minimum doluerunt de his, quæ prius scripserant pœnitentes; quoniam imperator ex promissione sua cognoscebat, se obligatum, quod, cum Romanus Pontifex convocaret concilium generale, ipse debebat Græcorum ecclesiam ad concilium destinare, statuta concilii recepturam; patriarcha vero ex responsionibus Apostolicis super suis consultationibus factis cognoscebat, se tam rationibus quam auctoritatibus coarctatum ad obedientiam Romano Pontifici exhibendam. Imperator igitur habito cum Græcis longo consilio, ad ultimum sic respondit, quod si Romanus Pontifex faceret in Græcia celebrari concilium, ubi quatuor antiqua concilia fuerant celebrata, illuc Græcorum ecclesia suos mitteret responsales; et fingens se longius ire, ad aliam materiam se convertit, mittens summo Pontifici litteras, in quibus nitebatur probare, quod imperium sacerdotio præpollebat.* Tunc auctor ille synchronus ibidem subdit ipsam Innocentii epistolam, qua eidem imperatori hac super re nervose respondit.

quamvis ille tunc aliquod unionis desiderium simulaverit.

875 Videtur tamen hic Patriarcha cum aliis Græcis aliquamdiu tempori servivisse, et unionem cum Ecclesia Romana simulasse, quando Latini Isaacium e carcere liberarunt, et una cum filio suo Alexio Juniore in imperium restituerunt: D
nam anonymus Latinus, qui huic expeditioni interfuit, et cujus epistolam Edmundus Martene Thesauro novo anecdotorum inseruit, tamquam, testis oculatus, tomo 1 præfati Thesauri col. 788 post alia sic ad rem nostram scribit: *Aliud equidem multo melius et gloriosius antedictis subjunctum, propter quod principaliter ad civitatem regiam curavimus adventare, vobis satago explicare; videlicet quod ei usque ad negotium Salvatoris processimus, quod ecclesia Orientalis, cujus Constantinopolis caput exstitit, cum imperatore et universo ejus imperio capiti suo Romano Pontifici se esse filium recognoscit, et vult de cetero eidem more solito humilitate captiva devotius obedire. Ipse etiam ejusdem patriarcha huic aspirans operi (et) applaudens, suæ dignitatis pallium a summo Pontifice recepturus Romanam ulterius Sedem requiret, et super hac ipse cum imperatore jurationis præstitit cautionem.*

Constantinopoli a Latinis capta, ultro discessit,

876 Sed cum Latini anno MCCIV Constantinopolim expugnassent, Joannes Camaterus ea urbe excessit cum aliis Græcis schismaticis, inter quos etiam fuit Nicetas Choniata, qui in libro de rebus post captam Constantinopolim gestis discessum E
suum tragice describit, et hac occasione ibidem num. 5 de hoc Patriarcha sic meminit: *Antecedebat autem nos œcumenicus summus pastor, non peram ferens, non aurum in zona, sine baculo, sine calceis, una tunicula indutus, integer evangelicus apostolus, aut potius Christi exemplar, quatenus paupere asello vectus nova Sione discedebat, non autem triumphans illam ingrediebatur.* At quem Nicetas ob exteriorem paupertatis speciem hoc loco tam impense laudat, eumdem antea gravioris culpæ arguit, quod pravam quamdam opinionem de Eucharistia, ab hæretico monacho resuscitatam, non statim radicitus extirparit, sed in rebus humani ingenii captum excedentibus artem disserendi adhibuerit, ut superius num. 870 ex ipso retulimus.

quem Græcus poeta ab iis expulsum fingit,

877 Ephræmius poëta Græcus seculi XIV apud Bandurum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 928 de hoc Patriarcha sic canit:

Hoc defuncto (scilicet Georgio Xiphilino) *in sedem constituitur*
Camaterus dulciloquus Joannes,
In sapientiæ et sermonum omni genere exercitus, F
Et peritiam in divinis dogmatibus habens;
Cum esset ecclesiæ levita chartophylax,
Sub quo Latini urbem sibi obnoxiam fecerunt.
Is misere expulsus a Latinis
Sede patriæ meæ Byzantii,
Perveniens in Didymothæchum,
Et fato functus, reliquit lumen solis.

At Ephræmius poëtica et Græca fide hic nobis narrat, Joannem Camaterum a Latinis ex urbe Constantinopolitana ejectum fuisse: nam Georgius Acropolita huic tempori proximus, in sua Historia num. 6 de Latinis post captam Constantinopolim ita scribit: *Itali urbe potiti civibus potestatem fecere, ut qui vellent, manerent, ac subdititii essent; qui nollent, libere quo vellent, proficiscerentur.* Deinde ibidem refert, quomodo inter alios Theodorus Lascaris, relicta urbe Constantinopolitana, Nicæam occupaverit, ibique novam imperii sedem constituerit. Itaque verosimillimum est, Patriarcham illum ultro discessisse, eo quod Romano Pontifici et Latinis subesse nollet. Sed quæcumque fuerit discessus causa, nos ad chronotaxim ipsius revertamur, et discutiamus, utrum ea

A cum sequenti tempore, ac aliis testimoniis cohæreat.

cum ab anno 1198 usque ad annum 1204 Constantinopoli sedisset.

878 Catalogus Juris Græco-Romani tomo 1 pag. 303 tempus hujus Patriarchæ sic accurate notavit : *Joannes diaconus et chartularius Camaterus, eodem Alexio imperante ; præfuitque ad captam usque urbem annis quinque, mensibus octo, diebus septem ; vixit et post captam urbem annis duobus, mensibus duobus, diebus quatuordecim. Et capta fuit urbs Indictione septima, die decima tertia Aprilis. Post urbem vero captam, quod accidit anno mundi sexies millesimo septingentesimo duodecimo* (is orbis conditi annus juxta computum recentiorum Græcorum in annum Christi MCCIV etiam incurrit) *quoniam hic Patriarcha in Didymoticho diem obierat, vacavit thronus annum unum, menses decem.* Philippus Cyprius circa sedis ac vitæ annos, menses et dies cum isto catalogo plane concordat.

Nicephorus Callistus de loco commorationis et morte ejus alia scribit,

879 Nicephorus Callistus de tempore illius Patriarchæ cum aliis consentit ; sed in quibusdam historiæ circumstantiis discrepat, dum apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 198 sic de

B ipso scribit : *Joannes Diaconus et chartophylax Camaterus sub eodem Alexio usque ad captam Constantinopolim annis quinque, mensibus octo, diebus septem. Vixit autem Hadrianopoli post captam urbem annis duobus, mensibus duobus, diebus quatuordecim ; et obsidentibus Latinis, ex aquæ penuria obiit, cum antea, postulantibus iis, qui Nicææ erant, et Theodoro Lascari, abdicasset.* Nescio, ubi Nicephorus hæc de mortis loco et modo invenerit, cum antiquiores historici tradant, Joannem Camaterum placide obiisse Didymotichi, quæ est urbs Thraciæ in monte ad Hebrum fluvium sita, et ab Adrianopoli diversa.

quam Nicetas Choniata et Georgius Acropolita,

880 Nicetas Choniata agens de imperio Balduini Flandri, et irrita Didymotichi obsidione num. 8 minime violentam istius Patriarchæ mortem indicat his verbis : *Tunc Joannes Camaterus patriarcha, qui post exilium Didymotichi inquilinum agebat, vitam cum levi morte commutavit.* Georgius Acropolita in præfata Historia num. 6 etiam asserit, Joannem Camaterum post captam a Latinis Constantinopolim Didymotichi vixisse, eumque ibidem ante mortem dignitati suæ ultro renuntiasse sic tradit : *Duobus itaque annis integris*

C *cum omnibus, uti despota, Lascaris agnosceretur, conventusque ex viris celeberrimis ac ecclesiæ primatibus Nicæam concurrentibus haberetur, illud inter eos agitatum est, qua ratione Theodorus, ad illa usque tempora despota, imperator acclamaretur. Patriarcha non aderat : Joannes quippe Camaterus, qui patriarchale solium, Italis Byzantium expugnantibus, honestabat, Didymothœchum abierat, ibique commorabatur : accersitus a Lascari aliisque, scripto etiam patriarchatui renuntians, noluit accedere ; ideo in ejus locum Michaël Auctorianus sufficitur.* Nicetas synchronus et Georgius suppar in his rebus majori fide digni sunt, quam Nicephorus junior, et idcirco potius illis, quam huic, circa ista historiæ adjuncta credimus.

ex quorum verosimiliori narratione corollaria aliquot deducimus.

881 Ex his testimoniis primo sequitur, errasse Ludovicum Thomassinum, dum in Opere suo de Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina part 1 lib. 1 num. 5 ita scribit : *Patriarcha Græcus Joannes Camaterus Nicæam concessit cum Græco imperatore.* Secundo juxta plerosque catalogos inferimus, Joannem Camaterum annis quinque, mensibus octo, ac diebus septem Constantinopoli sedem tenuisse, cum illam anno Christi MCXCVIII circa Nonas Augusti ascenderit, ut supra statuimus. Tertio ex dictis colligimus eumdem Patriarcham post Didymotichianam unius anni ac decem mensium commorationem, mense Februario anni MCCVI dignitatem suam abdicasse, et eodem anno circa finem Junii obiisse, cum interim Michaël Auctorianus mense Martio ejusdem anni MCCVI in locum ipsius suffectus esset, ut postea probabimus, quando prosequemur seriem patriarcharum Græcorum, quæ hic diutius interrumpenda est propter antistites Latinos, qui patriarchalem cathedram occuparunt Constantinopoli, donec Græci hanc urbem recuperarunt. Interea præsules Græci, qui consueto patriarchæ Constantinopolitani titulo gloriabantur, sedem suam in urbe Nicæna collocarunt usque ad annum Christi MCCLXI, quo Constantinopolim reversi sunt, et rursus cathedram patriarchalem in ea urbe fixerunt, ut infra seculo XIII videbimus. SEC. XII.

E

PARERGON IX.

De patriarchis Latinis, qui ab anno Christi MCCIV usque ad MCCLXI Constantinopoli sederunt.

I THOMAS, cognomento Moresini.

Capta a Latinis Constantinopoli anno 1204, patriarcha CP. eligitur Thomas,

Cum inter præcipuos Constantinopolitanæ urbis expugnatores Francos et Venetos conventum esset, ut quorum pars imperatorem haberet, alteri cederet gentis suæ patriarcham, Balduino Flandro ad imperium evecto, primus Latinorum patriarcha Constantinopolitanus electus est Thomas Maurocenus, natione Venetus, qui mox Romam properavit ad Innocentium III Papam, ut ab eo dignitatis suæ confirmationem obtineret. Hæc in Chronico Andreæ Danduli, F quod inter Scriptores rerum Italicarum tomo 12 nuper editum est, col. 331 sic breviter referuntur : *Clerus postea catholicus Venetorum canonicos in ecclesia sanctæ Sophiæ præfecit, qui venerabilem virum Thomam Mauroceno, genere nobilem et moribus circumspectum, patriarcham Constantinopolitanum concorditer elegerunt ; electus quoque electioni consentiens cum imperialibus et Ducis nuntiis pro obtinenda confirmatione Romam perrexit.*

cujus electionem

883 Paulus Rhamnusius in Historia de bello Constantinopolitano, Venetiis anno MDCXXXIV recusa, lib. 3 pag. 144 et sequentibus electionem illam fusius, sed non magis integre memorat his verbis : *Balduino imperatore coronato, juxta seriem pactorum, in quæ Galli et Veneti ante urbem captam consenserant, Thomas Maurocenus a Venetis sacerdotibus, privo suffragio, Constantinopolitanus patriarcha vetere Orientis more in divæ Sophiæ æde, ubi dudum Græci metropolitæ, qui in Constantinopolitani imperii ditione censentur, solennibus auspiciis patriarcham designare consueverant, absens nec ambiens, sola probitatis et eruditionis opinione declaratur, totique Orientis ecclesiæ præficitur.*

884 Tum

Sec. XIII. Latini præsules CP.

et virtutes

884 Tum exponit quasdam ecclesiæ Constantinopolitanæ prærogativas, et Thomæ pietatem aliasque dotes ita laudat : *Ceterum Maurocenus Venetiis patricia familia natus, cum supra generis antiquum decus, amplissimam ex sacris studiis laudem spectaret, plane adolescens abdicata Maurocenæ gentis præclara nobilitate, et spreto demum omni patrimonio, cum rerum humanarum satietas illum cepisset, amore religionis in Portuensis cœnobii, quod virorum sanctitate illustrium seminarium fuit, sacratis septis se inclusisse dicitur. Ibi vitæ duritiem perferens, nec a suscepta professione vel paululum discedens, tantam eo seculo ab universa Italia et Venetia * regione pietatis laudem promeruit, ut ceteris præteritis et repulsam ferentibus, patriarchatum omnibus Venetorum suffragiis adipisceretur.* Quæ hoc loco scriptor ille de professione cœnobitica narrat, fidei ipsius relinquimus, cum ea alibi non invenerimus.

* *forsan* Veneta

narrat Paulus Rhamnusius;

885 Denique auctor ibidem pag. 146 addit sequentia : *Ea de re Venetias Dandulus ad Raynerium filium, et Ravennam subinde ad Maurocenum per certos homines conscriptis litteris illos rerum omnium certiores fecit. Petebat Dandulus, ut postquam Veneti cleri suffragiis patriarcha Constantinopolitanus, aspirante cœlesti numine, esset creatus,* B *Græcam ecclesiam capite indigentem diutius frustrari nollet, tantamque Romanæ Ecclesiæ, cui sese Orientalis dudum subjecisset, vel augendæ vel illustrandæ occasionem prætermittere; sed acceptis de manu summi Pontificis Innocentii, tamquam supremi omnium ecclesiarum auctoris, solennibus ornamentis, ejusque sacrosanctis pedibus exosculatis, rebus omnibus ad navigandum paratis, Constantinopolim primo quoque tempore maturaret, ut quod Deo optimo maximo Venetisque deberet, opportuna ope afflictis Græcæ ecclesiæ rebus allata, religiose persolveret.*

sed tacet, quædam in hac electione Pontifici displicuisse

886 Sed Rhamnusius silet ea, quæ tunc et deinceps ob quasdam hujus electionis circumstantias Sedi Romanæ displicuerunt : nam Pontifex Romanus primo electionem ipsius illegitimam esse declaravit, eo quod contra canones a clericis potestatem non habentibus et a laicis facta fuisset. Deinde tamen Innocentius propter preces imperatoris Balduini, aliasque justas causas, auctoritate sua eumdem Thomam elegit, et Romæ C anno Christi MCCV episcopum consecravit, eique varia privilegia concessit; ut authentice ac fuse narratur a num. 92 in antiquis Innocentiis III Gestis, quæ Baluzius ante epistolas ejusdem Pontificis tomo 1 typis vulgavit.

et Thomam aliqua pacta cum Venetis inivisse,

887 Ex iisdem Gestis discimus, eumdem Patriarcham Constantinopolitanum post consecrationem suam Roma Venetias profectum esse, ibique illicita quædam pacta cum Venetis inivisse, quæ Innocentius postea irritavit. Cum vero Thomas Venetiis Constantinopolim appulisset, clerici Franci illum recipere noluerunt, causantes subreptitiam ejus electionem, donec a legato Pontificis illuc misso concordia stabilita est. Sed cum novus Patriarcha juxta memoratas pactiones, quas cum Venetis inire coactus fuerat, beneficia ecclesiastica solis Venetis conferret, Innocentius Papa anno Christi MCCVI, datis ad legatos suos litteris, Thomam moneri jussit, ut ex quacumque natione viros litteratos et idoneos in ecclesia Constantinopolitana constitueret. Cum autem legati Innocentio significassent, Thomam de solis Venetis promovendis juramentum præstitisse senatui Veneto, idem Pontifex per litteras ipsimet Thomæ declaravit, istud juramentum nullius roboris esse. Illa Pontificis epistola, alia- D que huc spectantia in præfatis Gestis et variis ejus litteris apud Baluzium legi possunt.

quæ Innocentius Papa irritavit.

888 Non videtur tamen hic Patriarcha statim voluntati Pontificis paruisse, cum Innocentius *anno tertiodecimo* pontificatus sui, id est anno Christi MCCX, illum rursus de eadem re monuerit aliis litteris, quæ in editione Baluziana lib. 13 epist. 18 inter cetera sic habent : *Quia..., prout caro et sanguis revelavit tibi, solos Venetos vel subjacentes eisdem in ecclesia tua promoves, Francos et alios probos viros alterius nationis, quam tuæ, promovere contemnens, volentes ut ab hujusmodi revoceris abusu, per quem divinam et nostram incurrere posses offensam, fraternitatem tuam monemus attentius, et hortamur, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus de personis idoneis et honestis undecumque acceptis ecclesiam tuam taliter ordinare procures, quod in ordinatione ipsarum magis merita quam personas attendere videaris.*

Cum Thomas anno 1211 ex hac vita migrasset,

889 Anno sequente Thomas obiit, ut intelligitur ex litteris, quas Innocentius III mense Augusto et Septembri *anno quarto decimo* sui Pontificatus seu Christi MCCXI scripsit, et quæ in edi- E tione Baluziana lib. 14 epist. 97 et 98 leguntur. Post obitum ipsius de successore eligendo dissidium exortum est, ut ex priore Innocentii epistola patet, et Odoricus Raynaldus ad eumdem annum num. 24 indicat his verbis : *Hoc anno* (videlicet Christi MCCXI) *defuncto Thoma Mauroceno, Constantinopolitano patriarcha, Innocentius convulsis, quæ minus legitime erant gesta ab iis, ad quos ea electio pertinebat; quorum alii ejus ecclesiæ decanum in locum demortui subrogarant, alii tres alios renuntiarant, electionem ad leges canonicas revocari jussit.*

et de successore eligendo dissidium ortum esset.

890 Spondanus ad annum Christi MCCXV num. 12 de eadem controversia sic scribit : *Accidit illa post obitum Thomæ, primi ejus ecclesiæ patriarchæ, quem ex Regesto Innocentii Pontificis reperimus decessisse Thessalonicæ, circa mensem Junii, anni ejusdem Innocentii Pontificatus decimi quarti, nempe Christi* MCCXI, *fuisseque magnam pro electione successoris inter Venetos ac ceteros ejus ecclesiæ clericos dissensionem, quæ diutinam induxit sedis vacationem. Exstatque etiam in collectione Decretalium* (integras de hac re litteras, quarum pars Juri canonico inserta est, apud laudatum Baluzium lib. 15 epist. 156 licet legere) *ejusdem* F *Innocentii constitutio de lite, ea de re vertente inter archiepiscopum Heracliensem et L plebanum S. Pauli Venetiarum; cum nihilominus ex Regesto constet, etiam alios hinc inde diversis vicibus electos tumultuose fuisse.* Porro lis ea indecisa mansit usque ad tempus concilii Lateranensis IV; quod mense Novembri anni MCCXV celebratum est, quando ab Innocentio Papa ad sedem Constantinopolitanam evectus est

II GERVASIUS aliis EVERHARDUS.

Pontifex ad sedem CP. evexit Gervasium vel Everhardum,

Nonnulli scriptores apud Cangium in Historia Constantinopolitana, Parisiis anno MDCLVII Gallice impressa, lib. 2 num. 20 tradunt, Fantinum Dandulum Thomæ Mauroceno successisse. Sed eorum opinio erroris convincitur ex Alberico, synchrono trium Fontium monacho, qui in suo Chronico editionis Leibnitzianæ ad annum MCCXXVII ita scribit : *Patriarcha Constantinopolitanus*

tanus

A *tanus erat hoc anno Matthias, tertius illorum, qui de latinitate in eadem sede assumpti sunt. Primus eorum dictus est Thomas, de Venetia natus; secundus Gervasius suis* (Menckenius tomo 1 rerum Saxonicarum in lectionibus emendatioribus Chronici Alberici col. 84 pro *Gervasius suis* legit *Gerartius;* at ego suspicor pro *suis* scribendum esse *fuit*) *de Tuscia assumptus.* De tempore tertii hujus patriarchæ juverit infra meminisse.

rejectisque aliis competitoribus, eum in concilio Lateranensi confirmavit

892 Cangius in laudata Historia Gallica imperii Constantinopolitani, loco proxime citato affirmat, præsulem Heracleensem et parochum S. Pauli de patriarchatu Constantinopolitano litigasse, illosque hujus litis causa Romam venisse eo tempore, quo Innocentius III concilium IV Lateranense celebrabat. Deinde ibidem addit, electionem utriusque in synodo examinatam fuisse, et, ambobus rejectis, hunc Gervasium electum esse, qui tamquam patriarcha Constantinopolitanus reliquo concilio interfuerit. Certe Godefridus monachus coævus in Annalibus suis, inter scriptores rerum germanicarum e bibliotheca Freheriana editis, ad annum Christi MCCXV occasione synodi
B Lateranensis de hac re sic scribit: *Eodem etiam anno Papa Romæ concilium habuit..... Constantinopoli duo in patriarcham electi Romam venerunt, qui ambos consilio cardinalium deposuit, et tertium substituit, et investivit, et ad sedem propriam remisit.* Conradus abbas Urspergensis, aliique chronographi ad eumdem annum tradunt, patriarcham Constantinopolitanum huic concilio Lateranensi interfuisse, quod cum Cangii opinione optime concordat.

mense Novembri anni 1215, ut ex ipsis Gervasii litteris probatur.

893 Ex his concludo, Gervasium mense Novembri anni MCCXV ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse. Hoc initium confirmatur ex ipsis Gervasii litteris, quæ apud Camuzatum in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis fol. 313 verso sic incipiunt: *Gervasius permissione divina sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha dilecto filio Guerrico Priori sancti Salvatoris Mothonensis diœcesis salutem et patriarchalem benedictionem.* Hoc vero diploma, ut ibidem in fine legitur, est *datum Corinthi, anno Domini* MCCXVI, *quarto Calendas Junii, pontificatus anno primo.* Si mense Novembri anni MCCXV factus sit patriarcha, mense Junio anni MCCXVI adhuc
C primus istius dignitatis annus fluebat, ut manifestum est.

Hic patriarcha binominis

894 Videtur hic Patriarcha binominis fuisse, quamvis ipse in hisce litteris se tantummodo Gervasium appellet. Raynaldus enim in continuatione Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi MCCXVII num. 17 de Honorio III Pontifice ita scribit: *Ut vero bene meritos beneficiis est prosecutus, ita Philippensem principem, qui episcopum suum per summam impietatem sævitiamque interemerat, animadvertit: Everardo enim patriarcha ac suffraganeis provinciam imposuit, ut anathemate ipsum percellerent, ejusque ditionem tamdiu ecclesiastico interdicto damnarent, donec crimen rite expiasset.* Hic certe agitur de Patriarcha Constantinopolitano, quem Raynaldus ex litteris Honorii III in margine notatis haud dubie Everardum nominat.

ob usurpatam nimiam potestatem

895 Hinc etiam Thomassinus in Veteri et Nova ecclesiæ disciplina part. 1 lib. 1 cap. 26 num. 5 ipsum eodem nomine compellat, dum ibi hunc Patriarcham sic nimiæ arrogantiæ arguit: *Non his se finibus continebat Everhardus, qui Thomæ in thronum regiæ urbis ecclesiæ successerat. In provincias legatos a latere missitabat, non minus plena instructos potestate, quam qua suos Papa armabat, quascumque causas definiendi, excommunicandi et absolvendi subditos aliorum episcoporum, eis inconsultis, novos creandi archiepiscopos, quantumvis inde in metropolitanos emergeret detrimenti; appellationibus ad Apostolicam Sedem factis haud cedendi; percussores clericorum, eoque canonicis innodatos censuris exsolvendi; denique Lateranensis concilii canones ad beneficiorum collationem spectantes licenter et impune prætergrediendi.*

Sec. xiii. Latini præsules CP.

ab Honorio Papa reprehenditur,

896 *Summa hæc sunt capita querelarum excerpta ex epistola Honorii III ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui cum sole cœloque Constantinopolitano videbatur una hausisse ingenium illud indocile impatiensque jugi, et vel æquissimæ obedientiæ insolens, quæ fuerat ejus urbis priscorum patriarcharum indoles.* Quare Honorius Pontifex apud Raynaldum anno Christi MCCXVIII num. 28 eumdem Patriarcham post alia increpat his verbis: *Si hæc ita se habent, quæ sunt specialiter Romani Pontificis usurpando, et aliorum justitiam, ipsos multipliciter opprimens, invadendo, videris non pastoralis curam regiminis, sed thronum superbiæ ac pestilentiæ cathedram conscendisse. Cum igitur quantacumque dignitate præfulgeas, te nobis scias esse subjectum,* E *qui tempus accepimus justitiam judicandi, et quantumcumque tibi deferre velimus, dissimulare non possumus, nec debemus talia contra Deum.*

et circa annum 1220 e vivis excedit,

897 Illustrissimus Spondanus ad annum Christi MCCXV num. 12 fatetur, sibi non satis notum esse hunc Thomæ Mauroceni successorem: cum enim ibi egisset de controversia, quæ post mortem Thomæ inter varios sedis Constantinopolitanæ competitores agitata est, hæc subdit: *Quis vero demum thronum obtinuerit, non adeo invenimus, cum tamen existimemus prævaluisse Venetos; sed ita ut alius quispiam fuerit electus, cum legerimus in chronico manuscripto Andreæ Danduli ducis Venetiarum, Robertum imperatorem Constantinopolitanum coronatum fuisse post quinque abhinc annos a Matthæo patriarcha, quem et natione fuisse Venetum indicare videtur.* Sed ex jam dictis liquet, quod hunc Matthæum præcesserit Gervasius sive Everhardus, natione Tuscus, qui videtur anno Christi MCCXX obiisse, cum etiam post hujus mortem, electoribus Constantinopoli inter se dissidentibus, lis de successore substituendo ad Apostolicam Sedem delata fuerit, et mense Martio F anni MCCXXI in cathedra Constantinopolitana jam sederet

III MATTHÆUS vel MATHIAS.

in cujus locum

Cangius lib. 3 Historiæ Constantinopolitanæ num. 2 asserit, Robertum die XXV Martii, anno Christi MCCXXI, solenniter in templo S. Sophiæ imperatorem Constantinopolitanum a Matthæo patriarcha coronatum fuisse. Andreas Dandulus in suo Chronico, quod nuper inter Scriptores rerum Italicarum tomo 12 prodiit, ibidem pag. 342 de hac Patriarchæ actione sic meminit: *Robertus pubes factus, post decessum parentum per Hungariam et Blachiam Constantinopolim perrexit, et coronatus est a Matthæo patriarcha.* Hoc autem contigisse anno Christi MCCXXI, colligitur ex diplomate ipsius Roberti imperatoris, quod Raynaldus ad annum Christi MCCXXI num. 26 exhibet, et in quo tempus imperii ita exprimitur: *Actum mense Junii, anno Domini millesimo ducentesimo*

SEC. XIII. LATINI PRÆSULES CP. *Honorius Papa*

tesimo vigesimo primo, imperii nostri anno primo.

899 Thomassinus in Veteri et Nova ecclesiæ disciplina part. 1 lib. 1 cap. 26 num. 5 de hoc Patriarcha sic scribit : *Post Everhardi mortem clerus Constantinopolitanus consentire non potuit in unum aliquem patriarcham : itaque sibi postulavit idoneum aliquem ab Honorio tertio. Electus ab eo est Matthæus, Aquilæ episcopus, antiquisque donatus prærogativis; præ ceteris autem ut novi imperii reges regiis ornaret insignibus, si tamen assentiretur imperator; utque vetaret, ne obviam illis clerus solenni, qua solet, pompa procederet, aut osculandum afferret Evangeliorum codicem, nisi in ecclesia sacro ante chrismate delibuti essent.*

post medium anni 1220 vel incunte anno 1221 substituit Matthæum vel Mathiam,

900 Ex his Honorii Papæ litteris, quas Thomassinus citat, per conjecturam concludo, quod Matthæus iste anno Christi MCCXX vel sub initium anni MCCXXI cathedram Constantinopolitanam conscenderit : nam apud Raynaldum anno Christi MCCXXI num. 28 in earum fine tempus ita notatur : *Dat. Lat.* VIII *Id. Martii, Pont. nostri an.* V. Si igitur anno Christi MCCXXI, in quem annus Honorii Papæ quintus incidit, die octava Martii B hæc epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum data sit, ex omnibus circumstantiis conjicio, Matthæum ante aliquot menses ad sedem Constantinopolitanam promotum fuisse, adeoque post medium anni MCCXX aut saltem initio anni MCCXXI ecclesiam illam regere cœpisse.

qui fuerat antea episcopus Equilinus,

901 Ceterum Thomassinus fallitur, dum dicit, quod Matthæus iste antea fuerit *Aquilæ episcopus :* nam Aquilanus episcopatus ab Equilino multum differt. Melius itaque Raynaldus anno MCCXXI num. 27 illum vocat *episcopum Equilinum*, cujus episcopatus in ditione Veneta situs erat, ut Cangius loco proxime citato observat. Hinc etiam ab Alberico trium Fontium monacho, quem supra in decessore hujus Patriarchæ allegavimus, *tertius iste Matthias iterum Venetianus* appellatur, eo quod de Thoma Mauroceno, etiam ex natione Veneta ad eamdem sedem assumpto, paulo superius meminisset. Unde Ughellus in nova editione Italiæ sacræ tomo 10 col. 80 eumdem Matthæum inter episcopos Equilinos recte recenset.

et quem postea idem Pontifex acriter reprehendit.

902 Porro prima hujus Matthæi gesta in munere patriarchali minime laudabilia fuerunt, cum Honorius III Papa anno sexto pontificatus sui, sive mense Julio anni MCCXXII, eum sic acriter C reprehendat: *Mercenarium te exhibes potius, quam pastorem, cum lac et lanam quærens ex ovibus, vagas non reducas ad caulas, nec lentas stimules, et languidas non sustentes prædicationi minime insistendo, qua ipsas arguere, obsecrare, ac increpare deberes in omni patientia et doctrina; Missarum vero solennia rarissime celebras, et excommunicatis communicare non metuis, et cum Venetis, ut haberi ex fama publica dicitur, iniisti contra nationes alias illicitas pactiones, et ut quasi velis ab Aquilone tuum solium collocare, excommunicatos a legato Apostolicæ Sedis passim absolvis, et appellationibus legitime interpositis ad eamdem deferre contemnis.* Plura vide apud Raynaldum, qui ad annum Christi MCCXXII num. 22 et 23 hæc aliaque ex litteris Honorii recitat.

Cum post mortem Matthæi, quæ anno 1226 contigit,

903 Nescio, an Matthæus post hanc reprehensionem resipuerit, et alia ipsius gesta apud antiquos auctores non invenio, si excipias Andream Dandulum, qui proxime citato Chronici sui loco hæc pauca de eo memorat : *Matthæus patriarcha Constantinopolitanus ad petitionem Angeli Gradensis patriarchæ declaravit, ut Venetorum ecclesiæ per totum imperium Romaniæ a jurisdictione sua intelligantur exemptæ, ut fuerant tempore Græcorum.* D Etiam ignoro determinatum tempus, quo Matthæus patriarcha ex hac vita migravit; sed scio, illum ante finem anni MCCXXVI obiisse, et clerum Constantinopolitanum post mortem ipsius rursus de successore eligendo dissensisse, quibusdam Belvacensem episcopum postulantibus, aliis pertinaciter illum rejicientibus, ita ut ne illi quidem, quos Romam delegaverant, in unam sententiam conspirare voluerint, et propterea Honorius Pontifex Joannem de Abbatis-villa, tunc præsulem Bisuntinum, ad ecclesiam Constantinopolitanam regendam elegerit. Hæc omnia colligo ex ipsis Honorii litteris, quas Raynaldus ad annum Christi MCCXXVI num. 59 refert, et quæ in fine sic tempus denotant : *Dat. Later.* X *Kal. Januar. anno* XI. Cum itaque hæ litteræ datæ sint circa finem anni MCCXXVI, in quem undecimus istius Pontificis annus incurrit, non improbabiliter existimo, Matthæum eodem anno MCCXXVI e vivis excessisse.

præsul Bisuntinus

904 At præsul Bisuntinus, ab Honorio Papa electus, patriarchatum Constantinopolitanum recusavit, ut discimus ex Alberico supra laudato, E qui in suo Chronico ad annum Christi MCCXXVII ita scribit : *Tertius iste Matthias iterum Venetianus, quo sedente*, et electoribus vota sua per consilium transferentibus, et in magistrum Joannem archiepiscopum Bisuntinensem consentientibus de voluntate domini Papæ, dictus archiepiscopus Romam adiit, postulatus onus illud subire, non consensit attentare : unde dominus Papa Cardinalem eum instituit, et secum retinuit, dans ei Sabinensem episcopatum; in Constantinopoli vero factus est patriarcha Simon archiepiscopus de Tyro.*

* *forte cedente vel decedente.*

patriarchatum Constantinopolitanum recusasset,

905 In Necrologio ecclesiæ Ambianensis, quæ Deiparæ sacra est, ad diem XXIII Septembris de eodem Joanne leguntur sequentia : *Obitus felicis memoriæ Joannis de Abbatis-villa, quondam decani nostri, postea archiepiscopi Bisuntini, vocati per dominum Honorium, tunc summum Pontificem, ad patriarchatum Constantinopolitanum; sed pro suæ probitatis et scientiæ reverentia a domino Gregorio nono detenti apud Sedem Apostolicam, in qua factus est Cardinalis episcopus Sabinensis. Pro cujus memoria, quoniam ecclesiam nostram multipliciter honoravit in Sanctorum reliquiis et ornamentis ecclesiasticis multis et sui regimine decanatus*, etc. Igna- F tius Josephus a Jesu Maria, Carmelita discalceatus, in Historia Gallica Abbatis-villæ lib. 1 cap. 92 hæc refert, ubi etiam citat plures scriptores, qui de Joanne isto electo Constantinopolitano antistite meminerunt. Cum is itaque dignitatem sibi oblatam recusasset, in Sede Constantinopolitana collocatus est

IV SIMON.

anno 1227 in ea sede collocatus est Simon,

Hic Patriarcha etiam ignotus fuit illustrissimo Spondano, qui ad annum Christi MCCXXII num. 5 de successione Latinorum urbis Constantinopolitanæ antistitum ita disserit: *Quinam vero e Latinis interea Constantinopoli præsiderent, haud adeo nobis exploratum; nisi quod ex Danduli Chronico superius Matthæum retulimus, et in quadam constitutione Innocentii IV, anni ejus tertii reperimus subscriptum Nicolaum ; ac denique in amissione urbis Constantinopolitanæ Pantaleonem Justinianum : credimusque, omnes semper Venetos*

fuisse

A *fuisse ex primæva pactione occupationis urbis ; nec forte alios præsedisse, quam quos nominavimus.* At certe Spondanus in hac serie omisit Gervasium et Simonem, quorum prior non erat Venetus, sed *de Tuscia assumptus*, ut Albericus loquitur ; alterius vero patriam et gesta hactenus non invenimus, nec operose quæsivimus, cum nobis sufficiat nosse chronotaxim patriarchatus ipsius, qui juxta superius dicta videtur anno Christi MCCXXVII cœpisse.

qui circa finem anni 1232 obiit,

907 Cangius in laudata Historia Constantinopolitana lib. 3 num. 17 affirmat, hunc Simonem anno Christi MCCXXXII vita functum esse. Neque ab ea opinione abhorret supra citatus Albericus, monachus synchronus, qui in suo Chronico ad annum Christi MCCXXXIII de Simonis morte, sedis Constantinopolitanæ vacatione, et ipsius successore ita simul meminit : *Constantinopoli post mortem patriarchæ Simonis vacavit sedes per annum et ultra ; et dominus Papa de consensu illorum, Spoletanum episcopum in patriarcham consecravit, et eis transmisit magistrum Nicolaum de Placentia, qui fuit vice-cancellarius Papæ.* Si igi- B tur dicamus, Simonem circa finem anni MCCXXXII obiisse, et sedem Constantinopolitanam per annum et aliquot menses vacasse, perveniemus ad annum Christi MCCXXXIV, quo potuit in locum ipsius substitui

V NICOLAUS.

et quem anno 1235 in ea sede secutus est Nicolaus,

Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo 1 col. 1263 initium hujus Patriarchæ ex diplomate Gregorii IX Papæ præterpropter eruit, dum in serie antistitum Spoletanorum de illo sic scribit : *Nicolaus a Gregorio IX electus anno* MCCXXX, videlicet ad regendam ecclesiam Spoletanam ; *translatus inde ad patriarchatum Constantinopolitanum anno* MCCXXXV. *Exstat in registro Vaticano Gregorii IX epistola directa Priori et Capitulo basilicæ Salvatoris Lateranensis, in qua controversia inter Nicolaum episcopum Spoletanum, tunc electum Constantinopolitanum, et inter Priorem et Capitulum Lateranense dirimitur. Kalendas* Maii, Pontificatus nono.* Cum igitur C anno Christi MCCXXXV, Kalendis Maii jam nonus Gregorii Pontificis annus flueret, ex Ughelli verbis inferimus, Nicolaum saltem illo tempore Constantinopolitanum patriarcham electum fuisse. At si mense Maio anni MCCXXXV jam titulum electi patriarchæ Constantinopolitani gerebat, non obstat, quo minus ante aliquot menses (puta post medium anni MCCXXXIV) ea dignitate ornatus fuerit, et ante discessum suum nonnulla ecclesiæ Spoletanæ negotia confecerit. Quidquid sit de certo novæ dignitatis initio, ex his probabiliter concludimus, Nicolaum anno Christi MCCXXXIV vel MCCXXXV ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse.

* *forte* Kalendis

qui cum in concilio Lugdunensi calamitatem ecclesiæ suæ exposuisset,

909 Cum Nicolaus Constantinopoli esset, res Latinorum quotidie in pejus ruere, et Græci paulatim imperium recuperare cœperunt. Quare Patriarcha, expensis in subsidium imperii suis facultatibus, ad magnas angustias redactus est, ut patet ex epistola, quam Gregorius IX Papa *Interamnæ* x *Kal. Decembris anno decimo* Pontificatus sui ad præsules Peloponensi dedit, et quæ apud Raynaldum anno Christi MCCXXXVI num. 70 refertur. Deinde Nicolaus venit ad concilium Lugdunense, in quo calamitatem ecclesiæ suæ palam exposuit, ut apud eumdem Raynaldum anno Christi MCCXLV num. 26 videre est.

SEC. XIII LATINI PRÆSULES CP.

Mediolani mortuus est anno 1251,

910 Certius Patriarchæ hujus finem, quam initium reperimus : nam Tristanus Calchus in Historia Mediolanensi lib. 15 ad annum Christi MCCLI narrans, quomodo Innocentius IV Papa Mediolanum ingressus fuerit, de morte Nicolai sic meminit : *Comitabantur eum sex Cardinales, et Nicolaus patriarcha Constantinopolitanus, quem genere Placentinum ex familia de Castro Arquato oriundum fuisse in annalibus legi.* Deinde laudat varia pietatis ac doctrinæ specimina, quæ Pontifex iste Mediolani dedit, et inter alia ad rem nostram de illo hæc addit : *Nicolai quoque patriarchæ, qui per idem tempus obiit, exsequias sua et Cardinalium præsentia honestare, dum is in cœnobio Minorum sepeliretur, haud dedignatus est.*

ut ex historia Placentina discimus.

911 Petrus Maria Campius in Historia ecclesiastica Placentina part. 2 pag. 206 citat duplex Ms. chronicon, quod utrumque cum hac chronologia concordat. Primum ita mortis tempus indicat : *Anno Domini* MCCLI *patriarcha Constantinopolitanus, nomine D. Nicolaus de Castro Arquato, obiit.* E Alterum vero eumdem obitus annum sic exprimit : MCCLI *obiit D. Nicolaus de Castro Arquato de Porta patriarcha Constantinopolitanus.* Ex his patet, errare Waddingum, dum in Annalibus Minorum ad annum Christi MCCLI num. 3 scribit, Mediolani *tunc mortuum Manuelem II patriarcham Constantinopolitanum, et apud Minores sepultum* a Corio referri : nam Corius in Historia Mediolanensi part. 2, fol. 109 verso, patriarcham Constantinopolitanum, tunc Mediolani defunctum, diserte Nicolaum appellat. Ceterum de Manuele isto Græcorum patriarcha post hoc parergon infra agemus.

VI PANTALEON cognomento Justiniani.

Pantaleon Justinianus,

Videtur sedes Constantinopolitana post mortem Nicolai per unum alterumve annum vacasse, cum Raynaldus ad annum Christi MCCLIII num. 53 de electione hujus nobilis Veneti ita dis- F serat : *Absolvamus hujus anni periodum, collocatis hoc loco Orientalis imperii rebus, quæ cum ingravescente Græcorum potentia fractæ admodum essent, Innocentius ad eas erigendas Apostolicas curas intendit : cum enim Pantaleonem Justinianum, patricium Venetum, capellanum suum, ad patriarchatum Constantinopolitanum extulisset, mox illi excitandi pro concione ad induendam crucem Veneti populi munus demandavit ; ut comparatis validissimis copiis ad fulciendum imperium, cum quo res Christiana grave adibat discrimen, prosilirent..... Tum permisit eidem Patriarchæ, ut ad cogenda pro sustinendis bellicis sumptibus aliqua pecuniarum subsidia, mille nimirum marchas sterlingorum mutuo accipiendas, bona ecclesiarum Constantinopolitani imperii oppigneraret.*

qui verosimiliter anno 1253 sedem CP. ascenderat.

913 *Illum vero et ob egregias virtutes, quibus ornatus erat, et ob enixissimam Venetorum commendationem, ad patriarchatum evectum ostendunt litteræ Pontificiæ, quibus Innocentius nobilissimæ illius reipublicæ strenua in Sedem Apostolicam studia ita collaudavit : « Ut in te providæ circumspe- » ctionis deflectamus intuitum, hæc specialiter sug- » gerunt inter multa ; devotio videlicet Veneti po- » puli,*

» puli, unde te natales conspicui produxerunt, quæ » Ecclesiæ Romanæ fœdere inconcusso cohærens, ab » ejus obedientia numquam avelli funditus potuit, » inundatione quacumque in fundamentum Catho- » licæ fidei pro tempore irruente. » *Tum excurrit in patriarchæ laudes, quem legati Apostolici in exercitu Christiano, atque in imperio Constantinopolitano, munere decoravit; ea tamen lege, ut ab illo obeundo abstineret, cum legatus a latere eo se contulisset: quo argumento ad archiepiscopos, episcopos, ceterosque ecclesiasticos, litteras exaravit.* Ex his conjicio, electionem Pantaleonis ad annum Christi MCCLIII referendam esse.

crescentibus paulatim Græcorum viribus,

914 Pantaleone sedem suam occupante, vires Græcorum ita accreverunt, ut propter frequentes eorum incursus Patriarcha Constantinopolitanus maximam reddit"uum partem amitteret. Quare is pro congrua sustentatione recurrere coactus est ad Alexandrum IV Romanum Pontificem, qui præsulibus et abbatibus Romaniæ per ministrum provincialem Fratrum Minorum mandavit, ut necessitati ejus subvenirent, et *eidem patriarchæ, tamquam eorum capiti, annuatim, quousque prætacti* B *patriarchatus sui redditus quiete percipere valeat, quingentas marchas argenti pro sua sustentatione ministrare procurent.* Hæc Alexandri IV epistola, quæ apud Waddingum in Regesto Pontificio post Annales Minorum tomo 2 pag. 57 integra legi potest, data est *Viterbii Idibus Julii, anno tertio* Pontificatus ejus, qui in annum Christi MCCLVII incurrit.

eamdem anno 1261 deserere coactus est,

915 Tandem Pantaleon Justinianus sedem Constantinopolitanam deserere compulsus est anno Christi MCCLXI, quo juxta exactiores chronologos ea urbs a Græcis recuperata est: tunc enim Balduinum imperatorem, et Justinianum patriarcham e manibus Græcorum elapsos esse, plerique scriptores tradunt. Inter alios scriptores Hispanos Mariana noster lib. 13 de Rebus Hispaniæ cap. 16 refert, quod imperator *Balduinus et Justinianus patriarcha, Michaëlis Palæologi armis Græcia pulsi, a sultano Ægypti intercepti in fuga* fuerint, et munificentia regis Alphonsi *anno hujus seculi sexagesimo octavo* libertatem obtinuerint. Prudenter tamen ibidem addit sequentia: *Hujus narrationis quidam scriptores fidem elevant, negantque Balduinum a sultano Ægypti captum.* C *Nostrarum nobis historiarum consentiens auctoritas* D *potior fuit, tametsi non ignoremus, pleraque sæpe supra verum famæ prædicatione augeri.*

quando Græci Constantinopolim recuperarunt,

916 At nobis potior est indubitata veterum monumentorum auctoritas, de qua Spondanus ad annum Christi MCCLXI num. 10 sic ratiocinatur: *Qui vero Balduinum una cum Patriarcha interceptum in fuga a sultano Ægypti fuisse, et post septennium ambos argenti pondo viginti millibus ab Alphonso Castellæ rege, precibus Augustæ solutis, liberatos tradiderunt, næ illi res suas insigni vanitate, contra ceterorum omnium tam Græcorum, quam Latinorum, cunctarumque aliarum gentium fidem, prædicari ambiunt: cum et insuper exstent litteræ Urbani Pontificis ad Provincialem Minorum in regno Franciæ paulo post amissam* PRODITIONALITER, *ut loquitur, Constantinopolim scriptæ, quibus narrat, Balduinum imperatorem et ducem Venetorum per nuntios suos ipsi Pontifici significasse, se copias terra marique parare adversus Palæologum, hortaturque prædictum Provincialem, ut tam per se ipsum, quam per alios Fratres Ordinis populos ad eamdem expeditionem excitet.* Hæc aliaque hujus rei testimonia apud Raynaldum anno Christi MCCLXII num. 33 et sequentibus licet videre. Hic E igitur fuit ultimus Latinorum Patriarcha, qui Constantinopolitanam ecclesiam re ipsa gubernavit.

et fuit ultimus ex Latinis, qui re ipsa in ea cathedra sederunt.

917 Dixi, hunc fuisse ultimum Latinorum Patriarcham, *qui Constantinopolitanam ecclesiam re ipsa gubernavit:* non enim me latet, post mortem Pantaleonis Justiniani, quam Raynaldus ad annum Christi MCCLXXXVI num. 35 refert, alios atque alios ad sedem Constantinopolitanam seu potius ad istius sedis titulum a Romanis Pontificibus evectos esse, et etiamnum evehi, de quibus sparsim Bzovius, Raynaldus, Spondanus, et sub uno aspectu Cangius in Historia Constantinopolitana lib. 7 num. 11 consuli possunt. Etiam scio, nonnullos eorum cum titulo patriarchæ Constantinopolitani in aliis Græciæ urbibus resedisse, et adversariam patriarchis schismaticis cathedram tenuisse. Sed cum ad instituti Operis mei rationem proxime non spectet, honorarios hujusmodi præsules recensere, hic patriarchis Latinis finem impono, et prosequor deductam hactenus seriem patriarcharum Græcorum, qui interim Nicææ, ac postea iterum Constantinopoli sederunt. F

SECULUM XIII

Exponitur difficultas,

Leo Allatius satis indicat difficultatem, quæ in quibusdam hujus seculi patriarchis exacte consignandis occurrit, dum in opere de Consentione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. 14 num. 4 sic dubitans scribit: *An Manuel vel Germanus is patriarcha fuerit, cui subrogandus erat Blemmida, alii dicent.* Cum hæc legisset Agapetus Colorsus Prænestinus, homo antiqua virtute et fide, ut Allatius ibidem num. 5 testatur, subridens ait: *Quis hæc dicet, cum auctores, qui eo ipso tempore scribebant, in patriarchis numerandis non conveniant, et suspectum sit, quidquid in hoc negotio ab aliis refertur? Aude aliquid, si potes, et vel nomina tantum, si reliqua non innotescunt, scripto consigna.* Allatius autem ibi Agapeto Colorso ita respondet: *Nil mirum*, inquit, *temporibus obscurissimis, et turbarum ac dissidiorum plenis, si, quæ a profugis et ab arbitrio ludentis fortunæ pendebant, in obscuro lateant: patriarchæ enim imperatorum conditionem secuti, quemadmodum illi, ita nec ipsi pedem fixum habebant.*

quæ occurrit in ordinandis hujus temporis patriarchis Constantinopolitanis,

919 Hæc incerta patriarcharum successio etiam non parum perturbatur ob corruptos quosdam catalogos, de quibus Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 928 sic nos præmonet: *Ceterum monere hic non abs re erit, seriem patriarcharum Constantinopolitanorum, præcipue illorum, qui Nicææ sederunt, corruptam esse ac depravatam*

in

A *in tribus sequentibus catalogis, quos hic edidimus : quod quidem non solum apparet ex catalogo hoc Nicephori Callisti, sed etiam ex Georgio Acropolita, cujus verba suis locis inseruimus ; idque etiam confirmatur ex Chronologia Ms. Ephræmii, quam laudat Allatius lib. 2 de perpetua Consensione ecclesiæ Occidentalis et Orientalis, ubi habetur series integra patriarcharum Constantinopolitanorum, qui Nicææ sederunt, nimirum a Joanne Camatero, sub quo capta fuit a Latinis Constantinopolis, ad Arsenium secundo patriarcham, qui primus post recuperatam Constantinopolim in eo throno sedit.* Tum Græco-Latine subjungit metricum Ephræmii catalogum, quem hic semel Latine transcribimus, ne dissoluta illius fragmenta per decursum repetere cogamur, et supradictis horum temporum tenebris aliquam lucem præferamus.

quorum tamen seriem poeta Græcus versibus expressit.

920 Igitur Ephræmius, poeta suppar, post superius num. 877 relatos de Joanne Camatero versiculos, de sequentibus patriarchis Græcis, qui Nicææ sederunt, sic pergit canere :

Post hunc pastores Byzantii
Promoti sunt in civitate Nicæna.
B *Primus Michaël Autorianus*
Cognomento, sacellarius et levita ecclesiæ,
Externæ divinæque sapientiæ callens :
Quo in sede demortuo,
Theodorus primum præsulatum adeptus est,
Ecclesiæ levita et chartophylax,
Cognomento a patre Irenicus,
Dignitate philosophicorum sermonum hypatus.
Et hoc etiam demortuo, primam sedem
Occupavit Maximus, monachus, et sacerdos,
Immaculati Acœmetarum monasterii præses.
Post eum Manuel, oratione philosophus,
Propugnator optimus et legum et canonum.
Sed hoc linquente infernam habitationem,
Vita et sermoni prænobilis Germanus,
Archipræsul Constantinopolitanus creatur,
Vir instituto monachus, et Dei sacerdos,
Et Anaplo Propontidis ortus,
Et in urbe inter ecclesiasticos enutritus,
Postea monachum induens, et Deo inserviens,
Et carus Georgio martyri,
Gregem Byzantinum regere sortitus est.
Sed hic cum migrasset ad Dominum,
C *Et inter alios sanctos patriarchas collocatus esset,*
Methodius quidam monachus et sacerdos,
Eo tempore Hyacinthi monasterii superior,
Brevissimo tempore sede potitur.
Sed eo mortuo, vitaque functo,
Archipresbyter Manuel thronum obtinet,
Qui inter aulicos adnumerabatur,
Senex lenissimus et multa humanitate temperatus.
Eo porro vita excedente,
Arsenius quidam monachus, pietate insignis,
Et virtutum pulcherrima atque animata sedes,
In patriarcham Byzantii eligitur ;
Genus quidem trahens ex Byzantio,
Sed comam detonsus in monasteriis Nicænis,
Ubi etiam monasterii præfectus factus est :
Postmodum in quietem se subduxit, et Deo incumbens
In Apolloniadis asceteriis,
In urbem Nicænam appulit, vocatus
Ab imperatore Ausonum Theodoro :
Cum gradum omnem ecclesiasticum explevisset,
In summitatem magnam archipræsulatus evectus est.
Sed eo sponte sedem deserente,
Et in monasterium sancte se subtrahente,
Nicephorus Ephesiorum præsul
Constantinopolitanæ urbis episcopatum obtinuit,
Qui prius erat palatii archipresbyter,
Vir sine crimine, et per totam vitam virgo.
Hoc in patriarchatu defuncto,
Arsenius primus recuperat
Sacrum regiæ urbis præsulatum.

Sec. XIII.

Hic saltem habes rectam istorum patriarcharum seriem, quæ jam sigillatim notis chronologicis illustranda est. His ad clariorem dicendorum intelligentiam præmissis, singulos hujus seculi patriarchas juxta methodum superiorem ordine suo collocabimus, et occurrentes chronologiæ difficultates ex recens edito Nicephori Callisti catalogo, aliisque monumentis utcumque dissolvere conabimur. At hoc loco meminisse oportet eorum, quæ supra statuimus de tempore Joannis Camateri, cui apud Græcos successit

XCIX MICHAEL IV, cognomento Autorianus. E

Michaël mense Martio anni 1206 Nicææ sedere cœpit,

Nicephorus Callistus initium et finem hujus Patriarchæ sic accurate notat : *Post captam urbem, Nicææ primus creatur ab imperatore Theodoro Lascari, vigesima mensis Martii, Indictione nona, magnus ecclesiæ sacellarius Michaël Autorianus, qui cum sedisset annis* VI, *mensibus* V, *diebus* VI, *obiit.* Mensis Martius nonæ Indictionis clare annum Christi MCCVI designat. Hinc sequitur, errasse Leonem Allatium, quando in Opere proxime citato lib. 2 cap. 14 num. 5 successionem Michaëlis Autoriani usque ad annum Christi MCCVIII differt. Quamvis Henricus Hilarius heterodoxus Allatium non citet, tamen hic chronologicum ipsius errorem fere de verbo exscripsit in notis suis ad Chronicon Philippi Cyprii, quæ tot anachronismis, crassis mendaciis, et hæreticis calumniis contra Sedem Romanam refertæ sunt, ut ab eruditis Catholicis potius rideri, quam refutari mereantur. F

postquam Joannes Camaterus titulum patriarchæ CP. abdicasset,

922 Melius itaque Bzovius et Spondanus in Continuatione Annalium ecclesiasticorum, initium Michaëlis Autoriani, quem Spondanus cum nonnullis *Saurianum* cognominat, ad annum Christi MCCVI retulerunt. Huic chronologiæ favet Georgius Acropolita, dum in Historia sua num. 6 narrat, quomodo Theodorus Lascaris, capta a Latinis Constantinopoli, auxiliaribus Persarum copiis aliam imperii partem sibi vindicarit, et Nicææ post duos annos a primatibus Græcis imperator electus fuerit. Tunc ibidem de abdicatione Joannis Camateri patriarchæ et successione Michaëlis Autoriani statim meminit his verbis : *Patriarcha non aderat; Joannes quippe Camaterus, qui patriarchale solium, Italis Byzantium expugnantibus, honestabat, Didymothæchum abierat, ibique commorabatur ; accersitus a Lascari aliisque, scripto etiam patriarchatui renuntians, noluit accedere. Ideo in ejus locum Michaël Autorianus sufficitur, vir disertus, litterarumque, non nostrarum solum, sed exterarum etiam peritissimus. Is despotam Theodorum imperatorio diademate coronavit.* Cum ergo Latini Constantinopolim mense Aprili anni MCCIV interceperint, et Theodorus Lascaris Nicææ post duos annos a Michaële patriarcha coronatus

Sec. XIII.

ronatus fuerit, Georgius Acropolita chronologiam Nicephori Callisti manifeste confirmat.

et juxta computum Nicephori Callisti a quo alii differunt,

923 At magna est catalogorum discrepantia circa annos et menses, quibus hic Patriarcha sedem tenuit : nam Onuphrius Panvinius in Chronico ecclesiastico initium Michaëlis recte quidem anno Christi MCCVI affigit; sed pauciores sedis annos sic ei assignat : *Michaël IV Autorianus a Græcis in schismate post obitum Joannis Camateri contra Thomam Latinum nonagesimus nonus Constantinopolitanus patriarcha creatus, sedit in Asia annis* V, *mensibus* VI. Catalogus Labbeanus eosdem annos ac menses ipsi adscribit; Matthæus autem Cigala, omissis verosimiliter per oscitantiam annis, tantummodo quinque menses Michaëli tribuit; verum Philippus Cyprius, prætermissis mensibus, eidem quinque annos rotunde concedit.

mense Augusto anni 1212 patriarchatum finivit.

924 Nos in tanta catalogorum discordia sequimur Nicephorum Callistum antiquiorem, cui forte consentiret catalogus Juris Græco-Romani, si numeri non essent erasi : nam in eo anni, menses, et dies ita notantur : *Dominus Michaël* B *Saurianus, magnus sacellarius, in Oriente designatus ab imperatore domino Theodoro Lascare, habuitque sedem Nicææ : cumque pontifex fuisset annis....., mensibus....., diebus..... decessit. Ac vacavit thronus mensibus* X *et dimidio, propterea quod imperator in Thracesium thema profectus esset.* Alii catalogi circa hanc decem mensium et dimidii vacationem consentiunt, ut infra videbimus. Interim cum Nicephoro Callisto sex annos, menses quinque, et sex dies Michaëli tribuimus. Cum itaque mense Martio anni MCCVI sedere cœperit, omnibus exacte computatis, mense Augusto anni MCCXII patriarchatui suo finem imposuit, et post memoratam sedis vacationem in locum ipsius substitutus est

C THEODORUS II, cognomento Irenicus, *vel* Copas.

Illum anno 1213 secutus est Theodorus, cum sedes Nicææ decem mensibus ac dimidio vacasset,

Laudatus Nicephorus Callistus in suo catalogo post mortem Michaëlis Autoriani sic scribit : *Vacavit autem thronus mensibus decem et dimidio, quia imperator absens in themate Thracesio erat, et* XXVIII *Septembris, Indictione secunda, feria* C *prima, cooptatus est supremus philosophorum, et chartophylax magnæ ecclesiæ Theodorus Irenicus, dictus Copas, qui postquam episcopatum gesserat anno uno, mensibus...., diebus tribus, mortuus est.* Numerus mensium, qui hoc loco exesus est, facile suppleri potest ex catalogo Juris Græco-Romani, in quo post superius relatam sedis vacationem leguntur sequentia : *Die vero* XX *Septembris, Indictione secunda, feria prima renuntiatus est dominus Theodorus Irenicus, chartularius et supremus philosophorum, cognomento Cupas, qui cum anno uno pontificatui præfuisset, ac mensibus quatuor, diebus tribus, decessit, cum imperator in themate Thracesio degeret.* Etsi Nicephorus Callistus et catalogus Juris Græco-Romani diversos ejusdem mensis dies assignent, tamen ipse September, a cujus Calendis Indictio secunda fluere cœperat, satis ostendit, Theodorum anno Christi MCCXIII ad cathedram evectum fuisse.

circa quam sedis Græcæ vacationem

926 At circa hoc initium, quod uterque catalogus mense Septembri anni MCCXIII collocat, mihi sese offert scrupulus, eo quod ab Augusto mense anni MCCXII quo juxta superiorem computum Michaël Autorianus obiit, usque ad mensem D Septembrem anni MCCXIII sedes plus quam decem mensibus et dimidio vacaverit, ut manifestum est. Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 926 vidit hanc difficultatem, eamque ita solvere nititur : *Theodorus itaque Irenicus, ut scribit hic Nicephorus, renuntiatus fuit patriarcha CP. die vigesimo octavo Septembris, Indictione secunda, feria prima, hoc est, anno Christi* MCCXIII, *cum post mortem Michaëlis Autoriani thronus vacasset mensibus decem et dimidio, quod imperator absens in themate Thracesio esset, ut tradit idem Nicephorus. At, ut patet ex iis, quæ supra de morte Michaëlis Autoriani diximus, necessario dicendum est, vel thronum vacasse plus quam decem mensibus et dimidio, vel Theodorum aliquot mensibus ante renuntiatum fuisse patriarcham, et die vigesima octava Septembris consecratum fuisse ; quod quidem videtur innuere idem Nicephorus, dum ait, illo anno cum die* XXVIII *Septembris concurrere Dominicam qua consecrationes episcoporum solitas fieri alibi indicavimus.*

examinatur occurrens difficultas,

927 Utcumque satisfaceret ea solutio, nisi ex falsa hypothesi procederet : Bandurus enim supponit, anno Christi MCCXIII Dominicam cum die E XXVIII concurrisse. At dies XXVIII Septembris tunc in diem Sabbati incidit, ut patet ex littera Dominicali F, quæ anno Christi MCCXIII currebat. Nec dici potest, in catalogo Juris Græco-Romani diem XX Septembris huic consecrationi melius assignari : illo etenim anno dies vigesima Septembris in feriam sextam incidebat. Nullum itaque huic nodo findendo cuneum invenimus, nisi fateamur, mendum utrobique in numeros diei irrepsisse, et forte pro XXVIII Septembris legendam esse XXIX ejusdem mensis diem, quæ illo anno cum Dominica concurrebat. Hac aut simili correctione adhibita, solutionem Banduri non improbamus, et consecrationem Theodori cum utroque catalogo mensi Septembri anni MCCXIII affigimus ; electionem vero ipsius antea mense Julio ejusdem anni factam esse conjicimus, cum præter jam allata vacationis testimonia, Philippus Cyprius etiam testetur, sedem post obitum Michaëlis Autoriani tantummodo *menses* X, *dies* XV vacasse.

et inter varias catalogorum discrepantias

928 Difficulter determinari potest, quam diu hic Patriarcha sederit, quia scriptor illis temporibus vicinus a vulgaribus catalogis in ea re plurimum recedit. Præter jam relatam Nicephori F Callisti chronotaxim, quæ cum plerisque catalogis facile conciliatur, Matthæus Cigala et Philippus Cyprius catalogum Juris Græco-Romani sequuntur, et Theodoro tribuunt annum unum et quatuor menses, quibus hic addit tres dies, quos ille prætermittit. Duos annos rotunde ei adscribit uterque Labbei et Panvinii catalogus, in quo forte vacatio sedis simul computatur. At ab his omnibus multum discrepat Georgius Acropolita, dum in Historia sua num. 19 eidem Patriarchæ sex annos ita assignat : *Post patriarchæ Michaëlis excessum Irenicus Theodorus, cui a plerisque Copæ nomen inditum fuerat, in patriarcham eligitur ; post annos sex eo demortuo, Maximus monachus patriarchale solium ascendit.* Hæc eadem in Chronico suo compendiario ferme ad verbum repetit, et rursus Theodoro Irenico sex annos concedit.

mors Theodori incunte Februario anni 1215 affigitur.

929 Anselmus Bandurus loco proxime citato mavult sequi chronologiam Nicephori Callisti, *utpote qui hanc rem hic ex professo, ut aiunt, tractat.*

Nos

A Nos Georgium Acropolitam, temporibus hisce multo viciniorem, ægre deserimus; sed etiam communi diversorum catalogorum consensui repugnare non audemus. Quare suspicamur, aut memoria hic lapsum esse Georgium Acropolitam, aut amanuensis oscitantia mendum in ipsius textum irrepsisse. Ad hanc suspicionem nos cogunt secutura temporum series et diuturna sedis vacatio, ut ex ipso Acropolita inferius ostendemus. Interim cum plerisque catalogis tribuimus Theodoro unum annum, quatuor menses, ac tres dies, quibus omnibus ab exeunte Septembri anni MCCXIII accurate supputatis, perveniemus ad ineuntem Februarium anni MCCXV, quo tempore obiit Theodorus, post cujus mortem cathedra aliquamdiu vacavit propter absentiam imperatoris, ut ex infra dicendis apparebit.

CI MAXIMUS I.

Post sedis vacationem

Non constat, quanto tempore electio vel consecratio hujus Patriarchæ dilata fuerit, quia B catalogus Juris Græco-Romani affirmat, Theodorum Irenicum obiisse, *cum imperator in themate Thracesio degeret*, et deinde hæc subjungit : *Jussum autem fuit magistratibus, Patriarchæ, ceterisque Pontificibus, ut in scriptis sententias exponerent. Atque hoc jussu designatus est Maximus, abbas monasterii Acœmetarum. Cumque imperator etiam advenisset, ab illo quoque renuntiatus est die* XVII *mensis..... Potitus est pontificatu mensibus* VIII.. Cum hac mensis die non convenit Nicephorus Callistus, etiamsi ipsum mensem, qui hic legi non potuit, clare exprimat, dum in catalogo suo post supra relatum Theodori Irenici obitum, ita scribit : *Cum autem imperator Lascaris esset in Thracesio themate, principes ecclesiæ et episcopi statuerunt sententiam et vota sua scripto mittere ad imperatorem, cujus jussu promotus est cathegumenus monasterii Acœmetarum Maximus : cum autem venisset imperator, ab eo de more constitutus est tertia die Junii mensis.*

probabilius anno 1216 in locum Theodori substitutus est Maximus,

931 Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 927 asserit, Maximum eodem anno MCCXV, quo Theodorus e vita migravit, ab imperatore Nicæam reverso in cathedra constitutum fuisse. At nos C probabilius arbitramur, mense Junio anni sequentis istud contigisse, ut litteris ultro citroque scribendis, et aliis rerum circumstantiis largum temporis spatium concedamus : quis enim tuto credat, imperatorem absentem, et bellicis expeditionibus, aliisque negotiis occupatum, statim curas suas ad eligendum patriarcham convertisse? Itaque non improbabiliter opinamur, Maximum mense Junio anni MCCXVI ab imperatore præsente in cathedra collocatum esse. Sicubi tamen hic ab historia aberramus, doceri cupimus. Ad electionem illam tam diu differendam maxime nos movent quinque anni et sex vel septem menses, quos passim catalogi adscribunt ipsius successori, qui Joanni Ducæ vel Batatzæ imperatorium diadema imposuit, quod juxta exactiores chronologos anno Christi MCCXXII post mortem Theodori Lascaris contigit, ut ex infra dicendis apparebit. Propter has igitur rationes initium Maximi anno MCCXVI affigimus.

quem post brevem sex mensium gubernationem

932 Nicephorus Callistus ingenium illius ac brevem gubernationem indicat his verbis : *Erat autem illitteratus, qui in gynæceo solum versatus, ex urbe profugus antea fuerat, et deinde spiritualis sive confessarius imperatoris nuncupatus est. Præfuit autem mensibus* VI, *et defunctus est. Hic imperatorem contra Nicænos concivit.* Quod hic de gynæceo obscure innuitur, Georgius Acropolita in Historia sua num. 19 sic clarius exponit : *Maximus monachus patriarchale solium ascendit, gynæceo palpans ac supparasitans, et vice versa ex eo assentationes et blanditias aucupans : neque enim aliud eum in tam sublime culmen evexerat; sed post menses sex moritur.* Videntur hi sex menses numerandi ab eo die Junii, quo imperator illum constituit, cum catalogus Juris Græco-Romani, aliique nonnulli forsan a prævia ipsius electione octo administrationis menses computaverint. Nos ex consensu Georgii Acropolitæ et Nicephori Callisti sex menses ei tribuimus, quibus ab ineunte Junio anni MCCXVI supputatis, mense Decembri ejusdem anni finem episcopatui illius imponimus. Sec. XIII.

CII MANUEL I, cognomento Sarantenus.

Georgius Acropolita loco proxime citato post memoratam Maximi mortem, de successore ipsius hæc immmediate subdit : *Manuel in patriarchali solio collocatur, vere vir philosophus, ut apparebat, et a multis eo nomine honestatus.* Fatemur, nos ex historia non posse eruere certum hujus Patriarchæ initium; sed ex hactenus deducta chronologia conjicimus, illum ineunte anno Christi MCCXVII ad cathedram evectum fuisse. Philippus Cyprius in suo catalogo hunc perperam Michaëlem appellat, et duos Michaëles seu potius Manueles diversos non distinguit, dum ibidem sic scribit : *Michaël Charitopulus annos* V, *menses* VI. *Methodius annum unum. Michaël iterum annos* XIV. Matthæus Cigala illum recte Manuelem vocat; sed cum altero ejusdem nominis sic confundit : *Manuel Charitopulus annis* V, *mensibus* VI. *Methodius annum unum; deinde ejectus fuit, atque in ejus locum restitutus est* (clarius Græce πάλιν ἀνεκλήθη, *denuo revocatus* legitur) *Manuel annis* XIV. Alii nonnulli scriptores inciderunt in eumdem errorem, qui ex infra dicendis ultro in oculos incurret.

ineunte anno 1217 excepit Manuel E

934 Videtur hic Manuel a Latinis abhorruisse : cum enim Theodorus Lasaris Græcorum imperator filiam suam Eudociam Roberto imperatori Constantinopolitano in matrimonium collocare vellet, Patriarcha hisce nuptiis, pacem inter Græcos et Latinos conciliaturis, vehementer obstitit, ut discimus ex Georgio Acropolita, qui in Historia sua num. 18 de hac re sic scribit : *Erico* * *fato functo, frater illius Robertus mollius negotiis incumbebat. Hujus soror imperatori nupserat. Paucis elapsis annis, cum Constantinopolitanus imperator Robertus uxori non esset obnoxius, imperator impium facinus patrare sibi in animo proposuit, studens eum Eudociæ filiæ alligare, sibique generum assumere. Hinc dissidia inter Manuelem, tunc temporis patriarcham, atque imperatorem suborta sunt, cum neutiquam adeo infandis nuptiis consensum ille præstaret. Verum imperator, quod optabat, præstare non potuit : nondum enim illa Constantinopolim transmissa, dum apparerent nuptias, vitam finit, genero suo Joanni Ducæ imperio relicto.* Verosimiliter hoc pacificum Theodori Lascaris consilium ab Acropolita vocatur *impium facinus*, et dicitur Patriarcha restitisse *adeo infandis nuptiis*, eo quod hujusmodi matrimonium, schismati contrarium aut forsan perniciosum crederetur.

qui Latinis adversabatur

* *id est* Henrico

935

SEC. XIII.

et potius anno 1222, quam 1221

935 Cum hæc paulo ante mortem Theodori Lascaris contigerint, et juxta communem chronologorum consensum imperator ille anno Christi MCCXXII obierit, ex iis etiam colligo, Manuelem patriarcham isto anno adhuc vixisse. Id quoque confirmatur ex Theodori imperatoris successore, cui Manuel imperatoriam coronam imposuit, ut Georgius Acropolita in laudata Historia num. 19 testatur his verbis : *Quemadmodum ergo dixi, post illius obitum, Romani imperii gubernacula Joannes Ducas gener illius suscipit, a Manuele patriarcha, qui Maximo successerat, coronatus.* Cum igitur Joannes Ducas seu Batatzes juxta omnes accuratiores chronologos anno Christi MCCXXII imperium susceperit, non videtur ad has historicas temporum notas attendisse Bandurus, dum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 927 asseruit, Manuelem patriarcham *circa finem mensis Augusti anni Christi* MCCXXI ex hac vita migrasse : nam ex hac communi chronologorum sententia evidenter sequitur, mortem Manuelis ultra annum Christi MCCXXI differendam esse.

ex hac vita discessit.

B

936 At annum Christi MCCXXII, quo Manuel Joannem Ducam imperatoris insignibus ornavit, illi vitæ postremum fuisse, colligo ex quinque annis et sex vel septem mensibus, quos plerique catalogi administrationi ejus assignant. Catalogus Labbeanus cum aliis quibusdam ei quinque annos et sex menses tribuit; Nicephorus Callistus hisce unum mensem ita superaddit : *Manuel diaconus Sarantenus, cognomento philosophus, eodem imperatore, annis* V, *mensibus* VII. Si Nicephori computum sequamur, et elapsum gubernationis tempus numerare incipiamus ab ineunte anno Christi MCCXVII, cui supra initium illius affiximus, attingemus mensem Augustum anni MCCXXII, quo locum Manuelis defuncti occupavit

CIII GERMANUS II.

Germanus, qui anno 1222 post mortem Manuelis successerat,

C

Onuphrius Panvinius in suo Chronico ecclesiastico ad annum Christi MCCXXII de hoc Patriarcha sic meminit : *Germanus II, monachus, centesimus tertius patriarcha Constantinopolitanus Græcorum, sedit annos* XVII, *menses* VI. Casimirus Oudinus in Supplemento de scriptoribus ecclesiasticis, a Bellarmino omissis, initium hujus Germani recte anno Christi MCCXXII alligat; sed episcopatum ejus ibidem pag. 495 sic nimis extendit : *Germanus, secundus nomine, patriarcha Constantinopolitanus, successit Emanueli anno* MCCXXII, *et sedem per viginti et septem annos tenuit.* At idem scriptor postea in ampliori de scriptoribus ecclesiasticis Opere, quod Lipsiæ anno MDCCXXII editum est, tomo 3 col. 55 hunc parachronismum suum sic tacite emendat : *Per illud tempus, quo Germanus secundus Constantinopolitanam sedem ab anno* MCCXXII *usque ad annum* MCCXL *tenuit, multa scripsit.* Utinam miser ille, qui tunc Ordinem religiosum et fidem Catholicam impudenter deseruerat, magis noxios animæ suæ errores etiam corrigere studuisset! Sed nunc nonnulla hujus Germani gesta et scripta breviter memoremus.

de Latinis perperam conqueritur

938 Cum Gregorius IX Pontifex undique viros apostolicos mitteret, qui nationes Orientales vera fide imbuerent, etiam Græcos schismaticos sub hoc Patriarcha ad Ecclesiam Romanam reducere conatus est eo modo, quem jam exponam. Cum anno Christi MCCXXXII quinque Religiosi ex Ordine Fratrum Minorum Nicæam venissent, a Germano patriarcha humaniter excepti sunt, et hac occasione ei suaserunt, ut unionem ecclesiæ Græcæ cum Latina procuraret, tamque efficaciter apud illum de hac re egerunt, ut ipse ad summum Pontificem et S. R. E. Cardinales dederit litteras, in quibus Raynaldus ad annum Christi MCCXXXII num. 46 et 50 varia jure merito reprehendit, licet illæ aliquam pietatis speciem præ se ferre videantur : nam inter alia Germanus in iis Romanam Ecclesiam de tyrannide accusat, et affectata eloquentia falso innuit, quod Latini propter solam rituum diversitatem adversus Græcos in insula Cypro persecutionem moverint, et aliquos incolas martyrio affecerint. Exstant de eadem re duæ acerbæ ipsius contra Latinos epistolæ, quas ad Cyprios antea dederat, et quas Cotelerius inter Monumenta ecclesiæ Græcæ tomo 2 a pag. 462 ex Ms. codice regis Galliæ typis vulgavit. D

cum anonymo Græco;

E

939 Anonymus Græcus, apud Leonem Allatium in Opere de Occidentalis et Orientalis ecclesiæ perpetua consensione lib. 2 cap. 13 num. 1 relatus, hos Cypri pseudo-martyres magnis laudibus extollit, et invidiose Latinos de crudelitate accusat. Sed Allatius ibidem numero sequente scriptorem illum schismaticum egregie refellit, ac inter alia sic ei respondet : *Qui in insula Cypro flammis exusti sunt, flammas sua pertinacia audaciaque commeruerant. Non est injustus judex, qui factorum merita factis ipsis compensat. Hæreticorum ossa cum ossibus animalium commixta projicere, id quoque non indiligentiæ est. Tollitur delirantibus occasio, ne furiosius insaniant.* Itaque Græci illi non sunt his pœnis affecti, eo quod Latinum ritum sequi ac in azymo celebrare nollent, ut schismatici passim mentiuntur.

sed Allatius,

et Latini jam ab anno 1252

940 Hæc Græcorum calumnia certius evidentiusque revincitur ex antiquo Tractatu contra errores Græcorum, qui Constantinopoli in ædibus FF. Prædicatorum circa annum Christi MCCLII conscriptus est, et qui in Supplemento ad Coloniensem veterum Patrum Bibliothecam tomo XV pag. 1053 de hac re post alia sic habet : *Græci majoris invidiæ stimulis agitati, quamplures libros seu tractatus in confusionem Romanæ Ecclesiæ ediderunt, et suis posteris legendos, tamquam authenticos et fidei Catholicæ firmitatem habentes, districte mandaverunt; eos vero, qui in his contraria dogmatizare præsumerent, annuatim in ecclesiis voce præconis (quod usque hodie in eorum ecclesiis conventualibus observatur) hæreticos denuntiant.* F

has Græcorum calumnias

941 *Hunc igitur Michaëlem* (videlicet cognomento Cerularium, de quo paulo superius mentio facta fuerat, et de quo nos etiam supra egimus) *Græci usque hodie sequentes, Latinos* AZYMITAS *voce publica asserere non verentur. Unde in tantam excæcationem et contemptum apud eos devenit mysterium Sacramenti, ut non solum in mortis articulo ex eo sumere recusent, verum etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quam simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprus, quæ nostris temporibus duodecim* (ab aliis *tredecim* numerantur, ut mox videbimus) *monachos Græcos, isto errore laborantes, novos diaboli martyres per flammas ignis produxit : dicebant enim prædicti monachi, Sacramentum Latinorum lutum esse, et non Sacramentum, et quod sacrificantes vel sumentes ex eo, more gentilium dæmoniis immolarent.* De hoc Tractatu contra Græcorum errores consuli potest Jacobus Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum recen-

sitis

A sitis, qui post emendata quædam hujus tractatus sphalmata tomo 1 pag. 138 et sequente, de auctore illius disserit, et eodem tomo pag. 102 ex jam dictis aliisque recte concludit, in pertinaces illos Cypri monachos tam severe animadversum fuisse, eo quod in Latinum azymi ritum blasphemi furiose insanirent, plebemque Græcam adversus Latinos excitarent.

egregie refutarunt.

942 Laudatus Echardus tomo 1 ejusdem Operis pag. 102 citat alterum anonymum Græcum, cujus libellus Parisiis in Bibliotheca regia cod. Ms. 2503 servatur, et cui præfixus est is titulus ex Græco Latine redditus: *Narratio de sanctis tredecim patribus, quos Latini igne consumpserunt in insula Cypro anno sexies millesimo septingentesimo trigesimo nono*, nempe mundi conditi, qui juxta Græcum computandi usum anno Christi MCCXXXI respondet. Ne forte Græci schismatici, omissis quibusdam rerum circumstantiis, obstinatos hos hæreticos Martyrologiis suis inserant, atque ita Catholicis illudant, placet hic ad majorem cautelam indicare nomina pervicacium illorum, quæ ab eodem sic exprimuntur: *Joannes, Conon, Jeremias*, B *Marcus, Cyrillus, Theoctistus et Barnabas, hi ambo fratres germani; Maximus, Theognostus, Joseph, Gennadius, Gerasimus, Germanus*. Ceterum de Dominicano fidei inquisitore, et Latino Cypri archiepiscopo, justaque latæ sententiæ exsecutione apud Echardum loco proxime citato plura videri possunt. Jam redeamus ad epistolam, quam Germanus, Constantinopolitanus istius temporis patriarcha, Romano Pontifici scripsit.

Litteris Germani, quæ in Anglia corruptæ sunt,

943 Matthæus Parisius illas Germani litteras in sua Historia Majore ad annum Christi MCCXXXVII exhibet; sed eas pro suo odio contra Romanam curam adjectis calumniis auxit, nisi potius cum Raynaldo ad annum Christi MCCXXXII num. 49 suspicari velis, id factum fuisse ab illo, qui Londini primus hoc opus Matthæi typis mandavit. Certe Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi MCCXXXII, num. 35 affirmat in codice Vaticano non legi hæc contumeliosa verba, quæ editioni Londinensi, aliisque eam secutis, sic inseruntur: *Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi injustas oppressiones et opum protervas exactiones et servitutes indebitas, quas a vobis subjectis extorque*C*tis, formidarent*. Deinde Waddingus ibidem variis argumentis ostendit, istam calumniam temere ab aliquo Romanæ Ecclesiæ obtrectatore illic intrusam esse.

et quas hæretici hodierni acriter defendunt,

944 *At nihil mirum*, inquit Casimirus Oudinus in ampliori Commentario de scriptoribus ecclesiasticis tomo 3 col. 54 editionis supradictæ, *quod in bibliotheca Vaticana non inveniantur, quæ contra Ecclesiam Romanam scripta sunt*. Miserum enimvero effugium! Saltem noverat infelix ille apostata, plura Græcorum schismaticorum opuscula ex bibliotheca Vaticana prodiisse, et in ea etiamnum conservari. Quod si ille ejusque gregales fidem adhibere nolint bibliothecæ Vaticanæ, cur nos bibliothecæ Anglicanæ fidere cogemur? Ut alia in hanc rem omittam, impudentes hujusmodi homines convincere debet ipsa epistola Græca, quam Harduinus noster ex bibliotheca regis Galliæ codice 2503 nuper tomo 7 Conciliorum a col. 1961 inseruit, et in qua hæc contumelia non reperitur. His ex occasione dictis, narrationem nostram prosequamur.

Gregorius IX Papa placide respondit,

945 His Germani litteris Pontifex Romanus placide respondit, eique præter alia ostendit, ærumnas Græcorum ex schismate suo ortas esse: *Cum enim*, inquit, *Græcorum ecclesia a Romanæ Sedis unitate recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticæ libertatis, et quæ fuerat libera, facta est secularis potestatis ancilla, ut justo Dei judicio, quæ noluit divinum recognoscere in Petro primatum, toleret invita seculare dominium*. Denique Patriarcham monet, ut cum suis exemplo filii prodigi humiliter ad Patrem revertatur, spondetque, illum et Græcos alios paterna benevolentia a se recipiendos esse. Hæc Gregorii IX epistola apud Waddingum, Raynaldum, et plerosque conciliorum collectores occurrit. Postea idem Pontifex duos Religiosos ex Ordine S. Dominici et totidem ex Ordine S. Francisci misit Nicæam, ut cum imperatore et Patriarcha agerent de reducendis ad Ecclesiam Romanam Græcis, eisque deferendas tradidit litteras de duplici gladio Ecclesiæ et de usu utriusque spiritali et temporali, quæ apud laudatum Waddingum in Annalibus Minorum anno Christi MCCXXXIII num. 9 Græco-Latine referuntur.

Sec. XIII.

ac tantum effecit, ut de unione ineunda

946 Quatuor illi nuntii Nicæam profecti, et ab imperatore ac Patriarcha honorifice excepti, negotium unionis conciliandæ eo deduxerunt, ut Græci faterentur, non aliam fuisse causam, cur E ab Ecclesiæ Romanæ obedientia recesserint, quam quod Latini Eucharistiam consecrarent in azymo, et Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere affirmarent. Cum vero de processione Spiritus sancti a Filio per aliquot dies utrimque disceptatum esset, et Germanus suos causa cadere videret, excogitavit quoddam effugium dicens, se solum non posse istas questiones dirimere, aut unionem perficere; sed etiam vocandos esse patriarchas Hierosolymitanum, Antiochenum et Alexandrinum, cum quibus celebranda foret synodus, cui nuntii illi Pontificis Romani interessent.

inter Latinos et Græcos synodus habita fuerit,

947 Deinde apud Nymphæam, Bithyniæ oppidum, synodus habita est, ad quam nuntii Pontificii tandem accesserunt. Sed cum ibi Græci quæstionem callide subterfugerent, et argumenta Latinorum nugatorie eluderent, ad jurgia et contumelias ventum est, ita ut chartophylax nuntiis inter alia exprobraret petulantiam militum nostrorum, qui Constantinopolim interceperant. Sic spes conciliandæ unionis evanuit, et concilium istud, animis utrimque magis exulceratis, dissolutum est, F ut fusius videri potest in ipsa nuntiorum illorum relatione, quam Waddingus ad annum Christi MCCXXXIII num. 10 et sequentibus ex Ms. codice Vaticano contraxit, et quam Echardus tomo primo proxime laudati Operis a pag. 911 emendatiorem edidit.

etiamsi Germanus in schismate perseveraverit,

948 Germanus ille in schismate perseveravit, ut colligitur ex iis, quæ Matthæus Parisius in Historia Majore ad annum Christi MCCXXXVII refert, quamvis ea narratio in quibusdam circumstantiis a veritate aberret, ut ex hoc brevi fragmento patet: *Erigitur Græca ecclesia contra Romanam, imperatorem suum expellendo, et sibi archiepiscopo suo Constantinopolitano, nomine Germano, obediendo; qui procaciter Græcorum errores, non tantum veteres, imo novos et adinventos defendens, enormiter a religione Catholica delirat. Eorum enim hæc est desipientia. Asserunt, Spiritum Sanctum non a Filio, sed a Patre solo procedere... Constituit igitur sedem suam, quasi alter Lucifer, in Aquilone, scilicet in Constantinopoli, Græcorum civitate metropolitana* (hic Germanus Nicææ sedit, adeoque id falsum est nisi forte ipsum confuderit cum altero Germano de quo postmodum agemus)

filius

filius scilicet degener et antipapa, vocans ecclesiam suam et asserens digniorem, et Ecclesiam Romanam sororem ejus dicens, non matrem, eo quod beatus Petrus Apostolorum princeps quondam, priusquam Romam venerat, Antiochiæ, quæ imperio Græcorum adjacet, et pertinet, sedem constituit cathedralem. Hæc schismatica Germani pertinacia etiam eruitur ex quibusdam ipsius opusculis, quæ Leo Allatius lib. 2 de Consensione utriusque ecclesiæ cap. 14 num. 3 indicat, et quæ a bibliographis passim recensentur.

qui forte propterea tantopere a schismaticis laudatur,

949 Hinc minime mirum est, quod Nicephorus Callistus schismaticus hunc Patriarcham tantopere laudet, eique sanctitatem et etiam miracula sic affigat: *Germanus sapientissimus et sanctissimus ex Anaplo profectus, piscatoris, ut ferebatur, filius, diaconus primo magnæ ecclesiæ, et post captam urbem in monachum detonsus in Anchyranæ monasterio sancti Georgii Paneumorphi dicto. Hunc Joannes Ducas Batatzes promovit; qui ecclesiam recte sancteque administravit, ac contra Latinos scripsit, aliosque libros. In obitu vero, mutato nomine, vocatus est Georgius monachus. Rexit autem ecclesiam annis* XVIII, *et sepultus est Nicææ in monasterio Cyriotissæ, multa operatus miracula.* Etiam a Nicephoro Gregora, scriptore schismatico, lib. 3 Historiæ Byzantinæ cap. I *Germanus vir prudens et doctrina et probitate vitæ insignis* appellatur. Nec minus illum laudat Georgius Acropolita, dum in Historia sua num. 42 de morte ejus sic meminit: *Ante hæc tempora Germanus patriarcha, rebus terrenis dimissis, in beatorum sedes avocatur, postquam probe sancteque vixisset, probeque suas oves pavisset.* Verum hæc scripsit Acropolita, quando adhuc adhærebat schismati, quod postea solenniter ejuravit, ut Possinus noster in Notis ad Pachymerem tom. 1 pag. 458 et sequente ostendit. Quare nos nihil movere debent laudes, quas tunc schismaticis tribuit, quod hic semel monuisse sufficiat.

B

quando anno 1240 vitam cum morte commutaverat.

950 Ex historia non potest Germano assignari certum mortis tempus, ac proinde illud colligendum est ex annis, quibus sedem occupavit. Duplex Labbei et Panvinii catalogus ei annos septemdecim et menses sex tribuit, pro quibus Nicephorus Callistus octodecim rotundo numero verosimiliter computavit. Catalogus Juris Græco-Romani, Matthæus Cigala, et Philippus Cyprius, quod sane mireris, hunc Patriarcham prætermittunt. Quare in numerandis illius annis Nicephorum Callistum aut duos Labbei et Panvinii catalogos sequi oportet. Sed cum ille octodecim annos rotunde numerasse videatur, et hoc modo cum duobus his catalogis facile conciliari possit, scrupulose expressos septemdecim annos et sex menses Germano tribuimus. Si totum istud temporis intervallum ab Augusto anni MCCXXII supputatum fuerit, occurret nobis Februarius anni MCCXL, circa quem mensem mors ipsius erit consignanda. Nicephorus Gregoras lib. 3 Historiæ Byzantinæ cap. 1 num. 2 mira oscitantia scribit, Germano successisse Arsenium, cum certe secundum mox dicenda in locum ipsius substituendus sit

C

CIV METHODIUS II.

Hunc Patriarcham Germano immediate subrogant duo catalogi Græci, quos Labbeus noster Apparatui historiæ Byzantinæ a pag. 35 præfixit, supra citatus Ephræmius poëta, aliique scriptores; inter quos Georgius Acropolita synchronus in Historia num. 42, post relatam Germani mortem statim hæc subjungit: *Post eum monachus quidam, Methodius nomine, Hyacinthi, quod Nicææ est, monasterii præses; vir quidem dicto suo tenus cautus ac sapiens, revera tamen paucorum sciens, tres tantum menses throno potitus, obiit, et ecclesia vidua pontifice suo carebat: cum enim Joannes imperator in his expediendis non esset admodum promptus, non ita facile poterat e re nata dignum tali solio, vel potius, qui illi probaretur, invenire: principes enim in hæc munera viros, qui, quod illis placitum est, faciant, nec suis desideriis adversentur, asciscunt. Igitur multum præterierat tempus, nec aderat, qui oves gubernaret.*

D

Post mortem Germani anno 1248 ad sedem evectus est Methodius,

qui post trimestrem gubernationem

952 Nicephorus Callistus Georgio Acropolitæ consentit, dum post supra memoratum Germani patriarchæ elogium immediate subdit sequentia: *Methodius abbas monasterii Hyacinthi, eodem imperante Joanne Duca, mensibus tribus, et defunctus in eodem Hyacinthi monasterio sepultus est. Is cum se multa scire putaret, pauca revera sciebat. Illo defuncto, thronus per multos annos vacavit.* Ne quis propter *multos annos*, quos interpres hoc loco expressit, nimis diuturnam sedis vacationem sibi fingat, monemus, Græce legi ἐπὶ χρόνοις ἱκανοῖς, quæ phrasis per *nonnullos* vel *sat multos* annos explicari potest, cum adjectivum ἱκανὸς proprie *idoneum*, *sufficientem*, et *congruum* significet, ut apud obvios lexicographos videre est. Hanc interpretationem confirmat Græca expressio Georgii Acropolitæ, a quo istud vacationis spatium vocatur χρόνος συχνὸς, quæ voces tantummodo *multum tempus* designant. Ceterum quanto tempore tunc sedes vacaverit, postea dicemus.

E

eodem anno 1240 animam exhalavit.

953 Ex his Acropolitæ et Callisti verbis liquet, Methodium tribus mensibus dumtaxat sedisse, et ab ejus obitu ecclesiam Græcam diu patriarcha caruisse. Huic trium mensium administrationi adstipulatur uterque Labbei et Panvinii catalogus, cui etiam favet poëta Ephræmius, quando in supra citatis versiculis asserit, Methodium *brevissimo tempore* sedem tenuisse. Perturbatus et corruptus Juris Græco-Romani catalogus hoc loco Methodium plane omittit; Matthæus vero Cigala et Philippus Cyprius eidem annum unum perperam adscribunt. Nos igitur cum pluribus et antiquioribus scriptoribus tres menses Methodio tribuimus, et juxta superius stabilitam chronotaxim putamus, illum ante medium anni MCCXL ex hac vita migrasse. Illo mortuo, sedem facile quatuor annis vacasse, colligimus ex initio successoris ipsius, quod circa medium anni MCCXLIV figi potest, ut ex sequentibus apparebit.

F

CV MANUEL II, cognomento Charitopulus.

Post quatuor sedis vacantis annos Manuel anno 1244 fit patriarcha,

Quo tempore hic Patriarcha sedere cœperit, præterpropter colligendum est ex annis episcopatus ejus, et morte Joannis Ducæ imperatoris, qui juxta communem chronologorum sententiam anno Christi MCCLV e vivis excessit. Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 930 mortem ejusdem imperatoris anno Christi MCCLV collocat; sed mensem et diem hujus mortis ignorari existimat, dum de Manuelis successore ibidem ita disserit: *Arsenius Autorianus monachus*

successit

A *successit in Manuelis locum anno Christi* MCCLV, *post obitum Joannis Ducæ imperatoris, qui contigit hoc ipso anno, sed quo die ac mense, non liquet ex scriptoribus; neque Possini conjecturas admittimus.* At nihil hic opus est conjecturis, de quibus postea agemus, cum Georgius Acropolita synchronus, toties ab ipso Banduro citatus, in Historia sua num. 52 tempus, quo Joannes Ducas obiit, ita diserte exprimat : *Cum gravissime corpore urgeretur, Nymphæum proficiscitur, nec regias ibidem domos invisit, sed in hortis regiis prope urbem imperatoria fixit tentoria, ubi et diem suum obiit extremum, tertio Kalendas Novembris, sexaginta et duos annos natus, ut qui illius res exactius possidebant, dixere.* Ex his itaque sequitur, imperatorem istum anno Christi MCCLV, die XXX Octobris mortuum esse.

qui paulo ante mortem Joannis imperatoris anno 1255 obiit,

955 Jam vero idem Acropolita num. 53 scribit, quod patriarcha Manuel vitam finivisset, *paulo antequam Joannes imperator moreretur*, ut postea fusius ex ipso repetemus. Igitur ex hoc Acropolitæ testimonio non improbabiliter conjicimus, Manuelem circa medium anni MCCLV obi- B isse, et forte sedem tunc propter lentum imperatoris morbum, aliasque rationes, aliquot mensibus usque ad finem ejusdem anni vacasse, ut infra dicemus. Hinc etiam corruit arbitraria Banduri chronologia, quam loco proxime citato sic confidenter ordinat : *Manuel autem, ut liquebit ex iis, quæ dicturi sumus de annis ipsius successorum, circa finem anni* MCCXLIII *ad patriarchalem thronum evectus fuit, cum ecclesia Constantinopolitana annis tribus et mensibus circiter septem orbata mansisset pastore. Hic cum sedisset annis undecim, fatis functus est circa finem anni Christi* MCCLIV *: quod etiam confirmatur ex Georgio Acropolita, qui pag.* 57 *ait, Manuelem patriarcham fuisse, antequam Joannes Ducas imperator moreretur, cujus quidem mors accidit anno Christi* MCCLV. At cum imperator exeunte Octobri anni MCCLV obierit, et Manuel dicatur vitam finivisse *paulo antequam Joannes Ducas imperator moreretur*, Bandurus in sua chronotaxi vocem *paulo*, quæ in Græco textu clare exprimitur, cogetur ad integrum ferme annum extendere, quod nullo modo verisimile videtur.

quando undecim annis sederat.

956 Nonnulli recentiores catalogi huic Patriarchæ quatuordecim gubernationis annos tri- C buunt; sed hi omnes, aliis etiam erroribus evidenter infecti, cedere debent Nicephoro Callisto suppari qui dumtaxat undecim annos ei adscribit. Nos igitur hic cum Banduro probabiliorem Nicephori Callisti computum sequimur, et episcopatui Manuelis undecim annos assignamus. Si jam istos patriarchatus annos retrocedendo numeremus ab ineunte Julio anni MCCLV, circa quod tempus mors Manuelis non improbabiliter collocari potest, perveniemus ad medium anni MCCXLIV, quando Manuel sedere cœpit, quod initium cum diuturna cathedræ vacatione et brevissimo decessoris episcopatu optime concordat, ut superiorem chronotaxim nostram recolenti manifestum fiet. Nunc aliqua ipsius gesta ex antiquis auctoribus referamus.

Georgius Pachymeres innuit, hunc Patriarcham fuisse indoctum,

957 Georgius Pachymeres lib. 1 Historiæ suæ cap. 7 narrat, quomodo hic Patriarcha Michaëlem Palæologum, de conspiratione accusatum, et propterea ab imperatore Joanne Duca carceri mancipatum, intercessione sua liberaverit. Georgius Acropolita in Historia num. 50 et sequente eamdem conspirationis accusationem fuse exponit, et ea occasione ibidem num. 51 crassam hujus Patriarchæ in litteris ignorantiam sic indicat. *Mittit eum* (nempe Michaëlem Palæologum, postea imperatorem, qui hic ab Acropolita Michaël Comnenus vocatur) *ad Manuelem, qui ea tempestate patriarchatus gubernaculis assidebat, virum pietate insignem, et vitæ instituto, licet uxorem duxisset, venerandum; litteras tamen haud doctum, cum nec eorum sententiam, quæ ipse percurrerat, caperet.*

licet aliqua ejus scripta adhuc exstent

958 Propter hanc litterarum imperitiam non immerito quispiam cum Petro Lambecio lib. 8 Bibliothecæ Vindobonensis pag. 460 dubitare posset, an Manueli primo, an secundo tribuendum sit diploma Græcum, quod in bibliotheca Cæsarea conservatur sub hoc titulo : *Manuelis patriarchæ Constantinopolitani litteræ, datæ tribus monachis, Marco, Nectario et Isaacio, qui ad ipsum ex Calabria venerant, petituri, ut sibi liceret sacerdotale officium, quod per triennium interdictum fuerat, iterum exercere.* Sub nomine Manuelis patriarchæ in Jure Græco-Romano lib. 3 a pag. 238 præter *solutiones quarumdam quæstionum* exstant duo decreta, quorum unum agit *de Translatione episcoporum*, alterum *de Jure patronatus*, E quæ omnia certe ad hunc Manuelem secundum spectant, cum utrobique exprimatur mensis Julius Indictionis octavæ, et decreto de Translatione episcoporum etiam addatur annus mundi 6758, qui ex supputatione recentiorum Græcorum in annum Christi MCCL incurrit.

cumque ab unione cum Latinis non abhorruisse

959 Porro hunc Patriarcham ab unione cum Ecclesia Romana non alienum fuisse, colligo ex verbis Georgii Pachymeris, qui lib. 5 Historiæ cap. 12 inter alias rationes, quibus Michaël Palæologus imperator Græcos ad ineundam cum Ecclesia Latina concordiam inducere nitebatur, recenset sequens imperatoris argumentum : *Proferebat ergo e penu ab iis historiæ deprompta memoriæ veteris exempla; maxime illud imperatoris Joannis Ducæ et antistitum, qui tunc erant, simul cum patriarcha Manuele, ut consenserint promiserintque, missis etiam episcopis, qui in hæc paciscerentur : communicaturos se Latinis in sacra liturgia, et Papæ mentionem in ea facturos, si modo ille abstineret ab auxilio juvandis Latinis, qui urbem obtinebant. Ad cujus rei fidem codex ecclesiæ, in quo ea præscripta erant, prolatus in medium est. Circa id vero factum disserebat imperator compa-* F *rans statum rerum, qui tunc erat, cum præsenti. Proferebat etiam præscriptas et chirographo munitas de hoc sententias præsulum illius temporis, quas ratas haberi, et ut proprias censeri ab ipsis, qui nunc eodem essent loco, debere contendebat.* Ex his conjicio, Manuelem collaborasse ad unionem cum Pontifice Romano conciliandam, cujus conditiones et circumstantiæ apud Raynaldum anno Christi MCCLVI num. 47 et sequentibus alia occasione referuntur.

quod postremum etiam ex Nicephoro Callisto eruitur.

960 Conjecturam meam confirmat Nicephorus Callistus schismaticus, qui in sæpe citato catalogo suo apud Bandurum de eodem Patriarcha sic scribit : *Manuel alter, ejusdem imperatoris Joannis archipresbyter palatinus, ex assiduo studio exterorum disciplinam edoctus, annis* XI, *et defunctus est.* Ex Græco Nicephori Callisti textu clarius patet, hunc Patriarcham adhæsisse doctrinæ exterorum, per quos schismaticus ille scriptor haud dubie Latinos intelligit. Si nobis ad manum esset epistola, quam Manuel iste ad Innocentium IV Pontificem scripsit, et quæ juxta testimonium Casimiri Oudini tomo 3 de scriptoribus ecclesiasticis col. 177 inter Mss. codices bibliothecæ

Bodleianæ

Sec. XIII. Bodleianæ num. 131 exstat, certius de orthodoxia ipsius judicium ferre possemus. Videri etiam possunt ea, quæ de propenso hujus Patriarchæ animo erga Latinos in Annalibus Minorum ad annum Christi MCCXLIX num. 4 et 5, ac alibi refert Waddingus; qui tamen fallitur, dum in iisdem Annalibus ad annum Christi MCCLI num. 3 asserit, hunc Manuelem II Mediolani mortuum et sepultum esse, ut supra in parergo nostro, num. 911 monuimus, dum de Nicolao patriarcha Latino istius temporis ageremus.

Georgius Acropolita indicat,

961 Georgius Acropolita post narratam Joannis Ducæ mortem, quam exeunte Octobri anni MCCLV contigisse diximus, in Historia sua num. 53 de successore ipsius tradit sequentia: *Igitur imperator Theodorus, imperii habenis susceptis, justisque imperatori et patri, uti fieri amat, factis, et super scutum assidens, uti moris est, ab omnibus imperator acclamatus, Nymphæo discedens, Philadelphiam commeat, urbem ingentem et frequentem populis oppidanisque, arma sumere et maxime sagittis adversarium configere professis. Ea cum in finitimum agrum Persicum extendatur, bella cum hosti-*
B *bus continuo exercens, gentem belli studiis asperrimam alit. Ibi paucis diebus, quibus legationem ad Sultanum miserat, commoratus, ad Bithynorum oras, et ad primam illius regionis urbem Nicæam secessit.* Hæc ideo retulimus, ut quivis evidenter intelligat, non statim Manueli patriarchæ, qui paulo ante Joannem imperatorem obierat (puta menſe Julio anni MCCLV, ut supra num. 956 diximus) successorem assignatum fuisse.

cur Nicephorus Blemmida post mortem Manuelis

962 Hæc mora inter Manuelis mortem et successoris electionem etiam confirmatur ex iis, quæ Acropolita ibidem immediate subjungit hoc modo: *Sed cum patriarchæ orba ecclesia foret (nam paulo antequam Joannes imperator moreretur, patriarcha Manuel vitam finierat) nec absque patriarcha imperatoris coronatio in sacro templo confici posset, dignus ea provincia et honore conquirebatur. Plurimorum suffragia in Nicephorum Blemmidam, præceptorem meum, et philosophicorum sermonum ac dogmatum institutorem, virum et litteris et virtute perquam celebrem, et qui juvenis adhuc atque tenella ætate jugum monasticæ vitæ tulerat, respiciebant, licet nonnullorum, et maxime primatum, invidentia non modo tantæ virtutis lumen occuluerat,*
C *sed et vitia quædam homini appinxerat.*

non fuerit electus patriarcha,

963 *Hunc imperator Theodorus diligebat, cui jucundissimus erat: quippe qui sermonum, quibus summopere delectabatur, magistrum eum sibi adsciverat; sapientiæ enim culmen et revera attigerat imperator. Ille ad tantam rem segnior esse et imperator etiam ipse non impense nimis urgere, cui magis volupe erat, ab eo similem dignitatem non recipi. Reges scilicet eos, qui patriarchatui præsunt, moribus ac ingenio abjectiores moderatioresque, ut facilius eorum nutibus, veluti jussis, succumbant, peroptant, quod rusticioribus, cum sermonibus fidere nequeant, potissimum accidit; qui vero sapientiæ operam navant, rigidiores videntur, et illorum jussibus adversantur. Propterea imperator Theodorus, illius mente sensuque leviter degustato, ad alios se convertit.* Haud dubie etiam Theodorus Junior meminerat constantiæ, qua Nicephorus Blemmida Marcesinam, patris sui imperatoris pellicem, publice e templo ejecerat, de quo Nicephorus Gregoras lib. 2 Historiæ Byzantinæ cap. 7, et ipsa Blemmidæ epistola apud Leonem Allatium in Consensione utriusque ecclesiæ lib. 2 cap. 14 num. 4 consuli possunt. Ceterum alii historici memorant egregia hujus viri orthodoxi gesta, et bibliographi passim recensent erudita illius scripta, ex quibus Raynaldus duas ejus orationes de processione Spiritus sancti, contra Græcos compositas, ad calcem tomi XIII Annalium ecclesiasticorum a pag. 721 Græco-Latine typis vulgavit. D

quod etiam partim tradit Nicephorus Gregoras

964 Nicephorus Gregoras lib. 3 Historiæ Byzantinæ cap. 1 num. 2 eamdem successionis narrationem ita instituit: *His igitur et id genus aliis de causis Theodorus, patre superstite, non fuerat imperator appellatus: post ejus obitum autem totius populi suffragiis creatus est, in clypeo sedens more tum usitato. Sed cum patriarchæ manu coronandus esset, ac tum sedes vacaret (nam Germanus vir prudens, et doctrina et probitate vitæ insignis, non ita pridem decesserat) de successore eligendo deliberatum ac disputatum est. Ac multi in exspectatione atque in ore erant, et alii aliis. Sed doctrina et virtute celebris Nicephorus Blemmydes omnium sermonibus ceteris præferebatur, qui tum in monasterio suo quietam agens vitam, aspera victus et exercitationum ratione sese macerabat. Is cum delatum sibi honorem recusasset, ceteris prælatus est Arsenius monachus.*

cujus occasione error Allatii corrigitur.

965 Miror, Leonem Allatium loco proxime citato propter hanc Gregoræ narrationem dubitasse, *an Manuel vel Germanus is patriarcha fuerit, cui subrogandus erat Blemmida.* Secure enim E clarum Acropolitæ synchroni testimonium præferre potuisset auctoritati Gregoræ supparis cum præsertim ipsemet ibidem numero sequente Gregoram erroris arguat his verbis: *Manueli successit Arsenius Autorianus, quem post Germanum mira oscitantia Gregoras ponit.* Præterea miror, Allatium eodem loco ita hallucinatum esse, ut putaverit, Pachymerem lib. 1 Historiæ suæ cap. 5 et 24 de Manuele philosopho, seu istius nominis primo, meminisse, cum interim ipse duos Manueles patriarchas recte distinxerit, et ex tempore aliisque historiæ adjunctis facile colligere potuerit, Pachymerem ibi de Manuele Charitopulo sive secundo egisse. At nonnumquam bonus dormitat Homerus, quod et nobis aliquando contingere non negamus. Ex dictis itaque concludimus, quod huic Manueli successerit

CVI ARSENIUS, cognomento Autorianus. F

Arsenius parum doctus et nullis ordinibus insignitus

Res gestas hujus Patriarchæ passim commemorant scriptores Græci, inter quos laudatus Acropolita antiquior, post supra relatam electionis narrationem de successione et ingenio Arsenii hæc addit: *Propterea imperator Theodorus, illius mente sensuque leviter degustato, ad alios se convertit, et cum plures non satisfacerent monachum quemdam ex Apolloniadis lacu, paucarum litterarum peritum (solum enim rudimenta Grammatices attigerat) nullis sacris Ordinibus insignitum, Arsenium nomine, accersitum, quam celerrime missis hominibus conduxit (nec ille renuit) et Nicæa exire festinans præsulibus, ut quamprimum eum patriarcham efficerent, imperat: illi audientes per unam hebdomadam diaconum, sacerdotem, et patriarcham consecrant.* Hic liberiorem Leonis Allatii interpretationem nonnihil mutavi, ut textum Græcum cum Latino conferre volenti patebit.

967 At Acropolita, qui hic asserit, ab Arsenio diversos Ordines ἐν μιᾷ ἑβδομάδι, *in una hebdomade* susceptos fuisse deinde in Chronico compendiario

A *exiguo temporis spatio ad patriarchalem dignitatem evehitur,*

pendiario dicit, id μονημέρως *uno die* factum esse, dum ibi num. 53 de novo imperatore Theodoro narrat sequentia : *Justis patri factis, et super scutum acclamatus, Nymphæo discedens Philadelphiam commeat, ibique paucis diebus commoratus, ad Bithynorum oras secessit. Sed cum patriarcha orba ecclesia esset (nam paulo antequam imperator moreretur, patriarcha Manuel vitam finierat) Arsenium quemdam monachum ex Apolloniadis lacu accersitum, patriarcham creat, qui uno eodemque die et diaconus et sacerdos et patriarcha consecratur, ab eoque coronatus exit.* Ex his textibus inter se collatis liquet, alterutro loco mendum irrepsisse, vel Acropolitam memoria lapsum esse. Attamen Chronico compendiario præferimus priorem Historiæ narrationem, cui favet Nicephorus Callistus, qui inter alia de ordinatione Arsenii sic habet : *Creatus lector, diaconus et sacerdos, deinde patriarcha ordinatur, singulis diebus singulos Ordines accipiens, quoniam imperator profectum maturabat.* Quare nobis minus verosimile est, eodem die diversos Ordines Arsenio collatos fuisse. Sed his aliisque omissis, nunc accuratum hujus ordinationis tempus indagemus.

B *qui juxta computum Possini nostri*

968 Possinus noster in Observationibus ad Pachymerem tomo 1 lib. 3 cap. 5 pag. 512 de chronologico hujus Patriarchæ initio sic erudite disserit : *Sedem Constantinopolitanam, imperante Michaële Palæologo, quinque omnino patriarchæ tenuerunt, quorum unus etiam Arsenius illi ecclesiæ bis præfuit : priorem hujus patriarchatum ab anno Christi* MCCLV *procedere tam certum est, quam illo ipso anno Theodorum Lascarum juniorem imperare cœpisse; quod capitibus libri hujus tertio et quarto demonstravimus. Etenim, ut diserte oculatus testis et auctor cujusvis rei locuples, Acropolita Georgius tradit, acclamatus imperator Theodorus post patris Joannis mortem, quæ illo Christi anno* MCCLV, *tertio Kalendas Novembres contigit, curam omnium primam posuit in providendo ecclesiæ pastore, quam patriarcha Manuel, paulo ante Joannem ejus patrem moriens, reliquerat viduam.*

sedere cœpit

969 *Ac si spatia rebus ea occasione actis congrua dimetimur, certo intelligemus, non potuisse Arsenii evectionem ad patriarchatum ante mensem ejus anni ultimum fieri : nam penultimo Novembri persolutis decessori parenti funebribus justis, deliberatio de patriarcha inita est a Theodoro, primumque multis circumspectis, in Nicephoro Blemmida, quo philosophiæ magistro novus imperator usus fuerat, designatio consedit. Verum ille, postquam longe absens invitatus est per nuntios, honorem detrectante, nova inquisitio digni tali loco viri desiit in Arsenio, qui oblatam dignitatem libenter admittens, ex monasterio ad lacum Apolloniadis sito, ubi vitam religiosam exercebat, Nicæam profectus, ibi spatio hebdomadis unius (non unius diei, ut perperam ponitur apud Spondanum) unius inquam hebdomadis spatio diaconus, sacerdos et patriarcha ordinatus est; idemque mox ritibus in ecclesia consuetis Theodorum eumdem imperatorem coronavit.*

C

mense Decembri anni 1255,

970 *Nemo non videt, in his facile consumi debuisse intervallum sesquimenstruum, ut vix tandem sub medium Decembrem possessionem adire patriarchatus Arsenius potuerit. Quia porro, ut notat Acropolita, Theodorus imperator evocatus Adrianopolim instantibus causis, expedire se Nicææ festinabat necessaria ceremonia inaugurationis suæ, quæ prima ei apta se obtulit dies (fuit ea Christi natalis) in ea sacris primum operante patriarcha, solennem in templo coronationem accepit die* XXV *Decembris, a qua die, quæ sexta est numerata, Decembris* XXX, *horrenda solis eclipsi fuit insignis. Habemus ex his initium sedis Arsenii, omni firmitate constitutum in mense Decembri anni* MCCLV *a Christo nato.*

SEC. XIII.

aliter computante Banduro,

971 Hæ Possini rationes, quas Bandurus conjecturas appellat, nobis satis probabiles videntur, ut iis acquiescamus. Certe illas præferimus chronotaxi Bandurianæ, in qua tomo 2 Imperii Orientalis pag. 931 asserit, Arsenium patriarchatui valedixisse *initio anni Christi* MCCLX, *cum sedisset annis quinque, ut scribit Nicephorus, neglectis aliquot diebus, quibus supra annos quinque rexit illam ecclesiam.* Si Arsenius quinque annis et aliquot diebus sederit, et initio anni MCCLX cathedram reliquerit, debuit eam ineunte anno MCCLV ascendisse, ut computanti manifestum fiet. At illud Arsenii initium repugnat Acropolitæ testi synchrono, qui loco supra citato diserte affirmat, Joannem Ducam *tertio Kalendas Novembris* obiisse, et Arsenium, eo mortuo, ad cathedram patriarchalem evectum esse. Præterea ipse Bandurus cum communi chronologorum sententia fatetur, mortem Joannis Ducæ imperatoris anno Christi MCCLV accidisse. Non videmus, quomodo Bandurus sese hoc nodo chronologico expedire possit. E

et circa mensem Aprilem anni 1260 se dignitate sua abdicavit.

972 Jam vero quod attinet ad quinque annos, quos Nicephorus Callistus Arsenio tribuit, eos pro quatuor annis et aliquot mensibus rotunde computatos esse opinamur, cum omnes alii catalogi tantummodo quatuor annos priori illius administrationi assignent. Quid autem Patriarcha interim gesserit, et quam ob causam patriarchatu se abdicaverit, videri potest apud historicos Græcos, inter quos Pachymeres lib. 1 cap. 22 et sequentibus omnia illa fuse enarrat. Postea tamen nonnulla monebimus de illius sanctitate, quam schismatici scriptores passim jactant, quando de ipso, sedi suæ restituto, iterum agemus. Interea priori ipsius gubernationi finem imponimus mense Aprili anni MCCLX, postquam quatuor annis ac fere totidem mensibus sedisset. Probationes hujus chronologiæ, quas hic exscribere non vacat, apud Possinum nostrum loco proxime citato examinari possunt.

CVII NICEPHORUS II.

F

Cum Nicephorus Arsenio exauctorato statim successisset,

Georgius Acropolita in Historia num. 84 electionem hujus Patriarchæ post abdicationem Arsenii sic breviter memorat : *Arsenius item expatriarcha et ipse inde exiens* (videlicet Nicæa) *in monasterium se intrusit. Hinc universi præsules Lampsacum convenientes suffragio omnium, mandatoque imperatoris Ephesinum antistitem Nicephorum in patriarchale solium invehunt. Sed hic, ut jam dixi, neque per annum integrum cathedram moderatus, e vivis excessit.* Pachymeres lib. 2 cap. 15 et sequentibus eamdem Nicephori successionem, dissidia ob illam exorta, indolem ipsius ac mortem exponit diffusa narratione, ex qua facile intelligas, hunc Patriarcham non parum ambitioni et iracundiæ deditum fuisse. Sed nobis hæc omnia commemorare non licet, quibus potissimum ratio chronologiæ habenda est.

post aliquot gubernationis menses,

974 Laudatus Possinus in Observationibus ad Pachymerem tomo 1 pag. 513 breve hujus Patriarchæ tempus ordine digessit, et post probatam Arsenianæ abdicationis chronologiam sic pergit : *In ejus locum substitutus statim est Nicephorus, tunc Ephesi metropolita. Cur statim id factum credam*

SEC. XIII. *dam, causa est, quia festinabat in procinctu ad expeditionem urgentem imperator; et ipse Nicephorus cupidissime assentiens, nullam moram interposuit electioni suæ. Narrantur hæc cap.* 15 *et* 16 *libri* 2, *ubi et dicitur eodem tempore decessisse Nymphæo; imperatorem quidem Callipolim versus cum exercitu ad Constantinopolim oppugnandam, novum vero patriarcham Nicephorum Nicæam, quæ cum esset tunc urbs regia, Latinis Constantinopolim tenentibus, in eo solitus erat Græcus Constantinopolitanus patriarcha diversari. Initium patriarchatus Nicephori verisimiliter confertur in finem Aprilis aut initium Maii anni supra memorati* MCCLX.

puta mense Novembri anni 1260, *mortuus est,*

975 *Narrat inde Pachymeres lib.* 2 *cap.* 20 *diuturnam et irritam oppugnationem Galatæ, in qua imperator consumpsit æstatem; eoque ad eum Nicephorus patriarcha, pertæsus Nicæensium, quorum Arsenio addictorum odia in se irasque nulla delinire arte potuerat, se contulit; spe ingrediendi cum ipso Augusto urbem mox, ut credebatur, capiendam. Sed cum obsidionem solvere coactus imperator Nymphæum se recepisset, secutus eum illuc Nicephorus, ibi est mortuus sub autumnum aut hiemis initium ejusdem*
B *anni* MCCLX. *Quare illius patriarchatus haud fere longior septimestri aut octimestri fuit.* Hoc compendium chronologicum, quod Possinus ex historia Pachymeris contexuit, pro nostro accipi volumus. Ex eo sequitur, Nicephorum Callistum aliosque catalogos rotunde tempus hujus Patriarchæ computasse, quando ei unum annum adscripserunt : Acropolita enim numero proxime citato bis affirmat, hunc Nicephorum obiisse, *cum nec integro anno patriarchatui præfuisset.* Ex hoc testimonio etiam liquet, errasse Philippum Cyprium, qui in catalogo suo apud Bandurum eidem Patriarchæ duos annos concedit. Nos itaque mortem illam mense Novembri anni MCCLX probabiliter collocamus.

et sedi suæ restituitur Arsenius,

976 Post obitum Nicephori Sebastocrator imperatorem precibus fatigare cœpit, ut Arsenius sedi suæ restitueretur, quemadmodum discimus ex Acropolita, qui num. 84 Historiæ suæ post relatam Nicephori mortem statim hæc subnectit: *Tunc Sebastocrator Tornicius, Arsenio impense deditus, imperatorem urgebat, ut Arsenium iterum in patriarchalem sedem promoveret, et mira quædam ac portentosa Arsenii facinora in medium afferens,*
C *continuo imperatorem ad molestiam usque exorabat, ut sibi minime æquum etiam invitus in patriarcham eligeret. Sic imperator volens nolens Sebastocratoris consiliis loco dato, ad patriarchalem dignitatem Arsenium rursum evehit.* Etsi ex his verbis appareat, imperatorem ante recuperatam Constantinopolim precibus Tornicii cessisse, tamen Arsenius non fuit solenniter sedi suæ restitutus ante recuperatam a Græcis Constantinopolim, ut patet ex Historia Pachymeris, et confirmabitur ex iis, quæ jam dicturi sumus.

ARSENIUS iterum.

postquam Græci anno 1261 *Constantinopolim recuperaverant,*

Etiamsi Nicephorus Callistus, aut ipsius scriba, in catalogo suo corruptam recuperatæ Constantinopolis epocham expresserit, tamen eamdem Acropolita synchronus in Historia sua num. 85 sic exacte notavit : *Constantinopolis, ita Deo annuente, rursum sub potestate Romani imperatoris, jure et merito venit, vigesima quinta mensis Julii, Indictione quarta, anno ab orbe condito sex millesimo septingentesimo sexagesimo nono, postquam hostes* D
ea potiti fuissent annos quinquaginta octo. Omnes hi characteres chronologici certissime annum Christi MCCLXI designant. Latini et Græci historici huic chronologiæ passim subscribunt, ita ut propter diversum paucorum computum de hoc anno prudenter dubitari non possit.

quam urbem imperator Græcus

978 Deinde testis ille oculatus triumphalem Michaëlis Palæologi ingressum num. 88 sic describere incipit : *Imperator decimo quarto Augusti die Constantinopolim pervenit; neque illo eodem die urbem introit, sed apud Cosmidii monasterium prope Blachernas tentoria locat. Ibi cum pernoctasset, postero die Constantinopolim hoc apparatu ingreditur, et cum, patriarcha Arsenio absente, precationes illæ* (ipse Acropolita eas composuerat, ut numero præcedente refert) *omnibus audientibus a præsule recitandæ essent, Cyzici metropolita Georgius, quem Clidam cognominabant, quæ necessaria erant, supplevit.* Huic diei et anno consonat codex 1852 in bibliotheca regis Galliæ, quem Boivinus in notis ad librum 4 Nicephori Gregoræ citat, et qui juxta ipsius testimonium initio sic habet : Μηνὶ Ἀυγούστῳ ιε', ἰνδικτιῶνος δ', τοῦ ἔτους ͵ςψξθ' ἐσίχθημεν * σὺν Θεῷ ἐς Κωνσταντινούπολιν. Id est : *Mensis Augusti die* XV, *Indictione* IV, *anno sexies millesimo* E
septingentesimo sexagesimo nono introducti sumus, Deo juvante, in urbem Constantinopolitanam. Hic rursus meminisse oportet, hunc annum mundi juxta recentiorem Græcorum calculum in annum Christi MCCLXI incidere.

* *pro* εἰσήχθημεν

et patriarcha mense Augusto anni 1261 *solenniter ingressi sunt*

979 Denique Acropolita tempus, quo Arsenius patriarcha ad urbem Constantinopolitanam paulo post venit, ac solenniter sedi suæ restitutus est, sub finem ejusdem numeri indicat his verbis : *Quando vero et patriarchæ ingrediendum erat Constantinopolim post nonnullorum dierum excursum, sermonibus suasionibusque adductus introit imperator in sacram regiam, magnæ Sapientiæ sacrarium, ad cathedram pontifici consignandam. Cum imperatore omnes in dignitatibus constituti et patriciorum præcipui, et plebs universa accurrerat. Ibi imperator manum patriarchæ continens* : TENE, *inquit,* THRONUM TUUM, DOMINE, ET A QUA TAMDIU ABERRASTI, CATHEDRA FRUERE. *Sic etiam patriarchæ ab imperatore provisum.* Ex his aliisque Possinus noster loco supra citato concludit, Arsenium circa exeuntem Augustum anni MCCLXI sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse. Hoc secundum Ar- F
seniani patriarchatus initium Banduro non displicet; sed circa finem ipsius seu tempus depositionis major occurrit difficultas, quam nunc paucis referemus.

Possinus noster anno 1266,

980 Possinus in Observationibus ad Pachymerem tomo 1 pag. 514 ex historica rerum gestarum serie probare nititur, Arsenium anno Christi MCCLXVI exauctoratum fuisse. Id autem potissimum evincere mihi videtur ex tempore festi, quod Græci ἀκάθιστον appellant, et quod illo anno MCCLXVI in tertiam diem Aprilis incidebat : Pachymeres enim lib. 4 Historiæ cap. 3 testatur, libellum accusationis contra Arsenium imperatori oblatum fuisse *sub initium Aprilis, solennis jejunii tempore, dum festum ageretur, quod acathistum vulgo nominant.* De origine ac tempore hujus festi consuli potest Possinus in Glossario suo ad tomum 1 Pachymeris pag. 365 et sequente, qui postea ibidem pag. 514 argumentum, ex hoc tempore desumptum, fortiter urget ac pluribus deducit. Deinde Pachymeres post alia, ad depositionem Arsenianam spectantia, tandem lib. 4 cap. 8 narrat, quomodo Arsenius nocte *circiter extrema Maii*

mensis,

A *mensis*, jussu imperatoris in exsilium deductus fuerit. Ex his Possinus eadem pag. 514 sic concludit : *Quare certo ex his licet definire spatium secundi patriarchatus Arsenii, qui a mense Septembri anni Christi* MCCLXI, *ad finem Maii* MCCLXVI *per annos quatuor et menses præterea circiter novem duravit.*

et Bandurus anno 1264 alligat secundam depositionem Arsenii,

981 Verum hæc argumenta non satisfaciunt Banduro, qui tomo 2 Imperii Orientalis pag. 931 de tempore depositionis Arsenianæ sic ratiocinatur : *Finis vero ejusdem patriarchatus a Possino transfertur ad annum Christi* MCCLXVI, *et sic Arsenio secundo patriarchæ anni circiter quatuor assignantur. At cum Arsenius secundo patriarcha duobus annis et aliquot mensibus, quos supputare neglexerat Nicephorus, præfuisset ecclesiæ Constantinopolitanæ, illius depositio contigit certe circa initium anni Christi* MCCLXIV, *utut dicat Possinus.* Bandurus hic potissimum nititur auctoritate Nicephori Callisti, qui secundo Arsenii patriarchatui tantum duos annos adscribit. At quis tuto asserat, hoc loco in catalogum Nicephori Callisti non irrepsisse mendum, cum alias scriptor ille B aut librarius ipsius sæpe a vera chronologia aberret ? Certe catalogus Labbeanus Arsenio universim assignat octo annos, quorum mediam partem primo, et alteram secundo ipsius patriarchatui tribuere possumus. Præterea debuisset Bandurus omnia Possini argumenta, aut saltem præcipuum de festo acathisto, dissolvere, quod si quis solide fecerit, libenter sententiam mutabimus, et cum Banduro dicemus, sedem Constantinopolitanam post depositionem Arsenii aliquot annis vacasse. Interea probabiliorem Possini chronologiam amplectimur, et exsilium Arsenianum anno Christi MCCLXVI alligamus.

qui postea anno 1273 in exsilio obiit,

982 Possinus ibidem pagina sequente ostendit, Arsenium exeunte Septembri anni MCCLXXIII in exsilio obiisse, quod Caveus, Oudinus, aliique ignorarunt. Interim exortæ sunt factiones Arsenianorum et Josephitarum, quæ sic appellabantur, eo quod una faveret Arsenio exauctorato, altero Josepho, qui in locum Germani tertii suffectus est ut mox dicemus. Arseniani diu post mortem Arsenii ab imperatore obtinuerunt, ut magna cum pompa e loco exsilii Constantinopolim transferretur ipsius cadaver, quod statim in C templo S. Sophiæ, ac deinde in monasterio S. Andreæ, honorifice collocatum est, quemadmodum Pachymeres tomo 2 lib. 1 cap. 31 fuse narrat, ubi etiam non obscure innuit, reliquiis illis, tamquam sacris, magnam venerationem exhibitam fuisse.

quem schismatici impense laudant etsi fuerit vitiis infectus,

983 Certe scriptores schismatici pietatem hujus Patriarchæ passim laudant, et propterea in catalogo Juris Græco-Romani *vir sanctus* appellatur. Attamen Nicephorus Gregoras lib. 4 cap. 2 num. 6 fatetur, illum nonnihil ambitiosum fuisse, ut auctor ille schismaticus mitissime indicat his verbis : *Habuit itaque et Constantinopolitana ecclesia Arsenium patriarcham, partim volentem, partim nolentem : nolentem quidem propter superiores offensiones ; volentem vero, quod et ipse imperatricem urbem spectare cupiebat, et ab amore gloriæ non erat prorsus invictus : homo enim et ipse erat, et nihil novum, si cum alii multo majore ambitione tenerentur, minori ipse laboraret.*

ut patet ex ejus testamento,

984 At præterea colligimus ex Testamento Arsenii, quod Cotelerius inter Monumenta ecclesiæ Græcæ tomo 2 a pag. 168 edidit, Patriarcham illum maxime Latinis infensum, ac non parum vindictæ cupidum fuisse : nam ibi pag. 176 et sequente inter alia crimina, de quibus Michaëlem Palæologum imperatorem accusat, enumerat initam cum Ecclesia Romana concordiam, et idcirco illum diro anathemate sic constringit : *Sed quoniam ecclesiam Dei vertit in speluncam latronum et lupanar ; item, quem prius excommunicaveram, in sede mea collocavit, nec non ad illam impietatem omnimodamque perfidiam, qua Latini tenentur, conatus est adducere ecclesiam Dei, quæ immenso sanguine, ante et post Christum ac per Christum magnam hostiam fuso, collecta fuit : demum ingentem persecutionem contra eamdem ecclesiam excitavit post tot annos a persecutionibus ; eapropter excommunicationem protendo, cui ipse subjecit se propria voluntate, proprio placito, propria sententia. Protendo anathema, et illum trado satanæ, sicut antea ipsum se per perjuria tradidit, nuncque tradit per ecclesiæ persecutionem. Etiam satanæ trado homines, nequaquam pontifices habendos, qui consenserunt, subscripseruntque impietati, pari modo proceres, qui dedere adminiculum ; item sacerdotes, cunctosque conscios ac assensores.*

quod Andronicus imperator tamquam fictitium,

985 Hanc ultionis cupidinem Arsenio ignominiosam esse, satis vidit Andronicus imperator, qui post patris sui Michaëlis mortem schisma renovavit, et propterea Testamentum istud explodit, tamquam fictitium, eo quod Arsenii chirographo non esset firmatum. E In oratione sua apud Pachymerem tomo 2 lib. 6 cap. 2 inter alia argumenta, quibus hanc opinionem contra adversarios probare nititur, allegat sequentia : *Requiro præterea reverentiam in Arsenium vestram, cui maleficam inhumanamque nocendi voluntatem, etiam in extremo vigentem impingitis halitu. An non enim sentitis, quam sit illaudatum Christiano iram in adversarios non ad solis tantum, sed ad vitæ totius occasum usque servare inexorabiliter flagrantem ? Quam inconsequens, virum, quem sanctum prædicatis, tam sævum ultorem dicere ! Quam incredibile, Patriarcham notæ lenitatis, quem constat, dum viveret, fuisse solitum se lædentibus ignoscere, tam ferum in ipso mortis puncto fingere, ut contra quam consueverat, ligare tunc mallet, quam solvere, constringere animas anathematum vinculis, quam, quod facile vivens indulgebat, relaxare constrictas præoptaret !*

frustra explodere conatur.

986 Sed Pachymeres tomo 1 lib. 4 cap. 1 et 2, aliique scriptores diuturnam Michaëlis Palæologi excommunicationem referentes satis manifeste testantur, F Arsenium non tam facilem fuisse ad condonandas culpas aut solvenda anathematis vincula, ut hoc loco Andronicus contendit. Unde hoc Andronici testimonium nobis redditur suspectum de studio partium, quo imperator ille Arsenio ac schismati favebat. Saltem huic Testamento, quod Cotelerius ex Ms. codice regis Galliæ in lucem protulit, præfigitur titulus Græcus, qui Latine sic sonat : *Testamentum sanctissimi Arsenii, archiepiscopi Constantinopolis novæ Romæ et œcumenici patriarchæ.* Denique ipse hujus authentici instrumenti textus nullas fictionis notas præfert, quidquid Andronicus imperator ei opponat. At jam tempus est, ut ad Arsenii successorem progrediamur.

CVIII GERMANUS III.

Nicephorus Callistus vel ejus scriba hunc Patriarcham in catalogo suo oscitanter omisit ;

Phil-

SEC. XIII.

Arsenio iterum exauctorato successit Germanus,

Philippus vero Cyprius eumdem perperam nomine Georgii appellavit. At Germanum Arsenio exauctorato successisse, tradunt passim historici Græci, inter quos Gregoras lib. 4 Historiæ Byzantinæ cap. 4 num. 4 post narratum Arsenii exsilium protinus hæc subdit: *Deinde Adrianopolitanus episcopus Germanus illi subrogatur, vetere amicitia cum imperatore conjunctus, ac ea dignitate, ceu debito præmio, donatus: nam illi superioribus temporibus, Theodori Lascaris imperatoris metu, ut dictum est, ad Sultanum fugienti, in extremis tum Romanorum finibus monasticam vitam agens, lætus occurrerat, splendideque exceptum et liberali viatico instructum prosecutus erat. Deinde ad eum imperio potitum accesserat, et post multos alios honores etiam Adrianopolitano solio impositus fuerat; inde autem novissime in patriarchalem sedem translatus est.* Georgius Phranza lib. 1 Chronici sui cap. 6 eumdem Arsenii successorem sic breviter assignat: *In Arsenii porro locum, qui sedem reliquerat, Germanus archiepiscopus Adrianopolis est surrogatus.* Hæc successio satis plana et certa est; sed circa tempus, quo illa contigit, mihi tam intricatæ difficultates sese offerunt, ut de liquida B earum solutione desperem. Nihilominus hos chronologiæ nodos eruditis solvendos propono.

et ex ipso Pachymeris textu

988 Pachymeres lib. 4 cap. 13 initium istius Germani indicat his verbis: *Mense Junio in festo sancti Spiritus concordibus suffragiis decreto communi perlato, patriarcha declaratus est, et, Sacro cum illis celebrato, sacræ impositus sedi, præsidere cunctis cœpit.* Ex hoc Pachymeris textu Possinus noster in laudatis Observationibus tomo 1 pag. 516 infert, Germanum anno Christi MCCLXVI vel MCCLXVII potuisse in locum Arsenii succedere, et pro utraque sententia varias rationes allegat. Sed falsa hypothesi nititur, dum ibidem asserit, Pascha anno MCCLXVI in diem XVIII Aprilis, et consequenter festum sancti Spiritus eodem anno in mensem Junium incidisse: nam juxta omnes alios chronologos, et ex calculo astronomico constat, illo anno MCCLXVI Pascha die XXVIII Martii celebratum fuisse. Unde ulterius sequitur, festum Pentecostes illo anno MCCLXVI in mensem Maium incurrisse.

circa hujus patriarchatus initium

989 Hinc Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 931 successionem Germani anno Christi C MCCLXVII alligat, et istud administrationis initium ita demonstrat: *Neque statim Arsenio successit Germanus ob turbas, quæ excitabantur ab Arsenianorum factione, ut colligi potest ex Gregora et Pachymere; sed id factum puto anno Christi* MCCLXVII, *ut colligitur ex Pachymere, qui lib. 4 cap. 13 Germanum inauguratum fuisse scribit mense Junio, in ipsa die Pentecostes. Pentecostes autem festum non occurrit mense Junio, nisi anno* MCCLXIV *(quo certe anno non contigit Germani electio, ut patet cum ex iis, quæ paulo superius diximus, tum ex infra dicendis, ubi agemus de anno, quo is patriarchatum abdicavit) et anno* MCCLXVII: *nam anno* MCCLXV *dies Paschæ in quintam Aprilis incidebat, et anno* MCCLXVI *in vigesimam octavam Martii. Itaque electio Germani necessario cum anno Christi* MCCLXVII *copulanda.*

occurrit difficultas chronologica

990 Tunc pagina sequente chronologiam suam ita confirmat: *Huic Patriarchæ annus unus assignatur in catalogis; verum cum Germanus die Pentecostes, quæ anno Christi* MCCLXVII *concurrebat cum die quinta mensis Junii, creatus sit patriarcha Constantinopolitanus, ut ex Pachymere paulo superius demonstravimus, et patriarchatum abdicaverit die quarta decima mensis Septembris ejusdem anni, ut scribit idem Pachymeres lib.* 4 *cap.* 21, *certe ille* D *mensibus tribus et diebus novem, et non amplius ecclesiam administravit.* Quamvis intellectu difficile sit, exiguo trium mensium spatio tam multa contigisse, quæ Pachymeres lib. 4 cap. 13 et sequentibus narrat, tamen etiam Possinus in synopsi chronologica tomo 1 pag. 535 affert nonnullas rationes, propter quas verosimilius putat, Germanum anno Christi MCCLXVII ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse. Attamen huic anno MCCLXVII, quem Bandurus ex textu Pachymeris tam probabiliter eruit, videtur repugnare ipse Pachymeres, ex quo propterea eruditis propono solvendam difficultatem, quam miror, hactenus ab aliis observatam non fuisse.

quæ novo nodo magis intricatur,

991 Postquam igitur Pachymeres diffusa oratione exposuit, quomodo plebs Germano patriarchæ adversaretur, ac ipse imperator abdicationem ipsius occulte urgeret, lib. 4 cap. 18 subnectit sequentia: *Ceterum imperator suas quasdam secutus rationes, ob quas vitandam putabat suspicionem aversæ a Germano voluntatis, egregie perstitit in simulatione fovendi protegendique ipsum; non solum vultu sermoneque in congressibus cunctis veræ bene-* E *volentiæ indiciis monstrandis, verum etiam pecuniis large donandis, quibus ille videlicet adversas sibi reconciliaret voluntates: quo in genere contigit, instante Palmarum festo, quo solennis duci per urbem supplicatio precibus decantandis consuevit, ut cum, missis ad imperatorem suis, Patriarcha ei confidenter indicasset, indigere se lineis hamo esca induto instructis, quibus ad se homines traheret; intelligens ille, petere ipsum nummos, quibus imminente pompa spargendis in plebem, studia parum sibi faventium emereretur, continuo misit magnam copiam æreæ argenteæque monetæ, qua ille, quæ vulgo vocant epicompia, concinnari curans, ea jactari jussit in populum toto spatio, quo pompa supplicantium processit, ad sanctorum quadraginta Martyrum templum usque producta.*

ita ut anno 1266 vel 1267 affigere cogamur successionem Germani,

992 Græci quotannis festum Palmarum nobiscum circa finem Quadragesimæ celebrant ut Leo Allatius in Dissertatione de Dominicis et hebdomadibus Græcorum num. 20 testatur; ubi etiam notat, tunc ab imperatoribus et patriarchis Constantinopolitanis dona quædam populo distribui consuevisse. At quomodo Germanus patriarcha *instante Palmarum festo* nummos dispersit in ple- F bem, si dumtaxat a festo Pentecostes usque ad medium fere Septembrem ejusdem anni MCCLXVII, tribus mensibus et aliquot diebus cathedram Constantinopolitanam tenuerit? Quis eo temporis spatio inveniet festum Palmarum, quod in ecclesia Græca æque ac Latina non diu ante Pascha celebratur? Nullum igitur hic video effugium, nisi quispiam ostendat, apud Pachymerem nomine Græco mensis *μαιμακτηριῶνος* aliquando Maium significari, aut aperte edicat, mensem Junium ibi perperam pro mense Maio scriptum fuisse. In ea hypothesi utrumque Pachymeris testimonium inter se conciliari posset. Si enim Germanus a Pentecoste anni MCCLXVI usque ad medium Septembrem anni MCCLXVII in cathedra Constantinopolitana sedisset, jam intra istud patriarchatus spatium anno Christi MCCLXVII occurret festum Palmarum, quo Patriarcha ille pecuniam spargere potuerit. Attamen circa alterutrum annum nihil absolute definio; sed initium Germani anno Christi MCCLXVI vel MCCLXVII affigo, donec huic nodo extricando peritior manus adhibeatur.

963 Certius determinare possum chronologicam Germani patriarchæ abdicationem, cujus

tempus

qui mense Septembri anni 1267 dignitatem deposuit,

tempus Pachymeres tomo 1 lib. 4 cap. 21 exacte notavit his verbis : *Mensis inierat September, et agebatur venerandæ crucis festum, quod Exaltationem appellamus. In ea sacris ultimum vestibus indutus, sicque celebrata crucis Exaltatione, sacraque diei ejus liturgia rite functus, vespere sub crepusculum recedit, et in suas, quas sibi ad mare in Manganis exstruxerat, cellulas sese recipiens, quiete illic deinceps vivere constituit.* Pachymeres antea fuse narraverat, quibus artibus Michaël Palæologus imperator Germanum ad dignitatem illam deserendam induxerit. Alii vero scriptores tradunt, Germanum ultro sese patriarchatu abdicasse, eo quod plurimi ipsum odissent. Sic Nicephorus Gregoras lib. 4 cap. 8 num. 1 talem rationem indicat his verbis : *Ceterum patriarcha Constantinopolitanus Germanus, cum sibi vulgus per summam petulantiam insultare audivisset ; quippe qui Arsenii legitimi patriarchæ adhuc superstitis sedem occuparet, ea cuivis alii relicta, quieti se dedit.* Georgius Phranza lib. 1 cap. 6 similia refert hoc modo : *Rursum Germanus auditione accipiens, se maledictis conscindi, ut qui Arsenio etiamnum*
B *vivo thronum ejus involasset, eum volentibus reliquit.* At quæcumque abdicationis causa fuerit, nobis sufficit nosse tempus illius, quod satis colligitur ex Exaltatione sanctæ Crucis, quæ apud Latinos et Græcos die XIV Septembris celebratur. Hanc autem abdicationem anno Christi MCCLXVII factam esse, ex initio successoris ipsius postea constabit.

cum esset schismaticis invisus, quia unioni conciliandæ favebat,

994 Pachymeres tomo 1 lib. 4 cap. 12 et sequentibus mores, variaque Germani gesta describit. Quamvis ea omnia hic nobis referre non liceat, tamen de unione illius cum Ecclesia Romana nonnihil dicendum est. Suspicor, hunc Patriarcham semper a schismate abhorruisse, et idcirco multorum odia contra se excitasse : nam anonymus Græcus, quem Possinus noster in Observationibus ad tomum 1 Pachymeris pag. 457 ex Leone Allatio citat, spiritu schismatico æstuans de Germano illo sic scribit : *Adrianopoleos Germanus, cognomento Malchutzas, qui et cum Latinis sensit, et contra pios* (sic iste schismaticos appellat) *persecutionem movit magnam.* Scriptor schismaticus per contemptum Germano impingit hoc barbarum cognomen, de quo Pachymeres
C tomo 1 lib. 4 cap. 13 circa finem sic habet : *Nec deerant maleferiati blaterones, in maledicentiam faciles, qui per scomma eum Marmutzam nominarent, vocabulum ipsi Persicum aptantes, quod genus suum proximum a Lazis, remotius a Gabra urbe Persidis duceret.* Itaque cum Possino nostro arbitror, Germanum plebi schismaticæ tam odiosum fuisse, quia unioni ecclesiæ Græcæ cum Latina favebat.

quam postea anno 1274 in concilio Lugdunensi perfecit,

995 Hæc opinio nostra confirmatur ex subsecuto concordiæ ineundæ negotio, ad quod conficiendum inter alios Græcorum legatos ab imperatore Romam missus est *Germanus, qui patriarcha fuerat*, ut Pachymeres tomo 1 lib. 5 cap. 17 testatur. Certe imperator numquam ad hæc adhibuisset virum, *senio et infirmitate fractum* (sic se ipsum Germanus ante aliquot annos in abdicatione patriarchatus apud G. Pachymerem ibidem lib. 4, cap. 21 vocaverat) nisi animum illius erga Romanam Ecclesiam optime affectum novisset. Neque etiam Germanus suscepisset difficilem illam legationem, quam facili excusatione subterfugere poterat, nisi cordi habuisset sinceram utriusque ecclesiæ unionem, quam ipse anno Christi MCCLXXIV simul cum aliis legatis in concilio Lugdunensi perfecit, et nomine imperatoris ac ecclesiæ Græcæ jurejurando confirmavit.

SEC. XIII.

ut apud obvios historiographos videre est.

996 Ceterum professio fidei seu formula juramenti, aliaque ad hanc concordiam spectantia apud Labbeum tomo XI Conciliorum part 1 col. 942 et sequentibus referuntur, quæ etiam apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCLXXIV videri possunt. Quinimo Pachymeres schismaticus tomo 1 lib. 5 pluribus capitibus explicat, quomodo Michaël Palæologus imperator hoc negotium urserit, ac tandem perfecerit. Verum ea unio Græcorum, quam nonnulli scriptores decimam tertiam numerant, rursus post mortem Michaëlis Palæologi dissoluta est, ut infra per decursum apparebit. His pro orthodoxia Germani extra ordinem allatis, nunc dicendum est, quo tempore post abdicationem ipsius in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit

CIX JOSEPHUS I.

E

Exeunte anno 1267 ad cathedram CP. evehitur Josephus,

Initium hujus Patriarchæ Pachymeres tomo 1 lib. 4 cap. 23 ita accurate indicat : *Hoc porro tempore imperator, amoto e sede Germano, idoneum, qui patriarchali throno imponeretur, inquirebat una cum episcopis, egregie dissimulans, quid in votis haberet..... Consilio igitur inter se habito, concordibus calculis Josephum Galesii præfectum elegerunt, virum spiritualem et bonum, simplicem natura, facilemque moribus, nonnihil in usu vitæ e palatina elegantia trahentem : nam uxorem habens in familia principis feminæ vixerat, adscriptus olim clero domestico dominæ Irenes piæ memoriæ, ibi ministrans in ordine lectorum.... Hunc talem justo suffragiorum comprobatum numero ad patriarchatum imperator evexit, mensis Decembris die octava supra vigesimam, Indictionis decimæ, anni sexies millesimi septingentesimi septuagesimi quinti. Mox Kalendis Januariis ordinationem idem episcopalem rite accepit.* Annus mundi 6775 juxta Græcos recentiores, et Indictio X cum utroque mense hic expresso finem anni Christi MCCLXVII, et initium anni MCCLXVIII certissime designant. Quare electionem hujus Patriarchæ ab exeunte anno F Christi MCCLXVII, et ordinationem ab initio anni MCCLXVIII numerare possumus. Pachymeres loco proxime citato et sequentibus capitibus mores et gesta istius Josephi sparsim exponit, quæ omnia hic nobis non vacat referre.

qui anno 1274 ab ea dejectus est, eo quod unioni consentire nollet,

998 Nicephorus Callistus in suo patriarcharum catalogo annos gubernationis ipsius et causam abdicationis sic breviter indicat : *Joseph Galesii abbas, primo clericus imperatoris Joannis, qui conjugatus fuerat. Sedit annis* VIII, *et propter unionem Latinorum ejicitur ab imperatore Michaële.* Quod hic de unione Latinorum obscure dicitur, sic certe explicandum est, ut quivis intelligat, Josephum ab imperatore exauctoratum esse, eo quod concordiæ, in concilio Lugdunensi cum Latinis initæ, consensum præbere nollet : cum enim de pace inter utramque ecclesiam concilianda ageretur, Patriarcha ille edito scripto et publico juramento professus est, se numquam unioni consensurum, ut Pachymeres tomo 1 lib. 5 cap. 16 testatur. Unde ibidem capite sequente narrat, quomodo Josephus ab eodem Michaële Palæologo conditionate depositus fuerit, et tempus hujus depositionis ita distincte exprimit : *His inter*

ipsos

SEC. XIII.

ipsos conventis, Patriarcha in Periblepti monasterium migravit die XI *Januarii, secundæ Indictionis, anni sexies millesimi septingentesimi octogesimi secundi.* Hi characteres chronologici ineuntem annum Christi MCCLXXIV significant, ut passim notum est.

ex qua chronotaxi errores quorumdam catalogorum delegantur.

999 Ex hoc duplici Pachymeris synchroni testimonio patet, errasse Georgium Phranzam, Græcum seculi XV scriptorem, qui lib. 1 cap. 6 asserit, hunc Josephum *annos tredecim* ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse. Nec minus hallucinati sunt Philippus Cyprius et Matthæus Cigala, dum hic apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 214 sic scribit : *Joseph monasterii Galesii abbas, confessor ejectus est, anno uno.* Ille vero ibidem pag. 224 istud administrationis tempus perperam notat hoc modo : *Josephus Galesii abbas, vita admirabilis et confessor, annum unum.* Sed circa eumdem Josephum ab utroque illo scriptore turpior ibi commissus est error, quem postea indicabo. Catalogus Juris Græco-Romani annos gubernationis non exprimit, dum hunc pertinacem schismatis defensorem paucis verbis im-
B pense laudat, et simul seriei patriarcharum sic finem imponit : *Josephus abbas Galesii, vir et admirabilis vitæ, et confessionis corona ornatus.* Denique ex Pachymeris computo sequitur, octo illos annos, quos Nicephorus Callistus Josepho tribuit, utrimque incomplete numerandos esse, nisi is forte patriarchatum Josephi extenderit usque ad annum Christi MCCLXXV, quo in locum ipsius successit

CX JOANNES XI, cognomento Veccus *vel* Beccus.

Joannes mense Maio anni 1275 in locum Josephi substituitur.

Jam sæpe citatus Pachymeres tomo 1 lib. 5 cap. 24 iterum tempus hujus successsionis diligenter assignat his verbis : *Veccus igitur, sexta et vigesima mensis Maii, festo sanctorum Nicæensium patrum, patriarcha creatus est ; secunda vero Junii, Dominica proxime secuta, illustri die Spiritus sancti, Spiritus ejusdem per sacram ordinationem particeps factus, rite inauguratus in pa-*
C *triarcham est.* Hæ notæ chronologicæ nos certissime deducunt ad annum Christi MCCLXXV, quandoquidem illo anno Pascha in diem XIV Aprilis incidit, et consequenter festum Pentecostes in diem secundam Junii incurrit. Male igitur Onuphrius Panvinius in Chronico ecclesiastico, ac alii nonnulli scriptores initium Joannis Becci anno Christi MCCLXXIV collocarunt.

ut contra Oudinum apostatam probamus,

1001 Casimirus Oudinus in ampliori Opere de scriptoribus ecclesiasticis, quod jam Ordinis ac fidei apostata composuit, tomo 3 col. 508 Spondano anachronismum exprobat, dum ipse eodem loco in alterum ita impingit : *His ergo ex unione tumultibus ortis, cedente Josepho anno* MCCLXXVI *Joannes Veccus in patriarcham regiæ urbis a Palæologo assumptus est, qui unionem et Latinas partes pro viribus promovit. Hanc Vecci ad sedem Constantinopolitanam promotionem Spondanus in Annalibus suis ad annum* MCCLXXIV *num.* XV *refert. Sed aperte fallitur et revincitur ex ipsius Vecci epistola ad summum Pontificem Joannem XIX anno* MCCLXXVII *data, quem patriarchatus sui seu pontificatus patriarchici secundum vocat.* At unde nequaquam sequitur, promotionem Joannis Vecci usque ad annum Christi MCCLXXVI differendam esse, cum ipse Joannes patriarcha apud Labbeum tomo XI Conciliorum parte 1 col. 1037 D
tempus istius epistolæ, ad Joannem XIX Romanum Pontificem datæ, in fine ita accurate exprimat : *Nostra bulla consueta roboravimus mense Aprilis, quintæ Indictionis, sexti milleni, septimi centeni, octuagesimi quinti anni, secundo anno pontificatus nostri.* Si Joannes Veccus mense Maio anni MCCLXXV electus, et ineunte Junio ejusdem anni consecratus fuerit, haud dubie secundus patriarchatus ipsius annus adhuc fluebat mense Aprili anni Christi MCCLXXVII, cui Indictio quinta et annus mundi 6785 juxta recentiorum Græcorum computum respondet. Quomodo igitur ex hoc secundo patriarchatus anno Casimirus Oudinus infert, Joannem Veccum anno Christi MCCLXXVI dumtaxat ad cathedram Constantinopolitanam ab imperatore Palæologo evectum fuisse? Quin potius chronologia nostra, quam superius ex Pachymere eruimus, his litteris confirmatur.

qui a schismate ad unionem Ecclesiæ Romanæ adductus,

1002 Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis, aliique historici narrant, quomodo Joannes Beccus, qui antea unioni cum Latinis ineundæ vehementer adversabatur, tandem attente lectis Nicephori Blemmidæ scriptis, veritati victas ma- E
nus dederit, schisma deseruerit, doctrinam Ecclesiæ Romanæ strenue defenderit, ac tandem exsilium aliasque calamitates pro orthodoxa fide constanter usque ad mortem toleraverit. Litteræ synodicæ Joannis Becci contra schismaticos, et concilium Constantinopolitanum, quod de corrupto maligne Gregorii Nysseni textu celebravit, apud Labbeum nostrum tomo XI Conciliorum part. 1 col. 1037 et 1125 leguntur; alia autem ipsius scripta, quæ pro unione Ecclesiæ contra schismatis fautores edidit, bibliographi passim recensent. Cum itaque hoc loco nostrum non sit illa singula referre, curiosum lectorem ad obvios auctores remittimus.

ab ipsis scriptoribus schismaticis propter virtutes,

1003 Attamen non possum, quin de virtute et scientia ipsius unum alterumve testimonium excerpam ex scriptoribus schismaticis, inter quos Pachymeres tomo 1 lib. 5 cap. 24 misericordiam Joannis Becci, jam orthodoxi et patriarchæ, erga afflictos et pauperes ita laudat : *Porro Veccus has interveniendi pro miseris partes toto animo capessens, partitos habebat in duo genera, quos isto misericordiæ officio juvaret : prius erat carentium* F
necessariis, quorum esset egestati largitione consulendum ; alterum delatis criminibus periclitantium, quibus vel ad depulsionem objectorum falso, patroni efficacis opera, vel ad delicti convicti veniam impetrandam, auctoritas deprecatoris optaretur. Tum ibidem capite sequente eamdem materiam multis prosequitur, et affert singularia quædam hujus virtutis specimina, quæ Joannes Beccus constanter edidit, tandemque istud caput ita concludit : *Non facile dixerim, quam multa commoda ex hoc tam assiduo benevoloque Patriarchæ studio in homines, solatio egentes, redundare contigerit.* Nemini suspectum esse potest hoc adversarii testimonium, quo confirmatur sententia veterum auctorum, qui dicebant, virtutem vel in hoste laudari.

varias corporis dotes

1004 Nicephorus Gregoras lib. 5 Historiæ Byzantinæ cap. 2 num. 5 eloquentiam Becci, aliasque corporis et animæ dotes sic depingit : *His temporibus magnæ ecclesiæ chartophylax erat Becus, excellenti vir ingenio, idemque eloquentiæ et eruditionis alumnus; præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius illa ætate : nam et proceritate corporis præstabat, et majestate vultus, in quo venustas erat cum gravitate conjuncta.* Hæc

corporis

A corporis descriptio satis convenit cum effigie hujus Patriarchæ, quam Jacobus Goar in Euchologio Græcorum pag. 156 repræsentat. Cum autem non dubitemus, quin Goarus imaginem illam ex veteribus monumentis eruerit, eamdem hic contractam exhibemus; ut grata tam egregii ac orthodoxi Patriarchæ memoria apud Catholicos firmius conservetur, et schismaticos pudore suffundat.



B

et magnam scientiam laudatur;

1005 Post hæc Gregoras ibidem sic pergit: *Item dicendi facultate ac torrente eloquio, aliisque rebus plurimis; maxime autem ingenii felicitate et acumine in expedienda qualibet quæstione proposita; iis, inquam, omnibus ornamentis natura ipsum pulcherrime instruxerat: quibus id erat consecutus, ut et imperatoribus et principibus, et omnibus eruditis venerabilis, atque illustri apud eos fama esset. Qui cum imperatorio decreto acriter adversaretur* (tunc adhuc addictus erat schismati, quod Michaël Paleologus volebat abolere, ut etiam Pachymeres C tomo 1 lib. 5 cap. 12 refert) *imperator nihil non tentavit, tam per se ipsum, quam per alios eruditos, quo ipsum petitis ex ratione et ex legum auctoritate argumentis adduceret, ut decreto assentiretur. Verum ille ingenii et linguæ vi omnium animos commovebat, eorumque argumenta, veluti Penelopes telam, retexebat: nam Græcarum litterarum doctrina erant, qui illum superarent; sed acumine ingenii et linguæ volubilitate, et ecclesiasticorum dogmatum usu, omnes cum illo collati, pueri videbantur.* Tum idem auctor numero sequente exponit, quomodo Beccus convictus scriptis Nicephori Blemmidæ, quem ibi *divinarum litterarum peritissimum* appellare cogitur, sententiam mutarit, et dogma Latinorum amplexus fuerit. Dum igitur illi scriptores schismatici, sui immemores, postmodum alibi laudes Joannis Becci extenuare conantur, id potius ex studio schismatis, quam ex historiæ veritate proficisci censendum est. Nunc pergamus ad indagandum tempus, quo hic Patriarcha sedem orthodoxæ fidei causa reliquit.

sed cum Andronicus imperator schisma renovare vellet,

1006 Andronicus Michaëlis Palæologi filius statim post mortem patris sui, quæ probabilius anno Christi MCCLXXXII, die XI Decembris contigit, schisma restituere cupiens, non obscure significavit, nuper initam cum Latinis concordiam sibi displicere, et prætextu pacis inter subditos conservandæ, Joannem Beccum humaniter moneri jussit, ut ad vitandum seditionis periculum sine vi et strepitu patriarchatum abdicaret, quemadmodum Pachymeres tomo 2 lib. 1 cap. 2 et 3 testatur. Deinde idem scriptor ibidem cap. 4 modum et tempus hujus abdicationis exponit his verbis: *Cum* Joannes Beccus, *instante Christi festo, solenne Sacrum facere, et quod funus Augusti de more flagitabat, parentare ritu sacro Michaëli nuper defuncto tum maxime pararet, cunctis his repente omissis, postridie festi descendens patriarchio, in Panachrantæ monasterium se contulit, impetratis ab imperatore abductoribus, ne in Dei judicio locum sponte deseruisse posset argui..... Professus imperator est, eo se dumtaxat, ut haberet Veccus, qui se ab inimicorum insultibus tegerent, militaris ipsi manus comitatum addidisse. Et hæc quidem sic gesta sunt sexta et vicesima Decembris die.* SEC. XIII.

Joannem exeunte anno 1282 exauctoravit,

1007 Ex his colligimus, quod hic Patriarcha sedem Constantinopolitanam reliquerit non diu post mortem Michaëlis Palæologi imperatoris, qui ante medium mensem Decembrem anni MCCLXXXII E obiit, ut Possinus noster in Observationibus ad tomum 1 Pachymeris pag. 523 et sequente contra quosdam recentiores historicos variis testimoniis et argumentis ostendit. Cum igitur Beccus anno MCCLXXV, die XXVI Maii patriarcha electus fuerit, ut supra ex Pachymere retulimus, et juxta ejusdem auctoris synchroni testimonium, die XXVI Decembris anni MCCLXXXII sedem deseruerit, ex accurato istius intervalli computo liquet, illum septem annis ac totidem mensibus ecclesiam Constantinopolitanam gubernasse. Unde cum calculo nostro facile conciliatur Nicephorus Callistus, qui octo annos numero rotundo sic ei tribuit: *Joannes Beccus diaconus et chartophylax magnæ ecclesiæ annis* VIII. *Hic cum Latinis unionem habuit, imperante Michaële Palæologo, et depositus a piissimo imperatore Andronico Palæologo in exilium mittitur.* Porro apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCLXXXIV num. 44 et sequentibus legi potest, qualia egregius hic Patriarcha in exsilio et carcere perpessus fuerit pro orthodoxa fide, quam usque ad extremum spiritum constanter propugnavit. F

JOSEPHUS I iterum.

eique statim substituit Josephum supra memoratum,

Pachymeres tomo 2 lib. 1 cap. 5 significat, Josephum senem eodem anno MCCLXXXII, ultima die Decembris sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse: *Ejusdem mensis post diem tricesimam,* inquit, *sub vesperam impositus gestatorio Josephus tantum non exanimis, multis utrimque comitantibus, et certatim acclamantibus faustum reditum...., in ædes patriarchales reportatur.* Dein cap. 12 ejusdem libri tradit, magnopere accrevisse factionem Arsenianorum, qui *tamen, quoad Josephus patriarchatus utcumque possessionem, gravi licet urgente morbo, tenuit, parum apud Augustum valuerunt,* ut illic testatur. Dein post pauca ibidem addit, Josephum senio et morbo prorsus fractum fuisse, *adeo ut æger plane jam defectus viribus, et haud dubie mortem exspectans patriarchatum abdicaret.*

1009 Denique idem auctor capite sequente

mortem

Sec. XIII. qui mense Martio anni 1283 sedem CP. reliquit.

mortem ejus indicat his verbis: *Inter hæc mense Martio ineunte, morbo et senio consumptus Josephus obiit, et ejus cadaver in monasterio S. Basilii sepultum est.* Ex his sequitur, Josephum post restitutionem cathedræ ab ultima die anni MCCLXXXII tantummodo usque ad ineuntem Martium anni MCCLXXXIII vixisse, adeoque vix duobus mensibus sedem tenuisse, cum etiam ante mortem se patriarchatu abdicarit. Quomodo ergo Nicephorus Callistus secundo ipsius patriarchatui quatuor menses tribuit, nisi forte diem ultimam Decembris et aliquot dies Martii pro integris mensibus computaverit? Qua autem verisimilitudinis specie Philippus Cyprius eidem Josepho, in sedem Constantinopolitanam restituto, annum unum et sex menses adscribit?

Philippus Cyprius, et Matthæus Cigala hunc Josephum cum altero imperite confundunt,

1010 At profecto non miror, Philippum Cyprium hic in exiguo temporis spatio hallucinari, cum ibidem crassiorem anachronismum facile deglutiat, quando de eodem Josepho, post memoratam Joannis Becci abdicationem, ita imperite scribit: *Josephus iterum evocatus, qui cum Joanne Palæologo octavæ synodi causa Florentiam profectus, ibidem excessit, annum unum, menses sex.* Matthæus Cigala, omisso secundæ administrationis tempore, in eumdem palpabilem errorem incidit, dum apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 214 de eodem Patriarcha sic meminit: *Joseph sedi suæ restitutus, cum Joanne Palæologo Florentiam se contulit ad octavam synodum, atque ibidem excessit.* Non satis capio, quomodo hi duo scriptores potuerint esse tam ignari historiæ patriæ, ut hunc Josephum patriarcham confuderint cum altero Josepho, ultra sesquiseculum juniore, qui ad synodum Florentinam venit, et anno Christi MCDXXXIX Florentiæ obiit, ut postea suo loco dicemus. Quomodo etiam imperatorem Andronicum, sub quo hic Josephus senior in sedem Constantinopolitanam restitutus est, confundere potuerunt cum Joanne Palæologo imperatore, qui circa medium seculi decimi quinti e vivis excessit? Sane hinc liquet, Græculos illos schismaticos, qui in oppugnanda Ecclesiæ Romanæ historia acutum cernere se putant, in historicis patriæ suæ rebus cæcutire, ac domi talpas esse, dum interim foris lynces videri volunt, ut non semel Leo Allatius hujusmodi popularibus suis merito exprobravit.

et alii Græci eumdem perperam inseruerunt Menæis excusis

1011 Sed perniciosior veterum schismaticorum error detegendus est circa eumdem Josephun, qui non tantum in catalogo Juris Græco-Romani *vir et admirabilis vitæ et confessionis corona ornatus* dicitur, verum etiam in ecclesiasticis Græcorum fastis pro Sancto coli videtur, cum tamen ex omnibus antiquis monumentis constet, illum pertinacissimum schismatis defensorem fuisse. Menæa excusa ad diem XXX Octobris annuam ipsius memoriam inter alios Sanctos ita celebrant: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωσὴφ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. *Sancti patris nostri Josephi, patriarchæ Constantinopolitani.* Eodem die et iisdem verbis in Menologio *pervetusto* Cardinalis Sirleti (sic Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die tertia Januarii illud appellat) simul cum aliis Sanctis refertur. Henricus Canisius istud Menologium inter Lectiones antiquas edidit, et in monitione ad lectorem, eidem Menologio subjuncta, vetustatem ejus commendat.

et forte Menologio Sirleti, quod non habet tantam antiquitatem,

1012 Jacobus Basnagius heterodoxus, qui Lectiones antiquas Canisii nuper recudi jussit, et ad temporis ordinem redegit, tomo 3 editionis suæ pag. 410 in observatione prævia, gratis Menologium istud *seculo undecimo* assignat: nam ante seculum XIII inter patriarchas Constantinopolitanos nullus occurrit Joseph, cum tamen in illo ipso Menologio nomen *Josephi patriarchæ Constantinopolitani* clare exprimatur. Si forte quispiam contendat, nomen istud antiquiori huic Menologio postea insertum esse, non multum refragabor; sed ea assertio ex ipsa codicis Græci inspectione probanda esset. Nos interim suspicamur, hoc Menologium ad finem seculi XIII aut saltem ad seculum XIV pertinere, et eo circiter tempore Josephum a Josephitis suis, qui ab illo nomen traxerunt, aliisve schismaticis in sacros fastos relatum esse.

quantam Basnagius heterodoxus ei adscribit.

1013 Si autem aliquis putaret, hoc loco memorari Josephum alterum patriarcham Constantinopolitanum, qui Florentiæ anno Christi MCDXXXIX mortuus est, ei sequentia argumenta opponerem. Imprimis mihi persuadere non possum, Menologium istud Græcum, quod in bibliotheca Eminentissimi Sirleti servabatur, in ea hypothesi ab eruditissimo Baronio *pervetustum* appellari potuisse: si enim de Josepho juniore ageret, post synodum Florentinam exaratum fuisset, et sic nondum integro seculo nativitatem Baronii antecederet. Quis vero facile credat, Menologium Ms. Græcum, quod vix centum ætatis annos habuisset, a Baronio, ab Henrico Canisio, aliisque viris eruditis *pervetustum* vocandum fuisse? Præterea prior iste Josephus cum Photio, Michaële Cerulario, aliisque schismaticis patriarchis Constantinopolitanis, tamquam orthodoxus et Sanctus laudatur in Triodio, quod Florentina synodo antiquius est, ut Leo Allatius Dissertatione 2 de Libris ecclesiasticis Græcorum pag. 152 ostendit. Non est igitur mirum, quod Josephus ille senior et schismaticus etiam in aliis ecclesiasticis Græcorum libris legatur. Denique non videmus, quare in Menæis et Menologio Josephus ille junior titulo *sancti* ornaretur, quamvis unioni consenserit, ut postea dicemus. His ad rem nostram hagiographicam notatis, progrediamur ad Josephi successorem, qui cum antea vocaretur Georgius, deinde dictus est

CXI GREGORIUS II, cognomento Cyprius.

Post mortem Josephi Gregorius iste anno 1283

Hunc Patriarcham non diu post mortem Josephi ab Andronico imperatore designatum fuisse, Gregoras lib. 6 Historiæ Byzantinæ cap. 1 num. 5 satis innuit his verbis: *Cum Josephus, ut diximus, mature sedem patriarchalem reliquisset, ac paulo post vita etiam excessisset, nec justum esse, nec longe a prava disciplina abesse visum est, ecclesiam in tanta temporum confusione pastore destitui. Erat autem tunc insignis vir facundia ex imperatorii cleri collegio, Georgius Cyprius, qui elegantes Græcæ litteraturæ numeros et Atticam illam linguam, longo jam tempore oblivionis gurgite demersam, ingenii dexteritate ac singulari studio in lucem produxit, ac velut ab inferis revocavit. Hunc, cum ita pridem monasticum habitum induisset, in animo habebat et studebat imperator ad patriarchicum solium evehere; a nemine tamen eorum, qui participes fuissent dogmaticæ novitatis* (ita auctor schismaticus unionem cum Latinis appellat) *sed ab aliquo, qui purum se ab illorum communione servasset, manus ei imponi volebat.* Ex his non obscure colligimus, Gregorium Cyprium eodem anno Christi

MCCLXXXIII

A MCCLXXXIII, quo Josephus circa initium Martii obierat, patriarcham electum esse.

ex laicali statu ad patriarchatum CP. promovetur,

1015 Pachymeres tomo 2 lib. 1 cap. 14 distinctius nobis exponit, quo anni tempore hæc electio et consecratio contigerint : quomodo enim episcopus Cozylensis Georgium ex statu laicali ad sacros Ordines promoverit, ibidem primo sic narrat : *Hic igitur commissam sibi designati patriarchæ ordinationem auspicaturus, mense Martio susceptum eum introducit cum paucis in monasterium a Prodromo et Petra nominatum, ubi templo in vinea reperto, in quo et ipso apparebat, rem divinam ex longo fieri desiisse, in eo consuetis cœremoniis monachum ex laico instituit Cyprium, moxque diaconum e lectore ordinat. Eadem porro die eumdem imperator declarat patriarcham.* Deinde sub finem ejusdem capitis indicat, quo die consecratus fuerit patriarcha ab Heracleensi præsule, de quo ita ibi loquitur : *Hic porro vicissim promotorem suum Cyprium, primum quidem sacerdotio initiavit; deinde in celebri Palmarum festo, cooperante antistite Cozyles, patriarcham ordinavit.* Cum itaque anno Christi MCCLXXXIII Pascha die XVIII Aprilis celeB bratum fuerit, et consequenter festum Palmarum in Dominicam ante Pascha inciderit, ex hactenus dictis sequitur, Gregorium die XI Aprilis anno Christi MCCLXXXIII patriarcham ordinatum fuisse.

qui ambitione et invidia stimulatus,

1016 Etiamsi Gregoras pro suo erga schismaticos affectu hunc Patriarcham sæpius laudet, tamen ambitionem et invidiam ipsius non dissimulat, quando lib. 6 Historiæ Byzantinæ cap. 2 num. 2 de illo sic scribit : *Cum autem, velut in humidioribus lignis vermes nascuntur, ita etiam in ambitiosis ingeniis æmulationis et invidiæ stimuli vulgo existant contra ejusdem artis professores, in eo præsertim genere, in quo maxime elaborabant; sic Gregorium patriarcham angebat vivida illa ingenii et facundiæ vis, quæ in Becco erat, eique haud ferendum videbatur, si solus ipse inter illius ætatis Græcos celebris, et inter patriarchas quoque eruditos celebrem se fore sperans, illius in disputationibus eloquentia superatus, tanto honore fraudaretur : qua de causa relegationem ejus non parum promovit.*

crudeliter Joannem Beccum orthodoxum persecutus est,

1017 Dein eodem libro cap. 4 num. 1 improbat crudelitatem, quam Gregorius ille contra Beccum orthodoxum exercuit, eamque a Deo punitam fuisse, fatetur his verbis : *Sed cum Grego-* C *rium etiam dolore affici oporteret, et immisericordiæ pœnas luere, quod Becco opem imploranti, et omnia concessurum pollicenti, siqua sui ratio haberetur, et auxilium negasset, et misero calamitates augere non dubitasset; imo multis undique fluctibus jactato ipse a tergo majores procellas incussisset et accumulasset, indignam sane eruditione sua rem agens, qui hoc excepto, cetera omnibus laudibus dignus erat. Cum igitur hic quoque affligendus esset, quid a providentia omnia utiliter administrante fit? Derelinquitur et ipse a Deo, ut per eam derelictionem saluti ipsius consulatur, ut erudiatur, ut labem sibi inde aspersam eluat, et purus ad alteram vitam transeat.* Utinam hæc adversa utiliter passus esset, et vindicem Dei manum agnoscens, renuntiasset schismati, in quo nulla salus speranda est, ut supra in parergo IV contra Tillemontium a num. 250 probavimus!

et meritas crudelitatis suæ pœnas dedit,

1018 Tum Gregoras ibidem narrationem suam ita prosequitur : *Etenim non satis Becco supplicii esse ratus, quod extorris ab amicis, et cognatis avulsus esset, verbis etiam et scriptis eminus illum feriebat, ejusdem scripta et dogmaticas definitiones contrariis argumentationibus et definitionibus redarguebat. Dum vero illum et sectatores illius oppugnat, imprudens ab aliis et ipse vulneratus est, et in iis captus, quibus alios captabat, non aliter, quam si quis tela in hostes conjiciens, ipse a suis ex obliquo graviorem plagam præter opinionem acciperet.* De his aliisque illius lucubrationibus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis a pag. 940, et bibliographi passim meminerunt. Denique numero sequente idem auctor narrat, in scriptis Gregorii contra Beccum nonnulla ipsis symmistis ejus displicuisse; cum vero ea mutare nollet, ac mordicus tueretur, ab omnibus derelictus, patriarchatu se abdicavit, et non diu post hæc e vivis excessit, ut etiam testatur Pachymeres, qui tomo 2 lib. 2 cap. 17 mortem ipsius ita refert : *His ita se habentibus, expatriarcha Gregorius, languore dierum multorum exhaustus, ut autem quidam aiebant, ægritudine animi confectus inde nata, quod ex olim tam honorato tam se hodie contemptum cerneret, paulo post vivere desiit.* Porro gesta hujus Gregorii Pachymeres tomo 2 lib. 1 et 2 fusissime describit, quibus omissis, nos jam tempus abdicationis ejus inquiremus.

SEC. XIII.

dum anno 1289 ab ipsis schismaticis exauctoratus est.

1019 Nicephorus Callistus Gregorio sex annos ita adscribit : *Gregorius Cyprius lector et protoapostolarius cooptatur, et præfuit annis VI; ob quamdam vero offensionem cujusdam libri, quem contra Beccum scripserat, per dispensationem ejicitur.* E Catalogus Panvinii et Labbei ei sex annos et totidem menses assignat. Forte auctores utriusque hujus catalogi patriarchatum Gregorii usque ad ordinationem successoris numerarunt. At quomodocumque illi computaverint, parum refert, cum ipsemet Gregorius in instrumento abdicationis apud Pachymerem tomo 2 lib. 2 cap. 9 asserat, sese *annum jam sextum et quod excurrit*, in patriarchatus ministerio versatum esse. Ex hoc ipsius Gregorii testimonio iterum patet, hic annos a Nicephoro Callisto rotunde supputatos esse, et Gregorium ultra sex annos in cathedra Constantinopolitana sedisse. Cum igitur mense Aprili anni MCCLXXXIII patriarcha ordinatus fuerit, post mensem Aprilem anni MCCLXXXIX dignitati suæ renuntiavit. Hæc chronologia optime concordat cum tempore, quo consecratus est ipsius successor

F

CXII ATHANASIUS I.

Mense Octobri anni 1289 in locum Gregorii subrogatur Athanasius,

Georgius Phranza lib. 1 cap. 7 Chronici sui, omisso per crassam ignorantiam Gregorio Cyprio, perperam Athanasium in locum Joannis Becci immediate sic substituit : *Becum patriarcham mox sede sua depulsum monachus quidam, Athanasius nomine, excepit; hic a puero vitam coluerat asceticam in Ganis montibus*, etc. Sed hunc patriarcham Gregorio Cyprio unanimiter subrogant auctores synchroni, inter quos Pachymeres tomo 2 lib. 2 cap. 13 et 14 electionem Athanasii copiose exponit, relatisque diversis de illo hominum judiciis, ibidem cap. 15 tempus ordinationis ejus nobis ita indicavit : *Quarta porro et decima die mensis Octobris promotus jam patriarcha, pedes se contulit ad divinum templum, ac paulo post est ordinatus.* Panvinius, Spondanus, aliique nonnulli hanc Athanasii successionem ad annum Christi MCCXC differunt; sed eam anno MCCLXXXIX factam esse, infra ex tempore abdicationis evidenter apparebit.

1021 Gregoras lib. 6 cap. 5 num. 1 mores hujus

SEC. XIII.

qui propter severitatem

hujus patriarchæ ita describere incipit : *In patriarchicum solium succedit monachus quidam, Athanasius nomine, austeræ disciplinæ exercitationibus a puero assuefactus, tum autem in Gani montibus vitam solitariam agens, homo rudis ille quidem litterarum, morumque civilium; sed alioqui bonus et admirandus, quod attinet ad ea, quæ monasticam vitam constituunt, continentiam dico et vigilias nocturnas : humi cubans, illotis pedibus, et pedes semper incedens; moribus denique iis præditus, qui decent maxime eos, qui solitarii in montibus et speluncis degunt.* Tum numeris sequentibus ibidem narrat, quomodo hic Patriarcha præsules, clericos, et monachos ad sua munia obeunda severis mandatis compelleret. Gregoras hanc austeram regendi methodum laudat; Pachymeres vero eamdem sæpius carpit, et Athanasium ad gubernandos homines nullo modo aptum fuisse, multis argumentis contendit. At hos duos scriptores schismaticos de illa Patriarchæ sui severitate disceptare sinimus, et ad abdicationem ipsius progredimur.

sede sua cedere coactus fuit

1022 Citatus Gregoras lib. 6 cap. 7 num. 1 causam et modum hujus abdicationis sic exprimit : *Non multo autem post inde reverso imperatori scriptam resignationem offert Athanasius patriarcha, quartum jam annum eo sacerdatio fungens : cujus causa erat, omnium pontificum et monachorum et laicorum tumultus, spiritualem illius rigorem non ferentium, eique principio clam et tacito murmure, post etiam apertē et absque larva maledicentium; qui eum jamjam discerpturi videbantur, ni solio cederet. Sperabat ille quidem, se imperatoris ope conviciatores ulturum; deinde spe, nescio quomodo, frustratus, petit atque impetrat satellites, per quos ab impetu plebis servatus, in monasterium suum circa Zerolophum incolumis reducatur.*

B

anno 1293, die 16 Octobris,

1023 Pachymeres tomo 2 lib. 2 cap. 21 et sequentibus hæc omnia fusius enarrat, ubi etiam cap. 24 tempus abdicationis ita accurate notat : *Illud non de nihilo quis observans adjunxerit, sic exacte quadriennium in patriarchatu Athanasium explevisse, ut eamdem ferme initi relictique regiminis ecclesiæ numeraverit diem sextam decimam Octobris.* Id autem anno Christi MCCXCIII contigisse, confirmatur ex ipso abdicationis instrumento, quod Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 968 et 969 Græco-Latine exhibet, et cui Patriarcha sic subscribit : *Athanasius misericordia Dei archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, et œcumenicus patriarcha, Indictione* VII. Cum igitur Indictio septima a Calendis Septembribus anni MCCXCIII fluere cœperit, ex his testimoniis liquet, Athanasium die XVI Octobris, anno Christi MCCXCIII dignitatem suam abdicasse, postquam quatuor annis ac duobus diebus sedisset.

C

cum eam quatuor annis ac duobus diebus tenuisset.

1024 Ex his etiam constat, Athanasium ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse anno Christi MCCLXXXIX, quandoquidem quatuor annis sedem tenuit, et die XIV Octobris patriarcha consecratus est, ut supra ex Pachymere monuimus. Denique ex dictis sequitur, complete intelligendos esse quatuor annos, quos Gregoras et Callistus primo Athanasii patriarchatui tribuunt, et more suo errasse Georgium Phranzam, dum eidem octo annos adscribit. Nonnulla de hoc Athanasio dicenda servamus, quando postmodum restituetur cathedræ Constantinopolitanæ, in qua interim sedit quidam monachus, qui antea nominabatur Cosmas, et postea dictus est.

D

CXIII JOANNES XII

cognomento Sozopolitanus.

Joannes, antea vocatus Cosmas,

Pachymeres tomo 2 lib. 2 cap. 27 vitam et mores hujus Patriarchæ sic breviter describit : *Quoniam vero ecclesia præside egebat, et qui ei videretur idoneus muneri, quærebatur, repertus in urbe quispiam monachus, nomine Cosmas, est, Sozopoli genus trahens, qui aliquot annis cum uxore vixerat, et vitam sacerdotalem privatim exercuerat; sed conjuge dudum dimissa, monasticam elegerat professionem, quam simul cum fratre et filio suscepit. Hic postea in urbem adveniens, in monasterio imperatoris, cui Archistrategi a sancto, cui est dicatum, cœlestis militiæ principe, nomen est, cum alia exercuit ministeria, tum ecclesiarchæ officio functus est. Senex is erat prosperæ valetudinis, specieique venerandæ, vir mansuetus, modestiæ in omnibus compositique citra tumorem ac fastum animi, nec non mitissimæ clementiæ specimen præferens.*

E

pertinax schismatis defensor,

1026 Deinde illum laudat, quod sub imperio Michaëlis Palæologi unionem cum Ecclesia Romana repudiasset, ac schismati constanter adhæsisset : *Tempore illo factæ ingenti offensione Græcorum cum Latinis pacis*, inquit, *cum imperator in proprium monasterium certos homines misisset jussos explorare cujus essent sententiæ monachi; denuntiato cunctis, fore ut permanere in loco sinerentur ii solum qui voluntati Augusti suam subjungerent; qui contra sentirent, statim ejicerentur, inter parere recusantes Cosmas hic fuit. Unde post longam voluntariam custodiam, cujus ærumnas una cum pariter inclusis fortiter tulit, precibus Alexandrini patriarchæ liberatus, secessit in cellulam solitariam, quam sibi prius in proprio paraverat prædio apud insulam maris illius, ibique habitavit.* Ex his liquet, Patriarcham illum pertinacem schismatis defensorem fuisse.

quem imperator magni faciebat,

1027 Deinde ibidem narrat, qua occasione Cosmas ille innotuerit imperatori, qui eum tanti faciebat, ut juxta testimonium ejusdem Pachymeris de ipso aliquando dixerit : *Si Cosmas statim moreretur, et, ecclesia volente, coli eum pro sancto contingeret, se imprimis comprobaturum ecclesiæ sententiam, et devotionem in eum suam religiosis rite officiis testaturum; sin ecclesia cunctaretur sacros ei decernere honores, se tamen in proposito perstare magnificandæ talis defuncti memoriæ, et ea, quæ Sanctis tribuitur, veneratione prosequendæ.* Hanc fictitiam hominis schismatici sanctitatem explodimus, quam ipse Pachymeres in fine ejusdem capitis sordida pecuniæ cupiditate contaminatam fuisse non diffitetur, et lib. 4 cap. 2 refert, Cosmam ab episcopis de eodem vitio accusatum esse.

F

ineunte anno 1294 ad cathedram CP. promotus est,

1028 Postquam Pachymeres tomo 2 lib. 2 cap. 28 exposuerat, quare Cosmas electus patriarcha nomen suum mutaverit, ibidem tempus ordinationis ejus sic exprimit : *Cosmas, accepto, ut erat solitum, ab imperatore pastorali baculo, honoratur et dibambulo* (est hoc genus lampadis juxta Possinum nostrum) *Kalendisque Januarii ordinationem accipit.* Possinus in Observationibus ad Pachymerem tomo 2 pag. 570 de illo consecrationis tempore ita disserit : *De initio quidem clare tradit Pachymeres libri secundi cap.* XXVIII, *Kalendis Januarii Joannem Cosmam rite fuisse inauguratum patriarcham. Nec dubium ex toto contextu rerum ante ac post ibi narratarum est, quin istæ*

Kalendæ

Sec. XIII.

A *Kalendæ Januariæ fuerint proxime secutæ post discessum e patriarchio Athanasii, et hujus inclusionem in monasterium Cosmidii, quam* XVI *die Octobris, anni Christi* MCCXCIII *contigisse vidimus. Maneat igitur pro certo, Joannem Cosmam a Kalendis Januariis anni Christi* MCCXCIV *præesse patriarchali potestate Constantinopolitanæ ecclesiæ cœpisse.* Nos cum Banduro hanc verosimillimam Possini opinionem sequimur, et initium hujus Patriarchæ ineunte anno Christi MCCXCIV collocamus.

et illam anno 1303 deseruit,

1029 Nicephorus Callistus in suo catalogo apud Bandurum huic Patriarchæ novem annos administrationis ita assignat : *Joannes monachus et presbyter, abbas Pammacaristæ, et confessarius imperatoris, Sozopolitanus, qui prius Cosmas vocabatur, homo admodum pacificus et mansuetissimus, vere vir Dei. Præfuit annis* IX, *et cum abdicasset, sub eodem imperatore ejectus est, ac rursum inducitur Athanasius.* Cum Callisto synchrono, qui hic catalogo suo finem imponit, Matthæus Cigala, et catalogus Labbeanus consentiunt, et eumdem annorum numerum Joanni Sozopolitano adscribunt. Quod si novem hos gubernationis annos complete numeremus ab ordinatione Joannis, B quæ Kalendis Januariis anni MCCXCIV facta est, ingrediemur annum Christi MCCCIII, quo Joannes sedem Constantinopolitanam reliquit. Jam vero demonstrare conabimur, novem hisce annis menses aliquot superaddendos esse.

cum eamdem novem annis et aliquot mensibus possedisset;

1030 Pachymeres tomo 2 lib. 4 cap. 34 et sequentibus narrat, quomodo Athanasius, qui ante Joannem Sozopolitanum patriarcha fuerat et tunc in monasterio exauctoratus degebat, *mensis Januarii die quinta decima* imperatorem de imminenti terræ motu præmoneri jusserit, et imperator post paucos dies, prædictione eventu comprobata, memoratum Athanasium cum magna hominum multitudine adierit. Videntur hæc contigisse mense Januario anni MCCCIII, ut colligo ex intervallo temporis, quo Athanasius post abdicationem suam in monasterio ille vixerat, et quod Pachymeres ibidem lib. 5 cap. 1 exacte expressit his verbis : *Janua igitur monasterii, ubi diversabatur Athanasius, quondam patriarcha, decem jam annis, minus novem mensibus, clausa, quæ inaccessum ipsum et plane solitarium tanto intus spatio permanentem servarat, aperta tunc est.* Cum igitur Athanasius circa medium mensem Octobrem anni C MCCXCIII se patriarchatu abdicaverit, ut supra probavimus, ex subducto novem annorum ac trium mensium calculo patet, hæc post medium Januarium anni MCCCIII accidisse. Ceterum eo tempore Joannes Sozopolitanus se adhuc pro patriarcha gerebat, ut ex variis capitibus apud eumdem Pachymerem colligi potest. Unde etiam sequitur, novem Joannis annos complete numerandos, iisque aliquot menses addendos esse, ut ex infra dicendis confirmabitur.

qua occasione arithmeticus Possini error detegitur.

1031 Possinus noster in Observationibus chronologicis tomo 2 pag. 570 ex proxime citato Pachymeris textu perperam infert, imperatorem mense Januario anni MCCCIV ad Athanasium ivisse, et a die XVI Octobris anni MCCXCIII usque ad diem XIX Januarii anni MCCCIV tantum novem annos et tres menses numerat, cum certe intra istud temporis spatium decem anni ac tres menses effluxerint. Deinde post longam argumentationem chronologicam ibidem pag. 572 sic erronee concludit : *Unde consequitur, Joannem Cosmam a Kalendis Januariis anni Christi* MCCXCIV, *ad diem* XXIII *Augusti anni Christi* MCCCIV *annis novem, septem mensibus et viginti duobus præterea diebus patriarchatum tenuisse.* At nescio, quomodo vir ille eruditus hic uno anno semper a vero computo aberraverit : nam cuilibet supputare volenti manifestum fit, inter utrumque illud temporis intervallum, ab ipso Possino assignatum, decem annos et aliquot menses ac dies elapsos esse. Quare miror, quod Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 975 Possinum errantem cæce secutus fuerit.

Pachymeres Græce indicat mensem Junium,

1032 Denique Pachymeres tomo 2 lib. 5 cap. 6 exhibet authenticum abdicationis instrumentum, quod Joannes patriarcha ad imperatorem misit, et ibidem capite sequenti tempus illius ita indicat : *Feria erat hebdomadæ sexta, quam Parasceven dicimus; prima vero post vicesimam dies mensis, qui Atheniensibus Mæmacterion est, quando imperator hoc scriptum accepit...... Imperator tertia et vicesima mensis ejusdem die... sumptis secum, qui Athanasium in sede repositum volebant, relictis vero illic iis, quorum erant studia contraria, recta pergit ad monasterium, ubi Athanasius degebat, ac eum, prout ex tempore licuit, pontificaliter ornatum, ipse pedes passu lento sub flagrantissimo vapore solis meridiani per summam, ut tum erat, æstatem, aerem præ ardore vix spirabilem reddentis,* E *cum assumptis una, quotquot obiter occurrerent, clericis, et si qui e populo confluxerant, in ecclesiam deduxit.*

quo Joannes patriarchatum abdicavit,

1033 *Sic rursus Athanasius episcopus, velut e præstigiatrice quadam machina prævisionis circa futurum terræ motum ab eo, ut putabatur, habitæ projectus in medium ostenditur ; homo, qui sponte declarasset, se non posse sacrorum principatum resumere..... Postera porro inde die patriarcha Joannes, clanculum adornata profectione, ne quid intercederet, quo minus, uti decreverat, insalutato imperatore, urbe posset exire, una cum suis hinc discedens, viam Sozopolim versus instituit.* Habes hoc loco abdicationem Joannis Sozopolitani et restitutionem Athanasii, quam utramque mense Junio anni MCCCIII contigisse ostendemus, postquam alterum Possini errorem, ex priori ortum, detexerimus.

quem Possinus pro mense Augusto male accipit,

1034 Laudatus Possinus mensem, qui ab Atheniensibus Μαιμακτηριών dicitur, in proxime citato Pachymeris textu Augustum interpretatur, et in Observationibus tomo 2 pag. 494 interpretationem suam ita tueri nititur : *Cave putes hoc, ut aliis locis hujus Historiæ, priori nostro Glossario indicatis,* F *Μαιμακτηριῶνα Junium dici. Repugnat manifeste character feriæ : nam certissimum est, annum, quo hic narrata geri contigit, fuisse Christi* MCCCIV (ex superiori computo evidens est, hic annum Christi MCCCIII indicari) *qui sine ulla controversia cyclum solis numeravit* XXV; *quia vero bissextilis fuit, duplicem habuit indicem Dominicæ litteram E et D, quarum prior usque ad* XXVIII *Februarii diem, reliquo inde tempore posterior in usu fuit. Mense igitur Junio, si ejus meminisset hoc loco Pachymeres, oporteret in Kalendario ad latus vigesimæ primæ diei litteram B, indicem sextæ feriæ, quando D primam designat feriam, signari.*

et perperam ratiocinatur

1035 *Atqui contra, ut palam cernitur, D littera, character videlicet Dominicæ ipsius, vigesimam primam Junii diem insignit. Non igitur de Junio hic sermo.... Nota hæc propria Sextilis sive Augusti mensis est, et quidem solius inter omnes anni menses. Unde non videtur dubitandum, quin quem alibi Ποσειδεῶνα noster appellare consuevit, hoc loco Μαιμακτηριῶνα dixerit. Sane ipse innuit, non ex propria se hic, sed ex aliena loqui sententia, dum hunc mensem non absolute Μαιμακτηριῶνα vocat,*

Sed

SEC. XIV.

sed eum, qui juxta Athenienses sic appelletur. Scriptor iste in Observationibus chronologicis ad eumdem Pachymeris tomum pag. 570 similia repetit, et pagina sequente aliam opinionis suæ ratiunculam addit his verbis : *Sane suadet idem ille vehemens solis flagrantis æstus, quo excoctum fuisse Andronicum, dum hoc ageret, Pachymeres innuit verbis illis...., quæ nemo non fatebitur, Sextili sive Augusto mensi sub Leonis signo et caniculæ sidere, longe omnium ardentissimo, eximie convenire.*

ex erroneo calculo, quem supra correximus.

1036 Totum hoc Possini ratiocinium nititur erronea hypothesi, qua sibi perperam persuadet, illam Joannis Sozopolitani abdicationem et Athanasii restitutionem anno Christi MCCCIV contigisse. Quinimo pleraque ipsius argumenta contra ipsum militant, et notæ chronologicæ, quas requirit, mensem Junium anni MCCCIII clare designant : illo enim anno dies vigesima prima Junii in feriam sextam incidit, cum tunc littera Dominicalis fuerit F, et consequenter littera D sit index feriæ sextæ vel Parasceves, quo posteriori nomine Pachymeres sextam cujuslibet hebdomadæ feriam appellare consuevit. Quod autem de magno solis meridiani ardore dicitur, opinioni nostræ nequaquam repugnat, cum mense Junio circa solstitium æstivum, præsertim Constantinopoli, sæpe ingens meridiani solis calor sentiatur. Ex his omnibus concludo, mensem Μαιμακτεριῶνα pro Junio accipiendum esse, et Joannem Sozopolitanum illo mense anni MCCCIII cathedram Constantinopolitanam deseruisse, postquam novem annis, quinque mensibus, et aliquot diebus in ea sedisset. D

SECULUM XIV.

B E

ATHANASIUS I iterum.

Athanasius juxta nos sedi CP. restitutus est mense Junio anni 1303,

Ex supradictis sequitur, hunc Patriarcham anno Christi MCCCIII, die XXIII Junii sedi suæ restitutum fuisse, propter memoratam terræ motus prædictionem, de qua Pachymeres tomo 2 lib. 4 cap. 35 recenset diversa hominum judicia : aliqui enim non dubitabant istud vaticinium appellare, inquit ibi auctor ille synchronus, *operationem adversarii spiritus Dei gloriam furantis, ea, quæ Deo conveniunt, præripiendo, ut magnus loqui solebat Antonius. Nec deerant, qui humanis disciplinis ex observatione naturalium signorum ejusmodi eventus præsciri ac prædici disputarent posse.* Gregoras lib. 7 cap 1 num. 3 tradit, quod plurimi ex clero et populo judicarent, eam prædictionem ab imperatore confictam esse, ut Athanasium cum majori indoctæ plebis plausu rursus ad sedem Constantinopolitanam eveheret : *Itaque* C *imperatori*, ait, *de terræ motu et vaticinatione Athanasii concionanti, fidem habere non poterant; sed submurmurabant, quod illius magnificandi studio ea confingeret, et falsam illi auctoritatem conciliaret, ut sui desiderii probabilem habere causam videretur.* Ex his satis liquet, quid ipsi schismatis propugnatores de hac Patriarchæ schismatici prophetia senserint.

quam restitutionem patriarcha Alexandrinus

1038 Inter alios etiam patriarcha Alexandrinus illam explodebat, et restitutionem Athanasii Constantinopolitani mordaci apologo perstrinxit, ut Gregoras lib. 7 cap. 1 num. 4 narrat hoc modo : *Tum autem forte in urbe versabatur Ægyptiacæ Alexandriæ patriarcha, vir gravis, cujus mores solertia ipsa ingenii ornabat : quas ob res eum imperator plurimum reverebatur et diligebat. Is cum inflammatum imperatoris studium erga Athanasium videret, audiretque eum illius nomen magnis laudibus ad miraculum usque extollentem, adeo ut eum toto animi affectu divo Chrysostomo æquipararet, festive admodum magniloquentiam et intempestivum ejus studium taxavit his fere verbis : « Erat, inquit, » sutor quidam, qui felem albam habebat, » unum quotidie murem domi capere solitam ; quæ » aliquando per imprudentiam in medium vas incidit, in quo sutor ille atramentum habebat, tingen- » dis coriis destinatum : unde et vix eluctata, tota » nigra evasit.*

mordaci apologo explosit.

1039 » *Ac mures quidem opinabantur, eam,* » *monastico habitu sumpto mutatam, non commis-* » *suram esse deinceps, ut carnibus vesceretur. Ita-* » *que metu posito, per pavimentum dispersi, odora-* » *ri et vestigare cœperunt ea, quibus alerentur. Illa* » *vero cum prodiisset, et tantam prædam oculis suis* » *obversari vidisset, omnes simul comprehendere* » *admodum cupiens, haudquaquam poterat ; attamen* » *duobus comprehensis epulata est. Reliqui omnes* » *fuga salutem quæsiverunt, admirantes, quo pacto,* » *sumpto monastico habitu, crudelior, evasisset.* » *Vereor igitur, inquit, ne et Athanasius hic, præ-* » *dictionum præmium sedem patriarchicam jam* » *nunc consecutus, priorem illam asperitatem poste-* » *riore multo majore deleat, sumpta inde superbia* » *elatus.* » Eventus docuit, veram hujus fabulæ significationem fuisse : nam Pachymeres tomo 2 lib. 7 cap. 23 de nimia Athanasii restituti severitate et potentia acerbe conqueritur, apud quem etiam alia hujus Patriarchæ gesta legi possunt. F Porro curiosus lector Bandurum tomo 2 Imperii Orientalis a pag. 962 de epistolis aliisque ejus scriptis consulere poterit, dum nos ad alteram ejusdem Athanasii abdicationem narrandam properamus.

Nicephorus Gregoras narrat,

1040 Gregoras lib. 7 cap. 9 num. 1 finem secundi patriarchatus Athanasiani nobis ita exponit : *Sub hoc tempus etiam patriarcha Athanasius, abdicata dignitate, in cellis suis ad Xerolophum solitariam vitam amplexus est. In causa hoc erat : quidam illi infensissimi cum eum tamdiu patriarchica specula potiri cernere non possent (octavus enim annus exibat, ex quo is denuo in patriarchalem sedem restitutus fuerat) insidias illi atrocissimas et impietatis plenas apparant : nam cum ille potestatem patriarchalem adhuc retinens in Xerolophi cellis plerumque versaretur, e patriarchico solio scabellum furati, Christi servatoris figuram subtus delineant, ac utrimque imagines duas appingunt, alteram imperatoris Andronici, frænos in ore habentis; alteram patriarchæ Athanasii, illum trahentis, velut eques equum solet. Tum idem scabellum ita ornatum ibi reponunt, ubi prius fuerat, in solio videlicet patriarchico.*

A *cur Athanasius se iterum dignitate abdicaverit,*

1041 *Deinde quidam præter exspectationem id conspicati, eam fabulam vulgant, et Patriarcham apud imperatorem impietatis reum agunt. At imperator calumniatores accersit, eosque, ut quos impiæ nefandæque illius fabulæ auctores esse minime dubitaret, in gravissimum et perpetuum carcerem compingit. Patriarcha vero indignatus, quod non multo gravior pœna illis irrogata esset, patriarchicæ sedi statim renuntiat.* Bandurus tom. 2 Imperii Orientalis pag. 976 et sequentibus Græco-Latine refert litteras ipsius Athanasii, in quibus rationem suæ abdicationis reddit, et ex iis concludit, Athanasium secundo patriarchatu se non abdicasse propter illam causam, quam hoc loco Gregoras allegat. At non video, cur in hac re Nicephoro Gregoræ synchrono non credamus, cum forte astutus ille Patriarcha inter alias exprimere noluerit hanc præcipuam abdicationis suæ causam, quam sibi ab adversariis dedecori vertendam prævidebat. Sed quæcumque fuerit vera hujus abdicationis causa, parum nostra interest, dummodo tempus illius invenire possimus.

quod post octo annos secundi patriarchatus fere elapsos

1042 Matthæus Cigala et Philippus Cyprius sex annos ac totidem menses huic secundo Athanasii patriarchatui adscribunt. Bandurus etiam sex annos et aliquot menses ei tribuit, ac secundam ipsius abdicationem anno Christi MCCCX alli- B gat, quia Boivinius ad supra relatum Gregoræ textum in margine *annum Christi* MCCCX notavit. Attamen ex memoratis Gregoræ verbis clare eruitur, octavum secundi patriarchatus annum fere elapsum fuisse; quando Athanasius dignitatem suam abdicavit: nam Græce legitur ὄγδοον γὰρ ἔτος ἠνύετο, id est *octavus enim annus consummabatur*, vel juxta interpretationem Boivinii *exibat*, quamvis prior interpres, quem ipse præ oculis habuit, verbum Græcum ἠνύετο per Latinum *agebatur* minus proprie et distincte explicasset. Georgius Phranza lib. 1 cap. 9, et catalogus Panvinii huic annorum numero adstipulantur, dum Athanasio restituto *octo annos* gubernationis rotunde assignant.

anno 1311 contigisse arbitramur.

1043 Nos testimonium Gregoræ coævi auctoritati Matthæi Cigalæ aliorumque recentiorum præferendum censemus, ac propterea secundam Athanasii abdicationem differimus ad annum Christi MCCCXI cum Raynaldo, qui in Annalibus C ecclesiasticis eodem anno MCCCXI num. 73 illam recte memorat, etsi ibidem nimis cito successorem ei assignet, cum sedes postea duobus integris annis vacaverit, ut ex infra dicendis apparebit. Cum igitur Athanasius mense Junio anni MCCCIII rursus cathedram Constantinopolitanam ascenderit, ut supra ex Pachymere probavimus, et juxta Nicephorum Gregoram octo fere annis in ea sederit, ex subducto hujus temporis calculo sequitur, illum secundo suo patriarchatui circa mensem Junium anni MCCCXI renuntiasse, cum tunc ferme octo anni secundæ administrationis effluxissent.

CXIV NIPHON I.

Post duos sedis vacantis annos Niphon anno 1313 ad eam evectus est,

Non statim hic Patriarcha Athanasio successit, ut numero præcedente monuimus; sed promotio ipsius saltem usque ad mensem Junium anni MCCCXIII differenda est, cum Gregoras post memoratam Athanasii abdicationem de bienni sedis vacatione meminerit, et simul postea secutam Niphonis successionem ibidem lib. 7 cap. 9 num. 2, post supra relatam secundæ abdicationis historiam, immediate sic narrat: *Interim duobus annis elapsis, Niphon Cyzici metropolitanus sedem vacantem occupat, pontificibus imperatoris voluntati obsecutis, ex urbe Cyzico translatus, et ad patriarchalem apicem evectus.* Onuphrius Panvinius in Chronico suo ecclesiastico pag. 110, et Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCXI num. 18 etiam notant, tunc ecclesiam Constantinopolitanam post secundam Athanasii abdicationem duobus annis vacasse. SEC. XIV.

cujus indolem

1045 Porro Gregoras loco proxime citato mores hujus Niphonis ita describit: *Erat autem ille vir Græcarum litterarum, non fere, sed omnino rudis; imo etiam sacrarum, ut qui sua manu nec elementa litterarum sciret pingere: nam is, doctrina vix extremo digito degustata, ingenio contentus fuit. Quod si illam, quam a natura acceperat, intelligentiam et ingenii vim ad litterarum studia contulisset, inter doctissimos numerari certe potuisset. Sed divitiarum amore præoccupatus, externique splendoris et inanis gloriæ desiderio abreptus, omnem solertiam et excellentiam animi naturalem eo convertit, et iis rebus, velut fluctuum reciprocorum æstu, sua omnia* E *studia tam nocturna quam diurna absorberi passus est. Itaque omnium rerum, ad usum vitæ pertinentium, peritissimus erat administrator: seu plantandæ arbores forent, seu vites opportuno tempore colendæ, seu omnis generis ædificia exstruenda. Denique quidquid granaria, quidquid cellas vinarias implet, quidquid loculos rumpit et capaciores quotannis exigit, solertissime prospiciebat.*

et vitia describit Gregoras,

1046 *Omitto luxum in vestibus, et ferocium atque altorum equorum armenta, mensarumque delicias, quæ neque crassos humores gignerent, neque bonum faciei colorem corrumperent. Nam et mulieribus partem occupationum suarum tribuebat, idque non segniter acsi parum interesset, sed necessario, et quasi haud posset detrectare. Qui mores eum post impulerunt, ut muliebrium rerum et possessionum (duo monasteria virginum intelligo, quorum alterum Pertze, alterum Cratæi dicitur) curam administrationemque susciperet: simul ut aliquid de reditibus occasione ædificiorum subtraheret; simul ut sæpius ibi cum fastu et mollitie versari posset. Hic quoscumque vel excellenti indole, vel quavis earum artium, quæ aut publice omnibus aut privatim imperatoribus placerent, præstare cerneret, eorum se palam* F *amicum simulabat; clam vero oderat, animumque et oculum malignum in omnes intendebat, et alias alios criminando, imperatoris aures furtim pulsare non dubitabat.* His coloribus schismaticus scriptor Patriarcham schismaticum depingit, et eodem capite enumerat aliqua illius gesta, quæ nos brevitatis causa prætermittimus.

qui etiam narrat expulsionem ipsius

1047 Gregoras capite sequente cœptam de Niphone narrationem interrumpit commemorandis bellis Græcorum cum Turcis, de quibus etiam antea eodem libro egerat, et deinde res Niphonis resumit capite undecimo ejusdem libri, quod ita incipit: *Sequenti anno etiam Niphon e patriarchali sede ejicitur ob multa et varia sacrilegia, atque ob amorem pecuniæ, quo ille impulsus, quæstum iniquum, nec satis dignitati suæ convenientem, instituebat. Is autem digressus, domicilium sibi elegit eam partem monasterii Peribleptæ, quæ mare spectat.* Certe videntur illa, quæ hic *sequenti anno* contigisse Gregoras memorat, ad priora Niphonis gesta, quibus cap. 10 plane diversam narrationem interserit, proprie spectare, et initium capitis undecimi cum fine capitis noni immediate conne-

SEC. XIV. connectendum esse. Facilius mentem meam intelliget, qui libri proxime citati caput octavum et aliquot sequentia pervolvere ac inter se conferre voluerit.

quæ nobis post brevem cathedræ possessionem

1048 Catalogi recentiores huic Niphoni quatuor fere annos adscribunt. Sed tam diuturna patriarchatus administratio componi non potest cum certioribus successorum annis, et claro Gregoræ computo, quem infra producemus. Quare propter memoratam narrationis connexionem, et Niphonis depositionem, quæ *sequenti anno* facta esse dicitur, aliasque rationes inferius proferendas, probabilius arbitror, Niphonem dumtaxat uno anno et forte aliquot mensibus in cathedra Constantinopolitana sedisse. Ab hac sententia non abhorret Henricus Hilarius heterodoxus, qui in Chronico ecclesiæ Græcæ pag. 246 perturbatum Philippi Cyprii catalogum emendare nititur, et majori charactere notat sequentia: *Patriarcha Nipho, Cyzici metropolita, vix annum ecclesiastico muneri præfuit: ob crimen enim sacrilegii, avaritiæ, indignorumque tanto fastigio quæstuum, omnibus invisus erat, indeque abdicatus est.* Non indicat, B ubi tam brevem Niphonis patriarchatum invenerit, cum tamen pag. 235 præmoneat, se *veram ac genuinam patriarcharum seriem ex scriptoribus Græcis* prosequi.

circa finem anni 1314 vel initium 1315 confïgisse videtur.

1049 Georgius Phranza lib. 1 cap. 9 etiam opinioni nostræ favet, et licet determinatum gubernationis tempus non exprimat, tamen illud breve fuisse innuit his verbis: *Ei Niphon, Cyzici episcopus, substituitur; nec diu ea potestate usus, dejicitur.* Si fere quatuor annis patriarcha fuisset, dicendus esset satis diu sedem tenuisse, præsertim quia illam sceleribus suis contaminabat potius, quam possidebat. Igitur juxta calculum nostrum Niphon, qui circa medium annum Christi MCCCXIII cathedram Constantinopolitanam ascenderat, circa finem anni MCCCXIV vel initium anni MCCCXV ab ea dejectus est, cum illam anno uno et aliquot mensibus occupasset. Hæc chronologia nostra facile conciliatur cum Bzovio, qui in Annalibus ecclesiasticis dejectionem Niphonis ad annum Christi MCCCXIV num. 29 refert, aut cum Spondano, qui in suis Annalibus ecclesiasticis eamdem anno Christi MCCCXV num. 8 consignat. Ceterum nolo hic commemorare, quomodo post C suam expulsionem sceleratus ille homo et beneficiorum immemor Andronicum Juniorem contra avum suum concitaverit, ac rebellioni causam dederit, quæ omnia Gregoras lib. 9 cap. 7 num. 1 et 2 graphice describit. Tantummodo pro sequenti chronotaxi hic obiter observari volo, sedem Constantinopolitanam post depositionem Niphonis rursus uno anno vacasse, ut mox ex scriptore synchrono et teste oculato referemus.

CXV JOANNES XIII, cognomento Glycys.

Cum sedes CP. anno uno vacasset,

Nicephorus Gregoras lib. 7 Historiæ Byzantinæ cap. 11 num. 1 post narratam Niphonis depositionem statim de successore ipsius scribit sequentia: *Anno uno interjecto, in patriarchicum solium imponitur Joannes Glycys, tum logotheta cursus publici, qui uxorem filiosque et filias habebat. Erat hic vir doctissimus, et generosæ illius Atheniensium elocutionis, si quis umquam, retinentissimus, utpote qui eam dicendi formam ac rationem tamquam divinum aliquod exemplar observaret. Idem gravi judicio, animi affectu ad optima quæque propenso, et morum sanctitate longe omnes superabat:* D *quas ob res patriarchalem sedem velut meritum præmium accepit, cum uxor ejus statim monasticum habitum induisset. Atque ipse quoque sedis reverentia eumdem habitum induere quidem voluit; sed illius conatui imperator obstitit: nam cum corruptus humor non ita multo ante articulos ejus invasisset, certis anni intervallis gravissime cruciabatur, et de sententia medicorum eum necesse erat carnibus vesci; qua de causa monasticus ei habitus non concessus est. Hujus viri consuetudine usus et ipse sum, quoad potui et licuit, nocturnis diurnisque ejus colloquiis interesse, et uberrimos fructus ex ipsius sermonibus colligere solitus, cum apud me maxime vigebat eloquentiæ amor; ætas autem mea vicesimum annum excedebat.* Ex hac sedis vacatione, et superiori annorum computo concludo, hunc Joannem ineunte anno Christi MCCCXVI ad cathedram Constantinopolitanam evectum fuisse.

Joannes anno 1316 ineunte ad illam promotus est,

1051 Hoc chronologicum sedis initium confirmatur ex quodam eventu, quem secundo hujus Patriarchæ anno accidisse idem testis oculatus lib. 7 cap. 12 num. 4 narrat his verbis: *Cum* E *Joannes Glycys alterum annum in patriarchali solio sederet (qui annus ab orbe condito fuit sexies millesimus octingentesimus vigesimus quintus) accidit, ut vehementi Borea spirante crux ænea e manu statuæ supra columnam positæ (eam dico, quæ in vestibulo maximi sanctæ Sophiæ templi erecta est) elaberetur.* Juxta recentiores Græcos annus mundi 6825 usque ad Kalendas Septembris cum anno Christi MCCCXVII concurrit, quo Joannes *secundum annum* (Græce δεύτερον ἔτος) in throno patriarchali agebat. Igitur ex hac temporis nota verosimillime inferimus, Joannem anno Christi MCCCXVI in cathedra Constantinopolitana sedere cœpisse.

et exeunte anno 1319 vel ineunte anno 1320 camdem abdicavit.

1052 Nunc pergimus ad determinandam illius abdicationem, cujus causam et tempus prædictus Gregoras lib. 8 cap. 2 num. 1 sic exponit: *At patriarcha Joannes Glycys, cum et spem recuperandæ valetudinis nullam sibi superesse, et eo munere fungi se intelligeret, cujus administratio magnas vires et firmum corporis robur postularet; contra autem magna tranquillitate opus esse sciret corpori ægrotanti, et vicissim animum ipsum, utpote condolentem corpori, et ejus ægritudine distractum, magno ab externis rebus otio egere animadverteret (duo* F *quippe inde maxima mala existebant, cum nec quotidiana negotia commode et celeriter expedire, nec vulgi seu indignatio seu convicia reprimi possent) in medio administrationis cursu fatigatus, otio suo consulere, atque ex illo magno circumfluentium negotiorum æstu emergere statuit: quibus de causis imperator ejus voluntati annuit, eique Cyriotissæ monasterium, in quo habitaret, assignavit; in quod se quarto anno patriarchatus sui contulit, abdicata utcumque dignitate.* Cum Joannes iste juxta superiorem computum ineunte anno Christi MCCCXVI cathedram Constantinopolitanam ascenderit, et juxta Gregoram *quarto anno* illam deseruerit, verosimiliter in ea sedit usque ad finem anni MCCCXIX vel initium MCCCXX, quod abdicationis tempus cum morte successoris ejus optime concordat, ut mox videbimus.

CXVI GERASIMUS I.

Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis perperam supradicto Joanni Theodorum Metochitam

A

Joanni supradicto non successit Theodorus Metochita,

chitam substituit, dum ibi ad annum Christi MCCCXI num. 73 patriarchas aliquot Constantinopolitanos ita enumerat : *In tantam porro servitutem sub schismatico imperatore redacta erat Græcorum ecclesia, ut patriarchas veluti theatrales imponeret, deponeretque : hoc enim ipso anno, deturbato Athanasio, Niphonem Cyzicenum ad patriarchale solium evexit, cui ejecto successit Joannes Glyces, idemque Theodoro Metochiti locum dedit. Hic deinde pulsus infulas reliquit Gerasimo, qui iis parum potitus, monasteriumque repetere coactus, transfusos in Isaiam honores indoluit.* Nescio, quomodo Raynaldus Theodorum Metochitam ad sedem Constantinopolitanam evexerit, quem hactenus nemo veterum aut recentiorum, quantum scio, pro patriarcha agnovit.

sed Gerasimus inutilis senex,

1054 Multa quidem Theodori Metochitæ gesta recensentur a Nicephoro Gregora, quem Raynaldus in margine citat; sed scriptor ille nusquam tradit, hunc virum umquam dignitate patriarchali ornatum fuisse. Quinimo Gregoras lib. 8 cap. 2 post narratam Joannis Glycys abdicationem, et recitatum illius testamentum, quod ipsemet jussu istius patriarchæ conscripserat, ordinem rerum gestarum ibidem num. 3 sic prosequitur : *Hoc tempore in patriarchicum solium succedit sacerdos monachus e Manganorum monasterio, Gerasimus, cano capite, sed simplici vir ingenio; idemque surdaster, audiendi sensu per senectutem maxima parte imminuto. Is Græcas litteras ne extremo quidem digito umquam attigerat; sed erat ob inscitiam et morum simplicitatem ad imperatoria obsequia aptissimus : hac enim de causa ad ea munera obeunda tales viri ab imperatoribus deliguntur, ut dicto audientes eis sint, tamquam mancipia, et nulla re ipsis refragentur.* Sic etiam Georgius Phranza lib. 1 cap. 9 in locum Joannis Glycys immediate subrogat Gerasimum, qui ibidem ab ipso *canus quidem capillos, sed moribus nauci atque inutilis* fuisse dicitur. Præterea nullus scriptor aut catalogus, quem viderim, meminit de Theodoro Metochita, tamquam patriarcha Constantinopolitano; ita ut non intelligam, unde Raynaldus illum eruerit. Denique ipsa temporis ratio suadet, neminem inter Joannem et Gerasimum intercedere potuisse, ut ex sequentibus patebit.

B

qui ante mensem Aprilem anni 1320 sedere cœpit,

1055 Catalogus Labbeanus notat, hunc Gerasimum sedisse *anno uno*, cui catalogus Panvinii superaddit *mens.....*, ita ut propter hanc ambiguam expressionem ignoremus, an supra annum Gerasimo mensis unus, an plures sint tribuendi. Neque his tenebris lucem affert Georgius Phranza, qui lib. 1 sui Chronici cap. 9 tantummodo affirmat, hunc Patriarcham *ad exiguum tempus* ecclesiæ præfuisse. At saltem ex Catalogo Panviniano colligimus, annum unum, qui ab aliis huic Patriarchæ adscribitur, complete numerandum esse, et Gerasimum certe anno uno ac mense sedem Constantinopolitanam occupasse. Hinc ulterius sequitur illum sedere cœpisse ante mensem Aprilem anni MCCCXX, cum mortuus fuerit anno sequenti circa diem XX Aprilis, ut illico videbimus.

C

et anno 1321, die 5 Aprilis cathedram adhuc occupabat;

1056 Cum Andronicus Junior contra avum suum imperatorem cum quibusdam conjurasset, conspiratione intellecta, avus illum accersi jubet, publice coram præcipuis imperii præsulibus reprehendendum, ut Gregoras lib. 8 cap. 6 num. 1 refert his verbis : *Sexta porro hebdomade sanctæ Quadragesimæ imperator, Gerasimo patriarcha et aliis pontificibus, qui tum forte aderant, accersitis, nepotem adducit palam reprehensurus, moniturusque, ut fugæ consilia abjiceret; quo vel testium tantorum præsentia territus ac pudefactus, incœpto desisteret, vel si puniretur, non sine causa probabili videretur esse mulctatus.* Istud anno Christi MCCCXXI factum esse, liquet ex Joanne Cantacuzeno, qui lib. 1 Historiæ cap. 12 diserte asserit, Andronicum Juniorem ab avo suo propterea accersitum fuisse *Nonis Aprilibus, Dominica ante diem Palmarum.* At ea Dominica anno Christi MCCCXXI incidit in Nonas Apriles seu diem V Aprilis, quandoquidem Pascha die XIX ejusdem mensis illo anno celebrabatur, ut apud chronologos certum est. Cantacuzenus libro proxime citato cap. 14 dicit, quod in hoc conventu inter alios arbitros consederit *Gerasimus patriarcha, divinis cumulatus muneribus,* qui, *ut in vita solitaria ipsum fastigium perfectionis attigerat, sic civilium publicarumque rerum longe ignorantissimus erat.*

at quando Andronicus Junior anno 1321 circa festum Paschæ fugit,

1057 Cum vero Andronicus Junior paulo post ad rebelle ingenium rediret, imperator novas insidias suspicatus, ut Gregoras lib. 8 cap. 6 num. 3 narrat, *eum comprehendere statuit, et cum patriarcha Gerasimo consilium istud suum, ut arcanum communicat. At ille statim ad Juniorem imperatorem Andronicum accurrit, et arcanum prodit. Quamobrem is fugam ex eo cœpit accelerare.* Tum ibidem numero sequente tempus hujus fugæ, quod nostra hic multum interest, ita accurate indicat : *Cum autem Resurrectionis solenne et illustre festum advenisset, et quæ decreta erant, perfici ejus diei vespere necesse esset, claves portarum, per quas ad Gyrolimnam itur, de more petiit et accepit : hoc enim propter matutinam venationem facere consueverat. Igitur sub mediam noctem, cunctis dormientibus, cum omnibus conjuratis egreditur. Tum equitando provecti in Syrgiannis et Cantacuzeni castra postridie perveniunt : hi enim magno apparatu ad Adrianopolim fugam illius præstolabantur. Erat is dies Aprilis vigesimus anni sexies millesimi octingentesimi vigesimi noni.* Joannes Cantacuzenus synchronus, qui postea imperator fuit, circa tempus istius fugæ cum Gregora concordat, et lib. Historiæ suæ cap. 18 ait, Andronicum Juniorem ex urbe egressum esse *decimo tertio Kalendas Maias, Indictione quarta anni sexies millesimi octingentesimi vicesimi noni, post noctis medium, sole jam ad apportandum diem novæ hebdomadis secundum surgere parante.* Hæc omnia annum Christi MCCCXXI certissime designant, cum Pascha seu festum Resurrectionis illo anno in diem XIX Aprilis inciderit, ut supra monuimus.

E

F

eodem anno obiit Gerasimus

1058 Hanc Andronici Junioris fugam tam scrupulose retulimus, quia ex illa pendet chronologicus Gerasimi finis, quem Gregoras lib. 8 cap. 6 num. 7 hac occasione sic manifestat : *Cum senior imperator ante solis ortum nepotis fugam cognovisset, eodem die pontificibus, qui in urbe aderant, accersitis (nam patriarcha pridie fugæ obierat) scripto anathemate nepotem damnari jubet, ut rebellem; item eos, qui simul cum eo exivissent, quive deinde fuga evasuri, aut ejus partes defensuri essent.* Similia memorat Joannes Cantacuzenus lib. 1 cap. 19, ubi mortem ejusdem Patriarchæ indicat hoc modo : *Senior, postquam rem secus ire vidit atque speraverat, coactis, qui per id tempus Constantinopoli visebantur, episcopis (patriarcha enim Gerasimus morti concesserat ea ipsa nocte, qua nepos urbem deseruerat) expromptisque apud eos, quæ jure expromenda ducebat, persuadet, ut anathema contorqueant in omnes, quique nunc a nepote sint, quique postea futuri sint.*

die 19 vel 20 Aprilis.

1059 Videtur in hac mortis expressione discrimen unius diei inter duos istos scriptores synchronos

chronos occurrere, dum unus asserit, patriarcham *pridie fugæ* obiisse; alter vero affirmat, *ea ipsa nocte, qua nepos urbem deseruerat*, illum e vivis excessisse. Si nobis luberet utrumque textum curiosius discutere, forte ambo conciliari possent; sed non est operæ pretium propter exiguam unius dieculæ differentiam hisce diutius inhærere, cum ex relatis horum auctorum testimoniis certum sit, Gerasimum obiisse anno Christi MCCCXXI, circa festum Paschæ, quod eo anno in diem XIX Aprilis incidebat. Ex dictis etiam sequitur, Gerasimum in patriarchatu mortuum esse, adeoque Raynaldum supra perperam affirmasse, quod ille dignitate sua *parum potitus, monasteriumque repetere coactus, transfusos in Isaiam honores* indoluerit. Hic Raynaldi error ex sequenti sedis vacatione ultro in oculos incurret.

CXVII ESAIAS.

Postquam sedes CP. duobus annis et aliquot mensibus vacaverat, anno 1323

Dorotheus Monembasiensis in Synopsi variarum historiarum, quæ Venetiis anno 1631 edita est, initium hujus Patriarchæ figit *pridie Calendas Decembris, Indictione septima*, ut Boivinius in notis ad Gregoram testatur. Cum Indictio
B septima a Calendis Septembribus anni MCCCXXIII fluere cœperit, ex hoc temporis charactere colligimus, Esaïam illo anno, die XXX Novembris evectum esse ad cathedram Constantinopolitanam, postquam ea duobus annis, septem mensibus, et aliquot diebus vacasset. Nec profecto mirum est, in tanta imperii perturbatione ecclesiam Constantinopolitanam tamdiu patriarcha caruisse, cum et ipsa rerum gestarum series tam diuturnam sedis vacationem confirmet. Spondanus in Annalibus ecclesiasticis hanc Esaïæ successionem uno anno prævertit, eamque ad annum Christi MCCCXXII num. 18 ita refert : *Hoc eodem anno in demortui superiori anno Gerasimi patriarchæ Constantinopolitani locum suffectus ponitur ab imperatore Esaïas, monachus cœnobii montis Atho in Macedonia, septuagenario major*. Nos ob jam dicta probabilius opinamur, promotionem illam usque ad annum MCCCXXIII differendam esse.

Esaïas electus est,

1061 Sed sive hoc patriarchatus initium anno
C Christi MCCCXXII sive anno MCCCXXIII affigas, certe corrigenda est interpretatio Wolfii, qui Græcum Gregoræ textum ita Latine reddit, acsi Esaïas *in recens defuncti patriarchæ locum* ab imperatore suffectus esset. Boivinius solerter hunc Wolfii errorem observavit, et eumdem Gregoræ textum lib. 8 cap. 12 num. 1 sic melius interpretatur : *Eo tempore monachus quidam ex monte Atho, septuagenario major, nulla sacerdotali dignitate præditus, idemque adeo imperitus, ut nec prima quidem litterarum elementa perfecte posset conjungere, in urbem venit : quem ob nimiam morum simplicitatem imperator in patriarchalem sedem, tum temporis vacantem, imposuit; quamvis multa crimina libere illi objecta et a multis testata fuissent, propter quæ olim sæpe exclusus omni sacrorum Ordinum gradu fuerat. Quamobrem divino jure ob humanam cupiditatem spreto, passus est Deus a simplicissimo illo homine eos principatu dejici, qui tanto studio pro eo injuste contenderant, ut progressu historiæ res ipsa declarabit.*

1062 Gregoras lib. 9 cap. 3 narrat, quomodo hic Patriarcha contra Andronicum seniorem conjuraverit, ac propterea ab imperatore in monasterio Manganorum custodiæ mandatus fuerit. D
Sed Andronicus Junior, Constantinopoli fraudulenter occupata, et avo suo victo, Patriarcham liberat, atque in sedem suam restituit cum immodesta triumphi pompa, quam Gregoras eodem libro cap. 6 num. 7 ita describit : *Inde in Manganorum monasterium abit, ubi patriarcham Esaïam in custodia, vinculis libera, sedere diximus : quem inde abductum, et uni ex imperatoriis curribus impositum, ornamenta, ita ut erant, rubra præferenti, in patriarchicum solium restituit, nullis episcopis aut presbyteris sequentibus aut antecedentibus; sed tibicinibus et tibicinis, saltatoribus et saltatricibus comitantibus, ac lætis canticis eum prosequentibus. Quarum quidem tibicinarum una probatissima habitu virili equitabat, et milites, ut secuta antea fuerat, ita nunc quoque sequebatur; Patriarcham vero ipsum antecedebat, quem solitis et meretriciis nugis, ut et ceteros, qui aderant, ad illiberalem risum facile provocabat.* Joannes Cantacuzenus, qui in Historia sua partibus Junioris Andronicici ubique favet, hanc ignominiosam pompam dissimulat, et crassam hujus Patriarchæ inscitiam aliaque ipsius vitia studiose tacet aut excusat. Quare apud Gre- E
goram legi possunt reliqua Esaïæ gesta, ex quibus facile quivis colliget, hunc hominem ingratum, iracundum, perfidum, et vindictæ maxime cupidum fuisse. Nos, his omissis, jam finem patriarchatus ipsius quæremus.

cujus vitia Gregoras prodit, et Cantacuzenus silet.

Hic patriarcha obiit anno 1333,

1063 Bandurus, Boivinius, aliique viri eruditi ex serie narrationis, quam Nicephorus Gregoras instituit ab initio libri 10 usque ad cap. 7. ubi num. 3 de obitu Esaïæ obiter meminit, probabiliter concludunt, mortem istius Patriarchæ anno Christi MCCCXXXIII illigandam esse. Nos illam chronologiam etiam hic sequimur, tamquam verosimiliorem, quæ non parum confirmabitur ex tempore successoris ipsius, qui non diu post mortem Esaïæ circa æstatem anni MCCCXXXIII electus est, ut postmodum ostendemus.

a qua chronotaxi Philippus Cyprius et Matthæus Cigala turpissime aberrarunt.

1064 Interea hoc loco iterum satis mirari nequeo inscitiam Philippi Cyprii, qui in catalogo suo apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 225 de eodem Patriarcha sic imperitissime scribit : *Esaïas Montis sancti monachus. Cum is patriarchatu defungeretur, Constantino et Joanne Palæologis novissimis imperatoribus, capta est Con-* F
stantinopolis a sultano Mechemete, qui omnes Christianos, imperatorem, et patriarcham concidit; mansitque ecclesia summo præsule viduata, donec prædictus sultanus, divino nutu coactus, ac subditis sibi Christianis postulantibus, legitimum patriarcham produxit. Matthæus Cigala apud eumdem Bandurum tomo proxime citato pag. 214 nobis obtrudit similia, quæ quomodo in sanum cerebrum incidere potuerint, non intelligo : nam Constantinopolis a Mahomete Turcarum imperatore capta est, quando centum et plures anni post mortem Esaïæ patriarchæ effluxerant, ut suo loco postea dicetur.

CXVIII JOANNES XIV, cognomento Aprenus.

Ante æstatem anni 1333 videtur Esaïæ suffectus hic Joannes,

Non diu post mortem Esaïæ electus est hic Patriarcha, ut eruo ex verbis Cantacuzeni, qui electionem illam maxime promovit; quemadmodum ipsemet lib. 2 Historiæ suæ cap. 21 testatur, ubi ad rem nostram inter alia sic scribit : *Quia vero tum ecclesia Byzantina episcopo suo*

viduata

A

viduata erat, quod Esaïas patriarcha nuper (Græce legitur οὐ πολλῷ πρότερον χρόνῳ, id est proprie, *non multo ante tempore*) *de vita exierat, visum omnino faciendum, ut alius in ejus throno locaretur. Cum igitur diutius controversando alii alium nominarent, magnus domesticus* (sub hoc nomine Cantacuzenus de se ipso loquitur) *imperatori auctor fuit, ut Joannem presbyterum designaret; quem quamquam apud Apros obscuris ortum natalibus, tamen ut in sacerdotali ministerio dexterrimum et ad id accommodatissimum idem domesticus inter suos domesticos adscripserat, qui sibi a sacris esset.* Deinde ibidem reliqua capitis ejusdem parte exponit, quomodo ipsemet omnes præsules, qui huic promotioni refragabantur, astute ad Joannem istum eligendum induxerit. Gregoras lib. 10 cap. 7 num. 3 breviter meminit de eadem Joannis electione, quæ ante æstatem anni MCCCXXXIII videtur facta esse, sicut ex morte Esaïæ, et ibi relata rerum gestarum serie conjicimus.

sub quo reductio Græcorum ad Ecclesiam Romanam,

1066 Sub hoc Patriarcha rursus ab Ecclesia Romana laboratum est pro Græcorum unione, quam Nicephorus Gregoras impedivit, ut ipsemet lib. 10 cap. 8 num. 1 narrat his verbis :

B

Insecuto anno (is erat annus Christi MCCCXXXIV, ut Raynaldus, Boivinius, aliique notarunt) *duo episcopi vetere Roma a Papa delegati venerunt, ut de pace et concordia ecclesiarum disputarent. Ac statim videre erat multos e populo zelum præ se ferre, sed non secundum scientiam, ac temerariis et immodestis vocibus emissis ipsum etiam Patriarcham ad disputandum urgere. Is vero cum nec linguam dicendi usu exercitatam haberet, et suos episcopos maximam partem indoctissimos esse cerneret, tergiversabatur quidem; sed quomodo populi tumultum sedaret, nesciebat. Quare et nos ad id certamen suscipiendum cohortandos putabat, qui linguam aliquo orationis apparatu instructam haberemus, quamvis in sacrum catalogum non inscripti essemus.* Propter hæc Gregoræ verba Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCXXXIV num. 4 recte observat, pristinum scientiæ splendorem apud Græcos post schisma adeo obsolevisse, ut in imperiali urbe nemo inter præsules aut clericos inveniretur, qui cum legatis Romani Pontificis in theologicum certamen posset descendere,

C

et ad hujusmodi controversias agitandas homo laicus quærendus esset.

obsistente potissimum Nicephoro Gregora, ut ipsemet testatur,

1067 Deinde Gregoras ibidem aperit consilium, quod tunc indocto suo Patriarchæ ita suggessit : *Ego vero*, inquit, *primum vehementer urgebam ac monebam, ut taceret, et eum habitum præ se ferret, in quo inesset majestas quædam, et prudentis animi species appareret, Latinorum videlicet postulationem contemnentis : neque enim disputatione esse opus in præsenti.* Callidum enimvero effugium ad tegendam Patriarchæ aliorumque præsulum ignorantiam! Quia tamen satis videbat, fraudem illam ab aliis viris emunctæ naris facile olfaciendam esse, mentem mutavit, ut ibidem prodit his verbis : *At cum rursus cogitarem, silentium fere suspicione non carere; sed in exterorum animis varias et multiplices cogitationes excitare ac spargere, eorum præsertim, qui nec linguæ nec animo imperare didicissent, Patriarcham et episcopos quosdam selectos privatim conveni, et meam sententiam ad hunc fere modum apud eos exposui.* Tum subdit longam suam disputationem, qua antistites in schismate confirmatos fuisse gloriatur.

iterum frustra tentata est.

1068 Raynaldus ad annum Christi MCCCXXXIII et MCCCXXXIV de hac irrita Romani Pontificis legatione, et schismatica Gregoræ oratione consuli meretur. Reliqua hujus Patriarchæ gesta, quæ parum ad rem nostram faciunt, apud Cantacuzenum et Gregoram sparsim legi possunt. Denique Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Cæsarea lib. 5 a pag. 187 quædam ejusdem Patriarchæ scripta et alia ad ipsum spectantia recenset. Hæc omnia apud citatos auctores a curioso lectore videri poterunt, cum nobis non liceat singula referre. Propterea etiam omittimus dogmaticas Barlaami et Palamæ disceptationes, de quibus Gregoras et Cantacuzenus pro suo partium studio utrimque sæpius agunt et quæ expulsioni Joannis Apreni causam dedisse dicuntur : nobis enim præcipue incumbit indagare tempus, quo hic Patriarcha exauctoratus est, quod jam ex synchronis duorum scriptorum testimoniis accurate determinare conabimur.

Joannes iste exauctoratus est circa illud tempus

1069 Gregoras lib. 16 cap. 4 num. 1 memorans gesta Cantacuzeni, simul ad propositum nostrum hæc habet : *Post Arcturi ortum imperator Byzantio egressus, Didymotichum venit, ut eos tumultus, quos ab imperatrice Irene jam sopitos fuisse diximus, componeret, et res in meliorem statum*

D

verteret. Hinc autem ille ante omnia Joannem patriarcham ejecit, et Byzantium, ut in palatio vinctus custodiretur, misit, ne et ipse favens novis rebus, quæ illic ciebantur, maximum et intolerandum reipublicæ detrimentum afferret. At hic, non longum ex eo in vita commoratus, ibi decessit, quinque ferme et sexaginta annos natus, quatuordecim circiter patriarchica dignitate potitus, et decimo post exaugurationem mense mortuus. Quandoquidem illa Cantacuzeni expeditio in autumno anni MCCCXLVII facta est, ut Boivinius aliique recte notant, postquam Joannes Aprenus antea Constantinopoli exauctoratus ac Didymotichum relegatus fuerat, jam propius inquirere oportet, quo tempore illa depositio Constantinopoli contigerit.

quo Cantacuzenus Constantinopolim cepit,

1070 Si quis apud Gregoram libri 15 caput 9 pervolvere voluerit, ex serie narrationis facile comperiet, Joannem Aprenum patriarchatu dejectum fuisse circa illud tempus, quo Cantacuzenus clam noctu Constantinopolim occupavit. Id ipsum auctor ille lib. 19 cap. 1 repetit in oratione, quam coram imperatore Cantacuzeno habuit, et in qua num. 5 sect. 35 sic illum alloquitur :

E

Ad eum diem, quo Byzantium in tuam potestatem mediæ noctis vigiliæ redegerunt, Patriarcha usque ille esse perstitit, qui sacerdotes et episcopos ordinaret, et judicum decreta consignaret. Imo Cantacuzenus lib. 4 cap. 3 aperte indicat, Patriarcham dignitate sua orbatum fuisse, paulo antequam ipse Constantinopolim intercepisset, et post narratam depositionis causam ibidem hoc ita asserit : *Tali modo Joannes patriarcha throno ejectus est, etiam antequam Byzantium intraret imperator.* Deinde ibi narrat, quomodo turbulentum tunc hunc hominem Constantinopoli Didymotichum relegare coactus fuerit, qui post contractum morbum et instabilem dementiam non diu vixit.

quod ineunte Februario anni 1347 contigit.

1071 Jam vero Gregoras lib. 15 cap. 8 num. 4 istud occupatæ urbis tempus ita exprimit : *Erat dies ille Februarii tertius, anni sexies millesimi octingentesimi quinquagesimi quinti.* At ipse Cantacuzenus circa diem nonnihil a Gregora differt, dum lib. 3 Historiæ suæ cap. 100 de se ipso sic scribit : *Secundum juramenta, qui in palatio erant, portis reclusis Cantacuzenum imperatorem acceperunt sexto Idus Februarias, anno orbis conditi sexies millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione quinta decima.* Præferimus compu-

Sec. xiv.

tum Cantacuzeni, quia nullo modo est verosimile, illum errasse in signando die, quo imperii sedem invasit. Saltem ex concordi utriusque scriptoris synchroni testimonio constat, depositionem istius Patriarchæ contigisse circa ineuntem Februarium anni MCCCXLVII, cui tempori characteres chronologici, ab his auctoribus diserte expressi, certissime respondent. Ex hoc patriarchatus fine etiam confirmatur chronologicum ejusdem initium, quod supra ante æstatem anni MCCCXXXIII collocavimus : si enim ab ineunte Februario anni MCCCXLVII, quo Joannes exauctoratus est, retrocedamus ad ver anni MCCCXXXIII, ex calculo exacte instituto sequetur, illum patriarchica dignitate potitum fuisse annos *quatuordecim circiter*, ut supra citatus Gregoras affirmat.

CXIX ISIDORUS I, cognomento Bouchiras.

Ante Maium anni 1347 in sede CP. collocatus est Isidorus,

B

Videtur hic Patriarcha sedem Constantinopolitanam occupasse ante mensem Maium anni MCCCXLVII, ut colligimus ex narratione Cantacuzeni, qui lib. 4 cap. 4 tempus secundæ inaugurationis suæ ita indicat : *Tertio Idus Maias, eodem vere, in templo Dei Genitricis in Blachernis imperator Cantacuzenus ab Isidoro patriarcha denuo, Anna imperatrice et Joanne imperatore præsentibus, coronatus est..... Et quamquam Adrianopoli antehac a Lazaro patriarcha Hierosolymitano corona exornatus esset, suffecissetque apud viros prudentes illa sacra unctio, tamen, ne oblocutoribus sermonem daret, quod non Byzantii secundum imperatorum solenne, coronam accepisset, iterum coronari placuit.* Ex antecedente et consequente rerum gestarum narratione satis apparet, hæc ad ver anni MCCCXLVII pertinere. Gregoras lib 15 cap. 11 num. 3 hanc secundam inaugurationem *primo et vigesimo Maii die* factam putat, postquam ibidem num. 1 dixerat, quod *alter alterum auctorem habuerit et architectum dignitatis; Cantacuzenum quidem Isidorus patriarchicæ; Isidorum vero Cantacuzenus imperatoriæ secundo delatæ : quæ enim celebratio Didymotichi peracta fuerat, ea Palamitis completa minime videbatur.* At potius in

C

hac re credimus Cantacuzeno, qui verosimillime magis memor fuit temporum et locorum, quibus ea sibi contigerunt, quamvis in aliis narrationibus, ad famam et gloriam suam spectantibus, merito de philautia suspectus habeatur.

quem auctores synchroni pro studio partium laudant vel vituperant,

1073 Porro de moribus hujus Isidori, qui antea propter defensos Palamæ errores ab episcopatu Monembasiensi dejectus fuerat, auctores synchroni pro suo affectu scribunt : nam imperator Cantacuzenus, qui Palamitis impense favebat, lib. 4 cap. 3 illum sic laudat : *Plures uno animo Isidorum eligunt, virum probatis moribus, ac mitem, et ad omnem sanctimoniam natum, atque in litterarum disciplinis et recondita dogmatum scientia perfectum.* At synodalis sententia, qua errores Gregorii Palamæ et sectatorum ejus damnantur, apud Leonem Allatium de perpetua Consensione ecclesiæ Occidentalis et Orientalis lib. 2 cap. 16 num. 4 de hoc Isidoro habet sequentia : *Patriarcha fit (o Dei leges et tribunalia!) Isidorus, omnibus patriarcharum et antistitum calculis depositus; et sedet in magno throno, qui nec pusilli cujusdam dignus judicatus est; homo quemadmodum, qui bene eum et olim et nunc norunt, præ aliis stultior, vanus, mente nulla, cum aliis consuescere nescius, non melius a pejori discernere, ut aliorum præfectos addecet : ita res pertractans veluti et formicas per terram repentes, ludicrus plane universis, qui de eo ludos facere cupiunt, et, quod pejus est, neque obedientiæ legum gnarus, neque in cœnobio enutritus, sed in urbibus et rebus publicis commixtus, et pædagogus et puerorum pædotriba.* De Isidoro etiam contemptim loquitur Gregoras, et lib. 15 cap. 12 acerba populi dicteria contra illum recenset. Verum hæc et similia apud citatos auctores fusius referuntur, quam ut ea hoc loco nobis liceat transcribere. D

et qui præ pudore vel tristitia

1074 Igitur transimus ad mortem hujus Patriarchæ, quam Gregoras lib. 18 cap. 1 num. 2 sic refert : *Is fuit rerum status, cum Isidorus patriarcha gravi morbo corripitur; erat autem illud ventris profluvium juge ac diuturnum, adversus quod nec manus nec ars medicorum quidquam poterat. Tametsi primo accessu non admodum violentus invaserat hic morbus, sed sensim ac paulatim, atque (ut ita dicam) pedetentim procedere visus fuerat, et hominum exspectationem quasi ludificarat. Enimvero, ut plerique aiebant, natus erat ex tristitia, quam tacitus pudor pepererat. Scilicet vir ille propriis somniis intentus, omnia dicta et facta inde auspicabatur, divinum eum afflatum vocans : his perpetuo gloriabatur, et palam mentiri eum non pudebat. Quin et imperatori pariter et aliis quibuslibet quædam quasi vaticinia et oblatas divinitus visiones referebat, in quibus fuit et Galatici Latinorum castelli, in adverso littore positi, excidium, quod illi affirmabat certo et constanter prænuntiatum a Deo fuisse. Itaque his confisus imperator, antequam classem prorsus instructam haberet, pugnam acceleravit.* E

ob falsum suum vaticinium obiisse dicitur,

1075 *Cum igitur ille funestissimæ cladis auctor præcipuus Romanis fuisse videretur, omnibus exprobrantibus, non audebat fixis oculis aut imperatorem aut intelligentia præditum quemquam aspectare; sed in profundos verecundiæ suæ recessus semetipsum abdebat. Quamobrem diuturna inde ægritudine confectus, postquam intima ipsius substantia morbo consumpta est, ex hac vita excessit.* Cantacuzenus hanc mortis causam silet, dum lib. 4 cap. 16 de obitu ejusdem Patriarchæ sic breviter meminit : *Per id tempus Isidoro patriarcha rebus mortalibus exempto, qui thronum annis... tenuerat, et gregem divino ardens amore paverat, imperator Callistum in ejus sede collocat.* Non videmus, quo fundamento Pontanus noster in Latina sua Cantacuzeni interpretatione posuerit annos *decem* illo loco, cujus lacunam nos supra punctis indicavimus, cum ipsemet in notis ad hoc Cantacuzeni caput pag. 1053 fateatur, numerum annorum in textu Græco non fuisse expressum : *Lacuna est in Græco,* inquit ibidem, *longior, quam opus videatur; nam quod sequitur ἐνδιατρίψας, declarat nihil omissum, præter annorum numerum, quibus Isidorus patriarcha sedem Byzantinam, obtinuit.* F

quam mortem anno 1349 affigendam putamus.

1076 Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCL num. 19 hunc Pontani errorem sic ante nos observavit : *Quod ad sedem Isidori attinet, omnino existimamus, errasse Pontanum interpretem Cantacuzeni, cum lacunam textus Græci numeri annorum ejus implere volens,* DECEM *posuit; quandoquidem ex ipso Cantacuzeno vix quadriennium ei possit tribui.* At nos probabilius putamus, vix triennium patriarchatui ipsius concedendum esse, cum catalogus Labbeanus eidem Patriarchæ tantummodo *annos duos, menses septem, dies quindecim* expresse adscribat. Cum igitur

juxta

A juxta chronotaxim nostram Isidorus anno Christi MCCCXLVII ante mensem Maium in cathedra Constantinopolitana sedere cœperit, cum Boivinio et Banduro statuimus, illum circa finem anni MCCCXLIX obiisse.

CXX CALLISTUS I.

Anno 1350 non diu post mortem Isidori videtur successisse Callistus,

Boivinius, Bandurus, aliique initium hujus Patriarchæ anno Christi MCCCL affigunt. Certe electionem ipsius non diu dilatam fuisse, colligimus ex Cantacuzeno, qui lib. 4 Historiæ suæ cap. 16 mortem Isidori et successionem Callisti ita conjungit : *Per id tempus Isidoro patriarcha rebus mortalibus exempto, qui thronum annis.... tenuerat, et gregem divino ardens amore paverat, imperator Callistum in ejus sede collocat. Hic post secessum a mundana vita in monasterium Iberorum apud montem Atho se abdiderat : quem, ut virtutis æmulum, et ad ministerium tale idoneum audivit, missa triremi* B *Byzantium adduxit. Eam electionem episcopis indigne patientibus, quamquam non omnibus, et aliis alium nominantibus, data sollicite opera, imperator ad consensum omnes impulit. Ita Callistus ceteris, omnium calculis, prælatus est.*

quem Nicephorus Gregoras

1078 Gregoras lib. 18 cap. 1 num. 3 post narratam Isidori mortem, de successione Callisti etiam immediate agit, et illum diversis plane coloribus sic depingit : *Mox deliberatione ab aliis instituta, quisnam ejus sedem ac dignitatem excepturus esset, magno et inflammato studio a Palamitis certatum, ne quis promoveretur, nisi qui percussor et temulentus foret, omnisque eruditionis perinde expers, ut illi, qui a ligone et bidente sub vesperam redeuntes, iracundum et ferinum quemdam morem domum referunt. Id vero agebant, ut iis facillimum esset quovis persecutore sæviorem illum opponere iis, qui pie et recte de Deo sentirent, et a communione Palamæ penitus abhorrent. Aliis itaque alium proponentibus, horum suasu ex monte Atho accersitur unus ex Palamæ amicis, nomine Callistus. Huic ob vecordiam ac dementiam ingenium erat omnium immitissimum. Quamobrem eorum, a quibus vocabatur, proposito ac studio omnino conveniebat.*

teterrimis coloribus depingit.

C 1079 Tum duobus numeris sequentibus auctor ille narrat, sibi ab imperatore nequidquam oblata fuisse multa munera, ac ipsam dignitatem patriarchalem, si Palamitis consentire vellet, ac ibidem num. 6 novum Patriarcham sic pergit depingere : *Deinde hominem supra memoratum, qui jam ex Atho monte advenerat, conspicatus* (nempe Cantacuenus imperator) *confestim nec admodum cupientibus episcopis ejus provinciæ, quæ tunc salva restabat, patriarcham eligendum proponit. Eum vero non aliam ob causam promovere festinavit, nisi quia ad exercendam persecutionem optime a natura comparatus vir ille, pœnarum atrocium et immanium instrumentum erat, quolibet carnifice inhumanius : quippe omnis eruditionis expers, propensissimus erat ad supplicia decernenda, et ad injuriam absque verecundia inferendam ; item ad feriendum manu et baculo, iracundia effræni, sermonibus fœdis et minime convenientibus sive habitui, quem induerat, sive monti et instituto religioso, cujus se alumnum gloriabatur. Quinimo homines pios, quos mulctabat et persequebatur, quorum misereri eum oportebat, fame et siti, et omnibus ærumnis enectorum, insepultos projici jubebat. Quod si qui naturæ similitudine commoti operam dedissent, ut illorum corpora humo tegerentur, novum illud crimen simili pœna rursum luebatur.* Hactenus Gregoras, qui forte hæc Callisti vitia pro suo contra Palamitas odio nonnihil exaggeravit. Sed sinamus schismaticos illos inter se contendere, et ad recensenda reliqua hujus Patriarchæ gesta procedamus. SEC. XIV.

Cum patriarcha ille pseudosynodo Palamiticæ subscripsisset ad annum 1351,

1080 Anno Christi MCCCLI *Callistus misericordia Dei archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ et œcumenicus patriarcha* post imperatores subscripsit synodo, quæ Constantinopoli contra sectatores Barlaami Calabri et Gregorii Acyndini a Palamitis habita est, et in cujus fine apud Petrum Lambecium lib. 5 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 202 tempus ita notatur : *Ἔτους, ,ϛωνθ´ κατὰ μῆνα Αὔγουστον τῆς δ´ ἐπινεμήσεως*, id est *anno 6859, mense Augusto quartæ Indictionis*. Hi anni ab orbe condito juxta vulgarem recentium Græcorum supputationem, aliique characteres chronologici annum Christi MCCCLI designant. Porro hanc pseudo-synodum Palamiticam Combefisius in Auctario novissimo Græcorum Patrum part. 2 a pag. 135 Græco-Latine, edidit, eamdemque Harduinus noster tomo XI Conciliorum a col. 283 nuper nova interpretatione Latina illustravit. Sed E tum ipse, tum Labbeus noster in chronologia historica videntur illam synodum ad annum Christi MCCCL perperam referre.

deinde ineunte anno 1354 e sede sua pulsus est,

1081 Quia Callistus patriarcha Matthæum, Joannis Cantacuzeni filium, imperatorio diademate coronare nolebat, e sede patriarchali dejectus est, ut ipse Cantacuzenus lib. 4 Historiæ suæ cap. 37 fuse explicat, ubi etiam in fine citati capitis de exauctorato Patriarcha hæc addit : *Callistus patriarcha cum perdiu in monasterio Mamantis martyris delituisset, primum quidem Galatam confugit, ubi ad tempus inter Latinos se abdidit : inde eorum opera Tenedum ad juniorem imperatorem pervenit, a quo perbenevole habitus est, ut qui ipsius causa tantam ærumnam sibi paravisset.* Raynaldus, Spondanus, aliique historici et chronologi illam Callisti depositionem communiter anno Christi MCCCLIV affigunt; eam autem ineunte isto anno factam esse, ex sequentibus colligetur.

CXXI PHILOTHEUS. F

quam mense Februario ejusdem anni 1354 jam ascenderat Philotheus,

Hic Patriarcha jam mense Februario anni MCCCLIV in cathedra Constantinopolitana sedebat; ut liquet ex authentico instrumento, quod Harduinus noster tomo XI Conciliorum col. 339 inseruit, et in quo tempus ab imperatore Matthæo, Joannis Cantacuzeni filio, ita exprimitur : *Porro ut præsens edictum majestatis meæ firmum et immobile perstet in omne ævum, tum scriptum ei ab ipsa est, tum sancto altari manibus meis, veluti sacrum donarium ferens, appendi, præsente potentissimo sanctoque meo imperatore ac rege, patre majestatis meæ, et sanctissimo domino meo œcumenico patriarcha domino Philotheo, et divina ipsius sacraque synodo ; mense Februario, Indictione septima. Matthæus in Christo Deo fidelis rex et imperator Romæorum.* At mensis Februarius Indictionis septimæ hoc loco non nisi annum Christi MCCCLIV designare potest, ut ex ipsis historiæ adjunctis certissimum est.

acerrimus hæreseos Palamiticæ defensor

1083 Cantacuzenus lib. 4 cap. 37 jactat, se post depositionem Callisti præsulibus ac clericis reliquisse liberam patriarchæ eligendi potestatem, ac de ipsa Philothei electione ibidem sic scribit :

Sec. XIV.

scribit: *Divina sancti Spiritus gratia invocata, tres eligunt, Philotheum Heracleæ, Macarium Philadelphiæ episcopos, et privatum adhuc Nicolaum Cabasilam, electorumque nomina imperatori scripta mittunt, qui Philotheum maluit; et is non diu post, legitimis omnibus servatis, patriarcha consecratus, ecclesiam aliquamdiu administravit: nam gradu suo brevi depulsus est, ut infra memorabimus. Administravit autem eximie, atque ut par fuit, cum summa lenitate, moribus et sermone inclytus.* Augustus ille scriptor lib. 4 cap. 29 et alibi sæpius eumdem impense laudat. Sed nobis suspectæ sunt hæ laudes, quia videntur proficisci ex affectu Cantacuzeni erga errores Palemæ, quos Philotheus tunc etiam acriter propugnabat.

qui anno sequente ob mutatum imperatorem fugere coactus est.

1084 Anno sequente Philotheus sedem Constantinopolitanam deserere coactus est, quando Calo-Joannes Palæologus, ab imperio injuste exclusus, ope Francisci Catalusii Genuensis et favore populi Constantinopolim occupavit: tunc enim victoris iram metuens, ultro fugit, ut Cantacuzenus lib. 4 cap. 40 narrat his verbis: *Eo seditionis ac tumultus re progressa, etiam Philotheus*
B
patriarcha, populi in se incursum metuens, e patriarchio fugit, ac sese latebrose occultavit: nam Palæologum sibi, ut pro Callisto (qui ipsius causa fecisset ac passus esset omnia) intruso iratum esse conjiciebat. Labbeus noster in Chronologia historica, ac alii passim in Annalibus ecclesiasticis tradunt, id anno Christi MCCCLV accidisse. Reliqua, quæ ad hunc Philotheum spectant, postmodum memorabimus, quando hic post mortem Callisti rursus in Cathedra Constantinopolitana collocabitur. Interim in illa sedit

CALLISTUS iterum.

Post hujus fugam circa finem anni 1355 vel initium 1356 sedi restitutus est Callistus,

Cantacuzenus lib. 4 cap. 42 de restitutione hujus Patriarchæ sic loquitur: *Eadem hieme et patriarcha Callistus Tenedo reversus, ecclesiasticam potestatem recepit, cum contradicere nemo auderet. Quin nec ipse episcoporum de restitutione sua suffragium expetebat: sed indignissime, non a Cantacuzeno solum, verum etiam ab episcopis violatum se*
C
arbitratus, suo sibi suffragio reditionem confirmans, injuriæ auctores ad pœnam deposcebat. Intercessit tamen Palæologus imperator, præteritas contentiones, et qui tum fuit, rerum statum pro nihilo habendum autumans. Ex *eadem hieme*, qua id contigisse Cantacuzenus asserit, non improbabiliter concludimus, Callistum circa finem ejusdem anni MCCCLV, vel initio sequentis, sedi suæ restitutum fuisse.

qui etiam erroribus Palamiticis favit,

1086 Quamvis hic Patriarcha ad Latinos fugerit, ut supra ex Cantacuzeno vidimus, et sub imperatore Palæologo, unionem cum Ecclesia Romana desiderante, ad sedem Constantinopolitanam redierit, non videtur tamen erroribus Palamiticis aut schismati renuntiasse: nam hic ipse imperator *anno a constitutione mundi sexto millesimo, octingentesimo, sexagesimo sexto, mensis Novembris septimo die, Indictione undecima*, id est, anno Christi MCCCLVII, ad Innocentium VI Pontificem dedit litteras, quæ in Vita S. Petri Thomasii apud nos tomo 2 Januarii a pag. 1000 leguntur, et in quibus pagina sequente inter alia Pontifici Romano sic promittit: *Propter patriarcham vero non dubitetis: deponam enim eum, et ponam alium, quem scio sanctæ Romanæ Ecclesiæ esse fidelem.* Hæc de Callisto patriarcha intelligenda esse, apparebit ex anno MCCCLXII, quo ipsum in legatione apud Triballos obiisse putamus. D

et in legatione apud Triballos

1087 Jam sæpe citatus Cantacuzenus lib. 4 cap. 50 legationem ac mortem Callisti ita refert: *Per idem tempus et Callistus patriarcha, legatus ab imperatore ad Elisabetham Cralis conjugem, Pheris post illius obitum habitantem, missus est: adhuc enim, eo superstite, inimicitias exercebant. Summa legationis erat, ut, omisso bello inter se, barbaros qui essent in Thracia Romanorum* (Græci hoc nomine appellari affectant) *Triballorumque provincias infestantes, et assidue depopulantes, conjunctis copiis invaderent. Cralæna et omnes proceres Triballi legationem placide audierunt, et æque visum, armis appetendos esse barbaros, patriarchamque laudibus ac veneratione non parva afficiebant; et Elisabetha præcipue mira illum benevolentia tractabat, seseque Deum quemdam hospitio accepisse putabat. Evenit autem ut et ipse patriarcha et comites ejus, præter paucos, sævo correpti morbo omnes interirent.* Tum ibidem addit, cadaver Patriarchæ, honorifice sepultum ac in tanta veneratione habitum fuisse, ut regina illud monachis repetentibus reddere recusarit, dicens, se *ejus viri patrocinio egere.* Verum hæc ipsa Cantacuzeni elogia et E
tanta schismaticorum reverentia suspicionem nostram augent de pertinacia in schismate et hæresi Palamitica, ut supra indicavimus.

anno 1362 extremum spiritum efflavit.

1088 Propter varias rerum tunc gestarum circumstantias, quas Cantacuzenus ibi exponit, cum Banduro aliisque verosimilius existimo, hanc Callisti mortem ad annum Christi MCCCLXII referendam esse. Hæc opinio nostra confirmatur ex *annis duodecim*, quos catalogus Labbeanus patriarchatui ipsius adscribit: si enim anno Christi MCCCL cathedram ascenderit, ut supra statuimus, et in ea duodecim annis sederit, debuit illam usque ad annum Christi MCCCLXII occupare. Fortasse quispiam dicet, interea Philotheum uno alterove anno in cathedra Constantinopolitana sedisse, adeoque duodecim annos Callisto tribui non posse. At respondeo, istud temporis spatium, quo Philotheus ante mortem Callisti sede potitus est, ab auctore hujus catalogi non computari, qui probabiliter illum pro legitimo patriarcha tunc non agnoscebat, eo quod Callisti viventis locum injuste invasisset. Hæc responsio plane concordat cum numero annorum, quibus ab auctore ejusdem catalogi post mortem Callisti sedisse dicitur F

PHILOTHEUS iterum.

Mortuo Callisto, Philotheus

Cantacuzenus proxime citato Historiæ suæ capite ultimo narrat bellicam Joannis Palæologi expeditionem, ac de iterata Philothei successione subjungit sequentia: *Imperator, turri eversa, Byzantium se retulit. Audiens autem patriarcham in legatione mortuum, circumspiciebat, quem in sede patriarchica locaret, dans negotium episcopis, ut de more conventum agentes, et ecclesiæ rectorem designantes, super eo certiorem se facerent. Ubi cunctis placuit, Philotheum merito reducendum, et imperator approbavit. Sciebat enim ille, non suo crimine aliquo locum deseruisse; sed sponte cessisse, ne videlicet ob æmulationem ecclesia turbis et seditione repleretur: quare et amabat eum, et quoties in palatium veniret, jucunde cum illo colloquebatur; vicissimque cum ille in monasterium veniret, ubi ille*

degebat,

Sec. xiv.

degebat, noctem cum eo sermonibus transigebat. Missis filiis Andronico imperatore et Manuele despota, multisque proceribus, in ecclesiam eum reduxit, et in solio patriarchæ constituit. Jamque seu lucerna super candelabrum posita ad verum lumen commissam sibi ecclesiam perducit, salutaribus dogmatis pietatis eam enutriens, ac velut bona corporis habitudine confirmans, et mores componens, et quoad ejus fieri potest, ex vita profana crebro docendo et monendo ad cœlestem illam provehens.

anno 1362 ad cathedram CP. rediit,

1090 Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCLXII num. 17 hanc Philothei successionem aut restitutionem ita refert : *Defuncto Callisto in legatione, quam hortatu Palæologi imperatoris susceperat ad Cralænam Triballorum reginam pro pace inter ipsos concilianda et jungendis viribus adversus Turcas, Thraciam Græcosque simul ac Triballos infestantes, reductus in thronum est prædictus Philotheus, olim monachus montis Atho, et postea factus Heracleæ in Thracia episcopus; vir utique apud suos probatissimus, quippe schismati addictissimus, et phantastici luminis Thaborii propugnator acerrimus.* Labbeus noster in Chronologia historica part. 3 pag. 229, etiam tradit, Philotheum anno Christi MCCCLXII in locum Callisti mortui successisse, ac pervicaciter schismati erroribusque Palamæ adhæsisse.

qui ab aliquibus in schismate et hæresi perseverasse dicitur,

1091 Leo Allatius in Opere de Libris ecclesiasticis Græcorum dissert. 2, pag. 115 pravam hujus Patriarchæ doctrinam satis indicat his verbis : *Philotheus Palamæarum partium assertor multis contra Latinos invectus est : multum etiam pro Palama illiusque hæresibus, a plerisque Græcis oppugnatis et damnatis, defendendis, et scriptis et operibus insudavit. Tandem ipsum Palamam inter Sanctos retulit, et Officium in ejus laudem composuit, ut infra videbimus.* Dein pag. 194 et sequente idem Scriptor Philotheum illum jure merito reprehendit, quod in Triodio Græcorum Palamam hæreticum sanctis Græciæ doctoribus æquiparet, eumque summis laudum præconiis exornet, ut ibi fusius potest videri. Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCXXXIX num. 19 eamdem Philothei impietatem acriter carpit, et ex Triodio refert hunc Officii Palamatici titulum : *Dominica secunda sacrorum Jejuniorum canitur præsens Officium sancti patris nostri Gregorii archiepiscopi Thessalonicensis thaumaturgi, qui et Palamas nuncupatur, a sanctissimo patriarcha Philotheo compositum.* Wangnereckius noster in prolegomenis ad Pietatem Marianam Græcorum num. 28 de hac impia Philothei temeritate etiam conqueritur, eumque plane schismaticum, imo et hæreticum fuisse affirmat. Omnes isti scriptores de hoc Patriarcha ita loquuntur, acsi in schismate perseverasset.

ab aliis resipuisse,

1092 Attamen de pertinacia illa dubitari potest, cum Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCLXVII num. 11 ex litteris Urbani V Pontificis asserat, Philotheum Constantinopolitanum cum aliis duobus patriarchis redintegrandæ ecclesiarum conjunctioni consensisse. Dein ibidem exhibet ipsam Urbani Papæ epistolam, cujus hæc est inscriptio: *Prudentibus viris Philotheo Constantinopolitanam, Nifoni Alexandrinam, et Lazaro Hierosolymitanam patriarchales ecclesias more Græcorum regentibus, gratiam in præsenti, per quam obtineant gloriam in futuro.* Denique Pontifex in epistolæ suæ exordio significat, se tum ex nuntiis tum ex litteris ipsorum intellexisse *salutaris intentionis propositum super reductione Græcorum ad sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ unitatem*, eosque hortatur, ut in dicto proposito immobiliter persistant.

et ad unionem Ecclesiæ Romanæ accessisse putatur,

1093 Haud dubie hoc fundamento nitebatur Nicolaus Rayæus noster, quando in Acoluthia Officii Græci, quam tomo 2 Junii præfiximus, de Philotheo pag. 5 sic scripsit : *Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus ab anno* MCCCLXII *usque ad* LXXV *ejusdem seculi; quem licet Wangnereckius noster in libro de Mariana Græcorum pietate ac Leo Allatius merito suggillent, non solum schismatis titulo, sed etiam hæreseos in Georgio* Palama, Thaboritici luminis assertore, laudatæ ; ne tamen ejus opera omnia in laudem sanctorum variorum et locupletationem sacrorum hymnorum composita, exsecranda putemus, facit ejusdem ad unionem Romanam accessio anno* MCCCLXVII, *patriarchatus sui quinto, in eaque (ut opinari licet) perseverantia usque ad finem, id est usque ad annum* MCCCLXXV. Utinam de sincera et constanti illius conversione certo constaret!

* *lege* Gregorio

quorum veram opinionem Deo dijudicandam relinquimus,

1094 At de illa dubitare nos sinit Triodion Græcorum, quod a recentioribus schismaticis auctum ac erroribus refertum est : sicut enim Leo Allatius in Dissertatione secunda de libris ecclesiasticis Græcorum pag. 153 et sequente testatur, in eo post Photium, Michaëlem Cerularium, aliosque schismaticos patriarchas Constantinopolitanos, Philotheus ita memoratur : *Philothei beatæ memoriæ sanctissimi et celeberrimi patriarchæ, qui strenuo pro ecclesia Christi et rectorum illius dogmatum, et verbis et operibus, et disputationibus et doctrinis, et monumentis editis decertavit, sempiterna memoria.* Cum Allatio opinor, hic laudari schismaticas et hæreticas Philothei lucubrationes, quibus errores Palamæ defendit, et Ecclesiam Romanam oppugnavit. Ceterum varia illius scripta, quæ typis edita sunt, vel in bibliothecis adhuc manuscripta exstant, ab Anselmo Banduro, Petro Lambecio, et bibliographis passim recensentur. Quidquid sit de prædicta hujus Patriarchæ conversione, quæ ex litteris Urbani V Papæ eruitur, nos sinceritatem et perseverantiam illius Deo dijudicandam relinquimus, et ad mortem Philothei chronologice indagandam procedimus.

et mortem ejus anno 1375 vel 1376 alligamus,

1095 Jam superius monui, ab auctore catalogi Labbeani non computari tempus, quo hic Patriarcha ante mortem Callisti intrusus sedit. At idem auctor Philotheo tredecim annos et sex menses adscribit. Huic annorum et mensium numero catalogus Onuphrii Panvinii aliquot *dies*... scrupulose superaddit. Cum ergo istud administrationis tempus ab anno Christi MCCCLXII post obitum Callisti computandum sit, ex inito tredecim annorum ac sex mensium calculo sequetur, Philotheum anno Christi MCCCLXXV vel MCCCLXXVI ex hac vita migrasse : si enim Philotheus ante medium anni MCCCLXII Callisto successerit, mors ejus cum quibusdam chronologis poterit anno Christi MCCCLXXV consignari; sin vero post medium ejusdem anni MCCCLXII in locum Callisti defuncti suffectus fuerit, oportebit obitum ipsius cum Banduro usque ad annum MCCCLXXVI differre. Cum igitur ignoremus certum anni tempus, quo Philotheus Callisto mortuo successit, et quo ille obiit, mortem ejus anno MCCCLXXV vel MCCCLXXVI affigimus, et sic diversæ quorumdam auctorum opinioni in hac parte non refragamur.

SEC. XIV.

CXXII MACARIUS.

postquam alterutro anno suffectus est ei Macarius.

Scriptores illi, qui mortem Philothei anno Christi MCCCLXXV collocant, eidem anno initium successoris ejus affigunt. Inter hos Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCCCLXXV num. 2 de successione ista sic scribit : *Hoc porro eodem anno post obitum Philothei, patriarchæ Græci Constantinopolitani, evectum in thronum esse Macarium monachum, Onuphrius ponit; sedisseque duobus annis, mensibus septem, et sex diebus.* Bandurus autem tomo 2 Imperii Orientalis pag. 989, ubi obitum Philothei usque ad annum Christi MCCCLXXVI distulerat, consequenter electionem Macarii ad eumdem annum MCCCLXXVI differt. Non facile statuere possumus, utra chronologia sit præferenda, cum apud synchronos aut suppares scriptores nihil de hoc Macario, et uno alterove ipsius successione inveniamus. Quare chronologica antiquitatis luce destituti, in his tenebris utramlibet opinionem admittimus, et initium Macarii anno MCCCLXXV vel MCCCLXXVI alligamus.

B

qui anno 1378 vel 1379 patriarchatum finivit.

1097 Sed pro illo ac sequentibus aliquot patriarchis præmonemus, non constare, an ii statim sibi invicem successerint. Quinimo verosimile est, saltem aliquot menses inter unius mortem et alterius electionem effluxisse eo præsertim tempore, quo imperium Orientale a Turcis undique affligebatur. Unde diversa unius alteriusve anni chronologia facile conciliabitur, quando postea ad certum aliquod temporis punctum perveniemus. Præterea observari hoc loco volumus, nos in computando administrationis tempore sequi catalogum Labbeanum, cujus auctor circa hæc tempora videtur vixisse, cum suam patriarcharum seriem finiat in Josepho, qui anno MCDXXXIX Florentiæ obiit, ut postmodum dicemus. Hinc cum catalogo illo *duos annos, menses septem, dies quindecim* (Onuphrius Panvinius eosdem annos et menses, sed tantum sex dies numerat) patriarchatui Macariano adscribimus, et illius finem juxta dubium electionis tempus, ut supra diximus, anno MCCCLXXVIII vel MCCCLXXIX assignamus.

C

CXXIII NILUS.

Macario successit Nilus, qui octo annis sedit,

Onuphrius Panvinius in Chronico suo ecclesiastico initium hujus Patriarchæ ad annum Christi MCCCLXXVIII refert, et eidem *viginti annos* perperam tribuit : nam auctor catalogi Labbeani, cui majorem in hac re fidem adhibemus, *annos octo* dumtaxat Nilo adscribit. Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum MCCCLXXVIII num. 30 Panvinium sequitur, et etiam huic Patriarchæ annos viginti male concedit, ut infra ostendetur. Petrus Lambecius lib. 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 527 etiam existimat, Nilum ab anno Christi MCCCLXXVIII in cathedra Constantinopolitana sedere cœpisse ; sed ibidem recte observat, tantum octo annos patriarchatui ipsius tribuendos esse. Bandurus autem tomo 2 Imperii Orientalis pag. 989 tradit, illum ineunte anno MCCCLXXX ad sedem Constantinopolitanam evectum esse, et octo annos in ea sedisse.

1099 Lambecius proxime citato libro 8 pag. 526 asserit, in Bibliotheca Vindobonensi Augustissimi imperatoris conservari quamdam hujus Nili lucubrationem, cui hic titulus Græce præfigitur : Του ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νείλου, ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ἐλεήμονος εὐχὴ ἱκετήριος πρὸς Θεὸν, ἥτις προσήκει λέγεσθαι ἐπὶ βαρβάρων ἐπιδρομῇ, καὶ ἐμφυλίῳ πολέμῳ, καὶ λιμῷ, καὶ λοιμῷ, καὶ θανάτου πληγῇ. Id est : *Sancti patris nostri Nili, archiepiscopi Constantinopolitani, misericordis oratio supplex ad Deum, quæ dicenda est contra barbarorum incursionem, intestinum bellum, famem, pestem, et mortem subitam.* Parum movemur epitheto *sancti*, quod hic Nilo patriarchæ Constantinopolitano tribuitur : tunc enim tam ambigua fuit Græcorum religio, ut non omnino temere de orthodoxia ipsius dubitare possis. Certe alia auctoritate opus est, ut huic Patriarchæ concedamus titulum sancti, quo forsan posteriores schismatici eum exornarunt.

D

et relicta quamdam lucubratione,

anno 1386 vel 1388 obiit prout initium ipsius fixeris.

1100 Ex octo administrationis annis, quos catalogus Labbeanus Nilo tribuit, primo inferimus, Panvinium et Spondanum errasse, qui mortem istius Patriarchæ usque ad annum Christi MCCCXCVIII distulerunt. Secundo ex iisdem octo annis sequitur, Nilum anno Christi MCCCLXXXVI vel MCCCLXXXVIII obiisse : si enim cum Lambecio aliisque initium ipsius anno MCCCLXXVIII affigas, poterit finis ejusdem anno MCCCLXXXVI illigari. Sed mors illa differenda erit ad annum MCCCLXXXVIII, si quis amplecti malit opinionem Banduri, qui tomo 2 Imperii Orientalis pag. 989 de chronotaxi hujus Patriarchæ sic ratiocinatur : *Nilus successit Macario initio anni Christi* MCCCLXXX. *Hic, cum sedisset annis octo, obiit anno* MCCCLXXXVIII *ineunte, uti ex iis, quæ infra dicturi sumus de ejus successoribus, facile patebit. Perperam igitur ejus mortem confert Spondanus in annum Christi* MCCCXCVIII, *et male huic annos viginti attribuit idem scriptor.* Istud duorum annorum discrimen, quod hic inter scriptores occurrit, non difficulter propter aliquam hinc inde sedis vacationem conciliari potest, ut supra monuimus.

E

CXXIV ANTONIUS IV.

F

Bandurus initio hujus Antonii annum 1388, et fini annum 1396 assignat;

De certo hujus Antonii tempore nihil apud veteres auctores invenio, nisi quod catalogus Labbeanus patriarchatui ipsius octo annos assignet. Unde Bandurus loco proxime citato juxta præcedentem suam hypothesin de chronologia ejus sic disserit : *Mortuo Nilo, anno Christi* MCCCLXXXVIII *ineunte, uti paulo superius diximus, in ejus locum sufficitur Antonius hoc ipso anno; qui cum sedisset annis octo, ut habetur in hoc catalogo, ejus mors necessario contigit anno Christi* MCCCXCVI. *Quod quidem magis patebit ex iis, quæ de annis Euthymii ac Josephi patriarcharum infra ex Georgio Phranza dicturi sumus. Perperam igitur hujus patriarchæ mors in annum Christi* MCDVI *ab Onuphrio confertur.*

Lambecius autem initium ejus anno 1386 et finem anno 1394 collocat.

1102 Petrus Lambecius lib. 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 527 etiam octo administrationis annos huic Antonio adscribit; sed initium ipsius anno Christi MCCCLXXXVI, et finem ejusdem anno MCCCXCIV affigit. Hinc igitur patet, Lambecium supradictæ suæ annorum supputationi huc usque insistere, et consequenter duobus annis a chronotaxi Banduriana hic discrepare. Non facile dixero, utra opinio probabilior videatur,

cum

A cum ignorem, quamdiu et quando sedes Constantinopolitana subinde vacaverit, vel unde anni administrationis inchoandi sint, et an forte aliquot menses more satis recepto neglecti fuerint. Attamen scio, erroneam esse sententiam Onuphrii Panvinii, Marquardi Freheri, et Henrici Spondani, qui tradunt Antonium anno Christi MCCCXCVIII primum ad cathedram Constantinopolitanam evectum esse, eamque anno MCDVI tandem alteri reliquisse. Verum hic error ex certiori sequentium patriarcharum chronologia evidentius demonstrabitur.

CXXV CALLISTUS II.

Huic statim successit Callistus, istius nominis secundus,

Catalogus Labbeanus gubernationi hujus Patriarchæ tantummodo tres menses adscribit. Hinc Bandurus loco supra citato concludit, illum anno Christi MCCCXCVI in locum Antonii
B successisse, et sub finem ejusdem anni obiisse. Petrus Lambecius in figendo hujus Callisti initio propius ad Bandurum accedit et tantum uno anno ab ejus chronotaxi discrepat, dum proxime citato libro 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 527 asserit, Callistum secundum istius nominis anno MCCCXCV in locum Antonii defuncti substitutum fuisse. Sive unam sine alteram opinionem ex his duabus eligas, non magnopere refragabimur, eo quod utraque juxta prædictam monitionem nostram cum sequentibus patriarcharum annis utcumque componi possit. Sed ab hac chronologia multum aberrant Onuphrius Panvinius, Marquardus Freherus aliique, qui initium Callisti anno Christi MCDVI affigunt. Unum ex his timide secutus est Spondanus in Annalibus ecclesiasticis, dum ad annum Christi MCDVI num. 12 ita scripsit : *Ponitur hoc anno ab Onuphrio Callistus secundus ex monacho patriarcha Constantinopolitanus, qui sederit annos tredecim.*

qui exiguo tempore seu tribus mensibus sedem tenuit,

1104 Manifeste etiam hallucinatur Onuphrius Panvinius, aliique eum secuti, qui Callisto tredecim administrationis annos assignant, cum tantummodo tribus mensibus sederit, ut coævus ca-
C talogi Labbeani auctor testatur. Præterea tam diuturna sedis Constantinopolitanæ possessio evidenter erroris convincitur ex testamento Matthæi patriarchæ, qui huic Callisto successit, quod apud Lambecium lib. 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 524 et sequente præter alia ad rem nostram Græce hæc habet : Μεταξὺ δὲ τῆς τοιαύτης τῶν πραγμάτων φθορᾶς ὁ μὲν πατριάρχης κύρις Ἀντώνιος μεταλλάττει τὸν βίον · εὐθὺς δὲ μετ' ἐκεῖνον πατριάρχης χειροτονεῖται ὁ κύρις Κάλλιστος, ὃς καὶ μικρὸν ἐπιβιοὺς πρὸς τὴν ἐκεῖθεν καὶ αὐτὸς διαβαίνει μακαριότητα. Hæc sic Latine interpretor : *Interim in tanta rerum calamitate dominus Antonius patriarcha vitam cum morte commutat : statim vero post ipsum patriarcha consecratur dominus Callistus, qui parumper supervivens, etiam hinc ipse transiit ad beatudinem.* Certe hic Callisti successor non dixisset, illum consecrationi suæ μικρὸν, id est *parumper* supervixisse, si Callistus tredecim annis ecclesiam Constantinopolitanam gubernasset.

et juxta Bandurum et Lambecium anno 1395 vel 1396 obiit

1105 Itaque ex hoc testimonio colligimus, Callistum εὐθὺς, seu *statim*, Antonio successisse, illumque exiguo temporis spatio post suam consecrationem in cathedra Constantinopolitana sedisse. Quare confidenter cum auctore catalogi Labbeani tantum ei tribuimus tres menses, ex quorum computo sequitur, ipsum eodem anno Christi MCCCXCV vel MCCCXCVI, quo juxta Lambecianam vel Bandurianam chronologiam in cathedra sedere cœperat, e vivis excessisse. Symeon Thessalonicensis apud Allatium in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 185 meminit de quadam lucubratione hujus Callisti, ubi ab illo appellatur *sanctus pater noster Callistus, qui regiæ urbis novæ Romæ ex Deo fuit patriarcha.* Sed hæc honorifica appellatio, quam scriptor iste schismaticus Callisto hic tribuit, nobis fere persuadet, hunc patriarcham etiam schismate infectum fuisse. Leo Allatius in consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 2 cap. 18 num. 13 de eodem Callisto consuli potest. SEC. XIV.

CXXVI MATTHÆUS I.

post cujus mortem Matthæus

Multi scriptores in serie patriarcharum Constantinopolitanorum hunc Matthæum omittunt, quamvis ecclesiam illam rexerit *tredecim annis*, quos jam sæpe laudatus catalogi Labbeani collector rotunde ei adscribit. Hic rursus in assi- E
gnando patriarchatus ipsius initio discrepantia duorum annorum inter Bandurum et Lambecium occurrit : hic enim initium ejus anno Christi MCCCXCV collocat ; ille autem tomo 2 Imperii Orientalis pag. 989 istud anno Christi MCCCXCVII affigit his verbis : *Callisto fatis functo sub finem anni Christi* MCCCXCVI, *anno sequenti in ejus locum substituitur Matthæus.* Non est certum, utrius chronologia sit præferenda, ut etiam superius indicavimus.

ante mensem Septembrem anno 1398 jam sede CP. potiebatur,

1107 Attamen hunc patriarcham sedisse ante Calendas Septembres anni MCCCXCVIII, constat ex quodam ipsius Matthæi instrumento, cui apud Lambecium lib. 8 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 526 Græce præfigitur hic titulus, et in quo tempus scriptionis ita exprimitur : Ὑποτύπωσις γεγονυῖα παρα τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Ματθαιου εἴς τε ἑαυτὸν, καὶ εἰς τοὺς ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπους, καὶ εἰς τὸν κλῆρον τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, ἐκτεθεῖσα κατὰ τὸ ,ϛϡϛ' ἔτος, ἰνδ. ϛ'. Hoc est : *Hypotyposis* F
facta a sanctissimo nostro domino et œcumenico patriarcha domino Matthæo, ad se ipsum et subjectos sibi episcopos, ac clerum sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ, edita ad annum 6906, *Indictionis sextæ.* Itaque de tempore hujus Patriarchæ Matthæi præterpropter statuere potes ex his duobus characteribus chronologicis, cum annus mundi 6906 et Indictio sexta a Calendis Septembribus anni Christi MCCCXCVII usque ad Calendas Septembres anni MCCCXCVIII fluxerint, ut vulgo notum est. Huic instrumento propria manu Græce subscripsit *Matthæus misericordia Dei archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, et œcumenicus patriarcha*, sicut ibidem videri potest.

quam forte anno 1407.

1108 Laudatus Petrus Lambecius libro proxime citato pag. 524 finem ejusdem Matthæi colligit ex altero ipsius instrumento, quod Græce inscribitur ἐπιτελεύτιος βούλησις καὶ διδασκαλία, *ultima voluntas et doctrina*, et sub quo tempus et autographa subscriptio ita exprimuntur : Ἐγράφη καὶ ὑπεγράφη κατὰ μῆνα Σεπτέμβριον τοῦ ,ϛϡιϛ' ἔτους, ἰνδικτιῶνος α'. Tum alio charactere subnotatur : Ματθαῖος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

SEC. XV.

τριάογχης. Id est : *Scripta et subscripta mense Septembri anni* 6916, *Indictionis primæ*. Dein infra sequitur : *Matthæus misericordia Dei archiepiscopus Constantinopolis, novæ Romæ et œcumenicus patriarcha*. Hic mensis September designat annum Christi MCDVII (non autem MCDVIII, ut vult Lambecius) quandoquidem annus mundi 6916 et Indictio prima juxta communem chronologorum sententiam a Calendis Septembribus anni MCDVII currere cœperunt.

aut juxta alios anno 1408 vel 1410 moriens reliquit.

1109 Lambecius ex supradicto hujus instrumenti tempore colligit, Matthæum anno Christi MCDVIII obiisse, et loco mox citato pag. 528 chronotaxim ipsius sic indicat : *Successit ei* (videlicet Callisto) *in patriarchatu Matthæus ille, de cujus hypotyposi sive informatione patriarchali, anno Christi* MCCCXCVIII *composita, paulo ante actum est;* D *tenuit autem is patriarchatum annos tredecim, nempe ab anno* MCCCXCV *usque ad* MCDVIII, *quo supra memoratum, in eodem hoc codice exstans, testamentum sive ultimam voluntatem suam composuit ac edidit*. At ex tempore testamenti non omnino evidenter sequitur, illum anno MCDVIII obiisse, cum illud uno alterove anno ante mortem condere potuerit. A. Unde Bandurus loco proxime citato tom. 2 Imperii Orientalis obitum ipsius anno MCDX affigit. Sed non multum disceptabimus, sive anno Christi MCDVIII sive MCDX patriarchatum ipsius finias, si tantummodo in priori sententia admittas, sedem aliquo tempore post mortem Matthæi vacasse, ut ex certioribus sequentium patriarcharum annis ostendetur.

SECULUM XV.

B

CXXVII EUTHYMIUS II.

Anno 1410 cathedram CP. ascendit Euthymius,

Catalogus Labbeanus huic Patriarchæ *quinque annos et menses quinque* adscribit. Onuphrius Panvinius in suo Chronico ecclesiastico eumdem annorum ac mensium numerum Euthymio recte tribuit; sed ibidem a vera chronologia multum aberrat, dum initium ipsius usque ad annum Christi MCDXIX differt. Observavit hunc Panvinii anachronismum Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum MCDXIX num. 13, ubi de hac re sic scribit : *Hoc item anno factum esse patriarcham Græcum Constantinopolitanum Euthymium monachum, ejus nominis secundum, Onuphrius ponit in Chronico; cujus tamen obitum Phranzes, Constantinopoli tunc agens, quamquam adhuc adolescentulus, etiam ante hæc collocat : nempe eodem mense, quo Manuel imperator Constantinopolim rediit ab Isthmi reparatione, anno mundi ex Græcorum computu* VIMDCCCCXXIV, *qui respondet Christi* MCDXVI. C Nos probabilissime putamus, initium Euthymii (statue illud non diu post mortem Matthæi patriarchæ aut post aliquam sedis vacationem, ut lubet) anno Christi MCDX affigendum esse, quod infra confirmabitur ex Phranza coœvo, ubi de obitu Euthymii agetur.

qui videtur fuisse orthodoxus

1111 Videtur hic Patriarcha orthodoxus aut certe ad unionem cum Ecclesia Romana propensus fuisse, ut satis eruitur ex verbis Joannis Palæologi imperatoris, qui apud Labbeum tomo 13 col. 375 præsules suos Græcos Florentiæ ita alloquitur : *Nos, sacri patres, quomodocumque in Italiam venimus; nec soli mihi fuit voluntas veniendi, nec primus ego negotium hoc suscepi; sed memoria tenetis, patrem meum imperatorem eo tempore, quo erat in Isthmo, misisse Eudæmona Joannem illum in Italiam, et hujusmodi opus fuisse aggressum..... nam aderat etiam ipsi patriarcha ille, dominus Euthymius, vir vera virtute præditus, ac summus theologus. Qui cum tanti ac tales essent, non solum de hoc negotio capessendo cogitarunt, verum etiam agressi sunt, et cupiebant illud conficere; sed obstitit tempus.* Deinde eosdem hortatur, ut hoc opportuno tempore unionem cum Latinis amplectantur.

E

vel ad unionem cum Ecclesia Romana propensus

1112 Quinimo hunc Euthymium, antequam esset patriarcha, unionis perficiendæ causa ad Occidentem venisse, colligimus ex Gregorio hieromonacho et protosyncello, qui apud Labbeum tomo 13 Conciliorum col. 782 et sequente objectionibus Marci Ephesii inter alia sic respondet : *Nec vero Latinos aversati sumus, ut absurda et impia prædicantes : nam si absurda et impia prædicarent, ecclesia nostra et imperatores nostri non misissent assiduas legationes ad flagitandam synodum. Hæreticos enim ab Ecclesiæ corpore semel abscissos Catholici nullo loco habent. At vero e nostris qui sapientia et virtute plurimum excelluerunt, Macarius Nicomediensis, et Euthymius, qui ad sedem postea Constantinopolitanam evectus est, et Joasaph Ephesius, et Macarius abbas monasterii titulo Pantocratoris illuc profecti, benedictionem Papæ accipiebant. Quinimo et qui hæc ipsa scribit, fecit quod et alii. Non ergo aversati sumus eos, ut hæreticos.* Jam superest, ut determinemus chronologicum Euthymii finem, ex quo pendet certum ejusdem patriarchatus initium, ut supra monuimus.

et qui post quinque annorum et totidem mensium regimen anno 1416 e vivis excessit.

1113 Onuphrius Panvinius in Chronico ecclesiastico anachronismum supra indicatum continuat, et patriarchatum Euthymii perperam extendit usque ad annum Christi MCDXXIV, quo tandem ei successorem assignat. Marquardus Freherus in Chronologia, quam Juri Græco-Romano F præfixit, eumdem errorem admisit. Sed hos aliosque eorum sectatores, certissime hallucinatos esse, liquet ex Gregorio Phranza coævo, qui lib. 1 sui Chronici cap. 28 mortem Euthymii sic indicat : *Anno mundi sexies millesimo nongentesimo vigesimo quarto, Domini autem* MCDXIV, *imperator Constantinopolim rediit, et cum eo procerum ordo universus; quo, mense post ejus adventum, excessit e vivis patriarcha Euthymius.* Auctor ille non exprimit mensem, quo Manuel imperator ex Isthmo in urbem Constantinopolitanam reversus est; sed tantum asserit, post mensem ab ipsius adventu Euthymium evivis excessisse. Nihilominus conjicimus, hunc Patriarcham obiisse ante mensem Maium anni MCDXVI, quia ibidem indicat hunc mensem ejusdem anni, quo in locum defuncti successit

CXXVIII

A

CXXVIII JOSEPHUS II.

Mense Maio anni 1416 ad sedem CP. evectus est Josephus,

Georgius Phranza mox citato lib. 1 cap. 38 initium hujus Patriarchæ paucis verbis sic indicat: *Vigesima prima Maii ejusdem anni* (videlicet MCDXVI, quo mortem Euthymii immediate antea retulerat) *lectus est patriarcha Joseph Ephesi metropolita.* Silvester Syropulus in Historia concilii Florentini sect. 2 cap. 4 eamdem hujus electionis epocham exprimit hoc modo: *Ad electionem vero patriarchæ cum præsules inter se suffragati, ut mos est, tria nomina imperatori proposuissent, præsente etiam Mediensi, qui anteactis in synodo non interfuit, imperator Ephesi præsulem dominum Josephum eligit, ac patriarcham renuntiat, qui confestim deductus in palatium patriarchale, ipso die festo Constantini Magni, Indictione nona, divini cultus officium celebravit, et in magna ecclesia collocatus est in throno, inaugurandis patriarchis destinato.* Hic prudenter Syropulo fidem adhibere possumus, quamvis alibi scriptor ille schismaticus sæpe mentiatur, tum quia hac in re cum Georgio Phranza consentit, tum quia mendacium chronologicum schismati ipsius nihil poterat prodesse. Porro *Indictione nona* annus Christi MCDXVI designatur; festum vero Constantini Magni die XXI Maii quotannis celebratur, ut in Actis nostris ad illam diem licet videre. Itaque ex his duobus concordibus testimoniis tuto statuimus, Josephum anno Christi MCDXVI, die XXI Maii ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse.

B

qui ob orthodoxiam a mendaci Syropulo carpitur,

1115 Mendax Syropulus, aliique schismatici hunc Josephum depingunt, tamquam hominem insulsum, et in rebus fidei inconstantem. At vera hujusmodi accusationis ratio est, quod Josephus ab ipso patriarchatus sui exordio concordiam cum Romana Ecclesia inire desideravit, ut discimus ex legatione Antonii Massani Minoritæ, qui anno Christi MCDXXII a Martino V Papa Constantinopolim missus est, et cujus Acta Raynaldus ad eumdem annum MCDXXII Annalibus suis ecclesiasticis inseruit. Sed quæ fides adhibenda est perfido huic Syropulo, qui in Historia sua sect. 10 cap. 7 fatetur, se Florentiæ contra apertum conscientiæ suæ dictamen unioni subscripsisse? Quis eruditus credat huic scriptori schismatico, qui ne quidem apud incautos et simplices fidem meretur? Certe Casimirus Oudinus, efferatus fidei Catholicæ apostata, et testis in hac re minime suspectus, in Commentario de scriptoribus ecclesiasticis tomo 3 col. 2418 de illo sic pronuntiat: *Hic abunde suam testatur ab Ecclesia Latina aversionem in Historia concilii Florentini, qui si tantisper ab ira temperasset, Historiam suam apud incautos ac simpliciter ambulantes longe majori fide dignam effecisset.* Postmodum de hoc Græco calumniatore plura referemus, ubi prius reliqua, ad hunc Josephum præcipue spectantia, ex auctoribus synchronis exposuerimus.

C

et unionis ineundæ causa in Italiam navigavit,

1116 Cum diu per legatos et litteras de concordia inter Græcos et Latinos concilianda actum esset, tandem ipse imperator et Patriarcha cum multis suis subditis ejusdem unionis perficiendæ gratia in Italiam navigarunt, ut Georgius Phranza lib. 2 cap. 13 narrat his verbis: *Die vigesimo septimo Novembris ejusdem anni* (nempe MCDXXXVIII, de quo supra egerat) *imperator Joannes cum patriarcha Josepho, et Demetrio despota, multisque tam profanis, quam sacratis primoribus, et universis propemodum metropolitis atque episcopis propter meditatam, et cui non profuit, seu ut aptius dicam, quæ ipsa nihil profuit, Florentiæque coactam synodum discedit.* Ceterum quanto cum affectu et honore Latini Græcos exceperint, quas cum illis disputationes instituerint, ac quomodo demum eos ad unionem amplectendam adduxerint, legi potest in Actis sinceris concilii Florentini, quæ Labbeus et Harduinus collegerunt. Nos dumtaxat pertinentia ad mortem Patriarchæ ex iis excerpemus.

ubi repentina morte sublatus est.

1117 Græcus Actorum collector et oculatus rerum gestarum testis apud Labbeum tomo XIII Conciliorum col. 494 de repentino Patriarchæ obitu hæc habet: *Vesperi ergo repente nuntium accepimus, Patriarcham e vita migrasse, et commotione facta, omnes accurrimus visuri, quæ causa mortis fuisset, et invenimus eum vita functum. Cognovimus igitur ex ejus famulis, a cœna illum, ut sui moris erat, secessisse in suam ædiculam, acceptisque charta et calamo scripsisse, atque ibi tremore et agitatione nimia correptum occubuisse. Hoc nos haud mediocriter turbavit. Inventam vero scripturam, quam ipse paulo ante exaraverat, legimus isthæc continentem:* JOSEPH MISERATIONE DIVINA ARCHIEPISCOPUS CONSTANTINOPOLIS NOVÆ ROMÆ ET ŒCUMENICUS PATRIARCHA. De hoc *œcumenici* titulo diversas auctorum opiniones supra in quodam parergo proposuimus.

E

Cum autem prius in scriptis professionem fidei reliquisset,

1118 Deinde scriptor ille Græcus ibidem et columna sequente extremam Patriarchæ sententiam, quam paulo ante obitum litteris mandaverit, sic authentice recitat: *Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo et subscribo sententiam meam aperte universitati meorum filiorum. Omnia igitur, quæ sentit, et quæ dogmatizat Catholica et Apostolica Ecclesia Domini nostri Jesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, et iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque beatissimum Patrem patrum et maximum Pontificem et vicarium Domini nostri Jesu Christi antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem, nec non purgatorium animarum. In horum quippe fidem subscriptum est die mensis nono, millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Indictione secunda.*

F

Latini cum honorificis exsequiis decorarunt,

1119 Tum subjungit honorificas Patriarchæ exsequias, quas Cardinales et plurimi præsules, ac optimates Florentini sua præsentia cohonestarunt, ac denique sic concludit: *Obiit ergo Patriarcha Florentiæ die Junii nono, Indictione secunda; et humatus est satis ampla funeris pompa in templo monasterii Fratrum Ordinis sancti Dominici, ubi etiam Papa habitabat.* Inter omnes scriptores convenit, hunc Patriarcham mense Junio anni MCDXXXIX mortuum esse, licet nonnulli discrepent circa diem, qui ab hoc auctore Græco nonus, ab alio Latino decimus Junii notatur. Sed neglecta hac minoris momenti differentia, juxta certam hujus Patriarchæ chronotaxim computanti constabit, ipsum annis viginti tribus, et octodecim circiter diebus ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse; adeoque evidenter errasse Onuphrium Panvinium, qui in Chronico ecclesiastico ad annum Christi MCDXXIV tantummodo quindecim annos ei adscribit.

et ad testandam illius cum Romana Ecclesia communionem

1120 Orthodoxiam Josephi confirmat Latinus eorumdem Actorum collector, qui apud Horatium Justinianum in editione Romana anni MDCXXXVIII, pag. 284 de illo Josepho sic scribit: *Anhelabat pater ille antiquus, aspectu venerabilis, infirmitate gravatus,*

Sec. XV.

gravatus, Constantinopolitanus patriarcha, ut sessio fieret; sed aderant ex nostris plures, qui asserebant et primatus Papæ et consecrationis et purgatorii dogmata esse primitus profitenda per Orientales patres, antequam ad Ecclesia Romanæ unionem accederent : sicque hac difficultate stante, decima Junii post solis occasum dolor maximus Patriarcham invasit, quo demum ea nocte decessit; sed ante obitum scedulæ præmissæ processionis Spiritus sancti propria manu subscripsit, ac regulæ sanctæ matris Ecclesiæ se humiliter submittens, interiit.

tumulo ejus carmina inscripserunt.

1121 *Tot tantaque visa sunt totalis reductionis signa, quod summus Pontifex, sacro Latinorum approbante cœtu, ad Ecclesiæ communionem admissum injunxerit, magnoque cum prælatorum comitatu, adstantibus, singulis reverendissimis Cardinalibus, Græcis eorum more sacris indutis vestibus funeralibus, decantantibus in ecclesia sanctæ Mariæ Novellæ, ubi palatium Apostolicum est, sepultura conditus est, ubi et hi versus tumulo adscripti sunt :*

Ecclesiæ antistes fueram qui magnus Eoæ,
Hic jaceo magnus relligione Joseph.
B *Hoc unum optaram, miro inflammatus amore,*
Unus ut Europæ cultus et una fides.
Italiam petii, fœdus percussimus unum,
Junctaque Romanæ est, me duce, Graia fides.
Nec mora; decubui : nunc me Florentia servat,
Qua nunc concilium floruit urbe sacrum.
Felix qui tanto, donarer munere vivens,
Qui morerer voti compos et ipse mei.

Hæc carmina disticha composuit Italus istius temporis scriptor, ut synchronus Æneas Piccolomineus, postea Pius II Papa, in Commentario de statu Europæ cap. 51 collectionis Freherianæ tomo 2 pag. 94 agens de urbe Florentina, testatur; ubi de morte hujus Josephi sic obiter meminit : *Patriarcha illic senio confectus, decessit, et apud FF. Prædicatores intra ecclesiam humatus est, cui Maffeus Vegius, poeta Laudensis non ignobilis, epitaphium versibus imparibus edidit.* Anselmus Bandurus loco mox citando eumdem sepulturæ locum assignat apud FF. Prædicatores Florentinos, et exhibet eadem carmina disticha, tumulo ejus inscripta, quæ etiam a Maffeo Vegio, poeta Laudensi, composita fuisse, affirmat.

C

quæ tamen omnia non probant legitimum ejus cultum,

1122 Raderus noster in observationibus manuscriptis ad Menæa Græcorum putat, hunc Josephum die xxx Octobris in Menæis indicari, eumque his sacris fastis insertum esse ab illis, qui Venetiis Græcam Menæorum editionem curarunt. Sed quandoquidem curatores istius editionis videntur fuisse schismatici, ut ex alibi dictis colligitur, multo probabilius arbitramur, ea die agi de homonymo patriarcha schismatico, quemadmodum supra in altero Josepho, primo istius nominis patriarcha Constantinopolitano, monuimus. Imo etiamsi Græci Catholici, ut vult Raderus, exeunte seculo xvi hunc Josephum orthodoxum Menæis inseruissent, id ad immemorabilem vel legitimum ipsius cultum nobis persuadendum nondum sufficeret. Quamobrem alia auctoritate opus est, antequam hunc Patriarcham, catalogo Sanctorum adscribamus, licet eum Catholicum fuisse libenter fateamur.

qui etiam ex effigie ipsius non recte eruitur.

1123 Cum supra apud Latinum concilii Florentini collectorem legissem, quod Patriarcha ille fuerit senex *aspectu venerabilis*, menti meæ recurrit imago ipsius, quam æri incisam videram apud Bandurum tomo 2 Imperii Orientalis pag. 991, qui pagina præcedente testatur, sese illam in bibliotheca regis Galliæ invenisse, atque delineari curasse ex Cod. 3058, ubi ad calcem ejusdem codicis repræsentatur. Cum autem ob varias rationes illa videatur esse vera hujus Josephi effigies, curioso lectori non ingratum fore existimavi, si cælatorem nostrum accuratissime eam imitari juberem. En ipsam. D



Non mireris, quod Josephus in hac tabella ἁγιώτατος seu *sanctissimus* vocetur : talis enim titulus sæpe tribuitur patriarchis Constantinopolitanis, etiamsi nullam sanctitatis famam aut publicam venerationem obtineant. Nec te moveat circulus, qui caput ipsius ambit : nam ibidem etiam circuli appingintur capitibus Manuelis Palæologi imperatoris, et filii ejus Joannis, quos tamen nemo Catholicorum pro sanctis veneratur. Nunc propter incursantes schismaticos et hæreticos, aliamque difficultatem quamdam paulisper ab incœpta via recedendum est. F

PARERGON X.

De calumnis schismaticorum et hæreticorum contra synodum Florentinam, et de patriarchatu Constantinopolitano Isidori ac Bessarionis.

Hæretici et schismatici, inter quos Syropulus,

Heterodoxi nostræ ætatis scriptores non minori rabie, quam Græci schismatici, contra synodum Florentinam debacchantur. Hinc Bessarionem S. R. E. Cardinalem aliosque egregios unionis propugnatores ambitionis arguunt, variisque dicteriis proscindunt. Hinc etiam mendacem Silvestri Syropuli historiam avide arripiunt,

et

A et magnis laudibus extollunt. Inter alios Robertus Creyghton Anglus præterito seculo illam concilii Florentini Historiam Græco-Latine edidit, eique hæreticam præfationem et speciosum titulum præfixit. Labbeus noster tomo XIII Conciliorum in notis ad synodum Florentinam col. 1280 de falso hujus Operis titulo, ejusque auctore, et interprete fert tale judicium : *Sed quæ fides huic inscriptioni habenda sit, quamque titulus hic magnifice mentiatur, cum alia multa declarant, tum illius operis auctor atque interpres : quis enim ille sit vere silvester ac barbarus Syropulus, si temporum testem historiam, si coætaneos posterioresque scriptores interroges, homo nihili, ignotus, ignobilis, qui unus sibi testimonium dixit illudque mendacissimum, neglectus hactenus ab eruditis, schismaticus, hæreticus, ac nationis suæ, quæ Catholicam fidem cum imperatore, patriarcha, episcopis ac principibus doctissimisque viris susceperat, hostis infensissimus, illico deprehendetur.*

mendax concilii Florentini calumniator,

1125 *Neque alia ejusdem debet esse apud cordatos homines ratio, quam Arii aut Philostorgii de Nicæno, Nestorii de Ephesino, Eutychetis aut Dio-* B *scori de Calchedonensi, Hieronymi Pragensis de Constantiensi, Albigensium de Lateranensibus conciliis disserentium : quis enim ignorare potest, quid in adversarios, quid in ipsos quoque interdum patronos advocatosque suos deblaterent, quæ crimina objiciant, quas calumnias texant, qui causa ceciderunt, rei? Tales plerique Græculi, qui Marco Ephesino antistiti, ac similis farinæ contumacibus schismaticis, quam apertissimæ veritati ac Catholicæ fidei adhærere maluerunt. Sed de his alias conquerendi commodior occurret occasio.*

ejusque interpres Creyghtonus a Labbeo refelluntur :

1126 *Ad interpretem Creyghtonum venio, cujus effrænis in Ecclesiam Catholicam (ex qua cum majoribus suis desertor profugit) atque efferata rabies ex hoc ipso titulo libri, quem falso dicit, e veritatem amantium manibus numquam deponendum, ex dedicatione, præfatione, ac notis manifestissime elucescit, quas spurcissimis in Romanos Pontifices, Cardinales, episcopos, ceterosque clericos ac laïcos, qui interfuerunt, quique secuti sunt, calumniis usque ad nauseam tædiumque lectorum refersit; quodque mirere magis, ipsam quoque versionem ab hac hæretica lue, in Papam effervescente, noluit esse immunem.* Deinde infidam interpretis versionem uno altero- C ve exemplo breviter demonstrat, quod Leo Allatius in Exercitationibus contra Creyghtonem, aliique auctores Catholici copiosius præstiterunt,

impudenter fingunt, Græcos pecuniis inductos esse

1127 Æuropæi hæretici cum schismaticis Orientalibus passim blaterant, Græcos muneribus subscripsisse; at postea Constantinopolim reversos unioni renuntiasse, ac ipsam synodum Florentinam scriptis libris impugnasse. Joannes Plusiadenus in Disceptatione pro concilio Florentino, quam Leo Allatius tomo 1 Græciæ orthodoxæ inseruit, ibidem pag. 612 et sequente calumniam de muneribus ita refellit : *Si scandalum pateris, quod, muneribus acceptis, patres subscripserunt; ne turberis animo. Neque enim absoluta synodo tantum stateras patres acceperunt, quæ tu munera vocas : namque si quis juste ac recte loqui amat, eos non munera, sed provisionem comparandorum alimentorum causa appellabit. Neque enim erant illis expensæ ad veniendum ex ipso ortu solis in Italiam : pauperes enim erant. An non scimus, episcopatus ac metropoles totius Orientis paupertatem una perferre gravissimam? Hunc scilicet prætextum nostri proponebant : « Nos non habemus ex propriis expensas ; « neque enim a pecunia perbene valemus, ut in Ita- « liam adnavigemus. »*

Sec. xv. ad amplectendam unionem in concilio Florentino.

1128 *Ideo percelebris ille et vere beatus et divinus vir Eugenius, senioris Romæ Præsul, omnes suos reditus, nec eos solum, sed et supellectilem argenteam et auream pro hoc opere consumpsit, et tandem mitram suam oppigneravit Florentinis, quadraginta aureorum nummorum millibus acceptis, et grandem pecuniam Sanctissimus ille debuit, ne quis Græcorum defectu stipendii obmurmuraret. Verumtamen illi vel tenentes nummos aureos præ manibus, de eo ingrati obloquebantur, quemadmodum nunc quoque faciunt : quidam enim eo eleemosynæ comparandæ causa proficiscuntur, et ab illis ad misericordiam propensis impetrant, primum a Papa, deinde a Cardinalibus; inde postmodum exeuntes, injuriis ac contumeliis eosdem quam impudentissime proscindunt.* Hæc scriptor Græcus, qui veritatem sequi maluit, quam ingratum nationis suæ animum dissimulare. Quod si qui Græci Florentiæ sufficientibus stipendiis non contenti, ut Ducas in Historia Byzantina cap. 31 innuit, de inopia falso conquesti fuerint, atque ita pecuniam a Latinis extorserint, id insatiabili illorum avaritiæ imputandum est.

Quamvis aliqui Græci domum reversi schisma perfide renovaverint,

1129 Equidem fateor, nonnullos Græcos, qui E Florentiæ concilio subscripserant, postea domum reversos unioni renuntiasse, et schismaticæ plebi consensisse. At quales illi fuerint, Josephus Methonensis (postea hoc opus ipsi vindicabimus) in Apologia pro concilio Florentino cap. 5 sect. 16 indicat his verbis : *Nos vero vidimus beatissimum Eugenium IV, Romanæ Ecclesiæ Pontificem summum quanto studio in hoc sanctum opus incubuerit, triremibus missis et sumptibus, ut hoc magnum vulnus sanaretur ; celebrataque est synodus ingens et admirabilis Ferrariæ atque Florentiæ, insignibus Italiæ urbibus, magna doctorum et sapientum virorum frequentia, et theologiæ scientia ac virtute illustrium. Tandem decretum sancitum est, omni sapientia, et veritate conspicuum, quod ubique est promulgatum, et ab omnibus gentibus receptum. Græci vero, et ex iis, qui pejoris sunt conditionis, vulgares quidam homines et indocti huic contradicunt ; ac si quis rationis particeps decreto contradicit, id non a doctrina proficiscitur, sed ab animi pravitate, falsa et stulta præsumptione et gloria inani, quam ex vulgi imperitia aucupantur.* Cur, obsecro, Calvinistæ et Lutherani potius credunt indoctæ plebi et perfidis aliquot Græcis, qui F Florentiæ emissum juramentum impie violarunt, quam Georgio Trapezuntio, Josepho Methonensi episcopo, Joanni Plusiadeno, aliisque tum Græcis tum Latinis scriptoribus, qui synodum Florentinam constanter propugnarunt? An perjurus Syropulus, aliique schismatici majorem fidem merentur, quia solenniter datam jurejurando fidem non servaverunt?

id maxime imputandum est plebi Constantinopolitanæ,

1130 Cum postea Nicolaus V Pontifex Isidorum præsulem Ruthenum et S. R. E. Cardinalem misisset Constantinopolim, ut initam in concilio Florentino unionem promoveret, et exorta propter illam dissidia componeret, plures monachi et moniales eidem restiterunt, quibus adhæsit vulgus Constantinopolitanum, de quo Ducas synchronus, et nobilis ex stirpe imperatoria scriptor, in Historia Byzantina cap. 36 sic loquitur : *Plebs fera, bonis infensa, arrogantiæ germen et radix, vanæ gloriæ ramus, superbiæ flos, fæx nationis Græcæ, quæ ceteras gentes, contemptibilis ipsa, despectui habet, acta omnia pro infectis reputabat.* Imo quamvis schismatici illi jam Turcas mœnibus suis imminentes cernerent, tamen cæci isti unionis adversarii in pertinacia sua persistebant, ut ibidem illu-

SEC. XV: illustrissimus ille historicus Græcus tradit his verbis: *Infima deinde forensisque turba e monasterii claustris dilapsa in œnopolia, manibus phialas mero plenas tenentes, henoticos, id est unioni adhærentes diris devovebant, et in honorem imaginis Deiparæ exhaustis poculis, eam invocabant, ut urbi præesset et auxiliaretur, et quomodo olim adversus Chosroëm, Chaganum et Arabes pugaverat, ita nunc adversus Mehemetem præliaretur: « Latinorum « enim, inquiunt, auxiliis non opus est nobis; pro- « cul sit a nobis Azymitarum ritus. »*

cujus insana rabies ab auctore Græco synchrono describitur,

1131 Deinde eodem capite, orthodoxus ille scriptor similibus unionis adversariis perjuria exprobrat, et pervicaci eorum schismati exitium urbis Constantinopolitanæ ita adscribit: *Hæc cum jactarent miseri, eorum mentem non subibat tantum totiesque ab ipsis repetitum pacis ac concordiæ Christianarum ecclesiarum stabiliendæ causa jusjurandum; cum in concilio Lugdunensi, dum regnabat Palæologorum primus; tum in Florentino sub imperatore Palæologinæ stirpis ultimo, ac nuperrime inter sacram liturgiam celebrandum; ob repetitum, inquam, jusjurandum spretumque, excommunicationis insolubilis, conditione in sanctæ Trinitatis nomine addita, memoriam eorum ac urbis delendam fore. Ut quid inanibus futilibusque cogitationibus animos vestros pascitis? Ecce sacerdotes tui, monachi, moniales, æditui et æditimæ, qui ministrantibus sacerdotibus Græcis, et rem divinam secundum ecclesiæ Orientalis ritum et traditiones peragentibus, immaculati Corporis et Sanguinis participes fieri noluerunt* (agit hic de iis, qui anno MCDLII noluerant interesse communi orthodoxorum liturgiæ, in qua commemoratio Pontificis Romani fiebat, ut paulo superius dixerat) *polluta esse sacrificia nec Christiana, dicentes, benedictionem sacerdotum aversati, templaque pro gentilium aris habentes, in barbarorum manus anima et corpore polluendi cras devenient: monialem enim in divinis Scripturis initiatam ac eruditam, carnibus non tantum vesci, barbara veste indutam oculis meis aspexi, sed etiam pseudo-prophetæ hostiam offerre, impietatemque, pudore ac verecundia abjectis, profiteri.* Tales erant schismatis defensores et unionis Catholicæ adversatrices!

et cui impius Christianæ fidei desertor

1132 His scilicet heroïbus annumerari potest Amyrutzes, philosophus Trapezuntius, qui scripsit contra synodum Florentinam, cui adfuerat, et paulo post Christum cum Mahomete mutavit, ut Leo Allatius lib. 3 de Consensione Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 3 num. 5 testatur. Historia politica Constantinopoleos narrans, quomodo Turcæ Trapezuntem anno Christi MCDLX interceperint, lib. 1 Turco-Græciæ pag. 21 de hoc apostata sic breviter meminit: *Amyrutzem Turcæ, filiis ejus in arcem sultani contrusis, Agarenicæ religionis fecerunt.* Georgius Trapezuntius in Actis B. Andreæ de Chio martyris ad diem XXIX Maii, apud nos tomo VII istius mensis pag. 185 eumdem, ni fallor, tacito nomine sic designat: *Quidam enim, quem honoris causa non nomino, ex Trapezunta ortus urbe, Peripateticorum philosophiæ professor, sive sua sponte (ut multi aiunt) sive impulsus, nescio, nec, si sciam, dicere ausim, crucem Domini negavit, et Mahumeto adhæsit.*

aliique similis farinæ homines patrocinantur.

1133 Nihil hic dico de insania Marci Ephesii, et fœdo mortis genere, quo pertinax ille schismatis defensor exstinctus est, et quod Gennadius cum morte Arii non immerito comparat, ut apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDXLV num. 17 legi potest. Nihil etiam curo futiles obstinati illius hominis cavillationes, quas orthodoxi scriptores, tum Græci tum Latini, jam dudum solide refutarunt. Sed mirari semper soleo, quomodo Lutherani et Calvinistæ schismaticis hujusmodi Græcis, a quibus in materia fidei multum dissident, audeant patrocinari. Certe nullam probabiliorem hujus patrocinii rationem afferent, quam si candide edicant, sibi sufficere, quod Romanos Pontifices et Ecclesiam Catholicam calumnientur. Saltem isti malæ causæ patroni ex dictis considerent, quam egregios habeant in oppugnanda synodo Florentina commilitones. Ceterum scriptores polemici, ac nominatim Leo Allatius lib. 3 de Consensione Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ cap. 1 et sequentibus concilium istud a contumeliosis schismaticorum imposturis ita vindicarunt, ut mihi hic actum agere non lubeat. Quare revertar ad interruptam patriarcharum Constantinopolitanorum seriem, ubi prius examinavero, an Bessarion, præsul Nicænus et S. R. E. Cardinalis, proprie inter illos sit numerandus.

Non videtur Cardinalis Bessarion

1134 Phranza lib. 2 cap. 17 indicat, Bessarionem Josepho mortuo subrogatum esse: *Mense Februario ejusdem anni,* inquit, *quotquot in Italiam synodi causa profecti fuerant, Constantinopolim redierunt; imperator, inquam, despota Demetrius, et reliqui, tribus demptis, qui in Italia manserunt, Josepho patriarcha, qui Florentiæ ad Dominum hinc excessit, et Sardiensium metropolita, qui Ferrariæ obiit, et Bessarione Nicææ episcopo, qui Romæ sedem fixit; quem quidem imperator et synodus post defunctum Josephum, patriarcham creaverant. Post ea propter perturbationes rerum et scandala, nescio quæ, Constantinopolim non venientem, sed Romæ hærentem princeps archiepiscopus* (hoc titulo Romanum Pontificem designat) *cum pensionibus liberalissimis ad numerum et ordinem Cardinalium adscripsit.* Tum subdit, Metrophanem tempore verno ejusdem anni MCDXL ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse, ut postea dicemus.

reipsa sedem Constantinopolitanam possedisse,

1135 At imprimis falsum est, Bessarionem post celebratam synodum Florentinam semper Romæ hæsisse et Constantinopolim non venisse, cum ipse Cardinalis ad Alexium Lascarim Philanthropinum apud Labbeum tomo XIII Conciliorum col. 1230 de successu ejusdem synodi Florentinæ sic scribat: *Demum post celebratum sacrum concilium et nostrum ad urbem Constantinopolitanam reditum,* etc. Hinc quispiam suspicari posset, Bessarionem Constantinopoli electum fuisse; at noluisse patriarchatum suscipere, eo quod propter procuratam Florentiæ unionem schismaticis maxime invisus esset, et de iis ad obedientiam reducendis desperaret. Nemo autem facile credet, illum Florentiæ ab imperatore et synodo in locum Josephi defuncti substitutum fuisse, cum Græci Eugenio Pontifici suadenti, ut Florentiæ patriarcham Constantinopolitanum eligerent, apud Labbeum tomo XIII col. 527 sic responderint; *Patriarcha hic non fiet; moris enim nostri est eum Constantinopoli ab universa nostra provincia eligi, et in majori nostro templo consecrari; nec imperator noster aliud faciet, cui nota est ecclesiæ nostræ consuetudo.*

sed dumtaxat honorarium istius ecclesiæ titulum habuisse,

1136 Equidem scio, ipsum Bessarionem litteris suis, quas Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDLXIII a num. 58 refert, præfixisse hunc titulum: *Bessarion divina miseratione sanctæque Sedis Apostolicæ gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, patriarcha Constantinopolitanus,* etc. Sed hoc testimonio dumtaxat moveor ad amplectendam opinionem Leonis

A nis Allatii, qui lib. 3 de Consensione Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ cap. 3 num. 1 eumdem Bessarionis titulum ita explicat: *Quare non male opinantur illi, qui asserunt, eum titularem patriarcham Constantinopolitanum fuisse, quales post captam a Latinis Constantinopolim Romani Pontifices nominabant, quemadmodum et aliarum patriarchalium sedium; idque nobis insinuare conatur Dorotheus Monembasiensis in Synopsi historiarum.*

quem etiam gessit Isidorus Ruthenus Cardinalis,

1137 Simili titulo insignitus fuisse videtur Isidorus Ruthenus, de quo supra num. 1130 mentio facta est, ut colligo ex Commentariis synchronis Pii II Papæ, ubi in editione Francofurtensi anni MDCXIV lib. 11 pag. 299 et 300 leguntur sequentia: *Hunc annum* (videlicet Christi MCDLXIII) *viri tres in Ecclesia præcellentes insignem morientes reddidere. Primus fuit Isidorus Cardinalis episcopus Sabinensis, qui diu antea percussus apoplexia (ut diximus) perdiderat sermonis usum. Ruthenis hic præfuerat quondam pontifex borealibus populis, Græcanicum ritum servantibus. Cum capta est Constantinopolis a Turcis, legatum* B *illic agebat Apostolicæ Sedis jam pridem ab Eugenio Pontifice maximo cardinalatus dignitate donatus. In cæde Christianorum, quæ ingens ibi facta est, jacenti cadaveri hominis, qui sibi fuisset similis, vestimenta subtraxit, et cum suis permutavit, cuculla et rubenti pileo supra mortuum dimissis. Ipse tamquam unus de plebe captus, parvo pretio redemptus est: cadaveri, super quo insigne cardinalatus repertum, caput abscissum est, et hastæ suffixum cum pileo per urbem castraque Turcarum per ignominiam contemptumque Sedis Apostolicæ vectatum, clamitante præcone, esse Rutheni cardinalis verticem.*

qui post captam a Turcis Constantinopolim callide cædem evasit.

1138 *Ipse vero paulo post ad Nicolaum Pontificem rediit, quem aliquot annis postea, defuncto Gregorio patriarcha Constantinopolitano, qui anno, quo Mantuam itum est, non sine sanctitatis opinione Romæ obiit, Pius Pontifex ad patriarchatus culmen evexit, eique fatis functo Bessarionem cardinalem Tusculanum, virum doctissimum substituit, natione Græcum, genere Trapezuntinum.* Ex hac narratione satis patet, utrumque hunc Cardinalem titulo patriarchæ Constantinopolitani ornatum fuisse; at ex eadem etiam sequitur, neutrum titulo isto usum esse ante captam a Turcis Con- C stantinopolim, quando patriarchæ orthodoxi ad eam ecclesiam regendam electi fuerant, ut ex sequentibus apparebit. His præmissis, probabilius opinor, quod in hac serie post Josephum defunctum statuendus sit

CXXIX METROPHANES II.

Mense Maio anni 1440 ad sedem CP. evectus est Metrophanes

Georgius Phranza lib. 2 cap. 17 tempus, quo hic Patriarcha inauguratus est, sic præterpropter expressit: *Vere ejusdem anni* (nempe Christi MCDXL, quo Græci post synodum Florentinam ex Italia Constantinopolim redierunt, ut supra dixerat) *Metrophanes ex metropolita Cyziceno Constantinopolitanus patriarcha renuntiatus est.* Syropulus in Historia concilii Florentini sect. 12 cap. 5 mensem et diem ejusdem veris distinctius indicat, dum ibi de patriarchali Metrophanis inauguratione sic scribit: *Die igitur septimanæ quarto, ac mensis Maii quarto, quo solenniter proclamabant sanctissimam Christi Ascensionem crastino futuram, progressus ad aulam imperatoriam, ab imperatore inaugurabatur.* Hic iterum ob rationes supradictas Syropulo facile credimus in chronologia, licet in historia pro suo erga schismaticos affectu sæpe mentiatur, et hac tota sectione pro suo contra orthodoxos odio longam de Metrophanis electione adornet fabulam, quam piget transcribere aut refutare. Sec. XV.

strenuus unionis propugnator,

1140 At saltem ex ea Syropuli narratione colligimus, Metrophanem patriarcham unioni Florentinæ, cui sextus ordine, tamquam præsul Cyzicenus, subscripserat, firmiter adhæsisse. Quam vero strenue is Patriarcha schismaticis restiterit, ac eamdem unionem in Oriente promoverit, satis apparet ex Leone Allatio, qui in opere de Consensione Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ lib. 3 cap. 4 num. 1 fervidum orthodoxæ fidei zelum in illo sic laudat: *Metrophanes in sede collocatus, uti par erat, dissidentium machinas sedare conatur, turbulentos in officio continere, de contumacibus quoque pœnas sumere, quos episcopatibus pulsos exsilio mulctavit, et probos ac pios et morigeros in eorum loca, ut unio propagaretur, restituit. Dum reliqui Patriarchæ reclamarent, neque remissis spiritibus, arrogantiam sedarent, ex eorum etiam diœcesibus* E *male feriatos ejicit, aliosque sibi audientes supponit; quod puto absque summi Pontificis permissione hominem, Ecclesiæ Romanæ reverentissimum, numquam ausum fuisse. Id reliqui patriarchæ ægre ferentes, Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, et Joachimus Hierosolymitanus, licet synodo per legatos subscripsissent, ira perciti ac furore præcipites, coacta synodo, Metrophanem et episcopos ab eo creatos convitiis onerant, anathemati subjiciunt, et reliquos Christi fideles ab eorum obedientia avertunt.*

quem schismatici condemnarunt tribus mensibus ante mortem,

1141 Deinde Allatius Græco-Latine exhibet ibidem ipsas synodales litteras, in quibus hi schismatici varia accusationis capita Metrophani objiciunt, eumque condemnant, quia *exsecrandam synodum, quæ apud Florentiam Italiæ urbem coacta est, et Latinorum cum Papa Eugenio, quod non licebat, dogmata approbavit,...... more prædonum Constantinopolitanam sedem invasit, quæ assensum præbuit hæreticis et jam dicto Papæ, et imperatori Græcorum Palæologo cum Latinis sentienti, fideles et sanæ fidei sectatores non absque minis persequenti, veluti tyranno opprimenti et redarguenti; infideles vero et eos, qui pravis opinionibus sunt imbuti, ac-* F *cersenti, honoranti, et ad dignitates promoventi, tamquam suæ hæreseos asseclas; et quod magis est, mirum in modum hos eosdem deosculanti propter eam, quam in se præfert adversus rectam fidem pietatemque repugnantiam. Hinc factum est,* inquiunt iidem accusatores, *ut prophanos metropolitellos et exsecrandos episcopillos ubique in divinas et sanctas sedes sanctæ magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, tamquam suæ diœcesi obnoxios, intruserit.* Ex hac schismaticorum accusatione liquet, Metrophanem unioni addictissimum fuisse.

quæ anno 1443 Calendis Augusti ei accidit juxta Syropulum,

1142 Ceterum hæc condemnationis sententia, quæ loco citato tota legi potest, dicitur in fine subscripta *mense Aprili* VIMDCCCCLI *anni, nunc currentis Indictionis sextæ et a Christo anno* MCDXLIII, adeoque tribus circiter mensibus mortem Metrophanis præcessit, si credimus Syropulo, qui sect. 12 cap. 11 chronologicum ejusdem Patriarchæ obitum ita distincte notavit: *Statim ac ab aula in patriarchæum repedavit, cœpit cum morbo conflictari et in ipsissimis Calendis Augusti, Indictionis sextæ anni a mundo condito sexies millesimi nongentesimi quinquagesimi primi exspiravit, cum patriarchatum gessisset tribus annis, et tribus mensibus;*

SEC. XV.

bus; sed male. Scilicet ecclesiam Constantinopolitanam *male* gubernavit judicio Syropuli et similium, qui schismati pertinaciter adhærebant. Porro mensis Augustus anni 6951 et Indictio sexta designant annum Christi MCDXLIII, quo Metrophanes ex hac vita migravit.

cujus interpres in alia re circa hunc Patriarcham turpiter errat.

1143 Robertus Creyghton tamquam ex tripode pronuntiat, hunc Patriarcham fuisse ultimum ante captam a Turcis Constantinopolim, et in hæretica præfatione, quam fabulosæ Syropuli historiæ præfixit, hanc temerariam suam opinionem confidenter proponit his verbis : *Sicut civile Græcorum imperium a Constantino primo ad Constantinum ultimum, nostri Joannis fratrem, perduravit; ita a Metrophane ad Metrophanem patriarchale et ecclesiasticum..... Metrophani successit Alexander, qui Arrio ad concilii Nicæni tempora animosissime restitit, a quo supra mille et centum annos continuata successio patriarcharum desiit in hunc ultimum Cyzici Metrophanem; cui inter suspiria morienti nemo postea subrogatus est, aut tiaram induit Constantinopoli patriarchalem. Numquam in eo throno sedit Mammas noster, numquam sedere* B *appetivit. Hunc fatalem errorem omnes insaniunt viri doctissimi, Binnius in conciliis, Leunclavius in Jure Græco-Romano, Crusius in Turco-Græco**, *et quotquot hæc novissima negotia Græcorum litteris mandavere. Hunc Gregorium cuncti inter patriarchas recensent, qui numquam suffectus est in patriarcham.* Sed an heterodoxus ille solus sapiat, dum *omnes insaniunt viri doctissimi*, ex infra dicendis apparebit, ubi ex scriptoribus synchronis ostendemus, quod ante captam a Turcis Constantinopolim isti ecclesiæ præfuerit ac Metrophani successerit

* *lege* Turco-Græcia

CXXX GREGORIUS III,

cognomento Melissenus *vel* Mammas.

Gregorius cognomento Melissenus vel Mammas

Hic ante patriarchatum multis annis vitam monasticam egit, ut ipsemet aperte declarat in suo Opere ad imperatorem Trapezuntium, ubi tomo 1 Græciæ orthodoxæ pag. 431 leguntur sequentia : *Ego porro pro certo confirmo excelsissimæ* C *tuæ majestati, et veritatem ipsam testor, me propensissimo animo esse, minimeque reluctari, e solio patriarchico dimoveri : neque enim umquam in mentem meam venerat (testemque advoco Deum) patriarcham Constantinopolitanum fieri, quinimo nec ante triginta annos episcopum, sed tantummodo in vita monastica immorari.* Postea factus est protosyncellus et imperatoris confessarius, quibus titulis usus est, dum nomine patriarchæ Alexandrini tertio loco post imperatorem concilio Florentino apud Labbeum tomo XIII col. 518 sic subscripsit : *Gregorius Hieromonachus, proto-syncellus, a confessionibus, locum tenens ejusdem apostolicæ sedis sanctissimi patriarchæ Alexandrini D. domini mei Philothei, subscripsi.*

quem schismaticus Syropulus ubique calumniatur,

1145 Syropulus in mendaci sua Historia concilii Florentini ubique hunc Gregorium livido dente petit; sed quo pluribus convitiis et calumniis schismaticus ille hunc virum onerat, eo magis nobis persuadet, ipsum sincero orthodoxæ fidei zelo præditum fuisse. Quamvis autem Syropulus tacuisset, de orthodoxia hujus Gregorii satis constaret ex ipsius scriptis, quæ posteritati reliquit. Inter illa Labbeus tomo XIII Conciliorum a col. 739 refert unum, cui ibidem talis titulus Græco-Latine præfixus est : *Gregorii hieromonachi, magni protosyncelli, et a confessionibus, qui postmodum creatus est patriarcha, et Romæ sepultus coruscavit miraculis, responsio ex variis Sanctorum sententiis ad epistolam Marci Ephesii.* Leo Allatius tomo 1 Græciæ orthodoxæ a pag. 419 Græco-Latine edidit alterum ejusdem opusculum, in quo Gregorius ostendit, additione illa *Filioque* ad Symbolum facta, nihil esse innovatum. De aliis ipsius lucubrationibus bibliographi inter se disceptant. Nunc pergimus ad demonstrandum Gregorii istius patriarchatum, quem Creyghtonus stupida temeritate inficiatur. D

æstate anni 1445 in locum Metrophanis defuncti substitutus est.

1146 Theodosius Zygomalas in Historia politica Constantinopoleos, quam ad Crusium misit, et quam hic suæ Turco-Græciæ inseruit, lib. 1 pag. 5 de patriarchatu Gregorii invenit sequentia : *Erat Constantinopoli pneumaticus quidam, vitæ sanctimonia præstans, nomine Gregorius Mamma, magni ducis compater. Hunc arreptum, patriarcham fecerunt invitum, ac renitentem renuntiaverunt. Sed is dissidium in dies longius serpere videns, expugnationemque urbis prædicens, se munere abdicavit, cum quidem illi ipsi suo compatri prædixisset,* E *filios ejus in conspectu ipsius ab Agarenis trucidatum iri; quod viri sancti vaticinium ipso posterius eventu comprobatum fuit.* Hæc Gregorii Catholici laudatio, quæ per schismaticas et hæreticas Zygomalæ et Crusii manus transiit, nemini potest esse suspecta. Porro synchronus Phranza chronologicum ejusdem Patriarchæ initium lib. 2 cap. 19 nobis ita circiter indicat : *Decimo septimo die Julii ejusdem anni* (videlicet mundi conditi 6953 vel Christi MCDXLV, quem proxime supra assignaverat) *toto orbe æstus immensus et memoratu dignus exstitit; qua æstate spiritualis pater imperatoris, Gregorius Melissenus patriarchatu donatus est.* Ex hoc scriptoris coævi testimonio patet, Gregorium in æstate anni MCDXLV ad sedem Constantinopolitanam evectum fuisse.

Hunc successionem Creyghtonus hæreticus impudenter negat,

1147 Interim Creyghtonus in supradicta sua præfatione explodit Crusium, Binium, aliosque, qui existimant, *hunc Mammantem et hieromonachum exstitisse, a confessionibus audiendis, et primicerium, et patriarcham Byzantinum, et Romæ sepultum, et post mortem miraculis inclaruisse; quæ tam falsa sunt,* inquit, *quam Deum non vivere : numquam Romæ commoratus est, nec ibi vel mortuus vel sepultus, quod nulla umquam historia* F *propalavit; numquam patriarcha creatus est, sed cum suis in patriam revectus, Metrophanem Cyzici præsulem aliorum suffragiis et ipsius Gregorii electum, ad eam dignitatem promoveri vidit, quemadmodum historicus noster in postremis sectionibus tam diserte et luculenter narrat, ut nefarium esset aliter sentire.* Hæc heterodoxus ille scribere non erubuit, mendaci suo Syropulo fretus, quem impie videtur divinis oraculis æquiparare, dum contra manifestam veritatem asserit, ea esse tam falsa, *quam Deum non vivere.* Sed nolo hic hominem, acerbiori castigatione dignum, pluribus exagitare, cum infra iterum evidenter erroris sit convincendus.

quem Whartonus tueri non audet, etsi dubitet de Romana Gregorii commoratione,

1148 Henricus Wharton in Appendice ad Historiam litterariam Guilielmi Cave nullum invenit duro huic nodo cuneum, et popularem ac symmystam suum Creyghtonum deserere coactus est, ut in Appendice citata pag. 81 satis indicat his verbis : *Me quidem nequaquam latet, virum minime ineruditum contendere, Metrophanem ante captam urbem sede motum non esse, nec Gregorium patriarchatum umquam obtinuisse. Verum Phranzæ auctoritas mille conjecturis hac in re prævalet, qui*

disertis

A *disertis verbis et Metrophanis depositionem et Gregorii evectionem tradit. Addit Phranza, Gregorium post annos aliquot patriarchatum abdicasse, et Constantinopoli anno* MCDLI *exsulis instar discessisse. Quo se contulerit, haud ita patet. Sunt qui Romam petiisse, ibique tandem sepultum miraculis inclaruisse volunt.* Cum Warthonus de Romana Gregorii commoratione hic modeste dubitet, libenter ipsum veritatem hujus rei edocebimus, et eadem opera imperitam Creyghtoni petulantiam retundemus.

quæ utrique isti heterodoxo ex testimonio Georgii Trapezuntii

1149 Primus Romanæ hujus commorationis testis est Georgius Trapezuntius, qui tomo 1 Græciæ orthodoxæ pag. 578 de Patriarcha illo adhuc vivente sic scribit : *Constantinopolitanus patriarcha, mens evigilans, pro salute gregis nimium solicitus, sacer vereque Gregorius et cum uno solo hoc ævi confessor et martyr* (hic Isidorum Ruthenum designat, ut ex sequentibus patet) *et exsilia et in iis ingruentes calamitates pro una unione ecclesiarum lætis animis amplexans, Romæ degit.* Deinde post pauca interposita in alias utriusque istius præsulis laudes ita excurrit : *In his libens* B *moras mihi creo, conspiciens dejectam nostram nationem horum duorum magnorum virorum facinoribus sublevatam. Qualis est enim horum operatio! Quanta munificentia! Ut est eorum apud omnes famosa hospitalitas! Omnium in admiratione est, quod, cum parvis sint opibus ac facultatibus præditi, nec beneficia ampla obtineant, imo nullum sanctissimus patriarcha, in erogandis tamen eleemosynis universos superant.* Hæc scriptor ille, qui propter nationis suæ calamitatem ex Græcia in Italiam confugerat, et forte de duobus istis orthodoxæ fidei defensoribus narrat ea, quæ ipsemet coram spectabat.

et Joannis Gobelini synchronum demonstratur.

1150 Alter ejusdem rei testis est Joannes Gobelinus, qui Pio II Papæ fuit a secretis, et gesta ejusdem Pontificis copiose conscripsit. Synchronus ille scriptor in supra laudatis Pii II Commentariis, qui Francofurti anno MDCXIV recusi fuerunt, lib. 11 pag. 300, meminit de *Gregorio patriarcha Constantinopolitano, qui anno, quo Mantuam itum est, non sine sanctitatis opinione Romæ obiit.* Haud dubie plures hujus commorationis testes inveniremus, si eos quærere liberet. Sed post tam diserta duorum coævorum testimonia C Creyghtonus nobis frustra ad ravim occinet : *Numquam Romæ commoratus est, nec ibi vel mortuus vel sepultus, quod nulla umquam historia propalavit; numquam patriarcha creatus est*, etc. Frustra etiam heterodoxis suis, ni fallor, persuadere conabitur, hæc tam falsa esse, *quam Deum non vivere.* Æqui rerum æstimatores judicent, utrum Creygthonus solus sapiat, et omnes viri doctissimi insaniant, ut ipse supra jactabat. Nunc videamus, quam ob causam et quo tempore Gregorius sedem Constantinopolitanam reliquerit.

Gregorius ille rebellioni schismaticorum cedens,

1151 Cum schismatis defensores post mortem Joannis Palæologi imperatoris quotidie majores turbas excitarent, et eorum rabies contra Patriarcham orthodoxum cresceret, videtur Gregorius furori illorum cessisse, ac sedem suam ultro deseruisse, ut ex supradicta Historia politica Constantinopoleos colligimus. Recentiores quidam contendunt, illum a schismaticis depositum et expulsum fuisse. Labbeus tomo XIII Conciliorum a col. 1365 refert quædam fragmenta Sophianæ pseudo-synodi, in qua schismatici col. 1366 decernunt, *pellendum solio Gregorium, substituendum Athanasium, qui a tribus præsulibus Macario Nicomediensi, Neophyto Nicæno, et Metrophano Cyziceno in patriarcham promovetur.* Sed Leo Allatius ibidem col. 1373 et sequentibus evidenter ostendit, hanc Synodum Sophianam ab impostore quodam schismatico recenter confictam esse. Nostra parum interest, utrum Gregorius ob insuperabilem schismaticorum pertinaciam sese munere suo abdicarit, an ab illis violenter dejectus fuerit; dummodo tempus hujus abdicationis aut expulsionis sciamus. SEC. XV.

urbem CP. anno 1451 deseruit, quem dum Nicolaus V Papa sedi suæ restitui vellet,

1152 Phranza lib. 3 cap. 3 indicat, hunc Patriarcham *mense Augusto* anni MCDLI, *instar exsulis*, ex urbe Constantinopolitana discessisse. Suspicor, id ineunte mense Augusto factum esse; quia Nicolaus V Pontifex jam exsilium illud noverat die XI Octobris, eodem anno, quando apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum MCDLI num. 2 inter alias auxilii ferendi conditiones Constantino imperatori hanc proponit : *Volumus, ut Patriarcham Constantinopolitanum ad sedem suam revoces, faciasque sibi ab omnibus talem et tantam reverentiam et obedientiam exhiberi, quæ merito suæ pontificali auctoritati debet impendi, ita ut non abjectus sacerdos, sed verus ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha teneatur, nec in spiritualibus* E *sine ejus consensu et auctoritate quisquam, quacumque præfulgeat dignitate, quidquam attentare præsumat*, etc.

assensit imperator Græcus, cum indigeret auxilio Latinorum;

1153 Constantinus his aliisque conditionibus assensit, ut Ducas coævus in Historia Byzantina cap. 36 testatur his verbis : *Imperator suppetias rogatum Romam jam antea miserat, ut etiam concordia Florentiæ reconciliata stabiliretur, inque magnæ ecclesiæ liturgiis Papæ nomen e sacris diptychis recitaretur, ad thronum etiam suum patriarcha Gregorius rediret; hortantibus etiam legatis, aliquos Papa mitteret, qui schismatis causa orta capitalia odia placarent. His Papa permotus, Poloniæ Cardinalem Isidorum, qui Russiæ archiepiscopus fuerat, misit; virum equidem prudentem ac modestum, in orthodoxis dogmatibus eruditum, et natione Romæum* (id est *Græcum*, ut alibi monuimus), *qui, ut jam diximus, pater eximius Florentino concilio interfuerat.*

sed illa qualiscumque unio, quam legatus Papæ conciliaverat

1154 Illustrissimus ille Romani Pontificis legatus mense Novembri anni MCDLII cum aliquot Latinis Constantinopolim appulit, ut laudatus Ducas ibidem narrat, tantumque inter varias schismaticæ plebis seditiones effecit, ut tandem mense F Decembri ejusdem anni MCDLII aliqua concordiæ species inita fuerit, atque inter nonnullos Græcos et Latinos convenerit, *ab Italis et Græcis in magna ecclesia liturgiam communem celebrari, commemorationem Nicolai Papæ in sacris diptychis atque etiam Gregorii patriarchæ tunc exsulantis fieri. Decembris die* XII, *anno mundi* VIMDCCCCLXI (id est Christi MCDLII) *sacra illa mystagogia celebrata fuit. Multi vero a sacris donis oblatis abstinuerunt, quod, illa liturgia concordiæ reconciliandæ celebrata, impurum ac abominandum sacrificium peractum existimarent. Cardinalis interea animos et corda, Græcorumque propositum explorabat ac rimabatur, quorum fraus ac dolus eum non fugiebant.*

nimis sera aut ficta fuit, quandoquidem Patriarcha ad sedem suam non redit,

1155 Laonicus Chalcocondylas lib. 8 de rebus Turcicis hanc postremam et qualemcumque unionem sic memorat : *Etiam Cardinalis Isidorus, Sarmatorum antistes, cujus ante meminimus, Græcis, penes quos ea tempestate erat, auxilio fuit : aderat enim, ut synodum congregaret, et Romano Pontifici Græcos reconciliaret. Hæc quidem paulo ante consecrat; at Græcis illa cum Romanis reconciliatio nimis sera exstitit.* Certe nimis sera fuit hæc qualiscumque concordia, quandoquidem Turcæ

post

SEC. XV.

post paucos menses urbe Constantinopolitana potiti sunt, antequam submissa a Pontifice Romano auxilia eo pervenire potuerint. Adde, quod hæc paucorum unio parum sincera fuisse videatur, cum laudatus Ducas cap. 36 asserat, plures huic concordiæ obstitisse, *ipsumque imperatorem ficte ac simulate illi adhæsisse.* Sed ad Patriarcham nostrum redeamus.

et interim Turcæ Constantinopolim interceperunt.

1156 Gregorius ad sedem suam non est reversus, quamvis Pontifex illam conditionem imperatori proposuisset, eamque imperator admisisset : nam adhuc exsulabat mense Decembri anni MCDLII, quando in dyptichis commemoratio ipsius, *tunc exsulantis*, facta est, ut supra citatus Ducas testatur. Forte reditum suum distulit, quia versatili Græcorum ingenio diffidebat, vel exspectabat reducem legatum Isidorum, ex quo statum ecclesiæ Constantinopolitanæ plenius cognosceret. Interea Turcæ Constantinopolim interceperunt, cui cladi Patriarcha noster circa sex annos superfuit : Romæ enim obiit eo *anno, quo Mantuam itum est*, ut supra ex synchronis Pii II Papæ Commentariis retulimus. At ex iis-
B dem Commentariis et communi Chronologorum consensu constat, istud iter Mantuanum anno Christi MCDLIX institutum fuisse. Nemo interim in loco ejus suffectus est usque ad captam ab infidelibus Constantinopolim, de cujus excidio ac novo dominio ad clariorem sequentium rerum notitiam hic nonnulla extra ordinem convenit observare.

PARERGON XI.

De pertinacia Græcorum in schismate, patriarchali administratione, et nonnullis patriarcharum catalogis post captam a Turcis Constantinopolim.

C

Ducas synchronus, et nobilis historicus Græcus

Cæca schismaticorum pertinacia, Turcis jam extremum Constantinopoli excidium minitantibus, indies crescere videbatur, ut synchronus Ducas conqueritur, qui cap. 37 Historiæ Byzantinæ de hac re sic scribit : *Aprilis ergo die sexta* (anno Christi MCDLIII) *parasceve post Pascha obsidione urbem cinxit Mehemetes. Constantinopolitani, a quo die in ecclesia magna facta est concordiæ reconciliatio, illam ut Judæorum synagogam refugiebant; nec in ea oblatione, holocausto aut incenso litabatur. Si quis sacerdotum divinam liturgiam die aliquo insigni celebrare voluisset, qui precabantur, quo usque ad oblationem sacrorum donorum ventum fuisset, adstabant; deincepsque omnes tam mulieres quam viri, monachi atque moniales exibant. Quid pluribus opus est? Templum illud pro delubro et ara gentilium, et sacrificium perinde ac Apollini factum æstimabant.*

refert vesanam schismaticorum cæcitatem, cum Turcæ urbi CP. imminerent,

1158 Deinde postquam in pervicaces illos recte intorsit quædam verba Isaïæ prophetæ, cœptam narrationem ita prosequitur : *Gennadius interim adversus henoticos* * *docere ac scribere singulis diebus non cessabat, et sapientissimum beatumque Thomam Aquinatem ejusque scripta, Demetrium etiam Cydonem hæresis arguere contendens, rationes syllogismosque adversus eos texebat. Conscius ei erat* D *operisque socius, e senatoribus primus Mesazon idemque dux magnus, cujus contra Latinos, magis vero contra ipsam urbem temeraria impudentia eo usque prorupit, cum Turcorum ingenti exercitu se peti viderunt Romæi, ut dixerit, Turcorum mitram ac redimiculum in media urbe dominari, quam Latinorum galerum regnantem conspicere, potius esse.* Superius eodem capite illustris ille scriptor affert plura schismaticæ hujus insaniæ exempla quæ legi merentur. At dementes illi non diu post voti sui compotes facti sunt, et maximo suo damno mitram Turcicam, quam pileo Latino prætulerant, tota urbe sua dominantem viderunt : cum enim Turcæ eodem anno MCDLIII, die XXIX Maii Constantinopolim vi occupassent, Græci ultricem Dei manum experti sunt, et dudum meritas perfidiæ ac pervicaciæ suæ pœnas dederunt.

* id est unitos

et cum Georgio Trapezuntio

1159 Hanc miserandam civium Constantinopolitanorum calamitatem schismati imputarunt prudentiores Græci, inter quos Georgius Trapezuntius tomo 1 Græciæ orthodoxæ pag. 577 in epistola ad Cretenses ita scribit : *Sed cum huc* E *deducta sit oratio, non possum memet continere, quin triste ejulans et lamentans, lacrymis opplear : quis enim nostras calamitates non deplorabit? Quis nostra infortunia, sive ut aptius (nescio an multum gratum) dicam, nostras incogitantias et supplicia meditans, in fletum non irrumpet? Actum jam est de Græcorum imperio; res ecclesiæ omnes penitus occiderunt, quod nos tamdiu in schismate perstitimus. Quis poeta hæc tragice enarrabit? Quis orator commemorabit?* Non est hic instituti nostri tristem Constantinopolis captæ faciem repræsentare, quam varii testes oculati vivis coloribus depinxerunt. Consuli possunt apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDLIII num. 5 et 6 litteræ Cardinalis Isidori, quibus apud Bzovium eodem anno num. 6 subjungitur epistola Leonardi Chiensis; ac præterea legi potest Chronicon Georgii Phranzæ; qui omnes cladem illam oculis suis conspexerunt.

excidium Constantinopoleos narrans,

1160 Eamdem Græcorum stagem litteris mandarunt varii scriptores synchroni, inter quos merito locum obtinet jam sæpe laudatus Ducas, qui in Historia Byzantina cap. 39 præter alia, quæ in hac Turcarum irruptione acciderunt, sequens F factum observatione nostra dignum sic narrat : *Omnes itaque viri, mulieres, monachi et moniales in magnam ecclesiam concursant; patres matresque familias sinu et ulnis infantes suos in illud templum gestantes, desertas domos suas reliquere; viamque eo ducentem hominum turba conserta plenam videre tum licuit. Quamobrem vero ad ecclesiam magnam omnes confugiebant? Ante multos annos a falsis quibusdam vatibus, sub Turcorum jugum urbem mittendam esse audierant, ipsosque in eam vi irrupturos, Romæosque trucidando, ad magni Constantini columnam usque processuros esse; ubi eo ventum foret, angelum e cœlo descensurum, qui strictum gladium, simulque imperium viro cuidam obscuro, tenui admodum ac egeno, columnæ illi insidenti, talibus affatus eum verbis, traderet : « Gladium hunc accipe et populum Dei vindica; » statimque terga daturos Turcas, quibus fugientibus Romæi, magna strage edita, instarent, illos urbe non solum, sed etiam ex Occidentis regionibus, ipsaque Anatolia ad locum usque Monodendrium dictum, in Persiæ finibus situm, expellerent. Hæc exitum habitura persuasi quidam, ad ecclesiam currebant, aliosque sequi hortabantur.*

1161

A

illud imputat schismaticæ Græcorum pervicacitati,

1161 Hac occasione Ducas populares suos schismaticos, inter quos præcipue erant monachi et moniales, ut supra vidimus, ibidem ita alloquitur : *Infelices ac miseri Romæi, templum illud, quod heri ac nudiustertius speluncam et altare hæreticoram appellabatis, quod nullus vestrum, ne pollueretur, adibat ob celebratam in eo liturgiam ab iis, qui concordiam ecclesiarum amplectuntur ; Deo nunc irato ac succensente, meritasque pœnas a vobis exigente, in illud, velut salutis portum, confugitis. Sed neque vindici justæ Dei iræ pœnas luentes, inter viscera vestra pacis cogitatione et desiderio commovemini. In tanta siquidem clade ac calamitate, si angelus cœlo adveniens vos ad hunc modum alloqueretur: Pacem et concordiam Ecclesiæ dummodo colatis et amplectemini, hostes urbe pellam; in eam conditionem haud consentiretis ; ad quam etiam adducti, ficte tamen et simulate id ageretis. Hujus sibi conscii sunt illi, qui paucos ante dies in Turcorum, quam Francorum, potestatem devenire, satius esse dicebant.* Post hæc auctor ille tragice describit, quomodo Turcæ imbellem illam turbam, variis opprobriis prius affectam, e templo S. Sophiæ in
B captivitatem abduxerint.

quæ quotidie crescit, ut recentiore

1162 Ceterum quod hoc loco Ducas de perfida schismaticorum duritia memorat, verissimum esse, eventus docuit : nam dura eorum cervix, tanto miseriarum pondere gravata, ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstandam flecti non potuit, et infelices Græcorum reliquiæ, quæ cladi Constantinopolitanæ superfuere, vindicem Dei manum et veram calamitatis suæ causam agnoscere noluerunt. Quinimo videtur odium schismaticorum contra Latinos eorumque ritus cum ipso tempore crevisse : nam R. P. Joannes Baptista van Ketwigh, ex sacro Prædicatorum Ordine, qui multas Orientis regiones peragravit, in thesibus theologicis, quas Lovanii anno MDCCXIX publice impugnandas proposuit, pag. 14 et sequente horrendum istius odii exemplum narrat his verbis : *Accidit circa annum* MDCLXXXVIII *in insula et civitate Chiensi, tribus non plus annis ante meum ibidem adventum, ut quidam Georgius Muzzala, civis Chiensis (inter Græcos schismaticos non minus rabiosa in Ecclesiam Latinam malitia, quam perspicaci versutia famosus, ea de causa vulgo* FOSTINARA, *id est* SPLENDOR, *nuncupatus) mentis suæ*
C *sacrilegæ probam daret. Is namque satanæ filius volens amicos suos, quos Bacchanaliorum tempore ad convivium invitaverat, oblectare, aiebat, se illis pro Bacchanali comœdia Missam Latinorum jucunde repræsentaturum.*

ac tragico exemplo declaratur.

1163 *Itaque sacerdotalibus indutus vestibus, omnique exteriori adhibito apparatu, cunctas cæremonias (in quibus apprime versatus erat) impius mimus sub cachinnali præsentium applausu peragebat. Ast ubi ad mimicam communionem ventum erat, dum inter alias puellas, prævie ab ipso admonitas et instructas, filiæ suæ particulam chartaceam porrigeret* (ita scilicet impius histrio panem azymum Latinorum imitabatur ac ludibrio exponebat) *derepente una cum aliis (Deo vindice,) a sævissimo dæmonio correpta, se ipsam dilaniabat; atque hoc modo illa sacrilega comœdia in horribilem justamque tragœdiam versa est.* Post hæc eruditissimus ille sacræ theologiæ licentiatus, et apud PP. Prædicatores Antverpienses studii generalis Regens primarius, merito de hujusmodi Græcis pronuntiat : *Ad hunc impietatis excessum ascendit gens illa perfida, Ecclesiæ Romanæ implacabilis magis inimica, quam infidelis Mahometana.* Franciscus Richardus noster in Historia insulæ Santerini cap. 18 et 24 narrat plura vindictæ divinæ exempla, quæ sua ætate contigerunt. Sed pervicaces illi neque diuturnis calamitatibus erudiuntur, neque manifestis miraculis convertuntur. Jam revertamur ad orthodoxos ejusdem nationis viros, qui in hac clade Constantinopolitana ultricem Dei manum agnoverunt, et hoc gentis suæ excidium schismati adscripserunt.

Josephus præsul Methonensis

1164 Josephus Methonensis in Defensione quinque capitum, quæ in sancta et œcumenica Florentina synodo continentur (passim istud opus sub nomine Gennadii Scholarii, patriarchæ Constantinopolitani, perperam editum est, ut postea ostendere conabor) quem Fabius Benevolentius anno MDLXXIX typis Romanis vulgavit, cap. 5 sect. 15 tristem Græcorum ruinam schismati imputat, eosque ad pœnitentiam ita hortatur : *Imprimis ergo (ut inde initium sumam) in memoriam revocate, fratres et patres, qualisnam et quanta exstiterit nostra natio : fuit enim quondam sapiens, clara, generosa, prudens, fortis, et quæ omnem terram suo subjecerit imperio. Præterea virtutis studio et sanctitate omnes gentes est supergressa ; jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis, et (ut uno verbo* E
dicam) velut spongia hausit omnem virtutem, Deo semper accepta.

ruinam nationis suæ

1165 *At in præsentia (proh dolor!) omnia interciderunt. Constantinopolis capta est; cujus rei solum recordatione cogor prorumpere in verba cum clamore et ejulatu, et ultimum effundere spiritum. Qua urbe expugnata, aræ sunt profanatæ, templum conculcatum, magna sanguinis effusio consecuta, pollutæ moniales, virgines corruptæ, caput infantibus abscissum ; impiorum manibus principes occiderunt, monachi sacri, sacerdotes, præpositi, viri, feminæ, connubia sunt divulsa, sacra vasa confracta, imagines ornatissimæ conculcatæ sunt, ac sputis conspurcatæ. O me miserum atque infelicem ! Quis poterit umquam tantam cladem deplorare, et verbis acerbum casum exprimere? Heu ! ubi regius apparatus et comitatus? Ubi ordo palatii et disciplina? Ubi tot principum examen? Ubi scholæ sapientiæ? Væ mihi misero! Ubi patriarchalis administratio, ubi ornatus ecclesiæ? Ubi tantus et talis sacrorum monachorum ac non sacrorum ordo, chorus, ac numerus? Ubi monachorum et monialium ordines? Ecce, nonne cuncta sunt a Mahomete absorpta? Nec tantum in* F
ipsa urbium regina ea mala obvenere, verum etiam in subjectis regionibus plura ac deteriora, perque singulos dies hæc apertis oculis intuemur et intelligimus.

lamentabili oratione deplorat,

1166 *Quamobrem ergo hæc? Vel vos mihi dicite per Dominum. Si dixeritis, ut dicere consuestis, ob nostra delicta hæc evenisse, non ita se res habet. Ego dicam : quoniam non magis nos, quam ceteræ Christianorum gentes, nostris criminibus Deum irritamus : sunt enim et aliæ nationes magis sceleribus et peccatis obnoxiæ. Quomodo non affliguntur, ut nostra infelicissima et miseranda natio? Væ mihi misero! Alius ex alio subinde fio, cum ad hæc animum converto, et cor meum conturbatur, et spiritus meus æstuat, quia Judæorum gens, quæ duo crimina commisit, secundum Prophetam dedit pœnas: Duo enim mala fecit, inquit, primogenitus meus filius Israel. Me dereliquit fontem aquæ vivæ, et effodit sibi cisternam dissipatam. Et sancta Ecclesia : Me in ligno crucifixerunt; Barrabam vero postulaverunt et liberarunt.*

et ostendit, calamitatem illam adscribendam esse schismati.

1167 *Primum igitur, cum idolis inservisset, in captivitatem abductus est in Mediam et Babylonem. Secundo, cum crucifixissent Dominum nostrum et Deum, profecti sunt captivi in omnes gentes ; nostra*

SEC. XV.

vero natio (pròh infortunium, proh dolor!) neque idolis servivit umquam, neque Dei Filium crucifixit. Qua de causa tam acerbe vexatur? Sed non solum eadem, verum etiam multa pejora, quam impii Judæi perpetitur : ii namque in servitutem abducti, omnium gentium facti sunt servi, ut omnibus invisi et Dei hostes; hi vero non solum gentium facti sunt servi, sed et Judæis ipsis, qui sunt servi omnium gentium. O meam calamitatem! Nonne reliquum est plorare et lamentari, ac disquirere causam, et videre, propter quæ patimur hæc? Ego vero aliam causam non possum invenire (neque enim virtute, nostra natio ceteris gentibus pejor est; imò vero melior : nam dictum est, vereque dictum, nationem nostram omnes nationes virtute et moribus antecellere) nisi schisma, et quod se subtraxerit ab obedientia et subjectione Romanæ Ecclesiæ. Eam et solam discerno esse causam interitus nostræ gentis; quia postquam ab ea divisi sumus, maledictionem accepimus, et patimur, quæ nos patimur. Nec ideo pœnitet nos; sed deteriores evadimus, et maledictis impetimus ipsam Ecclesiam; dicenda et tacenda adversus eam impudenter evomimus.

B

in quo plerique Græci adhuc pertinaciter perseverant.

1168 *Quamobrem, fratres mei per Christum, desperationem omittamus; accedamus veræ Christianorum unioni; agnoscamus peccata nostra, ne pejores Judæis evadamus, neve falsa suasione, malitia et præsumptione ita aures obstruamus, ut nec audiamus, nec intelligamus.* Post pauca præsul Methonensis narrat, se interfuisse disputationibus cujusdam monachi schismatici, quæ habitæ sunt Constantinopoli cum legato Pontificis de primatu Papæ, ubi legatus publice prædixit brevi secuturam Græcorum ruinam, nisi schismati renuntiarent. Sectione autem præcedente scriptor ille etiam allegat litteras Nicolai V Papæ, in quibus Pontifex anno MCDLI sub eadem conditione instantem Constantinopolitani imperii eversionem prænuntiavit. Sed tam præviæ hujusmodi comminationes, quam posteriora virorum orthodoxorum monita obstinatos Græcorum animos non commoverunt : plerique enim post tam rigidum justitiæ divinæ flagellum, Judæis non absimiles, noluerunt præcipuam infelicitatis suæ causam fateri, ac suavi Ecclesiæ Romanæ jugo superbum collum submittere. Maluerunt itaque servili schismatis defendendi libertate frui, et sub dira Turcarum tyrannide retinere umbraticam quamdam schismaticæ ecclesiæ administrationem, de qua nobis nunc agendum est.

C

Cum Constantinopolis a Turcis expugnata esset

1169 Cum Mahometes post expugnatam ac direptam Constantinopolim videret, urbem illam fuga et cæde civium exhaustam esse, eamque vellet frequentem reddere, promiscue Mahometanos et Christianos ad ipsam incolendam invitavit. Quo autem Græcos facilius ad illam habitationem alliceret, concessit ipsis potestatem eligendi patriarcham, quem veteri ritu et magna pompa inaugurari voluit, variisque privilegiis donavit, ut Phranza lib. 3 cap. 19 fuse explicat, qui ibidem de Mahomete illo sic addit : *Hic ergo sceleratissimus, Christianorumque mala pestis et versipellis ac vulpes hæc fecit; non quod benedictionem inde sibi quæreret, aut alioqui natura tam miti esset; sed ut Christiani, ejus promissis auditis, in urbem confluerent, eamque incolerent, quæ ob quotidianas direptiones (et præsertim dum caperetur) deserta evaserat. Et ita factum, congregatique sunt Christiani nonnulli. Paulo post etiam colonias, quas Turcæ sua lingua* surgunides *nominant, e Capha, Trapezunte, Synopio, Asprocastro eo deduxit. Sic eam civibus denuo implevit.*

D

Mahometes imperator Græcis patriarcham eligere antiquo more permisit,

1170 Historia patriarchica Constantinopoleos, quam Martinus Crusius heterodoxus Græco-Latine edidit, lib. 2 Turco-Græciæ pag. 107 occasionem instaurati a Mahomete patriarchatus Constantinopolitani ita exponit : *Illo tempore, quo Turcicus rex Mechemeta hanc urbem Constantini expugnavit, numerabantur anni a nato Christo mille quadringenti quinquaginta tres, ipsa urbe,* XXIX *die Maii, feria tertia (die Martis) capta. Tunc ille scivit, Romanis seu Græcis semper fuisse patriarcham; propterea quod hac in urbe, antequam eam cepisset, ipse majorem temporis partem exegerat, patre ipsius Murata Adrianopoli dominante. Norat itaque res Romanas et ordinem gubernationemque Romanorum probe et exacte. Proinde mirabatur, quid causæ esset, quod patriarcha non veniret ad se suppliciter honoris causa pro domino agnoscens, iraque commotus cogitabat, quid hoc rei esset; ac continuo accitis ecclesiasticis viris dixit : Ubi est, qui patriarchæ munus gessit? Quare non accessit, ut mihi, tamquam regi, reverentiam debitam exhiberet? Hæc Sultanus : magna enim ejus animum incesserat cupido videndi patriarcham, et cum eo de religione colloquendi, ut ex eo quærens res divinas cognosceret.*

E

ut eam urbem incolis frequentiorem redderet;

1171 *Tunc responderunt ei clerici illi : Jam a longo tempore non habemus patriarcham; qui enim patriarcha fuit, sua sponte adhuc vivens sedem suam reliquit, et ab eo tempore nullum alium suffecimus.* His verbis haud dubie clerici illi indicabant Gregorium, qui anno Christi MCDLI propter assiduas schismaticorum seditiones ex urbe Constantinopolitana discesserat, ut supra diximus. Historia Politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 14 et 15 causam hujus apparentis benevolentiæ et concessæ facultatis sic detegit : *Id ab eo callide factum, ut hac fama ad Græcos, qui ubivis locorum essent, perlata, in urbem congregarentur : quippe hoc ei studio erat, ut multitudine hominum eo confluente, per omnes suas partes urbs frequens cultaque fieret.* Cum Græci talem licentiam ab imperatore Turcarum accepissent, elegerunt quemdam Gennadium, qui antea Georgius Scholarius appellabatur, et de quo plura post hoc parergon dicenda occurrent. Tum auctor ejusdem Historiæ Politicæ ibidem exponit, quibus cæremoniis Sultanus patriarcham inauguraverit, et quanto honore ipsum affecerit.

a quo tempore Græci jugum aggravant,

F

1172 Forte miseri Græci sperabant, perpetuam fore hanc Turcarum lenitatem; sed eos vana spes fefellit, ut quotidiana discunt experientia, et satis indicat Leo Allatius, qui de recentiori patriarcharum dignitate, seu potius servitute, lib. 3 Consensionis cap. 8 num. 2 sic disserit : *Patriarcha supremam omnium potestatem habet; eum, dum Christiani regnabant imperatores, eligebant episcopi, et consecrabat Heracleensis. Exciso imperio, et malis Simonis Trapezuntii artibus, qui corrogata pecunia prius patriarchatum emerat, Turca patriarcham nominat; nominatio ab episcoporum synodo approbatur et cæremoniis nonnullis peractis, ab eodem Heracleensi ordinatur, uti et antea sueverat : quemadmodum enim Græci imperatores, arbitratu suo, soli et sine alio episcoporum consensu, patriarchas ponebant, deponebant, et cum liberet, reponebant, quod contra canones fuisse, nec ipsi imperatores negabant; ita hoc quoque tempore fit : nam Turca, suo arbitratu, ampliori pecuniæ patriarchatum concedit, adimit, restituit; neque finis ullus calumniarum, dissidiorum ac contentionum est, ut hac ætate multo plures patriarchæ, quam umquam alias, inaugurentur, quorum machinas recensere, historiam esset scribere.*

et eorum se præsules sæpe invicem expellunt,

1173 Ex hac frequenti patriarcharum mutatione oritur interdum nonnulla temporum ac personarum confusio, ita ut Bandurus in Præfatione ad tomum 1 Imperii Orientalis pag. 12 affirmet, sese Græco-Latine edidisse recentiorem patriarcharum Constantinopolitanorum catalogum, sibi ab eruditissimo Renaudotio communicatum, *tum quia accuratissimus videtur, et nullus alius editus exstat, qui ad hæc usque tempora seriem illius ecclesiæ patriarcharum exhibeat; tum etiam quod pernecessarius visus est ad detegendos variorum scriptorum præcipue heterodoxorum, errores in quos passim prolapsi sunt, dum horum posteriorum patriarcharum meminerunt; sæpe plures patriarchas ejusdem nominis pro uno accipientes, vel ex uno plures confingentes : id autem hinc factum est, quod et plures viri ejusdem nominis haud multo temporis intervallo illam sedem obtinuerint, et sæpe idem patriarcha, ab illa sede pulsus, pluries ad eamdem occupandam revocatus fuerit.* Cum itaque sub imperio Turcico non soleat esse diuturna patriarcharum gubernatio, nos deinceps tam scrupulosam chronologiæ rationem non habebimus, tum quod vix sit operæ pretium, et subinde ex adjunctis illa præterpropter colligi possit, tum quod tempus administrationis interdum non exprimatur. At saltem rectam eorum seriem ordinare conabimur, collatis inter se variis catalogis, de quorum collectoribus nunc aliquid præmonendum est.

quod non dissimulat Emmanuel Malaxus,

1174 Primus est Emmanuel Malaxus Peloponnesius, qui patriarchas Constantinopolitanos ab urbe capta, seu anno Christi MCDLIII, usque ad sua tempora, sive annum MDLXXVIII, Græco-barbare recenset. Martinus Crusius lib. 2 Turco-Græciæ edidit Græco-Latine patriarchicam hujus scriptoris Historiam, cui ibidem præmittitur Historia politica Constantinopoleos, in qua res gestæ ab anno MCCCXCI usque ad MDLXXVIII narrantur, et quam Casimirus Oudinus ob styli similitudinem aliasque conjecturas eidem Malaxo adscribit. At quisquis sit hujus Operis auctor, nos istud sub titulo Historiæ politicæ citabimus, et utramque illam historiam cum aliis eorumdem patriarcharum catalogis conferemus. Porro sequentem patriarcharum seriem ex hac Historia aliisque ita transcribemus aut contrahemus, ut lectorem udmonituri simus, si aliqua majoris momenti differentia occurrat, aut aliud quidpiam singulari observatione dignum videatur.

scriptor schismaticus, in Græco-barbara patriarcharum historia,

1175 Si quis scire cupiat, qualis fuerit iste Emmanuel Malaxus, qui ab altero seniore ejusdem nominis et cognominis scriptore Græco distinguitur, adeat Martinum Crusium in Annotationibus Turco-Græciæ pag. 185, ad quem Stephanus Gerlachius anno Christi MDLXXVIII inter alia Constantinopoli de Malaxo illo, adhuc vivente, sic scribit : *Est is admodum senex; pueros et adolescentulos Græcos sub patriarcheio in parvula et misera casa docet*; *pisces siccatos in ea suspensos habet, quibus vescitur ipse coquens; libros pretio describit; vino, quidquid lucratur, insumit; pinguis et robustus est.* Postea anno MDLXXXI Crusius aliis litteris certior redditus est de morte Malaxi, ut ipse ibidem testatur. Theodosius Zygomalas lib. 1 Turco-Græciæ pag. 96 de fide, quæ huic scriptori adhibenda est eumdem Crusium sic monet : *Observa quoque hoc, Malaxum in iis, quæ ex multis collecta conscripsit, non per omnia veritatem sequi : interdum enim ad gratiam loquitur, nonnumquam ex odio.* Deinde id exemplo quodam probat, de quo nos infra agemus. Adde, quod Malaxus ille fuerit schismaticus, cujus rei juverit meminisse, quando postmodum patriarchas ejusdem schismatis consortes laudibus extollet, ac titulo sanctitatis exornabit.

Sæc. xv.

quam deinceps partim exscribemus, ut schismaticos pudeat dissentionis suæ.

1176 Nemo miretur, quod hanc lucubrationem, ab auctore schismatico exaratam, et ab editore hæretico annotationibus magis contaminatam, imposterum exscribere velimus : nam schismaticos confundere et Catholicos confirmare debet hæc ipsa Historia, de qua Gretserus noster in Observationibus ad Codinum lib. 3 cap. 14 pag. 260 tale fert judicium : *Postea etiam usque ad hæc nostra tempora vix umquam pax schismaticis cum schismatico patriarcha fuit. Semper suppullularunt æmulationes, invidiæ, et occultæ machinæ ad hujus vel illius exitium ; ut mihi videatur non sine consilio divino edita esse in Turco-Græcia Historia politica, et ecclesiastica, seu patriarchica rerum Constantinopolitanarum, ex qua perspicue elucet, schismaticos non modo cum supremo Catholicæ Ecclesiæ Capite per charitatem conjunctos non esse, quod per se liquet; sed nec inter se, cum sub gravissima infidelium servitute mutuo se miris cuniculis infestent, et modo hunc, modo illum, in patriarchalem thronum Turcarum ope sublevent.* Porro per decursum experiemur, quam verum sit istud Gretseri judicium, quod etiam confirmant recentiores Græci, qui post Malaxum scripserunt, et turbulentas illas schismaticorum turbas non dissimularunt. Nos interim nonnulla istorum scriptorum opuscula recensere non gravabimur.

Post Malaxum Matthæus Cigala,

1177 Postea Matthæus Cigala eamdem patriarcharum Constantinopolitanorum seriem usque ad sua tempora perduxit, quam Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis inseruit, et de qua in præfatione tomi primi lectorem ita præmonet : *Quartum locum tenet catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum ex nova variarum historiarum Synopsi Matthæi Cigala a nobis descriptus ; quem quidem, quod sit diversus ab aliis, Latinum fecimus, atque hic edidimus. Desinit autem hic catalogus in Neophytum illum, qui ex Heracleensi episcopo creatus fuit patriarcha Constantinopolitanus anno Christi* MDCXXXVI. Quam crasse Matthæus ille in antiquioribus patriarchis erraverit, maxime ab Athanasio usque ad captam a Turcis Constantinopolim, jam aliquoties supra diximus. Similes errores etiam commisit alter ejusdem temporis scriptor Græcus, de quo nunc pauca præfabimur.

Philippus Cyprius,

1178 Is est Philippus Cyprius, ecclesiæ Constantinopolitanæ protonotarius, qui patriarchas Constantinopolitanos usque ad annum Christi MDCXXXIX recensuit. Hunc Philippi Cyprii libellum Nicolaus Blancardus, in academia Franekerana Juris ac historiæ professor, primo typis vulgavit. Deinde anno Christi MDCLXXXVII Henricus Hilarius Lutheranus eumdem libellum recusum notis hæreticis auxit ac conspurcavit. Denique illum Philippi protonotarii catalogum tomo 1 Imperii Orientalis a pag. 218 Græco-Latine edidit Anselmus Bandurus, qui etiam tomo 1 ejusdem operis a pag. 1000 in lucem protulit alterum catalogum, in quo patriarchæ Constantinopolitani ab anno Christi MDXCIV ultra annum MDCCII enumerantur.

et anonymus Græcus usque ad nostra tempora

1179 Ceterum Bandurus tomo proxime citato pag. 999 de recentioribus hisce catalogis sic disserit : *Quia, ut supra monuimus, de patriarchis, qui post captam Constantinopolim sederunt, loqui ad nos non spectat, cum propositum sit res Constantinopolitanas ad imperii Græci eversionem prosequi, ideo catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum*

Matthæi

SEC. XV.

Matthæi Cigala, qui ad annum Christi MDCXXXVI *seriem illorum perducit, et alter Philippi Cyprii, qui in annum* MDCXXXIX *desinit, nostris commentariis illustrabuntur. Verum quilibet lector hosce catalogos conferre poterit, quantum ad seriem patriarcharum, qui post captam a Turcis urbem sederunt, cum historia patriarcharum Constantinopolitanorum Emmanuelis Malaxi in Turco-Græcia Crusii, quæ desinit in annum Christi* MDLXXVII.

texuerunt breves patriarcharum CP. catalogos, quibus in decursu utemur.

1180 *Ceterum cum hæc ultima folia typis ederentur, obtulit nobis abbas Eusebius Renaudotius, vir inter doctissimos celeberrimus, nostrique amantissimus, et cui plurimum debemus, catalogum, seu potius synopsim patriarcharum Constantinopolitanorum, non multo ante Constantinopoli ad se missum. Hic porro catalogus descriptus fuit ex codice ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarchalis, et seriem illius ecclesiæ patriarcharum exhibet ab anno Christi* MDXCIV *ad annum* MDCCII. *Hunc autem catalogum cum interpretatione Latina ac notis brevioribus ejusdem doctissimi viri hic edere visum est.* His clarioris intelligentiæ causa præmissis, cœptam patriarcharum seriem prosequemur, et jam laudatos recentiorum scriptorum catalogos inter se
B
conferemus.

CXXXI GENNADIUS II, antea dictus Georgius Scholarius.

Anno 1453 expugnata a Turcis Constantinopoli,

Historia Politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 15 narratis iis, quæ superius de capta a Turcis Constantinopoli, et postmodum concessa patriarchæ eligendi facultate retulimus, electionem hujus Gennadii ita describit : *Hac potestate igitur accepta, philosophum delegerunt Georgium Scholarium, assessorem regii judicii, virum sanctum et pium. Hunc vetere ritu producentes, patriarchæ muneri præfecerunt, mutato ejus priore nomine* (alii probabilius putant, hanc nominis mutationem factam esse, quando prædictus Georgius Scholarius antea vitam monasticam amplexus fuit) *in Gennadii nomen.*

Græci permissione Mahometis patriarcham elegerunt Gennadium,

1182 *Ei subjectæ tunc fuèrunt tum omnes Constantinopoleos ecclesiæ, tum ceteræ, quæ (erant) in provinciis, eadem, quam antecessores ipsius antistites habuerant, potestate permissa : quem cum in*
C
regiam ad se Sultanus vocasset, suis ei manibus pastorale pedum magni pretii dedit, baculum nempe argenteum inauratum artificiose factum; dedit et equum bonum, et certam aureorum summam, his verbis additis : « Quod faustum ac felix sit, esto patriarcha, et utere nostra amicitia, in quibus rebus voles, habens omnia jura privilegiaque, sicuti superiores ante te patriarchæ habuerunt. Habe quoque templum sanctorum Apostolorum domicilii loco. » Ita id tunc accepit, et patriarchicam ibi sedem collocavit : templum enim sanctæ Sophiæ, quod antiquitus patriarcharum domicilium fuerat, Agareni sibi vendicarunt. Tum ibidem fuse narrat, qua occasione Gennadius ex illa habitatione in alteram Pammacaristæ seu Deiparæ migravit; sed nos eam migrationem, utpote levioris momenti rem, et ad institutum nostrum nihil spectantem, hoc loco omittimus.

qui poscenti Turcarum imperatori

1183 Deinde auctor Historiæ Politicæ pag. 16 refert, quomodo novus Patriarcha articulos fidei Christianæ Sultano poscenti et liberam disserendi facultatem concedenti exposuerit. Sed cum illa narratio hoc loco prolixior sit, eam transcribimus ex Historia Ecclesiastica, ubi lib. 2 Turco- D
Græciæ pag. 109 paucioribus verbis sic explicatur : *Eo tempore idem Sultanus ipsemet intravit patriarcheium; cumque in templum Pammacaristæ venisset, in sacellum ejus ingressus est (quo in loco hodie armarium rerum sacrarum est) et cum patriarcha Gennadio clementer sermones contulit. Tunc omni metu posito, universam ei Patriarcha veritatem fidei Christianæ aperuit, scripsitque pro numero quæstionum ejus capita viginti, quæ singula inferius ordine sequuntur, sententiaque eorum perspicitur, quæ et dedit ipse Sultano.* Tum ibidem subjiciuntur hæc omnia capitula cum Turcica seu Turco-Arabica interpretatione, quam Achmat, Berrhœæ præfectus, eo tempore coram imperatore Turcarum fecit.

quosdam Christianæ fidei articulos explicuit,

1184 Post hanc Christianæ fidei expositionem auctor Ecclesiasticæ historiæ ibidem pag. 119 subdit sequentia : *Tunc Sultanus hisce ex ore patriarchæ auditis, et in scripto etiam acceptis, magnopere admiratus est illius divinarum rerum cognitionem atque sapientiam, certusque de religione Christiana factus est, totam esse verissimam, et mysteria ejus non modo vera, sed etiam mirifica, nullum his subesse dolum, sed puritate et splendore vin-* E
cere aurum. Hinc amore prosecutus est gentem Christianam, benignoque eam aspexit vultu. Hac de causa, edicto proposito, gravia minatus est illis, quicumque molestarent, aut calumniarentur aliquem Christianorum, in eosque graviter animadverti jussit. Nec ipse solum Sultanus diligebat Christianos, sed cuncti etiam Turcæ (qui ipsorum lingua Musulmani, hoc est circumcisi appellantur) propter edictum regium. Enimvero magno gaudebat opere oblectabaturque Sultanus, quod se talis nationis dominum regemque fieri contigisset.

et ultro sedem CP. abdicavit, postquam eam tenuerat quinque annis,

1185 Denique auctor ibidem pag. 120 tempus et finem patriarchatus ipsius ita indicat : *Ceterum patriarcha Gennadius in sublimi magnæ sanctissimæque Christi ecclesiæ throno annos quinque et aliquot menses egit. Tunc multis magnisque dissidiis exortis, concilium convocavit pontificum, clericorum, optimatum, cunctorumque Christianorum, in quo se patriarchico munere abdicavit. Adhortabantur quidem pontifices ipsum et ecclesiastici viri, populusque cunctus ad manendum ; sed prorsus ipse noluit audire; verum abdicationem suam in codice magnæ ecclesiæ inscripsit. Dein, rebus suis acceptis, recte se in monasterium divi Prodromi, in monte Menœ-* F
cæi prope Serras situm, contulit, ibique bona pace mortuus cum hoc caduco mundo cœleste Dei regnum commutavit.

quibus Matthæus Cigala et Philippus Cyprius menses sex superaddunt

1186 Matthæus Cigala apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 215 de eodem Patriarcha breviter meminit, et non tantum quinque annos, sed etiam determinatos administrationis ejus menses ita expressit : *Ad patriarchatum evectus est sapientissimus vir Georgius Scholarius, cui Sultanus sua manu sceptrum judiciale ac pileum donavit ceteraque alia beneficia, quæ priores patriarchæ ab Romanis imperatoribus obtinuerant. Is ergo primus patriarcha post captam Constantinopolim fuit, cumque annos* V *menses* VI *sedisset, abdicatus est.* Philippus Cyprius apud eumdem Bandurum tomo citato pag. 225 similia habet, et eosdem administrati patriarchatus annos ac menses computat. Hæc hactenus plana sunt, neque ullis difficultatibus obnoxia; sed inter eruditos disputatur, quis fuerit iste Gennadius patriarcha, antea dictus Georgius Scholarius, et varii ad solvendum hujus intricatæ quæstionis nodum in diversas sententias abeunt, ut jam dicemus.

1187

A

Aliquibus duplicem ejusdem temporis Gennadium distinguentibus,

1187 Matthæus Caryophilus in observatione prævia ad orationes Georgii Scholarii apud Labbeum tomo XIII Conciliorum col. 542 et sequentibus, duos Georgios Scholarios distinguit. Leo Allatius lib. 3 Consensionis cap. 5 multis argumentis contendit, duos Georgios Scholarios admittendos esse, quamvis in quibusdam adjunctis a Caryophilo dissentiat, ut ipsemet ibidem num. 2 testatur his verbis : *De illis inter me et Caryophilum convenit, duos fuisse et eodem tempore Georgios Scholarios utrosque cognomento, non indoctos neque ineruditos ; verumtamen non uno animo, nec eorumdem defensores ; sed sententiis et voluntatibus discordes : hic Latinos, ille Græcos ad extremum usque spiritum oppugnavit. Bene. Quoad cetera non assentior Caryophilo.*

Spanhemius unicum dumtaxat admittit, qui semper Latinis restiterit,

1188 Fridericus Spanhemius, heterodoxus in academia Lugduno-Batava professor, unicum dumtaxat Georgium Scholarium seu Gennadium agnoscit, qui postea factus sit patriarcha Constantinopolitanus, et qui Latinis neque in synodo Florentina, neque post eam synodum, umquam faverit. Hinc censet omnia Georgii Scholarii opuscula, quæ in favorem Latinorum producuntur, B perperam ei adscripta esse, illumque semper ritibus et opinionibus Græcorum constanter adhæsisse. Non inficiamur, aliqua scripta orthodoxa, quæ sub nomine Georgii Scholarii circumferuntur, aliis Græcis auctoribus verosimilius tribuenda esse ; sed evidentioribus argumentis demonstrandum esset, ea omnia esse spuria atque ipsa concilii Florentini Acta fuisse corrupta, priusquam opinionem illam heteroclitam sequamur.

et quem Renaudotius unioni prius faventem ac postea eidem adversantem statuit,

1189 Denique Eusebius Renaudotius in erudita Dissertatione ad Gennadii homiliam, quam anno MDCCIX Parisiis edidit, aliam init viam, et admittit unicum Georgium Scholarium, qui prius unioni favit in concilio Florentino, ac postea Constantinopolim reversus, exemplo aliorum Græcorum eamdem impugnavit. Hic quoque juxta ipsius sententiam deinde monachus factus, nomen Gennadii suscepit, ac denique cathedram Constantinopolitanam ascendit. Hæc autem omnia tam facile explicat, et adeo solidis argumentis testimoniisque confirmat, ut eam opinionem, tamquam probabiliorem, omnino amplectamur. Non tamen hoc loco rationes illius referemus, aut singulas C adversariorum objectiones dissolvemus, quia disputatio ista nimium excurreret, et ea omnia apud ipsum Renaudotium in laudato Opere a pag. 37 legi possunt.

quæ ultima opinio contra Oudinum argumento ad hominem probatur,

1190 Neque hic curamus dicteria Casimiri Oudini, qui in Commentario de scriptoribus ecclesiasticis tomo 3 col. 2471 contra Renaudotium impotenter debacchatur. Nempe apostatam illum pupugit, quod Renaudotii argumentis convictus, in controversia de Eucharistia seu transubstantiatione hunc Georgium Scholarium sive Gennadium inter Græcos Λατινόφρονας, id est *cum Latinis sentientes* numerare non potuerit. Certe hunc furentem apostatam offendere non debuit opinio, qua Renaudotius eumdem Gennadium inter fautores et impugnatores orthodoxorum recenset, cum manifestum hujus rei exemplum in se ipso habeat : nam in epistola dedicatoria et præfatione, quas Oudinus Supplemento scriptorum ecclesiasticorum præfixit, omnes hæreticorum sectas exsecratur, et illustrissimum præsulem Rhemensem ob expulsos Calvinistas laudat. At in Commentario scriptorum ecclesiasticorum, quem postea tribus voluminibus edidit, ubique Calvinistas defendit, et Ecclesiam Romanam calumniatur. An propterea posteri duos Casimiros Oudinos, unum Catholicum, alterum vero hæreticum, recte inter se distinguent ? Sec. XV.

et contra Allatium altero exemplo confirmatur.

1191 Facile itaque intelligitur, quomodo unus idemque scriptor possit orthodoxæ doctrinæ favere et adversari. Attamen hoc paradoxo præcipue motus fuisse videtur Allatius, ut duplicem Georgium Scholarium sive Gennadium adstrueret. At meminisse debuisset eorum, quæ antea lib. 2 Consensionis cap. 17 num. 3 sic scripserat : *Hinc plane nugari videntur, qui, cum non intelligant, quomodo unus idemque et pro Romana Ecclesia contra Græcos, et pro Græcis contra Romanam Ecclesiam scripserit, duos Barlaamos constituunt, et ea, quæ contra Latinos sunt, ab Hieracensi isto semovent, et aliis, nescio quibus, quos nec ipsi sciant, vendicant. Distinguant tempora. Barlaamus Constantinopoli degens, doctrina et favore principum et spe rerum novarum lactatus, Græcorum erroribus favens, Latinos oppugnat ; ejectus diffamatusque in Græcia, in Italiam reversus et dignitatibus auctus, ne ingratus esse videretur, et forte etiam vere firmiterque sapiens, in defensos a se primum Græcos invehitur, et Latinos a se lingua scriptoque prius laceratos defensat.* E Hæc e contrario, paucis mutatis, ad hominem retorqueri possent. Sed pro clariori opinionis nostræ intelligentia lectorem ad laudatam Renaudotii Dissertationem mittimus.

Non videtur Gennadius ille edidisse apologiam pro concilio Florentino

1192 Nunc superest breviter expedienda quæstio, utrum Georgius Scholarius, sive Gennadius Constantinopolitanus, Defensionem pro quinque capitibus concilii Florentini conscripserit. Fabius Benevolentius Senensis Romæ anno MDLXXIX hoc opusculum sub nomine Gennadii Latine vulgavit. Hinc in Coloniensem sanctorum Patrum Bibliothecam transiit, et alibi etiam Græco-Latine editum est. Propterea quoque varii bibliographi, hoc titulo inducti, istud Georgio Scholario, seu Gennadio tribuerunt. Attamen Petrus Arcudius et Matthæus Caryophilus hanc Defensionem ei abjudicant, et crisin suam non levibus argumentis confirmant. Contra vero Allatius lib. 3 Consensionis cap. 6 duos istos populares suos variis modis refellere conatur. At videtur lis illa decidi posse ex Josepho Methonensi, qui in Responsione sua ad libellum Marci Ephesii istud opusculum sibi vindicat, quando apud Labbeum tomo XIII Conciliorum col. 707 meminit de quodam adversariorum argumento, quod, inquit, *jam solvimus in primo definitionis capite, dum pro quinque capitibus apologiam scriberemus.* F

quamvis scripserit alia,

1193 Ceterum de aliis lucubrationibus, quæ Gennadio isti adscribuntur, Renaudotius in laudato Opere a pag. 80 consuli potest, qui etiam antea pag. 50 et 51 de spontanea ejusdem Gennadii abdicatione, ejusque tempore ac modo sic disseruerat: *Paulo postquam hanc orationem habuisset Gennadius* (videlicet coram imperatore Turcarum de mysteriis Christianæ fidei, ut supra dictum est) *patriarchali se dignitate abdicavit, ægre obtenta a Sultano venia : mox epistolam, seu potius prolixam orationem apologeticam, scripsit* AD OMNES FIDELES IN CHRISTO JESU, τοῖς πανταχοῦ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Narrat quomodo post prædictam sæpius urbis et totius imperii cladem comminationemque divinæ vindictæ ob susceptum Latinismum, capta urbe, in hostium manus venerit, et ex fuga retractus, patriarcha renuntiatus fuerit, licet invitus ; cui tandem muneri, statim atque per Sultanum licuit, renuntiandum statuerit, tum quia destitutus esset eorum auxilio, qui oneris partem secundum ecclesiasticas leges sustinere debuerant, tum ob im-*

pensos

SEC. XV.

pensos inaniter labores in auferendis scandalis et componendis simultatibus.

quæ Renaudotius recenset,

1194 *Varias etiam calamitates refert, quas ab invidis fuisset perpessus, qui patriarchatum non obscure ambientes, multa ipsi negotia facessebant. Significat tandem, se dignitati renuntiare, ut jam sibi soli vacet, pœnitentiamque in tranquilla et solitaria vita de peccatis suis agat. Hæc est illa παραίτησις* (id est recusatio seu abdicatio patriarchatus) *quam in codice ecclesiæ Constantinopolitanæ descriptam fuisse memoriæ et auctoritatis causa docet Historia ecclesiastica apud Crusium. Mox recepit se Gennadius in monasterium S. Joannis Baptistæ in monte Menœcæo prope Serras vel Pherras, ut scribitur in codice regio, cum annos quinque et menses aliquot ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisset, atque ita ejus abdicatio ad annum* MCDLIX *refertur.*

et ex quibus circa tempus abdicationis

1195 *Videtur tamen aliter statuendum: nam titulus orationis, quam habuit Gennadius in funere Theodori Sophiani, sui ex fratre nepotis, docet pronuntiatam fuisse* XXVIII *Septembris anno sexies millesimo nongentesimo sexagesimo quinto secundum Græcos, hoc est anno Christi* MCDLVII *a Gennadio monacho. At vulgo non ita appellatur in titulis eorum opusculorum, quæ in patriarchatu scripsit. Quæ conjectura confirmatur altera satis verosimili: nam in monasterio Joannis sive Prodromi multa Gennadius elaborate scripsit, quæ, si secundum Panvinii et Genebrardi chronologiam obiit anno* MCDLX, *unius anni intervallo vix poterat absolvere: tales sunt tractatus de existentia et natura animarum, de purgatorio, de prædestinatione ad Josephum Thessalonicensem, tres alii de prædestinatione sermones, epistolæ ad Theodorum Brennum sive Briennium, et alia, nec pauca, nec extemporanea.*

ac mortis ipsius,

1196 *Unde cum nemo huc usque ex certis Græcæ historiæ monumentis annum Gennadii supremum designaverit, si quis eum ultra annum* MCDLX *vitam produxisse statuat, non inaniter videbitur conjectari: nam in regio codice homilia de transitu B. Mariæ virginis scripta Constantinopoli dicitur in monasterio Pammacaristæ, cum tertio in urbem redire coactus, fuisset, anno οβ', hoc est, ut nemo non intelligit, sexies millesimo nongentesimo septuagesimo secundo secundum Græcam chronologiam, qui annus respondet anno Christi* MCDLXIV, *cujus certus character est Indictio duodecima, quam huic anno adjunctam habet canon annorum expansorum ab Allatio editus in Opere de Dominicis et hebdomadibus Græcorum. Scripsit etiam opusculum περὶ τῆς πρώτης τοῦ Θεοῦ λατρείας, post abdicatam dignitatem in Menœcæo monte et monasterio Prodromi anno mundi sexies millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, qui est Jesu Christi* MCDLVIII.

aliquas conjecturas proponit.

1197 *Itaque jam ab anno* MCDLVIII *aut* MCDLVII, *si vera est inscriptio orationis in funere Sophiani, Gennadius monachus vocabatur, et patriarcha esse desierat, cum, si Malaxo et Historiæ barbaræ fides habenda est, non ante* MCDLIX *privatam vitam repetiisse videatur. Tum etiam non recte statim obiisse scribunt, cum annos ut minimum quatuor supervixerit. Atque hæc sunt, quæ de Gennadii Vita et rebus gestis in tanta historiæ recentioris caligine observare potuimus.* Ex hoc Renaudotii ratiocinio liquet, incertum esse annum quo Gennadius patriarchatum abdicaverit, et e vivis excesserit. At quiscumque fuerit determinatus abdicationis aut mortis Gennadianæ annus, quem in medio relinquimus, certe in locum ipsius successit

CXXXII ISIDORUS II.

Post abdicationem Gennadii Isidorus

Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 17 de abdicatione Gennadii et hujus Patriarchæ successione habet sequentia : *Patriarcha vero sanctissimus Gennadius, postquam muneri suo bene in pascendo Dei populo quinquennium præfuisset, vitæque dehinc tranquillæ curarumque experti se dedere vellet, convocato pontificum concilio, se patriarchatu abdicavit. Subductus itaque in patriarchicum solium fuit Isidorus, vir sanctus, pneumatici munere fungens, quem, qui urbem incolebant, communem patrem bonum appellitabant : qui cum breve tempus in illa dignitate sedisset, somno illo beato sopitus, obiit.* At Isidorus ille, quem alii scriptores Græci communiter a munere audiendi confessiones *pneumaticum*, id est, spiritualem, vel confessarium appellant, in catalogo Philippi Cyprii Παννονικὸς, id est, *Pannonicus* cognominatur. Nescio, an forte sic ab ipso vocetur, eo quod in Pannonia natus esset. Attamen potius suspicor, Philippum aut ejus amanuensem errasse, et παννονικὸς pro πνευματικὸς scripsisse, cum etiam Matthæus Cigala sic breviter de illo meminerit : *Isidorus Pneumaticus, vir sanctissimus, qui mortem obiit...*

per breve tempus in cathedra CP. sedit,

1199 Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 120 post memoratam Gennadii abdicationem de successore ipsius sic scribit : *Sedente porro illic in sanctissima Dei ecclesia magna patrum cœtu propter alium patriarcham eligendum, Isidoro consentientibus suffragiis ea dignitas data fuit. Solebat hic confessiones peccatorum totius civitatis audire ; quem propter virtutis suæ excllentiam suffragiis antistitum, clericorum, totiusque populi patriarcham factum renuntiavit Heracleensis præsul, præsente pontificum cœtu, secundum leges. Omni itaque maximæ dignitatis potestate accepta, omne sui muneris tempus pacifice et sine dissensionibus exegit. Omnes Christiani communi cum ipso hilaritate fruebantur ex divinis in ipso dotibus. Sanctus, simplex, et candidus, maculæ vitiorum expers, remotus a consortio peccatorum secundum divinum Apostolum ; tandem, quia homo, et ipse commune persolvit debitum naturæ mortem, reddita anima sua in manus Dei.* Ex supradictis satis apparet, eum per *breve tempus* in cathedra Constantinopolitana sedisse, quamvis certum gubernationis spatium ignoremus. Ceterum nihili facimus magnificas illas sanctitatis ac virtutum laudes, quibus scriptores schismatici patriarchas ejusdem factionis solent exornare, quod hoc loco rursus monuisse juverit.

CXXXIII JOASAPHUS I,

cognomento Cusas *vel* Coccas.

Cui successit Josaphus,

Emmanuel Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 120 et 121 de Patriarcha isto tradit sequentia : *Hic a morte patriarchæ Isidori in locum ejus suffragatione legitima successit, et accepta tum minore tum majore denuntiatione indicioque, ab Heracleæ antistite renuntiatus est. Renuntiatione peracta, sedit in altissimo patriarchico solio, munerique ad tempus præfuit, homo pacis studiosus, minime contentionum amans.* De hac minore et majore denuntiatione, quam Græci τὸ μήνυμα μεκρὸν καὶ

μέγα,

A *μέγα*, vel *τὴν πρώτην καὶ δεύτεραν σφραγίδα* appellant, etiam superius in Gennadio facta est mentio, et de ea Theodosius Zygomalas apud Crusium in Annotationibus ad Turco-Græciam pag. 187 et sequente asserit, in ecclesia Constantinopolitana moris esse, ut synodus bis accersat futurum patriarcham, eumque moneat his verbis : *Synodus tuam reverendam dignitatem vocat, ut ea fiat patriarcha.* De hac duplici monitione etiam Gretserus noster in observationibus ad Codinum lib. 3 cap. 14 pag. 260 et 261 consuli potest, quod hic semel pro dictis alibi dicendisque est notandum.

qui obvexationem clericorum se in puteum conjecit,

1201 Dein Malaxus cœptam de pacifico Joasapho narrationem ibidem ita prosequitur : *At clerici nihil intentatum reliquerunt, quo minus rixis contentionibusque ipsum exagitarent : et adeo gravis eorum infestatio fuit, ut ille huic ferundæ non esset; sed abiens, in puteum se conjiceret, ut suffocaretur : quem incidentem conspicati aliquot pii accurrerunt, eumque inde extraxerunt. Qui ægre loqui poterat, quod parum a suffocatione abfuisset. Ita multos dies exegit infirma valetudine propter illum casum, quo* B *in puteum (se) præcipitaverat, et propter copiam aquæ, qua venter ejus repletus erat. Acceperunt ipsum medici curandum crebris purgationibus, aliisque medicationibus, donec tandem valetudini pristinæ restituerunt. Ita non incidit in condemnationem illam, ut voluntariam sibi conscisceret mortem, gloriaque Dei privatus, æterni ignis hereditatem adiret.*

et inde ereptus, postea ob improbatum illegitimum matrimonium

1202 Deinde illic narrat, quod Joasaphus a Sultano relegatus fuerit, et multis verbis exponit injustam hujus exsilii causam, quæ in Historia politica Constantinopoleos lib. 1 Turco-Græciæ pag. 21 sic paucioribus contrahitur : *Illo tempore* (videlicet quo capta est a Turcis urbs Trapezuntina, quod anno Christi MCDLX contigit) *patriarchico solio dejectus fuit Joasaphus, eique canos præcidit Sultanus; sed et magno ecclesiarchæ iratus, nasum fidit, propterea quod noluissent ecclesiastica potestate permittere protovestiario ducere uxorem, filiam Demetrii Asanis (quæ principi Athenarum nupta fuerat) formæ venustate aliis mulieribus antecellentem. Ideo autem denegaverant, quia illius legitima uxor adhuc vivebat. Cum itaque hortaretur eos rex et rogaret, ut ei potestatem ducendæ mulieris facerent, ipsi, quod recusassent, tum quia recla-* C *mabat viva mulier, tum quia contra leges erat, ita male, ut diximus, tractati fuerunt; irascente eis cum ipso rege, tum præsertim Bassa, protovestiarii amico, hujusmodi improbam licentiam flagitantis : qui cum repulsam, specie honesta impune peccandi, tulisset, nihilo tamen minus adulterio illam polluit. Sed non diu divina vindicta abfuit : quodam enim die in aleatorio cum primoribus ludo inter extendendum jaciendi tesseras causa manum, repentino ante diem infeliciter exspiravit, in æternum ignem amandatus.*

ab imperatore Turcarum ignominia affectus est.

1203 Quod spectat ad pœnam, quæ propter illam repulsam huic Patriarchæ irrogata fuisse dicitur, a præcedente narratione discrepant Matthæus Cigala et Philippus Cyprius, quorum primus sic habet : *Joasaph Coccas, cui imperator, quod protovestiario illegitimum matrimonium permittere noluisset, nasum diffidit, barbamque præcidit.* Alter vero de eadem pœna sic scribit : *Joasaphus Coccas, cui Sultanus, quod protovestiario non fecisset gratiam illegitimi matrimonii, nasum et barbam præcidit.* Sed suspicamur, hos scriptores ignominiam, quæ duobus illata fuerat, soli Patriarchæ perperam attribuisse, et propterea potius credimus viciniori Malaxo, qui lib. 2 Turco-Græciæ pag. 122 diserte affirmat sequentia : *Ut igitur Bassa vidit, Patriarcham et magnum ecclesiarcham plane a gerendo illi morem abhorrere, apud Sultanum obtinuit, ut Patriarchæ barba præcideretur, et magni ecclesiarchæ nasus ab utroque latere finderetur.* Spondanus in Annalibus ecclesiasticis eamdem historiam ad annum Christi MCDLXI num. 17 refert, et ibidem numero sequente in locum Joasaphi dejecti substituit successorem, qui dictus est Sec. xv.

CXXXIV MARCUS, cognomento Xylocarabes.

Marcum Joasaphi successorem cives Trapezuntii

Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 22 post narratam protovestiarii punitionem de hoc Joasaphi successore sic meminit : *Productus deinde in patriarchicam sedem fuit Marcus, cognomento Xylocarabes, patria Byzantius; vir sane bonus, sed qui non diu sedit : nam in contentiones cum viris sacri ordinis incidit, qui non diligebant ipsum. Erat illo tempore hieromonachus quidam, nomine Symeon, Trapezuntius, vir maxime frugi, et utilis,* E *quo nec quisquam magis hospitalis, charus ob hujusmodi virtutes Trapezuntiis, amicitiis etiam florens, tum purpuratorum regii palatii et Agarenicæ stirpis, tum aliorum extra viventium. Solos habebat adversarios, homines ecclesiasticos, quod audissent, eum patriarchatus consequendi causa mille aureos pollicitum esse regi. Cum hujusmodi inter eos dissensio esset, conventum egerunt Trapezuntii, collectosque mille aureos miserunt regi rogantes, ut patriarcham ipsis, quem vellent, crearet.*

conficta calumnia, et oblata Sultano pecunia,

1205 Hæc eadem Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ a pag. 123 fusius distinctiusque narrat, et ibidem exponit, quomodo Marcus a Trapezuntiis, qui popularem suum Symeonem ad sedem Constantinopolitanam evehere cupiebant, falso accusatus fuerit, acsi patriarchatum emisset. Denique illic pag. 125 dicit, ipsum Sultanum lucri causa cum his calumniatoribus collusisse, atque ista subjungit : *Ita convenerunt Trapezuntii proceres et nonnulli alii ampli civitatis homines; aureosque mille corrogatos Sultano miserunt cum his verbis :*
« *Quia patriarcha majestati tuæ unum ducatorum*
« *mille promisit; ecce damus id et nos, ut patriar-*
« *cham faciamus nostrum monachum, quia cunctus* F
« *populus, et una clericorum chorus non ferunt pa-*
« *triarcham Marcum.* »

e sede CP. expelli curarunt,

1206 *Rex, ut eam orationem audivit, risit equidem, et diu hæsit cogitabundus, reputans cum animo suo, quanta vis esset invidiæ, quanta stultitia Romanorum* (hoc est Græcorum, qui *Romani* vel *Romæi* appellari affectant, ut alio loco diximus) *et quam parum in via Dei ambularent. Tum respondens dixit : Ita certe est, pollicitus fuit hos mille ducatos Patriarcha. Hoc Sultanus eo consilio respondit, ut legem novam sanciens, initium induceret, quicumque fieret patriarcha, principium felicius a munere majestati ipsius dando duceret. At miserandus patriarcha Marcus tale nihil neque dixerat, neque promiserat. Sola calumnia, uti diximus, hoc, educendi ipsius e solio causa, commenta fuerat. Tunc Sultanus, ut aurum illud accepit, dixit : Quoniam igitur iste cuncto populo invisus est, sane dejicite eum, et create illum, quem vultis. Confestim itaque Marco patriarchatum abrogarunt invito per detestandam injustitiam, eumque inde expulerunt.* Sic Græci schismatici non imperium dumtaxat Turcis subdiderunt, sed etiam ecclesiam suam iisdem vectigalem fecerunt.

CXXXV

SÆC. XV.

CXXXV SYMEON,

cognomento Trapezuntius.

ut in ea collocaretur popularis eorum Symeon, quo electo,

De simoniaca hujus Patriarchæ promotione Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ a pag. 125 sic scribit : *Expulso Marco, et concilio advocato, antistites sacrorum suffragationem de prædicto Trapezuntio Symeone inierunt; qua finita, utramque ei significationem fecerunt, minorem et majorem. Inde ad declarationem ejus progressi sunt, renuntiante ipsum Heracleensi in metropolita, et sublimi patriarchico suggesto collocarunt. Antecessorem vero ejus Marcum detestati sunt, non ipsi modo clerici, sed etiam de plebe multi, eumque lapidibus incesserunt, tum in viis, tum in quovis foro; cumulisque saxorum in titulum congestis, anathemate detestabilem fecere, tamquam pessimi in ecclesiam introducti moris auctorem, cum tamen, quemadmodum dictum, totius ipse rei ignarus esset. Nihil ergo ab eo tempore miser agere habuit; sed patienter sedens exspectabat, si*
B *quando synodus cogeretur, in qua causæ suæ summa injuria affecti cognitio et dijudicatio fieret. Nec requiem sibi dabat, quin ad pontifices de calumnia, qua oppressus fuerat, scriberet.*

Marcus decessor de injuria sibi illata conquerebatur;

1208 *Post aliquod itaque intervallum temporis, convenientibus multis principibus sacerdotum, metropolitis et episcopis, facta est synodus frequens ob quasdam ecclesiasticas controversias, et res examinandas ac discutiendas. Ibi apparuit et prior patriarcha Marcus, se inique et præter rationem patriarchico throno dejectum clamitans. Unde magna perturbatio et odiosæ contentiones exstiterunt. Aderat tum in concilio Dionysius quoque Philippopoleos antistes, cui magna gratia et spiritalis familiaritas cum domina Maria, ipsius Sultani noverca, intercedebat, quæ honore et charitate ipsum, ut suum spiritalem patrem, prosequebatur. Ea, cum de patriarcharum contentione et pugna rescivisset, cœpit intra se cogitare et dicere : Age, ad patriarchicum fastigium producam patrem Dionysium, ut, utroque contendentium eliso, finis deinceps rixarum et offendiculorum fiat. Universus enim Constantinopolitanus populus, qua sacerdotes, qua politici homines, in duas contrarias factiones abierant, una parte*
C *Marcum reposcente, altera Symeonem flagitante. Ita confusio perturbatioque ingens, tum in magnam ecclesiam, tum in principes sacerdotes, tum in clericos inciderat.*

sed noverca Sultani majorem pecuniæ summam offerens,

1209 *Interim regina Maria, quæ animo conceperat de Dionysio faciendo, id etiam in opus perduxit : duo namque ducatorum millia in lancem argenteam conjecit, cum his ad Sultanum accessit, eum adoravit, aurum manibus portans. Quam, ut ille vidit, interrogavit eam : Quid sibi, mea mater, istud auri cum argentea lance vult? Respondit hæc : Habeo quemdam monachum, mihi proprium; quem, quæso, mihi per majestatem tuam liceat facere patriarcham. Accepit Sultanus aurum, magnas gratias novercæ suæ egit, quæ tantam ipsi accessionem fecerat. Tunc ei dicit : Fac, mea mater, istud, quod vis. Cumque mandatum Sultanus misisset, abductus est e throno Symeon, patriarchico honore et dignitate spoliatus.* Similia in Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 22 narrantur.

expulso Symeone, qui primus morem solvendi pescesii induxerat,

1210 Philippus Cyprius de Symeone illo sic breviter agit : *Symeon Trapezuntius odio adversus Xylocarabem concitatus, pravum simoniæ fundamentum jecit, atque ut patriarchæ sedem consequeretur, munera imperatori obtulit. Horum offendiculorum causa ab Sultani noverca in exsilium actus est.* D
Matthæus Cigala eadem fere habet. Sic igitur majori dono expulsus est primus auctor doni, quod Turcæ *pescesium* vocant, et de quo Christianus Lupus in notis ad concilium S. Gregorii VII Pontificis part. 5 pag. 10 sic disserit : *Pescesium in Turcica lingua est idem, quod initium. Est donum, quod novus Patriarcha Sultano dat pro exordio patriarchatus. Inductum est a quinto post captam urbem patriarcha Simeone, monacho Trapezuntino; a Turcarum imperatore Mahomete secundo derisum, ac damnatum in Christianis; ex barbara avaritia admissum, et firmatum in perpetuam legem.* Tunc propter majus pescesium, quod postea paulatim adhuc crevit, in sedem Constantinopolitanam intrusus est

CXXXVI DIONYSIUS I.

in locum hujus substituit Dionysium,

De successione hujus Patriarchæ citatus Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 127 sic habet : *Exacto ad hunc modum Symeone, patriarcham suffragiis crearunt proceres sacri Dionysium,* E
primo minus ei dantes indicium, dein etiam majus post vespertinum cantum. Tum in excelsissima magni patriarchici throni luce collocarunt. Nec poterat rem impedire Symeon, aut quidquam contrafacere, quia tota Sultani mandato gesta est..... Quocirca Symeon discessit, Stenimachi cœnobium ingrediens; Marcus autem apud Achridenses archiepiscopi sedem a synodi patribus accepit, cui muneri cum ad breve tempus præfuisset, diem suam obiit. Matthæus Cigala Dionysio octo administrationis annos ita tribuit : *Dionysius Philippopoleos episcopus duo millia florenorum dedit, atque annos octo patriarchatu defunctus, deinde abdicatus est,* seu potius se munere abdicavit.

qui post octo regiminis annos

1212 Malaxus loco proxime citato totidem gubernationis annos Dionysio assignat, et dein multis verbis explicat causam abdicationis, quam Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 23 paucioribus ita complectitur : *Dionysius, annis octo in munere patriarchico exactis, urbe excessit interventu talis offensionis, quæ sequitur. Erat is e Peloponneso oriundus. Inde Byzantium profectus, se ministrum subdidit Marco Eugenio, Ephesi antistiti, a* F
quo etiam ad monasticam disciplinam virtutemque informatus est. Urbe expugnata, captus fuit; eumque Christianus quispiam Adrianopoli emit. Eminuit tunc ita virtus ejus, ut brevi admodum tempore metropolita Philippopoleos factus sit : quo gradu in sublimem patriarchæ administrationis dignitatem, uti diximus, ascendit.

ob falsam quamdam accusationem, de qua calumniatores suos convicit,

1213 *Jam, quia venumdatus fuerat, quidam homines maligni, ei malum struentes, hac causa arrepta, vulgo dictitarunt, ipsum ab Ismaëlitis, a quibus captus et pro servo venditus erat, circumcisum fuisse. Proinde, concilio indicto, cum eo convenisset magna vis episcoporum metropolitanorum, et totius fere ecclesiastici ordinis, ille eis confirmavit, delationem illam nulla veritate niti, sed falsum crimen esse. Cum fidem calumniatoribus non faceret, stetit in medio synodi, vesteque sublata genitale monstravit. Res mira cunctis visa : nulla enim apparuit nota criminis comprobatrix; sed a perpetua continentiæ exercitatione ipse prope carnis expertem et virginali castitate purum se concilio probavit : tantum enim cutis quædam apparuit, testans incircumcisum hominem.*

1214 *Confusi pudore adversarii ad pedes ejus*

acci-

A

sedem ultro reliquit;

acciderunt, veniam injustissimæ adversus ipsum criminationis et calumniæ orantes. Intercedebant pro eis omnes, etiam sacri antistites, unaque populus totus, ignosceret ipsis, et maneret in patriarchatu. Ille ne extremis quidem auriculis sustinere preces; sed stans clara voce exclusit communione ecclesiæ et exsecratus est sycophantas, urbeque extemplo exivit cum suis rebus omnibus, et in monasterium Cosinitzæ se contulit; ubi non pauca sunt, quæ sumptu suo instauravit, et de novo pulcre fecit. Mansit in eo loco cum pace otioque vivens. Verum infra de hoc Patriarcha recurret sermo, quando post aliquot annos sedi suæ restituetur.

quam calumniæ refutationem cuidam Marco Eugenico affingunt

1215 Interim Matthæus Cigala Dionysio immediate subrogat ignotum hactenus patriarcham Constantinopolitanum, et huic Dionysianam memoratæ calumniæ refutationem perperam adscribit his verbis : *Marcus Eugenicus, quem cum circumcisum esse falso criminarentur, in medio conventu sese ipse nudavit, ac rei veritatem patefecit. Calumniatoribus itaque a communione semotis, dignitate abdicatus est.* Philippus Cyprius catalogo suo eamdem historiam alia phrasi sic inserit : B *Marcus Eugenicus, cum ei per calumnias, quod circumcisus esset, objectaretur, nudato coram synodo corpore, patentem oculis veritatem demonstravit. Ipse sycophantis a communione secretis, dignitate exuitur.* Verum quis est iste Marcus Eugenicus patriarcha Constantinopolitanus? Non novimus alium Marcum Eugenicum, præter famosum illum Ephesi antistitem, qui pertinaciter synodum Florentinam impugnavit. At quomodo hic Dionysio succedere potuit, cum ante captam a Turcis Constantinopolim obierit, ut supra diximus, et apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDXLV num. 17 legi potest?

duo stupidi scriptores Græci,

1216 Itaque ambo illi imperiti et rerum suarum ignari scriptores Marcum Eugenicum, jam diu mortuum ab inferis excitant, in sede Constantinopolitana collocant, et magistrum cum discipulo stupide confundunt, ut patet ex supra dictis, et confirmatur testimonio Malaxi, qui lib. 2 Turco-Græciæ pag. 127 de utroque sic scribit : *Enimvero Dionysius illorum successor, octo annos patriarcham egit. Erat patria ejus in Peloponneso, quæ nunc Moræa dicitur, ætateque puerulus huc* C *Constantinopolim venerat, et in Manganorum monasterio vixerat. Ibi Marco Eugenico Ephesi metropolitæ se subdiderat ministrum, qui ei victum præbens, in sacris etiam litteris instituerat, et ad severam monasticæ vitæ gravitatem informaverat, diaconumque et presbyterum ordinaverat. Perseveraverat itaque cum hoc Ephesio sene ad omnes dies vitæ ejus.*

et eumdem jam diu mortuum imperite Dionysio subrogant,

1217 *Obsessa deinde a Sultano urbe, fuit intus etiam Dionysius hic, et expugnata, captus est cum aliis multis Christianis viris, feminis et pueris. Abductum autem Adrianopolin emit vir quidam primarius, nomine Cyritza, et in libertatem vindicavit. Ea deinde virtute Dionysius enituit, ut metropolita Philippopoleos factus sit, a patriarcha Scholario declaratus. Tandem illustrem quoque patriarchæ gradum consecutus est.* Ex his liquet, Marcum Eugenicum jam diu in cineres redactum fuisse, antequam Dionysius ad cathedram Constantinopolitanam eveheretur. Qua igitur verisimilitudinis specie duo isti scriptores Marcum illum resuscitant, nobisque pro patriarcha Constantinopolitano obtrudunt? Quapropter sequi malumus Historiam politicam et Emmanuelem Malaxum, tempori illi propriores, ex quibus discimus, quod ab ipsa synodo, coram qua Dionysius dignitatem suam abdicaverat, electus fuerit

SEC. XV.

SYMEON iterum.

cum post abdicationem Dionysii ad sedem CP. redierit Symeon,

Interim divina et sacra synodus, inquit Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 129, *magna conflictabatur difficultate, quemnam alium faceret patriarcham. Tandem unanimi consensu et voce advocarunt illum, qui antehac patriarcha fuerat, Symeonem. Hunc iterum patriarcham cum legissent, duxerunt in magnam ecclesiam Catholicam, et in altissima patriarchica sede collocarunt. Sic pristinum honorem recepit. Hac patriarchæ restitutione facta, abierunt ad Portam* (sic enim aula Turcica communiter a recentioribus Græcis vocatur ut in Græco-barbaro Cangii Glossario ad vocem πόρτα licet videre) *seu palatium Sultani, ut daret mille ducatos, pescesii nomine seu doni, quod ipsius hujus Symeonis culpa in ecclesiam introductum fuerat. At illos plane quæstor accipere noluit; sed afferentes facessere jussit (dicens,) se in rationibus regii fisci scriptum reperire duo millia pescesium, quæ Dionysius, antecessor hujus, de quo supra scriptum, dederit. Cui cum resistere non possent, Patriarcha et antistites et Clerici sane petitam duorum millium summam dederunt, et ita quæstorem pacaverunt.* E

et post tres annos expulsus est, annuum tributum promittente altero,

1219 *Egit hic Patriarcha in suo throno triennium pacate traducens, nullaque turbatione aut contentione exorta. Id bonum cum offensionum dux et auctor, communisque hostis Christianorum diabolus ecclesiæ invideret, ecce tibi, exoritur hieromonachus, nomine Raphaël, cui patria alicubi in Servia erat. Hic aditum in palatium habebat, multorum amicitia florens, Bassis charus, apud quos cum libere agere posset, adit eos supplex, colloquitur, paciscitur, pollicetur, se quotannis illaturum in ærarium palatii regii charatzium, hoc est tributum duo millia aureorum. De pescesio jam convenerat, quod daretur, quando novus fieret patriarcha. Bassæ, postquam hæc audierunt, amicum suum Raphaëlem libenter admiserunt, eaque de re ad Sultanum retulerunt; qui, re audita, multum delectatus est, statimque Symeonem a patriarchico throno abduci imperavit, quod et factum est.*

F

CXXXVII RAPHAEL I, cognomento Servius.

qui vocabatur Raphaël, homo fere semper ebrius,

Edicto regio convenerunt nonnulli sacerdotes primarii in magnam ecclesiam ad faciendum patriarcham Raphaëlem : qui cum venisset, suffragia et designationem agressi sunt præter voluntatem suam. Ordinatus itaque ab Ancyrano est, quia Heracleensis, ante congregationem synodi hoc resciscens, ægrotare cœpit. Accidit quoque, ut Cæsareensis et Ephesius non venirent. Peracta ordinatione, subduxerunt hominem in patriarchicum suggestum, ut patriarcham. Certi vero quidam seditionem fecerunt, ne cum ipso liturgias facerent; metu tamen perculsi, vel inviti una sacris operati sunt. Erat porro ebrietati et crapulæ multum deditus; imo quotidie per totum anni orbem helluando dies et noctes hujasmodi morum dissolutione traducebat, nullas cononicas Horas, nec vespertinas, nec matutinas ipse umquam audiens.

et Græcæ linguæ ignarus,

1221 *Quotiescumque aliquis aut propter necessitatem et usum spiritalem, aut propter jus dicendum,*

Sec. xv.

ipsum quærebat, numquam sobrius erat, sed semper ebrius : quod ut magis credatur, aio, ipso venerando magnæ Parasceves die, quando sanctissimæ passionis Domini nostri Jesu Christi meditationi invigilandum erat, ipsum vino oppletum fuisse ; stetisse quidem in throno, verum præ ebrietate consistere non potuisse, sed de manu ejus sceptrum sacrum cecidisse. Id humo quidam sustulerunt, eique, cum e somno excitassent, reddiderunt. Qua de causa omnibus odio fuit, tum consecratis hominibus, tum laicis ; idque partim propter quotidianam temulentiam, partim propter linguæ ruditatem : Græca enim non callebat ; sed tantum Service sciebat, quoniam, ut antea diximus, e Servia genus ducebat. Itaque Service loquebatur ; Græcam linguam prorsus non intelligebat, sed quando loquendum erat, interprete utebatur.

qui a Turcis in carcerem conjectus est, cum promissum tributum non solveret.

1222 His coloribus Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 130 Patriarcham istum depingit, et pagina sequente ignominiosum ejusdem finem ita narrat : *Cum hoc modo thronum conscendisset pollicitatione bis mille ducatorum, quotannis pro tributo persolvendorum, primus annus elapsus est, et charatzium erat dandum. Accersiverunt ergo ipsum* C *Bassæ in senatum, postulantes ab eo promissum charatzium. At iste simplex nec charatzium habebat, nec quemquam, qui ipsi succurreret ; non clericum, non primarium virum, non de populo ullum. Videntes ergo Bassæ, se ab ipso delusos esse, compegerunt miserum in carcerem. Elapsis aliquot diebus, petiit sibi facultatem a Bassis dari e custodia exeundi ob cogendam a Christianis stipem, si forte ex eleemosynæ collectione posset, quod fisco debebat, persolvere. Paruerunt illi ; sed loco indumenti colli et humerorum, catenam ei ferream gravem injecerunt, adjuncto Turca, qui eum trahebat et custodiebat. Quocumque igitur catenatus veniebat, mendicabat, et quæ colligebat, in cibum ac potum vertebat. Ita misere hanc ærumnosam vitam reliquit.* Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 24 illam temulenti hujus Servii historiam paucioribus verbis refert, de qua Matthæus Cigala et Philippus Cyprius in suis patriarcharum catalogis etiam breviter meminerunt.

CXXXVIII MAXIMUS II, antea dictus Manuel.

D

Post mortem Raphaëlis

Proxime citatus Malaxus pag. 131 de illo Raphaëlis successore tradit sequentia : *Hoc e vivis sublato, coacta fuit frequens synodus, concurrentibus metropolitis, archiepiscopis, et episcopis, clericis, abbatibus, Prioribus, et aliis sacerdotibus, nec non nobilibus viris , et quos interesse referebat, denique multitudine plebeia. Hi consultarunt inter se quemnam in locum patriarchæ sufficerent. Tunc in magna difficultate disquisitionis erant, ut aliquem tanto honore dignum invenirent, qui ecclesiæ Christi curam suscipiens, eam recte et juste, sicut bonum pastorem decet, administraret. Sapienti tandem providentia Dei, unanimi sententia legerunt rerum divinarum scientissimum virum, qui antea Manuelis nomen habens, postea Maximus nuncupatus fuit. Erat is ille magnus magnæ nostræ ecclesiæ ecclesiarcha, cujus nasus imperio Sultani fissus fuerat, quod pati noluerat conculcari legem, sicut supra scripsimus* (dum ageretur de patriarcha Joasapho Cocca) *Trapezuntii protovestiarii causa, qui adulteram ducere malo exemplo studuerat, sicut et duxit.*

1224 *Hunc ecclesiarcham fecerunt monachum et pro Manuele Maximum nominaverunt. Tunc ei dederunt minorem significationem, et post vespertinum* D *cantum, majorem. Postridie, cum liturgia celebraretur, toto populo congregato tum sacri ordinis, tum secularis, declaravit ipsum Heracleensis Patriarcham in Pammacaristæ templo, magna frequentia, solennitate et bono ordine. Tum apprehensum in sublimi patriarchatus throno statuerunt, dato etiam pastorali baculo in manum, musicis interea psalmorum cantu Dominum et sacrorum principem de more celebrantibus. Tum ipse benedictionem populo Domini dedit. His ad hunc modum peractis ; duxerunt ipsum pontifices clerici et primores cum quingentis aureis pescesii causa ad Sultanum, cujus ipse manum osculatus, illam pecuniam in Portam intulit. Deinceps in cujusque anni exitu binorum millium ducatorum charatzium dederunt.* Ex his colligo, pescesium differre a charatzio, quia illud initio patriarchatus, hoc singulis annis persolvitur.

Ad cathedram CP. assumptus est Maximus

quem imperator Turcarum

1225 Deinde Malaxus longam instituit narrationem de facunda hujus Patriarchæ doctrina, aliisque rebus, quæ sub ipsius patriarchatu acciderunt, et quas Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 26 et 27 sic contraxit : *Summa rerum sacrarum ad virum eruditum Maximum relata, totius ecclesiæ status pacatus cernebatur, omnibus dissidiis e medio sublatis. Pascebat is populum* E *Dei erudiendo et ad pietatem animos informando docens ex suggesto patriarcheii, templisque aliis verbum Dei liberrime, nemine impediente, singulis dominicis et festis diebus concionans. Erat disciplinis philosophicis perpolitus, et profluente quadam orationis copia, supra quam quisquam alius illis temporibus, præditus : ac tantum percrebuit fama eruditionis ipsius et sapientiæ, ut ad aures etiam Agareni regis pervenerit. Accitum itaque rogavit, scriberet explicationem sancti symboli fidei Christianæ, sibique daret.*

inter alias de Christiana religione quæstiones interrogavit,

1226 *Paruit hic, commentario cum omni libertate e sacra theologorum disciplina optime sapientissimeque confecto, sicut res ipsa in multis loquitur, atque Sultano obtulit : quem librum per omnia bene in Arabicam linguam conversum ipse diligenter legit, clementer accipiens et reverenter, ad id faciendum cum ab aliquot palatii sui aulicis juvenibus (Christianæ enim adhuc ibi religionis nonnulli erant) adactus, tum imprimis a filio Amirutzæ* (de hujus patre, fidei Christianæ apostata, superius egimus) *qui par erat in utriusque linguæ facultate* F *Græcæ et Arabicæ, impulsus. Multos hic vir rogatu et jussu regis nostrorum librorum in Turcicam transtulit linguam ; omnia quidem Acta et tabulas publicas, codices imperatorios, alia utilia, multa etiam religionis nostræ : non cessabat enim sciscitari Sultanus, identidem aliquid cognoscere et certior fieri de fide Christiana studens. At nihil ad salutem profecit : Non enim Deus in stolidi corde locum habet.*

an apud Græcos cadavera excommunicatorum indissoluta permanerent et post absolutionem dissolverentur,

1227 *Inter alia, quæ interrogans discebat, etiam de anathemate seu excommunicatione audivit ; videlicet quicumque a pontificibus et sacerdotibus Christianis justa de causa ob peccatum aut scelus e sacro cœtu expellatur, hunc talem humatum non dissolvi in terram, sed manere corpus ejus indissolutum et integrum in terra, conspicique, sepulcro talis hominis aperto, cadaver instar tympani inflatum* (hinc hujusmodi excommunicati communiter a Græcis *tympanitæ* appellantur, ut apud Cangium in Glossario Græco-barbaro ad vocem τυμπανίται videre est) *et nigrum, nullo membro amisso, ne ipso quidem capillo. Rursus si veniam precibus et invocatione Numinis divini ei impetrent, dissolutionem cadaveris in cinerem fieri.*

1228

A

quod patriarcha exemplo mulieris excommunicatæ

1228 *Accivit his auditis, Patriarcham, ut ejus rei sibi ab eo fides fieret : qui veniens, audita Sultani postulatione, se planum ei facturum promisit, ut primum aliquis succurerret, aliquando anathematis oneri immortuus. Reverso in domicilium suum Patriarcha, cogitatione et dispicientia, si quis præteritis temporibus ea mole pressus obiisset, suscepta, patribus in mentem venit mulieris cujusdam libidinosæ, quæ de quodam patriarcha, hunc ipsa consuevisse, famam sparserat, cui a nonnemine fuerat habita fides. Is vero, improbitate cognita, anathemati illam quodam die festo subjecerat. Quæ mulier cum longo ante tempore e vivis excessisset, Patriarcha existimans, eam qui tantum virum infamasset, adhuc anathemate constrictam teneri, sepulcrum ejus aperiendum curavit. Tunc illa (o miraculum Dei!) in eo statu, quo deposita, reperta fuit tumida, turgidaque tantum et nigra, nondum etiam crinibus de capite amissis.*

evidenter demonstrasse dicitur,

1229 *Re ad Sultanum allata, misit is ad contemplandam illam certos homines; qui contemplati, admiratione obstupuerunt. Cadavere deinde in arca posito, hanc sigillo regio munierunt, diem dixerunt,* B *qua die ad videndum reverterentur. Reversis, rem divinam Patriarcha fecit, recitata et precatione, qua crimen illius aboleretur; quam ut sancte nec sine lacrymis recitavit (en miraculum) articuli manum pedumque disjungi, vincula solvi, ita ut ab adstantibus etiam ossium crepitus audiretur. Reposito cadavere et rursus obsignato, cujus tantum nexus omnes dissoluti fuerant, obsignatam arcam, quæ id continebat, in sacello patriarchico deposuerunt. Post triduum reversis regiis ministris, arcaque resignata et aperta, apparuit corpus illud jam dissolutum, de quo nihil restans nisi cinis homines in admirationem adduxit. Abeunt ad regem, quæ suis oculis viderint, renuntiant : admirari ille, stupescere, religionem Christianorum veram et admirandam confiteri.*

et ex quo Malaxus infert dogma,

1230 Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ a pag. 133 eamdem historiam fuse exponens asserit, Georgium Scholarium seu Gennadium, de quo supra egimus, ab hac muliere, quæ erat sacerdotis vidua, falso stupri fuisse accusatum, et ibidem pag. 135 et 136 subjungit narrationi suæ hanc falsam doctrinam : *Nec corpori modo ejus* (videlicet falsæ accusatricis) *venia dissolutioque contigit; sed* C *anima etiam, infernorum cruciatibus liberata, in paradisum venit : illi namque qui anathemate percussi ab ecclesia exsulant, cum eorum corpora maneant indissoluta et integra, indigent animæ absolutione, eamque expetunt, ut liberentur vinculo relegationis : nam quemadmodum corpora eorum vincta sunt, nec a terra consumuntur, sic animæ quoque ipsorum vinctæ manibus diaboli ac pœnis obnoxiæ tenentur. Quando autem corpus veniam accipit, exsecrationis vinculo solutum, Deo bene juvante, etiam anima de manibus diaboli libera exit, et vitam æternam, lucemque illam vesperæ expertem adipiscitur.* Similia etiam tradit auctor Nomocanonis cap. 80, ut alia occasione inferius dicemus.

quod errori Origenis patrocinatur.

1231 At hoc dogma favet errori Origenis, qui docuit pœnas inferni aliquando finem habituras. Neque hanc erroneam opinionem recentioribus quibusdam Græcis temere imputamus; cum eamdem schismatici inseruerint Triodio, in quo Christum orant, ut animas defunctorum *ab æterna pœna* vel *ab igne sempiterno* liberet, quemadmodum Dissert. 2 de libris ecclesiasticis Græcorum a pag. 116 testatur Leo Allatius, qui ibidem pag. 333 et sequentibus errorem illum variis argumentis refellit. Unde etiam in Epistola ad Paulum Zacchiam de quorumdam Græcorum opinationibus num. 17 ad supra relatum Malaxi textum satis ipsi est notare sequentia : *In similibus absurdis recensendis luserat nos, ut supra vidimus, Nomocanonis auctor, et nunc Malaxus consimilem ludit ludum; quæ argumentis refellere non videtur operæ pretium : satis enim alibi multa diximus, et Græcorum nonnullorum errorem retudimus, qui a pœnis inferni animas, ignibus sempiternis condemnatas, fidelium precibus liberant.* Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Jesu Christi MCDLXXVI num. 20 hæreticam illam quorumdam Græcorum sententiam etiam breviter explodit. Porro occasione istius mulieris excommunicatæ hic iterum series patriarcharum interrumpenda est, ut de prodigioso similium cadaverum statu disseramus. Ut autem clarius intelligantur ea, quæ dicturi sumus, curiosam hujus quæstionis materiam in varios parapraphos dividemus.

SEC. XV.

PARERGON XII.

E

De impiis aliisque excommunicatis, quorum cadavera apud Græcos indissoluta manere, et non nisi post acceptam absolutionem dissolvi dicuntur.

§ I. De tumidis et indissolutis cadaveribus quorumdam impiorum, quos Græci communiter βρουκολάκους appellant.

Allatius narrat, quod apud Græcos quædam cadavera

Leo Allatius post enumerata varia spectra, quæ in Græcia apparere feruntur, in laudata epistola ad Zacchiam num. 12 de his mortuorum corporibus ita disserit : *Et hæc ferenda videntur, si unum excipias Burculacam; alii Bulcolaccam, alii Buthrolacam vocant; quo sane in genus huma-* F *num nihil potest excogitari immanius aut perniciosius. Nomen est inditum a fœditate.* Βοῦρκα *limus est, non quilibet, sed qui jam putrescenti aqua maceratus, pessimam exhalat mephitim, ut ita dicam;* λάκκος *fossa seu cavea, in qua similis limus fovetur.* Quidquid sit de etymologia, quam Allatius hic suppeditat, Græci illos passim vocant βρουκολάκους, ut Franciscus Richardus noster, aliique rerum Græcarum periti testantur.

sepulcris egredientia,

1233 Deinde Allatius ibidem formam et motum talium cadaverum depingit his verbis : *Est porro pessimi hominis et facinorosi, sæpeque etiam ab antistite suo excommunicati cadaver, quod non ut reliqua demortuorum corpora defossa dissolvuntur atque in pulverem abeunt, sed quasi ex firmissima pelle constaret, per omnes sui partes intumescit atque distenditur, ut vix flecti aliqua sui parte possit; sed cutis tamquam tympanum extensa, eumdem, ac tympanum, si pulsatur, sonum edit : quare et* τυμπανιαῖος *dicitur. Corpus sic deformatum dæmon ingreditur, et miseris mortalibus infortunium parit : sæpe enim sub eo cadavere e sepulcro egressus, et per urbem et alia loca habitata circumiens, et noctu potissimum, ad quam sibi libuerit, ædem*

confertur,

SEC. XV.

confertur, pulsatisque foribus, aliquem ex accolis ædis voce sonora compellat. Si responderit, jam actum est de eo : altero enim die mortem obit. Si non responderit, salvus est.

viventibus noceant.

1234 *Hinc in ea insula* Chio *cives omnes, si noctu ab aliquo compellantur, numquam prima vice respondent : nam si secundo compellatus fuerit, jam qui quærit, Burcolacca non est, sed alius. Eamque pestem adeo exitiosam mortalibus esse dicunt, ut interdiu etiam et meridie ipso, non intra ædes tantum, sed in agris et viis mediis et sepibus vinearum prætereuntes aggrediatur, et aspectu solo ac visu conficiat, non verbis tantummodo et contactu enecet. Homines ipsi, qui viderunt, si alloquantur, spectrum disparet; qui locutus est, moritur. Quare cives, cum vident, homines, nulla grassante infirmitate, in tanta copia emori, suspicati quod est, sepulcra, in quibus recens defunctus sepultus est, aperiunt; aliquando statim, aliquando etiam tardius cadaver nondum corruptum inflatumque comperiunt : quod e sepulcro extractum, precibusque effusis a sacerdotibus, in rogum ardentem conjiciunt; et nondum completa supplicatione, cadaveris juncturæ sensim* B *dissolvuntur, et reliqua exusta in cineres convertuntur.*

et quomodo sæpius superstitiose

1235 Hisce subdit Græcum incerti auctoris Nomocanonem, qui illam cadaverum combustionem vehementer improbat, et præscribit dæmonem solis precibus aliisque piis cæremoniis fugandum esse. Attamen Allatius postea num. 13 varia ad istum canonem notat, et contra illius auctorem contendit, licitam esse eam cadaverum combustionem, quia tantummodo est destructio instrumenti, quo dæmon utitur; sed simul fatetur, superstitiones quasdam precationibus ac cæremoniis hujusmodi nonnumquam immisceri : *Neque male agunt*, inquit, *ubi simile quid persenserint, si sepulcra perquirunt, donec inventum cadaver in medium urbis deferunt, et variis precibus devotum, igni absumendum committunt : preces enim cum piæ sint, et a piis hominibus excogitatæ, quas nec improbat scriptor, nullo modo prohibendæ videntur. Aliter nihilominus sentiendum est de nonnullis aliis, quibus fanatici quidam homines, et incantationibus addictissimi (Græci eas vocant γητειας corrupto, ut suspicor, nomine a γοητεία) in quibus multa nefaria inseruntur, et quod exsecra-* C *bilius est, inter illas easdem preces ex suo cerebro, vel potius dæmonis suggestione, multa non sanæ mentis comminiscuntur : nempe ut cadaver Bulcolaccæ, dum preces recitantur, rectum stet, illudque lignei scipiones sustineant; cum in ignem ceciderit, sub capite tres lateres certo quodam modo disponunt; alia etiam veluti reconditiora et sibi solis nota exsequuntur.* Horum juverit inferius meminisse.

damnum istud impediatur.

1236 Tum ibidem sic pergit : *Et hæc quidem quemadmodum omnino prohibere et pœnis gravissimis e cœtu hominum eliminare, summæ prudentiæ est; ita et summæ dementiæ pernegare, corpora similia incorrupta in monumentis quandoque reperiri, et eorum usu, si Deus permiserit, dæmonem in genus humanum immania machinari; cum non desint fide digni testes, qui ea viderint per multum tempus indissoluta, postmodum Christianorum precibus igne subacta, antequam ignis exstinguatur, eorum compagine soluta, in cineres abiisse, nec ultra corpus illud, sive dæmonem sub eo corpore, vel alia illi consimili forma in homines sæviisse. Narratur apud Crusium in Turco-Græcia lib.* VIII, *sabbato Pentecostes Turcas combussisse Græcum, biennio ante defunctum, quod vulgo crederetur noctu sepulcro egredi, hominesque occidere; alios autem* D *veram causam perhibuisse, quod quindecim pluresve homines, spectrum ejus videntes, mortui sint; sepulcro extractum, consumpta carne, cutem ossibus adhærentem integram habuisse.*

Idem scriptor testatur, a se puero in insula Chio

1237 Denique Allatius eodem numero post alia similium spectrorum exempla oculato suo testimonio indissolutum cadaveris cujusdam statum ita confirmat : *Ne plura hic aggeram, ipse puer, cum Grammatices tyrociniis Chii apud Michaëlem Neuridam, lectissimis moribus adolescentem, dabam operam, in templo sancti Antonii prope portam, qua in viridarium itur, a læva cum exis, sub ipsis gradibus, quibus ascenditur, sepulcrum, quod diutissime clausum fuerat, adapertum fuit, ut novo, si bene recordor, ditaretur cadavere. Supra alia mortuorum ossa jacebat cadaver, omnibus suis partibus absolutum, statura grandiore atque enormiore, nullis amictum vestibus, quas tempus vel humor consumpserat, pelle distenta, subnigra, dura, sicque per omnes sui partes tumida, ut corpus non complanaret, sed veluti sacculum rotundaret; facies pilo nigro crispoque circumvestita, rari in capite pili, quemadmodum et per reliquum corpus, quod glabrum ubique conspiciebatur; brachia ad modum* E *crucis, tumore illo extensa, manusque adapertæ, oculi palpebris clausi, os hians, dentes candidi.*

visum esse cadaver tumidum

1238 *Id ubi viderunt scholæ socii, timere, fugere, admirari, currere, referre quidquid viderent, nolle amplius videre. Postea aliorum hominum commercio audaciores effecti, jam in ora sepulcri consistere, hasta lignea pertentare, dimovere conari, aliaque ludere, quibus sibi pueri sapiunt; demum etiam lapides projicere, quos ubi videbant non adfigi tamquam ad molle, sed tamquam a solido non sine strepitu repercuti, sphæras quoque lusorias demittunt : illæ recta projectæ resiliunt, et ad manus demittentium reveniunt; pulsu validiore demittuntur, et ipsæ supra puerorum capita saltant. Hisce timore abjecto, ad majores machinas devenitur, et trabes prægrandes, quæ ad sedendum in viridario jacebant, allatæ per os sepulcri acuminatim in ventrem demortui dejiciuntur; non rumpunt autem, sed quasi a tympano repercussæ foras exsiliunt, et nisi sibi cavissent, qui projecerant, molis illius casu succubuissent.*

et indissolutum,

1239 *Concurrunt alii undique ex vicinia, ex urbe fere tota, quia rem jam fama vulgaverat : et* F *præstantibus viribus adolescentes ab ore sepulcri se præcipitant, pulsatoque pedibus ventre, extra sepulcrum propellebantur. Erat fere quindecim palmorum altitudo; et res sane miseranda et horrida nihil agentibus hominibus ludus fit : quandoquidem toto corpore, instar pilæ super cadaver projecti, foras impetu sumpto ab eodem cadavere trudebantur. Multi inconsiderate se projicientes, dum non recto ictu repelluntur, in saxeum sepulcri labrum vel fornicem adacti, caput alliserunt, et intra sepulcrum alibi displosi, quasi examines jacuerunt.*

cujus miram duritiem describit.

1240 *Non plura hic referam : post tres dies illius ecclesiæ curatores, ut bacchanal de ecclesia tollerent, sepulcrum clauserunt. Quid de eo cadavere actum sit, ipse non novi, neque ab aliis perquisivi. Mirum sane fuit, cutem illam tot ictibus salvam atque incolumem superfuisse; quod non potuisset, neque corium bubalinum, neque fornix ipse cæmentitius; adeo illa indurverat.* Tandem ibidem num. 14 opinionem Græcorum de his cadaveribus ita refert : *Græci, cum similia vident corpora, quæ post obitum in cœmeteriis indissoluta comperiuntur, et tympani more extensa cute tumescunt, excommunicatorum esse corpora fatentur, eaque post absolutionem statim dissolvi.* Verum de cadaveribus excommu-

A communicatorum paragrapho sequente singulatim agemus, et ibidem ex allegandis Allatii verbis patebit, quam ambigue de his excommunicatis ipse locutus fuerit. Interim cœptam materiam prosequamur, sive illi, de quibus hic nobis sermo est, in excommunicatione, sive in aliis sceleribus suis obierint.

Richardus noster refert, Græcos variis superstitionibus uti,

1241 Franciscus Richardus, Societatis nostræ apud Græcos missionarius, in Historia Gallica insulæ Sant-Erini cap. 15 varia tradit de cadaveribus hujusmodi indissolutis, quæ dæmon assumit, et quibus in Græcia homines sæpe terret aut damno afficit. Dum autem tales resuscitati Græcos infestant, eodem missionario testante, sacerdotes jussu aut licentia præsulis conveniunt die sabbati (alio die se cadaver in sepulcro non inventuros existimant) et, tunc effosso corpore incorrupto, dæmonem variis modis adjurant, ut corpus istud deinceps relinquat. Quod si precibus aut exorcismis suis nihil proficiant, evulsum defuncti cor in frustra scindunt, ac contra prohibitionem supradicti Nomocanonis tandem corpus comburunt. Hoc remedio dicuntur illæ dæmonum vexationes cessare.

B

ne corpora hujusmodi mortuorum vivis infesta sint,

1242 Dein cap. 18 ejusdem Historiæ oculatus ille testis narrat, suo tempore aliud remedium a monachis Græcis adhibitum fuisse, ut cadaver impii cujusdam schismatici contra possessionem dæmonis præmuniretur, cujus remedii occasiosem ibidem Gallice exponit hoc fere modo : Hic subita morte oppressus fuit infestissimus Latinorum hostis, nomine Nicolaus Langada, tot sceleribus infamis, ut ipsi calogeri schismatici sibi persuaderent, corpus mortui a dæmone, qui animam viventis possederat, haud dubie occupandum esse. Quare monachi isti timentes, ne sceleratus ille post mortem fieret βρουκολάκας, et incolas vexaret, cadaver ipsius ingenti arcæ ligneæ imposuerunt, et ligneo veru, quod ex ramo fici silvestris ad hunc finem aptaverant, cor ejus transfixerunt, *sequentes diabolicam suam superstitionem* (sunt ipsa scriptoris Galli verba, quorum infra meminisse juvabit), qua sibi persuadebant, cor tali modo transfixum potestati dæmonis imposterum non subjacere. Postea magnam illam arcam, cui cadaver impositum erat, compleverunt terra, eamque ab infimæ condi-

C tionis hominibus non minus superstitiose conculcari jusserunt. Sic nimirum justo vindicis Dei judicio permissum est, ut superbus ille schismaticus post obitum pedibus vilis suæ plebeculæ subjiceretur, qui in vita Latinos sive orthodoxos persecutus fuerat, et sese supra Romanam Ecclesiam efferre voluerat, sicut ibidem missionarius ille observat.

et stupide ex his cadaveribus schisma suum tueri,

1243 Denique laudatus Richardus supradicto cap. 15 asserit, sibi aliquando ab abbate Græco objectum fuisse, quod Turcæ et Latini incorruptos hujusmodi βρουκολάκους non haberent, atque ipsum ex eo signo veritatem religionis suæ seu potius causam schismatis tueri voluisse. At præterquam quod hoc argumentum sit ridiculum, etiam falsa est hebetis hujus abbatis hypothesis : nam hujusmodi cadavera et spectra quoque apparent apud ethnicos et infideles, ut apud Theophilum Raynaudum nostrum tomo 13 Operum ejus, in tractatu de incorruptione cadaverum cap. 2 et 7 videri potest. Neque in Ecclesia Latina seu Catholica desunt plura hujus rei exempla, ex quibus hic unum, ab auctore synchrono conscriptum, retulisse sufficiet.

1244 Guilielmus Neubrigensis, qui post medium seculi XII in Anglia floruit, lib. 5 Rerum Anglicarum cap. 22 de prodigio suæ ætatis ita scribit : *His diebus in pago Bukingamensi prodigiosa res accidit, quam prius a quibusdam ex parte, postea vero a venerabili archidiacono illius provinciæ Stephano plenius didici. Quidam in fata concedens, juxta morem honesta uxoris et propinquorum cura in vigilia Dominicæ Ascensionis sepulturæ est traditus. Sequenti vero nocte cubiculum uxoris quiescentis ingressus, excitatam non solum terruit, verum etiam pæne obruit, importabili sui pondere superjecto. Altera quoque nocte attonitam pari modo afflixit. Territa periculo mulier, adversus tertiæ noctis agonem et deinceps se vigilum consortio munire in somnis ipsa curavit. Affuit tum ille ; sed pulsatus exclamationibus vigilum, cum nocere non posset, abiit.*

Sec. xv. cum juxta Guilielmum Neubrigensem, testem synchronum

similia cadavera

1245 *Sic repulsus a conjuge, fratres proprios, in eodem vico habitantes, similiter fatigavit ; illi vero juxta cautelæ muliebris exemplum parati ad excipiendum repellendumque periculum, noctes cum suis ducebant insomnes. Aderat tamen ille tamquam desiderans præoccupare somnolentos ; sed repulsus solicitudine et virtute vigilum, inter animalia, quæ vel in domibus vel circa domos erant, debacchabatur ; quod ipsorum animalium efferatio et motus insoliti declarabant. Tunc amicis quoque et vicinis pari molestia gravis eamdem omnibus necessitatem nocturnæ solicitudinis ingerebat. Erantque jam in ipso vico per omnes domos vigiliæ generales, dum singuli ad improvisum essent ipsius accessum suspensi. Cumque aliquamdiu hoc modo solis fuisset noctibus debacchatus, luce quoque diurna oberrare cœpit, formidabilis quidem omnibus, sed visibilis quibusdam.* E

etiam in Ecclesia Catholica

1246 *Pavefacti homines supra modum, consilium ab Ecclesia quærendum duxerunt, remque integre ad memoratum archidiaconum, conventui sacerdotum solenniter præsidentem cum questu lacrymabili detulerunt : qui confestim venerabili episcopo Lincolniensi, Lundoniis tunc constituto, cuncta per ordinem scripto insinuans, ejus in re tam inusitata sententiam et auctoritatem merito censuit exspectandam. Episcopo vero stupente super hoc, et habente tractatum cum suis, fuere, qui dicerent, talia sæpius in Anglia contigisse, et crebris clarere exemplis, quietem populo dari non posse, nisi miserrimi hominis corpore effosso et concremato. Indecorum* F *nimis hoc visum est venerando pontifici, moxque chartulam absolutionis, manu sua conscriptam, archidiacono dirigens, ut quomodo illius hominis omne corpus haberet, oculata fide claresceret, sepulchrum ejus aperiri, et, supposita pectori ejus eadem chartula, rursum sepulcrum claudi præcepit. Aperto ergo sepulcro, corpus ita inventum est, sicut ibidem fuerat collocatum ; pontificali vero absolutionis chartula pectori ejus apposita, et clauso rursum sepulcro, nec oberrare deinceps visus est, nec alicui molestiam ulteriorem inferre permissus.*

interdum apparant,

1247 Post hæc scriptor ille coævus eodem lib. 5 cap. 23 tria ejusdem generis prodigia narrat, et post primum interserit sequentia : *Sane quod mortuorum cadavera de sepulcris egredientia, nescio quo spiritu, ad viventium vel terrorem vel perniciem circumferantur, et ad eadem sepulcra sponte se illis aperientia revertantur, non facile in fidem reciperetur, nisi et crebra nostri temporis exempla suppeterent, et testimonia abundarent.* Ex hactenus relatis testimoniis concludimus, prudenter dubitari non posse, quin divina providentia interdum talia prodigia fieri permittat ; ut apud Theophilum Raynaudum in laudato tractatu

de

Sec. xv.

de incorruptione cadaverum ab initio tomi 13 fusius legere est. *Sed quorsum tandem Deus* (utor verbis ejusdem Raynaudi in Prato spirituali cap. 93, quæ tomo 17 Operum ejus pag. 640 habentur) *cadavera certorum impiorum sic se habere velit, non item omnium, penes eum esto consilium. Revera autem ita contingere, testatissima experimenta extra controversiam statuunt.*

quibus dæmon homines infestare permittitur.

1248 Si talia sint corpora hominum, qui extra gratiam Dei obierant, laudatus Raynaudus in citato tractatu de incorruptione cadaverum cap. 7, sive tomo 13 Operum pag. 51 de iis ita judicat : *Sanctus Hieronymus in caput 2 Joël dæmones vocavit Dei* QUÆSTIONARIOS *atque* TORTORES : *ab his igitur cadavera impiorum, in peccatis suis mortuorum, si quando divino judicio citra humanam artem perseverant incorrupta, accipiunt eam incorruptionem, quæ certe non transcendit vires angelicas, dummodo dæmon activa idonea, quæ probe habet perspecta, admoveat passivo disposito. Ad hoc genus incorruptionis cadaverum Franciscus Richardus libro de sacra expeditione in insulam S. Irenes cap.* 15 *refert, quos hodierni Græci vocant* βρουκολάκους : B *hujusmodi enim defunctorum cadavera perstant succida et integra ; dæmon autem ea agitat, et per ea infestat superstites, nunc cædendo, nunc excitando terriculamenta, et ingenti pavore complendo omnes, donec dæmon assistens abscedat, et corpus tabescat, et succum atque vividum colorem deponat, cessentque tumultus : quod contingere ferunt, si cor eximatur a cadavere eoque in frusta secto, corpus universum cremetur.* Ceterum ipsi schismatici non diffitentur, similia defunctorum corpora a dæmone conservari ac moveri. Quare satis mirari nequeo stupiditatem supradicti abbatis Græci, qui inde argumentum pro suo schismate deducebat. Nunc statuere oportet, quantum fidei prudenter adhibendum sit narrationi, quam aliqui scriptores de similibus Græcorum excommunicatorum cadaveribus instituunt.

§ II. An in schismatica Græcorum ecclesia post excommunicationem corpora defunctorum intumescant, et post absolutionem statim in cineres redigantur.

C

Euchologium Græcorum supponit,

Præter illam mulieris excommunicatæ narrationem, quam superius ex Historia politica retulimus, Græci recentiores magnam excommunicationis et absolutionis suæ efficaciam ubique debuccinant, eamque in Euchologio suo, quod Jacobus Goar Parisiis anno MDCXLVII edidit, tamquam certam supponunt : ibi enim pag. 689 Cyrillus quidam patriarcha Alexandrinus violatores testamenti cujusdam anathemate ferit, atque inter alia decernit, ut *a Deo omnipotente sint excommunicati, maledicti, et incondonati, et post mortem inconsumpti, et indissoluti in præsenti seculo et in futuro, et tympani more turgidi quousque a dandis scandalis desistant, et pacti scripta suum robur et stabilitatem habere permittant.* Eumdem excommunicationis effectum innuunt recentiores absolutionis formulæ, in quibus ibidem pag. 685 præsul, aut, eo absente, confessarius Deum precatur, ut defuncti *corpus in ea, ex quibus composi-tum fuerat, dissolvi ; animam vero in justorum cœtu sedem reperire* permittat. Similia ibi in Euchologio sæpius repetuntur. D

et schismaticus scriptor Græcus asserit,

1250 Christophorus Angelus, Græcus schismati addictus, in Anglia Græce edidit Enchiridion de statu hodiernorum Græcorum, ubi cap. 25 excommunicandi et absolvendi consuetudinem ex Latina interpretis versione distinctius exponit his verbis : *More apud Græcos receptum est, nimium prævaricantes ab ecclesiæ consortio removere ob illud Pauli sic sonantis : Vobis et meo spiritu congregatis, tradite ejusmodi hominem satanæ ; et aliud : Increpa illos severe. Quam consuetudinem exemplo aliquo declaratam dabimus : fingamus enim nobis fieri. Homo quidam stultus falsum perhibuit testimonium, aut aliam aliquam injuriam alicui intulit ; et ideo ab eo, qui injuria hac affectus est, ad sacerdotem vel episcopum citatur.*

in ecclesia Græca

1251 *Ex eo quærit episcopus : sitne veritati testimonium illud consonum, nec ne. Quod si igitur falsi testimonii faber hic, quæ mendaciter eloqui non est veritus, ea multis ad hæc argumentis conatur tueri, tum episcopus aut sacerdos, sive intra, sive extra ecclesiam exstiterit, sacerdotales vestes induit.* E *Vestimenta autem hæc Christi captivam deductionem, coccineam chlamydem, et reliqua repræsentant ; et propter illa ipsa, sicuti et propter spiritualem ab episcopo in se derivatam gratiam sacerdos Christi personam refert. Atque hic isto modo falsi testimonii fabricatorem in conspectu suo jubet consistere, et incipit prælegere eidem psalmum hunc, qui hæc verba continet : Domine laudem meam silentio non involves ; nam apertum est os peccatoris et dolosi contra me. Quibus et cetera, quæ in hoc psalmo sequuntur, et alias nonnullas orationes subjungit.*

excommunicatos ab episcopo aut sacerdote

1252 *Ultimo autem in hæc verba prorumpit : Vigore illius potestatis, quam Christus Apostolis suis concessit dicens : Quæcumque solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo, et quæcumque ligaveritis in terra, ligata quoque erunt in cœlo, quamque ab Apostolis acceptam episcopi mihi dederunt ; vigore hujus, aio, potestatis, excommunico te, erisque exclusus et segregatus a conjunctione Patris, Filii, et Spiritus sancti, nec non a communione trecentorum et octodecim Spiritu Dei actorum patrum illorum Nicææ congregatorum, omniumque Sanctorum, et erit sors, id est portio tua cum diabolo et Juda ; quin vita hac defunctus in æternum in cineres non resolveris ; sed instar lapidis et ferri æternum compactus jacebis, idque in testimonium, nisi resipueris. Quibus finitis, falsum testem a se dimittit episcopus.* F

post mortem non dissolvi,

1253 *Quod si igitur falsi hujus testimonii confictor ad mentem saniorem non reversus, nec cum adversario per ante commissorum deprecationem reconciliatus, interea autem mortuus fuerit ; pro consuetudine Græcis familiari, qua anno uno elapso, mortuorum sepulcra effodiunt, hujus quoque falsi testis monumentum aperiunt, repertoque eo adhuc integro, et qua totum corpus, nec capillis exceptis, nigro, qua ungues vero albo, monumento ejiciunt, erectumque in editiori aliquo loco collocant ; et consistit, nemine etiam fulciente, firmiter erectus solidi ad modum ligni : si vero aliquis ventrem ipsius percutiat, sonum edit veluti tympanum aliquod; qua de causa etiam* τυμπανιαῖος, *id est tympaniticus vocatur : quemadmodum et ipse Cassianus historicus in historiarum suarum monumentis excommunicatum quemdam tympaniæum expressis verbis appellat.* At bibliographis nullus hujus nominis scriptor notus est præter Joannem Cassianum, et Cassianum chronographum, de quo posteriore S. Hieronymus libro de

scripto-

scriptoribus ecclesiasticis cap. 37 in elogio Clementis Alexandrini sic obiter scribit: *Meminit autem in stromatibus suis voluminis Tatiani adversus gentes de quo supra diximus, et Cassiani cujusdam χρονογραφίας, quod opusculum invenire non potui.* Itaque non parum vereor, ne Christophorus Angelus nobis hunc auctorem Græca fide obtruserit.

corumque cadavera post obtentam absolutionem

1254 Audiamus tamen rem, quam sub illius nomine ibidem sic narrat: *Cassianus hic ex antiquiorum Græcorum historiographorum censu non postremus in historia sua refert, synodum aliquam particularem, centum episcopis constantem, in certo aliquo loco aliquando congregatam esse, cunctisque concordibus suffragiis nonnihil, idque recta ratione fultum, decernentibus, unicum, qui reliquis omnibus sese pertinaciter opposuit, surrexisse; qui cum anathemate ab illis percussus, atque sic mortuus esset, corpus ejus, veluti ferrum, compactum et solidum centum annos duravit. Centenis autem illis annis elapsis, denuo ibidem locorum synodus aliqua partialis centum episcoporum fuit celebrata, ubi episcopi in hæc verba prorupere: Episcopus hic anathemate damnatus in ecclesiam peccavit, ideoque ab eadem excommunicatus est. Ceterum cum et nos constituamus ecclesiam, et peccare humanum esse consideremus, commissum peccatum illi condonabimus. Atque ita ipsi delictorum gratiam fecerunt. Quod simul ac præstitere, post fusas ad Deum preces, qui centum annos integer perstiterat, extemplo in cinerem conversus est.* Verum hæc narratio mihi suspecta est de falsitate, tum quia omnibus ignotum ejusdem auctorem citat, tum quia nec locum nec tempus istius synodi ullo modo indicat.

statim in cineres resolvi,

1255 Attamen ita confidenter pergit: *Idem quoque etiamnum non raro in Græcia contingit: quando enim excommunicati adversarius adest, excommunicato (eo quod Judæ Hebræorum regis pro mortuis sacrificia offerentis recordetur) veniam commissorum dare volens, et ita apud animum suum cogitans: Liber hic quidem inter canonicos sedem non invenit, interim tamen sacrorum Librorum numero non est exclusus, accedit sacerdotem, eique animi sui propositum explicat; quo intellecto, sacerdos, sacro habitu indutus, orationes aliquas legit, ad quas excommunicati adversarius respondet: Deus erit illi propitius. Quo ipso excommunicati corpus hodiedum in cineres resolvitur. Ne vero verbis meis fidem detrectare habeatis necesse, rogate, sultis, mercatores vestros, ut et in veteri Patra, et Thessalonicæ, et Constantinopoli, et Alexandriæ, et alibi in dictorum veritatem inquirant; aut de his ipsis homines Græcos in Anglia degentes ipsimet interrogatote, qui rem omnem, uti sese habet, enarrabunt.*

et narrat alia miracula, quibus admiscet hæreticam doctrinam,

1256 Schismaticus ille scriptor capite sequente narrat alia prodigia, et hominibus credulis sola sua auctoritate persuadere cupit, patriarcham Hierosolymitanum ab annis sexaginta aut amplius, priusquam hæc scriberet, Cairi in Ægypto venenum innoxie hausisse, et fide montem transposuisse. Deinde ex hoc miraculo, quod sine pluribus ac fide dignioribus testimoniis non credimus, supradictam Græcorum potestatem ad absolvenda excommunicatorum cadavera sic infert: *Sicut igitur patriarcha venenum bibit, et montem secundum votum suum accersivit; ad eumdem, hoc est plane miraculosum, modum et excommunicatorum corpora in cineres revertuntur.* Denique caput proxime citatum ita concludit: *Nullum autem statuunt Græci esse purgatorium; sed, uti jam ante dictum est, per singulare prodigium aliquando usuvenit, ut, quando excommunicati adversarius advenit, et excommunicato illi, illatam ab eodem sibi vero probo, Christiano injuriam condonare cupit, corpus illius in pulverem redeat.*

Sec. xv.

ex qua ad hominem, ut vulgo aiunt, argumentamur.

1257 Nihil hic nos morari debet hæretica istius narratoris doctrina, quam forte in gratiam suorum hospitum Anglorum tuetur; sed ex illo prodigiosæ absolutionis assertore tantum quæro: Si Græci statuunt, nullum esse purgatorium, quid absolutio illa confert excommunicato, qui juxta supradictam excommunicationis formulam est exclusus et segregatus a conjunctione Patris, Filii, et Spiritus sancti, et cujus sors, seu portio erit cum diabolo et Juda? Quid proderit, corpus absolutione ista in cineres redigi, si anima æternis tormentis in inferno crucietur? At forte Græcus ille adoptat hæreticum quorumdam popularium suorum errorem, qui pœnis inferni finem præscribunt, ut supra num. 1231 notavimus, et de quo infra iterum sermo recurret. Hinc satis liquet, quantum fidei sit huic schismatico et hæretico tribuendum. Quapropter scriptores quidam Catholici de similibus schismaticorum narrationibus dubitant, aut eas fabulis annumerant, ut jam videbimus.

Spondanus similibus Græcorum narrationibus non credit,

1258 Illustrissimus Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDLXXVI num. 20 ex Zygomala et Malaxo refert supradictam mulieris excommunicatæ historiam, cujus occasione hic digressi sumus, et de ea sic judicat: *Tradunt enim Græci illi, regem Mahometem rerum fidei Christianæ diligentem sciscitatorem exstitisse; sed, ut apparuit, per delusionem magis, aut vanam curiositatem, quam pro salute inquirenda. Græculi autem ad sua venditanda, multa comminisci consueverunt; quale putamus, quod iidem actores subdunt, Mahometem, cum audisset de vi anathematis, ut quicumque a pontificibus justa de causa per excommunicationem a sacro cœtu pulsus fuisset, si in excommunicatione moreretur, cadaver ejus terra conditum non dissolveretur, sed instar tympani inflatum nigrumque permaneret; si vero preces ecclesiæ adhiberentur ad defuncti absolutionem, corpus dissolveretur, sicut ceterorum; Mahometem rei experimentum a patriarcha petiisse, repertumque esse post anxiam perquisitionem, cujusdam feminæ, olim a Gennadio patriarcha ob quoddam grave scelus excommunicatæ, cadaver ejusmodi inflatum, quod post preces per Maximum ad illud publice pronuntiatas dissolutum fuerit, indeque Mahometem in admirationem raptum religionis Christianæ veritatem fateri coactum fuisse. Sed ore, non corde, cum in sua adversus eam feritate usque ad finem pertinacissime perseveraverit.* Etiam Petrus Leloyer similes Græcorum narrationes annumerat fabulis, ut Raynaudus noster infra citandus testatur.

et Allatius de iis dubitat,

1259 Leo Allatius de his mirabilibus excommunicationis et absolutionis effectibus ambigue loquitur, quando in memorata epistola ad Zacchiam num. 15 sic scribit: *Stultissima ista de excommunicatorum cadaveribus indissolutis opinatio apud eam nationem adeo invaluit, ut jam nemo sit, si uspiam tale quid comperiatur, qui dubitet, cadaver illud esse excommunicati; quod extrahunt, et variis deprecationibus ac dicendi formulis absolvunt: ordinemque in tali absolutione servandum idem Nomocanon cap.* LXXXII *exactissime prosequitur: quibus exsolutis, asseveranter dicunt, cadaver subito in cineres converti. Ipse nihil tale uspiam in Græcia vidi; audivi tamen sæpius ab Athanasio Imbri metropolita, homine frugi, et qui rem factam mendacio non contaminasset* (allegato tali teste, videtur Al-

latius

Sec. xv.

latius admittere illam Græcorum opinationem, quæ tamen ab ipso paulo superius *stultissima* appellabatur); *cum Ihasi moraretur in regione Theologi, extra urbem in ecclesia sancti Georgii exoratum a civibus, ut super cadavera, quæ ibidem pleraque conspiciebantur indissoluta, excommunicationis absolutionem recitaret, morem gessisse, neque dum finita absolutione, cadavera ea omnia in pulverem abiisse.*

etiamsi hic sibi non constet.

1260 *Referebat idem, Constantini cujusdam cognomento Rezepii, qui ex Turca Christo nomina dederat, quod vitam viveret omnibus flagitiis inquinatam, excommunicati corpus tumulatum fuisse in ecclesia sanctorum Petri et Pauli nationis Græcorum Neapoli, et per plures annos indissolutum mansisse, ab eodem postea et aliis metropolitis duobus, Athanasio Cypri et Chrysantho Lacedæmonio benedictione subactum, ut alia mortuorum cadavera, pulverem factum.* Miramur, talia excommunicatorum corpora apud Græcos in ecclesia sepeliri, ut hic narratur. Ceterum hisce subjungit magis stupendam ejusdem argumenti historiam, quam brevitatis causa prætermittimus, et ex qua sequitur, illam prodigiosæ absolutionis potestatem non tantummodo concedi episcopis, sed etiam extendi ad impios Christianæ fidei desertores, qui Christum cum Mahomete mutarunt.

E

Cum tamen viri apprime orthodoxi admittant,

1261 Si soli schismatici hunc mirum excommunicationis et absolutionis effectum testarentur, ægre illis fidem adhiberem; cum multa alia fingant, ac sæpe falsis miraculis plebem fallant, ut Richardus noster testis oculatus in Historia insulæ Sant-Erini cap. 13 variis exemplis demonstrat, et ex quo Theophilus Raynaudus in Tractatu bipartito de monitoriis ecclesiasticis et timore excommunicationis part. 2 cap. 11, tomo 14 Operum suorum pag. 478 desumpsit sequentia: *Hodiernis Græcis solenne est, jactare, quotquot a suis calogeris excommunicatione percelluntur, mulctari stranguria, ita ut subito aquam pedum nequeant effundere, donec vel restituant, quod male retinent ex alienis facultatibus, vel retegant, quod jubentur aperire. Sed cum non sit sacerdotum simplicium vibrare excommunicationem, quæ est ecclesiastici gladii exsertio, dicendum est, esse potius exsecrationem, ad quam effectus ille consequitur; et quidem non vi imprecationis intortæ a Dei ministro, sed arte magica, ut revincit, qui eum effectum Græcanicæ excommunicationis hodiernæ excutit, Franciscus Richardus in narratione de expeditione sacra ad insulam S. Irenes cap.* XIII. De his magicis artibus aut diabolicis fraudibus infra fusius agemus.

F

apud Græcos prodigia hujusmodi contigisse,

1262 Sed quamvis schismatici ad extollendam suam ecclesiam nobis sæpe mendacia obtrudant, non volumus tamen omnia negare, quæ de illis excommunicatorum cadaveribus tradunt, quia viri apprime Catholici nonnullos hujusmodi eventus pro veris habent. Imprimis Gregorius protosyncellus, orthodoxus patriarcha Constantinopolitanus, de quo supra egimus, in epistola ad imperatorem Trapezuntium tom. 1 Græciæ orthodoxæ pag. 432 pro concilio Florentino adversus schismaticos ita disserit: *Si semel quispiam excommunicationi subactus ab episcopo, tympani instar intumescit, ut hoc nostro tempore vidimus, et præsulis absolutione dissolvitur, et in pulverem fatiscit, multo magis, cum sancti patres in œcumenicis synodis convenerint.* Sic ille argumentatur ad hominem, ut aiunt, quasi dicat: Si tantum roboris habeat excommunicatio, ab uno episcopo inflicta, ut cadaver excommunicati tumidum et indissolutum reddat, quantam vim habebit anathema, quod Florentina tot præsulum synodus contra schismaticos pronuntiavit? Primo hic observari velim, hunc excommunicationis et absolutionis effectum ab ipso non referri, tamquam ordinarium; sed cujus exemplum sua ætate viderit. Præterea notandum est, ex verbis Gregorii protosyncelli non posse evidenter concludi, quod hoc prodigium tribuat episcopo schismatico, cum tunc in ecclesia Græca adhuc plures orthodoxi præsules essent.

D

non negamus ea interdum adhuc fieri;

1263 Quinimo etiam concedo, postea interdum similia prodigia in schismatica Græcorum ecclesia contigisse, tum quod Jacobus Goar ex Ordine S. Dominici, qui aliquot annis in Græcia egit, id fateatur, tum quod Raynaudus noster in Tractatu de incorruptione cadaverum cap. 7 seu tomo 13 suorum Operum pag. 51 asserat, irresoluta mansisse cadavera eorum, qui patriarcham Constantinopolitanum expulerant, et ibidem annuas Societatis nostræ litteras ita citat hujus rei testes: *Annuæ nostrorum litteræ anni* MDCXVIII, *missionis Constantinopolitanæ res describendo, idem produnt* (paulo superius nonnulla ejusdem generis exempla allegaverat) *de exturbatoribus Neophyti patriarchæ, ab eo excommunicatis. Rem tot suffragiis consignatam cur Petrus Leloyer libro 4 de spectris cap. 13, Græcanicis fabulamentis annumerare videatur, non satis assequor.* Novissime vero Nicolaus Comnenus Papadopolus, natione Græcus et doctor Patavinus, eamdem rem multis testimoniis confirmat, ut paragrapho sequente apparebit. Cum igitur scriptores probe Catholici illas Græcorum historias libenter admittant, nondum video, quo fundamento eas omnes, quantumvis prodigiosas, liceat anilibus fabulis accensere.

E

sed putamus vix decimæ talium narrationum parti fidem adhibendam esse,

1264 At nonnemo hic ex me quæret: An igitur fidem adhibes omnibus historiis, quæ hac de re passim apud Græcos circumferuntur, et an putas, hunc excommunicationis et absolutionis effectum apud ipsos ordinarium esse? Ad primum respondeo, vix decimam similium narratiuncularum partem mihi veram videri: quis enim facile credat, ab Athanasio Imbri metropolita post solam excommunicationis absolutionem statim in pulverem redacta esse omnia illa cadavera, *quæ ibidem pleraque conspiciebantur indissoluta*, ut ipse superius Leoni Allatio narrabat? An ergo plerique Græci excommunicantur? Certe impios ac pessimos Christianos ibi esse oportet, ubi major pars tam horrendis vinculis constringenda est. Forte nonnulli hanc miram incorruptorum corporum conservationem causis naturalibus aut naturæ loci adscribent, de quibus Raynaudus noster in laudato Tractatu de incorruptione cadaverum cap. 5 et 6 copiose disserit. Nec desunt etiam aliqua repentinæ dissolutionis exempla: nam auctor ille polygraphus ibidem cap. 2 ex testibus oculatis refert, inventa fuisse cadavera, quæ integra apparebant, et quæ nihilominus ad primum contactum in cineres abierunt. Ego vero occultas apparentis hujus incorruptionis ac subitæ dissolutionis causas physicis indagandas relinquo.

F

et illos excommunicationis effectus sæpe non sequi,

1265 Interea arbitror, apud Græcos in sermone de excommunicatis suis idem usuvenire, quod apud nostrates fieri consuevit, quando de energumenis, sagis, ac spectris colloquuntur: nam etiam in nostris regionibus solet plebs de ejusmodi rebus tam copiose disserere, ut in his colloquiis unam historiam prodigiosam mox altera magis prodigiosa excipiat. Tanta autem confi-

dentia

A dentia has narrant, ut eas non finxisse, sed spectasse videantur. Attamen viri prudentes decimæ similium narrationum parti fidem non adhibent. Sic itaque in Græcia existimo contingere, ut vulgus uni historiæ veræ superaddat decem confictas, quas pueri a nutricibus aut matribus audierunt. Prorsus quoque probabile est, hanc levem plebeculæ persuasionem ab episcopis et sacerdotibus schismaticis foveri ac confirmari, ut subditi saltem in exteriori legum ecclesiasticarum observantia contineantur, sacerdotes suos revereantur, ac talem excommunicationis pœnam extimescant. Id usque adeo verum est, ut Pantaleo Ligaridius, postmodum allegandus, non diffiteatur, hoc solo timore sacra omnia penes Græcos schismaticos gubernari.

sicut uno

1266 Nunc ad alteram interrogationis partem respondeo, præfatos excommunicationis et absolutionis effectus non semper sequi consuevisse. Primo id testatur D. Ricaut, heterodoxus Anglus, qui in opusculo de statu præsenti ecclesiæ Græcæ cap. 13 scribit, sese in Græcia adfuisse effossoni cadaveris excommunicati; sed nihil in
B eo observasse, nisi quod in corporibus defunctorum videri solet. Vix dubito, quin Richardus noster a patriarcha Constantinopolitano excommunicatus fuerit, quando idiomate Græco vulgari edidit librum, cui titulus est : Τάργα τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας, id est *Clypeus Romanæ Ecclesiæ :* cum enim patriarcha et præcipui ex clero Græco hunc libellum inter suos spargi viderent, eumque schismati suo maxime noxium judicarent, opusculum hoc comburi jusserunt, et sub severissima excommunicationis pœna legi prohibuerunt, ut præfatus heterodoxus Anglus cap. 1 proxime citati sui operis narrat. An forte Græci nobis persuadere volent, post mortem indissoluta mansisse corpora omnium illorum, qui hunc libellum utiliter legerunt, et ea lectione ad gremium Romanæ Ecclesiæ reversi sunt? At auctor libelli hanc pœnam præcipue meruisset, qui tamen post apostolicos triginta fere annorum labores, et plures schismaticos ad unionem Catholicam reductos, anno Christi MDCLXXIII Negroponti pie in Domino obdormivit, et communi hominum conditione in pulverem reversus est.

alteroque exemplo demonstratur

1267 Imo ipse Richardus in Historia insulæ Sant-Erini cap. 13 satis lepidam de inefficaci ex-
C communicationis sibi impactæ effectu narrat historiam. Cum in insulam Sant-Erini venisset calogerus quidam schismaticus, nomine Joachim, qui sanctus et thaumaturgus videri volebat, et a Richardo nostro sese injuria affectum crederet, induxit archipresbyterum schismaticum, ut die Dominico publicam excommunicationis sententiam contra Richardum aliosque Latinos ferret. Ea lata, schismatici confidenter jactabant, omnes istos excommunicatos urinam non emissuros, donec delicti sui veniam peterent, et cum sancto calogero in gratiam redirent. Cum hi minas istas exploderent, ac interim recte valerent, eodem die equus archipresbyteri crepuit, nec ipse ab eodem periculo longe aberat, nisi iterata medicamenta adhibuisset. Nihilominus schismatici pertinaciter asserebant, excommunicationem intra octo dies certo effectum suum habituram. Post faceta quædam ejusdem comœdiæ episodia, elapsis octo diebus, cum omnes excommunicati perfecta incolumitate fruerentur, venit ad eos diaconus istius calogeri, et honori magistri sui consulere volens dixit : Magistrum meum miseret vestri, nec vos perditos voluit, quando excommunicatio prolata est; alioquin nomina vestra inscripsisset foliis lauri, et illa aquæ immersisset; quo facto, paulatim vitam deseruissetis ea proportione, qua characteres nominum vestrorum in aqua deleti fuissent. Sed dum imprudens discipulus hoc modo famam magistri sui defendere nitebatur, eam maxime lædebat : nam Latini ex illa excusatione inferebant, magistrum ejus magum esse, qui ad obtinendum excommunicationis effectum talibus mediis uti consueverat; adeoque non debuisse tam ægre ferre, quod antea ipsum vero suo nomine compellassent. Sic itaque inanis illa excommunicatio non sine orthodorum risu evanuit.

et Græcus Nomocanonis auctor fateri cogitur,

1268 Non est pluribus exemplis probandum, corpora defunctorum in excommunicatione sæpius ut alia, in cineres resolvi, cum id fateri cogatur ipse Græcus Nomocanonis auctor, qui apud Allatium in jam aliquoties memorata epistola ad Zacchiam num. 14 sibi objicit sequentia : *Quidam præsules suos homines juste, rationabiliter, et legitime, veluti divinæ legis transgressores, excommunicarunt, qui in excommunicatione diem obierunt, nec vivi resipuerunt ad habendam absolutionem.* E *Eos sepelierunt, et non multo post inventa sunt eorum corpora dissoluta, et os ab osse separatum.* Tum huic objectioni respondet, aut potius ad eam ita exclamat : *O rem miram! Terribile est hoc et revera admirabile! Cum eos legitime antistes excommunicarit, quanam ratione non inveniuntur eorum corpora integra et indissoluta, quemadmodum et aliorum excommunicatorum, quæ etiamnum videntur? Res maxime mira et terribilis! Dominus vero noster dixit : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata. At hoc omnem admirationem exsuperat, eum qui legitime excommunicatus est, post obitum inveniri corpore dissoluto, et compagibus omnibus separatis.* At ego magis miror, cadavera illa inveniri integra, et textum sacræ Scripturæ hic ab inepto illo interprete ita detorqueri, acsi ita Christi verba ad ligandum ac dissolvendum corpus pertinerent.

qui ea occasione contrariam narrationem aliorum Græcorum

1269 Denique superstitiosus ille legislator ex sententia *divinorum magistrorum,* ut jactat difficultatem illam ita resolvit : *Qui juste, rationabiliter, et legitime a suo antistite excommunicatus est, et post mortem dissolutus comperitur, ipse spem salutis nullam habet; non quod divinas leges trans-* F *gressus fuerit, sed ne conversus et pœnitentiam agens, veniam delictorum ab eo, a quo excommunicatus est, antistite consequatur : propterea dissolutus inventus est; ideoque ultra ipse nullam spem habet veniæ consequendæ, quod jam particeps factus sit numquam desinentis punitionis. Qui vero excommunicati comperiuntur, hoc est quorum corpora indissoluta et integra remanent, indigent absolutione, ut ab excommunicationis vinculo liberentur : quemadmodum enim super terram corpus ligatum invenitur, ita et anima ejus ligata est, et sub potestate diaboli punitur; et cum corpus habuerit absolutionem, et ab excommunicatione exsolutum fuerit, ita, annuente Deo, et anima illius e manibus diaboli liberatur, composque fit vitæ sempiternæ, numquam occidentis lucis, lætitiæque, quæ verbis exprimi non potest.* Quomodo hæc doctrina cohæret cum inferius referenda narratione aliorum Græcorum, qui rotunde affirmant, corpus Arsenii Monembasiensis episcopi, quem patriarcha Constantinopolitanus excommunicaverat, post mortem repertum esse instar tympani turgidum, et nihilominus animam ejus eo abiisse, quo Nestorii aliorumque hæreticorum animæ præcesserant? Si enim indissolu-

SEC. XV.

tum Arsenii cadaver intumuerit, jam juxta hunc Nomocanonis auctorem adhuc ei supererat spes salutis, et e manibus diaboli liberari poterat, etsi cum Nestorio, aliisque hæreticis in infernum detrusus esset.

et simul hæreticam doctrinam tradit.

1270 Acutus scilicet iste disputator duas damnatorum species videtur distinguere, et adhærere supra memorato errori quorumdam Græcorum, qui Purgatorium Latinorum rejiciunt, et interim cruciatibus reproborum cum Origene finem imponunt. Sic Gabriel Philadelphiensis et Georgius Coresius, qui Purgatorium contra doctrinam antiquæ suæ et Romanæ Ecclesiæ negant, asserere non verentur, animas damnatorum a pœnis inferni liberari, ut Leo Allatius Dissert. 2 de libris ecclesiasticis Græcorum pag. 334 et 335 ex eorum verbis ostendit, ubi etiam paginis sequentibus hanc hæresim operose refutat. Nobis hic sufficit, incertum Nomocanonis auctorem fateri, quod illa cadaverum incorruptio interdum excommunicationem non sequatur. Non tamen propterea negamus, aliquando contingere istud prodigium, quod Græci ad extollendam ecclesiæ suæ auctoritatem tam sæpe nobis obtrudunt, et tamquam quotidianum prædicant. Etiam in Ecclesia Latina suppetunt irrefragabilia hujus rei exempla, quorum aliqua apud Theophilum Raynaudum tomo 13 pag. 51, et tomo 17 pag. 640 legi possunt, et ex quibus hic dumtaxat referemus unum alterumve, quod simul excommunicationis et absolutionis efficaciam in Ecclesia Latina demonstrat.

B

Miraculis adscribendi sunt similes excommunicationis et absolutionis effectus,

1271 Præ aliis adduco oculatum similis portenti testem, qui in Encomiastico Augustiniano Philippi Elffii pag. 244 *vir multum religiosus, disciplinæque amantissimus, doctrina et eloquio celebris, in omni facultate promptus, sacrique eloquii præco celeberrimus* vocatur. Is est Gotschalcus Holen, qui circa finem seculi xv in Ordine S. Augustini floruit, et ad incutiendum auditoribus suis salutarem excommunicationis horrorem serm. 62 partis hyemalis inter alia concionis istius argumenta protulit proprium testimonium, quod apud nos in editione Hagenoënsi anni MDXIX sic sonat : *Vidi ego tempore, quo eram studens in conventu Senarum in Italia, quod corpus cujusdam mulieris fuit effossum, quod jacuit annis septuaginta in terra, et adhuc fuit integrum in membris omnibus et capillis, quod fuit appodiatum et erectum ad murum, ad quod videndum confluebat tota civitas. In media vero nocte sacrista volens intrare ecclesiam, et accendere lampadem pro Matutino cantando, eo egrediente, illud corpus sequebatur eum clamando, quod in excommunicatione fuisset sepulta, (et illius) ergo resolvi non posset. Vade igitur (aiebat) ad legatum Papæ, ut mihi beneficium absolutionis injungat, tunc resolvar. Quod factum*; *mox absoluta, et corpore asperso cum aqua benedicta, mox fuit resolutum in cineres.*

C

qui subinde in Ecclesia Catholica evenisse ostenduntur.

1272 Antiquius hujus rei exemplum legitur in Historia ecclesiastica Adami Bremensis, qui lib. 2 cap. 24 mirum excommunicationis et absolutionis effectum exponit his paucis verbis : *Libentius archiepiscopus thesaurum ecclesiæ, omniaque ecclesiastica fecit ad Buccensem deportari præposituram. Tantus itaque timor in finibus hujus parochiæ omnibus erat : nam et ipse pontifex piratas, qui episcopatum vastabant, anathemate damnavit; quorum unus in Norwegia deficiens, per annos septuaginta integro corpore permansit usque ad domini Adalberti tempora archiepiscopi, quando Alwardus episcopus illuc veniens, defunctum vinculo excommunicationis absolvit, et mox cadaver in cinerem est solutum.* Albertus Krantzius lib. 3 Metropolis cap. 42 affirmat, id evenisse duci piratarum, ut Majores nostri in Vita S. Libentii, archiepiscopi Bremensis, ad diem IV Januarii cap. 2 in margine observarunt. Porro dum in Ecclesia Catholica post pias præsulum orthodoxorum vel Sanctorum preces subinde prodigiosi tales effectus sequuntur, illos divinæ potentiæ adscribere oportet, atque reponere inter miracula, quorum potestas non videtur attribuenda hæreticis aut schismaticis, ut postea probare conabimur, ubi prius contrariam quorumdam scriptorum sententiam proposuerimus.

D

§ III. Opinio Goaris et Papadopoli de potestate, qua cadavera excommunicatorum apud Græcos schismaticos indissoluta manent, et post absolutionem in cineres revertuntur.

E

Efficaciam excommunicationis et absolutionis Jacobus Goar,

Jacobus Goar ex sacro Prædicatorum Ordine, qui per octo et amplius annos in Oriente commoratus est, in notis suis ad prædictum Græcorum Euchologium pag. 688 de hac prodigiosa cadaverum excommunicatorum integritate sic disserit: *Corporis humani in elementa, unde conflatur, resolutio, sicut peccati pœna est, mitigatæ versus peccatores aversionis divinæ signum elucet, et beneficium est multis precibus nonnumquam obtinendum : velut enim mortem secuta corporis integritas in justis a peccati pœna exemptionem et immunitatem, sic in flagitiosis, et ab Ecclesiæ communi convictu segregatis summam in eos Dei indignationem arguit. Græci itaque, si quæ post mortem in terram non soluta corpora reperiant, hæc vel Sanctorum reliquias vel perditorum hominum et excommunicatorum horrenda cadavera opinantur : reliquias quidem sacras, si suavem exhalent odorem, aliqua decoris luce præfulgeant, nec quidquam horroris præmonstrent; abominanda segregatorum cadavera, si, ut ipsi aiunt, τυμπανικά ad tympani morem turgentia, nigra, deformia appareant. Nec judiciis falluntur: longa enim apud eos compertum est experientia, excommunicati cujuslibet* (hic Græco Nomocanonis auctori contradicit, ac nimium asserit, ut ex paragrapho præcedente liquet) *corpus post mortem non putrescere; pluresque reperi de auditu et visu testes, cadavera hujusmodi incorrupta in terram suam, absolutione accepta, sub omnium oculis, mox ut ligone a pontifice percussa fuerant, redacta fuisse affirmantes. Id nec Latini, Græcorum abusus, errores et apocrypha alioqui subsannare soliti, ubi inter eos habitant, falsitatis arguunt; imo ut toleratæ in eis ecclesiasticæ potestatis argumentum suspiciunt.* Non placet nobis hæc clausula, ut paragrapho sequente fusius dicetur.

F

et Nicolaus Comnenus Papadopolus agnoscunt in schismatica Græcorum ecclesia,

1274 Nicolaus Comnenus Papadopolus in Prænotationibus mystagogicis, quas Patavii anno MDCXCVII edidit, respons. 4 sect. 5 hanc Goaris sententiam confirmare nititur pluribus testimoniis ac argumentis, quæ omnia fideliter transcribam, ne vim illorum diminuisse videar, iisque dumtaxat breviter observationes quasdam interseram, quas paragrapho sequente latius explicabo, uti etiam difficultates meas opinioni ejus opponam. Imprimis loquentem inducit quemdam

Græcum

A Græcum schismaticum, qui de Latinis, tamquam in ecclesiam suam injuriosis, ita conqueritur: *Pernegant a nostris miracula passim edita, ea calumniantur, aiuntque in Beelzebub nos mira patrare. Inficiantur, anathemata nostra tantarum esse virium, ut damnatorum cadavera inflent, atque illud conficiunt, falsum esse, lata sacri vinculi solutione, exterminatorum ab ecclesia nostra cadavera solvi, atque quiescere.*

qui posterior perperam addit, illam ab omnibus Latinis admitti,

1275 Huic querelæ Papadopolus sic respondet: *Imo vero nihil horum Latini. An Goarius Latinus non est? Sane Latinus, virque doctissimus, inter Latinos natus, educatus, eruditus, et in Latinissima Prædicatorum Patrum ac religiosissima familia vitæ institutum sacræ professus, Latine scripsit, Latine docuit. Vide, quid de hoc ipso prudenter, sapienterque censuerit. Dices, nihil esse, quo timeat Græcia vel Photiana; esse multum, quo grata Latinis sit, quorum ope sacra nostra sunt tuta.* Ita Græcus ille orthodoxus Græcum schismaticum refutat. Sed uterque inviolabiles veritatis terminos transgreditur. Hic quidem errat, dum generatim de omnibus Latinis asserit, quod schisma- B ticorum miracula, et miram excommunicandi ac absolvendi efficaciam negent aut calumnientur: aliqui enim Latini et Græci Catholici illas prærogativas, tamquam gratias gratis datas, haud gravate in schismaticis agnoscunt, ut ex dictis dicendisque manifestum fiet. Ille vero fallitur, dum Græco conquerenti generaliter respondet, Latinos nihil horum negare: nam illustrissimus Spondanus, aliique istas Græcorum narrationes fabulis annumerant, et nonnulli miros hos effectus dæmoni et superstitioni schismaticorum adscribunt, ut per decursum apparebit.

citatisque variis scriptoribus,

1276 Porro Papadopolus ibidem num. 4 ex supradicta responsione sua sic concludit: *Primo igitur falsissimum est, quæ de tympanitis hujusmodi Græcia videt, Græcia narrat, Græcia testatur, a Latinis negari. Plerique tacent, non pauci negligunt, multi ultro confirmant, quod dicimus: non enim solus Andreas Eudæmon-Joannes, vir Græcus, sed inter paucos, teste Sfortia Pallavicino Cardinali, doctissimus hæc et refert et approbat ex Callisto Baxio et Thoma Selybrio, sed et Martinus Crusius Theuto et Lutheranus, ibidemque Goarius Gallus, et Labacius Panno eadem et memorant et tu-* C *entur. Neque aliter fas viris doctis atque modestis, qui ab integra gente propalam affirmata, ipsisque Turcis videntibus manifesta, negare non possunt.* Tum ad majorem assertionis suæ confirmationem narrat exemplum falsæ istius accusatricis, cujus cadaver sub Mahomete II integrum repertum est, et quod post absolutionem, mirantibus Turcis, subito dissolutum fuisse dicitur. Sed historiam illam hoc loco non transcribimus, ne actum agamus, cum eamdem superius ex Turco-Græcia sat fuse retulerimus.

qui de ea testimonium perhibent,

1277 Huic historiæ, quam dicta de causa omittimus, subjungit sequentia: *Ita auctor Turco-Græciæ cum Cicala, adjectis rei pluribus exemplis aliis, quæ una cum notissimo hoc, quod retuli nuper, auctores tum Græci, tum Latini recipiunt, asseruntque; eademque fatentur et Turcæ, quemadmodum tradunt Georgius Bustronius et Marcus Lima Græci sane, sed in religiosissima Societatis Jesu familia rerum contemptum professi, quorum suffragio, Græcorum etiam Photianorum anathema, rite atque in pœnam criminis latum, itidemque ejusdem anathematis venia, per preces ex Euchologio depromptas collata, miros parit inspectosque ab ipsis, qui hæc referunt et probant, effectus.* Omnes hi testes quidem probant, miros hujusmodi effectus in schismatica Græcorum ecclesia interdum evenire, quod nos nequaquam inficiamur; sed non arbitror, Georgium Bustronium et Marcum Limam, aliosque orthodoxos Græcos aut Latinos fidem adhibuisse singulis exemplis, quæ auctor Turco-Græciæ, et Malaxus, aliique schismatici scriptores referunt: nam ab illis etiam narratur, quod corpus Arsenii, orthodoxi Monembasiæ præsulis, quem vivum schismaticus Constantinopolis patriarcha anathemate percusserat, post mortem tumidum ac indissolutum apparuerit, eidemque narratione inseruntur alia mendacia, quæ infra detegemus. Quis autem Catholicorum id credat? Si tanta esset schismaticorum in orthodoxos potestas, certe nobis vehementer timendum esset. Sane si me schismaticus patriarcha Constantinopolitanus excommunicaret, id perinde curarem, acsi summus Turcarum sacerdos mihi simile anathema inflixisset.

eamdem experientia sua confirmat,

1278 At fortasse dices, Papadopolum orthodoxum damno suo didicisse, quanta sit sacerdotum Græcorum in hujusmodi rebus potestas, ut ipsemet loco proxime citato testatur in hunc modum: E *His addo testimonium juratus meum, aioque, diras hujusmodi, quas Græci juste sacerdotes pronuntiant, efficacissimas esse; id quod expertus in pueritia mea olim Cretæ testor ingenue, ac religiose profiteor: cum enim ludibundus puer, ut mos est, confictis ex calamo clysteribus liquidam ejacularer, prætereuntis forte sacerdotis barbam faciemque non sine spectantium risu, magnaque viri contumelia proterve perfudi. Ille iratus diris me ex canonum scitis traditisque a magno Basilio devovit: quibus vix peractis, dolere caput, febre corpus tentari, uno verbo graviter ægrotare cœpi; quo morbo miserrime multatus per mensem decubui; donec matri fassus illatam presbytero injuriam, clam patre, ut in gratiam sacerdotis redire fas esset, postulavi. Exoratus est precibus atque munusculis, quas oblationes dicimus vulgo, minister, læsus ægrum me, atque tunc etiam fervore febris æstuantem adiit, osculatus est, stolatusque ubi perbrevem verborum periodum protulit, qua me a diris omnibus absolvebat, indulgebatque peccati veniam ejus potestate, qui dixit:* Ὅσα ἐὰν λύσητε, ἔσται λελυμένα (id est *quæcumque solveritis, erunt soluta*, etc., ut habet Matthæus cap. 18 ✝ 18) addit et. εὐχὴν εἰς ἀσθενοῦντα, id est, *orationem ad infir-* F *mum, quam ex Coresio refert Goarius in Euchologio, qua vix absoluta, statim convalui.*

qua tamen non evincit,

1279 Non possum, quin Papadopolo jurato credam, id ita ipsi contigisse. Sed non pauca in hac imprecatione et absolutione mihi displicent, quæ hic summatim attingam. Primo non placet sæva presbyteri iracundia, qua ob inconsideratam petulantiam rudi puero tam gravem ac diuturnam pœnam inflixit: hoc enim a mansuetudine Christiana, ac præsertim sacerdotali, videtur prorsus alienum. Quis autem facile sibi persuadeat, Deum ordinarie tam prodigiosam potestatem sacerdotibus Græcis concedere, et in hoc casu tam immitem irati presbyteri vindictam miraculo confirmasse? Secundo tam subitaneus exsecrationis effectus mihi non parum suspectus redditur de maleficio, eo quod sacerdos ille munusculis allici debuerit ad impertiendam absolutionem: sic enim magi aut veneficæ non nisi minis aut promissis induci solent, ut illatum a se maleficium tollant.

effectum istum potestati ecclesiasticæ tribuendum.

1280 Nec ab hac suspicione me retrahit testimonium Papadopoli, qui hoc loco affirmat, in ea absolutione presbyterum illum nomine Christi usum

Sec. xv.

usum esse, et orationem ex Euchologio recitasse: nam ibidem addit, se ab eodem osculum accepisse, stolatumque sacerdotem *perbrevem verborum periodum* protulisse, qua a diris omnibus ipsum absolvebat. At Papadopolus, tunc adhuc rudis puer, non poterat certo judicare, huic perbrevi verborum periodo nullas superstitiosas circumstantias immisceri, qualibus magi etiam piissimas orationes contaminare consueverunt. Præterea malefici, qui rebus et verbis sacratissimis abuti solent, osculo, afflatu, solisque verbis possunt maleficium inferre ac solvere, ut tradit noster Martinus Delrio, aliique passim, qui hanc materiam pertractarunt. Certe apud Græcos presbyteros nimis usitatum est, maligna imprecatione urinam detinere, et similia ope dæmonis facere, ut supra paucis dixi, et infra ex oculato et aurito teste pluribus exemplis confirmabo. Quapropter non omnino temere suspicor, sacerdotem illum potius Papadopolo maleficium intulisse, illudque ob munuscula solvisse, quam ope Dei verum miraculum patrasse.

Papadopolus quibusdam exemplis,

1281 Jam progredimur ad cardinem rei, de qua inter nos disputatur, et quam Papadopolus urget, populares suos schismaticos ita alloquens: B *Ut quid igitur irasci Latinis, quasi anathematum nostrorum nota et translativa miracula pernegent, aut ecclesiæ nostræ, superos deprecantis, efficacitatem inficientur; cum contra quicumque de his egere (excipe unum Allatium, qui dubitat) ea omnia fateantur? Norunt enim nullum inde orthodoxæ fidei damnum parari, nullum præsidium Photianæ perfidiæ: nam duo certissima sunt sanæ mentis hominibus. Primum, nullum fieri miraculum posse in testimonium heterodoxæ fidei, hæresisve confirmationem: miracula enim testimonia sunt Dei, ut constat ex verbis Christi, et sententia Pauli Apostoli; cumque Deus testimonium mendacio, falsove dogmati perhibere non possit, sequitur, miracula ad confirmationem mendacii aut hæresis fieri non posse, id quod Bessarion et, ejus nomine suppresso, Bellarminus singillatim ostendit, et palam est nostris ex iis, quæ tradunt Hegesippus de Simone mago, Epiphanius de Manichæo, Gregorius Turonensis de Cyrola Ariano, Cassianus de Eunomiano quodam, sexta synodus de Polychronio Monothelita, qui omnes comprobaturi sua dogmata, frustra diu conati sunt,* C *nec sine præsenti periculo pœnæ divinitus illatæ, quam idem ausi alii subiere, ut referunt Optatus de Donatistis, Theodorus Lector de Timotheo Æluro, Paulus diaconus de iconomacho sacerdote, et Bellarminus ex probatissimis auctoribus de Luthero et Calvino.*

et auctoritate Bessarionis recte probat,

1282 *Quapropter egregie Bessarion, his omnibus eloquenter expositis, sic Gennadium alloquitur: « Quæ divinitus ab inexspectato fiunt, quæ mira » sane dicuntur, suntque supra naturam, atque vi- » dentur, extra orthodoxam fidem fieri non possunt, » si vel testimonium petunt ad confirmationem erro- » ris, vel laudem mali operis. Unde et hoc sequi- » tur, miracula ex multis fidei signis unum esse. » Dices: Palamam quoque thaumaturgum appellant » Thessalonicæ. At somnia hæc sunt scelestorum » monachorum, quæ nos olim præsentes sub infe- » lice rege nostro debellavimus, et absentes frater- » nitati tuæ, sanctissime domine, ut ea vetes, propo- » nimus. » Hunc in modum Bessarion, ex cujus mente fas est interpretari communem orthodoxorum sententiam docentium, extra Ecclesiam miracula esse non posse. Quod dictum ita intelligendum est, ut neget, miraculum fieri posse ad comprobandam fidem, ab orthodoxa diversam, aut alia invocatione fieri posse, quam nominis veri Dei, et* D *Christi Servatoris, aliisve precibus, quam quæ ab Ecclesia probatæ sunt, vel saltem ab eadem non reprobatæ: nam quod etiam ab infidelibus et hæreticis ad veræ fidei probationem, aut invocatione virtutis divinæ, aut precibus ab Ecclesia usurpatis quandoque miracula et fiant, et fieri possint, nemo umquam negavit.* Quidquid sit de mente Bessarionis, quæ aliter explicari posset, quidam viri pii et docti putant, nullum umquam miraculum ab hæretico aut schismatico patratum fuisse, ut postea dicemus.

miracula fieri non posse ad confirmandum errorem;

1383 Porro laudatus doctor Patavinus sic opinionem suam stabilire pergit: *Fatetur id Bellarminus palam his verbis: « Tribus modis pecca- » tores » (quo nomine etiam infideles complectitur, ut ex propositis ab eo constat) « orare possunt. Uno » modo, ut impetrent a Deo miracula in confirma- » tionem fidei; et hoc modo fieri potest, ut peccato- » res impetrent, si veram fidem confirmare velint, » quia tunc non est propria ipsorum vita, meritum » vel etiam oratio, quæ miraculum impetrat, sed » fides vera, quæ confirmanda est, vel invocatio* E *» nominis Dei, aut signum crucis, et aliquid ejus- » modi, quo ille utitur ad faciendum miraculum. » Ita Bellarminus, cui addi possunt loca plurima, ex quibus ostenditur, etiam eos, qui mali improbique sunt, exaudiri a Deo. Retulit ea Bessarion loco citato, et ibidem Bellarminus, dissimulato Bessarionis nomine, ne quid Græco tribueret, qui tamen a Græco amico Andrea Eudemon-Joanne plurimum opis atque auxilii semper accepit.* Hac clausula Græcus disputator perperam perstringit Bellarminum, tamquam plagiarium, et ingratum erga Græcos, cum toti orbi notum sit, hunc eminentissimum virum ea pietate fuisse præditum, ut ab hujusmodi vitiis esset alienissimus; ea quoque eruditione, ut facile per se posset adire eosdem fontes, ex quibus Bessarion sua argumenta hauserat.

at contendit, ea etiam ab infidelibus

1284 Ex his idem doctor Græcus sic infert: *Igitur exaudiri et peccatores et improbos a Deo palam est ex illis: Omnis, qui petit, accipit, et qui quærit, invenit. Quæ verba explicans auctor Operis imperfecti, quod Chrysostomo tribuitur: Sive justus, inquit, sive peccator. Constat ex illis improborum verbis: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in no-* F *mine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Ubi notandum est adverbium* NUMQUAM, *quo nempe constituitur, vel infideles miracula ex nomine Christi operari posse: hi enim sunt illi, quos numquam novit Christus, cum peccatores fideles saltem in baptismo, saltem in ipsa infantia noti fuerint Christo, ea nimirum notitia, de qua Servator alibi dixit: Cognosco oves meas.* Etsi Papadopolus hic subtiliter argumentetur ex adverbio *numquam*, tamen varii sacræ Scripturæ interpretes hunc textum explicant de improbis Christianis, ut apud nostrum Cornelium a Lapide, et Calmetum in notis ad hæc Christi verba licet videre.

et hæreticis patrari posse

1285 *Propterea* (sic ibidem Papadopolus argumentum suum prosequitur) *vel qui Christum non sequebatur, exturbare dæmones potuit, quem cum a patrando miraculo prohiberent apostoli, vetuit tantam sinisteritatem clemens Magister: Nam, inquit, qui non adversum vos est, pro vobis est. Quo effato docuisse videtur, eum, qui vi nominis Christi, quamvis alioqui perfidus, utitur ad patranda miracula, eo in opere tamquam fidelem habendum, quando non sua vi agit, aut sua fide nititur ad prodigium,*

sed

sed veri Dei potentiam, veræque fidei opem adhibet, qua scilicet agit, quod agit. Hinc Petrus cum claudo gradiendi potentiam fecit, rem fidei, quæ eo prodigio confirmabatur, attribuit : Fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam. Et Hilarius eos sugillans, qui de patratis miraculis superciliose gloriabantur : Quasi vero, inquit, eorum aliquid proprium sit, et non omnia virtus Dei invocata perficiat. Quod hoc loco spectat ad istum dæmonum expulsorem, qui ab Apostolis id facere prohibebatur, nonnulli existimant, illum tunc doctrinam Christi amplexum fuisse, etiamsi Dominum corpore non sequeretur, ut ceteri Apostoli, qua de re consule Calmetum aliosve obvios sacræ Scripturæ explicatores.

quia hoc errori aut hæresi non favet,

1286 Post hæc memoratus disputator aliquas assertionis suæ rationes ita reddit : *Ratio horum omnium, quam a priori vocant, duplex est. Prima, quoniam Numinis majestatem haud dedecet testimonium veritati perhibere vel ad preces hostium suorum : neque enim inde quidquam summæ veritati ac veracitati dissentaneum inferri potest; infertur potius aliquid summæ Numinis clementiæ consentaneum. Secunda, quia miracula charismata sunt gratis data, uti scholæ loquuntur; quæ nimirum nullo modo meritum operantis respiciunt. Hinc neque fidem, neque mores operantis probant, nisi ad hoc singillatim tententur : ut plane absurde et ritu vulgi ratiocinari censendus sit, qui ex miris operibus sanctimoniam, aut, uti dicimus, orthodoxiam operantis compertam velit. Quo fit, ut ad id, de quo cum Margunio disputamus, regressi palam asseramus, tympanitarum miraculis nihil Photianos probare. Patrantur ea in ecclesia Græca, etiam schismatica, sive quod postulata ad fidei Christianæ coram Musulmanis confirmationem, qualia sunt pleraque ex iis, quæ relati auctores adducunt; sive quod petita precibus, per sanctissimos patres ad id institutis, non sine efficacissima divinæ omnipotentiæ invocatione, quales omnino censendæ sunt illæ, quibus ad hoc ipsum utimur, ex veteri traditione Basilio magno attributæ, ut Nicolaus Muzalo patriarcha Constantinopotitanus penes canonarcham refert; seu denique quod Christianæ religioni sub jugo barbarorum sensim deficienti penitus sunt necessaria.*

atque hinc infert, talia in schismatica Græcorum ecclesia a Deo permitti

1287 *Verissimum enim est, quod Pantaleo Ligaridius, vir doctus et orthodoxus de hoc ipso scripsit : Existimo autem, propterea Deum nobis nunc etiam manifestam ecclesiasticæ excommunicationis efficacitatem præstare, ne multati Sarracenorum tyrannide, fide excidamus Christiana, vel ut numiminis præcepta amoremque erga proximos exerceamus : evidentia enim miraculi confirmat fidem; terror autem pœnæ abstinet nos ab iniquitate, bonumque timorem facit : is autem tantus est, ut hoc uno sacra penes nos omnia gubernentur, atque adeo manifeste vel a perfidis hominibus obsequium exigit, ut si quando civilis controversia difficilem habens, quemadmodum usuvenit, probationem Turcam inter et Græcum cedit, vel ipse Turca juri suo renuntiare paratus sit ultro, si Græcus diras in dolum a sacerdote Græco inferendas subire velit. Neque aliter incesta conjugia, sacrilegia, ceteraque majora crimina in Græcia puniuntur, quam ἀφορισμῷ; cujus formido adeo ecclesiæ, Turcarum calumniis obnoxiæ, furorique necessaria est, ut, ille si desit, Christiana religio in Græcia pereat, opus sit.*

ne hæc inter Turcas pereat,

1288 *Hinc Pater ille misericordiarum, qui non ad penitissimam perniciem nos punit, sed patienter exspectat, hanc opem, hoc reliquum præsidii vel hostibus nostris Photianis impertit, ne dum necessaria conservandæ in Græcia religioni perfidissimis hominibus denegat, ecclesia illa penitus ruat, quam primam Apostoli principes aluere, doctores maximi docuerunt, Martyres pene dixerim infiniti generoso sanguine purpurarunt.* At quid interest, perire illam ecclesiam, seu potius synagogam satanæ, cujus ministri in schismate et hæresi pervicaces, adeoque in statu peccati mortalis sacramenta administrantes, quotidie sacrilegia committunt, atque ita majorem divinæ justitiæ vindictam provocant? Certe non legimus, schismaticas Armenorum, Nestorianorum, aliorumque Orientalium hæreticorum ecclesias similibus miraculis sub dominio Turcarum, Indorum, Persarumque conservari. Ex hoc Papadopoli ratiocinio sequeretur, saltem orthodoxam Catholicorum ecclesiam in imperio Sinensi, aliisque Indiarum regionibus, ubi inter ethnicos floret, consuetis hujusmodi prodigiis confirmandam esse. Sed licet in Indiis, ubi Catholici inter gentiles vivunt, interdum manifesta fiant miracula; tamen ea non patrantur quasi stata lege, ac ordinaria sacerdotum potestate, qualem Græci schismatici sibi arroganter vindicant, qualemque Goar et Papadopolus eis concedunt.

ac dein exemplo quodam probat, illum absolutionis effectum non sequi,

1289 Porro pergamus hunc audire, ubi contra populares suos ita argumentatur : *Norunt hæc omnia Latini; imo ipsi primi sapientissime comminiscuntur; et palam est ex relatis superius; nec aut ita dementes sunt, ut inficias eant, quod tot testibus constat, aut ita rationum sunt inopes, ut ignorent, nihil inde fore præsidii Photianis, quorum damnata dogmata his miraculis non probantur, damnantur potius, ac penitus profligantur : nam, ut narrat, quem nuper laudavimus, Ligaridius, ea tempestate, qua Josaphat ille sanctissimus archiepiscopus Polocensis, de quo vide, si vacat, Allatium, quique apud Lechos orthodoxæ fidei martyr occubuit, schisma ea in gente debellaret, hoc portentum accidit plane mirabile. Sacerdos quidam Ruthenus ad absolutionem tympanitæ excommunicati vocatus, sic orsus est preces : Si bene opinamur, detestati impios azymitas et dogmata Latina secutos, Domine Deus noster, qui tua ineffabili, etc. Absolutis precibus, consuetum miraculum non evenit; sed erat cadaver, ut antea, in morem tympani inflatum. Supervenerat forte Josaphat, tunc sacerdos et concionator : hunc orat populus preces resumere, et juxta morem perficere. At ille, occasione sumpta, dixit : Viri amicissimi Christi, solitum portentum editum non est, ne Deus mentiatur; quod nefas. Agite igitur, discite vera esse, quæ a me vobis prædicantur. Hæc ubi dixit, sacram induit stolam, exclamatque alta voce : Si vera credimus, qui docemus, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, Archiepiscopum veteris Romæ juxta Florentinam synodum patrem esse ac magistrum omnium Christianorum et Christi vicarium, quique ea, quæ ipse sentit, sentimus, Domine Deus noster, etc. Vix autem ea precatione peracta, solutum cadaver est non sine ingenti strepitu, quem populus auxit clamore et fletu. Hæc Ligaridius Græcus, et alioqui non admodum æquus Latinis.*

si quis ad stabiliendum schisma eo abuti velit.

1290 Non satis intelligo, qua ratione Ligaridius hoc loco dicatur *non admodum æquus Latinis*, qui supra *vir doctus et orthodoxus* ab eodem scriptore appellabatur. Hactenus putaveram, solos Græcos schismaticos Latinis iniquos et infensos esse; sed ignorabam, inveniri tertium quoddam genus Græcorum, qui nempe parum æqui sunt Latinis, etiamsi orthodoxi audiant, et Latinorum dogmata sequantur. Interim apud nos non est

dictinctio

SEC. XV.

distinctio Latini et Græci, qui omnes Græcos orthodoxos, tamquam fratres, in Domino complectimur. Præterea nescio, unde Ligaridius hauserit hoc miraculum, quod de sancto Josaphato martyre narrat, cum illud frustra quæsiverim in Actis ejusdem S. Josaphati Kuncevicii, archiepiscopi Polocensis, quæ illustrissimus D. Jacobus Susza, episcopus Chelmensis et Belzensis ex variis monumentis copiose collegit, et Romæ anno MDCLXV Latine edidit. Propterea tamen non nego, rem illam contigisse : nam fortasse istud prodigium reperietur inter varia Mss. documenta de hoc insigni Martyre, quæ omnia jam excutere non vacat, et quæ in scriniis nostris reposita sunt ad diem XII Novembris, quo gesta ejus illustranda erunt. Quod si res ita contigerit, inde saltem inferri potest, Græcos schismaticos illam potestatem jactare ac detorquere ad defendendum suum schisma; ut magis ex infra dicendis apparebit.

adeoque schismaticos nihil ex illis pro suo errore posse concludere.

1291 *Ex quibus tamen colligitur* (hæc præcedenti argumentationi ac miraculo subnectit Papadopolus) *ea miracula, quæ tanti facit Margunius, nihil Photianismo prodesse, cum latura Photianismo testimonium plane deficiant, atque adeo, cum fiunt, ab eo testimonio penitus aliena sint, idque dumtaxat testantia, quod utrique ecclesiæ certum est, nimirum anathematis pœnam mortuos etiam sequi, ac proinde vel vita præsenti functos, nondumque reconciliatos Ecclesiæ, eidem ab illo, qui fungitur potestate reconciliandi, posse reconciliari.* Ex his verbis probabiliter colligo, ea miracula a Margunio in hunc finem extolli et ab ipso tanti fieri, ut schismaticam ac hæreticam suam doctrinam tueatur. Ceterum quæro, cui ecclesiæ schismatici illi excommunicati post mortem reconcilientur? Certe non Ecclesiæ Catholicæ et orthodoxæ, quam in vita sua semper aversati sunt. Quid illis obest, si ab ecclesia schismatica post obitum suum maneant separati? Quid vero saluti ipsorum prodest, si eidem ecclesiæ schismaticæ reconcilientur? Videretur ergo Deus sacerdotibus ecclesiæ schismaticæ ordinariam illam potestatem frustra concedere, et talia miracula in vanum patrare; imo rudioribus schismaticis præbere vanam gloriandi materiam, qua sæpius ad schisma suum propugnandum abutuntur.

B

Papadopolus denique affert quædam exempla,

1292 Denique mortuos ab excommunicatione solvi posse, laudatus Papadopolus auctoritate theologorum et quibusdam exemplis in citata sectione num. 9 sic probat : *Id quod cum dicit a Latinis negari, mentitur Margunius, quando id a priscis temporibus per Latinos receptum, per Latinos etiamnum passim palamque doceatur : nam absolvi posse exterminatum ab Ecclesia post mortem, et, si veræ signa bonæque mœstitiæ fecerit, absolvendum, jura Latina liquido decernunt; ad quæ vide ex theologis : divum Thomam, Paludanum, Suarium; atque ex juris canonici interpretibus : Navarrum, Alphonsum Castrensem, Joannem a Turre-cremata, Abbatem, Covarruvias, quos uni Margunio objicimus evicturos enorme mendacium, quod et historia damnat. Ex hac ingeritur omnibus Magni exemplum Gregorii, qui Justum monachum proprietatis, ut aiunt, damnatum, atque a reliquorum consortio sancti Viri præcepto rejectum, post mortem sacrificiis pro eo celebratis, et absolutione impensa, fidelium communioni restituit.*

C

ex quibus ostendit, excommunicatos in Ecclesia Latina

1293 *Idem ejusdem Pontificis exemplo altero comprobatur, quod Joannes Diaconus refert his verbis : Antequam Fructuosus quidam monachus exiret de hac vita, non solverat eum ab excommunicationis epitimio. Scribens propterea orationem in pitacio dedit diacono cuidam supra fratrem legendam; erat autem oratio solvens ab excommunicatione defunctum. Id quod Sanctus Pontifex a magistro monachorum Benedicto didicerat, qui eodem Gregorio auctore, sanctimoniales duas post obitum propter morum petulantiam linguæque procacitatem ab ecclesia sacrificii tempore egredi visas, quod, cum inter vivos agerent, excommunicationis gladio fuerant percussæ, oblatione pro eis facta, in communionem recipi voluit ex more Ecclesiæ recepto, de quo multa abbas Pineus, quique non apud Græcos dumtaxat miraculis confirmatur, sed etiam apud Latinos, et quidem his seculis, post nostrum nempe dissidium : nam corpus Petri a Luna Pseudo-pontificis, Benedicti XIII quondam appellati, Peninsulæ quidem vita functi, Igluecam tamen Aragoniæ in oppidum postea translati, et intra arcem loco profano repositi, usque in hanc diem incorruptum insolutumque omnino perseverat, teste Ciacconio; eo quod a sacro Constantiensi concilio Petrus anathemate, dum viveret, perculsus (quippe legitime renuntiato Pontifici rebellis) nullum cum utroque reconciliationis in morte dare voluerit argumentum.* E

D

etiam post mortem absolvi.

1294 *Refert et Petrus Maffeius, historiæ Indiæ scriptor elegantissimus, sub Albuquerquio Indiarum prorege militem classiarium exspirasse, cujus cadaver in mare projectum ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippe infra sentinam pulsus frequenter exauditos; quem ad strepitum cum demissa scala vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo militis offendisse corpus; re ad navarchum delata, minime fuisse dubium, quin cadaver translatum in littus humo contegerent; quo facto postridie, super ipsum sepulcrum rursus inhumatum apparuisse; ea re attonitis cunctis, Franciscum quempiam monachum sagaci conjectura suspicatum esse, hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictum e vita cessisse, atque ita in terram egressum, sancti viri Benedicti abbatis exemplo, e Pontificia formula conceptis verbis, animum demortui rite expiasse; unde, reddita pace mortuo, eo mysterio vaga ossa in suo tumulo tandem quievisse.* Verum hæc omnia tantummodo evincunt, prodigiosam illam excommunicandi et absolvendi potestatem interdum ecclesiæ Catholicæ a Deo concedi. At inter nos disputatur, an eadem stupenda potestas Græcis schismaticis ordinarie detur, F
et cui attribuendi videantur miri isti excommunicationis ac absolutionis effectus, dum aliquando in schismatica Græcorum ecclesia eveniunt, circa quam rem nunc animum nostrum candide aperiemus.

§ IV. Refellitur sententia Goaris et Papadopoli circa miram excommunicandi et absolvendi potestatem, quæ adhuc in schismatica Græcorum ecclesia superesse dicitur, et ea de re judicium nostrum profertur.

Gretserus occasione Andronici Junioris probat, subitam sanitatem,

Joannes Cantacuzenus lib. 1 Historiæ suæ cap. 53 narrat, Andronicum Juniorem invocatione S. Demetrii martyris statim prodigiose sanatum fuisse. Gretserus noster occasione istius miraculi

in

A in Annotationibus ad hanc Cantacuzeni narrationem disquirit, quomodo imperator iste schismaticus tam mirabili beneficio affectus fuerit, et ibidem ea de re sic ratiocinatur : *Certe miraculum, quod hoc loco Cantacuzenus commemorat, longe illustrissimum est dignissimumque, quod omnes ima mente reponant. Nec mirandum, tam eximium beneficium in hominem a Romana, hoc est, vera Ecclesia alienum, collatum esse ; cum historiarum monumentis proditum sit, ingentia miracula aliquando in ethnicos, et a Christiana religione prorsus alienos a viris sanctis, vel jam in cœlum receptis, vel adhuc vitam nobiscum agitantibus, patrata esse. Imitantur nimirum benignitatem Patris, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matthæi* 5); *super illos quidem, ut in bonitate et justitia perseverent, indiesque majores progressus faciant ; super hos autem, ut a malitia et injustitia, et a pravis persuasionibus, quibus circa Christianæ fidei dogmata imbuti sunt, revocentur : neque enim miraculum hoc per martyrem Demetrium editum est, ut aut Andronicus, aut alii in sua a vera Ecclesia se-* B *cessione confirmarentur ; sed ut invocatio cultu sanctorum et reliquiarum mortalibus commendaretur, utque a vero tramite aberrantes, hoc velut lumine divinitus misso illustrati, ad Ecclesiam illam reverterentur, in qua pro Christi nomine Demetrius sanguinem fuderat.*

aliaque beneficia hæreticis ac schismaticis prodigiose conferri;

1296 Deinde scrupulis quibusdam occurrit, et hanc rem ita latius explicat : *Verum multi turbantur, cum audiunt, extra Ecclesiam unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam miracula fieri. At causæ nihil est, cur aut se, aut alios turbent : nam si fiunt extra Ecclesiam, fiunt tamen aut ab eis, qui, dum viverent, Ecclesiæ militantis membra erant, aut per res veræ Ecclesiæ, aut in confirmationem dogmatum veræ Ecclesiæ, etiamsi patrentur in illos, qui veræ Ecclesiæ non sunt cives : nemo enim numquam dixerit nullum miraculum fieri posse, nisi erga illum, qui sit veræ Ecclesiæ pars. Ergo si, qui hinc ad alteram vitam in Catholicæ Ecclesiæ communione migrarunt, miracula operentur, sive invocati per preces sine per lipsana sui corporis, sive invocati per preces sine respectu ad reliquias, sive alio modo, non schismaticam, hæreticam, aut ethnicam perfidiam et superstitionem, sed eam confirmant fidem et Ecclesiam,* C *cujus beneficio ex fluctibus hujus vitæ ad æternæ beatitudinis tranquillissimum portum pervenerunt.* Plura in hanc rem ibidem addit, quæ brevitatis causa omittimus ; cum nullo modo dubitemus, quin schismaticis, hæreticis et ethnicis per intercessionem Sanctorum similia beneficia conferantur. Sic in Dania est fons S. Helenæ viduæ, ad quam etiam Lutherani sanitatis recuperandæ gratia confluunt, et sæpe voti compotes fiunt, ut in ejusdem Actis tomo VII Julii pag. 330 dictum est.

et postea allegat opinionem illorum qui censent,

1297 Post hæc Gretserus eodem loco alteram quæstionem, quæ proprie spectat ad propositum nostrum, et de qua inter nos disceptatur, proponit his verbis : *Sed quid dicendum, si miracula non modo in schismaticos, hæreticos, et ethnicos a Sanctis in cælo per reliquias, imagines, et id genus alia, verum etiam ab ipsis schismaticis aut hæreticis patrentur sine rerum ad Ecclesiam veram proprie pertinentium ministerio?* Tum huic quæstioni ita respondet : *Equidem non ignoro, multos pietate et doctrina præstantes viros esse, qui putent, Deum numquam ullo hæretico aut schismatico uti in effectione miraculorum ; ac proinde quidquid in hoc genere jactent, id totum commentitium, vanum et frivolum esse. Prædicabant Donatistæ varia miracula ; sed ea omnia, vel ut inania commenta, vel ut vana ludibria, rejecit sanctus Augustinus, verorum miraculorum alioquin observantissimus et severissimus vindex, ut ex libro 22 de Civitate Dei liquet.* SEC. XV.

nullum umquam miraculum ab ipsis schismaticis aut hæreticis patrari.

1298 *Ab hac sententia stare videtur experientia : cum enim innumeri prope hæretici a primo Evangelii ortu exstiterint, vix tamen ullum reperiemus, quem miraculorum gratia claruisse veterum annales testentur, aut si aliqua miracula nonnulli fecisse visi sunt, illi post diligentem inquisitionem et inspectionem, non miraculorum effectores, sed seductores et impostores deprehensi sunt, cum in Ecclesia Catholica et Romana perenni serie numquam defuerint, qui res extra omnem naturæ potestatem, Omnipotentis dextra adjuti efficerent.* Hæc sententia mihi magis placet, etsi ultro fatear, alteram esse communiorem, quæ hæreticis et schismaticis aliquando res supra naturam agendi facultatem concedit. Sed etiam communior illa theologorum sententia non favet opinioni Goaris ac Papadopoli, ut jam ostendere conabor.

Dum Goar et Papadopolus frequentia et ordinaria miracula apud schismaticos admittunt,

1299 Si Græcis credimus, frequentia et ordinaria apud ipsos sunt illa excommunicatorum cadaverum miracula, ut ex supradictis colligi potest. Neque id inficiatur Jacobus Goar Dominicanus, dum in notis ad Euchologium pag. 688 asserit, quod longa apud Græcos experientia com- E pertum sit, *excommunicati* CUJUSLIBET *corpus post mortem non putrescere*, et hujusmodi cadavera absolutione accepta, mox in cineres sub omnium oculis dissolvi. Huic consentit laudatus Papadopolus, qui supra num. 1276 dicit, a se et Latinis non negari ea, *quæ de tympanitis hujusmodi Græcia videt, Græcia narrat, Græcia testatur.* Quinimo num. 1281 addit, quod Latini anathematum Græcorum *nota et translativa miracula* non negent, sed ea OMNIA fateantur. Quamvis falsum sit, quod hic Papadopolus nomine omnium Latinorum tam liberaliter Græcis concedit, tamen his verbis abunde indicat, omnia illa prodigia, quæ schismatici tamquam crebra et consueta jactant, a se admitti.

contradicunt communi theologorum sententiæ, quæ docet,

1300 At hæc nimia Goaris ac Papadopoli credulitas communi omnium theologorum opinioni repugnat : nam noster Thomas Comptonus Carleton tom. 2 Theologiæ scholasticæ pag. 36, seu disputat. 7 sect. 6 num. 11 de hac materia sic F disserit : *Hanc dicimus esse notam veræ Ecclesiæ, ut nimirum crebra et eximia in ea fiant miracula, non unum tantum vel alterum, quod etiam ab hæreticis fieri posse nonnulli ex theologis existimant. Hinc Suarez hic disp. 4 sect. 3 num. 10 ait, Deum interdum miracula per pravos homines ad conferendam sanitatem, aut alium hujusmodi finem operari, quamvis, inquit, id raro contingat.* Tum Comptonus numero sequente inter varias circumstantias, quibus miracula veræ Ecclesiæ ab aliis discernenda esse docet, hanc allegat : *Persona etiam ejus, qui miraculum illud perficit, est consideranda; si nimirum probæ vitæ sit, et integris moribus : quamvis namque Deus, ut proxime dictum est, per hominem improbum patrare miraculum possit, id tamen vix umquam contingit.*

tantum veteres hæreticis et schismaticis rarissime concedi.

1301 Joannes Maldonatus noster in Commentariis ad caput 7 Matthæi ✝ 22 de eadem re ratiocinatur hoc modo : *Est etiam argumentum a miraculis ductum, si non omni, una saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium : nam etsi non necessario sequitur, eum, qui miracula faciat, veram habere fidem ; tamen necessario sequitur, eam, in qua frequentia et quasi ordinaria miracula fiant,*

veram

SEC. XV.

veram esse Ecclesiam; quia etsi aliquando Deus per privatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut et per asinam fecit Balaam, quæ in Ecclesia certe non erat; tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ, ordinariam faciendi miracula concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod altera ex parte per negationem ducitur, in qua miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse. Itaque recte hinc probare possumus, Calvinistarum, Lutheranorum, Anabaptistarum, et ceteras eorum, qui hodie regnant, hæreticorum congregationes, non veras ecclesias, sed synagogas esse satanæ, quia in nulla earum ullum umquam miraculum visum est.

Ordinaria et crebra miraculorum potestas

1302 Noster Petrus Halloix in Illustribus ecclesiæ Orientalis scriptoribus tomo 2 pag. 365 proponit hanc quæstionem: *Possintne interdum homines improbi, et pseudo-prophetæ, et infideles, et hæretici vera miracula facere?* Deinde ad eam mox notat sequentia: *De falsis enim miraculis nullus dubitat; de veris autem est non parva inter* B *magnos auctores controversia, tam ob dubia quædam sacræ Scripturæ loca, quam ob variam sanctorum Patrum et divinæ legis interpretum auctoritatem; a quibus nonnulla videtur ejusce modi hominibus miraculorum potestas attribui. Verum in illius potestatis distinctione, ut quidem arbitror, consistit tota aut saltem præcipua quæstionis hujus resolutio: nam cum duplex assignari possit talium signorum potestas: una ordinaria, et quæ frequenter in opus exeat, Deo scilicet in caris sibi hominibus benigne liberaliterque operante; altera extraordinaria, et quæ rarissime, vixque multis in seculis semel atque iterum ab alienis usurpetur, Deo nimirum in certæ sortis aut sectæ hominibus parce ac restrictim quodammodo se habente; non est dubium, quin prior illa potestas in sola vera Ecclesia, et Catholicis hominibus reperiatur; altera autem quin subinde in istis aliis inveniri possit, Deo certas ob causas id permittente, nihil obstat; accedente præsertim hac Dei optimi maximi cura ac providentia, ut nullum umquam in falsæ fidei confirmationem patrari sinat miraculum.*

inter alia est distinctivum veræ Ecclesiæ signum,

1303 Quod si Halloixium interroges, quomodo potestas faciendi miracula inter notas seu signa veræ Ecclesiæ numeretur, cum ab hæreti- C cis, schismaticis, aliisque infidelibus ea usurpari possit, ibidem pagina sequente huic difficultati expedite respondet, et responsum suum comparatione quadam sic elucidat: *Quia nimirum id non desinit alicujus rei nota esse*, inquit, *quod illi omnibus seculis et sæpissime convenit, quamvis idem semel forte atque iterum intra plurima secula, idque extraordinaria Dei optimi maximi permissione, possit ab alieno usurpari: nam et certis nationibus sua vestimentorum genera notæ quædam sunt, quibus ab aliis gentibus distinguantur, et linguarum item certæ proprietates, quibus a populis extraneis dignoscantur: quæ sane quidem veræ notæ et vera signa esse non desinunt, licet interdum unus et alter alienigenarum eodem, quo illæ nationes, vel habitu vel sermone abutatur. Ita ergo et miracula, quæ veram Dei Ecclesiam ab ejus infantia per omnes ætates comitata sunt, hodieque ita comitantur, ut alibi ea videre corvo sit rarius albo, non propterea vere Ecclesiæ signa esse desinunt, quod non repugnet per alienos interdum, si Deus permiserit, ea designari: neque enim a casibus extraordinariis et extrema Dei permissione res aliquæ censendæ aut distinguendæ sunt; sed ab eo, quod frequens et usitatum. Jam autem quod est seculum, in quo non plures in vera* D *Ecclesia prodigiosæ virtutes enumerari possint, quam anni, aut menses? Abstineo ab exemplis, ne actum agam: sunt enim sane quam multi, qui hanc per secula recensionem ex instituto sunt agressi.* Vide, si lubet, ibi plura ejusdem scriptoris argumenta, quibus hæreticos nostri temporis ex illa veræ Ecclesiæ nota impugnat. Porro de frequentibus Ecclesiæ Catholicæ miraculis consule Bellarminum tomo 2 Controversiarum pag. 207, ubi lib. 4 de Notis veræ Ecclesiæ cap. 14 summatim assignat præcipua, quæ singulis seculis contigerunt.

quod destruere videntur Goar et Papadopolus,

1304 Sequitur ex unanimi doctrina horum theologorum, quibus plurimos possem addere, numquam aut raro admodum per hæreticos aut schismaticos fieri miracula, et ea raritate hos ab orthodoxis facile distingui. Si quis igitur cum Goare generaliter asserat, apud Græcos schismaticos cadaver excommunicati *cujuslibet* non putrescere, et istud consueta absolutionis potestate statim in pulverem redigi; aut si cum Papadopolo *omnia* schismaticorum prodigia, quæ sane plurima nobis obtrudunt, pro miraculis admittat, E hanc characteristicam veræ Ecclesiæ notam destruere videtur: qui enim ea miracula apud Græcos ordinaria et communia esse volunt, quomodo ex hac nota Ecclesiam Catholicam a schismatica distinguent? Itaque illi frequentium miraculorum defensores schismaticis subministrant arma, quibus nos impugnent, et ecclesiam suam extollant contra nostram, in qua tam mirabiles effectus excommunicationem et absolutionem ordinarie non sequuntur. Si dumtaxat dicerent, tale prodigium semel aut iterum in schismatica Græcorum ecclesia contigisse, cum multis theologis Catholicis possem id occulto Dei judicio et extraordinariæ permissioni adscribere.

quibus circa ecclesiasticam schismaticorum potestatem

1305 Imo ne quidem intelligo, quomodo talia prodigia semel atque iterum per schismaticos fieri possint ex ea vi, quam Goar *toleratæ in eis ecclesiasticæ potestatis argumentum* appellat. Certe S. Bruno, episcopus Signiensis, cujus Acta ad diem XVIII Julii illustravimus, tomo 2 Operum suorum pag. 154 in epistola ad Portuensem episcopum de hæreticis ita scribit: *Qui vero excommunicati et ligati sunt, neque se ipsos, neque alios vel ligare, vel solvere possunt.* Quomodo igi- F tur excommunicatio et absolutio tam miros effectus habet in schismatica Græcorum ecclesia, cum hæretici et schismatici quotannis in bulla Cœnæ excommunicentur, adeoque alios excommunicare vel absolvere non possint? Quomodo, obsecro, præsules ac sacerdotes schismatici suos subditos, jam propter schisma et hæresim ab Ecclesia Catholica avulsos, per excommunicationem separare possunt a cœtu fidelium, quem ipsimet deseruerunt? Quomodo denique schismaticis et hæreticis istis, qui quotannis solenniter ab Ecclesia orthodoxa pronuntiantur separati, relinquitur excommunicandi et absolvendi potestas, quæ a vera Christi Ecclesia concedi debet? Qua ratione hæc explicari possint, libenter ex theologis discemus.

aliquæ difficultates proponuntur.

1306 Interea vehementer miror, tam frequentia similium effectuum exempla ab antiquis historicis Græcis ante exortum schisma non memorari. Saltem in vetustis scriptoribus, qui mihi hujus tractatus causa percurrendi fuerunt, nihil simile inveni, et primum hujus rei exemplum refertur sub Mahomete II de illa falsa accusatrice, seu excommunicata sacerdotis vidua, cujus occa-

sione

A sione hanc dissertationem instituimus. Si quis tamen ostendat, talia prodigia interdum contigisse, quando in ecclesia Græca præsules orthodoxi et virtute insignes florebant, tunc ea veris miraculis adscribam, sicut supra similes excommunicationis et absolutionis effectus, aliquando in Ecclesia Latina secutos, inter miracula numeravi. At non facile inducar, ut tam miros excommunicationis et absolutionis effectus attribuam ecclesiasticæ schismaticorum potestati, quam supra allatæ rationes omnino evertere videntur. Sed forte curiosus quispiam ex me quæret: Quomodo igitur talia prodigia fiunt in schismatica Græcorum ecclesia, qualia interdum in ea evenire superius fatebaris? Huic quæstioni candide respondebo, ubi prius ex communi theologorum doctrina aliquid præmisero.

Data notitia veræ superstitionis,

1307 Ut quis ope dæmonis cognoscat occulta, aut mira efficiat, non est necesse, ut dæmon expressis verbis invocetur, aut explicitum cum eo pactum ineatur: theologi enim unanimiter docent, illum tacite cum dæmone pacisci, qui vana et naturaliter improportionata media adhibet ad B aliquid cognoscendum vel efficiendum. Nec requiritur, ut dæmon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum: nam eo ipso, quo quis vanis nec a Deo institutis mediis utitur ad effectum aliquem consequendum, dæmon se iis immiscere consuevit. Nec refert, quod utens talibus rebus, quas constat naturaliter esse improportionatas, protestetur, se nullum cum dæmone commercium intendere aut habere velle; quia re ipsa contra protestationem suam operatur. Denique non excusatur, qui talia media utilia credit propter experientias; eo quod dæmon has procuret, ut homines paulatim illaqueet, et ad similes superstitiones usurpandas inducat. Nunc aliqua communia ac manifesta superstitionis Græcæ exempla profero.

et allatis nonnullis exemplis,

1308 Richardus noster plures Græcorum fraudes et magicas artes ad fingenda miracula detexit, ut in sæpe laudata Historia insulæ Sant-Erini toto cap. 13 exponit. Inter alia oculatus ille testis ibidem narrat, presbyteros schismaticos sæpius uti verbis et characteribus magicis, ut detractores aut fures ad famam vel bona alterius restituenda compellant. Quare solent Græci injuC ria aut damno affecti, adire presbyteros, iisque quamdam pecuniæ summam solvere, ut criminis auctor excommunicetur. Postquam calogerus sive sacerdos malignam excommunicationem, seu potius diabolicam exsecrationem, ex magica formula pronuntiavit, detractores aut fures urinam emittere nequeunt, donec dolore aut periculo coacti, dicta revocent, vel ablata restituant. *Tam crebra*, inquit ibidem missionarius iste, *habemus horum effectuum experimenta, ut in his insulis nullus ea de re dubitet.* Deinde ex superstitiosa talium excommunicationum formula, quam ipsemet vidit, et cujus magicos characteres delevit, eamdem rem confirmat. Juverit hic recordari foliorum lauri, quibus nomina excommunicatorum inscribenda fuissent, ut excommunicatio suum effectum obtineret, de qua re superius ex eodem Richardo non illepidam historiam retulimus.

ex quibus patet,

1309 Præterea Richardus loco proxime citato refert, aliud maleficii exemplum, ex quo patet, presbyteros schismaticos etiam ad hunc exsecrandum finem rebus sacris abuti: cum enim persona quædam de furto esset suspecta, sacerdos Græcus nonnullos characteres insculpsit pani benedicto, qui in fine Missæ distribuitur, et quem Græci communiter ἀντίδωρον appellant. Postquam fur frustum hujus panis deglutiverat, statim toto corpore ita intumuit, ut in manifesto crepandi periculo versaretur, nisi eodem die furtum indicasset, ac criminis absolutionem petiisset. Hanc historiam ipse maleficus ille sacerdos narravit Richardo nostro, qui propterea ibidem addit, similes præstigias sæpe a schismaticis jactanter commemorari, ac pro miraculis venditari, ut ecclesiæ suæ ritum extollant, ac schisma contra Latinos defendant. Usque adeo excrevit cæca eorum pertinacia, ut in rebus pessimis glorientur, et dæmonis opem adhibere non erubescant, dummodo populo imponant, et thaumaturgi videantur.

schismaticos sæpe superstitionibus uti,

1310 Non minus superstitiosum est aliud remedium, quo hodierni Græci ad expellendum ex impiorum vel excommunicatorum cadaveribus dæmonem utuntur, et quod supra memoratus D. Ricaut, heterodoxus Anglus, in opusculo de statu præsenti ecclesiæ Græcæ cap. 13 refert ex jurata Sophronii cujusdam Cretensis narratione, quam hic ex idiomate Gallico in compendium redigo: *Cum indissolutum excommunicati corpus*, inquit, E *inventum esset in insula, quæ Latine Melos et vernacule Milo appellatur, presbyteri convenientes deliberarunt, quid in hac re agendum esset. Habito consilio, decreverunt, recurrere ad remedium, quod in hujusmodi casibus jam communiter adhiberi solet: nempe statuerunt, ut dissecta corporis istius membra vino coquerentur; quia existimabant, nullum remedium efficacius esse ad fugandum dæmonem, qui incolas istius insulæ variis apparitionibus terrebat. Sed consanguinei vel affines, quibus hæc ignominiosa defuncti laniena non placebat a clero obtinuerunt, ne istud presbyterorum consilium exsecutioni mandaretur. Interim litteræ cum quadam pecuniæ summa missæ sunt Constantinopolim, ut absolutio excommunicati, manu patriarchæ subscripta, quantocius impetraretur. Ea accepta, dicitur cadaver istud statim ultro dissolutum fuisse.* Ita ille.

haud improbabiliter concludimus, prædicta excommunicatorum cadavera

1311 Ex hoc jurato Sophronii testimonio sequitur, Græcos arbitrari, quod talia excommunicatorum cadavera a dæmone indissoluta conserventur. Quod si dæmon ea vere vel apparenter conservare possit integra, etiam potest illa dissolvere. Quare si vera est ea historia, vix F dubito, quin in absolutionem illam irrepserit quædam superstitio, atque ita dæmon sese ei immiscuerit, sicut de aliis maleficis excommunicationibus seu exsecrationibus et absolutionibus paulo superius diximus. Neque juxta prædictam theologorum doctrinam propterea opus est, ut explicitum pactum cum dæmone ineatur; sed sufficit adhiberi media naturaliter improportionata, et superstitiosa quædam adjuncta, etiamsi iis utentes protestentur, se nullum cum dæmone commercium velle. Certius de illa re judicium ferre possemus, si Sophronius explicasset modum et cæremonias, quibus patriarcha Constantinopolitanus hunc excommunicatum absolvit: ut enim theologi passim tradunt, superstitio seu vana observantia sat clare cognoscitur ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum, dum videlicet nec habet naturalem virtutem, nec de supernaturali legitime constat.

apud Græcos [illegible]

1312 Sane superstitiosum esse in Græcia clerum schismaticum apparet ex supra allatis exemplis, et hoc ipso presbyterorum consilio, qui dissecta hujus excommunicati membra vino coquenda esse decreverant, ut dæmon fugaretur: quæ enim inter illam coctionem, et dæmonis fugam

SEC. XV.

naturalis connexio est? Quid connexionis naturaliter inveniri potest inter cordis transfixionem, quæ acuto baculo fici silvestris facienda est, et dæmonis expulsionem, quam supra narrabamus? Adde, quod sacerdotes schismatici sibi superstitiose persuadeant, hanc dæmonis adjurationem sabbato fieri debere, et se alio die cadavera hujusmodi impiorum aut excommunicatorum in sepulcro non inventuros, ut supra ex Richardo nostro retulimus. Ex his omnibus concludimus, miros illos effectus, in schismatica Græcorum ecclesia interdum occurrentes, superstitioni adscribendos esse, et miseram ac rudem illam gentem a dæmone sic falli, ut in suis vitiis et erroribus pertinacius detineatur. Hæc est opinio nostra, quam libentissime mutabimus, si quis nos meliora aut certiora docuerit.

1313 Nunc in viam redire oportet, ut patriarchæ Maximo, propter quem hoc loco series tamdiu interrumpenda fuit, substituatur

B

CXXXIX NIPHON II.

Post mortem Mahometis imperatoris, quæ anno 1481 affigenda est,

Electioni hujus patriarchæ Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ a pag. 137 quædam præmittit, ex quibus tempus decessoris ejus præterpropter colligimus. *Hactenus*, inquit, *imperium Sultani Machemetæ, qui Constantini urbem expugnavit. Successit ei mortuo filius suus Bajazita, quo tempore patriarcham agebat ille doctrina excellens, de quo diximus, Maximus. Regnavit iste Machemeta triginta duos annos; quo regnante, fuere patriarchæ hi, quorum nomina subjecimus :* I *Gennadius Scholarius ille doctissimus.* II *Isidorus a confessionibus.* III *Joasaphus Cusas, cui barbam præcidi Sultanus jussit.* IV *Marcus Xilocarabes.* V *Symeon Trapezuntius, sub quo initium pescesii in ecclesiam introductum est.* VI *Dionysius metropolita Philippopoleos.* VII *Iterum Symeon Trapezuntius.* VIII *Raphaël Servius, charatzii auctor.* IX *Maximus, vir doctissimus, in cujus patriarchatu Sultanum mortuum esse diximus.* Chronologi passim tradunt, Mahometem mense Maio anni MCDLXXXI obiisse.

Maximo successit Niphon,

1314 Deinde Malaxus ibidem sic pergit: *Tunc hic Maximus, cum sexennio officium patriarchæ gessisset, ad Dominum in cœlestes mansiones abiit.*

C

Divulgata morte ejus ad omnes Occidentis et Orientis ecclesiarum præsides, eodem hi tempore Constantinopolim cucurrerunt, et in magna catholica ecclesia, quæ mater ceterarum ecclesiarum est (rideri potius quam refutari meretur miser hic Græculus, qui ecclesiam suam schismaticam tam superbe extollit) *convenerunt. Erat illa tempestate pontifex Ephesi operam maxime utilem navans Daniel, quia egregia præditus doctrina. Sed et alios multos invenire erat sacrorum antistites, studiis litterarum et divinæ cognitionis perpolitos; quorum unus quoque fuit Thessalonicensis, cui nomen erat Niphon. Cum itaque, ut dictum, convenissent, synodum patriarchæ legendi gratia egerunt. Suffragatione rite facta, ipsum Thessalonicensem legerunt. Electione Niphonis legitime peracta, ei dederunt minorem significationem; deinde etiam majorem, vespertino cantu finito. Inde Heracleensis ei pedum pastorale in manus tradidit, et ipse, patriarchica sede conscensa, sacro et laïco bene precatus est ordini.*

antea ex monacho factus præsul Thessalonicensis,

1315 *Erat hujus patriarchæ maximus usus, de suggestoque singulis diebus docebat. Non ille quidem aliis omnibus doctior erat; sed late profluens inerat oratio et sententiarum pondus, propterea quod ceteris philosophis, qui illo tempore erant, antecellebat.*

D

Patriam ei Peloponnesus præbuerat, hodie Moræa appellata. Matrem habuit Romanam, id est Græcam, nobilissimo genere natam; patrem unum ex Albanicis proceribus. Ab ineunte ætate, monasticæ vitæ cupiditate arsit. Hoc animo præditus reliquit parentes suos, seque in sancti Montis monasterium, Pantocratoris nomine dictum, contulit; ubi in monachorum cœtum cooptatus, postea sacerdotis titulo ornatus fuit. Ac sane multos annos in illo monasterio exegit, donec, mortuo Thessalonicensi metropolita, thronus ejus absque sacrorum antistite ac pastore mansit. Hoc loco idem auctor fusius narrat, quomodo Niphon invitus primo sedem Thessalonicensem ascenderit, ac inde ad cathedram Constantinopolitanam translatus fuerit; quæ hic brevitatis causa non exscribimus.

qui post mortem Symeonis Trapezuntii

1316 Tum ibidem pag. 139 et sequentibus, occasionem seu causam, ob quam Niphon patriarchatu Constantinopolitano cedere coactus fuit, exponit his verbis : *Eo tempore Symeon Trapezuntius, qui supra patriarcha fuerat, diem suum obiit, relictis magnis, prope innumeris, opibus, nullo per vitam testamento super eis facto, ecclesiæne cederent, an monasteriis inferrentur, an*

E

alio deportarentur, ubi commodum videretur. Sed intestato mortuus est. Ceterum patriarcha factus hic Niphon non insinuavit, ut honore aliquo afficeret Amerutzæ Scederbei filium, tunc regiæ pecuniæ præpositum, et in vicinia patriarcheii habitantem. Unde dolorem non parvum hic cepit, se, cui prorsus nihil honoris patriarcha habuisset, ab eo despectum judicans.

ad hereditatem hujus adeundam

1317 *Alebat itaque odium, tamquam venenum in ventre abditum, adversus patriarcham, ac tempus ei evomendo opportunum captabat, sicut etiam fecit : nam cum sciret, patriarchæ Symeoni defuncto nullum esse heredem, omnes illas facultates, aliaque ecclesiæ vasa ærario regio vendicabat. Dicebat enim, quæcumque sacra vasa et alia, vivente illo patriarcha, dedicata fuissent, omnia pertinere ad regem. Arripuit ergo iste Amerutza libros evangelicos eleganter ornatos, argentea thuribula, pulcras imagines, velamina sacra varii generis, sceptra argentea et alia id genus multa; quarum ecclesiasticarum rerum omnium pretium excurrebat ad asperorum* (est genus monetæ Turcicæ, de cujus valore Leunclavius in Pandecte historiæ Turcicæ cap.

F

18 consuli potest) *millia centum octoginta. Omnes quoque clericos in custodiam conjecit. Ita magna in patriarcheio persecutio exstitit.*

falsos testes subornavit,

1318 *Patriarcha quid ad hæc faceret, animo dubius, consilium cum quibusdam proceribus cepit, ac testes subornavit, qui dicerent, Basilium quemdam esse mortui patriarchæ nepotem ex sorore. Hoc ipsi, sicut a patriarcha instructi erant, pro testimonio dixerunt. Verum Amerutza exacte sciebat, illos falsum testatos esse, quia non ita erat, sicut ipsi dixerant. Hoc ei, ut Trapezunte oriundo, et res Symeonis cognitas habenti, probe notum erat. Tantum patriarchæ pronepos Basilius fuit, e sororis ejus filia. Hic nactus occasionem Amerutza evomuit venenum, quod intra se habuerat, contra patriarcham, eoque eum infecit et necavit. Retulit autem rem ad Sultanum. Tunc hic, cum audisset, vehementer patriarchæ iratus est, eumque augusta illa sede dejecit, et ex urbe in exsilium pepulit; tribus vero testibus nasos amputari imperavit, quorum testium unus hieromonachus erat, nomine Antonius.*

et propterea in exsilium expulsus est.

1319 *Remansit thronus longo tempore patriarcha vacuus. Niphon vero, qui patriarcham egerat, urbem clam, inconsulto Sultano, intravit, tantum quæ-*

store

A *store conscio, charatzii persolvendi causa. Quo facto, rursus clanculum aufugit, ne ab aliquo conspiceretur, qui ipsum Sultano proderet, a quo capite mulctaretur. Cum itaque Sultanus magnam iram adversus patriarcham gereret, clericos accivit, iisque mandavit, alium patriarcham facerent; nemo vero illum alterum, qui antea fuisset, reciperet, nec ullum cum eo commercium haberet; alioqui, si quis hoc interdictum violans deprehendetur, eum suspensum iri.* Nonnulli auctores scribunt, hunc Niphonem Latinis et concilio Florentino favisse, ut videbimus, quando is postmodum sedi suæ restituetur. Interim loco ipsius ad sedem Constantinopolitanam redire coactus est supra memoratus Dionysius, qui etiam orthodoxus fuisse dicitur, quod infra discutiemus.

DIONYSIUS I iterum.

Post hunc Dionysius sedi CP. restitutus est.

Secundam hujus Patriarchæ electionem Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 141 sic narrat : *Audita tam severa sententia et comminatione* B *Sultani*, quam scilicet paulo superius ex ipso recitavimus, *coactum est concilium pontificum, clericorum, nobilium, et totius plebis, patriarchæ creandi causa. Ibi animis difficili consultatione distractis, cuinam potissimum is honor mandandus esset, venit eis in mentem superioris patriarchæ Dionysii, qui se munere abdicaverat, et in cœnobio Cosinitzæ versabatur, propter injustam calumniam, qua quidam ipsum circumcisionis crimine infamaverant. Ita Sultano indicarunt, se invenisse virum patriarchatu dignum. Tunc ipse statim certos homines ad illum misit cum mandatis : qui profecti quantumvis reluctantem adduxerunt invitum. Erat is tunc valde senex.*

qui secundum patriarchatum administravit

1321 *Ut advenit in magnam ecclesiam Dionysius, iterumque patriarchicam sedem cepit, currentes venere pontifices, Clerici quivis sacri ordinis participes, nobiles, et plebeius ordo, debitamque reverentiam et gratulationem exhibentes, faustam in vicem ab ipso precationem acceperunt. Pace tunc et concordia præclara, magna Christi ecclesia fruebatur. Perfectæ virtutis in hoc patriarcha imago conspiciebatur, tantaque monasticæ disciplinæ scientia et* C *usus, ut nemo cum eo comparandus esset. Multum ille jejunabat, totas noctes invigilabat precibus. Quotiescumque aliquo iturus ecclesiastici negotii causa esset, numquam equo vehebatur, sed pedibus iter faciebat, licet summa senectute.*

tempore terræ motus, qui videtur anno 1490 evenisse

1322 *Inciderunt in tempus gubernationis ejus terræ motus validi et formidabiles. Tunc ipse aliam ex alia ecclesiam adibat, precationes et supplicationes faciens.* Editor ad hos terræ motus in margine annum Christi mdviii notat; sed hæc Malaxi verba arbitramur referenda esse ad priorem terræ motum, de quo Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi mcdxc num. 10 et 11 sic disserit : *Addunt vero annales Turcici, hoc eodem anno* (videlicet Christi mcdxc) *die quodam Jovis circa meridiem ibidem Constantinopoli terram tremuisse, et multa ædificia corruisse; ad quem terræ motum respexisse putamus Malaxum in Historia patriarcharum Constantinopolitanorum, cum ait, in tempus regiminis Dionysii patriarchæ, denuo sedentis, incidisse terræ motus validos : nam quod, qui notas marginales ei addidit, ad illum alium terræ motum longe maximum, qui contigit anno millesimo quingentesimo octavo, vel, ut Annales Turcici habent, millesimo quingentesimo nono, refert, longissime is errare convincitur, tum ex aliis, tum maxime ex eo, quod in eadem Historia ponantur post hanc Dionysii restitutionem sedisse sub Bajazete, Turcorum imperatore, sex alii patriarchæ, sive primo sive iterum, et aliqui sexennium, cum tamen Bajazetes decesserit anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo.* Hinc sequitur, Dionysium et sequentes aliquot patriarchas adhuc hoc seculo xv includendos esse.

et post duos annos eo se iterum abdicavit.

1323 Post memoratos terræ motus Malaxus statim subdit, Dionysium in secundo suo patriarchatu duos annos et aliquot menses exegisse, ac tunc ultro ad monasterium Cosinitzæ rediisse. Historia politica lib. 1 Turco-Græciæ pag. 34 hunc secundum Dionysii patriarchatum satis breviter et distincte describit hoc modo : *Consilium igitur Dionysii ceperunt creandi, qui in cœnobio Cosinitzæ commorabatur. Abierunt hoc animo, rege sic jubente. Accersiverunt Dionysium, et recipere id munus, licet excusatione longæ senectutis uteretur, coëgerunt. Etiam herus ipsius, qui olim raptum redemerat, sicut diximus, adhuc in vivis erat, idemque in multis regebat ecclesiæ negotia. Erat ille patriarcha multis virtutibus egregie ornatus, humilitate animi, erogationibus in egenos, aliisque studiis laudatis : cumque duos annos functioni patriarchatus, et menses sex adjecisset, illa sese abdicavit.* E

Dicitur hic fuisse orthodoxus;

1324 Jam vero nonnihil dicendum est de orthodoxia Dionysii, quam superius obiter indicavi, et de qua Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi mcdlxxxii num. 9 sic scribit : *Ceterum fuisse tam Niphonem quam Dionysium Ecclesiæ Romanæ et synodi Florentinæ sectatores, ex Annalibus Ruthenorum elicuit Leo Creusa, archimandrita Vilnensis, in Defensione ecclesiasticæ unionis; ubi narratur, cum Isidorus metropolita Russiæ (Cardinalis nempe Ruthenus, de quo alias) successorem sibi dari Gregorium quemdam Zeminlachum a Pio Papa II impetrasset, ac nihilominus Moschi schismatici Jonam quemdam contra illum elegissent, Dionysium patriarcham, dum primo sederet, omnino jussisse Jonam pelli, et Gregorio obediri, qui Florentinum concilium et unionem Ecclesiæ amplectabatur; factumque ita esse.* Spondanus istam opinionem hausit ex Bzovio, qui in suis Annalibus ad annum Christi mcdlxxxix num. 15 ex iisdem monumentis asserit, Dionysium fuisse orthodoxum. F Raynaldus ad annum mcdlxxxvi num. 62 in margine eosdem Ruthenorum Annales citat, et ex his aliisque instrumentis orthodoxiam Niphonis patriarchæ probat, ut infra videbimus; sed ibidem de hoc Dionysio nullum verbum facit, quod silentium hic non immerito miramur.

de cujus tamen orthodoxia propter aliquas rationes.

1325 Hinc quoque circa orthodoxiam Dionysii nobis suboriuntur nonnulli scrupuli, quos evulsos vellemus, priusquam ipsum indubitato Catholicorum patriarcharum numero adscribamus. Imprimis ex supra dictis constat, Dionysium Marci Ephesii discipulum fuisse. Certe ab hoc schismatico magistro et implacabili Latinorum hoste non didicit concilio Florentino aut Latinis favere. Quod si quis dicat, eum post magistri sui mortem orthodoxo dogmati ac concilio Florentino adhæsisse, non id præfracte inficiabimur, cum nobis non suppetant certa argumenta, quibus pertinaciam ipsius in schismate probemus. At interea mirabimur, illum Dionysium orthodoxum ab auctore Historiæ politicæ et Malaxo schismatico tantopere laudari. Præterea nos dubios relinquit silentium Raynaldi, qui in Annalibus ecclesiasticis

Sec. xv. clesiasticis loco proxime citato de orthodoxia Dionysii tacet; ubi tamen allegat eadem monumenta, ex quibus alii Catholicam ipsius professionem eruerunt.

et silentium quorumdam scriptorum

1326 Adde, quod noster Albertus Wiiuk Koialowicz in Historia Lithuana part. 2 lib. 5 ad annum MCDXCI de Dionysio non meminerit, ubi interim hoc ipsum religionis dissidium inter Ruthenos ita describit: *Accedebat, quod rex gravibus edictis Florentinam Latinorum cum Græcis in religione concordiam per suas ditiones promoveret adversus Orientalis secessionis sectatores, quibus Severiæ proceres mordicus adhærebant. Parum proderat obstinatis mentibus tum Josephi Kijoviensium antistitis exemplum et cura, tum Niphonis patriarchæ Constantinopolitani epistola, qua eo anno data gravissime monebat, universos Russos, uti inviolatam colerent sentiendi de religione amicitiam, quam Joannes Palæologus Orientis Imperator, et Josephus patriarcha Constantinopolitanus, ceterique tum pontifices, tum principes Græciæ, præsentes Florentiæ inivissent.* Neque is scriptor in eadem Historia ad annum MCDLXXVI pag. 245 ullam de B isto Dionysio mentionem facit, quamvis de unione Græco-Russorum cum Ecclesia Romana ibi sermonem instituat.

non immerito dubitamus.

1327 Non diffitemur, ex hoc Raynaldi et Koialowiczii silentio dumtaxat argumentum negativum deduci, quod rem non evincit, quamvis interdum robore suo non careat. Sed etiamsi istæ aliæque difficultates, quas hactenus proposuimus, magnam persuadendi vim non habeant; attamen aliquam dubitandi rationem subministrant. Nihilominus omnes hos scrupulos sive subortas dubitationes libenter sprevissemus, si de antiquitate et fide Annalium Ruthenorum certum judicium ferre possemus. At cum Annales illos ad manum non habeamus, et veram eorum auctoritatem ignoremus, ob supradictas rationes de asserta Dionysii orthodoxia dubitare pergimus, eamque aliis eruditis, quibus hæc peregrina monumenta præ manibus sunt, operosius inquirendam relinquimus. Interim progredimur ad ipsius successorem, qui in patriarchatu vocabatur

CXL MAXIMUS III, antea dictus Manasses.

C

Dionysio abdicanti successit Maximus,

Historia politica lib. I Turco-Græciæ pag. 39 de illo hæc habet: *Abdicatione patriarchatus a Dionysio, quemadmodum supra diximus, facta, factus est patriarcha Serrarum antistes, cui nomen erat Manassæ, quod in Maximi nomen mutatum est. Vixerat is in sancto Monte; de quo varia fama fuit sparsa; sed nemini, præterquam Deo, veritas cognita. Exegit in officio annos sex.* Non video, quomodo hi sex anni combinari possint cum præcedentibus terræ motibus, qui circa annum MCDXC contigerunt, et cum epistola Niphonis successoris, quæ anno MCDXCII scripta est, ut infra dicemus. *Inde*, inquit auctor ejusdem Historiæ politicæ, *rixa inter ipsum et quemdam monachum, Gabrielem nomine, orta, excessit; in cujus locum rediit Niphon, ac permansit annum unum.* Matthæus Cigala et Philippus Cyprius de mala hujus Patriarchæ fama etiam meminerunt; sed neuter prodit, an illa ad mores vel religionem pertineret.

quo e sede CP. dejecto,

1329 Neque certam hujus famæ causam nobis indicat Malaxus, dum lib. 2 Turco-Græciæ pag. 142 de eodem Maximo tradit sequentia: *Itaque, throno vacuo facto, et synodo coacta, electus est patriarcha, qui metropolitam Serris egerat, Manasses;* D *quem Maximum transnominarunt. Hunc ubi elegerunt, suffragium inierunt, ac de more minus ei dederunt indicium; vesperi autem, cantu usitato decantato, tradiderunt et majus; qui populo Christiano in patriarchico suggesto fausta et felicia precatus, rebus omnibus rite perfectis, in sacratissimam patriarchicam abiit cellam. Venerat is e sancto Monte; cumque patriarchica dignitate exornatus esset, exiit sinistra quædam fama de ipso. Itaque ludibrio fuit Christianis, tum sacris, tum laicis. Jurene, an injuria, criminatione de ipso sparsa, ipse noverit, rationem in die illius severi ac justi judicii redditurus. Præfuit hic patriarcha sexennium. Tunc magna offensione a monacho quodam, cui nomen Gabriël erat, orta, deductus est Maximus e patriarchico throno.* Tum ibidem subjungit, quomodo suffragiis synodi ad sedem Constantinopolitanam evectus fuerit

NIPHON II iterum.

E

ad eam rediit Niphon, qui concilio Florentino favit,

Hunc cum iterum legissent patriarcham, inquit loco proxime citato Malaxus, *miserunt, qui adducerent ipsum in magnam ecclesiam. Ita thronum recuperavit voluntate sacræ synodi pontificum, clericorum, procerum, et totius Christiani populi. Obtinuit illum per annum. Tum plurimis inimicitiarum gravium causis a priore patriarcha Maximo natis, nec non ab aliis pontificibus, metropolitis et episcopis, qui nullo modo ferre Niphonem volebant, iterata est ipsius e patriarchico solio deductio, magna cum animorum confusione, ecclesiæ perturbatione aliorumque malorum incursione.* Etsi Malaxus causam hujus dissidii non exprimat; tamen non improbabiliter conjicimus, illud ortum esse ex controversia fidei, et Niphonem a schismaticis expulsum fuisse, quia concilio Florentino et Latinis favebat: nam Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MCDLXXXIX num. 15, et Raynaldus ad annum MCDLXXXVI num. 62 exhibent de hac re sequentes ipsius litteras: *Nipho Dei miseratione archiepiscopus Constantinopolitanus, novæ Romæ œcumenicus patriarcha, piissimo et Deo dilecto Josepho fratri et conservo, metropolitæ Kiioviensium et totius Russiæ, salutem.* F *Accepimus litteras dilectionis tuæ, scriptas humilitati nostræ, quibus significas, Romanorum ecclesiæ episcopos Ruthenos, et Lituanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unitatem ecclesiasticam, Florentiæ decretam. Unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum et libertatis, quæ illo tempore, quando unio decreta est, a regibus Poloniæ vobis concessa sunt.*

ut ostenditur ex ejus epistola

1331 *Postulas itaque a nobis auxilium, et ad vestrum potentissimum regem commendatorias. Desideras insuper scire de hac synodo, quomodo fuerit transacta, ut possis reddere rationem omnibus persequentibus et compellentibus ad unionem. Scias igitur, eam synodum legitime fuisse congregatam, et magnifice totius orbis lætitia et consensu comprobatam; idque præsentibus illustri imperatore nostro Joanne Palæologo, et sanctissimo patriarcha Constantinopoleos, beatæ memoriæ Josepho, non ita pridem ante nos sedente, et vicariis seu legatis fratrum nostrorum patriarcharum, archiepiscoporum et principum, Orientalem ecclesiam repræsentantium; præsente quoque episcopo Romano una cum suis. Ceterum cum nonnulli gentis nostræ, qui domi remanserant, noluissent decretam amplecti unionem,*

forte

SEC. XV.

forte ex odio in Latinos, ideo apud nos confusio et nullus ordo, quando oves nobis concreditæ imperium et arbitrium in nos sibi usurpant, quarum pervicaciæ resistere non possumus : et quis scit, si non ideo divinæ iracundiæ furor in nos desævit, et indies desævire non intermittit, quod sanctam unitatem respuerimus? Ut præteream, quod subsidia Latinorum non tantum amiserimus, sed etiam eos offenderimus.

quam anno 1492 ad præsules Ruthenos et Lithuanos scripsit,

1332 *Quamobrem neque mirari oportet, si etiam vobis sunt difficiles, quamvis non injustam excusationem habeas, dum, inscio patriarcha Constantinopolitano, quidquam tibi licere dicis. Nos certe, quamquam maxime cuperemus, nihil facere possumus eorum, quæ nobis expediunt. Ergo illi minime de nobis conquerantur; sed potius calamitatibus nostris compatientes, Deum nobis propitium reddent, ut a tyrannica servitute liberati, denuo uniamur, divina favente clementia. Tu vero ne nimium reluctaveris, sed amice cum Latinis versare; nam et nostris sacerdotibus, in dominio Veneto degentibus, nos utique injunximus, ut una cum iisdem Latinis, servato tamen ecclesiæ Orientalis ritu, simul orent, et congregentur. Sed ritus patrios observa; namque*
B *non prius majores nostri in unionem Florentinam consenserunt, quam privilegia nostra fuissent confirmata. Scripsimus principibus et antistibus Ruthenis ac Lituanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint. Anno septies millesimo* (id est Christi MCDXCII) *die* V *Aprilis, Indictione* XI. Forte pro Indictione XI, substituenda est X, quæ juxta plerosque chronologos cum anno 7000 orbis conditi currebat. At exiguum unius alteriusve anni discrimen hic nos morari non debet, cum post captam a Turcis Constantinopolim in serie patriarcharum non tam scrupulose chronotaxim singulorum determinare possimus, ut supra monuimus.

et forte ob pertinaciam schismaticorum tertio sedem CP. ascendere noluit.

1333 Ceterum ex hac Niphonis epistola liquet, ipsum unioni utriusque ecclesiæ favisse, quamvis videatur nonnihil tempori servivisse, et forte plerosque Græcos, sibi subditos, ad eam compellere ausus non fuerit, ut ex quibusdam istius epistolæ verbis colligimus. Fortasse etiam hæc schismaticorum pertinacia illum movit, ut tertio cathedram Constantinopolitanam ascendere noluerit, etiamsi ad eam occupandam ultro invitaretur, quemadmodum Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 144 et sequente testatur his verbis :
C *Accepto mandato et sententia Sultani* (ut nempe Joachimo ejecto alium patriarcham substituerent, sicut postea dicemus) *vehementer animis consternati sunt, et confestim certorum aliquot pontificum concilium, qui tunc forte ad magnam ecclesiam erant, coëgere, ac tertium elegerunt una voce superiorem patriarcham Niphonem, in Valachia versantem. Ei, missis clericorum aliquot, nuntiandum hoc curarunt, rogaruntque, veniret, et patriarchicum fastigium reciperet. At ille nullo modo sibi persuaderi passus est; sed clericos missos ita, uti venerant, inanes remisit, nulla benignitate et honore eis habito; qui ad ecclesiam reversi, renuntiaverunt responsum Niphonis, eum non modo oblatam dignitatem non recipere, sed ne audire quidem de eo patriarcheio velle.* Tum alium subrogare coacti sunt, ut postmodum dicetur. Interim post secundam Niphonis expulsionem electus est

CXLI JOACHIMUS.

Electionem hujus Patriarchæ Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 143 sic memorat : *Illo ad hunc modum exacto et relegato* (nimirum Niphone, qui jam secundo expellebatur) *coacta denuo synodo, de alio patriarcha subrogando consultatum est, ac multis e pontificum numero nominatis, tandem una voce electus Dramæ antistes Joachimus. Electione hujus facta, ad suffragia secundum consuetudinem itum est. Accepta proinde et minore et majore ejus rei indicatione, augustissimam sedem cepit. Erat hic ætate quidem juvenis, nec doctrina expolitus; verum ecclesiasticis rebus perutilis, virtute conspicuus, animo submissus. Propter hujuscemodi animi indolem charus omnibus fuit et consecrati et civilis ordinis.* D

Post secundum Niphonis patriarchatum sedit Joachimus,

1335 *Concilium deinde cepit proficiendi in Iberiam, ut preces et benedictionem principibus regionis omnique populo impertiretur : quo profectus, exceptus est et a primoribus, et a nobilitate, et a ceteris omnibus magno honore reverentiaque. Munera ei multa et eximia dederunt, respicientes ad animi ejus demissionem et modestiam, qua se totum ad imitationem Christi, summi pontificis, conformaverat. Postquam singula Iberiæ loca obeundo vidit, e peregrinatione revertit, ac Constantinopolim ad thronum suum opulentus rediit. Ab eo tempore mox* E *magna in ipsum invidia exorta est multorum pontificum, clericorum, et quorumdam laïcorum.*

qui Iberiam visitavit,

1336 *Erat quidem metropolita Selybriæ, quem propter improba facta sua, omnibus nota, ea dignitate moverant : nec tantum ea pœna, verum lapidatione etiam dignus erat. Surgens hic in senatum Sultani accessit, et annuo charatzio seu tributo aliud mille ducatorum adjecit, ita ut jam fieret trium millium. Quo Bassæ audito, ipsum mira comitate exceperunt. Tunc statim accersiverunt patriarcham Joachimum, dicentes : Si acquiescis additione mille aureorum, quam Selybriensis fecit patriarchatus consequendi causa, resideto sane in throno tuo; sin abnuis, exibis, et illi locum tuum cedes, quia hæc est Sultani sententia et imperium. Noluit acquiescere patriarcha aggravatione hac tributi; sed de throno cedendum sibi duxit potius, quam in hujusmodi veniret peccatum. Tunc vero pius populus, ut vidit, periculum esse, ne condemnatus iste et merito dejectus metropolita violenter contra leges fieret patriarcha, abiit in regiam curiam in conspectum Bassarum, et additionem hanc mille ducatorum in se recepit. Ita repulsus est improbus ille Selybriensis conatus, et Joachimo sua dignitas constitit.* F

et aucto tributo cathedram suam contra æmulum retinuit,

1337 *Non multo post diaboli opera quiddam Christianis dolendum accidit : quodam enim die Sultanus Bajazita cum aulicis suis equitabat, modo huc, modo illuc oberrans, venatione animum oblectans. Hoc modo non longe a Chrysoceramo prætervectus, vidit domum quamdam, eamque, unicam, tegulis contectam; ceteræ vero tegulis carebant, sed tabulis lapideis aliisque tegumentis constratæ erant. Ut igitur Sultanus illam solam et nullam aliam, tegulas habentem, et ita a reliquis differentem conspexit, quæsivit e sacerdotibus, et senibus loci, ecquæ esset hæc sola tegulata domus. Responderunt illi metu impulsi, esse Christianam ecclesiam, qua ipsi uterentur. Rursus infit Sultanus : Ecquis vobis potestatem ejus ædificandæ dedit? Ipsi, ut homines minime mali, nec periculi quidquam suspicantes, responderunt per imprudentiam et inconsiderate : Patriarcha nobis potestatem fecit, et ita ædificavimus.*

ex qua tamen postmodum alia occasione

1338 *Sultano, postquam audivit, color faciei immutatus est, et gravi ira contra patriarcham exarsit, de eoque haud vulgare supplicium sumere voluit. At immutavit tamen animum suum, et severum clericis mandatum dedit, ut dejicerent patriarcham,*

dejectus est.

aliumque

SEC. XVI. *aliumque sufficerent, nisi pœnas dare et deleri vellent.* His minis perterriti, dejecto Joachimo, patriarchatum obtulerunt Niphoni, qui jam bis expulsus fuerat, et tunc in Walachia versabatur, ut superius alia occasione, ex Malaxo libro 2 Turco-Græciæ pag. 144 et sequenti, memoravimus. Sed cum is oblatam dignitatem omnino recusaret, repulsam passi clerici suffragia sua ad alium substituendum converterunt. Quandoquidem vero non ignobiles chronologi initium hujus successoris usque ad annum Christi MD differunt, nos cum ipsis jam exordiemur D

SECULUM XVI.

CXLII PACHOMIUS I.

Niphone tertium patriarchatum recusante electus est Pachomius

Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MD num. 12 secutus Onuphrium Panvinium, existimat, initium Pachomii eo anno figendum esse, ut ibidem et postea ad annum Christi MDXIII num. 22 pluribus argumentis ostendit. B Porro Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 145 de electione ipsius narrat sequentia : *Synodus, hac recusatione percepta* (nimirum Niphonis) *denuo ac sæpius sedit. Cumque probatissimorum, ad sustinendum tantum opus aptorum, antistitum nomina in medium allata essent, convenire de patriarchæ electione non potuit. Ita synodus dimissa fuit. Inde rursus concilio congregato, omnium voces in Zichnensi præsule* (cathedram hujus ecclesiæ tunc Pachomius occupabat) *concurrerunt; qui tunc quidem non aderat, sed domi apud metropolim suam. Cum hunc una mente patriarcham legissent, statim legatione missa, adducendum curaverunt eidemque utrumque indicium de more dederunt. Pedum ab Heracleensi accepit post gratiarum actionem, a patriarchis recitari solitam, et in patriarchicum thronum assedit. Tunc accurrere pontifices, et clerici, et cuncti Christiani, eique debitum honorem exhibuerunt.*

quem amici decessoris, oblata majori pecuniæ summa, post annum expulerunt,

1340 *Postquam hic unum annum sedit, tum quidam politici, prioris patriarchæ Joachimi amici, inter se consilium ineunt, se tamquam de suo daturos Sultano quingentos aureos, ut ipsis in patriarchatum restituat Joachimum. Erat tributum antea* C *tria millia ducatorum. Hoc ipsi quingentis ducatis auxerunt, ut summa fieret ter mille et quingentorum. Et hoc eorum præposterum erga Joachimum studium, quo hanc accessionem Sultano polliciti sunt, susceptum est, ipso Joachimo sciente et volente : quippe dabat ipse id auri clanculum ; sed nihil se scire, præ se ferebat. Itaque re ad Sultanum ab illis relata, se addere quingentos aureos, ut Joachimus restituatur, statim is negotium eis throno deducendi Pachomii, et Joachimi reducendi dedit.* Sic itaque expulso Pachomio, de quo infra sermo recurret, sedem Constantinopolitanam ascendit

JOACHIMUS iterum.

et Joachimum sedi CP. restituerunt.

Malaxus, ex quo superius nonnulla istius Patriarchæ gesta retulimus, lib. 2 Turco-Græciæ pag. 146 de secundo illius patriarchatu hæc habet : *Post modicum tempus hic iterum peregrinari et Moldaviam invisere paravit. Itaque clericis aliquot comitatus in viciniam illius pervenit. Resciverat Moldavus de additione ad tributum a Patriarcha facta, cum hic, quingentis ducatis datis, Pachomium e throno excussisset, et ipse inibi se collocasset. Noluit ergo eum princeps ille recipere ; imo ne videre quidem ; sed ministros aliquot misit, qui hominem tota regione ipsius excedere jusserunt, ut patriarchatus contra canones inscensorem. His auditis, Patriarcha valde indoluit, et pudefactus est. Itinere itaque converso, Dolovistum perrexit, ac dolore animi in morbum delapsus, mox exstinctus est, cum talem sui contemptionem concoquere non posset.* Joachimo igitur sic mortuo, ad Cathedram Constantinopolitanam revocatus est E

PACHOMIUS I iterum.

Hoc mortuo, ad sedem CP. reversus est Pachomius,

Cognita *morte patriarchæ* Joachimi *a clericis* (verba sunt Malaxi, qui loco proxime citato sic pergit) *conventus pontificum indictus est, ut de alio idoneo in locum ejus substituendo deliberarent. Sedentes itaque in sacra synodo, concordi voce superiorem Pachomium requisiverunt. Communi sententia, inquam, pontificum et clericorum, interque seculares nobilium et plebis hunc ad patriarchicam administrationem revocarunt. Thronum ergo recepit, et pacifice præsedit. Eo tempore vivebat doctissimus vir et theologus præstantissimus, Manuel Peloponnesius* (is schismaticus scriptor nonnulla contra Latinos edidit, ut apud bibliographos videre est) *magnus magnæ ecclesiæ rhetor. Sub hoc quoque Patriarcha vixit legum contemptor Arsenius, genere apostoles, qui indigne violatis legibus et canonibus, in thronum sanctissimæ metropoleos Monembasiæ se intulit.* F

qui anno 1509 excommunicavit Arsenium, orthodoxum Monembasiæ præsulem,

1343 Post hæc auctor noster multis verbis perperam conqueritur, quod Veneti, quibus tunc Monembasia parebat, schismaticum istius urbis præsulem ejecerint, et Arsenius ope eorum et legati Pontificii sedem Monembasiensem inique invaserit. Dein allegat sententiam excommunicationis, quam propterea Pachomius patriarcha Constantinopolitanus *mense Junio, Indictione* XII, id est anno Christi MDIX, contra Arsenium tulit, et variis locis promulgari præcepit. Quinimo, si lubet credere, auctor ille ibidem pag. 151 de Arsenio, orthodoxo, schismaticorum fulminum contemptore, nobis obtrudit sequentia : *Ergo cum violator iste disciplinæ didicisset, tales a patriarcha litteras contra se missas esse, non potuit amplius Monembasiæ præ pudore consistere : sed confestim se inde proripuit, ad Papamque profectus exposuit apud eum Cardinalesque, atrocibus verbis et criminationibus, quid sibi accidisset : addens, Papam et Cardinales, hæreticos a patriarcha et Græcis censeri.*

1344 *Auditis his, Papa, quod sciret, quanto et quam eximia eruditio Arsenii esset, eumque mem-*

brum

A *cujus cadaver intumuisse dicitur,*

brum Ecclesiæ veteris Romæ esse, prolixe ad Venetum magistratum scribit, in Græciæ Christianos invehens. Quam epistolam cum ipse Arsenius eo attulisset, accidit magna perturbatio confusioque Græcæ ad sanctum Georgium ecclesiæ, ac multi Græcorum in periculum capitis inciderunt, rebus ita vehementer ab Arsenio exacerbatis. Verumtamen nil eorum, quæ speraverat, obtinuit ; sed ægritudine animi victus, mortuus est, nulla pœnitentia acta, in excommunicatione, abiitque anima ejus, quo Nestorii et aliorum hæreticorum : ac repertum est aliquanto post miserabile corpus ejus nigrum, ad modum tympani turgens, ita ut omnes, qui id videbant, terrerentur, et contremiscerent. Infra de hac schismatica narratione judicium nostrum aperiemus, ubi prius aliam viri eruditi de eadem re sententiam retulerimus.

de qua re dubitat Lupus, qui potius eam rotunde negasset.

1345 Christianus Lupus tomo 5 de synodorum generalium et provincialium decretis pag. 113 miros excommunicationis effectus refert, et ea occasione hanc ipsam Malaxi narrationem sic breviter discutit : *Alia similia exempla adducit eadem Historia : etenim Arsenium, Latinum Monemb*B*asiæ in Peloponneso episcopum, uti intrusum affirmat, a Pachomio patriarcha fuisse degradatum ac excommunicatum, et adjungit de ejus in vinculo defuncti cadavere :* REPERTUM EST ALIQUANTO POST MISERABILE CORPUS EJUS, NIGRUM, AD MODUM TYMPANI TURGENS, ITA UT OMNES, QUI VIDEBANT, TERRERENTUR, ET CONTREMISCERENT. *Quod an verum sit, ignoro : etenim Arsenius fuit legitimus, utpote Romani Pontificis auctoritate creatus, Monembasiæ episcopus ; et patriarcha Pachomius fuit nequam schismaticus, utpote qui Papam ac omnes Latinos assereret hæreticos, atque ita per ipsum inflicta excommunicatio fuit nullius ponderis. Attamen turbæ, quæ istic memorantur, possent per Arsenium fuisse concitatæ, atque ita et inflicta per iniquum patriarcham excommunicatio fuisse rata in divino judicio.* Non placet istud effugium Lupi, qui potius illam Malaxi narrationem, sicut cœperat, de falsitate suspectam habere perrexisset. Nos non tantum ambigimus de miro hujus excommunicationis effectu, sed majorem istius historiæ partem a schismaticis confictam esse arbitramur, ut jam variis rationibus probare conabimur.

C *Nos quibusdam argumentis probamus,*

1346 Imprimis plura, quæ Malaxus hoc loco nobis venditat, nullam verisimilitudinis speciem præ se ferunt : quis enim facile credat, Arsenium post latam a Pachomio excommunicationis sententiam non potuisse *amplius Monembasiæ præ pudore consistere ?* Inanem schismatici patriarchæ excommunicationem rucabat ille scilicet, qui Venetos, urbis dominos, et Romanum Pontificem sibi faventes habebat! Sane gloriosa ei erat ista hostium persecutio, et cathedram illam ascendens Arsenius, nihid aliud a schismaticorum furore poterat exspectare. Schismatici parum norunt orthodoxos, si putent, hos excommunicationibus aut exsecrationibus suis terreri. Imo orthodoxi solent talia hæreticorum aut schismaticorum odia sibi gloriæ ducere, et imbellia hujusmodi arma ridere. Quomodo igitur Arsenius *præ pudore* Monembasiensem sedem reliquit?

magnam hujus narrationis partem

1347 Præterea hæc Malaxi narratio non cohæret cum præcedentibus, quæ pag. 146 et 147 sic retulerat : *Erat iste Arsenius diaconus, venitque Venetiis Monembasiam, magna Venetorum procerum potestate instructus, pertinente tunc ad ipsorum imperium urbe. Pugnabant ipsi pro eo ; causam ejus agebat Papæ legatus, concedentes ei, quando fieret pontifex, thronum Monembasiæ citra controversiam. Quod si quis vel sacerdotum vel politicorum hominum se illi opponeret, nec pareret, acriter eum punitum iri, atque adeo exterminatum iri e loco illo ad omne tempus vitæ suæ. Tunc igitur, ut cœpi dicere, Monembasiam venit, mandatum et commendationem Venetæ dominationis præfecto civitatis, patribus, et populo exhibuit. Monembasiotæ, postquam eas litteras viderunt, demisse exceperunt hominem, honore et reverentia prosequentes, utpote præclara etiam eruditione et doctrina præditum.* Si Monembasiotæ Arsenium demisse exceperint, *honore et reverentia* ipsum *prosequentes*, quomodo postea *non potuit amplius Monembasiæ præ pudore consistere?* Quia, inquies, patriarcha Constantinopolitanus ipsum excommunicaverat. Intelligo. At Veneti aliique Latini eam excommunicationem explodebant ; graves autem pœnæ decretæ erant contra Græcos, *si quis vel sacerdotum vel politicorum hominum se illi opponeret, nec pareret*, ut ipse Malaxus testatur. Quis igitur Arsenio propterea insultare ausus fuisset? Quare ergo *præ pudore* Monembasiam deseruit? Usque adeo vera est parœmia, mendacem oportere memorem esse. E

a Malaxo aliisque schismaticis confictam esse ;

1348 Nec magis verosimilis est ipsius narratio, qua nobis persuadere nititur, Arsenium ad Pontificem Romanum venisse, ut de prædicta patriarchæ Constantinopolitani excommunicatione acerbe conquereretur. An hunc in finem, obsecro, ad Papam Romanum profectus fuisset? Certe Arsenius satis noverat, Pontificem Romanum non posse temporalibus pœnis castigare hanc audaciam schismatici patriarchæ, qui sub dominio Turcarum degebat. Nil igitur Arsenio aut Pontifici reliquum erat, quam contemnere vanam illam hominis ab Ecclesia separati excommunicationem, ut merebatur. Multo minus intelligo, quid sibi velit Malaxus, dum ibidem hæc subdit : *Verumtamen nil eorum, quæ speraverat, obtinuit ; sed ægritudine animi victus, mortuus est.* Jam Arsenius consensu Romani Pontificis et Venetorum ad sedem Monembasiensem evectus erat, teste ipso Malaxo, et ecclesiam illam summa auctoritate gubernabat. Quid ultra sperare poterat? Quomodo igitur *nil eorum, quæ speraverat, obtinuit ?* Adde, quod do his omnibus, quæ Malaxus tam confidenter narrat, nihil in Annalibus ecclesiasticis aut in historia Veneta invenerimus. Neque Matthæus F Cigala, neque Philippus Cyprius de hac re ullum verbum faciunt in suis catologis, ubi de Pachomio patriarcha Constantinopolitano meminerunt.

quibus argumentis addimus nedum chronologicum,

1349 Non diffiteor, anno Christi MDXII et sequentibus celebratum esse concilium œcumenicum Latenarense V, cui præter alios archiepiscopos anno MDXIII interfuit *reverendus pater dominus Andreas Monembasiensis*, ut apud Labbeum nostrum tomo 14 Conciliorum col. 133, et alibi legimus. Deinde anno Christi MDXVII sessioni duodecimæ ejusdem concilii interfuit *reverendus pater dominus Marcus Monembasiensis*, ut apud eumdem Labbeum tomo citato col. 325 notatur. Ex his sequi videtur, Arsenium Monembasiensem archiepiscopum, non diu post excommunicationem, quam Pachomius anno Christi MDIX vulgavit, e vivis excessisse, quod non obscure Malaxus innuit, dum affirmat, Arsenium ad Pontificem Romanum accessisse, et cum nihil obtinuisset eorum, quæ speraverat, ægritudine animi victum obiisse.

ex annotationibus Martini Crusii,

1350 Sed an Arsenius tunc statim e vivis excessit? Certe Martinus Crusius eumdem Arsenium adhuc anno Christi MDXXXV inter vivos numerat,

dum

SEC. XVI.

dum in Annotationibus ad Historiam Malaxi pag. 199 de illo sic scribit: *Hic Arsenius* Μονεμβασίας ἀρχιεπίσκοπος *collegit ex antiquis libris (in Creta et Venetiis et Florentiæ) scholia in septem tragœdias Eurypedis Græca...... Excudit Venetiis tunc Lucas, Antonius Iunta* MDXXXIV. *Arsenius autem, elegfanti epistola præfixa, dedicat illa Paulo III Pontifici; cujus epistolæ hoc argumentum est. Primo gratulatur ei de Pontificatu adepto (quem gerere cœpit* MDXXXV*) multa in eo laudans.* Igitur hic vides Arsenium archiepiscopum Monembasiensem adhuc anno Christi MDXXXV superstitem. Nunc hæc cum Malaxo et supra dictis combina, si possis. Certe nemo cordatus adeo desipiet, ut credat, Pontificem Romanum sententiam excommunicationis aut depositionis, quam schismaticus patriarcha contra Arsenium tulerat, ratam habuisse. Neque id Malaxus dicere poterit, cum ipsemet testetur, Papam pro Arsenio et magistratum Venetum scripsisse, et in Christianos Græciæ (scilicet schismaticos) invectum esse. Attamen non inficior, Arsenium forsan postea propter Venetos, aliosve Latinos Monembasiæ præfectos,
B
de quibus in epistola ad Paulum III Papam aperte conqueritur, sese cathedra sua abdicasse, quandoquidem anno Christi MDXIII Andreas præsul Monembasiensis concilio V Lateranensi subscripsit.

quem Spondanus non dissolvit,

1351 Si viderit, sprevit hanc chronologicam difficultatem Spondanus, quando in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDIX num. 16 post contractam ex Malaxo eamdem Arsenii historiam hæc subdit: *Est autem hic Arsenius, qui collegit ex antiquis libris scholia in tragœdias Euripedis Græca, inscripsitque Paulo III Pontifici in gratulationem suscepti ab eo pontificatus, ubi et vanitatem suam et ambitionem aperiens inter cetera conqueritur, non unum aut alterum Græcum esse inter tot Cardinales. Scripsit vero et alia Græce, quæ enumerantur apud Gesnerum.* Petrus Lambecius in Bibliotheca Cæsarea lib. 4 pag. 225 inter illius lucubrationes recenset *Arsenii Monembasiæ seu Monobasiæ in Peloponneso archiepiscopi, qui anno Christi* MDXXXIV *scholia Græca in aliquot Euripedis tragœdias edidit, epigramma in Hieronymum Donatum, præfectum Cretæ,* quod ibidem pag. 205 Græce exhibuerat. In eadem Bibliotheca Cæsarea
C
meminit de quibusdam aliis ejusdem Arsenii opusculis, atque inter illa ibidem lib. 1 pag. 150 numeratur codex, cui vitiose inseritur hic titulus: *Arsenii philosophi, metropolitæ* QUONDAM *Empasiæ in Pelonnenso, explicatio in novem comœdias Aristophanis.* Sed Lambecius ibi sic legendum monet: Μητροπολίτου γενομένου Μονεμβασίας τῆς Πελοποννήσου, id est, *qui metropolita fuit Monembasiæ in Peloponneso.* Juverit vocis *quondam* infra recordari.

et propter quem Hilarius Lutheranus duos Arsenios

1352 Manet itaque implexus ille nodus chronologicus, quem Henricus Hilarius heterodoxus, cum solvere non posset, in gratiam Malaxi in Notis ad Chronicon Philippi Cyprii pag. 389 et sequente sic scindere nititur: *Crusius vero in notis* ἁμάρτημα μνημονικὸν *commisit, dum duos Arsenios, diverso tempore viventes in unum compegit. Ut tibi eo melius hæc innotescant, lector, observes velim, Pachomium patriarcham et Arsenium apostolen, de quo in capite sermo, vixisse sub imperio Bajazethis. Bajazethes autem vitam anno Christi* MDXII *terminabat, et Arsenius mœrore animi ante eum exstinctus est. Alter vero Arsenius, itidem civitatis Monembasiæ in Peloponneso episcopus, qui scholia sua in Euripedem Pontifici Romano Paulo III dedicabat,*
D
anno MDXXXV *florebat. Unde lector apertissime videt, diversas esse personas et diversa tempora, nec debere hæc inter se confundi.*

Monembasienses ejusdem fere temporis antistites, sine ullo fundamento distinguit.

1353 An Hilarius speravit, sese id sola sua auctoritate nobis persuasurum? Cur legitimas tabulas aut fide dignos istius distinctionis testes non allegat? An putavit, nos adeo credulos fore, ut sine ullis instrumentis duos homonymos ejusdem sedis archiepiscopos, ambos eruditione memorabiles, circa idem fere tempus admittamus? Multo facilius credemus, quod Arsenius iste sedem suam reliquerit; cum ipsemet in prædicta dedicatione ad Paulum III testetur, se Romæ quindecim annis laborasse, ut tenuem provisionem obtineret. Gratis itaque hic Lutheranus scriptor supponit, quod in quæstione versatur; nempe Malaxum hoc loco vera narrasse, quod nos in dubium revocamus. Quinimo ob supradictas rationes contendimus, Malaxum errasse, aut majorem hujus historiæ partem pro suo erga schismaticam Græcorum ecclesiam affectu confinxisse. Neque temere de auctore illo ita judicamus, cum in eadem Historia sua multum amori aut
E
odio tribuat, et falsa quædam narret, ut superius ex epistola Theodosii Zygomalæ ad Crusium monuimus, et infra iterum alia occasione ex eodem symmysta ejus referemus. Itaque schismaticis, aut eorum defensoribus, solide probanda est hujus narrationis veritas, et difficultates ei oppositæ dissolvendæ sunt, antequam tam miris vanæ excommunicationis effectibus fidem adhibeamus.

Pachomio Patriarchæ CP. monachus quidam propinavit venenum,

1354 Interim transcribemus reliqua Pachomii patriarchæ gesta, quæ Malaxus ibidem pag. 151 et sequente sic prosequitur: *Hoc Pachomio patriarcham agente, diem suum obiit, uti dictum est, Sultanus Bajazita, secundus imperator urbis. Successit ei filius Selimes: quo tempore idem patriarcha ecclesiam Christi bene pieque regebat, cessantibus offensionibus et dissidiis. Aliquot dierum spatio exacto, comitatu clericorum sacratorum et secularium hominum assumpto, Valachiam petiit et Moldaviam. Ibi et a proceribus illorum locorum, et a nobilibus et toto populo summa cum reverentia exceptus, et liberalissime muneratus est. Tum benedictionem ipse eis impertitus, cum omni comitatu suo huc in urbem redire intendit. Verum quando Selybriam venit,*
F
venenum ei monachus familiaris, nomine Theodulus, coactu clericorum aliquot dedit; quod simul ac hausit, superius ex ore sanguinem rejectabat, inferius autem e sede sanguis effluebat, sicut ex aquæductu aqua: qui ut morti propinquus erat, in curru positus est, et inde in magnam ecclesiam deportatus, quam ut primum attigit, animam efflavit, ibique humatus est.

quo circa annum 1515 exstinctus est,

1355 Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum MDXIII num. 22 ex morte Sultani Bajazetis, quæ anno Christi MDXII accidit, tempus hujus Patriarchæ determinat, et ibidem de chronologico Pachomii fine ac successoris initio ita disserit: *Eodemque anno* (nimirum Christi MDXIII) *putamus mortuum item fuisse Pachomium patriarcham Constantinopolitanum Græcum ex iis, quæ in ejus ingressu diximus: cum enim sub ejus patriarchatu mortuum esse Bajazetem Turcorum imperatorem (quod vidimus contigisse anno superiori) ac post ejus obitum sub Selimo Valachiam et Moldaviam visitasse Græci tradant, utique non potuit ejus obitus ante præsentem annum accidere. Mortuus est autem ex veneno, a quodam monacho ei præbito; et antequam episcopi de more convenirent ad sufficiendum ei successorem, Theoleptus alius monachus,*

Joanni-

Sec. xvi.

A *Joanninorum metropolita, Selimum Hadrianopolim adiens, pescesio dato, patriarchatus litteras ab eo obtinuit, atque in eo confirmatus est ab episcopis et clero, seditque toto tempore Selimi. Quod vero Onuphrius ejus ingressum ponit biennio ante obitum Bajazetis, eum omnino errare, ex prædictis intelligitur.*

CXLIII THEOLEPTUS I.

et ei post breve tempus successit Theoleptus,

Ex jam dictis patet, hunc anno Christi MDXIII creatum esse Patriarcham, de quo Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pagg. 152 et 153 refert sequentia : *Eo tempore, quo mortuus fuit* (Pachomius) *aderat Joanninorum metropolita, cui nomen Theoleptus, qui apud prædictum Pachomium monachus vixerat. Hic, priusquam concilio congregarentur pontifices, patriarchæ creandi gratia, Adrianopolim pervolavit, ubi tunc Sultanus Selimes erat ; cui, pescesio dato, manum osculatus est : a quo continuo confirmationem potestatemque accepit, indeque ad* B *magnam se ecclesiam retulit. Postquam regias litteras monstravit, statim in synodo considentes antistites et clerici suffragari cœperunt. Ipse dehinc, utraque denuntiatione accepta, patriarchica functione in se translata, augustissimam sedem conscendit, ab Heracleensi pastorale pedum accepit, ecclesiam Christi pascere occepit. Ceterum hoc patriarcha sedente, e vivis excessit Selimes, tertius urbis rex, quem in regno filius Soleimanes excepit. Nec sub regno Selimæ, qui octo et dimidiatum annos regnavit, alius, præterquam Theoleptus, patriarcha fuit.*

qui circa annum 1521 e vivis ereptus est.

1357 *Imperante autem Sultano Soleimane, accusatus est hic Patriarcha libidinis nomine ; catholicæque ecclesiæ magnum inde offendiculum, et perturbatio accidit. Synodo dein hujus rei causa a reverendis clericis advocata, decretum est, a Sultano facultatem esse petendam, ut pontifices ad inquirendum de criminatione Patriarchæ congregentur, verumne an falsum dixerint et accusatores et testes, qui utrique viri fide digni erant. Euntes igitur clerici in regium senatum, mandatum et potestatem inde extulerunt. Cumque nuntios pararent, quos acciendorum pontificum causa emitterent, deturbavit illum subito divino gladio suo summus omnium pon-* C *tificum Christus Deus noster et rex regum, qui novit occulta hominum, tum justorum, tum peccatorum, et unicuique præmia pro factis suis persolvit. Incidit enim Patriacha in gravem morbum et repentino exspiravit (factum est hoc brevi, postquam regnum adeptus esset Soleimanes) et ut mortuus est, sepelierunt eum extra Pammacaristæ prope priorem patriarcham Pachomium, ubi amborum sepulcra etiam nunc hodie visuntur.* Cum Solimannus anno Christi MDXX imperium Turcarum administrare cœperit, et mors Theolepti acciderit *brevi, postquam regnum adeptus esset Soleimanes*, facile colligimus, quod hic Patriarcha circa annum Christi MDXXI obierit, et tunc ipsi successerit

CXLIV JEREMIAS I.

Post hujus mortem electus est Jeremias,

De hoc Theolepti successore proxime citatus Malaxus pag. 153 et sequente hæc habet : *Congregati a morte ejus* (videlicet Theolepti) *aliquot pontifices, synodo sedente, Sophiæ antistiti suffragati sunt. Hic cum suffragiis ornatus esset patriarcha tum pontificum, tum clericorum, tum cunctorum Christianorum, data est ei minor significatio, et deinde, vespertino peracto, major. Cumque gratias egisset, pedum ab Heracleensi metropolita, veteri instituto et lege, accepit. Tum altissimo patriarchico solio conscenso, populo Domini benedixit et precatus est. Inde administrationi summæ præfuit satis diu, charus habitus et a sacri et a laïci ordinis hominibus propter summam modestiam studiumque pacis.* Ad ineuntem ipsius patriarchatum videntur spectare, quæ Spondanus in Annalibus anno Christi MDXXI num. 14 et 15 memorat his verbis : *Quo eodem anno Solimanus, Turcorum imperator, exercitum adversus Hungaros ducens, mense Septembri primitias expeditionum suarum Belgradum (Albam etiam Græcam dictum, olim Taurunum ad confluentem Savi et Danubii inclytorum fluminum situm) munitissimum totius Hungariæ oppidum, et validissimum Christianitatis ea parte propugnaculum, rebus omnibus necessariis tunc destitutum, post bimestrem obsidionem expugnavit, una cum Sabbatia aliisque nonnullis munitionibus.*

et profanandas a Solimano reliquias sacras redemit,

1359 Deinde post diversas hujus expeditionis causas, quas ex variis auctoribus proponit, sic ad rem nostram pergit : *Addit Spanduginus, Solimanum detulisse inde Constantinopoli sacra corpora SS. Thetæ et Venerandæ, brachium S. Barbaræ, et imaginem beatissimæ Virginis ; ad quæ* E *cum undique Christiani concurrerent, Solimanum accersito Patriarchæ minatum esse, nisi duodecim millia ducatorum solveret, projecturum se illa in mare ; Patriarcham, collecta ægre ea summa ex eleemosynis Christianorum, reliquias redemisse. Quo nomine fuerit is patriarcha, Spanduginus non exprimit ; sed ex Græcorum Historia ecclesiastica* (notat in margine hanc ipsam Malaxi Historiam) *satis intelligitur, fuisse Jeremiam, antea metropolitam Sophiæ : cum enim ibi dicatur, nullum alium sub Selimo sedisse præter Theoleptum, huncque decessisse brevi postquam regnum recepit Solimanus, eique Jeremiam suffectum esse, debuit omnino id contingere vel ad finem anni superioris, vel potius præsenti.* Ita ille.

qui cum Hierosolymam ad sepulcrum Domini profectus esset,

1360 Malaxus vero occasionem seu causam, ob quam Jeremias sede sua dejectus fuerit, ibidem exponit hoc modo : *Statuit autem adire Hierosolymam ad sepulcrum, in quo vitæ fons jacuerat, Dominus noster Jesus Christus, adorandum ; rebusque profectioni necessariis comparatis, secum clericos et diaconos, et monachos non consecratos duxit. Navi-* F *garunt inde in Cyprum, inque insulam egressi sunt. Ibi cum Patriarcha una cum comitatu suo esset, dissensio inter ipsos exorta est. Unde accidit, ut nonnulli clerici, relicto ibi Patriarcha, navi conscensa, redierint Constantinopolim. At Patriarcha navim in Cypro nactus, trajectus, in terram exscensum fecit, Hierosolymamque iniit. Ibi sanctum Christi sepulcrum adoravit, ceteraque sancta loca, et singularem voluptatem cepit, quod tanta ipsum gratia Deus dignatus esset.*

quidam clerici majori pecuniæ vi illum exauctorarunt,

1361 *Enimvero clerici ut redierant ad magnam ecclesiam, resciverunt quidam de pontificibus reditum eorum, eos propter dissidium cum Patriarcha rediisse. Equitantes itaque eodem tempore, in patriarcheium venerunt, cum clericisque et primoribus collocuti, adversus Patriarcham conspiraverunt, et synodum ejus e throno ejiciendi causa conflaverunt. Hoc consilio perrexerunt, et accessionem ad tributum fecerunt, aureos quingentos ; ita ut summa tota fieret quatuor millium : antea enim tria et dimidiatum ducatorum, jam inde a primis patriarchis pedetentim procedendo, fuerant, quemadmodum in retro scriptis apparet, quinam alio atque alio tempore amplificationem induxerint. Additione illorum quin-*

SEC. XVI.

gentorum ab inimicis Hieremiæ facta, considentibus in concilio pontificibus et clericis, ac de nobilitate paucis quibusdam, Sozopolitanus (tunc istius civitatis metropolitam agebat) *electus est*

CXLV JOANNICIUS I.

eique Joannicium substituerunt,

Post electionem hujus statim ad suffragationem itum est, indiciumque tum minus, tum majus ei factum. Tum in patriarchicum thronum festinanter ascendere coactus, metuentibus, ne Hieremias instar aquilæ revolaret, et thronum suum reciperet, priusquam ipsi suum patriarcham constituissent. Verum de piorum et reverentiam Numinis honestatisque habentium grege, tum urbicorum, tum Galatanorum, nemo illius videndi aut honorandi causa accessit; sed tantum, qui ipsum evexerant, nec alius quisquam. Hujusmodi condemnationem sui cum cerneret Joannicius, ille miser patriarchici throni occupator a nemine ad se accedi, nec se patriarchico honore affici; sed contumeliis incessi et diris
B *devoveri, valde magnum dolorem cœpit; nec ipse solum, sed et omnes gregales ipsius, et vehementer propter superventuram sibi condemnationem flebant.*

quem populus post reditum Jeremiæ

1363 *Tunc patriarcha Hieremias, Hierosolymis adhuc versans, audivit de illegitima Joannicii conscensione et tributi aggravatione, thronique ab illo, se dejecto, occupatione. Proinde in unum collecti quatuor patriarchæ liturgiam obierunt, post quam repticium patriarcham e piorum cœtu exterminarunt, et omnes illos, quorum suffragiis sedem rapuerat. Deinde aliquot diebus Hierosolymæ apud œcumenicum patriarcham Hieremiam consumptis, singuli thronos suos repetivere. At ipse Hieremias terra cum suo comitatu Constantinopolim versus rediit, videndi exitus causa; quo postquam appropinquavit, obviam fit bono Ebraimo Bassæ, eum salutans honorat, inter se gratulantur: charus enim admodum Bassæ erat. Proficiscebatur tum hic in quemdam locum ob magna negotia exsequenda. Tunc inquit ad patriarcham: Vade Galatam; ibi præstolare, donec redeo. Tunc te in locum tuum restituam. Patriarcha, cum ei reverenter gratias egisset, Galatam abiit, et ad templum Chrysopegæ commoratus est. Hoc ubi populus rescivit (o rem miram!) concurrit;*
C *idque tanta frequentia, ut triduum in osculanda sancta manu ejus absumpserit.*

oblato majori tributo, vicissim expulit,

1364 *Bassa reverso, et pro tribunali sedente, cunctus domo exiens accessit populus, ac clamore sublato dixit: Domine noster, istum perperam factum Joannicium nolumus in ecclesia nostra ferre; sed illum priorem reposcimus, qui secundum leges nostras, et fidei nostræ convenienter factus est. Voluntate hac populi ad regem relata, fieri is jussit hoc eorum postulatum, ea dumtaxat conditione adjecta, ut antecessor patriarcha penderet illos quingentos aureos, quos tributo addidisset ejus successor. Postero die Bassa in publico loco sedens, postquam eo venissent ambo patriarchæ cunctusque populus, sententiam regis clara voce recitavit. At Hieremias audito, standum esse illo tributi auctu, respondit: Non accipio ego istam conditionem, sed patriarchatu potius abeo. Verum enimvero populus, audito hoc, pro pietate sua accurrens deosculatur pedes Bassæ, auctarium approbat, quantumvis reclamante Hieremia. Ita eum rapiunt, abducunt, in patriarchico throno locant, comitante magno regis tzausche* (est tzausbassa, quem Græci τὸν μέγαν τζαούσιον appellant, præfectus nobilium aulicorum, ut in altero Leunclavii Onomastico post Historiam Musulmanam col. 896 videre licet) *magna tunc lætitia et gratulatione, tum per urbem, tum Galatæ die illo exorta,* D
die festo non modo ab ipsis, sed etiam a vicinis locis, solennibus ceremoniis aucto. Sic itaque ad sedem Constantinopolitanam, Joannicio invasore ejecto, evectus est

JEREMIAS I iterum.

Postquam ergo hic in sublimi throno resedit (Malaxum pag. 156 exscribere pergimus) *amicos quidem suos majore caritate complexus est; inimicos vero leniens, amicos sibi reddidit, venia eis data; gratulatique sunt sibi homines de virtute ejus quod is esset, ut scripsimus, homo paci deditus, et humilitate modestiaque animi conspicuus. Illum autem supposititium patriarcham Joannicium civitate expulerunt, qui pudefactus discessit, probris, contumeliis, anathematica exsecratione omnibus piis incessentibus. Nec multo tempore post malus male et cum dolore periit, anathemateque constrictus, ceu tympanum inflatus, repertus est, quandoquidem a* E
quatuor patriarchis propter iniquitatem suam ecclesiæ consortio spoliatus fuerat. Ita pœnas merito suo dignas miser dedit. Hæc si vera sunt, quæ de tumido Joannicii corpore hic referuntur, meminisse oportet eorum, quæ de inflatis hujusmodi excommunicatorum cadaveribus in speciali parergo supra diximus.

ac iterum in sede CP. collocavit Jeremiam,

1366 Tunc ibidem Malaxus longam subdit historiam, quam Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDXXXVII num. 18 ex ipso contraxit, et cujus synopsim ex illo sic brevitatis causa transcribimus: *Hoc eodem anno* (Christi MDXXXVII) *contigisse videtur, quod in Historia ecclesiastica patriarcharum Constantinopolitanorum traditur; factum esse decretum a Solimano, Turcorum imperatore, ut quæcumque civitates Græcorum, deditione recusata, armis et vi expugnatæ fuissent, in iis nulla ecclesia esse permitteretur, nec divinum Officium fieri; sed omnes solo æquarentur. Qua de re vehementissime turbato Jeremia patriarcha una cum omnibus Christianis Græcis, quod ejus vi legis cunctæ ecclesiæ Constantinopoli dejiciendæ essent, astu primi Veziris, Patriarchæ faventis, et quæ agere deberet suggerentis, Patriarcha duos ab Adria-* F
nopoli Turcos centenarios majores accersierit, qui auro corrupti, testati sint, se in obsidione urbis sub Mahomete militasse inter Genizzaros, et vidisse quomodo Mahometes oppugnasset principio urbem, sed postea Constantinum Græcorum imperatorem deditionem fecisse, clavibus ad Mahometem allatis; horumque relatione audita, parsum esse ecclesiis, et patriarchæ in futurum cautum.

qui decretum quoddam Solimani, imperatoris Turcarum

callide elusit,

1367 *Cum enim testes a tempore obsidionis, quam contigisse vidimus anno* MCDLIII, *usque ad tempus, quo auditi sunt, octoginta quatuor annos numerent, id ad præsentem annum* MDXXXVII, *referendum esse intelligitur. In quo tamen mirandum esset, adeo rerum ignaros fuisse Turcos, ut quod tam modico ante tempore in re omnium celeberrima accidisset, nescirent; nisi quod facile est imponere iis, qui seduci volunt. Fuisse autem tunc adhuc patriarcham Jeremiam, diserte auctor ait, quinimo et vixisse usque ad annum* MDXLV, *ex eadem Historia constat; ubi et nos ejus obitum ponemus, quamvis Onuphrius, qui Græcam hanc seriem patriarcharum, ut sæpius diximus, ignoravit, Dionysium ejus successorem jam anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto sedere cœpisse ponat.*

1368

monasterium in monte Atho restauravit,

1368 Dein Malaxus pag. 163 et sequente reliqua hujus Patriarchæ gesta sic narrat : *Hic patriarcha Hieremias instauravit a fundamentis monasterium Stauronicetæ, quod aliter magni Nicolai nomen habet, et in monte sancto Atho situm est, quod tunc ab incolis desertum fuerat. Templum ejus, magnitudine et figura admirabile, cum porticibus fecit, pictisque imaginibus elegantissime illustravit. Cellulas item monachis ædificavit, et turres et sacram mensam; muro magno et valido cinxit, et adinstar castelli exornavit. Vasa præterea pretiosa diversi generis aurea et argentea dedicavit. Denique multis possessionibus, ex quibus alimonia monachis suppeditetur, locupletavit.*

litem ab antistite Achridensi intentandam non minus versute prævenit,

1369 *Tempore hujus Patriarchæ venit archiepiscopus Achridarum, olim primæ Justinianæ, nomine Prochorus, huc Constantinopolim; cumque in senatum accessisset, protulit diplomata aurei sigilli imperatoria, quibus affirmabatur et declarabatur, ad archiepiscopatum ejus pertinere Berrhœam, qui est episcopatus metropoleos Thessalonicæ. Ac statim eo nomine centum aureos tributo adjecit. Quod cum videret Patriarcha, in solicitudinem incidit, quidnam faceret, ne ille loca illius episcopatus ad se traheret. Consilio igitur quorumdam usus, abiit et legem extulit, cujus sententia erat : Si contigerit, ut aliquis rem aliquam ad centesimum annum in potestate habeat, nemo poterit eam amplius ei de manibus eripere. Ita ad tribunal Bassarum accessit, illaque lege prolata, demonstravit, episcopatum prædictum amplius trecentos annos penes Constantinopolitam ecclesiam fuisse. Quo audito, illum ei Bassæ adjudicarunt, sub conditione tamen, ut additione centum ducatorum, quam Prochorus fecisset, acquiesceret. Quod hic cum retractare non posset, fecit. Ita repulsus abiit Prochorus. Hoc modo annuum hujus magnæ ecclesiæ tributum sive charatzium ad quatuor mille et centum ducatos pervenit; quæ summa quotannis die sancti Georgii in imperatoria porta repræsentari solet.*

et demum in Walachiam Moldaviamque profecturus,

1370 *Decrevit item hic Patriarcha proficisci in Valachiam et Moldaviam. Hoc ergo consilio egressus e magna ecclesia, iter iniit, comitatus certis quibusdam pontificibus et clericis. Ibi in provincia sacratissimæ metropoleos Tornobi ægrotans, vitam hanc reliquit. Cum autem ita morbo laboraret, perfectorum monachorum habitum sibi induit, mutato priore nomine in Joannis nomen;*

Spiritus et superas sic ejus abivit ad arces,
Corpore ipsius magno cum honore sepulto.

Sederat in throno annos viginti tres et aliquot menses. Sane mirum est, turbulenta schismaticorum ingenia hoc tempore ita quievisse, ut tamdiu Patriarcham illum in pacifica sedis possessione reliquerint. Porro Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum MDXLV num. 20 ex hac viginti trium annorum administratione ostendit, Jeremiam anno Christi MDXLV obiisse.

in Bulgaria, aut in monte Atho vitam cum morte commutavit.

1371 Circa locum mortis nonnulla inter auctores occurrit discrepantia : Malaxus enim in prædicta narratione tradit, Jeremiam *in provincia sacratissimæ metropoleos Tornobi* (alii Ternobum appellant, estque præcipua Bulgariæ civitas) vitam reliquisse; at Matthæus Cigala apud Bandurum tom. 1 Imperii Orientalis pag. 216 contractis hujus Patriarchæ gestis ita finem imponit : *Idem Stauronicetæ monasterium in monte sancto restauravit, ibique monachus factus, excessit.* Consentit Matthæo Cigalæ Philippus Cyprius, qui apud eumdem Bandurum tomo proxime citato pag. 227 de morte ipsius hæc habet : *Is quoque monasterium Stauronicetæ in Atho monte instauravit, ibique ætate transacta, et monachus factus, decessit.* Potius in hac re credendum videtur Malaxo, qui jam tempore illo vivebat, et cujus nihil intererat, alium mortis locum confingere. Quidquid sit de hoc discrimine, in locum Jeremiæ defuncti suffectus est

SEC. XVI.

CXLVI DIONYSIUS II.

Cum decretum editum esset

Res gestas, quæ electionem hujus Patriarchæ præcesserunt ac secutæ sunt, Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 164 et sequentibus ita commemorat : *Vulgata morte patriarchæ, clerici magnæ ecclesiæ scripserunt ad proximos antistites; quibus congregatis, frequens concilium factum est pontificum, clericorum, principum atque multorum aliorum expertæ virtutis virorum. Aderat tunc in magna ecclesia patriarcha quoque Hierosolymitanus, cui nomen Germanus erat, et concilio ipse etiam intererat. Longa de patriarchico throno disputatione habita, unanimes salutarem constitutionem fecerunt, quam et in scriptum redegerunt, et infra tum Hierosolymorum patriarcha subscripsit, tum quotquot aderant pontifices ac clerici. Aiebat illa sanctio sic: Quicumque præsulum vellet ullo modo fieri patriarcha absque eo ut cuncti essent congregati pontifices, metropolitæ, archiepiscopi et episcopi tum Orientis, tum Occidentis, tum Peloponnesi, hunc talem jam ipsum per se condemnatum, pontificatu et throno dejectum esse. Hanc condemnationem ab ecclesiæque consortio sejunctionem Heracleæ antistes sacra humerali et collari veste indutus, promulgavit.*

circa electionem patriarchæ Constantinopolitani,

1373 *Tunc concordi voce emiserunt pernices nuntios ad pontifices cum regio mandato, eos congregarunt universos, et apud provincialem judicem, talem ordinationem constituerunt, quandocumque aliquis patriarchatum sitiens non accederet in patriarcheium, sed tantum coitione aliquot pauciorum præsulum, clericorum, et primorum legeretur, perinde acsi ab universorum concilio electus esset, tunc synodum esse cogendam, in qua tales dignitate sua moverentur, et longe a magna ecclesia eradicati projicerentur; improbitatem hanc a nundinatione Simonis magi, de quo in libro rerum ab Apostolis Christi gestarum, ortum et nomen habere; contra eam exstare canonem Apostolicum; multa alia absurda et legibus adversa contra disciplinam rectam pugnare : his vitiis profligatis, in sacro omnium concilio legendum esse patriarcham, qui pacifice absque omni offendiculo, citra omnem vexationem et molestiam, summæ rerum præsit.*

magna pars cleri et populi

1374 *Eo tempore Galatæ oppidi cives inclinatione charitatis admodum propendebant in metropolitem Nicomediæ Dionysium, eo quod patria ejus Galata erat, quæ ipsum et genuerat et educaverat. Nec Galatianis modo carus erat, sed etiam Caramanitis seu Cilicibus, qui magnopere eum fieri patriarcham studebant. Itaque* XVII *die Aprilis, sabbato justi Lazari, synodus propter negotia quædam collecta est. Ibi sedentibus pontificibus, et clericis, et parte procerum secularium, et multis aliis, congregataque multitudine plebis, sermo incidit de patriarcha, quisnam in pontificum conventu faciendus esset. Tunc magnus sacellarius, nomine Serpeta, de loco suo surrexit, et stans erectus, clara voce dixit : Sancti pontifices, venerabiles clerici, fratres et universe piorum cœtus, auscultate. Prior patriarcha felicis memoriæ Hieremias sæpenumero, quando cum clericis nobis sedebat, referebat, se mortuo, alium neminem esse, qui fieret patriarcha, nisi*

sanctum

SEC. XVI.

sanctum Nicomediæ præsidem : nam esse ætate provecta pontificem, animo submissum, atque pacis amantem.

elegit Dionysium,

1375 *Hac sententia audita, pars pontificum et clericorum surrexit : Galatiani item et Caramanitæ, nec non alii, qui diligebant Nicomediensem, eum rapientes una cum pontificibus in magnam ecclesiam introduxerunt. Ibi suffragatione inita, minus ei dederunt indicium, et post Palmarum vesperas majus. Tum in patriarchicum solium extulerunt. Die Dominico Palmarum, in equo collocatum ad Bassas perduxerunt, quos ipse adoravit. Ibi nec superioris sanctionis meminere nec excommunicationis. Posteaquam in throno suo sedit, præteriit tota hebdomada Paschatis, quæ magna vocatur, sancti et venerandi supplicii servatoris Jesu Christi celebratio sine ulla perturbatione.* Post hæc auctor pag. 165, meminit de incendio, tunc exorto, quod ad nos non spectat.

anno Christi 1546,

1376 Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDXLV num. 21 ex jam relatis characteribus chronologicis tempus hujus electionis ita assignat : *In locum ejus suffectus est,*

B

præsente Germano patriarcha Jerosolymitano, Dionysius metropolita Nicomediensis, patria Peranus seu Galatæus e regione Constantinopolis..... Ejus porro introitum referendum esse in subsequentem annum MDXLVI *ex prædicta serie omnino intelligitur, dum dicitur, ejus nominationem factam esse die decimo septimo Aprilis, sabbato S. Lazari, et inthronizationem sequenti die Dominica Palmarum; qui characteres non concurrunt, nisi quando Pascha incidit in vigesimum quintum Aprilis, sicut eo anno contigit. Indeque certissime Onuphrium redarguas, dum Dionysii ingressum ponit anno* MDXXXV, *quo incidit quidem decima septima dies Aprilis in sabbatum; sed vigesimo die post Pascha, quod eo anno fuit vigesimo octavo Martii.*

quem Turcæ ob dissidia Græcorum

1377 Ceterum Malaxus post memoratum incendium pag. 166 sic pergit : *At vero principes urbis seu Bassæ, audito patriarcham factum esse, valde moleste ferebant. Itaque in patriarchicam ecclesiam currere et pontifices adire dicentes : Quid hoc rei est? Litteræ, quibus in libro sanctionem inscripsistis, nondum siccatæ sunt, vestis collaris et humeralis, in qua promulgata fuit excommunicatio, adhuc foris est, nec in vestiarium reposita ; sub-*

C

scriptiones etiam vestræ exstant, si quis pontificum invadat in patriarchicum thronum, non omnibus pontificibus præsentibus, talem statim per se illa dignitate dejectum esse. De hoc leges sunt, sententiæ firmæ sunt. An ignoratis, et vos ipsos, et quem fecistis patriarcham, voce legum vestrarum de statione vestra deturbari? Responderunt pontifices : Sane deturbarent nos leges, si voluntate nostra violassemus legem et subscriptiones nostras. Nunc illud, quod fecimus, factum est invitis nobis, quia e synodo, ubi sedebamus, nos contra voluntatem nostram rapuerunt : ac quidam nos portabant pedibus, alii manibus ; nonnulli medios complexi, pannos humerorum nostrorum in terram abjecerunt ; nudatos in templo nos incluserunt. Præfracte denique denuntiarunt, aut Nicomediensem designaremus, aut morte pœnas lueremus.

majori tributo gravarunt,

1378 *Principes, his auditis, synodum sequenti hebdomade convocant. Pontifices consident, sanctionem recitari postulant. At patriarcha Dionysius, et qui cum ipso faciebant, nec colloqui nec respondere ipsis volebant. Principes et major pars pontificum ut talem contumaciam viderunt, ad Bassam retulerunt (qui erat Rusta Bassa, primus Vesirius, regis gener) et pescesio augendo causam dederunt, ut ex-*

D

quireretur negotium illud novellæ constitutionis seu decreti : Si patriarcha, inquiunt, legitime et rite factus est, retineamus ipsum, pro patriarcha vero habentes, et honore debito prosequentes ; sin contra, quam lex præscribit, factus est, deponatur. Recusare patriarcha hoc, sed a ctione honorarii acquiescere. At pontifices et primates, hoc viso, eum admittere auctionem, denuo tanto majorem fecerunt additionem. Fuerat pescesium initio aurei quingenti ; tunc vero ad tria millia aureorum perduxerunt.

et quem Græci jussu imperatoris pro legitimo patriarcha agnoscere coacti sunt.

1379 *Enimvero Patriarcha ipse, et qui ei favebant pontifices, clerici, et pars populi inter se concilium habebant, quid de hoc facerent. Convenit inter eos, dandum esse supplicem libellum ad regem, cum hoc certum esset, primum Vesirium, ipsum Rusta Bassam magnopere commodis adversari Patriarchæ. Hoc ubi sic decrevere, pararunt supplicationem, tamquam nomine totius populi scriptam, hunc Dionysium sibi patriarcham expetentis. Quodam die rex mari ad Camelogephyrum (pontem camelorum dixeris) perrexit : quod ut Christiani cognoverunt, cucurrerunt illo, ferentes supplicationem, quam humiliter ei porrexerunt. Rex in palatium suum reversus, eam legit, et extemplo Rusta Bassam accivit, et valde*

E

hoc nomine objurgavit. Tandem ei dixit : Est hæc sententia mea, ut fiat, quod populus meus vult. Tum Bassa cum metu regis non haberet, quod aliud faceret, misso equite, quem zauschum vocant, Patriarcham ex oppido Galata, quo ejectus fuerat, accersivit; qui in patriarcheium reductus, sedem suam recuperavit. Paucis diebus post, honorarium ter mille ducatorum accepit, allatumque in consessum Bassarum quæstori tradidit, a quo ad regem adductus, manum hujus osculatus est, quemadmodum consuetudo patriarcharum fert. Cumque potestatem et jus, ab eo datum, accepisset in solio suo securus sedit, libere ecclesiam regens et jurisdictionem exercens. Adversarii vero pontifices, cum rem impedire non possent, eum pro domino suo et rege et patriarcha agnoverunt et honorarunt. Ita singuli domos suas discesserunt.

Putamus partem Menæorum Græcorum,

1380 Suspicor ad hunc Dionysium spectare præfationem, quæ ante mensem Septembrem Menæorum Græce legitur, et cui præfigitur hic titulus : Τῷ *παναγιωτάτῳ ἀρχιερεῖ κυρίῳ* Διονυσίῳ *πατριάρχῃ* Κωνσταντινουπόλεως *τῷ κηδεμόνι καὶ ἀντιλήπτορι τοῦ* Ἑλληνικοῦ *γένους*, Ἀντόνιος *ὁ* Εἴπαρχος *ἐν* Κυρίῳ *χαίρειν*. Hoc est : *Sanctissimo præsuli domino Dionysio, patriarchæ Constantinopolitano, curatori et defensori Græcæ nationis, Antonius*

F

Hyparchus salutem. In hac hypothesi ad eumdem Dionysium pertinet titulus, qui cum aliquot versiculis mensi Januario Menæorum ita præmittitur : Τῷ *ἁγιωτάτῳ ἀρχιερεῖ* Κωνσταντινουπόλεως *νέας* Ῥώμης *καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ, κυρίῳ* Διονυσίῳ, Ἰωάννης Ὁμινδόνιος *εὐπράττειν*. Id est : *Sanctissimo præsuli Constantinopoleos novæ Romæ et œcumenico patriarchæ, domino Dionysio, Joannes Homindonius salutem.* Hæc, ni fallor, ad Dionysium hujus nominis secundum diriguntur.

quæ Venetiis postmodum excusa sunt,

1381 At dices, hunc Dionysium in cathedra Constantinopolitana sedisse ante medium seculi XVI, et illas Menæorum partes tantummodo circa finem ejusdem seculi primum typis vulgatas esse. Quomodo igitur, inquies, possunt isti tituli convenire huic Dionysio secundo, qui verosimillime exeunte seculo XVI jam dudum e vivis excesserat? Statuendus est itaque alius Dionysius, qui circa finem seculi XVI sedem Constantinopolitanam occupaverit. Fateor, hanc difficultatem non esse levem, et ita etiam censuisse Papebrochium nostrum, quando tomo 3 Junii pag. 808 sic scripsit :

Sec. XVI.

A psit : *Menæa Græcorum, quæ Bollando nostro placuit* MAGNA *vocare, excudi Venetiis cœperunt anno* MDXCV, *cum esset Constantinopolitanus patriarcha dominus Dionysius, cui Antonius Hyparchus longam inscribit præfationem de calamitosissimo statu totius Græcæ nationis quoad corporis et animæ bona, multis quærens in ejus causam; præcipuam autem veramque non attingens, licet præ oculis positam omnibus, schismatis scilicet pertinaciam, et divisionem ab Ecclesiæ Capite, a quo quodcumque sejungitur membrum, marcescere et emori necesse est.* Papebrochius igitur hoc loco clare supponit, anno Christi MDXCV aliquem Dionysium ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse.

dedicatam fuisse huic Dionysio,

1382 Sed cum in catalogis nostris non inveniam ullum Dionysium, qui eo tempore ecclesiam Constantinopolitanam rexerit, suspicari pergo, Antonium Hyparchum et Joannem Homindonium sub hoc Dionysio secundo Menæa ad commodiorem Græcorum usum digessisse, et labores suos patriarchæ tunc sedenti dedicasse; postmodum vero illa Venetiis prælo mandata esse simul cum præfationibus, quas priores collectores operi B præfixerant : nam Græci, qui editionem Venetam curarunt, a primis collectoribus diversi sunt, ut in fronte cujusque mensis videre est. Ad hanc suspicionem me maxime movet silentium Matthæi Cigalæ et Philippi Cyprii, qui exeunte seculo XVI vivebant, et non meminerunt in suis catalogis de ullo istius temporis Dionysio, quem certe non omisissent, si sua ætate ecclesiam Constantinopolitanam gubernasset. Adde, quod catalogus Renaudotianus, qui Constantinopoli scriptus est, incipiat ab anno Christi MDXCIV, post quem Dionysius iste in cathedra Constantinopolitana sedere debuisset, primo Matthæum, aliosque patriarchas enumeret, nulla circa id tempus de quodam Dionysio facta mentione, ut infra apparebit.

qui post multa cum clericis suis dissidia, aliaque gesta

1383 Ceterum Malaxus de hoc Dionysio secundo memorat sequentia : *Temporibus hujus Patriarchæ multæ discordiæ, confusiones, perturbationes inter ipsum et pontifices et clericos exortæ sunt, ac plures turbulentæ synodi celebratæ. Condidit hic Patriarcha in patriarcheii parte, quæ ad occasum solis vergit, quatuor conclavia seu cellas in superiore loco, et alia totidem inferius his subjecta, et pro-* C *pe hæc equile spatiosum et pulchrum; duo quoque pulpita libris imponendis fecit, ubi quæ ab aliquo leguntur, ab aliis cantantur in dextero et sinistro choro, nec non alia quædam, ecclesiæ usibus accomoda. Hoc Patriarcha sedente, deposita est sanctæ crucis figura, Bassæ jussu, de superiori parte, ubi campanis locus erat templi Pammacaristæ, quod in patriarcheio est, quæ crux eminus longe e terra marique conspicua fuerat, omnibusque Christianis patriarcheium conspecta notum fecerat. Ea deposita, magnus mœror omnium piorum animos invasit.*

circa annum 1555 ex hac vita discessit.

1384 *Post hæc Patriarcha morbo exstinctus est, cui justa in templo prædicto psalmorum cantu et omni cæremoniarum genere rite facta sunt. Corpus ejus in sanctissimæ Deiparæ monasterio vicinæ insulæ Chalcæ, ad ipsum pertinente, humatum.* Non scimus, quo fundamento Onuphrius Panvinius primum anno Christi MDLV successorem huic Dionysio assignet, cum neque Manuel Malaxus, neque Philippus Cyprius expresserit ullos gubernationis annos, ex quibus facile tempus mortis erueremus. Numerus autem annorum excidit in catalogo Matthæi Cigalæ, qui post alia de Patriarcha illo sic scribit : *Defunctus patriarchatu annos....., placida morte obiit.* Sed cum forte Panvinius alibi istud successoris initium invenerit, et nihil ei opponere possimus, chronotaxim Onuphrii Panvinii in hac parte sequimur, et mortem Dionysii circa annum Christi MDLV collocamus; ita ut juxta superiorem chronologiam nono aut decimo administrati patriarchatus anno ei successerit

CXLVII JOASAPHUS II.

Dionysio defuncto successit Joasaphus,

Malaxus lib. 2 Turco-Græciæ pag. 169 et sequente fœdis coloribus (id alius scriptor injuste factum vult, ut postea videbimus) hunc Patriarcham depingit, postquam de electione ipsius præmisit sequentia : *Vulgato patriarchæ* (Dionysii) *obitu inter antistites, multi et ab Oriente et ab Occidente in urbem confluxere. Ibi concilio habito, de sententia pontificum, clericorum, primorum, et totius populi electus est patriarcha, sanctissimus Adrianopoleos metropolita, Joasaphus, cui primo minor de more significatio data est; deinde vesper-* E *tino cantu peracto, major. Cumque gratias rite egisset, pedum sacrum ab Heracleensi accepit, quem demisse venerans, osculum manui ejus infixit : majorem vero significationem dedit ei reverendus et doctissimus vir, magnus sacratissimæ magnæ Christi ecclesiæ Chartophylax seu commentariensis, Alexander Terensis.*

qui varia ædificia construxit,

1386 *Postquam hic patriarchicæ dignitati præpositus fuit, concursu totius populi, sacri et profani ordinis, seniorum et juniorum ei congratulantium et venerationem exhibentium exceptus est. Erat tunc temporis pescesium trium millium, uti diximus, aureorum, vitio eorum, qui ad tantam id auctionem perduxerant. Eam certe summam superior patriarcha Dionysius dederat. At hic Joasaphus sedem indeptus, magna arte, multis machinationibus, plurium donorum distributione tantum effecit, ut uno mille desecto, pescesium posthac bis mille aureorum remaneret. His secum acceptis, ad consilium perrexit, manumque Sultani osculatus, insigne potestatis accepit. Paucis diebus elapsis, totum septum, quo patriarcheium circumdatum erat, cum veteribus et putrefactis tuguriis destruxit, advectisque calce,* F *lapidibus, tegulis et coctilibus lateribus, murum ipsi patriarcheio circumdedit, ita ut nunc castri pulcherrimi et muniti speciem habeat. Ædificavit quoque duo speciosa et ampla palatia in parte sinistra exeunti e patriarcheio prope sacratissimam patriarchæ cellam; ad hæc coquinam et molendinum. Insuper vasis sacris magnam ecclesiam auxit, et ornavit thuribulo, pelvi, candelabris duobus, et argento omnibus, nec non aliis magni pretii et splendoris ex auro utensilibus sacris et vestibus.*

et quem synodus Græcorum anno 1565 exauctoravit,

1387 *Erat porro hic Patriarcha admodum superbo ingenio, et gloriæ præter modum avido. Hinc in magnas concertationes cum venerando clericorum cœtu, et cum viris nobilitate præstantibus venit : atque ut sibi adjutores, adversariæ factionis destruendæ causa paratos haberet, nuntiis emissis, cunctos Orientis, Occidentis, et Peloponnesi pontifices congregavit. Qui cum venissent, in magna ecclesia congregati sunt. Synodo autem facta, ipsum simoniæ convicerunt, et ex sententia sacrorum apostolicorum canonum pontificio throno patriarchicoque honore dejecerunt.* Tum subdit ipsam depositionis sententiam quæ lata est *anno septies millesimo septuagesimo tertio* mundi conditi, id est Christi MDLXV, *mense Januario, Indictione octava,* et cui quin-

quaginta

SEC. XVI.

quaginta duo antistites subscripserunt, ut ibidem videri potest.

(Zygomalas hanc synodum accusat injustitiæ)

1388 Theodosius Zygomalas lib. 1 Turco-Græciæ pag. 96 famam hujus Joasaphi contra publicum condemnationis instrumentum ita tueri conatur: *Observa quoque hoc* (sic in epistola sua Crusium monet) *Malaxum in iis, quæ ex multis collecta conscripsit, non per omnia veritatem sequi: interdum enim ad gratiam loquitur, nonnumquam ex odio. Exemplo sunt, quæ in Joasaphum patriarcham, virum sanctum, et nominis Græci amantem, et invidia injuste patriarchatu dejectum dixit. Constat certe nobis, eos, qui conspiraverunt contra ipsum in sententia ferenda, principesque auctores injuriæ exstiterunt, omnes in multa mala, atque adeo in miserabile exitium incidisse; nimirum Deo injustum in illum suffragium latum in apertum proferente (ut quidem mea fert opinio) et quod animadversurus sit in eos, qui justo homini iniquam pœnam irrogaverint; quem equidem Deo acceptum, ut pium virum et virtute per vitam præditum fuisse arbitror.* Dum Zygomalas sic unum Joasaphum defendere nititur, quinquaginta duos schismaticæ suæ ecclesiæ præsules de gravissima invidia ac injustitia accusat. Crusius in sua Turco-Græcia pagg. 274 et 275 ex narratione cujusdam Græci refert aliam hujus dejectionis causam, ubi etiam a pag. 290 exhibet ipsam Joasaphi exauctorati epistolam, in qua hic de injuria sibi illata conqueritur, et ad aliud magis æquum judicium provocat. Nos interim hanc litem supremo Judici ac cordium scrutatori decidendam relinquimus.

B

et sub quo Lutherani approbationem suæ hæresis frustra a Græcis obtinere tentarunt.

1389 Ceterum sub hoc Patriarcha Lutherani incassum sperabant, hæresim suam a schismatica Græcorum ecclesia recipiendam aut approbandam esse, ut Leo Allatius lib. 3 de Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 8 num. 2 testatur his verbis: *Pertentarunt sæpius Occidentales hæretici Græcorum animos maximis etiam pollicitationibus allicere ad proprias hæreses..... Primus, qui id conaretur, fuit Philippus Melanchthon, qui Augustanæ confessionis, Græce a Paulo Dolscio Plauensi conversæ, ut Martinus Crusius notat, anno* MDLIX *a Joanne Oporino editæ, exemplum ad Josaphatum*, patriarcham Constantinopolitanum, per Demetrium Mysum, diaconum ejusdem ecclesiæ, misit; tradens, in suis ecclesiis doctrinam Prophetarum et Apostolorum servari, sibi hæreses veteres et superstitiones odio esse. Melanchtonis epistola nec responsione digna judicata est a patriarcha Constantinopolitano.* Cum itaque Joasaphus ineunte anno Christi MDLXV e sede Constantinopolitana dejectus esset, ad eamdem mox evectus est

* *lege* Joasaphum

C

CXLVIII METROPHANES III.

Joasapho exauctorato statim suffectus est Metrophanes,

Hunc statim Joasapho exauctorato successisse, satis patet ex verbis Malaxi, qui lib. 2 Turco-Græciæ a pag. 175 electionem ipsius ita narrat: *Exturbato ad hunc, quem diximus, modum patriarchica sede in pontificum consessu Joasapho, suffragiis eorumdem designatus est Cæsariensis, patriarcha; successitque is, utraque significatione accepta, in sublimi throno. Ceterum sub hujus patriarchatu fuerunt quidam pontifices, qui non accipiebant ob sacerdotes creandos pecuniam; sed tantum embaticium* (est honorarium, quod Græci clerici pro obtento gradu vel inita dignitate præsulibus pendebant, ut Cangius in Glossario Græco-barbaro notat) *aliquis capiebat, quando sacerdotem aliquem faciebat, dante id ecclesia.*

D

qui patriarchatui renuntiavit

1391 *Atque cognoscite, quæso, quodnam embaticium quidam eorum acceperint, cum in ipsa ordinatione nullos caperent nummos, ut ne sanctionem sacrarum legum et antistitum transirent, neu eodem cum Simone mago crimine condemnarentur; capiebant exinde duplum embaticium. Ita e tali nundinatione nihil eis decedebat; sed ad idem satiendæ avaritiæ suæ principium redibant, Væ, væ illis! Non patitur se irrideri Deus, neque in personam intuetur, nec regis, nec principis, nec pontificis, nec cujusquam alius; verum singulis secundum facta sua gratiam refert: quippe Deus justus. Idem dehinc Patriarcha scripto resignavit patriarchicum solium et pontificatum ad quartum Nonas Maii, die Dominica, post Nicomediæ præsulis designationem. Eam resignationem pontifices et clerici acceptam in codicem magnæ ecclesiæ retulere. Sub hoc patriarcha Metrophane rebus humanis exemptus est Sultanus Suleimanes, rex quartus urbis, postquam* XLVII *annos regnum administrasset. Eo regnante fuerant hi patriarchæ, quos subjecimus:* I *Hieremias, qui fuerat metropolita Sophiæ.* II *Dionysius metropolita Nicomediæ.* III *Joasaphus metropolita Adrianopoleos.* IV *Metrophanes, qui metropoliten Cesareæ egerat. Suleimanæ mortuo successit in regno filius suus Selimes, quo imperante, resignationem fecit prædictus Metrophanes.*

E

mense Maio anni 1572.

1392 Cum Selimes Turcarum imperator circa finem anni MDLXXIV obierit, ex dictis constat, Metrophanem ante hoc tempus patriarchatui suo renuntiasse. Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum MDLXXII num. 27 abdicationem Metrophanis ita refert: *Hoc anno* (nimirum Christi MDLXXII) *ad quartum Nonas Maii, Metrophanes patriarcha Constantinopolitanus Græcus sponte dignitate se abdicasse dicitur.* Sed cum Metrophanes ineunte anno MDLXV cathedram Constantinopolitanam ascenderit, ut supra diximus, non invenio novem administrationis annos, quos Matthæus Cigala et Philippus Cyprius ei tribuunt, nisi forsan tempus secundi patriarchatus inter hos novem annos computarint. Cum autem Metrophanes dignitatem suam abdicarit, quarto Nonas Maii die Dominica, et anno Christi MDLXXII fuerint litteræ Dominicales FE, abdicatio illa ad hunc annum referenda est, ut consideranti apparebit. Ceterum de hoc Patriarcha quædam inferius dicenda reservamus, quando ad sedem suam redibit. Interim locum ipsius occupavit

F

CXLIX JEREMIAS II.

Sequenti die post abdicationem huic subrogatus est Jeremias,

Hunc patriarcham magnis laudibus extollit Malaxus, dum post proxime relatam Metrophanis abdicationem pag. 176 hæc subnectit: *Tunc contigit, hic esse in magna ecclesia aliquot pontifices, numero viginti aut amplius, synodoque habita consedere cum honoratissimo clericorum cœtu, ut eligerent patriarcham, corpore et animo dignum, qui pasceret ecclesiam Christi recte et juste, tamquam viva ipsius imago. Consentientibus igitur suffragiis, legerunt sacratissimum et divinis dotibus exornatum metropolitam Larissæ, dominum Hieremiam, pontificem justum, vitæ inculpatæ, verum, pium, misericordem, sanctum, innocentem, labis expertem; ut jam factum sit id, quod divus Paulus ad Hebræos scribit: Fratres, talis nos decebat pontifex, et quæ sequuntur.* Tempus vero successionis

ibidem

Sec. xvi.

A ibidem pag. 178 sic accurate exprimit: *Evectus autem est in excelsum et illustrem hujus dignitatis locum anno conditi orbis supra septies millesimo octogesimo* (id est Christi MDLXXII) *tertio Nonas Maii.* Ex hoc distincto electionis tempore sequitur, Jeremiam postero die in locum Metrophanis abdicantis successisse.

vir laudibus et rebus gestis clarus, 1394 Deinde Malaxus ibi et sequentibus paginis varia hujus Jeremiæ gesta prolixe commemorat, quæ a Spondano ad annum Christi MDLXXII num. 27 sic in compendium rediguntur: *Hoc anno ad quartum Nonas Maii, Metrophanes patriarcha Constantinopolitanus Græcus sponte se dignitate abdicasse dicitur, et in ejus locum suffectus Jeremias ex civitate Anchiolo, Ponto Euxino vicina, archiepiscopus Larissenus, ætate juvenis; quippe qui vix tunc annum trigesimum sextum exegisset; sed vir admodum apud suos laudatus de pietate et virtutum cultu ac studio sacrarum Litterarum. A Selimo Turcorum imperatore, de more soluto pescesio, confirmatus, ante omnia synodo habita, penitus proscripsit infaustum illud simoniacum embaticium, de cujus introductione dictum superius.* B *Templum patriarchale restauravit, ac perpulcris sacris imaginibus, aliisque egregiis ornamentis decoravit; thronum patriarchalem magnificum erexit, vestes pretiosas ecclesiæ contulit, palatiumque ampliavit, ac nova ædificia construxit: ita enim impensus ejus laudator Emmanuel Malaxus in patriarcharum Constantinopolitanorum historia, quæ ibi in hoc Jeremia desinit.* Si Malaxus schismaticus, qui circa annum MDLXXX obiit, postrema Jeremiæ gesta cognovisset, non tantopere ipsum laudasset, cum postea unionem cum ecclesia Romana amplexus fuisse videatur, ut apparebit ex infra dicendis, quando post Metrophanis mortem sedi suæ fuerit restitutus.

sub quo Lutherani iterum frustra laborarunt, 1395 Lutherani sub hoc Patriarcha iterum frustra tentarunt erroribus suis Græciam inficere, aut saltem approbationem eorum a Græcis extorquere, ut Spondanus ad annum Christi MDLXXIV num. 16 refert his verbis: *Hoc eodem anno Jacobus Andreæ, Schmidelinus ab arte fabrili, quam initio exercuit, dictus, posteaque inter præcipuos Lutheranorum ministros connumeratus, Tubingensisque academiæ cancellarius, et Martinus Crusius, Græcarum litterarum ibidem professor, per* C *Stephanum Gerlachium, ejusdem hæresis Lutheranæ sectatorem, ac concionatorem Davidis Ungnadii baronis et oratoris Cæsarei ad Selimum Turcorum imperatorem, obtulerunt Jeremiæ Græcorum patriarchæ Constantinopolitano Augustanam Confessionem, Græce dudum conversam a Paulo Dolscio, seu ab ipso Melanchthone Dolscii nomine, ac cum eodem de concordia, cum nonnullis ejus decessoribus frustra tentata egerunt, tum in odium Romanæ Ecclesiæ, tum ut antiquam suæ sectæ successionem ostendere possent.*

ut Græciam erroribus suis inficerent, 1396 *Quæ nundinatio cum in aliquot sequentes annos protracta fuerit, plurimis scriptis ultro-citroque epistolis, multisque aliis ejusdem farinæ libris Constantinopolim ad id missis, atque inter ceteros compendio theologiæ Jacobi Heerbrandi Juliacensis, ab eodem Martino Crusio Græce reddito; Gerlachio id diligenter curante, ac post eum Salomone Schweigkero, successoris Ungnadii in ea legatione Joachimi a Sintzendorff ecclesiaste; nihil tamen perfici potuit, Patriarcha quamquam valde honeste erga eos sese gerente, non solum tamen renuente in religionis dogmatibus eis suffragari, verum etiam aperte refragante, et Catholicorum omnia, quæ Lutherani impugnabant, confirmante, atque eorum errores detegente, uti videre est in trinis ipsius responsionibus: cum illi, non priori anni* MDLXXVI *satis prolixa contenti, iterum atque iterum rescribentes, et suam doctrinam defendere et Patriarchæ argumenta convellere satagentes, alteram ac tertiam declarationem elicuerunt, haud prima illa sibi æquiores vel auspicatiores: adeo ut in fine tertiæ, tædio affectus importunæ illorum pervicaciæ, coactus fuerit post exprobratam ipsorum discordiam a dogmatibus ecclesiæ et inter sese, demum rogare eos, ne postinde molesti ipsi essent, neque amplius de iis scripta mitterent: quippe qui præsumentes plus vetere et nova Roma sapere, verorum theologorum scriptis relictis, sua ipsi meliora ducerent; sacros quidem antiquæ ecclesiæ theologos verbis honorantes, factis vero rejicientes, ex quorum nihilominus interpretatione haurienda sit probatio fidei veteris ac primitivæ Ecclesiæ.*

aut saltem a Græcis approbationem suæ hæreseos extorquerent 1397 *Primam vero eamdemque prolixiorem Patriarchæ responsionem, cum ipsi eam apud se reconditam servarent, primus in publicum emisit a quodem archimandrita Græco acceptam et in Latinum versam Stanislaus Socolovius, Stephani regis Poloniæ theologus, titulo* CENSURÆ ORIENTALIS ECCLESIÆ; *quam deinde cum ceteris, a Patriarcha anno* E MDLXXIX et MDLXXXI *redditis, ipsimet pudore suffusi Socolovianæ editionis, qua ipsorum ignominia detegebatur, suis additis ad singulas responsis, publicarunt Græce et Latine cum præfatione; adversus quam Joannes Baptista Fiklerus juris-consultus* SPONGIAM *scripsit, et ipse Socolovius respondit, ac sententiam definitivam Patriarchæ adjecit cum antidoto ultimæ responsionis Lutheranorum ad censuram Patriarchæ de articulis Confessionis Augustanæ.* Leo Allatius in Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 3 cap. 8 num. 3 similia refert, et ex epistolis Jeremiæ patriarchæ aliqua recitat.

ut ex Hierosolymitana schismaticorum synodo 1398 Lutheranos hanc repulsam tunc a Græcis passos esse, confirmatur ex Hierosolymitana Græcorum synodo, in qua apud Harduinum nostrum tomo XI Conciliorum col. 186 leguntur sequentia: *Elapsis ab Luthero quinquaginta annis, Martinus Crusius Tubingensis, ceterique cum eo novitatum Lutheri peritiores (porro non alia est Lutheri hæresis atque Calvini, quamquam nonnihil videtur interesse) suæ capita professionis ad eum, qui Catholicæ ecclesiæ Constantinopolitanæ id temporis clavum tenebat, direxere; quatenus uti dicebant, dignoscerent, an cum Orientali ecclesia de doctrina convenirent. Verum ad illos et contra ipsos insignis ille Patriarcha sermones tres seu magis peritas responsiones rescripsit, quibus et omnem eorum hæresim theologice juxta ac catholice confutabat, et orthodoxas opiniones, quascumque a principio ecclesia obtinuit Orientalis, eos edocebat; quamquam hæc illi nequaquam attenderunt: quippe nuntium pietati penitus remiserant. Habetur liber iste Græce et Latine editus Wittembergæ in Germania* (Græce scribitur ἐν Βιρτεμβεργίδι τῆς Γερμανίας) *anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.*

et epistola Arsenii hieromonachi probatur. 1399 Arsenius hieromonachus jam dudum antea de eodem negotio similia tradiderat in epistola ad amicum, quam Allatius lib. 3 Consensionis cap. 8 num. 5 Græco-Latine edidit, et ex qua ad rem nostram excerpimus sequentia: *Ceterum vere hæc tum a me esse dicta manifesto liquet ex iis, quæ annis abhinc non multis, administrante ecclesiam nostram Hieremia, gesta sunt: etenim is a Lutheranis Germaniæ ad concordiam communionemque dogmatum invitatus, partim multa pollicentibus iis, partim comminantibus, et violenter instantibus,*

tibus,

SEC. XVI.

tibus, flecti non potuit tamen, atque omnibus eorum impetibus generose fortiterque repugnavit : et certe quid ipse, tum subjectæ sibi ecclesiæ sentirent, expositione bene longa diserte contestatus est. Ex his Arsenii litteris rursus infra fragmentum quoddam proferemus.

Cum Jeremias anno 1579 relegaretur,

1400 Deinde Spondanus in iisdem Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDLXXIX num. 22 dejectionem hujus Patriarchæ sic memorat : *Ad finem anni* (scilicet MDLXXIX) *Jeremias patriarcha Constantinopolitanus Græcus, destitutus patrocinio Michaëlis Cantacuzeni, Græcorum potentissimi, cujus opera patriarchatum, deposito Metrophane, adeptus fuerat (qui Michaël anno superiori accusatus de turbis in Walachia et Moldavia concitatis, Amuratis jussu Anchiali in domo sua laqueo suspensus fuit, ejus bonis publicatis) eodem procurante Metrophane, depositus ac relegatus est, ipseque Metrophanes restitutus.* Hæc auctor ille collegit ex variis testimoniis, quæ in margine citat, et quæ in Turco-Græcia Martini Crusii pagg. 43, 68, 212, et 274 legi possunt.

B

METROPHANES III iterum.

mense Decembri ejusdem anni ad sedem CP. rediit Metrophanes,

Is mense Decembri anni MDLXXIX ad cathedram suam rediit, illamque tunc pauco tempore occupavit : nam Matthæus Cigala et Philippus Cyprius secundo ipsius patriarchatui tantummodo novem menses adscribunt. Hoc confirmatur ex epistola Schweigkeri, qui ineunte anno MDLXXXI ad Martinum Crusium scripsit, Metrophanem *die undecima Augusti* anno MDLXXX obiisse, ut in Annotationibus Turco-Græciæ pag. 212 Crusius testatur. Exiguum discrimen occurrit circa diem obitus in litteris Theophanis hieromonachi, ad metropolitam Joanninorum datis, qui lib. 4 Turco-Græciæ pag. 335 inter alia huic mortem Metrophanis ita indicat : *Paucis tibi significo, sanctissimum patriarcham dominum Metrophanem in beatas sedes receptum esse, idque nono die proximi Augusti mensis, feria tertia, hora noctis prima, iterumque in throno sedere dominum Hieremiam.*

qui ab unione cum Latinis non abhorruit,

1402 Etiamsi dubitari possit, utrum Metrophanes vere et constanter unionem Ecclesiæ Romanæ amplexus fuerit, non videtur tamen ab ea multum abhorruisse, cum Stephanus Gerlachius ad Martinum Crusium, ut hic in Turco-Græcia pag. 212 testatur, mense Martio anni MDLXXVIII de Patriarcha illo exauctorato sic scripserit : *Vir est humanissimus, simulque gravis, nec a nostris ecclesiis* (nimirum Lutheranis) *animo alienus. Cumque olim Cæsareæ metropolitam agens, ecclesiam Orientalem cum Occidentali unire studeret, ejus rei gratia Romam profectus, inde a synodo clericorum et nobilium, Constantinopoli habita, excommunicatus fuit. Attamen postea virtute sua ad patriarchæ honorem, quo propter suam doctrinam et prudentiam dignus erat, ascendit. Me sæpius se in urbe, et in vicina insula Chalce, ubi monasterium sanctæ Trinitati suis sumptibus ædificavit, invisentem, Testamentoque novo Græco, pulcherrime excuso, donantem humanissime semper accepit.*

C

et anno 1580 ex hac vita migravit.

1403 Hisce consonat testimonium Augerii Gisleni Busbequii, qui eo tempore legatum Ferdinandi I, augustissimi Romanorum imperatoris, apud Turcas agebat, et propter grassantem Constantinopoli pestem ad vicinas insulas diverterat : is enim in Epistola 4 legationis suæ Turcicæ de eodem, ni fallor, Metrophane sic meminit : *Fuit mihi, dum in illius insulis vixi, notitia cum Metrophane metropolita, qui cœnobio in Chalci, una istarum insularum, præest, viro humano et non indocto, concordiæ inter Latinam et Græcam ecclesias percupido, præter consuetudinem reliquæ gentis, quæ fere nostræ religionis homines, ut impuros et profanos, aversatur.* Cum itaque Metrophanes ille juxta superius dicta mense Augusto anni MDLXXX obiisset, mense Decembri ejusdem anni sedem Constantinopolitanam occupavit

D

JEREMIAS II iterum.

Post mortem Metrophanis exeunte anno 1580 ad sedem CP. reversus est Jeremias,

Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDLXXIX, num. 22 ex ipsa Jeremiæ epistola ostendit, illum post mortem Metrophanis, anno MDLXXX, die XXIV Decembris, sedi suæ restitutum fuisse, et ibidem ad secundum ipsius patriarchatum refert sequentem historiam his verbis : *De ipso vero Jeremia inter alia laudabilia legimus, cum Græcus quidam monachus, qui Jerosolymis venerat, ut pecuniam a plebe corraderet, mentiretur, non longe e Jerosolyma lapidem cœlitus cecidisse, cui inscriptum esset, mundum post paucos dies interiturum; eique commento ut fidem faceret, litteras monstraret, quas se ab Alexandro patriarcha habere aiebat, quibus promittebatur peccatorum indulgentia omnibus, qui eas pecunia compararent; Jeremiam patriarcham, ubi hæc audivit, monachum ad se evocatum, et in mendacio persistentem, publice excommunicasse, et simul eos, qui deinceps tales ab eo indulgentias emerent; qui vero jam emerant, jussos a Patriarcha fuisse eas proferre, quæ præsente monacho igni traditæ fuere, ipseque monachus pecuniam singulis restituere coactus, qui singulas ducato vendiderat, tunc et ipsum impostorem amare flentem a Patriarcha ecclesiæ restitutum fuisse.* Hæc haud dubie desumpta sunt ex Annotationibus Martini Crusii ad suam Turco-Græciam pag. 509, ubi hæretici eamdem historiam contumeliosa adversus Romanum Pontificem clausula fœdarunt.

E

qui primo cum hæreticis quibusdam

1405 Sub secundo hujus Jeremiæ patriarchatu prodiit famosa illa anni emendatio per refectionem decem dierum, quæ jussu Gregorii XIII Papæ facta est, et quam heterodoxi ex odio contra Romanum Pontificem acriter impugnarunt, quamvis ea res ad fidem minime pertineret. Inter alios adversus hanc eruditam temporis correctionem ex castris hæreticorum eruperunt Josephus Scaliger et Michaël Mæstlinus, qui sibi principatum hujus scientiæ superbe arrogabant. Verum Christophorus Clavius Germanus, Antonius Possevinus Italus, et Dionysius Petavius Gallus, eruditi Societatis nostræ sacerdotes, hos aliosque adversarios ita retuderunt, ut iis ad certamen redeundi voluntatem ademerint, ac plures etiam hæretici argumentis horum acquieverint.

F

emendationi Calendarii Gregoriani restitit;

1406 Antonius Possevinus noster occasione Calendarii Gregoriani, cujus emendationem contra Davidem Chytræum tuetur, sect. 5 cap. 6 de Jeremia Constantinopolitano sic meminit : *Ergo inter Christianos reges, qui anni emendationem a Gregorio XIII Pontifice maximo editam admiserunt, Stephanus, hujus nominis primus, Poloniæ rex fuit, qui tanta in vastitate provinciarum ac varietate nationum et rituum, addo schismatum et hæresum, nihil prius habuit, quam ut Ecclesiæ deliberatio de tanta re exciperetur ab omnibus. Restitere*

vehe-

A *vehementer Rutheni, quos concepti schismatis tumor, et altissima theologiæ ac bonarum disciplinarum, linguæ item Græcæ, ignoratio, mirifice suis consuetudinibus implicitos tenet. Itaque miserunt Byzantium, ubi evocato Alexandrino patriarcha, Jeremias, qui Constantinopolitanam sedem non ita multo ante obtinebat, synodicam epistolam scripsit, qua Ruthenis et Græcis interdicebat, ne Gregorianam anni emendationem admitterent: rationes autem ejus interdictionis Jeremias tum alias de quibus mox dicam, tum eas afferebat, quod sibi nondum omnino Latinorum argumenta et rationes innotuisse diceret.*

at deinde rationibus et benevolentia Gregorii XIII Papæ motus,

1407 *Ad extremum misit ad eos canonem, quo in observando Pascha uti deberent: quæ quidèm omnia cum ipso autographo, chirographoque eorumdem patriarcharum exstant apud me, cui Constantinus senior, dux Ostroviæ illustrissimus, et inter Ruthenos primarius, hæc omnia fidenter dedit suorumque cum Latinis unionem atque concordiam, variis acceptis rationibus, misso item Byzantium homine, dedit operam, ut procuraret. Factum est autem, sive iis rationibus seu potius paterna summi Pontificis charitate ac sedula diligentia, ut idem* B *Patriarcha Constantinopolitanus, veritate victus, non solum ei assenserit, verum etiam legationem ad Urbem miserit, qua se id ipsum inter suos curaturum polliceretur, ingenui animi signum præbens, et Christiano deinde pectore, patriarchatus, quam veritatis, jacturam perpeti malens: nam paulo post in custodiam conjectus est, oppressus a quodam Cæsareæ episcopo, qui pecunia Turcis data, in ejus locum suffectus est.*

non tantum emendationem Calendarii admisit,

1408 Quod hic Possevinus de benevolentia Gregorii XIII erga Jeremiam attigit, ab Andrea Victorello in Additionibus ad Vitas Pontificum Romanorum in editione Oldoini nostri tomo 4 col. 16 clarius explicatur, dum inter alia beneficia, quæ Gregorius XIII Orientalibus populis contulit, ibidem enumerantur sequentia: *Cyprii ab eo non solum alimentis et donis aucti; sed captivi ipsius argento redempti, et virgines in matrimonium collocatæ; qua benignitate nonnulli Thessaliæ et Moreæ præsules excitati, nomen Latinum peramarunt; Constantinopolitanus patriarcha Hieremias imprimis, post domesticos sermones cum episcopo Cedolino et Galliæ regis oratore, a quo Joannis Francisci, Mauroceni, Veneti legati, pietas non* C *dissentiebat, habitos.*

verum etiam unioni Ecclesiæ Romanæ adhæsit,

1409 *Poloni emendatum Kalendarium exceperant; non vero Rutheni, et alii in iis regionibus Græci. Ut Hieremias patriarcha, veritatem edoctus, eos ad sentiendum cum Polonis incitaret, duos oratores et sacra dona Gregorius ad eum misit, quos ille a Galla et Veneto oratoribus ad se adductos, dona et litteras Pontificis venerabundus et lætus excepit, propensæque in Latinam Ecclesiam voluntatis specimen dedit. Gregorio reverenti rescripsit animo, donaque egregia (inter alia S. Andreæ apostoli manum, Achaiæ, translato corpore, relictam, et S. Joannis Chrysostomi digitum) misit; pollicitus, se post aliquod tempus illius Kalendarium excepturum, Ruthenosque et Græcos alios ad idem faciendum hortaturum. At, non diuturno elapso tempore, scelesti viri calumniis, et pecunia Turcis data, vexatus, in carcerem ab his conjectus, Gregorii Pontificis benignitatem expertus est; eo enim urgente et inflammante, Gallicus orator magnis precibus effecit, ut pœna capitis in mitiorem verteretur: quem si potuisset in libertatem vindicare Gregorius, inter purpuratos retulisset.* Dum Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDLXXXII num. 18, et Thomassinus in Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina part. I lib. 1 cap. 16 num. 10 similia narrant, ex his ipsis auctoribus sua hauserunt, et ex iis satis apparet, Jeremiam illum unioni Ecclesiæ Romanæ aliquando adhæsisse, ut supra dicebamus. SEC. XVI.

ob quam causam, teste Chytræo Lutherano,

1410 Porro ipsemet David Chytræus, Lutheri sectator, gloriosam hujus exsilii causam negare non potuit, quando lib. 27 Saxoniæ pag. 756 illam inter alias ita affert: *Eodem vero tempore, quo Tauricæ Chersonesi partem borealem provinciis Turcicis Amurathes adjunxit, parum abfuit, quo minus omnia Christianorum templa Constantinopoli (quorum circiter triginta in monasteriis et alibi superesse intelligo) in moscheas seu Mahometicæ religionis speluncas, summi sacerdotum Turcicorum pontificis, quem Muffti appellant, instinctu converterentur. Cumque Græci, Armeni, et aliæ gentes Christianæ subjectissime deprecarentur, et Mahometi secundi ac sequentium imperatorum privilegia, Christianis de libero religionis eorum exercitio concessa, allegarent, responsum est, eo tempore propter urbis solitudinem et Musulmanorum paucitatem indultum esse; nunc cum tanta Mahometicæ religionis cultorum in urbe frequentia sit, ut templis pluribus indigeant, æquum esse, ut illis Christiani cedant.* E *Postea Hispaniæ regis apud Venetos legatus scripsit, Amurathem omnia Christianorum templa deturbasse, et in sua vertisse, idemque Hierosolymis fieri mandasse; sed duo tantum Christianorum templa Byzantii eo tempore occupata esse constat.*

a Turcis in insulam Rhodum relegatus est,

1411 *In Patriarcham vero ira tyranni Turcici præcipue effusa est, quem catenis vinctum per urbem ignominiose vehi, et tandem in Rhodum insulam relegari mandavit: causam indignationis alii aliam perscribunt. Inter ceteras una fuit, quod cum Romano Pontifice conspirationem novam inire, ad Amurathem delatus erat; propterea, quod Calendarium illius emendatum in Græcia etiam et reliquis Orientis ecclesiis Christianis servandum magna cum multorum offensione recepisset, et ob latam divortii sententiam, a potenti quodam Græco, qui, ut se ulcisci commodius posset, ad Mahometismum defecerat, assidue in aula accusaretur. Denique cum in synodo de Græcis certis, in deserta quædam loca velut coloniam deducendis, ut Turca petiverat, deliberaretur, idque durum et injustum sibi videri Patriarcha pronuntiasset, Theophilus hieromonachus et Pachomius hoc Turcæ prodiderunt; ac patriarchæ dignitatem Pachomius,* F *additis supra usitatum canonem aliquot millibus ducatorum, adeptus est; cui tamen homini rudi et illitterato, sequenti statim anno remoto, Theoleptus successit, a Sylvestro Alexandrino et Michaële Antiocheno, tum ibi forte præsentibus, inauguratus die* X *Martii, anno* MDLXXXV.

eique successit Macarius, ut quidam tradunt,

1412 Ex hac Chytræi narratione sequitur, Pachomium Jeremiæ relegato successisse; sed immediatam illam Pachomii successionem aliquo modo dubiam reddunt ea, quæ Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi MDLXXXII num. 18 ex proxime citato Possevino nostro sic refert: *Scelestum autem illum hominem* (Jeremiæ), *persecutorem; Cæsareæ fuisse episcopum, Macarium nomine, qui data Turcis pecunia, in ejus locum intrusus fuit, ex eodem Possevino intelligitur; cum tamen alibi legamus* (nempe apud Chytræum, quem in margine citat) *ex litteris Constantinopoli scriptis relatum, non Macarium Cæsareæ fuisse Jeremiæ accusatorem, sed Theophilum hieromonachum et Pachomium,.....* atque istum *Pachomium, additis supra usitatum canonem aliquot millibus ducatorum, patriarchalem dignitatem adeptum esse; sed quod homo rudis et illitteratus esset, ei statim sequenti anno*

Sec. XVI.

anno emoto suffectum esse Theoleptum, qui a Silvestro Alexandrino et Michaële Antiocheno, tum forte Constantinopoli existentibus, inauguratus sit die decima Martii, anno MDLXXXV.

aut potius juxta alios

1413 Tum ibidem Spondanus ea sic conciliare nititur : *Possunt hæc omnia sic consistere*, inquit, *ob frequentes patriarcharum mutationes, quæ posthac obscuras nobis faciunt et incertas illorum successiones, dum continuis pulsionibus, restitutionibus ac substitutionibus sedem illam fœdarunt, prævalentibus iis, qui fraude vel pecunia potiores fuerunt.* Potuit itaque Macarius ille in tanta cathedræ Constantinopolitanæ perturbatione forsan paucis diebus aut mensibus sedisse, quamvis in catalogis Matthæi Cigalæ et Philippi Cyprii inter patriarchas Constantinopolitanos non numeretur. Quocumque modo sese ea res habeat, nos imposterum aliis monumentis destituti, catalogos Matthæi Cigalæ, Philippi Cyprii, ac Eusebii Renaudotii tantummodo transcribemus, eosque curioso lectori inter se conferendos relinquemus, nisi quid alibi circa religionem aut historiam notatu dignum occurrerit. Quare in successore assignando hic
B sequimur Cigalam et Cyprium, a quibus in locum Jeremiæ expulsi substituitur

CL PACHOMIUS II, cognomento Batistas.

Pachomius, qui brevi etiam expulsus est.

De eo Matthæus Cigala apud Anselmum Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pap. 217 sic scribit : *Pacomius Lesbius, qui et Batistas dictus, cum violenter dominum Jeremiam Rhodum relegasset, patriarchatum tenuit annos... ; quem sanctissimi patriarchæ Silvester Alexandriæ atque Antiochiæ Joacimus, coacta synodo, loco motum, ac diris devotum exsilio multarunt.* Philippus Cyprius apud laudatum Bandurum pag. 227 similia de illo tradit his verbis : *Pachomius Lesbius, cognomento Batistas, cum hostiliter dominum Jeremiam expulisset in Rhodum, patriarchatu functus est; quem sanctissimi patriarchæ dominus Silvester Alexandriæ, et dominus Joacimus Antiochiæ de communi sententia throno dejectum, dirisque devotum, exsilio dederunt.* Circa brevem hujus Patriarchæ
C gubernationem ac litterarum imperitiam recole ea, quæ superius ex Chytræo retulimus, et quæ mox ex altero scriptore dicemus.

CLI THEOLEPTUS II.

Theoleptus anno 1585 cathedram CP. invasit,

Leunclavius in Pandecte historiæ Turcicæ pag. 128 occasione urbis Philippopolitanæ de hoc Patriarcha sic meminit : *Est adhuc archiepiscopatus, cui tunc præerat is, qui postea factus est patriarcha, nobis Constantinopoli degentibus, Theoliptus, de sententia synodi Græcorum abdicato Pachomio viro profano, et litterarum plane rudi, qui largitionibus et aliis malis artibus dignitatem adeptus fuerat.* Dein ibidem pag. 132 de inauguratione ejusdem Patriarchæ hæc habet : *Cassidis formam hodieque retinent uscufiæ Turcorum instar pileoli rotundi, ovalis figuræ, vel rotundi calicis absque pedunculo, factæ ; cujusmodi coronas ovales ex auro solido gestare solebant imperatores Græci : planeque talis etiam imponebatur huic Theolipto patriarchæ, cum nos Constantinopoli essemus, a duobus aliis tunc ibidem præsentibus patriarchis Silvestro Alexandrino et Michaële Antiocheno, die decima Martii mensis, anno Christiano* MDLXXXV, *quo tempore ab eis inaugurabatur, quod Græci vocant in thronum collocari.* Obiter hic observo, patriarcham Antiochenum, qui supra Joacimus vocabatur, hoc loco Michaëlem appellari. An Leunclavius in nomine erraverit, an forte patriarcha ille binominis fuerit, parum nostra interest. D

JEREMIAS II tertio.

quam cedere coactus est tertio Jeremiæ patriarchatui,

Ceterum Matthæus Cigala de expulsione Theolepti tradit sequentia : *Theoleptus Philippopoleos per vim patriarchatum invasit, quem sapientissimus dominus Nicephorus hierodiaconus ac magnus protosyncellus submovit.* Philippus Cyprius de eodem sic scribit : *Theoleptus Philoppopoleos, thronum violenter invasit ; quem ut sanctissimus dominus Nicephorus, unus e sanctis diaconis, et magnus protosyncellus submovit, tertium revocatus est dominus Jeremias, et cum gregem recte atque ordine pavisset, requievit in Domino.* Hanc iteratam Jeremiæ restitutionem Matthæus Cigala etiam indicat his verbis : *Tertium revocatus Jeremias, cum annos... ecclesiam gubernasset, e vita excessit.* Cum vero post hæc tempora frequentes sint hu- E
jusmodi revocationes, ac interdum de iis vix quidquam dicendum occurrat, deinceps illas patriarchatus iterationes separatis titulis non distinguemus, uti hactenus factum est ; sed restitutum patriarcham cum nomine proximi decessoris conjungemus.

CLII MATTHÆUS II.

et hoc mortuo, successit Matthæus, qui eam paucis diebus tenuit,

Jam sæpe citatus citandusque Cigala brevem hujus Patriarchæ administrationem indicat hoc modo : *Matthæus Joanninorum* (sic cognominari ipsum existimo, quia antea præsul Joanninorum fuerat) *dies* XVII ; *ac demum abdicatus, in sanctum Montem secessit.* Totidem fere verbis Philippus Cyprius apud supra laudatum Bandurum hæc eadem sic expressit : *Matthæus Joanninorum, cum sedisset dies* XVII (editio Philippi Cyprii apud Henricum Hilarium pag. 430 tantum *dies sedecim* distincte numerat) *repudiatus, in sanctum montem Atho secessit.* Denique catalogus F
Renaudotianus, qui ab hoc Patriarcha exordium capit, duos gubernationis dies ita superaddit : *Matthæus Joanninorum, patriarcha fuit diebus novemdecim* (Græce ἡμέρας δέκα ἐννέα expresse legitur) *et abdicavit.* Is postmodum semel atque iterum ad sedem suam redibit, ut ex postea dicendis patebit. Interea illam occupavit

CLIII GABRIEL I.

et cui Gabriel suffectus est,

Matthæus Cigala hunc patriarcham ita laudat : *Gabriel Thessalonicæ, vir religiosus ac virtute præditus, cum menses quinque in patriarchatu vixisset, obiit.* Philippus Cyprius iisdem laudibus eum sic breviter exornat : *Gabriel Thessalonicæ, vir pius et virtute præditus, post quinos patriarchatus sui menses mortuus est.* Catalogus Renaudotianus utrique huic scriptori circa exiguum administrationis tempus ita consentit : *Gabriel*

A

el Thessalonicæ menses quinque; et in sede sua mortuus est. Plura de hoc Gabriele non reperimus.

CLIV THEOPHANES.

MATTHÆUS II iterum.

qui successorem habuit Theophanem, post quem Matthæus iterum in cathedra CP. sedit.

Nulla hujus Theophanis gesta invenimus, et in catalogo Cigalæ paucis verbis totus ipsius patriarchatus sic memoratur : *Theophanes Athenarum post menses septem defunctus est.* Philippus Cyprius eodem fere modo patriarchatum illius ita breviter indicat : *Theophanes Athenarum, cum sedisset menses septem, decessit.* Circa numerum mensium catalogus Renaudotianus cum aliis sic exacte concordat : *Theophanes Athenarum menses septem; et in sede sua mortuus est.* Huic Theophani addidi restitutionem Matthæi exauctorati, quamvis interea Meletius, patriarcha Alexandrinus, aliquo tempore vacantem sedem Constantinopolitanam administraverit, aut potius custodiverit, ut patet ex eodem Cigala, qui apud Bandurum tomo 1 pag. 217 sic de hac re scribit : *Meletius Alexandriæ antistes cum sedem patriarchalem obtineret* (Græce legitur : *ὁ ἐπιτηρητὴς τοῦ θρόνου γενόμενος*; id est proprie, *cum custos* vel *conservator throni esset) post annum unum dominus Matthæus revocatus est, qui, annis quatuor in patriarchatu peractis, ejectus est : hinc in sanctum Montem secessit, ac monachum professus est.* Hunc Matthæi reditum vero suo decessori subjunxi, cum Meletius ille non fuerit proprie patriarcha Constantinopolitanus, ut jam ostendam.

PARERGON XIII.

An Meletius, cognomento Pegas, inter patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus.

C

Meletius ab hæreticis Occidentalibus passim laudatus,

Hæretici Occidentales hunc Meletium, patriarcham Alexandrinum, passim summis laudibus efferunt, eumque a doctrina et pietate mirifice commendant; quia nempe schismaticus ille verbis et scriptis primatum Romani Pontificis acriter impugnavit. Hinc Georgius Dousa Batavus, post alias Meletii laudes in Itinere suo Constantinopolitano pag. 53 Græce, et pag. 108 Latine edidit Vitam ipsius, in qua schismaticus quidam adulator eum, tamquam sanctum, depinxit. Hinc etiam Henricus Hilarius, secta Lutheranus, in notis ad Chronicon ecclesiæ Græcæ pag. 433 hunc audacem schismatis defensorem ita laudat : *Vir fuit integer et candidus in omni vita, et hostis Pontificiorum acerrimus, qui etiam ei propterea non semel insidias struxere. Ratione pietatis aliarumque excellentissimarum virtutum magno illi Meletio, qui tempore senioris Theodosii episcopus Antiochenus erat, per omnia similis videtur.* Possemus hanc comparationem Catholicis deridendam propinare; sed nolumus his aut similibus hæreticorum nugis exagitandis tempus et chartam consumere.

Sec. xvi.

ob turbulentam concionem

1421 Quare potius referamus non illepidam historiam, quæ huic superbo Meletio contigit, et quam Leo Allatius in Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ lib. 3 cap. 7 num. 11 narrat his verbis : *Puer, nondum patria excesseram, et Meletius iste non sine ingenti comítatu et insolenti ostentatione Chium pervenit, et metropolim occupat, et propter abundantiam sermonis se omnibus præfert. Nomine patriarchæ cives exciti, viri, mulieres, ætas omnis, Græci Latinique, ad audiendum hominem accurrunt. Ille post multa inter disserendum ad eamdem ac decantatam alias fabulam, et mores Latinorum, et ante omnia primatum Romani Pontificis reprimendum, sumpta occasione, concionem dirigit. Vidisses alacres Christianorum animos, simili rerum commemoratione consternatos, indolere inter se, et infausto susurro orationis impetum interrumpere.*

turpiter ex insula Chio expellitur;

1422 *Dum ille audacius obstat, et putat, se pertinacia audientium turbam contundere, ideoque similem causam validioribus argumentis pertractat, e templo turmatim proruere. Confusus ille rei novitate, et tantum non furens, omnes, qui Latinis faverent, ad disputandum provocat, ostensurum se clarissimis rationibus spondet, quidquid alii assererent, veritatem a Græcis stare, et quidquid in contrarium affertur, meram esse Latinorum fraudem. Non placet neque Græcis ipsis, quibus ipse supparasitabatur. Quare Græci et Latini, qui rebus præerant, ne dissidiis populus afflictaretur, ad magistratum confugiunt, et ut homo, turbarum causa, ex insula pellatur, pecunia etiam soluta, impetrant. Nec mora; lembo impositus cum suo comitatu, sine ulla tergiversatione actutum sub pœna capitis navigare jussus est, numquam imposterum in eamdem insulam penetraturus. Ita vir tantus, et qui præ se hominem neminem putabat, insalutatus atque impransus ejicitur.*

E

et inter patriarchas Constantinopolitanos

1423 Porro hunc Meletium falso patriarchæ Constantinopolitani titulo exornarunt nonnulli heterodoxi, quos Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1004 sic refellit : *Qui sedem Constantinopolitanam* ἐπιτροπικῶς (id est tamquam procuratores) *tenuerunt, non numerantur inter patriarchas; et quod iste* Meletius *a nonnullis Calvinistis inter Constantinopolitanos referatur, causa nulla fuit præter ignorantiam moris antiqui, quo Alexandrinus vacantem sedem administrare solet. Fuit is Meletius, cognomine* Πηγᾶς, *de quo multa Georgius Dousa in Itinerario Constantinopolitano. Illius tempore tractatum est de reducendis ad Romanæ Ecclesiæ unitatem ecclesiis ritus Græci in Polonia et Russia; quod consilium, ut successu careret, effecit Meletius per litteras ad episcopos et alios scriptas. Ea occasione visus est nonnullis ad protestantium dogmata inclinare; imo Calvinistæ multi ex odio, quod adversus Romanam Ecclesiam perpetuum exercuit, paria cum cum Cyrillo Lucari sensisse falso asseruerunt : Hottingerus in Analectis historico-theologicis, Claudius Carentoniensis, et alii. Vindicant illius famam ab hæreticorum calumniis Meletius Syrigus in refutatione capitulorum Cyrilli, synodus Hierosolymitana anni* MDCLXXII, *Dositheus patriarcha Hierosolymitanus, et ipse Meletii epistolæ duæ, nuper Lutetiæ editæ; tum alia, cujus partem refert idem Dositheus in additionibus ad decreta ejusdem synodi. Exstant in bibliotheca regia homiliæ ejusdem Meletii habitæ ut plurimum Constantinopoli, dum vacantem sedem administraret.*

F

ab aliquibus perperam numeratur,

1424 Quidquid sit de erroribus Calvini, quos nonnulli huic Meletio tribuunt, ex dictis sequitur,

SEC. XVII.

tur, Meletium non fuisse vere et proprie patriarcham Constantinopolitanum, etiamsi sedem illam vacantem aliquo tempore administraverit. Hoc confirmari potest, ex ipsis Meletii litteris, quas anno Christi MDXCVII dedit ad Joannem Dousam, Georgii Dousæ patrem, et quibus apud Georgium filium in Itinerario suo Constantinopolitano pag. 112 præfigitur hic titulus : *Meletius Dei misericordia Papa ac Patriarcha Alexandrinus, et Constantinopoleos præses, Joanni Dousæ Nordovici viro eruditissimo, mediocritatis nostræ filio dilecto, gratiam, misericordiam, ac pacem a Domino Deo, Salvatoreque nostro Jesu Christo.* Sic etiam in Græca ejusdem Meletii epistola, quam tunc Georgio Dousæ scripsit, a se ipso vocatur ἐπιτηρητὴς Κωνσταντινουπόλεως, id est proprie, *custos* vel *conservator* Constantinopolis seu cathedræ Constantinopolitanæ, ut supra in textu Græco Matthæi Cigalæ observavimus.

cum tantum fuerit custos aut conservator istius sedis.

1425 Denique id ipsum patet ex textu Græco Philippi Cyprii apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 228, ubi Meletius etiam appellatur ἐπιτηρητὴς τοῦ θρόνου, hoc est *custos throni*,
B
quamvis interpres ibidem verba Græca sic ambigue exposuerit : *Meletius Alexandriæ antistes, Pegæus ex Creta insula divinitus servata, cum patriarchatum obtineret, dominus Matthæus post annum unum revocatus est, qui per annos quatuor functus patriarchatu, expellitur, ac secedens in sanctum montem Atho, ibi monachus factus remansit.* Meletius ille in editione ejusdem Philippi Cyprii apud Henricum Hilarium pag. 431 clarius *observator throni*, et in titulo *vice-patriarcha* appellatur. Ceterum nos hic morari non debet nefaria calumnia, qua Georgius Dousa in Itinerario suo Constantinopolitano Societatem nostram impetit, et quam testimonio hujus Meletii probare nititur, tum quia Leo Allatius in Opere proxime citato lib. 3 cap. 8 num. 1 evidenter illum de mendacio convicit, tum quia impudentes hujusmodi hæreticorum ac schismaticorum contumelias jam dudum contemnere didicimus. Tantummodo ex supra citatis Meletii litteris, quas anno Christi MDXCVII ad Joannem et Georgium Dousam dedit, et ex quatuor annis, quibus Matthæus post vicariam Meletii administrationem secunda vice Constantinopolitanus patriarcha fuit, manifeste colligimus, jam nos sensim ingressos esse D E

SECULUM XVII.

CLV NEOPHYTUS I, MATTHÆUS II tertio.

Post exsilium Neophyti et mortem Matthæi, tertio sedentis,

Catalogus Renaudotianus hunc novum Patriarcham ita memorat: *Neophytus Athenarum anno uno; et in exsilium missus.* Auctor hujus catalogi de tertio Matthæi patriarchatu non meminit, quem tamen Philippus Cyprius exsilio Neophyti ita subjungit : *Neophytus Athenarum post unius anni gubernationem a Sultano Mechemete in exsilium pellitur, tertiumque revocatus est dominus Matthæus; et cum vixisset dies...., decessit.* Cigala numerum dierum, qui hic erasus est, sic diserte expressit : *Neophytus Athenarum post annum unum ab Sultano Mechemete in exsilium agitur, ac tertium Matthæus revocatur, qui cum vixisset dies* XVII, *mortem obiit.* Cum ille Turcarum imperator Mahometes exeunte anno Christi MDCIII obierit, sequitur, hæc ante illud tempus accidisse.

CLVI RAPHAEL II, NEOPHYTUS I iterum.

ad cathedram CP. promotus est Raphaël,

In catalogo Matthæi Cigalæ apud Bandurum tomo 1 pag. 217 dicitur sedisse *Raphaël Methymnæus annos* V, *menses* VI : *hujus ætate Sultanus Mechemetes mortuus, atque imperavit filius ejus Sultanus Achmetes anno Christi* MDCV. *Tunc dominus Neophytus de Monte sancto reversus est, ac suam sedem recepit, quam tenuit annis* V ; *deinde in Rhodum relegatus est, atque Alexandrinus antistes dominus Cyrillus suffectus est, usque dum legitimum patriarcham synodus constitueret.* Quod hic de prima Cyrilli Alexandrini successione seu sedis Constantinopolitanæ administratione traditur, eo modo intelligendum est, quo superius vicariam Meletii Alexandrini gubernationem explicuimus. Hoc iterum satis liquet ex phrasi Græca, quæ loco proxime citato apud Cigalam sic sonat : Ἐκάθισεν ἐπιτροπικῶς ὁ Ἀλεξανδρείας κύρος Κύριλλος; id est, *sedit, tamquam procurator, Alexandrinus, dominus Cyrillus.* Adde, quod vacantis sedis Constantinopolitanæ administratio pro more ad patriarcham Alexandrinum spectaret, ut supra ex Banduro retulimus. Propterea tamen non inficior, Cyrillum Alexandrinum postea ad cathedram Constantinopolitanam vere evectum fuisse; ut suo loco dicemus.

quo post quinque annos et sex menses in exsilium ejecto,

1428 Interim audiamus Philippum Cyprium, qui de istis patriarchis fere similia refert hoc modo : *Raphaël Methymnæ (cujus ætate mortuus est Sultanus Mechemetes, et imperavit filius ejus Sultanus Achmetes anno salutis* MDCV*) sedit annos* V F *et menses* VI : *atque id temporis venit e sancto monte Atho dominus Neophytus, qui thronum recuperavit, et cum in eo mansisset per annos quinque, post in Rhodum a Sultano exsulatum mittitur; seditque ex commisso antistes Alexandriæ, dominus Cyrillus Lucares Cretensis, donec synodus constituit legitimum patriarcham Timotheum, veterum Patrarum antistitem,* de quo infra agemus.

Neophytus sedem suam recuperavit.

1429 Renaudotianus catalogus his sic breviter consonat: *Raphaël Methymnæ annos quinque, et in exsilium pulsus. Iterum Neophytus annis quinque, et in exilium pulsus. Anno* MDCXXIII *Cyrillus Alexandriæ, administrator* (Græce habetur ἐπιτροπικῶς, hoc est tamquam procurator vel tutor) *donec factus est legitimus patriarcha, annos duos.* Videtur hoc loco error irrepsisse in numerum annorum, quamvis etiam Græce ante memoratam Cyrilli Alexandrini administrationem diserte exprimantur litteræ numerales ͵αχκγʹ, quæ annum Christi MDCXXIII designant : nam post hanc vicariam

riam

riam Cyrilli gubernationem Timotheus octo annis sedem Constantinopolitanam occupavit, et Cyillus primum anno MDCXXI vere ad cathedram Constantinopolitanam evectus est; ut postmodum ex Matthæo Cigala et Philippo Cyprio referemus. Hinc suspicor, pro ,αχκγ' sive pro anno MDCXXIII, mutata una littera, ,αχιγ', id est, annum Christi MDCXIII legendum esse.

Allatius indicat, Raphaëlem patriarcham unioni Ecclesiæ Romanæ addictum fuisse.

1430 Leo Allatius lib. 3 de Consensione utriusque ecclesiæ cap. 7 significat, Raphaëlem Methymnæum unioni Romanæ Ecclesiæ addictum fuisse, dum ibi aliquot orthodoxos illustresque nationis Græcæ viros recenset, et ea occasione ibidem num. 8 de hoc Patriarcha sic meminit: *Nicephorus Melissenus Constantinopolitanus Græcorum rexit ecclesiam in urbe Neapolitana, in qua etiam publice litteras Græcas professus est: inde Byzantium remeans, Raphaëlem patriarcham, qui tum primum sese in communionem Latinorum insinuarat, confirmavit; a quo etiam Pari Naxique metropolita creatur. Sed sub Raphaëlis successore, schismati addictissimo, per calumniam malitiamque schismaticorum a Turcis in carcerem compingitur, ubi concatenatus et miser diu ætatem duxit, ex quo* B *data occasione fugiens, in Italiam venit, ritumque Latinum amplexus, fit episcopus Crotonensis.* Plura hujus Nicephori Melisseni gesta in Italia sacra, nuper Venetiis recusa, tomo IX col. 389 et sequentibus legi possunt.

1431 Post hæc Allatius similes Catholicæ fidei defensores ex gente Græca enumerat, et ibidem num. 10 de eodem Patriarcha sic scribit: *Ignatius Mindonius Chius, monachus divi Basilii, reversus in Græciam, per multos annos litterarum ludum non sine Christianorum commodis aperuit; inde Trapezuntem profectus, sua cura atque industria efferatam illam gentem ac barbaram ad mansuetiores mores redegit, apud quos in veneratione, veluti propheta, adeo habitus est, ut Turcarum imperator ejus opera uteretur ad subditos in obedientia retinendos. Advocatus postea a Raphaële patriarcha Constantinopolitano, ecclesiæ patriarchalis, cui Chrysopegæ nomen est, in Pera rector constituitur, in qua pro Romana ecclesia summopere laboravit.* Forte ad eumdem Patriarcham spectant ea, quæ ibidem de Francisco Cocco subjungit; sed cum illud non clare exprimat, prosequemur seriem nostram, in qua jam occurrit

C

CLVII TIMOTHEUS II.

Circa annum 1617 ad sedem CP. evectus est Timotheus,

Catalogus Renaudotianus tantummodo unum gubernationis annum huic Patriarchæ attribuit, sic breviter de eo mentionem faciens: *Timotheus Patrarum veterum, annum unum; et veneno sublatus est.* At Cigala octo sedis annos eidem ita adscribit. *Timotheus veterum Patrarum, annos octo; postremo veneno exstinctus fuit: cujus ætate Sultanus Achmetes fatis concessit.* Cum Cigala concordat Philippus Cyprius, qui apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 228 affirmat, quod post vicariam Cyrilli Alexandrini administrationem synodus legitime patriarcham constituerit *Timotheum, veterum Patrarum antistitem, qui annos octo patriarchatus munere functus est, ac in sua valetudine per lethiferam, ut aiunt, potionem, debitum commune persolvit. Hujus ætate diem obiit Sultanus Achmetes, regnavitque frater Sultanus Mustaphas.* Ex morte Sultani Achmetis ac successione Mustaphæ, quæ anno Christi MDCXVII acciderunt, tempus hujus Patriarchæ utcumque colligi potest. Sed non potuit octo annis sedisse, si circa annum MDCXVII electus fuerit, quia Cyrillus anno MDCXXI cathedram Constantinopolitanam ascendit; ut infra dicemus.

SEC. XVII.

qui fuit orthodoxus,

1433 Videtur hic Patriarcha etiam unioni Ecclesiæ Romanæ adhæsisse, ut colligimus ex inferius citanda epistola Dionysii Guillii nostri, qui tunc Galatæ prope Constantinopolim degebat: in ea enim testimonium reddens de moribus Cyrilli Berrhœensis, sui quondam discipuli, ea occasione mentionem hujus Patriarchæ facit his verbis: *Aliud quæritur, quidnam videlicet moverit patriarcham Timotheum (sic enim vocabatur) virum alioqui prudentissimum, nec alienum a fide Catholica, ut Cyrillum nostrum episcopatu adeo dignum judicaret.* Paulo superius in eadem epistola apud Allatium lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 5 col. 1080 Guillius testatur, se discipulo suo recusanti suasisse, ut oblatum episcopatum admitteret, atque inter alias usum esse hac ratione: *Ne timeas, ne temeritatis reus agaris apud Deum: sufficiat tibi duorum* (se, et Timotheum designat) *qui et gloriam Dei quærunt, et saluti tuæ impense consultum volunt, approbatio; præsertim pastoris tui: nam quid patriarcham in ista tui electione spectare existimas?... Cede ergo tam bono tamque prudenti pastori, inque ejus acquiesce judicio, cui sane ego facere non possum, quin et ipse perlibenter adstipuler.* Dum igitur Allatius supra meminit de *Raphaëlis successore, schismati addictissimo,* haud dubie ab ipso tacite designatur Neophytus, qui post exsilium suum Raphaëli per quinque annos successit, et cui hæc schismatis affectio adscribenda est, si Allatius in chronologia aliisque rerum adjunctis, non erraverit. E

quanis etiam fuisse dicitur decesssor ejus Neophytus,

1434 Dixi hanc schismatis affectionem Neophyto adscribendam esse, *si Allatius in Chronologia, aliisque rerum adjunctis, non erraverit:* nam illustrissimus antistes Rodericus a Cunha in Tractatu de primatu Bracharensis ecclesiæ præsentem patriarcharum Constantinopolitanorum successionem paulo aliter ordinat, et in citato opere pag. 208 affirmat, quod post tertium Matthæi patriarchatum sederit *Raphaël, cui diem obeunti successit, ac secundo sedit Neophytus,* VIR VERE CATHOLICUS, *quem anno MDCXII expulit Cyrillus Alexandriæ, quem vigesimo primo post die expulit* F *Timotheus Patrensis archiepiscopus, Neophyti amicus.* Forte igitur Allatius explicandus erit de Cyrillo Alexandrino, mediato Raphaëlis successore, qui schismati addictissimus fuit. Quod si Neophytus ille orthodoxus fuerit, facilius intelligemus, quomodo calumniatores hujus Patriarchæ post latam ab ipso excommunicationem prodigiosas pœnas dederint, et corpora eorum post mortem justo Dei judicio inflata permanserint, de qua re superius parergo XII num. 1263 egimus.

et quem Timotheum veneno interfecit quidam archimandrita,

1435 Porro violentam Timothei mortem, quæ paucis supra narratur, Leo Allatius lib. 3 jam sæpe citatæ Consensionis cap. 11 num. 4 fusius exponit his verbis: *Timotheus mortem obiit, veneno apertissimo, ut fama fuit, sublatus, dum apud oratorem Hollandiæ exquisitissimis epulis compotaretur. Venenum propinaverat Josaphatus Andrius archimandrita post epulas, cum ad bibendum alter alterum invitaret; composuerat Apollonius Chius, medicus non infimi nominis. Domum reversus intestinis doloribus cruciari, gravedine capitis affligi, lumen oculorum turbari, et abire in confusionem ac tenebras; cor contremiscere; totum denique corpus vacillare.*

Sec. xvii.

vacillare. Accersitur ad curam Apollonius; alvum clysmo trahendam ait, si convalescere cupiat: hoc enim modo, nec alio, noxam trahi posse. Infundit mille conductus aureis clysmum, et una novum venenum injicit. Sic Timotheus duplicis veneni vi oppressus vitam efflat.

qui postea meritas pœnas dedit, qua occasione schismaticos hypocritas reprehendimus.

1436 *Res postea patuit: nam archimandritam Cyrillus pro veneno, archiepiscopatu Chalcedonensi remunerat. Postea inter eos turbis exortis, archimandrita spoliatus episcopatu, rem totam aperuit; quod ægre ferens Cyrillus, ex comitatu suo nonnullos, qui se satellites Turcici imperatoris fatebantur, legavit, ut eum Constantinopolim adducerent. Captum et lembo impositum a terra longius acti, præfocatum in mare dejecerunt.* Ita scilicet præceptum Christi de diligendo proximo servant schismatici, qui interim nil nisi jejunia rigidasque leges crepant, et Romanam Ecclesiam de nimia erga suos subditos indulgentia accusant. Sic illi severioris disciplinæ buccinatores, qui puriorem Evangelicæ doctrinæ observantiam sibi arroganter vindicant, veneno, falsis accusationibus, aliisque modis inimicos suos prosequuntur; imo ipsis symmystis
B suis sæpe insidias struunt, et perfida sua malitia augent mutuas miserias, quas sub dura Turcarum servitute communiter patiuntur. Vere jam convenit in illa Turcarum mancipia, quod olim contra Romanos gentiles, a barbaris oppressos et afflictos, S. Augustinus lib. 1 de Civitate Dei cap. 33 pronuntiabat hoc modo: *Perdidistis utilitatem calamitatis; et miserrimi facti estis, et pessimi permansistis.* Ex sequentibus aliquot patriarcharum gestis patebit, hæc S. Augustini verba non male Græcis schismaticis hodiedum applicari posse.

CLVIII CYRILLUS I, cognomento Lucares.

Anno 1621 ad cathedram CP. assumptus est Cyrillus

De hoc famoso ecclesiæ Constantinopolitanæ perturbatore Matthæus Cigala tradit sequentia: *Cyrillus Alexandriæ sapientissimus ad œcumenicam sedem ab synodo fuit evectus, die* v *Novembris, anno salutis* MDCXXI, *ac post annum unum a Sultano Osmane in insulam Rhodum fuit*
C *relegatus.* Hoc etiam Philippus Cyprius asserit his verbis: *Cyrillus Alexandriæ sapientissimus patriarcha, cognomento Lucares, synodi suffragiis impositus est sedi œcumenicæ anno salutis* MDCXXI, *die Novembris* v, *ac post unius anni spatium a Sultano Osmane in Rhodum relegatur.* Verum ambitiosus iste homo postea variis artibus eamdem sedem sæpius invasit, ut ex infra dicendis apparebit, donec tandem a Turcis strangulatus, meritas scelerum suorum pœnas dedit.

quem mendaciter laudarunt hæretici Occidentales,

1438 Multa de hoc Cyrillo scripserunt tum Catholici, tum heterodoxi, occasione cujusdam confessionis fidei, quæ errores Calvini complectebatur, et quam propterea hæretici Occidentales sub ipsius nomine statim Latine ac Græce typis vulgarunt. Græci diu dubitarunt, an vere ea esset confessio Cyrilli, eo quod ipse in publica ecclesiæ Græcæ communione vixisset, neque eam fidei confessionem agnovisset apud suos, aut in codicem magnæ ecclesiæ referri jussisset. Sed fuerit ea Cyrilli; certe non fuit ecclesiæ Orientalis, etsi id mendax titulus præferebat. Quare Catholici recte refutarunt Claudium, Carentoniensem Calvinistarum ministrum, aliosque heterodoxos, qui sua dogmata toti ecclesiæ Orientali impudenter affingebant. At saltem jam eos pudeat tam manifesti mendacii, postquam ipsæ ecclesiæ Orientales in variis synodis distincte declararunt, sese ab erroribus Calvini mnino abhorrere. Harduinus noster tomo 11 Conciliorum a col. 171 has synodos Græco-Latine edidit, quas si Calvinistæ et Lutherani tantum levi oculo percurrere voluerint, invenient digna sectæ suæ elogia, et imposterum nobis occinere desinent, ecclesiam Orientalem dogmatibus suis consentire. D

quos ipsi schismatici Græci evidenter refutarunt,

1439 Joannes Henricus Hottingerus, et ex ipso Henricus Hilarius, aliique hæretici hunc Cyrillum multis laudibus extollunt, atque de hujus vita, rebus gestis, ac morte longam fabulam texuerunt; imo eum ob mortem a Turcis illatam sanctis martyribus accensent. Sed hi malæ causæ patroni audiant ipsos schismaticos Græcos, certe melius ac propius de hac re instructos, qui apud Harduinum nostrum tomo xi Conciliorum col. 223 in synodo Hierosolymitana anni MDCLXXII sic iis os obturant: *Ne itaque ut sanctum adversarii nostri jactent Cyrillum: non enim, uti dicere ipsi solent, injuste aut pro Christi nomine* E *fuit ille peremptus, quatenus ita celebretur: imo vero propter summam prælaturæ cupiditatem (quam Luciferianum Basilius magnus morbum appellavit) ex qua etsi a clericis millies ejectus atque vexatus, thronum Constantinopolitanum, præter primam, quæ legitima videbatur, possessionem, ter occupavit (ad hoc quidem inexplebili extraneorum cupiditate, ac oratoris Batavorum usus ope, unde et majorem in suspicionem apud ecclesiam venit) ignominiosam mortem illam* (laqueo nimirum suffocatus) *oppetiit. Hunc igitur adversus ecclesiam Christi talia molitum, ut alicujus forte pietatis exstiterit, habemus uti peccatorem, et talem utique, quem ob illata ecclesiæ mala non levis apud Deum pœna maneat; nunc autem auctorem impietatis factum, nedum non ut sanctum, sed miserum agnoscimus, atque omnis cum Christo participationis extorrem.*

et quorum mendacia detexit Allatius,

1440 Hæretici pro defensione Cyrilli libellum *de turbis Jesuitarum in Oriente* ediderunt; sed has malevolorum calumnias, Societati nostræ aliisque orthodoxis impactas, Leo Allatius lib. 3 de Consensione perpetua Occidentalis et Orientalis ecclesiæ cap. 11 num. 2 refutavit ac ibidem num. 4 vitam turbulenti istius Cyrilli narraturus, ita præfatur: *Sed ne quis in posterum amore* F *sectæ Calvinistæ et odio Catholicæ religionis res gestas Cyrilli, tempore obscuras dubias propter inanes rumores factas, diis hominibusque invitis, invertat; satius duxi, quæ a fide dignis hominibus, et Cyrillo ipsi summa familiaritate conjunctis, audivi, et ipse meis hisce oculis vidi, scripto summatim consignare, ut veritas futuris etiam temporibus immota persistat.*

dum edidit compendium Vitæ Cyrillianæ,

1441 Tum statim Allatius gesta Cyrilli sic in compendium redigit: *Cyrillus Lucaris Cretæ obscuris ac miserrimis natus parentibus, puer adhuc Alexandriam adnavigavit, et patriarchæ Meletio Alexandrino, ex eadem Creta prognato, operam locavit; a quo institutus atque imbutus, cum esset ingeniosus ac solers, ad sacerdotium promovetur. Hinc Patavium profectus, melioribus doctrinis excolitur. Reversus Alexandriam, ab eodem Meletio creatus archimandrita, in Walachiam mittitur, indeque Saxoniam penetrans, capita contra Catholicam religionem, quingentis nummis aureis avita fide divendita, subscripsit: qua ditatus pecunia, rursus Alexandriam revertitur, et ad Cretam ablegatur, ut pro patriarchatu stipem cogeret. Ita per Constantinopolim*

A *lim ac Parum in Cretam insulam appellit. Defuncto Meletio, Alexandriam repetit, et cum omnium vota Gerasimum Spartaliotam respicerent, ipse muneribus collocupletatus, stipe, quam pro patriarchatu collegerat, in electores erogata, patriarchale solium occupat.*

in quo turbulentum hujus hominis ingenium

1442 *Tum, vivente adhuc Neophyto, Byzantium petit; quo demortuo, licet ipse sedem ambiret, et variis artibus sibi procurare studeret, episcopi, eo ob causas sibi bene notas rejecto, Timotheum a Marmora eligunt, cui cum non cessaret tum abstrusas tum patentes insidias continue moliri, plena synodo pellitur, et fuga sibi consulens, ad Montem sanctum (Athum veteres dixere) confertur. Nec multo post de eo præfocando mandatum Turcicum adjicitur; quod ubi montis accolæ, vitam solitariam professi, persenserunt, sub ementito habitu alio amandant; ubi latuit, donec suæ factionis hominibus procurantibus, inter patriarcham et eumdem gratia composita est illis conditionibus, ut sacrum Cyrillus faceret, et quocumque vellet, uno excepto Byzantio, liber abiret. Sic ille post breve tempus, relicto monte, per Oenum et Adrianopolim in Poloniam abit.* Post B hæc narrat violentam mortem Timothei patriarchæ, qui veneno interiit, ut supra ex eodem hoc scriptore retulimus.

sacrilegas fraudes,

1443 Deinde narrationem suam ita prosequitur : *Timotheo itaque hac ratione defuncto, Cyrillus a suis patriarcha Constantinopolitanus eligitur. Per quatuor menses fidem est professus Catholicam, quam postea atrocissimo scelere ejuravit, hæreses per populum spargens, et simpliciores dolo malo infatuans. Id non ferens ecclesia Orientalis, congregata synodo, hominem abigit, et exsilio in insula Rhodo multat, atque in ejus locum sufficit Anthimum* (Catalogi omnes prius Gregorium ac deinde Anthimum ei substituunt, ut suo loco dicetur) *Adrianopolitanum, qui postea, sibi quatuor aureorum millibus promissis, patriarchatu cessit, et in montem Athum se contulit. Hinc Anthimo pactam pecuniam repetenti respondisse dicitur Cyrillus, satis illi esse, si viveret. Minis Anthimus perterritus, ne quid sibi pejus accideret, acquievit, vitamque in eodem monte Atho finiit.*

enormia scelera,

1444 *Cyrillus postmodum Hollandicis impensis ab exsilio Rhodiensi revocatur; et cum hæresim disseminare non desisteret, non æquo ferentes id animo* C *ecclesiæ proceres, eum denuo deponunt, et Rhodum relegant, et in ejus locum Gregorium Amasiensem substituunt. Verumtamen rursus, Hollandico et muneribus et promissis acriter instante, Cyrillus in sedem restituitur, pulso Gregorio, qui, antequam in exsilium perveniret, captus cum universo suo comitatu, ita mandante Cyrillo, laqueo vitam finit, et in mare projicitur. Cyrillus restitutus, cum magis ac magis hæreticis faveret, jura omnia, tum sacra, tum profana, grandi pecunia Hollandico vendens, præsules tam familiares, quam cognitos, de quorum fide dubitabat, miseris modis interficiens et exsilio multans, et bona ecclesiastica exsorbens, et noxas alias ac damna Catholicæ religioni inferens, a Græcis similia detestantibus, totius cleri assensu de throno deturbatur, et apud mare Euxinum carceri includitur.*

ac ignominiosam denique mortem describit.

1445 *Inde paucis post diebus jussu Turcarum principis eductus a satellitibus, laqueo et ipse interimitur et in mare abjicitur, quod tantum scelus sustinere indignatum, retortis undis agitatum in terram revolvit, et a prætereuntibus perducta fossa in altitudinem sepelitur; non ita tamen, ut restis collo alligata cum cadavere occultaretur. Eam alii videntes, spe reconditarum opum terram effodiunt, extrahuntque cadaver vermibus scatens, et exspectatione delusi, inhonorum relinquunt, feris ac avibus forsan escam futurum, quod nec ipsum mare nec terra suo gremio condi sustinuerat.* Scio, Batavos hæc omnia aliter in suum ac Cyrilli favorem referre, et Allatium ab illis de partium studio accusari. Sed nos etiam jure merito tales in propria causa judices recusamus, et non tam facile iis fidem adhibemus.

Quod si heterodoxi Catholicis scriptoribus in hac re nolint credere,

1446 Adeant itaque dominum de Moni, qui anno MDCLXXXIV Francofurti Gallice edidit Historiam Criticam de religione et moribus Orientalium, ubi pag. 52 et sequentibus narrat gesta hujus Cyrilli, et in fine narrationis pag. 57 affirmat, sese ad ea fideliter referenda neque Allatii neque Batavorum relatione acquievisse. Legant illustrissimum Spondanum, qui in Annalibus ecclesiasticis anno Christi MDCXXVII num. 9 ante Leonem Allatium de hoc subdolo Cyrillo ita scribebat : *Cyrillus patriarcha Constantinopolitanus Græcus, homo versipellis, omnisque decoris expers, fidei Græcæ, Turcicæ et Calvinianæ mixtura prodigiosus, aliquot adolescentes Græcos in Hollandiam misit, qui ibi patria doctrina instruerentur, quam* E *deinde per Græciam spargerent. Prodiit anno sequenti ex officina Batavorum quædam confessio ejusdem Cyrilli, tamquam conformis Calvinianæ, quæ tamen a pluribus ipsorummet irrisa fuit. Sed fuerit Cyrilli, non tamen ecclesiæ Græcæ aut Orientalis, quamquam id titulus ferret. Quæ sit illius ecclesiæ vera fides, vidimus sub Jeremia patriarcha ; quæ isti jam protulerunt, mera sunt mendacia, et figmenta hæreticorum.*

saltem illis suspectum esse non potest testimonium Græcorum schismaticorum,

1447 Quod si Batavi etiam his arbitris stare nolint; quia Papistæ seu Pontificii sunt, ut ipsi eos per contemptum appellant, liberaliter et ex abundanti illis offerimus alios, qui Pontifici Romano adversantur. Quapropter minime potest ipsis esse suspectum Græcorum schismaticorum testimonium, quod de hac re paulo superius ex synodo Hierosolymitana allegavimus. Hinc quoque ab ipsis rejicienda non est epistola, quam Leo Allatius lib. 3 de Consensione cap. 8 num. 5 Græco-Latine recitat, et in qua Arsenius hieromonachus tunc amico, quærenti causam introductæ in Græciam Calvinianæ hæreseos, post alia respondet, ecclesiam Græcam numquam huic hæresi consensisse, et unum clandestinæ hujus F molitionis auctorem fuisse Cyrillum *perditis moribus virum ac turbulentum, quique omnia lucro et temporariæ gloriæ posthaberet.*

inter quos Arsenius de occulta Cyrilli cum Calvinistis pactione.

1448 Deinde idem Arsenius, tempori et loco rei gestæ proximus, Cyrillum sic pergit depingere : *Cum dominandi cupiditate laboraret jam pridem, et ad reginæ urbium thronum oculos adjiceret, præ desiderio tum dignitatis, tum divitiarum, quas inde collecturus esset, palam omnibus erat, non quieturum eum; verum id agere, ut propositum quoquo modo assequeretur, et principatum hunc jure vel injuria obtineret. His igitur de causis, cum adjunxisset sese Calvini sectatoribus, eorumque gratiam omni assentationis genere captaret, non cessavit dictis factisque per omnia iis obsequi; ut et sentire cum ipsis voluerit, et avitam fidem, salutemque adeo, cum hæresi omnium turpissima permutare. Fit igitur clandestina quædam inter eos pactio, ut Calvinistæ quidem, peregrini homines et advenæ, pecuniam Cyrillo numerarent, suppeditarentque omnia, quibus ad obtinendum id, quod moliebatur, indigebat; hic vero, postquam esset pontifex constitutus, promissum vicissim suum exsolveret : erat autem illud hujusmodi, Cyrillum Calvini deliramenta*

Sec. XVII.

menta omnia, et pervagatam apud emptores illos hæresim tum secuturum ipsum ac palam professurum, tum Orientales ecclesias vel omnes vel quamplurimas saltem, eamdem in communionem attracturum.

et violentis fraudibus

1449 *Hac facta conventione, statim se infelix ille ad opus accinxit, et a Vesta, quod aiunt, incipiens, in eum, qui tunc Constantinopolitanam sedem obtinebat, orthodoxum hominem convertitur, illumque insidiis et fraudibus appetens, ubi falsis criminibus circumventum ac depositum amovit, seipsum illius in locum a perpaucis, iisque mercenariis hominibus, eligi curat, corruptis prius grandi pecunia, quæ suppeditata ipsi ab hæreticis fuerat, aulæ imperatoriæ proceribus, penes quos erat, facultatem concedere tum ejiciendi prioris, tum alterius, illius in locum, subrogandi. His igitur artibus pontificiam dignitatem atque sedem obtinuit Cyrillus, duplicem hoc uno pestem exsecrationemque suum in caput accersens, quod et sacra Spiritumque sanctum, ut ille quondam magus, pecunia commutarit, et animam suam eodem pretio vendiderit.*

similia narrat;

B

1450 Denique schismaticus iste hieromonachus post alia, quæ hic brevitatis causa omittimus, epistolam suam ita concludit : *Has ego litteras duabus potissimum de causis ad te mittendas censui, ut et veritatem liquido ipse noris, et eamdem alii per te intelligant. Quamobrem a te contendo, ut, si ad rem fore visum fuerit, easdem et ipse cum omnibus, qui vestro in orbe degunt, communices; ut et qui recte de his sentiunt, iniqua de nobis existimare et loqui desinant, et Calvinistæ, cum insidias suas præstigiasque palam factas viderint, finem tandem exsultandi faciant et inepte gloriandi.*

quam narrationem ex Græca Arsenii epistola Hilarius Lutheranus Latine vulgavit.

1451 Hæc epistola adversariis suspecta esse non debet, eo quod apud Leonem Allatium legatur : nam eamdem Græce penes se exstare, testatur Henricus Hilarius Lutheranus, qui in Appendice ad Chronicon ecclesiæ Græcæ illam Latine exhibet, et post eam integre relatam sic notat : *Præcedens hæc hieromonachi Arsenii epistola, quæ Actis synodi Parthenianæ præfixa legitur, satis quidem docte et accurate negotium Cyrillianum proponit, ac pro ratione circumstantiarum de eo disserit.* Deinde tamen auctorem Græcum carpit ob quamdam assertionem, quam epistolæ huic contra Lutheranos inseruit. Certe Lutheranus ille scriptor adversario suo non pepercisset, si aliunde ex historia Cyrilliana fidem ejus elevare potuisset. Atque hæc satis superque dicta sint de Cyrillo Lucare, post cujus primam relegationem in cathedra Constantinopolitana verosimilius sedit

C

CLIX GREGORIUS IV.

Cyrillo in exsilium pulso, cathedram CP. ascendit Gregorius,

Jam supra vidimus, quod Leo Allatius Anthimum huic Gregorio præponat; sed probabilius putamus, Gregorium Anthimo præponendum esse, quia de hoc ordine consentiunt tres catalogorum nostrorum auctores, inter quos Matthæus Cigala sic habet : *Cyrillus... post annum unum a Sultano Osmane insulam Rhodum fuit relegatus, atque in ejus locum subrogatus Gregorius Amaseæ; post menses tres in exsilium pulsus est, eique suffectus Anthimus.* Hisce consonat Philippus Cyprius, qui de eadem successione ita scribit : *Cyrillus... a Sultano Osmane in Rhodum relegatur; in ejus locum suffectus unoculus Amaseæ episcopus Gregorius; cum sedisset menses tres, exsilio datur.* Catalogus Renaudotianus de violenta ipsius morte, quam duo priores catalogi non expresserunt, mentionem facit his verbis : *Gregorius Amaseæ menses tres, et in exsilium pulsus, strangulatus est.* Hoc mortis genus confirmatur ex Leone Allatio, qui supra num. 1444 asserit, e sede sua pulsum esse Gregorium, *qui, antequam in exsilium perveniret, captus cum universo suo comitatu, ita mandante Cyrillo, laqueo vitam finit, et in mare projicitur.* Secundum jam dicta probabilius huic Gregorio Amaseensi successit D

CLX ANTHIMUS II, vel ANTHYMUS.

CYRILLUS I Lucares iterum.

cui post tres menses successit Anthimus,

Matthæus Cigala decessorem ac successorem hujus Anthimi ita memorat : *Gregorius Amaseæ post menses tres in exsilium pulsus est, eique suffectus Anthimus, Adrianopolis episcopus, qui continuo exturbatur, atque iterum Cyrillus revocatur, qui cum placide per annos octo rexisset ecclesiam, secundo ab Sultano Amurate in insulam Tenedum relegatus fuit.* Postquam Philippus Cyprius de eodem Gregorio egisset, statim subdit sequentia : *Huic Anthymus Adrianopolitanus succedit; nec multo post ipse patriarchæ domo expulsus, in sanctæ Lauræ splendidissimo monasterio apud sanctum montem Atho consedit. Cyrillus revocatus, cum pacifice ecclesiam annos octo gubernasset a Sultano Murate in Tenedon pellitur.* E

quem statim expulit Cyrillus sedi suæ restitutus,

1454 Catalogus Renaudotii breve patriarchatus ejus tempus, quod mox laudati duo auctores tantum in genere indicant, ita accurate expressit : *Anthimus Hadrianopoleos dies tres; et abdicavit.* Ad hæc verba etiam obiter observo, quod Anthimus, qui supra exturbatus et expulsus fuisse dicitur, hoc loco patriarchatum abdicasse tradatur. Porro hæc spontanea abdicatio optime conciliatur cum superius producta Leonis Allatii narratione, in qua affirmat, Cyrillum Lucarem quatuor aureorum millia Anthimo promisisse, ut patriarchatu cederet, atque hunc propterea se in montem Atho contulisse, ubi promissa nummorum spe frustratus, vitam finivit. Ceterum hoc tempore fuerunt adeo frequentes patriarcharum expulsiones ac revocationes, ut ipsi Græci eas confudisse aut neglexisse videantur : laudatus enim catalogus Renaudotii illas post abdicationem Anthimi ita multiplicat : *Cyrillus iterum tertio, annos octo; et in exsilium pulsus. Cyrillus Berrhœæ dies octo; et in exsilium pulsus. Cyrillus quarto, annum unum, menses duos; et exsulavit.* Tunc tandem quarto Cyrilli Lucaris patriarchatui substituit Athanasium, de quo mox agemus. Quidquid sit de hoc primo Cyrilli Berrhœensis patriarchatu, ac duplici Cyrilli Lucaris ad sedem Constantinopolitanam reditu, nos potius sequimur duos istius temporis scriptores, apud quos in locum Anthimi exauctorati vel abdicantis immediate succedit F

CLXI ATHANASIUS II, cognomento Patellarius.

CYRILLUS I Lucares tertio.

et huic iterum relegato substituitur Athanasius,

Philippus Cyprius post secundam Cyrilli Lucaris expulsionem hæc subjungit : *Pro eo* (videlicet Cyrillo iterum relegato) *Athanasius Patellarius,*

A *tellarius, Cretensis, Thessalonicæ metropolita, inductus, haud diu post loco pellitur. Cyrillus tertium revocatus, cum ecclesiæ per annum præfuisset, annitente pravo e Berrhœa Cyrillo, rursus Rhodum relegatur.* Matthæus Cigala patriarchatum Athanasii etiam collocat inter secundam ac tertiam relegationem Cyrilli Lucaris, *qui, cum placide per annos octo rexisset ecclesiam,* inquit, *secundo ab Sultano Amurate in insulam Tenedum relegatus fuit, eique successit Thessalonicensis antistes Athanasius Patellarius, ac paulo post loco pellitur; ac tertio revocatur Cyrillus, qui cum annum unum patriarchatum tenuisset, Berrhœensis Cyrilli molitionibus rursus extruditur.* Renaudotianus catalogus exiguum gubernationis ejus spatium, quod duo præcedentes auctores non exprimunt, rursus ita exacte determinat : *Athanasius Patellarius dies viginti duos; et in exsilium missus.*

quem tertio ad sedem CP. rediens expulit Cyrillus Lucares,

1456 Sed hoc loco iterum difficultas occurrit circa rectum successionis ordinem, de quo inter catalogos nostros non convenit : Cigala enim tradit, Cyrillum Lucarem tertio expulsum esse molitionibus Cyrilli Berrhœensis, qui posterior Cyrillus, *annis duobus sui patriarchatus exactis, a synodo* B *tandem loco dejicitur ;* Philippus Cyprius de patriarchatu Cyrilli Berrhœensis primum meminit post mortem Cyrilli Lucaris, cum hic jam quinies ad sedem Constantinopolitanam rediisset; auctor vero catalogi Renaudotiani post commemoratum Athanasii Patellarii patriarchatum et exsilium sic pergit : *Rursus Cyrillus quinto annum unum; et in exsilium pulsus. Iterum Cyrillus Berrhœæ secundo, annos duos; et exsulavit.* His subjungit patriarchatum Neophyti Heracleensis, de quo nos infra agemus. Vix videmus, quid in tanta opinionum diversitate ac tam crebra patriarcharum mutatione probabilius statuendum sit.

in cujus denuo expulsi locum anno 1635 suffectus est

1457 Attamen consentire non possumus Philippo Cyprio, qui patriarchatum Cyrilli Berrhœensis (alias Contarenus cognominatur) usque ad mortem Cyrilli Lucaris differt : nam Cyrillus Lucares anno Christi MDCXXXVIII strangulatus est, et interim Dionysius Guillius noster, quondam Cyrilli Berrhœensis seu Contareni præceptor, de hoc suo discipulo ad Leonem Allatium exeunte anno MDCXLV inter alia sic scribit : *Quinque circiter menses in scholam meam discendi causa venti-* C *taverat Cyrillus Berrhœensis; post hos, septemdecim elapsis annis, factus patriarcha Constantinopolitanus anno Domini* MDCXXXV, *Martii* XXV, *meminit tenuitatis meæ, dixitque Patribus illius residentiæ nostræ, qui eum honoris causa gratulabundi adierant : Ubi est pater Dionysius magister quondam meus? (ego Messanæ tunc eram exsul pro fide.) Volo ad eum dare litteras, ut veniat, mecumque vitam degat.* Ex hoc Guillii nostri testimonio patet, primum Cyrilli Berrhœensis patriarchatum differri non posse usque ad annum Christi MDCXXXVIII, quo Cyrillus Lucares strangulatus est, cum ille jam anno Christi MDCXXXV in cathedra Constantinopolitana sederet. Sequimur itaque Matthæum Cigalam, a quo post tertium Cyrilli Lucaris exsilium primo ponitur

CLXII CYRILLUS II, cognomento Contarenus.

CYRILLUS I Lucares, quarto.

Tam diversa narrantur de Cyrillo Contareno seu Berrhœensi (eum hoc posteriore cognomine communiter a patria vel episcopatu appellant) ut ingenue fatear, me iis conciliandis imparem esse. Manifestum hujus discrepantiæ specimen accipe ex duobus testibus synchronis, quos hic inter se conferemus, et quorum unus est Dionysius Guillius, Societatis nostræ sacerdos, qui in Græcia per plures annos fidei propagandæ operam impendit. Hic in epistola, quam Leo Allatius lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 5 inseruit, indolem et mores Cyrilli Berrhœensis, sui quondam discipuli, inter alia sic laudat : *Contarenus (ea prima fuit heroi ad trutinam proposito nomenclatura) patriam habuit Berrhœam, Macedoniæ urbem. Thessalonicæ, quæ Macedoniæ item est urbs metropolis, Græcas litteras didicit; quas ubi affatim percepit, Patrum Societatis Jesu, qui jam tum Galatæ ad Constantinopolim residentiam habebant, excitus fama, ad eos utriusque philosophiæ studio, cœlesti tamen intentus magis quam seculari, se contulit. Thessalonica Constantinopolim versus quingentorum circiter millium* (haud dubie quingenta milliaria Italica intelligit) *maritima via est : quo clarior fit animi firmitudo Contareni, quem neque longitudo itineris, nec maris pericula potuerint a proposito deterrere.* E

Cyrillus Contarenus, quem Dionysius Guillius noster,

quondam ipsius magister,

1459 *Appulsus, mansionem, quam proxime Patres conductam, sibi delegit, quæ et proprie ipsorum erat, et gymnasio adhærebat. In eam, præterquam quod erat a populi remota frequentia, nec socium quidem admisit : quippe et fugitans turbæ et quietis amans, et sibi vacare cupiens ac Deo, quem unum suarum testem actionum habere volebat. Galatam advenit in ipso temporis articulo, quo cœptum jam erat ab ludi magistro exponi Aristotelis Organum. Itaque sub eodem dialecticæ se ipse applicuit. Erat tum annos natus septem et viginti circiter.* Tum varios corporis ac animæ ejus dotes enumerat. Deinde multis verbis exponit, quomodo ipsemet Contareno reluctanti suaserit, ut admitteret episcopatum Berrhœensem, sibi a Timotheo patriarcha oblatum, et quo se indignum judicabat.

propter obedientiam,

1460 Post hæc addit, obedientem illum discipulum consilio ac rationibus suis humiliter acquievisse; *ac regressus e vestigio ad patriarcham,* inquit, *ejus totum se permisit arbitrio, qui extemplo eum, adempto Contareni nomine, Cyrillum appellavit, atque ita metropolitam renuntiavit : solent* F *enim apud Græcos, qui episcopatum ineunt, mutare nomen priscum, assumpto quopiam alio majorum suorum sanctitatis fama insignium, quod ab eodem elemento ducat initium. Postmodum in Ordinem S. Basilii cooptatus est : nemo enim apud Græcos episcopus esse potest, nisi Religiosus sit et habitu et victu. Mox minores majoresque suscepit Ordines; erat enim adhuc laïcus. Secuta denique est episcopalis consecratio, in qua propter necessitatem, ne ætatis quidem ratio habita est.*

aliasque virtutes

1461 Præterea Guillius hic inquirit, quæ causa movere potuerit patriarcham Timotheum, *virum alioqui prudentissimum, nec alienum a fide Catholica,* ut Contarenum ex incepto philosophiæ cursu ad episcopalem dignitatem abriperet. Tum vero respondet, patriarcham haud dubie ad id motum fuisse singulari morum ejus integritate, aliisque virtutibus, inter quas ab ipso enumerantur : *non vulgaris modestia, bonitas, mansuetudo, patientia, æquitas, æquanimitas, castitas, denique,* ait, *ut Sabellici verbis utar, laudatissima omnium virtutum, res cœlo hominibusque jucunda gratitudo.* Hanc autem animi gratitudinem probat ex eo, quod Cyrillus post multos annos ad patriarchatum

Sec. xvii. Constantinopolitanum evectus, meminerit magistri sui Dionysii, quem etiam Constantinopolim accersire voluerit, ut secum vitam ageret, sicut superius alia occasione a nobis dictum est.

impense laudat;

1462 Denique Guillius noster epistolam suam ita concludit : *Hæc solum habeo de virtute Cyrilli Berrhœensis, quæ pro testimonio dicam ; sed longe plurium majorumque recte factorum principia ac fundamenta, quæ recta facta secuta quidem esse non dubito ; at de iis tamen testis idoneus esse non possum ; sed illi dumtaxat, quibus sunt explorata ; mihi vero qui esse possint ? Cyrillus enim, postquam in metropolim se recepit, longissime distantem (quippe Thessalonicæ propinquam) neque a me visus ipse per spatium circiter septem et decem annorum, nisi semel, idque obiter, et quasi per transennam ; neque auditum de eo quidquam fuit, cum præsertim anno* MDCXXVIII *ineunte propemodum, concitata ab hæreticis adversus nos Constantinopoli pro fide persecutione, post carceres, catenas, et pericula minasque mortis, inde ego fuerim ejectus.* Dionysius Guillius anno Christi MDCXLV, die XXX Decembris, has litteras Laureti exaravit, easque paucis ante mortem suam
B diebus ad Leonem Allatium dedit, ut ipse Allatius loco supra citato ante illas testatur.

sed Allatius alium istius Cyrilli effigiem exhibet,

1463 Sed satis mirari nequeo, quod Leo Allatius, acceptis his Guillii litteris, non mutaverit plane diversam Cyrilli Berrhœensis effigiem, quam in epistola ad Nihusium depinxerat, quamque lib. 3 de Consensione cap. 11 num. 5 iterum exhibet, ac memoratis Guillii litteris ita præfigit : *De Cyrillo Lucari jam nuntiavi ; de Berrhœensi pauca hic addam. Litteras ab hieromonacho Gregorio, hieromonachus etiam ipse, Thessalonicæ didicerat ; deinde in episcopatum a Timotheo patriarcha promovetur. Et cum Paysius Thessalonicensis metropolita Moscoviam appulisset, ut egestati, ærique alieno, certis nominibus ab ecclesia sua contracto, si fieri posset, subveniret, et æs alienum exactam pecuniam longe superaret ; adeoque se ab eo exsolvendi spes decollasset, jussu principis, a quo large et sine labore victus suppeditabatur, in ea regione, de episcopatu parum solicitus, sedem collocat, ut securus vivat.*

illumque depingit atris coloribus,

1464 *Cyrillus interim Lucaris patriarcha Berrhœensem ad ecclesiæ res procurandas, animisque Christianorum providendum, Thessalonicam mittit ;*
C *qui splendore magnitudineque civitatis pellectus, ab eodem Lucari Thessalonicensem episcopatum exorat. Cum non impetrasset ab amico, cui maxime fidebat, et a quo majora etiam sibi pollicebatur, ira sibi facem subministrante, odia capitalia in Cyrillum exercuit, quæ neque novis promissis, neque amicorum intercessionibus, neque ullo alio beneficentiæ munere restincta sunt. Hinc frequentes insidiæ, et sæpius pertentatæ ab utroque fraudes Constantinopolitanum clerum exagitarunt ; donec, ejecto Cyrillo* (Lucare) *suffocatoque, ipse patriarchatum iniit.*

quos cum laudibus, ei a Guillio datis,

1465 Vix video, quomodo hæc duplex Cyrilli Berrhœensis imago eumdem hominem vere repræsentet : teste enim Allatio, hic Cyrillus *litteras ab hieromonacho Gregorio,* HIEROMONACHUS *etiam ipse, Thessalonicæ didicerat* ; at Guillius noster testatur, eumdem primo in Ordinem S Basilii cooptatum esse, quando jamjam episcopali dignitate erat ornandus, cum nemo apud Græcos episcopus esse possit, nisi prius habitu et victu monachus fuerit. Præterea dicitur ab Allatio Cyrillus iste archiepiscopatum Thessalonicensem ambitiose postulasse, eoque non obtento, *odia capitalia* contra Cyrillum Lucarem exercuisse ; Guillius autem asserit, eumdem Cyrillum Contarenum a dignitatibus husjusmodi abhorruisse, seseque multis D
rationibus tandem ei persuasisse, ut præsulatum Berrhœensem, a patriarcha ultro oblatum, admitteret. Denique Allatius affirmat, quod ob denegatum archiepiscopatum Thessalonicensem, cum Cyrillo Lucare tam implacabiles inimicitias habuerit, ut *neque novis promissis, neque amicorum intercessionibus, neque ullo alio beneficentiæ munere* restingui potuerint. Ubinam igitur tunc erant *non vulgaris modestia, bonitas, mansuetudo, patientia,* aliæque Cyrilli Contareni virtutes, quas Guillius in ipso tantopere laudat? Non capio, quomodo, hæc cohæreant, nisi honores mutaverint mores, ut habet parœmia, vel Contarenus ficta religionis ac pietatis larva magistrum suum Guillium fefellerit.

conciliare non facile possumus.

1466 Quinimo Allatium cum seipso et aliis conciliare non possum, ut infra apparebit in secundo Cyrilli Contareni patriarchatu, quamvis Allatius de unico tantummodo meminerit, eumque post mortem Cyrilli Lucaris perperam distulerit : nam ex supra relato Dionysii Guillii testimonio liquet, Cyrillum Berrhœensem seu Contarenum jam ab anno Christi MDCXXXV in cathedra Con- E
stantinopolitana sedisse, et Matthæus Cigala diserte testatur, post tertium Cyrilli Lucaris exsilium sedem Constantinopolitanam occupatam fuisse a Cyrillo Berrhœensi, *qui annis duobus sui patriarchatus exactis,* inquit, *a synodo tandem loco dejicitur, rursusque Cyrillus senex e Rhodo accersitur, qui se ipsum sponte abdicavit, ac demum rite ac legitime patriarcha creatus fuit Heracleensis episcopus dominus Neophytus anno Christi* MDCXXXVI. Sequitur itaque ex verbis Matthæi Cigalæ, qui hic catalogo suo finem imponit, ut post expulsionem Cyrilli Contareni et spontaneam Cyrilli Lucaris abdicationem sederit

CLXIII NEOPHYTUS II.

CYRILLUS I Lucares quinto.

Cyrillo Contareno exauctorato successit Neophytus,

Philippus Cyprius apud Bandurum tomo 1 Imperii Orientalis pag. 229 de hoc novo Patriarcha sic scribit : *Cum Heracleæ archiepiscopus Neophytus, Cyrilli discipulus, filiusque adoptivus, patriarchatu rite ac legitime defungeretur ; patrem,* F
magistrum, et de se bene meritum (sapientissimum dico Cyrillum) Rhodiensi exsilio liberavit ; utque in regnatricem pervenit urbem, sponte in favorem domini Neophyti abdicatus est. Qui (videlicet Neophytus) *cum esset invalidus gubernandi ob patriarchæ domus confusionem, nec magna turbamenta sufferre posset (erat quippe miti placidissimoque ingenio) ut de munere decederet, impetravit.*

et brevi abdicans, locum dedit quinto patriarchatui Cyrilli Lucaris,

1468 Auctor catalogi Renaudotiani hic sextum Cyrilli Lucaris patriarchatum ita recenset : *Neophytus Heracleæ annum unum ; et abdicavit. Iterum Cyrillus senior sexto annum unum ; et strangulatus.* Nos hoc loco quintum Cyrilli Lucaris patriarchatum numeravimus cum Philippo Cyprio, qui post supra memoratam Neophyti abdicationem, de ultimo Cyrilli Lucaris patriarchatu sic disserit : *Cyrillus quintum revocatus post unius anni quinorumque mensium regimen, operam dante Berrhœensi Cyrillo, et concursu aliquot Methymnæorum interfectus est a Musa Bassa, regni procuratore : nam imperator Sultanus id temporis ipse adversus Babylona bellum gerebat. Hunc in modum teterrimus Berrhœensis parricida per annum et septenos*

ptenos

A *ptenos menses patriarchatu potitus est.* Igitur reliqua Cyrilli Berrhœensis gesta, ut supra promisimus, hoc loco examinanda sunt

CYRILLUS II, Contarenus iterum.

quo tandem a Turcis interfecto, ad sedem CP. rediit Cyrillus Contarenus,

Catalogus Renaudotianus de reditu et morte hujus Patriarchæ sic breviter agit: *Cyrillus Berrhææ tertio* (nos cum Matthæo Cigala secundum ejus patriarchatum dumtaxat numeramus) *sedem tenuit anno uno; deinde in carcerem conjectus, in exsilium pulsus, tandem strangulatus est.* Postquam Philippus Cyprius supra dixerat, Cyrillum Lucarem opera Cyrilli Berrhœensis interfectum esse, atque ita hunc sedem illius inique invasisse, de violenta hujus invasoris morte seu pœna talionis addit sequentia: *Ast vindex Dei oculus non sivit eum impunitum; sed divina inspiratione principibus summorum sacerdotum excitatis, imperatori Sultano Murati, a Babylonica victoria* B *cum triumphis tropæisque reverso, pro illius iniquitate et insatiabili rapina relationem criminis concessit, eumque in Africam Barbariæ in exsilium egit; ubi etiam justas a Deo pœnas per sævam atque ipso dignam mortem sustinuit.*

de cujus moribus,

1470 Leo Allatius post illa, quæ superius ex eo retulimus, lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 5 de patriarchatu, moribus, et morte Cyrilli Berrhœensis seu Contareni hæc subnectit: *Patriarcha, ære alieno, magnitudine tributorum, et injuria potentiorum, ac tantum non in servitutem Turcis dicatum patriarchatum, industria sane admirabili, liberavit, et in pristinam dignitatem aliquo modo extulit, in alias etiam ecclesias profusus. Fuit animo liberali ac magnifico, virtutum litterarumque studioso, obstinatior obfirmatiorque in propriis consiliis. Iracunde non tantum verbo, sed sæpe etiam manu, cum præsulibus agebat; ideoque multorum invidiam subiit; qui simul omnes cum Parthenio conspirantes, immerentem contumeliose e sede trudunt, et Tunetum ablegant.*

et morte Leo Allatius ita scripsit,

1471 *Intrusus Parthenius, a Timotheo patriarcha, Anchiali metropolita, ab Anthimo Andrianopolitanus creatus, cum jam videret, denuo res Cyril-* C *li factione sociorum crescere, et de eo remittendo certa spe pertractari, veritus, ne, eo restituto, ipse discrimen subiret, mandatum de eo interimendo, profusa rerum ecclesiasticarum largitate a Turca extorsit, misitque ad Bichirum Bassam Rhodiensem, amicum, qui statim Tunetum direxit. Dum carnifex instaret, et alii spectabiliores in ea secta viri adhortarentur, ut, ejurata Christianorum fide, Mahumetum amplecteretur, sicque suis rebus sibique consuleret, et fortunatiora etiam pollicerentur, ille pacatissimo animo respondit, cum Ecclesia Romana et cum Christo, quem intime spiraret, velle se mori, sicque laqueo, gutture exposito, suffocatur vir pius et melioribus temporibus dignus. Actum est jam Romæ de eo in sanctorum Martyrum numerum referendo.*

ut secum,

1472 Non intelligo, quomodo Allatius dicat, *immerentem* ab episcopis depositum fuisse hunc Cyrillum Berrhœensem, qui, ipso teste, *iracunde non tantum verbo, sed sæpe etiam manu, cum præsulibus agebat.* Multo minus capio, qua ratione Cyrillus ille ab ipso vocetur *vir pius, et melioribus temporibus dignus,* quem implacabile odium cum Cyrillo Lucare exercuisse, et frequentes ei insidias struxisse, paulo superius fatebatur. Denique non percipio, quo pacto Cyrillus Berrhœensis Constantinopolitanum patriarchatum *ære alieno, magnitudine tributorum, et injuria potentiorum* liberaverit, atque ipse patriarcha *animo liberali ac magnifico* fuerit, ut Allatius asserit, cum Spondanus in Annalibus ecclesiasticis de eodem Cyrillo (nisi malis tempore Cyrilli Lucaris duos alios homonymos præter ipsum admittere) ad annum Christi MDCXXXIX num. 12 scribit hoc modo: *Constantinopoli patriarcha Cyrillus ab Iberia* (unde hoc cognomen Cyrillo isti tribuatur, ignoro) *ob fœdissimas pecuniarum a subditis extorsiones in tetrum carcerem conjectus, depositus fuit a sede, et in ejus locum subrogatus Parthenius Adrianopolitanus unanimi ceterorum omnium antistitum, cleri et populi, consensu.*

et cum illustrissimo Spondano

1473 Spondanus in iisdem Annalibus ad annum Christi MDCXXXVIII num. 13 egerat de quodam pseudo-propheta, qui mense Junio ejusdem anni MDCXXXVIII strangulatus fuit, et ea occasione de Cyrillo Lucare, ejusque successore ibidem num. 14 hæc subdit: *Quo eodem* (nimirum mense Junio anni MDCXXXVIII) *Cyrillus patriarcha Constantinopolitanus a præfecto urbis depositus fuit* E *dignitate, ob quædam crimina ei impacta, et in turrim maris nigri conjectus, atque etiam, ut volunt, in mare præcipitatus; meritas dans pœnas hæresum et turbarum, ab eo excitatarum. Restitutus vero est in sedem alter Cyrillus ab Iberia, ipsius hostis infensissimus, qui prius eam tenuerat: ita enim se invicem miseri detrudere quærebant, ut qui plus favore aut pecunia valeret, is quoque in adeptione dignitatis ceteris prævaleret.*

ac Brietio nostro

1474 Brietius noster in contractis mundi Annalibus ad annum Christi MDCXXXVIII similia de utroque Cyrillo tradit his verbis: *Hoc anno fanaticus ille Cyrillus, patriarcha Constantinopolitanus, Græco-Calvinianus, ab urbis præfecto conjectus in carcerem ad fauces Bosphori (castrum septem turrium dicitur) atque ex turri in mare præcipitatus, tantum aquæ sorbuit, quantum ex Calvini sordibus hauserat veneni, morte sublatus impiorum. Restitutus est in sedem Cyrillus alter ex Iberia, quem ille detruserat, capitalis ejus hostis; sed qui cum eo pecunia, ut Turcorum subditus, non eruditione atque pietate, uti Christianus, disceptavit.* Hæc certe omnia laudatam ab Allatio pietatem Cyrilli Berrhœensis (si is idem sit cum Cyrillo ex Iberia) F neutiquam commendant.

conciliari non possit,

1475 Non facile credo, Romæ actum esse de Cyrillo Berrhœensi in Sanctorum martyrum catalogum referendo, etsi Allatius amico suo Nihusio id in citata epistola nuntiet: nam prudenter dubitari potest, an Cyrillus ille in unione Ecclesiæ Romanæ obierit, quemadmodum Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1004 et sequente, in notis ad catalogum Renaudotianum agens de Cyrillo Berrhœensi, satis indicat hac observatione: *Is est, sub quo habita est synodus Constantinopolitana* (de ea synodo Parthenius ejus successor propter exosam sui decessoris memoriam non meminit) *in qua anathema Cyrillo dictum ob hæreses, quæ in Confessione, sub ejus nomine publicata, continebantur. Contaris a nonnullis dictus est vel Contarenus. Vide epistolam P. Dionysii Guillii Societatis Jesu ad Allatium pag.* 1077. *Unde Allatius mire laudavit hominem, tamquam Catholicum, et mox in Martyrum catalogo reponendum, quod factum non fuit. Vixit Græcus in Græcorum schismate.* Hinc suspicor, superius memoratam Catholicæ fidei ac Romanæ unionis professionem, quam Cyrillus jam strangulandus publice edi-

disse

Sec. xvii.

disse dicitur, ab Allatio ex pia credulitate aut levi conjectura referri, et authenticis testimoniis destitutam esse.

nisi forte triplex ejusdem temporis, Cyrillus sit distinguendus.

1476 Omnes istæ difficultates, quas hic et superius proposui, mihi injecerunt leve quoddam dubium, an forsitan præter Cyrillum Lucarem eodem fere tempore duo alii Cyrilli exstiterint, ac inter se confusi fuerint, sicut nonnulli scriptores confuderunt duos Parthenios Adrianopolitanos, qui sibi invicem in patriarchatu Constantinopolitano successerunt, et de quibus postmodum suo loco agemus. Accedit, quod Spondanus et Brietius patriarcham, qui Cyrillo Lucari mortuo successit, cognominent Cyrillum *ex Iberia*, cujus cognominis causam et originem hactenus ignoramus. Hæ difficultates, inquam, leve dubium de diversitate Cyrillorum mihi injecerunt; sed cum illam homonymorum patriarcharum differentiam solidis argumentis probare non possimus, scrupulum istum aliis, quorum interest, excutiendum relinquimus, et progredimur ad proximum Cyrilli Berrhœensis vel Contareni successorem, qui fuit

B

CLXIV PARTHENIUS I.

Hic Parthenius anno 1642 damnavit errores Calvinistarum, non nominato Cyrillo Lucari,

Philippus Cyprius post relatam Cyrilli Berrhœensis mortem, de electione hujus Parthenii tradit sequentia : *Ea tempestate summi sacerdotes, clerici, omnisque populus Christianus congregati Parthenium, Adrianopoleos antistitem (qui prius Anchialensis ecclesiæ res curaverat) urgendo ad capessendam sedem adegerunt; susceptaque est dignitas patriarchalis anno communis salutis* MDCXXXIX, *die Julii quarto.* Hic terminatur catalogus Philippi Cyprii, ita ut deinceps nobis solus supersit catalogus Renaudotianus, qui annos gubernationis ac mortem ejusdem Parthenii sic breviter indicat : *Parthenius Hadrianopoleos annos quinque, menses duos; veneno sublatus.* Bandurus autem tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1005 ad hunc catalogi Renaudotiani textum ita notat : *Is est, qui vulgo senior appellatur, sub quo habita synodus Constantinopoli* (hæc apud Harduinum nostrum tomo 11 Conciliorum a col. 171 consuli

C

potest) *in qua damnata Confessio Cyrilli Lucaris; sed ejus nomini parcitum.*

cujus nomini non pepercerat Cyrillus Contarenus in synodo anni 1638,

1478 At Cyrillus Berrhœensis non pepercerat nomini Cyrilli Lucaris, dum anno Christi MDCXXXVIII errores Calvinistarum damnabat in synodo, quam Leo Allatius lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 1 Græco-Latine ex cimeliis suis edidit, et in qua nominatim contra Cyrillum Lucarem, tamquam Calvini sectatorem, sæpius anathema pronuntiatur. Sed dum apud laudatum Allatium col. 1069 Cyrillus Berrhœensis hanc synodum subscriptione sua roborat, certa dies mensis omissa est, et Latine perperam annus salutis MDCXXXIX notatur, cum tamen ibidem col. 1065 Græce legatur ἐν ἔτει σωτερίῳ ,αχλη', id est, *anno salutis* MDCXXXVIII : nam litteræ numerales ,αχλη' tantummodo annum MDCXXXVIII indicant, ut consideranti patebit. Porro dies mensis ac rei gestæ annus exactius distinctiusque exprimuntur apud Harduinum nostrum tomo XI Conciliorum, ubi col. 230 Cyrillus Berrhœensis huic synodo ita subscribit : *Anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo octavo* (hæc omnia etiam Græce ad longum scribuntur) *die vigesima quarta Septembris, Indictione septima.*

D

Cyrillus Berrhœensis miseratione divina archiepiscopus Constantinopoleos, seu novæ Romæ, et patriarcha œcumenicus, confirmans synodum adversus Cyrillum Lucarem celebratam, tam capitula ab Cyrillo conscripta, quam ipsum, qui conscripsit ea, ac quemcumque ea habentem, ut orthodoxa, anathemati subjicio. Tum patriarcha Alexandrinus, Hierosolymitanus, aliique præsules et clerici nomina sua subscribunt.

de qua tamen non meminit Parthenius forte ob exosam memoriam Cyrilli Contareni,

1479 Certe mirum videri potest, quod hic patriarcha Parthenius, eosdem Calvini errores anno MDCXLII damnans, de præcedente illa synodo nullam mentionem fecerit. Nonnemo conjicit, Parthenium de ea siluisse, quia Cyrillus Berrhœensis unioni Ecclesiæ Romanæ adhærebat. Sed illa hypothesis, adeoque ipsa conjectura, omnino incerta est, ut ex supradicta Banduri observatione facile colligitur. Præterea si illa ratio Parthenium movisset, eadem movere debuisset schismaticos, qui istam Berrhœensis synodum inseruerunt suæ synodo Hierosolymitanæ, quam anno MDCLXXII contra Calvinistas celebrarunt, ut apud Harduinum nostrum tomo proxime citato a col. 223 licet videre. Potius igitur hic E meminisse oportet eorum, quæ superius ex Leone Allatio retulimus: Cyrillus enim Berrhœensis, teste Allatio, *iracunde non tantum verbo, sed sæpe etiam manu, cum præsulibus agebat; ideoque multorum invidiam subiit, qui simul omnes cum Parthenio conspirantes*, eum e sede sua pelli ac Tunetum relegari curarunt. Hinc probabilius suspicor, Parthenio, aliisque præsulibus memoriam Cyrilli Berrhœensis adeo fuisse exosam, ut de synodo illius nullum verbum facere voluerint.

etsi hic ex illo odio non probetur fuisse orthodoxus.

1480 At quæcumque fuerit vera hujus silentii causa, saltem ex illa Calvinistarum condemnatione non sequitur, Cyrillum Berrhœensem unioni Ecclesiæ Romanæ addictum fuisse : sic enim Parthenius Calvinistis adversabatur, et tamen orthodoxis Latinorum dogmatibus non consentiebat, ut satis intelligitur ex verbis Allatii, qui lib. 3 Consensionis cap. 11 col. 1081 et 1082 de hoc ita scribit : *Berrhœensi succedit Parthenius antea Hadrianopolitanus metropolita, Latinis non admodum æquus, quos clanculum proscindit. An ideo cum Calvinistis consuetudines amicitiasque junxit? Non defuere hæreticorum conatus : montes enim auri polliciti sunt; sed laverunt laterem.* F *Statim enim atque in patriarchatu pedem fixit, convocata synodo, Cyrilli Lucaris capita, et easdem ipsas Calvinistarum hæreses anathemate perstrinxit, excommunicavitque eos omnes, qui cum Calvinistis sentirent. Synodus celebrata est anno* MDCXLII; *excusa Jasii Moldaviæ eodem anno in folio expanso, et* MDCXLIII *Parisiis apud Cramoysi, quam hic quoque referre non gravabor.* Tum Græco-Latine exhibet ipsam synodum, quæ ab Harduino nostro recusa est, ut supra monuimus. Porro plures Parthenios, patriarchas Constantinopolitanos, *in unum conflavit quidam scriptor sordidissimus*, ut Bandurus loco proxime citato loquitur, quos jam ex catalogo Renaudotiano inter se exacte distinguemus.

CLXV PARTHENIUS II,

cognomento Keskines.

Laudatus Renaudotii catalogus hunc Patriarcham ab homonymo suo decessore satis distinguit

A *Cum Parthenius I, veneno sublatus esset, successit ei alter Parthenius,*

stinguit his verbis: *Alius Parthenius Hadrianopoleos, cognomine Keskines, annos duos, menses duos; pulsus in exsilium.* Eamdem dictinctionem noverat Leo Allatius, quando in præfata epistola, quam lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 5 repetit, ad Nihusium anno Christi MDCXLV post alia sic scribebat: *Morte itaque tanti viri* nempe Cyrilli Berrhœensis, de quo paulo superius egerat, et quem jam catalogo sanctorum Martyrum fere inserendum putabat) *quasi securus vitam agit Parthenius, et multo magis hic novus Parthenius; qui, priori Parthenio pulso, patriarchatum occupat, ex disciplina Lucaris, Calvino addictissimus, et Orientalem ecclesiam fraudibus nequissimis, sed sine ullo fructu, vexat.*

quo circa annum 1644 relegato, cathedram CP. conscendit

1482 *Sunt Græci in retinendis traditionibus, et ritibus suæ ecclesiæ conservandis plus nimis contumaces, quod in ipso illius ingressu demonstrarunt: nam ut ille Græcorum animos a Latinis magis averteret, et Latinos ipsos infra hæreticos poneret, celebrata synodo, hæresin, alias sæpe in Ecclesia condemnatam, denuo in eam invehere conatus est; hæreticos nempe, cum redeunt, esse rebaptizandos, ut* B *hinc postea concluderet, Latinos, quos hæreticos censent, illius conditionis homines, si ad ecclesiam Græcam gradum fecerint, omnino esse rebaptizandos. Sed consilii sui exitum nullum, reluctantibus fere omnibus, reperit, et sibilo convitioque in synodo explosus, domum secessit; id tantummodo lucratus, ut plane apud omnes hæreticus habeatur. Sic demortua in Lucarim odia Græcorum in se concitavit. Sed dabit Deus his quoque finem.* Parthenius iste brevi sensit ultricem Dei manum, quando post paucos annos strangulatus est, quamvis interea semel sedi suæ restitutus fuerit, ut mox dicemus. Porro Tabulæ Marcellianæ primam hujus Parthenii exauctorationem anno Christi MDCXLIV affigunt.

CLXVI JOANNICIUS II.

PARTHENIUS II Keskines iterum.

JOANNICIUS iterum.

C *Joannicius, qui Parthenio redeunti cedere coactus est, et eidem deinde strangulato iterum successit.*

Auctor catalogi Renaudotiani de his Patriarchis ita breviter meminit: *Joannicius Heracleæ annum unum, menses undecim; fugit et latuit.* Cum deinceps de fuga et latebris patriarcharum aliquoties mentio recurrat, verosimilem hujus rei causam hic semel lectori indicandam esse existimo. Itaque propter inferius dicenda suspicor, exauctoratos illos patriarchas fugisse aut latuisse, ne vi cogerentur manifestare opes, quas clanculum collegerant, et spe recuperandæ sedis vel ad tempora iniquioris fortunæ reservaverant. Deinde auctor ejusdem catalogi de reditu Parthenii secundi hæc habet: *Parthenius secundo, annos duos, menses sex; in exsilium pulsus, strangulatus est.* Denique alterum Joannicii patriarchatum ita memorat: *Joannicius secundo annum unum; fugit et latuit.* Mox laudatæ Tabulæ Marcellianæ tempora horum patriarcharum ita disponunt, ut Joannicio cathedram primum ascendenti annum Christi MDCXLVI, Parthenio restituto annum MDCL, ac denique secundo Joannicii patriarchatui annum MDCLI assignent. Pro exacta horum omnium chronotaxi spondere nolim, quia non videtur cum catalogo Renaudotiano componi posse. Attamen ex his anni horum Patriarcharum præterpropter colligi possunt. Ceterum non suppetunt nobis instrumenta, quibus res gestas aut tempora illorum Præsulum accurate illustremus. SEC. XVII.

CLXVII CYRILLUS III, cognomento Spanus.

ATHANASIUS II Patellarius iterum.

Post hunc sedit Cyrillus, ac dein Athanasius, qui posterior unionem Romanam amplexus est,

Catalogus Renaudotianus, quem hic solum ducem habemus, de hoc Cyrillo tradit sequentia: *Cyrillus Tornobi, cognomine Spanus, dies viginti; cumque recusassent episcopi illum transferre, ejectus est, et in exsilium missus.* Tum vero secundum patriarchatum Athanasii Patellarii vel Patelari (alii ipsum Batelarum cognominant) ita commemorat: *Iterum Athanasius Patelarus sedit dies quindecim; ejectus, cum illum episcopi recipere nollent.* Non omnino temere suspicor, hunc Athanasium post primam suam expulsionem in Italiam discessisse, atque ibi unionem Ecclesiæ E Romanæ amplexum esse. Huic suspicioni causam præbet Leo Allatius, qui lib. 3 Consensionis cap. 11 num. 7 dum aliquot illustres et orthodoxos sui temporis Græcos enumerat, de eodem ni fallor, Athanasio agit his verbis: *Athanasius etiam Patelarius patriarcha Anconam pervenit, ubi munificentissime exceptus ab Urbano VIII, reconciliatus Romanæ Ecclesiæ in Orientem discessit, et archiepiscopatu Thessalonicensi donatur.* At oportet, hanc Athanasii conversionem ante annum Christi MDCXLIV contigisse, quia eo anno Urbanus VIII ex hac vita migravit. Forte hunc Athanasium, postea sedi suæ restitutum, episcopi schismatici ejecerunt, eo quod ipsum unioni Romanæ Ecclesiæ adhæsisse intellexissent.

CLXVIII PAISIUS.

JOANNICIUS II tertio.

CYRILLUS III Spanus iterum.

PAISIUS iterum.

F *et cui Païsius, deinde tertio Joannicius, ac iterum Cyrillus*

Jam sæpe laudatus Renaudotii catalogus de his quoque sic breviter meminit: *Païsius Larissæ, menses novem; fugit et latuit.* Deinde tertium Joannicii patriarchatum indicato his verbis: *Joannicius tertio, menses undecim; a tefterdaro seu quæstore in carcerem conjectus, post dies sedecim abdicavit. Attributæ ipsi ad alimoniam Cyclades insulæ.* Fortasse supra memoratus annus Christi MDCLI referendus est ad tertium Joannicii patriarchatum, quem Tabulæ Marcellianæ cum secundo confuderint. Sed in tanta instrumentorum penuria et obscuritate nihil certi pronuntio. Post hunc Cyrillus, istius nominis tertius, cognomento Spanus, ad sedem Constantinopolitanam rediit, ut auctor ejusdem catalogi memorat hoc modo: *Cyrillus Tornobi iterum secundo, dies quatuordecim; Cyprum exsulare jussus.* Tabulæ Marcellianæ hunc Cyrillum prætermiserunt.

1486 Denique Païsius, qui antea fugerat et latuerat, sedi suæ ferme per annum restitutus est, ut idem auctor exponit his verbis: *Païsius secundo menses undecim; ejectus obtinuit Cyzicum*

et

SEC. XVII.

demumque secundo suffectus est Païsius, qui exauctoratus usque ad annum 1672 in vivis fuit,

et postea Ephesum. Tabulæ Marcellianæ primo Païsii patriarchatui tribuunt annum Christi MDCLIV, et de reditu illius non meminerunt. Porro hunc Païsium adhuc anno Christi MDCLXXII in vivis fuisse, constat ex Responsione Dionysii patriarchæ Constantinopolitani, eo anno contra Calvinistarum errores data, cui ille post patriarcham tunc sedentem, tomo 11 Conciliorum apud Harduinum nostrum col. 282 sic immediate subscribit : *Païsius antea patriarcha Constantinopolitanus.* Hinc etiam colligimus, quod nonnulli ex istis præsulibus exauctoratis titulum pristinæ suæ dignitatis ostentent, quamvis interim eo tempore alius sedem Constantinopolitanam occuparet.

CLXIX PARTHENIUS III.

et cui subrogatus est Parthenius, istius nominis tertius.

B

De hoc Parthenio, quem nonnulli cum præcedente ejusdem nominis patriarcha confuderunt, et quem Tabulæ Marcellianæ Parthenudum appellant, in memorato Renaudotii catalogo hæc legimus : *Parthenius Chii menses octo; accusatus, quod litteras misisset in Moscoviam, suspensus est jussu Caimakani Bacha seu præfecti urbis ad Barmak-capi portam sic dictam, sabbato Lazari. Sedes patriarchalis vacavit diebus triginta.* Græci memoriam Lazari resuscitati solenniter celebrant sabbato præcedente Dominicam Palmarum, ut Leo Allatius in Dissertatione de Dominicis, et hebdomadibus Græcorum num. 20 testatur, et in ipso eorum Triodio videre est. Tantum hic observo, in citato textu Græce legi συκοφαντηθεὶς, quod interpres non satis exacte vertit, cum proprie significet, Parthenium illum de missis in Moscoviam litteris *falso accusatum* fuisse. Ceterum Tabulæ Marcellianæ mortem hujus Parthenii seu Parthenudi circa annum Christi MDCLVI consignant.

CLXX GABRIEL II

Huic successit Gabriel, de quo Hilarius Lutheranus

C

Si nomen Hæbræum Gabriëlis, et tempus cathedræ spectemus, ad hunc Patriarcham referenda esset historia, quam Hilarius Lutheranus præsuli Constantinopolitano affingit, allegatis etiam Tafferneri nostri verbis, quibus in Chronico ecclesiæ Græcæ pag. 497 perperam hanc monitionem præfigit : *Coronidis loco lubet hic, dum finem de patriarchis Byzantinis scribendi jamjam sum facturus, inserere, quæ de patriarcha quodam, primum Hierosolymitano, post vero etiam Constantinopolitano, memoriæ prodidit Jesuita Paulus Taffernerus, in præcedentibus semel atque iterum jam nobis nominatus.* Deinde subjungit ipsam Tafferneri narrationem, quam aut perfide corrupit, aut non intellexit, ut jam videbimus.

ex verbis Tafferneri nostri perperam narrat historiam,

1489 Paulus Taffernerus, Societatis nostræ sacerdos, qui anno Christi MDCLXV legatum Cæsareum in itinere Constantinopolitano comitatus est, et Constantinopoli Viennam Austriæ anno sequente cum eodem rediit, iter suum Latine descripsit anno MDCLXVIII, et in libello suo, quem Viennæ anno MDCLXXII editum habemus, pagg. 109 et 110 narrat sequentia : *Septem præterea vix anni sunt, ex quo Constantinopolim Hierosolymorum patriarcha excurrerat, sedem cum Byzantina commutaturus. Erat ille Judæo patre oriundus; à teneris, seu educatione, seu simultatione, Christianum hominem professus : studiis liberalibus excultum clerus acceperat, atque ex hieromonacho sacerdotem fecerat, Metropolita demum ac Hierosolymorum patriarcha effectus, ambire primatum sedis Constantinopolitanæ ausus est. Jamque voti compos esse cœperat, delatus in urbem, cum mors, (vindicias divinas dixeris) larvam furiæ detraxit; nec quamvis passus est Christus filiæ, quamvis immorigeræ, hostem sponsum conciliari, ac privatam injuriam perfidiæ publicæ antetulit.*

D

quæ ex rerum adjunctis non convenit patriarchæ Constantinopolitano,

1490 *Itaque Constantinopoli periturus sub agonem ipsum acciri rogavit urbis antistitem* (hinc liquet, Hierosolymitanum illum patriarcham necdum sede Constantinopolitana potitum fuisse, cum ipse jam moribundus antistitem Constantinopoleos accersiri jusserit) *metropolitas et episcopos, qui cogi poterant : his associari petiit Judæorum primates. Convenerant evocati, quando ipse ex Judæis oriundum se, religione etiam Judæum esse semperque fuisse contestatus est, quidquid eousque simulasset; mori denique Judæum sese, velleque a contribulibus more patrio male olidæ gentis tumulari. Ut dicto fidem faceret, schediasma propria manu exaratum a sinu protulit, eadem, quæ asseverabat, confirmans, et idipsum Hebræorum primoribus sciens volensque consignavit.*

E

sed Hierosolymitano, qui sedem CP. frustra invadere tentaverat.

1491 Ex hac Tafferneri narratione patet, istum Lutheranæ sectæ scribillatorem hoc loco errasse, sicut etiam turpiter hallucinatus est, dum in eodem Chronico ecclesiæ Græcæ pag. 492 Nectarium Hierosolymitanum nobis pro patriarcha Constantinopolitano, imperite obtrudit. Adde, quod obitus perfidi illius Judæi, qui larvam patriarchæ Hierosolymitani gesserat, nequaquam concordet cum violenta morte Gabriëlis Constantinopolitani, quæ in catalogo Renaudotiano ita narratur : *Gabriel Gani sedit absque consensu episcoporum dies duodecim; ejectus est, et Prusam obtinuit. Postea idem Gabriel per calumniam accusatus* (hic rursus Græce tantummodo legitur συκοφαντηθεὶς) *quod Hebræum quemdam baptizasset, cum Hebræi magnam pecuniam Bachæ dedissent, dixissentque, Hebræum illum Turcam fuisse, Prusæ suspensus est.* Tabulæ Marcellianæ huic Gabriëli annum Christi MDCLVII assignant.

F

CLXXI PARTHENIUS IV, cognomento Chumchumis.

Gabriele a Turcis occiso ad sedem CP. evectus est Parthenius,

Aprilis trigesima, inquit jam sæpe citatus catalogi Renaudotiani auctor, *factus est patriarcha Parthenius Chumchumis, Prusæ metropolita, vocatus ab omnibus episcopis, et sedit annos tres.* Tabulæ Marcellianæ huic Parthenio annum Christi MDCLVII, ac ejus successori annum MDCLXII adscribunt. Eusebius Renaudotius in Opere de testimoniis Gennadii aliorumque Græcorum circa sacram Eucharistiam pag. 165 eamdem chronotaxim indicat his verbis : *Scimus aliunde eum* (videlicet Nectarium Hierosolymitanum, de quo ibidem fuse agit) *epistolam, quæ orthodoxæ confessioni præmissa est, scripsisse anno* MDCLXII, *quo anno in Indiculo patriarcharum Constantinopolitanorum, qui editus est tomo 3 Operis de perpetuo consensu circa Eucharistiam, notatur, Clementem Parthenio, qui anno* MDCLVII *patriarchalem sedem obtinebat, successisse. Verumtamen quod*

Necta-

A *Nectarius, qui tunc Hierosolymitanus patriarcha erat, in aliena diœcesi litteras, quibus Confessio orthodoxa Græcis commendabatur, publice scripserit, argumentum videri possit, quo intelligamus, vacasse tunc sedem Constantinopolitanam, nec nisi anno exeunte eam obtinuisse Clementem Parthenio substitutum, aut antea depositum, quam Nectarius Constantinopolim venisset.* Quæ hic de successione istius Clementis dicuntur, cum catalogo Renaudotiano conciliare non possumus, ut ex infra dicendis apparebit. Quare probabilius videtur in locum Parthenii successisse

CLXXII DIONYSIUS III, cognomento Spanus.

cui successit Dionysius Spanus

Catalogus Renaudotius de successione hujus Patriarchæ et abdicatione Parthenii sic breviter miminit, *Julii vigesima nona : Dionysius Larissæ, Spanus dictus, factus est patriarcha die Dominica. Parthenius abdicavit, Prusa accepta.* Propter verba inferius citanda suspicor, Taffernerum nostrum loqui de hoc Dionysio, etiamsi ipsum non nominet, quando in prædicta itineris sui descriptione pag. 86 de Constantinopolitano istius temporis patriarcha hæc refert: *Patriarcham sua in sede Horas cum sex clericis decantantem de comitatu nonnulli deprehendere, a canitie ac symmetria corporis, totoque aspectu præsulem omnino venerabilem, a litteris quoque et humanitate, nisi aliud obstet, sua infula dignissimum. Bacillo prælongo innititur; habitu Basiliano, non pretioso, sed decenti induitur.* Hæc ille de patriarcha, qui tempore commorationis suæ Constantinopolitanæ, id est anno Christi MDCLXV, sedem Constantinopolitanam occupabat.

B

PARTHENIUS IV Chumchumis iterum.

et huic rursus idem Parthenius,

Jam sæpe citatus catalogus Renaudotius reditum istius Patriarchæ memorat his paucis verbis : *Parthenius Chumchumis ex Valachia venit, seditque secundo. Dionysius Spanus fugit et latuit.* Licet obscura et ambigua sit Tafferneri nostri narratio, tamen videtur agere de hac mutua patriarcharum expulsione, dum in laudato suo Itinerario pag. 107 et sequente sic scribit : *His ipsis diebus patriarcha, quem nuper nonnulli de comitatu convenerant, pulsus ab æmulo fuit. Parthenius is erat, qui quod ante paucos annos exactionibus pecuniariis a Porta imperatis non sufficeret, hunc vicissim modo pulsum ære tum locupletiorem, et ad Sultani vota promptiorem, successorem habuit. At Parthenius ab exsilio ditior revertit, et repentino impulsu, adjuvantibus, qui large donabantur, proceribus, stravit nuperum supplantatorem, ac solium patriarchale conscendit. Sed nunc iterum seu infamiæ seu potius resti aut carceribus perpetuis subtrahens sese, profugus, ad Angliæ legati patrocinium convolavit. Ille autem per Portæ proceres, et potentiam dominantis pecuniæ clero præsentatus, jussus est esse, quod minime per has artes debebat.*

C

qui patriarchatum pecunia recuperaverat,

1495 *Nec alias mos obtinuit patriarcham legendi, nisi in suffragia aurum vocetur, ex quo principatum ecclesiæ obtinet, qui profusior est. Sumptibus istis ipsa Orientalis ecclesia cooperatur : creando quippe antistiti primas metropolites collectam indicit episcopis; hi archimandritis; hi rursus calogeris, ac demum clero: nec plebs Christiana, seu Græcos seu Romanos ritus sequatur, immunem se sentiet. Huc matrimonialia, sepulchralia, baptismalia conferuntur. Quod si pecunia desit, utensilia miseris, etiam Latinis, per Græcæ ecclesiæ exactores eripiuntur, aut, si neque ista suppetant, liberi Christiani et Catholici (proh nefas !) venales fiunt, vel abripiuntur in servitutem.* Hæc occasione duorum istorum patriarcharum, qui se invicem expulerunt, et de quibus Taffernerum nostrum hoc loco agere existimavi.

Sec. XVII.

et qui ab aliis homonymis est distinguendus.

1496 Ne quis autem hunc Parthenium IV cum præcedentibus ejusdem nominis patriarchis confundat, Renaudotius in laudato Opere de testimoniis Gennadii aliorumque Græcorum circa Eucharistiam pag. 165 et sequente sic monet : *Parthenius porro is, a quo Hierosolymitanus patriarcha, Græcorum primariis, Vaivoda præsertim Basilio, et Panagiotta supremo aulæ Othomanicæ interprete satagentibus, designatus est Nectarius; fuit procul dubio idem, qui Prusæ metropolita prius fuerat, quique ter dignitate spoliatus successorem habuit Dionysium Larissæ metropolitam anno Christi* MDCLXXI. Deinde merito reprehendit quemdam impostorem, qui putaverat, aut finxerat, hunc Parthenium esse eumdem cum altero hujus nominis patriarcha Constantinopolitano, qui prius metropolita Hadrianopoleos fuerat, ut supra diximus. At ipse Renaudotius videtur hoc loco confundere duos Dionysios, qui certe distincti sunt, cum ambo nomen suum Hierosolymitanæ synodo anno MDCLXXII separatim subscripserint, sicut mox in Dionysio IV videbimus.

E

CLXXIII CLEMENS.

Post secundum Parthenii patriarchatum secutus est Clemens,

Supra citatus Renaudotii textus, et Tabulæ Marcellianæ hunc Clementem primo Parthenii Chumchumis patriarchatui substituunt, et initium illius anno Christi MDCLXII alligant. Sed catalogus Renaudotianus successionem Clementis primo post patriarchatum Dionysii Spani, et reditum Parthenii Chumchumis collocat, et de eo nobis hanc notitiam suggerit : *Septembris nona, feria secunda, factus est patriarcha Clemens Iconii; Parthenius Tenedon in exsilium missus : episcopi Clementem ipsum rejecerunt, et Hadrianopolim profecti, cum Sultanus illic esset, ut ejiceretur, obtinuerunt. Vacavit sedes patriarchalis menses tres, dies viginti.*

F

ut ex catalogo Renaudotii colligimus

1498 In hoc obscuro ordinis et annorum discrimine maluimus sequi catalogum Renaudotianum, qui Constantinopoli Græce exaratus est, quia certiora veræ seriei instrumenta nobis non suppetunt. Præterea superius relata Tafferneri nostri narratio de mutua patriarcharum expulsione intelligi non potest, si Clemens ille inter primum Parthenii Chumchumis patriarchatum ac Dionysium Spanum sedisset. Fortasse hæc ordinis perturbatio orta est ex confusione duplicis Dionysii, qui necessario distinguendus est, ut supra monuimus, et ex infra dicendis patebit. At quæcumque sit causa hujus diversæ opinionis, juxta Constantinopolitanum Renaudotii catalogum, in locum Clementis suffectus est Methodius, cujus successioni annum Christi MDCLXVII Tabulæ Marcellianæ assignant.

CLXXIV

SEC. XVII.

CLXXIV METHODIUS III.

PARTHENIUS IV Chumchumis tertio.

Methodium anno 1670 sedentem expulit Parthenius,

Ex variis testimoniis colligimus, illum Patriarcham adhuc anno Christi MDLXX in cathedra Constantinopolitana sedisse: nam eo anno Jeremias sacerdos ad Joannem Olearium, professorem Lipsiensem, post alia sic scribebat: Πατριάρχης δὲ νῦν ἐστι Μεθόδιός τις ἐκ Κρήτης, ἑξηκονταετὴς σχεδὸν. Hoc est: *Patriarcha nunc est Methodius, ortus ex Creta, sexagenarius propemodum.* Nescio, an ad annum MDCLXVIII, an ad præcedentem referenda sint, quæ auctor catalogi Renaudotiani exponit his verbis: *Januarii tertia, factus est patriarcha Methodius Heracleæ. Parthenio data est Praïla; et paulo post Tornobum, unde viveret, obtinuit.* Sed Methodius dignitatem illam ultra annum Christi MDCLXXI non retinuit, et juxta laudatum Renaudotii catalogum *mense Martio*
B (forsan anni MDCLXX vel MDCLXXI) *iterum Parthenius Hadrianopoli venit, sedemque tertio occupavit. Methodius fugit; deinde Chium profectus, recepit se in monasterium* τῆς ἁγίας μονῆς. Methodium non diutius sedisse, etiam liquet ex memorata Dionysii patriarchæ Responsione contra Calvinistas, cui mense Januario anni MDCLXXII ille post alios ita subscribit: *Methodius antea patriarcha Constantinopolitanus.*

et hunc tertio reversum ex sede CP. deturbavit

1500 Ex his etiam sequitur, Parthenium tunc non diu recuperata sede potitum fuisse. Cum autem ipse postea ad sedem Constantinopolitanam semel atque iterum redierit, certo scire non possum, an ad hoc tempus referenda sit canonica illius depositio, quam Tabulæ Marcellianæ memorant his verbis: *Parthenius depositus est canonice propter injustas exactiones, quibus ecclesias premebat.* Si tamen credimus infra citando peregrinatori Anglo, videtur canonica illa Parthenii exauctoratio ad hæc tempora pertinere: nam in libello suo, quem de statu præsenti ecclesiæ Græcæ conscripsit, pag. 110 et sequente narrat, Parthenium Methodii expulsorem circa finem anni vicissim artibus Dionysii expulsum, et ad
C Rhodum insulam relegatum fuisse. Quinimo ibidem addit, Parthenium præterea tunc a successore suo excommunicatum esse, et Dionysium voluisse, ut sententia excommunicationis a synodo episcoporum, qui tum temporis Constantinopoli aderant, alta voce pronuntiaretur. At mox allegandus catalogus Renaudotianus tradit, quod Parthenius eo tempore in insulam Cyprum relegatus fuerit. Quidquid sit de hac canonica depositione, ac diverso exsilii loco, post expulsionem Methodii et Parthenii circa annum Christi MDCLXXI cathedram Constantinopolinam occupare cœpit

CLXXV DIONYSIUS IV cognomento Muselimes.

Dionysius IV, qui anno 1672 interfuit synodo,

Catalogus Renaudotianus de primo hujus Dionysii patriarchatu habet sequentia: *Octobri factus est patriarcha Dionysius Muselimes Hadrianopoli, ubi erat Sultanus: septima Novembris venit Constantinopolim, et in solio patriarchali collocatus est. Parthenius in exsilium missus, cum in ipso itinere fugisset, ex fuga retractus, et in Cyprum relegatus est.* D
Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1005 in quibusdam observationibus ad hunc Renaudotii catalogum, nomini hujus Dionysii IV præfigit annum MDCLXXI, et deinde hæc notat: *Is est, qui testimonium anno* MDCLXXII, *mense Januario, fidei suæ, nomine ecclesiæ Græcæ, dedit, quod in amplissima charta, sigillo patriarchali munita, exstat in bibliotheca regis Christianissimi, cujus versio edita est tomo 3 Perpetuitatis fidei, cui subscribunt tres alii, qui prius patriarchalem sedem tenuerant: Païsius, Dionysius cognomine Spanus, et Methodius.*

cui præter ipsum subscripserunt tres, qui antea cathedram CP. tenuerant.

1502 Harduinus noster tomo 11 Conciliorum a col. 273 hanc ipsam Responsionem contra Calvinistas Græco-Latine edidit, et ibidem col. 282 Græci illam fidei suæ professionem ita concludunt: *Atque hæc quidem in præsentia his, qui nos interrogavere, velut in synopsi respondemus, nostræ utique professionis orationem cum pacifica simplicitate exponentes, in plenum orthodoxæ fidei, quam profitemur, argumentum: eo quippe, ut nullus supersit deinceps de istis ambigendi locus, neque ab illis amplius agitentur, qui contra nos sentiunt, at-* E
que a professione nostra aliena nobis imponere moliuntur. Scriptum in palatio patriarchali Constantinopolitano, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, mense Januario, indictione XX. Deinde hic Dionysius, qui tunc ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat, et tres exauctorati patriarchæ ejusdem sedis, huic Responsioni ita subscribunt: *Dionysius miseratione divina archiepiscopus Constantinopolitanus seu novæ Romæ, et patriarcha œcumenicus. Païsius antea patriarcha Constantinopolitanus. Dionysius antea patriarcha Constantinopolitanus. Methodius antea patriarcha Constantinopolitanus.* Denique nomina antistitum facile quadraginta hos ibidem subsequuntur.

CLXXVI GERASIMUS II.

PARTHENIUS IV Chumchumis quarto.

DIONYSIUS IV Muselimes iterum.

F

Dionysio successit Gerasimus, et huic Parthenius, quem quarto sedentem Dionysius iterum expulit.

De his Patriarchis in solo Renaudotii catalogo invenimus sequentia: *Vigesima quinta Julii, feria* VI, *factus est patriarcha Gerasimus Tornobi Hadrianopoli, cum Sultanus illic esset. Decima quarta Augusti, feria* V *venit Constantinopolim, maneque in sede patriarchica collocatus est. Dionysius fugit.* Tum de quarto Parthenii patriarchatu idem catalogus hæc subdit: *Prima Januarii, die Dominica venit Parthenius Hadrianopoli, quarto factus patriarcha, et vigesima secunda Martii, feria secunda, in sede collocatus est.* Denique reditum Dionysii Muselimis sic memorat: *Julii vigesima nona, die Dominica, secundo factus est patriarcha Dionysius Muselimes. Parthenius in carcerem conjectus, cui postmodum data Anchialus, unde vitam sustentaret.* Anglus quidam heterodoxus, cognomine Ricaut, qui in Oriente peregrinatus est, ac de præsenti ecclesiæ Græcæ statu opusculum edidit, in eo libello Gallice verso a pag. 110 explicat, quomodo et qua occasione hæ multæ expulsiones contigerint, et ibidem pag. 113 asserit, Dionysium anno Christi MDCLXXVIII in cathedra Constantinopolitana sedisse. Sed ignoro, ad quorum Dionysii patriarchatum hic annus referendus

Sec. XVII.

A rendus sit, cum hic sæpius sedem Constantinopolitanam repetierit, ut ex infra dicendis apparebit.

CLXXVII ATHANASIUS III.

Athanasio post paucos dies fugiente:

Auctor catalogi Renaudotiani hæc pauca de illo subministrat : *Julii trigesima, feria tertia, factus est patriarcha Athanasius Rhaidesti, quem episcopi recipere noluerunt ; et post dies duodecim fugit per portam superiorem patriarchii.* Jam aliquoties miratus sum, cum præsertim sæpius hoc posteriori seculo legerem, exauctoratos sedis Constantinopolitanæ patriarchas, superveniente altero competitore, statim fugisse aut latuisse. Quamvis certam hujus rei rationem reddere non possim, attamen aliquam hujusmodi fugæ causam suggerit mox citatus peregrinator Anglus, dum in opusculo suo de præsenti statu ecclesiæ Græcæ pag. 109 affirmat, quod proxime memoratus Methodius asylum quæsierit apud legatum An-
B gliæ, cum ille a Parthenio expelleretur : solet enim depositus patriarcha sub quodam prætextu comprehendi, ac bonis suis spoliari, ut ibidem Anglus iste testatur. Non improbabiliter itaque conjicio, hunc Athanasium aliosque quosdam patriarchas propterea fugisse aut latuisse, ut supra rursus monuimus.

CLXXVIII JACOBUS.

DIONYSIUS IV Muselimes tertio.

PARTHENIUS IV Chumchumis quinto.

successive suffecti sunt Jacobus, Dionysius tertio, et Parthenius quinto,

De unico hujus nominis patriarcha Constantinopolitano catalogus Renaudotianus hæc habet : *Decima tertia Augusti, feria quarta, episcopi communibus suffragiis elegerunt Jacobum Larissæ, quem decima quinta in sede collocaverunt ; Athanasium ejecerunt.* Tum de altero Dionysii Muselimis reditu ista addit : *Julii trigesima, feria quarta, iterum tertio sedit Dionysius Muselimes ex Va-
C lachia veniens. Jacobo Chius data est.* Deinde quintum Parthenii Chumchumis patriarchatum indicat hoc modo : *Martii decima sexta, Dominica quinta Quadragesimæ, venit decretum Hadrianopoli missum Constantinopolim, quo patriarcha quinto constitutus est Parthenius Chumchumis. Dionysius latuit. Duodecima Julii, die sabbati, venit in urbem Parthenius.*

JACOBUS iterum.

DIONYSIUS IV Muselimes quarto.

JACOBUS tertio.

ex quibus Jacobus et Dionysius ad sedem rursus redierunt,

De reditu horum Patriarcharum atque imprimis de secundo Jacobi patriarchatu catalogus Renaudotianus tradit sequentia : *Aprilis vigesima iterum secundo sedit dominus Jacobus vocatione episcoporum. Parthenio data.....* (hic interpres puncta interposuit, et Latine non expressit vocem τὸ Βίδονι, quæ ibi Græce legitur) *Dionysio Chalcedon, ut quiescerent.* Forsitan hoc corrupto nomine indicatur Bidina, Græce Βιδίνη, urbs Bulgarorum, ut Laonicus Chalcocondylas lib. 1 de Rebus Turcicis testatur. In Dictionario geographico Baudrantii etiam vocatur Bydena, ad quam vocem geographus ille hæc notat : *Bydena urbs Mœsiæ superioris ad Danubium fluvium Cedreno ; nunc Bidin sive Bodon urbs Serviæ regni archiepiscopalis, et sedes præfecti, Nigro teste.* Ea urbs interdum Latine appellatur Viminacium, teste Philippo Ferrario, qui in suo Lexico geographico, Londini recuso, de illa sic scribit : *Viminacium, Vidin teste Nigro, sed Lazio Wuczidern, urbs Mysiæ superioris ad Danubium in Servia, archiepiscopalis et sedes satrapæ, a Singiduno viginti leucis in ortum, Bydena a Græcis recentioribus dicta.* Hanc conjecturam proponimus, ut quispiam nos certiora edoceat.

et invicem expulerunt

1507 Post memoratum Jacobi reditum, et Parthenio, Dionysioque assignatum quietis locum, in eodem Renaudotii catalogo de quarto Dionysii et tertio Jacobi patriarchatu hæc referuntur : *Iterum quarto factus est patriarcha Dionysius Muselimes. Rursus quoque tertio factus est
patriarcha dominus Jacobus, tempore.....* (Græce E
legitur εἰς τὸν καιρὸν τῶν ζορμπάδων, pro qua voce ζορμπάδων interpres posuit puncta) *et abdicavit.* Equidem fateor, hanc vocem Græco-barbaram, et præterea forte corruptam, quam interpres hic non explicuit, omnino obscuram esse, et me de illa clare explicanda desperare. Attamen incertam conjecturam offerre malim, quam de ea re penitus tacere.

circa quod mutuæ expulsionis tempus aliqua conjectura proponitur.

1508 Invenio in Glossario Græco-barbaro Cangii vocem σόρμπα (facili dialecto aut errore pronuntiatur σ pro ζ, et σόρμπα pro ζόρμπα scribitur) quæ *sorbum* significat, et a qua genitivus pluralis ζορμπάδων seu σορμπάδων formari potest. Adde quod in Græco-Italico linguæ vulgaris Thesauro, quem Alexius da Somavera collegit, ipsa sorbus seu arbor Græco-barbare σορμπιὰ appelletur. Est autem sorbum fructus arboris, ex quo agricolæ liquorem exprimunt, eumque vini loco bibunt, ut Virgilius lib. 3 Georgicorum indicat his versibus :

Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis. F

Ex dictis conjicio, hac phrasi Græca εἰς τὸν καιρὸν τῶν ζορμπάδων, id est, *tempore sorborum*, indicari illam anni tempestatem, qua hi fructus maturescunt aut colliguntur : sic nonnumquam dicitur aliquid factum esse tempore vindemiæ, messis triticeæ vel hordeaceæ, ex quibus circumstantiis tempus rei gestæ præterpropter intelligimus. Porro de illa arbore ejusque fructu consule eruditissimum Ulyssem Aldrovandum lib. 2 Dendrologiæ tract. 2 cap. 7, ubi etymologiam, naturam, aliasque proprietates sorborum curiose inquirit. Nos interim ad sequentes patriarchas progredimur.

CLXXIX CALLINICUS II.

Hic Callinicus anno 1691 damnavit quemdam Græcum erroribus Calvini adhærentem,

Electionem hujus Patriarchæ jam sæpe laudatus Renaudotii catalogus ita narrat : *Martio episcopi, clerici, magnates, et Rufetiorum Christiani multi in domum principis Manolaci convenientes, suffragiis sui elegerunt dominum Callinicum Prusæ, et Dominica Orthodoxiæ illum in sede patriarchali colloca-*

SEC. XVIII.

collocaverunt. Is vero cum Neophytum Hadrianopoli ejecisset, eam sedem Clementi Chalcedonis dedit. Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1005 in notis ad præfatum catalogum nomini Callinici præfigit annum MDCLXXXVII, quo temporis signo chronologicum patriarchatus ejus initium indicari existimo. Dein ibidem de Callinico illo hæc subjungit: *Is est, sub quo anno* MDCXCI *habita synodus adversus Joannem Caryophyllen logothetam, de variis Calvinisticis et aliis hæresibus accusatum. Edita est sententia synodalis nuper cum opusculis Gennadii et aliorum. Prius edita fuerat in Moldavia in Refutatione Caryophyllis scripta a Dositheo patriarcha Hierosolymitano, et Latine a Nicolao Comneno Papadopolo in epistola ad Chrysantum Notaram, Cæsareæ metropolitam, edita Venetiis anno Christi* MDCCIII.

quam damnationis sententiam Latine edidit Papadopolus, Cræcus orthodoxus,

1510 Eusebius Renaudotius inter edita a se aliquot Gennadii seu Georgii Scholarii, aliorumque recentium Græcorum opuscula, de quibus superius meminimus, pag. 189 et sequentibus hanc synodicam Callinici sententiam Latine ac Græce vulgavit; cui ibidem pag. 187 hoc monitum
B
præfixit: *Synodicæ huic sententiæ, quæ annis prope viginti recentior est decretis Hierosolymitanæ synodi, anno* MDCLXXII *habitæ, occasionem dedit Joannes quidam Caryophylles, logotheta magnæ ecclesiæ, qui Cyrillum Lucarin imitatus, scripta quædam inter Græcos sparsit, quibus antiqua Græcæ ecclesiæ circa Eucharistiam doctrina impugnabatur. Ea cum Græcos conturbassent, Callinicus Constantinopolitanus patriarcha synodum congregavit, cui cum metropolitis, episcopis, et magnæ ecclesiæ primariis interfuit Dositheus, Hierosolymitanus patriarcha, ubi scripta illa damnata sunt, et transsubstantiationis dogma confirmatum. Eam synodicam edidit anno* MDCXCVIII *Jasii in Moldavia Dositheus ipse in libro, quo Joannem Caryophyllem refutavit, ut alia adversus Cyrillum Lucarin decreta ediderat in Enchiridio, anno* MDCXC.

quem propterea hæreticus quidam Anglus conviitiis impotenter incessit.

1511 Nicolaus Comnenus Papadopolus eamdem synodi sententiam anno MDCCIII Venetiis Latine edidit in sua Responsione adversus epistolam Joannis Hokstoni, heterodoxi Angli, qui quamdam Papadopoli lucubrationem potius convitiis quam argumentis contumeliose oppugnaverat, ut ibidem Renaudotius satis indicat his verbis:
C
Hoc opus virulentissima epistola impugnavit Hokstonus, cujus titulum qui legat, agnoscet statim, nihil ab eo homine sperandum esse, quod ad res Græcæ ecclesiæ illustrandas conferre possit. Ita enim incipit: CORRUPTORI GRÆCIÆ, MINISTRO SATANÆ, CRETENSI MENDACISSIMO, PATAVINO DOCTORCULO VILISSIMO, HOSTI TOTIUS RELIGIONIS, NICOLAO COMNENO PAPADOPOLI NUNCUPATO, FIDEI VERÆ COGNITIONEM PRECATUR A DEO JOANNES HOKSTON. *Scripta est Constantinopoli anno* MDCCIII, *et vix sex pagellas implet, in quibus præter convitia, ne micam quidem eruditionis agnoscas: invehitur enim in Papadopolum, stupens, quod Græcis attribuat ea dogmata, quæ tamen ab ipsis conservari tam certum est, quam quod maxime: septem sacramenta, Transsubstantiationem, liberi arbitrii integritatem, Sanctorum invocationem, cultum imaginum, et alia similia.* Deinde Renaudotius hunc hæreticum Anglum ineluctabili dilemmate constringit, eumque crassæ ignorantiæ vel impudentis mendacii manifeste convincit.

D

CLXXX NEOPHYTUS III.

CALLINICUS II iterum.

DIONYSIUS IV Muselimes quinto.

CALLINICUS II tertio.

Post Neophytum Callinicus iste iterum, ac post Dionysium tertio ad sedem CP. rediit,

De hoc Neophyto, quem Callinicus patriarcha Constantinopolitanus e sede Adrianopolitana expulerat, illiusque successoribus apud memoratum catalogi Renaudotiani auctorem continua narratione proferuntur sequentia: *Contra canonem Neophytus Hadrianopoleos, patriarchatum accepit, et in ea urbe constitutus est patriarcha. Tum ejectus est Callinicus. Neophytus Constantinopolim cum venisset, sedissetque dies aliquot, rursus Callinicus patriarchalem dignitatem recepit. Deinde Dionysius quinto eam obtinuit. Callinicus fugit, et Hadrianopolim profectus est, quo se contulit, et Dionysius cum episcopis; sed sede dejectus est, revocatusque Callinicus, qui Constantinopolim cum venisset,* E *sedemque patriarchalem recte gubernasset, et ære alieno sublevasset, juxta Deum vitam agens, cum annos quindecim patriarcha fuisset, ad Deum migravit.* Hoc tempore mirum videri potest, Callinicum illum tandem aliquando ab invidis suis symmystis tam diu in pacifica Constantinopolitanæ sedis possessione relictum fuisse.

CLXXXI GABRIEL III.

quam post Callinici mortem anno 1702 ascendit Gabriel.

Patriarchatus hujus Gabrielis in catalogo Renaudotiano sic paucis memoratur: *Gabriel Chalcedonis Hadrianopoli electus patriarcha, in sede collocatus est trigesima Septembris. Sedit annos quinque, menses duos, et gravi morbo per septem dies conflictatus, obiit.* Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis pag. 1005 in præfatis catalogi Renaudotiani notis nomini Gabrielis præmittit annum Christi MDCCII, quo patriarchatum ipsius cœpisse opinor. Certe hoc initium optime concordat cum tempore Callinici, qui anno Christi MDCLXXXVII F
cathedram Constantinopolitanam primo ascendisse, ac in ea annis quindecim sedisse dicitur: nam ex hoc initio, et facto quindecim annorum computo sequitur, Callinicum circa annum Christi MDCCII obiisse.

cui Franciscus Prossalentus anno 1706 libellum quemdam dedicavit.

1514 Laudatus Bandurus loco proxime citato post nomen Gabrielis notat sequentia: *Is est, cui Franciscus Prossalentus Corcyræus librum suum dicavit, Amstelodami editum* MDCCVI, *hoc titulo,* Ὁ αἱρετικὸς διδάσκαλος ὑπὸ μαθητοῦ ὀρθοδόξου ἐλεγχόμενος. Renaudotius autem in Præfatione ad memorata Gennadii aliorumque Græcorum opuscula de Sacramento Eucharistiæ seu Transubstantiatione, occasionem hujus scriptionis polemicæ pag. 15 indicat his verbis: *Imo ut recentissima exempla adducamus, an adeo religionis suæ ignarus fuit Franciscus Prossalentus Corcyræus, annorum viginti quinque juvenis, qui cum Oxonii Benjaminum Woodroff, Græci collegii moderatorem, audisset adversus Apostolicas traditiones disputantem, eum, priusquam in Græciam rediret, confutavit libello, cui titulum fecit:* Ὁ αἱρετικὸς διδάσκαλος ὑπὸ ὀρθοδόξου μαθητοῦ ἐλεγχόμενος. HÆRETICUS MAGISTER AB ORTHODOXO DISCIPULO CONFUTATUS? Porro ut

ad

A ad patriarcham redeamus, ex quinquennali ejus gubernatione patet, Gabriëlem dedicationi hujus libelli, anno Christi MDCCVI factæ, non diu superfuisse: si enim anno Christi MDCCII, die XXX Septembris, cathedram ascenderit, eamque annis quinque et duobus mensibus occupaverit, ex computato istius temporis spatio colligimus, illum anno Christi MDCCVII mortuum esse.

CLXXXII NEOPHYTUS IV.

Cum invidus quidam accusator Neophytum statim ejici curasset,

Hunc Patriarcham, communibus suffragiis electum, invidus quidam hostis statim sede arcuit, ut catalogus Renaudotianus exponit his verbis : *Deinde communibus votis episcoporum, clericorum, magnatum, et capicekiudarum* (Græce scribitur *καπικεχαϊάδων*, cujus vocis significationem nusquam reperi) *præsente Gerasimo Alexandrino, electus est dominus Neophytus, Heracleæ metropolita, in officio secretarii principis. Omnes parvi et magni dextram ejus osculati sunt; episcopi* B *ad patriarchium deduxerunt, scripseruntque relationem, cui omnes sigilla sua impresserunt. Antequam vero relatio seu instrumentum Viziro mitteretur, quidam electi inimicus accusationis libellum dedit, in quo erat scriptum, quod Neophytus olim judicio damnatus erat, et quondam ad triremes tamquam explorator missus, et alia multa, quæ ille inimicus excogitaverat.* Propter hanc accusationem loco Neophyti substitutus est

CLXXXIII CYPRIANUS.

post annum 1706 electus est Cyprianus, in quo seriem nostram finimus.

Hic est ultimus patriarcha Constantinopolitanus, cujus notitiam eruimus ex his catalogi Renaudotiani verbis : *Interea multa inciderunt; tandemque episcopi jussi a moderatore, ut aliquem patriarcham sibi futurum, re attentius considerata, designarent. Neophytus quidem ob prædictam causam repulsus est; episcopi vero omnes, clerici et magnates ingressi in ecclesiam patriarchalem, præsente secretario, iterum disquisitione facta, elegerunt Cyprianum Cæsareæ, quem transactis diebus* C *aliquot, in sede œcumenica collocaverunt, cum baculum pastoralem dedisset metropolita Cyzici, absente Heracleensi, decretum electionis magnus logotheta. Is patriarcha sedet huc usque.* Sic paulatim ingressi sumus decimum octavum æræ Christianæ seculum, quod jam labitur, et hic cum catalogo Renaudotiano sistimus, atque enumerandis patriarchis Constantinopolitanis finem imponimus. Ceterum ex posterioribus hisce seculis et frequenti patriarcharum mutatione eruditus lector facile videt, quomodo miseri Græci invida sua ambitione avaritiam Turcarum alant, et crebris competitorum expulsionibus infideles suos dominos locupletent. Inde etiam hoc tempore utrumque tributum (nempe charatzium, quod singulis annis, et pescesium, quod initio ab unoquoque patriarcha Turcis solvendum est) excrevit ad ingentem pecuniæ summam, quam ambitiosi illi undique corradunt, ut patebit ex sequenti epimetro, quod hic jam subjungo.

PARERGON XIV.

De schismaticis impostoribus, qui ubique pecuniam colligunt.

Orientales patriarchæ ministros suos pecuniæ corrogandæ causa

Orientales patriarchæ statis temporibus suos ministros, qui appellantur exarchi, mittunt ad insulas et regiones patriarchatui suo subjectas, ut ibidem colligant pecuniam, qua partim Turcis memoratum tributum solvunt, partim familiam suam sustentant. Crusius in Annotationibus ad Turco-Græciam lib. 7 pag. 502 de hujusmodi ministris patriarchæ Constantinopolitani ex variis epistolis refert sequentia : *Officium ἐξάρχου est, legatum esse patriarchæ aut alicujus antistitis : id quotannis mutabile est, nec uni commendatur semper, pluresve ad annos : sed quia lucrosum,* E *pluribus, et quibus patriarcha bene vult, mandatur : cum enim quotannis plures mittantur exarchi (duo in insulas, duo in Macedoniam et Peloponnesum, duo in Pontum Euxinum) quisque trecentos aut amplius ducatos pro fertilitate anni colligere potest: tenentur enim metropolitæ non tantum Sultano tributum persolvere; sed etiam patriarchæ, tamquam capiti spirituali, summam non exiguam pendere; ipsos deinde exarchos, eorumque ministros (quatuordecim circiter) quemque pro dignitate personæ et facultate metropoleos aliquot honorare ducatis. Hanc summam metropolita ab episcopis suæque diœcesi subjectis exigens, sui quoque rationem habere novit.*

mittunt ad varias et longinquas regiones,

1518 Interdum ipse patriarcha Constantinopolitanus metropoles visitat, et non exiguam pecuniæ summam colligit, ut Crusius loco proxime citato testatur his verbis : *Quinto etiam quoque anno (quamquam nunc anticipando quadriennium incidit) ipse patriarcha cum triginta aut pluribus comitibus circumit metropoles, ubi non tantum patriarcham amplissimo munere, quod φιλότιμον nominant, honorare tenentur (propterea quod ipsos accedere dignatus sit, lites dirimere, et benedictionem suam impertiri) sed eleemosynam quoque contribuere,* F *singulosque ipsius ministros dono non contemnendo afficere.* Porro antistites illi schismatici non tantum ministros suos mittunt ad diœceses sibi in Oriente subditas, verum etiam ad varias regiones Occidentis et Septemtrionis, ut ab hæreticis vel Catholicis eleemosynas accipiant, quibus sæpe ad inimicos suos expellendos aut Ecclesiam Romanam oppugnandam abutuntur. Hinc etiam versipelles isti patriarcharum aut abbatum legati perfide se accomodant omni religioni aut sectæ juxta morem regionis, in qua versantur, quemadmodum nonnullis exemplis nunc ostendemus.

in quibus versipelles isti legati

1519 Jam aliquoties citatus Henricus Hilarius in Appendice ad Chronicon ecclesiæ Græcæ recenset quosdam Græcos, qui sua ætate Germaniam adierunt, atque ante alios de aliquo Joasapho, qui propter officium majorem suorum sibi adhuc magnificum logothetæ cognomen arrogabat, sic honorifice meminit : *Primus horum sit Joasaphus logotheta, Peloponnesius, Ordinis sancti Basilii monachus, et montis Atho calogerus. Hic* (ad finem faciendam citat hoc loco litteras Christophori Arnoldi Lutherani, qui triduanum cum isto

monacho

SEC. XVIII. monacho colloquium instituerat) *ex Italia per Hispanias, Gallias, magnamque Britanniam, tandem in Germaniam, ipsamque Norimbergam venit. Vir forma conspicuus, ingenio clarus, nobilis vultu, ac placidus ingenio, ætate florens, nec major annis quadraginta; singularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ, ad proferendas sacræ Scripturæ* περικοπὰς *paratissimus, facilis, humanus, astutus et occultus, et omnia hæc (ut Capitolini verbis utar) cum mensura; imo (quod in homine Græco mireris) vir sine jactantia.*

genio hospitum suorum se accommodant,

1520 *Elias Thesbita religiose ipsi colitur; quem et monasterii illius sigillum nigrum exhibet, bijugi ad cœlos curru invectum, supervolante cominus columba; sol supra emicabat, inferius luna. Præter linguam Græco-barbaram, Turcicam, Valachicam, Italicam, Hispanicam, et aliqua ex parte Gallicam, Anglicanamque, nativum illum sermonem veterum Græcorum, qui commercio aliarum gentium in ipsa Græcia exolevit, nitide atque eleganter in colloquiis expressit.* Suspicamur, Græcum illum hospitem omnibus his laudibus potissimum ornari, eo quod schismati adhæreret, et ex parte dogma Luthe-
B ranorum probaret: si enim eidem scriptori credimus, Joasaphus iste indignabatur, et fremebat ad nomen imperatoris Palæologi, qui in concilio Florentino unionem cum Ecclesia Romana inierat. Præterea necessitatem sacræ Communionis sub utraque specie cum Lutheranis tuebatur, et inter alia affirmabat, se Græco idiomate *contra vicinos quosdam Jesuitas* librum de hac re scripsisse, ut Christophorus Arnoldi ibidem testatur. Nos inter reliquas Joasaphi dotes, quæ hic tantopere laudantur, facile admittimus versutiam ac dissimulationem, et libenter fidem adhibemus laudatori ipsius, dum asserit, quod monachus iste fuerit *astutus et occultus:* nam certissime in Italia et Hispania, quas regiones antea peragraverat, de schismate aut Communione sub utraque specie altum siluit, et probabilius se ibidem Romano-Catholicum perfide finxit.

et pro diversis Europæ tractibus

1521 Eamdem astutiæ, seu potius perfidiæ, laudem tribuimus Metrophani Critopulo, de quo præfatus Hilarius in Notis ad Chronicon ecclesiæ Græcæ pag. 459 sic scribit: *Patriarcha hic Cyrillus* (cognomento Lucares, qui tunc sedem Alexandrinam adhuc occupabat, ut supra diximus)
C *in Angliam et Germaniam misit suum proto-syncellum, Metrophanem Critopulum, ad propius cognoscendum, ut ait excellentissimus Conringius, qui olim Helmstadii Metrophanem optime noverat, ecclesiarum utriusque regionis statum. Satis hic curiose mandata Cyrilli exsecutus est, amoreque præterea doctrinæ in famigeratissimis academiis, Helmstadiensi scilicet, Altorffina, Witebergensi, Tybingensi, et Argentinensi satis diu substitit, inque doctissimorum intimam familiaritatem se insinuavit. Tandem ex his regionibus in Italiam, et porro Venetias delatus, per mare ad suum postea patriarcham rediit, ipse postmodum patriarcha Alexandrinus electus, ac consecratus.*

diversam religionem perfide simulant.

1522 Deinde ibi addit, quantopere hic Metrophanes a Lutheranis ob doctrinam laudatus fuerit, et quomodo Helmstadii reliquerit Confessionem ecclesiæ Græcæ seu Orientalis, qui postea typis vulgata est. Metrophanes in hac fidei professione, quam Helmstadii reliquit, visibile Ecclesiæ Catholicæ caput impugnat misero argumento, quod tamen mirifice placuit Lutheranis, quibus satis erat, hunc Græcum Pontifici Romano adversari. Sed hic proto-syncellus haud dubie de Romano Pontifice aliter loquebatur in Italia,
per quam ad patriarcham suum Alexandrinum D
reversus est. Sic nempe versipelles isti omnem religionem simulant, ut hospitibus suis placeant, eosque argento emungant. Hilarius in citata Appendice plures ejusdem farinæ Græculos enumerat, quorum jam nonnullos ex orthodoxis scriptoribus referemus.

Allatius id confirmat exemplo cujusdam Græci,

1523 Leo Allatius lib. 3 Consensionis cap. 8 num. 5 similem schismaticorum impietatem confirmat sequenti historia: *Nunc tandem, dum hæc scribo, Nathanaëlem quemdam Canopium Cretensem, syncellum Cyrilli Lucaris, post aliquot annos in Anglia exactos, Amstelodamum venisse, a fide dignis hominibus accepi; petentem a primoribus pecunias, offerentemque se ad introducendum, in Orientem, Calvinismum, eoque fine ad reddendas Græce Institutiones Calvini.* Vera tunc Allatio nuntiata fuisse, non diffitetur Hottingerus heterodoxus, dum ex testimonio ejusdem Nathanaëlis contexuit mendax Cyrilli Lucaris elogium, quod apud proxime citatum Hilarium pag. 458 sic concludit: *Hæc Græcus ille, vir doctus pariter atque orthodoxus, de ipsis Calvini Institutionibus in vulgarem Græcam linguam transferendis solicitus,* E
αὐτόπτης *proto-syncellus patriarchalis.* An Hottingerus sperabat, fore ut viris cordatis auctoritate hujus impostoris falsum Cyrilli Lucaris martyrium probaret?

qui in Hollandia se obtrusit ad Græce reddendas Institutiones Calvini,

1524 Sed redeamus ad narrationem Allatii, qui loco proxime citato ita pergit: *Si ex aliis argumenta petenda sunt, Nathanaël iste nihil in Calvinismo propagando proficiet, homo nullius pretii, et aurum tantummodo sub specioso syncelli titulo mendicans. Si Institutiones Calvini Græce reddat, parvo hoc incommodo ecclesiæ Græcæ faciet. Similia ante eum vel Cyrillus Lucaris, vel qui sub Cyrilli nomine Calvinista confessionem fidei edidit, et Zacharias Gerganus tentarunt; sed statim atque in manus Græcorum pervenere, ab ecclesia Græca, coacta synodo, abjudicata sunt, et tamquam hæreses rejecta. Id nobili Amstelodamensi, cujus ipse favori ad corrogandas sibi pecunias fidit, indicari creditum effecit, ut homuncio iste in rabiem actus, cum non posset in Catholicum, qui nimium aberat, in seipsum tantum non debacchatus sit. Quid? inquit; Hic, qui scripsit istud, est absque dubio Papista. Utinam adsit; mox eum discerpam. Et inde magis furens: Profecto, ait, jugulare ipsum pervelim:* F
novi etenim, quales sint nebulones Papistæ, et quanti Reformatorum hostes. Et cum alia vix compos animi delirasset, conclusum est ab audientibus ista, fatuellum istum nequidquam aliam fidem Græcis persuasum ire.

ut Græciam hæresi Calviniana inficeret,

1525 Postquam Allatius insanam hujus sycophantæ rabiem intellexerat, et vanas illius minas exploserat, Amstelodamum Bartholdo Nihusio inter alia sic rescripsit: *Risi vanam hominis Cretensis levitatem: .... Sed, ut furere desinat, perquirendum est ab eo, cujusnam ipse nomine legationem tam longinquam ad Reformatos susceperit. Si dicet, ecclesiæ Constantinopolitanæ vel Græcæ, falsus est; nec novit, quænam sit Græcorum ecclesia. Patriarchæ? Ostendat litteras; suspecta inscriptio est: licet enim patriarcha Parthenius* (is est secundus istius nominis, cognomento Keskines, de quo supra egimus) *Calvinismo addictissimus sit, nondum tamen ita verecundiam excussit, ut palam et in foro Calvinismum profiteatur, et unionem cum Calvinistis, missis quoque nuntiis, procuret. Nondum sunt oblivioni tradita, quæ Cyrillus Lucaris ob hanc eamdem causam, Græcis procurantibus, a Turcis perpessus est. Et Parthenius, de hoc tantummodo*

suspectus

Sec. XVIII.

A *suspectus, jam nutat, et in securitatem non nisi Catholicismum ementitus componitur.*

cujus vanum conatum Allatius explodit.

1526 *Patriarcha Constantinopolitanus solus ecclesia Græcorum non est; et quidquid ipse solus absque synodo egerit, nihil est. Quare et aliorum episcoporum in synodo subscriptiones requiruntur: quod si in synodo non fiant, firmitatem non habent; quemadmodum si assensum propriis subscriptionibus non præbuerint quoque magnæ ecclesiæ clerici. Cretensis iste si legationem suam hac ratione non constabiliat, nebulonem agit, nisi etiam falsa mentitaque manu chartam adulteravit. Idque libentius scribo, quod, cum quidam amicus meus curatoribus patriarchii Constantinopolitani de hoc homine scripsisset, responsum acceperit; licet sedulo perquisitum fuisset, Nathanaëlem hunc penitus ignotum apud ipsos esse; et cum legatio illius, nomine ecclesiæ Græcæ, exposita fuisset, præcipuos in ea ecclesia ægre nimis risum continuisse, et fassos esse, se nescire eum juxta cum ignarissimis. Hinc arguas, planum esse, et specioso unionis titulo aurum a facilibus et aptis capi emungere; quod ubi collegerit, in Græciam profecturum, et malis episcopatum sibi* B *artibus comparaturum, ut eodem tempore suam et aliorum animam perdat. Tanta est in erronibus istis fallacia!* Allatius denique loco citato testatur, sese hæc et alia de Nathanaële isto ad Nihusium scripsisse.

Hi hypocritæ subinde etiam fallunt Catholicos,

1527 Ex hactenus dictis concludimus, quod vagi impostores isti sæpe fidem suam venalem habeant. Neque tantum his fraudibus et simulata cujuslibet sectæ defensione heterodoxos circumveniunt; sed etiam ficta Romano-Catholicæ religionis professione fallunt interdum orthodoxos, a quibus tamen maxime abhorrent. Nihil hoc loco dicemus de ingratis quibusdam Græcis, qui per plures annos Romæ vel alibi student, ac sumptibus Latinorum aluntur, et tamen postea in patriam reversi schismati adhærent, et benefactores suos calumniis proscindunt: nam hic tantummodo agimus de illis, qui stipis colligendæ causa regiones Occidentales circumcursant, quales etiam in Belgio nostro Catholico interdum videmus. Hi nobis plerumque de schismate suspecti sunt, et nonnumquam audivimus, illos pecunia Catholicorum abusos esse, et in Anglia aut Hollandia libros contra Romanam Ecclesiam typis vulgasse. C

ut testatur R. P. Joannes Baptista van Ketwigh,

1528 Occasione quorumdam Græcorum, qui Antverpiæ eleemosynas corrogaverant, laudatus P. Joannes Baptista van Ketwigh ex Ordine S. Dominici post tragicum schismaticæ impietatis exemplum, quod nos ex ipso supra num. 1162 et sequente retulimus, in thesibus suis theologicis, Lovanii anno MDCCXIX publice propugnatis, de frequenti similium Græcorum fraude et sacrilega religionis simulatione monuit sequentia: *Nihilominus veniunt ad nos in vestimentis ovium, quasi de eodem nobiscum Ecclesiæ Romanæ ovili; præcipuas Catholicorum regiones pervadunt, circumeuntque, ac Romano-Catholicos se mendaciter jactantes, sub speciosis ac ementitis titulis ingentes eleemosynarum collectas faciunt; revera tamen, ut proprio Catholicorum Latinorum ære Ecclesiam Romanam optimo et pretiosissimo suo spoliarent thesauro, sanctissimo videlicet Domini nostri Jesu Christi Jerosolymitano sepulcro.*

regionum Orientalium peritus,

1529 *Verum prodidit se schismaticorum illorum cæca astutia, dum se Basilianos monachos, montis Athos in Thessalia incolas, divulgant: compertum quippe est Orientalium regionum notitiæ gnaris, non magis illius montis monachos esse Romano-Catholicos, quam ipsorum patriarcha Constantinopolitanus. Unde eos formaliter schismaticos affirmat noster Jacobus Goar. Ita mihi quoque declararunt tum nostri Patres Dominicani Galatæ Constantinopolis, tum etiam Patres Franciscani Minoritæ Jerosolymis. Hujus veritatis conscii Romani Pontifices Innocentius XI et Alexander VIII adversus impios illos versipelles collectores, sese Romano-Catholicos simulantes, præstita etiam professione fidei (quam faciunt turpis lucri cupidi, credentes se hoc pacto obsequium præstare Deo) severum ediderunt decretum, quod sub calcem harum thesium (juxta autographum Romanum) ad informationem et cautelam omnium Belgii nostri orthodoxorum, annectere æqui bonique consulimus.*

qui propterea publicis suis thesibus anni 1719 inseruit decretum Innocentii XI Papæ,

1530 Tum memoratus thesium præses transcribit authenticum decreti exemplar, quod Romæ ex typographia sacræ Congregationis de Propaganda Fide anno Christi MDCLXXVII prodiit, et cui præfigitur hic titulus: *Die* XXIX *Januarii* MDCLXXVII *in generali Congregatione de Propaganda Fide, habita in palatio Apostolico coram sanctissimo domino nostro Innocentio, Divina providentia Papa XI, et reverendissimis Cardinalibus ejusdem sacræ Congregationis decretum, ne permittatur Græcis cujuscumque status et conditionis, etc., pecunias quæstuare, vel quovis alio modo eleemosynas petere.* D Deinde in iisdem thesibus sequitur ipsum decretum, quod ita sonat: *Cum sancta loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est, et nostræ reparationis mysteria, Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi et custodiæ FF. sancti Francisci de Observantia a sancta Sede Apostolica commissa, nuperrimis hisce diebus a Græcis schismaticis, subornatis aulæ Turcicæ ministris, de manu dictorum Fratrum S. Francisci, summo Latinorum dedecore usurpata sint, iis præcipue subsidiis, quæ ex fidelium Christianorum eleemosynis iidem Græci perceperunt;*

quo prohibetur, ne quis Græcis etiam orthodoxis eleemosynas corrogare permittat.

1531 *Ut huic sceleri modus imponatur, neve et Fidelium pietate schismaticis et perpetuis Ecclesiæ Romanæ hostibus aditus ad novas cumulandas injurias aperiatur, sanctissimus dominus noster Innocentius Papa XI suorum prædecessorum summorum Pontificum vestigiis inhærendo, etiam de consilio et voto eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. Cardinalium, Congregationi de Fide propaganda præpositorum, omnibus et quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere legatis,* E *Nuntiis Apostolicis, patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, episcopis, abbatibus, ceterisque omnibus ordinariis de utroque Clero, seculari et regulari, ecclesiasticam jurisdictionem tam ordinariam quam delegatam in suis jurisdictionibus sive diœcesibus respective exercentibus, in virtute sanctæ obedientiæ injungit atque inhibet, ne de cetero quibuscumque Græcis tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus, quacumque dignitate, quamvis abbatiali seu archimandritiali, episcopali, metropolitica, archiepiscopali sive patriarchali fulgentibus, tacite vel expresse, sub quocumque prætextu permittant pecunias quæstuare, vel quovis alio modo eleemosynas a Fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesia Latina per abjurationem schismatis, et fidei Catholicæ professionem in manibus episcoporum vel inquisitorum contra hæreticam pravitatem litteris testimonialibus docuerint; vel per alios episcopos et locorum ordinarios similis quæstuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi, aliorum schismaticorum iram et insidias fugere conati sint, vel ad effectum reparandi ecclesias ab infidelibus dirutas, et*

non

Sec. XVIII.

non obstantibus aliis quibuscumque prætextibus et causis :

nisi in litteris eorum expresse huic decreto derogatum fuerit.

1532 *Imo potius omnes et singulas litteras patentales a quocumque præsule, etiam speciali nota digno, et a tribunalibus curiæ Romanæ ejusdem sacræ Congregationis de Fide propaganda (dummodo contentis in præsenti decreto specialiter et expresse non fuerit derogatum cum posteriori data) statim ac in eorum ordinariorum manus pervenerint, ad sacram de Fide Propaganda Congregationem transmittant. Et ne contra præmissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas sua de consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium voluit, ut huic decreto, aut etiam litteris ad ejus formam expeditis seu expediendis, sive scriptis sive impressis, ab ejusdem tamen sacræ Congregationis præfecto signatis, sigilloque solito munitis, fides eadem adhibeatur, quæ ipsis originalibus præstaretur; non obstantibus quibuscumque, etc. Datum Romæ, die* IV *Februarii* MDCLXXVII.

P. Cardinalis de Alteriis præfectus.

loco ✠ sigilli

V. Cerrus secretarius.

Alexander VIII Papa anno 1690

B

1533 Post hæc P. Joannes Baptista in thesibus suis ita pergit : *Hoc Innocentii decretum per aliud, ab Alexandro VIII editum anno* MDCXC, *confirmatum fuit, et signatum erat* J. F. Cardinalis Albanus, *qui modo Clemens Papa XI feliciter Ecclesiam gubernat.* Porro istud Alexandri VIII decretum, quod nuper Roma accepimus, sic habet : *Alexander Papa VIII ad futuram rei memoriam. Alias emanavit a felicis recordationis Innocentio Papa XI prædecessore nostro in Congregatione tunc existentium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis propagandæ Fidei præpositorum, coram ipso Innocentio prædecessore habita, decretum tenoris, qui sequitur.*

hoc Innocentii XI decretum

1534 Deinde post insertum integrum Innocentii Papæ XI decretum, quod supra exhibuimus, subnectuntur sequentia: *Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Josephus a Jesu Maria, Frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, et tribunalis sanctæ Inquisitionis qualificator, nec non charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis Catholici concionator, ac commissarius et procurator generalis in Romana curia totius familiæ Terræ sanctæ, nobis nuper exponi fecit, firmiora sint ea quibus iterata accedit Apostolicæ Sedis auctoritas, nobis propterea dictus Bernardus Josephus humiliter supplicari fecit, ut decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri de benignitate Apostolica dignaremur.*

C

confirmavit.

1535 *Nos igitur ipsum Bernardum Josephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existet, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati decretum præinsertum, a memorato Innocentio prædecessore editum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, ac innovamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectant, vel pro tempore spectabant, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari ; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis.* D

et perpetuum robur habere voluit.

1536 *Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præmissarum litterarum transumptis seu exemplis etiam expressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die* XXV *Octobris* MDCXC, *Pontificatus nostri anno secundo.* E

J. F. Cardinalis Albanus.

R. P. Haroldus Franciscanus etiam narrat

1537 Hac ratione Romani Pontifices prudentissime diminuerunt arma, quibus schismatici orthodoxos impugnant, et quæ incauta Catholicorum charitas hostibus suis ultro suppeditabat. Similem Græcorum perfidiam et implacabile eorumdem odium sæpe experti sunt Franciscani, qui in Palæstina degunt, et de quibus R. P. Franciscus Haroldus in Epitome Annalium Ordinis Minorum post enumeratas alias vexationes ad annum Christi MCCCXLII num. 104 ita scribit: *Hæc sane, quæ Minoritæ Terræ-sanctæ ab infidelibus patiuntur, corporibus ipsorum et quieti molestissima sunt; sed animos nihil tam angit, quam quod frequentissime tolerant detrimentum, et semper timent periculum a falsis fratribus, hoc est a quibusdam Christianis Orientis, adeo Latinis ritibus et Ecclesiæ Romanæ infensis, ut nihil non machinentur, quo illorum splendor, et hujus honor Jerosolymis exstirpetur, et Fratres illi, qui utrumque tam serio et solerter sustinent, ex universa Palæstina proscribantur: in qua re Græcorum, Ecclesiæ Romanæ rebellium, occultæ insidiæ, patentes injuriæ, et fides minime certa vel constans, maxime notantur.* F

quomodo schismatici undique pecunias corrodant,

1538 *Habeo in notis meis, quæ in sua loca reservo, plurima hujus rei exempla ; sed nulla fere tam enormia, quam quæ recentissime contigerunt sub Guardianatu Mariani a Naleo provinciæ Mediolanensis, qui absoluto sexcennio molestissimi officii, nuper inde reversus est, et refert molestissima gravamina, quæ toto tempore sui Guardianatus a moderno Græcorum patriarcha continuo patiebatur; digna sane, quæ Latinos non lateant; sed quia prolixiorem narrationem postulant, in alium locum ea differenda judicavi. Nunc satis erit dicere, Græcos omni possibili, et nonnumquam exorbitanti sumptu, omni arte et astu nostris ubique insidiari, ut modo hoc, modo illud sacrarium eis eripiant, aut saltem alteram ejus clavem et æquam accessus libertatem cum nostris habeant.*

et calumnias confingant,

1539 *Nunc præcedentiam in publico congressu ac præsertim in processione palmarum præripere satagunt, quam Franciscanorum Guardianus pro Ecclesia Romana hactenus a schismaticorum patriarchis et episcopis conservavit. Nunc circa lampa-*

dum

A *dum curam lites movent; iterum pontificalia Guardiano prohiberi nituntur. Nunc (o scelus!) Turcarum judicium postulant contra Franciscanos, quod vel Græci ritus schismaticum, vel renegantem Christi fidem Christianum, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reducant, vel admittant. Nunc se varia versutia subtrahere satagunt oneri communis tributi, totumque in Armenos et Francos conjicere nituntur: et ut hos etiam S. Salvatoris cœnobio, totaque sancta Civitate proscribant, quod pecuniarum pondere non possunt, innumeris exquisitis calumniis, falsis testimoniis efficere procurant, ut ipse magnus Turca in quodam suo diplomate, a nobis alibi proferendo, luculenter attestatur.*

ut Minoritas e sacris locis expellant:

1540 Haroldus numero sequente præcipuas hujus odii causas explicat, et ad eumdem annum Christi MCCCXLII num. 108 post alia sic pergit: *Græcorum etiam patriarcha in sola civitate Constantinopolitana anno* MDCXXXII *cum nostris litigaturus, suis capitatim imposuit singulis unum realem seu Julium Romanum, et statim nullius damno, totius autem nationis ingenti honore et emolumento, centum et viginti millia Philippicorum octo realium sibi numeravit; quo subitaneo præsidio tantum tunc* B *nostris prævaluit, ut obtento mandato curiæ, sacrum Domini Præsepe, sacellum Montis-Calvariæ, et petram unctionis Franciscanis abripuerit, ingenti Latinæ nostræ et veræ Christianitatis opprobrio; quamvis nostrorum principum studio per suos apud Turcam legatos, probata Græcorum falsitate, ea et plura sacraria nostris restituta fuerint.*

quod adhuc aliis exemplis declarari posset.

1541 Etiam R. P. Antonius Gonzalez quondam Guardianus Bethleemiticus, in Itinerario suo Hierosolymitano, quod Antverpiæ anno MDCLXXIII Belgice editum est, de eadem Græcorum fraude ac violentia conqueritur: nam illic lib. 2 cap. 8 pag. 249 narrat, quomodo schismatici voluerint Minoritas anno MDCXLVII, atque iterum MDCLXIII e locis sacris Palæstinæ expellere, idque potissimum ope perfidi cujusdam Græci, qui in Belgio et aliis Catholicorum regionibus largas eleemosynas corrogaverat, et quem postea Franciscani in Terra sancta infensissimum sibi hostem cognoverunt. Possem circa hanc rem plura elapsi seculi exempla coacervare, ac fusius exponere, si id instituta opusculi mei methodus exigeret, aut tempus pateretur. Sed iis omissis, breviter commemorabo unicum C ejusdem perfidiæ specimen, quod schismatici hoc seculo dederunt.

Ex libello supplici, qui non ita pridem imperatori Turcarum oblatus est,

1542 Quamvis Franciscani intercessione principum Christianorum jam sæpius sibi erepta Terræ sanctæ sacraria recuperaverint, tamen Græci animum non despondent, et invidia stimulati sperant, se astutia et pecunia tandem aliquando loca illa sacra iterum obtenturos. Hæc iniqua eorum confidentia satis apparet in libello supplici, quem Hierosolymitanus Græcorum patriarcha non ita pridem summo Turcarum imperatori offerri curavit, et cujus ecgraphum Italicum favore eminentissimi Cardinalis Thomæ Philippi de Alsatia, archiepiscopi Mechliniensis, ac Belgii Primatis, una cum aliis huc spectantibus instrumentis ex archivo sacræ congregationis de Propaganda Fide nuper accepi. In eo libello, qui ex lingua Arabica Italice redditus est, schismatici suppliciter ac simul confidenter petunt, ut secundum privilegia ac decreta præcedentium principum, nationi Græcæ antiqua locorum sacrorum possessio restituatur.

1543 At Græcos illos falsis diplomatibus gloriari, eaque pro veris obtrudere, discimus ex epistola Italica R. P. Laurentii de sancto Laurentio, Guardiani Hierosolymitani et custodis Terræ sanctæ, qui Hierosolymis anno Christi MDCCXII, die XII Augusti ad illustrissimum D. Silvium de Cavalieri, secretarium sacræ congregationis de Propaganda Fide, inter alia scribit, sese præfatæ sacræ Congregationi mittere Italicam interpretationem libelli Arabici, quem Hierosolymitanus Græcorum patriarcha per quinquaginta suos calogeros (hoc nomine monachi Græci passim in Oriente appellantur) magno Turcarum imperatori nuper obtulerat, et cujus apographum D. Joannes Maria Maunier Constantinopoli ad se direxerat. Sed præmonet, in eo libello supplici tot fere contineri mendacia, quod leguntur verba, eo quod omnes Græcorum illorum rationes nitantur confictis instrumentis, quæ etiam ut talia cognita fuerunt in postrema lite, quæ per plures annos agitata est, quando Græci causa ceciderunt: tunc enim post juridicam litis decisionem, deprehensa Græcorum fallacia, Minoritæ antiquam sacrorum locorum possessionem legitime recuperarunt.

SEC. XVIII.

et cujus exemplar Guardianus Hierosolymitanus anno 1712 misit

1544 Deinde laudatus Guardianus asserit, in archivio suo Hierosolymitano conservari antiqua diplomata, ex quibus patet, custodiam memoratorum sacrariorum Minoritis commissam fuisse, antequam Græci Hierosolymis quidquam possiderent. Imo addit, Græcos ea loca, quæ jam ibidem habent, accepisse a Georgianis, qui illa deserere coacti sunt, eo quod sumptibus ferendis non sufficerent, et ingentia debita contraxissent; Græci tunc Georgianis successerant, ea conditione, ut horum debita solverent, sicut R. P. Laurentius in eadem epistola testatur. Denique turbulentum illum Græcorum patriarcham tam vivis coloribus depingit, ut hic omnes suæ nationis schismaticos invidia ac dolis longe superare videatur.

ad sacram congregationem de Propaganda Fide, E

1545 Quamvis certo non sciam, quem exitum ea Hierosolymitani patriarchæ contentio habuerit, tamen probabilius arbitror, schismaticos tunc repulsam passos esse: nam verosimiliter de eadem re agunt litteræ, quas supra memoratus Joannes Baptista van Ketwigh anno MDCCXVI ex urbe Romana accepit, et quarum fragmentum præfatis thesibus Theologicis inseruit. Itaque in iis litteris testis oculatus (erat, ille germanus eruditissimi præsidis frater, et fide dignissimus F ejusdem Ordinis Dominicani sacerdos, qui tunc Romæ commorabatur, ut ex ipso R. P. Joanne Baptista intellexi) ita scribit: *Habetur registratum in libro archivii de Propaganda anni* MDCCXI, *quod patriarcha Jerosolymitanus obtulerit magno Visirio pro habendis locis sacris Jerosolymis* 150 *bursas, sive* 170000 *patacones. Quod cum Visirius retulisset imperatori Turcarum, respondit ira accensus: Unam et alteram nationem ejiciam de locis istis, eaque obserabo, ne amplius molester.* Quantum hic attinet ad summam pecuniæ, quam Hierosolymitanus patriarcha obtulisse dicitur, certe in alterutrum numerum error irrepsit: si enim 150 bursas obtulerit, et unaquæque bursa pataconibus 500 apud Turcas æquivaleat, ut harum rerum periti unanimiter tradunt, ex inito computo constat, tantummodo 75000 patacones pro 170000 legendos esse, aut numerandas 340 bursas, quæ summam 170000 pataconum conficiunt, ut calculos subducenti apparebit.

satis colligitur perfidia schismaticorum,

1546 Præterea idem Religiosus sacerdos ab eruditissimo suo fratre interrogatus, an Græci illi, qui antea Antverpiæ eleemosynas collegerant,

eorumque etiam contra Latinos

Sec. xviii.

rant, facultatem id faciendi ab Apostolica Sede obtinuissent, in eadem epistola sic respondet: *Locutus fui amplissimo D. Canonico Bianchi archivistæ, qui conducebat me, Congregationis de Propaganda, et vidi in præfato libro, quod anno* MDCCXI *nona Julii fuerint Romæ duo monachi Græci; unus illorum vocabatur P. Abacuc Adriani, abbas monasterii B. V. Portæ Itissæ in Monte Athos, situato inter Macedoniam et Thraciam, qui acceperat facultatem ab eminentissimo D. Cardinale Carpegna ad Missam Romæ celebrandam pro tempore sex mensium. Deinde petiit licentiam a Papa, ut posset facere collectas pro necessitate sui monasterii; fuit missus a summo Pontifice ad sacram Congregationem de Propaganda, quæ ipsi talem licentiam denegavit in virtute præfati decreti. Proinde colligunt in regionibus Catholicis eleemosynas contra voluntatem Sedis Apostolicæ. Longum postea discursum desuper habui cum præfato D. archivista, et amplissimo D. canonico Coggio, secretario de Propaganda, qui aperte fatebantur, monachos illos esse schismaticos, etc.* Hæc omnia R. P. Joannes Baptista van Ketwigh ad majorem Belgarum nostrorum cautelam retulit in suis thesibus theologicis, quas B in comitiis provincialibus PP. Dominicanorum anno MDCCXIX Lovanii propugnavit; ego autem eadem in hoc tractatu repetere volui, ut Catholici ubique contra hujusmodi impostores præmuniantur, et decreta summorum Pontificum circa hanc rem exacte observent.

quod in conciliabulo quodam anni 1722

1547 Porro cæcum istud schismaticorum odium, quod contra Romanam Ecclesiam fovent, nec diuturnis calamitatibus exstinguitur, nec incauta Latinorum beneficentia diminuitur: nam rursus anno MDCCXXII pertinacem ac ingratum animum suum prodiderunt, convocato conciliabulo, in quo ritum et dogmata Romanæ Ecclesiæ condemnarunt. Hanc schismaticam et hæreticam eorum pervicaciam ab Orientalibus trium D sedium patriarchis declaratam esse, intelligo ex Josepho Simonio Assemano, eruditissimo Maronita, apud quem tomo 3 Bibliothecæ Orientalis pag. 639 inter codices, in bibliothecam Vaticanam illatos, recensetur *epistola synodica conciliabuli Constantinopolitani, quod exeunte anno Christi* MDCCXXII *habitum est a patriarchis Græcis: Hieremia Constantinopolitano, Athanasio Antiocheno, et Chrysanto Hierosolimitano, præsentibus duodecim archiepiscopis et episcopis; transmissa Græce et Arabice ad Græcos Antiochenæ diœceseos, in qua errores schismaticorum adversus Latinos hi propugnantur.*

per schismatica et hæretica decreta rursus renovarunt.

1548 Tum ibidem laudatus Assemanus sequentes hujus conciliabuli articulos ita enumerat: *I Primatus S. Petri supra Apostolos, et Romani Pontificis supra reliquos patriarchas et episcopos, ejusdemque in rebus fidei infallibilitas, et in principes seculares auctoritas impugnatur, ususque ferendi signatas cruce crepidas damnatur. II Processio Spiritus sancti ex solo Patre asseritur, et vox illa* FILIOQUE, *a Latinis Symbolo adjecta, rejicitur. III Fermentum in consecratione Eucharistiæ, azymo rejecto, probatur. IV Purgatorius* E *ignis, locusque a paradiso et gehenna distinctus, exploditur. V Beatitudo Sanctorum, et pœna damnatorum usque ad communem resurrectionem differtur. VI Suffocatorum usus interdicitur. VII Sabbati jejunium perstringitur. VIII Denique notantur Latini, quod parvulis post Baptismum Eucharistiam non porrigunt, neque eos ungunt sacro Chrismate, neque oleo ungi permittunt, nisi infirmos.* Sic miseri isti quotidie pertinacia sua magis magisque excæcantur, et schismate ac hæresi calamitates suas reddunt diuturniores. Utinam tandem ultricem Dei manum et errores suos agnoscant, ut a dæmonis ac Turcarum jugo liberentur!

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

QUÆ IN TRACTATU DE PATRIARCHIS CONSTANTINOPOLITANIS OCCURRUNT.

Notæ arithmeticæ numeros marginales indicant; † Sanctum designat.

A

Abbatis villa *(Joannes de) patriarchatum Constantinopolitanum recusat* 904 et 905

Absolutio *et excommunicatio miros effectus habere dicuntur in schismatica Græcorum ecclesia* 1230 et seqq. *Quidam orthodoxi scriptores eis nimiam vim concedunt* 1273 et seqq., 1344 et seqq.

Acacius *præsul CP. favit hæreticis* 230. *Papam Romanum e diptychis expunxit* 233. *Excommunicatus in sua pertinacia moritur* 234

Achaz, *aliique reges impii Menæis Græcorum inserti sunt* 552 et seqq.

Achmetes, *imperator Turcarum quando regnare cœperit* 1427. *Quo anno obierit* 1432

Acridanus *(Leo) Bulgarorum metropolita una cum Michaële Cerulario contra Latinos scripsit* 739

Acropolita *(Georgius) historiographus Græcus prius adhæsit schismati, quod postea deseruit* 949

Acyndinus *(Gregorius) ejusque sectatores ab hæreticis Palamitis in synodo damnantur* 1080

Adamus *Bremensis refert mirum exeommunicationis et absolutionis effectum* 1272

Adriani *(Abacuc) abbas Græcus contra voluntatem Sedis Apostolicæ eleemosynas in regionibus catholicis collegit* 1546

† Adrianus *quando martyrium subierit* 45 et 46

Agapetus I *Papa in litteris suis non asserit, primum Byzantii episcopum a sancto Petro constitutum fuisse* 1 et 2. *Anthimum præsulem CP. quomodo exauctoravit* 351 et seqq.

Agelius, *hæreticos Novatianos defensurus, Constantinopolim ab imperatore Theodosio accersitus dicitur* 138 et seqq.

Albanus *S. R. E. Cardinalis, postea ad Pontificatum evectus sub nomine Clementis XI* 1533

Aldrovandus *(Ulysses) de variis rebus imprimis de dendrologia erudite scripsit* 1508

† Alexander *præsul Constantinopolitanus philosophum ethnicum subito elinguem reddit* 57. *Quo anno episcopatus ejus inchoandus ac finiendus* 58

Alexander IV *Pontifex Pantaleoni Justiniano Latino CP. patriarchæ, succurrere conatus est* 914

Alexander VIII *Papa prohibuit, ne Græcis sine speciali licentia eleemosynas iu Occidentis regionibus colligere permittatur* 1533

Alexander *patriarcha Alexandrinus, cujus tempus sedis perperam alteri adscribitur* 62

Alexander *Basinopolitanus episcopus a sancto Joanne Chrysostomo consecratus* 177

Alexius *Patriarcha CP.* 731 et seqq.

Allatius *(Leo) corrigitur* 965. *Putat duos Georgios Scholarios distinguendos esse* 1187. *Argumento ad hominem refellitur* 1191. *Defensionem pro quinque capitibus concilii Florentini Gennadio sive Georgio Scholario attribuit* 1192. *De incorruptis Græcorum schismaticorum cadaveribus ambigue loquitur* 1231 et seqq., 1259. *In narrandis Cyrilli Contareni patriarchæ CP. gestis sibi non constat* 1470 et seqq.

Alsatia *(Thomas Philippus de) archiepiscopus Mechliniensis, Belgii primas, et S. R. E. Cardinalis* 1542

Alypianus *an fuerit episcopus Byzantinus* 41

Alypius *an fuerit episcopus Byzantinus* 39 et 40

† Amandus *episcopus Trajectensis accipit litteras a S. Martino papa in quibus de perfidia Pauli præsulis CP. conqueritur* 449

Amphilochius *Iconii episcopus lepida inventione zelum Theodosii imperatoris contra Arianos accendit* 140

Amyrutzes *philosophus synodi Florentinæ hostis, Christum cum Mahomete mutavit* 1132

Anastasius *hæreticus, pessimus optimi magistri discipulus, sedem CP. occupat* 522. *Pœnas perfidiæ suæ dat* 541. *Perperam in Menæis Græcis, ut Sanctus, celebratur* 544

Anastasius *imperator Euphemium CP. in exsilium mittit* 244. *Dicitur postea eumdem interfici jussisse* 248. *S. Macedonium fœdissimi criminis falso accusari jubet et illum in exsilium pellit* 288 et seqq. *Quo anno mortuus sit* 299

Anastasius *(Bibliothecarius) singularem nominis* Œcumenici *significationem adducit* 314

† Anatolius *patriarcha CP.* 224 et seqq.
Anchialinus *(Michael) patriarcha CP. unionem inter Græcos et Latinos disturbat* 838 et seqq.
† Andreas *Apostolus non videtur instituisse episcopatum Byzantinum* 5. *In serie Apostolorum secundus numeratur* 7. *Ejus sacræ reliquiæ ad Gregorium XIII Pontificem missæ ab Jeremia patriarcha CP.* 1409
Andronicus *imperator refutatur* 985 et seqq. *Schisma renovat* 1006
Andronicus *Junior contra avum suum imperatorem conjurat* 1056. *Avo victo, Constantinopolim occupat* 1062
Angelus *(Isaacius) imperator Græcus Andronico successit* 853
Angelus *(Christophorus) scriptor Græcus obtrudit incredibilia schismaticorum suorum prodigia* 1250 et seqq. *Purgatorium negat* 1256 et seqq.
Anna *Comnena schismatica in suo Opere patriarchas Constantinopolitanos schismaticos laudibus extollit* 761
Anselmus *Havelbergensis, in Marchia Brandeburgica episcopus, erudite contra Græcos schismaticos disputavit* 785
Anthemius *vel* Anthimus *patriarcha CP.* 349
Anthymus *patriarcha CP.* 1453 et 1454
Antonius I *cognomento* Byrsodepsas, *patriarcha Constantinopolitanus* 609 et seqq.
† Antonius II *cognomento* Cauleas *patriarcha Constantinopolitanus* 664 et seqq.
Antonius III *cognomento* Studita *patriarcha Constantinopolitanus* 707 et seqq.
Antonius IV *patriarcha CP.* 1101
Apollonius *Chius, medicus Græcus, Timotheum patriarcham CP. veneno interficit* 1435
Aprenus *(Joannes) patriarcha Constantinopolitanus* 1065 et seqq. *Frustra sub eo tentata cum Romana ecclesia unio* 1066
Arcadius *imperator S. Joannem Chrysostomum ad sedem CP. evehit* 150
Arcudius *scriptor Græcus Gennadio Defensionem Concilii Florentini abjudicat* 1192
Aretas *Cæsariensis scripsit Vitam S. Euthymii patriarchæ CP.* 669
Argyropolis, *locus prope Constantinopolim, tantum seculo* v *ab Attico istud nomen accepit* 27 et 28
Ariadna *imperatrix quando mortua* 249
Ariani *hæretici S. Paulum persequuntur* 68. *Catholicis turbas et seditiones falso imputant* 84. *Paulum in exsilio interficiunt* 89. *Falsum rumorem spargunt de clade Theodosii imperatoris* 142. *Inter se de fide dissident* 145 et seqq.
Aribertus *(Odo) citat exemplum pacis sanguine Eucharistico confirmatæ et obsignatæ* 456
Aristenus *(Alexius) schismaticus scriptor Græcus ridicule sedem Constantinopolitanam Romanæ æqualem facit* 320
Arnoldi *(Christophorus) Lutheranus egit in Germania cum Joasapho Græco* 1519
Arsacius *præsul CP. fautores S. Joannis Chrysostomi persequitur* 153 et 154. *Alia vitia ei imputantur* 155. *Perperam ergo in Menæis Græcis pro Sancto colitur* 159
Arsenius *cognomento* Autorianus *fit patriarcha CP.* 964. *Sedi suæ restituitur* 977
Arsenius *hieromonachus schismaticus Lutheranos et Calvinistas refellit* 1399, 1447 et seqq.
Arsenius *orthodoxus Monembasiæ antistes a schismatico patriarcha CP. excommunicatur* 1343. *Nulla verisimilitudine dicitur cadaver ejus indissolutum mansisse* 1345 et seqq. *Paulo III summo Pontifici tragœdias Euripedis Græce dedicavit* 1350
Assemanus *(Josephus Simonius) eruditus Maronita meminit de conciliabulo schismatico, quod Orientales patriarchæ anno 1722 celebrarunt* 1547
Athanasius I *patriarcha CP. schismaticus* 1020 et seqq. *Sedi suæ restituitur* 1037. *Severitatem ipsius patriarcha Alexandrinus mordaci apologo explicat* 1038 et 1039
Athanasius II *cognomento* Patellarius, *patriarcha CP.* 1455. *Sedi suæ restituitur* 1484
Athanasius III *patriarcha CP.* 1504
† Athanasius *quandonam in Galliam relegatus fuerit, et ab exsilio redierit* 68
Athanasius *patriarcha Antiochenus interfuit conciliabulo schismatico, quod contra Latinos anno 1722 celebratum est* 1547
Athenodorus *vel* Athenogenes *an fuerit episcopus Byzantinus* 38
† Atticus *patriarcha CP.* 160 et 161. *Ipsius sanctitas vindicatur* 163 et seqq.
Atticus *(Cosmas) patriarcha CP. deponitur, quia hæresi Bogomilorum favebat* 795 et seqq.
Atticus *quo anno fuerit consul* 144 et 150
† Augustinus *de persecutionibus S. Pauli Apostoli disserit* 255. *Non assentit pseudo-miraculis Donatistarum* 1297
Autorianus *(Michael) patriarcha CP.* 921 et seqq.
Autorianus *(Arsenius) patriarcha CP.* 964 et seqq.
† Avitus *Viennensis perfidam Acacii CP. simulationem in fide reprehendit* 230. *Joanni Cappadoci CP. unionem Ecclesiæ gratulatus est* 299. *Hunc patriarcham laudat* 302

B

† Babylas *quo tempore martyrium subierit* 50
Baertius *(Franciscus) S. J. illustravit Acta S. Pauli præsulis Constantinopolitani* 67
Bajazeth *Turcarum imperator quo anno e vivis excesserit* 1322
Balduinus *Flander imperator CP.* 882
Balsamon *(Theodorus) schismaticus scriptor Græcus sedem CP. Romanæ æqualem facit* 320. *Impudenter mentitur* 341. *Ab imperatore Isaacio lepide decipitur* 863 et seqq.
Bandurus *(Anselmus) edidit varios catalogos Patriarcharum CP.* 17, 206, 221, 1177, 1179 et 1180
Barba *Arianæ sectæ episcopus Constantinopoli clam degit* 147
Barlaamus *Calaber, ejusque sectatores in synodo ab hæreticis Palamitis damnantur* 1080. *Quid de ipso scribat Leo Allatius* 1191
Baronius *(Cæsar) S. R. E. Cardinalis putat, primum episcopum Byzantinum a sancto Petro constitutum fuisse* 1. *Refellit opinionem eorum, qui initium hujus cathedræ ab Apostolo Andrea deducunt* 6. *Refutatur ejus opinio circa Macedonium et Euphemium præsules Constantinopolitanos* 282 et seqq. *Alibi sæpius corrigitur* 438, 453 et seqq., 464, 489 et seqq., 517 et seqq., 610, 777 et seqq., 856 et 857.
Basilius I *cognomento* Scamandrenus *Patriarcha Constantinopolitanus* 702
Basilius II *cognomento* Camaterus *Patriarcha Constantinopolitanus* 852 et seqq.

† Basilius *(magnus) quadam pietatis specie a Demophilo deceptus hunc hæreticum laudat* 110
Basilius *imperator Menologium Græcum seculo decimo colligi jussit* 29
Basilius *imperator, cognomento* Bulgaroctonus, *quo circiter tempore obierit* 727
Basilius *princeps sectæ Bogomilorum ob hæresim suam comburitur* 774
Basnagius *(Jacobus) heterodoxus Baronii censor, ipse corrigitur* 610
Bassa *Sultani minister Joasapho Coccæ barbam præcidi jubet eo quod illegitimo matrimonio consentire nollet* 1202 et 1203
Batatzes (*Joannes) quo anno imperium susceperit* 935. *Quando obierit* 954
Batistas *(Pachomius) patriarcha CP.* 1414
Beccus (*Joannes) fit patriarcha CP.* 1000. *Argumentis convictus schisma deserit, et pro unione cum Latinis multa adversa tolerat* 1002. *Ab ipsis schismaticis propter varias virtutes laudibus extollitur* 1003. *Effigies illius repræsentatur* 1004.
Belisarius *(Flavius) quando fuerit consul* 354
Bellarminus *(Robertus) S. R. E. Cardinalis ab injuria quadam vindicatur* 1283
Benevolentius *(Fabius) edidit Acta concilii Florentini* 1164. *Opusculum quoddam Georgio Scholario perperam adscribit* 1192
Bessarion *orthodoxus Græcus et S. R. E. Cardinalis an titulo* Œcumenici *usus fuerit* 338 et seqq. *An re ipsa, ut aliqui volunt, cathedram Constantinopolitanam possederit* 1134 et seqq.
Blancardus *(Nicolaus) libellum Philippi Cyprii de patriarchis CP. typis vulgavit* 1178
Blemmida (*Nicephorus) patriarchatum Constantinopolitanum renuit* 963. *Marcesinam imperatoris pellicem publice e templo ejicit* ibid.
Bollandus *(Joannes) S. J. Acta S. Attici præsulis Constantinopolitani illustravit* 161. *Opinio ejus de sanctitate istius Attici contra Tillemontium vindicatur* 163 et seqq. *Erravit incaute sequendo Baronium* 504. *Quid de Græcorum Mæneis senserit* 547 et seqq.
Bonifacius *Papa seculo V scribit ad quosdam Macedoniæ episcopos de potestate et prærogativis Sedis Apostolicæ* 136
Bonifacius III *Papa, adhuc apocrisiarius Constantinopoli, fuit amicus Phocæ imperatori* 425
Bonifacius IV *Pontifex Pantheon in ecclesiam commutavit* 425 et seqq.
Borradiotes *(Theodosius) patriarcha Constantinopolitanus* 847 et seqq.
Bouchiras *(Isidorus) fit patriarcha Constantinopolitanus* 1072. *Dicitur ob falsam prophetiam præ pudore obiisse* 1074 et 1075
Brietius *S. J. edictum quo Phocas titulo* Œcumenici *patriarchis CP. interdicit memorat* 424
† Bruno, *episcopus Signiensis, docet, ab excommunicatis alios non posse excommunicari* 1305
Bullialdus *(Ismaël) historiam Ducæ scriptoris Græci notis illustravit* 843
Busbequius *(Augerius Gislenus) legatus Cæsareus cum Metrophane III patriarcha CP. conversatus est, ejusque mores indicat* 1403
Bustronius *(Georgius) S. J. natione Græcus* 1277
Byzantium *quandonam nomine Constantinopoleos appellatum fuerit* 47

C

Cæsarius *quando fuerit consul* 144 et 150
Calchus *(Tristanus) Latine scripsit historiam Mediolanensem* 910
Callicinus I *præsul CP. ab eminentissimo Baronio coactæ pseudo-synodi perperam accusatur* 508. *In variis Græcorum Menologiis pro Sancto colitur* 509 et seqq.
Callinicus II *Patriarcha CP.* 1509. *Sedi suæ denuo et ter restituitur* 1512
Callistus I *Patriarcha CP.* 1077. *Ipsius mores* 1078 et seqq. *Pseudo-synodo Palamiticæ præsidet* 1080. *Sedi suæ restituitur* 1085. *Probabilius in hæresi Palamitica moritur* 1086. *Ipsius legatio apud Triballos* 1087
Callistus II *Patriarcha CP.* 1103
Callistus *(Nicephorus) seriem præsulum Byzantinorum a S. Stachy deducit* 5, 15 et 17
Calmetus *Papadopolo contradicit in interpretatione* ℣ 22 *et* 23 *cap.* VII *S. Matthæi* 1284
Calo-Joannes *imperator Græcus Latinis bellum intulit* 786
Calvinistæ *a Græcis schismaticis dissentiunt in controversia de Eucharistia* 870
Calvinus *(Joannes) hæresiarcha refellitur* 143
Camaterus *(Basilius) patriarcha CP.* 852 et seqq.
Camaterus *(Joannes) patriarcha Constantinopolitanus ab Innocentio III frustra ad unionem allicitur* 873 et seqq. *Capta a Latinis Constantinopoli, ultro discessit* 876
Campius *(Petrus Maria) scripsit Historiam Placentinam* 911
Cangius *explodit ea, quæ scriptores Græci de antiquitate sedis CP. fabulantur* 25
Canisius *(Henricus) edidit Latine Menologium Græcum, quod eminentissimus Sirletus interpretatus est.* 30. *Epistolam Michaëlis Cerularii ejusque ab Humberto S. R. E. Cardinali refutationem typis vulgavit* 739
Canopius *(Nathanaël) Græcus in Hollandia se obtulit ad Institutiones Calvini Græce reddendas* 1523 et 1524. *A Leone Allatio refellitur* 1525 et 1526
Cantacuzenus *(Joannes) historicus Græcus et imperator partibus Andronici Junioris favet, et vitia patriarcharum suorum tacet* 1062. *Constantinopolim clam occupat* 1071. *Hæresi Palamitarum suffragatur* 1073 et 1083
Cappadox *(Joannes) fit patriarcha Constantinopolitanus* 298. *Laudatur a sancto Sophronio aliisque Catholicis* 302 et 384
Carleton *(Thomas Comptonus) S. J. disquirit, an hæretici patrent miracula* 1300
Caryophilus *(Matthæus) putat, duos Georgios Scholarios distinguendos esse* 1187. *Gennadio Defensionem pro quinque capitibus Concilii Florentini abjudicat* 1192
Caryophylles *(Joannes) ob hæresim ab ipsis Græcis schismaticis damnatur* 1509 et 1510
† Cassianus *(Joannes) Nestorium hæresiarcham impugnat* 195
Cassiteras *(Theodotus) patriarcha CP.* 601 et seqq.
Castinus *an fuerit episcopus Byzantinus* 41 et 42
Catalusius *(Franciscus) Genuensis Calo-Joannem Palæologum juvat ad occupandum imperium, quo injuste exclusus fuerat* 1084
Cave *(Guilielmus) heterodoxus scriptor Anglus, fabulosa agnoscit ea, quæ scriptores Græci de antiquitate sedis CP. obtrudunt* 20 et seqq. *Alibi refellitur* 383, 384 et 760

Cedrenus *(Georgius) historicus Græcus* 712
Cerularius *(Michaël) patriarcha CP. schisma Photii renovat* 738 et seqq.
Cestenus *an fuit episcopus Byzantinus* 41 et 42
Chalcocondylas *(Laonicus) historicus Græcus meminit de sera unione Græcorum cum Latinis* 1155
Charatzium *quid sit apud Turcas* 1222
Chariton *patriarcha CP.* 846
Charitopulus *(Manuel) patriarcha Constantinopolitus* 954 et seqq. *Non videtur abhorruisse ab unione cum Latinis* 959
Chiensis *(Leonardus) repræsentat faciem urbis Constantinopolitanæ, a Turcis interceptæ* 1159
Chliarenus *(Constantinus) patriarcha CP.* 829
Choniata *(Nicetas) historicus Græcus* 790
Chrysantus *patriarcha Hierosolymitanus interfuit conciliabulo schismatico quod contra Latinos anno* 1722 *celebratum est* 1547
Chrysoberges *(Nicolaus) patriarcha Constantinopolitanus* 712 et seqq.
Chrysoberges *(Lucas) patriarcha CP.* 832 et seqq.
Chrysomalus *(Constantinus) absurdæ hæreseos auctor a Leone patriarcha Constantinopolitano damnatur* 780 et seqq.
† Chrysostomus *(Joannes) patriarcha CP.* 149 et seqq. *Digitus ipsius ad Gregorium XIII Papam ab Jeremia patriarcha CP. mittitur* 1409
Chumchumis *(Parthenius) fit patriarcha Constantinopolitanus* 1492. *A sedem suam sæpius redit* 1494, 1500, 1503 et 1505
Chytræus *(David) hæterodoxus ab Antonio Possevino refellitur* 1406
Ciacconius *testatur cadaver Petri a Luna pseudopontificis indissolutum perseverare* 1293
Cigala *(Matthæus) scriptor Græcus seriem patriarcharum CP. ab Andrea Apostolo deducit* 18. *Crassi illius errores indicantur* 1010, 1064 et 1215. *Patriarchas Constantinopolitanos usque ad annum Christi* MDCXXXVI *recenset* 1177
Cinnamus *(Joannes) historicus Græcus* 791
Clavius *(Christophorus) S. J. emendationem Calendarii Gregoriani propugnavit* 1405
Claustrarius *(Neophytus) an inter patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus* 817 et seqq.
Clemens *patriarcha CP.* 1497
Coccas *vel* Cusas *(Joasaphus) patriarcha CP. præ desperatione se in puteum conjicit, et inde ereptus, postmodum ab imperatore Turcarum ignominia afficitur* 1201 et seqq.
Codinus *(Georgius) scripsit de officiis ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ* 781
Cœlestinus *papa laudat S. Atticum CP.* 185 et 186. *Item S. Sisinnium CP.* 190 et 191
Constans *imperator Occidentis S. Paulum CP. episcopum sedi suæ restitui petit, et minis impetrat* 87 et 88. *In Gallia occiditur* 88
Constans *imperator Martinum Papam violenter Roma Constantinopolim abduci jubet* 451 et seqq.
Constantinopolis *quando a Latinis capta* 876. *Quo anno recuperata* 977. *Quomodo et quo tempore a Turcis sit intercepta* 1156 et seqq., 1170
Constantinopolitana *sedes quomodo secundum locum inter cathedras patriarchales obtinuerit* 316
† Constantinus I *patriarcha CP.* 474 et seqq.
Constantinus II *Patriarcha CP. proximus extremo supplicio hæresim suam rursus profitetur, et meritas perfidiæ pœnas dat* 580
Constantinus III *cognomento* Lichudes *patriarcha Constantinopolitanus* 750 et seqq.
Constantinus IV *cognomento* Chiarenus *patriarcha Constantinopolitanus* 829 et seqq.
Constantinus *Magnus imperator quando Byzantium interceperit* 64. *Ab Arianis deceptus S. Paulum in Pontum relegat* 68. *Quo die ipsius festum a Græcis celebretur* 1114
Constantinus, *cognomento* Copronymus, *impius imperator* 539 et seqq.
Constantinus *imperator Græcus petit suppetias a Latinis* 1152 et seqq.
Constantinus *dux Ostroviæ* 1407
Constantius *imperator hæreticis Arianis favet et S. Paulum e sede CP. expellit* 69
Contarenus *(Cyrillus) fit patriarcha CP., et a Guillio nostro impense laudatur* 1458 et seqq. *Ab Allatio depingitur aliis coloribus* 1463 et seqq. *Tandem a Turcis strangulatur* 1471. *An fuerit orthodoxus* 1475. *Errores Calvinistarum damnavit* 1478
Copas *(Theodorus) patriarcha CP.* 925 et seqq.
Coresius *(Georgius) purgatorium esse negat* 1270
Cornelius *(a Lapide) S. J. non concordat cum Papadopolo in interpretatione* ✝ 22 et 23 *cap.* VII *sancti Matthæi* 1284
Cosmas I *cognomento* Hierosolymitanus *patriarcha Constantinopolitanus* 762 et seqq.
Cosmas II *cognomento* Atticus, *patriarcha Constantinopolitanus* 794 et seqq.
Cotelerius *(Joannes) edidit quædam monumenta ecclesiæ Græcæ* 720
Creyghton *(Robertus) hæreticus Anglus mendacem Syropuli historiam de concilio Florentino Græco-Latine edidit* 1124. *Jure merito a Labbeo nostro aliisque reprehenditur* 1124 et seqq. *Sæpe alibi convincitur erroris* 1143, 1147 et seqq.
Creusa *(Leo) archimandrita Vilnensis asserit, Niphonem et Dionysium patriarchas Constantinopolitanos synodo Florentinæ adhæsisse* 1324
Critopulus *(Metrophanes) proto-syncellus patriarchæ Alexandrini, ab hæreticis Lutheranis impense laudatur* 1521 et 1522
Crusius *(Martinus) heterodoxus Græcam Malaxi historiam de patriarchis Constantinopolitanis Latine interpretatus est* 1174. *Operam dedit, ut Græcos schismaticos hæresi Lutherana inficeret* 1395 et seqq. *Explicat, quomodo patriarcha CP. pecuniam colligat* 1517
Cunha *(Rodericus a) in Tractatu de primatu Bracharensis ecclesiæ recenset patriarchas Constantinopolitanos* 1434
Cynegius *quo anno fuerit consul* 142
Cyprianus *patriarcha CP.* 1516
† Cyprianus *docet, extra Ecclesiam catholicam neminem salvari posse* 257. *Pontificem Romanum maximi facit* 265
Cyprius *(Gregorius) patriarcha CP.* 1014 et seqq. *Joannem Beccum orthodoxum patriarcham CP. crudeliter persequitur* 1017 et 1018
Cyprius *(Philippus) scriptor Græcus seriem patriarcharum ab Andrea Apostolo deducit* 18. *Crassi illius errores indicantur* 1010, 1064 et 1215. *Patriarchas Constantinopolitanos usque ad annum Christi* MDCXXXIX *recenset* 1178
Cyriacus *patriarcha CP.* 416 et seqq.
Cyriacus *vel* Cyrillianus *an fuerit episcopus Byzantinus* 41
Cyriacus *Adanorum episcopus fuit præceptor Nectarii præsulis CP.* 134
Cyrillus I *cognomento* Lucares *hæreticus fit patriarcha Constantinopolitanus* 1437. *Sæpius sedi restituitur* 1454, 1456, 1466 et 1468
Cyrillus II *cognomento* Contarenus *patriarcha Constantinopolitanus* 1458 et seqq.

Cyrillus III *cognomento* Spanus, *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1484. *Post dies XX expulsus sedi iterum restituitur* 1485
† Cyrus *patriarcha CP.* 517 et 518
† Cyrillus *Alexandrinus S. Joanni Chrysostomo diu adversatus est* 172 et seqq. *Laudat S. Atticum Constantinopolitanum* 185. *Vitia Nestorii hæresiarchæ narrat* 199

D

† Damasus *Papa violentam Maximi Cynici consecrationem improbat* 120
Dandulus *(Andreas) scripsit Chronicon, quod typis excusum est* 882
David *Paphlago scripsit Vitam S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani* 611
Delrio *(Martinus) S. J. copiose scripsit de arte magica* 1280
† Demetrius *martyr sanitatem miraculose Andronico schismatico imperatori confert* 1295
Demophilus *hæreticus ab Arianis patriarcha CP. eligitur* 108. *Solus sedem occupat* 110 et seqq.
Deuterius *episcopus Arianus dum quemdam hæretico modo vult baptizare, aqua disparet* 148
Diodorus *episcopus Tarsensis dicitur dedisse occasionem eligendi Nectarium præsulem Constantinopolitanum* 130 et seqq.
Diogenes *an fuerit episcopus Byzantinus* 34
Dionysius I *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1209 et 1211. *Falso accusatus calumniatores confundit* 1213. *Sedi suæ restituitur* 1320. *An fuerit orthodoxus* 1324 et seqq.
Dionysius II *patriarcha CP.* 1372 et seqq.
Dionysius III *cognomento* Spanus *patriarcha Constantinopolitanus* 1493
Dionysius IV *cognomento* Muselimes *patriarcha Constantinopolitanus elegitur* 1501. *Sæpius sedi restituitur* 1503 et seqq.
Dionysius *patriarcha Antiochenus falso Euphemium CP. Nestorianæ hæreseos arguit* 242
Dolscius *(Paulus) Augustanam Lutheranorum confessionem Græce vertit* 1389 et 1395
Dometius, *an fuerit episcopus Byzantinus* 48
† Dorotheus *martyr non scripsit de initio cathedræ Constantinopolitanæ* 19 et seqq.
Dorotheus *Arianus episcopus Constantinopoli clam præfuit suæ sectæ* 145. *Ab aliis Arianis in fide discrepat* 146
Dorotheus *Monembasiensis scripsit Græce synopsim variarum historiarum* 1060
Dositheus *patriarcha CP.* 862 et seqq.
Dositheus *patriarcha Hierosolymitanus famam Meletii Pegæ ab hæresi Calviniana vindicare nititur* 1423
Dousa *(Georgius) heterodoxus Batavus Meletium schismaticum impense laudat* 1421. *Societatem Jesu calumniatur* 1425
Ducas *(Joannes) quo anno imperii habenas susceperit* 935. *Quando obierit* 954
Ducas *orthodoxus et nobilis ex imperatoria stirpe historicus Græcus pertinaciam schismaticorum graphice depingit* 1130 et seqq., 1157. *Ruinam urbis Constantinopolitanæ, a Turcis captæ, schismati imputat* 1161
Dupin *(Elias) Gallus sequioris doctrinæ scriptor reprehenditur.* 383

E

Ecclesiæ *Romanæ auctoritas a novatoribus impugnata ab antiquis Patribus multis citationibus defenditur* 262 et seqq.
Echardus *(Jacobus) recensuit scriptores Ordinis Prædicatorum* 941
Eleusius *Cyzicenus jussu Theodosii imperatoris ad synodum venisse dicitur, ut hæreticos Macedonianos defenderet* 138
Eleutherius, *de quo agit Martyrologium Romanum, a Majoribus nostris recte prætermissus est* 35 et 36. *Videtur cum alio homonymo confusus* ibid. *An fuerit episcopus Byzantinus* 37
Elffius *(Philippus) auctor Encomiastici Augustiniani citatur* 1270
† Eliæ *Acta die* IV *Julii illustrata* 252
Elisabetha *uxor Cralis principis Triballorum, patriarcham Constantinopolitanum schismaticum impense veneratur* 1087
† Ennodius *indicat, Acacium CP. a bonis moribus descivisse* 231
Epiphanius *Patriarcha CP.* 342 et seqq.
Ephræmius *poëta Græcus quædam falsa nobis obtrudit* 877. *Recenset carmine quosdam patriarchas Constantinopolitanos* 920
Esaïas *Patriarcha CP.* 1060 et seqq.
Etherianus *(Hugo) scripsit librum contra Græcos de processione S. Spiritus* 838
† Euagrius *Patriarcha Constantinopolitanus mox expulsus* 108 et 109
Eucherius *quando fuerit consul* 127 et 129
Eudæmon-Joannes *(Andreas) S. J. natione Græcus* 1283. *In Italiam ab imperatore mittitur* 1111
Eudoxia *imperatrix S. Joannem Chrysostomum in exsilium expellit* 151
Eudoxius *ad cathedram CP. evectus, statim crasso modo hæresim suam proponit* 97. *Orthodoxos persequitur* 99 et seqq. *Impia sua dogmata subinde dissimulans tempori serviebat* 103 et seqq.
Eugenicus *(Marcus) a Philippo Cyprio et Matthæo Cigala imperite inter patriarchas Constantinopolitanos numeratur* 1215 et seqq.
Eugenius *an fuerit Byzantii episcopus* 49 et seqq.
Eugenius IV *Pontifex summo studio unionem Græcorum cum Latinis procuravit* 1128 et seqq.
† Eulalius *episcopus Syracusanus docet, austeram vitam extra communionem Romanæ Ecclesiæ nihil ad æternam salutem prodesse* 267
Eunomius *ab imperatore Theodosio Constantinopolim accersitus dicitur, ut hæresim suam propugnaret* 138
Euphemius *Patriarcha CP.* 241 et seqq.
Eusebius *Nicomediensis fit Patriarcha CP.* 69 et seqq. *Constantino Magno imperatori odiosus* 72 et seqq. *Postea in gratiam istius principis redit* 74. *Sæpius cathedram suam mutat* 75 et seqq.
Eusebius *Cæsariensis laudat Eusebium Nicomediensem ob mutatam sæpius cathedram* 76
Eustathius *Patriarcha CP.* 725 et seqq.
† Eustathius *patriarcha Antiochenus an cum altero homonymo confusus fuerit* 108

Eustatius

Eustatius *Thessalonicensis scripsit commentarios in Homerum* 730
Eustratius *cognomento* Garidas *patriarcha Constantinopolitanus* 769 et seqq.
Eutychianus *quando fuerit consul* 150
† Eutychius *fit patriarcha CP.* 368 et seqq. *Sedi restituitur* 377. *Erroneam quamdam opinionem retractat* 378
Eutychius *patriarcha Alexandrinus* 56
Euthymius I *patriarcha CP.* 669 et seqq.
Euthymius II *fit patriarcha CP.* 1110. *Videtur fuisse orthodoxus* 1111 et seqq.
Euzoius *an fuerit episcopus Byzantinus* 39
Everhardus *Latinus patriarcha CP.* 891 et seqq.
Excommunicatio *et absolutio miros effectus in schismatica Græcorum ecclesia habere dicuntur* 1230 et seqq. *Quidam orthodoxi scriptores eis nimiam vim concedunt* 1273 et seqq., et 1345

F

Facundus *Hermaniensis episcopus occasione trium capitulorum scripsit* 358
† Flavianus I *patriarcha CP.* 220 et seqq.
Flavianus II *vel* Flavitas *patriarcha Constantinopolitanus* 235 et seqq.
† Flaviani *Acta illustrata die* IV *Julii* 252
Felix *Papa Romanus ab Acacio CP. patriarcha e diptychis expungitur* 233
Felix *an fuerit episcopus Byzantinus* 37
Fiklerus *(J.-B.) Lutheranos refellit* 1397
Fredericus I *imperator de odio Græcorum contra Latinos ad filium suum scribit* 840
Freherus *(Marquardus) qui edidit Jus Græco-Romanum, corrigitur* 730, 1103, 1104 et 1113
† Fulgentius *docet, nullum in hæresi aut schismate salutem consequi posse* 259

G

Gabriel I *patriarcha Constantinopolitanus* 1418
Gabriel II *patriarcha CP.* 1488 et seqq.
Gabriel III *patriarcha CP.* 1513 et seqq.
Gabriel *(Philadelphiensis) purgatorium rejicit* 1270
Gardebosc *(Ambrosius) erectionem cathedræ Byzantinæ perperam S. Andreæ tribuit* 5. *Effugium ei præcluditur* 13
Garidas *(Eustratius) patriarcha CP.* 769 et seqq.
Gelasius I *Papa damnat scripta Maximi Cynici* 124. *Testatur, Acacium CP. in sua pertinacia schismatica perseverasse* 233. *Ideo eum post mortem absolvi non posse* 285 et seqq.
Gelasius *Cyzicenus seculo* V *scripsit* 53
Genebrardus *videtur errasse in assignando mortis Gennadii II seu Georgii Scholarii anno* 1195
† Gennadius I *patriarcha CP.* 227 et seqq.
Gennadius II *antea dictus* Georgius Scholarius *patriarcha CP.* 1181 et seqq.
† Georgius I *præsul Constantinopolitanus hæresim Monotheliticam deseruit* 482 et seqq.
Georgius II *cognomento* Xiphilinus *patriarcha Constantinopolitanus* 867 et seqq.
† Georgius *quo tempore martyrium passus sit* 50
Gerasimus I *patriarcha CP.* 1053 et seqq.
Gerasimus II *patriarcha CP.* 1503
Gerganus *(Zacharias) Græcus erroribus Calvinistarum favet* 1524
Gerlachius *(Stephanus) Crusio explicat statum et mores Emmanuelis Malaxi* 1175. *Operam dedit, ut Græcos schismaticos hæresi Lutherana inficeret* 1395. *Mores Metrophanis III patriarchæ CP. describit* 1402
† Germanus I *patriarcha CP. perperam hæreseos accusatur* 524 et seqq.
Germanus II *patriarcha CP.* 935 et seqq.
Germanus III *patriarcha CP.* 987 et seqq.
Gervasius *Latinus patriarcha CP.* 891 et seqq.
Glaber *occidentalis monachus Græcorum legationem qua sperabant obtinere licentiam uti* Œcumenici *titulo narrat* 331 et 332
Glycas *(Michaël) scriptor Græcus schismati addictissimus* 746
Glycys *(Joannes) patriarcha CP.* 1050 et seqq.
Goar *(Jacobus) Dominicanus excommunicationi et absolutioni miram vim concedit in schismatica Græcorum ecclesia* 1249, 1273 et seqq. *Hæc ipsius opinio refellitur* 1295 et seqq.
Gobelinus *(Joannes) scripsit gesta Pii II summi Pontificis* 1150
Godefridus *monachus scripsit Annales* 892
Gonzalez *(Antonius) ex Ordine Minorum conqueritur de fraudulenta violentia, quam Græci schismatici Franciscanis Terræ sanctæ inferunt* 1541
Græci *numeros litteris alphabeticis exprimunt* 66
Græcus *anonymus Nomocanonis auctor fateri cogitur indissolutionem corporis non semper excommunicationem sequi* 1268
Grammaticus *(Nicolaus) patriarcha CP. perperam a Baronio confusus cum Nicolao Muzalone item patriarcha CP.* 777
Gregoras *(Nicephorus) scripsit historiam Byzantinam* 963. *Disturbavit unionem Græcorum cum Latinis ineundam* 1066 et 1067. *Hæresi Palamitarum adversatur* 1079
† Gregorius I *Nazianzenus indicat, cathedram CP. non fuisse a sancto Andrea institutam* 11 et seqq. *Maximum Cynicum scriptis acriter exagitat* 122 et 123. *Ad cathedram CP. evehitur, et brevi eam abdicat* 127 et seqq. *Zelum Nectarii contra hæreticos accendit* 141
Gregorius II *cognomento* Cyprius *patriarcha CP.* 1014 et seqq. *Joannem Beccum prosequitur* 1017
Gregorius III *cognomento* Melissenus *vel* Mammas *patriarcha CP.* 1144. *A Syropulo schismatico acriter calumniatur, quia unionis erat defensor strenuus* 1145. *Ipsius scripta* ibid. *Romæ non sine opinione sanctitatis moritur* 1149 et 1150
Gregorius IV *patriarcha CP.* 1452
† Gregorius I *Papa titulum* Œcumenici *in Joanne Jejunatore CP. acriter reprehendit* 311, 387, 400 et seqq. *Propter eamdem causam Cyriacum CP. increpat* 418 et seqq.
Gregorius IX *Pontifex Græcos ad unionem Ecclesiæ reducere conatur* 938
Gregorius XIII *Pontifex Calendarium per resectionem decem dierum emendavit* 1405. *Populos Orientales variis beneficiis affecit* 1408. *A Jeremia, patriarcha CP. accepit reliquias SS. Andreæ Apostoli, et Joannis Chrysostomi* 1409
Gretserus *(Jacobus) S. J. censet, non sine divino*

consilio

consilio ab ipsis schismaticis editam esse historiam posteriorum temporum de patriarchis 1176. *Consulendus est de duplici monitione electionem patriarcharum CP. præcedente* 1200. *Disserit de miraculis, quæ contingunt hæreticis, vel ab ipsis patrari dicuntur* 1295 et seqq.
Guilielmus *Neubrigensis mira narrat de cadaveribus, quæ e sepulcris egrediuntur* 1244 et seqq.
Guillius *(Dionysius) S. J. innuit, Timotheum patriarcham CP. fuisse orthodoxum* 1433. *Multis laudibus effert Cyrillum Contarenum, suum olim discipulum, et postea patriarcham Constantinopolitanum* 1458 et seqq. *Pro fide catholica persecutiones minasque mortis patitur* 1462
Gundobaudus *Burgundionum rex, ad quem scripsit S. Avitus Viennensis* 230

H

Hadrianus I *Papa reprehendit titulum* Œcumenici, *antistiti CP. datum* 309 et seqq.
Hæretici *et schismatici pertinaces nullam habent spem salutis æternæ* 257 et seqq.
Hæretici *Europæi schismaticos Orientales tuentur, et cum his easdem calumnias contra ecclesiam Romanam repetunt* 1124 et seqq., 1420, et 1439. *Dogmata eorum ab ipsis Græcis schismaticis damnantur* 1389, 1393 et seqq., 1447
Halloix *(Petrus) S. J. explicat, quomodo hæretici interdum possint patrare miracula* 1302 et 1303
Haroldus *(Franciscus) ex Ordine Minorum exponit varias molestias, quibus schismatici Franciscanos in Palæstina afficiunt, ut sacrorum locorum contra Latinorum jura potiantur* 1537 et seqq.
Heerbrandus *(Jacobus) scripsit compendium theologiæ Lutheranæ, quod in gratiam Græcorum schismaticorum a Crusio Græce versum est* 1396
† Helena *vidua interdum Lutheranis, opem suam implorantibus, confert beneficia* 1296
Henschenius *(Godefridus) S. J. Acta S. Maximiani præsulis CP. illustravit* 203
Hermogenes *sub Constantio imperatore magister equestris militiæ a plebe occiditur* 81
Hieremias *patriarcha Constantinopolitanus interfuit conciliabulo schismatico, quod contra Latinos anno* 1722 *celebratum est* 1547
Hieromnemon *(Joannes) patriarcha Constantinopolitanus* 779 et seqq.
Hierosolymitanus *(Cosmas) patriarcha CP. ab Anna Comnena schismatica laudatur* 763
Hilarius *(Henricus) Lutheranus libellum Philippi Cyprii hæreticis notis contaminavit* 1178. *Gratis duos Arsenios Monembasienses ejusdem fere temporis antistites comminiscitur* 1352. *Habuit epistolam Græcam Arsenii schismatici, qua Calvinistas reprobat* 1451. *Falsa quædam retulisse ostenditur* 1488 et seqq.
Hokston *(Joannes) heterodoxus Anglus Nicolaum Comnenum Papadopolum potius contumeliis, quam argumentis impugnat* 1511. *Ab Eusebio Renaudotio erroris convincitur* ibid.
Holen *(Gotschalcus) ex Ordine S. Augustini narrat prodigium excommunicati cadaveris, quod ipsemet vidit* 1271
Homindonius *(Joannes) Menæa Græcorum collegit, et Dionysio II patriarchæ Constantinopolitano dedicavit* 1380 et seqq.
Honorius *quando IV fuerit consul* 150
Honorius III *Pontifex Latinum Constantinopoleos patriarcham acriter increpat* 902
† Hormisdas *Papa die sexta Augusti colitur, etsi Tillemontius non videatur sanctitatem ejus agnoscere* 270. *Voluit S. Macedonium CP. exsulem sedi suæ restituere* 278
Hottingerus *(Joannes Henricus) hæreticus Cyrillum Lucarem patriarcham CP. magnis laudibus extollit* 1439
Hugo *Flaviacensis abbas meminit legationis Græcorum, qua sperabant obtinere licentiam uti* Œcumenici *titulo* 333
Humbertus *Cardinalis, et Sylvæ Candidæ episcopus, Græcos schismaticos refellit* 739
Hyparchus *(Antonius) Menæa Græcorum collegit, et Dionysio II patriarcha Constantinopolitano dedicavit* 1380 et seqq.

I

Iberia (*Cyrillus ab) an fuerit ab aliis Cyrillis, patriarchis Constantinopolitanis, distinctus* 1476
† Ignatius *patriarcha CP.* 857 et seqq. *Sedi suæ restituitur* 652
Inclusus *(Neophytus) an inter Patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus* 817 et seqq.
† Innocentius I *Papa consecrationem Arsacii præsulis CP. improbat* 156. *Scribit in causa S. Attici præsulis CP.* 168 et seqq.
Innocentius III *significationem nominis* Œcumenici *explicat* 312
Innocentius VI *Pontifex ab imperatore Palæologo accipit litteras de unione Græcorum cum Latinis ineunda* 1086
Innocentius XI *Papa prohibuit, ne Græcis sine singulari licentia eleemosynas in Occidentis regionibus colligere permittatur* 1530 et seqq.
† Irenæus *præsul Lugdunensis potestatem Ecclesiæ Romanæ describit* 264
Irene *quando imperatrix coronata* 765
Irenicus *(Theodorus) patriarcha CP.* 925 et seqq.
Isaacius *Comnenus imperator Michaëlem Cerularium e sede CP. expellit* 740 et seqq.
Isidorus I *cognomento* Bouchiras *patriarcha CP.* 1072. *Palamæ favet erroribus* 1073
Isidorus II *cognomento* Pneumaticus *patriarcha Constantinopolitanus* 1198 et 1199
Isidorus *præsul Ruthenus et S. R. E. Cardinalis Constantinopolim mittitur, ut unionem Græcorum in concilio Florentino initam firmiter stabiliat* 1130, 1153 et 1155. *Fuit Constantinopoli, dum urbs illa a Turcis intercipiebatur et callide cædem evasit* 1137. *Fuit ut postea Bessarion patriarcha honorarius tantum urbis CP.* 1138

J

Janningus *(Conradus) edidit Acta S. Metrophanis primi præsulis Constantinopolitani* 55
Jesu Maria *(Bernardus Josephus a) ex Ordine Minorum procurator Terræ sanctæ* 1534 et 1535
Jacobus *patriarcha CP.* 1505 et seqq.
Jeremias I *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1358. *Sedi restituitur* 1365
Jeremias II *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1393. *Bis sedi suæ restituitur* 1404 et 1416 *An fuerit orthodoxus* 1409 et seqq.
Joachimus *patriarcha CP. eligitur* 1334. *Sedi restituitur* 1341
Joachimus *patriarcha Antiochenus circa finem seculi decimi sexti* 1414
† Joannes I *cognomento* Chrysostomus, *patriarcha Constantinopolitanus* 149 et seqq.
Joannes II *cognomento* Cappadox *patriarcha CP.* 298. *An sit inter sanctos numerandus* 300 et seqq. *Laudatur a sancto Sophronio aliisque catholicis* 302 et 384. *An primus nomen* Œcumenici *usurparit* 305 et seqq.
Joannes III *cognomento* Scholasticus, *patriarcha Constantinopolitanus*. 372. *Perperam in Mæneis Græcorum inseritur* 374 et 375
Joannes IV *cognomento* Jejunator *patriarcha Constantinopolitanus* 382 et seqq. *Primus titulum* Œcumenici *sibi usurpavit* 324, 386, 387 et seqq. *Tamquam Sanctus refertur in variis Menologiis Græcorum* 391 et seqq.
Joannes V *patriarcha CP.* 472 et seqq.
Joannes VI *patriarcha CP.* 517 et seqq.
Joannes VII *sive* Jannes *fit patriarcha Constantinopolitanus* 617. *De magia aliisque criminibus accusatur* 618 et seqq.
Joannes VIII *cognomento* Xiphilinus *patriarcha Constantinopolitanus* 754 et seqq.
Joannes IX *cognomento* Hieromnemon *patriarcha Constantinopolitanus* 779 et seqq.
Joannes X *cognomento* Camaterus *patriarcha Constantinopolitanus* 872 et seqq.
Joannes XI *cognomento* Veccus *sive* Beccus *patriarcha Constantinopolitanus* 1000 et seqq.
Joannes XII *cognomento* Sozopolitanus *patriarcha Constantinopolitanus* 1025 et seqq.
Joannes XIII *cognomento* Glycys *patriarcha Constantinopolitanus* 1050 et seqq.
Joannes XIV *cognomento* Aprenus *patriarcha Constantinopolitanus* 1065 et seqq.
Joannes *Pontifex Romanus seculo sexto adiit Constantinopolim* 20
Joannes *diaconus S. Gregorii vitam scripsit* 399
Joannes *Comnenus, imperator Græcus, Latinis bellum intulit* 786
Joannes *Tranensis in Apulia episcopus a Græcis ad schisma solicitatur* 739
Joannicius I *patriarcha CP.* 1362 et seqq.
Joannicius II *patriarcha Constantinopolitanus primo et iterum* 1483. *Sedi tertio restituitur* 1485
Joasaphus I *cognomento* Coccas *vel* Cusas *patriarcha CP.* 1200. *In puteum se conjicit* 1201. *A Sultano deponitur et ei illuditur* 1202
Joasaphus II *patriarcha CP.* 1385 et seqq.
Joasaphus, *monachus Græcus, ab hæreticis multum laudatur* 1519 et 1520
Jonas *a schismaticis Orientalibus præsul Ruthenorum electus* 1324
Josaphatus *Andrius, archimandrita Græcus, Timotheum patriarcham CP. veneno interfici curat* 1435. *Fit archiepiscopus Chalcedonensis, et postea occiditur* 1436
Josephus I *fit patriarcha Constantinopolitanus* 997. *Sedi restituitur* 1008
Josephus II *fit patriarcha CP.* 1114. *Postquam Florentiæ unionem cum Ecclesia Romana amplexus esset, ibidem subito moritur ac honorifice sepelitur* 1116. *Ejus epitaphium et effigies exhibentur* 1121 et 1123. *An titulo* Œcumenici *usus fuerit* 338 et seqq., 1117
Josephus *episcopus Methonensis, orthodoxus scriptor Græcus indicat, quales unionem Græcorum, cum Latinis Florentiæ initam, violaverint* 1129. *Calamitatem Græcorum schismati imputat* 1641 et seqq. *Scripsit pro quinque capitibus Concilii Florentini* 1192
Julius *Pontifex Romanus sancto Paulo exsuli succurrit et ei cathedram Constantinopolitanum restitui curat* 85 et seqq.
Justiniani *(Pantaleon) Latinus patriarcha Constantinopolitanus* 912. *Recepta a Græcis CP. sedem suam deserere coactus est* 915
Justinianus *imperator, cognomento* Rhinotmetus, *Callinicum CP. præsulem excæcari jussit* 507
Justinianus *imperator S. Mennam CP. impio suo edicto subscribere cogit* 358. *S. Eutychium CP. præsulem, eidem subscribere renuentem, exsilio damnat* 369 et seqq.

K

Keskines *(Parthenius) patriarcha CP.* 1482. *Ad sedem reversus expellitur et strangulatur* 1483
Ketwigh *(Joannes Baptista van) Dominicanus narrat terribile schismaticæ pertinaciæ exemplum* 1162. *In publicis thesibus agit de fraude Græcorum, qui pecuniam colligunt* 1528 et seqq.
Koialowicz *(Albertus Wiiuk) S. J. conscripsit Historiam Lithuaniæ* 1326
Krantzius *(Albertus) mirabilem excommunicationis effectum affirmat* 1272
† Kuncevicius *(Josaphat) archiepiscopus Polocensis et martyr* 1289 et 1290

L

Lambecius *(Petrus) auctor commentariorum de Bibliotheca Cæsarea sæpius citatur* 1068, 1080, 1094, 1104, 1107, etc. *Opusculorum Arsenii Monembasiensis præsulis meminit* 1351
Laonicus (*Chalcocondylas*) *scriptor Græcus de ultima schismaticorum Græcorum unione cum Romana ecclesia quid narret* 1155
Lascaris *(Theodorus) imperator Græcus, occupata a*

Latinis

Latinis Constantinopoli, Nicæam se recepit 877. *Quando obierit* 935
Latini *occupata Constantinopoli, patriarchas suos ibidem habuerunt* 882 et seqq.
Laurentius *an fuerit episcopus Byzantinus* 39
Lazarus *patriarcha Hierosolymitanus Cantacuzenum Adrianopoli coronat* 1072. *Ab Urbano V summo Pontifice ad unionem cum Latinis ineundam invitatur* 1092
Leloyer *(Petrus) fabulis annumerat narrationes Græcorum de incorruptis excommunicatorum cadaveribus* 1258
Leo *cognomento* Stypes *vel* Styppiota, *patriarcha Constantinopolitanus* 783 et seqq.
† Leo I *Papa negat, cathedram CP. ab aliquo Apostolorum institutum esse* 8. *S. Atticum Constantinopolitanum laudat* 187. *Prærogativas, quas præsules Constantinopolitani violenter in quodam canone Concilii Chalcedonensis usurparunt improbat* 319 et seqq.
† Leo IX *Papa Michaëlem Cerularium increpat ob usurpatum* Œcumenici *titulum* 336 et 406. *Mittit ei legatos et epistolas* 740
Leo *imperator quo anno obierit* 673
Leo *(Acridanus) metropolita Bulgarorum scripsit contra Latinos* 739
Leontius *cognomento* Theotocites *patriarcha Constantinopolitanus* 860 et 861
† Libentii *archiepiscopi Bremensis acta* IV *Januarii illustrata* 1272
Lichudes *(Constantinus) patriarcha Constantinopolitanus* 750 et seqq.
Ligaridius *(Pantaleon) Græcus orthodoxus fatetur, Græcam schismaticorum ecclesiam timore excommunicationis præcipue gubernari* 1265 et 1287. *Non est admodum æquus Latinis* 1289 et 1290
Lima *(Marcus) S. J. natione Græcus* 1277
Lucares (*Cyrillus*) *fit patriarcha CP.* 1437 et seqq. *Sæpius sedem Constantinopolitanam recuperat* 1454, 1456, 1466 et 1468. *Tandem a Turcis strangulatur* 1457 et 1464
Lucas *cognomento* Chrysoberges *patriarcha Constantinopolitanus* 832 et seqq.
Luna *(Petrus de) pseudo-pontifex dicitur hactenus jacere indissoluto cadavere* 1293
Lupus (*Christianus*) *refellitur* 499 et seqq. *Explicat, quid sit apud Turcas Pescesium* 1210. *Narrationi auctoris Græci schismatici nimiam fidem tribuit* 1345
Lutherani *frustra tentarunt Græcos schismaticos ad suam hæresim adducere, aut approbationem suæ sectæ ab iis extorquere* 1389, 1395 et seqq.

M

Macarius *patriarcha Constantinopolitanus* 1096
Macarius *Cæsareæ episcopus an fuerit patriarcha Constantinopolitanus* 1412 et 1413
Macarius *Ancyranus falsam schismatis Græcorum causam fingit* 842
Macedonius I *hæreticus fit episcopus Constantinopolitanus* 80. *Orthodoxos crudeliter persequitur* 90 et seqq. *Propter crudelitatem ab ipsis hæreticis e sede CP. deturbatur* 94. *Expulsus novam hæresim cudit* 95
† Macedonius II *patriarcha Constantinopolitanus falso ab Anastasio imperatore criminatus tamen ejicitur* 288 et seqq.
Mæstlinus *(Michaël) heterodoxus emendationem Calendarii Gregoriani impugnavit* 1405
Maffeius *(Petrus) S. J. narrat miram de milite defuncto historiam* 1294
Mahometes *imperator Turcarum, capta Constantinopoli, Græcos patriarcham eligere jubet, ut hoc modo urbem frequentiorem reddat* 1169 et seqq. *Poscit a Gennadio patriarcha explicationem religionis Christianæ, edictumque ei favens proponit* 1183 et 1184. *Quo anno mortuus fuerit* 1313
Malala *(Joannes) Euphemium CP. perperam Nestorianæ hæreseos accusat* 242
Malaxus *(Emmanuel) Græcus scriptor schismaticus patriarchas Constantinopolitanos ab anno* MCDLIII *usque ad* MDLXXVIII *recenset* 1174. *De studio partium accusatur* 1175. *In gratiam sectæ suæ aliquid improbabile nobis obtrudit* 1343 et seqq.
Maldonatus *(Joannes) S. J. examinat, an hæretici possint patrare miracula* 1301
Mammas *(Gregorius) patriarcha Constantinopolitanus orthodoxus, Romæ cum magna sanctitatis opinione moritur* 1149 et seqq. *Patriarchatus illius ab hæretico Creyghtono impudenter et temere negatur* 1143, 1147 et seqq.
Manasses *(Constantinus) historicus Græcus* 669
Manuel I *cognomento* Sarantenus *patriarcha Constantinopolitanus* 933 et seqq.
Manuel II *cognomento* Charitopulus *patriarcha CP.* 954 et seqq. *Non videtur abhorruisse ab unione cum Latinis* 959
Manuel *imperator quando patri suo Joanni Comneno successerit* 790. *Ad Alexandrum III pontificem legationem mittit* 838
Marca *(Petrus de) corrigitur* 722
Marcesina *pellex imperatoris a Nicephoro Blemmida publice e templo ejicitur* 963
Marcianus *imperator a Pontifice Romano petiit, ut sedes CP. ad secundum dignitatis gradum eveheretur* 9 et 10
Marcus *cognomento* Xylocarabes *patriarcha Constantinopolitanus* 1204 et seqq.
Marcus *an fuerit episcopus Byzantinus* 41
Marcus *(Eugenicus) Ephesius antistes infensissimus synodi Florentinæ ac unionis inimicus* 1132 et 1215. *Imperite inter patriarchas CP. annumeratur* 1215 et seqq.
Marguinus *scriptor Græcus Photianismum ex miraculis tympanitarum probare nititur et a Papadopolo retunditur* 1286 et 1291
Marinus *episcopus Arianus Constantinopoli clam suos hæreticos gubernabat.* 146
† Martinus *papa Typum damnat* 449. *Violenter Roma abductus in exsilium mittitur* 451 et seqq.
Martinus V *Papa Antonium Massanum Minoritam mittit Constantinopolim, ut unionem inter ecclesiam Græcam et Latinam procuret* 1115
Martyrologium *Romanum meminit de S. Eleutherio tamquam episcopo Byzantino, quem Majores nostri caute omiserunt* 35 et 36
Massanus *(Antonius) ex Ordine Minorum missus est Constantinopolim, ut ecclesiam Græcam cum Latina uniret* 1115
Mathias *vel* Matthæus *Latinus patriarcha Constantinopolitanus* 898
Matthæus I *patriarcha CP.* 1106. *Ejus hypotyposis et testamentum* 1104 et 1107
Matthæus II *fit patriarcha CP.* 1417. *Bis sedi restituitur* 1419 et 1426
Matthæus *filius Cantacuzeni imperatoris* 1082

Mauritius *imperator videtur dedisse initium opinioni de sanctitate Joannis Jejunatoris præsulis Constantinopolitani* 396 et seqq.
Maurocenus *vel* Moresini *(Thomas) patriarcha Latinus Constantinopolitanus* 882 et seqq.
† Maximianus *in sedem Constantinopolitanam post Nestorium ascendit* 203
Maximus I *patriarcha CP.* 930 et seqq.
Maximus II *antea dictus* Manuel *patriarcha Constantinopolitanus* 1223
Maximus III *antea dictus* Manasses *patriarcha Constantinopolitanus* 1328 et 1329
Maximus *philosophus Cynicus violenter sedem CP. occupare tentat* 119. *In Occidentem proficiscitur, et quosdam Italiæ præsules decipit* 120. *An scripserit contra Arianos* 123 et seqq.
† Maximus *Sedem Romanam et Apostolicam ab Ecclesia Catholica non distinguit* 268
Melanchthon *(Philippus) Augustanam Lutheranorum confessionem ad Joasaphum* II *patriarcham CP. misit* 1389 et 1395
Meletius *cognomento* Pegas *an inter patriarchas CP. sit numerandus* 1420 et seqq.
† Meletii *Antiocheni Acta illustrata die* XII *Februarii et in tractatu de patriarchis Antiochenis* 252
Melissenus *(Gregorius) patriarcha CP. orthodoxus Romæ non sine opinione sanctitatis obiit* 1149 et seqq. *Patriarchatus ejus ab hæretico Creyghtono temere negatur* 1143, 1147 et seqq.
Menæa *Græcorum aliquando hæreticos, schismaticos, aliosve indignos numero Sanctorum adscribunt* 144, 159, 374, 469, 495, 544 et seqq., 581, 764, 1094. *Quando typis excusa et cui dedicata fuerint* 1380. *Præcipui illorum corruptores recensentur* 563 et 564
† Mennas *vel* Menas *fit patriarcha CP.* 354. *Ab Agapeto Pontifice laudatur* 357. *Postmodum a Vigilio Papa excommunicatur* 359. *Humiliter delicti sui veniam petit* 364
Merobaudes *quando fuerit consul* 138
† Methodius I *fit patriarcha CP,* 623. *Falso turpissimi criminis accusatur* 637 et seqq.
Methodius II *patriarcha CP.* 951 et seqq.
Methodius III *patriarcha CP.* 1499
Metochita *(Theodorus) ostenditur non fuisse patriarcha Constantinopolitanus contra opinionem Raynaldi* 1053 et 1054
† Metrophanes I *a quibusdam quartus, ab aliis primus Byzantii episcopus vocatur* 50 et seqq. *Ipsius Acta ad diem* IV *Junii illustrata* 55
Metrophanes II *patriarcha Constantinopolitanus unioni addictissimus* 1139 et seqq.
Metrophanes III *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1390. *Sedi suæ restituitur* 1401. *An fuerit orthodoxus* 1402
Michaël I *cognomento* Cerularius *fit patriarcha CP.* 738. *Schisma renovat* 739 et seqq.
Michaël II *cognomento* Oxites *Patriarcha Constantinopolitanus* 791 et seqq.
Michaël III *cognomento* Anchialinus *Patriarcha CP.* 837 et seqq. *Disturbat unionem cum Latinis ineundam* 839. *Græcos contra Crucesignatos incitasse videtur* 840
Michaël IV *cognomento* Autorianus *patriarcha Constantinopolitanus* 921 et seqq.
Michaël *patriarcha Antiochenus circa finem seculi decimi sexti* 1412
Mindonius *(Ignatius) Græcus orthodoxus, apud Trapezuntios magna auctoritate pollebat* 1431
Muntanes *(Nicetas) patriarcha CP.* 856 et seqq.
Muselimes *(Dionysius) fit patriarcha CP.* 1501. *Sæpius ad sedem redit* 1503, 1505, 1507 et 1512
Muzzala *(Georgius) Latinorum cæremoniarum sacrilegus imitator punitur* 1162 et 1163
Muzalon *(Nicolaus) patriarcha CP. perperam a Baronio confusus cum Nicolao Grammatico Constantinopolitano* 777. *Fabulosam S. Parasceves Vitam comburi jubet* 811

N

Nectarius *miro modo eligitur antistes Constantinopolitanus* 130 et seqq. *Publicam peccatorum confessionem abrogat.* 143. *In Menæis Græcis pro Sancto celebratur* 144
Neophytus I *Patriarcha CP.* 1426 et 1427
Neophytus II *patriarcha CP.* 1467
Neophytus III *patriarcha CP.* 1512
Neophytus IV *patriarcha CP.* 1515
Nestorius *hæresiarcha fit patriarcha CP.* 193 et seqq. *Post varia exsilia meritas blasphemiæ pœnas dedit* 200 et seqq. *Ab Orientalibus quibusdam tamquam Sanctus, hactenus colitur* 202
† Nicephorus I *patriarcha CP.* 598 et seqq. *Seriem præsulum suæ sedis a S. Stachy deducit.* 5. *Sed ab impostore deceptus fuit* 14 et 15
Nicephorus II *Patriarcha CP.* 973 et seqq.
Nicephorus *Philosophus scripsit Acta S. Antonii II patriarchæ CP.* 664 et seqq.
Nicephorus *Melissenus, Græcus orthodoxus, post carcerem et vincula, apud Turcas tolerata, fit episcopus Crotonensis in Italia* 1430
Nicetas I *fit Patriarcha Constantinopolitanus* 582. *Quam fuerit ignarus* 584. *Hæresim Iconoclastarum profitetur* 585
Nicetas II *cognomento* Muntanes *Patriarcha Constantinopolitanus* 856 et seqq.
Nicetas *scripsit Vitam S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani* 611
† Nicolaus I *cognomento* Mysticus *fit patriarcha CP.* 667. *Sedi restituitur* 679 et seqq.
Nicolaus II *cognomento* Chrysoberges *patriarcha Constantinopolitanus* 712 et seqq.
Nicolaus III *cognomento* Grammaticus *patriarcha Constantinopolitanus nefandæ Bogomilorum hæreseos adversarius* 772 et seqq.
Nicolaus IV *cognomento* Muzalon *patriarcha Constantinopolitanus* 810 et seqq.
Nicolaus *Latinus patriarcha CP.* 908 et seqq.
Nicolaus I *Papa dicit, neminem ex Apostolis erexisse cathedram CP.* 3 et 4. *Laudat virtutem Nectarii præsulis CP.* 137. *Titulum* Œcumenici *in patriarchis CP. improbat* 330
Nicolaus V *Papa Isidorum Ruthenum et S. R. E. Cardinalem misit Constantinopolim, ut unionem Græcorum cum Latinis Florentiæ initam firmiter stabiliret* 1130. *Gregorium patriarcham CP. sedi suæ restitui voluit* 1152. *Instantem urbis CP. ruinam prænuntiasse dicitur* 1168
Nifo *Alexandrinus ab Urbano V Papa ad unionem cum Latinis ineundam invitatur* 1092
Nilus *patriarcha CP.* 1098 et seqq.
Niphon I *patriarcha CP.* 1044 et seqq.
Niphon II *patriarcha CP.* 1313. *Sedi restituitur* 1330. *An fuerit orthodoxus* 1330 et seqq.
Niphon *defensor hæresis Bogomilorum* 797 et seqq.
Numerianus *dux* 50

O

O

Œcumenici *titulus quando cœperit, parergon speciale* 305 et seqq. *Quomodo præsules Constantinopolitani eum affectarint* ibid. *Græculi eumdem falso quibusdam Actis inseruerunt* 693
Olearius *(Joannes) professor Lipsiensis, accepit litteras, ex quibus colligitur tempus, quo Methodius III in cathedra CP. sedit* 1499
Olympianus *an fuerit episcopus Byzantinus* 41
Onesimus, *de quo S. Paulus Apostolus meminit, an fuerit episcopus Byzantinus* 32
† Optatus *Milevitanus auctoritatem Ecclesiæ Romanæ contra Donatistas tuetur* 266
Origenes *docuit, pœnas inferni aliquando finem habituras* 1231. *Hunc errorem Græci quidam schismatici sequuntur* 1231 et 1270
Osius *Hispanus interfuit concilio Nicæno* 53
Oudinus *(Casimirus) Religionis ac fidei apostata perstringitur* 383, 843, 937, 944, 1001 et 1190
Oxites *(Michaël) patriarcha CP. impiam Bogomilorum hæresim damnavit* 792

P

Pachomius I *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1339. *Sedi restituitur* 1342 et seqq.
Pachomius II *cognomento* Batistas *patriarcha Constantinopolitanus* 1414
Pachymeres *(Georgius) historicus Græcus* 957
† Pacianus *Barcinonensis docet, martyrium extra unionem Ecclesiæ nihil ad salutem conferre* 259
Pagius *(Antonius) corrigitur* 385, 720 et 871
Païsius *Patriarcha CP.* 1485
Palæologus *(Michaël) ab imperatore Joanne Duca carceri mancipatus intercessione Manuelis Charitopuli patriarchæ liberatur* 957. *Ab Arsenio Autoriano CP. excommunicatur ob unionem cum Latinis initam* 984. *Quo anno mortuus fuerit* 1006
Palæologus *(Calo-Joannes) ope Francisci Catalusii Genuensis imperium occupat* 1084
Palamas *(Gregorius) novam hæresim docendo inter suos sectatores et alios schismaticos dissidium induxit* 1068 et seqq. *Ipsi favent imperator Cantacuzenus, Isidorus, Callistus Philotheusque Patriarchæ Constantinopolitani* 1073, 1079, 1083 et seqq. *In Triodio Græcorum inter Sanctos inseritur* 1091. *Et revera ab aliquibus schismaticis Græcis colitur* 564 et 565
Palladius *scripsit Vitam S. Joannis Chrysostomi Constantinopolitani præsulis* 149
Panvinius *(Onuphrius) sæpius corrigitur* 1100, 1103, 1104, 1110, 1118, 1195, etc.
Papadopolus *(Nicolaus Comnenus) natione Græcus et doctor Patavinus, miram vim concedit excommunicationi et absolutioni in schismatica Græcorum ecclesia* 1263, 1274 et seqq. *Hæc ipsius opinio fuse refutatur* 1278 et seqq. *Ab Anglo hæretico potius contumeliis, quam argumentis, impotenter impugnatur* 1511
Papebrochius *(Daniel) S. J. in chronologia corrigitur* 162
† Parasceves *fabulosam Vitam Nicolaus Muzalon comburi jubet* 811
Parthenius I *patriarcha CP.* 1477 et seqq.
Parthenius II *cognomento* Keskines *patriarcha CP. Calvinianis favet* 1481, 1482 et 1525
Parthenius III *patriarcha CP.* 1487
Parthenius IV *cognomento* Chumchumis *fit patriarcha Constantinopolitanus* 1492. *Sæpius sedi restituitur* 1494, 1499, 1503 et 1505
Parisius *(Matthæus) Ecclesiæ Romanæ calumniator, forte litteras Germani patriarchæ Constantinopolitani corrupit* 943
Patellarius *(Athanasius) fit patriarcha CP.* 1445. *Post expulsionem e sede sua videtur unionem cum Ecclesia Romana amplexus esse* 1484
Paulinus *junior quando fuerit consul* 354 et seqq.
† Paulus *patriarcha CP., qui mox expellitur* 67. *Sedi restituitur* 87
Paulus II *præsul Constantinopolitanus, primo subdolus et occultus hæreticus Monothelita* 446 et seqq. *Jam morti proximus injuriam Pontifici Romano illatam deplorat* 451 et seqq.
Paulus III *fit patriarcha Constantinopolitanus* 496. *Conciliabulo quini-sexto seu Trullano probabilius subscripsit* 497 et seqq.
† Paulus IV *fit patriarcha CP.* 589. *Ante mortem hæresim utiliter ejuravit* 591 et seqq.
Pegas *(Meletius) an fuerit patriarcha Constantinopolitanus* 1420 et seqq. *Ab hæreticis Occidentalibus impense laudatur* ibid.
Pelagius II *papa acta synodi CP. in qua Joannes jejunator sibi titulum* Œcumenici *vindicaverat dissolvit* 386
Pertinax *an fuerit episcopus Byzantinus* 39. *Quomodo ad fidem conversus fuisse dicatur* 40
Pescesium *apud Turcas quid sit* 1210
Petavius *(Dionysius) S.J. emendationem Calendarii Gregoriani propugnavit* 1405
Petrus *hæreticus patriarcha CP.* 458 et seqq.
† Petrus *apostolus non videtur constituisse primum Byzantii episcopum* 2 et seqq.
Petrus *Antiochenus scribit ad Michaëlem Cerularium Constantinopolitanum* 719
Philadelphus *an fuerit, ut asseritur, primus Byzantii episcopus* 49
Philippicus *imperator S. Cyrum præsulem CP. exauctoravit* 516
Philippus *præfectus prætorii jussu Constantii imperatoris S. Paulum e sede CP. expellit* 82. *Ejus loco Macedonium Arianum substituit* 83
Philostorgius *scriptor Arianus convincitur erroris et mendacii* 101
Philotheus *patriarcha CP. eligitur* 1083. *Ad sedem revertitur* 1089. *Palamiticæ hæresi acerrime adhæret* 1090. *Ipsum Palamam inter Sanctos refert* 564 et 1091. *Utrum in schismati et hæresi obierit* 1092 et seqq.
Phocas *imperator titulum* Œcumenici *patriarchis Constantinopolitanis abrogavit* 424 et seqq.
Photius *patriarcha CP. auctor schismatis* 645. *Erat eruditus* 647. *Sed moribus corruptus* 648 *Horrendo modo excommunicatur* 654. et seqq. *Quo dolo sedi fuerit restitutus* 656 et seqq. *Ab aliquibus Græcis pro Sancto celebratur* 660
Phraïtas *vel* Flavitas *aut* Flavianus II *patriarcha Constantinopolitanus* 235 et seqq.
Phranza *(Georgius) historicus Græcus in errorem chronologicum incidit, qui corrigitur* 1020
Pinius *(Joannes) S.J. gesta S. Anatolii CP. contra*

tra Baronium atque Tillemontium defendit 224
Pius II *summus Pontifex, antea dictus Æneas Piccolomineus auctor commentarii de statu Europæ* 1121. *Narrat quomodo Isidorus Ruthenus cardinalis, urbe CP. capta, cædem effugerit* 1137
Plusiadenus *(Joannes) orthodoxus scriptor Græcus citatur* 1127 et 1128
Plutarchus *an fuerit episcopus Byzantinus* 34
Polycarpus *an fuerit episcopus Byzantinus* 33 et 37
† Polyeuctus *patriarcha CP.* 700 et 701. *Ejus Acta a Bollando fuerunt illustrata* ibid.
Pontanus *(Jacobus) S. J. corrigitur* 1075 et 1076
Pontifex *Romanus ab hæreticis et schismaticis contemptus ab antiquis Patribus magni æstimatur et defenditur* 262 et seqq.
Possevinus *(Antonius) S. J. emendationem Calendarii Gregoriani propugnavit* 1405
Possinus *(Petrus) S. J. corrigitur* 1031 et seqq.
Probus *an fuerit episcopus Byzantinus* 48
† Proclus *fit antistes CP.* 207. *Heresim Nestorii strenue impugnat* 209 et seqq. *De tempore mortis ejus inter eruditos disceptatur* 212 et seqq.
Procopius *quidam scriptor supposititius* 23. *Crassos anachronismos obtrudit* 45 et seqq.
† Prosper *laudat S. Atticum CP.* 187
Prossalentus *(Franciscus) Græcus Amstelodami librum edidit contra Benjaminum Woodroff Anglum heterodoxum* 1514
Psellus *(Michaël) schismaticus Michaëlem Cerularium CP. vituperat* 744
Pyrrhus *præsul CP. hæreticus Monothelita* 441. *In exsilium pellitur, aut ultro discedit* 444 et 445. *Ad sedem suam reversus, tremendo modo a Pontifice Romano excommunicatur* 455

R

Raderus *(Matthæus) S. J. sæpius citatur occasione parergi de auctoritate Mæneorum Græcorum* 545 et seqq. *Putat in Menæis Græcorum pro Sancto coli Josephum II patriarcham CP. qui Florentiæ unionem cum Latinis iniit* 1122
Raphael I *cognomento* Servius *patriarcha Constantinopolitanus* 1220
Raphael II *cognomento* Methymnæus *patriarcha Constantinopolitanus* 1427 et seqq.
Rayæus *(Nicolaus) S. J. in Acoluthia Officii Græci putat, Philotheum patriarcham Constantinopolitanum amplexum esse unionem cum Latinis, de qua re dubitamus* 1093
Raynaldus *(Odoricus) continuator Annalium ecclesiasticorum refellitur* 1053 et seqq.
Raynaudus *(Theophilus) scripsit tractatum de incorruptione cadaverum* 1242, 1247 et 1248
Renaudotius *(Eusebius) eruditus Gallus, Banduro communicavit catalogum patriarcharum Constantinopolitanorum, in quo series eorum ab anno Christi* MDXCIV *usque ad* MDCCII *deducitur* 1180. *Contra opinionem aliorum admittit tantummodo unicum Georgium Scholarium, qui prius Latinis faverit, et postea iis adversatus sit* 1189. *Quædam scripta ejusdem Scholarii enumerat* 1193 et seqq. *Videtur duos patriarchas homonymos confudisse* 1496
Rezepii *(Constantini) qui ex Turca Christianus factus fuerat, ob excommunicationem cadaver indissolutum mansisse dicitur* 1260
Rhamnusius *(Paulus) scripsit Historiam de bello Constantinopolitano* 883
Ricaut *heterodoxus edidit opusculum de statu præsenti Ecclesiæ Græcæ* 1310
Riccardus *(Vincentius) Opera S. Procli CP. edidit, ac eruditis notis illustravit* 210
Richardus *(Franciscus) S. J. narrat quædam exempla divinæ vindictæ, quæ Græcis schismaticis contigerunt* 1163. *Varia refert de cadaveribus indissolutis apud Græcos* 1241 et seqq. *Scripsit contra Græcos schismaticos, et ab ipsis frustra excommunicatus fuit* 1267. *Varias schismaticorum fraudes et magicas artes ad fingenda miracula detegit* 1308 et 1309
Robertus *imperator CP.* 897 et 898
Romanæ *Ecclesiæ auctoritas a novatoribus impugnata ab antiquis Patribus defenditur* 262 et seqq.
Romanus *imperator Byzantinus insidiis uxoris suæ Zoës interficitur* 735
Rufinus *an fuerit episcopus tertius Byzantii* 50

S

Sancti *vel* Sanctissimi *titulus quomodo interdum accipiatur* 403 et seqq.
Sancto Laurentio *(Laurentius de) ex Ordine Minorum, Guardianus Hierosolymitanus, conqueritur de fraudibus Græcorum* 1543 et 1544
Sancto Paulo *(Carolus a) abbas Fuliensis, ac dein episcopus Abrincensis, S. Metrophanem nominat primum Constantinopoleos episcopum* 51
Sarantenus *(Manuel) patriarcha CP.* 933 et seqq.
Saturninus *quando fuerit consul* 138
Scaliger *(Josephus) emendationem Calendarii Gregoriani impugnavit* 1405
Scamandrenus *(Basilius) patriarcha Constantinopolitanus* 702 et seqq.
Schismaticorum *Græcorum pertinacia quibusdam exemplis declaratur* 1162 et 1163. *Conciliabulum anno* MDCCXXII *contra Latinos cogunt* 1547. *Hujus conciliabuli præcipui articuli* 1548
Schmidelinus *(Joannes Andreas) frustra operam dedit, ut Græcos schismaticos hæresi Lutherana inficeret* 1395
Scholarius *(Georgius) antea dictus* Gennadius, *patriarcha CP., imperatori Turcarum mysteria fidei Christianæ exponit* 1183. *An duplex ejusdem nominis et cognominis patriarcha sit distinguendus* 1187 et seqq. *Ab impudica sacerdotis Græci vidua falso accusatus fuisse dicitur* 1230
Scholasticus *(Joannes) patriarcha CP. perperam in Menæis pro Sancto colitur* 374 et 375
Schotto *(Andreas) Photii bibliothecam Græco-Latine edidit* 189
Schweigherus *(Salomon) frustra tentavit Græcos ad hæresim Lutheranam adducere* 1395. *Martino Crusio mortem Metrophanis CP. indicat* 1401
Scylitza *(Joannes) historicus Græcus* 708
Sedecion *an fuerit episcopus Byzantinus* 34
Selimes *Turcarum imperator quando obierit* 1392
Sergius I *patriarcha CP.* 433 et seqq.
Sergius II *patriarcha CP.* 719. *Non fuit binominis, ut Pagius perperam putavit* 720
Servius *(Raphael) patriarcha CP. ebriosus, et linguæ Græcæ ignarus* 1221 et seqq.

Simocatta *(Theophylactus) scriptor Græcus* 396
Simon *Latinus patriarcha CP.* 906 et 907
Simplicius *Papa Romanus ex bona fama Acacium CP. laudat* 231
Sintzindorff *(Joachimus a) orator Cæsareus apud imperatorem Turcarum* 1396
† Sisinnius I *fit patriarcha CP.* 188. *Ipsius zelus contra hæreticos Messalianos* 189. *A Cœlestino papa laudatur* 190 et 191
Sisinnius II *patriarcha CP.* 719 et seqq.
Socolovius *(Stanislaus) theologus Stephani regis Poloniæ Lutheranos confundit, edita responsione patriarchæ CP.* 1397
Socrates *historicus Græcus non ubique eamdem fidem meretur* 139 et 153. *Novatianis hæreticis sæpe favet* 139. *S. Atticum CP. laudat* 187. *Nestorium hæresiarcham carpit* 198. *S. Proclum CP. mendaciter traducit* 208 et 209
Solimannus *Turcarum imperator quo anno regnare cœperit* 1357. *Reliquias Sanctorum a se profanandas minatur, nisi patriarcha CP. quamdam pecuniæ summam solvat* 1359
† Sophronius *Hierosolymitanus laudat Joannem Cappadocem, præsulem CP.* 302 et 385
Sophronii *(Cretensis) narratio de corpore cujusdam excommunicati* 1310
Sozomenus *historicus Græcus non ubique eadem fide dignus* 130 et seqq. *Interdum Novatianis favet* 139
Sozopolitanus *(Joannes) fit patriarcha CP.* 1025
Spanhemius *(Fredericus) heterodoxus gratis asserit, omnia Georgii Scholarii scripta, quæ Latinis favent, supposititia esse* 1188
Spanus *(Cyrillus) fit patriarcha Constantinopolitanus* 1484. *Ad sedem suam redit* 1485
Spanus *(Dionysius) fit patriarcha CP.* 1493
Sparwenfelt *nobilissimus baro Menologium Sclavo-Russicum Latine redditum nobis relinquit* 544
Spondanus *(Henricus) continuator Annalium ecclesiasticorum* 872. *Corrigitur* 1102 et seqq. *Negat obtrusa a Græcis schismaticis miracula* 1258
† Stachys *an fuerit primus episcopus Byzantinorum et unus e* LXX *discipulis Christi* 29 et seqq.
† Stephanus I *post Photium sedem Constantinopolitanam occupat* 661 et seqq.
Stephanus II *patriarcha CP.* 683 et seqq.
† Stephani *Papæ Acta ad diem secundam Augusti illustranda* 261
Studita *(Antonius) patriarcha CP.* 707 et seqq.
Stypes *vel* Styppiota *(Leo) patriarcha Constantinopolitanus in Menæis Græcis, tamquam Sanctus, celebratur* 787 et 788
Suarez *de miraculis a pravis hominibus patratis, quid sentiat* 1300
Susza *(Jacobus) episcopus Chelmensis scripsit Acta B. Josaphati Kuncevicii, archiepiscopi Polocensis et martyris* 1290
Syagrius *quando fuerit consul* 127 et 129
Sylvester *patriarcha Alexandrinus circa finem seculi decimi sexti* 1412 et 1414
Symeon *cognomento* Trapezuntius, *pecunia data, sedem CP. ascendit* 1205. *Sedi restituitur* 1218
Symeon *Logotheta historicus Græcus* 646
Symeon *Thessalonicensis dum de quadam lucubratione Callisti II patriarchæ CP. tractat eum perperam Sanctum vocat* 1105
† Symmachus *Pontifex a Tillemontio de inhumana duritie perperam accusatur* 250
Syrigus *(Meletius) famam Meletii Pegæ ab hæresi Calviniana vindicare nititur* 1423
Syropulus *(Silvester) mendacem historiam de Concilio Florentino Græce scripsit* 1115, 1124 et seqq. *Ab ipso Oudino apostata et hæretico accusatur de studio partium* 1115

T

† Tarasius *patriarcha CP.* 596 et 597
Taffernerus *(Paulus) S. J., scripsit libellum de itinere suo Constantinopolitano* 1488 et seqq. *Mutuam duorum patriarcharum CP. expulsionem narrat* 1494 et seqq.
Theodora *imperatrix orthodoxa cultum sanctarum imaginum restituit* 621 et seqq.
Theodoretus *gesta Nestorii hæresiarchæ summatim refert* 196. *S. Atticum CP. laudat* 187
Theodorus I *fit patriarcha Constantinopolitanus* 478 *Sedem recuperat* 489
Theodorus II *cognomento* Irenicus *vel* Copas *patriarcha CP.* 925 et seqq.
† Theodorus *Siceota deceptus fuit in spe, quam de Sergio CP. antistite conceperat* 434 et seqq. *Sancto Thomæ patriarchæ Constantinopolitano familiaris exstitit* 431
Theodorus *papa tremendo modo Pyrrhum præsulem CP. hæreticum excommunicat* 455
Theodorus *imperator Nicephoro Blemmidæ patriarchatum Constantinopolitanum offert* 963
Theodorus *lector narrat, Euphemium CP. Henotico Zenonis imperatoris decreto imprudenter subscripsisse* 243
Theodorus *Arianus, episcopus Heracleensis* 80
Theodosius *cognomento* Borradiotes *patriarcha Constantinopolitanus* 847 et seqq.
Theodosius *imperator audaciam Arianorum restringit* 116. *Demophilum Arianum ex cathedra CP. expellit* 117
Theodotus I *cognomento* Cassiteras *patriarcha Constantinopolitanus* 601 et seqq.
Theodotus II *patriarcha CP.* 814
Theognis *vel* Theognius *Arianus hæreticus, episcopus Nicænus* 80
Theoleptus I *patriarcha CP.* 1356 et 1357
Theoleptus II *patriarcha CP.* 1415 et 1416
Theophanes *patriarcha CP.* 1419
Theophilus *Alexandrinus, inimicus S. Joannis Chrysostomi* 150
Theophylactus *imperatoris filius adhuc juvenis patriarcha CP. creatur* 694. *Post laudabilia initia moribus indignis sedem contaminat* 695 et seqq.
Theotocites *(Leontius) patriarcha CP.* 860 et 861
† Thomas *fit patriarcha CP.* 430. *Laudatur in Menologio Basiliano* 431
Thomas II *patriarcha CP.* 463 et seqq. *Menæa Græca ipsum pro Sancto colunt* 469 et 470
Thomassinus *(Ludovicus) variis modis excusare nititur Joannem Jejunatorem patriarcham Constantinopolitanum ob usurpatum* Œcumenici *titulum* 408 et seqq. *Corrigitur* 881 et 901
Tillemontius, *Attico præsuli CP. sanctitatem abjudicans, refellitur* 165 et seqq. *Audax quoddam ejusdem effatum examinatur* 250 et seqq.
Timotheus I *cognomento* Litrobules *vel* Colon *patriarcha CP.* 292 et seqq.
Timotheus II *patriarcha CP.* 1432 et seqq.
Titus *an fuerit episcopus Byzantinus* 43. *Dicitur martyrio affectus fuisse* 44 et seqq.

Trapezuntina

Trapezuntina *civitas quo anno a Turcis obsidioni data et capta fuerit* 1202
Trapezuntius *(Symeon) patriarcha CP. primus auctor doni, quod initio patriarchatus jam imperatori Turcarum offerri solet* 1210. *Sedi suæ restituitur* 1218
Trapezuntius *(Georgius) orthodoxus scriptor Græcus* 1129. *Scripsit Acta B. Andreæ de Chio* 1132. *Virtutes Gregorii Melisseni et Isidori Rutheni laudat* 1149. *Miseriam Græcorum schismati adscribit* 1159
Tratus *an fuerit episcopus Byzantinus* 43. *Dicitur laurea martyrii coronatus esse* 44 et seqq.
† Tryphon *patriarcha Constantinopolitanus* 686. *Fraudulenter exauctoratur* 692. *Non usus fuit titulo* Œcumenici 693
Turcæ *nunc patriarchas CP. Græcorum pro suo arbitrio vel majori pecuniæ summa admittunt et expellunt* 1172. *Sæpe illos ignominia vel extremo supplicio afficiunt* 1222, 1445, 1452 et seqq.
Tzimisces *(Joannes) Græcorum imperator, quo anno sit mortuus* 708

U

Ungnadius *(David) orator Cæsareus apud Selimum imperatorem Turcarum* 1396
Unio *Græcorum cum Latinis sæpe nequidquam tentata* 785, 786, 838, 839, 873 et seqq., 938, 945 et seqq. *In Concilio Lugdunensi solenniter est initia* 995. *Sed mox iterum dissoluta* 966. *Rursus tentata disturbatur* 1066, 1111 et 1112
Urbanus V *Pontifex Philotheum Constantinopolitanum patriarcham et alios ad ineundam cum Latinis unionem invitat* 1092

V

Valens *imperator S. Euagrium e sede CP. dejicit et in exsilium mittit* 108. *Catholicos persequitur* 112. *In tugurio comburitur* 115
Valesius *(Henricus) licet Socratem et Sozomenum historiographos Græcos defendat, illos tamen Novatianis favisse fatetur* 139
Vasquez *(Gabriel) S. J. corrigitur* 449
Veccus *(Joannes) fit patriarcha CP.* 1000. *Unionem cum Ecclesia Romana amplectitur, ac pro ea multa patitur* 1002. *Ab ipsis schismaticis laudatur* 1003 et seqq. *Effigies illius repræsentatur* 1004
Vegius *(Maffeus) Josephi II patriarchæ CP. epitaphium edidit* 1121
Victor *Tununensis asserit, Acacium CP. in excommunicatione mortuum esse* 234. *Corrigitur* 295
Victorello *(Andreas) ad Vitas Pontificum additiones scripsit* 1408
Vigilus *papa occasione trium capitulorum Theodorum Cæsariensem et S. Mennam Constantinopolitanum excommunicat* 359 et seqq.
† Vincentius *Lerinensis hypocrisim Nestorii describit* 195. *Ejusdem inscitiam detegit* 197
Vincentius *legatus papæ in concilio Nicæno* 53 et 60
Vitalianus *Papa Romanus ab hæreticis Monothelitis e diptychis eraditur* 481
Viton *legatus papæ in concilio Nicæno* 53 et 60

W

Waddingus *(Lucas) qui scripsit Annales Minorum, corrigitur* 911 et 960
Wangnereckius *asserit Philotheum Patriarcham CP. in schismate hæresique perseverasse et mortuum esse* 1091 et 1093
Wharton *(Henricus) scriptor Anglus Creyghtonum popularem suum tueri non audet* 1148
Wibertus *synchronus scripsit Vitam S. Leonis IX Pontificis Romani* 740
Willelmi *abbatis quædam epistola ad Romanum pontificem contra Græcorum schismaticorum arrogantiam* 334
Woodroff *(Benjaminus) Græci collegii moderator Oxonii a disciplulo suo Græco refellitur* 1514

X

Xiphilinus *(Georgius) patriarcha Constantinopolitanus* 867 et seqq. *Huic præsuli Theodorus Balsamon suos commentarios in Nomocanonem Photii dedicavit* 867
Xiphilinus *(Joannes) patriarcha CP. lepide ab imperatrice deluditur* 755 et seqq.
Xylocarabes *(Marcus) patriarcha CP.* 1204. *Calumniatus expellitur* 1205 et 1206

Z

Zacchias *(Paulus) accepit epistolam a Leone Allatio scriptam de quorumdam Græcorum opinationibus* 1231, 1232 et seqq.
Zeminlachus *(Gregorius) præsul Ruthenus orthodoxus* 1324
Zeno *imperator edit decretum Henoticum, in quo abrogatio Concilii Chalcedonensis dolose latebat* 243
Zeuzippus *an fuerit tyrannus Byzantii* 5 et 26
Zoë *imperatrix maritum suum interfici jussit* 735
Zonaras *(Joannes) scriptor schismaticus superbiam Michaëlis Cerularii patriarchæ CP. depingit* 745
Zygabenus *vel* Zygadenus *(Euthymius) explicat hæresim Bogomilorum* 773
Zygomalas *(Theodosius) scriptor schismaticus Gregorium Melissenum patriarcham Constantinopolitanum orthodoxum impense laudat* 1146. *Monet, Malaxum odio vel amore in Historia sua scribenda duci, et pro utrolibet affectu res narrare* 1175. *De duplici monitione patriarcharum Constantinopolitanorum electionem præcedenti meminit* 1200. *Integram præsulum schismaticorum synodum arguit injustitiæ* 1388

INDEX

Dissertationis prævîæ ac parergorum, quæ huic Tractatui de patriarchis Constantinopolitanis inseruntur.

DISSERTATIO PRÆVIA.

De exordio cathedræ Constantinopolitanæ, seu potius Byzantinæ *pag.* 1* *et seqq.*

§ 1. An sanctus Petrus, an sanctus Andreas, vel aliquis ex Apostolis primum Byzantii episcopum constituerit *a pag.* 1*

§ 2. Quinam continuam præsulum Byzantinorum seriem ab Andrea Apostolo deduxerint, et ex quo fonte illam hauserint *a pag.* 3*

§ 3. Deteguntur varia Græci impostoris figmenta, et examinatur series præsulum Byzantinorum, qui ante S. Metrophanem sedisse dicuntur *a pag.* 5*

§ 4. Refertur diversa quorumdam opinio circa primum antistitem Byzantinum seu Constantinopolitanum *a pag.* 10*

PARERGA.

PARERGON I. Quomodo Maximus philosophus sedem Constantinopolitanam vi et fraude occupare tentaverit *pag.* 24* *et seqq.*

PARERGON II. De Arianis, qui titulum episcopi Constantinopolitani inter suos gesserunt, eorumque dissensione *pag.* 30* *et seqq.*

PARERGON. III. Sanctitas Attici, episcopi Constantinopolitani, multis argumentis contra Tillemontium vindicatur *pag.* 33* *et seqq.*

PARERGON IV. Occasione Euphemii et Macedonii præsulum Constantinopolitanorum audex Tillemontii effatum examinatur *pag.* 48* *et seqq.*

PARERGON V. An Joannes Cappadox nomen Patriarchæ Œcumenici primus usurpaverit, et quomodo aliqui præsules Constantinopolitani eumdem titulum affectaverint *pag.* 57* *et seqq.*

PARERGON VI. Disquiritur, utrum præsul Constantinopolitanus Joannes, cognomento Jejunator, inter Sanctos sit numerandus *pag.* 71* *et seqq.*

PARERGON VII. Quæritur, an Anastasius patriarcha Constantinopolitanus in sacris Græcorum fastis sit relinquendus, et hac occasione auctoritas Menæorum examinatur *pag.* 95* *et seqq.*

PARERGON VIII. Disquiritur, an Neophytus, cognomento Inclusus vel Claustrarius inter patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus *pag.* 137* *et seqq.*

PARERGON IX. De patriarchis Latinis, qui ab anno Christi MCCIV usque ad MCCLXI Constantinopoli sederunt *pag.* 147* *et seqq.*

PARERGON X. De calumniis schismaticorum et hæreticorum contra synodum Florentinam, et de patriarchatu Constantinopolitano Isidori ac Bessarionis *pag.* 186* *et seqq.*

PARERGON XI. De pertinacia Græcorum in schismate, patriarchali administratione, et nonnullis patriarcharum catalogis post captam a Turcis Constantinopolim *pag.* 192* *et seqq.*

Parergon XII. De impiis aliisque excommunicatis, quorum cadavera apud Græcos indissoluta manere, et non nisi post acceptam absolutionem dissolvi dicuntur *pag.* 203* *et seqq.*

§ 1. De tumidis et indissolutis cadaveribus quorumdam impiorum, quos Græci communiter βρουκολακους appellant *a pag.* 203*

§ 2. An in schismatica Græcorum ecclesia post excommunicationem corpora defunctorum intumescant, et post absolutionem statim in cineros redigantur *a pag.* 206*

§ 3. Opinio Goaris et Papadopoli de potestate, qua cadavera excommunicatorum apud Græcos schismaticos indissoluta manent, et post absolutionem in cineres revertuntur *a pag.* 210*

§ 4. Refellitur sententia Goaris et Papadopoli circa miram excommunicandi et absolvendi potestatem, quæ adhuc in schismatica Græcorum ecclesia superesse dicitur, et ea de re judicium nostrum profertur *a pag.* 214*

Parergon XIII. An Meletius, cognomento Pegas, inter patriarchas Constantinopolitanos sit numerandus *pag.* 235* *et* 236*

Parergon XIV. De schismaticis impostoribus, qui ubique *etiam in Occidentalibus regionibus*, pecuniam colliguunt *pag.* 251* *et seqq.*

ACTA SANCTORUM

AUGUSTI

TOMUS PRIMUS

QUATUOR PRIMOS DIES EJUSDEM MENSIS COMPLECTENS.

INDEX

ALPHABETICUS

SANCTORUM

AD TOMUM PRIMUM AUGUSTI.

A

4 Agabius episcopus confessor, Veronæ, in Italia 318
1 Almedha virgo et martyr in Wallia 70
2 Anonymi VII martyres Nicomedienses, *ex Hieronymianis* 155
1 Arcadius archiepiscopus Bituricensis in Gallia. Sylloge de antiquo cultu, ætate et gestis 59
4 Aristarchus S. Pauli Apostoli discipulus 314
3 Aspren episcopus confessor Neapoli in Campania Commentarius historico-criticus § 1. Sancti cultus, Acta et gloria posthuma 200. § 2. Examen quarumdam circumstantiarum, quas scriptores Neapolitani Actis addiderunt 203. § 3. Judicium nostrum de substantia traditionis Neapolitanæ 206. § 4. Novum systema circa tempus quo Sanctus ad episcopatum Neapolitanum assumptus fuit 210
3 Augustinus episcopus ex Ordine FF. Prædicatorum Luceriæ in Apulia. Commentarius prævius. § 1. Legitimus Beati cultus ex diversis monumentis 283. § 2. Augmentum ejusdem cultus ex recentiori confirmatione et novo Officio 286. § 3. Scriptor Actorum eorumque auctoritas et chronotaxis 287. § 4. Beati sepulcrum, reliquiæ et recentiora miracula 290. — Vita auctore Joanne Tomco Marnavitio, episcopo Bosnensi, *ex editione Sigismundi Ferrarii, qui in Appendice ad res Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum a pag. 1 illam Joannis Tomci lucubrationem typis vulgavit.* Caput 1. Beati patria, parentes, religiosæ vitæ professio in Ordine Prædicatorum, ac primi labores 297. Cap. 2. Promotio ipsius ad episcopatum Zagrabiensem ; stupenda quædam miracula et variæ virtutes 293. Cap. 3. Exhortatio quam ad clerum suæ diœcesis instituisse dicitur 295. Cap. 4. Pia illius gesta in episcopatu Zagrabiensi 299. Cap. 5. Concio, quam B. Augustinus habuisse traditur in comitiis Hungariæ ad sedandas istius regni turbas et factiones 300. Cap. 6. Translatio Beati ab episcopatu Zagrabiensi ad Lucerinum ; pastorales in hac posteriori diœcesi labores ac pius obitus 304. Cap. 7. Beati sepulcrum, reliquiæ, miracula et gloria posthuma 306. — Miracula antiquiora quæ post mortem Beati contigerunt, *ex veteri Ms. Officio Lucerino, quod cum editione Sigismundi Ferrarii contulimus* 308
2 Auspicius episcopus Aptæ Juliæ in Provincia Galliæ 155

B

4 Baumadus confessor Tutelæ apud Lemovices in Gallia. Sylloge de cultu et gestis, *ex Baluzii monumentis Tutelensibus* 336
1 Bandaridus episcopus confessor Suessione in Gallia. Commentarius prævius. Sancti nomen, cultus, ætas, Acta, reliquiæ, elogium 60. — Vita *ex Ms. ecclesiæ Cathedralis Suessionensis, descripta a Nicolao Belfortio, servata capitum in autographo distinctione.* Præfatiuncula 62. Caput 1. Pastor in omnibus perfectissimus, impiorum calumniis apud regem accusatus, in exsilium pellitur ; sed pressi calamitatibus Suessiones, ipsum requirere coguntur 63. Cap. 2. Repertus in Anglia, ad sedem suam honorifice reducitur ; gregem calamitatibus liberat, multisque clarus miraculis S. Medardum sepelit, et meritis plenus laborum præmio coronatur 65
2 Betharius episcopus confessor Carnoti in Gallia. Commentarius prævius. Sancti cultus, Acta et ætas 167. — Vita, *auctore anonymo ex Ms. D. Andreæ du Chesne, collato cum Ms. bibliothecæ nostræ Claromontanæ Parisiis* 169
1 Bonus, Faustus, Maurus, Primitivus, Calumniosus, Joannes, Exuperius, Cyrillus, Theodorus, Basilius, Castulus et Honoratus martyres Romani, *ex Actis S. Stephani PP.* 19

C

4 Crescentianus, Justus et forte Sachintus *vel* Jachintus, *ex Hieronymianis* 319
4 Ciccus *seu* Franciscus confessor Tertii Ordinis

S. Francisci,

S. Francisci, Pisauri in Marchia Anconitana. Commentarius prævius. De aliquali cultu, ætate et gestis 654. — Vita in lectiones novem divisa, *ex Ms. Pisaurensi* 656

1 Cyrillus, Aquila, Petrus, Domitianus, Rufus et Menander, *ex Martyrologiis* 29

D

3 Dalmatus *vel* Dalmatius archimandrita et Faustus ejus filius ac monachus Constantinopoli. Commentarius prævius. § 1. Verosimilior venerationis dies, antiquus cultus, duplex Actorum compendium, et nonnulla S. Dalmatii elogia 214. § 2. Varia Actorum exemplaria et eorum auctoritas 216. § 3. Obscura et intricata Sancti chronotaxis utcumque explicata 218. — Acta *quæ Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis a pag.* 697 *Græco-Latine edidit ex Ms. codice San-Germanensi, quem nos cum duobus aliis Mss. Græcis contulimus.* Caput 1. Sancti conversio, vita monastica, et auxilium Synodo Ephesinæ latum contra hæresim Nestorii 219. Cap. 2. Aliquot epistolæ ultro citroque missæ in causa Nestorii, pia S. Dalmatii mors et honorificæ exsequiæ 222.

1 Decem beati Vallumbrosani : Rodulfus, Rusticus, Ericus, Albertus, Hieronymus, Melior, Benignus, Orlandus, Thesaurus et Michaël ; quorum hac die translationis festum agitur 101. Acta recognitionis et approbationis reliquiarum Beatorum Congregationis in monasterio Vallis-Umbrosæ repertarum, cum sententia lata per R. D. episcopum Fesulanum. Pars i, qua exponuntur præambula 102. Pars ii, Depositiones Valeriani Abbatis 104. Pars iii, Earum prosecutio et episcopi approbatio 105

3 Diogenes et Stephanus, forte et Albinus Romæ, *ex Martyrologiis* 213

4 Dominicus confessor fundator Ordinis FF. Prædicatorum Bononiæ in Italia. Commentarius prævius. § 1. Præmittitur notitia veterum auctorum, qui Vitam Sancti conscripserunt 359. § 2. Ficti et suppositii vel dubii ejusdem Vitæ scriptores, qui sub nomine veterum aut aliorum perperam ab aliquibus allegantur 362. § 3. Examinatur auctoritas Alani de Rupe, qui stupenda et antiquis ignota S. Dominici gesta narrat 365 . § 4. Judicium de recentioribus ejusdem Vitæ scriptoribus, qui post Alanum de Rupe floruerunt 368. § 5. Præmonitio de vetustis Sancti Actis, quæ post hunc Commentarium edituri sumus 370. § 6. Chronologicum Vitæ compendium, juxta quod reliquus Commentarius prævius ordinabitur 374. § 9. Examen signorum, quæ nativitatem Sancti prænuntiasse et antecessisse dicuntur 377. § 8. Annus nativitatis, patria, parentes et consanguinei 381. § 9. An Sanctus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit 384. § 10. Pia Sancti pueritia studia litterarum, et eo tempore eximia virtutum exercitia 387. § 11. Pia Sancti vita inter Canonicos regulares, et examen quarumdam rerum, quæ hoc tempore ab eo gestæ memorantur 391. § 12. Sancti itinera cum Didaco episcopo Uxamensi, et varia quæ in iis contigisse traduntur 395. § 13. Prima Sancti certamina cum hæreticis Albigensibus, et fundatio monasterii Pruliani 399. § 14. Alia gesta tempore decennii, quod Sanctus conversioni hæreticorum impendit 402. § 15. Nonnulla alia, quæ tunc in partibus Tolosanis contigisse dicuntur et eidem Sancto tribuuntur 406. § 16. Actus judiciales, quos Sanctus contra Albigenses exercuit, et hac occasione digressio de suppliciis hæreticorum 410. § 17. An Sanctus a Pontifice Romano constitutus fuerit primus Inquisitor contra hæreticam pravitatem 414. § 18. An Sanctus instituerit Ordinem de Militia Jesu Christi, qui postea in tertium Ordinem de Pœnitentia mutatis sit 418. § 19. Quid sit Psalterium seu Rosarium Deiparæ, et an Sanctus Prædicatorum fundator illud primus instituerit 422. § 20. Argumenta eorum, qui primam Rosarii institutionem S. Dominico tribuunt, et responsa, quæ illis opponi possunt 426. § 21. Argumenta illorum qui originem Rosarii putant antiquiorem ætate S. Dominici, et ad ea responsiones, variæque ad hæc responsa observationes 431. § 22. Conamen Sancti ad instituendum Ordinem Prædicatorum, electio regulæ et constitutionum 436. § 23. Tolosanum Fratrum cœnobium, notitia de primis Sancti sociis, et alia nonnulla, quæ hoc circiter tempore ante confirmationem Ordinis contigerunt 439. § 24. Confirmatio Ordinis Prædicatorum, singularia illius elogia, et breves vindiciæ ab impacta eidem calumnia 442. § 25. Quomodo hic Ordo titulum Prædicatorum acceperit et quibus aliis nominibus appellatus fuerit 446. § 26. Reditus Sancti ex urbe Romana in Tolosanam, dispersio primorum sodalium per Hispaniam et Galliam, et origo conventus Parisiensis 450. § 27. Discessus Sancti ex partibus Tolosanis ad urbem Romanam, insignia quædam miracula, et synopsis rerum, quas Romæ gessit 454. § 28. Principia cœnobii Bononiensis, mira visio Reginaldi, qui Ordinem ingredi voverat, et habitus Prædicatorum post hanc visionem mutatus 458. § 29. An Sanctus Romæ exercuerit Magisterium sacri Palatii, ad Ordinem admiserit S. Hyacinthum, et viderit divinam essentiam in quadam ecstasi 463. § 30. Alia nonnulla quæ Sanctus in hac commoratione Romana gessisse dicitur 467. § 31. Hispanicum S. Dominici iter, gesta Segoviæ, posthuma commorationis Segoviensis monumenta, et an Sanctus ibi sacra stigmata acceperit 470. § 32. Alia nonnulla quæ Sanctus in Hispania gessisse perhibetur 474. § 33. Quo tempore Sanctus ex Hispania in Galliam Italiamque discesserit, et quæ in illo itinere gesserit 478. § 34. An Sanctus interfuerit comitiis Franciscanorum, quæ vulgo Capitulum Storearum appellantur. 481. § 35. Alterum colloquium quod Sanctus noster Romæ aut Perusii cum S. Francisco habuisse dicitur 484. § 36. Varia Sancti gesta et itinera usque ad Pentecosten anni mccxx seu primum Capitulum generale 487. § 37. Acta quædam in primo Capitulo generali, quod Bononiæ anno mccxx celebratum est. 490. § 38. Sanctus post primum Ordinis sui capitulum generale ad diversas Italiæ civitates excurrit 493. § 39. Vera narratio de conversione Benedictæ Florentinæ, quæ cum fabulosa ejusdem conversionis historia conferri potest 498. § 40. Ultima Romana Sancti commoratio, et reditus Roma Bononiam, ubi exeunte Maio anni mccxxi

secundum

secundum capitulum generale celebravit 503. § 41. Acta in secundis comitiis generalibus, quibus Sanctus interfuit 506. § 42. Examen eorum, quæ Sanctus post secunda Ordinis comitia usque ad ultimum morbum fecisse traditur 509. § 43. Aliqua Sancti gesta, quæ ad certum tempus reduci non potuerunt 511. § 44. Ultimus Sancti morbus, pia mors, cœlitusque absentibus facta ejusdem obitus revelatio 514. § 45. Corporea Sancti forma, et Opera litteraria, quæ ab eo posteritati relicta dicuntur 518. § 46. Prima Sancti sepultura, et postmodum honorifica sacri ejus cadaveris elevatio 521. § 47. Legitimus processus, et alia ad locum tempusque canonizationis spectantia 523. § 48. Sancti cultus diversimode propagatus et auctus 528. § 49. Præcipua Sancti ossa apud RR. PP. Prædicatores Bononienses conservata, iisdemque asserta 529. § 50. Nonnullæ ejusdem Sancti reliquiæ alio translatæ et varia per eas patrata miracula 531. § 51. Effigies S. Dominici in Sorianensi Prædicatorum cœnobio, ubi intercessione ejusdem Sancti plura clientibus ejus beneficia conferuntur 534. § 52. Posthuma Sancti gloria ex innumeris miraculis 538. — VITA, *auctore B. Jordano, synchrono, ex Ordine Prædicatorum et secundo ejusdem Ordinis Magistro generali; ex antiquo Ms. membranaceo Uxamensi, quod conservatur in codice Musei nostri signato + Ms.* 162, *et cum editione Echardi collatum est.* PROLOGUS 541. CAPUT I. Sancti patria, pueritia, studia litterarum, virtutes, dignitas in Ordine Canonicorum Regularium, itinera et prima cum hæreticis Albigensibus certamina 542. CAP. 2. Bellum contra Albigenses decretum, intrepida S. Dominici inter hæreticos constantia, confirmatio Ordinis Prædicatorum ab ipso procurata, et Hispanicum Sancti iter 545. CAP. 3. Pia Reginaldi mors, professio religiosa Jordani et Henrici in Ordine Prædicatorum, et ejusdem Henrici laudes 548. CAP. 4. Duo Prima Ordinis Capitula generalia, Sancti felix obitus, honorificæ exsequiæ, quædam miracula et eximiæ virtutes 550. CAP. 5. Mira F. Bernardi energumeni historia, honorifica corporis S. Dominici elevatio seu translatio, et diversa miracula eo tempore per intercessionem ejusdem Sancti patrata 553. — VITA ALTERA *quam F. Bartholomæus Tridentinus ex Ordine Prædicatorum ante medium seculi* XIII *breviter conscripsit; excerpta est ex Ms. Codice* 2061, *qui Romæ in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini exstat, et nunc primum typis excuditur* 556. — ACTA AMPLIORA, *quæ F. Theodoricus de Appoldia, suppar Ordinis Prædicatorum scriptor ex variis antiquioribus monumentis collegit. Nunc primum ea sincera et integra exhibemus ex membranaceo nostro codice P. Ms.* 8, *quem cum altero Musei nostri codice signato P. Ms.* 7 *contulimus.* PROLOGUS PRIMUS 558. PROLOGUS SECUNDUS 560. TITULI veterum Capitulorum. Pars prima, pars secunda, pars tertia, pars quarta, pars quinta, pars sexta, pars septima, pars octava, 560, 561 et 562. CAPUT 1 Sancti prænuntiata nativitas, pia pueritia, studia litterarum, misericordia erga pauperes, aliæque virtutes; conversatio et dignitas inter Canonicos regulares 562. CAP. 2. Iter cum episcopo Oxomensi, prima contra hæreticos Albigenses certamina, et varia Sancti miracula 565. CAP. 3. Ardens martyrii desiderium, conversio quarumdam mulierum hæreticarum, et aliqua Sancti miracula in partibus Tolosanis patrata 567. CAP. 4. Sancti humilitas in recusanda dignitate episcopali, ecstasis, duæ prophetiæ, benevolentia Comitis Montisfortis, aliorumque erga ipsum 569. CAP. 5. Prædictiones de instituendo Ordine Prædicatorum, consilium istius institutionis revelatione probatum, et ejusdem Ordinis splendor cuidam theologiæ magistro in visione ostensus 570. CAP. 6. Diversæ Sancti revelationes, approbatio Ordinis Prædicatorum impetrata, et dispersio primorum sodalium ab ipso facta 572. CAP. 7. Ferventes ejus prædicationes, fama sanctitatis, reformatio sanctimonialium, et insignia quædam illius miracula 574. CAP. 8. Migratio FF. Prædicatorum et sanctimonialium in alterum locum, translatio imaginis Deiparæ, ejectio dæmonis ex energumena, et tres moniales a febri mox liberatæ 576. CAP. 9. Zelus Sancti, missio fratrum Bononiam, Reynaldi morbus precibus ejus ac mira Deiparæ unctione curatus, novus Ordinis habitus eidem ægrotanti ostensus, et punitio alicujus, qui sacram Prædicatorum vestem ludibrio exposuerat 577. CAP. 10. Revelationes Sancto factæ de singulari Deiparæ affectu erga Ordinem Prædicatorum, et subitanea duarum mulierum sanatio precibus illius mirabiliter obtenta 579. CAP. 11. Gesta Reynaldi aliorumque illustrium Prædicatorum, apparitiones, tentationes, et varia alia quæ in Conventu Bononiensi contigerunt 581. CAP. 12. Mira cibi et potus multiplicatio, prophetia, aliaque Sancti miracula Romæ patrata 582. CAP. 13. Dæmon a Sancto castigatus, vinum rursus multiplicatum, mira linguæ ignotæ intelligentia, aliaque prodigia 584. CAP. 14. Prodigiosa pueri læsi ac matris febricitantis sanatio, severa paupertatis et regulæ observantia, iterata panis ac vini multiplicatio 586. CAP. 15. Variæ dæmonis insidiæ fraudesque patefactæ, summa in Sancto dilectio evangelicæ paupertatis et ejusdem virtutis commendatio 588. CAP. 16. In primo Capitulo generali effulgens Sancti humilitas, fortis ac suavis suorum gubernatio, stricta regularum et jejuniorum custodia etiam in itineribus servata 590. CAP. 17. Fervens Sancti zelus in procuranda animarum salute, magna orationis efficacia, et firma in Deo fiducia 592. CAP. 18. Propagatio et incrementum Ordinis Prædicatorum, forma corporea sancti Conditoris, et singulares animæ ejus dotes 594. CAP. 19. Efficaces Sancti conciones, ardens orationis ac mortificationis studium, tenera devotio in sacrificio Missæ, abstinentia, et prævia imminentis suæ mortis notitia 595. CAP. 20. Ultimus Sancti morbus, pia monita, et felix mors absentibus quibusdam statim revelata 598. CAP. 21. Honorificæ Sancti exsequiæ, varia beneficia statim post obitum ejus nonnullis collata, et revelatio cuidam facta de magnis illius meritis ac virtutibus 599. CAP. 22. Illustre Ordinis Prædicatorum incrementum post mortem sancti Institutoris, et magnus primorum Fratrum fervor ad imitandam Fundatoris sui sanctitatem 601. CAP. 23. Ordo Prædicatorum magna primorum Fratrum pietate, singulari Deiparæ cura, quibus revelationibus et caritate erga proximum clarus 603. CAP. 24. Aliquot miracula patrata per intercessionem S. Dominici, antequam

quam solenniter catalogo Sanctorum adscriberetur 605. Cap. 25. Translatio sacri cadaveris ad honorificentiorem locum, et in ea translatione fragrantissimus odor ab omnibus adstantibus perceptus 603. Cap. 26. Compendium juridicæ relationis novem testium juratorum de virtutibus Sancti, quas viderant; et aliquot miracula quæ circa tempus hujus examinis contigerunt 610. Cap. 27. Apostolici Prædicatorum labores apud Cumanos et Hungaros, et varia prodigia, quæ patronicio S. Dominici in illis regionibus patrata sunt 612. Cap. 23. Aliqua miracula, quæ intercessione ejusdem Sancti in Hungaria et Sicilia contigerunt 614. Cap. 29. Mira sanatio monialis cujusdam in Syria, et resuscitatio pueri mortui in Hungaria, qui postmodum Ordinem Prædicatorum ingressus est 617. Cap. 30. Quædam revelationes ac punitiones, quas Fratres Minores ad gloriam S. Dominici Fratribus Prædicatorum indicasse dicuntur, et repentina sanatio abbatis Cisterciensis, qui eumdem Sanctum ejusque Ordinem diligebat 618. Cap. 31. Bulla Gregorii IX Pontificis, qua eximium Prædicatorum Fundatorem albo Sanctorum inscribit 620. Cap. 32. Mystica quædam visio et revelatio de S. Dominico et S. Francisco, eorumque Ordinibus 621. Cap. 33. Aliæ mirabiles visiones de primitiva sanctitate Prædicatorum, et magna eorum gloria in cœlo 624. Cap. 34. Novem orandi modi, quibus Sanctus utebatur, et duo exempla, quæ alibi omissa sunt 625. — Relatio Juridica, in qua novem testes oculati et jurati ex Ordine Prædicatorum, narrant pia gesta et miracula S. Dominici, quæ in vita, obitu vel post mortem ejus observaverant; *ex editis apud R. P. F. Jacobum Echardum, qui hoc authenticum instrumentum inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tom.* 1 *pag.* 44 *et sequentibus, nuper ex Ms. codice Carcassonensi in lucem dedit.* Prooemium Notarii 628. Caput 1. Testimonium Prioris Bononiensis de iis rebus, quas in conversatione, ultima ægritudine, ac post mortem Sancti conspexit 629. Cap. 2. Narratio eorum quæ F. Guilielmus de Monteferrato, et F. Amizo Prior Paduanus in vita et post obitum Sancti observarunt 631. Cap. 3. Testificatio F. Bonvisi et F. Joannis Hispani de diversis Sancti virtutibus, quas viderunt et audiverunt 632. Cap. 4. Expositio eorum quæ F. Radulphus circa conversationem, mortem et sepulturam Sancti declaravit 635. Cap. 5. Declaratio illarum rerum quas F. Stephanus, Prior Provincialis Lombardiæ de Sancti vita, patrocinio ac translatione noverat 637. Cap. 6. Notitia eorum quæ F. Paulus Venetus et F. Frugerius Pennensis circa gesta Sancti ejusque miracula testati sunt 639. Epilogus Notarii 641. — Epistola authentica qua subdelegati inquisitores Tolosani exponunt ea, quæ circa virtutes et miracula S. Dominici ex testibus oculatis ac juratis audiverant; *ex editione R. P. F. Jacobi Echardi inter scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tom.* 1 *pag.* 56 *et sequentibus.* 641 — Monitio prævia de quibusdam miraculis jam statim excudendis 643. Miracula quæ Rothomagi in Normannia ab anno Christi MCCLXI, usque ad annum MCCLXX contigerunt; *ex parvo Ms. codice Audomarensi in membrana exarato, quam cum editione R. P. F. Jacobi Echardi contulimus.* Sectio prima, 644. Sectio secunda, 646. Sectio tertia. 648. Sectio quarta, 650. — Miracula quæ variis locis et temporibus patrata sunt, et quæ nec in Commentario prævio nec in Collectione Theodorici de Appoldia leguntur; *ex Vita S. Dominici apud Joannem Antonium Flaminium folio* 85 *verso et sequentibus ea excerpsimus* 652

E

1 Eleazarus Senex, septem fratres Machabæi et horum mater, Antiochiæ in Syria. Commentarius prævius, § 1. Sanctorum fratrum appellatio, genus, ætas, palæstra seu locus martyrii. 5. § 2. Cultus celeberrimus juxta ac vetustissimus in universa Ecclesia 7. § 3. Paucula de multis Sanctorum Patrum encomia 8. § 4. Reliquiæ et Acta. 10. — Acta, *ex ipsis Sacris litteris.* Caput. 1. Martyrii occasio ex immani Antiochi Epiphanis Judæorum persecutione ex Machab. lib. 1, cap. I a ℣ XXI, conjuncto cum lib. 2, cap. V a ℣ XI ad finem, et ejusdem libri cap. VI usque ad ℣ XVII 12. Cap. 2. Ipsius martyrii historia ex lib. 2 cap. VI a ℣ XVIII ad finem, et toto capite VII 14. — Monitum 15

4 Eleutherius martyr, Tarsiæ in Bithynia. Commentarius prævius. Sancti cultus; reliquiæ; ecclesiæ, Acta et tempus martyrii 320. — Acta auctore anonymo, *ex insigni Codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Viennensis, Græce et Latine edita.* Caput 1. Sancti locus natalis, officium in aula, virtutes, conversio, baptismus 322. Cap. 2. Ejus a famulo proditi constantia, martyrium, sepulcrum illustre miraculis 325

1 Epiphanius et Isidorus martyres Vesontione in Gallia. Sylloge de cultu. 328

2 Etheldrita *seu* Alfreda virgo reclusa in cœnobio Croylandensi in Anglia. Commentarius Historicus. Sanctæ cultus, Acta, reliquiarum exustio. 173

1 Ethelwodus ex abbate Abbendoniensi Wintoniæ in Anglia episcopus. Commentarius prævius. § 1. Scriptores Vitæ, cultus ex Martyrologiis et hymno deprecatorio 83. § 2. Sacri corporis elevatio, Officium et Missa 84. § 3. Aliqualis præcipuorum gestorum chronologica series 86. — Vita auctore Wolstano monacho Wintoniensi; *ex Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Seculo* V, a pag. 608. Præfatio 88. Ordo Capitulorum in editione Mabillonii 88. Caput 1. De Sancti miraculoso ortu, clericatu, sacerdotio et monachatu Glastoniæ, unde factus abbas Abbendoniensis 89. Cap. 2. De ejus gestis Abbendoniæ, unde ad Wintonienses infulas promotus, clericos expulit, a quibus propinatum venenum innoxie hausit 91. Cap. 3. Alia præclare gesta, præsertim in erigendis restaurandisque variis cœnobiis; de translatione S. Swithuni, deque eximia Sancti caritate tempore famis. 93. Cap. 4. Inter continuas infirmitates variis mirandis signis inclarescit, etiam prophetiis et visionibus 94. Cap. 5. De ecclesiæ veteris monasterii dedicatione, Sancti obitu, multisque exinde, et post sacri Corporis elevationem secutis miraculis 96. — Vita metrica Wolstani monachi Ventani. 98

4 Eudocia martyr, in Perside. Sylloge de cultu

et

et elogium apud Græcos. Eademne sit cum S. Ia, an diversa 329
3 Euphronius episcopus Augustodunensis, in Gallia. 228
4 Euphronius episcopus confessor Turonis in Gallia. SYLLOGE de cultu, ætate et gestis 338. CAPUT 1. Cultus et elogia 338. CAPUT 2. Ætas et gesta. 339
1 Exuperius episcopus confessor, Corbolii in agro Parisiensi. COMMENTARIUS HISTORICUS. De gestis, cultu, translationibus et miraculis. § 1. Sancti ætas, gesta et cultus apud Baiocenses 52. § 2. Translatio in Franciam, ac demum Corbolium ubi ut singularis patronus solennissime colitur. 53

F

1 Felix martyr, Gerundæ in Catalaunia, cui Romanus adjungitur. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. Sancti a synonymo, itidem martyre Gerundensi, distinctio, patria professio, transitus in Hispaniam, an cum sociis, ibique gesta 22. § 2. Antiquissimus Sancti cultus : Passio apud Adonem contracta, Officium, hymni, *etc.* 24. § 3. Reliquiæ, miracula, constans veneratio, Acta suspecta 25. — ACTA, *ex pervetusto codice Moissiacensi, eum quatuor aliis Mss. collato.* 26
2 Felix et Nicetus Martyres, Veronæ in Italia, *ex Martyrologiis.* 154
2 Fides, Spes et Charitas atque item Sophia *seu* Sapientia earum mater, Romæ. COMMENTARIUS CRITICUS. Præfatiuncula 16. § 1. Sanctarum cultus apud Græcos æque ac Latinos, sed diversis diebus ac modis 16. § 2. Nomina, genus, patria, ætas, reliquiæ et Acta. 18
1 Friardus et Secundellus reclusi in diœcesi Nannetensi Galliæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Sancti utriusque cultus, reliquiæ, ætas et Acta 56. — VITA *ex S. Gregorio Turonensi lib. de Vitis Patrum cap.* 10. 57

G

3 Gaufridus episcopus Cenomanensis, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Beati cultus; Acta horumque supplementum et illustratio 278. — ACTA auctore anonymo sed coævo, *apud Mabillonium in veteribus analectis* 281
3 Gregorius abbas Nonantulanus, in Italia 230
2 Gualterus confessor, discipulus S. Francisci Assisiatis, Vimarani in Lusitania. COMMENTARIUS HISTORICUS. Beati cultus; elogia; reliquiæ; miracula; translationes 194
2 Gundecharus episcopus, Eystadii in Germania, COMMENTARIUS HISTORICUS § 1. Cultus ejus et reliquiæ apud Eystadienses 175. § 2. Acta usque ad obtentam sedem Eystettensem 178. § 3. Gesta in episcopatu et felix obitus 179. — EXEMPLAR INSTRUMENTI, quo B. Gundecharus præbendam instituit, quam circumeuntem appellant, *ex Ms. cathedralis ecclesiæ Eystettensis* 182. — MIRACULA gloriosi pontificis Gundechari, auctore, ut putamus, Philippo episcopo Eystettensi XXXIX, *ex Ms. Pontificali archivi episcopalis Eystettensis.* CAPUT 1. Elevatio sacri corporis ejus, et prodigia 24 hanc præcedentia, comitantia et brevi consecuta 184. CAP. 2. Alia prodigia duo et viginti tum facta patrocinio beati ejusdem Antistitis 185. CAP. 3. Reliqua decem ejusdem Beati miracula 187

H

3 Hermellus martyr, Constantinopoli, *ex Martyrologiis* 213

I

4 Ia ac soci martyres in Perside. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Cultus ex Martyrologio Romano ac tabulis Græcis; tempus martyrii; Acta 330. — MARTYRIUM auctore anonymo, *ex bibliotheca Vaticana Codice* 1671, *cum Ms. bibliothecæ Cæsareæ collatum, Græce et latine editum* 33

J

1 Jonatus confessor abbas I Marchianensis in Belgio. COMMENTARIUS HISTORICUS § 1. Notitia loci et Sancti, ejusque gesta et ætas 70. § 2, Cultus sacer et brevia hinc inde elogia 72. § 3. Sacri corporis elevatio, translatio et relatio 74
1 Justa virgo et martyr Aquilæ in Vestinis Italiæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. De Sanctæ sociorumque ejus cultu et gestis 38. — ACTA *ex variis Mss. contracta a P. Philippo Alegambe S. J.* 40. — APPENDIX PRIMA de sacri corporis inventione 42 Sanctorum Justini, Felicis, Florentii, Justæ et Umbrasiæ corporum inventio. 42. — APPENDIX ALTERA, de S. Justæ reliquiis 44
1 Justinus puer martyr in territorio Parisiensi. COMMENTARIUS PRÆVIUS § 1. Cultus Sancti et elogia Parisiensium 30. § 2. Variæ elogiorum et Actorum difficultates 31. § 3. Justini translatio in Corbeiam Saxoniæ 33. — VITA METRICA, *ex tomo 3 operum Venerabilis Bedæ* 34

K

1 Kinedus eremita confessor, in Wallia. SYLLOGE de ætate, cultu et portentosis gestis 68

L

1 Leontius, Attius, Alexander, Cindeus, Mnesithius, Cyriacus, Menæus, Catinus et Euclæus, *ex Menologio Græco* 21
1 Leus *seu* Leo presbyter confessor Viguentiæ in diœcesi Ferrariensi Italiæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Sancti cultus, ætas, translatio et Acta 46. — VITA, *ex tomo* 11 *bibliothecæ Oratorii Romani fol.* 339 48. APPENDIX in qua ex citata in Commentario prævio Bernardini antistitis epistola, varia alia dubia ad S. Leum spectantia elucidantur 49

4 Lugidus *sive* Luanus abbas Cluainfertensis, in Hibernia. Commentarius prævius. Sancti nomina, distinctio, cultus, ætas et Acta 341. — Vita *ex antiquo codice nostro Ms. membraneo Salmanticensi* P. Ms. xi, *cum aliis collato*. Caput 1. S. Luani natales et mirabilis infantia, ac pueritia 344. Cap. 2. Educatio ejus apud S. Congallum abbatem Benchorensem; plura ibi miracula, fundatio Droma-snectæ 346. Cap. 3. Mutatio non una stationum, fundatio cœnobii Cluainfertensis, varia miracula 347. Cap. 4. Lenitas erga subditos; miracula varia 349. Cap. 5. Prodigia plura; exaltatio S. Gregorii magni revelata, prophetia 350. Cap. 6. Alia miracula; sanctus obitus; contentio de corpore; festus in cœlum transitus 352

3 Lydia Purpuraria, Philippis in Macedonia, *ex Actibus Apostolorum* 199

M

3 Marana et Cyra, BerϾ in Syria. Commentarius prævius. Cultus earum in ecclesia Latina et Græca 226. — Vita auctore Theodoreto episcopo Cyri, *ex editione Jacobi Sirmondi S. J.* 227

1 Maria Consolatrix virgo, Veronæ in Italia. Commentarius de cultu et gestis 81

3 Martyres passi sub Abenner in India, *ex Martyrologio Romano* 213

2 Maximus episcopus confessor, Patavii in Italia. Sylloge de Sancti ætate, inventione, canonizatione et translationibus 110

N

1 Nectarius episcopus confessor, Viennæ in Gallia, *ex Martyrologiis* 51

1 Nemesius confessor, *ex Martyrologio Usuardi* 46

P

1 Peregrinus confessor, apud Alpes Mutinam inter et Lucam. Commentarius criticus. Constans Sancti cultus, Acta fictitia 75. — Acta fabulosa *ex duobus Mss. consimilibus* 77

4 Peregrinus, Machoratus et Viventianus martyres, apud Cenomanos in Gallia 335

4 Perpetua, Romæ. Sylloge de cultu, elogiis, gestis, sepultura, loco et anno mortis 315

1 Petri ad vincula, Romæ, *ex Martyrologiis* 15

2 Petrus episcopus confessor, Oxomi *seu* Uxamæ in Hispania. Commentarius prævius. § 1. Sancti cultus, patria et professio 189. § 2. Ætas et gesta 190. — Acta, *apud Tamayum, ex Ms. vetusto Legendario Asturicensi* 192

3 Petrus episcopus, Anagniæ in Italia. Commentarius prævius. § 1. Beati cultus, institutum monasticum, dignitas abbatialis, canonizatio et miracula 231. § 2. Acta eorumque scriptores 232. — Vita, *ex mendoso codice perantiquo ecclesiæ Anagninæ*. Caput 1. Sancti nobilitas, vita monastica, munus in Curia Romana, episcopatus, legatio Constantinopolitana, et quædam miracula 234. Cap. 2. Calumnia Sancto impacta, peregrinatio Hierosolymitana, reditus, ecclesiæ Anagninæ constructio, iteratus discessus ac reditus et ipsius prosopographia 238. Cap. 3. Sancti morbus, prophetia, mors, sepultura, successores et nonnulla patrata miracula 240

R

4 Raynerius archiepiscopus Spalatensis et martyr, in Dalmatia. Commentarius prævius. Sancti cultus et Acta 356. — Acta, *auctore Thoma, archidiacono Spalatensi, in Historia Salonitana* 357

1 Romanus martyr Gerundæ in Catalaunia. De eo agitur in § 1. Commentarii prævii S. Felicis martyris 22 *et* 23

2 Rutilius martyr, in Africa 145

S

1 Secunda *vel* Secundina, Donatula, Secundola, Maxima, Justa, Menander, Profunus et forte Silvanus atque Donatus, *ex Hieronymianis* 29

4 Sergius et Bartholomæus, *ex iisdem Hieronymianis* 319

2 Serenus episcopus Massiliensis, Blanderati in Italia. Commentarius historicus. § 1. Sancti gesta quædam explicata, et cultus apud Blanderatenses assertus 157. § 2. Ejusdem ibidem cultus antiquitas ex loci traditione et monumentis comprobata 160. § 3. Cultus ejusdem in metrocomia Blanderatensi, vetusta solennitas et incrementum per obtenta miracula 162. Reliquiarum S. Sereni status et cultus hodiernus 165

1 Severus presbyter confessor, in Novempopulania Galliæ, *ex Gregorio Turonensi* 55

4 Sigrada vidua, Sussione in Gallia. Sylloge de cultu, ætate et gestis 354

2 Stephanus Papa I ac martyr, Romæ. Commentarius prævius. § 1. Cultus ejus tamquam martyris proprie dicti 113. § 2. Ejus patria, parentes et gesta quædam usque ad annum Christi cclv 115. § 3. Ejusdem sententia contra S. Cyprianum et alios de iteratione Baptismi, ab hæreticis aut schismaticis collati 117. § 4. Acta S. Stephani adversus S. Cyprianum et rebaptizantes a potiori Ecclesiæ parte constanter ab initio probata 119. § 5. Cetera quæ de Sancti gestis narrantur a variis scriptoribus, maxime ab Anastasio Bibliothecario 122. § 6. Acta martyrii eorumque auctoritas 124. § 7. Prima translatio reliquiarum ejus ex cœmeterio Callisti ad cœnobium S. Sylvestri de Capite 127. § 8. Earum translationes ac divisiones aliæ posteriores, 129. § 9. Alia reliquiarum ejus translatio ad cœnobium Columnense prope Tranum in Apulia anno mclx 131. § 10. Earumdem diuturna ibidem defossio, et secuta inventio; item novæ translationis occasio et apparatus 134. § 11. Translatio reliquiarum novissima ex cœnobio B. Mariæ de Columna prope Tranum, ad urbem Pisanam anno mdclxxxii. 136. — Acta, *ex codice nostro membraneo ac pervetusto Q Ms.* 6, *cum aliis pluribus Mss. editisque collato*. Caput 1. S. Stephanus, Valeriano Ecclesiam persequente,

suos

suos confirmat et plurimos ethnicos convertit ad Christum 139. Cap. 2. Martyria S. Stephani Papæ et discipulorum ejus 141

T

4 Tertullinus presbyter et martyr, Romæ. Commentarius historicus 317

2 Theodota ac tres filii martyres, Nicææ in Bithynia. Item de alia synonyma cum septem filiis, Cæsareæ in Mauritania. Commentarius prævius. § 1. Cultus apud Græcos et Latinos; elogia, ædes sacra Constantinopoli, Acta 147. § 2. Discutiuntur Acta a Combefisio edita; exemplaria Mss., Theodota una an triplex 149. § 3. Singularia quædam circa Sanctam nostram ejusque filios puncta proposita ac discussa; locus a Combefisio in suis Actis perperam Latine redditus 150. — Passio *ex Actis S. Anastasiæ martyris apud Surium, ad diem* xxv *Decembris.* Caput 1. Sancta sistitur Diocletiano imperatori; Leucadii nuptias spernit; virtutes exercet cum S. Anastasia, mittitur in Bithyniam. 152. Cap. 2. Filii primogeniti constantia virgis probata; oppugnata sanctæ Martyris pudicitia, at divinitus defensa; martyrium, apparitiones 152. — Acta alia, *auctore anonymo a Combefisio edita inter illustrium Christi Martyrum lectos triumphos, a pag.* 247. Sancta cum filiis sistitur Bythyniæ præfecto; desiderium martyrii, quo post cruciatus omnes simul in igne coronantur 153

V

1 Verus sancti Martini successor episcopus Viennensis, in Gallia 20

W

3 Waltenus abbas Ordinis Cisterciensis, in Scotia. Commentarius prævius. § 1. Immemorabilis Sancti cultus ex variis monumentis probatur 242. § 2. Inconsiderata ejusdem Sancti cum altero confusio, falsa multiplicatio aut duplicatio, et hujus postremi erroris origo 243. § 3. Scriptor Actorum, nonnulla eorum compendia, annus diesque, quibus Sanctus obiit, et cœlestes litteræ de instante morte præmonentes examinantur 246. — Vita *auctore Jordano vel Joscelino monacho Furnesiensi; ex Ms. Passionali pergameno, mensis Febr. fol.* 218, *quod servatur in cœnobio Bodecensi Canonicorum regularium S. Augustini in diœcesi Paderbornensi* 248. Prologus 249. Caput 1. Sancti avus, parentes, nomen, pia pueritia et adolescentia 251. Cap. 2. Professio vitæ canonicæ et mirabilia beneficia ei cœlitus collata 255. Cap. 3. Transitus ad vitam monasticam, et variæ in illa virtutes 258. Cap. 4. Monasteria hortatu Sancti constructa, et misericordia ipsius erga pauperes variis miraculis illustrata 261. Cap. 5. Donum lacrymarum, variæ visiones et ecstases 264. Cap. 6. Diversa miracula quæ Sanctus in vita patravit, mirabilis de imminente morte præmonitio et pius obitus 266. Cap. 7. Æterna Sancti gloria variis visionibus post obitum ejus ostensa et confirmata 270. Cap. 8. Eventus quidam a Sancto apparente prædicti, et varii morbi ad ejus sepulcrum curati 273. Cap. 9. Incorruptio sacri corporis et multis ægris sanitas restituta ad sepulcrum Sancti 275

INDEX
CHRONOLOGICUS
SANCTORUM
AD TOMUM PRIMUM AUGUSTI.

ANTE CHRISTUM ANNO CLXVI.

Septem Fratres Machabæi cum matre et sene Eleazaro 5

SECULO I.

Aristarchus S. Pauli discipulus 314
Lydia Purpuraria 199
Perpetua, Romæ 315

SECULO II.

Floruit Verus episcopus Viennensis 20
Item Maximus episcopus Pataviensis 110
Huc spectat Aspren episcopus Neapolitanus 200

SECULO III.

CCLVII martyrio coronatur sanctus Stephanus Papa I 113
Tertullinus presbyter et martyr Romæ 317
Rutilius martyr, in Africa 145

SECULO IV.

Circa CCCIV Celebris martyr Felix Gerundæ in Catalaunia passus 22
Eodem tempore Justinus puer in agro Parisiensi 30
Item Justa virgo et martyr Aquilana 38
Et Leus *seu* Leo qui Viguentiæ colitur 46
Theodota cum tribus filiis martyrizata 147
Eleutherius martyr in Bithynia 320
Eudocia et Ia, in Perside 330

SECULO V.

Floruit Exuperius Baiocensis episcopus, postea Corbolium in agro Parisiensi translatus 52
Severus presbyter in Novempopulania Galliæ 55
Dalmatus cum Fausto filio Constantinopoli 214
Marana et Cyra Berœæ, in Syria 227
CDLXXVII Euphronius episcopus Augustodunensis 228

SECULO VI.

Friardus et Secundellus in diœcesi Nannetensi 56
DXLV Arcadius archiepiscopus Bituricensis 59
Bandaridus eodem seculo episcopus Suessionensis in Gallia 59
Item Kinedus eremita in Wallia 68
Peregrinus martyr cum duobus sociis apud Cenomanos 335
Baumadus confessor apud Tutelenses 336
DLXXIII S. Euphronius episcopus Turonensis obiit 338

SECULO VII.

Initio, Blanderati obiit Serenus episcopus Massiliensis 157
DCII refertur Lugidus *seu* Luanus abbas in Hibernia 341
Sigrada vidua eo seculo celebris 354
Item Betharius episcopus Carnotensis 167
Sub finem, floruit Jonatus primus abbas Marchianensis 70

SECULO VIII.

Celebris fuit Maria cognomento Consolatrix virgo Veronensis 81
DCCLXI facta translatio corporis Stephani PP. 127
Item aliæ translationes 129, 131, 134 *et* 136

SECULO IX.

Floruit Etheldritha virgo reclusa, in Anglia 173
Anno DCCCXCI dicitur translatum corpus S. Justini Parisiensis in Corbeiam Saxoniæ 33

SECULO X.

INDEX CHRONOLOGICUS SANCTORUM AD TOMUM PRIMUM AUGUSTI.

SECULO X.

DCCCCXXXIII Gregorius abbas Nonantulanus 230
DCCCCLXXXIV Refertur Ethelwoldus episcopus Wintoniensis in Anglia 83

SECULO XI.

Anno MLXXV obiit Gundecharus episcopus Eystettensis in Germania. 175

SECULO XII.

Eo floruit Petrus Oxomensis, mortuus MCIX 189
MCV Petrus episcopus Anagninus obiit 231
MCLX Walthenus abbas in Scotia 242
MCLXX Natus est magnus S. Dominicus 381
MCLXXX Raynerius archiepiscopus Spalatensis martyr 357

SECULO XIII.

Gualterus Franciscanos in Lusitaniam deducit. 194
Ab anno MCCV præclarissima S. Dominici gesta 374
MCCXVI Concessus et confirmatus Ordo PP. Prædicatorum 442
MCCXXI moritur Bononiæ S. Dominicus fundator Ordinis PP. Prædicatorum 514
Eo seculo scriptæ sunt præstantiores ipsius Vitæ 370
Floruit Gaufridus Cenomanensis episcopus mortuus anno MCCLV 278

SECULO XIV.

Anno MCCCXXIII obiit Augustinus episcopus Lucecerinus 283
Eodem seculo floruit B. Ciccus *seu* Franciscus confessor tertii ordinis S. Francisci 654

SECULO XV.

Scripta satis mira de S. Dominico, sub nomine Alani de Rupe 365

SECULO XVI.

Scriptores varii hoc seculo Vitam S. Dominici non satis integra fide ediderunt 368

SECULO XVII.

Anno MDC Fit recognitio et approbatio reliquiarum decem Beatorum Ordinis Vallumbrosani 102
Plures Sancti Dominici Vitæ non satis sinceræ scriptæ sunt hoc seculo 369

NOTITIA FIGURARUM

ORNANTIUM HUNC TOMUM.

Præfigitur Operis frontispicium.

In Tractatu præliminari de Patriarchis Constantinopolitanis.

Effigies Joannis XI cognomento Vecci seu Becci...................... pag. * 167

Effigies Josephi II, ferme pro Sancto habiti.............................. * 186

In decursu Actorum Sanctorum.

Theca reliquiarum S. Justæ.. 45

S. Sereni lipsanotheca.. 167

B. Gundechari sepulcrum.. 176

Ejusdem crux.. 181

Antiqua effigies F. Prædicatores.. 462

Sigillum S. Dominici.. 504

Effigies S. Dominici in folio... 518

Effigies S. Dominici in Soriano... 536

Effigies B. Cicchi... 655

PRIMA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI KALENDIS AUGUSTI COLUNTUR

S. Eleazarus senex
SS. Fratres Machabæi
S. horum mater
— MM. Antiochiæ in Syria.

S. Petri ad Vincula, Romæ.

S. Fides
S. Spes
S. Charitas
S. Sapientia
— MM. Romæ.

S. Bonus
S. Faustus
S. Maurus
S. Primitivus
S. Calumniosus
S. Joannes
S. Exuperius
S. Cyrillus
S. Theodorus
S. Basilius
S. Castulus
S. Honoratus
— MM. Romæ.

S. Verus episcopus Viennensis, in Gallia.

S. Leontius
S. Attius
S. Alexander
S. Cindeus
S. Mnesitheus
S. Cyriacus
S. Menæus
S. Catunus
S. Euclæus
— MM. Pergæ, in Pamphilia.

S. Felix
S. Romanus
— MM. Gerundæ, in Hispania.

S. Cyrillus
S. Aquila
S. Petrus
S. Domitianus
S. Rufus
S. Menander
— MM. Philadelphiæ.

S. Secundina
S. Donatula
S. Secondola
— MM. Romæ.

S. Maxima
S. Justa
S. Menander
S. Profunus
S. Silvanus
S. Donatus
— MM. Romæ.

S. Justinus martyr, in agro Parisiensi.
S. Justa virgo martyr Aquilæ, in Vestinis.
S. Nemesius conf., forte in Normannia.
S. Leus confessor, in diœcesi Ferrariensi.
S. Nectarius episcopus confessor Viennæ, in Gallia.
S. Exuperius episcopus confessor Corbolii, in agro Parisiensi.
S. Severus confessor, in Novempopulania Galliæ.

S. Friardus
S. Secundellus
— reclusi, in diœcesi Nannetensi.

S. Arcadius confessor archiepiscopus Bituricensis.
S. Bandaridus confessor Suessione, in Gallia.
S. Kinedus eremita confessor, in Wallia.
S. Jonatus abbas confessor Marchianis, in Belgio.
S. Peregrinus confessor, non procul Mutina in Italia.
S. Maria Consolatrix Veronæ, in Italia.
S. Ethelwoldus episcopus Wintoniæ, in Anglia.

B. Rodulphus a Florentia
B. Rusticus a Florentia
B. Erizzo *vel* Ericius a Florentia
B. Albertus
B. Hieronymus
B. Melior a Valiana
B. Benignus Benizzi a Florentia
— monachi Vallumbrosani in Etruria.

B. Orlandus
B. Thesaurus Beccheria
B. Michaël Flammini

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Telesphori Papæ *nescio quam translationem nobis suggerat Florarium Sanctorum Ms. Vide quæ de hoc Sancto dicta sunt* v Januarii.

S. Popponis abbatis elevationem *hoc die factam notavit Bollandus. Vita ejus data est* xxv Jan.

S. Brunonem ducem *et socios, nescio unde hoc die accersiverit Ferrarius in Catalogo generali his verbis :* Apud Hamburgum in Saxonia, SS. martyrum Brunonis ducis, et trium episcoporum cum aliis multis nobilibus, a Normannis pro Christi fide occisorum. *Crantzium citat, quem si recte inspexit, observare omnino debuit, rigidæ hiemis tempore omnes istos interfectos esse, ut longe melius in Actis nostris relati sint, ubi et de* Sancto Erlulfo *episcopo cum tribus aliis satis fuse actum est* ii Februarii.

S. Riocus, *Colgano* Riochus, *abbas Inisbovindensis et episcopus, huc non pertinet, sed de eo jam pridem cum aliis tribus Hibernis episcopis actum est* vi Februarii.

S. Sabini episcopi Canusini *translationem aliquam notavit Bollandus. Vide Vitam* ix Februarii.

S. Cunegundis *imperatrix nescio unde pro hoc die Maurolyco innotuerit, quem procul dubio secutus est Felicius. Dies ejus natalis est, quo Acta illustrata sunt* iii Martii.

S. Winwaloci translatio *signatur a Molano et monasticis passim ; sed de ea cum aliis, Sancti gestis actum est* iii Martii.

S. Viatoris translationem *invenit Ferrarius in Caroli Saussayi Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* 3, *cap.* 5, *ubi facta narratur anno* 1597 : *verum neque inde neque aliunde aut Majores nostri aut nos hactenus edocti sumus, quandonam vixerit, quid in vita gesserit, quove demum die ejus natalis recolendus sit. Castellanus in additionibus suis, nescio quo duce aut qua auctoritate signavit* xxix *Maii, quo in Operis Supplemento de eo agi poterit* xxix Maii.

S. Albani martyris *inventio hoc die memoratur apud Radulphum Dicetum aliosque : nos quæ ad ipsum spectant, jam retulimus* xxii Junii.

S. Victor Papa *hoc die cum elogio refertur ab eo quem Florum esse existimarunt Majores nostri, ut habes ante tomum* ii *Martii. Quibus etiam aliis diebus signatus fuerit, explicatum invenies, eo die quo ipsum cum torrente Martyrologiorum retulimus* xxviii Julii.

S. Germanum, *celeberrimum Autissiodorensem episcopum, signavit hoc die Florus, quem Bedam esse crediderunt Majores nostri. At quisquis is fuerit, Sanctum non recte collocavit hoc die, cum ad præcedentem spectet, quo die Acta ejus illustrata sunt* xxxi Julii.

S. Helenam matronam et martyrem *iisdem verbis hoc die annuntiant atque* in Campania *collocant Ferrarius, Saussayus et Arturus cæci omnes : nam in Campania quidem jam mense Maio binæ datæ sunt synonymæ Trecis et Autissiodori, ast ambæ* virgines. Matrona *autem* et martyr. *quæ huc spectet, non alia esse potest ab inclyta illa* Helena, *non Campanica sed Suecica, de qua pridie actum est* xxxi Julii.

Passio multorum Sanctorum monachorum *notatur a Ferrario,* Messanæ in Sicilia, *quos* Abrahimus *seu* Abraymus Saracenorum dux, pro fidei confessione interfecit. *Citat autem Martyrologium monasticum, haud dubie, Wionis, qui non* multorum *dumtaxat, sed* infinitorum monachorum *passionem refert, pia auxesi, in qua ipsum secuti non sunt Dorganius et Menardus : quodque mirere vel maxime, de ipsis nec verbo meminit, solito hic scrupulosior, Bucelinus ; forte quod dubia pleraque et implexa offenderit, quæ nec apud nostrum Caietanum de Sanctis Siculis satis soluta invenias. Ubi PP. Benedictini et hanc et alias Saracenorum irruptiones plusculum eruderaverint, cetera a nobis poterunt illustrari.*

Lucium *nobis hoc die tametsi sacris omnibus Fastis prorsus incognitum, magnifice proponit Tamayus his verbis* : Barcinone in Hispania citeriori, S. Lucii, ipsius urbis episcopi, qui propter Christi fidem in Neronis sæva persecutionis procella, per innumera tormentorum flagra, ad æternæ gloriæ requiem strenuus agonista pervenit. *Citat deinde eadem confidentia ecclesiasticos, nescio quos, Annales Hispaniæ, qui demum ad Ferrarii Catalogum generalem reducuntur, cujus non major in hac parte auctoritas quam Domenecci aut Diagi, quos ambos perperam idem Tamayus appellat. Etenim nullum Domeneccus hoc die* Lucium *agnoscit; Diagus vero, ferme divinando,* Victorem *adducit, qui successerit nescio cui Theodosio. Non vacat, hic denuo Tamayi figmenta excutere. Tu vide tomo* 2 *Hispaniæ illustratæ pag.* 847 *tolerabilem aliquem episcoporum Barcinonensium catalogum, ubi invenies primum referri* Lucium Victorem, qui scripserit contra Arianos. *Atque hinc collige, quanti facienda sint fabricata a Tamayo Acta, ceteraque, quæ ex suis pseudochronicis, more suo, ineptissime comminiscitur. Aliis argumentis opus est ut inter Sanctos admittatur* Lucius *iste, qui nec cum ullo synonymorum quamvis plurimorum, confundi potest hactenus.*

S. Spinulus *item qui et hoc die relatus est, et ex* xi *Maii a Majoribus pridem remissus, a S. Hildulfo separari non potuit. Vide igitur et quæ dicta sunt de ipso* xi Julii.

Joannes et Benignus *S. Hildulfi discipuli Sanctorum titulis alicubi hoc die donantur, a quibus tamen consulto abstinui, dum eos sanctissimo suo Magistro conjunxi ad* xi *Julii, ubi et in præfatione et Vitis Sancti invenies quæ ad ipsos spectant.* xi Julii.

S. Eusebius episcopus Vercellensis *in Arianismi historia, ut infractus fidei defensor, longe celeberrimus, hoc die, tamquam depositionis, passim signatur in Martyrologiis, etiam in Romano, verum cum hac clausula; quod* memoria ejus xviii Kalendas Januarii celebrior habeatur, *nempe quod* ordinationis *ejus dies sit, fiatque proinde de ipso Officium, saltem commemoratio in Octava Conceptionis B. M. V. Alia occurrunt hujusmodi exempla, ut festivitates aliæ natali ipsi diei præferantur, quemadmodum patet in præcipuis Ecclesiæ Patribus SS. Basilio, Ambrosio,*

brosio, Chrysostomo et aliis : ut proinde S. Eusebius ad XV *Decembris referendus esset ; verum cum non ita pridem Officio ecclesiastico donatus sit, translataque ob occurrentem octavam Conceptionis, in diem sequentem ejus festivitas, Acta ejus transponenda sunt, ut jam pridie verbo diximus, ad diem* XVI Decembris.

Processio venerabilium lignorum venerandæ et vivificatricis Crucis *ex Horologio Græcorum hoc die a Molano in Fastos nostros relata est.*

Justa martyr, mater S. Silvestri, *unde in Florarium nostrum pervenerit atque inde in Grevenum, ut ut solicite quæsiverim, necdum satis perspicere potui.*

Facinola *ibidem etiam signata, æque mihi incognita est hactenus.*

S. Boni martyris translationem *Roma Ulyssipponem factam anno* 1658, *ex* XII *Maii huc remiserunt Majores nostri, moti non magna Cardosi auctoritate, ut qui in Hagiologio suo Lusitano scripserit, eum esse,* S. Bonum presbyterum ac martyrem hoc die relatum. *Sudabit multum, at frustra, qui* Bonorum *istorum identitatem probare voluerit.*

Salomonem *aliquem* Atinæ civitatis episcopum ordinatum *invenio* a S. Eleutherio Papa *in Chronico ejusdem urbis, ab Ughello edito, tomo* 1 *Italiæ sacræ, col.* 496 *, *ubi non uno titulo laudatus est, diciturque* Domino spiritum reddisse Kal. Augusti. *Eum ferme Sanctis accensuerat Papebrochius ; verum cum inter Sanctos alios Atinenses episcopos eum non numeret Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, de cultu prius doceri cupio, quam ipsi locum in hoc Opere tribuam.*

Joannes, *dictus* simplex *et* Joannitius, *atque a diuturna commoratione* Reatinus, *Ordinis Eremitarum S. Augustini, cum* Beati *titulo refertur ab Herrera in Alphabeto Augustiniano pag.* 371, *citante Coriolanum, Jordanum, Romam, Orozco et Pamphilium, qui de Viri virtutibus, obitu et miraculis pauca quidem sed satis speciosa scripsere, quos omnes aliosque citat et sequitur Jacobillus tomo* 2 *de Sanctis Umbriæ pag.* 70, *indubitanter etiam* Joannem *istum Beatis annumerans, quod ante ipsum Ferrarius, alias minime scrupulosus, ausus non fuerat. Id plane mirum, inter varia stupenda, nihil de Vita ejus satis distincte nec ordinate proditum, usque adeo ut vel de anno mortis plurimum dissentiant, aliis annum* 1343, *aliis* 1347, *aliis denique* 1385 *signantibus. Ex quibus facile patet, meram de* Joannis *simplicitate ac signis apud Reatinos superesse traditionem, quæ Romæ hactenus admissa non sit, non magis quam de sorore ejus* Lucia, *ejusdem Ordinis Tertiaria. Satis apposite sub elogii sui finem observavit Herrera :* Tam sancto Viro et tot miraculorum magnitudine a tanto tempore coruscanti, majores deberi honores, *qui* forsan, *inquit,* in opportuniora tempora reservantur. *Voluit dicere, Sanctorum aut Beatorum honores necdum ei legitime decretos esse, eosque adeo in opportuniora tempora reservari, in quæ et nos Acta ejus qualiacumque illustranda differre oportet.*

Diumæ *nomen varie inflectit Camerarius, vellem ego aliunde de ejus sanctitate et cultu edoceri.*

S. Jacobi octava *in nescio quo Kalendario notata dicitur, de qua satis est hic meminisse.*

Rufiniani *alicujus, regis Libyæ filii, a S. Petro Apostolo baptizati et ordinati, Vitam Ms. Italicam nescio quam, potius dixerim poëmation, seu, ut vulgo ferunt, Romansium, ad Papebrochium* 2 *Junii anni* 1693 *transmisit R. D. Franciscus Cionaccius sacerdos Florentinus, in Actis nostris* XIX *Maii et alibi laudatus, quam demiratus Papebrochius, rescripsit* III *Julii rogavitque notitiam loci ac præsentis cultus, et unde descripta essent tam miranda* Rufiniani *istius gesta. At nihil responsi datum est, quod saltem repererim. Vita, seu potius perpetua stupendorum miraculorum congeries sex capita complectitur, atque ad calcem subjicitur species hymni cum oratione et confusis aliquot Missæ partibus, quæ omnia nec crucem præferunt nec lucem. In omnibus sacris Fastis aut tabulis ecclesiasticis, etiam in Ferrario ignotissimus est iste* Rufinianus, *nec scio, qua fronte adscriptus sit Italice hic titulus*; Vita S. Rufiniani episcopi et confessoris, discipuli S. Petri, cujus festum celebrat Ecclesia I Augusti. *Neque hic juvat auctoritas solius codicis Usuardini Medicæi inter auctaria, ut proinde certiora exspectanda censeam, priusquam* Rufinianum *istum Sanctis annumerem. Alius est verus* Rufinianus. *secundus Baiocensis post S. Exuperium episcopus, sed certum cultus diem necdum reperire licuit : offeret se occasio de ipso agendi cum successore S. Lupo ad diem* XXV Octobris.

Dolochus *seu* Tolochus peregrinus *in tabulis Hibernicis hoc die notatus est; verum cum solum nomen ibi reperiam, exspecto, qui me de vita, ætate et maxime de cultu doceat.*

S. Felicitas martyr *signata hoc die in Florario Ms. quæ, qualis, aut cujas sit, explorare necdum licuit, forte cum aliqua ex multis synonymis jam datis confundenda.*

Theodoricum abbatem monasterii S. Ebrulphi, in Cypro insula depositum *anno* MLVIII, *vel* MLIV *primus inter Sanctos Ordinis sui Martyrologio inscripsit Menardus, nullo, quem saltem noverim, duce præeunte. Secutus ipsum est Sanctorum Gallicanorum munificus collector Saussayus ; quin et Mabillonius* Beati *titulo* Theodoricum *ornavit consignavitque sec.* VI, *parte* 2, *a pag.* 127 ; *elogium ei concinnans ex Orderico Vitale et Guillielmo Gemeticensi : in Annalibus tamen nec* Beati *usquam nec* Sancti *titulo eum decoravit. Ceterum præclaras Viri virtutes gestaque insignia ultro admitto, quæ in elegantissimum compendium Menardus ante contraxerat. Id quæro potissimum, quod hic maxime desideratur, ut tabulæ alicujus ecclesiasticæ antiquioris vestigium quis proferat, quo* Theodoricus *iste ut* Sanctus *aut* Beatus *legitime compellatus fuerit. Quæro item, quo loco in toto orbe Catholico, pro tali umquam habitus aut cultus fuerit. Mabillonii ipsius verba pag.* 136 *rem conficere videntur :* Nullo tamen, *inquit,* publico cultu apud nostros Uticenses *(seu S. Ebrulphi)* celebratur. *Atqui tamen inde totius cultus ratio repetenda foret. Nec placet quod subdit ibidem vir eruditissimus,* quod forte nihil habeant ex ejus sacris exuviis : *quasi talibus opus sit, ut Sancto alicui cultus determinetur. Ego apud Ordericum et Gemeticensem nullum alium titulum* Theodorico *adscriptum reperio præterquam* Viri venerabilis, *qualem ipsi etiam tribuit Castellanus, ab omni venerationis indicio rectissime abstinens; quam et ego viam ingredi compellor, donec certiora solidioraque suggerantur veri cultus ei umquam exhibiti argumenta.*

Primus et Colossus *apud Maurolycum dicuntur subdiaconi duo ex Actis S. Stephani Papæ; at*

nomina

nomina corrupta sunt pro Primitivo *et* Calumnioso, *de quibus hoc die suo loco agitur.*

Pontius de Larazio *casu mihi innotuit ex epistola Caroli abbatis Aureæ Vallis scripta ad P. Papebrochium anno* 1688, *alibi etiam a nobis citata, ubi ita loquitur :* Miror, conversionem Pontii de Larazio Rev. vestræ ignotam esse, quandoquidem habeatur in Miscellaneis Baluzii, et mereatur locum nominatum in vestris Actis Sanctorum, pro fidelium ædificatione. *Non usque adeo male censuit Vir amplissimus, nam quæ de Pontio illo narrantur tom.* 3 *Miscell. Baluzii a pag.* 205 *ad* 226, *virum multis præclarissimisque virtutibus illustrem adumbrant, præcipuum Salvaniensis cœnobii Ordinis Cisterciensis ornamentum, qui* mense Augusto, prima die mensis.... non obiit, sed abiit ad patres suos, de morte ad vitam, de labore ad quietem, de exsilio ad patriam. *Interim a Saussayo et Castellano præteritus est, quodque magis mirandum, nec Henriquez nec Chalemoto innotuit : tantum abest ut in Actis nostris locum sibi vindicet, quamdiu id deficit, quod est nobis primum, ut de vero ejus cultu ecclesiastico prius constet.*

Thomas de Arimino *Ordinis Erem. S. Augustini F. laicus, officio, ut ipsi vocant, Canaparius, laudatur apud Jordanum de Saxonia lib.* 2, *cap.* 5, *apud Herreram item et alios, ab ea potissimum virtute, quod insigni in pauperes misericordia præcelluerit, adeo ut paratam aliquando, tempore capituli provincialis, magnam panum copiam, totam ferme in egenos distraxerit; a superioribus vero objurgatus, fusis ad Deum precibus, abundantiorem miraculo impetraverit. Pingi dicitur, rosas pro panibus effundens, aut rosas in panes conversas. Viderunt sepulturæ ejus locum (neque enim corpus e terra umquam levatum est) Papebrochius anno* 1660, *et Janningus an.* 1686, *non in ecclesia, sed in sacello aliquo domestico, ubi signa apparent aliqualis venerationis ex picturis et ardente lampade, quæ maxime patent die quo obiit* I *Augusti. Id certum est, in magno Catalogo generali Sanctorum Italiæ a Ferrario signatum non esse, ubi tamen Sanctos Ariminenses minime negligit. Aiunt quidem, ipsa hac die Missam in eo sacello celebrari; verum de* Thoma *ullam fieri commemorationem, post adhibitam sedulam diligentiam, necdum intelligere potui. De vita autem ejus et aliis miraculis scripta aliqua Arimini superesse, quamquam memorent laudati Jordanus et Herrera, negant ii quos per nostrum P. Ignatium Pinium Romæ proxime consulendos censui. Verbo dictum sit, legitimum cultum ei deferri, ut ut conatus fuerim, hactenus me non reperisse, candide cogor profiteri ; si argumenta suggerantur, quæ rem conficiant, ultro et libentissime amplectar.*

Petrum *Ord. Cisterciensis abbatem Morerolæ in Hispania multis encomiis celebrant Henriquez et Chalemotus,* Beatum *appellantes, eoque adducentes Ordinis Kalendarium Divionense, sic tamen ut non appareant hactenus legitimi cultus argumenta, ut de aliis toties dicendum fuit. Sequuntur apud Henriquez :*

Petrus, Olaus *et* Tordo *ejusdem Ordinis in Suecia consignati, Beatorumque etiam titulo donati in monasterio de Alvastra.*

Gereon *item in Hemmenrode* cum maxima sanctitatis opinione *depositus.*

Clara *et* Petronilla *ejusdem Ordinis conversæ, ambæ eximiis præditæ virtutibus, in Parco Dominarum, Silvanectensis in Gallia diœcesis, hoc etiam die adjunguntur a Chalemoto.*

Judocum *alias* Justum *a Schoonhoven, Goudanum Cartusianum, ex Petro Opmeero et Gerardo Eligio mirifice laudat Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, utpote qui clarissima ortus familia, apud Cartusianos Delfenses sancte vixerit, atque a Calvinianis captus, prope Brilam suspendio martyrium subierit hoc ipso die, anno* 1571, *mortis calicem potius amplexus, quam ut ex sacro calice, propinante impio Dommalio, vinum hausisset : unde et pingi solet calicem manu præferens.*

Alardum *abbatem Aquicinctinum, prope Duacum in Flandria, merito* venerabilem *hoc etiam die appellat idem Raissius, virumque* omnium humilissimum ac mansuetissimum, *qui primus ei cœnobio præfuerit, a Gerardo secundo Cameracensi episcopo, institutore primario, ex Hasnoniensi ad hoc directus anno* 1079, *atque hoc die post octo regiminis annos piissime vita functus* 1807.

Petrus Faber *sanctissimi parentis nostri Ignatii, inter primos novem socios, filius in Christo primogenitus, vir omni virtutum genere clarus, verumque operariorum Societatis exemplar, post plurimos labores, in variis Europæ partibus exantlatos, eorum præmium in cœlo percepturus hoc die migravit Romæ anno* 1546. *Peculiari honore ipsum prosequuntur populares Genevenses, domo, in qua natus est, in sacellum commutata, ubi nonnulla signa venerationis exhibentur.*

Cyricus *aliquis hoc die signatus reperitur in Græcorum Menæis, at tam jejune, ut præter nomen et gladii ictum nihil memoretur : unde merito suspiceris, cum* Cyrico *cognomine, qualem non unum in Actis nostris invenies, omnino confundi posse, nisi lucis aliquid aliunde affulgeat.*

De Theodoro *idem dixeris, utpote qui solo etiam nomine notus est et genere martyrii.*

Atque item de Polyeucto.

Bartholomæum Martinez *Ordinis Prædicatorum, recte* venerabilem *prædicat in suo Diario Marchesius, utpote indefessum in Insulis Philippinis verbi Dei præconem, recte abstinens ab omni eo, quod venerationem publicam ei possit asserere.*

Alardum *paulo liberalius* Beatis *adscribit Annus sanctus Belgicus ejusdem Ordinis.*

Catharinam *item* Mantuanam *Hortus spiritualis Germanicus eodem titulo exornat, uti et*

Joannam de Cespedes, *quæ peccatorum veniam a Christo Crucifixo postulans, ex ejus latere sanguinem, in pectus suum, tamquam impetratæ veniæ signum, profluentem senserit.*

Livinus martyr *in Ægypto*
Franciscus presbyter, Joannes Doctor eximius, Franciscus Laicus } *MM. in territorio Nannet.*
Joannes de Plano Carpinis, *confessor in Italia*
Lucas a Martyribus, *confessor Rosarii in Hispania*
Rochus Morenus *confessor, Villenæ in territorio Carthaginensi*
Philippus Ravennus *confessor, Romæ*
Concordia *virgo, Novariæ*
} *Cum titulo* Beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo;*

Didacus Motico *laïcus, in provincia S. Gabrielis*
Agnes de Petra *tertiaria Treviris, in Germania*
} *adduntur ab Huebero.*

Benedictus à Colle amato *Ordinis Capucinorum.*

Ludovicus *rex Christianissimus, cognomento* Crassus,

sus, *ob singulares virtutes laudatur a Saussayo in Martyrologio Gallicano, at recte cum solo* bonæ memoriæ *titulo. Fuit istius nominis VI, obiitque hoc die anno* 1137.

S. Bethasius *a Belino primum insertus est secundæ editioni, sed male formatus pro* Bethario *seu* Betario, *quem simpliciter confessorem appellat, satis ostendens se nescivisse de quo loqueretur. Est autem episcopus Carnutensis de quo agendum erit die crastina* II Augusti.

S. Ebregisi, *puto* Ebregisili, *episcopi Meldensis et confessoris memoria non ad hunc diem spectat, sed ad* XXXI Augusti.

S. Bavonis translatio *a pluribus recentioribus Martyrologis hoc die signata est, ut videsis in Auctariis Usuardinis. At enim, more nostro, et hæc translatio, et si quæ aliæ sunt, referuntur ad diem natalem* I Octobris.

S. Canocus, *forte idem qui* Canaucus, *ad hunc diem remissus est* XIII *Martii sub disjunctione; nempe ut connectatur vel cum sancta sorore* Almedha, *de qua hoc die agitur, si quid de ipso dicendum reperiatur; vel ad* VIII *Octobris, ut socius sit alterius sororis* Keynæ, *in cujus Vita vocatur* Sanctus. *Cum vero de ipso nihil inventum sit hactenus, præter ea quæ ibi paucissimis narrantur satius visum est, ipsum denuo remittere ad* VIII Octobris.

S. Donatiani tertiam translationem *sic hoc die refert Florarium jam non semel citatum :* Apud Brugas in Flandria, tertia translatio S. Donatiani Rhemensis archiepiscopi. *De ea et prioribus juxta usitatum morem agetur die, quo Sanctus ipse colitur* XIV Octobris.

SS. Ursulanarum viginti corpora *Coloniæ hoc die inventa memorat Florarium Sanctorum Ms. Quæ ad sanctam illam societatem spectant, examinabuntur* XXI Octobris.

S. Severum martyrem *in diœcesi Adurensi Novempopulaniæ reperit Papebrochius apud Dadinum Altaserra Rerum Aquitanicarum lib.* 4, *cap.* 11, *pag.* 278, *credititque eum esse qui hoc die recolitur. Verum et ætate et genere mortis ambo illi* Severi *plane differunt. De confessore hic suo loco agimus; Martyr autem apud Saussayum et Castellanum (qui ipsum Gallice* Sabe *appellat) signatus est* I Novembris.

S. Martini Papæ et martyris *exsilium hoc die notatur a Smidio. Colitur Sanctus* XII Novembris.

S. Restituta virgo martyr Calari in Sardinia, mater S. Eusebii episcopi Vercellensis, *ex* XV *Junii huc a Majoribus remissa est, utpote sancto filio conjungenda. At cum ut nuperrime diximus is translatus sit ad diem quo hodie in Ecclesia colitur, etiam ea quæ ad* S. Restitutam *spectant, differenda sunt ad* XVI Decembris.

DE SS. MARTYRIBUS ELEAZARO SENE,

SEPTEM FRATRIBUS MACHABÆIS, ET HORUM MATRE.

ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sanctorum fratrum appellatio, genus, ætas, palæstra seu locus martyrii.

C

Ante Christum an. CLXVI.

Quamvis de Sanctis, in titulo propositis, planissima videantur omnia, utpote Veritatis æternæ sigillo firmata et consignata; occurrunt nihilominus quæ disputationi subjacent, eaque præsertim quæ hoc articulo examinanda suscepimus; nimirum unde ipsis Machabæorum *seu* Maccabæorum, *(de orthographia disputare non lubet) nomen inditum sit; quo tempore pro patriis legibus gloriosissimum certamen complererint; ac quo demum loco, Hierosolymisne, ut aliqui censent, an potius Antiochiæ, ut fert communior verisimiliorque, ac scripturisticæ narrationi longe conformior sententia quam nos adoptasse, jam satis prænotavimus. Hic igitur prima, sed non inutilis nec vana de nomine quæstio; cur nempe septem illi fratres, qui in Scriptura plane anonymi sunt, nec ulla generis aut singularis tribus nobilitate insigniti, cur, inquam a Josepho, a SS. Patribus, atque a vetustissimis quibusque Ecclesiæ scriptoribus* Machabæorum *appellatione donentur; quæ hic non propria aut specifica, sed generica dumtaxat dicenda videtur, quemadmodum censent præcipui interpretes apud Serarium, Redanum et alios ex quibus satis erit paucula hic decerpere quæ ad quæstionis solutionem abunde sufficiant.*

Frustra quæruntur

2 *Sunt qui a matre (quam* Machabæam *vocare placet) ad septem filios id nominis derivatum existiment : alii vero a natu majori qui* Machabæus *appellatus fuerit, atque ad minores fratres cognomentum transmiserit; ast hæc istiusmodi sunt, ut nulla satis auctoritate nitantur, non magis quam reliquorum fratrum nomina propria, quorum non unam classem reperire est. In Josephi de hoc argumento Latina per Erasmum versione, post jam dictum* Machabæum *primogenitum, secundus ordine, vocatur* Aber, *tertius* Machiri, *quartus* Judas, *quintus* Achas, *sextus* Areth, *septimus* Jacob; *at neque Josephi paraphrasim, neque nominum istorum efformationem cum sacro textu conferre lubet; præterquam quod alia nominum series apud Calmetum exhibita, hoc modo et ordine eosdem fratres recenseat, nempe:* Abbin, Gourias, Eusebinas, Marcella, Antonius, Isleazar, Samonas; *matris nomen* Solomonis, *patris* Archippus *definiuntur;* Eleazar *vero sacerdos fratrum institutor dicitur. Quæ omnia ut mere pro arbitrio excogitata existimamus æque ac Menæorum Græcorum alia fictio, ita serio refellenda non censemus, ne id genus obscuris parergis, res aliunde notissimas et certissimas, studiose involvere velle videamur. Ad paulo clariora procedimus.*

propria singulorum nomina

F

3 *Egregie præter ceteros de* Machabæorum *denominatione disputat laudatus noster Redanus in grandi suo apparatu a pag* 45, *ubi fusi relatis discussisque,*

ubi appellatio satis patet

AUCTORE J. B. S.

cussisque omnibus Rabinicis et Cabalisticis venerandi nominis explicationibus, dicam an involucris, tum vero multiplicibus longeque quæsitis Hebraicis etymis, tandem pag. 48 *verisimiliorem tradit* Machabæi *etymologiam, probatque Græcum esse nomen, atque a Græcis Judæ inditum, qualia plura adducit et explicat, ejusdem aut paris originis, ut monomachus, Symmachus, etc., fusius istic proposita; ut mysticis symbolicisque inscriptionibus opus non sit ad evolvendam Judæ, cui primum ea appellatio obtigit, pugnacissimam indolem, tota Machabæorum historia satis demonstratam.* Nullum *sane* a Græcis nomen *(Redani verba sunt)* accipere potuit polemicæ et bellicosæ suæ indoli aptius, nullum quod dexterius a Juda, cui primo obtigit, ad alios transferri posset : ad fratres imprimis, viros armis et præliis clarissimos, ad septem deinde Machabæos Martyres et Machabæam matrem, et reliquos qui in Machabæorum historia, pro lege divina et patria, vel pugnarunt fortiter, vel fortius per tormenta vitam amiserunt temporalem, et acquisierunt æternam.

a pugnace Juda derivata

B

4 *Atque hæc, nisi vehementer fallor, rite perpensis ac consideratis omnibus, vera et unica causa est agnominationis, quæ in Judam primum, vel si ita velis etiam per prolepsim, deinde in fratres, ac demum in illustres Martyres nostros transiit; quemadmodum ante Redanum variis etiam locis observaverat Serarius, præsertim Præloquio primo in libros Machabæorum pag.* 365, *ubi* a præcipuo sanctissimæ religionis vindice, sacrorumque bellorum duce præstantissimo inscriptionem sumptam esse, *satis demonstratum ostendit.* Is enim *inquit,* cum Judas vocaretur, Machabæi cognomen habuit :... de eo vero maxima horum librorum pars agit... Deinde ab ipso ad ejus fratres et alios qui hisce libris fortiter ac pie gesserunt, appellatio eadem promanavit, ut monet Nicetas in 22 orationem Gregorii Nazianzeni. *Sequitur Nicetæ textus:* In Machabæorum libris vir quidam describitur, Judas nomine, cognomento Machabæus, qui pro civitate Hierosolymitana, Legisque Mosaicæ cultu, ac contribulibus suis, multa præclare et strenue gessit. Propter quem ceteris quoque historiæ partibus Machabæorum nomen inscriptum est. Quoniam igitur in eodem volumine Eleazari, septemque filiorum et matris concertatio

C

continetur, Machabæi etiam ipsi nominati sunt : neque enim qui historiam conscripsit, eos a Juda Machabæo genus duxisse tradit.

cui non refragatur S. Gaudentius.

5 *Non ignoro equidem, aliam ferme a S. Gaudentio, in tractatu de Machabæis sub principium adferri hujus nominis derivationem, dum ad veram progeniem, Machabæorum tempore notam, alludens, ita loquitur :* Judæi erant illi ante adventum Domini Salvatoris, sub Lege tantum veteri conversantes, quique cognomentum Machabæorum trahebant ex genere, sicut hodie Aniciorum progenies, vel si qua sunt hujusmodi nuncupationum vocabula, quæ stirpem nobilitatis usurpent, ex divitiarum terrestrium cumulo descendentem : *quæ sane in obvio sensu cum jam supra disputatis non omnino cohærere videntur. At enim paulo clarius mentem aperit sanctissimus Præsul in sequentibus, aptius et ad receptum sensum rem explicans hoc modo :* Nemini absurdum videatur, quod eos paulo ante Aniciis comparavi. Anicii quippe ex Græco sermone a nobis nuncupantur invicti, *ubi demum omnia in ordine ad sanctissimos nostros Martyres, reducit ad constantiam fidei in superanda suppliciorum atrocitate, in quo* Aniciorum *seu* invictorum *æque ac* Machabæorum *appellationem meritissime consecutos recte censebimus, ut adeo objecta difficultas facile evanescat.* D

Hispanicum genus commentitium.

6 *Quæ alia moveri solet de Machabæorum genere, deque Assamonæorum stirpe et patria quæstio, apud Serarium pag.* 420, *ad nostros Martyres non spectat, quos satis est, veros fuisse Hebræos legisque suæ vindices prorsus incomparabiles, at non ex eorum classe quos pseudo-Julianus in Adversariis suis sic describit, ut commiseratione magis quam refutatione dignus sit. Jocos dices ipsius ineptias, quas seriis tantisper admiscere hic liceat. Ita nugatur num.* 52 : Constat etiam patrem Eleazari scribæ et martyris, ac patrem et avam septem sanctissimorum martyrum Machabæorum, cognatione cum Assamoneo et Simone conjunctum, ex Hispania venisse in Judæam ; et post, Matthatiam, primum filium vocasse Joannem Gadis (quia ejus mater dicitur fuisse Gaditana). Isti vocati sunt Machabæi, quia secuti sunt vexilla Judæ, qui vexillis pro tessera militari posuit (ut scribit Isaac Rabbinus) illud : QUIS SIMILIS TUI IN FORTIBUS DOMINE? ut 15 Exod. num. 11, quarum dictionum initiales litteræ Hebraice sunt M. C. B. I. quæ per compendium faciunt MACHBI vel MACHABCEI, unde duci militibusque nomen Machabæorum venit. *Quæ retulisse, sit satis.* E

De ætate

7 *Jam ad fortissimorum Pugilum ætatem seu martyrii tempus quod spectat, non videtur institui posse controversia, dum annus in ipso sacro textu satis definitus est, nempe lib.* 1, *cap.* 1 ℣ 57 *ubi legitur :* die quinta decima mensis Casleu quinto et quadragesimo et centesimo anno, *hæc referendo ad* ℣ 30 et 21, *tum vero ad lib.* 2, *cap.* 5 ℣ 11, *ut plane indubitatum sit, eo anno passos esse. Si quæras, quotus ille dicendus sit a mundo condito? obvia est Chronologis responsio; pendere id a variis systematibus, quæ examinare aut expendere, hujus loci sane non est. Parum inter se differunt Salianus, Labbeus et Brietius, his* 3886, *illo* 3887 *signantibus : a quibus recedit Calmetus, apud quem notatum invenio annum* 3837, *et novissime apud Berruyerum nostrum in Historia populi Dei annum* 3840, *quibus longam aliorum aliter sentientium seriem frustra hic adjunxero : mihi semper placuit nostri Saliani non minus Chronologia quam Historia, in cujus opinione tomo* 6 *pag.* 53 *annus jam dictus Græcorum* 145 *combinandus est cum anno mundi* 3887, *qui fuerit ante Christum natum* 166, *ubi etiam totam Machabæorum historiam egregie prosequitur.* F

nonnulla etiam disceptatio.

8 *Porro ad rem nostram apposite Josephi errorem corrigit, dum primam cladem ab Antiocho Judæis illatam anno* 143, *confundit cum secunda, quæ toto post biennio seu* 145 *contigit :* Post duos enim annos *inquit,* ille *(Antiochus)* non venit *(Jerosolymam)* sed, ut ait Scriptura, misit *principem tributorum, quem alio loco vocat Apollonium, ut hic videas per se fluere solutionem nodi alterius, ceteris non minus implexi, de loco cruentissimi certaminis, de quo mirum est, tantam dissensionem suboriri potuisse, ut non pauci cum nupero Legendista Gallo Jerosolymæ palæstram statuerint, cum ex sacro textu evidenter pateat, inspectante tyranno Antiocho, rem peractam esse, aliunde vero constet, signato a Scriptura anno, Jerosolymam non venisse Antiochum, atque adeo dubium minime videri possit, quin in ipsa urbe Antiochena, tum Eleazarus, tum septem cum matre sua filii gloriosissimum agonem compleverint. Utrum e Susandro castro (ut vult Josephus) Antiochiam in regis conspectum adducti fuerint, non ausim tam certo asserere : undecumque ipsos eo pertrahi jusserit crudelissimus tyrannus, non videtur*

dubitasse

A *dubitasse S. Augustinus, quin Antiochiæ passi, ibidemque a Christianis egregia postea basilica honorati fuerint, unde reliquiæ in varias etiam Occidentales ecclesias subinde translatæ sint, quod pluribus infra dicendum erit. Atque hæc de nomine, genere, ætate et palæstra satis dicta sint: sequitur ut de eorum vetustissimo cultu præclara nonnulla monumenta subjiciamus.*

§ II. Cultus celeberrimus juxta ac vetustissimus in universa Ecclesia.

Vix est credibile,

De *sanctorum nostrorum* Machabæorum *cultus celebritate ea sunt argumenta, ut vix de ullis aliis universæ Ecclesiæ Sanctis multo plura reperiri aut adduci possint, id quod ex sanctorum Patrum, tum Græcorum tum Latinorum, præclarissimis encomiis, paulo inferius erit quam manifestissimum. Par vero ex eodem capite accedit antiquitas, quam citanda etiam Kalendaria, Sacramentaria et Martyrologia cumulatissime demonstrabunt.* B *Istud vero prorsus singulare, quod qui ex tota veteris Testamenti historia postremi essent, iidem ipsi in Christi Ecclesia Sanctorum honores cultumque religiosum ante omnes alios consequerentur, imo soli, tametsi tot alii a justo Abel usque ad Zachariam in veteri Lege sanguinem profudissent; cujus rei rationes variæ afferuntur apud Serarium pag.* 464; *de quibus videsis disputantem S. Bernardum ep.* 98 *editionis Horstianæ; nobis satis sit, quod quemadmodum veri Martyres nostri pro Christo Servatore sanguinem funderent, ita isti pro Lege Domini, patrumque religione vindicanda fortissime decertassent: id vero imprimis summa dignum videtur admiratione, sacrisque illis pugilibus gloriosum in paucis, quod tametsi sesquiseculo et amplius Salvatoris adventum præcessissent, nihilominus inter primos et præcipuos Ecclesiæ Martyres computati, culti et celebrati fuerint.*

quam vetustus fuerit eorum cultus

10 *Et quidem ejus rei testes sunt, quam numero multi tam auctoritate omni exceptione majores: sive enim antiquissimos, qui quidem exstent, sacros Ecclesiæ Fastos consulas, ibi ante alios, quamquam inclytos Christianos martyres, ipsos* Machabæos C *consignatos invenias; sive sanctos primorum seculorum Patres appelles; sive demum vetustissimos quosque Ecclesiæ scriptores: illos omnes in iis laudandis exornandisque certatim quodammodo contendisse, non immerito dixeris; quemadmodum sequenti mox paragrapho, adductis nonnullis speciminibus paulo uberius demonstrare conabimur. Hic nobis sacræ nostræ Tabulæ percurrendæ sunt, ex quibus pro Sanctorum cultu momenta monumentaque eruere consuevimus, quæ tum apud Græcos tum Latinos tam obvia sunt, ut manifeste pateat, sanctos fratres* Machabæos *(quibus semper sanctum senem Eleazarum, matremque connexos censemus) nec celeberrimis Ecclesiæ martyribus posthabitos, imo quam plurimis, saltem ordine temporis, antepositos fuisse. Cum autem in Fastis Græcis, intellige Menæis, Menologiis aut Synaxaris, nihil magnopere recurrat, quod ad firmandam illustrandamve eam vetustatem quidquam conferat, ea ex nostris Kalendariis, Sacramentariis, Martyrologiis aliisque id genus probatissimis documentis opportunius demonstrabitur.*

in nostris Fastis,

11 *Notissimum modo est et vetustate sua omnino venerandum Polemei Silvii Kalendarium (cujus Laterculum dederat Bollandus) a nobis integre editum ad finem tomi* VII *Junii in quo, cum toto textu, tam rara sint Christianismi indicia, tam rari Sancti Fastis illis adscripti, ut toto anni decursu, præter Epiphaniam, Natalem et Passionem Domini, soli sex præcipui martyres celebrentur, nempe: SS. Petrus et Paulus, Vincentius, Laurentius, Hippolytus et Stephanus; inter eos nihilominus ipsis Augusti Kalendis disertissime enuntietur:* Et martyrum Machabæorum. *Hæc vero cum seculo quarto proxima sint, liquido evincunt id quod annotavit Baronius,* veterem quidem hujusmodi celebritatem, quam majores propensiori studio coluerint, ut testantur complures sanctorum Patrum orationes, ea solenni die in Ecclesia recitatæ, *de quibus infra. Hic solis Fastis insistimus, ex quibus manifestum vides, etiam ante S. Petri Vincula, solennem fuisse Romæ* SS. Machabæorum *festivitatem; quod præterea confirmat Kalendarium Carthaginense a Mabillonio primum, deinde inter Acta Martyrum sincera a Ruinartio editum, ubi dicta jam die diserta ipsorum agitur, non item S. Petri Vinculorum, commemoratio, ut est etiam in veteri Kalendario apud Acherium tomo* 10 *a pag.* 130.

AUCTORE J. B. S.

item Martyrologiis Hieronymianis.

12 *Eadem prorsus est Hieronymianorum omnium codicum sententia, in quibus sanctorum* Machabæorum *annuntiatio alteri festivitati primo loco præponitur. Sic annuntiat codex vetustissimus Epternacensis:* In Antiochia, Machabæorum septem fratrum cum matre. *Alii codices verbis paulo pluribus:* In Antiochia, passio sanctorum Machabæorum septem fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiochio rege. E *Qualem etiam ordinem constanter servatum invenies in codicibus contractis seu brevioribus, tum qui a nobis tomo* VII *Junii nostri editi sunt, tum in tribus præcipuis quos tomo* 3 *Thesauri Anecdotorum recentius vulgavit Martenius. Utrum porro, quod in annotatis ad Martyrologium suum, per conjecturam colligere voluit Galesinius,* ex Nazianzeni concione *sequatur,* anniversarium eum diem festum divinis Officiis coli cœptum in ecclesia Ambrosiana et Græca jam fere ab initio prædicationis Euangelii; *ut ex dicto loco non satis facile discerni posse infra perspicies, ita nec promptum est definire. Testimonia certe tam ex Græcis quam ex Latinis seculi quarti et quinti Patribus adduci solita, rectissime probant id quod intendimus, vetustam juxta ac celebrem fuisse sanctorum* Machabæorum *in utraque Ecclesia festivitatem, et quidem cum jam dicta prærogativa, quæ apud Rabanum, Wandelbertum, Usuardum et Notkerum intacta remansit.* F

ceterisque omnibus Latinis

13 *In ceteris omnibus Martyrologiis, præsertim recentioribus, factam esse transpositionem, docet quotidiana nostra experientia, eamdemque in variis Sacramentariis pridem obtinuisse, satis ostendit Menardus, qui in Sacramentario Gregoriano, præstituta die, nullam* SS Machabæorum *memoriam reperiens, recte in annotationibus S. Leonis verba adduxit, serm. de* Machabæis: Duplex enim causa lætitiæ est, in qua et natalem ecclesiæ *(cujus tum dedicationis anniversaria festivitas celebrabatur)* colimus et Martyrum *(quorum verosimiliter depositæ ibi erant reliquiæ)* passione gaudemus. *Citat porro Menardus codicem Batoldi, in quo Missa duplex, prior S. Petri, altera* SS. Machabæorum. In Remensi autem, *inquit,* una habetur Missa Machabæorum, nulla S. Petri, etsi titulus solennitatis S. Petri, in eo præcedat titulum celebritatis Machabæorum: *ut hinc, me tacente, facile intelligas, in diversis ecclesiis sensim variasse ritum, atque posterioribus seculis (nono circiter, nisi fallor) festivitatem S. Petri ad Vincula, quod modo ubique receptum videmus, omnino prævaluisse.*

et

AUCTORE J. B. S.

et Officio et Missa, cum tamen in libro Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ a Thomasio edito, Kalendas Augustas soli Machabæi *pridem et diu obtinuerint, tribus particularibus orationibus, quæ istic videri possunt.*

etiam metricis:

14 *Fidem me liberasse existimo secundum utramque partem, tum celebritatis tum vetustatis cultus* SS. Machabæorum *ex productis hactenus antiquioribus Kalendariis, Sacramentariis et Martyrologiis; quibus annumerari merito debent Rabanus, Wandelbertus et Notkerus, apud quos eadem quæ in prioribus servata est ratio, ut ex Rabano patet, qui sua ex Hieronymianis, omissa tamen positione seu loco, descripsisse omnino videtur, dum ita annuntiat :* Sanctorum Machabæorum VII fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho rege. *Audi item Wandelbertum sic primo loco canentem :*

Augustus demum pleno jam farre refertus,
Quis nova sacra ferat, monstremus carmine Sanctos,
Quos ferus in mortem Antiochus, cum matre subegit;
B
Venturo sanguen qui Christo sponte dicarunt,
Augustas retinent Machabæi jure Calendas.

Tum vero Notkerum, palæstram martyrii exprimentem eamque ex S. Augustino, cujus locum paulo distinctius explicatum vellem, invicte probantem : Apud Antiochiam Syriæ, nativitas septem fratrum Machabæorum cum matre, qui ut beatus Augustinus ait : Ante tempora revelata gratiæ multimoda passione probati, fideles sunt inventi. Quos crudelissimus Antichristi præcessor Antiochus, de patria eliminatos, gentile solum sacri sanguinis effusione fecit invidus atque inscius consecrare.

nec minori solennitate

15 *Hic jam demum totam Martyrologorum omnium seriem, si ita lubet, adjicias : ea solum erit hos inter et vetustiores discrepantia, quod Ado, Romanum parvum et Bedam, seu potius Florum secutus, secundo dumtaxat loco* SS. Machabæos *signaverit. Ne quis vero de Bedæ mente dubitet, exstat illa apud laudatum Acherium eodem tomo expressa pag.* 128 *in ejus Martyrologio metrico :*

C

Machabæi Augusti celebrantur mensis in ortu.

Jam si Græca monumenta consulas, mira in die cum Latinis consensio, eadem autem ubique in ceteris sententia, quam, ut pluribus supersedeam, satis expressit Menologium a Sirleto editum his verbis : Commemoratio sanctorum Machabæorum Eleazari ac filiorum, qui fuerunt sub Antiocho filio Seleuci, a quo tota gens Hebræorum perdita et in servitutem acta est. Exstat in eorum laudem S. Gregorii Nazianzeni oratio. *Adde more nostro textum Menologii Basiliani, quod Græce habes tomo hoc, Augusti* I, *hic Latine versum :* Eleazarus, vir ille dignissimus, præceptor erat filiorum septem S. Salomonidis, habitans Hierosolymis. Rege autem Seleuco Hierosolymam populante, et in servitutem abducente genus Hebræorum, etiam hi sunt apprehensi, coactique ethnica sacrificia degustare, atque eorum usu sese polluere. At cum neutiquam obtemperantes, pro patriis legibus decertarent, variis subjecti fuerunt suppliciis : ac primo quidem Eleazarus cæsus crudeliter et in ignem injectus, oransque Deo spiritum tradidit ; deinde filii secundum ordinem ætatis, in medium producti, et equuleis, distensionibus, rotis ac flammis excruciati, pro pietate vitam immolarunt, reipsa comprobantes, superiorem passionibus esse rationem ; mater demum horum Salomonis, ultro in fornacem ingressa, suis sese filiis per mortem adjunxit. *Aliorum elogiorum vices supplebunt quæ ex laudato, Nazianzeno et Chrysostomo proxime dabimus. Hic locum habeat versiculus ex metrico Græco-Mosco :* D

Καῦσαν ἐνὶ πρώτῃ ΣΟΛΟΜΩΝΗΝ ἑπτάτε Ὑιας
Cum SEPTEM NATIS combussit prima SOLOMEN.

in Tabulis Græcis.

16 *Postrema hic, non dignitate sed ordine solennissimi cultus monumenta subjungo, templa nimirum, sed sola prima sanctis* Machabæis *exstructa dicataque ; ut est illud primum ac præcipuum quod ex S. Augustino adduximus, Antiochiæ conditum, si non furente adhuc persecutione, saltem sub ipsis pacificatæ a Constantino Ecclesiæ initiis, unde in reliquas Orientis regiones extemplo propagatam fuisse Sanctorum celebritatem, abunde docent SS. Nazianzeni et Chrysostomi panegyricæ orationes, ut jam alia monumenta taceam, apud Cangium de Constantinopoli fusius explicata. Porro ex Asia mox in Africam et Europam penetrasse ex testimoniis minime* E *dubiis conficitur ; certe Romæ, sive in Exquiliis sive alio loco basilicam ipsis conditam, in eaque depositas eorum reliquias tradunt, qui de basilicis Romanis meminerunt cum ipso Romano Martyrologio. Porro Lugduni in Gallia non minus antiquam fuisse sanctorum Machabæorum ecclesiam, inde certissime conficitur, quod apud Adonem in Martyrologio, S. Justi, istius urbis episcopi corpus ex Ægypto* relatum, condigno cultu in basilica beatorum fratrum Machabæorum et martyrum gloriosissimorum, *jam a seculi* V *principio,* conditum fuerit : *ut antiquiorem non memorem, quæ Viennæ ipsis sacra exstitit, metropolitana ipsa, S. Mauritii nomine subinde insignita. Quid ad argumenti evidentiam ultra desiderari possit, non video.*

§ III. Paucula de multis SS. Patrum encomia.

Profusa sunt PP. elogia,

Encomia dum nomino, non id ita velim intelligas, ac si animus sit, orationes illas describere, quas primi illi Ecclesiæ doctores longas et elegantes in F SS. Machabæorum *festivitate dixerint ad populum ; id unum hic mihi præfixi, ut præcipuas panegyres digito commonstrem, nonnulla inde decerpturus quæ speciminis loco sint, animosque accendant ad cetera in ipsis fontibus requirenda. Invenientur istic non elogia solum aut panegyricæ laudationes, sed et graves subtilesque disputationes quibus fortissimi Martyres Christo et Ecclesiæ vindicantur, cumque ipsis etiam vel primis Christianis martyribus conferuntur. Neque senis Eleazari, et septem fratrum ac incomparabilis matris meritissima solum canuntur præconia, verum et appositissima præcepta moralia ex ipsorum victoriis deducantur, quæ omnia huc congerere importunum esset, dum locis suis in promptu et obvia sunt. Meditata exequimur. Et primum quidem locum, ut inter encomiastas si non præcellentior, saltem antiquior, mereri videtur laudatus jam non semel sanctus Gregorius Nazianzenus, cujus orationis* 22, *tomo* I *editionis Billianæ a pag.* 397 *principium satis erit describere. Ita loquitur :*

Nazianzeni.

18 Quid autem Machabæi? (horum enim nomine diem hunc festum agitamus) qui quamvis apud multos non honorentur, quia non post Christum

AUCTORE J. B. S.

A stum decertarunt, digni tamen sunt qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus institutisque patriis fortem animum præstiterunt. Qui porro ante Christi passionem martyrium subierunt, quid tandem facturi erant, si post Christum persecutionem passi fuissent, ejusque mortem nostræ salutis causa susceptam, ad imitandum propositam habuissent? Nam qui sine hujusmodi exemplo tanta virtutis laude floruerunt, an non multo fortiores se præbuissent, si cum exemplo periculum adire ipsis contigisset? Ac simul mysticus et arcanus hic sermo est, mihi quidem atque omnibus Dei amore præditis admodum probabilis; neminem videlicet eorum, qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Christi fidem esse consecutum. Quamquam enim Verbum suo postea tempore libere promulgatum est; puris tamen animis etiam ante innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsum honoribus affecti sunt, liquido perspici potest. Quocirca Machabæi non idcirco contemnendi sunt, quia ante crucem exstiterunt; verum quia ad crucis normam vitæ suæ rationes
B exegerunt, idcirco laudandi ac verborum honore celebrandi.

Chrysostomi hom. 1.

19 *Cetera non prosequor, tametsi ad finem usque decurri dignissima sint, laudes solum sanctorum Martyrum, sed et ipsam historiam eleganter complexa. Neque his cedit S. Joannes Chrysostomus, in ipsa urbe Antiochena, in ipso certaminis loco, ad ipsos cruentos adhuc cineres tribus bene longis orationibus SS. constantiam ac fortitudinem aurea sua eloquentia magnifice prædicans. En pauca de singulis ex tomo* 2 *novissimæ editionis. Homilia* 1 *a pag.* 622: Quam speciosa nobis læta civitas! quam toto anno splendidior hæc dies! non sole clariores, quam more solito, radios in terram effundente, sed sanctorum Martyrum luce, plusquam fulgur, totam nobis civitatem irradiante. Sexcentis enim solibus splendidiores, hi sunt, ac magnis luminaribus clariores. Propter ipsos hodie terra ornatior est, quam ipsum cœlum. Ne mihi pulverem dicas, ne mihi cinerem cogites, vel ossa tempore consumpta; sed fidei oculos aperi et vide assidentem ipsis Dei virtutem, ambientem ipsos Spiritus gratiam, circumfusam cœlestis luminis gloriam. Non tales ex solari orbe in terram emit-
C tuntur radii, quales ex sanctis corporibus prosilientes fulgores diaboli oculos excæcant. *Habe modo etiam sequentis homiliæ* 2 *principium:*

hom. 2

20 Omnes quidem ut sanctos martyres una lingua laudemus, fieri nequit; sed etiamsi sexcenta nobis ora totidemque linguæ suppeterent, parem tamen laudibus orationem non afferremus: idemque mihi accidit, cum septem Martyrum præclara facta contueor, quod avaro cuipiam homini, qui fonti assideat auro mananti, in quo septem sint tubi, ac totum exhaurire conetur, sed multo immensoque labore impenso, majori parte derelicta, recedat. Fontem enim quantumvis exhauseris, pars major tamen relinquitur. Quid igitur? an quia pro dignitate largiri non possumus, conticescemus? minime vero: Martyres enim sunt, qui dona suscipiunt, et in judicio de ejusmodi largitione ferendo suum Dominum imitantur. Quid igitur ille facit? cum dona quispiam affert, non oblatæ rei magnitudinem, sed alacritatem animi ejus qui obtulerit, attendens, præmium admetitur..... Audacter igitur ad laudandum aggrediamur, et quod heri egimus, id nunc etiam, si placet, agamus. Heri siquidem in solius matris laudes sermonem totum impendimus: quod a nobis factum est, non quod eam a filiorum choro avellere studeremus, sed ut tutiores nobis divitias redderemus; quod utique nunc quoque præstemus, uno filiorum abducto, de eo pauca dicamus: verendum est enim ne septem Martyrum laudes, ceu septem flumina confertim confluentia sermonem nobis inundent et obruant. *Item et homilia* 3.

atque item hom. 3.

21 Cum et martyribus debitam operum commendationem, et redactam in angustias multitudinem video, me piget. Quocirca, si ita videtur, doctrinam in præsentia differamus, imitari vero martyrum fortitudinem studeamus. Primus ergo nobis Eleazarus senior in medium prodeat, initium certaminum, martyrii fundamentum, studiorum janua, fortitudinis princeps, tolerantiæ præcursor; illa canities juvenescens, Testamenti veteris protomartyr, Apostolorum principis Petri imago. Defecit et blandiens et virgis cædens adversarius, nec tamen declamare destitit, qui suppliciis divexabatur. Stabat senior præ nimia tremens senectute; sedebat minas ac cædem anhelans tyrannus: et qui tremebat, vegetus, abiit; qui florenti ætate lasciviebat, victus abscessit. Stabat canities excrucitata; judicium exercebat E cum auctoritate juventus efferata, et victoriam canities reportabat. O novum genus victoriæ! totum simul exercitum, sagittas arcu mittentem, senex unus vulneratus in fugam convertit. Non patitur me ad juvenum fortitudinem gradum facere certaminum Senis miraculum; sed tamen necesse est, ut ad eos vim afferentes isti, pergamus: nam et illi præclaros de tyranno triumphos egerunt. Non enim debuit juventus minus intrepida quam canities apparere. Septem igitur deinde juvenes cum strenue dimicassent, coronati sunt, *etc.*

Tum Cypriani,

22 *Hæc multorum instar; ceteros PP. Græcos vide apud interpretes Serarium et alios. Quibus addi potest longa Patrum Latinorum series; at nobis hic sufficient SS. Cyprianus. Ambrosius et Augustinus. Audi primum lib.* 4 *ep.* 6, *pag.* 405 *apud laudatum Serarium:* Quid in Machabæis beatorum martyrum gravia tormenta et multiformes septem fratrum pœnæ, et confortans liberos suos mater in pœnis et moriens ipsa quoque cum liberis? Nonne magnæ virtutis et fidei documenta testantur, et nos ad martyrii triumphum suis passionibus F adhortantur? *Et libro de exhortatione martyrii cap.* 9: Quæ vero ediderunt confessionum præconia, quam præclara, quam magna documenta fidei præbuerunt! Rex Antiochus infestus, imo in Antiocho Antichristus expressus, ora SS. Martyrum gloriosa et spiritu confessionis invicta, contagio suillæ carnis maculare quærebat; et cum flagellis graviter verberasset, ac nihil promovere potuisset, sartagines jussit igniri: quibus ignitis et accensis, eum qui primus locutus fuerat, et magis regem virtutis et fidei constantia provocaverat, admoveri præcipit et frigi, producta et exsecta prius lingua, quæ confessa Deum fuerat, quod martyri gloriosius contigit: lingua enim confessa nomen Domini, prior ad Deum debuit ipsa proficisci. Post in secundo, excogitatis arctioribus pœnis, *etc.*

Ambrosii,

23 *S. Ambrosii verba sunt apud Serarium pag.* 407, *ex lib.* 1 *Officiorum cap.* 41: Quid autem de martyrum dicam passionibus? Et ne longius evagemur, non minorem de superbo rege Antiocho Machabæi pueri revexerunt triumphum, quam parentes proprii: siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit invicta septem puerorum cohors regiis cincta legionibus; defecerunt sup-

AUCTORE J. B. S.

plicia, cesserunt tortores; non defecerant Martyres. Alius corio capitis exutus, speciem mutaverat, virtutem auxerat; alius jussus linguam amputandam promere, respondit: Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium. Linguæ flagellum times; flagellum sanguinis non times? Habet et sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamavit in Abel. *Sequitur ex lib.* II *ep.* 7. Haud degener Abrahamidarum et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur, non rogabant ut parceretur, sed invehebantur, ut amplius persecutor inflammaretur. *Tum ex lib.* II *de Jacob et vita beata cap.* 11: Post ipsum statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callide a sene incipiendum putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmiis provocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres, *etc.*

Augustini,

B 24 *Ad S. Augustinum accedimus, quo nemo frequentius pro* SS. Machabæis *certavit, nemo uberius eorum laudes prosecutus est. En capita brevia ex sermone* 300, *tomo* 5 *editionis Benedictinæ a col.* 850. *Sic incipit*: Istum diem nobis solennem gloria Machabæorum fecit: quorum mirabiles passiones cum legerentur, non solum audivimus, sed etiam vidimus et spectavimus. Olim ista gesta sunt ante Incarnationem, ante Passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. In primo populo illo exstiterunt, in quo prophetæ exstiterunt, qui hæc præsentia prædixerunt. *Pergit ostendere re ipsa Christianos, etsi non appellatione, fuisse. Deinde num.* 6: Machabæi ergo martyres Christi sunt. Ideo non incongrue neque importune, imo convenientissime dies eorum et solennitas eorum a Christianis potius celebratur. Quid tale Judæi celebrare noverunt? SS. Machabæorum basilica esse in Antiochia prædicatur: in illa scilicet civitate, quæ regis ipsius persecutoris nomine vocatur. Antiochum quippe regem persecutorem impium pertulerunt, et memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur, ut simul sonet et nomen persecutoris, et memoria coronatoris. Hæc basilica a Christianis tenetur, a Christianis ædificata est.

C

e quibus pauca.

25 *Sermone* 301: Magnum spectaculum, *inquit*, positum est ante oculos fidei nostræ. Aure audivimus, corde vidimus optantem matrem ante se finire istam vitam filios suos; longe contrariis votis consuetudini humanæ. Omnes enim homines filios suos ex hac vita migrando præcedere volunt, non sequi; illa autem optavit posterior mori. Non enim amittebat filios, sed præmittebat; nec intuebatur quam vitam finirent, sed quam inchoarent. Desinebant enim vivere, ubi quandoque fuerant morituri; et incipiebant vivere, sine fine victuri. Parum est, fuisse spectatricem, mirati sumus potius hortatricem. Fœcundior virtutibus quam fœtibus; videns certantes, in quibus omnibus ipsa vincebat, et in omnibus vincentibus ipsa certabat. Una mulier, una mater, quomodo nobis ante oculos posuit unam matrem sanctam Ecclesiam, ubique exhortantem filios suos pro illius nomine mori, de quo eos concepit et peperit? Sic sanguine martyrum impletus orbis, præjactatis seminibus seges Ecclesiæ pullulavit, *etc.*

Indicantur ceteri.

26 *Hæc delibasse satis, opinor, et abunde est; habes fontes etiam apud Surium qui te exsatient: redi de cetero ad laudatum locis jam citatis Serarium, plurima alia suggerentem ex sanctis Gaudentio, Leone PP. I, Maximo Taurinensi, Prospero, Isidoro, Bernardo, atque item ex Victorino Afro, Alcimo Avito, Prudentio, Venantio Fortunato, præter citatos alios, ex quibus plura describere opus non est. Insigne poëma Victorini Afri, cujus breve istic fragmentum exhibetur, exstat integrum in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis tomo* 4 *a col.* 383: *neque opus censemus, Hildeberti et Marbodi metrica SS. Machabæorum elogia adducere. Hic reliquum est ut de Sanctorum nostrorum reliquiis eorumque Actis ea prælibemus, quæ licet rem non exhauriant, sufficientem saltem notitiam subministrent.* D

§ IV. Reliquiæ et Acta.

Quænam Romam delatæ,

Q*uis, quo anno, imo quo seculo Antiochiæ sacra* SS. Machabæorum *corpora a sepulcris suis levaverit, memoriæ proditum non est. Neque adeo constare certo potest, quandonam Romam translata fuerint, aut ex toto aut saltem ex majori parte, ubi a tot retro seculis deposita fuisse ex citatis supra S. Leonis verbis satis indubitatum videtur. Nec minus certum, easdem hactenus reliquias summa ibidem in veneratione haberi, non solum in celebri ecclesia dicta S. Petri ad vincula, seu in monte, nempe Esquilino; verum etiam, teste Piazza, variis locis aliis, ut in basilicis Lateranensi, S. Mariæ Majoris atque alibi, in quibus quid aut quantum supersit, quid in Galliam Parisios usque aut alio translatum fuerit, nemo est qui satis explicare, nedum determinare ausit, præsertim cum alia prorsus sit apud Colonienses traditio, ubi et corpora et capita honorari perhibentur, quemadmodum narrat Gelenius syntagmate* 52, *quem mirum est indicare neglexisse, quæ partes in Hispaniam sint deportatæ, ubi eas ex lipsanologio Scorialensi descripsit noster Pinius, dum ibi commoraretur anno* 1722. *Ceterum historiam Coloniensem brevius et nitidius a Serario pag.* 406 *descriptam, hic referre placuit, a Saussayo postmodum fusius illustrandam.* E

quæ et quomodo

28 *Præmissis Martyrologii Romani verbis de jam dicta translatione, sic pergit*: Sed Coloniæ Agrippinæ virginum cœnobium est et ecclesia quæ olim B. Magdalenæ, nunc ab annis jam CCCC Machabæorum dicitur: in cujus altari summo capsa deaurata et in ea septem istorum Machabæorum et matris capita visuntur, quæ quidem ejus loci liber (ab Helia illo Mercæo, qui anno Domini MDIV templum illud ea forma et venustate, qua hodie stat, restituit; cuique correctum a se Josephi de Machabæis libellum Erasmus dedicavit; e Patribus et annalibus variis concinnatus) refert, Antiochia primum translata Constantinopolim, deinde ab Eustorgio Mediolanensi episcopo Mediolanum, hinc vero ab archiepiscopo Coloniensi Reginoldo Coloniam, cum scilicet anno MCLX Mediolanum iterum obsedisset Fridericus imperator. Et narrat eadem pluribus F. Merssæus Cratepolius in Archiepiscoporum Coloniensium annalibus fol. 9 et sequentibus, iterumque fol. 63. *In componendis autem temporibus non satis convenienter loqui videtur Cratepolius, dum priori loco ordinem translationis* SS. Machabæorum *aliter explicat, quam secundo, cui utrobique distinctius dicendum fuerat, trium Magorum æque ac Sanctorum hodiernorum, ab episcopo Reinoldo* corpora ex Italia Coloniam translata *fuisse.* F

29

A *Coloniam,*

29 *Audiamus porro jam ex Serario reliqua, ubi Erasmi voces refert ad supradictum Heliam Mercæum, occasione pretiosissimi istius* SS. Machabæorum *thesauri apud Sanctimoniales istas tam illustri tunc loco depositi. Ita virum compellat* : Equidem isti collegio, multis aliis quoque nominibus celebri, tamen hoc præcipue gratulor, quod illi tam insigni thesauro locupletari contigit. Quin magis universæ Coloniæ Agrippinæ magnopere censeo gratulandum, urbi tot modis felici : verum haud alio titulo feliciori, quam quod una tam multa, tamque eximia pietatis pignora gremio suo complectitur : felicior etiam futura, si quorum servat reliquias, eorum virtutes exprimat; et quorum possidet corpora, ab horum moribus non sit aliena. Nimirum, si trium Regum pietatem, sinceritate religionis imitetur : si undecim millium Virginum martyrio dignam puritatem, vitæ sobrietate æmuletur : si fortissimos adolescentes Machabæos, et invicti pectoris viraginem, animi infracti constantia referat. *Atque hæc quidem Erasmi rectissima et sanctissima monita, a quibus utinam prior ipse non deflexisset!*

B *non est facile decernere:*

30 *Quod vero ad hic memoratam translationis historiam attinet, candide nos fateri necesse est; nec Cratepolii, nec Serarii, nec aliorum auctoritatem satis evincere, sacra istic Machabæorum corpora et capita omnia sic deposita esse, ut inde de Romanarum aliarumque per Ecclesiam reliquiarum identitate dubitandum sit. Equidem solito me clypeo tueor, relictisque in pia, plena ac pacifica possessione partibus omnibus contendentibus, postremo hic loco orationem historicam subjiciam, quam solita sua gravitate concinnavit Saussayus eamque Martyrologio suo Gallicano inseruit hisce omnino verbis:* Ipso die, natalis sanctorum septem fratrum Machabæorum, qui Antiochiæ cum matre sua Salomone, pro Legis Dei tutela decertantes, ab Antiocho Epiphanæ rege durissimis cruciamentis affecti, præclara fidei constantia, illustrem triumphum peregerunt. Hos Patres, cum Græci tum Latini egregiis laudibus celebrarunt. Quin et S. Paulus Apostolus eo in cultu habuit, ut Viennæ Allobrogum, ubi Crescentem primum constituit antistitem, primam ædem sacram ædificans, ipsorum in honorem dedicaverit, quæ etiamnum cernitur in claustro principis ecclesiæ

C Viennensis. Unde orta Sanctorum horum pugilum, quæ etiamnum ibidem viget, veneratio, hodierna festivitate apud incolas plurimum conspicua et insignis.

multo minus tempora

31 Exstat etiam Coloniæ Agrippinæ cœnobitica virginum Benedictinarum ecclesia, sub sanctorum istorum Martyrum nuncupatione; in qua eorum corpora seu sacer illorum cinis religiose observantur. Capita vero adhuc solida conservantur, atque devotæ plebi hodie exhibentur pie percolenda. Sic autem ibi translata susceptaque feruntur. Nimirum cum Antiochiæ, ubi passi sunt illi divini Agonistæ, diu sacra ipsorum pignora servata fuissent, beata Helena Constantini mater, quando Palæstinam pio affectu lustravit, illa inde secum Constantinopolim advexit; quæ et Justinianus postmodum in sanctæ Sophiæ magnificentissima basilica a se excitata, conciliandi iisdem amplioris causa honoris collocavit, cum trium Magorum, qui Christum in cunabulis adoraverunt, pretiosis exuviis. Constiterunt illic usque ad Emanuelis imperatoris tempora. A quo tum Mediolanensibus concessa, in ea capella condita fuerunt, quæ sancti postea Eustorgii nuncupationem tulit, eximiamque in amplitudinem ob illorum cultum, Magorumque trium sanctorum memoriam, quorum lipsana illuc etiam translata fuerant, excrevit.

apte conciliare.

32 Ceterum Mediolano deinde a Friderico imperatore everso, flagitante Reinoldo, ejus cancellario Coloniensi archipræsule; tam ipsorum Machabæorum, quam trium Magorum corpora, una cum Sanctorum duorum Mediolani tutelarium, Felicis et Naboris sacris cadaveribus, Coloniam Agrippinam devecta ad Magdalenæum cœnobium, situm in Ursulano agro, condigno honore reposita sunt, ubi etiamnum, indita jam sacræ ædi Machabæorum invocatione, religiosissime asservantur, publiceque hodie promuntur debita veneratione celebranda. *Non pote nitidius neque elegantius. Verum qua tolerabili chronologia temporibus suis hæc se apte divisisse putarit Saussayus, qua porro ratione hæc componi possint cum traditione Coloniensium, quæro, qui nos doceat. S. Eustorgius corpora abstulerit (sive is primus sive secundus sit); Justinianus autem, utroque posterior, eadem in S. Sophiæ collocarit; Manuel seculo demum* XII *eadem primum concesserit, unde accreverit S. Eustorgii apud Mediolanenses cultus. Asy-* E *stata omnia, quibus conciliandis frustra pridem insudarunt viri eruditissimi : nos de possessione jam convenimus, ut cramben ultra recoquere nec vacet nec lubeat.*

Par de matre concertatio.

33 *Ne quid tamen intactum relinquatur, en de sanctissimæ* Machabæorum *matris reliquiis breve seorsim spicilegium. Casu incidi in Cornelii Bruni, pictoris Batavi Itinerarium orientale, Gallice versum et editum anno* 1700, *in quo dum pag.* 43 *ecclesiam S. Nicolai patriarchalem Græcam Constantinopoli describit, memorat sepulcra tria seu totidem ferreas arcas, in quarum una asservari volunt ossa matris septem nostrorum* Machabæorum *martyrum, quam ipsi* Maccabæam *appellant. Ita ibi, Græca traditione, quam certo non admittent Montefalconii in Italia, apud Ughellum tomo* I, *col.* 1059 *ubi sub* S. Felicitatis *nomine colitur eadem mater* IX *Kal. Decembris, ibidemque* sacratissimum ejus corpus collocatum *dicitur, cum sancta ibidem Margarita virgine, plurimis clarum miraculis; ut inde religiosus ejusdem illustrissimæ matris cultus et sub eodem* S. Felicitatis *nomine Florentiam usque propagatus fuerit, ad vetustam istic ecclesiam, quam sub tali appellatione, ad* SS. Ma- F *chabæorum matrem restricta, et parochialem et monasticam esse, Papebrochium olim per litteras docuit R. D. Benvenutus, Prior ejusdem ecclesiæ, in qua et Officio et Missa festivitas ejus annue celebratur hac die* I *Augusti. Satis de reliquiis, jam tempus est ut et de Actis nostris paucula moneamus.*

Acta sunt verbum Dei

34 *Et quidem quod postremo notandum hic superest, eo titulo, reliqua omnia quæ in hoc Opere quantumvis vasto continentur, longissime antecellunt, quod Dei ipsius calamo, atque adeo falli nescio scripta sint; neque enim Josephi* De rationis imperio *meram nimirum verbosam nec satis fidelem sacri ipsius textus paraphrasim huc lubet adducere, neque Mss. quæ penes nos sunt et Græca et Latina ex eodem Josephi opere contracta; sed purum ipsum ex sacris Bibliis Dei verbum, historicam seriem, quam in laudatis toties Machabæorum libris disjunctam esse norunt eruditi, sic disponendo combinandoque, ut tota immanissimæ istius Judaicæ persecutionis series ex libro* I *Machabæorum cap.* 1, *cum fine capitis* 5 *et principio capitis* 6 *libri* II *connectatur, sicque primo nostro capite referantur omnia quæ in populum Dei universum crudelissime juxta atque impiissime gessit furiis quodammodo*

agitatus

AUCTORE J. B. S.

agitatus Antiochus; tum vero ex libri secundi capitibus 6 *et* 7 *ipsa cruentissimi martyrii gloriosa imago, tam eleganter et nervose expressa, ut nulla quantumvis adornata et expolita paraphrasis ad eam conferri possit. Si quid fortasse hinc inde non æque perspicuum occurrat, ad manum sunt interpretes quos consulere obvium est.*

ACTA

Ex ipsis sacris Litteris.

CAPUT I.

Martyrii occasio ex immani Antiochi Epiphanis Judæorum persecutione, ex Machab. lib. I, cap. 1 a ℣. 11 ad finem, et ejusdem libri cap. 6, usque ad ℣. 17. B

Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum, in centesimo et quadragesimo tertio anno : et ascendit ad Israël.

22. Et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi.

23. Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa ejus, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat : et comminuit omnia.

24. Et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia, et accepit thesauros occultos, quos invenit : et sublatis omnibus, abiit in terram suam.

25. Et fecit cædem hominum, et locutus est in superbia magna.

26. Et factus est planctus magnus in Israël, et in omni loco eorum.

C 27. Et ingemuerunt principes, et seniores : virgines, et juvenes infirmati sunt : et speciositas mulierum immutata est.

28. Omnis maritus sumpsit lamentum : et quæ sedebant in toro maritali, lugebant :

29. Et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem.

30. Et post duos annos dierum, misit rex principem tributorum in civitates Juda, et venit Jerusalem cum turba magna.

31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo : et crediderunt ei.

32. Et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israël.

33. Et accepit spolia civitatis : et succendit eam igni, et destruxit domos ejus, et muros ejus in circuitu :

34. Et captivas duxerunt mulieres : et natos et pecora possederunt.

35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno et firmo, et turribus firmis, et facta est illis in arcem.

36. Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, et convaluerunt in ea, et posuerunt arma, et escas, et congregaverunt spolia Jerusalem. D

37. Et reposuerunt illic : et facti sunt in laqueum magnum.

38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, et in diabolum malum in Israël.

39. Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, et contaminaverunt sanctificationem.

40. Et fugerunt habitatores Jerusalem propter eos, et facta est habitatio exterorum, et facta est extera semini suo, et nati ejus reliquerunt eam.

41. Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo, dies festi ejus conversi sunt in luctum; sabbata ejus in opprobrium; honores ejus in nihilum.

42. Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus : et sublimitas ejus conversa est in luctum.

43. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo : ut esset omnis populus unus ; et relinqueret unusquisque legem suam. E

44. Et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi :

45. Et multi ex Israël consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt sabbatum.

46. Et misit rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem, et in omnes civitates Juda, ut sequerentur leges gentium terræ ;

47. Et prohiberent holocausta, et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei ;

48. Et prohiberent celebrari sabbatum, et dies solennes :

49. Et jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israël :

50. Et jussit ædificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia.

51. Et relinquere filios suos incircumcisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immundis, et abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, et immutarent omnes justificationes Dei.

52. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.

53. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo : et præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent. F

54. Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare.

55. Et congregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini : et fecerunt mala super terram :

56. Et effugaverunt populum Israël in abditis, et in absconditis fugitivorum locis.

57. Die quinta decima mensis Casleu, quinto, et quadragesimo et centesimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras :

58. Et ante januas domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant :

59. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos :

60. Et apud quemcumque inveniebantur libri Testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.

61. In virtute sua faciebant hæc populo Israël, qui inveniebatur in omni mense et mense in civitatibus.

A 62. Et quinta et vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.

63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur, secundum jussum regis Antiochi.

64. Et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum : et eos, qui circumciderant illos, trucidabant.

65. Et multi de populo Israël definierunt apud se, ut non manducarent immunda : et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis.

66. Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt :

67. Et facta est ira magna super populum valde.

Machab. lib. II *cap.* 5.

11. His itaque gestis suspicatus est rex societatem deserturos Judæos : et ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit;

B 12. Jussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, et per domos ascendentes trucidare.

13. Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, et mulierum, et natorum exterminia, virginumque, et parvulorum neces.

14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.

15. Sed nec ista sufficiunt : ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum, et patriæ fuit proditor.

16. Et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus, et civitatibus erant posita ad ornatum loci, et gloriam, contrectabat indigne, et contaminabat.

17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus : propter quod et accidit circa locum despectio :

18. Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, et repul-
C sus utique fuisset ab audacia.

19. Verum non propter locum, gentem ; sed propter gentem, locum Deus elegit.

20. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum, postea autem fiet socius bonorum : et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.

21. Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem.

22. Reliquit autem, et præpositos ad affligendam gentem : Jerosolymis quidem Philippum, genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est ;

23. In Garizim autem Andronicum, et Menelaum, qui gravius quam ceteri imminebant civibus.

24. Cumque appositus esset contra Judæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere.

25. Qui cum venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati : D
et tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit.

26. Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit : et civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit.

26. Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat : et fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

Ejusdem libri cap. 6.

1. Sed non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos, ut se transferrent a patriis et Dei legibus :

2. Contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii :
et in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabi- E
tabant, Jovis hospitalis.

3. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio.

4. Nam templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus; sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat.

5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.

6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solennes patrii servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur.

7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia, et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.

8. Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo, et ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent.

9. Eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent : erat ergo videre miseriam.

10. Duæ enim mulieres delatæ sunt, natos F
suos circumcidisse, quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.

11. Alii vero, ad proximas coëuntes speluncas, et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur, propter religionem, et observantiam, manu sibimet auxilium ferre.

12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus ; sed reputent, ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.

13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.

15. Ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet;

16. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet : corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit.

17.

A 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Jam autem veniendum est ad narrationem.

CAPUT II.

Ipsius martyrii historia ex Machab. lib. II cap. 6 a ℣ *18 ad finem, et toto cap. 7.*

Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.

19. At ille gloriosissimam mortem, magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium :

20. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non ad-

B mittere illicita propter vitæ amorem.

21. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus;

22. Ut hoc facto, a morte liberaretur : et propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

23. At ille cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus : et secundum sanctæ, et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens; præmitti se velle in infernum.

24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere : ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum :

25. Et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur; et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.

C 26. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar : sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

27. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo;

28. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur.

29. Hi autem, qui eum ducebant, et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

30. Sed, cum plagis perimeretur, ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores ; secundum animam vero, propter timorem tuum libenter hæc patior.

31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis, et fortitudinis derelinquens.

D

Cap. 7.

1. Contigit autem, et septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, et taureis cruciatos.

2. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis? parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari.

3. Iratus itaque rex, jussit sartagines, et ollas æneas succendi : quibus statim succensis,

4. Jussit, ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam : et cute capitis abstracta, summas quoque manus, et pedes ei præscindi; ceteris ejus fratribus, et matre inspicientibus.

5. Et cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine : in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, E

6. Dicentes : Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses : Et in servis suis consolabitur.

7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo sequentem deducebat ad illudendum, et cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur.

8. At ille, respondens patria voce dixit : Non faciam. Propter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit.

9. Et in ultimo spiritu constitutus, sic ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis ; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectionem suscitabit.

10. Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus, cito protulit, et manus constanter extendit.

11. Et cum fiducia ait : E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, qouniam ab ipso me ea recepturum spero.

12. Ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tamquam ni- F
hilum duceret cruciatus.

13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes.

14. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait : Potius est, ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos : tibi enim resurrectio ad vitam non erit.

15. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit :

16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare, genus nostrum a Deo esse derelictum.

17. Tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit.

18. Post hunc ducebant sextum, et is, mori incipiens, sic ait : Noli frustra errare : nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis ;

19. Tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris.

20. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem

filios

A filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat :

21. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : et feminæ cogitationi masculinum animum inserens,

22. Dixit ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum, et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi.

23. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus.

24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed cum juramento affirmabat, se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum.

25. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam
B inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei, ut adolescenti fieret in salutem.

26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo.

27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi.

28. Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, et terram, et ad omnia quæ in eis sunt : et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus.

29. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis ? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.

31. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.

32. Nos enim pro peccatis nostris hæc pati-
C mur.

33. Et si nobis propter increpationem, et correptionem, Dominus Deus noster modicum iratus est ; sed iterum reconciliabitur servis suis.

34. Tu autem, o sceleste, et omnium hominum D
flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus.

35. Nondum omnipotentis Dei, et omnia inspicientis judicium effugisti.

36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt ; tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves.

37. Ego autem, sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum, maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus.

38. In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est.

39. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum.

40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens.

41. Novissime autem post filios, et mater
consumpta est. E

42. Igitur de sacrificiis et de nimiis crudelitatibus, satis dictum est.

Monitum.

Erunt fortasse qui de tam inclytis Sanctis plura a nobis exspectaverint, non ea solum quæ ex Josepho dari poterant, verum et ex Christianis illustribusque scriptoribus, Hildeberto nempe venerabili Turonensi, quorum poëmata de hoc argumento pridem nota sunt, ac recentius de novo recensita editaque ab Antonio Beaugendre Ordinis S. Benedicti Congr. S. Mauri anno 1708, *quibus et forte istiusmodi alia adjungi possent. Fatebor ingenue, non displicuisse mihi primum laudata jam poëmata, quæ proinde describenda typisque paranda curaveram ; at re postmodum maturius expensa, in versibus illis, seculum suum plus nimio redolentibus, nihil reperi, ex quo pretium commentario nostro, multo minus sacris ipsis Actis possit accedere ; ut adeo carminibus* F
illis Opus nostrum, mole sua satis grande, augere supervacaneum judicaverim. Videantur ipsa tomo jam citato : nihil a nobis neglectum est, quod ad veram Sanctorum gloriam pertinere, merito quis existimare possit.

S. PETRI AD VINCULA

ROMÆ.

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

Sola Martyrologia hic appello, inter quæ Romanum hoc die annuntiat : Romæ in Esquiliis, dedicatio S. Petri ad Vincula, *ubi de ea pluribus erudite disputat Baronius, ut hic tota res ab ovo explicanda esset, nisi, more apud nos pridem recepto, festivitates Sanctorum qualescumque ad proprios natales reducendi, nos dudum prævenisset Papebrochius ad* XXIX *Junii in Analectis de SS. Petro et Paulo tomo* V *a pag.* 449 *ad* 452, *totam materiam exhauriens, tum de templi structo-*

re et

A *re et dedicatione, tum de allatis eo ab Eudoxia vinculis, usque adeo ut vel ipsam Hieronymianam annuntiationem adferat num.* 113; *quæ his verbis ibi traditur :* Romæ, dedicatio primæ ecclesiæ, a beato Petro constructæ et consecratæ, et absolutio ejus a vinculis. *Citata ibidem etiam Florentinii dissertatio, ut hic soli supersint Martyrologi, quorum præcipuos retulimus in Observatione ad Usuardum, ubi hujus prope phrasi usos cum Beda a nostris edito diximus :* Romæ ad sanctum Petrum ad Vincula. *Relatum præterea Wandelberti elogium metricum. De Rabani et Notkeri paulo longiori expositione ad* XXIX *Junii etiam dictum est. Ne hic igitur cramben recoquam, eruditos lectores, atque harum rerum curiosos, ad locum citatum remitto.* D

DE SS. VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS

FIDE, SPE ET CHARITATE,

ATQUE ITEM SOPHIA SEU SAPIENTIA EARUM MATRE

ROMÆ.

E

J. B. S.

COMMENTARIUS CRITICUS.

B

Præfatiuncula.

Solus cultus indubitatus est.

In *eo numero sunt Sanctæ hic in titulo propositæ, quantumvis illustres, ut præter martyrium, receptissimumque adeo in Ecclesia cultum, de ipsis nihil quidquam, in tam variis earum Legendis traditum sit, quod attentum eruditumque lectorem non remoretur ; etiam ipsa nomina, quæ rarissimo, mihique saltem non noto exemplo, apud Latinos Latine, apud Græcos Græce enuntiantur, ut appellativa potius quam propria dicenda videantur, accepta videlicet a glorioso certamine, quo pro Christi fide, tanta spe et charitate præditæ, duce sapientia, martyrii palmam sunt consecutæ ; utpote quas Romæ, in ipsa martyrii palæstra, certis aliis* C *nominibus cognitas fuisse, non existimemus. Porro an Roma ea fuerit (quod nobis verosimilius est) an Nicomedia, non est adeo indubitatum. Nec magis explorata sunt genus ipsarum et patria : nam quidquid earum encomiastæ Joannes presbyter Mediolanensis, Metaphrastes et alii tam confidenter designarint, non videmus adjuncta hæc solidius comprobari, quam cetera ad eas spectantia ; usque adeo ut Græci inter se dissideant de Sanctarum ætate, aliis Hadriani, aliis Diocletiani tempora appellantibus. De sacris corporibus autem quid sentiendum, quid porro de Actis ipsis, ut ut diversimode tortis, ex infra dicendis intelliges : hic a minus dubiis exordimur.*

§ I. Sanctarum cultus apud Græcos æque ac Latinos, sed diversis diebus ac modis.

ab Usuardo Romæ,

De *sanctis hisce Virginibus et Martyribus, atque earum matre* Sapientia *seu* Sophia, *egimus in observatione ad Usuardum hoc ipso die ubi, relato ejus textu :* Item Romæ, passio sanctarum virginum Spei, Fidei et Charitatis, et matris earum Sapientiæ, quæ sub Adriano principe martyrii coronam adeptæ sunt, *in Variantibus ostendimus præposteram codicum annuntiationem, quod contra receptum ordinem* Spes *præponatur* Fidei ; *tum vero frustra quæsivimus, unde sorores illæ virgines cum matre vidua, Usuardo innotescere potuerint, quæ nempe omnibus antiquioribus ecclesiasticis Tabulis prorsus sunt incognitæ. Notavimus istic etiam inter auctaria Usuardina ad* XXIII *Junii, nominibus Græcis insigniri ex Notkero, cujus verba hic referre juverit :* In Nicomedia, passio sanctarum virginum Pistis, Elpis, Agapis, quæ Latine Fides, Spes, Charitas dicuntur, et matris earum Sophiæ, quæ Sapientia interpretatur, et aliarum multarum. *Atque hi duo Usuardus et Notkerus inter Martyrologos classicos primi et soli sunt, qui sub finem seculi* IX *de hisce Martyribus meminerint, et quidem modo tam diverso, ut credibile, non sit, eorum annuntiationes ex eodem fonte promanasse.*

a Notkero Nicomediæ

3 *Porro diversas esse Græcas illas, quæ Nicomediæ cum multis aliis passæ dicuntur, ab iis quæ sub Adriano Romæ consummavere martyrium, non est ullo modo verosimile ; cum alibi, nempe in Tractatu Chronologico de Patriarchis Alexandrinis pag.* 18, *num.* 92 *satis clare ostenderim, notissimas fuisse vel apud Ægyptios sanctissimas Virgines, quas ipsi Romæ triumphasse agnoscunt tempore Adriani, sedente Alexandriæ patriarcha Eumenio. Nemo igitur facile divinaverit, unde historiam suam Notkerus accersiverit, in eo potissimum aberrantem, quod Nicomediæ tribuat, quæ longe verosimilius Romæ adscribenda sunt. Ceterum in eo recte concordant, quod matrem a filiabus separandam non existiment, ut necdum videam, quod pridem etiam monui, exploratum me non habere, cur Baronius matrem a filiabus sejunxerit, eamque ad* XXX *Septembris transtulerit, contra Actorum qualiumcumque fidem, quæ ipsam triduo post filias ad cælum evolasse asserunt, eo titulo etiam martyrem, quod natarum carnificinæ intrepida assistens, eas ad gloriosum certamen animaverit.* F

utrobique cum matre

4 *Erit fortasse qui suspicetur, Belinum hic, ut plerumque alias, Baronio præluxisse, quem etiam Grevenus et Molanus imitati fuerant : verum re attentius*

tentius perpensa, aliam plane invenio trium istorum opinionem, ab ea quam hic Baronius primus induxisse videtur. Etenim patet apertissime Belini sententia, hoc die ita scribentis: Item Romæ, passio sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis, et matris earum Sapientiæ, quæ sub Hadriano principe martyrii coronam adeptæ sunt*; ubi vides manifeste, matrem a filiabus nullo modo disjungi, ut dum* XXX *Septembris ultimo loco textui addit*: Eodem die S. Sophiæ viduæ, *nusquam vel per umbram innuat, loqui se istic de trium nostrarum Virginum matre, quam ipse in hodierno textu jam relato, non* Sophiam, *sed disertissime* Sapientiam *appellaverit, maneatque proinde incertum, de qua* Sophia *Belinus istic agere intenderit, ipsimet fortasse ignota. De cetero non adeo infrequens est Sophiæ nomen, ut vel in ipso Romano Martyrologio duæ aliæ synonymæ notentur: præterquam quod a positione, stadio seu loco martyrii appellando, imo a martyrio ipso Belinus studiose abstinuerit.*

quam Baronius alio transtulit.

5 *Ast alia prorsus est Baronii ratio dum hoc die* I *Augusti ita annuntiat*: Romæ, passio sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis, quæ sub Hadriano principe martyrii coronam adeptæ sunt; *ubi continuo observas, matrem illic non exprimi, quam ad* XXX *Septembris expressius designatam voluit his verbis*: Ibidem *(Romæ)* sanctæ Sophiæ viduæ, matris sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis, *ut jam aperte patescere existimem, non Belino sed soli Baronio imputandam matris a filiabus segregationem, quod nec in Usuardo nec in ullo alio Martyrologio invenire potuit: nam ii codices antiqui qui hanc* Sophiam XXX *Septembris signarunt, eodem ipso die et tres filias retulere, quemadmodum et Græci dum earum martyrium* XVII *Septembris affixerunt. Hinc nemini mirum videbitur, quod matrem a filiabus separandam non censuerim; eo etiam argumento ductus, quod de ipsa nihil dici possit quod non ita connexum sit cum sanctissimarum filiarum historia, ut ab ea sine gravi læsione divelli nequeat.*

Alii codices aliter legunt;

6 *Neque magis liquida sunt quæ ab aliis tradita reperimus, præsertim in codicibus Pulsanensi et Vaticano, ubi ad* XXX *illum Septembris diem non sola mater, sed simul omnes annuntiantur hoc modo*: Romæ, passio sanctarum virginum Pistis, Elpis, Agapis et Sophiæ matris earum, id est Sapientiæ*; quæ interpretatio abest a codice Vaticano. E contra in Usuardo Hagenoyensi, non jam* XXX *Septembris; sed ad* X *Maii, ita solum legitur*: Item in episcopatu Argentinensi, Sophiæ viduæ. *Tum in Viola Sanctorum Hagenoyæ excusa*: Eodem die *(nempe* X *Maii)* depositio S. Sophiæ, *selecto quodammodo ad eum Rheni tractum die, quo alibi de Sanctis hisce nostris nulla usquam memoria; ut suspicari omnino cogar, hæc postrema processisse ex traditione aliqua Argentinensi, notata in ejus Breviario excuso* MCDLXXVIII, *ubi post lectiones de SS. Gordiano et Epimacho additur*: Eodem etiam die S. Sophiæ et filiarum ejus Fidei, Spei et Caritatis celebratur translatio, quæ a venerabili Remigio Remensi episcopo temporibus Caroli Magni in Alsatiam translatæ sunt, ubi ejus orationes florebunt usque in hodiernum diem.

an recte Argentinæ?

7 *Traditionem dixi, apud Argentinenses haud dubie receptam; at nisi vehementer fallar, non satis fundatam, eo saltem titulo quod venerabilis Remigius episcopus, a quo reliquiæ, nescio unde, translatæ fuerint, cum Carolo Magno inepte conjungatur, cujus tempore frustra quæretur istius nominis Remensis episcopus. Neque dixeris, hic forte Remigium istum indicari,* IX *seculo Remis doctrinæ laude celebrem; nam is non ad Magni Caroli, sed ad Calvi tempora pertinet. Verum de reliquiis infra dicendum; ad rem nostram hic spectaret propius, alicunde eruere, unde demum Usuardus in Sanctarum nostrarum cognitionem devenerit, dum interim eo antiquior nullus, imo nec synchronus, eas eo modo retulerit quo apud ipsum memorantur. Quod autem suspicatus fueram, ex Actis aliquibus, iis similibus quæ Surius edidit, eas hauriri potuisse, id modo cogor respuere; cum verisimillimum sit, Acta illa a Metaphraste primum exornata, quem certum est, ab Usuardo consuli minime potuisse, ut proinde censendum sit, exstitisse Acta alia Latina, quæ Usuardo præluxerint, quæque aliis ansam præbuerint, longiores historias, ut erant ea tempora, otiose procudendi. At enim quæ ea dici possint, frustra, uti dicebam, quæsivi hactenus. Quidquid vero istius sit, in tota Usuardi progenie aliisque Martyrologiis posterioribus, certum est, sanctissimas Martyres cum matre constanter celebrari.*

AUCTORE J. B. S.

Græci nec in die

8. *Par ferme Græcorum ratio, apud quos, imo toto Oriente in veneratione fuisse, ostendunt eorum Tabulæ, Menæa et Menologia, hoc solo discrimine, quod non* I *Augusti, aut alio quopiam die superius signato, sed* XVII *Septembris recolantur; cujus quæ ratio subsit, nemo facile divinaverit, ut arbitrarium censendum sit, quemadmodum tot aliis Sanctis accidisse, alibi non semel observavimus. In eo Græci cum Latinis consonant, quod Romæ passas testentur, eamdemque narrent historiam; ast ita ut toto sesquiseculo rem differant Menæa, dum sic elogium suum ordiuntur*: Italæ erant hæ Diocletiano regnante; *ubi Sirleti Menologium cum Latinis omnimode convenit. Habent suum in Menæis Officium, quod sequitur jam dictum elogium præfixis his tribus versiculis, quorum tertius etiam exhibetur in Ephemeridibus Græco-Moscis.*

Τῇ πρὸς σὲ πίστει, Πίστις, Ἐλπὶς, Ἀγάπη
Αἱ τρεῖς τριὰς κλίνουσιν αὐχένας ξίφει.
Ἑβδομάτη δεκάτη Ἀγάπην τάμεν, Ἐλπίδα, Πίστιν.
In te fideles sunt Fides, Spes, Charitas,
Tria colla ferro Virginum inclinans Trias.
Elpida, Pistim, Agapen decimam post tertia mactat.

nec in ætate conveniunt.

9 *En modo Menologii Sirletiani verba*: Dies natalis sanctarum martyrum Pistis, Elpidis, Agapes et Sophiæ matris. Beata martyr Sophia cum Christi fidem deligeret, habens secum tres filias, Pistem, Elpidem et Agapem, venit Romam sub Adriano imperatore, atque illic cum tribus filiabus ab illius urbis episcopo baptizata est in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: quæ Christi fidem prædicans, multos ad Deum convertit. Quapropter et ipsa et filiæ ab Adriano detentæ et interrogatæ, libere Christi nomen professæ sunt, ob idque vehementer cruciatæ. Et primum sancta Pistis, duodecim annos nata, post diversos cruciatus, capite obtruncata est. Post illam sancta Elpis, decimum annum agens, ipsa quoque post plurima tormenta, capitis abscissione migravit ad Dominum. Tertio loco sancta Agape, novem annos nata, et in caminum ardentem injecta, et ipsa martyrio consummata est, quas omnes mater Sophia sepeliit, et ad earum sepulchrum assidens, post tres dies animam Deo ipsi * reddidit.

* *An non ipsa?*

AUCTORE J. B. S.

§ II. Nomina, genus, patria, ætas, reliquiæ et Acta.

Alia nomina rem magis involvunt.

Quid in Sanctarum nostrarum nominibus mirum nobis et insolitum visum sit, jam supra insinuavimus. Difficultatem augent ea quæ in Januario Coptico legisse se testatur Castellanus in Supplemento ad Martyrologium suum universale, nempe tres illas Virgines Æthiopice appellari:* Basenes, Helis et Ghani. *Si consuluisset Copticum Ludolfi ad diem 2 Septembris, invenisset* Sophiam *istic appellari* gemmam urbis Romæ, *duas vero ex filiabus vocari* Barnabam et Axiosam, *tertiam vero, mensis ejusdem die* IV Elisabetham *dici; ut jam abunde perspicias, lucis nihil ex Ægypto aut Æthiopia accersi posse, non magis quam ex aliis Orientis partibus, præter ea quæ de ætate satis verosimiliter retulimus in citata jam Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum, de qua mox pluribus. Sed de nominibus dicta sufficiant; quidquid ultra indagaveris, id solum reperies, quod res de se obscurissima, aliis appellationibus æque ignotis, magis involvatur. Neque Constantinopoli lucis quidquam affulgebit: non enim satis stolidum quemquam existimo, qui ignoret ecclesiam* S. Sophiæ *ibi, non* Sophiæ *huic aut filiabus, sed æternæ Sapientiæ consecratam esse.* B

Genus et patria incerta;

11 *De genere et patria pluscula congessit Legendarius iste qui sub nomine Joannis presbyteri Mediolanensis Acta pro suo arbitrio exornavit, ex quo ea invaluit opinio, et genere nobilissimas fuisse et Mediolanenses origine; pro qua certat Petrus Paulus Bosca,* cives Mediolanenses *rotunde enuntians, at testes adducens populares fere omnes, eosque recentiores, quam ut in re tam vetusta fidem faciant. Quale autem sit Galesinii de hoc testimonium, non explicat Bosca; ego apud illum solas ecclesiæ Mediolanensis tabulas adductas invenio, quarum auctoritatem Bosca ipse satis evertit. De cetero sus deque mihi est, Mediolanenses dicantur an Ticinenses; id quæro, qua satis fide certæ alicui urbi vindicari possint. Italas fuisse, vel id evincit, quod verosimile non sit, matrem cum tam teneris puellis ex remota regione Romam profectam. Utrum autem in Insubria natæ, in Æmilia aut in Piceno, an etiam viciniores Romæ, non est qui satis tuto queat discernere.* C *Neque vero de nobilitate altercari lubet; si minus sanguine illustres quis velit, non ibit inficias, martyrii corona fuisse illustrissimas. Porro quos ex Bulzio et Brautio versiculos ibi recitat Bosca, huc referendos non censui.*

ætas sub Adriano verisimilior.

12 *De ætate nulla superest disceptatio, dum sub Adriano passas admittimus, an ultimis, an primis, an mediis imperii annis, id vero unice inquiri potest; de quo in Tractatu jam citato mentem abunde exposuimus: verba ipsa hic referemus:* « *Cum hac » Chronologia, Eumenii initia referente ad annum »* XIV *Hadriani, non male convenit, quod ejus tem» pore dicatur in Historia Patriarchali,* martyrio » coronata S. Sophia cum tribus filiabus. *Acta » enim illustranda die* I *Augusti, certamen illud » referunt ad tempora Adriani; nec in illis quid» quam argumenti Baronius reperit, cur ad prio» res potius quam ad posteriores ejusdem impera» toris annos ipsum referret. Nam cæsis filiabus » S. Sophiæ,* sentiebat Adrianus præparari sibi » iram divinam, *quam reipsa expertus est anno »* CXXXVIII *hydrope exstinctus. Celeberrimam toto » Oriente fuisse oportet sanctam illam Martyrem, » Romæ passam, cujus tam honorificam memoriam » Alexandrini recolerent; siquidem et Hagiologus » Habessinus encomium Eumenii sic etiam canit:* » Salutem Eumenio, qui bona elegit, mala spre» vit... *In* diebus hujus Apostoli, *id est apostolici viri*, tradidit Sophia ad martyrium filias » suas. » D

Reliquiæ an in Germania

13 *Reliquiæ porro iis nos tricis et dubiis implicant, cum quibus jam toties colluctandum fuit, dum subortæ sunt controversiæ de sacrorum corporum possessione. Et primum quidem de Romana non videtur dubium, cum et ibi passæ et sepultæ fuerint. Videantur Pancirolus et Piazza ecclesias ipsas S. Petri et S. Silvestri assignantes, in quibus etiam hodie earum sacra lipsana asservari, et honorari dicuntur, si non omnino integra, saltem potiori ex parte; ut non satis videam, qua ratione tueri possint Argentinenses translationem illam, quam ex eorum Breviario supra retulimus, ut factam* a venerabili Remigio Remensi episcopo, *et quidem* temporibus Caroli Magni, in Alsatiam, *absque ulla distinctiori aut certiori notitia loci, in quo illæ olim habitæ fuerint, aut hodie asserventur. Si vere aliquando facta est, forte istinc Coloniam pars aliqua promota fuerit, cum eas ibi memoret Gelenius, et quidem* S. Spei *caput pag.* 552. *Quidni et Paderbornam usque processerint, unde varia ossa anno* 1571 *in Hispaniam deportata fuerint, quæ illic in thesauro Scorialensi anno* 1722 *socii PP. Pinius et Cuperus venerati sunt.* E

an in Gallia.

14 *Aliam nobis translationem suggerit Saussayus in Corollario Martyrologii Gallicani ad hunc diem, his plane verbis:* Natalis sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis, quæ Romæ hodie sub Adriano principe, ob Christianæ pietatis propugnationem, ab Antiocho præfecto Urbis comprehensæ variisque tentatæ blanditiis, impetitæ minis, ac pœnis acerbis excruciatæ; demum obtruncatione capitis martyrii palmas et coronas inclyto trophæo adeptæ sunt. Ad quarum sepulcrum, triduo post illarum agonem, ipsarum mater Sapientia, preces lacrymis miscens, pio ex voto filiabus reddita quievit in Domino. Quarum omnium sacra corpora in Galliam translata, in ecclesia S. Mariæ de Vizano (*legendum* Vigano) in agro Caturcensi, argenteis inclusa hierothecis digna veneratione coluntur. *Monuit Henschenium anno* 1663 *canonicus Sarlatensis D. Armandus Gérard, sæpius in hoc opere laudatus et laudandus, vera esse quæ scribit Saussayus; ast pretiosas illas thecas argenteas, tum circiter a quinquennio, a sacrilegis furibus sublatas fuisse, nec umquam recuperatas.* F

an Brixiæ in Italia?

15 *Superest quæstio, a quo, et quo tempore avulsa fuerint a sacris corporibus trium sanctarum virginum capita, quæ* honorifice asservari *dicuntur* in monasterio virginum Bellancuriæ diœcesis Trecensis, Ordinis Cisterciensis, *teste Arturo in Gynæceo, citante Desguerrois in Sanctitate Christiana sec.* 2 *ad annum* 122; *ast illam iis, quorum interest, solvendam relinquimus; quemadmodum et aliam æque spinosam, quo nempe modo anno Jubilæi* 1600 *sacra eadem corpora ex urbe Romana transferri potuerint Brixiam (nisi ea referamus ad anonymas ex cryptis nominatas) quarum epitaphium nobis profert Faynus in Martyrologio Brixiano ad* XVI *Kalend. Januarii, ut positum in ecclesia monialium S. Juliæ, cujus hoc est initium:* Huc ex veteri ecclesia, sanctarum virginum et martyrum Juliæ, Pistis, Helpis et Agapes, ac Sophiæ earum matris, nec non... Quorum corpora cum innumeris sanctis reliquiis Clemente VIII... translata

A lata fuere anno Jubilæi MDC die XVI Kalend. Januarii. *Porro quid Theophanes velit, dum in canone Menæorum exaggerat miracula ad earum thecas seu reliquias promanantia; quæro qui mihi satis explicet.*

Rejectis Legendis,

16 *Demum post tam varia dubia et implexa, restat articulus prope difficillimus, in eo consistens, ut inter tam varia Acta Græca et Latina, ea seligamus, quæ paucioribus nævis infecta sint. Præter Metaphrastica a Lipomano et Surio Latine edita, tum quæ apud Mombritium Joanni Mediolanensi tribuuntur, quæ apud Vincentium Bellovacensem, S. Antoninum, Petrum de Natalibus, et recentiores Legendistas Lippeloum, Renatum Benedictum, Simonem Martinum et alios; præter illa, inquam, inter schedas nostras diversa exempla reperio omnino sex, cum multis aliis collata, ex quibus omnibus, post devoratum in legendo tædium, quæ historia tolerabilis dici possit, fateor me dispicere hactenus non potuisse, quandoquidem omnes lutosum fontem redolent, unde profluxerunt, ut non de quærenda veritate, sed de compositionis ornatu et elegantia certasse scriptores videantur, usque adeo* B *ut pulcrum censuerint singulis virgunculis tot tortores adscribere, quot annos numerarent. Dicam candide, nulla mihi digna visa sunt quæ hic locum occuparent; prætulique adeo Ferrarii compendium, nec ipsum fucis liberum, eo solum titulo quod paucioribus parergis et episodiis respersum sit. Ita totam rei substantiam exhibet :*

datur breve

17 Fides, Spes, Charitas virgines, S. Sophiæ, matronæ et genere et pietate insignis, filiæ, quod Christianæ essent, apud Antiochum Urbis præfectum, Hadriano imperatore, accusatæ, una cum matre apud Palladiam, ordinis Senatorii feminam custodiri jubentur. Ad tribunal evocatæ, cum tyrannus blanditiis et minis a Christo eas abducere conaretur, respondent illæ : Nos neque tuas in hac vita delicias expetimus, neque tormenta formidamus. Quid enim Christianis potest esse jucundius quam pati pro Christo? Ad quæ verba Fides, duodecim annos nata, illico nudata, manibusque post terga revinctis, virgis immanissime cæditur; cumque magna constantia verbera illa perferret, mamillæ illi exciduntur, lacte pro sanguine mirabiliter profluente; post hæc in ignem accensum injicitur, et nil læsa, in sartaginem pice et bitumine ebullientem injicitur: denique nec inde aliquid passa, judice in furorem verso, gladio transverberata, ad Sponsum evolavit.

AUCTORE J. B. S.

ex Ferrario

18 Judex Spem secundo loco blandis aggreditur verbis, ad Dianæ sacrificandum invitans : quæ cum se sororis dissimilem non esse diceret, nudata, crudis boum nervis flagellata, in ardentem fornacem immissa, ac inviolata inde egressa, in ligno suspensa ferreis ungulis ita dilaniatur, ut ossa carnibus nudata miserandum adstantibus spectaculum exhiberent : cumque Virgo constantissima tyranno insultaret, ille ad iracundiam concitatus, Spem in lebetem, pice et resina plenum ac vehementer accensum, immitti jubet. Sed cum, lebete divina virtute fracto, fervens liquor E non paucos ex ministris exstinxisset, capitis abscissione martyrium consummavit.

actorum compendium

19 Post quam reliqua Charitas, cum tyranni blanditias eadem constantia negligeret, loris extensa dirissime torquetur, ut divulsa corporis compage, virgo spiritum reddere videretur: cum autem constantissime honorem Dianæ habere recusaret, post equuleum, fornacem maxime accensam experiri jubetur; cujus flamma in projectores retorta, illos exussit. Denique ab igne illæsa, aliis affecta suppliciis, corporeque terebris transfixo, capite lætabunda et ipsa plectitur, Kal. Augusti anno salutis CXXII. Quarum corpora a matre collecta et unguentis delibuta, eo honore quo decebat, sepulta sunt. Ad quarum sepulcrum et ipsa orans, paulo post obdormivit in Domino.

C F

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

BONO, FAUSTO, MAURO, PRIMITIVO,

CALUMNIOSO, JOANNE, EXUPERIO,

CYRILLO, BASILIO, THEODORO, CASTULO ET HONORATO.

J. B. S.

Ex Actis S. Stephani PP.

SECULO III.

De iis Actis hic loquimur quæ ex Baronio edidit Surius, quæque die sequenti illustranda erunt, nam in iis quæ Metaphrastes apud eumdem Surium enumerat, alia non nihil nomina, ordo alius exhibetur hujusmodi : Faustus, Maurus, Primitivus, Columnius, Joannes, Euperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius, Çastalus, Donatus, *sic tamen ut utrobique duodenarius numerus compleatur, meritoque adeo censeas, alia Acta præ oculis habuisse Usuardum dum ita scripsit :* Via Latina, Sanctorum martyrum Boni presbyteri, Fausti, Mauri cum aliis septem, qui in Stephani Papæ Actibus describuntur : *ubi vides, solos decem recenseri.*

Discrepantia aliqua

Cum

A *Cum plerisque Mss. nostris tres ex hoc numero prætermittit is, qui sub Flori nomine a Majoribus editus est, dum sic annuntiat :* Romæ, passio SS. Boni, Fausti, Mauri, Primitivi, Calumniosi, Joannis, Exuperantii, Cyrilli, Honorati, qui cum essent clerici B. Stephani episcopi, a Valeriano et Gallieno, sine ulla audientia, pro nomine Christi pariter sunt decollati.

in Martyrum numero.

2 *Usuardum secutus est Galesinius, de suo addens :* quorum dimicationes pro Christi gloria confectæ, resque divinitus gestæ, magna cum pietatis fideique testificatione leguntur : *nempe in Actis S. Stephani, quemadmodum in notationibus suis aperte declarat. Verum si ea consuluit quæ vulgavit Baronius, non alia reperit quam quæ ex Floro jam retulimus :* qui absque audientia, statim capitibus truncari jubentur, decollatique sunt via Latina juxta formam Aquæ ductus, quorum corpora collegit Tertullinus, et posuit juxta corpora Jovini et Basilei via Latina. Kalend. Aug. *Prætulerit, opinor, Galesinius, Metaphrastem ita loquentem :* Post multos dies Valerianus et Gallienus cœperunt beatum Episcopum Stephanum B et ejus clerum inquirere : quin etiam edicto proposito jusserunt, ut ubicumque inventi fuissent, post multa et varia tormenta, morte acerbissima necarentur. Itaque detenti sunt clerici duodecim, quorum nomina hæc sunt..... qui cum multis D cruciatibus torquerentur, neque adduci possent, ut facerent quod jussi erant, postremo imperatores jusserunt illos obtruncari.

Equilinus dignitates adstruit.

3 *Utravis Acta prætuleris, nihil de Sanctorum gestis aut martyrio præter jam dicta invenies. Numerum porro duodenarium fuisse Legendæ omnes diserte ostenduut, tametsi in singulis nominibus non concordent, quod aliqua facile luxari potuerint dum ea ex Latino Græce descripsit Metaphrastes; et in exemplari, quod vidit Usuardus, sola decem, in aliis vero pluribus, tantummodo novem enumerata fuerint; quot sòlum etiam censentur in contracti Martyrologii Hieronymiani codice Labbeano, a nobis cum aliis quibusdam sub finem tomi* VII *Junii edito; in quem mirum sane est translata fuisse hujuscemodi nomina, quæ in codicibus majoribus, a Florentinio vulgatis, nusquam referuntur. Unde vero suam Equilinus hauserit, distinctionem inter* presbyteros, diacones, et subdiacones, *quos nominatim recenset, nemo facile divinaverit. Ceterum aliqua saltem horum corpora a Paschale PP. I olim translata, nunc usque asservari Romæ in ecclesia S. Praxedis, Panvinius De septem Urbis ecclesiis,* E *pag.* 260, *Aringhus Romæ subterraneæ lib.* 4, *cap.* 5, *aliique testantur. Atque hæc sunt, quæ de proposita Martyrum classe dicenda habuimus.*

DE SANCTO VERO

J. B. S.

Episcopo Viennensi, in Gallia.

Sec. II.

Apposite hic describeretur tota ea sylloge historica quam de S. Martino, itidem Viennensi episcopo hujusque S. Veri *decessore, dedimus ad diem* I *Julii tom.* 1, *a pag.* 14, *ubi non oscitanter expendimus, quamparum fundata sit primorum episcoporum Viennensium series, ambiguaque proinde tota istius temporis historia, nullo superstite veteri monumento, cui quis tuto innitatur; scriptoribus autem recentioribus ita implexis, ut quid ex iis erui possit, non facile intelligas. Cui otium fuerit dictam syllogen attente expendere, viam utcumque stratam inveniet, qua* C *sancto huic* Vero *locus suus assignari, ejusque tempora haud ita incongrue definiri possint. Liceat huc paucula retrahere ex numero istic* 11, *ubi S. Martinum supposuimus, annis aliquot regnante Adriano sedisse atque pertigisse ad tempora S. Alexandri Papæ I, locumque cessisse sancto huic nostro* Vero, *qui* Adriani, *non* Traiani, *multo minus Nervæ,* temporibus, doctrina et confessione fidei, *ut est apud Adonem in Chronico,* florens, *rectissime dici possit ad S. Pii Papæ I pontificatum supervixisse, etc.*

Via qua Sancto inter Episcopos Viennenses.

locus detur,

2 *His obiter ad rei explicationem præmissis, id, quod nostrum est, curandum maxime, ut nempe* Verum *hodiernum Sanctis adscribendum ostendamus, tametsi, quod in his plane singulare est, S. Ado, qui in Chronico suo diserte de eo meminit, in toto tamen Martyrologio suo, cui sanctos Episcopos decessores tam accurate inscripsit, de* Vero *tamen nec verbum faciat, ne quidem sub* Severi *nomine, sub quo in Usuardi auctariis signatus est; ut si ex ipsius Adonis aut aliorum classicorum Martyrologorum sententia res decideretur, e Sanctorum numero* Verus *iste omnino excludendus esset : quæ fortasse ratio fuit cur Ferrarius in Catalogo suo Sanctorum universali, eum (sed non recte) confuderit cum synonymo* Vero, *seu* Viro *qui* XXVII *ordine Viennensem cathedram rexit, quique solus eo die, quo eum* F *refert laudatus Ferrarius, nempe* XIII *Januarii apud Adonem notus est hisce verbis :* Apud Viennam, S. Veri episcopi qui præsedit ecclesiæ post sanctum Euantium.

qui in codicibus Usuardinis Severus dicitur

3 *Neque vero ullum Martyrologum reperit Baronius quem in annotationibus ad Romanum citaret, præter unicum Bedam illum supposititium seu Plantinianum, dicamus Adonem interpolatum, solum illum nempe quem editum viderim, quique sub* Veri *nomine de ipso loquatur. Galesinius nescio quas Viennenses tabulas (saltem non Breviarium) citavit, et Democharem. Aliter itaque enuntiant pauca illa auctaria quæ ad Usuardum retulimus, sic tamen, ut sub* Severi *nomine hunc Sanctum indubitate consignent. Ita codex Bruxellensis :* In Aquitania, civitate Viennæ, S. Severi episcopi, qui fuit unus de discipulis Apostolorum. *Ad eumdem sensum Edit. Lubeco-Col.* Viennæ, sancti Severi episcopi confessoris, qui unus fuit de discipulis Apostolorum. *Paulo contractius Greven :* Viennæ, S. Severi episcopi et confessoris discipuli Apostolorum. *Nescio an his præiverit Florarium Sanctorum Ms. in quo ita legitur :* Viennæ, S. Severi ep.

conf.

A conf. *Audiatur et Galesinius :* Viennæ, S. Veri episcopi. Is Apostolorum discipulus et auditor, in episcopatum beato Marino succedens, magna suarum virtutum claritate, ardentes amores excitavit pietatis. *Brevissime Romanum :* Viennæ, S. Veri episcopi.

Annuntiatio Viennensis.

4 *In Actorum, quæ nulla supersunt, defectu, addenda hic essent Sancti elogia, si quæ superessent lectu digna : neque enim Livræi historiam, alibi nativis coloribus a nobis depictam, huc lubet adducere, cum rebus involvendis potius quam illustrandis auctor studuisse videatur. Sufficient pauca quæ in citato non semel Viennensi Martyrologio ad* XIII *Januarii exstant, hoc plane modo ab eodem Livræo deducta :* Viennæ in Gallia, S. Veri episcopi Apostolorum discipuli, qui quintus ad regendam Viennensem ecclesiam a B. Alexandro Papa missus et consecratus, ad sedem usque beati Xisti primi gloriam suscepti muneris cumulavit. At vero sæviente Traiano imperatore in Christianos, territus Romam aufugit, ubi aliquantulum demoratus ac roboratus, ad officium exequendum dimittitur. Iterum per epistolam B. Pii Pa-
B pæ I confirmatus, Viennæ in persecutione fidelium, sexto B. Telesphori Papæ anno, martyrio coronatur, cum sedisset Viennæ annos XXII, a Christo CXXXVI.

Episcoporum series :

5 *Turbata hic rursus omnia, quemadmodum et in elencho Boscii, a nobis, ut quidem licuit, pridem restituta, ea ferme ratione quam ante nos etiam inierat Gallica sanctæ urbis Viennensis historia, anno* 1708 *edita, sed quam non nisi a biennio videre nobis licuit; cui præmissa tabula episcoporum chronologica, tempora* S. Veri *non inverisimiliter definit ab anno* CXXII *ad* CXLII, *spretis aut omnino neglectis Tillemontii dubitationibus, exclusoque* Vero *isto, quem illi ad annum* 314 *innectere libuit, ut non tres synonymos, sed binos solos admittat, hunc nempe tertium ordine post Zachariam et Martinum, aliumque qui, teste Adone, Evantio successit, ut jam diximus, idque circa annum* DLXXXVI. *Quæ præterea critici objiciunt, tanti momenti non sunt, ut hic denuo operosius refelli mereantur. Quæ autem adversus S. Pii I epistolas* S. Vero *vel S. Justo directas atque a Baronio ad annum* 166 *editas, pridem disputata sunt, vide apud Constantium tomo* I *novæ editionis Epist. Pontificiarum in append. col.* 20. *Rem totam concludat Saussayi qualiscumque oratio :*

AUCTORE J. B. S.

Saussayi elogium.

6 Ipso die Viennæ Allobrogum, tumulatio S. Veri episcopi et martyris, qui dispositione sancti Pii Pontificis, testisque Christi insignis, in Galliam missus, hanc ecclesiam quintus serie rexit: a quo etiam ob ingentia merita apostolicis rescriptis honoratus, Romanæque Ecclesiæ (dirissimis tum exagitatæ procellis, at florentissimæ nihilominus in pressuris) status, suæque propriæ Viennensis fortiter obeundi patrocinii commonefactus; cum strenue apostolicum munus exequendo, E
ovile creditum procuraret, indiesque illud vi doctrinæ cœlestis, et vitæ sanctissimæ splendore augeret; hoc nomine ab impiis impetitus, quod impia sacra everteret, Christoque exosum illis amplificaret cultum, edito fortiter extremo fidei salutiferæ præconio, purpura sanguinis decoratus, ad æternæ gloriæ triumphos pertransivit; atque a piis eo cultu, quem ferebat temporum conditio, tumulatus, magnam in cœlis receptæ immortalitatis edidit significationem.

DE SS. MM. PERGENSIBUS IN PAMPHILIA

LEONTIO, ATTIO, ALEXANDRO,

C

CINDEO, MNESITHEO, CYRIACO, MENÆO, CATUNO ET EUCLÆO.

F

Ex Menologio Græco.

J. B. S.

SUB DIOCLETIANO.

Ex Menologio Sirleti nomina,

Menologium istud hic intelligo quod ex Græco vertit sæpe a nobis memoratus Cardinalis Sirletus, ex quo in hodiernum Martyrologium Romanum plurimos Sanctos, eatenus Martyrologiis omnibus aut Kalendariis Latinis plane incognitos transtulit Eminentissimus Baronius, ut non semel in hoc Opere nostro observatum est. Utrum semper satis apposite, hic non disputo; Sirletiana placita ipsi plus nimio in veneratione fuisse, satis aliunde constat. Ceterum annuntiationem suam hoc modo efformavit : Pergæ in Pamphilia, Sanctorum martyrum Leontii, Attii, Alexandri et aliorum sex agricolarum, qui in persecutione Diocletiani, sub Flaviano præside decollati sunt : *ubi vides non omnium nomina exprimi, tametsi in ipso Menologio distincte omnia enumerentur. Nihil habuit Baronius quod in Annalibus ad annum* 305 *num.* 17 *de eorum gestis superadderet; neque vero ulla mihi alia suppetunt monumenta, ex quibus aut ipsorum ætas, aut conditio aut Acta illustrari possint, præter ipsissima jam dicti Menologii verba, quæ cum eodem sensu referantur in Basiliano, hinc desumenda censuimus.*

ex Basiliano elogium.

2 *Sic ibi legitur :* Leontius et Alexander, Christi martyres, cum sacro consortio suo ex Pamphiliæ provinciæ locis diversis, Diocletiano imperante, oriundi, eamdem omnes (utpote Christianis orti majoribus) erga Dominum nostrum Jesum Christum mentem atque affectum gerebant. Collatis ergo inter se consiliis, rebusque

hujus

AUCTORE J. B. S.

hujus vitæ pro nihilo habitis, invaserunt fanum Dianæ, in eoque idola omnia subverterunt. Cogniti ergo et comprehensi crudeliter vapularunt, et ungulis ferreis laniati, et post expunctos subulis oculos, custodiæ mancipati, multis ibi diebus absque cibo manserunt, donec educti de carcere, bestiis objecti sunt. Cum vero eos belluæ non attigissent, pronuntiata gladii subeundi sententia, decollati sunt. *Addunt Menæa plura tormentorum genera, in quibus amplificandis et oratorie exornandis eorum auctores novimus quam largissimos. Sufficiant quæ hic adducta sunt, quæque paulo majori cuperem equidem auctoritate suffulta.* D

Menæus cum Mena.

3 *In eadem hac nostra Pergensium Martyrum classe referri etiam* Menæum, *qui in Menologio Sirleti* Mencius *perperam efformatur, manifestum est. Hic in vulgatis Græcorum Menæis cum aliquo* Mena, *nescio cum quo synonymo confundendo, hoc ipso die conjungitur : non quod ambo simul aut cum præfixa pugilum classe, martyrio coronati sint, sed quod utriusque sacræ exuviæ aliquando in eodem loco venerationi expositæ fuerint, nempe in templo Biglantii beatissimæ Virgini sacro, quod olim, teste Radero nostro, Constantinopoli nobilissimum fuit.*

DE S. FELICE MARTYRE

GERUNDÆ IN CATALAUNIA

B E

ITEM DE S. ROMANO IBIDEM ETIAM MARTYRE.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti a synonymo, itidem martyre Gerundensi, distinctio, patria, professio, transitus in Hispaniam, an cum sociis; ibique gesta.

SUB DIOCLETIANO, FORTE CCCIV.

Gerundam satis sit hic nominasse, jam olim in hoc Opere de ipsa non semel actum est, ut habes ad dies XVIII *Martii tomo* II *pag.* 621, *ubi S. Narcissi ejusdem urbis episcopi et martyris gesta illustrata sunt, forte iterum expendenda dum de S. Afra agendum erit, ad mensis hujus diem* V. *Porro de eo* S. Felice *hic loquimur, quem titulo* doctoris Gerundensis, *quin et* apostoli et prophetæ, *facile sit a quolibet synonymo distinguere, etiam ab illo, quem, laudati jam S. Narcissi Gerundensis episcopi ac Augustani in Germania apostoli diaconum fuisse perhibent, ut eum rectissime distinxit Marcus Velserus in Commentario ad jam dictæ Sanctæ conversionem pag.* 15. *Idem non incuriose observavit Tamayus in suo Martyrologio Hispanico hoc die, alias diversitatis rationes adducens, quas nec probare nec refellere operæ pretium sit. Baronii verba in annotatione de S. Narcisso ad* XVIII *Martii ita sonare videntur, ut ambos istos* Felices *confundat, dum ait :* De Felice Diacono, cujus hic habetur mentio, meminit S. Eulogius in Memoriali Sanctorum. *Quem vero designet Eulogius, mox intelliges.*

A synonymo S. Narcissi diacono distinguendus, C

ut doctor et propheta habetur;

2 *Litem hanc dirimit Berengarius in celebri epistola, a Velsero et in Actis nostris relata, dum ita loquitur :* Munificum munus dirigimus, videlicet ex ossibus et carne et cruore terra mixtis ac vestimentis sanctissimi doctoris nostri Felicis martyris Christi, scilicet illius, quem ut apostolum et prophetam habemus : non illius qui beatissimi Narcissi episcopi diaconus est dictus; quoniam ipse translatus a piissimo rege Francorum Carolo, apud Parisiorum civitatem honorifice requiescit. *Cujas fuerit diaconus iste, de quo eodem die cum S. Narcisso agitur, incompertum est; hodiernum sanctum* Felicem *genere Afrum fuisse, in Scillitana civitate, tot illustribus martyribus nobilitata, natum, constans est Actorum et scriptorum omnium sententia, ut popularium exemplis ad martyrium ultro quærendum excitari animarique potuerit, in quo satis concors est Adonis aliorumque opinio, quæ a S. Eulogio lib.* 1, *num.* 15 *pag.* 249 *dissertissime asseritur : ut mirari subeat, cur tantopere laborarit neolegendista Gallus, ut ea S. Eulogii verba in sensum alium detorqueret, postquam satis aperte dixerat,* S. Felicem *non martyrii desiderio in Hispaniam migrasse, sed persecutionis metu tantum non trepidantem eo transfugisse.*

ex Africa in Hispaniam transgressus, F

3 *En ipsissima S. Eulogii verba :* Sic namque et felicissimus Felix, cum fideli relatu persecutionem Catholicorum, quæ apud Gerundam Hispaniæ urbem, confinem Galliæ gerebatur, comperiret, crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem a paganis infestari cognosceret, extemplo litteraturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ positus excolebat, præpeti navigatione æquore transmisso, prædictum oppidum adiit, ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, devotus miles Christi triumphabiliter consummavit. *Atque hic est* felicissimus Felix, *cujus singularis festivitas hoc die in Hispania præsertim recolitur, qui inter illustriores ejus regionis Martyres, sæviente immani Daciani carnificina meritissime computatur, dicendus fortasse primus et gloriosissimus, si de martyrii modo, æque ac de ipso martyrio, satis certa ad posteros monumenta pervenissent. At de his infra paulo uberius : præfixum modo ordinem sequemur, ut data jam aliquali patriæ professionisque notitia, item causæ transitus in Hispaniam, quemadmodum eam narravit laudatus S. Eulogius, etiam alios audiamus, qui rem eamdem, paulo aliter (non recte opinor) exposuere. Neque antiquiora negligemus præconia, quæ apud*

Pru-

A *Prudentium et Gregorium Turonensem reperiuntur.*

non cum S. Cucufate, 4. *Sic transitum in Hispaniam, alia Acta secutus describit Vincentius in Speculo lib.* 12 *cap.* 90, *ubi* S. Felix *S. Cucufati conjungitur, ex cujus Actis sua hausit potissimum his verbis :* Ea quoque tempestate passus est S. Cucuphas, qui Scyllitana civitate, nobilissimis ac ditissimis natalibus oriundus, una cum S. Felice, ipsius civitatis æque illustrissimo, Cæsaream, quæ est ad Mauritaniæ littus, litterarum liberalium studio migravit. Quod cum vacantes scholis pervulgata fama comperissent, persecutionem Christianorum in Orientis partibus efferbuisse, mox cum mercium pretiosarum varietate, non pauco etiam navium numero se contulerunt occidentali plagæ, sub negotiatorum specie ac nomine. Sicque Barcinonam applicantes, repererunt etiam in occiduis partibus impietatem principum usquam grassari; unde tempus imminere intelligentes, quo in lacrhymis brevi tempore seminarent, quatenus in gaudio perpetuo meterent, cœperunt operibus pietatis..... largius insistere..... et sic demum publice Christum confitentes et prædicantes, seipsos... superimpendere. Quocirca unanimi conditione B. Felix ad Gerundensem civitatem transmeavit ubi divinis muniis se exercens, gloriosum martyrium consummavit.

B

cujus nec socius nec frater fuit. 5. *Ita ibi : cum interim de S. Cucufate in Actis nostri* S. Felicis *altissimum sit silentium, nulla vel minima illius aut alterius socii facta mentione; ut unde primum orta fuerit ea conjunctio, non facile sit verosimili aliqua conjectura assequi. Quid? quod et ea opinio ita sensim accreverit, ut in socio fratrem posterioribus seculis sibi finxerint, duce, nisi multum fallimur, Petro de Natalibus, ita scribente lib.* 7 *cap.* 9 : Felix germanus fuit beati Cucufatis martyris, de quo supra actum est VIII Kal. Augusti. *Placuit Hispanis ea fraternitas, unde et Morales et alii passim eam amplexi sunt : Domeneccus subdubitare visus est; at Tamayus in Legenda a se composita rotundissime scribit :* Igitur in navi B. Felix, amore martyrii, Deo auxiliante, prospera navigatione, Barcinonensem perductus est civitatem, ubi relicto Cucufate fratre, ejusdem itineris socio, *etc. Ceterum fraternitas illa jam pridem a nobis rejecta est, neque societatem ullam satis tuto admitti posse, saltem ex Actorum nostrorum fide existimamus.*

C

Quos martyrii socios habuerit, 6. *Ipsis, inquam, inhærendo, dicendum omnino videtur,* S. Felicem *ex Africa in Hispaniam prorsus incomitatum appulisse; ut si fortasse in prædicatione sua apostolica apud Barcinonem, deinde apud Ampurias, civitate olim satis ampla, cujus solæ ferme ruinæ modo superesse dicuntur, tum vero Gerundæ, aut in cruentissimo martyrio socios habuerit (quorum tamen in Actis ejus nec levissimum vestigium) eos Hispanos fuisse oporteat, aut aliunde in Cataloniam adventasse. Tales apud Tamayum aliosque populares scriptores fuisse dicuntur sancti* Romanus et Maximus, *quibus forte accedet* Thomas *aliquis ex inscriptione relata a V. C. Nicolao Antonio in Mss. Madriti anno* 1721 *cum collegis nostris Pinio et Cupero, ut alibi etiam dictum est, communicatis, in quibus allegat testimonium viri principis D. Ferdinandi ducis Alcalitani, et eruditione clari, et multis præclaris muneribus suo tempore functi; ut idem refert laudatus Antonius in scriptorum Hispanorum Bibliotheca ab anno* 1500, *de prædicta inscriptione Hispanice memorans quæ hic Latina facio.*

docet utcumque inscriptio 7 *Narrat itaque D. Ferdinandus in scripto aliquo anni* 1622, in potestate sua esse tabellam, aliquam eburneam altitudinis digitorum quinque, trium vero latitudinis, in cujus fronte latior crux exhibetur, ubi et imago Christi cum clavis quatuor ; in altera autem parte expressa sunt verba quæ hic describuntur † HE SVNT RELIQVIÆ SCI ROMANI. 7 SCI TOME MARTYRVM, QVI APVT GERVNDAM CLAVIBVS TRANFIXI MARTYRIVM PASSI SVNT. Catholici aliqui in communi Hispaniæ calamitate inde fugere compulsi, ne reliquiæ Sanctorum in manus infidelium dilaberentur, eas absconderunt, appositis titulis, ut si quando Domino visum esset easdem revelare, facilius agnoscerentur. Inscriptio jam dicta in adversa parte fuit apposita, eamque invenit agricola circa civitatem Gerundensem, quæ modo est vetus Gerunda, de qua tabella meminit; eamque dedit Patribus Societatis, et ipsi mihi dum eorum ibi collegium visitarem. Eam habeo in summa veneratione et tamquam antiquum cimelium e pretiosioribus, quæ in eo genere reperiri possint.

AUCTORE J. B. S.

8. *Pretium antiquitatis et raritatis haud equidem diffiteor; verum quod insinuabat Antonius, necdum consequens video, aut* S. Romani *aut* S. Thomæ *reliquias ibidem una repertas, aut illos, et quidem alios socios cum* S. Felice *nostro passos fuisse, nedum* Maximum *a Tamayo ex Flavio Dextro necdum satis assertum. Aliud plane istic assignatur martyrii genus, utpote qui clavis confixi videantur et crucifixi. Quid, quod* Romanus, *idem an diversus, cum Paulino, Justo et Scicio alia plane tormenta tolerasse dicatur. Unica est pro Romano in citata superius epistola auctoritas Berengarii, ita diserte loquentis :* Mittimus etiam vobis de ossibus capitis atque manus sancti Romani pretiosissimi martyris Christi, socii videlicet prædicti Felicis venerandi martyris Gerundensis Hispaniæque Doctoris : *unde Majores nostri in notis ad* XVIII *Martii non dubitarunt asserere :* Cum Felice coli etiam S. Romanum I Augusti. *Eos hic in titulo secutus sum, quamvis non immerito suspicari quis possit,* Romanum *illum, eumdem ipsum esse, qui ad* VII *Junii tomo* II *pag.* 58 *cum ante dictis sociis refertur,* Paulino *nempe,* Justo *et* Scicio *seu* Sicio. *apposite explicanda* E

9 *Atque hæc de* S. Felicis *sociis, veris seu prætensis, satis dicta sint, quæ eo solum sano sensu reduci posse videntur, ut eo titulo a Domenecco* S. Felicis *socii appellentur, quod sub eodem Daciano, et eodem loco gloriosum certamen compleverint. Quod reliquum est, de illustrissimi martyris in Hispania ante martyrium gestis, pauca in Actis tradita sunt, ut ex iis ferme dici posset Cataloniæ partem, donec Gerundam appelleret, potius percurrisse, quam fidei principiis ut apostolus instituisse videatur. Portento singulari non absimile est, quod in S. Eulaliæ gestis ad* XII *Februarii num.* 8 *commemoratur : videlicet, quod peracto jam agone, post linteis et aromatibus involutum sacrum corpus;* Sanctus Felix, qui in confessione unanimis ejus fuerat, cum magna exultatione animi dixit ad eam : Domina, tu prior palmam meruisti : cui S. Eulalia subrisit. *Unde notavit ibi Bollandus,* ideo in quibusdam Martyrologiis S. Felicem *cum S. Eulalia* XII *Februarii* referri. *Quæ si vera sunt, prima martyrii rudimenta Barcinone posuerit Sanctus, quæ eum ad adipiscendam coronam Gerundam perduxerint. En modo constantissimi cultus indubitata documenta.* *uti et quæ de S. Eulalia narrantur.* F

§ II. Antiquissimus

AUCTORE J. B. S.

§ II. Antiquissimus Sancti cultus; Passio apud Adonem contracta; Officium, hymni, etc.

In omnibus Fastis signatus,

V*etustissimam* S. Felicis *in sacris Fastis memoriam satis probant Hieronymiani codices, in quibus constanter et sub eadem formula annuntiatur :* In Hispania (*Epternacensis* in Spanis) Gerunda civitate, natalis S. Felicis martyris. *Adde his classica omnia post Adonem, cujus encomium totius Legendæ, in multis turbatæ et confusæ, nitidiorem synopsim repræsentat, quam sequi debuerat Equilinus episcopus, non aliam farraginem Adoni falso adscriptam. Pluribus elogiis hic corradendis supersedeo : paucula Prudentii verba Peristeph. hymno 4 satis evincunt, antiquum juxta ac celebrem fuisse* S. Felicis *in Ecclesia cultum :*

> Parva Felicis decus exhibebit
> Artubus sacris locuples Gerunda.

B

Quæ Gregorius Turonensis de glorioso nostro Martyre memoriæ tradidit, ad miracula propius spectant, de quibus agemus paragrapho sequenti. Usuardi annuntiatio ex Adone eleganter contracta est : In Hispaniis civitate Gerunda, natalis S. Felicis, quem jussit judex Dacianus, post illata tormentorum genera, ungulis detrahi, ac deinde usque ad ossa laniari, et tamdiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum Christo spiritum reddidit.

ab Adone

11 *Ipsum modo Adonem audiamus, cujus textus parum abfuit quin Actorum vicos suppleverit :* In Hispaniis, civitate Gerunda, natalis S. Felicis martyris, qui de Scillitana civitate oriundus, cum persecutiones in Hispaniis adversus Christianos agi cœpissent, ascensa mercatorum navi, amore martyrii ocius accurrit. Et cum aliquamdiu apud Barcinonam, Empurias et Gerundam verbum Dei prædicans plurimos in fide confortasset, et fama ejus longe lateque crebresceret, jubente Daciano, repente a Rufino officiali tentus est. Cumque nomen Christi confidentissime fateretur, primo fustibus cæsus, et in ima carceris trusus, deinde C manibus pedibusque ligatis, negato cibo et potu, in loco squalido projectus, post hoc etiam catenis gravioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus, et pæne in frusta discerptus est. Deinde missus in carcerem, nocteque ab angelo visitatus atque sanatus, facto die ad certamina revocatus est. Tunc ungulis excoriatus, capite inverso ab hora tertia usque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem.

longiori ornatur elogio.

12 Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit, ubi per totam noctem splendor copiosus effulsit. Sed et voces angelorum psallentium auditæ sunt. Quod cum nuntiatum fuisset Rufino a custodibus, jussit eum manibus post tergum ligatis in maris profundum mergi. Ibi continuo vincula ejus dirupta sunt, et angelis sibi manum tenentibus, super undas deambulans ad litus pervenit. Tunc Rufinus jussit iterum cutem ejus ungulis detrahi ac deinde usque ad ossa laniari, et tamdiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum Christo spiritum reddidit. Corpus ejus Gerundæ in monumento, quod ipse sibi præparaverat, conditum est Nonis Augusti. *Non est quod Adonem hic arguat Florentinius, dum ita intelligitur, ut Nonis non passum velit* S. Felicem, *sed sepultum. Id observatu dignius erat, quo demum pacto in* maris profundum mergi *potuerit sanctus Martyr, totis leucis septem et amplius ab eo remotus. Detur hoc scriptoris ignorantiæ in pluribus patenti, ut pro fluviis unda, vel Sambroca (vulgo* Ter,) *mare substituerit, nisi aliam Tamayi expositionem admittas, de qua inferius. Jam cultus argumenta prosequamur.* D

Antiqui de ipso hymni ad Vesperas

13 *Talia suggerit officium a nostro P. Gamansio, toties hic laudato, descriptum desumptumque et nonnihil contractum ex antiquo Breviario Mosarabico, ad usum ecclesiæ Gerundensis, unde et Acta ipsa ad nos transmisit. Licitum mihi putavi, duriorem scabritiem hinc inde elimare. Titulus est :* In Natale S. Felicis martyris patroni nostri Gerundæ.

In primis Vesperis.

> Post agones apostolicos
> Et diras mortes Martyrum
> Hispaniarum ecclesias
> Felix martyr inclytus
> Roboravit eloquio
> Et ornavit martyrio;
> Patronus populorum
> Et socius angelorum.

E

Hymnus.

> Fons beatus vitæ perennis,
> Lux origo luminis,
> Aspice plebem canentem
> Festa summi Martyris.
> Excipe vota precantum,
> Sume laudum carmina.
> En tui Felicis almi
> Pangimus insignia.
> Tu resolve vincla linguæ,
> Dans sonora cantica,
> Ut tua rite queamus
> Promere magnalia.
> Iste namque Cæsareæ
> Urbis Mauritaniæ
> Mundialis disciplinæ
> Dum strueret litteris,
> Artium fumosa flabra *
> Te sequendo deserit.
> Audiens plecti fideles,
> Mox Gerundam pervenit :
> Præsidis jussu retentus,
> Truditur in carcerem :
> Ferreis votis* onustum
> Alloquuntur angeli :
> Sistitur aræ, cruentis
> Ut litaret idolis :
> Respuit infame factum,
> Voce Christum profitens :
> Perstrepit turba bisulcis
> Ossa nudans ungulis.
> Nempe mulis alligatur,
> Dissipatur artubus :
> Fluctibus presso marinis
> Unda turgens subditur;
> Angelis immixtus almis
> Ora pandit cantibus.
> Omnia tormenta forti
> Præcurrit * pectore,
> Postque pœnas et catenas,
> Ungulas ac verbera,
> Carnea claustra relinquens,
> Migra ad cœlestia.
> Gloria Patri Natoque
> Spiritui et paraclito
> Laus, potestas atque virtus,
> Gratiarum copia,
> Qui Deus trinus et unus
> Exstat ante secula.

* An non præcucurrit?

* Tamayus verba

F

* Tamayus vinclis

Oratio.

Deus, qui beato martyri tuo Felici, ut persequentium rabiem vinceret, tantam contulisti constantiam; ejus ope quæsumus suffragari, quo tibi digne semper mereamur famulari.

Invitatorium.

et Matutinum

> 14 Venite cunctæ catervæ populi
> Ad venerandum regem æthereum,
> Qui egregium martyrem suum Felicem
> Dexteram tenentes collegit inter angelos.

Hymnus.

HYMNUS.

O nimis Gerunda felix,
O beata civitas!
Nil malorum tu pavescis
Freta tanto Martyre:
Postulata promeretur
Quisquis huc confluxerit.
Hic Dei virtute pressi
Lacerantur dæmones,
Verberantur, vinciuntur
Utque fumus et favilla,
Nil vigoris obtinent.
Hic salus optata fessis,
Sed e cœlo profluit,
Visio cæcis patescit,
Lingua mutis advenit,
Surdus aures hic receptat,
Atque claudus exilit.
Unde cuncti te precamur,
Una summa Trinitas,
Martyris ut impetratu
Nostra tollas crimina,
Noxia cuncta repellas
Et secunda præbeas.
Clerus hic vita nitescat,
Et sacerdos polleat.
Plebs fidelis quæ requirit,
Impetrasse sentiat:
Omnis ætas atque sexus
Hoc patrono gaudeat.
Gloria Patri natoque
Spiritui et paraclito, etc.

Antiphonæ, versus, etc.

15 IN PRIMA VIGILIA ANT. Felix beatissimus, Scillitanæ urbis indigena, apud Cæsaream metropolim Mauritaniæ litterarum studiis erudiendum se subdidit ℣. Ut perfectior in omnibus appareret. ANT. Quasi apis argumentosa cœpit Felix quærere regna cœlestia ℣. Barcinonensem appulsus civitatem. ANT. Erat enim amator fidei, castus, mitis, sobrius, verax, pacificus, hospitalis, eleemosynarius. ℣. Bonas margaritas erogans in populo Gerundensi. ANT. Multæ matronæ Gerundensium audiebant libentissime prædicantem Felicem beatissimum ℣. Quia ut apostolum et prophetam eum habebant. ANT. Felici Dei famulo dixit Rufinus impius: Audio ab universis quod melliflua ex ore tuo verba prodeant ℣. Credens acquirere pecuniam pauperibus erogatam. ANT. Felix plenus Spiritu sancto ait Rufino: O viperina lingua, diaboli plena veneno! Discede a me, illecebrosa tentatio ℣. Nam me nemo poterit separare a charitate Christi. *Hymnus ad 2 Vesperas* S. Felici *proprius non est. Ceteræ autem Antiphonæ et Responsoria nihil habent, teste Gamansio, peculiare, cum ex ipsis Actis, infra subjiciendis desumpta sint. Unum hoc subdidit pro 2 Vigilia :*

Felix ceu palma cœlorum floret in aula,
Inque domo Domini viret, ut plantatio cedri.

§ III. Reliquiæ, miracula, constans veneratio, Acta suspecta.

Summa Hispanorum veneratio.

S*acrum sanctissimi Martyris depositum summa semper in veneratione Gerundæ fuisse, certissimum est, et quidem in propria ecclesia, quæ anno* 817, *ut est in Marca Hispanica col.* 346, *adhuc dicebatur* Sancti Felicis beatissimi martyris Christi sedis Gerundensis; *ut forte olim cathedralis fuerit : certe singularissima fuit Hispanorum devotio qua sanctum Martyrem prosequebantur, adeo ut Rex Gothorum Reccaredus, sub finem seculi* VI *Catholicam religionem amplexus, coronam auream ad ejus tumulum obtulerit; ut apud Tamayum testantur Hispanicarum rerum Chronographi. Porro inter eximios Sancti cultores merito numerandus venit Nonnitus Gerundensis episcopus, de quo testatur S. Ildephonsus in Catalogo de Script. eccl. cap.* 10 *his verbis :* Adhærens instanter obsequiis sepulcri S. Felicis martyris. *Rem hanc pluribus exornant Morales et Domeneccus agentes de favoribus a sanctissimo Patrono ipsi præstitis : merito autem conquesti, quod nec favores illos nec alios seorsim annotare curaverint Gerundenses; ut de* S. Felicis *innumeris, ut aiunt, miraculis, vix quidquam ad posteros pervenerit, præter paucula, quæ S. Gregorius Turonensis scripta reliquit.*

AUCTORE J. B. S.

Miracula ex Gregorio Turonensi.

17 *Etiam tempore S. Gregorii Turonensis, inquit Tamayus, admirabilis erat S. Martyris devotio ob insigne miraculum quod recenset libro* 1, *de Gloria MM. cap.* 92 : Quodam tempore, Felicis martyris basilica a furibus est effracta. Hic vero Martyr in Gerunda Hispaniæ passus est urbe. Fur vero, adprehensis palliis sericis, textis auro, monilibusque exornatis, cum reliquis ornamentis, abscessit. Quo eunte, conjungitur ei homo ignotus, interrogans, quo pergeret. Cui ille respondit: Si sermo meus occultetur tecum, ostenderam tibi thesaurum magnum. Et ille : Ostende, ait, quæ volueris; totis a me obtegetur viribus. At ille ostendit ei species illas, dicens : Si in aliis hæc regionibus venumdantur, utrique nostrum magnum inferent lucrum. Et ille : Ego sum, inquit, homo cui in diversis regionibus multi habentur amici, et est mihi domus magna atque secreta ; si hæc in ea posueris, deinceps cum lubuerit venumdabis. Et præcedens, sequebatur homo cum sarcina, putans se ad aliam deduci urbem : concluserat enim Deus oculos ejus, et non cognoscebat, quia per viam, qua venerat, regrediebatur. Quid multa? pervenitur ad basilicam Sancti, et ait ad eum vir: Ecce domum de qua locutus sum tibi, ingredere et depone sarcinam tuam; ille quoque ingressus est. Verum ubi, deposita sarcina, cœpit adspicere, ad se reversus cognovit basilicam Sancti, de qua res illas abstulerat; vir autem jam recesserat ab eo. Et sic cuncta quæ cum viro illo gesserat, populis enarravit: unde indubitatum est, ipsum ei Martyrem beatum adparuisse.

quæ Narbonæ reliquias tribuunt;

18 *Pergit deinde Gregorius in hunc modum :* Hujus (*nempe* S. Felicis) reliquiæ apud Narbonensem basilicam retinentur. Sed cum hujus ædis altitudo, ne Liguria, quod est locus amœnissimus, a palatio regis cerneretur arcere, contulit hæc cum Leone consiliario rex Alaricus. Qui ait: Deponatur ex hoc ædificio una structuræ machina, et rex, quæ placuerit, liberius contemplabitur. Et statim, vocatis operariis, jam consiliarius humiliavit basilicam Sancti ædificiis, non meritis, sed ille protinus lumine caruit oculorum. *Ex his intelligis, binas cœlestes vindictas sumptas de hominibus erga sanctum Martyrem ejusque sacras exuvias irreverentibus. Quod vero ibi dicitur de reliquiis* apud Narbonensem basilicam retentis, *id omnino accipi debet, ut cum suis omnibus exponit Tamayus, non de integro sacro corpore, sed de ossium aliquorum parte, uti probant ex diplomate Formosi Papæ dato anno* 893, *ubi diserte ecclesia Gerundensis nominatur, in qua etiam tunc temporis, nempe trecentis et amplius post dicta miracula annis,* B. Felix Christi martyr corpore requiescebat.

præcipuæ tamen Gerundæ asservantur.

19 *Quod S. Martyris caput in ecclesia seculari collegiata, in honorem* S. Felicis *erecta, adhuc exsistat, probat Tamayus ex Domenecco f.* 72 ℣ *ita loquente :* Caput hujus gloriosi Divi, adhuc in ecclesia seculari collegiata S. Felicis custoditur, ubi ego illud invisi et adoravi. *Scribebat autem Domeneccus, saltem opus ejus editum est* 1602. *Addit Tamayus Pujadem disputantem de vero loco depositionis sacrorum pignorum, ubi concludit,* tam caput quam corpus recondi in ecclesia S. Felicis, non

AUCTORE J. B. S.

non in cathedrali, quia hæc exstructa dignoscitur tempore Caroli Magni, et illa olim fuerat cathedralis. *Quæ ut ut habeant in ordine ad templum sive cathedrale sive collegiatum (quam controversiam ipsis Gerundensibus dirimendam relinquimus); id certe evincere videntur; etsi reliquiæ aliquæ cum ecclesia Narbonensi aliisque communicatæ olim fuerint, sacrum Sancti caput ita Gerundæ hactenus certissime permansisse, ut numquam dimotum fuerit: unde facile conjicias, quanti faciendum sit testimonium Coloniense datum anno* 1594 *die secunda Martii, quod hic subjungimus.*

Quid de Coloniensibus sentiendum.

20 *Descripsit illud ex Lipsanologio Ms. regii monasterii S. Laurentii, vulgo Escurial, noster P. Cuperus anno* 1722, *estque hujusmodi* : In nomine Domini, amen. Judocus de Junquere, rector conventus S. Agnetis Coloniæ, et ceteræ conventuales, testatum facimus universis, nos unanimi consensu ac deliberata voluntate R. in Christo P. F. Balthasaro Delgado, ab invictissimo rege Catholico Philippo II ad privata quædam negotia in Belgicis provinciis dirigenda delegato (prævio tamen episcopi ordinarii loci indulto) B tradidisse sacrosancta tria capita, videlicet : caput S. Frindernæ..... Item caput S. Felicis qui sub Datiano præside passus est in Hispaniis in civitate Gerunda. Et aliud ex societate S. Ursulæ. Quæ quidem, etc. *Sancti alicujus, et quidem nomine Felicis, quorum tantus in Ecclesia numerus, caput fuisse, haud difficulter agnoscimus; verum ut de Gerundensi id prædicetur, aut umquam probetur istius capitis cum hujus nostri* S. Felicis *identitas, quæro, qua ratione, quando, aut a quo Coloniam id umquam delatum fuerit, contra quam testentur scriptores omnes, qui de* S. Felice *umquam meminerunt; ex quibus jam manifestissime ostendimus, anno* 1602 *Gerundæ adhuc exstitisse, et circa ea tempora ab ipso, id testante, Antonio Vincentio Domenecco coram honoratum fuisse.*

Aliæ in Hispania variis locis.

21 *Non minus certa sunt quæ de* S. Felicis *hujus reliquiis cum sociis in Hispania commorantibus communicavit noster P. Felix Matthæus, Bilbili ita scripto testatus* XXVII *Aprilis* 1722 : *ubi præmissa descriptione magnifici, ut ait, sumptuosique templi de Torralba* S. Felici *dicati, narrat S. Martyris reliquias Gerunda obtentas, in eumque locum* C *translatas* XXIII *Augusti* 1573, *porro* XXVI *ejusdem mensis solennissime exceptas atque exaltatas, concurrentibus ingenti multitudine circumvicinorum pagorum incolis, simulque hymnos de S. Martyre concinentibus, ut vix umquam talis festivitas in iis partibus visa fuerit. Quæ omnia authenticis testimoniis firmata se vidisse ibidem testatur laudatus Felix Matthæus, synonymi sui Patroni cultor eximius. Alias memorat Marca Hispanica in monasterio Cuxanensi diœcesis Elnensis. Neque dubium esse potest, quin et variis aliis Hispaniæ, præsertim Cataloniæ, locis sacræ hujusmodi reliquiæ venerationi expositæ sint, in iis præsertim templis, quæ tanto numero memoriæ sanctissimi Martyris consecrata afferunt Morales, Domeneccus et alii, ut ea sigillatim enumerare, aut nimium, aut superfluum judicaverim. De Lusitanicis testatur non uno loco Rodericus Da Cunha in sua historia Ulyssiponensi.*

Neglecta Gerundæ miracula.

22 *Atque hæc de* S. Felicis *reliquiis, templisque in ejus honorem conditis, perpetuaque adeo et constantissima veneratione abunde dicta sufficiant; de multiplicibus* miraculis, *generatim, ut ita dicam, acceptis, testis est relatus supra hymnus, morbis quibuslibet medelam afferens; ne hic frustra, quod toties alibi facere compulsi fuimus, Gerundensium* D *turpem incuriam iterum incusemus, quod in pretiosissimi Patroni singularibus beneficiis enumerandis negligentissimi fuerint. Ad* Acta *modo quod attinet, in eorum genere ea reponere cogimur, quæ olim haud dubie serius et ex traditione non satis accurate scripta, aliorum postmodum ignorantia nimium quantum deturpata fuerint, ut qua valeant auctoritate, obvium non sit tuto decernere. Ex aliis Martyrum passionibus, ut sæpissime factum novimus, nonnulla huc transfusa, suspicari cogunt adjuncta hinc inde martyrii loco non undequaque convenientia; illudque imprimis quod velint S. Martyrem, mari, tot leucis inde dissito, immersum fuisse, ut cetera taceam de tormentis tam immani crudelitate repetitis plane incredibilia, ut ferme aliunde collecta dicam, an condensata videantur.*

Acta nil minus quam sincera.

23 *Ceterum seculo nono antiquiora esse atque adeo Adoni præluxisse, ex dato supra compendio patet quam manifestissime. Eadem quoque habuisse laudatum supra episcopum Gerundensem Berengarium, in citata ad Augustanos epistola clare ipse testatur* : Passionem præterea S. Felicis vobis transmittimus, in qua natalis ejus diem, Kalendas videlicet Augusti prænotavimus. *Nostra hæc, an* E *id genus alia Acta fuerint, quis modo facile conjiciat? Id sane mirum quam maxime mihi visum est, quod inter tot Passionum collectiones seu Legendas nusquam hactenus primigenia seu Latina phrasi edita ipsa repererim. Quæ suo marte compilavit Tamayus observatione digna non sunt. Qualiacumque porro ea censueris, talia certe fatebere, ut in hujusmodi historiis dolendum sit quam maxime, imperitissimos librarios seu amanuenses, tam multa pro suo arbitrio transmutare ausos, ut ex quinque apographis Mss. nullum sit, quod ab altero non discrepet, ut difficillimum fuerit, ex male contortis recta et sana eruere. Læsa non nulla resarcivimus, aut in notis, quoad fieri potuit, explicuimus.*

ACTA

Ex pervetusto codice Moissiacensi, cum quatuor aliis Mss. collato.

F

Desertis in Africa scholis,

In diebus illis sub Diocletiano et Maximiano Consulibus, tempore quo in Christianos sæva persequutionis crudelitas grassabatur, ita in universo orbe positos, sive in Orientalium provinciis sive in Occiduis partibus constitutis impiorum Principum jussio servabatur, ut non esset civitas aut castellum, ubi non idola colerentur et nefariæ dæmonibus victimæ cæderentur. Sanctus igitur Felix de Scillitana civitate oriundus fuit, qui cum ad civitatem pergeret Cæsaream, quæ est in Mauritaniæ littore constituta, quæ ejus metropolis nuncupatur, ubi liberalium litterarum studia præfulgebant, ibi se sanctus Vir erudiendum subdidit disciplinæ, ut in cunctis perfectior appareret. Igitur cum ante navigium *a* inaudita opinio per populos divulgaretur, eo quod in Hispaniarum littore gravis in Christianos persequutio grassaretur; qua S. Felix opinione comperta, ut apis prudentissima, quæ interrita perfectionem sui operis nititur adimplere, gaudens, omnia volumina auctorum quæ ejus manibus gestabantur, a se projecit, dicens : Quid mihi est philosophia hujus mundi? Ad illam properare

A perare necesse est vitam, quæ temporibus dat tempora, quæ mortis non formidat auctorem, sed vitæ conspicit creatorem.

martyrii cupidus in Hispaniam navigat,

2 Igitur navem quæ *b* cum diversis mercimoniis ire ad Hispaniam properabat, Deo favente, conscendit, quo auxiliante, prospera navigatione in Barcinonensem appulsus est civitatem. Qui cum se negotiatorem rerum venalium simularet, cœpit intra semetipsum quærere, qualiter posset in regna cœlestia pervenire, et fastigia vitæ perennis attingere. Interea cœpit impiissimus Dacianus persequutionem Christianis inferre. S. Felix navigans de Barcinona ad Empuricas *c* commigravit, ibique sedens cœpit se cum divinis voluminibus exercere, et jugi oratione desudans, ut carus populo esse mereretur, orabat; erat enim amator fidei, castus, sobrius, mitis, pacificus et verax, eleemosynas jugiter pauperibus erogabat, hospitalis supra modum, cunctis fratribus advenientibus cum toto amoris gaudio se in eorum præbebat occursum, ut Abrahæ meritis æquaretur, qui Dominum suo hospitio probatus est et suscepisse. Hoc cunctos specialiter B commonebat dicens, fieri omnimodis eleemosynas oportere, et omnem mundi substantiam pauperibus erogari: iracundiam quoque ante solis occasum esse placandam, et omnem malevolentiam bonitate vincendam.

fidemque prædicans capitur.

3 Et cum non solum de his virtutibus populum exhortaretur, verum etiam omnes ad Christianam fidem accenderet; ut bonorum negotiator, et spirituales thesauros retinebat in corde, et hortabatur dicens: Ut quid diligimus tenebrosam et perituram mundi illius vitam? Ad illam nunc properemus beatam, quam repromittit Dominus diligentibus eum in veritate: nam terrores impiissimi Daciani, qui omne littus conturbavit Spaniæ, una cum patre suo diabolo celeriter ad nihilum deducentur, et minæ ejus deficient et tabescent. Igitur cum bonas margaritas seminaret in populo, in Ilerdensi *d* civitate successit, ibi similia gerens. Multæ matronæ hæc audientes libentissime suscipiebant verba beatissimi Felicis, quem non tantum negotiatorem habebant, qui dando terrena cœlestia comparabat; verum etiam apostolum eum aut unum ex prophetis appellabant, qui viam salutis omnibus demonstrabat. C Quid multa? nuntiantur hæc ab audientibus Rufino cuidam, qui et ipse erat de officialibus Daciani; quique dicto citius Daciano omnia quæ audierat nuntiavit: cui Dacianus talem potestatem dedit, ut eum penitus afflictum et vinculis præpeditum carceri manciparet, cur *e* ausus fuerit populum exhortari de divinis mandatis et sectam illius, qui dicitur Christus, plebi annuntiaverit universæ.

Præfecto multis blandienti

4 Hoc etiam edicto eum commonuit, persuadendum, ut si Diis ceremonias immolaret, immensis honoribus sublimatus appareret universis; si vero diis immolare contempsisset, et vultus Principum adorare noluisset, fame tabidus, immensa ferri pondera colla et cervicibus oneratus, pœnis acrioribus urgeretur, ne amplius in despectionem nostram, et imperatorum nostrorum contumeliam hæc agere præsumeret. Cumque Rufinus a Cæsaraugustana civitate cum auctoritate Daciani impiissimi remearet, sollicite cœpit iniquirere, ubi Felix beatissimus commaneret: cui dictum est, in medio foro apud quamdam matronam, nomine Placidam, nobilibus ortam natalibus. Qui hæc audiens, ut leo rabidus fremuit, jussitque curialibus atque militibus ut eum apprehenderent, et terrores vehementes inferrent; credens quod ad ejus posset pecuniam pervenire; ignorans quod jam erat pauperibus erogata. Sistitur igitur beatissimus Felix Rufini conspectibus, quem ita alloquitur dicens: Felix, id audio ab universis, quod tanta sit in te prudentia, ut melliflua ex ore tuo procedant verba; nam et ipse Dominus meus Dacianus hæc ab universis audiens, gratulatur quod talis ac tantus in hanc provinciam advenerit.

Ex codice Moissiacensi.

intrepide resistit et insultat;

5 Nam ita mihi præcepit, ut talem vobis conjugem inquiram, quæ vobis facultate et moribus et nobilitate concordet. Tantum est ut obediens illi in omnibus cognoscaris; quod si clementissimo salubrique consilio meo volueris præbere consensum, ut diis thura immoles et eorum ceremoniis acquiescas, statim etiam de meis opibus tibi multa concedam. Beatissimus ergo Felix, Spiritu sancto repletus, sic ei respondit: O viperina diaboli lingua, plena veneno! qui ita blandiris ut fallas, arrides ut noceas, terrena promittis, et cœlestia auferte conaris. Discede a me illecebrosa tentatio: suffragia tua opus non habeo; serva, quæ promittis bona, filiis tuis: E nam me nemo poterit separare a caritate Christi, neque angeli neque principatus hujus mundi. Cui Rufinus respondit: Ergo jam deliberasti, maledicte, ut nec promissionibus meis acquiescas, nec assensum præbeas salubri consilio meo? B. Felix respondit: Sunt maledicti, qui tibi et patri tuo diabolo similes approbantur; ipsi tuis promissionibus acquiescant, ipsi tua munera consequantur, quibus eris in perpetuum concremandus. *f*

hinc fustibus cæditur

6 Audiens hæc Rufinus, considerans quod cum tanta fiducia responderet, jussit eum fustibus cædi, et in carceris ima recludi. Sanctus vero Felix, confidens in Domino, gaudio multo repletus, dicebat: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia appropinquavit mihi gratia tua, quam olim consequi desideranter optabam. Et psallebat cum fiducia magna, dicens: Probasti, Domine, cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas. Cum istius carminis modulationem, Sancto decantante, cognosceret Rufinus; ait circumstantibus: Revocetur celeriter, et manibus pedibusque ligatis, F in loco squallido collocetur, ut cibi potusque negata substantia, possit animam exhalare, qui non solum hæc, quæ adhortamur, contemnit, verum etiam in nostram insurgit injuriam. Iterum jussit eum ad se reduci, cumque reductus fuisset et præsentatus conspectui ejus, ait ad eum Rufinus: Felix, audi me quasi fratrem tuum, et acquiesce diis sacrificare, ut a præside Daciano dignitatibus sublimeris: nam et ego peregrinus adveni, sed ejus parendo præceptis, et locupletem reddidit et honoribus sublimavit. Cui S. Felix cum audacia multa respondens, dixit: Si cœlum mihi cum multitudinibus angelorum promitteres, aut amœnitatem paradisi pollicereris, numquam tuis promissionibus acquiescerem nec mentem muneribus inclinarem.

aliisque gravibus tormentis

7 Audiens hæc Rufinus, jussit eum catenis gravioribus alligari et ab indomitis mulis per totas plateas trahi, ut corpus beatissimi Felicis laceratum in frusta redigerent; sed quia, Deo juvante, etsi lacerato corpore, fides interrita perdurabat, præcepit eum in carcerem mitti; ubi dum S. Felix, fixo animo, Dominum precaretur, apparuit ei juvenis, niveis vestibus indutus, et ait ad eum: Noli timere, Felix: ego enim missus

sum

EX CODICE MOISSIACENSI.

sum Domino Jesu Christo, ut te in omnibus corroborem; et tangens omnia membra ejus, sanata sunt illico vulnera corporis ejus. Alia vero die sedens Rufinus cum universis, jussit adduci S. Felicem, cui sic ait: Ecce nunc sacrifica immortalibus diis nostris, sicut nos hodie videris eis cum magno gaudio hostias immolare. Et statim jussit aras dæmoniorum nefariis sacrificiis honorari; et accedens sordidissimus Rufinus, cœpit coram omnibus dæmoniorum nomina infaustis vocibus invocare: Vos invoco, dii, Jovem, Mercurium, Saturnum, Baal, Accorron *g* vel Minervam, per quos mundus gloriatur, et per quos imperatores obtinent laudem, et per quos dominus meus Dacianus nimium sublimatur. Adjuvate me et omnes qui mecum adstant; similiter et ceteri dixerunt.

frustra cruciatur.

8 Et dicit ad S. Felicem: Accede, et fac cito sicut nos facere conspexisti, ut possis evadere tormenta quæ tibi præparata sunt. Tum B. Felix dixit: O! quos cæcitas diaboli per insipientiam cordis graviter occupavit, discedite infelices a manufactis vestris, quos impie adoratis, et
B
cognoscite Deum vivum, qui vos de limo terræ plasmavit; quoniam omnia quæ sunt manufacta hominum, pro eis rationem reddituri estis Deo vivo omnium seculorum. Et statim ejus sermonibus succensi irruerunt in eum, et sicut apes quæ stimulatæ fuerint, effervescunt, et injuriam cum sua internecione defendunt: protinus apprehensum eum tradidit carnificibus, ut eum exungularent, et carnem a cute discerperent; jussitque eum capite inverso pendere quoadusque animam exhalaret. Cum autem suspenderetur S. Felix, dicebat: Exurge, Domine, et intende in judicium meum, Deus meus et Dominus meus, in causam meam. Suspensus autem ab hora tertia usque ad vesperam, nullum penitus sensit dolorem, sed confortabat eum testis in cœlo fidelis.

Prodigiis vero cœlestibus

9 Post solis autem occasum jussit eum in carcerem mitti, et arctius custodiri; ubi statim talis splendor luminis illuxit, et nectareus odor suavitatis apparuit, ut custodes istius carceris crederent se balsamo fuisse perfusos. Voces etiam angelorum psallentium modulata suavitate omnibus resonabant. Custodes autem, aperto carcere exeuntes, cucurrerunt ad Rufinum, dicentes:
C
Vere servus Dei fidelissimus est, quem nos custodire jussisti; nam multa mirabilia vidimus in hac nocte, quæ non licet nobis ulli hominum indicare. Sed et voces angelorum psallentium per totam noctem audivimus. Tunc iratus Rufinus nimium, jussit eum, manibus post tergum ligatis, in maris profundum demergi *h*. Cumque navigio fuisset impositus, psallebat dicens: Etenim illic manus tua deducet me et tenebit me dextera tua, Domine. Cum autem ductus fuisset a littore pene stadia triginta, projecerunt eum in mare, et ita dissoluta sunt omnia vincula quibus fuerat ligatus, quasi ex papyro fuisset adstrictus: et postquam catenarum magnitudo disrupta est, confestim visus est super undas maris pedibus ambulare, et in medio angelorum, manus ejus tenentium, hymnum et alleluia pariter decantare.

magis incenditur tyrannus.

10 Tunc ex alto pelagi super eos veniens et navem conscendens, omnia quæ gesta fuerant eis intimavit; qui ejus vestigia amplectentes, dicebant: Ora pro nobis ad Dominum, Martyr Dei; ut dimittantur nobis peccata nostra. Nuntiatur igitur Rufino statim, eo quod S. Felix in littore exultans et gaudens deambularet, et ait satellitibus suis Rufinus: Furciferi, cur præceptis meis minime paruistis; et non ut jussum est, currente navigio, eum longius et profundius demersistis? Qui proclamantes ei constanter dicebant, eum in longo maris profundo demersum, sed ad terras, comitantibus angelis, divino gubernaculo revocatum. Tunc exclamavit Rufinus ut leo rabidus, dicens: Heu, vincimur! Sed adhuc excogitabo crudeliora genera tormentorum. Et ait ad carnifices: Exungulentur *i* carnes ejus usque ad ossa, ut vel sic ejus contumacia comprimatur. Et cum factum fuisset, adductus est S. Felix ante conspectum Rufini, et cœpit eum intueri vultu truculento, et turbidis oculis dicens: Felix, vides quantum tibi miserti sunt dii nostri; accede, vel nunc sacrifica eis, et faciam te eorum magnificum sacerdotem. Cui S. Felix respondit, dicens: Tu deservias eis jure perpetuo, una cum patre tuo diabolo; nam ego hodie sacrifico et servio omnipotenti Deo meo, qui me de limo terræ plasmavit, et de profundo maris, disruptis vinculis, quibus fueram colligatus, manibus angelorum suorum eripuit.

Martyrium et sepultura.

11 Cum ista a S. Felice dicerentur, jussit carnificibus Rufinus, ut eum usque ad ossa exungularent et longinqui itineris labore consumerent, E
ut, renovatis vulneribus, acriori dolore percussus, animam exhalaret. Quod cum factum fuisset, reddidit spiritum. Revocatur *k* igitur corpus beatissimi martyris Gerundam, apud quamdam matronam Domini nimium timoratam. Ego vero humillimus Levita Christi, qui et in ejus passione diutius laboravi, hoc cum provincialibus inito consilio definivi, ut ejus corpusculum ad Provinciam allato navigio deferremus. Igitur cum totam noctem facta fuisse oratio, et operis sequitur effectus: sopor mentem labore compressit, et dormientibus nobis ex adverso cœnaculi, corpus Sancti aufertur. Expergefacti et solliciti timore per diversa currentes, reperimus eum in monumento, quod beatissimus Martyr sibi preparaverat, eleganter et dignissime sepelitum. Et quia jam a nobis auferri non potuit, de ejus cruore una cum gestis reliquias nobiscum detulimus, ut et in præsenti vita ejus fruamur auxilio, et in futuro, eodem patrocinante, vitæ perpetuæ consequamur effectum, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui Martyrem suum coronavit in pace, cui est honor et gloria virtus, etc. F

ANNOTATA.

a *Sic etiam duo alia apographa, certe paulo obscurius; in Bodecensi sensus perficitur:* Tunc a quibusdam a littore currentibus... nuntiatur ei: *quales id genus correctiones a sciolis insertæ frequentius recurrunt; verum eas ferme neglecimus, ubi constructio, tametsi barbara, satis commode intelligitur.*

b *Legebatur* quem, *ut et alibi solœcismus non unus.*

c *Alias* Empeirias *seu* Ampurias, *de qua in Commentario.*

d *Legendum omnino* Gerundensi, *ut est in ceteris apographis.*

e Cur *pro* quia, quoniam, quod; *sed de his satis.*

f *Si non vere, saltem utcumque apposite colloquia ista immiscentur; de sequentibus eadem sit ratio; de tormentis jam supra diximus.*

g Baal et Accaron *unde Rufino isti innotuerint non facile quis divinet; neque apparatus iste loco aut tempori satis convenit.*

h *Quæ*

A h *Quæ hic de mari narrantur, in quo ad triginta stadia propulsa fuerit navis, ita apud Tamayum explicat Pujades, ut fuerit* oppidum GUIXOLS, quod postmodum S. Felicis nomine ob passionem et miraculum condecoratum credunt incolæ ; et probat hoc, *inquit*, quodam carmine in festo S. Martyris hac serie :

Capite verso suspensus,
Guixollensi mari mersus,
Molis superpositis.

Subdit rursum Tamayus : Qua solutione adhibita, huc ecphrasis contextus remanet suis omnibus partibus comprobatus et absolutus. *Cupio sane, talia hæc aliis videri ; mihi nec* comprobata *nec* absoluta *sunt hactenus, nec facile absolventur.* D

i *Id supplicii iterum superius adhibitum est, et rursus infra, ut hæc studiose conduplicata videantur.*

k *Varia est in Mss. hæc ultima totius Passionis clausula, in quorum uno et altero scriptor* humillimus Ambrosium *sese appellat ; ex quo capite utinam fidei aliquid Actis accederet.*

DE SS. MARTYRIBUS PHILADELPHIENSIBUS

CYRILLO, AQUILA, PETRO, DOMITIANO,

RUFO ET MENANDRO.

J. B. S.

B Ex Martyrologiis. E

I AUGUSTI.

Quæ synodus est martyrum societas.

Satis plana est annuntiatio Romani parvi his *verbis* : Philadelphiæ, martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri et aliorum. *Paulo distinctior Adonis*: Apud Arabiam, civitate Philadelphia, SS. martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una die coronatorum, *quam ad verbum descripsit Usuardus, ut in observationibus nostris annotavimus, non neglecta difficultate, ex eo a Florentinio mota, quod codices aliqui Hieronymiani, quos secutus est Notkerus, sic loqui videantur ut synodum aliquam martyrum ab iis qui in titulo nominantur, distinguant. Audiamus textum Florentinii, cui satis concinit codex Corbeiensis :* In Arabia civitate Filadelfie, sinodos martyrum celebratur. Natalis sanctorum Cyrille, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Minandri, uno die coronati sunt ; *unde paulo distinctius loqui voluit Notkerus, hoc modo :* In Arabia civitate Philadelphia, synodus martyrum celebratur. Ibidem nativitas sanctorum martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una C die simul coronatorum.

2 *Quærit hic Florentinius* quid synodus martyrum ibi celebrata, significet ; *sic tamen ut in sola hæreat deliberatione, frustra in eam rem adductis* Martyrum conciliis, *de quibus alibi actum est : præterquam in vetustissimo Epternacensi* synodus *omnino reticeatur ; non absque alio scriptoris sphalmate, dum* Tomis *adscribuntur sancti, quos Philadelphiæ tribuendos jam ostendimus. Nodum hunc, si non omnino solvit, saltem apposite scindit codex Reginæ Sueciæ, dum et synodum et martyres opportune conjungit, qui, nisi equidem multum fallar, verus ipse Martyrologiorum ipsorum sensus, ut synodum, seu conventum, seu cœtum ipsorummet Martyrum, pro Christo gloriose certantium indicent. Verba dicti codicis sunt*: Kal. Augusti. Philadelphiæ in Arabia, synodus SS. MM. celebratur, Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domatiani, Rufi, Menandri, Posthumi, una die coronatorum. *Abundat* Posthumus, *qui forte ex sequenti Martyrum Romanorum classe translatus, et ex* Profuni *in* Posthumi *transmutatus est. Dandum sane aliquid codicibus aliunde satis confusis, et amanuensium incuria contortis, ut ex alia Romana turma mox intelliges. Philadelphiam Arabiæ, apud Florentinium et alibi satis notam, explicare supersedeo.* F

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

SECUNDA, DONATULA, SECUNDOLA,

MAXIMA, JUSTA, MANANDRO, PROFUNO, ET FORTE SILVANO ET DONATO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

I AUGUSTI.

Solos istos codices et quidem binos dumtaxat *scito, Lucensem nempe, seu Fontanellensem et Corbeiensem, nec ipsos satis sibi concordes, dum in posteriori adduntur* Silvanus *et* Donatus, *qui in priori ignoti sunt ; præterquam quod* Funi *male exprimatur pro* Profuni. *Neque vero in ullis aliis sacris Fastis jam dictorum Martyrum vel vestigium hoc die occurrit ; ne quidem in ipsis Hieronymianis parvis, in quorum uno notatur aliquis* Secundus, *quemadmodum in vetustissimo co-*

dice

A *dice Epternacensi. Sufficiet igitur dictorum jam codicum textus describere secundum omnes apices ibidem expressos. Ita habet Florentinii textus* : Romæ mil. xxx ab urbe, natalis sanctorum Secundine, Donatule, Secundole, Maxime, Juste, Manandri, Profuni. *Differt non nihil in enuntiandis nominibus apographum Corbeiense, et quidem in ipso antesignano, dum pro* Secundine, *scribit* Secundini, *quibus jam pridem assuevimus. En ejus verba* : Romæ miliario trigesimo ab urbe, natalis sanctorum Secundini, Donatulæ, Secundolæ, Maximæ, Justæ, Menandri,... Funi, Silvani, Donati. *Ulteriorem lucem circa hos Sanctos reperire frustra conatus sum hactenus.* D

DE S. JUSTINO PUERO MARTYRE

J. B. S.

IN TERRITORIO PARISIENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ I. Cultus Sancti et elogia Parisiensium.

Seculo IV.

In territorio Parisiacensi, Justini martyris *primus inter Classicos scripsit Usuardus, ut suo loco observatum invenies: scripsere subinde recentiores, etiam Romanum hoc eodem die;*

Antiquissimus cultus

ut de cultu plura hic disputanda non sint. Si codici Hieronymiano Corbeiensi creditur, multo vetustior dicenda erit in sacris Fastis ejus memoria; verum cum a ceteris exemplaribus absit, verosimillimum est, superaddita laterculo primigenio fuisse hæc verba: In territorio Parisiacensi, ipso loco qui dicitur Lupera, passio Sancti Justini martyris, *ut toties a Gallicanis librariis factum ostendimus, præsertim in Sanctis Autissiodorensibus. Id utique ex his satis certum, jam a seculo* IX *celebrem fuisse* S. Justinum puerum martyrem *in vico Lupera, ut etiam notavit Castellanus, et procul dubio in ipsa urbe. In hoc verti observo gravioris controversiæ cardinem, ipsine, an S. Justo, puero etiam martyri, Bellovacensi, aptanda sint Acta metrica, quæ sub venerabilis Bedæ nomine circumferuntur. Qua in re ut ordine procedam, dabo quæ de S.* Justino

C *leguntur apud Saussayum, in Breviario Parisiensi, atque in ejus ecclesiæ notissima historia per Gerardum Dubois Oratorii presbyterum.*

Parisiis in diem 8 differtur.

2 *Id verbo præmiserim,* S. Justini *festivitatem in Fastis constanter recoli hoc die* I *Augusti, quidquid Parisiis, in cujus ecclesia ritu dumtaxat semiduplici celebratur, ob intercurrentia festa majoris ordinis, differatur, non ad Nonas, ut vult Saussayus, quod forte ejus tempore factum fuerit, sed ad* VI *Idus, seu istius mensis diem* VIII, *ut diserte exprimit Breviarium editionis anni* 1680; *quod fortasse etiam observatur in ipsa Luperensi ecclesia* S. Justini *nomine dicata, tametsi id nusquam expressum inveniam. Ut jam elogia prosequar, id mecum mirabuntur, qui Gallici Martyrologi solitam elegantiam norunt, quod hic paulo jejunius videatur Saussayi ipsius elogium; ut ferme dubites, utrum Acta ipsa consuluerit, quæ tum apud Bedam, operum ejus tomo* 3 *a pag.* 367 *exstant, tum etiam apud Surium ad* XVIII *Octobris, non prosa, ut perperam narrat nuperus Legendista Gallicus, sed servato plane metro, eo die relata quo recurrit sanctus Justus Bellovacensis. Actis conformiores sunt dicti Breviarii lectiones ; at nitidius dicam, an confidentius rem totam complexus est laudatus ecclesiæ Parisiensis historicus, infra a nobis cum reliquis conveniendus. Rem modo prosequamur, a Saussayo incipientes.*

Saussayi elogium hoc die

3. *Ita ipse dicto jam* I *die Augusti* : In agro Parisiensi, vico Lupera, natalis S. Justini pueri ac martyris fortissimi, illic sub Diocletiano coronati. Hic beatus puer Autissiodorensi civitate ortus, patre Matthæo, viro Christianæ pietatis eximio cultore, adhuc novennis cœlesti benedictione in gratiarum largitate præventus, atque ita divino spiritu irradiatus, ut jam prophetiæ polleret dono ; Ambianum cum patre profectus, ut cuidam consanguineo officium pietatis impenderet; (quo tendens pauperem nudum, detracta sibi tunica vestivit:) propinquum, sibi facie incognitum, superno illustratus numine, a ceteris discrevit, captivumque in libertatem ope superna restituit. Tumque cum patre in domum cujusdam pii viri, Lupi nomine, hospitio admissus, cum cœlitus sibi inditæ gratiæ fœnora multa accumularet, a Rictio Varo, sævo præside, comprehendi cum parente sodalibusque jussus est. E

non satis exactum,

4 Sed eadem nocte puer Sanctus cum iisdem elapsus, at postridie ab emissariis in via, quæ a Bellovaco Lutetiam tendit, interceptus, atque cum præ ceteris asseclis tantillæ ætatis puer religiosum fervorem proderet, quis esset, inquisitus, constanter admodum et supra vires humanas, se et Christianum et pro fide Christi extrema perpeti quæque paratum esse respondisset, a carnificibus constrictus enseque ferali ictus, capitis abscissione, quod truncandum intrepide præbuit, agonem gloriosam consummavit. Cujus F funera pii comites (quos servavit divina potestas illæsos) congrua religione procurantes, caput, sicut præscius martyrii præmonuerat, Autissiodorum ad matrem detulerunt, corpus vero, non procul a passionis loco ad vicum, Luperam dictum, ab ipso præsignatum, deportantes condiderunt, ubi constructa dehinc sacra ædes trophæum illius ad hos usque dies conspicuum perennavit. E qua tamen, ob frequentiores barbarorum in Gallias incursus, Lutetiam usque Parisiorum (in cujus agro Lupera posita est) ad clientelæ securioris præsidium devectum, in æde summa SS. Dei Genitricis repositum est, ubi hactenus quiescit, anniversarioque natali Martyr ipse colitur, Nonis istius mensis; quod aliis solenniis ista tresque subsequentes continuo dies sint præpeditæ, ut ex diptychis ipsius ecclesiæ apparet.

Pares ferme sunt lectiones

5 *Atque hæc Saussayus, non pauca immiscens Actis non satis conformia, ut ex sequentibus manifeste patebit. Habe modo lectiones Breviarii Parisiensis :* Lect. iv. Justinus, ut refert venerabilis

Beda,

A Beda, Autissiodori Christianis parentibus natus, etiamnum puer prophetiæ dono præditus, auctor fuit patri Matthæo, ut Ambianos una proficiscerentur, ad redimendum fratrem suum Justinianum, a multis annis in servitutem redactum. Quo pergentibus obvius occurrit Meloduni ad portam urbis egenus quidam cæcus et claudus, nudus et fame pene enectus, cui Matthæus eleemosynam, Justinus vero tunicam suam dedit, patre quantumvis repugnante. Parisiis a viro quodam, nomine Hippolyto, perhumaniter excepti sunt. Inde Ambianos ad domum Lupi, qui Justiniani Dominus erat, se contulerunt: ibique Justinus fratris manumissionem a Lupo obtinuit. Lect. v. Cum autem a Lupo accepissent, Rictiovarum, quem Diocletianus et Maximianus præfectum in Gallia miserant, in illos inquiri jussisse, noctu elapsi sunt. De quorum fuga præfectus certior factus, quatuor equitibus præcepit, ut vinctos adducerent aut occiderent.

Breviarii Parisiensis :

6 Non longe a Lupara Justinus cum Matthæo et Justiniano ad fontem se reficiebat, cum futuri præscius consilium iis dedit, ut in antro proximo B delitescerent, quod non procul abessent equites a præfecto missi; qui paulo post advenientes, solum puerum repererunt. Lect. vi. Interrogatus ab illis Justinus de nomine, religione, comitibus, respondit, nomen quidem sibi esse Justinum, religionem, Christianam; ceterum Evangelii lege cautum esse, ne comitum suorum proderet quemquam. Eo responso actis in furorem militibus, ex illis unus Justini caput amputavit. Truncum corpus utraque manu caput accipiens, coram lictoribus stetit immobile : qui prodigioso spectaculo exterriti, recesserunt. Matthæus vero et Justinianus e specu egressi, Martyris caput Autissiodorum ad matrem detulerunt : humato prius, uti optaverat, apud Luparam corpore : quod inde in ecclesiam Parisiensem translatum est. *Jam historicum Parisiensem audiamus de* S. Justino *paucis etiam agentem pag.* 32, *postquam viam nonnihil præmunivit priori pagina sub finem, ubi de Maximiani persecutione agens, ad explanandum difficillimum punctum chronologicum ita loquitur :*

tum quæ paulo aliter

7 Ad eadem tempora referendum esse Justini pueri martyrium arbitror. Hunc sub Diocletiani C et Maximiani imperio, præsidatu vero Rictiovari, in agro Parisiensi passum esse, Beda scribit; ejus, inquam, certaminis tempus primis annis horum principum adscribendum est, neque alio rejicere facile est. Beda enim in ejus Actis, quæ metro composuit, nullam Constantii mentionem fecit, qui tamen cum primum Cæsar creatus est, Gallias moderari cœpit, et quo principe Gallicanas quievisse ecclesias dictum est. *Quare hic Constantium accersat, non video; tota difficultas, ut proxime dicam, in eo consistit, quod componi nequeant tempora Rictiovari cum S. Amatore Autissiodorensium episcopo, magni Germani decessore. En modo elogium* : Justinus Autissiodori natus patre Christiano, virtutibus donisque spiritalibus statim mirum in modum ornatus est. Puer novem annorum, de redimendo fratre, quem barbari ceperant, cogitavit, ob eamque causam cum patre Ambianos, ubi hunc inter servitia degere divinitus admonitus fuerat, proficiscitur. In itinere multa contigerunt quæ pueri sanctitatem plurimum commendant.

tradit

8 Ad Melodunense castrum mendicum nuditate et fame pereuntem, ipse, sibi detracta tunica, admirante potius quam approbante patre, operuit; Lutetiæ Parisiorum ab Hippolyto viro clarissimo, hospitio, vel ignotus benigne recipitur; cum Isaram transire cogitaret, neque esset navicula, Justinus Deum precatus est, subitoque adstitit portitor, qui illum sine mercede cymba transvexit; cumque Ambianos advenisset, ad Lupi ædes, ubi frater habebatur, adiit, latentem inter famulos solus agnovit, et absque pretio illius libertatem obtinuit. Rictiovarus præses provinciæ id temporis, jubente Maximiano, vexabat Christianos : hic audiens advenas Christianos in urbe versari, Justinum cum sociis illico ad supplicium rapi jubet. Verum clam dimissi ab hospite Lupo, fuga saluti suæ consulunt, confestimque remeare in patriam properant. Clanculum igitur Ambianis egrediuntur; redibant simul viam ingressi, qua Lutetiam itur. Jam Luparam qui vicus est agri Parisiensis prope attigerant; illi ex itinere defessi, et fame enecti ad fontem simul assident, parantque corpus reficere, cum ecce quatuor satellites, quos Rictiovarus ad eos insequendos miserat.

AUCTORE J. B. S.

historicus Parisiensis.

9 Justinus hos intrepidus exspectat, dum ad rupem proximam socii latebras petunt. Rogatus E a satellitibus quis esset? an Deos coleret? quo socii fugissent? respondit haud hæsitans, se Justinum vocitari, et Christianum esse, atque adeo exsecrari Deorum cultum, neque se proditurum socios. Cum nihil aliud a juvene acciperent, huic caput abscindunt, et statim discedunt. Pater, amotis lictoribus, sacras Martyris colligit reliquias; corpus quidem in vico Lupara sepelit, caput vero Autissiodorum, velut sacrum pignus, ad matrem defert; quod multos annos in domo conditum permansit, donec Amator episcopus hujus urbis sacrum depositum illic latitare cognovit, quod magna celebritate in ecclesiam transtulit. Ejus corpus Lupara translatum est in majorem basilicam Parisiorum, ubi in theca ex ligno inaurato, magno cum honore asservatur. Ejus memoria in tabulis ecclesiasticis Kalendis Augusti celebratur.

§ II. Variæ elogiorum et Actorum difficultates.

F

Ita autem loquitur

Ut a proxime relato exordiar, qui Acta ipsa inferius danda cum historici Parisiensis narratione contulerit, statim observabit, dixisse ipsum quæ voluit, non quæ in rhythmo invenerat, ut difficultatum nodos non solvat, sed pro mero arbitrio disscindat. Attende, obsecro, ad ea verba, ubi de sancti Pueri capite Autissiodorum ad matrem delato, sic rotunde pronuntiat historicus, quod annos multos in domo conditum permansit, donec Amator episcopus hujus urbis sacrum depositum illic latere cognovit, quod magna celebritate in ecclesiam transtulit. *Quid est Acta ad proprium sensum, obtorto quodammodo collo torquere, dicerem convellere, si hoc non est? Jam insinuavi, id maxime eruditos vexare, quod Actorum scriptor ita narrationem instituat, iisque adjunctis exornet, ut velis nolis, compellaris admittere, non illic* latuisse, *ut ait Dubois,* sacrum depositum *centum et amplius annis, tumque primum* in ecclesiam translatum; *sed vivo ipso Sancto Amatore eo pervenisse, qui* depositum magna *celebritate susceperit, atque jam tum honorifice ac magna solennitate populo ad cultum et venerationem exposuerit sacrum illud beati Martyris caput,*

AUCTORE J. B. S.

ut Vitæ qualiscumque

caput, ut ex ipso rhythmo manifestissime datur intelligi. En versiculos ordine recensitos a num. 24 :

11 Caput vero ejus, matri ipsius attulerant; quod illa gaudens suscepit, Deo agens gratias, quia innocentem ejus animum asciverit : tibi dicens, Christe, honor, laus et jubilatio, quia dignatus es istum puerum assumere, et associare tuis beatis Martyribus. At tu, beate Justine, fili mi dulcissime, qui Christi regnum intrasti cum palma victoriæ, ibi mei memor esto in tuis suffragiis. Hæc ipsius genitrice orante cum lacrymis, mox resplenduit lux ingens super habitaculum, in quo sanctum caput ejus habebatur positum. Hæc autem lux circumquaque cuncta illustraverat, ita ut admirarentur, qui in urbe aderant : erat autem nox cum istud fieret miraculum. In illis diebus sedem in Autissiodoro rexerat episcopalem Amator vir Domini, quem divinorum ornabant munera charismatum. Hic dum cœlitus emissum splendorem conspiceret, ire ad domum Matthæi jussit tres presbyteros, qui de ipso studiose portento inquirerent.

textum invertat :

Quibus omnia Matthæus retulit per ordinem, ut se de sancto Justino res gesta habuerat, vel B de passione ejus, vel sepulto corpore. Subjungit et de allato matri ejus capite, qualiter lux de cœlo hora noctis tertia Domum ipsam, in qua erat, omnem illustraverit. Hæc presbyteri ad suum referunt pontificem, qui adesse omnem clerum protinus præceperat: gratias Omnipotenti agunt pro miraculo. Denique clarificatur hoc factum per populum; concurrunt omnes gaudentes, Martyrem glorificant, imo Dominum qui illum sic mirificaverat. Interim jubente sancto Amatore præsule, caput sanctum collocatum condigne in feretro, cum honore atque hymnis fertur ad ecclesiam; et in loco quem paravit sibimet episcopus, ibi illud veneranter recondi providerat, ubi plura Martyr sanctus præstat beneficia. *Numerus ultimus seu* 27, *memorabile narrat miraculum de cæca puella annos sedecim nata, quæ per sanctissimi Martyris patrocinium oculorum lumen consecuta fuerit.*

quem conciliare facile non est;

12 *Interprete opus omnino non est, ut ex his clarissime perspicias, id quod jam de historico illo præmonui; ut multo sincerius locutus fuisset, si biographum istum dixisset toto cælo a veritate aberrasse, dum incomponibilia imperite connexuit : quæ* C *proinde tam longe absunt a Bedæ sinceritate et historiæ peritia, quam distent a vera ratione temporum, turpissime istic confusorum. At enim voluit Dubois rem sub Maximiano gestam tueri, atque adeo, persequente Rictio Varo,* S. Justinum *martyrio coronatum, compulsus proinde finem corrumpere, ut cum principio melius coaptaret. At quid si pari jure quis contendat, male ibi intrusum esse Rictium Varum, substituendumque potius barbarum aliquem, seu Alanum, seu Suevum, seu Wandalum, quos seculi quinti principio, eas Galliæ partes depopulatos novimus, nulla habita sexus aut ætatis ratione, in omne genus hominum, præsertim in Christianos sævientes, quo pacto rectissime omnia convenient, quæ a S. Amatore, tunc Autissiodorensi episcopo gesta tam diserte a biographo memorantur. Neutrum mihi lubet asserere, at vel hunc solum articulum sufficere puto, ut Acta illa qualiacumque Venerabili Bedæ abjudicem, quem verosimile non est in tam enormem parachronismum prolapsum.*

uti nec alia combinare

13 *Neque id solum in jam toties dicta Vita, quam etiam in prosam conversam habemus ex codice Bodecensi canonicorum regularium diœcesis Paderbornensis, a nostro P. Gamans descriptam; neque id solum, inquam, in ea mirabili historia displicet;* D *nam ut paucis nonnulla percurram, puero novenni tribuuntur quæ ejus ætatem longissime superant, nisi totus ab unguiculis miraculum fuerit, seu mavis miraculosus, atque ex tunc propheta et apostolus, ut habes num.* 4 *et sequentibus. Tum vero num.* 8 *et* 9 *doctorem agit, supra parentem sapiens. Neque minus mira sunt quæ ibi sequuntur, præsertim transitus Isaræ, tum vero agnitio fratris Justiniani, quem alii patruum, alii avunculum, alii propinquum dumtaxat nominant. Quæ deinde a num.* 16 *narrantur de patris ac filiorum fuga Ambianis Parisios versus et quidem ad Luparam usque, ad leucas omnino duas et viginti, quomodo eamdem, qua ex Lupi hospitio fugerant, nocte confici potuerint absque novo Isaræ transitu, fallor siquis facile queat concipere; ut reliqua, æque, imo et magis, stupenda mittam, quæ paulo majori auctoritate firmata cuperem, priusquam omnino amplectar.*

14 *Atque ut daremus modo, fieri hæc potuisse, quin et facta, superest capitalis controversia Parisienses inter et Bellovacenses, his pro suo* Justo, *illis pro* Justino, *quo de hic agimus, jam pridem concertantibus, cum utrisque (utpote ambobus noven-* E *nibus pueris) eadem omnino Acta tribuantur, ac sub eodem venerabilis Bedæ nomine, usque adeo ut Surius non* I *Augusti suam Legendam retulerit, sed* XVIII *Octobris, quo* Justus *certo Bellovaci, et majori quidem longe solennitate, quam* Justinus *Parisiis celebratur. Habeo præ oculis ipsissimam Vitam metricam Belgice versam sub expresso titulo :* Vita sancti martyris Justi, novennis pueri scripta a venerabili Beda, *quæ excusa est Antverpiæ in officina Plantiniana anno* 1629, *ubi ad scrupulum usque prosecutus est interpres quidquid sub Bedæ nomine traditum reperit, eo solo excepto quod pro* Justino *supposuerit* Justum, *eumdem utrumque existimans, cum principio dicat, vocatum fuisse* Justinum *vel* Justum, *quod postremum nomen ubique deinceps solicite servat, de cetero patrem Matthæum, et fratrem Justinianum appellans.*

nedum discernere

15 *Non ita loquuntur, saltem non uniformiter, Vitæ aliæ variæ Mss. ejusdem sancti* Justi *ex diversis codicibus a Rosweydo et a Majoribus nostris collectæ, ad quas observatum invenio, aliam exstare apud Mombritium, quæ videatur recentior, quod hujus loci non est pluribus expendere : porro Vitæ compendium repræsentatum a Petro de Natalibus* F *lib.* 9, *cap.* 80. *Demum, præcipuam differentiam esse, quod metrica Justinianum vocet* Justi *(nobis* Justini) *fratrem, prosaica vero Justinianum ponat parentis fratrem, patruum autem Justi. Addere poterant,* Justini *nomen istic in patrem translatum, Justinianum vero etiam nominari avunculum, sicque tres ordine compellari* Justum, Justinum, *ac* Justinianum, *quamvis et in eo non semel varient, quasi pro librariorum arbitrio aut imperitia : sic ut in his omnibus non pauca liberioris ingenii vestigia nil satis firmi aut solidi inveniri possit; imo argumenta potius nova occurrant, quibus Legendæ sinceritas magis ac magis impugnetur.*

sintne Acta Justi Bellovacensis,

16 *Alia ferme videtur fuisse, re nondum satis attente perpensa, Majorum nostrorum opinio : casu enim incidi in observationem Papebrochii in Appendice post tomum* VII *Maii pag.* 825 *ubi sic loquitur :* Suggerit autem Claudius Castellanus S. Honorinam de Confluentia (vulgo Conflans) in diœcesi Parisiensi XXVII Februarii, cui aptata fuisse Acta S. Dorotheæ virginis et martyris, notavit jam pridem Henschenius noster : item S. Justum in Bellovacensi diœcesi martyrem XVIII Octobris, cui similiter accommodata sunt Acta S. Justini

an hujus nostri Justini.

in

A in Lupara, referenda I Augusti. *Utique sed an probanda? an* Juſtino *potius quam* Justo *vindicanda? Mihi in hac re non magis lubet arbitrum agere, quam ubi de reliquiis controvertitur. Hic* S. Justinum *cum Actis suis damus Parisiensibus, daturi suo tempore* Justum *suum Bellovacensibus, sive duo diversi fuerint sive unicus, cujus reliquiæ cum ambabus ecclesiis communicatæ sint; nisi fortasse alio translatæ, uti docebunt instrumenta mox referenda, ubi de Actorum nostrorum nova hac editione pauca præmonuerimus.*

Dantur metrica.

17 *Dubium primo fuit, præstaretne Acta prosaica hic recudere ex Ms., ut jam diximus, cœnobii Bodecensis; an potius Surium imitari, qui servatis metris ita consequenter edidit ac si prosa legeretur, quod Gallum Legendistam, alias tam nasutum, fefellisse diximus; an denique primigenium textum reddere, ligata quomodocumque oratione; quod postremum præferendum putavimus, tametsi barbarum quid sonent male torti quandoque versiculi, poëtæ imperitiam satis aperte prodentes, quo etiam ex capite Bedæ eos adscribere religio est. Numeris ipsos distinximus, quo facilius citari possint, at tales* B *non censuimus, qui observationibus illustrari mererentur. Satis plana et intelligibilis est tota historia, longe futura gratior, si solidiori auctoritate niteretur. Atque hæc de qualicumque Legenda in ordine ad* S. Justinum *Parisiensem satis dicta sunto; quæ ad* S. Justum *spectant, cujus caput hic Antverpiæ servatum volunt apud sanctimoniales Annuntiatas, ad proprium locum remittimus, de integro examinanda ad* XVIII *Octobris. En modo nodum alium æque implexum circa* S. Justini *corporis primum, deinde et capitis translationem, cui rei serviet*

§ III. S. Justini translatio in Corbeiam Saxoniæ.

Et hic omnia implexa sunt

Sancti nostri Pueri sacrum corpus jam e primo sepulturæ loco ad Luparam, in ecclesiam Parisiensem, nunc metropolitanam, translatum, in lipsanotheca deaurata expositum, ibidemque hodie Officio etiam ecclesiastico honoratum jam vidimus, dum novæ Corbeiæ Annales et Chronica non aliter C *loquuntur, quam si sacrum corpusculum, jam a seculo* IX, *in celebre illud cœnobium translatum fuisset, anno post fundationem octavo et sexagesimo, ut modo docebit historia. Hic ex Annalibus a Leibnitio editis tomo* 2 *Scriptorum Brunswicensium pag.* 299 *paucula hæc præmittimus, annum ipsum expresse designantia, nempe* DCCCXCI, *quo* corpus S. Justini martyris e Francia in monasterium nostrum delatum cum magna processione. *Quæ eadem prorsus refert Syntagma Christiani Francisci Paulini pag.* 375 *: ut plane consequens sit, receptissimam opinionem istic olim fuisse, quod* S. Justini *Parisiensis corpus ibidem a tot seculis fuisset depositum; cui, ut eadem historia subjungit, et caput ipsum subinde accesserit. Quo priusquam procedam, Mabillonii de tota ea historia judicium eruditis hic proponendum censui ex Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo quarto parte* 1 *a pag.* 526, *cujus hæc sunt verba :*

quæ Mabillonius intacta reliquit.

19 De translatione reliquiarum sancti Justini seu Justi pueri, qui sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus sub Rictiovaro præside martyrium in Gallia passus est, agendum esset ad annum DCCCXCI, quo ejus reliquiæ ex Francia Corbeiam novam a Bovone abbate translatæ sunt VI Kalendas Aprilis, ut legitur in historia hac de re scripta in fine Chronici Corbeiæ novæ apud Meibomium post Witichindum. Verum quoniam ea in historia pauca memoratu digna reperiuntur, eam prudens hic prætermisi, uti et translationem capitis ejusdem Sancti, quod Gubernus Corbeiensium abbas decimus ab Ottone imperatore obtinuit anno DCCCCXLIX. *Quid de totius rei veritate sentiat Mabillonius, nisi ego vehementer fallor, divinandum relinquit; ut pote qui, quid demum statueret, non facile ausus sit definire. Atque hæc eadem a nobis servanda hic ratio est : ut proinde satis sit rem controversam exhibuisse, relicta aliis plura idcirco inquirendi aut disceptandi potestate; cum ab hujusmodi litigiis dirimendis, fixum nobis esse, omnino abstinere, jam toties protestati fuerimus. Habe igitur, quod reliquum est, ipsam historiam, non semel editam, ac novissime a Meibomio tom.* 1. *Script. Germanic. pag.* 769.

AUCTORE J. B. S.

Volunt S. Justini corpus

20 *Subjuncta est narrationi* de translatione S. Viti et institutione novæ Corbeiæ, *sub proprio hoc titulo :* De translatione S. Justini in novam Corbeiam. *Scriptor autem, quisquis is fuerit, ita orditur :* Passus est beatus puer Justinus temporibus Diocletiani et Maximiani, sub judice impiissimo Rictiovaro. Unde juxta fidem Chronicorum, sub atrocissima et incomparabili illa, decima post Neronem, persecutione passum eum colligimus : quæ et prioribus persecutionibus immanior, dum venerabilem multitudinem Martyrum cœlis mitteret, inter quos etiam præcipuum S. Mauricii collegium, et innocentiæ speculum, Christi martyr Vitus cum suis coæqualibus nobiliter triumpharunt. Caput autem beati Justini in Autrico, quod nunc Autisiodorum dicitur, corpus vero in loco, quem ipse designaverat, sepulturæ traditum est. *Si istic sisteret relatio* Vitumque *sanctum uti et* Justinum *in tali persecutione passos, istorumque nominum sacra corpora undecumque allata nude assereret, mirum quam multis disceptationibus viam præcluderet. Verum et S. Vitus Siculus habendus fuit, habendus et Justinus Luparensis, ut ex sequentibus plane intelliges. Ita scriptor prosequitur :* E

Corbeiam Saxoniæ translatum

21 Post multa annorum curricula, jam fide florente, cum ipsi rerum domini crucem præferrent diademati, Karolus imperator, cujus nec cum seculo deficiet fama, Saxoniam, bello Romanis subactam, Christi fide ac servitute nobilitavit. Cujus progenies cum regnum Romanum post eum annis centum et sedecim rexisset, Arnulfus jure hereditatio successit : Karolo enim Ludewigus Pius, Ludewigo Pio Ludewigus secundus, Ludewigo secundo Ludewigus tertius, Ludewigo tertio Karolus infans, Karolo Arnulfus. Cujus anno tertio, Bovoni Corbeiensi abbati, qui dicebatur pius et fratrum amator, defuncto successit Godeschalcus, sextus ejus loci abbas; qui secundo ordinationis suæ anno, saluti patriæ consulens, corpus beati pueri et martyris Justini de Francia in Saxoniam translatum, in Corbeiensi monasterio anno Domini octingentesimo nonagesimo primo, a loco condito sexagesimo octavo, sexto Kalendas Aprilis, cum ceteris Sanctorum corporibus, ad nostram perpetuam pacem collocavit. F

ex satis miris

22 De quo abbate, quam misericordi in hac vita correptione sit emundatus, quod in scriptis Thietmari Merseburgensis venerabilis episcopi reperimus, pro utilitate legentium inseruimus. *Porro quæ sequitur historia de monacho Alfrio, seu Alfrido seu Alarico, cum ad sanctum Vitum omni-*

AUCTORE J. B. S.

no referatur, nescio cur hic admixta sit, ubi de sola sancti Justini translatione sermo est. Narratur in eo parergo horrenda dæmonum ægrotanti monacho insultantium visio, ubi triginta septem voluminibus præteritæ vitæ errata enumerare se fingerent mendacissimi spiritus, quos S. Viti patronicium mirabiliter fugaverit : deinde vero per eumdem monachum, jam valetudini plane restitutum, varia abbati intimari Sanctus voluerit ad seriam morum emendationem ; quam si negligeret, a Deo contemneretur, *atque adhuc superstes alium in sua sede Dominum videret.* Dixerat hæc astans et mox disparuit infans ; *quæ autem prædicta fuerant, ita evenisse, superpositumque vivo etiamnum Godeschalco abbatem alium, docet historiæ sequela, quæ pluribus istic legi potest ; nos alteram quæ subsequitur, translationis partem prosequemur.*

relatis ibi historiis.

23 *Ita pergit :* Arnulfo imperatore de medio sublato, Ludewigus, qui dictus est infans, regnavit. Post quem Conradus, cessavitque regnum de domo Karoli. Eligitur deinde designatione Conradi morientis Henricus Saxo, ejus et gentis et nominis primus. Quo defuncto, filius ejus Oddo successit, qui miro sancto * et devotione archiepiscopatum statuit supra ripam Albiæ, in loco qui dicitur Parthenopolis ; circa quem dum totus intentus esset, prædiis, ædificiis, auro, argento, gummis *, rerumque exquisitarum decore ; quodque omnibus est venerabilius, Sanctorum reliquiis ipsum præ omnibus hujus regionis ecclesiis ditavit. Inter quæ caput beati pueri Justini, quod ipse abscissum matri direxit, ab Autrico sibi apportatum conservabat, corpusque a loco, ubi requiescere videtur, transferre cogitabat. Gerbernus autem Corbeiensium abbas decimus, cum omni congregatione precibus apud Deum et homines quosque poterat, caput corpori adjici precabatur. Sed quia multum valet deprecatio justi assidua, servorum Dei vicit instantia, et imperator, divina clementia commonitus, caput suo adjungendum corpori, Gorberno abbati venerabili dedit. Abbas autem et sui fratres monasterio anno D. DCCCCXLIX, III Kal. Augusti, gaudentibus et populis, ac in laudem Dei conclamantibus, intulerunt. Tanti patroni precibus nos juvari si crediderimus, videbimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat per omnia.

* *l.* sumptu

B

* gemmis

C

Quid de iis sentiendum.

24 *Habes Corbeiæ Saxonicæ vetustissimam traditionem, de qua quid statuas, tuum esto judicium : id secure dixero, tot in Actis nostris exstare* Justinos *et* Justos, *ut si minus jam data historia Parisiensi aut Bellovacensi omnimode conveniat, aliæ Sanctorum synonymorum reliquiæ non defuerint, quibus tota res commode adscribi possit, seclusis Actis, huic vel alteri perperam attributis. Ea olim fuit et perseverat hodie bonorum Catholicorum pietas, dicam, an zelus et fervor quandoque prænimius, ut quas colunt Sanctorum reliquias, celebrioribus quibusque istius ejusdem nominis vel contentiosius adscribi velint ; quos eo solo et justo titulo acquiescere oporteret, quod veras et genuinas Sancti alicujus, sive synonymi sive alterius cujuscumque sacras exuvias licito et probato cultu venerentur ; quod etiam hodie et in Corbeia nova, et Parisiis, et Bellovaci religiose fieri, nemo bene Catholicus merito improbare queat : id quod in Opere nostro innumeris exemplis et demonstratum est et porro sæpius quam lubeat imposterum erit demonstrandum. Ne Corbeia nova procul abeamus, quid de præcipuo patrono S. Vito sentiendum sit, videri potest ad* XV *Junii. Hic implexæ tetricæque adeo telæ finis esto : jam Acta ipsa exhibenda sunt.*

D

VITA METRICA

Ex tomo 3 operum Venerabilis Bedæ a col. 367.

Quando Christus Deus noster
Natus est ex Virgine,
Edictum imperiale
Per mundum insonuit,
Quatenus totius orbis
Fieret descriptio :
Nimirum quia in carne
Tunc ille apparuit,
Qui in cœlo universos
Electos ascriberet,
Quos sacræ commendavisset
Fidei professio.
Quam qui digne observarint,
Cum bonis operibus,
Quæ sunt velut quidam census
Domino amabiles,
Civitatis describuntur
Cœlestis municipes.
Quos census uterque sexus,
Omnis ætas exhibet,
Ut testatur plurimorum
Martyrum exercitus,
Non solum constans ex viris,
Verum et ex feminis :
Nec ævo tantum maturi
Subibant martyrium,
Sed et multos propter Christum,
Et fidem catholicam,
Legimus fuisse passos
In ætate tenera :
2 Ex quibus sanctus Justinus
Novennis puerulus,
Qualiter per passionem
Migrarit ad Dominum,
Sequens textus demonstrabit
Scire cupientibus.
Dum crudelis Diocletianus
Romani imperii
Simul cum Maximiano
Teneret monarchiam,
Talis est in Christianos
Mota persecutio,
Ut darentur ad pœnarum
Universa genera,
Ubicumque comprehendi
Aliquem contingeret,
Quem hujus professionis
Obligaret titulus.
Et ne quisquam potuisset
Contutari latebris
Ubique componebantur
Hoc modo insidiæ,
Quæ euntes compulissent
In jus idolatriæ.
Non illis emendi quidquam
Aut vendendi copia, E
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.
3 Ea tempestate fuit quidam
Præfectus in Gallia
Perfidus, ferox, immitis,
Christi nomen odiens,
Et in Christianos furens,
Riciovarus nomine :
Quem cum supra nominati
Principes dirigerent,
Ut sanctos persequeretur
Positos in Gallia,
Cupidus cædis sanctorum
Protinus efficitur.
Et ingressus civitatem, F
Basileam nomine,
Qua suos cursus in Rhenum
Infert Ara fluvius,
Multos ibi Christianos
Demergi præceperat.
Sic per loca universa
Edictum dat impium
Ut nullus Christianorum
Sineretur vivere,
Quibus vitam statuebat
Per tormenta adimi.
Erat ea tempestate
In Autisiodoro
Quidam vir bonus et Justus,
Matthæus vocabulo,
Illique Justinianus
Et Justinus filii.
4 Sed Justinianus ortu
Carnali præcesserat :
Justinus vero ætate
Morum anteierat,
Per vitam immaculatam
Senectutem induens.

Qui

A Qui in brevi consummatus,
Longa explet tempora,
Meritorum ejus laude
Manente in secula:
Quia placuisse Deo
Ejus constat animam.
Hic antequam nasceretur,
Frater ejus senior,
Jam dictus Justinianus,
Capitur ab hostibus,
Atque a domo paterna
Longius abducitur.
Beatus vero Justinus
Mox a pueritia
Rebus animum divinis
Incessanter dederat,
Profectum quotidianum
Dante Dei gratia.
Qui cum polleret virtutum
Donis spiritalium,
B Inter cetera hoc primum
Illi Deus contulit,
Ut haberet futurorum
Sæpe præscientiam.
5 Tum per revelationem
A Deo instruitur.
De fraterna servitute,
Et de ejus domino,
Qui appellabatur Lupus,
Ambianis habitans.
Cum hoc illi revelatum
Fuisset a Domino,
Patri suo hoc narrare
Confestim studuerat,
Ad redemptionem fratris
Hortans iter arripi.
Ad quod illi pater ejus
Taliter responderat:
O, inquit, fili, ignoro,
Qua sit eo transitus:
Et propter hoc quid agamus,
C Me nescire fateor.
Tunc sanctus puer Justinus
Animo accenditur,
Atque omnem peragrabat
Mox Autisiodorum,
Sicubi reperiretur
Dux eis itineris.
Sed cum non inveniretur
Qui quæsitus fuerat:
Reversus puer beatus
Hoc patri annunciat,
Dicens tamen, non cessandum
Esse ab itinere.
6 Nos, inquit, pergamus, pater,
Christo nobis comite,
Qui non sinet nos fraudari
Nostro desiderio,
Quod de redimendo fratre
Habemus in animo.
Sed et transeundæ nobis
Christo viæ præduce:
Nihil nobis adversatur,
Nil erit contrarium,
Quin illæsi ambulemus,
Redeamus sospites.
Ad hos filii affatus
Ista pater reddidit:
Possem, ait, ego forsan
O, fili dulcissime,
Sustinere iter tantum,
Qui sum fretus viribus;
Tibi autem, cum sis puer,
Ut non possis timeo,
Ne forte teneritudo
Læsa tui corporis,
Fatigatum te quod abs te,
Faciat deficere.
Respondens sanctus Justinus,
Patri suo retulit,
Famulus, ait, sum Christi,
In quo me confidere,
Et me illi commendare
Semper, pater, noveris.
7 Eamus ergo in ejus
Adorando nomine,
Illi totum committentes
Effectum itineris;
Et quod illi inde placet,
Sit nobis amabile.
Adquievit pater istis
Hortamentis filii,
Assumptisque ad hoc iter
Sibi necessariis,
Proficisci mox cœperunt
De Autisiodoro.
Et cum dies declinare
Cœpisset ad vesperam,
In Milidonensi castro
Recepti hospitio,
Quieverunt sub ejusdem
Ibi noctis spacio:
Quibus ad portam castelli
Pauper quidam obviat,
Qui et claudicabat gressu,
Et visu caruerat;
Quem atra vexabat fames,
Pariter et nuditas:
Cui ut innotescebat
Justini præsentia,
Mendicabat, ut donaret
Illi eleemosynam,
Quo pene extortam fame
Recrearet animam,
8 Tunc beatus Puer suo
Genitori suggerit,
Alimentum fore dandum
Eidem famelico,
Obtentoque a patre victu
Emendat esuriem:
Ipse vero sua sese
Tunica expolians,
Nuditatem ejus simul
Operire studuit,
Geminum præbens egenti
Taliter auxilium.
Tunc adversus illum pater
Motus aliquatenus,
Increpare cœpit eum,
Quare ita fecerit;
Ejusque tam pium factum
Vocat dispendium.
Non, inquit sanctus Justinus,
Hoc voca dispendium,
Propter quod beatitudo
Nobis repromittitur,
Spiritu sancto dicente
Per David Psalmographum:
Felix, qui super egenum
Intendit, et pauperem;
Quomodo in die mala
Deus eum liberat,
Sed nec ab auditu malo
Timere compellitur.
9 Mala reprobis est dies
In die judicii,
Cum ad æternum damnantur
A Deo interitum,
Arsuri igne æterno
Una cum diabolo.
A malo timent auditu,
Quibus in judicio
Vox a tribunali Christi
Sonat terribiliter:
Ite a me, maledicti,
In ignem perpetuum.
In hac autem die mala,
Qua damnantur impii,
Liberari promeretur,
Qui dat eleemosynam,
Ut non eum ille malus
Auditus perterreat:
Sed magis dicatur ei
Ore Christi judicis,
Ut accedat regno Dei,
Propter eleemosynas,
Fratribus quas ipse Christus
Impendebat minimis.
Vides, inquit, pater, quanto
Bono compensabimur,
Dum ex his quæ nos habemus,
Subvenimus inopi:
Et idcirco quod mendico
Datum est, non querere.
10 Igitur in Milidone
Noctu requieverant:
Facto mane iter suum
Protinus accelerant:
Et Christo eos ducente,
Venerunt Parisium.
Ubi a quodam excepti
Nomine Hippolyto,
Ipsi omnem prodiderunt *Ex Beda.*
Causam, pro qua venerant,
Scilicet quia captivum
Fratrem suum quærerent.
Proinde satis humanus
Fit eis Hippolytus,
Et cum eos refecisset,
In pace dimiserat,
Ut cœptum iter egissent
Cum Dei auxilio.
Tunc illi profecti flumen
Attingebant Iseram:
Et dum transire per illud
Ipsos oportuerit,
Non inveniebant illic
Aliquam naviculam.
Quod cum moleste tulisset
Pater sancti pueri,
Ipse beatus Justinus E
Demonstratum cœlitus
Conturbato genitori
Protulit præsagium.
11 Quamvis, ait, nunc in promptu
Non assit navigium,
Non est tamen anxiandum
Nobis de itinere:
Quia mihi est a Christo
Ostensum solatium.
Quidam enim homo nobis
Cum navi appropiat,
Cujus nobis impendetur
Incunctanter commodum,
Ut transire valeamus
Hunc præsentem fluvium.
Cum adhuc puer parenti
Loqueretur talia,
Ecce quidam nauta venit F
Cum sua navicula,
Sicut sanctus prædicebat
In præsago spiritu.
Tunc accedentes ad illum
Qui cum navi venerat,
Se petebant adjuvari
Ut transirent fluvium,
Navigationis justum
Offerentes pretium.
Nauta igitur petita
Satis prompte annuit,
Ipsis vero naulum dare
Debitum volentibus,
Non accepit ille quidquam,
Gratis præstans commodum.
12 Illi autem properantes,
Ambianos veniunt,
Inquiruntque domum Lupi,
Fratris sui domini:
Qua

Ex Beda

Qua mox inventa ad illum
Preces ferunt supplices.
Quem prior sanctus Justinus
His affatur vocibus:
Venimus ad tuam, aiens,
O Lupe, clementiam,
Ut captivum fratrem nostrum
Reddas nobis liberum.
Compertum est enim nobis,
Ipsum sub te degere,
Et ad illum redimendum
Nostram substantiolam
Apportavimus donandam
Nunc pro tua gratia.
Tunc Lupus, qui essent illi
B Cœperat inquirere:
Didicitque quod fuissent
Non ficti Christicolæ:
Et quod habitantes essent
In Autisiodoro.
Frater autem, aiunt, noster,
Propter quem huc venimus,
Et quem a captivitate
Conamur redimere,
Vocatur Justinianus,
Tuusque est domesticus.
13 Ego, inquit Lupus, vobis
Præbebo hospitium,
Et quos habeo ostendam
Omnes meos pueros:
Et si frater vester hic est,
Redimatur pretio.
C Igitur cum domum Lupi
Introissent vespere,
Demonstravit eis suos
Duodecim pueros,
Inter quos non est inventus
Ille quem quæsierant.
Beatus vero Justinus
Oculos circumferens,
Vidit quemdam extra ipsos
Assistentem puerum,
Cujus manibus accensa
Ferebatur lampada.
Hic erat frater Justini
Gloriosi pueri,
Captus tamen ante ejus
Natalis exordium,
Numquam ante tempus illud
Ei visus fuerat.
Beatus vero Justinus
Plenus sancto Spiritu,
Nullo homine docente
Hactenus incognitum,
Eumdem germanum suum
Agnovit continuo.
14 Enimvero mens Sanctorum
Dum adhæret Domino,
De internis et occultis
Ab eo instruitur,
Res ignotas edocetur
Spiritu prophetico.
Ostendit hoc liber, acta
Narrans Apostolica,
Ubi legitur frequenter:
Dixit sanctus Spiritus
Sive Petro, sive Paulo,
Seu cuique discipulo.
Hoc modo sanctus Justinus
Fratrem dum agnosceret,
Lupo qui eum tenebat,
Confestim hoc prodidit:
Meus, inquiens, est frater,
Qui fert manu lampadam.
Pro hoc redimendo ad te
Pater meus venerat:
Tu nobis, uti promisti,
Hinc esto benevolus,
Ut germano comitati
Repetamus propria.
His auditis frater ejus,
Redditur attonitus,
Quod ab eo numquam visus.
Taliter sit cognitus:
Qui affuerant, mirantur
Super re insolita.
15 Gratulabantur fideles,
Gaudentes in Domino,
Atque pro tanta virtute
Deo agunt gratias,
Et cum laude Christi nomen
Frequenter ingeminant.
Erant ibi in eodem
Constituti tempore,
Homines retiarii
Supra dicti judicis:
Qui ut eos Christianos
Esse recognoverant,
Conciti adnunciarunt
Illud suo domino,
Si quid forte voluisset
De ipsis præcipere,
Juxta leges promulgatas
Adversus Christicolas.
Tunc misit confestim judex
Qui eos adducerent,
Quos si noluissent sequi,
Jussit claudi carcere,
Donec opportune possent
Præsentari sibimet.
Interim Lupus, qui illos
Suscepit hospitio,
Sub ipsis nocturnis horis
Eos excitaverat,
Et abire hortabatur
Inde ante diluculum.
16 Affuerunt sero, inquit,
Hic præfecti homines,
Qui ut esse Christianos
Vos primum compererant
Nunciare hoc præfecto
Festini abierant.
Fratrem ergo, quem quæsistis,
Vobiscum abducite:
Redemptionis a vobis
Pretium non exigam;
Tantum fugitote istinc
A persecutoribus.
Illis, sicut hortabatur,
Profectis, velociter
Supervenerunt ab ipso
Destinati judice:
Qui, si invenire possent,
Ipsos comprehenderent.
Et cum non invenirentur
Qui quæsiti fuerant,
Regressi sunt ad præfectum
Quos illuc direxerat,
Narrantes quod jam digressi
Ab hac domo fuerint.
Tunc præfectus jubet cito,
Equites ut quatuor
Insequi eos studerent
Cursu velocissimo:
Atque ad suum tribunal
Mox eos adducerent.
17 Si reniterentur quidquam,
Jussit eos perimi.
Igitur arreptis equis,
Insequuntur propere,
Quo sanctus puer Justinus
Cum suis tetenderat.
Locus habetur antiquus,
Lupera cognomine:
Ad quem cum appropinquarent,
Non longe abfuerant
Ipsis a præfecto missi
Crudeles carnifices.
Tunc Justinianus sanctum
Justinum alloquitur,
Opportunitatem, ait,
Istic cernis affore,
Qua aqua possit hauriri,
Et nos cibo refici:
Si placet, consideamus
Parum panis frangere
Atque aquæ haustu sitis
Ardorem extinguere,
Sicque postea valemus D
Proficisci melius.
Cui beatus Justinus
Jam futura præsciens,
Si gustare, inquit, istic
Aliquid disponitis,
Erit vobis hoc omnino
Faciendum citius.
18 Ecce enim appropinquant
Huc legati judicis,
Qui nos, si valebunt, debent
Judici adducere,
Et ad pœnas subeundas
Eidem contradere.
Vos ergo, precor, si vultis,
Festinate refici:
Ego astans speculabor,
Aliquis si venerit,
Qui insidietur nobis
Ex mandato judicis.
Et si quisquam ad hoc nobis E
Forte supervenerit,
Ego colloquar cum illo;
At vos ingredimini,
Et in præsentis speluncæ
Antro vos abscondite.
Ista prophetali more
Puer sanctus loquitur,
Cum ecce mox adimplentur
Ipsius eloquia,
Quæ prædixit de transmissis
Sibi carnificibus.
Etenim inter loquendum
Apparebant quatuor,
Quos transmiserat præfectus
Eos comprehendere:
Vel si hoc non potuissent,
Tunc eos occiderent. F
19 Quibus visis, se in antrum
Ceteri abripiunt:
Beatus vero Justinus
Consistit intrepidus
Ad martyrii a Christo
Destinatus gloriam.
Ad quem ministeriales
Accedentes judicis,
Sciscitantur, quis fuisset,
Quæ ejus professio,
Quive, vel ubi fuissent,
Quos habebat socios.
Quibus ille referebat
Omnia per ordinem,
Ego, inquiens, Justinus
Appellatus nomine,
Christianum me haberi
Exultans profiteor:
Et quia persecutores
Hujus estis nominis,
Ob hoc prodere non possum

Meos

A Meos vobis compares,
Ne propter me subigantur
Ad pœnarum genera.
Nisi, aiunt, illos nobis
Citius prodideris,
Nostro scias jugulandum
Te jam fore gladio,
Tam quod abnuis hoc nobis,
Quam quod et Christicola.
20 Respondens sanctus Justinus
Dixit carnificibus :
Repromittit quidem sanctum
Nobis Euangelium,
Ut qui propter Christum, suam
Animam perdiderit,
In vitam æternam vere
Eamdem custodiat,
Et idcirco pœnas pati
B Pro illo non timeo,
Dilectu ejus malens mori,
Quam offense vivere.
Quod vero jubetis a me
Prodi meos compares,
Nihilominus hoc sanctum
Vetat Euangelium,
Ipso Domino monstrante
Quod hoc nollet fieri.
Nam quando in passione,
Quam pro nobis pertulit,
Suos ipse est exactus
Prodere discipulos,
Minime eorum delator
Voluit existere :
Et cum comprehenderetur
A persecutoribus,
Præcepit ut sinerentur
C Abire discipuli :
Ne quemquam, ut jam prædixit,
Ex eisdem perderet.
21 Nunc itaque noveritis,
Neutrum me facere,
Ut vel Christi nomen sanctum
Metu mortis abnegem,
Sociosve meos prodam
Contra Euangelium.
Adversum hæc documenta
Irascuntur nuncii,
Mutuoque adhortatu
Necem Sancto præparant,
Quos vel parum expectare
Vetat iracundia.
Itaque evaginato
Demum unus gladio,
Amputavit caput ejus,
Ceteris hortantibus :
Sic cum gloria et laude
Martyr cœlos subiit,
Duplici proprietate
Duplex habens bravium,
Quod et in confessione
Christi perduraverat,
Et usque ad mortem suos
Proximos delexerit :
In ipso præceptis Christi
Delectatus dulcibus,
Quod nos jussit ante illos
Nihil fore timidos,
Qui occidunt corpus istud,
Textum venis languidis :
22 In hoc a Sancto Joanne
Suasus apostolo,
Qui, sicut Christus pro nobis
Animam posuerat,
Sic dicit et nos debere
Facere pro fratribus.
Proinde ad declarandum,
Quantæ esset gloriæ,
Idem venerandus martyr
Occisus pro Domino,
Gloriosum demonstratur
Protinus miraculum.
Amputato enim ejus
Sacrosancto capite,
Corpus truncum hoc in suis
Manibus accipiens,
Ante suimet lictores
Steterat immobile :
Cujus mox obstupefacti
Terrore prodigii,
Fugiunt persecutores,
Non ausi subsistere,
Cum Sanctum viderent tantum
Facere miraculum.
Parentes vero ipsius
Egressi de latebris,
Vident sanctum corpus ejus
Consistens immobile ;
Miratique quod abscissum
Caput ferret manibus,
23 Varia in mente versant
De ejus martyrio,
Dum ei talis gaudere
Censuisset gloria,
Et rursum flere de illo
Natura suggereret :
Maxime tamen de illo
Fiunt inde anxii.
Qua sepeliendum esset
Sacratum corpusculum :
Mutuaque inde sibi
Conferant colloquia.
Quæ cum agerent diversa
Motione animi,
Caput beati Justini,
Quod gestabat manibus,
Mirum dictu, cœpit illos
Absolute alloqui :
Et docens de sepultura
Sui eos corporis :
Euntes, inquit, ad locum
Qui Lupera dicitur,
Atque meum sepelite
Ibidem corpusculum ;
Matri vero meæ caput
Hoc meum advehite,
Ut naturalem affectum
In illud exhibeat,
Et amoris mei secum
Istud pignus habeat :
24 Ipsa vero si tenetur
Mei desiderio,
Studeat in paradiso
Me locatum subsequi,
Ubi animæ Sanctorum
Quiescunt feliciter.
Tunc illi, ut sanctus martyr
Justinus præceperat,
Condientes corpus ejus,
Ibi sepelierant,
Ubi ipse locum ad hoc
Signavit ex nomine
Caput vero ejus, matri
Ipsius attulerant :
Quod illa gaudens suscepit,
Deo agens gratias,
Quia innocentem ejus
Animam asciverit :
Tibi dicens, Christe, honor,
Laus et jubilatio :
Quia dignatus es istum
Puerum assumere,
Et associare tuis
Beatis martyribus.
At tu, beate Justine,
Fili mi dulcissime;
Qui Christi regnum intrasti
Cum palma victoriæ,
Ibi mei memor esto
In tuis suffragiis.
25 Hæc ipsius genitrice
Orante cum lacrymis,
Mox resplenduit lux ingens
Super habitaculum,
In quo sanctum caput ejus,
Habebatur positum.
Hæc autem lux circumquaque
Cuncta illustraverat,
Ita ut admirarentur,
Qui in urbe aderant :
Erat autem nox, cum istud
Fieret miraculum.
In illis diebus sedem
In Autisiodoro,
Rexerat episcopalem
Amator vir Domini,
Quem divinorum ornabant
Munera charismatum.
Hic dum cœlitus emissum
Splendorem conspiceret,
Ire ad domum Matthæi Ex Beda.
Jussit tres presbyteros,
Qui de ipso studiose
Portento inquirerent.
Quibus omnia Matthæus
Retulit per ordinem,
Ut se de sancto Justino
Res gesta habuerat :
Vel de passione ejus,
Vel sepulto corpore :
26 Subjungit et de allato
Matri ejus capite,
Qualiter lux de cœlo
Hora noctis tertia
Domum ipsam, in qua erat,
Omnem illustraverit.
Hæc presbyteri ad summum
Referunt pontificem,
Qui adesse omnem clerum E
Protinus præceperat :
Gratias Omnipotenti
Agunt pro miraculo.
Denique clarificatur
Hoc factum per populum ;
Concurrunt omnes gaudentes,
Martyrem glorificant,
Immo Dominum, qui illum
Sic mirificaverat.
Interim jubente sancto
Amatore præsule,
Caput sanctum collocatum
Condigne in feretro,
Cum honore atque hymnis
Fertur ad ecclesiam :
Et in loco, quem paravit
Sibimet episcopus,
Ibi illud veneranter
Recondi providerat :
Ubi plura Martyr sanctus F
Præstat beneficia.
27 Nam ad comprobandam ejus
Cum Deo potentim ,
Sacro capiti dum dignas
Celebrant exequias,
Puella quæ cæca venit,
Clare videns rediit.
Quæ cum esset in ætate
Habens annos sedecim,
Inter Martyris delatum
Veniens obsequium,
Adjuva, inquit, beate
Martyr Christi, adjuva,
Ut visum diu negatum
Tuo patrocinio,
Domino Christo præstante
Adipisci merear,
Quo laudetur nomen ejus
In tuo martyrio.

Dixit

Ex Beda. D

Dixit, atque coram omni
Populo, continuo
Restituto, ut petebat,
Oculorum lumine,
In glorificatione
Martyris tripudiat.
Iterum plebs omnis
gaudens.
Gratias congeminat,
Laudem dicens Salvatori
Jesu Christo Domino,
Cui sit honor et potestas,
Per æterna secula.
Amen.

DE S. JUSTA VIRGINE ET MARTYRE

J. B. S.

AQUILÆ, IN VESTINIS ITALIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Sanctæ sociorumque ejus cultu et gestis.

B

Forte sub Diocletiano.

Profanæ urbis historia nota est,

Aquila, urbs Italiæ notissima, præcipuos habuit nobilitatis suæ, antiquitatis et singularium gestorum scriptores Bernardinum Cirillum ac Salvatorem Massonum præter alios ab ipsis citatos, quorum inter alia id non postremum studium fuit, ut civitatem suam ex Amiterni, Furconii aliorumque vicinorum oppidorum et castellorum ruinis excitatam, ad remotiora secula revocarent; cum tamen ex diplomatibus, ab ipsismet relatis, satis evinci posse videatur, seculo tertiodecimo haud multo antiquiorem esse, a Frederico II imperatore civiliter, ab Alexandro IV summo Pontifice spiritualiter exornatam, ab illo Aquilæ nomen, ut volunt, sortita, quidquid Ughellus et alii obluctentur; a summo Pontifice vero episcopum nacta, translatis eo Furconiensibus tum juribus, tum honoribus ac prærogativis, quinimo circumvicinis incolis prope omnibus, unde demum in insignem urbem excreverit, a jam dictis scriptoribus haud parce laudatam ac illustratam, etiam a Leandro Alberto in sua Italiæ descriptione, apud quem invenies quæ inter diversa, ut in obscuris usuvenit, sentientes, non usque adeo C *controversa sunt, certe hic a nobis minime observanda, nedum disputanda.*

non item sacra,

2 *Id dolemus quam maxime, quod res civiles, bella, vicissitudines ceteraque eo spectantia tam solicite disquirentes, plurima neglexerint ad urbis patriæque suæ splendorem haud parum sane conducentia; ea nimirum quæ ad Christianam magnificentiam, ad diæceseos statum, ad ecclesiasticas dignitates, ad templa, capitula, Sanctos eorumque sacras exuvias, quibus e vicinis castellis et urbibus locupletatos sese agnoscunt, potissimum pertinent; ut rerum sacrarum illustrandarum immemores omnino fuisse videantur. Quorsum hæc vergant, facile intelligitur. Sanctos suos patronos inter hodiernam nostram* S. Justam *Aquilani recolunt, in propria ecclesia collegiata, quam inter quatuor insignes primam numerant, hodie celebrem, de qua tamen vix vola hactenus aut vestigium a scriptoribus istis aut aliis Aquilanis proditum est. Opinor, quod vix viam invenerint, qua quæ de hac Sancta ejusque sociis Florentio patre, Felice et Justino patruis circumferuntur, ad rectam historiæ normam opportune ordinarent, quod quam facile a me fieri possit, inde colliges, quod vetera monumenta plane deficiant, ex quibus certi aut solidi aliquid tuto eruere liceat.*

saltem antiqua et sincera.

3 *Id vero quam luculenter pateat, faxo clare perspicias. Cum me obscuris et perplexis immersum involutumque adverterem, ad solitum patronum Neapolitanum recurri, Illustrissimum amicum D. Dominicum de Georgio, eique articulos aliquot proposui Aquilam dirigendos, unde petenda erat tota dubiorum solutio. Post menses aliquot id responsi* E *obtineo, quod minime quæsieram, nudam ipsam Legendam scilicet, cujus jam septem Mss. apographa ad manum erant; cum nescio qua historia inventionis ac translationis sacrorum aliquot corporum, inter quæ et* S. Justæ *fuisse memoratur, inferius nonnihil expendenda; ubi nempe ea præmisero, quæ huc spectant proxime, ipsamque Sanctorum Legendam frustra huc inde transmissam. Ad cetera vero quæ de antiquo recentique cultu, de veteri atque hodierno Officio, de totius historiæ veritate, de Legendæ compositoribus eorumque ætate, deque variis translationibus postulaveram, nec verbum repositum est, ut incertior modo sim quam dudum fueram. Hæc, nisi vehementer fallor, abunde demonstrant, quanta isthic sit sacrorum hujusmodi cimeliorum penuria; quibus destituto, id unice reliquum est, ut quæ aliunde colligi potuere, hic paucis subjiciantur.*

Hujus Sanctæ gesta,

4 *De synonymis sanctis Justis virginibus pridem actum est; de hac nostra loqui cœpimus, dum de sanctis Florentio et Felice paucis ageremus ad* XXV *Julii, una indicantes, horum gesta, cum Actis illius connexa esse, atque ex illorum genere quæ, ut minimum prudenti examine opus habent, ut satis nobis isthic fuerit, breve eorum compendium referre ex* F *Ferrarii Sanctorum Italiæ Catalogo, visuris hoc die quid de tota ea historia statuendum esset. Et vero, re tota attentius modo examinata, nihil invenimus, quo majorem ei auctoritatem conciliemus. De scriptore aut scriptionis tempore non est unde quis judicet: ordo, stylus et rei dispositio eam sapit ætatem qua viri boni, opinor, et pii licitum sibi putarunt, id genus orationes cudere, aut ex populari traditione, vel ex aliis Sanctorum gestis accipere, quæ Sanctis, alias non satis notis, applicarentur; de qua nimis quam frequenti libertate, tædet toties alibi dicta repetere. Nec vero Legendam talem qualem, quæ apud nos exstat, et integra et variis modis contracta, aut germanam aut antiquam esse, hinc satis patet, quod typis eam nemo ediderit, priusquam aliquam Ughellus Episcopis Theatinis inseruit, ea phrasi et stylo, ut satis manifeste pateat, unicuique liberum fuisse, eamdem pro gustu et libitu vertere et modificare. Neque minus clare perspicies, determinatum hujus* S. Justæ *cultum nihil minus esse quam vetustissimum.*

æque ac cultus

5 *De Legendistis jam diximus, ignotam ipsis fuisse; quod de Martyrologiis æque certum est, cum in illis* Justa *hæc nusquam signata reperiatur. Ferrarius*

AUCTORE J. B. S.

A *rarius in utroque Catalogo, ubi de* S. Justa *meminit, nullas vetustiores tabulas habuit, quas citaret, præter unicum Maurolyci Martyrologium; haud dubie quod Belinum non inspexerit, in quo hæc verba procul dubio legerit Baronius:* Apud Italiam, S. Justæ virginis, *quam tamen Romano adscribere ausus non est, quod ex vaga annuntiatione haud satis perspiceret, quæ inter synonymas* Justa *illa esset, aut ubi in Italia coleretur. Unde etiam datur intelligi, Acta ipsum non vidisse, quæ si consulere potuisset, haud dubie Florentium et Felicem militibus Amiternensibus non adscripsisset. Hæc satis ostendunt, Baronii tempore tam celebres non fuisse Sanctos istos, quemadmodum hodie, saltem apud Aquilanos, prædicantur. Miratus sum imprimis, diligentissimum in refodiendis Sanctis Castellanum, tam studiose* S. Justam *in indice collocasse, cum expressa nota quod eam in textu omisisset, ut vere in ejus ad textum Romanum additionibus præterita est. Quibus argumentis ad id permotus fuerit, neque explicat ipse, neque mihi promptum est divinare. Id ipsi, ni fallor, suspectum fuerit, quod ante Ferrarium scriptor nullus* Justam *illam vage*
B apud Italiam *consignatam,* Sipontinam *dicere præsumpserit, quem puto ipsissimum fuisse Baronii scrupulum.*

obscura et implexa sunt

6 *Ceterum nequid negligamus ad cultum tantillum spectans, ita scripsit Maurolycus cum codice Usuardino Florentino:* In Italia, S. Justæ virginis; *codices vero Vaticanus, Victorinus, et Reginæ Sueciæ cum Belino:* Apud Italiam, S. Justæ virginis. *Minus etiam* Justæ *nostræ quadrat quod habet Editio Lubeco-Col. per* S. Justæ matronæ, *aut Grevenus, per* Justæ martyris, matris S. Silvestri, in puteum præcipitatæ, *quæ plane fateor, me non intelligere, ut ferme prudentior censendus sit Molanus, qui et a virgine et a matrona abstinuit; ut fateri omnino cogamur, nullum prorsus exstare Martyrologium, non dico antiquum, sed nec novum aliquod, præter Ferrarii Catalogum, in quo expressa sit* Justæ Sipontinæ, *seu Furconiensis seu Aquilanæ particularis memoria; quod quam insolitum sit, norunt profecto qui in Actis nostris peregrini non sunt. Neque magis favorabilia sunt judicia quæ ferri possunt de ipsa qualicumque Legenda, utpote plane ignota et sepulta, donec Ughellus, ut jam dicebam, eam Catalogo episcoporum Theatino-*
C *rum, occasione S. Justini primi istius urbis antistitis, inseruit, probaturus nimirum, diversissimum eum esse a synonymo Sancto presbytero, ex solis prædictis* S. Justæ *Actis cognito, in quorum nonnullis apographis presbyter dumtaxat, in aliis episcopus declaratur, pro mero videlicet componentium ac transponentium arbitrio.*

Coli tamen satis certum est;

7 *Iis tamen omnibus nequidquam ostantibus, non videtur de vetusto ac immemoriali sanctæ hujus* Justæ *Sipontinæ seu Aquilanæ cultu dubitari posse: nam, ut ut incurios Aquilanos fuisse fateamur in ejus festivitate vulganda, satis certum est, eam collegiatam ecclesiam* S. Justæ *nomini sacram, ante seculum* XVI *quin et* XV, *exstructam fuisse, Sanctamque, aliunde translatam, ibidem honoratam, etiam peculiari Officio, cujus hymni quantumvis imperite coagmentati, antiquitatem suam redolent. Accedit testimonium, in appendice referendum; ex quo pateat,* S. Justæ *corpus cum aliis fuisse inventum tempore Angeli, tunc Aquilani episcopi, anno* 1330, *rem maxime accurante F. Nicolao de Paganica Ordinis Prædicatorum, quem eo etiam tempore floruisse constat. Quid? quod apud Massonum pag.* 39 *adducatur instrumentum pro anno* 1226, *ad cujus calcem expressa hæc verba leguntur:* Actum est autem hoc in Baczano, sub vicenda S. Justæ, *ut tunc saltem cultam fuisse, aperte constet. Rursus apud eumdem pag.* 101, *inter alias Sanctas synonymas distinguitur, recepto ibi nomine* sancta Giusta di Bazzano *quod est nomen loci in quo Sancta martyrium subiit, aut saltem primum sepulta fuit, qui in Actis est mons ipse Offidius, non alio nomine quam* Bazzano *olim et hodie compellari solitus: ut hic tuto concludas,* Justæ *sanctitati vitio esse non debere clientum in ea citius celebranda negligentiam.*

at non ita probari possunt Acta.

8 *Atque utinam pari felicitate argumenta suppeterent ad tuendam vindicandamque auctoritatem Legendæ, quam dolendum est, scriptores imperitos fœde deturpasse, ubi et rei medulla et pleraque adjuncta tot diversis modis expressa et mutata sunt, ut scriptores seu descriptores singuli id certatim intendisse potissimum videantur, ne eamdem phrasim, saltem rem eamdem eodem modo redderent. Hinc vides, quantum tædii devorandum fuerit in legendis conferendisque diversis octo tetricis compositionibus, quarum nonnullas ubi olim vidit noster P. Philippus Alegambe, tunc Romæ degens, earum, opinor, pertæsus, rem omnem, qua potuit verosimilitudine,* E
in compendium historicum redegit, in gratiam P. Florentii (sic utique S. Justæ *pater appellatur) de Montmorency, viri in Societate tum celebris, a quo ad Bollandum transmissum est anno* 1647. *Hanc nos elegantiorem synopsim reliquis octo dissimilibus orationibus præferendam censuimus, tum quod rem omnem, rescissis plerisque ambagibus, nitidius explicet, tum vero quod nihil ad historiæ substantiam spectans omnino prætermittat, ut iis fiet evidens, qui dictum compendium cum citata superius Ughelli editione contulerint. Quam porro fidem mereatur tot mirandorum stupendorumque relatio, jam superius satis insinuatum est, sic tamen ut nihil ponderis, æstimationis aut pretii ei subtractum velim, rerum hujusmodi peritorum judicio relicta ulteriori totius rei discussione.*

hic verosimilius disposita.

9 *Monendus iterum lector, non hic sola* S. Justæ *Acta aut certamen proponi, sed et eorum etiam quos martyrii ejus comites fuisse ad* XXV *Julii pridem indicavimus, nempe:* Florentii *patris,* Felicis, *tum et* Justini *presbyteri conf. patruorum; sic tamen ut* Justinus *non ubique dicatur* S. Justæ *patruus, institutorem omnes Legendistæ agnoscunt. Ceterum renovanda hic non est quæstio, quam hoc die denuo* F
attigit Ferrarius, utrum bini illi Florentius *et* Felix *recte inter milites Amiternenses a Baronio recenseantur, ut dubitavimus* XXV *Julii, utpote quos militiam secutos fuisse hodierna Acta, in quibus solis noti sunt, nec vel eminus memorent, uti nec textus ipse Martyrologii Romani, dum ibi Baronius ipse simpliciter scribit:* Furconii in Vestinis, SS. martyrum Florentii et Felicis Sipontinorum. *Congruunt hodiernis nostris* S. Justæ *sociis verba singula, ut proinde hinc commode suppleri possit, quod ex hodiernis Actis repetendum diximus, quodque pari modo* S. Justino *presbytero ad* XXXI *Decembris aptari poterit. Sic titulum suum ex aliis formavit Alegambe:* Compendium Vitarum SS. Justini, Felicis, Florentii, et Justæ filiæ Florentii, ex Ms. ecclesiæ collegiatæ S. Justæ Aquilæ. *At vero cum ea quæ proprie huc spectant, ad solam* S. Justam *referenda sint, hoc simpliciori modo titulum concepimus:*

ACTA

AUCTORE
J. B. S.

ACTA

Ex variis Mss. contracta

a P. Philippo Alegambe S. J.

Florentius cum fratribus conversus,

Sipontum urbs Apuliæ est in Italia, ad littus Adriaticum, cui hodie Manfredonia nomen est. Degebant in ea tres fratres, Florentius, Justinus, et Felix, qui audita virorum Apostolicorum doctrina, ad Christi fidem conversi sunt. Justinum vero parentes ejus cum valere ingenio cernerent, in disciplinam urbis suæ Episcopo tradidere; qui eum sacris imbutum litteris, post annos viginti sacerdotio inauguravit; ipse vero deinceps fratres suos, ut decebat jam sacerdotem, ad timorem Domini, et ad omne vitæ Christianæ officium erudiebat. B

Justam filiam Deo vovet.

2 Florentius autem, cum audisset aliquando qua ratione B. Virgo Maria Deipara sese Deo ab infantia dedicasset, voto sanxit, se filiam quoque suam, si qua Deo largiente potiretur, pari modo sacraturum. Nec multo post suscepit infantem speciosissimam, quam Justino baptizandam cum tradidisset, is ei Justæ nomen indidit. Cui postquam ætas adolevit; pietas etiam effloruit, et spiritualibus penitus impensa officiis, templum frequens studiose adibat. Ejus sanctitatis opinione permotus quidam, cui Claro nomen, sanctam Virginem obsecrare instituit, ut nepoti suo quartum jam annum lumine oculorum orbo, visum redderet; id quod ipsa continuo præstitit.

Justinus fratres animat,

3 Justinus, ut erat Dei spiritu plenus, et Divinis litteris haud parum eruditus, germanos suos crebro, depromptis ex Evangelio sententiis, ad absolutæ virtutis studium adhortabatur. Memorabat Domini promissionem illam: Omnis qui dimiserit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Prænuntiabat consueta pericula verbis illis Dominicis; Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et quæ deinceps sequuntur. Tum confirmabat illos illis aliis verbis: Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. C

qui omnes, relicta patria,

4 His illi hortationibus erecti, illectique, cum omnia sua pro Christi nomine dimisissent, abiere Siponto, et Adriatici maris littora Occidentem versus secuti, Justa molestias itineris suavissima sua facundia levante, Theate pervenere; atque ibi sex omnino menses commorati sunt. Quo tempore, cum Justinus Christi fidem iis populis prædicaret, frequentes ad eum audiendum, tum ex urbe ipsa, tum ex omni circum vicinitate confluebant. Fuit ibidem vir nobilis, qui Sanctorum virtutem et admiranda facinora demiratus, ad ipsorum se pedes advolvit, atque ut ægrotanti filio suo salutem restitueret, etiam atque etiam vehementer oravit. Illi, qua erant in omnes egentes miseratione, hominem continuo ad suam domum secuti sunt. Justa vero totam se ibi divinis adeo studiis immersit, tantisque consolationibus perfusa est, ut corporis cura neglecta, illum ipsum tenuem victum, quem ei pater suus suppeditabat, in pauperes erogaret. D

Furconium petunt;

5 Cum vero fama accepissent sancti fratres, Furconii in Vestinis, quæ urbs olim inclyta, hodie vix urbis cadaver, haud procul Aquila est, permultos adhuc esse Christianæ fidei alienos, cohortari invicem: Et quid hic diutius, inquiunt, moras trahimus? Contendamus illuc, et gentes illas doceamus Christi doctrinam. At contra Theatini cives revocare ab eo consilio; ibi bacchari impietatem, bonos omnes acerbitatem adversariorum fuga declinare; cur sese velint ipsi tantis objectare periculis? Sed Florentius et Felix, ut erant animis excelsi: Quo quisque fortiorem vincit, inquiebant, eo ipse fortior est, quoque laborat amplius, eo majore in æternum gloria donabitur.

ubi fidem annuntiantes

6 Igitur quintodecimo Calendas Maias Theate digressi, Furconium venere, et consedere in vico qui Offidius dicebatur. Ibi primo statim occursu conspexere multitudinem ingentem mortalium ad Jovis simulacrum, aromatibus incendendis, et thure adolendo, convenire. Degebat eodem in vico Hilarius homo Christianus, largus in pauperes, et excipiendis hospitibus liberalis. Hic ubi Sanctos ex itinere fatigatos jacere propter suas fores videret, intus invitat, ad quietem, ad curationem corporum, ne si eos populus ab idolo revertens inveniat, lapidibus obruat. Itaque ingressi, refectique, postquam a lassitudine respiravere, diluculo ad circumjectas villas et castella progressi innumeros ad Christum sua prædicatione pertrahebant. E

a paganis deferuntur.

7 Id ubi ad Deorum flamines et pontifices delatum est, Romam extemplo ad Maximianum Imperatorem misere, qui significaret, tres apud se viros degere, qui spretis ejus imperiis, plebem seducerent, et ad sacra Christiana perpellerent. Imperator missis spiculatoribus eos, nisi Jovem adorent, capite multari jubet.

Justa amasium fugiens

8 Interea temporis dum hæc agerentur, juvenis quidam opibus et potentia florens, Aurelius nomine, amore Justæ captus, eam deperire, et in sponsam deposcere ausus; cum ejus assensum non posset, neque precibus, neque pretio, neque nimis extorquere, vim et raptionem meditari cœpit. Cum igitur die quadam Justa propter fontem Veram appellatum cum duabus aliis mulieribus staret, juvenis eam insecutus est. Id Justa contuita, concepto metu, aquam e manibus, quam jam hauserat, et calceamenta quæ manu gestabat, delabi in fontem passa est, et ad pedem montis Offidii profugit. Inde cum eam vellent nonnulli per vim comprehensam abstrahere, luminibus illico capti sunt. F

in monte absconditur.

9 Sunt qui etiam dicant, aperuisse se montem, et sanctam intra se Virginem excepisse. Juvenis autem, accita hominum multitudine, (cum) lustrari montem undique jussisset, operam lusit; inveniri non potuit; et omnis illa quæsitorum turba facultate gradiendi loquendique destituta est. Justæ vero in antro montis sedenti Angelus adfuit, eique victum subministravit; simul, ipsa rogante, multitudini copiam linguæ et gressus, ut domum reverti possent, restituit; qua illi potiti redierunt, magnificantes et concelebrantes Deum Justæ. Quæ demum inde egressa, ad Hilarii domum ad germanos suos redivit. At altera mulierum, quæ penes fontem cum ipsa constiterant, ubi calceamenta mediis in aquis sicca esse deprehendit, excepta venerationi habuit, et osculanda populo dedit.

A *Occisis Florentio et Felice,* 10 Reversi Roma custodes idolorum, militibus comitati, invenerunt Sanctos simul congregatos. Justinus eos conspicatus, Septemtrionem versus profugit cum duobus clericis suis in montem qui dicebatur Tubennum, ibique apud pastores una hebdomada substitit, quos ad fidem conversos baptizavit; et ex illo tempore Mons Christi appellatus est. Custodes vero Florentium, Felicem, et Justam comprehensos et vinctos, cæsosque traxerunt ad urbem Conam ad fanum Jovis, ut illi sacrificarent, aut diris suppliciis mactarentur. Illi vero magna constantia, satius sibi esse dixerunt mori, quam suum Dominum dimittere. Itaque jussi capite plecti, cum eo ducerentur, ubi erant gladium subituri, Justa magna voce clamabat : Quare me derelinquis, pater sancte, et quare tecum una mori non sinor? Cui Florentius : Expecta tantisper, inquibat, filia mea dulcissima, quia majora tibi debentur certamina. His dictis, Florentius et Felix securi percussi sunt in agro juxta flumen Abellinum octavo Cal. Augusti. Corpora eodem ipso in loco derelicta Justinus nocte abstulit et sepelivit, et ad montem unde descenderat, reversus est.

B *certamen subit Justa,* 11 His interfectis, ethnici Justam traxerunt in carcerem, et post dies quinque productam, ligatam deduxerunt ad accensum caminum, eoque ostenso: Non times, inquiunt, flammas istas? Quibus ipsa : Et vos, inquit, non timetis æternas flammas inferorum? Inter hæc accessit ad eam mulier, cui filius, quem habebat unicum, mortuus erat; et ad pedes Justæ prostrata obsecrabat cum lacrymis, ut sibi filium excitaret a morte. Justa miserata plorantem, oravit Dominum dicens : Domine, qui suscitasti Lazarum de monumento, et unicum matris viduæ filium ad vitam revocasti, dignare suscitare mortuum istum, ut cognoscant omnes, quia tu es gloriosus super omnem terram. Et continuo surgens puer coram omnibus ingrediebatur. Id quod cum audisset Aurelius, is qui Justam sibi designaverat sponsam, conversus ad Deum, credidit, voluitque grande pretium persolvere, ut Justam tormentis et morti eriperet. Sed illa intercedens rogavit, ne suum supplicium impediret. Tum ille rursus veniam eorum supplex expetiit, quæ in illam admisisset. Cui Justa, indulgeat tibi Dominus, inquit, omnia delicta tua.

C *multisque affecta tormentis* 12 His actis, B. Justa in caminum ardentem a ministris injecta est, in quo tres totos dies illæsa permansit, valido vento flammas excutiente, et in eos contorquente qui accendebant caminum. Cum igitur viderent ethnici, non posse se illi per flammas officere, hastis eam et sagittis confoderunt; quibus ipsa dicebat : O miseri et stulti, quare non resipiscitis, dum tempus suppetit? Veniet aliquando dies, quo velitis, neque tamen valeatis facta vestra corrigere. Post hæc expandens manus suas ad cœlum, dixit cum lacrymis : Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum, quia jam hora est ut veniam ad te; et continuo clausit oculos et emisit spiritum.

coronam consequitur. 13 Eadem ipsa vero hora excitatus est nimbus teterrimus; flamma inter nubes coruscare; cœlum tonitru contremiscere; multique Ethnicorum occisi sunt. Id ceteri contuiti, timuerunt, et conversi crediderunt in Deum. Corpus vero B. Justæ sublatum, in spelunca montis Offidii, ubi cum ea Angelus versatus fuerat, sepeliverunt Cal. Augusti, altero ab urbe Cona milliari. Multi autem variis languoribus ægri a longinguo concurrentes ad ejus tumulum, sani atque integri inde recedebant : cumque multa vivens mirabilia S. Justa patraverit, longe majora sunt, quæ a morte patravit; quibus permoti accolæ, basilicam ante os speluncæ fabricati sunt. Justinus eorum certior factus, corpora SS. Florentii et Felicis exhumata intulit in S. Justæ sepulcrum. EX VARIIS

14 Tunc temporis adductus est ad S. Justinum homo, cujus malus dæmon caput obsederat, ut eum ipse pessimo illo inquilino liberaret. Is cum accessisset ad B. Justinum, audientibus cunctis : Si tu Justinus es, inquit, ego sum Belial. Justinus hominem signo crucis consignans, dæmonem confestim expulit, ululatu magno frementem, et hominis brachia fœde contorquentem. *Justini miraculum,*

15 Vixit deinceps S. Justinus presbyter usque ad annos LXXXIV, et in Domino quievit pridie Cal. Januarii. Venit autem Hilarius cum frequente populi multitudine, et sepelivit eum in agro suo, juxta viam, in villa Offrone; et destructis idolorum fanis, comparata materia ædificarunt super tumulum magnificam basilicam, ubi ii populi offerunt vota et dona permulta. *qui senex moritur.*

E

ANNOTATA.

Nihil hic magnopere explicandum occurrit, quod in Commentario dictum non sit. Utrum autem quæ de SS. Amiternensibus LXXXIII *Martyribus retulimus ad* XXIV *Julii, tum de SS. Florentio et Felice* XXV *ejusdem mensis, satis conciliari possint cum iis, quæ damus, Actis, velim eruditus lector intelligat ex alia relatione, quam nobis suggessit Illustrissimus Pompeius Sarnellus in sua Episcoporum Sipontinorum chronologia, ubi sub Leone I, episcopo istic ordine* IV, *hæc memorat :* Habetur, *inquit,* Leo iste ut Sanctus in antiqua membrana ecclesiæ Provinensis in Apulia, in qua registrata exstat Vita S. Justæ Sipontinæ. Ipse est qui Justinum Sipontinum in litteris et pietate Christiana instituit, eumque promovit ad sacerdotium et archidiaconatum ecclesiæ suæ, dum esset annorum viginti. Misit deinde in Samnium, fidem gentilibus prædicaturum, comitantibus Florentio duce VIII, et Felice equite, fratribus suis, atque etiam Justa dicti Florentii ducis filia; qui Florentius, militiam temporalem in spiritualem commutando, conduxit tres et octoginta cives sub vexillo S. Crucis : et postquam plurimos fructus gloriosis suis laboribus collegissent, sacerdos Justinus martyrium Forconii passus est sub Maximiano, cujus memoria agitur XXXI Decembris. F

Martyrium illud aliaque ex diametro pugnant cum fine Vitæ jam datæ; neque magis admittent Aquilani ea quæ sequuntur, de sacro corpore Beneventum translato. Prosequamur Sarnelli relationem : Ejus venerabile corpus diu Bazxani requievit in castello duobus P. M. Aquila dissito; hodie vero Beneventi in magna est veneratione. Milites LXXXIII sanguinem fuderunt XXIV; Florentius et Felix palmam consecuti sunt Furconii XXV Julii, ubi etiam martyrium consummavit S. Justa, quæ Kalendis Augusti celebratur. Cum istis SS. Martyribus fit etiam commemoratio S. Umbrosiæ collactaneæ S. Justæ, de qua meminit Ferrarius ubi de S. Justa. *Illam, sive sub* Umbrosiæ, *sive sub* Umbrasiæ *nomine, nusquam me alibi legere memini, præterquam in historia Inventionis de qua in sequenti appendice. Porro ex Sarnelli dictis patet, quam diversæ viæ initæ sint, ut Acta jam relata ad aliquam, saltem tolerabilem narrationem reducerentur, quam necdum me satis perspexisse, candide confiteor. An vero solutiones ad proposita mea dubia, de quibus infra, id felicius consecutæ sint, lectoris judicio decernendum relinquam.*

EX VARIIS

APPENDIX

De sacri corporis Inventione.

Inventionis historia

Huc demum refero, quod supra pollicitus sum, *Inventionis corporis* S. Justæ, *et aliorum quatuor Sanctorum instrumentum, noviter Aquila acceptum, sub hoc titulo:* Sanctorum Justini, Felicis, Florentii, Justæ et Umbrasiæ corporum Inventio, *absque ulla ulteriori notitia, qua doceri possimus, unde ipsum descriptum, cujus auctoritate formatum, in quo archivo depositum sit ejus qualecumque autographum; ut hic rursus incusanda sit exigua, ut minimum, in Aquilanis rerum peritia, dum hujusmodi scripta submittunt, quæ tenebras ferme potius quam desideratam rerum elucidationem adducant. Tota ipsa historia rudi stylo, et plerumque satis barbaro descripta est, solœcismis respersa; quæ*
B *omnia nauseam parere nata sint, non item attentionem conciliare : ut dum totam sæpius evolveris, necdum queas intelligere, an eodem, quo inventa dicuntur sacra corpora, loco iterum deposita sint, an forte alio translata. Quod si in eadem ecclesia recondita sint, cum inventa dicantur Paganici, oppido pluribus passuum millibus Aquila dissito, quæro, qua ratione intelligi possit Aquilanus episcopus tam facile ultro citroque commeasse, tum vero et fratrem suum reperire præsentissimo mortis periculo ereptum, ut mox perspicies.*

reliquis clarior non est.

2 *Gravior etiam nec facile solubilis occurrit nodus in eo, quod, si Paganici in novo monumento deposita censeantur quinque illa sacra corpora, adeoque et* S. Justæ *anno* 1330, *difficillimum sit reperire, quo demum anno Aquilam illud idem translatum fuerit. Rursus, supposita totius historiæ veritate, quæro, quo tempore ex monte Offidio seu Baczano corpora illa omnia Paganicum commigrarint? Quæro iterum, unde accesserit ignotissima illa Sancta, nomine* Umbrasia, *quam in nullis prorsus sacris tabulis, ne quidem in amplissimis Ferrarii Catalogis, invenire licuit hactenus? Quæ cum dubia et incerta sint omnia rogantur eruditi Aquilani, manum ipsi*
C *et operam commodent, tum historiæ huic, tum Actis ipsis paulo accuratius discutiendis elucidandisque. Rem ipsam, seu Inventionem, verisimilibus aliis adjunctis satis suffultam, repudiare animus non est; id cupio, id desidero, inveniatur aliquis, qui Aquilana monumenta diligenter explorans, proposita hic dubia, aliaque eodem spectantia, pro rei dignitate et exigentia illustrare conetur. En modo instrumentum secundum omnes, etiam vitiosos et barbaros apices, facile nihilominus intelligibiles.*

SANCTORUM JUSTINI, FELICIS, FLORENTII, JUSTÆ ET UMBRASIÆ CORPORUM INVENTIO.

Visio Sanctorum mulieri ostensa,

Sanctorum Justini, Felicis, Florentii, Justæ et Umbrasiæ memoriam toto orbe venerandam opera ipsorum condita, et consecrata nomine demonstrat ecclesia, quæ non lapidum et metallorum fulgore, sed privilegio commendata signorum, non vili stemmate facta, sed cœlesti virtute prædita, apud Paonicum castrum meridiem versus; ubi quædam mulier, nomine Clara, meritis D
claruit tamquam devotissima monialis, Deo quæ nimis accepta, in una cellula reclusa manebat, ut suorum pœnitentiam ageret peccatorum : cui, dum in oratione staret, miraculose isti quinque gloriosissimi Martyres apparuerunt dicentes qualitatem ipsorum, corporum indicia (in) ecclesia sepulta : populum dicti castri Paonici seu Paganicæ, ut ad lucem deponerentur, convocaret, ut Dei potentiam, charitatem quoque, ipso a Dei via tempore deviato, maxime manifestaretur. Ostendentes iram, quam Deus emanaturus erat, nisi hoc fieret : verbera quibus istum nunc punit populum, non cessabunt; scilicet grandinibus, fulgoribus, tonitruis et multis infirmitatibus : et statim ab oculis sanctæ mulieris nubes eos accepit. Hæc, Clara nomine, tremens ac pavens, visionem, quam habuerat, præposito dictæ ecclesiæ recitavit; qui neglexit, et continuo quotidiana febri gravabatur.

et præposito indicata

5 Vero aliquod (post) temporis spatium, huic iterum sancti Martyres apparuerunt, monentes eam ut ad dictum præpositum iterum accederet: ipsa autem petiit ab eis signum, quo dictus præ- E
positus credere possit; et pergentes dederunt, quod quotidiana febris verteretur in crastino die in quartanam. Unde hæc omnia ipsi præposito suos convocare fecit consocios, et visiones, quas mulier illa notificaverat, rite eis recitavit, cupiensque fratrem Nicolaum de Paganica Ordinis Prædicatorum, ipsi sui consocii consulere astantes; atque de hoc nimium admirantes, miserunt ad ipsum fratrem Nicolaum, ut ad dictum præpositum veniret: cumque præpositus sic se haberet, et aliquantulum credere cœpit, febris continua, ut mulier prædixit, in quartana devenit. Frater Nicolaus autem adveniens, et hæc omnia audiens, adspiratus a Deo consulit, ut totus populus illius loci congregaretur, et ad episcopum Angelum de Avarellis civitatis Aquilanæ, ad recitandum prædicta devenirent : qui fratre Nicolaus, cum populo totius castri adire simul decrevit, et in ordine recitare cœpit omnia quæ evenerant. Episcopus postquam dictum F. Nicolaum auscultavit, aliquos convocavit clericos, et visurus hilari animo hæc omnia ivit.

Episcopum inducit ut quærat corpora :

5 Postquam devenit ad locum ubi stabat hæc mulier, voluit se ab ea informari. Habita informatione, intraverunt gryptam, et cœperunt perquirere. Stabant enim in ea duo altaria lapidea F
erecta, et alterum quod in medio erat sacratum, cum ritibus dissacrare cœpit, credens se ibi invenire corpora ipsa Sanctorum; sed dissacrato altari, invenit ibi duas bussoletas de gisso reliquiarum plenas, in quibus erant reliquiæ sanctæ Justæ et S. Felicis. Post reliquias invenerunt quatuor sigilla, quæ nomina episcoporum, qui ipsum consecraverant altare, demonstrabant. Acceptis quippe istis omnibus, et cum magna devotione reconditis, recesserunt. Sequenti vero Dominica, in qua Officium Trinitatis celebrabatur, ipse devotissimus F. Nicolaus habuit in somniis, qualiter ipse hæc corpora per signum columbæ inveniebat. Ivit, et in dicto altari Missam devotissime celebrare cœpit; et, ut moris est, antequam ad Corporis Christi elevationem veniret, affectualiter populum qui ad sacrificium præstabat, monuit, prædicando de ipsa Trinitate; et finita prædicatione, supplicavit populo, ut Deum rogaret, quod visionem hanc ob suam misericordiam demonstraret.

6 Et prosequendo, dum Corpus Christi elevabat,

A *quibus inventis,* bat, miraculose columba apparuit, et locum ubi ipsa corpora jacebant, demonstravit. Postquam iste devotus frater Nicolaus Missam complevit, paratus ut fuerat ligonizandi, petit instrumentum et fodere cœpit, ubi columba illa designavit; qui dum fodiebat, lilium apparuit album, quod ipsius Sancti, qui ibi jacebat, denotabat corpus; deinde dum adhuc foderet ante illum altare, duas lapideas cassas invenit, in quarum una descriptum erat: Hic corpus jacet Christi confessoris Justini sancti digni gloria et honore. In altera autem descriptum erat: Sanctæ hic Umbrasiæ corpus requiescit, quod ob ejus merita nimis relucescit. Deinde ad alium perrexit locum, quem simili modo columba ostenderat, et lilium rubeum apparuit, per quod Martyrum ipsorum (corpora) concernimus, et fodiendo ut supra, tres lapideas cassias invenit, in quibus tria corpora sanctorum deposita erant. In prima quarum descriptum erat: Sanctus in pace manet martyr hic Felix, qui ascendere meruit cum gloria in cœlis. In alia quidem descriptum erat: Florentinum hic sepelivimus, qui meruit victoriam, superavit
B quidem incredulos, et paradisi gloriam possidet.

varia statim miracula 7 Populus magno repletus gaudio postquam omnia ista pernoverit, misit ad episcopum, ut et ipse pernosceret et videret; qui mirans et gaudens, omnes convocare jussit clericos civitatis, et insimul cum populo dicti castri Litanias dicendo, ad locum ubi sancta corpora jacebant, pervenerunt. Episcopus vero cum aliquibus prælatis gryptam intravit, et cassias, in quibus corpora jacebant, devote invisebant. Postquam hæc corpora patefacta fuerunt, cum magna solemnitate et reverentia, omnibus adstantibus episcopus ipse ostendit; inter quos erat unus cæcus a nativitate, cupiens videre hæc corpora, lucem recepit; ob hoc omnes mirabantur et magna devotione repleti sunt. Et Præpositus qui febrim patiebatur, illico liberatus est cum omnibus infirmis qui tunc aderant. Denique episcopus cum prælatis et parochianis dictæ ecclesiæ præsentibus, ut corpora hæc in loco suo deponerent, utque cum gratis ferreis detrudere deberent; et cum iter capere volebat, unus ejus famulus, nomine Baldinus, advenit, nuntians quomodo frater ipsius erat in
C puncto mortis.

in multis facta sunt. 8 Audiens nuntium, cœpit flexis genibus sancta Corpora reverenter rogare, ut suum fratrem pristina induerent sanitate; facta autem oratione, et hora illa pernotata, versus civitatem cœpit ambulare, et intrans domum, invenit ipse episcopus suum fratrem in eadem hora a sua infirmitate esse liberatum. Videns autem hoc maximum miraculum, iterum dicto præposito et parochianis mandavit, ut opus quod præcipit, fieri deberet et adimpleri. Ipsi vero filii volentes obedire mandatis, opus solemniter incipere fecerunt; et cum opifices opificabant, multæ mulieres, quæ a malignis veniebant spiritibus vexatæ, sanæ recedebant, et multi claudi, et quoque manibus attractis sanabantur. Et opifactor hujus operis perspiciens hæc infinita miracula, unicum quem habebat filium mutum deducere fecit; et cum devotione ipsos Sanctos rogaret, ut huic suo filio præstarent verbum, immediate loquutus est. Hæc quamplura et infinita miracula, tempore quo hæc corpora inventa fuerunt, scilicet sub anno Domini MCCCXXX, mense Junii Christus demonstravit, et ipsorum Sanctorum merita dicto mense anno MCCCXXX in festo sanctissimæ Trinitatis, etc.

9 *Atque hæc tota est Inventionis historia, iis destituta characteribus, unde de ejus authentia judicium ferri possit, quam tamen superius haud invite admisimus. Ne quid vero de sua* S. Justa *prætermissum esse, queri possint Aquilani; Officii fragmenta subjicio, quæ uni ex Actorum apographis annexa reperi, utut etiam rudi, crassa et incompta minerva elaborata videantur. Præfigitur hic hymnus :* EX VARIIS *Dantur Officii*

Justa beata, Christo desponsata, quæ reliquisti mundum, quæ respuisti
Cuncta mundana quæ dicuntur vana, salva nos omnes.
Cui parentes mundum relinquentes, non dimiserunt, imo studuerunt
Deo servire atque obedire, die ac nocte.
Hæc Dei virgo fuit Sipontina, Dominum dilexit, castam vitam gessit;
Quod prædicavit, factis confirmavit usque ad mortem.
Quidam præfectus fuit et honestus, ut eminatur atque adulatur
Promittens multa si vult esse sponsa sibi ex toto. E
Respondens virgo Justa ad hæc dicta: Deum adoro, ipsum sponsum colo,
Me desponsavit atque coronavit Filius Dei.
Propter hæc verba in camino missa, nimis orando, Deo supplicando,
Caminus ruptus exstat, jam concussus prece ipsius.
Statim egressa, fluvium ingressa, calceamentum flumine detentum,
Sancta oravit, currere cessavit fluvius ille.
Unde perfecta martyr est effecta; gemmis ornatur, nimis coronatur;
Chorus sanctorum clamat angelorum: Gaude nobiscum.

10 *Subjiciuntur antiphonæ ad Laudes hoc ordine.* 1, Obsecro te beata Virgo Christi, ut suscites filium meum. 2, In illa hora surrexit et cœpit ambulare magnificans Deum. 3, Clamabat Virgo Christi voce magna et dicebat: Quare me derelinquis, pater sancte, et quare tecum non immolor? 4, Dixit ad eam Florentius: Exspecta modicum, filia dulcissima, quia majora tibi debentur certamina. 5, Succenderunt pagani caminum, et miserunt ibi B. Justam, et virgo Christi immobilis permansit. *Ad Benedictus antiphona:* Justa in medio camini, expansis manibus orabat: Domine Jesu Christe, Pater sancte, Deus de Deo, accipe spiritum meum, quia tempus est ut veniam ad te, et commendo tibi qui per me crediderunt in te, ecce venio ad te, quem quæsivi, quem dilexi, quem semper optavi. *partes aliquæ* F

Demum hymnus alter, nec ordinis nec metri priore elegantioris. Sic sonat:

Omnes devotis celebremus animis festa B. Justæ virginis
Quæ spernens mundum Domino complacuit, suos parentes assidue
Docuit; eos de pœnis liberare studuit.
Ad cujus verba omnes credunt pariter, parvi et magni cives
Mirabiliter. In civitate Sipontina optima orta est vere
Justa beatissima; ibique fecit primum mirabilia,
Ad Teatinam civitatem venerit; in Dei fide multos confirmaverit;

Puerum

EX VARIIS.

Puerum quemdam suscitavit mortuum, prædicans cunctis
Dei Evangelium : ad angelorum sociat consortium.
Post hæc perrexit ad quamdam provinciam, ubi destruxit maximam
Perfidiam : Hi Forconenses tunc erant pravissimi,
Iniquitate omnium plenissimi, Sanctam circumdant, ut erant nequissimi.
Ad comburendum in caminum mittitur : Sancta orante protinus concutitur :
Illi maligni minantur occidere ; Virgo festinans in monte
Abscondere : in ipsa hora caruerunt lumine.
Optat coronam sumere martyrii ; redeunt cæci sua prece visui.
Ob hoc præfectus motus ira pessima, Sanctam percussit, cujus manus
Improba eam occidit sua quoque lancea.
Omnes ægroti illius provinciæ ejus ad corpus veniunt lætissime
Quotquot tangebant tumulum fidelissime, salvi fiebant omni
B
Ægritudine : grates reddebant Deo plenissime.
Gloria Deo, gloria sit Filio, virtus et honor semper sit Paraclito.

nescitur an usitatæ.

11 *Porro an hæc umquam in ecclesia* S. Justæ *collegiata usu recepta fuerint, aut modo sint, an potius privata pietate ad eum modum ab aliquo concinnata, non est unde queam conjicere. Atque hæc quidem prælo parata erant, dum opitulante denuo laudato Illustriss. amico D. De Georgio, paulo distinctiores notitiæ a Viro Clarissimo R. D. Antonio Antenori Aquila accessere, quibus si non Legenda ipsa omnino vindicatur, saltem quæ ad cultus extensionem pertinent, paulo uberius ex receptis istic traditionibus elucidantur. Utrum vero omnimode substent, vehemens mihi inhærere dubium, post omnia accuratissime examinata, candide iterum profiteor, adeo ut necdum scrupulum omnem mihi exemerint, utrum sanctæ hujus* Justæ *corpus, cum alterius synonymæ Martyris olim confusum non fuerit, cui aptata sit jam dicta Legenda, nævis suis fœda et implexa. Etenim* Justæ *nomen quam commune sit, ostendunt decem synonymæ jam nunc in Actis nostris relatæ :* C *reliquiarum autem sub eodem numerum quis recenseat? Fatetur certe laudatus Antenorius, non paucas, sub* Justæ *nomine, sacras reliquias circumferri, quas ipse ultro asserit, ad suam* S. Justam, *vulgo Sipontinam, referri omnino non posset. Hæc paucis indicasse sufficiat ; nunc reliqua ex jam dictis responsis educamus.*

APPENDIX ALTERA

De S. Justæ reliquiis.

De multis miraculis pauca scripta.

H*uc referenda essent* S. Justæ *miracula, quæ innumera propemodum confuse commemorantur, at quorum nulla, sive Baczani, sive Paganicæ, sive Aquilæ perpetrata, in tabulas relata reperire potuit laudatus jam non semel adjutor meus Antenorius, cujus hic verba, ex litteris ad me datis Idibus Februarii anni* MDCCXXXI, *subjiciam :* De miraculis nil dixi, quia nihil solide dici potest. Nulla episcoporum adest perquisitio, nulla scriptorum auctoritas. De cetero summa erga Sanctam hic devotio D gratiis quotidie receptis innititur. Baczani tempestates aëris sonitu campanæ ecclesiæ D. Justæ pelli, firmissima fide et eventu habitatores tenent, continuo ad hoc salubre remedium recurrunt; et uti a protectrice ibi etiam continuo miracula dicunt una voce reportare suis in afflictionibus necessitatibusque. His plura dicere nequeo, nam his plura incompertum est adesse. *Eum postremum conveneram, ex tot implexis et dubiis, nonnulla ita expediret, ut saltem certioris lucis aliquid, tot rebus obscuris, præsertim circa* S. Justæ *reliquias affundi posset. Ad duodecim capita reduxeram, quæ hic ordine proponere visum est, subjunctis ejus solutionibus.*

De prima sepultura

13 *Quæsieram itaque* I *Cum tam varia de* S. Justæ *sociorumque corporibus narrari comperissem, de quibus in primo suo scripto meminerat ipse Antenorius; quæsieram, inquam, assignari mihi veram primam* S. Justæ *sepulturam? Respondit, primam ejus sepulturam censeri ad radicem Offidii, quod nunc Baczanum castrum dicitur. Altera quæstio erat: Quamdiu in eadem sepultura mansisset sacrum* E *ejus corpus ? Ingenue fatetur, incertum id esse; verum supponit, quod ante scripserat, nempe tamdiu ibidem depositum fuisse sacrum thesaurum, donec Hilarius ille, de quo in Actis num.* 15, *in agro suo basilicam* S. Justino *construxisset, ad quam nempe etiam, incertum quo seculo, Sanctæ corpus deportatum fuerit. Institi, edissereret, quoties deinceps et ad quæ loca idem ipsum corpus fuisset translatum : et quarto capite, quandonam cum aliis quatuor Paganicam pervenisse supponeretur, ubi nimirum in relata modo Inventionis historia inventum dicitur anno* 1330*? Nescio an satis solide reponat, dum jam dictam in agro Hilarii qualemcumque basilicam confundit cum templo Paganicensi, in quo reperta fuerint memorata in historia Inventionis Sanctorum quinque corpora : traditiones hujusmodi facilius narrantur, quam probari possint.*

et translationibus,

14 *Ceterum si Antenorio credimus, semel dumtaxat deportatum fuit sacrum* S. Justæ *corpus Baczano in præfatam basilicam; ut vero salvet reliquias tum Baczanenses, tum Paganicenses, num Aquilanas, ita negotium partitur, ut certum asserat,* Baczani partes ossium exstitisse *et æque certum, etiam* exstitisse partes in basilica prope Paganicam. F *Audi cetera :* Partes quæ Baczani *(seculo non* XVI, *sed* XVII) inventæ fuerunt, sunt caput et inferior mandibula S. Justæ, quinque partes ossium, et varia ossicula. Partes vero Paganicæ inventæ sec. XIV, sunt ossium partes, et illæ non equidem tota componentes sceleta, nec cum istis Baczani coincidentes. *Atque hisce viam sternit ut solvat quod quinto loco petieram : Quomodo nempe Paganicæ repertum fuerit corpus Sanctæ seculo* XIV, *cum adhuc Baczani fuisse et istic inventum supponatur seculo* XVII *? Nodum satis opportune dissolvit, recurrendo ad partes istas jam memoratas :* Duæ illæ inventiones, *inquit,* Paganicæ nimirum et Baczani, non pugnant inter se, nam non sunt totius corporis sed patrium. *Valeat cuneus, quantum potest. Ad sextum caput procedamus, quo quærebatur, unde Sancta Aquilam demum translata fuisset, an Baczano, an Paganica?*

non totius corporis sed partium,

15 *Non Paganica sed Baczano Aquilam pervenisse respondet :* Nam Baczani, *inquit,* post Inventionem, *(diceret, si sciret, quando factam)* reliquiæ in theca lignea servatæ, et venerationi expositæ. Inde vero præpositus Joseph Marianus Aquilam deportavit anno MDCXXVI caput . Justæ, et sacrorum

A crorum ossium partes, itidem S. Justini caput et sex ossium partes, paucis Baczani ossiculis relictis, hodie ibi etiam existentibus. *Multa deinde sequuntur quæ sic paucis contraho, ut satis intelligatur, furtim quodammodo Baczano ablatas esse* S. Justæ *reliquias ab illo Josepho Mariano tunc præposito, qui easdem alicubi occulte deposuerit, unde extractæ anno* 1659, *demum* 1661 *rursus exaltatæ et populi venerationi expositæ fuerint. Huc porro adducit chartam testantem in hunc modum :* Inventa est authentica scriptura novæ translationis paucarum reliquiarum SS. Justæ et Justini, ex ecclesia Baczanensi ecclesiam S. Justæ intra Aquilam, in archivio hujus ecclesiæ, tenoris sequentis, videlicet : Anno D. MDCXXVI epistola S. Congregationis, concessum fuit præposito Mariano, reliquias transferre SS. Justæ et Justini, ut in ecclesia S. Justæ intra Aquilam e Baczano collocarentur. Et decreto Ill. D. Alvaris de Mendoza episc. Aquilani, cui S. Congregatio auctoritatem dabat recognoscendi, an expediret; concessionem asportationis obtinuit. At quia tunc Marianorum capella exstructa non erat, in loco C secreto, retro prædictum capellæ situm, positæ et muratæ fuerunt, consanguineis tantum Mariani id scientibus.

quæ satis mire Aquilam pervenerunt,

16 *Quærebatur* VII, *utrum ex eo tempore, quo Aquilam translata sunt sacra* S. Justæ *ossa, peculiari cultu ibidem constanter honorata non fuerit, in propria sua collegiata ecclesia? Consequenter ad præcedentia, respondet : Ex dictis patere,* Aquilæ sacra ossa peculiari cultu, immediate post translationem, non fuisse honorata. Addo, *inquit,* quod heredes Marianorum mihi aliam hujus occultationis causam exponunt, asserendo, suorum ex ore majorum scire, has reliquias occultatas fuisse, ne popularibus Baczanensibus tam citata notitia translationis patefieret ; ægre enim illam tulissent, utpote factam, ipsis insciis : et præpositus in maximo positus fuisset discrimine popularis tumultus. Hinc epistola S. Congregationis Episcopo tantum ostensa fuit, a quo licentiam etiam secrete agendi recepit. Hæc, si libet, authentica et publica fide attestari heredes supradicti non renuunt. Adde quod eodem anno, quo translatio reliquiarum evenit, et proprie III Julii MDCXXVI, uti ex libro mortuorum ecclesiæ S. Ju- D stæ, obiit præpositus Marianus, et ejus heredes, de ea re parum soliciti, eam penitus dereliquerunt : et capella, tunc temporis designata, adhuc etiam desideratur.

diu occultatæ

17 *Eadem via solvere aggreditur, quæ articulis* VIII *et* IX *postulaveram : Cur et quamdiu sacra illa occultata fuissent? Quo facit longius instrumentum, ab ipso descriptum, ex quo docemur, nepotem aliquem dicti præpositi Mariani, totius rei conscium, miro subinde morbo correptum, tandem scrupulo commotum anno* 1659 *revelasse ipsum locum in quo desideratæ reliquiæ asservabantur : quæ inde continuo extractæ, legitima episcopi ipsius auctoritate recognitæ et approbatæ fuerint, et summa reverentia in præparatis capsulis depositæ, solicite custoditæ, donec anno* 1661, *eadem auctoritate* in lipsanotheca lignea aurata inclusæ fuerunt, duobus diversis loculis sub duabus clavibus parvulis ; *cujus sacræ thecæ delineatio huc ab Antenorio transmissa, hic spectanda exhibetur ; sicque etiam satisfit postulato* X, *quo eam quæsieram potissimum, ut ad Sanctæ gloriam exponeretur. Loculi gemini, inter se divisi, satis ostendunt, in altero* S. Justæ, *in altero S. Justini sacra lipsana repræsentari.*

AUCTORE J. B. S.



Quo ritu Sancta ibi colatur.

17 *Notaverat in primo suo scripto diversas Sanctorum quinque, de quibus in historia Inventionis agitur, festivitates, nempe SS. Florentii et Felicis ex die* XXV *Julii, ob concursum S. Jacobi, transponi in diem* XXVII *ejusdem mensis : S. Justinum autem, ut etiam dictum est, spectare ad* XXXI *Decembris ; ad diem vero* II *Augusti* SS. Justæ *et Umbrasiæ, propter celebritatem S. Petri ad Vincula. Rogaveram equidem quæstione* XI : *Quo Officio et ritu coleretur* S. Justa *in sua ecclesia? Demum* XII, *utrum de ipsa eodem die fieret per totam diœcesim* F *Aquilanam? Responsio est, Reliquias in altari exponi* die I Augusti, S. Justæ festivo, *ut inde consequens fiat, ipso illo die Sanctam coli, atque adeo etiam Officium de ea solennius recitari, non in tota urbe et diœcesi,* sed tantummodo in ecclesiis Sanctæ ipsi dicatis ; *ut demum colligendum videatur, peculiarem eo die esse festivitatem locis solis jam dictis. An in locis ceteris ad diem sequentem transferatur, necdum est unde satis clare perspicias. Commemorationes per annum, ut de singulari Patrona hic supponimus ; ut proinde satis sit, huc usque operam contulisse, ut de* S. Justæ *hujus trophæis nihil solidi sineremus desiderari.*

AUCTORE J. B. S.

D

DE S. NEMESIO CONFESSORE.

J. B. S.

Ex Martyrologio Usuardi.

I AUGUSTI.

Solo nomine

Solum hunc cito Martyrologum, *quod is solus inter classicos de Sancto meminerit, atque ex ipso omnes acceperint apud quos, uti et in Romano hoc die memoratur* Nemesius, *ab aliis synonymis Martyribus titulo ipso satis distinctus. Neque positionem seu locum cultus adscribere integrum fuit, cum post adhibitam omnem diligentiam, interpellatis etiam amicis Parisiensibus et aliis, necdum rescire potuerim, ulla uspiam memoria festivitatem ejus hodie celebrari. Frustra etiam quæras, unde ipsum Usuardus acceperit. Id certum est, in ipsius Martyrologio hoc die annuntiari ipsissimis hisce verbis :* In pago Lisuino, sancti Nemesii confessoris. *Mira prorsus in eo loco exprimendo codicum diversitas, in quibus invenies* Lesuino, Lisimio, Lisuyno, Lysynio, Lissuino, Liisyuno, Tysino, Bissuino, Siluino, *etc. Ut jam taceam, nec nomen ipsum uniformiter ubique efformari, aliquibus pro* Nemesii *substituentibus* Menesii *aut* Menesi, *ut hic ambigua sint prope omnia. Neque lucis affert quidquam Castellanus, dum ad Martyrologii sui universalis marginem notat, olim vocatum fuisse Gallice* S. Lemps *seu* Lempsium : *de loco nihilominus non usque adeo male meritus est, ut ex dicendis patet.*

B

in Martyrologiis notus est.

2 *Hunc Labbeus noster in versione Martyrologii Romani, Gallice interpretatus fuerat:* Au bourg de Lisum : *Willotius autem ;* En un village près de Lisuin : *quod ferme est obscurum exponere per obscurius; nam sive vicum dicas* Lisuinum, *seu pagum, parochiam aut municipium, tantumdem intelligitur ; nisi positio illa clarius explicetur ; id quod præstitit laudatus Castellanus et cum ipso noster Motherius assignando* Au pays Lievin, *quod ante ipsos paulo expressius docuerat Augustinus Lubinus in suis ad Martyrologium Romanum notis Geographicis pag.* 62, *ubi et de loco et de Sancto habes quidquid a nobis hic referri potest. Pagum itaque Lisuinum sic paucis et clare explicat :* Pagus Lisuinus, regio quam nunc vulgo Le Lievin appellant, circa urbem Lexoviensem, quæ aliquando Lisoiensis dicta, vulgo Lisieux, estque episcopalis sub archiepiscopo Rothomagensi, in Superiori Normannia, supra Lezon fluvium. *Pergit de Sancto in hæc verba :* Augusti I. S. Nemesii confessoris. De eo Usuardus hac die, nulla tamen S. Nemesii, nec in Breviario Lexoviensi, nec apud Lexovienses hodie superest memoria. *Gratiam a me inibit singularem quisquis de hoc* S. Nemesio *plura docere potuerit.*

E

DE S. LEO SEU LEONE PRESB. CONF.

J. B. S.

VIGUENTIÆ IN DIŒCESI FERRARIENSI ITALIÆ.

C

F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti cultus, ætas, translatio et Acta.

SECULO IV.

Obscura ferme omnia

Locum *hic signavimus, in quo translatus* S. Leus, *potissimum jam a seculis colitur ; eum ubi vivus degere solebat, sic describit Ughellus tom.* 2 *Italiæ sacræ col.* 930 : Sancti Leonis civitas, quæ etiam Leopolis appellatur, in supino arduoque colle constructa, Urbinatis ditionis, in Flaminiam provinciam spectans, tametsi perantiqua sit, ex ingrato tamen scriptorum silentio, vix umquam apud antiquos scriptores ejus memoria occurrit. *Non immerito hic queritur Ughellus nam valde obscura sunt, etiam apud Leandrum Albertum, quæ de Monte Feliciano, Monte Ferrato, clarius Monte-Feltrio, in* S. Lei *Actis et etiam alibi citantur, ubi quidquid in istius civitatis laudem commemoratur, efficere non potuit, quin ecclesia Cathedralis in vallem translata sit, ubi episcopi modo resident, sive Pinnam voces sive Maceratam Montis Feretrani, quæ longiori explicatione eruderare, operæ pretium nemo existimaverit, quod nec Ughellus censuit, cujus tamen maxime intereat : ut proinde satis sit hic indicasse, nomen diœcesos, ab antiquo et præcipuo nomine inditum, etiam hodie obtinere.*

quæ ad hunc Sanctum spectant.

2 *Quemadmodum obscura sunt ea de quibus merito conqueritur Ughellus, ita me fatigatum profiteor iis examinandis discutiendisque, quæ ad Sanctum, de quo hic sermo est, pertinent : ubi præter rerum confusionem, id me torsit præcipue, quod de ipso, a quo civitati nomen inditum, in Fastis sacris antiquis, sive* Leus, *sive* Leo, *sive* Lea *dicatur, omnino incognitus sit, ut Ferrario tribuenda videatur prima Sancti istius notitia in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi ipse prudenter in pauca contraxit, quæ alii, oratores potius quam historici, verbose exornarunt, non attendentes ad enormem parachronismum quo Diocletiani, et quidem ab anno* 257, *et Constantii imperatorum tempora imperitissime componuntur, etiam apud Petrum de Natalibus lib.* 8, *cap.* 36, *ut recte monuit idem Ferrarius; reliqua non indiligenter scrutatus. Ceterum, ut ut gesta*

ejus

A *ejus, nescio a quo primum, nec quo seculo, certe non procul remoto, collecta omnino perturbata sint; quæ ad cultum ejus, quo de hic quærimus, spectant, satis comperta perspicies ex Officio ecclesiastico, sub ritu duplici ecclesiæ Feretranæ concesso anno* 1651, *quod hic integrum exhibemus.*

Lectiones lapicidam faciunt,

3 Lect. iv. Leo Illyricus apud Arbam Liburniam Christianis ortus parentibus, ab ineunte ætate Deo cœpit inservire. Adolescentiori ætate, una cum Marino concive, statuit peregre proficisci, et relictis parentibus, vitam ducere a turbis remotam. Ad littus Ariminense appellentes, sistuntur, ut restaurandæ urbi, dolandisque lapidibus, qua pollebant arte, suas operas locarent. Illuc etiam Diocletiani imperatoris edicto plurimi ad hoc opus convenerant Christiani, quos dum inhumani præfecti ultra vires gravarent, variisque modis affligerent, Leo et Marinus de mercede laborum reficiebant, atque ut in fide constanter perseverarent, continuo persuadebant. Lect. v. Ad montis Titani fodinas missi, cum excidendis, dolandisque lapidibus triennium exegissent, Leo in montem Felicianum, nunc Feretra-B num solus recessit. Illic anachoreticam vitam, qua, pridem in mentem induxerat, in oratione assidua, et corporis maceratione transegit, constructo sibi tuguriolo nempe fontem, nunc S. Leonis nuncupatum, cujus aquam pellendis morbis vicini populi probant salutarem. Cum vero illius fama undique crebresceret, S. Gaudentius Ariminensis episcopus eum accersivit, ut contra Arianos prælianti continuo foret adjutor.

et postea sacerdotem.

4 Lect. vi. Viri sancti humilitatem, vitæ austeritatem, morum probitatem, et sermonis prudentiam conspicatus episcopus, ad sacerdotalem gradum evexit, habuitque indefessum contra hæreticos auxiliatorem. Inde regressus ad pristinam solitudinem, post vitam sanctissime transactam, cursum feliciter consummavit Kalendis Augusti. Corpus Vico-habentiam, prope urbem Ferrariensem translatum, summa habetur in veneratione, in ecclesia ejus nomini consecrata. Dum in monte Feliciano requiesceret, tantus erat concursus et populorum erga eum devotio, ut mons et civitas munitissima, ac magnum templum exinde in eo exstructa, ab ejus nomine nuncupationem accipiant. *Si Lectionem* iv, *cum* v C *conferas, patet is, de quo dicebam, parachronismus, dum Diocletianus cum Gaudentio Ariminensi episcopo connectitur ; ut de Sancti ætate statui omnino nil possit, nisi alterutrius tempora sejungantur. Mihi certe id verosimilius,* S. Leum *non nisi adulto sec.* iv *floruisse, et post vitam in solitudine, ut est in Lectione* vi, sanctissime transactum, *forte circa finem ejusdem seculi,* cursum feliciter consummasse. *Id unum indubitatum est, coli istic* S. Leum *tamquam patronum et protectorem; utpote qui ibidem vitam sancte exegerit.*

Nec magis clara sunt,

5 *Habes in descriptis lectionibus totam Legendæ substantiam, quæ quidem tolerabiliter admitti possit, a Ferrario eadem ferme ratione prius deductam, certe longe præferendam tum iis quæ refert Petrus de Natalibus, tum scriptores ceteri seu Latinis seu vernaculis oratiunculis amplificarunt ; quas, fallor, siquis vel mediocriter eruditus satis patienter ferre queat. Verum de his paulo infra. Alia adjuncta rem æque implicant circa locum primæ depositionis* S. Lei *ejusdem translationem in Vicum-habentiam, Vicoventiam seu Viguentiam diœcesis Ferrariensis, quam S. Henrico imp. adscribere non dubitant, ut factam anno* 1014, *a qua circumstantia dictæ lectiones prudentissime abstinuerunt. Quod vel si daretur ita contigisse, supersunt dubia alia, quæ jam tum Bollandi tempore innotuisse oportet, cum ab anno* 1638 *in prædictas reliquias inquisitum fuerit, ut plane liquet ex instrumento ad nostrorum aliquem Ferrariam per Illustrissimum tunc Feretranum episcopum Consalvum Durantum transmisso, ubi merito queritur de neglecto ecclesiæ suæ archivo, in quo vix quidquam de* S. Leo *reperirietur. Hinc factum existimo, ut urgentibus Henschenio et Papebrochio, dum annis* 1660 *et* 1661 *in Italia agerent, novum examen institutum fuerit ; quod nos docebit Illustrissimus Bernardinus Scala, jam dicti Consalvi successor, cujus longiorem epistolam post Vitam dabimus, delibato hic solo ejus principio.* AUCTORE J. B. S.

quæ de translatione narrantur,

6 *Extensa est ea epistola ad paginas quatuordecim, ad Papebrochium scripta, subdata* Pinnæ Billorum i Kal. Novembris anno a Virginis partu mdclxvi, *sed quæ non nisi post ejus obitum, qui incidit in* xix *Januarii* 1667, *missa fuit ab ipsius nepote Francisco Caccia de Scala, proximis Februarii Kalendis, de ultima avunculi sui voluntate ita scribente :* Ægrotus invaletudine pressus, inter cetera stricte dedit mihi in mandatis, ut litteras responsorias de Vita S. Leonis conf. ex origina- E li, quod ipse Illustrissimus ac Reverendissimus antistes ante postremam infirmitatem respondendo scripserat, diligenter et fideliter desumendas, Antverpiam ad Patern. tuam transmittendas pro virili satagerem. Id totum oculate faciendum curavi, nihil addens vel minuens, sed ponens ipsissima verba, prout jacent scripta, eo teste qui cordis intuetur occulta... En igitur responsum ad litteras duas de Vita S. Leonis conf. ecclesiæ Feretranæ patroni compositum et omnibus numeris absolutum, ab Illustrissimo ac Reverendissimo D. Bernardino Scala ep. Feretrano avunculo meo recolendæ memoriæ, licet in fine non ejus subscriptione firmatum: in causa fuere infirmitas et obdormitio ejus in Domino, *etc.*

tametsi confirmata

7 *En modo Illustrissimi ipsius Bernardini litterarum responsoriarum exordium, quibus in decursu inseritur Durantinum, quod dixi instrumentum. Verbum de verbo reddo :* Impletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, nuntiantibus litteris tuis, pium ac sanctum Opus, a perfecto ingenio nec non elaborata industria Joannis Bollandi et Godefridi Henschenii Societatis Jesu sacerdd. circa Sanctorum Acta editum et eden- F dum, pium profecto sanctumque, dum per ipsum fidelium mentes ad Dei cultum ac Sanctorum venerationem dirigentur. Ex iisdem igitur litteris tuis, et humanitate et devotione plenis, accepimus, nostrum esse quærere monumenta, quibus probari possit, S. Leonem, ecclesiæ Feretranæ primum cultorem et patronum, Vicoventiæ mortuum et sepultum, atque in templo, a se S. Lei cognominato, miraculis celebrem fuisse: quod sane munus, divino implorato auxilio, ac singularis Protectoris nostri S. Leonis clementia freti, facile persolventes, ea quæ modo subsequuntur, optatis vestris rectissimis maxime responsura confidimus: illa enim quæ clariori veritate suffulta, et approbationis prælo subjecta censuimus, ne quidquam modo pastorali nostro officio desideretur, non prætermisimus.

a Bernardino episcopo

8 *Sequitur in eadem epistola :* Sanctus ergo Leus in solitudine Feliciani montis, sensibus austeritate vitæ compressis, ac principe tenebrarum eluso, triumphator ad Superos evolavit sub die Kal. Augusti. Sacrum illud corpus, magna populorum frequentia et veneratione in eodem loco sepultum est, ibique reconditum exstitit septem volven-

AUCTORE J. B. S.

volventibus seculis. Verum Henricus I imperator, vel secundum alios II (licet has opiniones Baronius sapienter conciliet in annotationibus supra Martyrologium) Italiam pergens, et eumdem montem pertransiens, sanctum corpus, adhuc integrum et palpabile, secum reverenter exportavit. Viguentiam, Ferrariensis diœcesis olim civitatem perventus, sacra illa reliquia, ceu turris immobilis, et animalium et hominum vires penitus irritas reddidit mirabiliter. Quare imperator singulari affectus dolore, talia verba protulit: Ego quidem volebam honorifice illum * exaltare in terra mea, et habere socium in comitatu meo; et tu magis elegisti in istis palustribus locis habitare. In hoc credimus, sicut et in ceteris operibus, nullam omnino rem esse bonam, nisi quod divina gratia concedente operatur, nec posse pergere sancta corpora, nisi ad loca destinata. *Hæc combinet, qui potest.*

* *l. te*

Corpus Viguentiæ asseritur:

9 *Viguentiæ* S. Lei *sacrum corpus, jam a seculis depositum et honoratum receptissima fert opinio, cui contradicere equidem minime præsumo: Ferrariam non esse translatum, probabit inferius idem Illustrissimus Bernardinus. Mira mihi prorsus visa est adscripta translatio S. Henrico imperatori, atque eo maxime modo quo ibi narratur historia, cujus nec tenuissimum vestigium exhibent ejus Sancti gesta, non indiligenter ad* XIV *Julii expensa et chronologice digesta. Audi porro, quem testem adducat Illustrissimus.* Ita legitur, *inquit,* apud R. D. Bistintonem Miccolum Ravennatem in Vita S. Lei pag. 69, Ferrariæ typis excusa anno D. MDCL. Cujus inscriptio libelli, quæ idiomate Italico legitur, hæc est: Vita di San Leo Confessore, il cui corpo sta riposto nella parochiale della villa di Voghenza. *Credidit, opinor, in libris* approbationis prælo subjectis, *non nisi verissima omnia contineri. At sane alia opus est auctoritate ad firmandam translationis istius historiam. Nec magis placent quæ refert Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ col.* 544. *Vita porro illa, a Papebrochio sæpe postulata, obtineri non potuit; et vel si obtenta fuisset, nihilo majoris fieret, quam ceteræ de quibus jam loqui incepimus, vel alia illa elegans oratio, ut quid pretiosi citata a Marco Antonio Guarino, in Compendio historico ecclesiarum Farrariensium, sub nomine Hippolyti Pignæ pag.* 460.

sed Vitæ pleræque rejiciuntur.

10 *Cetera quæ jam toties dictus antistes Bernardinus in epistola sua prosequitur, infra subjicientur. Hic de* S. Lei *Vitis dicendum superest; quarum illam, quæ apud Petrum de Natalibus exstat, de S. Marino præcipue agentem, non pluris quam ceteras faciendam censuimus. Paulo longior est Ms. quæ ex cod. Bodecensi, sæpe a nobis citato transumpta est; maxima vero cui hic præfigitur titulus:* Incipit Vita S. Marini conf. desumpta ab antiquissimo libro Ms. qui est penes illustres DD. Societatis S. Hieronymi de Arimino fol. 167 usque fol. 174, *quæ eadem prorsus est cum illa quam P. Beatillus Neapoli transmisit anno* 1640, *in quibus vix plura sunt ad* S. Leum *seorsim spectantia, quam quæ habentur in alio breviori Ms., vel ea ratione ceteris præferendo, quod illa verbosis parergis respersa, tædium potius merito pariant quam voluptatem, nihil vero plus proferant ad Sancti veram gloriam conducens: poëmata diceres studiose exornata, aut saltem orationes panegyricas ad ostentandum ingenium compositas; tales certe, ut a Tillemontio tom.* 6 *pag.* 785, *non sine stomacho repudientur. Desumpta sunt Acta hic danda ex tomo signato H. bibliothecæ Oratorii Romani, eademque etiam habemus in novem lectiones distributa; ex quibus solum* S. Lei *Vitam, ceteris, de quibus in appendice agetur, rescissis, decerpendam censui, uti hic sequitur:*

VITA

Ex tomo H. *bibliothecæ Oratorii Romani fol.* 339.

Lapicida ipse cum S. Marino

Temporibus Maximiani et Diocletiani imperatorum contigit de finibus Dalmatiæ homines delatos apparuisse Hesperis, unum nomine Leum, alterum Marinum, qui nihilominus relictis parentibus et facultatibus mundi, cœlestis regni acquirendi causa exercebant (se) unanimiter, diebus atque noctibus, jejuniis et orationibus indesinenter servientes; ita vero eorum mentes in deliciis spiritualibus erant accensæ, ut gaudia præsentis vitæ fugientes, seculi divitias veluti ludibria labefactata etiam arbitrarentur: tantaque suavitas et humanitatis gratia in ipsis pollebat, ut etiam subditorum famulatui se ipsos subjugarent. Igitur sanctissimi viri Leus et Marinus, omnium artium gratia et valetudine pollentes, ore et spiritu psallentes, manibus indesinenter operabantur, unde crebrius indigentibus ministrarent.

Ariminum appulsus,

2 Igitur venientes ad Ariminensem civitatem diversorum operum singuli sortiti sunt partes: tum provinciales intolerabilibus laboribus videntes aggravari illos et ponderibus, compatiebantur eis, qui pro fraternæ charitatis amore usque ad mortem animas suas impenderunt, narrantes eis, qualiter ab arce Patris salvator humani generis descendit, et de Virgine susceptam carnem induens, humanis aspectibus se Deum et hominem ostendens. Ii et horum similium opera agentes, emerunt sibi subjugalem unum, quatenus cum illo adminiculo absque aliorum molestia, in diversorum laborum pressura positis subvenirent laborantibus patribus. Igitur non post multi temporis evolutionem, data est jussio supradictorum Imperatorum, ut omnes magistri incidendorum lapidum ad montium crepidines proficiscerentur, ad excidendas diversorum de montibus marmorum species; quod factum est. Ibant igitur sancti Leus et Marinus cum multitudine incisorum ad cacumen montis, qui rusticana lingua dicitur Titanus. Pervenerunt itaque prædicti homines Dei ad locum superius nominatum, et operati sunt, sicut ibi, opera, quæ in ornamentis lapidum reperierunt.

fructuose laborat;

3 Completis ergo ad terminum annorum curriculis, profectus est sanctus Leus, paucis secum comitantibus, ad jugum montis Feliciani, qui vulgari sermone dicitur Monferratus; ibique sibi denique cellam constituit, et tabernaculum dedicavit, in qua fraterna dilectione intentus, in tanta admiratione cuncti ei congratulabantur, ut ad vestigia pedum ejus provoluti, et Deum pro ipso magnificantes, omnia profecto opera illius, divina inspiratione, gratia completa fore profitebantur; reverteruntque omnes ad domos proprias. S. Leus ad cellam suam reversus, in Dei servitio commorabatur, dans oppressis levamen, tribulatis consolationem; proprias in se ipsum injurias convertebat, facientes jugiter excusans, et ardore charitatis incensus, pro cunctorum salute se ipsum quasi hostiam Deo placabilem offerebat.

A

Inde vivit solitarius,

4 Post aliquod vero temporis Gaudentius episcopus, cum a sedibus Romanæ ecclesiæ Ariminum ad prædicandum venisset, ingressus urbem audivit famam et virtutes sanctorum Lei et Marini; narrantibus Christianis, qui in eadem civitate erant: repleta namque erat pene tota civitas magnalibus divinis, quæ ministrante divina potentia, per Sanctos illos suos operabantur: quibus auditis verbis, S. Gaudentius statim ad eos literas direxit, ut venientes honorem acciperent ipso tribuente, et tunc irent ad prædicandum gentibus in nomine Patris et Filii et S. S. Amen.

ac postea sacerdos sancte moritur.

5 Receptis igitur pontificalibus literis et perlectis, sancti viri Leus et Marinus unanimes, in spe militiæ cœlestis armati, venerunt Ariminum ad sanctum Gaudentium: quo viso, repleti sunt maximo gaudio, et permanserunt cum eo aliquot diebus, prædicantes et confirmantes populum in verbo et doctrina Domini, qui rogati a pontifice acceperunt sacerdotale ministerium, beatus Leus gradum presbyteri, sanctus Marinus leviticum honorem: et taliter in illis lætificatus est antistes

B

Gaudentius, ac si ad eum pervenisset cœlestis nuncius, quod in illis profecto esse absque dubio credi potest. His ergo omnibus peractis, Viri Dei præsuli valefacientes, ad propria loca reversi sunt; eodem vero tempore, transactis pluribus diebus, beatissimus Leus eximius confessor Christi de præsentis seculi ærumnis liberatus, et principe mundi devicto, ad desiderata cœlestis regni gaudia sublevantibus, cœli cœlorum choris, triumphator migravit sub die primo Kalendarum Augusti.

APPENDIX

In qua ex citata superius Bernardini antistitis epistola, varia alia dubia ad S. Leum spectantia aliquatenus elucidantur.

C

Probato antiquo cultu,

H*uc rejicienda monuimus, quæ nec ad stabiliendum cultum, neque ad verificanda Acta proprie reducuntur, de quibus jam attulimus quidquid veri speciem non excedit. Neque vero translationem negavimus, quamvis modum ejus seu historiam non ita admittere ausi fuerimus. Cetera quæ hic sequuntur, damus in fide laudati jam antistitis Bernardini, qui eorum nihil neglexit, quæ ad Sancti sui patroni commendationem conducere posse existimavit, eo candore et simplicitate, ut vel ex eo capite singularem aliquam fidem mereri videatur. Præter ea, quæ ex ipso superius recitavimus de* S. Lei *translatione, pergit probare primam ejusdem in Montefeliciano sepulturam, summamque istic loci per multa deinceps secula venerationem; ac demum sacri corporis Viguentiam deportationem; pergit, inquam, ea probare et evincere ex sexta relati superius Officii lectione, utpote quæ edita et approbata, irrefragabilis veritatis ipsi argumentum præbere videatur. Admitto equidem dictam lectionem, ei simpliciter inhærendo, ut de ea re nihil disceptandum supersit. Sequentia modo audiamus, ubi operosius incipit a distinctione inter* S. Leonem *Pontificem, et* S. Leonem *Feretranum patronum suum, hac longiori oratione; in qua nec verbum mutatum volui:*

AUCTORE J. B. S.

supponitur translatio,

2 Sed ut vestrorum voluntatem expleamus, in id quod magis gravitat; S. Lei corpus Viguentiæne an Ferrariæ sepultum veneretur: nos quidem vero, mei Patres in Domino dilectissimi, superiorum ac inferiorum rationum fulcimento, nulla suspicio torquet, nulla terret difficultas; imo fatemur et aperte profitemur, sancti nostri Patroni corpus in parochia Viguentiæ modo quiescere, et in summa devotione teneri: nec umquam illud erit S. Leonis pontificis, cujus translatio celebrata fuit sub Gratiano ep. Ferrariensi, et in ecclesia S. Stephani ejusdem civitatis reconditum: nam approbatio vestrorum consocii Antonii Favoriti, una cum aliis superius habitis deficeret, et decretum sacræ Congregationis deciperet, quod implicat. Ratio maxima viget: corpus enim S. Leonis pontificis et sacerdotis Christi translatum fuit Ferrariæ a Viguentia, sub Gratiano episcopo anno MLXXXIII Kal. Martii Ind. IV, illudque visit vestra Patern. anno MDCLXI. Itaque ab illo tempore usque modo in ecclesia S. Stephani requievit. Ex approbationibus vero superioribus, et ex decreto sacræ Congregationis plane colligitur et declaratur, corpus S. Lei protectoris nostri, confessoris non pontificis a MDCL et a MDCLI Viguentiæ venerari: ergo numquam fieri potest naturaliter, quod idem corpus Ferrariæ quoque eodem tempore veneretur. E

distinguitur que Leus a Leone pontifice.

3 Alterum est sane corpus S. Leonis pontificis a corpore S. Lei Feretranæ diœcesis protectoris: nec difficile creditur; complures enim homines haud impari nomine dicuntur; jamque dicitur, quatuor SS. Leones Romæ esse in Vaticano sub uno altari reconditos et in Martyrologio Romano duodecim sancti Leones numerantur: et præsertim in SS. Martyres id facile potuit accedere, cum gentilium rabie adeo per totum orbem erumpebat e latebris incendium, ut infinitæ propemodum innocentes Sanctorum victimæ, Deo suo immolarentur. *Ut hujus incidentis controversiæ nodum intelligas, lucem afferent quæ in suo Romano Itinerario notavit Papebrochius, dum inter alia templa a se Ferrariæ lustrata, S. Stephani parochiale describens, sic expressis verbis observat:* Ex latare vero dextro chori corpus S. Leonis pontificis elevatum est, quod quia ipsi volebant esse Papæ, cultum ejus noluit Nuntius confirmare, qui propterea intermissus; etsi ex vetusto qui est ad parietem lapide, de modo ac tempore solennis ex Vicohabentia, veteri episcoporum sede translationis, elevationisque satis certo constare possit. *De isto Leone alibi forte videbitur, jam cum Bernardino pergamus:* F

Concessæ Montifeltrio reliquiæ

4 At rationes confirmantur. Illustrissimus ac Reverendissimus D. Consalvus Durantus, quod semper in corde fovit, pio desiderio flagrans, ut animæ fidelium sibi commissæ, in Christiana disciplina magis magisque proficerent, litteris significavit ad Illustr. ac Reverendissimum D. Joannem Fontanam episcopum Ferrariensem, ab eoque humiliter petiit aliquam ex sacris reliquiis corporis S. Lei protectoris nostri. Nec pia hæc petitio Consalvi exstitit irrita, sed ut fervens ejus voluntas optato munere adimpleretur, partem unius tibiæ ejusdem Sancti illi benignissime impertitus est, quam modo in nostra Cathedrali repositam pio cultu fideles prosequuntur. Neque litteras, id plene comprobantes, quæ antecessori nostro exoptandæ non fuere, vos quoque debetis exoptare; sed his præsentibus modo fideliter rescriptæ adjunguntur. *Atque hoc est quod supra*

diximus,

AUCTORE J. B. S.

diximus, etiam seorsim apud nos exstare Durantianum instrumentum, jam ab anno 1638 *ad P. Bollandum transmissum, atque in plena forma expeditum :* Joannes Dei et apostolicæ Sedis gratia sanctæ Ferrariensis ecclesiæ episcopus. *En textum ipsum :*

Viguentia non Ferraria eo delatæ.

5 Quæ fidelium excitant pietatem, omni quo possumus studio libenter amplectimur. Dudum siquidem Illustris ac Reverendiss. D. Consalvus episcopus Montisfeltri, desiderio, quo flagrat, amplificandæ disciplinæ et devotionis ecclesiæ suæ, litteris ad nos, singulari pietate plenis, significavit, et humiliter petiit aliquid ex sacris reliquiis corporis S. Lei confessoris quiescentis in ecclesia parochiali Viguentiæ, nostræ diœcesis olim civitatis ; cujus translationem solennem celebravimus Kal. Augusti an. MDXCIX, ejusque festum eodem die ibidem perpetuo observari mandavimus, et quasdam sacras ejus reliquias penes nos reservavimus, et præsertim partem unius tibiæ, quam per Reverendum Cæsarem de Antimis, parochum ecclesiæ parochialis S. Martini, civitatis nostræ, eidem religiosissimo et vigilantissimo pastori, ob maximas virtutes, quæ in eo relucent, pari pietate nos commoti, et ea quoque adducti memoria, quod ecclesia sua cathedralis dicata eidem sancto glorioso confessori nostro Leo, impertiri et mittere, in eam venimus deliberationem ; prout impertimur, et mittimus, et pia largitione concedimus et donamus. In cujus rei fidem et testimonium, has litteras manu et sigillo nostro muniri et obsignari jussimus. Datum Ferrariæ die V Novembris MDCIX. *Quæ omnia exprimuntur. Tum vero :*

B

ibique in summa veneratione,

6 Quare cum legatur, translationem S. Lei confessoris quiescentis in ecclesia parochiali Viguentiæ, celebratam fuisse anno MDXCIX, nequaquam erit illa S. Leonis pontificis quiescentis in ecclesia S. Stephani Ferrariæ abhinc anno MLXXXIII. Nec antistes ille Fontana, non minus probitate morum ac vitæ integritate, quam doctrina et sapientia conspicuus, adeo esset expers consilio, ut aliud corpus nomine gloriosi Protectoris nostri fidelibus declararet. At, inquies, celebrationem legitur Viguentia Ferrariam secutam esse. Respondetur, illam non fuisse S. Lei nostri ; sed, ut superius intulimus, alii. Nostri enim translationis hoc in causa fuisse dicitur : jamjam pervetus templum ejus opprimebant ruinæ ; accurrit illico pietas incolarum, et illud restaurant, ibique corpus illud gloriosum transfertur, non autem Ferrariam. Antecessor quoque noster Consalvus, in translatione dictæ sacræ tibiæ, ab episcopo Fontana liberaliter ei concessæ, ac sub altari majori hujus nostræ cathedralis (positæ), has pastorales litteras promulgavit :

C

ab anno 1611

7 « Reliquiæ S. Leonis confessoris, sanctæ Feretranæ ecclesiæ advocati ac titularis, a Joanne Fontana, Ferrariensi episcopo, ad Consalvum Durantum, Feretranum episcopum transmissæ, in hanc Cathedralem ecclesiam, maxima omnis ordinis, ætatis ac sexus totius diœcesis frequentia et religione, in secunda diœcesana ab eo synodo celebrata, translatæ fuerunt atque sub altari majori collocatæ anno D. MDCXI, die XVII Maii. » *Atque hoc, si quod est, Bernardini peremptorium qualecumque argumentum dici meretur ; nam quæ deinde ex Bistintone suo Miccolo adducit, atque ex Ms. nescio quo, sub titulo* Assedii e guerre della cita di San Leo ; *tum autem ex Catalogo generali Sanctorum Italiæ Ferrarii, rem, si ab ovo scrupulosius inspiciatur, omnino non conficiunt, quam monumentis paulo antiquioribus fulciri cuperemus. Id quod sequitur ferme a Clementis Papæ VIII auctoritate desumptum, aliquid diceret, si aliunde quam ex eodem Bistintone derivaretur. Sic interim auctori isti innixus instat Bernardinus :*

D

Clemens VIII Viguentiæ.

8 Sed qui plura? Clemens VIII P. O. M. anno quingentesimo nonagesimo nono post mille, una cum Purpuratorum collegio Ferrariam petiit, ac super ejus ducatum, Ecclesiæ devolutum, peracta feliciter pedum positione, miro accensus est desiderio sacri corporis Feretrani Protectoris visendi. Nec patitur moras, locus enim, ubi Sanctus venerabatur, quamquam reconditus, eum numquam dimovit nec palustriis, quibus undique circumdabatur ipse tepuit. Ita Bistint. in Vita pag. 85. Verum, o Pater in Christi visceribus carissime, quid tecum corde volutas de S. Lei corporis immobilitate? Complures etenim validissimæ vires contendunt ipsæque laborant ad illud tantillum extrahendum de loco Viguentiæ, sed operam perdunt : miraculum quidem numquam satis laudibus, litteris, monumentisque decorandum! Nonne tibi forsan ac ceteris pie credendum est, sanctum sibi Viguentiam firmam sedem elegisse? Mirabilis enim Deus in Sanctis suis. Ut optatum tuum etiam in aliis adimpleamus, quæ nobis aud dubia sunt, nunc tibi libentissime aperiemus. Prope cellulam quam in Feliciano Monte sibi Sanctus erexerat, fons quidam scatebat, sicut et nunc uberrime scaturit in loco sub nomine Val santa. Aquæ fontis hujus, qui modo S. Leonis dicitur, si ab illis, quos febris tenet, haustæ potentur, eos interdum pristinæ valetudini miraculose restituunt.

E

Antiquioris cultus monumenta,

9 Ex habitis superius, jam sat perspectum habuisti, tum Felicianum Montem, tum civitatem, una cum arce munitissima, quæ super ipsum elevata conspicitur, eodem nomine dici San Leo. Ibi magnum templum videtur a MC constructum, et ejus nomini dicatum. Sub scalis intus erectis, ac singulari majestate quidem ornatis, quibus hemicyclum aræ maximæ scanditur, operculum quoddam sinistrorsum servatur sepulcri cujusdam. Ibi arcaicæ litteræ incisæ leguntur, nec non ad latera duæ parvæ cruces cernuntur, exemplo A ; a tergo ad imum, ultra crucem magnam ibi sculptam, sunt litteræ, exemplo B. ; supra valvas principales ejusdem templi vel cathedralis duo parva simulacra marmorea videntur, unum dextrorsum, alterum sinistrorsum. Primum habet in sui pectore has incisas litteras,

F

MARINUS ; secundum vero, LEO.

A Sanctus Leo presbyter peregrinus
Dum vixi, hoc amavi, hoc dixi, hoc scripsi :
Omnes dicamus : Deo gratias semper,
Deo gratias semper, Deo gratias semper. ✠
✠ Hæc requies mea in seculum seculi :
I Hic habitabo quoniam præelegi eam. Orate,
Orate Deum semper, orate Deum semper.
✠ Sancte Leo presbyter,
Ora pro serbo tuo
Custantio, et ora pro me
Orathio serbo tuo maio. *

* *Forte* malo.

hodierni magna celebritas.

10 Prima ejus solennitas celebratur Viguentiæ Kal. Augusti, ac tanta populorum frequentia, tum nationalium, cum advenarum (et præsertim Bononiensium) ut juxta rationem quæ subducitur, numerum circiter duodecim millia hominum sane tetigerit. Celebratur et altera sub die XIV Februarii, ad memoriam illius translationis, quæ

quidem

A quidem sequitur, haud singulari ornatus splendore, sacrificiorum veneratione, ac larga copia munerum accedentium ibi. Quamobrem unusquisque sibi certo persuadere potest, tantam fidelium multitudinem ibi sacri corporis mansionem indicare. Ad latus chori ecclesiæ Viguentinæ, quam pagus ille unicam habet, monumentum quoddam exstat marmoreum colore rubeo, in quo descripta est translatio S. Lei ex Umbria ibi facta ab Henrico II imperatore, ac ejusdem sacri corporis immobilitas, quæ in illo palustri loco secuta fuit. Circa chorum eumdem nonnullæ Sanctorum imagines muro depictæ cernuntur; illarum series ita distinguitur : Hic repræsentatur S. Leo una cum S. Marino ad montium crepidines lapides excidentes; ibi una preces ad Dominum effundentes ; alibi a S. Gaudentio Ariminensi episcopo primus ad Ordines promotus.

AUCTORE J. B. S.

Atque hæc hactenus pro suo S. Leo *seu* Leone *antistes Bernardinus: cetera in iisdem litteris contenta ad alios Sanctos pertinent. Nos jam relata sufficere omnino putavimus, neglectis carminibus seu hymnis in Sancti laudem ab Antonio Cerrio et Horatio Leontino compositis, in quibus eadem recinuntur, quæ jam ad nauseam repetita, saturitatem attulisse, nemo, opinor, diffitebitur.*

DE S. NECTARIO EPISCOPO CONFESSORE.

B E

VIENNÆ IN GALLIA.

J. B. S

Ex Martyrologiis.

SEC. IV.

Non tam gestis

Sanctum in serie episcoporum Viennensium ordine tertium decimum signat Claudius Robertus in sua Gallia Christiania, sed solo nomine; paucula quæ addunt Sammarthani, apud quos decimus quartus est, haud magnopere Virum commendant, sic enim loquuntur:* Nectarius Vasionensi synodo interfuisse designatur ab Adone; sed de eodem episcopo nihil certi affirmari censent nonnulli. *Atque his Ado refellitur, dum ita in Chronico scribit:* Florebat et tunc temporis Nectarius Viennensis episcopus, in doctrina fidei eximius: qui in Vasensi illa synodo venerabili primus interfuit, et Patris et Filii et Spiritus

C

sancti unam esse naturam et potestatem, et deitatem et virtutem in Ecclesia publice prædicavit et docuit. *Rectius auctor Historiæ, sanctæ Viennensis ecclesiæ, anno hujus seculi octavo editæ,* S. Nectarium *duodecimum numerat, sincere et candide fassus, de ipsius ac decessoris Claudii gestis nec hilum fide dignum ad posteros promanasse; ut facile conjicias, quousque admittendum sit dandum inferius Saussayi in Martyrologio Gallicano elogium. De cetero* Nectarium *inter Sanctos habendum censet omnino jam dictus scriptor Historiæ Viennensis; quod ex monumentis istius ecclesiæ non temere asseruissse existimamus.*

2 *Istis autem suffragantur, si non Martyrologia classica aut vetustissima, certe Auctaria Usuardina non modicæ auctoritatis, quibus opinor præluxisse Florarium nostrum Sanctorum Ms., alibi non semel laudatum, dum ita paucis scripsit:* Item Nectarii episcopi et confessoris. *Accedit editio Lubeco-Col. iisdem prope verbis:* Eodem die S. Nectarii episcopi et confessoris. *Tum Grevenus,* Nectarii *nomen, male in* Nectaris *transformans. Demum Castellanus inter Sanctos Gallicos Martyrologio Romano superadditos,* S. Nectarium *annuntiat. Ast iis omnibus eloquentior Saussayus verba Adonis supra recitata sic in Supplemento suo extendit:* Viennæ, sancti Nectarii episcopi ; qui sancto Hilario Pictaviensi coætaneus, attritæ Gallicanæ eccle-

quam cultu notus est.

F

siæ pressuris, magno solatio fuit. Fortitudine enim fidei, Arianos Christi hostes, et piorum persecutores, strenue oppugnavit et repressit, tuendæque Christi hereditatis causa, Vasatense concilium, conscio Julio Papa, collegit, latisque ibi legibus sacris præcipuum robur indidit ; deinde confectus sanctis laboribus, æternam abiit ad requiem. *Una hic adjici potest Ferrarii observatio, quod se in Tab. Viennensibus animadvertisse asserat, natalem* S. Nectarii *in ecclesia Viennensi non recoli; nempe singulari Officio. Verum et de aliis Viennæ et alibi id dici potest, tametsi ut verissimi Sancti agnoscantur.*

DE S. EXUPERIO EPISCOPO CONF.

J. B. S.

CORBOLII IN AGRO PARISIENSI.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Sancti ætas, gesta et cultus apud Baiocenses.

Sec. v.

Sancti ætas B

Quem hic Corbolio tribuimus celebrem sanctum Episcopum, collegiatæ istic ecclesiæ totiusque oppidi patronum, is est primus Baiocensis in Neustria seu Normannia antistes* Exuperius, *diversis istic nominibus cognitus, ob Normannorum infestationes Corbolium, ubi Gallice* Spire *seu* Spirus *appellatur, translatus; ut pluribus dicemus, ubi quæ ad ipsum ejusque sedem pertinent, paucis præmiserimus. Paucis, inquam, nam postquam omnia studiose evolvi quæ in Legendis, tum editis tum Mss. circumferuntur, ea pridem sic a Majoribus eventilata inveni, ut plane superfluum sit, eadem hic denuo ad incudem revocare. Habes igitur quæ ad primos Baiocenses episcopos pertinent, operosius eruderata ad* XVI *diem Maii, ubi de S. Ragnoberto, sancti hujus* Exuperii *discipulo et successore omnia plane dicta sunt, quæ hic ferme ad verbum recudi possent, si istic satis et abunde explanata editaque non essent: quibus nihil opposuit nuperus Baiocensis ecclesiæ historicus Hermantius in opere Cadomi edito anno* 1705, *quod magnopere expendi aut refutari mereatur; saltem quod ad* S. Exuperium *spectet, cujus initia non videmus magis ad finem seculi secundi, quam ad S. Clementis tempora revocari posse: ut hic etiam militent argumenta istic adducta adversus prætensam Baiocensis ecclesiæ antiquitatem.*

ad seculum 5 *reducitur.* C

2 *Vulgo notum est, absumptis per ferales Normannorum invasiones direptionesque antiquis omnibus, si quæ olim exstiterant, primarum Galliæ ecclesiarum monumentis, id plane invaluisse, ut sibi licitum putarint sequentium seculorum scriptores, prædicatæ sibi religionis principia primis Christi Apostolis quam proxime certatim asserere; ut adeo non dubitaverint Baiocenses, quin primus eorum episcopus* S. Exuperius, *si non ab ipso S. Petro, saltem a S. Clemente ad se missus dicendus esset. Tum vero gesta varia et miracula exornata sunt, quæ iis temporibus convenientia censebantur; sic tamen ut rerum istarum periti facile observent, ea omnia sic excogitata esse, ut nec cum primorum Ecclesiæ seculorum historia, nec cum temporum ratione componi satis possint, nisi series episcoporum Baiocensium ita ordinetur, ut singulis primis episcopis annos vitæ ferme centenos, quin et totidem regiminis tribuere oporteat, aut fingere vacationum integra secula. Longe verosimilius censuit Papebrochius,* Baiocassini episcopatus initium ad quarti seculi finem referibile esse, quando etiam Abrincatensis, Constantiensis, Lexoviensis et Sagiensis in eadem regione ecclesiæ primos suos episcopos videntur accepisse. *Hæc de* S. Exuperii *ætate, cujus adeo obitum ad seculum* V *revocandum censuimus.*

3 *De gestis porro quid satis tuto primum seculo* XI *aut serius narrari potuerit, non est satis promptum perspicere. Ex Legendis et Mss. propriis Sancti lectionibus ea collegit Saussayus, quæ ut omnium vices suppleant, hic non probanda, sed tamen describenda suscipimus. Ita ipse ex sensu suo loquitur:* Baiocis in Normannia, sub secunda Lugdunensi, S. Exuperii episcopi et confessoris perinsignis; qui a S. Clemente Galliarum præcipuo in Christo provectore, in has auras delegatus, ad fidei flumina diffundenda, totus cœlestibus desideriis incensus, plenusque supernis charismatibus, hos populos, quibus illuxit divina castimonia et doctrina, veri unicique numinis agnitionem et redemptoris liberalem beneficentiam ac salutarem cultum invexit, fanaque ecclesiis commutans, virtute indutus divina, morbos sanitate, insaniam mansuetudine, ferociam patientia, vitia virtutibus, fide perfidiam, atque quævis piis votis ac nisibus obvia oppositaque mirifice superavit; in oratione sedulus, vigiliis intentus, carnis afflictione districtus, charitate distentus, atque cum in omnibus irreprehensibilis, sic in cunctis perfectus, ut auctoritate apostolus, sapientia angelus, signis et virtutibus propheta, virque plane divinus, et voluntatis Dei ac gloriæ præco ac interpres dignissimus passim a quibusque crederetur.

Actorum vices supplet E

4 Numquam ipse quæ sua erant quæsivit; sed majestatis æternæ beneplacita toto corde complexus, quæ ad Christi gloriam vergerent, hominumque salutem, solummodo procuravit. Cum autem sementis Evangelii plurimam copiam excitasset, dirutis pseudonuminum simulacris, in Dei viventis cultum Deiparæque Virginis honorem ædiculam Baiocis construxit et sacravit: ubi quotidie tremenda mysteria percelebrans, atque vitæ æternæ enuntians præcepta, una die septem energumenos, quos crucis signaculo munivit, dæmonis ab infestatione liberavit. Quo miraculo quingenti infideles ad Christi obsequium fideique professionem pertraxit. In quibus emicuit Renobertus, quem divinæ gratiæ muneribus repletum, sacrisque ordinibus initiatum, sibi ex supernæ inspirationis afflatu successorem designavit. Sicque tandem exacto felicissime pastoralis villicationis decursu, Vir beatus modica pulsatus febre, placida morte ad æternæ vitæ gaudia et præmia meritorum, post suscepta præsidia salutis, emissaque majestatis divinæ præconia emigravit. Cujus corpus castissimum a successore Renoberto maximo cum honore in declivi montis sepultum est, ubi deinde coruscantibus gloriosi spiritus insigniis, ecclesia, in ejus venerationem fuit exstructa.

Saussayi elogium, F

5 E qua postmodum, furentibus Danis pignora ejus sacratissima, una cum ossibus S. Lupi (qui tertius ab eo sedit antistes) ad castrum Corbolium agri Parisiensis translata, atque in hunc usque diem, in proprii nominis augustissima basilica asservata, ut perenni miraculorum gloria, sic perpeti fidelium reverentia perfruuntur. *Quæ*

in quo recte signatur translatio.

de

A *de sacri corporis translatione hic memorat Saussayus, deque singulari apud Corbolienses veneratione, paulo inferius ex instituto deducemus. Hic de vetusto apud Baiocenses cultu agendum esset, si qua in antiquis Martyrologiis nostri* S. Exuperii *exstaret memoria, quam in iis, quæ Classica vocamus, nusquam, quod hic maxime mirandum est, signatam invenimus. Neque tamen dubitari potest, quin ejus sepulcrum summo in honore Baiocis habitum fuerit, cum perenni Sancti solennitate, quæ sensim ita accrevit, ut hodie festo duplici primæ classis cum octava, et etiam in vicinis urbibus celebretur, teste Hermantio pag.* 9, *ubi et antiquos binos versus imagini ejus subscriptos refert :*

Primitus hic pastor templi fuit hujus et auctor,
Catholicamque fidem Northmannis attulit idem.

Corbolii annuntiatur Sanctus,

6 *Porro antiquissima quæ in Usuardinis codicibus reperitur* S. Exuperii *commemoratio, ea ex Tornacensi accipitur, inscripta nimirum post translationem Corboliensem, cum ita expressissime annuntietur :* B Castro Corboilo, sancti Exuperii episcopi et confessoris, cujus corpus persecutione Danorum a Redonis civitate *(opinor, velle dicere* a Baiocensi) fugatum, atque a Galliarum incolis honorifice receptum, in prædicto loco affectu magnæ devotionis colitur. *Brevius Centulensis :* Castro Corbeilo, S. Exuperii confessoris, *quæ positio etiam a Molano servata est, descripto ceteroquin citati codicis Tornacensis elogio. Aliter prius scripserat Grevenus :* Exuperii episcopi Baiocensis et confessoris. *Canisius in suo Germanico Molanum hic potius quam Grevenum secutus est. Locum primitivum præter ceteros distinctissime expressit auctor Florarii nostri Sanctorum Ms., dum ita scripsit :* Civitate Baiocas, sancti Exuperii episcopi et confessoris. *Ceterum iis modo opus non est adjumentis, ut cultus Baiocis æque ac Corbolii solennissimus* S. Exuperio *asseratur : præterquam quod testetur Hermantius, multis aliis locis in Rothomagensi provincia templa, sacella et altaria ipsi sacra exhiberi; adeo ut etiam Parisiis et Autissiodori ejusdem in Officiis habeatur commemoratio : illic forte ratione sacrarum reliquiarum, quæ in sancta Capella asservari dicuntur, hic ob perpetuam* C *societatem inter ambas ecclesias Autissiodorensem et Baiocensem jam pridem initam hodieque perseverantem.*

qui in sua sede Baiocis etiam colitur

7 *Superest ut de* S. Exuperii *sepulcro ejusque veneratione ea subjungamus quæ a laudato jam Hermantio suggesta sunt. Narrat is pag.* 6, *S. Ragnebertum, dignum utique tanto præceptore discipulum, sancto Magistro non procul ab urbe in monte Fauno monumentum lapideum procurasse eo loci, ubi fidem gentilibus annuntiare cœperat, qui subinde Montis templorum appellationem sortitus sit. Ibi nimirum ædem sacram Magistro erexit Ragnobertus, quæ subinde frequentissimo totius populi ad eum in morbis aliisque necessitatibus recurrentis confluxu, innumerisque miraculis celeberrima reddita est, etiam aliorum episcoporum sepulturis, ubi adeo templa plura erecta sunt, unde monti nomen inditum. Quievit istic Sancti corpus, donec Baiocenses, exstructa celebriori ecclesia, sacrum corpus e priori tumulo elevandum eoque solenni ritu transferendum censuerunt, quæ prima dici possit translatio, cujus memoria aliqua agitur* XIV *Julii, eratque iis seculis satis recepta Sanctorum canonizatio. Secuta sunt postmodum luctuosissima ea tempora, quibus Danica rabies maxime in Sanctorum sepulcra, ubi thesauri recondi credebantur, sævire solita, eo Baiocenses impulit, ut sacra pignora in tutiora loca transtulerint ; quod sequenti paragrapho ex Corboliensi historiæ paulo distinctius erit explicandum. Id vero etiam memorabile, tanto in honore servari locum istum, ubi corpus olim cum aliis Sanctis depositum fuit, ut usque hodie religio sit, aliorum hominum corpora istic inhumari, perseveretque adeo perpetuæ ibi in sanctum Apostolum et numquam obliteranda veneratio.*

AUCTORE J. B. S.

§ II. Translatio in Franciam, ac demum Corbolium, ubi ut singularis patronus solennissime colitur.

Describitur translatio

Id *hic primum notandum, quod supra insinuavimus, Sanctum Corbolii non* Exuperium *appellari, sed vulgari nomine* Spire *seu* Spirum *aut* Spirium, *atque, ut monet Hermantius pag.* 10, *etiam alibi* Suspirium, *aut affini aliqua inflexione* Souspirium de Baiocis. *Utcumque autem nomen efformaveris idem ipse intelligitur* S. Exuperius, *cujus* E *sacrum corpus cum altero S. Lupi, tertii, ut volunt, post ipsum successoris, Danorum Neustriam inundantium furori ereptum, in tutiores partes, ad regni intima translatum fuerit ; quemadmodum ex vetustis monumentis fusius describit Joannes Bocquetus, regalis ecclesiæ Corboliensis canonicus in opusculo Gallico* De Vitis, translatione et miraculis sanctorum Exuperii et Lupi, *Parisiis edito anno* 1627, *ubi ex veteri ecclesiæ suæ Legendario Ms. pag.* 31 *historiam orditur in hunc modum :* Post multa annorum curricula quidam fideles, in cœnobio S. Exuperii famulantes, venerabiles tam ipsius quam beati Luponis reliquias, ob tyrannidem infestantium Normannorum inde absportantes, et in quoddam castrum, nomine Paludellum, eo quod sit paludibus, scilicet lutosis Ixoniæ fluentis, obsitum, transferentes, geminum ibi thesaurum reposuerunt, *etc.*

Paludellum et Corbolium

9 *Hæc primæ in Galliam translationis paulo brevior descriptio ; cui et aliam subjungit de Sancto ipso plura memorantem, ex recepta, quam diximus Baiocensium traditione , quæ sic habet :* Gloriosus antistes, Baiocensium primus pater, Exuperius, beatissimi Papæ Clementis discipulus, et ejus imperio ad Neustriam transmissus convertendam, F fuit nobili ortus prosapia; sed pulchritudine vultus et fidei sanctitate nobilior. Post multos ad Domini nostri Jesu Christi semitam mandatorum custodiendam eruditos ubique populos, et felicem transitum hujus mundialis machinæ, ad Patrem misericordiarum migravit. Translatio autem ipsius beatissimi patris Exuperii facta est post multos elapsos annos, Normannis venerabile cœnobium Sanctorum infestantibus, per quosdam venerabiles cœnobitas, qui tam ipsius quam beati Luponis (quem Lupum nominant) pretiosas Paludellum detulerunt reliquias, *etc. His accedit ex annalibus expressior epocha :* Anno Domini DCCCLXIII dicitur esse translatum corpus sancti Exuperii apud Corbolium de urbe Baiocensi, et primo apud Paludellum villam super Exonam, et post apud Corbolium, ubi nunc, id est anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo, et decimo octavo, et decimo nono multis et mirandis claret miraculis.

a comite Haimone;

10 *De miraculis quibus claruit* S. Exuperius *atque etiam* S. Lupus *postquam sacra corpora Paludello Corbolium translata sunt, frustra inde distinctiorem*

AUCTORE J. B. S.

stinctiorem quæsivi notitiam; quæ aut quanta patrata fuerint dum Paludelli quiescerent, memoriæ proditum non invenio: id testatur Bocquetus, post castri istius eversionem, non exstinctam simul amborum Sanctorum venerationem; sed sacellum erectum fuisse eo, ubi ante deposita fuerant, loco, in parochia Ballincurtiana diœcesis Senonensis. Porro dictam jam Paludello Corbolium translatio hoc modo in Legendariis describitur : Cum post longum revoluti temporis spatium, nescio qua suborta occasione, vel potius occulta divini consilii dispensatione, eidem castro quidam præpotens vir Christianissimus, Haimo nomine, grande admodum devastationis damnum intulisset, ipse cetera quæque despiciens, et melioris prædæ lucrum desiderans, illos desideratos et desiderabiles super aurum et lapidem pretiosum thesauros, ausu pietatis, non præsumptione tyrannidis, inde sustulit, et in suburbium castri sui Corbolii magno cum gaudio et laudibus altisonis transtulit; cujus etiam dimidium bonorum in eadem hora Sanctis Dei confessoribus censualiter et perenniter assignavit;
B in quo videlicet suburbio, ad conservandas Sanctorum reliquias, exstruxit ecclesiam sub nomine eorum, deputans ibi duodecim canonicos, juxta venerabilem et imitabilem numerum Apostolorum, qui scilicet principes populorum et domestici Dei una cum sanctis Exuperio et Lupone eidem Haimoni et omnibus templum vel suffragia ipsorum fideliter et devote requirentibus, tam veniam delictorum quam gloriam impetrent beatorum, *etc.*

unde cultus ibidem principia

11 *Hæc singularis in oppido Corboliensi* S. Exuperii *cultus principia ab Haimone religioso posita, de quo hæc narrantur : anno nempe* 957 contigit Dei disponente judicio ut comes Corboili castri, nomine Haimo, ad limina sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, orationis gratia Romam pergeret, ibique in eodem itinere finem hujus vitæ acciperet, *etc. Magnifice ei parentatum est, erectumque marmoreum monumentum, cujus etiam hodie procul dubio exstant vestigia, saltem inscriptio qua fundatoris istius ecclesiæ titulus ei diserte asseritur. Comitis istius demortui viduam duxisse dicitur Sichardus aliquis, cui successit comes alius, Buccardus nomine, mirificus et ipse sanctorum* Exuperii *et* Lupi *cultor, fautorque insignis instituti*
C *ab Haimone canonicorum collegii, cujus egregium præter cetera exstat eximiæ in eam ecclesiam munificentiæ argumentum, ab ipsomet tunc Franciæ rege Philippo, a multis episcopis, et a præcipuis regni optimatibus confirmatum, cujus substantiam hic producere operæ pretium duxi, ceteris formulis et numerosis subscriptionibus omissis, quæ in citata jam non semel historia legi possunt :*

aucta diplomate regis Philippi

12 Omnibus igitur sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus scilicet atque posteris, innotescat, quod nostri castelli proceres et optimates, pari consilio et simili voto nostram præsentiam adierunt, obnixe postulantes ac suppliciter deprecantes, quatenus ecclesiam duodecim Apostolorum et beatorum confessorum Exuperii et Lupi, in eodem videlicet Corbolio sitam, ab antecessoribus nostris antiquitus constitutam, et diversarum rerum commoditate admodum ditatam, ad extremum vero a quibusdam tyrannica pervasione pene desolatam, et pravis usibus perversisque occasionibus undique circumventam; liberam et immunem ab omni injusta potestate et iniqua dominatione, sub litterarum testamento, amodo efficere curaremus. Quorum petitioni tam justæ et rationabili libentissime acquiescentes, pro nostræ parentumque nostrorum animarum redemptione, ab ipsa ecclesia ejusdemque canonicis omnem injustæ dominationis infestationem removemus. Claustrum insuper, ibidem antea non habitum, sicut fidelium nostrorum hortatu precibusque designavimus, eisdem canonicis immune habendum et sine ulla inquietudine in perpetuum concedimus. Tali tenore, ut neque nos, neque successorum nostrorum aliquis, neque ejusdem loci abbas, sive ulla cujuslibet dignitatis persona, in ipsa ecclesia, sive in ipsis canonicis, vel in claustro, aliquam deinceps injustam potestatem exercere præsumamus....... Actum Parisius anno ab Incarnatione Domini MLXXI..... Ego ipse rex Philippus et Buccardus Corboliensis comes hanc chartam manu factam corroboravimus, *etc.* D

atque item Ludovici Crassi:

13 *Cum vero deinde sub initium seculi* XII *dominio regio annexum fuisset Corbolium, non minori benevolentia oppidi ecclesiam, nec minori reverentia sanctos* Exuperium *et* Lupum *prosecutus est rex Ludovicus, cognomento Crassus, anno* 1118 *cum Adeleide regina, vel oppidanos ipsos multis oneribus eximendo liberandoque; quo factum est, ut præfata ecclesia cum Sanctis suis mirum in modum illustrata fuerit. En diplomatis medullam :* Ego igitur Ludovicus, Dei miserante providentia, in regem Francorum sublimatus, notum fieri volo tam futuris quam et instantibus, quoniam serenitatis nostræ præsentiam adiere domnus venerabilis abbas ecclesiæ beatæ Mariæ et beati Exuperii Corboliensis, totusque earumdem ecclesiarum communis conventus, humiliter deprecantes, quatenus ob remedium animæ nostræ prædecessorumque nostrorum, præfatarum ecclesiarum terram, a ministris et servientibus nostris illicitis angariis, variisque vexationibus afflictam, ab ipsorum impulsionibus in perpetuum liberaremus. Quorum petitioni benigne acquievimus, hoc ex benevolentia et caritate superaddentes, ne ulterius in totam præmissarum ecclesiarum terram, ubique sit, tallias, toltas et demandas, nec exactiones aliquas, vel per nos vel per nostros ministros exerceamus; verum homines in eadem terra commorantes, liberi et quieti permaneant, etc. Actum Parisius anno ab Incarnatione Verbi MCXVIII. E

inde regii favores alii

14 *Ne hic singula enumerem, quæ fusius recitat laudatus Bocquetus, eo accrevere favores regii, ut titulo regalis ecclesiæ ornata, etiam regios principes inter abbates suos seculares seu decanos numeraverit. Prætereo hic etiam controversiam sub finem seculi* XII *subortam de procuratione quinquaginta solidorum episcopo Parisiensi persolvenda,* si Corbolium.... die festivitatis S. Exuperii, prima scilicet die Augusti in eadem ecclesia divina celebraturus advenerit, *quæ transactio cum ceteris privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, favoribus ecclesiæ Corboliensi concessis a Cœlestino Papa III egregie confirmata est* Kalendis Februarii MCXCVI, *ut ex adductis ibi diplomatibus distinctius intelliges. Tum vero solennitates celeberrimas Corbolii habitas anno* 1317, *dum sacra corpora* ab humilibus loculis, in quibus per multa tempora quieverant, in vasa nobiliora jucundius solemniusque translata sunt. *Ex quo tempore fixa fuit annua festivitas Dominica* V *post Pascha, quæ ingenti hominum concursu ad decem dies quotannis protrahitur. Additur et solennis dedicatio ecclesiæ ejusdem* S. Exuperii *facta anno* 1437, X *Octobris, ut habes ex testimonio adducto pag.* 58. F

15 *Ut paucis complectar solennitates omnes, quæ ad*

A *et peculiares solennitates.* *ad solam Sancti gloriam posthumam spectant, notatur pag.* 80 *alia capsæ renovatio facta anno* 1454, *ac demum pag.* 83 *refertur longum instrumentum quo potissimum describitur ultima eaque solennissima translatio* corporis S. Exuperii *in novam argenteam auro et gemmis ornatam anno* 1619, *quæ rursus facta est Dominica post Ascensionem Domini, utpote celeberrima ea annua Sancti ipsius decemdiali festivitate, dum capsæ ex supernis suis loculis demittuntur circumferunturque ab ordinata istic devota confraternitate, innumera prope per id tempus hominum multitudine quotannis Corbolium confluente, ob thesauros cœlestes quibus devotissimos illos sancti* Exuperii *clientes ceterosque ad eamdem celebritatem concurrentes munifice cumulavit Gregorius XV anno* 1621, *cujus Breve refertur a pag.* 89. *Hic subjungerentur miracula, si Corbolienses canonici instantissimas meas preces non respuissent.* AUCTORE J. B. S.

DE S. SEVERO PRESBYTERO CONF.

IN NOVEMPOPULANIA GALLIÆ.

Ex S. Gregorio Turonensi.

J. B. S.

B E

CIRCA ANNUM D.

Ignotus plane esset sanctus hic* Severus, *nisi ipsum Turonensis Gregorius celebrasset libro de Gloria Confessorum capp.* 50 *et* 51; *imo hic prætermitteretur, nisi certissime constaret, ejus festivitatem hoc die solenniter recoli, testibus Saussayo, Castellano et aliis*; *quamquam in Martyrologiis, non solum antiquis, sed etiam recentioribus ejus memoria omnino præterita sit. Eum Saussayus in Supplemento Martyrologii sui Gallicani sic signavit, ut laudatum S. Gregorium non satis consuluisse videatur. En ejus verba :* In agro Tarbiensi, S. Severi abbatis in monasterio de Rostagno, cujus patronus est, hodie ex beati transitus cultu annuo celebris. *Ubi advertes, perperam ei tribui* abbatis *titulum, ut qui nec monachus umquam fuisse sciatur. Rectior est et ad numeros exacta Castellani annuntiatio hujusmodi :* In comitatu Bigorrensi, S. Severi, Saxiacensis et alterius parœciæ sex inde leucis dissitæ, parochi, ab eleemosynis præcipue a S. Gregorio celebrati, cujus sacræ reliquiæ in cœnobio Rostagnensi honoratæ, et ipsi et oppido, circa illud exorto, appellationem indiderunt. *A Castellano distincte signatus est,*

C *a Ruinartio illustratus.*

2 *Regio illa, toties in Actis nostris, et expressius ad* I *Maii, ubi de S. Justino, memorata, hic rursus describenda non est : ea solum occurrunt observanda, quæ ad S. Gregorii narrationem explicandam conducere posse videntur ; ubi notavit ultimus editor Ruinartius, fuisse qui hunc Sanctum non recte confuderint cum Severo Sulpitio, S. Martini discipulo. Quod in brevi Vita, inferius danda, insigne prædicatur miraculum, sic idem elucidat Ruinartius :* Et quidem, *inquit,* lilii revirescentis miraculum apud se patratum probant loci incolæ, non ex veteri solum traditione, sed etiam quod sculptum fuerit super veterem concham, in qua sacrum beati Viri corpus, post primam ejus elevationem, ante annos DCC depositum est. Idem S. Severi corpus combusserunt Calviniani anno MDLXXIII. Monasterium vero hactenus subsistit Ord. Benedictino sub Congr. S. Mauri addictum, ubi S. Severi festum celebratur I Augusti. *Observat præterea, binas Missas ab uno presbytero singulis Dominicis dictas fuisse, ac demum morem antiquum, primis Ecclesiæ seculis, ædes sacras ac sepulcra Martyrum liliis adornandi, quod aliis exemplis ab eodem confirmatur.*

3 *Id modo hic reliquum est, ut initium elogii Gregoriani, cum præcedenti capite connexi, sic exponatur, ut quid sanctus scriptor dicere velit, paulo commodius queat intelligi. Sic caput illud suum* 50 *orditur :* His urbe et termino sociatus S. Severus; *agit autem priori cap.* 49 *de sanctis Justino et Misilino, quorum alter* infra terminum Beorritanæ urbis in vico Saxiacensi quiescat, *alter* apud Taluam vicum ejusdem territorii. *Quæ omnia cum jam ad dictam primam diem Maii in Actis nostris explicata sint, hic satis sit indicasse, sic initium hujus elogii formari posse :* Infra terminum Beorritanæ seu Bigorritanæ urbis S. Severum presbyterum ordinatum, *ibique in eodem vico Sexiacensi, curati seu pastoris munere egregie functum, quod supra satis accurate expressit Castellanus. En igitur omnia ; quæ laudatus S. Gregorius de nostro tradit jam dictis capp.* 50 *et* 51, *quibus quod addamus, nihil omnino superest. Sic igitur incipit :* *Explicatur S. Gregorii transitio,*

4 His urbe et termino sociatus S. Severus, et ipse presbyter ordinatus, nobili stirpe progenitus. Nam in rure domus Sexciacensis, quod in ejus sessione subsistebat, ecclesiam ædificavit : exinde iterum in alia villa aliud ædificavit templum Dei, utrumque tamen Sanctorum reliquiis communivit. Cum autem dies Dominicus advenisset, celebratis Missis uno in loco, ad alium pergebat. Erat autem inter utrasque ecclesias spatium quasi millium viginti : hoc ei erat opus per singulos Dominicos dies. Factum est autem quadam Dominica, dum hoc iter teneret, et velocius cornipedem calce verberans properaret, caput ejus ramus mespoli arboris percuteret. At ille injuriam sentiens, ait : Arescere te jubeat Deus cujus nutu de terra egressa es ; et confestim aruit arbor usque in ipsis virtutis suæ radicibus. Ille vero accedens quo ibat, celebratis solemniis, fuit in eodem loco tribus diebus. Quarta autem die regressus, cum vidisset arborem aridam, ait : Væ mihi, qui in amaritudine cordis maledixi huic arbori ! Et ecce enim, qualiter aruit. Et descendens prostravit se ad radices ejus, et ait ad Dominum : Deus omnipotens, cujus nutu omnia gubernantur, cujus imperio non nata creantur, creata vivunt, mortua reformantur : cujus salubre præceptum tenentes, vivere nos post mortem corporis hujus credimus per futuram resurrectionem ; tu præcipe, ut revirescat hæc arbor, et sit sicut antea *ex quo solo* F

AUCTORE J. B. S.

antea. Et statim quasi per aliquam venarum dispositionem, humor a terra consurgens, per totos arboris patulæ ramos uberi irrigatione diffunditur, laxansque nodos arentes, prorumpentibus foliis, revixisse ab adstantibus est mirata.

datur elogium

5 Magna enim illi fuit virtus ac eleemosyna; ita ut, sicut superius dictum est, de domibus suis ecclesias faceret, ac facultates suas in cibos pauperum erogaret. In una vero earum sepulcrum suum deposuit, in quo et sepultus est. Solitus erat namque flores liliorum, tempore quo nascuntur, colligere, ac per parietes hujus ædis adpendere. Unde qualis fuerit vita ejus in hoc seculo, ita Domino cooperante clarescit, ut evidentibus nunc prodigiis designetur. Igitur lilium, quod diximus ab eo collectum atque in basilica sepulcri ejus positum, prætereunte tempore, laxatis deorsum florum foliis, arente coma emarcescit, et ita siccatum videtur, ut si contingatur manu, putetur in pulverem extemplo resolvi, totumque annum in hac ariditate perdurat; adveniente vero die, quo Confessor migravit a corpore, in rediviva viriditate resurgit. Videasque foliis paulatim revirentibus, ipsos flores adtolli et sine ullo aquæ ac telluris humore, in ea specie qua quondam fuerat, renovari; et sic beatus confessor profert novos flores e tumulo, qui cum Sanctorum reliquis ut palma floret in cœlo.

DE SANCTIS CONFESSORIBUS

FRIARDO ET SECUNDELLO RECLUSIS

IN DIŒCESI NANNETENSI GALLIÆ.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti utriusque cultus, reliquiæ, ætas et Acta.

SEC. VI.

Non tam de anachoreseos loco

De urbe Nannetensi, ejus agro atque adjacentibus insulis, postquam jam toties in hoc Opere agendum fuit, operæ pretium non videtur, ea hic denuo repetere. Non æque pervium erit, locum reperire, in quo ambo illi Sancti solitariam suam vitam exegerint, ita a S. Gregorio Turonensi episcopo designatum, ut eum frustra hactenus quæsierim. Sic loquitur in Vitis Patrum cap. 10, quo solus ipse complexus est quidquid de utroque Sancto referri potest: Fuit igitur apud insulam VINDUNITTAM urbis Namneticæ: *An in ipsamet urbe? An non in civitatis vicinia? An non in insula aliqua inter eas, de quibus agitur* XXV *Martii, ubi illustrantur Acta S. Hermelandi abbatis Antrensis, hoc initio:* Ligeris inter majores Galliæ fluvios, quam intersecat, paucis infra Namnetum urbem milliaribus, in alveo suo includit aliquot insulas, quarum præcipua a S Hermelando Antrum appellata. *Liceat inter minus nobiles connumerare Turonensis* Vindunittam, *de qua cum non habuerit editor Ruinartius quod diceret præter hanc notulam :* pleræque ed. Vindimittam, Colb. et Bell. infra Vindonitensem; *peto mihi ignosci, quod oleum et operam ultra non perdam.*

quam de cultu quæritur,

2 *Sit igitur* Vindunitta, *sit* Vindumitta, *sit* Vindonita, *vel, ut scribit Cointius,* Vindinuta *locus anachoreseos nostrorum Sanctorum, erit nobis insula aliqua, si non in ipsa urbe Nannetica, saltem in vicinia ejus sita, de qua ulteriorem inquisitionem incolis ipsis, agri sui peritioribus relinquimus. Id primum nobis stabiliendum est,* Secundellum *æque ac* Friardum, *ut veros Sanctos apud Nannetenses honorari, tametsi Albertus le Grand, quasi studiose refugiat sancti appellationem* Secundello *tribuere, quod imitari principio visus est nuperus Legendista Gallicus, qui tamen sub finem negare non audet,* S. Secundello *æque ac* S. Friardo *templum in loco utriusque sepulturæ exstructum fuisse. In observandis diebus obituariis scrupulosior Castellanus,* S. Friardum *quidem ad hunc diem in insula Ligeris, quam nominare non audet, collocat ; at* S. Secundellum *refert* XXIX *Aprilis, satis recte fortasse, ut etiam alii cum Alberto loquuntur; at nobis non videtur a Martyrologiis recedendum, quæ tametsi paulo recentiora (nam in antiquis seu Classicis noti omnino non sunt) utrumque Sanctum hoc ipso die, et sub eadem annuntiatione consignant.*

in codicibus Usuardinis satis stabilito;

3 *Hæc inter antiquissimum, quod quidem noverim, ipsum est, quod inter Usuardina a celebri Aquicinctino cœnobio nuncupatum, brevissime legit in hunc modum :* Item sanctorum Freardi *(pro* Friardi) et Secundelli. *Hic proximum est Florarium nostrum Sanctorum Ms., medio seculo* XV, *ut alias non semel notavimus, in cœnobio Rubeæ vallis compilatum, in quo annuntiantur hoc modo :* Item sanctorum Friardi et Secundelli confessorum. *Inde cum tot aliis acceptos ausim dicere ab editione Lubeco-Col. ubi pro* Item, *substituitur :* Ipso die, sanctorum Friardi et Secundelli confessorum, *quæ ipsissima est Greveni annuntiatio, omissa dumtaxat jam dicta utraque particula ; scribit enim :* Friardi et Secundelli confessorum. *Demum Molanus in prima sua editione annuntians,* Secundelli abbatis et Friardi, de quo Gregorio Turonensis, *ostendit, nisi multum fallor, sese S. Gregorium, quem citat, in fonte non consuluisse ; unde in posterioribus editionibus rectius et brevius cum citato supra codice Aquicinctino simpliciter scribit* Friardi et Secundelli.

4 *Huc spectat quod Cointius in Annalibus suis ad*

A *ad annum* 577, *num.* 50 *observat in hunc modum :* Molanus in additionibus ad Usuardum et auctor Martyrologii Gallicani in suo Supplemento ad Kalendas Augustas meminerunt sanctorum Friardi et Secundelli, quos amicitia conjunctissimos fuisse, et eremiticam vitam in eadem insula duxisse constat. Observat nihilominus Albertus de monte Relaxo, sanctum Secundellum ad Deum migrasse tertio Kalendas Maias, et S. Friardum Kalendis Augustis. Gregorius Turonensis testatur S. Friardum S. Secundello diu superstitem fuisse : *id quod ex Vita mox danda erit quam manifestissimum. Adde quæ idem Cointius memorat num.* 49 : S. Friardus, qui solitariam vitam in Vindinuta insula prope Nannetas duxit, colitur Kalendis Augustis in Supplemento Martyrologii Gallicani et in Armorica sancta; illius vero festivitas in sequentem diem transfertur a Nannetensibus, quia Kalendæ Augustæ festo S. Petri ad Vincula sunt impeditæ. *Id apud Nannetenses in usu aliquando fuisse, inficiari equidem non ausim; ast alium ibi hodie ritum seu Breviarii ordinem observari, ex eo liquet, quod inter*
B *propria diœcesis istius Officia, jam ab anno* 1623 *edita, quæ penes nos sunt, alterutrius Sancti nusquam appareat vel sola commemorati.*

quamvis in die varietur.

Reliquiarum

5 *Porro sacras tum* S. Friardi *tum* S. Secundelli *reliquias in pretio et veneratione fuisse, satis testatur ipse S. Gregorius, dum miranda narrat, quæ in prioris obitu acciderunt, cujus* gloriosum corpus, *inquit sacerdos (S. Felix)* ablutum recondit in tumulo, *opinor, vel in ipsa cellula, quam Sanctus antea incoluerat, et verosimiliter Socii corpus sepelierat, vel saltem in vicinia; de quo ita loquitur Cointius jam dicto num.* 49 : In eo loco, ubi sanctus Friardus a Felice Nannetensium episcopo sepultus fuit, hodie est parœcialis ecclesia, ipsius S. Friardi et sancti Secundelli nomine insignis, ut in Breviario Nannetensi legitur. *Si ad manum esset citatum Breviarium, forte et alia ibi legerentur, quæ obscurioribus rebus lucem aliquam præferrent, nosque una docerent Cointiana hæc combinare cum iis, quæ sub elogii sui Gregoriani finem non satis distincte tradit supradictus Sanctorum Armoricanorum collector Albertus de monte Relaxo, dum ait :* S. Felicem Nannetensem ejusque clericos celebrasse S. Friardi exsequias, sacrumque
C que corpus transtulisse in ecclesiam de Presne, ubi ipsum sepultum fuit, totque miraculis claruit, ut sacræ ejus reliquiæ e terra postmodum levatæ, partim in templo ab eo (opinor S. Felice) fundato manserint, ubi Sanctus loci patronus est, partim in cathedralem ecclesiam Nannetensem translatæ fuerint.

singularis veneratio.

6 *Aliter et paulo clarius, nescio an verius loquitur Legendista Gallicus, dum refert reliquias* S. Friardi *(addere poterat, ni fallor, et* S. Secundelli) *diu post obitum, e prima sepultura levatas translatasque in Besnay; ubi natum ipsum* S. Friardum *aliqui contendunt, hodieque ut ejusdem ecclesiæ patronum coli. Tria hic concilianda sunt*: 1°. *Locum, in quo S. Friardus primum a S. Felice* sepultus *est,* parœcialem hodiedum ecclesiam esse, S. Friardi et S. Secundelli nomine insignem. 2°. *Sacrum corpus ab ipso S. Felice* in Besnay *delatum* ibique sepultum. 3°. *Reliquias Sanctorum* diu post obitum e prima sepultura levatas, *ac tunc demum* translatas in Besnay. *Quæro igitur, utrum* Besnay *seu* Besne *in ipsa insula situm sit, ibique adeo pars sacrorum corporum hodieque honoretur; an forte inde remotius atque in continenti; ut jam in insula nullum cultus vestigium supersit? Verum hisce diutius immorandum non video; sit ecclesia de* Besnay *eadem cum illa, quam ait Cointius parœcialem esse ipso* S. Friardi *et* S. Secundelli *nomine insignem; sit diversa : accuratius ista despiciant, qui locis ignobilibus viciniores sunt. Neque de Sanctorum ætate aut gestis disputandum; de illa satis verosimiliter statuit Cointius loco jam citato; de his porro testem habemus S. Gregorium Turonensem, cujus verba retulisse sat erit. En hic paucis quæ de nativitatis et obitus anno apud illum leguntur.*

AUCTORE J. B. S.

Non satis certa ætas.

7 Gregorius Turonensis in libello, quem de Vita S. Friardi scripsit, recenset ejus mortem die Dominica sub Felicis episcopi pontificatu, post obitum Clotarii regis : unde colligimus, eam necessario contigisse, currente per mensem Augustum littera Dominicali C, vel hoc anno, vel anno Christi quingentesimo sexagesimo sexto : sed ut præsentem annum e duobus eligamus, hæc ratio suadet, quod apud Gregorium Friardus videtur annos plures quam quinque post Clotarium vixisse. In Breviario Nannetensi dicitur ætate jam provectus; et natus est anno Christi quingentesimo undecimo, si fides habetur auctori Armoricæ Sanctæ. *Alberti imperita chronologica, quam in Commentario de S. Felice Nannetensi ad* VII *Julii toties correximus hic, etiam merito castiganda est, dum pro suo mero arbitrio* S. Friardi *obitum differt ad annum* 581, *quo frustra ipsi sudandum fuit, ut* I *Augusti cum die Dominica combinaret. Restat modo S. Gregorii Turonensis elogium, quod Sanctorum nostrorum Vitam appellabimus.* E

VITA

Ex S. Gregorio Turonensi,

Lib. de Vitis Patrum cap. 10.

Dei adjutorium edoctus Friardus,

Multi variique sunt gradus, per quos ad cœlorum regna conscenditur, de quibus, ut opinor, et David dicit : Quia ascensus in corde disposuit. Accipiuntur ergo hi gradus, diversorum F operum ad cultum divinum profectus, et nullus in his gressum figere potest, nisi fuerit, sicut sæpe testati sumus, Dei adjutorio provocatus. Sic enim Psalmographus in illo mediæ profectionis gradu loquitur, dicens : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Quod adjutorium, non modo Martyres, verum etiam et illi, quos sacræ vitæ roboravit auctoritas, jugiter inquirentes, ad hoc quod satis desiderii spiritalis promebat, alacres pervenerunt. Nam si ad martyrium mens accensa est, hujus adjutorii opem poposcit Martyr, ut vinceret : si jejunii observantiam adhibere studuit, ut ab eo confortaretur, afflictus est : si castitati artus reservare voluit impollutos, ut ab illo muniretur, oravit : si post ignorantiam pœnitendo converti desideravit, ut ab eo nihilominus sublevaretur, cum lacrymis flagitavit : et si quid operis boni exercere eorum quispiam meditatus est, ut ab hoc adjutorio juvaretur, expetiit. Per hos ergo scalæ hujus ascensus tam difficiles, tamque excelsos, tam arduos, cum sint diversi, ad unum tamen Dominum per hujus adjutorii opem conscenditur. Idcirco semper poscendus, ille quærendus,

Ex Gregorio Turonensi.

rendus, ille invocandus erit, ut quod de bono mens concipit, adjutorio suo ipse perficiat, de quo et nobis sine fine oportet dicere : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. Sicut et ille Beatissimus, de quo nunc nobis futurus est sermo, qui inter diversas vel tentationes, vel cruces seculi, semper hujus adjutorii munimen expetiit.

illudque mire expertus, in solitudinem

2 Fuit igitur apud insulam Vindunittam urbis Namneticæ vir egregiæ sanctitatis, Friardus nomine, reclusus, de cujus vita parumper ad ædificationem Ecclesiæ dicere delectat animum, quia ignoro si ab aliquo sit scripta. Hic ab infantia sua semper Deo devotus fuit atque pudicus : factus autem vir, semper in Dei laudibus, semper in oratione, semper in vigiliis degebat ; victus necessaria propriis manibus exigebat a terra; et si in opera inter reliquos properaret, numquam ab oratione cessabat ; quod vicinis aut extraneis, ut mos rusticorum habet, ridiculum erat. Quodam vero die, dum cum reliquis in segetem culmis incisis manipulos colligaret, examen miserabilium atque sævarum muscarum, B quas vulgo vespas vocant, reperiunt : cumque acerrime messores emissis aculeis lacerarent undique circumeuntes messem, locum illum, in quo hæ adunatæ erant, transsiliunt, atque irridendo beatum Friardum alloquuntur dolose, dicentes : Qui orare non desinit, qui crucem auribus et oculis semper imponit, qui viis itineris sui salutaria vexilla præmittit ; ipse metat super examen, ipse eum sua oratione mitescat. Tunc quasi ad confusionem Dominicæ virtutis hæc verba suscipiens, provolutus terræ, orationem fudit ad Dominum, et accedens, facto desuper signo crucis, ait : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. Ad hanc ejus orationem confestim omnes vespæ se infra antrum, unde egressæ fuerant, abdiderunt. Ille vero ad spectaculum omnium, messem desuper inlæsus expetiit. Quod non sine miraculo irridentibus fuit, eo quod Dominus in se sperantem, ad confusionem eorum sic dignatus fuerit roborare. Denique post hæc, cum in arborem pro quadam necessitate ascendisset, subito, conliso sub pedibus ramo, ruere cœpit, cadensque deorsum, per singulos quos percutiebat, ramos, Christi beatissimum C nomen invocabat dicens : Christe omnipotens, salva me. Cumque pervenisset ad terram nihil est nocitus, sed aiebat semper : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

se recipit cum Secundello;

3 His et aliis virtutibus animatus, cœpit intra secreta cordis tacitus cogitare, dicens : Si crux Christi, et invocatio nominis ejus, atque adjutorium postulatum ab eo tantam potentiam habet, ut aspera quæque mundi vincat, periculosa obruat, tentationum atra depellat, et omnia quæ sunt seculi hujus oblectamenta pro nihilo reputata fastidiat : quid mihi et mundo, nisi ut relictis omnibus, quæ ejus sunt, in illius vacare solius debeam obsequiis, cujus nominis invocatione a periculis sum salvatus iniquis ? Et egressus ab hospitiolo suo, oblitus parentes et patriam, eremum petiit, ne in seculo habitanti impedimentum aliquod de oratione mundi sollicitudo conferret. Ipse quoque et abbas Sabaudus, qui quondam regis Clotharii minister fuerat, pœnitentiam accipientes, Vindunitensem Namnetici territorii insulam sunt aggressi : habebant autem secum et Secundellum diaconem. Abbas vero, ablata de aratro Domini manu, ab insula discedens ad monasterium rediit, nec multo post occultis de causis gladio est peremptus. Sanctus vero Friardus D cum Secundello diacono in supradicta insula stetit immobilis : habebat tamen uterque eorum propriam cellulam, sed procul a se positam.

qui a dæmone delusus,

4 Cumque strenue in oratione persisterent, nocte Secundello diacono apparuit tentator in specie Domini, dicens : Ego sum Christus, quem quotidie deprecaris. Jam enim sanctus effectus es, et nomen tuum libro vitæ cum reliquis Sanctis meis adscripsi : egredere nunc ab insula, et vade, fac sanitates in populos. His et ille illectus deceptionibus, discessit ab insula, nec socio nuntiavit ; tamen cum infirmis in nomine Christi manus imponeret, sanabantur. Regressus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium cum vana gloria, dicens : Abii enim extra insulam et virtutes multas in populis feci. Cumque conterritus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta quæ gesserat simpliciter pandit. At senior obstupescens, suspiransque et lacrymans, ait : Væ nobis, in quantum audio, a tentatore delusus es ! Vade, age pœnitentiam, ne ultra tibi prævaleant ejus doli.

post pœnitentiam sancte moritur,

5 Quod ille intelligens, et periisse se timens, cum fletu ad pedes ejus prosternitur, rogans, ut pro se Dominum deprecaretur. Vade, inquit, et E pariter ejus omnipotentiam pro salute animæ tuæ poscamus : non est enim difficilis Dominus se confitentibus misereri ; cum ipse per Prophetam dicat : Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Orantibus autem illis, advenit iterum tentator in simili specie ad Secundellum diaconem, dicens : Nonne præceperam tibi, eo quod oves meæ morbidæ essent, et pastore indigerent, ut egredereris et visitares, atque opem sanitatis eis tribueres ? Et ille : In veritate enim comperi, quod seductor sis, neque te Deum credo, cujus te speciem mentiris habere ; tamen si Christus es, crucem tuam quam reliquisti, ipsam ostende, et credam tibi. Cumque non ostenderet, diaconus crucem Domini in os ejus faciens, confusus evanuit. Rursumque ad eum veniens cum multitudine dæmonum, tanta eum cæde mactavit, ut vix putaretur evadere ; et discedens, nusquam comparuit. Idem postea diaconus in summa sanctitate perdurans, die debito defunctus est.

Friardus post varia miracula

6 Beatus vero Friardus cum magnis virtutibus effulgeret, quadam vice effractum e vento ab arbore ramum, quem, ut ferunt, ipse inseruerat, F collegit, compositumque baculum sibi exinde, quem manu gereret, fecit. Post multum vero tempus jam arefactam virgam in terra plantavit, infusaque aqua sæpius, baculus ille frondes emisit et poma, atque infra duos aut tres annos in magnam arboris proceritatem distentus excrevit ; quod cum grande miraculum populis cernentibus haberetur, et quotidie ad hanc visendam immanis turba conflueret, ut etiam ipsam remotionem insulæ virtus prodita publicaret ; Sanctus Dei, ne vanæ gloriæ labe subrueret, arborem arrepta securi succidit. Rursusque Sanctus alterius arboris ruinam cernens, quæ acta venti violentia, floribus plena corruerat, misericordia motus oravit, dicens : Ne pereat, quæso Domine, hujus arbustæ fructus, quæ te jubente florum ornamenta produxit : sed potius a te incrementum reparationis indultum, fructuum adipisci mereatur effectum. Et hæc dicens, accepta secure, amputata arboris columna, super radices, quæ adhuc hærebant, columnam ipsam in modum sudis fecit acutam eamque terræ defixit. Mox ligatis sine

radice

A radice ramis, ad pristinum restituta statum, flores qui aruerunt, viruerunt: ipso quoque anno hæc arbor fructus cultori suo restituit. Credo ego de misericordia Dei, quod miraculum præsens exegit loqui, quia obtinere potuit hic oratione sua vitam mortuis a Domino impertiri, qui obtinuit arbores aridas in rediviva viriditate frondescere.

a S. Felice episcopo recreatus, etiam transit.

7 Idem cum plerumque transitum suum fratribus prædiceret, quadam die tactus a febre, dicit suis: Ita ad Felicem episcopum, et nuntiate ei discessum meum, dicentes: Frater tuus Friardus dixit: Ecce consummato cursu vitæ hujus, de hoc mundo absolvor, et ut sis certior de hoc verbo, die Dominica transitum accipio, et vado ad requiem, quam mihi promisit Rex æternus Deus. Veni obsecro, ut videam te, priusquam obeam. Cumque ille occasione nescio qua detineretur, mandatum misit, dicens: Rogo, si fieri potest, ut me modicum sustineas, donec moris actionum dissolutis, ad te usque perveniam. Revertentibus vero nuntiis et ista dicentibus, cum jam lectulo decubaret, ait: Surgamus ergo, et sustineamus fratrem nostrum. O virum sanctitate ineffabilem! qui quamquam festinaret dissolvi, et cum Christo esse, non tamen oblitus caritatem, obtinuit apud Dominum adhuc esse in mundo, ut fratrem cerneret spiritali intuitu. Sed nec illum infimi reor fuisse meriti, cujus adventu Dominus hujus Sancti dilatare dignatus est dies, de qua tarditate accepto nuntio, protinus quiescente febre, sanus surrexit a lectulo. Post multum vero tempus, adveniente episcopo, a febre corripitur, ingressumque ad se salutat et osculatur, dicens: Grandes mihi moras de itinere debito facis, o sancte sacerdos! Quibus vigilantibus, nocte, quæ erat Dominica, mane facto tradidit spiritum: quo emisso, mox omnis cellula ab odore suavitatis repleta tota contremuit: unde indubitatum est angelicam ibidem adfuisse virtutem, quæ Sancti meritum signans, cellulam divinis faceret aromatibus effragare: cujus gloriosum corpus sacerdos ablutum recondit in tumulo, Christus animam suscepit in cœlo, relinquens terrigenis exempla virtutum.

AUCTORE J. B. S.

B E

DE S. ARCADIO ARCHIEPISCOPO

BITURICENSI IN GALLIA,

J. B. S.

SYLLOGE

De antiquo cultu, ætate et gestis.

CIRCA ANNUM DXLV.

Laudatus in antiquis tabulis,

Inter antistites Bituricenses, de qua urbe sæpius alias dictum est, utut celebris* S. Arcadius, *nihilominus a plerisque Classicis nostris Martyrologis præteritus est; diserte tamen signatus in antiquis codicibus, quos Classicis istis haudquaquam postponendos censemus. Atque imprimis* C *in vetustissimo Hieronymiano Lucensi seu Fontanellensi sub finem laterculi adjecta legitur hæc annuntiatio:* In Gallia, civitate Beturicas, beati Archadi episcopi. *Antiquius Epternacense librarii vitio, nomen efformat* Sersadi, *nec multo melius Corbeiense* Arecladi. *Ex adjunctis patentissimum est, eumdem* S. Arcadium *ubique indicari, quemadmodum et in Hieronymianis minoribus Richenoviensi, Augustano et Labbeano, in quibus signatur his verbis:* Bituricas, Archadii episcopi; *codex Reginæ Suec. plusculis verbis:* Galliis, civitate Bituricas, depositio beati Archadii episcopi. *Porro vetustissimam esse ad Hieronymianorum textum additionem istam, probat Notkerus, iisdem prope verbis usus, quæ jam primo loco dedimus; ut necesse hic non sit, alia accersere subsidia aut testimonia a recentioribus Martyrologis, Florario nostro Ms., Edit. Lubeco-Col., Greveno, Maurolyco, Ferrario, Castellano aut id genus aliis.*

etiam a Saussayo

2 *Breve ei elogium concinnavit Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, ubi illud præcipuum, quod* ejus memoria agatur Kalendis Augusti in Bituricensi Breviario; sed fiat festum duplex in ecclesia S. Ursini, ubi jacet. *Hæc eadem habent Sammarthani, qui Claudium descripserunt, cum hoc discrimine, quod hi Sanctum collocent ordine* XIX: *verum de his infra ex recentiori editione Benedictinorum; hic locum dabimus Saussayo, cujus est hæc non inelegans oratio:* Bituricis, S. Arcadii episcopi et confessoris, qui post sanctum Honoratum sedis hujus metropolicæ gubernacula suscipiens, magna sanctitatis claritate, et vigilantiæ pastoralis assiduis excubiis, pontificalis muneris decora ampliavit; sanctitatisque magister Sanctos nonnullos erudivit, in quibus maxime eluxit sanctus Patroclus abbas, quem ob virtutum merita ad diaconatus honorem provexit. Deinde inter Galliæ sidera, Aurelianensi synodo jubar virtutum interfuit; atque demum, absoluto cursu mortalitatis, ad vitæ æternæ præmia profectus est; tumulatus vero in ecclesia S. Ursini, supernis glorificatus est insigniis. F

De ætate certatur.

3 *De Sancti ætate, aut de ordinanda serie episcoporum Bituricensium, quantumvis quæsierim, non inveni quod definiam. Jam dixi, ab aliquibus signari ipsum ordine* XIX, *ab aliis* XX, *ab aliis* XXI, *in Patriarchio autem Bituricensi monachi San-Sulpitiani,* XXII; *de quo iis disputare licebit, qui intricatam chronologiam restituendam suscipient, quod quam sit difficile, ingenue fatetur laudatus monachus San-Sulpitianus, dum ait,* nihil præter nomina pontificum plerumque inveniri: *unde una intelligis, quanta possit esse in determinanda Sancti ætate concordia. Claudius Robertus ceterique omnes eum concilio Aurelianensi* III *interfuisse admittunt; ast ille id anno* 540 *collocat, sedisseque ait annis* XXIX; *verum Sammarthani concilium istud Aurelianense melius anno* 538 *innectunt, ita episcopatus tempus coarctantes, ut solo circiter novennio sedisse potuerit. At contra, totam durationem ad solum quinquennium contrahit auctor Patriarchii, nempe ab anno* 540 *ad* 545. *Hoc autem quis conciliet cum ejus, jam episcopi, subscriptione in dicto concilio Aurelianensi*

anno

AUCTORE J. B. S.

anno 538? Ubique lubricum, ubique salebræ, quibus nemo sese facile expediat. An id satis feliciter præstiterit Cointius, est cur plurimum dubitem; at enim, eam controversiam hic derimere nec vacat, nec opus est: audiamus quæ nuperi editores Galliæ Christianæ ex S. Gregorio Turonensi adduxere.

Ipsius meminit Gregorius Turonensis

4 Arcadius nobis notus est ex concilio III Aurelianensi anni DXXXVIII, cui subscripsit et adfuit. Eum exorsum esse episcopatum anno DXXXVI docet Carolus Cointius. Ejus meminit Gregorius Turonensis, De vita Patrum cap. 9, ubi agitur de Patroclo, qui fugiens seculum, « abiit ad Arcadium Bituricæ urbis episcopum, petiitque sibi comam capitis tonderi, adscirique se in ordinem clericorum; » quod illi concessit Arcadius, collato etiam paulo post diaconatus ordine. Probianus presbyter subscripsit concilio Aurelianensi IV « missus a domino Arcadio episcopo; » scilicet Bituricensi; nam ejus ecclesiæ presbyter erat Probianus, qui post annos circiter XIV creatus est ejusdem ecclesiæ archiepiscopus. *Atque eccum nodum alium, dum S. Desiderati,* S. Arcadii *successoris initia cum Cointio aptare videntur anno* 541, B *obitum vero* 550, *quo necesse, subsecutum Probianum; ne alias sedis vocatio annorum quatuor gratis adstruatur; nihilominus inter* S. Arcadii *obitum et S. Probiani initia annos circiter quatuordecim intercessisse contendunt. Mallem ego conjicere,* S. Arcadium *obiisse anno* 545, *quo fieret ut Sammarthanorum novennium ei vindicaretur. Ceterum ex spinosis implexisque his omnibus nihil solidi educi posse, expertus video; uti neque ex ipso Monachi San-Sulpitiani elogio, quod hic in summa monumentorum aliorum penuria subjicitur.*

Paulo longius

5 Vigesimus secundus præfuit S. Archadius, vir cum nobilitate, tum sanctitudine insigniter venerabilis. Hic interfuit concilio Aurelianensi tertio, quod inter initia pontificatus ejusdem, videlicet anno regni Childeberti senioris XXVI, die IV Non. Martii, celebratum est. *Pergit enumerare sanctos omnes antistites qui dicto concilio adfuerint, et quæ in eo statuta sint; tum ad* S. Arcadium *regrediens:* Ceterum, *inquit,* illuc jam unde cœpit, recurrat oratio. Sanctissimi itaque ac beatissimi patris nostri Archadii admiranda conversatio et vitæ sinceritas, dum eximio splendore illustraret universam Galliam, adeo quidem ut Dei C ad amorem suo exemplo invitaret totius populi affectum, et multi propter divinæ servitutis culturam, abjurata prorsus seculi conversatione, ad ipsum sanctum Virum, quem optime noverant apostolica perfectione incomparabiliter fulgere, peræque agminatim confluerent, tamquam in morum asylum; inter ceteros beatus Patroclus, vir ingentis meriti, fundator Columbariensis cœnobii, in adolescentia, ne uxorem ducere a vidua matre cogeretur, clam elapsus, ad reverendam hujus almi Præsulis celsitudinem confugit. A quo benigne exceptus, ac comiter perhumaneque tractatus, diaconii ordinatione suscepta, tam pretiosis tamque odoriferis virtutum ornamentis ad illius exemplum enitescere est visus, ut per eum, adhuc sub magisterio sancti pontificis Archadii agentem, creberrime fierent miracula ingentia. Unde si tantus ac talis exstitisse perhibetur discipulus, quantus et qualis fuisse, quæso, existimandus est præceptor et magister ejus, videlicet beatissimus patriarcha Arcadius, a quo ista Patroclus, unde proficeret, rudimenta exercitii spiritualis hausit? D

ex Patriarchio elogium

6 Sed, quod dolenter dico, majorum nostrorum res præclare gestas, alioqui posteritati multum profuturas, non sine crassa negligentia, antiquitas suo texit silentio. Siquidem nil præter nomina pontificum nostrorum plerumque invenimus; quos tamen morum probitate et singulari sapientia constat esse dignos, qui posteritatis memoriam promereri videantur. E At idem gloriosus pontifex Archadius, postquam rexisset Bituricensem ecclesiam annos quinque, ex hac vita subtractus Kalendis Augusti feliciter migravit ad Christum. Cujus sacratissimum corpus, cum debitæ venerationis honore, traditum fuit sepulturæ in basilica sancti Symphoriani martyris; ubi nunc usque gloriose quiescit, juxta corpus S. Ursini, primi ejusdem Biturigæ civitatis episcopi. Quam quidem ecclesiam fuisse olim constructam per eumdem divum Ursinum, testatur Gregorius Turonensis capitulo 80 libri in gloriam confessorum. Idem autem locus, cum antiquitatis jure, tum multorum Sanctorum, ibidem jacentium, præsentia venerabilis et devotioni accommodatissimus cernitur. Quo tunc temporis monasticus ordo florentissime vigebat; sed deinceps, senescente mundo, atque secundum D. N. I. C. sententiam, charitate in hominibus refrigescente, illic sanctæ religionis fervor tepuit, et collegium canonicorum secularium (ne divini cultus ministris penitus destitueretur tam venerabilis locus) institutum est. F Claruit autem idem S. præsul Archadius ab anno DXL ad annum DXLV, temporibus Vigilii Papæ, Justiniani imperatoris, regnantibus in Francia Clothario I, Childeberto, ac Theodeberto.

DE S. BANDARIDO EPISC. CONF.

J. B. S.

SUESSIONE IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti nomen, cultus, ætas, Acta, reliquiæ, elogium.

SECULO VI.

Varie inflexus

Non apud omnes, nec apud Gallos quidem, eodem in pretio fuisse Sanctum, quo de hic agimus, varie a variis efformatum, faxo, mox clare perspicias. Bandaridum *vocandum esse, non* Bandaricum *aut* Bandaredum, *videtur insinuare enuntiatio ipsa Gallica* Bandry *seu* Bandriz; *unde nescio qua ratione Saussayus in suo Martyrologio* Bandarinum *efformaverit; et quidem die sequenti (forte ex Breviario Suessionensi), cum certo hoc die obierit, eodemque in Fastis qualibuscumque certo annuntietur, sive sub forma* Bandaridis, *ut eum appellat Castellanus, sive sub alia consimili, de quibus hic pluribus disputandum non censemus.* Bandaridus *is nobis est, qui sub Clotario,*

Clodo-

A *Clodovæi magni filio, Suessionum, in facta a parente divisione, rege, S. Lupo (quod nomen communius fuisse novimus) ejusdem urbis antistiti, de quo agendum erit* XIX *Octobris, circa annum* 538, *non ut alii* 540, *successit; decessore haudquaquam inferior, imo iis insignis virtutibus, quæ æmulorum, invidorum, dicamus impiorum oculos offendentes, exsilium ipsi, urbi tantum non exitium attulere; ut Vita ipsa paulo uberius infra deducet. Hæc, ut de nomine satis constet.*

idem est qui certo colitur.

2 *Id vero mirandum præcipue, Virum talem ac tantum ab omnibus antiquis Martyrologis ita prætéritum, ut Classicis omnibus ignotum fuisse oporteat. Etenim ut vel numerosos codices Usuardinos appellem, in nullis eorum signatum reperi, præterquam in editione Lubeco-Col. et altera editione, ibidem a Greveno procurata, his simpliciter verbis :* Suessionis, sancti Blandaridi episcopi confessoris; *quæ ipsa verba, nisi vehementer fallor, accepta sunt ex nostro Sanctorum Florario Ms. seculi* XV, *cui hoc die ad marginem, sed eadem manu inscriptus est; alibi, sive in Mss., sive in editis, saltem antiquioribus, frustra quæsitus, quippe qui nec Surio* B *notus sit : ut facilius intelligatur, a recentiori Legendista Gallico prætermissus, in quo etiam nec nomine designatur, tametsi a Saussayo et Cointio laudatum fuisse, procul dubio non ignoraverit. At neque ipse, neque Sammarthani, neque scrupulosiores alii a prædicandis tam illustris Viri gestis et virtutibus nos absterrebunt, dum cultu ejus Suessione extra controversiam positus est. Ætatem Sancti unde liceat explorare, ex modo dicendis intelliges.*

Ex S. Medardi sepultura 545

3 *Decessorum ejus tempora definiendi necdum se obtulit occasio, cum SS. Edibius, Principius et Lupus ad posteriores anni menses pertineant. Id tradit Suessionensis historicus Claudius Dormayus lib.* 3, *cap.* 32, *successisse eum S. Lupo, circa annum* 540, *quo ferme etiam inclinare videtur auctor ejus, quæ superest, Legendæ, dum* Lotharii (*voluit dicere* Clotarii) nobilissimi Francorum regis *tempora designat : id saltem certum est ex Actis S. Medardi Noviomensis, ad* VIII *Junii illustratis, cap.* 4, *num.* 25, *pag.* 92, S. Bandaredum, *ut ibi appellatur,* Suessionensem episcopum, cum debita processione reverenter occurrisse, et sanctissimum corpus, *nempe jam dicti S. Medardi,* prout decebat, honorifice suscepisse. *Habes præterea num.* C 28, sanctissimum illud *idem* corpus, in præordinata sepultura, *apud Suessionem* terræ decentissime commendatum. *Ex anno celeberrimæ istius translationis figenda omnino* S. Bandaridi *epocha, quem certum est, tunc vixisse et floruisse, utpote solennissimæ istius cæremoniæ actorem præcipuum. Hic igitur cardo rei vertitur, ut quis certo definiat, quo anno inclytissimus S. Medardus obierit, et prope Suessionem sepultus sit.*

ætas ejus definitur;

4 *Hæc porro et a Cointio, et in Actis nostris ad* VIII *Junii affiguntur, non anno* 565, *ut Sammarthanis visum est, aut anno* 560, *ut vult Dormayus; sed aliquot citius annis, nempe* 545; *unde de* S. Bandaridi, *quem* Bandaricum *vocat, ætate, mentem suam explicans laudatus Cointius tomo* I, *ad annum* 538 *ita habet :* Bandaricus episcopus Suessionensis, cum populum, post obitum S. Lupi, quem Suessionenses XIV Kal. Novembris colunt, per aliquot annos exemplo vitæ inculpatæ singulari, et saluberrimis institutis atque consiliis rexisset, variis lacerari cœpit sermonibus impiorum, quorum alii imprudentiæ, alii dementiæ eum insimulabant, alii prodigum ac dissipatorem rerum suarum esse jactabant in vulgus, alii fratrum conturbatorem appellabant. Clotarii regis jussu, nullo habito in ejus vitam concilio, aut judicario ordine facto, ad quorumdam malevolorum tumultum urbe et episcopatu abire hoc anno coactus est. Transiit in Angliam, ubi in monasterio per septennium humilis ac patientissimus degit, vili olitoris officio fungens; ut legitur in Breviario Suessionensi IV Non. Augusti. Certa autem exilii epocha colligitur, ex eo quod, paulo post reditum, funus S. Medardi, cum multis aliis episcopis, sua præsentia celebravit, anno videlicet Christi DXLV : unde corrigas eos, qui B. Lupum, Bandarici decessorem, anno Christi DXLIII mortuum scribunt.

AUCTORE J. B. S.

exsilii tempus,

5 *Porro* S. Bandaridum *toto septennio in Britannia exsulasse, tam diserte non uno loco exprimit dicta Legenda nostra; ut si in eo fallat, totam corruere necesse sit. Cum autem redux ab exsilio, S. Medardi celebrem sepulturam certo curaverit anno jam dicto* 545, *quid evidentius sequitur, quam quod totis septem ante annis cathedram Suessionensem conscendere debuerit, atque adeo anno, ut minimum,* 538, *imo, si* annis *ante* aliquot *eam ecclesiam rexerit, multo citius sacras infulas consecutus sit : cumque jam dictæ sepulturæ non diu supervixisse videatur, corrigendi denuo Dormayus et Sammarthani, dum ad annum* 556 *vel* 566, *vitam ejus protrahunt. Audiamus iterum Cointium ad jam dictum annum* 545 : Bandaricus Suessioniensium episcopus, cum per septennium exulasset, et per ejus absentiam sterilitas atque aëris intemperies morbosa totam diœcesim plurimum afflixisset, missis in Angliam nuntiis a rege Clotario, revocatus est. In reditu, cum ad locum pervenisset, quæ Arthesia dicitur, et ab urbe Suessionensi distat sex millibus passuum, ibi sitienti populo fontem aquæ suis precibus impetravit, ac paulo post reditum, funus S. Medardi, cum multis aliis sua præsentia celebravit, paucisque post diebus febre correptus, Kalendis Augusti vita excessit. E

et annus obitus.

6 Hæc leguntur in Breviario Suessionensi postridie easdem Kalendas, quo die colitur sanctus Bandericus, a nonnullis dictus Bandaridus, Bandaredus et Bandarinus, corrupte Baudardus. In utraque editione Galliæ Christianæ et in Martyrologio Gallicano Bandaridus dicitur exequiis interfuisse Clotarii regis, cujus obitum anno Christi quingentesimo sexagesimo primo consignabimus. Argumenta, quibus hæc opinio nititur, nullius sunt auctoritatis. Primum, quod F abunde refutavimus, supponit Medardum episcopum et Clotarium regem eodem anno mortuos esse. Alterum, quod inferius diluemus, verum atque indubium agnoscit privilegium quod monasterio S. Medardi quinto Idus Martias anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo sexagesimo secundo a Joanne tertio Papa concessum circumfertur. Donec validiores occurrant rationes, quæ nos a suscepta primum sententia revocent, sanctissimos præsules Medardum et Bandaricum eodem anno, illum sexto Idus Junias, hunc Kalendis Augustis sublatos ex hac vita fuisse propalabimus. *Et nos hic Cointio subscribemus, donec clariora alicunde eluceant, quæ vix audeas sperare.*

Acta paulo liberiora

7 *Postremum quæritur quid de Actis censendum sit, paulo liberiori et liberaliori phrasi deductis, quæ in longe pauciora facile contrahi potuissent. Scriptorem pluribus seculis rebus gestis posteriorem fuisse, vel ex ejus confessione colligitur, quam habes num.* 23, *ubi sic legitur :* Multa præterea, recordatione digna, huic operi non attitulata, dici potuissent de gestis et virtutibus beati viri Bandaridi, si prætermissa non fuissent incuria et ne-

gligent

AUCTORE J. B. S.

gligentia scriptoris. Ne quis vero me culpandum existimet, quod de multiplici virtutum congerie hoc opus tam exiguum contexui : profiteor, de multis quæ non sunt memoriæ hominum scripto tradita, ut potuimus, vix pauca perstrinxisse. Volumus autem Paternitati vestræ innotescere, repertam esse quodammodo tantillam materiam hujus operis in cujusdam membranæ pittaciolo, tamquam sub epilogo breviter annotatam, quæ postmodum sagaci studio indagata, per exaggerationem a nobis aliquantulum amplificata est. Horum quæ dicimus testis est vetus illa schedula, quam si quis perspicatus intueri voluerit, omnia quæ supra vel infra exaravimus, invenire poterit, coadunata subtilis adeo in thematis clausula.

seculo 12 scripta.

8 *Satis igitur patet, collectam fuisse Legendam totam diu post* S. Bandaridi *obitum : imo si recte notavit Nicolaus Belfortius, cujus studio et diligentia apographum nostrum nacti sumus ex Ms. ecclesiæ cathedralis Suessionensis, appositum istic erat nomen Suessionensis episcopi Josteni, qui sedem illam tenuit ab anno circiter* 1126 *ad* 1150, *quemadmodum notant Sammarthani, vel ut Dormayus ad annum* B 1152, *ad quem, procul dubio, referendum nomen* Paternitatis, *quo usum scriptorem jam ostendimus, ut proinde Josteno dedicatum censeri debeat opus ipsum, de cujus fide et integritate auctorem testantem jam audivisti. Inde porro rescindenda censuimus, quæ ex S. Medardi Actis, a nobis pridem editis, se narrationi suæ inseruisse fatetur; ut satis fuerit, ea sola subnectere, quæ ad probanda* S. Bandaridi *frequentia miracula, non jam ex pittaciis seu traditionibus, sed ex visu non semel repetit et inculcat, ibi æque ac in tota reliqua Vita paulo verbosior, et multa, ut candide fatetur,* per exaggerationem amplificans; *quem eumdem stylum redolent lectiones* XXXII *Mss. ex ipsomet fonte acceptæ, quas proinde hic describere operæ pretium non fuit, quibusque maluimus nitidum totius historiæ compendium ex Saussayo substituere, totam deinde Legendam subjicientes.*

Servatæ feliciter reliquiæ

9 *Neque vero prætermittenda hic sunt, quæ de sacro corporis deposito satis accurate recenset laudatus jam non semel Suessionensis historicus Dormayus, lib.* 6, *cap.* 43; *in ea nimirum, totius a nobis deplorata Calvinistarum rabie, qua Suessione* C *æque ac in reliqua ferme Gallia, immani furore in Sanctorum pretiosissimas reliquias debacchati sunt, cœnobii Crispiniani Priorem, domnum Lespaulart, ea industria usum, ut callidos non minus quam rabidos iconomachos mirifice fefellerit. Obtenta enim, principis Borboniæ gratia, facultate vina sua in monasterium et alio transferendi, vasa aliquot tum sacris reliquiis, tum pretiosioribus argenteis sacris cimeliis, ornamentis, chartis aliisque id genus implevit, atque ex harpyarum manibus feliciter eripuit, custodibus sic prius potis, ut quid ageretur observare nequiverint. Atque hac arte delusis omnibus,* S. Bandaridi *sacrum corpus servatum omnino fuisse, testis ibidem est dictus Dormayus, ut istic etiam hodie reliquiæ ejus intactæ et integræ constanti fidelium venerationi exponantur. En modo Saussayi elogium, quod Actis ipsis prælucere opportunum censuimus* :

Saussayus in elogio

10 Augustæ Suessionum, sancti Bandarini episcopi et confessoris. Hic tempore Clotarii I, Christianissimi regis, sancto Lupo ad Superos evocato, consonis omnium votis suffectus, potens simul opere et sermone, commisso sibi gregi viam justitiæ et pietatis aperire perstuduit : quod verbis docebat, prius factis ostendens, ut ad divinæ religionis cultum subditos efficacius permoveret. Cum autem puritate mentis, corporis castitate, D morum nitore polleret, abstinentia non minus erat commendabilis, sed et vigiliis assiduus, orationibus intentus, eleemosynis autem ita deditus, ut omnem fere substantiam in alendis pauperibus consumeret. Quamobrem a suis ludibrio habitus, et stultitiæ injuria notatus, a rege, quasi dilapidator ecclesiastici patrimonii, sede excedere jussus, atque a civibus propriis ignominiose episcopatus eliminatus, in exilium magno cum vituperio pulsus est.

11 Sed Vir beatus confisus in Domino, patientia præclarum ea in tentatione exemplum prætulit, humilitatisque, quam semper coluerat, studium egregie exercuit. Transmeans scilicet in Angliam, ibi in quodam cœnobii xenodochio factus hortulanus, per septennium magna cum animi tranquillitate et pietatis sensu ac profectu, Christo in membris serviens, vili sub schemate militavit. Interim fame et peste affliguntur Suessionenses; qui Dei exasperati iram persentientes, Pastoris sui, quem injuste persecuti fuerant, innocentiæ recordati, supplices regem adierunt petentes, ut requisitum inventumque superna ope E sanctum Præsulem ad sedem revocaret : ad cujus reditum (ceu quondam ad conspectum Aaron, pontificis Deo dilecti) ultio divina protinus cessavit; inimicisque suis Vir Dei paterno affectu opitulatus, apostolorum, quorum spiritu et virtute pollebat, miracula renovavit : quicumque enim ægrotus benedictionem ab eo expetebat, pro munere, Jesu nomine invocato, crucisque edito signaculo, ab ipso sanitate donabatur.

satis nitide

Vitam contraxit.

12 Dum autem his splendoribus receptam cathedram sanctus Præsul ornaret, beatus Medardus Viromanduorum pontifex gloriosus defunctus est, cujus sacratissimum corpus Suessionem rex Clotarius, ut uberiori id honore impertiret, deferendum curavit, jussitque ut condignis inferiis a beato Bandarino sepeliretur : qui cum thimiamateriis et crucibus ac ceroferalibus, omnique cum ecclesiastico decore justa præsuli prorsus apostolico, vir ipse totus apostolicus exsolvit. Defunctum itidem paulo post Clotarium ipsum pius Antistes, injuriæ immemor, omni cum caritatis significatione inhumavit in ipsa sancti Medardi, quam rex ille inchoaverat, æde. Hisque aliisque piis officiis perfunctus, gratiæ divinæ F fœnoribus et justitiæ fructibus locupletatus cœlestium ad civium consortium evolavit. Ejus porro corpus ad sanctum Crispinum majorem, in dextra parte altaris sanctæ Mariæ conditum, divinæ magnificentiæ refulsit postmodum signis præclarissimis.

VITA

Ex Ms. ecclesiæ cathedralis Suessionensis

Descripta a Nicolao Belfortio, servata capitum in autographo distinctione.

Scribere Sanctorum gesta patrum piis ac religiosis est decus et optabile votum : sicut e contra reprobis et invidis dedecus et tamquam

quod-

A quoddam animæ execrabile detrimentum *a*. Hinc siquidem mens Deo devota, audiendo avidior effecta, tamquam lautioribus cibis saginatur; miser vero, quasi in fame positus, cruciatur et invidiæ livore nimium exagitatur. Hinc fidelium animus, divino amore succensus, ad appetenda cœlestia inardescit; sed reproborum corda veluti tædio affecta, nimio livoris torpore contabescunt, et subinde merguntur deorsum ad inferni profundiora. Mensa Dei fidelibus hic apponitur, bonis omnibus exuberans, quando vita et actus Sanctorum vel scribendo vel legendo ad memoriam reducuntur: unde electorum mens Deo per contemplationem vicinius jungitur, et maxima interim laus Deo adscribitur, dum ejus gratiæ assignatur, quod mundi cupiditates, ipso adjuvante, Sancti superarunt. In ista mensa, de qua loquimur, quisque invenire potest, quod sibi salutiferum sumat, et quod aliis charitatis gratia proponere debeat; non autem superbus et invidus, non contumeliosus et animo perversus; sed ille, inquam, qui humilitatem, qui mansuetudinem, patientiam, et cetera hujusmodi imitari

a Bonis placent Vitæ Sanctorum, malis non item.

B desiderat. Sed de invidis, quorum corda rubigo consumit, intermittentes nimium conqueri, stylum vertimus ad eos, quorum actus laus est fateri, et exempla pium imitari, quos patronos nobis fore confidimus in retributione justi judicii Dei. Et quia de omnibus Sanctis, etiam si velimus sermonem texere communiter et competenter non possumus; unum nobis de pluribus assumimus, Bandaridum scilicet Suessionensem pontificem, de cujus Vita et virtutibus, quantum Dominus dederit, subsequenti opere tractabimus.

CAPUT I.

Pastor in omnibus perfectissimus, impiorum calumniis apud regem accusatus, in exsilium pellitur: sed pressi calamitatibus Suessiones, ipsum requirere coguntur.

C

CAP. I. *b Pastor omnibus numeris absolutus* *c*

Tempore Lotharii *b* nobilissimi Francorum regis, dum respublica, prout competebat, disponeretur sua suorumque præcellentissimorum principum solerti industria: contigit, ut assolet, quod morte intercedente beatæ memoriæ Lupi Suessorum *c* venerabilis episcopi, absque pastore aliquamdiu maneret Suessio desolata. Quod cum nimium ægre ferret grandis civitatis innumera multitudo, utpote tanti patroni destituta præsidio: tandem pastor summe bonus, qui singulari privilegio bonus dicitur et est, indoluit; et sua divina gratia inspiravit, ut plebs omnis Suessionica unanimi voto Bandaridum, virum industrium et eximiis meritis egregium acclamaret et eligeret: atque ut regalis dignitas suis satisfaceret votis, concordi voce proclamaret et impetraret. Ordinatus ergo et consecratus pontifex beatus Bandaridus, cœpit populum sibi commissum instruere, sic ut quod docebat verbis, ipse prius in suis ostenderet factis. Revolvebat semper in animo, quale onus suscepisset et summopere verebatur ne quemquam de grege sibi credito adversarius, ut leo rugiens, devoraret; unde ut ipsi fortiter resisterent, incessanter monebat. Ad ea autem ipse primus subditos præibat, in orationibus scilicet assiduus, in jejuniis, in eleemosynis, in vigiliis continuus, in omni sancta et casta conversatione providus et castus. EX MS.

3 Patientiam præterea et humilitatem custodiebat cum puritate mentis: et omnibus ad se venientibus omnimodam prætendebat mansuetudinem et benignitatem. Divina quoque scripturarum semina impendebat cunctis sibi colloquentibus, congratulabatur prævenientibus, applaudebat universis in bona actione perseverantibus. Jucundabatur etiam sibi, dum miserationum Domini reminiscens, miseriis plurimorum inserviret, et pro Dei amore, quæcumque poterat, egenis commendaret. De quo vere Davidica voce intonatur: Dispersit, dedit pauperibus; Justitia ejus manet in seculum seculi. In tantum quippe erat necessitatibus pauperum intentus; ut egens ipse inter eos, ex omnibus stipendiis suis nil omnino reservaret, nisi quantum ad quotidianum victum vix sufficere posset; de crastino non cogitans. Ita ergo iste Sanctus sese omnibus conformabat; ut divites eum magis quam se divitem crederent, et pauperes sibi coæqualem et habitu E et vultu cernerent; sicque omni erat vilitate contentus, ut hospes cerneretur in seculo, qui alias morum probitate præcellens et quasi mundo exemptus, cœlo propinquabat.

gregi suo sedulo invigilans,

4 Quis igitur crederet tanto Viro pro tantis bonis retribui mala potuisse? Sed antiquus hostis et omnis inimicus justitiæ, qui tamquam per rediviva incendia incessanter suæ reparat faces invidiæ, in hunc quoque Christi Servum jacula suæ contorsit malitiæ. Siquidem ab aula regis per inanem aerem mille volant in ipsum mendadacia. Fit in populo ambiguus strepitus, clamor confusus. Alii qui livore urebantur, dicebant quod vir Dei denotaretur infamia stultitiæ: et qui substantiæ domus Dei fidelis ac providus dispensator esse debebat, prodigus et dissipator, ac subditorum sibi fratrum conturbator existeret. Tanta denique amentia insidiatores ejus capti erant: ut quod pauperibus divino pro amore videretur erogare, hypocrisi imputarent; adjicientes præterea, næniis et vanitatibus quibusdam potius, quam Deo illum deservire. Alii vero quibus erat mens sanior, tamquam idonei testes eorum quæ operabatur in medio populi sui, pro- F fitebantur, hunc esse pastorem et vere rectorem domus Dei, sanctum et justum, sobrium, et castum, recreatorem pauperum; justum judicem pupillorum et viduarum.

CAP. II. *multis calumniis*

5 Quia vero quanto plus ignis in fornace accenditur, tanto aurum purius comprobatur: jam in igne tribulationis positum voluit Dominus magis approbare electum suum. Occasiones igitur quærentes adversus patrem-familias, iterum ex palatio tyrones voces blasphemiæ, tamquam favillas, conflabant in Servum Dei, taliaque suggerebant regiæ majestati dicentes: Domine rex, vidimus sæpius, et ab antecessoribus nostris accepimus, quod universi pontifices, qui regno vestro post vos præsident, regalia xenia, quæ tantum deceant virum, vobis mittere vel deferre debent. Est autem Bandaridus Suessorum episcopus, qui ab hac consuetudine videtur esse sequestratus, et aulæ regiæ præsentiam suam subtrahit, et regia munera nullo modo mittit, quippe quem tanto honoris gratis *d* præfecistis. *d* Jubeat ergo vestra majestas, ut eum adeamus et suggeramus ei, quemadmodum oporteat eum ditioni vestræ subdi, et parere per omnia re-

etiam apud regem proscinditur;

giis

EX MS.

giis edictis, sicut et parent coepiscopi sui. Intimanda autem sunt hæc, ne forte cras excusationem prætendat, numquam se audivisse talia.

qui multis mendaciis instigatus *e*

6 Itaque jussu regis ad virum Dei pergentes, intimaverunt ei sicut regi suggesserant: quorum verba, furiose sibi invecta *e*, Sacerdos egregius audiens, hujusmodi fertur verba respondisse, cum humilitate magna: Senior *f* meus rex mandat secundum quod sua est voluntas: equidem libenter ac prompte ipsius jussa complerem, si pro velle adesset mihi possibilitas. Sed scit ille, cujus est omnis potestas in cœlo et in terra, quod mihi non sunt alicubi condigna regi munera, nec ita repente possum præparare quæ quasi extorquendo exigitis; nisi Dominus, cui nil boni deest, et qui omnibus se petentibus et in se fidentibus dat affluenter et non improperat, divinitus mihi servo suo dignetur ministrare. Quæ verba illi non ferentes et cum indignatione in eum frementes, redeunt festinanter ad regem, et fallaciæ fallaciam addentes, novam redeundo calumniam componunt. Regi ergo sic aiunt: Rex in æternum vive. Fecimus quod jussisti, episcopum illum B stolidum Bandaridum adivimus; sed delirum in verbis invenimus et stomachantem in responsis, et multa inconvenientia, quæ in aures vulgi turpe esset proferri, ab illo audivimus.

jubet Sanctum in exsilium pelli;

7 Insuper etiam sub jurejurando affirmavit, quod numquam palatia tua frequentaret, nec quidquam honoris tibi, vel tuis impenderet. Cavendum ergo valde est, quia si ista quasi patiens et mansuetus inulta abire permittis, et molescere consentis, regnum tuum in se divisum desolabitur, et alterius gentis dominio subjugabitur. Unum tibi super hac re (ut nobis videtur) inest consilium, ut ipse contemptor precepti tui, tamquam contumax tradatur in ergastulum, aut ut fraudator pellatur in exilium. His relationibus concitatus rex, jussit ut qui relatores fuerant, judices etiam et ultores istius noxæ facti, sanctum Episcopum, prout antea decreverant, in exilium tamquam regibus damnatum mitterent. Quare accepto regis consensu, concito gradu equis subdantibus * remeantes ad Episcopum: Age, inquiunt, episcope, ab episcopio tuo, reatu præveniente, vacuatus recede. Licet te pastorem ordinaverimus, permissu tamen regio deponimus, C tamquam omnium bonorum contemptorem. Itaque sine synodali conventu, et absque ullo episcopali judicio per laicorum tyrannidem pulsus est in exilium.

* *An non sudantibus?*

CAP. III. *hic vero in Angliam profectus.*

8 Missus in exilium, cum esset cor illius fiduciam habens in Domino et ab humilitatis et patientiæ proposito non recedens, cœpit mente revolvere, quidnam faceret; utrum scilicet inter suos inquilinos remaneret, an ad exteras transmearet nationes. Cumque ei visum esset commodius, ad remotiores transire, ubi nemo sciret, quis aut unde esset, nemo calumniaretur, nemo de infortunio, quod acciderat, improperaret: disponit, si Dominus permitteret, transmarina adire loca, ut sic incolatus ejus prolongaretur a patria, et ob periculosioris itineris difficultatem, nemo suorum prosequeretur. Peregre ergo profectus, tandem ad portum maris, qui placidus et quietus esse dicebatur, pervenit; ubi dum solicitus præstolaretur alicujus scaphæ adventum, inter scopulorum, qui illis in locis abundant, multitudinem, rupem unam invenit velut in modum columnæ tornatilem, ad id quod facere disponebat, satis idoneam, moxque cum nauclero conventione facta de navi, qua mare erat transiturus; annum Domini, Calendam, feriam, ac ipsius feriæ horam in prædicta rupe tam aperte D insculpsit, ut posset quivis literatus sine difficultate agnoscere, quo tempore maris undas transisset. Igitur feliciter æquore transmisso, cœpit Anglicana perlustrare loca, omnimodis sibi peregrina, et dum plurima urbium mœnia circumiret, perquirebat ab incolis, an haberentur cominus aliqua ibi monachorum habitacula. Tandem vero superna propitiante clementia, tamquam felix sumit auspicium, quod ad quosdam monachos devenisset: a quibus dum diu optatum precibus acquireret hospitium, intellexit protinus, sibi Deum propitium adesse, qui se de manu insidiantium eripuisset, deque spurcitiis hujus mundi erutum, ad tranquillum monachorum xenodochium perduxisset.

CAP. IV. *ibi cœnobii hortulanum agit.*

9 Impetrata ergo cœnobii societate, gratulabundus Vir Deo plenus immensas grates omnium largitori bonorum referens, psallebat continue in corde suo illud Davidicum: Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Degens autem in ipso, cum quo venerat, illo habitu canonico, et sub abbatis imperio devotus E militans, delegit sibi beatius esse labores manuum suarum manducare, quam otio vacare: unde per septennii spatium tantummodo hortulani officio occupatus est. Cujus circa hortum diligentia et studio tanta erat olerum abundantia, ut cum bona omnium gratia cumulate suo muneri satisfaceret. Ut autem manifestaret Dominus, quantum sibi grata esset obedientia ipsius, potentiæ suæ virtutem contulit Servo suo in ipsis oleribus. Nam quicumque aliquo morbo ingravescens ad eum veniebat, mox ut potionem per manum ipsius ex gramine compositam, in Dei nomine accipiebat, ab omni languore curabatur; et quot genera erant herbarum, tot pellebantur per manum Viri Dei species morborum. Factum est ergo celebre nomen ipsius per populos circa maritimas regiones: et confluebant ad eum innumeri, qui aut per potionem, ut diximus, aut per manuum impositionem sani fiebant a quacumque detinebantur infirmitate. Ipse vero ne tanta sibi virtus adscriberetur, contendebat, oleribus inesse Dei providentiam, quæ in hominibus talem operaretur salutem. Hortabatur denique omnes ad se venientes, ut semper gratias rependerent F Deo creatori suo, qui salvat omnes sperantes in se, et de sua virtute gloriantes humiliat: quia omnis virtus et sapientia a Domino Deo est, et ipsi soli referendæ sunt gratiæ in omnes generationes.

CAP. V. *At divina ultione in ingratos sæviente,*

10 Sed cum his tantis atque aliis virtutum insigniis in partibus Anglorum celebris haberetur: noluit tamen Dominus Servum suum ibi diutius permanere: neque lucernam suam sub modio ulterius latere. Nam in ista peregrinatione, expleto ferme septennio: ut plebs Suessonica commoneretur, Pastorem suum sollicite revocare, in tantum divina ultio desæviit in pago Suessonico et ita inter se confligebant terræ sterilitas, et pestiferi inæqualitas aëris; ut famis nimietate quamplures periclitarentur usque ad mortem; et aëris natura Dei judicio permutata, derepente millia hominum morte dissolverentur. Quo terrore nimium perculsi et quodammodo mente turbati omnes urbici, suburbani et reliqui diœcesani ejulantes ad cœlum usque flebiles emittunt voces: Domine miserere nostri *g*. Peccavimus, g injuste egimus, iniquitatem fecimus: patres nostri peccaverunt et non sunt: nos autem iniquitates

A tes eorum portavimus. Pupilli facti sumus absque patre, erravimus sicut oves absque pastore, nec est qui requirat. Non est qui consoletur nos, qui precibus redimat: ideo perimus, ideo morte afficimur tota die sicut oves occisionis. Piissime Domine, rex cœli et terræ, inhumata relinquuntur cadavera nostra, et præ nimio fœtore non est qui sepeliat. Placare, Domine, et parce peccatis nostris propter nomen tuum, ac propitius esto sorti et funiculo hæreditatis tuæ.

CAP. VI. *medicum Pastorem quærere compelluntur.*

11 His et hujusmodi aliis et orationibus cum gemitu fusis ad Dominum, in se redeunt et consilio inito unanimes veniunt ad regis palatium, frementesque et horribiliter clamantes, tamquam versi in seditionem, dicebant ad regem: Eia rex noster, non autem vere rex, sed tyranne crudelis, qui absque misericordia et justitia videris ac diceris, in quo tibi peccavimus vel in qua re deliquimus, quia peccatum hoc grande et flagellum mortis induxisti super nos: ut Pastorem nostrum, doctorem et gubernatorem animarum et corporum nostrorum, per tuam tuorumque tyrannidem sine caussa nobis aufferres; et non solum regno B tuo expelleres, sed trans mare etiam tamquam regni fraudatorem fugares? O inimice omnis justitiæ, et divinarum atque humanarum legum contemptor sacrilege, qua temeritate ausus fuisti, ut Sanctum Dei ab episcopio suo excluderes: Quin etiam, sicut impræsentiarum vides, propter ejus absentiam nos atroci morte perdidisti. Hæc est enim causa et hoc peccatum, quare morti addicti sumus: Redde ergo nobis quem violenter ac fraudulenter abstulisti. Non enim a nobis hæc pestilentia recedet: nisi revocatus fuerit ad sedem suam electus Dei Bandaridus, de qua injusto judicio est depositus. Quod si quidquam horum obstinato corde nolueris facere; aut divina condemnatus sententia interibis, aut sicut egisti in Sanctum Dei, in caput tuum redundabit.

ANNOTATA.

a *Exaggerationis aliquid redolet vel hic prologus.*

b *Voluit dicere* Clotarii, *ut rectius infra scribit.*

C c *Melius diceret* Suessionum; Suessos *certe nusquam legi, neque reperit Valesius in Notitia Galliarum, ubi tamen de Suessionibus multa commemorat; videturque* Suessio *vox æque inusitata.*

d *Clarius loqueretur, si diceret,* quem tanto honoris gradui gratis præfecistis.

e *Quid velit, satis intelligitur.*

f *Notissima* domini *appellatio, alibi non semel explicata; unde* Seigneur.

g *Oratio pro auctoris ingenio composita, ex variis Scripturæ locis, quæ sigillatim enumerare opus non est.*

CAPUT II.

Repertus in Anglia, ad sedem suam honorifice reducitur; gregem calamitatibus liberat, multisque clarus miraculis S. Medardum sepelit, et meritis plenus laborum præmio coronatur.

Hæc audiens rex nimium timuit duplici modo; videlicet propter cladem quam videbat imminere mortis, et propter sævitiam populi contra se nimium furentis. Vocatis ergo servis suis, misit eos quaquaversum cum aliis viris de civitate ad perquirendum Virum Dei. Qui cum post dies plurimos ad mare pervenissent, et in rupe, de qua superius dictum est, titulum scriptum reperissent, in quo dudum sanctus vir Bandaridus annum Domini, Calendam, feriam atque horam navigationis suæ notaverat: immenso gaudio exhilarati, deque cœpto itinere certi, ascendentes in navim transvolant mare. Cumque, derelicta nave, in littore huc illuc discurrerent, Virum Dei per oppida et vicos inquirentes: tandem casu perveniunt ad illud cœnobium in quo Vir Dei gerebat hortulani officium. Dum autem ibi orationi insisterent, et pro sui Pontificis manifestatione sollicitas Domino preces funderent, contigit subito per Dei dispositionem, ut unus ex fratribus Bandaridum vocaret ex nomine, et ut ad hortum pariter proficiscerentur, commoneret, quia jam instaret tempus olera colligendi, quæ fratribus ad refectionem ministrari deberent. Qua vocatione cognita, ut quod quærebant certius invenirent, arrigunt aures gratulabundi: et orationes suas a Domino *a* exauditas intelligunt in fide roborati. E

EX MS. CAP. VII Feliciter inventus,

Surgentes itaque ab oratione, undique prospiciunt, si forte vocatum ex nomine inter alios recognoscerent, et venientibus mixtim fratribus ternis sive quaternis, dum ipse vellet inter alios delitescere; recognoscitur a suis, moxque genua ipsius strictim illi amplexantur, pedes osculantur, et lachrymis rigant; atque ut in patriam redeat supplici voto exorant.

CAP. VIII. *redire primum renuit,*

13 At ille ad eos: Quid, inquit, mihi et vobis filioli? Recedite, quæso, et nolite me inquietare, sed permittite quo cœpi, intendere: quia melius est mihi manere quam reverti in patriam et vestræ tyrannidi cum gravi imperio et violentia subjacere. Illi autem subjungunt cum omni mansuetudine et humilitate: Domine pater, rex Francorum nos misit ad te, nimium te desiderans ac deprecans, ne sis memor injuriæ ipsius et civium suorum. Te expectant omnes Francigenæ, te plebs omnis tibi commissa affectat *b* et ut quantocius redeas, implorat. Ille vero dixit: Impossibile est, filioli, quod petitis, videlicet ut quem Dominus provida mihi dispensatione patrem destinavit, et qui me incolam et peregrinum errantem misericorditer suscepit, et per septem annorum curricula sustentavit, hunc deseram et ad vos redeam, qui me a finibus vestris ceu canem rabidum expulistis, et sicut bene nostis, per omnia male tractatis. Non ita decet, filii, non ita decet. At illi: Noli, Pater, inquiunt, ad injuriam civium tuorum ista improperare. Pœnitet enim omnes, et profitentur quia te sine causa ad iracundiam provocaverunt, et inde humiliter veniam postulant. F

abbatis, cui suberat, imperium prætexens:

14 Quibus Vir Dei ait: Vos sicut vestræ voluntatis est, et vobis injunctum est, dicitis; ego autem paucis pandam vobis veritatem. Pro certo sciatis, quia non sum mei juris, sed omnino mancipatus sum alterius ditioni: unde mihi licitum non est quidquam facere vel quoquam pergere, absque abbatis hujus loci permissione. Quidquid igitur jusserit me facere, expedit ut faciam pro posse. Ad hæc legati siluerunt. Statimque de loco surgentes pergunt ad abbatem cum festinatione: cui narraverunt omnia per ordinem, quemadmodum scilicet vir Dei Bandaridus in Francia honeste fuerit ordinatus episcopus, et pro quibusdam infortuniis mare transierit; pro qua iterum

EX MS.

causa, jussu regio eum requirerent, quo etiam ordine ex nomine vocatum reperissent, et inter alios latentem agnovissent, quasque inter se collocutiones habuissent; denique quod nisi ipsius jussu in Franciam reduci omnino non posset. Abbas itaque istas rationes cum admiratione perpendens expavit, numquam se audivisse huic simile sub juramento affirmans. Mandavit autem Virum Dei ad se venire; cui redarguendo sic ait: O homo, quid est hoc quod facere voluisti? Quare imposuisti nobis? Non arbitramur sani capitis esse consilium, quod disposuisti facere. Nam cum esses, Dei disponente gratia, ordinatus et consecratus episcopus, cur te ut peregrinum subintroduxisti nobis? Et cum esses studio literarum honeste edoctus, cur te rusticum et literarum expertem simulasti? Dixisti enim in arte aliqua nullum omnino te nosse magisterium, nisi tantum hortulani ministerium.

is vero rem edoctus, legatorum votis obsequens

15 Da ergo gloriam Deo: et dic quare hoc feceris. Cur benedictionem, a Deo tibi concessam, subduxisti, dum eam nobis occultasti? Non adjudicamus hoc esse dignum et justum: quan-
B doquidem donum quod ex Deo est, manifestum omnibus esse debet; omnes debent agnoscere et expetere, cuncti hoc debent venerari et colere. Ad hæc Vir Dei, ut semper erat mitis animo et patiens, blandis cum humilitate verbis talia respondit: Noli mihi molestus esse, pater, et ne contristeris adversum me nimium: quia quidquid horum est quod me redarguis contra auctoritatem fecisse, profiteor me coram Deo et Sanctis ejus in puritate et simplicitate cordis egisse: maxime ob hoc, quia si Deus suæ pietatis misericordia, aliqua bonæ conscientiæ in me germinasset semina, ne fraudarer ulla diaboli invidia, frustratus hujus seculi vana gloria. Tunc ergo intelligens abbas, qui vir Domini Bandaridus conscientia pura, et fide non ficta fecerit omnia, prosternitur ante pedes ejus dicens: Scio te Virum sanctum et justum; et vere credo, quia ex quo introisti ad nos, benedictio Domini ingressa est tecum, quæ copiose redundat super omnibus bonis nostris. Peto autem ut ignoscas mihi et fratribus nostris, quod tibi non servivimus usque modo, sicut facere debuimus, tamquam Servo Dei; sed tu potius, sicut famulus omnium nostrum, ministrasti
C nobis. Petitionibus igitur ipsorum satisfaciens Vir Deo plenus, sic ait: Misereatur vestri omnipotens Deus, et si quid commisistis in me negligenter, parcat vobis misericorditer: ac pro beneficiis vestris quæ pro honore divino mihi charitative impendistis, centuplum a Domino recipiatis et vitam æternam possideatis.

Sanctum ad propria redire jubet:

16 Quibus dictis, subjunxit Vir Dei: Jube tandem, pater, quid mihi faciendum sit amodo: quia ut bene nosti, secretum nostrum latuit usque modo; sed quoniam jam palam fit mundo, si jubes ut stem, sto; si ut redeam, redeo. Cui dixit abbas: Vellem admodum et desiderarem ut nobiscum maneres omnibus diebus quamdiu vitalis spiritu tuos reget artus: ut nobis propter tuam præsentiam impenderet Dominus suæ benedictionis abundantiam. Video autem te non posse neque velle Dei voluntati resistere, et intelligo quod populo tibi commisso valde es necessarius. Vade cum pace in patriam tuam, quo te revocat Dominus. Ita a patre accepta redeundi licentia, cœpit velle ire cum suis. Abbas vero ait: Non sic proficisceris absque comitatu nostro: neque enim decet. Ad manum igitur deducentes eum insecuti sunt pariter abbas et monachi usque ad mare: et valedicentes prosperaque imprecantes, et in D osculo sancto sese consociantes, petita benedictione et ab episcopo impertita, redierunt. Nec illud prætereundum est etiam, quod priusquam redirent, orationem pro navigantibus fecerunt psallentes adinvicem et præmittentes hunc versum: Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe; post quem subsecuta est oratio: Domine Jesu Christe, qui siccis quondam pedibus supra mare ambulasti, et Petrum inter ipsas maris undas valido vento agitatas titubantem, voluisti, ne mergeretur, erigere: Da quæsumus huic famulo tuo et omnibus qui cum eo sunt, prospero navigio mare hoc transmeare, et absque ulla tempestate salvos et incolumes ad aridam perducere digneris: et quocumque inde abierint, angelus tuus bonus comitetur eos et bene iter eorum disponat, ne grave aliquod incurrant animæ vel corporis periculum.

CAP. IX.

qui suos æstu deficientes,

17 Beatus itaque Bandaridus, rursus felici sulco æquore transmisso, cum devenisset in Franciam, ejusque adventum populi cognovissent: ei protinus cum magna exultatione occurrunt, stipantes illum honoris gratia, innumera equitum E peditumque caterva. Virtus quoque divina gradiebatur cum illo; ita ut quicumque diversa ægroti infirmitate benedictionem ab eo expetissent, mox edito super illis crucis signo, sanitati restituebantur omnes. Sicque paulatim crescente numero fidelium, tam per divinarum monita Scripturarum, quam etiam per sanctarum incitamenta virtutum, miraculis coruscantibus, ubique Dominus mirificavit Sanctum. Ut autem Vir beatus cœpit Suessorum finibus propinquare, confestim ad cum confluxit immensa populi multitudo cœlitus animata: quæ præceptis salutaribus a sancto Viro jam ante edocta, cum adhuc dupliciter æstuaret, scilicet siti audiendi verbum Dei, sitique corporali præ intolerabili fervore æstatis, nec ulla penitus ibi aquæ fluenta invenirentur: more Israëlitici populi quondam clamantis ad Moysen in deserto, clamaverunt pariter ad Virum Dei omnes qui convenerant in loco nuncupato Aidisio *c*, sexto ab urbe milliario distante, atque di- *c*
xerunt: Pater sancte, quid faciemus? Præbes quidem verbi divini nobis sitientibus haustum; sed propter nimium æstum et aquæ penuriam aporiantes *d* deficimus. Meritis ergo tuis et pre- *d*
cibus impetres nobis aquam, ne in via deficiamus. F

alter Moyses elicito fonte solatur;

18 Ad hæc Vir Dei corde ingemuit, et populo sitibundo compatiens, ait: Oremus, filioli pariter pusilli cum magnis, ut Deus et Dominus noster dignetur nobis suæ pietatis abundantiam demonstrare: et sicut Moyse et Aaron servis suis orantibus, aquam de petra voluit in deserto quondam educere, ita nobis peccatoribus, misericordiam postulantibus, dignetur aquam de terræ visceribus ministrare. Tunc omnes prostraverunt se in terram, orationi sese devoventes: cum quibus etiam Vir Domini suum manuelem baculum figens in terra, orationi incubuit. Cumque aliquantisper oratum esset et surrexissent ab oratione, Vir Dei oculos, lacrymis suffusos, elevans ad cœlum, se suosque omnes signaculo sanctæ crucis munivit. Ut ergo post orationem et crucis impressionem, baculum de terra extraxisset; mox subsecuta est ebuliens tam perspicua et larga fontis unda, ut plenissime omnes refocillarentur et abundantissime recrearentur. Attolitur protinus cum immensa exultatione tantus Pastor, mirisque vocibus talem virum magnificant

A gnificant et alterum Moysen virtutibus et meritis coæqualem prædicant. Fons autem prædictus beati Bandaridi precibus ubertim succrescens, euntibus et redeuntibus hinc inde est pervius, præbens fidelibus charitatis indicium, et peregrinis ac indigenis ministrans solatium, sicut hodietenus manifestum est : cujus aquæ refluus cursus non deficiet in seculum.

CAP. X. *afflictumque populum miseriis omnibus liberat.*

19 Post hæc cum Suessionem repedare cœpisset, septus innumera populi caterva ; ruit ei obviam cuncta multitudo virorum ac mulierum dicentium : Benedictus qui venit in nomine Domini. Procedit deinde omnis clerus, monastici et canonici ordinis in vestitu candido, cum ipso apparatu ecclesiastico satis digne congruenti : subsequitur postmodum devotus Deo dicatarum virginum chorus : tum postea incedit procerum ingens comitatus, ac denique fulvo auro radiantium turba matronarum : sicque cum immenso tripudio tantus pastor receptus. Quo ita honorifice restituto, confestim sterilitas terræ conversa est in fertilitatem uberrimam, et corrupti aëris pernicies profligata. Quidquid igitur illud est quod
B calamo ad plenum exarare vellemus, hoc uno complectimur : quod ad hujus Viri Dei saluberrimum adventum, omnis corporum morbus, universa diabolicæ fraudis malitia procul pulsatur, salusque continua, opulentia in rebus, jucunditas in propagine, tranquillitas in pace, unicuique quaquaversum in pago Suessioni commoranti concreditur *e*.

CAP. XI. *Sequitur S. Medardi sepultura,*

20 His ita gestis per ordinem, accidit ut egregius confessor Domini Medardus Veromandensium divina cooperante gratia episcopus, plenus dierum et sanctarum virtutum operibus refertus, migraret ad cœlum. De quo relator quidam gestorum ejus, dum scribit de transitu ipsius, inter alia sic ait : Egregio confessori Christi Medardo, imminente suæ resolutionis tempore, divinitus luminaria cunctis præsentibus micuerunt. Hoc autem lumine fere trium horarum spatio coruscante, sanctissima Sancti anima, linquens caduca, cœtu angelico subvecta, petit cœlestia. Et merito celsa cœli fastigia conscendit, qui gloriam istius mundi tamquam cœnum deputavit : ideoque ad cœlum contendit securus, quo se vocaverat Dominus. Beati qui habitant in domo tua,
C Domine, in seculum seculi laudabant te. Itaque rex Clotarius qui huic intererat spectaculo, viso tanto cœlitus miraculo, exisse videlicet animam Sancti Medardi cum immenso lumine, inæstimabili exhilaratur gaudio. Veniunt hæc in notitiam pene totius Galliæ : conventque repente de diversis partibus ad tantum spectaculum innumera virorum multitudo ac mulierum..... *f*.

CAP. XII. *liberatio filiæ regis a dæmone*

21 Sed quia conveniens est, ut præcedentibus sequentia quæ sunt ejusdem viri Dei Bandaridi adjungamus : non est prætereundum quod ipsius orationibus procuratum est, circa regis unicam filiam, quam pestifer dæmon horribiliter invadens, dilaniabat etiam atrociter, quinimo sæpius aut in ignem, aut in aquam miserabiliter jactabat. Pro hujus modi fiebat planctus ingens, et heu ! inaltabat *g* clamorosa turba usque ad cœlos : pro eo quod malignus spiritus videretur possidere, cui etiam (nisi prædestinatio divina id ageret) sanctus Spiritus debuisset præsidere. Pater ipse turbatus jam et anxius, quod nullum adveniret solatium divinitus, inde animo æstuabat nimium, quod virum Dei Bandaridum rogare non audebat, quem antea lacessitum injuriis, a sede propria exturbaverat acerbius. Circa unigenitam tamen sollicitus, et de tanti Viri pietate confisus, mittit servos suos ad illum, inæstimabili humilitate orans, et prece multa deposcens, ut propter nomen Domini Jesu, pro humano genere opprobria passi, ipse injuriarum oblitus, sui misereri dignaretur, et pro filia sua preces fundere, quibus ab ea dæmonium potenti manu fugaret. Qui Dominici non immemor præcepti, dicentis : Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, illata sibi opprobria remisit, et pro ipsius filia orationem ad Dominum fudit. Qua completa, et in nomine summi Dei accepta potione, solito ex gramine composita, mox per manuum impositionem saluti eam restituit, patrique suo incolumen reddidit. Aiebat autem, virtutem esse in gramine, nihil sibi pro meritis suis, sed soli divinæ virtuti ascribens verus Nathanaël, verus Israëlita, in quo non erat dolus, nec aliqua simulatio cordis : et ideo sine dilatione aliquantula, meruit a Domino exaudiri.

CAP. XIII. *regisque ipsius gratitudo.*

22 Gratulabundus ergo rex pro tanti miraculi virtute per eum celebrata, plurima auri et argenti talenta obtulit ; sed Vir Deo dicatus et dilectus : Absit hoc, inquit, a me, ut donum Dei
E quod est inenarrabile, præcipuum et incomparabile, avaritia stimulatus vilipendam, et quod mihi nullis meis præcedentibus meritis gratis a Deo concessum est, pecunia de ærario regis accepta distraham. Non est juris nostri, non est nostræ consuetudinis ut tantum scelus committamus. Si autem vestræ voluntatis est divino pro amore, ex redditibus prædiorum vestrorum per manus nostras aliqua Deo et Sanctis ejus conferre, pro abluendis peccatorum vestrorum sarcinis, non renitimur. Rex itaque animadvertens salubre consilium, accersito commentariensi, jubet conscribi regale præceptum *h* in fisca regalia, id est cellam, modum et amiacum annotavit, ac sigillo regio consignavit : ut vir Sanctus cuicumque Sanctorum placeret, permissu regio illa donaret. Cumque supra Axonam fluvium nobile quoddam esset monasterium, Suessioni satis contiguum, in honorem Sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani constructum, in quo sepulturæ suæ locum prædestinaverat : solenni donatione supradictum regale præceptum ei tradidit, jure perpetuo ibidem mansurum.

Scriptoris de se testimonium,

23 Multa præterea recordatione digna, huic opusculo non attitulata, dici potuissent de gestis
F et virtutibus beati viri Bandaridi, si prætermissa non fuissent incuria vel negligentia scriptoris. Ne quis vero me culpandum existimet, quod de multiplici virtutum congerie, hoc opus tam exiguum contexui : profiteor de multis, quæ non sunt memoriæ hominum scripto tradita, ut potuimus vix pauca perstrinxisse. Volumus autem paternitati vestræ innotescere, repertam esse quodammodo tantillam materiam hujus operis, in cujusdam membranæ pittaciolo *i* tamquam sub epilogo breviter annotatam ; quæ postmodum sagaci studio indagata, per exaggerationem a nobis aliquantulum amplificata est. Horum quæ dicimus testis est vetus illa schedula, quam si quis perspicatus intueri voluerit, omnia quæ supra vel infra exaravimus, invenire poterit coadunata subtilis adeo in thematis clausula. Verum quia incepto operi finis amodo imponendus est, ad id quod consequens est redeamus.

CAP. XIV. *Sancti obitus et exsequiæ.*

24 Jam igitur tempus imminebat quo fidelis Servus et egregius dispensator domus Dei a labore quiesceret : dum ecce nimiis febribus acriter corripitur, sibique præparari sepulturam in

dextera

EX MS. dextera parte altaris beatæ Mariæ in supradicto cœnobio sanctorum Christi Martyrum, et sepulchrum in quo esset tumulandus, poni jubet. Nec post multum temporis cœpit denuo acri febrium dolore vexari : sicque Domino evocante, sancta illa anima primo die Calendarum Augusti ad alta cœlestium secreta translata est *k*. Exanimato autem corpori dignas, qui tanto obsequio intererant, exequias impenderunt, et tam clerus quam omnis populus totum noctis spatium vigiliis, psalmodiis, ac lectionibus deputavit : aurora vero diei coruscante, cum honore debito deferunt ad locum sanctorum Martyrum *l* sepulturæ ejus destinatum : ubi honorifice susceptum, honestissime compositum, ac decentissime (sicut in promptu est) traditur tumulatum, primo Calendarum Augusti.

CAP. XIV. *Miracula sequentibus seculis patrata.*

25 Ne autem effera mors, quæ nulli novit parcere, tanti Viri munificum memoriale putaretur exemisse cum corpore : non destitit omnipotens Deus Pastorem sanctæ ecclesiæ, etiam post mortem carnis, multis miraculis magnificare. Nam idem Dominus virtutum, indesinenter virtutes virtutibus augens, inter catervas populorum hinc inde confluentium, alios mentis et corporis mira alacritate consolidat, alios etiam qui ægri veniunt, celeri sospitate relevat. Atque ut manifestius nonnulla quæ oculis nostris perspeximus, in publicum proferamus : in supradicto Sancti sepulchri loco, tanta et tam perspicua fiunt miracula, ut quicumque eo convenerint, Dominum sanctumque Bandaridum rogaturi, procul dubio impetrent quidquid votivo corde petierint. Si qui enim valida febre agitati, de sepulchro ipsius cum bona ad Deum fide et devotione bibendo sumpserint, caputque reclinantes super ipsam Sancti tumbam dormitionem somni perceperint, salubre antidotum se habuisse sentiunt, sanique et incolumes de loco illo recedunt : quod multoties certo didicimus experimento. Ceterum, patres et fratres charissimi, ad quorum notitiam utcumque hæc pervenerint, scitote ac pro certo credite, quia quod scimus in veritate factum, hoc vobis loquimur, et quod nostris obtutibus videndo agnovimus, seu multorum relatione didicimus, humili quidem sed fideli tamen stylo annuntiamus : quamquam nec ad plenum usque modo prosecuti sumus. Qui vero plura nosse desiderat, nihil est quod quærat extra : quando cuilibet alia his similia investigare cupienti, ultro sese multa offerunt : prout testatur multitudo languentium horis momentisque omnibus, die ac nocte venientium ad pretiosum ipsius mausoleum. Quo in loco, integra corporum sanitate recepta, redeunt quique in sua cum gratiarum actione, ipso summo opitulante Deo, qui cunctos suis sustentat beneficiis, justosque piis accumulat votis : cujus laus, honor, et potestas permanet in æternum Amen.

ANNOTATA.

a *Legebantur corruptæ duæ voces, quas ad verum sensum restituendas putavi.*

b *Scripserit fortasse* afflectit, *sed nec id latine dici potest, pro* pedibus tuis advolvitur.

c *De eo loco testari nemo melius potuit quam ipse Belfortius, cujus hæc sunt verba :* Diu multumque inquirenti mihi, ubinam terrarum esset locus Aidisius, de quo fit mentio, tandem indicatum est mihi, illum esse, qui in silva Rhetia positus, via Parisiensi inter Vauldrenum (quod fortasse vallem edinarum interpretari possumus) et capellam Metairicam (quæ etiam hujus Sancti imaginem, hortulani specie effigiatam continet) irriguo fonte alluitur. Cui opinioni accedit plurimum, quod ad eum locum singulis annis, postridie Pentecostes, parochiani de Artesia (sive ut vocant aliter) de S. Banderido, solennem usque hodie supplicationem, in sex milliaria procurrentem instituunt.

d *Ab* aporior, *quod ex* ἀπορέω *deducitur, significatque perplexum, consilii indigum et ad angustias redactum.*

e *Satis erat dicere* conceditur.

f *Sequuntur hic ea ex Vita S. Medardi, quæ a nobis expuncta sunt, utpote in Actis nostris pridem edita, ut in commentario prævio abunde diximus.*

g *Satis apposita voce utitur, ut quid velit intelligatur, siquidem latina esset.*

h *Voluit ostendere gratam regis munificentiam, dum prædia regii fisci seu dominii istius temporis subdidit, quæ regis donatio Sancti arbitrio reliquit.*

i *De* pittacio *et* pittaciolo *sæpe alias dictum, et fuse apud Cangium : satis patet, indicari membranam gesta Sancti paucis complectentem.*

k *Notavit Papebrochius, hic desinere Ms. Longipontanum : verum satis patet, sequentia æque ac superiora ejusdem omnino auctoris esse.*

l *Nempe sanctorum Crispini et Crispiniani, vel si velis distinguere, dic ad* S. Crispini magni.

DE S. KINEDO EREMITA CONFESSORE

IN WALLIA.

J. B. S.

SYLLOGE

De ætate, cultu et portentosis gestis.

SECULO VI.

S*anctus, quo de hic agimus, multis modis inflexus* Kinedus, Kynedus, Chinedus, Kenedus, et Kinethus *inter sanctos Wallenses seu Cambrienses non infimum olim locum consecutus est, ab Harpsfeldio compositus cum* David, Theliao et Paterno in Cambria, *ubi* obierit Kal. Augusti. *De Davide in Opere nostro pridem actum est* I *Martii, de Theliao* IX *Februarii, de Paterno autem* XV *Aprilis, qui cum omnes seculo* VI, *Sanctorum in Britannia feracissimo, vixerint, jam de S. Kinedi ætate certum eatenus habemus testimonium. Quod si recte in Legenda nominetur rex Arthurus, sub quo floruerit, id etiam certum est, ad principium potius quam ad finem ejus seculi pertinere;*

Seculo 6 vixisse, satis certum est,

A *nere; ut obitus ejus non male a nostro Alfordo consignatus sit anno* 529. *Porro de ejus cultu, a multis seculis recepto, testatur Capgravius in stupenda Vitæ historia de qua mox pluribus, uti et in Vita S. Caradoci pridem illustrata ad diem* XIII *Aprilis, dum is* ad S. Kinedi ecclesiam accessisse *dicitur. In prima Martyrologii Anglicani editione relatus erat ad* X *Decembris, ex quo die in Ferrarii Catalogum generalem transierat; verum Martyrologii istius collector Wilsonus in posteriori natalem diem secutus est, quem apud Capgravium notatum reperit his postremis Legendæ verbis :* Terras vero relinquens, in cœlo præmia percepturus, migravit Kalendis Augusti.

recte a Wilsono in Fastis hoc die relatus,

2 *Sic ipsum hoc die Wilsonus annuntiat* : Eodem die Gloveriæ *(Glower seu Gower)* in provincia Walliæ Clamorgana, depositio S. Kinedi confessoris, qui nobili inter Britones prosapia oriundus, seculo renuntiavit, atque in montibus Clamorganis solitarium amplexus est institutum, ubi in omni vitæ sanctitate in Domino requievit. Corpus ejus Gloveriæ sepultum olim ac servatum fuit in magna veneratione. *Frustra hic ad* B *probandum* S. Kinedi *cultum plura argumenta congessero : vel ipsi Castellano notus est, qui in suis ad Martyrologium Romanum additionibus diserte ipsum signat his verbis* : In Anglia, S. Kinethi confessoris, cui dicata est ecclesia in insula Govre, *ea ipsa nimirum de qua jam meminisse diximus citatam S. Caradoci Vitam; ubi notavit Henschenius in mappis Cambdeni exhiberi; nempe in Clamorganensi ad pag.* 492, *ut infra denuo dicendum erit. Porro ut tota ex portentosis prodigiis contexta est, quæ apud Capgravium exstat* S. Kinedi *Legenda, ita locus de quo hic facta mentio, mirabiliter describitur; ast nobis satis sit Sancto nostro sacros honores vindicasse : de incredibilium stupenda narratione, aliorum modo præmittamus judicia.*

Specimen Vitæ,

3 *Laudatus supra Alfordus noster in suis ecclesiæ Anglosaxonicæ Annalibus de* S. Kinedi *similibusque variorum Sanctorum popularium Legendis ita ad annum* 516 *num.* 10 *post alios candide sentit :* Qui Vitam eorum, *et notanter* S. Kinedi, ex variis collegerunt, in nescio quæ miracula impingentes, fallendo potius otio, quam rerum gestarum veritati studuisse videntur : C *id quod unicuique fiet perspicuum, qui Capgravianam farraginem vel primis, ut aiunt, labris degustaverit. Confirmat id rursus Alfordus ad annum* 529 *num.* 3, *ubi ex Capgravio vix audet referre, quod S. David ad synodum a se convocatam invitaverit* S. Kinedum. *En Legendæ verba :* Beatus autem David universalem synodum futuram edixerat, et S. Kinedum illuc humiliter invitare curavit. Qui ait : Ego merito membra habens curvata, societatem habere indignus, tantis viris indignior sum associari, et insuper ad iter aggrediendum potestas deficit naturalis. S. David ait : Oremus Jesum Christum, ut membra tua ad iter nobiscum peragendum erigere dignetur. Et fusa oratione ad Dominum, crus a femore resolvitur, pro ut naturalis dispositio melius se habere debebat. D Cumque ad viam carpendam parati pariter incederent, servus Dei Kinedus, fusa in secretis cordis sui ad Deum prece, crus suum, sicut prius, femori adhæsit. *Atque hæc speciminis gratia : de aliis dicemus infra, nunc ad Alfordum revertamur.*

ex qua quæ substant, admittuntur,

4 *Non est ausus, inquam, ea exscribere,* quia Kinedi Vitam medii temporis scriptores miraculorum multitudine obscurarunt potius quam illustrarunt. *Paucis Sancti elogium contrahit :* Sufficiat dicere hoc loco, Kinedum Davidis tempore sanctitatis opinione Britanniam implesse. *Relato deinde ex Capgravio die obitus, notat eodem etiam referri in Martyrologio Anglicano, ut superius jam ostendimus. Id vero factum ait :* e mente majorum, Britannorum imprimis, apud quos vixerat in illa Silurum provincia, quæ Glamorgania appellatur : ubi peninsula est ad mare Hibernicum, quæ Gower ad Occidentem dicitur. Ibi anachoreticam vitam Kinedus vixit, forte in eo loco, ubi hodieque exstat ejus nominis monumentum : sacellum, inquam, ab eo dictum S. KENETH CAPELL. *En modo quæ ex Cambdeno polliciti sumus, qui eam regionem* E *lustrans, hæc annotavit* : Gower occidentalis, insinuante utrimque freto, fit Chersonesus, frugibus magis quam opibus prædicanda, et Kinedo in divos relato, quondam celebri, qui solitariam hic vitam egit. De quo si plura velis, Capgravium nostrum consulas, qui ejus miracula pleno ore decantat. *Utique, sed utinam fide majori quam hiatu, quo viros cordatos ab hujusmodi lectione absterreat! Tute judex esto.*

rejectis omnino portentis aliis.

5 *Regali progenie ortum memorat ex turpissimo incestu parentis cum propria filia; unde crus ejus femori semper adhæserit, quemadmodum filia patri suo carnaliter fuerat supposita. Vix natus infans vasculo vimineo seu potius corbi injectus, in fluvium præcipitatus, atque in mare velociter delatus est : unde aves marinæ circumvolitantes unguibus et rostro puerum rapuerint, eumque in rupe statuentes, stratum in quo decumberet ex plumis composuerint, quo post novem dies angelus nolam æneam attulit, quæ ipsi mammillæ instar fuit, unde clocula mammillata appellatur. Panni, quibus involutus erat, corticis instar ad pueri quantitatem, semper mundi accrescebant. Inventus a rustico et ad uxorem delatus, summo impetu ab avibus denuo referri jussus est.* F *Cerva silvestris cloculam mammillatam quotidie implere solicita fuit. Doctus deinde ab angelo quibus cibis vesci posset, pergens ad commonstratum locum, fontes viginti quatuor e terra eduxit. Tum æque miranda subjiciuntur, quæ cum latronibus et famulo aliquo gesta sunt; deinde vero cum irruentibus hostibus, quos in mutuam necem adegerit. Habes demum quæ cum S. Davide gesta supra attigimus : ut facile quivis intelligat, totam illam otiosorum hominum farraginem a nobis hic merito prætermissam esse, quam id genus rerum curiosi facile apud Capgravium invenient.*

AUCTORE J. B. S.

D

DE S. ALMEDHA VIRG. ET MARTYRE

J. B. S.

IN WALLIA.

SECULO VI.

Licet in Fastis neglecta,

Sanctam hanc in Martyrologio Anglicano neglectam queritur laudatus nuperrime Alfordus ad annum 490, *ubi ita loquitur :* Miror hujus sanctæ Virginis nomen prætermissum esse in nostro Martyrologio, cum tanta sanctitatis fama claruerit, ut ecclesiam suo nomine dicatam habuerit, et frequentem ibi cultum. *Diligentior Castellanus eam in additionibus suis S. Kinetho subjunxit iis verbis quæ ex Gallico Latina reddo :* In eadem insula, sanctæ Almedæ, sancti Davidis materteræ, cui in principatu Walliæ dicata est ecclesia. *Si recte ætatem notat Alfordus, sanctum* Kinethum, *nobis* Kinedum, *annis saltem* B *aliquot præcesserit ; alii eodem sexto seculo floruisse censent. De constanti ejus cultu in eadem qua prior celebratur, peninsula, testem habemus oculatum Giraldum Cambrensem in suo Itinerario ut mox patebit. Id præterea eidem Giraldo acceptum referre oportet, quod de* S. Almedha *paucissimis tradidit, quæ ex editione Cambdeni pag.* 826 *hic subjicimus :*

2 Erat autem, *inquit,* antiquitus regionis illius, quæ Brecheinoc dicitur, dominator vir potens et nobilis, cui nomen Brachanus, a quo et terra Brecheinoc denominata est : de quo mihi notabile videtur, quod ipsum XXIV habuisse filias historiæ Britannicæ testantur, omnes a pueritia divinis deditas obsequiis, et in sanctitatis assumptæ proposito vitam feliciter terminasse. Exstant autem adhuc basilicæ per Cambriam multæ, earum nominibus illustratæ, quarum una in provincia de Brecheinoc non procul a castro principali de Aberhodni in collis cujusdam vertice sita, quæ sanctæ Almedhæ ecclesia dicitur ; hoc enim Virginis sanctæ nomen exstiterat, quæ et ibidem terreni regis nuptias respuens, æterno nubens Regi, felici martyrio triumphavit. Celebratur autem solennis ejusdem dies eodem in loco singulis annis in capite Cal. Augusti, ubi et eodem die multi de plebe, longinquis ex partibus convenire solent. Et variis languentes infirmitatibus, meritis beatæ Virginis optatam recipere sanitatem consueverant. *Quod præterea notabile sese observasse narrat Giraldus, ibidem curiosus lector inveniet. Hæc ad probandum cultum nobis sufficiunt.* E

vere tamen culta est.

DE S. JONATO CONFESSORE

J. B. S.

ABBATE I MARCHIANENSI IN BELGIO.

C

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Notitia loci et Sancti, ejusque gesta et ætas.

SUB FINEM SECULI VII.

Notitia loci

De celebri hoc cœnobio, a vero Belgii apostolo S. Amando cum tot aliis condito, quod Martianæ, Marceniæ et Marcenæ *aliisque modis inflectitur, jam toties in Actis nostris loquendum fuit, tum præsertim cum de primo ejus auctore ad* VI *Februarii, tum de ejus dotatore et dotatrice Adalbaldo* II *Februarii et S. Rictrude* XII *Maii fuse ac erudite disputatum est, quemadmodum et ubi de Eusebia filia,* XVI *Martii; toties, inquam, agendum fuit, ut hic pluribus supersedere possemus, nisi paucula saltem præmittenda forent, quæ cum primo loci abbate singulari quadam unione connectuntur. Et situm quidem satis breviter describit cœnobii ejusdem Chronographus, in hac parte minime suspectus, dum ait,* Marchianensem locum circumfluentibus aquis et palustri arundine circumdari, habereque versus Aquilonem silvam grandem, ad Australem partem fluvium Scarpum, qui labitur ad Orientem, ex cujus F utraque parte adjacent prata herbis palustribus strata. *Jacet inter Duacum et Elnonem sive Amandopolim (non Audomaropolim, ut cum aliis male scribit Mabillonius) tribus circiter utrimque leucis dissitum. De primis rerum angustiis deque amplissimis possessionibus, quibus postmodum a S. Rictrude ditatum est, consulenda ejus Vita tom.* III *Maii cap.* 2, *num.* 16, *pag.* 85.

ac veterum incolarum

2 *Chronicon apud nos Ms. ita rem explicat :* In eodem vero loco primum sexus masculini personis, ad serviendum delegatis, pastor vigilantissimus et procurator interius exteriusque vir fidelis et simplex Jonas donatus est eis. Qui beati Amandi pontificis discipulorum unus, ejus sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inventus est. Sed non post multum temporis altiori investigatione consultum est, ut quoniam gloriosa mater Rictrudis loci fundatrix, et universorum quæ ibi contradita fuerant, domina in illo sancto contubernio inter servos Dei famulari videbatur, congruentius foret, secundi sexus fideles ibidem ad serviendum immittere, et illius sanctæ inhabitationis primatum sanctimonialium ordinem obtinere. Semoto siquidem, pace eorum,

adhuc

adhuc modico virorum conventiculo, nobiles matronæ illuc undique certatim confluunt; religiosæ viduæ, quæ vere viduæ erant, alacriter concurrunt; puellaris etiam pudoris juventus casta introducitur, spiritualis gymnasii palæstram omnes in commune aggrediuntur. Fit interim locus pudicitiæ domicilium, schola virtutum, ovile dominicarum ovium, ad quæ omnia Rictrudis ter beatæ animus vehementer exultat in Domino dominorum.

virorum et mulierum.

3 *Hæc ad aliquam seriem revocat Mabillonius, jam dato textu non plane conformem, in observationibus præviis Sec.* 2 *pag.* 938, *ubi una lugendas præclari cœnobii vicissitudines paucis memorans, ait a SS. Amando et Autberto epp.* VI *Kal. Novembris solenniter dedicatum fuisse in honorem Apostolorum Petri et Pauli :* Cui monasterio, *inquit*, S. Jonatus abbas primus præfectus est. Duplex eo in loco a primo conditu fuit congregatio, monachorum ac sanctimonialium; illis Jonatus, his Rictrudis præerat. Monachos illic primum, deinde paulo post, hoc est anno circa DCXLVII virgines Deo sacras fuisse collocatas in gratiam S. Rictrudis dotatricis, tradit Chronographus Marchianensis. Vastato a Normannis monasterio, an. DCCCLXXIX sanctimoniales paulatim ad deteriora lapsæ sunt, donec Balduinus comes, cognomento Barbatus, eliminatis feminis, monachos substituit, accito Lietuino Vedastini cœnobii abbate clarissimo; qui postquam locum rexit annos novem, Alberico discipulo suo regimen Marchianense imposuit. Alberico anno MXLVIII mortuo, S. Poppo abbas Stabulensis, ac decurso mense Popponi Wido successit. *Atque hinc satis recte fluit abbatum Marchianensium successio in Gallia Christiana, quam inter* S. Jonatum *et Lietwinum nusquam reperies.*

Abbas primus, S. Jonatus,

4 *Porro* S. Jonatus, *de quo hic potissimum agimus, ex Elnonensi cœnobio ad regendum Marchianense a S. Amando destinatus, non soli isti præfuit, sed et ipsi etiam Elnonensi, ut ex ejusdem monasterii Chronico ostendit Cointius ad annum* DCXLIII *num.* 2. *Chronici verba sunt :* Amandus de grege sibi commisso solicitus, Trajectensem suam diœcesim visitare disposuit : antea tamen Elnone vices gerentem suas, in abbatem suum ordinavit discipulum, nomine Ursum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quievit. Cui a beato Amando ordinatus successor sanctus Jonatus, vir modestissimus, ipsius monasterii monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem beatus Amandus primum abbatem. *Præclare meriti essent citati jam supra chronographi, si, quod ipsorum erat, gesta singula suis annis innexuissent, quemadmodum et illud quod refert ex ipsis Cointius ad annum* DCLIII : Amando, liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locum, Marchianas Jonatum repetisse reperimus, ubi post mortem etiam B. Amandi aliquot lustris regulariter vivens, diversos utriusque sexus ad religionem induxit et castitatem. *Lustra illa satis apposita ratione exponere, non usque adeo obvium esse, infra patebit manifestius.*

cujus gesta frustra quæsita sunt.

5 *Ceterum de jam dictis aliisque præclaris haud dubie sublimibusque* S. Jonati *virtutibus ac gestis plane illustribus, equidem minime dubitavero; verum ex chronographis nostris, sive Elnonensi, sive Marchianensi eruere, nemo est qui studuerit hactenus; ut prorsus non intelligam, quid sibi velit Silvii editor Bellecampius (vel ut eum Bollandus vocat Beauchampsius) dum in sua Marchianensi antiquitate, multa magnifice pollicitus, sic notanter scribit pag.* 505 : Sed longe plura de nostro sanctissimo præsule Jonato Marcianensi suppeditare meditamur, cum de ipso in Hagiologia nostra Marcianensi agetur. *Hæc, opinor, idea operis numquam perfecti, quodque lucem non vidisse, ex eo colligere est, quod nec Majores nostri neque Mabillonius Hagiologiæ istius usquam meminerint. Susceperit fortasse Bellecampius hujusmodi provinciam, at morte præventus absolvere aut typis edere non potuerit, manseritque adeo conatus iste inter chartas Marchianenses, quas utinam consuluisset domnus Sancto nostro synonymus, hodiernus prædicti cœnobii Prior, apud quem frustra per amicos institi; quorum repetitas preces æque ac meas modo certe non satis urbano, neque honesto vir iste non ita pridem repulit et respuit, non usitato in hujusmodi rebus exemplo, dum ea sola flagitarem documenta, quæ ad* S. Jonati *patroni sui gloriam conducere poterant. Cetera non prosequar.*

Ætas ejus implexa

6 *Jam ad Sancti ætatem quod attinet, eam æque dubiam et obscuram reliquere chronographi nostri, nusquam vel remote indicantes quo circiter anno in lucem editus sit, quo factus monachus, quo abbas institutus, quamdiu solus, quamdiu cum sancta Rictrude rexerit, quamdiu utrumque cœnobium Elnonense et Marchianense; quo demum anno laborum præmium a Domino consecutus sit. Pugnat, certat, mirumque in modum luctatur Bellecampius, ut versiculum suum Blandiniensem, nescio a quo confictum, tueatur :*

In sexcenteno deno fundavit Amandus
Anno Blandinium, patronum dans illi Petrum.

Cum autem ejusdem omnino ætatis statuat cœnobium suum Marchianense cum dicto Blandiniano, ineluctabili consequentia se evicisse existimat, jam ab anno DCX, *vel saltem* DCXI *exstitisse cœnobium suum Marchianense, eodemque anno, si superis placet,* S. Jonatum *ibidem præfuisse, quo forte necdum natus erat : idque toties contra adversarios quoscumque repetit et inculcat, ut nauseam omnino creet legentibus. Nimirum a chronographo suo didicerat, S. Amandum obiisse anno* DCLXI, *natumque adeo* DLXXI; *quæ multorum satis diu implexa fuit opinio, pridem tamen ab Henschenio convulsa Commentarii sui* § XI *et seqq., unde et lustra ista ruunt, quibus S. Amando supervixisse* S. Jonatum *æque inepte statuit jam dictus chronographus, atque ex ipso Bellecampius.*

ex S. Amandi restituta chronologia

7 *Adverte, obsecro, paradoxum. Viri istius thesis est, fuisse abbatem Marchianensem* S. Jonatum *ab anno jam dicto* DCX, *vel* DCXI, *eam suam epocham pro aris et focis accerrime propugnans, ex præconcepto illo suo achille, quod S. Amandus obierit jam nonagenarius anno* DCLXI, *ubi jam demonstratum diximus, obiisse anno* DCLXXXIV. Lustris *porro* aliquot *superstes ei statuatur* S. Jonatus. Lustra aliquot, *saltem terna aut quaterna designant, unde necessario fiet consequens, Sanctum istum ultra finem seculi* VII *supervixisse; fuisseque adeo abbatem Marchianensem totis nonaginta et amplius annis, ut primis respondeant ultima : quod priusquam admisero, alia quam chronographi istius auctoritate a Bellecampio aut symmistis demonstrari cupio. Nonagenarium obiisse S. Amandum, in confesso est : si autem mortem ejus innectas anno* DCLXI, *natum oportet* DLXXI; *cum vero quadragenarius circiter supponatur exstruxisse cœnobia tum Blandiniense tum Marchianense; en tibi aptissime annum* sexcentenum et denum : *verum si ad annos septem et viginti omnia removeas, ut planissime removenda*

omnia

AUCTORE J. B. S.

omnia demonstrat Henschenius, clarissime perspicies, machinas omnes Bellecampianas sic corruere, ut tractatus ejus bene longus in fumum abeat.

omnino ordinanda est.

8 *En modo aptiorem vitæ* S. Jonati *ex Henschenio chronotaxim. Statuit is loco citato probatque evidenter, cœpta Gandavi monasteria, tum Bavonianum tum Blandiniense anno* DCXXXVI; *Elnonense exstructum* DCXXXVIII, *Marchianense vero anno demum* DCXLV, cui idem præsul Amandus discipulum suum *eo tempore* præfecit Jonatum venerabilem virum, *ordine monachorum colligendorum præscripto. Quod vero supra diximus, commendatum etiam* prædicto Jonato Marchianensi Elnonense cœnobium, *id factum quando* episcopalem curam renuntiavit *Amandus*, et limina Apostolorum pro tertia vice repetiit, *anno nimirum* DCL. *Annis autem post duobus, occiso S. Adalbaldo, S. Rictrudi castitatem suasit, quæ non diu post ad Marchianenses accessit, eo quo supra dictum est modo, eaque sub* S. Jonati *directione, sanctimonialibus præfuit usque ad annum* DCLXXXVIII : Jonatus *vero laboribus et meritis plenus Sanctam illam secutus creditur anno circiter* DCXC, *ut verosimiliter deducit Cointius, ad dictum annum num.* B 25, *hoc argumento, quod cum regimen istius monasterii penes moniales fuerit* per annos trecentos triginta tres vel circiter, *si ab anno quo inde pulsæ sunt* MXXIV, *vel ut alii* MXXVIII, *retrocedatur, non videatur* S. Jonato *vita longior tribui posse : certe, quod sciam, necdum eo usque* S. Jonati *ætas illustrata fuit hactenus. Jam ad ejus cultum et elogia procedamus.*

§ II. Cultus sacer et brevia hinc inde elogia.

Cultus sacer

H*ic paucis complexurus sum omnia, quæ ad antiquum Sancti cultum conducentia reperiam, iis scriptis sepositis, quæ longis ambagibus de Sancti vita et gestis nil amplius nec certius memorant, quam ea fideliter ex monumentis qualibuscumque Marchianensibus desumpserint Molanus et Miræus, quorum textus, uti et paucorum Martyrologiorum mox referam. Ad chronici textum de lustris aliquot* C *quibus* S. Jonatus *S. Amando supervixerit, diserte additur :* Ejus festivitas agitur Kalendis Augusti. *Ad ejus sepulcrum vero in ecclesia Marchianensi, hos versus legi loco supra citato testatur Cointius :*

Divi Jonati corpus hic sanctissimum
Reconditur, qui primus hanc rexit domum.

Versus reliqui huc non spectant ; id unum subjicit Cointius : Post S. Jonati mortem, monachos, quos rexerat, Marchianis abscessisse, totumque monasterium cessisse monialibus, quibus Clossendis a triennio præerat abbatissa. *Quæ ipsissima est Molani aliorumque receptissima opinio, sic, ni fallor, intelligenda, ut monachi virginibus regendis substiterint, quo salvetur diploma Caroli Imp. a Mabillonio adductum, ubi seculo* IX *de fratribus æque ac sororibus mentionem fieri ostendit. Verum de hac re jam toties disputatum est, ut telam illam non lubeat, denuo exordiri. Sancti cultum prosequamur.*

etiam ex Martyrologiis eruitur

10 *De eo satis mirum est, in antiquioribus sacris Fastis nullam usquam fieri memoriam, ne quidem in recentioribus Tabulis ecclesiasticis præterquam Belgicis, si Ghinium excipias, qui* S. Jonatum *canonicis suis satis liberaliter accensuit. De* D *ætate Usuardi Aquicinctini alibi disputavimus, ubi ipsum ad seculum circiter* XIII *referendum censuimus : atque hic primus est ac vetustissimus, qui de* S. Jonato *meminerit, his plane verbis :* Marcianas, depositio S. Jonati abbatis. *Paulo clarius Molanus, ex quo et Canisius :* Eodem die, natalis S. Jonati confessoris, discipuli S. Amandi, *quæ in posterioribus editionibus paulo brevius repetit. De eo etiam meminit Wion cum ceteris monasticis, quos inter nitide ipsum annuntiat Menardus, hoc modo :* Marcianis, S. Jonati abbatis, discipuli S. Amandi, et patris spiritualis S. Rictrudis, *quibus verbis omnia ferme complexus est, quæ de* S. Jonato *memoriæ prodita sunt, cum de cetero gesta ejus aut nemo ex professo prosecutus sit, aut per vastationes interierint : nam quæ sub Hucbaldi nomine circumferuntur, non vitæ historia sunt, sed mera oratio in Sancti honorem concinnata, præter aliam verbosissimam sub Gualberti nomine, ex qua id demum eruitur, Sancti corpus Saliacum translatum fuisse, indeque Marchianas relatum, quodque in aliqua supplicatione exstinctæ faces, igne cœlitus emisso, reaccensæ fuerint; ut videbis § sequenti.* E

11 *Elogio proprio Jonatum more suo ornat Saussayus :* Marcianis prope Duacum in Flandria, diœcesis Atrebatensis, depositio S. Jonati abbatis et confessoris, qui discipulus S. Amandi, omni virtutum decore adornatus enituit, exemplisque et orationibus multos ad Christum adduxit : beatæ siquidem Rictrudis religiosus informator, fratrumque et sanctimonialium loci ejusdem constitutus (ob fidei, doctrinæ, et morum præstantiam) director; utriusque vitæ præcepta, actis et moribus sic præbuit, ut immaculato calle, tramitem ad cœlum iisdem præmonstraverit; demumque sanctæ conversationis ditatus meritis, exuta carne, spiritum supernis civibus in gloria sociandum, feliciter ad Dominum transmiserit. *Habeat hic locum citatus supra Ghinius tametsi in anno obitus aberret; sic ferme Molanum contrahit :* Marcianis, depositio sancti Jonati abbatis, sancti Amandi discipuli, qui omni virtutum decore adornatus, exemplis et orationibus multos ad Christum adduxit. Ibidem requievit in Atrebatensi diœcesi circa annum Domini DCLXX. *Secutus hic haud dudie Ghinius eorum opinionem, qui S. Amandum obiisse censent* DCLXI. F

Elogiis Saussayi et Ghinii

12 *Verum rem omnem et solidius et elegantius complexus est Molanus ipse in Indiculo Sanctorum Belgii, ut aliunde elogia accersenda non sint. Ita habet :* Sanctus Jonatus confessor, discipulus S. Amandi, primus fuit abbas Marcianis sive Marcenis; ac ibidem elevatus quiescit. Fuit omni virtutum decore adornatus ; exemplis et orationibus multos ad Christum adduxit. Post ipsum fuit is locus annis fere trecentis triginta tribus virginum monasterium, quibus prima præfuit sanctissima Rictrudis. Locus est pietate et amœnitate celebris, haud procul a Duaco in Flandria, diœcesis Atrebatensis. Natalis incidit in Kalendas Augusti, elevatio in sextum Iduum Aprilis, *ut eo die inter Prætermissos notatum invenies. Eadem ferme Molani verba, sed mutata tantillum phrasi, in Natalibus Sanctorum Belgii etiam explicantur; in quibus omnibus aperte elucet Molani sententia de monachorum, post obitum* S. Jonati *recessu, et post trecentos triginta tres annos, sub Balduino Barbato, pulsis sanctimonialibus, ad ipsum cœnobium reditu. Neque abs re erit hic adjungere quæ trahit Miræus in Fastis Belgicis, ut aliorum*

præfertur Molani sententia

rum

A *rum defectum tantisper suppleant. En ejus prout edita sunt verba :*

atque item Miræi. 13 Amandus Trajectensis et Aubertus Cameracensis episcopi monasterium Marchianense, a S. Rictrude Adalbaldi ducis Duacensis vidua constructum, in honorem sanctorum Petri et Pauli vi Kalendas Novembris dedicarunt. In eo cœnobio primum monachis ad serviendum Deo constitutis, pastor vigilantissimus datus est Jonatus, beati Amandi discipulus. Verum postea rationi consentaneum visum est (quoniam sua bona beata Rictrudis huic loco consecrarat, ibique Deo deservire statuerat) ut ibidem et sanctimoniales collocarentur. Quæ quidem per annos trecentos triginta tres vel circiter ecclesiam Marchianensem rexerunt. Post Normannicam vastationem, Leduinus abbas Vedastinus, petente Balduino Flandriæ comite, monachos Benedictinos eo in loco collocavit, ut fusius in Chronico manuscripto Marchianensi narratur, quod et exstat in Rubravalle. *Atque hæc sunt vulgata typis elogia quæ de* S. Jonato *describenda censuimus. Pergit Miræus versus referre, qui in ambitu chori Marchianensis leguntur, quibusque enumerantur varia* B *Sanctorum corpora ibidem deposita, inter quos et illi duo, quos supra ex Cointio dedimus. Qui ceteros nosse cupit, fontem ipsum adeat.*

Satis parce 14 *Nullam usquam exstare* S. Jonati *Vitam aut Legendam, inde omnino colligitur, quod in Actis Sanctorum Benedictinis tam jejune de eo agatur, ut ex Actis ipsius sanctæ Rictrudis tomo* 2 *a pag.* 937 *paucula assignentur, jam relatis adeo conformia, ut describi non mereantur. In observationibus præviis inter ceteros Sanctos* Jonatum *laudat editor, quod in cœnobio Marchianensi floruerit. Pag.* 944 *refertur quod jam diximus, nempe S. Amandum* perficiendo ordinandoque *monasterio* discipulum suum præfecisse S. Jonatum venerabilem virum, cujus adhuc in eodem monasterio sacrum corpus habetur reconditum : in quo et monachorum ordinem beatus Amandus haberi voluit ; sed jam dictus abbas sanctimoniales (prout sibi visum fuerat) aggregavit. *Quæ quo modo et quamdiu istic perstiterint, ex supra explicatis non obscure datur intelligi. Deploranda ea tempora successere; quibus et disciplina inter moniales omnino intercidit, et quidquid eo loci supererat, barbaris præda fuit : ut et ipsum cœnobium, et quæ de gestis Sanctorum* C *Marchianensium scripta erant, una perierint. Id hic adducamus quod de* S. Jonato *præterea obiter in chronico memoratur apud Mabillonium pag.* 951.

de eo egit Mabillonius. 15 Dirutis quoque monasteriis, quæ super fluvium Scarp sita erant, etiam Marchianense cœnobium,.... accolis terræ fugatis et interfectis, deletum est. Corpora vero Sanctorum, quæ in destruendis ecclesiis recondita fuerant, ad loca tutiora per divinam providentiam salva transportata sunt. In qua destructione deperiit omnis ornatus Marchianensis ecclesiæ, in chartis videlicet et privilegiis et libris et gestis Sanctorum, et ceteris rebus ad decorem et usum loci pertinentibus..... Verum in disquisitione elevationis S. Jonati abbatis, qui fuit discipulus egregii confessoris Amandi, scriptum invenimus, quod tempore abbatissæ Judith, quæ Marchianensi monasterio præfuit tempore Lotharii regis Francorum, adhuc quiescebant in tumulis lapideis, altaribus ante positis, corpora Sanctorum, videlicet beatæ Rictrudis nobilis matronæ, et bonorum confessorum Mauronti atque supradicti Jonati. *Nihil præterea suggerunt monumenta Marchianensia, quod ad Sancti gloriam hic illustrandam spectet, præter paucula elogia, jam memoratis conformia, quæ ex Hucbaldi exhortatiuncula, seu Apologia temeritatis, in lectiones quodammodo distributa, decerpi poterunt. Porro historia elevationis sacri corporis et accensorum cercorum erit materia, ut supra dicebam, sequentis paragraphi.* AUCTORE J. B. S.

Ex Hucbaldo 16 *Sic igitur Hucbaldus lectione* III, *adducto Scripturæ loco :* Si vis perfectus esse, *etc, de Sancto nostro loquitur :* Cujus præcepti sanctus Jonatus non impiger effectus obtemperator, beatum Amandum præsulem sacrum et populis destinatum a Deo veridicum doctorem humiliter adiit; ut cujus informari cupiebat mirabili doctrina, opera sancta, quæ magnificus ille operabatur, plena imitaretur obedientia. Quem idem Præsul devote assumens, omnes eum Christiani dogmatis observantias docuit, et Dominicæ servitutis mandata ei prudenter injunxit. Qui tanti Magistri præceptis obsecundans, seipsum fidelem exhibuit famulum, probaque conversatione multos excitavit ad divinum servitium. *Tum pergit lect.* IV. Igitur hi viri sancti Amandus atque Jonatus, in domo Dei velut clara lucentes luminaria, densissimas infidelitatis et peccati depellentes tenebras, cœlestis lumine claritatis universos E aspergebant; atque exemplis atque orationibus multos ad regnum in cœlis repromissum feliciter introducebant. *Eamdem plane venam sapiunt, suntque ejusdem omnino sententiæ congesta ibidem reliqua elogia S. Amando æque ac* S. Jonato *communia, donec lectionibus* VIII *et* IX *nonnulla prædicat Hucbaldus quæ huic paulo magis proprie adaptantur, in hunc modum :*

habentur præcipua 17 In Martianas quippe monasterio sanctum Virum et per cuncta laudabilem Jonatum ad perficienda quæ minus erant, et ad sanctitatis regulam in omnibus conservandam præposuit, præcipiens ei, ut semper ad augmentandum quæque erant sancta in dies amplificaret. Qui Sanctus videlicet ad hoc ordinatus abbas Jonatus obediens, jussa implevit, et ob id in recompensationem, æternæ gloriæ coronam accepit. Sane ad serviendum Domino S. Amandus monachos in Marcianis aggregare disposuerat, sed Jonatus, concessa sibi potestate ab ipso, virginalem mentis et corporis diligens pudicitiam, sanctimoniales ibi esse instituit. Fecit hoc fortasse inspiratione superna edoctus, ut postmodum beatæ Rictrudi ejusque filiabus, sanctis utique virginibus aptus esset locus, F et condigne a conventu seculari remotus. Fervor itaque Dominicæ dilectionis in sancto Jonato laudabilis et multiplex, non modicam sanctarum virtutum segetem cumulaverat, atque bonitatis ipsius famam longe lateque diffuderat. Erat enim castus corde, humilis mente, vultu serenus, omnibus affabilis, universis amabilis.

quæ de Sancto dici possunt. 18 Quoddam denique speculum et exemplar sancta Rictrudis et omnes cum ipsa habitantes habebant in ipso, quas idem Sanctus verbis demulcebat, exhortationibus animabat, atque operibus sanctissimis ad summa sanctitatis culmina provocabat. Quid plura ? Ita in eo gratia singularis eminebat, ut quemadmodum gemma exquisita in auri fabrica laudabiliter et decenti ornatu composita, decoris sui gratiam ostentans, videntes ad se amandum illicit; ita iste Beatus, omni decore virtutum adornatus, Deo et bonis hominibus apparebat gratiosus. Talis igitur et tantus cum esset beatus et sanctissimus hic pater noster Jonatus, vocationis suæ instante termino, abstractus a mundo, per divinam gratiam collocatus in cœlo, una cum Sanctis omnibus nomen Domini

AUCTORE J. B. S.

ni benedicendo, beatæ felicitatis gaudio confovetur sine fine lætando. Sepultus autem est Marcianis in eminentiori loco, et veneratur ibi ab omni populo, ad laudem Christi, perque ipsius merita et orationes præstantur egentibus condigna remedia, ut appareat omnibus, quoniam in Sanctis suis est omnipotens et mirabilis Deus.

§ III. Sacri corporis elevatio, translatio et relatio.

Pergit idem narratque

Post exhortatiunculam, de qua modo egimus, subjungit idem Hucbaldus hunc titulum: Qualiter elevatum est corpus sancti Jonati confessoris Christi, *totamque rei gestæ historiam prosequitur per alias novem, sed breviores lectiones, quas hic ordine suo fideliter describimus, observatis tribus voculis barbaris, quas ad marginem explicare non neglеximus. En lectionem* I. Martianis est monasterii locus, a beato Amando in honorem S. Petri

B

Apostolorum principis consecratus. Ecclesia quidem honesto schemate et decore satis congruo perornata; sed inde multo decentior et amabilior viris spiritualibus refulget, quod Sanctorum inibi quiescentium pignora conservat, quorum suffragiis plebs devota nititur; gratia superni roris abundans et fœcunda subministratur. Ibi monachorum ordo ad honorem Sanctorum psalmis, hymnis et canticis spiritualibus divinæ majestati conjubilat, locumque sanctum ministratio angelorum frequens invisitat, et oratio devote petentium, ad aures divini auditus evolando festinat.

quomodo corpus diu occultatum,

20 II. In hac itaque ecclesia corpus beati Jonati in eminentiori et quasi sacratiori loco debito fidelium more sepultum est, ita tamen imis terræ visceribus commendatum, ut supra trabibus duplo et in traversum positis, magnoque apparatu lapidum et cæmenti mole composita, omnibus non pie qrærentibus inveniendi illud facultas omnino negaretur. Loca Sanctorum et sepulcra ibi absque tituli signo superposito solummodo altaribus ante positis venerabantur, sicut etiam fit adhuc in Italia et in ipsa Roma, sancti Petri ac Sanctorum innumerabilium ossibus et pulvere

C

gloriosa. Cum autem secreto divini consilii instinctu aliquoties Sanctorum reliquiæ ad conspectus humanos subriguntur, ferventior utique et erga cultum ipsorum avidior animus incitatur: sicut factum est in elevatione supradicti patris Jonati, quando se, frequenter repetita admonitione, elevari jussit, et incolarum sui loci simulque totius plebis mentes et animos lætificavit. Cujus elevationis modus, ut cunctis legere volentibus innotescat, humili charactere et rustica locutione ita manifestus fiat:

Sancto ipso revelante.

21 III. Quoniam diu, sicut supra dictum est, sanctus Jonatus sanctaque Rictrudis, et beatus Maurontus in imis terræ visceribus mandati sine ullo titulo sepulcris superposito, jacuerant, tamen aliquando Dei permissu et voluntate in vigilia quæ Dominica habebatur, beatus Jonatus procerus corpore, decorus aspectu, capite cigneo, vestimentorumque indumento reverendus, cuidam congregationis suæ presbytero, nomine Malgero, blandus et lætabundus apparens ait: Vade, inquiens, de parte mea; et abbatissæ Judith præcipe (tunc enim locus per sanctimoniales regebatur) ut ossium meorum reliquias elevari et ad conspectum omnium summoveri faciat.

D

atque urgente,

22 IV. Cum vero presbyter, ad hoc manifestandum se minus idoneum esse, et neminem crediturum diceret, blandus iterum, post admonitionem repetitam, subintulit, dicens: Vide ne jussui meo inobediens factus, dignus videaris inauditis verberibus. Hoc factum est terna apparitionis admonitione; sed negligentia ipsius presbyteri atque inobedientia ad effectum minime pervenit elevatio jussa. Idem tamen Malgerus, præcepto Sancti multum stupens, atque ob illusionem factam ad se, timens videri mendax et falsiloquus, crebra ducens jejunia, orationibus et eleemosynis expetens et aperiens hujus oromatis* mandata, cum ecce in alia Dominicæ observationis vigilia sanctus Jonatus eodem schemate quo supra, baculum manibus tenens, eumdem presbyterum super scapulas percussit et dixit: Quia voci meæ inobediens factus, nequaquam reliquias meas elevari jussisti, ex hoc jam panis edulium non percipies, usque ad tempus tibi debitum.

* visionis vel somnii

a Juditha abbatissa,

23 V. Evigilans autem Malgerus, statim cœpit ossibus tremere et toto corpore, simul et panis edulium fastidiens, licet invitus, quod diu celaverat, confessus abbatissæ Judith, quæ rectrix

E

erat cœnobii, denuntiavit, ac multo suasu cum lacrymis efflagitabat elevationem tanti Patris celerrime perduci ad effectum. Ipse vero presbyter panis edulium toto fere anno fastidiens, parvis et permodicis aliorum ciborum contentus refectionibus, non modice anxius diem elevationis advenire gaudebat. Sed impedientibus mundani negotii inevitabilibus causis, subrepente quoque negligentia, opus hoc aliquantulum est prolongatum.

collectis ministris,

24 VI. Transacto autem unius anni non pleno curriculo, abbatissa Judith a sede Cameracensi ministros et fideles suo pontifici accersens viros, ad corpus sancti Jonati summovendum debitam curam impendit, trabiumque connexionem, quam superius super ejus sepulturam diximus coaptatam, et lapidum atque cæmenti non modicam efferens molem, juxta quod summopere desiderabat, tandem inæstimabilem voti sui thesaurum, id est corpus illud honestum positum in tumulo reperit, cujus ossa et cineres clericorum manibus in sericis indumentis excipi fecit.

F

cum aliis SS elevatum fuerit;

25 VII. Quas postmodum reliquias in titulo super sepulcrum ejus posito, id est in illa apparione, quam repam* vulgari usu appellant, recollocavit. Ubi etiam sanctorum, matris videlicet et filii, id est Rictrudis beatæ et Mauronti prolis venustæ, patrocinia pretiosa pariter sunt apposita, et venerantur ibi a superveniente populo devotione plenissima. Post hæc autem sanctus Jonatus abbatissæ Judith dignatus apparere, jussioni suæ dixit satisfactum esse, insuper totius congregationis, cui præerat, causas promisit se dispositurum fore.

* *vult dicere* feretrum *pro* operculo

quam festivitatem ibi celebrat.

26 VIII. Jam nunc ergo Domini magnalia erga Sanctos suos hodierna die cum spirituali celebrantes jucunditate, fratres dilectissimi, oportet nos votis congruentibus venerantes suppliciter adorare, et nomen ipsius quod in universa terra est admirabile, fideliter prædicare, cujus magnitudinis pietas immensa et inæstimabilis evidenti ratione probatur in electis suis, quibus in æternum ministrat præmia suæ promissionis. Vos igitur sancti Dei, in confessione laudis Dominicæ positi super cœlestia, pariterque patrociniis beatæ societatis copula junctis in terra, sancte videlicet Jonate; nec non et Mauronte confessores

bea-

A

** An non vestris?*

beatissimi, atque beata et venerabilis matrona Rictrudis, qui pignoribus nostris* hunc locum honorastis, laudis nostræ devotionem acceptare dignemini, omnique populo poscenti ad vota sanctæ petitionis succurrite, ut misericordissima omnipotentis Christi clementia peccata nostra pie indulgeat, oblivioni in perpetuum tradat, vestræque orationis intercessione, perennis vitæ januam nobis aperire, atque in eam nos introducere dignetur. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Sequuntur alia de translatione,

27 *Atque hæc de mirabili sacri corporis elevatione, in fide scriptoris satis dicta sint; reliquum est ut de translatione ac relatione pauca decerpamus ex grandi Ms. pagg.* 24 *in f°., quod annexum dicitur operi Gualberti monachi, de Vita et miraculis S. Rictrudis pridem edito* XII *Maii, tomo* III *pag.* 118. *Tædiosa oratio est, cujus totam substantiam nitidius traditam invenies ad dictam diem* XII *Maii a pag.* 104, *ubi titulus cap.* 3 *rem ipsam indicat*: Varii malevoli divinitus puniti; candelæ ultro accensæ; *istic vero paucis narrantur, quæ scriptionis hujus* B *auctor verbosissimis tot figuris et parergis ornavit ampliavitque, ut sæpe quo tendat aut quid velit, nequeat intelligi. En titulum :* Prologus super miraculum, quo Dominus illustravit confessorem suum Jonatum abbatem sanctissimum. *Voces sunt bombisonantes, ampullæ et sesquipedalia verba, ad quæ subsequitur :* Tractatus ipsius miraculi de candelis exstinctis, sed cœlesti lumine reaccensis; *quæ omnia satis nitido compendio referuntur loco jam citato pag.* 106, *col* 2. *Verbo dictum sit, post necem optimi Caroli Flandriæ comitis, ingruentia undique bella, bonorumque adeo Marchianensium, direptiones, suaserunt abbati, sacras suas reliquias, atque eas inter* S. Jonati *Saliacum transferret, ad loci custodiam, tamquam munimentum cœleste, quo multa incolis feliciter cessisse dicuntur.*

item mira relatione,

28 *Dum eo loci deposita esset sacra pignora ac sæpius processionaliter circumferrentur, accidit ut faces seu candelæ exstinctæ fuerint, patentique, ut aiunt, miraculo, igne cœlesti reaccensæ; quæ res totius longæ compositionis medulla est, sed cui multa alia inopportune admiscentur. Hæc inter, quod ad Sanctum propius pertinet, notat orator Gualbertus suorum negligentiam in colendo* S. Jonato *his plane verbis :* Verumtamen non sine nutu divino persæpe meditatus sum in corde meo, quod confessor Domini, sanctus videlicet Jonatus, de quo in nostro climate nunc habetur grandis sermo, juste habet causari de nostro huc usque, et maxime ab antiquis tam tepido, atque, ut dicitur in Apocalypsi, nec frigido nec calido servitio præsertim in ejus festivo sacræ depositionis anniversario, carente proprietate lectionum, et miraculorum ejus frequenti eventu, nec non perstrepente tripudio. Unde timendum est valde, ne quando favorem suum evomat ab hujus loci, quem sua sacra præsentia tam diu incoluit, munimine. *Quo autem deinde cultu Sanctum suum patronum venerati sint, aut modo venerentur Marchianenses, frustra qui me inde doceret, quæsivi hactenus.*

et de Sancti in suos favoribus.

29 *Sequuntur porro ibi confusa nonnulla venerationis argumenta, usque adeo ut sacra Sanctorum corpora Marchianenses ad propriam sedem reportari curaverint. Audi denuo Gualbertum :* Cognoverunt tandem et reipsa experti sunt iidem fratres Marcenienses, præsentiam Sanctorum locis humano solatio destitutis, salubriter præesse, non minimum prodesse, terrorem hostibus incutere, bonorum profectui aliquid indies augere. Namque E imminente messionis tempore, dignus Deo minister et digne successor, tam re quam nomine Amandus, monasterii pater, præmeditans minorem diligentiam, necessaria occupatione segetum præpediente, circa sanctum confessorem Domini Jonatum ruri affuturam, demandavit referri condignam sanctarum reliquiarum sarcinam ad emeritum et quasi nativum, secrete ac sine strepitu fere mundano, Marceniensis cohabitationis domicilium. Igitur juxta edictum præfati spiritualis patris, relatus est sanctus Jonatus ad habitationem debitam et congruam suæ pristinæ conversationis, atque cum debito honore, prosequente favore multæ et maxime Saliacensis, quod sua defensione diu muniverat, plebis susceptus revisit sua, obvia læta nec non dealbata pompa totius congregationis. *Atque hic manum tabulæ subducimus, quando aliud nihil potuit impetrari.*

C F

DE S. PEREGRINO CONFESSORE

APUD ALPES, MUTINAM INTER ET LUCAM IN ITALIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS CRITICUS.

Constans Sancti cultus, Acta fictitia.

I Aug. Ferrario ferme debentur

L*ocum nomino quem mihi præsignavit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ipsum paulo distinctius in Catalogo generali exprimens, hac positione :* In monte Letho, S. Peregrini eremitæ. *Audi explicatiorem :* Mons Lethus, cujus meminit Livius, ubi de transitu Hannibalis loquitur, pars est montis Apennini inter Mantuam et Lucam, apud Caferonianæ regionis confinia, cujus caput est Castrum novum. *Addit autem vulgare nomen* Le Alpi de S. Pelegrino. *Pergit porro :* Exstat illi sacra ædes in montis prædicti jugo, ad quem finitimæ gentes hac die confluunt ad venerandum corpus illius ; *ut falli eos oporteat, qui Lucæ depositum sacrum corpus comminiscuntur. De cetero* S. Peregrini *cultum hic*

una

AUCTORE J. B. S.

una describi intelligis, cujus alia extra Italiam monumenta quærenda omnino non sunt. Ex his vero avide sua acceperunt famosi Scotici Martyrologi Dempsterus et Camerarius; ille hoc die, hic contra ad XXVI *hujus, reliquis quæ de* S. Peregrino *fabulose circumferuntur, id etiam addens; ut ubi Acta qualiacumque Romani regis Scotorum filium prædicant, sic ipse illum annuntiet* : S. Peregrinus, S. Romani Scotorum regis filii famulus. *Ubi et id observes velim,* Romanum *dici sanctum, qui in rerum natura numquam exstitit.*

quæ de Sancti cultu tradita sunt:

2 *Ast id præcipuum non est quod hic nobis negotium facessat. Testem alium* S. Peregrini *cultus habes Jacobillum de SS. Umbriæ, ubi occasione alterius synonymi, de quo* I *Maii loquitur, hunc nostrum etiam debitis laudibus prosequitur, quem post asperam pœnitentiam ad cœlos evolasse memorat an.* CCCLXIV, *vel, ut alii,* DXLIII : *alia istic de Peregrino suo Nocerensi subdens, quæ Majoribus nostris occasionem dederunt tom.* I *jam dicti mensis Maii pag.* 157, *de variorum sanctorum Peregrinorum nomenclatura ea disserendi, quæ hic omnino repetenda essent, nisi istic abunde explicata invenirentur. De* B *nostro id tradit Franciottus; bellis et pestilentia destructam et ferme desertam ejus ecclesiam a familia de Nobilibus Lucensi restitutam fuisse anno* 1462, *quemadmodum exprimitur in monumentis ab ipso relatis pag.* 122 *ac* 598. *Atque hæc de cultu, hactenus perseverante, satis certa sunt, quibus alia multa adjiciunt Mutinenses et Lucenses, ut videre est apud populares eorum historicos Vedrianum et Franciottum, de fundi proprietate, Mutinensine ditioni an Lucensi adscribendus sit, haud obscure decertantes.*

ignota cetera omnia.

3 *Pias hujusmodi contentiones, siquidem satis inter hagiophilos dirimi possint, ipsis componendas relinquimus : id magis nos implicat, quod et Lucenses et Nocerenses et alii de suis sanctis Peregrinis, de quibus id unice constabat, ignotos mundo vivere voluisse, atque in montibus desertisque locis solitariam vitam exigere, post obitum signis claros et miraculis; quod de his, inquam, Legendas postliminio adornarint, ac si originem, natales, peregrinationes, ætatem ac gesta prorsus omnia, oculis ipsi suis fuissent intuiti. De qua simplicitate potius quam fraude, cum toties alibi conquesti merito fuerint Majores nostri, non est quod eamdem næniam hic reci-* C *nendam suscipiam. Ut de hodierno* S. Peregrino *opinionem meam paucis et candide exprimam; Quod Scotum eum dixerint, pii etiam in hac parte fabulatores, aut regis Scotiæ filium, inania commenta sunt, in vulgi gratiam, Sanctorum, quos colunt, illustria gesta avide expetentium, mere adinventa, aut ad aliarum id genus Legendarum exemplum compilata. Si in Belgio nostro vixisset, eadem omnia ei applicare haud quaquam vererer, quæ de S. Guthagono pridem notavi tomo* I *Julii pag.* 669.

Legenda autem

4 *Jam vero ne de* S. Peregrini *hujus Legenda temere aliquid statuisse videar, non erit abs re Ferrarii ipsius, in Catalogo generali tacite retractantis quæ in Catalogo Sanctorum Italiæ dederat, hic verba adduxisse, sincere fatentis,* Vitam *quidem* ipsius Mutinæ excusam esse, *sed* quæ multa continet inverisimilia, nulla temporis facta mentione, tametsi anno DXLIII decessisse legatur apud Cæs. Franciottum libro de Sanctis Lucæ. *In eo forte solo laudandus Mutinensis editor, quod a signando tempore abstinuerit; nam quæ Franciottus tradit, nec vera, nec verosimilia sunt, aliis* IV, *aliis* V, *aliis* VI, *aliis* VII *seculum notantibus, verius dixeris, fingentibus; cum ut supra insinuavi, nec de* S. Peregrini *gente aut natalibus, nec de ejus ætate, nec* D *de rebus gestis quidquam traditum sit, quod prudens et sobrius ausit admittere; in quo testem adducam omni exceptione majorem, in vindicandis, quæ ad gentis suæ gloriam spectant, etiam fabulis celeberrimum, Dempsterum illum, toties a nobis alibi castigatum; qui tamen hic, rei evidentia pressus, sapuisse videtur, solito verecundius in sua Historia ecclesiastica gentis Scotorum scribens pag.* 530, *in hæc ipsissima verba :*

vel ab ipso Dempstero

5 S. Peregrinus, a vita cognomento desumpto, Scotiæ regum Romani et Plantulæ filius, incomparabilis sanctitatis vir qui ex peregrinatione Hierosolymitana quadraginta duos annos totos eremum incoluit, partemque Apennini a suo nomine appellari fecit, ubi et templum ei sacrum ingenti concursu, in ditione Mutinensi frequentatur; corpus vero Lucæ requiescit, ut Sylvanus Razzius in Vitis Sanctorum Etruscorum, et Cæsar Franciottus in opere de Sanctis Lucensibus prodiderunt. Vitam ejus anonymus Italus, nec doctus dedit, eamque Regii et Bononiæ publicavit Peregrinus Capius : sed ea mihi est jure suspecta, quod anilibus fabulis sit referta, nec quidquam bonæ frugis contineat. *Hoc vere prædicat;* E *quod autem de ditione Mutinensi inserit, tum etiam ex Sylvano Razzio et Franciotto de corpore Lucæ quiescente, frustra in ipsis quæsieris : de Actis hic sola quæstio est, quorum aberrationes aliquot ordine recenset. Vitam a Capio editam non vidimus, nec sane opus est, cum nostræ Mss. et quæ a Franciotto vulgata est, eumdem fœtidum fontem redoleant, eademque fuligine respersæ sint. En modo præcipua Dempsteri capita :*

multis argumentis

6 I. Romani et Plantulæ Scotiæ regum, nec Annales Scotici, nec peregrini ulli scriptores meminerunt. II. Ad regnum vocatus, diadema respuit, totumque patrimonium, id est census regni annuos, pauperibus erogavit. III. Dum visitaret loca sancta Hierosolymis, adiit adoravitque locum ubi Deipara Virgo baptismo lustrata. IV. Jubetur in Ægypto adorare Mahometum, qui ducentis a morte S. Peregrini annis vix natus erat. V. Postquam innocuam flammam decem horis illæsus sustinuisset, Ægypti Soldanum cum toto regno sacro Baptismi fonte lustravit; cum adhuc eo seculo Ægyptus sub Romano esset imperio, nec nomen Soldani multis postea seculis auditum. *Non omnia hic enumerat Dempsterus incohærenter* F *connexa, quocumque demum seculo facta intelligantur. Neque sequentia minus absona sunt. Lepida porro historia de Sancti in Italiam accessu, dum suborta tempestate, perculsi periculo nautæ, ubi vident frustra se navim mercibus exonerasse, tandem in* S. Peregrinum *irruunt eumque in mare præcipitant : ipse vero* sclaviniam * pro navi habens, bordonum quasi pro arbore, peram pro velo mittens, *tranquillissime Anconam appellit. Pergamus cum Dempstero.*

* *puta centonem.*

plane convellitur.

7 VI. Dum Ancona (quo ex peregrinatione Hierosolymitana appulerat) Romam petit, in itinere S. Michaëlis in monte Gargano fanum supplex invisit, duplici sane errore : nam mons Garganus, neque in illo tractu, sed in Apulia prope Sipontum urbem situs, neque adhuc eo tempore instituta solennitas apparitionis S. Michaëlis in eo monte, qui dicitur apparuisse anno CCCLXXXVII, ut Sigebertus vult, vel CCCCXCII, ut ad diem VIII Maii in Martyrologio Romano Baronius docet ex historia Ms. illius rei, quæ in bibliotheca Vaticana habetur, idque factum vult anno DXXXVII. Vide locum. VII. Canonizatum anno salutis CCCCLXIV, cum multis postea seculis

cære-

A cæremoniæ referendi in Sanctos seu canonizationis sint introductæ, ut memini me in historia ecclesia observare. Utcumque illa Vita ab imperito sit scripta, constat tamen magnæ sanctitatis virum fuisse, et piæ vitæ anachoretis unicum exemplar; cujus sepulturæ adfuerunt, ut idem ille auctor ignobilis tradit, Geminianus Mutinensis episcopus, et Alexius Pisanus ep. cum omnibus aliis Etruriæ episcopis et clero. S. Severinus Ravennæ archiepiscopus cum Galliæ Cisalpinæ omnibus præsulibus numero quidem XXVII.

Quæ de ætate

8 *Non minus hic fallitur fabulosus biographus, dum episcoporum nomina aliqua fingit et disparata secula connectit. Nullus Ravennæ Severinus, verum Severus qui obiit* 348; *nullus Pisis Alexius, cujus loco Alexander aliquis, auctoritate prætensæ canonizationis Peregrinianæ, intrusus est pro anno* 643. *Geminianus Mutinensis ad annum* 397 *refertur, ut hic etiam crisim suam exercere potuerit Dempsterus. Quæ addit a Sancto scripta fuisse, nempe* orationes et orandi modum *lib.* I, *tum* Meditationes, quas dicunt ipsius manu corticibus arborum inscriptas etiamnum hodie asservari *lib.* I; B *reliquam Actorum telam redolent, nescio ubi a Dempstero reperta. Ne quid intactum relinquam, habe etiam ultimam clausulam, ab ipsomet supra refutatam* : Obiit anno CCCCLXIV, quo etiam in Sanctorum album relatus et templum ei dedicatum die I Augusti, quo Bononienses, Mutinenses, Lucenses, aliique Italiæ populi commemorationem ipsius solennem agunt, et veluti natalem celebrant. *Confer hæc cum Franciotto, apud quem et mortuus et canonizatus est Sanctus anno* DCXLII : *rursus autem cum iis combines velim quæ Vedrianus ad seculum* IV *refert pag.* 33 : *ubique tenebræ, ubique anachronismi, ubique ignorantia et confusio.*

aliisque narrantur

9 *Neque facile dixerim, qua fide ea nitantur quæ ad Papebrochium anno* 1675 *scripsit Nicolaus Bartolinus, aliud Legendæ ejusdem exemplar Ms. adducens, quod cum ceteris* non explicit; sed pergit enarrare, *verba ejus sunt,* quemadmodum ecclesiæ fabricandæ stipem offerentibus, episcopi indulgentias contulerint, *nempe quas dictis supra seculis,* simplicem librariorum barbariem, *ut idem loquitur, in Alpibus reperisse oportuerit : tum,* fama, *inquit,* diu frequentibus miraculis percre- C brescente, inter ceteros quidam Puccius ex urbe Prato, a prædonibus ac patibulo liberatus sit, ipsius nomine implorato; alterque, Zacharias nomine, a consimili vitæ periculo : aliaque nonnulla miracula subdunt, inter quæ nepotem Frederici Ænobarbi a dæmonis vexatione per Sancti merita subductum, indeque Frederico ipsi et Alexandro PP. munificentiæ erga S. Peregrini ecclesiam ostendendæ occasionem ingestam arreptamque. Quæ plane in aliis deerunt Mss. *Ut vere in nostris desunt æque ac apud Cæsarem Franciottum. Appendicem Sancto gloriosam lubens amplector, utrum vero ejus auctor tempora satis distinxerit, pluribus discutere, operæ pretium non existimo.*

æque inepta sunt.

10 *Neque implexas res nostras magis elucidat quod laudatus Bartolinus subjungit :* Præterea Vitam aliam habeo metrice conscriptam ante centum triginta annos a Baptista Merulo Quitiensi, qui in epistola ad lectorem (an liber prælum expertus sit usquam adhuc me latet) prædictum ecclesiæ S. Peregrini vetustum exemplar a se visum et versibus fideliter expressum profitetur; quam etiam Italico rhythmo, forte ab eodem vel anonymo auctore redditam servo, et ad vos per otium transmittam cum notis, ut de Mutinensi editione taceam, quæ soluto sermone circumfertur. *Rectissime sane labori isti pepercisse experior : nam si ex rhythmo Italico, quod penes nos est, de metro Latino conjecturam facere liceat, eadem omnia sapiunt, ut magnopere interfuturum non putemus, sive ligata sive soluta oratione, gestorum series, mero dramati quam historiæ similior, hic referatur, de qua judicium ferre poteris, ubi subjuncta hic jam dicta toties Acta accuratius expenderis, tuque ipse observaveris, quæ hic pluribus annotare, idem prorsus esset atque operam et oleum perdere. Id solum contulimus, ut nimiam barbariem hinc inde eliminaremus.*

AUCTORE J. B. S.

ACTA FABULOSA

Ex duobus Mss. consimilibus.

E

Miro modo

Ad laudem igitur et gloriam Dei omnipotentis, qui tempore non concluditur, sed in omni tempore firmus perseverat; et verus, ad cujus nutum distinctis generibus linguarum per mundi climata divisa irradiavit divina claritas, et superstitiones idolorum enervans, mentibus fidelium verum lumen ingessit. Hoc lumen dicitur lumen luminum, cum omnia lumina ab eo incrementum suscipiant; scilicet mundum visibiliter illuminans, extrema mundi pulsans usque ad Scotiam pervenit ad notitiam cujus, Scotia ab Aquilone sita est; in qua quidam, Romanus nomine, qui regni dictæ Scotiæ primatum obtinebat, qui tam morum, quam nobilitatis præclarus generatione, possessionum ac multarum divitiarum opulentia locuples, qui cum filium non haberet, cum conjuge sua, nomine Plantula, quæ sibi divina providentia tam morum generositate, quam nobilitatis fuerat associata consortio, divinam incepere potentiam vocare, ac dicere : O quam inenarrabilis est misericordia Dei! O ineffabilis providentia Altissimi! Quis tibi digna laudibus præconia meretur impendere, quis dignus tua beneficia F recipere?

precibus impetratur.

2 Cum hæc et similia pro herede impetrando duris singultibus divinam clementiam sciscitarentur, Deus ex alto eorum vota respexit, et ecce in somnis viderunt quemdam infantulum ex ipsis progenitum, præliantem contra hostem antiquum, et ipsum vincentem. Cum autem ab eorum oculis abscessisset dicta visio, et ipsi totaliter vigilarent, vox ad eos delata est dicens: Filium habebitis, cui nomen Peregrinum imponetis. Quid plura? nata prole, tanta lætitia et exultatio in ipso regno facta est, ut nulla mortalis lingua, ut ita dicam, proferre possit; sed cum sanctum baptisma susciperet, et, ut moris est, presbyter orationem Dominicam pronuntiaret, ecce infantulus subito respondere cœpit, ac Amen dicere, et ita Dominicam orationem, et symbolum est confessus, ac si fuisset viginti annorum; nec minus est, si ejus fuit præco, a quo missus fuit in mundum; quia scriptum est: Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem; sed cum sacerdos hoc audisset, vehementer expavit, et ait : Si iste infantulus vixerit, aliquid magni erit.

EX MSS.

et quindennis peregrinari incipit.

3 Ab ineunte igitur ætate Deo dedicatus, a civibus Christianis eruditus, et imbutus, in æde Dei assiduis jejuniis, et orationibus corpus attenuans, psalmocinando pernoctabat; secularibus quoque divitiis abrenuntians, cœpit populum Dei verbo, et opere ad viam salutis invitare. Cum autem esset annorum quindecim, et orbatus utroque parente, ecce veniunt barones, et cives ad prætorium, ut dictum Peregrinum ad regiam dignitatem sublimarent; sed cum beatus Peregrinus hoc advertisset, cœpit commilitonibus suis dicere: Hanc coronam, quam mihi præfertis, quantum durabit? Cui respondentes dixerunt: Adusque mortem durabit. Quibus dixit beatus Peregrinus: Mortalem hanc coronam esse cerno, quam propterea in immortalem commutare volo. Sed cum a baronibus regni urgeretur ne moram protraheret in facto: Afferte, inquit, mihi coronam, et Evangelium Christi. Qui cum aperuisset librum, reperit locum ubi Dominus dicit: Si vis perfectus esse vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me. Hoc audiens beatus Peregrinus, coram omnibus
B coronam temporalem sub pedibus sibi posuit: et quidquid habuit, totum pauperibus orphanis, et viduis erogare cœpit; quibus distractis, noctis silentio in habitu peregrini incognitus recessit.

In via pessime exceptus,

4 Sed si commendabilis Tullii facundia et Virgiliana subtilitas me suffulcirent; difficile esset assumpto enumerare singula quanta passus fuit Sanctus iste peregrinando. Unde ipse peregrinando versus Dominicum sepulchrum ad manus prædonum accidit casu evenisse, quia impetum fecissent super eum, ipsum plagis, et verberibus attriverunt, qui quasi mortuum reliquerunt: et cum deficerent brachia eorum et cædendo, ipse athleta Christi semper exultans in Domino dicebat: Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et cum prædicti prædones eum tamquam stultum reputarent, et ipsum abire vellent, ecce ultio divina affuit, qui statim a Deo percussi, manus, pedesque, et crura, pariterque visum perdiderunt. Qui clamare cœperunt ac dicere: Miserere nostri, domine serve Dei, et ora pro nobis, quia cruciamur. Tunc beatus Peregrinus, pius pater, cœpit eos ad pœnitentiam invi-
C tare. Tanta autem fuit efficacia verborum in prædicando, quod ipsi, dimissis omnibus, cœperunt vestigiis beati Peregrini adhærere dicentes: Pater, quod jubes, implere parati sumus. Quibus ipse dixit: Ite, domunculas vestras ordinate; quod cum fecissent, confirmati in Domino, beati Patris vestigia sequuti sunt ad Dominicum sepulchrum, qui cum aliquantis diebus moram simul fecissent, habita licentia sancti Viri, cum gaudio ad propria devenerunt glorificantes Deum in cordibus suis cum sanctis ejus.

Hierosolymam tamen pergit;

5 Ipse omnia visitavit loca sancta, in quibus Dominus noster Jesus Christus fuit annuntiatus, natus, baptizatus, mortuus, et sepultus; locum ascensionis, et cœnaculum in quo Spiritus sanctus dispertitis linguis igneis apparuit; et ut brevius loquar, loca sancta ultramarina, tam oratorium beatæ Catharinæ, quam alia ipse devote visitavit; sed cum pervenisset ad locum deserti, qui Quarantena vocatur, in quo Dominus noster Jesus Christus quadraginta diebus, et quadraginta noctibus jejunaverat, cœpit terram lacrymis rigare, pectus percutere, et peccata hominum, ac si fuissent propria, deplorare. Tanta in ipso fuit asperitas vestium, abstinentia cibo-rum, ut non homo, sed spiritus appareret. De D
lecto quid dicam? cum sepulchrum magis quam lectum indicaret. Hic erat assiduus in orando, perspicuus in vigilando, strenuus in pugnando, sciens vitam hominis militiam esse super terram; sciens enim quod non est solum hominibus colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et rectores tenebrarum harum; id est, dæmonum. Qui cum quodam die solus oraret, ecce diabolus in speciem Crucifixi apparuit, et dicens: Peregrine, Peregrine, de omni peccato in quo homo Deum offenderit, potest venia obtineri, præter, ut quis vitam suam abbreviet ante tempus.

ubi a dæmone multa patitur.

6 Cui beatus Peregrinus sic respondit: Scriptum est quoque: Usque ad mortem certa pro justitia, et tibi dabo coronam vitæ. Et cum multis in aliis discurreret, videns diabolus quod eum decipere non posset, percussit Sanctum horribiliter in maxillam; sed Sanctus volens divinum adimplere mandatum, præbuit ei et alteram percutiendam; sed cum tantam humilitatem hostis sustinere non posset, clare cœpit dicere: Peregrine, tua humilitas me super omnia vicit, et si E
hic non prævaleo contra te, veniet tempus quo tibi insultabo. Et mutato habitu apparuit, quod erat. Et ecce subito tanta perturbatio aëris effecta est, ut terra tremeret, et totus locus comburi videretur; sed facta oratione, et signo Crucis edito, evanuit illa machinatio, et ruina, et ipse dæmon confusus evanuit. Sed non modicam per-traxit moram in loco, cum ipse per annos quadraginta in dicto nemore permansisset, et sicut populus Israëliticus quadraginta duos annos, ut intraret in terram promissionis; (sic ut) vitæ æternæ (gaudia) ingredi posset, dictum numerum observabat ignotus ab omni humana creatura.

A Soldano

7 Voto itaque beati Patris effectui mancipato, ut in divinis obsequiis laborem labori continuaret, ad infideles ire decrevit. Sed cum crebras in discessu Deo orationes effudisset, quam vigilanter, et devote manuum appositione pectus pulsavit, et repetitis vicibus humi prostravit, Deo gratias agens, pro eo quod terram sanctam et loca Deo dicata inspexerit, quod in sermone defertur. Cum pervenisset in curiam Soldani et regis Saracenorum, cœpit lucerna super cande- F
labrum elucescere, ac corda in tenebris manentia illuminare; cœpitque Sanctus iste ardenter cum affectu magno pronuntiare verbum Dei, omnesque provocare ad pœnitentiam. Cum vero aperte probasset, nullum pro eo coli nisi solum Deum, qui natus fuit de Maria Virgine, hoc audientes infideles extraxerunt eum de pulpito, ubi prædicabat, et sicut canes rabidi, stridentibus dentibus, ac dire eum percutientibus, funem in collo ejus miserunt; extrahentes autem eum, duxerunt ad moschetam; id est ad synagogam eorum, ad templum Dei ipsorum, ut ibi incensum offerret Mahometæ.

incarceratur,

8 Qui cum renueret, et percussissent ipsum usque ad viscera, eum diversissime incatenatum quinque catenis, reduxerunt in loco teterrimo, atque obscurissimo. Qui cum sine cibo et potu quinque diebus, et noctibus stetisset, Sanctus clare cœpit dicere: Illumina, Domine, his qui in tenebris sedent, et dirige me in via salutis. Sed ille, pro cujus amore certabat, tale responsum edidit. Scriptum est: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. Et ecce subito tanta lux et claritas de cœlo in dicto car-

cere

A cere refulsit, ut humana lingua dicere non sufficeret; et quod mirabile: Ipsa erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tunc Jesus Christus posuit manus super servum suum; et ecce subito illa catenarum vincula in pulverem redacta sunt, et in stipulam. Tunc sine mora liberatus est beatus Peregrinus ab omni tribulatione, dolore, et pœna : et ecce tanta fragrantia odoris de ipso carcere emicare, ac redolere cœpit, ac si fuisset hortus paradisi. Tunc custodes de tanto lumine, ac odore perterriti, cœperunt admirari, ac rem ipsam perquirere; sed cum veritatem rei invenissent, sine mora nuntiarunt Soldano regi; ipseque Soldanus hoc audiens, valde admirari cœpit, atque dicere : Hunc Christicolam ducite ad me, ut probem fidem ejus; et cum adduxissent coram Soldano B. Peregrinum, cœpit dictus Soldanus causam rei inquirere.

et flammas passus,

9 Tunc Beatus Peregrinus cœpit dicere Soldano et astantibus sermonem de Incarnatione, et de adventu filii Dei; quo completo, fecit Soldanus advocari suos sacerdotes, qui cum venissent, B dixit Soldanus: Volo fidem nostram approbetis cum isto Christicola per ignem. Tunc Soldanus fecit accendi copiosum ignem, et protinus B. Peregrinus clamare cœpit, ac dicere: Astantes audite sermonem meum. Ego pro Deo meo intrabo ignem; sed si combustus fuero, meis peccatis imputetis, quod si casu exiero, volo ut verum Baptisma recipere spondeatis pro salute animarum vestrarum. Qui omnes spoponderunt. Tunc B. Peregrinus cum lacrymis genua fixit ad terram, cum magna fiducia cœpit clementiam divinam invocare, et dicere: Ne respexeris, Domine, delicta mea; sed ad tuam magnam misericordiam, et ad fidem Ecclesiæ tuæ sanctæ, ad quam opto, ut convertantur hi infideles. Qua finita oratione, et signo Crucis se muniens audacter in dictum ignem intravit; denique secum tulit scalavinam, capellum, baculum, scortellam, et peram. Mira res ! cumque stetisset ferre per horas tres ambulando per ignem, et cantando cum propheta dicente : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium; tanta fuit misericordia Dei, ut ignis ille non combureret eum ; sed etiam nec aliquid ex ejus vestimentis fuit com- C bustum.

ab his intactus egreditur.

10 Hoc videntes sacerdotes Saracenorum cœperunt dicere, et exclamare: Domine rex, vobis innotescat, quod cum lanæ vestimentorum hujus Christicolæ sint ex Salamandra, numquam possunt comburi. Tunc B. Peregrinus exuit omnia vestimenta sua, quibus erat indutus, et sic intravit in ignem, nec erubuit pro ejus amore nudus apparere, qui non erubuit pro nobis in Crucem nudus subire. Quid loquor? Vir sanctus quasi per decem horas sine ulla læsione permansit in dicto igne; quod cernentes omnes sacerdotes Saracenorum, fugerunt, timentes ignem. Tunc Soldanus ad tantam stupendam rem ultra modum admirans, cœpit dicere : Vere magni Dei Christianorum facta sunt istius. Tunc Soldanus jussit eum exire de igne, et honores, ac pecunias ei exhiberi. Cum autem Vir sanctus omnia talia tamquam fæcem vilipenderet, astantibus Soldanus dixit: Vere, ut cerno, homo iste non ex hoc mundo esse videtur. Tunc ait ad sanctum Peregrinum : Roga Deum tuum pro me. Sed et omnes Saraceni, qui ad spectaculum tanti miraculi convenerunt, talia audientes et videntes, cum maxima admiratione recesserunt. Et cum ad alios infideles declinare proponeret; ecce vox de cœlo ad eum delata est dicens: Ad Italiam diverte, quia ibi erit victoria, et requies tua. EX MSS.

Veste pro navi usus,

11 Hoc cum athleta Christi audisset, armatus in Domino, cum magna fiducia abiit, et naves itineri subjectas, pergentes versus Italiam in littore invenit, quarum in unam introivit, et prospero flatu, navigio per mensem venerunt. Hoc vero invidens hostis inimicus et antiquus, ecce tantam tempestatem, et coruscationem cum validissimo vento immisit circa navem, ut arbor, et vela dirumpi viderentur; qui cum nautæ, et omnes qui aderant de eorum vita desperare cœperunt, mercimonias projecere in mare, ut navis allevaretur; sed cum prædicta tribulatio superaugmentaret, maligni spiritus clamare cœperunt : Projicite in mare illum Peregrinum, et cessabit tempestas; quia propter eum omnia evenerunt vobis. Hæc audientes nautæ, et qui in mari aderant, sine mora projecerunt in mare B. Peregrinum. Tunc B. Peregrinus cum magna fiducia commendans se Deo, misit sclaviniam, qua erat ipse indutus, super aquas maris, et super eam ascendit quasi pro navi, bordonum E vero quasi pro arbore, peram pro velo misit. Mirabilis certe fuit benignitas Dei erga eum, quod sine omni humano auxilio ita cœpit super aquas maris ambulare, ac si esset in terra firmissima.

Anconam appellit.

12 Quid ultra loquar? cum in septem diebus tanti spatium itineris pertransierit, quanta quis nauta fecisset in quadraginta; nec mirum, quia ab eo ferebatur, a quo et mare et venti creati sunt; ab eo utique ferebatur, qui populum Israëliticum transduxit per mare rubrum siccis pedibus. Sed cum ad portum Anconitanum, Deo faciente, applicuisset, ad tam stupendum miraculum quasi tota civitas accurrit, qui omnes honorifice receperunt eum magno gaudio; ipse vero inter pauperes Christi hospitatus fuit. Qui cum noctis silentio surrexisset, oratione effusa, omnes quotquot erant ibi infirmi sanati sunt; et ne inanis gloria ipsum percuteret, de loco recessit. Tandem B. Peregrinus ad visitandum limina Petri et Pauli Apostolorum ire decrevit, ac insuper corpus beati Nicolai confessoris, et venerabile templum sancti Michaelis, quod in monte Gargano situm est; et cum Sanctus coram altari F archangeli Michaëlis imploraret, ecce angelus dicto sancto Peregrino locutus est dicens: Vade ad silvam tenebrosam, et ibi facies iter securum, quia transeuntes per eam interficiuntur a dæmonibus, qui cum de dicto loco eos effugaveris, ad coronam vitæ æternæ pervenies.

Inde silvas ingressus

13 Cui cum sanctus Peregrinus responderet: Præsto sum ; sed dictum locum ignoro, et viam nescio; ait angelus ei : Sequere stellam. Et ecce subito stella mirabilis apparuit in medio aëris, nimio fulgore coruscans, usque propinquaret prædictam silvam, et cum appropinquasset, stella disparuit. Tunc facta est vox de cœlo dicens: Ecce locus certaminis. Audiens hæc sanctus Peregrinus cœpit audacter silvam intrare; qui cum introisset, invenit duo cadavera hominum adhuc calida, ac si eadem hora fuissent mortua; quæ quidem corpora a dæmonibus fuerunt jugulata. Quod videns sanctus Peregrinus, cœpit flere amarissime, et dicere: Ne tradas spiritibus immundis animas confitentium tibi. Et projiciens se super corpora mortuorum, Deum oravit, et, completa oratione, adjuravit eos quod statim surgerent; et statim ad pedes Sancti projecerunt se,

ipsi

EX MSS. ipsi gratias agentes, et dicentes: Pater, agimus tibi gratias multiplices: quia de via tenebrarum, et perditionis nos revocasti, et ad viam salutis nos conduxisti. Cum enim essemus ad divinum judicium, et multa nobis implicarentur crimina, statim tua benigna deprecatio ad Deum fuit pro nobis intercedens; qui statim nos de manibus inimicorum liberavit. Tunc beatus Peregrinus cœpit eos ad pœnitentiam invitare; et dicti ad propria reversi sunt glorificantes Deum in cordibus suis.

cum dæmonibus conflictatur;

14 Tunc B. Peregrinus cœpit dictam sylvam tenebrosam intrare; qui cum intrasset, cœpit audire voces horribiles, ululatus teterrimos dæmonum, et insimul voces clamantium, ac si fuissent in inferno. Insuper quid asseram? Subito fuit a tanta multitudine dæmonum in diversis speciebus vallatus, ut vix de aere, vel terra quid modicum appareret. Cui subito clare una voce cœperunt dicere: Ad quid huc venisti? Quare huc intrasti, cum iste locus, et ista silva, passimque omnes contractæ sint nobis dedicatæ, ac datæ ad habitandum, ut in ipsis nostram malitiam, et fu-
B rorem exercere per tormenta valeremus; et insuper propter peccata hominum potestatem habentes super labores eorum, et ipsos destruere valeamus, per nives immensas, et grandines innumerabiles; qui si cito, et sine mora ab isto loco non discesseris, nostrum furorem contra te experieris. Tunc B. Peregrinus videns se sicut agnum inter lupos mordaces, contra se periculum paratum, cœpit dicere: Adjuva me, Domine, averte mala, ab inimicis meis tuere me, et in voluntate tua disperde illos.

quibus victis,

15 Tunc maligni spiritus furiis stridentibus in eum, reliquerunt; et ecce tantam densitatem nivium, et grandinum super eum projecerunt; tunc immaniter super eum irruerunt, qui cæciderunt, et plagis innumerabilibus ipsum afficientes, semivivum relinquentes abierunt; et sic quasi mortuus et sepultus inter nives et grandines, tribus diebus sine cibo et potu remansit. Tunc cum Sanctus loqui non posset ex afflictione corporis, cœpit in corde suo sic dicere: Deus in adjutorium meum intende, Domine, orationem meam respice, libera animam meam ne ipsam absorbeat tartarus. Qua oratione finita, vox de cœlo facta est dicens:
C Peregrine, noli timere, quia tecum semper sum: nonne scis quia per multas tribulationes oportet introire, in regnum Dei? Qui sine mora ab omni tribulatione, et pœna liberatus est. Qui liberatus cœpit dæmones insultare, ac ipsos de prædicta silva ejicere. Sic vero meritis beatissimi Confessoris liberatæ sunt omnes istæ provinciæ circumvicinæ; scilicet provincia Lombardiæ, et provinciæ Tusciæ, ac Romandiolæ; cum antea subjectæ essent ipsis malignis spiritibus, qui omnino eas devastabant per immensam multitudinem nivium, et grandinum.

alia subit pericula.

16 Tunc B. Peregrinus videns abscessisse omnem illam tribulationem, immensas Deo laudes obtulit: cum laborasset per annos duodecim in expellendo supradicta. Tunc B. Peregrinus vocavit nomen prædicti deserti Silva Romanesca, quia per eamdem iter tutum tam Romanis et peregrinis, quam ceteris viatoribus erat. Post hæc B. Peregrinus intravit cavernam quamdam; quam cum intrasset, invenit ibi leopardum lactantem D
leopardos suos. Mira res: statim, ut animalia bruta viderunt sanctum Virum, sine mora exiverunt de dicta spelunca, et ad pedes sancti Viri se prostraverunt: qui cum accepissent benedictionem a Viro Dei, recesserunt. Tunc per maximum tempus stetit Vir Dei in ipsa spelunca ignotus ab omni humana creatura; sed si qua ex ipsis brutis ab aliquo esset percussa, venenata, vel infirma, statim veniebant ad Virum sanctum, et ab eo benedictione accepta, sana ibant. Sed qualem cibum et potum habuerit: audivi, quod semel in die tantum comedebat et bibebat: et certe victus ejus erant herbæ, et radices silvestres, quas omni die deferebat dictus leopardus; et potus ejus erat ex rore cœli.

Tandem prope centenarius

17 Post annos multos exiens B. Peregrinus de dicta caverna, cum circumquaque aspiceret, locum aptum ad pœnitentiam vidit, et intravit ad locum ubi arborem concavatam ad formam hominis invenit; tunc B. Peregrinus in dictam arborem intravit; et ibidem per annos septem vitam degit, alitus cibo et potu cœlesti. Cumque esset beatus Peregrinus nonaginta septem annorum, E
et mensium novem, dierum vero XXIII, scripsit totum cursum, et seriem totius vitæ suæ in scortia, id est in spolio ligni; qui cum nativitatem, et nationem suam designasset, optimam talem orationem fertur fecisse: Domine Jesu Christe, Pater æterne, exaudi preces meas: tuam itaque majestatem deprecor Jesu Christe, Rex cœli et terræ, qui dixisti Apostolis tuis: Quidquid petieritis ad Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et quicumque mei memoriam habuerit usque grandines et nives, crepidinem pestis, seu quibuscumque tribulationibus me devote invocaverit; benignissime de cœlo exaudias.

sancte moritur.

18 Et ecce de cœlo subito cum magna luce vox facta est, dicens: Peregrine, serve fidelis, gaude et exultare, quia nomen tuum scriptum est in libro vitæ; quidquid vero petisti in nomine meo orando, a Patre meo cœlesti concessum est tibi. Nunc quicumque te fidum suum advocatum habuerit, quidquid petierit juste, obtinebit. Tunc beatus Peregrinus multiplices Deo gratias agens, ut quam potuit flexit genua, ad cœlum levavit manus, et brachia, et dixit: Domine Jesu Christe, adesto, precor, et subveni, atque F
in manibus tuis commendo animam meam, suscipe spiritum meum. Quod cum dixisset, diem clausit extremum, et animam suam tradidit Domino Jesu Christo. Educto itaque de ergastulo B. Peregrino, occurrit multitudo cœlestis exercitus ut eum deduceret in amœnissimum locum paradisi; pro quo, et ipse in præsenti vita certamen subiit; atque ibi inter sanctos et electos Dei, in loco quem meruit, gloriosissime est locatus.

Fuit facta Canonizatio prædicti sanctissimi Confessoris, et ejus translatio anno Domini centesimo quadragesimo tertio, die vero undecima Augusti, nec non et basilicæ dedicatio. *Advertes hic novam chronologicam absurditatem; in utroque nostro Ms. æque stupide expressam. Voluit bonus textor signare annum sexcentesimum quadragesimum tertium, et* I *Augusti; ne novum præter tot alia paradoxum adstruat.*

A D

DE S. MARIA VIRGINE

COGNOMENTO CONSOLATRICE

VERONÆ IN ITALIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS

De cultu et gestis.

SECULO VIII

In eo Sanctorum numero, quo Verona gloriatur,* non postremum locum obtinet sancta hæc virgo, nomine* Maria, *eo singulari cognomine illustris, quod* Consolatrix *appelletur, popularibus monumentis, sed iis solis, celebrata; ut nomen ejus apud alios antiquiores scriptores, aut in publicis ante Ferrarium Martyrologiis, ecclesiasticisve Fastis frustra quæsiverim hactenus. Porro quæ de Veronensium rebus scripta habemus, neque vetusta, neque satis authentica esse, pluribus ostendit vir hoc seculo non minus doctrina quam natalibus illustris Scipio Maffeus, in ea epistola quam ad eruditiss. Coletum dedit, inserta novæ Italiæ sacræ Ughelli editioni tomo* 5, *dum de episcopis Veronensibus agitur; ubi rhythmicam Veronæ descriptionem ex Mabillonii Analectis tom.* I *refert, quæ seculo* VIII *non videtur esse posterior; talis certe, ut nec de S. Annonis episcopi, quem in Actis retulimus* XXIII *Maii, rebus gestis sileat, at neque de iis sic agat, ut nota ipsi dici possit sanctæ hujus nostræ* Mariæ Consolatricis *historia, tametsi ea ejusdem Sancti Annonis soror esse perhibeatur. Juverit fragmentum ex ea descriptione acceptum, hic expendendum producere.*

B

Quamquam in rhythmica

Veronæ descriptione

2 *Id præ oculis habuisse videtur Descriptionis auctor, ut primos recenseret urbis Veronensis episcopos, unde corrigendos censet Maffeus Catalogos eatenus non satis exactos. Templa deinde, vel potius patronos ipsius urbis, quasi per quatuor cœli partes describit; ubi opportunissimus ei locus erat, mirabilem illam sacrorum corporum Firmi et Rustici reportationem describendi, si ejus tempore tam nota fuisset, ac modo passim describi solita est. Ipsum loquentem audiamus. Propositis Sanctis, qui ab Oriente Veronenses custodiebant, sic pergit :* In partibus Meridianis Firmum et Rusticum, qui olim in te susceperant coronas martyrii, quorum corpora ablata sunt in maris insulis. *En historiæ nostræ basim, ubi aptissime inseri poterat occasio, prædicta corpora, ante ablata, perquirendi recuperandique. Sic pergit :* Quando complacuit Deo regi invisibili, in te sunt facta renovata per Hannonem præsulem, temporibus principum regum Desiderii et Adelchis. *Desiderii initia referuntur ad annum* DCCLVI; *ut hæc apprime conveniant cum traditione Veronensium, de tempore reductionis sacrorum corporum Firmi et Rustici.*

C

non memoretur Sancta,

3 *Sequens stropha id videtur evertere, quod omnino tenendum est; nempe reducta tunc corpora, quæ ablata fuerant, quæque tam solenniter ac magnifice deposita narrat poeta ipse, ut non verear plane asserere, pro particula negativa* non, *substituendam omnino* tunc. *Tute judica. Sic prosequitur :* Qui diu moraverunt Sancti non reversi sunt, quorum corpora insimul condidit episcopus, aromata et galbanem, stacten, et argoido, myrrha, gutta et cassia, et thus lucidissimus. *Quo ratione, obsecro, Sanctos qui alibi diu moraverant, insimul conderet, si* ex maris insulis reversi non sunt? *Aio itaque legendum,* tunc reversi sunt, *tunc eorum corpora a S. Annone episcopo Veronæ recondita sunt, atque eorum tumulus sic ornatus, uti describere pergit poeta rhythmicus, quantumvis de cetero inconcinnus :* Tumulum aureum coopertum circumdat præconibus, color stritus mulget sensus hominum; modo albus, modo niger inter duos purpureos. Hæc ut valuit, paravit Hanno præsul inclitus, per cujus flamma claret de bonis operibus, ab Austriæ finibus terræ usque nostri terminus.

E

4 *Locus hic non est cetera in eo opusculo corrigendi, restituendi aut explicandi, quæ quam parum exacta sint, satis manifeste patet. Ad sanctæ* Consolatricis *historiam spectat potissimum, quod inde eruamus, verissimam esse ablatorum Firmi et Rustici corporum, ex maris insulis seu ex Istria reductionem S. Annonis tempore, anno circiter* DCCLVI; *ejusdemque sancti episcopi singularem fuisse curam, dicta corpora perquam honorifice recondendi. Sitne vero in pari certitudinis gradu tota illa apud Veronenses recepta tot mirandorum stupendorumque adjunctorum historia, equidem non ausim asserere. Neque tamen rejiciendam censeo, tametsi eam poëta reticeat, cui id unice præfixum fuisse videtur, ut sanctos urbis Patronos enumeraret, non item qua ratione pretiosa eorum deposita eo primum pervenissent, aut postliminio reducta fuissent. Hoc non contemnendo historiæ fundamento præfixo, cetera ex præcipuo Veronensi scriptore scilicet Augustino Valerio accipiemus, historiam ipsam ex Ughello, in quo nobis præivit Henschenius, dum de S. Annone ageret tom.* V *Maii pag.* 256. *Ita de* S. Maria *loquitur Eminentissimus Sanctorum Veronensium illustrator a pag.* 27 *versa :* *sufficiunt quæ eo reducuntur.*

F

5 S. Mariæ Consolatricis virginis corpus requiescit in sua ecclesia. In Martyrologio ecclesiæ Cathedralis die I Augusti : Item in Verona, S. Mariæ Consolatricis, sororis S. Annonis episcopi ejusdem urbis, cujus corpus requiescit ibidem in ecclesia in ejus honore fabricata. Idem ex Francisco Corna, ex tabula Sanctorum, et ex Martyrologio Ordinis Prædicatorum, de quibus supra. In ecclesia S. Mariæ Consolatricis in arca lapidea, super qua celebratur, et in qua requiescit corpus ejus, in fronte operculi ipsius arcæ incisus est hic versus : *Valerius alia adducit*

Solare propriis meritis, ceu nomine fulges,

In adversa fronte operculi ipsius arcæ Orientem versus :

Veronæ populum felicem quo trahis ortum.

AUCTORE J. B. S.

In medio spatio arcæ sunt hi versus :

O! Consolatrix cognomine dicta Maria
Virgo restauratrix populi, quam versa Sophia
Confovet in cœli radiis splendore fideli,
Veronam serva meritis, pietate guberna.
Hoc tumulo præsul condit tua membra Thebaldus,
Annis bis denis Domini cum mille trecentis,
Luce Dei prima mensis, qui Junius altus
Dicitur a lucis spatio : miserere petentis.

In medio spatio ipsius arcæ ad Orientem sunt hi versus :

Fulget tunc eadem lux inclyta mensis et anno,
Cum præsul Sanctæ memoratus consecrat aram,
Luce quaterdena superauctus parcitur annus
Jam bene contritis annalis in octo diebus.

In spatio ipsius arcæ ad meridiem :

Hic Consolatrix requiescit sancta Maria.

unde de cultu satis constat: 6 In palla altaris majoris dictæ ecclesiæ, a latere dextro imaginis beatæ Mariæ Virginis, est imago S. Mariæ Consolatricis, habens stateram in manu sinistra, in cujus altera lance sunt B imagines duorum corporum, in altera annulus : dextra autem manu lilium tenet. Anno Domini DCCLI vivebat sanctus Anno episcopus Veronensis, frater S. Mariæ Consolatricis, ex Psalmista vetusto ecclesiæ sanctorum Apostolorum : ex eodem Psalmista et ex instrumento anni MCCCXLIX in eodem Psalmista descripto, habetur, altare S. Trinitatis dictæ ecclesiæ SS. Apostolorum consecratum fuisse etiam cum reliquiis S. Mariæ Consolatricis. Et altare ecclesiæ omnium Sanctorum Veronæ consecratum fuit etiam cum iisdem reliquiis; ex tabula ex membranis in sacrario ipsius ecclesiæ. Reliquiæ etiam S. Mariæ Consolatricis asservantur in altari ecclesiæ S. Nazarii, ex Francisco Corna.

Vitæ historia in tabulis picta 7 Ejus Vita habetur in Lectionario antiquo ecclesiæ Cathedralis suo die, et lib. 7 cap. 8 Petri de Natalibus episcopi Equilini. Agitur etiam de illa eodem lib. cap. 42. In pariete exteriori ecclesiæ ad Orientem, prope viam qua itur ad ecclesiam cathedralem, exstant octo antiquæ tabulæ, in quibus depicta est historia S. Mariæ Consolatricis. Nam in prima, S. Maria a S. Annone episcopo benedictionem accipit cum argento et C auro ad coëmenda Sanctorum corpora. In secunda ipsa ascendit in navem. In tertia Sanctorum corpora ponderantur. In quarta sex corpora importantur, scilicet SS. Firmi et Rustici martyrum, S. Apollinaris subdiaconi et mart., S. Lazari diaconi et mart., S. Marci diaconi et mart., et S. Primi presbyteri et mart. In quinta Histri cives navi S. Mariam, ut eripiant SS. corpora, insequuntur. In sexta depicta est cum sex SS. corporibus navis S. Mariæ. In septima depictæ sunt duæ naves, altera S. Mariæ Consolatricis, altera S. Annonis episcopi, ei obviam cum clero prodeuntis. In octava sex SS. corpora, adstante S. Episcopo et clero, in arca reponuntur.

annua [illegible] solennitate. 8 *Hæc sunt quæ ex monumentis Veronensibus (ut supra monebam non valde antiquis) ea qua potuit diligentia collegit, talemque in ordinem digessit Valerius; nihil solicitus, nonnulla in versibus exponere, quod ea explicatione digna non censuerit. Seculum suum omnino sapiunt, nihilque adducunt quod ad illustranda Sanctæ gesta tantillum conferat. Elevatum a Theobaldo corpus anno* 1320, *sacras Sanctæ reliquias Veronæ in honore esse, ipsam vero annua solennitate hoc die celebrari, satis in confesso esse jam diximus. Porro Vitæ laciniæ ab* D *Equilino relatæ, huc adducendæ non fuerunt, cum tota historia fusius et elegantius ex Raphaële Bagata ab Ughello referatur, ea plane rerum serie, ut ferme dubites, picturæne ex historia, an historia ipsa ex jam relatis picturis desumpta sit. Eam autem priusquam subjiciam, hic ea ex S. Annonis elogio apud laudatum Valerium fol.* 37 *describenda sunt quæ ad sanctam nostram* Consolatricem *omnino pertinent, quæque cum jam dictis ad historiæ intelligentiam non parum conducunt. Ita ibi scribit :*

9 Beatus episcopus *(Anno)* et pius pater in magna populi Veronensis calamitate, ob diuti- *Bagata Vitæ seriem*
nam cœli siccitatem, dira fame ac lue laborantis, mœrore conficiebatur : assiduis precibus et lacrymis, collacrymante Maria ejus sorore, cui cognomen postea inditum est Consolatricis, sanctissima virgine, tantæ calamitatis divino monitu causam comperit. Nam angelico ministerio utrique una eademque nocte revelatum est, non prius Veronam manu Domini ex ea calamitate liberandam, quam beatorum martyrum Firmi et Rustici corpora in illam essent reducta, ut ibi honore debito condita conquiescerent, ubi pro gloria E Christi martyrii coronam acceperunt. Magna igitur diligentia, qua ratione sancta illa corpora inveniri possent, multæ et variæ consultationes per eum cum clero, et viris de populo, pietate et prudentia præstantibus, sunt habitæ. Inventa vero sunt, et sanctæ Mariæ Consolatricis opera Veronam translata. *Nihil reliquum est, nisi ut jam toties dicta historia subnectatur ex Ughello col.* 575, *collata cum nova editione. Sic habet :*

10 Maria, cognomine Consolatrix, virgo Ve- *melius quam*
ronensis nata clarissimis parentibus, clara fuit *poëta*
non minus animo quam stirpe; cum a quamplurimis nobilibus in conjugium, ob generis nobilitatem ac corporis formam, optaretur; virginitatem, quam a prima ætate Domino consecrarat, sibi in omni vita conservandam statuit. Repudiatis omnium votis et precibus, jejuniis, vigiliis et orationibus assidue vacabat, moribusque puellaribus ad sanctæ fidei regulam compositis, totam se eleemosynis aliisque piis actionibus dabat. Huic sanctæ Virgini, cum populus Veronensis annos jam septem ingenti fame, ob aeris siccitatem laboraret, in hujusmodi calamitate deprecanti, quadam nocte in quiete divinitus est revelatum; F non antea pluviis de cœlo missis terram irrigaturum Dominum, quam beatorum martyrum Firmi et Rustici corpora, quæ imperante Maxim. impiissimo tyranno, Veronam martyrii gloria consecrarunt, inde absportata, in eamdem civitatem restituerentur. Hæc a Maria sorore sua beatus Anno Veronæ episcopus audiens, idem sibi eadem nocte revelatum affirmavit. Quare de totius cleri, atque etiam omnium civium consensu, statuit eligendos esse homines, qui corpora illa diligenter perquirerent. Qui cum in urbe Istriæ Capris inventa a se esse renuntiassent, affirmassentque, oppidanos inde auferri non passuros, nisi æquato cum his pari pondere argenti et auri redempta, quantum ipsorum corporum pondus esse fuisset compertum;

11 Virgo sancta, prudentia insignis, cum ar- *br[illegible]*
gento et auro quæ undique, maxime autem ex *d[illegible]*
matronarum ornamentis, collegerat, ad conficiendum negotium dimittitur : quæ cum in Istriam venisset et corpora Sanctorum in statera ponderarentur, tam levia divinitus sunt facta, ut modica admodum parte ejus pretii, quod secum attulerat,

A tulerat, redempta sint. Itaque Virgo Dei quod superfuit, totum in patriam reportavit. In navim autem sanctis corporibus summa cum religione impositis, redeuntem cum iis in patriam Virginem, ea ut eriperent Istriæ cives, quod Dei miraculum præstigium nominarent, navibus insecuti sunt. Orante autem Virgine, ejus navis ita concito cursu ferebatur, ut qui insequebantur, eam non solum consequi non potuerint, sed ne perspicere quidem, quo tenderet. Venerabilis episcopus advenienti Virgini sorori, cum clero ac universo populo, secundo Athesi, obviam solemniter processit, sanctaque lætitia perfusus, magna cum gratulatione illam excepit. Omnes qui aderant navim conscendentes, beatorum Martyrum corpora venerati sunt : quibus intra civitatem communi cum omni lætitia receptis, mox pluvia cœlitus demissa est ; et arefacta jam terræ facies, irrigata cœlestibus imbribus, est fœcundata. Quare Consolatricis cognomen Virgo sancta tunc merito est sortita. Reliquum vitæ suæ tempus jejuniis, orationibus et piis operibus traducens, Kalendis Augusti migravit ad Dominum : cujus corpus in ecclesia, in ejus honorem exstructa, honorifice est conditum. *De sanctis Firmo et Rustico videri possunt quæ occasione S. Proculi dicta sunt* XXIII *Martii pag.* 450; *plura vero dicentur ipsorum die natali* IX *Augusti.*

AUCTORE J. B. S.

DE SANCTO ETHELWOLDO,

B

EX ABBATE ABBENDONIENSI,

E

WINTONIÆ IN ANGLIA EPISCOPO.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Scriptores Vitæ, cultus ex Martyrologiis, et hymno deprecatorio.

Anno CMLXXXIV.

Sit licet longe inclytissimus hic noster S. Ethelwoldus, *non is tamen primus est istius nominis inter Anglicanos præsules Sanctorum honores meritus; synonymum enim dederunt Majores nostri Lindisfarnensem episcopum ad diem* XII *Februarii. Porro is, quo de modo agendum, Wintoniensis celeberrimus antistes, eo charactere, titulo seu prærogativa illustris quam maxime, quod priscam ecclesiasticam ac monasticam disciplinam seculo suo, nempe* X *corruptissimam, non absque glorioso successu, conatus fuerit restituere, pari pietate ac studio allaborantibus duobus non minus illustribus sanctis episcopis, Oswaldo nimirum et Dunstano, quorum præclarissima gesta jam pridem illustrata sunt ad* XXIX *Februarii et* XIX *Maii. Hi scilicet fortissimi collapsæ disciplinæ regularis vindices, cooperante imprimis Edgaro rege, ut etiam observavit Mabillonius, abusus in Ecclesiam invectos sustulerunt et monachos vitæ strictioris, in pristinas sedes, unde expulsi fuerant, postliminio revocarunt, ut* his tribus viris agentibus *(teste Will. Malmesburiensi lib.* 2 *de Reg. cap.* 8) quasi triformi lumine Ecclesiam serenante, densæ vitiorum tenebræ evanuerint. *Sequimur hic Mabillonium scriptores enumerantem qui* S. Ethelwoldi *gesta prosecuti sunt.*

Inclytum Ecclesiæ restauratorem

C

Laudant scriptores Angli omnes.

2 *Primum ipse, cujus opus nobis ignotum est, nominat Alfricum Abbendoniensem, abbatem dein Wintoniensem, ac postea episcopum, quem annis viginti post Sancti obitum, res ab eo gestas, brevi compendio ait retulisse, cujus lucubrationem invenit in Ms. codice Fiscamnensi, sed quam negligendam putavit, cum æqualis illi scriptor anonymus, saltem cujus nomen Vitæ præfixum non erat, idem luculentius præstiterit, cujus Legendam laudato Mabillonio acceptam referimus, præferendam sane iis, quas ex ipsa Capgravius æque ac Surius aut hinc inde contraxerant, aut non parum immutaverant. Probat deinde ejus ætatem, neque dubitat, quin totius dictæ Legendæ auctor fuerit Wolstanus monachus Wintoniensis, adducto ejusdem Malmesburiensis testimonio, ut qui sic scribat :* Hujus *(nempe* S. Ethelwoldi) Vitam Vulstanus quidam cantor Wintoniensis, discipulus ejus scilicet et alumnus, composuit stylo mediocri. *Quæ omnia in Vitam, a nobis infra dandam, aptissime quadrare pluribus ibidem ostendit, etiam ex genio auctoris poetico, ut qui versus nonnullos ipsi Vitæ inseruerit. Alios item citat qui de* S. Ethelwoldo *egerint, quos apud ipsum distinctius recensitos invenies : paucos equidem Anglos saltem Catholicos novi, qui de mirabili Sancto mentionem non fecerint perhonorificam. Ad sacros Fastos accedimus.*

F

Cultus in Martyrologiis et celebrior memoria.

3 *Cum hisce nomen efformavimus, ut passim efferri solet, tametsi Vitæ inferius dandæ auctor non* Ethelwoldum, *sed* Adelwoldum *passim appellet, alii* Athelwoldum *et* Ethelwaldum, *alii aliter, pro linguæ Anglicanæ genio. Sancti autem memoria apud solos mediæ ætatis, eosque paucos Martyrologos nota est, ut primus qui de eo sciatur locutus, sit auctor Usuardi Lubecæ et Coloniæ editi, his verbis :* In Anglia, sancti Edelwoldi episcopi et confessoris; *pro quibus Grevenus:* In Britannia, Ethelwaldi episcopi et confessoris; *Molanus porro addidit :* in civitate Wintonia; cujus actus scripsit Vultanus cantor Vuintoniensis. *Ceteri monastici sunt, ut Wion, Dorganius et Menardus, quorum hæc ferme phrasis :* Wintoniæ in Anglia, sancti Ethelwoldi episcopi et confessoris, sanctitate et miraculis clarissimi. *In amplissima nupera collectione Marteniana tom.* 6 *exstat Kalendarium Anglicanum in quo hoc die signatur* S. Ethelwoldus. *Ast omnium instar nobis erit Martyrologium Romanum, Sanctum annuntians in hunc modum :* Wintoniæ in Anglia,

AUCTORE J. B. S.

glia, sancti Ethelwoldi episcopi. *In notis vero satis innuit Baronius, solum se Molanum præ oculis habuisse quem imitaretur, de cetero annum obitus Sancti perperam signans* DCCCCIV, *quem in Annalibus recte correxit, substituens annum* CMLXXXIV, *quo, ut infra dicemus, vere obiisse censetur sanctissimus episcopus.*

Elogium Wilsoni

4 *Paulo longiori oratione* S. Ethelwoldum *laudat Wilsonus in suo Martyrologio Anglicano hoc die, cujus verba ita Latine sonant :* Wincestriæ in Hampeshire, depositio S. Ethelwoldi episcopi et confessoris, qui primum fuit monachus in monasterio Glastenburiensi, postea vero abbas Abingtoniæ, et demum ad episcopatum Wincestriæ fuit promotus, quam ecclesiam cum XXI annos gubernasset, magna vitæ sanctitate et miraculis clarus obdormivit in Domino, anno Christi CMLXXXIV, et sepultus est in ecclesia cathedrali Wincestriæ. Hic Vir sanctus, tempore famis, vasa omnia argentea ad ecclesiam suam pertinentia, ad sustentationem pauperum convertit, dicens : Ecclesiæ tempore opportuno rursum provideri posse, pauperes vero, qui fame perierunt, recuperari non posse. *Hactenus Martyrologus Anglus, obiter dumtaxat ea attingens quæ de tempore famis pluribus suo loco commemorat Legenda, aliique ex ipsa scriptores, eximiam Sancti in extremis iis angustiis caritatem mirifice prædicantes. Cum Wilsoni verbis conferri possunt quæ satis nitide expressit Eduardus Maheuvius in Trophæis suis Anglicis Ordinis sancti Benedicti die primo Augusti ita scribens :*

B

uti et Maheuvii :

5 Wintoniæ, sancti Ethelwoldi episcopi et confessoris, qui unus ex illis sanctissimis episcopis fuit, qui Danorum rabie, et immanibus bellis persecutionibusque collapsam in Anglia ecclesiasticam et monasticam disciplinam, imo monasticum ordinem fere exstinctum egregie restaurararunt. Ipse denique sanctitate, miraculis, ac multis præclare gestis insignis hac die migravit ad Dominum. Ejus Vitam imprimis conscripsit Wolstanus monachus Wintoniensis, ejus discipulus et alumnus, testante Malmesburiensi, et qui de ecclesiasticis scriptoribus tractatus composuerunt; cujus epitome, ut arbitratur Molanus, in annotationibus ad Martyrologium Usuardi, exstat apud Surium tomo 8 die prima Augusti. *Longius multo elogium, seu totius Vitæ compendium concinnavit Bucelinus ; verum ne plures hujusmodi orationes hic colligendæ sint, ad cultum propius spectat, eritque adeo omnium instar perelegans hymnus quem nobis ex codice suo Uticensi seu S. Ebrulfi descripsit et ad calcem Vitæ edidit Mabillonius sub hoc titulo :* Incipit hymnus in honore sancti Adelwoldi præsulis editus, elegiaco et paraeterico carmine per alphabetum compositus.

C

atque hymnus

6 Alma lucerna micat, lumen populoque ministrat.
Præsul Adelwoldus, alma lucerna micat.
Belliger iste Dei victricia bella peregit,
Acer in arma ruit belliger iste Dei.
Cujus ab ore sacro fluxerunt dogmata vitæ,
Hausimus omne bonum cujus ab ore sacro.
Dulcia corde pio resonemus cantica Patri,
Carmina cantemus dulcia corde pio.
Ecce coruscat apex tibi pontificalis abunde,
Hinc illincque tuus ecce coruscat apex.
Fons et origo boni, te verba ferente, cucurrit,
In te manavit fons et origo boni.
Gloria perpes erit tibi nunc ideoque per ævum,
Quam merito retines, gloria perpes erit.
Hujus amore gregis sprevisti spicula mortis,
Pellens hinc fortes hujus amore gregis.
Inclitus atque potens te rex adamavit Eadgar,
Te monitore vigens inclitus atque potens.

D

in ejus laudem

7 Castra Dei reboant te constituente celeuma,
Davidicumque melos castra Dei reboant.
Laudibus innumeris tibi turba monastica plaudit,
Conjubilatque tibi laudibus innumeris.
Mœnia celsa domus tua cura levaverat hujus,
Hæcque dicavit ovans mœnia celsa domus.
Nocte dieque sacrum celebrasti pectoris hymnum,
Solvens officium nocte dieque sacrum.
Omnibus inque locis sparsisti semina lucis,
Expuleras tenebras omnibus inque locis.
Pervigil esto tuis, petimus, defensor alumnis,
Protector famulis pervigil esto tuis.
Quæque nocent reseca, quæ sunt et commoda præsta,
Quæ bona sunt revoca, quæque nocent reseca.
Rector apostolicæ felix et janitor aulæ,
Hujus et ecclesiæ rector apostolicæ.

deprecatorius :

8 Solve tuos famulos Petri vice, solve ligatos,
Nos a peccatis solve tuos famulos.
Te duce, stelliferi scandamus ut atria cœli,
Participes regni, te duce, stelligeri.

E

Versibus hymnidicis hæc carmina pangimus, et te
Patronum colimus versibus hymnidicis.
Christicolas animas quia multiplicare solebas,
Ad cœlos revocans Christicolas animas.
Ydra nocens fugiat, ne nos per devia ludat,
Nos tua dextra regat, ydra nocens fugiat.
Zelus obesse nequit, Christo superante malignum ;
Christus adest victor, zelus obesse nequit.
Aspice, sancte Pater, quæ nos adversa fatigant,
Quæ mala nos lacerant, aspice sancte Pater.
Mitis adesto tuis tibi qui famulantur alumnis,
Qui te collaudant, mitis adesto tuis.
Eripe, Pastor, oves, animo quas semper amasti,
Et quas nutrieras eripe, pastor, oves.
Nomina nostra notet quo Christus in arce polorum,
Cum Sanctisque suis nomina nostra notet.
Amen.

§ II. Sacri corporis elevatio, Officium et Missa.

F

Non multis post obitum annis elevatus,

Mabillonium, supra non semel laudatus, observationum suarum num. 4, *ita satis rotunde pronuntiat :* Ethelwoldi memoriam in rebus sacris jam inde ab ejus obitu celebravit Anglicana ecclesia, ut præ aliis testatum facit Missa hic edita, qualis in Ms. codice Uticensi pervetusto habetur. *Missam illam et qualiscumque Officii partem aliquam lubens admitto; ast illa* jam inde ab ejus obitu *celebrata fuisse, non adeo fit verosimile, nisi verba illa accommode intelligantur, sic ut non multis post obitum annis de Sancti cultu agi cœperit, qui primum inchoatus sit a sacri corporis elevatione, per ea nimirum secula canonizationis loco haberi solita, ut prope innumeris Operis nostri locis demonstratum est. Ipsam vero elevationem varia signa præcesserant, quibus permotus Sancti in episcopatu successor Elfeagus,* reliquias sancti præsulis Adelwoldi *honorifice transtulit,* IV *Idus Septembris, ut habes in ipsa Vita num.* 43. *Ab eo nempe tempore* S. Ethelwoldi memoriam celebraverit Anglicana, *saltem Wintoniensis* ecclesia, *ubi sacræ exuviæ, teste eodem Vitæ auctore Wolstano,* in magna veneratione

A neratione habentur usque in præsentem diem : ubi etiam, nobis intuentibus, cœlestia sunt perpetrata miracula.

et solenniter coli cœptus.

10 *Quo autem tempore, et qua occasione facta fuerit celebris ea elevatio, auctor idem Vitæ Wolstanus num.* 42 *memorat :* Anno duodecimo, *inquit*, post obitum gloriosi pontificis Adelwoldi, placuit supernæ dispensationi illum per cœlestia signa revelari, ejusque ossa de sepulcri munimine levari : ut lucerna, quæ ad tempus sub modio latebat, super candelabrum poneretur, quatenus luceret omnibus qui in domo sunt. *Subjungit mirabilem Sancti ipsius apparitionem, quæque ad eam consecuta sunt. Huc modo ad antiquissimi cultus evidentiam pertinet ea, de qua modo dicebamus. Missa, præmissis hymnis et oratione, quæ ipsius Officii propria videntur, haud dubie juxta receptam praxim ecclesiæ Wintoniensis, de qua non habuit Mabillonius quod suggereret; neque nobis aliunde quidquam suppetere, ultro fatemur. Et vero ad id probandum, quod hic potissimum intendimus satis erit ea producere quæ in Actis Benedictinis ex supradicto codice Uticensi accepta esse dicuntur.*
B *Titulus hic, opinor, ad Officii Vesperas, præfigitur :* Hymnus vespertinalis Sapphico metro hendecasyllabo editus, Adonium quarto continens loco.

11 Inclitus pastor populique rector,
Cujus insignem colimus triumphum ;
Nunc Adelwoldus sine fine lætus
Regnat in astris.
Qui pater noster fuit et magister,
Exhibens sacræ documenta vitæ,
Et Deo semper satagens placere
Corde benigno.
O! diem sanctum, celebrem, coruscum,
Quem Dei nobis pietas sacravit,
Ut patri tantum mereremur almum
Promere cantum.
Nunc eum nisu rogitemus omni,
Abluat nostrum pius ut reatum,
Et sua sancta prece nos ad altum
Ducat olympum.
Sit Deo soli decus et potestas,
Laus in excelsis, honor et perennis,
Qui suis totum moderans gubernat
Legibus orbem. *Amen.*

C

Cœli senator inclite, sancte pater ecclesiæ
Adelwolde, supplices tuos exaudi servulos.
Jam sidus inter sidera, resplendes super æthera,
Nobis benignus impetra Paracliti charismata.
Pronis rogamus mentibus hic coram tuis artubus,
Nostris adesto precibus serenus ac propitius.
Ut tuis necessariis protecti patrociniis,
Ad cœlorum perpetua perveniamus gaudia,
Præstet nobis Ingenitus hoc atque Unigenitus
Sanctus amborum Spiritus, trinus et unus Dominus. *Amen.*

OREMUS.

12 Deus, qui præclari sideris sancti pontificis Adelwoldi illustratione, novam populis Anglorum tribuisti lucem hodierna die clarescere : suppliciter imploramus clementiam, ut cujus magisterio totius religionis documenta cognovimus, illius et exemplis informemur, et patrociniis adjuvemur. Per, etc.

AD MISSAM.

Deus, qui hodiernam diem beati confessoris tui Adelwoldi episcopi transitu nobis honorabilem dedicasti : concede propitius, ut cujus eruditione veritatis tuæ luce perfundimur, ejus intercessione cœlestis vitæ gaudia consequamur. Per, *etc.*

SECRETA.

Oblata servitutis nostræ munera tibi, Domine, quæsumus, annua sancti patris nostri Adelwoldi episcopi solemnitas commendet accepta : ut ejus pia supplicatione muniti, cunctorum nostrorum remissionem peccaminum, et beatitudinis sempiternæ mereamur obtinere consortium. Per, *etc.*

PRÆFATIO.

V. D. Æterne Deus, quoniam adest nobis jocunda et votiva præsentis diei lætitia, quam E apostolici culminis honore sublimem, roseoque martyrii cruore solemnem, gloriosi pontificis Adelwoldi moderna celebritate consecrasti, et spem nobis tantæ fiduciæ contulisti, ut nos paternis ejus suffragiis, et a peccatorum nostrorum nexibus solvas et ad cœlestia regna perducas. Per Christum, *etc.*

POSTCOMMUNIO.

13 Refectos Domine vitalis alimoniæ sacramentis, sancti confessoris tui Adelwoldi intercessione gloriosa nos protege, et ad æternum cœlestis mensæ convivium pervenire concede. Per, *etc.*

ALIA.

Gregem tuum, Pastor æterne, pii suffragatoris Adelwoldi patris nostri defensione guberna, quæsumus, Domine ; ut cujus benevolentia provocati, superni amoris dulcedine pascimur, ejus interveniente patrocinio, et a temporalis vitæ perturbationibus eruamur, F et mansuris supernorum civium gaudiis inseramur. Per, *etc.*

IV IDUS SEPTEMBRIS.

IN TRANSLATIONE SANCTI ADELWOLDI.

Deus qui nobis sanctum pontificem tuum Adelwoldum salutis æternæ doctorem tribuisti, concede propitius, ut cujus annuæ translationis solemnia colimus, ejus semper meritis adjuvemur, et precibus. Per, *etc.*

SUPER OBLATAM.

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, sancti patris nostri Adelwoldi episcopi commendet oratio : ut nobis, eo suffragante, fiat sanctæ majestatis tuæ propitiatio, et peccatorum nostrorum exoptata remissio. Per, *etc.*

PRÆFATIO.

Votivam beati pontificis Adelwoldi translationem pia veneratione celebrantes, teque cernua devo-

AUCTORE J. B. S.

devotione exorantes, ut ipsum nos apud clementiam tuam sentiamus habere patronum, quem, tua gratia largiente, salutis æternæ meruimus suscipere magistrum. Per Christum, *etc.*

POSTCOMMUNIO.

Ut hæc communio nos, Domine, tibi dignos efficiat, beatus pater noster Adelwoldus suffragio, quæsumus, piæ intercessionis obtineat. Per, *etc.*

DE HORIS PECULIARIBUS.

14 Præterea beatus pater Adelwoldus Horas regulares et peculiares sibi ad singulare servitium instituit, quas in tribus cursibus ordinavit: humillima diligentia quosque subjectos admonens, ut hoc secreto famulatu ignitis satanæ tentamentis vigilanter resisterent, et ea per Dei gratiam resistendo superarent, et ut fides quæ per nostri creatoris et piissimi Redemptoris incarnationem luce clarius enituit, instante futuræ persecutionis tempore, quæ jam vicinis antechristi temporibus B ingruit, nullo modo (quod absit) titubando vacillet, sed his divinis roborata præconiis, integra jugiter et inviolata permaneat. Est enim primæ psalmodiæ cantilena ad laudem beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ procurata. Secunda autem ad honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque nostri Salvatoris humanitati præsentialiter famulantium. Tertia vero ad suffragia omnium Sanctorum postulanda, ut eorum pia intercessione protecti, multiformem versipellis antichristi et membrorum ejus fallaciam expugnare et, Christo remunerante, cœlestium præmiorum palmam mereamur accipere: quæ videlicet Horæ plerisque in locis habentur adscriptæ, et ideo in hoc codicello sunt prætermissæ.

TROPI.

Patris adest votiva dies, cantemus ovantes. *Statuit ei.*
Pontificem templo sibi quem sacravit in isto. *Et principem.*
Inter apostolicos stola splendente hierarchos. *Ut sit illi.* C
Adelwolde, pia prece nos defende misellos. *In æternum.*
Præsul Adelwoldus quia fulsit in ordine magnus. *Statuit ei.*
Constituens illum hodie super æthra polorum. *Et principem.*
Gloria, splendor, honor, decus et veneratio perpes. *In æternum.*

§ III. Aliqualis præcipuorum gestorum chronologica series.

Natus anno circiter 908,

De S. Ethelvoldi *ætate non habuit Mabillonius quod in ordinem chronologicum digereret; neque sane res satis obvia est, Wolstano Vitæ auctore paucissima notante, ex quibus cetera conjicienda potius quam determinanda sint. Natum memorat Sanctum* temporibus senioris Eaduardi regis Anglorum, *qui cum regnarit ab anno* 901 *ad* 923, *inveniendus est annus, quo verisimilius in lucem editus fuerit: cum autem numero* 7 *dicatur, dum* florentis adolescentiæ contigisset ætatem *ab* Edelstano rege, filio prædicti regis Eadwardi accersitus, *ac* multum temporis in palatio egisse, *priusquam* in gradum sacerdotalis ordinis consecratus sit: *porro cum Edelstanus ad annum usque* 939 *regnaverit, haud incongrue Sancti nativitas ad annum circiter* 908 *referri poterit, ut competentem ætatem ad sacerdotii susceptionem attigerit circa annum* 936 *aut* 937: *neque enim consecrationi diu superstes videtur fuisse rex Edelstanus, cui Eadmundus successit* 940, *huic vero Eadredus* 946, *qui* magnam circa Dei famulum cœpit habere dilectionem, placuitque ei, suadente matre sua, dare sancto Viro locum vocabulo Abbandum, *quod certo fieri non potuit ante jam dictum annum* 946, *neque post annum* 948, *quo Sanctus, jam abbas, privilegio Croylandensi, apud Ingulfum pag.* 874 *certissime subscripsit.*

16 *Hæc igitur satis definita videtur esse epocha, nimirum ad abbatiales infulas promotum* S. Ethelwoldum *anno* 947, *unde restituenda Mabillonii notatio pag.* 612, *ubi corrigens Monasticum Anglicanum, abbatem ipsum Abbendoniensem ordinatum ait, non anno* 954, *quod recte negat, sed* 944, *quo certum est Eadredum, seu Edredum necdum regem fuisse, neque adeo* Abbandum dare sancto Viro *potuisse. Ex his facile colligitur, quanto tempore sub S. Dunstani disciplina in cœnobio Glastoniensi commoratus fuerit* S. Ethelwoldus, *si post regis Edelstani obitum vitam monasticam eum amplexum supposueris, atque in eodem cœnobio annis aliquot decani munere perfunctum. Quæ vero deinceps Abbendoniæ ab eo gesta sint cum prædicto rege Eadredo ac postmodum cum Eadgaro, habes in Vita a num.* 11, *donec* elegit cum Eadgarus ad episcopatum Wintoniensis ecclesiæ, anno Dominicæ incarnationis CMLXIII, *quo et a S. Dunstano consecratus est, ut ibi secundum omnes apices discribit Legendæ auctor Wolstanus, immediate subjungens expulsionem ex Veteri monasterio nefandorum canonicorum, quibus monachos ex Abbendonia substituerit, quemadmodum pluribus idem scriptor prosequitur a num.* 16: *demum etiam ex Novo monasterio num.* 20.

Abbendoniæ abbas 947; E

17 *Hæc prima fuere sanctissimi Viri, tum ecclesiasticæ tum monasticæ disciplinæ certamina, quæ non ausim asserere, eodem ipso anno* 963 *contigisse, tametsi in ipsa Vita tantum non cum episcopali ordinatione connecti videantur; non enim tam facile expelli potuisse discolos illos concubinarios aut etiam uxoratos canonicos et clericos, satis docent concilia idcirco habita, et Vita ipsa seu Sylloge historica S. Edgari ad* VIII *Julii tomo* II *edita, ex quibus abunde patet, quantis conatibus opus fuerit priusquam tumultuantes illi in ordinem redigi potuerint. Huc adfert noster Alfortus, Parkeri ineptias refutans, quæ de* S. Ethelwoldo *tradit Huntindoniensis f.* 356: Edgari pacifici, *inquit,* anno quinto, Edelwaldus venerabilis feliciter episcopatum Wincestre suscepit. Hic secundo episcopatus sui anno, quosdam canonicos, in Veteri monasterio Wincestre degentes, et ordinem suum pigre et negligenter observantes, ejecit, et monachos imposuit. *Et paulo inferius:* Adelwaldus egregius præsul, ædificator sepium fuit, avertens semitas iniquitatis, et plantans radices charitatis. Ipse namque seminator optimi consilii fuit. Cujus monitis rex Edgarus novellas plantationes, et arbusta teneritudinis Deo gratissima instituit. *Videnda quæ de his fusius narrat laudatus Alfordus ad an.* 967, 968 *et* 969, *ubi Edgari oratio, de qua etiam ejus natali die* VIII *Julii actum est.*

963 episcopus Wintoniensis F

18 *Quanta porro contulerit Rex ille sanctus, quam*

AUCTORE J. B. S.

A

ecclesiam suam expurgare aggreditur.

quam impigre ac fortiter, et S. Ethelwoldum *et alios episcopos juverit ad reducendam in pristinam formam depravatam eo tempore Anglicanam ecclesiam, non est opus hic pluribus repetere. Id constat ex num.* 18, *misisse ipsum* quemdam ministrorum suorum, qui regia auctoritate mandaret canonicis, ut unum e duobus eligerent, aut sine mora dare locum monachis, aut suscipere habitum monachilis ordinis. *Eo nimirum potenti patrocinio adjutus* S. Ethelwoldus *primum in ipsa sua episcopali urbe inveterata evulsit zizania, ad alia deinde præclarissima opera adeo incensus, ut toto vitæ suæ decursu, illud potissimum cordi habuisse videatur, eversas per Danicas incursiones ecclesias, tum vero præcipue monasteria, restaurare, atque* ad regularis vitæ normam *reducere. Testantur id autem quam luculentissime Abbendoniense monasterium, de quo jam egimus, tum Wintoniensia Vetus et Novum, tum vero alia quæ in ipsa Vita enumerantur; ut num.* 23 *Eligense, seu Eliense: num.* 24 *Burgense ac Thorneiense, et tot alia quæ ejus* sedula cooperatione constituta sunt, circumeunte Famulo Christi singula monasteria, mores instituens, obedientes, ut in bono proficerent, verbis admonendo; B
et stultos, ut a malo discederent, verberibus acriter corrigendo.

Inde cœnobia Eliense et Thorneiense,

19 *De celebri cœnobio Eliensi pridem a nobis actum in Vita S. Etheldredæ ad* XXIII *Junii : destructum porro et eversum, quanto conatu, quantis sumptibus restituerit* S. Ethelwoldus, *præter ea quæ ibi et in Actis dicta sunt, habes apud Alfordum ad annum* 969 *num.* 19. *De Thorneia audiendus Malmesburiensis, de Pontificibus lib.* 4 *fol.* 294 *:* Thorneia, *inquit*, ulterior scripto, et contractior spatio, sed prior laudum titulo, paradisi simulacrum, quod amœnitate jam cœlos ipsos imaginetur : in ipsis paludibus arborum ferax, quæ enodi proceritate luctantur ad sidera : æquora, planities, herbarum viridantibus comis oculos advocant; currentibus per campum, nullus datur offensioni locus. Nulla ibi vel exigua terræ portio vacat. Hic in pomiferas arbores terra se subigit : hic prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per bajulos palos in celsum surgunt. Mutuum certamen naturæ et cultus; ut quod obliviscitur illa, producat iste. Quid dicetur de ædificiorum decore, quæ solum mirabile quantum C
inter illas paludes solidum inconcussis fundamentis sustinet? Solitudo ingens ad quietem data monachis, ut eo tenacius hæreant superis, quo castigatius mortales conspicantur. Femina ibi si visitur, monstro habetur : maribus advenientibus, quasi angelis plauditur. Vere dixerim, insulam illam esse castitatis diversorium, honestatis contubernium, divinorum philosophorum gymnasium; Thorneie propter condensitatem dumorum vocata. *Videantur ibi reliqua; charta vero pro eo monasterio exstat ad an.* 974 *num.* 8.

tum vero Burgense restaurat 970.

20 *Ad annum* 970 *producitur charta Edgari regis pro Burcho seu Burgo, ab indito sancti Patroni Apostoli titulo, Petriburgo dicto, de quo etiam loquitur Ingulfus fol.* 883 *:* Restauravit iste sanctus episcopus Ethelwoldus tunc devastatum per Danos monasterium, quod Medeshamsted appellatum, et reædificatum, Burgum nuncupavit. Et de possessionibus eidem loco, de fisco acquisitis, hujusmodi chartam, præficiens eidem monasterio in abbatem quemdam de monachis, Adulphum nomine, de prædicto rege piissimo impetravit. *Laudat* S. Ethelwoldi *industriam Malmesburiensis de Pont. fol.* 291, *dum ait :* Hunc beatissimum Ethelwoldum monasterium Burch construxisse, adeo elaboratis sumptibus, et ampliatis possessionibus, ut pene tota regio ei subjaceat. Colunt et fovent in *(eo)* reliquias corporum suorum, virgines eximiæ Kinedreda, et Kineswida, Pendæ regis filiæ. Ambæ ab infantia Deo dicatæ, nobile propositum tenuerunt ad senium. *Melius* Kineburgam *nominasset, abstinuissetque a virginis appellatione. Tu vide sis, quæ de hisce Sanctis deque ipso Petri-burgensi cœnobio satis fuse disputata sunt ad diem* VI *Martii, tomo* I, *a pag.* 441. *Huc magis spectat quod ex scriptorum sententia subnectit Alfordus;* S. Ethelwoldi *porro progressum, variis in locis cœnobia vel de novo exstruxisse, vel vetera restaurasse, ubique Dei cultum et religiosæ vitæ institutum urgendo.*

Moritur anno 984.

21 *Quæ porro impetraverit a munifico etiam, post Eduardum regem et martyrem, S. Edgari successore Ethelredo, in favorem Novi sui Wintoniensis monasterii, annis* 982 *et* 983, *apud Alfordum uberius explicatum invenies. Reliqua ejus præclarissima gesta, etiam diræ famis tempore, fatetur auctor Vitæ num.* 37, enarrari non posse, *quamvis ipse plurima enumeret, quæ cum istic recenseantur,* E
hic nihil opus est repetere. Progredimur ad Sancti obitum, quem recte Wolstanus num. 41 *consignavit, non tertio Kalendas, ut errarunt nonnulli, sed ipsis Kalendis Augusti anno* 984, *quo pluribus de eo agit Cardinalis Baronius : nobis sufficiat breve ejus elogium apud Malmesburiensem de Regibus lib.* 2 *fol.* 56, *ubi Sanctum, laudat ferme hyperbolice. Sic habet :* Athelwoldus, ex monacho Glastoniensi, abbas Abbendoniensis, idemque posthæc episcopus Wintoniensis, tot et tanta monasteria fecit, quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit Episcopus urbis unius, qualia vix posset rex Angliæ totius. Fallor, et præcipiti sententia pecco, si non palam sit quod dico. Quantula sunt cœnobia Heliense, Burchense, Thorniense, quæ ille a fundamentis suscitavit, et sua industria perfecit? Quæ cum semper exactorum vellicet nequitia, sunt nihilominus habitatoribus suis sufficientia.

Ejus elogia.

22 *Huc etiam adducit Mabillonius Ordericum Vitalem, Historiæ suæ lib.* 4 *pag.* 517 *ubi ita loquitur :* Tunc cœnobium Medeshamstede, quod pridem tempore Wulferi regis Merciorum, Sexvulfus pontifex construxit, Adelwoldus præsul, F
sub Edgaro rege, in vico, qui Burg dicitur, restauravit; et basilicam in honore sancti Petri Apostolorum principis editam, magnis opibus dicavit. Deinde Torneiense, Eligense et alia multa monasteria pluribus in locis fabricata sunt ; et conventus in illis monachorum, aut clericorum, aut etiam sanctimonialium solerter locati sunt. Copia reddituum singulis monasteriis largiter impertiebatur, unde sufficiens victus et vestitus theoricis administraretur; ne pro penuria rerum necessariarum, in divino cultu aliquatenus vacillantes frangerentur. Sic in Anglia monasticus ordo renovatus est, etc. *Atque hæc, ut semel dictum sit,* S. Ethelwoldi *gloria prorsus singularis, a nobis hic hactenus, et toto Actorum decursu probata. An vero inter Scriptores numerandus veniat, quemadmodum Pitseus eo etiam nomine Sanctum commendavit, non video unde id ausim satis tuto asserere. Putat laudatus Mabillonius, unum alterumve opusculum ipsi posse adscribi; an satis certo, non est unde explorari queat. Videatur ipse in observatione prævia num.* 5.

Quæ Acta hic dentur.

23 *Hic jam Acta ipsa subjiciam, ubi prius monuero, Mabillonii editionem me sequi oportuisse, quod aliunde sincera et primigenia nancisci non potuerim*

tuerim

AUCTORE J. B. S.

tuerim; nam quæ apud Capgravium et Surium exstant, tametsi satis pateat, Wolstanum iis præluxisse, attamen variis locis, ut supra dixi, aut contracta, aut extensa, aut mutata sunt. In jam dicta editione dividitur tota series in capita 46, *quorum elenchus post præfationem subjicitur, quem et nos, eodem ordine Vitæ ipsi præmisimus. Cum autem ea capitum ordinata distinctio, non satis commode in novos numeros, more nostro, dividi posset, hinc factum est, ut singula capita, quantumvis inæqualia, totidem numeris respondeant; notis marginalibus, aliisque observationibus, ubi necessariæ visæ sunt, illustrata. Vitæ ipsi subjunxit Mabillonius carmen ejusdem auctoris Wolstani, seu epistolam ad Elfegum Wintoniensem episcopum, præfixam duobus libris metricis de Vita et miraculis S. Suithuni, quo cum ea satis nitide exornentur quæ in Wintoniensibus monasteriis Veteri et Novo per* S. Ethelwoldum *egregie præstita sunt, non putavimus epistolam illam prætermittendam, quidquid nonnulla inde in ipsa Vita descripta sint. Neglecta vero est epistola alia generalis,* ad fratres qui bajulant ibi suave jugum Domini; *quandoquidem vix verbum occurrit, quod ad* S. Ethelwoldum *referri possit aut debeat. En Wolstani orationem :*

VITA

Auctore Wolstano monacho Wintoniensi.

Ex Actis SS. Ordinis S. Benedicti sec. V, *a pag.* 608.

PRÆFATIO.

Postquam mundi Salvator Christus humano generi per aulam virginalis uteri incarnatus apparuit, et expleta suæ pietatis ac nostræ salutis ineffabili dispensatione, ad paternæ majestatis sedem cum triumpho gloriæ est regressus, multa per universum orbem diffudit apostolicorum luminaria Doctorum, qui evangelicæ fidei illustratione perfusi, cæcas ignorantiæ tenebras ab humanis cordibus effugarent, et ut credentium mentes igne superni amoris inflammarent, et elongata diuturnæ mendicitatis esurie, populorum turbas æternæ vitæ epulis satiarent. Ex quorum collegio beatus pater et electus Dei pontifex Adelwoldus, velut lucifer inter astra coruscans, suis temporibus apparuit, multorumque cœnobiorum fundator et ecclesiasticorum dogmatum institutor, inter omnes Anglorum pontifices solus *a* singulariter effulsit. De cujus ortu gestis et obitu scire cupientibus, aliqua narrare dignum duximus, et ne tanti Patris memoria penitus oblivioni traderetur, ea quæ præsentes ipsi vidimus, et quæ fideli seniorum relatione didicimus, in his schedulis summatim perstrinximus, illius sanctis confisi suffragiis, hoc et nobis, qui scripsimus, et eis, qui lecturi vel audituri sunt, profuturum.

ANNOTATA.

a *Accommode intelligendum* quod solus effulserit, *nam supra in commentario prævio notavimus, sanctos Oswaldum et Dunstanum pari zelo et pietate cum* S. Ethelwoldo *laborasse, etc. Hujusmodi alia in Vitæ decursu occurrunt ad litteram non accipienda, ut habes num.* 18 *et alibi. Porro hic ordinem sequimur editionis Mabillonianæ, præmissis ut jam diximus, totius libelli capitulis* 46, *quibus respondent totidem nostri numeri. Ceterum Legenda in varia capita more nostro divisa est, appositis suis observationibus illustrata.*

ORDO CAPITULORUM

In editione Mabillonii.

De ortu et temporibus beati Adelwoldi episcopi.

II. De visione somniorum matris ejus.

III. De interpretatione somniorum eorumdem.

IV. Quomodo mater sensit animam pueri nascituri venisse, et in eum intrasse.

V. Quomodo puer natus et in Christo renatus, quadam die subito in ecclesia cum nutrice sua est inventus.

VI. Quam studiose et diligenter in ipsa puerita sacris litterarum studiis animum dederit.

VII. Quomodo adolescens Ædelstano regi notus effectus, ad clericatum et sacerdotium pervenerit.

VIII. De prophetia quam prædixit sanctus Ælfegus Wintoniensis episcopus de tribus sacerdotibus.

IX. Quomodo Adelwoldus Glestoniam pervenit, et monachus factus, qualiter ibi vixerit.

X. De obitu regis Ædelstani, et de successione fratrum ejus in regnum gentis Anglorum.

XI. Quomodo rege Eadredo favente, sanctus Vir Abbandoniensis monasterii curam suscepit, ejusque loci abbas ordinatus fuerit.

XII. Quod rex Eadredus ad monasterium venerit, et hospitibus tota die convivantibus liquor exhauriri nequiverit.

XIII. Quod regnante Eadgaro, templum prædicti cœnobii constructum et dedicatum fuerit.

XIV. De ordinatione Dunstani, et quod abbas Adelwoldus Osgarum monachum trans mare direxerit; et de quodam fratre Ælstano simplici et magnæ obedientiæ viro.

XV. Quomodo hostis antiquus sanctum Virum per casum cujusdam postis exstinguere conatus sit.

XVI. Quod rex Eadgarus ad episcopatum Wintoniensis ecclesiæ sanctum Virum elegerit.

XVII. De communione quam clerici cantaverunt, quando monachi de Abbandonia venientes ad ingressum ecclesiæ steterunt.

XVIII. De expulsione clericorum de Veteri monasterio.

XIX. Quomodo Vir sanctus venenum biberit, et fidei calore succensus, potum mortis exstinxerit.

XX. De expulsione clericorum de Novo monasterio.

XXI. Quod in Abbandonia Osgarum constituerit abbatem.

XXII.

A. WOLSTANO MONACHO.

A xxii. Quod in cœnobia nonnarum sanctimoniales ordinaverit.

xxiii. Quomodo in provincia Orientalium Anglorum Eligense cœnobium regulariter monachis instituerit.

xxiv. Quod in provincia quoque Girviorum duo monasteria, Burgh atque Thornig appellata, simili modo monachis delegaverit.

xxv. De familiaritate sancti Viri cum rege Eadgaro.

xxvi. De revelatione sancti antistitis Suvithuni, quem sanctus pater Adelwoldus sub die Idus Julii cum omni gloria transtulit, et inde in ecclesia collocavit.

xxvii. Quod et alia multa per Dunstanum, et Adelwoldum constructa et constituta sint monachorum monialiumque cœnobia in gente Anglorum.

xxviii. Quomodo sanctus Adelwoldus lenitatis blandimento severitatem disciplinæ temperaverit.

xxix. Quomodo famis tempore multitudinem pauperum ab ipsis faucibus mortis eripuerit.

B xxx. Quod inter hæc Vir sanctus infirmitates sæpe viscerum et tumorem crurium perpessus fuerit.

xxxi. Quod juvenes docere semper dulce habuerit.

xxxii. De Chrismatis ampulla pæne vacua, et in itinere oleo plena inventa.

xxxiii. De monacho, qui furtum perpetravit, et solo sermone Viri Dei quid perpessus fuerit.

xxxiv. De monacho, qui de summo templi culmine cecidit, et nil mali passus incolumis surrexit.

xxxv. De monacho, qui se Viro Dei in legendo assimilare præsumpsit, quid perpessus fuerit.

xxxvi. De candela quæ Episcopo obdormiente super folium libri ardens jacuit, et tamen paginam minime læsit.

xxxvii. Quod non omnia virtutum sancti Viri opera valeant explicari.

xxxviii. De arbore quadam magna cucullis innumeris onusta, et de ejus interpretatione, quæ in somnis sancto Dunstano olim fuerat ostensa.

xxxix. De visione Viri Dei in qua apparuit C ei navis quædam maxima piscibus et anguillis ab imo usque ad summum plena, qui excitati, homines sunt effecti, et rationi pristinæ restituti.

xl. De Veteris ecclesiæ nova dedicatione, quæ facta est in die xiii Kal. Novembris.

xli. De obitu sancti Patris in Kal. Augusti, et de sepultura ejus die tertio Nonarum ejusdem mensis.

xlii. Quomodo sanctus Vir antequam levaretur e tumulo, manifestavit se viro urbano cuidam, nomine Elthelmo*, plurima cæcitate multato.

xliii. De sancti Viri translatione, quæ facta est sub die quarta Iduum Septembrium, et de miraculis ad ejus sepulcrum patratis.

xliv. De infirma puella, quæ ibi sanitatem recepit.

xlv. De cæco puero, qui et ipse ibidem illuminatus est.

xlvi. De ligato quodam fure et in cippo extenso, qui solo sermone Viri Dei absolutus est.

* *al.* Elfhelmo *num.* 12.

CAPUT I.

De sancti miraculoso ortu, clericatu, sacerdotio et monachatu Glastoniæ, unde factus abbas Abbendoniensis.

Gravidæ matris Erant igitur parentes sancti pontificis Adelwoldi ex ingenua Christianorum propagine oriundi, Wentanæ civitatis urbani, temporibus senioris Eaduardi *a* regis Anglorum florentes, in mandatis et justificationibus Domini sine querela fideliter incedentes. Qui dum quotidianis bonorum operum pollerent incrementis, eximio Dei munere decorati sunt, quo talem mererentur gignere sobolem, cujus eruditione et exemplis non solum populi præsentis ævi, sed etiam futuri pervenirent ad notitiam veri luminis : ut exuti caligine tenebrosi erroris, gloria fruerentur æternæ claritatis. E

somnia. 2 Itaque felix ejus genitrix cum eum in utero conceptum gereret, vidit hujuscemodi intempesta nocte somnium, quod erat certum futuri effectus præsagium. Visum namque sibi est, se pro foribus suæ domus sedere, et obtutibus suis adesse quoddam sublime vexillum, cujus summitas cœlum tangere videbatur : quod se inclinando honeste ad terram, fimbriarum suarum velamine circumdedit imprægnatam, rursumque procera altitudine erectum, et inflexibili stabilitate robustum, ipsum unde inclinabatur repetiit cœlum. Exspergefacta autem mulier, rursus sopore deprimitur; et ecce repente vidit ex ore suo prosilire et avolare quasi auream miræ magnitudinis aquilam, quæ volando cuncta Wentanæ civitatis ædificia, auratis pennarum remigiis obumbravit, et in alta cœlorum se elevando disparuit. Cumque mulier evigilans secum miraretur attonita, et somniorum visionem mente volveret tacita, nec per semetipsam conjicere posset eorum interpretationem; perrexit ad quamdam Christi famulam, nomine Edeldridam, moribus et ætate maturam, quæ in præfata urbe nutrix erat Deo devotarum virginum; cui narravit ex ordine, quod sibi ostensum fuerat in nocturna visione. At illa, sicut erat sagaci animo prudentissima, et interdum etiam futurorum, Domino revelante, præscia, de nascituro infante multa prædixit, quæ vera esse rerum exitus indicavit. F

eorumque interpretatio 3 Nos quoque eorumdem somniorum conjectores esse possumus, in sublimi vexillo intelligentes sanctum Virum, qui tunc in utero portabatur, quandoque futurum militiæ Dei signiferum, sicut et erat; quem multimoda reluctatione contra antiquum hostem pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ congredientem vidimus, ipsoque bellante, immo per ipsum Deo vincente pravorum machinamenta ad nihilum redacta conspeximus. Et quia aquila ab acumine oculorum vocatur, et testante sacro eloquio, thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; recte per auream aquilam, quæ totam urbem alarum velamento obumbrare visa est, idem præclarus Vir totius sapientiæ decoratus exprimitur, qui perspicaci et irreverberata cordis acie divina meditando, semper ad cœlestia per contemplationem volavit, et super Ecclesiam, magni Regis civi-

A. WOLSTANO MONACHO.

tatem, quam contrariæ potestates impugnare nitebantur, umbraculum paternæ protectionis longe lateque expandit, et consummato boni certaminis cursu, ad visionem Dei in Sanctorum comitatu pervenit, sicut in Evangelio voce Dominica dicitur : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabantur et aquilæ. Quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc procul dubio nunc colliguntur electorum animæ, et in futuræ resurrectionis gloria illuc quoque eorum colligentur et corpora. Hæc de somniorum interpretatione breviter diximus : nunc ad narrationis ordinem redeamus.

Sensit mater infantem animari.

4 Quadam namque die cum mater ejus stipata civibus staret in ecclesia, sacræ Missæ celebrationi interesse desiderans, sensit animam pueri, quem gerebat in utero, venisse, et in eum Dei nutu cuncta moderantis intrasse, sicut postea ipse Sanctus qui nasciturus erat, jam episcopus nobis gaudendo referebat. Ex quo ostenditur, eum a Deo electum exstitisse, etiam antequam nasceretur, et animam procreati hominis non, ut quidam æstimant, a patre vel a matre exsi-
B stendi initium sumere ; sed, ut vere et absque omni dubietate creditur, a solo Creatore vitalem spiritum vivificari, et singillatim unicuique dari. Nascitur ergo futurus Dei Pontifex, et fonte baptismatis in Christo renatus, Adelwold a parentibus est appellatus, sanctique chrismatis unctione confirmatus, gratiæ Dei in omnibus commendatus.

Jam natus in ecclesia cum nutrice reperitur.

5 Accidit enim quadam solenni die, cum more solito nutrix illius ad ecclesiam pergere et orationi incumbere decrevisset, tam validam inundantis pluviæ tempestatem erumpere, ut extra loci limen, ubi in gremio tenens eumdem Infantem sederat, pedem movere non posset ; quæ dum mœrens amarissime fleret, eo quod votum piæ devotionis solvere nequiret ; caput humiliter omnipotentem Dominum rogatura declinavit, et confestim divina miseratione consolari promeruit. Nam nullam molestiam procellosæ tempestatis sentiens, subito cum Infantulo inventa est sedens in ecclesia quam adire disponebat, ubi solennia Missarum presbyter celebrabat : et quod nulla ratione credere potuisset ut fieret, factum vehementer expavit ; et omnes hujus rei cognoscen-
C tes miraculum, magnæ admirationis stupor invasit. Sicut enim Propheta quondam ex Judæa repente sublatus, et in Chaldæa cum prandio depositus ; sic beatus puer Adelwoldus sub momento cum nutrice in templo est præsentatus, ut sicut ille refecit congruo tempore Danielem prophetam in lacu leonum, sic iste millia populorum pasceret in Ecclesia Sanctorum.

Sacris litteris instructus,

6 Igitur quotidiano profectu crevit Puer bonæ indolis, et in ipsa mox pueritia sacris litterarum studiis traditus : ut qui aliis viam salutis erat ostensurus, ipse cum Maria secus pedes Domini humiliter sederet, et verbum ex ore illius salubriter audiret. Erat enim agilis natura atque acutus ingenio, ita ut quidquid majorum traditione didicerat, non segniter oblivioni traderet, sed tenaci potius memoriæ commendaret. Studebat etiam teneros pueritiæ annos morum honestate et virtutum maturitate vincere, divinis semper obsequiis omnia membra sua mancipare, et ad Dei implendam voluntatem totam mentis suæ intentionem dirigere : sicque præceptis * Christi muneribus recte vivendo gratias exhibere, ut ad majora percipienda dignus mereretur exsistere.

* *An non* perceptis ?

7 Cumque florentis adolescentiæ contingeret D
ætatem, præconium sanctæ conversationis ejus Ædelstano regi, filio prædicti regis Eadwardi fama vulgante nuntiatum est, juvenemque festinanter accersiri præcepit. Qui cum adductus staret in præsentia regis, invenit gratiam in conspectu ejus, et in oculis optimatum ejus : ibique individuo comitatu multum temporis agens in palatio, plura a sapientibus regis utilia ac proficua sibi dedicit. Et demum jubente rege, ab Elfego Wintoniensi episcopo, secundum morem ecclesiasticum, prius ad clericatus officium tonsoratus, ac deinde paucis labentibus annorum curriculis in gradum sacerdotalem consecratus est.

mox clericus et sacerdos ordinatur.

8 Ipse enim beatæ recordationis pater Elfegus, inter cetera sibi collata spiritualium charismatum dona, prophetiæ spiritu pollebat, et contigit eum ordinasse in ipso tempore simul Dunstanum et Adelwoldum, et quemdam, Edelstanum vocabulo, qui postmodum monachilem habitum deserens, apostata fine tenus perduravit. Completa autem Missarum celebratione, sanctus antistes Elfegus sibi adhærentes ita alloqui- E
tur : Hodie coram Deo tribus viris manus imposui, eosque in sacerdotii ordinem consecravi : quorum duo ad episcopalem pertingent apicem, unus quidem primum in civitate Vigornensi, deinde in Cantia, quæ est Metropolis ecclesiæ gentis Anglorum : alter vero mihi quandoque successurus est in pontificii dignitatem : tertius autem per lubrica voluptatum blandimenta miserabili fine tabescet. Tunc Edelstanus interrogavit sanctum antistitem propinquum suum dicens : Num mihi continget esse unum ex duobus, qui episcopali cathedra sublimandi sunt? Cui respondit antistes : Non erit tibi pars neque sors in eo quem præfatus sum ordine ; sed neque in ea sanctitate, quam in hominum conspectu videbaris inchoasse, permansurus es. Cujus prophetiæ verba quam veraciter essent prolata, rei probavit eventus. Nam duo (sicut dicit Scriptura : Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc) ad pontificatus honorem pervenerunt ; tertius vero (juxta terribilem prioris sententiæ comminationem, quæ dicit : Qui in sordibus est sordescat adhuc) in fœtore luxuriæ vitam finivit.

Mira S. Elfegi ordinantis prophetia.

9 Adelwoldus autem Christi famulus, nomine, F
mente et opere benevolus, arctam viam quæ ducit ad vitam, recto itinere gradiens, quotidiana, Deo cooperante, studuit melioratione succrescere, dans operam diligenter doctrinis et exemplis Elfegi susceptoris et ordinatoris sui. Nam apud eum, præcipiente rege, quo melius imbueretur, aliquamdiu commoratus est, ac postmodum Glestoniam perveniens, magnifici viri Dunstani abbatis ejusdem monasterii discipulatui se tradidit : cujus magisterio multum proficiens, tandem monastici ordinis habitum ab ipso suscepit, humilique devotione ejus regimini deditus est. Didicit namque inibi liberalem grammaticæ artis peritiam, atque mellifluam metricæ rationis dulcedinem : et more apis prudentissimæ, quæ solet boni odoris arbores circumvolando requirere, et jocundi saporis oleribus incumbere, divinorum carpebat voluminum flores. Catholicos quoque et nominatos studiose legebat auctores, insuper vigiliis et orationibus perseveranter insistens, et abstinentia semetipsum edomans, et fratres semper ad ardua exhortans. Qui cum pro merito sanctitatis ab omnibus amaretur, et monasterii

Monachus Glastoniæ mire proficit.

decanus

A decanus ab abbate suo constitueretur; nullum elationis incurrit periculum, sed tantæ subjectis præbuit humilitatis exemplum, ut quotidiano manuum opere hortum excolendo laboraret, et fratribus ad prandium poma, ac diversi generis legumina præpararet: ut post spiritualem animarum refectionem, corporum quoque necessaria ministraret, præ oculis semper retinens illud Dominicum: Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; et illud: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Hæc et alia memoriæ commendans Scripturæ testimonia, per disciplinam subditos, et per humilitatem custodiebat semetipsum.

Mortuis fratribus succedens Eadredus rex 10 Contigit interea victoriosissimum regem Ædelstanum, quarto anno postquam hostilem paganorum exercitum maxima strage peremit, obiisse, et fratrem ejus Eadmundum pro eo regni gubernacula suscepisse. Cui post annos sex et dimidium crudeliter interempto, successit in regnum frater ejus Eadredus, qui erat Veteris cœnobii in Wintonia specialis amator atque defensor, ut testantur ea quæ, ipso jubente, fabricata sunt ornamenta, magna scilicet aurea crux, altare aureum, et cetera quæ larga manu benignus illuc ad honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli direxit, ibique æternaliter ad Dei laudem et gloriam conservari præcepit. Qui etiam, si vita comes fieret, orientalem porticum ejusdem Wintoniensis ecclesiæ deauratis imbricibus adornare disposuit. Cujus regni tempore vir Domini Adelwoldus, adhuc cupiens ampliori Scripturarum scientia doceri, et monastica religione perfectius informari *b*, decrevit ultramarinas adire partes. Sed venerabilis regina Eadgiw, mater regis memorati, prævenit ejus conamina, dans consilium regi, ne talem virum sineret egredi de regno suo; insuper asserens tantam in eo fuisse Dei sapientiam, quæ et sibi et aliis sufficere posset, quamvis ad alienæ patriæ fines ob hanc causam minime tenderet.

committit Sancto monasterium Abbendoniense. 11 Quibus auditis delectatus rex, magnam circa Dei Famulum cœpit habere dilectionem, placuitque ei, suadente matre sua, dare sancto Viro quemdam locum, vocabulo Abbandum, in quo modicum antiquitus monasteriolum; sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, et quadraginta tantum mansos possidens: reliquam vero præfati loci terram, quæ centum cassatorum *c* lustris hinc inde gyratur, regali dominio subjectam, rex ipse possidebat. Factumque est, consentiente Dunstano abbate secundum regis voluntatem, ut vir Dei Adelvoldus prænotati loci susciperet *d* curam, quatenus in eo monachos ordinaret regulariter Deo servientes *e*. Venit ergo Servus Dei ad locum sibi commissum: quem protinus secuti sunt quidam clerici de Glestonia, scilicet Osgarus, Foldbirhtus, Friwegarus, et Ordbirhtus de Wintonia, et Eadricus de Lundonia, ejus discipulatui se subdentes. Congregavitque sibi in brevi spatio gregem monachorum, quibus ipse abbas, jubente rege, ordinatus est. Dedit etiam rex possessionem regalem, quam in Abbandonia possederat, hoc est centum cassatos cum optimis ædificiis, abbati et fratribus ad augmentum quotidiani victus, et de regio thesauro suo multum eos in pecuniis juvit: sed mater ejus largius solatia munerum eis direxit. Tantamque gratiam Dominus sibi servientibus contulit, ut ad præfatum cœnobium, quod antea rebus erat pauperrimum, omnes simul divitiæ putarentur affluere, et sic cuncta prosperis successibus occurrere, ut palam sententiæ Dominicæ promissio impleri videretur, qua dicitur: Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis. A. WOLSTANO MONACHO.

ANNOTATA.

a Eaduardi *et* Eudwardi *pro* Eduardi; Eadmundi *pro* Edmundi; Eadgari, Eadredi *et Anglicos alios hujusmodi idiotismos promiscue scribi satis notum est.*

b *Patet Sancti intentio, ut de ea dubitari non possit, ut vide apud Alfordum ad an.* 948, *num.* 25.

c Cassata *seu* casata *sumuntur pro habitaculis, cum certa terræ portione idonea ad alendam familiam, ut vide apud Cangium et Spelmannum in Glossariis ubi et varia* mansi *acceptio, de qua satis alibi dictum.*

d *De anno susceptionis mentem supra exposuimus.*

e *Huc spectat quod scribit Harpsfeldius sec.* 10 *cap.* 9: Ethelwoldus vero maxime illud *(Abingdoniense cœnobium)* extulit, qui et viros monasticæ disciplinæ exquisite callentes, ex Corbeiensi Galliæ cœnobio accersit. *Infra num.* 14 *dicitur Osgarus missus ad cœnobium Floriacense, nulla Corbeiensium facta mentione.*

CAPUT II.

De ejus gestis Abbendoniæ, unde ad Wintonienses infulas promotus, clericos expulit, a quibus propinatum venenum innoxie hausit.

Venit ergo rex quadam die ad monasterium, ut ædificiorum structuram per se ipsum ordinaret: mensusque omnia fundamenta monasterii propria manu, quemadmodum muros erigere decreverat; rogavitque eum Abbas in hospitio cum suis prandere. Annuit rex ilico, et contigit adesse sibi non paucos optimatum suorum venientes ex gente Nordamhimbrorum, qui omnes cum rege adierunt convivium. Lætatusque rex, et jussit abunde propinare hospitibus hydromellum* *a* clausis diligenter foribus, ne quis fugiendo potationem regalis convivii deserere videretur. Quid multa? hauserunt ministri liquorem tota die ad omnem sufficientiam convivantibus: sed nequivit ipse liquor exhauriri de vase, nisi ad mensuram palmi, in ebrietate suatim *b* Nordanhimbris et vesperi cum lætitia recedentibus. *Abbendoniam præsentia sua rex honorat.* * *alias* medonem.

Templum ibidem construitur et dedicatur. 13 Non tamen cœpit Adelwoldus abbas designatum sibi opus ædificare in diebus Eadredi regis, quia rex idem celeriter ex hac vita migravit die IX Kal. Decembris *c*. Sed regnante glorioso rege Eadgaro, insigni et clementissimo, præpotente ac invictissimo regis Eadmundi filio, honorabile templum in honore sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ in eodem construxit loco, et consummavit, quod usque in hunc diem visu melius quam sermone ostenditur.

14 Circa hæc tempora eligitur abbas Dunstanus ad episcopatum Wigornensis ecclesiæ, juxta

pro-

A. WOLSTANO MONACHO.

Laus S. Dunstani, et simplicis obedientiæ.

prophetiam sancti Elfegi episcopi, sicut supra tetigimus. Et post aliquot annorum curricula factus archiepiscopus, mansit in Cantia triginta et septem annis, quasi columna immobilis, doctrina et actione præcipuus, angelico vultu decorus, eleemosynis et prophetia præpollens: ad cujus tumbam cœlestia sæpe fieri miracula audivimus. Adelwoldus autem misit Osgarum monachum trans mare ad monasterium sancti patris Benedicti Floriacense, ut regularis observantiæ mores illic disceret, ac domi fratribus docendo ostenderet; quatinus ipse normam monasticæ religionis secutus, et una cum sibi subjectis devia quæque declinans, gregem sibi commissum ad promissam cœlestis regni patriam perduceret. In qua congregatione erat quidam frater, Elfstanus nomine, simplex et magnæ obedientiæ vir, quem abbas jussit prævidere cibaria artificum monasterii, cui servitio ipse devotissime se subdens, coxit carnes quotidie, et operariis sedulus ministrabat, focum accendens et aquam apportans, et vasa denuo sponte emundans, existimante abbate hoc illum cum solatio et juvamine alterius ministri
B peragere. Accidit namque quadam die, dum abbas more solito peragraret monasterium, ut aspiceret illum fratrem juxta fervens caldarium, in quo victualia præparabat artificibus; et intrans vidit omnia vasa mundissima, ac pavimentum scopatum; dixitque ad eum hilari vultu: O mi frater Elfstane, hanc obedientiam mihi furatus es, quam, me ignorante, exerces. Sed si talis miles Christi es, qualem te ostendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, et unum frustum de imis mihi impiger adtrahe. Qui statim sine mora mittens manum suam ad imum lebetis, abstraxit frustum fervidum, non sentiens calorem ferventis aquæ; quo viso abbas jussit frustum deponi, et nemini hoc indicare viventi. Illum vero fratrem postmodum abbatem vidimus, ordinatum, qui etiam deinde pontificali honore sublimatus, ecclesiæ Wiltuniensi est prælatus, et beato fine in Domino consummatus.

Magno defunctus periculo

15 Erat namque sanctus Adelwoldus ecclesiarum ac diversorum operum magnus ædificator, et dum esset abbas, et dum esset episcopus. Unde tetendit ei communis adversarius solitas suæ malignitatis insidias, ut eum, si ullo modo posset, exstingueret.
C Nam quadam die dum vir Dei in structura laboraret, ingens postis super eum cecidit, et in quamdam foveam dejecit, confregitque pæne omnes costas ejus ex uno latere; ita ut, nisi fovea illum susciperet, totus quassaretur.

Wintoniensis episcopus ordinatur anno 963.

16 Convaluit tamen Vir sanctus de hac molestia, Dei omnipotentis adjuvante gratia, et elegit eum Eadgarus felicissimus Anglorum basileus ad episcopatum Wintoniensis ecclesiæ, antequam ecclesia præfati cœnobii dedicaretur. Et jubente rege, consecravit illam Dunstanus archiepiscopus Dorobernensis ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo tertio, sub die tertio Kalendarum Decembrium, in vigilia sancti Andreæ Apostoli, quæ tunc habebatur in Dominica prima Adventus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Erant autem tunc in Veteri monasterio, ubi cathedra pontificalis habetur, canonici nefandis scelerum moribus implicati, elatione et insolentia atque luxuria præventi, adeo ut nonnulli eorum dedignarentur Missas suo ordine celebrare, repudiantes uxores quas illicite duxerant, et alias accipientes, gulæ et ebrietati jugiter dediti. Quod minime ferens sanctus vir Adelwoldus, data licentia a rege Eadgaro, expulit citissime detestandos blasphematores D
Dei de monasterio; et adducens monachos de Abbandonia, locavit illic, quibus ipse abbas et episcopus exstitit.

Accersitos Abbendonia monachos

17 Accidit autem sabbato in capite *d* Quadragesimæ, dum monachi venientes de Abbandonia starent ad ingressum ecclesiæ, clericos Missam finire. Communionem canendo: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam ne pereatis de via justa. Quasi dicerent: Nos noluimus Deo servire, nec disciplinam ejus servare, vos saltem facite, ne sicut nos pereatis de via, quæ custodientibus justitiam regna facit aperiri cœlestia. Quo audito, fratres gavisi sunt, intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, et Dei nutu hunc psalmum propter illorum præsentiam fuisse decantatum, moxque Davidicum ad se traxerunt imperium, Osgaro exhortante eos atque dicente: Cur foris moramur? Faciamus sicut hortantur nos canonici, ingrediamur, et per viam justitiæ gradientes, Domino Deo nostro cum timore et exsultatione famulemur, ut cum exarserit in brevi ira ejus, mereamur esse participes illorum de quibus subjungitur: Beati omnes qui confidunt in eo. E

dissolutis clericis substituit.

18 Misit quoque rex illuc Episcopo quemdam ministrorum suorum famosissimum, cui nomen erat Vulfstan Ætdelham *e*, qui regia auctoritate mandavit canonicis, ut unum de duobus eligerent, aut sine mora dare locum monachis, aut suscipere habitum monachilis Ordinis. At illi nimio pavore conterriti, et vitam exsecrantes monasticam, intrantibus monachis, ilico exierunt: sed tamen postmodum tres ex illis ad conversionem venerunt, scilicet Eadsinus, Vulsinus, et Wilstanus presbyter, qui cœnobium quod expulsi reliquerant, humili corde repetentes, Christi jugo colla subdiderunt. Nam hactenus ea tempestate non habebantur monachi *f* in gente Anglorum, nisi tantum qui in Glestonia morabantur et Abbandonia.

Propinatum venenum innoxie bibit,

19 Deinde cum prædicti Fratres in Veteri cœnobio regularis vitæ normam servare cœpissent, et illuc multi ad Dei famulatum senes conversi, juvenes adducti, et parvuli oblati confluerent; ex invidia clericorum datum est Episcopo venenum bibere in aula sua cum hospitibus prandenti, F
omnemque eis humanitatem exhibenti; quatinus illo exstincto, servos Dei expellerent, rursumque in unum congregati, pristinis libere frui flagitiis potuissent. Erat namque ei moris statim post tres aut quatuor offulas, modicum quid bibere: bibitque nesciens apportatum sibi venenum totum quod erat in calice, et statim in pallorem facies ejus immutata est, et viscera illius nimium vi grassantis veneni cruciabantur. Surrexit autem vix a mensa exiens ad lectulum, serpsitque venenum per omnia membra ejus, jam instantem minitans sibi mortem. At ille tandem recogitans, cœpit exprobrare semetipsum, dixitque ad animum suum: Ubi est modo fides tua? Ubi sunt cogitationes sensus tui? Nonne verba Christi vera sunt et fidelia, quibus in Evangelio pollicetur dicens: Et si mortiferum quid biberint credentes, non eis nocebit? Nonne ipse qui hæc loquitur præsens est divinitate, licet absens sit corpore? Ipse procul dubio, ipse hoc veneni virus in te evacuare potest, qui semper omnia potest. His et hujuscemodi verbis accensa fides in eo, omnem letiferum haustum, quem biberat, exstinxit, furentisque veneni dolore fugato surrexit, abiens

ad

A ad aulam hilari vultu, nulla penitus signa palloris se intuentibus ostendens, nec quidquam mali suo venefico reddens, sed ei quod deliquit ignoscens. Sicque Dei virtute dissipatum est malignum consilium clericorum, qui videntes suam nihil prævalere nequitiam, tamdiu per diversas gentis Anglorum provincias huc illucque dispersi sunt, quousque vitam finierunt.

clericosque ex Novo monasterio etiam expellit.

20 Exinde Christi aquila antistes Adelwoldus expandit aureas alas suas, et annuente rege Eadgaro, canonicos expulit de Novo monasterio, illucque monachos introduxit regulariter conversantes. Edelgarum autem discipulum suum ordinavit illis abbatem, qui postmodum provinciæ australium Saxonum episcopus, ac deinde sancto Dunstano ad cœlestia regna translato, Cantuariorum archipræsul effectus est.

ANNOTATA.

a Cervisia mellita; *Germanis et Anglis* mede, *quod et Græci degustarunt, inquit, Spelmannus,* B *qui hoc barbare μέδον vocant. Vide plura apud Cangium.*

b *Quis* suatim *ebrius sit, ex voce* sus *satis intelligis.*

c *Anno* 954 *ex tabula Polydori Virgilii.*

d *Observat Mabillonius,* caput Quadragesimæ etiam tunc initum a Quadragesimæ Dominica prima, in qua hæc antiphona ad Missæ communionem legitur. *Opinor, in Missali monastico, nam in Romano ponitur Sabbato post cineres.*

e *Sensum restituit idem editor : Ælfrico,* Misit quoque rex quemdam ministrorum suorum famosissimum, Wolfstanum vocabulo, cum episcopo, qui regia, *etc.*

f *Accommode hæc intelligenda supra monuimus. Spelmannus apud Mabillonium interpretatur de monachis regularibus, non de secularibus, seu vitæ solutioris, quos in aliis locis exstitisse, et pro canonicis secularibus habitos fuisse constat, ut de Gallicanis in monasterio S. Dionysii, et de Martiniano alibi se observasse memorat. Paulo aliter ea explicat Mahevius, quibus non video diutius inhærendum.*

C

CAPUT III.

Alia præclare gesta, præsertim in erigendis restaurandisque variis cœnobiis; de translatione S. Swithuni, deque eximia ejus caritate tempore famis.

Abbatem Abbendoniæ substituit,

In Abbandonia vero Osgarum pro se constituit abbatem, ditatusque est locus ille sexcentis et eo amplius cassatis, insuper et æternæ libertatis suffultus privilegiis, divina simul et regia auctoritate conscriptis : quæ laminis aureis sigillata, inibi usque hodie conservantur.

et sanctimoniales in ordinem redigit.

22 In tertio quoque Wintoniensi cœnobio, quod anglice Nunnamenster appellatur, in honore semper Virginis Mariæ Deo consecratum, a mandras *a* sanctimonialum ordinavit, quibus matrem, de qua superius paullulum tetigimus, Etheldridam præfecit, ubi regularis vitæ norma hactenus observatur.

23 Nec solum in finibus occidentalium Saxonum, verum etiam in remotis partibus Britanniæ, sanctus antistes Adelwoldus ad Dei omnipotentis servitium monachos aggregare curavit. Est enim quædam regio famosa in provincia orientalium Anglorum sita, paludibus et aquis in modum insulæ circumdata, unde et a copia anguillarum, quæ in eisdem paludibus capiuntur, Elige nomen accepit, in qua regione locus omni veneratione dignus habetur, magnificatus nimirum reliquiis et miraculis sanctæ Etheldridæ *b* reginæ et perpetuæ virginis ac sororum ejus : sed in ipso tempore erat destitutus et regali fisco deditus. Hunc ergo locum famulus Christi pro dilectione tantarum virginum magnopere venerari cœpit, datoque pretio non modicæ pecuniæ, emit eum a rege Eadgaro, constituens in eo monachorum gregem non minimum. Quibus ordinavit abbatem Brithnodum præpositum suum, et ejusdem loci situm monasterialibus ædificiis decentissime renovavit, eumque terrarum possessionibus affluentissime locupletatum, et æternæ libertatis privilegio confirmatum, omnipotenti Domino commendavit.

A. Wolstano monacho. Eliense cœnobium regulariter instituit,

24 Alterum quoque locum in regione Girviotum pretio obtinuit a rege et nobilibus terræ, positum in ripa fluminis Nen, cui lingua Anglorum quondam Medeshamstede *c* nomen imposuit, E nunc autem consuete Burh appellatur, cujus loci basilicam congruis domorum structuris ornatam, et terris adjacentibus copiose ditatam, in honore beati Petri principis Apostolorum consecravit, ibique simili modo catervam monachorum coadunavit. Ealdulfum vero monachum suum eis præfecit abbatem; qui post excessum domini Oswaldi pontificis, ecclesiæ Eburacensis archiepiscopatum suscepit. Tertium nihilominus adquisivit pretio locum, juxta crepidinem prædicti fluminis situm, qui propter spineta circumquaque succrescentia, Thornig *d* solito nuncupatum anglice vocabulo, quem pari conditione monachis aptissimum delegavit. Rectorem quoque illis et abbatem Godemannum præposuit, constructumque monasterium in honore Dei genitricis et Virginis Mariæ dedicavit, et bonorum omnium possessione gratulanter ditavit.

dein Burg et Thornig etiam monachis delegat,

25 Erat autem vir Dei Adelwoldus ad secreta Eadgari incliti regis sermone et opere magnifice pollens, in plerisque locis ecclesias dedicans, et ubique Evangelium Christi prædicans, juxta ad- F monitionem Esaïæ prophetæ dicentis : Clama, ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam, et adnuncia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

ubique potens opere et sermone.

26 Cujus prædicationem maxime juvit sanctus antistes Suvithunus, eodem tempore cœlestibus signis declaratus, et infra templi regiam gloriosissime translatus, ac decentissime collocatus *e*. Ideoque gemina simul in domo Dei fulsere luminaria, candelabris aureis superposita : quia quod Adelwoldus salubri verborum exhortatione prædicavit, hoc Suvithunus gloriosa miraculorum exhibitione, ad laudem nominis Christi, mirifice decoravit.

Transfert reliquias S. Swithuni,

27 Sicque factum, consentiente rege, ut partim Dunstani consilio et actione, partim Adelwoldi sedula cooperatione, monasteria ubique in gente Anglorum quædam monachis, quædam sanctimonialibus constituerentur sub abbatibus et abbatissis regulariter viventibus. Circumivitque famulus Christi Adelwoldus singula monasteria, mores instituens, obedientes, ut in bono proficerent, verbis admonendo; et stultos, ut a malo discederent, verberibus acriter corrigendo.

et cum S. Dunstano varia exstruit monasteria

A. WOLSTANO MONACHO

Sancti severitas lenitate condita,

28 Erat namque terribilis ut leo discolis et perversis; humilibus vero et obedientibus se quasi agnum mitissimum exhibebat, ita serpentinæ prudentiæ temperans severitatem, ut columbinæ simplicitatis non amitteret lenitatem. Quem si quando zelus rectitudinis cogeret, ut jura disciplinæ subjectis imponeret; furor ipse non de crudelitate, sed de amore processit; et intus paterna pietate dilexit, quos foris quasi insequens castigavit. Pater erat et pastor monachorum, pervigil procurator sanctimonialium, et protector virginum; viduarum consolator, peregrinorum susceptor, ecclesiarum defensor, errantium corrector, pauperum recreator, pupillorum et orphanorum adjutor; quod plus implevit opere, quam nostra parvitas sermone possit evolvere.

eximia vero tempore famis caritas in miseros.

29 Accidit enim quodam tempore, ut acerba fames universam Britanniæ regionem vehementer premeret, et inopiæ magnitudo plerosque dira clade exstingueret. Vir autem Domini misertus super turbam fame valida pereuntium, omnem pecuniæ portionem quam habebat, in usus pauperum expendit. Cumque pecunia deficeret, tolli
B jussit ornamenta quæque et argentea vasa perplurima de thesauris ecclesiæ, eaque præcepit minutatim confringi, et in pecunias redigi. Intimo cordis suspirio sic protestabatur, se æquanimiter ferre non posse, muta metalla integra perdurare, hominem vero ad imaginem Dei creatum, et pretioso Christi sanguine redemptum mendicitate et inedia perire. Emptis ergo cibis, sustentavit innumerabilem multitudinem egenorum, qui periculum famis evadere cupientes, ad eum undique confugerant: et eos qui semineces in plateis et compitis, omni solatio destituti jacebant refocillando sublevavit ab ipsis faucibus mortis eripiens miseros, præbens quoque cibaria quotidiana singulis: donec misericordia Dei de cœlo in terram prospiceret, et humano generi solita pietate subveniens, malum inopiæ temperaret. In cujus pietatis opere sectatus imitabile exemplum beati Laurentii levitæ et martyris, qui instante persecutionis tempore, thesauros et facultates Ecclesiæ, dispersit deditque pauperibus, ut justitia ejus maneret in seculum seculi, et cornu ejus exaltaretur in gloria.

C

ANNOTATA.

a Mandras sanctimonialium *in uno cœnobio* ordinare, *impropria locutio est; nam* mandra *ipsa* monasterium *significat, saltem* gregem, *qui plures in eadem domo non recte dici possunt.*

b *Sanctæ istius Acta illustrata sunt* 23 *Junii ubi plura invenies de celebri monasterio Eliensi, cujus historiam habes apud Whartonum tom.* I *Angliæ sacræ a pag.* 595.

c *De eo monasterio legendum monet Mabillonius, Malmesburiensem lib.* 4 *de Pontificibus, ubi de episcopis Dorcestrensibus. Tu vide citatam Vitam S. Etheldredæ.*

d *De Thorneiensi monasterio aliisque a* S. Ethelwoldo *exstructis restitutisque in Commentario dictum est.*

e *Notavit alicubi Wolstanus, id factum esse anno* 971. *Adi sis ipsam translationis historiam tomo* I *Julii pag.* 328.

D

CAPUT IV.

Inter continuas infirmitates variis mirandis signis inclarescit, etiam prophetiis et visionibus.

Verum quia Dominus, sicut Scriptura dicit, quem diligit, corripit, et omnem filium, quem recipit, flagellat; Vir Dei infirmabatur frequenter in visceribus, morbumque tumoris sustinebat in cruribus. Noctes plerumque ducebat insomnes præ dolore; et in die, licet pallidus, tamen quasi sanus et nil molestiæ sentiret ambulabat, memor apostolicæ consolationis, qua dicitur: Quia virtus in infirmitate perficitur; et rursum: Quando enim infirmor, tunc fortior sum et potens; et iterum: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Et quamvis E acri pulsaretur molestia, minime tamen esu carnium quadrupedum aut avium usus est, nisi semel, cogente maxima infirmitate per tres menses (quod et fecit jussu Dunstani archiepiscopi); et iterum in infirmitate qua obiit. *Etiam inter infirmitates suas*

31 Dulce namque erat ei adolescentes et juvenes semper docere, et latinos libros anglice eis solvere, et regulas grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, et jocundis alloquiis ad meliora hortari. Unde factum est, ut perplures ex discipulis ejus fierent sacerdotes, atque abbates, et honorabiles copi *, quidam etiam archiepiscopi in gente Anglorum. *docere pergit*

* *lege* episcopi

32 Placuit inter hæc omnipotenti Deo, ut cœlesti etiam monstraretur indicio, quod ei beneplacitum esset habitare in Sancto suo. Nam cum iter quodam sacer antistes ageret, ut in agro dominico semen verbi Dei spargeret; contigit clericum ejus, cui sanctum chrisma fuerat designatum a, minus olei, quam necessitas poscebat, accepisse, et hoc parum quod acceperat in ipso itinere perdidisse. Cumque Christi Famulus ad destinatum pervenisset locum, post Missæ celebrationem, postque dulcia sanctæ prædicationis alloquia, jussit ex more ad confirmandos pueros oleum sibi exhibere. Sed clericus qui ampullam se secum ferre æstimabar, repente, quod eam perdidisset, agnovit. Turbatus ergo, celerrime repetiit iter unde venerat, et diligenter huc illucque circumspiciens, invenit ampullam chrismatis in via jacentem oleo plenam, cujus medietas quidem paullo ante quidquam liquoris habuerat. Qua assumpta, cum timore et gaudio magno reversus est sancto Antistiti satisfaciens, et cœlestis stillicidii miraculum veraci relatione pandens. Quod Dei nutu gestum esse probatur, ut qui Spiritus sancti gratia perfundebatur, ejusque unctione corda et facies multorum exhilarabat; ipse non solum interius, sed etiam exterius oleo supernæ lætitiæ remuneraretur. *Chrismatis ampulla mirabiliter repleta.* a F

33 Quidam monachus sub ejus magisterio degebat, qui dæmonico instinctu furti reatum perpetravit. Unde et omnem congregationem magna tristitia dolor invasit, dum quisque subjectus ab altero fratre geri putaret, quod se nequaquam fecisse procul dubie scivit. Pro qua re sanctus Antistes in conventu fratrum modestam correptionem mandavit, ut si quis furti illius sibi conscius *Monachi furis stupenda punitio,*

esset,

A. Wolstano monacho.

A esset, rem quam abstulerat, quantocius cum Dei benedictione redderet, aut in tali loco eam projiceret, ubi inveniri potuisset. Ille vero frater obstinato corde seipsum induravit, et mandatum Viri Dei servare neglexit. Transactis itaque tribus diebus et tribus noctibus, cum res furata minime esset inventa, locutus est vir Sanctus in capitulo coram omni multitudine fratrum, terribili indignatione et comminatione inquiens : Noluit sacrilegus ille pecuniam, quam furatus est, reddere cum benedictione sicut jussimus ; reddat eam modo cum Dei omnipotentis maledictione, et sit ipse ligatus non solum in anima, sed etiam in corpore nostra auctoritate. Quid multa? Dixerunt fratres : Amen. Et ecce monachus ille sedens invisibiliter ligabatur, brachiis sibi invicem adhærentibus sub cuculla sua, mansitque stupidus, cogitans quid agere deberet. Omnia tamen reliqua membra sua mobilia et ad usum apta habebat, exceptis brachiis, quæ vir Sanctus auctoritate sibi a Deo collata ligavit, et inutilia reddidit. Tandem finito capitulo surrexit, miser ille sic ligatus, et exiens post sanctum Episcopum, con- B fessus est ei secreto, se fuisse reum, seque latrocinii perpetrasse reatum ; nihil tamen ei de ligatione, qua tenebatur adstrictus, indicans. Episcopus autem videns eum nimio terrore correptum, sicut ei moris erat pœnitentibus et flentibus clementer ignoscere, et misericordiæ visceribus condolere, blando sermone respondit : Modo saltem bene fecisti, licet sero confitendo peccatum tuum : habeas nunc nostram benedictionem. Et statim soluta sunt brachia illius, Episcopo nesciente. At ille exiens inde, vehementer gavisus est, narravitque per ordinem de sua ligatione et solutione cuidam fratri, nomine Vulfgaro *, qui admonuit hoc magis silentio esse celandum, et congruo postmodum tempore detegendum. Qua ex re datur intelligi, cujus meriti Vir iste fuerit ante Dominum, qui solo sermone tantam virtutem, licet nesciens, ostendit. Nam quia pastoralem sancti regiminis curam fide et moribus digne custodivit, profecto beati Petri principis Apostolorum vicem ligando atque solvendo obtinuit.

* *al.* Vulfaro.

et alterius ex alto lapsu incolumitas,

34 Igitur cum Vir Dei magno conamine veterem renovare decrevisset ecclesiam, jussit fratres C frequenter laboribus una cum artificibus et operariis insistere ; quibus certatim laborantibus, opus ædificii paulatim in sublime excrevit, plurimis hinc inde suffultum oratoriis, in quibus Sanctorum venerantur suffragia, cunctis fideliter accedentibus profutura. Contigit autem quadam die, dum fratres starent ad summum culmen templi cum cæmentariis, ut unus eorum, Godus nomine, caderet a summis usque ad terram. Qui mox ut terram attigit, incolumis surgens stetit, nil mali passus de tanta ruina : seque crucis signaculo benedixit, admirans quid ibi ageret, vel qualiter illuc venerit. Et cunctis qui aderant videntibus, ascendit ad locum ubi antea steterat ; et accipiens trullam, operi quod inchoaverat, diligentius insistebat. Cui ergo hoc miraculum adscribendum est, nisi illi, cujus jussu ad opus obedientiæ exivit ? qui idcirco lædi non potuit, quia hunc in casu suo Viri Dei meritum portavit, et a periculo ruinæ incolumem protexit.

et tertii temeritas merito castigata

35 Tempore quodam hiemali, cum fratres secundum regulæ edictum temporius ad vigilias surgerent, et nocturno intervallo psalmodiæ et lectioni inservirent ; quidam monachus, nomine Teodricus, ad Dei Hominem perrexit, volens indiciis de quadam necessitate ei indicare, eumque luminis candelabrum manu tenentem reperit et legentem, et sedula agilitate palpebrarum seniles obtutus acuentem : ibique diutius stetit, attendens quam studiose oculos paginæ infigeret. Surrexit tandem Vir sanctus a lectione, et ille frater residens accepit candelam, cœpitque legere, probans utrum et ipse posset oculos suos sanos ad legendum tam diligenter acuere, sicut Episcopum suos caligantes fecisse viderat. Sed illa temeritas non impune evenit illi. Nam sequenti nocte cum membra sopori dedisset, apparuit ei quidam vultu incognitus, terribili comminatione dicens ad eum : Qua temeritate præsumpsisti exprobrare Episcopum præterita nocte in legendo! Cumque tremefactus se hoc fecisse negaret, ille torvis in eum intuens luminibus : Non potes, inquit, me fallendo ludere, sicut æstimas ; sed hoc signum tuæ præsumptionis habeas. Et hæc dicens incussit violenter ictum oculis ejus digito suo, statimque dolor oculorum validus secutus est, qui eum multis diebus vehementer affligebat, donec satisfactione culpam deleret, E quam in sanctum Virum incaute commisit.

Liber ab ardente candela illæsus.

36 Item accidit, cum Famulus Christi nocturno tempore lectioni operam daret, eum ob nimiam vigilantiam obdormisse, et candelam ardentem de candelabro super librum, in quo legerat, cecidisse, quæ tamdiu ardens super folium jacebat, donec unus frater, nomine Leofredus, adveniret ; qui festinus accepit candelam adhuc flammantem de libro, et intuitus aspexit favillas ipsius candelæ per multas lineas jacentes, et exsufflans eas, invenit paginam illæsam. Qua in re meritum sancti Viri patuit, quia ardentem candelam flamma consumpsit, et tantum vim virtutis suæ, ne paginam læderet, amisit.

Gesta Sancti omnia nequeunt explicari.

37 Hæc Christo largiente, breviter retulimus, ut et præsentes et futuros quosque fideles ad amorem et reverentiam tanti Patris, humili devotione incitaremus. Ceterum non facile nobis occurrit explicare quanta vel qualia sanctus Adelwoldus sustinuerit pro monachorum defensione pericula, aut quam benigno diligebat affectu studiosos et obedientes fratres, aut quantum in F structura monasterii elaboraret ecclesiam reparando, aliasque domos ædificando ; aut quam pervigil erat in orationibus, et quam devote hortabatur fratres ad Confessionis remedium, aut quam multa millia animarum diabolo subtraxerit, easque Deo redditas, cœlo intulerit. Sed ex his paucis plura cognosci possunt, quæ a nobis enarrari nequeunt *b*.

Visio cucullorum in arbore

38 Oportebat namque impleri somnium, quod sacer Dunstanus ille gloriosus et angelicus Anglorum gentis archiepiscopus, olim de eo se vidisse perhibebat. Nam cum esset abbas monasterii Glestoniensis, et sub ejus regimine militaret omnipotentis Dei famulus Adelwoldus, sicut supra narravimus, vidit in somnis extra dormitorium positus, quasi quamdam miræ celsitudinis arborem, quæ ramos suos expandere visa est ad orientem et occidentem, septemtrionem et meridiem, super universam Britanniæ regionem vasta longitudine et latitudine extensa ; cujus arboris rami innumeris, erant majoribus atque minoribus cucullis onusti, ipsa vero arbor in summo cacumine gestabat unam prægrandem cucullam, quæ manicarum velamento supereminens protegebat ceteras, et ingenti proceritate supergre-

diens

A. WOLSTANO MONACHO.

diens universas, ipsum contingebat cœlum. Vir autem Domini Dunstanus, super tali visione vehementer attonitus, interrogabat hæc sibi demonstrantem, canis angelicis decoratum presbyterum, dicens : Quæso, venerande senior, quæ est hæc robusta et sublimis arbor, cujus rami longe lateque expansi, tam innumerabiles cucullas sustinere cernuntur? Cui ille respondit : Arbor hæc quam vides, abba Dunstane, situm designat hujus insulæ : magna autem cuculla, quæ in hujus arboris summitate erigitur, ipsa est monachi tui Adelwoldi, qui in hoc monasterio devote Christo famulatur; reliquæ vero cucullæ, quibus hi rami videntur onusti, multitudinem designant monachorum, qui ejus eruditione sunt instruendi, et undique in hac regione ad omnipotentis Dei servitium congregandi; ejusque ducatu perventuri sunt ad gloriam regni cœlorum, et ad societatem cum Christo regnantium spirituum beatorum. Quo accepto responso, vir sanctus evigilat, visionem tacitus secum considerans, eamque postmodum fideli relatione fidelibus indicans. Quæ succedente tempore fama vulgante, multis B innotuit, et tandem ad nostræ quoque parvitatis notitiam pervenit.

et navis onustæ piscibus, in hominum formam reversis.

39 Nec minus et aliud oportebat impleri somnium, quod ipse vir Dei sanctus Adelwoldus de se nobis quadam vice referebat, inquiens : Putabam me stare juxta litus maris, ubi mihi videbatur adesse quædam maxima navis, in qua multitudo copiosa piscium, et maxime anguillarum conclusa tenebatur, ab imo usque ad summum. Cumque mecum tacitus cogitarem, quid sibi vellet hoc somnium quod videbam; repente audivi vocem meo nomine me vocantem, mihique dicentem : Adelwolde, Adelwolde, hoc tibi mandatum cœlitus a Deo missum est. Excita hos pisces, quibus hæc navis, quam cernis, impleta est, et orationibus tuis effice, ut sint homines, sicut antea fuerunt. Cujus jussioni mox ego obtemperans, steti pro eis ad orationem, et lacrymarum imbre perfusus, ingemiscens dixi : Domine Jesu, cui nihil est impossibile, respice propitius ad animas diabolica fraude deceptas, quæ a sensu humanæ rationis alienatæ sunt, et more bestiali in lubrico hujus seculi cœno miserabiliter involvuntur. Ne quæso, bone Jesu, permittas, ut de C eis triumphans glorietur humani generis inimicus; sed per tui sancti nominis omnipotentiam, resuscitentur ad vitam, ut somnium æternæ mortis evadentes, te verum et unicum mundi Salvatorem cognoscant, et deinceps semper ad tranquillum salutis tuæ portum confugientes, ab omnibus mundi perturbationibus immunes exsistant, et sub tua gubernatione securæ parmaneant. Tuum est enim, Christe, mortuos vivificare, et imaginem tuam quam creasti, in decorem suum pristinum reformare, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere; et dira mortis supplicia passus in cruce, dignatus es fundere sanguinum tuum pretiosum pro salute omnium nostrum. Cum hæc et his similia orationis verba, compuncto corde et spiritu humilitatis effunderem, ecce quos antea pisces in luto fæcis et in lacu miseriæ videram involutos, subito homines effectos et a morte resuscitatos video : surrexitque de navi et perrexit festinanter ad terram copiosa hominum multitudo, quorum multos specialiter agnoveram : inter quos unus retrorsum cadens, iterum in anguillam versus est, ille videlicet Adelstanus, qui mecum presbyter quondam fuerat ordinatus, quem deinceps nullo modo excitare, nec ut homo fieret, poteram efficere. Reliqui vero omnes unanimiter levaverunt vocem in cœlum, manibus plaudentes, et gratias omnipotenti Deo referentes, quia per ejus ineffabilem clementiam, et per meæ parvitatis adventum, meruerunt a morte ad vitam revocari, et humanæ rationi, quam amiserant, restaurari. Ego autem gaudens in Domino, et congratulans illis, evigilo; hancque visionem vobis, o filioli mei, idcirco refero, ut et vos cum bonorum operum cultu perseveretis in sancto proposito, quo per gratiam Dei possitis in eorum numero computari, qui mihi, licet indigno, commissi sunt, ut de seculi hujus cœnulenta voragine liberentur et in æterna beatitutine sine fine salventur. Hæc quæ notavimus, somnia tunc quidem visa sunt ; sed ex eo tempore usque hodie impleri non cessant, dum quique divino ferventes amore, festinant mundum relinquere, et cœnobialem vitam ducere, et dum populares quique satagunt a malo declinare, et bonum facere, et humiliter Regi regum Christo colla subdere : quatinus et monachi simul et laïci, sequentes sancti patris Adelwoldi vestigia, cœlestis regni sempiterna mereantur adipisci gaudia. D E

ANNOTATA.

a *Hæc clerici negligentia iisdem prope verbis ab aliis describitur : notat vero Mabillonius hic, veterem episcoporum morem, ut numquam sine chrismate proficiscerentur, quod vide istic pluribus.*

b *Idipsum et alii commemorant, præsertim Malmesburiensis lib. 2, de Pontificibus, qui et de sequenti somnio meminerunt.*

CAPUT V.

De ecclesiæ Veteris monasterii dedicatione, Sancti obitu, multisque exinde et post sacri corporis elevationem secutis miraculis.

F

Anno 980 dedicatur ecclesia Veteris monasterii

Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo, renovata et constructa est ecclesia Veteris cœnobii, novem Pontificibus eam solemniter et eum magna gloria dedicantibus *a*, *a* quorum primi et præcipui arcem tenebant Dunstanus archiepiscopus, et ipse sanctus Adelwoldus episcopus, sub die XIII Kalendarum Novembrium, in præsentia regis Adelredi, et in conventu omnium pæne ducum, abbatum, comitum, primorumque optimatum universæ gentis Anglorum, qui eamdem biduo cum omni gaudio celebraverunt dedicationem; de qua et nos in Domino congratulantes, hoc carmen cecinimus :

Præsul Adelwoldus sacro spiramine plenus,
  Fecit ovans opera multa Deo placita.
Istius antiqui reparavit et atria templi,
  Mœnibus excelsis culminibusque novis,
Partibus hoc Austri firmans et partibus Arcti,
  Porticibus solidis arcubus et variis.
Addidit et plures sacris altaribus ædes,
  Quæ retinent dubium liminis introitum;
Quisquis ut ignotis hæc deambulat atria plantis,
  Nesciat unde meat, quove pedem referat ;

Omni

A Omni parte fores quia conspiciuntur apertæ,
Nec patet ulla sibi semita certa viæ.
Huc illucque vagos stans circumducit ocellos,
Attica Dedalei tecta stupetque soli.
Certior adveniat donec sibi ductor, et ipsum
Ducat ad extremi limina vestibuli.
Hic secum mirans, cruce se consignat, et unde
Exeat, attonito pectore scire nequit.
Sic constructa micat, sic et variata coruscat
Machina, quæ veterem sustinet ecclesiam.
Quam Pater ille pius summa pietate refertus,
Nominis ad laudem celsitonantis Heri
Fulcivit, texit, dotavit, eamque sacravit,
Et meruit templi solvere vota sui,
Regis Edelredi facie præsente modesti,
In regni solio qui superest hodie.
Illic Pontifices aderant terni ter ovanter,
Complentes sanctum rite ministerium.
Quorum primus erat, vultu maturus et actu,
Canicie niveus Dunstan et angelicus.
Hunc comitatus ovans Anglorum lucifer adstat,
Domnus Adelwoldus corde benignivolus.
Post alii septem, quorum hic sunt nomina scripta
B Carmine versifico cum pede dactylico.
Elfstan, Edelgarus, rursumque Elfstanus et Æswig
Ælfeh, Edelsinus, hic et Athulpus erat.
Et tandem decimus Poca venit episcopus illuc,
Nulla laboris agens, pocula multa bibens.
Post alii plures aderant proceresque ducesque,
Gentis et Anglorum maxima pars comitum.
Quos e concilio pariter collegerat illo,
Quod fuerat vico regis in Andeveran,
Idem pastor ovans ac sæpe canendus Adelwold,
Sicut ei Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti solemnia maxima templi,
Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis super omnibus, ille benignus
Quæ statuit cunctis Præsul opima dari.
Fercula sunt admixta epulis, cibus omnis abundat,
Nullus adest tristis, omnis adest hilaris.
Nulla fames, ubi sunt cunctis obsonia plenis,
Et remanet vario mensa referta cibo.
Pincernæque vagi cellaria sæpe frequentant,
Convivasque rogant ut bibere incipiant.
Crateras statuunt, et dulcia vina coronant.
C Miscentes potus potibus innumeris.
Sicque dies alterque dies processit in hymnis,
Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem solemniter hymnis,
Quos in honore Dei vox sonuit populi;
Unusquisque suas alacer remeavit ad oras,
In Domino gaudens, pectore et ore canens.
Numquam tanta fuit talisque dicatio templi,
In tota Anglorum gente patrata, reor,
Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe
In sancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens sic protegat immaculatum,
Hoc ut eo dignum juge sit hospitium.
Et quicumque humiles hoc ingrediuntur asilum
Exsultent plenæ participes veniæ.

Hæc de renovatione et dedicatione Veteris ecclesiæ edita, hic inserere opportunum duximus. Exinde superna pietas sancto Pontifici tantam contulit gratiam, ut sublimes illi secularium potestatum principes, duces, tyranni, atque judices, et omnes qui ei hactenus contrarii et in via Dei resistere videbantur, subito velut oves ex lupis efficerentur, et eum miro affectu venerarentur; ejusque genibus colla summitentes, ac dextram illius humiliter exosculantes, orationibus se Viri Dei in omnibus commendarent. *A. Wolstano monacho.*

Sancti obitus anno 984.

41 Eodem vero tempore quo sanctus antistes Adelwoldus de hac mortali vita erat exiturus, et laborum suorum præmia a Deo percepturus, venit ad villam quæ consueto nomine Beaddingtun appellatur, sexaginta millibus ab urbe Wintonia distans. Ibi ergo cum aliquamdiu moraretur, acri cœpit infirmitate gravari; et sacrati olei liquore perunctus, Dominici corporis et sanguinis perceptione exitum suum munivit. Sicque valefaciens, et dans pacem filiis suis, inter verba orationis, spiritum cœlo reddidit in Kalendis Augusti *b*, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo quarto, episcopatus autem sui vicesimo secundo, regni moderamina gubernante Ædelredo rege Anglorum. Testati vero nobis sunt qui ibi præsentes aderant, exanime corpus sancti Viri subita immutatione fuisse renovatum, lacteo candore perfusum, roseoque rubore venustum, ita ut quodam modo septennis pueri vultum prætendere videretur: in quo jam quædam resurrectionis gloria per ostensionem mutatæ carnis apparuit. E Jam vero dici non potest, quanta ad exsequias ejus hominum multitudo convenerit. Undique certatim ex vicinis opidis et castellis simul in unum divites et pauperes, ultimum vale Pastori suo dicturi confluxerant. Omnes cum dolore et amaro animo sequebantur feretrum, incomparabili thesauro pretiosum, sacrosanctis Evangeliis et crucibus armatum, palliorum velamentis ornatum, accensis luminaribus et hymnis cœlestibus atque psalmorum concentibus hinc inde vallatum; quibus sequenti die Wintoniam ingredientibus obviam corpori tota simul civitas unanimiter occurrit. Hinc ejulantes turbas conspiceres monachorum, inde pallida agmina virginum; hinc audires in excelso voces psallentium clericorum; inde gemitum flentium pauperum, et ululatum vociferantium egenorum, qui Pastoris sui præsentia se privari non sustinentes, dabant infinitos lacrymarum clamores ad cœlum. Perductus est ergo Vir Dei cum cœlestibus exsequiis in ecclesiam beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ad sedem suam episcopalem, et expletis vigiliarum Missarumque solemniis, sepultus est in crypta ad australem plaF gam sancti altaris, ubi eum requiescere debere, sicut ipse vobis retulit, olim sibi cœlitus ostensum est.

Apparens cæco jubet corpus suum levari,

42 Anno duodecimo *c* post obitum gloriosi *a* pontificis Adelwoldi, placuit supernæ dispensationi illum per cœlestia signa revelari, ejusque ossa de sepulcri munimine levari: ut lucerna, quæ ad tempus sub modio latebat, super candelabrum poneretur, quatinus luceret omnibus qui in domo sunt. Est enim civitas quædam modica, commerciis abunde referta, quæ solito Weallingaford appellatur, in qua vir strenuus quidam morabatur, cui nomen erat Elfhelmus, qui casu lumen amittens oculorum, cæcitatem multis perpessus est annis. Huic in somnis tempore gallicini sanctus Adelwoldus antistes adstitit, eumque ut maturius Wintoniam pergeret, et ad ejus tumbam gratia recipiendi visus accederet, admonuit, dicens: Idcirco te in stratu tuo recubantem visito, et quæ tibi ventura sunt prænuntio, ut per tuæ salutis signum manifestetur, quia me oportet levari de tumulo, in quo jaceo. Qui hæc audiens, et vocem secum loquentis agnoscens, sancto Patri gratias egit, quod eum visitare di-

A. WOLSTANO MONACHO.

gnaretur : et quia ubi sepultus esset, penitus ignoravit, qualiter sepulcrum ejus scire et adire potuisset diligenter inquisivit. Cui protinus Vir Dei nomen alumni et monachi sui innotuit, cujus hactenus homo ille nescius exstitit, eique dixit : Cum festinus Wintoniam perveneris, et Veteris cœnobii ecclesiam intraveris, accersiri fac ad te monachum quemdam Wlfstanum, cognomento Cantorem. Hic cum ex ore tuo verba meæ legationis audierit, te mox indubitanter ad meum perducet tumulum, ibique recipies lumen oculorum tuorum. Quid multa? credulus vir ille verbis et promissionibus sacri Pontificis, Wintoniam citius adiit, ecclesiam intravit, fratrem prædictum accersivit, accersitumque postulavit, ut missatica beati Patris impleret, narrans ei et cunctis adstantibus ordinem visionis. Erat enim vespera, in qua nativitas sacratissimæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, per totum mundum solenniter et dignissime celebratur. Ille vero frater admirans, inter spem et timorem se medium posuit, et vicino obedientiæ pede, jussis sancti Pontificis humiliter obtemperans, ad antrum sarcophagi perduxit cæcum, qui pernox ibidem in oratione permansit; et mane facto, jam amplius ductore non indigens, ad propria cum gaudio reversus est videns, corde et animo Dominum benedicens.

B

quod solenniter transfertur.

43 Hæc revelatio longe lateque divulgata est, quæ tam evidenti miraculo fuerat comprobata. Exinde Famulus Christi prædicto fratri Wlfstano, et plerisque aliis per nocturnam visionem manifestus apparuit, illisque per hæc et hæc indicia aperuit, quia supernæ complaceret voluntati eum de tumulo transferri, et digne in ecclesia collocari. Venerandus ergo pontifex Elfeagus, successor ejus, animo sagaci talia secum pertractans, humillimas alacri corde omnipotenti Christo gratias reddidit, eo quod suo tempore dignaretur cœlestibus signis Sanctum suum mirificare. Nec mora, fratrum, cleri plebisque multitudine congregata, reliquias sancti præsulis Adelwoldi sub die quarta Iduum Septembrium honorifice transtulit, easque in choro ecclesiæ collocavit : ubi in magna veneratione habentur usque in præsentem diem : ubi etiam, nobis intuentibus, cœlestia sunt perpetrata miracula, e quibus duo breviter ad firmitatis indicium perstrinximus.

C

Miracula in sanata puella,

44 Erat eo tempore in Wentana urbe puella quædam parvula, cujusdam Adelwardi domestici filia, quæ nimis infirmabatur, et usque ad mortem pæne torquebatur. Hæc a matre deducta ad Viri Dei tumulum, obdormivit paullulum. Protinus evigilans sana surrexit, et gaudens cum genitrice domum rediit.

in cæco puero,

45 Puer etiam quidam parvulus, Ælffini cujusdam mansueti et modesti viri filius, in ipsa infantia lumine est privatus, et maternis ulnis ad venerandi patris Adelwoldi sepulcrum perductus. Mirum dictu, mox caligo cæcitatis abscessit, et oculos pueri veniens splendor lucis aperuit, omni populo congaudente, et tota devotione Christo, qui cuncta potest, fideliter gratias agente.

et in fure vinculis absoluto.

46 Nec silentio prætereundum est, quod prædictus sancti Viri successor Elfeagus antistes quemdam furem pro multiplici reatu flagellis cæsum, mitti jussit in cippum, acrioribus suppliciis cruciandum. Cumque diu sic in pœnis jacuisset damnatus, quadam nocte venit ad eum, in visione, sanctus Dei pontifex Adelwoldus, et ait illi : Miser, cur tanto tempore sic in trunco jaces extensus? At ille recognoscens sanctum Virum, quem sæpe viderat in vita mortali, respondit : Dignas, Domine mi, sustineo pœnas, et justo judicio episcopi sic torqueor, quia frequenter in furtis deprehensus sum, et ab eis non cessavi, sed mala quæ feci, iterum atque iterum repetivi. Tum Sanctus : Cessa, inquit, vel modo miser a furtis; cessa, et sis solutus a nexu compedis hujus. Surrexit ilico miser ille absolutus, et exiens inde venit, et procidit ante pedes Ælfeagi episcopi, narravitque ei rem gestam circa se per ordinem; et ille pro honore tanti Patris sivit eum abire indemnem. Constat ergo, Sanctum hunc æternæ vitæ conjunctum, virtute meritorum suorum, posse nos a peccatorum nostrorum vinculis solvere, et ad cœlestia regna perducere, cui adhuc in carne degenti cœlitus concessa est potestas ligandi atque solvendi, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo coæterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen. D

ANNOTATA. E

a *Eamdem Veteris monasterii ecclesiæ dedicationem pluribus describit idem Wolstanus, in Vita aliqua metrica S. Swithuni, unde ferme sequentes versus huc transtulit; hic etiam agit de Novi monasterii dedicatione, ex quo nonnulla quæ ad Sanctum nostrum proprie referuntur, sub Vitæ finem subnectimus, ceteris prætermissis quæ huc nullo modo pertinent.*

b *Non tertio Kalendas Augusti, ut Ælfricus scripsit.*

c *De sacri corporis elevatione, et subsecuto Sancti cultu abunde egimus in Commentario prævio.*

WOLSTANI MONACHI VENTANI

LIBER DE VITA S. SWITHUNI.

Incipit ad dominum specialis epistola patrem,
Elfegum, Wenta residet qui præsul in urbe.
De sancti Patris Swithuni insignibus, et de
Basilica Petri, reserat qui limen Olympi.

F

Pontifici Domino, Wentanam Principe Christo *Vates Elfego se commendat.*
Qui regit ecclesiam, prospera cuncta canam.
Conferat Ælfhego regni cœlestis honorem,
Qui dedit hunc omni pontificem populo.
Ipsi tibi pacem tribuat sine fine perennem,
Est qui Sanctorum gloria pax et honor.
Hoc cupit ore pio, cupit hoc animoque benigno,
Ultimus Anglorum servulus hymnicinum *.
Sit licet ægra mihi sine dogmatis igne loquela,
Nec valeam tanto scribere digna viro :
Hoc tamen exiguum quod defero munus amoris,
Commendare tibi, magne Pater studui :
In quo perstrinxi quæ fecit Rector olympi
Swithuni meritis cœlica signa patris :
Per quem magna suis miracula præbuit Anglis,
Millia languentum corpora sacrificans.
Hæc enim cecini magnalia paupere cantu,
Præsumendo boni de bonitate Dei,
Grandia de minimis est qui pensare suetus,
Suscipiens viduæ bina minuta libens;
Qua non paupertas, sed erat pensata voluntas,
Quæ victum sprevit et sua cuncta dedit.

* *id est* Cantorum

Hæc

A Hæc igitur commendo tibi munuscula Patri,
Quæ vovi Domino reddere corde pio :
Ut tua dignetur hæc corroborare potestas,
Hæc et ab infestis protegere insidiis :
Dignus apostolica resides qui præsul in aula,
Instruis et populum dogmate catholicum;
Hocque monasterium variis ornatibus ornas,
Intus et exterius illud ubique levans.

Ethelwoldum laudat Veteris monasterii instauratorem.

Quod quondam renovavit ovans antistes Adelwold,
Sollicitudo cui nocte dieque fuit.
Christicolas augere greges atque ore paterno
Hos cum lacte soli lacte nutrire poli :
Qui struxit firmis hæc cuncta habitacula muris,
Ille etiam tectis texit et ipsa novis,
Et cunctis decoravit ovans id honoribus, hucque
Dulcia piscosæ flumina traxit aquæ :
Secessusque laci penetrant secreta domorum,
Mundantes totum murmure cœnobium :

Ecclesiam describit.

Istius antiqui reparavit et atria templi
Mœnibus excelsis culminibusque novis,
Partibus hoc Austri firmans et partibus Arcti
B Porticibus solidis, arcubus et variis :
Addidit et plures sacris altaribus ædes,
Quæ retinent dubium liminis introitum;
Quisquis ut ignotis deambulat atria plantis,
Nesciat unde meat, quove pedem referat.
Omni parte fores quia conspiciuntur apertæ,
Nec patet ulla sibi semita certa viæ.
Huc illucque vagos stans circumducit ocellos,
Attica Dedalei tecta stupetque soli :
Certior adveniat donec sibi ductor, et ipsum
Ducat ad extremi limina vestibuli.
Hic secum mirans cruce se consignat; et unde
Exeat, attonito pectore scire nequit.
Sic constructa micat, sic et variata coruscat
Machina, quæ hanc matrem sustinet ecclesiam,
Quam Pater ille pius, summa pietate refertus,
Nominis ad laudem celsitonantis Heri

cujus dedicatio facta coram Adelredo Rege,

Fundavit, struxit, dotavit, et inde sacravit,
Et meruit templi solvere vota sui,
Regis Ædelredi visu cernente modesti,
In regni solio qui superest hodie.
Illum Pontifices sequebantur in ordine plures,
Complentes sanctum rite ministerium.
Quorum summus erat vultu maturus et actu,
C Canicie niveus Dunstan et angelicus.

per episcopos octo.

Hunc sequebatur ovans Anglorum lucifer idem
Præsul Adelwoldus, corde benignivolus.
Post alii septem, quos nunc addicere promptum est,
Carmine versifico cum pede dactylico :
Ælfstan, Æthelgarus, rursumque Ælfstanus et Æscwig,
Ælsheah, Æthilsinus, hic et Adulfus erant.
Post alii plures aderant proceresque, ducesque,
Gentis et Anglorum maxima pars comitum:
Quos e concilio pariter collegerat illo,
Quod fuerat vici Regis in Andeferan,
Idem pastor ovans et sæpe notandus Adelwold,
Sicut ei Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti solemnia maxima templi,
Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis super omnibus, ille benignus
Quæ statuit cunctis Præsul opima dari.
Fercula sunt admixta epulis, cibus omnis abundat.
Nullus adest tristis, omnis adest hilaris.
Nulla fames, ubi sunt cunctis obsonia plenis,
Et remanet vario mensa referta cibo ;
Pincernæque vagi cellaria sæpe frequentant,
Convivasque rogant, ut bibere incipiant.

A. Wolstano monacho.

Crateras magnos statuunt, et vina coronant,
Miscentes potus potibus innumeris.
Fœcundi calices, ubi rusticus impiger hausit
Spumantem pateram gurgite mellifluam:
Et tandem pleno se totum proluit auro,
Setigerum mentum concutiendo suum.
Sicque dies alterque dies processit in hymnis,
Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem solemniter hymnis,
Quos in honore Dei vox sonuit populi :
Unusquisque suas alacer repedavit ad oras,
In Domino gaudens pectore et ore canens.
Numquam tanta fuit talisque dicatio templi
In tota Anglorum gente patrata, reor:
Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe,
In sancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens sic protegat immaculatum,
Ut juge dignetur ipse habitare in eo :
Et quicumque humiles hoc ingrediuntur asylum,
Exsultent plenæ participes veniæ.
His super Antistes sacro spiramine plenus,
Adhibuit Domino plurima vota suo.
Nam fundamen ovans a cardine jecit eorum, E
Porticus ut staret ædificata Deo.

Ethelwoldu Novum cœnobium inchoat,

Erexitque novum jacto fundamine templum:
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit,
Pro meritis superam digne translatus in aulam,
Quorum multiplices nec numerantur opes,
Altithronum primo quibus exhilaravit ab ævo,
Donec Christo animam redderet ipse suam.

quod perficit Elfegus successor.

Vestra cui statim successit in arce potestas,
Et cœptum vigili pectore struxit opus:
Insuper occultas studuistis et addere cryptas,
Quas sic Dædaleum struxerat ingenium:

Cryptarum descriptio.

Quisquis ut ignotus veniens intraverit illas,
Nesciat unde meat, quove pedem referat.
Sunt quibus occultæ latitant quæ hinc inde latebræ,
Quarum tecta patent, intus et antra latent,
Introitus quarum stat apertus, et exitus harum :
Quas homo qui ignorat luce carere putat.
Nocte sub obscura quæ stare videntur et umbræ:
Sed tamen occulti lumina solis habent.
Cujus in exortu cum spicula prima resultant,
Lucifer ingrediens spargit ubique jubar:
Et penetrat cunctas lucis splendore cavernas,
Donec in Hesperium sol ruat Oceanum ; F

Ara superior

Machina stat quarum, sacram subportat et aram,
Sanctorumque pias ordine relliquias :
Multiplicique modo manet utile culmen earum,
Exteriora gerens, interiora tegens.

Organa musica.

Talia et auxistis hic organa, qualia nusquam
Cernuntur, gemino constabilita solo.
Bisseni supra sociantur in ordine folles,
Inferiusque jacent quatuor atque decem.
Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,
Quos agitant validi septuaginta viri ;
Brachia versantes multo et sudore madentes,
Certatimque suos quique monent socios :
Viribus ut totis impellant flamina sursum,
Et rugiat pleno capsa referta sinu :
Sola quadringentas quæ sustinet ordine musas,
Quas manus organici temperat ingenii.
Has aperit clausas, iterumque has claudit apertas;
Exigit ut varii certa camœna soni.
Considuntque duo concordi pectore fratres,
Et regit Alphabetum rector uterque suum.
Suntque quater denis occulta foramina linguis,
Inque suo retinet ordine quæque decem.
Huc aliæ currunt, illuc aliæque recurrunt;
Servantes modulis singula puncta suis.

Et

A. Wolst ho monacho.

Et feriunt jubilum septem discrimina vocum,
Permixto lyrici carmine semitoni:
Inque modum tonitus vox ferrea verberat aures,
Præter ut hunc solum nil capiat sonitum.
Concrepat in tantum sonus hinc, illincque resultans,
Quisque manu patulas claudat ut auriculas,
Haud quaquam sufferre valens propiando rugitum,
Quem reddunt varii concrepitando soni:
Musarumque melos auditur ubique per urbem,
Et peragrat totam fama volans patriam.

S. Petrus patronus.

Hoc decus ecclesiæ vovit tua cura Tonanti,
Clavigeri inque sacri struxit honore Petri.

Templi descriptio.

Insuper excelsum fecistis et addere templum,
Quo sine nocte manet continuata dies.
Turris ab axe micat, quo sol oriendo coruscat,
Et spargit lucis spicula prima suæ.
Quinque tenet patulis segmenta oculata fenestris,
Per quadrasque plagas pandit ubique vias.
Stant excelsa tholis rostrata cacumina turris,
Fornicibus variis et sinuata micant.
B Quæ sic ingenium docuit curvare petitum:
Quod solet in pulcris addere pulcra locis.
Stat super auratis virgæ fabricatio bullis;
Aureus et totum splendor adornat opus.
Luna coronato quoties radiaverit ortu,
Alterum ab æde sacra surgit ad astra jubar:
Si nocte inspiciat hunc prætereundo viator,
Et terram stellas credit habere suas.

Gallus in turre.

Additur ad specimen, stat ei quod vertice gallus,
Aureus ornatu grandis et intuitu.
Despicit omne solum, cunctis supereminet arvis,
Signiferi et Boreæ sidera pulcra videns.
Imperii sceptrum pedibus tenet ille superbis,
Stat super et cunctum Wintoniæ populum.
Imperat et cunctis evectus in aera gallus,
Et regit occiduum nobilis imperium.
Impiger imbriferos qui suscipit undique ventos,
Seque rotando suam præbet eis faciem.
Turbinis horrisonos suffertque viriliter ictus,
Intrepidus perstans; flabra, nives tolerans.
Oceano solem solus vidit ipse ruentem:
Auroræ primum cernit et hic radium.
A longe adveniens oculo vicinus adhæret,
Figit ei adspectum dissociante loco.
C Quo fessus rapitur visu mirante viator,
Et pede disjunctus, lumine junctus adest.
Plura quid his addam; tota virtute laboras,
Ut decores totum undique cœnobium.

Dedicatio per episcopos octo.

Cujus nuper erat encænia rite peracta,
Et celebrata satis ordine mirifico:
Octo quod egregii Domino sanxere hierarchi,
Quos simul hic pietas fecit adesse Dei.
Primus erat quorum Sigericus onomate pulcro,
Victor honore potens, victor in arce nitens,
Ante retroque micans, habitu venerandus et actu,
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt;
Quem Deus e cœlis tueatur ubique supernis,
Anglorum populis servet et incolumem.
Hunc Ælfstanus ovans, alter comitatur et Elfstan:
Pontifices ambo, plenus uterque Deo.
Ælfheah adest, Ordbirhtus adest, Wilffinus et Ælfric,
Splendentes cuncti jure sacerdotii.
Incipiuntque omnes modulata voce canentes:
Pax sit huic domui, pax sit et hic fidei;
Pax fiat intranti, pax et fiat egredienti:
Semper in hocque loco, laus sit honorque Deo.
Sic in laude Dei resonant nova mœnia templi,
Omnis et in Domino lingua resultat ovans.
Hinc adstant proceres, pueri hinc, juvenesque, senesque, D
Et celebrant sancti gaudia cœnobii.
Sic optata diu data nunc memoranda per ævum,
Votis plena piis fulsit in urbe dies;
In qua promeruit sua gaudia cernere pastor,
Officioque sacro reddere vota Deo.
Hinc te pontifices circumdant, inde ministri;
Te totum cinxit, hinc honor, inde favor.
Et simul hymnisona fratrum coeunte corona,
Quisque tuum votum, qua valet arte, canit.
Cimbalicæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis dulce camœna sonat.
Insuper et cleri jubilat plebs omnis et infans:
Et deitatis opem machina trina tonat:
Lætitiæ augmentum quoniam cumulatur in omni
Istius antiqui parte monasterii.
Lætanturque cibis omnes epulisque refecti,
Potibus et variis omnibus atque bonis.

Convivium.

Sic hujus sancti nituit celebratio templi,
Nomine apostolico sanctificata Deo.
Hæc est aula pii fulgens in onomate Petri,
Qui solet excelsos clave ligare polos:

SS. Petrus et Paulus patroni.

Qui præstante Deo solvitque ligamina mundo,
Et reserat cunctis cœlica regna piis. E
Hæc quoque, Paule, tibi committitur aula tuenda,
Qui mundi cunctos ore domas populos.
Exsistatis ut hic speciales ambo patroni:
Est quibus unus apex, gloria parque polo.
Exaudire Deum rogitetis et omnipotentem,
Dignetur populi vota precesque sui;
Quisquis ut hoc templum beneficia poscere quærit,
Impetret a Domino gaudia plena pio.
Qua Vir apostolicus jacet almus, et ille Birinus
Has lavacro gentes qui lavit occiduas.

Sancti quorum ibi reliquiæ.

Signipotens in ea pausat quoque demate* Swithun
Qui precibus cunctum sublevat hunc populum.
In medio templi fulgent Byrnstanus et Ælfheah,
Jure sacerdotii cultor uterque Dei;
Summus et antistes, patriæ decus, altor egentum,
Spes peregrinorum, splendor honorque patrum,

S. Adelwoldi elogium.

Noster Adelwoldus pastor, pater atque magister,
Cujus in æterna luce coruscat apex. F
Cujus in Anglorum micat omni limine nomen,
Inque monasteriis, pluribus inque locis,
Quæ vovens Domino construxit, eique sacravit,
Centenos in eis accumulando greges;
Qui inter Pontifices minimus nullatenus exstat,
Cujus doctrinæ splendet ubique jubar:
Inter apostolicos sed lucet in axe hierarchos;
Per quem signa facit jam manifesta Deus,
Illustrans oculos tetra caligine mersos,
Et revocans nervis languida membra suis;
Ad cujus sacrum veniunt quicumque sepulcrum,
Cum precibus plenam percipiunt veniam;
Quique fide pleni quærunt beneficia Christi,
Munera quæ cupiunt cœlitus inveniunt.
Comperit hoc nuper quidam vir nobilis Ælfelm,
Insomnis tumbam jussus adire sacram;
Cujus erant oculi nimio glaucomate clausi,
Nec valuit phœbum cernere nec radium.
Qui mox huc veniens, Sanctus mandavit ut idem
Percepit clarum luminis intuitum,
Et nullo ducente redit, miratur et in se
Qualis erat veniens, qualis et hinc rediens.
Sic etiam quædam nimis infirmata puella,
Ducitur ad tumulum, matre gemente, sacrum:
Protinus obdormit, vigilans sanissima surgit,
Incolumisque domum cum genitrice redit.

* lege corpore.

Talia

A Talia quid mirum rutilant quod signa per illum,
Et quod post mortem clarus in æthre micat?
Cujus vita fuit virtutibus undique plena:
Qui jugiter studuit corde placere Deo:
Temporibusque suis clara atque exempla futuris
Præbuit, altithronum semper amando Deum,
Multiplici jubilo gaudens feliciter: unde
Exultat Christi nobilis Ecclesia.
Est quoniam Dominus mirabilis et metuendus,
Qui facit in Sanctis signa stupenda suis.
Sunt alii plures etiam hinc atque inde locati,
De quibus est scriptum quod canit Ecclesia:
Corpora Sanctorum sunt hic in pace sepulta,
Et vivunt eorum nomina in æternum.
Quorum facta sequens et dicta fideliter implens,
Sedulus injunctum perficis officium.
Lumen apostolicum populis tua lingua ministrat,
Et verbum Domini, te reserante, patet.
Pauperibus victum, nudis largiris amictum, D
Dividis et miseris munera larga pius:
Ut commissa tibi duplicata talenta reportans,
Introeas Domini gaudia vera tui.
Suscipe, quæso, tibi quæ defero munera patri,
Atque ea quæ meritis debita solvo tuis.
Hæc tibi vita diu, rogo, prospera cuncta ministret,
Luxque futura tibi prosperiora ferat.
Hic Domino multos solvas pia vota per annos,
Ut tibi commissæ multiplicentur oves.
Et subeas regnum, grege te comitante, supernum,
Cum Sanctis semper lætus in arce poli.
Quod tibi concedat qui cuncta elementa gubernat,
Unus ubique potens in Trinitate Deus. *Amen.*

Explicit ad dominum speciališ epistola patrem
Ælfægum, Wentam qui regit ecclesiam.

B E

DE DECEM BEATIS VALLUMBROSANIS

RODULFO, RUSTICO, ERICIO, ALBERTO,

HIERONYMO, MELIORE,

BENIGNO, ORLANDO, THESAURO ET MICHAELE

Quorum hac die translationis festum agitur. J. B. S.

Datur hic translatio

Operis hujus nostri peritis insolitum videbitur, Sanctorum translationis festum recoli, ubi de ipsorum natali die potissimum quæri solitum est. Ultro et lubens fateor; ast fidem hic liberare compellor datam a magistro meo Papebrochio tomo V *Maii ad diem* XX *pag.* 253 *(ubi de* B. Orlando *seorsim agitur ac deinde de* B. Alberto, *eodem an altero, non satis certum) atque* C *iterum renovatam tomo* III *Julii pag.* 384, *occasione exorcismorum ad eorum sacras reliquias olim fieri solitorum; ut istic ex S. Joannis Gualberti miraculis manifestum est. Eo autem titulo hic conjungendi præmonentur, quod, cum aliquorum certi obitus dies signati non inveniantur, visum sit, totam illam seriem huc reducere, quo die peculiari solennitate eorum memoria peragitur, postquam legitima auctoritate recognitæ sunt et approbatæ sacræ eorum reliquiæ; ut ex ipso instrumento plenius infra patebit. Ad clariorem vero totius rei intelligentiam referenda hic sunt Papebrochii ipsius verba, citata jam pagina num.* 2.

promissa olim

2 *Præmittit illic brevem narrationem susceptæ Florentia a se et Henschenio excursionis ad archimonasterium Vallumbrosanum* XV *Januarii anno* MDCLXII; *ubi pedites ipsos et oppido lassos eximia prorsus benevolentia optimi illi Religiosi exceperint, ac mane revertentes a sacrificio Missæ, quod fecerant in insigni pulchreque ornato sanctarum reliquiarum sacello, exceperit reverendissimus abbas cum monachorum præcipuis, eodemque reduxerint, ipsas sacras reliquias conspecturos supra altare, sub quo inter geminas ipsum sustentantes columnas hujusmodi titulus legebatur :*

Hic latuere diu multorum corpora Fratrum,
Qui in Vallumbrosa vitam duxere beatam.
Hæc defossa pie Valeriani tempore Patris,
Hic eadem Alfonsus Porraqua recondidit apte,
ANNO MDCIV, DIE I Augusti.

a Papebrochio

3 Scilicet, *inquit*, anno MDC, tempore Valeriani abbatis, ab Alexandro Martio Medicis episcopo Fesulano retecta fuerant, et post processum desuper formatum approbata, ut vere Beatorum ac pro talibus antiquitus veneratorum et honorifice conditorum ossa; corpora scilicet decem, capita novem: nam unius (credo B. Joannis eremitæ *) caput in oratorio Cellarum manet. Eadem vero quarto post anno Alfonsus abbas, in elevato supra altare pegmate, per loculos plures diviso, sic distribuerat, ut capsæ quindecim post totidem crystallos, apparerent pulcherrimo ordine, quemadmodum videre licuit, remota, quæ alias obducta sacris reliquiis manet, insigni tabula, S. Joannis Gualberti Fundatoris imaginem præferente. Processum illum et singulorum qualemcumque notitiam, dabimus prædicto die I Augusti, tamquam omnium communi festo, propter communis translationis memoriam, eo quod plerisque nullus proprius, quo singulariter colantur, dies nunc sit. F

* *An non Michaelis?*

ex ipso processu.

4 *Quo processus ille subinde dilapsus sit, non habeo unde conjiciam: certe inter chartas nostras quantumvis studiose quæsitus, reperiri non potuit hactenus; ut proinde ad fontem ipsum recurrere necesse fuerit, in quo amicum adjutorem mihi nactus sum, ut in aliis semper, ita et hic plana strenuum, nostrum*

AUCTORE J. B. S.

strum P. Ignatium Pinium, in hoc Opere toties et merito laudatum, qui Romæ degens, opera DD. Vallumbrosanorum ad S. Praxedis commorantium, novum apographum ex dicto archi-monasterio procuravit, scriptum manu D. Alamanni Allegri, dictante adm. Rev. Patre D. Horatio Novelli, utroque ejusdem congregationis monacho : in Belgium vero afferre dignatus est R. P. Franciscus Beeckman Soc. Jesu collegii nostri Duaceni Rector, ad Congregationem generalem Romam deputatus : quorum omnium gratam memoriam hic expressam volui, ipso instrumento usurus, ut infra explicatum invenies.

Noti sunt ex Actis S. Gualberti;

5 *Non abs re erit, hic etiam repetere, quæ in parte* I *miraculorum S. Joannis Gualberti de hisce Beatis, loco superius citato, num.* 6 *memorantur. Ubi post explicatam crucis S. Joannis virtutem, explorando utrum aliquis a dæmonio captus sit, tum vero in eo expellendo, sic pergit scriptor :* Sed si fit penitus, ut præfata cruce, qui a dæmone torquetur, incolumis non evaserit; ad Beatorum deducitur sepulchrum, Orlandi scilicet viri et monachi sanctissimi, et Melioris eremitæ gloriosissimi, et hujus monasterii abbatum, Benigni et Michaëlis, et nonnullorum, qui etiam venerabiles exstitere, Patrum, quorum Vitas et egregia facta, quia alias et prolixe et breviter litteris mandare curavimus, in præsentiarum de his secus scribere non fuit consilium; ad quorum sepulcrum innumerabiles tum viri tum mulieres, variis infirmitatibus detenti, Christi Jesu amplissima misericordia, sensim morbo levati, sanitati denique redditi sunt. *Atque hæc ex ipsomet instrumento desideratam lucem accipient.*

item ex schedula ubi cultus

6 *Huc etiam spectat schedula Vallumbrosana typis edita et inter chartas nostras reperta, in qua exprimitur :*

ORATIO

Dicenda ante reliquias BB. Ordinis Vallisumbrosæ.

Antiph. Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro ejus amore seculum spreverunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣ Lætamini in Domino et exultate justi;

℟ Et gloriamini omnes recti corde.

OREMUS.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum monachorum exempla nos provocent, quatenus quorum commemorationem agimus, etiam actus imitemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

7 *Subjicitur immediate in eadem ipsa schedula :*

et nomina exprimuntur

CATALOGUS

ALIQUORUM BEATORUM ORDINIS VALLISUMBROSÆ

Quorum reliquiæ venerantur in altari capellæ illis dicatæ :

B. Rodulphus a Florentia, II Generalis Vallisumbrosæ.
B. Rusticus a Florentia, III Generalis.
B. Erizzo a Florentia, IV Generalis.
B. Albertus.
B. Hieronymus, eremita Cellarum Vallisumbrosæ.
B. Melior a Valiana, in Clusentino Conversus eremita Cellarum.
B. Benignus Benizzi a Florentia, XV Generalis.
B. Orlandus, Conversus claustralis.
B. Thesaurus Beccheria a Papia, XVI Generalis, Card. Pron. et martyr.
B. Michaël Flammini ab Aretio in Tuscia, eremita Cellarum, deinde Generalis XXIV.

Quæ hic dentur elogia.

8 *Horum omnium aliorumque ex celeberrimo Ordine illustrium virorum elogia, post Hieronymum Radiolensem, Eudoxium Locatellum, Didacum Franchum, Vitæ Gualbertinæ pag.* 119, *aliosque, collegit et typis vulgavit D. Venantius Simius, sac. Congreg. Indicis Romæ Consultor theologus, anno* 1693, *tempore reverendissimi ac dignissimi Generalis Laurentii Poltri, Florentini. Verum ea hic describere opus non fuit, cum in ipsomet instrumento ita laudentur Beati isti omnes, ut longiori panegyri supersedendum omnino censuerim; quandoquidem apud laudatum Simium, non nisi eadem pluribus verbis memorentur, quæ hic paulo majori auctoritate subnixa peritis omnibus videbuntur. Constat res tota paginis bene magnis in-folio quatuor omnino supra viginti, e quibus ea solummodo decerpsi, quæ ad cultus approbationem spectant potissimum, ne innumerorum prope testium repetitis depositionibus tædium potius creem quam voluptatem. Satis sit, omnia legitime probata esse, ex quibus rei totius substantiam fideliter productam exhibeo.*

ACTA

Recognitionis et approbationis reliquiarum Beatorum Congregationis, in monasterio Vallisumbrosæ repertarum, cum sententia lata per D. episcopum Fesulanum.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

PARS PRIMA

Qua exponuntur præambula.

Requisitus Episcopus Fesulanus

Ad perpetuam rei memoriam, universis et singulis præsentem publicum processum, sive regesti documentum inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris pateat evidenter et notum sit, qualiter anno D. N. Jesu Christi, ab ejus salutifera Incarnatione MDC, Indictione XIII, die vero XI mensis Augusti, pontificatus SS. in Christo Patris ac D. N. D. Clementis, divina providentia PP. VIII anno X, et Sereniss. Ferdinando Medice, Dei gratia Etruriæ magno duce III feliciter dominante : coram adm. illust. ac Reverendissimo in Christo P. et D. D. Alexandro Martio de Medicis, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia episcopo Fesulano et comite Turichi, in

A in episcopali suo palatio, sito Florentiæ apud ecclesiam B. Mariæ in Campo, Fesulanæ diœcesis; comparuit seque personaliter constituit R. P. D. Valerianus de Florentia, ad præsens abbas abbatiæ S. Mariæ Vallisumbrosæ, Fesulanæ diœcesis, breviter narrans et exponens, qualiter ab antiquissimo tempore semper fuit habitum et tentum, et habetur et tenetur, tum ex traditionibus antiquorum monachorum regularium præfati monasterii, tum ex scripturis et legitimis documentis, ut corpora Beatorum monachorum, qui floruere in eadem congregatione et ordine S. Mariæ Vallisumbrosæ, sepulturæ traderentur in turri campanilis prædictæ abbatiæ, adeo quod locus jam dictus nomen acquisierit sepulcri Beatorum.

nno 1600

10 Quod de præsenti anno MDC de mense Maii, cum ipse Pater accessisset ad locum et mansionem præfatæ ecclesiæ abbatiæ, prope dictum campanile, ubi adjurantur et exorcizantur qui a spiritibus immundis vexati sunt : quo tempore talis mansio restaurabatur et ædificio augebatur, pro commodis mulierum ad abbatiam con-
B fluentium pro audiendis Missis et divinis officiis, in devastando ab aliqua parte murum prædicti campanilis, fuit aperta quædam fenestrella oblonga (quæ vulgo dicitur balestriera) longa unius quarti brachii, et alta unius quarti brachii incirca, per quam cum fuisset missum lumen, vidit quamdam mansiunculam in volta ornate depictam, altam quinque brachiorum, latam brachiorum quatuor, et longam brachiorum quatuor incirca, in qua aderant duæ capsæ clausæ; quo viso et audito, de omnibus certioravit reverendissimum D. Tiberium de Corsellinis præsidem generalem totius ordinis et congreg. prædictæ. Et licet ex jam dictis clarum videatur, ut in prædictis capsis adsint dictorum monachorum Beatorum corpora, nihilominus cum ex forma sacrorum canonum et concilii Tridentini sanct. novæ reliquiæ non sint recipiendæ, nisi cognoscantur et approbentur ab episcopo ordinario loci, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit; propterea idem comparens petiit et petit, et humiliter supplicavit et suppli-
C cat reverendissimum D. episcopum Fesulanum, quatenus ipse dignetur quamprimum cum aliquibus theologis et aliis piis viris accedere ad eamdem abbatiam S. Mariæ Vallisumbrosæ, pro ibidem videndo et aperiendo dictas capsas, et demum statuendo et faciendo quæ veritati et pietati consentanea judicaverit, et alia agendo in prædictis et quolibet ipsorum quomodolibet utilia, necessaria et opportuna, super quibus omni meliori modo.

audita Abbatis supplicatione,

11 Qui quidem illustrissimus, ac reverendissimus D. D. Alexander Fesularum antistes, auditis cunctis, sibi ut supra expositis, et ut in ecclesiis divinus cultus vigeat et augeatur, et Christi fideles pie ac devote Beatorum corpora venerentur, repetita sic et in quantum illa de jure et ex forma sacrorum canonum, ac sacri Tridentini sanctionum concilii recipere et admittere tenetur et debet, omni meliori modo recepit et admisit, et ut veram certamque expositorum scientiam habere ipse valeat, paratum se obtulit, ad eamdem abbatiam Vallisumbrosæ et loca superius designata accedere, et omnia et singula in præmissis et circa ea necessaria et opportuna agere et adimplere, veluti ipse tenetur ex suo pastoralis officii debito; et propterea statuit et destinavit accessum ad ipsam abbatiam pro die XXI hujus mensis Augusti MDC.

AUCTORE J. B. S.

Vallumbrosam accedit,

12 Postmodum vero die XXI ejusdem mensis Augusti MDC idem illustrissimus ac reverendissimus Alexander episcopus Fesulanus in tertiis accessit et pervenit ad monasterium abbatiæ B. Mariæ Vallisumbrosæ, cum aliquibus theologis et aliis piis viris et præsertim cum adm. R. P. Vigilio Cepario Perusino doctore Societatis Jesu de Florentia, adm. R. P. Michaële Hieronymi Siviliano prædicatore dictæ Societatis Jesu, adm. R. D. Stephano de Nutis plebano plebaniæ S. Mariæ a Sancto, Felusanæ diœcesis, adm. R. Petro Mureto, præposito ecclesiæ Albingannensis, Galliæ Narbonnensis, adm. R. D. Antonio de Ubuas presbytero sacerdote ecclesiæ collegiatæ sancti Salvii civitatis Albinganni Galliæ Narbonensis, adm. R. D. Paulo presbytero et curatore pastoralis ecclesiæ S. Ægidii de Ristouchi, adm. R. D. Dominico de Bonechis canonico cathedralis ecclesiæ Felusanæ, adm. R. D. Joanne Simone de Fornabonis presbytero Florentino. E

ibique cum multis viris doctis

13 Postmodum et eadem die ante horam Vesperarum dictus reverendissimus D. episcopus solenniter associatus a supra nominatis sacræ Paginæ professoribus et sacerdotibus, in pontificalibus constitutis, processionaliter cum cruce et cum luminibus, nec non reverendissimo D. Tiberio de Corsellinis, præsidente generali totius congr. Vallisumbrosæ, ab adm. R. D. Valeriano de Florentia abbate dictæ abbatiæ S. Mariæ Vallisumbrosæ, ab adm. R. D. Victorio de Brunaccinis, uno ex visitatoribus dictæ congr. Vallisumbrosæ, ab adm. R. D. Alfonso de Vercellis etiam visitatore dictæ congr., ab adm. R. D. Hilario de sancta Sophia abbate abbatiæ Castri Franchi, ab adm. R. D. Mauritio de Rottinis de Florentia, priore S. Mariæ de Ughi, ab adm. R. D. Salvatore de Laudis parochiano SS. Trinitatis de Florentia, ab adm. R. D. Pancratio de Florentia magistro novitiorum, cum duodecim novitiis, ab adm. R. D. Seraphino magistro monachorum, et ab aliis monachis et conversis dicti monasterii et congregationis; et progrediendo processionaliter prædicti canebant: Veni creator, etc.; et Te Deum laudamus, etc. F

locum visitat,

14 Et cum fuisset perventum ad locum dictæ ecclesiæ, ubi aderant dictæ capsæ, dictus reverendissimus D. episcopus incepit dicere versum: Confirma hoc Deus, etc., cum oratione de Sanctis: et illo interim fuit apertus murus ab uno latere pro ingrediendo in mansionem et locum, ubi aderant dictæ capsæ; quam mansionem cum ingressus fuerat, consideravit dictus reverendissimus D. episcopus dictum locum et mansionem, quæ est adinstar cameræ vulgaris prope campanile, et depictam, altam a terræ spatio brachiorum quinque, latam brachiorum quatuor, et longam, brachiorum quatuor incirca; et ibi aderant dictæ duæ capsæ, quas dictus reverendissimus D. episcopus mandavit amoveri et extrahi de dicto loco, quas postmodum aperuit, et invenit ipsas plenas ossibus mortuorum, quæ in multis partibus divisa erant, involuta pannis sericis aureis, præ vetustate consumptis; inter quæ ossa aderant novem capita mortuorum, quorum singulum erat involutum in duobus pannis, uno serico et altero aureo, quæ capita et ossa cum maxima devotione et lætitia a prædicto reverendissimo D. episcopo et prædictis theologis, monachis, presbyteris

et

AUCTORE J. B. S.

et sacras reliquias recognoscit.

et piis viris veneratæ et deosculatæ fuerunt.

15 Demum idem reverendissimus D. episcopus cum prædictis theologis, presbyteris et piis viris dicta capita et ossa reposuit in quibusdam mantilibus albis, quæ processionaliter fuerunt lata in sacrarium prædictæ abbatiæ S. Mariæ Vallisumbrosæ, et recondita in quadam arca ibidem existente, et ad custodiam dicti venerabilis D. Valeriani abbatis dictæ abbatiæ, donec aliter fuerit de illis deliberatum et statutum a dicto reverendissimo D. episcopo vel ab alio superiore. Quibus ita peractis omnibus et singulis suprascriptis, postea incontinenti coram eodem adm. illustrissimo Fesulano comparuit venerabilis D. Valerianus monachus abbas abbatiæ S. Mariæ Vallisumbrosæ, et pro clariori et majori justificatione, quod capita et ossa mortuorum inventa in dicta abbatia Vallisumbrosæ, sint Beatorum monachorum, qui fuerunt in dicta congregatione, dat et facit infrascripta capitula, quæ petiit et petit recipi et admitti in partibus omni meliori modo.

B

PARS SECUNDA

Depositiones Valeriani abbatis.

Ex antiquis traditionibus

Imprimis capitulat, qualiter ab antiquissimo tempore, cujus memoria non exstat in contrarium, semper et indistincte et publice fuit habitum et tentum, habetur et tenetur per omnes monachos dictæ congregationis, et præsertim degentes in dicta abbatia S. Mariæ Vallisumbrosæ, ex traditionibus antiquorum monachorum, ut corpora monachorum, qui pro præclaris gestis, et multis operibus sanctis fuerunt tenti et nuncupati Beati, traderentur sepulturæ loco separato, in turri campanilis dictæ abbatiæ, et ita fuit et est verum, publicum et notorium.

et variis libris

17 II Capitulat, qualiter legitur in multis libris, tam impressis quam manuscriptis super Vita S. Joannis Gualberti, dictæ congregationis fundatoris, et aliorum Sanctorum et Beatorum, qui fuerunt in dicta congregatione, et præsertim in impressis de anno MDVIII sub nomine R. D. Thadæi abbatis Marruchii, et impressis Florentiæ apud Georgium de Maretostis, de anno MDLXXXIII, sub nomine venerabilis D. Guidolfi monachi dictæ congregationis, et in Ms. in charta pecudinea per venerabilem D. Hieronymum de Regitulo, etiam monachum dictæ congregationis, scripta ad D. Laurentium de Medicis, ut corpora dictorum monachorum Beatorum fuerunt sepulta in dicta turri campanilis separatim.

C

testatur Rodulfum pro Sancto habitum,

18 III Capitulat, qualiter inter cetera in dictis libris legitur de multis Beatis monachis dictæ congregationis et præsertim de B. Rodulpho secundo generali dictæ congreg. et S. Joannis Gualberti discipulo, qui præclaris gestis nomen Beati acquisivit, et fuit ille, qui a S. Joanne Gualberto ad prædicandum verbum Dei in multas provincias et loca fuit missus, et demum fuit electus ad progrediendum Romam, ad declarandum et detestandum, tamquam simoniacum et hæreticum, Petrum episcopum Florentinum, coram omnibus Patribus concilii, quod tunc celebrabatur, regnante Pontifice Alexandro II : et ultra jura ac rationes deductas, obtulit in testimonium veritatis, per ignem transire velle; et demum de anno MLXXVI, die XII mensis Novembris ad aliam vitam transivit, et fuit sepultus in dicta abbatia S. Mariæ Vallisumbrosæ, in dicta turri sepulcri Beatorum nominati : et S. Joannes Gualbertus reposuit curæ ipsius et reliquit abbatem totius religionis.

D

item Rusticum,

19 Item de B. Rustico tertio Generali dictæ congregationis, et discipulo dicti S. Joannis Gualberti, qui dum ægrotabat, et erat transiturus de hac vita ad cœlestem, in sui custodiam ipsum B. Rusticum elegit. Postmodum B. Rusticus, post multa pia ac sancta opera mortuus est, usque de anno MXCII, die XII mensis Martii, et ipsius corpus fuit sepultum in dicta abbatia, inter alios Beatos in dicta turri.

tum Ericium

20 Item de B. Erizzo, quarto Generali dictæ congregationis, et primo discipulo S. Joannis Gualberti, qui dictum Beatum constituit decanum dictæ abbatiæ, quod est prima dignitas post abbatem; et præclare et optime et sancte se gessit, et per spatium triginta sex annorum semper permansit in dicta abbatia et monasterio, non discedendo ad villas et loca ibidem convicina, et demum de anno MXCIV sub die IX mensis Februarii, ad aliam vitam transivit, et fuit sepultus in dicta abbatia, in dicto loco inter alios Beatos.

E

Albertum,

21 Item de B. Alberto, qui fuit discipulus dicti S. Joannis Gualberti, et tempore dicti B. Erizzi emisit spiritum, et sepultus fuit in dicto loco inter alios Beatos.

Hieronymum,

22 Item de B. Hieronymo, nuncupato eremita, cum per spatium triginta quinque annorum aspere et rigide cum maximis jejuniis et exemplis sanctitatis vixerit in eremo prope dictam abbatiam S. Mariæ Vallisumbrosæ, et tempore B. Attonis Generalis dictæ congregationis et episcopi Pistoriensis. In dicta eremo vitam finivit et fuit sepultus inter alios Beatos loco jam dicto.

Meliorem,

23 Item de B. Meliore, qui floruit tempore D. Ambrosii Generalis dictæ congregationis, qui Beatus discalceatus et vilibus et levibus pannis involutus inter alios Beatos vixit in eremo dictæ congregationis, ita aspere vitam suam ducendo in quadam caverna dictæ eremi, ut jejuniis et abstinentiis ipsius facies amisisset colorem, præ se ferentem Æthiopem. Sæpius dæmonem in forma bestiarum eidem apparentem signo crucis fugavit. Dum exivit de hac vita, quod fuit anno MCLVIII die XXVI mensis Martii, campanæ dictæ abbatiæ Vallisumbrosæ de per se emiserunt sonum, quo audito per abbatem et monachos dictæ abbatiæ, statim ipsi exiere de monasterio, et respiciendo in dictam eremum, viderunt, quoddam clarissimum lumen circulare per aërem supra cavernam, ubi degebat beatus Melior, et statim cum cruce processionaliter se contulere ad dictam cavernam, ubi viderunt B. Meliorem esse mortuum, licet flexis genibus constantem, cum manibus junctis versus cœlum, tamquam orantem, quem cum maxima reverentia ipsum detulere ad dictam abbatiam, sepeliendo in dicto loco inter alios Beatos, et dictæ campanæ semper de per se sonuere donec non fuisset traditus sepulturæ.

F

Benignum,

24 Item de B. Benigno Generali XV, qui multa sancta et pia opera operatus fuit, et ipsius clare et sancte gestis fuit maxime dilectus a S. Ludovico Galliarum rege, cui instanter petenti B. Benignus donavit ossa manus dextræ S. Joannis Gualberti. Composuit multa sancta opera,

ra,

AUCTORE J. B. S.

A ra, et præsertim opus: De claustro animæ et corporis. Fuit ipse et dicta congregatio maximis honoribus insignita per dictum S. Ludovicum, Honorium Pontificem II, et Fridericum imperatorem II, et obiit de anno MCCXXXVI die XVII Julii, et fuit sepultus in dicta abbatia inter alios Beatos; et legitur, quod a multis abhinc annis elapsis, cum involverentur ipsius ossa in quibusdam sericis pannis, reperta fuit dicti B. Benigni lingua integra absque ulla corruptione, quæ fuit reposita in sacrarium dictæ abbatiæ inter alias reliquias.

Orlandum,

25 Item de B. Orlando, qui pie et sancte vixit et maximis jejuniis, postquam sæpe per duos et tres dies non sumebat cibum corporalem: et dum traderetur sepulturæ prope campanile, ubi sunt reconditi aliqui Beati monachi dictæ congregationis, quidam dæmoniacus ibidem existens, ductus a parentibus et agnatis pro orando reliquias S. Joannis Gualberti pro ipsius liberatione, statim spiritu diabolico incepit dicere: Non bastava il maestro contro la forza nostra, che di nuovo si è risuscitata la virtu di quello, nel di- B scepolo che fieramente ci tormenta? Et prostratus dæmoniacus, versus corpus dicti B. Orlandi, conclamabat; Discipule Dei, miserere mei; quo secuto, dæmones et spiritus discessere, dictum dæmoniacum liberum relinquendo, maximum rumorem per aërem conficiendo, ex quo invaluit, quod etiam hodie observatur, ut dæmoniaci prius exorcisentur per monachos dictæ abbatiæ super sepulcro dicti beati Orlandi, postmodum ad reliquias sancti Joannis Gualberti.

Thesaurum,

26 Item de B. Thesauro Beccheria Papiensi, C XVII Generali dictæ congregationis, electo Cardinale ab Alexandro IV, et ad sedanda schismata legatus missus fuit Florentiam, ubi a Florentinis Guelfis, suspicione quadam, capite plexus fuit, ut videre est apud historicos Raphaelem Volaterranum, Leandrum Urbanum lib. 22, Joannem Villanum lib. 2 cap. 66; et id secutum fuit de anno MCCLVIII, die XII Septembris; et ipsius corpus fuit sepultum in dicta abbatia Vallisumbrosæ; et ut Beatus depictus fuit in ecclesia SS. Trinitatis de Florentia, in sacello familiæ de Spinis, cum hac subscriptione: S. Tesauro abbate di Vallombrosa e martire.

et Michaelem.

27 Item de B. Michaële Generali XXIV dictæ congregationis, qui per multos annos vixit in dicta eremo cum maxima pœnitentia de jejuniis et abstinentiis. Postmodum fuit assumptus ad gradum generalatus, licet coactus a precibus monachorun, in quo sancte et beate se gessit et obiit de anno MCCCLXX; ex cujus cadavere suavissimus odor emanavit, clarissimum testimonium suæ sanctitatis, et associatus a multis reverendissimis Episcopis, prælatis ac monachis, fuit sepultus in dicta abbatia inter alios Beatos, cujus caput conservatur pro speciali devotione in dicta eremo.

PARS TERTIA.

Earum prosecutio et episcopi approbatio.

Distinguit sepulturas,

Capitulat IV, qualiter ab antiquissimo tempore, cujus memoria non exstat in contrarium, exstiterunt et exstant in dicto monasterio dictæ abbatiæ plures sepulturæ et sepulcra, in quibus sepulti sunt et sepeliuntur abbates, monachi, conversi et laici dicti monasterii, qui mortui sunt et moriuntur pro tempore, et apparent sub ambulacro, et, ut vulgo dicitur, la loggia, ante ostium ecclesiæ dicti monasterii, et in claustro ante portam, quæ ducit ad dictam ecclesiam. Et ita fuit et est verum, publicum et notorium.

asserit scripta amissa,

29 V. Capitulat, qualiter usque ad de anno MDXXX in obsidione et bello Florentino dicta abbatia fuit in maximis partibus demolita et combusta, et præsertim bibliotheca, et successive libri, et fere omnes scripturæ fuerant combustæ et incensæ; adeo ut fuerint deperditæ scripturæ, documenta et recorda Beatorum dictæ congregationis, quæ inibi conservabantur et custodiebantur. Et ita fuit, et est verum, publicum et notorium.

ut cultum perseverasse,

30 VI. Capitulat, qualiter dicta mansio et locus, ubi sunt repertæ et inventæ dictæ capsæ repletæ dictis ossibus et capitibus, et subtus turri et campanili dictæ abbatiæ; et non adest in dicta abbatia alia turris et campanile, nisi prædictum, adeo ut fuerit et sit idem et eadem, de qua et quo mentionem faciunt dicti libri et histo- E riæ, de quibus supra. Non obstantibus quibuscumque. Et ita fuit, et est verum, publicum et notorium.

æque ac exorcismos.

31 VII. Item capitulat, qualiter ab antiquissimo tempore semper fuit observatum et observatur, qualiter ut vexati a spiritibus immundis exorcisarentur penes dictam turrim campanariam, ubi aderat quædam fovea, in qua imponebantur vexati illi, qui exorcisabantur. Et sic fuit, et est verum, publicum et notorium; et publica vox et fama.

Testes multos allegat

32 Item capitulat, qualiter de prædictis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama, et publicum et notorium, et ad probandum et verificandum omnia et singula in præinsertis petitione et capitulis, vera fuisse et esse, coram prælibato illustrissimo ac reverendissimo D. D. episcopo Fesulano, nominavit testes inferius descriptos, fide dignos, quos, et eorum quemlibet, per præfatum reverendissimum D. episcopum recipi, moneri, juramenta eis deferri, mandari; et quia ipsi testes sunt senes et valetudinarii, committi notario hujusmodi accessum petiit, ad loca, in quibus testes præfati degunt et morantur, ad deferendum F juramenta testibus ipsis, et illorum juramenta recipiendum; et postquam ipsi testes, juraverint, etiam per eumdem notarium examinari, mandari et eorum attestationes describi, et in publicam et authenticam formam redigi, et alia fieri in præpositis necessaria, requisita et opportuna omni meliori modo.

ab episcopo interrogandos.

33 Qui quidem illustrissimus ac reverendissimus D. Alexander Fesulanus episcopus, visis et auditis cunctis præpositis, quæ cum ad augendum Christi fidelium devotionem et divini cultus augmentum tendant, attenta simili relatione testium prænominatorum, commisit notario hujuscemodi negotii accessum ad loca, in quibus ipsi inferius nominati testes morantur, ad deferendum et recipiendum ab ipsis testibus inferius nominatis religiosis et laicis, viris fide dignis, et a quolibet eorum juramenta; et postquam ipsi jurarint, eos et quemlibet eorum, diligenter super prædictis præinsertis capitulis et contentis in illis, diligenter interrogandum et examinandum, illorumque depositiones et attestationes describendum, ac in publicam formam redigendum per scribam et notarium jam dictum; et commisit, voluit

A et mandavit, non solum modo et forma præmissis, sed omni alio modo validiori et efficaciori. Et quorum quidem testium examinandorum nomina sunt hæc, videlicet, etc.

Demum solenni decreto

34 *Sequuntur testes longissimo ordine, examinati variis locis et diebus usque ad* VIII *mensis Novembris anni* MDCII. *Tum vero:* Comparuit coram prælibato illustrissimo ac reverendissimo D. D. Alexandro episcopo Fesulano, in suo episcopali palatio Fesulano residente, et in eo pro tribunali sedente, dictus D. Georgius de Georgiis, procurator ejusdem congregationis Vallisumbrosæ, et per ipsum illustrissimum ac reverendissimum D. D. Alexandrum, episcopum Fesulanum, causam et negotium hujusmodi expediri, et sententiam ferri et promulgari, ac declarari, capita et ossa reperta, ut supra in actis hujusmodi negotii apparet, fuisse et esse ossa Beatorum monachorum ejusdem religionis, et illos pro Beatis recognoscendos et approbandos fore et esse, cum omni debita instantia, instanter postulavit. Qui admodum illustrissimus ac reverendissimus D. D. Alexander Martius Medicis, episcopus Fesu-
B lanus, protulit et promulgavit hujusmodi tenoris decretum, nempe:

declarat Episcopus

35 Nos Alexander Martius Medicis, Dei et sancti Sedis Apostolicæ gratia, episcopus Fesulanus et comes Turichi imprimis: Visa petitione, alias coram nobis facta, pro parte R. D. Valeriani de Florentia, abbatis abbatiæ S. Mariæ Vallisumbrosæ, accessu alias per nos facto ad dictam abbatiam cum theologis et aliis piis viris: visis capitulis exhibitis pro parte dicti D. abbatis, et demum super ipsis peracto testium examine: visa productione facta per procuratorem dictæ congregationis: visis litteris ad nos exaratis per illustrissimum ac reverendissimum D. Cardinalem Justinianum, in processu exhibitis: et visa ultima instantia et petitione pro parte dicti procuratoris, una cum toto processu, hactenus per nos et coram nobis fabricato, et demum visis videndis, et consideratis considerandis, et habito maturo colloquio cum theologis et aliis piis viris, et visa forma sacrorum canonum, concilii Tridentini, et Bullarum summorum Pontificum, ceterorumque ordinamentorum,

AUCTORE J. B. S.

SENTENTIA RECOGNITIONIS ET APPROBATIONIS RELIQUIARUM BEATORUM CONGREGATIONIS IN MONASTERIO VALLISUMBROSÆ REPERTATUM,

ut Beatos coli posse ac debere.

36 Dicimus, pronuntiamus, sententiamus, decernimus et declaramus, capita et ossa, quæ reperta fuerunt sub turri campanaria abbatiæ Vallisumbrosæ et de quibus agitur, fuisse et esse capita et ossa Beatorum monachorum, qui floruerunt in dicta congregatione, ac illos pro Beatis recognoscendos et approbandos, prout hac præsenti nostra sententia recognoscimus et approbamus; eademque capita et ossa decenti loco in ecclesia retineri potuisse et posse, iisdemque pu- E
blice a Christi fidelibus debitum cultum ac venerationem impertiri, ceteraque fieri Beatis convenientia præcipimus et mandamus, et hæc non solum modo prædicto, sed omni alio meliori modo, etc. Ita pronuntiavi, Alexander Fesulanus episcopus.

Lata Florentiæ in episcopali palatio Fesulano apud ecclesiam D. Mariæ in Campo, Fesulanæ diœcesis, præsentibus ibidem RR. DD. Dominico Michaelis de Bonechis canonico Fesulano, et Sebastiano Juliani de Bigozzis presbytero Florentino testibus, etc.

SECUNDA DIES AUGUSTI.

SANCTI QUI IV NONAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Maximus episcopus confessor Patavii, in Italia
S. Stephanus PP. I et martyr, Romæ.
S. Rutilius martyr, in Africa.
S. Theodota cum filiis MM. Nicææ, in
B Bithynia.
SS. Felix et Nicetius MM. Veronæ, in Italia.
SS. VII Martyres anonymi, Nicomediæ.
S. Auspicius episcopus Aptæ Juliæ, in Provincia Galliæ.
S. Serenus episcopus confessor Blanderati, in Insubria Italiæ.
S. Betharius episcopus Carnotensis, in Gallia.
S. Etheldritha virgo reclusa, in Anglia.
S. Gundecharus episcopus confessor Eystadii, in Germania. D
S. Petrus episcopus confessor Oxomi, in Hispania.
B. Gualterus confessor Vimarani, in Lusitania.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S Catharina *filia S. Birgittæ signatur alicubi hoc die, sed spectat ad* XXII Martii

Inventio reliquiarum sanctorum martyrum Maximi, Dadæ, et Quintiliani *inscribitur Menæis magnis Græcorum, typo vulgatis. At de his Sanctis jam pridem egimus die* XIII Aprilis.

De S. Gregorio S. R. E. Cardinale, episcopo Ostiensi I, *multa hoc die, loco non suo, congessit*
C *Bucelinus. Spectat ad diem, quo de ipso jam pridem actum est* IX Maii

S. Rictrudis corporis translatio in novam thecam *a Saussayo pluribus ornata est. Vide quæ de ipsa dicta fuerunt ad diem, quo colitur* XII Maii

Alricus, Ailricus, *sive* Ethelricus *eremita, prope Dunelmum in Anglia Boreali defunctus, anno Christi circiter* 1107, *ob vitæ sanctitatem non immerito appellatur in Vita S. Godrici apud Matthæum Parisiensem ad annum* 1170, *et Capgravium fol.* 168, Vir sanctus. *Verum de publico ejus cultu nihil uspiam assequi potuimus hactenus. Refertur quidem hoc die apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum; sed ex solo Martyrologio Anglicano, Wilsoniano scilicet; at ipse Wilsonus in editione prima Martyrologii sui non refert illum hoc die, nisi sub titulo* commemorationis; *et posito ad marginem asterisco: quo satis indicat, juxta monitum num.* 3, *sese festum ejus nusquam invenisse notatum; neque adeo, juxta num.* 4 *ibidem, se cultum ejus publicum aut asserere voluisse, aut introducere. Porro quæ de vita, morte, et sepultura ipsius dici hic possent, dicta jam sunt omnia in Vita S. Godrici cap.* I, *num.* 6 *ad diem* XXI Maii

Inventio corporis S. Albini protomartyris Anglorum *indicatur hoc die in codice Usuardino Altempsiano, ubi melius notaretur* Albanus, *de quo jam pridem actum est* XXII Junii

Severinum Papam *nescio unde inter Sanctos retulerit codex Usuardinus Strozzianus, eum præter cetera ex eo etiam laudans, quod ipsius* temporibus Christianissimus imperator Heraclius, destructo Chosroe, Crucem Domini reportavit E
Hierosolymam: *ubi notavimus, verum quidem esse, quod Severini tempore id factum fuerit; at Papam tunc fuisse, falso asseri. Neque inter Sanctos relatum novimus hactenus.*

SS. Alchæ, Celsini, Auspicii et Ursi episcoporum Tullensium *inventio hoc die refertur a Saussayo. De singulis aut jam actum est, aut agetur suis locis.*

Stephanum *III Papam, qui alias II est, jam pridem inter Prætermissos retulerunt Majores nostri* XXVI *et* XXVII *Aprilis : hoc die (forte occasione S. Stephani I PP. et martyris) eumdem signatum invenies apud Grevenum, Canisium, Wionem et Ferrarium. Equilinus ipsum refert libro* 7, *cap.* 12. *Laudatur a Platina ut Vir sanctissimus, de Deo, de patria, de civibus suis, de omnibus Christianis bene meritus. Ciaconius, cum Gregorio magno conferendum asserit. Subscribo omnibus; at cum Baronio non minus, quam nobis, ignotus fuerit, ipse vero, qui tot alios aliunde accersivit, hunc Romanum Pontificem Fastis sacris non sit ausus inscribere, neque Romæ aut alibi cultum ejus reperiamus, non putamus nobis licitum, Ecclesiæ judicium prævenire.*

De

A *De Stephano IV, dicto III, etiam actum fuit in Prætermissorum serie* XXXI *Januarii, utpote qui eo die* Sanctus *appelletur a Ferrario, Dorganio et Menardo; ubi notatum invenio, non constitisse tunc temporis, quod* Sanctus palam haberetur. *Cur eo die annuntiatus sit, fateor me non satis intelligere, quemadmodum nec satis perspicio, cur hoc die referatur a Greveno, Canisio, Wione, Maurolyco et Ferrario, uti et apud Equilinum lib.* 7 *cap.* 13. *Laudatur ab Oldoino ex jam citatis Martyrologis; verum nobis nulla signa occurrunt, unde magis hodie ut* Sanctus palam habeatur, *quam ab annis nonaginta et amplius. Certe Piazza, in suo Hemerologio, non magis invenit, hunc Stephanum Romæ coli, quam synonymum proxime præcedentem.*

Stephanus, apud Lemovicos, in cœnobio Orbazina insignis Prior *hoc die annuntiatur in Kalendario Cisterciensi, et cum elogio ab Henriquez et Chalemoto, quin et a Saussayo in Martyrologio Gallicano, abstinente omnino a titulo* Beati, *quem ipsi symmistæ sui tribuunt. Idcirco et ipsum hic prætermittendum censuimus.*

B Guillelmus *ejusdem Ordinis, vir laudatissimus a solo Henriquez præmittitur,* Beatus*que etiam prædicatur cum insigni elogio; quo tamen probatum non video hactenus, Sanctorum honores ei umquam legitime fuisse adscriptos. Pauca de ipso habes tomo I Januarii pag.* 728, *ubi de B. Aelredo agitur, die scilicet* XII Januarii.

De venerabili ac Felicis memoriæ Joanne Forbesio, qui in familiam PP. Capucinorum adscriptus, Archangelus vocatus est, *miranda satis multa profert Raissius in Auctario ad natales Sanctorum Belgii; verum prudenter ab omni sanctitatis titulo abstinet.*

SS. Nemesius, Lucilla, Olympius, Exsuperia et Theodolus *jam non semel nobis fastidium peperere, ut videre est in Observationibus ad Usuardum* XXVI *Julii et* XXXI *Octobris; tum vero in Actis tom.* VI *Julii ad dictum diem* XXVI. *Nescio, unde auctori Florarii SS. Ms. hodie inciderit eos hic simul referre; unde et in auctariis Usuardinis Bruxellensibus et Coloniensibus hoc die locum occupant. Satis erit hic repetere quæ paucis ibi notavimus :* De his in Actis S. Stephani agitur, sed ad alios dies pertinent. Primi duo referen-

C tur *(ex ipso textu Usuardino)* XXXI Octobris. *Vide quæ de aliis pridem diximus, utroque loco jam citato* XXVI Julii.

S. Basilii pro Christo in amentiam, id est, ecstasin redacti, Muscovitici, Thaumaturgi *meminit Menologium Sparwenfeldianum Slavo-Russicum, cetera nobis ignoti.*

Justiniani imperatoris piæ memoriæ in SS. Apostolis *sacra æde, commemoratio invenitur in Menæis magnis typo editis, et inter ea, quæ e codice Taurinensi descripta asservamus. Laudes ejus ac vituperia dat Baronius Annal. tom.* 7 *ad an.* 565 *: ubi etiam de celebrata post mortem ipsius, Constantinopoli atque Ephesi, memoria ex Nicephoro scribit; uti insuper de ejus sepultura in Apostolorum templo. Quæ visum est, hic breviter indicare.*

Malchus episcopus *notatur in Kalendario nostro Syriaco seu Chaldaico.*

Encænia divini templi S. Joannis Apostoli et Evangelistæ Theologi, prope magnam sanctissimam ecclesiam *(Sophianam Constantinopoli; de qua Cangius lib.* 4 *pag.* 113*) notantur in Græcorum Menæis magnis excusis; de quibus etiam inter ecgrapha nostra e codice Taurinensi descripta. At res istius S. Apostoli spectant ad diem de quo ipso agetur* XXVII Decembris. D

Memoria sancti Martyris Phocæ *habetur in Menæis magnis excusis, et in nostris ecgraphis ex eodem codice Taurinensi. Martyrem synonymum Antiochæ in Syria habes apud nos die* V *Martii; Sinopensem autem in Ponto episcopum* XIV *Julii; qua occasione de variis synonymis actum est. Hodiernus quo pertineat, incertum, solo utique nomine notus.*

Placidum *conversum, ut regularis vitæ observantia venerabilem, absque ulteriori titulo hoc die signavit Bucelinus.*

Alberici *item, ut eximia vitæ perfectione conspicui, memoria apud eumdem agitur.*

Joannem Canum, Petrum Morenum *et socios martyres memorat hoc die Marchesius in Diario Dominicano, recte abstinens a titulis Beatorum aut Sanctorum, donec eorum honores ipsis debite adscribantur.*

Andreas Carga *ut episcopus et martyr apud Turcas signatur in Anno Sancto Belgico et in Viridario Germanico ejusdem Ordinis.*

Lingonis, Guilerici episcopi ejusdem urbis, *est hodierna Ferrarii annuntiatio in Catalogo suo generali, pro quo adducit in notatione,* ecclesiæ Lingonensis tabulas, et Catalogum episcoporum Lingonensium. *Solens more suo facit, dum multa allegat, quæ ubi consulueris, neque nomen ipsum invenies, quod nec Saussayus novit neque Castellanus : ut luxatum esse oporteat; quod alicubi integrum recurrit aut recurret.* E

Fridericum Syracusanum solitarium, *anno* 1335 *hoc die vita functum, inter Sanctos suos Siculos, titulo* Beati *donavit noster Octavius Cajetanus, miranda satis multa paucis de ipso prædicans; ut qui mortuum suscitasse feratur, nec paucos variis vexatos morbis sanitati restituisse, aliaque hujusmodi, quæ virum plane venerabilem mirifice exornant. Subdit deinde :* Ab excessu Friderici, Petrus episcopus in ejus vitam et miracula diligenter inquisivit. Acta juratis firmata testibus Romam missa ad Pontificem maximum, ut iis rite cognitis, cœlestem Viro benemerenti religiosis cultum decerneret. Sed illa, ipso in Urbem cursu afflicto navigio, in mari periere. *Igne deinde consumpta omnia medio ferme seculo* XV. *Roma nihil obtentum memorat; pergit tamen asserere, aliquali cultu gavisum fuisse* Fridericum ; *ast in animadversionibus candide fatetur in hunc modum :* Sane antiquis temporibus Friderico in ecclesia Syracusana cultus fuit, et imago miraculis circum pictis ; sed incuria temporum intermissus. *Demum quæ in fine adjungit,* sacra profanis ossa confusa *fuisse, satis ostendunt, nullo legitimo cultu hodie honorari, exspectandumque proinde Sedis Apostolicæ judicium.* F

Fulbertum *aliquem etiam* solitarium *Paciaci (a* Pacy) *in pago Vastiniensi diœcesis Senonensis, nobis hoc die suggessit Castellanus in Supplemento Martyrologii sui universalis, omnibus aliis Martyrologis, et quidem Saussayo ipsi incognitum, apposito ad marginem anno circiter* MCLXXXVI, *sed absque ulla ulteriori aut cultus aut gestorum notitia, quam tamen necessariam existimamus, priusquam, sola ejus auctoritate,* Fulberto *isti in hoc Opere locum dare audeamus; quemadmodum Majores nostri synonymum episcopum Carnotensem prætermittere coacti sunt ad diem* X *Aprilis : ut istius nominis probatus Sanctus non reperiatur hactenus.*

Damianus

A Damianus Valentinus, *martyr in Africa*
Gratia, *confessor Fabriani in Picæno*
Joannes Pastor *confessor, Valentiæ in Hispania*
Franciscus a S. Josepho *confessor, Toleti*
Archangelus Scotus, *Teneramundæ in Belgio*
Angela Gabriela, *Mediolani*
} *Memorantur ab Arturo cum titulo* Beati, *et ultima etiam in Gynæceo.*

Ruffinus a platea, *in Sicilia*
Adriana Cortona, *Assisii in Umbria*
} *adduntur ab Huebero*

SS. Boni, Fausti, Mauri, Primitivi, Calumniosi *et sociorum memoria hocdie perperam signatur in Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ. De iis actum jam est pridie* I Augusti.

S. Petri ad vincula *festivitatem hoc die signant aliqua Kalendaria ; verum notissima est solennitas celebrari* I Augusti.

S. Arcadius *episcopus Bituricensis apud Chenu ad*
B *hunc diem refertur, nos autem jam de ipso pridie egimus* I Augusti.

Sanctus Dermitius presbyter et confessor. Magnæ fuit in sanctitatis opinione apud sanctum Columbam. In Jona insula abbatem egit. Vide Adamannum in Vita S. Columbæ. *Ita Camerarius ad hunc diem in Menologio Sanctorum Scotorum. Duos commemorat* Dermitios *sive* Diermitios *S. Adamnanus in Vita S. Columbæ : alterum, qui sæpissime recurrit, ejus Sancti abbatis ministrum ; alterum, qui semel tantummodo nominatus lib.* 3, *cap.* 7 ; *ut vide ad diem* IX *Junii pag.* 229, *num.* 87 : *at neutrum dicit abbatem fuisse in Jona insula ; neutrius cultum aut festum indicat. Unde ergo utriusvis hoc die memoriam celebrari didicit Camerarius ? Nullum certe Dempsterus illo die in Menelogio suo Scotico* Dermitium *refert. Colganus vero in Martyrologiis Sanctorum Hiberniæ (Hiberni enim ambo jam dicti* Dermitii *fuerunt) versatus in paucis, aperte significat tom.* 2, *nihil se quidquam hujusmodi reperisse, sive de priore* S. Diermitio *pag.* 374, *num.* 42, *et* 489, *num.* 45 ; *sive de posteriore,*
C *pag.* 386, *num.* 12. *Adi inter Prætermissos* S. Domitium *die sequenti* III Augusti.

S. Tharsicium martyrem *nescio unde eruerit is qui additiones composuit ad Grevenum Cartusiæ Bruxellensis, et quidem sub hac formula :* forte qui in assumptione B. Petri Oxomensis episcopi in Anglia ; *ut obscurum negotium adhuc magis involvatur per obscurius. Novi* Tharsicium, *de quo actum est* XXXI *Januarii ; novi synonymum alterum, qui in Auctariis Usuardinis memoratur die crastina, qui ut acolythus notus est in Actis S. Stephani Papæ hoc die cap.* 2, *num.* 22 ; *verum is in Romano refertur* XV Augusti.

Adrenuldum *sive* Adrevuldum *hoc die nobis signavit Florarium nostrum Sanctorum Ms., unde in auctaria Usuardina Coloniensia, cum tot aliis, ut sæpe diximus, transiit, ubique cum titulo* episcopi confessoris ; *sed absque ullo alio charactere unde dignoscere possis, ad quam gentem aut ecclesiam pertineat ; id quod diu, sed frustra investigatum est. Nominis ipsius corruptionem facile conjicio ; at quo reducendum sit, ignoro hactenus.* Adrovandum *aliquem episcopum, qui et* Aldrovandus *et* Aldrevandus *et forte aliter appelletur, colaturque ut episcopus Balneoregii in Etruria, suggerit nobis Catalogus generalis Ferrarii ad*
D XIX *Augusti, quem in Catalogo Sanctorum Italiæ, annis ante* XII *edito, retulerat* XXII *ejusdem mensis. An cum eo confundi possit* Adrenuldus, *iterum examinabitur ad* XIX *vel* XXII Augusti.

Pelagia *S. Aredii mater, ut Sancta hoc secundo Augusti die honorari dicitur in novissima Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3, *pag.* 107. Piam matrem *appellat Saussayus pro* XXVI *Augusti. Castellano nota non est, nisi in supplemento indicis, ubi ut prætermissa signatur. Videndus Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum cap.* 104 ; *ubi etiam notatur dies, qua res tota poterit examinari* XXVI Augusti.

S. Serapia *importune repetitur in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum : jam satis in Prætermissis* XXIX *Julii remissa est ad diem, quo de ipsa agetur* III Septembris.

S. Alchmundi episcopi Hagulstadensis translatio *hoc die facta memoratur apud Simonem Dunelmensem. Satis sit id hic notasse ; gesta ejus et cetera ad ipsum spectantia illustrabuntur ad diem natalem* VII Septembris.

Consecratio ecclesiæ S. Mariæ de Portiuncula apud Assisium, in qua B. P. Franciscus pro- E
curavit a Deo et a Papa maximam Indulgentiam, *legitur inter auctaria Usuardina in codice Strozziano, Belino et Molano ; estque hodie prædicta Indulgentia toto orbe Catholico hoc ipso* II *Augusti die longe celeberrima. Verum cum in hoc Opere referri non soleant, ut jam toties, etiam hoc die annotavimus, singularia Sanctorum gesta, ab ipso eorum natali festo sejuncta, sic quæ ad S. Franciscum pertinent, etiam ad ejus sacra Stigmata, et si quæ sunt alia, cum ipsa Vita illustrabuntur die quo in Ecclesia festive recolitur ejus solennis memoria* IV Octobris.

Canonizatio Sanctorum, quorum corpora sunt in ecclesia S. Justinæ, *nempe Patavii elegantissima, scribit hoc die Ferrarius. Sed paulo distinctius ex Wione rem explicant Dorganius et Menardus, dum Sanctorum nomina exprimunt :* S. Arnaldi abbatis, Urii monachi et Felicitatis sanctimonialis. *Quæ omnia quo pacto intelligenda sint, habes hoc ipso die in Commentario de S. Maximo Patavino episcopo.* Arnaldus et Felicitas *propriis suis diebus relati sunt, ille* X *Februarii, hæc* XXVI *Martii.* Urium *confudere Majores nostri cum* Juliano *ad* XVII *Martii, quod* F
eadem utriusque prædicata agnoscerent, et Urium quidem diserte notatum a Ferrario. Sed ea videtur distinxisse Cavacius, dum Urium *ait attulisse Patavium Constantinopoli reliquias sanctorum Mathiæ et Lucæ. Quid de eo præterea dici possit et quando, opportunius examinabitur dum de S. Justina agetur ad diem* VII Octobris.

S. Comganum *aliquem, ut hoc die illustrandum, signarunt olim Majores nostri, auctoritate solius Colgani, in quarta appendice ad Acta S. Columbæ pag.* 478 *et* 479, *ubi ipsum collocat inter numerosos celeberrimi ipsius S. Columbæ Sanctos nepotes, non confundendum, ut ibi monet, cum eo* Comgano, *de quo in Opere nostro actum est ad* XXVII *Februarii, tametsi cum Maguir aliter antea censuisset. Paucissima sane eo die dici potuerunt de* S. Comgano, *sive eodem cum hoc nostro, sive diverso. De hodierno certe, præter nomen et qualecumque, ut vult idem Colganus, cognomentum* Kel-de, *seu* Deicolæ, *nec verbum, ad ejus vitam aut gesta spectans, aliunde suggeritur : neque omnino constat, utrum idem non fuerit cum alio* Comgano abbate, *quem coli ait* XIII *Octobris. In ea rerum Hibernicarum non insolita perplexitate,*

AUCTORE P. B.

plexitate, quamdiu de certo ejus cultu distinctius non constat, haud ægre patientur ejus populares, opinor, rem ulterius discutiendam remitti ad dictum jam diem XIII Octobris

S. Medanus episcopus confessor *absque ulla ulteriori notitia hoc die signatur a Greveno, nescio unde acceptus. Diu multumque quærendo, id assecutus videor, ut facile intelligi possit* Medanus *qui Peronæ in Picardia ut episcopus colitur, et de quo nonnulla disquisivit Henschenius ad diem* VII *Februarii. Synonymi alii recurrunt in Dempstero et Camerario ad diem* XIV *Aprilis et* XIV *Novembris. Prior prætermissus est, an forte cum hodierno an cum posteriore confundendus, videri poterit ad diem* XIV Novembris

S. Ermenburgam *pro suo mero arbitrio hoc die refert Bucelinus in Menologio. Notissima quidem* D *Sancta est, verum non hoc die colitur; sed, ut notant alii cum Martyrologio Anglicano, pertinet ad diem* XIX Novembris

In Antiochia, natalis reliquiarum sancti Stephani protomartyris et diaconi, qui Hierosolymis est translatus ex revelatione Luciani presbyteri, *est hodierna annuntiatio codicis Hieronymiani Corbeiensis, paulo nitidior, quam in textu Florentinii expressa sit; ad quam plurima ipse ibi annotavit de lapidibus aliisque reliquiis alio translatis, quæ ferme eadem, sed aliis terminis referuntur die sequenti, quo in Ecclesia celebratur ejusdem Sancti Protomartyris* inventio; *de qua nihilominus, more jam a Majoribus nostris recepto et in hoc Opere usitato, non agetur nisi ad diem, quo sancti ipsius Stephani solenniter festivitas recolitur* XXVI Decembris

---

B

DE S. MAXIMO EPISCOPO CONFESSORE

E

PATAVII IN ITALIA.

P. B.

SYLLOGE

De Sancti ætate, inventione, canonizatione et translationibus.

Seculo II.

Hujus Sancti Acta nulla supersunt:

S Maximum *Patavini inter episcopos suos a S. Prosdocimo secundum recensent, aiuntque, per annos circiter 25 aut 27 sedisse, idque ab anno Christi fere 139; ut apud Ughellum Italiæ sacræ tom. 5; Scardeonium de Antiquitate urbis Patavii lib. 2, classe 6; Cavacium Histor. cœnobii D. Justinæ Patavinæ lib. 1; Ursatum Hist. Patav. part.* I, *lib. 1, videre est: tametsi non desint, qui annos ipsi multo pauciores tribuant, Ferrario teste in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem. Itaque Sancti tam antiqui non* C *miramur Acta, si qua fuerint, interiisse; et vel paucula illa, quæ de ipso moderni quidam affirmant, auctoritate haud satis tuta probari: ut cum Patavii ex nobili Vitalianorum familia natum eum volunt; cum aiunt, illum Acta scripsisse S. Prosdocimi, decessoris sui, ac duos insuper sermones in solennitatem B. Justinæ; cum illustrem faciunt patratis in vita miraculis. Certe genus et patriam ejus non indicant isti, unde didicerint: Acta vero, quæ nunc exstant, S. Prosdocimi, etsi a* Maximo *se scripta testentur esse; ei tamen a Scardeonio citato, Cavacio lib. 1, pag. 6, aliisque, ut multo recentiora (et forte post inventionem* S. Maximi *concinnata) recte abjudicantur. Atqui his ipsis Actis unice, nisi fallor, opinio nititur eorum, qui Acta antiquiora fuisse existimant, quæ* S. Maximus *re vera composuerit. Sermones in S. Justinæ solennitatem ibidem Cavacius pag. 11 monacho tribuit posteriorum temporum auctori. Miracula demum, quæ idem Cavacius ex solo probat Martyrologio Romano, non ea putamus esse intelligenda, quæ superstes olim Sanctus ostenderit; sed quæ ad ejus invocationem ac tumulum, post medium seculi undecimi, ut patebit inferius, contigerunt.*

cultus refloruit seculo XI

2 *Magis hoc mirandum, quod* S. Maximi *cultus, quem proximis ab ejus obitu seculis viguisse verisimillimum est, sic intercidere deinde potuerit, ut non modo apud Martyrologos antiquos, sed ne apud Patavinos quidem usque ad annum Christi 1053 ulla ejus memoria superesset; ut adeo ad illum istic rite instaurandum S. Leo Papa IX nova canonizatione opus esse censuerit. Sed nimirum quanto ante illam obscurior fuerat, tanto post eam evasit illustrior, non Patavinæ jam solum, ubi ritu duplici hoc die celebratur; sed universæ Ecclesiæ, cui ad hunc diem in Martyrologio Romano proponitur his verbis:* Patavii, sancti Maximi, ejusdem civitatis episcopi, qui miraculis clarus, beato fine quievit. *Præiverant verbis totidem Molanus, Belinus, et codex Strozzianus seculi circiter decimi quinti in Auctariis nostris Usuardinis: nam vetustiora hujus elogii exemplaria nulla reperimus; nisi forte quid simile habuerint* tabulæ ecclesiæ Patavinæ, *quas in annotatis ad hunc Romani Martyrologii textum citat Baronius: quod si ita est, referri quidem elogium istud poterit ad annum jam dictum 1053; sed* F *nequaquam ulterius: si enim ante tempus illud notatus in istius ecclesiæ tabulis fuisset hoc modo* S. Maximus, *supervacanea profecto videri debuisset S. Leoni recens ejus in album Sanctorum relatio; quippe in quo jam tum illum ab immemorabili tempore descriptum invenisset, tamquam anniversaria religione ibidem celebratum.*

occasione inventi corporis ejus; ut patet ex instrumento Ms. sequente.

3 *At enim; licet concipiendæ istiusmodi annuntiationis facile suspicemur arreptam occasionem fuisse ex tabulis ecclesiæ Patavinæ; non existimamus tamen, illam ibi sic expressam umquam fuisse; primo, quia per eam indicari videtur dies 2 Augusti tamquam* S. Maximi *natalis; cum in ecclesia Patavina semper habitus fuerit tamquam dies inventionis aut canonizationis: hinc etiam hodie in Directorio ecclesiæ cathedralis mutandus præscribitur in hymno ad Vesperas versus tertius; et in lectionibus secundi nocturni, teste P. Joanne Baptista Romagnolo nostro, hæc leguntur:* Inventionem canonizavit *(S. Leo IX)* IV Nonas Augusti; qui dies festus ab ecclesia Patavina quotannis recolitur sub titulo inventionis S. Maximi episcopi et confessoris.

Secundo

A *Secundo, quia in hac annuntiatione sic asseruntur Sancti miracula, quasi ab eo vivente patrata fuissent: at si horum Patavinæ tabulæ meminissent, cur de miraculis istis mentionem nullam fecisset, qui ante reformatum Martyrologium Romanum scripsit, Scardeonius? Cur Cavacius, qui ista commemoravit anno* 1608, *omissis ecclesiæ Patavinæ tabulis multo antiquioribus, recentissimum pro se solumque produxisset Ecclesiæ Romanæ Martyrologium? Tertio denique, quia tabulæ istæ aliud non videntur esse, quam vel historia inventionis et canonizationis ejus, in tabulario seu Mss. Patavinis conservata, vel elogium aliquod ex illa compositum et relatum in ecclesiæ ejusdem Fastos. Hanc autem ex Cavacio, cum ejus Historia nondum hic esset, apud Ughellum citato dedimus tom.* 2 *Martii, pag.* 610. *Sed quoniam ex tabulario cœnobii S. Justinæ Patavinæ ipsum illud instrumentum beneficio P. Romagnoli anno* 1688 *nacti sumus, quod Cavacio ceterisque præluxit, ex hoc illam hic denuo repræsentamus, expunctis, quibus abundat, mendis librarii. Sic igitur habet :*

Revelantur divinitus anno 1053

4 Dominicæ Incarnationis anno millesimo quinquagesimo tertio, Indictione VI, regnante Henrico secundo imperatore, divino nutu contigit, ut quidam vir bonus ac rectus, nomine Bernardus, hujus episcopatus esset antistes: orphanis, viduis, peregrinis necessitatem patientibus ex his, quæ sibi Deus commendaverat, tribuens, vigiliis et orationibus atque jejuniis perseverabat. Sacrificia quotidie Deo vovere non cessabat. Dum hæc ageret, divina gratia operante, senem pulcrum aspectu, decora facie, veste alba indutum, per somnium vidit, ita sibi loquentem: Dominus ad te me misit, ut loca, in quibus corpora sanctorum Juliani, Maximi, Felicitatis ac Innocentium puerorum diligenter sunt recondita, [demonstrem; ut] inde ablata, et a te fidelibusque Christianis diligentius suscepta, quæ diu fuerant incognita, deinceps cunctis Christicolis summa reverentia nota persistant; et hæc urbs, quæ antiquitus anathemate est perdita, istorum meritis elata ditetur. His dictis, in sanctæ Justinæ basilicam subito eum rapuit; et locum, in quo corpora sanctorum Juliani atque Innocentium in unum requiescebant, inter altare Genitricis Dei et arcam sancti Prosdocimi, demonstravit. Corpora vero santorum Maximi et Felicitatis apud fores in sinistro B latere jacere consignat: et subito ablatus est ab oculis ejus.

et refodiuntur

5 Mane auctem facto, perterritus surrexit; collectisque venerabilibus clericis ac religiosis laicis, quæque ordine declaravit. Cumque hæc ovantes audirent ac intimo corde perciperent, jejuniis et orationibus et eleemosynis prodita sequi hortabantur. Indicto jejunio omnes triduo perseverantes, cilicium induentes, hymnos et cantus spirituales decantantes, et cum processionibus euntes, Deum deprecari non cessabant. Die vero tertia, cuncto populo in sanctæ Justinæ ecclesia conveniente, pontifex cum omni clero Missam celebravit et summa reverentia Corpus et Sanguinem Domini communicavit. Peracta autem Missa, venit ad locum divina visione monstratum, et prosternens se in terram, prolixius oravit. Completa oratione, accepto fossorio, fodere cœpit: et dum fodisset quasi pedes sex, reperit arcas marmoreas ferreis nexibus complexas, ex quibus odor suavissimus exhalabat; quo cuncti Deo laudes referebant; et qui illic variis languoribus detenti aderant, sani effecti ex odore, cuncti Deum benedicere non cessabant.

AUCTORE P. B.

corpora SS. Maximi, Juliani, trium Innocentium et Felicitatis,

6 Pulsante metu, aperuit arcas episcopus, ut thesaurum sibi multimode revelatum cum gaudio acciperet. Interea facta est intolerabilis lux per totam ecclesiam; ut nullus præ fulgore se prospicere valeret: et quasi per dimidium horæ spatium facti veluti mortui, in terram prostrati jacuerunt. Episcopus, acceptis reliquiis *(desideratur hic aliquid, cum sit mutila syntaxis)* ad quorum capita lapides divino pollice inscripti erant, quorum unusquisque suum titulum retinet, ita dicentem: HIC REQUIESCIT MAXIMUS, SECUNDUS A PROSDOCIMO EPISCOPUS, QUI HUJUS MUNDI VITAM DOMINO TRIBUIT, UT SEMPITERNAM HABERE MERERETUR IN CŒLIS. Alter vero sic retinebat: HIC CONDITUS EST JULIANUS, VIR CHRISTIANISSIMUS, QUI CUM MULTIS VICIBUS A SEPULCRO DOMINI REVERSUS ESSET, ET TANDEM TRES INNOCENTES SECUM DETULISSET, PERREXIT AD CHRISTUM. QUAPROPTER IN UNUM COLLOCATI HIC REQUIESCUNT. Tertius autem ita profert: HIC EST SEPULTA FELICITAS, ILLUSTRIS FEMINA, DEO DEVOTA, SACRO VELAMINE DEDICATA; QUÆ DIE NOCTUQUE IN DEI SERVITIO PERSISTENS, IN CŒLIS SUSCEPTA EST.

E *cultum illis mox decernente S. Leone PP. IX.*

7 Increbrescente fama, omnes, qui de inventione Sanctorum audierant, convenerunt, et variis infirmitatibus pulsi, invocatis nominibus eorum, sanabantur. Interim dum hæc agebantur, accidit, divina providente clementia, ut beatissimus Papa Leo, Romanæ Sedis Apostolus, per Patavinensem civitatem ad subjugandum illorum sponte Hungarorum regnum, iter acciperet [et] a Bernardo episcopo honorabiliter susceptus, [et] apud eum per duos dies manens, in ecclesia sanctæ Justinæ virginis, ubi corpora Sanctorum venerabantur, sacra Mysteria populo celebraret, et civitatem, quæ antiquitus anathematis vinculo complexa dicebatur, sanctificaret. Qui reverentissimis precibus adquiescens, Missa in ecclesia et populum verbo vitæ in fide Catholica confirmavit, ac inventionem Sanctorum canonizavit, civitatemque pristinæ benedictioni restituit. *Hæc ibi; quibus nonnulla in sequentibus numeris subjicimus observanda: primum de hoc ipso Ms.; tum de inventione in eo narrata; postremo de canonizatione inventionis.*

Hujus instrumenti ætati et auctoritati

8 *Ad primum quod attinet, huic historiæ Ms., ceterisque eam sequentibus in apographo nostro instrumentis ita subscribitur :* Attestor ego Joannes Dominicus Cellegari, monachus Casinensis, custos bibliothecæ S. Justinæ, quod hæc apographa F fideliter extracta sint ex libro Ms. Annalium cœnobii S. Justinæ; qui liber continet instrumenta per notarium publicum legalizata de corporibus sanctis, quæ in supradicta S. Justinæ ecclesia servantur: quod attestor manu propia. *Aliam hujus inventionis narrationem in veteribus Patavinorum Mss. nullam reperimus; atque adeo hanc ipsam putamus esse, quam secutus fuerit Scardeonius lib.* 2, *classe* 6; *etsi nimis libere, parumque fideliter, ut patebit ex dictis tom.* 2 *Martii pag.* 610, *num.* 5. *Laudat vero hanc ille, ut* antiquissimum dignumque fide monumentum. *Cavacius, cœnobii S. Justinæ historiographus in paucis nobilis eamdem ut stylo politiore, sic majori fide expressit lib.* 2, *ad annum* 1031; *nisi quod S. Leonem in reditu ab Hungarica expeditione fecisse dicit, quæ in itu facta narrat Anonymus. Itaque auctorem istum, relicto hic Scardeonio, recentiores Ughellus, Ursatusque, imo et Majores nostri, fontem ipsum nondum assecuti, non immerito prætulere. Non dubitat autem Cavacius, quin Ms. hujus auctor anonymus ad inventionis, quam describit, tempora pertinuerit*

AUCTORE P. B.

nuerit. Quod quidem ipsi nos libentius assentiremur; si non adeo aperte Anonymus ille assereret, post inventa Sanctorum corpora præsentem per se fuisse Patavii S. Leonem. Ceterum facile credimus, hoc monumento nullum jam pridem de hac re superfuisse vetustius; ac proinde exigenda ad illud esse, quæcumque de hac inventione Scardeonius, aut illo jejuniores, minus consona vulgaverunt.

cedere debent scriptores recentiores.

9 *Non probamus igitur Wionem, cum in Martyrologio monastico ad hunc diem, inventionem jam descriptam refert ad annum* 1050; *canonizationis autem ad annum* 1053 : *utraque enim accidit eodem anno, non* 1050 *(ut errat hoc die Ferrarius) sed* 1053. *Nec juvat Wionem ista inscriptio, quam in ecclesia S. Justinæ, basi ad dexteram chori collocatæ insculptam sic recitat :* Anno post Christum natum ML, Henrico II imp., Bernardus, episcopus Pat., vir et doctrinæ et sanctitatis eximiæ; augustissima Sanctorum corpora..., multis ante seculis variis hujus civitatis calamitatibus ignorata, primus invenit, *etc. : hæc enim inscriptio, utpote anno demum* 1562 *posita, cedere debet instrumento nostro longe vetustiori. Adde, quod Ursatus Hist. Patavinæ part.* I, *lib.* 3, *pag.* 238 *eamdem inscriptionem ita legerit :* Anno post Christum natum MLIII, Henrico II imperatore, *etc. In Scardeonio præter ea, quæ notata sunt tom.* 2 *Martii, emendandum est etiam quod ait, lib.* 2, *classe* 6, *pag.* 108 *in Bernardi Maltraversi elogio, senem illum, qui eidem Bernardo apparuit, ipsum fuisse* S. Maximum; *hoc enim nihilo magis constat, quam quod in indice Historiæ suæ affirmat Ursatus, apparuisse Bernardo S. Prosdocimum.*

B

Quid sit canonizatio inventionis;

10 *Hæc porro Anonymi nostri verba*, ac inventionem Sanctorum canonizavit, *sic explicat Scardeonius :* Sancivitque *(S. Leo PP. IX)* ut deinceps tam Maximus, quam ceteri ibidem inventi, pro Sanctis colerentur, atque ut præcipui et tutelares Divi Patavinæ civitatis haberentur. *Et addit :* Quod et a populo firmatum est, et usque in præsens tempus ab ecclesia Patavina servatum. *In eadem fere sententiam ita scribit Cavacius :* Ut etiam Sanctorum memoria ubique celebrior esset, eosdem albo Divorum adscripsit, et festo die honestavit, qui hactenus solemnis apud nos habetur IV Nonas Augusti, nempe quo reliquiæ eorum repertæ sunt. *Quæ utriusque scriptoris interpretatio satis innuit, Sanctorum illorum cultum, si umquam antea notus fuerit, saltem inventionis tempore prorsus ignoratum fuisse, ut supra jam diximus.*

C

et quo tempore hæc acciderit, et per quem.

11 *Inventionem canonizatione priorem fuisse, manifeste indicat Anonymus; quare qui illam* IV *Nonas Augusti defigit Cavacius, hanc aliquanto serius reponat, necesse est. Aliquanto, inquam, serius : nam pauculos inter utramque dies interfluxisse, præter Wionem, omnes affirmant. Cavacio tamen non favet Officium proprium* S. Maximi, *num.* 3 *citatum; ubi diserte dicitur*, Inventionem canonizavit IV Nonas Augusti. *Inscriptio quoque, apud Wionem et Ursatum modo assignata, sic habet :* Leo IX, Pont. Max.,.... eadem corpora, multa nimirum eorum miracula conspicatus, IV Nonas Augusti in Album Divorum retulit : *quæ postrema verba, Italice versa, pro suis adoptat Eusebius Mutinensis, auctor seculi* XVI, *in scripto, quod ibidem recenset Wion. Videtur ergo canonizatio facta* IV *Nonas Augusti; inventio autem diebus aliquot citius. At enim gravis hic difficultas oboritur : convenit namque inter omnes (si Ferrarium excipias, nullo testimonio fultum) non accidisse canonizationem hanc ante anni* 1053 *diem secundum Augusti. Quomodo igitur eam per se Patavii præsens dici tum potest perfecisse S. Leo IX; cum certissimum sit ex dictis tom.* 2 *Aprilis, pag.* 647 *et sequente, Benevento pedem non extulisse sanctum illum Pontificem a die* XXIII *Junii anni* 1053, *usque ad* XII *Martii anni* 1054, *quando inde vix Romam usque delatus æger, evolavit ad Superos? Hoc ergo cum ante alios omnes affirmet Anonymus noster, non video equidem, qua ratione defendi possit tam apertus ejus error; neque adeo illum existimo tam antiquum esse, quam contendit Cavacius. Absit tamen, ut de canonizatione dubitem, cujus anniversaria celebratio luculentum est testimonium; sed eam credo, more alias usitato, a S. Leone tum absente commissam episcopis Patavino et vicinis fuisse.*

D

E

An ad eam pertineant SS. Urius, Arnaldus, etc.

12 *Non recte vero annuntiatur a Wione in Martyrologio monastico* 2 *Augusti :* Patavii, canonizatio Sanctorum omnium, qui in cœnobio S. Justinæ requiescunt : *non enim alii relati sunt eo die in album Sanctorum, nisi quorum, hic reperta jam diximus corpora :* Maximus *videlicet ; Felicitas, de qua egimus* XXVI *Martii ; Julianus, de quo sermo recurret* III *Septembris ; et pueri tres ex illis, quos olim Bethleemi jugulavit Herodes. Nullus igitur hic locus est (etsi esse crediderit cum Wione Ferrarius) S. Urio, quem nos tom.* 2 *Martii pag.* 610 *et seq. cum S. Juliano, monumentorum posterius acceptorum penuria, male confudimus ; nullus item S. Arnaldo abbati, qui duobus fere seculis post S. Leonem IX vixit, ut ostensum est tom.* 2 *Martii pag.* 370 : *nullus denique Sanctis aliis, nedum omnibus, qui in cœnobio S. Justinæ requiescunt, sed ad inventionem hic memoratam non pertinent.*

Reliquiarum S. Maximi translationes.

13 *Binæ supersunt translationes reliquiarum cœnobii S. Justinæ annis* 1502 *et* 1562 *apparatu maximo celebratæ ; et posterior quidem non sine pluribus miraculis. Suppetunt utriusque instrumenta cum scripta manu, tum a Petro Saviolo Patavii anno* 1682 *in Thesauro urbis Paduanæ pag.* 116 *et* 120 *typis excusa, quæ locum hic suum merentur, utpote reliquiarum* S. Maximi *notitiam suggerentia minime negligendam ; sed quoniam ad cultum ejus demonstrandum adeo necessaria non sunt, quam data superius inventionis historia ; nec de hujus tantummodo Sancti, sed de plurium quoque aliorum, eadem occasione, loco, ac tempore bis translatorum, lipsanis agunt, opportunius visum ea referre simul omnia ad diem* VII *Octobris, quando agendum erit de S. Justina, quæ et ipsa translata tum simul fuit, et ad cujus ecclesiam cetera omnia pertinent. Adi interim, si libet, Cavacium ad annos modo assignatos.*

F

AUCTORE P. B.

D

DE S. STEPHANO PAPA I AC MART.

ROMÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus ejus tamquam martyris proprie dicti.

ANNO CCLVII.

Colitur ut Martyr, tam in Ecclesia Latina hoc die,

Sanctum Stephanum *Pontificem Romanum, hoc nomine primum, jam olim ut Martyrem venerata est universa per orbem Ecclesia; ut proinde novum censeri non debeat, quod ei in moderno Martyrologio Romano adscribitur in hæc verba :* Quarto Nonas Augusti Romæ in cœmeterio Callisti, natalis sancti Stephani Papæ et martyris, qui in persecutione Valeriani, dum
B
Missæ sacrum perageret, supervenientibus militibus, ante altare intrepidus et immobilis cœpta mysteria perficiens, in sede sua decollatus est : *simillimum enim est, atque ejusdem omnino sententiæ, elogium, quod ipsi ad eumdem diem seculo nono texuit Usuardus. Usuardo non multo senior Ado præluxerat, in describendo tamen* S. Stephani *Papæ martyrio longe copiosior ; Adoni vero Martyrologium vetus Romanum a Rosweydo vulgatum, eodem die memoriam consignans :* Romæ, Stephani Papæ et martyris. *Martyris etiam titulo (ut nihil de Notkero, Rabano, Wandelberto, Beda nostro, et S. Gregorii Libro sacramentorum dicamus) in antiquissimis ad eumdem hunc diem Martyrologii Hieronymiani codicibus, apud Florentinium. decoratur. Eodem ornatur sæpius in Diplomate S. Pauli PP. 1, quod licet sit seculi demum octavi, eo tamen valere debet plurimum, quod ab illo conditum sit, qui Sancti nostri corpus transtulit primus e cœmeterio, ubi sepultum primo fuerat cultumque*
C
non sine indiciis, ut par est credere, manifestis martyrii. Adi Baronium ad annum Christi 761.

quam in Græca eodem die vel sequente vel etiam 30 Augusti, et 7 Septembris.

2 *Sed neque apud Græcos aliter celebrata legitur ejus memoria sive hac die 2 Augusti, sive aliis : nam in codice Ms. Cpolitano pervetusto, de quo Lambecius Bibliothecæ Cæsareæ lib. 8, pag.* 100, *ita legitur ibidem pag.* 219 : Μηνὶ Αὐγούστῳ λ'. Μαρτύριον τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Στεφάνου, Πάπα Ῥώμης, καὶ τῶν ιβ' μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ λοιπῶν ἁγίων Μαρτύρων μαρτυρησάντων ἐν Ῥώμῃ. *Id est :* Mense Augusto, die xxx. Martyrium Sancti hieromartyris Stephani, Papæ Romani, ac xii discipulorum ejus, et reliquorum sanctorum Martyrum, qui Romæ martyrium confecerunt. *In plerisque vero orientalis ecclesiæ Fastis bis consignatur; et semel quidem hoc die, ut in Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ et Menologio Sirleti apud Canisium; vel die sequente, ut in Menæis Mss. Chiffletii et excusis : iterum vero (nescio quam ob causam) die* vii *Septembris, quo notatur in iisdem libris (saltem tribus prioribus : nam Menæa Chiffletiana ab Augusto exeunte usque ad initium Martii interciderunt) et in Fragmento Menæorum Mss. bibliothecæ S. Marci Florentinæ. Ubique autem non solum annuntiatur ut Papa et martyr; sed martyrii quoque Acta nostra per compendium exhibentur, præmissis ad* vii *Septembris binis hisce versiculis :*

Τμηθεὶς Στέφανος θεῖον ἥρπασε στέφος,
Πάπας μὲν ὢν πρὶν, νῦν δὲ καὶ μάρτυς μέγας.
Id est :
Stephanus coronam cæsus æternam rapit,
Nunc martyr ingens, Papa qui fuerat prius.

Elogia cetera utrovis loco diffusa prætereo, unum illud hic vertisse contentus, quod Græce ad calcem hujus tomi refertur in Augusto mense ex Menologio Basilii imperatoris. Sic ergo habet : E

Elogium ex Menologio Basilii imperatoris.

3 Mense eodem *(Augusto)* die secunda, certamen sancti hieromartyris Stephani et Sociorum ejus. Erat sanctus martyr Stephanus sub imperio Valeriani, antiqua Roma oriundus. Cum autem persecutionis causa domi delitesceret, ethnicos ad se adventantes baptismo lustrabat; consecrabatque diaconos ac presbyteros; et mundi salutem Deo precibus commendabat. Quin et Emesii *(imo Nemesii)* tribuni filia sanitati restituta, ipsummet *(patrem)* ad baptismum perpulit; neque ipsum tantummodo, sed viros insuper feminasque complures; qui quidem per supplicia diversa cursum consummarunt. Collectas vero horum reliquias summus Pontifex Stephanus honorifice sepelivit. Subinde Martis fanum coactus ingredi et *(Martem)* adorare, ingressus est quidem; sed fusis ad Deum precibus prostravit idolum. Post hæc autem ad aras faciens, capite truncatus est, et in eadem sede depositus, una cum discipulo suo, sacrum fidei symbolum *(id est, Eucharistiam)* manibus continente *: nempe Tharsicio.*

Quidam dubitant de martyrio ejus,

4 *Hæc eo longiuscule recensuimus, ut appareat, contra solem eos loqui, qui assertum tot vetustissimis per Ecclesiam universum testimoniis,* S. Stephani *martyrium revocare nunc tandem in dubium* F
non verentur; idque sequentibus argumentis. Primo, quod neque S. Augustinus, neque S. Vincentius Lerinensis, ubi S. Stephani *fidem, prudentiam illibatam in administrando episcopatu integritatem, sanctitatemque commendant (hic Commonitorio cap.* 9; *ille lib. de unico Baptismo contra Petilianum cap.* 14*) de martyrio ejus verbum nullum faciant. Secundo quod, S. Pontius in Vita S. Cypriani de S. Xisto,* S. Stephani *successore hæc scribat:* Jam de Xysto, bono et pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab Urbe nuntius venerat : *nam si auctorem heterodoxum in Annalibus Cyprianicis ad annum* 257 *num.* 5 *audimus, his verbis Pontius* Stephanum videtur perstringere *(quasi nec bonus is fuisset scilicet nec pacificus)* eumque negare aut omnino martyrium subiisse; aut, si subierit, verum et beatum Martyrem fuisse. *Tertio denique quod in vetustissimo Kalendario Romano, apud Bucherium in duas classes diviso, quarum priori titulus est :* Depositio episcoporum; *alteri:* Depositio Martyrum; *quod in illo, inquam, Kalendario primæ classi adscripta le-* *gatur*

AUCTORE P. P.

gatur ejus depositio : Quarto Nonas Augusti Stephani in Callisti ; *in secunda vero classe, locum non habeat.*

quorum argumenta

5 *Ad primum respondeo, neque a S. Augustino, neque a S. Vincentio negari martyrium* S. Stephani. *Non est ergo, quod Ecclesiæ illud asserenti opponantur. Deinde Augustino opus non erat ad rem, quam agebat, alia* S. Stephani *laude, quam quæ ab ipsis Donatistis ipsi ultro concessa fuerat : quod vero S. Cypriani martyrium, uti et alias ejus virtutes, sæpe commemorat, id necessario facere debuit, ne cujus doctrinam arguebat, ejus arguere sanctitatem ac merita videretur. Ad Vincentii quoque argumentum unice faciebat,* S. Stephani *prudentiam ac sanctimoniam extollere. Utrique vero laudes ejus alias sicut addere necesse non fuit, sic arbitrarium erat prætermittere. Ad secundum respondeo, argumentum esse non nisi hæretico dignum auctore: nam quo indicio censeri potest S. Pontius laudando S. Xystum, perstringere voluisse* S. Stephanum, *aut ad hunc omnino respexisse; cum neque de* S. Stephano, *neque de controversiis ejus cum S. Cypriano, in tota illa Vita vel semel mussitet? Certe* B *si perstringere Pontius* Stephanum *voluisset, laudare utique etiam Cyprianum debuisset, saltem ex eo capite, quod cum Pontifice erga se nec bono nec pacifico pacem observasset, etiam præceptis ejus minisque gravissimis lacessitus.*

refutantur;

6 *Ad tertium, fateor, venerari me antiquitatem Kalendarii Bucheriani; absit tamen, ut illud Ecclesiæ universæ constantissimo consensui æquiparandum putem, nedum (quidquid aliter Pagio visum sit in Critica ad annum Christi* 253, *num.* 5*) præferendum. Quid, quod aperta sunt in illo Kalendario vitia, si sub titulo* Depositionis episcoporum *solos illos complecti dicatur, qui tum in Ecclesia pro Sanctis quidem, sed non pro Martyribus habiti fuerint? Nam sub illo titulo collocati sunt etiam S. Lucius et S. Felix Romani Pontifices; cum utriusque martyrium agnitum semper ab Ecclesia fuisse non Fasti tantum sacri testentur, sed et SS. Patres. Et de Lucio quidem luculentus est locus hic S. Cypriani, Kalendario laudato longe antiquioris, epist. in editione Pamelii* 67 *ad* Stephanum : Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus; quorum memoriam cum nos honoremus, multo C magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Dei, et in glorioso martyrio constituti, *etc. De Felice autem PP. I sic meminit anno* 431 *œcumenicum concilium Ephesinum coram ducentis et ultra Patribus, apud Labbeum tom.* 3, *pag.* 512 : Felicis sanctissimi Episcopi Romæ et martyris, *etc.; quæ eadem verba usurpat S. Cyrillus Alexandrinus ibidem pag.* 852; *his adde S. Vincentium Lirinensem in Commonitorio cap.* 42, *ubi de eodem concilio disserens :* Lectæ sunt quoque, *inquit,* ibi quædam ad quosdam epistolæ S. Felicis martyris et S. Julii urbis Romæ Episcoporum *Patet igitur, ad evertendum* S. Stephani *martyrium non magnam esse posse istius Kalendarii auctoritatem.*

uti et eorum, qui martyrium agnoscunt quidem.

7 *Neque enim hic audiendum censemus Tillemontium not.* 3. *in* S. Stephanum *Papam, et alibi; cum ait, certum quidem sibi videri martyrium* S. Stephani; *sed minus illud tamen illustre, quam S. Sixti II, successoris ejus.:* imo fieri posse, ut alterius fuerit generis, hoc est, ut mortuus sit in carcere vel in exsilio, etc.; non autem per sententiam judicis, aut manu persecutorum, quod verum tunc perfectumque martyrium reputabatur. D *Neque aliter de SS. Lucii et Felicis martyrio pronuntiat, sequentibus passim neotericis. Nimirum hæc eo vergunt, ut verum ac proprie dictum SS. Lucii,* Stephani, *ac Felicis martyrium haberi velit pro dubio; itaque rationem inveniat Kalendarii jam dicti fidem cum sanctorum Patrum ac Martyrologorum omnium et Ecclesiæ denique totius testimoniis conciliandi : puta, si dicantur in hoc solo Kalendario non appellari Martyres, nisi qui vere ac proprie Martyres fuerunt; in ceteris vero Ecclesiæ monumentis omnibus usque ab ætate S. Cypriani, et quidem more jam tum apud omnes (si solum hujus Kalendarii scriptorem exceperis) in Ecclesia recepto, usurpari metaphoras, per easque Martyres improprie nuncupari, etiam qui proprie Confessores tantummodo dici poterant. Quis non videat, quam violenta sit hæc, imo quam falsa interpretatio? Falsa est, si ad Adonem, eumque secutos Usuardum, Notkerum, aliosque, aut Fastos Græcanicos referatur; cum in iis ex adjuncta veri perfectique ejus martyrii descriptione certissimum sit, Martyris vocabulum non tropice, sed proprie adhiberi : violenta est, si Romanum parvum, Martyrologium Hieronymianum,* E *Missam Sancti Gregorianam, titulos ex synodo Ephesina citatos, etc., respiciat: nam in simplicissimis ejusmodi scriptis, nudisve Sanctorum catalogis oratorias comminisci metaphoras et auxeses, mihi quidem tam absurdum videtur; ut si aliter hic Bucherii Kalendarium defendi non possit, abdicandum existimem. Quid enim in eo piaculi, si hominis privati testimonium, quantumvis antiquum, publicæ ecclesiarum omnium traditioni postponatur?*

sed minus proprie dictum.

8 *Hominis, inquam, privati testimonium : sic etenim omnino persuasum habeo, numquam auctoritate publica ad usum Ecclesiæ Romanæ concinnatum illud Kalendarium fuisse; sed a Christiano quodam privato, qui illud post medium seculi quarti ad suum solius usum qualemcumque et notitiam composuerit. Cur ita sentiam, facit immensum discrimen, quod inter illud et alia vetustissima certissimaque Ecclesiæ Romanæ Kalendaria intercedit. Hoc ut perspicias, accipe, si placet, non illud modo seculi octavi non multum provecti, quod a Frontone editum est illustratumque; sed illud imprimis, quod in Thesauro novo anecdotorum, tom.* 5, *a columna* 65 *non ita pridem vulgavit Martenius, contenditque, eodem seculo quarto, vel sequentis initio fuisse conscriptum.* F *Ibi anni cursus ecclesiastico ritu dividitur; non apud Bucherium : ibi stationes, et sua cuique celebritati assignatur evangelica lectio ; non hic : ibi sancti Confessores ac Martyres eodem ordine recensentur; hic alia Martyrum est series, alia Confessorum, et inter Confessores illi soli locum habent, qui a Lucio usque ad Julium Romanam cathedram tenuerunt, et inter eos ipsos S. Marcellus omittitur : ibi singulis mensibus præter solenniora festa, ab ortu Ecclesiæ ubique observari solita, præter Dominicas, ac Ferias pro tempore occurrentes, longe plures notantur Sanctorum natales, quos incredibile est celebratos non fuisse in Ecclesia Romana ante seculum quartum media parte evolutum; cum in Kalendario Bucheriano, præter paucissimas Sanctorum depositiones, nihil annotetur. Denique, ut cetera prætereamus, illud et nomen et formam habet ecclesiastici Kalendarii; Bucherianum vero neque Kalendarii titulum præfert, neque meretur; utpote necrologio similius, in quo ea solum pro sua scientia, aut, si mavis, inscitia, notaverit quispiam, quorum sua intererat, meminisse. Confer, si vacat, utrumque, et mecum, nisi fallor, senties.*

9 *Hactenus de communi totius Ecclesiæ erga*

san-

A *Cultus ejusdem peculiaris.*

sanctum hunc Pontificem ac Martyrem veneratione: qua etiam nunc ejus natalem Officio simplice quotannis celebrandum ubique proponit. Quod si de peculiaribus ecclesiis, vel ejus nomine erectis, vel insigni reliquiarum ejus parte fruentibus, agatur, dubium esse non potest, quin cultum in iis celebriorem obtineat : tales autem ecclesias non paucas enumerabimus infra, cum de reliquiarum ejus translationibus disseremus. Nunc ea, quæ ad vitam ipsius et Acta pertinent, libet inspicere.

§ II. Ejus patria, parentes ; gesta quædam usque ad annum Christi CCLV.

S. Stephanus, Julii filius, Romanus,

Cum *Acta* S. Stephani *Papæ I et martyris a persecutione Valeriani narrationem ordiantur, atque ita solum ejus martyrium cum adjunctis, quæ illud proxime attigerunt, exhibeant; quæ ad reliquam ejus historiam spectant, aliunde promenda sunt. Fuit ergo* Stephanus natione Romanus, ex patre Julio; *ut habent Catalogus Pontificum, seculo* VI *scriptus, et ab Henschenio vulgatus tom.* I *Aprilis in Diatriba præliminari; et Anastasius Bibliothecarius : quamquam non desint operis utriusque exemplaria Mss., in quibus non legitur* ex patre Julio, *sed* ex patre Jobio, *vel* Jovio; *uti videre est tam apud Schelstratium in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom.* I, *pag.* 430 *et sequente, quam in recentissima Anastasii recensione Blanchiniana tom.* I, *pag.* 25. B

Romanæ primum Ecclesiæ archidiaconus,

11 *Quid ante Pontificatum egerit, ex solo Anastasio discimus in Vitis SS. Cornelii et Lucii. In priore etenim de Cornelio tradit :* Post hoc, id est III Nonas Martii, jam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano archidiacono suo. *In posteriore vero de Lucio :* Qui a Valeriano tentus, capite truncatus est III Nonas Martii. Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono suo, dum ad passionem pergeret. *Et de hoc quidem ultimo textu nulla est controversia, nulla codicum veterum discrepantia; qualis est in textu primo, ad quem apud Schelstratium citatum pag.* 429 *hæc notat Holstenius :* Vaticanus *(codex)* minor . . . . quæ de bonis Ecclesiæ Stephano archidiacono *(a S. Cornelio)* traditis subjunguntur *(in codicibus aliis)*, non agnoscit : et ex sequenti Vita Lucii male huc translata ; nec regius *(codex)* ea agnoscit. *Fuerat igitur* S. Stephanus, *antequam ad supremum illum Ecclesiæ verticem attoleretur, in clerum Romanum, Anastasio teste, cooptatus; in eoque, ut nihil de Cornelio dicamus, ita se Lucio probaverat, ut eum ex omnibus unum ad sustinendam difficillimis temporibus nutantis Ecclesiæ molem deligeret.* C

deinde Pontifex ab anno Christi 253 fuit.

12 *Neque vero aliud S. Lucii, aliud Ecclesiæ Deique de* Stephano *judicium fuit : cujus enim onus susceperat, brevi dignitatem obtinuit. Nam Lucio gloriosa morte defuncto successisse* Stephanum, *Eusebii, Optati Milevitani, Augustini, Prosperi, omnium denique certissima auctoritas est; tametsi non perinde constet, quo id anno acciderit; ut vel ex Decessorum nostrorum in illo designando mutata non semel sententia, licet colligere. Communior vero nunc est, nec displicet nobis, aliorum opinio, quæ annum huic rei statuit Christi* 253; *utpote antiquissimi apud Bucherium Catalogi Pontificum Romanorum, Eusebii, ac S. Prosperi in Chronicis, consensu firmata. Nam Eusebius (quem sequi videtur Georgius Syncellus)* S. Stephani *primordia ante imperatorum Galli et Volusiani interitum, sed eodem tamen, quo hunc, anno consignans, aliter non potest intelligi, quam Prosper, cum ejusdem Pontificatus initium repetit a consulatu Volusiani II et Maximi una cum jam dicto Catalogo, licet hic minus accurate eumdem absque ullo dubio consulatum appellet* Volusiani et Maximini. *His addi possunt, ut infra videbitur, catalogus Romanorum Pontificum seculo* VI *scriptus, uti et Liber Pontificalis illo posterior ; si recte corrigantur aut explicentur. Porro quam certum est, iisdem consulibus Gallum et Volusianum concidisse; tam est exploratum, consules illos ad annum Christi* 253 *unice pertinere. Uterque Pagius, alter in Critica in Annales Baronii ad annum* 253, *num.* 5, *alter in Breviario Pontificum Romanorum, post Joannem Cestriensem in Annalibus Cyprianicis ad annum eumdem, num.* 5, *præter annum illum, diem etiam aditæ Sedis tuentur decimum tertium Maii; nec male, si standum est Catalogi Bucheriani auctoritate, qua sedisse dicitur* Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum : *totidem enim retro numerantur a die* 2 *Augusti anni* 257, *quo illum putamus occubuisse, usque ad anni* 253 *diem* XII *vel* XIII *Maii.* E

Cura ejus et caritas quaqua versus extensa.

13 *Interim Ecclesia, quæ, deletis circa* Stephani *Papæ primordia Gallo et Volusiano tyrannis, sub Æmiliano tantillum respirabat; hoc demum etiam tribus postea mensibus per suos interempto, cum Valeriani imperio securam utcumque pacem annorum fere trium obtinuit. Tum vero sanctus Pastor, libertatem agendi majorem nactus, ad remotissimas quoque per orbem ecclesias solicitudinem vertit : de qua dolendum sane est, in iis, quæ supersunt, istorum temporum monumentis tam pauca sigillatim notata reperiri. Sed enim hæc ipsa sufficiunt ad faciendam de ceteris conjecturam. Ita cum apud Eusebium lib.* 7, *cap.* 5, *S. Dionysium, patriarcham Alexandrinum, legimus sancto Pontifici nostro hæc inter alia scribentem :* Syriarum quidem provinciæ omnes cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis, *etc., dubitare profecto non possumus, quin aliis quoque provinciis quibuscumque opem ejus in simili penuria flagitantibus, eadem liberalitate caritateque succurrerit. Quid enim optimo Pastori, Romæ nato, cum Syriarum Arabiæve fidelibus, tam longe Roma submotis, potuit intercedere, quod illos ipsi potissimum præ ceteris commendasset? Cujus porro tanta corporum pascendorum cura fuit; quantam fuisse censebimus animorum ? Nimirum hos absens epistolis fovebat, ut illa nummis : hoc enim idem quoque Dionysius aperte tradit, citatis modo verbis hæc subdens :* Et quibus litteras nunc scripsistis, etc. F

Marcianum episcopum Arelatensem ob hæresim et schisma Novatiani

14 *Hinc statuendum videtur, quanta fuerit ejus in rebus quibusvis ecclesiasticis, sive quas omnino nunc ignoramus, sive quarum notitia tantum obscura superest, sedulitas ac diligentia ; quæ proinde ne in ipsa quidem Marciani causa, tametsi longiuscule ducta, defuisse censenda est. Erat vero Marcianus, teste S. Cypriano epistola apud Pamelium* 67, *Arelatensis episcopus ; sed Novatiani erroribus schismatique palam ac pertinaciter addictus, non sine ecclesiarum et suæ detrimento, et mœrore ac gemitu vicinarum. Res itaque ad* S. Stephanum *delata primum est, tam a Faustino, antistite Lugdunensi, quam a ceteris coepiscopis in eadem provincia constitutis ; deinde per ejusdem Faustini litteras sancti quoque Cypriani patrocinio semel et iterum commendata ; ac tum ab hoc demum apud summum Pontificem suscepta confectaque per epistolam jam citatam, cujus hæc præcipua sunt, et asserendæ Sedis Apostolicæ auctoritati peridonea capita :* Quapropter facere

AUCTORE P. B.

cere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum, et divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videatur abstentus; qui JAM PRIDEM jactat et prædicat, quod Novatiano studens et ejus pervicaciam sequens, a communicatione se nostra segregaverit. *Et paulo inferius :* Dirigantur in Provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat, multos illic ex fratribus nostris ANNIS ISTIS SUPERIORIBUS excessisse sine pace; vel ceteris subveniatur, qui supersunt, *etc.*

deponit.

15 *Scribebat hæc* Stephano *Cyprianus non ante annum Pontificatus ejus secundum, Christi* 254; *ut probat auctor Annalium Cyprianicorum; quando* jam pridem, annis superioribus, *adeoque ab ipsis saltem* Stephani *primordiis, Marcianus ecclesiam impune dissipaverat. Numquid hæc igitur negligentiam Pontificis nostri non hic aliquam arguunt? Absit enimvero : neque enim (ut aliud nihil dicamus) quidquid tarde fit, id negligenter agi dicendum est; nisi quis prudentiam cum diligentia neget posse consistere; cum utriusque lex una sit :* Festina lente, *quam quidem legem Ecclesiæ præsulibus illa maxime tempora dictabant, quibus sub ethnica dominatione ac novella pace nondum tuta satis videri poterat severitas, et mala cogebantur aliquamdiu magna dissimulare, ne majora suscitarent. Certe neque S. Cyprianus, qui negotium hoc* Stephano *commendare multo securius poterat, quam* Stephanus *exsequi, fecisse tamen id scitur ante iteratas Faustini preces. Quorsum, obsecro, nisi quod nondum opportunum tunc istiusmodi judicio tempus putaverat? Hoc ergo cum advenisse visum est, ad causam continuo decidendam sic adhortatus est, Pontificem Cyprianus, ut de promptissimo ejus exitu, et* S. Stephani *diligentia neutiquam dubitaret; quod postremo ejusdem epistolæ pars manifeste prodit his verbis:* Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus; ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus. *Et vero dejectum ab eo ex sede tunc Marcianum fuisse, illud indicio esse potest, quod nomen ejus in antiquis Arelatensis ecclesiæ diptychis non legatur apud Mabillonium Analectorum tom.* 3, *pag.* 432.

Basilidem et Martialem episcopatu dejectos restituit;

16 *In idem fere tempus incidisse creditur causa Basilidis et Martialis; quorum alter Legionensis atque Asturicensis, alter Emeritensis ecclesiarum in Hispaniis episcopi cum essent, se libellis idolatriæ testibus, aliisque haud sane levibus flagitiis contaminasse dicebantur : hinc episcopatu indigni ambo apud suos habiti, dejectique; et in Basilidis locum Sabinus quidam; in Martialis vero Felix, ut apparet, suffecti sunt. Quod non ferentes exauctorati, ad Romanæ Sedis præsidium confugerunt (ut quidem de Basilide certum est : de Martiale admodum verisimile) ubi* S. Stephani *judicio absoluti, ad amissas ecclesias rediere, non sine illarum, imo et antistitum quorumdam, ingenti commotione, aversantibus eos aliis, tamquam justa sententia condemnatos; aliis vero tamquam superiori et legitima comprobatos auctoritate, recipientibus. Hoc dissidium qui Sabino ac Felici adhærebant, incerti qua demum ratione componerent, collatis inter se consiliis, illos tandem ipsos cum litteris totius negotii seriem explicantibus ad S. Cyprianum Carthaginem allegarunt, solicitudinem suam ejus vel solatio, vel sententiæ auxilio sublevari postulantes. Cyprianus, auditis in synodo legatis, litterisque, quas attulerant, perlectis, quidquid gestum ab iis fuerat, ita suo et coactorum secum episcoporum calculo probavit, ut epistolam continuo (Pamelio* 68, *et hujus historiæ fontem unicum)* Felici presbytero et plebibus consistentibus ad Legionem et Asturicæ, item Lælio diacono et plebi Emeritæ consistentibus *inscriptam remiserit; qua et recte illos fecisse omnia ostenderet, et adversarios iniquissime; cum quibus proinde non minus esset flagitium ullam habere communionem, quam nullam cum Felice Sabinoque, legitima nuper ordinatione subrogatis, velle servare.*

non tamen eorum obreptione aut sua negligentia deceptus;

17 Nec rescindere, *inquit,* ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum, collegam nostrum, longe positum, et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit; ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta; ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest; cum scriptum sit : Deus non irridetur. Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quo minus ipse quoque delictis gravibus involutus, episcopatum tenere non debeat...., maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis jn toto mundo constitutis etiam Cornelius, collega noster, Sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti; ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. *Quibus verbis duo continentur accusationis capita, non levem, si vera sunt, Pontificis nostri gloriæ maculam inurentia : altero enim* S. Stephanus *ipse petitur; quasi tacitæ veritatis ignarus, in re tanta per negligentiam deludi se siverit; altero notatur ejus sententia, non quidem ut animo iniquo lata; sed tamen ut iniqua per se, et priori S. Cornelii atque Ecclesiæ universæ decreto contraria; neque adeo observanda.*

ut putabat S. Cyprianus

18 *Sed nescio, cum ita censuit S. Cyprianus, an non ipse potius humanum aliquid hic passus videri debeat : nam etsi momenta non scimus, quibus ad ferendam sententiam* Stephanus *impulsus fuerit, quia decretum ejus intercidit; ea tamen quibus hic nititur Cyprianus, satis apparet, non esse gravia : quidquid enim hac epistola statuit, statuit parte inaudita altera, hoc est ex sola relatione legatorum, qui erant episcopi depositis substituti, et litteris eorum, qui hos deposuerant, illos substituerant. At hi numquid in causa propria testes erant idonei? Numquid æque imponere Cypriano poterant, ac* Stephano *Basilides? Tantone longius a locis, de quibus hic agitur, distabat Roma Carthagine; ut illuc inde penetrare posset fallacia; huc non posset? An tam frequentia Carthaginenses inter et Hispanos, nullo jurisdictionis ecclesiasticæ vinculo colligatos; tam rara Hispanorum cum Romanis, quibus et civili et ecclesiastica potestate suberant, commercia; ut quid ibi ageretur, non multo melius Romæ vel scire vel examinare potuerit* Stephanus, *quam Carthagine Cyprianus? Potuit, inquis; at non fecit, aut certe* negligenter *fecit. Quid ita, obsecro? Quia obrepi sibi, quia circumveniri se passus est. Atqui vel diligentissimo nonnumquam cautissimoque obrepi solet :*

maxime

AUCTORE P. B.

A *maxime si caritate plenus est, quæ omnia credit, nec cogitat malum: et misericordia, reis semper magis, quam actoribus, addicta. Quibus virtutibus cum tam Cyprianus, quam* Stephanus, *utpote sancti ambo, fulserint; unde hunc delusum potius fuisse dicemus, quam illum; aut utrumvis per negligentiam?*

sed quia non legitimo modo depositi fuerant.

19 *Imo vero fac, S. Cypriano rem omnino, ut erat, fuisse narratam probatamque; fac illam non modo ignorasse* S. Stephanum, *cum Basilidem restitueret; sed ne quidem discutere tum voluisse: nego vel sic, aut negligentem incautumve ipsum: aut iniquam ejus sententiam, et S. Cornelii decreto repugnantem censeri oportere. Ut enim cetera nescierit omnia; hæc duo tamen nescire non potuit: deturbatos videlicet ab Hispanis e suis sedibus Basilidem ac Martialem fuisse, aliosque eorum loco constitutos; et hoc illos fecisse, non consulta Sede Romana, ad quam causæ ejusmodi omnino erant referendæ; ut ex ipso S. Cypriano supra vidimus, ubi de Marciano; et apud eumdem videri potest epist.* 55 *ad S. Cornelium; vel etiam apud Eminentissimum Card. Aguirrium Conciliorum Hispaniæ* B *tom.* 1, *tota disertatione septima. Nihil ergo neglexit hoc loco sanctus Pontifex, cum aliud nihil sciri aut quæri debuerit ad Hispanorum acta, ut fecit, rescindenda, si non absolute et in perpetuum; saltem quoad illi (ut existimat citatus Aguirrius dissert.* 14, *excurs.* 3*) causam ordine legitimo, hoc est conscia et probante Sede Apostolica, denuo instaurarent; id quod eos deinde in animo habuisse, cum S. Cypriani auxilium implorarunt, putat Baronius ad annum* 258, *num.* 5. *Quis autem fuerit hujus causæ postremus exitus, ignoratur. Cardinalis Aguirrius loco proxime assignato, eam in eodem statu permansisse censet usque ad Pontificatum S. Xysti II, ut qui Decessoris sui sententiam ob eamdem rationem, ob quam fuerat pronuntiata, confirmaverit. Quod si verum est; alia* S. Stephanus *contra Cypriani censuram defensione non indiget. Ad S. Cornelium quod attinet, eum causas, qualis hæc fuit, graviores ad se omnino voluisse referri, patet ex assignata modo S. Cypriani ad eum epistola* 55. *Quando igitur decrevit,* ejusmodi homines ad pœnitentiam agendam posse admitti; ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi, *vel tantum prohibet, ne tales, si non*C*dum episcopi fuerint aut clerici, ordinentur (et sic decretum ejus huc neutiquam pertinet;) vel si eos qui jam clerici aut episcopi erant, deponendos esse decernat; id, servato juris ordine, neque proinde sine Pontificis Romani conscientia assensuque, fieri voluisse censendus est.*

§ III. Ejusdem sententia contra S. Cyprianum et alios de iteratione Baptismi ab hæreticis aut schismaticis collati.

Baptismum extra Ecclesiam susceptum

T*urbas Hispanorum gravior subinde per Orientem et Africam procella secuta est: statutum enim utrobique fuerat ex opinione eorum, qui verum Christi Baptismum conferri posse extra Ecclesiam negabant, necesse omnino esse, ut quicumque ab hæreticis vel schismaticis tincti, redire ad Ecclesiam vellent, in ea denuo baptizarentur. Hoc in Africa sub Agrippino episcopo Carthaginensi (ante annos circiter quinquaginta) frequens antistitum conventus, S. Cypriano epist.*73 *ad Jubaianum teste, decreverat: hoc et in Oriente synodis placuerat e Galatia, Cilicia, Cappadocia finitimisque provinciis apud Iconium et Synadam versus annum Christi* 230 *coactis; uti referunt apud Cyprianum epist.* 75 *Firmilianus Cæsareæ Cappadocum episcopus; apud Eusebium lib.* 7 *cap.* 7, *S. Dionysius Alexandrinus. Idem vero decretum urgeri nunc vehementius cœpit, auctoribus præsertim in Oriente Firmiliano et Heleno; in Africa Cypriano.*

in ea repetendum esse statuunt S. Cyprianus et alii;

21 *Et Cyprianus quidem illud non solum litteris suis asserere, verum etiam synodis voluit; idque tam fervide, ut uno propemodum tempore duas Carthagine celebraverit; priorem, exeunte circiter anno Christi* 255, *episcoporum triginta duorum, quorum nomina præfert epistola eorum synodica, inter Cyprianicas Pamelio septuagesima; alteram paucis post mensibus (puta anno Christi* 256 *ante Pascha, ut Pearsonio placet in Annalibus) antistitum Africæ Numidiæque unius et septuaginta: totidem enim numerat ipse S. Cyprianus ad Jubaianum. In utraque vero res eadem omnium suffragiis est comprobata: tum, ne quid ad eam semel stabiliendam deesset, communes a posterioris synodi patribus litteræ, quibus et nuperi concilii synodicas et alias S. Cypriani ad Quintum, in Mauritania episcopum, de* E *eodem ambas argumento, accluserant, Romam ad* S. Stephanum *transmissæ sunt, ea fiducia, quam hæc eorum ad* Stephanum *(epist.* 72*) verba præ se ferunt:* Hæc ad conscientiam tuam... pertulimus, credentes, etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt.

quod fieri severe prohibet S. Stephanus:

22 *Verumenimvero longe aliter, ac illi crediderant, evenit: nimirum sanctus Pontifex, ubi tantos ecclesiarum tamque citatos ad proscribendam apostolicam traditionem agitari motus cognovit, idque a præsulibus eximia sanctitatis doctrinæque fama pollentibus, nec alio, ut putabant, quam sinceræ veritatis ac religionis vindicandæ inflammatis ardore, perspexit continuo, tam præcipiti malo non qualecumque, sed efficacissimum juxta promptissimumque adhibendum esse remedium. Litteras ergo mox ad S. Cyprianum et Orientales dedit, quibus eorum opinioni contrariam ostendit esse traditam ab Apostolis consuetudinem; ac tum ita præcipiendo concludit:* Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venien- F tes non baptizent, sed communicent tantum. *Vide epistolam Cypriani* 74 *ad Pompeium. Quod quidem præceptum ut esse gravissimum ipsi sentirent, et auctoritatem illi suam omnem adjunxit et armatam non sine acri, sed justa, objurgatione intentavit, si negligerent, severitatem. Præcepit enim tamquam* Episcopus episcoporum, *ut eruitur ex ipso Cypriano in synodo tertio Carthaginensi apud S. Augustinum de Baptismo contra Donatistas lib.* 6, *cap.* 6; *et tamquam* successionem Petri tenens, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, *ut apud eumdem S. Cyprianum epist.* 75 *indicat Firmilianus: atque ita non obtemperantibus excommunicationis sententiam interminatus est, vel ea certe dignos haberi oportere significavit; ut patet ex epistola ad Pompeium et aliis.*

unde gravis orta dissensio; sed sine schismate seu excommunicatione;

23 *Hæ litteræ dici vix potest, quantum in Oriente Firmilianum, Cyprianum in Africa perculerint; ut alio non sit opus exemplo, ad virorum quantumvis Sanctorum doctorumque demonstrandam in causa propria fragilitatem. Nam vel ipsum S. Cyprianum (qui Firmiliano minus impotenter efferbuit), si epistolam ejus* 74 *ad Pompeium legeris, oblitum subito fuisse dicas quæ pridem in libro de Unitate Ecclesiæ,*

AUCTORE P. B.

siæ, in epistola 55 ad Cornelium, et alibi, de Romanorum Pontificum auctoritate tam præclare docuerat. Certe quæ post acceptas S. Stephani litteras in eum scripsit, ea S. Augustinum, ubi epistolam ad Pompeium confutat, in tractatu de Baptismo contra Donatistas libro 5, capite 25, tamquam irati potius animi motu effusa, quam æquo dictata judicio, vel commemorare puduit: Jam illa, inquit, quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo;... et ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Et nos igitur hæc missa facimus; illud monuisse contenti, quod ita paulo inferius idem sanctus Doctor observat: Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Quibus verbis significat, neque recessisse umquam a S. Stephani communione Cyprianum (id quod fatentur omnes, et ipse Cyprianus inculcat identidem); neque ab ea per Stephanum abstentum seu rescissum fuisse: nam si alterutrum contigisset, non nullum profecto inter eos malum schismatis fuisset ortum. Idem nihilo minus diserte asseritur in eodem opere, lib. 4, cap. 9; ubi collegas adversarios in hac re tolerasse dicitur S. Cyprianus, sicut et ipse toleratus est. At ipse sic eos toleravit, ut propterea neminem excommunicaverit: (hoc enim toties repetit): ergo neque excommunicatus propterea ab iis fuit.

B

cujus periculum non legatio synodica,

24 Ceterum ut summi Pontificis minas timere omnino debebat Cyprianus, nisi illi tam severe præcipienti vel obtemperaret, vel indulgentiæ saltem in se Afrosque suos extorquere aliquid niteretur; sic eo spectasse mihi videtur, cum in proximas continuo Kalendas Septembres ejusdem anni 256 novam, et super hoc negotio tertiam, indixit synodum Carthaginensem episcoporum quotquot ex Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ provinciis colligi potuere; paratus, opinor, vel Stephano morem gerere, si id pluribus videretur; vel eum a festinanda saltem sententia deterrere, si Africam ipsi cum Orientis parte non minima posset universam objicere; quam utique videretur Pontifex non ita statim omnem abdicaturus, idque ob solius (ut cum Firmiliano censebat Cyprianus) disciplinæ diversitatem; quin mallet hanc tantam Ecclesiæ jacturam qualicumque conciliatione conniventiave prævertere. Convenere ergo ad Kalendas dictas antistites omnino quinque et octoginta: qui omnes ac singuli, hortante Cypriano, ut quam liberrime suam quisque de re proposita sententiam ferret, superiorum conventuum decreta suo ac duorum insuper absentium episcoporum suffragio confirmarunt, ut apud Labbeum vide Conciliorum tom. 1, a col. 787. Ex hoc numero, ut nobis quidem apparet longe verisimilius, delecti subinde sunt ad S. Stephanum a S. Cypriano ceterisque synodi patribus legati; sed non eo rursus, quem sperabant, eventu. Jam enim ante renuntiata Pontifici fuerant omnia, quam isti appulissent; siquidem eos ille advenientes, teste Firmiliano, non suo dumtaxat alloquio, sed et fratrum tecto hospitioque, ne consistere uspiam in Italia possent, prohibuit. Itaque vela vertere, re infecta, coacti, hoc unum suis referre potuerunt, quod sibi contigerat.

C

sed S. Dionysius Alexandrinus, aliæve causæ sustulerunt,

25 Dubium esse non potest, quin hic nuntius haud mediocriter auxerit Africanorum antistitum, ac præsertim S. Cypriani, metum, ne tam aperta Romani Pontificis indignatio in majus brevi malum erumpens, quod minata paulo ante fuerat, differri diu non sineret. Sed neque spes erat Stephanum a proposito per se suosve jam revocandi, quando ne episcopos quidem admisisset tanta synodi auctoritate legatos. Quid igitur in hisce angustiis statuisse Cyprianum dicemus, ut ne a Petri Cathedra, cujus tam necessariam esse Christianis omnibus communionem luculente alibi demonstraverat, proscriberetur? Firmilianum in Oriente noverat in eadem jam diu causa periculoque versari: hunc ergo de rerum Africanarum statu certiorem illico facit, simul, ut opinor, exhortans, ut si quos habeat vel in Oriente vel apud Ægyptum amicos (alibi enim impense novitatem aversabantur omnes), quos Romæ sciat suspectos non esse ac valere aliquid, eos infortunii Orientalibus æque atque Africanis ecclesiis jam propinquius imminentis deprecatores apud Stephanum confestim adhibeat. Ejusmodi certe aliquid factum esse, suspicari sinit apud Eusebium lib. 7, cap. 5, S. Dionysius, patriarcha Alexandrinus, his verbis: Antea quidem litteras scripserat (S. Stephanus) de Heleno et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent... De his omnibus ego ad illum (scilicet S. Stephanum) epistolam misi ROGANS ATQUE OBTESTANS.... Sed et carissimis fratribus et compresbyteris (Romanis) nostris..... antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi.

D

E

tam ab Afris, quam ab Orientalibus.

26 Ut ut est; sive hujuscemodi intercessiones, sive aliæ quæcumque causæ S. Stephanum inhibuerint, progressum ulterius esse non credimus; sed intra solas excommunicationis minas stetisse: idque tam respectu S. Cypriani et Afrorum, ut ex Augustino jam vidimus; quam Firmiliani et Orientalium, ut ex producto S. Dionysii textu post Stephani martyrium conscripto liquet. Neque vero ex epistola Firmiliani quidquam conficitur amplius: is enim ibi et rhetoricæ plus nimio indulgens, et agitata bile commotior, quæcumque ad invidiam Stephano parandam conferre aliquid visa sunt, turgente passim sermone supra modum amplificat, atque ita in eum, quasi, quod facturum se dixerat, jam fecisset, invehitur. Vide Schelstratium Antiquitatis illustratæ part. 2, dissert. I, cap. 5, art. 2; aut, si mavis, Petrum Constantium Epistolarum Romanorum Pontificum tomo 1, in Dissertatione de Stephani Papæ I sententia circa receptionem hæreticorum, § 7, a col. 249.

Hæc S. Stephani causa quomodo vindicetur;

27 Restat ergo, interestque sanctissimi hujus Pontificis nostri ac Martyris gloriæ plurimum, ut quod egisse in hac re dicitur, id recte ab eo factum esse demonstretur. Id vero duplici ratione præstari potest: altera, si dicta ejus factaque sigillatim explanentur et ab adversariorum calumniis defendantur omnia; altera, si spectentur universe, et sic olim constanti potioris Ecclesiæ partis judicio commendata, numquam vel minimo vitio neque in re neque in modo notata dicantur; cum tamen adversantium Stephano culpa dissimulata non fuerit. Prior illa defensio non admodum quidem difficilis est; sed longior, quam ut huic loco conveniat, neque vero etiam necessaria; quando jam eam alii non semel susceperunt, ut auctores proxime laudati, et illi passim theologi, qui Romani Pontificis auctoritatem, hoc eodem S. Cypriani, Firmiliani, ac ceterorum eis adhærentium exemplo frustra toties impetitam, adversus hæreticos, schismaticos atque horum præcipue temporum novatores egregie tueri non desinunt; quos inter locum sibi non ultimum merito vindicat auctor anonymus, in opusculo Gallico, quod anno 1725 Parisiis editum inscripsit: Dissertation théologique sur la célèbre dispute entre le P. S. Etienne et S. Cyprien évêque de Carthage; où l'on explique la véritable pensée de S. Augustin touchant

F

la

AUCTORE P. B.

A la même dispute. *Solam hic igitur posteriorem adhibebimus, tamquam breviorem, planiorem, longeque gravissimam.*

Et quo tempore maxime viguerit.

28 *Sed priusquam id agimus, juverit rationem temporis, quo hæc* Stephanum *gessisse diximus, nonnullam afferre. Colligitur illud ex epistola Firmiliani, qua sic acta summi Pontificis adversus Afros et Orientales exagitat, ut conceptum ex iis dolorem recentem omnino fuisse, cum scriberet, oratione crudissima impetuque præcipiti prodat. Unde dubitari non potest, quin spatium inter epistolam illam, et ea quæ de* Stephano *continet, fuerit minime diuturnum. Hæc igitur quo anni tempore scripta est? Utrumque ipsamet indicat: annum quidem his verbis:* Ante viginti enim et duos fere annos, temporibus post Alexandrum imperatorem, multæ istic conflictationes et pressuræ acciderunt; *anni tempus denotant sequentia:* Quoniam vero legatus iste a vobis *(Cypriano)* missus, regredi ad vos festinabat, et hibernum tempus urgebat; quantum potuimus, ad scripta vestra rescripsimus. *Rescribebat ergo Firmilianus, imminente jam hieme, quando post Alexandrum imperatorem viginti et* B *duo fere anni effluxerant; quod omnino ad provectum annum Christi* 256 *referendum est; cum extendi ulterius nec debeat, nec possit. Non potest, inquam; quia ante anni sequentis autumnum et martyrium subierat* S. Stephanus, *et Cyprianus exsilium, contra manifestam epistolæ totius hypothesin: non debet etiam; quia ab anno Christi* 235, *quo periisse constat Alexandrum, et quidem (ut plerique autumant) mense Martio, usque ad annum Christi* 256 *jam prope decursum, anni plane viginti et duo fere intercedunt. In annum igitur eumdem, sed aliquanto minus adultum, acta* Stephani *jam dicta conveniunt.*

§ IV. Acta S. Stephani adversus S. Cyprianum et rebaptizantes a potiori Ecclesiæ parte constanter ab initio probata.

De ipso controversiæ tempore id testantur: Anonymus coævus,

Quis in hac de Baptismo controversia communis fuerit ecclesiarum longe plurium de S. Stephani *æquitate ac studio sensus, nemo testari melius potest, quam qui inter opera S. Cypriani a Rigaltio* C *aliisque, deinde etiam a Labbeo Conciliorum tom.* 1, *col.* 770 *editus est, auctor anonymus; siquidem, ipso circiter* SS. Stephani *ac Cypriani tempore hujus novitatem impugnaverit, ut cum plerisque eruditis contra Oudinum probat Tillemontius annotatione* 40 *in S. Cyprianum. Is ergo, proposita statim* vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica, *(qua nimirum extra Ecclesiam tinctis et ad eam redeuntibus manus tantum ab episcopo consuevisset imponi); tum novella eidem consuetudini adversantium quæstione, ita pronuntiat:* In quo genere quæstionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate, et necessaria humilitate, NIHIL INNOVARE gestiret. *Cedo, an non satis aperte hic laudat* S. Stephani *decretum illud,* NIHIL INNOVETUR; *idque non ut suo tantum judicio justum, sed et* venerabili ecclesiarum omnium auctoritate *ita comprobatum, ut* unusquisque *acquiescere* contentus *debuerit, qui* necessaria humilitate *non caruit? Sane nihil in mandante carpit, qui solam in subditis* humilitatem *desiderat, et quidem* necessariam; *imo tantum illius æquitatem extollit, quantum horum contumaciam; dum eos ibidem inanis gloriæ, stuporis hæreticorum, audaciæ atque impietatis accusat; dum turbulentos appellat homines; dum* monstri simile esse *ait,* ipsos episcopos talia scandala cogitare; *et plura, quæ in ipso citati tractatus aditu congesta legi possunt. Nec vero etiam, nisi undequaque justissimum fuisset* S. Stephani *decretum, omnes illud ecclesiæ defendissent; omnes, inquam, sic enim loquitur auctor ille; quia præ his Africanæ et orientales aliquot vix numerum facere censebantur.*

S. Augustinus,

30 *Hunc Anonymi locum eatenus obscuriusculum, quod neque de* Stephano *neque de Cypriano cum suis, nominatim et verbis expressis meminit, illustrat insigniter S. Augustinus, utrumque diserte exprimens lib. de Unico Baptismo contra Petilianum, cap.* 14; *ubi de eodem vigentis hujus dissidii tempore sic loquitur:* Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginensis, episcopi, Stephanus et Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti: quorum Stephanus Baptismum Christi in nullo E iterandum esse censebat, et hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tamquam non habentes Baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. MULTI cum illo; QUIDAM cum isto etiam sentiebant. *Ubi vides, voces illas* multi, quidam *tamquam oppositas usurpari, idemque sonare quod* multi, pauci. *Testatur ergo etiam Augustinus,* multos *episcopos cum* Stephano; *Baptismum Christi in nullo iterandum esse censente et hoc facientibus graviter succensente sensisse;* paucos *vero cum Cypriano. Sed tamen quam* pauci *cum Cypriano sentiebant; quam* multi *cum* Stephano? *Audi eumdem S. Augustinum contra Cresconium Donatistam lib.* 3, *cap.* 3: Proinde si omnino jam credendum sit, quinquaginta episcopis Orientalium id visum esse, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia *(numerus est certus pro incerto, sed maximo)* episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, *etc. Vides, quam* multos *cum* Stephano *sentientes, quam* paucis *opponat adhærentibus Cypriano? Observa hic obiter, secundum S. Augustinum, de solo* Baptismo Christi *egisse* Stephanum? *non est autem Baptismus Christi, cui deest legitima forma, ut idem docet Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib.* 6, *cap.* 25: F *vel alius ergo tunc apud hæreticos in usu non erat; vel si erat, illum* Stephanus *iterari non prohibuit; neque adeo probavit.*

et S. Vincentius Lirinensis:

31 *De eodem exortæ Cyprianum inter ac* Stephanum *controversiæ tempore illustre ad posteros testimonium transmisit Augustini coætaneus S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap.* 9; *ubi cum dixisset, præsumptionem Agrippini, qui antea statuerat, hæreticos esse rebaptizandos, tantum posterius invexisse mali,* ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis *(Cyprianum intelligit, cum suis Agrippini placita suscitantem)* occasionem præbuerit erroris; *ita prosequitur :* Cum ergo undique ad novitatem rei *(decreti Cyprianici)* cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur; tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ Sedis Antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen præ ceteris, restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.

Vides,

AUCTORE P. B.

Vides, iterum, Stephano *tamquam duci hujus expeditionis primario, commilitones adjungi* cunctos undique, atque omnes *(sensu nimirum accommodo)* quaquaversum sacerdotes, *id est episcopos; quibus proinde tum, ut postea Vincentio, bellum ejus visum fuerit religiosissimum.*

De tempore mox secuto, ipsoque Cypriano, idem Augustinus,

32 *Et hæc quidem de illo ipso tempore, ut monui, dicta sunt, quo nimius disputationis ardor ita quosdam abripuit; ut ad æquitatem causæ* S. Stephani *attendere non possent, imo non vellent. At ille postquam brevi resedit, quis Pontificis ejusdem seu superstitis etiam tum, seu gloriosa modo morte defuncti religionem suspicere; quis ejus tum præcepto se subdere recusavit; quem non vel puduit vel pœnituit, illi antea restitisse? De S. Cypriano id credi vult, tametsi ostendere scriptum non posse se fateatur, S. Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib.* 2, *cap.* 4; *et fortius ibidem cap.* 5, *ubi sic habet :* Quomodo accipere potuerit *(S. Cyprianus)* veritatem, contra id quod sentiebat, inventam; etsi litteræ tacent, merita clamant : si epistola non invenitur, corona testatur : si concilium non indicat episcoporum, consortium indicat angelo-
B rum. *Et epist.* 83 *ad Vincentium Rogatistam, cap.* 10 : Cyprianus autem sensisse aliter de Baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ, non in Canonicis; sed in suis et in concilii litteris invenitur : correxisse autem istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit; et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati, tanto velut patrocinio carere noluerunt.

et venerabilis Beda;

33 *Quid, quod scriptum illud, quod in Africa reperire non potuit, ideoque suppressum putavit, Augustinus, meliori forte servatum Romæ fuerit, atque inde alio manaverit per Europam, et ad seculum usque octavum in majori Britannia substiterit? Certe non is est sanctus ac venerabilis Beda, tum ibi litteris longe clarissimus, quem suspicari liceat, temere, quod nusquam legerat, asseruisse, cum in libro variarum Quæstionum, quæst.* 5 *in illud Apostoli :* Unusquisque in suo sensu abundet, *scripsit sequentia :* Si bona, quæ nostis, per caritatem operamini; tribuet vobis divina gratia, ut, si quid aliter, quam decet, sapitis, et hoc aliquando intelligatis : sicut B. Cypriano contigisse perspi-
C cuum est. Qui cum suis coepiscopis, qui erant in Africa, rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit : sed quia in suo sensu, qui sibi rectus videbatur, bonis abundare operibus studuit, mox corrigi meruit, atque ad universalem sanctæ Ecclesiæ formam spiritualium virorum institutione reduci. *Et sane id fateri necesse est, nisi coepiscopis omnibus duriorem quis fingere Cyprianum audeat.*

de episcopis Afris, S. Hieronymus; de Orientalibus, S. Augustinus,

34 *Pœnituit enim brevi ceteros quoque antistites Africanos tergiversationis suæ, ut fidem facit S. Hieronymus adversus Luciferianos in hæc verba :* Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum, tunc Romanæ urbis Episcopum, qui a B. Petro vicesimus sextus fuit, super hac re Africanam synodum direxit; sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum : Quid facimus? Ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores. *Pœnituit et Orientales, ut patet ex testimonio Cresconii Donatistæ, quod libro contra illum tertio, cap.* 2 *ita refert S. Augustinus :* Ma- D jores autem vestri, quibus tale testimonium perhibuisti, quod ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium resciderunt, quo eis placuerat de ista Baptismi quæstione Cypriano atque illi Africano concilio consentiri oportere, *etc.*

ut qui sub S. Xysto, S. Stephani successore, se submiserint.

35 *Quamvis autem non addatur, quo tempore hæc acciderint; verisimile tamen est, contigisse sub S. Xysto, qui* S. Stephanum *brevi secutus, illustri S. Cyprianum antecessit martyrio : neque enim ante sopitas fuisse dissensiones illas, apparet ex epistola S. Dionysii Alexandrini super iis ad Xystum data apud Eusebium lib.* 7, *cap.* 5 *: compositas autem sub Xysto fuisse, innuere videtur S. Hieronymus : nam si* ILLI IPSI EPISCOPI, qui rebaptizandos hæreticos cum eo *(S. Cypriano)* statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum; *profecto id fecisse dicendi sunt, antequam vel convenire illos prohiberet in synodum, vel eos magnam partem e medio sustulisset Valeriani crudelissima persecutio. Idem suadet locus supra ex S. Pontio in Vita S. Cypriani citatus.* Jam de Xysto, bono ac pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, *etc. Cur enim* pacifi- E cum *appellat, nisi quia pacem aliquam in Ecclesia fecerat? Quam vero aliam fecisse dici aut fingi potest, præter eam, quæ per Cypriani aliorumque de Baptismo novitates, etsi non omnino sublata, turbata tamen plurimum fuerat? Idem denique ex eo colligi potest, quod S. Dionysius Alexandrinus, qui secundum S. Hieronymum in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum cap.* 69, *in Cypriani et Africanæ synodi dogma consenserat, sub eodem Xysto Pontifice usqueadeo scitur abductus ab illa sententia fuisse (Et quidni exemplo eorum, quorum antea fuerat auctoritate seductus?) ut ne hominem quidem baptizare denuo sit ausus, quem ita noverat ab hæreticis fuisse tinctum, ut merito ex ipsius relatione dubitaret, an observata ab iis fuisset legitima Baptismi forma, Itaque ad Xystum recurrit, ut quid sibi in hac re esset faciendum, statueret, ut vide Eusebium lib.* 7, *cap.* 9.

Quid seculo 5 de S. Stephano ipsi Donatistæ senserint;

36 *Jam si ad secula subsecuta descendimus, quid ad* S. Stephani *gloriam, tum in aliis, quæ fecit, omnibus, tum in hoc præcipue negotio commendandam excellentius, quam ipsorum de ejus integritate Donatistarum confessio? Eruitur illa ex his S. Augustini verbis lib. de Unico Baptismo contra Petilianum, sub initia seculi quinti Cirtensem in Numidia Donatistarum episcopum, cap.* 14 : Sed volo, F mihi solvat iste *(scilicet Petilianus)* quæstionem; quandoquidem, cum Romanæ Ecclesiæ per ordinem commemorat episcopos, inter eos commemoravit et Stephanum, quos episcopatum illibatum gessisse confessus est. *Quis nescit, nihil fuisse Donatistis carius, quam Cyprianum; nihil familiarius, quam opera Cypriani; nihil in operibus ejus nobilius, quam quibus contra Romani Pontificis edictum, iterandum esse hæreticorum baptisma contenderat? Hæc enim assidue Catholicis occinebant. Legerat hæc ergo, ac triverat Petilianus. Ignorare adeo non poterat vitia turpissima, quibus ibi* S. Stephani, *quod illum ipsum errorem, quem deperibant postea Donatistæ, convelleret, contaminatus fuisse dicebatur episcopatus. Neque tamen his omnibus ita moveri potuit Petilianus, quin ultro ac palam, contra rem suam, contra S. Cypriani, cujus in* Stephanum *dicta ut meras hoc pacto calumnias arguebat, auctoritatem, eumdem illum episcopatum illibatum absolute profiteretur. Enimvero veritatem hanc non modo apertam omnibus, sed quodammodo violentam oportet fuisse; quando eam ne hostes quidem infensissimi dissimulare potuerunt. Et non*

pudet

A *pudet hodie scriptores quosdam, qui se Catholicos haberi volunt (Tillemontium dico et pejores alios) Cypriani Firmilianique litteris ad sanctissimi hujus Pontificis memoriam, vel ipsis olim Donatistis undequaque illibatam, in hoc saltem facto commaculandam abuti?*

quid eodem tempore cum Catholicis

37 *Non ita sane olim et S. Augustinus, et qui cum eo vixere Catholici : quibus æquum adeo visum est* S. Stephani *decretum, ut absurdum existimarent, si ei S. Cyprianum restitisse quis diceret, quem illi ne aliter quidem umquam de Baptismo sensisse contendebant. Testis Augustinus ad Vincentium Rogatistam cap.* 10, *de suo tempore sic asserens :* Quamquam non desint, qui hoc *(nempe repetendum esse in Ecclesia baptismum acceptum ab hæreticis)* Cyprianum prorsus non sensisse contendant; sed sub ejus nomine a præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum. *Quam quidem opinionem non displicuisse Augustino, patet ex ratione, quam continuo subjungit* ; Neque enim, *inquit,* sic potuit integritas atque notitia litterarum unius, quamlibet illustris, episcopi custodiri, quemadmodum Scriptura canonica, tot linguarum litteris, et ordine, et successione celebrationis ecclesiasticæ custoditur; contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent; frustra quidem ; quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota est. Verum quid possit adversus litteras non catholica auctoritate fundatas, etiam hinc demonstravit impiæ conatus audaciæ; quod et adversus eas, quæ tantæ notitiæ mole firmatæ sunt, sese erigere non prætermisit.

B

S. Augustinus;

38 *Nec refert, quod statim subdat :* Nos tamen duas ob res non negamus, illud sensisse Cyprianum : *tametsi enim non neget, ut adversarios argumento, quod vocant ad hominem, confundat; neutiquam id tamen etiam asserit; cum paulo inferius eamdem iterum opinionem ut sibi inter alias probabilem adstruat in hunc modum* : Porro autem Cyprianus aut non sensit omnino, quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis; dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim : Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis. *Ostendit ergo, illam suspicionem sibi non omnino videri levem. Porro de purgatione Cypriani per caritatem aut falcem passionis etiam alibi meminit, ut lib. de Unico Baptismo contra Petilianum cap.* 13 ; *et lib.* I *de Baptismo contra Donatistas, cap.* 18. *Quorsum, amabo, tot se in partes hic vertit Augustinus, ut Cypriani obstinationem adversus* Stephanum *vel confictam esse velit, vel correctione, caritate, martyrio dilutam? Nimirum æquitatem hæc decreti Pontificii denotant: cui resisti sine turpitudine, sine peccato non potuerit. Quam in rem etiam observari velim, ubi Augustinus restitisse* Stephano, *atque adeo peccasse, Cyprianum ponit, conari quidem illum non semel delicti ejus gravitatem imminuere; sed numquam* Stephanum *arguendo, quasi vel moderatæ prudentiæ vel auctoritatis suæ limites prætergressum. Nihil ergo eorum agnovit, quæ sanctissimo Pontifici Cyprianus ac Firmilianus impingunt. Graviter, fateor, succensuisse* Stephanum, *irritatum quoque Cyprianum dicit; sed neque hunc jure, neque illum injuria; imo potius merito* Stephanum, *Cyprianum immerito; cum hunc in illa*

C

hypothesi peccasse fateatur; sed peccatum hoc tamen qualecumque eluisse posterius.

AUCTORE P. B.

quid S. Vincentius Lirinensis;

39 *Sed nemo factum hoc* Stephani *disertius laudat, quam S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap.* 9, *ubi illud adducit ad probandam hanc thesim initio capitis propositam* : Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. *Itaque post verba, quæ inde supra num.* 31 *recitavimus, ita prosequitur :* Denique in epistola *(S. Stephani)* quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit : « Nihil novandum, nisi quod traditum est. » Intelligebat etenim Vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non qua vellemus, ducere : sed potius qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis, non sua posteris tradere; sed a majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas; explosa novitas. *Hæc de* Stephani *super hoc negotio gestis; de S. Cypriani vero quid? Tam indigna tanto viro censuit ibidem, cap.* 2, *ut in hæreticos, eorum innovantes memoriam ita sit invectus :* Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel eo quod hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt; vel eo etiam, quod sancti cujusque viri *(puta imprimis Cypriani, de quo hic agit præcipue)* memoriam, tamquam sopitos jam cineres, profana manu ventilant; et quæ silentio præteriri oportebat, rediviva opinione diffamant; sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enuntiavit; unde tantam læsæ pietatis meruit offensam, ut posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur; beatis illis fratribus multum dissimilis, qui nuditatem ipsam reverendi patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt; sed aversi, ut scribitur, texerunt eum : quod est erratum sancti viri nec approbasse, nec prodidisse : atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. *Ita Sanctus ille in hæreticos; quia Catholicos nondum Ecclesia viderat, qui hoc exemplo Cypriani sua sensa defenderent.*

E

F

quid seculo VI *Facundus Hermianensis; quid etiam nunc Ecclesia universa.*

40 *Fallor, nisi hæc abunde sufficiunt, ad propositam* S. Stephani *causam non solum a calumniis vindicandam, sed insignibus etiam exornandam elogiis. Non possum tamen, quin adjiciam testimonium Facundi Hermianensis episcopi, qui seculo sexto floruit, neque suspectus videri potest, sive contra S. Cyprianum pronuntiet, utpote Afer et Cypriani amantissimus; sive pro* S. Stephano *Pontifice Romano, ipse schismaticus. Ab hoc igitur in Defensione trium Capitulorum lib.* 10 *dicitur S. Cyprianus in epistola sua ad Pompeium* injuriose tractans eumdem beatum Stephanum a quo fuerat jure culpatus. *Tum libro contra Mocianum :* Idcirco beatus quoque Stephanus, Præsul Apostolicæ Sedis, cum S. Cyprianum atque alios Afros episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret; quamvis, ut dictum est, nullo interposito anathemate, neque adversus ulla concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis, talem sententiam protulissent; continuo tamen ei denuntiavit, quod, si hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur. Et Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, NON SOLUM DE NON REBAPTIZANDIS HÆRETICIS,

AUCTORE P. B.

VERUM ETIAM DE REBAPTIZANTIBUS NON FERENDIS. *Quod et nunc eadem Ecclesia non sine studio singulari demonstrat, cum hujus rei memoriam, tamquam* S. Stephano *gloriosissimam, celebrandam quotannis hoc die proponit in Breviario Romano his verbis :* Baptizatos ab hæreticis, iterum baptizari vetuit *(S. Stephanus)* rescribens S. Cypriano verbis illis : Nihil innovetur, nisi quod traditum est. *Plura qui volet, auctores consulat, quos supra laudavimus.*

§ V. Cetera, quæ de Sancti gestis narrantur a variis scriptoribus, maxime ab Anastasio Bibliothecario.

S. Stephani constitutio, et ordinationes :

Sunt *et alia nonnulla, quæ a* S. Stephano *Pontifice, sed incerto tempore, gesta leguntur; ut quæ tradit Anastasius Bibliothecarius, et ante illum Catalogus Romanorum Pontificum editus ante tomum primum Aprilis, ubi illum ante medium seculi* B *sexti compositum videri diximus; hic vero sic habet :* Hic *(S. Stephanus)* constituit sacerdotes et levitas vestes sacras in usum quotidianum non uti, nisi in ecclesia. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, presbyteros quinque, diaconos quinque; episcopos per loca duos. *Anastasius tamen numerat* presbyteros septem *(alias* sex,) diaconos quinque, episcopos per diversa loca tres. *Ex iis, inquit Baronius ad annum* 260, *num.* 6, unus fuit Melanius, episcopus Rhotomagensis, sanctitate celebris; *quem cetera monumenta Mellonum aut etiam Mallonum appellant, uti videbimus ad diem* XXII *Octobris, quo ejus Acta erunt illustranda. Præter duas hasce ordinationes, in Actis infra proferendis asseruntur aliæ cap.* 1, *num.* 2 *et* 4; *et cap.* 2, *num.* 15.

epistolæ decretales, et alia ipsi falso attributa :

42 *Binæ quoque sancti hujus* Stephani *nomine circumferuntur epistolæ decretales, quæ videri possunt apud Labbeum, Conciliorum tom.* 1 *a col.* 729, *et alios. Has nunc fere eruditi, ut adulterinas et suppositas habent; de qua re et nos alibi non semel egimus, et copiosius acturum sese spopondit Constantius Epistolarum Romanorum Pontificum tom.* 1, *in Præfat.* § 10, *qui legi interea meretur, dum auctoris longiori vitæ dignissimi haud impar continuator fidem liberaverit.* C *Plura Pontifici nostro recentiores quidam adscribunt, quæ ne recenseri quidem, nedum confutari merentur; cum vel nulla, vel intellecta perperam veterum auctoritate nitantur : ut cum decrevisse dicitur, ut in Missa hymnus Gloria in excelsis Dominica die recitaretur in Ecclesia; quod non de hoc nostro, sed de Stephano Papa IV narrat Anastasius ; cum item dicitur ea scripsisse, quæ de concilii Nicæni primi capitulis habentur Decreti prima parte, distinct.* 16, *can.* 13, *tamquam a Stephano Papa scripta Luythobio, nescio cui, episcopo Moguntino. Ecquid belle hæc* Stephano I *aptantur, qui ante Nicænam synodum annis octo et sexaginta cœlos martyr adierat? Mitto alia nihilo solidiora.*

zelus ejus ardens in conversione gentilium.

43 *Absit tamen, ut ea sugillemus, quæ de Martyris nostri laboribus apostolicis in gentilium conversione anno* 256 *Romæ exantlatis referunt Acta SS. Hippolyti, Eusebii, et sociorum MM. in Annalibus apud Baronium ad annum* 259, *num.* 8 *et seqq.; sed neque hæc tamen commemoranda hic sunt, quandoquidem ad diem* 2 *Decembris ipsa illa dari ac discuti Acta debebunt. Quæ vero in iis de* S. Stephano *narrantur, hoc admiratione majori digna* D *sunt, quod in illa tempora congruant, quibus indefessum Pontificem gravissima de Baptismo controversia distinebat. Quis enim, dum Africæ propemodum universæ atque Orientis motus compescentem tanta sedulitate considerat, non admiretur simul ita domi baptizandis ethnicis occupatum, acsi vel aliud nihil haberet negotii, vel presbyteri deessent, quibus eam curam committeret, dum vacaret ipse gravioribus? Atqui et in his prudentissime fortissimeque se gessit, et illam simul ita complexus est, ut crescens per eam in dies Christianorum numerus gentilibus invidiæ ac delationum, Valeriano autem persecutionis maturandæ occasionem præbuerit; ut asserunt hæc Acta, quæ Pagio quidem, Pearsonium heterodoxum sequenti, in Critica Baroniana ad annum* 256 *num.* 18 *et* 19 *non probantur; sed a Tillemontio deinde satis commode digesta sunt, Monument. Eccles. tom.* 4 *in* S. Stephano *Papa et martyre, ut defendi possint, imo ab ipso (etsi non ut prorsus authentica) defendantur ibidem annotatione* 2 *in* S. Stephanum.

Elogium ex Libro Pontificali, quod expenditur.

44 *Reliqua, quæ ipso persecutionis hujus tempore usque ad vitæ ejus finem dici possunt, cum ex Actis martyrii, tum ex elogio Libri Pontificalis,* E *qui Anastasio Bibliothecario vulgo tribuitur, petenda sunt. Et de Actis quidem disseremus paragrapho sequente. Anastasius vero, præter hactenus citata, hæc habet :* Sedit annos quatuor, menses duos, dies decem, Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani et Gallicani, et Maximi usque Valerianum tertium et Gallicanum secundum. Suis temporibus exilio est deportatus; postea nutu Dei, reversus est ad ecclesiam incolumis. Et post dies XXXIV tentus a Maximiano, missus est in carcerem cum novem presbyteris, et duobus episcopis Honorio et Casto, et tribus diaconis Xysto, Dionysio et Gaio. Ibidem in carcere ad Arcum stellæ fecit synodum; et omnia vasa ecclesiæ archidiacono suo Xysto in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ : et post dies sex exiens sub custodia, ipse simul capite truncatus est. *Ita textus, ex plurimorum codicum Mss. collatione a diligentissimis hujus operis editoribus Fabrotto, Schelstratio, Blanchino vulgatus. Duo autem præcipue capita continet : quorum primo Pontificatus* S. Stephani *duratio describitur, hujusque principium, ac terminus; alterum ad martyrium ejus et adjuncta pertinet. Nunc singula perpendamus.* F

Tempus, quo sedit, anni sunt 4,

45 Sedit annos quatuor, menses duos, dies decem. Annos quatuor *etiam habet textus Vignolii ad codices viginti et amplius exactus : et quamquam codices aliqui annos plures numerant, in quo corruptos illos fuisse ostendemus; nullus tamen habet pauciores : totidem vero putant antiquissimus Catalogus Bucherianus, totidem epigraphe posita tempore S. Leonis Magni in basilica S. Pauli ad viam Ostiensem, uti testatur et probat Blanchinus in Anastasium Bibliothecarium tom.* 2, *Prolegomenorum cap.* 5, *pag.* LXXVI *et* XCVIII; *ubi et antiquos refert catalogos, quorum plures de quaterno annorum numero consentiunt. Videtur hic ergo præ ceteris admittendus; quidquid annos tantum* duos *in Historia lib.* 7, *cap.* 5, *in Chronico vero, secundum Pontaci editionem, annos* tres *computet Eusebius, et qui hoc loco Eusebii Chronicum, Consulibus tantum de suo adjectis, exscribit S. Prosper in Chronico integro; aut etiam Georgius Syncellus, annos* duos *ab eodem Eusebio mutuatus. Quanta enim horum sit in annis Romanorum Pontificum per hæc ipsa tempora enumerandis accuratio, vel inde constat apertissime, quod* S. Stephani *successori, S. Xysto secundo, annos adscribant : Eusebius quidem, in Historia lib.* 7,

cap.

AUCTORE P. B.

A *cap.* 27, undecim, *in Chronico* octo; *Prosper autem a consulatu Maximi et Glabrionis, hoc est, ab anno Christi* 256, septem; *Georgius Syncellus denique* novem; *cum certum sit, Xystum ante Cyprianum occubuisse, Tusco et Basso consulibus, id est anno Christi* 258.

menses 2, dies 21

46 Menses *quoque* duos *adstruunt Catalogus sub Liberio scriptus, quem Bucherius edidit; epigraphe in basilica S. Pauli; et sub illa citati apud Blanchinum catalogi plures. Codices tamen Libri Pontificalis adeo multi cum catalogo reginæ Sueciæ* menses quinque *numerant; ut hos in textum referendos duxerit Vignolius. Verum cum istis quinque mensibus ubique dies aliquot adjungantur, admitti non possunt ab iis, qui prius vita functum fuisse Lucium volunt, quam ei* Stephanus *successerit: nam si hic die* II *Augusti anno Christi* 257, *uti dicetur; ille die* V *Martii anno* 253, *vivis erepti sunt; non possunt intercessisse, præter annos quatuor, menses integri quinque, ut patet. Præstat igitur duos retinere, cum exigua inter S. Lucii martyrium et* Stephani *successionem vacatione. In diebus denique non minor est codicum Pontificalium diversitas:* B *multi enim dies non nisi duos, multi quindecim notant cum pluribus catalogis et epigraphe basilicæ S. Pauli, quibus adhærendum censuit Blanchinus; Pagius tamen aliique præferunt catalogi Bucheriani vetustatem reliquorum omnium numero, atque ita dies cum illo numerant viginti et unum.*

a consulatu Volusiani II et Maximi

47 *Hujus durationis principium indicare debent verba sequentia*: Fuit autem temporibus Valeriani et Gallicani et Maximi. *Desumpta sunt hæc ex catalogo seculi sexti, qui reginæ Sueciæ fuit: cujus quidem catalogi compilator, ut alibi demonstratum est, Bucherianum præ oculis habuit; sed eum vel ipse vel librarius aliquis per oscitantiam non integre satis exscripsit. Nam quid sibi vult* Maximus, *Valeriano et Gallicano, seu potius Gallieno, Augustis additus? Enimvero emendanda est inepta sententia tam in Pontificali Anastasiano, quam in catalogo jam dicto, ex puriore utriusque fonte, catalogo, inquam, Bucherii, qui sic habet*: Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a consulatu Volusiani et Maximini (*lege* Maximi:) *omissa enim illa verba*, a consulatu Volusiani, *ad sensum citati textus complendum tam idonea, tam necessaria sunt, ut, si ea non expresserit, qui posteriorem seculi sexti ca-* C *talogum composuit, in mente saltem habuisse, atque exprimere voluisse, omnino credendus sit. Hæc autem restitutio si probatur, ad chronologos alios,* § 2, *num.* 12 *prolatos, hujus catalogi, atque adeo etiam Anastasii, ut ibidem notavimus, accedet auctoritas.*

usque ad consulatum, non Valeriani III et Gallieni II

48 *Quod additur*: Usque Valerianum tertium et Gallicanum secundum, *ad hujus Pontificatus finem designandum spectat; qui cum per consules significetur, dubitari non debet, quin ejus quoque initium idem auctor juxta correctionem numeri præcedentis, per consules significatum voluerit. Porro negotium hic haud leve facessit consulatus Valeriani III et Gallieni II: nam is in Fastis emendatissimis respondet anno Christi* 255. *Quid ergo? Corruptumne hoc loco dicemus Librum Pontificalem in plerisque codicibus Mss., et corrigendum per alios, in quibus primi ejus editores legerint:* Usque Valerianum IV et Gallienum III, *ut est apud Crabbeum, Lipomanum et alios? Atqui lectionem nostram defendunt catalogi Bucherii ac reginæ Sueciæ, qui auctori Libri Pontificalis ambo facem prætulere: genuinam ergo illam putamus; sed non ideo tamen veram; cum semetipsam evertat. Docet enim,* Stephanum *a consulatu Volusiani et Maximi usque ad Valeriani tertium et Gallieni secundum sedisse annos quatuor et quod excurrit; cum inter utrumque terminum anni tantum duo et menses forte pauci reperiantur.*

sed Valeriani IV et Gallieni III.

49 *Latet igitur hic error. Sed ubi? Non in primordiis* S. Stephani, *sub consulatu Volusiani et Maximi collocatis: hoc enim et Eusebius facit et sanctus Prosper, nemine, quod sciam, veterum dissentiente. Non etiam in annis quatuor cum adjunctis mensibus ac diebus ejus Pontificatui tributis: nam in his tanta est Libri Pontificalis, et catalogi primi cum aliis monumentis consensio, ut cedere non debeant Eusebio, Prospero, et Syncello, qui cum in annis Xysti secundi longissime aberrent, in annis* Stephani *proxime conjunctis fidem non magnam faciunt. Existimamus igitur, erratum esse tam ab auctore Libri Pontificalis, quam utriusque præcedentis catalogi, in* Stephani *decessu sub Valeriano III et Gallieno II Coss. defigendo: vixisse enim illum ac sedisse ulterius, tota clamat epistola Firmiliani, scripta (ut ostendimus* § 3, *num.* 28) *sub consulatu sequente, sive anno Christi* 256, *et hieme jam quidem instante; quod argumento est, non solum anno illo* 256 *superfuisse* Stephanum, *sed etiam ad sequentem pertigisse: etenim cum de-* E *cesserit, juxta Bucherii Kalendarium tabulasque passim ecclesiasticas, die* 2 *Augusti, id utique, si anno* 256 *accidisset, ignorare ad ingruentem usque hiemem non videtur potuisse in Cappadocia Firmilianus. Sedisse ergo dicendus est usque ad mensem Augustum anni* 257, *Valeriano* IV *et Gallieno* III *coss.: nam longius ejus tempora extendi non sinit S. Xysti secundi Pontificatus, martyrio illustratus die* VI *Augusti, anno Christi* 258, *Tusco et Basso coss., sed multis antea mensibus initus; quandoquidem Eusebius Hist. Eccles. lib.* 7, *capp.* 5 *et* 9 *tres epistolas memorat, defuncto jam* S. Stephano, *ad hunc Xystum, Romanæ urbis Episcopum, temporibus diversis a S. Dionysio Alexandrino datas.*

Quæ de Sancti martyrio leguntur apud Anastasium,

50 *Quæ altera jam dicti elogii parte de* S. Stephani *confessione et martyrio recitavimus, ea Tillemontius nota* 1 *in* S. Stephanum *PP. et M. cum Actis infra proferendis comparat:* Et quamquam, *inquit,* non magnæ auctoritatis est Anastasius; quæ tamen ipse narrat, credi possunt facilius, quam quæ referunt Acta: ut sit, unde dubites, num Acta illa composita non fuerint post Anastasium; aut ab eo potius contempta, ut spuriæ F (cum videantur eodem tempore fuisse recepta ab Usuardo et Adone, qui multa ex illis excerpsit;) aut denique, num confusus in iis non fuerit S. Stephanus Papa cum alio quopiam Sancto synonymo. *Ita ille; non extollens auctoritatem Anastasii, nisi ut eam auctoritati Actorum æqualem faciat; et sic alteram per alteram, tanquam* σύστατα *narrantes, destruat, et neutri credat; ut re ipsa facit in textu. Sed enim unde petitur ista æqualitas? Ego illam certe non assequor, sive narrationis utriusque ætatem, sive usum Ecclesiæ, sive eruditorum judicia consulam.*

supposita videntur;

51 *Nam si ætatem spectare lubet: Acta* S. Stephani *Papæ et martyris Adone antiquiora sunt; siquidem ea ipse in codicibus Passionum undique collectis, de quibus meminit in præfatione ad vetus Romanum Martyrologium, scripta invenit, cum ad Martyrologium suum elaborandum, nondum episcopus, hoc est, ante annum* 860, *accederet: elogium vero, de quo agimus, ante Anastasium, Adone, ut creditur, aliquanto juniorem, nusquam scitur exstitisse. Imo vero sunt, qui illud non Anastasio, sed obscuro ejus interpolatori tribuant. Sic Vignolius in notis ad Librum Pontificalem hoc loco, suspicatur ea, quæ de* Stephani *exsilio et reditu hic ha-*

bentur,

AUCTORE P. B.

bentur, huc non pertinere, sed ex Vita S. Lucii præcedente perperam irrepsisse, cum ex tot, *inquit*, Mss. Codicibus in Vaticano primo tantummodo habeantur : *et quod ille suspicatur, Schelstratio in notis ad idem opus* certum videtur. *De ceteris vero, quæ in textu elogii superius dato sequuntur, sic ibidem Schelstratius :* Cetera unde desumpta sint ab illo, qui librum Pontificalem hoc loco interpolavit, fateor, me ignorare. *Vides, non auctori hæc, sed interpolatori ab insigni hoc antiquario adscribi, idque non ex suo tantum sensu, sed etiam clarissimi Holstenii, qui hæc omnia a pluribus Mss. codicibus, quorum istic aliqui citantur in margine, abesse observaverat; quod Vignolius quoque post alios testatus est, qui codices permultos habuit Vaticanos; neque tamen hæc omnia nisi in duobus invenit. Suspicor ego, fœtum hæc esse Germanicum, sed pluribus postea phaleris ornatum, et sic tandem libro Pontificali intrusum : nam Vitæ Pontificum Romanorum, Luitprando suppositæ, sed a Germano quodam compositæ, quiddam affine referunt. Harum auctor floruisse putatur exeunte seculo nono; quia opus suum tantum ad Formosi Papæ tempora pro-*

B *duxit; verum hæc ratio non est solida : nam opus est imperfectum, nec ullo conclusum epilogo; quale et nunc aggredi quis posset, et in medio cursu inopina morte abreptus semifactum relinquere.*

nec umquam Actis martyrii æquiparata fuerunt;

52. *Sed esto tamen : Anastasii fuerit hoc elogii fragmentum, et illo etiam, si placet, vetustius; at numquam illud evinces æquiparatum Actis in Ecclesia fuisse, aut ob illud Acta rejecta. Adi Martyrologia, volve Breviaria cum vetera tum recentia, non Romana dumtaxat, sed et plurimarum per Occidentem universum ecclesiarum; scrutare etiam Menologia, Menæaque Græcorum; et cedo mihi vel unum, quod* Stephani *nostri martyrium aliunde, quam ex Actis ad hunc usque diem eduxerit. Contempsit ergo Ecclesia præ Actis illis hoc Anastasii, seu potius Anastasiastri elogium. Idem sprevisse censendi sunt eruditi Conciliorum collectores, qui* Stephani *Vitam ex libro Pontificali absque hoc embolismate ediderunt; idem ante illos seculo* x *S. Abbo Floriacensis; idem alii passim, qui Romanorum Pontificum gesta illustranda suscepere; idem Hagiographi omnes : Jacobus Januensis, Petrus Equilinus, Aloysius Lipomanus, etc.; quorum nemo centonem hunc vel adhibere dignatus est vel attingere.*

C

neque fidem merentur.

53 *Quod ait Tillemontius, quæ ibi narrantur,* facilius credi posse, *quam quæ referunt Acta martyrii, fortius diceret, si ipse crederet; quod non facit. Ait enim, utramque narrationem, Actorum scilicet et Anastasii, se mutuo evertere; negat insuper, facile credi posse, caput* Stephano *fuisse amputatum, id quod Anastasius ille non minus diserte asserit, quam Acta. Si hoc facile creditu non est; quomodo credibilia videri poterunt cetera, quæ de* S. Stephani *exsilio, reditu, incarceratione narrat idem Anastasius?* Suis temporibus, *inquit*, exilio est deportatus. *Quando id factum? In ipso fervore edictorum a Gallo et Volusiano confirmatorum, cum primum electus fuerat Pontifex. Ita Bencinus apud Blanchinum in notis ad hunc locum. Et quando ab exsilio ad Ecclesiam rediit? Sub initia imperatoris Valeriani, quando is in Christianos mirifice benignus fuit, et exsules revocavit; ut idem istic auctor existimat. At hoc, amabo, quo pacto credi potest? Subdit enim continuo Anastasius :* Et post (*reditum*) die xxxiv tentus a Maximiano, missus est in carcerem.... et post dies sex exiens sub custodia, ipse simul capite truncatus est. *Hæc illa Valeriani sub initium imperii tam decantata tulit benignitas? Quis credet?* Stephanus *non nisi diebus* xxxiv *libere administravit Ecclesiam; et sub initia Valeriani gladio sublatus est? Næ, qui sic Anastasio credit, omnem Cypriano, Dionysio Alexandrino et Firmiliano fidem adimat, necesse est.* D *Vidit, ut reor, hoc ipse Blanchinus ibidem, sed aliquanto inferius; ubi differendum putavit hoc Sancti exsilium usque ad finem circiter consulatus Glabrionis et Maximi* II. *Verum ut hoc Blanchino assentiri forte quis possit, Anastasio non poterit, qui ante consulatum illum* Stephani *tempora terminat; tametsi et in hoc secum ipse pugnans. Plura hic dicerem, si tanti res esset. Nunc ipsa discutiamus Acta martyrii quæ sint, et quam fidem mereantur.*

§ VI. Acta Martyrii, eorumque auctoritas.

Acta martyrii ejus, ut passim obvia sunt,

Acta S. Stephani, *Papæ et martyris in antiquis monumentis vulgatissima sunt :* Exstant enim in plerisque Mss. codicibus bibliothecæ Vaticanæ, *inquit Schelstratius Antiquitatis Ecclesiasticæ tom.* E 1, *dissert.* 2, *cap.* 7, *num.* 2. *Nos eadem habemus in codicibus vetustis P. Ms.* 6, *P. Ms.* 19, *P. Ms.* 20, *P. Ms.* 155, *Q. Ms.* 6, *Q. Ms.* 7; *præterea in apographo codicis Ms. Windbergensis, collato cum alio vetustissimo clarissimi Puteani, aliisque S. Maximini Trevirensi et Audomaropolitano; item in apographo alio, cui alia nota non additur, præter hanc :* Transscripsit F. Joannes Vlimerius ex nostro Passionali veteri papyraceo, anno 1580, Augusti II, III et quarto diebus; et contulit. *Omnia cum inter se, tum cum Romanis, quantum ex Schelstratii fragmentis licet colligere, non rebus tantummodo, sed plerumque etiam verbis conveniunt. Eadem seculo* XV *typis edidit Boninus Mombritius Sanctuarii tom.* 2, *fol.* 272 *verso, satis fideliter, si menda deessent multa typographi. Cardinalis deinde Baronius hæc Annalibus ad annos* 259 *et sequentem inseruit, et quidem, ut asserit, collatione facta plurium exemplarium, quantum licuit, emaculata : vereor tamen, ut quædam non suo judicio, sed sola veterum exemplarium fide emaculaverit. Certe nonnulla mutavit, plura prætermisit, contra consonum Mss. nostrorum omnium textum; ut suo loco notabitur. Creditur ea quoque e Latinis* F *Græca fecisse Metaphrastes, nec sine aliqua, licet non magna, mutatione, ut apud Lipomanum (qui opus hoc Metaphrastis iterum Latine vertit) aut Surium, videre est. A Metaphrasticis diversa esse necesse est Acta illa Martyris nostri, quæ mutila servantur in Bibliotheca Cæsarea, apud Lambecium supra* § 1, *num* 2 *citatum : neque enim initio conveniunt, neque illa parte, quæ istic ultima superest, de duodecim* S. Stephani *discipulis seu clericis.*

magno semper in pretio fuerunt;

55 *Ut vero exstant in laudatis codicibus, quantivis pretii dudum visa sunt; uti ex titulo discimus, qui eis in veteri codice Vlimeriano præfigitur in hæc verba :* Martyrium sanctissimi Stephani, Romani Pontificis, et eorum, qui una cum illo Romæ passi sunt, quod habetur in Mss. exemplaribus vetustissimis scriptum fideliter et graviter a notariis Romanis Latine. *Talem et alibi legisse videtur Ciaconius, cum de* S. Stephano *scribens, affirmet,* ejus Acta, sinceræ et indubitatæ fidei, primum a S. R. E. notariis conscripta. *Hinc forte iisdem utens seculo* XI *S. Petrus Damianus serm.* 38 *de* S. Stephano Papa et martyre, *appellare non dubitavit* authenticam passionis ejus historiam. *Baronius quoque ad annum Christi* 259, *tametsi in Mss.*

illorum

A *illorum exemplaria maculas agnoscat irrepsisse, sibi tamen significat visa esse* legitima, germana, fidelissima. *Fidelissima etiam agnovisse debent Aringhus passim in Roma subterranea, et Schelstratius Antiquitatis ecclesiasticæ tom.* 1, *dissert.* 2, *cap.* 7, *ex iisdem ad res suas comprobandas argumenta tamquam solidissima depromentes : hic tamen ea recte ibidem num.* 3 *fatetur, germana, seu primigenia non esse, sed post* S. Stephani *martyrium conscripta ; id enim colligi ex ipsis Actis, numero apud nos* 21. *Negat vero, inde consequi, ut antiqua non sint.* Proinde, *inquit*, facile crediderim, reddita Ecclesiæ pace, scripta fuisse ab iis, qui authentica Stephani Acta viderunt.

donec ab annis aliquot vellicare cœperunt, et vilescere.

56 *Nunc, ex quo Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum* 256, *num.* 13 *vellicare hæc Acta cœpit, mutata de illis sunt eruditorum, etiam inter Catholicos, quorumdam judicia : Ruinartius etenim inter Acta Martyrum sincera et selecta nullum his locum dedit; Pagius in Critica ad annum* 253, *num.* 5, *cum id negat, quod Actorum illorum caput est præcipuum,* S. Stephanum *scilicet gladio cecidisse, palam facit profecto, nihil horum se cre-* B *dere; Tillemontius denique, ut omnem prorsus eorum auctoritatem elideret, nota* 1 *in* S. Stephanum, *quotquot potuit, argumenta congessit : sunt enim facile tredecim : quorum vim imminuerit oppugnando Odoacer Ilbachius in Actis Sanctorum Martyrum vindicatis, Romæ anno* 1723 *excusis, an potius præter mentem auxerit, non decerno. Nam lib.* 5, *tria capita, puta quintum, sextum, et septimum his Actis vindicandis insumens, satis habuit cap.* 5 *de tot objectis unum, illudque omnium fere debilissimum, refellere; addens cap.* 6, alia multa, uti levissima, *et quæ abunde solvisse se credat præcedentibus libris, ex sententia missa facere. Itaque quæ habet cap.* 6 *et* 7, *aliunde petita sunt; neque tam ad Acta tuenda pertinent, quam ad eos confutandos, qui negant,* S. Stephanum *vere martyrii palmam adeptum fuisse, aut certe parum illustrem. Fateor equidem, inter argumenta Actis objecta quædam videri posse levia; at sunt quædam etiam talia, ut neque soluta uspiam ab Ilbachio repererim, neque solutum iri facile credam. Sane magnam a nobis gratiam inibit, si locos assignet, quibus ea* abunde *confutaverit; majorem vero, si sequentes nodos, qui nos ab Actis illis undequaque* C *defendendis absterrent, historica auctoritate dissolvere potuerit.*

Et sane sunt in iis quædam difficilia creditu :

57 *Legitur in Actis nostris num.* I *:* Multi Christianorum declinantes sævitiam tyrannorum, occultabantur; alii vero se ingerentes, martyrii palmam consequebantur. Data autem fuerat lex, ut quicumque proderet Christianum occultum, facultates ejus [omnes] acciperet, et honorem, cujus vellet, militiæ peteret; *vel, ut habet S. Petrus Damianus in Sermone citato,* non solum universas ejus facultates acciperet, sed ad honorem quoque militiæ, quem eligeret, sacrilega eum remuneratio sublimaret; *quem sensum etiam secutus est Metaphrastes. Tria hic sunt creditu difficillima : primum, si tempus attendas, quo data fuisse lex ista dicitur; alterum, si spectentur illi, adversus quos lata sit; tertium denique, si proposita considerentur delatoribus præmia.*

ut edictum persecutionis, anno 256 non valde adulto,

58 *Ut a primo ordiamur, quæritur, quo tempore legem hanc Acta consignent. Ante conversionem SS. Nemesii et Lucillæ (ut patet ex num.* 3*); adeoque diu ante, quam capti illi ambo martyrium subierunt. Martyrium vero illud quando accidit?* Sub die octavo Kalendarum Septembrium, *vel, ut legunt melius alii,* Augustarum, *secundum num.* 11; *cum essent consules, secundum omnia Mss. nostra num.* 5, Gallienus et Maximus *(quod vitiosum censeri potest, cum iste consulatus numquam in Fastis exstiterit) vel* Glabrio et Maximus, *ut Baronius corrigit, et legi aut legendum credidit Metaphrastes. Lata ergo fuerit anno* 256, *forte nuper inchoato, vix certe media parte evoluto; hoc est, sesqui anno circiter ante, quam edicti quidpiam, multo tamen mitioris, secundum Passionem S. Cypriani, Africanæ vidissent ecclesiæ; hoc est, aliquot ante mensibus, quam Cyprianus, nihil utique de persecutione Romana vel sciens vel cogitans, numerosum illud octoginta et amplius episcoporum concilium Carthagine celebraret, ex eoque dirigeret ad* S. Stephanum *legatos; qui aliquanto post reversi, nihil de persecutione Romæ suscitata retulerint; sed id questi sint contra, quod eos Pontifex non solum alloquio dignatus non esset, sed præcepisset insuper* fraternitati universæ (*Firmiliani verba sunt, qui nec ipse sub ejusdem anni finem de persecutione quidquam inaudierat*) ne quis eos in domum suam reciperet. *Præceptum enim vero inutile, querelam injustissimam, si is tum fuisset Ecclesiæ Romanæ* E *status, quem Acta describunt! Hæc de tempore legis, in Actis assignato secundum interpretationem communem eruditorum. Nodum hunc tamen facilius dissolvet, quam sequentes, cui non displicuerit interpretatio in Annotatis ad cap.* 1, *litt.* n *et* p *proposita, per quam revocare licet martyrium, S. Nemesii ad annum Christi* 257.

contra quoslibet Christianos Romæ promulgatum;

59 *Jam alterum illud expende. Lex illa quos petiit? Quemlibet omnino Christianum (ut et verba Actorum citata non obscure, et quæ eodem numero sequuntur, disertissime significant) etiam* occultum, *adeoque non in cœtus fidelium, sed ubivis modo quocumque deprehensum. Hoccine credibile est, sive anno Christi* 256, *sive sequenti, statuatur accidisse? Nam cum semper in hac persecutione creverit edictorum crudelitas (ut ex Actis S. Cypriani liquet) nec ullum Romæ sciatur fuisse severius, aut latius patens, quam quod anno demum Christi* 258 *ad senatum absens Valerianus rescripsit; tamen ne in illo quidem contra Christianos omnes, S. Cypriano epist.* 82 *ad Successum teste, pœna decernitur aut inquisitio : sed solum adversus episcopos, presbyteros, diacones, senatores, viros egregios, equites Romanos, matronas, cæsarianos : ut scilicet Christiana* F *religio, quorum institutione aut exemplo latissime fundebatur in vulgus, eorum vel interitu vel supplicio apud plebem paulatim et sua quasi sponte concideret. Quid, quod in hac re, ipsa secum Acta nostra pugnare videantur, dum num.* 18, 19, 21, 22 *multitudinem exhibent Christianorum palam et impune coram ethnicis militibus identidem comparantem? Nec aliter toto post anno in Africa contigisse constat, ubi S. Cyprianum, cum ad locum supplicii duceretur, multa Christianorum turba publice prosecuta est, nemine gentilium iis incommodante.*

et proposita in eo delatoribus merces :

60 *Tertium quam, obsecro, veri speciem habet?* Data, *inquiunt Acta,* lex fuerat, ut quicumque proderet Christianum occultum, facultates ejus (omnes) acciperet, et honorem, cujus vellet, militiæ peteret. *Adeone occulti Valeriano ejusque ministris Christiani tunc erant, ut sine delatorum ope deprehendi non possent? Valeriano, inquam, de quo S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib.* 7, *cap.* 10 *testatur :* Neque enim ullus superiorum principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio principatus sui. Totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac

Dei

AUCTORE P. B.

Dei ecclesia esse videbatur. *Quis Christianorum sub tali principe dissimulasse religionem suam, imo eam ultro non ostentasse quodammodo censendus est? Noti ergo plerique satis erant, nec per delatores pretio tam inusitato conquirendi : nam pretium illud cui addicebatur ?* Quicumque proderet Christianum *: hoc est vernæ cuivis ac scurræ : neque enim delatoris officium, apud Romanos adeo sordidum, atque ipsis eorum legibus, ut affirmat in prima confessione sua S. Cyprianus, tunc proscriptum, vir quisquam honestus obire voluisset : hujusmodi igitur homini tam infamis officii mercedem assignatam fuisse credibile est* facultates omnes, *non unius tantum, puta ex ordine senatorio, Christiani, sed etiam plurium, si plures prodidisset? Huic insuper apertus eadem opera patuisset aditus ad quemlibet militiæ gradum, invidentibus frustra nobilissimis multarumque palmarum ducibus veteranis? Enimvero interpolationem hæc olent prorsus ineptam : nam Romæ in eadem hac persecutione ex edicto Valeriani adempta Christianis bona fisco cessisse, asserit S. Cyprianus epist.* 82 *ad Successum; non delatoribus, de quibus verbum nullum facit.*

B

quod edictum non satis cohæret cum reliqua narratione :

61 *Eamdem quoque legem confictam esse, ipsa propemodum, quæ illam adstruunt, Acta fateri cogunt; cum* Stephanum *narrant toto post eam anno et ultra proditum non fuisse; qui tamen secundum numeros* 2, 3 *et* 4, *adeo non latebat, quin a gentilibus, quoties audire vellent de religione Christiana disserentem, etiam turmatim adiri se sineret; imo tribunum Nemesium, ac filiam ejus Lucillam, ad Pastoris titulum ductos, baptismo tam solenni lustraret, ut mox ad rei famam illuc ethnici duo et sexaginta convolantes, eadem istic die universi lustralibus aquis expiati sint. Soline hoc ergo delatores credendi sunt ignorasse, quod omnes noverant? Nos satis vafrum erat hoc hominum genus, ut si aliter non posset, fictæ saltem pietatis obtentu istiusmodi cœtibus insinuaret sese, ubi reperire esset non* Stephanum *dumtaxat, sed plurimos cum ipso, etiam e primaria nobilitate, neophytos; quot scilicet homines, totidem proditori thesauros?*

martyriorum inter se connexio inextricabilis :

62 *Multo intricatior est martyriorum in Actis hisce descriptorum connexio. Nemesius (secundum plerosque codices Mss., et edita Mombritii ac Baronii exemplaria, omnesque Martyrologos) martyrium consummavit* VIII Kalend. Septembris : *post*

C hunc Symphronius cum Sociis *VII Kalend. Augusti. Non ergo eodem uterque anno. Ergo Nemesius anno* 256 *(superfuit enim exitio Maximi consulis;) Symphronius vero anno* 257 *: nam* Stephanum *et alios præcessit. Atqui nec anno* 256 *mortem Nemesii defigere sinunt jam dicta num.* 58 *: nec ab ea separari mensibus undecim agonem Symphronii permittit Actorum contextus, ut in Annot. cap.* 2 *lit. b., infra videbitur. Est hic igitur vitiatum aliquid in plerisque Mss., et editione Mombritii, ac Martyrologiis : nam Baronius martyrium Symphronii consignans* pridie Kalend. Novembris, *cum adversetur omnibus, pro se citat nihil. Iterum : Symphronius secundum Acta nostra anno* 257, VII Kalend. Augusti *sepultus est : at Clerici* 12 S. Stephani *quando? Eodem anno sine dubio. Sed qua die?* Eadem die Kalend. Augusti; *quod duplici modo potest accipi, sed æque utrovis absurdum est : vel enim referri debet ad diem, qua paulo ante sepultus dicitur Symphronius; et ita sensus erit, sepulturam* 12 *Clericorum accidisse* eadem die (VII *scilicet ante*) Kalend. Augusti; *qui sensus apertissime repugnat Actis asserentibus, martyrium* 12 *Clericorum contigisse* post multos dies *ab exsequiis S. Nemesii : vel debet referri tempus hoc sepultorum Clericorum ad tempus martyrii eorum, quod ponatur incidisse in Kalendas Augusti secundum Usuardi Martyrologium et interpretationem Baronii; et sic sensus erit, tumulatos a Tertullino fuisse Clericos* eadem die *(qua fuerant interfecti, nempe :)* Kalendis Augusti. *At* D *hic sensus vide, quo deducat : cogit enim ad spatium dierum quinque tantummodo reducere expressionem hanc Actorum,* post multos dies. *Sed tamen hoc leve est. Cogit insuper (quod mirum est, non advertisse Baronium, alioqui perspicacissimum) cogit, inquam, asserere, quod S. Tertullinus, eodem anno secundum Acta* pridie Kalend. Augusti *a* Stephano *sepultus, postridie, sive* Kalendis Augusti, *sepelierit* 12 *Clericos, ac deinde baptizatus a* Stephano *fuerit et presbyter ordinatus, et* post biduum ordinationis suæ tentus *primum* a quodam Marco præfecto. *Quid insulsius?*

63. *Eadem Acta, et ex iis Ado die* IV *Augusti, S. Tertullinum illum, cujus martyrium num.* 17 *contigisse narrant* pridie Kal. Augusti *eodem anno, quo notaverant martyrium SS. Symphronii, Olympii et Sociorum ; Tertullinum, inquam, illum, eumdem Acta faciunt cum Tertullino, Olympii vicedomino, ut appellatur num.* 8; *sed aliis Olympii* E *domesticis, qui cum duo domino suo credidisse et baptizati fuisse dicuntur num.* 10, *magis in idolorum cultu obstinatum, adeoque usque ad diem* XXVI *Julii (ex numero* 14, *et sensu Actorum huic loco magis favente) nondum catechumenum, sed* adhuc gentilem. *Et hunc talem diebus, ut summum, duobus, qui vix ad prima religionis Christianæ rudimenta ediscenda satis erant, non modo baptizatum a* Stephano, *sed consecratum etiam presbyterum volunt num.* 15. *Ecquid hoc durum non est? Certe Baronio ita displicuit, ut Tertullini presbyteratum, quem in Martyrologio Romano delere ausus non fuit, contra exemplarium nostrorum omnium fidem in his Actis omiserit, et verbis Actorum,* presbyterum consecravit, *hæc substituerit,* presbytero consignavit; *item his,* qui post biduum ordinanationis suæ, *hæc alia, nescio unde hausta,* qui post biduum a baptismo suo : *favet huic tamen correctioni Martyrologium Romanum vetus, a Rosweydo vulgatum, quod die* IV *Augusti S. Tertullino solum Martyris adjungit epitheton, non presbyteri. At enim si presbyter non fuit, vitiata sunt Acta nostra non solum in omnibus codicibus, qui nunc supersunt; sed etiam in multo antiquioribus,* F *quos a tot seculis Ado secutus est.*

ordo presbyterii S. Tertullino collatus :

64 *Porro ut alia hic multa prætereaın, et ad Annotata differam, quis utcumque sensatus genuina credet esse, quæ de S. Tertullino et Sapricio præfecto in omnibus exemplaribus nostris habentur num.* 16 : Statim Sapricius præfectus... jussit eum adduci sub voce præconia præeunte : Tertullinus, inquit, reus atque sacrilegus introducatur. Dumque introductus fuisset ante tribunal præfecti, dicit ei præfectus : Nomen tuum edicito. Tertullinus respondit : Peccator, servus servorum Christi. Præfectus dixit : Servus es, an ingenuus? Tertullinus dixit : Ita replevit diabolus cor vestrum, ut non intelligatis hominem loquentem. Dixi tibi : Servus servorum Christi sum. *Hæc sane sapienter (tametsi non sciamus iterum, quorum codicum auctoritate) inducenda putavit Baronius, priusquam hæc Acta, tamquam germana, commendaret.*

responsum ejusdem et alia non pauca,

65 *Quantocumque igitur studio ferimur, ne quid antiquis monumentis decedat existimationis aliquando partæ; fateri tamen ingenue cogimur, ne in longa quidem meditatione satis nos reperisse præsidii, ad Acta hæc nostra, ut nunc exstant, ab interpolationum*

per quæ interpolata videntur Acta; non ideo tamen omnino rejicienda :

suspi-

A *suspicione vindicanda. Absit vero, ut cum Tillemontio omnem illis fidem abrogemus, aut vera negemus esse saltem præcipua rerum capita ; temerarium est enim absque solidissimis rationibus ea velle ut undequaque vel falsa vel suspecta traducere, quorum et initium nescias, et celebratam agnoscere tenearis in Ecclesia novem, ut minimum, retro seculis antiquitatem. Ut minimum dixi : nam ante Notkerum, Usuardum, Adonem toto amplius seculo compositum fuisse ostendimus, in Præfatione ad Usuardum cap.* 2, *art.* 4, *num.* 142, *Martyrologium Romanum vetus, in quo satis aperta sunt Actorum* S. Stephani *indicia iisdem diebus, quibus eorum partes ab Adone recitantur,* II, IV, XV *Augusti,* XXXI *Octobris, et* IV *Decembris. Imo et seculo* IV *exstitisse illa, suspicari sinit carmen S. Damaso Papæ adscriptum, quod in ejus operibus, a Sarazanio collectis vulgatisque, numeratur trigesimum quintum : nam quæ ibi breviter de S. Tharsicio canit, nusquam sciuntur, nisi in Actis* S. Stephani, *descripta fuisse. Sed non tot episodiis tum crediderim abundasse; quandoquidem etiam seculo nono eorum aliqua legisse non videtur Ado, ut suo loco observabimus.*

B 66 *Dabuntur ergo ad hujus commentarii finem, qualia dari jam illa possunt, ex codice nostro pervetusto ac nitido Q. Ms.* 6, *cum aliis Mss., editisque, de quibus ante meminimus, studiose collato; nostrisque annotationibus illustrata, in duo capita distrahentur, non aliam ob causam, quam ne nimium continuata sit et textus et notarum congeries. Neque enim putamus, duas esse quodammodo narrationis hujus partes, quarum prima ad annum Christi* 256 (*Baronio* 259), *altera ad* 257 (*Baronio* 260) *pertineat; sed totam referri oportere ad eumdem annum Christi* 257, *et exiguum quidem illius spatium, quatenus martyria describit; quantum scilicet est a die* XXV *Julii, quo passum esse Nemesium dicemus, usque ad* III *Augusti, quo cæsus videtur S. Tharsicius : nam quæ ad martyrium S. Nemesii anno* 256 *collocandum afferri possunt ex Actis, ut consulatus Glabrionis et Maximi, interitus Maximi consulis, dies martyrii* XXV *Augusti, quanti facienda sint, in Actis annotabimus.*

itaque dabuntur a nobis illustrata.

§ VII. Prima translatio reliquiarum ejus ex cœmeterio Callisti ad cœnobium S. Silvestri de Capite.

C

Sancti reliquiæ e cœmeterio Callisti

P*erlustratis modo, quæ ad* sancti Stephani, *cultum universalem, Acta martyriumque spectant, ad ea progredimur examinanda, quæ de sacris ejus reliquiis apud auctores varios notata comperimus. Erunt hæc indicia satis manifesta venerationis aliquanto majoris, qua prosecutæ sint illum ac prosequantur præ ceteris ecclesiæ singulares, quotquot exuviarum ejus parte aliqua gloriantur. Totum hunc thesaurum, corpus, inquam, integrum, et sedem, hujus Martyris cruore tinctam, ut, secundum Acta nostra ac Martyrologos, a peracto martyrio statim acceperat, sic diu retinuit cœmeterium S. Callisti, versus meridiem via Appia secundo ab Urbe lapide dissitum; nec sine anniversaria celebritate; ut vetusta, quæ supra citavimus, Kalendaria Martyrumque Ecclesiæ Romanæ Fasti testantur. Sed hanc religionem bella tandem, atque imprimis Longobardicum illud, quo sub octavi seculi medium Urbem Aistulfus infesto bis exercitu cinxerat, sustulere : is enim late populatus omnia, ne sacrosanctis quidem cœmeteriis impium abstinuit militem; ut hæc adeo profanata subinde, diruta, neglecta jacuerint, quadrupedum receptacula potius, quam sacraria Martyrum.*

AUCTORE P. B.

68 *Rem indignissimam Paulus PP. I, pro insigni sua religione sanctitateque, non tulit:* Hic enim beatissimus Pontifex, *inquit Anastasius in ejus Vita,* cum omnibus spiritualibus suis studiis magnam solicitudinis curam erga sancta cœmeteria indesinenter gerebat. Unde cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglecta, ac desideria antiquitatis maxima demolitione atque jam vicina ruinæ posita, protinus eadem Sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis. Quæ cum hymnis et canticis spiritualibus infra hanc civitatem Romanam introducens, alia eorum per titulos, ac diaconias, seu monasteria, et reliquas ecclesias, cum condecenti studuit recondi honore. *Tum ad rem nostram accedens:* Hic, *ait,* sanctissimus Præsul in sua propria domo monasterium a fundamentis in honore sancti Stephani, scilicet martyris atque Pontificis, nec non et beati Silvestri, item Pontificis et confessoris Christi, construxit; ubi et oraculum in superioribus ejusdem monasterii mœniis ædificans, eorum corpora magna cum veneratione condidit. *Hæc est prima reliquiarum* S. Stephani *Pontificis ac martyris translatio, ex cœmeterio videlicet Callisti ad monasterium, ipsius ac S. Silvestri nomine consecratum, quod modo fere simpliciter appellatur S. Silvestri, item S. Silvestri de Capite, et S. Silvestri in Campo Martio; cujusque Italicam habemus Historiam, auctore Joanne Giacchetto, Romæ editam anno* 1629. E

translatæ sunt a S. Paulo PP. ad cœnobium SS. Stephani et Silvestri

69 *Confirmatur eadem translatio per ipsius S. Pauli PP. I Constitutum, inscriptum* Icontio (*alias Leontio*) presbytero et abbati venerabilis monasterii SS. Stephani martyris atque Silvestri confessoris Christi, et cum eo ipsi venerabili monasterio ; *ac summi Pontificis, et plurium S. R. E. Cardinalium, antistitumque subscriptionibus communitum;* datum *vero* quarto Nonas Julii, imperante domino Constantino augusto, a Deo coronato magno imperatore, anno quadragesimo primo, ex quo cum patre regnare cœpit; et post consulatum ejus anno vigesimo primo, Indictione decima quarta : *ut est apud Baronium ad annum Christi* 761; *ubi Constitutum hoc totum ab initio legi malim, quam apud alios, illud inde non satis fideliter mutuatos : ad nos spectat præcipue, quod ibi quiescere dicuntur in monasterio laudato* SS. Stephani, *Papæ et martyris, atque Silvestri, Papæ et confessoris Christi, veneranda corpora; tum illud, quod Baronio ibidem teste, in eadem membrana Constituto subnexum legitur, ipsis his ejusdem S. Pauli verbis :* Mense Junii die decima nona introduximus in hoc oraculum corpus beati Silvestri, Episcopi et confessoris Christi. Mense Augusti die septima decima introduximus corpus beati Stephani martyris atque Pontificis, tempore Constantini et Leonis augustorum, et Pipini excellentissimi regis Francorum et defensoris Romani, Indictione quarta decima. F

anno 761, die 17 Augusti,

70 *Constitutum hoc de suppositione suspectum habuit aliquando Papebrochius noster; sed errorem ipse suum postea recognoscens, demiratus est, et confessus illum ingenue, jussit expungi tom.* 5 *Junii pag.* 380. *Collectores conciliorum Binius, et qui deinde secuti sunt, illud quoque referunt loco suo; sed omnes ex Baronio, ex quo proinde, ut modo dicebam, emendari debent quædam non satis accurate exscripta. Omnes illud affigunt anno Christi* 761, *idque ex subscriptione jam data, quam Labbeus noster*

juxta Bullam ejusdem Pauli I;

AUCTORE P. B.

ster ad eumdem annum laudat, Chronologiæ technicæ parte prima, ut sanam atque integram et nullis suis vitiatam numeris, *Pagius tamen in Critica Baronii, ad annum eumdem num.* 1, *non nihil in ea vitii detegit; sed quod facile in librarios refundi possit, neque sufficiat ad Constitutum illud vel in suspicionem vocandum, vel ab anno Christi* 761 *removendum. Minus in hoc facilis fuit Franciscus Pagius in Breviario gestorum Pontificum Romanorum tom.* 1, *sec.* 4, *in gestis S. Silvestri, num.* 8; *ubi de hujus instrumenti sinceritate dubitat duabus maxime de causis: prima, quod neutra translatio, ibi notata, inciderit in diem Dominicum aut festum, contra seculi, ut putat, octavi morem; secunda, quod corpus S. Silvestri, quod hic translatum dicitur a S. Paulo I, pridem a Stephano PP. II, Pauli fratre ac decessore, rogatu Aistulfi datum S. Anselmo fuisse narretur alibi, et Roma ad abbatiam in diœcesi Mutinensi Nonantulanam asportatum. Addi poterat et tertia, quod Constitutum illud, datum* Indictione XIV, quarto Nonas Julii, *asserat, requievisse jam tum in monasterio* SS. Stephani *et Silvestri, amborum corpora; et tamen Constituti appen-*

B

dicula contrarium videatur affirmare his verbis: Mense Augusti die septima decima introduximus corpus beati Stephani martyris atque Pontificis... Indictione quarta decima.

quam defendimus.

71 *Sed harum rationum nulla nobis firma videtur: prima namque ut certum ponit, quod inauditum est hactenus; proprium fuisse scilicet octavi seculi morem non transferendi Sanctorum reliquias nisi vel Dominicis vel festis diebus. Cur vero id illo potissimum seculo servatum fuisset, non aliis? Adi sis Acta nostra tom.* 2 *Aprilis pag.* 68 *et Martyrum translationem invenies Veronæ factam anno Christi* 755, *die* XXII *Maii, qui nec festus tum fuit, nec Dominicus: alia quoque occurret Martii tom.* 1, *pag.* 455, *celebrata anno* 765, IV *Idus Martii, hoc est feria tertia. Et quid opus est pluribus? Secunda ratio, nititur auctoritate instrumentorum alibi penitius excutienda, sed quam hic interim si solidam esse quis volet, non defugimus. Quis vero nescit, in Ecclesia Catholica nihil esse antiquius, frequentius nihil, quam ut sacri corporis pars magna, imo sæpe non magna,* corpus *vocetur? Fuerit ergo S. Silvestri anno* 753 *e cœmeterio Priscillæ pars corporis aliqua translata Nonantulam; alia vero suo loco re-*

C

licta usque ad annum 761, *quando eam S. Paulus in ecclesiam a se conditam abstulit. Ratio tertia corruit, si statuas, allatum quidem ad cœnobium fuisse* S. Stephani *corpus ante datum Constitutum; sed extra locum sibi destinatum, et nondum forte satis aptum absolutumve, requievisse tantisper, puta usque ad Augusti proximi diem* XVII, *quo et illud Pontifex in oraculum introduxerit, et memoratam appendiculam adjecerit Constituto. Ita nihil erit, quod in instrumento illo nimium exquisita crisis merito possit arrodere.*

Hujus translationis festum anniversarium.

72 *Ex ista porro appendice ad cœnobii Kalendarium transisse censendi sunt dies utriusque translationis; in quo ad celebritatis annuæ memoriam, teste Giacchetto pag.* 73, *hodieque notantur; et in Junio quidem scribitur die* XIX: Translatio S. Sylvestri Papæ et confessoris; *tum alio charactere subditur;* Adest corpus, et fit processio cum capite; *In Augusto autem die* XVII: Translatio S. Stephani Papæ et martyris; *et alio charactere additur:* Commem. Octavæ S. Laurentii; *at de processione nihil. Unde hoc utriusque solennitatis discrimen? Equidem divinare id nequeo: nam amborum natalis eodem prorsus modo annuntiatur; ut die* 2 *Augusti:* S. Stephani Papæ et martyris, ecclesiæ Patroni; *et aliis*

D

litteris: Adest corpus; *Die vero* XXXI *Decembris:* S. Silvestri Papæ et confessoris, ecclesiæ patroni, *et aliis litteris:* Adest corpus. *Amborum quoque capita, a reliquis ossibus separata, et sua quodque theca argentea, ad modum capitis affabre facta, conclusa servantur, ut narrat Giacchettus pag.* 68: *ut proinde unum æque commode circumferri posset, quam aliud.*

Reliquiæ vero illæ,

73 *Ceterum ut satis extra dubium posita videtur ista translatio; sic obscurum apparet, quid in ea, quantumve reliquiarum* S. Stephani *e Callisti cœmeterio ad cœnobium jam dictum transierit: nam de sede, ejus aspersa sanguine, neque Anastasius ibi, neque S. Paulus meminerunt; sed solum de corpore. Deinde τὸ* corpus *ex usu communissimo Ecclesiæ, nisi addatur vox* integrum, *raro corpus totum significat: hic enim, si usquam, usitatissima passim est figura synecdoches, qua totum pro parte ponitur; ut millies in Actis ostensum est. Fatetur autem ipse Giacchettus pag.* 14 *et seq., non aliam quoque hoc loco ejusdem vocis esse significationem. Cum ergo de sacro hoc suo deposito nihil, ex quo illud primum accepit, amisisse sciatur ecclesia* SS. Stephani *et Silvestri, quæritur, quantum ex eo possideat, atque*

E

adeo quantum ad illam S. Paulus olim transtulerit. Rem edicere potuit Giacchettus, utpote cœnobii non solum historiographus, sed et monialium Clarissarum, illud pridem incolentium, aliquando, ut significat pag. 43, *confessarius, cui proinde suis omnia lustrare oculis facile fuit; is tamen nihil minus, quam quod quærimus, explicat:*

cum simpliciter appellentur corpus S. Stephani PP. et M.,

74 *Translationem enim a nobis modo descriptam confirmaturus a pag.* 18 *per inventionem reliquiarum factam anno* 1596 *(quando vetustum ejusdem ecclesiæ ædificium a fundamentis instauratum, ad eamque, quam nunc habet, formam redactum est) ex Actis istius inventionis authenticis, in curia Cardinalis vicarii Romani confectis, seu inventario, ut vocant, quod in archivo cœnobii servari ait, initium tantummodo recitat et finem, omisso medio, in quo, nisi fallor, reperta tum sigillatim ossa pro more enumerata fuerant et exacte definita, quæ in principio ac fine non nisi confuse nominantur: nam sic habet inventarium illud versus initium, referente Giacchetto pag.* 19: In fabricatione hujusmodi ecclesiæ S. Sylvestri, et amotione sigilli ex tabula marmorea altaris majoris, et intus altare, reper-

F

tæ fuerunt diversæ reliquiæ; ac etiam subtus confessionem dicti altaris, una capsa terræ coctæ, desuper cooperta duabus tabulis marmoreis; ac etiam sub dicta arca inter duas tabulas, pariter marmoreas; in quibus locis subtus altare indicatur, fuisse reposita corpora Sanctorum Sylvestri, Stephani, et Dionysii, Pontificum et martyrum respective, et aliorum Sanctorum, quorum nomina, sua divina Majestas scit. *Vides, quam sit hæc obscura narratio? Tantum abest, ut hinc eruas, quid et quantum ibi de Martyris nostri corpore fuerit inventum, ut ne quidem intelligas, fuerintne reliquiæ corporis ejus a reliquiis aliorum sacrorum corporum ita discretæ, ut internosci potuerint; an omnes inter se permixtæ confusæque.*

non videntur esse corpus integrum:

75 *Ex ejusdem instrumenti fine multo minus affulget lucis; sic enim recitatur pag.* 20: Et quoniam prædicta omnia vera sunt et fuerunt, procurator monasterii S. Sylvestri, nomine D. Florius Çolutius, petit instanter et instantissime, debita cum reverentia, ad perpetuam rei memoriam, et pro totius populi devotione, et in honorem et venerationem dictorum sanctorum Sylvestri Pontificis, ac Stephani, et Dionysii martyrum, et aliorum Sanctorum, de omnibus et singulis

præ-

A prædictis mandari per reverendissimum dominum Vicesgerentem fieri inventarium et instrumentum publicum, et omnia in publicam formam, cum insertione totius tenoris Bullæ Papæ Pauli primi describi, redigi et registrari, et suam auctoritatem desuper interponi, non solum modo prædicto, sed isto et omni meliori modo. Qui reverendissimus Pater, dominus Fabricius Mandosius, vicesgerens prædictus, visis prædictis, et adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, approbavit dictas reliquias. *Hæc sunt omnia, quæ nobis ex illo instrumento Giacchettus excerpsit; sed quæ propositæ quæstioni neutiquam satisfaciunt.*

sed pars tantum illius aliqua notabilis;

76 *Neque certiores nos reddet inscriptio, quam refert pag.* 55, *innovata jam ecclesia, ad sinistrum aræ majoris latus, aliquanto tamen ulterius, sic marmori candido insculptam legi :* S. Sylvestri Papæ et confessoris corpus venerabile, a Paulo primo, Pontif. max. die XIX Junii intra mœnia Urbis mirifica pompa translatum, in hac a se constructa ecclesia, et ejusdem nomine dicata, opipare conditum fuit. Exin, Clem. VIII Papa, renovata ob B vetustatem ecclesia, idem S. Sylvestri corpus, clero populoque præsentibus, subter altare majus inventum, et ibidem dignissime repositum, cum SS. Pontif. Stephano et Dionysio, aliorumque Sanctorum reliquiis honorifica devotione servatur. Ex litteris Apostolicis summorum Pontificum Pauli primi, Agapiti secundi, atque ex inventario et reliquis actis curiæ Vicarii Urbis anno MDXCVI, Indictione IX.

ita ut etiam alibi esse possint æque notabiles partes aliæ.

77 *Denique in tota cœnobii historia non aliter invenimus designatas* S. Stephani *reliquias, quas eo transtulit S. Paulus PP. I, nisi per has voces,* corpus, caput, de capite. *Et* de capite S. Stephani Papæ et martyris *acceptum aliquid cum aliis plurimorum Sanctorum lipsanis dicitur pag.* 50, *ad consecrandam in eadem ecclesia anno* 1522, *die* XX *Aprilis, novam aram SS. Joannis Baptistæ,* Stephani, *et Silvestri; quod idem illud desumptum tunc innuitur fuisse ex diruto recens altari SS. Pauli Apostoli et Nicolai confessoris, ad cujus consecrationem adhibitum verisimiliter, secundum pag.* 49, *anno* 1267 *fuerat. Patet vero,* de capite *appellari posse particulam capitis quantumvis minutam.* Caput *autem, ut superius monui,* S. Stephani *suo* C *tempore tradit quidem Giacchettus pag.* 68 *inclusum fuisse seorsum hierothecæ in formam capitis ex argento elaboratæ; sed integrum illud fuisse non dicit, sicut integrum ibidem fuisse asserit caput S. Silvestri. Et hic ergo locum reliquit synecdochæ, qua parte capitis quamcumque per* caput *intelligas.* Corpus *denique absolute positum, quid passim significet, jam cum eodem auctore paulo ante monuimus. Notabilem tamen hic partem corporis intelligi oportere non inficior; quandoquidem scriptor illi ibidem, postquam de capitibus SS. Sylvestri et* Stephani *separatis meminerat, hæc subdit :* De reliqua sacrorum istorum ossium (SS. Stephani *simul et Silvestri*) quantitate partim duas capsulas admodum elegantes implerunt, quæ in eodem choro servantur; partim alias capsulas similiter ornatas, quas sub altare, ubi inventæ primum fuerant reliquiæ, suis manibus reposuit D. Vicesgerens. *Hæc, inquam, satis hic notabiles arguunt Sancti nostri reliquias; non ita tamen, ut negare nos cogant, etiam aliis locis, de quibus agendum nunc est, partes ejusdem corporis æque notabiles reperiri; quæ quidem causa fuit, cur examen hoc loco tam longum instituerimus.*

§ VIII. Earum translationes ac divisiones aliæ posteriores.

Ceteræ ejus reliquiæ tum relictæ videntur in cœmeterio Callisti;

Quæret nunc aliquis, si e Callisti cœmeterio ad cœnobium jam dictum pars tantum hujus corporis aliqua transisse censenda est; ubi manserit cum sede Pontificis nostri ac Martyris pars corporis residua. Eminentissimus Baronius ad annum 761 *post recitatam S. Pauli Papæ Bullam, ita pergit :* Quod autem in cœmeterio Callisti æque corpus S. Stephani Papæ et martyris positum adhuc dicatur; inde id provenisse putatur, quod, sicut in aliis fieri consuevit, cum transferri solerent sacra Sanctorum corpora, pars aliqua in loco priori relinqui soleret. *Hæc si ad locum illum cœmeterii Callisti referantur, ubi primum sepultus fuerat* S. Stephanus, *conciliari vix poterunt cum citato Anastasii textu, nedum cum Pauli Constituto; in quo causa factæ translationis hujus et aliarum aperte* E *dicitur fuisse, quod loca illa cœmeteriorum, in quibus ea corpora eo usque quieverant, diruta, profanata, neglecta, dedecori sacris pignoribus tum essent potius, quam honori : ea vero causa movere non minus S. Pauli religionem debuit, ut ne quid sacri in loco tam indigno relinqueret, quam ut inde aliquid asportaret. Itaque nihil ibi jam dudum superesse, testatur Panvinius libro de Septem Urbis ecclesiis pag.* 94 *in editione Romana anni* 1570. *Cum ergo reliquisse putatur aliquid Paulus* in loco priori, *id latius accipiendum videtur, ut idem scilicet Callisti cœmeterium significetur quidem, sed non idem cœmeterii locus ille definitus, in quo conditi primum hi Sancti fuerant. Ita reliquisse dici poterit S. Paulus in priori loco quidquid reliquiarum* S. Stephani *depositum fuisse traditur in ecclesia perantiqua S. Sebastiani, cœmeterio S. Callisti ad secundum ab Urbe lapidem imposita.*

tutiori tamen loco, puta ad S. Sebastiani; unde quædam alio

79 *Illo certe, et non alio cœmeterii istius loco, servari dicitur Sancti hujus et corpus, et caput (synecdochice tamen utraque) et sedes marmorea, in qua fuit obtruncatus. De corpore in opere mox citato pag.* 98 *sic scribit Panvinius :* Basilica S. Sebastiani... intus aliquot altaria habet. In majori F (quod sanctissimam Eucharistiam continet) sepultum est corpus S. Stephani Papæ et martyris, in hoc cœmeterio occisi. *Idem pag.* 99 *in alio ejusdem ecclesiæ altari recondita ait esse* capita sanctorum Callisti et Stephani Pontificum, *idque præter alias ejusdem* Stephani *reliquias, tum ibi, tum in alio altari, de quo meminit pag.* 97, *repositas. De capite testatur etiam Severanus in Monumentis sacris septem Urbis ecclesiarum part.* 1, *pag.* 451, *et part.* 2, *pag.* 98, *ubi satis clare innuit, caput illud (seu potius capitis partem) pignus esse præcipuum* S. Stephani, *quod istic etiamnum supersit; cum illud solum exprimat. Sedem denique, Pontificis hujus cruore conspersam, ibi asservatam fuisse, præter Pancirolum in Thesauris absconditis almæ Urbis pag.* 663, *Piazzam in Hemerologio sacro, et alios, testatur quoque Marcus Antonius Boldettus in Observationibus ad cœmeteria Martyrum lib.* I, *cap.* 10, *addens, eam tandem ex hoc loco, ubi tot seculis in veneratione maxima fuerat, Pisas nunc esse translatam a Cosmo III, magno Etruriæ Duce, qui illam anno* 1700, *cum Romana sanctuaria pro sua pietate supplex inviseret, ab Innocentio PP. XII dono consecutus est.*

AUCTORE P. B.

subinde translatæ sint, ut: ad S. Praxedis, anno 817;

80 *Ut vero inde sedes illa hoc seculo ineunte migravit, sic indidem alia ejusdem (ut quidem omnes volunt) Sancti lipsana, per Urbem jam olim et orbem Catholicum divisa, prodiisse crediderim : ac de iis id imprimis, quæ sunt in Romana S. Praxedis ecclesia, verisimile facit, quæ istic (apud Panvinium de Septem ecclesiis pag. 259)* in pariete muri prope oratorium S. Zenonis hujusmodi tabula marmorea exstat : In nomine Domini Dei, Salvatoris Jesu Christi, temporibus sanctissimi ac ter beatissimi et Apostolici Domni Paschalis Papæ *(primi scilicet)* infraducta sunt veneranda Sanctorum corpora in hanc sanctam et venerabilem basilicam beatæ Christi virginis Praxedis; quæ prædictus Pontifex dirutis ex cœmeteriis seu cryptis jacentia auferens, et sub hoc sacrosancto altari summa cum diligentia propriis manibus condidit in mense Julio die xx, Indictione x, *(adeoque anno Christi* 817) Nomina vero Pontificum Romanorum hæc sunt : Urbani, Stephani, Anteri, *etc. Ex diruto enim cœmeterio Callisti dici potest traduxisse, etiam quæ ex aliquo diruti istius cœmeterii loco non diruto (puta ex ecclesia S. Sebastiani) transtulit.* B

ad SS. Silvestri et Martini, eodem seculo,

81 *Idem de ceteris equidem sentio; tametsi fatear, non esse mihi, quo id affirmem, aut aliter opinantibus me velim anteferri; cum translationum illarum vel nulla suppetant, vel obscura testimonia. Sic Anastasius in Vita Sergii PP. II, qui sedit ab anno* 844 *usque ad* 847, *translatas quidem ab eo narrat reliquias* S. Stephani *Pontificis et martyris ad ecclesiam Romæ celebrem SS. Silvestri et Martini; sed unde fuerint acceptæ, non explicat. At explicat hoc, inquis, tabula marmorea, cujus inscriptionem, velut antiquissimam, recitat Baronius ad annum* 847, *num.* 4 : *in ea namque tam de* S. Stephani, *quam de aliorum Sanctorum pignoribus, eodem tempore et loco repositis, dicitur :* Hæc Sanctorum corpora translata sunt de cœmeterio Priscillæ via Salaria. *Sic est; verum non eam esse inscriptionis istius, hac saltem in parte, vetustatem ac fidem, ut in illa secure liceat acquiescere, longa pridem dissertatione ostendit Papebrochius. Adi sis etiam Pagium in Critica Annalium ad annum* 847 *num.* 4 *et seqq. Et vero quis umquam aut* Stephanum, *aut alios quosdam ex commemoratis ibi Sanctis in cœmeterio Priscillæ suburbano sepultos fuisse* C *tradidit, vel eo postea delatos? Ceterum etsi, quas in SS. Silvestri et Martini ecclesia* S. Stephani *reliquias deposuit Sergius, inde postea sublatas fuisse non sciamus, atque adeo plane existimemus ibidem etiamnum servari; miramur tamen, id minus diserte asseri a R. P. M. Joanne Antonio Philippino, loci, cum scriberet, jam tertium Priore (in ejusdem ecclesiæ descriptione Italica, anno* 1639 *Romæ vulgata, cap.* 16;) *quam et ante ipsum ab Octavio Pancirolo in indice reliquiarum ad Thesauros Urbis absconditos, et post ipsum a Carolo Bartholomæo Piazza in Sanctuario Romano part.* 1, *die* 2 *Augusti; et part.* 2, *Statione* 31.

et alias ecclesias, tam in Urbe,

82 *Plures sunt aliæ in Urbe ecclesiæ, ad quas Martyris nostri veneratio singularis per aliquam corporis ejus portionem, ignoto nobis tempore ac modo impetratam, extenditur : puta ad ecclesiam S. Cæciliæ, ubi, teste Piazza in Hemerologio ad hunc diem,* os ejus est insigne : *ad S. Eusebii, ubi Ugonius Statione* 31 *ait* reliquias *esse* S. Stephani Papæ, *et quidem nostri, ut interpretatur loco citato Piazza; quippe cujus ibi festum (hac sine dubio de causa) quotannis asserit solenniter celebrari : ad S. Mariæ de Ara cœli, ubi, secundum Piazzam ibidem,* exponitur ejus caput, *sive* aliquid de capite S. Stephani Papæ et martyris, *ut explicat in indice Pancirolus. Atque hæ sunt, si non omnes, certe maxime celebres Sancti hujus apud Romanos reliquiæ : nam etsi festam hujus sancti Præsidis sui lucem peculiari cultu Romæ prosequantur Equites* S. Stephani *nostri (de quibus infra dicetur) in ecclesia, quam appellant, S. Joannis Florentinorum, impetratis etiam plenariis ad eam illustrandam indulgentiis; nihil ibi tamen reliquiarum ejus assignat Piazza. Errasse vero putamus Joannem Severanum de Septem ecclesiis part.* 1, *pag.* 131, *cum* S. Stephani *hujus* corpus *inter alia recensuit, quæ condita sunt in basilica S. Petri Vaticana*; *nam* Stephanum *scripsit pro Hygino, ut ex Panvinio, Ugonio, aliisque ejusdem basilicæ hierogazophylacium describentibus palam est.* D

quam per reliquam Italiam, Siciliam, Hispaniam,

83 *Sed non sola, ut jam innui, Roma sacras Pontificis hujus sui ac Martyris exuvias veneratur et possidet; siquidem iisdem in reliqua Italia, Sicilia, Hispania, Germania, Bohemia, Lotharingia, Belgio quamplurimæ gloriantur ecclesiæ : et in Italia quidem in ecclesia Neapolitana D. Mariæ de Stella, teste Beyerlingo in Theatro vitæ humanæ ad verbum* Reliquiæ *pag.* 304, servantur reliquiæ S. Stephani.. Papæ et martyris; *in metropolitana Tranensi* os ex corpore *ejusdem, uti dictum fuit tom.* I *Junii pag.* 258 *lit. D; apud Vigilienses quoque, Columnenses, Pisanos quid sit, sequentibus paragraphis elucescet. In Sicilia, secundum Martyrologium Siculum ab Octavio Cajetano nostro vulgatum, celebratur die* 2 *Augusti,* Syracusis, in collegio Societatis Jesu, translatio capitis S. Stephani Papæ et martyris. *In Hispania apud Ovetenses, nescio quid reliquiarum ejus assignat Beyerlingus modo laudatus pag.* 279; *apud Scorialenses quoque in celeberrimi augustissimique cœnobii Lipsanologio alphabetico, quod exscriptum habemus, notantur* S. Stephani Papæ et martyris os unum, longum digitis duobus ac medio, latum uno; et unus dens molaris integer; tres aliæ reliquiæ minores. E

Germaniam, Lotharingiam,

84 *In Germania tres una in urbe Coloniensi ecclesiæ aliqua sacrorum ejus pignorum parte lætantur; ut metropolitana apud Gelenium de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.* 3, *syntagm.* 1, § 5, *sexta hierotheca; ecclesia collegiata S. Cuniberti, quæ* caput *habere dicitur* S. Stephani Papæ et martyris, *ibidem Syntagm.* 4, § 2, *loculo septimo,* F *et apud Winheimium in Sacrario Agrippinæ pag.* 63; *ecclesia S. Barbaræ cœnobitica Cartusianorum, ubi est* pars capitis S. Stephani Papæ et martyris, *apud Gelenium ibidem, syntagm.* 40, § 2. *num.* 9, *et Winheimium pag.* 206. *Spirensis etiam ecclesia Cathedralis, ut* S. Stephanum PP. I *patronum habet; sic aliqua sacri ejus capitis portione gloriatur, teste Guilielmo Eysengrein in Chronologia Spirensi, fol.* 30 *verso. In Bohemia, ecclesia metropolitana Pragensis habet, testante Pessina in Phosphoro septicorni, radio* 4, *pag.* 514, S. Stephani Papæ et martyris insigne frustum, per Carolum (IV *imperatorem piissimum)* Roma, anno MCCCLXX allatum. *In Lotharingia Veroduni ecclesia parœcialis* S. Stephani *Papæ et martyris nomine consecrata dudum fuerat, quando seculo* XI *Nanterus, abbas vicini cœnobii S. Michaëlis, Romam et montem Garganum adiit, indeque redux attulit in patriam, præter alias multas, etiam* S. Stephani nostri *reliquias*; quæ *(verba sunt e Gallico versa Richardi Wasseburgii, Verodunensis olim ecclesiæ archidiaconi, Antiquitat. Galliæ Belgicæ lib.* 4, *fol.* 225 *verso)* etiamnum religiose servantur in ecclesia parochiali S. Michaëlis, apud dictam abbatiam; quæ

ecclesia

A ecclesia parochialis diu ante dedicata fuerat et fundata in honorem jam dicti S. Stephani Papæ et martyris.

Belgium, imo et Orientem;

85 *In Belgio denique nostro urbes, ut minimum, tres nonnullam reliquiarum ejus partem olim sunt consecutæ: ut Bruxella, ubi Rayssii Gazophylacium Belgicum pag.* 396 *testatur asservari in aulico sacello* brachium argenteum, *quod, inter similes aliorum Sanctorum alias*, recludit reliquias brachii sancti Stephani Papæ et martyris; *Ultrajectum, ubi idem auctor pag.* 260 *et sequenti ex instrumento authentico docet, sub Frederico Badensi, archiepiscopo Ultrajectensi quinquagesimo sexto, repertas cum aliis bene multis fuisse anno* 1515 *in S. Joannis ecclesia collegiata reliquias* S. Stephani Papæ et martyris, *quas ibi annis antea facile quadringentis et quinquaginta Bernoldus, inter episcopos Ultrajectenses vigesimus, et ejusdem ecclesiæ fundator, incluserat; Duacum postremo, ubi Beyerlingus, ad vocem* Reliquiæ *pag.* 293, *in ecclesiæ collegiatæ S. Amati lipsanologio inter complures Sanctorum reliquias, ibi a seculo* XIII *conditas, tertio recitat:* De S. Stephano Papa et martyre; *et semel quidem* B *sub hoc titulo:* Sequuntur reliquiæ, quas Robertus de Gondelcont attulit de Constantinopoli: *ex quo liquet, usque in Orientem diffusas aliquando fuisse sanctissimi Pontificis ac Martyris nostri cum cultu reliquias.*

si tamen ejusdem ubique Stephani reliquiæ sunt.

86 *Ceterum, ægre ferat nemo, si forte ecclesias hic multas præterierimus, quæ ejusdem quoque thesauri partem aliquam possidere se credant: non enim id agimus hoc loco, ut ejusmodi nihil nos fugiat; sed ut colligamus in hoc genere quantum sufficit, ad demonstrandam peculiarem illam, quam in veneratione* S. Stephani *nostri tot gentium pia contentio tot jam seculis præ se tulit, religionem. Unde neque illud nobis discutiendum arbitramur, sintne re vera* Stephani *hujus omnia, quæ vel modo dedimus vel daturi jam sumus, an Sancti cujuspiam alterius homonymi pignora, saltem aliqua: satis est etenim ad finem nobis propositum, quod nostri hujus ea putant esse, qui elaboratis condita metallis tanto servant in pretio, tanta pietate, tot honoribus prosequuntur. Nunc Italiam revisamus, ubi refossa translataque non ita pridem sacra hujus Martyris, ut creduntur, ossa novum ac mirificum ejus gloriæ splendorem attulerunt. Rem tibi, lector, ab exordio repetemus,* C *maxime ex Italica Relatione, typis excusa Trani anno* 1682, *et ad paginas quatuor et nonaginta excurrente. Hanc ad tres paragraphos compendio reducemus: quorum primus expediet translationem* S. Stephani *in Apuliam; secundus inventionem in Apulia; tertius translationem in Etruriam.*

§ IX. Alia reliquiarum ejus translatio ad cœnobium Columnense prope Tranum in Apulia, anno MCLX.

Historia translationis S. Stephani PP. et M. in Apuliam ex Ms.

Tranum civitas est nobilis in Apulia Peucetia, seu Terra Bariensi ad maris Adriatici littora. Ab hac, Vigilias versus, uno tantum milliario distat peninsula quædam in mare procurrens instar modici collis, amæna pulcraque; cujus verticem occupat cœnobium pervetustum S. Mariæ de Columna, vel, ut alibi vocitatur, de Colonia, a Benedictinis ob incursus Turcarum piraticos bis derelictum, et anno 1527 *tandem Fratribus Minoribus, quos Observantes appellant, assignatum, qui illud exinde constantius tenuere. Huc delatum olim Roma fuisse corpus* S. Stephani *Papæ et martyris, nemo dubitat accolarum; et quamquam de modo, quo istuc appulerit, alia nunc est, aut certe aliquando fuit, rudis plebeculæ fama, nemo tamen utcumque supra vulgus aliquid sapiens inde ab antiquis temporibus (teste Staffa in historia inventionis ejus, Trani edita anno* 1622*) id aliter accidisse umquam credidit, quam ut narratur in historia manu ac stylo pervetusto in membranis Latine exarata, et in ejusdem cœnobii sacrario una cum Sanctorum reliquiis tum diligentissime conservata. Cujus quidem historiæ fragmenta ipse Latine pauca recitat; nos integrum a P. Beatillo nostro apographum obtinuimus, et sic habet:*

Tranenses maximi faciunt corpus S. Stephani PP. et M.,

88 De fonte divinæ misericordiæ semper rivulus salutis emanat: quoniam fons vitæ est apud Dominum, et in lumine suo videbitur lumen. Prætendit enim misericordiam omnibus invocantibus eam. Unde Deus in omnibus et super omnia benignissimus dilectum populum, Pharaonis potentiam fugientem, duabus columnis protegens, obumbravit: unam nubis per diem eis contra æstum solis apposuit; et alteram ignis per noctem ad remedium frigoris temperavit. Sic dul- E cis pietas et pia dulcedo Domini Tranensibus, in multis calamitatibus anhelantibus, corpus beati Stephani, apostolici viri et martyris, contra peccati incendium, et contra charitatis algorem, et contra dæmonum virulentas insidias misericorditer impertivit. Hoc corpus præfati Martyris eisdem quippe Tranensibus est factum candelabrum, eidem candelabro simile, quod est in templo Domini positum, de quo Christus ille sine fine benevolus ad preces prædicti Martyris lucernam eorum pedibus gradiendi prætenderet, et lumen eorum semitis præmonstraret. Hujus quoque Martyris corpus sanctissimum est ipsis Tranensibus lagena Gedeonis effectum, in qua fuerat facula luminaris accensa: quæ lagena, ut hostes frangeret, prius est fracta pœnitens; et, tacta misericordia, subito lumen egrediens hostium reverberabat oculos. Ut in fractione lagenæ fragilis et claritate lucis effusa Gedeonis fugati sunt penitus inimici; sic de præfati Martyris corpore, ut de lumine patefacto, hostes invisibiles fugiunt, et velut lanceis figuntur acutis. Hujus autem apostolici Viri et Martyris pretiosissimum corpus qualiter est ad hoc S. Mariæ Coloniæ monaste- F rium, Christi miseratione, traductum, cunctis scire volentibus veridica taliter relatione patebit.

Romæ clam sublatum, et apud eos depositum, in vicino cœnobio,

89 Quidam hujus oratorii monachus, Domini procurante clementia, Romam avidius proficiscitur, et cuidam viro ecclesiæ civitatis illius adhæsit clam deputato, in qua corpus præscripti Martyris erat reconditum: se ad omnimodum beneplacitum contulit, et ad obsequium mancipavit; et ad libitum cuncta perficiens, sic se illi familiarem adhibuit, sic se præcordialiter alligavit, ut ei, quasi amico intimo, secreta sui animi custos ille panderet universa, reverendo prædicti Martyris corpore præostenso. Ille igitur monachus et alter clericus, qui præeminebat ecclesiæ, ita sunt mutua charitate connexi, ut septenni spatio temporis et loco sunt et animo unanimiter conversati. Verum procedente aliquo tempore (quia pravum est cor hominis et inscrutabile) sæpedicti monachi animus est in contrarium penitus immutatus: nam amico suo prætendens insidias, et voto suæ mentis opportunitatem explorans, corpus prædicti Martyris a loco sui hospitis et amici diripuit, et ad monasterium, a quo recesserat, cum hilaritate transvexit. Quem

regres-

AUCTORE P. B.

regressum ad monasterium monachum dum velut fratrem ac filium cum affectu et paterna dulcedine suus abbas reciperet, mox ille corpus pretiosissimum abbati suo ac fratribus, tamquam munus a Domino destinatum, exhibuit, facti ejus seriem diligenter exponens. Unde loci hujus abbas et monachi, corpus beati Martyris cum magna reverentia et devotione sumentes, cum laude Dei non modica omni cum diligentia in altari sui cœnobii * summa cum celebritate recondunt; de cujus sancti Martyris corpore multis undique per Apuliam plurima miracula coruscarunt.

* *Staffa cum aliis legit :* in altari S. Zenobii.

ubi claret miraculis;

90 Nam per eum jugiter monachis provectus animarum impenditur, ad quorum salutem sedulam in ipsorum est monasterium, Domino disponente, deductus. Quicumque etiam hominum ad eum vota prætendunt, et sine felle malitiæ preces honestatis emittunt, mox ille clemens ad Clementissimum supplicat; et ad vota petentium, quod optatur, adducit. Ipsis quoque Tranensibus, qui præscriptæ ecclesiæ S. Mariæ Coloniæ, in qua prædictus Martyr et Pontifex, Domino B miserante, quiescit, sicut vicinis per miliarium, cum necessitas imminet, eis alacriter viscera pietatis impendit; sic allegans pro subditis, sic celeriter piissimam vocem miserationis emittit: O Jesu, omnium plenitudo bonorum, paradisus pomorum dulcium, gratiarum redolens apotheca cunctarum, pater indeficiens, mater afflictorum omnium, singulare solatium et spes unica miserorum; quam piger ad pœnas, princeps ad præmia velox; quique doles, quotiens cogeris esse ferox (Numquam enim sine misericordia tu fuisti, nec peccanti homini aut * defuit miseratio) exaudi, pie Pater et Domine, ut petentibus annuas: tua sola te pietas arceat *; ut, qui parcendo peccata superas, nunc his supplicibus indigentibus signa tuæ dulcissimæ pietatis ostendas. Et mox nunc piissime piissimus ad preces Martyris flectitur; et ad misericordiam, quam naturam habet nunc pronius inclinatur: nam penes eum omnia quæ postulat: quia in sua Christus piissima voluntate disponit. Ipsi ergo gratiarum sit actio, honor, virtus, et jubilatio in secula seculorum. Amen.

* *lege* tua

* *forte* urgeat

C

ipsis dæmonibus

91 Cumque corpus beati Stephani martyris, Romani Pontificis, in monasterio sanctæ Mariæ de Colonia divina gratia collocatum quiesceret; ut multis impenderet beneficia, et præsentiæ suæ commoda persentirent, Amandus, quondam Vigiliarum episcopus, a quodam prædicti abbate cœnobii, qui Petrus nomine dicebatur, ad eam, cui præeminebat, ecclesiam præfati Martyris brachium postulatum accepit. Cumque nominatus episcopus ad quemdam occupatum a dæmone, qui ad ecclesiam venerat, sua verba dirigeret; ut divina Verbi virtus per brachium Martyris innotesceret; ut Sancti brachio honor cum reverentia debita ferret *; et ut propter virtutis Dei notitiam [et] Sancto celebritatem exhibitam, vitæ æternæ meritum erga populos cœlitus adveniret; sæpe nominatus episcopus præscripti brachium Martyris latenter induxit. Et quia Christum Dominum in carne mortali dæmones vehementi cogitatione cognoverant, eumque Dei filium nominaverant; de ejus emanavit justitia, ut qui confessi a Domino ad suæ depressionem malitiæ, ad ejus Famuli excellentiam occultari malevola taciturnitate non possent. Nam quam citius sancti Martyris brachium est latenter appositum, dæmon doloribus angitur; flammæ incendio concrematur: spumat ille, qui patitur, dæmoniacus; in labiis tremor est; in vocem sic avide conquerentis erupit: Cur me nunc, Stephane, crucias? Cur mihi modo caput abscindis, et membra singula mutilas? An quia tibi capitis sustinuisti martyrium, nunc me sæviori pœna percellis? Tuus in cruce Dominus mihi caput effregit: et nunc pro tui decisione capitis, mei sentio capitis fractionem. Unde tu confregisti caput draconis; dedisti eum escas populis Æthiopum. Cur * jam pro ejus fide suscepisti martyrium, me in porcum introire permitte; sicut legionem dæmonum in porcos introire permisit. Hoc præfatus episcopus, multis astantibus, audiens, nec non et omnis populus, sancto martyri Stephano, quondam summo Pontifici, cum attentione non modica cultum et reverentiam contulere majorem; in membro, capiti; in servo, Domino Jesu; mox Filio, qui est benedictus in secula, honorem, laudem et gloriam debitam exhibentes.

* *forte* ferretur *aut* fieret

D

* *forte* Qui

ejus merita confitentibus

92 Ad honorem ejus, et gloriam, qui nos ab hoste redemit: beati Stephani protomartyris est imago Tarenti in pariete cujusdam ecclesiæ, variis protracta coloribus, ad ejus similitudinem informata. Hanc imaginem protomartyris dæmoniacus quidam aspiciens, subito torquetur doloribus; flammis peruritur, et alii cruciatibus; velut navicula fluctibus propulsata. Tandem dæmon per dæmoniacum contra protomartyrem Stephanum suæ malitiæ seminarium, incentivum discordiæ, et invidiæ fomitem in hæc verba diffudit: Nunc autem ante tuam imaginem, o protomartyr Stephane, torqueor, laceror, confundor graviter, et affligor: nam ab hoc mihi homine, quasi pro carcere, deputato, in quo tamen per effectum malitiæ delectabar, quem cum hilaritate vexabam, in cujus cruciatibus sedulis mihi erat quies et gaudium, non precum tuarum instantia, nec tua sanctitate poscente, superatus excludor: imo precibus et meritis beati Stephani, Papæ et martyris; qui in monasterio sanctæ et gloriosæ Genitricis Dei et perpetuæ Virginis Mariæ de insula Coloniæ, prope Tranum sita, ad salutem Tranensium mansionem accepit, manu fortiori expellor: totam maritimam [oram] fugiens, ad solitudinem vapulandus abscedo. Potius * hæc dæmon aliud non eloquitur, quia, Deo non permittente, obmutuit, et non aperuit os suum; et quia cito vocem non edidit, dæmoniacus est a dæmone liberatus. Hæc verba dæmonis populus audiens, fideliter et efficaciter intellexit, quod Jesus Christus, Martyrum gloria, laudem suam et sui Martyris ipsum fecit dæmonem, ad confusionem suam et ignominiam, confiteri. Sancto igitur Stephano, Papæ et martyri, Christianus quilibet reverentiam faciat, et Christo, auctori bonorum omnium, munus sedulæ devotionis impendat; cui gratiarum sit actio, honor, virtus, potestas, et jubilatio in secula seculorum. Amen.

E

* *forte* Post

F

Cum prodigia aliquamdiu cessassent,

93 Circa festum beati Stephani, Papæ et martyris, quidam monachus supra memorati cœnobii S. Mariæ Coloniæ cum Priore suo, in loco eodem ad talia illum alloquens, controversia dilapsus, [ait:] Ecce, bone frater et domine, corpus beati Stephani, Papæ et martyris hujus, in quo degimus monasterio requiescit: sed cum jam longo temporis spatio nulla nobis miracula favent, nec portant nobis loci vicinia, corpori ejus debitam reverentiam exhibemus *: unde ejus festum et gaudium minus solenniter celebramus. Sed ut quid etiam terram occupat? Ut arbor succidatur

* *forte* non exhibemus

cidatur

A cidatur inutilis, et de loco inaniter occupato pellatur. Quod non ex malitia monachus, sed affectu quodam intimæ dilectionis, asseruit. Prior autem cœnobii sui, frater quæ dixerat, attentius audiens, illum honeste admonuit; cum omni lenitate corripuit, et eum sermonibus salutiferis propensius erudivit. Verum verba prædicti monachi Deo quasi quædam exstiterunt occasio ad solita mirabilium opera suam noviter potentiam exercendi; ut sanctum Papam et martyrem in loco suo manentibus multis celebrem faceret, et illum per evidentia miracula declararet. Unde manus divinæ gratiæ hoc, quod sequitur, ad actum adduxit.

denuo refluere, maxime in pellendis febribus;

94 Quidam vehementer febricitans, divina ductus clementia, convolavit ad monasterium, sanctum papam et Martyrem languoris sui stimulis medicinam efflagitans. Hunc autem Christus misericors ideo destinavit ad Martyrem, ut in eo Dei virtus claresceret, et cunctis eum poscentibus per miracula faceret celebrandum. Loto igitur sancti Martyris brachio, illico loturas febricitans ad potum salutarem assumit. Nam dum bra-
B chium Martyris aqua ducta lavatur, mox accepta a languido, a morbo eum, quo languit, sine tarditate curavit. Cujus sanitatis exemplo qui quotidiana febre consumitur, qui tertiana vexatur, qui quartana concutitur, vel cujuscumque mali doloribus agitatur, si ei aqua, qua est lotum brachium, propinatur, dummodo cum sumpto poculo fidem de sua plenam habeat sospitate, mox quod optavit, exequitur *, et quo indiguit, impetravit. Quare divina gratia sic operatur in Martyre, ut per eum febricitantibus Deus manifeste subveniat. Est ergo salutare consilium, ut qui ad preces Martyris sui de languore curatur, illud semper præ oculis verbum Dominicum habeat : Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Qui vero nondum munus curationis obtinuit, sic reproba corrigat opera, sic se miseris per compassionem impendat; ut, dum in suis calamitatibus opem Martyris flagitat, illum sibi propitium, illum protinus erga Dominum promptum sentiat adjutorem; ut tam in pœna, quam in culpa ei Deus per gratiam pro interventu Martyris miraculum pietatis efficiat; quatenus qui per effectum Martyris a Deo
C est misericorditer liberatus, fiat interventu suo in veneratione ferventior et Deo liberatori, devotior, ut illi gratiarum sit actio, honor, et jubilatio.

* *forte* consequitur

de quibus scripta olim historia fuit.

95 Id etiam nihilominus tenaci est commendandum memoriæ et præconio laudabiliter Martyris adscribendum, quod cum ejus essent miracula litteris designata, et tam abbati quam fratribus eas scriptor prælegeret; ubi quod notaverat, reducebat, ut grossiori littera scriberetur, in ipso regressu tenentis opus est de pectore lapsum : quo non reperto, dum quæritur, scriptor dolore capitur, ac mœrore urgetur : quærit opus, quod perdidit, et ad quærendum alios diligenter emisit : cumque fatum opusculum, ad oculum in itinere positum, quæsitores plurimi non aspicerent, scriptoris nutrix, ad laudandum egressum velut a sancto Spiritu destinata, opus intuens, quod latebat omissum *, admirata cognovit. Unde illud avide capiens, ad suum illico dominum attulit; quod ille cum alacritate accipiens, et munus exinde gratiarun exhibuit [et] obsequium juge Martyri venerationis impendit.

* *forte* amissum

Translationis epocha, annus 1160

96 Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo sexagesimo, Indictione octava, Pontificatus in Christo Patris et Domini Domini Alexandri Papæ tertii, Romani Pontificis, anno primo, regnique Domini Guilielmi, regis Siciliæ et Apuliæ, anno decimo, archiepiscopatus Tranensis archiepiscopi... anno secundo, prædicti domini Petri, venerabilis abbatis, anno tertio ; quo supradicto tempore monachus et abbas prædicti monasterii abbatiæ S. Sebastiani martyris ad supradictum monasterium ecclesiæ sanctæ Mariæ de Colonia B. Stephani martyris Romanique Pontificis detulit corpus sanctum. Et hoc factum est ad honorem, laudem, et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est lux lucis, et omnium vera salus : qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

AUCTORE P. B.

Ætas hujus historiæ; locus, unde facta translatio.

97 *Hoc instrumento nititur jam descripta translatio. Observandum autem in eo est primo, nullam uspiam ibi fieri mentionem Ordinis Franciscani; quod argumento est, ante conscripta hæc fuisse, quam RR. PP. Franciscanis cœnobium Columnense cessisset, hoc est, ante annum Christi* 1427. *Satis diu tamen scripta fuisse post annum* 1160, *manifeste proditur num.* 91, *ubi dicitur* Amandus, quondam Vigiliarum episcopus : *Amandus enim ille, secundum illustrissimum Sarnellum, sedisse scitur Vigiliis saltem usque ad annum Christi* 1181. *Idem æque evidenter erues ex num.* 93 : *quia vero nondum abscondita fuisse suo tempore ossa Sancti supponit auctor, non ausim illum seculo* XIII *juniorem facere. Secundo, num.* 89 *perobscure designari ecclesiam illam Romanam, unde corpus illud monachus Columnensis abstulerit : ibi namque ecclesia ista nullo titulo insignitur; sed ad clericos tantum innuitur pertinuisse :* clericus *enim istic appellatur,* qui præeminebat ecclesiæ, *idem paulo ante* custos, *idem* clam deputatus *dicitur, eodem inscio et invito, sublatum esse narratur a monacho per insidias corpus. Quid igitur sibi volunt hæc num.* 96 *verba :* Quo supradicto tempore monachus et abbas prædicti monasterii, abbatiæ S. Sebastiani martyris ad supradictum monasterium ecclesiæ S. Mariæ de Colonia B. Stephani, martyris Romanique Pontificis, detulit corpus? *Quid, inquam, sibi vult istud,* abbatiæ S. Sebastiani martyris? *Locus, nisi fallor, indicatur, unde corpus subductum fuerit; ecclesia scilicet S. Sebastiani, quæ licet extra Romam sita sit in cæmeterio Callisti, inter Urbis tamen ecclesias loco non infimo recensetur. Sed ea cur dicitur* abbatia, *si illi secundum num.* 89 clericus præeminebat? *Tum cur ibi vox illa secundo casu exprimitur,* abbatiæ? *Sane vereor, ne corruptum hic sit aliquid occasione cujusdam abbreviationis, et legendum sit,* ab ecclesia S. Sebastiani M. *Et sic legisse videtur admodum R. P. F. Bonaventura a Fasano, in compendio hujus historiæ, quod citatur in Relatione Italica pag.* 28; *licet ibi legatur,* ab ecclesia S. Stephani *(pro* Sebastiani; *additur enim)* extra muros, cœmeterio Callisti; *in quo ecclesia S. Sebastiani nota est; at nulla, quod sciam,* S. Stephani.

E

F

Brachium Sancti Vigilias translatum; nomen Archiepiscopi Tranensis omissum.

98 *Observandum tertio, translatum fuisse, secundum num.* 91, *Sancti hujus brachium ex cœnobio Columnensi ad cathedralem Vigiliensem ab Amando, non posterius ; ut putavit illustrissimus. Sarnellus in Monumentis episcoporum Vigiliensium, pag.* 44; *ubi ait, illud etiamnum servari. Alias ergo* S. Stephani *nostri reliquias fuisse opinamur illas, quas Amandi successor anno* 1182 *condidisse ibidem narratur in ecclesia S. Mariæ di Giano, extra oppidum Vigiliense posita. Remansisse vero apud Columnenses, diu post Amandi translationem, vel ejusdem brachii partem, vel alterius (ejusdem tamen Sancti) patet ex num* 94. *Quarto denique observandum*

AUCTORE P. B.

servandum est, in apographo nostro num. 96 *punctulis notari locum, ubi nomen archiepiscopi Tranensis forte in autographo legi non potuit. Quis autem archiepiscopus ille fuerit, ex Ughello non liquet : utpote nec Bisantii junioris, qui sedit anno* 1143, *finem; nec Amantii, qui sedit anno* 1179, *initium notante, et ita forsan unum aut plures intermedios, quos ignoraverit, omittente. Staffa tamen in Relatione Italica recusus, pag.* 3 *videtur in historiæ nostræ autographo legisse nomen* Petri ; *ait enim, eumdem fuisse Petrum, qui Tranensis tum simul archiepiscopus fuerit, simul abbas manserit Columnensis.*

§ X. Earumdem reliquiarum diuturna ibidem defossio, et secuta inventio; item novæ translationis occasio et apparatus.

B *Ossa S. Stephani, diu apud Columnenses defossa,*

Gaudebant hoc suo deposito secure Columnenses, cum bellorum in Italia motus, et infestum prædonibus mare opportunam iis curam injecit, ut ne rem tanti pretii in loco, periculis omnibus atque injuriis exposito, parum caute servasse viderentur. Reliquias igitur S. Stephani *sui ex altari sublatas in proximam altamque, quam ad hoc paraverant, fossam demittunt, humoque regesta, et instrato, ut ante fuerat, pavimento, ita contumulant, ut reconditi thesauri nullum apparere sinant indicium. Id vero quando contigerit, incertum est. Diutissime tamen ibi abstrusa latuisse hæc pignora, mox describenda docebit inventio. Condita ibi certo jam erant ante annum* 1427, *quo cœnobium FF. Minoribus datum est; quandoquidem horum nemo locum umquam novit, sub quo delitescerent : ut narrat Staffa, et fatetur Minister Ordinis Generalis Franciscus Gonzaga in Origine Seraphicæ Religionis part.* 2, *ubi de provincia S. Nicolai, conventu* 5. *Imo nihil apparet verisimilius, quam si dicatur absconditum fuisse in ecclesia Columnensi* S. Stephani *corpus eadem occasione, atque adeo eodem tempore, quibus in ecclesia Tranensi occultatum fuit corpus S. Nicolai Peregrini : nullus enim periculi metus impellere Tranenses potuit, ut ita thesauri sui in* C *urbe munita securitati consulerent, qui non idem urgere debuerit Columnenses, nulla loci munitione fretos, ad idem de suo S. Stephano faciendum. Itaque ut uno fere tempore per ejusdem Baracchianæ familiæ indicium, inventæ postea sunt utriusque reliquiæ; sic uno fere tempore defossas arbitramur antea fuisse, puta versus initia seculi* XIII, *quando abditum fuisse S. Nicolai corpus intelliges ex dictis tom.* I *Junii, pag.* 255, *num.* 76.

præter brachium;

100 *Patribus interim Franciscanis in longa hujus depositi ignoratione solatio imprimis erat* S. Stephani *Pontificis et martyris brachium, quod cum ceteris ejus ossibus latibulo subterraneo mandatum non fuerat; sed seorsum cum aliquot aliis aliorum Sanctorum reliquiis asservatum, ipsisque cum cœnobio consignatum obvenerat, testante, dudum antequam in lucem corpus eductum est, Gonzaga, loco citato. Solabatur et illud; quod perseverans asserebat loci traditio, numquam asportatos ab æde sua reliquos ejusdem Sancti Stephani cineres fuisse, sed in eadem ubi demum, condita quiescere. Spem insuper animosque acuebat fama minime dubia de certa sepulcri hujus ac definita notitia, olim Tranensi cuidem familiæ nobili, de Baracchia nuncupatæ, ea lege credita, ut arcanum nemini, nisi in mortis articulo, communicare liceret cum posteris. Ex his autem supererant semper aliqui usque ad seculum* XVII, *quo florebant ibi Joannes Vincentius, et Joannes Jacobus, quibus illud morti proximus revelasse credebatur amborum patruus, Tranensis ecclesiæ canonicus, Petrus Barrachia; idque eo tunc certius habetur, quod anno* 1603 *alter eorum, Joannes Vincentius Baracchia, ex ejusdem patrui sui traditione, locum indicasset, ubi reperta fuerunt ossa S. Nicolai Peregrini.* D

donec anno 1611

101 *Hos ergo PP. Franciscani ad arcani communicationem adhortari per se atque amicos non destitere, rem simul interea ferventissimis precibus Deo commendantes, donec mense Decembri, anno* 1611, *Joannes Jacobus, nescio quo ductus impulsu (inexorabilis enim adhuc fuerat, etsi multorum ambitu sæpe fatigatus) amicum nobilem invisit, eumdemque Minoritarum Columnensium ac sancti præsertim Pontificis Martyris gloriæ studiosissimum, et hujus, quam contrahimus, narrationis auctorem, Joannem Lucam Staffam; eique mox ultro ad effodiendas ejusdem Sancti reliquias operam suam ac notitiam addicit. Acceptat alter avidissime scilicet; et evocatos continuo ad se e cœnobio Columnensi sacerdotes duos, Patrem videlicet Clementem, et P. Andream, Palumbos, quibus id noverat optatissimum esse, gaudio tam inspirato perfundit. Dies operi extemplo dicta; et, ut res absque strepitu fieret, arbitri sex tantum designati. Patres nimirum jam dicti duo, tum amborum frater Gaspar Palumbus metropolitanæ Tranensis ecclesiæ canonicus, Petrus præterea Campitellus, vir e primaria Tranensium nobilitate insignis, ipse demum Joannes Jacobus Baracchia cum amico Staffa, præcipuo expeditionis auctore. Duo insuper admissi, qui foderent, alter ipsius Staffæ famulus, alter ex monasterii Columnensis familia F. Jacobus laicus.* E

magno studio

102 *Jam festa* S. Stephani *protomartyris dies illuxerat (hanc enim* S. Stephani *alterius inventioni visum fuerat præstituere) cum subita ventorum et aëris inclementia cœnobium adeuntibus tantum injecit moræ, ut multo, quam opus erat, serius advenirent. Itaque cum jam omnes adessent, cum se operi in ecclesia, fusis ad Deum precibus, accensissent, duæ vix horæ supererant usque ad vesperam; quas cum sufficere negaret Baracchia, omnium lacrymis exorari debuit, ne differret negotium. Victus tandem et ante majorem aram provolutus in genua, in has, oborto simul fletu, voces erupit :* Patruus meus, bonæ memoriæ, dominus Petrus Baracchia, mihi et patrueli meo, domino Joanni Vincentio Baracchia, compos adhuc mentis, antequam exspiraret, secreto revelavit gloriosa corpora SS. Nicolai Peregrini, et Stephani Papæ et martyris; quorum hoc repositum est istic proxime juxta cornu Epistolæ. *Ad hæc verba fossores ambo in locum assignatum hic rostro ferreo, iste ligone irruit. Sed inhibuit eos tantisper Staffa, dum ipse cum assistentibus secularibus sacra confessione apud Patres, qui aderant, Andream et Clementem expurgasset animum, et consueto deinde hymno omnes, præeunte, tamquam Guardiano, P. Andrea, Spiritum sanctum invocassent.* F

et labore quæsita,

103 *Tunc opus resumptum est et ad vesperam usque impigre continuatum; at nullo tum quidem operæ pretio : ut adeo Joannes Jacobus Baracchia memoriæ diffisus, supersedendum judicaret usque in crastinum, quando ipse patruelem suum Joannem Vincentium quoque pacto adducturus illuc secum esset. Dictum, factum. Adest cum ceteris postridie Vincentius, ibidem (ut erat presbyter canonicus) pro singulari sua pietate sacris operaturus, ceterum*

rei.

A *rei, quæ maxime agitabatur, ignarus; donec ad aram principem, egestam conspicatus humum, id quod erat, facile conjecit; et subrisit scilicet, quasi qui depositum quærerent, ab illo abessent, quam longissime. At hi modis eum omnibus adoriuntur, ut locum designet; alioqui totum se chori solum subruturos, usque dum inveniant. Vincentius, ut preces importunas eluderet, iis se propediem satisfacturum pollicitus, abiit.*

et inventa sunt die 27 Decembris,

104 *Neque sic tamen animum Staffa despondit: statuerat etenim apud se, si extundi nihil e Vincentio potuisset, scrobem saltem illam, quæ ad cornu Epistolæ excavata jam erat, sex palmis altam et latam duobus, ita continuare, ut altare totum ambiret: quod quidem propositum hoc ursit alacrius, quod asseveraret Frater Jacobus laicus, ita sine dubio repertum iri quod quærerent; id enim elapsa jam nocte per cœleste se visum pro certo didicisse. Rem probavit eventus: cum enim feriendo fodiendoque ad medium usque altaris pertingerent, resonare primum, tum apparere paulatim cœpit arcula, ex lapillis coagmentata et calce circum obducta: quæ mox aperta, inclusam exhibuit aliam non multo minoris* B *modi, sed abiegnis compactam ex assulis. Hujus autem operculo reducto, imposita visebatur ex panno pera seu sacculus, sacra continens ossa, cum laminis binis (iisdem haud dubie, quæ cum iisdem reliquiis ante ultimam translationem inventæ sunt, ut infra narrabitur) authentica inscriptione notatis. Capsula vero ista etsi corrupta nulla ex parte videretur, ut primum exposita fuit aëri, in frusta minuta concidit; uti et mantica, quæ paulo ante reliquias integra conservabat: ossa quoque ipsa in multas erant confracta partes; nondum tamen (quod mirabantur omnes) in cineres resoluta: imo cœlestem quemdam et perpetuum assistentibus odorem afflantia.*

et in summo altari occlusa;

105 *Inter hos P. Andreas Palumbus continere se præ gaudio non potuit, quin clam elapsus, Tranum advolaret, et inusitatæ lætitiæ clamoribus urbem commoveret universam, ipsumque archiepiscopum, concurrente civium promiscua multitudine, ad cœnobium confestim adduceret. Columnenses interea Patres alii domestica gaudia festo campanarum sonitu, ac solenni, ut assolet, hymni Ambrosiani decantatione celebrabant: quo absoluto, reliquias in novam, et ad hunc usum comparatam antea, capsulam summa cum reverentia transtulere; donec (anno sequente,* C *Christi 1612, ut patebit inferius) in aliam repositæ sunt, crystallo pellucidam, et intra cavam altaris, eleganter concinnatum probeque munitum, sic occlusæ, ut admota per spiraculum relictum face conspici quidem, non tamen attingi possent. Huc usque deducitur narratio Staffiana; quæ ut in adjunctis quibusdam non admodum necessariis plus æquo verbosa est; sic in reliquiarum inventarum descriptione atque enumeratione (quod erat hujus opusculi caput longe præcipuum) jejuna supra modum et manca videbitur, si collata cum iis fuerit, quæ paragrapho sequente de aperto illo altaris receptaculo eductisque ex eo Sancti lipsanis proferentur. Memoriæ fortassis anno 1622, quo Staffa scribebat, non satis distincte occurrebant omnia, quæ anno 1611 et sequente coram ipse spectaverat.*

ubi semper obserata manserunt usque ad annum 1682.

106 *Ab hoc sacrario dimotas non existimamus fuisse reliquias illas usque ad annum 1682, quo Pisas avectæ sunt; licet enim anno 1667 Columnense cœnobium et ecclesiam denuo expilasse dicantur Turcæ; locum hunc tamen vel non observasse, vel non attigisse certe videntur, nedum perfregisse; ut colligere licebit inferius. Porro antequam ad translationem Pisanam ex Relatione, quam diximus, Italica delibandam accedimus, juverit occasionem ejus et apparatum ad eam extorquendam satis longum ex eodem libello præmittere; cum nihil afferri possit luculentius, ad demonstrandum hujus thesauri pretium tam apud eos, qui illum huc usque possederant, quam apud illos, qui, ut eumdem acquirerent, neque industriæ, neque labori, neque sumptibus ullis pepercerunt.*

Occasio novæ translationis

107 *Cum oppidi Vigiliensis in obsequio regis Catholici præfectum agens dominus Horatius de Pannocchieschis ex comitibus Ilcii, nobilis patritius Senensis, invitatus esset a PP. Columnensibus anno* 1677 *ad anniversariam S. Hilarionis, ecclesiæ patroni, solennitatem die* XXI *Novembris (imo Octobris forte, quo colitur alibi) sua præsentia cohonestandam; quæsivit ex iis, essentne in ista ecclesia reliquiæ Sanctorum insignes. Aiunt illi; et inter alias corpus memorant* S. Stephani *Papæ et martyris; quod et spectare cupienti, remoto altaris scabello, sub quo spiraculum ante dictum latebat, ferrea crate obarmatum, immissoque lumine, trans specula crystallina contemplandum exhibent. Hærebat ad ista Comes; ut qui hactenus credidisset, corpus* S. Stephani P. M. *asservari Romæ: rogat ergo, ecquid habeant instrumenti authentici, ad faciendam* E *rei dubiæ fidem. Excusant Patres penuriam suam cujus causa fuerit ultima cœnobii per Turcas depopulatio; ceterum libros proferunt (puta opuscula Staffæ, et Bonaventuræ a Fasano, quibus etiam utitur Relator noster) et monumenta, in iisdem forte libris citata: nam satis dubito, an eo usque superstes ibi fuerit autographum, quod paragrapho superiore dedimus exscriptum a P. Beatillo, diu ante postremam istius monasterii direptionem vita functo. Sane illud Comiti exhibitum fuisse, non dicit Relator; sed narratam tantummodo hujus Historiæ substantiam. Addidere prodigium, quo ipse ibi se quiescere non obscure significet per enascentia circa festum suum, loco ad passus circiter triginta per littus extenso, arenoso, salso, exusto, quo corpus appulsum fuisse creditur, quotannis lilia ægris plurimis, qui ejus patrocinio fisi, illa carpunt hauriuntque, salutaria; adeoque sive solum, sive tempus, sive effectum consideres, plena miraculi.*

a magno Etruriæ duce expetitæ,

108. *Jam ista Comiti propemodum satis erant, ad telam, quam deinde pertexuit, ordiendam. Erexerat Pisis anno* 1561 *Cosmus I dux magnus Etruriæ illustrissimum ordinem Equitum* S. Stephani *(non protomartyris, ut quidam errant, sed)* F *Papæ et martyris, idque occasione insignis victoriæ de Strozzio, Galliæ regis in Italia duce, prope Marcianum anno* 1554, *festa ejusdem sancti luce reportatæ. De hoc Ordine videri potest, præter Bullarium Pontificium tom.* 2 *locis variis, opus Gallicum sive Historia Ordinum monasticorum, religiosorum, et militarium, etc., tom.* 6, *part.* 4, *cap.* 32; *ubi datur brevis ejus et nitida descriptio, citatis ad calcem auctoribus, quibus nititur. Eidem Ordini Cosmus idem Pisis, præter bina domicilia, augustam exstruxerat basilicam, quam consecuti postea duces Etruriæ, iidemque Ordinis magistri supremi ac perpetui, magnis impendiis decoraverant. Ornamentum tamen præcipuum deerat,* S. Stephani P. M., *Ordinis atque ecclesiæ Patroni, reliquiæ. Huc spectabat Horatius, optime gnarus, si eas aliquando impetraret, quantum de principe suo naturali Cosmo III, Etruriæ duce piissimo, ejusque Ordine meriturus esset. Consilium hoc tamen alta mente pressit, donec miraculum nascentium, ut modo diximus, liliorum, annis postea tribus continuis, quibus gubernationem Vigiliarum administravit, suis ipse inspectum oculis venisset, nec amplius*

AUCTORE P. B.

plius jam de reliquiarum veritate censeret esse dubitandum. Tum vero, explorata magni Ducis ad urgendum hoc negotium ardentissima voluntate, agere demum instituit.

et per Ilcii comitis miram dexteritatem

109 *Ac principio quidem R. P. Guardianum Columnensem aggressus, multa dixit, quibus ei suaderet translationem corporis* S. Stephani *ad locum tutiorem, ac tali deposito haud paulo digniorem. Ubi restitantem hunc sensit; nihil addens, alio vertit sermonem. Clam interim id egit, ut in proximis Minorum comitiis monasterio Columnensi præficeretur P. F. Bonaventura da Minervino, lector jubilatus, tam gradu illo dignus, quam amicus sibi. Hoc assecutus, totum brevi suis partibus adjunxit cœnobium : nam qui translationi ex inferioribus resistebant, his facile per P. Guardianum effecit, ut alio migrandum esset. Exinde R. P. Joannem de Biscelia Provincialem, et post hunc R. P. Antonium de S. Joanne Commissarium generalem expugnavit. Hinc ad magistratus Tranenses (nam et horum opus erat assensu) omnem vertit industriam; et quia non ignorabat, quam arduam hic provinciam susciperet, præfecturæ Vigiliensi renuntians,* B *per anni dimidium Trani commoratus est, ut clandestinis congressibus per se et amicos in eam totus curam incumberet, ne magistratu decedentibus alii sufficerentur, quam de quorum ipse propensis in se et rem suam studiis minime dubitaret. Sic multo ambitu ac sudore ex his tandem etiam quod optabat, expressit.*

anno 1682 impetratæ.

110 *Mox inde Neapolim se confert, idem serenissimi ducis sui nomine excellentissimum proregem Marchionem de los Velez exoraturus; quem quidem usque adeo facilem et suis consiliis addictum comperit, ut ad ea promovenda, datis cum ad urbis Tranensis optimates, tum ad provinciæ præfectum litteris, auctoritatem suam omnem libentissime commodaret. Nec minori facilitate cessisse narrat Relatio Illustrissimum D. Paulum Ximenes, archiepiscopum Tranensem; sed hic locus castigatur in margine, ubi Hispanice calamo adscriptum est, consensisse quidem archipræsulem, sed* postquam omnibus modis restitisset viribus multo superioribus; cum videret eos, quorum id intererat maxime, neutiquam reluctari. *Quod idem de clero Tranensi Relator ipse non diffitetur. Restabat Pontifex Maximus de hoc quoque negotio per* C *libellum supplicem interpellandus; qui cum et ipse demum, discusso satis negotio, benigne annuisset, continuo Neapoli, ubi substiterat interea, Comes ad magnum Tusciæ ducem rescribit, complanata jam esse prorsus omnia, ad transferendas, ut primum videretur, expetitas tamdiu* S. Stephani *sui reliquias. Vix lætum adeo nuntium Cosmus acceperat, cum e portu Liburnico actuaria Neapolim Horatio bina submittit cum amplissimo procurationis ipsi commissæ instrumento; cum corpore S. Fortunati martyris, Columnensibus ad reddendam utcumque vicem consignando; cum omni denique ad expeditionem quam magnificentissime liberalissimeque sustinendam apparatu. Hæc Neapolim attigere die* I *Julii anno* 1682.

§ XI. Translatio reliquiarum novissima ex cœnobio B. Mariæ de Columna prope Tranum ad urbem Pisanam anno MDCLXXXII.

Ab adventu navium dies tantum unus intercesserat, cum III *Julii iter in Apuliam Comes instituit; quam numeroso atque illustri famulorum, equitum, tubicinum, nobilium, sacerdotum, comitatu stipatus; quanto ad demonstrandum serenissimi principis sui et magnificentiam et effusam in omnes largitatem instructus apparatu; tum quibus toto itinere, jussu proregis, honoribus exceptus, nihil attinet dicere. Ubi Trano appropinquabat, ipsum adesse credidisses Etruriæ ducem; ea erat nobilitatis longe in adventantis occursum effusæ pompa, ea tormentorum per arcem ac mœnia displosorum tonitrua, dum in hospitium usque, quod augustissimum erat urbis palatium, deductus esset. Nec moram interposuit, quin ageret cum reverendissimo domino Josepho Melazzi, illustrissimi archiepiscopi, qui Romæ tunc erat, vicario generali; ut secundum decretum atque assensum Pontificis Maximi, archiepiscopi, proregis, aliorumque, quorum intererat, sibi, tamquam magni Florentinorum ducis procuratori, Columnenses* S. Stephani *Papæ I et martyris reliquiæ consignarentur. Simulque protulit acta procurationis legitima, quæ in Italica Relatione Latine recitantur integra; sed hic, quod longiora sunt omittuntur.* D

Comes Neapoli Tranum venit, ut procurator ducis Etruriæ,

112 *Consignatione, ut postulabatur, per reverendissimum D. Vicarium in diem* XV *Julii decreta, Comes peculiari magni ducis rheda vectus, cum splendidissimo suo comitatu Vigilias excurrit, illustrissimum earum præsulem Franciscum Antonium Riccium oraturus, ut proximæ solennitati pontificaliter assistere ne gravaretur. Acceptus ibi deductusque haud aliter quam Trani fuit, accedente ad publicos urbis applausus ac strepitus pauperum quoque ac miserorum, in quos ubique profusus erat, acclamatione inde abeunti jucundissima. Tribus ante statutam translationi diem vesperis monasterium Columnense festivis collucens ignibus, celebritati, quacumque poterat lætitiæ significatione, prolusit. Ipso die* XV *Julii multo mane eo se Comes contulit; subsequentibus episcopo Vigiliensi, Vicario Tranensi cum utriusque ecclesiæ dignitatibus, canonicis, cum religiosorum Ordinum, quotquot Trani degebant, superioribus ac theologis; tum quidquid in tota ferme provincia virorum fuit seu sago seu toga nobilium. Sed dum alii post alios adveniunt, placuit Comiti subjectum cœnobio littus adire tantisper, si quid forte jam tum appareret de liliis, ibi paulo serius, circa festum scilicet Sancti, subito excrescere ac florere solitis. Atque, ecce, miraculum deprehendit, in legitimas per notarium tabulas, secundo post factum die, Italice relatum, et ab undecim testibus gravissimis, utpote religiosis omnibus ac sacerdotibus, subscriptum.* E F

ubi die 15 Julii

prodigiosa miratur S. Stephani lilia;

113 *In hoc instrumento (ne totum Latine vertam ac recitem) asserunt illi omnes et singuli primo, eodem illo loco, ubi antiqua traditione creduntur* S. Stephani *Papæ et martyris reliquiæ fuisse brevi tempore absconditæ, circa diem* I *Augusti, qui festum Sancti proxime antecedit, ab immemorabili tempore nasci quotannis intra horas pauculas ac florere lilia mirifica, candida, odorifera intra spatium triginta fere passuum in arenti, fervido, salso, atque arenoso maris littore. Asserunt secundo, pridie translationis, de qua hic agimus, hoc est, die* XIV *Julii, se testes infra scriptos dictum locum adivisse et eum cum personis multis nobilitate et auctoritate pollentibus, cum ecclesiasticis, tum secularibus, diligenter inspexisse, et ibi in arena sicca et arida vidisse et attigisse cespites dictorum liliorum arentes et exsuccos. Asserunt tertio, postridie mane, die solennitati præscripto, coram omnibus tunc eo confluentibus, inter cespites multos adhuc siccos, apparuisse ibidem dictorum liliorum scapos virentes, qui*

intra

AUCTORE P. B.

A *intra paucas ejusdem diei horas creverunt et perfecte floruerunt, ac suavissimum emiserunt odorem, et sic ab assistentibus religiosis et nobilibus secularibus decerpti sunt atque illustrissimo dicto Comiti Horatio de Ilciis ibidem præsenti in manus traditi, ab eoque reverenter cum aliis multis postridie translationis ibidem eodem modo natis, et quibusdam eorumdem liliorum bulbis in capsam ligneam cum arena indidem assumpta repositi. Hic tribus assertis communibus testes sua singula nomina subdunt anno* 1682, *die* XVII *Julii, instrumentum concludente per juridicas formulas et sigillum notario Francisco Antonio Succhi Tranensi.*

qua eadem die post largas eleemosynas et sacram synaxim

114. *Redeuntem a lilieto Comitem ad cœnobium multa pauperum millia exspectabant : cum enim Tranum ingressus primum fuisset, vix causam adventus sparserat in vulgus fama, cum strepere plebecula et seditionem spectare quodammodo videretur. Moverat id Comitem, ut statim voce præconis pauperes omnes ad locum ac diem solennitatis invitaret, addicto singulis, quotcumque et undecumque adfuturi essent, Carlino uno (moneta est assium quatuor aut paulo amplius) cum duobus panibus. Hoc nunc ergo* B *promissum exsolvit, cujus vel denuntiatione omnium paulo ante sibi animos conciliaverat; et jam quidem tanto munificentiam ejus altius efferebant, quanto majorem in numerum spargebatur non hic tantummodo præsentium, sed et infirmorum, et mendicare erubescentium, quibus per parochos virosque religiosos magnam paucis hisce diebus pecuniæ vim elargitus erat, imo et carcere detentorum, quorum non paucos redemerat, expunctis etiam obæratorum debitis; ut nihil de ecclesiis dicamus ac cœnobiis, liberalitatem ejus haud sane minorem expertis. Exinde ecclesiam ingressus, ac sacrosancta primum Eucharistia cum omnibus suis, non sine magna spectantium ædificatione, refectus, cum jam omnes adessent, reverendissimum Vicarium rogat, ut nuperrime decretam a se resignationem exsequi ne differat.*

in ecclesia Columnensi

115 *Jussi ergo ante omnia cæmentarii aliquot murum, per quem aperiendus erat ex aversa altaris parte primus ad reliquias aditus, explorare: quo facto, cum jurati iidem omnes affirmarent, nihil in eo fractionis apparere, neque pertusum umquam fuisse; idemque sacramenti religione testarentur et PP. Minoritæ et quidam Tranensium seniores; illustrissimus Vigiliarum antistes, pontificali indutus habitu, cæremonias sacras exorsus est ab hymno, Veni, creator Spiritus; post quem a reverendissimo* C *Vicario oblatum accipit malleum, impingitque parieti, ac deinde cæmentariis tradit, per quos priori illa structura dejecta, alius interior ad sacrum depositum accessus apparuit palmorum trium, uno magnitudinis ejusdem saxo obstructus. Hoc remoto, per immissas scalas in sacrarium descendit cum delecto cœnobii sacerdote Franciscano Nicolaus Maria Ferrante, canonicus ac notarius apostolicus; qui ambo hierothecam crystallo perspicuam et in altariolo sub spiraculo superius memorato collocatam sublaturi, hæc apposito marmori insculpta repererunt:* HIC JACET CORPUS S. STEPHANI PP. ET MAR. CONDITUM A. D. MCLX. POSTEA INVENTUM, ET RECONDITUM A. D. MDCXII. *Eductam subinde ab iis arcam parati excipiunt RR. PP. Guardianus Columnensis, et Prior Sanctæ crucis Dominicanus, eamque, præeunte supplicatione, in vicinum sanctissimi Crucifixi sacellum inferunt.*

ipsi constituuntur S. Stephani reliquiæ

116 *Ibi mox episcopus post hymnum, Te Deum laudamus, inter congeminata campanarum tormentorumque urbis et arcis murmura decursum, capsam aperuit, exemptaque inde ossa, adstante et singula suis nominibus circumscribente Joanne Vincentio Braico anatomiæ peritissimo, in aliam transtulit, quam Comes egregie adornatam paraverat. Dici vero non potest, inquit Relator, quanto gaudio spectarint omnes tam bene post tot secula totque translationes conservatum illud corpus: nam etsi inter se ossa nulla cohærerent, et magnam partem comminuta, in pulverem abiissent; præcipuorum tamen ossium pars major propemodum integra visebatur. Ad hæc inventæ ibidem sunt ampullæ quatuor, plumbo obturatæ: quarum una ossium fragmentis, et, ut multi volebant, pulvere viscerum; tres aliæ vero Pontificis hujus et Martyris sanguine erant oppletæ. Denique in arcæ fundo duæ jacebant laminæ plumbeæ, harum reliquiarum veritatem authentice demonstrantes; altera senos longa digitos, quinos altera; et prior his verbis inscripta:* CORPUS SANCTI STEPHANI PP. ET MART.; *posterior vero his:* S. STEPHANI PP. ET MART., *ubi per S. illud multi contendebant significari vocem* sanguis. *Hæc omnia (quæ confer, si lubet, cum narratione Staffæ supra num. 104) in thecam Comitis transposita sunt: et mox coram omnibus ipsa theca non modo clausa et clavis circum impactis asserta fuit; sed et sericis obligata tæniis, quibus impressa sunt sigilla novem;* E *puta regium, archiepiscopale Tranense, episcopale Vigiliense, tum illustrissimi provinciæ præsidis, Comitis Ilcii, civitatis Tranensis, Vicarii generalis archiepiscopi, provinciæ S. Nicolai Minorum Observantium, et conventus denique Columnensis.*

Pisas transferendæ:

117 *Tum eadem illa capsa alteri ligneæ, sed sumptuoso exterius ornatu, et cruce præsertim, qualem equites* S. Stephani *pro insignibus habent, decoratæ inclusa, Comiti, tamquam magni ducis atque Ordinis magistri supremi pariter et conservatoris perpetui procuratori consignatur, exacto simul jure jurando, quo ille reciperet, eam sic occlusam et sigillatim se translaturum primo Neapolim, ac deinde Pisas, ibi in ecclesia ejusdem Ordinis conventuali, Sancti hujus nomine dedicata, deponendam ac resignandam. Dum interim in loco rei totius hic gestæ instrumentum legitimum per notarium, quem ante diximus, apostolicum conditur ac pluribus firmatur sigillis; et jam discessum parat conventus illustrissimus; ecce tibi, novam scenam inceptat Comes, qua incertos omnes ignarosque suspendit. Tres arcas per suos afferri jubet in medium, simulque litteras profert magni Etruriæ ducis, quas credentiales appellant, et de quibus hactenus altum siluerat; ne mercatus quodammodo videri posset, quod ad majorem* F S. Stephani *gloriam liberali conferentium beneficio esset consecutus : imperabant enim illæ, quid in hoc sacro negotio bene de se meritis rependi Dux vellet.*

quod beneficium beneficiis rependitur.

118 *His ergo palam recitatis, cœnobio Columnensi thecam rite obsignatam tradit, quæ secundum inscriptionem Pontificiam corpus continebat S. Fortunati martyris, et quidem integrum, ut, reserata per Vicarium Tranensem capsa, compertum fuit; addidit et urnam, cui theca illa posset imponi, grandiorem, materia atque arte spectabilem; ad extremum iisdem Patribus eleemosynæ loco syngrapham porrigit bis mille scutorum ad ecclesiam et monasterium, ubi opus esset, instaurandum. A Minoritis deinde ad nobiles versus, duos ex arca alia producit illustrissimi Equitum* S. Stephani PP. M. *Ordinis habitus, totidemque numismata pectoralia, singula adamantibus septuaginta quinque rutilantia quæ magnus Ordinis magister conferri jussisset perspectæ sibi nobilitatis viris Dominico de Angelis, et Antonio Posa, ambos in ordinem suum motu proprio cooptans; et illum quidem tamquam urbis Tranensis, cui jam universæ obstrictissimus esset Ordo, caput et syndicum generalem; hunc autem, quod ejus*

AUCTORE P. B.

ejus pater Vincentius Posà, nobilis Vigiliensis (et hujus Relationis auctor, teste Sarnello in Monument. epp. Vigil. pag. 93*) ad obtinendas sanctissimi Patroni reliquias eruditione, auctoritate, gratia, consiliis Comitem Ilcium præ ceteris adjuvisset. Utrisque oblatos præter spem honores, ut par erat, admittentibus, inauguratio solennis indicta est in diem* XVII *Julii, quo et augustissime post biduum celebrata Trani fuit in ecclesia SS. Pauli et Agnetis. Tum demum depromptis ex arca tertia, distributisque in ceteros, qui aderant, honorariis, solennitati Comes finem imposuit.*

Columnensibus relinquitur pars brachii S. Stephani.

119 *Patres Columnenses tanta in se et alios Comitis beneficentia moti, collatis inter se consiliis, per instrumentum notarii authenticum, eodem anno, die* XVII *Julii confectum, donandam ei thecam illam censuerunt, in qua reliquias* S. Stephani *ad illud usque tempus conservaverant, una cum particulis aliquot ossium et pulvere in ea residuis. Quod ille donum acceptavit quidem; non tamen sibi, sed ei, cui cetera procuraverat. Addebant iidem, unum adhuc aliquid superesse sibi de ejusdem Sancti reliquiis, sed jam olim in theca peculiari separatum a reliquis,*
B *et exponi solitum; os nempe brachii, sex fere digitos longum; nec diffiteri se, quin et illud magno Duci ex promisso debeant : ceterum supplicare, ut unicum hoc sibi cum bona principis gratia, ditioris olim thesauri monumentum relinquatur; ne enim tam antiquus ibi Sancti cultus intercidat, opus esse lipsanorum ejus parte notabili; hac retenta, licitum sibi fore anniversariam ejus memoriam Officio duplici celebrare; omissa, non item. Tam æquis postulatis, quibus et clerus populusque Tranensis subscripserat, perbenigne assensus Comes, post diem* XVII *Julii, salutatis amicis, iteratisque in ecclesias, cœnobia, pauperes omnes largissimis eleemosynis, eodem, (ut breviter dicam) quo venerat, comitatu et honore discessit; Barulum usque deductus a provinciæ præside, ab aliis e Tranensi ac Vigiliensi nobilitate multo etiam ulterius.*

Miracula

120 *Vix aliud est in Relatione sæpius memorata, quod in rem nostram excerpendum videatur, præter miracula, de quibus agitur pag.* 90; *ubi dicuntur apud Columnenses tam nota, tam frequentia fuisse, ut omnia nec scribi a Relationis auctore debuerint; nec vero etiam potuerint, nisi ingenti volumine, comprehendi : itaque duo tantum afferri; sed plane sin-*
C *gularia, et quæ hoc ipso tempore, pridie scilicet jam descriptæ translationis, in ipsa Comitis Ilcii familia seu comitatu acciderint. Primum sic habet : Dominicus Radda e Capitanata, Neapolitani regni provincia, Troianus, et ex quatuor famulis Comitem secutis unus, cum die Martis* XIV *Julii mane vellet rhedam syndici, quam pone sequebatur, cursu antevertere, pedem offendens, ita prolapsus est ad sinistram rhedæ, ut super ambas miselli tibias utraque rota decurrerit. Qui spectabant et nomen* S. Stephani *inclamantem audiverant, vel mortuum credidere, vel utroque sine dubio crure captum : cum, ecce, protinus assurgentem vident, et iter, quasi passus nihil fuisset, pedibus prosequentem. Ad prodigii tamen argumentum, qua rotæ tibias presserant, lividus superfuit tumor.*

eodem tempore facta.

121 *Alterum accidit Joanni Pircker, Græcii in Stiria nato, ac regii equitatus apud Neapolitanos tubicini, qui et ipse cum ejusdem artis socio Comitem secutus erat. Is Bario, quo S. Nicolaum veneraturus excurrerat, Tranum repetens, eadem die* XIV *Julii vesperi extra portas Vigilienses in altam improvide voraginem cum equo præcipitatus immergitur. Socii tam subitaneo perculsi infortunio, vix* S. Stephanum P. M. *invocaverant, cum ad oram præcipitii stantem et incolumen tubicinem admirati* D
sunt. Sed neque jumento, inde non minus feliciter post paulum extracto, quidquam aut luxatum fuit aut læsum. Epimetri loco subditur, rem fuisse miraculo nequaquam absimilem, quod ea anni tempestate, qua nulla in illis partibus propter aëris immutationem censetur esse periculosior, iter adeo longum, et quidem, ob infestos prædones, interdiu semper institutum, tam prospero confecisset Comes; ut nec ipsi, nec alteri cuipiam de comitatu, vel minimum accidisset incommodum.

Reliquiæ afferuntur Neapolim,

122 *Neapolim quando attigerit, Relatio non indicat; utpote Trani ipso illo tempore composita et excusa, imo deproperata, ut ejus exemplaria submitti Neapolim ad Comitem possent, antequam eo triremes appulissent, quibus inde Pisas transportandus erat; quod contigisse videtur die* X *circiter mensis Octobris, quo relationes publicæ, quas Gazulas vocant, Bruxellenses anno* 1683 *in articulo Neapolitano hæc habebant :* Triremes tres magni Tusciæ Ducis, Messana huc delatæ, susceperunt pretiosas reliquias corporis S. Stephani Papæ et martyris, quas idem Dux obtinuit, ut in quadam Pisanæ urbis ecclesia deponantur; postquam E
huc Trano a duobus jam mensibus translatæ fuissent. Discesserunt hinc autem tres illæ triremes favente aura. Septuaginta Equites Ordinis S. Stephani huc venerant, ad sacrum Patroni sui corpus accipiendum.

inde Pisas, quo et caput Sancti affertur Senis.

123 *Ut Pisas attigit exspectatissimus thesaurus, delatus continuo fuit ad ecclesiam S. Benedicti, ibique depositus usque ad Dominicam in Albis anni* 1683, *quando ad ecclesiam Equitum conventualem, cui destinatus ab initio fuerat, translatus est, teste celeberrimo Antonio Magliabechio in litteris eodem anno, die* V *Octobris, ad Papebrochium datis, quibus et accuratam adjunxerat augustissimæ translationis hujus descriptionem, sed nimis longam, quam ut hic inseri possit. Ceterum, negaret, opinor, quicumque eam legeret, visum umquam aliquid in Etruria magnificentius fuisse.* Nunc, *inquit in citatis litteris Magliabechius, depositum illud sacrum* servatur in Equitum ecclesia supradicta sub altari principe, in theca crystallina, cælato inauratoque opere sumptuose adornata. *Idem denique suam illam epistolam his verbis claudit :* Quando archiepiscopus Pisanus coram variis testibus recognitionem corporis instituit, reputatum fuit instar miraculi, F
quod eo ipso articulo, quo abire præsul volebat, afferretur Sancti caput, quod Senis huc missum erat. *Unde autem illud Senenses accepissent, neque dicit ille, neque nos alibi reperimus. Celebrari deinde Pontificis hujus et Martyris dies natalis cœpit Officio duplici, Romæ approbato anno* 1690, *per universum magni Ducis dominium. De Sancti sede, ad Pisanam etiam ecclesiam posterius translata, diximus* § 8, *num.* 79 : *neque aliud restat, quam ut Acta, de quibus egimus* § 6, *ipsa proferamus.*

ACTA

A

ACTA

Ex codice nostro membraneo ac pervetusto Q. Ms. 6, cum aliis pluribus Mss. editisque collato.

CAPUT I.

S. Stephanus, Valeriano Ecclesiam persequente, suos confirmat, et plurimos ethnicos convertit ad Christum.

Indicta persecutione, clerum animat S. Stephanus,

Temporibus Valeriani et Gallieni multi Christianorum declinantes sævitiam tyrannorum, occultabantur; alii vero se ingerentes, martyrii palmam consequebantur. Data autem fuerat lex, B ut quicumque proderet Christianum occultum, facultates ejus *a* acciperet, et honorem, cujus vellet, militiæ peteret *b*. Tunc beatus Stephanus, Episcopus Romæ, congregato universo clero suo, sic alloquitur, dicens : Fratres et commilitones mei, audistis præcepta diaboli sæva, vulgari, ut si quis Christianus detentus fuerit a pagano *c*, omnes facultates ejus accipiat. Vos itaque, fratres, respuite facultates terrenas, ut regnum cœleste percipiatis. Nolite timere principes seculi; sed orate Dominum Deum cœli, et Jesum Christum Filium ejus, qui potens est nos omnes eripere de manibus inimicorum et diaboli sævitia, et suæ gratiæ sociare. Presbyter Bonus respondit : Nos desideramus et facultates terrenas derelinquere, etiam et sanguinem propter nomen Domini nostri Jesu Christi fundere : si tamen ejus mereamur gratiam adipisci.

et quosdam ordinat; plurimos baptizat,

2 Cumque hæc utrique locuti fuissent, omnes clerici prostraverunt se ad pedes beati Stephani, dicentes *d*, ut quoscumque infantes paganos quisquis eorum in sua domo haberet, vel in proxi- C morum suorum, adducerentur ad beatum Stephanum, et baptizarentur. Jussit itaque beatus Stephanus, ut altera die in crypta Nepotiana *e* omnes congregarentur : et facto conventiculo in eadem crypta, inventi sunt promiscui sexus viri ac mulieres numero centum octo; quos eadem die in nomine Domini nostri Jesu Christi sacri Baptismatis mysteriis consecravit; et obtulit pro eorum expiatione Sacrificium; atque participati sunt omnes *f*. Altera autem die ordinavit ibidem beatus Stephanus Episcopus tres presbyteros, septem diacones, clericos sedecim : sedensque docebat omnes de regno Dei et vita æterna. Tunc cœperunt multi ex paganis concurrere, ut audirent verbum ejus, et baptizabantur ab eo.

et inter hos Nemesium tribunum,

3 Interea dum hæc agerentur, veniens quidam tribunus militum, nomine Nemesius, qui habebat filiam unicam, quæ a cunabulis ipsis apertos quidem habebat oculos, et lumen penitus non videbat, prostravit se ad pedes beati Stephani Episcopi, dicens : Obsecro, domine mi Papa, baptiza me ac filiam meam, ut et illa illuminetur, et nostras animas eruas de tenebris sempiternis : quia nunc usque semper in afflictionibus pro cæcitate meæ filiæ fui. Cui beatus Stephanus dixit : Si credideris ex toto corde tuo, omnia tibi credenti ministrabuntur. Nemesius dixit : Ego usque adeo ex toto corde credidi, et credo, quia Dominus Jesus Christus ipse est Deus; qui etiam aperuit oculos cæci nati; et non invitus * hominum persuasione, sed ejus vocatione ad tuam adveni Sanctitatem. Et statim eadem die beatus Stephanus, Episcopus urbis Romæ, duxit eum in Titulum Pastoris *g*. Cumque catechizasset eum ac filiam ejus secundum consuetudinem Christianorum, indixit jejunium usque ad vesperum. Hora autem appropinquante jam vespertina, benedixit fontem in Titulo supra scripto, deposuitque Nemesium in aquam, dicens : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizo te *h*. Credis, ait, in Deum Patrem omnipotentem? Et respondit : Credo. Et in Christum, inquit, Jesum Dominum nostrum? Et respondit : Credo. Remissionem peccatorum? Respondit : Credo. Carnis resurrectionem? Qui respondit : Credo, Domine.

EX MSS.

* *alii Codices* invitatus

cujus filiam Lucillam cæcitate liberat

4. Dumque levaretur de aqua, cœpit clamare filia ejus : Ecce, inquit, video hominem, qui tetigit oculos meos, et lumen splendidum circa eum. Tunc baptizavit et filiam ejus, nomine E Lucillam *i*; quos * etiam ipse de fonte levavit. Cœperunt etiam multi, ad vestigia beati Stephani Episcopi prosternentes *k* se, flagitare cum lacrymis, ut baptizarentur ab eo. Baptizatique sunt in eadem die, qua Lucilla illuminata est, promiscui sexus numero sexaginta duo *l*. Et exinde multi cœperunt, divina gratia procurante, occurrere beato Stephano ex gentilibus honesti viri, ut baptizarentur ab eo. Beatus igitur Stephanus, repletus gratia Spiritus sancti, cœpit Missas atque concilia per cryptas Martyrum celebrare. Nemesium quoque, patrem Lucillæ, fecit diaconum *m*.

* *alias* quam

Maximi consulis idololatria punitur, orante Nemesio.

5 Tunc Valerianus, comperto quod Nemesius tribunus cum omni domo sua credidisset Christo Domino ac baptizatus fuisset, atque illuminata ejus filia, cæcitate depulsa, retulit ad Gallienum et Maximum consules *n*. Inito quoque consilio, hoc decreverunt, ut, ubicumque inventus fuisset Nemesius, sine audientia puniretur. Nemesius autem Christi gratia roboratus, circuibat cryptas et concilia Martyrum, ut, ubicumque reperisset Christianum egentem, prout poterat et habebat, F de suis facultatibus ministraret. Veniens autem sanctus Nemesius quadam die in via Appia noctis silentio juxta templum Martis *o*, comperit Valerianum et Maximum in templo Martis juxta suum ritum sacrificare dæmoniis. Videns hoc sanctus Nemesius diaconus, flexis genibus, oravit Dominum, dicens : Domine Deus, creator cœli et terræ, dissipa consilia artis diabolicæ in nomine Domini nostri Jesu Christi, Filii tui, quem misisti in hunc mundum : contere satanam, ut resipiscant hi infelices de laqueis ejus, et derelinquant manufacta idola, et te, Deum, creatorem, Patrem omnipotentem, et Jesum Christum, Filium tuum agnoscant. Statim igitur Maximus a dæmonio arripitur, et magna voce cœpit clamare : Nemesius Christianus me incendit; ecce, hujus oratio me affligit. Eadem quoque hora egressi de templo, tenuerunt Nemesium. Dumque tenerent eum et contumeliis afficerent, subito Maximus consul exspiravit *p*.

6 At illi tenentes Nemesium, duxerunt ad Valerianum in palatium Claudii *q*. Qui præsentatus * aspectibus ejus, dicit ei Valerianus : Nemesi, ubi est prudentia tua, quam semper cognovimus

* *alias* quo præsentato

et

EX MSS. *qui captus et fidem professus, detruditur in carcerem.*

et in consilio et in actibus roboratam? Numquid nos non scimus, quid sit melius, quidve deterius? Tamen quod tibi utilius est, nos te adhuc hortamur, ut, cognita veritate, non deseras deos, quos semper ab ipsis cunabulis adorasti et coluisti. Nemesius diaconus respondit cum lacrymis, et dixit : Ego quidem infelix et peccator semper deserui veritatem, et effudi sanguinem innocentem; et jam nimis oneratus atque cumulatus peccatis, misericordiam Christi, Filii Dei, adeptus, cognovi jam Creatorem meum, licet sera pœnitudine, Deum cœli et terræ, et Jesum Christum, Filium ejus, cujus Baptismo sum redemptus; qui aperuit oculos filiæ mæ, quod nullus medicorum facere potuit umquam; qui etiam et oculos cordium nostrorum illuminavit, ut respuentes superstitionem idololatriæ cæcitatis, ad verum lumen Christianitatis converteremur. Hunc timeo; ipsum adoro; ipsi cultum meæ servitutis offero; atque ipsum et ejus auxilium semper requiro : nam omnia idola lapidea atque ærea manufacta abjicio, quæ dæmonia esse cognovi, qui * nos cupiunt perdere et in æternam mortem secum damnare. Valerianus dixit : Cognovi carmina tua, per quæ et homicidia perpetrasti; et ut * consulem libertatis Maximum interficeres, tuis magicis artibus; atque adversum nostram salutem et publicam niteris te exercere per ritum Christianorum. Tunc iratus Valerianus, jussit eum in privata custodia mancipari.

* *imo* quæ

B

* *forte* ut et

uti et Lucilla, et Symphronius ejus œconomus,

7 Mittens quoque fecit sibi præsentari Symphronium *, creditarium *r* ejus, inquirens ab eo Nemesii facultatem. Filiam autem ejus Lucillam cuidam sacrilegæ feminæ, nomine Maximæ, fecit deputari custodiæ. Altera autem die *s* jussit Valerianus Symphronium tradi cuidam Olympio tribuno, et discuti sub pœnarum examinatione. Quo ingresso, Olympius dixit : Cognovisti de qua re nobis es præsentatus? Symphronius vero paulisper conticuit. Dicit ei Olympius : Audi me, Symphroni, et fac quod jubent principes : nam si non feceris, variis pœnis interibis. Defer nobis facultates ex integro Nemesii, et sacrifica diis, et vive feliciter. Symphronius respondit : Si facultates quæris universas Nemesii, domini mei, jam eas pro Christo tradidi, quoniam ipsius fuerunt, et erunt ; si autem sacrificium me offerre compellis, sacrifico, sed Christo Jesu, Domino meo, sacrificium laudis et confessionis, cui se obtulit et dominus meus Nemesius.

* *Baronius et Metaphrastes* : Sempronium

r

s

C

cujus precibus idolum defluit,

8 Tunc ira repletus Olympius : Extendite, inquit, eum in catasta, atque mactate fustibus : afferte ante eum tripodam et deum Martem : aut sacrificet diis libamina, aut fustibus mactetur diutius. Allatum est autem simulacrum aureum Martis, positumque ante Symphronium una cum tripoda. Cumque vidisset simulacrum Symphronius, dixit : Conteret te Dominus Jesus Christus, Filius Dei vivi. Et statim ita liquefactum est simulacrum, sicut lutum *t*. Videns autem Olympius, stupefactus cœpit admirari ; jussitque eum in domo sua in custodia recipi, dicens : Hac nocte in te universa tormenta expendam. Deditque eum in domo sua Tertullino vicedomino. Veniens autem ad uxorem suam Exuperiam, dixit ei, quomodo in nomine Christi, Dei sui, resolutum fuisset simulacrum Martis. Tunc dicit ei Exuperia, uxor ejus : Si tanta virtus est Christi, quam tu narras, melius est nobis relinquere deos, qui nec sibi nec nobis possunt adjuvare *. Quæramus eum, qui illuminavit filiam Nemesii tribuni. Tunc dicit Olympius ad Tertullinum : Obsecro te, ut cum grandi honore apud te sit occulte Symphronius; quoniam multos thesauros ab eodem habeo requirere.

t

* *alias* adesse

D

et convertitur Olympius tribunus, cum uxore et filio

9 Eadem namque nocte veniens Olympius cum uxore sua Exuperia, et filio unico, nomine Theodolo *, prostraverunt se ad pedes ejus, dicentes : Nos modo cognovimus virtutem Christi, quia ipse est Deus verus, Filius Dei, qui aperuit oculos filiæ Nemesii tribuni : rogamus te, ut donare nobis digneris Baptismum salutis in nomine Domini Jesu Christi, quem tu prædicas *u*. Symphronius dixit : Si pœnitentiam egeris ex toto corde pro sanguine Sanctorum, quem effudisti, et si credideris ex toto corde tuo cum uxore tua et filio tuo, omnia dabuntur credentibus. Olympius dixit : Modo cognoscis, quia ex toto corde credo in Deum, quem tu prædicas. Et statim aperuit cubiculum suum, ubi habebat diversorum simulacrorum effigies aureas, argenteas et lapideas, dixitque Symphronio : Ecce, in tua sunt potestate ; fac tu quidquid jusseris ex eis. Symphronius dixit ad eum : Hæc omnia idola manu tua propria confringe ; aurea quoque et argentea in igne confla, et in necessitatibus pauperum eroga; et tunc scio, quia ex toto corde credis. Fecit Olympius, sicut ei fuerat imperatum; confregitque idola marmorea malleis, aurea autem et argentea fecit conflari incendio. Dumque hæc agerentur in domo, et confringerentur idola, audita est vox : Requiescit in te Spiritus meus Symphroni.

* *alias* Theodulo

u

E

a S. Stephano baptizatus.

10 Hoc audiens Olympius cum uxore sua, cœperunt nimio roborari timore, et magis ac magis in fidei calore, et ad Baptismi mysteria quantocius percipienda properare ; Symphroniumque suppliciter postulabant, ut id fieri haud segniter perurgeret. Symphronius igitur nuntiavit Nemesio domino suo : Nemesius quoque alacrius festinans, perrexit *x* ad sanctum Stephanum, et omnia per ordinem pandit. Beatus Stephanus hoc audiens, gratias retulit Deo Patri omnipotenti, et Christo Jesu, Filio ejus ; perrexitque noctu ad domum Olympii ; misitque se Symphronius * ad vestigia beati Stephani, dicens : Olympius flagitavit una cum uxore sua et filio Baptismi sacramentum : ostenditque confracta idola universa. Hoc videns beatus Stephanus Episcopus, dixit : Gratias agimus tibi, Domine Jesu Christe, qui dignatus es servis tuis misericordiam condonare, ut eos erueres a dæmonum erroribus, quos adinvenerunt in idolorum cultura, et hos congregare velut triticum in horreum tuum. Tunc catechizavit eos in ecclesiastica traditione, et baptizavit quotquot crediderunt in domo Olympii, sed et ipsum Olympium cum uxore sua Exuperia et filio Theodolo ; et obtulit pro eis Sacrificum Deo Patri et Jesu Christo, Filio ejus, pro eorum redemptione.

x

F

ANNOTATA.

a Facultates ejus; *Baronius cum Metaphraste addit*, omnes : *et sane ita sensus habet ; ut mox patebit ex sequentibus* S. Stephani *verbis*.

b Peteret : *at Ms. Windbergense, Q Ms.* 7, *et Mombritius habent*, potiretur ; *Metaphrastes :* ut quoscumque honores in exercitu petiisset, obtinere posset ; *quem sensum sequitur etiam S. Petrus Damianus Serm.* 38 *de Sancto nostro. Porro adversus hanc legem vide, quæ diximus in Comment.* § 6, *num.* 57 *et seqq.*

c A

A c A pagano: *vox* paganus *ad idololatram significandum usurpata non scitur uspiam ante tempora Constantini Magni, imo ne tum quidem. Adi Etymologos.*

d Dicentes, ut quoscumque, *etc. Ita pleraque Mss.; sed Vlimerianum, et P. Ms.* 19: Dicentes: Desideratissime atque amantissime Pater, parati sumus tibi in omnibus obtemperare, tecumque scias nos esse paratos sive in mortem, sive in vitam. Dixerunt autem omnes ad invicem: Si quis ex nobis in propria domo infantes paganos habet, aut aliquem affinium vel gentilium parentem, adducamus eos ante beatum Stephanum, ut ab eo baptizentur. Jussit itaque beatus Stephanus, *etc.*

e Crypta Nepotiana *intra urbem Romanam in vico Patricio ad collis Viminalis radices locatur ab Aringho in Roma subterranea lib.* 4, *cap.* 42, *num.* 2 *et* 3.

f *Addunt Mss. Vlimerianum et P. Ms.* 19 corpore et sanguine Domini. *Ceterum quæ huc usque scripta sunt, legisse non videtur S. Ado; siquidem pro istis omnibus ad* 2 *Augusti hoc solum habet:* Sub Valeriano et Gallieno imperatoribus, cum persecutio sæva grassaretur, beatus Stephanus, congregato universo clero suo, hortabatur eos, ut B pro Christo coronam martyrii alacriter susciperent. *Ubi nihil est, quod carpi merito possit.*

g Pastoris titulus *in eodem vico situs erat, in quo crypta Nepotiana; ut vide apud Aringhum ibidem lib.* 4, *cap.* 42 *et* 43, *et Floravantem Martinellum in Roma Sacra pag.* 41 *et* 288.

h *Hæc statim subjicit Baronius:* Et ad filiam Nemesii conversus: Credis, ait, in Deum Patrem omnipotentem, *etc. Sed contra omnes codices nostros. Metaphrastes hæc omnia contrahit. Itaque posterius videri possunt infarta; nam neque ab Adone diffunduntur hoc die.*

i *Baronius iterum solus*: Tunc baptizatam filiam nominavit Lucillam.

k Prosternentes se. *Frequentes istæ cujusvis generis hominum prostrationes (ut sic loquar) Tillemontio in notis ad* S. Stephanum *nostrum displicent, tamquam istius temporis simplicitatem non satis redolentes. Hoc merito, ut levissimum telum, sprevit Ilbachius.*

l *Videntur hi omnes interfuisse Baptismo Nemesii et Lucillæ, ut ibidem Tillemontius putat, et carpit, tamquam ab Ecclesiæ disciplina alienum, quæ ne coram catechumenis quidem administrari Sacramenta permiserit. Sed nego, hic asseri, quem-* C *quam eorum adstitisse Baptismo jam dicto. Et hoc igitur non solum leve, sed et falsum est; ac proinde contemni ab Ilbachio poterat, aut certe minus, quam fecit, operose confutari.*

m Nemesium quoque, *etc. Hanc ordinationem omittit Baronius, cum sit in Mss. omnibus, Mombritio, Metaphraste, Martyrologiis, etiam Romano vetere ad diem* 31 *Octobris.*

n Gallienum et Maximum consules. *Sic iterum omnia Mss. nostra cum editione Mombritii. Atqui consulatum illum Fasti nulli agnoscunt. Itaque, reposuit Baronius, fortassis ex Metaphraste:* Glabrionem et Maximum consules; *ad quos proinde martyrium refert Nemesii. Ego neutrum consulatum probo: non primum, quia ignotus est; non etiam secundum, ob ea quæ dixi in Commentario* § 6, *num.* 58. *Neutrum quoque legisse videtur Ado ad diem* 31 *Octobris. Censeri ergo potest utervis intrusus. Quod si necesse sit alterutrum tueri, equidem primum antetulerim,* Gallieni *videlicet* et Maximi; *ut Gallieni quidem tertius esse potuerit et ordinarius, ac propterea notatus in Fastis; Maximi vero non ordinarius, sed vel honorarius tantum, vel suffectus, ideoque non relatus in Fastos; in quibus ad annum illum, puta Christi* 257, *tamquam ordinarius uterque consul exhibetur:* Valerianus IV et Gallienus III. *De consulatibus honorariis consuli possunt Pagius in Dissertatione hypatica part.* I, *cap.* 8, *et Panvinius in Fastos lib.* I, *pag.* 61. *Patet interim, non esse talem hunc locum, ut evertere possit chronologiam in Commentario* § 6, *num.* 66 *propositam.* EX MSS.

o *De* templo Martis *suburbano in via Appia plura docet Aringhus in Roma subterranea lib.* 3, *cap.* 10, *a numero* 9. *Erat autem via Appia et ei proxima Latina, ad Urbis meridiem.*

p Subito Maximus consul exspiravit. *Hæc etiam legit Ado ibidem. Titulus* consulis *explicari potest per notam præcedentem; aut, si mavis; dic, consulem appellari Maximum per distractionem, quod antea bis consul fuisset; ut sic distinguatur ab aliis plurimis, quibus Maximi nomen apud Romanos commune erat. Tillemontius, ab heterodoxo Pearsonio prodigia doctus arguere, hoc etiam inter alia post illum sugillat. Mihi neque adeo inusitatum videtur, ut ea causa facile credi non possit; neque adeo necessarium, ut propter illud Actorum substantia debeat impugnari. Quod eumdem fuisse* Maximum *volunt, qui in Actis S. Cypriani appellatur Galerius Maximus, et proconsul in Africa anno* 258 *S. Cyprianum morte damnaverit; id non probant. Itaque hic male argumentatur Tillemontius secundum suum ipsius de hac re principium, in Valeriani imperatoris historia ad annum* 256 *positum.* E

q Erant ædes Claudii una cum templo in Cœlio monte, quas ab Agrippina cœptas Vespasianus absolvit. *Ita Baronius hic, ex Suetonio.*

r Creditarium vocat, cui bonorum omnium credita cura esset. *Baronius hic. Adi et Cangium.*

s Altera autem die, *nempe post apprehensum cum filia S. Nemesium. Huc refer, quod sequetur cap.* 2, *num.* 11: Factum est igitur post diem tertiam, *etc.*

t *Et hoc habet Ado ad diem* 4 *Decembris. Non sapit ergo stylum Metaphrastæ, ut asserit emphatice Tillemontius; cum junior Adone sit Metaphrastes. At mirum est, et in Actis sinceris minus obvium. Esto. Num ideo falsum est? Etiam in Actis, quæ certo sincera sunt, si non illud, alia certe non raro miracula recitantur; ut et in Opere nostro, et apud Ruinartium passim observare licet. Ceterum neque hoc ad substantiam narrati martyrii necessario pertinet; sed sola Olympii et familiæ ejus conversio per Symphronium quomodocumque promota.*

u *Quæ sequuntur usque ad num.* 10, *non leguntur apud Adonem; nec apparet, cur abesse non possint.*

x *Atqui Nemesius, secundum num.* 6, *liber non erat, sed* in privata custodia mancipatus. *Malim igitur cum Adone hic legere simpliciter:* Evocatus itaque beatus Stephanus Pontifex, venit noctu ad domum Olympii, et catechizatum baptizavit, *etc.* F

CAPUT II.

Martyria S. Stephani Papæ et discipulorum ejus.

Factum est igitur post diem tertiam *a*, audientes hæc omnia gesta Valerianus et Gallienus, nimio furore accensi sunt, dicentes: Ablata est deorum cultura propter superstitionem Christianorum. Miseruntque et tenuerunt Nemesium diaconum cum filia sua Lucilla; quos statim sine audientia fecerunt puniri. Nam Lucillam, filiam Nemesii, ante patris decollationem fecit gladio jugulari in via Appia ante templum Martis. Unde æstimo, hoc diabolico egisse consilio, ut pater forsitan videns, filiæ crudelem mortem inferri

a Nemesii et Lucillæ martyrium; et S. Stephani caritas.

EX MSS.

ferri, crederet ei suum præbere consensum. Sed pater, cujus jam arcana possidebat Spiritus sanctus, pretiosam conspicit filiæ mortem, quam pro Christi Jesu nomine libenter suscepit; et ad patriam cœlestem perrexit. Ipsum vero Nemesium diaconem capite truncari jusserunt inter viam Appiam et Latinam sub die octava Kalendarum Augustarum *b*: cujus corpus collegit beatus Stephanus Episcopus, et sepelivit juxta locum, ubi decollatus est, in via Latina non longe ab Urbe.

Symphronius, Olympius cum conjuge et filio sistuntur tyrannis,

12 Alia vero die, jussit Valerianus Symphronium sibi publica audientia præsentari; missisque militibus, adduxerunt eum vinculis ferreis oneratum, nudumque, ac capistratum *c*, et Olympium cum uxore sua Exuperia et eorum filium Theodolum; et introducti sunt in locum Telluris *d*: et sederunt Valerianus et Gallienus in tribunalibus suis in loco suprascripto. Introducti sunt autem Sancti Dei sub voce præconia in conspectu eorum; quibus his verbis dixit Valerianus: Cur non consulitis vobismet ipsis, et adoratis deos, quos cognovimus gubernare rempublicam nostramque salutem? Symphronius respondit: Nos gubernavit usque nunc Christus, qui nos ad hanc gloriam perducere dignatus est. Gallienus vero dixit Olympio: Olympi, adhuc quidem differo pœnarum inferre supplicia: sed et de tua conscientia dubius non sum, quod tu deseras deos, quos semper adorasti; etiam et alios compellebas adorare: nam et tormentis multis affectos usque ad effusionem sanguinis persequebaris, quicumque non præberent consensum sacrificare diis nostris. Respondit Olympius: Et ego quidem feci non quasi Olympius, sed quasi impius et crudelis: pro quibus malis commissis pœniteo et effundo lacrymas amaritudinis in conspectu ejus, cui credo Deo vero et vivo, Patri et Filio et Spiritui sancto, ut dignetur mihi remittere iniquitatem, quam exercui in sanguine Sanctorum ejus, quem ego feci effundi in incredulitate mea.

tum flammis enecti, sepeliuntur a S. Stephano.

13 Gallienus autem ira repletus, Valerianum alloquitur: Si isti, inquit, extincti non fuerint, omnis civitas Romana ad horum sectam concurrit. Valerianus itaque jussit statim Sanctos igne consumi *e*: et, data sententia, ducti sunt ante statuam solis juxta amphitheatrum; fixisque stipitibus, ligatis manibus, devinxerunt eos; igneque supposito cum congerie sarmentorum, spinarumque, et navium stuppa, incendio concremari fecerunt. Beatus quoque Symphronius simul cum sancto Olympio et ejus uxore Exuperia ac Theodolo filio ejus, in ipso ignis initio clamabant dicentes: Gloria tibi, Domine Jesu Christe, qui nos dignatus es cum servis tuis Sanctis ac Martyribus congregari. Et hoc dicentes, emiserunt omnes spiritum. Relicta autem sunt eorum corpora post triumphum ante simulacrum solis juxta amphitheatrum; milites vero abierunt. Eademque nocte adveniens sanctus Stephanus Episcopus cum clericis, ac religiosis hymnis ex more redditis, eorum corpora abstulerunt et sepelierunt juxta viam Latinam milliario primo *f*, septimo Kalendarum Augustarum *g*, Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus *h*.

Clerici 12 S. Stephani martyrium faciunt.

14 Post multos etiam dies *i*, factum est, ut Valerianus et Gallienus, nefandissimi persecutores nominis Christiani, summo requirerent studio beatum Stephanum, Romæ urbis Episcopum; ut eum, vel ejus clericos detentos, diversis afficerent pœnis, atque mortis traderent exterminio: posueruntque edictum *k* in locis celeberrimis civitatis, ac præconis voce perstrepente, ut quicumque Stephanum vel ejus clericos agnovissent latebris delitescere, illico auribus impiis* divulgarent, atque omnes ejus acciperent facultates. Unde factum est, ut ex ejus clericis duodecim reperissent, quorum nomina indicamus: Bonum, Faustum, Maurum, Primitivum, Calumniosum, Joannem, Exuperantium, Cyrillum, et Honoratum *l*: quos statim sine audientia capitibus præceperunt truncari *m*. Qui decollati sunt in via Latina juxta formam aquæductus *n*. Quorum corpora collegit Tertullinus, licet adhuc gentilis; et posuit juxta corpora Sanctorum Jovini et Basilei, via Latina *o*, eadem die Kalendarum Augusti *p*.

* *alias* imperatoris

Tertullinus a S. Stephano conversus et presbyter ordinatus,

15 Hoc audiens Stephanus Episcopus, misit vocavitque Tertullinum; quem multis exhortationibus Christianæ religionis edocens, ac de regno Dei et vita æterna imbuens, sacri Baptismatis gratiam ex more perfecit; atque in albis positum presbyterum consecravit *q*: cui etiam inter cetera monita sancta, hoc præcipue commendabat sanctus Stephanus: Frater, cura, inquit, sit tibi diversorum requirere sanctorum corpora Martyrum. Qui post biduum ordinationis suæ tentus est a quodam Marco præfecto *r*, et ductus ad Valerianum. Dicitque ei Valerianus: Facultates Olympii, domini tui prodere non moreris. Cui Tertullinus ita respondit: Si facultates domini mei requiris, poteris vivere *s*, quas ille pro Christo moriens in æternum suscepit: si tamen tu credis Christo Domino, et denegas idola dæmonum. Valerianus dixit: Ergo facultates domini tui vitam præstant æternam? Tertullinus respondit: Vitam æternam præstat et regnum perenne Christus Dominus Deus, qui potestatem habet mortis et vitæ. Valerianus ait: Iste amens effectus mihi videtur. Extendatur, inquit, et diutius mactetur fustibus. Cumque impie cæderetur, clamabat Tertullinus: Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, qui me non separasti a domino meo Olympio, servo tuo, qui me præcessit martyrio consummato. Cumque inter cædes hoc diceret, jussit lateribus ejus ignem supponi. Cui dicebatur ab impiis: Tertulline sacrilege, redde facultates domini tui Olympii. Tertullinus vero constanter facie lætus dicebat: Fac, miser, quod facis, celerius; ut me de hoc incendio, licet peccatorem, tamen pro ejus nomine, Christo offeras sacrificium.

dein captus, ac sæpe tortus,

16 Jussit itaque Valerianus elevari eum, et tradi præfecto Sapricio, dicens: Diligenter inquire ab eo facultates Olympii, domini ejus, atque compelle eum diis offerre libamina. Quod si minime fecerit, diversis eum interfice pœnis. Statim Sapricius præfectus tribunal sibi præparari fecit in loco, qui dicitur Privata Mamurtini *t*; jussitque eum adduci sub voce præconia præeunte: Tertullinus, inquit, reus atque sacrilegus introducatur. Dumque introductus fuisset ante tribunal præfecti, dicit ei præfectus: Nomen tuum edicito. Tertullinus respondit: Peccator, servus servorum Christi. Præfectus dixit: Servus es, an ingenuus? Tertullinus dixit: Ita replevit diabolus cor vestrum, ut non intelligatis hominem loquentem. Dixi tibi: Servus servorum Christi sum *u*. Sapricius dixit: Cognosce nunc quæ tibi præcipiuntur, et fac sine dilatione; et vives, hoc est, sacrifica diis, et redde facultates Olympii: sin aliter, in tormentis pœnarum, in malis tuis deficies. Beatus Tertullinus respondit: Si scires vitam æternam, non cogitares de vita præ-

sente,

A

sente, quæ cum dæmonum cultoribus in æternum incendium deputabitur. Tunc jussit os ejus lapidibus conquassari. Tertullinus igitur Deo gratias referens, dixit præfecto : Tu os meum contundi fecisti : conteret te Dominus meus Jesus Christus, quem confiteor, et diabolum, adinventorem idololatriæ servitutis *. Sapricius dixit : Cur morarum spatia trahis? Facultates domini tui Olympii non cuncteris edicere, et sacrifica diis, ne vitam tuam capitis obtruncatione consummes. Tertullinus respondit : Ego confortatus in Domino Jesu Christo, cui credidi, hoc desidero, ut vitam istam præsentem possim amittere, et illam æternam inveniam, cujus nullus est finis.

* *alias* sævientis

post insigne martyrium ab eodem Pontifice sepelitur.

17 Tunc iratus Sapricius, jussit illum extendi in eculeo, et nervis diutius contorqueri. Inter hæc supplicia Tertullinus dicebat : Domine Jesu Christe, ne derelinquas te confitentem servum tuum; sed tribue mihi fortitudinem, te credens Filium Dei Patris, ut perseverans hanc tibi animam, quam redemisti de ignorantiæ tenebris et de idolorum cultura, tibi eam resignem, cujus gratia et Baptismo emundata est. Tunc Sapricius jussit eum ignibus concremari. Ille autem Spiritus sancti gratia roboratus, incessanter Domini Jesu Christi ore et corde auxilium postulabat. Pendente autem eo in eculeo, mandavit Sapricius, suggerente officio *x*, Valeriano tyranno, Tertullinum plenum esse insania, nec tormentis esse mollitum nec monitis, ut diis sacrificaret, aut proderet facultatem Olympii, domini sui. Mandat Valerianus iratus, ut, data sententia, ejus caput abscinderetur. Qui depositus de eculeo, ductus est in via Latina, secundo milliario, et ibidem decollatus est. Cujus corpus sanctus Stephanus colligens cum clericis, et hymnis redditis Deo, sepelivit in eodem loco in Crypta arenaria *y* pridie Kal. Augusti *z*.

B

x

y

aa

* *alias* autem

Ipse S. Stephanus Valeriano sistitur:

18 Alia namque * die *aa* misit Valerianus multitudinem militum, et tenuerunt beatum Stephanum Episcopum cum multitudine clericorum, id est, presbyterorum et diaconorum. Qui cum adductus esset, plurimi Christianorum sequebantur a longe cum lacrymis. Veniens igitur Stephanus Episcopus, præceptum est, ut solus ante tribunal tyranni introiret. Cui ita Valerianus ait : Tu es Stephanus, qui rempublicam conaris evertere et persuasionibus adque adhortationibus malis populum a deorum recedere suades cultura? Beatus Stephanus dixit : Ego quidem non everto rempublicam ; sed moneo atque hortor, ut, derelictis dæmoniis, qui adorantur in idolis, ad Deum vivum et verum redeant, creatorem cœli et terræ, et cognoscant, Christum Jesum Filium Dei Deum esse, qui cum Patre et Spiritu sancto solus est sempiternus; ut non pereant cum diabolo in interitum sempiternum.

C

et corruente Martis fano, liberatur,

19 Valerianus dixit : Nunc enim tu traderis perditioni, ut alii metuentes, vivere possint illæsi. Jussitque eum duci ad templum Martis, et ibidem, dicta sententia, capite truncari, si non acquiesceret adorare nefandi Martis simulacrum. Tunc beatus Stephanus ductus a militibus foras muros Appiæ portæ ad templum Martis, levatis ad cœlum oculis, coram omnibus dixit : Domine Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui turrim confusionis in Babylone destruxisti *bb*, destrue nunc et hunc locum, ubi diabolica superstitione per idolorum culturam animæ pereunt populorum. Et statim factus est ingens fragor tonitrui cum terroribus coruscationum; et corruit maxima pars templi sacrilegi *cc*. Quod cernentes milites, pavefacti fugerunt; dimiseruntque beatum Stephanum cum omnibus Christianis, qui simul perrexerant.

bb

cc

EX MSS.

20 Eadem vero hora beatus Stephanus Episcopus pergit cum omnibus Christianis ad cœmeterium sanctæ Lucinæ *dd*; et multis consolationibus omnes secum profectos alloquitur, ut nullis terroribus pertimescerent pœnas adversarii; vel ne forsitan aliquibus promissionibus tyrannorum desererent coronam martyrii præparatam, dicens : Memores esse debemus, Dominum nostrum Jesum Christum dixisse : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam. His atque hujusmodi exhortationibus, ût bonus pastor, suis ovibus Christi sanguine acquisitis pascua ministrabat. Post hæc obtulit Sacrificium Deo omnipotenti.

cum suos oratione et Sacrificio muniret, *dd*

21 Audiens igitur Valerianus quæ gesta fuerant, ac de templi eversione, et quia esset maxima cum Stephano multitudo Christianorum, missi sunt plurimi prioribus militum; qui venientes invenerunt beatum Stephanum Episcopum Sacrificium Domino offerentem. Quique intrepidus et constans ante altaris solemnia et jugiter cœpta perficiens, eodem loco sic in sua decollatus est sede *ee* sub die quarto Nonarum Augustarum. Factus est autem ibidem maximus Christianorum planctus, qui talem Pastorem cum gloria martyrii præmiserunt ad cœlestia regna. Cujus corpus sepelierunt in eadem crypta cum ipsa sede, ubi adstans sanguis ejus effusus est, in loco, qui appellatur hodie *ff* Cœmeterium Callisti, ubi requiescit in pace.

a supervenientibus militibus capite truncatus est.

E

ee

ff

22 Alia enim die *gg* invenerunt milites paganorum acolythum, nomine Tharsicium, Christi Corporis sacramenta portantem; quem tenentes pagani atque discutientes *, quid gereret, ut indicaret. At ille, indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit prodere sacrosancta Mysteria. Quem fustibus ac lapidibus tamdiu mactaverunt, quousque exhalaret spiritum : revolutoque ejus exanimi corpore, nihil potuerunt in ejus manibus vestimentisque reperire sacrilegi discussores; relictoque ejus corpore, cum terrore fugerunt. Venientes autem ad portas Appiæ, invenerunt Christianorum multitudinem copiosam; et venientes ad Valerianum, omnia intimarunt, et quidquid actum fuerat, per ordinem pandunt. Eadem namque die collegerunt Christiani sanctum corpus Tharsicii, et sepelierunt in cœmeterio Callisti, via Appia; coadunataque ecclesia Christianorum, ordinaverunt in locum beati Stephani Episcopi et martyris Sixtum Episcopum nono Kal. Septembris *hh*, Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus *ii*, apud nos autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

gg

Martyrium S. Tharsicii acolythi illustre miraculo.

* *alias* tenuerunt, discutientes,

F

ANNOTATA.

a Post tertiam diem, *a captivitate S. Nemesii scilicet, ut ante observavimus.*

b *Habent pleraque Mss. et edita omnia exemplaria, uti et Martyrologi :* Sub die octava Kalendarum Septembrium : *quod si auctoris est, aperte secum ipse pugnat, ut ostensum est in Comment.* § 6, *num* 62. *Nos tamen librarii cujusdam antiquissimi putamus esse, cujus deinde errorem ceteri fere secuti sint. Colligimus id primo ex Ms.*

Windbergensi,

EX MSS. *Windbergensi, ad cujus marginem, qui illud cum aliis Mss. contulit, hoc loco adnotavit :* Mss. alia, Augustarum. *Secundo ex Ms. Vlimeriano, et codice P. Ms.* 6; *in quibus hic disertissime legitur :* Sub die octava Kalendarum Augustarum. *Tertio ex ipsorum Actorum contextu; statim enim subditur martyrium Symphronii et Sociorum, peractum* alia die, *hoc est* postera die; *ut recte vertit Metaphrastes : nam paulo inferius clarissime in omnibus exemplaribus Mss. et editis (si Baronianum excipias) imo et Martyrologiis explicatur his verbis :* Septimo Kalendarum Augustarum. *Deinde jam captus erat Symphronius ante martyrium domini sui; si igitur hoc incidisset in* VIII *Kal. Septembris, sequeretur, ut œconomus ejus Symphronius mensibus undecim detentus fuisset in carcere, priusquam de Nemesii facultibus fisco addicendis interrogaretur : quod absurdum apparet. Denique si Nemesii martyrium accidisset* VIII *Kal. Septembris, referendum esset ad annum* 256 *contra Commentarii nostri* § 6, *num.* 58; *et eruditorum virorum chronologiam, qui Gallienum id temporis Romæ negant fuisse; cum Acta nostra illum non semel in causa Nemesii præsentem sistant. Censemus ergo, Nemesium occubuisse* VIII Kal. Augusti; *Symphronium vero postridie, eodem*
B *ambos anno Christi* 257.

c Capistratum. *Mira expressio de homine! Est tamen etiam apud Adonem* 4 *Decembris. Significat, opinor, vinculum collo ejus injectum, quo duci, aut potius raptari posset, ut capistro jumentum.*

d In locum Telluris, *alia Mss.*, Telludis. *Locus ille templum erat, in quo sæpe senatus cogi consuevit, haud procul amphitheatro; de quo plura Rosweydus in notationibus ad Martyrologium Adonis,* VI *Idus Maii, et Floravantes Martinellus in Roma sacra pag.* 30.

e *Supplicium ignis decretum in viros nobiles, quales erant Symphronius et Olympius, res non est creditu facilis, inquit hoc loco Tillemontius. Quasi vero in Christianorum suppliciis modum semper tyranni servaverint. Quasi non etiam peculiaris hic pœnæ causa Valeriano peculiaris videri potuerit, quod ambo Christiani non essent solum; sed et fidem imperatori debitam violasse viderentur! Nam Symphronius Nemesii facultates fisco subduxerat, et (quod apud ethnicum principem crimen erat inexpiabile) converterat Olympium cum suis; Olympius vero Valeriani crudelitate hactenus ex officio in Christianos exercita probatus in paucis, religionem nunc eamdem profitendo, tyrannos contra opinionem*
C *omnem deluserat, eorum spreverat mandata, deorum non modo ejuraverat cultum, verum etiam simulacra contriverat, exemplo, (nisi supplicio terribili plecteretur) tanto apud omnes efficaciore, quanto et major erat viri auctoritas, et notior per inflicta tot huc usque Christianis tormenta superstitio.*

f *Puta in eodem cœmeterio, ubi pridie SS. Nemesium et Lucillam condiderat; ut censet Aringhus, quem consule lib.* 4, *cap.* 3.

g Septimo Kal. Aug. *non solum hic omnia Actorum exemplaria, sed et Martyrologi referunt; ut vide ad diem* 4 *Decembris. Unde ergo eruisse dicemus Eminentissimum Annalistam illud suum* Pridie Kalendas Novembris? *Nos de Martyribus his egimus die* 26 *Julii.*

h Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus. *Sic Mss. nostra omnia. Eodem revocari debet Mombritius, scribens :* Valeriano et Gallieno secundo consulibus; *quod et codices Romani quidam habent apud Aringhum, loco proxime citato : patet enim ex* τῷ secundo, *quod Gallieno additur, tertium designari consulatum Valeriani, qui secundum Fastos cum Gallieni secundo concurrit. Observa tamen primo, vitium hic esse in numero consulibus adjecto : nam post Maximi interitum non alium Augusti consulatum gerere secundum Fastos potuerunt, quam quartum Valerianus, Gallienus tertium. Observa secundo, vitium in numero consulatuum parum accurate notando communissimum in Fastis esse; ut animadverti potest tum hoc ipso anno, tum* D
aliis passim, apud Petrum Relandum in Fastis consularibus Trajecti Batavorum editis anno 1715. *Potest ergo et in hæc Acta repsisse Consulatus Valeriani* III *pro* IV, *Gallieni* II *pro* III; *sicut et in Chronicum Prosperi integrum editionis Labbeanæ eodem prorsus modo et anno irrepsit. Ast alios pro aliis consules fuisse scriptos, nec usitatum est, neque credibile. Non assentimur ergo Baronio, martyria hæc ad Glabrionem et Maximum Coss. referenti. Observa tertio, eosdem consules eodem modo notari in fine Actorum; atque adeo eidem anno assignari martyria Symphronii et Sociorum, cui assignantur cetera, quæ ad finem usque narrantur; contra quam Annales ecclesiastici statuunt.*

i Post multos etiam dies. *Hæc, et quæ toto hoc numero, imo et quæ cum his numero sequente quasi connexa narrantur, nullo modo videntur cum antecedentibus et consequentibus posse congruere; ut ostendimus in Commentario* § 6, *num.* 62. *Suspicio est, ea in primigeniis Actis non fuisse, cum illa nec auctor Martyrologii Romani veteris seculo octavo, nec seculo nono legisse credi possit Ado : nam si legerint, cur minus duodecim hosce Clericos Martyres suis Martyrologiis inseruissent, quam ceteros omnes,* E
qui in iisdem nunc Actis memorantur, et quorum nullum omittunt?

k *Quid opus fuit hoc edicto; si recens adhuc illud erat, quod num.* 1 *memoratum est?*

l *Duodecim ubique numerantur; et tamen non nominantur, nisi novem, in plerisque Mss. nostris. Martyrologium, ut dixi, Romanum vetus, et Ado de nullo horum meminerunt. Usuardus decem numerat, sed tres tantum priores nominatim exprimit. Nomina duodecim exprimunt Codices nostri P. Ms.* 19, *P. Ms.* 20, *et Ms. Windbergense, inter* Joannem *et* Exuperantium *interponendo* Castum, Theodosium, Basilium. *Totidem nomina eodem modo, sed non eodem ordine, recensent Acta Græca Vindobonensia, de quibus monui in Commentario* § 1, *num.* 2. *Consonat fere Metaphrastes; nisi quod* Bonum *omittit, et ultimo loco pro eo* Donatum *adjicit. Vide plura in Actis diei hesternæ.*

m Quos statim, *etc. Atqui mox dicebantur summo studio requisiti a persecutoribus, non ut eos statim capite truncarent; sed* ut *prius eos* diversis afficerent pœnis, atque *tum demum* mortis exterminio traderent.

n Juxta formam aquæ ductus, *quem cœmeterio S. Tertullini vicinum statuunt Raphael Fabrettus Inscriptionum antiq. cap.* 8, *pag.* 547, *et Boldettus* F
in Observationibus ad sacra Martyrum cœmeteria lib. 2, *cap.* 18, *pag.* 562.

o *In cœmeterio scilicet, quod postea beati Tertullini nuncupatum est, secundo ab urbe lapide, ut statuit Aringhus lib.* 4, *cap.* 5. *Vide quæ dicentur die* 4 *hujus mensis de S. Tertullino presbytero et martyre. De* SS. Jovino et Basileo *actum est* 2 *Martii.*

p Eadem die Kal. Augusti. *Ms. Windbergense habet* : Easdem Kalendas Augusti. *Nodus hic est quem solvendum proposuimus in Commentario* § 6, *num.* 62. *Codices nostri P. Ms.* 19 *et P. Ms.* 20 *habent,* sub die VI Kal. Augusti; *et consonant quædam Martyrologia non admodum vetusta, uti dictum tom.* 1 *Martii pag.* 128, *num.* 1. *Sed hæc hujus loci difficultates non tollunt : ut consideranti patebit.*

q *Adi Commentarium* § 6, *num.* 63; *ubi diximus, difficulter intelligi posse hanc ordinationem; forte Tertullinus hic alius fuerit quispiam a Tertullino, Olympii vicedomino.*

r *Hic* Marcum præfectum *habes, et paulo inferius* Sapricium; *neuter tamen erat hoc anno* 257 *præfectus Urbis (is enim fuit Junius Donatus, juxta catalogum Bucherianum;) sed ejus forte vicarii : tales vero eodem tempore plures in Urbe fuisse, et quidem præfectos appellatos, docet S. Cyprianus in*

epi-

A *epistola* 82 *ad Successum anno* 258 *data, his verbis:* Huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe; ut si qui sibi oblati fuerint, *etc.*

s Poteris vivere. *Codex noster P. Ms.* 155 *rectius forte habet :* Poteris videre.

t *Carcerem, opinor, Mamertinum, de quo satis dictum est in Actis SS. Petri ac Pauli Apostolorum tom.* 5 *Junii, pag.* 433.

u *Vide Commentarium* § 6, *num.* 64, *et Observa, multa hic episodia resecari non solum a Baronio; sed etiam ab Adone die* 4 *Augusti; quæ tamen in omnibus modo codicibus Mss. leguntur.*

x Officio, *id est, ministro judicis. Vide Cangium.*

y In eodem loco, *etc. Id est in cœmeterio, in quo idem S. Tertullinus condiderat* S. Stephani *clericos Martyres; secundum Aringhum lib.* 4, *cap.* 5.

z Pridie Kal. Augusti. *Ita Codices aliqui cum Metaphraste. Alii codices et Ado:* secundo Kal. Aug.; *quod idem plane significat. Codex noster P. Ms.* 6 *habet,* Tertio Kal. Augusti; *quo die refertur in quibusdam Martyrologiis, ut ibi dictum est in Prætermissis. Solus, quod sciam, Baronius scribit:* Kalendis Augusti. *Colitur tamen apud Adonem et*
B *alios,* 4 *Augusti.*

aa Alia die. *Baronius:* Sequenti die, *Metaphrastes:* Postero die. *Videtur ergo deprehensus fuisse* S. Stephanus *pridie, quam obtruncatus est. Si tamen hic locus interpolatus non sit et intrusus.*

bb Destruxisti. *Carpit hæc neotericus quidem heterodoxus, tamquam Sacris litteris contraria; sed enim cur* destruxisse *dici non potest opus, qui ab illo jam inchoato ita desistere architectos coegit, ut promoveri numquam potuerit?*

cc Corruit maxima pars templi. *Etiam hoc modernis criticis fabulosum apparet, et eo quidem minus credibile, quod in Actis S. Sixti secundi Papæ et martyris anno sequenti idem in eodem templo ad modum fere eumdem contigisse legatur. Sed neque hoc prodigium ad martyrii hujus substantiam spectat; nec dictata paulo ante sententia, nec apprehensio, nec deductio* Stephani *publica sive ad Martis fanum, sive ad locum supplicii. Satis nobis est, si deprehensus ad aram, a furentibus ethninicis obtruncatus credatur una cum assistentibus sibi ministris, eo fere modo, etsi non eodem supplicio, quo infra occubuisse dicitur S. Tharsicius.*

dd Cœmeterium S. Lucinæ; *quod subinde a S. Callisto primo nomen accepit. Celeberrimum vero hoc cœmeterium, secundo ab Urbe lapide, Appia via si-*
C *tum, fusius illustrat Aringhus lib.* 3, *cap.* 11.

ee Decollatus est. *Hoc genus martyrii ejus creditu quoque perdifficile existimat Tillemontius nota* 3 *in* S. Stephanum; *sed iis argumentis, quæ refutavimus in Commentario* § 1, *num.* 5 *et seqq. Nec refert, quod recentiores aliqui, sive ad* Stephani *sive ad præcedentium in his Actis Martyrum descripta supplicia convellenda, negant, tam severa hoc anno fuisse edicta Valeriani: nam ut mitiora fuerint in provinciis; Romæ tamen, ob singularem sanctissimi Pontificis in propaganda Christi religione dexteritatem ac studium, persecutio et citius et crudelius, etiam sine generalibus edictis, cœpta videtur ipsi etiam Tillemontio, in Persecutione Valeriani art.* 1, *et alibi. Imo ne in ipsis quidem provinciis eamdem ubique fuisse præsidum in Christianos anno Christi* 257 *moderationem luculente docet S. Cyprianus in epistola eodem anno, juxta Pearsonium, ad Confessores in metallo constitutos data.* EX MSS.

ff Hodie. *Ex hac voce recte colligit Schelstratius, hæc Acta fuisse composita post ætatem de qua agunt. Codices P. Ms.* 19 *et P. Ms.* 20 *habent,* usque hodie. *Baronius, contra Mss. nostra et Adonem, neutrum expressit.*

gg Alia enim die, *alii codices :* Alia autem die, *quod significare videtur, ut supra non semel, diem sequentem, puta tertiam Augusti: licet celebretur S. Tharsicii M. festum die* 15 *ejusdem mensis. Metaphrastes legit:* eodem die; *sed contra exemplaria nostra Latina. Observavi autem in Commentario* § 6, *num.* 65, *de hac historia meminisse S. Damasum Papam.* E

hh Nono Kal. Septembris. *Quæ sequuntur, ad ejusdem ordinationis annum designandum pertinent, præterquam in Ms. Windbergensi, in quo verbis jam citatis hæc subjiciuntur:* Martyrizatus est autem beatus Stephanus, Episcopus urbis Romæ, Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus, die quarto Nonas Augusti, regnante Domino nostro, *etc. Huic fere consonat codex Romanus a Schelstratio citatus, Antiquitatis eccles. tom.* 1, *dissert.* 2, *cap.* 7, *num.* 4. *Ceterum de S. Sixto,* S. Stephani *successore, agetur die* 6 *Augusti.*

ii Valeriano tertio et Gallieno secundo Coss. *Sic omnia Mss. nostra cum editione Mombritii. Schelstratius loco mox citato codices duos Vaticanos refert, quorum alter habeat:* Sub Valeriano et Gallieno Coss., *omisso numero consulatus; alter vero:* Valeriano quartum et Gallieno secundum, consulibus. *Hæc vitia jam ostendimus obvia passim esse. Et hic ergo, et superius, num.* 13, *in fine, legendum:* Valeriano IV et Gallieno III consulibus; *tum quia post consulatum Valeriani tertium, et Gallieni secundum, consul factus est Maximus, qui secundum hæc Acta ante S. Nemesii martyrium periisse dicendus est; tum quia certum videtur ex epistola Firmiliani,* Stephanum *vixisse anno Christi* 256 *jam senescente; diuque adeo post consulatum Valeriani* III, *et Gallieni* II, *qui respondet anno Christi* 255. F

DE S. RUTILIO MARTYRE

P. B.

IN AFRICA.

SECULO III, SUB SEVERO.

Hujus elogium in Martyrologio Romano,

In Africa, sancti Rutilii martyris, qui cum sæpius de loco in locum persecutionem fugisset, et periculum interdum etiam pecunia redemisset, ex inopinato aliquando deprehensus, et præsidi oblatus, tormentis plurimis cruciatur: demum ignibus traditus, egregio martyrio coronatur. *Ita modernum hoc die Martyrologium Romanum. Unde haustum sit hoc elogium, ipsa Tertulliani de Fuga in persecutione cap.* 5 *verba significant; sic enim habent:* Rutilius, sanctissimus martyr, quum toties fugisset persecutionem de loco in locum; etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset; post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et præsidi oblatus, tormentis dissipatus (credo pro fugæ castigatione), dehinc

 ignibus

AUCTORE P. B.

ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit. *Tum hæc subduntur:* Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento; quam, fugiendum non esse; quia nihil fuga prosit, si Deus nolit? Immo, inquit; quia præceptum adimplevit, fugiens de civitate in civitatem: sic enim voluit quidam, sed et ipse fugitivus, argumentari, et qui proinde nolunt intelligere sensum Domini illius pronuntiationis, ut eam ad velamentum timiditatis suæ utantur; cum et personas suas habuerit, et tempora, et causas. *Alium superioris elogii fontem, præter hunc unicum, non assignat Baronius in suis ad illud Notationibus; neque alium nos ullum invenimus.*

ex Tertulliani Montanistæ scriptis petitum,

2 *Fuit, cui locus hic scrupulum diu molestum excitavit; quod mirari satis non posset, si Martyrem verum, atque adeo Romano-catholicum,* sanctissimi *epitheto ornare voluisset Tertullianus in opere, quod ab Ecclesia Catholica abscissus, et Montani erroribus dudum ac pertinaciter implicatus elaboravit; itaque subverebatur ille, ne qui Romano Martyrologio restituendo augendoque insudarunt, minus caute pseudomartyrem ac Montanistam pro* B *genuino et orthodoxo ex auctore illo atque opere hæretico arripuissent. Augebat metum, quod Martyr ille, Tertulliano tam singularis ac sanctus, nullum in Ecclesiæ catholicæ, quæ supersunt, Fastis sacris, aut Kalendariis (etiam Carthaginensi, apud Ruinartium in Actis Martyrum sinceris edito) locum uspiam habuerit ante Martyrologii Romani restitutionem, imo ne præconem quidem ullum, nisi unum Tertullianum, et hunc tum orthodoxis infensum: nam quæ apud Tamayum de illo ad hunc diem conficta leguntur, ea non immerito respuebat. Nobis hæc argumenta nequaquam sufficiunt, ut ob ea Martyrologii Romani censores gravissimi, in erroris tam crassi suspicionem vocentur. Censemus ergo* Rutilium *hunc vere Catholicum, vere martyrem occubuisse.*

non reddit suspectam S. Rutilii fidem ac martyrium:

3 *Cum enim apud Montanistas pro certo ac revelato haberetur, tempore persecutionis nec fugere Christiano, nec pretio redimere periculum licere; cumque hac eorum doctrina usque adeo superbierit Tertullianus, ut pastores Catholicos, quod eam improbarent, appellare non dubitaret* in pace leones, in prælio cervos; *an verisimile videri potest, Rutilium ab eo in medium ultro producendum fuisse, si* C *Montanistarum illam (tametsi vanam re vera mendacemque) gloriam toties contaminasset, nec alio demum tot maculas eluisset martyrio, quam eo, quod nec fugere nec redimere potuisset? An hunc, inquam, producturus fuisset Tertullianus in eodem libro, in quo de Montanistarum Paracleto ausus est* D *affirmare cap.* 14: Quem qui receperunt *(ut omnes Montani discipuli,)* neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt? *Deinde si Montani assecla fuisset Rutilius, an Catholicos is nactus esset fugæ suæ redemptionisque defensores? Atqui Catholicorum illi patrocinantium verba sunt, quæ sibi sic objicit supra Tertullianus:* Immo, inquit, quia præceptum adimplevit, fugiens de civitate in civitatem. *An præceptum adimplevisse dici vere poterat Montani sectator fugiendo redimendoque periculum; qui a Paracleto suo id sibi in omni occasione severissime vetitum crederet? Non potuit ergo hæc defensio in* Rutilium *cadere, nisi Montanista non fuerit, ac sensum Evangelii contra fanatica Montani dictamina Catholicum sit secutus. At enim si Montanista non fuit, qua ratione appellatur a Tertulliano* sanctissimus Martyr? *Credo, quia cum ipse passus est, necdum Tertulliani judicio satis Montani principia palam innotuissent, ut contraria sectantes pro hæreticis essent habendi; utque adeo, si quam ita culpam contraxissent, eam non prorsus ex ejusdem Tertulliani sententia, aboleret martyrium. Adde quod ipsum Fabium, etiam tunc, cum hunc librum ei direxit, probe Catholicum, Montanista Tertullianus nuncupat* fratrem. E

tametsi Martyrologiis antiquis, quæ supersunt, ignotus forte sit.

4 *Quod vero ante Martyrologii Romani restitutionem nullis Ecclesiæ Fastis adscriptus appareat, id quidem fateri cogimur, si de hodierno die sit sermo. Nam neque in ullis nostris Martyrologiis, aut Kalendariis antiquioribus notatur; neque ipse Baronius, ullum in Annotationibus suis, quod sit secutus, assignat; nec rationem addit ullam, cur hoc potius, quam alio mense ac die Martyrologio Romano sit insertus. Sed neque verbum adjungit, quo* Rutilium *hunc a* Rutilo *martyre Africano, qui cum aliis colitur die* XVIII *Februarii, ostendat esse diversum; cum tamen diversum non esse scripsisset Pamelius in adnotationibus ad citatum Tertulliani textum. Et sane* Rutilius, Rutilus, Rutulus, Rotulus *non adeo diversa sunt nomina, quin pro eodem scribi potuerint in antiquis Martyrologiorum exemplaribus, ubi nomina passim multo etiam durius luxata reperiuntur. Ut ut est, idem sit, an diversus; adscriptus antea vetustis, quæ exstant, Sanctorum Fastis, an secus, nostra non multum refert: neque enim ex eo, quod nusquam notatus inveniatur, consequens est, ut verus Martyr non fuerit; ut pluribus demonstrat Ruinartius in Præfatione ad Acta* F *Martyrum sincera* § 2. *Porro de loco ac tempore martyrii nihil constat; creditur tamen in Africa passus, et quidem sub Severo; cum de illo apud Afros, tamquam omnibus notissimo, Tertullianus Afer meminerit.*

DE

A

AUCTORE J. P.

DE S. THEODOTA AC TRIBUS FILIIS
MARTYRIBUS
NICÆÆ IN BITHYNIA.
ITEM DE ALIA SYNONYMA CUM VII FILIIS
CÆSAREÆ IN MAURITANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ I. Cultus apud Græcos et Latinos; elogia, ædes sacra Constantinopoli, Acta.

Sub Diocletiano.

Providentiæ divinæ, post paucos annos urbem Nicænam illustraturæ primo concilio œcumenico, quod ibi celebratum fuit, placuit eam antea plurimorum Martyrum sanguine consecrare; quos inter nomen* S. Theodotæ *non infimum locum tenet, apud Latinos pariter ac Græcos celebratissimæ, tametsi non eodem die ab utrisque colatur : Græci quippe annuam ejus memoriam referunt die* XXIX *Julii; a quo illam transtulimus ad hunc diem, quo signatur ab Hagiologis Latinis cum Martyrologio Romano. E Græcis itaque Menæa magna typis edita illam sic memorant :* Sanctæ martyris Theodotæ, ac Filiorum ejus. *Quibus fere ad verbum consonat Menologium ab Eminentissimo Sirleto Latine redditum, et a Canisio vulgatum, cum Menæis Ambrosianis; quorum tamen ecgrapho adscribitur :* In Tauriniensi α est die XXXI. *His porro eam versiculis celebrant Menæa magna excusa :*

Memoria ex Fastis Græcis die 29 Julii;

C

Θεῷ δοτὴν τίθησι τὴν Θεοδότην
Τὸ πῦρ καμίνου σὺν τρισὶ τέκνοις φίλοις.
Fornacis ignis Theodotam datam Deo
Charis tribus cum Filiis morte enecat.

Patet allusio in Θεῷ δοτὴν, Deo datam et Theodotam. *De canone infra. At singulare est, quod rursum in dictis Menæis recurrat eorum memoria ad diem* XXII *Decembris, cum SS. Anastasia et Chrysogono martyribus; forte ideo ibi conjunctis, quia conjuncta eorum Acta et commixta sunt. Ceterum elogio, quod ibi datur, præmittuntur hi versiculi :*

Ἡ Θεοδότη πῦρ φέρει σὺν φιλτάτοις
Φίλτρῳ Θεοῦ ξέουσα καὶ πυρὸς πλέον.
Perfert rogum Theodota cum charissimis,
Dei flagrans amore, quam flamma magis.

e quibus eodem die adoptata a quibusdam recentioribus;

2 *Dicta etiam die* XXIX *Julii signatur sanctæ nostræ Martyris nomen in Horologio seu Horis canonicis in usum monachorum Basilianorum, anno* 1677 *Romæ editis. Menologium nostrum Slavo-Russicum Sparvenfeldianum nomen ejus minus recte exprimit, dum sic annuntiat :* S. M. Theodosiæ ac Filiorum ejus. *Ferrarius item Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, ex Galesinio ac Tabulis Græcorum istos Martyres die* XXIX *Julii inscripsit; recte indicans in notis, eos haberi in Martyrologio Romano die 2 Augusti; quo non tantum ibi, sed in aliis quoque antiquis Fastis recensentur, prout nunc visuri sumus ex eorum annuntiationibus.* E

sed ab antiquissimis illa notatur hac die 2 Augusti cum Martyrologio Romano.

3 *Romanum parvum sic habet :* In Bithynia, Theodotæ cum tribus Filiis. *Ado his verbis utitur :* Eodem die (2 *Augusti*) natale S. Theodotæ cum tribus Filiis suis in provincia Bithyniæ, urbe Nicæa, tempore Diocletiani, sub consulari Nicetio et comite Leocadio. *Insigni idem Ado Sanctam elogio prosequitur; at de elogiis tam apud Latinos quam Græcos dicetur inferius. Usuardus ita se exprimit :* In provincia Bithinia, urbe Niceæ, sanctæ Theodotæ cum tribus Filiis suis, e quibus primogenitum nomine Euodium, Christum fiducialiter confitentem, fecit primum consularis Bithiniæ fustibus cædi, deinde ipsam cum omnibus Filiis igne consumi. *Florum hoc loco, et Rabanum, nec non apographa Hieronymiana præterimus; de quibus tamen apographis infra alia occasione recurret sermo. Recentiorum Hagiologorum, videlicet auctoris Florarii nostri, Maurolyci, Felicii, ac Galesinii, qui hoc rursum die Sanctos refert, nomina indicasse, sit satis. Sed obiter observandum, apud Rabanum, Petrum de Natalibus lib.* 6, *cap.* 14, *ac Felicium scribi* Theodoram ; *standum tamen est exemplaribus Græcis ac Latinis, quæ unanimi consensu* Theodotam *scribunt. Arturus a Monasterio Martyrem nostram inseruit suo Gynæceo. Martyrologium Romanum iisdem fere verbis utitur, quibus Usuardus.* F

Elogia apud Græcos, et Adonem :

4 *Atque hæc quidem de celeberrimo atque antiquo Heroidis nostræ cultu dicta sunto : nunc ad ejus elogia accedamus. Allegatum modo a nobis Menologium Sirletianum ponit sequentia :* Hæc fuit ex urbe Nicæa, admodum pietatis et Dei præceptorum studiosa, filios erudiens disciplinam Domini, iisdem temporibus, quibus et sancta martyr Anastasia vivebat. Detenta vero a Leucatio præside, cujus nuptias ipsa recusaverat, ob eam præcipue caussam missa est ad Nicetium præfectum Bithyniæ, a quo simul cum tribus Filiis in caminum ignis injecta, martyrio coronata est. *Consentiunt Menæa excusa; quæ ædem tamen hisce Martyribus sacram mox subdunt : de qua postea agemus. Latini in condendis eorum elogiis longe a Græcis discrepant. Transcribi ante omnia huc meretur illud, quod graviter et pathetice concinnavit Ado in hæc verba :* Qui *(comes Leocadius)* hanc per multos dies blandimentis et terroribus coge-

re

AUCTORE J. P.

re voluit, ut ejus conjugio necteretur. Sed cum sancta Femina nullo modo consentiret, ferro vinctam cum Filiis, consulari Bithyniæ Nicetio destinavit.

quod ultimum a prioribus differt.

5 At ille filium ejus primogenitum Euodium, Christum fiducialiter confitentem, in conspectu Matris fecit fustibus cædi. Cui Mater pia clamabat : Noli timere, Fili, ista verbera : per ipsa enim ad æterna Christi gaudia pertinges. Tunc consularis Nicetius jussit cuidam Hirtaco, ut apprehendens beatam Theodoten, prius illi illuderet; et postmodum inter publicas meretrices constitueret. Quam ille volens tenere, de naribus ejus cœpit sanguis vehementer effluere. Qui clamans dixit Nicetio : Stat juxta eam juvenis pulcher, auratis vestibus indutus, ex cujus manu pugnum accepi in naribus. Consularis ergo Nicetius jussit ignem copiosum accendi, et beatam Theodoten cum tribus Filiis suis immitti. Quæ gratias referens Deo, dicebat : Benedictum nomen pietatis tuæ, Domine, qui me nec in isto seculo a Filiis meis separasti, nec in tui nominis confessione disjungi passus es, nec in martyrio
B dividi permisisti. Consummata est igitur cum tribus Filiis suis sancta Theodota sub die quarto Nonarum Augustarum. *Hæc ille ; quæ contractius expediuntur a Floro citato et Rabano, ex eodem haud dubie Actorum fonte hausta : quæ discuti poterunt paullo post, dum Acta ipsa examinabimus.*

Edes sacra ac festum Constantinopoli.

6 *Ceterum sanctam Matrem ac Filios ejus post martyrium non tantum non indecores mansisse, sed singulari in veneratione habitos fuisse, colligi datur exeo, quod ædem sacram cum festo habuerint CPoli, sicut liquet ex Menæis ante allatis, quæ ista tradunt :* Celebratur autem ipsorum solennitas in martyrio eorum, quod est in Campo ; *quæ pars fuit Hebdomi : de quo Cangius CPol. Christianæ lib.* 2, *pag.* 140. *Auctorem atque ætatem istius ædis sacræ discimus ex Procopio Cæsariensi de Ædificiis Justiniani imperatoris lib.* I, *cap.* 4 *sub finem; ubi ponit* templum S. Theodotæ in suburbano, quod Hebdomon sive Septimum vocant *: quodque templum una cum aliis, quæ ibidem idem auctor enumerat,* princeps hic, *inquit,* noster quo tempore Justinus avunculus imperabat, a fundamentis ædificavit, *seculo videlicet sexto. Tametsi vero Procopius nec* S. Theodotæ, *de cujus templo agit, titu-*
C *lum martyris addiderit, nec de Filiis ejus, quorum sub memoria illud etiam dedicatum fuisse, asserebant Menæa, meminerit; nos tamen ex eorumdem Menæorum fide, non aliam Theodotam synonymam, sed hodiernam, cujus uti et Filiorum cultui hæc ædes condita fuerit, non refragante, quamquam non satis distincte id docente Procopio, hic non gravate intelligimus.*

Acta apud Surium et apud Combefisium omnino differunt:

7 *Duplex potissimum Actorum* S. Theodotæ *exstat historia typis edita : altera, quæ immixta Actis S. Anastasiæ legitur apud Surium ad diem* XXV *Decembris, et cujus compendium continetur in elogio Adoniano superius producto; altera, quam Franciscus Combefisius in libello singulari, qui inscribitur :* Illustrium Christi martyrum lecti triumphi, *Lutetiæ Parisiorum anno Domini* 1660, *Græce et Latine typis vulgavit. Ambæ istæ ejusdem Martyris historiæ adeo inter se sunt diversæ, ut commune nihil omnino consideratione dignum habeant, nisi hoc unum, quod utraque memoret,* S. Theodotam *una cum Filiis suis Nicææ in Bithynia igne martyrium consummasse. Acta Combefisiana ne verbo quidem tangunt totam illam narrationis seriem, quam Suriana volunt evenisse* S. Theodotæ *in Macedonia, eo tempore, quo Diocletianus imperator ibi morabatur; imo vero satis dilucide illam* D
historiam excludunt, uti patet ex illorum exordio ; e quo habemus, quod Bithyniæ præfectus, certior factus, in urbe Nicæa esse quamdam Feminam, professione Christianam, ac liberos docentem, accersi eam jusserit. Id quod toto cœlo diversum est ab eo, quod Suriana historia recenset de Sancta a Leucadio missa ad proconsulem Bithyniæ, etc.

Suriana

8 *Quod Acta apud Surium edita, seu quod eodem redit, manuscripta, in substantia eisdem consona, sint admodum antiqua, inficias ire nemo potest, qui meminerit, illa præluxisse Adoni in condendo, quod superius produximus, elogio suo. Et vero cur non par sit isti antiquitati genuina rerum in iis narratarum sinceritas, et auctoris narrantis fides? Cur, inquam, tantopere dotibus hisce destituantur, ut, sive vere e Metaphrastis calamo, cujus sub nomine prostant apud Surium, illa profluxerint; sive alterius scriptoris sint partus, parum certe fidei mereantur; quasi vero characteres nonnulli, in eis relucentes, compositionem spirent? Fac ita esse ; quidnam hoc officit Actorum substantiæ? Adde quod cum adeo parva sint, non videatur præsumendum, ea multum in hac parte peccare. Meas interim circa ea propono conjecturas. Res itaque in illis con-* E
scribendis sic se habuerit, ut Acta aliqua S. Theodotæ *vel seorsim exstiterint, vel Anastasianis immixta, prout nunc exstant, ante seculum nonum, quæ Adonis tunc elogio præluxerint, quæque deinde seculo decimo in manus inciderint Metaphrastis, vel non absimilis genii auctoris; qui ea jam tum modice fortasse interpolata vel transcripserit, vel aliquantulum denuo compserit styli, verborumve aut sententiarum ornamentis.*

discutiuntur,

9 *Fateor equidem haud gravate, quod Acta ista, spectata sola auctoritate scriptoris, non mereantur plus fidei, quam Anastasiana, quibus inserta sunt; quorum discussio ad aliud tempus spectat. Ne quid vero interim præpropere circa illa definiamus, et loco non suo, eorum examen remittimus ad diem* XXV *Decembris; quo revocari ad trutinam poterit crisis Tillemontii Monumentorum ecclesiasticorum tomo* 5; *ubi inter notas a pag.* 715 *in fine, Acta prædicta pluribus examinat; et tandem pag.* 718 *dissertationem circa illa suam concludens, asserit, nihil proprie haberi certi, imo ne fundati quidem super historia S. Anastasiæ, exceptis illis, quæ in principio dictæ notæ præmiserat, de translatione et cultu ejus agens.* F

ac contra criticum quemdam

10 *Dixi paulo ante,* spectata ut sic auctoritate scriptoris; *qui etiamsi, secundum Tillemontium, in istiusmodi Actis Anastasianis condendis parum sibi fidei conciliasset, non tamen sequeretur, ut causæ non sint aliunde, cur fidem mereantur nostræ Martyris Acta; ratione, inquam, materiæ et formæ, seu rerum, quæ in illis tractantur, et modo, quo describuntur. Materia enim sive ab initio, quo primus auctor eam digessit, Actis Anastasianis fuerit immixta, sive tunc quidem seorsim exstiterit, ab eisque disjuncta, ac deinde ab alio quodam auctore eisdem conjuncta fuerit, adeo, quod innuebam supra, exiguæ est molis, ut de rerum aperte falsarum farragine suspicionem movere non posse videatur. Modus vero quid peccat tantopere, ut tam nigro calculo ipsis nota inuratur imo potius benigno, si quid peccant, patrocinio non defendantur?*

defenduntur.

11 *Neque dicas : Sancta e Macedonia, uti volunt, ad proconsulem Bithyniæ transmissa fuit, quisnam vero mox id credat, nisi sufficiens istius itineris ratio detur; quæ ne vel verbo quidem ullo indicatur. Leucadius itaque e Bithynia, secundum Anastasiana Acta, redux in Macedoniam, uti ex*

eorum-

A *eorumdem contextu colligitur, quid causæ habuit, cur* S. Theodotam *alio amandaret; imo vero cur eam potius non tradidit* tribunali judiciario, *cui traditam ab eo esse S. Anastasiam referunt Acta? Audio. At dic, sodes; transvectio illa, quam objicis, miri quidquam præfert; sed an ideo falsa est, an ideo fictitia? An, quia causa non additur, nulla idcirco causa fuit? Malim ego eam hic supponere ac pro adjecta habere, quam atram illico Actis nostris censuram inurere, quia, expresse adjecta non sit; qualem eis inurit Tillemontius tomo supra citato pag.* 643; *ubi postquam indicasset, nullam Actis Anastasianis inesse auctoritatem; mox addit illud ipsum, quod de* S. Theodota *memorant, dura circumstare adjuncta, et quod volunt, eam e Macedonia missam fuisse ad Bithyniæ gubernatorem, non esse rem creditu facilem, quando nulla ejusdem causa datur. Sed hæc quidem hactenus de Actis apud Surium; nunc vero quid statuendum sit de iis, quæ vulgavit Combefisius, dicendum superest.*

B

§ II. Discutiuntur Acta a Combefisio edita; exemplaria Manuscripta; Theodota una, an triplex?

Qualia sint Acta, quæ edidit Combefisius.

Inchoatum paragrapho superiore, ac tantisper intermissum circa Acta a Conbefisio edita sermonem retexere hic opus est, ut, discussis eorum meritis, par illis judicium promamus. Prænotantur hoc titulo : S. Theodotæ et liberorum; *sed* ejus, *quod est in Græco, cur omittit Combefisius? Ceterum auctoris nomen nusquam apponitur; adeo ut totus undequaque nos lateat; verum quisquis ille fuerit, ita se gessit in conscribendis suis Actis, ut facta admodum pauca multo sermonis ambitu in longum extracta nobis reliquerit : quo fit, ut Acta hujusmodi annumeranda neutiquam censeamus primigeniis ac sinceris (qualia certe apud Græcos raro admodum inveniuntur;) sed iis dumtaxat, quæ sint longe inferioris notæ, ac non tam rerum probabilium multitudine ac varietate, quam supervacaneis interpolatoris phrasibus infarta, in majorem excreverint molem, quam argumenti penuria patiebatur.*

Illa, quæ habemus in tribus diversis exemplaribus Mss.,

13 *Atque hæc quidem de* S. Theodotæ *Actis typo excusis; sed quoniam præter illa, in promptu nobis etiam sunt exemplaria Mss.; de his quoque* C *nobis nunc habenda ratio est. Codex noster Molsheimensis membranaceus satis antiquus Passionem habet isto cum exordio :* Revertente imperatore Diocletiano ad Sirmium a Macedonia, oblata est ei Theodota cum tribus Filiis suis, natione Bithinia, cives * Nicena. *Finis vero sic habet :* Passa est autem in provincia Bithinia apud urbem Nicenam cum tribus Filiis suis S. Theodota. *Duo item alia apographa habemus, alterum ex Ms. ecclesiæ S. Audomari; alterum ex Ms. Augustano, ejusdem ambo inter se argumenti, et Molsheimensi in substantia consentientia, uti colligitur ex hujus initio, fine ac toto decursu, ad illa collatis. Porro sicut apud Surium Acta* S. Theodotæ *Anastasianis immixta sunt, sic dicta exemplaria tria Actis* S. Theodotæ, *immiscent aliquam Anastasianorum partem, quæ verbosis adeo ut plurimum dialogismis luxuriat, ut sermonis abunde, parum rei suppeditet, ac majorem Passionis, quæ titulum præfert* S. Theodotæ, *partem in S. Anastasia consumat; atque adeo quia totus dictæ Passionis contextus non est longus, pauca admodum narrat de* S. Theodota *ac Filiis ejus.*

* Bis

AUCTORE J. P.

fere in substantia conveniunt cum editis apud Surium.

14 *Quod si Passionem istam Ms. conferas cum edita et Anastasianæ inserta apud Surium, videbis quidem in hisce exemplaribus scriptionis stylum, narrationis modum, enuntiationis phrases, et quæ sunt alia generis ejusdem, ac rei accidunt, differre; sed ita tamen differre, ut in substantia fere conveniant, ac proin sine dubio unus idemque sit fons, e cujus aquis duo isti, quos memorabam, rivuli postmodum tamquam e prima scaturigine dimanaverint. Ceterum observationes nullas circa ista exemplaria daturi sumus in annotatis ad Passionem, quam ex Surio recudemus. Unicum hoc monuisse sufficiat, quod sicut Suriana Passio a Combefisiana; sic ea, quam habent tria dicta exemplaria Mss., toto genere a Combefisiana discrepet; uti liquet ex dictis.*

Theodotam Cæsariensem

15 *Intricatissima nunc se offert controversia, in Observationibus ad Usuardum nostrum hoc die* 2 *Augusti tacta atque huc remissa, unane sit, an duplex* S. Theodota *hodierna apud Latinos. Apographa Hieronymiana apud Florentinium hoc die sic annuntiat :* In Cæsarea Mauritaniæ Theodotæ et VII Filiorum ejus, quorum gesta habentur; *ad quem locum laudatus auctor observat, ita* etiam legere cum Martyrologio Corbeiensi manuscriptum reginæ Sueciæ, in quibus pariter VII Filios numerari *asserit* martyres socios his verbis « IV Nonas, in Cæsarea Mauritaniæ, Theodotæ et VII Filiorum ejus, quorum gesta habentur. » *Duo hujus annuntiationis puncta nimis aperte pugnant cum annuntiationibus atque Actis Martyris nostræ, quam ut uni eidemque personæ aptari commode possint; præsertim cum Bithynicæ sejunctim a Cæsariensi Afra, ita meminisse Ms. reginæ Sueciæ testetur Florentinius :* Niceæ in Bithynia passio S. Theodotæ cum tribus filiis, qui omnes igne consumpti sunt, præcipiente Diocletiano imperatore sub comite Leucadio. *Nimis, inquam, hæc aperte pugnant, quam ut uni eidemque personæ aptari possint.* E

a priore diversam

16 *Pugnat quippe locus palæstræ; pugnat item numerus filiorum, quidquid ista clausula,* quorum gesta habentur, *identitatem suadere utcumque videatur. Nam nostræ gesta habentur; Mauritanæ autem istius non item, quantum nos scimus; Florentinio etiam in suis observationibus,* præter assensum *suorum* codicum, Martyrologii Corbeiensis et Ms. reginæ Sueciæ, nihil addere *se* posse fatente; et quamquam in omnibus, ex adductis libris addatur « quorum gesta habentur » nondum hæc mihi, *inquit,* manifesta esse doleo. *Neque ad nostras illa hactenus devenere manus, aut alicubi ea latere novimus; quamquam facile fieri potest, ut alicubi lateant, eamdem fortasse sortem nacta, quam tot alia antiqua monumenta, quæ in tenebris abstrusa atque a blattis tineisque corrosa et latent, et latere pergent.* F

admittimus :

17 *Prædicta itaque clausula parum aut nihil habere potest firmitatis, ut in unicam conflet personam synonymas istas matres, duobus adeo diversis ac disertis characteribus aliunde distinctissimas; quibus expensis, longe nobis apparet probabilius, quod duæ sint admittendæ* Theodotæ : *quarum una Nicæna seu Bithynica; altera Cæsariensis Afra, seu Mauritana appelletur; de qua regione consuli possunt geographi. Duas itaque distinctas Martyres recte admisere Florentinius modo allegatus, Tillemontius nota* 70, *ac novissime illustrissimus Franciscus Maria de Aste, archiepiscopus Hydruntinus, in Disceptationibus ad Martyrologium Romanum hoc die* 2 *Augusti. Atque hanc de gemina* S. Theodota *sententiam, quam tamquam probabiliorem nos amplectimur.*

AUCTORE J. P.

tametsi pluribus locis vitiosa sunt apographa Hieronymiana, e quibus desumitur.

ctimur, haberi nolumus ita securam, tutam certamque, ut omni careat formidine de opposito.

18 *Nam quandoquidem Hieronymiana apographa, quibus tota hæc præsens controversia unice stat vel cadit, ex multiplici transcriptione pluribus locis mendosa sunt, mutatis, corruptis, transpositis, locoque avulsis, suo, atque in non suum intrusis nominibus, sicut alia occasione indicavimus tomo* IV *Julii pag.* 354. *Ecquis nos satis hic reddat securos, apographa ista vitio non laborare circa palæstram ac numerum filiorum Theodotæ suæ, quibus in duobus punctis, a lectione aliorum Martyrologiorum diversis, omnis utriusque martyris diversitas fundatur? Interea cum nobis neutiquam constet, quod locus præsens, quidquid sit de pluribus aliis, vere sit corruptus, ideo sincerus nobis est, ac sincerus porro erit, donec probetur esse vitiatus aut spurius : atque adeo suam apographis Hieronymianis* Theodotam *asserimus, uti et aliis Martyrologiis suam.*

Menæa excusa tertiam quamdam synonymam suadere videntur; B

19 *Quæ memorant Menæa magna excusa, die, quo de nostra agunt* Theodota cum tribus Filiis, XXIX *Julii, facile possent lectores non satis cautos inducere in errorem : nam* Theodotæ ac Filiorum ejus *annuntiationi præmittitur hæc :* Sanctæ martyris Theodotes ; *ubi vides omitti filios. Deinde in Echo seu Tono* 4, *qui ponitur post primam* S. Theodotes *annuntiationem, dicitur :* Tamquam virginem et martyrem, tamquam incorruptam Dei sponsam... festivis te laudibus efferimus... Theodota. *Et mox in Homœo seu Simili* desponsata *refertur* in spiritu, Christo per fidem. *Quis non putet, dum ista legit, agi de Theodota quadam virgine, atque adeo a duabus, quas dedimus, matribus synonymis diversa? Accedit eo, quod huic, quæ tamquam virgo exhibetur, aptari videatur canon peculiaris, cujus hæc est acrostichis :*

Τὴν πρὸς Θεόν μοι Μάρτυς ἴθυνον τρίβον.
Martyr mihi tu dirige ad Deum viam.

Deinde enim rursum ea dicitur martyrico splendore ac virginitate splendens, *etc. Hæc itaque qui legerit, nonne animo fixum tenebit, ita hæc prædicari de Theodota quadam virgine, ut duabus synonymis nostris aptari nequaquam possint?*

sed expenso et explicato eorum textu, illam a nostra Nicæna non distinguimus: C

20 *Ego enimvero candide profiteor, me prius in ista fuisse sententia, quam totum Menæorum contextum ad finem usque decurrissem, quod tertia aliqua hic indicaretur Theodota virgo ac martyr; sed sententiam istam deposui tunc, quando initio textus ac fine, nec non antecedentibus ac consequentibus inter se collatis deprehendi, quod post annuntiationem* S. Theodotæ ac filiorum ejus, *et post elogium, inter ea, quæ habentur sub ode* 9, *dicatur* οἱάπερ παρθένος καὶ μάρτυς, quemadmodum virgo et martyr. *Quibus lectis, censui inveniendum esse modum, quo possent, imo deberent illa, quæ distinctam istam Theodotam tertiam suadere videbantur, uni eidemque nostræ Nicænæ seu Bithynicæ accomodari.* Deberent, *inquam; nam præterquam quod numerus Sanctorum non sit multiplicandus, nisi accomodata rationum momenta id comprobent; multa concurrunt nimis pro identitate unius ejusdemque* Theodotæ, *quam ut duplex inde conflari commode queat; præsertim si possit fieri satis argumento, quod ex virginitate petitur pro utriusque diversitate. Ad illud argumentum conabimur respondere, ubi proposuerimus ea, quæ congruunt. Præter nomen ac diem cultus, quæ consentiunt, modus exantlati etiam conspirat martyrii, quod ignis combustione contigit. Adde quod isti, quæ a Nicæna hic in speciem videtur distincta, nullos patriæ, civitatis, imperatoris aut præsidis appositos inveniam characteres, qui distinctionem istam ullo pacto fundare possint. Allati etiam canonis acrostichis nihil prorsus determinat, quod sæpe dictæ distinctioni faveat; ac proinde de adstruenda omnino non est, neque Theodota aliqua tertia hic admittenda.* D

et solvimus argumentum e dictis Menæis petitum.

21 *Argumentum autem ex Menæis magnis, paullo ante a nobis propositum, nihil movere nos debet ad adstruendas tres Sanctas diversas, quando tot aliunde occurrunt rationes, quæ pro identitate duarum ex istis tribus controversis faciunt, et adeo quidem convincentes, ut, nisi quis cæcutire velit, eas pervideat necesse sit. Verba itaque ex Menæis allata de virginitate, quid vetat, cur exponi apte atque commode non possint,* 1° *de castitate viduali sanctæ* Theodotæ, *quam exercuerit eo tempore, quo ad martyrium quæsita est? Interpretationi nostræ favet ipse Menæorum textus Tomo* 4 *post oden primam, ex quo habemus, quod* venustissimum Christum dilexerit, et animam venustarit castitate (διὰ ἁγνείας.) *Favent Acta Combefisiana; in quibus vocatur* καθαρωτάτη, castissima *seu potius* purissima. *Sic de Juditha legitur :* Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus et Manasses vir ejus. *Lib. Judith, cap.* 16, ℣. 26. 2°. *Exponi quoque possent in sensu alio improprio, quod nempe pro tuenda pudicitia, tametsi virgo non esset sancta Martyr, adinstar tamen virginis decertaverit contra juratissimos suæ castitatis hostes; et sic alluditur ad Acta et elogia; in quibus mira narrantur de servata divinitus Martyris castitate : atque adeo particulæ* ὡς, *et* οἱάπερ, *quæ occurrunt in textu Græco Menæorum, ita intelligendæ essent, ut significent* sicut, tamquam, *ac proin sensum similitudinis a nobis jam indicatum.* E

§ III. Singularia quædam circa Sanctam nostram, ejusque Filios puncta proposita ac discussa; locus a Combefisio in suis Actis perperam Latine redditus.

In S. Theodota

Inter alia, quæ de hac Sancta ejusque Filiis quæri possunt, illud occurrit primo loco, verene sub Diocletiano passi fuerint, an secus id contigerit. Affirmant tam Acta S. Anastasiæ apud Surium, et Acta nostra Mss. superius citata, quam annuntiatio Adonis, sicut vidimus; uti etiam elogium S. Theodotæ *in Menæis Græcorum excusis ad diem* XXII *Decembris; compendium Actorum apud Petrum de Natalibus, quem antea memoravimus; Vincentius Bellovacensis lib.* 12 *Speculi historialis cap.* 65, *Tillemontius modo nominatus, sicut videre est articulo* 62 *persecutionis Diocletianeæ, ac denique neotericus legendista Gallicus in Vita, quam collegit ad hunc diem* 2 *Augusti.* F

sub Diocletiano passa fuerit;

23 *Acta vero Combefisiana, elogium dictorum Menæorum hoc die, ac variæ, quas supra recensuimus, annuntiationes de præsenti argumento nihil certe quidquam memorant. Non tamen ideo affirmationem inter ab una, et silentium ab altera parte quasi in bivio positi sumus. Quoniam enim ex silentio formari non potest nisi argumentum negativum, ut vocant et aliunde positive habemus, quod factum hic controversum contigerit sub Diocletiano; dicamus et nos, quod sub isto imperatore contigerit.*

24 *Et vero quid obstat, quo minus hoc dicere liceat?*

A *ceat? Cur Acta, quibus res ista unice potissimum innititur, non sint istiusmodi, ut probabilem per se fidem hac in re nobis facere possint? Quæ quia falsi convincere in hac controversia in promptu non est, sequi ea maluimus, quam deserere. His itaque sic positis, verosimiliter martyrium illud haud contigerit ante annum Christi* 303, *quo primum Diocletiani adversus Christianos edictum vulgatum fuit. Unde consequens videatur, ut illud in elogio nostri Florarii Ms. minus recte affigatur anno* 296. *Et vero quod aliquanto post inchoatam persecutionem temporis intervallo id acciderit, suaderi nobis patimur ex sæpe allegatis Actis Anastasianis apud Surium num.* 21, *modo vera sinceraque sint, et non per auxesim dicta, quæ ibi habentur. Sunt autem hæc:* Cum autem rursus intellexisset Diocletianus, quam essent quidem angusti carceres propter multitudinem piorum, qui in iis detinebantur, essent vero inania quævis excogitata tormenta, *etc.*

quo item passa sit anno, examinatur:

et num familiaris fuerit S. Anastasiæ.

25 *Quæ videntur convenire edicto Diocletiani quarto, quod anno* 304, *persecutionis secundo prodiit, et quo Christiani omnes ad mortem condemnan-* B *tur, horribili exinde secuta carnificina; videsis Tillemontium articulo* 19; *quidquid ille nihil habuerit satis explorati, vi cujus, Sanctæ nostræ martyrium determinato alicui innecteret anno, atque idcirco illam accensuerit Martyribus istis, quorum proprius ac peculiaris certaminis annus ignoratur: de quibus agere incipit ab articulo* 48. *Alia nunc in præsenti controversia quæstio hic proponi posset; utrum videlicet Sancta nostra adeo familiariter vixerit cum S. Anastasia, ut transacta vere inter utramque sint omnia illa, quæ inter utramque transacta volunt Acta apud Surium. Combefisiana ne nomine quidem tenus de S. Anastasia, nedum de rebus istis aliis vel verbo uno unico meminere; quod tametsi mirum est, redit tamen eadem fere huc responsio, quam modo dedimus circa silentium eorum, sub quo martyrium acciderit.*

Quæritur etiam de die martyrii

26 *Quæstio alia proponi nunc potest circa diem, quo Athletæ nostri martyrio functi sint. Ex die cultus publici nihil definiri potest de die martyrii, cum alius ille adhibeatur a Græcis, alius a Latinis, uti supra ostensum est; et fac eumdem ab utrisque celebrari, nondum tunc satis etiamnum constaret certo, an dies ille venerationis publicæ coincideret* C *cum die martyrii, quamquam non diffiteamur, quod plusculum tunc probabilitatis suppeditatum fuisset, ut ex communi Occidentalis atque Orientalis consensione circa diem annui cultus, etiam utcumque admitti posset, quod in illum pariter diem nostrorum Martyrum certamen inciderit. Acta apud Combefisium nihil de eo memorant; excerpta ex Anastasianis apud Surium, quæ mox prolaturi sumus, nihil. Ado autem superius num.* 5 *dicens,* Consummata est igitur cum tribus Filiis suis S. Theodota sub die quarto Nonarum Augustarum, *diserte diem determinat, secundum videlicet Augusti: quem etiam notat Passio* S. Theodotæ *ex Ms. ecclesiæ Audomarensis, ac Petrus de Natalibus. Sed quia nos non novimus, unde et an ex satis idoneis documentis Ado diem istum acceperit, et an non potius ex conjectura propria elogio suo adjecerit, nihil cogit ex solis Adonis verbis præsentem controversiam dirimere.*

ac numero filiorum ejus, etc.

27 *Quæstionibus hactenus propositis modicam circa Sanctæ nostræ liberos superaddere nobis liceat observatiunculam. Exstitisse eos numero tres, communis plurium, quos supra dedimus, Latinorum atque Græcorum Hagiologorum est consensio. Beda noster, Ado, Usuardus, Acta apud Surium, etc., filii primogeniti nomen exprimunt, ac* Euodium *(mendose* Enodium *apud Petrum de Natalibus) fuisse dictum tradunt. Acta Combefisiana singularia more suo hic iterum sunt: nam* Theodotæ *liberos pluries quidem repetunt; at nec eorum numerum, nec proprium primogeniti nomen determinant. Sed ex Actorum istorum silentio nolumus quidquam in re tantilla movere scrupuli contra communem sensum tam antiquorum Martyrologorum, idque non magis quam circa nomina propria* Nicetii *ac* Leocadii, *sub quibus coronati sint Sancti nostri, tametsi eadem Acta Combefisiana nihil horum prodiderint.*

Locus a Combefisio, quem sequitur legendista Gallus,

28 *Postrema nunc superest quæstio ad præsentem paragraphum remissa, circa auctorem Martyrii, a Combefisio vulgati; de quibus Actis quia hoc præsertim, quem decurrimus, paragrapho, repetita pluries mentio incidit, non abs re hic de isto puncto tractabitur. Neotericus legendista Gallus in sua Tabula critica auctorum et Actorum mensi Augusto præfixa, ad diem* 2 *ejusdem mensis, postquam deprompsisset suam super Actis Combefisianis censuram:* Dicitur, *inquit,* quod ista Acta instructa fuerint per magistratus urbis Nicænæ; hoc est dicere sine dubio, per eorum tabellionem, aut alium quempiam ad eorum imperium. *Vide et* E *mirare legendistam illum hic adeo inepte simplicem, qui ob exotice rigidam et audacem crisim toties alibi meritissimo jure a nobis vapulat.* Dici *id ait; et dictum istud mitigare conatur; non arguit, non refellit, non castigat? Minime gentium. At quo, amabo, fundamento* dici *id affirmat? Non alio, quantum scimus, quam quia id legerit in versione Combefisii, qui ista verba sub initium* τὸ γὰρ κατ' αὐτὴν πάθος οὕτως οἱ τῆς Νικαίας ἄρχοντες διέθεντο δραμαθουργήσαντες, *ita Latine reddidit:* Ejus enim *(Theodotæ)* passionem Nicææ magistratus eum in modum dramatice composuerunt.

perperam Græce redditus

29 *Ita, inquam, Latine ista reddidit Combefisius; sed perperam: sensus etenim naturalis atque primo obvius istorum verborum significat* 1° *quod Acta ista a magistratu seu primoribus Nicænæ urbis tamquam ab auctore primigenio ad nos transmissa fuerint.* 2° *Quod* dramatice, *id est per modum scenæ seu publicæ repræsentationis, ab eodem* composita, *id est collecta, digesta seu conscripta sint. Neutrum ulla veri specie dici potest. Non primum, id quippe si verum foret, deberet hoc factum esse a magistratu gentili vel Catholico: non* F *autem factum est a gentili, nam apertissime reclamat Actorum contextus; non etiam a Catholico, qui gentilem, pace Ecclesiæ reddita, postea sit subsecutus, quia Acta hæc adeo verbosa sunt, et indeterminata. Neque vero secundum, quod videlicet* dramatice, *id est per modum scenæ fuerint composita, obtrudi potest: nam Acta ista adeo a dramatico apparatu aliena, adeo succincta et brevia,* dramatice composita *neutiquam dici possunt; quandoquidem vel ipso, quem allegavimus, legendista hypercritico fatente,* nihil continent, quod suspecta illa reddere debeat, nisi sit fortasse responsio nimiuscule longa aut nimis studiose exquisita, quam filius sanctæ Theodotæ primogenitus habuit ad judicem.

ad trutinam revocatus et emendatus.

30 *Adde, quod auctores, qui Actis suis pondus commendationis addere possunt ac volunt, non sint dicturi, ea* dramatice *esse* composita; *sed primigenia, sincera ac vera, etc. Itaque quoniam præsens versio, perperam a Combefisio adhibita, et a legendista admissa contra ipsa Acta, quæ uterque legit et expendere potuit ac debuit, nullo sensu subsistit; superest ut ad aliam confugiamus, hanc utique aut similem:* Quam Nicææ primores adversus ipsam *Sanctam* moliti erant (δραμαθουργήσαντες) passionem,

AUCTORE J. P.

nem, hoc modo executioni mandarunt. *Nisi præplacet, illa sic vertere :* Passionem ejus hoc ordine exsecuti sunt primores Nicææ, hanc tragicam rei scenam exhibentes. *Favet nobis Suidas in participio* δραμαθουργήσας, *quod redditur per* συνεὶς. *Quem locum versio Latina ex editione Æmilii Porti explicans, inter alia hujus participii significata, hæc habet :* Qui facinus aliquod molitus est, commisit ac patravit. *Et ibidem in notis ad* συνεὶς, qui intellexit, *a* συνίημι; *recte observat*, nihil *hoc facere* ad rem. Lego, *inquit*, συνθεὶς, συντίθημι; Hesychius vero δραμαθουργεῖν, πανουργεῖν, συντιθεῖν, πράττειν.

PASSIO

Ex Actis S. Anastasiæ martyris apud Surium ad diem XXV Decembris.

B

CAPUT I.

Sancta sistitur Diocletiano imperatori; Leucadii nuptias spernit; virtutes exercet cum S. Anastasia; mittitur in Bithyniam.

Sancta sistitur Diocletiano, et a Leucadio in matrimonium petitur;

Ad imperatorem Diocletianam *a* defertur etiam martyr Theodote : quæ orta quidem erat ex Bithyniæ civitate Nicæa *b* : Christiana autem erat religione, et in ejus zelo fervens : inquilina vero erat ipsa quoque cum Anastasia et tribus liberis in Macedonia. Cum ergo ipsa quoque se stitisset ante imperatorem, quidam nomine Leucadius, valde captus ejus pulchritudine, (erat enim Theodote quoque facie venustissima) vehementer instabat apud imperatorem, ut misereretur ejus pulchritudinis, et non sic immaturam perderet puellam pulcherrimam.

C

sed frustra ;

2 Quoniam autem ea petebatur ad nuptias, imperator lubens dedit lubenti : existimabat enim fore, ut ex ejus conjugio ei fieret disjunctio a Christi religione. Cum ergo Theodoten accepisset Leucadius, quid non dicebat, quid non faciebat, studens ei persuadere, ut castitatem quidem et pietatem in Christum abjuraret : impietati autem assentiretur, et sic matrimonio cum eo conjungeretur?

nam S. Theodota proposito ejus fortissime se opponit.

3 Postquam vero hæc agens, visus est in aquam scribere, et canere inania, cum essent hujusmodi, quæ ei dicebat Theodote : Si meas quidem opes cupis et pecunias, et me ideo studes uxorem ducere, ecce tibi cedo omnibus, pro omnibus divitiis solum Christum sortita. Sin autem etiam corpoream amas pulchritudinem, scias te ea amare, quæ omnino fieri nequeunt. Prius enim meam formam, quam mentem mutaveris, etiamsi me igne et ferro, et omnibus simul consumpseris suppliciis.

Bona opera exercet cum S. Anastasia;

4 Ubi hæc ergo audivit Leucadius, quoniam paratus erat una cum egrediente exire imperatore, domi quidem reliquit Theodoten ; ipse vero iter est ingressus, Theodotæ negotium non leviter et in transitu tractandum esse ducens, sed id reservans ad otium et tempus conveniens. Cum ergo relaxata fuisset Theodote, et similem in virtute et fide assumpsisset Anastasiam *c*, una animi alacritate et consensione, et quasi conspiratione, parique zelo peragebant solitum cursum pietatis, Christianis, qui in carceribus publicis inclusi erant, effectæ omnia, medici vulnerum, suppeditatores pecuniarum, præteritorum malorum solatium, et ad futurum validissima consolatio. Et sic quidem virgines.

D

cumque ea habitans contra Leucadii repetitos conatus confirmatur :

5 Venit autem ad Theodoten, quam prius declaravimus habitare apud comitem Leucadium : et sigillatim ei narrat omnia, tam quæ passa sit, quam quæ per ipsam et cum ipsa Deus fecerit. Paucis post diebus comes quoque Leucadius ex Bithynia reversus, cum Theodote prioribus similes rursus habuit sermones, tentans eam inducere. Postquam autem multa loquens, cognovit se loqui littori, et cum ventis conferre sermonem, Anastasiam quoque resciscit apud eum degere, et furore percitus propterea quod Theodote illius admonitionibus inducitur, ut eum magis contemnat, Anastasiam quidem statim vinctam tradit tribunali judiciario.

E

qui illam mittit ad proconsulem Bithyniæ

6 Quin etiam Theodoten vinctam transmittit ad proconsulem Bithyniæ *d*, de ea eum per litteras, quam citissime fieri potuit, reddens certiorem. Cum autem in Bithyniam pervenisset Theodote, producta est ad tribunal proconsulis. Age, inquit ille, O Theodote, jussis parens imperatoriis, velis diis offerre sacrificium. Sic enim simul et [cum] filiis vives, et particeps eris multorum bonorum. Nam etsi non tua, at filiorum quidem certe tuorum causa, æquum fuerit, ut id eligas, quod est futurum tibi utile.

ANNOTATA.

a *Huc spectant, quæ habet Commentarius prævius a num.* 22.

b *Huc item pertinent ibidem dicta num.* 15, *ubi Nicænam a Cæsariensi in Mauritania discrevimus.*

c *An S. Anastasia familiaris* S. Theodotæ *fuerit, etc., obiter etiam attingit Commentarius prævius num.* 25.

d *Locus hic expenditur ibidem num.* 11.

F

CAPUT II.

Filii primogeniti constantia virgis probata ; oppugnata sanctæ Martyris pudicitia, at divinitus defensa; martyrium, apparitiones.

Evodius, Sanctæ primogenitus

Dum autem hæc Martyri diceret proconsul, respondens illius filiorum *a* primogenitus, cui nomen erat Euodius : At nos, inquit, o præses, hominum supplicia nequaquam pertimescimus, quæ corpori quidem incorruptionem, animæ autem potius immortalitatem solent conciliare ; sed iis parum abest, quin dicam, æque ac convivio delectamur. Deum vero potius timemus, qui potest animam et corpus punire in gehenna. Proconsul autem oculis in puerum conjectis:

Cum

A Cum videam te, inquit, ætate admodum imperfectum, miror quomodo, et a quo hæc sic didicisti, quæ vix multi et longo tempore et labore sunt consecuti.

illum generose affatur: 8 Quibus puer opportune respondit: Servator noster et Dominus Jesus Christus, ipse est qui dixit: Quando ducemini ad reges et præsides, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nunc ergo sunt hæc non mea, neque humanæ sapientiæ verba; sed omnino quidem est mea lingua, aperte autem Dei sunt verba. Judex vero veluti de Matre spem abjiciens, et de primo ejus filio, se transfert ad alios tentandos, eos videns ætate esse imperfectiores, putans fore, ut eos ad suam traduceret sententiam.

sed tyrannus in Matre ac filiis operam se perdere videns, filium cædi virgis jubet; 9 Postquam autem visi sunt rami nihil differre a generosa radice; sed ostenderunt pueri, se illius quidem filios, hujus vero esse fratres; se rursus transfert ad Matrem, et filium ejus primogenitum: Convertimini, dicens, ad vestra viscera. Parcite teneris infantibus immaturis. Nolite videre eos ante oculos vestros male pereuntes.
B Cum multa ejusmodi dixisset, et vidisset verba temere fundi in aërem, jubet filium ante oculos Matris crudeliter cædi virgis.

quem hortatur ad constantiam Mater 10 Quod videns generosa Mater, non modo nihil indecorum aut gessit, aut est locuta; sed etiam veluti gaudens plagis charissimi filii, adstitit alacris, annuens oculis, gestu incitans, verbis adhortans: Ne succumbas, dicens, O fili; sta fortiter, nate. Has propter Christum plagas, honores et coronæ excipient.

Oppugnatur ejus pudicitia, sed irrito conatu; 11 His proconsul vel animo maxime incensus, maligni dæmonis suggestione improbum capit consilium. Viro enim petulanti, et ad amores incontinenti tradit hanc Mulierem imprimis venerandam. Sed non erat insolentis hominis futurum diuturnum gaudium. Nam postquam eam vel solum attigit Hyrtacus (ita enim vocabatur) totus vultus protinus est mutatus, et nec concessum quidem est intueri Martyrem sine timore.

juvenis enim cœlestis violatorem cohibet ac punit, novas intentantem minas; 12 Ita magna voce clamavit ad proconsulem, dicens, se, cum primum manum injecit in Theodoten, vidisse quemdam juvenem, vultu formosum et habitu decorum, simul adesse cum Theodote, qui, ei incusso colapho, et nares contrivit,
C et, ut per eas sanguis manaret, effecit *b*. Sed *b*
non videbat cæcus, et stultus proconsul minime intelligebat; et neque, si nihil aliud, miraculi reveritus fuit evidentiam, neque destitit adversus eam contendere. Sed cum eam rursus sisti curasset, minatus est, se ei esse illaturum, quæ videbantur omnium gravissima: Nisi deos, dicens, immortales colueris, interfecti cadent ante tuos oculos filii.

sed Theodote his neutiquam movetur, et læta cum filiis ignis fornacem intrans, moritur. 13 Illa autem: Vel hoc, inquit, olim maxime sitio. Sic enim, cum meos filios vivens ad Christum præmisero, et tamquam in tuto portu constituero, deinde ego sequar e vestigio, adeo ut apte possim canere: Ecce ego et filii, quos mihi dedisti, Deus. His magis conturbatus proconsul, jussit eam igni tradi simul cum filiis. Postquam autem fornax fuit accensa, citius quam jussum fuerat, illi tamquam fontem aquæ cum gaudio fornacem subiere: et Deum quidem benedicebat Mater; collætabantur autem filii, et sic ambo * læti et alacres animas suas in manibus Dei deposuerunt. Et illos quidem sic accepit beatus finis.

* omnes

c 14 [Anastasiæ] vero videbatur *c* etiam singulis noctibus socia certaminis Theodote, et cor ejus replens lætitia, viresque et animum addens ad certamina. Quam etiam sæpe ventitantem, nullum sivit bonum non examinatum, Anastasia, hoc quoque interrogavit, quonam modo ad eam veniret post mortem. Illa autem dixit, hoc quoque datum esse a Domino animabus Martyrum, ut, postquam hinc excesserint, veniant, ad quos velint, et cum eis sermones conferant, et eos consolentur *d*. *d*

EX EDITIS APUD SURIUM. Apparet S. Anastasiæ c

ANNOTATA.

a *De Sanctæ filiis nonnulla continet Commentarius num. 27.*

b *Hæc forte criticis mira; at non ideo falsa.*

c *Visiones hæ si novis Actorum Aristarchis suspectæ videantur; quamdiu hæc clare non corruunt in hac parte; illis nos censuram inurere nolumus.*

d *Acta hæc toto cœlo diversa sunt, ex Commentario prævio, a Combefisianis.*

E

ACTA ALIA

Auctore anonymo, a Combefisio edita inter Illustrium Christi Martyrum lectos trumphos, a pag. 247.

Sancta cum Filiis sistitur Bithyniæ præfecto; desiderium martyrii, quo post cruciatus omnes simul in igne coronantur.

Nicææ civium crudelitatem Sancta cum suis fortitudine superat. Quantum Nicææ cives in sanctissimam Theodoten sceleris immanitatem exhibuerunt, tantam castissima Femina cum Liberis in Deum fidem exhibuit [ac pietatem] *a*. Eo illi provecti, *a*
ut [eam] neci dare *b* cum tota familia non pigeret. *b*
Eo hæc provecta, ut cum liberis consummari lubens sustineret. Ejus enim passionem Nicææ magistratus eum in modum dramatice composuerunt *c*. F *c*

Sistitur Bithyniæ præfecto cum filiis, 2 Nuntio quis detulit, esse in urbe quamdam Feminam, quæ legibus constituta essent, contemnentem; quæ nempe certa quadam et justa ex causa adesset ac Deo charissima esset. Accusabant, quod eadem hæc liberos doceret. Hac per urbem pervulgata fama, atque his præsidi nuntiatis; haud quiescit Bithyniæ præfectus; sed ab omni alienis humanitate assumptis consiliis, menteque tyrannica agitans, ac impio præceps errore, sacratissimam Feminam accersit. Venit illa cum liberis. Neque enim illa fidei [ob] caussam cavendum putabat, ne quid Filii paterentur; neque Filii propter martyrium detrectandam passionem, [ullosve cruciatus *d*] arbitrabantur. *d*

qui invicem se ad martyrium hortantur. 3 Verum erat utrisque confessio expeditissima. Eratque videre rem his, qui non viderunt, incredibilem; credentibus tamen, ac fidelibus valde etiam credibilem. Mater Filios ad acerbum hoc certamen hortabatur; Filii, Matrem vetabant

EX EDITIS APUD COMBEFISIUM.

bant tormenta defugeret; ærumnisque fracta fatisceret, ac tormentorum caussa animum desponderet; sed eadem pariter cunctorum alacritas esset, eadem in Dominum cognitio [ac fides *e*.]

Interrogatur Mater; ac filius ejus natu major intrepide tyranno respondet,

4 Cum vero capta una cum Liberis ad tribunal traheretur: Tu, inquit judex, nova hæc documenta liberos docuisti? Non nova sunt, inquit Mulier, sed olim jam sancita. Quid igitur, ait præses, patres tui doctrinam hanc sciverunt? Ad quem Filiorum natu maximus: Sic qui præiverunt patres nostri errore seducti sunt, atque a recta justaque via deflexerunt. Nam Deus quidem nulla invidia suam eos doctrinam celavit; sed propriæ mentis imbecillitate, ultro errori concesserunt: sin autem hanc nos doctrinam cognoscimus, sin patribus nostris, qui deliquerunt, meliores inventi sumus, quid invidia torqueris tu, Bithyniæ tyranne?

mortem contemnens.

5 Si neci tradere animo constitutum est, tyrannicis obsequenti legibus, statim sententiam dicito, ac expedisti. Nos enim eodem ac Mater calle incedemus. Atqui sacrificabit, inquit, Mater vestra, vel si noluerit. Ait adolescens: Supra hominem sapis; supra tyrannum consiliis tumescis, qui dicas fore, ut Mater in animam suam delinquat, te illi suasurum sperans. His auditis, ad pœnam armabatur; ad omnem præses spectabat sævitiam; tum nimirum præsidens adacturum se Matrem ad consensum, tum Filiorum supercilium (superbiam vocans) superare volens.

Tormentis nequidquam cruciatur Sancta,

6 Cruciari itaque Feminam jubens, quæ muliebrem dedeceant sexum, plagas inferant *f*, carnificibus imperat. Has illi tota virium contentione sacratissimæ Mulieri inferebant. Pertulit muliebre corpus tyranni minas. Carnificum opera animosæ renitentis animi constantiæ corollarium quoddam exstiterunt. Sic tyrannus in Martyrem sæviebat, timorem se ejus Liberis incussurum sperans. At illi, sustineret rogabant; hortabantur *g*, patienter ferret injuriam. Stupore attonito præside, ac cum amplius nihil proficeret: Videte, inquit, quanta passa est Mater vestra; vos quoque ejus firmitatis date experimenta.

et filii ejus;

7 Hæc dicens, jubet in catasta ac equuleo levari. Tunc iis Mater animos addebat, hæc ipsa loquens, quæ ex iis audierat. Cum res magno miraculo esset, nec aliquid ex voto successisset, sed fides persisteret, nec Dei cognitio quidquam emota esset: Quem magis amas, o Mulier, inquit præses, ut eum primum interimam? Hic unanimiter Adolescentes contendere, ac clamare: Me, aiebant singuli; ego enim obsequio parentem demerui, ac studui placere *h*.

quibus dum ipsa in martyrio superesse recusat,

8 At illa: Cui, inquit, hoc donem, tyranne, ignoro: carnis quidem origine Mater sum; at soror doctrina ac fide. Quamobrem si mihi morem geris, ac consulentem sustines, eidem nos sepulcro addicito. Jaceat Mater cum filiis. Palam confessi sumus; tu filios cum Matre Christi testimonio defunctos interime. Tu mihi gladium adige *i*; at mihi Dominus coronam retribuet.

simul cum illis igne interimitur.

9 Accendes ignem hunc tuum, consumesque ad modicum, ac breve tempus horæque unius momentum; illumque ipsi evademus ignem, quem refugimus. Non comburemur per omne tempus, qui hujusce temporis ignem sustinuerimus. His dictis, ac præclare dixisse comprobantibus Liberis, cum iis gaudens ad mortem ibat, ut igni traderetur, ita jubente Bithyniæ tyranno. Deo autem ac Patri gloria, cum Unigenito, simulque sanctissimo ac vivifico ejus Spiritu, nunc et in secula.

ANNOTATA.

a *Uncis inclusa, non sunt in textu Græco, sed ab interprete adjecta.*

b *In Græco est* τιμωρήσασθαι, *id est*, punire, cruciare.

c *Locum hunc castigavimus in Commentario prævio, a num.* 28.

d *Ista rursum ab interprete sunt superaddita; nam in Græco tantum est* παθεῖν, pati.

e *Hæc denuo non habentur in Græco.*

f *Additur in textu Græco* μετ' ὠμότητος, cum crudelitate, *seu* crudeliter.

g *Omisit interpres* τὴν μητέρα, matrem, *quod legitur in Græco.*

h *Textus Græcus tantum legit*: Ἐγὼ γὰρ ἤρεσκον τῇ μητρί; *id est*: Ego enim Matri placui.

i *In Græco est* ἐπάξεις, adiges.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FELICE ET NICETIO

VERONÆ IN ITALIA.

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

II AUGUSTI.

Non satis patet,

Est *hæc in codice Hieronymiano, unde textum suum eduxit Florentinius, hodierna annuntiatio penultima, his terminis concepta*: Et in Italia, civitate Verona S. Felicis et S. Niceti. *In vetustissimo Epternacensi paulo aliter legitur*: Et in Verona Felicis. Et alibi Nicetæ, *qui loquendi modus monumentis Veronensibus videtur conformior, ut ex dicendis infra patebit. Utrumque rursus conjungit Corbeiensis codex, sed sub diversissima positione, hoc modo*: Et in Italia, civitate

AUCTORE J. B. S.

A tate Romana, natalis SS. Felicis et S. Niceti : *ut fidem hic suam desiderari passus sit Florentinius sic annotans* : S. Felicem et Nicetium in urbe Italiæ Verona, unanimes exhibent libri omnes Mss. jam adducti, *dum interim* civitas Romana *in codice Corbeiensi signatur; oscitantia, opinor, imperiti librarii, quandoquidem in aliis omnibus etiam minoribus codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi disertissime exprimatur* Verona, *sic tamen ut ex his alia suboriatur difficultas, seu potius confirmetur jam dicta Epternacensis annuntiatio, dum solus* Felix *Veronæ tribuitur* : Et in Verona, Felicis, *excluso plane* Nicetio. *Contra vero in Augustano et Labbeano legitur* : Felicis martyris, Niceti, *exclusa ibi omni positione.*

utrum uterque Veronæ adscribendus sit.

2 *Eam porro servandam, æque ac binos Martyres, suadent Martyrologi alii, atque imprimis Notkerus, legens cum textu* : In civitate Verona, natalis SS. Felicis et Nicetii. *Pro eodem pugnant Florarium SS. Ms., editio Lubeco-Col. et Grevenus legentes etiam* : In Italia, civitate Verona, beatorum Felicis et Niceti martyrum, *quibus adjungi potest Maurolycus* : Veronæ, SS. Felicis et Nicetæ martyrum. *Neque hic assentiri ausim Florentinio, dum sanctum hunc* Felicem *confundere velle videtur cum synonymo, de quo egimus* XIX *Julii, non martyre, sed episcopo confessore, de quo ibi diximus quidquid Ferrarius et monumenta Veronensia suggerere potuerunt. Dices, hos duos sanctos Martyres Veronæ ignotos esse : non omnino diffiteor, verum tales occurrunt plurimi in Hieronymianis codicibus, qui variis locis ignorabantur, priusquam isti editi sint. Ceterum ex aliis etiam patet, SS. Martyres illos Veronensibus adscribendos esse, saltem* S. Felicem *martyrem, cujus reliquiæ, in copioso ipsorum vulgato indice asservari dicuntur in tribus diversis ecclesiis, nempe* : S. Bernardini, S. Georgii *et* S. Zenonis majoris. *De* S. Nicetio *non æque clara militant argumenta; ut fortasse ex Epternacensi et aliis supra citatis codicibus, alio reducendus sit.*

B E

DE SS. VII MARTYRIBUS ANONYMIS

NICOMEDIENSIBUS.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

II AUGUSTI

In Nicomedia, natalis Martyrum numero VII, *scribit textus Florentinii; et in eamdem ferme sententiam codex Corbeiensis* : Nicomediæ, natalis Martyrum, numero septem, cum sociis eorum. *Recte ibidem notat idem Florentinius*, Nicomedienses *istos* anonymos septem codicibus Mss. omnino deberi. Hoc est, *inquit*, libris nostris, Corbeiensi, Reginæ Sueciæ, et vetustissimo Antverpiensi (*puta* Epternacensi) in quo non VII sed VIII martyres indicantur, nisi error librarii dicendus sit, ex omnium aliorum consonantia. *Sic plane dicendum existimo, cum etiam in codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi non nisi septem referantur, mutata, per alium errorem, in hoc ultimo, positione* Nicomediæ *in* Antiochiæ : *quæ qualiscumque fuerit, id saltem certum est, de iis sanctis Martyribus, nihil alibi a nobis hactenus repertum.*

C F

DE S. AUSPICIO EPISCOPO

APTÆ JULIÆ, IN PROVINCIA GALLIÆ.

J. B. S.

II AUGUSTI.

De hoc Sancto obscura pleraque

Apta Julia (*vulgo* Apt) *episcopalis sub Aquensi metropoli civitas, ita olim a nobis descripta est* XIV *Maii, tom.* III, *pag.* 185, *ut hic nihil de ea dicendum supersit. Ejus autem primum antistitem et apostolum prædicant* S. Auspicium, *de quo optanda omnino monumenta, quæ Aptensibus traditionibus nimis quam opportune suffragarentur. Nam quæ de Sancto huic synonymo Auspicio Trevirensi episcopo disputavimus ad* VIII *Julii, huc ferme referri possent, eo potissimum titulo, quod ibi dubia fassi simus prope omnia, neque magis certa experiamur quæ hoc die de* S. Auspicio Aptensi *circumferuntur; adeo ut nec de ætate ejus, nec de gestis, nec de mortis genere certi quidquam statuere possis; imo ferme dubites, utrum vere primus Aptensis episcopus fuerit. Memoria vero in sacris Fastis tam parum celebris, ut Ferrarius de ipso primus hoc die meminerit, solitos suos fontes adducens, tabulas nempe Aptenses et diœcesanum Breviarium, ex quo, ni fallor, sua hausere Sammarthani in Gallia Christiana, dum de* S. Auspicio *ita scribunt, ut Auspicios duos in unum confudisse videantur. Si enim vere episcopus Aptensis fuerit is qui in Actis SS. Nerei et Achillei memoratur, diu*

suda-

AUCTORE J. B. S.

sudabunt Aptenses, ut veterum suorum episcoporum seriem continuatam exhibeant, ut in hac parte magis placeat Castellani sententia, qui S. Auspicium *Aptensem, ad seculi quarti finem rejiciendum existimat, ex quo tempore ordinate succedunt episcopi reliqui Aptenses.*

tum quæ ad genus,

2 *Audiamus hic primum quæ a laudatis Sammarthanis traduntur :* S. Auspicius primus Aptensis episcopus, ordinis senatorii inter Romanos cives, et Flaviæ Domitillæ, Domitiani imperatoris neptis educator dicitur : sanctorum Nerei et Achillei in fide discipulus fuit, ex Breviario Romano XII Maii, quorum sepultis corporibus, Aptæ Juliæ Christi Evangelium prædicasse fertur; qui demum martyrio fidem, quam promulgaverat, obsignavit, ut habet Breviarium Aptense. *Vides, opinor, omnia hic ita connexa esse, ut Auspicius ille in Romano Breviario et in Actis memoratus, sanctorum Nerei et Achillei* discipulus, *sanctæ Flaviæ Domitillæ autem* educator, *ipsissimus fuerit primus ille Aptensis episcopus; quæ verisimile prorsus non est, ab Adone reticere potuisse, dum in Martyrologio suo ad dictam* XII *Maii hanc* B *expressissimam clausulam addidit, ab Usuardo prætermissam :* Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ virginis Domitillæ, quæ etiam naviculæ imposita adduxit, et in prædio Domitillæ, in crypta Arenaria sepelivit, via Ardeatina, a muro Urbis milliario uno et semis. *Poteratne offerri locus opportunior, ut istius Auspicii apostolatus Aptensis vel remote saltem insinuaretur?*

tum quæ ad ætatem et sedem spectant;

3 *Si Adonis ævo, inquam, Aptæ recepta fuisset ea, quæ in Aptensibus Officiis hodie recitatur, historia, non est ullo pacto verisimile quod eam ignorasset sanctus Viennensis, in proxima regione Episcopus, qui interim de ea nec cogitasse videtur, ut proinde combinatio illa Adone, seu seculo* IX, *multo posterior censenda sit; unde de pretio facile statuas. Adde quod in nullis classicis Martyrologiis, ne quidem in Usuardi Auctariis, notus usquam sit* Auspicius Aptensis, *primum signatus in Ferrarii Catalogo generali, ut jam abunde diximus. Quam vero antiquitatem sapiat Aptense Breviarium, difficile erit ostendere : nobis nota non est editio anno* 1532 *vetustior. Quid de Aptensibus traditionibus statuendum putaverit Saussayus, ex ejus elogio satis intel-* C *liges, in quo id etiam displicet, quod nulla momenti alicujus auctoritate prævia, Marci Aurelii tempora rotunde appellet, quæ cum Aptensi traditione non magis conciliari posse videntur, quam Sanctus ipse conjungi cum jam dictis sanctis martyribus Nereo, Achilleo et Flavia Domitilla. Martyrem quoque* D *prædicat Saussayus; quod ei ultro concessero, siquidem supponere tuto liceat, persecutionum tempore ipsum vixisse; in quo haud dubie præferenda videbitur laudata jam Castellani sententia.*

quorum solutio nec a Saussayo

4 *En modo Saussayi verba ex ejus Supplemento pro hac die pag.* 1154 : Aptæ Juliæ in Provincia Phocensi, sancti Auspicii primi illius sedis episcopi et martyris. Qui, furente Marco Aurelio imperatore adversus Christianæ religionis cultores, at potissimum contra pastores; intrepide tamen fidei mysterium provexit, illicque (cum circumquaque aperta esset tam cruenta carnificina) caulam Dominicam collegit, speculam fixit, pastoris strenui pervigilisque munia subiit omnia et explevit. Nec cessavit ab animarum lucris, quousque a lupis truculentis circumseptus, in odium tam fidelis et strenuæ gregis Christi custodiæ, ab illis dilaceratus, feliciter exspiravit, purpuratoque triumpho, quem ex agone hoc extremo revexit, aulam superni regis ingressus, perennis gloriæ percepit emeritam coronam. *Hæc omnia quam parum cohæreant cum supra citatis Aptensium Breviariorum lectionibus, continuo perspicies, si cum hac oratione ipsas vel levi oculo con-* E *tuleris.*

nec ab aliis facile repetenda.

5 *Audis hic encomium quod primorum Ecclesiæ seculorum episcopis ferme omnibus percommode aptari possit; ut laudati supra Sammarthani Aptensium traditionibus magis favisse intelligantur : non sic tamen ut ipsorum vestigia premere ausus fuerit is, qui recentiorem Galliæ Christianæ editionem operose curavit Clar. Dionysius Sammarthanus, rem ad eum modum contrahens, ut quidquid spinosum est, aliis inquirendum discutiendumque relinquat; quod certe et nobis plane obvium erat; utpote de cultu magis solicitis, quam de ætate aut gestis componendis, quæ incerta pleraque et implexa occurrunt, etiam in ipsis Aptensibus Officiis, dum antiquioris Breviarii anni* 1532 *lectiones multum differunt ab iis, quas exhibet Proprium Aptense anni* 1664, *scriptoribus utrobique plusculum luxuriantibus. Vidit, opinor, eas Lectiones noster Longuevallius, in nova sua Ecclesiæ Gallicanæ historia tom.* I, *pag.* 82 *de* S. Auspicio *Aptensi sic nobiscum loquens, ut non diffiteatur, primum dici posse Aptensem episcopum; subjungat tamen, satis solide probari hactenus non potuisse, eumdem ipsum esse, qui in Actis SS. Nerei, Achillei et Flaviæ Domitillæ commemora-* F *tur; quæ et nos ultro fatemur. Alia porro quæ ad* S. Auspicium, *ratione corporis S. Annæ, matris Deiparæ spectant, discussa habes in Commentario de ipsa S. Anna ad diem prægressi mensis Julii* XXVI, § 9, *a pag.* 252.

AUCTORE P. B.

DE S. SERENO EPISCOPO MASSILIENSI

BLANDERATI IN ITALIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Sancti gesta quædam explicata, et cultus apud Blanderatenses assertus.

Sub initia seculi VII.

Serenus episcopus Massiliensis,

Cum de S. Sereno, episcopo Massiliensi, in suppellectile nostra manuscripta nihil quidquam haberemus, commode cecidit, ut ad res ejus, quoad fieri posset, illustrandas, ultro nobis operam suam offerret vir cum rebus aliis ornatissimus, tum hoc officii genere dudum de studiis nostris optime meritus P. Petrus Gallaratus, Societatis Jesu Mediolani presbyter. Rescripsimus ergo continuo, in tanta nostra penuria, si quid adjumenti præstaret; id vero tanto nobis futurum gratius, quanto esset magis necessarium. His ipse litteris illustrissimum Blanderati (ubi Sanctus, ut infra dicemus, requiescit et colitur) Comitem, D. Donatum de Sylva, quem amicitia, eruditione ac pietate plurimum commendat, agressus, facile obtinuit, quidquid in hoc negotio sperari poterat solicitudinis, laboris, auctoritatis et industriæ. Perspicuum id fecit R. A. D. Joannes Carolus Badonus ecclesiæ Blanderatensis canonicus, vir enimvero dignissimus, qui in istiusmodi disquisitionis partem invitatus a Comite, venerit : in elegante etenim et operosa lucubratione Latina, Patri Gallarato perofficiose inscripta Kalendis Augusti anni 1731, atque ab eo mox Antverpiam destinata, testatur, non solum domi, hoc est Blanderati, excussos fuisse angulos omnes, si quid uspiam fortasse veteris instrumenti lateret; verum etiam diu solicite privata et publica finitimarum urbium, ac præcipue Vercellensis ecclesiæ (cui Blanderatum subjicitur) archiva fuisse lustrata. Cum vero hic operæ pretium frequentes præteritorum bellorum calamitates maximam partem elusissent; ne quid intentatum reliquisse videri posset eorum solertia, ad vulgata demum etiam typis opera conversi, ita laborem, qui noster esse debuisset, facere suum; ut spem propemodum ademerint inveniendi de S. Sereno aliquid, quod jam inventum ipsi non dedissent. Atque hoc quidem monitum candide lectorem voluimus, ut noverit, quibus hoc quidquid est commentarii acceptum præcipue referri debeat.

qui sub Gregorio Magno floruit,

2 Initium ducit Tractatus Badonianus ab iis, quæ de Sereno, episcopo Massiliensi, in epistolis ad eum datis scripsit olim S. Gregorius Magnus; nimirum, ut ex eorum collatione cum subnectendis Blanderatensium traditionibus ac monumentis elucescat, ipsissimum illum esse Serenum, cujus apud eos ab immemorabili tempore veneratio solennis cultusque viguerit. Sunt autem epistolæ illæ in Registro Gregoriano quatuor tantummodo: libri videlicet quinti (sequor editionem Duacenam anni 1615) quinquagesima secunda, data mense Julio Indictionis XIV; libri septimi centesima undecima, data mense Julio vel Augusto Indict. II; libri noni nona, et quinquagesima secunda, datæ Indictione IV. Ex prima id solum de S. Sereno discimus, episcopum jam tum fuisse Massiliensem, cum illi summus Pontifex proficiscentem cum suis ad Anglos S. Augustinum, itemque Candidum presbyterum, anno Christi 596 commendaret : nam initium episcopatus ejus obscurum est, sub Pontificatu tamen S. Gregorii defigendum; ut qui mense Junio, Indict. IX, id est, anno Christi 591, superstiti Sereni decessori Theodoro, episcopo, Massiliæ Galliarum, scripserit epistolam libri primi quadragesimam quintam. Guesnayus in Annalibus Massiliensibus illud affigit anno 594; securius Gallia Christiana recentissima, anno CIRCITER DXCIV. Prostrema ex dictis epistola, qua idem sanctissimus Pontifex Mennæ Tolosano, Sereno Massiliæ, aliisque episcopis monachos aliquot, cum Laurentio presbytero atque Mellito abbate in Angliam ad ferendas S. Augustino suppetias a se missos, commendat, vix aliud quidquam hic lucis affert, quam quod jam Gregorii monitis, ut infra notabitur, obsecutus, ad annum usque 601 Serenus Massiliæ sederit. Quanto autem posterius superfuerit (quidquid absque teste Guesnayus annos ei plures attribuat) ignoratur : ut colliges ex eadem Gallia Christiana tom. I, ubi de ecclesia Massiliensi. Nobis non videtur annum Christi 604 attigisse; id quod ex antiqui carminis auctoritate observabimus infra num. 23.

et iteratis ab eo litteris

3 Aliæ duæ epistolæ ad solum Serenum directæ, res quasdam ejus admodum singulares produnt: ac prior quidem data, uti diximus, mense Julio Indict. II, sive anni 599, sic habet : Gregorius Sereno, episcopo Massiliensi. Quod fraternitati vestræ tam sero scripta transmittimus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem vero præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum, monasterii nostri patrem vobis in omnibus commendamus; ut nulla hunc in Massiliensi civitate mora detineat; sed ad fratrem et coepiscopum nostrum Siagrium cum sanctitatis vestræ solatio proficiscatur. Præterea indico, dudum ad nos pervenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem ecclesiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse, laudamus; sed frangere easdem imagines non debuisse, judicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit : quatenus et litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, et populus in picturæ adoratione minime peccaret. Serenum, qui, quod fecerat, laude potius, quam justa castigatione dignum putabat, usque adeo pupugit hæc epistola, ut addubitare cœperit, essetne a Gregorio dictata, an ab ipso conficta Cyriaco. Qua de re litteras subinde ad eumdem Pontificem dedit, non sine animi commotione conceptas. Ad quas Gregorius epistolam illam reposuit, quæ cum inter datas Indictione IV, a Kalendis Septem-

bribus

AUCTORE P. B.

bribus anni 600 inita, tantummodo nona numeretur, facile videri potest ante anni ejusdem exitum scripta. En capita ejus præcipua.

ob fractas in ecclesia Sanctorum imagines,

4 Gregorius Sereno, episcopo Massiliensi. Litterarum tuarum primordia ita sacerdotalem in te esse benevolentiam demonstrabant, ut major nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantum earum finis a suis dissensit initiis; ut non unius, sed diversarum esse mentium talis crederetur epistola. Ex illo autem, quod de scriptis nostris, quæ ad te misimus, dubitasti, quam sis incautus, apparuit : nam si diligenter ea, quæ fraterno amore monuimus, attendisses, non solum minime dubitasses, quinimo quid te sacerdotali gravitate oporteret agere, cognovisses. Neque enim Cyriacus quondam abbas, qui scriptorum nostrorum portitor extitit, istius disciplinæ vel eruditionis fuit, ut vel ipse aliud facere, sicut putas, auderet, vel istam de ejus tibi persona suspicionem falsitatis assumeres. Sed dum monita salubria pensare postponis, contingit, ut jam non solum actu, verum etiam esses interrogatione culpabilis. Perlatum siquidem ad nos fuerat, B quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quod eas adorari vetuisses, omnino laudavimus; fregisse vero, reprehendimus. Dic, frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud; vel illud te non debuit revocare, ne, despectis aliis fratribus, solum te sanctum et esse crederes sapientem?....

causasque alias

5 Hæc autem dum in hoc animi tui incaute nimis motu exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis; ut maxima eorum pars a tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ovile Dominicum errantes oves adduces, qui quas habes, retinere non prævales? Proinde hortamur, ut vel nunc studeas esse solicitus, atque ab hac te præsumptione compescas; ut eorum animos, quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni adnisu, omnique studio revocare festines...... Cuncta vero hæc ex amore sanctæ Ecclesiæ, tuæ fraternitati loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur a zelo rectitudinis; sed magis adjuvetur in studio piæ dispensationis. Præterea pervenit ad nos, quod C dilectio tua libenter malos homines in societate sua recipiat; adeo ut presbyterum quemdam, qui postquam lapsus est, et in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus... Sed ne forte aliquis tibi subreptione vel dissimulatione, ut a te reciperetur atque adhuc haberetur, suaserit; non solum hunc longius a te expellere, verum etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus convenit resecare. Alios vero, qui pravi esse memorantur, paterna adhortatione a sua pravitate compesce et ad viam stude rectitudinis revocare...... Hæc igitur, dilectissime frater, aure cordis diligenter attende, et ita agere stude, ut et pravos salubriter corrigas, et scandalum de malorum societate, filiorum tuorum animis non inducas.

fuit incusatus;

6 *Quam insulse ambabus hisce litteris abutantur hæretici, iconoclastarum patroni simul et nepotes, ut receptam apud Catholicos inde ab Ecclesiæ incunabulis imaginum sacrarum venerationem impugnent, nihil huc attinet dicere : fecit id luculente ex instituto, Controversiarum tom. 2, Eminentissimus Bellarminus, aliique ante et post illum plures. De* Sereno *hic quæritur episcopo Massiliensi, possitne* D *inter Cœlites secure numerari, quem talis tantusque Pontifex et Ecclesiæ Doctor arguerit: primo, quod Sanctorum imagines in ecclesia confregerit; secundo, quod epistolam super ea re Pontificiam, paternisque omnino monitis ac dulcedine conditam, præ nimia obfirmatæ mentis conturbatione, nec satis, ut poterat ac debebat, agnoverit, nec sit reveritus, sed suspectam temere reputaverit, imo a Cyriaco, viro integerrimo religiosissimoque, suppositam ; tertio, quod maximum ecclesiæ suæ schisma susque deque habuisse visus sit, atque adeo illud, ut errando suscitaverat, sic, propositum eludendo remedium, siverit invalescere ; quarto, quod pravos homines in societatem suam receperit, atque inter eos presbyterum lapsum et in suæ adhuc iniquitatis pollutione versantem; quinto denique, quod summo Ecclesiæ Pastori ausus etiam post hæc fuerit stomachose rescribere. Hæc sane capita ejusmodi sunt, ut minime mirari quis debeat, si nulla de* Sereni *hujus sanctitate scriptoribus illis incidit cogitatio, qui ex solo eum Gregorio noverant, ut Galli omnes ante editum a Saussayo Martyrologium Gallicanum; aut si posteriores alii, ut Castellanus in Martyrologio universali ad hunc diem, et Longuevallius noster in* E *Historia nuperrima ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3, *lib.* 8, *pag.* 340, *unius Saussayi auctoritate, parum sæpe solida non admodum hic confidenter acquieverint. Non hæsitassent, opinor, si quæ mox afferemus, videre atque expendere contigisset.*

quod zelo indiscreto peccaverat,

7 *Neque enim S. Gregorius in accusationibus modo propositis ullam* Sereni *carpit malitiam; sed* zelum inconsideratum, *præcipitem, incautum, quo bene agere volens, modum excesserit; quod et ei cum viris maximis sanctissimisque compluribus commune est, et culpam, quantumvis alioqui per se gravem, mirum quantum imminuit. Videtur autem idem iste zelus ad singula superioris accusationis membra pertinere. Nam quod ad imagines quidem spectat; si semel id sibi serio, licet incaute suaserat, in populo, ab ethnica superstitione nec satis purgato et alieno, nec facile aliter expurgando præstare, ut Sanctorum imagines omnino non sint, quam ut idolorum instar sinantur adorari (de tali enim adoratione hic agitur, ut post alios innumeros recte et breviter ostendit Ludovicus du Mesnil in Doctrina et Disciplina ecclesiæ tom.* 3, *lib.* 30, *num.* 35) *si semel hoc, inquam, tamquam evidenti apud se ratione decreverat ;* F *quidni eadem sibi ratione persuaserit, non aliam esse posse episcopi cujusvis cordati, atque adeo sapientissimi sanctissimique etiam Pontificis sententiam; ac proinde suspectam habere cœperit epistolam et latorem, tam aperte, ut credebat ipse, veritati adversantes? Imprudenter, inquis. Esto; sed ex animo tamen. Quidni suorum quoque defectionem, eodem semper principio ductus, permittendam tantisper, censuerit potius, quam illud omittendum, quod ad eorum superstitionem semel eliminandam ita necessarium judicaverat, ut omitti absque piaculo suo gravi non posset? De epistola ad S. Gregorium data; ea si quo felle respersa fuit, eatenus, mea quidem sententia, Pontificem non tangebat (quippe in principio litterarum benevolentissime compellatum ;) sed Cyriacum, quem ibi sine dubio suppositæ epistolæ reum agebat, vel certe in tanti criminis suspicionem vocabat eodem illo, qui hanc ei primam suspicionem dictaverat, zelo concitatus. Quod pravis hominibus familiariter usus dicatur, forte calumnia est ; addit enim Gregorius :* Quod nos ex toto non credimus; *forte pravos esse, ignoravit* Serenus, *imo bonos credidit, ut innuunt hæc verba Gregorii :* Sed ne forte aliquis tibi subreptione vel dissimulatione, *etc.* ; *forte etiam re vera tales esse sciens,*

ideo

A *ideo sibi propius voluit admovere, ut ab occasione criminis remotos usu suo familiaritateque ad frugem converteret.*

tam prompte emendavit;

8 *Ut ut est; secundis, nec jam dubiis, Gregorii monitis tam prompte integreque satisfecisse videtur, ut quidquid ante peccaverat, censeri debeat penitus eluisse. Colligimus id non solum ex monumentis Blanderatensibus, de quibus infra; sed ex ipso etiam S. Gregorio; ut qui de hoc negotio nullum deinde verbum fecerit, ne tum quidem, cum aliquanto post, sed eadem tamen Indictione* IV, *sive anno Christi* 601, *ad eumdem, ut supra vidimus,* Serenum *scriberet. Enimvero non is erat summus ille Pastor pastorum, qui solicitudinem omnium ecclesiarum deponere, qui dissidentem uspiam et rejectum a grege pastorem ferre, qui talem denique, qualem ante depinxerat, Massiliensis ecclesiæ statum dissimulare umquam tacitus, aut spectare otiosus posset. Jam tum ergo intellexerat, non eo loco res esse, ut medicinam ulteriorem, aut curam a se prorsus ullam exigerent. Valeret, ais, ista collectio, si epistola illa postrema Gregorii ad solum proprie* Serenum *spectasset; verum cum fuerit una ex* aparibus*, *hoc est iis, quarum plura ejusdem formæ ac textus confici solebant exemplaria, singula singulis, quibus res eadem commendabatur, communicanda; non erat in ea locus aliud quidquam attingendi, quam quod ad omnes, ad quos erat mittenda, communiter pertinebat. Quasi vero Pontifex maximus, nisi iteratis ac severis mandatis cessisse tandem utcumque didicisset* Serenum, *talibus illum litteris dignaturus fuisset. Quid? Non poterat communibus epistolis in exemplo ad* Serenum *destinando proprii quidquam, si res postulabat, adjungi? Non poterat Gregorius primus, æque ac Gregorius septimus (apud Labbeum Conciliorum tom.* 10, *col.* 8) *scribere* inceptis quidem aparibus; sed circa finem singulis epistolis, juxta locorum et personarum competentiam, discrepantibus?

* *alias* apparibus

B

ut idem omnino censeri debeat,

9 *Nihil est igitur apud Gregorium Magnum, quod sanctitatem ejusdem, de quo ipse meminit,* Sereni, *Massiliensis episcopi, vetet agnoscere; utpote cultu publico, per immemorabilem temporis cursum huc usque continuato, satis aliunde comprobatam. Ita pridem ante nos censuere illustrissimus Carolus a Basilica Petri, episcopus Novariensis, in sua Novaria, anno* 1612 *Novariæ edita, lib.* 1, *pag.* 94 *et seqq.; Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem, ita scribens:* De S. Sereno, episcopo Massiliensi, Blanderati. Serenus, episcopus Massiliensis, cum Roma, quo ad Apostolorum limina visitanda profectus fuerat, in patriam regrederetur, apud Blanderatum pagum seu castrum Vercellensis diœcesis, ægrotans decessit. Cujus corpus cum delituisset, divinitus repertum, condigno honore in majore ecclesia, cujus titulus est S. Columbani, conditum est. Extant in ea ecclesia imago illius in pariete depicta, satis vetusta, et carmina, quibus inventio et miraculum hominis, gravi morbo laborantis, repente ad ejus tumulum mirabiliter sanati*. Est et xenodochium sub illius invocatione erectum, et sacellum in memorata S. Columbani ecclesia suo nomini dicatum; quod visitantibus in die festo S. Sereni indulgentia a summis Pontificibus concessa legitur. Agitur autem dies festus IV Nonas Augusti. *Tum alio charactere subdit:* Ex monumentis ecclesiæ prædictæ. *Idem deinde in Catalogo generali,* IV *Nonas Augusti, natalem annuntiat,* Blanderati, S. Sereni, episcopi Massiliensis: *iterumque in annotatis appellat ejusdem ecclesiæ monumenta. Ferrarium haud dubie sequitur Ludovicus Novarinus in*

C

* *supple,* describuntur

Martyrologio spirituali, Venetiis impresso anno 1628, *cum eodem die referat* S. Serenum episcopum: *nam quod locum omittat et cultus ejus et episcopatus, id obesse non debet; cum talia de Sanctis aliis nuspiam adnotet.*

AUCTORE P. B.

qui Blanderati ut Sanctus colitur;

10 *His adde Saussayum ad eumdem diem in Supplemento ad Martyrologium Gallicanum pag.* 1153 *ita scribentem:* Blanderati, pago agri Novariensis in diœcesi Vercellensi, sancti Sereni episcopi Massiliensis, ad quem S. Gregorius Magnus non semel rescripsit: cujus monitis ille obsecundans, quædam, quæ improvide admiserat, correxit, totusque ad amorem Dei et gregis commissi curam conversus, emeruit, ut post pia funera divinæ gloriæ insigniis clarificaretur: quæ effecerunt, ut corpus ejus, tam divinorum mirabilium instrumentum, ambitioso quasi æstu a populis pro præsidii pignore expeteretur; tandemque ad ecclesiam parœcialem dicti pagi ad cultum et munimentum deportaretur; ubi etiamnum honoratur sicut loci proprius defensor, quin et potens totius agri Novariensis opitulator. *Saussayo adhæret Guesnayus noster in Annalibus provinciæ Massiliensis ad annum Christi* 594 *et seqq. Utrumque præcessit illustrissimus Brautius, Sarsinæ episcopus in Martyrologio poetico Sanctorum totius Italiæ, Venetiis edito anno* 1630, *cum ad hanc diem de S. Sereno, episcopo Massiliensi, ita canit:*

E

Ad sponsam redeundo suam Serenus ab Urbe
Sponsus, in externo condidit ossa solo.

Et mox de veneratione ejusdem:

Ignotum tellus hominem peregrina recepit;
Et didicit signis plebs pia, qualis erat.

Horum vero omnium auctoritas cum nitatur Blanderatensis ecclesiæ traditione ac monumentis, restat, ut ad illa ducentem in scriptis Joannem Carolum Badonum sequamur.

non alius.

11 *Patebit, nisi fallor, ex iis, quam fidem facere possit auctor seculi decimi sexti, frater Joannes Philippus de Novaria, qui, teste Badono,* in Chronica Canonici Ordinis, impressa Cremonæ per Cæsarem de Richardis anno MDXXXVIII, lib. 3, cap. 42, pag. 41 hæc habet: « Monasterium S. Columbani de Blandrate, in quo jacet corpus S. Sereni, » Canonici Regularis, possidetur per quosdam » canonicos, qui prius fuerunt Regulares; nunc » autem, rejecto habitu, deferunt hastam lineam. » *Chronicam illam videre mihi non contigit; sed auctoritatem ejus idem, qui citat, elevat his verbis:* Sanctum Serenum igitur ex Canonicorum ordine fuisse, credendum erit, si huic auctori habenda est fides. Verum enimvero, quis scriptori, qui Canonicorum Ordinem sub abbate Christo incepisse asserit, assentiri possit, nisi qui aniles fabulas, vanaque nugacis mentis deliramenta cum veritate confundat? *Itaque Frater ille, quod ego quidem sciam, neque ducem assertionis hujus habuit, neque sectatorem; ne Ghinium quidem, quantumvis in Sanctis Canonicorum Regularium Ordini unde adsciscendis non minus facilem, quam sagacem in conquirendis. Forte vir bonus alicunde didicerat, sanctum aliquem Serenum presbyterum et confessorem esse, cujus nomine cœnobium et ecclesia Canonicorum Regularium dedicata essent Cantumerulæ prope Trecas in Campania Gallica; indeque collegerit, Serenum illum ejusdem Ordinis fuisse; cum vero apud istos Canonicos intellexisset, non servari reliquias ejus, nec alium ipse* S. Serenum *confessorem nosset; nostrum hunc Episcopum, cum presbytero illo non sine crasso er-*

F

rere

AUCTORE P. B.

rore confuderit: quam enim inter se ambo diversi sint, palam fiet ex dicendis die 2 Octobris, qua Serenus ille Cantumerulanus (haud procul inde in Cellensi Benedictinorum prioratu quiescens) colitur.

§ II. Ejusdem ibidem cultus antiquitas ex loci traditione et monumentis comprobata.

Blanderatensium traditio

Antequam de Blanderatensium traditione ac monumentis agamus, non erit importunum de loco ipso paucula delibare. Fuit Blanderatum, seu Blandratum, aut Blandrate, civitas olim cum sua, tum Comitum suorum nobilitate ac potentia celebris, apud Insubres juxta Sessitem amnem posita, ab urbe Vercellensi, ad cujus diœcesim pertinet, octo passuum millibus, septem a Novariensi distans. Floruit usque ad annum Christi 1168, *quo (ut præter alios plures refert in Chronica sua Donatus Bossius)* Mediolanenses reputantes, quanta mala a Blandratensibus *(Friderici Ænobarbi partes tuentibus)* recepissent (neque enim ullam aliam urbem durissimis temporibus æque infensam passi sunt) gravissima ea *(urbem intellige Blanderatensem)* obsidione potiti sunt: dirutisque mœnibus, in quatuor totam urbem pagos (ut olim ipsa in Mediolanenses procuraverat) diviserunt. Ex quo Blandrate urbs neque amplius reædificata fuit, neque urbis ullam formam habuit. *Ita Bossius. Sed neque illam ipsam formam, ad quam redacta tum fuit, satis deinde inter consecuta bella retinuit. Nam, ut auctor est Badonus*, posteriorum bellorum vastationibus, præ ceteris Galliæ transpadanæ provinciis, Blanderatensis comitatus obnoxius fuit; utpote Pedemontanæ regioni limitrophus, Gallorumque incursionibus immediate expositus. *Itaque ibi etiam* seculo præterito cuncta incensa, vastata, ac consumpta sunt, adeo ut non solum scripturæ perierint; sed vel ipsa loci facies et antiquus decor deciderit. *Mox inde Vir clarissimus, verso ad rem nostram stylo:* Pauca tamen, *inquit*, quæ post tot ærumnas supersunt, accipe:

de S. Sereni episcopi Massiliensis obitu, sepultura,

13 Antiqua in primis apud incolas traditio est, Serenum Romam perrexisse, vel ut se ab impia iconoclastarum hæresi *(sic proleptice appellat errorem, qui nondum exstiterat, nedum cum pertinacia fuerat usquam defensus)* qua a malevolis insimulatus fuerat, apud Pontificem purgaret; vel ut limina Apostolorum pro pietate sua inviseret. Cum autem Roma redux, in Galliam proficisceretur, ac Blanderati in monachorum cœnobio (Fama est, fuisse ex Ordine S. Benedicti; de quo tamen nulla apud Mabillonium mentio) hospitium suscepisset, infirmitate correptum, extremum clausisse diem. Post ejus vero obitum nonnullis præterlapsis seculis, ac cœnobio temporis ac bellorum injuriis in ruinam collapso atque ad culturam agri redacto, conspectos sæpius ibidem, noctis tempore, insolitæ lucis splendores, suavium odorum afflatus prope transeuntium nares perculisse, atque auditos harmonicos concentus; quæ cuncta incolis, tamquam insolita ac prodigiosa, non sine magna animi suspensione, diu admirationi fuerint.

corporis inventione cum epigraphe,

14 Postmodum vero dum die quadam bubulcus agrum ipsum vomere scinderet, substitisse improviso boves, ac flexis genibus, quasi venerabundos, frequentes edidisse mugitus; verberibus, aut ulla arte, ad persequendum inceptum opus, adduci potuisse: quo prodigio perculsus bubulcus, dominum evocaverit; dominumque secuti turmatim vicani, effodiendum eo loci agrum pronuntiaverint, ut rei insolitæ causam assequerentur. Quo etiam facto, non modica infra solum profunditate adinventam fuisse arcam marmoream; qua coram Religiosis viris ac populi multitudine adaperta, repertum fuerit Sereni corpus cum inscriptione plumbeis laminis insculpta, quæ ejus nomen, dignitatem, iter, mortem et sanctitatem indicaverit. Orta interim fertur discordia inter incolas Blanderati, et Casalis Beltrami *(pagus est Blandrato, qua Vercellas respicit, proximus)*, utroque populo sanctum pignus deposcente; Blanderatensibus eo jure, quod in ipsorum territorio adinventum fuisset, incolis vero Casalis Beltrami, quod ager, ubi jacebat sarcophagus (ei hodie etiam Agri Sancti nomen remanet), etsi intra Blanderatensium fines situs esset, ab incola tamen Casalis Beltrami jure dominii possideretur.

et prodigiosa translatione.

15 Quibus rationibus cum hinc inde suffulti essent, discordiam eo usque processisse ferunt, ut ex jurgiis ad arma facile concursum foret, nisi vir quidam Religiosus ac magnæ apud utrosque auctoritatis tumultuantes animos facundo composuisset sermone, litemque non armis dirimendam, sed Sancti ipsius arbitrio committendam esse suasisset; quod etiam factum iri putabat, si bini juvenci jugo nondum assueti, unus ex Blanderate, alter ex Casali Beltramo, plaustro jungerentur, ac nullo eos ducente vel agente, quo ipsis luberet, sacrum corpus vehendum permitteretur. Quod consilium cum universis placuisset, executioni etiam demandatum fuit, nec irrito exitu: magna enim populi, seu devotionis seu curiositatis gratia, ad hanc rem conspiciendam confluentis admiratione, juvinci nulla detrectatione, acsi jugo jam diu assueti fuissent, sacrum pignus e loco dimoverunt, ac recto tramite concitoque gressu Blanderate versus properantes, substiterunt ante ostium ecclesiæ sancti Columbani, prope ruinas antiquissimæ arcis ejusdem pagi exstructæ; ibique, flexis genibus, elevantes ora versus excelsæ ulmi, e regione dicti ostii sitæ, cacumen, incessantes edebant mugitus; quasi eo loco, deponendum sanctum corpus, numine afflati indicare satagerent. Hoc saltem sensu rem intelligendam esse, judicarunt Blanderatenses; ac, ut exsecutioni demandarent, eo loco, ubi arbor ulmi sita erat, porticum ædificarunt, eique superstruxerunt ecclesiam cum sacello, excelso fornice conspicuo, ut eminenti loco, prout boum mugitus indicaverat, sacrum pignus collocarent. *Hactenus Badonus; qui, ut hujus traditionis antiquitatem, utcumque confirmet, ita pergit:*

Confirmatur hæc traditio per tabulas in Sancti sacello

16 Hæc plerumque in ipsius sacelli ambitu picta antiquitus fuerunt; ac præterito seculo, cum jam colores evanuissent, penicillo magna ex parte renovata sunt, additis etiam nonnullis miraculis, quæ S. Sereni intercessione sequiori ævo Deus ibidem operatus est; quæ cuncta in ambitu iconis ejusdem Sancti, quam æri incisam tibi mitto, expressa videbis. *Exprimitur ibi primo,* S. Serenus, *nescio qua occasione, ab ipso S. Gregorio Magno Ordinem episcopalem recipiens: secundo, Sancti cujusdam imaginem in ecclesia frangi jubens: tertio, iter instituens Romam: quarto, mortuus et ad sepulturam compositus: quinto, exhibentur angeli in aere concinentes, una cum cœlesti luce, subjectum agrum irradiante: sexto, bubulcus prolapsos inter arandum in genua boves frustra stimulans:*

septimo

A *septimo, currus cum imposito Sancti corpore protractus usque ad ecclesiam Blanderatensem per juvencos duos ibi consistentes, et sublata cum temone sursum ora in ulmi vicinæ verticem defigentes: octavo, sacelli ædificatio: nono, peregrini ad sacellum jam erectum ex voto confluentes: decimo, vir ad aram Sancti supplex, ibique hernia liberatus: undecimo, excellentissimus D. Joannes De Idiaquez, de valetudine, quam desperaverant medici, per miraculum recuperata Sancto gratias agens: duodecimo, mulier paralysim deprecans anno* 1630, *et mox voti compos: decimo tertio, puella, quam lupus invaserat, matre Sanctum invocante, incolumis: decimo quarto ac postremo, populus Gargarenghanus (vicus est Gargarenghi haud procul Blanderato) suppliciter ante ejus altare profusus, ac vovens, quotannis apud se festum S.* Sereni *lucem solenni religione celebratum iri imposterum; quo voto pagus ille dirissimam luem circum omnia late vastantem suis finibus exclusit. Æri insculpta sunt hæc omnia* jussu consulum et rectorum dicti Burgi *(Blanderatensis)* anno MDCXXXIV.

diu ante annum 1498 pictas,

17 *Manifestum vero est, totam hisce tabulis Blanderatensium de* Sereno *traditionem graphice adumbrari, maxime secunda, tertia et sequentibus, saltem* B *usque ad decimam, et forte undecimam: quæritur ergo, quam antiquæ sint illæ, non ut ære fuerunt excusæ, sed ut penicillo et coloribus expressæ Sancti sacellum exornant. Respondet D. Badonus:* Quod vero ad ætatem primævæ picturæ attinet, nihil ob ejusdem renovationem cognosci potest. Illud tamen observatione dignum est, quod antiqua Deiparæ Virginis imago in ejusdem sacelli muro picta nunc etiam cernitur, ad cujus pedes legitur hæc epocha: MCDXCVIII, VIGESIMO TERTIO NOVEMBRIS, eo characterum genere, quod Gothicum vulgo indigitant, et notis numericis pariter Gothicis. Cum autem hæc pictura renovationis opus non habuerit; haud inverisimile est, sequiori ævo, quam alias, S. Sereni miracula *(in translatione corporis, et ante illam spectata)* exprimentes, factam fuisse; ideoque illas longe ante annum MCDXCVIII fuisse pictas. *Et Ferrarius quidem supra citatus videtur has picturas indicare his verbis:* Extant in ea ecclesia imago illius in pariete depicta, satis vetusta, et carmina, *etc.*; *sed nescio* C *qui factum dicam, ut ad eas non attenderit, cum in loco fuit, Carolus a Basilica Petri, cujus Novaria uno tantum anno ante Catalogum Ferrarii prodiit in lucem. An illas non memorandas sibi putaverit, quod res omnino easdem exprimerent, quas carmina, ibidem in pariete depicta, satis luculente testabantur? Hæc certe sola dedit, ita præfatus:* Legimusque hæc carmina de eo in pariete depicta: quæ qualiacumque sint, omittenda non existimamus, quia vetusta, licet principium deesse videatur. *Vide num.* 19 *de his animadversionem Badoni.*

et carmen acephalum.

18 Hic populus supplex..... veneratur honore
Sanctos, sed falsa relligione deum.
Rumpitur a veteri muro cœlestis imago,
Vulgus eam neu* sic* idola muta colat.
Increpat ejectas muro pietate* figuras
Pontificis summi tradita carta manu.
Romuleas arces celeri pede sanctaque visit
Mœnia, quo sese crimine purget eo.
Ante pedes sacros ut constitit, ordine narrat
Omnia; sic sequitur gratia major eum.
Lætus abit, patriam cupiens spectare relictam;
Blandreis agris fixit at ipse pedem:
Hæc placuit patria; lepidi placuere coloni:
Hic oculos pressit dulcis amicus ei.

* Badonus ne
* pro sicut
* sed indiscreta,

AUCTORE P. B.

Corpus avara suum suscepit terra sepulchro;
Et tenebris latuit tempora multa quidem.
Hic ubi corpus erat, adolebant cinnama Sanctum;
Cantabat laudes curia tota poli:
Lumine nocturno Phœbum superante coruscum,
Persensit populus, corpus adesse pium.
Plebs devota novum gaudet reperisse Patronum:
Est* luctata diu curia terna simul.
Consilium fecere patres de rebus agendis:
Ducit ad ecclesiam virgo juvencus eum.
Ante fores templi clamantes voce juvenci,
Ut sursum ducant, signa dedere pii.
Alme Serene, tibi solemnis ponitur ara;
Relliquias retinet nec brevis urna tuas.
Turgida laxarat distentos hernia testes,
Nec poterant medici ferre salutis opem:
Alme Serene, tuam venerandam ductus ad aram,
Protinus ad proprios sospes it ille lares.

* Badonus Et

ibidem parieti inscriptum,

19 *Idem carmen nobis exscripsit Badonus, observans,* characteribus Gothicis e cornu Evangelii ejusdem sacelli in parastade cæmentitia antiquitus inscriptum esse, ac nunc etiam conspicuum, si verbum unum excipias in primo versu, E quod ultro omissum ac punctis signatum cernitur. In eo tamen, *inquit,* quod litem pro obtinendo corpore S. Sereni inter tres curias ortam dicit, traditioni repugnat: ac fortasse solum in gratiam rhythmi additum id fuit. Hanc autem inscriptionem attentius consideranti facile in mentem veniet, acephalam eam esse, ac non pauca carmina in principio deficere, quibus Sereni nomen, episcopalis dignitas, atque urbs Massiliæ, ubi sedem habuit, designentur. Cum autem nulla prorsus in muro præcedentium carminum vestigia appareant; immo nec umquam fuisse, penitus introspecta cum cæmenti natura tum carminum nunc existentium a parastadis epistylio distantia minima, liquido constet; hinc quilibet lubens in eam sententiam descendet, hanc inscriptionem suffectam esse alteri ampliori atque antiquiori, quam cum jam ævo oblitteratam ac fere consumptam conspicerent Blanderatenses, renovari ac tutiori loco inscribi, pro qua parte adhuc intelligibilis esset, præceperint.

et valde antiquum;

20 *Placet ultima viri solertis animadversio, quæ sane carminis hujus antiquitatem extendit plurimum: si enim prototypi senio, cum exscriberetur,* F *evanescentis apographum Carolo, episcopo Novariensi et in re antiquaria minime peregrino, visum est anno* 1612, *vel etiam ante* 1605, *quando eum scripsisse tradit Badonus, propter vetustatem, posteritatis memoriæ commendandum; de ipsius prototypi ætate quid statuendum sit, nemo non videt. Ego certe falsi non ausim arguere, qui illud ad vicina inventioni ac translationi tempora referret; hoc est, ad seculum circiter decimum tertium: vix enim credo, diu ante seculum istud inventionem illam translationemque contigisse; siquidem accidit postquam et arcem et urbis nomen amisisset Blanderatum, cœpissetque pagus vocari, ut patet ex textu superioris traditionis:* Juvenci... sacrum pignus e loco dimoverunt, ac recto tramite concitoque gressu Blanderate versus properantes, substiterunt ante ostium ecclesiæ sancti Columbani, prope ruinas antiquissimæ arcis ejusdem pagi exstructæ: *urbis autem et nomen et formam periisse Blanderato jam diximus anno Christi* 1168. *Inventum autem illud corpus ac translatum fuisse saltem ante adultum seculum* XIV *evincent inferius vetera Blanderati Statuta, num.* 25 *et seqq.*

21 *Quis ergo hinc neget valide confirmari Blan-*

AUCTORE P. B.

imo etiam per ipsos Massilienses.

deratensium de S. Sereno, *Massiliensi episcopo, traditionem ? Licet enim in illo carmine, ut nunc superest, nec antistitis dignitas nec sedes exprimatur; at nomen exprimitur cum iis adjunctis, quæ* Serenum *Massiliensem tamquam digito notant; ut quod Sanctorum imagines ruperit, ne sicut idola colerentur; et quod eum Pontifex ideo per litteras increpuerit. Cedo enim, tametsi nulla locum hunc paradosis explicaret, quem tibi alium sive ex historia, sive ex quibuslibet monumentis invenire Serenum posses, in quem ista quadrarent, præter unum illum, quem diximus, episcopum Massiliensem? Hic igitur ipsissimus est, qui ab immemorabili tempore Blanderati, secundum traditionem per antiqua et evidentia monumenta comprobatam, defunctus, sepultus, inventus, translatus, et ad hunc usque diem publice cultus fuit. Quod quidem eo confidentius asseritur, quod in ecclesia Massiliensi, usque ad præteritum seculum nulla de* Sereni *sui obitu notitia fuerit, nulla etiamnum sit de sepulcro ejus aut corpore istic uspiam aut umquam condito : vel inde enim colligas, peregre mortuum ac sepultum fuisse. Itaque nunc ipsi Massilienses, sola etiam Saussayi*
B *auctoritate ducti, ut ex Annalibus Guesnayi liquet, nequaquam dubitant,* Serenum *suum et sanctum et Blanderati conditum ac servatum agnoscere. Quid huic vero sententiæ nostræ, imo traditioni Blanderatensium sic propositæ, solide possit opponi, non videmus.*

Solvitur objectio;

22 *At enim occurret aliquis ac dicet:* Serenus *Massiliensis, secundum dicta superius num.* 8, *jam Gregorio Magno per epistolam satisfecerat, antequam discessisset Massilia : non potest igitur ipsi congruere, quod habet traditio simul et carmen Blanderatensium,* Serenum *scilicet suum* Romam perrexisse, ut se ab impia Iconoclastarum hæresi... apud Pontificem purgaret: *ac proinde alius ibi Serenus cum alio confunditur. Respondeo primo, causam illam itineris Romani neque determinari traditione, neque solam proponi ; sed alterutram ex his :* Vel ut se ab impia Iconoclastarum hæresi apud Pontificem purgaret; vel ut limina Apostolorum pro pietate sua inviseret. *Hæc autem secunda causa neutiquam nobis incommodat : sed quoniam priorem solam adstruunt antiqui versus, respondeo secundo, etiam hanc facile cum dictis antea de* Sereno *Massiliensi conciliatum iri, si statuas (quod certe fieri potuit), Præsulem nostrum bis apud*
C *summum Pontificem sese purgasse : et primo quidem ac statim per litteras significando, se tandem ex postrema ejus epistola et priorem temeritatem suam, et ejus indubitatam ac seriam voluntatem intellexisse, hanc demisse veneratum esse, atque e vestigio cœpisse exsecutioni mandare; deinde vero postquam confectæ imagines novæ, et in fractarum locum repositæ, ceteraque omnia, quæ Gregorius mandaverat, peracta jam essent, Romam proficiscendo, nec jam promissis tantum aut cœptis, ut paulo ante; sed præsenti sinceraque exsolutæ per omnia fidei testificatione perfectissimam erga Christi Vicarium submissionem suam ita probando, ut nullum de se vel sinistre porro suspicandi, vel non optime sentiendi locum relinqueret. Purgatione prima acquiescere sine dubio tantisper Pontifex debuit; quidni ergo tum scribere ad* Serenum *potuit epistolam illam, de qua numm.* 2 *et* 8 *meminimus ? Quidni* Serenus *sive jam tum, sive paulo posterius Romam contendisse ?*

et tempus utcumque definitur, quo Sanctus obiit.

23 *Paulo, inquam posterius : neque enim in hac sententia differri diu sinunt iter* S. Sereni *Romanum iidem illi versus antiqui, dum illud increpationi Pontificiæ mox ita subjiciunt :*

D

Romuleas arces celeri pede sanctaque visit
Mœnia, quo sese crimine purget eo.

Unde et illud sequitur, ut mortuus censeri debeat Serenus *noster ante Gregorium Magnum, adeoque ante annum Christi* 604 *: nam cum iter ejus dilatum diu non fuerit, obierit autem in reditu; nisi ante Martium anni* 604 *vita functus credatur, dicendus erit vel procul absens ab ecclesia per biennium et ultra Romæ substitisse, quod vix credibile est : vel Blandrati letali assiduoque morbo diutissime conflictatus, quod non satis apparet verisimile. Atque hæc ad Blanderatensium traditionem, præsertim quatenus asserit, non alium ibi Serenum jam pluribus retro seculis coli, quam Massiliensem illum a Gregorio Magno correptum, stabiliendam sufficiant. Utinam tamen his addere licuisset inscriptum num.* 14 *memoratam siquidem supersit, Argumentum esset ea profecto omnium validissimum, cum ad hunc* Serenum *ab homonymo quovis alio discernendum, tum ad antiquitatem cultus ejus usque ad ea tempora removendam, quibus florebat cœnobium, in quo conditus et pro Sancto habitus fuerat, et cujus, cum revelatum fuit corpus ejus nec rudera prorsus exstabant ulla, nec vestigia, nec forte etiam certa satis memoria. Ceterum ad immemorabile cultus exordium demonstrandum illa quoque non parum faciunt, quæ numeris proxime sequentibus expendemus.* E

§ III. Cultus ejusdem in metrocomia Blanderatensi vetusta solennitas, et incrementum per miracula.

Festum ejus maxima celebritate colebatur

Q*uod ad celebritatem simul* et antiquitatem cultus, quem divo Sereno præstant Blanderatenses, ostendendam, me judice, *ait Badonus,* magis confert, illud est testimonium Statutorum Blanderati (vivit enim adhuc suis legibus) : in illis enim fol. VI primæ editionis, factæ Novariæ charactere Gothico per Franciscum et Jacobum Sesallos fratres absque anno ; et pag. XX alterius editionis, factæ Mediolani anno MDCLXXIX, legitur num. LXXII sequens Statutum : « Quod extranei lusores non ludant in Blandrate. Cap. LXXII. Ordinatum est, quod nemo extraneus ludat in Blandrate, vel in cantonis Blandrati, ad aliquod prohibitum ludum in Statutis communis Blandrati, ut supra. Et si luserit ad domum alicujus de Blandrate, solvat ille ad domum, cujus luserint illi lusores extranei, bannum illud, quod est ordinatum superius; eo salvo, quod quilibet possit ludere per tres dies ante festum S. Sereni, et tres dies post. » Hinc facile cognoscitur, *subdit vir idem clarissimus,* quæ fuerit etiam antiquis temporibus erga S. Serenum veneratio apud Blanderatenses, ac quo cultu diem ejus festum celebrare consueverint : cum enim ceteris anni temporibus, ne exceptis quidem præcipuis mysteriorum nostræ fidei solemnitatibus, plebiscito cautum foret, ne extranei lusores Blanderati luderent; ut sancti Patroni festivitas majori exultatione ac gaudio a cunctis celebraretur, excipiendos ab hac lege dies tres ante, et dies tres post festum S. Sereni judicarunt. F

seculo 14,

25 Quo autem tempore hoc sancitum fuerit, haud facile quis divinaverit : hoc unum constat, volumen Statutorum approbatum fuisse a Joanne Galeatio Vicecomite, domino Mediolani, Comite Virtutum, et imperiali vicario generali, die VIII

Februarii,

Februarii, anno MCCCXCV, ut patet ex sequenti approbatione ad voluminis calcem impressa : « Approbatio Statutorum. Dominus Mediolani, etc. Comes Virtutum, imperialis vicarius generalis. Tibi hiis alligata Statuta terræ nostræ Blandrati remittentes, quæ sunt numero capitulorum tercentum quinque, et quæ videri, examinari, et corrigi fecimus secundum quod expedire cognovimus.... eadem Statuta præsentium serie approbamus, laudamus, et confirmamus, ipsaque debere observari, prout jacent ad litteram, jubemus et mandamus..... Datum Mediolani die octavo Februarii MCCCLXXXXV. Sign. Comolus. » *Porro ne quis forte existimaret, Statuta istius voluminis omnia eodem tempore condita primum fuisse, quo fuerunt approbata, continuo hæc subjungenda censuit doctissimus Canonicus :*

aut etiam multo anterius;

26 Sed longe ante id temporis Statutum DE LUSORIBUS EXTRANEIS factum fuisse, facile credet, qui plebiscita, nullo servato rerum ordine, in codice digesta esse animadvertet : moris enim erat leges diversis temporibus, prout rerum exigentia postulabat, statuere; quod evidenter apparet ex ipso Statutorum codice, in quo habetur Statutum num. CCCIV hujus tenoris : « Quod dispositio ultimi Statuti in ordine scripturæ servetur, si aliqua repugnantia reperiretur in præcedentibus Statutis. Cap. CCCIV. Item statuerunt et ordinaverunt, quod in casu, quo reperiretur aliqua repugnantia in præcedentibus Statutis, quæ non posset sub divisione juvari, quod dispositio ultimi Statuti in ordine scripturæ servetur. » Hujus autem Statuti necessitas ex toto codice apparet, in quo super eadem re varia Statuta, diverso numero signata, facta fuerunt, pluribus aliis Statutis intermediis ad res diversas spectantibus; quod, diverso etiam tempore facta fuisse, clare ostendit. Cum vero Statutum DE LUSORIBUS EXTRANEIS signatum sit numero LXXII; et Statuta omnia in volumine comprehensa, extendantur ad numerum CCCV ; atque num. CCXCVIII reperiatur Statutum epocham præ se ferens anni MCCCLX; evidens est, prædictum Statutum DE LUSORIBUS EXTRANEIS aliquibus forte seculis dictum annum MCCCLX præcedere : ideoque S. Sereni cultum *(qualis ibi asseritur)* longe ante seculum XIV jam viguisse.

non tamen ante annum 1178. Xenodochium S. Sereni ejusdem fere ætatis.

27 *Ante seculum decimum quartum viguisse solennitatem illam, haud gravate assentimur ; vix tamen adduci possumus, ut institutam diu credamus ante seculum* XIII *; quandoquidem institutionem illam certissime præcessisse debet inventio ac translatio reliquiarum* S. Sereni, *imo et sacellum, eodem tempore erectum (ut fert traditio) et earum custodiæ venerationique consecratum ; quæ omnia juxta num.* 20, *posteriora videntur anno Christi* 1168. *Idem fere dicendum putamus de veteri xenodochio, altero et quidem insigni ac publico Blanderatensium erga Patronum hunc suum religionis monumento ; de quo ita Badonus :* Extat præterea Blanderati xenodochium sub invocatione S. Sereni, agros aliaque bona possidens ; redditus autem, qui exinde percipiuntur, pro sustentatione infirmorum erogantur. Hujus originem assequi incassum tentavi : hoc unum constat, antiquissimum esse, cum ejusdem habeatur mentio in jam citato libro Statutorum Blanderati, Statuto LXXXVIII, quo sancitur, rectores hospitalis eligi debere a Rectoribus Blanderati cum consilio Præpositi S. Columbani. *Certe non apparet,* sancti Sereni, *quidpiam quovis modo spectasse ad ecclesiam S. Columbani, nisi postquam eo translatæ fuissent ipsius reliquiæ.*

AUCTORE P. B.

Antiqua miracula ejus, et recentiora :

28 *Hæc porro tantæ solennitatis tam vetusta primordia magnam adstruunt fidem prodigiis, quæ cum ante, tum in ipsa inventione ac translatione* S. Sereni *contigisse, traditio narrat : non enim verisimile est Blanderati potius, quam alibi, tam eximiam subito per omnes ordines pietatem exstitisse in Sanctum aliquem, præsertim hospitem ac ferme ignotum ; nisi fuerit maximis (ut illa sunt) excitata miraculis. Cum vero de prisca illa veneratione nihil hactenus interciderit ; sed ei contra multum accesserit identidem ; dubium esse non potest, quin ex primis natam prodigiis prodigia consecuta nutrierint. Quare R. A. D. Badonus, postquam de prioribus istis meminisset :* Nec plura, *inquit,* hujusce modi, postquam ejus corpus venerationi primitus expositum fuit, evenisse dubito, quorum memoriæ eodem fato, quo cetera monumenta, perierunt *(si unicum excipias, quod refertur in picturis antea descriptis, et ad calcem antiqui carminis supra recitati de hernico ad aram Sancti confestim sanato.)* Quæ supersunt, omnia recentioris sunt ævi. *Hæc tamen proferre juverit, quo de prioribus et occultis æstimetur.*

inter hæc notatur moribundi sanatio ;

29 *Horum primum illud est, quod et in sacelli tabulis expressum diximus num.* 16, *de excellentissimo D. Joanne de Idiaquez, qui judicio medicorum depositus, per invocatum* S. Sereni *patrocinium mirifico juxta ac felici compendio surrexit incolumis anno (quod colligi poterit ex sequente paragrapho, num.* 36*) Christi* 1609. *Hinc et promanasse non absurde existimamus usque ad regem Catholicum sancti hujus Præsulis cum veneratione notitiam, et ortum esse privilegium illud, quo sibi Blanderatenses ab Hispaniarum rege factam esse copiam dicunt, selectam quotannis e sua juventute scribendi atque armandi cohortem, ad anniversariam Sancti celebritatem ornandam simul et confluentis turmatim populi petulantiam turbasque coercendas. Sane numquam hæc peti potuit opportunius aut certius impetrari, quam per D. Alphonsum de Idiaquez, virum in Hispania potentem, et, propter valetudinem Joanni filio restitutam, Sancto devotissimum.*

immunitas a peste,

30 *Alterum sic recenset Badonus :* Illud interim præ ceteris præsentissimum S. Sereni patrocinium in favorem Blanderatensium ostendit, quod, cum anno MDCXXVIII et sequentibus MDCXXIX et MDCXXX contagiosa lues totam fere Italiam invasisset, urbesque plurimas atque integras provincias venefico inficiens afflatu replevisset cadaveribus, ac vix non orbasset incolis ; Blanderatenses pestilentialem morbum jam prope eorum confinia advenisse cernentes, ad S. Sereni patrocinium confugerunt, ipsum humiliter exorantes, ut, Deo annuente, tantam perniciem avertere, eosque a morbo immunes præservare dignaretur, festum ejus diem solemniori, quam antea, ritu perpetuis temporibus colere, atque annuam cereorum oblationem spondentes. Nec irrito successu : magna enim vicinorum populorum, lethali tabe squallentium, admiratione solus Blanderatensium ager, ac proximus vicus Gargarenghi, cujus incolæ ad eumdem Sanctum pari voto confugerant, inter communes ærumnas immunis evasit.

circum omnia depopulante ;

31 Hujus voti publicæ extant tabulæ a Bartholomæo Bertoldo, Blanderati notario, receptæ anno MDCXXX, die XXIII Junii. Idemque testatur inscriptio marmori insculpta, ac in muro ecclesiæ S. Sereni defixa ad dexteram ingredientibus, quæ sic habet : « D. O. M. divoque Sereno episcopo Massiliensi, ad cujus antiquum et non antiquatum patrocinium Blanderatenses, quo grassantis

AUCTORE P. B.

santis per hanc provinciam pestilentiæ insidias effugerent, pie confugientes, solemni inito voto statuerunt, ut natali ejus die de morte celebrando, per Consules quotannis octo bilibres cerei offerantur; et DD. hujus ecclesiæ Canonicis sacratissimum S. Sereni caput per vicos solemni ritu eodem die deferentibus, ex qualibet familia [vir unus] assistere teneatur, quod maluerit ceræ pondus donans. Hocque votivæ omnium mentis monumentum P. * anno MDCXXX. » Ex eo tempore usque in præsentem diem summa semper Blanderatensibus cura fuit, ut quæ voto promiserant, inconcussa servarent fide; ne immemores erga sanctum Patronum censerentur post receptum tam grande beneficium: quod cuncti Novariensis provinciæ incolæ ea animi admiratione suspexerunt, ut ex tunc maxima in illis creverit erga nostrum Sanctum veneratio; ut frequens etiam in præsenti ad ejus sepulchrum visitandum accessus, ac supplicantium cohortes, quæ ex Recepto, aliisque locis, ejus comitantur reliquiam die secunda Augusti, abunde ostendunt. *Etsi vero de Gargarenghanis non meminit hæc inscriptio; rem tamen certam facit pictura, de qua num.* 16.

* *id est* posuerunt

B

paralysis biennalis momento sublata;

32 *Ad eumdem annum alia pertinent miracula tria: quorum duo, teste D. Badono,* referuntur in *libello, cui titulus:* « Breve compendio della Vita di S. Sereno vescovo di Marsiglia, » edito Mediolani per Joseph Ambrosium Majettam, superiorum permissu, absque anno et nomine auctoris; scriptum tamen fuisse a Francisco Passardo Blanderatensi ex Ordine Fratrum Reformatorum Minoris observantiæ S. Francisci, atque impressum anno MDCLXXVIII, tradit in Museo Novariensi num. CCCIII Lazarus Augustinus Cotta, accuratissimus antiquitatum Novariensis provinciæ perscrutator. Ibi admiratione digna est liberatio instantanea cujusdam Catharinæ Morellæ, Blanderatensis, cui paralysis jam a biennio brachium unum, medietatemque sui corporis sideraverat: cum enim hæc mulier ad altare S. Sereni deportata fuisset, ibique flexis genibus ejusdem Sancti opem his verbis elata voce implorasset: Santo Sereno, ajutatemi [S. Serene, adjuva me,] illico jungere orantis more manus, flectere corpus, ac dehinc domum reverti absque alicujus auxilio potuit: quod evenit die secunda Augusti, anni MDCXXX. *Pictum est hoc prodigium in Sancti sacello, secundum num.* 16.

C

mulier alvi profluvio; puella e lupi faucibus liberata;

33 Eodem tempore Elisabeth Pellicaria, pariter Blanderatensis, fluxu hepatico jam diu eousque laboraverat, ut nec feces retinere, nec propter debilitatem e lecto surgere posset. Cum diem S. Sereno festum appropinquare animadverteret, enixe oravit, ut tantum saltem virium Sancti intercessione ei impertiretur Deus, ut ad ecclesiam accedere tunc temporis valeret: nec irrito successu. Cum enim festa dies advenisset, non solum e lecto surgere potuit; sed etiam Sancti reliquias processionaliter per pagi vicos delatas comitari plurium horarum spatio, absque ullo ab hepatico fluxu incommodo; quamvis antea neque unus horæ quadrans ab una alvi dejectione ad alteram intercederet. *His addi potest puellæ per lupum abreptæ obtenta maternis ad* S. Serenum *precibus mirabilis conservatio: ad idem enim tempus referenda videtur, quandoquidem in sacelli ambitu depicta sit, uti observavimus num.* 16 *hujusce commentari; locum obtinet medium inter sanatam Catharinæ Morellæ paralysim, et Gargarenghanos supplice voto pestem deprecantes.*

D

cæcitas depulsa, aliaque plura prodigia;

34 *Accedit aliud multo recentius, de quo sic habet collectio Badoniana:* Anno etiam MDCCI presbyter Andreas Morandus Colli, civis Viglevanensis *(in Ducatu Mediolanensi)* oculis ad cæcitatem usque hebetatus, cum ad divi Sereni intercessionem confugisset, pristinam recuperavit videndi facultatem; ut testantur autographæ epistolæ ejusdem presbyteri, ad Blanderatensem præpositum Carolum Maternum Nigrum datæ. Præter hæc *(ut ibidem legitur)* pendent ad hujus sancti altare innumeræ votivæ tabellæ, argenteis atque cereis oscillis beneficia a Sanctô fidelibus collata exprimentes; quæ scriptis tabulis authentico modo consignata fuisse, nullus dubito; et facile ostendi posset, nisi communi naufragio, notariorum etiam scripta periissent. *Tum*: Pro coronide autem, *inquit*, hoc adjiciam, quod etiam in præsens, quotiescumque vel immodico imbre, plurium dierum spatio decidente, terra nimis maduerit; vel pertinaci siccitate arescentes plus æquo campi, perituræ messis timorem agricolis incusserint; statim ac populus ad S. Sereni patrocinium confugit, solemnius Missæ sacrum ad ejus altare cani jubens, numquam tertia præterit dies, quin vel exspectatus sol appareat, vel diu optata decidat pluvia: opposito quidem; sed constanti semper prodigio, illius æmulo, quod de tunica S. Joannis Evangelistæ, Romæ in basilica Constantiniana asservata, refert Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii, lib. III, cap. XIX.

E

quibus excitatus primum tam solennis cultus deinde semper accrevit.

35 *Moverunt hæc et similia sine dubio summos Pontifices olim, ut ad promovendam ejusmodi cultus celebritatem, ipsi suam quoque symbolam conferrent; quod ad hunc diem in Catalogo Sanctorum Italiæ, ut supra videre est, sic asserit Ferrarius ex monumentis ecclesiæ Blanderatensis:* Est et sacellum in memorata S. Columbani ecclesia, quod visitantibus in die festo S. Sereni indulgentia a summis Pontificibus concessa legitur. *Moverunt privatos, ut eamdem pro modo etiam suo juvarent. Nam:* Institutum, *inquit Badonus*, fuit antiquitus beneficium pro perpetua celebratione Sacri ad altare S. Sereni, reservato jure nominandi familiæ illorum de Monte; sed deperditis temporis ac bellorum injuria redditibus in præsenti non celebrantur *(illa scilicet, nam de aliis agetur inferius.)* Anno etiam MDCXXX Laurentius Antoniacus suo testamento legavit lychnum pensilem ante Sancti altare, heredum suorum sumptibus perpetuis temporibus oleo fovendum: quod etiam testatur sequens inscriptio in angulo ejusdem sacelli e regione Epistolæ: « Laurentius Antoniacus lampadem indeficientem divo Sereno legavit A. D. MDCXXX. » *Moverunt episcopum Vercellensem anno* 1635, *ut fidelium pietati stimulos et ipse admoveret*, ut constat ex sequenti marmorea inscriptione, infixa muro scalarum, quibus ad divi Sereni ecclesiam ascenditur: « Illustrissimus et Reverendissimus D. D. Jacobus Gorias, Vercellarum episcopus, omnibus Christi fidelibus, qui hoc sacellum, in quo S. Sereni corpus servatur, devote visitaverint, pro qualibet vice, et in perpetuum, indulgentiam quadraginta dierum concessit. Decretum est in archivo episcopali datum die XXV Aprilis CIƆDCXXXV. » *Moverunt alios denique plures, qui quid ad finem eumdem præstiterint, sequens paragraphus edocebit.*

F

§ IV.

A

§ IV. Reliquiarum S. Sereni status ; et cultus hodiernus.

Sancti corpus in loculo sub ara propria conclusum olim fuit;

Cum primum ex revelato divinitus tumulo translatum fuisset Antistitis nostri corpus ad ecclesiam S. Columbani; quantum ex traditione conjici potest, ibi tantisper depositum substitit; dum proprium illi recipiendo sacrarium ad altitudinem, per boves, ut aiunt, mirabiliter indicatam, erigeretur: quod quidem brevi confectum fuisse ac deproperatum, rudis ac simplex operis, qualem Badonus innuit, structura significat. Ibi tum ergo, ut allatum fuerat, integrum sub ara propria conclusum fuit : sic enim habet laudata jam toties Badoniana collectio post factam anni 1678 *mentionem :* Jacuerat enim sanctum corpus ante id temporis in loculo in cæmentitio altari conclusum, ac nulli visibile : neque inde extractum fuit (quod mihi saltem constet,) nisi tribus vicibus : Primum anno MDCIX, die XXIX Junii, cum dominus Alphonsus de Idiaquez, dux Civitatis Regiæ *(Ciudad Real, ad Guadianam fluvium in Castella Nova)* et capitaneus equitum levis armaturæ in Mediolanensi ditione, S. Sereni corpus conspicere optavit, postquam ejusdem intercessioni, D. Joannis, filii sui primogeniti, lethali morbo laborantis atque a medicis derelicti, salutem acceptam retulit *(uti dictum num.* 29.)

B

loculus vero ter tantum apertus; nempe annis 1609, 1630,

37 Quo tempore facultatem aperiendi loculum, in quo asservabatur, concessit Christophoro Morono, ecclesiæ Blanderatensis præposito, illustrissimus ac reverendissimus D. Joannes Stephanus Ferrerius, episcopus Vercellensis : cujus rei extat memoria in chirographo, ejusdem præpositi manu exarato, ac ab Antonio Loffia et Petro Julio Solido, canonicis, qui apertioni præsentes fuerunt pro testibus, firmato; quod in tabulario capituli mei asservatur. Altera vice adapertus fuit loculus anno MDCXXX, die III Augusti, facultate ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Jacobo Goria, Vercellensis ecclesiæ episcopo, concessa Bonifacio Palladino et Joanni Francisco Canepæ, Blanderati canonicis, occasione extrahendi caput ejusdem Sancti, ad hoc ut processionaliter per pagum deportaretur; existente in dicto tabulario chirographo, prædictorum manu firmato. *Nota vero, tametsi tum primo separatum fuerit caput a corpore, ut in supplicatione circumferretur imposterum, anniversariam tamen illam supplicationem antiquiorem esse ; et aliam ante hoc tempus reliquiarum ejus partem in illa consuevisse adhiberi. Primum colligi potest ex dictis de antiqua festi solennitate; quam credibile non est absque hujusmodi cæremonia decretam umquam fuisse. Alterum ex inscriptione iconis, publica Blanderatensium auctoritate excusæ anno* 1634, *in qua affirmant,* per antiquum privilegium regum Catholicorum *sibi concessum esse, cohortem ex indigenis instruere, quasi militarem, ut in annua solennitate* sacram Sancti reliquiam comitetur, *etc. : hoc enim de capite non potest intelligi, ab annis tantum quatuor ex arca deprompto ; sed neque de toto corpore, quod sub altari tanta religione servabatur occlusum, ut inde ante annum* 1634 *bis tantummodo sciatur eductum fuisse.*

C

et 1678, quo corpus novæ thecæ fuit impositum.

38 Tertia demum vice totum Sancti corpus extractum fuit anno MDCLXXVIII, die XXIII Junii; et die XVIII Julii ejusdem anni consignatum fuit reverendo patri Marco a Lomatio, Ordinis Capucinorum S. Francisci, ad hoc ut sacra ossa componeret, et sceletum efformaret; atque indueret casula, chirotecis et sandaliis, ac in arca crystallina, ad hunc finem noviter constructa, reponeret. Die vero prima Augusti a prædicto patre a Lomatio reconsignatum fuit D. præposito Bartholomæo Richardo et canonicis corpus in prædicta arca compositum: in qua extant tria authentica instrumenta, pro corporis extractione, consignatione, et reconsignatione confecta, et a Josepho Richardino, Blanderatensi notario, rogata. *Arcæ hic memoratæ ectypum, eodem, quo confecta fuit, anno delineatum a C. Josepho Garavaglia, atque a J. B. Bonocina æreæ laminæ eleganter incisum, chalcographo nostro ad multo minorem formam contrahendum, at fideliter ad apicem usque imitandum dedimus, ne inscriptione quidem, aut scuto donatoris omisso, prout, in fine præsentis § et commentarii sub num.* 45 *subjicietur.*

AUCTORE P. B.

Officium S. Sereni de communi; Antiphona et oratio propria:

39 Jam restat, *inquit idem Canonicus,* ut nonnulla recenseam, quæ cultum, qui eidem Sancto nunc Blanderati præstatur, respiciunt. Ac primo, antiqua atque immemorabilis consuetudo est, clerico ibidem pro die ejus festo (qui, ut diximus, postridie Calendas Augusti celebratur) de eo Officium commune sanctorum Pontificum recitare : præterea, præpositum atque canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Columbani, cui adhæret ecclesia S. Sereni, diebus cunctis Dominicis cujuslibet mensis (in quibus tamen extra ecclesiam, solemnitatis alicujus causa, processionali agmine procedendum non sit) postquam in propria ecclesia Vesperas et Completorium recitaverint, ad S. Sereni ecclesiam processionaliter, universo populo subsequente, ascendere, Hymnum canentes : « Iste Confiteor Domini » etc. ; post quem recitant sequentem Antiphonam cum Oratione :

E

ANTIPHONA.

O quam venerandus es, egregie confessor Christi beatissime Serene, qui terrena contempsisti, et cœli januas exultans petisti, modo fulgens in virtute cœlesti ! Ideoque supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

℣. Ora pro nobis, sancte Serene :

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

F

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut B. Sereni confessoris tui atque pontificis veneranda commemoratio et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Christum Dominum nostrum.

Et postea canunt Antiphonam beatæ Virginis de tempore cum sua Oratione ; et Officium ibidem concludunt. Hanc consuetudinem observavit etiam Carolus a Basilica Petri Novariæ episcopus (loco supra citato) qui ante annum MDCV scribebat. Solet etiam a fidelibus, quoties ad Sancti altare accedunt, recitari peculiaris Oratio... et Rhythmus. *(Italica sunt hæc et longiora, minorisque et ponderis et ætatis, quam ut locum hic exigant.)*

apparatus hodiernus ad festum,

40 Quod autem ad diem ejus attinet, jam supra probavi ex Statutis Blanderati, ante aliquot secula solemni ritu celebrari consuevisse : neque temporis decursu huic consuetudini derogatum est. Imo præterito anno, quod secularis recurrebat

AUCTORE P. B.

memoria præservati a peste populi Blanderatensis, novo plebiscito, sancitum fuit, quod renovaretur in omnibus votum anno MDCXXX factum : prout etiam executioni demandatum fuit die XXVI Julii, publicis de hac re extantibus tabulis, a Joanne Francisco Pallavicino, Blanderati notario, receptis. Ceterum, appropinquante die prædicta secunda Augusti ; solent quotannis Blanderatenses cuncta disponere pro celebratione solemnitatis : pagi vicos sordibus, si quæ forte sunt, exacte purgant ; domos diligentius ornant ; tubicines, tympanistas, citharistas, aliosque vel fidibus vel tibiis canentes, cantoresque non paucos e proximis civitatibus accersunt ; ecclesias S. Columbani ac S. Sereni, intus forisque, peristromatis, aulæis, atque encarpis ornant ; e juvenibus pagi incolis militum centuriam scribunt, qui dum Sancti reliquiæ per vicos processionaliter perferuntur, ipsas armis muniti comitentur, ac jurgia, si quæ inter incolas vel exteros, ad hanc solemnitatem turmatim accurrentes, oriuntur compescant et sedent ; quod hactenus, Deo annuente, adeo pro votis cessit, ut toto triduo, quo festivitas celebratur numquam nec vulnera nec homicidia contigerint.

quod celebratur a primis Vesperis

41 Die tandem prima Augusti, antequam Vesperas clerus recitet, alter ex canonicis arcam ligneam, auro bracteato et cyaneo colore distinctam, super S. Sereni altare positam, duplicique clave firmatam, quarum unam præpositus S. Columbani, alteram pagi rectores custodiunt, aperit ; atque in varias partes divisam (hoc enim artificio elaborata est) alio asportari jubet : tunc apparet alia arca, crystallinis laminis, quæ S. Sereni sceletum, episcopali indutum amictu, mytraque, ac pastorali baculo ornatum continet. *Tum post digressionem, quam alibi jam dedimus :* Adaperta itaque crystallina arca, ac Sancti corpore populi venerationi exposito, præpositus, canonicis ac sacerdotum comitiva stipatus, populo subsequente, ex ecclesia S. Columbani ad illam S. Sereni ascendit ; ibique, ex veteri consuetudine, ejusdem Sancti corpus thurificant ; postea primas de eo Vesperas canunt.

B

postridie fit Missa solennis et supplicatio ante meridiem :

42 Die vero sequenti, secunda Augusti, S. Sereni Missam, harmonicis cantorum, fidicinum, aliorumque concentibus, celebranti respondentibus, canunt in ecclesia S. Columbani ; ut sacerdotibus exteris sacrum Missæ pro eorum pietate ad S. Sereni altare celebrandi locus vacet. Panegyricum etiam sermonem post Missæ Evangelium de S. Sereni laudibus accersitus ad hunc finem orator recitat. Post Missam vero præpositus, pontificali amiculo indutus, Sancti reliquiam *(intellige particulam aliquam, ab occluso reliquo corpore separatam)* per pagi vicos processionaliter portat : ordo autem, quo supplex cohors processit anno præterito MDCCXXX, est sequens : Primo loco præcessit societas mulierum Blanderati ; secundo societas mulierum Recepti (loco est unico milliari a Blanderate dissitus in Sabaudiensi ditione ;) tertio societas mulierum Casalis Beltrami ; quarto societas mulierum Gargarenghi ; quinto societas hominum Gargarenghi ; sexto societas hominum Recepti ; septimo societas hominum Casalis Beltrami ; octavo centuria militum Blanderati ; nono societas hominum Blanderati ; decimo RR. PP. Reformati Minoris observantiæ S. Francisci, degentes Blanderati in cœnobio, cui titulus, S. Mariæ de Biscareto ; decimo primo cantores, citharistæ, aliique fidibus, et tibiis canentes ; decimo secundo clerus ; decimo tertio

C

canonici S. Columbani ; decimo quarto præpositus, Sancti reliquiam sub thensis deferens, una cum diacono et subdiacono assistentibus ; decimo quinto dominus Comes Blanderati ; decimo sexto consules communis Blanderati ; decimo septimo populus.

D

a meridie quid servetur, quid postridie.

43 Post meridiem vero ejusdem diei præpositus et canonici S. Sereni Vesperas et Completorium solitis cantorum atque fidicinum concentibus canunt in ecclesia S. Columbani ; ut facilior devotis ad S. Sereni altare accessus pateat. Post Vesperas vero sanctissimo Christi corpore populo benedicunt ; indeque usque ad solis occasum alter ex canonicis, seperpelliceo, almutia et stola indutus, S. Sereni reliquias fidelibus deosculandas porrigit. Sanctum interim Sereni corpus usque ad meridiem sequentis diei, tertiæ Augusti, populorum venerationi expositum manet : quo tandem tempore iterum clauditur superapposita jam dicta lignea arca. Hæc autem cuncta non sine magno festivorum ignium apparatu, bellicorum instrumentorum explosione, triumphalium arcuum constructione, aliisque hujus generis lætitiæ ac venerationis publicæ testimoniis peraguntur.

Missæ ad ejus aram fundatæ.


44 *Post hæc meminit Instructio nostra de duplici fundatione, ad Sancti cultum peculiarem recentius instituta :* Anno *scilicet* MDCCXVI Joannes Loffia instituit, post celebratum de more solemnius Missæ sacrum in ecclesia S. Columbani, sacrum Missæ circa meridiem celebrari ad altare S. Sereni qualibet Dominica die mensium Maii, Junii, et Augusti ; ac nuper anno MDCCXXIII, die XVI Martii, Hieronymus Verzettus hoc legatum ad dies Dominicas etiam mensis Aprilis ampliavit, assignatis ad hunc finem sufficientibus redditibus. *Hic jam nos deficiunt suggestæ notitiæ. Nam Vita illa, seu Vitæ Compendium, de quo supra num.* 32; *tum vero etiam* Laudes S. Sereni, *quas* Latino et Italico metro cecinisse ac typis Mediolani anno MDCLXIV vulgasse Franciscum Baggium Blanderatensem, medicinæ in patria professorem tradit Lazarus Augustinus Cotta in Museo Novariensi num. CCL, *hæc, inquam, quid sint, quia non vidimus, ignoramus, nec sane inviti admodum ; quando auctores tam novi sunt. En tibi igitur epilogum R. A. D. Joannis Caroli Badoni eruditione, pietate, modestia dignissimum :* Hæc sunt, A. R. P. *(Gallaratum nostrum appellat)* quæ de S. Sereno, Massiliæ episcopo, et Blanderatensium patrono præsentissimo, pro ingenii mei tenuitate colligere potui. Quod si plura jam tibi nota recensui, nonnullaque, minoris etiam momenti, fusius fortasse, quam par erat, prosecutus sum ; solidiorum monumentorum inopiæ ; meo, pro sancti nostræ ecclesiæ Advocati gloria zelo ; ac tuæ demum curiositati satisfaciendi desiderio tribuas, iterum atque iterum rogo : neque id mihi vitio a te verti posse spero ; ampliorum siquidem notitiarum messem colligere facile fuisset, si præteritis etiam seculis, quæ de S. Sereno tunc extabant memoriæ ; aliquis exactius scriptis consignasset. Me interim inpluribus tibi titulis devinctum, etc... Dabam Blanderati, Kal. Aug. MDCCXXXI. *Faxint Sancti, ad quorum gloriam illustrandam toties implorare cogimur exterorum, etiam longissime positorum, præsidia, ut parem ubique diligentiam ardoremque inveniamus.*

E

F

Lipsanothecæ effigies.

45 *En modo lipsanothecæ corpus S. Sereni continentis, et die* I *Augusti populi venerationi expositæ ectypum a J. B Bonocina æreæ laminæ incisum ; uti num.* 38 *lectori promissum est :*



Tria tantum hic, lector, ex epistola R. P. Gallarati, et ex R. A. D. Badoni instructionibus observa : primo, notatum hoc loco Illustrissimum D. Gerardum de Sylva, Blanderati Comitem et Casalis Beltrami ac Vici Longi, etc. dominum, hodierni Comitis Donati, quem initio hujus Commentarii laudavimus, patrem fuisse ; secundo, lipsanothecam, tanto ejus sumptu tam artifice manu fabricatam, non jam sub altari reconditam esse, sed super illud collocatam ; tertio, eamdem tamen, extra tempus annuæ celebritatis, constanter obtectam esse, et arca alteri, ut jam supra dictum est, inclusam.

C F

DE S. BETHARIO EPISCOPO CONFESS.

P. B.

CARNOTI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus ; Acta, et ætas.

Circa annum DCXXIII.

Ejus nomen; et cultus hodiernus;

S. Betharii *episcopi Carnotensis nomen aliter atque aliter expressum invenitur : in Ms. Chesniano constanter appelatur* Botharius; *in Claromontano semper* Beharius ; *apud Blesenses* Boharius (saint Bohaire ;) *a Belino* Bethasius ; *at in Ms. Fuliensi, et aliis, ut notatur ad marginem Ms. Chesniani, ubique scribitur* Betharius, *quod cum retineat ecclesia Carnotensis, et nos hic sequemur. Cultus ejus, etsi antiquus et statim post obitum, Saussayo teste, Fastis adscriptus, diu vix extra diœceseos Carnotinæ limites notus fuit. Certe de illo Martyrologorum externorum nemo (quod sciamus) meminit ante Belinum in editione Parisiensi anni* 1521 ; *in qua tamen perperam notantur et Sancti nomen et dies natalis ; ut hesterno die observatum est in Prætermissis. Belino accuratior fuit Molanus, in editione anni* 1573 *ad* IV Nonas

AUCTORE P. B.

nas Augusti *sic habens :* Carnoti, S. Betharii, ejusdem civitatis episcopi, sanctitate et miraculis clari. *Eodem die ac nomine refertur a Galesinio, citante tabulas ecclesiæ Carnotensis; a Ferrario in Catalogo generali; a Saussayo in Martyrologio Gallicano, ubi longum habet elogium; et a Castellano denique in Martyrologio universali. In moderno Romano locum non habet. In Breviario, quod habemus, Carnotensis ecclesiæ, anno* 1633 *Parisiis excuso, Officium ejus ritu semiduplici celebrandum hoc die præscribitur; sed nihil est in eo peculiare, præter tres secundi nocturni lectiones, Sancti Vitam compendio referentes.*

sepulcrum olim propter miracula frequentatum;

2 *Auctor est Saussayus, eum* mox ab obitu habuisse templa suæ memoriæ consecrata : inter quæ ejus nomine, *inquit,* insignita etiamnum ecclesia inter Blesas et Vindocinum cernitur. *De hac dicitur in Breviario Carnotensi ad hunc diem :* Elatusque *(S. Betharius)* juxta oppidum Blesense, in æde sacra, ubi antea vitam degerat solitariam, sepultus est quarto Nonas Augusti ; *et in ejus Vita, ut est in Ms. Claromontensi :* Ante enim obitum suum petiit a clericis, magnatis (*forte* magnatibus) vel (*id est,* et) sibi subditis, ut corpus ejus transferretur in pagum Blesianum, ad cellam, quam olim ædificaverat, ob memoriam sui. Qui jussis ejus obedientes, cum magno apparatu corpus ejus illuc transtulerunt humandum; ubi Christus infirmis plurima præstat virtutum beneficia. *Ecclesia ista agerque circumjacens etiam nunc a Sancti nomine vocitatur* Saint Bohaire; *distat vero Blesis (vulgo Blois)* leucis *secundum hunc auctorem, num.* 4, tribus; *secundum Blavium, fere duabus; Vindocino (vernacule Vendosme) propemodum tribus; at Carnoto, in mappis Blavianis, facile tredecim. Hinc Vita nostra num.* 14 *:* Exhortor omnes *(Carnotenses biographus alloquitur)* qui anhelant Beatissimi istius sequi vestigia, ne separentur longitudinis terrarum spatio; indesinenter adhæreant pavimento, ubi sancta illius ossa quiescunt humata, *etc. Ex quibus nemo non videt, ob* S. Betharii *memoriam, reliquias, miracula, celeberrimam hanc olim ecclesiam fuisse. Ablata sunt inde postmodum hæc sacra pignora; tametsi de translatione nihil uspiam invenerimus, ne in laudato quidem Breviario, cujus tamen editionem diu antecessit; quandoquidem annis antea octodecim in Historia Carnotensis ecclesiæ testatur Roulliardus cap.* 8, *num.* 3, *et cap.* 10, *num.* 30, *corpus ejus in cathedrali Carnotensium basilica religiosissime asservari. Unde et Saussayus :* Pretiosæ autem, *inquit,* ejus exuviæ hodieque coluntur in matrice ecclesia Carnotensi ; ubi conditæ sunt retro summum altare in antiqui operis hierotheca.

Vita antiqua

3 *Sancti hujus Præsulis Vitam, ab anonymo scriptam auctore, tanti fecit Andreas du Chesne, ut ejus fragmenta non pauca retulerit in Historiæ Francorum scriptoribus coætaneis, tom.* I, *pag.* 560. *Antiquum igitur monumentum hoc esse judicavit, et historica fide dignum, nec multum ab ætate* S. Betharii *remotum. Idem sensisse videntur Valesius, Cointius, Daniel, aliique, cum ad illustrandam Clotharii II historiam ac tempora, scriptorem hunc adhibere non dubitarunt. Virum certe pium fuisse, ex prologo colligimus; quidni ergo etiam veracem, cum num.* 2 *ait :* Nos quod scimus, scripsimus? *Vetustiora ibidem pro se scripta non adducit; sed* religiosa *tantummodo* sanctorum *(eorum credo, qui cum* Bethario *aliquamdiu versati, adhuc supererant)* eloquia, *suamque memoriam; ut vide num.* 11. *Habemus hic igitur Actorum Sancti nostri fontem sine dubio primum, quo recentiorum quorumdam expurgare tuto possimus errata. Carnotensem eum fuisse, cum alia produnt, tum affectus imprimis ille num.* 13 : Sed jam nunc ad istud stylum (heu !) lacrymabiliter figamus, quo seculo decessit Pastor NOSTER piissimus. *Ex iisdem verbis erues, hæc illum Carnotensibus exarasse; id quod etiam num.* 7 *disertius affirmat.*

integra hic primum edenda ex Mss.;

4 *Hujus Vitæ fragmenta jam diximus aliquot vulgata typis esse; sed integram fallor si quisquam adhuc edidit, quamvis ejusdem exemplaria Mss. non admodum rara sint. Cointius enim ad annum Christi* 567, *num.* 34 *eam citat ex codice Vindocinensi; Chesnius, aut qui ejus apographum nobis exscripsit, eamdem in pluribus codicibus legisse se significat ; Papebrochius illam manu propria excepit* ex Ms. bibliothecæ Collegii Claromontani Societatis Jesu Parisiis, *sed prologo destitutam, quem supplevit Henschenius* ex Ms. Fuliensi. *Porro etsi duo apographa nostra, Claromontanum videlicet ac Chesnianum, plerumque consonent usque ad numerum* 13; *quia tamen priore posterius aliquanto nitidius est ac simplicius, hoc visum est exhibere. Neque negligentur sive ad margines sive in annotatis, si qua fuerint observatu digna in exemplari Claromontano discrimina.*

ex ea correcti quorumdam errores

5 *Dixi, hoc fonte eluendos esse recentiorum quorumdam errores : cum ergo hic leges num.* 6 *et* 7, S. Betharium *in sedem Carnotensem defuncto Papulo seu Pappolo statim successisse ; emenda seriem episcoporum Carnotensium, apud Sammarthanos ita digestam, ut Pappolum inter et Betharium antistites omnino decem interponantur; cum ne unus quidem revera intercesserit. Cum animadverteris item eosdem ad numeros, successionem illam accidisse sub* Lothario, *seu Clothario,* secundo *evidentissimis characteribus designato, cum appelletur* filius Chilperici regis, *dicaturque* cum regina Fredegunde, *matre sua,* regnasse; *idque tempore* Theodorici, *secundum num.* 8, *Burgundiæ regis, Brunichildæ nepotis, Clotharii patruelis (sic enim vocat anonymus noster Theodoricum, quod filius esset Childeberti, quem Clotharius II patruelem habuerat;) cum insuper ibidem observaveris,* S. Betharium anno *jam* sexto *Carnotensem ecclesiam tenuisse, quando ab eodem Theodorico idem Clotharius anno Christi* 600 *victus acie fuit; cum hæc, inquam, omnia consideraveris, vide, quantum Saussayus aliique ante et post illum hallucinati sint, cum hæc ad Clotharium III ac fratrem ejus Theodoricum retulere, quo ultimo regnante, Sanctus felicissime in Christo obdormiverit anno* 679. *Atqui quam certum est ex Vita nostra, Clotharii II cladem incidisse in annum ab ordinatione* S. Betharii *sextum; tam certum est ex Chronico Fredegarii cap.* 20, *illam contigisse* anno v regni Theuderici, *seu Christi* 600 *: et rursus, quam inde certum est, ordinatum episcopum fuisse* Betharium *anno Christi* 594 *; tam certum est ex Flodoardo, illum usque ad synodum Remensem, anno Christi* 624 *adulto vel sequente* 625 *celebratam, non pertigisse ; cum isti synodo interfuerit* Bertegisilus, *episcopus jam tum* Carnotensis ; *ut vide apud Labbeum, in Conciliis.*

Sancti ætas

6 *Ceterum quia Vita nostra num.* 13 *decessise tradit Antistitem nostrum,* longo jam ævo fatigatum, *Cointio assentiendum putavimus, cum episcopatum ejus ad annum usque* 623 *extendit, longius etiam protracturi, si per synodum jam dictam liceret : neque enim* longo ævo fatigatus *recte dici quisquam videtur septuagenario minor. Cum ergo, secundum Vitam nostram num.* 3. *Carnotum venerit* S. Betharius, *etiam tum* puer, *jam istic sedente*

Pappolo

A *Pappolo, qui ante annum* 567 *sedere non potuit (ut recte ad annum illum, num.* 33 *et* 34 *ostendit Cointius;) vix ætatem ejus requisitam invenies, nisi episcopatui ipsius quantum synodus Remensis patitur, spatii concesseris : fac enim (ut summum dicamus) venisse illum ad Carnotenses ipso anno* 567 ; *fac, eum tum numerasse annos ætatis sedecim (quis enim* puero *plures tribuat?) vel sic anno Christi* 623 *ætatem attigisset Sanctus annorum tantummodo duorum et septuaginta. At enim quis asserat, aut Pappolum anno* 567 *infulas Carnotenses adeptum esse; aut ipso dignitatis ejus initio advenisse eo* Betharium, *et quidem annorum sedecim puerum? Non est igitur, cur ante annum* 623 *credatur ex hac vita migrasse. Nunc Acta, lector, accipe.*

VITA

B Auctore anonymo, ex Ms. D. Andreæ du Chesne, collato cum Ms. bibliothecæ nostræ Claromontanæ Parisiis.

PROLOGUS AUCTORIS.

Laudes Sanctorum redundant in Deum.

Cum beatorum Confessorum gesta religio Christiana, ad amorem cœlestis patriæ, exemplarque sequacibus bonum, devotissime aggreditur divinis inserere paginis; ut ea, quæ per eos Dominus dignatus est præsentialiter operari, miracula valeant ad cunctorum redolere notitiam hominum; in ejus procul dubio non dubium est accumulari præconiis, qui suis fidelibus, adhuc carnis glutino circumdatis, tantam excellentiam dignatur conferre, quatenus in hoc seculo degentes erumpant, dicentes in laudibus : Nostra conversatio in cœlis est. Obsecro itaque omnes, qui hanc lecturi sunt editiunculam, ut non attendant venustatem grammaticæ artis, sed devotionem
C scribentis. Intento audiant corde, quanta sit gloria mundum relinquere, et per angustum Euangelii tramitem Sanctorum vestigiis adhærere; ut legendo gesta eorum, proveniat eis quod in Euangelio Veritas dicit : Beati qui non viderunt, et crediderunt.

Fides auctoris.

2 Nos * quod scimus, scripsimus; unde portiunculam credimus æternæ beatitudinis affuturam. Nobis autem indubium * non est, quod eorum * vos expectet gloria, qui posse implere Dominum creditis in Sanctis suis, quæ scripta cognoscitis. Aggrediar igitur jam nunc, Domino adjuvante, intercedentibusque beatissimi viri Betharii *a* meritis, decerpere redolentia suavitatis lilia, floresque diversorum odorum; ut valeam nardum componere una ad levamen multorum, ac perungere animarum facinora et repurgare secreta. Nam qui isto perungitur odore, potest comprehendere, quanta Dominus per Servum suum dignatus est operari; sicut religiosa sanctorum testantur eloquia, ipsiusque declarant miracula; qualiter lucerna illuminata cunctis propinabat fidelibus lucem, super montem sita *; nec quiverat abscondi in valle tenebrosa, cui de cœlo supplementum provenerat.

* *Ms. Fuliense* Nam
* *imo* dubium
* *Ms. Fuliense* similis corum
* *Ms. Fuliense* Sion

EX MSS.

VITA IPSA.

Sancti patria, eruditio, clericatus Carnotensis,

Beatus igitur Bertharius urbis Romæ oriundus fuit, et secundum seculi dignitatem nobili stemmate procreatus : qui ab ipsis pene cunabulis puerulus ecclesiasticis est eruditus in moribus. Denique a parentibus philosophiæ traditur. Carnotis urbem advenit, Domino disponente, nutriendus. Tunc nempe temporis vir Domini beatæ memoriæ Papulus * episcopus Carnotensium regebat ecclesiam; qui cernens bonæ indolis Puerum omni venustate fulcitum; intellexit, illum affore * totius futurum ecclesiæ profectum *; [ac] pulsus divino instinctu, comam ejus sancti capitis abrasit, et in servitium ecclesiastici ordinis devinxit. Erat namque ætate puerili ita obedientiæ et humilitati deditus, ut a sancto Spiritu non dubitaretur esse repletus; quod postea rei probavit eventus *b*. Litteris enim decentissime erat eruditus, urbanitate decorabili ornatus ac sublimatus, tantoque honore institutus, ut doctor E divinarum Litterarum, et magister totius civitatis diceretur.

vita solitaria,

4 Cum autem *c* die noctuque isti sancto insisteret proposito, atque obedientiam sibi commissam totis viribus exornaret, vitamque solitariam arripere toto nisu festinaret; humili cum devotione bonæ memoriæ Papulo episcopo studuit indicare. At ille cernens eum cœlesti inspiratione radiatum, dedit ei potestatem in propria tellure parochiaque *, ubicumque vellet, locum sibi ædificandi secretum. Qui, accepta licentia, tribus leucis a castello Blesianensium cellulam sibi propriis manibus ædificavit super fluviolum Sissæ *d*; et ipse locus Basilica nomen accepit *e*; quam eodem tempore beatus *f* Papulus episcopus in honore beati Georgii martyris Christi consecravit. Qui etiam superno instinctu admonitus, lubricæ vitæ discrimina perpendens, pro minuendis facinoribus tam pauperrimam, quasi * felicissimam, dotem eidem conferens asylo, sub honore sancti Spiritus, qui septiformis esse cernitur, septem mansos *g*, ad cumulum suæ salutis collatorumque prædiorum, delargiendos disposuit. Ibique religionis gratia remotus, trahens F longa suspiria pro æterna felicitate adipiscenda, non diebus ac noctibus vacans a colloquiis divinis, commendabat Domino quod timebat.

d *e* natus [illegible]

5 Tunc namque cernens sanctæ memoriæ præfatus Papulus confessor ejus humilitatem, atque crescentem totius boni testimonii Virum, onus diaconatus imposuit *h*. At ille ceu fidelissimus dispensator pecuniarum Domini sui, non gerens rudes vel infantiles, sicuti quidam, mores; sed stans maturus atque omni bonitate conspicuus, ministrabat, erogando sibi a Deo talentum creditum; ita ut de illo non dubitaretur a Domino dictum : Euge, serve bone et fidelis, supra multa te constituam. Sed quia Dominus desiderabilem nolebat diu occultare thesaurum, sed affore totius bonitatis exemplum; ita pene per totam provinciam fama sanctitatis ejus percrebuit, ut usque ad palatium regis rumor ipsius percurreret. Et omnes summa cum devotione stupentes, atque gratias Deo referentes, qui adhuc tantam in juventute florenti contulit beatissimo Bethario gratiam, quanta admirationis gratia, quanta cum excellentia possumus extollere tam magnum et gloriosissimum Virum? Non est enim dubitandum,

* *Ms. Claromontanum ubique,* Pabolus
* *id est,* adesse
* *alias* præfectum
* *Claromontanum Ms.* et parochiam et locum sibi, *etc.*
* *Claromontanum Ms.* sed vere

EX MSS.

dum, quod impar sit * beati Laurentii meritis, cujus sanctitas tot fulget in seculis *i*.

* *forte* non sit

i

Fit archicapellanus Clotharii II,

6 Eo quoque tempore Hlotharius rex secundus, filius Chilperici regis, cum regina, Fredegunde nomine, regnabat super gentem Francorum *; qui audiens famam beatissimi Viri, suum constituit archicapellanum *k*, et pignora multa Sanctorum, quæ secum deferebat (ut mos est regum) ditioni illius constituit, ut Sanctus cum Sanctis haberet custodiam * sanctitatis; et ut merito de illo diceretur : Cum sancto sanctus eris. Suscepit namque officium a rege sibi commissum; et erat gratus tam Deo quam hominibus. Virtutes quoque non modicas per eum tunc temporis Dominus ostendit, quas longum est nostro inserere opusculo : sed ad illud paginula tendit, qualiter sublimatus ad gloriam fuit, sacerdos * ordinatus. Præfatus igitur Papulus episcopus ipso in tempore ab hac luce migravit *l* :

* *in Neustrasia, scilicet*

k

Claromontanum Ms. habitaret in custodia

* *id est* episcopus

l

Atque animam superis felicem reddidit astris.

deinde episcopus Carnotensis;

B

7 Tunc cunctus clerus et devotissimus populus divina admonitus inspiratione, ad palatium pergit; aures regis tota fortitudine pulsat, scilicet petens, ut beatum Betharium sibi daret pastorem ac episcopum. Rex vero contristatus est super hoc negotio, et omnes optimates illius; quia sicut angelum Domini venerabantur eum : verumtamen non distulit vota petentium, quin illico expleret fidelium votum. Tunc jussu imperatorio * omniumque optimatum, Carnotensium ecclesiæ suscepit principatum; directus a palatio diversis honoribus a rege honoratur; suscipitur devotissime diverso cum apparatu ecclesiastici ordinis a famulis Christi fidelibus beatissimus confessor Betharius. Cœpit namque florere in sanctissimis studiis; et, quasi prudentissima apis, populum sibi subjectum velut ex maternali utero gubernare ac pascere non cessabat. Disposueramus adnectere huic schedulæ, qualiter ornatum ecclesiæ constituit, qualiterque illius per omnia cura hospitalitatis fuit; sed rursum existimamus, illud non necesse habere tentare onus; quia nimirum claret manifeste, ut, cujus sanctitatis tanta patuit ordinatio, et adimpletio bonæ conversationis minime defuit. Ad hoc namque curavimus stylum volvere, ut passiones, quas sustinuit pro desiderio cœlestis paradisi et civibus Carnotensis ecclesiæ possimus sagacius intimare.

* *Claromontanum Ms.* regis.

C

quando, urbe ab exercitu Theodorici perfide eversa,

* *intellige, Neustrasiani*

m

8 Eo namque tempore Hlotharius (ut supra taxavimus) monarchiam regni * Francorum regebat; Theodoricus vero in Burgundia tyrannicam *m* exercebat potestatem; qui consilio aviæ suæ Brunichildæ impulsus, cum esset acerrimus ingenioque facilis, hostilem exercitum, quasi arenam maris, innumerabilem ex Burgundia et Allemania atque Gotthia *n*, ceterisque gentibus contraxit, et contra Hlotharium, patruelem suum *, perrexit; Hlotharius e contra commovens exercitum, convenerunt in unum *o*. Sed Clotharius fuga lapsus, usque Perticam silvam *p* pervenit. Audiens autem Theodoricus, quod Carnotensis ecclesiæ civitas valde munitissima esset, thesaurique innumerabiles illic repositi essent, atque Viro Domini commendati, direxit contra illam maximam exercitus sui partem. Veniensque innumerabilis exercitus ac barbara multitudo Carnotis, cupientes comprehendere beatissimum Betharium, anno ordinationis suæ sexto *q*; tunc prædictus Sacerdos una cum clero et populo infra muros civitatis conclusus, fortiter se defendere est conatus. Sed beatissimus Vir, accepto ab iis sacramento, ut nec ipse nec sui aliquid mali paterentur, credens fidei illorum, aperuit portas civitatis. Illico autem ut patefecit aditum, invaserunt more barbarico totam civitatem, devastantes omnia; de populo vero maxima multitudo corruit gladio *r*.

n

* *imo, patris sui*

o

p

q

D

r

9 Cernens autem sanctus Betharius interitum suæ civitatis, dedit se periculo, mediis scilicet hostibus se inferens; ut se solum perimerent, postulans, et populum innocentem ab incursionis nece dimitterent. Hostes autem ira commoti, funda * manus ejus Sanctissimi Viri ausi sunt alligare, secumque usque perduxerunt canes rabidi ad portum *, qui vôcatur Vilemeldis, cum omni injuria, super fluvium Audura *s*. Habebant lupi itineris socium, cujus indigni erant sentire suffragium. Sed cum esset Vir Domini plenus caritate, firmissimus fide, et nullatenus valeret mitigare furores crudelissimæ gentis, elegit consilium, ut pretium daret pro redemptione captivorum; sed unde daret, omnimodis non habebat, maxime cum ligatus loris fortissime teneretur a perfidis, nullaque sui corporis parte in terra cerneretur habere potestatem, mira dispositione omnipotentis Dei *t*, affuerunt sibi impræsentiarum solidi *u* quingenti; quos videntes canini hostes, abstulerunt, et aliquantulam partem captivis * reddiderunt; ipsum vero sanctum Virum usque ad Theodorici regis præsentiam perduxerunt. Interea unus e barbaris gentis ipsius nisus est abstrahere a sanctis manibus ejus chirothecas (quod * vulgo wantos vocant), et suas tegere indignas. Sed subito divina affuit ultio : nam arreptus a dæmonio, propriis dentibus semetipsum cœpit lacerare, manusque suas rodendo truncare; et qui quondam homicida alterius extitit, crudeli nece seipsum interfecit. Videntes talia inimici, cœperunt lapidea corda emollire sua, et Famulo Domini omni devotione servire.

captus ipse, multa pro suis tulit; sed mox illustratus miraculis,

* *Ms. Claromontanum,* loris

* *Ms. Claromontanum,* vicum

s

E

t

u

* *Ms. Claromontanum* captivorum

* *Ms. Claromontanum* quas

10 Interea beatus Betharius pro plebe captus atque ligatus, usque ad regem Theodoricum et Brunichildim est deductus, a quibus tam crudelis exercitus fuerat destinatus. Videns autem rex, et optimates, illius humilitatem, seu sanctitatem sanctissimi Viri, comperto quod esset Dei electus cœperunt eum venerari cum tremore divino : insuper etiam provoluti ejus genibus, rogabant, ut dignaretur eos recipere suis in orationibus; qui etiam consensit, et mox quod petebant, explevit. Credimus etiam, quod ideo Dominus Servum suum cum tanta contumelia ante regem ire permisit, ut perfidi videntes humilitatem ipsius, et cognoscentes sanctitatem ejus, a ferocitate se nimia mitigarent; et captam prædam, quam injuste tulerant, redderent. Quod ita factum fuit : imperante namque Theodorico, redditur omnis captivitas, prædaque magna, thesaurique ecclesiæ; insuper etiam aliis multis muneribus a rege cunctisque optimatibus honoratus, revertitur ad propria, Christo propitiante civitati. Unum vero silendum non est, quia iste Vir sanctus in suis operibus non dissimilis fuit Paulino episcopo, qui semetipsum pro redemptione suæ plebis delegavit in servitium pauperculæ mulieris *x*.

a Theodorico et Brunichilde honorifice liberaliterque dimittitur.

F

x

11 Accidit quoque illis in diebus, ut indiceretur synodale concilium Senonis *y* civitati; ad quam cum pervenisset cum ceteris clericis, coram pontificibus cum omni honore ibidem est susceptus. Per aliquod autem tempus illis ibidem

Apud Senones, præter alia miracula, surdum sanat;

y

commo-

A commorantibus, innotuit Viri Domini fama per loca circumquaque vicina. Tunc multi infirmi venientes ad illum, orationibus mox illius salvabantur : tantam enim gratiam Dominus illi concesserat exhortationis doctrina, ut quicumque venissent ad illum, verbum audituri, ita recedebant illuminati, lacrymisque perfusi, acsi cæci * fuissent jubare Christi inflammati. Interea dicamus unum illius de pluribus miraculum memoriæ nostræ insitum, ne videamur lectori inferre fastidium. Quidam vir erat, in provincia illa secundum seculi dignitatem præcipuus, nomine Portagius ; qui perditum habebat auditum aurium jam annis duobus. At ubi audivit famam beatissimi Viri, devotus ad eum pervenit ; atque ejus provolutus genibus, cœpit lacrymabiliter rogare, ut suis orationibus mereretur auditum jamdudum ablatum. Cujus precibus Vir beatissimus cœpit reluctari, atque se indignum inclamare * hujus operis esse. At ille fatebatur, non se recessurum, antequam auditum ab eo reciperet amissum. Quod ille audiens, valde admiratus est fidem hominis. Tunc confisus de illo, qui dixit, quia omnia possibilia sunt credenti, signum crucis auribus ejus impressit ; atque illico auditum, quem B amiserat recepit.

* Ms. Claromontanum cœlitus

* Ms. Claromontanum reclamare

Item energumenam, et cæcos duos.

12 Quadam etiam die cum beatissimus Vir jaceret coram altari gloriosissimæ Virginis Mariæ toto corpore prostratus, advenit illuc quædam puella, plurimis jam annis vexationem patiens dæmonis ; sed mox ut Vir sanctus conspexit, puellulam a diro hoste torqueri, ad nota convolavit orationum præsidia ; fixisque in terram genibus, oravit diutius, atque hostem invidum repulit, humani generis adversarium. Moxque sana facta, gratias agens Deo et Beatissimo Bethario, rediit sana, quæ multo tempore fuerat a dæmonio vexata. Duo item cæci erant in eadem civitate *, qui longo jam tempore vitæ præsentis lumine caruerant ; qui adducti sunt ad beatum Virum ex revelatione divina : viderant enim in somnis, a beato Bethario manus sibi imponi visumque recipi. Sed mox ut ante conspectum Viri Dei pervenerunt, cœperunt iterando clamare : Sancte Bethari, redde nobis lumen ; quia Dominus tuus ideo nos ad te misit. Quod audiens beatissimus Betharius, admirans suspiciensque C in cœlum, ait lacrymabiliter ad illos : Si Dominus meus Jesus Christus misit vos ad Servum suum, in nomine illius præcipio vobis, ut aperiantur oculi vestri. At illi, quasi evigilantes, sani sunt facti, nullam passionem oculorum habentes ; et qui aliorum juvamine illuc venerant, habentes proprios visus ductores, Christo favente, ad propria sunt reversi incolumes. Plurima namque sunt miracula, quæ per Servum suum Dominus dignatus est ostendere in terra ; sed ut lectori non sit onerosa prolixitas lectionis, sufficit dixisse pauca de pluribus.

* scilicet Senonensi

Sancti obitus.

13 Sed jam nunc ad istud stylum, heu ! lacrymabiliter figamus, quo seculo decessit Pastor noster piissimus. Cum autem Dominus humilem Servum suum z longo jam ævo fatigatum, quem semper amaverat, vellet a labore quiescere, et reddere ei præmium cœlestis patriæ ; ut qui diu contra diabolum sudaverat præliando, sine fine perciperet quietem cum Christo regnando, imposuit ei modicum pondus injuriæ *aa*. Quid moror amplius ? Quamquam lacrymæ operiant oculos meos, ne valeant notare apiculos ; tamen venit hora referendi exitus sanctissimi Patris. Flentibus populis, gaudentibus Sanctis, stipatus Angelorum choris, penetravit cœlestia cum Domino regnaturus per secula. EX MSS.

z

aa

Epilogus auctoris.

14 Exhortor omnes qui anhelant Beatissimi istius sequi vestigia, ne separentur longitudinis terrarum spatio *bb* ; indesinenter adhæreant pavimento, ubi sancta illius ossa quiescunt humata : recurrant seduli ad ipsius sepulcrum, flagitantes ab illo divinum auxilium ; ut ipsius intercedentibus meritis Dominus Jesus Christus det omnibus fidelibus intelligentiam suæ cognitionis ; ut cum eo pariter cuncti sacerdotes, et devotissimus populus, pretioso sanguine suo redemptus æternum mereantur conscendere regnum, ipso adjuvante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

bb

ANNOTATA.

a *Apographum habebat hic et deinceps semper*, Botharii ; *ad quam vocem notatum hoc erat in margine :* Sic in uno codice antiquo ; in aliis vero scribitur Betharii. *Adi Commentarium prævium ad num.* 1. E

b *Textus ab initio numeri usque huc, omnino congruit cum textu codicis Vindocinensis, ut a Cointio recitatur ad an.* 567, *num* 34 ; *nisi quod Vindocinensis cum Claromontano* præfectum *habeat, non* profectum. *Claromontanus vero minus hoc numero sincerus videtur, cum ita refert :* Qui ab ipsis incunabulis pene puerilibus philosophiæ ecclesiasticæ est enutritus in moribus. Denique oraculo divino admonitus, Carnotes urbem advenit, disponente Domino, ibidem nutriendus.

c *Claromontanum :* Cum autem, annis puerilibus transactis, adolescentiæ metas transiret, et die noctuque, *etc.*

d *Cointius ad annum* 576, *num.* 23, *in codice Vindocinensi legit* Sipæ ; *sed perperam. Est autem* Sissa, Ciza, *seu* Sicia (*vulgo* la Cisse, *et*, la Cise) *fluviolus haud multum infra Blesas in Ligerim influens. Adi Massonum in Fluminibus Galliæ secundum edit. Paris. anni* 1618 *pag.* 64. *Porro secessum hunc* S. Betharii *accidisse putat Cointius ibidem anno circiter* 576.

e *Consonat Cointius loco citato. Videtur tamen præferenda lectio Ms. Claromontani ubi sic legitur:* Qui et ipse locus et basilica nomen ejus (S. Betharii *videlicet*) accepit. *Certe tam ecclesia illa, quam subditum ei territorium appellata exinde fuerunt* Saint Bohaire ; *ut in Commentario prævio, ad num.* 2, *monuimus.* F

f Beatus, *et supra* beatæ memoriæ, *laudabilem quidem hujus Pappoli vitam indicant ; de cultu tamen ejus nihil invenitur ; ideoque in Opere nostro nullum habet locum. Meminit de hoc episcopo non semel Gregorius Turonensis, in cujus operum editione novissima profertur ejusdem Pappoli libellus supplex de episcopatu Dunensi col.* 1340.

g Mansus, *qui et* mansa *dicitur et* mansum, *est agri certa portio, in qua et colonus ædes habeat ; de qua voce plura Cangius. Non videntur autem* mansi septem *fuisse olim tanti pretii, quin solos eos possidens, pauper dici potuerit ; ut colligitur ex Adamo Bremensi Hist. eccles. lib.* 2 *cap.* 4. Vir iste, *inquit*, pauperibus ortus natalibus, primo, ut aiunt, septem mansis totidemque manentibus, ex hereditate parentum fuit contentus.

h *Ms. Claromontanum* : Onus ei archidiaconatus imposuit, et curam rei familiaris et thesauros ecclesiæ illi commisit.

i *Subdit hic Ms. Claromontense :* Qui et utrique thesauros ecclesiæ distribuerunt egenis.

k *Utique jam presbyterum ordinatum. Archicapellanus autem, si Cointio credimus, factus est anno circiter* 588.

l *Anno*

EX MSS.

l *Anno circiter* 594, *ut patebit infra ex anno sexto* S. Betharii, *et in Commentario dictum est num.* 5.

m *Atqui Theodoricus legitimus erat Burgundiæ rex; sed infensus illi videtur hic scriptor; forte quia bellum hoc et urbis præsertim Carnotensis tam injusta crudelisque vastatio Theodorico, Brunichildis aviæ consiliis instigato, tamquam auctori præcipuo adscribebantur; unde nec Theodeberti meminit Austrasiæ regis, qui tamen hujus expeditionis pars magna fuit, teste Fredegario cap.* 20 : *nimirum hic Brunichildim, omnis mali fomitem, regno nuper ejecerat; unde belli hujus socius quidem censeri poterat; sed non auctor.*

n *Intellige ex Hispania, quam Visigothi tenebant, Theodorico et fratri ejus per aviam sanguine juncti. In apographo Claromontano male legitur* Scotia.

o *In agro Senonico scilicet, Icaunam inter et Lupam fluvios. Prælium hoc et eventum ejus copiose describunt Historiæ passim obviæ Galliarum. Valesius illud referens ad annum Christi* 599, *a Labbeo nostro ac ceteris illum secutis deseritur, qui pro certo statuunt, illud contigisse anno sequente, Theodorici, secundum Fredegarium, quinto, Christi* 600:
B *Theodoricus enim patri Childeberto successit mense circiter Aprili anni* 596.

p Silva Pertica, *seu* saltus Perticus (*vulgo* la forêt du Perche) *in provincia cognomine, Belsiam inter et Normanniam, celebris olim fuit, ut ostendit Valesius in Notitia Galliarum. Ms. Claromontense hoc loco interserit :* Theodoricus vero Burgundionum rex, acriter eum insequebatur. Sed Lotharius Francorum rex, fugam, ut diximus, iniit. Tandem Theodoricus eum non valens comprehendere, cuncta, quæ in regno ejus erant, vastans et incendio tradens, Carnotum urbem usque pervenit. Audiens autem, Theodoricus quod Carnotensis ecclesia, *etc.*

q *Vide Commentarium num.* 5.

r *Prædixisse creditur hanc urbis hujus calamitatem S. Launomarus abbas, ut videre est in Actis ejus tom.* 2 *Januarii, pag.* 234, *num.* 24 : *quod si verum est, Malardo id certe dicere, ut ibi tamen asseritur, non potuit; quippe qui diu posterius ecclesiæ Carnotensis antistes creatus est. Sed hæc alias, ubi ad Januarium redibitur.* D

s Audura, *nunc* Arva (*vulgo* Avre) *fluvius, Normanniam a Francia dividens, ad quem sedebat* Vilemeldis, *seu* Villemeudis, Villemodis, *aut* Villa mollis, *vulgo* Villemeus. *Consule Valesii Notitiam Galliarum ad vocem* Arva.

t *Ms. Claromontanum :* Mira dispositio affuit Dei omnipotentis : nam, prece effusa, affuerunt sibi, *etc.*

u Solidi *nummi erant aurei, quorum singuli tum viginti denariis argenteis æstimabantur. Vide sis Cangium.*

x *Historiam spectat auctor de* S. Paulino episcopo *Nolano a S. Gregorio Magno vulgatam, quæ modernos criticos usque adeo exercet. Nos de illa egimus tom.* 4 *Junii, pag.* 230.

y *Ms. Claromontense :* Apud senomis civitatem. *Est ea quidem notissima et archiepiscopolis; sed hujus concilii nec certum tempus nec acta sciuntur.*

z *Ms. Claromontense :* Cum autem Dominus ei funus sui transitus revelasset, [et] longo jam senio fatigatum, *etc.*

aa Injuriæ, *id est, opinor*, incommodi; *videtur ergo Sanctus ante obitum non diu ægrotasse. Hinc porro usque ad finem differt Ms. Claromontense a* E
Chesniano. Nam post verba hæc modicum injuriæ pondus, *ita prosequitur :* Convocatis denique fratribus innotuit sui corporis resolutionem; et monens eos, ut firmi et constantes persisterent in fide Christi, sicque percepto Viatico, flentibus ipsis, gaudentibus angelis, transiit ad Dominum in eadem urbe, die primo Kalendarum Augustarum. Ante enim obitum, *etc.*, *ut in Commentario dedi num.* 2, *usque ad*, virtutum beneficia. *Quibus continuo subduntur sequentia :* Recurrant seduli ad ipsius sepulcrum non solum Carnotensis populus, verum etiam plebs universa, flagitantes ab illo divinum adesse auxilium, ut liberari mereantur a potestate inimica, et pervenire ad cœlestia regna, præstante D. N. Jesu Christo, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per infinita secula seculorum. Amen.

bb *Vide dicta in Commentario prævio num.* 5.

DE

A D

DE S. ETHELDRITHA SIVE ALFREDA

VIRGINE RECLUSA

IN CŒNOBIO CROYLANDENSI IN ANGLIA.

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS

Sanctæ cultus, Acta, reliquiarum exustio.

B

ANNO *vel* CIRCITER DCCXXXIV.

Martyrologi maxime variant

Non *est hæc illa S. Etheldreda sive Etheldritha Elyensis abbatissa, quam dedimus ad diem* XXIII *Junii; sed alia minus celebris et toto amplius seculo junior, Offæ Merciorum regis et Quendredæ filia.* Althridam *appellat Bromtonus, et secundum quosdam nuncupatam ait* Alfridam ; *sed apud Ingulphum in historia Croylandensi constanter vocitatur* Etheldritha. *Pro Sancta post obitum habitam fuisse, patebit ex iis, quæ de sepulcro ejus idem infra narrabit Ingulphus: sed quo mense ac die celebrata fuerit olim ipsius memoria, me fateor post multam indagationem ignorare. Hac die refertur cum titulo Beatæ ab Acherio et Mabillonio in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 4, *part.* 1, *pag.* 565, *ubi dicitur:* Ejus obitus diem consignat Wion tertio Nonas Augusti, et post eum Thomas (*imo* Eduardus) Maihewius. *Nos in Wione id non reperimus; agit hic de hac* sancta *quidem* Alfreda *in Ligno vitæ lib.* 4, *cap.* 28, *verum de die obitus altum silet. Maihewius indicat, natalem ejus ignotum sibi fuisse, cum ad hunc diem ita scribit:* In monasterio Croylandensi, COMMEMORATIO B. Etheldrithæ virginis, quæ Alfreda a nonnullis nominatur: *Porro monuerat lectorem, tomo* 1 *in præfatione pag.* 172, *his verbis:* Admonendus est lector, quod quorumdam etiam magni nominis Sanctorum dies certos natales nullo modo assequi potuimus: sed et hos diebus maxime commodis SUB NOMINE COMMEMORATIONIS inter reliquos apposuimus. *Hunc eumdem interea diem ejus elogio consignat Arturus in Gynæceo, solo, ut apparet, Maihewii ductus exemplo.*

C

In assignanda Sanctæ hujus celebritate.

2 *Quid Menardum impulerit, ut eam die* IV *Augusti celebraret, obscurum est; sed et hic sequacem habuit Bucelinum. Castellanus in Martyrologio universali reponendam censuit die* XXIII *Octobris; credo, quia de illa intellexerit annuntiationem Greveni, eodem die sic notatam:* Ethelfredæ reginæ, *quæ sane de nostra potest intelligi; cum idem sit nomen* Alfrida, Alfreda, Elfreda, Ethelfreda; regina *quoque dici potuerit, tamquam sponsa regi Ethelberto destinata. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, sic eam exhibet die* XXVI *Decembris:* In Anglia sanctæ Ethelfredæ virginis; *in annotatis autem hæc subdit:* Ex Martyrol. Angl. De ea Polydorus Virgilius lib. 4 Hist. Angl., Arnoldus Wion lib. 4 Ligni Vitæ. *Utinam Martyrologium illud Anglicanum (unum, an plura?) quid sit, aut cujus fidei, locive, diligentius adnotasset. Vereor enim, ut magnæ sit auctoritatis, quod præter Ferrarium si quis viderit, certe nemo, quod sciam, secutus est. Wilsonus denique in Martyrologio suo Anglicano, in editione anni* 1608, *quia tum anniversaria hujus Sanctæ veneratio et observari desierat, et nusquam apparebat notata, eam reposuit die* XII *Decembris; sed sub titulo* commemorationis, *et adjuncto asterisco; quod in præfatione se facturum promiserat, quoties natales Sanctorum certos assecutus non esset. Ubi vero is postea eumdem illum diem* XII *Decembris vere huic Virgini natalem fuisse didicerit, nescimus: didicisse tamen alicunde videtur, quandoquidem anno* 1640 *in editione Martyrologii sui secunda, emendata auctaque, absque ullo ambiguitatis indicio ad illum diem sic habet:* In insula Croylandensi, comitatu Lincolniensi, depositio (*non jam* commemoratio) sanctæ Elfredæ virginis, Offæ Merciorum regis filiæ, *etc. Ceterum cum nihil hic possimus certi statuere,* S. Etheldritham *et nos hoc die proponimus, non quia natalem ejus existimamus esse (nulla est enim id suspicandi ratio); sed quia eodem illo ejus elogia apud nos requisituros putamus lectores, quo ea in opere vulgatissimo lectissimoque, Actis, inquam, Sanctorum Ordinis Benedictini, relata jam noverint.*

E

3 *Acta ejus aliquando seorsum scripta fuisse, nemo tradit: itaque ex variis auctoribus petenda sunt, Ingulpho præsertim, qui seculo* XI *floruit, abbate Croylandensi, et Joanne Bromtono abbate Jornalensi, qui seculo sequente scribebat; paucula illa quidem, sed quæ sufficiant ad faciendam de ceteris conjecturam. Bromtonum, qua parte huc spectat, jam dedimus ad diem* XX *Maii, ubi de S. Ethelberto, orientalium Anglorum rege, pag.* 241* *et sequentibus. Asserit is ibi num.* 3, Etheldritam Offæ, Merciorum regis filiam *fuisse, et quidem* unicam atque legitimam (*sive quod altera ejusdem regis filia Edburga legitima non fuit, sive quod jam ab anno* 787, *secundum Florentium Wigorniensem et Chronicum Saxonicum, a Gibsone editum, Brithrico, Saxonum occidentalium regi, fuerat collocata*). *Narrat subinde, ejus nuptias expetiisse sanctum, quem jam diximus, Ethelbertum; unde virtute colligas eximiam fuisse, ut quæ viro placuerit, qui ab ætate tenera nihil adeo spectare didicisset in omnibus, ut vitæ integritatem ac sanctimoniam. Quid, quod Spiritu jam tum divino plenam futura prædixisse, idem scriptor affirmat? Memorata namque S. Ethelberti, qui sponsam honorifice ducturus, ultro per se ipse ad Offam accesserat, detestanda, et sceleratis impiæ potissimum Quendredæ artibus adscribenda nece, ita pergit ibidem num.* 8: Audito igitur principis casu tam inopinato (Althrida virgine revelante militibus Ethelberti regis ad propria reversis) eadem Virgo prophetico spiritu repleta, matri, quasi divina comminatione, futura prædixit: et primo de filio suo Egfrido, per

Ejus parentes, sponsus, et sanctitas in seculo:

F

trien-

AUCTORE P. B.

triennium non victuro, regnoque ipsius non stabiliendo: de ipsa etiam regina, turpi morte in brevi moritura, et ultra tres menses non victura, et ante mortem suam dæmonibus arripienda, et linguam suam *(qua tantum scelus Offæ, primum abhorrenti, persuaserat)* propriis dentibus corrodenda*. Quæ omnia, sicut prædicta fuerant postea evenerunt.

* *lege* corrosura

recessus ejus ad cœnobium Croylandense,

4 *Accedit arduum vitæ genus, quod sibi mox ipsa deligere Virgo tenella regiaque enimvero non potuit nisi jam edocta pridem et aulæ delicias pompamque contemnere, et rebus assidue divinis totum animum occupare.* Virgo igitur Althrida, *inquit Bromton ibidem*, quæ et secundum quosdam dicitur Alfrida, castitatem corporis sui Deo devovens, ad palustria Croylandiæ, tamquam ad eremum, curavit finaliter se transferre: ubi contemplationi penitus et devotioni dedita, talari tunica induta, in omni sanctitate vitæ permansit, eligens magis abjecta esse in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Hæc ille. At Vita S. Ethelberti apud Capgravium, folio* 138 *verso, clarius innuit, non diu post obitum sponsi, dilatum ab* Alfreda *fuisse castæ solitudinis captandæ consilium, sed in ipso quodammodo sacri cadaveris conceptum intuitu, ut nihil appareat causæ, cur ad eumdem res utraque annum referenda non sit: sive illum fuisse statuas cum Wigorniensi annum Christi* 793; *sive, cum Saxonum chronicis a Wheloco et Gibsone vulgatis, annum* 792. *De Croylandensi Benedictinorum cœnobio consule sis Acta S. Guthlaci ad diem* XI *Aprilis.* Idcirco autem ad illud cœnobium præ ceteris se recepisse videtur, *ut post Maihewium observat Mabillonius hoc loco,* quod locus ille ob frequentia S. Guthlaci miracula eo tempore celeberrimus haberetur; tum quod cœnobium illud ab Ethelbaldo, Merciorum rege, Offæ patris sui decessore et consanguineo, non multos ante annos constructum fuerat.

et cellam ibidem solitariam;

5 *Quam vero strenue, quam constanter in hac sese palæstra exercuerit, indicat Ingulphus in editione Francofurtensi anni* 1601, *pag.* 855, *cum illam appellat* sanctissimam virginem Etheldritam, Offæ, quondam regis Merciorum, filiam, sponsam sancti martyris Ethelberti, quondam regis Estangliæ (in cujus nomine jam sedes episcopalis Harfordiæ dedicatur); sed tunc pro Christi sponsi sui amore in australi parte ecclesiæ Croylandensis contra magnum altare in quadam parte cellæ reclusam. *Agit de anno Christi circiter* 825, *cum ad eam Withlasius, simul ad Merciæ solium evectus a suis, simul antequam contrahere potuisset exercitum, ab Egberti regis occidentalium Saxonum ducibus ad necem aut vincula conquisitus, tamquam ad asylum confugit, atque* industria domini Siwardi abbatis quatuor mensium spatio in cella sanctissime virginis Etheldrithæ, nullo alio conscio, fuit absconditus, tutas latebras illic agens; quousque, mediante dicto abbate venerabili Siwardo, cum dicto rege Westsaxonum concordatus est, et, promissa tributi annualis pensione, ad regnum redire pacifice permissus.

ubi sanctissime vixit,

6 *Felices profecto latebræ; ut quarum ipse memoriam, quoad vixit, ex animo delere non potuit. At enim quid ibi in Virgine nostra per menses illos quatuor spectaverit, quam alte menti impressam inde retulerit sanctitatis ejus imaginem, re deinde potius et affectu, quam verbis, testatum voluit. Ac primo quidem amplissimo diplomate, quod integrum ibidem Ingulphus exhibet, cœnobium illud, Etheldrithæ cum primis gratia, ditavit. En tibi exordium:* Withlasius, dispositione divina rex Merciorum, omnibus Christicolis, universam Merciam inhabitantibus, salutem sempiternam. Magnalia Dei prædicare et publicare minime mihi verecundum, sed vere videtur honorificum et gloriosum. Unde aperte confiteor Domino, qui in altis habitat, humilia respiciens in cœlo et in terra, quoniam ad tempus iratus est mihi, conversus est furor suus, et consolatus est me, humilians in ira sua peccatorem usque ad terram, detrahens usque ad pulverem, et iterum in misericordia sua suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeam cum principibus et solium gloriæ teneam. In die igitur bonorum ne immemor sim malorum, memor ero Rahab, et Babylonis scientium me; non Rahab meretricis, sed Etheldrithæ sanctissimæ virginis, cognatæ meæ, pro Sponsi sui, Agni immaculati amore, Croylandiæ reclusæ, et in tempore tribulationis meæ me in cella sua quatuor mensium spatio diligentissime abscondentis a facie inimici et persequentis: memor etiam ero Babylonis, non turris confusionis, sed sanctissimæ ecclesiæ Croylandensis, quæ terra turris* ad cœlum ascendens vigiliis et orationibus, psalmis et lectionibus, disciplinis et afflictionibus, lacrymis et singultibus, eleemosynis et innumeris aliis devotionibus pietatisque operibus, pro seculo peccatore fortissimam violentiam regno cœlorum ingerit die ac nocte, *etc.*

* *f.* quæ de terra ut turris

uti testatur etiam rex Withlasius,

7 *Tum ibidem versus finem:* Istud chirographum, domino Sigwardo abbati, patri meo, et Etheldrithæ sanctissimæ virgini, pro Christi amore ibidem reclusæ, carne quidem cognatæ meæ, sed (quod magis est) in Christo charissimæ sorori, quondam promissum, in præsentia dominorum meorum Egberti regis Westsaxoniæ et Athelwulphi filii ejus... signo sanctæ crucis confirmavi. *Sequuntur præsentium subscriptiones multæ, quarum hæc est ultima:* Ego Withlasius, Domini nostri Jesu Christi gratia rex Merciorum ad sanctæ matris Ecclesiæ honorem et divini cultus exaltationem anno Incarnationis ejusdem nostri Salvatoris octingentesimo tricesimo tertio, in festo S. Augustini confessoris, doctoris, et apostoli nostræ gentis (*colebatur die* XXVI *Maii, ut modo*) hæc pauca offero; pluraque offerrem, quin corpus meum in morte mea tam sancto monasterio promitterem, nisi antea sepulturam meam Ripadio devovissem; verumtamen spiritus meus permanebit vobiscum in æternum. *Sic ille tum erga Virginis hujus, etiam superstitis, perspectam sibi sanctitatem affectus erat; sic eam per instrumentum nobilissimo in consessu conditum obsignatumque perpetuæ jam tum posteritatis memoriæ commendare non verebatur.*

qui in ejus cella mensibus 4 fugitivus delituerat.

8 *Sed ejusdem tamen virtutes rex idem quanti faceret, tum prodidit luculentius, cum aliquanto post laboriosæ vitæ metas attigisse* Etheldritam *inaudiit:* *nam* cum obitum sanctissimæ virginis Etheldrithæ primitus intellexit, *inquit Ingulphus pag.* 858, tanto dolore consternatus est, ut longo tempore lecto decumbentem omnes sui jam morti proximum formidarent. Tandem, favente Dei gratia, convalescens aliqualiter, et ad sepulcrum ejus accedens (tumulata namque fuerat ad caput sancti viri Tatwini quondam sancti patris Guthlaci in dictam insulam ductoris et naucleri) quasi ecstasim passus, tot lacrymas, recuperato spiritu, super tumulum fudit; tamquam uxorem, et filium aut totam familiam subito infortunio perdidisset; donec dominus Siwardus (quem, ut pa-

trem

A trem suum, semper tenerrime venerabatur) severius eum corripiens, invitum et renitentem de tumulo ad cameram suam adduxit. Non multo post Wimundum filium suum, longa dysenteria defunctum, ad latus Virginis dextrum tumulavit. Uxorem etiam Celfredam consequenter infra unius anni spatium decedentem ad latus sinistrum ejusdem Virginis regio apparatu lacrymisque irremediabilibus sepelivit.

Obiit post annos 40 in cella transactos. Reliquiæ perierunt.

9 *Quo anno* S. Etheldritha *decesserit, non constat : id tamen ex dictis liquet, quod saltem ad annum usque* 833 *et mensem circiter Junium superfuerit, nec annum attigerit, quo vivere desiit Withlasius, vel Christi* 838 *secundum Florentium Wigorniensem, vel* 839, *ut numerat Alfordus noster. Solitudinem ergo, cui sese anno Christi* 692 *aut sequente incluserat, per annos ut minimum quadraginta constanter incoluit. Perierunt ejus reliquiæ* anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo septuagesimo, mense Septembri, *cum irruentes in cœnobium Dani, nullo non illud sacrilegii genere violatum exusserunt.* Occisis itaque, *ait Ingulphus pag.* 866, omnibus monachis a quæstionariis, et
B thesauris monasterii minime adhuc inventis, Dani omnia sarcophaga Sanctorum, qui altis tumulis marmoreis circa tumbam sancti patris Guthlaci ad dexteram et ad sinistram ejus quiescebant, cultris atque ligonibus confregerunt ; scilicet ad dexteram sancti Cissæ, sacerdotis et anachoritæ, et tumulum sancti Bettelmi, viri Dei et quondam ministri sancti Guthlaci, tumulum etiam sancti Tatwini, quondam ducis ad Croyland et naucleri sancti Guthlaci, tumulum etiam sanctissimæ virginis Etheldrithæ, nec non et tumulos Celfredæ, quondam reginæ, et Wimundi, filii regis Withlasii, barbari confringentes, cum speratos thesauros non invenirent, nimium indignati, universa Sanctorum corpora, in unum acervum miserabiliter contracta, immisso igne, die tertio adventus sui, cum ecclesia et omnibus monasterii ædificiis, scilicet septimo Calendarum Septembris (*imo* Octobris, *ut ex præcedentibus ibidem evidens est)* funestissime combusserunt.

AUCTORE P. B.

Sanctis adnumerata fuit inde a seculo nono.

10 *Ceterum ex hoc et præcedenti numero vides,* Etheldritham *nostram post obitum ab Ingulpho non solum appellari Sanctam, ut Guthlacum et alios, sed etiam* Sanctissimam : *talis ergo censebatur a seculo saltem undecimo apud Croylandos, imo et a seculo nono. Nam hinc illæ lacrymæ Fratrum quorumdam, cum post Danicam illam cladem, quam fuga præverterant, ad cœnobium reduces, e Fratre Turgaro primum cognovere, inter jacturas alias, memoratorum quoque Sanctorum corpora flammis absumpta prorsus interiisse :* Sed audientes ab eodem *(verba sunt Ingulphi pag.* 867*)* quibus in locis E tam abbas eorum, quam ceteri seniores et confratres sui, occisi jacebant, et quomodo omnia Sanctorum sepulcra confracta, et monumenta omnia sacraque volumina sua cum corporibus Sanctorum combusta, inæstimabili dolore omnes consternati sunt, planctusque et ploratus diutissime factus est.

DE BEATO GUNDECHARO EPISCOPO

EYSTADII IN GERMANIA.

P. B.

C

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Cultus ejus et reliquiæ apud Eystadienses.

ANNO MLXXV.

Ejus cultus, etsi Fastis ignotus,

E*ystadium, Eustadium. Aichstadium, etc., vulgo* Eychstett, *urbs est Germaniæ in circulo Franconico ad Almonum sive Altimylam amnem sita, tribus Ingolstadio versus occasum æstivum milliaribus Germanicis. Plura de hac diximus, Julii tom.* 2, *pag.* 483; *ubi de S. Willibaldo, primo ejus antistite, quem secutus post alios est* B. Gundecharus *(aliis* Gundekarus, Gundakarus, Gundekardus, Gunzo) *episcopus ordine* XVIII, *nomine secundus. Præcones is habuit virtutum suarum Gasparem Bruschium, et hoc multo illustriorem uberioremque Jacobum Gretserum Societatis Jesu theologum, ambos in Catalogo episcoporum Eystettensium; ac tandem etiam Matthæum Raderum nostrum, Bavariæ sanctæ tom.* 2 *a pag.* 206. *Ne quid autem de Bruschio hic memorem amplius (quippe qui de hoc argumento scripserit* jam quinti, *ut Gretserus loquitur in sua Præfatione,* evangelii genio afflatus,) *Gretserum inter et Raderum hoc interest, quod hic* Gundecharum *modo* Beati, *modo* Sancti *titulo compellatum, palam inter Cœlites agnitos in Ecclesia recensere non dubitet;* F *ille vero, tametsi vitæ ejus sanctimoniam pluribus a morte miraculis probatam affirmet, et corporis reliquias appellet* sacras, *ab epitheto tamen tam* Beati *quam* Sancti *ejus nomini adscribendo constanter abstineat. Hinc cœpimus de publica* Gundechari *veneratione hoc magis ambigere, quod illam nec antiquis uspiam, nec recentibus Fastis sive hoc die, quem obitu consecravit, sive alio quocumque, testatam sciremus. Itaque ecclesiam Eystadianam per nostros ibi commorantes consulendam putavimus. Suscepit negotium R. P. Franciscus Steinhart, Eystettensis collegii rector; qui mox cum celsissimi principis sui atque antistitis, tum canonicorum omnium promptissimam in hac re nactus voluntatem et operam, ex utroque archivo, episcopali scilicet et capitulari, ea huc nobis anno* 1731 *die* VII *Maii instrumenta, et rite quidem singula atque authentice subscripta sigillataque, submisit, quæ nullam de publico* Gundechari *cultu dubitationem deinceps relinquerent.*


probatur tamen ex elevatione corporis facta anno 1509


2 *Nam constat ex iis primo, elevatum e tumulo subterraneo fuisse corpus ejus, et altius atque honorificentius evectum a Philippo episcopo Eystettensi trigesimo nono, idque annis, postquam sepultum fuerat, ducentis triginta quatuor : sic enim habet*

Ponti-

AUCTORE P. B.

Pontificale Ms. Eystadiense, ab ipso Gundecharo *nostro cœptum, et continuatvm a successoribus ejus, servatumque adhuc in archivo episcopali.* Hic *(Philippus, quem dixi, et cujus ibi vita describitur)* etiam episcopum Gundecharum, hujus nominis secundum episcopum Eystettensem, miraculis coruscantem, elevavit anno Domini MCCCIX in capella S. Joannis Evangelistæ ad tabulam lapideam; ac miracula quamplurima, quæ per ipsum fiebant, populo prædicavit, hominesque ad devotionem prædicti Sancti provocavit; qui adhuc a multis ut sanctus adoratur ex devotione; licet adhuc in Sanctorum catalogo non sit descriptus et canonizatus. *Ita fragmentum illud, ut quidem nuper accepi : nam apud Gretserum pag.* 484 *non nihil discrepat. De eadem hac elevatione agetur infra in historia Miraculorum, ubi et quo die, mense, ritu, quanta populi frequentia, quot præcedentibus, comitantibus, subsequentibus prodigiis, peracta fuerit, explicabitur. En tibi interim utriusque sepulcri, hoc est, et subterranei, ex quo elevatum est, et marmorei subterraneo superstructi, in quod repositum est beati Gundechari corpus, accuratam, prout inde missa est, delineationem.* D





e sepulcro subterraneo ad superius marmoreum;

3 *Sepulcra hæc in ecclesiæ cathedralis sacello, quod ipse olim* Gundecharus *S. Joannis Evangelistæ nomine exstruxit consecravitque, sita sunt; ubi se ipse sepeliri jusserat,* non sub ara, sed in medio fere sacello; *ut asserit R. P. Steinhart. Littera* A *designat locum prioris sepulcri, ex quo sublatum est corpus.* B *sepulcrum sublime et marmoreum, in quod ossa Beati ab episcopo Philippo, vino lota et plumbeæ inclusa thecæ, evecta sunt.* C *ostiolum ferreum, tribus seris clausum, intra quod positum est vasculum, in quod olim per tubulos ferreos defluens ex ossibus oleum recipiebatur, non secus atque ex adverso latere, ubi in media sepulcri base eadem omnia sunt.*

4 *Constat ex iisdem instrumentis secundo, titulum* Beati, *vel* Sancti, *vel* Gloriosi *apud Eystettenses vulgo obtinuisse* Gundecharum, *et ante elevationem jam dictam, et maxime post illam. Ante illam in vetustissimo præsentiarum, ut vocant, Registro, cujus initium ducitur ab anno, quo Beatus obiit, Christi* 1075, *mense Decembri hæc rubricis notata leguntur :* In secundis Vesperis Stephani dantur candelæ omnibus presbyteris; videlicet Dno episcopo, canonicis, vicariis, et omnibus sacerdotibus civitatis, qui vadunt in processione AD S. GUNDECHARUM. *Ubi vides, Sacellum S. Joannis Evangelistæ, cujus a secundis S. Stephani Vesperis festa lux agitur, et in cujus proinde honorem, ut ego quidem interpretor, hæc supplicatio erat instituta, jam tum appellari cœpisse* Ad S. Gundecharum. *Quorsum, obsecro; nisi quod* Gundecharus, *omnium opinione ac voce sanctus, ibi nuperrime sepultus fuerat?*

item ex usitato passim publice titulo Sancti, Gloriosi, et Beati;

A *rat? Servatur Registrum illud in archivo capitulari. Postmodum vero invaluisse apud omnes usum et consuetudinem ejusmodi titulorum, liquet ex citata superius Vita Philippi episcopi, ex historia miraculorum, ex juridicis ac publicis archivi cathedralis monumentis, quorum unum sub littera* C, *pertinens ad annum Christi* 1387, *hæc habet :* Ad altare S. Joannis Euangelistæ, in S. Gundechari capella, Eystadii ; *alterum, emptionis contractum exhibet conclusum anno* 1453 : Ad S. Joannis Euangelistæ, in capella beati Gundechari ; *tertium ibidem sub littera* E *num.* XX *et num.* XXVIII, *spectans ad annum* 1519 *diem* XX *Octobris, in quo legitur :* Ego Joannes Lilgenbaum, vicarius et capellanus altaris S. Joannis Euangelistæ, in capella sancti Gundechari, Eystadii, etc... *Mitto cetera, quæ consonant.*

ex peregrinationibus insuper ad sepulcrum cum donis votivis;

5 *Constat indidem tertio, saltem a tempore elevationis assiduas ad idem sepulcrum susceptas ex voto fuisse peregrinationes ex pagis, urbibus, diœcesibus undequaque circumjectis; tanta non numquam confluentium frequentia, ut rusticus eam de monte, quem aratro sulcabat, admirans, tacite* B *quidem apud se, at nequaquam tamen impune (uti narrabitur infra miraculo* 17) *exclamaverit aliquando :* O qualem trullam adinveniunt Eichstettenses clerici pro pecunia obtinenda! *Quibus verbis etiam aperte significabat, non consuevisse tum eo vacuos accedere peregrinos, sed vel nummis vel muneribus aliis votivis onustos; quod sane argumentum est publicæ religionis erga* B. Gundecharum *eximiæ.*

ex luminibus ibidem perpetuo accensis:

6 *Constat denique ex iis quarto, accensa olim ad ejus tumulum arsisse perpetuo lumina ; testis fundatio Ludovici Bavari imperatoris, cujus instrumentum authenticum ita sonat :* Rex Ludovicus, super hominibus datis ad lumen capellæ S. Gundekari episcopi. Nos Ludovicus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ad universorum, tam præsentium quam futurorum, notitiam volumus pervenire, quod in nostrorum ac progenitorum nostrorum animarum remedium et salutem Cunradum villicum in Nassenfels, villicum dictum Engilbrecht in Egweil, nec non Berchtoldum, Dotarium ibidem residentes, qui nobis ac hæredibus nostris titulo proprietatis hactenus pertinebant; IN SUBSIDIUM LUMINUM, in ecclesia Eystettensi APUD GLORIOSUM PONTIFICEM GUN- C DEKARUM per nos de novo instituendorum, venerabili Philippo Eystettensi episcopo et successoribus suis, nec non ecclesiæ prædictæ, jure simplicis proprietatis et pleni dominii per ipsam de cætero possidendos, de certa nostra scientia et gratia speciali donavimus et donamus, nobis aut hæredibus nostris in eisdem nullo jure vel servitio penitus reservato. In cujus rei testimonium præsentes litteras Majestatis nostræ sigillo duximus communiri. Datum in Ingolstatt II Non. Octob. anno Domini MCCC sexto decimo, regni vero nostri secundo.

quæ omnia Decretum Urbani PP. VIII immemorabili tempore præcessere.

7 *Huic apographo subjectum legitur hoc testimonium :* Transcriptam hanc fundationem cum suo originali, in episcopali archivio Eystettensi diligenter custodito, fidelissime revisam ac recognitam omnino concordare, manu mea propria, et sigillo Vicariatus generalis Eystettensis appresso, affirmo, Eystadii V Maii MDCCXXXI, Sebastianus Joseph Ziegler, S. Theologiæ Doctor, Vicarius generalis ecclesiæ Eystettensis, et ad S. Virum Herriedæ canonicus capitularis. *Porro hæc omnia cum cœpta sint et continuata a trecentis et amplius annis ante memoratum toties decretum Urbani PP. VIII, non est, quod* Gundecharo *nunc quisquam saltem* Beati *titulum deneget; tametsi neque solenniter in Sanctorum album relatus, neque peculiari festo Officiove, etiam apud Eystadienses, cultus umquam fuisse sciatur : hoc enim ipsi cum aliis quamplurimis Sanctis ac Beatis commune est.*

AUCTORE P. B.

Qualis jam diu fuerit sepulcri status

8 *Nec refert etiam, quod hæc ejus veneratio dudum obsolevisse quodammodo et usque eo intercidisse videatur, ut pauci jam scirent, ubi tumulus, ubi sacra ejus lipsana delitescerent : neque enim id ecclesiasticæ potestatis, cultum veterem vel supprimentis vel improbantis, auctoritate factum est; sed sola temporum ac bellorum injuria. Sueci namque præterito seculo ut Germaniam omnem concussere; ita miserum in modum flammis, direptionibus, sacrilegiis fædaverunt Eystadium, ejusque ecclesiam imprimis cathedralem; cujus ne sepulchra quidem, quæ spem prædæ latentis aliquam facerent, intacta reliquerunt : Gundecharianum tamen satis habuere, diffracto superiori lapide, apertum oculis perlustrare, ossa, quæ minime quærebant ita ut invenerant, facile negligentes. Sic thesaurus ille salvus exinde et integer repertus est, et in tanta rerum perturbatione solicite quidem satis; non tamen eo, quo de-* E *cuit, honore servatus : cum enim, dissipata illa Suecorum tempestate, id primum curæ Eystettensibus esset, ut cultus in ecclesia sua divinus, quam fieri posset citissime, instauraretur; deessetque, ubi Sacris operaturi ornatu suo indui exuique possent, sacrarium; nihil tot inter ruinas opportunius visum est, quam ut S. Joannis sacellum tantisper in sacrarium, tumulus vero* B. Gundechari *verteretur in mensam, indumentis sacerdotalibus imponendis destinatam; aut certe sic mensæ istius opere scriniario includeretur, ut nullum illius appareret foris indicium. Ita nimirum contigit, dum alterius ædificii structura negligitur, ut, cujus omnium oculis subductum erat monumentum, paulatim etiam memoria cultusque concideret.*

et qualis nunc sit.

9 *Sed enim quantumvis languisse aliquamdiu pristina illa erga beatum hunc Præsulem religio videatur; tantum abest tamen, ut fuerit abrogata, ut eam potius moderni antistitis ac principis egregia pietas non modo excitare pro viribus, verum etiam augere decreverit; ut quidem ex epistolis R. P. Steinhartii colligere nobis licuit; quarum ea, quam ad quæsita nostra remisit Eystadio* VII *Junii* 1731, *dubium nostrum secundum dissolvebat his verbis :* Ad secundum, Beati corpus fuit post mortem in F sacello S. Joannis Evangelistæ (quod vivens postulaverat) tumulatum; non sub ara, sed in medio fere sacello. Post CCXXXIV vero annos sacra ossa fuere ab episcopo Philippo e terra in sepulcrum, cujus ectypon R. V. habet, elevata. Hujus sepulcri superior lapis licet fuerit a Sueco milite confractus; ossa tamen ibi relicta sunt integra. Lapis tunc reparari debuisset, ut sacra ossa rursus tegerentur; verum longa lataque tabula, seu mensa, fuit sepulcro superimposita; ita quidem, ut illud undequaque obtegeretur, ac vix quisquam sciret deinceps, an, et quid sub mensa lateret. Nuper vero, principe, decano capituli, aliisque clericis, et me, præsentibus, fuit tabula remota; ut sepulcrum repararetur, ac deinceps semper apertum venerationi rursus esset. Leguntur in sacello tum a beneficiato Gundechariano, tum ab aliis quotidie fere Sacra : simul autem ibidem se vestiunt quoque alii sacerdotes, utpote sacristia; in quam, fracto tectoque sepulcro tempore Suecici belli, aptata fuerit..... Vidi quoque sacra ossa in sepulcro plumbea arca clausa. Paratur jam novus superior lapis, qui paulo post sepulcro impone-

AUCTORE P. B.

imponetur. *Hactenus de cultu et reliquiis; nunc ad Acta progredimur.*

§ II. Acta usque ad obtentam sedem Eystettensem.

Pleraque Beati gesta ab ipsomet dictata in Pontificali Ms.,

Quæ de *Actis* B. Gundechari *certo affirmari pauca possunt, ea fere vel dictavit ipse, vel scribi certe jussit, præsertim in opere quod in principio Catalogi historici episcoporum Eystettensium sic laudat Gretserus :* Meretur tamen gratias non exiguas Gundackarus, XVIII Eystettensis episcopus, vir rerum gestarum magnitudine et vitæ sanctimonia conspicuus ; qui antecessorum suorum memoriam, quantum licuit, reparare et conservare studuit opere partim imaginario, partim scriptorio. Imaginarium voco; quia patronos ecclesiæ, et singulos antecessores suos depingendos curavit, pictura, prout ævum illud ferebat, rudi, multumque ab elegantia hujus ætatis abeunte, B addito cuilibet effigiei versiculo, et annotato die electionis et mortis, nulla ferme rerum gestarum mentione facta. Exstat hic Gundackari liber et labor Eystadii in codice manuscripto, quem Pontificale nominant. Quæ ultra hæc (*B. Gundechari*) tempora sunt, a continuatoribus Gundackari sunt : quilibet enim ex successoribus operam dedit, ut antecessoris sui imago cum brevicula vitæ historia in librum illum referretur; seriesque præsulum perpetuo tenore usque ad nostra ferme tempora deducta est. *Ex hoc Pontificali, quod in episcopi Eystettensis tabulario servatur, nobis et Beati miracula, inferius proferenda, et quædam gestorum ejus fragmenta submissa sunt, Vicarii generalis subscriptione, ut ante monuimus, sigilloque munita; quibus antequam utamur, placet libri totius exordium, Auctoris pietatem humilitatemque non parum illustrans, exhibere. Sic igitur sonat :*

cujus hic datur exordium.

11 Gundechar peccator, sanctæ Aureatensis ecclesiæ, non suis meritis, sed divina ordinante clementia, octavus decimus episcopus, hunc ordinem satis utiliter colligere, et ex propriis impensis conscribere fecit; et conscriptum ad altare sancti Wilibaldi, episcopi confessoris scilicet, C in eodem loco corporaliter quiescentis, et ad servitium sancti Salvatoris tradidit, pro se ipso et pro omnium debitorum suorum remedio, maxime autem pro antecessorum suorum episcoporum refrigerio; pro quorum sacra reverentia et condigna memoria imagines, et nomina, et tempus, quod in ordine episcopali vivebant, diesque discessionis eorum hic annotare curavit; ut et ipsi apud Dominum assiduis precibus illum adjuvare dignentur. *Fuit vero hoc ipsi solenne, ut in scriptis publicis* peccatorem *se vocitaret, et* ecclesiæ Aureatensis *plerumque, raro* Eystettensis, episcopum : *nimirum Aureati, urbis olim ab Hunnis eversæ non procul ab eo loco, ubi multis post annis ædificari cœpit Eystadium, nomen vetus ad novum hoc et proximum oppidum transiit; ut observat Gretserus pag. 238. Sed ad rem ipsam accedamus.*

Ejus dies et annus natalis, nomen patris,

12 Anno Dominicæ Incarnationis MXIX Gundechar peccator in festo sancti Laurentii martyris natus est. *Ita de se ipse in Pontificali Ms. At quo genere natus est; qua domo; quibus parentibus? Addidisset, opinor, Vir humilis, nisi* peccator *audire quam nobilis maluisset. Sane quem in aula cæsarea nondum episcopus ordinem tenuit, illustrem arguit non obscure prosapiam. In Kalendario quidem ejusdem Pontificalis nomen patris ejus exprimitur, sed æque simpliciter, ad* XVII (*non* XXI, *ut habet Gretserus pag.* 460) Octobris, *his verbis :* Regingeri obiit, pater Gundechari episcopi. *Nec dubium, quin ad* Gundecharum *hunc secundum ista pertineant; cum ad eum cetera spectent, quæ in eodem laterculo absque ulla interruptione sic præmittuntur :* XVII Octobris, festo S. Triphonis *, Florentii episcopi, Dedicatio capellæ S. Joannis Euangelistæ (*Vide infra num.* 22;) in qua episcopus Gundecharus secundus sepulturam suam præordinavit. Episcopus Gundechar sedem episcopalem primum intravit. Regingeri obiit, *etc. Deinde Gundecharus primus, eodem anno mortuus, quo natus erat secundus, tam obscuros ac proletarios, ut ostendit Gretserus pag.* 434, *parentes habuit, ut eorum nequaquam verisimile sit* Gundecharo *nostro, cum hæc dictaret, nota fuisse nomina. Quod item de Tuta, Gundechari episcopi sorore (nam de matre nihil scimus) sentiendum existimo.* D

* *lege* Heronis

et sororis; unde de familia conjecturam facit Raderus.

13 *In ejusdem enim, ut apparet, Kalendarii seu Necrologii exemplari locum, qui nobis inde nuper excerptus non fuit, quia forte non observatus, hunc pag.* 460 *legit Gretserus,* ad diem XXI Novembris : Tuta, soror episcopi Gundeckari, obiit. *Itaque* Tutam *hanc* Gundechari, *non primi, sed* secundi *sororem facit etiam Raderus, supra num.* 1 *citatus; et addit :* Ex qua *(Tuta)* intelligo, illum *(B. Gundecharum)* nobilissima et antiquissima Nassaviorum dynastarum ac principum familia ortum. E Fuit enim hæc ipsa Tuta (nisi me omnes conjecturæ vero proximæ fallunt) soror Gundekari, uxor Othonis I, Schirensis reguli, Palatini Bavariæ, a quo nostri Wittelspachii, qui hodie Boiis imperant, descendunt. Suscepit is ex Tuta, Nassaviensis dynastæ filia, Othonem II, Arnulphum Dachaviensium procerum conditorem, et Conradum, a quo comites Phalaini. Ratio temporum prorsus consentit : nam Otho iisdem temporibus vixit, et CIƆXL obiit : Gundekarus CIƆXIX est natus; nec soror potuit multo vel ante vel post nata fuisse. *Hæc ille; recte, an secus, nec promptum est nobis, nec vacat inquirere.*

Ex canonico Eystettensi, et sacellano imperatricis

14 *De rebus ante episcopatum gestis hoc solum apud Bruchium fol.* 185 *verso, Raderum tom.* 2 *pag.* 206, *et in Ms. quodam Germanico capituli Eystettensis authentice probato, traditur, quod et Henrico tertio (aliis quarto) imperatori ab intimis consiliis, et ejus augustissimæ parenti Agneti a Sacris fuerit ; quod postremum Beatus ipse confirmat in Pontificali Ms., ubi, proposita, post alias septemdecim decessorum suorum, icone sua cum hoc versiculo subscripto,* F

Gundekar ecclesiam præsens modo dirigit ipsam,

ita pergit : Post istos autem ejusdem sanctæ Aureatensis ecclesiæ Gundechar. Fratrum *(id est, canonicorum Eystettensium)* ultimus, sed tamen tunc temporis dominæ imperatricis Agnetis capellanus, in hanc eamdem sedem, XIII Kalendas Septembris (his subnotatis episcopis præsentibus : Luitboldo Moguntiacensi archiepiscopo, Widone Mediolanensi archiepiscopo, Guntherio Babenbergensi episcopo, Anselmo Lucensi episcopo, post, Papa extincto, Alexandro nominato) Triburiæ est annulo investitus :

fit episcopus Eystettensis

15 Et in III Non. Octobris (istis autem subnotatis episcopis præsentibus : Luitboldo Moguntino archiepiscopo, Annone Coloniensi archiepiscopo, Eberhardo Trevirensi archiepiscopo,

Widone

A Widone Mediolanensi archiepiscopo; Gebehardo Ratisbonensi episcopo, Adalberone Wirceburgensi episcopo, Arnoldo Wormatiensi episcopo, Chuonrado Spirensi, Hecilone Strasburgensi, Rumaldo Constantiensi, Dietmaro Curiensi, Dieterico Wirtunensi, Ermenfrido Situnensi, Udalrico Papiensi; (exceptis abbatibus, et alio multo clero) virga pastorali, suis ipsius cleri militiæque et etiam familiæ communi laude et voto, Spiræ est honoratus : et in XVI Kal. Nov. in sedem episcopalem Dei gratia inthronizatus : in die autem sancti Joannis Apostoli, plus cæteris Domino dilecti, in loco qui dicitur Pfolede, ad summum gradum provectus est sacerdotii.

anno 1057.

16 Interfuit etiam suæ consecrationi dominus ejus, quartus Heinricus rex, et ejus mater dilecta Agnes, imperatrix augusta, cuncta ad ejus ordinationem necessaria disponens pro capellano, quasi deberet pro filio. Interfuit etiam eidem consecrationi dominus Hiltebrandus, S. Rom. et Apostolicæ Sedis Cardinalis subdiaconus, tunc temporis in has partes ad regem Heinricum Apostolica legatione functus, qui postea Alexan-
B dro Papæ successit. Insuper etiam affuere jam præfati episcopi confratres, fraternum et benignum in ordinando præbentes auxilium : Luitboldus Moguntinus archiepiscopus, Engilhardus Magadeburgensis archiepiscopus, Adalbertus Bremensis archiepiscopus, Rumaldus Constantiensis episcopus, Chuonradus Spirensis, Cuntheri Babenbergensis, Hecil Hiltenesheiminensis, Immeto Podelbrunnensis, Silo Werdunensis, Brun Misenensis, Woffo Merseburgensis, Anselm Lucensis, Ermenfridus Situnensis, et unus de regione, quæ dicitur Bolani, *id est* Polonia, *ut explicat Gretserus pag.* 455. *Repetuntur hæc omnia breviter in eodem Pontificali, sed appositis annis, hoc modo :* Anno Dominicæ Incarnationis MXVIII Gundechar peccator, *etc.*, *ut supra num.* 12 : anno autem MLVII episcopus electus est : anno autem MLVIII episcopus ordinatus est, ætate quippe XXXVIII annorum. In designatione vero ejusdem episcopi Gundechari aderant IV episcopi; in susceptione virgæ pastoralis XIV; in ordinatione vero XIV. In XIII Kal. Septembris erat designatio : III Nonas Octobris virgæ pastoralis susceptio : XVI Kal. Novembris inthronizatio : VI Kal. Januarii episcopalis consecratio.

quo per obitum Victoris PP. II primum eo sedes vacabat.

17 *Observa, annos Incarnationis hic numerari, more tum usitato, a festo Nativitatis Domini; adeoque annum illum* MLVIII, *quo ordinatus fuit episcopus* VI *Kal. Januarias, secundum usum nunc re-*
C *ceptum numerandum esse* MLVII *usque ad ipsas Kalendas Januarii ; ut eodem anno Juliano contigerint omnia, quæ hic dividuntur in annos duos. Præterea animadvertendum est, cum in sedem Eystettensem successisse sciatur* B. Gundecharus *Gebhardo, et quidem anno tantum Christi* 1057, *nullum hic timendum esse chronologiæ vitium, neque diuturnam adstrui posse inter utrumque episcopum ejusdem sedis vacationem : quamvis enim Gebhardus ad Petri cathedram evectus fuerit et, assumpto Victoris II nomine, coronatus die* XIII *Aprilis* 1055; *episcopatu tamen Eystadiano non ante cessit, quam vita : obiit autem die* XXVIII *Julii anni* 1057, *hoc est diebus tantum viginti tribus ante designationem* Gundechari. *Unde recte Lambertus Schaffnaburgensis, qui tum florebat, in Chronico ad annum* 1057 *hæc notat :* Eystettensem episcopatum Gunzo obtinuit, quo se Gebhardus factus Papa non abdicaverat. *Patebit hoc idem ex instrumento fundationis, quod Commentario subjiciam.*

AUCTORE P. B.

Quid sigillatim de gestis in episcopatu sit scriptum.

18 *Factus episcopus quid privatim egerit, quibus maxime virtutibus quotidianam ac domesticam vitam exercuerit, nemo, quod sciamus, posteritatis memoriæ sigillatim commendavit. Hæc universim observat Bruschius, fuisse illum* humillimo animo præditum, *ut* qui in publicis literis non aliter se scribere ac profiteri soleret, quam peccatorem et minimum inter fratres S. Wilibaldi : *item, illum* præfuisse fideliter ac utiliter. *Notat insuper Gretserus pag.* 458, *ex quodam ejus Necrologio, mortis memoriam videri ipsi perquam familiarem fuisse : at enim hæc ipsa, et si qua feruntur alia, ex publicis ejus operibus collecta potius sunt, quam ex peculiari quadam actionum, quibus stata lege servandis vitam omnem ad majorem in dies sanctimoniam domi sine dubio promovit, deprompta notitia. Publica fere sunt ergo, ac semel tantum ab eo facta, quæ novimus; tametsi non diffiteamur, ex his facilem existere posse de virtutibus ejus præcipuis conjecturam ; quam proinde lectorum solertiæ relinquemus; dum quæ scripta reperimus, sola commemoramus, servato, quoad fieri poterit, ordine temporum.*

E

§ III. Gesta in episcopatu, et felix obitus.

Pontem exstruit; turres absolvit ecclesiæ cathedralis a se instauratæ :

Ex *publicis Antistitis hujus operibus duo hæc tantum referuntur a Bruschio, de quibus nihil habemus ex Pontificali*: Absolvit, *inquit*, turres summi templi, inchoatas ab antecessore suo. Conjunxit Altimulæ ripas firmissimo ponte saxeo : *quæ, quia sine certa temporis nota narrantur, hic proponere visum est in principio. Utrumque asserunt etiam Gretserus pag.* 240, *et instrumentum capituli Eystadianæ ecclesiæ Germanicum, quod de turribus addit, eas inchoatas antea fuisse non a proximo Beati antecessore Gebhardo, ut Gretserus existimavit; sed ab Heriberto, qui decesserat anno* 1042; *quod est multo verisimilius : præterea, opus hoc agressum fuisse* Gundecharum, statim ut episcopatum obtinuerat. *Sed quid sibi vult, quod infra in Fundationis Gundecharianæ apographo nostro sic habetur :* Idem dominus noster episcopus Gundekarus.... cum monasterium, in quo sanctissimus dominus noster Wilibaldus corporaliter F
quiescit, quod destructum invenit, omni cura vel diligentia reconstrueret, quoddam altare jucundissimum... ejusdem monasterii in choro fieri voluit? *Certe hæc referri debent ad initia* Gundechari, *ut mox videbitur; et per* monasterium *manifeste designatur templum ipsum cathedrale. Quid ergo? An monasterium seu templum usque ad inchoatas turres non ædificaverat omnino Heribertus? An ita ædificaverat, ut spatio annorum tantillo conciderit? An altaria tantum istius ecclesiæ aliqua vel capellas, quæ erigere non potuerat Heribertus, destructa invenerit Gundecharus? Hoc sane ultimum vero proximum apparet ex sequentibus. Utcumque vero est, non videtur eo tempore Antistes noster turribus tantummodo imposuisse fastigium, sed ecclesiam insuper, aliqua saltem sui parte collapsam adhuc dirutamve, instaurasse ; siquidem instrumento jam citato nullum afferri gravius potest.*

anno 1060 *consecrat ecclesiam suam, et altare S. Salvatoris :*

20 *Quæ deinde secuta sunt, distinctis accurate temporibus notantur in Pontificali Ms., hac monitione præfixa :* Hanc descriptionem Gundechar peccator, sanctæ Aureatensis ecclesiæ XVIII episcopus, fieri præcepit ; ut quisquis eam videat,

has

AUCTORE P. B.

has subnotatas ecclesias simul et altaria ab illo consecrata esse cognoscat. *Tum sub hoc titulo*, IN PRIMIS SUPER PRINCIPALI ALTARI SANCTI SALVATORIS, *ita scribitur* : Anno ab Incarnatione Domini MLX, anno autem constitutionis hujus episcopii CCCXVI *, Indict. XIII, regnante IV Henrico rege, constructum et consecratum est hoc altare, simul et ecclesia consecrata est V Kal. Nov. a Gundecharo secundo, hujus sanctæ sedis XVIII episcopo, ordinationis vero suæ anno III, in honore et nomine sancti Salvatoris, et ejus sacratissimæ nativitatis, salutiferæ passionis, gloriosissimæ resurrectionis et ascensionis, et adventus Spiritus sancti super Apostolos, et vivificæ Crucis, sanctæque Dei Genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis; et novem ordinum Spirituum beatorum; Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum; specialiter autem et eorum Sanctorum, quorum reliquiæ hic positæ sunt. *Qui reliquias illas non censuit adscribendas apographo nostro, hoc tantum de suo subjecit :* Sequitur catalogus sacrarum reliquiarum CLVI. *Vix dubito autem, quin agatur hoc loco de altari sancti Salvatoris in ecclesia cathedrali erecto; per ecclesiam vero, quæ simul consecrata dicitur, intelligi potest sacellum peculiare, in quo altare istud exstructum erat : sicut etiam infra* ecclesia *dicitur sacellum S. Joannis Evangelistæ in eodem templo cathedrali. Id quoque hic observandum, quod annus instituti episcopatus Eystettensis* CCCXVI *significet, exordium illius sedis incidisse in annum Christi* 744; *cum secundum textus sequentes inciderit in* 743 : *videtur ergo scribendus hic fuisse annus* CCCXVII. *Sed progrediamur.*

* forte CCCXVII

B

item altaria S. Wilibaldi et SS. Udalrici et Gunthildis;

21 *Sub hac inscriptione*, SUPER ALTARE S. WILIBALDI, QUOD EST IN MEDIO CHORO, *subduntur ibidem ista :* Anno ab Incarnatione Domini MLXI *, anno autem constitutionis hujus episcopii CCCXVII, Indict. XIV *, regnante IV Henrico rege, consecratum est hoc altare in medio choro a Gundecharo, hujus sedis sanctæ, Dei gratia, venerabili XVIII episcopo, XI Kal. Aug. in nomine Domini nostri Christi, et in honore victoriosissimæ Crucis, sanctæque Genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis, et omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum; specialiter autem ordinationis sanctæ in presbyteratus gradum patroni nostri S. Wilibaldi, pretiosissimi confessoris Christi, et eorum Sanctorum, quorum reliquiæ continentur in hoc altari. *Continebantur autem universim reliquiæ* 74, *quæ sigillatim enumerabuntur in Fundatione Gundechariana inferius; in qua etiam dicetur hæc consecratio facta eodem anno, quo superior; quod et in Pontificali videtur asseri : nam in ecgrapho nostro animadverti, prima manu scriptum fuisse annum* MLX *et Indictionem* XIII, *at posteriore manu mutata hæc esse; sive quod in primigenio codice ambiguæ fuerint litteræ numericæ; sive quod vitiosas ideo quis existimaverit, quia consecratio hæc cum acciderit mense Julio, notatur post illam, quæ contigit mense Octobri ejusdem anni. Sequitur porro mox in apographo nostro consecratio alia hoc titulo :* SUPER ALTARE S. UDALRICI, CONFESSORIS CHRISTI, ET SANCTÆ GUNTHILDIS VIRGINIS. *Textus prima verba sunt*: Anno Domini; *cetera omittuntur ab exscriptore, quia consonant cum textu præcedente; additur vero, reliquias hic positas fuisse numero* 88.

* forte MLX
* forte XIII

C

22 *Tum iterum ex Pontificali recitantur hæc (quæ conferri velim cum textu Kalendarii supra* § 2, *num.* 12 :) SUPER ALTARE, QUOD EST IN CAPELLA S. MARIÆ ET S. JOANNIS EUANGELISTÆ. Anno ab Incarnatione Domini MLXII, anno autem constitutionis hujus episcopii CCCXIX, Indict. XV, regnante IV Henrico rege, constructum et consecratum est XVI Kal. Nov. a venerabili Gundecharo, hujus sanctissimæ sedis XVIII episcopo, ordinationis vero suæ anno V : in qua etiam die ipse primum sedem intravit episcopalem, adjuvante et cooperante domino Mantuano episcopo Heliseo, in honore et nomine sancti Salvatoris et ejus sacratissimæ nativitatis, *etc.*, *ut supra num.* 20; specialiter autem sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Joannis apostoli plus cæteris Domino dilecti; in cujus sacratissima festivitate idem noster episcopus ad summum sacerdotii gradum promotus est; simul et eorum Sanctorum, quorum reliquiæ in hoc altari positæ sunt... Præter istas reliquias, imposuit dominus episcopus in ipsum altare crucem suam argenteam, quam solitus erat in collo suo pendentem habere ad Missam; in qua cruce variæ reliquiæ subnotatæ sunt collocatæ, *numero scilicet, ut adnotatur, centum septuaginta duæ. Vides, in hoc loco annum episcopii Eystettensis* CCCXIX *componi cum anno Christi* MLXII : *debuit ergo superius cum anno Christi* MLX *per mensem itidem Octobrem conjungi annus episcopii* CCCXVII, *non* CCCXVI, *ut iterum patebit inferius.*

D

item anno 1062 altare et sacellum S. Joannis Evangelistæ; ubi crucem pectoralem obtulit,

E

piis cælatam versiculis, et humili epigraphe,

23 *Qui excerpsit hæc nobis, textui jam dato addidit :* Hæc crux habetur adhuc in ecclesia cathedrali Eystettensi. *Idem nos docet Informatio ab illustrissimo capitulo cathedrali missa; et R. P. Steinhartius in litteris anno* 1731, *die* VII *Junii datis Eystadio*, Illam crucem pectoralem, *inquit*, his diebus in manibus habui, vidique incisa hæc verba foris : GUNDECHAR PECCATOR ME FIERI PRÆCIPIEBAT; uti et versus illos, ipsi familiares :

CRUX MIHI REFUGIUM : CRUX MIHI CERTA SALUS.

Ex quibus verbis colligimus, hanc crucem exterius cælatam esse iisdem versibus eodemque fere modo, quibus intra extremas lineas notata est alia, quam depingi jussit in eodem illo libro Pontificali Ms. beatus idem Præsul; quamque hic contractiori, quam accepimus, forma mox exhibebimus, Superne scriptum erat : Forma crucis Gundechari, litteris alphabeticis in eodem antiquo libro signata. *Crucem hanc ambiunt versus hi tres, qui non dicuntur esse in argentea jam dicta :*

F


Per crucis hoc signum fugiat procul omne malignum ;
In quo re vera gaudent Quiriacus, Helena;
Invenisse datum quibus est charisma beatum.

Intra crucis formam duo versiculi sæpius ac varie leguntur, ordiendo a majuscula C *in centro crucis posita, et inde primo sursum ascendendo, dein descendendo deorsum; tum ad lævum cornu; inde ad dextrum flectendo*; *et sunt hi* :

Crux mihi certa salus : Crux est, quam semper adoro.
Crux Domini mecum : Crux mihi refugium.

Hos ambos, nisi fallor, innuit R. P. Rector, incisos ita legi in cruce argentea; hoc tamen discrimine, quod in cruce picta, et lineamenta crucis et alternæ litteræ rubrica pingantur; atramento ceteræ : quod quidem discrimen et hic observari voluimus a chalcographo, qui quidquid nigrum erat, totum exsculpsit

A *sculpsit; quod vero rubrum, extremis tantum expressit ductibus, ita ut Album interluceat, uti hic vides :*



et insertam alteri majori ac pretiosæ; cui et tertiam addidit pretiosissimam.

24 *Porro crux illa pectoralis argentea cum tantæ molis non esset, ut altari posset congruere majori eam alteri* Gundecharus *inseruerat, ex auro partim, partim ex argento conflatæ, gemmisque rutilanti. Hæc dissoluta fuit, ut habet* Extractum Protocolli capitularis de dato XXVI Novembris MDCLV; *ubi dicitur, auri separati pondus æstimatum ducentis octoginta coronis; argenti vero massam quinque circiter marcas æquasse. Gemmarum quoque ejusdem crucis distrahendarum facultas concessa custodi cathedralis ecclesiæ narratur ibidem* die XXX C Augusti MDCLVIII; *sed pretium non additur. Quidquid inde rediit, teste R. P. Steinhartio*, ad lampadem argenteam conflandam aliosque templi ornatus adhibitum fuit. *Toto circiter antea seculo perierat alia, valoris, ut opinor, haud paulo majoris, quam idem Crucis cultor eximius ecclesiæ olim suæ legaverat; erat enim, secundum instrumentum aliud capitulare huc missum,* aurea tota atque adamantibus obsita. *Perierat, inquam, hæc dudum; ut idem R. Pater me docuit his verbis :* Altera *(crux hæc de qua rogaveram)* uti et alia vasa aurea et argentea, post fœdus Smalkaldicum *(quo principes Lutherani de novo evangelio suo adversus Carolum V imperatorem et Ecclesiam vi tuendo conjuraverant)* in belli sumptus absumpta sunt. *Sed redeamus ad Pontificale, in quo sequuntur hæ consecrationes :*

Anno 1064 quatuor altaria consecrat.

25 SUPER ALTARE AD SS. APOSTOLOS PETRUM ET PAULUM ET RELIQUOS. Anno MLXIV, Kal. Aug., ordinationis suæ anno VI. *Tum sua manu addit exscriptor :* Et cetera, ut supra. Reliquiæ hic positæ sunt quinquaginta quatuor. *Subduntur ejusdem anni tituli tres. Prior est :* SUPER ALTARE AD S. CRUCEM. Anno MLXIV, XVIII Kal. Oct. a Gundecharo secundo, ordinationis suæ anno VI. *Deinde alia manu :* Et cetera. Reliquiæ hic positæ sunt quadraginta. *Alter sic habet :* SUPER ALTARE S. BONIFACII, ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS, IN CRYPTA. Anno ab Incarnatione Domini MLXIV, Indictione II, regnante IV Henrico rege, translatum est hoc altare de loco tenebroso ad lucidum, et consecratum est IX Januarii a venerabili Gundecharo, hujus sanctæ sedis XVIII episcopo. *Et alia manu :* Sacræ reliquiæ hic positæ sunt sex et viginti. *Tertius hic est :* SUPER ALTARE S. VITI MARTYRIS IN CRYPTA. Anno MLXIV, Ind. II, translatum est hoc altare de loco tenebroso ad lucidum, et consecratum est XVII Kal. Julii. *Additur :* Et cetera. Hic positæ sunt sacræ reliquiæ in unum collectæ viginti quatuor.

AUCTORE P. B.

anno 1065 ecclesiam Augustanam; et anno 1071 ibidem aliam, etc. ;

26 Anno MLXV, Augustæ dedicatur ecclesia matricularis, *id est cathedralis, inquit Chronica Augustensis apud Gretserum in Catalogo epp. Eystettensium pag.* 456, ab Embricone ejusdem sedis episcopo, et a Gunzone *(Gundecharo)* Eychstettensi episcopo. *Eadem Chronica ibidem addit :* Anno MLXXI ecclesia S. Afræ et S. Udalrici ab Embricone episcopo, et a Gunzone Aichstettensi est consecrata. *Eodem anno, mense Augusto, interfuit episcopus hic uterque cum aliis concilio Moguntino secundo in causa Caroli, Constantiensis episcopi; ut ex Actis patet apud Labbeum Conciliorum tom.* 9, *col.* 1206. *Inde reduces ambo quid egerint, indicat Pontificale sub hoc titulo :* SUPER ALTARE PRINCIPALE HASERENSIS *(sive Hernriedensis, in diœcesi Eystettensi, versus Altimylæ fontes)* ECCLESIÆ. Anno MLXXI, Ind. IX, anno autem constitutionis Eichstettensis episcopii CCCXXVIII, regnante IV Henrico rege, consecratum est principale altare Haserensis ecclesiæ, simul et ecclesia, Kal. Oct. a Gundecharo II, sanctæ Eichstettensis ecclesiæ XVIII episcopo, ordinationis vero suæ anno XIV, adjuvante et cooperante sanctæ Augustensis sedis venerabili episcopo Embrichone, in honore et nomine S. Salvatoris... specialiter autem et eorum Sanctorum, quorum reliquiæ illic positæ sunt : de pelve, in qua Dominus pedes discipulorum lavit : de palma, quam portavit : de linteo, sudario, mensa, præsepio, et sepulcro Domini : de veste S. Mariæ : de virga Aaron : SS. Petri, Andreæ, Stephani protomartyris..... His omnibus in unum collectis portionibus, fiunt quadraginta novem. E F

anno 1072 bina sacella a se constructa ;

27 SUPER ALTARE *(pergimus ex eodem Pontificali)* S. MICHAELIS IN TURRE AUSTRALI. Anno Domini MLXXII, Indict. X, constructa est hæc capella a Gundecharo II, hujus sanctæ Aureatensis ecclesiæ XVIII episcopo; consecrata vero VI Idus Julii a Richardo, sanctæ Aquileiensis ecclesiæ, divina dispensante providentia, venerabili patriarcha, astante et cooperante prænominato episcopo Gundecharo.... *Tum absque titulo leguntur ibidem hæc :* Anno ab Incarnatione Domini MLXXII, Indict. X, constructa est capella S. Dei Genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis, et S. Joannis Baptistæ, et S. Joannis Euangelistæ, et S. Mariæ Magdalenæ, et S. Mariæ Ægyptiacæ in turre a Gundecharo, hujus sanctæ Aureatensis ecclesiæ XVIII episcopo ; consecrata vero VI Idus Julii a Gebehardo, sanctæ Salisburgensis ecclesiæ archiepiscopo, astante et cooperante prænominato episcopo Gundecharo, *etc.*

cæteræ consecrationes ejus pleræque structuræ.

28 SUPER ALTARE S. WILIBALDI IN CRYPTA. Anno MLXXIV, Indict. XII, regnante Henrico IV, hæc crypta et hoc altare consecratum est XVII Kal. Julii ab Embrichone Augustensi et a Gundecharo

hujus

AUCTORE P. B.

hujus sanctæ sedis XVIII episcopo. SUPER ALTARE S. CHILIANI MART. IN CRYPTA. Anno MLXXIV Indict. XII, regnante IV Henrico rege, hoc altare constructum et consecratum est VIII Idus Julii a Gundecharo, hujus Sanctæ sedis XVIII episcopo. *Hæc sunt quæ de Actis ejus episcopalibus ex laudato Pontificali excerpta nobis fuerunt, tamquam ad speciem sufficientia : cetera enim studio prætermisisse se significat, qui hæc usui nostro selegit, cum textui postremo hæc de suo adscribat :* Brevitatis gratia notandum, quod hic episcopus Gundecharus consecraverit centum viginti sex templa et sacella; unde numerus altarium facile colligi potest. *Idem asseverat Gretserus in Catalogo, pag.* 456, *hoc epiphonema subjiciens :* Qui certe commemorabilis et admirandus est numerus. *Exhibet idem catalogum duplicem ab eodem Præsule conscriptum; alterum hoc titulo :* Hæc sunt nomina episcoporum semper in Christo sanctorum ac felicis memoriæ post nostram ordinationem defunctorum ; *alterum isto* : Hæc sunt nomina fratrum, qui ex congregatione Eystettensi, nostræ recordationis tempore, effecti sunt episcopi.

B

Uterque istic legi potest pag. 459 *et sequente ; ubi et tertii meminit, cujus hanc tantummodo inscriptionem profert* : Hæc sunt nomina fratrum canonicorum, nostræ recordationis tempore defunctorum. *Sequitur Beati obitus, in Pontificali descriptus in hæc verba :* Sedit annos XVIII. MLXXV, IV Nonas Augusti obiit. *Ubi vero sepeliri voluerit, ex eodem libro dixi jam supra num* 12.

De virtutibus ejus; et monumentis mox subjiciendis.

29 *Nemo non videt, in his omnibus, præter insignem beati Viri humilitatem, præsentemque mortis memoriam, elucere etiam accurationem ac sedulitatem in episcopali munere singularem, pietatem erga decessores eximiam, ardentem Crucis amorem et cultum, liberalitatem ad opera quævis pia profusam, dilectionem solicitam decoris ubique in domo Domini, studium religionis indefessum in Dei, in Virginis Matris, in Sanctorum omnium publica veneratione tot sacris ædibus arisque promovenda : quas quidem aliasque ejus virtutes et merita plurimis post obitum ejus divina benignitas miraculis comprobavit ; ut vel ex iis pronum est colligere, quæ solo tempore Philippi, trigesimi noni Eystettensium episcopi, contigisse, atque ejus jussu in memoratum sæpius Pontificale relata fuisse existimamus, et quidem numero sex et quinquaginta.*

C

Quis enim dubitet, quin hæc alia multa præcesserint, multa secuta sint, quæ vel adnotaverit nemo, vel adhuc certe nemo notata repererit? Illa interim tribus capitibus divisa jam dabimus, postquam appendicis loco instrumentum fundationis exhibuerimus, quod sua ipse manu Præsul beatus subsignavit, servaturque Eystadii in archivo cathedralis ecclesiæ.

EXEMPLAR

Instrumenti, quo B. Gundecharus præbendam instituit, quam circumeuntem appellant. Ex Ms. cathedralis ecclesiæ Eystettensis.

In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis. Notum, et certum, et etiam manifestissimum esse volumus omnibus Ecclesiæ filiis, non solum præsentibus, et jam viventibus, verum etiam nascituris omnibus, qualiter beatissimæ semper in Christo memoriæ Gebehardus, sanctæ Aureatensis ecclesiæ præsul pius, postea autem idem Papa gloriosissimus, Victorque nominatus, quamdam incepit precariam *a* cum quodam viro nobili, Rutpertus * nomine, dans sibi curtim * quamdam Wihenmihel dictam, omni eo jure, omnibusque his utilitatibus, quo jure, quibusque utilitatibus idem felicis memoriæ præsul et Papa hanc eamdem curtim habuit, clerico tantum, Deo et Sanctis ejus ibidem serviente, servientibusque omnibus in eadem curte beneficia habentibus exceptis : recipiens autem ipse ab eodem Rutperto quamdam curtim aliam, Tulis nominatam, cum omnibus suis pertinentiis, insuper omnia illa bona, quæ idem prænominatus Rutpertus in agris et in vineis ex altera parte fluvii, qui dicitur In *b*, habuit. Quam quidem precariam postquam idem beatus præsul et Papa bene incepit, ut diximus, ne ad finem perduceret, neve stabiliter confirmaret, mortis invidia interceptum est *c*.

D

B. Gundecharus, rescisso contractu decessoris inchoato,

a

* *pro* Rutperto

* *id est* villam

b

c

E

novum condit; instaurat ecclesiam suam, et aram S. Wilibaldi episcopi

31 At vero, ut primum venerandus Gundecharus antistes illi successit in solio (ut erat idem Dominus noster prudentissimus ad omnia) cum de eadem audisset precaria, qualiter se haberet, nec sibi placeret; rem omnem disjecit, ejusdemque precariæ comparticipem Rutpertum sibi advocans, cœpit cum eo rem ex principio diligenter tractare, et tractatam firmiter secundum velle suum stabilire, vel * confirmare. His ita congrue convenienterque peractis, idem dominus noster episcopus Gundekarus, vir totius prudentiæ cujus tota semper erat intentio, omnia sua in usum suæ convertere ecclesiæ ; cum monasterium, in quo sanctissimus dominus noster Wilibaldus corporaliter quiescit, quod destructum invenit, omni cura vel diligentia reconstrueret ; quoddam altare jucundissimum, quod usque hodie *d* ibi apparet, ejusdem monasterii in choro fieri voluit *e*.

* *pro* et, *ut infra*

d

e

32 Præterea domino Woffone decano, viro quam reverendo, e medio discedente, cum canonica sive præbenda, quam regulariter habuit, regulariter pateret, noluit hanc eamdem Dominus noster supra memoratus semperque memorandus, potestate episcopali (ut posset) vel saltem quam facili sibi vendicare petitiuncula : verum animæ suæ saluti in futurum prospiciens, tradidit perpetualiter in usum fratrum, quorum ipse non dominus, sed pater extitit benignissimus, pro hac eadem præbenda decimationem totius vini illius, quod sibi ex supradicta precaria quotannis evenisset.

ad quam oram

F

33 Itaque, hac hoc modo a fratribus præbenda redempta, cum XI Kal. Aug. præmemoratum altare consecraret in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in honore victoriosissimæ Crucis, sanctæque Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, et omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, specialiter autem sanctæ ordinationis in presbyteratus gradum patroni nostri sancti Wilibaldi, pretiosissimi confessoris et episcopi, et eorum Sanctorum, quorum reliquiæ in eodem continentur altari, hoc est in primis : de ligno Domini, de sepulchro Domini, de lintheo * Domini, de præsepio Domini, de spongea * Domini : et reliquiæ sancti Joannis Baptistæ : et reliquiæ sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et sancti Andreæ, et sancti Joannis Euangelistæ, et sancti Jacobi,

a se consecratam

* *lege* linteo

* spongia

et

A et sancti Philippi, et sancti Marci Euangelistæ, et sancti Mathei * Euangelistæ, et sancti Tathei * : et reliquiæ sanctorum martyrum, sancti Clementis Papæ, Stephani PP., Laurentii, Pancratii, Georgii, sanctorum Joannis et Pauli, Cyriaci, Lamperti, sancti Bonifacii, Emmerani, Pantaleonis, Sebastiani, Lenonis *, Christophori, Vigilii, Amoni, Longini, Alexandri, Adriani, Cosmæ et Damiani, Adalberti, Theodori, Eustachii, Fortunati, Evarii * : et reliquiæ sanctorum confessorum, patroni nostri sancti Wilibaldi et sancti Wunibaldi, Martini, Nicolai, Gregorii, Ermachoræ *, Basilii, Udalrici, Benedicti, Corbiniani, Wolfgangi, Erhardi, Servacii, Simeonis, Theotarii *, Parthemii, Anatholon *, Epiphanii : et reliquiæ sanctarum virginum, sanctæ Mariæ Magdalenæ, sanctæ Walburgæ, sanctæ Cæciliæ, S. Gertrudis, Margarethæ, Julianæ, Agatæ, Otiliæ, Glodesindæ, sanctæ Gundhildæ, Genovefæ, Dignæ, Betilæ * reginæ :

* Matthæi
* Thaddæi
* forte Leonis
* f. Euagrii
* f. Hermagoræ
* f. Theodegarii
* f. Anatolii
* f. Bathildæ

34 Contradidit *f* eamdem decimam ad hoc ipsum altare dotis in vice pro suæ salute animæ proque animarum omnium antecessorum suorum episcoporum, de tempore sancti Wilibaldi usque ad illuc tempus ita nomen habentium : Gerhohe, Aganus, Altuni, Adaluno, Utcher, Gotescalc, Erchanbolt, Udalfrid, Starchant, Reginolt, Megingol, Gundechar, Walthere, Heribreht, Gozzeman, Gebehart *g*, qui et, mutato nomine, et aucta potestate, postea Victor vocatus est, similiter etiam et pro omnium successorum suorum episcoporum animarum salute, de quacumque parte mundi eos Deus in hanc sacram sedem eligere dignetur ; ut et ipsi participes fiant hujus parvæ elemosinæ * et orationum. Oratio autem hæc est, ut quamdiu ipse dominus noster episcopus in carne vivat, quotidie sibi inter Tertiam, et Missam CXIX Psalmus (Deus, in adjutorium meum intende) decantetur : quando autem, Deo præcipiente, universæ carnis viam intraverit, De profundis (quem cantare solemus pro animarum requie) similiter in præmonita hora decantetur.

præbendam fundat
f
B
g
* lege eleemosynæ

35 Hanc videlicet Constitutionem sic fieri voluit dominus noster Episcopus, et ita ordinavit, quatenus omni hebdomada ipsa præbenda, sic, ut antea diximus, sibi comparata, sicque sibi dimissa, ministris altaris, idem dominicum servitium ad principale altare perficientibus quinque dies per vices partita contingeret : idem * prima et secunda feria domino presbytero ; tertia et quarta diacono ; quinta subdiacono ; sexta pauperibus et peregrinis quibuslibet ; et septima ecclesiæ custodibus, quatenus ea die certius ecclesiæ pavimenta purgentur et mundentur. Facta sunt autem hæc anno ab Incarnatione MLX, Indictione XIII, luna XIX, Heinrico quarto regnante, regni autem ejus anno quarto, domini nostri Episcopi anno tertio.

circumeuntem, anno 1060.
C
* lege id est

36 Hanc autem patris nostri episcopi Gundekari Constitutionem utilem, et pia intentione statutam, quicumque penitus scindere, vel destruere, vel partem aliquam inde tollere velit, scindat eum angelus Domini, et medium secet, et destruat omne consilium illius, nec partem nec locum habeat in concilio et congregatione justorum, nisi resipiscat ; sed cum diabolo et angelis ejus pœnis æternalibus in æternum pereat, et ultra ; et ejus habitatio semper fiat deserta, et in tabernaculis ejus non sit, qui inhabitet, et repentina mors veniat super eum, et descendat in infernum vivens, et oculi ejus ita obscurentur, ne videant in die ultionis gloriam Dei et gloriam Sanctorum. Qui autem confirmare, vel adaugere, vel consolidare præmeditetur, et studeat ; confirmet et confortet eum Dominus in omnibus sanctis Deoque dignis operibus ; et mille remunerationes tribuat, et multa felicia tempora illi concedat, et post istius vitæ labentis felicem cursum, ad inenarrabilia cœlorum gaudia perducat ; ubi anima ejus a Patriarchis suscepta, est * ab angelis in paradisi amœnitatem deducta cum Sanctis omnibus et Electis delitiose vivat et gaudeat et glorietur, et conlaudet Dominum in secula seculorum. Amen.

sub clausulis tum usitatis,
* lege et

37 ✠ Signum domini nostri Gundechari sanctæ Aureatensis ecclesiæ XVIII episcopi, et peccatoris, quod ipse subscripsit.

et subscriptionibus.

Agiliensis * patriarcha, dominus Ohenburgensis episcopus, dominus Eliseus Mantuanus episcopus.

* lege Aquileiensis

Signa autem sequentia comuni voto et conlaudatione fratrum subscripta sunt :

✠ Ego Megingaudus Præpositus subscripsi, et assensum præbui.

✠ Ego Eliseus Decanus subscripsi, et assensum præbui. E

✠ Ego Leodegarius presbyter subscripsi, et assensum præbui..... *Eodem modo post hunc subscribunt presbyteri novemdecim, quos hic causa brevitatis omittimus. Tum Diaconi in hunc modum :*

Eceman diaconus subscripsi, et laudavi. *Hunc sequuntur alii diaconi tredecim ; quos excipiunt subdiaconi, ita scribentes :*

Meginhard subdiaconus laudavi. *Hunc octo subdiaconi consequuntur ; quibus ita subjecti juniores, agmen claudunt :*

Juniores fratres id ipsum laudant : Meginhard, Gebeno, Reginolt.

Hanc Kartam ideo jussimus sigilli impressione sancti Wilibaldi, ut infra videtur, insigniri ; (L. S.) ut nemo intro aspiciens, vel quod infra subscriptum sit, ab aliquo audiens, timore Dei et sancti Wilibaldi perterritus, audeat dissipare ; et si dissipare præmeditetur, gladio bicipiti perforatus disperdatur, et dæmonum potestatibus in die judicii tradatur, nisi Dei instinctu resipiscat, et quod peccavit, emendet *h*. h

ANNOTATA. F

a Precaria *genus est contractus, quo res quidem ecclesiasticæ non alienantur, sed quasi alienantur ; ita tamen ut in commodum cedat ecclesiæ, ut pluribus exponunt Lexica juridica.*

b *In*, sive *Inn*, *Latine* Œnus, *fluvius, qui ortus in Rhætia, per Bavariam haud procul Patavio in Danubium influit.*

c *Hinc etiam liquet, Gebhardum, seu Victorem PP. II, episcopatu Eystettensis non cesisse ante obitum suum.*

d *Hinc apparet, hoc instrumentum non esse scriptum eodem tempore, quo res conclusa gestaque fuisse dicitur infra ; sed longe posterius, puta circa obitum beati Antistitis nostri.*

e *Nimirum altare S. Wilibaldi, de quo supra diximus, num.* 21, *uti mox palam fiet.*

f Contradidit, *etc. Connectenda sunt hæc cum initio præcedentis numeri, ut appareat syntaxis, hoc modo* : Cum XI Kalendarum Augusti prænemoratum altare consecraret...., contradidit eamdem decimam, *etc.*

g *De his omnibus consulesis Gretserum nostrum in memorato sæpe Catalogo epp. Eystettensium.*

h *Hæc sequebatur attestatio sigillata his verbis :*

Præ-

EX MS.

Præmissa Copia seu Transumptum ex suo vero et sigillato, mihi exhibito Originali, ex pergamento adhuc illæso consistente, ab aliena manu quidem scripta, eidemque (præhabita collatione diligenti) omni modo, uti scriptum erat, concordans reperta est : id quod mea manu, et consueti sigilli mei appositione, attestor rogatus atque requisitus. Actum Eystadii, die XII Aprilis MDCCXXXI. Joannes Richardus Neybaur SS. Can. Cand., Vicarius chori, Prothonot. et Notarius publicus et juratus.

MIRACULA

GLORIOSI PONTIFICIS GUNDEKARI,

Auctore, ut putamus, Philippo episcopo Eystettensi XXXIX. Ex Ms. Pontificali archivi episcopalis Eystettensis.

B

CAPUT I.

Elevatio sacri corporis ejus, et prodigia viginti quatuor hanc præcedentia, comitantia, et brevi consecuta.

a

Ante elevationem corporis sanantur duæ contractæ, et unus cocles,

Anno Domini MCCCIX, feria sexta ante Exaltationem sanctæ Crucis *a* juxta sepulchrum gloriosi pontificis Gundekari visa sunt hæc et facta miracula :

I. Quædam puella, nomine Leukardis, quæ XIII annorum [erat,] omnibus Eichstettensibus satis nota, de hospitali civitatis Eichstettensis, gibbosa, curva, et quasi usque ad genua inclinata, quæ nullo modo se sursum erigere poterat ; curata extitit, ita quod in continenti erecta incedebat, ipsius gibbi onere quotidie decrescente.

b C

II. Quidam puer de Chaldorf *b*, qui duobus annis in uno oculorum suorum cæcus fuerat in eodem oculo cæco illuminatus extitit ipso die.

c

III. Item quædam mulier de supradicto hospitali, nomine Irngardis, quæ similiter quasi omnibus Eichstettensibus nota fuit, habens circa XXX annos, quæ in festo Sanctæ Crucis *c* per quatuor annos gibbosa et inflata extitit, ita ut nusquam ire posset ; curata est apud sepulchrum prædicti Pontificis, et omnino liberata.

mutus surdus contractus, dæmoniaca.

d

2 IV. Quidam puerulus decennis de Vorchheim *d*, diœcesos Bambergensis, contractus pedibus et manibus, surdus et mutus ab infantia, ab omnibus impedimentis hujusmodi eodem die extitit liberatus.

e f g

V. Die Dominica subsequenti *e* elevatus est lapis sepulchri prædicti pontificis Gundekari, et propter nimiam pressuram *f* repositus est. Eodem die quædam dæmoniaca de Ingolstad *g* ad sepulchrum deducta, et per ipsum dæmonem ultra modum afflicta, extitit liberata.

Elevantur ossa Beati.

Feria secunda sequenti exhumata fuerunt ossa ejusdem Pontificis in loco, in quo minus decenter sepulta fuerant ; et, pro exequiis ipsius Pontificis celebrato defunctorum Officio, ossa ipsa cum vino reverenter et decenter lota, ad aliud fuerunt honorabilius sepulchrum transposita ; et tunc eodem die facta sunt miracula infra scripta : D

In ipsa elevatione oleum salutare promanat ; sanantur claudus, lusca, cæca,

3 I. Antequam ossa ipsius in secundo essent sepulchro recondita, oleum tam de eisdem ossibus, quam de superiori lapide sepulchri marmoreo, adeo visibiliter emanavit, quod per venerabilem patrem Philippum, hujus loci episcopum XXXIX, cum duobus calicibus captum interdum extitit, et pro infirmorum debilitate servatum.

II. Quidam de Ratisbona, curvum habens pedem, qui erat in itinere visitandi limina Beatissimæ Virginis in Aquisgranio, et veniens ad sepulchrum beati Pontificis, ipso die curatus fuit ; ita ut votum ejusdem itineris animo lætabundo exsolverit.

III. Quædam femina ante portam orientalem in Eichstett, Bertha nomine, filia Berngeri, in uno oculorum suorum, in quo per novem annos cæca fuerat, illuminata est ipso die.

IV. Quædam femina ibidem, relicta * Applini carnificis *h* Eichstettensis, quæ propter nimiam oculorum caliginem quasi in octo annis nihil omnino videre poterat, ipso die visum recepit. E

* id est vidua

h

claudi tres, una contracta ;

4 V. In supradicto hospitali quædam femina, nomine Mechtildis, quæ pluribus in Eichstett optime nota fuit, et quam percusserat quædam porta in uno crurium, ita quod per quatuor annos omnino clauda fuerit ; eodem die adeo curata extitit, ut crure extento incederet.

VI. Quidam nomine Hermannus, de Parochia Schwabach *i*, in uno pede fortissime claudicabat ; ita ut absque sustentatione baculi ire non posset : juxta prædictum sepulchrum fuit omnino curatus. i

VII. Quidam in Buechenbach *k*, nomine Wernerus Textor, qui claudus fuit in ambobus pedibus, ita ut infra unius anni spatium ecclesiam visitare non potuerit, in eodem loco taliter curatus extitit, ut peroptime, quocumque voluit, potuerit ambulare. k

VIII. Quædam femina de Adelschlag, quasi sexagenaria, dicta Wezume, tempestate quadam adeo graviter percussa fuit, quod quasi per integrum annum usque ad genua curva et inclinata incesserit ; cui quadam nocte visum fuit, ut si sub lapide, in quo supradicti Pontificis ossa sunt recondita, transiret, a percussione hujusmodi curaretur. Quæ ita supradicta feria secunda, prout in somnis ei visum fuerat, fecit ; et statim surgens, erecta incessit. F

eadem die et sequentibus, surdus et mutus ; dæmoniacæ 3 ; clauda.

5 IX. Quidam puer decennis, filius quondam dicti Bizmullnarii, Præconis de Pullensheim, surdus et mutus a nativitate sua, ab his impedimentis liberatus extitit, et eodem die curatus.

X. Quædam dæmoniaca de Mohrn quasi XXX annorum, liberata extitit.

XI. Item quædam obsessa in die sancti Matthæi apostoli, circa horam cœnæ, apud idem sepulchrum similiter liberata fuit.

XII. Item quædam dæmoniaca, de Eychbach, diœcesis Augustanæ, postmodum per dies aliquot ad sepulcrum ejusdem Pontificis veniens, extitit liberata.

XIII. Quædam femina, Adlhaidis nomine, de Altorf, famula villici in Schafhausen *l*, curvum habens pedem, in quo quasi per XV hebdomades ire non poterat, ibidem omnino curata fuit. l

Rursum ebullit oleum e sepulcro ;

6 Feria quarta post Michaelis festum, ab hora matutinarum usque post meridiem, de superiore lapide sepulchri marmoreo oleum in diversis hinc inde locis sursum cœpit visibiliter ebullire.

A *et sanantur surdus, contracta, ulcerosa.*

xiv. Eodem die puer quidam de Heydenheim *m*, qui a transacto festo sancti Jacobi nihil audire poterat, auditum recepit.

m xv. Quædam mulier de Rohr, contracta in crure, vovit, si curaretur, prædictum Pontificem visitare; quæ statim curata, eumdem visitavit: et hoc per testimonium Præpositi monasterii in Rhor, Ordinis S. Augustini.

xvi. Sabbato proximo post festum S. Michaelis, quædam puella de Berolzheim, nomine Adlhaidis, quæ a multis annis in una maxillarum tumorem magnum habuit, et ab interiore parte oris in uno maxillari adeo sauciata extitit, ut tam lingua quam maxilla per continuam saniem perforatæ fuerint, ita quod sanies quasi continua de ore exivit et maxillam nihilominus perforavit, sub tanto fœtore et horrore, ut nullus vicinus eum poterat sustinere. Quæ cum ad sepulchrum gloriosi Pontificis devenisset, et de vino, in quo ipsius ossa lota fuerunt, de manibus domini Rud, sacerdotis capellani S. Wilibaldi, gustasset, mox domum reversa, infra paucos dies totum illud sauciatum ab ipsius ore decidit, et statim omni tumore et fœtore cessante, tam intrinsecus
B
quam extrinsecus lingua et maxilla, quæ per saniem vulnerata extiterant, sanata penitus et curata fuerunt.

Incredulus punitur; sed mox resipiscens sanatur:

7 xvii. Cum in festo dedicationis cathedralis ecclesiæ, tum propter dedicationem ipsam, tum propter prædicti Pontificis visitandum sepulchrum, homines civitatem Eichstettensem catervatim accederent, quidam rusticus de Mohrn, nomine Ludovicus, stans arando in monte, cum videret hominum multitudinem transeuntem, apud se cogitabat: O qualem trullam *n* adinveniunt Eichstettentes clerici pro pecunia obtinenda!
n Qui statim visu omnino fuit privatus. Ipse autem nimium de hujusmodi cogitatione compunctus, Domino supplicabat, ut per ejusdem Pontificis merita visum sibi restituere dignaretur; et continuo oculi sui cum terra, in qua stabat, liniti, visum pristinum receperunt. Quod miraculum taliter esse factum, per plebani sui testimonium, et juramentum proprium publice et solenniter plus quam in millium hominum præsentia approbavit.

C *oculi albugo detergitur; sistitur incendium.*

8 xviii. Quidam sacerdos de Ordine Fratrum Minorum de Ingolstat, nomine Frater Joannes, qui in uno oculorum suorum pannum seu maculam adeo superductam habuit, ut nihil cum eo videre potuerit, et cæcitatem perpetuam in ipso formidaverit: cum vino, in quo supradicti Pontificis ossa lota fuerunt, se linivit, statim oculus, recedente macula, clarus fuit; ut idem Frater per sui Ordinis obedientiam retulit, taliter esse factum.

xix. Idem Ven. Frater sub eadem obedientia retulit, quod, cum ignis quondam domum Zuggeringen, Augustanæ diœcesis, tempore nocturnali adeo cœpisset exurere, quod villani ibidem propter venti impetum totam villam comburi timebant; et cum supradicti Pontificis suffragium invocarent, statim ignis, vento veniente contrario, suffocatur.

ANNOTATA.

a *Hoc est, die* 12 *Septembris: nam Exaltatio sanctæ Crucis, quæ colitur die* 14 *dicti mensis, anno illo incidit in Dominicam.*

b Chaldorf, *pagus est vix sesquileuca Germanica versus Septemtrionem Eystadio distans.* EX MS

c Quæ in festo S. Crucis, *etc. Hoc si referatur ad festum exaltatæ Crucis, sensus erit, quod mulier hæc in sua infirmitate annos* 30 *jam completura fuisset post biduum; sin referatur ad festum Inventionis S. Crucis, intelligi debet jam annos* 30 *complevisse a præterito mense Maio.*

d Vorcheim, *seu* Forcheim *oppidum est ad Regnitium fluvium; distatque Eystadio in Septemtrionem leucis Germanicis fere quindecim.*

e *Hoc est, ipso festo Exaltationis S. Crucis.*

f Propter nimiam pressuram, *id est, frequentiam et constipationem populi, quem et recentium fama miraculorum, et spes videndi recentiora, et statuta in illum diem solennitas undequaque conciverat.*

g Ingolstadium, Ratisbona, Aquisgranum *et urbes ejusmodi aliæ hic occurrentes, tam notæ sunt, ut illustrari minime debeant.*

h Carnifex *apud auctores medii ævi* lanium *significat. Vide Cangium in Glossario.*

i Schwabach *distat Eystadio leucis Germanicis circiter septem versus Boream; nisi sit oppidulum aliud homonymum, quod leucis fere tredecim Eystadio dissitum est in Cæciam.* E

k Buechenbach *seu* Buchenbach *pagus Franconiæ Regnitium inter et Aischum fluvios, leucis fere Germanicis undecim Eystadio. Sed quid adeo minuta porro consecter, idque sine ullo operæ pretio; cum id ad prodigium nihil conferat, et loca fere Franconica sint, aut vicina, quæ referuntur?*

l *Non existimo, hic indicari urbem hoc nomine celebrem in Helvetia ad Rhenum fluvium; sed pagum quemdam aut villam in Franconia alicubi cognominem.*

m Heydenheim *oppidum est Sueviæ, circiter leucis Germanicis in Occidentem Eystadio dissitum.*

n Trullam; *puto, legendum esse* truffam, *quod fraudem, illusionem, sycophantiam, jocum significat: unde et Fredericus II imperator, teste Alberico in Chronico ad annum* 1239, cum vidisset sacerdotem corpus Domini ad quemdam infirmum deferentem*:* Heu me, inquit, quam diu durabit truffa ista?

CAPUT II.

F

Alia prodigia duo et viginti tum facta patrocinio beati ejusdem Antistitis.

In die dedicationis supradicto, hora cœnæ, quædam dæmoniaca de Trautlingen, Eichstettensis diœcesis, quam diabolus miserabili cruciatu diu afflixerat, extitit liberata. *Sanantur dæmoniaca, febricitans, clauda: caro Beati in ceram versa:*

xxi. Quædam mulier laborans febri quartana, supradicto vino lota, curata est.

xxii. Quædam sartrix de Pleinfeld de incineratis *a* carnibus ipsius Pontificis secum ad domum suam partem detulit; quæ eidem, sicut pluribus aliis factum est, in puram ceræ materiam mutata extitit et conversa: quam quidem ceram memorato episcopo *b* præsentavit. *a* *b*

xxiii. Quædam puella de Illchdorf, Augustanæ diœcesis, nomine N.., cui rector ejusdem ecclesiæ, tamquam mendicæ, per unum annum victum dederat, in uno curvo crure cogebatur ire in podiis; quæ cum venit ad prædicti sepulchrum Pontificis, ipsius invocato suffragio, in tantum curata extitit, ut abjectis podiis, libere viam sine quolibet impedimento fecisset.

EX MS.

sublata surditas, contractio, uteri dolor:

10 XXIV. Arnoldus de Rhelingen, ejusdem diœcesis, militaris conditionis, qui in una aurium, in qua per viginti annos, sicut juramento corporaliter præstito declaravit, nihil audire potuit, auditum plene recepit.

XXV. Quædam mulier, nomine Adlhaidis, de Berolzheim, Eichstettensis diœcesis, brachium in cubitu adeo connexum habuit, ut ipsum a pectore extendere non valeret: quod per supradicti Antistitis suffragium resolutum extitit et extensum in tantum, quod modo ipsa mulier fusare *c* et nere et omnes operationes hujusmodi absque impedimento quolibet exercere potuerit.

XXVI. Quædam mulier paupercula, qnibusdam Eichstettensibus satis nota, tempore partus (salva quorumlibet audientium disciplina) sic fuit graviter in matrice confecta, quod quasi per viginti annos hujusmodi fatigata dolore, absque ventris colligatione debitum his, quibus servivit, non potuerit impendere famulatum: quæ similiter, hujusmodi defectu ac dolore sublato juxta dictum tumulum, reintegrata matrice, sanitati pristinæ fuit restituta.

B

iterum surditas, ejectio intestini, claudicatio;

11 XXVII. Quidam vir de Kutzingen, Herbipolensis diœcesis, nomine Conradus, dum in febrium ægritudine laboraret, in ambabus auribus fuit privatus auditu: qui cum supradicti Pontificis sepulchrum adiisset, subtractam auditus gratiam, ipsius intercessione, resumpsit.

XXVIII. Item cuidam viro, de Windesheim *d*, ejusdem diœcesis Herbipolensis, intestinum illud, per quod exire major solet egestio, extra anum processit; et tam diu extra remansit, quod ex hoc magno cruciatus dolore mori potius quam vivere affectabat: qui dum antedictum sepulchrum visitare vovisset, protinus ipso intestino in locum debitum redeunte, curatus extitit; prout per juramentum corporaliter per eum præstitum, cum venisset expleto voto, probavit.

XXIX. Quidam servulus, de Rhelingen, Augustanæ diœcesis, nomine Henricus, curvum habens pedem, adeo ut absque podiis *e* ire non potuerit, emisso voto consimili domi similiter curatus fuit; qui hoc etiam postmodum cum venisset, plurimorum, qui ipsum curvum pedem habere viderant, testimonio comprobavit.

iterum surditas duobus adempta;

* *lege* Henrico

C

12 XXX. Reverendus pater et dominus Andreas, Herbipolensis episcopus, pro quodam adolescente servo suæ cameræ, nomine Henricus *, qui in utraque aure fuerat in totum privatus auditu, vovit sincere, quod ipsum, per hujusmodi tollendo defectum *f*, vellet ad prædicti inclyti Præsulis destinare sepulchrum: cumque eidem adolescenti votum, quod pro eo fecerat, retulisset, defectus hujusmodi decrescere cœpit et minui; ita quod, cum idem episcopus ad venerabilem patrem et dominum fratrem Philippum episcopum Eichstettensem per eumdem præfatum debilem cum suis supplicatoriis litteris promovendum direxisset, continuo juxta memoratum sepulchrum ambarum aurium sibi fuit plenissime restitutus auditus.

XXXI. Marquardus, quondam carpentarius, de Worthe, Augustanæ diœcesis, quasi septuagenarius, dum subtractam sibi auditus gratiam juxta prædictum sepulchrum devote sibi restitui postularet, nec ibidem exauditus fuisset; dum postmodum oppidum Hochstetten *g* transiret, auditum recepit.

13 XXXII. Henricus, filius Hertivici, villici honorabilis viri domini Conradi decani Eichstettensis in villa Walnsdorf, quasi decennis; qui dum propter calculum, quo graviter premebatur, urinare pro aliquo tempore non potuisset, illo die, quo pater et mater ipsius Pontificis suffragium pro eo invocabant, adepta pristini meatus gratia, ab eodem impedimento fuit curatus.

D

sanatur calculus; datur facultas moribundo confitendi et sumendi Viaticum:

XXXIII. Quidam de Gemphingen in lecto ægritudinis constitutus, obmutuit; ad quem cum plebanus ad audiendam confessionem ipsius et porrigendum Eucharistiæ Sacramentum venisset, ipsum invenit officio linguæ privatum; hortabatur autem Christi fideles adstantes rogare Dominum, ut per intercessionem inclyti præsulis Gundekari loquendi gratiam consequi mereretur: quibus Domino devote supplicantibus, officio linguæ sibi plenissime restituto, confessus fuit, et suscepto Eucharistiæ Sacramento, iterum obmutuit, sicut prius.

sanantur semisurda, hydropica, dæmoniaca,

14 XXXIV. Lutta femina quædam, de Eichstet superiori, in una aure sua penitus surda fuit, et post votum emissum dum sepulchrum sæpe dicti Gundekari pontificis visitaret, et aurem surdam ad sepulchrum poneret, in continenti quidam fragor in capite ejus insonuit, et continuo pristinum auditum recepit.

E

XXXV. Gisella femina quædam de Ratisbona, quæ quinque annis hydropica fuerat, nec per medicos nec per medicinas curari poterat, sepulchrum ipsius Præsulis visitare promisit; et in continenti circa maximam ventris inflationem quædam cutis rupta extitit, ita quod statim, inflatione cessante, restituta fuerit pristinæ sanitati.

XXXVI. Isentrudis de Schrobenhusen, femina Augustanæ diœcesis a quodam dæmonio, quod ipsam per quatuor annos continuos vexaverat, prope sepulchrum ipsius Præsulis extitit liberata.

uti et contracta simul et cæca,

15 XXXVII. Cunegundis, natione Mystnensis, dicta de Nurnberg, tam in crure quam in brachio curva, et in utroque oculo cæca existens, in exhumatione ipsius Præsulis sepulchrum ejus visitans, curata fuit tam in brachio quam in pede. Sed cum adhuc cæca remaneret, manifestare noluit gratiam sibi factam; et recedens, secum de terra prædicti sepulchri portabat; et quadam nocte, cum ad lectum ire vellet, tantus eam dolor capitis et oculorum invasit, quod non speraret, se vivere usque mane. Tandem soror ejus caput et oculos de terra Pontificis supradicti linivit; et in continenti, dolore cessante, ipsa mulier somnum cepit. Cum evigilasset de mane ipsa mulier, quæ per quinque annos cæca fuerat; lucem diei sensit, et sic per momenta temporum adeo in claritate visus profecit, quod nullum omnino defectum oculorum se sustinere juraverit.

F

et membris debiles, et altero captus oculo,

16 XXXVIII. Quidam colonus, de Ottingen, per multa tempora tantam debilitatem crurium et pedum contraxerat, quod officium ambulandi penitus amiserit. Post votum emissum de sepulchro præmisso visitando, infra octo dies ita convaluit, quod nudis pedibus idem sepulchrum sine dolore et defectu quolibet visitaverit.

XXXIX Conradus Merulus, de Horburg, Augustanæ diœceseos, in uno oculorum suorum tam copiosum et continuum fluxum habuit, quod visus ejusdem oculi ex hoc penitus evanuerit; imo tota quasi maxilla, per quam stillicidium descendebat, extitit ulcerata: quem cum parentes ipsius ad sepulchrum prædictum singulis annis sub annuo censu quinque Halensium *h* devovissent, fluxu in continenti cessante, pristinam visus claritatem recepit.

XL Adlhaidis, puella sex annorum, de Hobingen, ab uno latere a vertice capitis usque ad

plantam

A plantam pedis adeo debilitata fuerat et destructa, quod nec sedere nec ambulare potuerit, sed tantum super ventrem et faciem cogebatur, dorso ipsius sursum erecto, jacere : quam parentes ipsius ad sepulchrum memoratum deferre promiserunt; et statim per aliqua temporum momenta [ita] convaluit, quod omnium membrorum suorum usum et officium recipiens, erecta incesserit, nec aliqua pristinæ infirmitatis vestigia in ea postmodum apparebant.

Voti rea mulier punitur ob negligentiam;

17 xli Bertha mulier, oriunda de Heideck *i*, receperat se ex altera parte civitatis Babenbergensis * ad quatuor milliaria; ubi de quodam fonte bibit; et in continenti struma in gutture ejus crescere cœpit : cumque per duos annos continuum reciperet incrementum adeo, ut singulis annis * et noctibus suffocari timeret, et ad diversos Sanctos strumas ferreas et cereas destinaret, nihilque proficeret; tandem adhuc mater ejus residens in Heideck, audiens miracula prænotati Antistitis, pro Filia sua ignorante et absente votum emisit, quod sepulchrum ipsius infra certum temporis spatium visitare deberet; et statim, B antequam hoc filiæ innotesceret, struma ei cœpit decrescere successive.

* *id est* Bambergensis

* *forte* diebus

sed resipiscens sanatur.

18 Processu vero temporis cum ipsa mater de hujus * voto reddendo filiæ per nuntium intimaret, respondit, quod jam in tanta esset convalescentia, quod solutionem voti minus necessariam æstimaret; et sic in exsecutione voti se per tempus aliquod exhibens negligentem, tam vehementem dolorem dentium et capitis incurrebat, quod etiam alienari se timeret a matre *. Propter quod ipsa votum matris in persona propria adimplere promisit : et statim utroque morbo cessante, ad dictum sepulchrum sana pervenit et incolumis; ita ut, denudato ejus gutture coram populo, nulla omnino pristini defectus vestigia apparerent; licet de excrescentia strumæ ipsius plures honestæ personæ in castro Nassenfelss *k*, quæ eam tamquam sibi notam strumosam viderant, testimonio sufficienti perhiberent.

* *forte* hujusmodi

* *forte* mente

ANNOTATA.

C

a Incineratæ carnes, *id est in cinerem seu pulverem resolutæ; quo sensu etiam adhibent Itali vocem* incenerare.

b Memorato episcopo, *Philippo scilicet, de quo supra, cap.* I, *num.* 3.

c Fusare, *id est fusum volvere; quod nentes solent.*

d Windsheim *oppidum est ad Aischum fluvium, tredecim fere leucis Germanicis Eystadio distans.*

e Podia *hic appellantur fulcra subalaria, quibus innituntur claudi.*

f *Legendum opinor :* pro ejusmodi tollendo defectu.

g *Ad Danubium in Suevia, novem circiter leucis Eystadio versus Occasum.*

h Halenses *sive* Hallenses, *oboli sunt et moneta exilis in Suevia, ab hujus urbe* Halla *sic dicti. Adi Cangium, Hofmannum et alios.*

i Heideck *oppidulum est quatuor fere leucis Germanicis dissitum Eystadio in Boream.*

k Nassenfelss *oppidum est Eystadio vicinum et subditum; ubi quidam Aureatum olim fuisse volunt, ut Gretserus citatus pag.* 554 *et seqq.*

EX MS.

CAPUT III.

Reliqua decem ejusdem Beati miracula.

Sanatur epilepsia.

Mechtildis, puella xiii annorum, Frisingensis diœcesis, sæpe ac sæpius diversis temporibus accessionem cujusdam infirmitatis habuit, per quam adeo debilitata extitit, ut in terram ceciderit; et tam pedes quam manus et brachia, nec non et alia membra obriguerint, ita quod quasi omnibus, qui videbant, morbo epileptico diceretur laborare. Tandem vero pater et mater ejusdem puellæ audientes diversa miracula inclyti Gundekari, votum emiserunt, quod ipsam filiam suam ad sepulchrum ipsius, quanto citius possent, in persona propria præsentarent : et in continenti cessante hujusmodi infirmitate, curata salubriter extitit, et nullam deinceps accessionem E habuit, nec aliquam omnino passionem sensit.

Circulus ferreus brachio indissolubiliter insertus et exitialis, miraculo solvitur.

20 xliii. Godefridus septuagenarius, de Cutis regni Bohemiæ oriundus, propter homicidium, quod in persona cujusdam patrui sui commiserat, circulo ferreo brachium suum concludi et circumcingi fecerat; ita ut se ipsum ab hujusmodi vinculo liberare non potuisset. Cumque per tres annos cum dimidio et per decem septimanas hujusmodi circulum detulisset, et carnes ipsius ex nimia strictura ferri usque ad ossa corrosæ fuissent, audiens miracula piissimi Gundekari, iter ad visitandum ipsius sepulchrum arripuit; et prosternens se ad sepulchrum, de quo jam pridem corpus ejusdem Antistitis transpositum extitit, et brachium vinculatum eidem sepulchro immitens, quibusdam sacerdotibus et aliis honestis personis ibidem præsentibus, magna voce clamare cœpit : tunc in continenti, cum manum ad se retraheret, circulus ipsius brachio cecidit; et clavus, per quem idem circulus conclusus fuerat, in sepulchro inventus fuit; et signa amputationis in ipso clavo recentia apparuerunt, ac si per instrumentum fabrile amputatus fuisset : et F quod nulla fraus in hoc casu intervenerit, ipse, qui curatus extitit, proprio juramento, et sacerdotes, et alii, qui præsentes fuerunt, sufficienti testimonio declararunt.

Puella submersa et habita pro mortua,

21 xliv. Dictus Ellenbruner, residens extra portam civitatis Eichstettensis versus portam occidentalem, cum in vigilia Ascensionis Domini a civitate Eichstettensi absens esset, Mechtildis, filia sua septem annorum ad fluvium, qui vulgariter Altmihl dicitur, juxta hospitium parentis sui de quodam ligno cecidit, et submersa usque ad decimam aream, quæ ibidem continuantur, per fluxum aquæ ducta fuit : cumque universi ac singuli habitatores ejusdem continuanter clamantes accurrerent, nec eam juvare possent, tandem quidam piscator cum navicula superveniens, extraxit puellulam, et tamquam mortuam ad terram projecit; quam convicini ad brachia sua levantes, nulla vitæ indicia per longum tempus invenerunt in ea.

statim restituitur pristinæ valetudini.

22 Condolentes matri, quæ præ nimia turbatione syncopizare *a* cœperat, ipsum Præsulem, ut vitam ei pristinam restitueret, omnes unanimiter invocabant; et post modicum temporis sanguis et aqua de ore ipsius puellæ et naribus *a*

in

Ex MS. in magna quantitate profluxit, et statim unum digitorum movere cœpit. Et videntes vicini, ipsam vestibus suis, in quibus submersa fuerat, exuentes, ad lectum deposuerunt; et infra breve temporis spatium, postquam calefacta fuisset, recuperavit adeo vires suas, quod omnino sana et incolumis sepulchrum prædicti Pontificis una cum matre et aliis vicinis suis in persona propria visitavit, prout hæc omnia per ipsum piscatorem et alias XIV personas fide dignas, qui totam facti seriem viderant, et interfuerant, sufficienter declaratum extitit, et publice ac lucide coram populo comprobatum.

Cæca, et paralytica sanantur. 23 XLV. Mechtildis de Finfbrun adeo in visu defecerat, et per totam hyemem jam transactam defectum ejus sustinuerat, quod absque ductore in locis sibi notis non ire potuisset : quæ postquam sepulchrum antedicti Gundekari, prout noverat, in hebdomade ante diem Paschæ proximæ visitavit et domum rediit; in ipso die Paschæ, et quasi in momento, pristinam visus claritatem recepit, prout per testes idoneos et juratos lucide comprobavit. B

XLVI. Mechtildis de Nova civitate *, Bambergensis diœcesis, tota ab uno latere morbo percussa paralytico, quod per XXX hebdomades absque suffragio aliorum se de loco movere non potuerit, votum emittens, quod, si ante instans festum Nativitatis Domini ab hujusmodi infirmitate eam contigerit liberari, sepulchrum ipsius Pontificis annis singulis visitaret, in continenti alleviata extitit, et de die in diem sic convaluit, quod in festo Nativitatis Domini, votum emissum per se, curata penitus et liberata, exsolvit.

* *vulgo* Newstatt

Angina letalis 24 XLVII. Henricus famulus honorabilis viri magistri Udalrici, Præpositi Spaltensis *b*, cum quodam die Sabbati, post festum Paschæ nunc transactum, nullam omnino corporis debilitatem sentiret, et sanus de nocte se ad stratum suum deponeret, guttur ipsius eadem nocte adeo magnum tumorem et dolorem contraxit, ut in mane nec de lecto surgere, nec absque maxima difficultate loqui potuerit : cumque dominus Rudigerus, viceplebanus, pro quadam cautela vocatus, cum Eucharistia venisset ad eum, et ipse famulus cum multa sibi difficultate peccata sua confessus fuisset; C timens idem plebanus et alii, qui præsentes fuerunt, ne forsitan in brevi ipsum contingeret suffocari; ea celeritate, qua potuit, Sacramentum Eucharistiæ ei ministravit; sequenti vero die, videlicet feria secunda mane, prædictus tumor in gutture ipsius adeo invaluerat, quod idem famulus omnem loquendi potentiam penitus amiserit, nec verba sua ab aliquo intelligi vel audiri poterant, ita quod per solum capitis motum vel nutum suam insinuaverit quodammodo voluntatem.

statim omnino sublata. 25 Quod audiens ipse Præpositus, de vino, in quo ossa gloriosi pontificis Gundekari lota fuerunt, ad os ipsius fundi sub modica quantitate mandavit; et statim ipse famulus quemdam ex hoc dolorem protendens, loqui cœpit; per potum, quem sumpserat, se omnino asserens liberatum : et dum sibi per adstantem famulum diceretur, quod de vino ablutionis Gundekari præsulis sumpsisset, in continenti cum magna devotione sepulchrum ipsius deinceps, quanto posset frequentius visitaturum promisit : et qui prius nec linguam movere, nec se de lecto erigere poterat, cibum sibi dari petiit : et adhuc eadem die memoratum sepulchrum visitans, die crastino, hoc est feria tertia, sanus et incolumis ad exercendos labores consuetos accessit.

26 XLVIII. Gisilla femina, de Edelhusen prope Pfaffenhofen, per XII annos, minus quinque septimanis, dæmonium quoddam habuit, quod ipsam per sylvas, campos, et loca quæque devia agitavit, et contra voluntatem omnium sibi attinentium ad terram Austriæ venire, et per triennium, quasi vagum et indomitum animal, ibidem discurrere compulit : quæ in die Pentecostes ante horam matutinam ad sepulchrum sæpe dictum adducta per carnalem fratrem suum, et violenter attracta, multis clamoribus et vociferationibus emissis, afflicta adeo miserabiliter extitit; ut omnes ibidem præsentes ad fletum provocati fuerint. Post multas hujusmodi passiones, dum ipso die vespertinum decantaretur Officium, juxta sepulchrum prædicti pontificis Gundekari, in totius populi præsentia fuit ab hujusmodi dæmonio, divina favente clementia, penitus liberata. D *Dæmoniaca liberatur.*

27 XLIX. Engelmarus, militaris conditionis, dictus Chuengesfelder, de Wolfersdorff, in crure suo maximam et periculosam quasi per spatium unius anni habuit inflaturam; propter quod etiam cutis in diversis locis ipsius inflaturæ rupta fuit, nec aliqua exinde materia profluxit; sed potius corrosiones hinc inde graves obortæ, de die in diem dilatatæ fuerunt, ita quod fuerit timor, ne totum crus suum tandem ipse morbus inficeret : cumque ipse ægrotus, quadam nocte in turbatione maxima constitutus, se ipsum reputaret propter hoc in rebus et persona destructum, et præ nimia tristitia quasi somnolentus jaceret in lecto, ecce, quidam apparuit ei in somno, dicens : Vade cito ad ecclesiam Eichstettensem, et debile crus tuum pone supra sepulchrum B. Gundekari ut cureris. Ipso in continenti ad se reversus, de visitando ipso sepulchro cum fervore multæ devotionis votum emisit : et subito de die in diem, de momento ad momentum decrescente inflammatione omnique corrosione et læsione ejusdem cruris, postquam feria tertia proxima post festum Pentecostes sepulchrum ejusdem gloriosi Pontificis visitasset, et crus suum ibidem supposuisset; adeo curatus extitit, quod se validiorem in illo, quo morbus fuerat, et agiliorem, quam in eo, quod sanum remanserat, sacramento corporaliter præstito comprobaverit. *Sanatur subito crus dire affectum,* E F

28 L. Conradus de Neussen XIII annis manum claudam habuit, ita quod eadem manus ad ipsum brachium contracta, non potuisset ab eo aliqualiter separari; omnesque digiti ejusdem manus usque ad pugillum incurvati et inclusi fuerint; et ungulæ ipsorum digitorum adeo excreverant, quod ipsi pugillo læsionem aliquoties inferebant : cumque per octo annos defectum hujus morbi * pateretur, quadam nocte somniavit, quod si ad Episcopum Eichstettensem veniret, manus sua pristinam sanitatem recuperaret. Qui ad ecclesiam Eichstettensem veniens, manum suam ad præfatum sepulchrum cum poneret, multis ibidem clericis et laicis præsentibus primo defectum hujusmodi examinantibus et invenientibus, manum *, quæ brachio annexa fuerat, et digiti usque ad pugillum incurvati, paulatim disjuncti ac resoluti fuerunt, ita quod tandem tam manum ipsam, quam digitos habebat extentos, et nihilominus quidam globus, qui prope juncturam proximam post minimum digitum in exteriori parte brachii excreverat, et tamquam cornu per diuturnitatem temporis fuerat induratus, in continenti evanuit et recessit. *et manus contracta,*

* *imo* hujusmodi

* *lege* manus

29. LI. Ulricus de Ellingen quamdam speciem habuit paralysis, quæ cum dolore vehementissi- *et paralysis.*

30

A mo per omnes partes corporis hinc inde discurrens, ipsum miserabiliter diversis diei horis afflixit. Qui ad ejusdem præclari Pontificis sepulchrum veniens, et per dies aliquot moram trahens, superveniente dolore, vociferabat miserabiliter et clamabat ita, quod omnes adstantes ad compassionis misericordiam moti fuerint: qui de die in diem, ex frequentatione sepulchri, melius habuit, et tandem quasi post XII dies omnino fuit curatus c.

C

ANNOTATA.

a Syncopizare, *id est animi deliquium pati; a Græco* συγκόπτομαι.

b Spaltum *oppidum est cum ecclesia collegiali in diœcesi Eystettensi.* EX MS.

c *Hic sequebatur attestatio legitima de omnibus quæ hactenus ex libro Pontificali desumpta produximus, circa gloriosi pontificis Gundekari miracula; et ita sonat* :

Hæc singula ex antiquissimo libro ab ipso præfato piissimo episcopo Gundekaro incepto, a subsequentibus episcopis Eystettensibus continuato, in episcopali archivio asservato, descripta fuisse, fidelissime assero et propria manu ac sigilli vicariatus generalis Eystettensis appressione corroboro. Eystadii die V Maii MDCCXXXI. Sebastianus Joseph Ziegler SS. Theologiæ Doctor, vicarius generalis, ad S. Vitum Herriedæ canonicus capitularis.

B

DE S. PETRO EPISCOPO CONFESSORE

E

OXOMI SEU UXAMÆ IN HISPANIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus, patria et professio.

ANNO MCIX.

Ut *ut persæpe fallat Tamayus in suo Martyrologio Hispanico, hoc saltem die recte signavit illustravitque* S. Petrum *Oxomensem, seu Uxamensem (Borgo de Osma) episcopum, de cujus cultu etsi aliunde non omnino constiterit, utpote cum a solis Menardo, Ferrario et Saussayo annuntietur; ea ipse suggessit, unde de antiqua celebritate securi esse possimus, ut mox patebit clarius. Jam Menardum ipsum primo loco audiamus* : In Hispania, sancti Petri Oximensis episcopi, Ordinis Cluniacensis. *Notat vero in Observationibus pag.* 653 : Fuisse Petrum Gallum natione, Biturigibus oriundum, venisse in Hispaniam vocatum a beato Bernardo, qui tum abbas erat Sahaguntensis cœnobii, postea archiepiscopus Toletanus. Sumpsit habitum in dicto cœnobio a prædicto beato Bernardo, ubi vixit secundum instituta Ordinis Cluniacensis, quæ tum in cœnobio illo vigebant. Fuit postea archidiaconus Toletanus, beneficio ejusdem beati Bernardi. Tandem episcopus Oxoniensis, *voluit dicere* Oxomensis. *Ferrarius in Catalogo generali sic habet* : Uxamæ in Hispania, S. Petri episcopi et patroni. *Cur eumdem Sanctum ad diem* IV *hujus mensis iterum repetat, ex sequentibus facile erit intelligere.*

In Fastis non satis notus,

C

a Tamayo illustratur

2 *Saussayus in Supplemento pag.* 1154 *ita etiam de ipso hoc die loquitur* : In Hispania, natalis sancti Petri, Oxomensis episcopi, Ordinis Cluniacensis, qui ob fulgentia gratiæ lumina a sancto Bernardo archiepiscopo Toletano, ortu Aquitano, in Hispaniam evocatus, commissum sibi populum verbo pavit et exemplo; multiplicatoque, ex ovium salute, Domini fœnore, æternum introivit in gaudium. *Alium vero citat Tamayus Martyrologum Hispanum, cujus hæc sunt verba* : Uxamæ Hispaniæ, S. Petri, ipsius urbis episcopi, qui primo fuerat monachus Cluniacensis, post Sahaguntinensis, archidiaconus Toletanus, vir doctrina, virtutibus et miraculis singularis. *Meretur etiam hic audiri Tamayus ipse* : Uxama Hispaniæ, S. Petri ipsius urbis episcopi, qui ex Aquitania Galliæ a Bernardo archiepiscopo Toletano evocatus, cucullam Ordinis Benedictini in Sahaguntino cœnobio recepit, post Toletanus archidiaconus factus, ad infulas præsulatus accessit, quibus exemplo et doctrina clarus, insignis confessor ad lucrum migravit æternum. *De habitu Benedictino in Sahaguntensi seu Saguntino cœnobio, an potius in ipsa Gallia suscepto, disquiremus inferius : quæ ad cultum spectant, hic primum exsequenda sunt.* F

ex multis Breviariis

3 *Hunc vero luculenter etiam probat Tamayus ex variis vetustis Hispaniæ Breviariis, sancti hujus* Petri *Officium referentibus, inter quæ primum citat Breviarum Toletanum anni* 1483, *qua in ecclesia hac die secunda Augusti festivitatem ejus etiam nunc recoli, constat ex Kalendario, seu divini Officii Ordine, impresso Matriti anno* 1718. *Adducitur etiam Breviarum Compostellanum anni* 1569, *tum Civitatense anni* 1555. *Item Palentinum et Salmanticense anni* 1538, *in quibus festum rejicitur ad* XII *Octobris forte Novembris, ob factam eo die translationem. In Conchensi autem ponitur* IV *Augusti. Carthaginensis anni* 1536, *propriam lectionem mox dabimus. Omnium instar sit, jam dicti anni* 1718 *Kalendarium ipsiusmet ecclesiæ Oxomensis, in quo expressissime legitur hac die* II *Augusti* : Petri episcopi confessoris et patroni, duplex I Classis cum octava in tota diœcesi. *Vides de solenni* S. Petri, *saltem in Hispania cultu, prorsus dubitandum non esse; ut jam elogia prætercam, quæ sancto huic Antistiti ab Hispanis profuse tribuuntur. Sufficiat hic modo, quam pollicitus sum, Breviarii antiqui Carthaginensis lectio* :

4 Vene-

AUCTORE J. B. S.

præsertim ex Carthaginensi

4 Venerabilis antistes et pius pastor Petrus, natione Bituricensis, parentibus Christicolis, cum esset bonæ indolis adolescens, inter scholares diligenter invigilans, in lege Domini die ac nocte meditabatur. Archidiaconus igitur factus Toletanus, in ipsa ecclesia res ecclesiasticas diligenter et opportune tractabat, et excubitor in domo Domini providus, non tantum temporalia, sed spiritualia erogabat. Eodem tempore Oxomensis ecclesia solatio pastoris carebat, quæ Saracenorum incursibus, cum aliis multis Hispaniæ ecclesiis et civitatibus depopulata fuerat; multisque annorum curriculis orbata rectore, deficientibus habitatoribus permansit. Dei tamen nutu, reædificabatur civitas Oxomensis a paucis habitatoribus. Huic civitati prædictus Vir laudandus in pastorem præficitur, dirutæque et ab ipsis fundamentis eversæ ecclesiæ (cujus nec signa nec vestigia vetustate reperiri poterant) rector constituitur. Ipse itaque nec rerum affluentia, nec famulantum vallatus circumstantia, nec denique palatiorum dilatatus speciositate, novus cœpit ædificator existere : et non tantum parietes, sed B et subditorum mores reformare. His igitur rite expletis, Vir Dei protinus febre corripitur, et viribus corpore destituto, post Sacramentorum sumptionem, spiritum Domino reddidit IV Nonas Augusti.

et hymno Oxomensi.

5 *Habeat hic etiam locum hymnus ex Officio Uxamensis ecclesiæ a Tamayo descriptus in hunc modum :*

Plaudat phalanx angelica
Tanti festa pontificis,
Quæ Oxomam Biturica
Jussis transmisit cœlicis.
Ut tribulos evelleret,
Spinas et sentes veprium,
Et surculos insereret
Virtutum coruscantium.
Prius Toleti floruit
In archidiaconio :
Metropoli se subdidit
Sub Bernardi dominio.
Post Uxamæ basilicam
Instaurat, et [in] spiritu
Gentes edocet, qualiter
C Sit venerandus Dominus.

Atque hæc de cultu hactenus, jam quæ de patria seu origine et professione dici possunt, subjungamus.

Fuisse Gallum et monachum, certum est;

6 *In Chronico generali Benedictino nonnullos Hispanos refutat Yepezius, qui quod Sanctum passim appellari intelligerent* Petrum de Osma, *in animum induxerint, gente Hispanum fuisse; quasi S. Martinus, cui Turonensis cognomentum adhæsit, Gallus dicendus sit, quem in Pannonia natum, vulgo notissimum est; aut Italum quis credat S. Antonium Ulyssiponensem, quod passim ab obitus loco et sacri corporis depositione, Patavinus cognominetur. Sic, inquit, non ideo dicendus Hispanus* S. Petrus, *quamvis* Oxomensis *seu* Uxamensis *vulgo nuncupetur. Inter errantes illos, qui ferme Victorianum volunt* S. Petrum, *citat et refellit Yepezius Villegam, Trugillum et Mariettam, qui melius doceri potuerant ex Roderico Toletano lib* 6 *cap.* 27 *ita disertissime testante, quod Bernardus Toletanus archiepiscopus Roma per Galliam ad sedem suam regrediens,* de diversis locis viros honestos et litteratos, nec non et juvenes dociles, quos habere potuit, elegerit et in Hispaniam secum duxerit. De Mosaico duxit beatum Giraldum, quem prius cantorem in ecclesia Toletana, postea fecit archiepiscopum Bracarensem. De Bituricis S. Petrum, quem prius archidiaconum Toletanum, postea fecit episcopum Oxomensem. D

non æque constat,

7 *Non satis distincte hic a Roderico exprimitur, fueritne is, de quo hic agitur,* S. Petrus, *quando ex Gallia in Hispaniam ductus est, jam tum monachus, an primum cucullam induerit in ipso cœnobio Saguntinensi, ut supra innuebant Menardus et alii. Verum si Roderici verba recte expendantur, non inter* juvenes dociles, *qui postea habitum susciperent,* S. Petrum *connumeravit, sed inter illos quos* viros honestos et litteratos *appellat, quosque continuo ad dignitates promoverit, id quod ex Vita inferius danda, non adeo obscure colligi posse videtur; clarius autem apud Davilam de Episcopis Oxomensibus cap.* 3, *et apud alios, contra Menardum et ipsissimam Tamayi annuntiationem, quem mirum prorsus est, prima sua asserta cum postremis non melius connectere : nam ubi in jam dicta annuntiatione clarissime pronuntiavit, Sanctum nostrum* cucullam Ordinis Benedictini in Sahaguntino cœnobio recepisse, *quasi sui immemor, Menardi opinionem in observationibus suis impugnat, hisce formalissimis verbis :* Quæ opinio etiam nonnullis ex nostris scriptoribus, *(poterat dicere et mihi)* arridet, sed veriorem credo, quam Acta referunt. *Et eam nos quoque præferendam censeremus, nisi obstare videretur jam supra relata expressa Roderici sententia.* E

utrum apud Saguntinos habitum induerit.

8 *Vidit pugnantes opiniones Yepezius; at modum, quo eas conciliaret, saltem opportunum, non invenit; quin imo in deteriorem deflexit, qua nempe et ipse contendit, accersitum ex Gallia* S. Petrum, *non jam monachum, sed in ipso SS. Facundi et Primitivi cœnobio Saguntino habitum Benedictinum induisse. Vult autem Rodericum superius ita loqui, ut non solum agat de iis monachis, quos Bernardus tunc temporis ex Gallia in Hispaniam duxerit, ex delectu tunc facto, sed de omnibus, qui jam diversis temporibus eo accesserant; quod quid aliud est, quam totum difficultatis nodum scindere potius quam solvere? Quod vero, ex nescio quibus monumentis Saguntinis, ipso Roderico antiquioribus, ibidem disserit, mihi certe numquam suaserint a Roderico recedendum, quidquid in Vita tam manifeste asseratur,* S. Petrum *cum ipso Bernardo in Hispaniam perrexisse, dum e Cluniaco monachi Cluniacenses per Alfonsum regem tam solicite postulati sunt : id quod de tam celebri Sancto non tacuisset, opinor, Mabillonius, dum in Annalibus Ordinis ad annum* 1081, *tom.* 5, *lib.* 66 *de Bernardi in Hispaniam adventu et gestis plura memorat pag.* 172, *ubi tamen de* S. Petro *altissimum silentium; etiam locis aliis, quibus tamen de Bernardo Toletano sæpius meminit. Jam reliqua expediamus.* F

§ II. Ætas et gesta.

Variant item scriptores

Quemadmodum dubia et implexa ostendimus quæ de S. Petri *patria et professione jam disputata sunt, sic et intricata invenio, quæ de ætate ejus referri possunt, quorum decisio potissimum penderet ab adventu Bernardi, ex monasterio Cluniacensi seu alio ejusdem Ordinis ad Hispanicum Sahaguntinense, cui post Arabicas grassationes, ab Alfonso rege restaurato, primus abbas constitutus sit; unde, inquam, penderet decisio, si satis constaret* S. Petrum *jam dicti Bernardi socium fuisse, dum in Hispaniam*

AUCTORE J. B. S.

A *spaniam primum appulit. Si recte conjicio, venit in Hispaniam Bernardus antequam Toletum Mauris eriperetur, quod juxta probabiliorem chronologiam non contigit ante annum* 1085 *: ut supponere possimus ab anno circiter* 1080 *seu* 1081 *Bernardum cum sociis ad Saguntinense seu Sahaguntinense cœnobium pervenisse; unde post paulo ab eodem rege Alfonso Maurorum domitore accersitus, ecclesiæ Toletanæ datus sit archiepiscopus, metropolita et totius Hispaniæ primas. Quæ ipsa videtur Mabillonii sententia; qui in Annalibus suis Benedictinis loco jam supra citato, nempe tomo* 5, *pag.* 172 *agens de rebus Sahaguntinensibus, sic rem omnem, ut jam dixi, narrat, ut de* S. Petro, *nec ibi nec in sequentibus vel verbum memoret.*

in determinando tempore

10 *Audiamus quæ de Bernardi gestis, e quibus nostra utcumque illustratur narratio, ibi deducit in hunc modum :* Quis fuerit ille, quem Alfonsus Toletanæ ecclesiæ præficiendum Gregorio suggerebat, incertum ; at certum est, illi sedi Bernardum, nostri Ordinis monachum, tandem impositum fuisse. Is ex Aginnensi oriundus territorio, oppido scilicet Salvitatis *, teste Ruderico B Toletano, cum ab infantia litteris imbutus fuisset, seculari militiæ nomen dedit; sed postmodum infirmitate coactus, in S. Orentii Auxitano monasterio, Benedictinæ regulæ, sumpto monastico habitu, se mancipavit. Inde vocatus Cluniacum ab Hugone abbate, cum eo laudabilem aliquamdiu egit vitam. Dein cum rex Alfonsus Saguntense SS. Facundi et Primitivi cœnobium, ubi aliquando, vitandæ captivitatis causa, monasticum habitum haud sponte induerat, augere et amplificare vellet, ab Hugone abbate religiosum virum postulavit, qui illic abbatis officio fungeretur, ut, sicut Cluniacum ceteris Galliæ monasteriis, sic etiam istud Hispanicis omnibus præcelleret. Hugo illuc Bernardum cum aliis monachis misit. Hic vero abbas factus, ita se omnibus amabilem et acceptum exhibuit, ut Toleto in Christianorum potestatem redacto, mox ipse illius sedis archiepiscopus electus sit.

* la Sauvetat

quo Sanctus in Hispaniam venerit:

11 *Hæc convenire ferme videntur cum iis quæ tradit danda a nobis ex Tamayo Vita num.* 2, *ubi præmissa Sancti nostri priori vita in monasterio, uti vocat Auricensi (forte Auxitano) vel Cluniacensi, narrat, Alfonsum regem* ab abbate Cluniacensi *(quem non nominat)* assiduis efflagitasse C epistolis, quatenus in Hispaniam aliquos ex Cluniaco monachos, et doctrina et virtutibus claros, qui regale cœnobium erigerent et illustrarent spiritu, et totius regionis ambitum præclaris moribus et virtutibus insignirent, emitteret. Igitur Cluniacensis abbas, regis inclyti humili petitione convictus, duodecim monachos, morum illustrium specimine roboratos, ad regem destinavit, inter quos Bernardum, qui postea fuit archiepiscopus Toletanus, et Petrum, ejus secundum carnis vinculum nepotem, licet merito professione filium. Qui apud prælibatum Sahaguntinense cœnobium monasticam per aliquot temporis cursum vitam exegit, ubi in oratione, nocturnis excubiis, jejuniis et similibus exercitiis, assiduus Domini perseveravit minister. Passum extra ordinem homo Dei de more cum fratribus in divinæ legis meditationem incumbebat, ut melius et efficacius ab otio diffugeret, *etc. Quæ in ipsa Vita fusius deducuntur.*

an dum Bernardus Toletanus eo perrexit,

12 *En hic* S. Petrum *Bernardi socium, dum is circa annum* 1080 *vel* 1081 *in Hispaniam primum perrexit. At rursus quis ea satis conciliet cum verbis Roderici, superius num.* 6 *citatis, ubi disertissime testatur* S. Petrum *a Bernardo ex Gallia primum adductum, dum Toletanus archiepiscopus Roma per Aquitaniam ad sedem suam reverteretur, quod non videtur contigisse nisi seculo* XI *jam ad finem vergente, utpote dum Cruce signati Jerosolymam pergerent, quo eos Bernardus, pio zelo et ipse incensus, comitari decreverat. Si dissolvere utcumque liceat, quæ apud Hispanos implexa, manifestissimum est : dicam hæc contigisse circa annum* 1096, *quando Sanctus noster non tam Saguntum adductus, quam archidiaconus Toletanus a Bernardo declaratus sit; ea scilicet tempestate, qua plerique monachi ex Ordine Benedictino, canonicorum vices in ecclesia Toletana supplere cogebantur : Sanctum porro paucis annis, puta quatuor aut quinque, archidiaconi munere perfunctum, anno circiter* 1100 *aut* 1101 *ad episcopatum Oxomensem restaurandum, dicam an inchoandum, absque ullius invidia promotum esse, eamdemque ecclesiam administrasse ad annum usque* 1109, *quo* II *vel* IV *Augusti ad laborum præmium feliciter evocatus est.*

an dum Romam idem rediit.

13 *Ut igitur conjecturis saltem verosimilibus,* S. Petri *vitæ series utcumque ordinari queat, non verebor asserere, eum circa annum jam dictum* 1096 E *Saguntum atque inde Toletum, ætate tum maturum pervenisse. Quod si septuagenarius dici possit dum episcopus anno* 1109 *mortuus est, consequens erit ut natus dicatur circa annum* 1040, *monachum porro induisse, post brevem secularem militiam, anno circiter* 1070, *veteranusque adeo fuerit anno illo* 1096, *aptusque proinde, non solum ut in cœnobio Saguntino fratribus exemplo præluceret, verum etiam ut ad archidiaconi dignitatem promoveretur, in qua et ut perfectus monachus et simul canonicus omnes partes et sancti et docti prudentisque Viri impleverit, tantaque proinde ipsius* virtutum fama per omnium ora dispersa percrebuerit, quod regem, archiepiscopum, clerum et populum in profundam admirationem illustrium facinorum frequentia raperet, *ut fusius habes in Vita num.* 5; *secuta mox unanimi electione in Oxomensem episcopum, ubi quibus claruerit singularissimis tum virtutibus, tum miraculis, præclare ibidem explicatum invenies. In eo deficere videtur laudata Legenda, quod non satis apte finem vitæ collocaverit anno* 1108, *ut modo etiam paucis explicandum superest.*

Par ferme controversia de anno et die obitus.

14 *Et vero tum annum tum diem obitus æque* F *ferme ac cetera, involvunt scriptores. Certe contra expressissimam Vitæ assertionem, qua obitum Sancti collocat* anno Domini MCVIII *cogor sentire, ad annum omnino supervixisse, cum adfuerit, ex ejusdem Vitæ num.* 9, *Alfonso* gravi infirmitate oppresso, *ejusque morti et funeri. Cum vero constet, regem istum vita functum anno* 1109, *cumque brevi post secutus fuerit sanctus Oxomensis Episcopus, de quo hic agimus, satis certum videtur, errasse Vitæ scriptorem, dum toto anno mortem ejus anticipavit. Utrum eodem laboret vitio dum* IV Nonas Augusti *signat, contra quam alii, quartum ejusdem mensis, seu* pridie Nonas *annotarunt, non disputo : hoc potissimum die ipsum annuntiant, quos supra citavi, Martyrologi; ut verosimilius censeam, hunc fuisse ipsum obitus diem, quo in ipsa sua Oxomensi ecclesia singulari solennitate recolitur annua ejus memoria, quemadmodum supra ex Kalendario annotavimus. Atque hæc de* S. Petri *die et anno felicissimi obitus, eo pacto extra controversiam abunde posita videntur.*

Gesta melius illustrata.

15 *Ad ejus illustria gesta quæ pertinent, is, qui Legendam, jam non semel laudatam composuit, tam studiose prosecutus est, ut nihil ferme desiderari sit*

passus

AUCTORE J. B. S.

passus, fontem præbens ex quo sua accepisse videntur tum Sandovallius, tum Yepezius, tum reliqui ferme omnes qui de Sancto meminerunt. Unum est quod suggerit Lucius Marineus Siculus De Sanctis et Martyribus Hispaniæ lib. 5 *f.* 25 ✝, *hic non prætermittendum. Describit ipse illic celebre miraculum fontis ex quercu scaturientis, de quo etiam Vita meminit num.* 9. *Tum vero subjungit, quæ hic sequuntur :* Idem Pontifex, cum negotiis emergentibus, multorum precibus adductus, Palentiam venisset, reprehensibile ducens, secularibus rebus et necessitatibus, se continua solicitudine implicari, inter mundanas varietates, manentis desiderio civitatis accensus, proposuit in ecclesia beati Antonini in vigiliis et orationibus pernoctare, et propositum executus est ad effectum. Quapropter ego et Dei magna opera referens, et hujus beatissimi viri sanctitatem, ob cujus memoriam hæc atque alia divina clementia dignabatur ostendere, quod prædixi miraculum describens, non solum præsentium, sed etiam futuræ posteritatis memoriæ commendare decrevi. *En modo Legendam ipsam.*

B

ACTA

Apud Tamayum, ex Ms. vetusto Legendario Asturicensi.

Gallus ex milite monachus,

Petrus in Gallia Celtica apud Bituricos natus, patrem Guillelmum et Neymiram matrem, non tantum sanguine, sed et moribus nobilissimos habuit. Ab infantia fidei sacris excultus rudimentis, et Dei timore nutritus, ad juvenilem accessit ætatem virtutum perfectione compactus. In illa (ut ea tempora ferebant) armorum strepitu illectus, baltheum profanæ indutus militiæ, vexilla regum, temporum occasione, prosequitur. Ea per aliquot annorum curricula strenuus juvenis defensavit, donec periculum in exercitio prudens discursus explorans, signa bellica sagax
C animadversio reliquit. Tunc quid agendum quæritans, S. Benedicti Ordinem tota viscerum compage suspirans, calcatis innumerabilibus contra-
a dictionis ambagibus, in Auricensi cœnobio *a* cucullam induit. Ibidem S. Vir per aliquot annos monachum egit, donec rex Alphonsus Castellæ, qui Toletum cepit, Sahaguntinense monasterium reædificare constituit, illudque totius regni caput inter cetera destinare.

cum aliis in Hispaniam missus,

2 Qui ut istius populationis fundamina præceptoribus niterentur illustribus, ab abbate Cluniacensi assiduis efflagitabat epistolis, quatenus in Hispaniam aliquos ex Cluniaco monachos, et doctrina celebres, et virtutibus claros, qui regale cœnobium erigerent, et illustrarent spiritu, et totius regionis ambitu præclaris moribus, et virtutibus insignirent, emitteret. Igitur Cluniacensis abbas, regis inclyti humili petitione convictus, duodecim monachos morum illustrium specimine roboratos, ad regem destinavit, inter quos Bernardum, qui postea fuit archiepiscopus
b Toletanus, et Petrum *b*, ejus secundum carnis vinculum nepotem, licet merito professione filium. Qui apud prælibatum Sahaguntinense cœnobium monasticam per aliquot temporis cursum, vitam exegit, ubi in oratione, nocturnis excubiis, D
jejuniis, et similibus exercitiis assiduus Domini perseveravit minister. Passim extra ordinem homo Dei de more cum fratribus in divinæ legis meditationem incumbebat, ut melius et efficacius ab otio diffugeret.

Sagunti omnibus prælucet :

3 Omnes suo exemplo, et eloquentiæ dulcedine, sive monachos, sive laicos, ad Dei amorem inflammabat; qui cum ejus sanctimoniam exploratam haberent, eum majoribus prosequebantur honoribus; qui servo Dei majoris humilitatis ansam præbuere, juxta illud Salomonis : Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Itaque quia jam eum Dominus in benedictionibus dulcedinis prævenerat, frequens erat in jejuniis, creber in vigiliis, jugis in oratione, divinæ lectioni insistens, moribus suavis, eloquio dulcis, ante omnia vero sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis : denique corpus suum castigans, et in servitutem redigens, omnia fratrum communia exercitia solvebat, et plura, extra chorum, meditabatur pœnalia, ut sic melioribus polleret moribus, quibus Christo suo placeret. E

inde archidiaconus Toletanus,

4 Post hæc rex Alphonsus, regiam urbem, quam triennio obsederat strenua constantia, Sarracenorum deditione recepit; qui ut et cultus ecclesiastici reparationi addictissimus fuisset, extemplo antistitem S. E. Toletanæ constituere decrevit, qui ecclesiastica munia, et canonica ministeria, etiam sacerdotum designatione, et ministrorum nominatione, disponeret. Ad hoc fuit Bernardus Sahaguntinensis abbas electus, qui provida animadversione, singula ecclesiæ necessaria digessit, et ecclesiasticum ordinem tanta dispositione constituit, ut ad pristinum metropoliticæ dignitatis statum, illam, regia auctoritate, reduceret. Inter alios igitur, quos secum Bernardus monachos e cœnobio, ad opus novum deduxit, unus fuit Petrus, quem in archidiaconum sanctæ illius ecclesiæ, merito sublimavit.

tum episcopus Oxomensis creatur,

5 In eo igitur S. Vir fastigio collocatus, non elatior fuit, nec nihil *c* de monastico rigore remisit : nam totum illud ingens divini officii pen- c
sum, cui in choro adstringuntur Cluniacenses strenue quotidie persolvebat. Vix a templo divelli poterat, nisi quando in archidiaconatus F
munere, judicialibus ministeriis vacabat, et negotiis. Tanta igitur S. Viri virtutum fama per omnium ora dilapsa, percrebuit, quod regem, archiepiscopum, clerum et populum, in profundam admirationem, illustrium facinorum frequentia, raperet. Evenit ergo cum hæc agerentur, quod urbs Uxamensis de Sarracenorum faucibus eriperetur, in qua antiquam restituere cathedralem ecclesiam convenit. Sed cum de pastore protinus deligendo, qui urbem repararet, et ecclesiam construeret, disceptaretur, illico unus beatissimus Petrus, qui perfectius opus illud exequeretur, in mentes omnium occurrit; ideoque a rege, et archiepiscopo consignatus, ei munus hoc quantocius indixere; et licet S. Vir infulam induere recusaret, demum regis placitis, et Bernardi precibus acquievit, cujus ministerio consecratus, onus suis humeris impositum admisit, et ad sedem suam magno profectionis fervore, humilis et egregius pervenit Antistes.

eamque ecclesiam eversam restituit.

6 Mox itaque dirutæ, et ab ipsis fundamentis eversæ ecclesiæ fabricam erigere destinavit, quam sic assiduis auxiliis et assistentia, bre-

A vi tempore construxit, ut pene ad miraculum hujusmodi opus computaretur excelsum. In hac igitur dignitate, tamquam in altissima arce Petrus collocatus, omnis pietatis, et perfectionis tamquam aliquod signum suis extulit. Nihil rerum divinarum contemplatione antiquius ducebat, carnem jejuniis, nocturnis vigiliis, et nodoso cilicio subigebat. Clerum et populum sibi a Deo commissum, maxima adhibita diligentia regebat. Pauperum, infirmorum, et hospitum curam gerere procurabat. Erga honestos et dociles mansuetus erat, et benignus. Errantes severius cohibebat; in superbos et contumaces animadvertebat atrocius; ita ut omnibus pastor existeret integerrimus. Fuit quoque jurium, bonorum, et rerum ad suam ecclesiam, et dignitatem pertinentium acerrimus defensor; ita ut quidquid a potentioribus sublatum, et inter eorum facultates incorporatum invenit, censuris ecclesiasticis, in pristinum ecclesiæ usum, jure concedente, reducere per restitutionem curavit.

Mortis periculum miraculo evadit.

7 Hinc contra S. Præsulem non immodicæ persecutiones exortæ, quibus aliquando in maximum vitæ periculum constitutus, vix nisi Dei B misericordia opitulante liber evaderet. Erat enim tunc temporis miles, quidam in urbe prædives, qui quanto propriis, et opulentioribus abundabat possessionibus, et divitiis, tanto aliorum etiam, maxime ecclesiæ, bona utiliora temerarius inhiabat avarus. Plures ergo eques iste possessiones ecclesiasticas detinebat, quas relinquere nequibat. Tunc adversus eum S. Pontifex, præviis humanitatis, et pacis interpellationibus, arma ecclesiasticæ districtionis exercuit, quorum cum debuisset viribus sacrilegus parere detentor, ut erat nobilitate et opibus inflatus, vitam eripere S. Præsuli minitavit. Quod ut exequeretur commodius, sciens B. Petrum ad oppidum S. Stephani, causa visitationis, procedere, ei obviam ivit, ut sacrilegum ad perfectionem conamen reduceret. Sed vix a longe S. Virum est temerator intuitus, cum a dæmone obsessus, gravium cœpit cruciatuum pondera sustinere. Tunc militem famuli semimortuum ad propria redigere decreverunt, qui causam cognoscentes eventus, B. Præsuli omnia retulerunt.

Pisce ægrotum sanat.

8 Ille vero sancta pietate constrictus, oratione emissa, militem a dæmonis vinculo liberavit. C His ita expeditis, B. Petrus ad ulteriora in sua visitatione episcopali processit, et cum ad pagum, Lagan nomine, in Durii fluminis ripa devenisset, pro manuum ablutione ad ejus littus accessit, ubi maximam piscium multitudinem super aquas exilientem, et ad eum appropinquantem inspexit. Tunc super undas, signo facto baculi cuspide, illis in Dei nomine, ut ad littoris arenas propius accederent, præcepit. Illico pisciculi sui pastoris jussum obtemperantes, gurgitis ripam exultantes, implevere. Omnibus denique episcopali benedictione dimissis, unum sibi reservavit Antistes quem ad ægrotum febri quartana laborantem emittens, vix de eo manducavit infirmus, quando ab ægritudine liber, gratias Deo, et ejus, servo, non sine lacrymis lætabundus exegit.

E quercu aqua elicitur.

9 Deinde cum Vir Dei ad pagum, qui Fresnelo dicebatur, in proprio territorio visitando devenisset, et post ecclesiæ consecrationem ejusdem oppidi, domorum cogente penuria, sub quercu juxta posita, cum suo comitatu ad reficiendum resideret: cumque manuum ablutioni aquam non haberent, aqua statim desuper ex prædicta arbore scaturiens, contra naturam, descendit, quæ cum magna omnium admiratione et manibus abluendis, et siti petentium sese obtulit. Quæ res admiranda, et eorum oculos non latuit et circumjacentes regiones, fama volante implevit, ita ut quercus illa adhuc undas scaturiens ad ægrotantium solamen mirabiliter perseveret. Ergo visitationis, his et aliis mirabilibus, et prodigiis expeditis, munere expleto, in propriam repedavit ecclesiam, e qua Toletum concessit, ubi regem Alphonsum, qui Toletum cepit, gravi infirmitate oppressum invenit, cujus morti, et funeri, ejusque corporis translationi ad regium Sahaguntinense cœnobium, comes individuus interfuit. Hinc ad suam ecclesiam cum accedere constituisset, lethali morbo impeditus, iter illud perficere non valuit, nisi Palentiam usque, qua, prolixa ægritudine gravatus, invitus ab itineris prosecutione cessavit. *Ex Tamayo.*

Curato Alfonsi regis funere, Palentiæ moritur.

10 Hic a Petro ipsius Palentinæ urbis episcopo caritative susceptus, in infirmitate confotus, et in sufferendis hisce laboribus roboratus, aliquantulum inducias obtulit ægritudo. Sed Vir Dei sui transitus horam appropinquantem agnoscens, E episcopo Palentino dixit: « Venerabilis fradis » jam ex hac vita, ad immortalem gloriam ter, » cedo: a tua humiliter efflagito caritate, quatenus hoc corpusculum meum, sacris indutum » infulis, ad S. E. Oxomensem, cujus, licet indignus, episcopus sum, deferatur, ut in ea ipsi » ecclesiasticum concedatur sepulcrum. » Quo dicto, et devotis singultibus, omnibus Sacramentis susceptis, et valedicto suis tam præsentibus, quam absentibus fratribus et clientibus cum benedictione, oculis in cœlum sublatis, spiritum suo tradidit Creatori IV Nonas Augusti, anno Domini MCVIII, præsentibus Petro Palentino, Petro Segobiensi, et Bernardo Zamorensi episcopis. Ejus corpus, ut præceperat, ad Uxamam honorifice delatum, et in cathedrali ecclesia conlocatum, per tempus ibidem requievit humili loco, donec ad altiorem, instantibus miraculis translatum, omnium fidelium necessitatibus occurrit. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita secula seculorum. Amen. In ejus primo sarcophago hocce carmen sepulcrale posuere:

F

Epitaphium.

Marmore sub duro jacet hic qui munera puro
Corde, Deo Christo obtulit almus Heros.
Uxama Pastoris corpus, post plurima honoris
Munia Pontifici debita, corde capit.
Igitur hanc metro posuit cum carmine Petro
Laudis scripturam, quam fides una dedit.
Nobile quod bonus erexit sub lege Patronus
Templum catholica hic datur urna Viro.

A

ANNOTATA.

a *Pro* Auricensi *malim legere* Auscense *vel* Auxitanum, *in quo cum Bernardus monachus fuerit, ac* S. Petrum *infra vocet Bernardi* professione filium, *dubium non videtur, quin ad idem cœnobium uterque pertineat.* D

b *Quandonam Bernardum probabilius secutus sit* S. Petrus, *abunde dictum est in Commentario prævio.*

c Nec nihil, *voluit, opinor, dicere,* nec quidquam.

DE BEATO GUALTERO CONFESSORE

DISCIPULO S. FRANCISCI ASSISIATIS,

VIMARANI IN LUSITANIA.

P. B.

B E

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Beati cultus; elogia; reliquiæ; miracula; translationes.

Circa medium seculi XIII.

Ejus depositio celebratur 2 Augusti;

Vimaranum, *vulgo Guimaranes seu Guimaraes et Guimaraens, oppidum est non ignobile apud Lusitanos, Gallæciæ viciniores, in provincia Interamnensi, quæ Doria et Minio fluminibus includitur, diœcesi vero Bracarensi, tribus circiter Bracara leucis in ortum distans. Hoc* B. Gualterus *prædicatione, cum viveret, et exemplo; mortuus autem prodigiis insigniter illustravit. Ibidem ergo, ut loci patronus, hoc die colitur, teste Ferrario in Catalogo generali, Tamayo in Martyrologio Hispano, Antonio a Purificatione in Chronologia monastica Lusitana pag.* 80, *Arturo* C *et Huebero in Martyrologio et Menologio Franciscanis, et pluribus aliis, qui et hunc ipsi diem natalem fuisse asserunt; uno, quod sciam, dissentiente Antonio Brandaon, Monarchiæ Lusitanicæ lib.* 13, *cap.* 13; *ubi obitum ejus accidisse statuit die* XXX *Junii,* sicut declarat, *inquit,* liber obituum Sanctæ Crucis Conimbricæ, etsi non adnotet annum, *his verbis*: 2 Kal. Julii obiit frater Gualterus ex Ordine Discalceatorum. *Sed nullo argumento probat, hunc textum de Beato nostro esse intelligendum; cum tamen Gualteri nomen pluribus commune fuerit, neque noster Conimbricæ obierit ad Sanctæ Crucis, sed Vimarani; ubi constans et antiqua traditio diem ipsi secundam Augusti ut natalem consecravit.*

translatio Dominica prima ejusdem mensis.

2 *Est et aliud, ut ad hunc diem citatus observat Ferrarius,* ejus festum, *quod* prima Dominica Augusti magno concursu illius gentis celebratur; uti nobis, *inquit,* D. Augustinus Barbosa, juris utriusque doctor celeberrimus (*imo et Lusitanus et Vimaranensis*) retulit. *Idem asserit illustrissimus archiepiscopus Bracarensis Rodericus Dacunha, in antistitum decessorum suorum Historia ecclesiastica part.* 2, *cap.* 27: *idem infra docebit ex loci monumentis Franciscus Gonzaga; ex quibus etiam certum est, celebritatem hanc observari ad innovandam quotannis secundæ translationis ejus memoriam. Videtur ergo per errorem typographicum apud Waddingum in Annalibus ad annum* 1258, *num.* 9 *ita legi:* Translationis dies, qui incidit in primam Augusti anno MDLXXVII, ex senatusconsulto singulis annis festiva et solemnis habetur; ut præsens ipse aliquando conspexi; *et omnino legendum esse:* qui incidit in Dominicam primam Augusti: *quod miror, non animadvertisse Fremautium. Præter bina vero hæc ejus festa, aliud nullum invenimus. Unde ergo Ferrarius in eodem Catalogo diem insuper arripuit* XXII *Augusti, qua sic habet:* Alanquerii in Lusitania, B. Gualterii Ord. Min., discipuli S. Francisci? *Certe in annotatis hæc tantum refert:* Ex Chron. Min. parte 1, lib. 6, cap. 30; ubi plura ejus miracula referuntur. *Atqui Chronicum illud, a Fr. Marco Ulyssiponensi Lusitanice scriptum, loco assignato de solo agens* Gualtero *nostro, neque coli ipsum affirmat Alanquerii, neque de die* XXII *Augusti verbum habet unum.*

F

Elogium ex Francisco Gonzaga.

3 *Viri hujus beati Vitam nemo ullam profert, nemo citat: elogia tamen ejus habent perquam honorifica, præter alios, quotquot hic modo scriptores recensui; quos inter auctoritate et copia principem non immerito locum obtinet illustrissimus Franciscus Gonzaga in opere, quod elucubratus est, dum ejusdem Ordinis Ministrum ageret generalem, de Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ, part.* 3, *in Provincia Portugalliæ, monasterio D. P. Francisci Vimarani, quod ejusdem provinciæ tertium facit, pag.* 796 *et sequente: unde huc transfero, quæ ad gloriam* B. Gualteri *maxime faciunt, eruta nisi fallor, ex Annalibus vetustis, publicisque documentis, quæ ibidem ait auctor in monasterii ejusdem archivis asservari. Sicubi vero ejus textui, ad majorem intelligentiam, interserendum quid fuerit; id, quo discerni possit facilius, diverso exprimam charactere. Scribit igitur ad hunc modum:*

Mittitur in Lusitaniam 1216; sancte vivit prope Vimaranum usque ad obitum.

4 Honorio III summo Pontifice divi Petri Sedem occupante, atque in Portugaliæ regno Alphonso, hujus nominis secundo, feliciter regnante, circa annum humanæ salutis MCCXVIII plus minus (*imo anno* 1216, *ut contendit Waddingus ad anni hujus numerum* 2; *quem etiam vide ad anni sequentis* 1217 *numerum* 25) beatus Franciscus,

A ciscus, Ordinis Minorum pater, post generalem Assisiensem congregationem, ut supra tetigimus, patres Zachariam, Gualterum, et alios discipulos ad dictum Portugaliæ regnum destinavit. Qui ob habitus novitatem et sermonis differentiam a Lusitanis non ita humaniter excepti fuerunt; quod suspicarentur, esse aliquos ex hæreticis, aliquibus tunc temporis in partibus noviter exortis. Habita tamen diligenti de ipsorum vita atque moribus inquisitione, regina Urraca, præfati regis Alphonsi uxor, summæque pietatis fœmina, ab illis, veluti et maritus ejus, sacella et ædiculas, quibus se reciperent, construi permisit. Præterea pater Gualterus non longe a dicto oppido Vimaranensi, inter fundum, qui Villæ viridis nuncupatur, et alium, cui Cabalinus nomen est, oblatam sibi a Christi fidelibus aream acceptans, inibique oratorium ædificans, tum vitæ sanctimonia, tum quoque miraculis claruit, quibus ejus patriæ indigenas ad frugem correxit. *At quamdiu superstes ibi fuit? Neminem vidi, qui dixerit ante Waddingum ad annum* 1258, *num.* 9, *ubi:* Sub hoc tempore, *inquit*, obiit Beatus Gualterus, S. B Francisci discipulus, in monasterio Vimaranensi, in Lusitania. *Aliter sentit auctor, Waddingo quidem aliquanto posterior, sed propinquior Vimarano, utpote Portuensis, Antonius a Purificatione; cum loco superius memorato asserit*, B. Gualterum *obdormivisse in Domino anno salutis* 1236. *Uter utri præferendus in hac re sit, equidem nescio.*

ubi sepulcrum ejus prodigioso liquore manavit,

5 Post hujus Patris mortem quidam suavissimus liquor ex ejus sepulcro per multos annos (*puta usque ad primam corporis translationem, ut narrat in Chronico Minorum part.* 1, *lib.* 6, *cap.* 30 *Marcus Ulyssiponensis; hoc est, annum Christi circiter* 1280) emanasse fertur, qui plurimis infirmis maxime contulit. Qua etiam de causa, secunda mensis Augusti dies, quæ ejus mortis anniversaria erat, convicinis populis per maximum temporis spatium celeberrima nundinariaque exstitit. Cum autem præfatum oratorium, jam utcumque ob Fratrum numerum auctum, atque in conventus formam redactum, insalubri infestaretur aura, longiusque [distaret] ab oppido; Vimaranensis communitas, Fratrum saluti atque necessitatibus consultura, illis xenodochium, Albergaria vulgo nuncupatum, ac portæ turris C veteris contiguum, anno 1271 liberaliter contulit..... Post duos vero annos Fratres propter suscitatam litem inter eos atque canonicos Vimaranenses loco deturbati, antiquam sedem reperierunt. Sed ea sopita, ac rebus inter utrosque compositis, ad hospitale reversi monasteriolum, a se antea utcumque constructum, ex eleemosynis a Christi fidelibus elargitis, atque ex quibusdam domibus ac possessionibus eidem xenodochio adjacentibus, a filiis nobilis cujusdam Roderici Fafes ultro collatis, ampliarunt ac in multo commodiorem formam redegerunt, favorem interim præstante R. Thelio (*sive Tello, ex Franciscano)* Braccarensi archiepiscopo, anno restitutæ salutis MCCLXXX.

usque ad corporis translationem, non sine miraculo factam 1280.

6 Cum autem ex antiquiori oratorio, a Fratribus derelicto, Vimaranicæ matricis ecclesiæ canonici beati Gualteri corpus, laudabili furto sublatum, in propriam ecclesiam transferre curarent, a sua spe suoque proposito defraudati sunt: nam plurimis hominibus atque bobus admotis ita restitit, ut nullo pacto vel tantillum inde dimoveri potuerit. *Marcus Ulyssiponensis loco assignato ait, canonicos aperire primum conatos fuisse, sepulcrum, ut inde sacrum corpus auferrent; id autem cum nulla ratione succederet, tum demum sepulcrum ipsum cum incluso pignore, hominum, quanta poterant, boumque vi statuisse, frustra, revellere, et ita, ut erat, clausum integrumque asportare vehiculo.* Quamobrem postulata prius a tanto Patre de hujusmodi facto venia, cœptis destitere, de tota interim re gesta Fratres, non absque rubore, certiores reddentes. Ut igitur primum res detecta fuit, Fratres, paucissimis sibi ascitis hominibus, et immobilem prius lapidem facili negotio amoverunt, et sacrum pignus, corpus videlicet beati Gualteri, in novum monasterium transtulere. *Patet ex hujus narrationis serie, translationem hanc non accidisse ante annum Christi* 1280; *neque adeo recte illam ab Arturo referri ad annum* 1271.

In ejus honorem erecta confraternitas 1573;

7 Regnantibus vero Dionysio, Ferdinando, atque Joanne I in Portugalia (*Regnavit Joannes primus, juxta Mendezium, annis* 48, *defunctus anno* 1433: *Dacunha tamen ante citatus, quod hic narrat Gonzaga, accidisse vult sub Alphonso IV, qui cum annos unum et triginta regnasset, obiisse dicitur anno* 1357) cum Viramanici oppidi mœnia dilatanda venirent; hocque monasterium impedimento esset, tum ex præfatis regis Dionysii, tum ex ejus successorum Ferdinandi atque E Joannis, tum quoque ex Vimaranensium facultatibus ad eum locum, ubi nunc est, nempe intra oppidi muros, translatum, ibidemque magnifice atque auguste satis constructum est; nobili interim quodam viro ex illustri Cugnorum familia propriam suæ habitationis domum, ad hujusmodi opus perficiendum, Fratribus conferente. Frigescentibus porro fidelium animis et charitate, cum anniversaria B. Gualteri dies, pro more atque veneratione solitis, minime coleretur, nobiles quidam atque perdevoti Vimaranenses confraternitatem in ejus honorem, hoc in ipso loco, anno Domini MDLXXIII erexere.

uti et sacellum, ad quod translatum est corpus 1577;

8 Post quatuor vero transactos annos Vimaranicus populus divo eidem Patri sacellum ex publico ærartio ædificandum, atque ad ipsum ejus ossa maxima cum veneratione, populique, tum ecclesiastici tum quoque laici, frequentia, transferenda curavit. Aderat siquidem pius Fulgentius, ecclesiæ Vimaranicæ Prior atque Brigantinorum ducis filius: aderant et matricis ecclesiæ Vimaranensis canonici, cæterique sacerdotes et mini- F stri, atque quotquot Vimarani erant tum monachi tum sacerdotes sæculares tum quoque, ut prædiximus, laici. Qui omnes, solemni processione instituta, principalioribusque oppidi viis atque plateis lustratis, hunc locum petentes, præfata Patris ossa ad novum sibi præparatum sacellum summa religione transtulere. Contigit autem hoc Dominica prima mensis Augusti, anno vero Domini MDLXXVII. Quæ quidem dies, ex senatus ejusdem oppidi consulto, est Vimaranensibus singulis annis, in tanti Patris memoriam atque venerationem, solemnis atque festiva. Et ne hoc hominum memoria aliquando excideret, in anteriori præfati sacelli parte, quæ sequuntur litteræ scriptæ sunt: DIVO GUALTERO D. F. D. VIMARAN. PATRONO INSTAURATI FESTI VOTO IV ANNO MDLXXVII P. V. F. C. (*hoc est, interprete Dacunha:* Divo Gualtero *divi Francisci discipulo, Vimarani patrono, per votum quater innovatum, anno* 1577 *populus Vimaranensis fieri curavit.*) Ejus vero sepulcrum hujusmodi epitaphium incisum habet:

GUALTERI TEGIT HOC VENERABILIS OSSA SEPULCRUM.

9 Cum

AUCTORE J. P.

quo anno ejus cultum egregie fovit Gregorius PP. XIII.

9 Cum autem ad Romani Pontificis, Gregorii videlicet XIII, aures Beati Gualteri fama pervenisset, is in divini cultus augmentum, et ad Sancti venerationem magis magisque commendandam, omnibus et singulis Christi fidelibus pœnitentibus atque confessis, qui deinceps in perpetuum præfatæ confraternitati aggregari voluerint eo die, quo se reliquorum confratrum catalogo adscribi fecerint, nec non et in eorumdem tam receptorum quam recipiendorum mortis articulo (si tamen delictorum pœnituerint, sacramque eorum confessionem fecerint, seu confiteri non valentes sacrosanctum nomen Jesu ore, vel saltem corde, devote invocaverint, contritionisque signa ostenderint) plenariam omnium peccatorum indulgentiam, eorumque remissionem concessit. Id ipsum quoque præstitit (per xx tamen tantum annos) tum præfatis confratribus, tum quoque reliquis Christi fidelibus, qui secunda die mensis Augusti, qua B. Gualteri festivitas occurrit, ejus sacellum sive altare a primis Vesperis usque ad solis occasum sequentis diei devote visitaverint, et quinquies Dominicam orationem, et toties angelicam salutationem pro Romani Pontificis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, totius ecclesiastici status, Portugaliæ regis pro tempore existentis, atque illius regni prospera et felici conservatione devote recitaverint. Hæc omnia latius continentur in Bulla sub plumbo ab eodem summo Pontifice data XVII Decembris, anno vero Domini MDLXXVII. *Hæc Franciscus Gonzaga, quibus quod addamus, nihil est.* D

TERTIA

TERTIA DIES AUGUSTI.

SANCTI QUI III NONAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Lydia purpuraria Philippis, in Macedonia.
S. Aspren episcopus confessor, Neapoli.
S. Hermillus martyr, Constantinopoli.
SS. Martyres sub Abenner, in India.
S. Diogenes, S. Stephanus, S. Albinus, MM. Romæ. B
S. Dalmatius archimandrita, S. Faustus ejus filius ac monachus, Constantinopoli.
S. Marana, S. Cyra, Beroeæ, in Syria.
S. Euphronius episcopus Augustoduni, in Gallia.
S. Gregorius abbas, Nonantulæ.
S. Petrus episcopus, Anagniæ E
S. Walthenus abbas, in Scotia.
S. Gaufridus episcopus Cenomanis, in Gallia.
S. Augustinus episcopus Luceriæ, in Apulia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Gaudentius *Novariensis episcopus, in Ariana historia notus, in multis Usuardi auctariis, hoc die consignatus est; verum de eo pridem egere Majores nostri ad* XXII Januarii. *Synonymum Sanctum, et ipsum episcopum, non Novariensem sed Curiensem apud Rhætos seu Grisones, hoc ipso die nobis adducit Castellanus, absque ulla temporis nota, neque indicio unde acceperit. Facile error irrepserit in nomine urbis: ceterum si talis vere fuerit Sanctus Curiensis* C *episcopus, doceant nos ii quorum interest, de ejus gestis, ætate, miraculis et cultu, ejusque vero natali die.*

Ipso die beati Gregorii Niseni, *pro*, Nysseni, *annuntiatio est Adonis Leodiensis S. Laurentii Ms., quæ et in unum aut alterum codicem transiit. Nota est ejus festivitas* IX Martii.

Sanctæ matris nostræ Theodoræ Myroblitidis *Officium assignatur hoc die in vetusto Menologio Græco Ms. Bibliothecæ olim Lindebrogianæ. Eadem est cum* S. Theodora vidua *Thessalonicensi quam dedimus die* V Aprilis.

S. Flaminæ virginis et martyris translationem *recte hoc die retulit Saussayus;* cujus, *inquit*, corona rutilat, vernatque palma triumphalis IV Non. Maii, *quo die de ipsa actum est* II Maii.

S. Justus episcopus Viennensis martyr *refertur hoc die in Usuardis Coloniensibus aliisque eos secutis cum Ferrario. Sed de eo actum est die natali* VI Maii.

S. Isaacius *abbas Constantinopoli sæpius cum Dalmatio et Fausto conjungitur, de quibus hoc die loco suo: de S. Isaacio autem jam pridem actum est ad diem* XXX Maii.

S. Metropolum *hoc die Constantinopoli signans Grevenus, nescivit, opinor, quid scriberet.* Matrofilum *et* Metrophilum *invenio in Hieronymianis, sed eum quo reducam nescio, nisi cum Metrophane confundatur, de quo jam in Opere egimus* V Junii.

S. Metropolus *alius est Trevirensis episcopus. Sed hic colitur* VIII Octobris.

S. Hildebrandus *magni S. Bonifacii laborum et martyrii socius signatur hoc die a Camerario in Menologio Scotico, non satis opportune. De eo* F *reliquisque sociis actum est die* V Junii.

In Scotia, S. Domitii monachi, discipuli sancti Columbæ, *inquit hoc die Ferrarius in Catalogo generali*, ex Martyrologio *(Wilsoni)* Anglicano, *Sed observandum* 1, *illum hoc die referri a Wilsono sub titulo* Commemorationis *et stellula marginali; adeoque ignoratam ab eo fuisse et nullo modo assertam hodiernam hujus Sancti celebritatem: quod non videtur etiam animadvertisse, dum illum secutus est, Fitz-Simonius in Catalogo Sanctorum Hiberniæ.* 2, *Eumdem hunc esse Domitium, quem tamquam alium, Ferrarius idem ex Menologio Dempsteri annuntiaverat die* XXI *Aprilis; quo die vide Prætermissos.* 3, *Non recte hunc a Boethio, Leslæo, et aliis nuncupari* Domitium; *sed appellandum esse* Dermitum, Diormitium, *vel* Diermitium, *juxta citatum Fitz-Simonium, Colganum tom.* 2, *pag.* 489, *num.* 45, *et Usserium de Britannicarum ecclesiarum primordiis cap.* 15, *pag.* 694 *et* 696. 4 *Denique, nequaquam constare, quo die Sanctus hic* Diermitius *cultus aliquando in Ecclesia fuerit; uti jam diximus tom.* 2 *Junii, pag.* 205 *in annotatis litt.* g. *Quocumque autem die reponi debeat aut*

possit

A *possit, alia ejus nulla Acta habemus, quam quæ jam pridem dedimus in Vita sancti Columbæ ad diem* IX Junii.

S. Honorati martyris *natalem hoc die recolit Tamayus in suo Martyrologio Hispanico, haudquaquam dubitans quin* fuerit unus ex presbyteris, quibus utebatur B. Stephanus Pontifex et martyr in divinis. Officiis Ejus sacra pignora, *inquit*, in regio Scurialensi cœnobio, in capsula affabre facta et auro contexta, honorifica magnificentia servantur. *Ita Tamayo visum, opinor; at vellem nos docuisset, quis ipsum certiorem reddiderit, hoc ipsum corpus esse istius* S. Honorati *qui cum sociis in Martyrologio Romano memoratur. Vel si hoc ipsi gratis daremus, non ad hunc diem pertineret, sed ad eum quo relatus est* I Augusti.

S. Rufini episcopi et martyris translatio *Assisii signata est a Ferrario. De pluribus sanctis Rufinis Assisiensibus, satis miro modo implexis, jam egimus, lucemque exspectamus, quam ibi postulavimus* XXX Julii.

Memoria S. P. N. ac confessoris Joannis hegu-
B meni monasterii Patelaræa *habetur in Menæis magnis Græcorum impressis; aliis eorum Fastis, quos ego quidem viderim, hoc die ignota; imo vero, sicut notat Raderus in Observationibus Mss. in Menæa Græca hoc die*: Altum de hoc sancto Patre apud alios silentium; neque hic quidquam præter nomen, et obscurum quoque locum proditum est.

In Ægypto, sancti Stephani anachoretæ *natalem hodie celebrant Witfordus in Martyrologii Anglicani additionibus, Felicius, Maurolycus, Ferrarius in Catalogo generali, Cartusia Bruxellensis in additionibus Mss. ad Grevenum.* Sanctum *illum etiam appellat Petrus Equilinus lib. 7, cap. 17; ubi et ejus elogio, quod ex uberiore Palladiano Historiæ Lausiacæ cap. 30 contraxit, hæc subdit :* Quievit in Christo III Nonas Augusti. *Verum cum neque antiquioribus Martyrologis in Occidente, neque ullis, quos viderimus Orientalium ecclesiarum Menologis notus aliquando fuisse videatur cultus ejus publicus; hic satis esto memoriæ ipsius haberi rationem.*

Acellaus, Acillas, Achilleus, *varie inflexus, reperitur hoc die in codicibus Hieronymianis, cum*
C *positione* Constantinopoli, *et socium quidem habet* Justum *in codice Corbeiensi, nisi forte* Justus *cognominetur. Hinc Notkerus hodiernam suam annuntiationem rotunde formavit, in hunc modum :* Constantinopoli, S. Achillæ, *quem mirum prorsus, in Græcis tabulis nusquam notum esse; ut merito verear, ne nomen truncatum aut corruptum fuerit. Quod si lucis aliquid aliunde suboriatur, locum ei suum in Opere nostro quam libentissime tribuam.*

Conradus de Herlsheym *Ordinis Cisterciensis in Hassia, cum titulo* beatæ memoriæ, *hoc die signatur a Greveno, et ex hoc a Canisio. Placuit Ferrario* Sancti *appellationem adjungere, cultumque asserere, quem nescio unde accersere potuerit. Certe Majores nostros eum non reperisse satis constat, dum ipsum inter Prætermissos dudum collocarunt ad diem* I *Junii, quo etiam a pluribus ibi citatis refertur. Non est verosimile, ex eo tempore quidquam accessisse, aut porro accessurum notitiæ ulterioris, unde Conrado isti Sanctorum honores vindicentur.*

Mansuetum *aliquem signatum invenio in nostris Sanctorum Hiberniæ Kalendariis absque ulla ulteriori notitia.*

Martini confessoris *legitur in Auctariis Greveni;* D *at divinandum reliquit, quem hic indicatum voluerit.*

Fortunatum episcopum Trevirensem *hodie nobis suggerunt solæ Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quæ quanti apud nos pretii sint, sæpe alias dictum est. De eo mentem suam pridem exposuerunt Majores nostri duobus diversis articulis inter Prætermissos* X *Junii, tametsi eo die referatur inter Officia Trevirensium propria. Nihil ex eo tempore scriptum aut editum novimus, quo de vera ejus aut supposita dignitate, rebus gestis, cultu aut reliquiis magis constet.*

Conradum *ex abbate S. Crucis episcopum Pataviensem, deinde Salisburgensem archiepiscopum, multis meritisque laudibus ornant in suis Menologiis Henriquez et Bucelinus; at dum ei Sanctorum honores tribuunt, solita sua libertate utuntur; præterquam quod nonnulla misceant, quæ hujus loci non est refellere. Longe prudentius vel a nominando Conrado abstinuit Chalemotus.*

Bartholomæum *Claræwallensis monasterii priorem* E
Beati *etiam titulo donat idem Henriquez, quem interim Chalemotus omnino prætermisit : a Saussayo* vir insignis *appellatur.*

Guilielmus *a Bucelino adjicitur, ut discipulus melliflui doctoris S. Bernardi, cum præclaro elogio et* Beati *titulo, quem aliunde confirmari cupimus, ut jam satis insinuavimus die præcedenti, dum de eo in Prætermissis ibi locuti sumus.*

Bennonis *seu* Benedicti, *viri plane eximii, restauratoris primum Cellæ S. Meinradi seu Meginradi, Mettensis postmodum episcopi, memoria jam non semel in Actis nostris, aliorum Sanctorum occasione occurrit; natalis in hunc diem incidit, quo de ipso fusius agit Mabillonius seculo* V *Benedictino pag.* 122, *at solo* venerabilis *titulo eum ornans : ut satis pateat, Sanctorum honoribus hactenus celebratum non esse.*

Laurentia Lorini
Beatrix Leytoa
Paula a S. Thoma
} *Mirifice laudantur a Marchesio in Diario Dominicano.*

Joannes du Houssey, *seu* de Husseto, *in monte Valeriano prope Parisios, titulo* venerabilis *hoc die donatur a Castellano, ut qui ibi reclusi vitam duxerit, mortuus anno* 1609. F

Anna Juliana *archidux Austriæ, Mantuæ, etc., ducissa, Ordinis Servorum in Germania reparatrix, pluribus merito laudatur in libello de ejus vita scripto, etiam ab incorruptione corporis, quæ omnia ad beatificationem ejus conferre possunt. Ea porro obtenta, debitum locum in hoc Opere consequetur.*

Juliana, quæ corpus S. Stephani Constantinopolim transtulerit, *a solo Canisio hoc die signata reperitur; quo ex fonte, non facile quis divinaverit : certe sub istis characteristicis necdum mihi ut Sancta, pro hoc die innotuit.*

Thomas Belchanius *martyr Londini, in Anglia*
Joannes Puteanus *martyr Lovanii, in Belgio*
Gunterius a Brabantia *confessor, in provincia Coloniensi*
Anonymus *confessor Navis, in Tuscia*
Matthæus Bascius *confessor, institutor Capucinorum, Venetiis*
Catharina a S. Gabriele *virgo, Bellalcazari in territorio Cordubensi.*
} *Referuntur ab Arturo cum titulo* beati *in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.*

Eosdem omnes, excepto Puteano, sed paulo modestius

A *destius signat Hueberus in Menologio, adjungens* Guilielmum Bertho *Ingolstadii in Bavaria;* Michaelem de Argagnano *Mediolani in Insubria. Tum PP. Capucinos in Italia colligit sanctitate conspicuos :* Albertum *ac* Mathiam de Pergamo, Bonaventuram de Soncino, *aliosque plures, quos ibi ordine enumerat ; addens demum num.* 9. Joannem Montarasium *Ulyssipone in Lusitania, cum alio* Joanne Martinez Montarasio.

S. Thersicius *sive* Tarsitius *Romæ signatur in Usuardinis Centulensi et Florentino, relatus ab aliis die præcedenti, ut ibi inter Prætermissos notavimus, ubi remissus est, ut iterum remittimus ad* xv Augusti.

Sancta Theocleta (Θεοκλητῷ) *in Menæis impressis hodie disticho exornata, prorsus ignota nobis est, nisi sit illa, quæ in iisdem Menæis longiori gaudet elogio ad diem, quo referenda* xxi Augusti.

S. Fiacrius *eremita nescio cur hac die notetur in Usuardis Coloniensibus; certum est enim illum spectare a diem* xxx Augusti.

S. Æonium Arelatensem episcopum *cur hoc die* B *signaverit Castellanus in suis Francicis additionibus, conjicere prorsus nequeo. Conveniunt Officia propria Arelatensia, Claudius Robertus, Sammarthani et alii, obiisse Sanctum* xvi *Augusti, quamvis eo die non colatur, ob tum occurrentem, ut notant Breviaria, solenniorem S. Rochi festivitatem : unde et Breviaria propria et Saussayus in Martyrologio Gallicano ipsum differunt ad diem, quo festivius celebratur ejus memoria, scilicet* xxx Augusti.

S. Joannem Orcum *Novocomensem istius nominis primum episcopum, solus hoc die in additionibus suis ad Martyrologium Romanum signavit Castellanus, haud dubie quia ipsum hoc die obiisse testatur Ughellus in Italia sacra. Apud Ferrarium neque hic Joannes notus est, neque bini alii sancti episcopi synonymi, quos refert Martyrologium Comense Primi Aloysii de Tattis, hunc primum consignans eo die, quo de ipso plura disquiri poterunt* xxxi Augusti.

Inventio SS. Placidi et sociorum, hoc est Eutychii et Victorini fratrum, Flaviæ sororis et xxxiii monachorum, *Messanæ in Sicilia annuntiatur a Ferrario. Nota est Sanctorum isto-* C *rum festivitas, ad quam et hæc translatio et quæcumque alia ad ipsos spectant, de more nostro, tranferenda sunt* v Octobris.

Sancta Salome unguentifera (ἡ μυροφόρος) in pace consummari *refertur in Menæis magnis Græcorum, typo editis : de qua agi poterit die, quo signatur in Martyrologio Romano* xxii Octobris.

Derbilia de Irras *inter varios Sanctos alios, mihi* D *æque ignotos, numeratur a Colgano in appendice secunda ad Acta S. Columbæ. De eadem egerat in appendice ad S. Colmani Acta, mense Februario pag.* 248 *ita scribens :* S. Derbhilia filia Cormaci, filii Brecchii, filii Echadii, filii Davidis, filii Fiachrii, etc., colitur iii Augusti juxta Mar. Gorm. vel xxvi Octobris juxta Mart. Tamlacten. et Dungallen. *Vellem ea documenta addidisset, ex quibus de ejus cultu et gestis tuto agere potuissemus. Quæ cum subministrata non sint hactenus, possint autem a popularibus hagiophilis subinde suggeri, rem omnem examinandam remittimus, ad aliam ab ipso signatam diem* xxvi Octobris.

S. Apostolus *(id est, Apostolorum discipulus)* Quartus *celebratus hodie in Menæis Græcorum impressis, juxta Martyrologium Romanum pertinet ad diem.* iii Novembris.

S. Severi episcopi Barcinonensis et martyris translatio *hoc die facta notatur a Tamayo in Martyrologio Hispanico, ubi de non uno synonymo episcopo disputat. Nobis liceat tantisper supponere, indicari hic eum, qui in Romano Marty-* E *rologio ponitur* vi Novembris.

S. Stephani protomartyris *translationem aliquam retulimus inter Prætermissos diei præcedentis. De pluribus aliis jam etiam alibi actum est, notanter in Prætermissis tomo* ii *Maii pag.* 4, *eodem tomo pag.* 98, *atque item tom.* vi *Maii pag.* 4, *quæ omnes remissæ sunt ad celeberrimam natalis Sancti festivitatem* xxvi *Decembris, quo ipso die Inventionem factam contendunt nonulli, quæ tamen, vetustissimo jam in Ecclesia festo hoc die celebratur : nisi cum Saussayo, post Notkerum velis, hanc ipsissimam diem esse, qua a Judæis lapidatus est; ubi de translatis in varias Europæ ecclesias sacris reliquiis longam texit historiam. Ceterum hodierna Inventionis solennitas in omnibus Martyrologiis, etiam antiquissimis Hieronymianis, certatim consignata est. Non repetam hic quæ de prædicta Inventione corporis* S. Stephani *ac trium item aliorum sanctorum,* Gamalielis *nempe,* Nicomedi *et* Abibonis *seu* Abibæ *paulo fusius disquisivi hoc eodem die in Observatione ad textum Usuardinum, quam lector consulere poterit. Sufficiat hic inhærere jam dictis, eaque omnia* F *remittere ad diem in tota Ecclesia receptissimum quo S. Stephani, reliquorumque trium Sanctorum, quorum natales ignorantur, gesta omnia, reliquiæ, earumque multiplices translationes, et innumera prope miracula ex professo illustrabuntur ad diem scilicet* xxvi Decembris.

DE S. LYDIA PURPURARIA,

PHILIPPIS IN MACEDONIA.

Ex Actibus Apostolorum.

Post medium seculi I. *Ejus cultus*

M*Irum sane est, neque in Occidente, neque in Oriente observatam in ecclesiasticis tabulis fuisse tam insignis Matronæ memoriam; donec restituto demum et amplificato Romano Martyrologio, sic ad hunc diem inserta legi cœpit :* Philippis in Macedonia, sanctæ Lydiæ purpurariæ; quæ, prædicante ibidem sancto Paulo Apostolo, prima omnium credidit Evangelio.

AUCTORE P. B.

gelio. *Enimvero merebatur hunc honorem, quæ laudum suarum præconem ipsum habuerat Spiritum sanctum in Actibus Apostolorum cap.* 16 ; *ubi narrato SS. Pauli, Lucæ, Silæ, Timothei ad Philippenses adventu, ita pergit Hagiographus versu* 12 : Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam, juxta flumen, ubi videbatur oratio esse : et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria, civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est dicens : Si judicastis, me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coegit nos. *In quem textum obiter observa, quæ apud sacrarum Litterarum interpretes fusius explicata reperiuntur.*

et elogium.

2 *Ac primo quidem* oratio, *Græce* προσευχή, *hic accipienda videtur pro orationis loco, sive oratorio suburbano, qualia passim habebant Judæi : cum ergo illuc etiam* Lydia *convenire jam tum soleret, Judæorum haud dubie erat proselyta, adeoque* colens Deum. 2. *Nomen* Lydiæ *proprium ipsi fuit apud Philippenses ; tametsi forsan ideo datum, quia oriunda erat ex* Lydia, *Asiæ minoris provincia, ad quam, secundum geographos quosdam veteres, Thyatira pertinebant.* 3. Purpuraria, *Græce* πορφυρόπωλις, *dicitur, quod purpuram vendebat. Hæc vero mercatura peculiaris olim fuit, neque concessa cuilibet : unde quidam colligunt, honoratiorem hanc fuisse Matronam.* 4. *Hospitalitate prorsus excelluit, ut quæ Paulum cum tribus ut minimum sociis hospitio coactum exceperit, foveritque, ut ex versu* 18 *patet,* multis diebus ; *diutius etiam detentura, nisi ob liberatam Pythonissam compulsus fuisset in carcerem.* 5. *Quam vero benigne hospites illos habuerit, illud indicio est, quod eductus e custodia S. Paulus et rogatus, ut ab urbe discederet, id facere noluerit, nisi postquam ad hospitales reversus ædes,* Lydiæ *valedixisset :* Exeuntes autem (*versu* 40) de carcere, introierunt ad Lydiam ; et, visis fratribus, *(Christianis neophytis, ibi, tamquam in primitiva Philippensium ecclesia, collectis)* consolati sunt eos, et profecti sunt. 6. *Ab hujus igitur exemplo initium duxit affectus Philippensium ille tam beneficus erga absentem etiam Apostolum, quem cum alibi ipse, tum præsertim in Epistola, anno circiter Christi* 61, *ad eos data tantopere commendat, sic eos alloquens* : Fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, *etc.* (*Cap.* IV, ℣. 1.) *In qua proinde Epistola Lydiæ quoque sine dubio nomen legeretur expressum, nisi jam vita functam ante Paulus intellexisset : unde veri admodum simile est, illam post Apostoli discessum, hoc est annum Christi* 52, *non diu fuisse superstitem : tametsi nec annum mortis ejus, nec mensem, nec diem sciamus ; uti neque gestorum ejus amplius aliquid, quam quod hic dedimus.*

DE S. ASPREN VEL ASPRENO

EPISCOPO CONFESSORE

NEAPOLI IN CAMPANIA.

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Sancti cultus, Acta, et gloria posthuma.

CIRCA FINEM SECULI I, SIVE INEUNTE SECULO II.

Probatur Sancti cultus ex Martyrologio Romano,

Cives *Neapolitani Sanctum in titulo propositum venerantur, tamquam primum urbis suæ præsulem, qui hac die in Martyrologio Romano sic annuntiatur :* Neapoli in Campania, sancti Aspren episcopi, qui a sancto Petro apostolo ab infirmitate curatus, et deinde baptizatus, ejusdem civitatis episcopus ordinatus fuit. *Equidem miror, Sanctum adeo illustrem et antiquum in Martyrologio Usuardino, ejusque Auctariis, ac aliis veteribus Menologiis non memorari. Attamen aliunde de legitimo sanctitatis titulo satis constat : nam imprimis Petrus subdiaconus, sive anonymus seculi noni scriptor, in Vita S. Athanasii Neapolitani, quam ex Ms. codice ad diem* XV *Julii edidimus, tomo* IV *istius mensis pag.* 78 Aspren sanctissimum *appellat. Præterea immemorabilem hujus sancti Antistitis cultum abunde colligimus ex vetustis ac sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis, quæ jam cum Actis proferemus, antequam judicium nostrum de traditione proponatur.*

et antiquis hymnis,

2 *Bartholomæus Chioccarellus in opere de episcopis et archiepiscopis Neapolitanis exhibet tres veteres hymnos, in honorem* S. Aspreni *recitari solitos, de quorum primo pag.* 13 *sic præfatur :* Habetur etiam hymnus, quem ab antiquissimis temporibus Neapolitana ecclesia in Aspren solennibus recitare consueverat, in quodam ejus ecclesiæ libro, qui Hymnarius Neapolitanæ ecclesiæ vocatur, qui supra annos octingentos (*nunc fere numerandi essent nongenti*) conscriptus videtur Longobardis litteris exaratus, et apud nos servatur, hunc in modum :

O sancte Præsul inclyte,
Aspren Deo dignissime,
Cœlorum regem Dominum
Ora pro nobis omnibus.
Aspren beate, quæsumus,
Nostris adesto precibus,
Ut tua sancta merita
Perducant nos ad æthera.

Sanctus

A Sanctus Petrus apostolus
Dedit te nostro populo,
Et fecit te episcopum
In nostro loco primitus.
Creator rerum omnium
Protexit te in omnibus,
Et dedit tibi gratiam
Salvare multas animas.
Gloria Patri, etc.

quos ecclesia Neapolitana

3 *Huic hymno ibidem pag.* 14 *subjungit Bartholomæus Chioccarellus duos alios antiquos hymnos, quorum unus etiam in Officio proprio, quod anno* 1525 *in urbe Neapolitana editum est, ad primas Vesperas ita canitur :*

Pange lingua gloriosi
Præsulis magnalia,
Vota cordis gaudiosi
Læta dans præconia,
Dum Aspren ad luminosi
Regni transit gaudia.
Dum Princeps Apostolorum
Verbum verbo prædicat,
B Pro salute populorum
Carnem factum indicat
Circa finem seculorum,
Aspren mentem applicat.
Evangelizans gratiam
Summæ dignationis,
De terra sanum erigit
Oppressum vi languoris,
Quem mox instructum eligit
Ad apicem honoris :
Surgens enim de languore,
Virtute præconii,
Sospes factus cum vigore
Firmati vestigii,
Petrum adiit, cujus rore
Pinguescit eloquii.
Primus ergo Christianus
In hac urbe gratiam
Novæ legis sumens manu,
Firmat, et ad patriam
Vitæ plebem ducit sanus
Per doctrinæ gloriam.
Verbo namque comitantur
Virtutum insignia :
C Cæcis visus, mancis dantur
Membrorum officia,
Gressus claudis reparantur :
Cunctis sit lætitia.
Tantum igitur Doctorem
Devotis officiis
Imploremus protectorem,
Cujus beneficiis
Amplectemur Salvatorem
In cœli deliciis.
Regi regum salus, vita,
Laus et jubilatio
Olim, nunc, et semper ita
Deus, exultatio
Ei sit, cujus infinita
Permanet duratio. Amen.

decantat

4 *Alter hymnus ad Laudes in eodem Officio ita recitatur :*

In Aspren natalitio
Jubilemus alacriter,
Qui nobis a principio
Fidem plantavit largiter.

AUCTORE G. C.

Quam plene primus avide
De Petri fonte sumpserat
Veritatem dilucide
Verbo doctrinæ reserat.
Doctrina vitæ gratiam
Firmat atque virtutibus
Miraculorum gloriam
Veram profert obtutibus.
Quo fit, ut turbæ civium
Currant ad fontem gratiæ
Benignum Dei Filium
Sibi quærentes anxie.
Peracto cursu fortiter
Pastoralis officii,
Consequitur feliciter
Cursum centeni præmii.
Gloria tibi, Domine,
Qui nunc Aspren irradias,
Prece cujus in agmine
Sanctorum nos suscipias. Amen.

in proprio sancti Præsulis sui Officio,

5 *Insuper in laudata ejusdem Officii editione recitatur sequens oratio seu collecta :* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti confessoris tui atque pontificis Aspren festivitate lætificas, præsta, quæsumus, ut cujus solennia colimus, ejus E
præsidio muniamur. Per Dominum, *etc. David Romæus in libro de Septem sanctis custodibus ac præsidibus urbis Neapolitanæ pag.* 92 *eamdem orationem Actis* S. Aspreni *subnectit. Hinc suspicor, recentiorem esse Collectam, quam Sigismundus Sicola operi suo Italico de gloriosa* S. Aspreni *nobilitate part.* 1, *observ.* 5, *pag.* 75 *inseruit, et quam hodiedum cantari asserit his verbis :* Deus, qui beatum Asprenum ab apostolo Petro baptismo lustratum, primum nobis antistitem constituisti, præsta supplicibus tuis, ut fidem, quam per eum accepimus, bonis operibus comprobemus. Per Christum dominum nostrum, *etc.*

in quo etiam habentur novem Lectiones,

6 *Ceterum in memorato veteri Officio leguntur Acta ejusdem sancti Præsulis in novem Lectiones divisa, de quibus laudatus Chioccarellus pag.* 10 *nos ita præmonet :* Habetur etiam sancti Aspren Vita, atque rei hujus narrationis historia sincerissime, etsi rudi stilo, nulloque fuco, atque orationis elegantia elaborata, sed sincera tantum historica veritate referta, quæ conscripta videtur (si conjecturæ locus est) paulo post Silvestri Papæ, et Constantini Augusti tempora, quæ antiquis Longobardis litteris exarata servatur in F
majoris ecclesiæ thesauri sacello. Eam Neapolitana ecclesia ab antiquissimis temporibus in Sancti ejusdem ecclesiastico Officio recitare consueverat, in novem Lectiones digestam, quod quidem Officium typis editum habetur. *Tunc ibidem exhibet Acta illa, quæ nos ad clariorem sequentium intelligentiam ex jam dicta Officii ecclesiastici editione hic fideliter transcribemus.*

quæ narrant, quomodo S. Petrus apostolus,

7 Lectio i. Princeps Apostolorum Simon Petrus, Antiochensi fundata ecclesia, Romam accedens, ad mœnia urbis Neapolitanæ transeundo pervenit; ubi longo fatigatus itinere, quiescens paululum, quamdam mulierculam senem transire conspexit : sciscitatur ab ea de civitatis statu, de civium habitu, de forma morum, de qualitatibus animorum, quæ eis vita, quæ leges, quæ legum cerimoniæ, quæ in Deitatis cultura devotio, quæ in pietate religio eis inesset; et, si alicujus novæ sectæ ratio inconvincibilis innotesceret eis, si proni fierent ac mobiles susceptores.

Neapoli transiens

8 Lectio ii. De sua quoque conditione, quo instigante maturet ad urbem. Mulierculæ narravit

AUCTORE G. C.

ravit eidem, quæ nova ferat, quæ invisa, quæ inaudita et felicia modernis tunc temporibus emerserint, evangelizans Christum seriatim adaperit : et quomodo propter transgressionem primi parentis homines in captivitatem diaboli deditos, Deus de Virgine nascens factus est homo, ut, disruptis vinculis servitutis, erroris humani laqueos solveret ; signa et prodigia Christi, visa per eum, narrans eidem. Ad quod dictum Petri vetula silentium rumpens ait : Tenebo certa, et credam indubia, si ejus, quem tantis effers præconiis, nomine invocato, solutis doloribus meis, plene mihi fuerit sospitas restituta.

fidem Christianam prædicaverit,

9 Lectio iii. Tunc Petrus, Christi nomine invocato, inquit : Tibi, qui hanc crucias vetulam impie, morbe pestifer, effuge, evanesce, et evacuare in nihilum, illius nomini dans honorem, cui est cum Patre et vivifico Flamine par virtus, æqualis honor, gloria concors, majestas eadem per omnia secula seculorum. Cumque Christicolæ Petri secuti vestigia ab Antiochenis finibus respondissent, Amen; vetula protinus est sanata, B et miratur, tam repente sese tam subito innovatam, et alteram factam ex altera. Credidit mulier, et regenerantis liquoris Baptismi rore perfunditur salutari, et dicit mulier Petro : Habeo amicissimum quemdam, nomine Aspren atrocissimo morbo quassatum, hominem benignum, pium, modestum, sobrium, et religiosum, (si in gentilitate esse vel dici religio quomodolibet potest) qui si sanari per te poterit, fidem, quam prædicas, statim recipiet, ejusque assertor idoneus, defensor robustus et propugnator existet.

et ea imbuerit Asprenum,

10 Lectio iv. Tunc Petrus vetulæ dixit : Vade propere, et manu apprehensa Aspren, dicas ei : Petrus, Jesu Christi in Judæa crucifixi discipulus, mandat tibi, ut ægritudine vanescente, ad sanitatem pristinam continuo reformeris. Et veniens mulier ad Aspren, vix præcepta Petri complens, e vestigio est sanatus. Confestim surgens Aspren, oblitusque tunicam, solum pallium induit; ad Simonem tandem venit, et humi prostratus, Petri pedes osculatus est. Aperit os suum Petrus, catechizat Aspren, et baptizat, et de Christianæ religionis doctrina in- C formát. Cœpitque Aspren magistri sui cooperator esse, et ad clamationem nominis Salvatoris signa et prodigia facere, cæcos illuminare, claudos consolidare, aliosque infirmos et debiles confortare.

qui eamdem postea propagavit,

11 Lectio v. Conquisita Neapoli Christo domino, Romam Petrus ire decrevit, sed ad preces Neapolitanæ plebis Apostolus Aspren Neapolitanum præsulem consecravit : qui ad pontificii provectus apicem, verbo doctrinæ invigilare cœpit instantius, prædicationi insistere, et usque ad mortem opportune et importune constantissime indeficiens atque infatigabilis prædicavit. Obiit autem senex plenus dierum, et operibus virtuosis, tertio Nonas Augusti, miraculis coruscando.

et ibidem variis ægris,

12 Lectio vi. In Neapolitana siquidem urbe vir et uxor conjuges erant timentes Deum, procedentes in mandatis et justificationibus Domini sine querela, divites cum multa familia (filium tamen aut filiam non habebant) et flagitabant sancti Præsulis meritis prece assidua, ut ejus meritis filius eis concederetur vel filia. Obtinent postulata; nascitur eis filius, et moribus honestissimis decoratur. Conjuges vero ipsi gratias Deo et meritis Præsulis exhibentes referunt, basilicam ad honorem sancti Aspren decentissime D construunt, quæ usque in hodiernum diem dicitur Stephaniæ basilica.

opem suam implorantibus,

13 Lectio vii. In urbe Romana afflictus quidam diversis capitis longis languoribus torquebatur ægritudine vehementer; nunc supinus cubabat, nunc pronus; nunc in lævum, nunc in latus dextrum volvebatur : magna Aspren merita recordatur, et indesinenter pro sua relevatione salutis ipsum Neapolitanum Præsulem precabatur. Inclinat Christus Dominus aurem ad Aspren sui vocem, ipsumque ægrotantem restituit sanitati. Sanatus sancti Præsulis basilicam protinus adiit, atque in ea Dominatori in Præsule, et Præsuli in Dominatore libavit victimas gratiarum.

sanitatem restituit, ac post mortem

14 Lectio viii. Quidam, Sergius nomine, dolore iliaco tortus diutius, almifici Aspren ecclesiæ adiit limina, et paulo post ad domum suam restituta plenissima est sospitate regressus. Alius quidam Sergius ejusdem morbi afflictus angustiis, cum remedia invenire non posset, convertit se tota fide ad sancti Aspren suffragia expetenda, et ad frequentem clamatio- E nem ægroti, languore dimisso, sanus integre est effectus.

miraculis claruit.

15 Lectio ix. Multis quoque miraculis Aspren præsul sanctissimus claruit, ideoque præsentis diei devotionis * debita, reverentia digna, annua excolamus solennia, ut ipsius gloriosi Confessoris intercessionibus sedulis, ad cœlestia festa perennia pervenire possimus, præstante domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus benedictus, in secula seculorum. Amen. *Hæc Acta simpliciora sunt, et præ aliis fusioribus mihi placent; quamvis forte non habeant tantam antiquitatem, quantam Chioccarellus supra iis adscribit.*

* lege devotione

Quidam auctores

16 *At saltem videntur antiquiora illis, quæ laudatus Chioccarellus in opere jam citato a pag.* 11 *edidit, et quibus hoc monitum præfixit :* Exstat quoque alia fusior ejusdem historiæ narratio, atque ejus sancti Aspren Vita, quæ characteribus Longobardis scripta in Canonicorum archivio cathedralis ecclesiæ asservatur. Eam historiam ad verbum fere descripsisse videtur Joannes Villanus Neapolitanus, qui floruit anno mcccxc in suo Chronico Neapolitano a capite 34 primi libri F usque ad cap. 38, qui ea in Italicam linguam a se conversa suum chronicum, veluti corolla ac gemma, decoravit. *Hisce subdit ipsam ejusdem Vitæ historiam, quæ ab Actis jam datis vix differt, nisi quod verbosior sit, et idcirco minus genuina appareat.*

diffusiori stylo

17 *Eadem Acta præluxisse videntur cuidam Alberico, qui ante medium seculi* xiii *aliam S. Aspreni Vitam jussu Petri archiepiscopi Neapolitani concinnavit, ut Chioccarellus in jam sæpe laudato opere pag.* 161 *testatur his verbis :* Petrus quoque hic noster se admodum præbuit religiosum ac pium erga Sanctos, et præsertim eos, quorum pignora Neapoli asservabantur, aut quorum solennis in sua ecclesia memoria haberetur, quo totum ejus animum convertisse visus est : quandoquidem eorum gesta diligentissime ex vetustis monumentis deprompta, soluta oratione conscribi curavit, quorum adhuc aliquot Longobardo charactere in membranis scripta supersunt, inter quæ sancti Aspren Neapolitani episcopi Vita, quam ejus jussu Albericus quidam exaravit, eaque apud nos servatur, ut ejus præfatio docet, quæ sic incipit : Sanctissimo ac

reve-

A

REVERENDISSIMO PATRI PETRO ALBERICUS FILIALIS OBSEQUII FAMULATUM, etc.

conscripserunt gesta et miracula S. Aspreni,

18 *Nos idem Ms. Alberici opusculum jam dudum acceperamus; sed non est operæ pretium, hoc loco illud edere, tum quod Ughellus istud postea Italiæ suæ sacræ inseruerit, tum quod auctor pauca multis dixerit, et Acta breviora, quæ præ oculis habebat, diffusiori stylo exornarit : ipse enim Albericus apud Ughellum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 6 *col.* 20 *satis indicat, quid in hac lucubratione præstiterit, dum ibidem in verbosa sua præfatione inter alia sic scribit :* Tuis itaque, pater octies beatissime, jussionibus obsecundans, eorum, qui declamatorie in ecclesia plebem alloqui consueverunt, nitor exsequi morem, et in sancti Confessoris præconia ea, quæ ipse exarata dedisti, stylo alio intermiscens, ad novem quantitatis mediocris Lectionum distinctiones, qualemcumque conabor eructare sermonem. Et quia synonyma laudibus præconiisve alludunt, quam maxime Joannem illum ore aureum æmulans, ad calcem historiæ per synonyma laudes decrevi sancti Præsulis texere, et per exornationem illam, quam expolitionem rhetores nuncupant,

B

quæ pauca admodum sunt, plura extendere. *Ex his colligimus, antiquas Officii proprii Lectiones ab Alberico tantum rhetoricis istius ætatis phrasibus auctas et exornatas fuisse. Quare nos lucubrationem ipsius hic jure omittimus, quia potius, nuda rerum veritate, quam talibus verborum phaleris delectamur.*

quæ etiam depicta sunt in sacello, in quo reliquiæ ejus quiescunt.

19 *Porro Acta et miracula* S. Aspreni *in sacello, quod ad posthumam ipsius gloriam constructum est, antiquitus depicta repræsentantur, ut Chioccarellus pag.* 9 *testatur his verbis :* In majori quoque ecclesia in sancti Aspren sacello, antiquis picturis et iconibus ejusdem Divi Vita ac miracula, et ejus institutio in episcopum a Petro facta, expressa habentur, quæ etsi antiquæ sint, vetustiores tamen subtus conspiciuntur : cum enim ob vetustatem vix cernerentur, instauratæ ac denuo renovatæ ac delineatæ sunt. *Sigismundus Sicola in Gloriosa* S. Aspreni *nobilitate part.* 1 *observat.* 18 *refert plerasque harum picturarum inscriptiones, quæ antiquo idiomate Italico exaratæ sunt. In eodem sacello nunc quiescunt venerandæ* S. Aspreni *reliquiæ, ut mox citatus Chioccarellus*

C

pag. 8 *asserit hoc modo :* Sepultus autem fuit Aspren in oratorio, quod ipse construxit; unde et in Stephaniam postea ecclesia translatus est : ad præsens vero in sacello familiæ de Tocco metropolitanæ ecclesiæ sub altari quiescit, in quo hæc legitur inscriptio : HIC JACET CORPUS S. ASPREN, PRIMI EPISCOPI NEAPOLITANÆ CIVITATIS ET CONFESSORIS. *Nunc examinandæ sunt nonnullæ gestorum circumstantiæ, quas traditio Neapolitanorum veteribus* S. Aspreni *Actis superaddit.*

§ II. Examen quarumdam circumstantiarum, quas scriptores Neapolitani Actis addiderunt.

Examinantur ea,

Non vacat hic enumerare singulos recentiores Actorum scriptores, qui sua hauserunt ex fontibus supra assignatis, iisque ex traditione populari quasdam gestorum circumstantias addiderunt. Breviter plerasque illas traditiones expressit Ughellus, quando in jam dicta editione Veneta Italiæ sacræ tomo 6 *col.* 18 *et sequente Vitam* S. Aspreni *ita contraxit :* Sanctus Asprenus sive Asprenas, aliis Aspren, Neapolitanus civis, Romana nobilitate illustris, morum integritate ac patientiæ constantia conspicuus (quippe qui prætura Neapoli perfunctus fuerat, et æger in lecto annos viginti egerat) a beato Petro Apostolorum principe cum Romam contenderet, satagente Candida seniore vetula honestissima, quæ Apostolum hospitio exceperat, ab eoque ad Christum conversa, tactu baculi, quo Sanctus sustentabatur, infirmate curatus est, ac sacro Baptismate cum Candida initiatus, primus Neapolitanæ ecclesiæ ordinatus est episcopus anno salutis XLIV.

quæ nonnulli tradunt

21 Aram non procul ab urbis mœniis, ubi sacrificia idolis immolari consueverant, in qua Apostolus primum sacrum fecerat, dedicavit; cui deinde, exstructa ecclesia, S. Petri ad Aram Neapolitani nomen indiderunt, juxta quam S. Candidam, cum diem suum sanctissime obiisset, tumulavit anno Christi LXXVIII. Oratorium alterum cum cella construxit Asprenus in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, quod postea sanctæ

E

Mariæ de Principio dixerunt : ibi primum effigies ejusdem Deiparæ depicta erat; ubi deinceps Neapolitani in memoriam primi sui episcopi pomœrium et domum cum ecclesia excitarunt, ut successores episcopi incolerent, quam Stephaniam nuncuparunt, quæ postea major ecclesia et episcopium fuit. Ipse vero Asprenas, cum ecclesiam sibi creditam Evangelii prædicatione, fidei Christianæ præceptis firmasset, multa perpessus, ac innumerabiles gentiles ab idolorum cultu, sacro fonte expiatos, Christo regenerasset, clarus meritis clarusque miraculis beato fine quievit tertio Nonas Augusti, anno salutis LXXIX, præsulatus sui trigesimo tertio. *Vides, in hoc Vitæ compendio referri plura, de quibus supra relatæ Lectiones sive antiquiora Acta non meminerunt. At jam singula harum additionum puncta paucis discutiemus eo ordine, quo in hac Actorum synopsi ponuntur.*

de Sancti nomine,

22 *Primo quod attinet ad nomen sancti hujus Antistitis, quod triplici modo ad Ughello exprimitur, fuse de eo disserit Antonius Caracciolus in libro singulari de sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 6, *sect.* 2, *et post longum istius nominis examen tandem etiam de eodem hæc addit :* Verum,

F

antequam a nomine discedamus, breviter disquirendum hic est, an vocabulum hoc ASPRENAS nomen proprium nostri Antistitis fuerit, necne : nam, quia in Romanis illis priscis Asprenatibus cognomen id sane fuit, non autem prænomen aut nomen, ideo merito quis suspicari poterit, non fuisse id nostri episcopi nomen proprium, sed cognomen : quippe, uti rerum nominumque Romanorum periti docent, etsi florente Republica, id priscis Romanis erat nomen proprium, quod primo loco ponebatur, et ob id prænomen dicebatur, ut Ciceroni Marcus proprium nomen erat, et Cæsari Caius; sequiore tamen tempore, et Republica in pejus ruente, contrarius usus invaluit, ut nempe, non quod primo, sed quod ultimo poneretur, id esset cujusque proprium nomen, eoque uno, si quando pluribus abstinere placuisset, unusquisque designaretur.

vel cognomine,

23 *Postquam id aliquot exemplis probavit, ibidem sic pergit :* Atque id ipsum de nostro Antistite, qui certe post corruptam eversamque Rempublicam vixit, dicendum est : nempe Asprenatem fuisse ejus nomen proprium. Et quia ubique id vocabulum legitur solitarium, et nulli alii conjunctum

AUCTORE G. C.

junctum, ideo nomen ejusdem et prænomen ignorari. Quod vero florente republica Romana ASPRENAS cognomen fuerit, non autem nomen proprium, id non obstat, quin e cognomine proprium nomen potuerit evadere : id ipsum enim in multis aliis evenisse, fuse et erudite docet apud Macrobium Prætextatus lib. 1 Saturnal. cap. 6..... Fateor, nullibi me legisse, quodnam Asprenatis prænomen fuerit. Neque id mirum, aut insolens videri debet. Frequens is mos apud Romanos exterosque, ex solo cognomine aut nomine prænomen intelligere. Ita Nerone nude posito, Neronem Claudium significamus; et Cicerone, M. Tullium Ciceronem. *Totum hoc Caraccioli ratiocinium erudito lectoris judicio subjicimus, cum antiquis Actis sanctus ille Præsul tantummodo vocetur* Aspren, *licet nos claritatis gratia nomen istud Latino ritu inflexerimus, eumque in decursu* S. Asprenum *appellemus.*

quod nobili familiæ hactenus

24 *Sed saltem ex his Caraccioli conjecturis sequitur,* S. Asprenum *non habuisse cognomen* de Sicola, *quamvis Sigismundus Sicola in Nobilitate gloriosa* S. Aspreni, *quam supra citavimus, id innuere*

B

videatur : nam parti secundæ operis istius Italici præfixit imaginem, in qua repræsentatur S. Asprenus *sedens, et episcopalibus ornamentis indutus, coram quo Theseus de Sicola cum multis ejusdem familiæ equitibus genua flectit, et nobilitatis suæ insignia manu præfert. Sub ipsa autem sancti Antistitis effigie ibidem leguntur sequentia :* S. Aspren de Sicola, primus episcopus Parthenopæus, *id est Neapolitanus. Ne quis vero putet, hæc pro arbitrio recentioris pictoris aut cælatoris sic expressa esse, laudatus Sigismundus Sicola aliquam huic cælaturæ auctoritatem conciliare conatur ex qualicumque antiquitate, et superius in eadem imagine jussit æri incidi hæc verba :* Sic delineatum extat in instrumento celebrato jussu regis Caroli III, sub die v Octobris MCCCLXXXIII manu nobilis notarii Antonii Pappansogna de Neapoli.

ob quemdam eventum

25 *At forte nonnemo dicet, istud cognomen* de Sicola *postmodum dumtaxat sancto huic Præsuli adhæsisse propter quemdam eventum, quem Franciscus de Magistris in Statu ecclesiæ Neapolitanæ lib.* 1 § 1 *num.* 24 *pag.* 14 *exponit hoc modo :* Cognomen Siculorum habuit originem a celebratione S. Aspreni : nam dum ipse dicebat in celebra-

C

tione illa verba, PER OMNIA SECULA SECULORUM, consanguinei ibi adstantes cœperunt sic dicere, et fuerunt dicti de Siculis ab illa parte seculorum, ut comprobatur ex antiquo instrumento manu notarii Antonii Pappansognæ, nobilis Neapolitani, dicto anno MCCCLXXXIII, ex quo penes dictum D. Sigismundum vidi exemplar.

adhæsisse fertur.

26 *Anno Christi* 1696, *Sigismundus Sicola, quem Franciscus de Magistris verosimillime hic designat, Nobilitati gloriosæ* S. Aspreni *part.* 2 *observ.* 2 *inseruit Italicum Rogerii Pappansognæ chronicon, et observationi sequenti Latinum Antonii Pappansognæ instrumentum, in quibus eadem cognominis causa, vel occasio barbaro stylo refertur. At quam parum fidei his monumentis adhibendum sit, satis indicat Nicolaus Toppius in Bibliotheca Neapolitana pag.* 365, *ubi occasione Joannis Baptistæ Bolviti meminit de quatuor Mss. voluminibus ab ipso relictis, in quibus reperiuntur quædam apocrypha, inter quæ nominatim chronicon Pappansognæ recenset. Chioccarellus et Caracciolus etiam non magni fecerunt ea testimonia, ut infra ex ipsorum verbis apparebit. Interim hæc ulterius genealogis indaganda relinquimus, et illustri Sicolarum familiæ nihil nobilitatis detractum volumus, quamvis hac-*

D

tenus nondum nobis persuasum sit, nobilem illam stirpem ex fratribus S. Aspreni *ortam esse, aut ab eventu supradicto cognomentum* Sicola *accepisse.*

Disputatur contra Baronium

27 *Eminentissimus Baronius hac die in notis ad Martyrologium Romanum dicit, hunc sanctum Episcopum* fortasse *appellatum fuisse* Asprenatem; *(nullus tamen veterum istud nomen ei expresse tribuit, quantum scio) et ex hoc Romano* Asprenatis *nomine conjicit, illum origine Romanum fuisse. Sed Antonius Caracciolus in opere supra citato cap.* 6 *sect.* 1 *patriam ei assignat Neapolim, et eminentissimi scriptoris opinioni ita occurrit :* Quoniam autem Baronius notatione in Martyrologium ad III Augusti Asprenatem eum vocat, docetque, nomen hoc Romanum fuisse, debeo equidem, ne quis tanti viri auctoritate abusus, hunc primum Antistitem nostrum, non Neapolitanum, sed Romanum civem exstitisse arbitretur, opinioni huic statim occurrere.

de illustri ejus stirpe

28 Certe omnium, qui hactenus hac de re scripserunt, sententia, Neapolitanum eum fuisse testatur; et ante annos trecentos id aperte asseruit, velutque antiquam traditionem publico diplomate muniit Theseus Sicola Caroli III Neapo-

E

litani regis comestabulus : Neapolitanum scilicet fuisse Asprenum, ejusque quatuor germanos fratres Sicolæ genti dedisse principium. Et Rogerius Pappansonius in suo illo, qualecumque sit, theatri Montani chronico, quod ante ducentos annos se scripsisse, eoque antiquitates nostras collegisse memorat, id ipsum affirmat. Utinam vero codices illi vetusti, e quibus has ille antiquitates hausit, majores nostri perire non sivissent, spretis male fontibus, contenti turbidis rivis! Hos postea secuti sunt Tarchaniota lib. 1 de situ Neapolis, et Falcus in Descriptione Neapolis pag. 23; ac novissime Gualterius in Chronicis tabulis, qui eum Neapolitanum civem appellat.

et patria Neapolitana,

29 *Deinde sententiam eminentissimi Baronii cum traditione Neapolitanorum sic conciliat :* Nec dissentit Baronius, ut alicui, verbis ejus parum consideratis, fortasse videbitur : ait enim, nomen quidem, hoc est stirpem, cui hoc cognomentum Asprenatium adhæsit, esse Romanum; atque ad id firmandum Dionem, Suetonium, Plinium, Senecam, et Cassiodorum allegat : quod quidem ego non nego. Sed de viro ipso et antistite nostro

F

Asprenate, Neapolitanus necne fuerit, nihil ille dicit. *Videtur etiam Ughellus hoc modo Baronium cum scriptoribus Neapolitanis voluisse conciliare, dum in supra relato Actorum compendio scribit, quod* S. Aspren *fuerit* Neapolitanus civis, Romana nobilitate illustris. *Verum hæc suspecta Pappansonii monumenta, et recentiores auctores rem non conficiunt, quamvis non sit improbabile,* S. Asprenum *patria fuisse Neapolitanum, cum ibidem ab Apostolo Petro ad Christianam fidem conversus fuerit. Denique Antonius Caracciolus ibi Neapolitanam ipsius patriam ostendere nititur ex munere prætoris, quod* Asprenus *ante conversionem suam in ea civitate administrasse traditur. Sed hoc opus, hic labor est; quandoquidem antiquæ lectiones, quas supra dedimus, et alii veteres Vitæ scriptores de hac ipsius prætura nullum verbum faciant.*

ubi etiam ante conversionem suam

30 *Equidem fateor præturam illam inveniri in Chronico Pappansognæ, ut testatur Chioccarellus, qui in catalogo antistitum Neapolitanorum pag.* 15 *et sequente hæc refert :* Habet quoque id plenius Chronicum nobilis sedilis Montaneæ, quod notarius Rogerius Pappansugna, patricius Neapolitanus confecit die XXV Novembris MCCCCVIII, quod ex publicis regestis et chronicis tunc in archivio

tribu-

A tribunalis sancti Laurentii ejus civitatis deprompsisse auctor perhibet, qui superaddit, Aspren ante Petri adventum gubernatorem fuisse Neapolitanæ urbis, membrisque captum lectica per civitatem circumvehi [consuevisse.] Cumque a sancto Petro sanitati fuisset pristinæ restitutus, episcopum ab eo institutum, atque habuisse tradit quatuor germanos fratres, ex quibus temporis tractu innumeri prodiere milites, proceres, barones, ac illustres viri, Siculæ cognomine sumpto. Sed quoad ejus familiam ac fratres, et Neapolitanæ civitatis regimen, fides sit penes auctorem : non enim id aliunde habetur exploratum, nec alibi compertum habemus, cum ceteri, qui de Aspren agunt, hæc reticeant, et chronica et regesta, ex quibus ea desumpsit, ad præsens non exstent. *Chioccarellus hoc loquendi modo satis innuit, sese huic Pappansognæ Chronico non multum fidei adhibere.*

munere prætoris functus fuisse dicitur,

31 *Attamen Caracciolus cap.* 6 *laudati operis sect.* 4 *Neapolitanam* S. Aspreni *præturam ex similibus istius ætatis monumentis adstruere conatur, et post alias conjecturas ita concludit :* Ejus itaque B civitatis præturam gessisse scribitur in aliis ipsis, quales quales existimandi sint, Mss. antiquis commentariis Joannis Villani, Thesei Sicolæ, et Rogerii Pappansonii, quibus, etsi non admodum vetustis auctoribus, in his tamen rebus credere nihil prohibet : erant siquidem ea ætate rerum Neapolitanarum multo illi peritiores, addo, et sinceriores, scriptoribus nuperis. *Quod hic Caracciolus asserit de sinceris istius ætatis scriptoribus, non ita generaliter intelligendum est, acsi tunc nulli impostores reperirentur : nam ante et post hæc tempora inventi sunt fabulatores, qui sub ficta antiquitatis larva recentiora sua somnia obtruderent, ut exemplo suo docet Joannes Annius Viterbiensis, aliique fabularum venditores, de quibus Melchior Canus lib.* XI *loc. Theologic. cap.* 6, *et novissime Palatini socii in Responsis ad Censuras in dissertationem Italiæ medii ævi pag.* 3 *et sequentibus consuli possunt. Cur ipse Caracciolus supra num.* 28 *eadem illa monumenta comparat* turbidis rivis, *nisi quod ea ipsemet suspecta haberet?*

ut Carracciolus perperam ex Baronio probat,

32 *Quapropter istud* S. Aspreni *munus nobis ulterius persuadere cupit auctoritate eminentissimi Baronii, quem in causæ suæ patrocinium ibidem ita* C *advocat :* Certe Baronius, quo solidiorem et graviorem historicum haud reperies, e Romana nobilitate insignem præclarumque virum Asprenatem nostrum fuisse existimat. Ipsummet itaque haud absurdum fuerit cum iis scriptoribus opinari, Neapolis municipii, antequam episcopus fieret, gessisse præturam, qui inclytos consules Romæ habuisset progenitores. *At ipse Baronius, cujus solidam eruditionem merito suspicimus, nihil hic certo affirmat ; sed in notis hodiernis ad Martyrologium Romanum obiter dumtaxat conjicit, primo isti Neapolitano Præsuli* fortasse *nomen* Asprenatis *fuisse, et in ea hypothesi putat, illum verosimiliter ex Romana Asprenatium stirpe ortum esse. Non potest itaque juxta Baronium certior esse illa* S. Aspreni *nobilitas, quam sit hypothesis, cui innititur. Adde, quod ex ea nobilitate, etiam ultro admissa, tantummodo sequatur,* Asprenum *potuisse Neapoli munus prætoris administrare, quod nos minime negamus. Sed hic quærimus, an re ipsa præturam verosimiliter administraverit, et propter altum veterum Actorum de ea dignitate silentium judicamus, illam Neapolitanorum traditionem omnino incertam esse.*

33 *Ob eamdem causam dubitamus de baculo sancti Petri, ad cujus contactum* Asprenus *sanatus fuisse dicitur, ut Ughellus aliique recentiores nonnulli tradunt : nam Albericus, aliaque antiquiora Acta tantum narrant, S. Petrum vetulæ imperasse, ut* Asprenum *ægrotantem propere adiret, et, ejus* manu apprehensa, *illum pristinæ sanitati restitueret, sicut statim factum est. Non ignoro, Neapoli baculum quemdam sub hoc titulo servari, ut Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* III *Augusti notat his verbis :* Neapoli in ecclesia cathedrali, baculus S. Petri, ex cujus tactu sanctus Aspren sanatus est, adhuc religiose asservatus monstratur. *Sed forte est baculus ipsius* Aspreni, *alteriusve Sancti, quem Neapolitani innoxio errore pro baculo S. Petri venerantur. Saltem Nicolaus Parthenius Giannettasius noster tom.* I *Historiæ Neapolitanæ lib.* I *pag.* 9 *de eo sic caute pronuntiat :* Principe in ecclesia baculus quidam servatur, summaque religione colitur, eumque illum esse, quem Candidæ Petrus tradidit, *(nempe ut ad* Asprenum *deferret)* nescio qua ducti ratione, populares perhibent. *Quidquid sit, supra relatæ Officii proprii Lectiones, aliaque antiqua Acta, quæ hactenus videre nobis licuit, de hoc S. Petri baculo non meminerunt.* E

AUCTORE G. C. aliisque adjunctis, quæ de baculo

34 *Firmiore fundamento nituntur ea, quæ Ughellus cum scriptoribus Neapolitanis tradit de loco, in quo S. Petrus Missam celebrasse perhibetur : nam hæc saltem leguntur in illis* S. Aspreni *Actis, quæ Chioccarellus in opere de episcopis et archiepiscopis Neapolitanis pag.* 11 *et sequentibus vulgavit. Præterea Caracciolus in Libro singulari de sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 3 *sect.* 6 *et* 12 *istam Neapolitanorum traditionem probabilibus argumentis confirmat. Unde etiam Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 44 *apud nos num.* 28 *de hac re sic scribit :* De ceteris locis, ad quæ Petrus Romam venturus divertit, nobilia in iis remanserunt antiquitatis vestigia, sed traditione potius, quam scriptura firmata : nam (ut omittamus de singulis dicere, quæ nondum nobis explorata habentur) est Neapolis in Campania percelebris memoria, ubi idem Princeps Apostolorum, cum Neapolim navigio delatus esset, una cum suis Missam celebravit. *Nihilominus circa similes traditiones pronuntiamus cum eodem eminentissimo scriptore qui ibidem post pauca sic concludit :* Sed de rebus tam antiquis et incertis, quid potissimum affirmare debeamus, non satis constat. F

et ara S. Petri traduntur.

35 *Porro pauca singillatim novimus eorum, quæ* S. Asprenus *post conversionem suam gessit, quamvis Paulus Regius in Italica istius sancti Vita cap.* 4 *nobis concionem ejus recitet, aut potius sub illius nomine componat. Attamen ab ipso adhuc vivente plura miracula patrata esse, colligimus ex supradictis Lectionibus, quæ de hac re sic generatim habent :* Cœpitque Aspren magistri sui cooperator esse, et ad clamationem nominis Salvatoris signa et prodigia facere, cæcos illuminare, claudos consolidare, aliosque infirmos et debiles confortare. *Quæ autem in episcopatu gesserit, eædem Lectiones indicant his verbis :* Ad pontificii provectus apicem, verbo doctrinæ invigilare cœpit instantius, prædicationi insistere, et usque ad mortem opportune et importune constantissime indeficiens atque infatigabilis prædicavit.

Præter pauca hujus sancti Præsulis gesta,

36 *Joannes Diaconus in Chronico episcoporum Neapolitanorum, quod nuper inter Scriptores rerum Italicarum tomo* 1, *part.* 2 *a pag.* 291 *editum est, ibidem pag.* 292 *breve ejusdem sancti Præsulis elogium texuit hoc modo :* I ASPRENAS EPISCOPUS *(in Ms.*

quæ ex veteribus monumentis novimus,

AUCTORE G. C.

Ms. ecgrapho nostro, quod ex bibliotheca Vaticana accepimus, diserte Aspren *vocatur*) fuit amator pauperum, et tantæ beatitudinis *, ut omnem hominem a majore usque ad minimum libenter exciperet, et per dominici talenti acceptionem populos ad viam salutis quotidie evocaret. *Nescio, an in hoc textu nomen* Asprenas, *quod ibi litteris majusculis exprimitur, pro arbitrio editoris, vel juxta Ms. codicem, fideliter positum fuerit. Potius tamen suspicor, editorem secutum esse conjecturam Baronii, de qua superius egi, tum quod hic sanctus Præsul in apographo nostro Vaticano appelletur* Aspren, *tum quod auctor anonymus vel Petrus subdiaconus, qui circa medium seculi* IX *floruit, in vita sancti Athanasii, ad diem* XV *Julii ex Ms. codice Longobardico a nobis edita, et inter scriptores rerum Italicarum nuper recusa, tomo 2 part. 2 pag. 1053, hunc Sanctum nostrum expresse nominet* Aspren, *dum ibidem de illo sic scribit:* Siquidem beatissimus Petrus, Apostolorum princeps, Aspren sanctissimum, primum [ibi] ordinavit episcopum. *Hæc sunt omnia, quæ de gestis hujus sancti Antistitis tuto affirmare possumus.*

* Ms. mansuetudinis

reliqua de duratione episcopatus

37 *Non convenit inter scriptores Neapolitanos, quam diu* S. Asprenus *ecclesiam Neapolitanam rexerit, et quo anno ad cœlum migraverit: Giannettasius enim noster tomo 1 Historiæ Neapolitanæ lib. 1 pag. 11 ei triginta sex gubernationis annos tribuit his verbis:* Sequenti anno, qui fuit a Christo nato LXXX, Asprenus, postquam sex et triginta annos, fundatam ab Apostolo Petro ecclesiam, atque ab se amplificatam, summa vigilantia rexisset, mortalitate deposita, inter Divos receptus. *Alii communiter triginta tres regiminis annos eidem attribuunt. Catalogus antistitum Neapolitanorum, quem Blanchinus in Prolegomenis ad Vitas Romanorum Pontificum tomo 2 pag.* LXI *non ita pridem ex bibliotheca Florentina S. Marci edidit, et de quo infra fusius agendum erit,* S. Aspreno *tantum viginti tres episcopatus annos adscribit.*

ac tempore mortis ejus

38 *Neque major est concordia circa annum mortis, quam Chioccarellus in opere jam sæpius laudato pag. 7 ad annum Christi 77 ita refert:* Tandem ingravescente ætate ad cœlestem patriam migravit Neapoli die III Augusti, anno a Christo nato LXXVII, multis coruscans miraculis, cum annis triginta tribus sedisset. *Ughellus tomo 6 Italiæ sacræ col. 19 obitum ejus anno Christi 79 affigit. Franciscus de Magistris videtur diversos hosce annos promiscue admittere, dum in Statu ecclesiæ Neapolitanæ lib. 1 § 1 pag. 33 num. 47 de morte* S. Aspreni *ita scribit:* Sub die III Augusti LXXVII, vel LXXIX vel LXXX (ut aliqui voluerunt) sub Pontificatu sancti Lini similiter ad cœlum evolavit. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, synopsim Actorum ejus ex Paulo Regio refert, et in Annotatione ad hoc Vitæ compendium contendit, mortem* S. Aspreni *usque ad annum Christi 89 differendam esse. Albericus, qui ante medium seculi* XIII *Acta hujus sancti Episcopi exornavit, nullum certum annum exprimit, et obitum ejus apud Ughellum tomo proxime citato col. 24 sic memorat:* Obiit autem senex et plenus dierum, tertio Nonas Augustas.

incerta sunt.

39 *Anonymus Vitæ auctor, de quo supra mentionem fecimus, ab his omnibus multum discrepat, et apud Chioccarellum in catalogo Antistitum Neapolitanorum pag. 13 Acta Sancti hujus Præsulis ita claudit:* Sub dicto namque beato Aspren Christiana fides sumpsit initium, qui annis triginta tribus in Neapolitana urbe boni pastoris implevit officium, dierum senex obiit tertio mensis Augusti in anno Domini sexaginta novem. *Caracciolus in opere jam sæpe citato cap. 6 sect. 6 hunc Vitæ scriptorem ita corrigit:* De ætate autem Asprenatis varia veterum codicum lectio. Fere omnes habent, vixisse eum usque ad annum Christi LXXX, hoc est decem annis post sanctorum Petri et Pauli apostolorum necem. Historia tamen de Vita et gestis S. Asprenatis, quam ab Alberico (*potius hunc auctorem anonymum vocasset, cum Albericus nullum annum notet, ut supra videmus*) olim scriptam in veteri codice legimus, habet, decessisse anno Christi LXIX: Dierum, inquit, senex obiit tertio Nonas Augusti, anno Domini sexagesimo nono. Sed mendum id esse librarii, existimamus. Alioquin quo id modo stare posset cum eo, quod paulo superius in eodem codice legitur, ipsum fuisse Neapolis episcopum annis triginta tribus? Constat siquidem anno secundo Claudii, hoc est Christi XLV, sive ut aliqui nostrates historici, sed male, supputant, XLVI, Petrum venisse ad Italiam, atque ad urbem Romam. His itaque si addantur anni triginta tres, fiunt anni LXXIX, non autem LXIX. Corrigendus est igitur in nota numeri mendosus codex. *Quamvis hic singula nolim examinare, et hanc chronologiam non probem; tamen Caracciolus recte ad hominem argumentatur. Interim in re tam vetusta et incerta nihil certi statuere audeo, et ad præcipuam constantemque Neapolitanorum traditionem discutiendam progredior.*

§ III. Judicium nostrum de substantia traditionis Neapolitanæ.

Omnes Neapolitani asserunt,

N*eapolitani scriptores unanimi consensu asserunt, S. Petrum Apostolum, Antiochia Romam profectum, in itinere Neapolim divertisse, et tunc* S. Asprenum *ab eo baptizatum, primumque ecclesiæ suæ episcopum constitutum esse. Caracciolus memoratus in Libro singulari de sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap. 3 sect. 6 hanc popularium suorum assertionem ex immemorabili traditione, antiquis lapidum inscriptionibus, manuscriptis codicibus, aliisque testimoniis probat, atque inter alia argumenta allegat textum S. Lucæ, qui in Actibus Apostolorum cap. 28 ℣ 13 et 14 Romanum S. Pauli iter describit hoc modo:* Secunda die venimus Puteolos, ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam. *Omnes norunt, Puteolos esse oppidum Neapoli vicinum.*

S. Asprenum ab apostolo Petro episcopum sibi datum fuisse;

41 *Unde Caracciolus loco proxime citato ex his Lucæ verbis ita argumentatur:* Paulus invenit fratres, hoc est, Christianos: id quippe, vigente tunc caritate, cognomen habebant Christianæ legis sectatores. Aderant jam igitur in ea civitate ac regione Christiani. Quæso, quisnam illos ad Christi fidem traduxerat ante Pauli adventum? Certe non alius, nisi Petrus: nemo enim e Christi discipulis Italiam, Campaniamque legitur peragrasse ante Petrum, ut sacræ historiæ periti, atque in iis Baronius Cardinalis notatione ad diem XI Junii probe notant et adstruunt. Itaque ii Christiani, quos Paulus in Campanis urbibus reperit, Petri Apostoli fuere discipuli, ipso videlicet Neapoli locisque finitimis prædicante, ad veram fidem conversi. *Equidem scio, ea aliter explicari posse.*

quam traditionem admittunt

42 *Nihilominus hoc, aliaque Neapolitanorum argumenta tam probabilia sunt, ut etiam auctores*

externi

A *exteri opinionem eorum amplexi fuerint, inter quos Joa nes Lorinus noster in Commentariis suis ad prædictum S. Lucæ textum ita scribit:* Tradunt Neapolitani (nec hujus rei vestigia obscura demonstrant) ad eos etiam S. Paulum in transitu divertisse. Probabile id est ob vicinitatem, et quia Romam Puteolis tendentes modice illac deflectunt. Celebratur in Romano Martyrologio sancta Candida Neapolitana senior, quæ sancto Petro ad eam urbem venienti prima occurrit, atque ab eo baptizata est. Id accidisse Neapolitani annales fuerunt, cum primum S. Petrus Antiochia Romam venit, et simul Asprenum convertit, qui primus ejus urbis episcopus fuit. Quare potuit S. Paulus Puteolis, finitimis Neapoli, fideles reperire, ac multo magis Neapoli.

exteri quidam scriptores,

43 *Hisce exteris etiam accensendus est Petrus Josephus Cantelius noster, qui anno* 1684 *Parisiis civilem et ecclesiasticam metropolitanarum urbium Historiam edidit, et tomo* 1 *istius operis part.* 3 *Dissert.* 1 *cap.* 4 *summam traditionis Neapolitanæ admittere videtur his verbis:* Multa Caracciolus, Chioccarellus, Ughellus de ecclesiæ Neapolitanæ B initiis referunt, sive ex traditione, sive ex antiquis monumentis. Non est instituti nostri singula persequi; sed ea, quæ certiora sunt et illustriora, explicare paucis. Sanctum Petrum, dum Antiochia Romam peteret anno Christi XLII transiisse Neapoli, ibique Christianam prædicasse fidem, perhibent. Cum multi nomina Christo dederunt, tum in primis Asprenus, homo dives et nobilis. Is ab Apostolo morbo, quo jam diu laborabat, subito curatus, sacro fonte abluitur, et ad fidem eruditus nascenti huic ecclesiæ præficitur episcopus. Aspreni labore, studio et industria, non Neapoli tantum, sed in vicinis etiam oppidis Christiana pietas propagari cœpta est.

et de qua tamen propter veterem catalogum, nuper editum,

44 *Ponderatis Neapolitanorum rationibus, decreveram exemplum horum sodalium meorum aliorumque doctorum virorum sequi, et huic traditioni subscribere, licet non ignorarem, sententiam illam adversari Tillemontio, qui in Monument. eccles. tomo* 1 *pag.* 190 *eam non satis probabilem censet. At interea incidit in manus meas tomus secundus Anastasii Bibliothecarii de Vitis Romanorum Pontificum, quem Franciscus Blanchinus cum copiosissimis notis non ita pridem ediderat, et cui in Prole-* C *gomenis pag.* LXI *et sequente antiquum antistitum Neapolitanorum catalogum ex bibliotheca Florentina S. Marci inseruerat, ubi de hoc primo Præsule Neapolitano leguntur sequentia:* Aspren episcopus sedit annos XXIII. Fuit temporibus Clementis, Anacliti, Euaristi, Alexandri Papæ; et Trajani et Adriani imperatoribus.

dubitare cœpi;

45 *Ut mentem meam candide aperiam, hæc veteris et antea ignoti catalogi lectio me a priori proposito deterruit, ac de Neapolitana traditione non parum dubitare cœpi. Sic enim mecum ratiocinabar: Antiquus hujus catalogi auctor episcopatum* S. Aspreni *tantummodo collocat sub Clemente, ejusque successoribus: vacillat igitur traditio Neapolitanorum, qui primum illum Præsulem sibi a sancto Petro datum fuisse opinantur: nam haud dubie scriptor illius catalogi* S. Asprenum *etiam sub Pontificatu S. Petri collocasset, si illum ab Apostolo episcopum Neapolitanæ ecclesiæ ordinatum fuisse credidisset. Ita egomet mecum disserebam. Ne quid tamen temere statuerem, litteras dedi ad illustrissimum D. Dominicum de Georgio Neapolitanum, officiosissimum Operis nostri adjutorem, eique has difficultates proposui. Is pro sua erga nos humanitate, statim consuluit doctissimum quemdam Canonicum Neapolitanum, quem libenter honoris ac eruditionis causa nominarem, nisi nomen suum latere voluisset.*

AUCTORE G. C.

sed ignotus quidam Canonicus ex scriptore seculi noni,

46 *Hic vir omnino eruditus, ut ex responsione ejus ad nos missa satis patet, præcipua traditionis Neapolitanæ argumenta breviter ac nitide proponit his verbis:* Traditionem ecclesiæ Neapolitanæ de baptismo et episcopatu S. Asprenati, primo ejus episcopo, ab Apostolorum principe S. Petro collatis firmissime tuentur primo auctoritas Petri subdiaconi in Vita S. Athanasii Neapolitani episcopi, quam seculo nono scripsit. *Hic fideliter subdit ipsa verba Petri subdiaconi (ego hunc scriptorem Vitæ Athanasianæ, quæ in Opere nostro ad diem* XV *Julii edita est, vocavi anonymum, de quo in fine hujus paragraphi pauca dicam) quæ sic sonant:* Quoniam non solum a Constantino piissimo principe, primo Augustorum Christianissimo, sed plures ante annos Christiana inibi religio floruit; siquidem beatissimus Petrus Apostolorum princeps Aspren sanctissimum ibi ordinavit episcopum.

antiquo ecclesiæ Neapolitanæ usu,

47 *Post hæc doctissimus ille Canonicus profert alterum argumentum pro traditione Neapolitana, quam videlicet probat (verbis ipsius utor)* secundo usus ecclesiæ Neapolitanæ antiquissimus: nam E in libro inscripto HYMNARIUS ECCLESIÆ NEAPOLITANÆ, quem ad nonum etiam seculum referunt auctores Neapolitanarum rerum, erat hymnus proprius in Officio S. Asprenatis, cujus hæc est tertia stropha, relata a Chioccarello, viro investigandæ antiquitati nato, in libro de episcopis Neapolitanis in S. Asprenate:

Sanctus Petrus Apostolus
Dedit te nostro populo,
Et fecit te episcopum
In nostro loco primitus.

Jam superius § 1 *hunc hymnum integrum, aliosque similes ex Chioccarello dedimus, quorum antiquitati non videntur cedere* IX *Lectiones propriæ seu simpliciora* S. Aspreni *Acta, quæ ibidem transcripsimus.*

aliisque testimoniis,

48 *Hisce juxta eumdem Neapolitanæ traditionis defensorem accedit* tertio auctoritas catalogi Joannis Diaconi, scriptoris etiam noni seculi, qui idem prorsus tenere debuit, quod ecclesia sua, F quod Petrus subdiaconus; et licet Vaticanus codex ibi sit mutilus, ubi de consecratione S. Asprenatis verba facere debuisset, tamen ex iis, quæ præfatus est, conjici potest, idem dixisse, quod Petrus subdiaconus: eos enim imperatores et Pontifices memorat, qui implent tempora sedis S. Asprenatis, ut catalogorum auctores omnes facere consueverunt. Neque huic auctoritati obstat catalogus bibliothecæ Florentinæ S. Marci a Francisco Blanchino editus inter notas ad Anastasii Vitas Rom. Pontif. tomo 2 in Proleg. pag. LXI, ut paulo post probabimus. *Quod autem spectat ad mutilum Joannis Diaconi catalogum, ex quo supra num.* 35 *breve* S. Aspreni *elogium recitavimus, et qui nuper inter Scriptores rerum Italicarum tomo* 1 *part.* 2 *a pag.* 291 *typis vulgatus est, eruditissimus Muratorius ibidem pagina sequente in notis num.* 3 *hanc codicis Vaticani lacunam indicat his verbis:* In Ms. codice Vaticano hic finis est octavæ paginæ, ubi certe desideratur unum foliolum sive duæ paginæ. Dolendum autem est, narrationem hic interruptam fuisse: fortassis enim auctor narrabat, quis urbi Neapolitanæ primus Christianam religionem invexerit, et quis ex Ro-

manis

AUCTORE G. C.

manis Pontificibus primum illi urbi episcopum dederit.

et argumentis eam traditionem erudite probat,

49 *Eamdem Neapolitanorum traditionem (hic iterum verba supradicti defensoris usurpare liceat) non parum confirmat* quarto solida conjectura ex Actibus Apostolorum cap. 28 ☩ 14, ubi Paulus Apostolus anno LVII Puteolis fratres invenisse dicitur. Ergo jam Puteolanos Christo pepererat Apostolus Petrus, cum ante eum nullum ex discipulis Domini venisse in Italiam, proditum sit. Verum Apostolus Paulus vinctus et custodia stipatus, breviori via Campana Capuam, indeque Romam contendit. Petrus autem liber, et propagandæ fidei intentus Neapolim præteriisse non est credendus, urbem eo tempore celebrem, ad quam ferebat iter brevissimum, perfosso jam monte Pausilypo ad Mergillinam, quo aditu aperto Puteoli et Neapolis non duæ urbes, sed una fere censetur, ita ut etiam nunc Puteolanus episcopus in Plaga Olympia commorans, quod est suburbium urbis Neapolis, residere putetur. *His subjungit verba Lorini nostri, quæ superius alia occasione dedimus, additque, eminentissimum Bellarminum tomo* 1 *Controversiarum de Romano Pontifice lib.* 1 *cap.* 2 § 13 *simili argumento usum esse ad confutandos hæreticos, qui negant, Petrum Apostolum Romæ fuisse.*

et errores quosdam in contrario catalogo,

50 *Deinde doctissimus ille canonicus sublestam catalogi Florentini fidem ita ostendit :* His auctoritatibus et antiquissimæ constantique traditioni opponitur catalogus a Blanchino editus, cujus auctoritas nullius momenti esse debet : est enim scriptoris decimi seculi, qui catalogum Joannis Diaconi contraxit, perpetuamque imperatorum et Pontificum seriem singulis præsulibus inconsiderate adscripsit. In articulo enim S. Asprenatis, qui ad hanc quæstionem pertinet, errat primo : tribuens sedi S. Asprenatis annos XXIII, eumque sedisse autumat sub Clemente, Anacleto, Evaristo, Alexandro Papa, cum ab exilio S. Clementis, anno LXXVI, ad initium Pontificatus S. Alexandri, anno CVIII, intercesserint anni XXXII.

nuper edito detegit,

51 Crassior ille error est, quo Pontificatum Alexandri cum imperio Adriani componit, ait enim : ASPREN EPISCOPUS SEDIT ANNOS XXIII. FUIT TEMPORIBUS CLEMENTIS, ANACLITI, EVARISTI, ALEXANDRI PAPÆ, ET TRAJANI ET ADRIANI IMPERATORIBUS. Atqui, teste Blanchino, S. Alexander martyrium fecit die III Maii, eodem anno, quo Trajanus periit Selinunte ; sed ante imperium Adriani, qui eodem quidem anno imperator renuntiatus est, sed trimestri saltem spatio post mortem S. Alexandri. Verba sunt Blanchini eodem tomo 2 pag. 80. Et cum post mortem S. Alexandri cessasset sedes dies XXXV, assumptus jam fuerat Xistus, cum imperium adiit Adrianus. Ac si conjectura ex cap. 28 Actorum superius ducta aliquid valet (valere autem plurimum debet apud æquos judices) quis credere potest, religionem invectam, et primum episcopum datum urbi Neapoli sub S. Clemente Papa, qui ordinatus fuit a sancto Petro anno LXIV, cum ibidem jam Christiani essent anno LVII adventus S. Pauli?

eumque seculo decimo scriptum esse ostendit,

52 Quod autem auctor catalogi Blanchiniani decimo seculo scripserit, illud evincit, quod catalogo Joannis Diaconi desinenti in S. Athanasio, Athanasii secundi sedem, et Stephani tertii addiderit, qui Stephanus vivebat anno DCCCCXX : nam illum adfuisse translationi S. Severini abbatis scribit alter Joannes Diaconus auctor synchronus et testis oculatus, eamque translationem omnium ordinum lætitia celebratam affirmat die X Octobris DCCCCXX, eodemque anno die XXVII Augusti inventum in Miseno, et Neapolim translatum refert corpus S. Sosii martyris, socii S. Januarii, et in ecclesia S. Severini ab hoc Stephano III episcopo conditum. *Ughellus tomo* VI *Italiæ sacræ col.* 83 *eamdem S. Severini translationem, sub Stephano III episcopo Neapolitano factam, etiam anno Christi* 920 *affigit; sed Bollandus noster in Addendis ad tomum* I *Januarii pag.* 1098 *ex anno vigesimo quarto Leonis imperatoris, qui ibi signatur, probabilius eam translationem anno Christi* 909 *collocat. Clarissimus Muratorius in Scriptoribus rerum Italicarum tomo* 1 *part.* 2 *pag.* 288 *ex alio diplomate suspicatur, illam ad annum Christi* 901 *referri posse. Utcumque sese habeat obscura illa ac intricata chronotaxis, saltem ex his sequitur, auctorem catalogi Florentini seculo decimo scripsisse.*

et duplicem Joannem Diaconum distinguit.

53 *Porro laudatus Canonicus duplicem Joannem Diaconum distinguit, idque contra sententiam Muratorii ostendere nititur sequenti argumentatione :* Hujus rationis vim elevare videtur Ludovicus Muratorius, qui in Præfatione ad catalogum Joannis Diaconi, quam inter Auctores rerum Italicarum edidit tomo 1 part. 2 pag. 291 contendit, utrumque Joannem Diaconum unum fuisse, ex eo præcipue quod alter se dicat Joannem Diaconum, cui tradita est regenda DIACONIA S. JANUARII ; alter vero JOANNEM DIACONUM S. JANUARII. Sed duo hi Joannes Diaconi non poterant clarius se distinguere ; quod ut pateat, sciendum, esse Neapoli antiquissimam ecclesiam S. Januarii, quæ nunc ad Ulmum dicitur, proximam monasterio et ecclesiæ S. Severini, in eaque esse, et ab initio fuisse Collegiatam sexdecim Collegialium sub abbate seu rectore et primicerio, adnexum habuisse hospitale, dictamque diaconiam, quæ dabatur in commendam uni ex canonicis diaconis ecclesiæ cathedralis, quæ datio in commendam pertinuit usque ad memoriam patrum nostrorum ; anno enim MDXCII Vincentius Raius canonicus ecclesiæ cathedralis, abbas et rector, concessit usum ejus ecclesiæ sacerdotibus congregationis S. Michaelis archangeli, rogato instrumento per publicum notarium Joannem Dominicum de Lieto die XXVII Octobris : nunc autem abbatia prædicta unita est mensæ parochiali. Joannes igitur diaconus, cui tradita est regenda diaconia S. Januarii, erat Canonicus diaconus ecclesiæ cathedralis, et Joannes Diaconus S. Januarii erat unus ex collegialibus ecclesiæ S. Januarii. *Hujus litis arbiter esse nolo.*

Dein catalogo isti integram auctoritatem gratis relinquit

54 *Quinimo memoratus Canonicus totam Catalogo Florentino fidem gratis relinquit, eumque propterea nihil traditioni Neapolitanæ obesse contendit hoc ratiocinio :* Verum ne integra quidem asserta catalogo Blanchiniano auctoritas officere quidquam potest traditioni ecclesiæ Neapolitanæ : enimvero potest optime constare traditio, etiamsi dicatur S. Asprenas sedisse sub Clemente, cum norint omnes, quantæ fuerint tenebræ historiæ Pontificiæ primi seculi. Tertullianus tamen libro de Præscript. cap. 32, et Epiphanius Hæresi 27 immediatum Petri successorem faciunt Clementem ; nec abhorrere ab hac sententia videtur Anastasius in S. Clemente. Idem docet Vindelinus apud Cotelerium tom. 1 pag. 139 ex anonymo sciptore Græco de vita, peregrinationibus, et morte Petri et Pauli. Sed ex eo, quia Linus et Cletus præmortui sunt Apostolo Petro, et consonat catalogus Romanorum Pontificum bibliothecæ

AUCTORE G. C.

A bliothecæ Colbertinæ, ordine quartus inter relatos ab Antonio Pagio tomo 1 Criticæ in Annales Baronii pag. 165 (*ego id invenio in Prolegomenis ad tom.* 1 *pag.* LIII) ubi dicitur : PETRUS AN. XXV, M. I, D. VII. LINUS AN. XV, M. III, D. XII. CLETUS AN. VIII, M. II, D. X. CESSAVIT EPISCOPATUS DIES XXII. HI DUO FUERUNT COEPISCOPI, UNUS SCILICET POST ALIUM TEMPORIBUS B. PETRI. Et similiter fere catalogus sextus. Si igitur auctor catalogi Blanchiniani credidit, S. Clementem immediate post Petrum Pontificatum gessisse, quid mirum, si statuit sedem S. Asprenatis cœpisse sub S. Clemente?

(hic tamen nimium concedere videtur)

55 *Sed, quod salva doctissimi viri pace dictum sit, hoc loco videtur nimis liberaliter agere, dum catalogo Florentino tantam fidem ultro concedit : si enim ei integra constet auctoritas, certe mirum est, quod auctor illius statuat, sedem* S. Aspreni *sub Clemente* cœpisse, *etiamsi jam dictum catalogi Pagiani systema sequeretur. Cur, obsecro, omisit Pontificatum S. Petri, si sub eo* S. Asprenum *ad cathedram Neapolitanæ ecclesiæ evectum fuisse crediderit? Potius itaque auctoritatem hujus catalogi* B *Florentini flocci pendere perrexisset ob supradictos errores, sicut ipse Blanchinus in Prolegomenis ad tomum* 2 *pag.* 31 *multo antiquiori Romanorum Pontificum catalogo fidem abrogat his verbis:* Tertio ponit annos Pontificum et consules, exordio et fini Pontificatuum assignatos ; sed adeo in plerisque locis sibi repugnantes, ut tempus annorum et mensium adversetur consulibus, et consulum tempora pauciores pluresve annos, quam a catalogo exhibentur, designent. *Sic etiam catalogus Florentinus episcopatui* S. Aspreni *viginti tres annos tribuit, cum interim triginta duo anni effluxerint tempore illorum Pontificum, quos ibidem recenset. Non dubito, quin plures hujusmodi errores detegendi essent, si eos hic vacaret indagare.*

et difficultates ita solvit,

56 *Denique jam sæpe laudatus Neapolitanæ traditionis vindex ad longævam* S. Aspreni *ætatem, quam objeceram, ita respondet :* Sed nec læditur traditio ex eo, quod idem catalogus extendat sedem S. Asprenatis ad Pontificatum S. Alexandri : nam nihil traditio statuit de tempore vitæ S. Asprenatis ; nec est impossibile, hominem nonagenario majorem vivere. Enimvero ab adventu Apostoli Petri in Italiam ad Pontificatum S. Alexandri C per chronologiam Blanchini fluxerunt anni LXVIII, per chronologiam fortasse emendatiorem A. Pagii anni LIV. Proposito igitur exemplo S. Timothei, quem adolescentem dicit Apostolus I ad Timotheum, et P. Calmetus statuit ordinatum fuisse episcopum annorum XXXVI (mitto exemplum S. Eleutherii apud Nicephorum lib 3 cap. 29, qui dicitur annorum XX ordinatus episcopus a sancto Aniceto Papa) jam secundum Pagium nonagenarius S. Asprenus vidit Pontificatum S. Alexandri ; secundum Blanchinum annorum CIV. Quid inest huic ætati miraculi, cum non solum sanctorum virorum, sed etiam nebulonum hac ætate luxu et crapula inquinatissima non unus sit, qui jam dextera computat annos?

ut substantiam traditionis huic catalogo præferamus.

57 *Tandem sic concludit :* Sperat igitur ecclesia Napolitana, præferendam esse auctoritatem Petri subdiaconi, et monimentorum suorum fidem catalogo Blanchiniano male instructo, ab auctore certe alienigena, seculo decimo. *Jure merito ecclesia Neapolitana id sperat : nam mature expensis omnibus, testimonium Petri subdiaconi, vel scriptoris anonymi, qui certe seculo* IX *Vitam S. Athanasii Neapolitani exaravit, vitioso seculi decimi catalogo hactenus præferendum judico. Præterea ad hoc judicium ferendum præter alia Neapolitanorum argumenta me movent supra relatæ Lectiones, quæ simpliciora* S. Aspreni *Acta continent, et antiquæ videntur, tametsi distinctam earum ætatem ignorem. Verum paragrapho sequente ex ipsis Neapolitanorum monumentis, et Blanchini chronologia proponam quoddam systema, in quo traditio Neapolitana (excipe tamen tempus quo* S. Asprenus *dicitur episcopus consecratus esse) integra conservatur, et nonnullæ difficultates vitantur. At hic prius occasione jam sæpius memorati Petri subdiaconi mihi levis monumenti disputatiuncula cum Ludovico Antonio Muratorio instituenda est.*

Occasione Petri subdiaconi, qui hic sæpe memoratur,

58 *In Commentario prævio ad Acta S. Athanasii episcopi Neapolitani, quæ in Opere nostro ad diem* XV *Junii ex Ms. codice Casinensis monasterii in lucem dedi,* § 2 *num.* 16 *allegaveram verba Baronii, qui vitam istius Sancti* Petro diacono Casinensi *adscribit. Deinde ibidem ita disserebam :* Nescio, unde Baronius hunc Petrum diaconum Casinensem, seculi IX scriptorem, eruerit. Saltem in Actis S. Athanasii, quorum magnam partem ibidem Annalibus suis inseruit Baronius, nullibi nomen suum, aut vitæ professionem prodit E auctor. Certe synchronus illorum Actorum auctor esse non potuit Petrus diaconus Casinensis, qui tantum seculo XII plura edidit opuscula; neque illius magister, eodem nomine appellatus. *Ex his cum Caracciolo denique concludebam anonymum esse hujus Vitæ scriptorem.*

et quem Muratorius contendit

59 *Muratorius inter Scriptores rerum Italicarum tomo* 2 *part.* 2 *hanc S. Athanasii Vitam una cum Commentario et notis meis recudit et in monito prævio pag.* 1045 fidentissime *statuit synchronum hujus Vitæ auctorem fuisse* Petrum diaconum vel subdiaconum Neapolitanum. *Tum opinionem suam ita probat :* Idoneum textum hac de re habemus Baronium, qui ejus Vitæ frustula proferens, ubique scriptorem nominat Petrum diaconum, *(Cassinensem addere oportebat)* quod minime præstitisset vir a somniando alienus, nisi Vaticanus codex, cui uni hanc Vitam debemus, auctoris nomen prætulisset.

scripsisse vitam S. Athanasii Neapolitani,

60 *Imprimis non intelligo, quomodo hanc Vitam uni vel soli codici Vaticano debeamus, cum ego illam ex codice Longobardico manasterii Cassinensis acceperim, ut ad diem* XV *Julii in Commentario prævio ac ipso titulo Actis præfixo monui. Præterea* F *idcirco Baronius somniare non debuit ; sed falli potuit, quia forsan in coopertorio codicis illius aut alibi nomen Petri diaconi Cassinensis exprimebatur, eo quod codex iste ad ejus usum pertineret, aut ab ipso ex antiquiori codice transcriptus esset, ex quo Baronius putarit, Petrum diaconum Cassinensem hujus Vitæ auctorem esse. Ut ut est, si Baronius tantummodo in codice suo* Petrum *hujus Vitæ auctorem invenerit, perperam addidit* diaconum *et* Cassinensem, *cum auctor illius fuerit* Petrus subdiaconus Neapolitanus, *ut Muratorius contendit.*

ob varias rationes putamus,

61 *Porro ille vir sic pergit :* Cautius tamen actorum se opinatus supra laudatus P. Cuperus in ea sententia fuit (Antonium Caracciolum et Ughellium secutus) Petro diacono Vitam hanc nequaquam esse tribuendam, et anonymum potius illius Vitæ scriptorem appellandum, quod nimirum Petrus diaconus Casinensis seculo tantum XII floruerit; auctor autem Vitæ seculo IX, atque ipso sancto Athanasio vivente, aut ante paucos annos e vivis erepto, hæc scripserit. Objeceram et ista egomet mihi in præfatione ad Johannis diaconi commentarium part. 2 tom. 1, Collectionis hujus pag. 289. Et profecto disce-

AUCTORE G. C.

dendum a Baronio ego quoque censui, ubi Petrum diaconum sive subdiaconum *(hi ordines inter se differunt; et Baronius Petrum suum nusquam* subdiaconum *cognominat)* hujus Vitæ auctorem, Casinatibus monachis accenset; sed cum ipso sentiendum adhuc puto, cum Petro cuidam sancti Athanasii Vitam tribuit, quem ego subdiaconum Neapolitanum fuisse aio. *Itaque ex solo Petri nomine infert, illum fuisse subdiaconum Neapolitanum.*

hanc ipsius conjecturam prorsus incertam esse;

62 *Deinde recte demonstrat, circa tempora S. Athanasii Neapolitani vixisse quemdam* Petrum Parthenopensis ecclesiæ hypodiaconum, *qui apud Ughellum in veteri editione Italiæ sacræ, tomo* 6 *col.* 76 *miracula S. Agnelli abbatis collegerit, atque ex illo indicio ibidem sic concludit:* Habemus ergo Petrum Neapolitanum subdiaconum, utriusque Athanasii episcopi coævum, et biographum illorum temporum. Quare vix dubitandum est, quin eidem tribuenda quoque sit Vita S. Athanasii, a P. Cupero edita, atque hic recudenda. *At etiam Ughellus loco proxime citato hunc Petrum Neapolitanæ ecclesiæ subdiaconum noverat, et nihilominus censet, scriptorem longioris Vitæ Athanasianæ anonymum esse. Neque mihi ex hac Muratorii conjectura adhuc liquet, Vitam S. Athanasii ab illo Petro subdiacono conscriptam esse : nam etiam apud Surium ad diem* XXIII *Septembris in inventione et translatione S. Sosii pag.* 237 *reperio quemdam* Petrum subdiaconum *istorum temporum sive ineuntis seculi noni, quem tamen a superiori ecclesiæ Neapolitanæ hypodiacono diversum suspicari possum, donec Antonius Ludovicus Muratorius ostendat, eumdem esse.*

et hactenus opinamur,

63 *Saltem adversarius fateri cogetur, dormitasse Baronium, si ex solo Petri nomine scriptorem illum* diaconum *et* Cassinensem *cognominaverit, aut si forte possessorem aut transcriptorem codicis sui manuscripti pro auctore ejusdem acceperit. Si autem id minime facturus fuisset* vir a somniando alienus, *ut Muratorius loquitur,* nisi codex Baronianus nomen auctoris prætulisset, dicere oportebit, *aut Baronium deceptum fuisse ab aliquo, qui codici isti nomen Petri diaconi Casinensis perperam præfixerit, aut synchronum hujus Vitæ Athanasianæ auctorem revera fuisse quemdam Petrum diaconum Casinensem, quem hactenus non novimus, et de quo historia Casinensis monasterii aliique bibliographi altum siluerunt.*

auctorem istius Vitæ prudenter anonymum appellari.

64 *Quod si nihil horum placeat, Muratorius nobis edisserat, quomodo Baronius scriptorem Vitæ Athanasianæ pro Petro subdiacono Neapolitano Petrum diaconum Casinensem appellare potuerit. Hæc intricata difficultas me movet, ut adhuc existimem, Acta illa prudenter anonymo scriptori tribuenda esse, et non nisi ex incerta conjectura istam S. Athanasii Vitam Petro subdiacono Neapolitano adscribi posse. Libenter tamen opinionem Muratorii amplectar, et ipsius exemplo sententiam mutabo, eique hanc præclari biographi notitiam acceptam referam, si quid certitudinis aliunde accedat, præsertim cum circa illa tempora quidam Petrus subdiaconus Neapolitanus vixerit.*

Jam ab hac digressione ad propositum redeo, et de S. Aspreni *Baptismo ac episcopatu quamdam conjecturam eruditis propono.*

§ IV. Novum systema circa tempus, quo Sanctus ad episcopatum Neapolitanum assumptus fuit.

Neapolitani scriptores passim tradunt,

Chioccarellus in Catalago antistitum Neapolitanorum cum aliis scriptoribus putat, S. Asprenum *non diu post conversionem suam ab Apostolo Petro episcopum Neapolitanæ ecclesiæ constitutum fuisse, ut in brevi istius Sancti elogio ibidem pag. 7 satis indicat his verbis :* Aspren sanus effectus est, et pristinæ saluti restitutus : quamobrem Aspren illico ad S. Petrum veniens, ad ejus pedes prostratus, illos exosculatus est, et a sancto Petro catechizatur, et Christiana imbuitur religione, ac Baptismatis aqua lustratur. Cumque Petrus urbem Neapolim ad Catholicam fidem convertisset, ac in loco non procul ab ejus urbis mœniis, ubi sacrificia idolis immolari consueverant, constituto ibi altari, Missæ sacrificium celebrasset, cui Aspren atque Christiani, qui Petrum ab Antiochia comitabantur, interfuerunt, Petrus volens Romam, quo tendebat, proficisci, Aspren Neapolitanorum precibus eorum episcopum constituit; qui factus episcopus vigilare jugiter cœpit, ac verbo doctrinæ et prædicationi ad mortem usque indeficienter atque indefessus insistere, ac Petri ejus magistri cooperator esse cœpit, et ad Christi Jesu Servatoris invocationem signa et prodigia patrare, cæcos illuminare, claudos erigere, aliosque infirmos ac debiles confirmare. *In hoc textu omisi unam alteramve vocem, quæ sensum vitiabat.*

S. Asprenum statim a sua conversione episcopum esse,

66 *Ceterum hic obiter observo, a Chioccarello ordinem narrationis immutatum esse circa primam* S. Aspreni *cooperationem, quæ in Actis simplicioribus, ab ipso Chioccarello editis, pag.* 10 *episcopatui ejus ita præmittitur :* Aperit os suum Petrus, catechizat Aspren et baptizat, et de Christianæ religionis doctrina informat; cœpitque Aspren Magistri sui cooperator esse, et ad clamationem nominis Salvatoris signa et prodigia facere, cæcos illuminare, claudos consolidare, aliosque infirmos et debiles confortare. Conquisita Neapoli Christo domino, Romam Petrus ire decrevit; sed ad preces Neapolitanæ plebis, Apostolus Aspren Neapolitanum præsulem consecravit, qui ad pontificii provectus apicem, verbo doctrinæ invigilare cœpit instantius, prædicationi insistere, et usque ad mortem opportune et importune, constantissime indeficiens atque infatigabilis prædicavit. *Non diffiteor, quod hæc Acta simpliciora etiam innuant,* S. Asprenum *in primo S. Petri transitu episcopum Neapolitanæ urbis consecratum fuisse; sed opinor, ab eorum auctore aliisque scriptoribus duo S. Petri itinera aut duas urbis Neapolitanæ visitationes in unam confundi, et gesta diversi temporis perperam eodem anno collocari, ut jam nonnullis rationibus ostendere conabor.*

quando S. Petrus primo Neapolim venit;

67 *Imprimis non est verosimile, S. Petrum tunc diu Neapoli hæsisse, cum ab urbe Antiochena ad fundandam cathedram Romanam properaret : imo probabilius est, illum more aliorum Apostolorum in eo itinere cursim semen Evangelii sparsisse, quod paulatim cresceret, et cujus fructum postea per se aut discipulos suos ob viciniam regionis facilius colligeret. Libenter itaque propter traditionem et antiqua Neapolitanorum monumenta admitto, Neapoli in illo transitu Candidam,* Asprenum, *et forte alios*

nonnullos

A *nonnullos a sancto Petro ad fidem Christianam fuisse conversos, quorum exemplo, exhortatione, et miraculis varii eorum populares ad eamdem religionem amplectendam adducti fuerint, et sic sensim numerus Christianorum ibidem accreverit, cum in omnibus* S. Aspreni *Actis legamus, quod ipse post conversionem suam cœperit cooperator esse sancti Petri, et ad invocationem Christi miracula patrare.*

sed cum S. Paulus vetet, neophytum ad eam dignitatem statim evehi,

68 *At non facile credam,* S. Asprenum *statim a sua conversione ad episcopatus dignitatem evectum fuisse : nam ab ea opinione admittenda me maxime retrahit monitum Apostoli Pauli, qui epistola prima ad Timotheum cap.* 3 *inter alias dotes, quas in episcopo requirit, non vult ad eam dignitatem promoveri* « neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. » *Est autem Græce* νεόφυτος, *quasi* nove plantatus, *id est recenter ab ethnicismo aut Judaïsmo ad fidem Christianam conversus, et Christo per baptismum insitus, ut interpretes sacræ Scripturæ hanc vocem passim exponunt. Sanctus Chrysostomus rationem hujus præcepti homilia* 10 *ad eamdem Pauli epistolam ita reddit :* Quia enim ex gentilibus tunc plerique ad Ecclesiam accedebant ac baptizabantur, cavendum admonuit, ne continuo noviter imbutum Ecclesiæ B Sacramentis ad hujusce principatus onera ferenda proveheret; si enim antequam discipulus esset, magister assumeretur, quamprimum attolleretur in arrogantiæ fastum; si priusquam subjici disceret, in rectorum ordine locaretur, cito intumesceret. Idcirco subjungit : « Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli, » hoc est, ne in eamdem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.

et S. Hieronymus talem promotionem censeat indecoram,

69 *Præmaturam illam neophytorum ad episcopale munus promotionem graphice depingit S. Hieronymus, dum in epistola ad Oceanum tomo* 4 *novissimæ editionis Parisiensis part* 2 *col.* 653 *eumdem Apostoli textum ita explicat* : Heri catechumenus, hodie pontifex; heri in amphitheatro, hodie in ecclesia : vespere in circo, mane in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Num ignorabat Apostolus tergiversationes nostras, et argumentorum ineptias nesciebat?..... Quod autem ait : Ne in superbiam elatus, incidat in judicium diaboli, quis non exemplo verum probet? Ignorat momentaneus C sacerdos humilitatem et mansuetudinem rusticorum; ignorat blanditias Christianas; nescit se ipsum contemnere : de dignitate transfertur ad dignitatem. Non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, et assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, id est de superbia ad superbiam. Judicium autem et ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit : incidunt in eam, qui puncto horæ, necdum discipuli, jam magistri sunt. *Ex his patet, quam periculosum ac indecorum sit, si neophytus statim a sua conversione ad cathedram episcopalem evehatur. Neque hactenus video, cur S. Petrus* Asprenum *ab hac communi lege exemisset.*

probabilius consecrationem illam differimus ad aliud tempus

70 *Quandonam igitur, inquies, apostolus Petrus* S. Asprenum *Neapolitanæ ecclesiæ præfecit? Respondeo, me de certo tempore non laborare, si modo id post aliquot annos factum esse concedas. Caracciolus in Libro singulari de sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 3 *sect.* 13 *diversas occasiones variosque annos recenset, quibus S. Petrus postea Neapolim redire potuerit. Inter alios ibidem assignat annum a passione Christi vigesimum, quo S. Petrus vicinos Italiæ populos invisisse creditur, ac tandem concludit, S. Petrum sæpe Roma profectum verosimiliter etiam sæpius Campaniam ac Neapolim petiisse. Si S. Petrus ex urbe Romana profectus longe dissitas Orientis ecclesias reviserit, certe admodum probabile est, quod etiam vicinas Italiæ ecclesias interdum adierit, teneras fidei Christianæ plantas rore divini verbi irrigaverit, ac novis agnorum gregibus pastores præfecerit. Porro post fundatam Romanæ Ecclesiæ cathedram ex his apostolicis excursionibus elige illam, quæ magis placet, et in una earum* S. Asprenum *pastorale regimen ecclesiæ Neapolitanæ ab Apostolo Petro suscepisse dicam, ne statim neophytum, contra legem, ut supra diximus ab Apostolo Paulo latam, ad episcopatum promovere cogar.*

quo S. Petrus Neapolim redierit,

71 *Ipsa Neapolitanorum monumenta ad hanc opinionem meam stabiliendam aliquod fundamentum præbent : ex iis enim Giannettasius noster tomo* 1 *Historiæ Neapolitanæ lib.* 1 *pag.* 9 *et* 10 *narrat sequentia :* Anno LIV ab orbe instaurato, Petrus Hierosolymis, quo ob Claudii edictum ex Italia redierat, iterum Romam navigans, Retinam sexto a Neapoli distantem lapide delatus vetustissima fama fertur. Hic plurimos Baptismate lustravit, inter quos princeps Ampello, qui eo in oppidulo ecclesiam condidit, quæ usque ad nostram E ætatem nomen ab eo retinuit. Hinc Neapolim profectus ab Aspreno ac reliquis Christianis summo honore lætitiaque exceptus. Eo tempore ecclesiam, ubi primum sacra fecerat, inaugurasse, vetustissimus lapis, qui in ara maxima ejus ædis servatur, liquidissimus testis est. Tandem postquam Neapoli multa de sacris ritibus Asprenum edocuisset, ethnicosque plures ad Christum divina eloquentia adduxisset, ad arcem Romani imperii, orbisque terrarum dominam urbem, ut in ea, profligata gentium superstitione, veram religionem induceret, illico concessit. *Cum tunc S. Petrus Neapoli multa de sacris ritibus* Asprenum *edocuerit, ex ipsa Giannettasii narratione, non est sane mirum, quod eodem tempore illum ad sedem Neapolitanæ ecclesiæ evexerit : si enim* S. Asprenus *antea jam fuisset episcopus, haud dubie sacros ritus non ignorasset.*

ut ex ipsis Neapolitanorum monumentis eruitur.

72 *Porro vetustissimum lapidem, de quo hic Giannettasius meminit, seu potius renovatam ipsius lapidis memoriam Joannes Antonius Summonte in Historia Neapolitana, quæ Neapoli anno Christi* 1675 *Italice recusa est, lib.* 1 *pag.* 303 *et sequente sic ex Schradero refert :* POST JESU CHRISTI RESURRECTIONEM ET AD CŒLOS ASCENSIONEM ANNO VIGESIMO, BEATUS PETRUS APOSTOLUS NEAPOLIM VENIENS PRIMA JECIT FUNDAMENTA PRÆSENTIS EC- F CLESIÆ AB EODEM NUNCUPATÆ, ET AD MEMORIAM POSTERORUM EXSTABAT TITULUS MARMOREO LAPIDE INSCRIPTUS, QUI, EXERCITU BARBARICO NEAPOLITANUM AGRUM PERVAGANTE, INTERCEPTUS EST. *Deinde alio charactere ibidem ex eodem Schradero hæc addit :* Idem Apostolorum princeps eamdem ecclesiam per se ipsum consecravit, et in hujus dedicationis memoriam exstat lapis marmoreus Græcis litteris exsculptus, qui in dextro cornu altaris majoris cernitur. *Caracciolus in sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 3, *sect.* 6 *de utroque hoc lapide mentionem facit. Nolo hic operose inquirere, in quem annum æræ vulgaris incidat annus ille post Christi resurrectionem et ascensionem vigesimus, cum de ea re variæ sint chronologorum sententiæ, et mihi sufficiat,* S. Asprenum *post aliquot conversionis suæ annos ab Apostolo Petro episcopum Neapolitanæ urbis constitutum esse.*

73 *Franciscus Blanchinus episcopalem* S. Aspreni

Blanchinus, quem Muratorius traditioni Neapolitanæ contrarium putat,

spreni *consecrationem, ab Apostolo Petro factam, diutius differt, eamque in sua chronotaxi post annum Christi quinquagesimum sextum contigisse censet, quod etiam lubens amplector. At fortasse quispiam mirabitur, quod pro opinione mea hic allegaverim Blanchinum, cum Antonius Muratorius inter Scriptores rerum Italicarum tomo* 1 *part.* 2 *pag.* 292 *in notis ad Chronicon Joannis diaconi num.* 4, *occasione* S. Aspreni *de illo sic scribat :* Constans Neapolitanorum opinio est, primum hunc episcopum suæ civitati datum; et quidem ab Apostolo Petro; neque recens opinio. Petrus subdiaconus Neapolitanus in Vita S. Athanasii episcopi ejusdem urbis, circiter ad annum Christi DCCCLXXII hæc scribebat : BEATISSIMUS PETRUS APOSTOLORUM PRINCEPS ASPREM (sive Aspre- nam) SANCTISSIMUM INIBI ORDINAVIT EPISCOPUM. Certe non paucas Occidentis ecclesias a sancto Petro fundatas traditio antiquissima habet, atque illustriores in Italia ecclesiæ eo sua initia retulerunt. Verum longe posterius floruisse sanctum Asprenatem, contendit clarissimus vir Franciscus Blanchinius in notis ad Anastasii Bibliothecarii Vitas Romanorum Pontificum. *Quis ex hac Muratorii observatione non conjiciat, episcopatum* S. Aspreni *post mortem S. Petri a Blanchino differri, ab eoque diserte negari,* B *quod primus episcopus Neapolitanus ab Apostolo illo consecratus fuerit ?*

opinioni nostræ favet;

74 *Attamen ea sententia Blanchino tribui non potest, nisi forte inferatur ex supradicto antistitum Neapolitanorum catalogo, quem in Prolegomenis ad tomum secundum de Vitis Romanorum Pontificum pag.* LXI *ex Ms. codice Florentino S. Marci primus edidit. Sed ex clarioribus ejusdem editoris verbis potius sequitur, ab illo traditionem Neapolitanam auctoritati istius catalogi præferri : nisi enim Blanchinus sibi contradixerit, traditionem Neapolitanorum de primo suo episcopo non obscure admittit, dum tomo* 2 *laudati operis sect.* 4 *in suis notis historicis ad Pontificatum S. Clementis pag.* 53 *sic scribit :* Anno igitur LVI ita promotis ad ordinem episcopalem Lino et Cleto, Petrus modo ad Orientales, modo ad Occidentales imperii provincias fide imbuendas Roma profectus, fun- C damenta ecclesiarum jaciebat, et episcopos in compluribus statuebat, præsertim eos in Occidentalibus, quos in notis Somier ad sect. 1 supra retulimus pag. 23 col. 2 ex illarum ecclesiarum monumentis ac traditionibus recensitos.

et episcopatus Neapolitani institutionem

75 *At eximius D. Joannes Claudius Somier, gente Lotharingus et sacræ theologiæ doctor apud Blanchinum mox assignata pag.* 23 *col.* 2, *inter episcopales Occidentalium ecclesiarum sedes, quæ originem suam ab Apostolo Petro verosimilius repetunt, quasdam Italiæ civitates enumerat, iisque ibidem expresse* Neapolis *accensetur. Blanchinus eodem tomo* 2 *pag.* 18 *in Annalibus Pontificatus B. Petri, a se chronologice dispositis, hunc ipsum Somierii locum jam indicaverat hoc modo :* Circa hunc annum LVI æræ communis Christianæ vel paulo ante scripsit B. Petrus primam epistolam, D quam constat datam, postquam discipuli CHRISTIANI fuerant appellati, et postquam in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia ecclesiæ fundatæ fuerant, et senioribus seu presbyteris auctæ; et ante octavum Neronis annum, Marci Evangelistæ martyrio insignitum, cum ejus nomine Petrus salutet fidelium ecclesias, ad quas perscribit : inde ad annum LXV æræ communis Christianæ partim in urbe, partim per provincias Occidentis versatus et occupatus amplificandis Ecclesiæ finibus, eas præcipue sedes episcopis ornavit, quas infra enumerant notæ Somier circa finem.

ad annum Christi 57 vel 59 refert;

76 *Denique idem eruditus antiquitatis Romanæ ac Sedis Pontificiæ illustrator in sua Chronologia, Prolegomenis tomi secundi inserta, huic ecclesiarum Occidentalium institutioni distinctiora tempora assignat, quia ibi pag.* CLXXIV *ad annum Christi* 57 *hæc refert :* Petrus, constituto Lino vicario, provincias Occidentales visitat, et episcopos instituit per civitates. *Tum pagina sequente ad annum Christi* 59 *rursus ita scribit :* Petrus Apostolus Occidentales provincias peragrans, et episcopos in eis instituens dicitur, etiam penetrasse E ad Britannos, ut in notis pag. 53 ex veteribus scriptoribus a Vendelino observatis traditur. *Ex his confidenter infero, potiori Neapolitanorum traditioni Blanchinum non adversari, eumque prorsus favere opinioni meæ de episcopali* S. Aspreni *consecratione, quam ab aliquot annos ab ejus Baptismo differendam existimo.*

quam chronologiam libenter admittimus.

77 *Quare libenter in hac re chronologiam Blanchini sequar : sive enim* S. Asprenus *aliquot annis post suam conversionem ab Apostolo Petro episcopus Neapolitanus ordinatus fuerit anno Christi* 54, *ut supra num.* 70 *ex monumentis Neapolitanis conjiciebam, sive id juxta chronotaxim Blanchini factum fuerit anno Christi* 57 *vel* 59, *postquam haud dubie insignia Christianæ constantiæ ac sanctitatis documenta dederat, nihil mea interest, et semper inviolata manet lex Apostoli Pauli, qua neophytus ad episcopatum evehi prohibetur. Præterea in hoc systemate facilius vitatur difficultas, quæ circa grandævam* S. Aspreni *ætatem moveri posset ex catalogo Florentino, in quo usque ad Pontificatum S. Alexandri vixisse dicitur : nam si* F *anno Christi* 57 *vel* 59 S. Asprenus *quadragenarius ab Apostolo Petro ad episcopatum Neapolitanum promotus fuerit, ineuntem S. Alexandri Pontificatum videre potuit, et circiter nonagenarius ex hac vita discessit. Adde, in hac opinione conservari integram auctoritatem Petri subdiaconi Neapolitani, vel scriptoris anonymi, qui seculo* IX *in Actis S. Athanasii tempus hujus consecrationis non exprimit; sed tantummodo testatur,* S. Asprenum *ab Apostolorum Principe ordinatum fuisse episcopum civitatis Neapolitanæ. Quod si tamen hæc sententia mea Neapolitanis displiceat, eruditi eorum scriptores aliam probabiliorem suggerant, ac solidis argumentis confirment.*

DE

A D

DE S. HERMELLO MARTYRE

CONSTANTINOPOLI.

P. B.

Ex Martyrologiis.

III AUGUSTI. Martyrem hunc annuntiat hoc die *Martyrologium Romanum his verbis :* Constantinopoli, natalis sancti Hermelli martyris. *Consonant Usuardus, Ado, Martyrologium Romanum parvum seculi octavi. At Hieronymiana exemplaria et Sancti nomen varie inflectunt, et locum certaminis vel nullum exprimunt, vel diversum ab urbe Constantinopolitana. Nam Epternacense vetustissimum sic habet :* Constantinopoli, depositio Metropoli episcopi, et ALIBI Hermilæ martyris ; *Corbeiense :* III Non. B Augusti sancti Metrophili episcopi, et Hermeli martyris ; *Ms. reginæ Sueciæ :* III Non. Aug. sancti Metrophili episcopi, et Hermeti martyris; *Augustanum :* III Non. Aug. Euphronii, Ermoli martyris ; *Labbeanum :* Augustoduni, Eufronii, Hermoli martyris. *Adde nullum apud Græcos istiusmodi nominis Martyrem hoc die celebrari. Hermylos quidem martyres Menæa duos agnoscunt; sed alterum cum socio Stratonico die* XIII *Januarii et* I *Junii, altarum cum Phoca die* XVIII *Decembris; neutrum Constantinopoli passum, neutrum incomitatum, ut est hic noster; quem proinde videntur ignorare Constantinopolitani recentiores ; id quod certius posset affirmari, si satis antiquum sciretur esse, quod hoc die in Florario Sanctorum Ms. sic legitur :* Constantinopoli sancti Hermelli martyris : hic Vir sanctissimus numquam a sanctorum communione Mysteriorum, et ab Ecclesiæ oratione discessit ; solitariam ducens vitam, diversas in desertis locis habebat cellulas, E in quibus virtutum operabatur insignia. *Verum istud elogium in hoc solo seculi decimi quinti propemodum exeuntis monumento reperimus : alibi prorsus nihil; ut nihil quoque de illo præter nomen et cultum reperisse olim se fatetur Petrus de Natalibus in Catalogo, lib.* 2, *cap.* 130. *Idcirco pedem sistimus non sperantes aliud de eo repertum iri.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

SUB ABENNER PASSIS

IN INDIA.

P. B.

Ex Martyrologio Romano.

C F

III AUGUSTI. N*ullis Fastis sive Græcis, sive Latinis Martyres hosce consignatos invenimus ante reformatum Romanum Martyrologium, in quo ad* III *Nonas Augusti sic annuntiantur :* Apud Indos, Persis finitimos, passio Sanctorum monachorum, et aliorum fidelium, quos Abenner rex, persequens Ecclesiam Dei, diversis afflictos suppliciis cædi jussit. *Fontem annuntiationis hujus unicum in annotatis hunc indicat Baronius :* De his scribit S. Joannes Damascenus in Vita SS. Barlaham et Josaphat. *Hinc opinatus est Rosweydus noster in Vitis Patrum pag.* 340, *notatione* 13 *in Vitam SS. Barlaam et Josaphat, hic in Martyrologio Romano designari Martyres illos decem et septem, quorum ibi Acta describuntur cap.* 22 *et* 23 *: atqui hi omnes monachi fuere ; et Martyrologium commemorat passionem* sanctorum monachorum, et aliorum fidelium : *prudenter ergo subjungit ibidem Rosweydus :* Nisi in Martyrologio intelligantur ii, de quibus supra in hac Vita, cap. 1. *Ibi nimirum agitur non de solis* monachis, *sed etiam de* aliis fidelibus *in Abennerica persecutione martyrii palmam consecutis. Imo vero et hos et illos, et alios omnino omnes, de quorum adversus impia ejusdem tyrannidis edicta certamine Vita illa cum locis productis, tum cap.* 4, *et* 26 *meminit, recitato jam textu comprehendi verisimillimum est : cum ad omnes possit extendi, nec latissimum sensum res ulla coerceat. Ceterum quæ de Martyribus nostris laudata Vita recenset, assignasse satis habui : est enim ea in manibus omnium ; et recudi in hoc Opere discutique tota debebit ad diem, qui SS. Barlaamo et Josaphato sacer est,* XXVII *Novembris.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

DIOGENE ET STEPHANO,

ET FORTE ALBINO

P. B.

ROMÆ.

Ex Martyrologiis.

III AUGUSTI.

Binos hosce Martyres, aliunde prosus ignotos, varia nobis hoc die Martyrologia proferunt, et pleraque quidem ut Romæ simul passos. Sic enim habent Hieronymiana apud Florentinium exemplaria, Lucense : Romæ, natalis sanctorum Diogenis, Stephani : Suecicum : Romæ, natalis SS. Diogenis et Stephani ; Corbeiense : Romæ natalis SS. Erogenis (corrupte opinor) et Stephani martyrum. Inter contracta vero ejusdem Martyrologii exemplaria, a nobis edita, eosdem, sed sine positione seu loco martyrii, conjungunt Augustanum et Labbeanum, quorum illud pro Diogenis, habet Droigenis, et ambobus addit Albinum, nescio quem. Auctaria quoque Bedæ ac Flori juxta codices Vaticanum, Atrebatensem, ac Tornacensem consentiunt ; primum his verbis : Romæ, S. Diogenis, Stephani ; his autem posteriora duo : Romæ, natalis SS. Diogenis et Stephani. Quam annuntiationem confirmant in suis Martyrologiis Notkerus, atque Maurolycus. Hæc tot veterum monumentorum concordia dubitare vix permittit, quin ambo hi Martyres eodem loco ac tempore certaverint : tametsi non desint, quæ vel utrumque vel alterum omittant, vel Diogenem absque Stephano jungant Martyribus aliis. Utrumque præterit Epternacense : nam initium hoc hodierni ejus laterculi, Antiochiæ, Stephani, quod et in Rhinoviensi legitur, vel corruptum videtur, vel, ut censet Florentinius, perperam ex tabula præcedentis diei (quod sæpe contingit) ad hodiernam ab oscitante librario translatum ; neque adeo ad nostrum hunc Stephanum, sed ad protomartyrem spectat, non secus atque id, quod refert apographum Richenoviense : In Ancona, Stephani. Solum Diogenem habent Blumianum apud Florentinium, sed male scriptum Dragens ; item Autissiodorense apud Martenium ; et inter auctaria Bedana exemplar S. Cyriaci, Drogentum nominans ; inter Usuardina vero, Vaticanum. Diogenem denique absque Stephano ; sed junctum aliis sic exhibent exemplaria Rhinoviense et Richenoviense a nobis edita : Romæ, Diogenis, Justini, Crescentionis. Sed hi socii non huc, sed ad sequentis diei laterculum pertinent ; ut vide apud Florentinium.

DE S. DALMATO VEL DALMATIO ARCHIMANDRITA,

ET S. FAUSTO, EJUS FILIO AC MONACHO

G. C.

CONSTANTINOPOLI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Verosimilior venerationis dies, antiquus cultus, duplex Actorum compendium, et nonnulla S. Dalmatii elogia.

CIRCA ANNUM CCCCXL.

In plerisque Actorum apographis,

Dubitare hic quispiam possit, an prior iste Sanctus retrahendus non fuisset ad diem præcedentem, quia in fine Actorum ejus, quæ huic Commentario Latine subjiciemus, leguntur sequentia : Celebratur memoria sancti patris nostri Dalmatii secunda mensis Augusti die, tertia autem tumulatur. At in Actis Græcis, quæ ex bibliotheca Vaticana accepimus, post narratam S. Dalmatii mortem, in fine sic notatur : Ἡ δὲ μνήμη αὐτοῦ ἐπιτελεῖται μηνὶ Αὐγούστου τριτῃ. Hoc est : Memoria ipsius celebratur mense Augusto, tertia die. His adde Græcum Actorum compendium, ex bibliotheca Cæsarea excerptum, de quo postea agemus, et cui inseruntur hæc verba : Ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Δαλμάτος ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ μηνὶ Αὐγούστῳ Γ. Id est : Sanctus pater noster Dalmatus obdormivit in pace mense Augusto III, scilicet die, quam littera numeralis γ satis clare indicat.

2 Ita-

A *et variis diversarum gentium Calendariis*

2 *Itaque potius judicavimus, Vitam* S. Dalmatii *hodie a nobis illustrandam esse, cum pleraque variorum populorum ac temporum Menologia annuam ipsius festivitatem die tertia Augusti consignent: nam in Calendario nostro Syriaco, cujus nos et Majores nostri jam sæpissime mentionem fecimus, eadem die solus* S. Dalmatius *memoratur. Armeni in duobus Sanctorum Calendariis, quæ eruditissimus Assemanus tomo* 3 *Bibliothecæ Orientalis Clementino-Vaticanæ a pag.* 645 *ex ecclesiasticis ac vernaculis eorum libris Latine contraxit, ad diem tertiam Augusti ibidem pag.* 647 *et* 652 *etiam de solo* S. Dalmatio *meminerunt.*

Sanctus noster cum aliis celebratur

3 *Menologium Basilii imperatoris, quod seculo* x *collectum est, alios duos Sanctos huic* Dalmatio *ita adjungit:* Eodem mense *(nimirum Augusto, quem in hoc tomo ex codice manuscripto Cryptæ Ferratæ Græce edidimus)* die tertia, memoria sanctorum Dalmatii, et Fausti et Isacii. *De* S. Fausto *nihil singulariter memoriæ proditum est, nisi quod cum patre suo* Dalmatio *monasterium ingressus fuerit, et in ea virtutum palæstra strenue certaverit. Nihilominus propter consensum variorum Menologiorum* B *quæ* S. Faustum *hac die annuntiant, illum Patri suo in titulo adjunximus, licet ignoremus, quo die aut anno obierit. De Isacio autem sive Isaacio ad diem* xxx *Maii seu tomo* VII *istius mensis a pag.* 246 *jam pridem in Opere nostro egimus.*

tertio Nonas Augusti,

4 *Molanus in Additionibus Usuardinis, Lovanii anno* 1573 *excusis, tertio Nonas Augusti eosdem tres Sanctos ex alio quodam Calendario Græco sic refert:* Die tertia sanctorum patrum Isaacii, Dalmati, et Fausti. *Impressa Græcorum Menæa post solenne horum trium Sanctorum Officium, et similem eorum annuntiationem, subdunt versiculum, qui in nostris Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum* I *Maii pag.* XXXVII *etiam exhibetur, et quo dies venerationis diserte exprimitur ad hunc modum:*

Δαλμάτος, Ἰσάκιος τριτάτῃ θάνε ἠδέ τε Φαῦστος.
Tertia Dalmatio, Fausto, Isacioque suprema est.

Eodem die tres illi in figurato Moscorum Augusto ibidem cum sanctitatis indiciis depicti cernuntur. In Menologio Slavo-Russico, quod nobilissimus baro C *de Sparwenfeld nobis Latine interpretatus est, tertia Augusti celebratur memoria* beatissimi patris nostri Isaacii, Dalmati, et Fausti; *ac deinde adduntur sequentia:* Isaacius fuit anno CCCLXXVIII, qui Valenti mortem prædixit eunti in bellum. Dalmatus et Faustus sub Valentiniano et Theodosio. *Hæc variarum nationum ecclesiastica monumenta simul probant celebrem ac immemorabilem horum Sanctorum cultum, cui aliunde nihil obstat, ut infra ex Actis longioribus patebit, et jam in duplici Actorum compendio videbimus.*

quo die etiam in Menologio Basiliano,

5 *In Menologio Basiliano ad diem tertiam Augusti occurrit prima Actorum synopsis, quam ex Ms. Græco sic Latine interpretor:* Cum sanctus Isacius sese prius in eremo exercuisset, domitis corporis sui passionibus, victisque dæmonibus, postmodum divina providentia discessit Constantinopolim, et constitutus in quodam urbis monasterio, quod nomine Dalmati nunc appellatur, virtute ac doctrina sua multis persuasit, ut mundum relinquerent, monachi fierent, ac salvarentur. Inter hos erant Dalmatus et Faustus filius ejus: cum enim ille militaret sub imperio Theodosii, die quadam abiens accessit ad Sanctum, cujus conversatione gustata, reliquit uxorem ac liberos, assumptoque secum solo filio suo Fausto, rediit ad illum, et monachus factus etiam filium suum totondit. Sic vero in monastica palæstra certabant, ut celebres facti sint apud imperatores ac senatum, et clari diversis miraculis, quæ ad gloriam Dei patraverant, post mortem Isacii ex hac vita migraverint. AUCTORE G. C.

ex quo Tillemontius convincitur erroris,

6 *Tillemontius tomo* 5 *Hist. Imperat. pag.* 703 *et sequentibus Acta S. Isacii, quæ ad diem* XXX *Maii illustravimus, variis ratiunculis impugnat, et ibidem pag.* 705 *præter morem suum nimis confidenter asserit, in Menologio Basiliano de nullis S. Isacii discipulis mentionem fieri, et ex hoc capite auctoritatem illorum Actorum etiam diminuere conatur. Si eruditus ille criticus distinxisset tempora, ac totum Basilii imperatoris Menologium pervolvere potuisset, certe ab hoc argumento negativo abstinuisset; etsi enim Menologium istud die* XXX *Maii tacuerit de discipulis, a sancto Isacio institutis, tamen hac die illam discipulorum institutionem aperte commemorat, ut ex numero præcedente liquet. Ceterum non est hujus loci operosius examinare alias difficultates, quas Tillemontius, loco citato, hisce S. Isacii Actis opponit, cum* E *forsan postmodum invenienda sit opportunior occasio, qua vel commentarius noster juxta crisim Tillemontii corrigatur, vel Acta illa ab argumentis ejus vindicentur.*

et in Menæis excusis

7 *His obiter notatis, pergimus ad alterum Actorum compendium, quod hac die in excusis Græcorum Menæis legitur, et quod ex Græco sic Latinum reddo:* Hic sanctus Dalmatus militabat in secunda cohorte sub Theodosio imperatore, et pie juxta Dei nutum vivebat. Propter Deum vero relinquens uxorem ac liberos, soloque Fausto filio secum assumpto, venit ad sanctum Isacium, apud quem monasticam vitam amplexus est, et ad summum virtutum apicem evasit. Admirandus ille Isacius a teneris annis vitam solitariam egit, et omnes virtutum gradus ascendens summa eloquentia et morum elegantia splendebat. Hic Valenti imperatori, ad Scythicum bellum proficiscenti, occurrens dixit: Aperi, imperator, ecclesias Catholicorum, et victor ex prælio redibis. At imperator minime persuasus, et ira excandescens ait: Ubi reversus fuero, rationem horum abs te exigam. Sanctus ei respondit: Si reversus fueris, non est in me dominus Deus; prælium F enim committes, et in conspectu inimicorum tuorum fugies, vivusque igne absumeris. Hoc autem re ipsa sic evenit; dum in palatio clausus conflagravit.

compendium Actorum refertur.

8 Isacius e vita migraturus sanctum Dalmatum sibi abbatem subrogavit, Attico tunc Constantinopolitanam ecclesiam gubernante. Cum Dalmatus antea sese in vita ascetica exercuisset, et quadraginta diebus jejunus permansisset, atque aliis totidem in extasin raptus fuisset, magnam venerationem obtinuit apud imperatores, senatum, et Patres in Ephesina synodo congregatos, qui ipsum constituerunt archimandritam, et successores ejus ad perpetuum monastici ordinis principatum evexerunt. Cum autem obdormisset in Domino, sepultus est in suo monasterio. *De parachronismo, quo* S. Dalmatius *hic S. Isacio in munere abbatis successisse dicitur, et de loco sepulturæ, qui ab Actis discrepat, postea agemus. Interim alia* S. Dalmatii *elogia colligemus.*

9 *Etiamsi hic Sanctus in Martyrologio Romano non celebretur, tamen Cardinalis Baronius occasione*

alte-

AUCTORE G. C.

Licet non sit insertus Martyrologio Romano, tamen a Baronio sanctus appellatur,

alterius S. Dalmatii episcopi, die v *Decembris in notis ad istud Martyrologium de nostro* Dalmatio *sic honorifice meminit :* Fuit ejusdem nominis, et fidei Catholicæ defensione celebris Dalmatius archimandrita Constantinopoli, tempore concilii Ephesini, de quo Cyrillus ad Potamium, et Acta Ephesina sæpe. *Forte eminentissimus scriptor hunc* Dalmatium *Martyrologio Romano non inseruit, quia non invenitur in Menologio Sirletiano, ex quo Sanctos ecclesiæ Græcæ alias excerpere consuevit. At quacumque sit hujus omissionis causa, ipsemet in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 431 *num.* 113 Dalmatium *nostrum titulo* sancti *appellat, eumque inter alios strenuos Catholicæ fidei defensores ita laudat :* Erant horum præcipui Comarius, Potamon, atque Dalmatius ; in quo quidem conserendo certamine virtus in primis enituit sancti Dalmatii, spectatissimi sanctitate viri, quem eximiæ probitatis ergo convenire imperator Theodosius ipse aliquando consueverat, ab eo salutis monita excepturus : hic enim in meditullio licet celeberrimæ urbis, montium solitudinem sibi paraverat, cum e loco numquam pedem extulerit,
B
nempe usque ad tempora concilii Ephesini, ut ex infra dicendis apparebit.

et magnam sanctitatis famam obtinuit hic Dalmatius

10 *Nunc progrediamur ad synchronos* S. Dalmatii *laudatores, qui in Actis Ephesinis apud Labbeum tomo* 3 *Conciliorum col.* 751 *sic scribunt :* Confestim omnes archimandritæ, monachorum catervis stipati exsurgunt, hymnosque et psalmos alternantes, ad regiam contendunt. Erat autem inter alios archimandritas sanctus Dalmatius, qui annos quadraginta octo reclusus, extra monasterii sui septa numquam pedem extulerat. Piissimus vero imperator accedens eum visebat, et cum ob frequentes terræ motus, Constantinopolim concutientes, crebris piissimi imperatoris nostri precibus ad exitum communemque aliorum supplicationem jam antea provocatus sæpe fuisset, numquam tamen adduci potuit, ut exiret, vel ad supplicationem se conferret. Ceterum dum in hac re quid facto opus esset, Deum precando consuleret, vox cœlitus ad eum delapsa, ut egrederetur, imperavit : noluit enim Deus gregem suum perire in finem. *Hæc aliaque simili modo inferius referentur in Vita, ita ut pars illius ex Actis concilii Ephesini desumpta videatur.*

C

apud scriptores synchronos,

11 *Quanta auctoritate* S. Dalmatius *apud imperatorem et aulicos polleret, etiam patet ex supplemento Conciliorum, quod Baluzius post Labbeum nostrum vulgavit : cum enim adhuc nonnulli memoriam Nestorii hæresiarchæ in diptychis celebrarent, Epiphanius, archidiaconus Alexandrinus et syncellus S. Cyrilli, ad tollendum istud scandalum scripsit Maximiano patriarchæ Constantinopolitano epistolam, quæ in citato supplemento col.* 907 *et sequentibus edita est, et in qua Epiphanius ille ibidem col.* 909 *inter alia remedia ad commemorationem istam impediendam unum suggerit his verbis :* Dominum meum sanctissimum Dalmatium abbatem roga, ut et imperatori mandet, terribili eum conjuratione constringens, et ut cubicularios omnes ita constringat, ne illius *(Nestorii scilicet)* memoria ulterius fiat.

inter quos S. Proclus ipsum magni faciebat.

12 *Denique quanti eumdem* Dalmatium *faceret S. Proclus, antistes Constantinopolitanus, satis colligitur ex litteris ejus, quæ apud Labbeum nostrum tomo* 5 *Conciliorum a col.* 511 *recitantur, et in quibus sanctus ille Præsul ad Joannem Antiochenum post alia ibidem col.* 513 *sic scribit :* Cognosce enim, religiosissime, quod non alii cuidam gratificabitur memoratus episcopus Ibas, obsecundans præsenti epistolæ, quantum sibi ipsi : habebit D
enim non solum eos, qui nunc de ipso dubitant, mirantes eum ; sed enim etiam sanctissimum nostrum patrem presbyterum et archimandritam Dalmatium nimium honorantem et mirantem, si videat sapientem ea, quæ piæ fidei sunt. Modo enim, utpote super aliis eo vulgato, memoratus sanctissimus propter caritatem non mediocriter laceratur, quod ii, qui debent in divinioribus prædicare *, in adversis accusantur, sive zelo dicentium, sive invidia criminantium. *Hæc ad Sancti nostri cultum ac laudem dicta sufficiant ; nunc de Actis sermonem faciamus.*

* *alias* prædicari

§ II. Varia Actorum exemplaria, et eorum auctoritas.

Acta S. Dalmatii,

H*abemus duo Mss. Græca Actorum ecgrapha, quorum primum accepimus ex codice* 1671 *bibliothecæ Vaticanæ, cui præfigitur hic titulus :* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δαλμάτου. *Hoc* E
est : Vita et conversatio sancti patris nostri Dalmati. *Deinde Acta sic incipiunt :* Ὅυτος ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Δαλμάτος ἦν εὐσεβῶς ζῶν, ἐν στρατείᾳ τε καταλεγόμενος τῆς δευτέρας σχολῆς. *Hoc est :* Iste sanctus pater noster Dalmatus pie vivebat, in militiam secundæ cohortis adscitus. *Tum Vita Sancti satis copiose narratur, eique inseruntur epistolæ, quas* S. Dalmatius *ab Ephesina synodo accepit, et quas ad eamdem synodum scripsit. Porro suspicionem, quam Garnerius noster de interpolatione unius epistolæ movet, postea examinabimus. Primo decreveram, hoc Ms. Græcum ex codice Vaticano simul cum interpretatione nostra edere ; sed postea judicavi, hunc laborem fore inutilem, quandoquidem Anselmus Bandurus tomo* 2 *Imperii Orientalis a pag.* 697 *similia Acta cum iisdem epistolis Græco-Latine vulgavit ex Ms. codice San-Germanensi, de quo infra agemus.*

quorum duo alia apographa Græca habemus,

14 *Alterum apographum desumptum est ex codice Græco Bibliothecæ Cesareæ, quem Lambecius lib.* 8 *Bibl. Cæs. pag.* 100 *sic recenset :* Decimus quartus codex manuscriptus historicus Græcus est, membranaceus pervetustus, elegans et optimæ notæ in folio ; sed injuria temporis aliquot F
foliis in fine mutilus, constatque nunc foliis trecentis ac tredecim paginatim in binas columnas divisis, et ab Augerio Busbeckio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim fuit comparatus Constantinopoli. *In hoc codice a fol.* 41 *legitur Vita* S. Dalmati, *de qua Lambecius ibidem pag.* 102 *meminit, et quæ in compendium redacta est, omissis supradictis epistolis, ut satis patet ex ipso titulo, qui sic habet :* Βίος ἐν συντόμῳ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δαλμάτου. *Id est :* Vita compendiaria sancti patris nostri Dalmati. *Quamvis hoc compendium circa narrationis substantiam cum Actis nostris consentire videatur, nihilominus illud cum aliis conferemus, et lectorem monebimus, si quid in eo diversum ac notatu dignum occurrerit.*

Bandurus ex codice Sancti Germani a Pratis Græco-Latine edidit.

15 *Præterea Bandurus Vitam* S. Dalmatii *antea ineditam typis vulgavit ex codice Ms. bibliothecæ sancti Germani a Pratis, quem tomo* 2 *Imperii Orientalis pag.* 647 *sic describit :* Codex hic Ms. membranaceus continens Vitas Sanctorum mensis Augusti, ex quo hanc narrationem exscripsimus, initio mutilus est, et nono seculo, ut aiunt, exaratus manu cujusdam Stephani elegantissima,

A tissima. Hunc quidem codicem paucis abhinc annis comparavit doctissimus, nostrique amantissimus, R. P. Bernardus de Montfaucon a quodam presbytero Græco, ac Vitarum, quæ in eo continentur, catalogum idem vir eruditissimus diligentissime contexuit, quem quidem catalogum, rem gratam eruditis me facturum existimans, hic exscribere non gravabor. *Tum subnectit singulos titulos, et Actorum initia Græce recenset. Nos hæc* S. Dalmatii *Acta post hunc commentarium prævium Latine recudemus. Quod si subinde non placeat interpretatio Banduri, aut inter hæc Acta et Mss. nostra Græca occurrat quædam majoris momenti discrepantia, ea omnia in Annotatis observabimus.*

Fragmentum quoddam hisce Actis insertum,

16 *Nunc disserendum est de quodam fragmento epistolæ, ab Ephesina synodo ad* S. Dalmatium *missæ, quod infra in Actis num.* 30 *sic legitur :* Itaque sancimus, dominum Dalmatium, et qui post ipsum gubernaturi sunt sacrum ejus monasterium, esse principes sacrorum monasteriorum, nunc existentium et in posterum Constantinopoli futurorum; cum certo sciamus, illum et magi-
B strum et studiosum fidei esse, et regendis monasteriis apprime idoneum. Similiter et Cœlestinus sanctissimus Papa Romanus scribens sanctæ Ephesinæ synodo ait : Habetis illic hegumenum Dalmatium vobis opitulantem, ut Deo dignum est; sic enim de ipso didicimus, et accepimus, laudatum virum nefarii Nestorii fidem prænovisse. Et sancimus et monemus sanctam synodum, ut prædictum sanctum Dalmatium præficiat omnibus monasteriis, quæ in regia urbe sunt, principem; neque id quidem immerito : quippe cum eadem, quæ nos, mala ac certamina tolerarit. Istæc sancivit sancta synodus. Si quis igitur sanctæ synodi edictum labefactare voluerit, res illi cum Deo sit, qui judicaturus est vivos et mortuos in infinita secula seculorum. Amen. *Plane similia in Ms. nostro Vaticano Græce leguntur.*

quod Garnerius noster rejecit,

17 *Garnerius noster in Præfatione ad partem posteriorem operum Marii Mercatoris pag.* 38 *ex Ms. Vaticano eamdem concilii Ephesini epistolam edidit, et ibidem de omisso hujus epistolæ fragmento lectorem ita præmonet :* In eodem codice Vati-
C cano reperitur synodi responsum ad Dalmatium; breve illud quidem, si per se ipsum spectetur, sed cui insertum sit quoddam velut parergon de summa monasteriorum urbis regiæ præfectura Dalmatio collata, quod spernendum putavi propter *ἀνιστορησίαν*. *Baluzius et Harduinus ex interpretatione Garnerii eamdem epistolam sic mutilam conciliis suis inseruerunt. Jam nobis examinandum est, an Garnerius fragmentum istud propter assignatam rationem recte prætermiserit.*

non pugnat cum historia;

18 *Non videtur hæc summa monasteriorum præfectura (hactenus non disputo, an* S. Dalmatius *eam ab Ephesino concilio acceperit) cum historia pugnare : nam S. Cyrillus apud Labbeum tomo* 3 *Conciliorum col.* 549 *epistolam suam inscribit* Comario et Potamioni episcopis, et domino Dalmatio monasteriorum archimandritæ, *etc. Quinimo ipse Sanctus noster hunc titulum sibi tribuit, dum ibidem apud Labbeum col.* 755 *epistolæ, a clero Constantinopolitano ad synodum Ephesinam missæ, sic subscribit :* Dalmatius presbyter et archimandrita, monasteriorum pater. *Præterea Marianus abbas monasterii, quod a Sancto nostro nomen obtinuit, apud eumdem Labbeum tomo* 5 *Conciliorum col.* 130 *hanc summam monasteriorum præfecturam suc-*

AUCTORE G. C.

cessoribus S. Dalmatii *conservatam fuisse, satis indicat, concilio Constantinopolitano ante alios abbates ita subscribens :* Marianus miseratione Dei presbyter, et archimandrita dicti monasterii sancti Dalmatii, et primas venerabilium monasteriorum hujus imperialis civitatis, subscripsi et tradidi. *Denique S. Theophanes in Chronographia pag.* 195 *meminit de morte Timothei, qui ibidem ab ipso* monasteriorum præfectus, et Dalmati monasterii privatim præpositus *appellatur.*

quamvis autem illud Banduro genuinum videatur,

19 *Hinc Bandurus tomo* 2 *Imperii Orientalis pag.* 696 *de hac Garnerii omissione sic judicat :* Non video, cur pars illa epistolæ rejicienda sit : nam si prærogativa illa, a Patribus concilii Ephesini Dalmatio ac ejus successoribus indulta, suspecta esset, acta ipsa concilii, ubi Dalmatius dicitur *πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης πατὴρ μοναστηρίων* suspecta esse deberent. *Deinde post allata quædam hujus dignitatis testimonia sic concludit :* Qua igitur ratione hanc epistolæ partem penitus omiserit Garnerius, aliis divinandum relinquimus; nos vero persuasum omnino habemus, eam epistolæ partem tam esse since- E
ram et genuinam, quam et ceteras illius partes, quæ ex eodem procul dubio fonte simul emanarunt.

et in variis Actorum ecgraphis inveniatur,

20 *Hæc Banduri sententia confirmari potest ex supradicto Bibliothecæ Cæsareæ codice, qui licet in compendio vitæ Dalmatianæ eamdem synodi Ephesinæ epistolam verbotenus non recitet, tamen de ista* S. Dalmatii *successorumque ejus prærogativa, tamquam ab Ephesino concilio concessa, circa finem Actorum sic breviter meminit :* Τότε θεσπίζεται παρὰ τῆς αὐτῆς ἁγίας συνόδου, Κελεστίνου τε τοῦ Πάπα Ῥώμης, καὶ Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας τοῦ εἶναι ἀρχιμανδρίτην αὐτόν τε τὸν ὅσιον Δαλμάτον, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν μέλλοντας μέχρις αἰῶνος κρατεῖν τὸ μοναστήριον αὐτου, καὶ τοῦ εἶναι ἐξάρχους πάντων τῶν μοναστηρίων, τῶντε νῦν ὄντων, καὶ τῶν μετὰ ταῦτα ἔσεθαι μελλόντων ἐν Κωνσταντινουπόλει. *Id est :* Tunc sancitum est ab eadem sancta synodo, Celestino Papa Romano, et Cyrillo Alexandrino, ut ipse sanctus Dalmatus archimandrita, et qui post ipsum in perpetuum præficiendi erant monasterio ejus, essent principes omnium monasteriorum, nunc exsistentium, et postea Constantinopoli futurorum. F

tamen ob rationes quasdam hic allatas,

21 *Non diffitemur, illum codicum Græcorum consensum opinioni Bandurianæ favere; at etiam fateri cogimur, fragmentum istud quodammodo importune huic epistolæ insertum esse, et cum antecedentibus ac consequentibus non satis cohærere. Hinc dubito, an judicio Banduri acquiescendum sit; imo potius suspicor, illam synodi Ephesinæ epistolam, prout in Actis nostris refertur, ab aliquo amanuensi interpolatam esse. Hanc suspicionem mihi movet altera epistola, quæ ad eamdem synodum pertinet, et cui infra in Actis num.* 27 *inseruntur sequentia :* Id autem nos optime scimus, nempe nullum alium id præter vestram sanctitatem facere posse; quippe, qui omnium monasteriorum sis princeps. *Hæc verba neque apud Labbeum tomo* 3 *Conciliorum col.* 762, *neque apud Harduinum tomo* 1 *col.* 1594 *leguntur, ubi eamdem epistolam a capite ad calcem Græco-Latine ediderunt. Adde, quod Sanctus noster appelletur* archimandritarum princeps et pater monasteriorum, *antequam illa dignitas ei ab Ephesino concilio concessa dicitur, ut ex ipso Actorum nostrorum contextu infra apparebit.*

22 *Omnibus itaque mature expensis, supradictum fra-*

AUCTORE G. C.

nobis de falsitate suspectum redditur.

fragmentum nobis de falsitate suspectum redditur : quamvis enim ille monasteriorum primatus cum historia non pugnet, tamen S. Dalmatium *illa prærogativa ab Ephesino concilio ornatum fuisse non existimamus. Forte Sanctus propter eximia virtutum merita ac miracula ab Attico aut alio præsule Constantinopolitano istud privilegium accepit. Quid si postea monachus cœnobii Dalmatiani istam privilegii concessionem synodo Ephesinæ affinxerit, ut ea dignitas monasterii sui majus robur obtineret, et ne ea umquam in controversiam vocaretur? Neque dicas, illud fragmentum in variis apographis nostris legi : nam in iisdem mors S. Isaacii nimium differtur, et imperium Theodosii cum patriarchatu S. Attici perperam conjungitur, ut infra monebimus. Porro hæc suspicio nostra augebitur, si quis antiquus codex inveniatur, in quo eadem epistola synodi Ephesinæ sine illo fragmento refertur. Interim in Vita inferius edenda uncis includemus illa fragmenta, quæ nobis videntur suspecta, aut quæ in aliis editionibus desunt, ut eruditus lector de sinceritate aut interpolatione illorum facilius possit judicare.*

B

§ III. Obscura et intricata Sancti chronotaxis utcumque explicata.

Sanctus noster militavit sub imperio Theodosii senioris,

Codex *Vaticanus et Acta post hunc Commentarium recudenda non indicant, sub quo imperatore* S. Dalmatius *militaverit. Sed codex Bibliothecæ Cæsareæ nomen illius diserte expressit ubi supradictum Vitæ Dalmatianæ compendium sic exorditur :* Οὗτος ὁ ὅσιος Δαλμάτος σχολάριος ὑπῆρχεν στρατευόμενος ἐν τῇ δευτέρᾳ σχολῇ τῶν σχολαρίων ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως. *Hoc est :* Iste sanctus Dalmatus fuit miles prætorianus in secunda cohorte custodum regii corporis sub Theodosio imperatore. *Excusa Græcorum Menæa etiam affirmant, Sanctum nostrum sub* Theodosio imperatore *militasse, ut patet ex synopsi Actorum, quam supra num.* 7 *exhibuimus. Haud dubie hic utrobique designatur Theodosius primus sive senior, qui ab anno Christi* 379 *usque ad* 395 *imperavit. At hoc diuturnum Theodosii senioris imperium non satis determinat tempora, quibus* S. Dalmatius *a profana militia ad sacram transivit. Quare videamus, an ea ex aliis monumentis præterpropter eruere non possimus.*

C

et inter annum Christi 381 et 383

24 *Græco-Latina S. Isaacii Acta, quæ ad diem* XXX *Maii edidimus, tomo* VII *istius mensis pag.* 258 *mortem hujus Sancti duplici charactere chronologico insigniunt, et determinatum obitus annum produnt hoc modo :* Vivere desiit sanctus pater et confessor Christi Isaacius mensis Maii die vigesima sexta, moderante imperium Theodosio, et filio Arcadio cæsare declarato, consulibus Miarobaudo *(is passim* Merobaudes *vocatur)* secundum et Saturnino. *At anno Christi* 383, *die* XVI *Januarii Arcadius a patre suo Theodosio consors imperii declaratus est, et eodem anno Merobaudes secundum, et Saturninus consules fuerunt, ut apud chronologos et collectores fastorum consularium licet videre. Cum itaque* S. Dalmatius *tirocinium vitæ monasticæ sub Isaacio illo posuerit, ex hoc mortis anno sequeretur, Sanctum nostrum ante annum Christi* 383 *vitæ militari nuntium remisisse, ac cum filio suo Fausto monasterium ingressum esse.*

25 *Chronologicum vitæ monasticæ exordium in Sancto nostro magis distincte assignarem, si certa essent, quæ in Actis S. Isaacii traduntur : nam Græcus hujus biographus apud nos proxime citato tomo* VII *Maii pap.* 257 *narrat, quomodo S. Isaacius post synodum Constantinopolitanam, quæ anno Christi* 381 *contra Arianos habita est, cœperit dumtaxat discipulos colligere, inter quos deinde* S. Dalmatium *recenset. Si igitur S. Isaacius anno Christi* 381 *primum discipulos congregare cœperit, ac mense Maio anni* 383 *obierit, recte infertur,* S. Dalmatium *cum filio suo inter annum* 381 *et* 383 *vitam monasticam amplexum esse.* D

videtur monasticam amplexus esse,

ut ex litteris concilii Ephesini eruitur.

26 *Hæc chronologia confirmari potest ex litteris concilii Ephesini, in quibus apud Garnerium nostrum loco supra citato pag.* XXXIX *legimus, sanctum nostrum* urgente fidei zelo, post quadraginta et octo annos egressum ex sua cellula, ivisse ad piissimum et Christianissimum imperatorem, eumque docuisse omnia, quæ consecuta sunt, quæque effecta a sancta synodo pro depositione impii Nestorii. *Cum autem id contigerit anno Christi* 431, *ut ex historia constat, ab illo tempore retrorsum numerandi sunt quadraginta et octo anni, quibus* S. Dalmatius *in monasterio permansit. Hoc computo facto, perveniemus usque ad annum Christi* 383, *inter quem, et annum* 431 *quadraginta et octo anni effluxerunt, ut calculos subducere volenti apparebit. Ex his omnibus saltem probabiliter concludimus, tirocinium monasticum Sancti nostri anno* 382 *vel* 383 *alligandum esse.* E

Certum præfecturæ monasticæ initium in Sancto nostro pendet a morte S. Isaacii,

27 *Sed aliunde oritur inextricabilis difficultas circa tempus præfecturæ monasticæ, quam* S. Dalmatius *post obitum S. Isaacii accepit : si enim credimus duobus characteribus chronologicis, quos supradictus biographus Græcus expressit, mors S. Isaacii certe anno Christi* 383 *consignanda est, post quam* S. Dalmatius *statim ei in munere hegumeni seu abbatis successit. Quod si Actis infra dandis fidem adhibere malumus, eadem S. Isacii mors, et consequenter monastica* S. Dalmatii *præfectura, ultra annum Christi* 406 *differenda erit : nam ibi num.* 4 *et sequentibus narrantur mira quædam* S. Dalmatii *gesta, dum S. Isaacius adhuc vivebat, et quando S. Atticus ecclesiam Constantinopolitanam gubernabat. Ut vero lector hanc difficultatem clarius percipiat, fragmenta utriusque Vitæ hic inter se conferemus.*

quam biographus hujus anno 383 affigit,

28 *Græcus S. Isaacii biographus apud nos tomo* VII *Maii pag.* 257 *de imminente ejus obitu sic scribit :* Ceterum cum præclaræ senectutis annos jam ingressus, et plenus esset dierum, ad vitæ suæ terminum appropinquare cœpit. Convocatis igitur cunctis, quorum spirituali profectui intendebat, discipulis, multa ad eos usus admonitione, ut in Dominicæ fidei petra firmi atque immobiles persisterent, Deoque misericordiarum Patri ipsos commendavit. Electo deinde ex universis uno aliquo, cui Dalmatio nomen, ferventissimæ fidei viro, et virtutum Isaacii imitatori egregio, novum suis moderatorem suffecit. *Tum pagina sequente post narratam S. Isaacii mortem hæc addit :* Postero mane civitas universa cum sanctissimo suo archiepiscopo Nectario, et omni clero, non sine psalmis et hymnis spiritualibus, ad ipsum usque sepulcrum extulerunt defunctum. *Porro Nectarius, qui hic S. Isaacii exsequiis interfuisse dicitur, ab anno Christi* 381 *usque ad annum* 399 *ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit ; ut in Tractatu de præsulibus Constantinopolitanis ante hunc tomum ostendimus.* F

29 *Auctor Vitæ Dalmatianæ in tempore et modo ab his Actis discrepat, dum in Ms. Vaticano mortem S. Isaacii et electionem* S. Dalmatii *ita*

Græce

A

et quam Acta nostra differunt usque ad tempora S. Attici patriarchæ CP.,

Græce narrat : Μετὰ δὲ χρόνον τινὰ ἐκοιμήθη ὁ ἐν ἁγίοις Ἰσαάκιος · ἐλθόντος οὖν τοῦ ἐπισκόπου Ἀττικοῦ ἐν τῇ μονῇ καὶ ἐρωτῶντος τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ τοὺς λοιποὺς μοναχοὺς, τίνα βούλονται γενέσθαι ἡγούμενον, πάντες ὁμοθυμαδὸν εἶπον, τὸν κύριν Δαλμάτιον, ὃν καὶ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο ἑαυτῷ εἰς ἡγούμενον. Οὕτως κατέστη ἡγούμενος ἐκ Θεοῦ, καὶ ἐπισκόπου Ἀττικοῦ, τοῦ καὶ χειροτονήσαντος αὐτόν. *Hæc ita explico :* Post aliquod autem tempus mortuus est sanctus Isaacius. Veniens igitur episcopus Atticus in monasterium, et interrogans presbyteros et reliquos monachos, quem vellent fieri hegumenum, omnes unanimiter dixerunt : Dominum Dalmatium, quem etiam Deus elegit sibi hegumenum. Sic constitutus est hegumenus per Deum, et episcopum Atticum, qui ipsum ordinavit. *Similia in codice Bibliothecæ Cæsareæ breviter referuntur, et eadem in Actis nostris infra num.* 6 *recurrent. His adde excusa Græcorum Menæa, quæ mortem S. Isaacii sub patriarchatu Attici etiam collocant, ut supra ex num.* 8 *liquet. Ceterum adverte, Atticum ab anno* 406 *usque ad* 425 *in cathedra Constantinopolitana sedisse, sicut in jam proxime citato præsulum Constantinopolitanorum Tractatu probavimus.*

B

(pro quo forsan legendus est Nectarius)

30 *Non videmus, quomodo hæc utriusque Sancti Acta inter se conciliari possint, et ignoramus, uter biographus majorem fidem mereatur. Cum brevior S. Isaacii Vita vix notet ulla certa rerum gestarum tempora, suspicari quispiam posset, postmodum in Actis longioribus ab aliquo chronologiæ ignaro erroneos temporum characteres additos fuisse. At eodem fundamento suspicari possemus, quod auctor Vitæ Dalmatianæ Atticum pro Nectario perperam posuerit, atque ita is error ex uno codice ad alterum transierit. Hoc autem tanto facilius fieri potuit, quod forsan in antiquioribus* S. Dalmatii *Actis patriarcha Constantinopolitanus, sub quo S. Isaacius obiit, nominatim non exprimeretur.*

et patriarchatum S. Attici

31 *Certe hic biographus hallucinatur, dum in iisdem Actis post miram* S. Dalmatii *ecstasin, num.* 5 *narrat sequentia :* Sane vero charitas Dei inter sanctos Isacium et Dalmatium multum accrevit, qui Christo Deo gratias semper agebant. Hæc dum miraretur hegumenus, omnesque fratres, ea fama per totam urbem emanavit, et ad sanctissimum episcopum Atticum; imo etiam ad ipsum imperatorem Theodosium perlata est; qui cum eo accessissent, atque hujuscemodi miraculum audissent, admiratione capti, Deum laudibus celebrarunt. Aliquo deinde tempore elapso obiit sanctus Isacius.

C

cum imperio Theodosii conjungunt.

32 *Videtur hoc loco indicare Theodosium seniorem, sub quo* S. Dalmatius *militaverat. At ille anno Christi* 395 *ex hac vita migravit, et S. Atticus anno* 406 *dumtaxat ad cathedram Constantinopolitanam evectus est. Quomodo igitur potuit imperium Theodosii istius cum patriarchatu S. Attici conjungere? Si quis forte velit, hic intelligi posse Theodosium juniorem, qui anno Christi* 401 *primum natus est, oportebit mortem S. Isaacii differre usque ad exeuntem S. Attici patriarchatum, quod nullo modo fit verisimile. Interim nihil definimus; sed hanc præfecturæ Dalmatianæ epocham in medio relinquimus, et eruditis antiquitatum investigatoribus proponimus nodum illum chronologicum, qui fortasse ex monumentis alicunde eruendis dissolvetur.*

Etsi S. Dalmatii certum mortis tempus assignari non possit,

33 *Jam transilimus ad felicem* S. Dalmatii *mortem, cui tamen certum annum assignare non possumus. Omnia Actorum nostrorum exemplaria consentiunt, Sanctum nostrum sub patriarchatu S. Procli mortuum esse, et hunc præsulem Constantinopolitanum honorificis illius exsequiis adfuisse. Sed cum S. Proclus ab anno Christi* 434 *usque ad annum* 446 *vel* 447 *in cathedra Constantinopolitana splenduerit, iterum in nimis vago temporis intervallo hæremus. Attamen latum istud plurium annorum spatium nonnihil restringi potest ex epistola, quam S. Proclus ad Joannem Antiochenum dedit, et in qua de* S. Dalmatio *adhuc vivente meminit, ut patet ex fragmento ejusdem epistolæ, quod supra num.* 12 *recitavimus.*

tamen colligimus, quod inter annum Christi 438 et 446

34 *Tillemontius tomo* 14 *Monument. eccles. pag.* 631 *et sequente, hanc S. Procli epistolam ad annum Christi* 437 *refert, a qua chronologia Vincentius Riccardus in Vita S. Procli pag.* 36 *non abhorret. Nos juxta hanc sententiam concludimus,* S. Dalmatium *inter annum Christi* 438 *et* 446 *obiisse, et propterea initio hujus commentarii in margine mortem ejus* CIRCA ANNUM CCCCXL *collocavimus, quia nescimus, quamdiu post illam S. Procli epistolam vixerit. Hinc corruit conjectura Ludovici Bulteau, qui in Historia monastica Orientis, Parisiis anno* 1687 *Gallice impressa, lib.* 3 *cap.* 21 *pag.* 501 *existimat,* S. Dalmatium *anno Christi* 433 *verosimiliter e vivis excessisse.*

E

nonagenario major obierit

35 *Ex tota hac chronotaxi sequitur, Sanctum nostrum nonagenarium fuisse, quando ad Superos migravit : si enim non diu post annum Christi* 379 *sub Theodosio seniore militaverit, et eo tempore filium habuerit, qui tunc id ætatis erat, ut post duos tresve annos una cum patre vitam monasticam amplecteretur, omnino probabile est,* S. Dalmatium *ferme quadragenarium fuisse, dum anno* 381 *vel* 382 *S. Isaacium accessit, et adhortatione hujus vitam militarem cum ascetica commutavit. Huic ætati adde quadraginta octo annos, quibus numquam e monasterio pedem extulit, ut supra ex litteris concilii Ephesini retulimus. His denique adde reliquos vitæ annos, quos ex epistola S. Procli eruimus; et facile colliges,* S. Dalmatium *nonaginta aut plures ætatis annos numerasse, antequam moreretur. His ad clariorem Actorum intelligentiam præmissis, nunc ipsam* S. Dalmatii *Vitam Latine recudimus ex editione ac interpretatione Banduri, ad quam plura in Annotatis sumus observaturi.*

F

ACTA

Quæ Anselmus Bandurus tomo 2 Imperii Orientalis a pag. 697 Græco-Latine edidit ex Ms. codice San-Germanensi, quem nos cum duobus aliis Mss. Græcis contulimus.

CAPUT I.

Sancti conversio, vita monastica, et auxilium synodo Ephesinæ latum contra hæresim Nestorii.

S. Dalmatius miles monitione S. Isacii

Sanctus hic Dalmatius piis præditus moribus, cum militiæ nomen dedisset, in secunda schola Scholarius *a* fuit. Ut audivit autem, virum Isacium *b* nomine, ab Oriente Byzantium *c* venisse,

a b c

Ex editione Banduri.

nisse, ipsum benedictionis accipiendæ causa convenit. Cum itaque ille accessisset, ad ipsius pedes se abjecit, ab eodem benedictionem postulans, et cum illo septem diebus est commoratus. Hoc decurso dierum spatio, virum adiit, et : Pater sancte, inquit, benedic mihi peccatori, ut domum revertar. Cui sanctus pater Isacius ita respondit: Benedictus sit Deus ; hic te mecum degere oportet toto vitæ meæ curriculo. Huic dominus Dalmatius : Domine, res mihi familiaris et liberi sunt. Cui respondit pater noster Isacius : Fili, Dominus ostendit mihi oportere te mecum vitam agere, quoad vixero. Scriptum est enim in sacro Evangelio : Quicumque diligit patrem, aut uxorem, aut filium, plusquam me, non est me dignus. Sciasque, hunc locum nomine tuo vocan-
d dum esse *d*.

vitam monasticam una cum filio suo amplectitur,

2 Fusis precibus, dominus Isacius, dimisit eum, ut uxori valediceret. Cujus jussu ille abiit, et cum uxori valedixisset, et eam cum re familiari sua et filia in Orientem misit ; et una cum filio suo dominus Dalmatius ad sanctum confessorem Isacium migravit, quicum vitam agebat. Quot-
B quot vero ipsos salutandi ac munera eis deferendi causa adibant, dona in manibus Dalmatii deponebant. Et sane multa eo tempore allata sunt, quæ illi captivis aliisque ad monasterium accedentibus erogarunt. Singulis quippe diebus, ne uno quidem intermisso, rogam sive eleemosynam faciebant; qui mos ad hoc usque tempus perseveravit. Hoc itaque vitæ genere una versantes, vota sua implebant ac dies omnes in jejunio ac precibus transigebant. Hinc igitur domini Dalmatii nomen monasterio inditum ad hanc usque diem manet, eo quod accedentes ad ostium fratres, ac petentes ab illis eleemosynam, id nominis intulerint, dum dicerent : Adeamus dominum Dalmatium ; ipse namque ex Dei largitionibus habet, unde alimenta nobis subministret : atque inde nomen ejus per universum terrarum orbem celeberrimum evasit.

et inter egregia instituti istius exercitia

3 Hoc igitur institutum, atque hanc vivendi normam pro tradita sibi a Deo gratia sequentes, nempe aliis benefaciendi, vitæ suæ dies transigebant. Nam studio eorum obsecundans Deus, bene multa ipsis contulit ; quæ illi summa cum integritate, Christo vero Deo nostro gratias agen-
C tes, elargiebantur : cum totum in psalmis, jejuniis ac Domini nostri Jesu Christi laudibus tempus insumerent. Sanctus porro Dalmatius cum totos quadraginta quadragesimæ dies jejunus egisset usque ad sanctam feriam quintam, oblata deinde liturgia, cibum omnes sumpserunt.

in diuturnam ecstasin rapitur,

4 Is autem serotinis horis in scamno recubuit : et aliis item quadraginta tribus diebus in scamno jacens permansit, orationesque animo fundebat
e usque ad sanctam Assumptionem *e* ; ita quippe de-
f jectus et animi deficiens erat, ut vix respiraret *f*. Extra sensus enim lapsus non movebat loco, neque excitabat eum dominus Isacius. Cum advenisset autem sanctæ Assumptionis festum, ipsum
g adiit dominus Isacius : Et, frater, inquit *g*, Dal-
h mati, quousque tandem dormies? Surge. Tum erecto Dalmatius corpore conspicatus illum *h*, hæc ait : Domine pater, fratres nostri jam tertiam horam psallendo persolverunt. Cui respondit Isacius : Ubi eras, ut scire possis jam persolvisse? Cui dominus Dalmatius : Hic eram proxime patrem meum. In præsenti vero apud sanctos Ma-
i chabæos *i* synaxi aderam. Et unde notum, ait, te illic fuisse? Cui dominus Dalmatius hæc ait :
k Illic eram cum patriarcha Attico *k*, liturgiæque

aderam in throno secundus a patriarcha sedens : D
tresque ibidem conspexi monasterii nostri fratres. Tum dominus Isacius sciscitatus est ab eo quonam in loco starent. Cui illei : Unus proxime cancellos, alter prope ambonem, tertius ad ostia majora.

et fama sanctitatis inclytus evadit

5 Tum præcipit pater noster Isacius janitori, ut fratres, qui a synaxi sanctæ Assumptionis redirent, ad unum omnes ad se adduceret. Qui reversi patri et domino Isacio ab ostiario sistuntur. Tunc percunctatur Isacius : Ubinam, fratres, eratis? At illi respondent: In synaxi sanctorum Machabæorum. Moxque unum eorum interrogat: Quo loco stabas? Cui ille: Prope cancellos, domine. Sub hæc ab alio quærit : Quo loco stabas? Proxime ambonem, inquit ille, assistens divinæ liturgiæ. Tertius similiter respondit : Et ego ad magna ostia stans divinis intereram ; ea quippe de causa illuc concessimus. Sane vero charitas Dei inter sanctos Isacium et Dalmatium multum accrevit : qui Christo Deo gratias semper agebant. Hæc dum mirarentur hegumenus omnesque fratres, ea fama per totam urbem emanavit, et
ad sanctissimum episcopum Atticum, imo etiam E
ad ipsum imperatorem Theodosium *l* perlata est; l
qui cum eo accessissent, atque hujuscemodi miraculum audissent, admiratione capti, Deum laudibus celebrarunt.

Post mortem S. Isaacii eligitur abbas monasterii,

6 Aliquo deinde tempore elapso, obiit sanctus Isacius *m*. Episcopo igitur, qui ad monasterium accesserat, interroganti presbyteros reliquosque monachos, quem vellent sibi præesse : uno om-
nes ore et animo responderunt : Dominum Dal- m
matium, quem sibi Deus hegumenum cooptavit. Sic ille Dei nutu, et episcopi Attici, qui ipsum ordinavit, hegumenus est electus. Ac sanctissimus ille Vir cum in divinis rebus exercitatione, tum in omnibus sancti patris sui Isacii virtutibus excellebat ; at cum primis eleemosynæ deditus erat. In disceptationibus item ex æquo et bono jus dicebat. Ex Deo namque, sibi veritatem omnem patefaciente, sententiam ferebat.

et miraculo inclarescens

7 Eodem tempore cum duo quidam apud imperatorem litem haberent, atque actor non recto consilio verborum ambagibus causam involvens, adversarium suum evertere, atque in bona illius invadere conaretur ; tum ille, qui injuria afficie-
batur, imperatorem sic compellavit : Domine, F
miserere mei, mitteque nos ad magnum illum monachum Dalmatium, utpote æquissimum judicem, si quis alius, per quem Deum veritatem declarabit. His auditis, imperator confestim ipsos ad sanctum patrem nostrum Dalmatium remisit. Illis vero sanctissimum Virum adeuntibus, percunctatur ille : Quid inter vos litis est? Tum respondit actor, neque sermonem perficere potuit ; sed statim balbutire cœpit, et cum ultra fari non valeret, paulo post interiit. A Deo quippe judicium prodiit ; et justitia declarata est. Misit ergo Dalmatius ad imperatorem nuntium his verbis : Deus in gratiam læsi jus dixit. Quo audito, omnes qui in urbe erant viri religiosi Deum magis magisque in nomine ejus prædicabant, laudibusque celebrabant.

occultam Nestorii hæresim divinitus novit,

8 Nec diu postea obiit sanctus episcopus Atti-
cus. In cujus locum Sisinnius *n* suffectus est, vir n
pius ac religiosus, qui cum episcopatu modico tempore egregie perfunctus ad Dominum migrasset, magna de successore ad imperatoriæ urbis sedem controversia exorta est. Cives itaque Constantinopolitani virum pietate ac prudentia ornatum sedulo perquirebant, qui præcedentibus ar-

chiepiscopis

A chiepiscopis in regiæ urbis throno succederet. Cum magno res in motu esset, elapsis diebus non paucis, fama de quodam Nestorio, qui episcopus Constantinopolitanus diligendus esset, emanavit. Ast animum quidem ejus nemo alius præter Deum noverat, qui eidem sancto Dalmatio aperuit, hominem illum perversum esse; quod ipse arcanum silentio pressit.

multosque de ea cavenda præmonet.

9 Neque ita multo post contigit, eum episcopum inaugurari; initiatusque sacerdotio sane indignus Nestorius, in monasterium venit, ut moris est episcopis, salutandi causa sanctum Dalmatium; et cum ad sanctum Virum introire vellet, ab eo prohibitus est his verbis : Facesse hinc; cum occultas tuas cogitationes, hoc est fidei tuæ pravitatem emendaris, cellam meam ingredieris. Is vero exiit, ac vel invitus discessit. Omnibus autem, qui salutandi causa ipsum conveniebant, hæc monita dabat : Cavete vobis, filii ac fratres, ab immani bellua, quæ hanc in urbem advenit. Ille quipppe homo perversæ est fidei, ac doctrinæ suæ pravitate multos in perniciem est conjecturus.

B

Cum Nestorius hæresim suam palam declarasset.

10 Cum vero per triennium in impietate versatus esset, sancta et consubstantialis Trinitas secretum cordis ejus vulnus non occultum ultra reliquit, sed palam fecit. Cœpit enim demum publice in Filium Dei blasphema verba proferre, ac in duos filios unicum divisit Filium; diversum enim Christum a Deo Verbo esse dicebat; et aliquando aiebat quidem : Secerno naturas; adorationem vero unam facio. Alias autem dicebat : Quis est filius propter conjunctum filium? Unde Deiparam virginem confiteri renuebat inquiens : Ego bimestrem et trimestrem Deum minime dico.

damnatus est ab Ephesina synodo, cui sectatores Nestorii sese violenter opponebant : o

11 Itaque propter has ejus blasphemias synodus Œcumenica in Ephesiorum metropoli jussu Theodosii *o* imperatoris congregata fuit, ibique rursus miser blasphemiæ addere non cessavit; dicebat enim : Dei Filius minime incarnatus est; si autem incarnatus est, et Pater, et Spiritus incarnati sunt; et ita pridem hæc dicens blasphemabat. Quidam enim impietatis ejus propugnatores impediebant, quo minus imperator resciret, fuisse ipsum per sanctam, et Œcumenicam synodum e sua sede dejectum. Etenim sancta synodus,

C

Ephesi congregata piissimorum Christianorumque imperatorum nostrorum edicto, ubi comperit, Christi inimicum in eadem animi sententia permanere, impiamque doctrinam prædicare, quo ab orbe terrarum scandala in posterum penitus extirparet, ipsum gradu et ordine movit. Quod ubi Constantinopoli pervulgatum est, omnes, qui Nestorio studebant, ecclesiasticaque omnia ab ipso acceperant, conspiratione facta, omnia navigia, ac publicas vias observantes, neminem prorsus a sancta synodo Constantinopolim venire, neque inde rursum ad synodum abire permittebant : solummodo autem ea, quæ ad Christi inimicum spectabant, ultro citroque deferebantur.

quando S. Dalmatius illam violentiam ex litteris intellexerat,

12 At quia nemo quidquam contra Deum valet, (quid enim est homo?) divina voluntate accidit, ut epistola ex Ephesina urbe ad monasteriorum archimandritam sanctum Dalmatium, et ad Comarium, [et] Potamonem episcopum conscripta, per mendicum missa fuerit, qui eam inclusam arundine, quam gestabat mendicans, pertulit ad dominum Dalmatium, quam is acceptam, cum legisset, ejusque mentem assecutus esset, turbatus est animo : ab annis enim octo et quadraginta numquam e cella pedem extulerat, sed in eadem abditus tranquillam vitam egerat. Itaque Deum oravit : Domine Jesu Christe, ostende mihi, num velis, ut ex hac cella egrediar. Dum itaque hæc Deum rogaret, vox cœlitus ad eum delapsa est, ut ex sua cella egrederetur. Noluit enim Deus, ut grex suus in perpetuum interiret. [Quod ubi, Deo sibi id aperiente, manifeste comperit, surgens advocavit monachos suos, monasteriorumque hegumenos, cella egressus, atque hymnos et psalmos alternantes ad regiam contendunt. Erat enim sanctus Dalmatius archimandritarum princeps *p*.] Comitabatur autem eos non parva orthodoxorum multitudo. p

Ex editione Banduri.

cum magna monachorum ac populi multitudine

13 Cum itaque ad palatium pervenissent, audita imperator eorum psalmodia, interrogavit inquiens : Quid est hoc? Respondent ei, dominum Dalmatium adesse una cum omnibus suis monachis. Miratusque imperator hæc ait : Licet sæpe ipsum in cella ejus convenerim, cum terræmotus essent, rogaverimque eum, ut exiret, atque ad communem supplicationem se conferret, numquam potuit adduci. Porro admiratione captus obviam illi egressus est, unaque cum imperatore E ille regiam subiit; archimandritarum autem cœtus ac monachorum, populique frequentia antiphonarum modulationi intenta foris mansit. Cumque esset solus cum imperatore, ostendit ipsi epistolam sibi missam a sancta synodo, qua lecta, imperator turbatus est admodum, mandavitque ipsi, ut coram universis epistolam legeret.

imperatorem adit,

14 Ubi itaque, quod par erat, ab imperatore responsum accepit, dixit ad populum : Viri fratres ac patres, ad sancti Mocii *q* monasterium q concedamus; ibidem cum imperatoris mandata discetis, tum epistolam a sancta synodo missam vobis legemus. Tunc universa multitudo et archimandritarum et monachorum et laicorum exiere ex palatio psallentes in hunc modum : Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Ubi autem ventum est ad venerandam ædem sancti ac gloriosi Mocii martyris, sanctus Dalmatius in suggestum ascendit et ait : Si vultis audire, quiescite et discite; neque his, quæ dicentur, obstrepere velitis; sed æquo animo adesse, ut verba exacte percipere valeatis. Epistolam a sancta synodo missam piissimus imperator legit et persuasus est. Eidem F enim ego, cum ad me venisset, dixeram, eum ad sanctam synodum debuisse scribere; quæ suggesta sibi fuerint, non plene quidem perscripta. Misit autem ad me, et lecta sunt mihi. Verum ne qua illum tristitia afficerem, quæ consequebantur, præmisi, quæ tabellarii non exhibuere, sed illorum loco alias quasdam litteras ostendere. Itaque convenientia, et ad rem opportuna cum eo locutus sum, quæ nunc coram vestra pietate repetenda non duxi, ne elatus, aut gloriabundus a vobis existimer. Conteret enim Deus simulatorum ossa. Imperator omnia, quæ facta sunt, ordine audivit, et gavisus est, Deo gratias agens, comprobavitque sanctæ synodi narrationis seriem, ut illius majestatem decet, non meis quidem verbis ad hoc inductus, sed patrum et avorum suorum fidem secutus.

et synodo oppressæ opem fert.

15 Ceterum scripta (ut par erat) suscepit et legit ac persuasus est, hoc inquiens : Si res ita se habet, sine, profecti episcopi veniant. Cui ego : Nemo eorum sinitur venire. Et ille ait : Nemo prohibet. Rursum ego : Detinentur, inquam, et prohibentur, ne veniant; subjecique : Eorum, qui e Nestorii factione sunt, multi eunt

et

Ex editione Banduri.

et redeunt libere; quæ vero a sancta synodo aguntur, ea nemo ad vestram pietatem referri permittit. Ceterum pro altera parte, Cyrilliana scilicet, coram omnibus imperatori dixi : Sex milliane episcoporum audire mavis, an unum hominem impium ? (Sex millia autem eos aiebat, qui sub metropolitanorum sanctissimorum episcoporum potestate degunt : hæc autem eo spectabant, ut accerserentur et venirent, qui ea quæ facta sunt, patefacerent. Loquor de sanctissimis episcopis, quos sancta synodus destinavit.) Et respondit : Recte quæsivisti. Rursumque adjecit verbum unum et dixit : Precemini pro me ; et certo novi, imperatorem Deo et sanctæ synodo obsecuturum potius, quam perversis hominibus. Orate igitur pro imperatore et pro nobis.

ANNOTATA.

a *Hæc Banduri interpretatio non satis clara est : nam* scholæ *hoc loco significant cohortes militum ad custodiam imperatoris vel palatii destinatas. Hinc scholarii apud Græcos accipiuntur pro custodibus palatii aut corporis imperatorii, et variæ eorum classes enumerantur, ut apud Cangium in Glossario Græco-barbaro ad vocem* σχολαὶ *et* σχολάριοι *fusius potest videri.*

B

b *Papebrochius noster die* XXX *Maii duplicem S. Isacii vel Isaacii Vitam edidit, et Acta illius tomo* VII *Maii a pag.* 246 *Commentario ac notis illustravit.*

c *Est antiquum nomen urbis Constantinopolitanæ, quod hic biographus affectat, quamvis eo tempore Constantinopolis vocaretur, ut passim notum est.*

d *Hinc patet, hallucinari scriptorem Græcum, qui apud Bandarum tomo* 2 *Imperii Orientalis pag.* 695 *asserit, quod Dalmatus patricius, Constantini Magni ex fratre nepos, hoc monasterium ædificaverit, eique nomen suum dederit, quod figmentum etiam ex sequentibus refellitur.*

e *Græce legitur* ἕως τῆς ἁγίας ἀναλήψεως, *id est,* usque ad festum Ascensionis Christi. *ut Cangius in Glossario Græco-barbaro ad vocem* ἀνάληψις *recte observat.*

f *Constructio Græca apud Bandurum hæc est :* ἦν γὰρ κατενεχθεὶς καὶ μόνον ὅτι ἀνέπνεεν ; *quod ille ita Latine vertit :* Ita quippe dejectus et animo deficiens erat, ut vix respiraret. *At in apographo nostro Vaticano sic legitur :* ἦν γὰρ κατενεχθεὶς αναπνέων καὶ μόνον. *Hoc autem ita interpretor :* Erat enim sopitus, et solummodo respirans.

C

g *In apographo Vaticano hic additur* τρίτον, *id est* ter. *Codex Bibliothecæ Cæsareæ sic habet :* Ἔρχεται οὖν ὁ ὅσιος Ἰσαάκιος πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐφώνησεν αὐτὸν, ἐκ τρίτου λέγων· Ἀδελφὲ Δαλμάτε, *etc. Hoc est :* Vadit itaque sanctus Isaacius ad illum, et vocavit ipsum tertio dicens : Frater Dalmate, *etc.*

h *Apud Bandurum ita Græce legitur :* Καὶ ἀνακαθίσας ὁ κύριος Δαλμάτιος, ἔῤῥιψεν τὴν ὄψιν αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ. *Id est juxta ipsius interpretationem :* Tunc erecto Dalmatius corpore conspicatus illum, hæc ait. *Sed codex Vaticanus post similia præcedentia sic prosequitur :* ἔτριψε τὴν ὄψιν αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ. *Hoc autem Latine ita verti potest :* Fricuit oculos suos *(sicut e somno excitati facere solent)* et dixit ei. *In ecgrapho Bibliothecæ Cæsareæ etiam* ἔτριψε *pro* ἔῤῥιψε *invenitur. Judicet eruditus lector, utra lectio videatur præferenda. Nos de discrepantiis annotandis fidem nostram liberamus.*

i *Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ* § 4 *pag.* 104 *de sacra quadam Machabæorum æde meminit.*

k *Hic sanctus præsul ab anno* 406 *usque ad* 425 *cathedram Constantinopolitanam tenuit, ut in Commentario prævio num.* 29 *diximus.*

l *Si hoc loco indicetur Theodosius senior, imperium ejus cum patriarchatu S. Attici componi non potest; sin vero Theodosius junior, anno Christi* 401 *primum natus, mors S. Isaacii nimis diu differenda est, ut in Commentario prævio num.* 32 *monuimus.* D

m *De intricata hujus mortis chronologia in Commentario prævio* § 3 *egimus.*

n *Sisinnius in locum S. Attici suffectus est anno Christi* 426, *et post illum anno Christi* 428 *Nestorius hæresiarcha cathedram Constantinopolitanam ascendit.*

o *Hic est Theodosius junior, qui tunc cum Valentiniano III imperium administrabat.*

p *In illa narratione, quæ eodem modo apud Labbeum nostrum tomo* 3 *Conciliorum. col.* 751 *refertur, non inveniuntur ea verba, quæ hic uncis inclusi.*

q *De hac sacra S. Mocii æde, aliisque ad eum spectantibus agitur apud Cangium lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ* § 6 *pag.* 129 *et sequente.*

CAPUT II.

E

Aliquot epistolæ ultro citroque missæ in causa Nestorii ; pia sancti Dalmatii mors, et honorificæ exsequiæ.

Litteræ, quibus synodus Ephesina S. Dalmatio exponit,

Legit autem ipsis et epistolam a sancta synodo missam, quæ ita se habet : » Cyrillus archi- » episcopus domino Dalmatio monasteriorum ar- » chimandritæ, et Comario, Potamonique epi- » scopis desideratissimis in Christo salutem. Præ- » stolabamur honorabilem Nestorium, ubi nos » convenisset, revocaturum ea, quæ post inau- » gurationem suam blasphemo ore protulit, et a » sancta synodo veniam petiturum : quamquam » etiam maxime periculosum fuisset veniam ipsi » dare ; neque enim expediebat viro, qui talibus » concionibus terrarum orbem pervertisset, fi- » demque religiose ab ecclesiis servatam et cul- » tam labefactasset, veniam concedere. Etenim » si ille, qui vel unicum contumeliosum verbum » contra piissimos Christianissimosque impera- » tores depromere ausus fuerit, merito legum in- » dignationem sustinet, quanto justius eam expe- » riri par est illum penitus impium, qui sacro- » sanctum Incarnationis mysterium evertere, » ac œconomiam abolere conatus est, quam san- » ctus et benignus Dei Patris Filius unigenitus » propter nos implevit, homo fieri non dedigna- » tus, ut omnes nos salvos faceret, mundumque » universum a morte et peccato liberaret ? F

quomodo Nestorium,

17 » Ceterum viri hujus duritiem mentisque » obstinationem mirati sumus ; etenim neque » pœnituit eum, neque ea fletu diluit, quæ con- » tra gloriam omnium nostrum servatoris Chri- » sti effutire ausus fuerat : quin etiam, cum ve- » nisset Ephesum, iisdem rursum usus est ser- » monibus, quibus ante, ac denuo certum omni- » bus argumentum præbuit, se a perversa sen- » tentia minime alienum esse. Itaque cum qui- » dam celebriores metropolitani, piissimique epi- » scopi jure optimo in eum inveherentur, sub » hæc clare ex divina Scriptura eum convince- » rent, et ostenderent, Deum esse illum, quem » sancta Virgo secundum carnem genuerat, in » hanc sceleratam vocem prorupit : Ego bi- » mestrem et trimestrem Deum non dico. Qui- » bus alia addidit non pauca, per quæ Unigeniti » Incarnationem e medio plane tolleret.

18 Itaque

A *in hæresi sua pertinaciam*

18 » Itaque sanctæ synodo a piissimis imperatoribus condicta sacra Pentecostes dies fuit. » Primæ enim litteræ, quibus evocabamur, sic » se habebant. Accessimus autem Ephesum ad » statam diem ; non enim negligenda sunt dominorum edicta. Ceterum ubi piissimum religiosissimumque Joannem *a* Antiochenum episcopum adventare accepimus, adhuc sexdecim » dies expectavimus, cum tamen tota synodus reclamaret asserens, illum consessui interesse » non velle, quod metueret, ne forte reverendissimus Nestorius, qui ex illius ecclesia assumptus fuerat, loco suo moveretur : quæ res ipsi » fortasse pudorem incuteret. Quam suspicionem veram extitisse, ipsa postea experientia » liquido ostendit : nam distulit adventum suum. » Etenim nonnulli ex piissimis ejus episcopis » Orientalibus, ab illo præmissi hæc denuntiarunt : Præcepit nobis dominus Joannes episcopus, ut vestræ pietati dicamus : Si tardavero, » quod facturi estis, id faciatis.

et violenta effugia quærentem *b* B

19 » Sancta itaque synodus octavo et vigesimo die mensis Pauni *b* in magno templo, quod » sancta Maria dicitur, congregata, missis quibusdam religiosissimis episcopis, Nestorio denuntiat, ut veniat, et se judicio sistat, ac de iis, » quæ scripserat et docuerat, rationem reddat. » Ille autem primo respondit : Considerabo, et » videbo. Atque iterum ad sistendum vadimonium evocatus est per sanctissimos quosdam » episcopos, denuo a sancta synodo ad eum missos. Ille vero facinus tum commisit plane nefandum. Nam milites a Candidiano magnificentissimo comite acceptos, ante ædes, in quibus » versabatur, fustibus armatos collocavit, quibus arcerentur, si qui forte ad illum ingredi » vellent. Cum autem sanctissimi episcopi, qui » missi fuerant, perseverarent, dicentes, se non » adesse, ut asperum quidpiam dicerent, vel audirent, sanctam synodum ipsum vocare ; variis usus est excusationibus, ut qui conscientia » sua redargutus venire nollet. Usi sumus tertia » deinde citatione ac diversarum provinciarum » episcopis denuo ad illum legatis, ille rursus » militum violentiam adhibuit, neque accedere » voluit.

post exactam scriptorum dictorumque discussionem C

20 » Cum ergo sancta synodus consedisset, » necnon ecclesiasticis sanctionibus insistens illius epistolas et expositiones legisset, lectasque blasphemiis plenas comperisset ; et quidam præterea insignes piissimique episcopi metropolitani testati essent, quod in ipsa quoque » Ephesiorum civitate cum ipsis disceptans, Jesum Deum aperte negasset ; ipsum loco movit, » ac justam legitimamque sententiam in illum » protulit. Quia vero necessarium est, ut pietas » vestra hæc ipsa comperta habens, illos quoque » de his commonefaciat, quos ea maxime scire » oportet ; ne vel ipse, vel illius fautores cuipiam » subrepant, operæ pretium censui, hæc tibi indicare. Habemus quoque Joannis piissimi religiosissimique episcopi epistolam ad eum perscriptam, qua sane acriter illum increpat, tamquam qui nova et impia dogmata in ecclesias » invexerit, sanctorumque Evangelistarum et » Apostolorum doctrinam ecclesiis traditam » evertat.

legitimæ condemnationi

21 » At quia nihil ad blasphemiarum suarum » defensionem afferre potest, hæc causatur : » Quatuor dierum, inquit, dilationem petii, donec veniret episcopus Antiochenus, et noluerunt concedere, cum tamen laudatus sanctissimusque episcopus Joannes venire recusasset. » Nam si adesse voluisset, quorsum pertinuit, ut » per suos episcopos significaret : Si tardavero, » quæ facturi estis, facite ? Noluit enim, ut dixi, » interesse, sciens fore, ut sancta synodus depositionis sententiam in Nestorium, quod adversus omnium nostrum servatorem Christum impia blasphemaque verba protulerat, omnino » ferret. Quoniam vero, ut intellexi, relatum est » a magnificentissimo comite Candidiano *c*, cauti » ac vigilantes estote, ac renuntiate, commentarios rerum in Nestorii depositione gestarum » nondum perfecte prescriptos esse : quapropter » nec ad religiosos victoresque imperatores nostros relationem, quæ mitti debet, adhuc mittere potuimus : at, Deo bene favente, una » cum commentariis mittetur, si modo nobis » mittere liceat, qui perferre queat. Quod si » commentariorum et relationis series diutius » morabitur, sciatis nos, quo minus mittamus, » impediri. Valete. » Populus Constantinopolitanus una omnium voce exclamat : Anathema Nestorio ; ac ubi epistolam legit Dalmatius, populo universo benedixit, cunctique domum rediere, laudantes ac gratias agentes Deo de impii Nestorii depositione.

Ex editione Baluzii. c E

22 Sanctus autem Dalmatius epistolam ad sanctam synodum misit nomine universi cleri magnæ sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, hujuscemodi : « Piissimis sanctissimisque Patribus nostris, religiosissimorum imperatorum nostrorum decreto ex universo orbe in Ephesiorum » metropoli congregatis, Cyrillo *d*, Juvenali *e*, » Memnoni *f*, universæque sanctæ synodo, Dalmatius presbyter et archimandrita paterque » monachorum pro universo Constantinopolitano » clero *g*. Semper a teneris annis orthodoxo dogmate gloriantes, toti in hoc sumus, ut sanctorum Patrum traditionem conservemus. De » qua quidem per ea, quæ sanctissimus piissimusque episcopus Cyrillus ad nos perscribere » dignatus est, a vestra sanctitate nuper iterum » admoniti, gratias egimus Salvatori Deo. Multa » itaque et magna facinora, quæ pro eadem fide » egregie gesta sunt, nuper nobis innotuerunt. » Quare cum Nestorium, nostrum quondam antistitem, quod Apostolicam sinceramque ac » piam doctrinam adulteraret, a vestra pietate » ordine locoque motum esse intellexissemus, » commemoratas litteras, a Theodosio et Valentiniano piissimis christianissimisque imperatoribus exhibitas nobis, tamquam a sanctitate » vestra missas accepimus, ac statim illas palam » in sancta Dei ecclesia, universoque populo » congregato legi curavimus.

Sanctus Dalmatius litteris responsoriis significat, *d* *e* *f* *g* F

23 » Sciat ergo vestra sanctitas, populum nobis una voce consensisse, et magnis quoque » laudum præconiis evexisse cum sanctam et » œcumenicam vestram synodum, tum victores » quoque imperatores, quod pium vestrum conventum omni studio curassent. Nos porro gavisi, præsentes rescripsimus, et celeberrimam » vestram pietatem obtestamur, ut pro nobis » Deum precetur, curamque omnem adhibeat, » ut, quod reliquum est, sancta Dei ecclesia, » quæ apud nos est, perfecte constituatur. Hoc » enim vel unum magna vestra orthodoxi dogmatis providentia reliquum adhuc esse intelligit, ut hac ratione omnia, quæ Christo Domino » placent, ad finem perducantur, universaque » nostra nulli alteri, nisi vestræ sanctitati, piissimisque ac christianissimis imperatoribus accepta

quid contra Nestorium egerit,

EX EDITIONE BANDURI.

» cepta referantur. Dalmatius presbyter et archi- » mandrita, monasteriorum pater, ut oretis pro » me, vestram sanctitatem obsecro. »

et recipit alteram epistolam,

24 Epistola secunda a sancta synodo ad dominum Dalmatium scripta : » Cyrillus et Memnon archiepiscopi Dalmatio primo presbytero » sanctæ Dei catholicæ et Apostolicæ magnæ » Constantinopolitanæ ecclesiæ, sacrorumque » monasteriorum principi *h*. Turbata est admodum sancta synodus, ubi comperit, magnificentissimum præclarumque comitem Joannem » non omnia recte retulisse, adeo ut de nobis » quoque in exilium ejiciendis, qui istic sunt, » consilium inirent : quasi sancta synodus injustam nefariamque exauctorationem, quam Joannes, et qui cum eo agunt hæretici, moliti » sunt, ratam habuerit. En altera igitur facta » est a sancta synodo relatio, qua se principis » litteris contristatam docet, et quod trium abdicationem non probavimus : sed præsertim » irrita se habere declarat, quæ impie et illegitime ab illis, firma vero et rata potius, quæ a » nobis gesta sunt. Docuerunt enim (patres) et

B

» prima quoque relatio, ea se rescidisse, quæ » præter canonum præscriptum ab illis facta fuerant; quodque pro communionis sociis et coepiscopis nos habeant, et quod ab hujusmodi » sententia non discedant.

qua synodus Ephesina conqueritur de variis vexationibus

25 » Cum autem prædictus magnificentissimus vir nihil non tentaverit, quo Joannes, et » qui cum eo sunt, in sanctæ synodi communionem recipiantur; in hodiernum usque diem » eam vocem ne audire quidem sustinuerunt : sed » obsistunt quidem omnino, et dicunt : Fieri non » potest, ut ad hoc veniamus, nisi quod contra » legem ab illis factum est, dissolvatur, ac synodo tamquam rei supplices accidant, et Nestorium illiusque dogmata scripto anathematizent : et in his universa synodi consistit instantia. Cum vero hac spe magnificentissimus » ille vir, cujus meminimus, frustratus esset, » aliud rursum excogitavit, et a sancta synodo » petiit, ut fidei expositionem scripto sibi exhiberet : ut cum illi quoque ipsius impulsu assensissent, ac subscripsissent, reversus diceret : » Redegi illos in amicitiam, qui humanis offensis » inter se dissidebant.

C

sibi illatis,

26 » Hoc intelligens sancta synodus, iterum » obstitit, diserte dicens : Nolumus nobismet » ipsis eam contumeliam, irrogare : non enim » tamquam hæretici, huc vocati sumus; sed venimus, ut fidem labantem stabiliremus, quam » et stabilivimus : nec opus est imperatori, ut » fidem nunc discat, cum hanc sciat, et in ea » baptizatus sit. Quare nec id quidem Orientalibus successit. Sed et illud quoque sciatis, » nempe, cum fidei expositionem componerent, » inter se contendisse, et in ea altercatione » etiam nunc versari. Nam alii ex illis sanctæ » virgini Deiparæ appellationem concedunt, ut » etiam fateantur illam hominis matrem : alii » vero prorsus negant, adduntque, paratiores » se esse, ut manus suas amputandas præbeant, » quam hujusmodi voci subscribant. Ubique autem turpiter se gerunt, hæreticos se declarantes.

et opem S. Dalmatii flagitat,

27 » Hæc a vestra pietate discant omnes, » præsertim vero piissimi et sanctissimi archimandritæ; ne forte prædictus (vir) reversus, » quorumdam aures demulcens, alia pro aliis » dicat aut doceat. [Id autem nos optime scimus, nempe nullum alium id præter vestram » sanctitatem facere posse, quippe qui omnium » monasteriorum sis princeps *i*.] Ne vero pigrescat pietas vestra, neque causa nostri labori » insistens defatigetur, sciens quod hac ratione » Deo hominibusque seipsam commendet. Nam » hic etiam piissimi episcopi, qui nos numquam » noverant, per Salvatoris gratiam parati sunt » animas pro vobis ponere, et cum lacrymis » (nos) adeuntes, aiunt et exilium et mortem » quoque simul subire se in votis habere. Atque » omnes quidem multis miseriis conflictamur, » tum quod custodiamur a militibus, tum etiam » quod ante nostra cubicula dormiant; maxime » vero nos (qui scribimus). Reliqua autem synodus universa defatigatione, atque ægritudine » compressa, ita ut complures jam interierint : » multi vero, quod sumptibus destituti sunt, res » suas divendunt. Valete. »

D

i

quam ille altera epistola addicit.

28 Epistola missa ad sanctam synodum Ephesinam a Dalmatio sanctissimo archimandrita, quæ ita se habet : « Accepi epistolam a sancta synodo ad me missam, ac lectis iis, quæ contineret, in primis graviter molesteque tuli eas, quæ » vobis inciderunt calamitates : scriptum enim » erat in epistola, aliquos ex sanctis Patribus illic » agentes, propter angustias locorum, extinctos » esse. Ceterum scitote, me prompte jussa quælibet vestra facturum, nec quidpiam hactenus » præteriisse, aut incuria neglexisse cum præsertim res fidei orthodoxæ Deique agitur; nemo enim potest deficere a Deo vivente, et ad » alia verti consilia. Qui enim recte tractant verbum veritatis, Dei vitam habent et in hoc seculo et in futuro; qui vero deficiunt a Dei gratia, ejiciuntur in tenebras exteriores, quemadmodum Nestorius, et qui eadem ac ipse sentiunt : Deus enim Pater Domini nostri Jesu » Christi sanctam synodum omnem illustravit, » atque ædificavit, vestrosque labores et sudores » gratos habet. Gratias ergo agimus Deo, qui » vos recta via duxit, et victoriam de fide vobis » tribuit. Orate pro me, precor sanctitatem vestram. »

E

Synodus Ephesina S. Dalmatio pro impensa opera gratias agit,

k

29 Exemplum epistolæ missæ a sancta synodo ad dominum Dalmatium : « Cum sancta et œcumenica synodus in Ephesiorum metropoli congregata jussu Theodosii et Valentiniani *k*, religiosissimorum et Christo amabilium imperatorum, accepisset epistolam missam a Dalmatio sanctissimo archimandrita, et monachorum » patre, et ipsum comperisset, urgente fidei studio, post quadraginta et octo annos egressum » ex sua cellula, adiisse piissimum et Christianissimum imperatorem, eumque docuisse omnia, » quæ consecuta sunt, quæque effecta a sancta » synodo, ad impium Nestorium exauctorandum, » gratias egimus Christo, vero Deo nostro, qui » te ita ad tuendam sanam fidei doctrinam excitavit, et ad nostros labores et sudores non solum pissimis imperatoribus patefaciendos, sed » etiam sanctissimis archimandritis, totique » Christo amabili clero, ac populo. Nam quis » alius hominum opitulatus est nobis, præter » vestram sanctitatem? Cum a nullo detecta sit » veritas, præterquam a vobis, id est, a domino » Dalmatio. Cujus rei gratia nos omnes manus » supplices tollimus ad benignum bonorumque » parentem Deum, pro felici vita et sospitate » piissimorum nostrorum imperatorum, ac sanctitatis vestræ.

F

30 « Hortamur vos igitur, ut arctius adhuc vos » nobis adjungatis, et nostras vices obeatis in

iis

A *eumque suprema omnium monasteriorum præfectura donasse dicitur.* » iis, quæ ad fidem spectantia illic accidere possunt. Quamquam hortatione non est opus : novimus enim, Deum tibi aperuisse, quæ Nestorius in animo ferret, antequam Constantinopolim adventaret, teque jam tum omnibus ad tuam cellam venientibus dicere solitum : Cavete vobis, fratres ; siquidem mala bestia in hanc urbem advenit, quæ quamplurimos sua doctrina perditura est. [Itaque sancimus dominum Dalmatium, et qui post ipsum gubernaturi sunt sacrum ejus monasterium, esse principes sacrorum monasteriorum, nunc existentium, et in posterum Constantinopoli futurorum ; cum certo sciamus, illum et magistrum, et studiosum fidei esse, et regendis monasteriis apprime idoneum. Similiter et Cœlestinus sanctissimus Papa Romanus scribens sanctæ Ephesinæ synodo, ait : Habetis illic hegumenum Dalmatium vobis opitulantem, ut Deo dignum est : sic enim de ipso didicimus et accepimus, laudatum virum nefarii Nestorii fidem prænovisse. Et sancimus et monemus sanctam synodum, ut prædictum sanctum Dalmatium
B præficiat omnibus monasteriis, quæ in regia urbe sunt, principem. Neque id quidem immerito : quippe cum eadem, quæ nos, mala ac certamina tolerarit. Istæc sancivit sancta synodus. Si quis igitur sanctæ synodi edictum labefactare voluerit, res illi cum Deo sit, qui
l judicaturus est vivos et mortuos in infinita secula seculorum. Amen *l*] Sancta et consubstantialis Trinitas servet te incolumem mente et corpore, prædicantem Christum Deum nostrum. Ora pro nobis, sancte frater. »

Sanctus moritur, ac honorifice sepelitur. 31 Postquam igitur hæc omnia gesta sunt, Nestorio hæretico successit Maximianus *m*, qui cum sanctissimam ecclesiam pie rexisset, in pace obdormivit. Post hunc episcopatum Proclus *n* suscepit, vir insignis et orthodoxus, cujus homiliæ, et epistolæ feruntur usque ad hodiernum diem. Hoc itaque episcopatum tenente, sanctus pater noster Dalmatius, postquam sancte ac pie sibi creditum a Christo Deo nostro gregem et omnia monasteria gubernasset, in pace requievit. Igitur mortuo sancto Dalmatio, venerandum ejus corpus illatum fuit in sanctissimam magnam ecclesiam, ibique a viris piis deportatum, præce-
C dente sanctissimo archiepiscopo Proclo, et venerabili clero universo, omnibusque monasteriis ; populus autem universus sanctum corpus comitabatur ; unusquisque enim spiritalem benedictionem consequi satagebat, ac singuli cereos in manibus deferebant, canentesque hymnos ac cantica spiritalia, sancto corpori præibant. Sic igitur depositum fuit in ejus monasterio. Venerandæ autem reliquiæ ejus ibi jacent ; ac sæpe unguentum emiserunt, quod nonnulli fide accipientes in variis infirmitatibus eo inuncti, curationem obtinuere ad laudem magnifici Dei, cui gloria in secula seculorum. Amen. Celebratur memoria sancti patris nostri Dalmatii secunda mensis Augusti die *o*, tertia autem tumulatur. EX EDITIONE BANDURI.

ANNOTATA.

a *De hoc Joanne nonnulla dicta et assignata sunt ante tomum* 4 *Julii nostri pag.* 71, *ubi de illo inter patriarchas Antiochenos actum est.*

b *Nomen hujus mensis Junium nostrum designat, ut Menologi passim docent. Porro si quis accuratum hujus synodi initium scire desideret, Pagium in Critica historico-chronologica ad annum Christi* 431 *num.* 12 *consulat.*

c *Is comes Nestorio favit, et terminos officii sui trangressus est, ut apud Baronium in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 431 *num.* 43 *et sequentibus licet videre.*

d *Hic est Cyrillus Alexandrinus, cujus Acta Bollandus ad diem* XXVIII *Januarii illustravit.* E

e *Papebrochius de hoc Juvenale præsule Hierosolymitano egit pag.* 22 *et* 23 *ante tomum* III *Maii, cui patriarchas Hierosolymitanos præfixit. Vide quoque tomum* VII *Julii a pag.* 855.

f *De hoc antistite Ephesino vide eminentissimum Baronium in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 451 *num.* 75 *et* 128.

g *Inscriptio ejusdem epistolæ apud Labbeum tomo* 3 *Conciliorum col.* 755 *longior est, et plura utrimque nomina recenset.*

h *Hæc inscriptio apud Labbeum non legitur ; sed tomo* 3 *Conciliorum col.* 759 *eidem epistolæ tantummodo præfigitur hic titulus :* Exemplum epistolæ Cyrilli archiepiscopi Alexandrini scriptæ ad clerum populumque Constantinopolitanum. *Tunc vero sequitur :* Turbata est admodum, *etc.*

i *Quæ hic iterum uncis inclusa sunt, apud Labbeum tomo proxime citato col.* 762 *in eadem epistola non leguntur.*

k *Theodosius junior hunc Valentinianum III anno Christi* 424 *in consortium imperii adscivit.*

l *De hoc fragmento, quod huic epistolæ insertum ac uncis distinctum est, in Commentario prævio a num.* 16 *satis fuse disseruimus.*

m *Is sedem Constantinopolitanam ab anno Christi* 431 *usque ad annum* 434 *tenuit, ut in memorato patriarcharum Constantinopolitanorum Tractatu jam diximus.* F

n *Sanctus Proclus ab anno Christi* 434 *usque ad annum* 446 *præfuit ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut etiam in Commentario prævio num.* 33 *juxta supradictum patriarcharum Constantinopolitanorum Tractatum asseruimus.*

o *De illa Actorum discrepantia lectorem initio Commentarii prævii monuimus.*

A D

DE SS. MARANA ET CYRA

P. B.

BERŒÆ, IN SYRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus earum in ecclesia Latina et Græca.

CIRCITER MEDIUM SECULI V.

Berœa, sive Berrhœa, nunc quibusdam Aleppum, urbs est amplissima Syriæ in Cyrrhestica regione, duabus et viginti leucis, ut moderni tradunt geographi, versus Orientem Antiochia patriarchica distans. Ea par olim nobile sacrarum heroidum vel fortissimis illorum temporum per tot passim eremos athletis admirandum produxit: Maranam *videlicet ac* Cyram; *quarum hanc hodie in Martyrologio suo Romana nobis Ecclesia præscribit memoriam:* Berœæ in Syria, sanctarum mulierum Maranæ et Cyræ. *Cum audis appellari* mulieres, *noli virgines negare: nam teste Tertulliano lib. De velandis virginibus cap.* 4, naturale vocabulum est femina; naturalis vocabuli generale, mulier; generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. *Est vero ratio peculiaris, cur mulierum nomine virgines hoc loco intelligas; quia patet ex annotatione Baronii in allata jam verba Martyrologii, haustam esse annuntiationem illam ex Theodoreti Historia religiosa cap.* 29; *ubi auctor ille, qui hactenus virorum* (ἀνδρῶν) *Acta descripserat, ad mulierum* (γυναιϰῶν) *jam se ait exempla descendere, ac deinde orditur a* Marana et Cyra. *Opponit ergo mulieres, non virginibus, sed viris; ac proinde uti debuit voce* mulier, *quæ et feminæ virgini congruit, et opponitur viro; non autem nomine* virgo (παρθένος) *quod viris feminisque virginitatem colentibus commune est. Certum vero est ex sequentibus cap.* 30, *per mulieres a Theodoreto designari etiam virgines; imo tales fuisse* SS. Maranam *ac* Cyram *aperte satis indicat, cum eas infra num.* 3 *exhibet Christi,* Sponsi [*sui,*] pulcritudinem cogitantes. *Vide etiam ibidem num.* 4.

B *Harum cultus apud Latinos recentior,* C *quam apud Græcos.*

2 *Porro ut fateri cogimur, recentem harum esse venerationem apud Latinos (nullis enim ecclesiarum nostratium tabulis ante Gregorii PP. XIII tempora consignatas aut hoc, aut alio quovis die, reperimus;) id negamus tamen, quod post Bailletum asserit in Martyrologio suo universali Castellanus, eam apud Græcos notam non esse, nedum antiquam: est enimvero apud eos notissima, ad diem* XXVIII *Februarii, non tantum in Menæis magnis excusis anno* 1595, *et* Βίοις Ἁγίων *Maximi Cytheræi (ut in Prætermissis illo die notavimus;) verum etiam in Menæorum exemplari vetustiore Ms., quod Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana signatum O* 148, *inter alia perscrutati sunt olim PP. Henschenius et Papebrochius; imo et in Menologio, quod imperatoris Basilii jussu seculo decimo Græce compositum, a Septembri usque ad Martium Latine versum edidit jam pridem Ughellus. Neque vero in hisce monumentis nudam hanc legere est Sanctarum nostrarum commemorationem:* Μνήμη τῶν ἁγίων γυναιϰῶν Κύρας ϰαὶ Μαράνας, Memoria sanctarum mulierum Cyræ et Maranæ; *sed et luculentum in singulis elogium: cui Menæa impressa binos hos versiculos præmittunt:*

Καταξιοῦνται Μαράνατε ϰαὶ Κύρα
Σαρϰὸς μαρασμῷ ϰυριεύειν τοῦ πόλου.

Id est:

Cyra et Marana carnis attritæ sibi
Præmia tulere digna dominatum poli.

E

Vides familiare Menæis acumen in affinitate nominis Μαράνα *et vocis* μαρασμὸς, *quæ* attritionem *seu* tabefactionem *significat; nominis item* Κύρα *et verbi* ϰυριεύειν, *quod Latine* dominari *dicimus.*

Elogium in Menologio Basilii imperatoris.

3 *Elogia vero ipsa huc transferre supervacaneum videtur; cum ex Theodoretiano, quod subjiciemus, contracta sint; et quidem non satis fideliter. Exemplo sit illud, quod habetur in Menologio Basiliano, et cujus textum Græcum (alibi dandum) hic denuo Latine versum dabimus, tum quia locus hic proprius est, tum quia Ughelli interpretatio niditior est, quam accuratior. Sic igitur habet;* Eadem die (XXVIII *Februarii*) memoria sanctarum mulierum Maranæ et Cirrhæ. Sanctæ hæ, Berœæ, urbe Ciliciæ *, natæ, misso et generi, et patriæ, et divitiis nuntio, abierunt non procul Berœa; ubi exiguam fabricavere cellam, cujus, cum essent introgressæ, luto ac lapidibus ostium obstruxerunt, fenestra perangusta relicta; per quam et cibum exilem atque aquam parce admittebant, et accedentes ad colloquendum feminas ea, quæ ad virtutem pertinent, edocebant. Multo autem ferri pondere toto corpore gravabantur. Sermones cum mulieribus solo Pentecostes die conferebant, toto extra illum anno silentium observantes. Cibum ac potum per dies quadraginta non nisi semel sumebant. Tam insigni igitur ac Deo grata vivendi ratione miracula patrandi gratiam sunt consecutæ: nam et cæcis visum restituebant, et liberabant insessos dæmonibus, et claudis dabant ut expedite ambularent. Atque hujuscemodi demum rebus illustres excesserunt e vivis. *Hæc ad cultus earum celebritatem antiquitatemque probandam potius, quam ad puram Actorum epitomen exhibendam, adducta sunto: quot enim in hac vitia sint, facile mox quivis intelliget ex Theodoreto. In Menæis longior est ac melior; non tamen usquequaque sincera.*

* *imo* Syriæ.

F

Dies natalis et Acta.

4 *Sed cur, inquis,* Maranam et Cyram *non eodem die ac mense Latini celebrant, quo Græci; tum utri verum vel utriusque vel alterius earum natalem observant? Responderi potest ad primum; quia reformatores Martyrologii Romani non videntur illarum memoriam in Fastis Græcis invenisse, cum solum in Annotatis hoc loco Theodoretum citet Baronius. Unde ad secundum respondeo; quia ante obitum illarum scripsit Theodoretus, neque adeo sciri ex eo potest, quo die aut mense decesserint;*

rint ; consequens videtur, ut instauratores Martyrologii jam dicti, verum depositionis diem aut mensem nec designare voluerint, nec designaverint. De Græcis, ac præsertim auctore Menologii Basiliani, non ita constat, nullam iis in hac re facem luxisse, præter historiam Theodoreti. Certe de cæcis miraculo sanatis, dæmoniacis liberatis, claudis restitutis Theodoretus non meminit : unde ergo ista hausit Menologus ille seculi x, *inde credi potest et verum alterutrius didicisse natalem, et in illum utriusque memoriam contulisse : ut quarum vita eadem fuerat, idem esset et festum. At enim hæc, ut sunt, minus explorata mittentes, Theodoretum audiamus, præsulem gravissimum doctissimumque, certissima de illis, ac propriis sæpius oculis usurpata narrantem, Historiæ religiosæ cap.* 29 ; *quam quidem Historiam conscriptam ab eo esse anno circiter Christi* 440, *contendit Tillemontius Monumentorum ecclesiasticæ historiæ tom.* 5, *nota* 16 *in Theodoretum, pag.* 877.

VITA

Auctore Theodoreto episcopo Cyri.

Ex editione Jacobi Sirmondi S. J.

Sanctarum patria, genus, vita sub dio,

Præstantium virorum conversatione descripta, operæ pretium existimo feminas etiam commemorare, quarum nihilo minora, sed majora potius certamina fuerunt. Hæ namque majori laude digniores sunt, quæ infirmiorem naturam cum sortitæ sint, eamdem cum viris animi alacritatem ostenderunt, genusque suum ab avito dedecore vindicarunt. Maranæ autem et Cyræ in præsens mentionem faciam, quæ tolerantiæ certaminibus alias omnes vicere. His patria quidem est Berrhœa ; genus autem in patria illustre, et educatio generi conveniens. Sed his omnibus contemptis, cum exiguum quemdam locum ante urbem circumsepsissent, in eumque intrassent, luto ac lapidibus januam obstruxere. Famulas autem, quæ ejusdem vitæ participes fieri volebant *a*, extra hoc septum parvo structo habitaculo, in eo degere jusserunt. Contuentur autem ipsæ per fenestellam quæ ab eis geruntur ; easque ad orationem frequenter excitant, et ad divinum amorem incendunt.

silentium, ferramenta corpus deprimentia, amictus,

2 Ipsæ vero nec domum, nec tugurium habentes, sub dio vitam ducunt *b*. Et januæ loco parva quædam fenestra facta est, per quam et victum necessarium accipiunt, et cum feminis, quæ ad eas veniunt, colloquuntur. Ad congressus autem hujusmodi designatum est tempus Pentecostes : aliis enim temporibus silentium observant. Marana porro cum adventantibus sola loquitur ; alteram vero loquentem nemo umquam audivit. Ferrum gestant, tantumque onus ferunt, ut Cyra, quæ imbecilliore est corpore, usque ad terram incurvetur, et corpus erigere nullatenus possit. Amictus *c* habent oblongos, ita ut a tergo trahantur, et pedes prorsus tegant ; anterius vero usque ad zonam descendunt, faciem, et collum, et pectora, et manus penitus occultantes. Has autem sæpe conspexi *d*, per januam intromissus : reserari * enim mihi jusserunt, sacerdotii dignitatem honorantes.

AUCTORE P. B.

** διορύξαι, id est perfodere*

alacritas post annos 42 in tot cruciatibus; miraculosa jejunia.

3 Vidi ergo nec strenuo viro perferendum illius ferri pondus. Et post multas preces tunc quidem auferre potui; sed post discessum nostrum idem iterum membris suis imposuerunt : cervici collare, lumbis cingulum, manibus et pedibus quæ his erant destinata. Atque hunc in modum vitam ducunt, non quinque, aut decem, vel quindecim annorum spatio ; sed duorum et quadraginta *e*. Et cum tam longo tempore decertarint, perinde ac si nunc primum certamen inirent, ita sudores expetunt. Sponsi enim pulcritudinem cogitantes, facile ac lubenter cursus laborem perferunt, et ad certaminum metam pervenire student, stantem in ea coronamque victoriæ ostendentem cernentes quem diligunt. Hac de causa et pluviæ, et nivis, et solis vim sustinentes, non tristantur nec discruciantur ; sed ex iis, quæ molesta videntur, lætitiam capiunt. Ac divini quidem Moysis jejunium æmulantes, ter tantumdem temporis impastæ transegerunt : quadraginta enim post dies exiguo cibo refectæ sunt. Ter etiam divini Danielis inediam æmulatæ sunt, tres dierum hebdomadas peragentes, atque escam tunc corpori exhibentes *f*.

peregrinatio Hierosolymitana et Isaurica, cum inedia mirabili.

4 Cum autem cepisset illas aliquando desiderium salutarium Christi cruciatuum sacra loca contuendi, Æliam *g* profectæ sunt, nullum toto itinere cibum gustantes. Sed ad urbem illam cum pervenissent, adoratione completa, cibum sumpsere ; iterque rursus in reditu jejunæ confecerunt. Mansiones *h* autem intercedunt non pauciores, quam viginti. Et cum victricis Theclæ *i* templum, quod in Isauria est, visere libuisset, ut caritatis in Deum flammas undique accenderent, jejunæ similiter ierunt, redieruntque. Usque adeo divinum illas philtrum extra se rapiebat ; sic illas divinus erga Sponsum amor dementabat. Hæ igitur tali vitæ forma muliebre genus ornantes, velut exemplaria ceteris factæ, victricibus coronis a Domino coronabuntur *k*. Ego vero et utilitate, quæ hinc oritur, proposita, et benedictione delibata, ad alteram pergam narrationem.

ANNOTATA.

a *Familiam ergo aluerant ambæ hæ Virgines, et forte sorores, in seculo ; sed relictam, ut suspicor, a parentibus vita functis.*

b *Vides errorem tam Menologii Basiliani, quam Menæorum, cum illis tugurium seu cellam tribuunt ; quæ solis fabricata fuit ancillis. Bailletus ad hunc diem in Legenda sua ait, eas, cum quiescerent, uti consuevisse tela crassiore supra se expansa in modum umbraculi seu tentorii. Unde hoc habet ? Narrat id quidem Theodoretus de Marone cap.* 16 ; *at hic nihil ejusmodi.*

c *Græce* περιβόλαια, *quæ pallium, cucullum, et alia istiusmodi indumenta vestimentis interioribus superinjecta significant.*

d *Erat enim Theodoretus erga professionis istius homines sanctissimos mirifice a teneris usque unguiculis affectus : tum has invisendi frequens offerebatur occasio, cum Cyri esset episcopus : Cyrus enim, viginti tantum et quinque milliaribus, seu leucis horariis octo circiter in Septemtrionem, ut aiunt, Berrhœa distabat.*

e *Adeo-*

A e *Adeoque ab anno Christi circiter* 398 *usque ad* 440, *juxta dicta in Commentario num.* 4.

f *Jejunium hoc Danielis in ejus prophetia legitur cap.* 10; *Moysis autem, notissimum est.*

g *Ælia appellata Hierosolyma fuit, quod ab Ælio Adriano imperatore esset instaurata.*

h Mansio, *Græce* σταθμὸς, *est iter unius diei, quod fere viginti passuum millibus censendum existimat Vossius, hoc est leucis horariis ferme septem: ita, secundum Theodoretum, iter Berrhœa Hierosolymam erat leucarum circiter nostratium centum quadraginta.*

i *Martyrem illam intellige longe celeberrimam, quæ colitur* 23 *Septembris, et ad cujus sepulcrum Seleuciæ in Isauria frequens olim peregrinatio erat. Iter hoc autem Hierosolymitano non multo brevius erat; numerant enim geographi in mappis quibusdam Seleucia Berrhœam leucas horarias fere centum viginti.* D

k *Quando autem ad illam deinde coronam evolaverint, non constat:* Cyræ *tamen imbecillitas non videtur permittere, ut eam ultra decennium, ex quo scribebat hæc Theodoretus, superstitem fuisse credamus.*

DE SANCTO EUPHRONIO

EPISCOPO AUGUSTODUNENSI

IN GALLIA

P. B.

B

E

CIRCA ANNUM CDLXXVI.

Sancti depositio hodierna; Officii apud Augustodunenses translatio:

Diem Antistitis *hujus natalem in Martyrologio Romano his verbis Ecclesia celebrat:* Tertio Nonas Augusti, Augustoduni, depositio sancti Euphronii episcopi et confessoris: *quo eodem die totidem fere verbis consignatus invenitur apud Notkerum; in auctariis item antiquis Martyrologii Hieronymiani apud Florentinium, apud Holstenium in Animadversis ad Martyrologium Romanum, Martenium, et nos editis: quibus consonant et Usuardini supplementa passim, et illius, quod Bedæ ac Flori nomine vulgavimus; Hagiologium quoque Labbei; et Saussayi, ne plura commemorem, Martyrologium Gallicanum; ut nulla videatur esse ratio dubitandi, quin hodiernus dies, de quo tot ecclesiarum Fasti consentiunt, re vera natalis ipsi fuerit; quantumvis Officium ejus apud Augustodunenses, ob alia solennioris ritus tunc occurrentia, differri consueverit in diem, non quartum, ut putavit Bailletus, neque octavum, ut Saussayus; sed septimum Augusti, ut habent Vitæ sanctorum Patronorum, Martyrum, et episcoporum* C *Augustodunensium, quas idiomate Gallico compositas Divione anno* 1713 *Foresterius emisit in lucem; et Breviarium Æduense, quod habemus, excusum anno* 1534; *ubi ad* VII *Idus Augusti Officium habet novem lectionum, sed totum de communi confessoris pontificis. Est et aliud ibidem festum, nec paulo solennius, præscriptum mense Octobri, Dominica post festum S. Dionysii, quo veneranda hujus quoque cum ceterorum ejusdem ecclesiæ sanctorum Præsulum communi celebritate memoria recurrit.*

sepulchrum ejus ad S. Symphoriani:

2 *Singulari vero religione colitur in ducatu Burgundico, duobus maxime locis: altero prope Semurium, ubi, teste Foresterio,* ecclesia *visitur* in ejus honorem dedicata; *altero intra ipsam urbem Augustodunensem, ubi* jacet in æde S. Symphoriani, quam ædificaverat, *ut asserit Gallia Christiana novissimæ editionis tom.* 4, *col.* 430. *Et sane de alio non possunt intelligi, quæ tradit S. Gregorius Turonensis Hist. Francorum lib.* 2, *cap.* 15: Eo tempore et basilica beati Symphoriani Augustodunensis martyris ab Euphronio presbytero ædificata est. Et ipse Euphronius hujus deinceps urbis episcopatum sortitus est; *atque eo quidem nomine solus. Hujus basilicæ mentio fiet die* XXII *hujus mensis, cum de S. Symphoriano agendum erit: magnis eam laudibus in opusculo citato a pag.* 172 *prosequitur Foresterius; ejusdem vero præsides inde a S. Germano Gallia Christiana recenset tom.* 4 *a col.* 437.

gesta ante episcopatum; cujus initium latet et finis,

3 *Acta* S. Euphronii *vel ex instituto scripta non sunt, vel certe interciderunt. Itaque de tempore, quod episcopatum ejus antecessit, id solum novimus quod modo S. Gregorius asserebat: unde liquet, virum fuisse divitem, liberalem, atque ad promovendam Sanctorum gloriam non minus industrium, quam profusum; neque vero talem sese exhibuisse Augustoduni dumtaxat, sed locis etiam aliis:* Hic enim, *subdit ibidem Gregorius,* marmor quod super sanctum sepulcrum beati Martini *(apud Turones)* habetur, cum grandi devotione transmisit. *Episcopatum Æduensem quo anno sortitus fuerit, quo, sublatus in cœlum, reliquerit, in obscuro est. Illum jam certo obtinebat anno Christi* 452; *quandoquidem ad annum istum in Chronico integro commemorat Idatius* epistolam Euphronii, Augustodunensis episcopi, ad Agrippinum comitem *de portentis quibusdam cœlestibus, quæ tum in Galliis per dies Paschæ apparuerunt.* F

nisi quod illud diu præcesserit annum 453.

4 *Imo dudum ante promotus ad infulas videri debet; ut qui anno circiter* 453 *jam tantum sibi Augustodunensis ecclesiæ administratione sanctissima nomen apud alios auctoritatemque conciliaverat, ut ne maximo quidem illo Trecensium antistite S. Lupo censeretur inferior. Utrumque tum enim, tamquam oraculum commune, Talasius episcopus Andegavensis, ad informandam ecclesiam suam,* de solennitatibus, et de bigamis clericis, et iis, qui conjugati assumuntur, *consuluit; atque ab utroque commune responsum tulit hac inscriptione:* Domino sancto et, in Christo, cultu atque honore venerando beatissimo fratri Talasio episcopo, Lupus et Euphronius episcopi pariter positi. *Cetera lege apud Labbeum Conciliorum tom.* 4, *col.* 1408. *De loco ac tempore hujus epistolæ diximus ad diem* XXIX *Julii, pag.* 66, *num.* 75. *Ceterum non diffitemur,* Euphronium *Lupo juniorem aliquanto fuisse: hoc enim inscriptio jam data satis innuit, cum* Euphronii *nomen alteri postponit. Deinde constat ex Actis S. Germani episcopi Autissiodorensis, Augusto-*

A gustoduni sedisse *S. Simplicium anno Christi* 418; *huic autem (nescimus quo deinde tempore) vita functo successisse Evantium, Evantio Leontium, atque huic demum Euphronium, ostendit Gallia Christiana. Quid ni vero decessores ejus illi tres ab anno jam assignato prætergressi credantur annum, quo consecratus fuit S. Lupus, Christi* 426?

Episcopus excelluit studio sacræ Scripturæ,

5 *Dignitatem episcopalem his quatuor maxime dotibus exornavit: sacrarum Litterarum meditatione inexplebili, morum ad eas ac præceptorum absoluta conformatione et sanctimonia, ecclesiasticæ disciplinæ non minus perita quam constanti severitate, summa denique ac fortissima in rebus agendis suadendisque prudentia, quæ neque gratia flecti se sineret, neque odio deterreri. Et ad librorum quidem divinorum studia quemadmodum fuerit affectus, tum ex eo licet conjicere, quod S. Apollinarem Sidonium vehementer oratum per epistolam legatosque voluerit, ut partem illorum aliquam explanandam stylo susciperet; tum ex hujus præsertim responso lib.* 9, *epist.* 2: *onus enim, cui nequaquam sese profitetur ferendo parem, sibi demiratus imponi:* Injunctione confundor, *inquit...* Sed si amplitudi-
B nem in vobis pietatis expertæ bene metior, plus laborastis, ut affectus cordis vestri, quam nostri operis effectus publicaretur. Neque enim cum Hieronymus interpres, dialecticus Augustinus, allegoricus Origenes, gravidas tibi spiritualium sensuum spicas doctrinæ salubris messe parturiant, non scilicet tibi partibus meis arida jejunantis linguæ stipula crepitabit?

sanctitate vitæ, rigore disciplinæ,

5 *Ad morum ejus virtutumque commendationem nil afferri potest illustrius, quam hoc ejusdem ad ipsum epistolæ principium:* Albiso antistes, Proculusque levites, ideo nobis morum magistri pronuntiandi, quia vestri merentur esse discipuli, litteras detulerunt, quarum me sacrosancto donastis affatu. *Ecclesiasticæ disciplinæ peritiam satis in eo laudavit supra Talasius, cum illum de ea consulendo, magistrum agnovit Lupo æquiparandum. At si usum scientiæ istius exsecutionemque spectaveris,* Euphronium *sibi Lupus ipse in epistola ad Talasium assignata non obscure indicat præferendum: fatetur enim, tametsi ecclesiarum Augustodunensis ac Tricassinæ una tunc esset regula, severitatis tamen ac rigoris aliquid amplius in illa sub* Euphronio *viguisse, quam imitari posset ipse in sua;*
C *illum ergo præ se manifeste commendat ibidem his verbis:* Si quid vero pro honore Domini potest districtionis accrescere, etsi imitari non possumus, pro Domini honore laudabimus.

prudentia et æquitate

6 *De prudentia demum ejus et consiliis operæ pretium fuerit disserentem iterum audire Sidonium lib.* 7, *epistola* 8, *ad* Euphronium *data anno circiter Christi* 472, *quam non pigebit hic totam adscribere. Sic igitur habet:* Sidonius domino papæ Euphronio salutem. Quandoquidem me clericalis officii vincula ligant, felicissimum mediocritatis meæ statum pronuntiarem, si nobis haberentur quam territoria vicina, tam mœnia. De minimis videlicet rebus coronam tuam maximisque consulerem: fieretque actionum mearum, quasi cujuspiam fluvii, placidissimus cursus atque inoffensus, si e tractatu tuo, veluti e saluberrimo fonte, manaret. Procul dubio tunc ille non esset aut spumosus per jactantiam, aut turbidus per superbiam, aut cœnosus per conscientiam, aut præceps per juventutem. Quin potius illo squalidum si quid ac putre sorderet, totum id admixta consilii tui vena dilueret. Sed quod hujuscemodi votis spatia sunt longa interposita præpedimento, sedulo precor, ut consulentem de scrupulo incursæ ambiguitatis expedias: et quia Simplicium, spectabilem virum, episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari, quid super tanto debeam negotio facere, decernas.

AUCTORE P. B.

in consiliis,

7 Hujus es namque vel erga me dignationis, vel erga reliquos auctoritatis, ut, si quid fieri voles (voles autem quidquid æquissimum est) non suadere tam debeas, quam jubere. De quo tamen Simplicio scitote narrari plurima bona, atque ea quidem a plurimis bonis. Quæ testimonia mihi prima fronte colloquii non satis grata, quia satis gratiosa, judicabantur: at postquam æmulos ejus nihil vidi amplius quam silere, atque eos maxime, qui fidem fovent Arrianorum, neque quippiam nominato, licet necdum nostræ professionis, illicitum opponi, animum adverti, exactissimum virum posse censeri, de quo civis malus loqui, bonus tacere non posset. Sed cur ego ista hæc ineptus adjeci, tamquam darem consilium, qui poposci? Quin potius omnia ex vestro nutu, arbitrio, litterisque disponentur; sacerdotibus, popularibus manifestabuntur. Neque enim ita desipimus in totum, ut evocandum te primum, si venire possibile est; deinde si quid E secus, certe consulendum decerneremus, nisi in omnibus obsecuturi. Memor nostri esse dignare, domine Papa.

cum auctoritate constantiaque summa

8 *At enim cujus consiliis aliena tantum provincia tribuebat, quid suam detulisse censebimus? Rem exemplo demonstrat idem S. Sidonius lib.* 4 *epist.* 25, *ex quo etiam apparet insigniter,* Euphronium *quam in decernendo maturum ac justum, tam in exsequendo promptum fuisse atque imperterritum. Anno igitur quadringentesimo circiter et septuagesimo S. Patiens archiepiscopus Lugdunensis cum* S. Euphronio *ceterisque provinciæ ejusdem episcopis Cabillonum convenerant, viduæ istic ecclesiæ antistitem ex officio daturus; cum* exceperunt pontificale concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non et illa, quæ bonum publicum semper evertunt, studia privata; quæ quidam triumviratus accenderat competitorum: quorum hic antiquam natalium prærogativam, reliqua destitutus morum dote, ructabat: hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis *(Apicius helluonum maximus fuit)* plausibus ingerebatur: hic apice votivo si potiretur, tacita pactione promiserat, ecclesiastica plausoribus suis F prædæ prædia fore.

in iisdem exsequendis.

9 Quod ubi viderunt sanctus Patiens, et sanctus Euphronius, qui rigorem firmitatemque sententiæ sanioris, præter odium gratiamque, primi tenebant; consilio cum coëpiscopis prius clam communicato, quam palam prodito, strepituque furentis turbæ despecto, jactis repente manibus arreptum, nihilque tum minus, quam quæ agebantur, optantem suspicantemque sanctum Joannem, virum honestate, humanitate, mansuetudine insignem..., jam secundi ordinis sacerdotem, dissonas inter partium voces, quæ differebant culpare laudabilem; stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam sibi consecravere. Nunc ergo... *(Domnulum alloquitur)* gaudere te par est de communium patrum vel patronorum seu sic sentiente concordia, seu sic concordante sententia. Illius quoque nomine exulta, quem creaverunt Euphronius testimonio, manu Patiens, ambo judicio. In quo fecit Euphronius, quod conveniret non senectutis modo suæ, verum etiam dignitatis longævitati.

10 *Mirum itaque videri non debet, si Virum hunc*

AUCTORE P. B.

Anno 475 inscribitur testamento S. Perpetui,

hunc talem tanti fecerit S. Perpetuus, episcopus Turonensis, ut ejus etiam in condendo testamento, quod exhibuimus ad diem VIII *Aprilis pag.* 750 *et sequente, meminerit in hæc verba :* Tibi fratri et consacerdoti dilectissimo Eufronio thecam ex argento de reliquiis Sanctorum do, lego. Illam intelligo, quam deferre solebam : nam deauratam aliam, quæ est in capsario meo, cum duobus calicibus aureis, et cruce similiter aurea, quam Mabuinus fecit, ecclesiæ meæ do, lego : simul et omnes libros meos, præter Euangeliorum librum, quem scripsit Hilarius, quondam Pictaviensis sacerdos, quem tibi Eufronio fratri et consacerdoti dilectissimo cum præfata theca do, lego, volo, statuo. Memor esto mei. Amen. Euphronium *enim hic memoratum, antistitem* sine dubio *hunc nostrum esse Augustodunensem, submisso, ut ante diximus, marmore bene de S. Martino ac Perpetuo meritum, affirmat post alios Tillemontius in S. Lupo tom.* 16, *pag.* 135 : *qui proinde fateri etiam cogitur, superstitem illum fuisse saltem usque ad annum Christi* 475, *quo testamentum hoc Perpetuus conscribebat ; etsi hic præter spem annis* B *post illud quindecim, diuque adeo, ut par est credere, post* Euphronium *vixerit. Post* Euphronium, *inquam ; quem, utpote jam ab anno* 470 senectutis longævitate *eximium, nemo facile credet, annos postea viginti et ultra superfuisse : nulla præsertim ejus aut operum aut vitæ post annum* 475 *uspiam occurrente memoria.*

et assistit Arelatensi concilio.

11 *Cum tamen annum ut minimum Christi* 475 S. Euphronius *Augustodunensis attigerit ; nec alius* D *assignari potuerit hactenus ætate illa inter episcopos Gallicanos* Euphronius ; *ipsissimum hunc fuisse quis ambigat, qui eodem circiter anno cum aliis episcopis novem et viginti (qui omnes in Lucidi presbyteri, errorem emendantis, libello commemorantur) concilio Arelatensi adstiterit, ibique ea Prædestinatianæ hæreseos capita subscriptione damnaverit, de quibus ibidem Lucidus, eosdem alloquens episcopos, ait :* Proinde juxta prædicandi recentia statuta concilii damno vobiscum sensum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem, divinæ gratiæ non esse jungendum, *etc. ? Cum vero in istis capitibus illa omnis doctrina contineatur, quam in epistola sua S. Faustus Reiensis episcopus Lucido anathematizandam præscripserat, dubitandum non est, quin et hanc epistolam iidem cum* Euphronio *Patres comprobaverint ; veræque sint adeo tam* S. Euphronii, *quam aliorum subscriptiones, quæ in eodem concilio Fausti epistolæ subjunguntur ; tametsi videantur earum aliquot intercidisse, puta Leontii, Fontei, aliorumque, quos Lucidus recenset. Scimus, non placere hoc Tillemontio et gregalibus ejus, qui Calvinianos secuti duces, epistolam illam non verentur appellare Semipelagianam, ac tot proinde maximorum sanctissimorumque ecclesiæ Gallicanæ luminum* E *indignam prorsus assensu. Verum quem homines morantur ejusmodi, adeat præ ceteris opus illud iis tam fatale Stephani nostri Deschamps de Hæresi Janseniana lib.* 1, *disput.* 7, *cap.* 7, *et lib.* 2, *disput.* 7, *cap.* 1 : *ibi discet, et unde prompta sint, et quam debilia fractaque, quibus hoc totum argumentum insectantur, arma.*

DE B. GREGORIO ABBATE

P. B.

NONANTULANO IN ITALIA.

ANNO CMXXXIII. C

Cultus ex Martyrologiis.

D*e cœnobio Nonantulano in diœcesi Mutinensi celeberrimo, Ordinis olim S. Benedicti, nunc ab anno circiter* 1513 *Cisterciensis, diximus Martii tom.* 1, *pag.* 265, *ubi egimus de S. Anselmo, primo ejus abbate, cujus et Vitam, tunc nondum acceptam, in ejusdem tomi appendice dedimus pag.* 900. *Locum hunc suis etiam virtutibus non parum illustravit* Gregorius, *abbas ab Anselmo sextus decimus, quem in sacris hoc die Fastis suis ita refert Wionus :* In agro Mutinensi, monasterio Nonantulano, depositio sancti Gregorii abbatis, sanctitate clari. *Citat exinde* Calendarium Nonantulanum, et chronicum Ms. in membranis, *quæ* ejus natalem hac die annotant. *Wionum sequuntur ceteri ejusdem Ordinis Martyrologi, Dorganius, Menardus, Bucelinus ; imo et Ferrarius tam in Catalogo generali, breviter illum commemorat, quam in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi ipsum exornat elogio composito, ut inferius annotat,* ex monum. et Chron. ejusdem monasterii ; quod tanta, *inquit,* prudentia et sanctitate administravit ; ut etiam miraculis claruerit, *etc. Elogio subjungit hanc annotationem :* An Officio ecclesiastico Nonantulæ celebretur, mihi hactenus ignotum. Vidimus tamen illum in tabulis abbatum nota sanctitatis descriptum. *Quæ quidem observatio ipsum sine dubio movit, ut* Sancti *titulum* Gregorio *constanter adscriberet, quod et ante et post* F *illum Benedictini, quos modo recensui, factitarunt. Fallor tamen, nisi Mabillonius eadem observatione ductus, maluerit* Beatum *nuncupare, quam* Sanctum *in Actis Sanctorum Ordinis Benedicti sec.* 5, *pag.* 114.

Acta qualenus nota :

2 *Queritur vero ibidem, et nos cum illo, nihil de Actis ejus assequi se potuisse præter id, quod apud Ughellum, Italiæ sacræ tom.* 5, *inter episcopos Tarvisinos in veteri, sed mendoso abbatum Nonantulensium catalogo legitur in hæc verba :* XVI *(post S. Anselmum)* Gregorius, abbas *(fuit)* annos XIX. Ordinatus anno Domini CMXIV. Obiit III Non. Aug. Hic reliquit abbatiam, abiitque in locellum Solariæ, et cœpit ibi degere feliciter. Successit autem in loco ejus XVII Ingelbertus, venerabilis levita, anno ordinationis ejus (*Gregorii*) XVII, anno Domini CMXXIX : et cum abbas esset ordinatus, sacratus est a Domno Petro Ravennatis archiepiscopo, V Kal. Aprilis, Indict. 2. Et postea in ipso præfato locello Solariæ jam prælibatus abbas Gregorius conversatus fuit annos tres, et menses sex, dies quatuor ; et tunc rediit ad suum cœnobium, et sub regimine Ingelberti abbatis honestissime vixit. Postea, adstante cuncta congrega-

tione

A tione sancti Sylvestri *(qui erat patronus tutelaris abbatiæ Nonantulanæ)*, Deo spiritum reddidit anno Domini CMXXXIII, III Non. Aug. Indict. VI. *Aliam ejus notitiam nullam habemus, nisi quod orasse etiam videatur Cosmam Materiensem, poetam seculo, quo vixisse creditur, ferreo vix satis dignum, ut Acta SS. Theopompi et Synesii versu pangeret; quæ hic deinde* Gregorio Ligo, *monacho Nonantuleno, hoc est nostro (ut censet Mabillonius) inscripsit. Vide ea, si lubet, apud Ughellum Italiæ sacræ, veteris editionis, tom. 2, col.* 139.

anachronismus in iis emendatus.

3 *Observa, in textu superiori non satis accuratam esse chronologiam, cum annus decimus septimus ordinationis* Gregorii *conjungitur cum anno Christi* 929 : *Cum enim hæc ordinatio, juxta idem instrumentum, contigerit anno* 914, *et quidem post Kalendas Octobres, quibus Petrus,* Gregorii *decessor, vivere desiit; annus illius decimus septimus inchoari non potuit ante Octobrem anni* 930 : *manifestus ergo parachronismus est vel in anno ordinationis* 914, *vel in compositione anni ejus decimi septimi cum* 929. *Vidit hunc, opinor, Wionus et, qui eum sequitur, Ferrarius; et emendare voluit uterque, ordinationem collocando anno* 912. *Non recte : nam primo, sic evertitur chronologia præcedentis Petri, qui* ordinatus anno Domini CMXI *præfuit* annos III, menses III, die XI. *Secundo, sic* B. Gregorius *dici non potest abbas fuisse* annos XIX; *sed vel pluribus, vel paucioribus : pluribus, si numerentur anni ejus ab ordinatione usque ad obitum (ut aperte numerantur in isto Chronico); paucioribus vero, si computentur ab ordinatione usque ad recessum ab officio in locellum Solariæ. Censemus igitur, vitium esse in anno ordinationis* XVII, *reponendumque* XV, *vel* XVI, *qui ambo concurrunt cum anno Christi* 929 : *prior quidem usque ad Octobrem; inde autem ad finem usque posterior : atque hoc pacto cetera, quæ jam diximus, facile omnia consistunt.*

AUCTORE P. B.

B E

DE S. PETRO EPISCOPO

ANAGNIÆ IN ITALIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Beati cultus, institutum monasticum, dignitas abbatialis, canonizatio, et miracula.

ANNO MCV.

C

S. Petrus episcopus, quem hodie civitas Anagnina colit,

Civitas *Anagnina, de qua ad diem* XV *Januarii occasione S. Secundinæ, atque iterum die* III *Junii in Commentario prævio ad Acta S. Olivæ egimus, hodie* B. Petrum, *suum olim antistitem, solenni et proprio celebrat Officio, ex quo Philippus Ciammariconius in sanctuario Anagnino, quod anno* 1704 *Italice editum est, pag.* 134 *profert sequentia :* ANTIPHONA. Dum staret Petrus pontifex orans, Virginem aspicit, et nutu Magni comitis hanc domum rite perficit. ℣. Ora pro nobis. B. Petre. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. OREMUS. Pietatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut beati Petri confessoris tui atque pontificis crebra supplicatio et pacem nobis in præsenti seculo tribuat, et in futuro salutem, per Christum Dominum nostrum. Amen. *Opinor, istud Officium, quod nobis ad manum non est, ab immemorabili tempore in ecclesia Anagnina celebratum fuisse.*

ab hagiographis monasticis,

2 *Dorganius hac die in Calendario Benedictino breviter indicat festivitatem* S. Petri episcopi, monastica observantia clari. *Menardus autem in Martyrologio Benedictino præcipuum venerationis locum et pastoralem ejus solicitudinem sic addit :* Anagniæ sancti Petri episcopi, qui monastica primum observantia, deinde pastorali vigilantia clarus, quievit in Domino. *Postea lib.* 1 *observationum hunc Martyrologii sui textum ita explicat :* Fuit S. Petrus monachus Salerni in cœnobio sancti Benedicti. Inde vi abstractus ab Hildebrando S. R. E. archidiacono, creatus est episcopus Anagniæ ab Alexandro Papa secundo, cui summa cum laude præfuit annis tribus et quadraginta. Obiit miraculis clarus anno millesimo centesimo quinto. Sanctus Brunus episcopus Signinus ejus Vitam scripsit. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Bucelinus in suo Menologio Benedictino, aliique recentiores illum longioribus elogiis exornarunt.*

recte Ordini S. Benedicti adscribitur,

3 *Non temere auctores Benedictini hunc Beatum Ordini suo adscribunt, cum id antiqua Acta diserte testentur. Quinimo videtur fuisse abbas monasterii Salernitani, quamvis Acta eam dignitatem monasticam non satis clare expresserint : nam S. Petrus Damianus verosimillime agit de hoc* Petro, *dum lib.* 6 *epist.* 22 *Damiano nepoti inter alia sic scribit :* Cum frater Hubaldus hoc mihi de te, non quod scilicet optabam, nuntium retulit, aderat cum multa dulcedine recolendus, et religiosæ conversationis honestate conspicuus, Petrus abbas monasterii, quod B. Benedicti titulo decoratum, in Salernitana floret urbe constructum : qui mihi narravit, quia vorax hominum lupus parvulum de familia monasterii sui puerulum clandestinns impetiit, arpaxavit, et abiit; post quem transfixa dolore mater inclamans ait : Adjuro te, bestia, per B. Benedictum, cujus servus est, ne filium meum ulterius feras, sed eum sub celeritate dimittas. Quo lupus audito, hunc quidem, quem ferebat, aperto protinus ore deposuit; in alium vero puerum repentinus insiluit, eumque subito desecans, truncum cadaveris sprevit, præcisumque caput mordicus apprehensum in suas latebras concitus asportavit. *Ex his colligo,* B. Petrum *nostrum non tantummodo fuisse monachum Ordinis Benedictini, sed etiam abbatem monasterii Salernitani, quod Bucelinus et alii quidam hagiographi Benedictini non animadverterunt. Attamen illud observavit Constantinus Cajetanus,*

F

quando

AUCTORE G. C.

quando ad citatum *S. Petri Damiani textum in margine notavit hæc verba :* S. Petrus ex abbate mox fuit episcopus Anagninus.

et in Martyrologio Romano refertur.

4 *Etiamsi* B. Petrus *noster non legatur inscriptus antiquioribus Martyrologiis, recte tamen Baronius illum Martyrologio Romano ita inseruit :* Anagniæ sancti Petri episcopi, qui monastica primum observantia, deinde pastorali vigilantia clarus, quievit in Domino, *Recte, inquam, Baronius* S. Petrum *Anagninum Martyrologio Romano inseruit, cum constet de legitimo illius cultu ex Actis, aliisque antiquis instrumentis, quæ eminentissimus scriptor præ oculis habuit, sicut satis indicat, quando in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1105 *num.* 13 *ita scribit :* Hoc eodem anno S. Petrus Anagniæ episcopus, cujus præclare res gestas scripsit S. Bruno, Signiæ episcopus, ex hac vita migravit tertia die mensis Augusti ; quem virtutibus insignem, miraculis clarum, anno decimo (*alii habent* undecimo, *ut mox dicemus*) sui Pontificatus Paschalis Papa inter Sanctos retulit, ut ejus diploma significat.

B

Exhibetur diploma canonizationis, * *alias* Anagnino

5 *Deinde ibidem subdit istud Pontificis diploma, quod apud ipsum sic sonat :* Paschalis servus servorum Dei venerabilibus fratribus episcopis, Anagniæ * et aliis per Campaniam constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Dominum excelsum habentes præ oculis, qui in amicis suis laudatur et benedicitur ; et considerantes propterea strenuæ probatæque vitæ merita, quibus vir sanctus Petrus, quondam Anagniæ episcopus, de regula monachorum assumptus, in pastorali officio pure, simpliciter, solerti vigilantia et exemplo Deo deservivit ; admirantes etiam miraculorum insignia, quibus Sanctum suum ante et post obitum divina gratia decoravit, prout per Brunonem Signiensem episcopum fideliter annotatur, et usque ad nostra tempora decorare non desinit, auctoritate præsentium vobis licere volumus et mandamus, quatenus tertio Nonas Augusti diem natalem ejusdem Confessoris et Præsulis memorandi Sanctorum catalogo congrue celebrem recolatis, quatenus in præsenti gratiam, et in futuro, opitulante divina clementia, piis ejus intercessionibus mereamur gloriam sempiternam. Data Signiæ, secundo Nonas Junii, Pontificatus nostri anno decimo.

C

quod Paschalis II anno decimo vel undecimo sui pontificatus dedit,

6 *Maurus Marchesius idem diploma seu* privilegium canonizationis beati Petri episcopi Anagnini *(talis titulus ibidem et in Mss. nostris ei præfigitur) post opera Brunonis Astensis sive Signiensis tomo* 2 *pag.* 154 *edidit. Præterea habemus duplex ejusdem privilegii ecgraphum, quod Actis Mss. inseritur. At pro* anno decimo *Pontificatus utrobique* annus undecimus *ita notatur :* Data Signiæ, secundo Nonas Junii, Pontificatus nostri anno undecimo. *In laudata Mauri Marchesii editione et uno Ms. nostro additur annus divinæ Incarnationis ac diploma istud datum dicitur* Signiæ, secundo Nonas Junii Pontificatus nostri anno undecimo, anno Domini MCIX. *Sed nonnemo ad hunc Ms. nostri textum solerter observavit, illam esse interpolationem, et annum Incarnationis postea ab aliquo intrusum fuisse. Interpolatio illa confirmatur ex Codice canonizationum, quem illustrissimus Fontaninus anno* 1729 *Romæ edidit, ubi quidem pag.* 10 *in diplomate illo Paschalis II decimus Pontificatus annus notatur ; sed nulli Incarnationis anni exprimuntur. Adde, quod annus Incarnationis millesimus centesimus nonus cum anno undecimo Pontificatus Paschalis Papæ non cohæreat : nam mense Junio anni* 1109 *fluebat annus decimus Paschalis Papæ, quandoquidem mense Augusto anni* 1099 *ad Pontificatum evectus est, ut videre licet apud Baronium, Pagium, aliosque, qui chronologiam Pontificum Romanorum examinarunt.*

D

et in quo Sanctis annumeratur ob crebra miracula,

7 *Verum nostra parum interest, si hoc diploma canonizationis uno anno serius aut citius editum fuerit ; cum ex illo instrumento saltem constet, paucis annis post mortem* S. Petri *publicos Sanctorum honores ei decretos fuisse propter frequentia miracula, quibus in vita et post obitum coruscavit, et quæ in Actis huic Commentario prævio subjungendis singillatim narrabuntur. Sed miror, in Actis nostris inter illa non referri publicum et celeberrimum prodigium, quod supra laudatus Philippus Ciammariconius in Sanctuario Anagnino pag.* 126 *et sequentibus ex continua majorum traditione commemorat, et cujus vestigia ad perpetuam rei memoriam hactenus marmoribus insculpta conspici affirmat. Ut autem curioso lectori satisfiat, nos istud miraculum ex Italico idiomate hic in compendium redigimus, et fidem illius, tacentibus Actis nostris, penes traditionem Anagninorum civium relinquimus.*

ex quibus unum, in Actis prætermissum, hic narratur.

E

8 *Ciammariconius igitur in Vita Italica* S. Petri *Anagnini cap.* 17 *illud prodigium narrat in hunc fere modum : Dum* S. Petrus *materiam ædificandæ ecclesiæ Anagninæ per boves convehi juberet, contigit, ut lupus famelicus de nocte unum ex istis bobus pascentem devoraret. Cum autem aurigæ die sequenti boves curribus adjungere vellent, et ossa unius bovis invenirent, tristes* S. Petrum *adierunt, eique infortunium indicarunt. Sanctus vero Præsul sine ulla perturbatione dixit : Eamus ; qui damnum intulit, pœnam feret. Tunc simul mandavit, ut jugum istius bovis currui annecterent. Deinde agros circumiens invenit lupum devoratorem, eumque acriter reprehendit. Unde lupus, ac si fuisset rationis compos, dedit signa pœnitentiæ, et tamquam mansuetus ad pedes* S. Petri *procubuit. Sanctus Antistes id videns, lupo in nomine Creatoris sui imperavit, ut loco bovis devorati jugum subiret. Mox lupus caput inclinans, instar catelli ductus est ad currum, et collum jugo submittens, cum reliquis bobus currum trahebat, non sine magno stupore civium Anagninorum, qui ad mirum istud spectaculum undique concurrebant. Hæc pro traditione Anagnina memoravimus, et ad examinandos gestorum ipsius scriptores pergimus.*

F

§ II. Acta, eorumque scriptores.

Ut vitiosum nostrum Actorum exemplar facilius intelligatur,

Habemus dumtaxat unicum horum Actorum exemplar, quod excerptum est ex collectione Antonii Gallonii, quæ in Vallicellana Patrum congregationis Oratorii bibliotheca asservatur. Sed tot mendis scatet hoc ecgraphum, ut Papebrochius noster in margine monuerit, videndum esse, an aliquod exemplar correctius obtineri possit, cum quo conferatur nostrum, quod plane vitiosum est. Sed correctius exemplar frustra hactenus exspectavimus ; et Gallonius haud dubie suum ex Ms. Anagnino accepit : nam post apographum nostrum hæc notantur : Ex mendoso Ms. codice perantiquo ecclesiæ Anagninæ. *Deinde tempus exscriptionis ibidem indicatur his verbis :* Die XXVI Maii et Lunæ post Pentecosten anno MDXCVII. *Nescio, utrum hæc menda imperito amanuensi, qui forte antiquos characteres legere non potuit, an ipsi codici attribuenda sint.*

præmittitur ejusdem Vitæ synopsis.

10 *Cum igitur nobis emendatum Actorum exemplar non suppetat, nostrum barbare luxatum ægre supplevimus, et utcumque ex conjectura correximus.*

Sed

AUCTORE G. C.

A *Sed cum nihilominus, etiam adhibito hoc remedio, Acta illa obscura maneant, claritatis causa hic præmittimus compendium eorumdem Actorum, quod Maurus Marchesius inter opera Brunonis Signiensis tomo* 2 *pag.* 153 *et sequente edidit, et quod nos etiam manuscriptum habemus, quocum potest conferri. Huic autem compendio præfigitur is titulus :* Vita sancti Petri episcopi Anagnini, ex ea, quam sanctus Bruno episcopus Signinus composuit, per reverendum * dominum Gasparem Vivianum Urbinatem, episcopumque Agninæ ejusdem ecclesiæ breviter descripta. *Rexit autem reverendissimus D. Gaspar Vivianus Anagninam ecclesiam ab anno* 1579 *usque ad annum* 1605, *quo octogenarius obiit, ut apud Ughellum in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 322 *videre est.*

* *Ms.* reverendissimum

quam Gaspar Vivianus, episcopus Anagninus

11 *Porro istud Vitæ compendium in memorata Marchesii editione sic habet :* Petrus Salerni ex illustrissima principum familia natus, a parentibus patrui ejusdemque cœnobii Salernitati S. Benedicti tutelæ fideique committitur. Puerulus utroque orbatus parente, a religioso quodam proboque sene eruditus ; deinde adolescens optimis B moribus ac litteris præditus, suas facultates eidem monasterio tradidit, et sancti Benedicti disciplinam amplexus, se ipse quoque Domino dicavit. Suave igitur Christi jugum ab adolescentia ferens, et erga omnes humanus erat, ac mitis, et religiosæ vitæ cultor egregius : quippe qui monasticas B. Benedicti leges ; quas etiam memoriæ mandarat, accurate servaret, atque in jejuniis, precibus, sacris lectionibus tempus omne consumeret, ut juris quoque scientiam ad rerum divinarum cognitionem adjunxerit, cum ita illum Dominus nec opinantem ad episcopalis officii munus instrueret.

ex longioribus Actis contraxit,

12 Quare cum aliquando Salernum Aldebrandus S. R. E. Cardinalis ac legatus venisset, sancti Viri fama permotus, eum ab abbate patruo impetrat, Romamque ad Alexandrum secundum Pontificem perducit ; a quo primum ecclesiasticis negotiis præpositus, deinde Anagninæ ecclesiæ, licet invitus, creatur episcopus, magna cleri populique lætitia. Pastorali igitur munere suscepto, cum de sacris ædibus instaurandis, ac de recuperandis ecclesiæ suæ possessionibus cogitare cœpit, tum de Sanctorum reliquiis conquerendis, C præsertim vero de sacro beati Magni corpore, cujus præsentia decorari Anagnina ecclesia dicebatur, nec tamen satis constare videbatur. Verum Deus ita omnem sustulit dubitationem : Petrus enim paralyticam quamdam per id tempus ad se perductam ab ipsius viro, cui nomen erat Franco, jubet ad sepulcrum, in quo sancti Magni corpus conditum putabatur, preces effundere. Cumque mulier ibi cum Francone viro suo profusis lacrymis in precatione pernoctasset, ac tristes ambo domum rediissent, postero die beatus Magnus eidem mulieri visus est pontificio splendidoque vestitu, qui eam valetudini restitutam jussit episcopo denuntiare, ne amplius de sui corporis in ecclesia quiescentis præsentia dubitaret. Paruit illa et læta cum beato Petro ac frequentissimo populo, excito tanti fama miraculi, ad sancti Magni sepulcrum Deo benignissimo de acceptis beneficiis gratias egit.

et in qua quædam S. Petri gesta

13 Petrus interea nonnullis ecclesiæ suæ bonis recuperatis, cum et suo clero et egentibus paterna charitate prospiceret, nocte quadam in templo de more orans, Magnum episcopum magno splendore fulgentem ad se cum Dei Matre venientem aspexit, qui ei prædixit fore ut in Orientem ad imperatorem missus, ab eodem morbum diuturnum propulsaret, et ad templum instaurandum, quæcumque vellet, impetraret. Non ita multo post ad Michaëlem imperatorem Petrus Constantinopolim legatus Apostolicus mittitur. Cumque suo jam functus officio, ea quoque exponeret, quæ in templo Anagniæ noctu vidisset ; imperator primo respondit, se, quis beatus Magnus, aut quænam Anagnina esset ecclesia, penitus ignorare. Deinde vero ea nocte imperatori gravissime laboranti, ut jam prope mortuus putaretur, beatus Magnus pontificiis velatus infulis, et sacratissima Dei Genitrix astiterunt monentes, ut si salvus esse velit, legato Apostolico morem gerat. Imperator, statim ut loquendi facultatem recepit, episcopum conquiri jubet ; cui advenienti catena (ut erat temporibus illis usitatum) obducta in aula regia ita repenter diffracta est, ut si fragilis aliqua materia scinderetur. Ergo imperator supplex ab episcopo per Dei Parentem ac sanctum Magnum valetudinis beneficium flagitare, ac simul visa narrare.

succincte narrat,

14 Tunc sanctus ac vere clemens Episcopus, implorato sanctissimæ Trinitatis auxilio, beatissimæ Virginis, sancti Magni, Sanctorumque omnium, quorum sacra ossa in Anagnino templo asservantur, contrectatisque leniter male affectis membris : Surge, inquit, præclarissime princeps, et perpetua incolumitate lætare. Surgit illico imperator, et ad Episcopi pedes procidens, patrem illum appellat, quem pridie ut externum hominem prope repulerat. Ad extremum fabris, et magna vi auri, vasisque inauratis eidem liberaliter attributis, pollicetur, se alios quoque sumptus ad basilicam absolvendam suppeditaturum : quod et re ipsa præstititit. Beatus vero Petrus, cum tres circiter annos et quadraginta suam optime rexisset ecclesiam, tertio Nonas Augusti migravit in cœlum, Paschali summo Pontifice, a quo etiam est in Sanctorum numerum adscriptus. *Hic aliquot menda amanuensis vel typothetæ, quæ in jam dictam Marchesii editionem irrepserant ex Ms. nostro correxi.*

licet aliqua plane omittat,

15 *Ceterum miror, quod reverendissimus Gaspar Vivianus in hoc compendio non attigerit alia S.* Petri *gesta, quæ in Actis nostris et ab aliis auctoribus passim memorantur. Silet enim injuriam, ab Anagninis quibusdam sancto Præsuli suo illatam, et Hierosolymitanam ipsius peregrinationem aliaque nonnulla, quæ inferius in Actis nostris referentur. An illustrissimus compendii auctor ea omisit, ne Anagninos suos offenderet? An illa forsan apud Brunonem Signiensem non invenit? Quæcumque fuerit omissionis causa, et quamvis Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ etiam de illis non meminerit, tamen Philippus Ciammariconius in Vita Italica, aliique scriptores ista non tacuerunt. Certe Ferdinandus Ughellus Hierosolymitanam profectionem, ejusque causam exponit in accurata Actorum synopsi, quam hoc loco transcribemus, ut simul lector chronologicam gestorum seriem cognoscat.*

quæ supplentur ex compendio Actorum

16 *Ughellus itaque in editione Romana Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 348 *et sequente, Acta illius ita contraxit :* S. Petrus episcopus Anagninus inauguratus est anno MLXII. Hic Salernitanos principes parentes habuit ; educatores vero a puero monachos sancti Benedicti Salernitani cœnobii, a quibus cum uberrime Christianam pietatem hausisset, elatis parentibus, eidemque cœnobio invidiosis attributis fortunis, monachus effectus est. Cumque sub patruo, ejus monasterii abbate, solenni ritu vota nuncupasset, adeo in perfectione

AUCTORE G. C.

ne monasticæ vitæ progressus est, ut, ejus sanctitatis fama diffusa, Ildebrandus Cardinalis (is, qui postea Pontifex factus, Gregorius VII appellatus est) Salernum aliquando profectus, Petrum de abbatis licentia extractum de claustro, ad Alexandrum II Pontificem secum adduxerit: quem cum Alexander ex Ildebrandi commendatione, gravissimis ecclesiasticis negotiis præfecisset, paresque oneri humeros attulisse videretur, vacuæ Anagninensi ecclesiæ demum attributus episcopus est, qui tametsi invitus ac reluctans propemodum, eamdem ecclesiam summo pietatis studio rexit.

quod Ughellus in Italia sua sacra

17 Ambiguum per id tempus erat, qua parte templi sanctus Magnus, martyr invictus, quiesceret. Itaque Petrus, ut illius reliquiis, tamquam ingenti thesauro, potiretur, paralyticam mulierem ibi collocandam curavit, ubi suspicio erat, requiescere Sanctum. Vix illa tetigerat locum, cum eluctato morbo, index fuit, in ea inquisitione non aberrasse Petrum. In Orientem usque Petrus legatione functus est, Alexandro II sedente, anno MLXXII ad Michaelem novum
B
Orientis imperatorem, quem sola manuum impositione a periculosa ægritudine corporis exsolvit. Quamobrem ingentibus muneribus ab imperatore cultus est, quæ omnia ad suæ cathedralis ornamentum destinavit.

inter episcopos Anagninos edidit,

18 Ceterum non usque adeo semper virtus felix est, ut non quandoque invidorum patiatur calumnias: quippe ad suos Anagninos post legationem egregie functam reversus Petrus, sensit adversarios, quibus loco parentis esse debuerat. Itaque illorum insectatione defatigatus, peregrino cultu Anagnia discedens, Hierosolymam profectus est eo consilio, ut, ubi Christus supremum effuderat spiritum, ibidem ipse sanctis operibus intentus diem clauderet extremum. Sed hæc illum cogitantem sanctus Magnus martyr, quasi sui corporis inventori gratam vicem rependeret, acrioribus verbis castigavit, suasitque, ut ad desertam remearet ecclesiam. Paruit ille, novoque robore indutus, spretisque, quæ possent ingruere, adversis, Anagninam ecclesiam per quadraginta et tres annos (*nova editio Veneta tomo* 1 *col.* 309 *perperam hic* 48 *annos gubernationis numerat*) sanctissime administravit.
C
Deinde clarus meritis, fulgensque miraculis evolavit ad cœlum tertia die mensis Augusti MCV, hoc est tempore Paschalis II, a quo in album Sanctorum relatus est, ut Baronius narrat tomo XII. Ejus Vitam S. Bruno Signiæ episcopus descripsit, qui per id tempus florebat.

et ex Annalibus Benedictinis Mabillonii,

19 *Neque Mabillonius illam* S. Petri *vexationem dissimulavit quando in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1105 *num.* 114 *post alia de ipso sic scribit:* Post decem episcopatus annos legatio Constantinopolim ad Michaelem Ducam eidem imponitur ab eodem Pontifice; (*nimirum Alexandro II, cujus paulo superius meminerat*) quo mortuo, in suam ecclesiam revertit. Verum cum ad sananda suorum vitia frustra operam contereret, variasque ab eis insectationes pateretur, Jerosolymam cum cruce signatis iter aggreditur eo animo, ut illic reliquos vitæ dies absolveret. Quod secus contigit: nam beati Magni, Anagniæ patroni, viso a proposito revocatus, expleta peregrinatione, ecclesiam repetiit, et in ea sanctissime devixit tertio Nonas Augusti hoc anno (*videlicet Christi* 1105) episcopatus quadragesimo tertio: quem miraculis illustratum Paschalis II in Sanctorum numerum retulit.

Ejus Vitam scripsit Bruno episcopus Signiensis, quæ necdum integra typis vulgata est. D

Actisque infra edendis, quæ interpolata nobis videntur,

20 *Omnes auctores consentiunt, Vitam* S. Petri *Anagnini ab episcopo Signiensi Brunone conscriptam esse; quinimo id ipsum in supradicto canonizationis privilegio seu diplomate affirmatur. At oportet eam omnino raram esse, cum Maurus Marchesius inter opera S. Brunonis Signiensis, quæ anno* 1651 *Venetiis edidit, illam omittere coactus fuerit, et ejus loco compendium reverendissimi Gasparis Viviani exhibuerit. Præterea mox laudatus Mabillonius in Annalibus Benedictinis testatur, eam necdum integram typis vulgatam esse. Nos quidem integra, ni fallimur, Acta* S. Petri *habemus; propterea tamen S. Brunoni Signiensi illa certo adscribere nondum audemus: ut enim parachronismos et alia interpolationis argumenta prætermittamus, in iis de hoc ipso Brunone narrantur nonnulla, quæ verosimiliter S. Bruno de se ipso non scripsit.*

et de quorum auctore nonnulla præmonemus.

21 *Etsi igitur Baronius in Annalibus ecclesiasticis sub nomine Brunonis Signiensis citet aliqua hujus Vitæ fragmenta, quæ cum nostro textu fere ad verbum conveniunt, nihilominus Acta nostra ab* E
aliquo aucta et interpolata esse existimamus. Optandum sane esset, ut scriptores Benedictini genuinam S. Brunonis Signiensis lucubrationem invenirent, eamque Actis Sanctorum Ordinis sui insererent. Nos interim Vitam hujus sancti Episcopi edimus, ut quimus, dum ut volumus, non licet. Denique cum amanuensis, veterum characterum et forte etiam linguæ Latinæ imperitus, Acta illa misere luxaverit, ut supra monuimus, malumus ea sine certo auctoris nomine vulgare, quam docto Brunoni Signiensi temere attribuere. Nunc tantummodo superest, ut hanc ipsam S. Petri *Vitam, hinc inde uncis suppletam, et ex conjectura nostra emendatam, prælo et lectoris judicio subjiciamus.*

VITA

Ex mendoso codice perantiquo ecclesiæ Anagninæ. F

CAPUT I.

Sancti nobilitas, vita monastica, munus in curia Romana, episcopatus, legatio Constantinopolitana, et quædam miracula.

S. Petrus piis et nobilibus parentibus ortus

Beatus Petrus, quem Anagninæ dudum ecclesiæ providentia divina destinavit episcopum, ex progenie principum, claro progenitorum stemmate, Salernitanæ civitatis exstitit oriundus. Parentes ejus, fidei sinceritate conspicui, piis intenti actibus, Redemptori [serviebant.] Clientelam *a* obtinentes et rerum opulentiam secundum æqualem generis dignitatem, unicam prolem, felici sorte susceptam, hereditatis locupletis, honoris et prosapiæ relinquere sibi superstitem

EX MS.

A perstitem disponebant. Sed præ cogitationibus hominum, Domino disponente, postea Petrus, proles gratuita, germano genitoris sui, viro religioso, et probo abbati monasterii S. Benedicti Salernitani tutorio jure subjicitur, et supremæ voluntatis elogio * a patre patruo tuendus infantulus commendatur. Utroque parente puerulus, funere succedente, privatur; ablactati deinde pueritia religiosa diligentia custoditur. Senio maturitate conformis, et convalescens incrementis salubribus, psalmographicis instruitur et congruis rudimentis. Sed et magistris deputatus idoneis, adolescentia celebri morum honestate composita, liberalibus imbuitur artibus, et virtutum gratia perornatur.

* *forte* eloquio.

vitam monasticam amplectitur,

2 Vixit cum patruo bonitatis alumnus, a quo post annos impuberes humilibus postulationibus et devotis obtinuit [habitum,] et monasterio prætaxato collatis substantiis, expeditus dedicavit se Domino, riteque professus B. Benedicti regulam, qua regi possit et dirigi, Christum vestigans, pauper monachus consecratur. Veritatis filius, fidei cultor inclytus, conversatione B spectabilis, atque placidus obedientia, nimioque pudore mentis et corporis, patientia constans et suavi benignitate jugum Domini deportavit; quamque prudenter instituta regulæ memoriæ tradita observavit solicitus, citra perfectionem operum et gloriam operantis, sanctitatis odore de innocentia et Petri puritate manante, ad usque supremos Ecclesiæ clericos sequentibus declaratur: in eo namque caritas et officiosa humilitas erga claustrales et ceteros, nec non virtutum observantia taliter excreverunt, ut, undique fragrantia famæ diffusa, Petrus singularis a singulis sanctitatis gratia monachus haberetur.

virtutique scientiam adjungens,

3 Scientiam porro canonicam et divinam pulchritudini religionis adjecit, quatenus divina providentia dispensante, ad perfectionem viro monastico nil deesset, qui cathedrali potius, quam cœnobitico regimini parabatur. Post dormitionis compendium, quo quieti domitos artus, ærumnis maceratos pro Christo, prostraverat, insuper exercebat jugiter studia lectionum; deinde terens ecclesiæ pavimentum, continuis orationibus insistebat. Felix et piis invigilanda C mentibus summi providentia Conditoris, quæ dotibus tot præmunit gratuitis præficiendos sacris apicibus, et beatis meritis conservandos *!

* *forte* consecrandos

in curia Romana negotiis ecclesiasticis præficitur,

4 Cum autem divina providentia ordinasset, ut beati Petri virtus prodiret in publicum, ne diu lucerna, fulgore divini luminis radians, præter dignitatis candelabrum claustris abdita teneretur, sed patenter aliis proficeret et præesset, Altebrandus *b* sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis, legationis officio præditus, cum prænotatum monasterium visitasset, pervenit ad eum ipsius Petri sanctitatis fama celebris, quem in sancto proposito confortavit, et ipsum ab abbate patruo postulatum atque obtentum secum duxit legatus ad curiam, et ipsum domno Apostolico resignavit, sanctitatis et scientiæ titulis commendatum. Cappellanis unitus papalibus, negotiis Ecclesiæ vir Deo charus præcipitur interesse.

et dein ad cathedram Anagninam evehitur.

5 Argumentis postmodum sanctitatis et prudentiæ pluriformiter comprobatum Apostolicus idem Anagniæ residens, clericis et proceribus Anagninis matricis eorum ecclesiæ collapsæ dudum per desidiam, locupletis tamen antiquitus et plurimis privilegiis prædotatæ, vacationem proponentibus diuturnam, reformationis gratia concessit eis e latere sacris commendatum affatibus, in præsulem assumendum. Petrus vero cunctorum voto lætabunde susceptus, licet invitus et renitens, honorifice cathedratur: adhortationibus porro salubribus [et] Papæ confirmatur oraculo; et ubi dies consecrationis præfigitur, in urbem se contulit Apostolicus cum honore.

Solicite munus pastorale administrans,

6 Dum interim provida maturitate solicitus res ecclesiæ sibi commissæ per inquisitionem discuteret, ac suum reperisset episcopium prædecessorum desidia temporalium attritione collapsum, in se mentis rancore *c* volvens ambiguo, tendebat * ecclesiam abdicare collapsam, in qua nec ad restaurationem operationis materia, nec ad vitæ necessaria dumtaxat aliqua suppetebant. Jura quidem immunitatis antiqua reperta privilegia continebant, possessiones amplissimas prætendebant documenta veterrima, quæ præcedentium clericorum et prælatorum longæva dudum usurparat præscriptio, vel potentum laicorum subreptio commentis emphiteuticis detentabat. Prælati vero nutabundum mentis propositum eruditi aliqui digniores agnoscentes, indicibus argumentis placandum, cœperunt electum solamine confortare, quatenus rancorem abjiceret, et spem restaurationis in Omnipotentem refunderet, ac in quiescentium in Anagnina ecclesia pignoribus, præcipue beati Magni *d* præsulis, cujus præsentia corporis et thesauri eadem ecclesia prædotatur.

c

* *forte* contendebat *vel* tentabat.

E

d

de præsentia corporis S. Magni,

7 Commendat Pater almus filiorum consolationem in Christo; præsentiam vero tanti corporis ibidem esse penitus diffidebat: ut autem [de præsentia] tanti thesauri, quem Anagnina continebat ecclesia, digne certificaretur electus, Franco quidam, plebeius indigena civitatis, episcopio competentis, confectam doloribus et morbo paralysis artuum officiis destitutam juvenem conjugem ad pedes attulit Præsulis infulandi, medicorum remedio desperatam, humilibus deposcens affatibus, ut juxta sancti Viri famam percelebrem, salutem a Domino languidæ conjugis impetraret. Illis autem Pater benigne compatiens corpore menteque dolentibus de se nil tale præsumens, coram plerisque subintulit: Quia, fratres et nostri concives, hac in ecclesia F præcellentissimum corpus beati præsulis Magni asseritur tumulatum, ad locum ipsius humili devotione persistite, ipsiusque sacra implorate suffragia reverenter. Illi vero juxta beati Petri consilium lacrymis et orationibus usque ad crepusculum persistentes, nondum salutis intentione sortita, tristes admodum ad propria repedarunt.

quod in ecclesia Anagnina esse dicebatur,

8 Relucente deinde diluculo, doloribus jam affectam conjugem in loco Franco jam dictus dimisit ex ipsa finaliter desperatus, et seratis aforis valvis, secumque clavim deferens, oneratus rastris ad silvam properat coloniæ *e*. Uxor autem ipsius, Donicha nomine, inter doloris angustias beati Patris hesternam consolationem rememorans, [qui intercesserat] fusis pro ipsa Domino precibus, ab eodem conspexit, se duci intra domum, luce non solita comite, [et vidit] senem staturæ proceræ, canitie venerandum, cappa, mitra et stola, micantibus auro fimbriis, pontificaliter infulatum, virgam ferentem auream pastoralem, et Donicham languidam taliter alloquentem: Hesterna die, Donicha, juxta corpus meum de tui Præsulis consilio salutis remedium

e

EX MS. medium postulasti, et quamquam exaudita non fueris, surge tamen incolumis, et ipsum tuum intercessorem et præsulem concite repetas dicens, ne de præsentia mei corporis, in sua quiescentis ecclesia, deinceps dubitet; sed juxta fratrum et civium assertionem noverit, corpus meum translatum, et in eadem ecclesia veraciter tumulatum. Mulier autem stupens, et in tanta gratia visionis, adhuc rancore languoris [detenta et] dubitans, prosilire se non posse beato Magno dicebat, qui indutam melioribus vestibus, et ad januam usque perducens, sospite muliere dimissa, disparuit, vir magnificæ visionis.

per quædam miracula

9 Sentit mulier vigorem pristinæ sanitatis, propinquis et proximis acclamatis. Disrumpitur ostium, recitatur quod accidit, collata mirifice sospitas ostenditur; grata et communis fit jucunditas concurrentium ex portento. Episcopus deinde petitur, et impletur Magni beatissimi reverenter injuncta legatio, quæ dum devote suscipitur, laudum gratiæ coram beati Magni tumulo referuntur, quod per ipsum noverit Petrus episcopus suam Deo et beato Magno perseverantiam B complacere. Exultant hinc inde cives communiter, quod in exordio communis novi Patris talia dignatur, ut ipsum corroboret, Omnipotens operari.

certior redditur

10 Præfixo porro, ut præmittitur, die, munere consecrationis a prætaxato Papa reverenter accepto, piaque largitione ipsius perceptis ad apparatum præsulum auro radientibus sericis ornamentis gratias agens, ubi honorifice susceptus est, ad ecclesiam destinatam regreditur, in qua vigiliis et orationibus et piis actibus se contulit *. Sic se gerebat sanctitas juncta religioni monasticæ simul et officio pastorali. Per Italum deinde quemdam, languore manus attritum admodum, et beati Magni subventione curatum consilio Petri præsulis, revelatum est sancto Viro, quod beati Magni corpus quiescebat in parte septemtrionali ecclesiæ, et altare desuper esset Trinitatis summæ, in honorem Magni beatissimi, dedicandum.

* *id est exercuit.*

Dum S. Petrus bona ecclesiæ suæ recuperat,

11 Vir nempe sanctitate conspicuus, lucerna super candelabrum domus Domini constitutus, beati Magni solamine frequentius, uti traditur, confortatur, et per ipsius visionem angelicam Petrum sibi Dominus comprobavit sacerdotem C electum ad dedicandum sibi hostiam laudis et opera pietatis. Sic in tabernaculo cortinam attrahit, et cherubin duo mutuo se respiciunt, propitiatorium obumbrando. Justitiam et quietem animi, pacis et innocentiæ temperamento compensans Vir circumspectione spectabilis, ad propellendam calumniam instantia veritatis pluribus usurpatas et destitutas possessiones ecclesiæ in usum debitum revocavit. Territorium castri vici Morraceni, Romanorum quondam depopulatione destructi, per finitimos et cives occupatum cum territoriis ecclesiarum S. Mariæ de Lisa, S. Bartholomæi, S. Clementis de Griciano cum aliis plurimis coloniis et possessionibus a detentoribus vigilanter eripuit, et ad dominium ecclesiæ revocavit; Castro reparato per gyrum, et ædificata turri præcelsa ibidem cum domibus, ubi seipsum sub tutamine receptabat, inter quæ construxit ad aquas duo utilia molendinaria ejusdem territorii : ex iis et aliis recuperatis, perceptis vitæ subsidiis, et a piæ mentis fidelibus erogatis, quamquam afficeretur usquequaque penuria, fervore tamen caritatis abundans, sibi et ecclesiæ servitoribus indigentibus, in quantum poterat, providerat.

ei cum Deipara apparet S. Magnus,

12 Nocte porro dum orationi secus altare, sicut erat solitus, intra ecclesiam in exstasi [et] D contemplatione procumberet, miratus ab Oriente splendorem, obstupuit, et ubi lucis non diurnæ lumina per exteriores tenebras noctis mediæ quodammodo silentio teneretur, prodigiale quid Petrus tacitus attendebat. Post geminos deinde juvenes clericali habitu candidatos, causam luminis in cereorum similitudine præferentes, beatus ecce Magnus, in signis declaratus, præ aliis reginam præcedebat, diademate præsignatam, quam Salvatoris Matrem pandebat comitatus virginum, et majestatis sanctitas Genitricem. Petrum almificum, solutis comitantium laudibus, gratis affatibus alloquitur, ut juxta B. Magni monita, causam apparitionis perciperet, et confortaretur in statione propria fabricanda. Ecce, inquit Magnus piissimus, frater episcope, Dei Mater ad tuam consolationem, ut pro ecclesia plebeque tibi commissa voti compos efficiaris, apparuit, ut locum agnoscas hunc in Dei omnipotentis et sui veneratione peculiariter divinitus destinatum, et ob hujus nostri corporis præsentiam et Sanctorum plurimorum patrocinantibus meritis prædotatum, ad cujus cultum et E regimen e Christi provisione non sine mysterio deputaris.

ipsumque de obeunda legatione CP.; aliisque futuris præmonet.

13 Ut autem juxta dispositionem supernam, per te postulatam vocationem et formam in sanctitate conversationis accipias, Apostolicæ sedis Pontifex Alexander *f* et cœtus Cardinalium decreverunt pro concordia fidei et agendis Ecclesiæ [negotiis] delegatum ad imperatorem Græcorum Michaëlem *g* [te] continuo destinandum : et ubi feliciter legationem perfeceris, et principem ipsum a molesto morbo et chronico, virtute superna, tuis et hic quiescentium Beatorum meritis liberaveris, quod volueris pro subsidio fabricæ consequeris; sed et gratiam coram regibus et omnibus reportabis. Satagere te oportet, Deo amabilis, et viriliter confortari laboribus, et venturis tentationibus resistere : quoniam laborem in opere, et vitæ reformatione persecutiones persenties nequitiæ satellitum, quos disseminator zizaniæ in æmulationem dedicandæ stationis contra te excitabit; quos nequitiæ parasitos pro tempore cautius præcavebis. Salvatoris enim et suæ Matris protectio te per nostræ visitationis F beneficium nullatenus abdicabit. Per te quidem ecclesia et civitas competens temporalibus et spiritualibus beneficiis attolletur, et antiquam Anagninorum civitatis gloriam, propagatam in superstitionibus paganorum, non sinet innovatio divinæ gratiæ successiva per loci hujus sanctitudinem meritis quiescentium inibi veterari. Juxta designationem igitur nostram, basilicam in honore sublimis Virginis et Sanctorum omnium perfice venerandam; quoniam amotis ruderibus, lapides et marmora suppetent in materia operandi. Designata deinde per gyrum structura basilicæ baculo pastorali, cum processione pristina valefacientibus cum benedictione, visio veneranda disparuit.

Deinde Sanctus ad imperatorem CP. mittitur,

14 Peractis a Petro frequentius Christo gratiis pro consolabili visione, nuntium accedentem recipit, ut concitus ad Romanam curiam studeat properare. Modica clientela stipatus accessit oracula, cum apicibus legationis reverenter acceptis, per terrarum vasta, per maria, congruis evectionibus Constantinopolim pervenit regiam civitatem, et ibi tamquam apocrisiarius Apostolicus ab Illyricis *h*, quorum doctus erat idiomate,

honoratur

honoratur. Initis colloquiis causam legationis explicuit: indictum demum per visionem ab imperatore postulavit subsidium, conditionem prædicens, et seriem visionis. Imperator ad hoc, in honore B. Virginis se plurima retulit pro basilicaribus fabricis impendisse. Quis esse beatus Magnus, quisve quietis suæ locus [nesciebat, et] ignorabat penitus ecclesiam Anagninam. Quibus Petrus a logotheta *i* perceptis, circa proclivem lucis horam mirabundus admodum, non diffisus, in hospitium se recepit.

quem dum gravi morbo laborantem

15 Nocte vero sequenti, dum intra cubiculum dormitionis imperator procumberet, consueta sibi et gravi pervasus est morbida passione, tantumque ipsum attrivit molestiis, ut beneficio sensuum admodum destitutus, mortuus a personis cubicularibus et proceribus aulicis putaretur. Frustra medicorum et alia parabantur remedia consueta. Cum ad usque matutinales vigilias dux doloribus dirissime torqueretur, Dei Genitrix et Magnus infulatus sanctissimus astiterunt, duci languenti suadentes, quatenus ad suæ salutis perenne remedium, episcopum monachum et apocrisiarium Apostolicum advocaret, nec ipsius votis abnegaret subsidium, ipsorum gratia postulatum. Loquelam recuperat continuo, et monachum apocrisiarium expetit. Concite B. Præsul quæsitus accessit. Relatione mirandum! Ob incursum supervenientium obducta catena inter aulam præ cubiculis imperialibus per se, Præsule superveniente, persolida scinditur, ac si materia fragilis, præcidente gladio, partiretur.

prodigiose sanasset, accepta ingenti pecuniæ vi.

16 Ingressus Episcopus in signo Trinitatis benedictionem et pulcritudinem verbis prætendit. Postulatur per principem beneficium sospitatis humiliter, præcelsæ Virginis et Magni sanctissimi visionis et indictionis signa referuntur. In virtute, inquit B. Petrus episcopus, Trinitatis almificæ, Θεοτόκου Virginis, et in honore B. Magni, et quorum in Anagnina ecclesia beata corpora requiescunt, surge, gloriose princeps, et gaudeas incolumitate perenni. Et tactis locis infirmitatis leniter signo crucis, sospes imperator exsurgens, nullatenus exinde postmodum molestationem persentiit; et Episcopo procidens, patrem vocabat, quem pridem quasi externum reputabat; cœpitque cum ipsius ecclesiam, [tum] Magnum beatissimum attentius venerari. Exhibentur artifices, et pro constituenda basilica pondus dignissimum aureorum cum vasis, et auro contextis ornamentis electis. Indicitur insuper Petro beati præsuli, ut censu deficiente tradito, non postponat redire vel mittere; quoniam ad perfectionem usque cuncta devotione promptissima largirentur.

Anogniam reversus, ædificat ecclesiam.

17 Regressus deinde, favente domino Apostolico, dirutis ecclesiæ majoris mœniis veteranis, ruinæ effossis citius fundamentis, Opifex intendebat studiosius in prosecutionem structuræ et apertionem fundamentorum. [Procuraverat] marmorum, lapidum et cæmentorum præsignem congeriem, et alia, quæ per beatum Virum non sine prodigio contingebant. Concurrentes hinc inde mirabantur intenti, repertis et notatis diligentius [Sanctorum reliquiis.] Interea beatum Magni et Secundinæ *k* virginis et martyris, Aureliæ et Neomisiæ virginum *l* tumulatis corporibus cum Sanctorum plurium reliquiis venerandis, et præordinatis per ipsum in patronos ecclesiæ, in catacumbis fundavit ecclesiam et erexit, ut sibi designatum fuerat, et operis evidentia manifestat. Cum autem a septemtrionali parte inferius [invenisset] marmoreum sarcophagum, cinctum zonis ferreis, in quo habebatur integer thesaurus corporis beati Magni, Græco epigrammate denotatus, suis et sacerdotum manibus [hoc sacrum corpus] ordinatum [collocavit, quod cum] sub altari construendo tractum et consitum [esset] vox in catacumbis ipsis fertur taliter roboasse: Hic, ait, est tua requies; hic in seculum cum iis pignoribus cinerariis Judicem resurgentium exspectabis.

eamque variis Sanctorum reliquiis exornat

18 Agit Deo gratias Opifex venerandus in laudibus, et corpus Magni sanctissimi sub altari eodem sarcophago in honore Trinitatis ac ipsius nomine, ab occidente tribunali superstructo, recondidit veneranter; corpus vero beatæ Secundinæ virginis [et] ossa lacteo nitore splendida virginum Aureliæ et Neomisiæ locello justa ipsam sub altare in ipsius beatæ Secundinæ et omnium Christi Virginum ad dextram collocavit; reliquias vero ceteras beatorum Sebastiani, Cesarei *m* et Sanctorum plurium sub altare ipsorum et omnium Christi Martyrum, de lapidibus candidis [constructum, et] veneratum ibidem antiquitus pia devotione, recondidit in parte reliqua stationis; superioris vero aram basilicæ [ædificavit] tabulato marmoreo in honore beatæ Virginis, et Sanctorum omnium, sacris... cumulatam reliquiis, constructis hinc Baptistæ Joannis, inde vero Apostolorum cryptis marmoreis, cum capellis appenditiis, nolario, palatiis et officinis, [quæ omnia] ope cœlesti et provida solertia [est] prosecutus. Quisnam piæ mentis ambigat, Petrum Dei virum in ædificatione templi, Salomonis participasse prudentiam? Moisis fidem exquisitam in portentis legationis ad imperatorem Illyricum, *n* et pontificatu prodigia leviticæ sortis Aaronica [habuisse,] fideliter asseritur. Unius ejusdemque Redemptoris Petrus in suis actibus spiritu ducebatur, cujus prætaxati Patres in suis virtutibus prætulere figuram.

ANNOTATA.

a Clientela *aliquando significat multitudinem servorum, ut videri potest apud Cangium in Glossario. Hæc significatio hic ex sensu satis eruitur, et postea aliquoties recurrit.*

b *Ab aliis appellatur* Iltebrandus *vel* Hildebrandus, *qui postea sub nomine Gregorii VII Romanam Ecclesiam gubernavit.*

c Rancor *videtur accipi pro dolore, sicuti vox barbara* rancura *apud scriptores infimæ latinitatis querimoniam vel dolorem significat. Eadem vox in his Actis et simili significatione pluries recurrit. Consule sis prædictum Cangium.*

d *Sanctus iste episcopus Anagninus in Martyrologio Romano refertur ad diem* XIX *Augusti, quo Acta ejus, Deo favente, illustrabuntur.*

e Colonia *interdum accipitur pro rustici vel coloni prædio, ut Cangius in Glossario variis exemplis probat.*

f *Is est Alexander II Pontifex, qui ab anno* 1061 *usque ad* 1073 *Ecclesiam rexit.*

g *Iste Michaël, cognomento Ducas, factus est imperator Constantinopolitanus anno Christi* 1071, *ut Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad illum annum num.* 13 *tradit, qui ibidem num.* 23 *de illa legatione S. Petri meminit.*

h *Auctor hoc loco per Illyricos*, quorum doctus erat idiomate S. Petrus, *haud dubie intelligit Græcos: nam infra num.* 18 *imperatorem Constantinopolitanum, quem* S. Petrus *prodigiose sanaverat* imperatorem Illyricum *appellat.*

i *Erat*

EX MS.

i *Erat digni'as in aula Constantinopolitana, de qua Goarus et Gretserus in notis ad Codinum consuli possunt.*

k *De hac Sancta egimus die* XV *Januarii, et postmodum ampliora ipsius Acta accepimus, quæ in supplemento mensis Januarii discutientur.*

l *De istis sanctis Virginibus die* XXV *Septembris cum Martyrologio Romano agendum erit.*

m *Quinam sint hi Sancti inter tot homonymos, non facile dictu est.*

n *Hic Michaëlem Ducam vocat* imperatorem Illyricum *pro Græco vel Constantinopolitano, ut superius in Annotatis ad litteram* h *monui.*

CAPUT II.

Calumnia Sancto impacta, peregrinatio Hierosolymitana, reditus, ecclesiæ Anagninæ constructio, iteratus discessus ac reditus, et ipsius prosopographia.

B

Sanctus ob quasdam suorum calumnias in Syriam profectus,

Ut autem experimento patientiæ Vir perfectus justitia probaretur, Alexandro II Papa feliciter obeunte, ut prædicitur, Gregorius Papa VII successit, qui [erga] Petrum episcopum gerebat familiaris viscera caritatis : inter quem Gregorium et Henricum regem Germaniæ pro investitura et confirmatione imperii dum gravis oriretur dissensio, beatus Petrus, opere non perfecto, [desistere coactus est : cum enim] tunc episcopus indigentium subventionibus [pecuniam] expendisset,.... cœpit Viro sancto mordacium detrahere grassatio, qui dicebant, quod censum pro ecclesia reparanda collatum pompose dispersit, nec mœnia et stationem, quam cœpit, debite consummavit. Si sano [inquiebant] regeretur capite, melius veteres fulsisset ecclesias, et reliquum inter servitores utilius convertisset. Jam pristinas domos amisimus, et intra novas quiescere non valemus. Sic contra Virum justum insultando, de furto pecuniarum ipsum notabiliter deferebant : quod Præsul non sine mentis fluctuatione patienter in Domino tolerans, dum temporaliter videbatur destitui auxilio, sicut ipse disposuit, cum navali stolio *a* pro recuperatione terræ sanctæ Hierosolymitanæ et principe Boamundo *b*, Apostolica licentia, transfretavit in Syriam, [ut sequeretur veterum] Patrum et Christi vestigia, finaliter juxta propositum moraturus ibidem. Creditus Sanctus a ducibus, regibus et cunctis de exercitu, dare motus per gratiam, quam non sine magnis miraculis in infirmitatibus Deus impendebat per ipsum : cultu quippe ac devotione paterna a cunctis venerabatur; ipsius monita et consilia petebant singuli et etiam attendebant.

C

ad ecclesiam suam redire jubetur ab apparente S. Magno,

20 Regresso exercitu post biennium, terra Christianorum obtenta, et Petro in suo proposito remanente, ad sui anticipationem propositi Christo favente, beatus ei Magnus astitit obvius in habitu peregrini, qui a beato Petro, quis et unde esset, repercunctatus: Peregrinus, respondit, Italus ego sum, jugalis consortia fugiens : huc salvationis causa, dum vixero, moraturus accessi; cumque ei petenti debitum, quod ipsa mihi pro posse tribuit, sibi reddere postulatum nego, tuum cum reliquis peto consilium : Anne salvabor? Frustra, Petrus inquit, in obscœnitate criminalis propositi salvationem hic expetis contra vinculum conjugale; quod Deus conjunxit, homo non separet, originaliter Domino statuente. Cur ergo, Magnus beatus intulit, ecclesiam jugaliter tibi meis interventionibus a Domino desponsatam contra propriæ salutis consilium et Dei voluntatem temerarius abdicasti? Ubi jam vota peregrinationis implesti, tuam in Dei nutu ecclesiam repetens, regredi ne moreris.

D

cujus monitis obtemperans, Anagniam redit,

21 Beatus autem Petrus, almi et Magni patris disparentis monitis acceptis salubribus, seque deliquisse cognoscens, Deo egit gratias et laudes. Conscensa deinde puppi, propellentibus eois secundis flatibus, Deo favente, ad urbem regiam Constantinopolim rursus prænotatam applicuit. Honorificentia grata per imperatorem *c* desideratus Pater suscipitur, [qui] regressum peregrinationis et imperfectæ basilicæ conditionem moratus admodum reseravit; maximum pondus aureorum, priore majus, cum votis argenteis reliquis, et ornamenta plurima divino cultui opportuna per duces devotissimos largiuntur.

E

et novis muneribus auctus ædificationem ecclesiæ perficit.

22 Onusta sic navi cum gratia, velis auræ traditis, devenit Panormum; quem Rogerius *d* novus rex Petro notus almifico cum honore suscipiens, pluraque pro impensis ecclesiasticæ fabricæ supererogans, remisit in pace. Exinde navigans in Italiam, visitato in patria Salerni monasterio beati Benedicti, in quo nutritus fuerat, et oratoriis plurimis, pervenit Anagniam, ubi susceptus est cum honore. Ecclesiæ prætaxatæ fabrica perbene cum omnibus officinis perficitur, in amplitudine domorum et possessionum augmentatur, [quæ omnia B. Petrus] per plures largitiones suscepit. In honore præterea Salvatoris et beati Benedicti post palatium capellam construxit, et manu propria consecravit, constituens sibi cameram inter ipsam capellam et aulam, ubi post orationum indefessas vigilias, et religionis exactam observantiam accubitu durissimo quiescebat, et [se] exercebat studio lectionum; in cujus partem cubiculi infimam in susceptionem peregrinorum et hospitum, receptaculum ordinavit, quo vigilantius hospites et pauperes per descensus aditum visitabat. Perfecit autem ecclesiam et cuncta cum perfectione solenni per singula, prout sibi fuerat cœlitus designatum, anno Domini MLXXIV *e*, ponens epitaphium, cælato marmore per se conditum in muro ecclesiæ in hunc modum :

F

Quisquis ad hoc templum tendis venerabile gressum,
Mox Conditorem, cunctorum nosce satorem.
Condidit hoc Petrus summo conamine præsul,
Quem genuit tellus nobis dedit alta Salernus.
Dic : Miserere sibi, superi Patris unice Fili.

Etsi S. Petrus virtutibus fulgeret,

23 Pius Opifex mansuetudine, prudens auxilio, vocibus efficax, consilio pollens, stabili proposito quosque suos actus strenuitatis gratia servabat. Præter exceptionem quælibet placido ministerio negotia forensia [peragebat,] decisione canonica, justus in se, reddebat singulis justitiæ complementum. Ex iis etiam, quæ sibi temporaliter subsidium divinitatis impenderat, quis referet, quanta secretius in indigentium subventionibus dispensator providus misericorditer erogarit? Erat enim infirmantium, prout opus exegerat, salubre consilium, medicinalis affectus, auxi-

A auxiliabilis visitator, pia compassione tristantium et afflictorum ordinatissimus consolator, viduarum et orphanorum defensor, et intendentium nubere virginum honestarum cautissimus coadjutor. Pro conservatione pacis et jugis concordiæ cunctorum intentus summopere, pro subventione passim indigentium civitatis et regionis diœceta *f* gratissimus solerti diligentia vigilabat.

f

ac plerisque subditis charus esset,

24 Ad exercitium misericordiæ, quam promptissime sectabatur. instruxerat etsi modicam, non tamen inutilem familiam, quam tenebat. Pro singularis patris gratia et benignitatis confugio venerabatur ab omnibus, et cunctorum affectibus inter notos, subditos, et finitimos semper amabatur. Non sufficienter ac ordinate vivere, non consulte disponere, nec pie mori se arbitrabatur finaliter, qui consilium beati Petri tanti præsulis evasisset. Attendat quis discretionis libramine moderatus, et in Petro præsule prædicando Marthæ solertis et Mariæ speculantis imaginem non mediocriter admiretur. Decebat ad hæc, ut episcopus patientia præditus, persecutionibus probaretur, et experta sanctitas latius rutilaret prodigiis meritorum.

B

tamen ob quorumdam invidiam rursus discedit,

25 Ex subditis quidam abusores ordinis clericalis Petrum patrem-familias, conservatorem et dispensatorem providum, suspicantes censum, quem in fabrica piis actibus et egentium subsidiis impenderat, ad usum fortasse proprium in thesauris avaritiæ abditum detinere, spiritu invidiæ proditoriæ concitati parietem inter aulam et cameram Viri justi gestierunt pervadere, quatenus, vocato * præsule, manus apponerent ad ea, quæ miserabiliter cupido suggerebat : quod dum Pastori pervigili, spiritu revelante, innotesceret, suscitato cubiculario sacerdote, cum eo descendit per aditum, quo peregrinos et pauperes assuevererat visitare, soliciteque paratis evectionibus Romam tendere disponebat, gratia cedendi scandalo [ibi] finaliter moraturus. Proficiscitur deinde beatus Petrus, uno pedestri famulo præcedente.

* In necato?

et miraculo ac monitione S. Magni revocatur,

26 At beatus Magnus indigne ferens episcopi sui discessum, janitori claustri ecclesiæ, nomine Andreæ, pedibus, tibiis, et altero lacertorum [ita] contracto, quod vix baculo sustentatus incederet, per visum noctis apparuit mandans, ut citius pergens revocaret Episcopum abscedentem, indicavitque locum versus urbem, ubi Andreas Episcopum revocandum attingeret; dum autem se per impedimentum clauditatis janitor excusaret, beatus Magnus trepidanti sibi intulit: Surge festinus; divina potentia sanavit te meritis Episcopi, et ex hoc ipsius beneficium properans recognosce. Gratias agens Andreas, saltibus alacer prosilivit, et destinato loco, diluculo lucescente, prævidit Præsulem præcedentem. Comitibus acclamatis, vox sequentis noscitur viatoris. Substitit Episcopus et in janitoris accessu cognovit ipsum prodigialiter solidatum; ibidem vero pertingens Andreas procidit, et sancti Patris pedibus osculatis, quod contigerat, retulit et ostendit, beati Magni revocatoris imperiis patefactis.

C

qui ad urbem rediens

27 Petrus autem stupens et credens, comitem et famulum sic affatur : Volvitur navis periculosis impulsibus, frater, sic resistendo Spiritui. Redeuntes tentationibus exponamur, et pœnitentes, in eo, quod gessimus male, obviando, sumamus vigorem spiritus, et martyrium expetamus, Domino disponente, quoniam veniet cum tentatione proventus. Interim causa cognita noctu discedentis [Præsulis] cives universaliter conturbavit, et confudit plurimum conspirantes. Hora porro sequenti sexta prætaxatus janitor gaudens regredientem præcedebat Episcopum, quem [cum] dudum contractum, nunc pedestrem solide incedentem, quotquot in civitate Anagnia commorabantur, conspicerent, concurrebant mirantes, et contigisse Præsulis sacratissimi sanctitate nullatenus ambigebant; quibus comitantibus et Christum attolentibus laude, cum fama resona civitas regredienti Pontifici universaliter obviavit. Una devotione regredienti Patri subditi congaudebant, et in contracto sanato perfectius prodigiale Patris meritum attolebant; quorum opinionum et vocum attolentiam benigne Petrus, indicto silentio, compescebat [dicens,] miraculum non suis, sed beati Magni, meritis factum [idque confirmabat] janitoris testimonio certissime [cupiens] laudes populares evadere. EX MS.

magno plausu excipitur,

28 Intratur procedenter civitas, [et itur].... ad cathedralem ecclesiam...., ubi confectam clinico et curvo morbo chronico, nomen Lisam, matronam dudum notam invenit, medicorum auxilio destitutam, etsi pro recuperanda sanitate plurima expendisset; quæ fama episcopi concitata redeuntis, importuna familiæ, cum lectulo secus viam ponitur, unde Præsul erat mirabilis transiturus, sperans ipsius ope doloris languidi aliquale remedium obtinere. Transeuntem Episcopum inter familias fertur taliter adjurasse : In Dei virtute, beati Magni et Secundinæ adhortatu, Pater piissime, ut [agatur mecum] sicut actum est cum janitore Andrea, divinam pro me misera non differas, deprecor, clementiam implorare. Sanctus ad hæc Petrus miti compassione subsistens, Trinitatis prætento signaculo, cœlum respiciens, cœpit morbidam inclinatus [ita alloqui :] In virtute, inquit, sanctæ et individuæ Trinitatis, beatæ Dei Genitricis et virginis Mariæ, beati Magni, et quorum in eorum basilica corporum reliquiæ quiescunt, surge Lisa, una nobiscum Deo et Sanctis ipsis propera in eorum loco reddere gratias et honorem. Jamque nil passa, dudum infirma, procidit Episcopo, et sana prosiliens, mirantibus turbis et procedentibus, locum ingreditur publicæ stationis.

E

et varia patrat miracula,

29 Obviat fama virtutis [et] clericorum processio devota, et Pater lætabunda devotione suscipitur; præcedentium pacis osculo reverente [et] charitatis amplexibus venia imploratur, et in alterutrum mutuo gratius obtinetur. Introita demum ecclesia hymnis et laudibus resonat, concentu vocum et mentium efficitur communis lætitia. [Omni genere] religionis, sexuum et ætatum resultat civitas, et a diœcesi concurrebant homines, certam fiduciam obtinentes, quod impositione manus Viri Dei salutem ex diversis languoribus reportarent; inter quos dum quidam offertur obsessus, et in oratorio dum fusa coram altari oratione impositaque manu, simul ab oratione surgitur, pristinæ saluti redditur obsessus, et spiritus abscedens fugatur. Mentis resonat et oris jubilo Salvatoris nostri prodigialis virtus et pietas, quæ Petrum venerandum antistitem supra firmam petram sanctitatis proposito solidavit, ut a conformitate vestigiorum Principis Apostolorum ultra Præsul jam sortiretur pro meritis in miraculis dignitatem.

F

post quæ biographus personam ipsius describit.

30 Et ut tanti Patris qualitas, et habitus personæ in speculatione refulgeat, et devotionis memoria; erat proceritatis statura mediocris, visu

gestuque

EX MS. gestuque præstabilis, hilaris facie; nec macie, nec carnositate notabilis, nisi quantum per abstinentiam factus est; in sancto pallore decorus, promissa barba canitie venerandus, sermone verecundus et affabilis. Vox erat sibi mediocris, nec silentio debilis, nec robusta clamoribus : recti suasor, oculis lætus, honestæ blanditiæ, incessus nec velocitate nec tarditate notandus, nulli per actus displicuit, justus sine aliqua acceptione personarum, nulli, quod pœniteat, prolocutus. Beatus revera, quem nulla violentia immutavit, neque tumidum fecit superbia, nec iracundia spiritus inflammavit, nec ipsum contra subditos vel aliquem inquietavit rapacitas; non hunc stimulavit crudelitas; non præcipitavit libido, nec ambitio delectavit. Dilector exstitit secreti et solitudinis, ubi nullo sinistri calore, neque nocuo subderetur accessu; sed ubi suimet persecutor efficitur, et carnis propriæ contemptor et domitor. Postposito cultu mundissimus,.... factus domicilium virtutum, Deo fixus, et suæ gloriæ contemptor, pacis templum, spiritu Dei plenus. Excelsi vestigiis redditur nimirum si-
B milis et conformis, in cujus lege continue meditatus, [voluntatem ejus] ipse exactissime observavit.

ANNOTATA.

a Stolus *vel* Stolium *a voce Græca* στόλος, *significat classem. Additur autem* navali, *quia interdum eadem vox pro exercitu terrestri accipitur, sicut Itali dicunt* stuolo *pro quibusvis copiis militaribus, ut apud Cangium in Glossario videre est.*

b *Hæc profectio Boamundi passim refertur ad annum Christi* 1097, *quod tempus etiam confirmatur ex sequentibus, cum Hierosolyma anno Christi* 1099 *a Christianis intercepta fuerit.*

c *Non capio, quomodo* S. Petrus *hoc tempore invenerit Constantinopoli eumdem imperatorem, ut hic innui videtur, cum Michael Ducas diu antea imperio spoliatus fuerit a Nicephoro Botoniate, post quem tunc temporis Alexius Comnenus imperabat, ut apud historicos Græcos et Latinos passim narratur.*

d *Hæc etiam cum novo Rogerii regno non facile conciliantur: nam Rogerius dudum ante captam*
C *Hierosolymam præfuit Siciliæ, sive de Rogerio, Roberti Guiscardi fratre, sive de homonymo Roberti filio id intelligatur.*

e *Neque hæc chronologia cum antecedentibus cohæret: si enim* S. Petrus *anno Christi* 1074 *fabricam ecclesiæ absolverit, quomodo antea cum Boamundo in Syriam trajecit, et interfuit obsidioni urbis Hierosolymitanæ, quæ primum anno* 1099 *a Christianis expugnata est?*

f *Diœceta, Græce* διοικητής, *apud scriptores medii ævi significat præter alia administratorem. Hic, certo pro administratore diœceseos seu episcopo ponitur.*

CAPUT III.

Sancti morbus, prophetia, mors, sepultura, successores, et nonnulla miracula.

Sanctus ægrotans canonicos suos convocat, Cum autem destinaretur cœlitus, ut Vir virtutum opifex de incolatu seculi vocaretur ad patriam, de laboribus ad quietem, et jam civis angelicus Superum potiretur consortio, interem- D
ptus venerabili senio, et æstivo tempore febrili morbo correptus, strato procubuit, nullo notabilis murmure præ doloribus seu querela. Vocatis deinde canonicis sive sociis suis : Finem meum, inquit, Christo dominante*, percepi, quem vobis, fratres in Domino, pro honore saltem, quo dilexi [decorem] vestræ matricis ecclesiæ, recommendo. Et ne cum virtutibus ceteris privaretur spiritu prophetiæ, subintulisse dicitur: Episcopum, quem habebitis per Ducem septiformem *a* ad provisionem successoris mei in episcopali sede, primicerium archipresbyterum et vicedominum ecce vobis divina dispositio præparat... *a*

* *an denuntiante?*

eisque varia prædicit, 32 Manu tenere satagite fideliter honorem sanctæ matricis ecclesiæ Anagninæ, quam fundatam primitus Apostolicis fundamentis, reparatam subventione dispositionis supernæ, amplian dam et exaltandam spiritualibus et temporalibus hospitiis per incrementa successiva pacis atque concordiæ (fructus utique caritatis) iterum suadeo, et statuo testamentum. Venerandum Brunonem, Signensem episcopum, pio instinctu, luce reddita, venientem, dignis suffragiis meum obi- E
tum commendaturum, in Domino prosequimur, et ipsius honorem ac congruenter sanctitatem [vobis commendamus, ut sitis illius cum] Sanctis post Christum et Virginem genitricem devoti veneratores. Memores sanctorum pignorum et corporum, in basilicæ vestræ gremio quiescentium, ne omittatis Redemptorem pro largientibus subventionem ecclesiæ continuis exorare suffragiis.

ac receptis Ecclesiæ Sacramentis, pie moritur 33 Sacramentorum viatico deinde summa veneratione percepto, junctis sursum manibus, quantum valuit pro ecclesia, clero et populo oravit sibi commissis, et salute fidelium totis votis ad Dominum, et sic inter religiosorum sacerdotum et sociorum manus, Redemptori spiritu commendato, ætate quidem, nec minus Spiritu Dei plenus, e seculo migravit ad cœlum : in cujus obitu nocturnis exordiis in expressionem sanctitatis Viri, signa ecclesiæ per se mirum consona dedere tinnitum. Obiit autem beatus Petrus episcopus tertia die mensis Augusti *b* anno Domini *b*
millesimo centesimo quinto, anno sexto Pontificatus D. Paschalis Papæ secundi. Rexit ac provexit Anagninam ecclesiam in gratia Dei et Sedis Apostolicæ annis plus minus tribus et qua- F
draginta.

et honorifice sepelitur. 34 Fragrantia quidem ex beati Viri corpore manans suavis sanctitatem ipsius comprobabat ; ad cujus obitum revera mirificum civitas ad pueros usque convenit; et hi patrem, illi vero alumnum ; alii autem singulorum auxilium, consultorem, et civitatis præsidium amisisse se, lacrymis querebantur: sed salute languentium undique concomitantium solvebatur [dolor eorum, et] in aspectu piæ multitudinis corpus almificum suaviter soporatum potius, quam exstinctum existimabatur. Bruno vero Signensis episcopus prælibatus dum in ecclesia B. Petri... suæ civitatis nocturnis silentiis orationibus excubaret, ex specula cernens accensam lucem super civitatem et ecclesiam Anagninam, et cœlestium in aere cantilenam, præsagatus * obitum sancti Petri, clientelam solicitat, et subvectionibus præparatis Anagniam properavit : post piæ compassionis lacrymas obitum B. Petri præsulis Salvatoris omnium dignis commendavit obsequiis *, et infra ecclesiam suis et sacerdotum manibus honorifice tradidit sepulturæ. Postmodum vero [apud] congregatum clerum et populum, ut omnes admodum orbatos

* *id est præsagiens*

* *forte exsequiis*

A a materia doloris suspenderet, de probitate vitæ, fructu operum, nec non prodigioso fine [disseruit], sermone disertissimo *c* et beati Viri meritum commendavit. Post tempus tandem de ipsius vita, et actibus gloriosis, auctoritate sancita, tractatus edidit, et tradidit ecclesiæ Anagninæ. Etsi mirum, fide tamen certum attenditur, quod Petro prædicabili Dei servo, et præsidium [ejus implorantibus] reverenter, ac diligentibus Deum omnia cooperantibus in bonum; et ipse, qui suos consolatur, in servis est mirabilis, et magnificatur in Sanctis, in cujus conspectu mors Sanctorum ejus, quæ vitam æternam inchoat, redditur tam virtutum exemplis, quam miraculis pretiosa.

Blasphemus quidam clericus

35 Post obitum almi Præsulis gloriosum, dum ad ipsius tumulum a diversis regionibus convenirent claudi, morbidi,... obsessi, et multi de pietate cœlica sanarentur, ac inde pro laudibus concursus fieret fidelium, et sonitus campanarum, quidam non meritis, sed falso corporis habitu, clericus ex reliquis detrahentium Viro sancto una cum brachio dextro extensum sursum indicem [elevavit, et] pro relatione miraculorum et B laudibus in sanctum Dei Petrum detestabiliter intulit: Si sanctus est iste, et, quæ de ipso dicuntur, sunt vera miracula, digitum hunc meum, si valet, claudificet. Ad cujus imprecationem detestabilem index ipsius cum lacerto protenso vehementi dolore protractus inflexibiliter adeo riguit, ut nullo modo brachium et indicem in statu valetudinis reclinare valeret.

clementer punitur,

36 Per plateam ante matricem ecclesiam discurrens, velut amens, gemitibus murmurabat expetens, ut per remedium aliquod a circumstantibus juvaretur; sed deplorandum se et miserum exclamans, introducitur tandem sana deliberatione piæ mentis adstantium, qui sui proterviam noverant et beati Viri venerabantur in Domino sanctitatem, coram ipsius mausoleo, seque reum detestabilis imprecationis agnoscens, precibus et lacrymis convenientium recuperavit clericus officium artuum confractorum; sed quoad vixit, dolorum ipsorum quantalibet sentiebat vestigia, ut forte compungeretur attentius, rancore * pristino minime sublato. Miranda est in servis iis, quos decrevit amicos Redemptor, pietatis dilectio, ut ad eorum vestigia detractorum perversi- C tas [humilietur] et ad ipsum salutis et gratiæ patrocinium asseratur.

* *id est* dolore

et S. Petrus ab episcopis successoribus suis honoratur,

37 Quamvis contra vitam et beati Petri gesta invidi quidam insurgerent, a strenuitate miraculorum et famæ gloriosæ beati Petri remanserunt confusi. Successit autem beato Petro juxta ipsius præsagium Oddo *d* primicerius; qui Oddo successor modico tempore tenens ecclesiam, obiit; cui successit Petrus *e* archipresbyter, qui nobilitate sanctitatis et vitæ, pastoralem solicitudinem exornavit. Hic beati Petri confessoris et episcopi corpus, miraculis lucidum, revelatione devota et sancitu* domini Paschalis Papæ secundi cum hymnis et laudibus in catacumbis inferius transtulit, et juxta beatum Magnum mausoleo collocavit. Hic etiam Petrus successor cum Alchimo* et Alimano episcopis, pro guerrarum* desolatione propriis dejectis sedibus, [et] hospitalis gratia ab ipso Petro receptis, domino Paschali prædicto Anagniæ residente, de translatione beati Magni Verolas, deinde Anagniam, et miraculis ipsius Anagniæ factis codicem conscriptum contulit, et reliquit. Rexit amplo tempore ecclesiam et in pace quievit; cui successit Oiolinus *f* vicedominus, in præsulatu sedis Anagninæ tertius a beato Petro, qui ipsum veneratus, ecclesiam competenti tempore rexit, feliciter vitam et actus cum ipsa decorando. Felix opus et grata successio beati Patris sacerrimi sacerdotis, ut in trino successore nunc præsagato cultor agnosceretur exactissimus Trinitatis, et penes posteros trino et digno successionis ejus testimonio virtutum ejus opinio probaretur.

* *alias* sancta

* *alias* Aldisino

* *id est* bellorum

EX MS.

cujus intercessione filiolus cujusdam matronæ, g

38 Adjiciendum digne creditur ad præmissa, quod plurimis a beati Petri confessoris obitu decursis temporibus *g*... ipsius meritis mirandum occurrit. Ex latere sane dormientis matronæ nobilis, aniculus, [qui] et unicus nutriebatur, puerulus cecidit, forte custoditus incaute: quem cum expergiscens recollegisset stupida vagientem, reperit ipsum confractis ossibus contra gulam, per frusta tantum pellicula livida remanente... se miseram matrona primitivæ et unicæ prolis excidio lacrymosis ploratibus acclamabat. Præ dolore vulneris exitialis, quod tactus evidentia a vagitu pueri continuo noscebatur, desperatus a medicis restaurandæ salutis infantulus, matronis et obstetricibus [jam moriturus videbatur]. Dolens et gemebunda matrona, ob jacturam suæ sobolis quo magis dolore afficitur, consolatur incassum. Dirigitur tandem Deo favente lugubris mater ante mausoleum, ubi corpus beati Petri episcopi quiescebat. Die vigiliarum festivitatis ejusdem sauciatum et vagientem bajulavit infantem, ipsumque parens Confessori beato mentis affatibus recommendans: si sanitati restitueretur, ipsum etiam Sancti mancipandum servitio firma dispositione promisit. E

quæ opem ejus imploraverat,

39 Completis vespertinis laudibus, retulit domum mater infantem, et post crepusculum noctis instantis ipsum in cunabulis flebilem collocavit: ipsa vero domina modico somno contacta fuerat; cumque fessa gemitibus evigilasset trepida, quia vagientem puerum non percepit, exitum suspicans, suscitato conjuge cum lumine pariter infantem oculis apertis conspexerunt, risu placido parentibus sanitatem indicantem. Ubi autem parentes ejus palpatu loca vulnerum solida cognoverunt, nec infantem proinde in aliquo trepidare, sanctum Confessorem et Præsulem exultationum laudibus extulerunt, ipsa matrona firmiter asserente, quod in specie senis gratissimi, ne timeret de puero, per visionem somnii modici Pater almificus veraciter indicaret. F

mirabiliter sanatur.

40 Dies festus redditur a parentibus et proximis; puer autem ad sarcophagum cum cereis et luminibus deportatur, et in portentum restauratæ salutis infantuli divina Majestas in Confessore saluberrimo collaudatur. Postquam vero puer convaluit, et habitum clericalem disciplinatus assumpsit, per ipsam matrem [ei] indicatur, ut se recognoscat beato Petro confessori et præsuli devotum ob restauratam in ipso mortalis vulneris in ætate tenera sospitatem: qui juxta posse postmodum laudes sancti Confessoris non tacuit, ipsum devotissimæ mentis affectibus prosecutus, [et] præmiis etiam amplis. In beato Petro confessore et episcopo divina etiam justitia [extollenda est laudibus], quæ pro sanitate fidelium mirificavit bonitate virtutum et fidei Sanctum suum.

ANNOTATA.

a *Per* ducem septiformem *hic intelligi existimo Spiritum sanctum, qui in vulgari hymno* septiformis munere *appellatur.*

b *Illustris-*

EX MS.

b *Illustrissimus Fontaninus in Codice canonizationum pag.* 10 *in titulo notat,* die IV Augusti *obiisse* S. Petrum, *quamvis Martyrologium Romanum, ac ipsum canonizationis diploma, quod supra in Commentario prævio dedimus, cum Actis nostris consentiant, et tertiam Augusti diem morti ejus assignent. At forte is error typographo adscribendus est.*

c *Non videtur S. Bruno Signiensis hæc et similia de se ipso scripsisse, ut in Commentario prævio breviter indicavi.*

d *De hoc Oddone Ughellus tomo* 1 *Italiæ sacræ in editione Veneta col.* 309 *meminit.*

e *Occasione hujus Petri in editione Veneta Italiæ sacræ, columna proxime citata, profertur fragmentum Actorum, et ibidem dicitur anno Christi* 1117 *interfuisse consecrationi ecclesiæ Prænestinæ.* D

f *Italia sacra loco mox citato eumdem Ojolinum memorat.*

g *Opinor, hoc miraculum, quod* plurimis a beati Petri confessoris obitu decursis temporibus *contigisse dicitur, a sancto Brunone Signiensi non esse conscriptum, cum hic anno Christi* 1123 *obierit, ut tomo* IV *Julii pag.* 476 *in commentario prævio ad ejus Acta* § 3 *num.* 21 *et sequente probatum est.*

DE S. WALTHENO ABBATE

ORDINIS CISTERCIENSIS

B
G. C.

IN SCOTIA.

E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Immemorabilis sancti cultus ex variis monumentis probatur.

ANNO MCLIX AUT MCLX.

In *Melrosensi Scotiæ monasterio, cujus situm Bollandus noster in Actis S. Boisili ad diem* XXIII *Januarii descripsit, et de quo Gaspar Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 14 *et sequente fusius agit, ultra medium seculi duodecimi obiit* S. Walthenus, *quem alii* Wallenum *sive* Waltherum, *vicinisque hujusmodi nominibus appellant, ut per decursum hujus Commentarii prævii apparebit. Hoc loco sanctus ille abbas tum in vita tum post mortem multis miraculis claruit, et variis ægris, opem suam implorantibus, prodigiose beneficium sanitatis contulit, quemadmodum patebit ex Actis, ab auctore suppari conscriptis, quæ post hunc Commentarium ex duobus apographis Mss. inter se collatis edemus. Cum autem ignoremus, an in Scotia adhuc supersint aliqua antiquæ venerationis vestigia, vel an post proscriptum ibidem publicum Catholicæ religionis exercitium sacræ istius Viri reliquiæ alio translatæ fuerint, immemorabilem hujus Sancti cultum ex Menologiis eruemus.*

Sanctus a plerisque Martyrologis in Scotia,

C

ab aliquibus in Anglia

2 *Præter supparem Actorum scriptorem et Capgravium, qui de antiquo* S. Waltheni *cultu testantur, Grevenus eumdem sub nomine* Walteni abbatis et confessoris *post alios Sanctos Auctariis Usuardinis inseruit, ut in Usuardo nostro illustrato ad diem* III *Augusti videre est. Greveno, de quo præfatio nostra ad citatam Usuardi illustrati editionem pag.* XLVIII *consuli potest, inter Martyrologos ætate proximus aut synchronus est Richardus Whitfordus, monachus Anglus, cujus Martyrologium Londini anno Christi* 1526 *Anglice excusum est, in quo monasticam professionem, virtutes et miracula* S. Waltheni *breviter memorat, eumque etiam Eboraci in Anglia honoribus Sanctorum affectum fuisse innuit, dum ad diem* III *Augusti in annua illius festivitate solam hanc urbem recenset. An forte ibi singularem cultum obtinuit, quia in diversis agri Eboracensis cœnobiis aliquamdiu vixerat, vel oriundus erat ex provincia Eboracensi, quam avus ipsius olim possederat, ut in Actis infra dandis videbimus? An forte Eboracum quædam Sancti istius reliquiæ translatæ fuerunt?*

3 *Quæcumque fuerit vera hujus venerationis causa, alii hagiologi eumdem Sanctum passim annuntiant in Melrosensi Scotiæ monasterio, ubi abbatis munere functus est, ac vivendi finem fecit. At Joannes Wilsonus in Martyrologio Anglico, quod anno Christi* 1608 *edidit, die* III *Maii Sanctum nostrum sub nomine* Walteri *commemorat, et in Anglico ipsius elogio monasterium Melrosense in Northumbria ad confinia Scotiæ perperam collocat, cum juxta mappas geographicas et varios topographos illud Scotiæ in confiniis Northumbriæ adscribere debuisset. Martyrologus iste etiam hallucinatur, dum nimis incaute Leslæum secutus asserit, sanctum illum Abbatem Melrosensem ex Davide Scotiæ rege natum fuisse. Verum similes ipsius aliorumque errores infra detegemus.* F

annuntiatur,

4 *Hactenus Wilsonus unum dumtaxat* S. Walthenum *sive* Walterum *prudenter annuntiaverat; sed in secunda Martyrologii sui editione, quod anno* 1640 *cum quibusdam additionibus ac mutationibus Anglice excusum est, ex hoc eodem Sancto duos fecit: nam die* III *Maii illum sub nomine* S. Walteri *celebrat, et tamquam filium Davidis Scotiæ regis elogio exornat; tertia autem die Augusti eumdem sub nomine* L. Waltheosi *(Anglice* Waltheof*) tamquam diversum annuntiat, et ibidem tradit, illum Simonis Huntingtoniæ comitis filium fuisse. At is bonus vir ab aliis in errorem inductus est, ut paragrapho sequente videbimus. Interim in Martyrologio suo ad rem nostram addit, memoriam hujus Sancti in toto Scotiæ regno celebrem esse, ibidemque olim exstitisse multa sacella et altaria in honorem ejus erecta, quæ hostes Catholicæ fidei cum summo Christiani orbis dolore nunc destruxerunt.*

ubi immemorabilem cultum habuit;

5 *Neque* S. Walthenus *talia publicæ venerationis monumenta tantummodo habuit, sed etiam ab Apostolica Sede solenniter catalogo Sanctorum adscriptus est, si credendum sit Claudio Chalemoto,*

imo solenniter in catalogum Sanctorum relatus

qui

A *qui ad diem* III *Maii in Menologio Cisterciensi annuam istius canonizationis memoriam celebrat his verbis :* In Scotia, adscriptio seu canonizatio publica sancti Walleni Mibrasensis *(haud dubie* Melrosensis *dicere voluit)* olim abbatis, facta ob ingentia miracula, ad Sancti hujus tumulum patrata, et purissimam vitam, quam olim ibidem duxit. *In margine citat Arnoldum Wionum, qui in Ligno vitæ lib.* 4 *cap.* 24 *sub finem de eodem Sancto hæc habet :* Tandem multis editis miraculis, in Divorum societatem est adscitus quinto Nonas Maii. *Utinam alteruter aliquod authenticum solennis hujus canonizationis instrumentum aut saltem antiquum testimonium protulisset!*

dicitur a Chalemoto.

6 *Attamen Chalemotus ad diem* I *Augusti in memorato Menologio eamdem solennem canonizationem rursus Sedi Apostolicæ confidenter adscribit, postquam præcipua* S. Waltheni *gesta redegit in compendium, in quo Sanctum ex Scotia in Angliam transfert, nomenque ejus mutat, ut liquet ex eodem elogio, quod ad clariorem sequentium intelligentiam hic transcribimus :* In Anglia sanctus Wallerius Melrosæ abbas, qui genere et sanguine regio B ortus ac pietate ab ipsis incunabulis deditus, apud Kirkeam primo Regularium Canonicorum Ordinis sancti Augustini cœnobium Christi militiæ mancipatus, sub observantia regulari vitam angelicam duxit; cujus quidem cœnobii ob innocentissimos mores Prior electus ac ceteris aliis præfectus multa cum laude omnibus præluxit opere et exemplo.

qui satis accuratum

7 Sed cum in dies proficeret, et arctioris adhuc observantiæ ardentius desiderium illi accresceret, illico inconsultis aliis Riævallem Ordinis Cisterciensis cœnobium adiit, ubi post solitam probationem ad solennem professionem susceptus suis exemplis omnes ad admirationem sui rapuit. Unde paulo post institutus abbas Melrosæ in Scotia, non nisi invitus oneri se submisit : humiliatus enim et contemptus in claustro semper latere peroptabat, sed obedientia compulsus, dignitate suscepta, non ad delicias, sed ad laborem vocari sese existimavit, sicque in se ipsum severus factus fræno potius quam calcari indiguit, ne nimis corpus frangens duris verberibus cilicio, jejunio, et ceteris aliis pœnis operi succumberet. Largus vero in ægros et inopes exi- C stens, quatuor aliquando millia pauperum, urgente fame, per sex menses non sine miraculo dicitur pane sustentasse, qui vix pro quindecim diebus sufficeret.

Actorum compendium

8 Intentus quoque sæpe sæpius speculationi redemptionis nostræ mysteriorum, in festo Nativitatis Domini inter celebrandum, puerum Jesum propriis manibus, non tantum sub panis specie, sed et sub forma visibili miraculose pertractare meruit, pluribus adstantibus prodigium cernentibus et mirantibus. Cœlos aliquando coram se reseratos et apertos vidit. Miraculis insignis fuit : hydropicis ad eum accedentibus sanitatem restituit; imo multos ægros sanavit, sicque notus propter virtutem et sanctimoniam amplissimas dignitates ei oblatas a rege, sancti Andreæ præsertim episcopatum, respuit, nec acceptare voluit.

Menologio suo inseruit,

9 Demum multis virtutum titulis et meritorum gloria illustris post plura alia pia opera, et suscepta Sacramenta Ecclesiæ, ac plurima data salutaria monita, sancto fine quievit, lacrymantibus omnibus, anno a reparata salute millesimo centesimo sexagesimo tertio, ut testatur ejusdem Sancti historia. Mortuus autem quibusdam religiosis viris suam gloriam ac beatitudinem manifestavit : postea vero ob frequentia miracula, quæ ad ejus tumulum fiebant, solenni ritu ab Apostolica Sede in numerum Sanctorum adscriptus est, et tamquam sanctus colitur. *Facile admittimus, hunc* Walthenum *ab immemorabili tempore in Scotia et Anglia solitos Sanctorum honores obtinuisse; sed non asseremus, illum ab Apostolica Sede solenniter inter Sanctos relatum fuisse, donec fide digniora hujus rei testimonia afferantur. Porro annum mortis, qui in jam relato Actorum compendio exprimitur, alia occasione postmodum examinabimus.*

AUCTORE G. C.

quamvis in assignanda venerationis die ab aliis discrepet.

10 *Chalemotus etiam in assignando mortis ac cultus die ab aliis discrepat, dum in eodem Menologio ad diem* IX *Augusti sic scribit :* In Melrosensi cœnobio depositio beati Walleni abbatis, cujus vitam et præclara acta supra retulimus ad primam Augusti, qua die veneranda ejus memoria recolitur, celebris in Scotia propter miracula, quæ ad ejus sepulcrum erga ægros patrantur. *Nihilominus caute in triplici illa ejusdem Sancti commemoratione vitavit scopulum, in quem alii fere omnes impegerunt, dum variis diebus eumdem* E *Sanctum in Martyrologiis suis tamquam diversum annuntiarunt. Nunc eorum errorem, illiusque originem detegere conabimur : nam hactenus dicta sufficere existimamus ad ostendendum legitimum* S. Waltheni *cultum, qui tamen ex dicendis per decursum, atque ex ipsis Actis infra dandis confirmabitur.*

§ II. Inconsiderata ejusdem Sancti cum altero confusio, falsa multiplicatio aut duplicatio, et hujus postremi erroris origo.

Wionus S. Walthenum Melrosensem perperam confudit

11 *Molanus in Additionibus Usuardinis S. Walterum vel Galterium tertia Maii (erat hæc dies, qua corpus istius sancti abbatis Pontisarensis translatum fuerat) annuntiat hoc modo :* Apud Pontiseram sancti Walteri abbatis. *Hinc Arnoldus Wion minime sibi oblatam errandi occasionem arripuit, dum lib.* 3 *Ligni vitæ in Martyrologio monastico Benedictino die* III *Maii eamdem Molani annuntia-* F *tionem repetit, et ad illam sic notat :* Walteri abbatis sive Gualteri, de quo Molanus in Additionibus ad Usuardum hac die. De eodem agit Joannes Leslæus de rebus Scoticis libro 6 in Davide rege, cujus hic Gualterus filius fuit, qui opimo canonicatu, et episcopatu sancti Andreæ repudiatis, monasterio se inclusit, et vix tandem induci potuit, ut abbas fieret Melrosensis circa annum MCLXXX. *Hic viginti et plurium annorum parachronismus ex infra dicendis ultro apparebit.*

cum S. Gualtero, abbate Pontisarenso in Gallia.

12 *Nescio, qua ratione Wionus moveri potuerit, ut* S. Walthenum *Melrosensem abbatem cum S. Waltero vel Galterio abbate Pontisarensi confunderet : quid enim Pontisara Galliæ ad Scotiam pertinet? Præterea Acta* S. Waltheni *Melrosensis nihil commune habent cum Actis S. Walteri Pontisarensis, quæ in Opere nostro illustravimus tomo* I *Aprilis a pag.* 753 *ad diem* VIII *ejusdem mensis, qua hic e vivis discessit. Unde Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis divi Benedicti lib.* I *observationum ad diem tertiam Maii recte monet sequentia :* Hic sanctus Walterus, filius Davidis regis Scotiæ nihil spectat ad Pontisaram urbem Galliæ inter fines Parisiorum et Normannorum.

Sed

AUCTORE J. P.

Sed Molanus citatus ad hanc diem respexit ad alium Walterum seu Gualterum abbatem cœnobii sancti Martini apud Pontisaram, de quo tractatu secundo nobis agendum erit. *At etiamsi hic illam duplicis Sancti confusionem vitaverit, tamen eumdem* S. Walthenum *perperam duplicavit, ut postea dicemus.*

quem errorem cæce amplexi sunt Ferrarius et Dempsterus,

13 *Philippus Ferrarius cæce Wionum secutus est, dum in Catalogo generali Sanctorum die* III *Maii* Pontisaræ in Gallia *annuntiat annuam festivitatem* S. Gualterii abbatis ; *et in notis ad Martyrologii sui textum hæc addit :* David regis Scotorum filius fuit, qui archiepiscopatu sancti Andreæ constanter recusato, factus monachus vix adduci potuit, ut abbas Melrosensis fieret circa annum MCLXXX. De eo Joannes Leslæus lib. 6 de Gestis Scotorum, et Arnoldus Wion lib. 4 Ligni Vitæ. Nominatur et Walterius. *Thomas Dempsterus in gratiam patriæ suæ crassum hunc errorem avide deglutivit, et in Menologio suo Scotico ad diem* III *Maii sic scribit :* Apud Pontiseram Gualteri sancti, Davidis regis filii, qui episcopatu sancti Andreæ contempto, monachum induit, et mira- B culorum gloria resplenduit. *Cautior hoc loco præter morem suum fuit David Camerarius, qui lib.* 3 *de Scotorum pietate, ad diem* III *Maii tantummodo unicum agnoscit* S. Walterum *seu* Gualterum, *abbatem Mailrosensem, quamvis eum perperam filium Davidis regis ibidem appellet.*

qui posterior etiam S. Walthenum multiplicat,

14 *Dempstero non satis est,* S. Walthenum *hodiernum cum jam memorato S. Waltero sive Galterio Pontisarensi confudisse; sed insuper eumdem* S. Walthenum *in Menologio suo Scotico multiplicat, nobisque pro diverso obtrudit, ut Sanctorum suorum popularium numerum augeat. Imprimis die* XXII *Maii illum ita annuntiat :* In Mailros Waltheni abbatis, qui regis filius ex sancta illa et benedicta generatione sanctorum Malcolmi et Margaretæ ortus, episcopatum Sant-Andreanum et archiepiscopatum Eboracensem, cum esset canonice electus, respuit, et indicato sepulcri loco, HIC HIC, inquit, EST REQUIES MEA. Sic multorum miraculorum patrator obdormivit, tam munificus in pauperes, ut cum alimenta monachorum elargiendo consumpsisset, et arcta annona incidisset, fruges horreorum duplicarit.

et nobis fraudulenter eumdem Sanctum sub variis formis exhibet.

15 *Deinde ad diem* XII *Julii de illo sic meminit :* Mailrosiæ elevatio sanctissimi abbatis Waltheni, cujus hortatu sanctus David rex frater monasteria fundarat, ut et frater alius Simon, comes C Albamerlæ, duo monasteria Northamptoniæ in Anglia erexerat, et nepos Henricus, comes Huntindoniensis, ad augendum divinum cultum animum adjecit. *Hic adverte,* S. Walthenum *ex filio Davidis, ut Dempterus supra num.* 13 *asseruerat, fratrem ejusdem regis hoc loco factum esse. Præterea in eodem Menologio Scotico ad diem* III *Augusti* in Mailros Waltheni abbatis elevatio *iterum commemoratur; ac denique ad diem* IV *Augusti rursus sub alia forma sic inducitur :* In Mailros obitus Waltheni senis sanctissimi, et, ut puto, abbatis, regis filii. *At cur hic dubitat, an* S. Walthenus *ille fuerit abbas, quem antea confidenter abbatem appellaverat, nisi ut innuat, sanctissimum illum senem a priori* S. Waltheno *diversum esse, atque ita multiplicando Sanctos Scotiæ, patriam suam illustret, aut potius figmentis suis obscuret? Verum ille fabularum consarcinator jam toties convictus est fraudulentarum hujuscemodi ineptiarum, ut non immerito lectoribus videri possim in referendis ipsius verbis supervacaneam operam impendisse.*

Hugo Menardus,

16 *Quapropter progrediamur ad illos scriptores,* D *qui imprudenter ex uno* S. Waltheno *duplicem sanctum effecerunt. Inter hos primo occurrit Menardus, qui in supradicto Martyrologio suo ad diem* III *Maii hæc habet :* In cœnobio Melrosensi venerabilis Gualteri, filii Davidis regis Scotiæ. *Deinde ad diem* IX *Augusti, mutato nonnihil nomine, eumdem sic annuntiat :* In Anglia *(potius dixisset in Scotia)* beati Walleni abbatis Ordinis Cisterciensis. *Tum lib.* 2 *observationum ad hunc posteriorem Martyrologii sui textum notat sequentia :* Fuit beatus Wallenus filius Machtildis, filiæ sancti Welleni comitis et martyris, qui in Croylandia sepultus est. Ejus pater fuit Simon comes Hungtintoniæ. Primo fuit canonicus in monasterio sancti Oswaldi diœcesis Eboracensis, inde monachus Cisterciensis in cœnobio Ubardone, et in Rievallem traductus, factus est abbas Mailros, miraculis in vita clarus. *Hæc vere conveniunt nostro* S. Waltheno, *qui fuit filius Simonis comitis Huntingtoniensis et privignus Davidis regis Scotiæ; sed ille idem est cum Waltero superiore, qui perperam filius Davidis regis Scotiæ appellatur, ut infra ostendemus. Menardum, aliosque errantes secutus* E *est Gabriel Bucelinus, qui in Menologio Benedictino* S. Wallenum *a Walthero distinguit, et die* III *Maii ac* IX *Augusti ambos distinctis elogiis exornat, quamvis utrique dignitatem abbatialem in Melrosensi monasterio adscribat. Prætermitto Antonium de Heredia, aliosque scriptores Benedictinos, qui hanc hallucinationem non observarunt.*

et Chrysostomus Henriquezius

17 *Ex Cisterciensibus in eumdem errorem incidit Chrysostomus Henriquez, qui in menologio Ordinis sui ad diem* III *Maii ita scribit :* In Scotia sanctus Gualterus, Davidis regis filius, qui a mundi rebus vanis, fluxis, illecebrarumque plenis, tam alienus exstitit, ut variis dignitatibus, quibus donatus fuerat, repudiatis, etiam episcopatu sancti Andreæ relicto, monasterio se incluserit, ubi cum diu sanctissime vixisset, abbas cœnobii Meilrosensis Ordinis Cisterciensis creatus est, et multis miraculis editis, piissime obiit, et Sanctorum numero fuit adscriptus. *Ad hunc Menologii sui textum in notis ibidem asserit, istum S. Gualterum fuisse,* quem David Scotiæ rex ex secunda uxore suscepit, et ab ipsa infantia sanctis moribus educari curavit; eumque canonicatu sancti Oswaldi, et prioratu de Kirkhanni honori- F fico et amplissimo donavit, et tandem ad episcopatum provexit; quæ omnia reliquit, ut Cisterciensi ordini nomen daret. *At quomodo rex Scotiæ David eum* ex secunda uxore suscepit, *cum ille tantummodo habuerit unicam uxorem Mathildem, viduam comitis Simonis, et* S. Waltheni *nostri matrem, ut postmodum dicemus?*

ex uno eodemque S. Waltheno

18 *Henriquezius in iisdem notis conqueritur de Arnoldo Wiono, eo quod in Ligno Vitæ dicat, illum S. Gualterum fuisse Benedictinum, nulla Cisterciensis Ordinis mentione facta, cum tamen constet, Melrosense cœnobium a temporibus S. Bernardi ad Cistercienses pertinuisse, ut ipsemet sanctus in Vita S. Malachiæ cap.* 15 *testatur. Tunc ibidem subdit testimonium S. Bernardi, quod in Coloniensi operum ejus editione, quæ studio et labore Jacobi Merloni Horstii anno* 1641 *prodiit, tomo* 4 *pag.* 131 *sic legitur :* In ipsa urbe Eboracensi accedit ad eum vir nobilis secundum seculum, Wallelvus nomine *(intellige* S. Walthenum *vel* Wallenum *nostrum, ut ex Actis ejus infra dandis constabit)* tunc Prior in Kirkeham regularium fratrem; nunc vero monachus et monachorum pater in Mailros monasterio Ordinis nostri, qui devotus

Mala-

A Malachiæ se orationibus satis humiliter commendavit. *Hisce subjungitur historia de equo, quem* S. Walthenus *sancto Malachiæ dedit, et qui prodigiose mutatus est, ut inferius in Actis nostris num.* 27 *et sequente narrabitur.*

duplicem Sanctum

19 *In memorato Ordinis Cisterciensis Menologio ad diem* IX *Augusti Henriquezius eumdem Sanctum, tamquam diversum, annuntiat his verbis :* In Scotia beatus Wallenus, sanguinis splendore nobilissimus, qui ex canonico regulari monachus Cisterciensis effectus, in abbatem Meylrosensem electus fuit. Rigidissimus exstitit sui corporis castigator. Famis tempore granum, vix pro duabus septimanis sufficiens benedixit, et non solum fratribus, sed et quatuor pauperum millibus per tres menses abunde suffecit. Divina redemptionis nostræ mysteria, cœlesti revelatione ad vivum expressa, inter psallendum contemplatus est. In Natali Domini Missam celebrans, puerum Jesum in manibus suis corona aurea gemmis stelliferis rutilante, redimitum vidit, qui sereno vultu blandoque manuum applausu caput et faciem ejus contrectans demulcebat, et quasi caput capiti et os
B ori applicans oscula crebrius imprimebat. Cœlos inter orandum apertos vidit. Dæmonem, qui eum terrere conabatur, fugavit. Hydropicos solo tactu sanavit. Episcopatum sancti Andreæ sibi oblatum respuit, et tandem signis et virtutibus insignis obdormivit in Domino, etiam post mortem miraculis admirandus.

imprudenter effecerunt,

20 *Satis mirari nequeo, quod Henriquezius hoc loco errorem suum non deprehenderit, quandoquidem hic etiam supradictum S. Bernardi testimonium allegat. Quomodo sibi persuadere potuit, eamdem S. Bernardi narrationem ad diversos Sanctos spectare? Quomodo eamdem melliflui sui Patris verba utrique Sancto, tamquam distincto, accommodat? Præterea hoc loco in notis ad repetitum sancti Doctoris textum observat sequentia :* Vocat eum virum nobilem secundum seculum, quia fuit filius Simonis comitis Hungtinthoniæ et Malcolmi ac Guilielmi regum Scotiæ avunculus : nam mater ejus Machtildis post mortem Simonis nupsit David regi Scotiæ, de qua idem rex Gobertum *(debuit dicere Henricum, quem solum David ex vidua Simonis suscepit, et qui ante patrem suum obiit, ut Scotica testatur historia)* comitem, patrem duorum
C regum Malcolmi et Guillelmi procreavit. *Hic recte dicit,* S. Walthenum *seu* Wallenum *ex Simone comite et Mathilde natum esse; sed eumdem superius perperam appellat filium Davidis, quem hujus privignum nominare debuisset.*

et licet Angelus Manrique hunc errorem correxerit,

21 *Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1160 *cap.* 4 *num.* 9 *hanc erroneam ejusdem Sancti duplicationem recte corrigit, et hallucinationem Henriquezii aliorumque indicat his verbis :* Ex hac abbatum Meilrosensium serie, quæ ex Actis S. Walleni plane constat, haud dubie cæcutire convincuntur, qui ex uno duos Wallenos faciunt abbates Meilrosenses ex Rievalle; quo per eosdem prorsus gradus, atque ex eisdem (quod majus est) parentibus pervenerint : nisi quod alterum Wallenum vero nomine, alterum irrepente per errorem Thomas Dempsterus et Arnoldus Walterum dicunt. Utrumque sequitur Henriquez in Menologio, ubi Walterum quinto Nonas Maii; Wallenum quinto Idus Augusti memorat. Errandi occasio solum nomen fuit diversimode inversum. Cetera eadem : Comes Simon parens, Mathildis mater, David Scotus vitricus; educatio in aula; inde canonicatus sancti Oswaldi, Prioratus de Kirkeam, monachatus, et abbatia Meilrosensis; quin et vocatio ad sedem Sant-Andreanam; ut mirum sit, hæc omnia conferentes potuisse ex solo nomine dividere, quem eumdem tot alia comprobarent.

tamen postea Augustinus Sartorius

22 *Augustinus Sartorius non videtur hoc loco legisse Angelum Manrique, quem tamen alibi sæpius citat : nam in Historia elogiali Ordinis sui, quam* Cistercium bis-tertium *appellare voluit, et quam Vetero-Pragæ anno* 1700 *edidit, adhuc eidem errori adhæret, dum ibidem titulo* XVI *seu pag.* 422 *sic scribit :* Ex eodem culmine sedis archiepiscopalis sancti Andreæ in Meilrosense cœnobium descendit tertius Scotiæ princeps, sanctus Gualterus, regis Davidis filius. Præsenserat is in Meilrosa ob nominum forte affinitatem latere mel et rosam. Itaque melliflui Bernardi patrocinio felicem familiam domumque ingressus, in melle delicias animæ, in rosa invenit coronam gloriæ. Senserunt pariter Meilrosenses ascetæ cœnobio suo in Gualtero lucidissimum plane sidus illapsum esse, Cisterciense cœlum illico magnis fulgoribus illustraturum : quare orbati abbate, virum principem in demortui dignitatem communibus votis subrogaverunt. Ornavit ille spartam E hanc eximiis meritis, Ordinem universum illustravit clarissimis virtutibus, auxitque festos Ecclesiæ dies, post sanctissima fata Divorum adscriptus cœtui.

in eumdem incidit.

23 *Deinde Sartorius titulo* XVIII *sive pag.* 474 *eumdem Sanctum, tamquam a præcedente diversum, exornat hoc elogio :* Spectanda Anglia in divo Walleno, viro inter Cistercienses magno et glorioso, Simonis Huntingthoniæ comitis filio, Malcolmi ac Guillelmi Scotiæ regum avunculo, qui ex canonico regulari factus Cisterciensis in cœnobio de Wardona, subinde e domo illa ad Rievallem sub S. Æilredi magisterium translatus, tandem ab eodem sanctissimo præsule Meilrosensibus præfectus in abbatem, ubique sanctimoniæ suæ famam quam latissime diffudit. Præter curam fratrum solicitabat etiam Viri benignissimi præcordia pauperum miseranda egestas : eapropter et fratribus sese exhibuit abbatem, et egenis mecœnatem, utroque nomine muneris sui rationem mensuramque multa solicitudine affectuque adimplens. *Tum ibidem sequitur epitome gestorum miraculorumque, quam hic omitto, tum quia superius ex Chalemoto et Henriquezio similia* F *breviter relata sunt, tum quia inferius in Actis ea omnia ab auctore suppari iterum fusius narrabuntur.*

Inquiritura: detegitur

24 *At quomodo, inquies, viri minime indocti tam turpiter hallucinati sunt, aut qua actione induci potuerunt, ut ex uno S. Waltheno sive* Walleno *duplicem Sanctum fecerint? Laudatus Angelus Manrique loco proxime citato sic respondet :* Errandi occasio solum nomen fuit diversimode inversum. *Sed præter illam nominis inversionem existimo, Joannem Leslæum huic errori occasionem præbuisse, quando libro* 6 *de Rebus gestis Scotorum refert sequentia :* Scribunt aliqui, Davidem ex vidua quadam Gualteri, aurati equitis uxore, alium filium suscepisse, cui Gualtero nomen erat; quem a rebus mundi vanis, fluxis, illecebrarumque plenis tam fuisse alienum tradunt, ut sacris statim initiatus primum S. Oswaldi canonicatu opimo, ac deinde Kirkhanni Prioratu honorifico invitus donaretur. Hic cum recte cogitaret, nihil virtutis veræ nervos magis elidere, quam otium atque divitias, episcopatu divi Andreæ repudiato, monasterio se inclusit; in quo sepositis ad commentationem certis horis, Deo, ab omni cor-

dis

AUCTORE G. C.

dis corporisque cruciatu immunis, reliquam diei partem impertivit: quoad multorum hortationibus continuisque pene efflagitationibus exsuscitatus abbas Melrosensis crearetur; ad quem honorem evectus, Malcolmo (qui virgo cognominatus fuit) auctor erat, ut quorumdam monasterium fundamenta jaceret. Librum inscriptum REGULÆ ECCLESIASTICÆ est commentatus, tandemque multis editis miraculis, in Divorum societatem ascitus est. *Arnoldus Wionus aliique passim hanc Leslæi narrationem citant, aut exscribunt.*

origo hujus erroris,

25 *Cum itaque lectores hujus relationis sine ullo examine nimis facile crederent, Gualterum illum ex Davide Scotiæ rege natum esse, et aliunde scirent,* S. Walthenum *Simonis comitis Huntingtoniensis filium fuisse, Gualterum et* Walthenum, *tamquam diversos, distinxerunt. Sed forte aliqui scriptores, apud Leslæum generaliter citati,* S. Walthenum *improprie vocarunt filium Davidis, ut nonnumquam mos obtinet, vel Davidem dulciori patris nomine appellarunt, cum tamen proprie hic vitricus, ille privignus esset : nam mater* S. Waltheni *post mortem mariti sui Davidi Scotorum regi* B *nupta est, eique unicum filium peperit, nomine Henricum, qui ante patrem mortuus est, et in quo acerbo casu ferendo constantiam Davidis scriptores Angli et Scoti passim laudant.*

quem Wemyssius noster caute vitavit,

26 *Hæc nonnullorum hallucinatio non fefellit Patricium Ninianum Wemyss, eruditum Societatis nostræ sacerdotem, natione Scotum, qui inter alia patriæ sua monumenta, quæ propria manu illustravit, ad usum Musei nostri collegit Menologium de indubitatis Scotiæ Sanctis, in quo* S. Walthenum *sub variis nominibus ad diem* III *Augusti ita celebrat :* Sanctus Valdevus, Valterus, seu Gualterus MCLX *(sic haud dubie annum mortis designat, de quo postea agemus)* secundus Melrosensis cœnobii, recenter a sancto Davide e fundamentis denuo erecti, abbas sanctissimus, comitis Northantptoniæ *(alii vocant comitem Huntingtoniæ, quæ Northamptoniæ vicina est)* filius. Mater Mathildis post obitum primi mariti nupsit Davidi Cumbriæ principi, qui deinde, fratribus vita functis, solium ascendit Scoticum. Hinc Valdevus erat S. Davidis Scotiæ regis privignus, reginæ filius, Henrici Scotiæ principis frater uterinus, et ex utroque parente Anglus. *Forsan* C S. Walthenus *propter originem Anglicam ab aliquibus Martyrologis in Anglia annuntiatur, quamvis etiam recte ab aliis adscribatur Sanctis Scotiæ, eo quod in illo regno diu vixerit, ac diem extremum clauserit.*

quia antiquis auctoribus et historiæ Scoticæ aperte repugnat.

27 *Quod si aliqui scribant, Davidi fuisse alterum filium, ab Henrico distinctum ; veteribus ac præcipuis Angliæ Scotiæque historicis contradicunt. Nam Guilielmus Neubrigensis, scriptor synchronus aut saltem huic tempori proximus, lib.* 1 *de Rebus Anglicis cap.* 23 *piam Davidis mortem describit, et post alias illius laudes addit sequentia :* Post honorabiles nuptias et thorum immaculatum, ex quo illi unicus natus est filius *(hunc supra eodem capite Henricum nominat, ubi de immaturo ejus obitu agit)* qui simillimis moribus patrem exprimeret, annis plurimis in cælibatu permansit, in piis largitionibus tam profusus, ut præter copiosam dispersionem in pauperes, eleemosynas illius enarrent ab ipso fundatæ, dicatæ, et ornatæ multæ ecclesiæ Sanctorum. *Huic consentiunt plerique scriptores Angli, quos brevitatis causa prætermitto.*

28 *Inter auctores Scotos præcipuus Hector Boethius in Historia Scotorum lib.* 12 *de nuptiis morati Davidis hæc tradit :* Matildem filiam hæredem Voldiosi *(hoc etiam nomine avus* S. *Waltheni nostri interdum appellatur)* comitis Hundintoniæ Northumbriæque et Judith, neptis Wilhelmi Nothi, uxorem beneficio regis duxit. D Qua de re Hundintoniæ ac Northumbriæ comes est effectus. Natus autem hoc conjugio dignus parentibus suis filius, Henricus nomine. *Deinde ibidem post narratam hujus Mathildis mortem, Boethius hæc ad rem nostram subjungit :* Matildis autem conjugis charissimæ decessu David multum dolens, nullas deinceps contrahere volens nuptias, primam uxori fidem ad mortem usque servavit. *Errant itaque illi, qui tradunt, Davidem ad secundas nuptias transivisse, aut ex altera uxore alium filium suscepisse, ut mox ex antiquis Actis nostris infra confirmabitur. Ostenso itaque hoc duplicationis errore, et probabili illius origine detecta, ad discutiendas quasdam Actorum circumstantias progredimur.*

§ III. Scriptor Actorum, nonnulla eorum compendia ; annus diesque, quibus Sanctus obiit, et cœlestes litteræ de instante morte præmonentes examinantur. E

Præter Everardum synchronum, qui Vitam S. Waltheni scripsisse dicitur,

A*pud Dempsterum in Historia ecclesiastica gentis Scotorum lib.* 5 *num.* 479 *Vitam* S. Waltheni *scripsisse dicitur Everardus synchronus, de quo ibidem leguntur sequentia :* Sanctus Everardus confessor et abbas Cisterciensis, Scotus, sancti Waltheni confessarius, et in canonicatu Kirkhan socius, primusque abbas monasterii illius celebris in Cumbria, a sancto Davide Scotiæ rege aut ejus fratre Simone comite fundati, quod de Ulmo dici solet, vulgo Holmecultraine : nam cum in Mailrosensi claustro una cum sanctissimo sene Waltheno habitum induisset, eo ad curam ejusdem loci subsistente, hic in novum monasterium de Ulmo missus, regimen exorsus, cum Henricus filius sancti Davidis cœnobium a patre erectum fundis dotasset, ut loquitur Scotichronicon lib. VI cap. XXXII. Scripsit superstes Waltheno ex indice Maiæ Vitam sancti Adamnani, Vitam sancti Cumenei Albi, Vitam sancti Waltheni. Claruit anno MCXLV. *Quidquid sit de hoc Dempsteri testimonio, cui parum fidimus, ad notitiam aut manus nostras non pervenit illa lucubratio Everardi istius, de quo infra in Actis mentio occurret. Quare de suppari Vitæ Walthenianæ auctore, quem in cœnobio Bodecensi invenimus, hic tantummodo disserendum est.* F

eamdem collegit auctor suppar,

30 *Angelus Manrique Annalibus Cisterciensibus sparsim inseruit aliquot fragmenta Vitæ Walthenianæ, et ad annum Christi* 1160 *cap.* 4 *num.* 7 *de scriptore illius hæc monet :* Vitam Sancti Joscelinus scripsit, Furnesii monachus ; idque post annos aliquot : quippe qui Sanctum assecutus nequaquam fuit ; sed qui, ut non potuerit scribere, quæ vidit, sic nihil se scripsisse, quæ non hauserit ab illis, qui viderunt, testificatur. Scriptam Willermo regi Scotiæ et Alexandro filio consecravit, ac comiti David, sancto Walleno sanguine conjunctis, religione devotis. Scripsit autem Patritii, Meilrosensis abbatis jussu, ut ipse testatur, sed qui morte præventus non potuerit frui mandati fructu. *Ex his aliisque colligimus, laudatum Annalium Cisterciensium scri-*

ptorem

A ptorem Angelum Manrique præ oculis habuisse plane similia S. Waltheni sive Walleni *Acta*, *quæ nos inferius ex codice Bodecensi integra vulgabimus*, *et hinc inde cum editis istius Annalistæ fragmentis conferemus.*

de cujus vero nomine

31 *Non satis intelligimus, quomodo subæqualis iste eorumdem Actorum scriptor constanter* Joscelinus *vocetur ab Angelo Manrique, quia in iisdem Annalibus ad annum Christi* 1168 *cap.* 3 *num.* 3 *indicat, se Acta illa excerpsisse* ex libro perantiquo et priscis characteribus notato, ab illustrissimo Gondomarensi comite ex Anglia, *inquit*, quo non semel a Philippo III legatus fuit, in Hispaniam adducto, quem humanissime nobis communicavit ejusdem filius DD. Antonius Sarmiento, habeturque in ipsius bibliotheca Vallisoleti in membrana descriptus, Walleni inter alia continens Vitam.

lis proponitur,

32 *Si biographus ille in memorato libro Vallisoletano* Joscelinus *appellatur, manuscripta Actorum exemplaria in exprimendo scriptoris nomine inter se differunt : nam in membranaceo codice monasterii Bodecensis juxta duplex ejusdem codicis* B *ecgraphum, quod habemus, idem auctor diserte se ipsum* Jordanum *nominat, dum pro more istius temporis ante prologum illis, quibus lucubrationem suam dedicat, sic bene precatur :* Illustrissimis viris Wilhelmo regi Scotiæ et Alexandro filio ejus, et comiti David frater Jordanus, qualiscumque monachus Furnesii, utriusque hominis salute in Domino potiri, et utriusque vitæ felicitatem sortiri. *Verosimillime igitur in alterutrum codicem error irrepsit ; sed nescimus, uter alteri præferendus sit propter antiquitatem, quæ ex oculata characterum inspectione et mutua utriusque codicis collatione tantum utcumque determinari possit.*

et defectu certioris notitiæ

33 *Neque his tenebris certam lucem affundunt bibliographi Angli, qui scriptores nationis suæ recensent : etsi enim apud illos nullus occurrat Jordanus, tamen inde certo inferri non potest, nullum hujus nominis exstitisse ; quia per decursum Operis nostri deteximus plures obscurioris memoriæ scriptores, quos bibliographi ignorabant. Joannes Pitseus in opere suo de illustribus Angliæ scriptoribus memorat duos Jocelinos, quorum forte neuter huc spectat : nam Jocelinus, cognomento Braclandus, anno* C 1214 *vixit in Buriensi Angliæ monasterio, ut Pitseus in laudato opere ad annum Christi* 1214 *num.* 304 *testatur. Quamvis igitur conveniat tempus vitæ, tamen discrepat monasterium Buriense, in quo Jocelinus ille vixit, cum interim biographus noster clare dicat, se in Furnesiensi cœnobio monachum fuisse.*

indecisa relinquitur.

34 *De altero Jocelino laudatus Pitseus in Appendice ad illustres Angliæ scriptores centuria tertia num.* 40 *sic scribit :* Jocelinus de Furnes, sive is Anglus fuerit natione, sive, quod verisimilius videtur, Cambro-Britannus, erat historicus, ut auctores sunt Joannes Stous et Nicolaus Fizherbertus. Scripsit de Britonum episcopis libros plures. Alia ejus, si qua scripsit opera, uti et tempus, quo vixit, me latent. *Hic quidem cognominatur* de Furnes ; *sed non dicitur fuisse monachus Furnesii, ut noster de se affirmat. Quapropter potuit Jocelinus ille cognomen istud habere ex familia vel loco natali, sicut in Monastico Anglicano tomo* 1 *pag.* 401 Asketellus de Furneys *et pag.* 707 Willielmus de Furnesio *leguntur, qui tamen Furnesienses monachi non fuerunt. Nec minus obscura sunt reliqua, cum Pitseus fateatur, alia hujus scriptoris opera, ejusque ætatem a se ignorari. Quod si biographus noster vere appelletur Jocelinus, probabilissime idem est cum Jocelino, monacho Furnesiensi, qui Acta S. Patricii collegit, et de quo ad diem* XVII *Martii in Commentario prævio ad Vitam S. Patricii* § 4 *plura dicta sunt. Quandoquidem tamen ex his nihil certi possit concludi, titulo Actorum* Jordanum *vel* Joscelinum *auctorem præfigemus, et ulteriorem veri nominis indagationem deinceps Anglis aut Scotis relinquemus.*

AUCTORE G. C.

Ex variis adjunctis colligimus.

35 *Sed etiamsi de nomine biographi nostri non constet, ætatem illius præterpropter colligere possumus ex personis, quas in prologo suo alloquitur, et quibus lucubrationem suam dedicavit. Certo enim ex obitu Wilhelmi regis Scotiæ concludimus, Vitam illam ab auctore nostro conscriptam esse ante annum Christi* 1214, *quo juxta historicos Scotos rex ille mortuus, filium suum Alexandrum in regno Scotiæ successorum habuit. Neque videtur biographus iste diu ante hunc annum* 1214 *scripsisse, cum Vitam illam etiam legendam offerat Alexandro nondum regi, de cujus ætate Hector Boethius lib.* 13 *Historiæ Scotorum apud nos fol.* 285 *tradit sequentia :* Ab eo tempore haud ita E diu supervixit Alexander : correptus enim gravi morbo in Carnere insula, a continenti Argadiæ haud late divisa, brevi post moritur ætatis suæ anno primo et quinquagesimo, et regni tricesimo quinto, salutis vero nostræ supra millesimum ducentesimum quadragesimo nono. *Huic chronotaxi etiam alii scriptores assentiuntur.*

a biographo nostro inter annum Christi 1207 et 1214,

36 *Ex his sequitur, Alexandrum circa annum Christi* 1198 *primo natum esse, et decimo sexto vel decimo septimo ætatis suæ anno post mortem patris solium Scoticum ascendisse, ut retrogradum annorum computum ineunti apparebit. Præterea biographus infra in Actis num.* 137 *sic scribit :* Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo, qui est annus quadragesimus octavus a decessu sancti Walteni, vir vitæ venerabilis Wilhelmus abbas septimus post beatum virum universæ carnis ingressus est viam, etc. *Hinc colligimus, Vitam istam post annum Christi* 1207 *exaratam fuisse. Denique ex his omnibus concludimus, Acta* S. Waltheni *inter annum Christi* 1207 *et* 1214 *ab illo monacho Furnesiensi primum litteris tradita esse.*

fideliter conscripta esse hæc Acta.

37 *Quanta autem fide scriptor ille subæqualis* F *Vitam hujus Sancti collegerit, ipsemet in prologo satis indicat his verbis :* Exhortor et supplico, non solum vos, sed etiam omnes opusculum istud lecturos vel audituros, ut dictis fidem adhibeant, nullaque in eis veritati opposita, sed quod a viris veridicis, senioribus domus Melrosensis omni exceptione majoribus accepi, me scripsisse fideliter agnoscant. *At illi seniores abbatiæ Melrosensis haud dubie vivum* S. Walthenum *novisse poterant, et forte per aliquot annos in eodem monasterio discipuli ipsius fuerant. Unde patet, quantam fidem hæc Vita mereatur. Porro Jordanus seu Joscelinus animum ad eam conscribendam appulit,* petente ac præcipiente domino Patricio, abbate de Melros, sed heu ! morte præmatura prærepto, *ut in eodem prologo testatur. Ex obitu hujus Patricii exactiorem prædictæ scriptionis chronologiam eruere possemus, si accurata abbatum Melrosensium series nobis ad manum esset.*

quorum aliqui synopsin tantummodo noverunt.

38 *Supra laudatus Henriquezius hæc antiqua* S. Waltheni *Acta non noverat ; sed in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib.* 2 *dist.* 26 *cap.* 58 *pro illis exhibet recentiorem Vitæ synopsin,*

AUCTORE G. C.

psin, quam Antonius Gentius ex aliquo transcripsit, ut Cisterciensis ille Fasciculi collector in fine citati capitis testatur his verbis : Ex bibliotheca Rubeæ vallis Canonicorum regularium sancti Augustini, ubi Vita hujus sancti Viri exstat Ms. in tertio tomo Antonii Gentii fol. 212. *Solerter id observavit Angelus Manrique, dum in suis Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1160 *cap.* 4 *num.* 7 *sic scribit :* Lego præterea in Chrysostomo Henriquez, ejusdem Sancti Vitam scripsisse Antonium Gentium, qui Ms. habetur in Rubra valle, et quam ipse transcripsit in Fasciculo; sed qui compendium scriptæ a Joscelino potius dederit, et aliqua narratione digna omittat. *Illud ipsum Vitæ compendium, quod ex antiquo codice diœcesis Cornubiensis in Britannia Armorica descriptum fuerat, anno Christi* 1665 *ad nos transmissum est ; at Henriquezius, aliique ignorabant, eamdem Actorum epitomen a fol.* 293 *verso exstare in Legenda Sanctorum Angliæ, quæ anno* 1516 *Londini typis excusa est, et quam Capgravius expilasse dicitur ex volumine Joannis de Tinmouth, ut Casimirus Oudinus apostata in Commentariis*

B

Scriptorum ecclesiasticorum tomo 3 *col.* 2595 *ex Henrico Whartono refert. Nunc de anno ac die mortis nonnihil disseremus.*

Implicata discrepantia circa annum,

39 *Occurrit intricata difficultas circa annum, quo Sanctus noster ad cœlos migravit, quia Acta num.* 95 *tempus illud designant his circumstantiis :* Discessit anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo, regnante Henrico II in Anglia, Malcolino *(jam passim Malcolmus appellatur)* in Scotia; pontificante Adriano Angligena. *Hi characteres chronologici cum anno Christi* 1160 *componi possunt, si excipias Pontificatum Adriani IV, natione Angli, qui juxta Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum, aliosque chronologos Kalendis Septembribus anni* 1159 *obiit, et eodem mense Alexandrum III successorem habuit. Quomodo igitur annus Christi* 1160 *cohærere potest cum Pontificatu Adriani IV, qui jam anno præcedente e vivis excesserat?*

quo S. Walthenus obiit,

40 *Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1160 *cap.* 3 *num.* 9 *vidit hunc nodum chronologicum, eumque sic solvere aut scindere nititur :* Verum, *inquit,* quod dicitur obiisse anno MCLX, pontificante Papa Adriano An-

C

gligena, cum stare non possit (quippe Adriano defuncto prima die Septembris proximi anni) corrigendum censeo, et pro Adriano Alexandrum substituendum; quod ideo mihi efficacius persuadeo, quia aliter dies Augusti viginti septem, quibus Adrianus superstes, non sufficerent his, quæ sequenti capite dicemus. Quid quod Antonius Gentius, aliique vitam Viri producunt ultra triennium, neque ante annum MCLXIII obiisse putant? Sed hi etiam in die nonnihil errant, ad nonam usque Augusti differentes, ut res in dubio nobis relinquenda, aliorum magis præstoletur et petat diffinitionem.

difficultatibus utrimque propositis,

41 *Rogerus Hovedenus, biographo nostro synchronus, in Annalibus suis, Francofurti anno* 1601 *recusis, parte posteriore pag.* 491 *obitum* S. Waltheni *anno Christi* 1159 *sic alligat :* Eodem anno (*nimirum* anno gratiæ MCLIX, qui erat annus regni regis Henrici, filii Mathildis imperatricis, *sicut ibidem paulo superius scripserat)* obiit Waldevus, abbas de Melros, IV Nonas Augusti, qui fuit avunculus regis Malcolmi. Eodem anno Adrianus Papa obiit, cui successit Alexander Papa III canonice electus et consecratus. *Cum juxta communem chronologorum sententiam Adrianus Papa Kalendis Septembribus anni* 1159 *ex hac vita discesserit, potest in hoc systemate chronologico mors* S. Waltheni *cum pontificatu Adriani conciliari, quandoquidem ille eodem anno* 1159 *juxta Hovedenum* IV Nonas Augusti *(biographus noster aliique* III *Nonas Augusti seu die tertia ejusdem mensis obitum illius collocant) ad Superos migravit.*

D

frustra examinatur,

42 *At in ea hypothesi aliunde oritur inextricabilis difficultas, et inter utriusque mortem tantum viginti sex aut viginti septem dies intercedunt, intra quod breve temporis spatium non potuerunt fieri omnia illa, quæ biographus noster in Vita num.* 99 *et sequentibus de cancellario Malcolmi regis Scotiæ refert: nam ibidem narrat, Nicolaum cancellarium indicasse Romano Pontifici visionem, quam Romæ de* S. Waltheno *habuerat, et quam Pontifex Romanus de imminente* S. Waltheni *obitu interpretatus est. Deinde auctor Vitæ hæc addit :* Cancellarius, peractis negotiis, repatriatus, abbatem decessisse die sequente, scilicet tertio Nonas Augusti, comperit, [quando] nocte præcedente præscriptam [visionem] in Papæ camera constitutus vidit. Ipse vero quod de abbate constabat, ut ei imperatum fuerat, ipsi Papæ litteris per quem-

E

dam Romipetam nuntiavit. Papa Deo gratias referens, animam ejus absolvit, et pro eo et cunctis fidelibus Missam solenniter celebravit. *Si cancellarius Malcolmi sub Adriano IV Papa hanc visionem Romæ habuerit pridie, quam* S. Walthenus *obiit, non potuit ille tantillo temporis intervallo in Scotiam redire, et eidem Pontifici mortem sancti istius Abbatis nuntiare.*

ac in medio relinquitur

43 *Nullum aptum huic difficultati solvendæ video remedium, nisi dicamus, cancellario Malcolmi in patriam reverso obitum Adriani Papæ ignotum fuisse, et litteras ad Adriani successorem pervenisse, etiamsi biographus noster ea quæ circa hanc visionem Romæ contigerunt ac postmodum subsecuta sunt, eidem Pontifici Romano abscribere videatur. Præterea in hac hypothesi fateri oportet, biographum nostrum errasse, quando obitum* S. Waltheni *anno* 1160 *consignat, et hunc annum cum Pontificatu Adriani IV Angli conjunxit, ut supra ostendimus. Si igitur cum Hovedeno obitum* S. Waltheni *anno Christi* 1159 *affigere velimus, memoratam Nicolai cancellarii historiam, cum hac chronologia conciliare non possumus; si autem cum Actis nostris mortem ejusdem Sancti usque ad mensem Augustum anni*

F

1160 *differamus, scriptor Vitæ evidenter erravit in exprimendo nomine Romani Pontificis, sub cujus pontificatu sanctus ille Abbas obiisse dicitur, et certe pro* Adriano Angligena *substituendus est Alexander III, sicut etiam Angelus Manrique observavit. Cum ergo Hovedenus et biographus noster sint ætate pares, ac utriusque computatio inter se componi non possit, nisi in Actis nostris errorem historicum agnoscamus, intricatam illam litem relinquimus indecisam, et initio Commentarii utrumque annum in margine expressimus, donec fortassis aliunde certa Walthenianæ mortis epocha eruatur.*

etsi manifestus Henriquezii error circa annum mortis facile corrigatur.

44 *Attamen ex auctoritate utriusque istius scriptoris supparis patet, in assignando mortis anno ac die hallucinatum esse Henriquezium, dum in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis dist.* 26 *cap.* 58 *sic scribit :* Obiit autem Vir Domini Wallenus anno Domini millesimo centesimo sexagesimo TERTIO, NONA Augusti, et cœlos conscendit. *Bucelinus in Menologio Benedictino et Chalemotus in suo Cisterciensi errantem Henriquezium secuti sunt. Angelus Manrique hunc Henriquezii aliorumque errorem quidem notavit ; sed originem illius non detexit, cum non consuluerit alia Actorum compendia,*

ex

A *ex quibus occasio istius erroris sit manifesta: nam in Legenda Capgravii, et manuscripta Actorum synopsi, quam ex Britannia Armorica accepimus, hæc ita leguntur* : Obiit autem vir Domini Wallenus anno Domini millesimo, TERTIO NONAS Augusti, et cœlos conscendit. *Ex his liquet, chronologicum illum Henriquezii errorem ex vitiosa interpunctione ac sola unius litteræ omissione ortum esse. Nunc verosimiliorem ejusdem sancti Waltheni mortis diem breviter investigemus.*

Dies, quo Sanctus ex hac vita migravit,

45 *Jam per decursum vidimus, quam diversis diebus Menologia hunc eumdem Sanctum annuntient. Etiam numero præcedente indicavimus, quomodo perperam obitus illius ab aliquibus ad diem nonam Augusti differatur. Tantum superest quæstio, utrum die secunda vel tertia Augusti e vivis excesserit, quia Rogerus Hovedenus mortem ejus* IV Nonas Augusti *consignat, ut supra relatum est. At forte error irrepsit in numerum quia Acta nostra num.* 94 *diem mortis diserte exprimunt his verbis :* Illuxerat igitur dies tertio Nonas Augusti, qua Inventio sancti Stephani protomartyris celebratur... Post Sextam cum ventum esset ad prandium jam tertio tabulæ percussione conventus citatus affuit, sicque circumstante corona filiorum psalmocinantium, sancta illa anima felicium flagellorum flammis in fornace febrium et aliarum multiplicum infirmitatum excocta, et instar auri purissimi examinata de mundissimo carnis habitaculo exivit. *Itaque biographum nostrum secuti sumus in determinanda Walthenianæ mortis die, cui Auctaria Usuardina, aliaque Martyrologia quædam consentiunt.*

B

et fides biographi circa stupenda miracula discutiuntur.

46 *Porro in Actis* S. Waltheni *stupenda occurrunt prodigia, quæ tamen propter grave scriptoris nostri supparis testimonium non inficiamur. Inter ea maxime mirandum est epistolium Christi ac Deiparæ quo* S. Walthenus *familiariter de instante morte præmonetur, et de quo propterea Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1160 *cap.* 3 *num.* 5 *sic disserit:* Non dubito, lectorem scrupulosum aliquantulum movendum verbis epistolæ ; quasi quæ nimis familiaria esse videantur ; sed non eum, qui Christum amantem noverit ; non qui amicum, adeoque suis amicis, quantum divinitas permittit, coæquandum. Prudentius moveat, quod Vir sanctus easdem litteras primum coram senioribus, mox coram toto conventu, legi voluerit; quippe nimium facientes ad ejus gloriam. Verum cum Spiritus ubi et quo vult spiret, neque communibus legibus teneatur, quodcumque exorbitat, si modo non contrarietur, suspiciendum potius credo, quam condemnandum. Quin potuit velle Vir sanctus rem publicari, non solum propter gloriam Dei et Matris ejus, qui tales exhibent hominibus favores : verum ut orationibus cunctorum exitum præveniret, muniretque, cum nihil præsumendum putaret de propriis meritis. *Quidquid sit de his rationibus, professio et ætas biographi nostri merentur, ut ei mirabilia narranti fidem adhibeamus. Nunc tantummodo reliquum est, ut Acta ex codice Bodecensis monasterii typis excudamus, eaque annotatis illustremus.*

C

AUCTORE G. C.

VITA

Auctore Jordano vel Joscelino, monacho Furnesiensi.

Ex Ms. Passionali pergameno mensis Februarii fol. CCXVIII, *quod servatur in cœnobio Bodecensi Canonicorum Regularium sancti Augustini in diœcesi Paderbornensi.*

PROLOGUS.

Illustrissimis viris Wilhelmo Regi Scotiæ *a* et Alexandro filio ejus *b*, et Comiti David *c*, Frater Jordanus *d*, qualiscumque monachus Furnesii *e*, utriusque hominis salute in Domino potiri, et utriusque vitæ felicitatem sortiri. Sæpius mente revolvens, de cujus vitis radice palmites producti pullulastis, intueor excellentissimam ex summa ingenuitate totius Europæ vos originariam particulam traxisse carnis. Sanctæ namque Margaretæ *f* mater, Agatha nomine filia fuit Germani Henrici, clarissimi imperatoris Romanorum, cujus posteritas illustrat Romanum imperium. Soror ejusdem Agathæ regina extitit Ungarorum, cujus uteri fructus successivus reges germinans, non solum ejusdem regni possidet principatum, sed etiam aliorum regnorum plurium nactus est sceptrum. Genitor nihilominus ipse B. Margaretæ dictus Edwardus, nepos et heres legitimus sanctissimi confessoris Edwardi regis Angliæ, jure hereditario Anglici regni, per lineas rectas et directas successivæ generationis in vos devoluto, vos sceptrigeros effecisset, nisi Normannorum violenta direptio, Deo permittente, usque ad tempus præfinitum præpedisset.

E

Auctor regi et principibus Scotiæ ostendit,

a b c d e f

2 Nec solum in illo glorioso stemmate regum Anglicorum in divitiis et gloria in regno potentissimi præfulerunt, sed etiam in sanctitate et justitia magna Deo placentes, in vita et post mortem miraculis multimodis magnifice claruerunt. A sancto namque rege Adwolfo, qui totam Angliam decimans, decimam Deo et Ecclesiæ consecravit, novem numerantur reges sancti, quorum posterior par vel præstantior in Christiana religione micuisse dignoscitur : in decimo vero S. Edwardo cunctorum prædecessorum sanctitas quasi transfusa confluxit, et sic ex illo, tamquam fonte lucidissimo, vitæ religiosæ rivulus in S. Margaritam proneptem ejus, et ex illa in filium suum regem David avum vestrum, et ex eo in Malcolmum regem fratrem vestrum emanavit.

F

in quali consanguinitatis gradu

3 Ceterum avia vestra Mathildis *g*, regina Scotiæ, proneptis erat Wilhelmi *h* strenuissimi ducis, qui debellavit Angliam, et comitis Waltheni sancti Martyris *i* filia, ac mater sanctissimi Waltheni abbatis de Melros patrui *k* vestri. Ipse est decus et decor prosapiæ vestræ, regni tutor, tutela patriæ, titulus pudicitiæ, gemma vitæ canonicæ, speculum monasticæ disciplinæ. Hic, in-

sanctum Walthenum attingant.

g h i k

quam,

EX MS. quam, degens in mundo fuit cleri solatium, pauperum ærarium, egenorum sustentaculum, infirmorum remedium, virtutum præclarum domicilium. Hujus corpus sanctissimum, totius adhuc corruptionis expers, futuræ resurrectionis præclarum præfert indicium, et fidei ac spei nostræ probabile ac palpabile præbet experimentum. Hujus itaque dilecti Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est, utpote quem Dominus similem illi fecit in gloria Sanctorum, vitam virtutibus vernantem, miraculis gloriosam, theoriis præclaris sublimatam, petente ac præcipiente domino Patricio *l*, abbate de Melros, sed heu! morte præmatura prærepto, tandem suscepi, dictatam excellentiæ vestræ congruentius, quam cuilibet alteri, destinandam duxi.

eosque ad ipsius cultum et imitationem excitans,

4 Hunc igitur libellum crebro coram vobis lectum et intellectum cum agnoveritis, habebitis in eo lucidissimum specular imitationis, admirationis et exultationis. Admiratio magna clarescit in miraculis exhibitis; exultationis prærogativa vobis attribuitur in communione generis et germine nativæ propagationis; imitatio proponitur vobis et ceteris in virtutum studiis et miseri- B cordiæ operibus exercendis. Cum ergo traduce naturæ et tam clara et superexcellenti genealogia sitis utrimque derivati, ab illa vos esse degeneres dedignemini, et sanctæ propaginis exsortes fieri. Attendite igitur ad petram jugiter (juxta Isaiæ admonitionem) de qua excisi estis et ad cavernam laci, de qua præcisi estis; illisque conformari studete moribus et actibus sanctis; in primis Dei legibus custodiendis attentius intendite, vestigiis sanctæ progeniei, de qua materiam traxistis carnis, firmiter inhærete; sanctissimi patrui vestri abbatis Waltheni frequenter commendate vos meritis et precibus; diligite, visitate, veneramini locum requietionis ejus; Ordinem monachicum et præcipue Cisterciensem, et maxime Melrosensem abbatiam, in qua deguit, cui etiam præfuit et profuit, promovete, protegite, et adversus adversantium incursus brachium defensionis opponite.

scriptionis suæ fidem ac modum exponit.

5 Exhortor et supplico, non solum vos, sed etiam omnes opusculum illud lecturos vel audituros, ut dictis fidem adhibeant, nullaque in eis veritati opposita, sed quod a viris veridicis se- C nioribus domus Melrosensis, omni exceptione majoribus accepi, me scripsisse fideliter agnoscant. In dictando ita stylum temperavi meum, ut nec humi repat, nec tumeat in altum, modum eligendo propter simplices planum et perlucidum et circumspectum, et vitando juxta Tullium pompaticum, suffultum, et involutum. Valeat excellentia vestra semper in Domino, et post hujus vitæ finem regnet cum Domino sine fine.

ANNOTATA,

a *Wilhelmus iste regno Scotiæ præfuit quadraginta novem annos, et anno Christi* 1214 *ex hac vita discessit.*

b *Alexander istius nominis secundus Scotiæ rex anno* 1214 *in locum patris sui defuncti successit, et post felicem triginta quinque annorum gubernationem anno Christi* 1249 *in Melrosensi cœnobio sepultus est.*

c *Is erat Wilhelmi regis frater, et comes Huntingdoniæ, qui in Oriente contra infideles militavit, et post varia pericula in Scotiam reversus est, ut* D *apud Hectorem Boëthium lib.* 13. *Historiæ Scotiæ videri potest.*

d *De nomine hujus scriptoris in Commentario prævio num.* 29 *et sequentibus sat fuse disputavimus.*

e *Monasticon Anglicanum tomo* 1 *pag.* 704 *et sequentibus fundationem et quosdam abbates hujus cœnobii recenset.*

f *Acta hujus S. Margaretæ in Opere nostro dedimus ad diem* x *Junii, ubi etiam tomo* 2 *istius mensis pag.* 322 *et sequentibus illustrata est genealogia ejus, ad quam lectorem remittimus, ne hic actum agamus.*

g *Hæc est Sancti nostri mater, quæ post mortem mariti sui nupta est Davidi, Scotiæ regi, ut in Commentario prævio dictum est, et infra in Actis repetetur.*

h *Is est Wilhelmus seu Guilielmus Normannus, vulgo cognominatus* Conquestor, *qui Angliam subegit, et de quo historici passim meminerunt.*

i *Ingulfus abbas Croilandensis hunc Sancti nostri avum etiam ornat titulo* sancti martyris, *ut infra videbimus. Simeon Dunelmensis inter decem Scriptores Angliæ anno* 1652 *Londini editus, col.* 209 *de morte propter falsam conjurationis accusationem ei illata sic scribit:* Comes Waltheovus jussu regis Willielmi extra civitatem Wintoniam E ductus, indigne et crudeliter securi decapitatur, et in eodem loco terra obruitur; sed processu temporis, Deo, sic ordinante, corpus ejus de terra levatur, et magno cum honore Crulant deportatur et in ecclesia honorifice tumulatur. Hic cum adhuc temporali frueretur vita, arcta positus in custodia, ea, quæ gesserat inique, incessanter deflevit, et amarissime vigiliis, orationibus, jejuniis et elemosynis Deum studuit placare: cujus memoriam voluerunt homines in terra delere; sed creditur, vere illum cum Sanctis in cœlo gaudere, prædicto archipræside piæ memoriæ Lanfranco, a quo confessione facta pœnitentiam acceperat, fideliter attestante, qui et impositi criminis, supradictæ scilicet conjurationis, illum immunem affirmabat esse, et quæ in ceteris commisisset, ut verum Christianum pœnitentialibus lacrymis deflevisse, seque felicem fore, si post exitum vitæ, illius felici potiretur requie. *Alii tamen scriptores Angli tradunt, Waltheofum comitem huic conjurationi imprudenter implicatum fuisse, et inter eos Rogerus Hovedenus apud nos pag.* 456 *et sequente de conjuratis illis narrat sequentia:* Magnam conjurationem, plurimis assentientibus, contra regem Willielmum fecerunt, comitemque F Waltheofum suis insidiis præventum, secum conjurare compulerunt; qui mox, ut potuit, Lanfrancum Dorobernensem archiepiscopum adiit, pœnitentiamque ab eo pro facto, licet non sponte, sacramento accepit, ejusque consilio regem Willielmum in Normannia degentem expetiit, eique rem gestam ex ordine pandens, illius misericordiæ ultro se dedit..... His gestis rex autumnali tempore de Normannia rediens comitem Rogerum in custodia posuit, comitem etiam Waltheofum, licet ab eo misericordiam petierit, custodiæ similiter tradidit.... Ubi rex proxima Nativitate Domini curiam suam tenuit, et ex eis, qui contra eum cervicem suam erexerant, de Anglia quosdam erutis oculis vel manibus truncatis deturbavit: comites vero Waltheofum et Rogerum judiciali sententia damnatos acriori custodiæ mancipavit. Anno millesimo septuagesimo quinto comes Waltheofus jussu regis Willielmi extra civitatem Wintoniam ductus est indigne, et crudeliter securi decapitatur. *Deinde ibidem sequuntur eadem, quæ jam paulo superius ex Simeone Dunelmensi recitavimus. Sed hæc Hovedeni narratio, cui Joannes Bromton aliique historiæ Anglicæ auctores consentiunt, satis clare prodit, comiti Waltheofo titulum* sancti martyris *non convenire. Propterea talem non inficio, ipsum forte Sanctis annumerandum*

A *dum esse, cum se ad extremum supplicium piissime præparaverit, et post mortem miraculis coruscaverit, ut inferius ex Ingulfo synchrono referemus.*

k *Potius* S. Walthenum *pro patruo avunculum appellasset, cum iste consanguinitatis gradus ex parte matris* S. Waltheni *oriretur. Sed scriptores mediæ ætatis nonnumquam hæc nomina confundunt, ut apud Cangium in Glossario ad vocem* avunculus *licet videre.*

l *In Commentario prævio fassi sumus, nobis ignotum esse annum, quo obierit Patricius ille abbas Melrosensis; alioquin ex ejus morte eruissemus magis determinatum tempus, quo biographus noster hæc Acta collegit.*

CAPUT I.

Sancti avus, parentes, nomen, pia pueritia et adolescentia.

B

Wilhelmus rex Angliæ

Vitam viri venerabilis Waltheni abbatis secundi *a* de Melros notitiæ posterorum stylo transmissurus, congruum duxi generositatem ejus et maxime, quod contubernium Dei in pluribus personis utriusque sexus habet, in narrationis exordio declarare. Sic profecto liquebit, esse competens cunctis recte discernentibus, quod ingenua et sancta radice processerit surculus optimus, sanctitate conspicuus. Tempore igitur, quo Willehelmus *b* Dux Normanniæ, debellatis indigenis, Angliæ sceptrum obtinuerat, Comes illustris Walthenus, strenuissimi Siwardi *c* Comitis filius, Comitatum Northanimbriæ *d* et Eboracensis *e* provinciæ principatum possidebat. Erat ætatis floridæ, fortitudinis admirandæ, inter socios et domesticos mansuetudinis agninæ, erga rebelles et hostes feritatis leoninæ, diutino conflictu viriliter Normannis resistens, plurimam stragem illis inferebat, præclaros triumphos de ipsis sæpius reportabat.

avum S. Waltheni

7 Animadvertens igitur rex animositatem et strenuositatem viri, primo [post] varios rotatus fortunæ, factione nuntiorum intercurrentium, C datis dexteris utrimque et acceptis in gratiam et pacem, Comitem sibi fœderatum suscepit, et post hominium *f* sibi factum, neptem suam, Julitam *g* nomine, id est, victam *h*, illi in matrimonium junxit: de qua unicam filiam *i* Mathildem vocabulo procreavit: ipse vero inventus est in omnibus fidelis, ingrediens et egrediens ad imperium regis. Extitit nihilominus pauperibus munificus, in ecclesia devotus, clericis et maxime Religiosis acclinis, largus et liberalis universis, hostibus tamen formidabilis. Cernens autem rex, quod prosperatum esset regnum in manu ejus, et siluisset in conspectu ejus, perplures, imo fere cunctos, nobilium Anglici germinis aut interemit aut carceravit seu proscripsit, sive in miseram servitutem redegit; videns quia placeret Normannis, apposuit apprehendere Walthenum Comitem, et ne videretur maculari proditionis opprobrio, si sine causa virum innoxium condemnaret in nullo læsus ab eo, meditabatur et machinabatur, qualiter id perficeret irreprehensibilius in conspectu humano.

de rebellione accusatum

8 Tali ergo modo quæsivit et invenit occasionem non solum recidendi et rescindendi vinculum dilectionis et pacis ab amico et fideli suo, verum etiam tollendi eum de medio. Fama namque volatilis in diebus illis resperserat per Angliam, Danos *k* et Noricos *l* in exterminium et necem Normannorum conjurasse, et infinitam classem collectam in unum, auræ spirantis ad votum flatus expectare. Instillatum est auribus regis ab æmulis et malevolis adversariis, Walthenum ipsum, velut fœdifragum, perjurum, proditorem, conspiratorem, missis nuntiis, sacramentis præstitis, obsidibus datis, Danicam classem invitasse; adventantibus illis pro viribus consilium et auxilium, ad internecionem vel eliminationem Normannorum ab insula, promisisse *m*. Rex autem hujusmodi accusationibus Anglorum præbens aures bibulas, suspicioni pectus patulum, ad vindicandum cor ferocissimum, lætus effectus est, utpote materiam quasi justam exercendi in Walthenum, quæ corde conceperat, nactus. Jussu ergo regis Comes citatus, simpliciter, nihil sibi mali regem illaturum confidens, venit ad curiam, mundam et innocentem secum gestans conscientiam. Hoc habet innocentia proprium, ut sicut neminem contendit lædere, sic a nullo se lædi confidit. Præsentatus Comes coram rege in multis accusatus, in quibus omnibus, E si justitia locum haberet, inficiando et rationem reddendo exueretur omnia objecta evacuando. Verumtamen nulla responsione excusationis vel expurgationis oblatæ locum tenente, comes comprehenditur, compedibus ferreis injicitur, incarceratur, injuriis multiplicibus afficitur.

capite truncari jubet; et ex hujus filia Sanctus nascitur

9 Vir autem ingenuus amplexans animo divinum judicium vel permissionem, necessitatem vertit in virtutem; et se totum ad Deum convertens, crebra confessione peccaminum, continua lacrymarum profusione, orationibus assiduis et genuflexionibus, suam ipsius operabatur salutem. Quid plura? Post diutinum carceris squalorem et multimodam afflictionem, regis sententia secundum voluntatem perlata, in urbe Winthonia *n* capite truncatus, ejusque corpus Crulande *o* deportatum, in ecclesia S. Gutlaci *p* tumulatur. Et quamvis juxta Salomonem ira regis ut fremitus leonis adversus Walthenum sævierit, et de loco judicii ejus præcedens prævaleret iniquitas; de vultu tamen Domini judicii prodiit æquitas: quem enim rex ferocissimus sustulit mundo, Rex F æternus et clemens intulit cœlo. Quam grata enim Deo fuerit ejus innocentia, quam accepta patientia, mors in conspectu Domini pretiosa, signa proclamant insignia ante tumbam ejus patrata. Quocirca processu temporis evoluti, ossa ejus, quæ pullulabant de loco suo, e terræ gremio sunt translata, et in locello retro quoddam altare reverenter recondita. Extat libellus in eodem cœnobio conscriptus de miraculis ejus, ex quibus probatur, quod merito nomen martyris ei adscribitur, attribuitur et decus *q*. Mathildis vero, filia ejus prænominata, cum pervenisset ad mundum muliebrem, opportuno tempore illustrissimo comiti de Huntedunia *r*, scilicet seniori Simoni de Samhet *s* nupsit; de quo votivo germine duos filios et filias edidit. Erat primogenitus paterni nominis *t* et hereditatis successor; secundus vocabatur Walthenus *u* antiqui nominis et sanctitatis renovator et possessor.

cujus nomen explicatur.

10 Non ab re, sed certa de causa tale ei nomen imponitur, sicut multos Patres utriusque Testamenti nomina ex rerum effectu accepisse legitur. Nomen vero istud Anglice dissyllabum est cujus syllaba secunda si correpto accentu

pro-

EX MS. proferatur ELECTUS SAPOR; si producto, ELECTUS
v LATRO interpretatur *v*. Quæ profecto bina interpretatio illi recte convenit, qui in verbis et moribus suis se vas electionis, emanans saporem spiritualis suavitatis sibi sociantibus exhibuit; atque sicut quidam sancti Patres definiunt, alii regnum Dei violenter diripiunt, alii furantur; iste pio furto illud latrocinari videbatur, qui virtutes suas, aut revelationes sibi divinitus ostensas, sive signa a se patrata semper occultare conabatur : cum Hieremia diem hominis non concupivit, sed semper cenodoxiam cavens, et ut, quid faceret dextera, ignoraret sinistra ejus, studens omnimodis Conditori placere, sategit.

Pueritia fratris et ipsius exercitia

11 Comes Simon, prænominatus pater puerorum, primogenitum, tamquam Isaac Esau suum, arctius amabat; mater vero, mulier bona, Walthenum, velut Rebecca suum Jacobum, affectu propensiori diligebat. Cum fratres illi in puerili ætate constituti essent, sapiebant, agebant, ludebant ut parvuli : prior natu Simon collectis arbusculis seu ramusculis, secundum modulum suum, castellum construere consuevę-
B rat; et ascendens canabum *w*, velut sonipedem
w suum, et virgulam quasi lanceam accipiens et vibrans, cum coætaneis suis circa fictitii et imaginarii castelli custodiam et defensionem sollicitus, militiam simulabat. Walthenus vero puerulus ex virgulis vel lapillis quasi ecclesias, seque presbyterum tamquam Missam celebrantem expansis manibus præsentabat : et quia verba proferre non noverat, sonos cantum similantes edere solebat.

secuturam utriusque vitam præsagiunt;

12 Cumque parvuli hujusmodi lusui sæpius indulgerent, pluresque ad aspectum et risum provocarent, quadam vice quidam religiosus et sapiens, adstans et aspiciens cum ceteris, ait ad intuentes : Quid vobis videtur de hoc ludo parvulorum? Illi fatebantur, simplicem esse, tantummodo quid sit inter dextram et sinistram ignorantium. Et ille : Non sic, inquit, non sic : est enim ludus iste quoddam præludium, vitam utriusque præsagiens et exitum : primus namque militiæ vitam suam initiabit; secundus religiose vivens, dies suos in bonum consummabit. Nullum verbum istorum in terram cecidit, sed de utroque, quod conjecturando sive vaticinando prædi-
C xit, evenit. Simon namque paternum Comitatum longe post patris decessum cum multo labore tandem nactus, ac miles strenuus effectus, tem-
x pore regis Stephani *x* castella nova construxit, alia ab aliis constructa conquisivit, et Comitatui suo Comitatus et civitates conjunxit, et in seculari militia, more tamen Christiano vitam terminavit. Walthenus vero, vitam virtutibus et etiam signis inclytam ducens, demum obdormivit in Domino, sicut plenius sequens nostra declarabit narratio.

unde Sanctus noster

13 Cum autem Walthenus accepisset tempus habile ad discendum, traditur litteris imbuendus cura parentum; nimis tamen propere ab earum studiis est abstractus, ob varios rerum eventus et temporum status : profecit tamen decenter in litteratura, secundum spatium temporis, quo scholas frequentabat, multosque litteratiores subtilitate sensus et acumine ingenii ac verborum elegantia, unctione magistra, præcedebat. Erat itaque puer iste purissimus sive domi degens sive scholis studens, humilis, pudicus, quietus, tacitus, in ecclesia devotus et assiduus, ultra ætatem moribus maturus, secundum posse suum largus et liberalis, et ideo cunctis extitit amabilis. Ex talibus ergo studiis agnoscebatur puer D
Walthenus, satisque claruit juxta Salomonem, quod mundi et recti fuerant gressus ejus.

in aula regis Scotiæ educatus

14 Waltheno adhuc, ut Tullii utar verbis, in puerili toga constituto, pater ejus ob quamdam offensam regis Henrici primi *y* iram implacabi- y
lem incurrerat, a quo exheredatus et iter versus Hierosolymam Cruce signatus arripiens, in transmarinis partibus in fata concesserat ; mater vero ejus, consobrina regis, ab eodem rege traditur in matrimonium David regi Scotiæ, dato illi Comitatu Huntenduniæ sub dotis nomine. Rex etiam præfatus Henricus duxerat in conjugium Mathildem *z* filiam Malcolmi regis et S. Marga- z
retæ reginæ, proneptem sancti Edwardi regis Angliæ, sororem David regis prænominati, genere et specie claram, quam ob vitæ sanctitatem et morum gratiam usque in præsens Anglici cognominant bonam reginam *aa*. David autem rex aa
ex Mathilde sua regina procreavit filium Henricum *bb* nomine, hominem (ut accepimus) man- bb
suetum ac pium, et bene morigeratum, patrem duorum regum, Malcolmi *cc* videlicet viri sanctis- cc
simi et Wilhelmi adhuc superstitis, in multis lau- E
dandi, et Davidis *dd* comitis venerandi. Walthe- dd
nus bonæ indolis puer matrem, ex comitissa jam reginam effectam, quæ ipsum arctius amabat, secutus, in curia regis nutriebatur, educabatur, crescebat et confortabatur, et gratia Dei in eo evidentibus indiciis monstrabatur. In palatio namque claustrum, et in turba monachum, inter aulicos seipsum exhibuit solitarium.

innocentiam conservavit,

15 Inter cetera, quæ possidebat, insignia virtutum, illud singulare decus, virginitatis videlicet candidatum, ex utero matris secum vexit ad cœlum. Rex autem se illi, non vitricum, sed patrem exhibens, quasi propriam prolem dilexit et excoluit, et, dum iret venatum, sæpius illum advocans et secum adducens, aliquoties arcum suum illi ferendum tradidit. Walthenus vero, quanto competentius potuit, regis aspectibus se subducens, et alii regium arcum commendans, et opaca nemoris irrumpens, et infra condensa veprium aliquam planitiem quærens et inveniens, sedere et in codice ex industria ad hoc portato et de sinu prolato consuevit legere, aut orationi incumbere. Quod cum crebrius actitasset, quadam die fortuito rex illum consueta facientem reperit, F
et domum reversus, reginæ, quæ vidit, enarrans, et sententiose pronuntians dixit : Filius tuus non est de sorte nostra; nihil illi et huic seculo : aut cito de hac vita in fata concedens demigrabit, aut secularibus abdicatis, ad aliquam Religionem convolabit. Quod dum ex ore regis Christianissimi, conjicientis, seu Spiritu sancto dictante pronuntiantis, egrediebatur, non longe post effectui mancipabatur. Regina, sapiens et optima femina, conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, gratias agens et commendans filium suum omnia disponenti Conditori suo.

et insidias blandientis mundi

16 Waltheno, jam ponenti pedem infra limen adolescentiæ, quidam invidebant, quoniam dissimilis erat vita ejus operibus eorum : quidam detrahebant, multique colloquiis illecebrosis et exemplis procellosis bonos mores ejus corrumpere et suis moribus conformare satagebant. Hostis etiam antiquus, lubricam viam adolescentiæ attendens, et cernens in vase fictili et fragili thesaurum pretiosum pudicitiæ portari, materiam et occasionem illum, fracto vasculo, perdendi præbuit, puellæque cujusdam nobilis et animum et oculos in ejus amorem incitavit. Quadam vice

post

A post mutua colloquia annulum aureum, habentem in se inclusam gemmam pretiosam, in signum et pignus ac primitias amoris initiati transmisit; quem ipse acceptum digito imposuit. Videns hæc quispiam aulicorum, et annuntians cum gaudio sociis, dixit : Ecce Walthenus factus est, quasi unus ex nobis, procus et amator, et in indicium amoris, annuli ab adamata dati sibi novus gestator.

caute vitavit. 17 Quo audito, adolescens in se reversus et ad se, ingemuit, et factus est quasi non audiens et non aperiens os suum : clanculo se absentavit, et ignem inveniens copiosum accensum, annulum abstractum digito mediis flammis injecit : sicque duplicis laureæ triumphalem titulum acquisivit. Verius namque venantis, vincentis, et vincientis undique et ubique feræ retiacula et retinacula evitavit et evasit, et spiritum avaritiæ, amictum auri admirantem, pene cuncto ab animo abrasit. Beatus iste merito, qui post aurum non abiit, imo tamquam laqueum diaboli a se projecit. Jure ergo laudabimus : fecit enim mirabilia in vita sua. Mirabilius plane est auri sacram famem B extinguere, quam Venerem vincere. Sane perplures inveniuntur iræ victores, calcatores superbiæ, cenodoxiæ, gastrimargiæ contemptores, castitatis amatores; sed perpauci et rarissimi videntur auri aut gemmarum projectores. Ab illo ergo die mulierum familiaritates, munuscula, secretos affatus abscidit a se, sciens non esse tutum secus serpentes sæpius dormire, nec sine sui læsura vestimenti, secundum Salomonem, in sinu ignem abscondere.

ANNOTATA.

a *Auctor Vitæ hic* S. Walthenum *numerat inter abbates Melrosenses ordine secundum, postquam nimirum abbatia illa ad Cistercienses transiit : nam antea ad Benedictinos pertinuit, ut Gaspar Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 14 *testatur, ubi antiquiores quosdam istius monasterii abbates ex Ordine Benedictino recenset.*

C b *Is est idem Wilhelmus Normannus, cognomento Conquestor, de quo in prologo dictum est.*

c *Joannes Bromtonus, abbas Jornalensis, inter decem Scriptores historiæ Anglicæ anno* 1652 *Londini editus, in Chronico suo ibidem col.* 945 *et sequentes mirabilia hujus Siwardi gesta narrat.*

d *Vult indicare Northumbriam, Borealem Angliæ provinciam, quæ ad Ortum habet Oceanum Germanicum, ad Septemtrionem terminatur Scotia, ad Occasum Cumbria, et ad Meridiem diœcesi Dunelmensi. Antiquitus fuit regnum, et tunc habuit terminos latiores, ut apud obvios geographos licet videre.*

e *Comitatus Eboracensis, vernacule* the Yorkshire, *est etiam Borealis Angliæ provincia inter mare Germanicum ad Ortum, Lancastriam ad Occasum, Darbiam et Lincolnensem provincias ad Meridiem, et diœcesim Dunelmensem ad Septemtrionem sita, et ab urbe primaria Eboraco, incolis vulgo dicta* York, *nomen accepit.*

f *Est species homagii, quod triplex esse potest; nempe primum quod feudi dicunt, alterum servitii, tertium pacis. Unde* hominium *proprie ad pacem spectat, ut patet ex verbis Roberti monachi, qui in Historia Hierosolymitana lib.* 2 *pag.* 39 *de Alexio imperatore Constantinopolitano sic scribit :* Requisivit a nostris, ut sibi principes exercitus facerent hominium, id est securitatem pacis, *etc.*

g *Ab aliis hæc mulier vocatur Juditha. Joannes Bromtonus inter decem Scriptores Anglos col.* 974 *eamdem appellat Jonettam, dum post memoratum comitis Waltheofi supplicium ex aliorum testimonio ibidem de illa sic scribit :* Insuper volunt quidam, quod quia iste Walteff contra regem Willielmum in primo conquestu suo Angliæ in bello non processit, data est a rege consanguinea sua Jonetta in uxorem, cujus accusatione secundum eosdem per regem postea, ut dictum est, exstitit decollatus. *Ingulfus Croilandensis abbas istam Waltheofi comitis uxorem confidentius accusat, ut infra in decursu annotatorum littera* q, *fusius dicetur.* EX MS.

h *Ex idiomate Anglico extundere non potui, quod* Julita *vel* Juditha *Anglice* victam *significet. Unde Papebrochius in margine ecgraphi Bodecensis de genuina lectione dubitans sic interrogat :* An Juditham, id est Juttam? *Doceant nos Angli, an hæc conjectura a vero aberret.*

i *Laudatus Bromtonus loco proxime citato duas filias ei concedit his verbis :* Iste tamen Walteff genuerat ex eadem Jonetta uxore sua Matildam et Aliciam, cum quibus mater earum in dote sua apud Huntyndoniam sibi et heredibus nuper concessa moram traxit. Sed tandem apud insulam de Ely, et ubique latuit, a terra sua ejecta, eo quod Simonem de sancto Licio, regis Willielmi militem, quia claudus erat, dudum recusaverat; cui E quidem Simoni rex Northamtoniam et hundredum *(est portio terræ vel comitatus)* de Falkeley donaverat, qui Prioratum sancti Andreæ Northamtoniæ et castrum construxit. Tandem suorum ductus consilio Matyldam dictam filiam Walteff duxit in uxorem, de quo genuit Simonem, Walteff, postea abbatem de Menros, *pro quo lege* Melros. Defuncto autem dicto Simone de sancto Licio, David comes, frater Alexandri regis Scotiæ et Matildis reginæ Angliæ, dictam Matildam Simonis relictam duxit in uxorem, de qua postea comitem genuit Henricum. *His Bromtoni verbis confirmantur ea, quæ in Commentario prævio de genealogia* S. Waltheni *abbatis diximus, et ex iisdem patet, errasse Alfordum nostrum, quando in Annalibus ecclesiasticis Angliæ ad annum Christi* 1125 *num.* 25 *scripsit, Juditham, comitis Waltheofi viduam, David Scotiæ regi nuptam esse. Porro Ingulfus abbas Croilandensis etiam Waltheofo comiti tribuit duas filias, ut mox alia occasione referemus.*

k *Notissima Septemtrionis natio, quæ non semel Angliam invasit, et magnam suæ linguæ partem incolis communicavit.* F

l *Norici proprie sunt populi Germaniæ, qui olim Taurisci vocabantur. At existimo, hic per Noricos intelligi Norwegos, aut vicinos Septemtrionis populos, cui opinioni favet Baudrantius, dum in Geographia sua alphabetica ad hanc vocem hæc notat :* Norici populi sæpe dicti Norvegi in historiis mediæ ætatis, præcipue apud auctores quosdam rerum Anglicarum, quod hæc regio vulgo Norige vel Norrike dicatur.

m *Quidquid sit de ista comitis Waltheofi accusatione, Chronicon Saxonicum, Oxonii anno* 1692 *excusum, pag.* 183 *post alia de hac conjuratione narrat sequentia :* Deinde rex venit in Angliam, et prehendit Rogerum comitem suum propinquum, eumque vinculis commisit, atque Waltheofum etiam comitem prehendit. Statim post hæc venerunt ab Oriente e Denmearcia *(id est Dania)* ducentæ naves, quarum erant duces duo, Canutus Sweini filius, et Hacun comes : verum non ausi prælio congredi cum Willelmo rege, trans mare se receperunt in Flandriam..... Waltheofus autem comes decollatus est in Winceaster, ejusque corpus delatum ad Crulande. *Pagina autem præcedente de conjuratis dictum fuerat :* Allexerunt ii Britonas in suas partes, et miserunt in Orientem ad Denmearciam [qui peterent] exercitum navalem ipsis auxilio.

EX MS.

n *Biographus noster hoc loco asserit, comitem Waltheofum* in urbe Winthonia *capite truncatum esse; sed Simeon Dunelmensis dicit, id* extra civitatem Winthoniam *factum esse, ut superius in Annotatis ad prologum littera* i *ex relato ipsius textu patet. Ingulfus abbas, et Joannes Bromtonus tradunt, hoc* apud Wintoniam *contigisse. At parum nostra interest, quo loco istud peractum fuerit.*

o *De cœnobio Croilandensi, quod in agro Lincolniensi situm est, vide Monasticon Anglicanum tomo* I *pag.* 163.

p *Acta istius S. Guthlaci anachoretæ ad diem* XI *Aprilis, tomo* II *istius mensis a pag.* 37 *Henschenius illustravit.*

q *Etiamsi hic comiti Waltheofo dicatur convenire nomen decusque* martyris, *et hæc narratio aliqualem ipsius cultum indicet, tamen illum titulo* sancti *ornare non audemus, quia nusquam in Martyrologiis annuntiatur. Cum igitur in Opere nostro numquam verosimiliter de illo agendum sit, nisi quis determinatum mortis diem indicaverit, et legitimum ejus cultum probaverit, proferam hoc loco ea, quæ Ingulfus synchronus inter Scriptores rerum Anglicarum, anno* 1601 *Francofurti recusos, occasione illius pag.* 902 *et sequente sic narrat :* Accedit etiam hoc eodem tempore ad cumulum calamitatis Croilandiæ, comitis Waldeni, qui omnibus religiosis benignissimus, et maxime monasterio Croilandensi præcipuus et præstantissimus amicus exstiterat, crudelis decollatio; et licet venerabilis archiepiscopus Lanfrancus, confessor suus, totius factionis et conjurationis eum assereret penitus immunem, et si moreretur in causa, futurum pro innocentia martyrem; impiissima tamen uxore sua novas nuptias affectante, ac ideo viri sui mortem sceleratissime maturante, inhiantibus etiam nonnullis Normannis ad ejus comitatus, videlicet Northamptoniæ et Huntingdoniæ, cupidissimo maxime comite Andegavensi Yvone Talbois pro terris suis et tenementis, quæ plurima erant in omnibus finibus Angliæ, suum sanguinem sitiente, innocens et innoxius apud Wintoniam pridie Calend... martyrizatur, et confestim ibidem corpus martyris humili cespite sepelitur. Post quindecim autem dies, regis permissione, per venerabilem Wulketulum abbatem corpus martyris ex tumulo tollitur, et ita integrum recentique cruore respersum, acsi eodem die occisus fuisset, et cum debita veneratione Croilandiam defertur, et in ejusdem monasterii capitulo honorifice tumulatur: ubi cum Dominus ad ostendendum innocentiam sui martyris per miraculorum potentiam mirabilis in suis Sanctis et in perpetuum laudabilis apparuisset, uxor sua, thalamo relicto suo, audiens Christi magnalia, ad tumulum viri sui accessit, et, videntibus nobis, pallium sericum super tumulum obtulit, quod, quasi manibus alicujus rejectum fuisset, longius a tumulo resiluit. Tunc etiam manerium de Bernake, quod monasterio nostro dederat, de nobis tollitur, inque dotem impiissimæ Jezabel, quondam uxoris suæ, cum ceteris terris suis circa Trentam donandum jussu regio confiscatur. Post modicum vero tempus cum inclytus rex Wilhelmus dictam neptem suam nuptui tradere cuidam generoso Normanno, nomine Simoni Sylvanectensi, disponeret, illa nuptias ejus respuit, quia dictus Simon in altera sua tibia claudicavit. Unde supra modum rex iratus, comitatum Huntingdoniæ cum omnibus terris eidem pertinentibus dicto Simoni dedit; ac illa iram regis pertimescens, cum filiabus suis fugam inivit, et justo Dei judicio multum desperata, odio omnibus habita, per diversa loca et latibula erravit. Tandem ergo hæc misera recognoscens sua flagitia, pœnitensque valde de viri sui cæde nefaria, ipsa in cælibatu permansit, cum deinceps omnibus suspecta et digne despecta fuit : filiam vero ejus seniorem, nomine Matildem, post multa consilia prædictus Simon uxorem assumpsit, de qua sobolem jam recepit, scilicet Simonem, Waldenum, et Matildem adhuc impuberes et infantes. Aliciam autem sororem uxoris suæ dedit dictus Simon comes illustrissimo viro Rodolpho Tornacensi cum toto dominio de Wilchamstobe, dudum comiti Waldeno patri suo pertinenti : de qua jam prolem dictus Radulphus habet, licet nomen prolis notitia mea nondum habeat. Iste Simon comes Huntingdonensis et Northamptonensis construxit castellum Northamptoniæ et monasterium sancti Andreæ non longe a dicto castello. Hæc de uxore et sobole sancti martyris ad præsens credo sufficere. Venerabilis autem abbas Wulketulus cito post sancti martyris sepulturam miracula Dei, quæ quotidie Dominus operabatur circa sanctum suum, aperte convicinis suis prædicavit, et palam omnibus publicavit. Unde Normanni nimium indignati, et contra virum justum injuste irati, præcipue Yvone Talbois præ ceteris atrocius eum persequente, ad proximum concilium Londoniis celebrandum personaliter adesse submonitum, et ad diem comparentem pro debita reverentia, sancto martyri habita, facta conspiratione nefaria, de idololatria nequiter accusant, et de monasterii cura nequius privant, et privatum claustro Glasconiæ sub cruentissimo tum abbate Tharstano procul a notis et a sua patria nequissime condemnant. Venerabili ergo patre abbate Wulketulo de regimine pastoralis officii sic deposito, totoque thesauro monasterii sic direpto, et in usus regios confiscato, mea parvitas subrogatur : ego enim Ingulphus humilis, *etc. Quandoquidem Ingulfus historiam monasterii Croilandensis circa annum Christi* 1091 *conscripsit, et eo tempore* S. Waldenus *seu* Walthenus *noster, ejusque frater ac soror erant* adhuc impuberes et infantes, *de ætate Sancti nostri aliqualem conjecturam facere possumus, cum hic, ut in Commentario prævio dictum est, anno Christi* 1159 *vel* 1160 *ad cœlum migraverit. Ceterum genealogia ejusdem sancti Abbatis ex fragmento illo confirmatur.*

r *Id est Huntingtonia, comitatus Angliæ, qui a Septemtrione et Occidente habet Northamptoniam, ab Oriente autem Cantabrigia, et Bedfordia a Meridie terminatur.*

s *Forte pater Sancti nostri hoc cognomen a familia aut dominio quodam habuit. Supra ab Ingulfo cognominatur* Sylvanectensis *probabiliter ob patriam, aut familiam Sylvanecto oriundam. Bromtonus aliique illum appellant Simonem de* sancto Licio. *Suspicor, cognomen istud cum Sylvanectensi concordare, quia Sylvanectum urbs Galliæ, vel Sylvanectensis comitatus ibidem vulgo nominatur* Senlis, *unde verosimiliter cognomen* de sancto Licio *Latino-barbare formatum est.*

t *Frater* S. Waltheni *nomine patris sui Simon vocabatur.*

u *Sanctus noster juxta nomen avi sui* Waldenus, Walthenus, Waltheofus, *aut simili nomine appellatur, ut per decursum Commentarii prævii vidimus.*

v *Anglice nominatur* Walthef *et* Waltheof, *ut ex Anglicis Martyrologiis Whitfordi et Wilsoni patet. Verum ex lingua Anglica eruere non possum utramque significationem hoc loco indicatam; neque id potuit quidam e nostris, natione Anglus, quem consului. Itaque hoc auxilio destitutus conjecturam quamdam propono. Eruditis notum est, quomodo idioma Germanicum seu Saxonicum in Angliam invectum, ac linguæ vernaculæ immixtum fuerit. Quid si ergo nomen* Walthefi *vel* Waltheofi *componatur ex radice Germanica seu Saxonica* wahl, *quæ electionem, et voce Anglica* teefe, *quæ* furem *significat? Sic dicitur Germanice* walh-reich, *quod Latine* electile regnum *interpretamur. Hoc modo intelligi potest, quomodo apud biographum nostrum* Walthefi *nomine* electus latro *significetur. At frustra inquisivi, quomodo per idem nomen aliter pronuntiatum* electus sapor *significari possit. Etiam non*

intel-

A *intelligo interpretationem ejusdem nominis, quam Henriquezius in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib.* 2 *dist.* 26 *cap.* 58 *pag.* 258 *ex Ms. Antonii Gentii ita edidit :* Nomen ejus in Anglorum idiomate dissyllabum, si secunda syllaba correpto accentu proferatur, CŒLICUS SAPOR, si producto accentu, CŒLICUS LATRO interpretatur. *At in Legenda Capgravii, et Ms. nostro compendio Britanniæ Armoricæ, convenienter cum his Actis longioribus scribitur* electus; *pro quo epitheto forsan Henriquezius perperam legit* cœlicus, *quemadmodum ex vitiosa lectione et interpunctione annum ac diem mortis Walthenianæ erronee mutavit, ut in Commentario prævio num.* 43 *monuimus. Porro si nostra supradictæ etymologiæ explicatio non placet, videsis Edmundum Gibsonum, qui post chronicon Saxonicum nomina locorum et virorum etymologice explicat, ubi forsan pag.* 47 *et* 53 *in radicibus linguæ Anglo-Saxonicæ alias significationes suppeditabit.*

w Canabus *Græce* κάναβος, *est juxta Calepinum aliosque species quædam ligni. Hinc satis patet, indicari lusum puerorum, qui etiam antiquitus solebant* equitare in arundine longa, *ut Horatius lib.* 2 *Sermonum satyr.* 3 *testatur.*

x *Stephanus iste ab anno Christi* 1136 *usque ad*
B *annum* 1154 *regno Angliæ præfuit, ut apud obvios Anglicæ historiæ scriptores licet videre.*

y *De gestis Henrici I, regis Angliæ, Alfordus noster in Annalibus ab anno Christi* 1100 *usque ad* 1135 *consuli potest.*

z *Apud eumdem Alfordum anno* 1100 *num.* 21 *et sequentibus agitur de hoc matrimonio ac istius Mathildis stirpe, citaturque Edmarus synchronus, qui de iisdem nuptiis ibidem fuse disserit.*

aa *Mathildis illa Angliæ regina tantam bonitatis famam apud Anglos consecuta est, ut variis elogiis exornetur, et recentiores quidam Martyrologi eam numero Sanctorum adscripserint, sicut in Opere nostro ad diem* XXX *Aprilis inter prætermissos jam dictum est.*

bb *David Scotiæ rex hunc unicum filium ex matre* S. Waltheni *suscepit, ut in Commentario prævio sæpius diximus.*

cc *Is est Malcolmus IV, qui ob perpetuam corporis integritatem passim* virgo *cognominatur, ut apud Hectorem Boëthium, aliosque historicos Scotos legere est.*

dd *Biographus huic Scotiæ regi, ejusque fratri Davidi hanc Vitam dedicavit, ut supra in Annotatis ad prologum monuimus. Unde etiam in Commenta-*
C *rio nostro prævio tempus hujus lucubrationis utcumque collegimus.*

CAPUT II.

Professio vitæ canonicæ, et mirabilia beneficia S. Waltheno cœlitus collata.

Sanctus, spretis dignitatibus ecclesiasticis,

Processu dierum Walthenus, vernantis juventutis limen attingens, sperabatur a multis ad episcopatus nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra, pontificalem videlicet gradum sortiturus in Scotia vel in Anglia : ipse vero in cujus *a* * cordis medullis meditabatur fugam seculi et fugam a seculo, curans omnimodis, ne contra Salvatoris prohibitionem fieret fuga ejus hieme vel sabbato; sed deliberat attentius super qualitate religionis et loco. Timebat enim, ne forte, si infra regnum regis Scotiæ vel infra terram comitis fratris sui in aliqua domo Religionis susciperetur, diutius ibi demorari non permitteretur, aut inde violenter extractus ad aliquod culmen honoris ecclesiastici etiam invitus promoveretur.

a * *forte in imis vel in suis*

EX MS.

institutum Canonicorum regularium amplectitur, *b*

19 Hæc ille mente pertractans, inspirante Spiritu sancto, salubre consilium invenit, exiensque de terra illa et cognatione sua, veniensque ad locum Nostiel *b* vocabulo extra ditionem regis et comitis, in ecclesia S. Oswaldi regis et martyris, habitum Canonici suscepit. Canonicus regularis effectus, ita disciplinate ac religiose se habuit, ut liquido ceteris claresceret, exhibitum in ejus moribus et vita, quod scriptum invenerat in Regula clericorum, a B. Augustino tradita. Ipse namque novitius et juvenis proponebatur exemplar ad bene vivendum Canonicis, ætate et conversatione annosis. Statuit animo inibi latitando cum beato Job in nidulo suo mori, et sicut palma multiplicare dies, et abscondi a conturbatione hominum in abscondito vultus Dei, et tamquam vas perditum ac velut mortuus a corde cognatis ac notis oblivioni dari. Sed quamvis ille hæc apud se ita proposuerit, omnium Conditor de illo longe aliter disposuit, quia multos filios Dei, E
qui dispersi erant, per eum in unum congregare voluit.

et in Kirkehamensi cœnobio Prior electus, *c*

20 Non potuit lucerna diutius, disponente vera luce, latere sub modio, nec margarita pretiosa debuit ulterius involvi panniculo. Hinc est quod Canonici regulares de Kirkeham *c*, Priore privati, quærentes circumcirca bonas margaritas, illum, utpote pretiosissimam, invenientes, sibimet comparaverunt, et tamquam lucernam perlucidam super candelabrum ponentes, illum, licet invitum et renitentem, vi tamen obedientiæ constrictum, Priorem et Patrem suum spiritualem unanimi consensu constituerunt. Tunc temporis apud S. Oswaldum *d* sacristæ gerebat officium : *d*
et quidem recte vasa sanctificata custodiebat, qui suum vas in sanctificationem et honorem possidebat : et quia divinis laudibus attentius invigilabat, ad idem agendum ceteros instantia sua excitabat. Lucerna ergo supra candelabrum levata lucem salutiferam omnibus in domo Domini, cui præerat, præbebat, et semet sanctitatis exemplum expressum exhibebat. Vir enim Dei, quo ceteris erat gradu prior ac officio, eo præ ceteris primus ac primicerius virtutum extitit exercitio; F
et quanto in oculis omnium videbatur sublimior, tanto erat in oculis propriis humilior. Humilitas namque a cunabulis in ejus pectore radicata, numquam didicit ambulare in magnis et mirabilibus super se; sed semper studuit humilia sentire de se; nec rector constitutus voluit extolli, sicut quibusdam moris est; sed quasi unus de subjectis esse; nec dominari in clero, sed forma gregis fieri.

omnibus exempla virtutum præbet.

21 Omnes bonas consuetudines et sacra instituta, quæ in diversis ecclesiis Canonicorum teneri cognovit, velut in fasciculum collecta, in domo, cui præfuit, observari diligenter instituit. Quocirca benedixit Dominus domui illi, propter Servum suum, crevitque possessio ejus in terra, conferentibus comite Henrico *e*, coüterino ejus, et *e*
aliis magnatibus ecclesias et terras, in puram et perpetuam eleemosynam ecclesiæ de Kirkeham possidendas. Effloruit nihilominus intrinsecus sancta religio in regulari disciplina, in eleemosynarum elargitione, in hospitum susceptione ac multæ humanitatis exibitione magna diligentia. In his et in aliis sacris studiis vir iste quantam gratiam invenerit in oculis Domini, ipse Dominus

decla-

EX MS. declarare dignatus est revelatione imo apparitione satis admirabili.

Dulcem revelationem, qua Christum in Eucharistia viderat,

22 Quadam vice sacratissimo Natali Domini Missam celebrans, in magna cordis devotione et consuetu lacrymarum profusione, cum infra secreta Canonis Hostiam elevans, deprompsisset verba Sacramenti effectiva, quando panis in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini transubstantiantur, invenit in manibus infantulum, speciosum præ filiis hominum, coronam quasi auream in capite gestantem, gemmis stelliferis radiantem. Videbatur puerulus ille omni nive candidior, qui dulcifluo luminum visu, vultuque sereno, blandoque manuum applausu caput et faciem ejus tangens, contrectans, complanans demulcebat; et quandoque caput capiti, os toto mundo pretiosius ejus ori applicans, oscula crebrius imprimebat. Ille vero inebriatus a torrente voluptatis domus Dei, utpote introductus in cellam vinariam, pedibus et manibus et singulis membris hujus Jesuli nostri oscula innumerosa libabat, dilectum suum sibi totum desiderabilem, dulcem ad ruminandum felici experimento sensit.
B Dilectus tandem infantulus ille elevatis manibus cum crucis impressione benedixit, et ab oculis evanuit, nihilque in manibus, nisi Hostiam consuetam conspexit. Quoties vir Dei hujus deificæ visionis medullitus recordabatur, inæstimati cordis jubilo repletus, lacrymarum placido profluvio perfundebatur.

confessario suo declarat

23 Hæc Vir Dei diu celans, postea loquens de secreto animæ suæ, cuncta confessori suo revelavit, et ne hic se superstite cuiquam propalaret, in virtute obedientiæ imperative illum perstrinxit. Ille vero imperanti obtemperans, vivente viro Dei, verbum istud abscondit, sed post ejus depositionem viris religiosis patefecit. Hæc a viro venerabili Everardo *f*, primo abbate de
g Helculii *g*, narrante didici, et ex ore confessoris
h ejus accepi. Hæc a Suano *h* monacho religioso et veridico subcellario de Melros, et aliis viris religiosis et boni testimonii relata pluries audivi. Ecce sancti senis Simeonis desiderium in Waltheno renovatur: ecce præsentia pueri Jesu mirabilius iteratur. Simeon namque diu expectatum vidit, agnovit, amplexatus Jesum Christum in carne prophetavit in cruce moriturum: Walthenus in eadem forma, sed sublimiori, in ma-
C nibus portavit, osculatus est eumdem sat jam supra cœlos exaltatum, gloria et honore coronatum.

cum quibusdam circumstantiis.

24 Fatebatur etiam idem Homo Dei, se non magis ponderis sensisse in pueri ipsius elevatione, quam hostiæ altari suppositæ. Nec mirum, nec immerito, si omnia tenens, omnia portans, parum ponderis haberet in corpore suo jam glorificato, cum membra corporis ejus post generalem resurrectionem credidit * suis corporibus affuturam quamdam similitudinem subtilitatis et agilitatis ex ipsius beneficio. Ex hujus autem visionis mirificæ contemplatione non solum Viri sanctitas cognoscitur, sed etiam fides Catholica super vivificis Sacramentis Altaris roboratur, orthodoxorum Patrum affectio confirmabatur, et hæreticorum mysteria Domini Corporis et Sanguinis denegantium detestabilis error confunditur.

* *forte* credant

Ex quodam sacerdote

25 Die quadam Canonicus quidam de Kirkeham cum Missam celebrasset in Prioris sui Waltheni præsentia et audientia, aranea quædam in sanctum calicem circa Agnus Dei cecidit, metumque magnum et horrorem sacrificanti ob peracta,
D quæ possent accidere, incussit. Stans itaque sacerdos et quid ageret ignorans, tussi ac sonitu, quo potuit, Priorem acquisivit, et quid contigerat, ostendit. Prior parumper secum deliberans fusa oratione dataque benedictione, flamma fervens fidei, imperavit, ut araneam cum sacro libamine confidenter sumeret in nomine Domini. Sacerdos ergo imperio Patris paruit, et quidquid in calice continebatur fideliter et fiducialiter sumens nullam sospitatis jacturam vel nauseæ provocationem sensit. Non enim cœlicus favus fel fundere, vel divinum nectar veneno misceri potuit, nec fructus singularis apis araneæ participare vel communicare debuit.

venenosam araneam miro modo expellit.

26 Unde Canonicis post prandium secum sedentibus in claustro, Canonicus ille residens digitum suum confricabat; et post modicam morulam tumor turgescens in digito apparebat: et ecce aranea, rupta cute, viva egreditur, et coram omnibus assidentibus et mirantibus, jubente Priore, flammis comburenda traditur. Oritur dehinc inter Priorem et Canonicum satis amica altercatio super isto, quod contigerat, signo: Prior hoc deputabat obedientiæ et fidei Canonici; E
Canonicus Patris præcepto, precibus et benedictioni; ego vero hoc arbitror adscribendum utriusque fidei et devotioni, sed potissimum potentissimæ divini Sacramenti virtuti. Non enim debuit vel decuit Angelicum manna manare mortiferum, nec ex vitæ poculo progredi mortis periculum.

Dedit S. Malachiæ equum,

27 Quodam tempore S. Malachias, natione et pontificio *i* Hibernicus, versus Romam iter arri- i
piens transitum fecit per Angliam, in pluribus locis hospitio collectus susceptores suos sui præsentia sacris monitis et miraculis lætificavit. Deveniens Eboracum a pluribus occurrentibus salutatur, honoratur et maxime, quia a Figaro *k* k
presbytero de Neubato *l* ejus adventus prædice- l
batur. Erat isdem sacerdos sanctitatis et opinionis magnæ, et spiritu pollens prophetiæ, qui (ut dixi) ejus adventum prædixerat, ejus vultum et staturam et numerum sociorum ejus evidenter designabat. Venerandus vero Walthenus prænominatus Prior de Kirkeham, tractus odore virtutum sancti pontificis, ad eum accessit, et post salutationem et salutaria vitæ colloquia ejus familiaritatem et amicitiam nactus, humiliter et F
devote se ipsius orationibus commendavit. Idem vero pontifex plures socios habuit, inter quos quinque presbyteri, et non nisi tres tantum equos; et tamen ab aliquo petere vecturam erubuit, sicut enim vero et usitato proverbio dicitur: Indigens dum petit, care mercatur. Quod comperiens Prior, plenus caritate, adduxit ei equum, quo ipse vehebatur, subnigrum, fortem quidem et sanum, sed dure portantem, dicens: Accipiat hunc oro, carissime pater, sanctitas vestra, nec ægre ferat, quod ad manum meliorem in præsenti non habet inopia nostra. Episcopus vero cum gratiarum actione equum suscipiens: Satis, inquit, bonus est, et quam diu superero mihi sufficiens. Carum valde habeo datum mihi a corde caritative.

qui miro modo mutatur.

28 Fecit ergo more suo illum sibi sterni et descendit; iterque suum maturans, ab Eboraco discessit. Mira res! Infra paucos dies subsequenter equus ille totus effectus est albus, et mannus
m optimus valde suaviter ambulans, et novennio, m
quo sanctus ille supervixit, ipsum cum opportunitas aut necessitas incumberet equitandi, jugiter portans. Hoc miraculum Hibernici deputant sanctitati

A ctitati pontificis inequitantis, Canonici Kirkehamenses nihilominus adscribunt meritis sui Prioris, equi datoris : videtur enim illis, quia beatius est dare, quam accipere, et caritas virtus in mente manens, quasi fons est scaturiens ; opus aliquod caritatis exhibitum quasi rivus est ex ea manans ; et ideo potius fonti quam rivo debet adscribi signum factum in equo. Ego vero sine præjudicio sanius sapientis adscribendum arbitror utriusque meritis. Quia enim uterque vitæ munditia canduit, et Deum glorificavit et portavit in corpore suo, jure ad amborum sanctitatem declarandam, cum candore suavis ambulatio accidit et mansit in equo.

Archiepiscopatum Eboracensem

29 Crevit et crebuit circumcirca venerabilis Waltheni Prioris fama sancta religionis, aromatizans salutaris suavitatem odoris. Hujus haustu attracti clerici Eboracensis ecclesiæ, et diœcesani magnates illius provinciæ, cum vacaret Episcopalis sedes, in archiepiscopum libenter illum eligerent, si principis assensum haberent. Rex enim Stephanus, licet illum diligeret et veneraretur, sciens eum virum justum et sanctum, timuit tamen, ne si archipræsul efficeretur, regi
B David faveret, et cum eodem secundum posse foveret partes Henrici adversarii ejus, cui sceptrum Angliæ hereditario jure competebat. Hac de causa non solum electioni ejus assensum non præbuit, sed ne id fieret, omnimodis prohibuit : quidam tamen optimatum, qui erant a secretis regis, ipsum super hoc sæpe convenerant, et ad hoc, ipso Priore ignorante, regium animum inclinare studuerunt.

sibi oblatum respuit.

30 Unde quadam vice Comes Albamarliæ n consanguineus ejus conveniens virum, inter loquendum dixit ad eum : Quamdiu latitando in antro claustri tui prosapiam nostram inhonoras abjectione tui ? Effer te in publicum frequenter, donis et promissis nancisci satage familiaritatem et amorem regis, gratiam consiliariorum ejus et auxilium, et ad decus et exaltationem generis tui acquires archiepiscopatum, qualemcumque volueris : cautionem præstabo, me tibi impetraturum a rege Eboraci episcopalem cathedram, si mihi concesseris Villam Skireburniam, tantum in vita mea de te tenendam. Vir sanctus [eum] in spiritu vehementi prius redarguens, inter cetera
C correptoria subintulit dicens : Non ob consanguinitatem, meæ promotionis quæris sublimitatem, sed potius tuam transitoriam utilitatem, nec honorem meum, sed tuum lucrum. Fixum ergo teneas, te numquam visurum me cathedræ pontificali præsidentem, nec te villam prænominatam possidentem. Comes fatidico hoc verbo, velut telo, percussus, cum rubore recessit, et verbum ex ore Sancti prolatum perpetua veritate subnixum stetit.

ANNOTATA.

a *Suspicor, hic aliquid deesse, aut pro* in cujus *legendum esse* in imis *vel* in suis, *ut sensus perficiatur.*

b *Locus iste situs est in agro Eboracensi, et in quibusdam diplomatibus vocatur* Nostell, Nostle, Nostla, Nostlat, *et* Nostlai, *ut tomo 2 Monastici Anglicani pag.* 33 *et sequentibus legitur. Est autem ibi Prioratus Canonicorum regularium, cujus fundator est Robertus de Laci, qui varia beneficia contulit* ecclesiæ sancti Oswaldi de Nostle, et Canonicis regularibus ejusdem loci, *ut proxime citato tomo Monastici Anglicani pag.* 33 *legimus.* EX MS.

c *Prioratus Canonicorum regularium de Kirkeham vel Kirkam etiam situs est in agro Eboracensi, de cujus fundatione ac donationibus vide Monasticon Anglicanum tomo* 2 *pag.* 105 *et sequentibus.*

d *Sancto Oswaldo martyri, qui colitur die* 5 *Augusti, dicata est ecclesia Canonicorum regularium in Nostiel vel Nostle, atque ab hoc sancto Prioratus ille ita cognominatur, ut ex supra relatis liquet.*

e *Is fuit unicus filius Davidis regis Scotiæ, et frater uterinus* S. Waltheni *nostri quia ex eadem matre Mathilde natus est, ut supra rursus indicatum est.*

f *Dempsterus in Menologio suo Scotico hunc abbatem Everardum ad diem* 6 *Maii sic Sanctis annumerat :* In Halutcustram Everardi abbatis primi. *In Historia ecclesiastica Gentis Scotorum lib.* 5 *num.* 479 *plura de illo refert, quæ in Commentario prævio num.* 29 *dedimus. Ferrarius in sanctitate ejus asserenda Dempsterum secutus est; sed eorum auctoritas Majores nostros non movit, quo minus venerabilem illum virum die* 6 *Maii inter Prætermissos relinquerent. De illo infra rursus sermo recurret.* E

g *Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1143 *cap.* 5 *num.* 6 *in Actis* S. Waltheni *aliter nomen hujus monasterii legisse videtur, dum ibi Everardum illum nominat primum abbatem de* Kalencontran ; *sed aliud ejusdem monasterii nomen expressit, quando postea in laudatis Annalibus ad annum Christi* 1151 *cap.* 12 *num.* 9 *sic scribit :* Haud minus celebris abbatia de Holuncultris sive de Hulmo, vulgo de Holmecultraine, quam rex David in Cumbria ædificavit, atque sancto Walleno in filiam dedit, per monachos Melrosiæ propagandam. Primus illius abbas Everhardus, quem Sancti titulo historiæ omnes honorant. Hic ex Canonico regulari in Kirkeam atque Walleni socio cum eodem conversus, aut saltem ad illius æmulationem ad Cistercium perductus, hoc tempore Meilrosiam inhabitabat, Abbatis sancti excipiens confessiones, atque adeo ab eo amatus, redamansque, ut nisi Dei causa intercessisset, ægre ab altero uterque divideretur. *Ceterum existimo, his diversis nominibus indicari idem Cumbriæ monasterium, quod in confiniis Scotiæ situm est, et quod tomo* 2 *Monastici Anglicani pag.* 1057 Holme *dicitur, et ibidem in margine* Holme Coltram *cognominatur. Leslæus lib.* 6 *de Rebus gestis Scotorum inter alia monasteria, a Davide Scotorum rege exstructa,* Holme in Cumbria *recenset. Jongelinus in notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 16 *agit de eodem monasterio, ni fallor, quamvis illud Latine* Holcotranium *vulgo* Holcotran, *et paulo inferius* Holymæam, *communiter* Holme, *appellet.* F

h *Laudatus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1143 *cap.* 5 *num.* 6 *pro* Suano *legit* Siniano ; *Gamansius autem in altero Bodecensis codicis ecgrapho scribit, auctorem Vitæ id etiam a* Swano *audivisse. Quodnam sit verum hujus testis nomen, ignoro ; nec multum nostra interest illud nosse, aut operosius indagare.*

i *Martyrologium Romanum die* III *Novembris hunc sanctum præsulem sic annuntiat* : In monasterio Clarævallensi depositio sancti Malachiæ, episcopi Connerthensis in Hibernia, qui multis virtutibus suo tempore claruit ; cujus Vitam sanctus Bernardus abbas conscripsit. *Porro hæc Acta S. Malachiæ, de quibus in Commentario prævio num.* 18 *mentio facta est, posterius ad diem* III *Novembris illustrabuntur.*

k *Sanctus Bernardus in Vita S. Malachiæ etiam de hoc presbytero meminit ; sed hic pro* Figaro, *sicut utrumque apographum nostrum clare exprimit, in editione Coloniensi operum S. Bernardi, quam Jacobus Merlonus Horstius anno* 1641 *curavit, tomo*

EX MS.

4 *pag.* 131 *diserte* Sycarus *appellatur. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1139 *cap.* 5 *num.* 6 *hunc prophetam nominat* Sicarum, *dum ibi verbis biographi nostri eamdem rem narrat.*

l *Laudatus Angelus Manrique loco proxime citato in Actis* S. Waltheni *pro cognomine* de Neubato *legit* de Neuvelt. *Utra lectio præferenda sit, ignoro.*

m Mannus *est equus nobilior, ut Henricus Spelmannus in Glossario archaiologico ad hanc vocem testatur.*

n *De hac nobili familia consule Jacobum Wilhelmum Im-hoff, qui in Historia genealogica magnæ Britanniæ parte priore cap.* 9 *Normannicam illius originem, aliaque ad eam spectantia exponit.*

CAPUT III.

Transitus ad vitam monasticam, et variæ in illa virtutes.

B

Consulens Deum,

Augebatur deinde de die in diem in corde Viri contemptus mundalis pompæ, desiderium cœlestis patriæ; animoque fixum statuit desiderio diuturno cum circumspectæ deliberationis discreto libramine, religionis arctioris se velle viam arripere. Velle igitur adjacebat sibi de minoribus ad majora conscendere et cum beato Job per singulos gradus suos Deum pronuntiare. Desiderabat de Canonicatu ad monachatum, maxime Cisterciensis Ordinis, qui sibi videbatur ceteris austerior et arctior habitu et actu, progredi: sed verebatur, ut referre solebat, virium suarum imbecillitati tali ac tanto oneri nimis incompetenti. Consuluit crebro super hoc magni consilii Angelum devote, ut spiritu consilii et fortitudinis illustraret et corroboraret spiritum suum ad eligendum sapienter et tenendum fortiter, quod salubrius foret animæ suæ. Timebat, ne forte angelus sathanæ, qui se sæpe transfigurat in angelum lucis, in calice aureo venenum sibi propinaret; et sub ascensus annisu, quod in plurimis perpendit et perspexit, præcipitium palliaret. C Sed cum columna cordis staret immobilis in tali proposito, intellexit Vir spiritualis, ad hoc corde conceptum se visitatum et invitatum a Domino.

ac S. Ailredum abbatem

32 Consuluit etiam virum, vita, moribus, doctrina venerabilem, Ailredum *a* abbatem, coalumnum et amicissimum suum. Erat vir ille ex veterum Anglorum illustri stirpe procreatus, et post scholas præpropere relictas, a juventute in curia regis David cum Henrico filio regis et eodem Waltheno nutritus et educatus. Emenso aliquanti temporis spatio prius monachus Rievallensis *b*, postea ibidem abbas effectus est. Non multam liberalium artium peritiam est in scholis assecutus, sed proprio sudore et ingenii subtilis sibi innati exercitio eruderato et elimato fuit expolitus supra multos litteris secularibus imbutos; exercitos sensus in Scriptura sacra habuit, et codices ac tractatus præclaros, prælucido stylo dictatos et ædificatione plenos, Spiritu sapientiæ et intellectus inspirante et eum replente, post se posteris perpetuum monumentum reliquit. Erat præterea vir ille optime morigeratus, sapientia seculari præditus, facetus, facundus, socialis et jucundus, liberalis et discretus. Erat nihilominus supra omnes coætaneos suos ecclesiæ prælatos mansuetus et patiens, et infirmitatibus corporum et morum aliorum valde compatiens. D

ex canonico regulari fit monachus Cisterciensis,

33 Hujus itaque talis ac tanti viri consilio fretus et hortatus Walthenus, Wardoniam *c* se transtulit ingressu monachatus petito et impetrato, habitum mutavit, probatorium intravit. Quod audiens comes Simon germanus ejus, ira totus incanduit, et illum sibi et cunctis amicis suis annuntians perditum, totique cœnobio de Wardonia cum juramento terrifico consumptorium, si illum ulterius retineret, minabatur incendium. Monachi autem Kirkhamenses, qui ipsum filiali affectu excoluerunt, multo sudore et ecclesiastica censura ad suum regimen revocare studuerunt. Abbas autem et conventus de Wardonia, agnoscentes comitem præfatum proclivem ad malum et iram, ejus, ut leonis, fremitum formidabant, sese per illum incursuros suæ domus damnum perniciosum. Convocato ergo consilio prudentium, ipso consentiente ob temporis malitiam mitigandam, donec transiret iniquitas, miserunt eum Rievallem, suam videlicet matrem, E in quo loco vel ejus vicinia præfatus comes nullam nocendi vel efficacem habuit prohibendi potestatem. Movebatur querimonia Canonicorum adversus eum, causantium et asserentium, illum de jure non posse nec debere deserere gregem a Domino sibi commissum. Ipse vero a proposito non avertit animum; sed multiplices allegationes alterutrum prolatas, illis valefaciens, ingressus est inibi probatorium.

peractoque tirocinio,

34 Cum venerabilis Walthenus in probatorio peregisset aliquanti temporis spatium, antiquo serpente sibilante, Ordinis arrepti observantia vertebatur illi in fastidium: videbatur ei cibus et potus insipidus, asper et vilis vestitus, labor manualis durus, vigiliarum et psalmodiæ gravis, ac totius Ordinis tenor nimis austerus. Recogitans pristinos annos in Canonicatu vel Prioratu suo, persuasum in mente habuit, institutiones illorum, licet leviores, discretioni tamen viciniores ac per hoc salvandis animabus aptiores. Cum autem in corde hujusmodi serpere sensisset venenum, jugis ac devotæ orationis opposuit antidotum. Sed cum nec sic minueretur tentatio, sed potius cresceret, ita ut Ordinem Cisterciensem F deserere, ac ad Canonicatum reverti deliberasset; respiciente Domino, in se confusus erubuit, et se contra faciem suam statuit. Quadam namque die, pulsato signo ad horam canonicam, egressis secundum ritum novitiis ceteris, solus in cella remansit; et impetu spiritus ductus, in ostii limen se projiciens, caput, scapulas, brachia, ventrem intro, nates, coxas, tibias ac pedes extra posuit; et orans cum lacrymis dixit: Deus omnipotens, omnium conditor, cognitor et dispensator, utrum voluntati tuæ placeat, ut in monachatu maneam, an ad Canonicatum redeam, da ostensionem, et aufer a me huc usque animam meam affligentem tentationem.

in quo tentationes quasdam superavit,

35 Cumque hæc et ejusmodi proferendo Deum deprecaretur, subito nullum videns, nullum tactum sentiens, divina tantummodo gratia et virtute tractus, ad sedem, in qua meditari et legere solebat, transponitur. Ab illa hora, quamdiu vixit, tali tentatione caruit, et quidquid austerum et grave videbatur in Ordine, sibi leve ac bene deinceps fuit: quia jugum Domini suave ac onus leve sensit. Sic sic noster Elisæus quidquid in olla cordis electi sui amarum sapuit, injecta farinula

gratiæ

EX MS.

A gratiæ suæ dulcoravit. Miro moderamine mirabilis Deus hunc, quem ad regimen animarum provehere disposuit, hac tentatione fatigari permisit, ad coronæ videlicet augmentum, ut qualiter compati ac misereri deberet proprium edoceret experimentum. Venerabilis Walthenus, erutis ruderibus tentationum, jugeris instar optimi, optimum fructum in agro Dominico deinceps protulit; et tractus a Sponso, in odore unguentorum ejus velociter et delectabiliter cucurrit. Post anni ergo circulum in probatorio expletum, Regulam B. Benedicti habitu, et actu induit monachum, et ut breviter concludam, totius sanctitatis evidens in se expressit exemplum.

d eligitur abbas monasterii Melrosensis,

36 Circa idem tempus *d* Richardus primus abbas de Melros, quamquam in pluribus laudabilis, cum se ob impetum iræ indomabilem, conventui exhiberet intolerabilem, juste exabbas effectus, officio ac loco cessit; et venerabilis Walthenus unanimi consensu cunctorum electus, in virtute obedientiæ a patre abbate constrictus, in pastorali cura illi successit. Hujus igitur meritis magni sacerdotis, qui in diebus suis placuit Deo, B et inventus est justus, promotio in tempore regis David, iræ, quam adversus Conventum de Melros ob depositionem præfati Richardi conceperat, facta est reconciliatio. Rex namque prænominatum abbatem symmystem habuit, et ideo præ ceteris illum dilexit, protexit, nihilque mali de viro suspicari voluit. Habent etiam prælati pravi atque perversi proprium, fortitudinem suam in subditos retorquere, seseque erga excellentes personas tam ecclesiasticas quam seculares super reatibus suis excusare. Hæc breviter tetigi, ne quis sanctum Conventum de Melros super depositione illius abbatis vel aliorum tale quid promerentium accusare audeat; sed linguam mordacem ab illorum et aliorum Religiosorum sugillatione compescat.

in quo munere mitis

37 Dilectus et electus Domini Walthenus abbas effectus, nomen, rem et officium opere et veritate adimplevit: quia non in eo magni nominis umbra, sed veritas apparuit, piissimum Patris effectum et affectum in necessariis corporis et spiritus, suis subditis exhibuit, et juxta S. Benedicti monita plus amari quam timeri studuit. Et licet ex officio sibi commisso erga delinquentes zelo C rectitudinis esset erectus, erat tamen mœrentium et humiliter pro reatu suo satisfacientium consolator piissimus. Quos vero pro peccato publice perpetrato sponte confessos aut convictos publica pœnitentia punivit, postquam satisfactionem injunctam humiliter ac devote complesse, cognovit, nullum eis ulterius pro delicto illo exprobrare impune permisit. Affirmabat, tales secundum quid pares vel deteriores esse dæmonibus: quia quod post peractam injunctæ pœnitentiæ satisfactionem Deus fons misericordiæ indulgendo diluit et delevit, diabolus oblivioni tradidit, hæc illi malitiose replicare, improperare non pertimescunt, qui forsitan in tale quid aut simile seu pejus lapsi sunt, vel labi potuerunt, sive lapsuri sunt. Plura exempla super his proferre solebat de energumenis, qui peccata in confessione non detecta coram se consulentibus in facie propalabant; post factam confessionem, scripturam eorumdem peccaminum se perdidisse clamabant.

erga subditos,

38 Consueverat sæpius illud B. Hugonis Cluniacensis *e* abbatis verbum ore revolvere: Si contingeret unum e duobus evenire, malo puniri propter magnitudinem misericordiæ, quam ob rigidæ censuram justitiæ. Secreta vero delicta ei confitentibus ita se mitissimum mellifluumque medicum exhibuit, ut dulcifluis exhortationis et consolationis sacræ stillicidiis, quodlibet saxeum pectus penetrantibus, ad pœnitudinem veram et fructuosam eos emolliret, et cum virga Dominicæ crucis de duro cordis silice fontem lacrymarum produceret. Illis autem flentibus, ex compassione exitus aquarum deduxerunt oculi ejus. In his tamen tam discrete medicativum emplastrum et antidotum apposuit animarum vulneribus, ut nec vulnus aut morbus ullatenus detegeretur, nec confectione licet aliquantulum amara gravarentur, sed efficaciter sanitatem consequerentur. Audiant hæc prælati, qui pro commissis occulte perpetratis manifestam satisfactionem injungunt, et aspicientibus viam suspicionis pandunt. Sed quid dicam de illis, qui sibi conscientiæ secreta revelantibus in posterum insidiantur, et aliquam levem occasionem nacti, eos de domo propria expellere, et in barathrum perditionis præcipitare non verentur? Plane tales animarum medici, qui talem potestatem super ægros suos exercent, E venefici vocantur, qui pro theriaca toxicum propinare probantur. Non sic, non sic Walthenus, qui sciens sanis medicum non esse necessarium, sed male habentibus, ideo erga cunctos, sed et præcipue erga tales, pietatis affluebat visceribus.

et severus contra se ipsum

39 Vir Dei, qui pœnitentibus ceteris erat pius ac propitius, sibimet circa commissa sua, etiam levissima vel fere nulla, erat accusator importunus, testis instantissimus, et districtus judex. Quoties etiam, ut assolet, aliqua volatilis vel umbratilis mundanæ vanitatis cogitatio cordi irrepsisset, aut aliquod verbulum utilitatis vacuum vel otiositati obnoxium volasset in ventum ex ore ejus prolatum; non patiebatur, ut ita dicam, moram momentaneam transire, quin curreret ad confessionis sanativum remedium, et virgis exponeret dorsum *f*. Si vero confessor ejus pietate ductus illud corpus innocentissimum virgis mitius percuteret, ipse in virtute obedientiæ præcipere districtius consuevit, ut non parceret oculus ejus aut manus in eum, donec aliquoties sanguinem eliceret. Hujusmodi operam aliquando in die decies vel pluries iterabat, et confessores suos tali repetitione magno tædio, sicut testati F sunt, afficiebat. Vir Dei multoties muscam vel culicem insidentem faciei, et sanguinem sugentem, si per impatientiam ob angorem percutiendo perimeret, mox ad prædictum opus currebat, ut in ultionem proprium sanguinem verbere expressum funderet, et flagellantem, quasi pro nihilo ad verberandum coactum, in lacrymarum profusionem solveret.

pro levibus noxis, graves pœnas sibi infligebat, g

40 Retulit etiam Domnus Everardus, primus abbas de Holcultran, quod quadam vice dum itineraret cum præfato Viro Dei, œstrum *g* insidebat collo vel manui suæ, quod cum ille diutius manicis cucullæ suæ ventilando conaretur effugare vel saltem ab infestatione amovere, nec prævaleret, casu durius pugno percutiendo illud interemit. Post modicam morulam de equo descendens, abbatem præfatum clam ad se vocavit: moxque ante pedes ejus prostravit se, [et] reum clamabat, quod creaturam Dei occidit, quam plasmare vel vivificare non potuit. Abbas autem subridens permodicam satisfactionem illi pro tali commisso injunxit: sed ille plus doluit pro peremptione œstri, quam plures pœnitere solent ob effusionem a se perpetratam sanguinis humani. Ecce dum hæc refero, de me meique

similibus

EX MS. similibus valde doleo : in multis quotidie ac gravibus offendimus et ad correctionis verbera tarde properamus : pro commissis occulte gravibus vel crebro etiam perpetratis injunctam satisfactionem multoties ægre toleramus, et flagellis dorsum exponentes, si durius ictus iterentur, murmuramus.

ac de suis defectibus moneri curabat. 41 Quosdam etiam seniores domus et præcipue Wilhelmum de Bredeshala, monachum maturum moribus et annis, in vi obedientiæ imperativæ perstrinxerat, ut, si quando ipsum agere quidquam reprehensibile cerneret, eum instantius corripere non omitteret ; quod cum fecisset, ipse quasi puer tremulus sub ferula magistri correptionem admisit, et correctionem promisit. O quanti prælati aliter actitant ! cum enim plura perversa operentur, non solum a subditis reprehendi dedignantur, verum etiam si aliquod verbulum ipsis displicens proferant, implacabiliter inimicantur, et a suo consortio eliminare conantur. Memini, me quemdam prælatum subjecto suo, non ad velle suum sibi loquenti, au-
B disse suum placitum crebrius dicentem : Mihi sic loqueris ? An nescis, quia potestatem habeo crucifigendi te, etc. ? Sed nunc de his sileamus et ad S. Walthenum redeamus.

Humilitas S. Waltheni 42 Venerabilis Walthenus a dulcissimo ac mitissimo Jesu Christo didicit et esse studuit mitis et humilis corde, ideoque nec dominationis adipiscendæ cupidus, nec dominatus accepti tumidus, humilia consuevit de se sentire, humilibusque consentire. Prætendebat proinde humilitatem veram, propriæ videlicet contemptum excellentiæ, in abjectione rerum et honorum (sicut jam partim diximus et adhuc dicemus) in lingua et in incessu, in totius corporis gestu, in habitu et in equitatu. Sermo ejus erat humilis, pudicus, veridicus, expers cœnodoxiæ, murmuris, oblocutionis, et jactantiæ. Tantum vitabat excellentiam vel jactantiam de generosi sui sanguinis sublimitate, quantum cavere solent superciliosi prælati, procreati ex rusticis humi reptantibus vel etiam mendicis, a publicanda sui generis ignobilitate.

cum mendaci quorumdam superbia. 43 Miranda, imo detestanda est quorumdam prælatorum præsumptuosa perversitas, qui cum de obscuris parentibus genuinam trahant origi-
C nem, donis mediantibus, militum et procerum sibi nundinantur consanguinitatis claritatem ; unde et divites multoties de favore exhibito ac donis acceptis rident, et vaniglorium datorem derident ; et qui tertium gradum cognationis vel quartum computant, aut concedunt dantulo,
h centesimum genu *h* numerare nesciunt. Sunt et alii in Religionis habitu constituti prælati et subditi, ex militari germine generati, quorum tota fere collatio vel confabulatio de illis versatur, quorum et gaudium de illorum prosperitate, et tristitia ex eorum adversitate variantur. Non sic Walthenus, de quo nobis ad præsens sermo ; qui de regum ac principum prosapia particulam originariam ducens, soli Regi regum omnium parenti parere, placere studuit, et de carnali progenie sublimi numquam se extulit ; imo parentes suos delinquentes auctoritate magna, et magnates durius corripiebat ; rusticis et agricolis se submittebat.

modestia cum dissolutione, 44 Incessus ejus et totius corporis gestus erat religiosus et decentissimus, et ideo ædificationem pariebat intuentibus ; unde pudet me dicere de quibusdam, qui scapulis aut brachiis remigando incedunt, aut in modum turturis vel pavonis sive gruis pompatice gressus depingunt. D
Alii quidam loquendo digitos extendunt, caput concutiunt, supercilia erigunt, ipsis nutibus oculorum illud Heliu *i* clamare videntur : En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod i
lagunculas novas disrumpit. Dum pranderet seu cœnaret Vir iste Dei, mensam suam propter discumbentes ferculis et ceteris necessariis ornari volebat, in quantum tamen Ordinis institutio permittebat ; ipse vero de appositis tam modice sumebat, ut assidentibus et assistentibus admirationi esset, qualiter corpus imbecille, tam quasi de nihilo vivens, officium suum exercere valeret. Vestitus ejus erat nullo modo notabilis, quia nec pretiosus, nec nimis abjectus aut vilis, sed mediocris, et, juxta B. Augustini monita, magis moribus placere satagebat, quam vestibus.

45 In equitando monachum et conversum cum k
tribus tantum pergulis *k* coïtinerantes habere *paupertas* consuevit, quo tamen necessitas invitavit aut compulit ; ipse vero more clientum *l* sarcinulas l
in vectura retro ligatas gestare solebat, sotu- E
lares *m* aut caligas garcionum *n* suorum, et ali- m
quoties desuper equorum pediligulas, quas vulgo n
posturas *o* vocant. Unde quadam vice cum sic o
sarcinatus adisset regem Stephanum ob quædam necessaria peragenda, præsente comite Simone fratre suo superius memorato, idem comes ait regi : Vides, domine mi rex, qualiter frater meus, cognatus vester, nos honorat. Rex autem oculos defigens in Abbatem: Per nascentiam, inquit, Dei (tali enim juramento consuevit confirmare verbum suum) si divina gratia inspirante sciremus et perpendere possemus, valde nos honorat, et sicut carbunculus aurum, cui imponitur, sic totam prosapiam nostram condecorat. Deinde manus ejus crebro deosculans, benedictionem ejus petiit et accepit ; et quidquid postulavit animo libenti concessit ; sicque ad invicem vale facto Sanctus discessit, Rex ex imo pectoris alta suspiria trahens : Vir, inquit, iste ingenuus omnia mundana pro Deo subjecit sub pedibus suis, et nos in vanum accipientes animas nostras, mundum fugientem sequimur, labenti labentes inhæremus : dum enim fastus et fasces fallaces et falsas divitias nos deridentes, deli- F
rantes quærimus, animas cum corporum periculo perdimus.

46 Videant ergo et recogitent et intelligant *cum magnificentia nonnullorum conferuntur;*
pariter abbates, qui cum cuneis multis et equitaturis innumerosis atque pluribus clitellariis regum curias curiosius adeunt, putantes se in hujusmodi a principibus et magnatibus magis magnificari : certe quo se amplius in talibus extollunt, eo in eorum oculis et animis magis vilescunt ; et quanto se pro Deo abjiciunt, et humiliantur, tanto ab eis honorantur, pretiosiores et meliores judicantur. Interim taceam de abbatibus nigri Ordinis *p*, cum bigis numerosis et p
equis sarcinariis itinerantibus, quibus obviantes non putant advenire cœnobiorum Patres, sed præsules et provinciarum principes. De quibusdam abbatibus Ordinis Cisterciensis doleo, qui nesciunt, cui vel quali manno velint insidere, nec pergunt pernoctandi causa ad grangiolam *q* q
nisi cum pergulis pluribus, clitellis, et mantellis subtilissimæ lanæ, pellibus agninis indutis sive foratis *r*. Sic obscuratum est aurum, mutatus r
est color optimus : sed ab initio Ordinis, temporibus sanctorum Patrum, non fuit sic. Utinam auribus audiendi audiant et attendant Waltheno nostro, et sese ipsius exemplo circumcidant ab

hujusmodi

A hujusmodi superfluitatis vitio. Ego misellus, ne videar ponere in cœlo os meum; sed licet loqui prohibear, tamen tacere non possum.

et aliæ ipsius dotes laudantur.

47 Erat vultus Viri Dei fidus interpres hominis interioris ac evidentibus indiciis Spiritus sancti præsentiam persuadebat adesse cordis ipsius inhabitatoris. Facies namque macilenta, sed candida, et in genis turturinis rubens color infusus, grataque canities reverendæ religiosæque personæ gratiam præferendo spiritualem jucunditatem et exultationem, quam thesaurizavit super eum Dominus, exprimebant, omnesque aspicientes et alloquentes eum in sui dilectionem et reverentiam quodam dulcifluo placore *s* conducebant. Denique diffusa gratia in labiis ejus commonentis vel comminantis aut corripientis seu instruentis sive instituentis, divini suavitatem odoris et saporis aromatizabat, et verbum ex ore ejus semel emissum in vacuum ad se non sinebat reverti, sed ad quodcumque voluit prospere progredi ac proficere faciebat. Non enim instar quorumdam sententias et sermones alio- B rum corde et ore crebro ruminando, replicatos proferendo prædicabat, nec ex alienis laboribus laudes sibi acquirere affectabat. Ex suo pectore igneo et lucidissimo verbum Domini ignitum et lucidum prædicando proferebat, et supra multos, multo se litteratiores, audientes erudiendo ad virtutum exercitium accendebat. Erat nihilominus fœcundæ facundiæ, et præcipue peritus et eloquens et disertus Gallicæ et Anglicæ linguæ: unde contigit, ut cum ex more, B. Benedicti Romane *t* Regulam eleganter exponeret, audientibus magnam delectationem præberet. Erat enim Viro Dei, non solum erudita et suadibilis, sed etiam vox suavis et dulcis, non tamen altisona, propter corporis imbecillitatem et jugem psalmodiam, quam ultra vires exercebat.

ANNOTATA.

a *Hujus sancti abbatis Acta Majores nostri ad diem* XII *Januarii elucidarunt.*

b *Monasticon Anglicanum tomo* 1 *a pag.* 727 *fundationem et donationes monasterii Rievallensis recenset.*

C c *De initio ac fundatore hujus monasterii Cisterciensis, quod in diœcesi Lincolniensi situm est, consule Annales Cistercienses Angeli Manrique ad annum* 1136 *cap.* 8 *num.* 6.

d *Angelus Manrique hanc* S. Waltheni *promotionem ad annum Christi* 1147 *refert, ut in Annalibus ipsius ad hunc annum cap.* 16 *num.* 1 *et sequentibus legi potest.*

e *Vitam hujus Hugonis Cluniacensis ad diem* XXIX *Aprilis, tomo* III *istius mensis a pag.* 628 *Papebrochius illustravit.*

f *Manrique in Annalibus Cisterciensibus anno Christi* 1147 *cap.* 16 *num.* 6 *ad hanc Actorum partem notat sequentia:* Verum quod ait, consuetum sanctum Virum currere ad confessionem, et virgis vapulandum dorsum exponere, sciat lector, in more nostris patribus, non aliter audire confessores, quam denudatis dorsis pœnitentium, virgis quamdiu absolverentur, percutiendum; idque post matutinalem Missam commune cunctis: extra id tempus aliquando etiam fiebat. *Deinde eam consuetudinem Ordinis Cisterciensis ex verbis Cæsarii confirmat.*

g Œstrum *vel* œstrus, *Græce* οἶστρος, *est genus muscarum, quæ maxime equos aut boves aculeis suis vexant, ut Isidorus in fine lib.* 12 *testatur his verbis:* Œstrum animal armentis aculeis permolestum: Œstrum autem Græcum est, quod Latine asilus, vulgo tabanus, vocatur. *Hinc etiam Virgilius lib.* 3 *Georgicorum scribit de eodem animali:* EX MS.

......cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Graii vertere vocantes.

Calepinus, aliique lexicographi passim explicant, quomodo vox œstrum *metaphorice usurpetur.*

h Genu *apud Cangium in Glossario interdum idem est quod* generatio (*ex Græco* γένος) *seu* gradus generationis. *Unde hic sensus, qui nonnihil obscurus est, ita explicandus videtur, acsi biographus diceret: Nobiles illi, qui ignobilibus prælatis, munera dantibus, tertium aut quartum cognationis gradum concedunt, eos in centesimo consanguinitatis gradu non attingunt; vel, nullam inter se et ipsos consanguinitatem invenirent, etiamsi ad centesimum generationis gradum numerando descenderent.*

i *Hic est unus ex amicis Jobi, qui in libro Job cap.* 32 ℣ 19 *sequentia verba protulit, quæ biographus hic inepte applicat, et ad alium sensum transfert.* E

k *Suspicor, pro* pergulis *legendum esse* servulis: *ita ut quisque (nempe abbas, monachus et conversus, qui simul iter peragebant) unum servulum haberet: nam paulo inferius auctor scribit, quod calceos aut caligas* garcionum, *id est, servulorum suorum portaret. Ut ut est, pergula non habet significationem, quæ hic usui esse possit.*

l Clientes *apud scriptores mediæ ætatis aliquando pro armigeris, vasallis, aut servis accipiuntur, ut apud Cangium in Glossario explicatur.*

m Sotulares, *plerumque idem est quod* calcei, *qui etiam vocantur* subtalares, *ut in Glossario Cangii ad hanc posteriorem vocem licet videre.*

n Garcio *inter alia significata apud eumdem Cangium sæpe accipitur pro servo, uti etiam hic usurpari videtur.*

o Pediligulas *vel* posturas *frustra apud lexicographos quæsivi. Attamen ex sensu colligo, his vocibus designari phaleras, et forsan dorsualia equorum, quæ in lexico utriusque Macri ad vocem* postena *ab aliquibus etiam* postellæ *appellantur.*

p *Benedictini passim a scriptoribus mediæ ætatis monachi Ordinis nigri vocantur, ut in Glossario Cangii ad vocem* ordo *fusius explicatur.*

q *Est diminutivum a voce* grangia, *quæ prædium aut villam rusticam significat, ut Cangius pluribus exemplis probat.* F

r Foratus *vel* furratus *idem est quod pellitus vel pellibus ornatus ex Gallico* fourré, *quod eamdem significationem habet. Ea vox barbara etiam apud scriptores Anglos usitata est, ut Cangius in Glossario ad adjectivum* furratus *ostendit.*

s Placor *est quidam modus placendi, qui Græce dicitur* ἀρέσκεια, *et Latine comitas vel captatio benevolentiæ vocari potest.*

t Romane *hic idem est, ni fallor, quod Latine.*

CAPUT IV.

Monasteria hortatu Sancti constructa, et misericordia ipsius erga pauperes variis miraculis illustrata.

Comes Simon, frater Abbatis sancti, sæpius prænominatus, cum ab eo corriperetur ob nimios excessus ejus, rubore salubri suffusus vitam *Consilio S. Waltheni*

EX MS.

tam correctiorem arripuit, pro præteritis piaculis perpetratis pœnitens et a perpetrandis abstinens, pro eorum expiatione monachis Ordinis Cluniacensis monasterium S. Andreæ Norchaconiæ *a* et monasterium sanctimonialium S. Mariæ extra oppidum fundavit, redditus ampliavit, atque multa bona eis contulit. Cœnobium Cisterciensis Ordinis, scilicet Saltarejum *b*, fundavit, abbatem et Conventum de Wardunia, ab abbate Simone sancto viro directum, ibidem locavit. Tandem more Christiano, facto testamento, salutaribus Sacramentis munitus in fata concessit, et Northamtuinæ *c* in ecclesia S. Andreæ in ventrem matris omnium sepultus intravit, et quia miles in armis strenuus et sapiens secundum seculum et pulcher fuit, eleganter quidam epitaphium ejus versibus describendo dixit :

Dantur item fato, casuque ruunt iterato,
Simone sublato, Mars, Paris, atque Cato.

varia monasteria ædificantur,

B

49 Alius autem germanus *d* sancti Abbatis Henricus comes, filius David regis, obtemperans ejus hortatui, præclaram abbatiam, vocabulo Holcutram, fundavit, amplis possessionibus locupletavit, conventum de Melros assumptum, per abbatem Walthenum illuc destinavit, cui Virum vitæ venerabilis, Everardum *e* nomine, ab eis electum, abbatem præfecit. Erat isdem Everardus a pueritia divinis obsequiis mancipatus in Canonicatu, virum Dei præ ceteris Canonicis arctius amans in Christo ad monachatum secutus, in Melrosensi cœnobio ejusdem capellanus, conscius secretorum Sancti est effectus. Hic multis annorum curriculis vivens domum, cui præfuit interius ad magnæ religionis culmen erexit, et exterius prædiis et possessionibus ditatam in altum pervexit : sicque plenus dierum et virtutum in senectute bona ibidem in Domino requiescit. Rex etiam David universorum Ordinum ac multiplicium Religionum in terra sua fundator devotus, ac multorum monasteriorum plantator egregius, eodem sancto Abbate ipsius privigno persuadente, in Murenia cœnobium Kinlos *f* construxit, et abbatem et conventum de Melros illuc adduxit : sed priusquam locum illum, sicut disposuerat vivus, attolleret in sublime, mors festina regem de medio tulit.

C

et rex Scotiæ ad piam vivendi rationem inducitur.

50 Malcolmus rex, nepos Abbatis sancti in pueritia et juventute ante regnum et in regno constitutus, monitis ipsius obsecundans et imperio, vitam suam ad ejus arbitrium ac mores composuit, domum et regnum disposuit. Extans enim æquivolus justitiæ, judicium æquilibre inter virum et virum tenuit, censuram legum inflexibilem adversus latrones, prædones et proditores exercens, secundum Apostolum se non sine causa gladium portare opere probavit. Ceterum quod erat religionis, quod sanctitatis, quod morum, quod virtutis, sub habitu seculari exercuit : virginitatis decus usque ad tumulum perseverans, Deo præsentavit *g*. Hic ad nutum Abbatis abbatiam Ordinis Cisterciensis fundare promisit, prævidit locum, et Cupram *h* vocabulo assignavit : sed tamen ob quædam inevitabilia negotia emergentia aliquantulum opus differre commodum duxit. Quocirca Sanctus interim metas vivendi faciens, illuc abbatem et Conventum non direxit, sed successori suo Wilhelmo *i* illud peragendum reliquit. Nullatenus ergo Sanctus iste in hac parte a participio præmii privatur, cujus hortamento sive incitamento rex optimus ad opus tam præclarum perficiendum efficaciter inducebatur. Hæc quatuor cœnobia, quasi quatuor flumina, de paradiso Cisterciensis Ordinis, in ablutionem peccatorum et animarum refrigerium, produxit Fons vitæ per hujus Servi sui ministerium.

D

Inter alias Sancti virtutes emicuit caritas

51 Licet prædictarum et aliarum virtutum conventus in hoc Dei honore suæ mansionis stabile contruxerat habitaculum, misericordia tamen erga pauperes et infirmos ipsum sic vendicavit totum, quasi natus esset ad ejus solius obsequium, exercitium et usum. Merito proinde illi congruit, quod beatus Job de se sententiose pronuntians dicit : Mecum crevit miseratio, et ex utero egressa est mecum. Unde Vir sanctus non solum sanus, verum etiam multoties multiplici laborans infirmitate, quandoque baculo innixus, quandoque filiorum ulnis sustentatus, infirmitoria non solum monachorum et conversorum, sed pauperum et hospitum visitare quotidie consuevit, et a singulis sciscitans quid appeterent, quo indigerent, unicuique, quæ necessaria erant utrique homini diligenter administrari fecit. Omni tempore, et maxime famis prævalentis super terram, cum innumera multitudo pauperum, vitæ suæ consultura, conflueret ad Melros ob victualia percipienda, Vir Dei, non parcens bubus et ovibus vel porcis, omnium inopiæ, prout potuit, subvenire solebat. Unde et cum Abbatis ad egentium victualia deficeret sufficientia, ipse Fons misericordiæ sæpius copiosa sui largiflui muneris miraculose satis adimplevit affluentia, sicut sequens declarabit narratio nostra.

E

seu misericordia erga pauperes,

52 Quodam tempore, ingruente extinctoriæ famis calamitate, confluxerat ad Melros inopum turba copiosa, ut putabatur, numero quatuor millium, construxeratque sibi tuguria seu tabernacula in campis et silvis circa cœnobium ad spatium duum milliariorum. Abbas more solito, cum quibusdam Fratribus et cellerario, nomine Thoma, re et cognomento Bono, exiit ut videret multitudinem hanc magnam. Quam ut vidit, ait : Vere castra Domini sunt hæc ; et subjungens : Misereor, inquit, super turbam hanc, et quid apponam ante eos, non habeo ad manum. Magnopere curandum est, ut usque ad autumnum alimenta habeant, ne, quod absit, inedia deficiant. Spiritus induit prædictum cellerarium, utpote virum misericordiæ, et ideo Abbati carissimum, taleque Sancto dedit responsum : Habemus, Pater carissime, pecora plurima, boves pascuales, oves, verveces, et porcos pingues, casei et butyri non modicam quantitatem, mactabimus animalia, apponemus, et reliqua libenter et liberaliter expendemus in victum illorum omnia : panis tamen penuria cor meum tangit et angit, quia frugibus nostris pœne cunctis expensis, portio permodica in horreis duarum grangiarum, scilicet Heldun tritici usui Conventus pertinentis, et Galtareside siliginis victualibus familiæ reservatæ, adhuc remansit.

F

quam Deus multiplicatione cibi

53 Pius ergo Pater cellerarii verbis aggaudens, obstipo capite gratias multas egit illi, et benedixit illum in nomine Domini. Perrexit dein Abbas, comitante cellerario, ad grangiam de Heldun ; et ingressus horreum, baculum quem manu gestabat gelunario *k* infixit, genua flexit, orationem cum lacrymis fudit. Post modicam horam ab oratione surgens, baculum extraxit, signo Crucis edito metam illam benedixit et recessit. Deinde ad Galtareside abiit, et eodem modo, quod antea fecerat, iteravit, cellerarioque dixit : Disperge nunc et da secure nobis et pau-

peribus

A peribus, quia Deus incrementa dabit et augebit atque multiplicabit sufficienter necessaria nostrorum et pauperum usibus. Res mira, quia rara! Fruges, quæ in utriusque horrei angulis continebantur, non censebantur sufficere victualibus duarum hebdomadarum circulo, trium mensium spatio protendebantur, velut inconsumptibiles; et in eodem statu suo permanentes, speciem farinulæ viduæ Sareptanæ præferentes, usque ad novorum delibatam perceptionem. Ex quo novarum frugum suffecit assumptio, præscriptarum frugum apparuit consumptio. Sic quondam manna, quod filios Israel quadraginta annis in deserto pavit, post ingressum illorum in terram repromissionis et novorum perceptionem, illis defecit.

et similibus miraculis

54 Alio tempore vocaverat Dominus famem super terram, et inæstimabilis multitudo pœne præ penuria exspirantium cucurrit ad Melrosense cœnobium, commune consuetumque cellarium eorum; et ad Waltheni piissimi patris præsidium, suum penum proprium. Non sunt ergo fraudati a desiderio suo, nec frustrati a beneficio sperato. Abbate namque imperante, et cellerario B obtemperante, Conventu conveniente, mactabatur pecudium *l*, distributum expendebatur, pauperes sustentabantur. Nondum advenerat autumnalis messis, cum jam absumptis victualibus, pane deficiente, acrius instaret mortis minax famis oppressio: quod cum innotuisset Abbati, exibat de more ad visitandum inopes et videndum, si quod remedium vel levamen famelicis impendere posset. Anxiabatur in se spiritus ejus, et in amaritudine morabatur oculus ejus, quia non inveniebat ad emendum quidquam victualium circumcirca pro quolibet pretio manus ejus.

interdum probavit.

55 Reperiens tandem salubre consilium, convenit Conventum, humiliter obsecrans, ut illo die dimidiari pauperibus pacifice paterentur panem suum. Annuunt omnes animo libenti Abbatis voluntati, secatur singulorum panis per medium, impletur cophinus, instar cujusdam rhedulæ cum rotulis factus, ut impelleretur rotatu levis motus; ad multitudinem deinde pauperum, disposite discumbentium, taliter onustus trahitur vel impellitur, æqua portio singulis panis cum caseo particulatim distribuitur: sed cophinus in eadem quantitate pane repletus, post iteratam C distributionem, invenitur. Hæc miraculosa distributio panis quotidie iterabatur, pauperes sufficienter recreati usque ad novæ messis delibationem pascebantur. Ecce miserator et misericors Deus, per famulum suum Walthenum iterabat in panum cophino, quod quondam per Eliam prophetam in hydria farinæ fecerat, et olei lecytho. Cum vero Conventus accederet ad mensam cœnaturus, inventus a singulis panis integer, candidus et calidus, quasi de clibano recenter extractus. Reperiuntur granaria frumento repleta, et apothecæ et arcæ et armaria cœlitus simila usque ad novorum perceptionem perdurantia.

Liberalitas ejus erga hospites

56 Mirandis miranda succedunt, mirabilem Deum, in Sancto suo mira operantem, mirifice attolunt. Advenerant aliquoties hospites Melros, more solito pransuri in hospitio: allata est sportula de clibano manualis plena panibus hospitibus apponendis. Non poterat vas illud plures panes monachicos, qui miches *m* vulgariter et usualiter vocari solent, continere nisi duodenos. Mensa componitur, panis de sportula sumptus apponitur, assidentibus necessaria ministrantur. Comederunt ergo et saturati sunt, aliique in locum eorum ad opus simile subrogati sunt, sicque factum est, ut a secunda hora diei usque ad tempus collationis post Vesperas hospitibus adventantibus sive discedentibus seu pernoctantibus, cunctis tamen vicissim edentibus, panis de sportula sumptus sufficienter apponeretur, et semper plena et imminuta inveniretur. EX MS.

etiam multiplicatione panis,

57 Hoc signum insigne videns frater, Walterus nomine, conversus hospitarius, vir bonus et religiosus, admirans exultavit in Domino, et ante Completorium, quod accidit, indicari curavit abbati Waltheno. Quod audiens Vir Dei, vultu lætitia obumbrato subridens et Deo gratias agens, dixit ei: Hoc ego novi, antequam tu vidisti; et addidit: Crede mihi, si signum istud a te silentio supprimeretur, tota die crastina continuaretur. Si tale quid ulterius evenerit, da gloriam Deo, et pone digitum ori tuo: citius enim virtus vel miraculum evanescit, quod in ore vulgi popularis auræ laudis expositum exsufflationi patescit. Post hæc panes illi sunt appositi atque consumpti. Hujusmodi miraculi eventus pluries, eodem Fr. Waltero vero veracissimo referente, in diebus Sancti contigit; sed Sancto E prohibente, propalatus non fuit, sicut idem Frater post decessum Sancti crebro referre cum fletu consuevit.

aliisque prodigiis

58 Tres hospites peregrini Melros apparentes et pernoctandi petentes gratiam, devote juxta consuetudinem Ordinis, et maxime domus illius, suscipiebantur; suscepti in oratorium orandi causa, secundum S. Benedicti regulam, deducebantur. Oratione vero facta, sermone divinæ legis ædificabantur, et sic ad hospitium ducti, fratri Waltero prænominato commendabantur. Post paululum pedibus lotis juxta ritum ad refectionem locabantur. Locati non nisi duo tantum, tertia persona non comparente, reperiebantur. Adveniens hospitarius, quo socius eorum tertius devenisset vel ubi fuisset, inquisivit; illi vero se duos tantum advenisse ac receptos fuisse afferunt. Frater autem indubitanter asseruit, tres introductos et ad mensam applicatos fuisse; et illi e contra, interposito juramento, se nullatenus vel tertium conspexisse. Consuluit frater portarium et susceptorem hospitum monachum super hac re; responsumque est ab illo, se tres vidisse et suscepisse. Inquisivit diligenter, si F quisnam illum abeuntem vidisset, nec invenit.

cœlitus compensatur.

59 Nocte secuta vidit in somnis personam præclaram, vultu sereno, sermoneque blando, dicentem sibi: Frater Walthere, agnoscisne me? Quo respondente: Non, domine mi. Subintulit dicens: Ego sum hospes hesternus ille tertius, qui evanuit ab oculis vestris, hujus monasterii custos a Domino constitutus: fixum teneas, quod eleemosynæ et orationes vestræ in memoriam ascendunt ante Dominum, et præcipue Waltheni abbatis vestri deprecatio penetrans cœlum, ascendit in conspectu Domini sicut fumus aromatum. Hæc dicens disparuit, et Frater evigilans tempore opportuno, quod vidit, Abbati retulit. Quod audiens ipse Vir Dei, exultavit in Domino et gratias egit Deo salutari suo, imo et nostro.

ANNOTATA.

a *Id est Northamptoniæ, ut videri potest tomo* I *Monastici Anglicani pag.* 679 *et* 1011, *ubi in fundatione utriusque hujus monasterii memoratur iste Simon,*

EX MS. *Simon, et cognominatur* Seynlyz *a cognomine patris sui, qui ab oppido vel comitatu Gallico* Senlis *appellabatur* Silvanectensis, *vel* de sancto Licio, *ut supra indicavimus. Hinc in historia cœnobii S. Andreæ tomo* I *Monastici Anglicani pag.* 679 *inter alia legimus :* Nomen ejus heredis erat Simon de Seynlyz junior post nomen patris ejus; et iste junior fundavit abbatiam beatæ Mariæ de Pratis juxta Northampton.

b *Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 8 *et sequente, hoc cœnobium in comitatu Huntingdoniensi collocat, illudque appellat filiam Wardoniæ, de quo monasterio supra egimus.*

c *Hac voce aliter scripta iterum indicatur urbs Angliæ Northamptonia, a qua comitatus Northamptoniensis nomen suum accepit.*

d Germanus *proprie est frater ex iisdem patre ac matre natus. Unde biographus hoc nomen hic improprie usurpat, ut patet ex supra dictis ac inferius dicendis, ubi* S. Walthenus *recte Davidis regis Scotiæ privignus vocatur.*

e *De hoc primo istius monasterii abbate in Commentario prævio num.* 29, *et supra in Annotatis ad cap.* 2 *littera* f *plura retulimus ex Dempstero, qui tamen fundationem ejusdem cœnobii aliis* B *adscribit.*

f *Illud Scotiæ monasterium in diœcesi Moraviensi sub archiepiscopatu S. Andreæ situm est, et ab aliis* Killos *aut* Kilflos *vocatur. Jongelinus in Notitia abbatiarum lib.* 8 *pag.* 15 *de eo tradit sequentia :* Cella florum, quod Scotis sonat Kilflos, sive Killos, id est campus florum, cœnobium celebre, quod anno Domini MCLI splendide ædificavit S. David Scotorum rex, adductis primis monachis cum abbate ex monasterio Melrosensi. Nomen a floribus hoc cœnobium habet, qui præter anni naturam derepente in campo pullularunt, dum S. Duffi, Scotiæ regis, crudeliter interfecti corpus ibidem divinitus inveniretur, in quo loco in rei memoriam hæc abbatia exstructa fuit. *Vide etiam Boëthium in Historia Scotorum lib.* XI *apud nos fol.* 224.

g *Hanc ob causam Malcolmus ille communiter* virgo *cognominatur, ut etiam supra diximus.*

h *Istud Scotiæ monasterium, quod vernacule* Cupers *appellatur, situm est in diœcesi Brechinensi, et de eo Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 16 *sic scribit :* Cuprum in Angusia Scotiæ regione, assumptis ex Melrosa monachis, fundat anno Domini MCLX sanctus Malcolmus IV, Scotiæ rex, et Deiparæ C virgini consecrans amplissimis ditat reditibus, *etc. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1164 *cap.* 10 *num.* 1 *et* 2 *ostendit, monasterium illud anno Christi* 1164 *dumtaxat fundatum fuisse.*

i *De hoc* S. Waltheni *successore inferius plura referentur. Interim de tempore illius consuli potest Angelus Manrique, qui in laudatis Annalibus ad annum Christi* 1170 *cap.* 7 *num.* 8 *quosdam Dempsteri errores, circa hunc abbatem commissos, refellit.*

k *Ex sensu satis liquet, acervum frumenti hac voce indicari. Forte provenit a radice* geluna, *quæ manipulum significat, et pro qua Cangius* gelima *scribendum contendit, ut in Glossario ejus ad hanc posteriorem vocem licet videre.*

l *Quamvis hæc vox barbara in lexicis non inveniatur, tamen ex adjunctis patet, illa multitudinem pecudum significari.*

m *Forte oritur ex voce Gallica* miche, *quæ micam panis et sæpe parvum panem significat, ut in Glossario Cangii ad nomen* mica *probatur ex scriptoribus Anglis et Gallis, qui* micheas, michias *vel* michas *pro panibus usurpant.*

D

CAPUT V.

Donum lacrymarum, variæ visiones et ecstases.

Vir Dei multis dotatus et ditatus donariis virtutum a Patre luminum, perceperat et possidebat in sui ablutionem et aliorum, gratiam lacrymarum. Datum divinitus sibi fuit irriguum inferius et irriguum superius : inferius videlicet, quia valde scrupulosus in conscientia pœnitendo proprios, licet paucos et parvos, deplorabat excessus, et aliorum sibi commissorum magnos et graves lugebat erratus ; habebat irriguum superius, deflendo, se differri a cœlesti regno, cupiens dissolvi et esse cum Christo, ut cœlestis curiæ civibus conjunctus Regem gloriæ videre posset in decore suo. Ibat igitur et flebat E mittendo semina sua, ut tandem meteret et veniens portaret manipulos suos ad horrea cœlestia. *Sanctus dulcibus lacrymis diffluens*

61 Vix aut raro sine lacrymis se in oratione dabat : rarissime sine fletu Missam celebrabat : multoties sacris vigiliis insistens, dum Psalmodiæ intenderet, lacrymis affluebat; vel si musicæ instrumentum auribus ejus insonuisset, faciem lacrymis rigabat. Asserebat in cœlestibus ineffabilem esse melodiam, dum ex tactu fidularum aut humanis arteriis tantam sensisset probatam harmoniam. Sæpius instans orationi seu Missarum celebrationi vel psalmis invigilans, spiritualibus visitationibus divinitus recreabatur; magnificis revelationibus suffulciebatur : de quibus pauca de pluribus subnectere curabimus, quarum certitudinem relatu virorum veridicorum fixam teneamus. *in oratione et Missa,*

62 Quadam vice in vigilia Epiphaniæ Domini, nocturnis vigiliis Vir Dei stans in choro, Fratribus psallentibus, cecidit in mentis excessum, viditque in spiritu, sicut Evangelica prodit historia, totum apparitionis Dominicæ textum. Aspexit stellam radiantem, regum ab Oriente cum F magno apparatu venientium cursu prævio præducem, ac virginalis hospitii in Betleem Dominicæ nativitatis conscii stremulam *a*. Vidit et Puerum in virginis Matris gremio ab ipsis adoratum ac mysticis muneribus honoratum, et demum in somnis divinitus admonitos per aliam viam, quam advenerant, in regionem suam reversos. In se postmodum reversus, et visa secum mente pertractans intrinsecus, non perfunctorie perfundebatur gaudio magno; nam singulis annis in vigilia Theophaniæ, cum collecta illa recitaretur, scilicet Corda nostra splendor futuræ festivitatis illustret, etc., largo lacrymarum, sed melliflue ex visionis hujus recordatione, rigabatur profluvio. *nonnumquam in teneros mentis excessus* *a*

63 Post hanc mirabilem visionem successit altera non minus mirifica. Effulserat sacratissima nox, quæ sicut dies illuminatur ob memoriam resurrectionis Solis justitiæ, qui post occasum suum rutilans de corde terræ surrexit, cœlis, terris, tartaris exultationem intulit. Hæc plane nox Waltheno nostro illuminatio in deliciis spiritualibus fuit, sicut a confessore suo narrante nobis innotuit. Cum enim quadam vice celebrasset excu- *ac suaves ecstases*

A excubias Domini ipsa nocte Paschali, conventu chorizante in psalmis et hymnis, raptus in spiritu vidit Vir sanctus seriatim Dominicam passionem repræsentari coram oculis suis. Videbatur sibi videre Dominum post flagella et illata ludibria et sertum spineum impositum capiti, crucifixum in patibulo, palmas et plantas clavis expositas, in manus Patris animam commendantem expirasse, et ex latere, lancea perforato, in lavacrum et poculum, pretium et præmium humanæ salutis, sanguinem et aquam profluxisse. Contemplabatur animam, exuto corpore barathrum spoliantem, innumeram ex eo multitudinem educere, corpus resumere, redivivo reditu Superos lætificare, milites mortis ministros, machinantes veræ Vitæ obstruere, velut mortuos effectos jacere. Speculabatur demum ipsum formosum in stola sua, gradientem in multitudine virtutis suæ, in paradisum vasa captivitatis introducere.

rapiebatur.

64 Vir igitur Domini deificæ visionis contemplatione completa, ad se et in se reversus, recogitabat in dulcedine animæ suæ visu felici sibi B revelata præ admiratione et cordis jubilatione, sicut de Sabæa *b* legitur, ultra in se non habebat spiritum. Multis namque diebus postea sensualitatis officia, humanæ naturæ consueta, quodammodo sensit in se debilitata atque consopita, et ab usuali exercitio alienata, atque a lumine spirituali absorpta, terrenum cibum et potum fastidientia: unde et postea, quamdiu spiravit, dum in vigilia Paschæ Missam ex officio celebraturus proferret aut audiret Collectam, scilicet: Deus qui hanc sanctissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustrasti, et reliqua sequentia; inebriatus ab ubertate domus Dei, torrente voluptatis spiritualis potatus, erumpere solebat ubertim in lacrymas, nec se poterat continere ob recordationem visionis præscriptæ, et cum magna difficultate consummabat illius Collectæ verba superius inscripta.

Dæmon ei sub variis formis apparet.

65 Consueverat Abbas sanctus explicito Completorio, postquam singulos monachos exeuntes de oratorio in dormitorium juxta monasticæ morem institutionis aquæ benedictæ roraverat aspersione, in ecclesia quanto secretius, tanto sacratius precibus incumbere et holocaustum medulla- C tum in odorem suavitatis Domino libare. Hoc autem auctor totius peccati videbat et invidebat, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat, omni conamine orationis ejus instantiam impedire studebat. Cum enim quadam vice Sanctus staret orans coram magno altari, oculis et manibus in cœlum intentus, ante conspectum ejus in varias formas se transfiguravit angelus malus: discurrebat prius per pavimentum in specie muris, multiplices anfractus agitantis; postea murilegi magni et nigerrimi, postmodum porci grunnientis, deinde canis nigri latrantis, postea lupi ululantis, deinde tauri cornupeti mugientis formas induit.

quo fugato,

66 Sed Sanctus singulas species illusorias, edito signo Crucis, evanuavit: ad ultimum ille milleartifex, qui mille per mæandros agitare quieta corda conatur, in specie loricati militis magni sonipedis, horribilis et ceti tergo insidentis, fumiferum ignem de naribus et ore emittentis, et lanceam in virum orantem vibrantis ostentabat. Sanctus autem in impetu spiritus concito gressu, prout potuit, pergens ad altare pyxidem eburneam sacrosanctum corpus Domini continentem reverenter assumpsit, et se cum illo signans et adversus tartareum Goliam quasi novus David currens, dictante Spiritu, nomen novum inveniens ait: Ecce, pessime mus, miles funeste, satelles sathanæ, Judex tuus te missurus in abyssum; expecta, si audes, illum; præstolare congressum nostrum. Ad hanc vocem victus et confusus lacualis et infernalis eques, illius lapidis, qui abscissus est de monte sine manibus, præsentiam vel ictum ferre non prævalens fugit: detrusus in caliginosum ergastulum, qui in cœlo suum non servavit domicilium, non comparuit. Hæc vir Dei cum de virtute sacramenti Corporis Domini loqueretur, quasi de alio, cui hoc contigit, narravit: sed in secreta confessione symmystæ suo rei veritatem de se nudavit. *EX MS.*

67 Visitavit Abbas sanctus aliquoties Rievallem, matrem Melrosensis monasterii æstivo tempore, venitque in claustrum cum Conventus lectis quiesceret in meridie. Oratione de more ante ostium obseratum oratorii facta, nullum in dormitorio excitare, evigilare vel inquietare voluit, sed in partem secedens, monacho suo alibi recedente, juxta parietem in claustro residens affectavit dormitare, nec potuit. Cumque sic sedisset psalmis intendens, vidit virum venientem quemdam clarissimum, angelicum aspectu, vestitu deaurato circumamictum, diademate velut auro decoratum, innumeris gemmis coruscantibus adornatum, præcedentem maximam multitudinem dealbatorum disposite subsequentium. Assurgens Abbas, dictoque Benedicite, venientem salutavit, et quis esset humiliter interrogavit. Ille vero gratioso vultu, quasi subridens, ait: Nonne me agnoscis specialem amicum tuum Wilhelmum *c*, hujus loci abbatem primum? Cœtus vero subsequentium est monachorum atque conversorum sub mea cura in Ordine nostro in Christo quiescentium. Quot etiam in corona mea et veste vides coruscare gemmas, tot Deo per ipsius gratiam verbo et exemplo ac solicitudine acquisivi animas: et quoniam in isto loco Domino in sanctitate perseveranter servientes requiem æternam promeruimus, ter in anno locum istum visitamus. Hæc dicentis visio et allocutio disparuit. Abbas visa diu celans, ea tandem confessori suo et quibusdam viris Religiosis, qui erant a secretis, reseravit.

Sanctus monasterium Rievallense visitat,

E

c

68 Alia vice, juxta Cisterciensis Ordinis instituta, Rievallem visitavit, et sua præsentia plurimos in Deo lætificavit. Cumque post Completorium, ceteris egressis de more dormitum, solus demoraretur in oratorio, extulit manus suas in sancta, effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Postquam direxerat orationem suam sicut incensum in conspectu Domini, et ex thuribulo mundi cordis spirituali thymiamate pleno, arcam, et iterum propitiatorium aromatizando thurificaverat, egressus est de ecclesia in Capitulum, ut ante sepulcrum amantissimi sui Wilhelmi abbatis prænominati preces pro ejus anima funderet. Cum autem attentius et instantius oraret, talis tantaque melodia auribus suis insonuit, qualem quantamque antea numquam audivit. Stans itaque aliquantulum, collum extendit, aures attonitus erexit, auscultando diligentiam magnam adhibuit, ut sibi videbatur. Post aliquam morulam totum illud melos in ecclesia reboavit.

F *ubi varias*

69 Volens ergo pergere ad videndum et certius agnoscendum super hac re, de Capitulo exivit: et ecce cœtus candidatus cœleste celeuma concinens atque procedens, gradatim et decenter *[illegible]*

EX MS. obviam venit. In prima fronte hujus beatæ processionis abbas Wilhelmus, pro quo oraverat, locum et officium abbatis tenuit, grandisque turba monachorum et conversorum, qui jam dormiverant in Domino, sequebatur : quorum plures domnus Walthenus, dum adhuc viverent, bene novit. Intravit cum illis in Capitulum vivus cum mortuis, imo cum Christo et in Christo viventibus, et oratione facta ante tumbam memoratam, cunctis in ordine suo sedentibus, innuente abbate Wilhelmo, Walthenus, quasi coactus, prius Benedicite, dixit. Quid vero postea ibidem dixerint vel fecerint, nemini revelavit : quia forsitan, ut datur intelligi, arcana quædam illic audivit, quæ non licuit homini loqui. Erant vultus singulorum perlucidi, habitus candidus super albedinem nivis et lilii : verbum cantionis illius conventus fuit Antiphona, quam in solennitate omnium Sanctorum sancta canere consuevit Ecclesia, scilicet : Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus, et qui timetis eum pusilli et magni ; quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei.

B 70 Inter viros illos lucifluos quidam ceteris multo lucidior videbatur, qui dum vitales auras carperet, nullius momenti vel alicujus administrationis aptus officio habebatur ; et quia simplex erat ejus simplicitas, fatuitas a confratribus vocabatur, et in multis aliis vocabatur et judicabatur. Sed lampas contempta apud cogitationes non recte judicantium in conspectu veri et superni Judicis ampliorem fulgorem fulgentibus in hoc seculo præbuit, et nostræ cæcitatis tenebras, et falsum vel caliginosum judicium arguit. Nam, sicut Vir Dei dixit, quia Frater ille nullam fere vel modicam in præsenti vita consolationem habuit, ceteris, qui habuerunt, majorem in illa vita gloriam et honorem perceperit. Væ ergo divitibus et peccatoribus exaltatis, habentibus consolationem suam in hoc seculo ! quod nisi inde digne pœnituerint, ea privabuntur in futuro.

habuit;

71 Quidam Conversus vitæ laudabilis, Lambertus nomine, quæsivit Abbatem sanctum, ob quoddam illi negotium intimandum ; dictumque est illi, in capella sanctæ Trinitatis illum se reperturum. Solebat Sanctus inibi Missam ex consuetudine celebrare crebrius, diutius, et devotius

licet autem illas occultare nitere-tur,

C preces protelare. Accedens Frater præfatus illuc invenit ostium clausum et intus obseratum : et introspiciens per rimulam cujusdam fenestrellæ, videt locum totum repletum lumine, quasi fulgore fulgureo ; ipsumque coram altari stantem, amictum lumine, sicut vestimento. Videns hoc turbatus est, timorque magnus irruit super eum, quia reverberabat claritas inestimabilis ipsius intuitum. Avertit ergo oculos, retraxit pedem, non ausus suscitare dilectam animam, amicam cœlestis Sponsi, nec ab ejus amplexibus avellere, donec ipsa vellet. Quocirca, licet ibi moram fecerit, patienter præstolabatur ejus egressum : egressique post aliquanti temporis morulam, faciem solito clariorem veluti novi Moysi perpendit, et cum progrederetur ad publicum, propriam et pristinam induit.

72 Hinc colligi debet, quod immenso divinæ claritatis igne intus ardebat, qui claritate tam ineffabili circumfusus foris splendebat. Erat ignis ille illuminans, non comburens ; lucens, non consumens : qui cor ejus in receptaculum mundum invenit, irradiavit, et corpus ejus incoinquinatum undique collustravit. Convenit tamen secretius Conversum, sciscitans ab eo, si quid vidisset. Illique respondenti et confitenti rei in D
se veritatem, in virtute obedientiæ præcepit, ut nulli, quod viderat, enodaret, quamdiu super terram spirasset. Frater ille imperata sibi, vivente Abbate, sub silentii signaculo clausit ; post decessum Sancti, religiosis auribus Sancti virtutibus clausa, clavi licentiæ jam adeptæ, reseravit.

et silentio tegi juberet,

73 Sedebat Sanctus iste inter laïcos fratres dispertiens eis spirituales escas, quas non præparaverant sibi, loquendo de regno Dei ; et cum de beatitudine Sanctorum sermonem faceret, de se ipso, sed tamen quasi de alio, tertiam personam in narrationem assumens, sic exorsus est : Quidam monachus Ordinis nostri ad cœlestem patriam anhelans cogitatione et aviditate, sitivit anima ejus ad Deum fontem vivum, ut citius venire et apparere posset ante faciem ejus precibus quotidianis continuisque lacrymarum fluentis petebat dissolvi et esse cum Christo, ut ipsum Regem regum videre posset in decore suo ; quadam vice dum oratione diutius cum lacrymis incumbens avidius et arctius contemplando cogitaret de felicitate cœlestis regni : Vidi, inquit, cœlos apertos et gloriam Dei, mansionesque Sanctorum in regno cœlesti. Sic profecto, quod sub E
tertiæ personæ nomine narravit nolens, et nesciens de se sibi divinitus revelata denudavit ; his dictis homo Dei in se rediens sermonem illico finivit et recessit ; et quia secretum suum sibi licet invitus detexit multis lacrymarum profluviis se afflixit ; fratres vero, quod semel emissum fuit irrevocabile verbum, ex ore Sancti pro vero et fixo habuerunt, et sic accepta absentibus et posteris narraverunt.

interdum tamen inscius eas prodebat.

ANNOTATA.

a *Etsi hanc vocem in lexicis non potuerim invenire, tamen sensus hoc loco exigit, ut* stremula *pro indice accipiatur.*

b *Id est regina Saba, quæ videns sapientiam ac magnificentiam Salomonis,* non habebat ultra spiritum, *ut lib.* 3 *Regum cap.* 10 *legimus.*

c *Quamvis Henriquezius die* 2 *Augusti, et Chalemotus* 3 *ejusdem mensis, hunc sancti Bernardi discipulum, ac primum Rievallis abbatem Menologiis suis inseruerint, tamen eum catalogo Beatorum nondum adscribere audemus, quia Martyrologia Anglica de ipso non meminerunt.* F

CAPUT VI.

Diversa miracula, quæ Sanctus in vita patravit; mirabilis de imminente morte præmonitio, et pius obitus.

Quædam mulier intidigruma *a*, laborabat pluribus diebus in parturiendo, et non erat ei virtus pariendi ; mors versabatur in oculis, interitus adesse videbatur in januis : nihil enim aliud præstolari poterat de fructu ventris sui, quam peremptorem, sive ejusdem uterum solum superesse suæ proli sepulchrum ac utriusque claustrum terræ gremium. Abbas autem forte transitum faciens per fines illos, ibidem divertit, et in domo

a Mulier in difficili partu,

EX MS.

A domo cujusdam clerici, nomine Gilleberti, familiaris amici, pernoctavit: quod agnoscentes vir et cognati mulieris præfatæ, fratri converso, Richardo nomine, qui tunc temporis solebat equitare cum Abbate, et illi ministrare, intimabant infortunium et angorem mulieris miserandæ. Confidentes de Abbatis sanctitate, postulabant aliquid de cibis aut vestibus ejus saltem vel ad tangendum. Credebant fideliter et fiducialiter, ex illis miseram adepturam aliquod remedium sive levamen; nec fefellit eos fides sua.

[...]ta S. Walthenι zona, statim juvatur,

75 Abbate itaque post laborem itineris et refectionem sui corporis soporato, frater Richardus zonam ejus pelliceam ad caput ejus positam clanculo tulit, et mulieri deferri fecit, et ut se ea circumcingeret admonuit. Mira res magnumque miraculum! Mox ut parturientem zona circumplectens ejus ventrem tetigit, a pressura puerperii, quæ circumdedit eam, liberata et in partum soluta, sibi salutem suisque cunctis exultationem exhibuit: non enim jam meminit pressuræ propter gaudium, quia natus fuit homo in mundum. Quo facto, frater zonam reportatam clam in loco, B de quo sustulit, eam reposuit, omnibus hoc signum silentio sepelire jussit; cumque revertentes appropinquaverunt abbatiæ de Melros, prædictus Frater rem Abbati indicavit, illeque Deo gratias agens, et ne cuiquam se superstite signum istud divulgaret, more suo districtius indixit. Frater viventi Patri obediens signum siluit, et post decessum ejus propalavit.

[...]t equus [...]modis ejusdem Sancti

76 Quemdam equum Sanctus inequitare solebat, quem etiam tempore cum ceteris aliquando gratioso joco fratrem Ferrandum *b* nominavit: hunc solum sibi sufficere, quam diu vivebat, licet ad vectationem sui plures suppeterent, arbitrabatur; non sicut quidam abbates hodie, plurimos palefridos *c* habentes hæsitant, cui insidere dignantur. Hic ergo Ferrandus dum Sanctum haberet sessorem, quasi agnus mansuetus, modeste se habuit et si forte dormitatio, ut assolet aliquoties equitantibus, obreperet Abbati, ita moderate ac pedetentim passus dirigebat, ut non offenderet ad lapidem pedem suum, lutosam et lubricam viam devitans, planam et mundam eligens. Ex quo Vir Dei somnum excuteret, equus ocius avolabat, celeri ac suavi gressu commeantes C et etiam primos præcedere solebat; postquam enim abbas de illo descenderet, et puer ad stabulum vel ad aquandum illum ducturus ascenderet, ita se fremitu, varioque sinuamine *d* membrorum agitabat, ut aspicientibus liquide patesceret, quod post membra sancta sessoris sui non æquanimiter alios gestare vellet. Denique postquam Sanctus in fata concessit, equus ille expilatus emarcuit, et usque ad interitum suum elanguit, nec operis ullius usui aptus fuit. Licet vero hæc sint miranda, quæ de equo isto retuli, quoddam tamen majus miraculum de ipso factum memorare dignum duxi.

[...]ita servit,

77 Regrediebatur de Rokesburgia *e* aliquoties Sanctus Domini, peractis negotiis, pro quibus illuc ierat, monachos atque conversos, quos secum adduxerat, volubili rotatu lubricæ linguæ mutuæque locutioni intendentes non solum a præsentia, sed et spatio ferme milliarii a conspectu Viri sancti elongabantur, et ipse incaputiatus *f*, ac secum commorans, et soli Deo vacans, moderato gressu, prout poterat, subsequebatur. Inevitabilis necessitas instanter urgebat, ut de equo descenderet; sed præ nimia debilitate atque multiplici infirmitate, per se sine alterius auxilio ascendere vel descendere non poterat; circumspexit, nec fuit, qui adjuvaret nisi juvenculus quidam puer portarii de Melros et nuncius, qui de præfato oppido veniebat et Abbatis vestigia secutus indesinenter, quasi collateralis illi obambulabat. Vocans illum abbas sciscitabatur ab eo, si prævaleret ipsius descendentis scandile, quod vulgo strima *g* dicitur, tenere; respondítque adolescentulus, se velle attentare. Abbate descendente, puer incumbendo strimam et equum per lorum tenuit, adjutorium et obsequium impendit.

acsi ratione prædilus esset.

78 Abbas peracto, pro quo descenderat, dum scandere vellet, puer colliculum, in quo faciliorem ascensum haberet, quæsivit, et in tota planitie minime invenit. Mira res! Videns Ferrandus Abbatem accedentem et approximantem, sibi genua flexit et ventre terræ adhæsit et latus versus venientem vertit. Puer putans, equum aliquam gravem infirmitatem incurrisse, pulsu, sonitu, ictu ad surgendum eum compellere voluit, sed hoc fieri Pater prohibuit; equum deinde cum magna facultate ascendit, in sella ad libitum se collocavit, more solito pannos composuit; irrationale vero animal tamquam ratione utens, mox E modeste surrexit, recto gressu velociter viam carpens, puero non modicam admirationem incussit, sessoremque sui glorificare ac portare Deum in corpore et corde mundo, miraculo patenter in se patrato comprobavit. Deinde Pater puerum alloquens, ne cuiquam se superstite, quod vidit, enarraret, interdixit, ob cujus rei gratiam scapulare *h* novum promisit, et dedit, et dando, tunicam superaddidit. Puer vero, Sancto spirante, silentio rem obtexit, et post ejus decessum ad Dei gloriam et Sancti laudem hoc signum patefacta janua veritatis reseravit.

Postquam Sanctus episcopatum Sant-Andreanum, i

79 Vacabat sedes episcopalis sancti Andreæ *i* in Scotia, populique petitio, cleri electio, principis assensus sanctum Abbatem elegerunt in pastorem et episcopum animarum suarum voto unanimi, communi consensus conniventia. Venerunt igitur clerici, capitanei cum magnatibus terræ satis instructi Melros, gratia assumendi et educendi secum electum suum; abbasque Rievallis Ailredus, qui tunc ibi affuit, injunxit illi, ut obtemperaret electioni, subiret onus, susciperet officium; ille vero prætendebat imbecillitatem F virium, impotentiam sustinendi tanti ponderis negotium; indicavitque secretius abbati Rievallis, se non longum super terram victurum.

sibi oblatum recusaverit,

80 Illis autem persistentibus in electionis factæ perficiendo proposito, et patre abbate imperio suo, respondit Sanctus spiritu fatidico et ore veridico: Expoliavi me, inquit, tunica mea, quomodo induam eam? Lavi pedes meos; absit, ut iterum pulvere secularis solicitudinis inquinem eos. Et adjiciens: Credite, inquit, mihi, quoniam eligetis et habebitis alium, quam me, pontificem; extensoque digito designans suæ sepulturæ locum: Hæc, inquit, requies mea: hic habitabo, quamdiu Domino placuerit, ad filiorum meorum consolationem. Post hæc verbis utrimque subornatis, ut moris est, negotium suspenditur, et suspensum sub induciis differtur, dilatum ad effectum non producitur: illo denique electioni nullatenus consentiente, alius eligitur, et ipse in tempore constituto a Deo in loco præmonstrato dormiens in Domino sepelitur.

incidit in morbum,

81 Cœlestis Artifex omnium omnem habens virtutem, omnia prospiciens, non solum a rubigine ferrum, et argentum a scoria purgat, sed

et

EX MS.

et aurum, ut ampliori fulgore rutilet, igne purificat tribulationis: ipse namque quos amat, arguit et castigat, et omnem filium, quem recipit, flagellat, et omnem palmitem in se ferentem fructum purgat, ut fructum plus afferat. Hinc est quod dilectum suum Walthenum infirmitatis multitudine, crebris flagellis attriverat, tunsionibus attrectaverat, membris debilitabat, quem vas in honorem gloriæ suæ formare et in thesauris suis reponere disponebat. Sed tamen quando infirmabatur, tunc fortior fuit et potens, infirmos visitare consolari consuevit, necessitatibus singulorum subvenire satagens.

quo affectus

82 Erant in infirmitorio secularium inter ceteros, imo præ ceteris, tres quasi in mortis articulo positi: unus quartanis febribus laborans, duo hydropici. Hi tres a quadam luciflua persona nocte una in somnis eadem visione sunt visitati atque commoniti, quatenus peterent, ab abbate Waltheno ægrotante se tangi et benedici; sic profecto a mortis faucibus abstraherentur, et pristinæ saluti atque virtuti restituerentur: quod autem in visu noctis acceperant, in crastino infirmario Converso, Conversus monacho B confessori infirmorum, monachus Abbati verbis veritatem rei palliantibus indicavit. Dicebat monachus Sancto, tres lecto doloris detentos jam morti vicinos æstuanti desiderio ipsius præsentiam expetere, animarumque suarum secreta sibi velle pandere.

quatuor ægros,

83 Quo audito, Vir Dei baculo subnixus, suorum servitorum sustentatus manibus, vel potius gestatus, sui copiam prædictis infirmis exhibuit, de animarum salute cum eis antea super hac re a monacho præmonitis et præmunitis contulit; deinde discessurus et ab illis cum lachrymis postulatus, edito signo crucis ipsos tangendo benedixit, et recessit; miroque modo, licet diverso, eos sospitati restituit. Ex unius hydropici corpore per virilis virgæ meatum humor viscosus et fœtidus effluens pelvim magnam adhibitam bis adimplevit, humorque exinanitus mox totum hominem gracilem et sanum effecit. Alter autem hydropicus, excussa repente tota infirmitate, gaudens surrexit, optata potitus sanitate; tertium illico quartana reliquit febris, et infra paucos dies recessit totus sanus robustus C et hilaris.

periculosis morbis laborantes, statim sanitati restituit.

84 Erat itidem quartus in eodem infirmitorio languidus, qui non solum morti videbatur vicinus, sed quodammodo inescatus; inde in area domus super cilicium *k* expositus fuerat, et fossa præparata, in qua tumulari debuerat. Abbas fortuitu more solito revisens decumbentes infirmos advenit, in extremis agentem vidit, orationem pro eo fudit, edito signo vitali benedixit et abcessit. Æger illico vitæ redditus, oculos aperuit, caput erexit, Deo gratias et Abbati multiplices egit, sibi dictum a quadam persona clarissima, quod Dominus illi spatia vitæ longioris indulsisset Abbatis sancti precibus, asseruit; homo non post multos hos dies penitus convaluit, et recepto vigore pristino pluribus annis postea vixit: quæ cum postmodum innotuissent Viro Dei, nihil sibi utpote horum ignaro vel non conscio asscripsit; sed tantum nomini Domini in his et aliis omnibus gloriam dedit.

Frater quidam mira visione

85 Fuit in Melros quidam habitu et professione Conversus, sed actu perversus ac intentione, Sinuinus nomine, viribus corporis robustus, multis prævalebat in manuali labore: hic multoties murmurationibus insudabat, et a detractione linguæ non parcebat, et ceteros sibi D viribus impares aut secum collaborandi impotes, effæminatos vocando, nec cibo dignos dijudicabat: omnia pene sua faciebat, ut videretur et appreciaretur ab hominibus, non ut Patris, qui videt in abscondito, placeret obtutibus. Hic quodam Paschali tempore soporatus in meridie, vidit quemdam statura, vultu, visuque terribilem sibi approximantem, dextera manu machæram, sinistra sportellam gestantem: qui cum ad se accessisset, mores ejus increpans, cenodoxiæ improperans et condemnans, prius manus ac pedes, postea cetera membra frustatim concidit, concisa sportellæ imposuit et abiit. Recedens autem vir ille obviam habuit virum reverendum et præclarum sibi præcipientem, ut membra membris coaptaret, et hominem integrum priori staturæ redintegraret, eo quod Walthenus in illa hora pro omnibus sibi commissis devotas Domino preces fudisset.

ad frugem reductus accepit ab angelo schedulam,

86 Fecit illico mirandus carnifex, ut vir prædictus imperavit, et fratrem membris redintegratum pristino statui et sospitati restituit et recessit. Deinde sanctus ille, ut æstimabatur, E angelus Domini commonuit fratrem illum, ut intentionem mutaret, mores componeret, vitam in reliquum corrigeret, et ad Deum se totum converteret; frater autem se sacris ejus monitis promisit pariturum, et cooperante gratia Dei, vitam in posterum correcturum: dedit etiam illi breve quoddam involutum injungens, ut illud a Deo et sancta Maria directum Abbati porrigeret, porrectum accipiens fixum teneret, quod in eo scriptum nihil a vero vacillaret. Hæc dicens disparuit et frater evigilans supra pectus suum schedulam scriptam invenit, inventam hora competenti, enarrata visione, Abbati præsentavit. Abbas cœlitus sibi missum reverenter displicans illud legit, genibusque flexis, fusis lachrymis, Deo gratias multiplices exsolvit.

qua S. Walthenus familiariter de instanti sibi morte præmonetur.

87 Convocatis ergo prius senioribus domus, scriptum legendum præbuit; postmodum in audientia totius conventus recitari fecit: hæc autem hujus scripta verba fuerunt, quæ ex seniorum industria sacra pluribus diebus in cera tabulæ capitularis exarata legere gliscentibus patuerunt: Jesus Christus et Maria mater ejus dilectum suum Walthenum abbatem salutant. Scias, F quod exaudita est oratio tua, et inter duas festivitates Sancti Joannis Baptistæ venies ad nos perpetuo victurus: præpara te. Vale *l*. Ecce *l* verba pauca, simplicia, simplicibus, sicut sacra Scriptura testatur, cum quibus graditur sermocinatio Dei, convenientia; sed tamen sicut rei exitus probavit omni veritate subnixa. Et quidem Vir sanctus usque ad nativitatem sancti Joannis Baptistæ aliquantulum, ut homo, semetipsum exhibuit hominibus, audiens et tractans de necessariis monasterii, quantum ægritudo sua permittebat: exhinc jam quasi mundo mortuus, totus in Deum suspensus, ad cœlestem patriam animæ egressum expectabat.

Sanctus [illegible] morbo

88 Aderant dies caniculares, ac durus ac diutinus morbus morsu acriori et amariori corpus debilitate dilaniabat, et fere singulis diebus trium septimanarum subsequentium in januis adesse mortem minitabat; omnis etiam cibus humanæ naturæ nutritivus illi non sapuit, sed fastidio fuit, ac corporis exhaustis viribus, virtute vitali vacuato, jamque quasi præmortuo spiritus in pectore palpitabat. Cum aliquando anhelitu resumpto respirasset aliquantulum,

suos

A suos conveniebat, commonebat circa custodiam Ordinis, et mutuæ pacis et caritatis concordiam conservandam, et curam habendam pauperum et infirmorum. Novem tamen diebus continuis ante exitum bis in die vel nocte, velut in mortis articulo, agonizabat, servitoribus suis ac ceteris aspicientibus angorem et admirationem ac stuporem magnum incutiebat. Nec mirum; stupor merito fuit, quod vas tam fragile ac imbecille tam diros et continuos cruciatus perpeti potuit. Sanctus tamen iste, sicut sanus suis pluries protestabatur, exoraverat Dominum, ut eum ignibus ægritudinis durissimæ diutius decoquere dignaretur ante vitæ terminum.

ac diuturnam agoniam

89 Quoties agoniæ transisset hora, et qualiscumque accessisset alleviatio, parumper subridens, oculis ac manibus in cœlum intentus, vultu sereno, capite inclinato, gratias agebat Deo ob ejus flagella illata, velut pro magno beneficio sibi impenso. Semel tamen locutus est, audientibus pluribus, dicens: O si mihi suppeteret facultas fandi; quam multa et magna mirabilia possem vobis enarrare, quæ vidi! Ex quibus B verbis ejus datur intelligi, illum in spiritu fuisse raptum, perplura de pœnis reorum sive gloria salvatorum contemplatum. Affuit Kalendas Augusti festivitas sancti Petri ad Vincula, quæ celebratur in memoriam eductionis illius, qua per angelum eripuit eum de carcere divina clementia; appropinquabat imo instabat hora, in qua Abbas almificus angelici agminis protectione deductus de carcere mortis hujus educeretur de manu Herodis typici regis, scilicet super omnes filios superbiæ, et de omni expectatione tartareorum insidiantium ejus calcaneo, conantium iter ejus impedire, ne ereptus libertate perpetua potiretur: et ecce ægritudo solita et inviscerata plus solito, velut tortor sævissimus, totum hominem occupabat; gravissimis aculeis animam ad exitum urgebat. Sanctus hoc sentiens et sciens, sacri olei remissivam unctionem postulavit et percepit, ac dominici Corporis et Sanguinis participatione se munivit: deinde, elevatis manibus, suis benedixit, et, sicut valuit, valefecit: dehinc duabus diebus ac noctibus quasi in frixorio confrixa sunt ossa ejus, et velut in camino decocta est caro ejus, ut in anima nulla peccati C rubigo appareret aut macula vel ruga, nec confunderetur cum loqueretur inimicis suis in mortis porta.

tertio nonas Augusti moritur,

90 Illuxerat igitur dies tertio Nonas Augusti, qua Inventio sancti Stephani protomartyris celebratur: circa diei horam tertiam ultimum spiritum efflare a servitoribus censebatur, super cilicium ponitur juxta morem, crebra percussione tabulæ conventus vocatur, psalmi cum lætaniis concinuntur; et ecce Vir Dei, redivivo spiritu resumpto, vultum suum illuminavit. Super eos * obstipo capite, quasi gratias referens, admiratione non modica percussit eos. Istud opus simili modo bis iteratur; post Sextam, cum ventum esset ad prandium, jam tertio tabulæ percussione conventus citatus affuit; sicque circumstante corona filiorum psalmocinantium, sancta illa anima felicium flagellorum flammis in fornace febrium et aliarum multiplicium infirmitatum excocta et instar auri purissimi examinata, mundissimo carnis habitaculo exivit: pertransito namque igne et aqua mundanæ tribulationis, introductus est in refrigerium æternæ quietis. Transivit ergo Pater sanctus de mundo ad Patrem, de fide ad faciem, de spe ad speciem, de umbra ad veritatem, de caligine ad claritatem, de stadio laboris ad bravii coronam, de præsentis vitæ miseria ad indefectivæ vitæ gloriam æternam.

* *forte* Superos

EX MS.

et honorifice sepelitur.

91 Loto igitur ex more sancti Viri corpore et induto monachalibus, quibusdam visum est, sicut de beato Bernardo legerant, illum sacerdotalibus debere indui; sed quidam contradicebant: panno tamen incerato corpus tunicatum et incucullatum obvolventes, ceteris rite peractis, in ecclesia deportaverunt. Audito sancti Abbatis transitu, diœcesanus episcopus, Herebertus dictus, qui prius abbas de Kelceon *m* de Ordine Tironensi *n*, postea pontifex de Glasgu *o* factus, exequias peracturus devotissime accurrit: quatuor etiam abbates et plures personæ diversorum ordinum convenerant, et de loco sepulturæ ejus tractabant, imo etiam contendebant. Episcopus præfatus et alii plures censebant, illud virtutum domicilium jure in ecclesia tumulandum; sed Anfridus abbas de Neubocle *p*, et quidam cum eo contradicentes prævalebant. Post multarum Missarum celebrationem, intra capitulum in loco ab ipso prius designato in ventrem E matris omnium ingreditur, et lapis pretiosus sub lapide reconditur. Discessit anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo: regnante Henrico secundo in Anglia, Malcolmo in Scotia, pontificante papa Adriano Angligena *q*, Jesu Christo gubernante monarchiam in cœlo et in terra per æterna secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Nescio, an hoc sit proprium mulieris istius nomen, an ei a loco aut conditione inditum. Unde etiam dubito, an forte disjunctim* in Tidigruma *scribendum sit, ita ut quemdam pagum aut tractum regionis significet. Sed cum in utroque ecgrapho nostro conjunctim* Intidigruma *scribatur, interpretationem obscuræ et ambiguæ hujus vocis in medio relinquimus.*

b *Opinor, hoc cognomen ei a colore datum fuisse, cum* ferrandus *sit quidam color, in equis sic appellatus, ut Cangius in Glossario ad hanc vocem nonnullis exemplis ostendit.*

c Palefridus *vel* palefredus *est* equus cursor, *ut in Lexico utriusque Macri dicitur, et interdum scribitur ab aliquibus* palifridus *et* palfredus, *ut ibidem affirmatur.* F

d *Id est varia agitatione aut inflexione membrorum: nam* sinuamen *hic oritur ex* verbo sinuare, *quod varios flexus facere significat; unde serpentes sinuosa volumina versare dicuntur.*

e *Puto, hic indicari Rosburgum, quæ est urbs Scotiæ meridionalis in Teviotia provincia, ut in mappis Geographicis videre est.*

f Incaputiatus, *hoc est caputio tectus, seu capitis tegumento involutus.*

g *Vox* strima *in lexicis non occurrit. Suspicor, hic pro ea legendum esse* strepa, *quia apud Cangium in Glossario* scandile *etiam* strepa *appellatur. Est autem* scandile *vel* scansile *stapes seu equestre pedum fulcrum, quo equus ascenditur, ac ex eo descenditur.*

h Scapulare *est vestis brevior et minus ampla, quæ caput et scapulas tegit.*

i *Est una ex præcipuis Scotiæ urbibus, quæ sub Sixto IV Romano Pontifice archiepiscopalis cathedræ dignitatem obtinuit, cum diu antea episcopali sede ornata fuisset.*

k *Moris erat in Ordine Cisterciensi moribundos cilicio imponere, ut ex infra dicendis colligetur.*

l *Circa*

EX MS.

l *Circa hanc miram præmonitionem in Commentario prævio num.* 46 *nonnulla notavimus.*

m *In altero ecgrapho scribitur* Helseon; *sed puto, hoc loco indicari monasterium Scotiæ, quod in Monastico Anglicano tomo* 2 *pag.* 1067 *de* Elcho *vocatur, et quod Jongelinus lib.* 8 *Notitiæ abbatiarum Ordinis Cisterciensis pag.* 17 *sub eodem nomine in diœcesi Cathanesiensi collocat.*

n *Monasticum Anglicanum tomo* 1 *pag.* 704 *occasione cœnobii Furneseiensis, de hoc Ordine sic meminit :* Tempore hujus abbatis venerabilis, Serlo quartus abbas Savigneii, quæ est materna domus Furnesii reddidit apud Cistercium in capitulo generali domum suam Savigniacensem cum filiabus suis de Ordine Tironensi ad Ordinem Cisterciensem in manus sancti Bernardi, tunc abbatis Clarevallis, *etc. Plura de hoc Ordine, videri possunt in Opere nostro ad diem* XIV *Aprilis, ubi tomo* 2 *istius mensis a pag.* 220 *de B. Bernardo, fundatore istius congregationis, fuse actum est.*

i Glasquum *vel* Glascovium, *vernacule* Glasco, *est urbs Scotiæ meridionalis sita ad* Glotom *fluvium, quæ a Sixto IV Romano Pontifice ad dignitatem archiepiscopalem evecta est. Chronicon Edimburgense sanctæ Crucis, quod parti* 1 *Angliæ sacræ* B *insertum est, ibidem pag.* 162 *de præfato urbis episcopo ad annum Christi* 1160 *agit hic verbis:* Johannes in abbatem de Chelcau electus est, et ab Hereberto Glascuensi episcopo benedictus.

p *Jongelinus in opere mox citato illud monasterium lib.* 8 *pag.* 15 *vocat* Newbottel; *in Monastico Anglicano tomo* 2 *pag.* 1057 *appellatur* Newbotle ; *et in Lothiania Scotiæ provincia collocatur.*

q *Ex morte hujus Pontificis aliisque adjunctis in Commentario prævio num.* 39 *et sequentibus intricatum nodum chronologicum proposuimus.*

CAPUT VII.

Æterna Sancti gloria, variis visionibus post obitum ejus ostensa et confirmata.

Biographus Sanctum ob varias virtutes

In superiori libello de beato Waltheno, quæ memoratu digna censebantur, diligenter ab his, qui noverunt, investigavimus, investigata qualicumque stylo digesta notitiæ præsentium ac C posteriorum tradimus; omisimus tamen auribus accepta plura, quia, ut nobis visum est, probabilis testimonii defecit sufficientia. Vir igitur Dei quamdiu vixit in mundo, Domino vixit, et quando mortuus est mundo, mortuus est Domino, quia sive vivus sive mortuus, Domini fuit, imo et manet : in mundo vivens vas fuit electionis et gratiæ, e mundo translatus in thesauris Domini manet, vas honoris et gloriæ. Vere beatus Walthenus, sicut in libro Sapientiæ de perfecto viro scriptum est, quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.

comparat lapidibus pretiosis ;

** forte* spei

93 Nec mirum nec immerito ipsum jaspis fidei, saphyrus supernæ fidei*, carbunculus caritatis, margarita candidæ virginitatis, amethystus veræ humilitatis, topasius discretionis, smaragdus contemplationis, beryllus sanctæ exhortationis condecorant; calcedonius etiam eloquentiæ, chrysolytus sapientiæ, sardius abstinentiæ, chrysoprasus patientiæ, hyacinthus compassionis, et mire adornant magnes constantiæ, adamas perseverantiæ, et gemmæ ceterarum virtutum confirmant et beatificant. Et quoniam aurum corruptioni non est obnoxium, recte dicitur Sanctus iste vas auri solidum, quia corpus adhuc permanet incorruptum cum integritate membrorum ejus D et vestimentorum ; recte et dicitur vas istud ornatum omni lapide pretioso et sanctarum virtutum acceptione ac animarum acquisitione, cœlestium revelationum visione et miraculorum exhibitione, de quibus aliqua subnectere congruum ducimus, quæ a veridicis viris, quorum testimonia credibilia facta sunt nimis, visa et veritate subnixa accepimus. Veniamus igitur imprimis ad visiones Domini et ad revelationes Jesu Christi, et postmodum ad miracula, quæ Dominus dignatus est propalare meritis Waltheni famuli sui.

et narrat, quomodo cancellarius quidam Scotiæ,

94 Quidam clericus illustris genere, nomine Nicolaus, *a* cancellarius Malcolmi *b* regis Scotiæ, ob quædam magna negotia regni peragenda Romam missus, a Domino Papa et Cardinalibus ob sui reverentiam, et præcipue mittentis domini, honorifice est susceptus: hic post aliquantæ perendinationis demorationem cum quadam die protelasset causam negotii sui, terminum vel consolatorium responsum expediendi præstolans, cum advesperasset, et inclinata esset jam dies, invitatus in curia Papæ cœnavit; cœna autem facta, cum lampas diei crepusculi caligine cerneretur sepulta, idem Nicolaus pergere timuit per E plateas et vicos civitatis et angiportus inter ruinas, et hospitium aliquantulum a palatio distans, propter timores nocturnos et varios eventus infortunii. Solebant insidiantes latrunculi tunc temporis plures dispoliare, aut etiam sub obscuro noctis necare : qua de causa detentus ibidem in camera domini Papæ cum Cappellanis et clericis ejus pernoctavit.

Romæ exsistens imminentem ejus obitum præviderit,

95 Cumque, lecto locato, membra sopore fovissent, videbatur sibi, usque ad paradisum se raptum fuisse, ibique contemplatum talem civitatem, qualem describit liber Apocalypsis, tantumque gaudium, quantum oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : et ecce inter cetera videt duos præclaros viros ad portam pulsantes ingressum: quemdam deintro, quinam essent, sciscitantem audivit. Unum eorum Walthenum abbatem de Melros adesse respondentem ; tunc ille, qui quasi janitoris officium gerebat: Non, inquit, hodie intrare poterit, antequam induvias suas deposuerit. Ad hanc vocem uterque stans præ foribus recessit, et hæc somnians evigilavit. In crastinum præfatus Nicolaus F summo Pontifici et circumsedentibus retulit visionem, et adjiciens ejusdem Abbatis generositatem, sanctitatem et diutinam, qua vexabatur, infirmitatem ; Papa vero litteratissimus ac spiritu discretionis pollens, taliter modum visionis dissolvit, dicens : Puto, quod Vir ille Domini nondum carnem, tegumentum scilicet animæ, deposuit, qua indutus ille paradisum, sicut nullus alius ingreditur, intrare non potuit ; forsitan corpus exuet in brevi, et sic sine conditionis obstaculo intrabit in gaudium Domini Dei sui. His dictis absolvit eum sive spirasset, sive exspirasset, ab omni vinculo peccaminum, imprecans ei consortium civium supernorum: præcepit Nicolao regio clerico diem illum notare, et postquam repatriasset, per veracem et fidum internuncium, quid de Abbate actum fuisset, litteris significare.

hanc visionem eventu probante;

96 Cancellarius, peractis negotiis, repatriatus abbatem decessisse die sequenti, scilicet tertio nonas Augusti, comperit, [quando] nocte præcedente præscriptam [visionem] in Papæ camera constitutus vidit *c* ; ipse vero, quod de Abbate constabat, ut ei imperatum fuerat, ipsi Papæ

A pæ literis per quemdam Romipetam nunciavit. Papa Deo gratias referens animam ejus absolvit, et pro eo et cunctis fidelibus Missam solemniter celebravit. Veniens isdem cancellarius post reversionem suam in patriam Melros, fratrem Waltherum hospitarium superius memoratum, a multis diebus dilectum sibi, gravissima ac longa vexatum ægritudine lecto decumbentem agnovit. Petita et accepta licentia cum eo loquendi, inter cetera mutuæ collationis colloquia præfatam visionem ei seriatim enarravit et paulo post ei valefacto, discessit.

et quomodo S. Walthenus cuidam apparens

97 Frater Waltherus post discessum clerici, tanto afficiebatur animi dolore, ut pene ignoraret, quid posset aut deberet dicere vel agere. Tædio tandem pertæsus et angore, collectis viribus, de lecto surrexit, baculoque se sustentans, egressus de infirmitorio et sub dio residens, amarissimos gemitus et fletus super morte Abbatis edidit. Crebro etiam pectus tundens voce lachrymosa replicabat dicens: Quid ego miserrimus dicam vel quid faciam, dum nil boni perferam ante Deum judicem, si Walthenus abbas arcetur a ja-
B nua paradisi, de quo et in quo confidebam tantam inesse perfectionem, ut ejus meritis et precibus me crederem adipisci peccatorum remissionem et æternæ vitæ participationem? Cogor ergo pene dé me ipso desperare, qui per ipsius Patris dilecti et dilectoris mei sanctitatem, veniam et requiem æternam nacturum me præsumebam sperare.

æternam suam felicitatem indicaverit,

98 Hæc et his similia in hunc modum dicenti atque dolenti somnus tenuis obrepsit et semisoporato vel potius semivigilanti sanctus Walthenus in habitu candidissimo et vultu clarissimo satis serenus apparens, voce consolatoria dixit: Noli, fili charissime Walthere, flere, noli lugere me quasi mortuum, et a paradiso Dei me seclusum, quia cœlicis civibus conjunctus cum sanctis Benedicto et Bernardo lucidas sedes accepi, cum Christo victurus et regnaturus in æternum; ut ergo verbis istis fidem accommodes, illa veritate subnixa proprio experimento senties. Elevata dextra signum crucis edidit, et illum in nomine sanctæ Trinitatis benedixit et ait: Esto sanus ab infirmitate tua, cras ingredere chorum, juxta morem pauperum curam et hospitum age cum magna diligentia. His dictis, recessit et versus
C æthera gressus sursum libravit. Cumque intueretur in cœlum euntem illum, experrectus a somno, reperit se sanitati, et fortitudini, quam ante morbum habuit, integre et plenarie reconstitutum. In crastinum intravit prius chorum, et postmodum in hospitium, sicque juxta jussionem Sancti satagebat sollicite circa frequens ministerium. Hæc frater Waltherus multoties etiam cum lachrymis pluribus retulit, ex quorum relatu didici, quæ scripsi.

eamdemque aliis signis alteri manifestaverit.

99 Fuit alter Conversus in Melros, Henricus nomine, qui soporatus in visu noctis vidit tria feretra perpulchra, perlucida, cuncta terrena tranantia, per aeris inania versus Orientem iter sulcantia. Hæc intuens cum admiraretur, quid vel quæ essent, vel quid portenderent, aut quo tenderent, ardenter nosse glisceret, vox ex aeris alto insonuit dicens: In his tribus feretris gestantur tres Sancti Dei: sanctissimus scilicet Benedictus, et beatus Bernardus Clarevallis, et sanctus Walthenus de Melros abbates, iter arripientes
d ad Kinlos in Murrenia *d* ob eripiendam animam cujusdam fratris, Roberti nomine, in crastinum morituri, de manibus dæmonum quærentium eum, et secum deducere conantium ad tartara.

Erat enim isdem frater dilectus et [dilector] dilectoris domini Waltheni, degentis in mundo, et triumphantis de mundo, ac regnantis cum Christo. His dictis cum voce visio sublata fuit, et frater evigilans cum visione diem notavit, et ferme post unius mensis spatium diligenter manifesta rei certitudine, die denotato, decessisse fratrem præfatum agnovit; ex qua re recte conjicimus, Sanctos Dei illis in extrema necessitate efficacissimos adesse subventores, qui degentes in corpore fuerant eorum devoti dilectores. Diligamus ergo Deum, et Sanctos ejus devote veneremur, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui Deo placuerunt, ad impetrandam veniam et vitam perpetuam obtinendam, meritis et precibus adjuvemur. EX MS.

Frater quidam fraude dæmonis in infidelitatem prolapsus, e

100 Erat alter Conversus in eodem cœnobio, nomine Walterus *e*, cujus cor sathanas tam diu cribravit, sicut triticum, donec pene totam fidei medullam excuteret et animam ejus tamquam paleam exsufflatam a facie venti igni inextinguibili comburendam traderet; subtilibus argumentis fallaciæ suæ illum subplantare ac subvertere nisus, quasi sub sanctitatis studio decipulam palliavit, et velut in calice aureo virus propinans, E
hominem illiteratum veteris Legis cærimoniis et prophetis ad literam discendis insudare faciebat. Cœpit ergo paulatim mentis oculis circa cultum Christianæ religionis et vitæ regularis custodiam caligare, donec lumen rationis pene perderet, et Judaicam sectam veritati Catholicæ credendo præferret; ad ultimum in eo tantum infidelitas accepit incrementum, ut nullam aliam vitam nisi præsentem crederet, et quod Scripturæ sanctæ de pœnis reproborum et gaudiis justorum loquuntur, nihil et inane reputaret. In hoc errore fere septennio manens pendulus, sub habitu Religionis vivens, non abbati nec alicui spirituali patri conscientiam revelare voluit, singulis etiam diebus ante noctis crepusculum similiter et noctibus ante diluculum proposuit habitum abjicere, et ad seculum redire, diesque suos in malum consummare, imo consumere.

mirifica visione

101 Sed Deus omnipotens, qui cui vult et quando vult miseretur, et de vasis iræ facit vasa misericordiæ et jubet de tenebris lumen splende-
scere, tali modo convertit hominem ab errore viæ suæ. Quadam meridie cum in lecto soporatus quiesceret, duo viri præclari coram assistentes, apprehensa dextera deduxerunt eum in quemdam hortum viridissimum, vernantem, odoriferum, florigerum, fructiferum, satis amœnum, speciosum, et spatiosum; illi vero ejus infidelitatem eidem improperabant et aspera atque amara se illi illaturos minitabantur. A reæ conscientiæ damnatorio testimonio accusatus, graviter torquebatur, seque cuncta mala sibi inferenda juste promeruisse protestabatur; cumque circumspiceret undique, si forte sibi proveniret auxilium aut solamen, vidit sanctum Walthenum abbatem in eminenti loco et prælucido sedentem, turbamque candidatorum circumstantem et circumsedentem; adductus itaque in conspectu ejus, veniam prostratus pedibus ejus petivit, et post aliquantam morulam, quid de se fieri deberet, inquisivit. F

et S. Waltheni apparitione

102 Abbas sanctus aliquantulum deliberans sententiavit dicens: Quod diu occultasti cordis in secreto, nunc revelabitur in publico. Deinde ductoribus ejus ait: Sicut promeruit, imponatur rotæ versatili, cui similes sui sunt imponendi, deducatur ad loca pœnalia, ut discat, quanta sit inter reos et justos distantia. His dictis, ductus

est

EX MS. est et impositus cuidam rotæ, cujus statura et altitudo erat horribilis valde, summitas ejus cœlos tangere putabatur, extremitas abyssum; subtusque eam igneus fluvius decurrere videbatur, ut si quis forte de rotæ vertigine caderet, in ignis voragine demergeretur. Erant hujus rotæ canthi ac modioli radii undique dentati atque densati quasi clavis ferreis acutis et longis. Huic rotæ fratre imposito et astricto, quidam in manibus clavas tenentes percutiebant rotam, moxque velociori vertigine versabatur, quam lapis molaris in mundano molendino *.... antea pertulit: ex hinc diebus pluribus ægrotavit et fragile vasculum carnis ex visionibus horrendis spiritui apparentibus debilitatem contraxit.

* *hic deest aliquid*

terretur,

103 Post hæc cum dictus Conversus lecto decumbens daret somnum oculis suis et palpebris suis dormitationem, vidit in visu noctis duos illos præclaros viros præscriptos advenientes, et apprehensa dextra ejus in hortum præscriptum coram sancto Waltheno se deducentes. Frater ille recolens summam illius priorem et præteritam, formidabat ventura pejora prioribus, absentare et ab-
B scondere se voluit a facie illius. Abbas autem sanctus vultu sereno et ore jucundo illum ad se accersiens, ne timeret, admonuit, ac deinde ductoribus ejus dixit: Ad loca requiei et gaudii deducite illum, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Ad hanc jussionem egredientes de horto sustulerunt eum in montem excelsum valde in quamdam regionem lucis et pacis latissimam et lætissimam: vidit ibi mansiones multas speciosas et spatiosas, quasdam quasi de auro purissimo, quasdam de argento probatissimo, quasdam de ebore candidissimo, quasdam de lapidibus pretiosis constructas: omnes incolæ juvenes erant splendidi, lætitia pleni, crebro inter cetera cantica Alleluia canentes, quorum plures agnovit prius in mundo degentes. Perspexit itaque ibi fluvium mellifluum, et nectareum, plura genera arborum et florum terrigenis ignotorum. Cumque ardentissime desiderasset ibidem demorari, duces ipsius ultra murum quemdam aureum altum nimis transvexerunt illum in aliam regionem lucidissimam, in cujus comparatione prioris patriæ lux perexigua censebatur: audivit inibi tale tantumque melos, quale quantumve aures
C humanæ capere vel linguæ carnis nequeunt exprimere.

qui resipiscens

104 Cumque staret quasi præ gaudio stupefactus, affuit sanctus Walthenus et dixit: Vidisti supplicia reorum et præmia justorum, noli amodo esse incredulus sed fidelis; declina a malo et fac bonum, diligenter et perseveranter observa Ordinis, in quo vocatus es, sanctum propositum. Ad hæc autem adjecit Sanctus: Rota, inquit, et fluvius et solitudo ac vallis, quæ prius vidisti, loca purgatoria sunt; infra castelli ambitum puteus igneus sulphureus aditus infernalis est, infidelibus et criminosis impœnitentibus deputatus; prima regio in hac visione tibi monstrata justis, sed imperfectis, est assignata; ista vero patria proxima cœlo, quam nullus ingredi poterit nisi perfectus et innocens ab omni nævo peccati penitus purgatus. His dictis, ductores ejus per viam ignotam usque ad portam de Melros eum reduxerunt, et continuo ab eo discesserunt, qui statim evigilans se sentit sanum et immensa lætitia perfusum.

variis cœlestibus favoribus cumulatur

105 Mira res! Ille frater ante visionem istam erat valde simplex, hebes, et impeditæ linguæ; sed post subtilis effectus est et eloquens, ita ut in promptu haberet rhythmos componere rhetorice et venuste, sicut nos consuevimus loqui quo- D
tidiano ac plano sermone: unde et postea Evangelia plura et expositiones eorum ac historias et sermones orthodoxorum patrum et visiones istas et alias Anglica lingua, nobili stylo rhythmice dictavit, et audientes etiam abbates et alias excellentes personas in admirationem et multoties in lachrymas resolvit. Ipse in reliquum, vitam suam in magna religione composuit, abstinentiæ et lacrymis assuefactus et ceterarum virtutum exercitiis dies suos in bonis consummavit. Quid autem ante mortem ei revelatum fuerit, licet extra materiam narrationis præsentis esse videatur, quoniam ædificationi congruit, congruum censemus, ut stylo tradatur.

et prævio quodam signo

106 Ante paucos annos mortis suæ, membris præ infirmitate ac senectute debilitatis, cum ex jussu dormitorium custodisset Conversorum, quadam meridie, ceteris soporatis, dum ipse vigilans intenderet orationi, vidit sanctam Dei genitricem Mariam, quasi reginam coronatam, incedentem cum duabus virginibus obambulantibus
et obsequentibus ei per claustrum in dormito- E
rium monachorum ingredientem, et quemdam cum atramentario scriptoris et pergameno subsequentem: ipsa regina erecta dextra claustrum et dormitorium atque dormientes benedixit; veniens autem ante grabata quorumdam, jussit scriptori suo dicens: Scribe nomina istorum, quia jam parati sunt; deinde de dormitorio exiens monachorum, per ecclesiam ante altaria inclinans ante cruces, ingressa est dormitorium Conversorum, transiens per lecta singulorum, præcepit scriptori suo iterum quorumdam nomina scribere, pronuncians paratos esse; quo facto scriptor ille fratrem illum ista videntem intuens sciscitatus est dicens: Domina, quid jubes fieri de isto fratre, cui concessisti ista videre? Et Domina cœli et terræ: Etiam, inquit, hunc scribe.

de imminente sibi morte cœlitus monetur.

107 Quo facto, recesserunt, etiam ab oculis ejus evanuerunt; ipse vero multum admirans meditabatur secum in cordis cubili secreto, quid portenderet ista descriptio; nec multo post secundum ordinem descriptionis nominum subsecuta est defunctio singulorum descriptorum. Po-
stremo isdem infirmitate tactus gravi ac sacra F
unctione atque vivificis Sacramentis munitus, visionem descriptam quibusdam familiarissimis suis enarravit: mortem suam prædicens, læto vultu, mente hilari illam exspectans, ultimus descriptorum in pace requievit. Quod autem hæc videns duos parietes, quasi lynceos oculos habens, penetravit, evidenti miraculo post generalem resurrectionem corporeis oculis cuncta pervia et perspicua fore, comprobavit.

ANNOTATA.

a *Hector Boethius lib.* 13 *historiæ Scotorum apud nos folio* 268 *quamdam Romanam hujus Nicolai legationem, sed procul dubio diversam abi sta memorat his verbis:* Reverso in Scotiam Malcolmo. nihil prius visum est agendum, ac ut quam primum legationem ad Pontificem maximum obedientiæ consueto more gratia mitteret. Sedem ea tempestate Petri, Eugenius tertius obtinebat. Eam legationem Guilhelmus Moraviensis episcopus, et Nicolaus, qui tum regi a secretis, vir insigni quadam virtute præditus, obivere: qui postquam benigne a Pontifice maximo excepti

rem

A rem ex sententia confecerant, domum læti reversi sunt. *Sed ea, quæ in Actis nostris postmodum narrantur de instante* S. Waltheni *morte, quam Nicolaus ille Romæ commorans vidit, conciliari non possunt cum tempore hujus legationis, aut pontificatu Eugenii III Papæ, qui anno Christi* 1153 *ex hac vita discessit. Forte Nicolaus ille solus postea ab eodem rege Scotiæ propter alia negotia rursus ad alterum Pontificem Romanum missus est.*

b *Is est Malcolmus IV, de quo supra mentio facta est, et qui anno Christi* 1165 *obiit, ut Hector Boethius lib.* 13 *Historiæ Scotorum apud nos fol.* 270 *verso testatur.*

c *Si Nicolaus iste hanc visionem Romæ habuerit nocte præcedente mortem* S. Waltheni, *non potest hoc ad primam illius legationem referri, aut cum pontificatu Eugenii III conciliari, ut supra monuimus.*

d *Est ampla Scotiæ borealis provincia, ab Oriente in Occidentem extensa, quæ vulgo dicitur* Murray, *et Latine etiam Moravia appellatur.*

e *Quamvis Augustinus Sartorius in Cistercio bis-tertio tit.* 9 *pag.* 264 *hunc Waltherum titulo* beati *ornet, non audemus illum catalogo Sanctorum adscribere, quia in nullis antiquis Martyrologiis memoratur.*

B

CAPUT VIII.

Eventus quidam a Sancto apparente prædicti, et varii morbi ad ejus sepulcrum curati.

Sanctus abbas æternam omnium subditorum suorum salutem,

Immensum divinæ pietatis beneficium sanctæ Ecclesiæ sive religiosorum congregationi attribuitur, quando quispiam ex sanctitatis merito Dei familiaritatem adeptus, illis prælatus et pastor præficitur vel efficitur; felix, inquam, conventus, cujus pater spiritualis usu et experimento crebro didicit, se impetrare posse a Deo, quod in sui et suorum salutem deposcit! De hujus felicis beneficii speciali munere juste gratulari plures possunt, qui in religione a sancto Waltheno suscepti et servitio Christi mancipati sub ejus regimine deguerunt: quam enim grata Deo sollicitudo regiminis ejus extiterit, quam efficax gratia * salutem animarum sibi commissarum ejus intercessio fuerit, præclara revelatio Fratri cuidam ostensa, signis evidentibus taliter edocuit.

C

** forte erga*

mortem quorumdam

109 Frater quidam justus et timoratus, Wilhelmus dictus, hospitarius in grangia de Wekairoc, quadragesimali tempore vidit in visu noctis Dominum abbatem Walthenum vultu venusto vestituque venerando, et licet in somnis, optime recordatus sanctitatis ejus, ad pedes illius procidit, et ut sui memor esset ante Deum suppliciter postulavit. Vir Dei elevans illum postulationi libenter annuit, et post verba consolatoria, quibus eum exhilaraverat, subjungens assertive dixit: Fixum tene, frater Wilhelme, quod diutius precibus suffragante mediatrice Dei et hominum benedicta Maria matre Domini, omnibus, quos degens in mundo sub cura pastorali suscepi, a Salvatore nostro vitæ æternæ beatitudinem impetravi: si quis illorum negligentior fuit, quam esse debuit, post ignis purgatorii emundationem ad cœlum migrabit; et ut nullus scrupulus super his emergat in mente tua, duo signa prædico tibi in proximo eventura, fidem verbis istis facientia; in crastinum circa horam tertiam huc advenient duo monachi et unus conversus: exspecta et observa diligenter, quis eorum primus, quis secundus, quis tertius januam grangiæ intraverit, quia eodem ordine quilibet eorum e corpore demigrabit; scias nihilominus, talis ac tantæ tempestatis inter festivitatem beati Benedicti patris nostri jam instantem, et Annunciationem sanctæ Dei genitricis Mariæ Dominæ cœli et terræ, finibus istis affuturam vehementiam; de qua multis diebus incolæ magnam mirandi et colloquendi habebunt materiam. EX MS.

aliosque prædixit eventus,

110 His dictis, visio Dei subtracta, et frater ille a sommo excussus est; sequenti vero die circa horam tertiam prope portam sedit; et ecce, tres homines Religionis adventantes, sicut acceperat nocte, vidit, et præstolando diligenter introitum singulorum annotavit. Primus ingredientium erat Conversus, Taibaldus nomine procurator pecudii Melrosensis abbatiæ: secundus dominus Fulco, qui quondam abbatis jure præfuit Cuprensi cœnobio: tertius Coraldus cellerarius intrantium ultimus, vir bonus et prudens, et providus. Hi tres, elapsis aliquot annorum circulis, eodem ordine in ventrem matris omnium ingressi sunt, quo januam grangiæ prius, sicut dictum est, ad fratrem intraverunt. In crastinum diei sancti Benedicti ventus ingens et horridus grandine mixto irruit, tribusque diebus ac noctibus continuis persistens, plures domos prostravit, arbores radicitus subruit, pecudes interemit, naves subvertit et submersit. Vespere præcedente Annunciationem Dominicam procella siluit, serenitas rediit, multorum ora in admirationis collationem resolvit. E

qui re ipsa contigerunt.

111 Cum ergo completa sunt, quæ Sanctus testimonium suæ promissionis futura prænunciavit, constat procul dubio veritate subnixa, quæ sanctus Abbas suis se adeptum a Domino bono promisit: signorum namque prædictorum exhibitio promissorum subsequentium est irrefragabilis certitudo. Constat ergo, felices esse, qui sub tanto Patre summo Regi militaverunt, cujus meritis et precibus in æternitatis albo conscripti sunt. Hæc de visionibus seu revelationibus dixisse, licet aliæ plures non contemnendæ ad narrandum suppetant, nulli, quæso, sit onerosum. Nunc ad miracula, quæ per illum post ipsius decessum Dominus dignatus est operari, saltem pauca de pluribus describenda reflectamus articulum. F

Hydropici quidam

112 Erat quidam conversus in cœnobio Cuprensi, Scoticus natione, Gilesperda nomine; hic jussu abbatis sui missus Melros, cum ibidem spatio aliquanti temporis demoraretur, percussus est illo incurabili genere hydropisis, quod a physicis tympanites *a* vocatur. Quatuor quidem secundum physicos sunt hydropisis species: quarum duæ, scilicet leucoflancia *b* et hyposarcha *c* sunt in initio, antequam radicentur et roborentur, curabiles; reliquiæ duæ, videlicet tympanites et archites *d*, insanabiles. Is ergo fratrer hac specie inremediabili laborans, [cum] omnem humanam annullatam sibi sentiret et sciret medicinam, corde contritus, confugit ad divinam: audiens et cognoscens sanctitatem abbatis Waltheni, adhuc in mundo spirantis, credebat, illam non exspirasse; imo amplius vigere jam in cœlo regnantis cum Christo.

insanabili istius morbi specie laborantes.

113 Nocte dormiente conventu, clanculo ingressus capitulum, super tumbam Viri Dei peccata sua confitendo lachrymas ubertim perfudit, et ut ejus

EX MS.

ejus meritis divina clementia remedium aliquod sanctitatis ei conferre ac vitæ spatium protelare dignaretur, quo deflere, diluere, delere delicta præterita posset, attentius postulavit; post hæc sive fide fervens, sive præ nimio angore se contorquens, expandit et extendit se super tumbam, implorans auxilium et efflagitans remedium; sicque jacens inter precum instantiam resolutus est in somnum; post modicum expergefactus, ventrem suum gracilem seque totum integræ sanitati redditum sensit, et Deo et sancto ejus Waltheno devote gratias exsolvens et in crastinum patefaciens miraculum, multorum ora in gratiarum actiones reseravit.

implorata S. Waltheni ope,

114 Item quidam habitu sæcularis in infirmitorio sæcularium eadem specie hydropisis laborabat, nihilque nisi mortem adesse in januis exspectabat: is audiens, manum Domini benignam meritis sancti Waltheni optatam salutem [contulisse] in Conversum, petiit et impetravit ad tumbam Viri Dei accessum. Nocte diutius in precibus et fletibus instabat, et ut Mater misericordiæ de suo promptuario plenum miserationum sibi salutis poculum propinaret, profusius obsecrabat; B deinde super sepulchrum, se incurvando ut potuit, extendit, extensus dormivit, dormiens quemdam quasi loro se fortiter constringentem, ventrem suum turgidum et tympanizantem ad spinulam dorsi contrahendo, persensit; sentiens autem, evigilavit, evigilans, omnino se sanum invenit, sanus effectus, grates Deo et sancto ejus Waltheno debitas exhibuit.

ad tumulum ipsius

115 Alius tali morbo turgescens toto corpore, obnixius postulato et tandem impetrato ingressu et accessu ad sancti Abbatis monumentum, pernox in oratione et lachrymis perstitit; diluculoque discedens, nihil levaminis adeptum se deflens, et accusans indignum exauditu, Sanctum magnificavit. Sedente illo super stratum suum ac talia proferente, subito per meatum virgæ virilis virus undatim cœpit defluere; quod sentiens æger ille, pelvim supponit, suppositum humor lividus effluens usque ad summum semel et iterum adimplevit; humor autem inutilis et noxius exhaustus, corpus gracile et hominem sospitati restituit, et ad referendas devotas Deo et Sancto gratiarum C actiones efficaciter induxit.

prodigiose sanantur.

116 Quidam pater familias hydropicus effectus, nil aliud de se pro certo, nisi certæ mortis horam incertam exspectans, tribus noctibus admonitus est in somnis, ut Melros adveniret, sepulchrum sancti Abbatis visitaret, ejus suffragium exposceret, sicque sospitatem optatam obtineret. Fecit igitur homo peregrinus, sicut divinitus fuerat edoctus : uxore namque, cognatis et amicis pluribus eum comitantibus, ad portam Melros in vehiculo gestatus, venit; incommodum suum diutinum exposuit; revelationem super salute adipiscenda sibi factam retulit. Ad crebram denique et devotam ejusdem petitionem a fratribus introductus ad memoriam sancti Abbatis, excubias devotas in precibus et fletibus pernox peregit; sicque illucente die, sanitate diu desiderata potitus, gratiis Deo et Sancto ejus exhibitis, cum suis ad sua laudans et lætabundus rediit. Merito Sanctus iste carnem indutus et exutus, specialem gratiam hydropicos curandi promeruit; quia avaritiam de corde radicitus exstirpare, situmque carnalium voluptatum funditus extinguere studuit. Hydropicus, ut dicitur, quo amplius bibit, amplius sitit; sic et avarus, dum quod cupierat, adeptus fuerit, ad alia majora acquirenda amplius inardescit. Avaritia malum quodammodo insatiabile esse dignoscitur, quod nec copia nec inopia minuitur. D

Alii etiam, variis morbis afflicti,

117 Quidam monachus de Melros, Benedictus nomine, annosus ætate, duplici laborat infirmitate : auribus autem obstrusis, penitus obsurduit, et quamvis cæcutiret in oculis, adhuc modicum lumen fuit. Hic pio et salubri furto sibi consulens, noctim, Conventu soporato, de dormitorio clam egressus, ante monumentum sancti Waltheni decubuit, remedium cum gemitu et lacrymis expetiit, tandem fatigatus, caput super tumbam circa pedes Sancti reclinans, somnum cepit; sopore paululum hausto, evigilavit, seque ab utraque ægritudine sanatum sensit, auditum plenarie percepit, visum sufficientem quamdiu vixit, habuit, et sanctum Abbatem antea carum habens, deinceps usque ad vitæ suæ vesperum ut carissimum dilexit et excoluit.

et auxilium ejus flagitantes,

118 Alius monachus ejusdem cœnobii multis infirmitatibus et maxime morbo calculi et intestinorum molestia tam intolerabili vexabatur, ut intuentes ad compassionem et desperationem vitæ illius moverentur : per utrumque enim meatum partis anterioris et posterioris, cruor coagulatus emittebatur, et ideo periti medici dysenteriis *e* vel etiam lienteriis *f* illum laborare arbitrabantur. Is ergo ad sancti Abbatis adductus monumentum, devotas preces profudit, lachrymas libavit, ibidem excubavit, origine ægritudinis, quæ diutius illum depresserat, expers effectus, desiderata sanitate percepta, Deo et Sancto ejus laudes debitas exsolvit. E e f

sanitatem recuperant.

119 Quidam clericus in remotis Angliæ finibus exortus, fornace febrium miserabiliter, sed tamen mirabiliter decoctus torquebatur : nam aliquando singulis diebus, quandoque die altera accessu torrebatur, singulis nihilominus noctibus, omni quiete semota, ejus anima ad exitum vergi videbatur; consuluit medicos etiam in transmarinis partibus et diversis Angliæ finibus, medicinas multimodas exercuit; sed omnis cura vel industria nihil sibi profuit. Tandem tractus fama sanctitatis sancti Waltheni abbatis, circumcirca salutaris suavitatem odoris aromatizantis, Melros devenit, incommodum suum insinuans, obsecrando, plorando, implorando accessum ad tumbam Sancti obtinuit, pernox ibi in vigiliis, orationibus et lachrymis perstitit; mane facto, omni febre depulsa cum infirmitate reliqua, Dominum mirificantem Sanctum suum magnificans, sanus et hilaris in viam suam abiit. F

ANNOTATA.

a *Gorræus et Castellus in suis Lexicis medicis tres dumtaxat hydropis seu aquæ intercutis species distinguunt, quarum una vocatur* tympanites, *quæ juxta Castellum in Lexico suo ad vocem* hydrops, *aliosque medicos* hoc nomine a tympano, omnibus notissimo instrumento, appellata est : si enim pulsetur venter inferior, instar tympani sonum edit. *Gorræus de illius morbi origine, effectu, ac periculo plura subministrat.*

b *Opinor pro* leucoflantia *legendum esse* leucophlegmatia : *nam hoc posteriori nomine a medicis appellatur altera hydropis species, et cum* anasarca *vel* hyposarca *passim confunditur, ut apud Gorræum et Castellum videre est.*

c *Scribendum est* hyposarca : *Græce enim dicitur ὑποσάρκη vel ἀνασάρκη, de qua morbi specie*

lau-

A *laudatus Castellus in suo Lexico ad eamdem vocem* hydrops *hæc tradit :* Tertia anasarca ἀνασάρκη, ὑποσάρκη καὶ λευκοφλεγματίας dicitur, fitque quoties per totum corpus humor pituitosus diffunditur, adeo ut instar spongiarum aut papyri universa caro permadida appareat, ideoque in ea totum corpus intumescit, ac mortuo simile evadit. *Gorræus alterum hujus morbi signum in Lexico suo Græco ad vocem* ὕδρωψ *indicat his verbis :* Si digitum in carnem paulo altius adegeris, cavitatem ibi impressam diutissime retinet.

d *De hac hydropis specie Castellus ita scribit :* Ascites ἀσκίτης, quæ fit cum inter membranam peritonæum et intestina plurimus aquosus humor coacervatur, qui locus aquoso humore utris modo impletus videatur; unde et utricularem appellant. *Gorræus de eodem morbo sic disserit :* Ἀσκίτης est abdominis ab aquoso humore distentio. Colligitur ille inter periton æum et intestina, veluti in utere quodam, unde morbo nomen. *Quamquam plerique medici judicent, tympanitem esse speciem periculosissimam ; tamen Avicenna ascitem ceteris periculosiorem pronuntiavit, ut ibidem Gorræus in fine testatur.*

e *Græce vocatur* δυσεντερία, *quæ juxta Gor-* B *ræum* est exulceratio intestinorum, dejectiones ramentosas, cruentas, et dolorificas inducens. *Tum varias hujus morbi causas ac species ibidem exponit.*

f *Castellus in Lexico medico ad voces* intestinorum difficultas *de hoc morbo videri potest, et Gorræus in Lexico Græco ad vocem* σπληνικοί, *quo nomine appellantur illi, qui splene vel liene laborant.*

CAPUT IX.

Incorruptio sacri corporis, et multis ægris sanitas restituta ad sepulcrum Sancti.

Fit magnus populi concursus ad tumulum S. Waltheni,

Cum supradicta et alia multa miracula mirabilis Deus in Sancto suo operaretur ob declaranda Servi sui merita, Wilhelmus abbas, qui in regimine illi successit, cunctos infirmantes adventantes ab ingressu et accessu ad monumen- C tum sancti Viri arceri præcepit. Non audeo asserere, quod quidam dixerunt, ipsum videlicet talem prohibitionem promulgasse præ invidia; quin potius tamen, ut reor *, cœnobitæ Cisterciensis Ordinis turbarum undique confluentium carerent immoderata frequentia : videtur tamen pluribus, hujusmodi prohibitionem præsumptuosam nimis esse, ut homo luteo tabernaculo circumdatus, incerto et lubrico inhærens, misericordiæ fontem audeat obstruere, et gloria cœlesti clarificatum mundoque miraculis manifestatum sub cespite silentii præsumat obruere. Juxta enim Raphaëlis angeli, loquentis ad Tobiam, testimonium : Opera Dei revelare et confiteri honorificum est; injungere etiam populis sanctitatem, et sapientiam Sanctorum narrare, et ecclesiæ laudes eorum pronunciare. Ad quem affectum præfatus abbas Wilhelmus super interdicto suo pervenerit, exitus rei luculenter edocuit : dum enim contra monita beati Benedicti plus timeri quam amari studuit, et propriam proterviam in subjectos retorquere sategit, potestas prælationis ejus subditis non solum one- D rosa, sed etiam exosa exstans, illum exabbatem effecit *a*.

* *f. potius reor, ut*

EX MS.

121 Ipsi ergo pastorali curæ cedenti Dominus Jocelinus *b*, quem ipse in multis ante gravaverat, successit; qui sancti Waltheni dilector et dilectus extitit. Abbas autem Jocelinus, memor sanctitatis et ingenuitatis Viri Dei, lapidem sepulchro ejus suppositum mutare, et alium de marmore decentiorem acquisitum illi subrogare decernens, ad hoc peragendum diem præfixit. Dominum Iggelramium, diœcesanum episcopum *c*, et vicinos abbates et priores die constituto convenire fecit. Igitur convenientibus in unum pontifice cum quatuor abbatibus, inter quos erat Hardredus, abbas de Caldra *d*, vir magnæ religionis et sanctæ opinionis, et aliis pluribus prælatis diversæ Religionis, astante Conventu de Melros, lapis amovetur; et ecce, corpus, quod in pulverem redactum putabatur, utpote tertio decimo anno decessus et sepulturæ ejus, incorruptum et integrum, multo similius dormienti quam mortuo, reperitur. Panni quoque, quibus obvolvebatur, in eadem incorruptione, integritate atque venustate, qua in die sepulturæ ejus fuerunt, illæsi cernuntur, excepto illo panno incerato, in superiori libello memorato, qui penitus incine- E ratus inveniebatur.

b quo aperto,

122 Accedens antistes propius, pannos prius palpans, postmodum quasi distendere tentans, deinde pectus et scapulas, postea caput et reliqua membra fortius attractabat, et omnia integra, et artus flexibiles, et compages in suo statu inveniebat. Astans autem cantor, Petrus nomine, et hæc intuens : Domine, inquit, episcope, salva reverentia vestra, durius, quam decet, sanctum corpus contrectas. Hoc et quidam alii submuscitando dixerunt; ad quos episcopus : Nolite, inquit, filioli carissimi, ægre ferre, quod feci ad laudem Dei, et honorem sancti Patris nostri, quoniam argumento satis probabili ostendi vobis, vobiscum habere socium sancti Cutberti quondam Melrosensis monachi *e ;* miraculum nihilominus accrescit, dum contra Ordinis vestri instituta usurpatus pannus inceratus, incineratus, ceteris incorruptis, existit. Hæc et alia in hanc formam abbas de Helcon *f* plura replicando subjunxit. Sonuit ergo gratiarum actio et vox laudis in ore circumstantium, hæc videntium et audientium, et præ cordis jubilo lachrymas profluas profundentium. F

corpus ejus ab episcopo et abbatibus

123 Post hæc consuluerunt et contulerunt ad invicem, quid faciendum foret super tali tantoque thesauro; utrum in sepulchro suo præsenti collocatus, irremotus sic admitteretur; aut in ecclesia sublimiori ac solemniori mausoleo decorandus transferretur. Communi tandem consilio decreverunt, ut in loco, quo sepultus hactenus jacuit, quiesceret, donec auctoritate summi Pontificis, vel consensu et concessu capituli Cisterciensis aliud sanciretur; accesserunt igitur plures, pedes Patris sancti osculantes ; sicque lapis ille pretiosus, thesaurus ille desiderabilis super aurum et lapidem pretiosum multum, sub lapide præparato reconditur. Sed ejus sanctitas includi non valens, signis præclaris coruscantibus multipliciter mundo manifestatur. Abbas vero Jocelinus per aliquanti temporis spatium episcopus de Glasgu effectus est, vir in multis laudandus; sed in hoc, quod sanctum Walthenum, qui specialiter illum dilexit, erexit, provexit, canonizare non sategit, ut pluribus videtur, vituperandus.

integrum invenitur.

124 Quidam oppidanus de Rokespurgia *g* rebus erat locuples, salutis inops, Bernulfus vocabulo,

EX MS.

Ad ejus sepulcrum diuturna infirmitate afflictus

bulo, cujus filium vidi monachum in Melrosensi monasterio; hic gravissima ac diuturna detentus infirmitate, a suis et cum suis amicis Melros est adductus. Petita postmodum et impetrata licentia, ante Abbatis sancti tumbam excubavit; mane integra sospitate recepta, et gratiarum actione reddita, cum sui comitibus itineris domum reversus, cognatos et vicinos suæ sanitatis adeptione lætificavit. Hoc miraculum fere cunctis in Melros degentibus innotuit, eo quod persona dives in celebri loco manserit, et multorum corda et linguas in laudes Dei et venerationem Sancti excitavit.

et quidam energumenus

125 Alio tempore duo fratres germani, Anglici natione, sed Scotici mansione, tertium fratrem suum arreptum a dæmonio, duobus fratribus circumcinctum et constrictum, multis verberibus afficiendo, Melros adduxerunt, et lacrymosis precibus multiplicatis, ingressum et accessum ad pernoctandum et excubandum ante Sancti memoriam impetraverunt. Quo facto, cum applicaretur arreptitii caput ad tumbam, mox quietum resolutus in soporem obdormivit. Et
B
cum albesceret aurora, diei prænuncia, Laudibus incohatis, in oratorio evigilavit sanus; suæ mentis compos effectus, Deo et Sancto ejus laudes immensas obtulit. Narravit autem homo ille quoddam memoria dignum, quod hic non censetur prætereundum. Cum dormirem, inquit, vidi quamdam reginam, ultra omnem humanam pulchritudinem speciosam, in vestitu deaurato ac diademate aureo gemmis stelliferis intexto adornatam, incedere per claustrum, duasque personas præclaras hinc inde obambulantes devotum illi impendentes obsequium : illa vero dexteram erexit, etiam signo crucis edito circumposita benedixit. Persona ad dextram ejus gradiens parumper divertens ad me venit, et capiti meo, ac pectori signo crucis imprimendo benedixit me et dixit : Esto sanus ab infirmitate tua amodo, et usque in sempiternum; nec habebit potestatem inimicus ulterius vexandi corpus tuum.

sanitati restituuntur

126 Ad hanc vocem sanum me sentiens, et fiduciam sumens: Quis, inquam, es, Domine, qui misertus es calamitati meæ? Et ille : Ego sum Walthenus, quondam abbas hujus loci, cujus auxilium quæsisti, et gratiam Dei invenisti : sed jam
C
vade in pace, et vitam tuam satage in melius emendare : oportet etenim me cum collega et coabbate meo Laurentio sanctæ Mariæ reginæ cœli et terræ, quam cernis, obsequiis deservire. Iste Laurentius abbati Jocelino pontificanti successit in regimine Melrosensis ecclesiæ, vir magnæ mansuetudinis et humilitatis, et ab ipso pubertatis flore sacræ Scripturæ studiis deditus, et eisdem decenter imbutus, operibus misericordiæ et caritatis filius. Homo vero mundatus, narrata visione ista, mane cibatus proficiscebatur, et jam in sanitate percepta usque ad vitæ vesperum permansisse dicitur.

Alii periculo submersionis h

127 Quidam brevigerulus *h*, Henricus nomine, dum vectus equo transire tentaret quoddam flumen, quod exundatio pluvialis intransmeabile fecerat, aquis interceptus mergi cœpit. Ex mersione illa dum invocaret adjutorium Domini sibi adesse per sancti Waltheni meritum, emergens repente de flumine, nesciens quo modo, in ulteriorem ripam invenit se transpositum; extrahens vero ex sinu pyxidem brevia continentem, omnia sicca et illæsa conspicit, Deo et sancto Waltheno devote gratias reddidit. Hæc isdem Henricus, qui in se expertus est, mihi retulit, cujus nivea barba, vel agæum *i** caput ab ejus ore mendacium exulare compellit. *i*

** forte cygneum*

128 Monachus quidam de Melros, Rogerus de Appelbi vocatus, sacerdos gradu, et grandævus, tredecim septimanis continuis tertianis laborabat febribus : hic ita erat hac attritus et attenuatus infirmitate, ut omnes illum intuentes magis occandum *k* crederent in eo, quam protrahendum, filum temporalis vitæ; omnique denique deficiente humana cura vel industria, quam sæpius exercuerat, ad solam divinæ gratiæ medelam confugiebat. Ad tumbam sancti Waltheni clam accedens preces fudit, remedium ac levamen postulavit; sicque fugata febre, sicut ipse mihi retulit, optatam salutem reportans, Deo ac sancto Waltheno holocausta medullata obtulit gratiarum.

tertianis febribus

k

129 Alius monachus ejusdem nominis in Melros intolerabili quodammodo dolore et vertigine capitis gravatus, etiam alienationem mentis sibi adventuram formidavit. Nimia nihilominus humorum exundantia aures ejus obstruens auditum funditus ademit, qui etiam campanam clare sonantem audire penitus non potuit. Hic anxiatus corpore ac spiritu, sed confidens in meritis sancti Waltheni, nocte clanculo, soporato Conventu, ad ejus monumentum accessit, precibus cum lachrymis libatis, dormivit, et præ lassitudine caput super sepulchrum Sancti reclinavit. Hausto deinde modico soporis, evigilavit, et superficiem tumbæ madefactam ex profluxu lividi humoris et sanguinolenti ex auribus ejus decurrentis invenit. Ab illa hora, sicut ipse mihi retulit, dolore capitis consueto caruit, et auditum amissum clare et integre percepit, medicumque suum, sanctum scilicet Walthenum, in Domino laudavit.

capitis vertigine

E

130 Quidam conversus Melrosensis cœnobii, Duramius dictus, mihi retulit, quod tantis intestinorum doloribus torqueretur, ut multoties sedere, seu stare, sive jacere non valeret; sed præ angustia volutare compelleretur. Hic fomenta et emplastra multiplicia pluries adhibuit, decoctiones herbarum et potiones multoties sumpsit, quas a physicis didicit; sed in his omnibus nihil juvaminis sibi provenisse sensit. Quadam vice foras capitulum stans ad orientalem partem versus infirmitorium monachorum, et per fenestram apertam introspiciens, viso monumento sancti Waltheni, cum in eum dolor vehemens et plus solito irrueret, applicavit ad parietem et confricavit ventrem suum, conquerendo ac deprecando, velut ad viventem loquens, dixit ad Sanctum : Sanctissime ac charissime pater, vides me in domo Dei præ infirmitate mea, velut vas inutile, omnibus onerosum esse, cum in juvenili adhuc ætate constitutus deberem ceterorum onera portare; sanctitatem ergo tuam suppliciter exoro, ut mei miserearis, et tuis meritis ac precibus mihi a Domino impetrare sanitatem vel mortem digneris. His dictis, salute statim recepta, recessit, et ab illa hora et deinceps consueti doloris penitus expers extitit.

intestinorum dolore,

F

131 Alius conversus Henricus miraculum in se factum retulit mihi, et sanitatis adeptæ indicium evidenter ostendit. Tibiam ejus et pedem dexterum fistula occupaverat, et per multiplices meatus effluens, artus illos inutiles pene sibi reddidit. Ipsa * cataplasmata multimoda fomentorum adhibuit, ac pulverum genera varia infudit, potionum pocula plurima sumpsit; ex quibus omnibus exhibitis detrimentum potius, quam juva-

aliisque morbis

** forte ipse*

A juvamen, percepit. His tandem omnibus postpositis, ad Sancti tumbam accessit, preces profudit, tibiam et pedem languentes lapidi circa pedes Sancti supposuit, et mox quamdam prius in omnibus artubus concussionem sentiens, post modicam morulam quoddam levamen expertus recessit. Post paucos autem dies, desiccatis foraminibus, ægritudine depulsa, tibiæ et pedis officium cum sanitate recepit; mihique dum hæc referret, novem, ut recordor, cicatrices foraminum numerandas exposuit. In hoc miraculo et in omnibus aliis sit nomen Domini benedictum, mirabilis in Sanctis suis.

per intercessionem S. Waltheni liberantur.

132 Quidam clericus de Westimerlanda *l*, multis ac magnis infirmitatibus vexatus, adire disposuit Cantuariam, suam miseriam deploraturus, ac imploraturus remedium ante sancti Thomæ martyris *m* memoriam. Nocte vero præcedenti, qua se in crastinum ad iter esset procinctum * propositum, quidam infulatus et pontificalibus redimitus in somnis apparuit, et quo gressus maturare disponeret, inquisivit. Quo respondente: Versus Cantuariam ad visendum sancti Thomæ memoriam; respondit dicens: B Ego sum Thomas ille, cujus monumentum affectas visitare; iter istud intercide, et vade Melros, et visita sepulchrum dilecti Deo et sanctæ Mariæ matri ejus sancti Waltheni abbatis, et consequenter absque ambiguo tuæ petitionis consequeris effectum. Crede mihi, quia venient dies, in quibus nomen ejus celeberrimum habebitur, et ipse sicut unus de præcipuis sanctis Confessoribus Domini circumcirca honorabitur. Hæc proferentis visio et collocutio recessit, et clericus somnum excutiens, et somnium mente pertractans, in crastinum itinere mutato, versus Melros gressus acceleravit; quo perveniens, accepta licentia, capitulum intravit, precum et lachrymarum hostias super Sancti tumbam immolavit; et continuo salutem, quam petebat, se nactum esse cum gratiarum actione, et devotis præconiis laudans et lætabundus in multorum notitiam propalavit: quod autem a sancto Thoma sibi revelatum in visu noctis fuit, pluribus et præcipue cuidam magistro grandævo sibi noto, veridico relatu luculenter enodavit, ac sanus et incolumis ad propria repedavit.

* *forte præcincturus*

C

Corpus Sancti post quadraginta octo annos

133 Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo, qui est annus quadragesimus octavus *n* a decessu sancti Waltheni, vir vitæ venerabilis Wilhelmus *o*, abbas septimus post beatum virum, universæ carnis ingressus est viam; etiam, ut in capitulo juxta corpus sanctum ad dexteram, ventrem matris omnium ingrederetur, pervisum est. Nec immerito locus ille ad tempus illud a sepultura decedentium abbatum vacabat, quem, ut a pluribus censetur, tam sancto corpori tumulando juxta Sanctum suum Dominus reservabat. Erat isdem Wilhelmus, ut ejus attestantur discipuli, dilectus Deo et hominibus, religionis speculum, suæ generationis lucerna, contemporaneorum abbatum pretiosa præclaraque gemma.

invenitur incorruptum,

134 Cum vero latomi et cæmentarius tumulum tanti viri in loco præfato conderent, incitantibus quibusdam monachis, frater Robertus cæmentarius, ut ipse mihi referebat, invitus et valde formidolosus cum quibusdam monachis operculum marmoreum tumbæ sancti Waltheni paululum sublevabat; et ecce suavis odoris fragrantia evaporans illius infudit se naribus, ac si monumentum repletum fuisset aromatibus; et quia noctis crepusculum aderat, accensa candela per aperturam intromissa, isdem frater et ceteri circumstantes introspiciunt, et corpus sanctum integerrimum, et omnia ejus indumenta incorrupta cum integritate et venustate pristina reperiunt. Sex monachi, totidemque vel plures, ut accepimus, Conversi fuerunt, qui pia ac devota indagine, sed præsumptuosa, domicilium illud virtutum, virginitatis balsamo delibutum, conspexerunt. Hi post sepulturam reverendissimi Wilhelmi abbatis indagata et inventa quibusdam aliis secretius communicare congruum duxerunt, et eorum corda et ora in Dei laudem et devotionem erga Sanctum ampliorem excitaverunt. Exiit ergo sermo iste inter fratres, lætabundi refecti sunt, in omnibus his Deum glorificantes. EX MS.

unde auctor Vitæ exemplo aliorum,

135 Gaudeat sancta mater Ecclesia super Filio suo Waltheno, post naturæ debitum persolutum futuræ jam resurrectionis simulachrum præsentando præferente, fidem incorruptionis futuræ post mortem prædicante, hæreticorum, resurrectionem corporum negantium, vesanam assertionem destruente. Gaudeat nunc Anglia, se septimum E Sanctum corporaliter incorruptum divino munere adeptam, totumque regnum septemplici candelabro irradiatum. Lætetur Cantuaria metropolis Angliæ super incorrupto corpore sancti martyris et archipræsulis Elphegi *p*, et Lundonia caput regni de corpore instar viventis invento sanctissimi regis et confessoris Edwardi *q*; exultet Betergisvurgia, quæ nunc Edundisbiria vocatur, in sorte sua sibi pervenisse corpus soporanti simile sancti Ethmundi *r* regis et martyris; similiter et Elimesis * ecclesia illius vicina ex gemmis pretiosissimis Etheldriæ *s* videlicet et Wiburgæ *t* virginum corporibus integerrimis; glorietur, ut dignum est, Dunelmensis ecclesia cum tota diœcesi et vicina sua super corpore omni corruptione carente sanctissimi confessoris atque pontificis Cucberti *v*; sic et Melrosensis abbatia ex incorrupta gleba sancti abbatis Waltheni, ejusdem sancti præsulis socii: sanctus namque Cucbertus in Melros monachatum subiit; sanctus Walthenus in Melros abbatis officio præfulsit; uterque misericordiæ fuit deditus, in religione perfectus, sanctitate conspicuus, virtutibus plenus, miraculis mirificatus, theoriis sublevatus, corporis incorruptione glorificatus. F

* *f* Elyensis

Scotos ac præsertim monachos Melrosenses ad lætitiam excitat.

136 Exultet Scotiæ regium * ejusque regnum universum habendo talem tantumque Parentem atque Patronum. Lætetur ordo monasticus, et præcipue Cisterciensis, in quo inventus est talis tantusque thesaurus, tam pretiosus, tam desiderabilis, ut cunctis opibus mundi sit incomparabilis. O vos omnes in Melros degentes cœnobio, gaudete in Domino, qui jam melle et rore perfusi cœlico, mellifluum Patrem præsentem habetis quodammodo præ oculis, similiorem soporato, quam defuncto; iterum dico, gaudete, quia introductus in splendoribus Sanctorum, similis illis factus in gloria, potentior effectus est ad impetrandum, quæ vobis sunt salubria; potentior, inquam, est, ut vestra excuset errata, commendet merita, auferat supplicia, conferat sempiterna gaudia, quæ nobis præstare dignetur ipsius meritis et precibus, et omnium Sanctorum suorum Jesus Christus Dominus noster, cum Patre et Spiritu sancto vivens et regnans Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

* an regio?

EX MS.

ANNOTATA.

a *Ex his patet, Dempsterum nobis imposuisse, dum in Historia ecclesiastica Scotorum lib.* 19 *pag.* 660 *sic scribit :* Wilhelmus abbas III Melrosensis, postquam aliquot annos prudenter ac sancte munus adimplevisset suum, curam pastoralem humiliter dimisit, inquit Scoti-chronicon lib. VIII cap. XIV ; et ipso die precibus ipsius abbas creatus est Jocelinus. *Plura de depositione hujus abbatis vide apud Angelum Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis ad annum* 1172 *cap.* 2 *num.* 8 *et sequentibus.*

b *Angelus Manrique loco proxime citato asserit, hunc Jocelinum anno Christi* 1172 *in locum Wilhelmi exauctorati successisse, et ad annum* 1173 *cap.* 5 *fuse refert, quomodo hæc solennis sacrarum reliquiarum visitatio instituta fuerit.*

c *Haud dubie* diœcesanum episcopum *hoc loco indicatur præsul Sant-Andreanus, cum monasterium Melrosense in diœcesi sancti Andreæ situm sit, ut Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib.* 8 *pag.* 14 *testatur.*

B

d *Apud Manrique ad annum* 1173 *cap.* 5 *num.* 2 *legitur* Ardredus abbas Handro; *sed suspicor, lectionem nostram præferendam esse, quia apud Jongelinum lib.* 8 *pag.* 5 *memoratur monasterium* Caldra, *quod anno* 1134 *in Anglia fundatum est.*

e *Acta hujus Sancti illustravimus ad diem* 20 *Martii, ubi de Mailrosensi illius monachatu vide tomum* III *istius mensis pag.* 94.

f *Ab Angelo Manrique ad annum* 1173 *cap.* 2 *num.* 5 *vocatur* abbas de Helchu. *Arbitror, indicari idem Scotiæ monasterium, de quo supra in Annotatis ad caput* 6 *littera* m *egimus, quamvis hic alio modo nomen illius exprimatur.*

g *Angelus Manrique loco proxime citato Annalium Ordinis Cisterciensis num.* 8 *legit* de Rethesbure. *At videtur indicari idem Scotiæ oppidum, quod communiter* Rosburgum *vocatur, ut supra in Annotatis ad caput* 6 *littera* e *diximus.*

h Id est, *inquit Angelus Manrique ad mox citatum annum eodemque capite num.* 9, ex Romana curia Bullas, quas Breves, ad Scotiam portans. *Ceterum ad vocem* Breve *consuli potest Glossarium Cangii, ubi variæ illius significationes exponuntur.* D

i *Suspicor cum Angelo Manrique, legendum esse* cygneum, *id est canum,* caput, *licet utrumque ecgraphum nostrum habeat* agæum; *nisi forte scribendum sit* ægeum caput, *et sic auctor alludat ad senem Ægeum, de quo poetæ varia fabulantur.*

k *Hoc est metaphorice* confringendum *a verbo Latino* occare, *quod glebas confringere significat.*

l *Puto, hic indicari Borealem Angliæ provinciam, quæ ab incolis vernacule* Westmorland *vocatur. Sita est inter provincias Eboracensem, Lancastrensem, Cumbriam, et diœcesim Dunelmensem.*

m *Iste est sanctus episcopus Cantuariensis, qui in Martyrologio Romano ad diem* 29 *Decembris celebratur.*

n *Ex hoc charactere chronologico supra in Commentario prævio num.* 37 *collegimus, circa quod tempus biographus hæc Acta conscripserit.*

o *Consule Angelum Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis, ubi ad annum Christi* 1207 *cap.* 3 *num.* 9 *et sequente hunc Wilhelmum venerabilem appellat, et eamdem Waltheniani corporis integritatem ex biographo nostro refert.* E

p *Acta hujus sancti præsulis et martyris illustrata vide in Opere nostro ad diem* 19 *Aprilis, tomo* 2 *istius mensis a pag.* 630.

q *Is est S. Eduardus, de quo ad diem* 5 *Januarii egimus.*

r *Puto, hic indicari S. Edmundum, qui in Martyrologio Romano ad diem* 20 *Novembris celebratur.*

s *Hæc est S. Etheldreda, cujus Acta ad diem* 23 *Junii, tomo* IV *istius mensis, a pag.* 489 *fuse illustrata sunt.*

t *Hoc loco indicatur Witburga, cujus Vitam ac translationis historiam die in Opere nostro,* 17 *Martii exhibuimus.*

v *Hujus Sancti Acta ad diem* 20 *Martii data sunt, ut supra in Annotatis iterum monuimus.*

C

DE B. GAUFRIDO EP. CENOMANENSI

F

P. B.

IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Beati cultus; Acta, horumque supplementum et illustratio.

ANNO MCCLV

Colitur hodie juxta Saussayum et Castellanum, in Parco ;

B*eatum hunc Episcopum in Martyrologio suo Gallicano Saussayus omiserat; sed imprudens haud dubie : nam ubi ad operis ejusdem indicem topographicum concinnandum accessit, sub voce* Cenomanis *factum purgans, ita scribit :* B. Gaufredus de Loduno, episcopus ; Carthusianorum monasterii de Parco non tam instaurator quam fundator; apud quos sepultus, se vivere post mortem miraculis crebris ostendit : quibus et sanctitatis anteactæ vitæ prodit merita, et confluentibus ægris medetur. Omissus est, QUI SIGNARI DEBEBAT, III Augusti. *Itaque eodem illo die signatus deinde est etiam a Castellano his verbis :* Item Anagniæ S. Gaufridi, episcopi Cenomanensis, cujus corpus allatum in Galliam, honoratur apud Cenomanos in Carthusia Parcensi, *quæ alio nomine, apud Claudium Robertum in Gallia Christiana pag.* 301, *appellatur* Carthusia B. Mariæ de Parco. *Sita est ad Occidentem urbis Cenomanicæ (vulgo du Mans,) in tractu Charniensi, Ervam inter et Vegram flumina. In hujus ecclesia, ut idem ait,* sepulchrum ejus *(Gaufridi)* juxta majus altare versus Aquilonem in abside muri positum est cum sequenti epitaphio, quod litteris aureis in peripheria tabulæ ejusdem sepulcri (in qua dictus Pontifex depictus est) sic exaratum est :

Hic

A

Hic jacet humatus Cenomanis præsul amatus
Gaufridus, gratus Domino, vitaque probatus,
Moribus ornatus, humilis, castus, moderatus :
Cujus jure status bene creditur esse beatus.

Addit Corvaserius in Historia episcoporum Cenomanensium cap. 44, *pag.* 513, *tam infra, quam juxta sepulcrum illud, depictum esse secutum ejus gentilitium, quod refert aream rubeam balteo obductam aureo.*

et quidem ab immemorabili tempore,

2 *Quo tempore primum ibi coli cœperit, nemo tradit : id certum tamen, inde a seculo* XIV *tantam istic venerationem ejus fuisse, ut ecclesia ista, oblitterato priori titulo, jam tum* sancti Gaufridi *vulgo dictitaretur ; ut patet ex Ludovici, vicecomitis Bellimontani, anno circiter* 1364 *defuncti, ibidemque sepulti, Testamento, cujus Corvaserius loco citato hæc verba refert :* Quand je mourray, j'eslis ma sépulture en l'eglise Sainct Geoffroy de Chartrouse ou Maine devant le grand autier. *Id est :* Quando moriar, deligo sepulturam meam in ecclesia sancti Gaufridi Cartusiæ Cenomanensis, ante aram maximam. *Tametsi igitur cultus ejus oraculo Pontificio stabilitus non est, recte tamen religioseque defenditur et conservatur; utpote immemorabili tempore ante Urbani PP. VIII decretum institutus, ac perpetuis exinde miraculis confirmatus auctusque. Cujus rei insigne testimonium est Petri Sutoris, Parisiensis olim Cartusiæ Prioris, in opusculo (Lovanii excuso anno* 1572, *post Coloniæ Agrippinæ recuso anno* 1609*) de Vita Cartusiana, lib.* 2, *cap.* 6, *ubi adversus Ordinis sui calumniatores contendit, non modo necessaria non esse apud Cartusianos miracula crebra; sed ne expedire quidem, ut sint; ne turmatim, ut fit, confluentis ad se, procul etiam degentes ab urbibus, eam ob causam populi frequentia solitudinem obturbet, quam ex instituto sanctissime profitentur : hoc enim* detestantur, *inquit,* et illi ipsi, qui domos colunt in silvis aut agris sitas, ad quas magnus frequenter concursus fieri solet. *Tum continuo in rem nostram hoc subdit exemplum :*

B

propter frequentissima miracula.

3 Ex quibus (ut cetera taceamus) est domus Parci devotissima, in diœcesi Cenomanensi exstructa, cujus fundum virgo quædam inclyta, de nobilissima Alenconiorum familia, dedit ; ædificia vero Gaufridus, Cenomanensis ecclesiæ (quæ tredecim præsules canonizatos habet) beatissimus antistes, fecit; possessionesque multas ex suo patrimonio contulit. Qui ibi tumulatus, licet in Sanctorum catalogum per Sedem Apostolicam necdum relatus sit, tantis tamen frequentissimisque miraculis in ea regione, aliisque permultis claret, præsentemque sanitatem languentibus ita confert ; ut innumeri ad eum colendum, auxiliumque petendum confluant, qui sua frequentia ac tumultu gravem molestiam devotis illis Religiosis frequenter inferunt. Ea de re non numquam, me præsente, agitatum est, an esset beatissimus ille Pontifex alium in locum transferendus. *Idem de suo tempore, hoc est anno Christi* 1648, *testatur, qui supra, Corvaserius pag.* 512 *:* Sepulchrum, *inquit,* ejus visitur ad hunc usque diem ingenti peregrinorum, cum ad vota persolvenda, cum ad agendas de perceptis per beatum hunc Præsulem beneficiis Deo gratias, undequaque istuc affluentium multitudine frequentatum... Invocatur autem præcipue a febricitantibus ; multique etiamnum superstites asseverant, non ante se recuperavisse valetudinem, quam ejus auxilium implorassent.

C

AUCTORE P. B.

Ejus Acta : natales, patria :

4 *Acta hujus Antistitis ab anonymo auctore, sed coævo, ac de clero, ut infra observabimus, ecclesiæ Cenomanicæ, scripta, jam inter Mabillonii Vetera analecta bis prælum subierunt : et in prima quidem editione tom.* 3, *a pag.* 375 *; in secunda vero a pag.* 331 *: unde ea hic denuo proferemus; majore tamen parte rescissa, quæ vel ad ipsum omnino non pertinet, vel melius ad alium referetur, puta S. Julianum, apostolum et episcopum Cenomanensem, cujus hic translatio, per* Gaufridum *magnifice instituta fuse describitur. Quoniam vero in parte reliqua non satis explicata quædam sunt, quædam prorsus omissa; juverit hoc loco præmittere, quæ cum ad hæc supplenda, tum ad illa non nihil illustranda conducant. Atque imprimis observa, nomini* Gaufridi *proprio passim aliud adjici : ut* De la Houcques, *quod uno tantum in Ms. reperit Corvaserius pag.* 501, *nec dicit, unde sit ortum, aut quo respiciat ; tum* De Loduno, *quo apud omnes notissimus est. Hoc gentilitium esse, contendunt idem Corvaserius, et Bondonnetus, in episcopis ambo Cenomanensibus cap.* 44 *; et acceptum a patre, qui et ipse Gaufridus de Loduno fuerit appellatus, quod Loduni, Losduni, sive Lausduni (urbis ac territorii in Andegavorum, Turonum, Pictonumque confinio) dominus esset, æque ac baro Treviarum (nomen est oppiduli ad Ligerim positi in Andegavensi provincia). Et vero* Gaufrido *nostro post obitum jam dicti patris ejus, et matris Beatricis, duorumque fratrum, Fulconis natu majoris, et Aimerici minoris, non familiæ nomen dumtaxat, verum etiam ditiones hereditate obtigerunt. Tametsi autem pagus Lodunensis Pictonibus fere tribuitur, Andegavensem tamen dominorum ejus originem per ea tempora faciunt, quos modo assignavimus auctores ; qui ex eo capite* Gaufridum *hunc discerni volunt ab Herscendæ, hujus amitæ, nepote quodam homonymo, sed Cenomansi ; ad quem deinde cum Alicis, heredis unicæ Lodunianæ, nuptiis dominium Lodunense transierit. Iidem sororem Antistitis hujus commemorant, Margaritam, toparchæ vicino Montis Sorelli (de Montsoreau) collocatam. De familiæ insignibus jam superius monui.*

E

initium episcopatus anno 1234.

5 *Initium episcopatus ejus diximus tom.* 3. *Junii pag.* 869 *ad annum Christi* 1234, *diem* XVI *Septembris,* qua die, *juxta temporis istius Catalogum in Analectis Mabillonii pag.* 238, electus est vir magnæ fidei et litteraturæ, innocens manibus, mundus corde et renibus, Gaufridus de Louduno, dominus Trevarum. *Proximo Novembri mense, si Corvaserio ac Bondonneto credimus, solenni sacramento ad Fontem Bliaudi (à Fontainebleau) fidem sanctissimo tum Galliarum regi Ludovico obstrinxit. Eodem hic anno ac mense una cum Philippo, episcopo Aurelianensi, cum ageretur de providendo ecclesiæ Briocensi in minori Britannia pastore, illis Juhelli, archiepiscopi Turonensis litteris, quas exhibet Martenius Thesauri novi anecdotorum tom.* 3, *col.* 958, *sigillum suum, ut testis, apposuit ; hic, inquam,* Gaufridus *noster, non hujus decessor (ut ibi notatur in margine) Gaufridus I, cognomento de Laval, qui ante medium Augustum e vivis excesserat ; cum ibidem negotium hoc diserte scribatur* actum apud Candatum in crastino S. Briccii *(episcopi Turonensis, qui colitur die* XIII *Novembris)* anno gratiæ MCCXXXIV. *Contra vero non hic fuit (ut vult Corvaserius) qui eodem anno unam Culturæ parochiam nimis amplam in duas divisit ; sed hujus decessor, Gaufridus primus : siquidem verum est (quod idem affirmat pag.* 505*) id factum probari ex instrumento authentico,* signato mense Junio anni MCCXXXIV, *hoc est, binis fere mensibus*

F

ante

AUCTORE P. B.

ante obitum Gaufridi Lavallii; id quod recte ante nos observavit Bondonnetus,

Quando summum Pontificem adierit;

6 *Ex dictis colligi potest, non ipso statim episcopatus initio dissedisse inter sese* Gaufridum *nostrum et Juhellum archiepiscopum Turonensem; nedum eo usque efferbuisse contentionem, ut hunc ad expediendam in illum ecclesiasticam censuram impulerit. Quod ergo in Actis infra num.* 3 *dicitur:* Post modicum vero temporis *(ab ordinatione episcopali* B. Gaufridi) inter archiepiscopum Turonensem et ipsum super quadam jurisdictione gravis est orta querela, *id aliquot facile mensium, puta trium saltem quatuorve, latitudinem patitur, neque necessario referri debet in annum Christi* 1234, *etiam exeuntem. Illud vero:* Et cum ab archiepiscopo suspensus fuisset de facto, *omnino longius extendendum videtur; cum nequaquam verisimile sit, archiepiscopum illum cum episcopo suo provinciali et nuper amico sic egisse, ut non omnia tentaverit prius, quam ad extremum illud ecclesiasticæ severitatis remedium confugeret. Neque vero talis erat causa* Gaufridi, *ut æquis rationibus probari non posset, ac diuturnis proinde litibus defendi;* B *quandoquidem illam Romæ obtinuit. Hæc eo dicenda putamus, quod Antistes noster, haud dubie mox ut pronuntiata fuerat in ipsum suspensio, secundum Acta nostra num.* 4, Romam venit; ubi *(Romæ utique)* a Papa Gregorio nono honorabiliter est receptus. *Atqui tempore episcopatus Gaufridiani Gregorius Romæ numquam fuit ante annum Christi* 1237 *jam adultum; ut ostendit Pagius in Breviario Romanorum Pontificum. Non igitur ante annum illum ad eum venisse* Gaufridum *Corvaserio Bondonnetoque credemus; donec prolata fuerint instrumenta hisce nostris Actis præferenda.*

quoties.

7 *Addit Corvaserius, Beatum ad rem eamdem conficiendam bis e Galliis ad Pontificem recurrisse, idque ante Pentecosten anni* 1235: *ac priori quidem expeditione datos ipsi fuisse a Gregorio commissarios, decanos Bituricensem et Carnotensem, cum archidiacono Arelatensi, qui momenta causæ in loco, ubi mota primum fuerat, cognoscerent, atque ad Sedem Apostolicam referrent; hoc autem postquam incredibili celeritate peractum ab iis esset, continuo secundum iter in Italiam festinasse* Gaufridum, *itaque perorasse, ut non modo victa lite, sed ingenti insuper auctus honore redierit. Nobis neque tempus probatur hujus itineris, neque geminatio,* C *neque adjuncta, absque ullo vetustatis (nullum enim citatur) asserta testimonio. Nequaquam tamen inficiamur, diversis de causis Præsulem hunc ad Christi Vicarium ter in Italiam contendisse, nam id ex Actis manifestum est, puta: semel occasione suspensionis, uti jam dictum est ex numero* 3; *iterum vero (forte ad legationis sibi antea per Gallias demandatæ reddendas Pontifici rationes) anno a priori profectione secundo, Christi* 1239, *cujus mense Martio, die* XX *Fridericum II imperatorem anathemate perculit Romæ Grægorius,* eodem episcopo *nostro (ut habent Acta num.* 7) in curia præsente. *Atque iter hoc utrumque cum reditu eadem rursus Acta commemorant num.* 9. *Tertio denique, cum apud Alexandrum PP. IV Anagniæ, rebus infectis, mortuus est die* III *Augusti anno* 1255; *uti narratur eodem num.* 7.

Paderbornensibus dat reliquias S. Juliani:

8 *Anno* 1241 *sub archiepiscopo Turonensi Juhello adstitisse eum tradit Corvaserius synodo provinciali, apud Lavallium seu Vallem Guidonis habitæ. Verum hæc synodus vel ignota Maano fuit in Metropoli sua Turonensi; vel ea est, cujus canones exhibet parte* 2 *pag.* 58, *quæque habita ibidem esse scribitur* anno Domini MCCXLII; *sed absque ulla* D *enumeratione præsulum, qui adfuere. Anno* 1243, *mense Aprilis, rogatus ab episcopo et ecclesia Paderbornensi, partem concessit reliquiarum S. Juliani, apostoli Cenomanensium, additis litteris eximia pietate caritateque plenis, quas dedimus tom.* 2 *Januarii, pag.* 762, *et in quibus se ipse appellat* Gaufridum, divina permissione Cenomanensis ecclesiæ ministrum humilem. *Anno sequente quid egerit, indicat inscriptio, quæ, teste Corvaserio, apud Cartusianos Parcenses in ecclesiæ frontispicio sic habet:* Reverendus in Christo pater, dominus Gaufridus de Loduno, Cenomanensis episcopus et baro Treviarum, domus hujus Parci magnus benefactor, hanc ædem beatæ Virginis Mariæ sacram fecit, ornavit, dedicavitque anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto; inibique sepultus, claret miraculis. *Dedicationem hanc affigit idem auctor festo S. Dionysii, quod agitur die* IX *Octobris.*

Cartusianos mirifice fovet:

9 *Anno* 1245 *ait idem,* Gaufridum *adstitisse generali concilio Lugdunense primo; et quidem ut legatum Pontificium. At utrumque hoc non immerito in dubium revocat Bandonnetus; imo secundum aperte rejicit. Acta quoque nostra num.* 7 *sic de* E *concilio illo meminerunt, ut satis innuant, non interfuisse Episcopum nostrum. Eodem anno, ut inter auctores modo relatos convenit, Cartusianorum cœmeterium Septembri mense consecravit, beneficia subinde in eumdem locum beneficiis cumulans usque adeo, ut ejus incrementa vicinorum dominorum invidiam avaritiamque suscitarent: quas ut comprimeret Vir beatus, primum adversus eos, qui Cartusiam Parcensem quacumque lacessere auderent injuria, Bullam ab Innocentio PP. IV severam impetrasse dicitur; tum ab iisdem, auctoritate Pontificia nequaquam forte acquiescentibus, contiguos fundis Cartusiensibus agros, una cum jure, quod per illos sibi in proximos Cartusiæ fines arrogabant, coemisse, distractis eam in rem cum toparchia Treviensi (de qua tamen Acta consule num.* 2*) facultatibus reliquis, quas in Andegavensi provincia possidebat. Adjecit et censum, ad Religiosorum illorum vestimenta procuranda perpetuum; viginti scilicet quotannis libras Turonicas, ac duarum insuper paræciarum (vulgo de Meslay et Montabon) perceptas a se hactenus decimas. Iisdem bibliothecam suam admodum locupletem testamento legavit, cujus* ad hunc usque diem ibi codices aliquot, *inquit Corvaserius,* asservantur; ut Glossa Lirani * ordinaria in sacram Scripturam, voluminibus in folio membraneo decem et octo comprehensa. F *Quid, quod et alios induxisse creditur, ut ad ejusdem ibi Religionis et stabilitatem et commodum suam quoque symbolam conferrent? Ejus certe interpellationibus adscribitur, quod isti monasterio cesserit prioratus vicinus S. Dionysii ab Orcis, qui ad Benedictinorum Ebroniense cœnobium pertinebat; cum omnibus ad eumdem spectantibus, præter superioritatem ac patronatum, quem sibi reservabant Ebronienses.*

** Errat hic: nam Lyranus nondum scripserat.*

uti et alias ecclesias, et ptochotrophium.

10 *Ceterum quantacumque ejus fuerit in Religiosam Parci familiam propensio atque munificentia; non ita tamen hæc animum ejus aut rem exhausit, quin et ecclesiis aliis luculenta quoque reliquerit liberalitatis suæ monumenta:* Dedit *enim* etiam, *ait Corvaserius,* ecclesiæ collegiatæ Siliaci *(vernacule,* de Sillé le Guillaume, *leucis Gallicis communibus fere novem ab urbe Cenomanensi versus Occasum)* libros complures et raros, lipsanothecas insuper non paucas, ornamenta denique et alia magni pretii utensilia, ejus adhuc et scuto gentilitio et cruce, Apostolicæ legationis insigni, notata.

A notata. *Quam vero profusus in suam ecclesiam fuerit, satis Acta demonstrant a num.* 8. Superavit, *inquit idem Corvaserius,* collatis ecclesiæ cathedrali muneribus decessores suos omnes. *Sed neque miserorum hominum necessitati paternam ejus ac misericordem providentiam defuisse, testatur his verbis :* Cordi ipsi cum primis fuit sustentatio pauperum, et recta communis eorum hospitii administratio, cujus et certas constituit leges, cum ad mores pauperum ibi degentium reformandos, tum ad ordinem, quem observari volebat a ministris, œconomicum dirigendum, tum denique ad præscribendas accepti expensique rationes. *Cetera disce ex Actis et Annotatis.*

ACTA

Auctore anonymo, sed coævo, apud Mabillonium in Veteribus analectis.

B

Auctoris prologus,

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Legimus in Parabolis Salomonis : Majora te ne quæsieris, et altiora te ne scrutatus fueris. Ideoque præsumptuosum et temerarium esse videtur, dum in ardua materia, quæ sermones exigit luculentos rudi stylo procedit sermo, tam horridus quam incultus. Verumtamen blanda violentia precantium amicorum onus aliquando compellit aggredi supra vires : et, sicut lex est amicitiæ, ne rogemus res turpes, aut faciamus rogati; sic eadem lege constringimur, ut honestæ petitioni, quantum sufficimus, obsequamur.

Beati natales, studia litteraria et indoles;

2 Igitur venerabilis pater et pastor ecclesiæ Cenomannensis Gaufridus de Loduno, dominus Treviarum Andegavensis diœcesis, clarus sanguine, clarior exstitit morum nobilitate. Qui, patre matreque defunctis, duobusque ipsius fratribus humanis rebus exemptis, baroniam Treviarum, tamquam verus heres, adeptus, quamdiu vixit, sapienter ac feliciter gubernavit *a*. Hic in ætate primæva litteris initiatus, postmodum anno ætatis suæ quartodecimo relictis figmentis poëticis et aliis ethnicorum libris, sacræ Paginæ fructus uberrimos legit et elegit, æterna transitoriis anteponens. Idem honestatem jungere continuans, contra carnis male blandientis lenocinia mundum manu, mundum carne in suo perpetuo *b* se servavit; nec oblitus illius verbi Davidici : Qui emittit fontes in convallibus, sicut humilem se foris exhibuit, sic humilitatis thesaurum inæstimabilem intus perpetuo custodivit. Idem ab adolescentia Domini jugum ferens, quasi quædam præludia futuri sacerdotii, capam clausulam *c* in studio semper habens, ornatus, quos exigit nobilitas generis, extra gessit; non ut morem gereret voluntati; sed ut, quantum secundum Deum poterat, mundialium satisfaceret voluntati. Sicque reddidit quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.

ob quæ cantor primum, dein episcopus eligitur ecclesiæ Cenomanensis.

3 Ejus itaque crebrescente fama, felicis recordationis Mauricius, tunc Cenomannensis episcopus, vocavit eum in ecclesia Cenomannensi ad cantoriam cum præbenda; ubi laudabiliter se habuit, et per incrementa temporum bono se semper exhibuit meliorem. Vocavit, inquam, eum dictus Mauricius, qui ad ecclesiam Cenomannensem vocare consueverat viros theologos et famosos, aliosque viros peritos, providos, et discretos; qui ligna Libani lævigata, et omnino parata ad ponendum in ædificio Salomonis, noverat eligenda; de quibus plures vidimus in archiepiscopos, plures in episcopos promoveri *d*. O felices nos animo, si per patrum semitas graderemur; si mores eorumque virtutes presso sequi vestigio conaremur! Sed nemo in se * tentat descendere, nemo; sed præcedenti spectatur mantica tergo *e*. Denique dictus Cantor ad regimen ecclesiæ Cenomannensis assumptus, humili se factus est humilior, patientior patiente.

AUCTORE P. B.

* *forte sese.*

Romam adit suspensus; redit absolutus, imo Legatus Pontificius.

4 Post modicum vero temporis inter archiepiscopum Turonensem et ipsum super quadam jurisdictione gravis est orta querela : et cum ab archiepiscopo suspensus fuisset de facto, suspensione hujusmodi non servata, de meritis appellationis confidens, pro tuenda ecclesiæ libertate cum duobus archidiaconis et quibusdam canonicis suis, cum apparatu magno, nec considerata expensarum quantitate, licet immodica, Romam, venit : ubi a Papa Gregorio nono honorabiliter est receptus. Et cum forte putaretur ab adversariis redire confusus, rediit absolutus ab Papa *f*. Legatusque per totum regnum Franciæ constitutus, cum quanta humilitate legationem suam exercuerit, quanta diligentia ecclesiam suam rexerit, sufficienter sum insufficiens explicare : cum subditorum propriam sibi reputaverit passionem, congaudens in Domino gratulanti, et in visceribus caritatis compatiens patienti.

E

Occupationes ejus; fundatio Cartusiæ; translatio S. Juliani episcopi Cenomanensis.

5 Idem numquam inventus est otiosus : aut studebat in sacra Pagina (prædicationis enim gratia clarus erat,) aut orationi contemplationique vacabat. Mitioribus socium, omnibus amabilem se præbuit et benignum. Idem monasterium Cartusiense *g* fundavit a primo lapide, capellam ibi faciens testudineam, cellasque melioribus totius Ordinis non minores. Clausuram quoque lapideam, cum aquæductu per cellas, magnis fecit expensis; et proviso de redditibus, munera muneribus superaddens, monasterium ipsum feliciter consummavit. Jamque quam honorifice corpus beati Juliani in novum opus *h* transtulerit, audiemus. Temporibus igitur venerabilis patris Gaufridi de Loduno, domini Treviarum, tunc Cenomannensis episcopi, felici fine complenda assignatur dies, qua corpus beati Juliani in novo opere transferretur (quod factum est die Lunæ post Octavas sancti Paschæ, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto *i*.).....

F

ubi spectata fuit Gaufridi pietas insignis et liberalitas.

6 Adfuerunt : Turonensis archiepiscopus; Abrincensis, Andegavensis, Redonensis, Dolensis episcopi cum Episcopo Cenomannicæ civitatis. Sed quia convenerat populus super numerum, tam de diœcesi, quam de partibus alienis; inito consilio de sancto corpore per noctem transferendo, vigilata parte noctis, venit ad ecclesiam metropolitanus cum episcopis memoratis : inter quos Cenomannensis episcopus, velut alter Symeon, in ulnis optatum pignus suspiciens; velut alter Saül, ceteris excelsior, inter pressuras circumstantium, pondus sine pondere, pressuræ molestias grato labore ferens; velut alter Issacar, supposuit humerum ad portandum : et sic thesaurum desiderabilem imposuit super altare sanctum. Idem a sancta die Paschali usque ad repositionem corporis sancti non longe recedens a civitate, exigente piæ devotionis affectu, peregrinationis causa, qualibet die semel cum orationibus et oblationibus ecclesiam visitabat. Idem videns cives, non

Ex editione Mabillonii.

non sicut conductitios, sed intenso mentis affectu, et toto corporis nisu, prout dictum est operantes, de tanta populi devotione gaudens, tamquam pius et mansuetus pastor, a lacrymis sibi temperare nequibat. Idem vigilia translationis et die fecit cœnam magnam vocatis; et ex affectu rogans quos vocare potuit et habere, impleta est ejus aula discumbentibus, nemine excluso, nec non aliæ domus et cameræ, sed et omnes episcopales officinæ: quod cum adhuc non sufficeret, per virgultum suum fecit tentoria collocari, ubi barones et nobiles et alii discubuere multi. De qua cœna multum, quod loqueremur, erat; sed ne sermo prolixior teneras offendat auriculas, ad alia transeamus.....

Obiit Anagniæ anno 1255.

7 Eodem vero Episcopo in curia præsente, prædictus Papa Gregorius Federicum imperatorem Romanorum et Siliciæ regem excommunicationis vinculo, culpis suis exigentibus, innodavit; quem ejusdem Episcopi temporibus Innocentius Papa quartus, convocato apud Lugdunum concilio generali, omni honore imperii et regni sententialiter privavit..... In ejus temporibus inter virum illustrem Carolum *k*, filium regis Franciæ, Comitem Cenomanniæ, ex una parte; et Cenomannensem ecclesiam ex altera, mota lite, idem Episcopus ecclesiæ necessitati condolens, pro qua paratus erat non solum compati, sed et pati, Romam iter aggrediens, Anagniam venit: ubi Alexandrum Papam quartum cum Cardinalibus inveniens, inventaque gratia in oculis eorumdem, quod intendebat, morte præventus, non potuit adimplere: nam infra septem dies *l* post adventum suum, die scilicet Inventionis sanctorum martyrum Stephani protomartyris ejusque Sociorum, in domo Fratrum Minorum sepultus est cum honore *m*. Obiit autem anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, pontificatus sui anno vigesimo, mensibus circa decem *n*.

Beneficia, quæ ecclesiæ suæ

8 Jamque quam ecclesiæ suæ largus exstiterit; quot et quanta, tam vivens quam moriens, eidem erogaverit, ad imitationis exemplum in medium proferamus. Hic igitur ecclesiam vivens redditibus ampliavit, multis et jocundis muneribus honoravit *o*, jus patronatus præbendarum Siliaci laudabiliter acquisivit, decimas multas de manu laicali retraxit. Patris, matris, sororis, et duorum fratrum anniversaria de suo instituit in hac ecclesia perpetuo celebranda. Dedit enim quatuor albas quarum una erat parata, paratura decenti: item stolam et manipulum rubri coloris cum imaginibus deauratis: aliam quoque stolam cum manipulo de serico mirabiliter operato: stolam etiam et manipulum tertium auro intexta cum imaginibus bestiarum et arborum subtiliter intextarum; et elegantia subcinctoria tria, unum pretiosis margaritis ornatum; collarium quoque rubri coloris auro mirabiliter intextum; quinque paria corporalium cum reservatorio *p*; octo etiam mappas ad ornamentum altaris cum manutergiis multis; sexdecim albas telæ candidæ et delicatissimæ; duas mappas sericas. Dedit quoque sandalia et sotulares *q* rubri serici, auri pretiosorumque lapidum varietate distincta. Dedit etiam quinque paria vestimentorum pontificalium; videlicet capsulam*, dalmaticam, tunicam: quorum unum par, est de samito *r* rubeo; secundum de cendato inforciato *s* rubro; tertium de samito viridi; quartum adurini coloris; quintum de candido borgueranto *t*.

* *id est* casulam

vivens moriensque

9 Dedit etiam in primo reditu de Roma samitum, de quo fecimus *u* duas capas: alia vice rediens, unum pallium rotatum *x*: ipse etiam in quadam infirmitate sua duos tapedas* subtus pedes servientium ad altare; et duos minores, mirabili opere, quorum unus operit sedem regentium chorum: mitras quoque quatuor candidas, et quintam ex auro et lapidibus pretiosis mirabiliter insignitam; baudequinum *y* unum, ad ponendum ante altare; duos pannos sericos de armis regis Franciæ; quinque paria cerotecarum *z*, et duas paraturas argenteas deauratas ad opus earumdem cerotecarum; cambutam *aa* argenteam magni ponderis deauratam et opere decoram, cum baculo pastorali; et duos bacinos* octo marcarum argenti per loca deauratos; turibulum argenteum cum acerra ei cochleari ejusdem materiæ; duos orceolos argenti cum pyxide argentea ad hostias reponendas.

* *lege* tapetas

* *id est* urceos

plurima contulit.

10 Dedit etiam decem et septem anulos auri; novem cum saphyris, unum grossum, ad instar oculi bovis; decimum, largum et latum episcopalem habentem saphyrum in medio, et in circumferentia lapidibus pretiosis aliis insignitum; duos cum topaziis grossis; unum cum carbunculo, qui vulgo dicitur Rubi; duos cum granatis; unum cum camahuto *bb*, et alium cum crystallo: et est pondus dictorum anulorum una marca et tres unciæ auri. Et isti anuli appositi sunt de mandato ipsius Episcopi ad frontale capsæ beatissimi Juliani. Dedit etiam Antiphonarium pulcherrimum; tria Gradualia, quorum majus cum grossa nota et littera; Troparium *cc*, Collectarium Epistolarum, Euangeliarium, Missale, et duos Ordinarios *dd*, et duas cathedras episcopales Domum quoque de Dueio* multis sumptibus emendavit. In manerio Ebiaci* domum novam et amplam episcopalem cum suis pertinentiis de novo ædificavit, et emit locum et plateas adjacentes, ubi novum illud ædificavit, ædificium. Fecit etiam muros per circuitum a parte villæ cum introitu convenienti. Manerium de Celsiaco* magnum et conveniens penitus innovavit: Parisius in colle sanctæ Genovefæ ædificium magnum et muris convenientibus circumsæptum; quod de proprio patrimonio acquisivit. Episcopatum quoque dimisit liberum et sine onere debitorum. Domos quoque dimisit supellectilibus convenientibus, immo et abundantibus non desertas.

* *Gallice* Thouvoye

* *Gallice* Yvre

* *Gallice* Ceaulcé

ANNOTATA.

a *Atqui baroniam Treviarum, testibus supra Corvaserio et Bondonneto, vendidit. An hoc verum non est, an sub finem vitæ factum? Sane nuda recentium scriptorum assertio, nisi cum Actis hisce conciliari possit, æquiparari non potest.*

b In suo perpetuo *positum videtur pro* in omni vita sua.

c *Addit in margine Mabillonius:* forte clausam. *Erat autem* capa, *seu* cappa clausa, *modestum quoddam pallii genus, clericis olim, et iis, qui sacros Ordines susceperant, ecclesiastica lege præscriptum, ut vide in Spelmanni, Cangiique Glossariis.*

d *Observa scriptoris ætatem; ut qui Mauritii clericos ad infulas promoveri viderit: sedit enim apud Cenomanos Mauritius ab anno Christi* 1216 *usque ad* 1231, *quo ad metropolim Rotomagensem evectus est; uti diximus Junii tom.* 3, *pag.* 869. *Rotomagi deinde sub initia anni* 1234 *vitam, uti duxerat, piissime clausit.*

e *Hi bini versiculi ex Persii satyra quarta desumpti*

A *sumpti, dictum illud spectant, quod Æsopo Stobæus tribuit, de mantica seu sacculo duplici, quem homo quisque circumferat: et alterum quidem in pectore, vitiis onustum alienis; alterum in tergo, quem et peccatis propriis oneret, et numquam inspiciat. Queritur ergo biographus noster illorum errorem, qui virtutis nullam uspiam rationem habentes, sola ubique vitia considerant; vitia, inquam, sola: non sua tamen (utpote a tergo posita) ut exuant; sed aliena tantum, ut arguant, eoque se satis bonos, imo ceteris, quibuscum vivunt, meliores existiment, quod ea, vel iis etiam graviora, sibi quoque inesse non videant.*

f *De tempore hujus itineris, vide Commentarium prævium num.* 6.

g *De hoc monasterio satis diximus ibidem num.* 1 *et seqq. Descriptio ejusdem amplior est apud Corvaserium a pag.* 505.

h In novum opus, *id est, in novam ecclesiam cathedralem.*

i *Corvaserius Ms. citat, in quo hæc translatio facta dicitur anno præcedente: et facile potuit in his ipsis Actis scriptum fuisse* MCCLIII, *et legi deinde* MCCLIV, *sive ob lituram aliquam, qua posteriores duæ litteræ* II *in unam* V *coaluerint; sive quod mi-*
B *nus recte ductæ, ita ad se mutuo inferne accederent, ut vel junctæ omnino, vel jungendæ viderentur. Certe, cum res acciderit juxta hæc Acta nostra* post octavas sancti Paschæ, *hoc est, vespere Dominicæ in albis, ut ex contextu liquet; et juxta vetustum catalogum Cenomanensem a Mabillonio Actibus Pontificum ejusdem ecclesiæ præfixum,* quinto Kalendas Maii, *in quem Dominica in albis incidit, non anno* 1254, *sed anno* 1253, *hic omnino annus præ illo admittendus videtur. Puncta porro, quæ hic et ad finem sequentis numeri adjiciuntur, indicant, omissam studio a nobis esse partem maximam historiæ translationis hujus; ut quæ ad S. Julianum proprie pertineat, referendaque aliquando sit integra ad diem* 27 *Januarii.*

k *S. Ludovici IX fratrem, ac Siciliæ postea regem; sub quo decantatæ illæ Siculorum Vesperæ.*

l *Unde ergo asserunt Corvaserius et Bondonnetus, eum* decimo quinto *post adventum* die *incidisse ibi primum in febres?*

m *At quamdiu sepultus ibi mansit? Incertum est. Translatio certe ejus in Galliam videtur (quidquid aliter sentiant aliqui) auctore nostro posterior; cum de illa non meminerit. Vide Commentarium num.* 2.

n *A die namque electionis ejus* 16 *Septembris anni* 1234 *usque ad* 3 *Augusti anni* 1255, *anni sunt* 20, *menses* 10, *dies* 18. D

o *Inter hæc recenset Corvaserius fenestras chori e vitris vario colore pictis, ejusque etiamnum insignia referentibus.*

p Reservatorium *hic intelligo thecam corporalium, quæ nunc solet bursa nuncupari.*

q Sotulares *pro calceis in Actis nostris jam sæpius recurrerunt.*

r Samitum, exametum, *etc., pannum holosericum interpretatur Cangius in Glossario ad vocem* Exametum; *ubi et nominis inflexiones varias, et etymologiam consule.*

s *Et hoc genus est panni serici, ut liquet ex Cangio ad nomen* Cendalum.

t Borguerantum *videtur esse telæ subtilis species, de qua consule Cangium ad vocem* Boquerannus.

u *Animadverte hic iterum ætatem auctoris et professionem: non enim ita loqueretur, nisi tunc de cathedralis ecclesiæ clero fuisset.*

x Pallium rotatum, *apud Cangium simpliciter* Rota, *est pallii ecclesiastici species in formam rotæ effícti, vel pallium rotarum figuris distinctum.*

y Baudequinus *seu* Baldakinus, *teste Cangio, pannus est omnium ditissimus, cujus stamen ex filo auri, subtemen ex serico texitur, plumario opere intertextus. Frequenter etiam sumitur pro umbraculo sive umbella.* E

z *Legendum videtur* Chirothecarum, *his enim in pontificalibus utuntur episcopi: et certum est, hic passim in orthographia peccari.*

aa Cambuta *seu* Cambuca *sæpe accipitur pro toto pedo sive baculo pastorali; hic tamen cum ab illo distinguatur, videtur superiorem tantum ejus partem incurvam significare; quo sensu invenitur etiam a baculo pastorali distincta non semel eodem seculo in Visitatione ecclesiæ S. Pauli Londinensis, Monastici Anglicani tom.* 3. *pag.* 314.

bb Camahutus, *Gallis* Camayeu, *lapis est pretiosus figuras repræsentans non impressas, sed ingenitas. Vide et Cangium ad vocem* Camaeus.

cc Troparius *est liber ecclesiasticus, qui tropos continet; ut* Antiphonarius, *qui antiphonas, etc.* Tropus *autem est versiculus, qui in præcipuis festivitatibus cantatur ante introitum Missæ.*

dd Ordinarios, *id est libros, in quibus ordinatur modus, quo celebrari debet divinum Officium.*

C F

DE B. AUGUSTINO EPISCOPO.

EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM,

LUCERIÆ IN APULIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Legitimus Beati cultus ex diversis monumentis.

An. MCCCXXIII

B. Augustinus Luceriæ in Apulia

Luceria, vulgo Lucera, quæ nomina successu temporis cum Nuceria et Nocera (ut nunc etiam appellari solet) fuere commutata, urbs est mediterranea Apuliæ Dauniæ, exiguo tamen colli imposita versus Austrum ad flumen Cerbalum inter Beneventum et Sipontum, a quo in Occidente triginta millibus passuum distat, a Benevento paulo remotior, a Neapoli in ortum æstivum ad septuaginta, proxima Vulturariæ et Troiæ, et Equo Tutico. Dicta autem Apula (uti et Nuceria Saracenorum) ad discrimen Campaniæ, Umbriæ, et Galliæ Cis-Padanæ Nuceriarum: sed et Luceriam denominatam fuisse, quod in Apulia luceat ob loci, in quo sita est, amœnitatem, Petrus Ranzanus, ejus civitatis episcopus, affirmat in libro, quem de ejus

lau-

AUCTORE G. C.

laudibus scripsit. *Ita Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo* 8, *col.* 313, *plura ibidem addens de antiquitate variisque casibus ejusdem urbis, quæ olim* B. Augustinum *episcopum habere meruit, et hodiedum sacras illius reliquias summa veneratione conservat.*

pro Sancto habetur,

2 *Majores nostri jam dudum soliciti fuerunt, ut de legitimo hujus beati Præsulis cultu certiores redderentur. Hinc anno* 1687 *cura nostri Caroli a Manderscheidt, qui tunc Romæ commorabatur, obtinuerunt a PP. Prædicatoribus Lucerinis sequens responsum :* Gloriosus Augustinus ad episcopatum primo Zagrabiensem, deinde ad Lucerinum ex Ordine S. Dominici assumptus, nedum gaudet titulo Beati, verum etiam Sancti : nam Luceriæ sic acclamatur, appellatur, et invocatur tum in publicis tum in privatis orationibus et processionibus, et etiam sic inscribitur; nam in choro cathedralis ecclesiæ S. Mariæ de Luceria, ubi est depicta imago prædicti gloriosi Augustini, sic legitur : SANCTUS AUGUSTINUS EPISCOPUS LUCERINUS ORDINIS PRÆDICATORUM. Sic etiam habetur in capella S. Rocchi ejusdem ecclesiæ, ubi
B
cum reliquis statuis reperitur etiam statua ejusdem sancti Augustini cum eadem inscriptione videlicet : SANCTUS AUGUSTINUS EPISCOPUS LUCERINUS. Hoc etiam videtur in pluribus locis civitatis, signanter in porta majori, ubi conspicitur imago S. Augustini, tamquam principalis patroni; licet modo ob temporum injuriam prædicta imago totaliter non appareat. *Hæc satis probant hodiernum* B. Augustini *cultum, cujus antiquitas jam indaganda est.*

quem Carolus dux Calabriæ,

3 *Statim ab obitu beati Præsulis publica fuit de sanctitate ejus fama, ut patet ex litteris Caroli ducis Calabriæ, quæ apud Ughellum in proxime citata editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 8 *col.* 319 *et* 320 *sic sonant :* Sanctissimo in Christo Patri et clementissimo Domino Joanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus dux Calabriæ recommendationem humilem, et devota pedum oscula beatorum. Ne multiloquio, alme Pater et Domine, occupatissimas aures Sanctitatis vestræ fatigem, desistendum vidi præsenti pagina pandere plurimam in partibus istis laudem, quam sibi beatus pater Augustinus, quondam episcopus civitatis
C
sanctæ Mariæ, dudum vocatæ Luceriæ, ex miraculorum affluentia, quæ post ejus obitum divina clementia, veluti copiosa in misericordia et in retributione munifica, jam meritis ejus ostendit, et quotidie dignatur ostendere, vendicarit.

litteris ad Joannem XXII Papam datis,

4 Credo equidem illorum aliqua jam esse ad notitiam vestram ex relatu divulgantis famæ perducta, et exspecto ac etiam cupio, quod singulariter singula, quæ profecto magna esse noscuntur, ad ipsam notionem vestram, etiam et in publicum per opportunæ indagationis seriem deducantur : sicut enim fide digna relatio me nuper instruxit, non ignotum Beatitudini vestræ fuit, cum adhuc ipse in hoc esset seculo constitutus, quam mirabili sinceritate vitæ micabat, pollebat claritate scientiæ, ac mirificis operibus coruscabat. Ego quoque, mi Domine reverende, teste Deo et conscientia bona loquor, quod eo mecum, cum primum petiit partes istas, per vices aliquas colloquente, concepi et vidi tam in ejus verbo et facie, quam in gestu, quod valde amabilis ejus conversatio esset, quodque omnia, quæ in eo erant, non nisi notabilia, et eruditio ad virtutes ac ad salutem ædificatio viderentur; quodque dum post ejus migrationem ad Dominum ex devotione magna, qua ad illum afficior, ejus limina D
visitassem, magna mihi fides facta est de nonnullis miraculis per ejus excellentia merita divinitus perpetratis.

solenniter in numerum Sanctorum referri petit.

5 Cum itaque ad instruendum certius Beatitudinis vestræ scientiam ac devote petendum de ipsius beati Patris vita et miraculis pariter inquiri secundum morem Ecclesiæ in talibus consuetum, latores præsentium Sanctitatis vestræ pedes cum reverentia debita et fiducia magna petunt, devotus postulo, supplex quæso, ut alma et perspicax providentia vestra, benigna, si placet, petitionem ipsam consideratione discutiens, et ad eam exaudiendam mentis aciem dignanter inflectens, inquisitionem ipsam jubere fieri, ut moris et juris est, gratiose dignetur; quæ ubi patrata fuerit, vestroque conspectui præsentata, si effectus ejus suadeat, et vestra benignitas id decernat, præfatum Patrem in illius reverentiam et honorem, qui eum veluti laudabilis retributor sanctificare dignatus est, in Sanctorum, si placet, matricula cum sonoro canonizationis præconio, ne ipsius merita grandia operaque mirifica debito præmio careant, adscribatis; per quod sancta E
mater Ecclesia de tanto novæ aggregationis consortio vestri felici tempore præsidatus jubilet, et exsultet civitas, in qua ipse feliciter obiit, et felicius in Domino requiescit. Scriptum Neapoli anno Domini MCCCXXV, die XX Octobris, nona Indictione.

Ex his authenticis litteris,

6 *Ughellus ibidem præfatur, hoc epistolæ apographum* ex regio regesto Caroli illustris fol. 31 sub littera B *desumptum fuisse. Id etiam testatur Sigismundus Ferrarius in Appendice ad commentarios de rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum pag.* 43, *ubi eamdem Caroli epistolam edidit, et pagina sequente ad authenticam illius fidem probandam hæc subjungit* : Extracta est præsens copia a supradicto originali registro, quod conservatur in archivio magnæ regiæ curiæ Neapoli, cum quo facta collatione concordat, meliori tamen semper salva; et in fidem infradictorum magnificus Petrus Vincenti U. J. D. regius archiviarius hic se subscripsit, et signum consuetum apposuit. Neapoli die XX mensis Octobris MDCXXIII. *Ex eodem archivo prodit nostrum Ms. earumdem litterarum ecgraphum, cui* Antonius Vincenti (*forte is Petri præcedentis consanguineus* F
est, aut in prænomen error irrepsit) regius archiviarius *similem clausulam subnexuit, et* Neapoli die VII Januarii MDCXXVIII *nomen suum subscripsit. Porro hæc tria supplicis epistolæ exemplaria non ita inter se differunt, ut operæ pretium sit observare nonnullas levioris momenti discrepantias, quæ ex oscitantia typothetarum aut amanuensium facile oriuntur.*

et ex dato Officio,

7 *Patres Prædicatores Lucerini in supra memorato responso asserunt, Joannem XXII Pontificem desiderio Caroli satisfecisse, et* B. Augustinum *catalogo Sanctorum solenniter adscripsisse, licet hoc tempore Bulla Canonizationis perierit aut alicubi delitescat. Præterea addunt, sibi tunc ab eodem Pontifice concessum fuisse proprium de beato suo Præsule Officium, in quo* lectiones secundi et tertii nocturni sunt de historia narrativa ejusdem Sancti omnium miraculorum ab ipso patratorum, *ut loquuntur. Hanc assertionem suam probant ex iis, quæ* Præscriptor Apostolicus *(quis ille fuerit, non indicant)* tractatu de cononizatione Sanctorum *sic scribit :* Joannes XXII concessit Officium FF. Prædicatoribus Luceriæ; quæ quidem Bulla die III mensis Augusti, quo die celebratur festum

præ-

A prædicti S. Augustini demonstrabatur toti populo fideli : et nunc sunt multi viventes, qui ipsam inspexerunt, licet modo ob Patrum incuriam non reperiatur.

quod a Joanne XXII Pontifice

8 *Hoc etiam supponit illustrissimus J. Tomcus Marnavitius, qui Acta* B. Augustini *copiose collegit, dum apud Sigismundum Ferrarium in proxime citata Appendice pag.* 42 *et* 43 *sic disserit :* Antiquissimus porro ejus cultus statim ab ejus felici obitu fulcitur concessione Joannis XXII, cujus tempore in cœlum abiit; quæ concessio ex sequenti Caroli ducis Calabriæ et vices Roberti regis per Apuliam exercentis supplicatione colligitur, nec non ab anniversario sacro ejus Officio, ab eodem tempore per clerum Lucerinum continuato, quod nuper ab illustrissimo et reverendissimo domino Suardo, Lucerino episcopo, viro nobilitate et eruditione conspicuo, acceptum supplicationi adjungemus. *Erat is Fabritius Suardus Neapolitanus, ut apud Ughellum tomo* 8 *Italiæ sacræ col.* 325 *legimus, familia nobili natus et eruditione clarus, qui anno Christi* 1619 *die* 28 *Januarii Lucerinam cathedram ascendit.*

B

PP. Prædicatoribus ac clericis Lucerinis

9 *Sigismundus Ferrarius in opere de rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum parte* 2, *lib.* 1, *cap.* 18 *totum istud Officium typis vulgavit; eique præfixit hunc titulum :* Officium in festo B. Augustini episcopi Luceriæ, a Fratribus Prædicatoribus recitari et decantari Joannis XXII summi Pontificis indulto solitum. *Deinde in eo præter alia propria, quæ hic brevitatis causa omitto, in primis Vesperis legitur sequens oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Augustinum de Dalmatia, Ordinis Prædicatorum, in verum præsulem Lucerinum eligere voluisti, quique ei dæmones expellendi, et cunctorum morborum languores sanandi gratiam contulisti, concede, quæsumus, ut qui ejus festa percolimus, ipsius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum, etc. *In Laudibus autem hæc alia recitatur oratio :* Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut qui beati Augustini episcopi Lucerini gloriosi solennitatem devotissimo celebramus Officio, et temporalem nobis suis precibus tranquillitatem tribuat, et vitam conferat sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

concessum fuisse dicitur,

10 *Ceterum in hoc Officio non tantum* lectiones secundi et tertii Nocturni sunt de historia narrativa ejusdem Sancti omnium miraculorum, *ut*
C *Prædicatores Lucerini supra affirmabant, sed etiam in Lectionibus primi Nocturni ac in ipsis Responsoriis miracula recensentur. Quidquid sit de hac re, iidem Patres Lucerini satis ostendunt, antiquum esse* B. Augustini *Officium, dum propositis Majorum nostrorum interrogationibus ibidem ita respondent :* Officium invenies Romæ vetustissima manu Longobardorum scriptum apud eminentissimum Pamphilium, qui fuit a sacra Congregatione factus Ponens causæ prædicti sancti Augustini pro lite præcedentiæ in processionibus Luceriæ inter eumdem Sanctum, et sanctum Antonium de Padua.

colligitur antiquus istius Præsulis cultus,

11 *Antiquitas ejusdem Officii etiam satis colligitur ex testimonio, quod Sigismundus Ferrarius ei subjungit in hunc modum :* Exemplar hujus Officii extractum ex vetusto originali, quod antiquo pergameno servatur in archivo conventus S. Dominici urbis Lucerinæ, fideliter collationatum per abbatem Carolum Strangiam, ordinarium actuarium, et publicum Apostolica auctoritate notarium episcopalis curiæ Lucerinæ, obtinuit, et transmisit mihi admodum reverendus pater F. Dominicus Gravina, sacræ theologiæ magister, regiæ cathedræ theologicæ in universitate Neapolitana moderator, archiepiscopalis curiæ theologus, et sancti Officii consultor, anno MDCXXXVI. *Sed cum ibidem fateatur, in editione istius Officii* pauca alicubi verba, quæ propter Italicum idiotismum vulgo non intelligerentur, immutata *a se fuisse*, sententia fideliter retenta, *nos ea miracula primigenio stylo postmodum dabimus ex illo Ms. Officio, quod noster P. Beatillus anno* 1639 *ex urbe Neapolitana ad Majores nostros misit, et potius in Annotatis, quæ subjicientur, explicabimus ea, quæ obscura aut intellectu difficilia videri possent.*

AUCTORE G. C.

qui seculo præterito adhuc vigebat,

12 *Ex his testimoniis saltem patet, in civitate Lucerina celebrem ac immemorabilem fuisse* B. Augustini *cultum, qui etiam præterito seculo viguit, ut intelligimus ex frequenti populi concursu, aliisque venerationis signis, quæ laudatus Ferrarius in Historia Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum part.* 2 *lib.* 1 *cap.* 16 *narrat his verbis :* Cum beati Augustini virtus in dæmonibus ab humanis corporibus expellendis maxime elucescat, magno quotidie numero energumeni E
ad ejus sepulcrum spe gratiæ et liberationis undequaque conveniunt, qui spe sua minime frustrati, Deo et beato Episcopo debitis gratiis exsolutis, læti ad propria revertuntur. Et mirum sane est, quantum dæmones beati Episcopi reliquias exhorrescant : ubi enim galerus quidam paleaceus, quem is gestare solebat, energumenis imponitur, oculis suffunduntur, capite intorquentur, pectore ac gutture intumescunt, totis denique corporis membris dissipantur, ut affatim patefaciant, non adeo graves sibi esse gehennæ cruciatus, ut quos ex sanctarum illarum exuviarum attactu perpetiuntur.

ut ex frequenti populi concursu

13 Hinc ad pedes aræ beati Viri ex pariete mediocris magnitudinis pendet catena, qua non raro obsessi, sive quod furiosi et noxii sint, sive ad majorem spirituum malignorum contemptum, illigantur. Nec minus dignum admiratione, sæpe dæmoniacis e longinquo adventantibus, ubi agrum Lucerinum attigerint, variis intorsionibus, ejulatibus, aliisque signis latentes dæmones deprehendi ; qui vero jam deprehensi erant, majoribus ex ipsa vicinia eos cruciatibus urgeri, per diversa signa et effectus palam ostentari. F
Qui febre aliove graviore morbo prægravantur, nullum præsentius aut efficacius remedium adhibere se posse existimant, quam si pulverem ex marmoreo tumulo erasum, aquæ aliive liquori respersum hauserint, cum ut plurimum incolumes ex eo reddantur. Cingulum ejus sacerdotale ad proxime parituras mulieres delatum, affert pariendi partusque felicitatem.

et publica reliquiarum ejus veneratione

14 Paleaceus pileus, cujus jam meminimus, quibuscumque adhibetur, sospitatem exoptatam assequuntur. Pileus hic ex paleis contextus (qualibus messores in Italia propter æstus vehementiam uti solent) leviori velamine nigro sic circumtegitur, ut ex lana more aliorum confectus esse videatur ; et tamen cum toties ad gravius decumbentes afferatur, adeoque frequenter in ecclesia piorum capitibus imponatur, tam integer post tria integra secula servatur, atque erat, quando beatus Episcopus decessit ; cum etiam ferreus vix non consumptus fuisset. Sed est etiam, unde hujus beati Viri paupertatis amorem, rerumque secularium contemptum admirere : qui cum ecclesiam haberet redditibus adeo copiosam, quibus etiam iis temporibus ma-

gis

AUCTORE G. C.

gis florebat, pileo usque eo exiguæ vilisque materiæ voluerit esse contentus.

Sigismundus Ferrarius ostendit.

15 Urbs Luceriensis ob ingentia et innumera beneficia, quæ a Deo illius meritis et intercessione accepit, de eo in peculiarem advocatum ac protectorem deligendo, peculiari adhibita consultatione, ad annum MDCXXXIV tractabat *(id postea factum esse discimus ex fine Actorum, quæ infra exhibebimus)* et ut, quousque res optatum finem assequeretur, majori apparatu solennitas ejus celebrari posset, quamdam pecuniæ summam quotannis offerendam decrevit. Porro dies tertia Augusti, qua B. Augustinus decessit, Luceriæ, instar Paschalis festivitatis, solennis habetur maximo incolarum omnium, nobilium, vulgarium, rusticorum, ac cujusque hominum conditionis frequentia, precibus et Sacro propriis Joannis XXII indulto, concionibus et laudum præconiis celebratur. Quin etiam pridie ejus diei, secunda videlicet Augusti, magnus fit omnium ad ædem divi Dominici concursus, ubi genibus ante sacra ossa curvatis, ea quam diutissime venerantur; et sacerdote sacrum pileum singulorum capitibus
B
inclinante, is se feliciorem existimat, qui, dum ad beati Episcopi honorem Antiphona recitatur, illum super se meruerit retinere. *Jam pergimus B. Augustini ad eumdem cultum ex recentioribus instrumentis stabiliendum.*

§ II. Augmentum ejusdem cultus ex recentiori confirmatione et novo Officio.

Clemens XI Papa cultum B. Augustini

Certe Clemens XI gloriosæ memoriæ Pontifex antiquum B. Augustini *cultum non parum confirmavit auxitque, dum anno* 1702 *decretum Congregationis sacrorum rituum approbavit, sicut in supplemento magni Bullarii Romani part. 2 pag.* 18 *et* 19 *legitur ad hunc modum :* Clemens Papa XI ad futuram rei memoriam. Nuper ad supplicationem dilecti filii Antonini Cloche, Magistri generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum decretum tenoris, qui sequitur,
C
videlicet : » Lucerina. Canonizationis beati Au- » gustini Dalmatæ, Ordinis Prædicatorum, epi- » scopi Zagabriensis, et demum Lucerini. Cum » sacrorum rituum Congregatio ad relationem » eminentissimi et reverendissimi domini Cardi- » nalis Petrucci sub die XIX Junii MDCC cum sub- » secuta approbatione Sanctissimi censuerit, con- » stare de cultu immemorabili, B. Augustino » prædicto præstito; Pater Antoninus Cloche » Ordinis Prædicatorum Magister generalis hu- » militer sacrorum Rituum Congregationi sup- » plicavit, quatenus concedere dignaretur, ut in » civitate Lucerina continuari possit in celebra- » tione festi dicti beati Augustini cum Officio et » Missa propriis ejusdem Beati, prout assereba- » tur fuisse hactenus recitatum, necnon ut idem » indultum ad totum Ordinem Prædicatorum, » ad provinciam Beneventanam, in qua sita est » civitas Lucerina, ad civitatem et diœcesim » Traguriensem, patriam ejusdem Beati, nec » non ad civitatem et diœcesim Spalatrinam be- » nigne extendere dignaretur.

a sacra Rituum congregatione approbatum,

17 » Et sacra eadem rituum Congregatio ad » relationem eminentissimi et reverendissimi do- » mini Cardinalis Gabrielli, tam in voce quam
D
» in scriptis reverendissimo archiepiscopo My- « rensi, fidei Promotore, audito, accedentibus » piis supplicationibus eminentissimi et reveren- » dissimi domini Cardinalis Ursini, archiepiscopi » Beneventani, archiepiscopi Spalatrini, episco- » pi Lucerini, ac aliorum episcoporum totius » provinciæ Beneventanæ, et episcopi Traguri- » ensis, sanctissimo Domino nostro porrectis, et » ad eamdem sacrorum rituum Congregationem » remissis, Officium cum Missa de beato Augu- » stino prædicto pro civitatibus Lucerina, Zaga- » briensi, et Traguriensi, necnon earumdem diœ- » cesibus et pro Ordine Prædicatorum, de com- » muni tamen confessorum pontificum posse con- » cedi censuit, si sanctissimo Domino nostro vi- » sum fuerit, die prima Octobris MDCCI. Et facta » deinde de prædictis per me secretarium san- » ctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua » benigne annuit die XIX ejusdem mensis Octo- » bris et anni MDCCI. G. Cardinalis Carpineus. » Loco † sigilli. »

auctoritate sua confirmat,

18 Cum autem, sicut dictus Antoninus Magister generalis nobis subinde exponi fecit, ipse
E
decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Antoninum Magistrum generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

et consueto clausulis roborat.

19 Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam F
causarum palatii Apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IV Aprilis MDCCII; Pontificatus nostri anno secundo. *Infra subscribebatur.* F. Oliverius.

PP. Prædicatores jam de illo recitant novo Officio.

20 *Quamvis* B. Augustinus *die* III *Augusti ex hac vita discesserit, nihilominus PP. Prædicatores annuam illius festivitatem, quam Clemens XI Pontifex ad totum Ordinem extendit, propter alios dies impeditos nunc celebrant die* VIII *ejusdem mensis, ut patet ex propriis eorum Officiis, in quibus lectiones primi ac tertii Nocturni præscribuntur de communi Confessoris pontificis, et recitatur sequens oratio :*

Deus

A Deus, qui Ecclesiæ tuæ in beato Augustino confessore tuo atque pontifice boni pastoris exemplum providere dignatus es : concede propitius, ut ejus intercessione in loco pascuæ tuæ perpetuo collocari mereamur. Per Dominum, *etc.*

ex quo propriæ lectiones secundi nocturni hic exhibentur.

21 *Lectiones secundi Nocturni, quas circa memoratum decreti tempus a sacra rituum Congregatione approbatas fuisse existimo, præcipua beati istius Præsulis gesta sic breviter enarrant* : Lectio iv. Augustinus Tragurii in Dalmatia sub Spalatensi archiepiscopatu, parentibus nobilitate ac orthodoxæ fidei pietate illustribus natus est. Adolescens, ut totum se Deo manciparet, seculari patrimonio dimisso, sacræ Prædicatorum familiæ nomen dedit; ibique in sectandis sancti Dominici, quem sibi patrem elegerat, vestigiis adeo incubuit, ut adhuc juvenis, tamquam regularis observantiæ exemplar, omnibus proponeretur. Exacto tyrocinio, Parisios una cum Fratre Jacobo Ursini studiorum causa missus, sanctum Thomam Aquinatem magistrum habuit, sub quo mirum est, quantum in scientia, pietate, ceterisque virtutibus profecerit.

B 22 Lectio v. In patriam reversus, superiorum jussu prædicationi divini verbi addictus est. Maximo interim salutis animarum studio inardescens, nihil umquam omisit, quo infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam revocaret. In oratione assiduus, cui incumbens plures noctes ducebat insomnes, illud sancti doctoris Augustini frequenter usurpabat : Recte novit vivere, qui recte novit orare. Ne vero sub modio virtutum ejus lucerna delitesceret, a Benedicto undecimo ad Zagabriensem episcopatum promotus fuit. Quo in munere, humilitatis, patientiæ, misericordiæ erga pauperes laude, et præcipue indefessis in custotiendo grege sibi commisso laboribus adeo enituit, ut Robertus rex Neapolis, audita ejus fama, summis precibus a Joanne vigesimo secundo impetrarit, pastorem illum præfici ecclesiæ Lucerinæ, ut eam a Saracenorum erroribus, quibus infecta fuerat, expurgaret.

23 Lectio vi. Ad Lucerinam ecclesiam profectus, novæ sponsæ suæ maculas a Saracenorum labe expurgaturus, mirum, quas ærumnas, quos labores perpessus sit, donec orationis fervore, prædicationis efficacia, morum sanctitate universum ovile suum Catholicum videre meruerit; ut illud a quolibet futuro inquinamento servaret C immune, Deiparæ Virginis potenti patrocinio submisit totam diœcesim, ac præcipue urbem Lucerinam, quam, mutato nomine, Civitatem sanctæ Mariæ appellari voluit; qua nomenclatura nostris etiam temporibus dicta civitas decoratur. Tandem meritis plenus et miraculorum fama illustris animam reddidit Creatori die tertia Augusti circa annum salutis millesimum trecentesimum vigesimum tertium, ætatis vero suæ septuagesimum; cujus corpus in ecclesia, quam suo Ordini ædificaverat, honorifice conditum, tot prodigiis a Deo insignitum ferunt, ut paucis post ejus obitum annis Carolus dux Calabriæ supplices dederit litteras Joanni XXII Pontifici maximo, ut Augustinum Beatorum fastis adscribere dignaretur. Clemens vero undecimus, ut in toto Prædicatorum Ordine ejus festum cum Officio et Missa de communi unius Confessoris pontificis celebraretur, benigne concessit. *In his Lectionibus nonnulla occurrunt, quæ cum historia et antiquis instrumentis non videntur posse componi, ut paragrapho sequente dicemus.*

§ III. Scriptor Actorum, eorumque auctoritas ac chronotaxis.

Tribus seculis post obitum Beati collegit Vitam ipsius Tomcus,

Illustrissimus episcopus Bosnensis, qui a Davide Czuittingero in Specimine Hungariæ litteratæ pag. 386 *vocatur* Tomko seu Tomkus Marnavicio-Dalmata, *et* circa annnum Christi mdcxxxi *claruisse dicitur, præter alios ingenii sui fœtus edidit Vitam* B. Augustini, *de quo agimus, quam Sigismundus Ferrarius in Appendice ad Historiam Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum primum typis vulgavit. Reverendissimum hunc biographum aliqui auctores Dominicani perperam Ordini suo adscribunt, ut Jacobus Echardus in opere de scriptoribus Ordinis Prædicatorum tomo* 2 *pag.* 758 *fatetur his verbis :* Johannes Tomkus Marnavitius, episcopus Bosnensis in Hungaria nostris accensetur a Fontana in Theatro Dominicano, et ab Altamura in Bibliotheca ad annum mccccii, quos excipit Johannes Michaël Cavalieri, *qui postremus anno* 1701 *opus de summis Pontificibus,* E *aliisque Ecclesiæ præsulibus, ex Ordine Prædicatorum assumptis, Italice collegit.*

quem biographum aliqui perperam Ordini Prædicatorum adscribunt,

25 *Deinde laudatus Echardus ibidem errorem illorum recte corrigit, ac rotunde edicit, eos omnes hallucinatos esse :* nam Ferrarius, quem citant, *inquit,* sed non attente legerunt, nusquam dicit, Tomkum fuisse Ordinis Prædicatorum, aut seculo xv vixisse, imo eum exhibet ceu virum sibi tempore æqualem, id est ad mdcxxx florentem, episcopum quidem Bosnensem, et coadjutorem Zagrabiensem, at non Lucerinum. Quod autem scripserit Vitam B. Augustini de Gazothis nostri, episcopi Bosnensis *(haud dubie voluit dicere Zagrabiensis)* et postea Lucerini, et alia, argumentum non est, fuisse Dominicanum : id enim non suscepit, nisi ex ardenti erga suam ecclesiam studio. *Porro hunc Joannem Tomcum Marnavitium post annum* 1619 *floruisse, constat ex ipsis ejus verbis, quæ supra num.* 8 *retulimus. Ex hac illustrissimi auctoris ætate liquet, plus quam trecentis annis post obitum* B. Augustini *Acta ista primum conscripta esse, adeoque auctoritatem ac fidem illorum ex hac parte non parum decrescere.*

et a quo antiquiora testimonia requirimus,

26 *Fortasse quispiam dicet, illam* B. Augustini F *Vitam ab illustrissimo Tomco ex antiquis patriæ suæ documentis collectam fuisse. Respondemus, propterea nos majori narrationis ejus parti fidem adhibere. Attamen simul veremur, ne quædam ex populari traditione et recentioribus historicis eidem inseruerit. Utinam saltem vetera historiæ suæ instrumenta distincte indicasset! Id nobiscum desiderat præfatus Echardus, quando inter scriptores Ordinis Prædicatorum tomo* i *pag.* 553 *recenset* B. Augustinum *nostrum, et de duabus orationibus, quas Tomcus sub illius nomine vulgavit, sic ibidem pronuntiat :* An illæ ipsæ sint ab Augustino pronuntiatæ, an a Tomco loco verarum deperditarum confictæ, ut historicis solenne, nostrum non est decernere. Optandum erat, ut Tomcus omnium, quæ in Vita Augustini eleganter scripta narrat, suos laudasset auctores. *Porro nos infra in Annotatis plura circa duas istas orationes observabimus, et quædam de suppositione illarum indicia detegemus.*

præsertim ut stupendo aliquo miraculo quod narrat.

27 *Certe illustrissimus Tomcus fide dignos testes allegare debuisset, dum refert stupenda prodigia, inter quæ merito numerari potest illud, quod num.* 11 *narrat his verbis :* Aliud quoque non minus

miran-

AUCTORE G. C.

mirandum contigit; etenim cum summus Pontifex jure Christiani hospitii eumdem mensæ suæ admovisset, eidemque aliquot aviculas, tamquam ex itineris ærumnis debilitato, curasset apponi; ille vero observantiæ regularis instituto, quo Dominicanis Fratribus perpetuo carnium usus interdicitur, tenacissimus, aliquamdiu hæsitabundo similis ab illorum tactu abstinendo, cordis intimi affectu Dei opem implorasset, en aviculæ assæ, tamquam e nido, ex patina apposita, omnibus obstupescentibus, evolantes, divina metamorphosi totidem pisces assos in eodem vasculo, loco sui reliquerunt.

certam fidem adhibeamus.

28 *Sigismundus Ferrarius in opere jam sæpius laudato de Rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum part. 2, lib.* 1, *cap.* 13 *hanc prodigiosam narrationem mitigans, de volatu avicularum non meminit, et ex ipso Tomco tantummodo refert,* perdices duas illi oblatas, qui carnes ex sacræ Religionis suæ instituto non comederet, tacitis ejus precibus in pisces esse conversas. *Nescimus, qua auctoritate Ferrarius* aliquot aviculas *illas in* perdices duas *commutarit, et volatum* B *illarum omiserit. Ceterum miramur, ab antiquis scriptoribus nullam tam stupendi miraculi memoriam posteritati relictam fuisse, cum publice in mensa Pontificis Romani contigisse dicatur. Quare ad illud prodigium credendum requirimus certiora testimonia, quæ etiam exegisse videntur ii, qui sub Clemente XI Papa proprias* B. Augustini *Lectiones composuerunt aut approbarunt, quandoquidem in illis de tam illustri miraculo nullum sit verbum. Adde, quod in veteri Officio Lucerino de hujusmodi prodigiis nulla mentio occurrat. Hæc de Actis in genere dicta sufficiant. Nunc ad peculiares quasdam eorumdem assertiones historice ac chronologice discutiendas progrediamur.*

Assignatur vera Beati patria ex antiquis documentis,

29 *Ferrarius in opere mox citato part.* 2, *lib.* 1, *cap.* 17 *refert varias auctorum sententias de patria* B. Augustini, *quibusdam illum Hungarum, aliis eum Dalmatam appellantibus. Sed opiniones illæ jam conciliandæ aut deserendæ sunt, postquam Michas Madius de Barbazanis, auctor coævus, apud Joannem Lucium pag.* 380 *caput* XXVII *Historiæ suæ ita inscripsit :* De obitu episcopi Nuceriæ S. Augustini, nativi de Tragurio. *Eamdem beati Præsulis patriam jam supra indicaverat cap.* C 4 *istius Historiæ, ubi dixerat,* Augustinum de Tragurio episcopum Sagrabiæ *a Benedicto XI Papa ordinatum fuisse. Eumdem nativitatis locum in ipso textu capitis* 27 *rursus repetit, ut inferius alia occasione dicemus. Hinc erroris convincitur Stephanus a sancto Severo, Dominicanus Lucerinus, qui apud Ferrarium loco proxime citato scribit,* B. Augustinum *ortu Brachiensem fuisse. Itaque cum illustrissimo Joanne Tomco asserendum est, Traguriensem Dalmatiæ urbem, hoc sancto Cive vere gloriari.*

et ex codice Carcassonensi; juxta quem etiam corruit opinio eorum,

30 *Hæc beati Viri patria etiam confirmatur ex codice Carcassonensi Bernardi Guidonis, in quo Soëgius Dominicanus sic de* B. Augustino *nostro ad marginem legi refert :* Oriundus de Traguria civitate, quæ est in Dalmatia, in lingua Slavonica, intravit Ordinem anno MCCLXXVII vel MCCLXXVIII. *Ita testatur Echardus in scriptoribus Ordinis Prædicatorum tomo* 1 *pag.* 553, *ubi ex hoc codicis Carcassonensis testimonio sic recte concludit :* Sancti Thomæ auditorem fuisse, quidam comminiscuntur, quod ex anno, quo nomen dedit Ordini, omnino evertitur. Parisios missum studiorum causa anno MCCLXXXVI narrat Pius, et verosimillimum. *Est is Joannes Michaël Pius,* D *qui Latine sæpius sub nomine Plodii citatur, et qui in opere Italico de Illustribus viris ordinis Prædicatorum parte* 1, *lib.* 2, § 16 *asserit,* B. Augustinum *adolescentem anno Christi* 1286 *una cum F. Jacobo Ursino Parisios perrexisse, ut ibidem studiis operam daret. Ex hac Pii seu Plodii chronologia sequitur, ut beatus Adolescens tunc non potuerit magistrum habere Doctorem Angelicum, cum hic jam ab anno Christi* 1274 *ad cœlum migrasset.*

qui dubie,

31 *Ferrarius hanc difficultatem satis vidit, dum in opere jam toties laudato part.* 2, *lib.* 1, *cap.* 12 *eam proponit his verbis :* Adolescentulus, Plodio teste, in Italiam profectus est, inde Parisios; quo cum studiorum causa a capitulo generali Parisiensi, anno MCCLXXXVI habito, cum F. Jacobo Ursino, Cardinalis Matthæi Ursini nepote, missus pergeret, ad vallem Ticini fluminis a sicariis quibusdam, qui ei ob oculos socium repente peremerunt, graviter capite vulneratus est, atque in nivibus seminecis dimissus. Causam fuisse aiunt odium a comitibus Casatensibus in Ursinos omnes conceptum, quod ex his quispiam Thomam Casatis comitem et Mediolani Cardinalem veneno sustulisset. Augustini Paganus a Petra sancta eques gaudens, magnus Ordinis nostri amicus et fautor in castrum suum Rebecense sublati sic curam per suos agendam curavit, ut intra paucos dies salutem recuperaret. Quæ ratio temporis, a Plodio ex multis gravibus auctoribus assignata, si vera est, non video, quomodo B. Augustinus potuerit esse sancti Thomæ Aquinatis, Angelici Doctoris auditor, ut non semel asserunt viri eximii, sive juxta rei veritatem, cum sanctus Doctor mortalitatem jam exuisset anno Christi MCCLXXIV, nimirum ante annos duodecim, quam esset annus MCCLXXXVI, quando studiorum causa Augustinus Parisios proficiscebatur. *Ita quidem ille nodum attigit, sed non solvit.* E

aut mendose asserunt,

32 *Joannes Rechacus tomo* 3 *de Sancti ac Beatis Ordinis Prædicatorum in Vita Gallica* B. Augustini *cap.* 2 *putavit, se invenisse modum, quo hæc adeo pugnantia inter se conciliaret. Excogitavit itaque novum quoddam systema chronologicum, et primo statuit,* B. Augustinum *anno ætatis suæ decimo quarto circa annum Christi* 1256 *vel* 1257 *Ordini Prædicatorum nomen dedisse. Deinde asserit, beatum Adolescentulum anno* 1259 *vel* 1260 *Parisios ivisse, ut sub magisterio Angelici Doctoris in studia incumberet. Denique fingit,* B. Augustinum *postea quadragenario majorem F. Jacobo Ursino comitem adjunctum esse, ut eum Parisios deduceret, et tunc ea accidisse, quæ supra ex Plodio, seu potius ex Plodii interprete Ferrario retulimus. Hæc autem omnia sine ullis testibus aut tabulis confidenter affirmat, ut etiam in aliis Sanctorum Actis non raro facere consuevit.* F

ipsum fuisse discipulum S. Thomæ Aquinatis

33 *At totam hanc Rechaci chronotaxim fictitiam esse, liquet ex supra laudato codice Carcassonensi, qui diserte notat,* B. Augustinum *intrasse Ordinem* anno MCCLXXVII vel MCCLXXVIII. *Hic autem annus optime concordat cum iis, quæ Plodius anno Christi* 1286 *contigisse narrat : nam potuit beatus Adolescens, peracto tirocinio et philosophicis aliisve disciplinis in patria perceptis, anno* 1286 *Parisios mitti, ut theologica doctrina imbueretur, aut in ea sese perficeret. Sed tum certe corruit illa opinio, juxta quam Tomcus aliique tradunt,* B. Augustinum *fuisse discipulum S. Thomæ Aquinatis, qui jam ab anno Christi* 1274 *e vivis excesserat. Quamobrem non video, qua chronologicæ aut historicæ veritatis specie PP. Dominicani in recentiore hujus beati Præsulis Officio legant sequentia :*

Exacto

A Exacto tyrocinio, Parisios una cum Fratre Jacobo Ursini studiorum causa missus sanctum Thomam Aquinatem magistrum habuit; sub quo mirum est, qnantum in scientia, pietate, ceterisque virtutibus profecerit.

Recentiora Beati Acta,

34 *In veteri Officio Lucerino legimus*, B. Augustinum *Ordini Prædicatorum* a pueritia *nomen suum dedisse. Hinc suspicamur, quod sacrum illud institutum amplexus fuerit, quando decimum septimum vel decimum octavum ætatis suæ annum agebat. Cum autem juxta codicem Carcassonensem anno Christi* 1277 *vel* 1278 *Ordinem intraverit, cum Echardo non improbabiliter conjicimus, illum natum esse circa annum Christi* 1260 *sub Bela IV Hungariæ rege, cui tunc etiam Dalmatia parebat. Cum vero juxta Officium Lucerinum* a pueritia, *et juxta alios* adolescentulus, *anno Christi* 1277 *aut* 1278 *Ordinem Prædicatorum ingressus fuerit, ac obierit anno* 1323, *ut postea probabimus, ex his ulterius sequitur, illum non septuagenarium, ut Tomcus et recentiores Officii Lectiones asserunt, sed circa sexagesimum tertium ætatis suæ annum ex hac vita migrasse.*

B *quibus etiam aliquid novi superadditur*

35 *Juvat hic inserere memorabilem* B. Augustini *responsionem, quam Tomcus in Actis ejus prætermisit, et quam Echardus in opere jam sæpius citato tomo* 1, *pag.* 553 *ex codice Colbertino* 2104 *eruit; ubi anonymus Ordinis Dominicani scriptor, eo tempore vivens, in collectione exemplorum rem refert hoc modo :* Respondit B. Augustinus nostri Ordinis episcopus Gaçabriensis (*voluit dicere* Zagabriensis) Fratribus dicentibus, ut rogaret quemdam baronem, ut eis daret tantam pecuniæ quantitatem, quam sibi legaverat talis dominus, putantes, quod daret propter reverentiam ampliorem, quam ad ipsum habebat; non enim per duos annos solverat : Pater meus (*scilicet S. Dominicus*) mihi reliquit in testamento, ut possessiones temporales non haberem ; et pater illius *(nimirum baronis, a quo petebant)* reliquit, ut haberem. Prius volo et obligor servare jura testamenti patris mei, quam sui. *Tunc subdit, eum petere noluisse.*

quædam tradunt de mutato Lucerinæ urbis nomine,

36 *Illustrissimus Tomcus in Actis infra edendis num.* 75 *narrat, quod* B. Augustinus *ad episcopatum Lucerinum translatus, ante omnia præcepe-*

C *perit, ne alio quam Mariæ nomine civitas illa appellaretur. Verosimiliter ex Tomco id insertum est Lectioni sextæ recentioris Officii, in qua legitur beatus Antistes potenti Deiparæ virginis patricinio submisisse totam suam diæcesim*, ac præcipue urbem Lucerinam, quam, mutato nomine, civitatem sanctæ Mariæ appellari voluit. *Si hæc Acta aut Lectiones istæ significare velint, primum ab hoc beato Præsule nomen sanctæ Mariæ civitati Lucerinæ impositum fuisse, antiquis documentis manifeste contradicunt : nam cognomen istud jam erat usitatum tempore Benedicti XI Papæ, qui Carolo regi Siciliæ apud Raynaldum in annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1305 *num.* 55 *inter alia sic scribit :* Sane tu dudum pie considerans, quod ex mora, quam faciebant Saraceni in civitate S. Mariæ, tunc vocata Luceria, derogabatur plurimum fidei prælibatæ, ab ea Saracenos prædictos, ut ex tunc inhabitarent inibi libere Christiani, exterminari fecisti spiritu Dei ductus. *Deinde præsul istius civitatis ibidem ab eodem Pontifice Benedicto XI* venerabilis frater noster episcopus S. Mariæ *appellatur.*

quæ cum antiquis instrumentis

37 *Ferdinandus Ughellus tomo* 8 *Italiæ sacræ col.* 314 *agens de urbe Lucerina, originem et causam istius cognominis ita distinctius explicat :* Post multa vero secula Fredericus II Ecclesiæ hostis, ut dictum est, expulsis inde Christianis, soloque episcopo cum duodecim clericis relicto, Saracenis ex Africa accitis civitatem habitandam dedit. Episcopus extra mœnia in veteri cathedrali pauper et pene exauctoratus permansit, donec per Carolum II regem debellatis ad unum Saracenis, recepta et expurgata civitate, in eam se recepit ad novam incolendam cathedralem, quam tunc ex veteri lapide Carolus exædificaverat, amplæ nimis ac regiæ amplitudinis opus, titulo ab eo imposito S. MARIÆ DE LA VITTORIA, quo titulo simul se decoravit episcopus, adeo ut in provinciali Romano nuncuparetur EPISCOPUS S. MARIÆ DE VICTORIA, hodie Lucerinus.

AUCTORE G. C.

difficulter conciliantur.

38 *Post hæc Ughellus varia instrumenta recitat, suasque interserit observationes, ex quibus omnibus evidenter patet, Luceriam jam diu ante episcopatum* B. Augustini, *mutato nomine, civitatem S. Mariæ appellatam fuisse. Quandoquidem tamen Acta Sanctorum et Lectiones Breviariorum tamdiu tueri conamur, quamdiu manifesta veritas nos ab iis non cogit recedere, dici hic posset, quod forsan tempore* B. Augustini *antiquum Luceriæ nomen rursus* E
apud cives invaluerit, atque idcirco beatus antistes civitatem illam nomine S. Mariæ appellari præceperit. Quod si Acta aut lectiones plus velint, certe ab historica veritate aberrant. Non lubet diutius inhærere discutiendis singulis Actorum punctis, quorum nonnulla breviter in annotatis infra observabimus. Interim ad assignandum Beato nostro certum felicis obitus annum pergemus.

Mortis annus, in quo assignando scriptores nonnulli erarunt,

39 *Plodius in opere Italico de illustribus viris Ordinis S. Dominici part.* 1, *lib.* 2, § 16, *col.* 323 *mortem* B. Augustini *anno* 1332 *collocat, ibidemque citat alios Ordinis sui scriptores, qui eamdem diversis annis perperam affixerunt. Bzovius tomo* 14 *Annalium ecclesiasticarum ad annum Christi* 1332 *num.* 16 *incaute secutus est hunc anachronismum, qui satis aperte refellitur ex superius exhibita epistola Caroli ducis Calabriæ, quam anno Christi* 1325 *ad Joannem XXII Papam dedit, et in qua Pontificem illum Romanum suppliciter orat, ut* B. Augustinum, *virtutibus ac miraculis illustrem, albo Sanctorum adscribat. Hinc etiam erravit Michas Madius de Barbazanis (nisi forsan hic error typothetæ aut librario tribuendus sit) dum in Historia sua cap.* 27 *de obitu Beati nostri sic meminit :* Item supradictis F
annis Augustinus olim Zagrabiensis episcopus, qui fuit per D. Joannem Papam a dicto episcopatu remotus ad petitionem R. Ungariæ et collocatus in ecclesia Nuceriæ in Apulia in episcopis ad instantiam D. R. Roberti Apuliæ, et sic obiit* ad Christum de MCCCXXIX; cujus corpus multa miracula ostendit super iis, qui cum devotione ad ipsum accedunt. Hic fuit oriundus de Dalmatia de civitate Tragurio, et fuit frater Prædicator Ordinis sancti Dominici humilis. *Cum scriptor iste synchronus satis scire potuerit determinatum annum, quo* B. Augustinus *mortuus est, non temere suspicamur, negligentia typothetarum aut amanuensium hoc loco numerum* MCCCXXIX *pro* MCCCXXIII *in textum irrepsisse.*

* *forte* abiit

ex codice Carcassonensi determinatur,

40 *Undecumque ortus sit iste error, prorsus assentimur illustrissimo Tomco, aliisque auctoribus, qui mortem hujus beati Antistitis anno* 1323 *affigunt : nam præter alia argumenta id nobis persuadet supra memoratus codex Carcassonensis, in quo apud Echardum tomo* 1 *operis jam sæpe citati pag.* 553 *Soëgius legit sequentia :* Obiit tertia die mensis Augusti in festo inventionis S. Stephani, fuitque sepultus (*hic ad marginem die crastina notatur*) in

AUCTORE G. C.

in vigilia S. Dominici in Conventu FF. Prædicatorum in Luceria anno Domini MCCCXXIII, ubi miraculis cœpit ejus sanctitas declarari, cum corpus ejus niveo candore refulgens apparuit, et odorem suavissimum ex seipso dedit; et clerici cathedralis ecclesiæ, qui corpus ejus auferre Fratribus, et secum afferre conabantur aurisia et cæcitate percussi, repulsi sunt. *Cangius in Glossario mediæ et infimæ latinitatis dicit, voce* aurisia *significari cæcitatem aut tenebras, in qua posteriori significatione hic accipi potest, ne bis idem repetatur. Vide eumdem in Additionibus ad tomum primum Glossarii, ubi col.* 1354 *citat Alanum de Insulis, qui contra Valdenses cap.* 58 *ita scribit:* Sunt multæ species fallaciæ visus. Una est, quando non videmus, quod oculis præsentatur, quæ dicitur aurisia, id est avidentia, qua percussi fuerunt, qui Elizæum quærebant.

et chronologicum Vitæ compendium

41 *Atque hæc sunt præcipua, quæ de Actis infra recudendis præmonenda esse censuimus, reliqua levioris momenti in Annotatis breviter observaturi. Attamen ad faciliorem temporum intelligentiam hic iisdem præmittimus chronologicum Vitæ compendium, quod Ughellus tomo* 8 *Italiæ sacræ col.* 319 *satis accurate concinnavit in hunc modum :* Beatus Augustinus natione Dalmata, patria Traguriensi, Nicolao et Dragesta nobilibus parentibus natus, cum adhuc adolesceret, mundo pompisque seculi remisit nuntium, divique Dominici habitum induit, et in eo Ordine tum litteris humanis tum divinis simul, atque Religionis virtutibus mirabiles progressus fecit, omniumque admirationem in se convertit, ita ut post varias sui Ordinis bene obitas præfecturas, a Benedicto XI Pontifice maximo Zagrabiensis crearetur episcopus anno MCCCIII; in qua dignitate multum pro totius Hungariæ regni bono et tranquillitate laboravit, cujus opera ad ardua regni ejusdem negotia componenda, Carolumque Bertum in regem firmandum, usus est Cardinalis Gentilis Apostolicæ sedis legatus; et cum Zagrabiensibus pie præfuisset annos tredecim, in gratiam Roberti, utriusque Siciliæ regis, ad hanc Lucerinam in Apulia, tunc S. Mariæ, ecclesiam translatus est a Joanne XXII, anno MCCCXVII.

B

ex Ughello exhibetur.

42 In novo grege moderando supra modum ejus erga pauperes misericordia et caritas, zelus in ecclesiastica disciplina conservanda, atque in omnibus pastoralis amor et pietas ita eluxit, ut inter præstantiores sui seculi præsules merito numeraretur. Hic sui Ordinis Fratres intra urbem suscepit, quibus cœnobium et ecclesiam divi Dominici titulo insignem condidit. Cumque per annos plus minusve sex sancte præfuisset, clarus miraculis septuagenario major *(superius verosimiliter conjecimus, ipsum dumtaxat sexagenario majorem obiisse)* obdormivit in Domino, ipso pervigilio sancti Dominici, tertio nempe Augusti MCCCXXIII; sepultus in eadem divi Dominici ecclesia, innumeris miraculis perpetuo illustris, pro cujus inquisitione vitæ, miraculorum indagatione, atque canonizatione Carolus Calabriæ dux, Roberti regis filius ad Joannem XXII sequentes scripsit litteras, quæ ex regio regesto Caroli illustris fol. XXXI sub littera B. exscriptæ sunt. *Tunc subjungit ipsas Caroli litteras, quas nos supra* § 1 *exhibuimus. Jam huic Commentario prævio finem imponemus, ubi paragrapho sequente prius quædam de posthuma illius B. Augustini gloria retulerimus.*

C

D

§ IV. Beati sepulcrum, reliquiæ, et recentiora miracula.

Observantur nonnulla circa Beati sepulcrum,

Illustrissimus Tomcus in Actis num. 81 *de sepultura* B. Augustini *hæc habet :* Sepultus fuit intra ecclesiam sibi dilectam, Fratrum suorum domicilio, et sancti patris Dominici memoriæ, suoque receptui, ut diximus, constructam; quousque anno primo hujusce seculi *(id est anno Christi* 1601, *ut Ferrarius et Ughellus asserunt)* in aliud sepulcrum pretioso marmore elaboratum, non absque miraculorum frequentia, translatus fuit. *Prædicatores Lucerini in supradicta responsione sua anni* 1687 *nos de recentiore istius sepulcri statu docent sequentia :* Corpus suum conservatur in capella, quæ est sita in ecclesia sancti Dominici Luceriæ; in qua quidem capella pendent quamplurimæ tabellæ votivæ, et in die festo suo ostenditur populo caput tantum, quod conservatur in statua argentea : nam corpus in tumulo super altare ejusdem Sancti quiescit; et maximus est populi concursus, quando celebratur cum interventu episcopi pontificaliter ejus festum celebrantis.

E

sacrasque ejus reliquias

44 *Occasione cultus jam superius aliqua de sacris* B. Augustini *reliquiis ex Ferrario memoravimus. Sed juverit eadem distinctius audire ex mox laudatis Patribus Lucerinis, qui in eadem epistola anni* 1687 *sic respondent :* Plurimæ sunt reliquiæ istius Sancti, quæ conservantur a Fratribus Prædicatoribus Luceriæ existentibus, videlicet caput Sancti cum dentibus; et apparet in vulnere, recepto in eodem capite a Saracenis sanguis. *At potius existimamus, hoc vulneris vestigium adscribendum esse sicariis, qui F. Jacobum Ursinum occiderunt, et socium ejus* B. Augustinum *graviter in capite vulnerarunt, ut supra num.* 31 *ex Plodii interprete Ferrario narravimus : nam Saraceni jam dudum Luceria expulsi fuerant, antequam Beatus noster ad cathedram Lucerinam seu S. Mariæ esset translatus, ut apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1269 *num.* 1, *et annum* 1303 *num.* 55 *licet videre. Utcumque sese ea res habeat, aliæ beati Præsulis exuviæ ab iisdem Patribus Lucerinis ibidem ita recensentur :* Insuper stola, manipulus, cingulus et alba, quibus utebatur, dum vivens celebrabat; subucula lanea, quæ tegit ejus carnes; pileus paleaceus, qui conservatur integerrime, et ægrotantibus defertur cum maxima veneratione propter complurimas gratias ipsis concessas; et hodie viget prædicta devotio, et quotidie asportatur per totam civitatem cum luminibus, quando cives laborant gravi infirmitate.

F

et referuntur recentiora quædam miracula ex Ferrario.

45 *Cum post Vitam* B. Augustini *huic Commentario subnectendam antiquiora ipsius miracula ex veteri Officio Ms. Lucerino daturi simus, hoc loco tantum agimus de recentioribus, quæ Sigismundus Ferrarius scribens de Rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum part.* 2, *lib.* 1, *cap.* 15 *exponit his verbis :* Sed nec nostro etiam seculo per beatum Virum mirabilia Deus operari desistit : nam ad annum MDCIV tantam terræ siccitatem Deus immiserat, ut sancti vatis Eliæ tempora, quibus clausum est cœlum, ne pluviam daret, rediisse viderentur; arescentibusque cunctis, Lucerienses non tantum creditoribus satisfacere se posse desperabant, sed in summa etiam penuria,

A ria, quam messis minabatur, vitam ducturos formidabant.

qui narrat, Lucerinos anno 1604 mirabiliter pluviam impetrasse,

46 Itaque ad divinam misericordiam opemque impetrandam variis precibus ac supplicationibus habitis, multas pias imagines detulerunt. Sed cum Deus nihilo placatior factus videretur, caput beati Episcopi nova publica supplicatione per urbem deportandum decreverunt. Clero igitur et viris religiosis, ceterisque civibus ad beati Dominici ædem die prima Maii congregatis, cœlo undequaque nubibus repurgato atque sereno, æstu acsi sol esset in leone, sæviente; ubi statuam, in qua sacrum caput exstat, efferre, ac prodire cœperunt, in ipso templi S. Dominici limine aër turbari, obduci nubibus cœlum; cumque vix sexaginta passus ad majorem ecclesiam progressi essent, nubes stillare; et cum inde ad portam civitatis appropinquarent, tantos imbres effundere, ut cœlos ruere putares, et in ecclesia Pietatis, quæ erat itineris meta, statuam per duos dies ac noctes dimittere cogerentur; Fratribus, ut poterant, ad monasterium se recipientibus, beatum Augustinum, Sanctum acclamantibus
B universis.

anno 1611 energumenam

47 Anno MDCXI mulieres duæ Gallicæ, peregrinantium habitu ecclesiam S. Dominici Luceriensis, quo tempore Completorium persolvebatur, ingressæ, ubi genibus flexis ante divinissimum Eucharistiæ sacramentum primum, deinde ad aram beatissimæ Virginis de Rosario pias preces fudissent, ad tumulum, in quo beati Episcopi ossa servantur, accesserunt. Ibi junior quæ hactenus nullum commotionis signum ediderat, adeo corpore toto intorqueri, membris omnibus dissipari cœpit, ut Religiosi sacras preces decantantes eam ab immundis spiritibus vexari facile deprehenderent.

octo dæmonibus liberatam esse,

48 Accurrit statim Pater ad id muneris designatus, et adhibitis exorcismis, ab octo dæmonibus obsessam intelligit. Cumque per Dei virtutem, et beati Episcopi merita eos ad recessum urgeret, se discessuros dixerunt, quod præsentiam ossium illorum diutius ferre non possent: quatuor enim primo in nummum quemdam æreum signo edito recesserunt; alius deinde facto signo in contortum capillum, quem obsessa vomuerat, eam reliquit; sextus, instar cujusdam virgulæ fumi,
C ex ore, ceu ex fornace, cum impetu exhalantis, et recta ad foramina vitreæ senestræ, quæ est in sacello, pergentis exivit, tota fere urbe, quæ confluxerat, aspectante. Denique duobus aliis, cum eam ad terram impulissent, egressis, liberata est.

et anno 1615 rusticum

49 Anno MDCXV Antonius Platus, rusticus Luceriensis, et alii quidam ejus socii energumenum ad tumulum beati Augustini pro liberatione perductum asservabant. Dum ergo Pater exorcista, dæmonibus adjuratis, obsessum, ne nimium torqueretur, aliquamdiu iisdem hominibus custodiendum dimisisset, dæmon per os obsessi frigidam pro sedanda siti instanter efflagitavit. Antonius et alius ex sociis monasterium ingressi aquam hauserunt ex puteo, haustamque totam ebiberunt. Cumque solus Antonius, socio ad custodiam redeunte, aquam obsesso delaturus demissum jam funem attraheret, vi maxima, acsi tota phalanx infernalis ex pedibus illum protruderet, obverso in puteum capite dilapsus est.

instans submersionis periculum evasisse.

50 Tunc is beatum Augustinum devotius inclamans, illæsus super aquas sustentatur: quem (dæmone indicante, aquam non deferre, quod demersus esset in puteum) statim Fratres, et socii accurrentes vivum et incolumem ope beati Augustini (ut pie creditur) eduxerunt. Vivebat Antonius adhuc anno MDCXXXIV fidele de re tota perhibens testimonium. *Hic temporis ordine subnectenda esset publica* B. Augustini *apparitio, qua civitatem Lucerinam ab imminenti ac vicino terræ motu servasse creditur, et propter quod beneficium patronus ejusdem urbis electus est. Sed cum illustrissimus Tomcus hoc miraculum in fine Actorum abunde narraverit, lectorem eo remittimus, ipsaque Acta recudimus, ac notis illustramus.* AUCTORE G. C.

VITA

Auctore Joanne Tomco Marnaritio, episcopo Bosnensi,

Ex editione Sigismundi Ferrarii, qui in Appendice ad res Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum, a pag. 1 illam Joannis Tomci lucubrationem typis vulgavit. E

CAPUT I.

Beati patria, parentes, religiosæ vitæ professio in Ordine Prædicatorum, ac primi labores.

Beatus Tragurii in Dalmatia ex nobili stirpe natus,

Tragurium *a*, civium Romanorum oppidum, ab Isseis *b* conditum, marmore notum, teste Plinio *c*, civitas Dalmatiæ nobilissima, præstantissimorum virorum perenne seminarium, Augustinum edidit, circa medium decimum tertium Christianum seculum *d*, quo vix ullum aliud a Christo nato, novitate et varietate rerum non minus politicarum, quam ad pietatem spectantium, præsertim sacrarum familiarum institutione, feracius exstitit. Genus ei patricium ea tempestate, qua Dalmaticæ civitates, sub patrocinio regum Hungariæ, libera conditione florebant imprimis. Parens ejus fuit Nicolaus nomine ex Gazothorum gente, quæ jam Cassiotha dicitur, magnæ prudentiæ et probitatis vir, inter illius patriæ senatores. Mater ex Dragœviorum familia inter Sicenses *e* perpetuo primaria, Dragoslava nomine: multiplici prole eaque insigni fuere. a b c d F e

et a parentibus pie educatus

2 Tempus natale ad amussim sicuti et puerilis educatio, vitio illius ætatis, in obscuro delitescunt; certum tamen est, eum in lucem editum regnante sanctissimo, et sanctissimarum virginum Margarethæ *f*, et Cunegundæ *g* genitore, rege Bella quarto *h* hujus nominis, qui iisdem ferme annis, regno per Tartaros pulsus, ad Dalmatiæ littora confugiens, in urbe Traguriensi, adjacentibusque eidem insulis, tutum perfugium habuerat *i*. Parentum cura liberaliter educatus, pietati et religioni mirabiliter adolevit. Vix ad juventæ bivium accesserat, cum Deo vocanti potius, quam parentibus parendum existimans, pu- f g h

rissimæ

A JOANNE TOMCO.

rissimæ vitæ florem, illi, qui pascitur inter lilia, consecravit.

Ordinem Prædicatorum ingreditur,

3 Vigebat per ea tempora mirabili vitæ sanctimonia, euangelicoque studio animarum Christo lucrandarum, magno divinæ gloriæ incremento, et per orbem Christianum dilatabatur sacra Prædicatorum familia, ineunte eodem seculo, a sanctissimo viro Dominico, Hispano genere, sed Gotthalano *k* origine, instituta. Hujus religiosis moribus allectus pius Juvenis, mundo, parentibusque valedicens, inter ejusdem familiæ tirones adscribi postulavit, et obtinuit. Admissus inter cœnobiacos, iis artibus et rudimentis, quibus illa ætas ad omnimodam pietatem informatur, brevi profecit egregie. Potissimum illi studium fuit secularium consuetudinum, humanorumque negotiorum totalis oblivio, cujus assequendæ gratia, post macerationes corporis, novæ menti induendæ, novisque consiliis imbibendis, totum sese addixit; quibus facile inde vitæ simplicitas, ardor divina meditandi, abjectio suimet et proprii judicii abdicatio accessere. Tales virtutes, perpetua suarum appetitionum compressio, assiduaque sibi adversandi exercitatio, denique regularium virtutum regina decoravit, cæca, ut aiunt, obedientia; ut tiro adhuc, ipsis veteranis, nedum commilitonibus, esset exemplo, et admirationi. B

peractoque tirocinio, variis virtutibus fulget,

4 Tirocinio exacto, solenni claustralium virorum voto proprio, Prædicatoriæ familiæ insertus, in litteris humanis simul atque divinis magnos fecit progressus. Hinc sacerdotio conspicuus, ad cathedras et euangelicos suggestus, superiorum nutu sublimatus, egregiam Dei Ecclesiæ non minus verbo quam exemplo, pluribus in locis Christiani orbis navavit operam, semper idem, qui primo Religionis ingressu, perseverans. Hinc nec speciosiora munia nec digniores gradus illum umquam a semel ducta solidæ pietatis linea deducere potuerunt. Augustini porro eminentissimi doctoris Ecclesiæ, cujus nomen in castris regularibus assumpserat, ita mores exprimere satagebat in omnibus; ut in conversatione fratrum, sive præesset aliis domestico magistratu, sive subesset, ob oculos sibi perpetuo magni Patris monita obversari putaret; quæ et aliis confratribus subinde magna suavitate inculcabat, præsertim illa ex Homilia 4: Recte novit vivere, qui recte novit orare. Sicut et illa ex Tract. de misericordia: Quid est oratione præclarius, quid vitæ nostra utilius, quid animo dulcius, quid in tota nostra religione sublimius? Illa quoque sæpius iterabat: Oratio justi clavis est cœli; ascendit precatis, et descendit Dei miseratio. Concludebatque excellentiam orandi ejusmodi verbis: Sicut ex carnalibus escis altera * caro, ita ex divinis eloquiis, et orationibus, interior homo nutritur. Ac sic Augustinum Augustinus exhibere, aliosque in eumdem transformare satagebat, elevationis mente * ad Deum. C

* *forte* alitur.

* *forte* elevatione mentis

suosque sodales tum verbo

5 Dalmatam quoque sanctorum Doctorum maximum Hieronymum, Dalmata ipse, scribentem ad Salvinam crebro repetebat: Semper in manibus tuis divina sit lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur: difficile est etenim, quin potius impossibile, perturbationum vitiis carere quemquam. Eodem quoque magistro, se reliquosque monebat, non verbis tantum, sed corde Deum esse orandum: nam, ut idem ait: Melior quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, ac serenitate, et spirituali hilaritate, quam totius Psalterii cum anxietate cordis, atque tristitia. His scilicet gradibus perfectam conjunctionem cum Deo videbatur assecutus. Humilitatis autem, sicuti et charitatis erga alios, super quam dici queat, studiosissimus erat. D

tum exemplo,

6 Hinc sicuti facto, ita quoque voce, familiarissima habebat illa verba, quibus Ambrosius Augustini magister, Demetriadem virginem olim instruebat; Multum, aiebat, ad roborandam dilectionem valet, cum secundum doctrinam Apostolicam invicem se homines honore præveniunt; et alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjecte, et nesciunt tumere prælati; cum et pauper divitem non sibi dubitat anteferre, et dives pauperem sibi gaudet æquare; cum et sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, et pauperes non extolluntur de communione naturæ; cum denique non plus tribuitur magnis opibus, quam bonis moribus, neque major ducitur phalerata iniquorum potentia, quam rectorum inhonora justitia.

ad perfectionem excitans

7 Et quia familiares illi erant parabolæ ad imitationem Christi, tam in publicis concionibus, quam privatis colloquiis, cum crebro illud Apostoli ad Galatas: Alter alterius onera portate, inculcaret, cervorum similitudinem ex sancto Augustino quæst. 71 proponebat: Sicuti enim de cervis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuarum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent, ita ut posterior in anteriorem cervice projecta caput collocet; et quia necesse est, unum esse qui ceteros præcedat; nec ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicitur, ut lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit, post omnes recedat, et ei succedat, cujus ferebat caput, cum ipse præiret: ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. E

pro Ecclesia et Ordine in diversis regionibus strenue laborat.

8 Ita ille. Qui quando remissiores aliquos in monasteriis videret in disciplina servanda, ne videretur ex rigidiore reprehensione aliquo modo in fraternam charitatem impingere, consueverat, magna modestia illud ejusdem Augustini ad plebem Hipponensem in memoriam revocare: Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. Profuit pluribus Prædicatoriæ familiæ sacris domibus, tam in patria, quam extra: in patria autem plurimorum monasteriorum fuit ipse fundator, ex quibus præstantissimi sanctæ Ecclesiæ prodierunt operarii. Bosnensibus etiam partibus, quæ a Manichæis *l* non ita pridem e Græcia atque Thracia scatentibus miserandum in modum devastabantur, verbo et exemplo, Apostolicam navavit operam, eximio operæ pretio. Sed ad Italicas partes, superiorum jussu translatus, prædicatione verbi Dei, morumque sanctimonia, Christi bonum odorem, magna suæ Dominicanæ familiæ existimatione, se gessit; præsertim cum per ea tempora, infelicissima Italicarum rerum esset conditio, propter pestiferas Guelphorum et Gibellinorum *m* factiones, quibus nihil tetrius humanum genus ab orbe condito pertulerat. F

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Tragurium, vulgo dictum* Trau, *est urbs episcopalis Dalmatiæ sub archiepiscopatu Spalatensi, jacetque in ora maris Adriatici, et in insula ejusdem nominis, quæ ponte jungitur continenti, ut geographi passim tradunt.*

b *Plinius lib.* 3 *Historiæ naturalis cap.* 22 *in Liburnia meminit de populo, qui Issæi appellantur. Joannes Lucius lib.* 1 *de regno Dalmatiæ et Croatiæ cap.* 1 *et* 5 *hanc gentem fusius recenset.*

c *Plinius loco mox citato testatur, Tragurium præsertim marmore notum esse.*

d *De verosimili nativitatis tempore non improbabilem conjecturam in Commentario prævio num.* 34 *proposuimus.*

e Sicum *est civitas Dalmatiæ antiquæ nunc excisa, cujus rudera in littore maris Adriatici inter Tragurium et Salonarum ruinas cernuntur. Inde incolæ* Sicenses *vocantur.*

f *De hac S. Margareta Majores nostri ad diem* XXVIII *Januarii egerunt.*

B g *Acta S. Cunegundis istius seu Kingæ ad diem* XXIV *Julii, tomo* V *istius mensis a pag.* 661 *in Opere nostro illustrata sunt.*

h *Bela IV rex Hungariæ in locum patris sui Andreæ successit anno Christi* 1235, *et anno* 1275 *ex hac vita migravit.*

i *Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1241 *num.* 22 *et sequentibus hanc Tartarorum in Hungariam irruptionem ac Belæ regis fugam refert.*

k *Sanctus Dominicus hoc loco vocatur Goth-Alanus origine, eo quod forte in Hispania prodierit ex stirpe Gotthorum et Alanorum, qui olim Hispaniam invaserant. Suntautem Alani gens Gotthica, ut Procopius Cæsariensis lib.* 1 *Histor. Goth. sub initio testatur. Quale fundamentum habeat hæc Goth-Alana S. Dominici genealogia, die sequenti in Actis ejus dicemus.*

l *De novis hujusmodi Manichæis legi possunt ea, quæ in Commentario prævio ad Vitam S. Petri martyris die* XXIX *Aprilis, tomo* III *istius mensis, pag.* 679 *diximus.*

m *Hæc nomina indita sunt duabus famosis factionibus, quæ Italiam dissidiis et intestinis odiis repleverunt. Guelphi vocabantur, illi, qui Romano Pontifici favebant; Gibellini autem, qui Fredericum imperatorem sequebantur, ut videre est apud Petavium nostrum in Rationario temporum part.* 1, *lib.* 9, *cap.* 1, *ubi de hac re vetera auctorum testimonia in margine assignat.* C

CAPUT II.

Promotio ipsius ad episcopatum Zagrabiensem, stupenda quædam miracula et variæ virtutes.

Post multos labores in Hungaria candidatus

Verum enimvero, qui Italiæ, extremis malis immersæ, zelo Apostolico maturam opem attulerat, Hungarico regno, ex summa felicitate ad imum miseriarum declinanti, divina dispositione opitulaturus, evocatur ex Italia, et ipsam Dalmaticam patriam deserere cogitur. Etenim deficiente sanctorum regum prole mascula, per trecentos annos in Pannoniis inclyta, regnicolæ in partes divisi, sacræ coronæ decus, armorum vi potius, quam sacrarum legum temperamento, Bohemicis, Bavaricis, Andegavensibusque principibus, tamquam per femineum sexum ex Hungarico stemmate descendentibus, obtrudebant. Andegavensium porro jus, utpote reliquis omnibus potius, Romanus Pontifex a saniori parte Ungarorum sollicitatus, atque etiam eo jure, quo Stephanus Ungarorum Apostolus, a Sede Apostolica, coronam et regium nomen prius obtinuerat, nec non et eo, quo postea idem rex, regnum sancto Petro perpetua donatione consecrarat, sacrata tuebatur auctoritate. A JOANNE TOMCO.

a Benedicto XI Papa, coram quo duo insignia miracula

10 Qua tempestate, cum Bonifacio octavo *a*, qui Nicolaum *b* cardinalem Ostiensem legatum destinarat in Hungariam, Benedictus decimus, appellatus undecimus *c*, post tertium annum a decimo tertio seculo Christiano, ex Prædicatorum familia lectus, vir pietatis eximiæ, in sede Petri suffectus esset; cumque eodem tempore ecclesia Zagrabiensis *d*, totius Hungarici regni amplissima, ob translatum Michaelem ejus decimum quintum præsulem, ad Strigoniensem archiepiscopatum, solatio pastoris esset destituta, Benedictus, ut tantæ ecclesiæ præsulem aptum præficeret, qui vulneribus Hungaricis etiam E medicina Apostolica prodesse valeret, in Augustinum, quem in sacra Dominici familia diu collegam habuerat, conjecit oculos, eumdemque Romam evocatum, vel reluctantem, pastorale munus subire coegit *e*: cum quo dum familiarius, pro priori consuetudine, et germanitate morum ageret, eidemque in primo ad se accessu, manum valetudinariam salutationis ergo porrigeret, ubi primum ab hospite tacta, et pio osculo signata fuit, absterso statim dolore, osculata manus, vires integras, majori aliorum quam Pontificis, cui virtus Augustini probatissima erat, admiratione, recepit.

patrasse fertur,

11 Aliud quoque non minus mirandum contigit; etenim cum summus Pontifex jure Christiani hospitii, eumdem mensæ suæ admovisset, eidemque aliquot aviculas *f* tamquam ex itineris ærumnis debilitato, curasset apponi, ille vero observantiæ regularis instituto, quo Dominicanis fratribus perpetuo carnium usus interdicitur, tenacissimus, aliquamdiu hæsitabundo similis, ab illorum tactu abstinendo, cordis intimi affectu Dei opem implorasset; en aviculæ assæ, tamquam e nido, ex patina apposita, omnibus F obstupescentibus evolantes, divina metamorphosi, totidem pisces assos in eodem vasculo, loco sui reliquerunt.

episcopus Zagrabiensis consecratur, ubi FF. Prædicatoribus cœnobium condit.

12 Hinc Pontifex confirmatus in antiqua opinione, quam pridem in communi palæstra, de sancto Viro conceperat, eumdem manibus suis supremo sacerdotio decoratum, ad Zagrabiensem gregem destinavit. Cui dum præesset, sollicitus pastoris curam, et accuratissimi patris affectum, magno illius ecclesiæ incremento, comprobavit. Prima tamen illum sollicitudo tenuit, ne quamvis episcopus, quidquam de regularis vitæ præscripto remitteret. Inde prope cathedralem suam, a fundamentis erecta ecclesia, quam sanctissimorum præsulum normæ sancto Nicolao dicatam voluit, eidem Dominicanorum fratrum monasterium adjunxit, quibuscum, totum id temporis, quod a pontificali munere sibi supererat, in conversatione charissimorum fratrum pie transigebat. Quibus etiam plura alia loca intra suæ diœcesis terminos extruxit, ut quamdiu illam lustraret ex officio, ex inolita sibi consuetudine, ad illos divertendo, et spiritui refocillando intentus, monachus esse posset. Quam

porro

A JOANNE TOMCO.

porro Deo hæc Augustini consilia probarentur, facile patuit. Cum enim locus, in quo prope cathedralem ecclesiam monasterium extruxerat, aquis salubrioribus indigeret, eo quod fluviolus præterlabens, mineralibus qualitatibus inficeretur, positis aliquando genibus, et simul cum fratribus implorato divino subsidio, manu sua effossa exigua scrobe, in latere proximi tumuli, saluberrimæ aquæ fonticulum elicuit; qui ad hodiernum usque diem, a fidelibus avide potatus, ob salubritatem æque animæ atque corporis, Augustini nomen retinet.

et cum observantia regulari

13 Aliquando a quodam ex suo clero interrogatus, cur ita frequenter ad monasteria sese reciperet episcopus, cujus esset in medio populorum semper inveniri, respondit; idem etiam a magno Augustino episcoporum maximo, non solum factitatum, sed etiam in libro, quem Manualem, tamquam semper manibus terendum, inscripsit, ejusmodi verbis commendatum: Fuge, o homo, paululum occupationes tuas, et abscon-de te modicum a tumultuosis cogitationibus tuis; vaca aliquantulum Deo, et paululum B requiesce in eo, intra cubiculum mentis tuæ; et exclude omnia præter Deum, et quæ valent ad quærendum eum, et clauso ostio quære eum. Ita ille, qui talia sacra loca episcoporum hospitia itinerantium appellabat subdens: sicut vitator itineris labore fessus, divertit recreandus ad publica hospitia, ita pastor animarum, ad religiosa receptacula.

conjungit curam pastoralem;

14 Ceterum quoad opus pastorale, nullibi operam suam desiderari passus est umquam, præsertim cum ea tempestate maxime deformis existeret facies ecclesiæ Zagrabiensis; quippe quæ sexaginta ante annis extrema fuerat a Tartarorum colluvie perpessa, qui eo Septemtrionali Asia per Muscoviam, Russiam, Poloniam, Ungariam inundantes, Pannonias omnes, et Dalmatiam ipsam ad mare Adriaticum usque, pulso rege Bela cum primatibus, uti supra innuimus, omnia ferro, flammisque devovendo, inaudita crudelitate regnum universum colonis evacuaverant, iis exceptis, quibus fuga sibi consulere licuit *g*.

in quo munere ecclesiam Zagrabiensem restaurat,

15 Qua occasione devastata etiam ipsa Zagrabia, vix aliqui sacerdotes, antiquorum litteralia monimenta, in sacrario Zagrabiensi conservari solita, ad Arbensem *h* insulam transferendo flammis subtraxerant; unde et Zagrabiensis ecclesia (opus sanctissimi regis Ladislai *i*) cum adjacenti C canonicorum monasterio jacuit, apside majori excepta, ferme eversa. Et licet post Tartarorum discessum, Philippus undecimus illius ecclesiæ præsul, eamdem restaurare aggressus esset, (vir publici boni amantissimus, utpote qui et castrum Medued appellatum, in monte Zagrabiæ imminenti, perfugio cleri et incolarum, sacris pecuniis a fundamentis excitaverat, civitate proxima Montis Græcensis muro minime adhuc obsepta:) tamen vix fundamentis ecclesiæ exsurgentibus, ad Strigoniensem *k* sedem translatus, opus majori spe, quam effectu, cœptum, imperfectum reliquerat.

sacra supellectile ornat,

16 Timotheus attamen ejus successor, ingenti conatu, intermissum opus quamdiu vixit ad summam promoverat altitudinem, eamque insigni opere elaboratam, (prout ejusdem gentilitia stemmata posteritati sunt argumento:) nec solum muris exstruendis, æternum laudabilem operam navaverat, sed et diversis aureis, argenteis, ac aliis pretiosis ornamentis sacram supellectilem instruxerat, prout vetera Zagrabiensis sacrarii monumenta testantur. Atque utinam Antonius, D et Joannes, unus post alium successores, optimi Timothei institissent vestigiis; et non potius paratis dilapidandis, ipsoque Meduedensi castro, beneficio dicam, an verius maleficio suorum consanguineorum, et animæ propriæ, alienando obiissent inglorii, Joannes præsertim; unde inter illum et cathedrale capitulum, lites ingentes exortæ, in arma et in apertas persecutiones erupere, magno detrimento nobilissimæ ecclesiæ, nisi dextra Domini vitam ejus anno salutis MCCXCV præcidisset.

et cleri sui mores

17 Curavit optimus successor Michael, prædecessoris mala corrigere; adeo ut nec ab armis sumendis, pro defensione suæ ecclesiæ, et quiete totius regni abstineret; præsertim, cum per ea tempora, Carolus, Caroli, Claudi appellati, regis Siciliæ filius, ex Maria filia Stephani regis, Belæ quarti filii, prognatus *l*, ad coronam aviticam ab Ungaris evocatus, prope Zagrabiam cum Andrea rege, Veneto dicto *m*, coactus fuerit armis infeliciter decertare. Sed et ipse, ut diximus, ad Strigoniensem evocatus ecclesiam, ingentes curas et labores vix alteri, quam Augustino sibi suffecto, tolerandos reliquit. At is, cum E vulnera suæ ecclesiæ perniciosiora, quam quæ humanis medicamentis curari possent, animadverteret, ad opem divinam confugiens, clero, in seculares mores, ne dicam militarem inhumanitatem, silvescenti, sanando vires intendit omnes.

variis modis corrigit.

18 Forma itaque gregis factus, nil præscripsit observandum, quod ipse muneris omnibus non præstaret, facto semper jussa præveniendo. Mira affabilitate ferociores, humanitate petulantiores, precibus elatiores, muneribus, honoribus promptiores, in sui observantiam et amorem, ac proinde ad divini cultus affectum, et sacrorum munerum frequentiam ita redegit, ut sacris precibus horarum canonicarum persolvendis, ex Dominicanæ familiæ ritu, in clerum, armis tractandis, magis quam sacerdotali psalmodiæ assuetum, introductis, illarum usum, hucusque posteritati transmiserit. Dignitates, quas columnas *n* capituli appellant, ab archidiaconis, cathedrali nempe, et ruralibus majori præeminentia adauctis, canonicos in diversas classes distinxit. Præbendarum clericorum numero addito, iis omnibus ex sua episcopali mensa supplevit necessaria. Unde clerum, nullis Septemtrionalibus amplissimis ec- F clesiis secundum, numero, disciplina, proventibus spectandum imprimis, ad præsentia usque tempora instruxit, ornavit, atque ditavit.

ANNOTATA.

a *Bonifacius VIII Pontifex die* XI *Octobris anno* 1303 *ex hac vita discessit, de quo apud Raynaldum, aliosque obvios historiæ ecclesiasticæ scriptores plura possunt videri.*

b *Iste est Nicolaus, cognomento Bocasinus, qui ex Ordine Prædicatorum ad dignitatem cardinalitiam evectus est, et deinde non diu post mortem Bonifacii VIII, sub nomine Benedicti X vel XI Cathedram S. Petri ascendit. Scriptor Actorum hoc loquendi modo non satis clare exprimit, hunc Bonifacii VIII successorem esse eumdem cum isto Nicolao, quem Bonifacius Papa in Hungariam delegaverat. Nihilominus præter alios auctores Joannes Thuroczius in Chronicis Hungarorum cap.* 86 *diserte id explicat his verbis:* Eodem tempore frater Nicolaus de Ordine Prædicatorum, episcopus Hostiensis Cardinalis, Apostolicæ Sedis auctoritate suffultus, in Hungariam pro Karolo advenit;

qui

A qui Budæ residendo diebus aliquot, videns se nihil posse proficere, reversus est in curiam, et ibi mortuo Bonifacio VIII, in summum Pontificem eligitur et creatur, et Benedictus appellatur.

c *Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tomo* 3 *pag.* 550 *et sequente rationem hujus appellationis ac diversi numeri ita reddit :* In memoriam beneficiorum, a Bonifacio VIII acceptorum, *Nicolaus Pontifex electus* nomen Benedicti sumpsit, quod in baptismate Bonifacius acceperat, dictusque est hujus nuncupationis undecimus, licet decimus dicendus esset, cum ex dictis Joannes Veliternus, qui sub nomine Benedicti X Pontificatum invasit medio seculo undecimo, fuerit antipapa : quia tamen ab omnibus hujus temporis scriptoribus dicitur Benedictus undecimus, et nos ita nominandum censemus.

d Zagrabia, *aliis* Zagabria, *incolis* Zagrab, *est munita Hungarici regni civitas, et episcopalis sub archiepiscopo Colocensi, jacetque in confiniis Sclavoniæ et Croatiæ, ut in mappis geagraphicis videre est.*

e *Cum Benedictus XI mense Octobri anni* 1303 *summus Pontifex electus fuerit, et Sedem S. Petri uno dumtaxat anno tenuerit, prærterpropter colligimus, quo tempore* B. Augustinus *ab illo ad cathedram Zagrabiensem evectus fuerit. Michas Madius de Barbazanis scriptor istius temporis, apud Joannem Lucium post opus de regno Dalmatiæ et Croatiæ editus, ibidem pag.* 372 *Benedicti Papæ XI mortem et simul promotionem Beati nostri sic memorat :* Perusii moritur *(nimirum Benedictus XI Pontifex)* in miraculis coruscando, ordinansque Augustinum de Tragurio episcopum Sagrabiæ.

B

f *De hoc portentoso miraculo avicularum assarum, quæ subito ex pastina apposita evolant, in Commentario prævio num.* 27 *et* 28 *sat multa diximus.*

g *De hac horribili Tartarorum incursione in Hungariam consuli potest magister Rogerius, testis oculatus, qui inter scriptores Rerum Hungaricarum, anno* 1600 *Francofurti editos, a pag.* 177 *eam calamitatem pathetice describit.*

h Arba, Arbe, *vel* Arbum *est insula Illyrici, in qua situm est oppidum parvum ejusdem nominis, quæ quatuor passuum millibus distat ab ora Liburniæ, et ab Oriente in Occidentem ad quindecim millia passuum extenditur.*

i *Hujus sancti Regis Acta ad diem* XXVII *Junii, tomo* V *istius mensis a pag.* 315 *illustravimus.*

k *Strigonium, vulgo dictum* Gran, *est urbs archiepiscopalis Hungariæ, sita ad Danubium, a quo flumine bifariam secatur comitatus ejusdem nominis, qui ab illa primaria urbe appellationem suam accepit.*

C

l *Antonius Bonfinius decade* 2 *libro* 9 *Rerum Hungaricarum apud nos pag.* 307 *hanc Caroli genealogiam distinctius exponit.*

m *Laudatus Bonfinius loco proxime citato causam hujus cognominis explicat, et ibidem genealogiam, variamque istius Andreæ fortunam describit. Videri etiam potest Joannes Thuroczius in Chronico Hungarorum cap.* 82, *ubi Andreæ coronationem, ac originem narrat.*

n *Arbitror, canonicos dignitate præditos metaphorice appellari columnas, quia capitulum illis, veluti columnis nititur ac fulcitur.*

CAPUT III.

Exhortatio, quam ad clerum suæ diœcesis instituisse dicitur.

Synodicis congregationibus quolibet anno institutam disciplinam roborando, et, ut verbo pariter et exemplis pollebat, uberrimos fructus Apostolici zeli in horrea magni patris-familias referebat. Aliquando congregata diœcesana synodo, ubi multa circa sacras leges observanda disposuisset; ex illo Euangelii themate : VOS ESTIS LUX MUNDI, ita fertur *a* clerum suum allocutus : « Quoniam, fratres carissimi, divina adjuvante » gratia, nequaquam ad eos est mihi sermo, » quorum viæ tenebræ et lubricum, ut divinus » occinit Psaltes, sed cœlesti favore et Spiritu » sancto assistente, vos alloquor, qui tamquam » stellæ perpetuæ æternitatis inter procellas » turbatissimi maris hujus vitæ prælucetis, ut » luce vestra, nulla eclipsi tenebrarum offusa, » naufrago peccatori ad portum salutis iter ostendatis, dum ex hodierno Euangelio nobis omnibus Christi sacerdotibus insinuantur illa » verba : VOS ESTIS LUX MUNDI, &, LUCEAT LUX » VESTRA CORAM HOMINIBUS; expedit, ut breviter inquiramus ex consideratione materialis » cerei, luci præstandæ præparati, qualem esse » conveniat euangelici sacerdotis conditionem, ut » illa evitare possimus, quæ lampadi ardenti et » irreprehensibili, per sacerdotem nobis in fonte » baptismali consignatæ possint obesse, et Christo jubenti, ut luceat lux nostra coram hominibus, satisfacere valeamus.

A Joanne Tomco. In synodo diœcesana adhortatur clericos suos a

E

20 » Lampas itaque cerea [quod] materia » confletur, est certum. Hæc porro materies nequaquam ex mineralibus, vel aliis subterraneis » fodinis obscurissimorum fœtentissimorumque » lacuum, inferno proximorum, colligitur; sed » ex speciosissimis æque ac nobilissimis floribus, » quos amplissimo sinu hilari pompa tellus cœlis » ostentat. Hinc sacerdos euangelicus nequaquam ex quolibet sexu membrorumque deformitate; sed ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, religione Catholica, omni labe carens infamiæ, nulla morum deformitate compaginatus, » exemplo Danielis et sociorum puerorum ex » semine regio, in quibus nulla esset macula, » cœlestibus mysteriis tractandis efformatur. » Nec satis habetur, ut cera colligatur ex iis, » quos diximus, speciosissimis nobilissimisque » exhilaratæ terræ floribus, in eum finem, ut fiat » apta lampadi conficiendæ; sed nobilitati et » speciei florum suavitas accedat, est necesse. » Pari ratione non sufficit, ut ex nobiliori sexu, » legitimis natalibus, religione Catholica, omni » labe nefaria carens, morum nulla deformitate » compaginata efformetur sacerdotalis lampas; » sed iis omnibus accedat, est necesse, suavitas » mansuetæ naturæ, piæ educationis fragrantia, » ut Christi bonus odor esse possimus : etenim » ipsemet Daniel cum sociis, quantumvis ex genere regio et sine macula cognoscerentur, » ad ministerium regis admissi fuissent nequaquam, nisi omni sapientia et disciplina fuissent » edocti.

ut aliis præluceant bono exemplo,

F

21 » Et quamvis ex nobilissimis, speciosissimis ac demum floribus materia ceræ decerpatur, » non tamen lampadi componendæ fit apta, nisi » prius et lingua apum purgetur, stillantiumque » labellorum ejusdem animantis perficiatur industria : animantis, inquam, natura castissimi, » occupatione operosissimi, legum et disciplinæ » tenacissimi. Sic et sacerdos, non quia natalibus præstet et moribus, lampadi euangelicæ » concinnandæ censetur idoneus; sed castimonia » purissimæ vitæ excellat, exquiritur : etenim » cum nequaquam inter ministros Babylonicæ » aulæ, sed inter aulicos immaculati agni sit adscri-

castitatem servent,

A JOAN. TOMCO.

» adscribendus, ejuscemodi virtute debet insigniri, cum de talibus scribatur : Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit. Et quoniam is debet esse sacerdos, qui facie ad faciem negotium omnium maximum, salutem nempe generis humani, tractaturus est cum Deo, hac puritate polleat, necessum est : ipsa enim veritate testante, mundi solummodo corde Deum possunt intueri; cujus rei præstantiam penetravit qualicumque modo cæcutiens olim gentilitas, quæ curam succendendorum torrium ad aram deæ, ut appellabant, Vestæ *b*, decreto Romani senatus virginitate præstantibus puellis censuit committendam.

otium vitent.

22 » Industria item apis post puritatem mentis et corporis imitanda est sacerdoti, otii vitandi gratia, nam juxta tritum illud : Innumera mala docuit otiositas. Hinc maximus Doctorum noster Hieronymus Rustico monacho normam religiose vivendi præscribens : Semper, inquit, aliquid facias, ut te diabolus occupatum inveniat. Nimium indecens est, videre hominem ecclesiastico muneri adscriptum, sacro charactere insignitum, otiose per plateas spatiantem, meliorem partem diei in domibus magnatum, in tribunalibus litigantium, et, quod pejus est, inter greges compotantium dies integros traducere, suppresso talento virtutis sibi a Deo communicatæ; sed et (quod pessimum) abligurieundo prodigendoque proventus ecclesiasticos, legatos sibi pietate fidelium, sæpius imminutione proprii patrimonii, præjudicio prolis et posteritatis, qua nihil carius in humanis.

manibus laborent,

23 » Revocate vobis in memoriam, fratres mei, Apostolos, primos Christianæ scholæ doctores, labore manuum victitasse. Unde Paulus, quamvis omnium ecclesiarum solicitudinibus occupatus totus, non erubescit id fateri; quin etiam, ut habemus in Actis Apostolicis, gloriatur coram Ephesina ecclesia, talis industriæ exercitio, dum ait : Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Et mox exemplo suo præcipit idem a reliquis fidelibus factitandum, dum subjungit : Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.

reditus pie impendant,

24 » Nec audiendi, qui dicunt : Sat bene provisus et ditatus sacris proventibus non eget, ut labore manuum sibi consulat : etenim Apostolus expresse id faciendum præcipit, ut habeamus, unde tribuamus necessitatem patienti. Tribuimus ex bonis ecclesiasticis, ut aiunt. At illud est officii, respondet Apostolus, imo et debiti, cum ait ad Corinthios : Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur, ut inter dispensatores fidelis quis inveniatur; id est juxta Patrum intepretationem, ut ita fideliter utamur proventibus Ecclesiæ; quatenus quidquid necessitati nostræ (necessitati dico; non opulentiæ, non prodigalitati, non luxui, non popinis, non scortis) superest, totum teneamur Christi fidelibus, nostris fratribus, tamquam ejusdem corporis membris, utpote egentibus, erogare; tum quia æqua ratione pertinent ad illos, sicuti ad nos; tum potissime, ut refrigerio et saluti illorum piorum, a quibus tales proventus instituti fuere, sit consultum.

eleemosynas tribuant pauperibus,

25 » Fur alioqui habendus quilibet nostrum, et patrimonii Christi fraudator, æternisque cruciatibus mancipandus, donec minimum quadrantem solvat ibi, ubi nullus, nisi per immortalitatis pœnas, invenitur solvendi modus. Idcirco, ut eleemosyna sacerdoti prosit, sacerdotali manu parandam illam requirit Apostolus. Quamobrem Hieronymus noster ditissimi alioqui heres patrimonii, ad Marcum Celedensem scribens, exactissime a se Pauli præceptum exsecutum testatur, cum ait : Nihil alicui præripui, nihil otiosus accipio; manu quotidie et proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo scriptum esse : Qui autem non operatur, nec manducet. Hæc Hieronymus. At inquiet aliquis : Omnium artium ignarus habeor. Respondeo : Scribere, legere quicumque novit ecclesiasticus; satis gnarus habetur, unde tali labore atque industria, tam publico quam privato bono consulat. Veteres illi monachi, eodem Hieronymo teste, neminem intra suum consortium, operis alicujus ignarum, admittebant.

leges ecclesiasticas

26 » Penes castimoniam, et industriam, tertia dos naturalis apum, sequitur legum observantia, et disciplinæ tenacitas, quibus apes unicum suum principem prosequuntur, venerantur et colunt, cujus imperio ita sunt addictæ, ut pro illo vitam prodigere minime timeant, et qua sui principis hostem, justum credunt ferire, inde sibi honestum ac necessarium putant perire, prout ipse Maro de iisdem cecinit :

» ...Pulcramque petunt per vulnera mortem.

» Et vir servitio cultuique Regis regum dicatus operæ pretium censebit, postquamm ille sophisticis excogitationibus prælati sui, ejusdem Regis regum præsentiam exhibentis, leges et jussa pro sua libidine distorserit, et interpretatus fuerit, expresso legum et legislatoris manifesto contemptu, innumeris inventionibus exceptionum et appellationum, ut vocant, contumacis et refractarii capitis sui obstinationem fulcire? Quid, quod jubeat Apostolus, obediendum dominis et præpositis etiam dyscolis?

exacte observent,

27 » Pudeat Christianum sacerdotem, inter ethnicos eam fuisse erga unius Pythagoræ dogmata æstimationem et reverentiam, ut sola responsione, MAGISTER DIXIT, illius mandatis contra quorumcumque aliter suadentium auctoritatem acquiescerent! Pudeat nos discipulos illius Magistri, qui gloriam suam in eo collocatam voluit, dum scholam inter homines exercuit, ut obediens ad mortem usque cognosceretur; pudeat, inquam, nos, prælatis nostris per fas et nefas velle præesse! Mitto hic clericos causarum solicitatores, litium immortalium incentores; eos denique etiam sæpe judices litigantibus patrocinantes, cum apud ethnicos advocatorum patrocinium, creditum fuerit permissum latrocinium; clericos, inquam, qui suæ vocationis obliti, turpis lucri gratia, gratiam æterni et numquam deficientis lucri, sponte, utpote satis ab Ecclesia ditati, remittunt et respuunt, frustra sacris canonibus, et ecclesiasticis statutis reclamantibus.

passiones suas

28 » Jam satis apis studium circa materiam ceræ cognovimus. Non tamen hanc ideo adhuc

» aptatam

A „ aptatam lampadi ceræ formandæ invenimus,
„ cum requiratur ulterius, ut ab apum industria
„ ad purgationem ignis et roris aëri pruinarum
„ accedat temperamentum. Quæ in sacerdote ni-
„ hil aliud sunt, quam passionum veteris homi-
„ nis mortificationes juxta ejuscemodi experien-
„ tiæ magnum doctorem, regium Vatem, dicen-
„ tem : Transivimus per ignem et aquam. Unde
„ et ipse ethnicus poëta de heroë virtutibus om-
„ nibus exculto cecinit :

„ Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit.

sæpe doment,

29 » Perfecta jam cera sit licet eo, quo vidi-
» mus, modo, necdum tamen in ceream lampa-
» dem, nisi per novum ignem conflatur. Pari
» modo sacerdos euangelicus nequaquam unica
» mortificatione veteris Adæ in lampadem sacro
» altari adhibendam coalescet, nisi mortificatio-
» num artibus iteratis et numquam depositis.
» Hinc laudatus hujus artis magister aiebat :
» Propter te mortificamur tota die, æstimati su-
» mus quasi oves occisionis. Et ille alius sa-
» cerdotum doctor, mortificationem Jesu Christi
B » jugiter in corpore nostro portare nos jubet.
» Quod penitus introspexit ethnicus poëta ab
» Hieronymo nostro relatus illis verbis : Tan-
» tum profeceris, quantum tibi vim intuleris.

orent, et litteris studeant,

30 » Et ut cera perfectionem suam per ignes
» assequatur, non tamen luci præstandæ sufficit
» per se sola, nisi ex candida bombyce lychnus
» intercedat, id est, nisi purissimæ orationis
» studio sacerdotale cor instruatur : ut enim tri-
» ni fili intorsione lychnus pro lampade cerea
» instruitur, ita sacerdotis oratio tunc vero lu-
» mini adaptatur euangelico, cum ad mentalem
» orationem vocalis, et utrique spectatæ vitæ
» decus accedit, de qua sancti Patres illud :
» Oportet semper orare et numquam deficere,
» jure merito interpretantur. Notandum tamen
» est, hæc tria fila nisi arte intorqueantur, ly-
» chnum nequaquam perfici ; quare hæc intorsio
» triplicis orationis censetur sacerdotalis instru-
» ctio et sapientia ; et illa quidem non facilis ali-
» cujus eruditionis, aut doctrinæ superficialis,
» sed diutina tortitione labiorum quæsita, cum
» juxta sacrum illud Scripturæ dogma : Labia
» sacerdotis custodiunt sapientiam, et legem
C » requirent ex ore ejus. Sane ex cujus ore re-
» quirenda est lex, singulari prudentia et scien-
» tia debet insigniri, præcavendo, ne contra se
» latam illam sententiam experiatur : Quia tu
» repulisti sapientiam et scientiam, et ego te
» repellam, ne sacerdotio mihi fungaris.

caritatem

31 » Denique quam vim ad tenebras expel-
» lendas lucemque præferendam cerea lampas nu-
» meris omnibus absoluta obtinebit, nisi ignea
» flamma accendatur? Ita quid sacerdoti omnes
» enumeratæ dotes, earumque præstantia confer-
» re poterunt, nisi caritatis accendantur ardore?
» Qua in re diligenter observandum est, carita-
» tem effective exerceri posse minime absque pro-
» prii incommodi sensu, eodem prorsus modo,
» quo cerea lampas accensa, non nisi suimet im-
» minutione splendescit. Sed heu ! quam pauci,
» non quidem cum sacerdote, sed cum simplici
» diacono Laurentio possunt exclamare, et pro-
» rumpere in illud : Igne me examinasti. Quare?
» Quia disperserat, et dederat pauperibus ; nec
» solum suarum rerum erogatione, sed etiam pro-
» priæ vitæ incommodo. Idcirco audacter et lætus
» subjunxit : Et non est inventa in me iniquitas.

A JOANNE TOMCO.

et liberalitatem

32 » Immittere manum in crumenam, ut
» disperdamus nostra propter pauperes, adu-
» ritur manus humano more loquendo. Non ne-
» go, non inficior. At per ejusmodi ignem exa-
» minatus est Laurentius, et introductus est
» in refrigerium. Detractis propriis vestibus in
» ipsa hiemis asperitate, ut nudus operiatur,
» urit et adurit seculare malum ; sed ex tali
» adustione Martinus noster, catechumenus ad-
» huc, Christum loquentem audit : Martinus ad-
» huc catechumenus hac me veste contexit. Urit
» et adurit nuditas Franciscum, ut egenis suc-
» currat ; sed ejusmodi corpusculo nudo stigmata,
» gemmis et auro pretiosiora, impressa, specta-
» cula sunt Deo, angelis et hominibus.

erga egenos exerceant,

33 » Adurit manum largitas effusissima, qua
» Stephanus Ungarorum rex et apostolus post
» innumeras ecclesias a fundamentis excitatas
» et munificentissime ditatas, ut populos ad cau-
» lam Christi perductos contineret in Christia-
» nitatis officio, nulli petenti opem denegavit
» umquam ; sed illam liberalissime die noctuque
» habuit, ut aliquando irruente egenorum turba E
» inter tenebras in regem pientissimum, barbam
» quoque ipsi evellerent, stipem rapide pro in-
» nata importunitate et impatientia erepturi.
» Sed eamdem dexteram, reliquo toto corpore
» in cineres recidente, integram adhuc exstare,
» amplissimoque templo ab ipsa dextera denomi-
» nato, universæ Ungariæ cultui et venerationi
» haberi, ipsiusque sanctissimi regis gloriæ am-
» plissimum hoc omnium Hungaricarum partium
» templum, in quo consedimus, attolli, pretium
» est nequaquam manus adustæ ; sed illius he-
» roïs dexteræ, de quo regius Vates intonat :
» In memoria æterna erit justus. Et illud : Co-
» rona aurea super caput ejus, etc. Hinc et re-
» gale caput ejus auro gemmisque fulgidum ; sed
» memoria eximiæ sanctitatis, gloriæ, et hono-
» ris augustius, tutelare numen universi Hungari-
» ci regni, patriæ hujusce nostræ præsentaneum
» decus insidet aræ sacrosanctæ, sicut videtis.

et curent, ne lux, quam aliis præferre debent,

34 » Vidimus itaque, fratres amantissimi,
» qualitates sacerdotalis lampadis ; quæ, quia
» non sub modio, sed super candelabrum, ut ait
» Salvator noster, ponitur, etiam atque etiam F
» cavendum moneo, ne splendor ejus vento vel
» ab aquis, quibus tantummodo exstingui pot-
» est, aliquam patiatur injuriam ; sed juxta
» ejusdem Salvatoris præceptum, luceat omni-
» bus, qui in domo magni patris-familias exi-
» stunt. Est autem ventus, cujus injuriis sacer-
» dotalis lampas potest labefactari, terrenarum
» rerum solicitudo, cui cum renuntiaverimus ad-
» scribendi ecclesiasticæ militiæ, eo tempore ca-
» pillorum nostrorum præcisorum episcopali
» manu, terrena omnia rejecimus, et solenniter
» Dominum, partem hereditatis nostræ et calicis
» nostri adoptavimus.

terrenis curis

35 » Absque periculo splendoris nostræ lam-
» padis ad curas terrenas redire nobis non licet :
» etenim, sicut Hieronymus noster in hanc rem
» ad Nepotianum clericum loquitur, propterea
» vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Do-
» mini, vel ipse Dominus sors, id est pars cleri-
» corum est. Qui autem vel ipse pars Domini est,
» vel Dominum partem habet, talem se exhibe-
» re debet, ut et ipse possideat Dominum, et
» possideatur a Domino. Qui Dominum possidet
» et cum Propheta dicit : Pars mea Dominus,
» nihil extra Dominum habere potest. Quod si
» quidpiam aliud habere potest præter Dominum,

A Joanne Tomco.

» pars ejus non erit Dominus; verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars fieri non dignabitur.

cupiditate lucri temporalis,

36 » Ita ille, qui mox subjungit : Obsecro itaque te, et repetens iterumque moneo, ne officium clericatus, genus aliquod militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia; ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi : Cleri eorum non proderunt eis. Et paulo post (quod nisi ipse diceret, forte subticerem) ita prosequitur : Ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis. Natus in paupere domo et in tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio; novi et genera et nomina piscium; in quo littore concha lecta sit, calleo ; saporibus avium discerno provincias, et ciborum me raritas ac novissime damna ipsa delectant. Ita ille, ad cujus integram epistolam vos brevitatis gratia libenter remitto, cum tota de re clericali habeatur.

B

aliisque seculi negotiis

37 » Et ut adhuc melius nobis innotescat, quanto et nostro et omnium aliorum præjudicio, talibus ventorum injuriis splendorem sacerdotalis lampadis imminui permittimus, Romanus Pontifex Gregorius (et eo nomine noster etiam, quo illustrissimos ejus nepotes Frangipanicos dynastas, qui nuper, virtute fastis æternis celebranda, regnum Hungaricum regi suo, regemque regno, impia Tartarica feritate prope exstincto, vindicantes, cives nostri esse voluerunt) Homilia XVII in Lucam quid deploret, audiamus : Nullum, ait, puto, fratres carissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus; quando, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus; et quia eo ipso, quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet, majorem licentiam habemus ; susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum ; Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, et terrenis artibus implicamur. Hæc Gregorius.

C

aut carnis voluptatibus extinguitur.

38 » Nec vento curarum terrenarum, sed et aquis voluptatum carnalium funestatur sacerdotalis lampas, et miserandum in modum exstinguitur; ut merito sacerdotali nomine inclamet regius Vates : Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam; infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Etenim sacerdos voluptatibus carnis immersus, tamquam in luto aquarum multarum, non habet aliquam splendoris substantiam : amissa quippe puritate, qua sola divino dignatur intuitu, volutabrum immunditiarum efficitur; certum enim est, teste Apostolo, cum quis adhæret meretrici, unum corpus fieri cum meretrice; at si unum corpus fit cum meretrice, ergo nulla remanet substantiæ sacerdotalis eminentia, cum femina incapax habeatur sacerdotii euangelici : quinimo simpliciter polluta, vestalium Romanarum exemplo, ab aris repellebatur æternum, et crudelissimo mortis genere exstinguebatur.

39 » Sed ne vobis sermone meo tædium pariam, Hieronymum nostratem ex eadem epistola audiatis : Hospitiolum, inquit, tuum aut raro aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit, Ægrotanti tibi quilibet frater assistat, et germana vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si hujusmodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ, multas anus nutrit ecclesia, quæ et officium præbeant, et beneficium accipiant in ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio, quosdam convaluisse corpore, et animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus aut vidua visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas.

D

Hinc monet, fugienda esse mulierum consortia,

E

quæ plerumque periculosa sunt,

40 » Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolythus, si psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus ; nec calamistro crispent comas, sed pudicitia habitum polliceantur. Solus cum sola secreto et absque arbitro vel teste non sedeas. Si familiarius aliquid est loquendum, habet nutricem majorem domus, virginem, viduam, vel maritatam; non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Hæc conterraneus *c* nobis et presbyter Hieronymus, post quem, parentem meum Augustinum, tamquam proprio malo gnarum, quid periculorum feminea habeant commercia, vobis in exemplum adduco. Ille enim feminarum omnium, et in eis sororis, et fratris filiæ contubernium familiaritatemque constantissime evitavit; quippe qui diceret : Etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen, quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere.

c

memoratisque aliorum lapsibus,

F

41 » Et ut sermoni finem imponamus, illud identidem cum veritatis Magistro ex Euangelio inculco : Vide, sacerdos, ne lumen, quod in te est, tenebræ fiant. Judas sacerdos, Apostolus, quin etiam episcopus fuit; avaritiæ tamen vento lampade exstincta, episcopatum, apostolatum, sacerdotium et animam ipsam perdidit. Tertullianus doctor antiquissimus et doctissimus, levissimo vento invidiæ Romani cleri afflatus, tamquam stipula ante faciem venti, exstincta lampade, tenebris occidit æternis. Arius sacerdos Alexandrinæ ecclesiæ, vanitatis vento agitatus, quam pestilenti fumo post exstinctam lampadem euangelicam, orbem Christianum infecerit, plurium seculorum ruinæ testantur. Sergius monachus idemque sacerdos, luto aquarum multarum obruta lampade, teterrimum torrem, impurissimum Mahometem, tot regnorum et imperiorum eversorem (quod nulla terrarum pars ignorat) in orbem Christianum intulit.

clerum suum ad vigilantiam excitat.

d

42 » Hugonem *d* totius Germaniæ primatem Magdeburgensis ecclesia diu sanctissimum præsulem habuit, quem tandem, ludo carnis illudentem Deo, sibique, lutum infernalium aquarum maxime terribili in omne ævum modo ingurgitavit. Et quod non absque lacrymis experimur, vastitatem nuperrimam Hungariæ di-

» vinæ

A „ vinæ justitiæ rigor, ex fœtore trium impurissi„ morum præsulum, testimonio sancti viri, plu„ ribus adhuc viventibus cogniti, maturavit. Lu„ ceat ergo lux vestra coram hominibus, ut vi„ deant opera vestra bona, et glorificent Patrem „ vestrum, qui in cœlis est. Ita tamen, ut, qui „ stat, videat, ne cadat. » Ita suos allocutus traditur. Decreta porro synodalia mira dexteritate in mores induci curabat, jugum Domini esse suave probans innata sibi discretione et affabilitate, pretiosissimis dotibus majestatis episcopalis; adeo ut neminem asperioribus verbis turbatum a se recedere, quantum fieri poterat, pateretur; et, si aliquando desperatam alias humano judicio alicujus emendationem in melius acrioribus verbis perstringere cogebatur, id ea benignitate et verborum placiditate statim condiebat, ut desperatis etiam morbis medelam adinvenirent.

B

ANNOTATA.

a *Miror, illustrissimum biographum hic dixisse, quod Beatus tantummodo* feratur *ita clerum suum allocutus : si enim nobis persuadere voluit, hanc ipsam esse* B. Augustini *concionem, debuisset id prorsus asserere, et citare antiqua monumenta, in quibus illa inveniatur. Forte ex traditione vel instrumentis quibusdam noverat, similem exhortationem a beato Præsule ad clerum suum institutam fuisse, eique deperditæ suam talis argumenti substituit, ut ex stylo ac toto contextu conjici videtur. Vide Commentarium prævium num.* 26.

b *Hinc vulgo Vestales appellabantur.*

c *Sanctum Hieronymum sæpius supra vocat* nostrum, *vel* nostratem *et hoc loco* conterraneum, *quia erat in Dalmatia natus.*

d *Nullus hujus nominis præsul inter antistites Magdeburgenses occurrit. Referunt quidem Tilmannus Bredenbachius in collationibus sacris lib.* 8 *cap.* 15, *Tritthemius in chronico Hirsaugiensi, aliique auctores terribile exemplum de quodam Udone archiepiscopo Magdeburgensi; sed cum neque ullus istius nominis fuerit umquam inter illos præsules, Paulus Langius in chronico Citizensi, quod Pisto-*C *rius tomo* I *illustrium veterum scriptorum inseruit, et in Chronicis Numburgensibus, quæ Menckenius inter Scriptores rerum Germanicarum, præcipue Saxonicarum, nuper edidit, tomo* 2, *col.* 10 *et sequente, illam historiam ob varias rationes fabulis accenset. Woltherus Henricus Strevesdorff ex Ordine* S. Augustini *in serie archiepiscoporum Magdeburgensium pag.* 53 *et sequentibus eamdem fabellam pluribus argumentis refellit. Quapropter non facile credo, hanc narrationem tam antiquam esse, ut beatus Augustinus eam clero suo proposuerit. Quinimo hinc potius suspicor, Tomcum Marnavicium ex recentioribus chronicis vel scriptoribus nomine* B. Augustini *illam Hugonis vel Udonis Magdeburgensis antistitis historiam retulisse.*

CAPUT IV.

Pia illius gesta in episcopatu Zagrabiensi.

Erga pauperes et ecclesias munificus

Viscera charitatis erga omnes indigentes habuit effusissima perpetuo : neque enim, nisi necessariis sustentationi suæ, et familiolæ admodum exiguæ, servitio suo dicatæ, retentis, ex affluentissimo sacro proventu, reliqua omnia, Christi pauperibus, hospitibus et peregrinis, volebat esse communia. Quin etiam quotannis in publica concione coram clero et populo, accepti et dati rationem minutissimam et distinctissimam consueverat exhibere. Non defuit interim fabricæ cathedralis ecclesiæ a Timotheo, ut diximus, promotæ; quam licet ad suum ferme culmen perduxisset, nullibi tamen insignia gentilitia, aliorum more, sculpi, sicut nec sacræ supellectili, altariumque ornamentis, quibus omnibus munificentissime prospexit, incidi, vel assui permisit : cum diceret, imposturas esse ejusmodi memorias in iis, quæ Christi hæreditate, non gentilitio patrimonio, ex officio boni pastoris parabantur. Addebat insuper, rapinam committi sacrilegam quando personæ, Christi sanguine, et pauperum laboribus ditatæ, res etiam Deo per se dicatas, familiæ signis, et suis nominibus ac titulis insignirent. Nec tamen damnabat exempli boni gratia illorum prælatorum factum, qui vel proprio patrimonio, vel sobrietate, aut aliqua alia honesta industria quæsita donaria suis memoriis consignarent *a*. E

A Joanne Tomco.

a diœcesim suam pedes visitat, et multos ægros sanat,

44 Diœcesim suam, ab Oriente in Occidentem, sicuti etiam a Septemtrione in Meridiem dierum quinque itinerationis, invisit quotannis et plerumque pedester; neque in adeundis piorum domibus aliqua locorum distantia, asperitate montium, sive populorum ferocia, cessit laboribus umquam. Occurrebant illi pauperum, debilium, ac infirmorum turbæ: ii ex pastorali benedictione incolumitatem; illi ex largitate piæ dexteræ, vitæ subsidia imploraturi; quos omnes mira charitate exceptos, et sermonibus et factis expediebat paternis. Observatumque fuit, innumeri licet ad eum egentes accederent, neminem ferme umquam ab eo recessisse sine necessario subsidio. Illud quoque pro certo habitum est: cum tantæ profusioni redditus episcopales amplissimi licet, minime responderent, illius providentia nihil ipsi defuisse, cujus ope millia turbarum ex paucis panibus et piscibus, in desertis locis abunde quondam satiari consuevere. Hinc familiaris ex exiguo penu minus prompte sancti F Patris imperia ad succurrendum egenis exequentibus, inculcare solebat: Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem : justum autem inde cognosci prælatum, si Christi pauperibus, Christi sanguine parata prompte communicaret.

ad quorum solatium plantat salutiferam arborem,

45 Quoniam autem gratia curationum, quam ex illius dexteræ tactu, sive benedictione populi experiebantur, omnia passim loca etiam remotiora pervadebat, ipse humilitatis eximius cultor, talem declinandæ popularis auræ modum excogitavit, ut in meditullio ferme suæ ditionis, arbore tilia manu sua plantata, et fusis ad Deum precibus benedicta, suaderet populis, ejusdem arboris foliis pro remedio morborum uterentur. Et suasioni respondit ad preces sanctissimi Patris, misericordiarum Patris annuentia, eadem arbore integra viridique supra trecentos annos, inter assiduas ferme impiorum per ea loca excursiones, ramos saluberrimos expandente, et folia toties, quoties decussa fuerunt, pietati incolarum sufficiente : a quibus sancti Augustini tilia denominatur. Quo nomine, in Ugrociensi parochia vocitatur adhuc ad parochialem ecclesiam deducens semita, vel quia manu forte ipsius fuerit aperta, vel ipsius jussu commoditati populorum directa.

46 Stetit arbor sacra per trecentos annos, ut

diximus

A JOANNE TOMCO. *cujus memoria adhuc superest.* diximus, perpetuo revirescens, ad oppidum, a centum annis a Turcis occupatum, Cernik *b* appellatum, ipsis hostibus fidei veneranda; a quibus cum ingentes faces ad imum truncum votorum assequendorum gratia perpetuo accenderentur, igneo fervore radicibus emorientibus, ante viginti annos corruit; ita tamen, ut ex radicibus ipsius, antequam penitus arescerent, nova tilia succresceret, pari veneratione Turcis æque ac Christianis, assidue cum adhuc proxime adjacenti trunco culta; prope quam Christiani sacellum quoque, minime contradicentibus terræ dominis Mahometanis, excitarunt, illudque Franciscanis ex proxima Bosna *c* eo adventantibus curæ demandarunt.

Dissidentes inter se conciliat, 47 Charitatis inter oves sibi commissas procurandæ servandæque nullum finem B. Augustinus faciebat, præsertim cum ea tempestate magnæ dissensiones animorum inter primates regionis, maximo detrimento boni publici, incendiis, rapinis, aliisque lethalibus injuriis alerentur. Exstant hodie plura publica documenta conciliatarum invicem plurimarum nobilissimarum familiarum, opera sancti Viri, apud aliquos regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, atque Sclavoniæ nobiles; præsertim vero apud nobilissimos totius orbis Christiani comites Frangipanicos, sobolem vetustissimæ gentis Aniciæ Romanæ, ut diximus. Apud cujus heroicum germen Nicolaum, vidi nuper nobile monumentum compositionis, mediatore Augustino factæ, inter magnificos viros Stephanum Banum *d* Sclavoniæ *e*, Joannem, et Radozlavum comites fratres, super tricesimarum quarumdam perceptione, et abolitione, nec non super divisione tributorum provenientium in Ztenisniak, et Zamobor.

et pro pace regni Hungarici impigre laborat. 48 Hoc tamen in genere supra modum eluxit charitatis ejus excellentia, cum regni Hungarici status a multis annis funestissimis cladibus dissidentes, ut supra perstrinximus, ad unius legitimi regis Caroli obedientiam pellexit. Etenim quamvis clausa periodo decimitertii Christiani seculi, Bonifacius octavus, ut dictum est, Nicolaum Cardinalem Ostiensem, legatum suum, pro reducendis Hungaricis statibus ad obedientiam Caroli principis Andegavensis, tamquam prolem Mariæ filiæ Stephani, sororis autem Ladislai ultimi Hungaricæ stirpis masculæ, Caroli autem Siciliæ regis uxoris, destinasset in Hungariam; irrito tamen conatu in magna regnicolarum turbatione, competentibus sacram coronam Venceslao rege Bohemiæ et Otthone duce Bavariæ, quorum uterque eamdem solenni pompa, suarum factionum contentione, sed infausto fine obtinuerat, (altero in Bohemiam metu Bavari fugiente, hoc vero a Ladislao Transylvaniæ *f* præfecto carceribus mancipato, ac regno denique expulso) per novem integros annos Carolus regno avitico exulabat.

ANNOTATA,

a *Hæc postrema biographi periodus mitigat et explicat præcedentem* B. Augustini *sententiam, quæ prima fronte rigidior apparet. Unde etiam Joannes a sancta Maria, qui aliter Rechacus cognominatur, tomo* 3 *de Sanctis et Beatis Ordinis Prædicatorum in Vita Gallica* B. Augustini *cap.* 3 *pag.* 79 *eamdem beati Præsulis opinionem mitiori interpretatione exposuit.*

b *In mappis geographicis Hungariæ notatur duplex oppidum sub eodem nomine* Czernik; *sed alterum eorum nimis remotum videtur ab urbe Zagrabiensi. Quare existimo, hic indicari istud oppidum, de quo Philippus Ferrarius in suo Lexico geographico ad vocem* Inicerum *sic scribit:* Inicerum et Incerum ex aliis codicibus, Cernich, teste Lazio, oppidum Pannoniæ ad Saüm fluvium apud Velicam regalem inter Zagabriam urbem ad Occasum, et Gradiscam oppidum ad Ortum sex leucis Hungaricis.

c *Bosnia, quam Joannes Lucius* Bosnam *appellat, est pars Occidentalis Serviæ, sic dicta a flumine ejusdem nominis per eam labente. Habet a Septemtrione Sclavoniam, ab Occidente Croatiam, ab Oriente eam partem Serviæ, quæ Rascia dicitur, et a Meridie Dalmatiam.*

d *Bani dignitas notissima est apud Hungaros, Croatas, vicinosque populos, a quibus provinciæ gubernator vulgo* Ban *appellatur. De hujusmodi gubernatorum potestate plura vide apud Joannem Lucium lib.* 6 *de Regno Dalmatiæ et Croatiæ cap.* 1.

e *Sclavonia ab aliquibus scriptoribus Latinis tam late extenditur, ut Dalmatiam, Croatiam, Bosniam, et Sclavoniam proprie dictam complectatur; nunc autem strictius passim accipitur ea regio, continetque tantummodo Sclavoniam propriam, quæ inter fluvios Dravum Savumque extenditur, et ab Occasu Styria, ac ab Ortu flumine Danubio clauditur.*

f *Transsylvania est pars Orientalis Hungariæ, quæ ab Ortu in Occasum per* 170 *millia passuum extenditur. Terminatur a Septemtrione Russia Rubra, quæ est provincia Poloniæ, ab Oriente Valachia et Moldavia; ab Occidente Hungaria superiore, et a Meridie partim Hungaria, partim Moldavia.*

CAPUT V.

Concio, quam B. Augustinus habuisse traditur in comitiis Hungariæ ad sedandas istius regni turbas et factiones.

Quamobrem Clemens Papa quintus *a*, qui Benedicto successerat post Bonifacium, Gentilem *b* Cardinalem ex familia Minorum lectum, anno octavo quintidecimi * seculi legavit ad Hungaros, virum magnæ pietatis et prudentiæ: qui Spalatum *c* in Dalmatiam veniens, regnicolarum animos Carolo conciliare aggressus, postquam ibi res succedere pro voto cognovit, in Croatiam progreditur; mox Zagrabiam *d* adeundo, Augustinum et laborum comitem, et conciliorum directorem, tamquam virum in magna sanctitatis opinione, Hungarici negotii cooperatorem futurum, Budam *e* regni sedem abduxit, ubi anno integro sedandis regnicolarum animis absumpto, indicto denique statuum omnium solenni conventu, veteri gentis instituto, in campo, qui vocatur Rackos, ad ripam Danubii, prope civitatem Pestanam *f*, ubi frequentissimo postquam concursu cuncti adfuere, Augustinus jussu legati tali modo peroravit: *Beatus Præsul in comitiis Hungaricis,* * *lege* quartidecimi.

50 « Postquam Dei gratia, legati auctoritate, » afflictissimæ patriæ consulturi, in hunc locum, » ab exordio regni Hungarici publicis negotiis » agendis adoptatum, convenimus; cumque mihi » omnium aliorum minus apto (sed qui nihilominus in promovendo publicæ rei nostræ bono, » ardore et studio nulli facile cesserim) dicendi » provincia demandetur, nequaquam diserta, sed *proposita orationis suæ materia.*

fortia

A

» fortia sectando, juxta sancti Cypriani Carthaginensis episcopi sententiam, posthabita omni verbositate, et omni eloquentiæ lenocinio, ut episcopum decet, brevibus demandatam provinciam expediam; præsertim, quia in conspectu sanctissimorum antistitum, sapientissimorum universi regni procerum, nec non lectissima regnicolarum nobilitate perstrinxisse potius, quam exaggerasse rem, satis superque exposuisse illam, persuasum jam mihi habeo: quod me præstiturum existimo, si prius aliqua de plebis petulantia, cujus impetu regnum distrahitur amplissimum, tum de auctoritate Romanæ Sedis in ejusmodi occasionibus, denique de jure optimo Caroli regis in sacram nostram coronam Hungaricam delibavero.

narrat petulantiam plebis,

51 » Et quidem quoad primam partem, satis exploratum est omnibus, annum jam nonum ab eo tempore, quo Bonifacius octavus, Romanorum Pontificum sapientissimus, legatum ad hasce partes ad instantiam sanioris partis regnicolarum, post mortem Andreæ, ultimi regis ex regum nostrorum stemmate superstitis, misit, communem hanc nostram patriam ad-

B

instar Oceani, adversis ventorum procellis ab imo agitari, turbarique. Causam quoque rei non est cur refricem, tamquam omnibus apertissimam, cum nempe bonus Cardinalis sacrorum præsulum et optimatum, nec non melioris nobilitatis voto solicitatus, nullum modum conciliandi animos aliquorum clericulorum et Hungaricæ plebeculæ potuisset invenire, censuris ecclesiasticis potius quam armata vi, ut ecclesiasticum ministrum decebat, interdicto sacrorum usu, ad sanam mentem reducere conatum fuisse: nec novo quidem exemplo, sed per universum Christianum orbem ejuscemodi malo aliisque similibus sanandis ab Apostolica Sede semper usitato.

et quorumdam clericorum,

52 » Verum talis medicina salutis loco phrenesim inauditam excitavit; ut observatum est a medicis in iis corporibus, quæ malo congruentes medicinas vel non admittunt, vel eo, quo deberent, modo, iis non utuntur: nam ut paucis concludam, quod longo tempore mirabundi suspeximus et suspiravimus, clericulorum turba, plenis armata furore, pestilentem

C

virum * in medicum eructando Apostolicam Sedem, quæ a nemine judicatur in terris, anathemate se percussisse *g*, strepitu campanarum censuit, effica causa, quasi Romanus Pontifex electionem regis Hungariæ, statibus reipublicæ Hungaricæ perpetuo liberam, violenta, ut jactabant, intrusione Caroli Andegavensis violasset. Atque talis insania eo usque processit, ut diversis aliis principibus in regnum hoc ad sacram coronam evocatis, octo annis integris, Pannonicæ reipublicæ viscera suorum gladiis foderentur.

* *lege* pestilens virus

variisque exemplis ostendit,

53 » At quæso paululum mecum, sapientissimi auditores, recogitate, an ullo umquam tempore turbæ nisi turbis excitandis, rebusque publicis et quietis turbandis, et festæ pacis centro exturbandis potuerunt esse aptiores; vel ex eo, quia turbarum et turbulentiarum infaustissimarum nomine ab iisdem turbis emanarunt: quippe ad res agendas nihil ineptius turbis, quæ si aliquando veritatis, ipsius Christi videlicet Servatoris nostri, monitis audiendis allecta, ad illum voluit accedere, non nisi compressione et offensione cœlestis Magistri id tentavit, irruendo nempe in illum, ut tradit Euangelista: etsi idem alias omnipotens, verum ut homo, ne ab illa penitus opprimeretur, alium modum non censuit expeditiorem, quam ut se in naviculam, quæ erat Simonis Petri, inter multas alias in littore Genezareno existentes, reciperet, et rogaret per eumdem Petrum paululum a terra abduci: etenim nec ipsam pietatem absque irreverentia et vitio inhumanitatis turba novit exercere.

A JOANNE TOMCO.

turbas semper nocere,

54 » Unde Matthæi nono scribitur Dominus noster aliquando miseratus turbam. Sed qualem? Jacentem, inquit Euangelista, et tamquam oves sine pastore. Cogitate, qualis sit huc turba præstantiæ, quæ ovibus sine pastore, illuc dispersis æquiparetur. Quod si impia in Christum, et jacens tamquam oves sine pastore, turba describitur in Euangelio, non mirum si in ejusdem Christi Vicarium, et in navicula Petri successorem, pastoris abjecta reverentia, tali phrenesi, qualis a Christi monarchia fundata, numquam fuit audita, sævierit, ut nostis. Nostis autem pro vestra singulari eru-

E

ditione, auditores sapientissimi, ex Eusebio in Vita Constantini, multiplex imperium, quo omnibus hominibus datur æqualis dignitas, æquale suffragium, quodque cum monarchia ex adverso pugnat, confusionis ac seditionis potius, quam regni nomen mereri.

et ex polititicis philosophorum testimoniis probat,

55 » Hinc vetustissimum decus philosophorum præstantissimus Aristoteles Ethicorum libro octavo, capite primo censuit, populi potentiæ transgressionem pejorem esse tyrannide: nam ut idem ait: Pejus est, si multi, quam si unus vel pauci dominantur. Seneca populum, vitiorum suasorem, auctoremque testatur; Plato ventrem ignavum; Plutarchus effrænem et præcipitem equum; Cicero turbam, fervens et æstuans mare. Aliquando cum interrogaretur Diogenes, quid esset esse sapientem, respondit: A vulgi sententia discedere. Chrysippus porro ita argumentatur, et quidem ad rem nostram sapientissime: Si, inquit, populus philosophari non potest, quanto magis rebus divinis, sacrisque legibus tractandis erit ineptus? Et sicut scripsit

F

Laertius lib. VII cap. II, putabimus, plebem theologiæ sacrum dogma posse moderari?

sententiam vulgi in negotiis regni

56 » Quamobrem si jure merito Anacharsis indignabatur, in Græcia populum canendi inscium, in theatro de musicis judicare; nos, ut Laertius idem libro primo, capite nono ait; nos, inquam, plebem sacrarum Litterarum rudem de sanctissimis religionibus judicium facere pateremur? Si Appius Claudius, Romanos inter senatores sapientissimus, indigne ferebat, Scipionem Æmilianum a laniis et tonsoribus in censuram promoveri; quanto magis indigne ferendum, si sacerdotia, si magistratus, si sacer ordo, si regnorum dispositiones, et sanctissimarum legum discussiones sordidæ turbæ exponantur censuræ? Imo si quos seorsim evocatos, ut Cato major aiebat, in consilium rei suæ nemo sanus adhiberet, ab iis, in turbam coactis, responsa religionum dari, quis mente sanus admittet?

contemnendam esse,

57 » Idem, qui supra, Seneca capite secundo de beata Vita, argumentum pessimum turbam pronuntiavit. Et ut ad nostræ philosophiæ magis facto, quam dicto, illustratorem accedamus; Polycarpus martyr, idemque Joannis Apostoli discipulus, aliquando jussus a procon-

sule

A JOANNE TOMCO.

» sule, ut narrat Eusebius lib. IV Hist. cap. XV rationem sui populo dare, prætori se dixit daturum; nam populo frustra dari, quem negaret duci posse ratione. Addamus nostræ religionis philosopho, innumeris aliis brevitati condonatis, nostræ gentis non insipientissimum principem, quamquam revera crudelioris animi nota merito ab omnibus perstrictum, Diocle- h tianum *h*. Is, cum senatus Romanus decrevisset persecutionem contra Christianos, penultimo ipsius imperii, hoc est, undevigesimo anno, acclamante populo in circo, ut Christiani bestiis subjicerentur, pronuntiavit vanas populi voces minime audiendas.

quod Christi exemplo confirmat.

58 » Sed rem, ut cupimus, Christi claudamus exemplo. Ipse Dei filius, cum minime dedignaretur Nazareno computari populo, et unus Nazarenorum civium haberi, essetque in omne commodum et beneficium civium suorum intentus; attamen quale pretium pro tali gratia a civibus ipsis recepit? Furore populari ducitur ad supercilium montis ex eo præcipitandus, Euangelista teste. Et mirabimur, turbam Hun- B garicam, brutorum more, in Christi sæviisse Vicarium? Turbæ autem facinus contra pia sensa sacrorum antistitum, illustrissimorum procerum, et sapientissimæ nobilitatis, sacrilegium absolute fuisse, cum certo certius cognoverimus, quotquot hic adsumus, vel ex eo nihil immorandum suadet ratio, ut turbarum turbulentas vanitates, et falsas insanias proturbando, nos de nostra republica, imo de salute nostra, libere sancteque deliberemus, et a vulgi sententia recedamus, nos sapientes esse ostendamus.

Auctoritatem sedis Apostolicæ

59 » Jam de auctoritate Romanæ Sedis, cum coram iis loquar, quos ne quidem susurrus ab obedientia et illius reverentia ausus est pertentare, non solum ab eo tempore, quo gens Hungarica adeo stricte ipsius venerationi adhæsit, ut inter omnes Christiani orbis reges solus Hungaricus Apostolicus, et Sedis Apostolicæ a latere, ut aiunt, legatus, singulari prærogativa, per sanctum Stephanum in omnes successores perpetuo transfusa, dicatur et habeatur; sed ab ipso ortu Christianæ reipublicæ, quo Paulus apostolus Illyricæ nationi C Euangelica face præluxit, relicto in Pannoniis i nepote ex sorore, Andronico *i* episcopo (unde et primatus ecclesiarum amplissimæ gentis Il- k lyricæ per plura secula in Sirmiensi *k* stetit ecclesia) superfluum ducerem, omnino quidquam effari, nisi cœlum hoc, turbine turbantis omnia turbæ aliquando infectum, pertimescerem. Quamobrem consueta brevitate aliquot sacræ Scripturæ loca, vobis ignota minime, attingam, quibus constans omnium sanctorum Patrum sensus et consensus auctoritatem ecclesiasticam superiorem potestate seculari in Ecclesia Dei stetisse semper, subscripsit.

ex quibusdam veteris

60 » Hinc nullus eorum, quorum nomina studio brevitatis, tamquam vobis notissima, prætereo, dubitavit umquam, de Ecclesia intelligenda esse illa verba Jeremiæ : Domina gentium, et princeps provinciarum. Et Ezechielis : Suscitabo Pastorem unum. Et Apocalypsis : Qui vicerit, et custodierit opera mea in finem, dabo illi potestatem super gentes, et reget eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo. Et Isaiæ : Gens, ait, et regnum (alloquendo Ecclesiam) quod non servierit tibi, peribit. Et Davidis : D Gladii, inquit, ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Inde apud Lucam in collegio Apostolico duo gladii approbantur. Et ut missas faciamus alias veteris Paginæ auctoritates, Hieronymus noster, quem in explicandis sacræ Scripturæ sensibus Doctorem maximum a Deo sibi provisum profitetur Ecclesia, illa verba Jeremiæ : Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes, ad Christum et Ecclesiam pertinere, disertis verbis explicat.

ac novi Testamenti

61 » Quamobrem Christus ipsemet præcipit Petro : Pasce oves meas, id est, universum gregem ecclesiasticum; et Pasce agnos meos, id est principes gregis ecclesiastici juxta Patrum explicationem. Novimus quidem a Christo fundatam Ecclesiam supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, quando tam Petro, quam reliquis omnibus Apostolis æquam ligandi solvendique potestatem dedit ante Passio- E nem et resurrectionem suam; sicuti resurgens a mortuis, iisdem omnibus Spiritum sanctum inspiravit, eos denique cum omnimoda potestate sine ulla differentia inter Petrum et alios, ad baptizandas omnes gentes per orbem terrarum destinavit.

textibus propugnat,

62 » Attamen supremam potestatem pascendi oves, qui sunt Christi fideles, et agnos, qui sunt principes fidelium, ut diximus, absque multitudine aliorum Apostolorum, præsentibus tantummodo Thoma, Nathanaele, duobus filiis Zebedæi, et aliis duobus ex discipulis, quinque nempe testibus, et Joanne sexto, uno ex filiis Zebedæi, tamquam loco scribæ adscito, soli Petro voluit demandatam. Hinc Paulus scribens ad Corinthios : Spiritualis homo judicat omnia; ipse autem a nemine judicatur. Ad Romanos vero : Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta est. Et alibi : Si angelos judicabimus, quanto magis secularia? Ipse vero Petrus in sua canonica : Vos, inquit, estis regale sacerdotium. Item : Gratia vobis et pax F adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu domini nostri, quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ (Græcus textus habet potestatis suæ) quæ ad vitam et pietatem, donata sunt.

quibus superaddit nonnullas sanctorum Patrum,

63 » Sed et Patres sanctissimi a Christo ad nostra usque tempora constanter tenuerunt et docuerunt, episcopis et summo Romano Pontifici competere et esse in omnia temporalia regiam et supremam potestatem, quod tamen ita intellexerim, ut non directe habeat jurisdictionem temporalem in illa, sed indirecte, quatenus nimirum est necessarium ad finem spiritualem et salutem animarum, sicuti plane nunc contigit in hoc nostro regno. Ita Dionysius ad Demophilum cap. 8 de ecclesiastica Hierarchia; Ignatius ad Philadelphenses, ad Smyrnenses et ad Trallianos; Irenæus lib. 4 cap. 44; Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatum; Cyprianus epist. 69 ad Ruffinianum; Arnobius in psalmum 139; Athanasius oratione secunda contra Arianos; Nazianzenus oratione 18; Ambrosius I ad Corinthios cap. 3; Hieronymus in Isaiam cap. 60; Chrysostomus lib. de Sacerdotio; Epiphanius Heresi 29; Cyrillus Alexandrinus in libro Thesauri; Augusti-

nus

A

» nus in Apocalypsin prope finem; Paulinus ad Citerium; Cassiodorus epistola 4, libro 1; Gregorius magnus in quartum Psalmum Pœnitentialium; Angelomus libro Regum 1 cap. 2; Rabanus de Institutione clericorum; Anselmus super epistolam 1 ad Corinthios 3; Ottho Frisingensis libro 3 cap. 36; Bernardus lib. 3 cap. 8 ad Eugenium.

scholasticorum et conciliorum sententias,

64 » Idem docuere ii omnes, quos scholasticos appellamus; imprimis autem magister meus *l* Thomas de Aquino, et Bonaventura de Balneo regio. Concilia nationalia, ut Toletana et Rhemensia clarissime super hoc decrevere. Sed quid quod tot scripturis, Patribus et doctoribus accedunt facta ipsa scripturas explicantia? Etenim habemus apud Zonaram, Anastasium imperatorem non ante fuisse coronatum ab Euthymio patriarcha, quam scripto polliceretur, se in fide Catholica permansurum. Clodovæus Francus, occupatis Galliis, auctoritate Romani Pontificis Hormisdæ a Remigio Rhemensi præsule coronatus, ex ipsis Francorum scriptoribus habetur; sicut ex Hispanicis, Isidoro præsertim, Roderico, Visigothos reges, B qui regnarunt apud illos, per episcopos ad regna assumptos, ac etiam solio deturbatos. Chilpericum regem Francorum ob stupiditatem a Zacharia Romano Pontifice gubernaculo regni submotum, Pippinumque regem suffectum, ejusdem gentis scriptores fatentur.

variasque præteriti temporis historias,

65 » Et quod maximi momenti in hoc genere cognoscitur, certissimum est, plurimorum scriptorum testimonio, Eginarti autem omnia spectantis imprimis, a Leone tertio Romano Pontifice Pippini filium Carolum, imperatorem Romanum creatum, a quo ad nunc imperantem Henricum nostis, neminem pro imperatore legitimo habitum, qui manu Papali non sit consecratus; sed quo usque coronaretur, imperator electus dictus et habitus est. Scitis autem, Henricum tertium a Gregorio septimo privatum imperio, ab omnibus derelictum, privatum, et insepultum jacuisse: Otthonem quartum ab Innocentio tertio depositum, sicuti et Fridericum secundum a quarto Innocentio, a quo Portugalliæ, regi curator est assignatus: C regnum enim Portugalliæ, sicuti et Scotorum, et plurima alia, beneficiaria Sedis Apostolicæ dignoscuntur. Sed ad nostra veniamus.

et domestica exempla,

66 » Quamdiu reges Dalmatiæ et Croatiæ per sexcentos ferme annos regnarunt, ab Heraclii imperatoris temporibus ad nostros sanctissimum regem Ladizlavum, semper beneficiarii, semper tributarii Sedis Apostolicæ fuerunt, sicuti et Bani Bosnenses, tamquam dictorum regnorum membrum, idem adhuc usque exsequuntur. Patrum nostrorum memoria dynasta Serbliæ *m* et Rassiæ *n*, rex ab Honorio tertio nominatus, et titulum regium, et regnum ipsum ad præsentes posteros feliciter transmisit; et ut finem huic rei faciam, ipse sanctissimus apostolus Hungariæ Stephanus, de cujus successore agimus, a Romano Pontifice Silvestro secundo rex est declaratus, et perpetua legatione Apostolica decoratus. Quod si fatemur in fonte, cur non admittemus in rivulo? Ita tamen, ut inde libertati illi perpetuæ, qua Hungari suos principes eligunt, independenter a qualibet alia potestate, nullum præjudicium oriri profitear.

ex quibus omnibus concludit,

67 » Nulla itaque dubitandi superest occasio, quo jure Romanus Pontifex Hungarica dissidia miseratus, sanioribus et potioribus etiam Hungaris id exposcentibus, Carolum auctoritate sua, tamquam universalis Pater et judex supremus, tuendum in regno, jure sanguinis sibi debito, susceperit. Jure autem sanguinis, eoque optimo, super alios competitores Carolo deberi diadema aviticum, sole meridiano clarius est, cum matrem habuerit Mariam, Stephani quinti Hungarorum regis filiam, sororem Ladislai tertii, et ultimæ ex Bela propaginis sacræ masculæ Hungaricæ. Venceslai Bohemi conditionem longe diversam esse, non est cur ambigamus: quippe quem ex filia filiæ Belæ quarti natum agnoscamus. Bavarus Ottho quo glutine stemmati nostrorum regum possit agglutinari, nequaquam mihi probatur.

A JOANNE TOMCO.

regnum Hungaricum jure pertinere

68 » Sed Caroli juribus illud quoque, idque rarum in terris additur, quod ipsius stemma, cœlo teste, ex sanctissimis regibus nostris profluere comprobatur: ut enim Bela quartus, ipsius proavus, Elizabetham *o* sororem Germaniæ; aliam Elizabetham *p* ex alia sorore neptem, Hispaniæ; Margaretam *q* filiam, Dalmatiæ (tamquam concivem meam, Tragurii E nempe editam) Cunegundem *r* aliam filiam, Poloniæ, sanctitatis gloriæ sideribus insertas, produxisse lætatur; ita ex Mariæ nepote mater Caroli nostri Ludovicum *s*, sanctissimum Tolosæ præsulem, primo Italiæ, in qua vitales hausit auras, demum Galliæ, ex qua ad æternitatis evolavit præmia *t*, Caroli nostri fratrem, stirpem agnoscit suam. Perinde sicuti cœlo terræque acceptissimus, Francorum regum præstantissimus Ludovicus nonus *u*, qui ab adolescentia sua ad ultimum usque spiritum, numquam sibi, sed Christo militavit, regem nostrum Carolum, per fratrem Carolum pronepotem suum, statibus inclyti regni Hungarici sceptris sacratissimis tractantis natum, posteritatem suam fatetur, sic et commendat.

ad Carolum, quo coronato,

69 » Addo præterea, quod omnibus est liquidum, Carolum regem nostrum numquam se Hungarico regno obtrusisse; quippe cui tamquam primogenitæ proli parentis sui Caroli secundi, felicissimum totius orbis regnum Siciliæ naturali prærogativa destinabatur; sed F (unde ipsi immortales gratias habere debemus et agere) ab melioribus senatoribus solicitatum, jussu Romani Pontificis labanti Hungariæ, et alienis nationibus in prædam concedenti præsto futurum, posthabito nobilissimo et ditissimo Siciliæ regno, adcurrisse. Quæ, ut bene nota omnibus, sicuti initio sum præfatus, fortioribus quam disertioribus argumentis, quemadmodum decet episcopum, cum hactenus innuerim, bonorum omnium votis, bono patriæ, justitiæ ipsi, Romani summi Pontificis, ejusque hic adstantis legati monitis fecisse satis non dubitaverim *v*. » Auditus vix Augustinus, tamquam angelus e cœlo lapsus, omnium voces in Carolum fausta precantes coïverunt, nemine prorsus, qui reclamaret, invento. Quare mox Albam deductum more majorum, sacro diademate coronatum adoravere venerabundi.

pax et pristinus Hungariæ splendor redeunt.

70 Peracta coronatione, tam legatus Apostolicus, quam Augustinus, instante rege et optimatibus, hæsere aliquamdiu in Hungaria, donec facies ecclesiastici ordinis pristino splendori restitueretur: cujus piæ industriæ fructus inter alios exstitit, Eremitarum, sub nomine sancti Pauli primi eremitæ *w*, et præscripto regulæ sancti Augustini, ab Eusebio *x* olim Strigoniensi

Canonico,

A JOANNE TOMCO.

Canonico, viro magnæ sanctitatis, anteriori seculo magno bono Hungarico institutum, [ejusdemque] per legatum Apostolicum, adnitente Augustino, confirmatio: cujus piæ familiæ rex Carolus *y*, postque illum Ludovicus *z* filius, promovendæ, et regia tutela protegendæ præcipuam curam suscepere.

ANNOTATA.

a *Clemens iste mense Junio anni* 1305 *in locum Benedicti successit.*

b *Hujus Cardinalis gesta vide apud Oldoinum nostrum in Historia Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium ad annum* 1294 *tomo* 2 *col.* 329 *et sequente.*

c Spalatum *est ampla et archiepiscopalis Dalmatiæ civitas, et in ora maris Adriatici sita; gaudet portu capaci et tuto.*

d *Cum Thuroczius cap.* 89, *aliique scriptores Hungariæ gesta Cardinalis Gentilis et coronationem Caroli narrantes, de illo itinere Zagrabiensi non meminerint, et de* B. Augustino *nostro nullum verbum faciant, fidem hujus narrationis penes illustrissimum Tomcum relinquimus.*

B e Buda *est præcipua Hungariæ civitas ad Danubium sita e regione Pesthi, de qua mox agemus.*

f Pesthum *urbs munita Hungariæ ad Danubium sita e regione Budæ, cui ponte sublicio jungitur.*

g *Thuroczius in Chronico Hungarorum cap.* 86 *agens de irrita Cardinalis Nicolai legatione, hanc detestandam quorumdam audaciam commemorat his verbis :* In suo autem recessu *(nimirum Nicolaus, Sedis Apostolicæ legatus, de quo supra egimus)* cives civitatis Budensis pro quodam casu in interdicto reliquerat. Interdictum quippe religiosis et plebanis stricte servantibus, surrexerunt pseudo-sacerdotes et perfidi, qui manifeste divina populo celebrabant, et Sacramenta ecclesiastica ministrabant publice interdictis. Insuper malum malo cumulantes perniciosius convocato populo, accensis lucernis, summum Pontificem Christi vicarium, archiepiscopos et episcopos universos regni Hungariæ ac viros religiosos communiter excommunicatos altis vocibus promulgabant.

h *Diocletianum vocat principem gentis suæ, quia ex Dalmatia oriundus, ut historici passim tradunt.*

i *De hoc S. Andronici episcopatu et consanguinitate cum Paulo Apostolo non constat, ut tomo* IV *Maii pag.* 4 *videri potest, ubi ad diem* XVII *istius mensis, de S. Andronico illo egimus.*

C k *De hoc Sirmiensi Illyrici primatu consule Carolum a sancto Paulo in Geographia sacra, Amstelodami recusa lib.* 3 *pag.* 70 *et sequentibus.*

l *Hic sub* B. Augustini *nomine loquens se prodit Tomcus, qui perperam putavit, Beatum Parisiis sub S. Thoma studuisse, ut in Commentario prævio diximus, ac postea iterum observabimus.*

m Serblia, *quæ nunc communiter Servia vocatur, est pars Hungariæ late sumptæ, et extenditur inter Croatiam ad Occasum, mare Adriaticum ad Meridiem, et flumina Istrum ad Septemtrionem, et Moravam ad Ortum. Reges olim habuit proprios, quibus exstinctis, paruit regno Hungariæ.*

n Rascia *sic dicta est a fluvio Rasca per eam labente; partem constituit Serviæ late dictæ, de qua mox supra actum est.*

o *Hæc est S. Elizabetha, lantgravio Thuringiæ nupta, de qua cum Martyrologio Romano ad diem* XIX *Novembris agetur. Interim Acta illius apud Surium eadem die legi possunt.*

p *Hic indicatur S. Elisabetha Lusitaniæ regina, ni fallor, cujus Acta ad diem* IV *Julii Janningus illustravit. Quomodo autem hæc ad stirpem Hungaricam pertineat, tomo* 2 *Julii pag.* 173 *et sequente videri potest.*

q *Acta S. Margaretæ Hungaricæ Majores nostri* die XXVIII *Januarii illustrarunt, ut iterum supra in Annotatis ad caput* I *littera* f *dictum est.* D

r *Vitam istius S. Cunegundis ad diem* XXIV *Julii in Opere nostro ex Mss. edidimus, ut rursus supra in Annotatis monuimus.*

s *Hujus S. Ludovici præsulis Tholosani Acta, favente Deo, die* XIX *Augusti examinabimus.*

t *Aliqui volunt, hunc sanctum Antistitem obiisse eodem loco, quo natus fuerat; quod cum hac oratione conciliari non potest, et quod die* XIX *Augusti accuratius discutiemus.*

u *Is est sanctus Galliæ rex, de quo ad diem* XXV *Augusti copiose agendum erit.*

v *Ex stylo et observationibus nostris eruditi lectores judicent, an tota hæc oratio non potius J. Tomco Marnavitio, quam* B. Augustino *sit attribuenda.*

w *Eremitæ illi S. Paulum primum anachoretam, tamquam patronum elegerunt. Attamen propterea Paulinus Klodauski perperam contendit, eremitas illos a sancto Paulo Thebæo originem duxisse, ut alia occasione ad diem* XVII *Julii, tomo* IV *istius mensis pag.* 331 *et sequente demonstravi.*

x *Martinus Czeles noster in Indiciis Ungaricæ sanctitatis pag.* 94 *et sequente compendiose narrat Acta hujus pii Eusebii, eumque titulo* beati *ornat. Verum ex Hungaris discere cupimus, an legitimum cultum alicubi habeat : sic enim supplemento Januarii inseri posset, quandoquidem dicitur die* XX *istius mensis obiisse.* E

y *Carolus Hungaris usque ad annum Christi* 1342 *præfuit, ut Abraham Bakschayus in Chronologia regum Hungariæ asserit.*

z *Ludovicus mortuo Carolo successit, et regnum Hungaricum usque ad annum* 1382 *gubernavit, ut laudatus Bakschayus ibidem tradit.*

CAPUT VI.

Translatio Beati ab episcopatu Zagrabiensi ad Lucerinum, pastorales in hac posteriori diœcesi labores ac pius obitus.

Dum beatus Præsul jura ecclesiæ suæ defendit, a

At ne diutius legati præsentia, et Augustini zelo Carolus cum Ungaris possent perfrui, concilium generale a Clemente quinto indictum, Viennam Gallicam urbem utrumque pertraxit *a*. Quo absoluto, Augustinus ad ecclesiam suam sese recepit. Et quoniam inter alia Viennensis concilii decreta cautum fuerat, ut bona, secularium violentia ecclesiis adempta, eisdem restituerentur, dum bonus Pastor circa sacrorum decretorum executionem satagit, (ut fert humanæ cupiditatis insatiabilis conditio, omnia sibi per fas et nefas vendicantis) præcipuæ nobilitatis, et dynastarum, qui tempore longi interregni, quæcumque liberent, licere sibi persuaserant, animos in se concitavit. F

a Mladino principe vexatur,

72 Præcipuus non solum Augustini, sed ipsius Dei apertus hostis, extitit Mladinus, Dalmatiæ Croatiæque Banus. Is etenim cum patri suo Paulo Bano successisset, et ut majorum stemmatibus æque ac divitiis per ea tempora turgidus, (etenim non solum parens ipsius, sed et avus et proavus ex Banis Bosnensibus descenderant), regia potius absoluta, quam Banali delegata authoritate, occasione turbarum Ungarici regni, Dalmatiæ et Croatiæ dominio abutens, præstantissimas quasque civitates, oppida et arces, privato jure sibi usurpans, et a majorum pietate longe abhorrens,

sacris

A sacris ac profanis rebus manus injiciens, tyrannus intolerabilis evaserat; adeo ut episcopos, abbates, abbatissas, aliosque prælatos ecclesiasticos, simplici nutu deponeret, institueretque; bona ecclesiarum pro arbitrio occuparet, distraheret, alienaret: pyratas magnis classibus ex Adriatico mari Italicis littoribus deprædandis emitteret: et unico verbo, per summum nefas Ecclesiæ puritatem contemnendo, ex aliqua tinctura sacrarum Litterarum, quam sibi pro summa scientia arrogabat, omnibus gravis, et exosus habebatur *b*. Adeo periculoso gressu incedunt ii principes, qui cum Saüle sacerdotale munus temerarie invadunt.

et propterea, rogante Roberto Neapolis rege,

73 Illum itaque Augustinus cum tamquam sui gregis dissipatorem et Ecclesiæ turbatorem sæpius humanissimis alloquiis ad saniora consilia capessenda hortatus fuisset, adeo parum profecit, ut eumdem in deteriora semper prolabentem, infensissimum hostem experiretur, eoque res deduceretur, ut nec regia authoritate potentissimi tyranni petulantia posset cohiberi. Ne porro sanctissimi Viri dignitas ab impio homine conculcaretur, sanctumque canibus diutius exponeretur, divina dispensatione contigit. Etenim, cum Robertus, rex Neapolitani regni, pro eo affectu, quo erga Catholicam ferebatur Ecclesiam, Lucerinam civitatem fæce Saracenica *c*, quam impius Fridericus imperator, idemque Siciliæ rex, intra alias civitates Neapolitani regni intruserat, inquinari ferret ægerrime, (licet in fine ante prioris seculi Luceriam sub suum jugum misisset); cumque interea de Augustini Apostolico zelo fama late volitaret, Robertus cum Carolo consanguineo ita egit per legatos, ut annuente Joanne XXII summo Pontifice *d*, Augustinus et vinculo Zagrabiensis ecclesiæ absolveretur, et Lucerinæ civitati Mahometico delirio expurgandæ pastor præficeretur *e* et medicus, post decimum quartum annum in Zagrabiensi prælatura exactum.

et annuente Romano Pontifice, post prædictam patriæ suæ ruinam

74 Jussu itaque summi Pontificis, et annuentia Caroli regis, ægre alioqui absentiam tanti Viri a regno suo ferentis, compendio viarum usus Augustinus, descendit in Dalmatiam, transfretaturus inde in Apuliam, Traguriumque natale solum accessit; ubi cum invenisset, concives suos una cum Sicensibus Mladini partibus adhærentes, ejusdem impietati cooperari, eos, quantum potuit, ad pietatem revocare studuit. At non solum C juxta illud Domini, Propheta non fuit acceptus in patria, sed cum lacrymis ab illa excedens, prædixit, adhuc se vivo, pœnas soluturam civitatem utramque, subdens: Ingrata patria, non habebis ossa mea. Dictum comprobavit eventus, ut suo loco dicemus. Ut enim Illyricæ linguæ homines omnes naturali discrepantia animorum, laborant, alioqui, ut scribit Herodotus, insuperabiles futuri, et omnium gentium inexpugnabiles; ita Dalmatæ, ejuscemodi morbo, atque inter Dalmatas Tragurienses et Sicenses conficiuntur imprimis.

transfertur ad episcopatum Lucerinum,

75 Augustinus igitur, emenso Adriatico, non absque lacrymis ob pervicaciam, ut sibi amantissimæ patriæ, ita Deo minus acceptæ, ad Lucerinam civitatem accessit. At priusquam in illam pedem inferret, socio tantum regulari, famulitii loco stipatus, genibus humi fixis, Deiparæ Virgini, erga cujus cultum angelicæ vitæ puritate singulariter afficiebatur, patrocinio perpetuo se, suosque novos labores commendavit; protestando, se, nullo modo sibi, suisque commodis consulturum, ad eam urbem accedere; sed, ut Christi sanguine, visceribus ejus intemeratis divinitus creto, animas vindicatas, gloriæ Filii sui, ejusdemque piæ Matris, iisdem annuentibus, et vires inepto alioqui sibi subministrantibus, restitueret. In quem finem numquam se Luceriam urbem, in qua turpissime Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pridem occiderat, sed Mariæ civitatem, affulgente sibi eadem stella maris, vovit nuncupaturum. Quibus effatis, et intra mœnia admissus, Joannis summi Pontificis diplomate, et Roberti regis mandato civibus exhibito, ante omnia præcepit, ne alio, quam Mariæ, nomine civitas appellaretur *f*. Qua duce, quanta sexennii spatio præstiterit, pro magnitudine rerum nullus scriptor extitit, qui ea memoriæ mandare fuerit ausus; hoc tamen citra controversiam habetur, civitatem a Saracenis ut plurimum cultam, vel a Christianis, qui Saracenica vi pressi, nihil ultra Christianum nomen retinebant, brevi temporis spatio, sanctissimi Pastoris verbo et exemplo, in eximiam Christi gregis caulam coaluisse.

A JOANNE TOMCO.

quem multis beneficii affecit,

76 Inter præcipuæ pastoralis ejus curæ facta, fuit fratrum Prædicatorum, tamquam Christi vineæ præstantissimorum operariorum, introductio, ad quos eodem modo, quo dum Zagrabiæ E ageret, Marthæ sollicitudinibus fatigatus, Mariæ optimæ parti vacaturus, subinde sese recipere solitus erat. Inter quos extremum quoque emisit halitum, et cadaver humari absque ulla pompa præcepit. Afficiebatur singulariter erga sanctorum Virorum memorias, quorum æmulatione efflictissime affectabat martyrium. Unde semper absque ullo timore murum sese pro domo Dei opposuit, et circa Saracenos aggregandos Ecclesiæ, nullum periculum detrectavit. Quod etiam contra Mladinum Banum, aliosque fautores ipsius, opponendo sese impiis eorum conatibus, in priori sua fecerat ecclesia, et præsertim in Ungaricis turbis componendis; præcipua porro veneratione colebat memoriam sancti Petri martyris, ante aliquot annos, ex sua Dominicana familia ad cœlum martyrii palma evocatum; cujus integrum brachium Zagrabiensi sponsæ relictum, adhuc in ea veneramur.

et in quo post varia pia opera,

77 Sanctum quoque Thomam Aquinatem, quem docentem audiverat *g*, sicuti puritate vitæ angelicæ conabatur exprimere, ita zelo animarum lucrandarum, verbi Dei indefessa patientia æmulabatur. Cujus etiam gloriæ adaugendæ F inter homines cupidus, nihil omisit, quo ipsius inter sanctos Viros relatio obtineretur a Sede Apostolica. Quam gratiam Deus illi ita concessit, ut antequam terrenam sarcinam deponeret, eodem ipso ultimo vitæ suæ tempore *h*, sanctum Doctorem suum, aliis Doctoribus in perpetua æternitate fulgentibus adscriptum, lætissimus coluerit; illudque Simeonis Justi, (cujus venerandum corpus ad admirationem, integrum in Jadrensi ecclesia magna pietate servatum, sæpius coluerat *i*) cecinerit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

et eventu prædictam patriæ suæ vastitatem

78 At sicut cygneum hoc carmen animo cecinit exultanti, ita Jeremiæ amaritudinibus ingemuit ingratæ patriæ miserias olim comminatas, ante fatum suum reapse comprobatas. Etenim anno ante obitum suum millesimo trecentesimo vigesimo secundo, cum Tragurienses et Sicenses cognoscerent, se ab impio Mladino intolerabili tyrannide opprimi, excusso illius jugo, arma contra eum, Venetorum protectione freti, corripuerunt. Ille vero, ingenti exercitu comparato, integro mense Sicenses incredibilibus affecit incommodis, universo illorum agro devastato, et in solitudinem

A JOANNE TOMCO.

litudinem redacto : unde ipsimet cives nobile monasterium sancti Andreæ, manibus seraphici Patris Francisci fundatum extra mœnia civitatis, ne hosti foret munitio, solo æquare coacti sunt; sicuti aliud tale Deiparæ dicatum etiam ipsi Tragurienses affecere; ruinis hucusque factum attestantibus.

meritamque Mladini principis ultionem,

79 Nec tot malis exsatiatus tyrannus, evocatos ex urbe Sicensi sub fide publica Saracenum, Michaëlem, et etiam filios Eliæ Radovanerii, totius urbis primarii civis, crudeliter in eodem agro gladio subjecit, sicuti pridem cum quarto eorum fratre captivo egerat. Inde ad campum Tragurii properans, consimilis feritatis effectus in eosdem patravit. Fuit attamen sancto Viro aliquo solatio, quod eodem anno proceres Dalmatiæ atque Croatiæ, cum ipso Paulo, fratre Mladini, impatientes ejus immanitatis, armis mutuo sumptis, tyranni sævitiem ita depresserint, ut captum deducerent ad regem Carolum, qui tum
k temporis prope civitatem Tininiensem *k* cum exercitu accesserat, vindicaturus indignam necem perpetratam parricidio et sacrilegio ne-
B potis ex fratre ejusdem Mladini, in caput Paulini Draskovich Scardonensis episcopi. Unde magistratu spoliatus, captivitatem subire coactus fuit, in ipsa Zagabriensi civitate, in qua summa
l impietate sanctissimum vexaverat Episcopum.

anno 1323 sancte moritur, et miraculis claret.

80 Verumenimvero non ita lætatus est justus cum juxta Psalmistam vidit vindictam, et lavit manus suas in sanguine peccatoris; sicuti iturus in domum Domini, lætatus est, quoniam Jerusalem suæ ecclesiæ ædificatam vidit, ita ut ubi alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum cubaverant, habitationem lætantium in umbra sanctissimæ Genitricis Mariæ reliquerit. Plenus ita-
m que dierum, septuagenario major *m*, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, ipso pervigilio magni sui patriarchæ Dominici, tertio nempe Augusti, tertio itidem supra trecentesimum ac vicesimum illius seculi anno, ad laborum præmia evolavit in cœlum, innumeris miraculis perpetuo illustrissimus : quorum aliqua cum in Officio ejus anniversariæ memoriæ conscripto inferius apponendo referantur, alia autem peculiari libello de ejus miraculis conscripto circumferantur, unum illud subticendum nequaquam duco,
C quod vix alicujus sancti Viri meritis concessum legitur : Obsessos nempe a spiritibus immundis, quacumque arte diabolica occultos, ubi pedem intra terminos Lucerinæ ecclesiæ intulerunt, statim, frustra reluctante spiritu tenebrarum, prodi, cognoscique et ad ejus sepulchrum sanitati pristinæ restitui.

ANNOTATA.

a *Concilium istud Viennense anno* 1311 *celebratum est.*

b *Joannes Lucius lib.* 4 *de regno Dalmatiæ et Croatiæ cap.* 13 *potentiam ac tyrannidem hujus Mladini ex antiquis monumentis refert.*

c *Hæc urbs cognominata est* Luceria Saracenorum, *eo quod Fredericus eam Saracenis ex Africa accitis habitandam dederit, ut Ughellus tom.* 8 *Italiæ sacræ in novissima editione Veneta col.* 314 *testatur.*

d *Is Pontifex ab anno* 1316 *usque ad* 1334 *Ecclesiam gubernavit, et forte primus Beato nostro cultum decrevit, ut in Commentario prævio vidimus.*

e *Jam dudum ex urbe Lucerina expulsi fuerant Saraceni, ut apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1269 *num.* 1 *et* 1303 *num.* 55 *videri potest. Poterat tamen inter Christianos adhuc aliqua corruptio ex veteri ipsorum consortio contracta superesse.*

f *Quamvis hæc narratio cum certiori historia ægre concilietur, tamen eam in Commentario prævio num.* 38 *utcumque explicare conati fuimus.*

g *Hic iterum recurrit erronea illa biographi opinio, de qua jam sæpe egimus.*

h *Cum Doctor angelicus quinto Kalendas Augusti anno* 1323 *in numerum Sanctorum relatus sit, ex his biographi dictis et secuturo ipsius computo sequitur,* B. Augustinum *paucis diebus huic canonizationi supervixisse.*

i *Aliæ ecclesiæ corpus S. Simeonis istius sibi etiam vindicant, ut apud Cangium lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 86 *videre est, et ad diem* VIII *Octobris accuratius discuti poterit.*

k Tininium *est urbs episcopalis in Croatia, de qua vide Joannem Lucium de Regno Dalmatiæ et Croatiæ pag.* 94 *et sequente.*

l *De Mladini clade, et captivitate vide laudatum Lucium in opere mox citato pag.* 203 *et* 377.

m *Jacobus Echardus tomo* I *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag.* 553 *asserit,* B. Augustinum *circa annum* 1260 *natum esse; ex quo sequitur, beatum Præsulem* non septuagenario majorem, ut scribit Tomcus episcopus Bossinensis in Vita apud Sigismundum Ferrarium in Historia provinciæ Hungariæ edita, sed sexagenarium circiter aut paulo plus obiisse, *ut ibidem bibliographus ille affirmat.* E

CAPUT VII.

Beati sepulcrum, reliquiæ, miracula et gloria posthuma.

Beatus, cujus forma describitur,

Sepultus fuit intra ecclesiam sibi dilectam, suorum Fratrum domicilio, et sancti patris Dominici memoriæ, suoque receptui, ut diximus, constructam; quousque anno primo hujusce seculi in aliud sepulchrum pretioso marmore elaboratum, non absque miraculorum frequentia translatus fuit. Statura fuit, ut ex sacris ejus indumentis, adhuc integris citra ullam vetustatis injuriam, comprehendi potest, excedens humanam F
ordinariam, et potius ad giganteam assurgens; et, ut antiquissimæ picturæ tam cathedralis, quam conventualis illius ecclesiæ exhibent, capite calvo, barba promissa, aspectu ingenuo lætiori : genæ, licet crispantem, ruborem tamen ostentant.

post mortem variis beneficia confert per suas reliquias,

82 Nec solum sacra ejus indumenta, inter quæ cingulum, difficultate partus periclitantibus matronis applicatum, miraculis quotidianis elucescit, sed et reliqua omnia vestimenta regularia, et episcopalia, quibus indui consuevit. Pileus episcopalis imprimis, apostolicæ paupertatis ejus et humilitatis argumentum, populis ostenditur, illustrissimum; cum alioqui amplissimos proventus possideret. Est enim palea contextus, opere satis subtili et accurato, adinstar tamen messorum illius patriæ; superinducitur materia lanea Dominicanis patribus in superiori pallio nigro adhuc familiari, eademque pluribus centonibus, et interdum inæqualis materiæ et coloris, consarcinata; viridis tamen coloris funiculo, ut apparet, sericeo circumstringitur. Hujus pilei mirabilis virtus experitur, dum energumenorum capitibus superimponitur; sicuti rasura pulveris ex sepulchro,

A pulchro, in quo nunc ossa sacra servantur, aliquo liquore ab ægrotis hausta, mira operatur.

quas propterea populares ejus clam auferre tentarunt; a

83 Aliquot annis ab ejus obitu fama miraculorum ejus percrebescente *a*, concives olim ejus Tragurienses excitavit, ut transmisso Adriatico, accederent Luceriam, furto sancti Viri reliquias ablaturi: uti iis exhumatis profundæ noctis beneficio, reliquias Civis sui, quocumque modo auferre possent, terrenæ patriæ restituerent. Navim itaque conscendunt, prosperoque vento, Fertorium incolis portum *b* appellatum, tenentes, relicta in eo navi, ad Lucerinam civitatem brevi itinere contendunt, profundæque noctis beneficio socium corpus sublatum, læti successu rei, ad navim deferunt.

sed irrito conatu, quia vivens prædixerat, patriam ossibus suis cariturum;

84 Quiete itaque ex sollicito labore præcedentis diei, et sequentis noctis capta, dum summo mane portum egredi volunt, animadvertunt, dolose partum evanuisse thesaurum. Mœrentes itaque, dum in littus egressi, omnia tam regiæ viæ, quam aliorum recessuum secreta rimantur, audiunt a pertranseuntibus viatoribus, sacra ossa illo ipso mane, quo marinis fluctibus committere B sese cum opinata præda paraverant, ante ecclesiam sancti Dominici in urbe Luceria ab incolis inventa fuisse. Quibus auditis, Deo, et ejus Sancto rapinam minime fuisse acceptam experti, quanta maxima celeritate licuit, fraudati desiderio suo, repedarunt in patriam eventu rei mœstissimam, memores vaticinii sancti Viri de ossibus ejus per patriam non possidendis.

Tamen patriæ suæ non defuit, dum conversionem impetravit Mladino,

85 Sed qui ossa patriæ denegavit, patrocinium perpetuum erga eamdem adauxit. Ut sicuti, teste Onia summo sacerdote, Jeremias, alias Jerosolymitano populo ad carceres et indignas molestias invisus, post mortem fuit fratrum amator et populi Israel, orando pro eo et universa sancta civitate: sic eodem ferme tempore, quo sacram rapinam irrito eventu Tragurienses tentarant, Mladinus tyrannus, dignitate, fortunisque omnibus spoliatus, instar Jasonis alterius tyranni, Machabæorum historia infamis, postquam principatum non obtinuit, ut notat sacer Historicus, finem insidiarum confusionem accepit: fugiens enim de civitate in civitatem, ut refuga legum et C execrabilis, intercedente sanctissimo Præsule pro suis civibus, in Traguriensium tandem hostium suorum manus incidit, quibus talem animorum mansuetudinem sanctus Civis impetravit e cœlo, ut hostem acerrimum, diis hominibusque invisum, (absque dubio ejusdem sancti Præsulis intercessione) resipiscentem, et ad bonam frugem redeuntem, quamdiu supervixit, commodis et obsequiis coluerint, eidemque mortuo nobile sepulchrum, pietatis Traguriпæ perenne monumentum, in sua cathedrali, cum sequenti posuerint inscriptione, ad hanc usque diem marmoreo tegumento, ante marmoream ibidem cathedram, sive Euangelici verbi ad cives habendi pretiosum suggestum, exstante, stylo illorum temporum non ignobili.

Cujus epitaphium hic exhibetur, c d e f

85 Heu! gemma splendida jacet sub hac pet
Cujus valor periit nunc in fossa tet } ra
Mladinus, magnificus qui Clissiæ *c* fu
Comes, suis sola spes, cur tam cito ru } it
Georgii *d* comitis memoriæ bo
Natus, atque dominus Almisi *e*, scardo } næ *f*
Probitatis titulus, morum et hono
Ut flos vernans defuit vir tanti valo } ris
Croatorum clipeus fortis et ipse er
Inter omnes fortior volens sive quer } at
Ejus mortem impiam cerno pro peccat
Slavoniæ gentium evenisse grat } is
Flete Slavi nobilem nepotem Banor
Largam vestram copiam pacis et honor } um
Sic preces altissimo date Creato
Quod ipse misericors parcat peccato } ri
Hic annorum Domini sub cursu mille
Trecenteni insuper atque quadrage } ni
Octavo sub mensis... die pri
In Calendis Maii traditus est fi } mo
Cum bona sui memoria mors ipsum vora
Deo reddens animam, qui mox expira } vit

A Joanne Tomco.

Hactenus epitaphium pro barbarorum temporum stylo, quanta maxima diligentia fieri potuit ex marmore, jam transeuntium pedibus attrito, vel unius vocis lacuna hiante, teste.

et consanguineos suos afflictos

86 Idem, qui civibus suis adauxit patrocinium, Sicensibus etiam in factione Mladini concivium suorum sociis, minime defuit, ne forte et originis suæ maternæ oblitus videri posset. Etenim proscripta aliquando universa Dragœviorum familia, et bonis ejus fisco addictis, vertere E solum coacta, eo quod rea censeretur occultationis et suppressionis aliquarum scripturarum, odio principis sui, publicum bonum concernentium; cum nullum modum purgandæ suæ innocentiæ humano studio occurreret, ad sancti Viri consanguinei sui patrocinium confugiens, præsentaneam ejus opem experta est.

ab infamia liberavit;

87 Oranti namque Patri-familiæ adest, idem monet perfodi murum, designato domus aviticæ loco: ibi enim ærumnarum remedium præsto futurum. Dictum factum, aperto muro, scripturæ olim ab antenatis incendiorum timore conditæ et inventæ, familiam domui, libertatique restituunt, nec absque fœnore: etenim dilapidati loco patrimonii, nobilis Colentina insula *g*, duobus oppidis Ptolomæi tempore culta, perpetuo posteritatis beneficio donatur. Exstat tantæ rei monumentum eodem muro nobilis marmorea statua, egregio opere elaborata, Dominicano habitu induta, sed episcopali infula redimita, solio insidens, gentilitiis stemmatibus illustris, ita ingredientibus atrium domus e regione exposita, ut eosdem præstiti beneficii monere videatur. F

atque ob præservatam a terræ motu Luceriam

88 Alia admiranda, quæ ex remotissimis Christiani orbis partibus variis affecti morbis ad sacrum illius sarcophagum experiuntur assidue, sicut diximus, missa facimus. At, quod nuper totius illius provinciæ admiratione contigit, absque piaculo omittere non licet. Vulgata, et toto orbe cognita est infelix ruina civitatis a sancto Severo *h* appellatæ, a Luceria exiguo spatio remotæ, a multis seculis inaudito terræmotu, quo et maria longe recesserunt a littoribus, et lacus amplissimi aruerunt ad tempus, cum pluribus oppidis et pagis prostratæ *i*. Verum cum jam irato Deo, Apulia tota in antiquum chaos ferri videretur, aperta tellure omnia ferme vel invertente, vel devorante, Lucerina tamen civitas, et diœcesis, dum omnia circumcirca in extremo essent periculo, dum concussione terræ omnia paterent, disjicerentur, everterentur, illæsa et inoffensa permansit, apparente omnibus inspectantibus, supra civitatem matrona candidissimis vestimentis effulgens, et penes illam quodam, episcopali ornamento induto, illa ipsa proportione, et aspectu, quo imago santi Præsulis Luceriæ colitur. Quæ visio tam diu inspectantium oculos tenuit, quoad effectus iræ divinæ in circumcirca sitis terris debacchata est.

89

A JOANNE TOMCO. *solenniter patronus istius civitatis non ita pridem electus est.*

89 Hinc certa fides tenuit, Deiparam, cujus nomine civitas denominatur, et sanctum Augustinum plebi invigilasse suæ, et a ruina imminenti illam præservasse. Quamobrem, licet hactenus anniversaria illius memoria a vesperis secundæ diei Augusti per totam tertiam diem solenni pompa, tamquam festi de præcepto, culta fuit a clero, civibus, et ditione universa; attamen post præfatum mirabile factum, senatusconsulto civitatis, in peculiarem Patronum ejusdem est adscriptus, anniversariaque solennis processio, sive supplicatio, ad ecclesiam S. Dominici instituta.

ANNOTATA.

a *Videtur legendum* percrebrescens, *ut verbum* excitavit *habeat suum nominativum.*

b *Frustra apud topographos et in mappis geographicis hunc portum quæsivi, nisi forte indicetur Manfredonia, urbs Apuliæ Dauniæ maritima, quæ olim* Portus Capitaniatæ *vocari consueverat, ut Leander Albertus in Latina Descriptione Italiæ pag.* 376 *testatur.*

B

c Clissa *est munita Dalmatiæ arx in prærupta rupe cum parvo tractu adjacente; unde hunc comitem Clissiæ cognominari existimo.*

d *Is fuit pater Mladini, ut Lucius in præfato opere pag.* 213 *indicat his verbis:* Eodem tempore Tragurienses cum comite Mladino Clissi, qui patri Georgio successerat controversiam de via sive de transitu prope Clissum composuere.

e Almisum *vel* Almissum *est maritima Chulmiæ civitas, de qua apud laudatum Lucium lib.* 4 *de regno Dalmatiæ et Croatiæ cap.* 4 *plura lector inveniet.*

f *Jam sæpe laudatus Lucius lib.* 1 *proxime citati operis cap.* 4 *pag.* 25 *de hac urbe sic scribit:* Scardonam, Liburniæ civitatem, prope Titii ostia, in sinu ab ipsa Scardonitano dicto sitam fuisse nomen ruinæque adhuc exstantes argumento sunt, *etc.*

g *Est insula maris Adriatici, quæ non procul Tragurio distat.*

h *Alias vocatur* Severopolis *vel* Fanum sancti Severi, *estque urbs episcopalis Apuliæ sub archiepiscopatu Sipontino, ad quam episcopatus Civitatensis a Gregorio XIII Pontifice translatus est, ut apud Ughellum in Italia sacra editionis Venetæ tomo* 8 *col.* 270 *licet videre.*

C

i *Hic terræ motus contigit anno Christi* 1634, *ut in libello Flandrico, de vita et miraculis* B. Augustini *edito, pag.* 32 *affirmatur.*

MIRACULA ANTIQUIORA

Quæ post mortem Beati contigerunt.

Ex veteri Ms. Officio Lucerino, quod cum editione Sigismundi Ferrarii contulimus.

a *B. Augustinus sua intercessione* b

Augustinus civis Traguriæ urbis ex nobilissimis et sanctis parentibus *a* originem duxit, qui a pueritia Ordinem Fratrum Prædicatorum intrans, et litterarum studiis eruditus superna sibi providente clementia, gemina scientia, scilicet divina et humana *b*, efficacissime claruit; ac etiam in tantum fuit purus, innocens, Deum colens, verax, pius, mitis, et ab omni pravo opere abstinens, quod civitatis Lucerinæ defuncto episcopo, tempore Pontificatus sanctissimi Patris ac Domini Joannis Papæ XXII, divina inspirante gratia, fuit electus et confirmatus in episcopum Lucerinum, et infinita miracula, quæ mirandus Deus ostendit meritis venerabilis patris Augustini episcopi civitatis sanctæ Mariæ *c* tam in vita quam post mortem nemo posset lingua reserare. D c

quemdam ab imminente mortis periculo servat,

2 Sed ne sanctissimi Viri fama negligatur, valeat fidelium Christianorum dilectio apertis auribus perpendere, quot miracula post ipsius obitum ipse pietatis Auctor omnibus propter ejus merita ostendere voluit: nam die tertio mensis Augusti, quo dictus F. Augustinus obiit, cum tota ecclesia FF. Prædicatorum plena esset hominibus, qui dicti F. Augustini venerabile corpus visitare convenerant, Paschalis de Quarata* comestabulus capitanei civitatis prædictæ, ne præ multitudine hominum ibi astantium aliquod periculum emergeret, accedens ad eamdem ecclesiam, cum vellet ipsos homines retrahere, quia magna erat impulsio hominum eorumdem, et esset prope foveam, in qua ponendum erat venerabile corpus episcopi memorati, impulsusque fortiter, inter homines prælibatos in dictam foveam cecidit; in quo casu ensis, quem tenebat ad latus, de vagina exivit, et pomo ipsius in terra præfixo, puncta *d* bene acuta erecta remansit in alto, super quam punctam idem comestabulus pectus præfigens, in quod non intravit puncta præfata; sed statim curvata est usque ad pomum suum in terra præfixum, in nullo lædens præcipitantem eumdem.

* alias Quarato

E d

et multos febricitantes, e

3 Die vigesimo dicti mensis Augusti mulier, nomine Odina, cujusdam de Bononia *e*, cum ex morsu canis haberet tibiam rubeam et tumefactam, concepta devotione ad beatum Augustinum prædictum, ad ejus sepulcrum accedens, supra quod aliquantulum requiescens, statim perfecte surrexit curata, sed remanserunt in dicta tibia solummodo foramina dentium dicti canis ad Sancti miraculum ostendendum.

Eodem die quidam, nomine Philippus de Florentia, patiens rigores febriles, cum ad dictum sepulcrum accessisset, devotione concepta, ibi aliquantulum quiescens, statim curatus ab omni infirmitate surrexit. F

Eodem die Isolda, uxor Nicolai apothecarii de civitate sanctæ Mariæ, patiens maximum tumorem in gutture, ita quod vix comedere posset, cum ad dictum sepulcrum, concepta devotione, venisset, ibi cum devote procumberet, statim tumor disparuit, et surrexit abinde perfecte curata.

energumenos,

4 Die vigesimo sexto ejusdem, Auribella de Foggia longo tempore vexata a dæmone, non valens una hora quiescere, ad dictum sepulcrum cum devotione portata, perfecte fuit protinus liberata.

Die vigesimo septimo, quidam, nomine Guillelmus, de civitate prædicta, cum multis annis passus fuisset febrem quartanam, concepta devotione ad merita venerabilis Episcopi, emissoque voto, accedens ad sepulcrum prædictum, ubi cum devote orasset, petens a Deo ejusdem Sancti meritis, ex tunc se sensit a quartana febre curatum.

Eodem die Rainaldus de Barulo cum per biennum passus fuisset gravem dolorem lumborum, ita quod non posset de uno loco ad alium se movere, concepta devotione, ad dictum sepulcrum

cum

A cum reverentia veniens, ibi cum devote orasset, beati Augustini meritis statim surrexit perfecte curatus ab omni infirmitate doloris.

mutos,

5 Die vigesimo octavo ejusdem, Marcus, filius Angelæ, de civitate sanctæ Mariæ, cum a sua nativitate habuisset brachium dextrum desiccatum, cujus usum totaliter amiserat naturalem, ad dictum sepulcrum cum devotione portatus; supra quod aliquantulum procumbens, statim cum brachio curato surrexit.

Eodem die Guillelmus, filius Philippi, de Luceria, cum a mense maii sextæ Indictionis *f* tunc currentis ex quadam infirmitate tunc superveniente verbum * totaliter amisisset, ita quod nullo modo loqui valeret, nec aliquod verbum de ore suo proferre, ad dictum sepulcrum cum devotione accedens, ibi cum devote procumberet, continuo fuit sibi beati Augustini meritis loquela pristina restituta.

f

* *id est* loquelam

6 Romualda de sancto Severo quemdam habens filium, patientem caducum pessimum morbum, devote beatum exoravit Augustinum, ut B filium sibi daret totum liberum; qui ad ejus sepulcrum portatus, protinus surrexit curatus.

morbum caducum patientes,

Eodem die Margarita, soror Romanellæ, de civitate sanctæ Mariæ, cum numquam a nativitate sua vidisset, et totum corpus haberet contractum et curvum totaliter, ita quod nullo modo posset erecta incedere, sed quasi ventrem in terram protraheret, ad dictum venerabile sepulcrum cum devotione portata est; super quod paululum orans, et de pulvere præfati sepulcri cum suos abstersisset oculos, protinus plene illuminata ac extenta et erecta surrexit, ab utraque infirmitate curata.

Eodem die Joanna, de civitate sanctæ Mariæ, cum esset in tantum contracta et curva, quod erecta nullo modo ambulare posset, et esset omnino surda, quæ nihil audire poterat, concepta devotione accedens ad sepulcrum prædictum, ibi aliquantulum orans, fuit statim ab omni sua infirmitate curata.

cæcos,

7 Eodem die Gregorius, privignus Joannis de citrario, de civitate sanctæ Mariæ, qui visum totaliter amiserat, concepta devotione et emisso voto, quod ad honorem beati Augustini præfati sex Missas cantari faceret, et cereum unum ac- C cendi super ejus sepulcrum, continuo fuit sibi visus restitutus, et vidit.

Henricus * de Septem fratribus, habitator civitatis sanctæ Mariæ, magnis oppressus doloribus, ita quod aliquo raro poterat ire, quia erat valde totus de persona contractus *g*, quia juxta prædictum mirum sepulcrum positus fuit, rediit ad propria pedibus suis sanus.

* *alias* Herricus

g

contractos

8 Eodem die filius Bartholomæi Mucii de Apicio, qui septem mensibus ambulare non poterat, habens crura omnino contracta, cum per parentes ejus fuisset ad dictum sepulcrum cum devotione portatus, fuit statim sanitati pristinæ restitutus, et ambulavit, ut sanus.

h

Eodem die Joannes de Santorello, et ballivus de Monte-leonis *h* cum paterentur febrem acutissimam, concepta devotione ad beatum Augustinum prædictum, dixerunt cum desiderio: O utinam haberemus aliquantulum de pulvere sepulcri beati Augustini, et ipsum pulverem in aqua positum biberemus! Post ejus potum firmiter speramus consequi sanitatem. Quibus verbis sic devote prolatis, continuo febre cessante, perfecte se senserunt, a qua affligebantur, infirmitate sanatos.

Eodem die Romualda, de sancto Severo, habens quemdam filium patientem morbum caducum, de quo nullis poterat remediis liberari, concepta devotione per eum ad beatum Augustinum præfatum, dictum filium suum ad ejus sepulcrum cum devotione portavit: et positus super illud, post paululum surrexit perfecte curatus. EX MS.

a dæmone vexatos,

9 Nobilis Helena, de Casali-novo, vexata semper erat a dæmone, qui tam hiemali tempore quam æstivo raro sinebat ipsam quiescere; nec aliquo remedio potuit liberari, donec ad sepulcrum sacrum se fecit transportari. Mirum et magnum prodigium factum fuit meritis sancti Augustini.

Eodem die Joannutius filius Joannis Hippolyti Buverii *, de dicta civitate sanctæ Mariæ cum numquam vidisset, eo quod omnino visu careret *i*; quem ejus pater concepta devotione ad dictum sepulcrum cum maxima devotione portaret, ipsumque per manum conduceret, ut fuerat consuetus, dum illuc pergerent, dictus Joannutius ait: Pater, dimitte me, quia bene et clare video, et per me sine conductore ambulare possum. Et fuit visus miraculose restitutus eidem. E

* *alias* Buceri.

i

surdos,

10 Eodem die Flora, uxor Nicolai de Aqua nigra, de civitate sanctæ Mariæ, singultum gravissimum patiens, cum nullis posset remediis liberari, ad dictum sepulcrum cum devotione accedens, ibique morans per horulam, fuit protinus ab omni infirmitate curata.

Eodem die Leo de Longobuvo *, de prædicta civitate, qui a mense Maii anni sextæ Indictionis auditum ambarum aurium totaliter amiserat nihil audiens; emisso voto, ad dictum sepulcrum cum devote orasset, statim recuperavit auditum.

* *alias* Longobuco

Pretiosa, filia Guarnatæ, patiens in gutture dolorem maximum, ita quod proinde etiam amiserat verbum, cum ad sanctum sepulcrum venisset, et de ipsius terra bibisset, statim gutturis tumor disparuit, et ipsam Dei gratia sanavit.

Eodem die notarius Odorisius de Monte Odori, de civitate prædicta, cum longo tempore de auricula dextera non potuisset audire, accedens cum devotione ad dictum sepulcrum, et de pulvere, qui erat super ipso sepulcro, in dicta auricula ponens, statim dicti beati Augustini meritis recuperavit auditum. F

paralyticos,

11 Die penultimo ejusdem, Henricus de Septem fratribus *k*, habitator civitatis sanctæ Mariæ, qui per triennium graves et varios dolores passus fuerat in toto tempore, ita quod erat exinde totus de persona contractus, qui nec pedes, nec eques per se solum poterat ambulare, concepta devotione, ad dictum sepulcrum portari se fecit in quodam asino: qui juxta venerabile sepulcrum prædictum positus, post paululum surrexit, perfecte ab omni, qua affligebatur, infirmitate curatus, et redit ad propriam domum suis pedibus.

k

Eodem die Angela, uxor Malafofii *, de civitate sanctæ Mariæ, cum vexata a dæmone semper esset per quatuor annos, ita quod quiescere non valeret; ad dictum sepulcrum cum devotione portata, statim fuit liberata perfecte a vexatione præfata.

* *alias* Malafolii

calculo laborantes,

12 Bartholomæa de Alesina, filia Severi, fuit semper surda atque muta omni tempore sui ævi. Devotione concepta, prædictum patrem suum petit, ut ferretur ad beati Præsulis sepulcrum.

Et

EX MS. Et postquam in ecclesia sancti Antistitis fuit, loquens et audiens, lætabunda inde recessit.

Eodem die Matthæus Maccaronus, de civitate prædicta, cum pateretur duplicem tertianam, concepta devotione ad beatum Augustinum prædictum, de cujus sepulcri pulvere cum aqua cum devotione potarat, fuit protinus post potum ipsum ab omni infirmitate curatus.

Eodem die Rainaldus, filius Francisci Leonis, de civitate prædicta, vitium petræ * in virga patiens, ita quod a carnisprivio prædicti anni sextæ Indictionis *l* numquam libere et absque dolore mingere potuisset, ductus a matre sua cum magna devotione ad sepulcrum prædictum, statim libere minxit ibi proprie bis in maxima quantitate sine aliquo dolore, totaliter ab omni infirmitate curatus.

* *id est* calculi

l

Eodem die Doprina Henela *, de Casali-novo, vexatata per virginti annos a dæmone numquam quiescere valens, nec alio remedio liberari, ad dictum sepulcrum cum devotione portata, fuit protinus a qua tenebatur vexatione dæmonis liberata.

* *alias* Dopreria Helena

B

aliisque morbis afflictos

13 Die ultimo ejusdem, Philippa, filia Nicolai de sancto Germano, de Luceria, cum de uno oculo nihil videret, ad dictum sepulcrum per matrem suam cum devotione ducta fuit, et statim plene illuminata est.

Nicolaus, dictus Calaber, civitatis sanctæ Mariæ habitator, mœstus stabat, eo quod erat nemo prolis suæ curator, et sic infirmabatur graviter, atque desperabatur leviter. Cumque pater de sui filii nece condoleret, de sepulcri terra arripuit, ut ori imponeret *m*.

m

suo patrocinio

n

14 Die primo Septembris septimæ Indictionis *n*, Mansella de Casali-novo per multos annos vexata graviter a tribus dæmonibus, non valens aliquibus remediis liberari, cum per virum suum ducta fuisset ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Oliveto, vivente tunc sancto Augustino præfato, et in suo episcopatu Lucerino morante, dum iter arriperet, dæmones in dicto corpore commorantes cœperunt altis vocibus clamare et dicere: Augustinus faciet nos hinc exire, ignorantibus, qui ipsos audiverant, de quo Augustino dixissent. Obeunte postmodum præfato Augustino beato, propter multa miracula, quibus idem clarescere cœpit, post obitum dictus vir jam dictæ dæmoniacæ ad dictum sepulcrum ipsam cum devotione portavit. Quibus illuc pergentibus, duo prædicti dæmones ad idem sepulcrum non præsumentes accedere, in itinere de ejus corpore abierunt: in quorum exitu bovem unum, ibi pascendo morantem, subito necaverunt. Tertius autem, qui ibi remanserat adhuc clausus, protinus quod dicta mulier ad dictum sepulcrum accessit, de ejus corpore exivit cum maximo gaudio *o*.

C

o

prodigiose sanat.

15 Quidam, nomine Simeon, de Barulo, cæcitate valde percussus, poscit a filio suo Nicolao, quod manualiter sit ductus ad ecclesiam, ubi sancti Episcopi erant reliquiæ, ut super ejus oculos deberent FF. Prædicatores illas cito apponere: qui flentis precibus moti, compleverunt votum cæci. Respiciens sanctus Præsul ejus humilitatem ac devotionem, clementia Salvatoris cæci oculis dat illuminationem.

D

ANNOTATA.

a *Ferrarius tantummodo legit aut dixit, ipsum* ex nobilibus et piis parentibus *ortum esse.*

b *Ferrarius ibidem geminam scientiam, scilicet divinam et humanam, pro* philosophica et theologica *accepit. Sed hujusmodi levioris momenti discrepantias deinceps non annotabo.*

c *Hic significatur civitas Lucerina, cui nomen* sanctæ Mariæ *ante episcopatum* B. Augustini *impositum fuit, ut in Commentario prævio num.* 36 *et sequente diximus.*

d Puncta, *id est* mucro, *ut ex sensu satis patet. Nos voluimus fideliter antiquam hujus miraculi narrationem transcribere, quam Ferrarius ita mutavit:* Quo casu ensis, quo erat accinctus, de vagina egressus est, et pomo ipsius terræ infixo, erectus mucro bene acutus Paschalem recta per pectus excepit, omnino transfigendum; sed beati Augustini auxilio, mucrone ad pomum curvato, ab omni læsione liber evasit.

e *Laudatus Ferrarius habet:* Mulier nomine Odina, cujusdam de Bononia uxor. *In Ms. nostro Officio non legitur* uxor, *nec hanc vocem addere volui, quia forte hoc loco* mulier *pro uxore accipitur.* E

f *Mense Maio currebat Indictio sexta, quæ denotat annum Christi* 1323, quo B. Augustinus *ad Superos migravit.*

g *Ferrarius in Officio edito hæc clarius sic expressit:* Quod esset toto corpore *contractus.*

h *Idem Officii editor legit* Ballictus Macteleonis. *Utra lectio sit præferenda, ignoro.*

i *Sensus juxta syntaxim non cohæret; quod hic semel notasse sufficiat, dummodo in aliis significatio utcumque intelligatur.*

k *Supra mentio facta est, cujusdam Henrici vel Herrici, qui etiam* de Septem fratribus *cognominatur, et simili fere morbo laborabat. Quare dubitamus, an hoc loco idem miraculum repetatur, quamvis hic plures circumstantiæ adjungantur.*

l *Tempus, quod hic exprimitur* a carnisprivio prædicti anni sextæ Indictionis *significat, Rainaldum illum a Quadragesima anni* 1323 *usque ad finem Augusti, calculo laborasse. Porro Ferrarius in eodem Officio narrationem illam sic libere mutavit:* Eodem die Raynaldus, filius Francisci Leonis, de civitate prædicta, calculo laborans, ita ut multo tempore libere et sine dolore urinam emittere non posset, ductus a matre sua cum ingenti devotione ad sepulcrum, ibi emissa urina absque dolore in magna quantitate, totaliter est ab infirmitate curatus. *Ita quidem ille elegantius, sed non fidelius.* F

m *Videtur hic in Ms. nostro aliquid deesse, quod Ferrarius ita mutavit ac supplevit:* Nicolaus Calaber, civitatis sanctæ Mariæ incola, tristabatur graviter, quod filio infirmo ac desperato nullum esset remedium; qui in B. Augustinum fisus, persensit auxilium: nam de sepulcro arripiens pulverem, ori infundens, erexit eum sospitem.

n *Hinc liquet, Indictiones eo tempore etiam in civitate Lucerina a Calendis Septembris initium sumpsisse: nam hic a primo die Septembris anni* 1323 *numeratur Indictio septima, cum supra mense Maio ejusdem anni Indictio sexta computetur.*

o *In Ms. nostro legitur dæmon energumenam reliquisse* cum maximo gaudio, *cum tamen Ferrarius dicat, ex corpore mulieris obsessæ exivisse* cum maximo ululatu. *Potest autem intelligi, quod malignus ille spiritus exierit* cum maximo gaudio, *quia forte ibi vehementius torquebatur.*

QUARTA

QUARTA DIES AUGUSTI.

SANCTI QUI PRIDIE NONAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Aristarchus.
S. Perpetua, Romæ.
S. Tertullinus presbyter martyr, Romæ.
B S. Agabius episcopus confessor, Veronæ.
S. Crescentianus, S. Justus, S. Sachinius — MM. Romæ.
S. Sergius, S. Bartholomæus — MM. Nicomediæ.
S. Eleutherius martyr, Tarsiæ.
S. Epiphanius, S. Isidorus — MM. Vesontione.
S. Eudocia martyr, in Perside.
S. Ia et socii martyres, in Perside.
S. Peregrinus, S. Machoratus, S. Viventianus — MM. Cenomanis.
S. Baumadus confessor, Tutelæ. E
S. Euphronius episcopus Turonensis, confessor.
S. Luanus seu Ligidius conf. in Hibernia.
S. Sigrada vidua, Suessione.
S. Reynerius archiepiscopus Spalatensis et martyr.
S. Dominicus confessor, Bononiæ.
S. Ciccus confessor, Pisauri.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

C Memoria S. P. N. Phosterii *habetur in nostris apographis e codice Taurinensi, nec non e Menæo Ms. membranaceo conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis. Exstat jam pridem apud nos die* v *Januarii abbas synonymus, cum elogio e Menæis : quod sufficiat, hic indicasse. Vide interim dictum diem* v Januarii

Pataviæ in Norico, S. Valentini episcopi, *Ferrarii annuntiatio est, ex iis una quas absque delectu sæpius repetit dum alio die de eodem Sancto locutus est, hic ex Surio, alibi ex alio, quemadmodum hunc* S. Valentinum *signaverat, eo die quo de ipso in hoc Opere actum est* vii Januarii.

In Luca, memoria B. Richardi regis Angliæ Confessoris, qui ibi peregre obiit. *Additur :* Alibi supra. *Est annotatio Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, male istic posita, sed correcta, per* alibi supra; *nam de eo actum est a Majoribus nostris* vii Februarii.

S. Guilielmi translatio *est in Florario SS. Ms. Vide quæ de ipso dicta sunt* x Februarii.

S. Walburgis Virginis reliquiarum translatio *ab Anglicis, Gallicis, Belgicis et monasticis Martyrologiis hoc die certatim refertur, eo nimirum, quo solennius et festivius celebratur Furnis in Occidentali Flandria, ubi præcipua ei dicata est ecclesia, de qua et ceteris eo spectantibus atque egregie illustratis, videndus Commentarius ad hujus Sanctæ Acta prævius* § 6 *pag.* 519, *die quo ipsa colitur* xxv Februarii.

S. Agnes de monte Pessulano (*pro* Politiano) Ordinis Prædicatorum, *hoc die perperam adjicitur Greveno in additionibus Cartusiæ Bruxellensis; spectat ad diem, quo ejus gesta a Majoribus nostris jam illustrata sunt* xx Aprilis. F

S. Desiderius Viennensis episcopus et martyr *hic loco non suo ex Galesinio profertur a Ferrario in Catalogo generali, tametsi non ignoraverit in Romano bis signatum esse, nempe* xi *Februarii quo Sancti corpus Viennam ex loco martyrii translatum est, et* xxiii *Maii, ipso ejus martyrio sacra. Tu vide quæ de* S. Desiderio *dicta sunt in Opere nostro jam die assignato* xxiii Maii.

S. Protasius martyr *in Romano Martyrologio hoc die* Coloniæ *annuntiatur, ex eorum Sanctorum numero, quos Baronio suggessit Galesinius, ut ipse in notationibus fatetur perquam candide;* De eo etiam Galesinius *(poterat dicere solus Galesinius)* hoc die qui ejusdem ecclesiæ citat tabulas; *nempe,* pervetustum Coloniense Kalendarium, *quod jam toto sesquiseculo ab ipsismet Coloniensibus frustra quæsitum est, apud quos nimirum, in tam numerosa Sanctorum serie, nullus hactenus reperitur* Protasius, *ab ipsis certissime non rejiciendus, si ulla ejus vestigia usquam*

EX MS. *quam occurrerent. Suspicetur fortasse quispiam, reliquias aliquas sub* Protasii *nomine Brisaco (ubi etiam fratris S. Gervasii corpus honorari, antiqua traditio est) Coloniam delatas; atque inde Kalendario qualicumque* S. Protasii *nomen inscriptum. At neque hoc patientur Colonienses, sacrorum suorum pignorum in quantavis copia recensitores non minus diligentes, quam custodes seduli juxta ac soliciti. Utut tamen res habeat, et qualicumque de causa hoc die Coloniæ cultus fortasse aliquando fuerit, non alium hic verum* S. Protasium *intelligendum video præter eum de quo cum fratre Gervasio in Opere nostro, non uno loco actum est. Neque placet alia Petri Pauli Boscæ commentatio, qua* Protasium *illum, qui Mediolani in basilica S. Stephani colitur, putat Colonia eo adductum, et a Gervasii fratre plane diversum, qui fortasse fuerit e sociis S. Gereonis. Aliis argumentis opus est ut ea nobis sufficienter probentur. Videsis dicta* XIX Junii.

Eodem die B. Sidronii martyris, te Meessene in nostra Domina quiescit. *Verba sunt additionis Ms. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Tu* B *vide quæ de eo dicta sunt die natali* XI Julii.

SS. Septem Dormientes *hoc die celebrantur apud Græcos, in magnis eorum Menæis aliisque Fastis consignati. Eorum autem Acta jam illustrata sunt apud nos* XXVII Julii.

S. Tadwinum *Cantuariensem archiepiscopum nescio cur hoc die signet Bucelinus in suo Menologio, quem melius ante retulerat proprio natali die, quo de ipso actum est* XXX Julii.

S. Justinus puer *male hoc die collocatur a Florario SS. Ms. De ipso egimus ad diem* I Augusti.

S. Etheldrita reclusa *huc transfertur a Menardo atque etiam a Bucelino. Spectat ad diem quo de ipsa egimus* II Augusti.

Woltanus *certatim notatur in Tabulis et Kalendariis Hibernicis absque ulteriori notitia; verum ut nomina istic sæpius confunduntur, fallor vehementer, nisi indicetur S. Walthenus de quo pridie actum est* III Augusti.

Sexaginta martyres *in monasterio Floriacensi annuntiat Bucelinus, hoc die primo loco; tum autem loco ultimo, refert commemorationem omnium Sanctorum et Beatorum ejusdem monasterii a prima fundatione, etc.*

C Godefridum Heisterbacensem Beati *titulo hoc die ornat Bucelinus; certiora quæro ipsius legitimi cultus argumenta.*

Remigium *ex monacho Fiscanensi Dorcestrensem episcopum* venerabilem *vocat hoc die Bucelinus.*

S. Justinam martyrem *sub finem notarum suarum adjungit Ferrarius in Catalogo generali, ut quæ* ab ecclesia Tuscanensi, reliquias habente, colatur, *unde facile colligas, reliquias indicari ex cryptis Romanis acceptas, ac tali nomine insignitas, quales et hic et alibi plurimæ honorantur.*

Etwaldum abbatem *signatum reperit Bollandus in Kalendario Ms. Benedictino; ast hic alibi notus non est.*

S. Pantaleonis octava *signatur in editione Lubeco-Coloniensi; melius pridie relata fuisset.*

Joannam viduam Hispanam *nescio unde hoc die accersiverit Florarium nostrum Sanctorum Ms. ex quo in Grevenum transiit, ab ipso solo inter auctaria Usuardina signata, absque ulla ulteriori notitia, quam frustra alibi quæsivi hactenus. Istius nominis vidua aliqua ex* IX *Maii huc remissa est, nempe mater S. Dominici, de cujus virtutibus si quid dici poterit, invenietur in ipsa Sancti Vita hoc die danda.*

Item in Anglia, bonæ memoriæ Symonis comitis Lecestriæ martyris *alia est solius Greveni annuntiatio, inde descripta in Martyrologio Germanico, sub Canisii nomine citari solito.* D

Maurinus (*Gallice* Morin) *Autissiodorensis episcopus hoc die Sanctis adscribitur etiam a Castellano; ast de cultu docere nos non potuit Clarissimus adjutor noster, ejusdem ecclesiæ Canonicus et Succentor R. D. Le Beuf.*

Franciscam Pollalion *Avenione religiosam ad S. Praxedis Ordinis S. Dominici, melius ut venerabilem celebrat idem Castellanus.*

Ptolomæum martyrem Memphiticum et Moysem Auximitanum in Æthiopia episcopum *ex Fastis Æthiopicis seu Copticis apud Ludolfum hoc die eduxit Clar. Castellanus, cui labori poterat parcere.*

Philippum *porro inter episcopos Hierosolymitanos ordine* IX, *qua auctoritate Sanctis accensuerit idem Castellanus, prorsus non intelligo. Videatur Papebrochii Historia Chronologica ante tomum* III *Maii pag.* VI.

Certamen S. Lotarii *est in Martyrologio Arabico Ægyptio, quod Gratia Simonius ex Arabico reddidit. Cetera nos latent.* E

Certamen S. Jasonæ, *quod in dicto Martyrologio exstat, est obscurum etiam nobis atque prorsus incognitum.*

S. Eluanus, *sive* Lugidianus *annuntiatur hoc die apud Castellanum in Martyrologio universali et Vocabulario Hagiologico, tamquam eo jam colatur apud Armoricos in diœcesi Corisopitensi. Vide quæ de illo sciuntur in Commentario prævio ad Acta* S. Ligidi *seu* Moluæ, *hoc eodem die, a numero* 4.

Memoria SS. Patrum nostrorum et archiepiscoporum, qui fuerunt Ephesi, Joannis monachi ac Joannis junioris *intexitur apographo nostro ex Menæo Ms. membranaceo conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis.*

Petrus de Cesis (*alias* de Casa *seu* de Cesa) *Lemovicensis notatur a Philippo Visitantino in Acie sua bene ordinata ut* Sanctus, *qui* ex totius Carmel. Ordinis generali episcopus Vasionensis creatus per Clementem Papam VI, deinde etiam patriarcha Hierosolymitanus, doctrina et sanctimonia clarissimus obiit anno MCCCXLVIII; F miraculis ante et post mortem plurimis excelluit, ab immemorabili tempore cultus ut Sanctus aut Beatus. *Ita ille, sed solus asserit: Sammarthani in Gallia Christiana* miraculis *quidem* inclytum *appellant, at de cultu altum silent; neque alibi usquam inter Sanctos connumeratum hactenus invenimus.*

Lanfrancus Septala *totius Ordinis Eremitarum S. Augustini primus Generalis, quo die obierit, incertum est; hic ipsum refero, quod in chartis nostris sic alicubi notatum invenerim. Signatur annus* 1264 *in inscriptione, quam Herrera* moderne adjectam *et* decoratam *fatetur, in ecclesia S. Marci Mediolani, ubi sic legitur :* Hic sita sunt ossa B. Lanfranchi Septala, Mediolanensis, qui ob magnum virtutum splendorem, toti Augustiniano Ordini præfectus primus, ita se gessit; ut omnia penitus collapsa in pristinum statum redegerit. Obiit anno Domini CIOCCLXIV. *Distinctius alibi proditur ejus sanctitas, nam teste eodem Herrera,* exstat illius imago, titulo et radiis Beatorum nobilitata cum hac inscriptione : B. LANFRANCHUS DE MEDIOLANO. *Ita ille, dum interim nec in Ferrario, nec in Martyrologio Mediolanensi ulla ejus vel tenuis exstat memoria.*

A *moria. De vero cultu ejusque die certiores reddendi sumus, priusquam ei locus in hoc Opere inter Sanctos tribui possit.*

S. Justinum præsulem XV *Martii invenerunt Majores nostri in Martyrologio Cartusiæ Coloniensis solo nomine cognitum, eumque adeo, inter Prætermissos ibi signatum, remiserunt ad hunc diem* IV *Augusti, quo nempe sciebant in nostro Florario Sanctorum Ms. ac in Usuardis Coloniensibus referri* Justinum *aliquem* episcopum Confessorem. *At is non magis notus est quam* Justinus præsul, *ut et hic etiam tantisper prætermittendus sit, donec lucis aliquid suboriatur, unde colligi queat, quo demum spectet, aut cum quo alio Sancto synonymo confundendus sit; an forte cum S. Justino Pictaviensi episcopo, qui celebratur* I *Septembris : certe non cum illo S. Justino Monasteriolensi, hoc die ad S. Salvii coli solito, nam is pro martyre illo accipitur, de quo actum est* I *Augusti, unde et a Castellano in solo indice hoc die notatus est.*

Claram *Ordinis Cisterciensis virginem* Beatæ *titulo hoc die ornat Castellanus in suis ad Martyrologium*
B *Rom. additionibus ; quam certe mirum plane est in Kalendario Divione excuso, atque in Henriquezii Menologio omnino præteritam. Chalemotus hoc etiam die Castellano haud dubie præluserat his verbis :* In Loco-Dominæ-nostræ, sanctimonialium cœnobio juxta Ramorentinum, in provincia Soloniaca et diœcesi Aurelianensi, festivitas S. Claræ virginis reclusæ, seu monialis, cujus ossa, e vicina silva illuc allata, et diu religiose asservata, ac tandem per bella flammis data sunt, quamvis semper ejus memoria recolatur a peregrinis utriusque sexus. *De ætate, gestis aut singulari cultu nihil alibi uspiam reperire licuit, ut dubia saltem res tota maneat, donec monumentis paulo certioribus et distinctioribus instruamur.*

Antonii Ordinis Servorum *cum* Beati *titulo* Viterbii *memoriam agit Ferrarius in Catalogo generali, de quo tamen nec verbo meminit in majori Catalogo Sanctorum Italiæ, nec inter Sanctos Viterbienses ; ut cultum maxime dubium esse oporteat, de quo priusquam certior fiam, inter Sanctos aut Beatos eum computare, mihi integrum non est.*

C Dominicum Martinez *abbatem Alcobaciensem in Lusitania, non ut* sanctum *dumtaxat sed ut* sanctissimum *hoc die prædicat Henriquez in suo Menologio Cisterciensi, aitque* Sanctorum numero, *nescio qua auctoritate,* fuisse adscriptum, *ex fide Bernardi de Brito in Chronico Lusitanico Ordinis Cisterciensis; asserentis præterea,* Officio ecclesiastico cultum fuisse in ecclesia Eboracensi in regno Angliæ. *Henriquezium presse sequitur Bucelinus; at paulo modestior Chalemotus canonizationem illam populo potius adscribit, quam legitimæ auctoritati. De nulla nobis liquet; nec facile concipimus, unde prædictum qualecumque Officium ecclesiasticum in solam unam Anglicam ecclesiam Eboracensem penetraverit, ubi in toto reliquo orbe Catholico nulla ejus exstat memoria. Neque vero ad hunc diem pertinet. Dominicus ille, quem rectius consignavit Chalemotus die, quo obiit,* XXVII *Januarii. Si quid usquam de vero cultu subsit, doceri cupimus, ut dicta die, suo tempore de eo agi possit.*

Thomas Lombardus *qui tempore Elisabethæ Anglicæ, pro re Catholica in Hibernia multum et strenue laboravit, ab iisdem Henriquez, Bucelino et Chalemoto meritis laudibus celebratur, sed solo titulo* piæ memoriæ.

Cherubinum Spoletinum *Ordinis S. Francisci longo elogio prædicat hoc die Arturus in Martyrologio Franciscano, tantum non ut Sanctorum honoribus præditum, quos ego ei hactenus adscribere non ausim ; ut recte ab iis abstinuerit Hueberus, quamquam de cetero ipsum etiam magnifice extollat. Ubi de cultu constiterit, locus ei suus dabitur.*

Andreas ab Aiala
Franciscus Ægidius } *In India occidua*
et socii martyres
David confessor, *Neapoli in Campania.*
Paula de Monte alto virgo.
} *signantur ab Arturo cum titulo* Beati: *ultima etiam in Gynæceo.*

Addit Hueberus Cardinalem Albertum *(voluit dicere* Albretum), *Romæ anno* 1465 *habitu Franciscano in Ara cœli sepultum.*

Item Joannem de Atayde, *in Lusitania.*

Innocentium Taurinum, *apud Campum Bastum in Apulia.*

Franciscum Prantio, *in Hispania.*

Franciscum oblatum, *in loco deserto Palentinæ diœcesis in eodem regno.* E

Guiliermus Apselius Cartusianus *laudatur hoc die a Rayssio, ut qui in Valle gratiæ, conventu Cartusianorum prope Brugas, obierit Prior. Hinc ipsum accepit Castellanus in suis additionibus ad Martyrologium Romanum.*

Petrus Beetsius *et ipse Cartusianus prope Bruxellas elogio etiam ornatur apud eumdem Rayssium.*

Cæciliam virginem, *ut* S. Dominici primogenitam *hoc die in Gynæceo suo annuntiat Arturus, quem in Diario Dominicano citat Marchesius, haud dubie occasione sanctissimi Fundatoris, in cujus Vita, hoc die accurate illustrata, plura de ipsa memorantur. Quo die vere obierit, mihi necdum constat : multo minus de cultu, cum nec apud Ferrarium nota sit.*

Additur in Anno sancto Belgico Ignatia ab Angelis, *ejusdem instituti Barcinone defuncta, stupentibus ob admirandam ejus in moriendo voluptatem, consororibus omnibus.*

S. Fredulfum (*Gallice* Frion) *apud Santones nobis hoc die annuntiat Castellanus. Nos cum Saussayo, quid de eo dicendum sit, videbimus die sequenti* v Augusti. F

S, Ionium presbyterum et martyrem *non recte hoc die signat Florarium SS. Ms.; spectat enim ad diem sequentem* v Augusti.

Dedicatio basilicæ S. Mariæ Romæ *æque male hoc die refertur in codice Rhinoviensi; nempe spectat ad diem* v Augusti.

SS. Abel et Cassianus episcopi *in Tabulas Hibernicas transierunt hoc die. Quales et unde fuerint, patebit die sequenti* v Augusti.

Neque melius relatus est Oswaldus rex *spectans etiam ad diem* v Augusti.

S. Henrici episcopi Wintoniensis *memoriam agit hoc die Ferrarius, oblitus, opinor, eorum quæ dixerat in eodem suo Catalogo generali ad* IX *Januarii, ubi ipsum eumdem prius retulerat, utrobique perperam : ut videri potest in Prætermissis dicta die* IX *Januarii, ubi ex Martyrologio Anglicano aliisque probatis scriptoribus, eum Majores nostri recte tradunt obiisse die, quo de ipso agemus* VI Augusti.

Certamen S. Pamphili et Capitonis *notatur in nostro Menæi Ms. membranacei conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis apographo ; at de iis mentionem faciunt Menæa magna*

typis edita, ac Menologium ex interpretatione Sirleti vulgatum XII Augusti.

Helenam martyrem *quam hoc die refert Mariettu, non aliam esse a Burgensi, satis ipse indicat. Eam vero remittimus ad diem quo in Romano cum* Centolla *signatur* XIII Augusti.

SS. Centollam et Helenam *ex nescio quibus Tabulis ecclesiæ Burgensis in Hispania, hoc die nobis adducit Ferrarius in Catatogo generali; recte monens, referri ipsas in Romano eo die quo de ipsis agendum erit* XIII Augusti.

S. Andreas archidiaconus Fæsulanus *a Dempstero et Camerario annuntiatur hoc die, ut Sanctus popularis. De die cultus melius docere nos potest Ferrarius, qui in Catalogo generali eum refert* XXII Augusti.

S. Euladii episcopi Nivernensis et confessoris *annuntiatio est solius Florarii nostri SS. Ms., nescio unde accepta. Ipsum non novit Saussayus; at Castellanus habet illum eo die quo de ipso ex professo agetur* XXVI Augusti.

Dominicus Vallius (*alias* Del Bal) *infans martyr Cæsaraugustanus, a Judæis anno* 1250 *crudeliter excarnificatus, in scriptis nostris signatur* B *hoc die, forte quia tunc colitur S. Dominicus PP. Prædicatorum patriarcha, tametsi in Vita non exprimatur dies certa, sed Augustus mensis dumtaxat, unde fortasse a Tamayo et aliis refertur* XXXI *hujus, quo quid de eo statuendum, disquiremus* XXXI Augusti.

S. Justi ep. Lugdunensis translatio *ex eremo, non semel et hoc die et alibi in auctariis Usuardinis signata est; de eo agetur die quo ejus festum recolitur* II Septembris.

Sanctus martyr Thathuel in malo arbore suspensus consummatur; *prout habemus ex Menæis magnis, typo excusis, duos insuper ei versiculos accinentibus. Die* V *hujus in apographis nostris* D *e codice Taurinensi occurrit* Θουθαήλ *et additur ei* Christina, prope palatium, *quo etiam die ac modo exstant in extractis e Ms. Menæo membranaceo conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis, utrobique cum titulo* sanctorum Martyrum : *qui forte coincidunt cum* Thatuele et Charitina, *qui una cum aliis habentur in dictis Menæis magnis typo excusis, ad diem, quem tu consule* IV Septembris.

S. Justinus presbyter et martyr *Romæ percelebris a Wandelberto et in plurimis auctariis Usuardinis hoc die certatim refertur. Quin et ab Hieronymianis saltem contractis, in quibus fortasse pro hodierno* Justo *sumitur; verum in Rabano et Notkero tam distinctis characteribus signatur, ut dubitari non possit, quin is indicetur de quo egimus in Observationibus ad Usuardum* XVII *Septembris, ut patebit conferenti istorum annuntiationes cum textu ipsius Usuardi sic enim habent :* Item Justini presbyteri et martyris, de quo narratur in passione S. Laurentii quod multos ad fidem Christi converteret, et plurimorum Martyrum corpora sepeliret. *Remittitur itaque ad* E XVII Septembris.

SS. MM. Placidi et sociorum translatio *Messanæ hoc die signatur a nostro Cajetano : heri de eorum inventione actum est ; sed et ipsa et hæc translatio spectant, ut ibi dictum est, ad diem, quo de ipsis agetur, nempe* V Octobris.

S. Judocum *alicubi perperam hoc die signatum invenit Bollandus. Nota est ejus festivitas* XIII Dec.

S. Nicodemus *ex aliqua hesterna annuntiatione huc irrepserit, ubi tamen inventio potius recolitur quam natalis, qui ignoratur hactenus. Vide Prætermissos die præcedenti, ubi rem omnem remisimus ad diem* XXV Decembris.

DE S. ARISTARCHO

C J. B. S.

S. PAULI APOSTOLI DISCIPULO.

F

SECULO I.

Veræ ejus laudes ex Apostolo.

Q*uæ de hoc Sancto ut vera et indubitata tradi hic possunt, non aliunde certius et tutius accipiuntur quam ex ipsis Apostolorum Actibus. Ac primo quidem constat* Macedonem *fuisse Act.* 19 ℣ 29 *ubi Ephesiis pro sua Diana tumultuantibus*, impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. *Distinctius signatur ejus patria dum cap.* 20 ℣ 4 *dicitur fuisse* Thessalonicensis; *id quod denuo repetitur cap.* 27 ℣ 2, *ubi cum Magistro inter gravissima etiam pericula constanter perseverasse memoratur Aristarchus Macedo Thessalonicensis. Judæusne dicendus an Græcus, alii statuant. Pressius autem et de ipso loquitur, ejusque constantiam ad vincula usque demonstrat Paulus ipse ad Colossenses scribens cap.* 4 ℣ 10 : Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. *Item et ad Philemonem de eodem caro discipulo meminit. Atque hæc honorifica plane testimonia de* S. Aristarcho *verissime prædicantur. At vero, utrum quæ in Martyrologio Romano adjecta leguntur de Thessalonicensi* S. Aristarchi *episcopatu, de agonibus eorumque ibidem palæstra, utrum hæc, inquam, satis stabili nitantur fundamento, unde tuto conjici possit, hactenus non invenimus.*

Non ita constat utrum et ubi episcopus fuerit:

2 *Qui ipsum primus Sanctorum Fastis inscripsit auctor Romani parvi, recte et simpliciter annuntiat:* Aristarchi discipuli Apostolorum. *In eumdem sensum, sed paulo nitidius Usuardus:* Natalis beati Aristarchi, discipuli S. Pauli Apostoli. *Mirandum autem ostendimus in Observationibus nostris quod Usuardus Adonis Festivitates Apostolorum non consuluerit, saltem secutus non sit, ut ferme merito quis suspicetur, de Adoniani elogii sinceritate ipsum dubitasse. En ipsam integram Viennensis annuntiationem :* Pridie Nonas Augusti. Natalis beati Aristarchi, de quo Apostolus Paulus Colossensibus *scribit :* Salutat vos Aristarchus concaptivus meus ; qui comes individuus Apostolo permansit usque ad ejus confessionem ; qui constitutus Thessalonicensium episcopus, post

longos

A longos et beatissimos agones a Christo coronatus, quievit. *Aperte hic indicatur episcopatus Thessalonicensis, de quo in antiquioribus nulla, quod sciam memoria : tum mortis genus, de quo dubites, martyrne an potius confessor vitam finiverit;* post longos agones a Christo coronatus, quievit. *Hinc certe passim eruunt, qui de Aristarcho loquuntur, cum Tillemontio tomo* 1 *pag.* 571, *non martyrio ab hominibus, sed a Christo coronatum, quievisse in pace.*

item an vere martyr;

3 *Ex aliis classicis Martyrologis dirimi nequit controversia, frustra vero Usuardinorum codicum seriem huc adduxero; ex eorum aliquo, qualis est Bruxellensis acceptam oportet annuntiationem hodiernam Martyrologii Romani, quæ ipsa ex Adone contracta est :* Thessalonicæ, natalis beati Aristarchi, discipuli et comitis individui sancti Pauli Apostoli, de quo ipse ad Colossenses scribit : Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. Is ab eodem Apostolo Thessalonicensium episcopus ordinatus, post longos agones, sub Nerone coronatus a Christo, quievit. *Nihil his lucis attulit Baronius neque alius quisquam, quod sciam : tenebras meras affudere Græci, ut mox patebit apertius.* B *Solvenda omnino esset difficultas jam tacta de S.* Aristarchi *extremo agone, violentusne is ad mortem fuerit, ut in brevissimo suo elogio cum Græcis tradit Equilinus, an vero in pace quieverit. Alterum, de quo non constat, quæritur, unde didicerit Viennensis, fuisse ipsum Thessalonicensem potius episcopum, quam, ut Græci volunt, Appameensem. Tertium denique, undenam confici certo queat, ipsum Thessalonicæ potius, quam Romæ aut alibi extremum spiritum Deo reddidisse. Vera ut vera tradimus ; ambiguis in suo gradu relictis, dum iis dissolvendis nulla aliunde momenta suppetere, ea frustra investigando, experti sumus.*

AUCTORE J. B. S.

Græcis omnia magis involventibus.

4 *Jam ut ad Græcos accedamus, non unam apud ipsos festivitatem, ut vel ex solo Menologio patet, obtinuit* S. Aristarchus, *adscriptus ibi* LXX *discipulis junctusque primum Pudæ seu Pudenti et Trophimo* XIV *Aprilis, ubi ex supposititio Dorotheo, pluribus ibi laudato, ita legitur :* Sanctorum patris Aristarchi, Pudentis et Trophimi, qui cum essent ex LXX, post Pauli Apostoli mortem, et ipsi, Nerone imperatore capite cæsi sunt. *Rursus vero* XXVII *Septembris fit Commemoratio sanctorum* Apostolorum Marci, Aristarchi et Zenonis (*pro* Zenæ). *De nostro autem seorsim hæc ibi memorantur :* Aristarchus etiam ex septuaginta fuisse invenitur, cujus Apostolus Paulus meminit. Hic Apameæ Syriæ episcopus fuit; vir egregiæ sanctitatis, alter Joannes, locustis et melle silvestri nutritus, zona pellicea indutus. *Hæc omnia Græca elogia, uti et superiora, quanti facienda sint, ex fonte, unde promanant, facile intelligitur : quid* E *enim de Dorotheo isto censendum, jam Majores nostri non semel et abunde declararunt, ut habes in notula ad diem* XV *Synaxarii post tomum primum Aprilis ; item tomo* I *Junii pag.* 436 *et alibi. Tædet eamdem cramben hic denuo recoquere ; neque alia æque incerta ex Petro de Natalibus aut aliunde juvat accersere.*

DE S. PERPETUA

ROMÆ.

J. P.

C

SYLLOGE

De cultu, elogiis, gestis, sepultura, loco et anno mortis.

SECULO I.

Memoria in Adone, Martyrologiis recentioribus,

Acta S. *Nazarii martyris ad diem* XXVIII *Julii a nobis examinata,* Perpetuam *ejusdem Sancti matrem fuisse memorant ; quo sub nomine sacris etiam Fastis inscribitur ; ex dictis Actis aut certe similibus, prout nobis quidem videtur, desumpta. Ado ad* XII *Junii elogio S. Nazarii illam inserit his verbis :* Beati Nazarii pater Africanus ; mater vero Perpetua, a beato Petro apostolo baptizati. *Molani editio anni* 1573 *inter additiones Usuardo suo adjectas sic habet :* Romæ beatæ et sanctæ Perpetuæ, matris S. Nazarii, *ad marginem citans* Ambrosianam Missam. *Adde alios recentiores Galesinium, Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, Piazzam in Hemorologio sacro Romæ Christianæ et gentilis. Martyrologium Romanum sic habet :*

ac Martyrologio Romano :

2 Romæ, sanctæ Perpetuæ, quæ a beato Petro apostolo baptizata, Nazarium filium, et Africanum virum ad fidem Christi perduxit, et multa F sanctorum Martyrum corpora sepelivit; ac tandem bonorum omnium meritis cumulata migravit ad Dominum. *Fontem, e quo hæc hausta sint, assignat Baronius in notationibus ad dictum Martyrologium die* IV *Augusti,* tabulas *videlicet* ecclesiæ Mediolanensis, et Acta SS. Nazarii et Celsi, quæ habet Mombritius tom. 2. *Utinam vir sapientissimus paullo meliora nobis designasset documenta circa res gestas Sanctæ hujus ! Nam quod ad cultum ejus publicum apud Mediolanenses ab immemorabili tempore attinet, et quidem satis solennem, sufficientes ad hunc ipsi cum Martyrologio Romano asserendum suggerunt notitias Missale ac Breviarium istius ecclesiæ, hoc quidem anno* 1539; *illud autem anno* 1522 *typis excusum.*

cultus et elogium ex Missali Mediolanensi seu Ambrosiano,

3 *In dicto Missali notatur de ea Missa de communi matronarum, adjectis ipsi propriis orationibus* super populum, super sindonem, super oblata; præfatione, et post communionem. *Præfatio vero ista sic eam laudat:* Deus, qui... beatam Perpetuam sic tuæ gratiæ radio illustrasti, ut execrato gentilitatis errore, ab Apostolorum Principe baptizata, non solum filium Nazarium ad Christi cultum flecteret, sed et Affricanum, ejus infidelem virum,

Judaici

AUCTORE J. P.

Judaici ritus cultorem, fidelis Mulier duplici lucro ditata, Christianorum collegio sociaret. Hæc misericordiæ operibus exuberans indigentibus subvenit, et afflictos miseria consolatur. Hæc beatorum Martyrum corpora pio tradit studio sepulturis. Hæc miris coruscans virtutibus, fugat dæmones : a morbo cancri Serviliam matronam liberat : Juliam Neronis filiam sanat lunaticam : ab ignis incendio Romam crucis signo servat indemnem : filium suscitat Mamurtini. Hæc denique in sinceritate fidei, et operum sanctitate perseverans, carnis deserens claustrum, læta migrat ad Christum.

et lectionibus propriis Breviarii,

4 *Breviarii Mediolanensis Lectiones jam assignatæ eadem facta narrant; sed præmittitur illis annuntiatio :* Romæ beatæ et sanctæ Perpetuæ, matris sancti martyris Nazarii; *Molanianæ, quam paullo ante recitavimus, simillima. Orationes propriæ, quæ lectionibus istis præfiguntur, ibidem legi possunt. In Breviario Ambrosiano anni* 1635 *nihil aliud notatur inter Officia ad hunc diem* IV *Augusti, quam* commemoratio S. Perpetuæ matronæ, in primis Vesp. et in Laud. *Atque hæc ad probandum tam* B *antiquum quam hodiernum* S. Perpetuæ *cultum dicta sint satis. Incertiora sunt, quæ de ejus gestis modo produximus e Missali Ambrosiano, et quæ paucis perstringuntur in Actis S. Nazarii apud Mombritium. Rem expendamus.*

quæ discutiuntur.

5 *Imprimis ea, quæ referunt lectiones de* execrato gentilitatis errore, *etc., non satis consonant cum Actis S. Nazarii apud Surium, ubi eorum auctor de ipsius parentibus agens :* Eorum, *inquit*, Deus pietatem veluti remunerans... eis dedit filium, heredem simul virtutis et bonorum. *In Ms. nostro Ultrajectino S. Martini, e quo dedimus martyrium S. Nazarii ad dictum diem* XXVIII *Julii, narratur is fuisse* filius... Perpetuæ Christianissimæ... et a Petro apostolo baptizatæ; *qui baptismus etiam refertur apud Petrum de Natalibus in S. Nazarii Actis lib.* 6, *cap.* 147 *et alibi; verum an gentilis an Judæa ante baptismum fuerit, necdum comperimus. Alia, quæ lectiones de* S. Perpetua *memorant, facilius credere vel saltem supponere possumus, quam probare aut improbare. Quamquam cui non suspectum appareat illud :* Juliam Neronis filiam sanat lunaticam? *Nero quippe imperator* ex *Poppæa* filiam tulit, Claudiam Augustam, amisitque admo- C dum infantem (*uti est apud Suetonium lib.* 6, *cap.* 35, *pag.* 566, *editionis Lugdunensis, anni* 1548) *quartum nempe intra mensem defunctam : sicut ibidem in notationibus est. Vellem equidem, quæ de Servilia, urbe Roma, filio Mamurtini memorantur, ex idoneis documentis probarentur. De Africano consuli potest Commentarius prævius ad Acta S. Nazarii, die* XXVIII *Julii* § XI; *de quo mox hic recurret sermo.*

Facta quædam Sanctæ indidem recensentur,

6 *Nunc hisce attexo nonnulla ex qualibuscumque Actis S. Nazarii.* Civis Romana *cum in quibusdam exemplaribus, tum apud Mombritium, fuisse fertur; et secundum illum* nobili exorta prosapia. *Petrus de Natalibus dat ei titulum* nobilissimæ Romanorum; *Ms. Ultrajectinum S. Martini* Romanorum *item* nobilissimæ *prærogativa illam condecorat. Nobilitas ejus confirmatur ex S. Ennodio inferius assignando, quando dicit :* In stirpe Nazarius bona. *Mombritius virtutes Sanctæ nostræ sic breviter complexus est, dicens, quod,* quotidie ad adorandum Dominum Jesum Christum in eo, quo baptizata fuerat loco, et orationum dona solvenda properaret. *Ibidem habes hunc dialogismum Sanctæ cum suo filio, quem sic contraho :* Nazarius... abiit ad matrem suam, dicens : Nescis, mater, quod fuerit patris mei promissio, ut mihi religionis suæ cultum ostenderet... Admirata mater ejus super D ista, quæ ab eo dicebantur, dixit ad eum : Ostendat tibi Deus omnipotens veritatis suæ mysterium, ut merearis illuminari baptismo Petri, in quo baptizata sum ego... Respondit Nazarius... Rex est, in quo baptizata es tu, mater? Et ait illa : Etiam, fili, rex regum Dominus, et creator cœli et terræ... Audiens hæc beatus Nazarius, cœpit jam quasi sapiens architectus intra pectus suum ædificio semper mansuro æterna construere fundamenta, *etc.*

ad Acta S. Nazarii expensa.

7 *Unde liquet, hæc Acta in eo convenire cum sæpe dictis lectionibus, quod* filium Nazarium ad Christi cultum flecteret; *sed hæ ab illis discrepant in baptismo Africani, dicuntque illum a sua conjuge* Christianorum collegio sociatum, *ac proinde ad Christum conversum. Conversio autem ista non* S. Perpetuæ *adscribitur apud Mombritium, sed S. Petro apostolo. Audiatur textus :* Fertur *Nazarius* Romam properasse, *ubi ex patre Africano intellexit,* quomodo ei per visionem B. Petrus apostolus apparuerit, et doctrinam Christianæ religionis imbuerit... Ergo tantæ visionis novitate per- E territus, jam nihil aliud, *inquit*, licere decrevi, quam quod Apostolico eo præcepto monitus, ut Christum crederem, baptismi me unda purificarem. *Eadem Acta apparitionem Sanctæ filio suo Nazario factam sic memorant :* Nocte, beatissima mater ejus Perpetua... per visum adstitit ei dicens : Transi nunc a terra hac; quia et Galliarum civitatibus oportet te Christi Euangelium prædicare.

Corpus an alicubi exstet?

8 *Cum exstent tam pauca* S. Perpetuæ *documenta, non mirum de ejus sepultura aut sacris lipsanis vix quidquam inveniri. Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* 135 *profert librum Italice conscriptum, et anno* 1515 *editum* De indulgentiis et corporibus sanctis, quæ sunt in ecclesiis urbis Mediolanensis, *etc., ex* antiquis registris et privilegiis authenticis; *in quo libro inter reliquias, in basilica Nazariana custoditas, ita indicari refert :* Ibi jacet S. Nazarius martyr; *et post plures alios Sanctos, quorum ibidem dicuntur jacere corpora, ponitur ipsa quoque* S. Perpetua, mater S. Nazarii. *Sed nos isti libro, quidquid antiqua registra et privilegia præferat authentica, in hoc non credimus.* F *Neque ei ipsemet credidit Puricellus : nam cap.* 171 *agens de libro, quem sub titulo* Septem ecclesiæ vel basilicæ stationales urbis Mediolanensis, secundæ Romæ, *anno, uti addit,* 1627 *Italico sermone vulgavit Joannes Baptista Villa; corporibus in basilica Apostolorum (quæ est eadem cum Nazariana) conditis Puricellus ex isto auctore accenset corpus* S. Perpetuæ, matris sancti Nazarii; quam aliqui volunt esse sepultam in ista basilica. *Sed Puricellus istis verbis interserit, hoc se magis optare, quam credere. Præplacet nobis sententia Piazzæ supra allegati, qui dicit,* de isto sacro corpore huc usque non esse notitiam.

Locus mortis et ætas.

9 *Quod attinet ad locum, quo* S. Perpetua *mortalitatem exuerit; etsi id ex nullis certis antiquis monumentis conficere possimus, malumus tamen sapere cum paucis, et loqui cum pluribus, ac Martyrologio Romano, eamque Romæ annuntiare. Favent ea, quæ cum de patria ejus, tum de vitæ instituto dicta sunt ex documentis saltem qualibuscumque : e quibus si ipsius etiam ætatem, qua vixit obiitque, ad tempora Neronis reduxeris, non refragabimur ita cum aliis loqui, dicente Baronio ad annum* 69 : Commendantur in hac *Neronis* persecutione, studia inter alias duarum sanctissimarum mulierum

Lucinæ

A Lucinæ atque Perpetuæ. *Nos interea ad tempus ætatis utcumque figendum, habemus in promptu S. Ennodium, episcopum Ticinensem, qui in hymno, quem panxit de S. Nazario, Carmine* XVIII, *de illo diserte canit :* Nerone felix principe, diversa perpessus mala, lustravit orbem. *Vixit ergo Sanctus, Ennodio teste, sub Nerone ; atque adeo conficitur, quo* S. Perpetuæ *ætas, eodem teste, referenda sit.* D

DE S. TERTULLINO PRESB. ET MART.

ROMÆ.

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS

B
ANNO CCLVII.

Acta S. Tertullini *presbyteri et martyris petenda sunt ex Actis S. Stephani PP. I et martyris, quæ dedimus die 2 hujus mensis quoad potuimus, illustrata. Vide ergo, quæ de hoc* Tertullino *ibi narrantur cap.* 1, *num.* 8; *et cap.* 2, *num.* 14, 15, 16, *et* 17; *sed iis præmitte, quæ ibidem in Commentario prævio disseruimus toto paragrapho sexto, et maxime num.* 62, 63 *et* 64. *Annus idem ipsi martyrii palmam attulit, qui S. Stephano; a quo sepultus dicitur* in Crypta arenaria pridie Kal. Augusti, *hoc est, triduo ante, quam resecto capite discipulum sanctum sanctissimus Pontifex sequeretur; ita certe asserunt Actorum S. Stephani PP. et M. vetusta, quotquot inspeximus, exemplaria, si codicem nostrum unicum exceperis, qui sepultum refert* Tertullinum tertio Kalendas Augusti ; *quod secuti sunt Martyrologi unus et alter, ut in Prætermissis die* XXX *Julii observatum est; cum Ado et plures alii, de quibus in Prætermissis die* XXXI *Julii, lectionem nostram amplexi sint. Decessisse vero S. Stephanum anno Christi* 257, *die* 2 *Augusti, suo loco comprobavimus. Restat hic, ut de cultu et reliquiis* S. Tertullini *non nulla subjiciantur.*

Acta: annus, mensis, dies martyrii.

C
Colitur hoc die, etsi alio decesserit :

2 *Etsi quædam, ut modo insinuavimus, Martyrologia Sanctum nostrum annuntient eo die, quo narratur sepultus*; *usus Ecclesiæ Romanæ, qui hodieque in Martyrologio reformato servatur, celebritatem ejus ad quartum usque mensis Augusti diem differentis, antiquissimus est; ut patet ex Romano veteri apud Rosweydum nostrum, ubi annuntiatur his verbis :* II Nonas (*Augusti*) in Crypta arenaria, Tertullini martyris Romæ ; *item ex Adone, qui ad eumdem diem sic habet :* Item Romæ, in crypta Arenaria, natale Tertullini martyris, quem beatus Pontifex Stephanus baptizavit, et in albis presbyterum consecravit; cui inter cetera monita hoc præcipue commendavit: Frater, inquit, cura sit tibi diversorum requirere sanctorum corpora Martyrum. Qui post biduum ordinationis suæ tentus a Marco præfecto, eductus est ad Valerianum imperatorem. Quem ille extensum mactari fustibus jussit. Cumque impie cæderetur, clamabat: Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, qui me non separasti a Domino meo Olympio, servo tuo, qui me præcessit martyrio consummato. Cumque inter cædes hoc diceret, jussit Valerianus lateribus ejus ignem supponi. Cumque lætus et constans perseveraret, diceretque: Fac, miser, quod facis, celerius, ut me de hoc incendio, licet peccatorem, tamen pro ejus nomine, Christo offeras sacrificium; jussit Valerianus elevari eum, et tradi præfecto Sapricio. Qui primo jussit os ejus lapidibus conquassari, deinde extendi eum in equuleo, et nervis diutius torque- E ri, deinde ignibus concremari. Cumque perseveranter Spiritus sancti gratia roboratus, Christum Dominum fateretur, mandavit hoc factum Valeriano tyranno. Cui Valerianus remandavit, ut, data sententia, ejus caput abscinderetur. Tunc Sapricius depositum de equuleo jussit duci via Latina in secundo milliario, et ibidem decollari. Cujus corpus S. Stephanus Pontifex colligens cum clericis, et hymnis redditis Deo, sepelivit in eodem loco, in Crypta arenaria, secundo Kalend. Augusti. Ubi concursus solemnis fit II Nonas Augusti. *Eodem die refertur ab Usuardo, Notkero, et recentioribus passim.*

forte ob translationem aliquam olim hoc die peractam.

3 *Neque vero facile est translati hujus festi assignare causam; nisi forte corporis ejus aliqua fuerat olim eo die facta translatio ante tempora Martyrologii Romani parvi; de qua tamen meminit nemo. Suspicandi ansam præbet Panvinius in libello de Septem Urbis ecclesiis pag.* 94, *cum asserit,* S. Tertullini presbyteri *et martyris corpus olim fuisse in cœmeterio Callisti; puta ante, quam illud cum aliis quamplurimis anno Christi* 817 in mense Julio, die XX, Indictione X, *ad basilicam S. Praxedis transtulit S. Paschalis PP. I; ut idem docet pag.* F 259 *et sequente. Huic tamen opinioni refragatur Aringhus in Roma subterranea lib.* 4. *cap.* 5, *affirmans, corpora* S. Tertullini *nostri et aliorum aliquot Martyrum ex ipso* S. Tertullini *cœmeterio ad ædem S. Praxedis a Paschale translata fuisse : neque enim hactenus quispiam, quod sciamus, idem fuisse S. Callisti cœmeterium asseruit cum cœmeterio illo, in quo secundum Acta S. Stephani Papæ et martyris, corpora* SS. Tertullini, *et* 12 *clericorum Martyrum sepulta primum fuere ; cum hoc omnes ad viam Latinam, illud ad Appiam constituant. Dixi :* cum cœmeterio illo, in quo, *etc. : nam adduci vix possum, ut credam,* S. Tertullinum *et Martyres jam dictos conditos fuisse in cœmeterio quod eadem via Latina, secundo ab Urbe milliario, nec procul ab aquæductu, retectum anno Christi* 1687 *fuisse aiunt Raphael Fabrettus Inscriptionum antiquarum cap.* 8, *pag.* 547 *et sequente, ac Marcus Antonius Boldettus in Observationibus ad cœmeteria Martyrum lib.* 2, *cap.* 18, *pag.* 362, *cum hac inscriptione in aditu posita .* CŒMETERIUM BEATI TERTULLINI M: *non existimo, inquam, ibi sepultos fuisse Martyres illos; si verum est, ut Boldettus affirmat, repertum tunc fuisse cœmeterium*

istud

AUCTORE P. B.

istud prorsus intactum. At enim quid si delineatio, quam proferunt auctores illi, partem tantum exhibeat cœmeterii S. Tertullini, *quæ intacta manserit; aliam vero partem, pridem evacuatam ac dirutam, in qua fuerint Martyrum illorum pignora, non exhibeat?*

Corpus modo est Romæ ad S. Praxedis, et forte pars Anicii in Gallia.

4 *Ut ut est, sive Sancti nostri exuviæ in illo cœmeterio quieverint, sive in alio vicino; sive inde ad cœmeterium Callisti translatæ primo fuerint, sive non fuerint; negare non possumus, refossas olim fuisse, et in ecclesiam S. Praxedis in montibus a S. Paschale PP. I illatas. Hoc enim præter veterem tabulam marmoream apud Panvinium supra, testantur loco citato Aringhus, Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romanæ pag.* 236, *et in indice reliquiarum; ac Piazza in Hemerologio sacro die* IV *Augusti, quo ait,* festam S. Tertullini presb. et mart. memoriam [anniversariam] celebrari ad sanctæ Praxedis, ubi corpus ejus requiescit. *Hinc forte pars aliqua in Galliam Anicium devenerit. Certe secundum* Festa propria ecclesiæ cathedralis beatæ Mariæ Aniciensis, *anno* 1624 *ad formam Breviarii Romani redacta,* die IV Augusti *celebratur ejus Officium (remisso ad diem non impeditum Officio S. Dominici) cum novem lectionibus, quarum tres secundi nocturni propriæ sunt, et ex Actis S. Stephani depromptæ, nisi quod in fine hæc adjiciuntur:* Ad Aniciense templum S. Tertullini ossa delata, in capsulis duabus olim pendebant e tholo in altari principe; ubi et nunc in veneratione habentur. *Ceterum de modo ac tempore hujus translationis, nec ibi quidquam, nec apud Saussayum, in supplemento Martyrologii Gallicani hoc die, pag.* 1154, *nec alibi scriptum invenimus. De* S. Tertullini *martyris corpore, quod præterito seculo in ædem Collegii nostri Luxemburgensis Roma translatum colitur una cum corpore S. Chrysanthi M. Dominica* IV *post Pascha, nihil hic dicimus: satis longum de illo Commentarium dedimus tom.* 2 *Maii, pag.* 558, *quem qui legerit, facile deprehendet, Tertullinum illum ab hoc nostro diversum esse; quidquid aliter existimarit Saussayus in Martyrologio Gallicano ad diem* IV *Augusti, pag.* 490.

DE S. AGABIO EPISCOPO CONFESSORE

VERONÆ IN ITALIA.

J. B. S.

IV AUGUSTI.

Fuit tertius Veronensis episcopus,

Ubi *S. Proculi Veronensis episcopi gesta illustrata sunt* XXIII *Martii tomo* III *pag.* 450, *tum S. Alexandri ad diem* IV *Junii tom.* I *pag.* 399, *de ipsa Verona ejusque primis episcopis ea exposita sunt omnia, quæ alias hic omnino præmittenda essent: e quibus nimirum inter alia datur intelligi, unde primi urbis istius antistites, antea Classicis omnibus Martyrologiis incogniti, in Romano hodierno locum obtinuerint, procurante videlicet celebri episcopo, postea Cardinale Augustino Valerio, ut ibi jam satis dictum esse, nobis hic licet supponere. Eos inter tertius ordine est* S. Agabius, *vel* Agapius, *de cujus gestis aut certa ætate nihil hodie constare, rotunde declarat Panvinius; neque diffitetur laudatus Valerius, dum ei inter Veronenses suos episcopos hoc breve elogium concinnat pag.* 37: Agabius Veronæ episcopus, fuit vir pietate erga Deum et morum lenitate præstans. Virtutum omnium, fidei imprimis et liberalitatis in pauperes, omnibus futuris post se episcopis exemplum reliquit. Obiit pridie Non. Augusti; sepultus est in crypta basilicæ S. Proculi, sub altari in ejus honorem erecto. *Hæc paucula Valerius.*

cetera finxit Perettus.

2 *Baptista Perettus in brevi historia Italica Vitarum quatuor primorum Veronæ episcoporum, operi Valeriano subjuncta, dum ornatui fortasse nimium indulget, alia comminiscitur, quæ unde haurire potuerit, nemo historiæ peritus intelliget. Fingit nimirum Irenæum, nescio quem, Hierosolymitanum episcopum, et eum quidem historiæ ecclesiasticæ scriptorem, qui in prætensa historia tradiderit,* S. Agabium *hunc Veronensem, fuisse prius Cæsariensem in Palæstina episcopum, ubi post multos exantlatos labores, Pamphilum sibi substituerit, desertaque adeo prima illa sua sede, in Italiam partesque Veronenses appulsus, S. Cricino antistiti secundo, tertius ipse in ea ecclesia successor designatus fuerit, et quæ inde consectaria sunt; de quibus nec umbram invenias in Panvinio, Valerio aut aliis rerum Veronensium illustratoribus; ut proinde Valeriano elogio simpliciter inhærendum. Cui quod superadderet, nihil magnopere invenit Ughellus dum plantatam semel fidem, ab eo diligentissime cultam asseruit, multaque eum passum ait a tyrannis Christiani nominis. Ab omnibus refertur hæc inscriptio ejus tumuli:*

AGABIO, QUI
IN PONTIFICATU
TERTIUS
SUCCESSIT,
SACRUM.

Notatur sacri corporis inventio,

3 *Alia non suppetunt quæ de* S. Agabio *a nobis tradi hic possint præter ea sola quæ ad sacri corporis inventionem spectant, de qua loquuntur citati scriptores omnes, quidquid in anno quo res accidit, a ceteris dissentiat Ughellus; qui pro anno* 1492 *alium substituit, haud dubie errore typographi. Frustra hic describeretur ea historia, quæ occasione S. Proculi tota in Actis pridem data est ad dictam diem* XXIII *Martii pag.* 453, *ubi num.* 14 *hæc habentur quæ ad* S. Agabium *propius pertinent:* Postea, cum in illa arca, quæ prima ad Septemtrionem retecta fuerat, nullum appareret indicium humani corporis in ea reconditi, cujus nec debitam mensuram ipsa æquare episcopo videbatur; amoliti nihilominus sunt ingens, quo tegebatur, saxum, et omnia corporis jam consumpti ossa sub eo reperta sunt tam integra, quasi recens illuc illata fuissent; et in ipsa arca hæ litteræ sculptæ apparuerunt; HIC REQUIESCIT IN PACE SANCTUS AGABIUS EPISCOPUS. *De eadem inventione quatuor primorum*

A *morum episcoporum plura hinc inde memorat Valerius, sed quæ eodem plane recidunt.*

et Veronensium in ipsum pietas.

4 *Aliam inscriptionem refert Valerius in templo S. Proculi, ubi sacra honorantur corpora, positam anno* 1502, *in qua* S. Agabius *loco et ordine suo memoratur, ut de hodierno ejus cultu indubitata sint omnia. Neque hic prætermiserim aliud constantis Veronensium in quatuor primos suos antistites pietatis venerationisque monumentum, orationem nempe deprecatoriam, qua omnes simul invocantur sub hac formula:* Omnipotens sempiterne Deus, qui per salutiferæ prædicationis initium, beatorum Euprepii, Cricini, Agapii et Proculi, confessorum tuorum atque pontificum, nos famulos tuos ad agnitionem tui nominis venire dignatus es, præsta supplicibus tuis; ut eorum apud te precibus adjuvemur et meritis, quorum prius eruditione sanati, Catholicæ fidei meruimus habere primordia. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Amen.

AUCTORE J. B. S.

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

CRESCENTIANO, JUSTO

ET FORTE SACHINTO VEL JACHINTO

J. B. S.

B E

Ex Hieronymianis.

IV AUGUSTI.

Hieronymianorum confusio

De *sanctis pluribus martyribus sub* Crescentiani *nomine, jam in Opere nostro actum est* XVII *Martii,* XXVII *Maii,* I *et* XIII *Junii, atque item* II *Julii: sequuntur et alii in Martyrologio Romano, neque satis liquet, utrum cum nullo eorum confundendus sit is, de quo hic sermo est, apud aliquos* Justo, *apud alios* Justino *conjunctus, quem et subsequitur* Sachintus, *seu* Jachintus, *de quo tamen dubites, sitne duorum istorum socius; tanta nimirum hoc die codicum Hieronymianorum confusio est. Sic habet textus Florentinianus:* Romæ via Tiburtina in cimiterio, natalis sancti Crescentiani et Justi. Et natalis S. Sanchinti. *Confer modo verba Epternacensis:* Romæ, Crescentiani, Justini, Quinti, Bartholomiæ. *Corbeiense ad priorem textum satis accedit, at viris feminas substituit:* Romæ via Tiburtina, in cimiterio, natalis SS. martyrum Crescentianæ et Justæ. Et natalis S. Secinthi. *A Gellonensi, Morbacensi aliisque contractis, a nobis pridem editis, frustra quæretur subsidium, cum ibi res* C *magis involvantur:* Romæ, Laurentii, Crescentiani, Jachinti, Justi, Sege, Bartholomæi; *confusis nempe in unam diversis annuntiationibus.*

non facile explicabilis.

2 *Neque Florentinium magnopere juverunt annotata Holstenii aut alia adminicula, neque nobis aliunde vel maxima lux affulget. In ea perplexitate, ceteris præferenda videtur, ex codice Reginæ Sueciæ adducta apud Florentinium annuntiatio hisce verbis:* Romæ via Tiburtina, in cœmeterio S. Laurentii martyris, Crescentiani et Justi, et natalis S. Sachinti, *ut ibi certe ultimus prioribus subjungi videatur; quod tamen non ausim certo asserere, cum apud Notkerum soli duo signentur,* Crescentianus et Justus; *quod confirmare liceret ex codice Usuardino Vaticano signato num.* 5949, *nisi rem aliis implicaret, dum sic legit:* Romæ, sanctorum Crescentiani et Justi, et sancti Apollonii et sociorum ejus: *quæ ultima clausula a quo et unde annexa fuerit, prorsus non intelligo. Neque alibi quidquam reperies quod de horum Martyrum Romanorum Crescentiani, Justi, etc., aut ætate aut gestis tuto subjungere liceat.* F

DE SS. MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS

SERGIO ET BARTHOLOMÆO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

IV AUGUSTI.

Obscuritas et confusio Hieronymianorum, de his Sanctis

Quid *sibi hoc die velit antiquissimus codex Epternacensis, nemo facile divinaverit:* Nicomediæ Isali; *quod nomen librarii oscitantia corruptum esse oportet, cum in nullis aliis quidquam affine legatur, præterquam in codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi, ubi* Isai *exprimitur. Porro codices reliqui expresse Sanctos duos annuntiant, ut in textu Florentinii:* In Nicomedia, natalis sanctorum Sergi et Bartholomæi. *Corbeiense sic habet:* In Nicomedia, natales SS. Segæ et Bartholomæi martyris, *quæ annuntiatio eadem est in codice Reginæ Sueciæ a nobis edito, et etiam apud Florentinium. In aliis codicibus contractis major confusio, cum istic passim Romæ tribuantur, legaturque* Segæ et Bartholomiæ. *Melius, opinor, a nobis efformata nomina ex codice Fontanellensi, ut pro* Segæ *omnino scribendum censeamus* Sergii *quemadmodum supra expressimus.*

DE

AUCTORE P. B.

D

DE S. ELEUTHERIO MARTYRE

TARSIÆ IN BITHYNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus ; reliquiæ ; ecclesiæ ; Acta, et tempus martyrii.

SUB MAXIMIANO.

Sancti cultus recentior apud Latinos

B

Sanctus *hic martyr* Eleutherius, *quem Græci* Cubicularium *ab officio cognominant, Latinis ignotus omnino fuit usque ad reformationem Romani Martyrologii : est enim ab aliis omnibus nominis ejusdem Martyribus, quos per anni decursum veteres occidentalis Ecclesiæ Fasti celebrant, longe diversus ; ut ex singulorum vel Actis, vel positione, vel aliis hujuscemodi characteribus elucescit. Itaque ad hunc diem versus finem seculi decimi sexti audiri primum apud nos cœpit hæc ejus annuntiatio :* Constantinopoli, sancti Eleutherii martyris, ordinis senatorii, qui pro Christo in persecutione Maximiani gladio cæsus est. *In hac non satis assequimur, cur assignetur Constantinopolis, tamquam certaminis ejus palæstra. Id sane non legitur in Menologio Sirletino, quod solum hic citat in annotatis Baronius : in Annalibus autem, ubi ad annum* 311, *num.* 19, *idem affirmat auctor Eminentissimus, testem nullum producit. Atqui alibi et Christianum et martyrem esse factum* Eleutherium, *Græci tradunt ; ut mox videbitur. Hinc nos alium quoque ipsi locum in titulo Commentarii assignandum putavimus.*

quam apud Græcos

2 *Multo diutius dies hic idem quartus Augusti in ecclesia Græca consecratus Martyris hujus memoria reperitur : non enim in Menæis solum, apud Venetos anno* 1607 *excusis, refertur hoc die ; sed in Mss. longe vetustioribus : ab his tamen Menæa differunt,*

C

quod eumdem Eleutherium, alibi semel tantummodo, idque hodie, commemoratum : bis annuntiant ; die quarta videlicet Augusti, et quinta decima Decembris ; forte quod eorum auctor ignoraverit, eumdem esse. Sic autem habent loco priori : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ὁ ἅγιος Ἐλευθέριος ὁ κουβικουλάριος ξίφει τελειοῦται. *Id est :* Eadem die (IV *Augusti*) S. Eleutherius cubicularius gladio consummatur. *Tum binos hos tantum subdunt versiculos :*

Ἐλευθέριος οὐχ ὑπέπτηξε ξίφος·
Ἐλεύθερον δὲ εἶχε νοῦν παντὸς φόβου.

Id est :

Non pavidus aciem ferri Eleutherius tulit,
Animum sed omni liberum exhibuit metu.

Patet allusio nominum inter se affinium Ἐλευθέριος *et* ἐλεύθερος ; *acsi Latine dicas :* Liberius liberum animum, *etc.... Loco vero posteriori, seu* XV *Decembris, similis est annuntiatio :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἐλευθερίου, τοῦ κουβικουλαρίου. *Sequitur similis ad nomen allusio :*

Ἐλευθέριος ἐλευθερωθεὶς κόσμου,
Ὑπερκόσμιον εὗρεν ἐλευθερίαν ;

acsi legas : LIBERIUS liberatus mundo,
Libertatem invenit mundo altiorem.

Tum sequitur ejus elogium, ad sesqui columnam extensum, quod hic omittimus ; quia, si rem spectes, non multum differt ab Actis nostris, etsi phrasi plurimum discrepet ac brevitate.

eodem hoc die.

3 *Ceterum die non suo elogium istud et commemorationem hanc secundam* Eleutherii *in Menæis excusis esse collocata, colligimus ex Menæis antiquioribus Mss. bibliothecæ Ambrosianæ et Sirmondianis, quæ die* XV *Decembris de hoc Martyre non agunt ; sed sola die* IV *Augusti, qua et Martyrii ejus epitomen, ex Actis nostris, retenta passim eorum phrasi, contractam recitant, hoc titulo :* Ἄθλησις τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἐλευθερίου κουβικουλαρίου. *Solo quoque hoc die refertur in Menologiis Sirletiano (ut vide apud Canisium,) et Basiliano Cryptæ Ferratæ, cujus textum Græcum, ad calcem hujus Tomi datum, Latine sic vertimus :* Mense eodem, die IV, certamen sancti martyris Eleutherii, cubicularii. Natus erat sanctus Christi martyr Eleutherius in urbe Byzantina ; imperante Maximiano, senator idem et eunuchus ac familiaris imperatori. Sed quoniam Deo per mandatorum ejus observationem placebat, nec divino tamen initiatus adhuc erat baptismate ; hoc assequi desiderans, rogavit imperatorem, ut ad villam, quam habebat, suburbanam sibi liceret excurrere. Voti compos factus, agrum Sangaro fluvio vicinum adit ; ubi clandestinam sub terra molitus ecclesiam, ab adducto ad eam presbytero baptizatus est ; et ut imperatorem effugeret, morbum obtendit. At Maximianus, his cognitis, ad locum accessit ; et ecclesiam, atque altaris ornatum suis ipse conspiciens oculis, excanduit ; tum apprehensum ipsum cum satis primum excruciasset, caput ei demum jussit abscindi.

E

F

Ejus sepulcrum, in Bithynia

4 *Sed ut his omnibus Acta nostra putamus esse vetustiora ; ita nihil ad Martyris nostri cultum illustrandum æque hactenus opportunum invenimus : hæc enim non modo festum ejus anniversarium indicant in ipsa inscriptione, quæ talis est :* Μηνὶ Αὐγούστῳ Δ, μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἐλευθερίου, μαρτυρήσαντος ἐπὶ Μαξιμιανοῦ βασιλέως ; *id est :* Mense Augusto, die IV, martyrium sancti martyris Eleutherii, qui, Maximiano imperante, pro fide mortem oppetiit ; *verum etiam de sepulcro ejus et reliquiis ea tradunt, quæ fallor si uspiam alibi litteris consignata quis reperit. Ac primo quidem conditum fuisse Sanctum docent in eodem illo prædio suo, in quo fuerat interfectus (ut vide cap.* 2, *num.* 14 ;) *in Bithynia scilicet ad Sangarum amnem, haud procul admodum Nicomedia ; secundum cap.* I *eorumdem Actorum num.* 7.

prope Tarsiam, ecclesia augusta et miraculis insigne.

5 *Deinde tradunt, eodem cap.* 2, *num.* 14, *post redditam Ecclesiæ pacem, a viris piis Deoque devotis ædem sacram, et operis quidem omnino admirandi, ædificatam fuisse, non tantum ejus nomine, sed etiam tumulo, ut ex num.* 15 *colligi potest, consecratam ; haud dubie quod sepulcrum illud jam tum prodigiis inclaruerat. Quia vero mentionem nullam*

faciunt

A *faciunt ullius translationis sive sepulcri sive reliquiarum ejus; non obscure innuunt, ecclesiam illam ibi constructam fuisse, ubi sepulcrum ab initio fuerat; adeoque circa Sangarum flumen; idque, secundum num.* 14, *in territorio oppidi Tarsiæ, cui idem sepulcrum vallorum mœniumque loco fuisse dicitur: unde consequi videtur, ut Tarsus, sive Tarsia Bithyniæ, de qua meminit Stephanus Byzantius aliique, et quam Nicetas Choniates in Isaaco Angelo lib.* 3, *num.* 2 *vicinam ait fuisse Nicomediæ, versus Sangarum sita fuerit; neque adeo confundi possit cum Drepano, ut eruditissimus aliquando Justus Lipsius existimavit, de magnitudine Romana lib.* 4, *cap.* II. *Porro quam illustribus suo etiam tempore ecclesia illa tumulusque miraculis fulserint, narrat eorumdem Actorum scriptor, eodem numero* 14.

Ecclesia S. Eleutherii Constantinopolitana non est hujus,

6 *Fuit et alia cujusdam Eleutherii martyris ecclesia Constantinopoli, et quidem una dumtaxat; ut videre licet apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib.* 4, *pag.* 123, *et apud Anonymum Banduri, Imperii orientalis tom.* 1, *pag.* 52; *ex quo Anonymi opere delineata cum a Banduro fuerit mappa, quæ duas in eadem urbe, imo eodem urbis*
B *loco, propemodum junctas repræsentat S. Eleutherii ecclesias, error censendus est in eam irrepsisse: nam de secunda neque Anonymus, neque ipse usquam in annotatis tomo* 2 *meminit, quem vide pag.* 713. *Quæritur modo, cujus Eleutherii martyris ecclesia illa fuerit; nostri hujus, an alterius, qui martyr simul et episcopus fuit, celebraturque a Græcis die* XV *Decembris, a Latinis vero* XVIII *Aprilis? Nostri eam fecit Janningus in S. Metrophane, Junii tom.* 1, *pag.* 395; *secutus ea, quæ dudum ante dicta fuerant in Prætermissis ad diem* XX *Februarii. In eamdem sententiam propendit Tillemontius in Persecutione Diocletianea tom.* 5, *art.* 9, *pag.* 25, *et in S. Gennadio, tom.* 16, *pag.* 70. *Argumenta Janningi sunt.* 1. *Quod Callistus et alii Eleutherium illum, de cujus ecclesia Constantinopolitana scribunt, martyrem tantummodo appellent, non episcopum martyrem.* 2. *Quod ecclesiam illam* Eleutherio *nostro, apud Cangium citatum, adscribant Synaxaria.* 3. *Quod hujus nostri celebris Constantinopoli memoria fuerit, utpote qui originem ex ea ductam amplissima sub Maximiano dignitate exornasset, meruissetque adeo apud cives suos ecclesiam, qui tot alias etiam exteris sanctis Marty-*
C *ribus erexissent.*

sed alterius, quem dedimus 18 Aprilis.

7 *Papebrochius contra, ad diem* XVIII *Aprilis, pag.* 528, *ecclesiam jam dictam Eleutherio episcopo et martyri vindicare non dubitavit; et, meo quidem judicio, recte; quandoquidem Menæa, ad usum ecclesiæ præsertim Constantinopolitanæ impressa, hoc asserunt disertissime in elogio S. Eleutherii episcopi, quod his verbis concludunt die* XV *Decembris:* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτοῦ, πλησίον τοῦ Ξηρολόφου: Celebratur autem ejus solennitas, in ecclesia ipsius prope Xerolophum. *Ad argumentum Janningi primum respondeo, non semper Sanctos omnibus suis titulis appellari, præsertim ab historicis, apud quod frequentius, opinor, occurrit nominatus* S. Stephanus *absolute, quam cum epithetis* levita et protomartyr, *quæ tamen ei nemo censetur omittendo derogare. Non negant episcopum fuisse Eleutherium illum, qui episcopi titulum non exprimunt; sicut nec martyrem fuisse negat eumdem Eleutherium Anonymus Bandurianus loco assignato, ubi illum simpliciter appellat* τὸν ἅγιον Ἐλευθέριον. *Ad secundum respondeo, nullum vidisse me Synaxarium, nullum a Cangio aliisve proferri, quod Ecclesiam nostro Martyri tribuat: verba, quæ producit Cangius, ipsissima illa sunt, quæ modo recitavimus ex elogio S. Eleutherii episcopi et martyris apud Menæa excusa, quæ Cangius proinde nominavit Synaxaria. Ad tertium respondeo, multo celebriorem fuisse et esse Constantinopoli Eleutherium illum episcopum, quam nostrum: ille enim Officium istic habet perquam solenne, ut patet in Menæis; noster autem nullum, sed commemorationem tantummodo. Nec refert, quod hic Byzantii natus dicatur, non ille: non enim id, si verum esset, minus impellere debuisset Byzantinos ad illum Officio peculiari, quam ecclesia condecorandum. Si verum, inquam, esset, quam etenim incertum illud sit, indicabunt mox danda Acta num.* 3.

Acta ejus

8 *Acta vero ista, licet pluribus forte seculis post Sancti martyrium composita sint, omnibus tamen ejus elogiis sive cusis sive manu exaratis priora videntur: cum nullum pro se scriptum citet auctor, sed antiquam tantummodo famam,* sine scriptis *ad sua usque tempora vulgatam; ut vide num.* 3. *Hinc ergo derivata credimus compendia martyrii, quæ in Menæis modo et Synaxariis exstant, et hinc eorum omnem pendere auctoritatem; quæ quamvis neque*
E *in auctore nostro magna sit admodum, saltem in descriptione vitæ et martyrii; major tamen haberi debet, quam ceterorum, non solum quod his ille sit antiquior; sed etiam quod certo videatur sua scripsisse illo Bithyniæ loco, ubi cum Sancti reliquiis et veneratione singulari gestorum ejus quoque illustrior, quam alibi, constantiorque apud vulgus fama resederat. Accedit etiam, quod hanc suam historiam in ipsa, quantum assequi possumus, Martyris hujus ecclesia, ad ejusque in ea tumulum, palam e suggesto pronuntiaverit, coram ejusdem, ut innuit num.* 17, *ecclesiæ monachis; quibus eam utique, tamquam veteri receptaque vulgi traditione fultam, venditare ausus non fuisset, nisi traditio re vera talis tum ibi de Sancto viguisset.*

quantæ sint fidei; et unde accepta.

9 *Dixi tamen, auctoritatem ejus in descriptione vitæ et martyrii absolute magnam non esse: nititur enim sola vulgi, et quidem veteri fama. Quis autem nesciat, famam, quæ promiscuam diu plebem sine scriptis oberrat, non esse per omnia rerum adjuncta plerumque fidelissimam? Deinde oratorem scimus esse, qui scribit; neque ignoramus, in tractandis ornandisque rebus majorem concedi licentiam rhetoricæ, quam historiæ; modo ut præcipua notissimaque*
F *earum capita servet intacta. Quæ vero de Sancti ecclesia, sepulcro, miraculis habet hic scriptor, ea cum ipse viderit, maximam sine dubio, merentur. Exscripsit porro hæc Acta cum aliis bene multis Janningus ex codice illo bibliothecæ cæsareæ Vindobonensis, de quo ita Lambecius lib.* 8, *pag.* 100: Decimus quartus codex manuscriptus historicus Græcus est, membranaceus, pervetustus, elegans et optimæ notæ in folio; sed injuria temporis aliquot foliis in fine mutilus; constatque nunc foliis trecentis ac tredecim, paginatim in binas columnas divisis, et ab Augerio Busbeckio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim fuit comparatus Constantinopoli. Continetur eo magni Menologii Græcorum mensis Augustus. *Initium Actorum nostrorum ibidem dat pag.* 103; *quorum textui Græco nos Latinam adjicimus interpretationem.*

Tempus martyrii.

10 *Tempus martyrii hujus refert Tillemontius, in Persecutione Diocletiani art.* 9, *ad annum Christi* 303 *et initia persecutionis; quia credit, hunc illum esse potuisse Eleutherium, qui apud Adonem aliosque Martyrologos Latinos celebratur die* 2 *Octobris, quique occasione incendii Nicomediensis de quo Eusebius lib.* 8, *cap.* 6, *cum aliis Christianis*

AUCTORE P. B.

quamplurimis dicitur occubuisse. Sed opinionem hanc Acta nostri et istius Eleutherii vel obiter inspecta convellunt. Baronius illud affigit anno Christi 311, *ut ibi videre est num.* 19. *Neque hoc admitti potest : cum interfectus videatur* S. Eleutherius *die* IV *Julii, vivo et valente, ut Acta significant, Maximiano, nec de suo in Christianos furore quidquam etiam tum remittente. Atqui Galerius Maximianus anno Christi* 311 *periit mense Maio, postquam aliquanto ante persecutionem, edicto Nicomediæ palam affixo, sedaverat ; et toto amplius anno in morbum inciderat et sibi et aliis dolore ac fœtore intolerabilem simul et immedicabilem. Censemus igitur, annum quidem certum definiri non posse ; videri tamen id accidisse ante annum Christi* 310, *ob rationem jam propositam ; et post divisum anno Christi* 305 *imperium, attributumque Maximiano cum augusta dignitate Illyricum, Thraciam et minorem Asiam ; a quo tempore sedes Maximiani ordinaria Nicomediæ fuit, et imperium in istis partibus absque consortio supremum ; quod utrumque Actorum nostrorum contextus manifeste non semel exigit. Eccum illum, resecto titulo, quem supra jam dedimus num.* 4. D

ACTA

Auctore anonymo, ex insigni codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Viennensis.

B

CAPUT I.

E

Sancti locus natalis, officium in aula, virtutes, conversio, Baptismus.

Ἡ τῶν μαρτυρικῶν ἀγώνων δόξα καὶ εὔκλεια τῶν ὁρωμένων ἁπάντων ὑπερκεῖται, διὸ καὶ πάντα ἔπαινον τὰ τούτων ὑπεραίρει ἐγκώμια · εἰ γὰρ καὶ πᾶσι τούτοις, ὡς τοῦ Θεοῦ Λόγου φίλοις καὶ μάρτυσι, ὁ παρ' ἡμῶν ὀφείλεται ἔπαινος, ἀλλ' οὖν οὐ πάντων πάντως τολμητέον τὸ τοιοῦτον ἐγχείρημα · ἐπεὶ καὶ ἥλιον ἀντωπεῖν, ποθεινὸν μὲν, ἀλλ' ἐπιβλαβές · φαύσεως γὰρ χύσιν ὁ τοῦτο ποιεῖν βιαζόμενος ὑποστήσεται. Καὶ γῆς τὸν γύρον ἀναμετρεῖν παλαιστῇ ἄβουλον ὁμοῦ καὶ ἀμήχανον, ὡς δὲ καὶ θαλάττια καταλαμβάνειν καὶ ἀναμετρεῖν κύματα · ἀλλ' εἰ τούτοις καὶ μόνοις ὁ τούτων ἔοικεν ἔπαινος, οἷς βίος καὶ λόγος κεκαθαρμένος ὡς μάλιστα μακρᾷ καὶ ἐπιπόνῳ μελέτῃ καὶ ἐγκρατείᾳ ὑπάρχειτε καὶ ἐγένετο, ὧν ἑκατέρων χηρεύοντες πῶς ἡμεῖς ἀνίπτοις χερσὶ καὶ ὄψει τῶν ἁγίων Μαρτύρων τὰ ἀγωνίσματα ἢ τὰ ἐκείνων διηγησόμεθα κατορθώματα ; Διὰ γὰρ καθαρότητος ἡ πρὸς τοὺς Ἁγίους οἰκείωσις πᾶσιν ἐγγίνεσθαι πέφυκεν, κἀντεῦθεν ὡς οἰκείοις ἡ θεόθεν δι' αὐτῶν χορηγουμένη τούτοις παρέχεται ἔλλαμψις χάριν καὶ δύναμιν εἰς τὸ τὰ εἰκότα περὶ αὐτῶν καὶ λέγειν καὶ φθέγγεσθαι, ἧς ἄνευ, πᾶν τὸ ἐν ἀνθρώποις γινόμενον, μάταιον ὁμοῦ καὶ ἀνόνητον.

C

2 Ἐπεὶ οὖν ταῦτα οὕτως ἔχει, ὡς εἴρηται, τῇ ἄνωθεν χάριτι καὶ ἡμεῖς οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀφώνων ἰχθύων τυγχάνοντες ἀφωνότεροι τὰς τῆς ἐλπίδος ἀγκύρας ἐρείσαντες καὶ ταῖς εὐχαῖς τοῦ κελεύσαντος, μὴ εἰς ἅπαν διαμαρτεῖν τοῦ προσήκοντος, ὧδε τὸν λόγον, ὡς ἐφικτὸν ἡμῖν, ποιεῖν σὺν Θεῷ πειρασόμεθα, ἐλευθερίαν παθῶν πρῶτον, Ἐλευθερίου μέλλοντες ἄθλους σεπτοὺς ἀναγράφεσθαι, ἐξαιτούμενοι, ἵν' ἐλευθέρῳ καὶ συνειδότι καὶ στόματι, θεοῦ διδόντος, τὰ κατ' ἐκεῖνον τοῖς κεκληκόσι δηλώσωμεν. Ἀλλά μοι καὶ ὑμεῖς, τὸ ἱερώτατον καὶ λογικώτατον ἄθροισμα, ταῖς ὑμετέραις εὐχαῖς συμπαρέψεσθε, καί περὶ τὸν λόγον πονοῦντί μοι, συμπονήσατε, μήπως ὀφλήσαιμι γέλωτα, καὶ τῆς ἐμῆς ἀνοίας ὀνειδισμὸν ἀπενέγκοιμι, ὡς τῶν ὑπὲρ ἀξίαν κατατολμῶν, καὶ τῶν ὑπὲρ τὴν οἰκείαν δύναμιν ἐφαπτόμενος, καὶ μικροῖς λόγοις τὰ μεγάλα κατασμικρύνων τοῦ Ἀθλητοῦ ἀγωνίσματα. Ἀλλ' ἐπεὶ καὶ μικρὰ σταγὼν, μεγάλου πελάγους ἀρυομένη, τὴν ὅλην τοῦ ὕδατος ἐγγυᾶται ποιότητα, καὶ ἀπὸ τοῦ κρασπέδου δηλοῦται τὸ ὕφασμα, καὶ ἐξ ὀνύχων φασὶ μεγαλύνειν τὸν λέοντα, τῶν προκειμένων ἐχώμεθα.

Prologus

Certamina Martyrum præ ceteris, quæ videntur, omnibus gloria et celebritate excellunt : unde et eorum præconia sunt omni commendatione superiora : tametsi enim iis omnibus, tanquam Dei Verbi amicis ac testibus, laus nostra debeatur ; nequaquam tamen ea res talis est, ut hanc audere cuivis liceat : nam et solem obtueri delectat quidem, at nocet : quicumque enim id facere cogitur, splendoris effusionem sustineat necesse est. Terræ ambitum palmo metiri, stultum simul est, et æque difficile, quam si marinos complecti velis ac dimetiri fluctus. Enimvero si Martyrum laudatio iis, et quidem solis, convenit, quorum et vita et sermo diuturna operosaque meditatione et continentia quam maxime fuerint expurgata ; nos, utroque destituti, quo pacto sanctorum Martyrum luctas aut præclara facinora illotis manibus vultuque narrabimus ? Etenim familiaritas cum Sanctis per puritatem nasci solet in omnibus, indeque divinitus concessa per illos, tamquam familiaribus, illustratio gratiam viresque sufficit ad consentanea de F
ipsis cogitanda eloquendaque ; sine qua gratia quidquid est in hominibus, venum est atque inutile.

auctoris ad suos auditores.

2 Cum hæc igitur ita, uti dictum est, habeant ; et nos illitterati mutisque piscibus mutiores, defixis, ne uspiam a convenienti narratione aberremus, spei anchoris in cœlesti auxilio et precibus illius, cujus paremus imperio, nunc sermonem, quoad poterimus, opitulante Deo, conabimur instituere ; postulantes imprimis, ut affectionibus pravis ante liberemur, quam sacra Eleutherii certamina describamus ; ut gesta ipsius iis, qui nos ad hoc invitarunt, libera conscientia, ore libero, quantum Deus dederit, enarremus. Sed et vos, o sacra maxime doctaque frequentia *a*, a
precibus me vestris comitamini, et laboranti in sermone succurrite ; ne risu dignus opprobrium referam stultitiæ meæ, ut qui et meritis meis et viribus non verear superiora tentare, et ingentes hujus Athletæ labores exili facundia diminuere. At enim, cum parva etiam gutta, ex magno deprompta pelago, omnem aquæ reliquæ qualitatem exploratam faciat ; et ex limbo tota cognoscatur tela ; atque ex unguibus satis, ut aiunt æstimetur leo ; rem propositam ordiamur.

A *Eleutherius Maximiani cubicularius* b

3 Eleutherius hic, o viri, nomen a Christiana libertate *b* sortitus, secundum antiquam et ad nos usque pervulgatam famam (quibus sit ortus parentibus, ignoratur; dicere tamen omnino convenit, vel in Byzantina, quæ nunc Constantini dicitur, ampla civitate, vel in Oriente potius natum illum esse *c*) suarum copia virtutum celebris est, traditurque unus ex eorum ordine fuisse, qui regalium cubiculorum præfectura habentur insignes *d;* multam insuper ac magnam apud imperatorem, ut vetusta sine scriptis fama vulgo prodidit, gratiam consecutus; et carus ipsi, et familiaris, et fidelissimus, et æquali propemodum cum ejus filiis loco habitus; in ipsa regia perpetuo habitans *e*, regiis honoribus juxta ac muneribus cumulatus. Hinc omnibus gratus erat, illustris, eximius; ut astrum ex alto per noctem refulgens.

ad religionem Christianam propensus, f

4 Dum ad hunc modum beatus Eleutherius, uti dictum est, Maximiani *f* imperatoris familiaritate frueretur, regi regum Christo, cum Patre et Spiritu æternum regnanti, haud paulo arctius per fidem adjunctus est; et jam per integerrimam vivendi agendique rationem ejus sese famulum B profitebatur, unumque ex eorum numero, quorum salutem Deus prospiceret; tametsi id et [Maximianum] qui tunc imperabat, et ministros ejus ac domesticos latebat. Sed enim delitescere omnino, aut abscondi diu non magis poterat, quam aut accensa lucerna super altissimo candelabro, aut civitas, secundum divinam Domini sententiam, in montis vertice posita. Cum autem pulcherrimis hisce et honestis principiis magnus hic Dei servus et clarissimus vir Eleutherius emineret, nequaquam ignaviter, sed strenue admodum fortiterque, si quid occurrebat adversi, tolerabat.

totus ad virtutem incumbit,

5 Nondum interea Baptismo initiatus erat; licet illius jam tum satis aperta studiose observantibus præberet indicia: erat enim sanctus Eleutherius semper beneficus, mitis, benignus, non modo erga pares sibi cum officio tum honore, verum etiam erga famulos suos ac subditos; semper et in omnibus pacis amans, osor avaritiæ, mansueti, non iracundi, spiritus vere sese ostendebat esse domicilium; justus simul et inculpatus, sincerus et fraterne benevolus, Dei reverens et expers malitiæ; linguæ certas leges terminosque præscribens, oculum numquam sinens vagari, numquam explendo C serviens abdomini, numquam se passus flecti muneribus; incessu gravis ac modestus, et fallacibus numquam assentationibus indulgens; sua pauperibus egenisque perquam large profundens: detentos in vinculis affectu semper singulari prosequens, festinabat injuste oppressorum causam tueri.

donec, eluso Maximiano,

6 Cum is igitur insisteret quotidie, ardentem intus ac viscera sibi depascentem Spiritus flammam celare ultra Sanctus non potuit; sed urgebatur adjicere quod sibi deerat et bonorum operum accelerare coronidem, atque armatura spiritus indui; qua contra serpentis insidias artesque staret illæsus, tum aqua illa sacra perfundi, quæ potest tela nequissimi ignea exstinguere; et Spiritum denique sanctum, qui dissolvere possit montes, accipere. Ne vero militiam suscepisse tantummodo, non etiam legitime exercuisse censeatur, vide sapientiam industriamque docentis omnia Spiritus: consilium enim hujusmodi, optimum simul ac sapientissimum, facileque persuasu principi tunc imperanti (erat autem is Maximianus, superius etiam a nobis memoratus; qui Maximianus pii Christianorum instituti hostis infensissimus et ardens existebat) confidentissimo proponit, obtendens, mu-

EX MS.

3 Οὗτος, ὦ ἄνδρες, ὁ τῆς ἐν Χριστῷ ἐλευθερίας ἐπώνυμος Ἐλευθέριος, ὡς ἐκ μακρᾶς τυχὸν φήμης εἰς ἡμᾶς ἀφικνουμένης· τὸ μὲν τίνων ἔφυ, διέλαθεν, εἰπεῖν δὲ [δεῖ] πάντως, ὅτι Βυζαντίδος τῆς νῦν Κωνσταντίνου μεγαλοπόλεως, ἢ μᾶλλον τῶν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν τέκνον τῇ τῶν ἀρετῶν περιουσίᾳ γνωρίζεται, καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς τῶν τοῖς βασιλέων κουβουκλείοις διαπρεπόντων εἷς ὑπάρχων ἀνακηρύττεται, καὶ παρὰ βασιλεῖ πολλῆς καὶ μεγάλης τῆς παῤῥησίας τυχὼν διὰ μακρᾶς ἀγράφου φήμης τυχὸν ἀναγέγραπται· καὶ φίλος καὶ οἰκεῖος, καὶ πιστικώτατος, καὶ ἴσα τέκνων τῶν τούτου σχεδὸν, ἀναδέδεικται, καὶ βασιλείοις οἴκοις διηνεκῶς ἐναυλίζεται, καὶ ταῖς ἐκ βασιλέων τιμαῖς τε καὶ δωρεαῖς ἐναβρύνεται. Κἀντεῦθεν τοῖς πᾶσι ποθεινὸς ἦν καὶ διαφανὴς καὶ ἐπίσημος, ὡς ὁ ἐν ὕψει τῇ νυκτὶ διαλάμπων ἀστήρ.

4 Τούτῳ τοίνυν τῷ τρόπῳ τῷ βασιλεῖ Μαξιμιανῷ ᾠκειωμένος, ὡς εἴρηται, ὁ μακάριος Ἐλευθέριος ὑπάρχων, τῷ παμβασιλεῖ Χριστῷ τῷ φυσικῶς σὺν Πατέρι καὶ Πνεύματι εἰς ἀεὶ βασιλεύοντι, μαλαμειζόνως διὰ τῆς πίστεως προσῳκείωτο, καὶ δι' ἀκραιφνοῦς πολιτείας καὶ πράξεως ἐγνωρίζετο δοῦλος αὐτοῦ εἶναι, καὶ εἷς τῶν σωζομένων προγνωστικῶς Θεῷ κατεφαίνετο· εἰ καὶ ταῦτα τῷ τότε κρατοῦντι καὶ παντὶ τῷ περὶ αὐτὸν θεραπευτικῷ καὶ οἰκιδίῳ διελάνθανεν. E Ὅμως οὐκ ἦν εἰς ἅπαν τοῦ διαλανθάνειν αὐτὸν καὶ κρύπτεσθαι ἐπὶ πολὺ, ὡς οὔτε λύχνον καιόμενον ἐπὶ λυχνίας ὑψηλοτάτης προκείμενον, καὶ πόλιν ἡρμένην ἐπ' ὄρους μετέωρον, κατὰ τὴν θείαν τοῦ Δεσπότου ἀπόφασιν· ὡς δὲ ἐν τούτοις τοῖς καλλίστοις καὶ ἀγαθοῖς προτερήμασι διαπρέπων ὑπῆρχεν ὁ μέγας οὗτος δοῦλος Θεοῦ καὶ διαβόητος ἄνθρωπος Ἐλευθέριος, οὐκ ἀγεννῶς, ἀλλὰ λίαν νεανικῶς καὶ γενναίως φέρων τὰ φθάσαντα ἐπ' αὐτόν.

5 Ἀτέλεστος δὲ καὶ ἀμύητος τέως τοῦ θείου ὑπῆρχεν βαπτίσματος, εἰ καὶ πρὸ τούτου τὰ τούτου γνωρίσματα τοῖς συνορᾷν δυναμένοις ὑπέφαινεν· καὶ γὰρ ἦν ὁ ἅγιος Ἐλευθέριος ἀεὶ καὶ πάντοτε ἀγαθοεργὸς, πραῢς, προσηνὴς, οὐ μόνον πρὸς τὸ συλλειτουργικὸν καὶ ὁμότιμον, ἀλλ' οὖν καὶ πρὸς τὸ οἰκεῖον θεραπευτικὸν καὶ ὑπήκοον, ἀεὶ καὶ διαπαντὸς εἰρηνικὸς ὑπάρχων, ἀφιλάργυρος, τοῦ πρᾴου καὶ μὴ ὀργίλου πνεύματος δεικνύμενος ἀληθῶς καταγώγιον, δίκαιος ἅμα καὶ ἄμεμπτος, ἀληθινὸς καὶ φιλάδελφος, θεοσεβὴς τε καὶ ἄκακος, γλώσσῃ κανόνας καὶ μέτρα τιθέμενος, ὀφθαλμὸν πλανᾶσθαι μὴ συγχωρῶν πώποτε, γαστρὸς πλησμοναῖς μὴ δουλούμενος, καὶ δώροις προσέχειν F μὴ ἀνεχόμενος, βάδισμα φέρων πανεύτακτον, καὶ κολακείαις ἀπατηλαῖς μὴ κλεπτόμενος, τὰ ὄντα δὲ αὐτῷ μᾶλλον δαψιλῶς παρέχων τοῖς δεομένοις καὶ χρῄζουσιν· τοῖς ἐν δεσμοῖς τῇ σχέσει ἀεὶ συνεδέδετο. καὶ τοῖς ἀδικουμένοις προεστηκέναι κατέσπευδεν.

6 Ὡς δ' οὖν ἐν τούτοις διετέλει ὁσημέραι, οὐκέτι στέγειν ἠδύνατο ὁ Μακάριος τὴν ὑποκαίουσαν ἔνδον καὶ τὰ στέρνα αὐτοῦ διαθερμαίνουσαν φλόγα τοῦ πνεύματος, ἀλλὰ προσθεῖναι τὸ λεῖπον ἠπείγετο, καὶ τὴν κορωνίδα τῶν ἀγαθῶν ἐγκομβώσασθαι ἔσπευδεν, καὶ τὴν πανοπλίαν τοῦ πνεύματος ἐπενδύσασθαι ἐπεχείρει, ὡς ἂν ἄτρωτος ταῖς ἐπιβουλαῖς καὶ μεθοδείαις διαμείνῃ τοῦ ὄφεως, καὶ τὸ ὕδωρ περιβάλλεσθαι τὸ ἅγιον τὸ σβέσαι δυνάμενον τὰ πεπυρωμένα βέλη τοῦ πολεμήτορος. Καὶ τὸ Πνεῦμα προσλαβέσθαι τὸ ἅγιον, τὸ διαλύειν ὄρη δυνάμενον. Ὡς ἂν μὴ ἀθλητὴς εἶναι μόνον νομίζοιτο, ἀλλὰ καὶ νομίμως τοῦτο ποιῶν ἀποφαίνοιτο, καὶ σκόπει τὸ σοφὸν καὶ εὐμήχανον, τοῦ τὰ πάντα σοφίζοντος Πνεύματος· βουλὴν γὰρ τοιάνδε ἀρίστην ἅμα καὶ συνετωτάτην καὶ πολὺ τὸ πιθανὸν ἔχουσαν τῷ τὴν βασιλείαν τηνικαῦτα ἰθύνοντι μάλα θαῤῥῶν ἀνατίθεται. Μαξιμιανὸς δὲ οὗτος ἐτύγχανεν, ὁ καὶ ἀνωτέρω λεχθεὶς παρ' ἡμῶν, ἐχθρὸς ὑπάρχων διάπυρος ὁ αὐτὸς Μαξιμιανὸς τοῦ εὐσεβοῦς

τῶν

EX MS. τῶν Χριστιανῶν πολιτεύματος· ἦν δὲ τὸ προτεινόμενον αὐτῷ τοιόνδε, κτῆσιν χωρίου ποιήσασθαι μεταβολῆς ἕνεκα, εἰς ἀναπνοὴν καθαροῦ καὶ ὑγιοῦς ἀέρος· μετάστασιν πρὸς εὐρωστίαν ψυχῆς φημὶ ἔγωγε μᾶλλον ἢ σώματος, ὡς ἐκεῖνος τότε ἔφασκε, τῷ βασιλεῖ καὶ τυράννῳ λίαν καλῶς σοφιζόμενος.

7 Ταῦτα ἔλεγεν, καὶ παραχρῆμα τοῦτον κατέπειθεν, καὶ πᾶν τὸ κατὰ γνώμην θελητὸν αὐτῷ ποιεῖν ἐπετέτραπτο· οἶδεν γὰρ ἀρετὴ καὶ πολεμίοις ὑπάρχειν αἰδέσιμος, καὶ θῆρας ποιεῖν τεθηπέναι ταύτην καὶ ὑποστέλλεσται. Καὶ δὴ τὸ δοκοῦν αὐτῷ μάλα σπουδαίως ἠνύετο, καὶ τόπον τινὰ ἐκπριάμενος πέραν τοῦ ποταμοῦ τοῦ λεγομένου Σαγγάρου, σκηνὴν καὶ οἶκον ἐν τούτῳ τῷ ποταμῷ ἑαυτῷ ἐδομήσατο, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ οἴκῳ ὑπόγαιον κρυπτὸν ἱεροῦ ναοῦ κατεσκεύασεν, καὶ πᾶσαν εὐκοσμίαν περιθεὶς τῷ ναῷ, ἐκαλλώπισεν αὐτὸν πάνυ, φωτός τε δοχεῖα ἠργυρωμένα καὶ σκεύη παντοδαπὰ κατεσκεύασεν, περιποιησάμενος αὐτὰ λίαν· τὸ τοίνυν αὐθόθι Θεῷ καθιερώσας θυσιαστήριον, χερσὶν τιμίων ἱερέων καὶ Θεῷ ἀνακειμένων, τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας λαμπρύνεται ὁ μακάριος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Ἐλευθέριος, καὶ τῷ τιμίῳ μύρῳ εἰς τύπον τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ ἀληθινοῦ ἀμνοῦ σφρα-
B γίζεται, καὶ τῶν ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων τῆς χάριτος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Κοινωνὸς καὶ μέτοχος γίνεται.

8 Καὶ ὅλος φωτοειδὴς, ὡς εἰπεῖν, καὶ ταῖς ἐναντίαις τοῦ ὀλοθρευτοῦ δυνάμεσιν ὡς ἀληθῶς ἀπρόσιτος χρηματίσας, πρὸς βασιλέα καὶ τὰ βασίλεια παλινοστήσας ἐπάνεισι, λανθάνειν ἔτι πειρώμενος· καὶ τοῦτο αὐτῷ τῷ Μάρτυρι διεπράττετο, οὐ πολλάκις, ὀλιγάκις δὲ, καὶ τοῦ μὴ δοκεῖν εἶναι τοῦτο ὃ γέγονεν. Αὖθις οὖν τὸ πλέον τῇ εὐχῇ καὶ τῇ πρὸς Θεὸν λατρείᾳ τὴν σχολὴν ἅπασαν προσαπένεμεν. Ἀλλ' ὢ ψυχῆς εὐγενοῦς καὶ φιλοθέου, καὶ μὴ ἀνεχομένης ταῖς κηλῖσι τοῦ τῇδε βίου καταρυπαίνεσθαι, καὶ τοῖς ἐν μέσῳ θορύβοις μολύνεσθαί τε καὶ καταχραίνεσθαι, ἀλλ' ἢ μόνῳ προσανέχειν Θεῷ πᾶσαν ἐχούσης τὴν ἔφεσιν! Ὦ γνώμης εὐσεβοῦς, εὐσεβεῖν προῃρημένης, καὶ πάντα τὰ τερπνὰ τοῦ τῇδε βίου ἡγουμένης ὡς ἀληθῶς σκύβαλα, ἵνα Χριστὸν μόνον κερδήσῃ. Ὄντως ψυχὴν καθαρὰν οὐδὲν οἶδεν νικᾶν ἢ μεταπείθειν, οὐ τερπνὸν ἅπαν, οὐ λυπηρὸν νομιζόμενον.

tationis causa comparasse et acquisivisse sibi se D
locum, ad purum ac salubrem aerem respirandum (imo recessum interpretor ego, ad animæ valetudinem magis, quam corporis); sed sic ille tum aiebat, imperatorem ac tyrannum Maximianum sane solerter eludens *g*.

g clam initiatus Baptismate,

7 Hæc cum diceret, ipsi sine mora sic persuasit, ut hortaretur etiam Sanctum, ad id, quod placuerat, libere exsequendum: noverat enim etiam hostes virtute permovere, ipsasque feras sic illa percellere, ut ei se subderent. Et vero quod statuerat, non segniter adimplevit, et agro trans flumen, quod Sangarum *h* appellant, coëmpto, ad idem flumen diversorium sibi ac domum exstruxit; in ipsa autem domo latibulum subterraneum in sacram efformavit ecclesiam, quam omni adjecto ornatu mirifice decoravit; confecit et lucernas argenteas et cujusvis generis vasa, scitissime elaborata. Postquam igitur ibi Deo consecrari curasset altare per venerabilium ac Deo dedicatorum sacerdotum manus, lavacro regenerationis illustratus est beatus Christi martyr Eleutherius, et unguentô sacro, pretiosum veri Agni sanguinem referente, consignatus, atque incon- E
taminatorum vivificorumque gratiæ Christi, Dei nostri, mysteriorum compos factus et particeps.

in aulam rediit, occulte Christianus.

8 Sic totus, ut ita dicam, collucens, et inimicis exterminatoris potestatibus inaccessus, ad imperatorem atque aulam revertitur, latere etiam tum studens: quod ipsum fecit Martyr idem alias non sæpe, sed raro; idque, ne videretur esse quod factus erat. Iterum ergo posterius quod nactus fuerat otii, totum in preces ac Dei cultum insumpsit. O animam generosam, et amantem Dei; ut quæ se hujus vitæ maculis, in mediis tumultibus infici conspurcarique minime patiatur, sed Deo unice desideret adhærere! O mentem piam, quæ rebus omnibus studium pietatis anteferat, et quidquid hic est voluptatum, prorsus arbitretur ut stercora, ut Christum solum lucrifaciat! Enimvero purum animum vincere nihil potest, nihil a sententia dimovere, quantumvis aut jucundum appareat, aut funestum.

ANNOTATA.

a *Auditores suos orator alloquitur, et quidem monachos, ut ex Epilogo infra colligemus.*

C b Libertas *Græce* ἐλευθερία, *unde* Eleutherius, *quamquam in Martyre nostro rem nomen antecessit, quasi libertatis futuræ prognosticum.* F

c *Atqui Menologium Cardinalis Sirleti, Menæa excusa, et Ambrosiana Mss,, Menologium Basilii imperatoris rotunde Byzantinum faciunt; forte quod horum auctores Byzantini fuere, et res erat utcumque probabilis, et honorifica patriæ. Ceterum auctor hic antiquior est, et ad eos magis inclinat, qui natum dicebant* Eleutherium *in patria, quæ Byzantinorum respectu ad Orientem pertineret.*

d *Videtur ergo fuisse vel præpositus sacri cubiculi, vel eorum unus, qui præfecturam aliquam sub illo præposito gerebant. Vide Pancirolum Commentarii in Notitiam imperii orientalis cap.* 60 *et alibi. Horum enim omnium classem puto indicari verbis istis, ita ut sunt, conjunctis:* τῆς συγκλήτου βουλῆς τῶν τοῖς βασιλέων κουβουκλείοις διαπρεπόντων: *licet enim* σύγκλητος βουλὴ *accipi possit pro* senatu *vel* collegio senatorum, *cum absolute ponitur, cum addito tamen* τῶν τοῖς κουβουκλείοις διαπρεπόντων, *manifeste videtur determinari ad solum* illorum collegium, qui cubiculis præsunt. *Fateor tamen, hanc phrasim satis esse inusitatam. Atque ea forte causa est, cur in elogio Menæorum impressorum tota omittatur, his in locum substitutis:* τὰς πρώτας εἴληφε τιμάς, primarios honores accepit; *apud alios vero tantum legatur:* εἰς τῆς συγκλήτου, *ut in Menologio Basilii; vel:* εἰς τῆς συγκλήτου βουλῆς, *ut in Menæis Ambrosianis; quod in Menologio suo (quo et Baronius usus est in reformatione Martyrologii Romani) recte quidem vertit Sirletus:* Unus ex ordine senatorio; *sed non ex sensu, opinor, auctoris nostri, cujus et alia phrasis est, et prior auctoritas. Interim Basilii Menologium, et Menæa Ambrosiana quem in elogii textu senatorem faciunt, in ejusdem inscriptione* Κουβικουλάριον *appellant.*

e *Menæa impressa:* Ἐν δὲ ταῖς τῶν βασιλείων αὐλαῖς παιδόθεν ἀνατραφείς. *Id est:* Et in aulis imperatoriis a puero educatus. *Et consonant Mss. Ambrosiana, nisi quod omittunt* παιδόθεν, a puero; *et addunt,* τῇ θέσει εὐνοῦχος, eunuchus factus, *quod addit etiam Menologium Basilii; nec male secundum auctorem nostrum inferius cap.* 2, *num.* 15.

f *Nomen imperatoris Menæa excusa numquam exprimunt; at exprimunt Ambrosiana; et Basilii, Sirletique Menologia cum Actis nostris.*

g *Eludere sic poterat absque mendacio, si re vera non solum animæ, sed etiam corporis causa, ut potuit, locum hunc sibi comparaverat: neque enim finem unum asserendo negamus alios.*

h Sangarus *post longos flexus, tandem per Bithyniam in Pontum Euxinum labitur.*

CAPUT

Ex MS.

A

CAPUT II.

Ejus a famulo proditi constantia, martyrium, sepulcrum illustre miraculis.

Imperatori de absentia ejus querenti

Imperator ergo hæc agentem advertens, ac foris moras fere perpetuas consectantem, ibi tempus omne conterere, suamque amicitiam ac societatem defugere, et neque potatione secum neque colloquio communicare; jam suspicari aliquid cœpit, statuitque opera ejus omnia curiosius observare ac discere; atque ab eo ipso denique tam diuturnæ absentiæ rationem exegit, et: Quæ causa est, inquit, o Eleutheri, mihi tam care, animoque meo tantopere desiderate, cur te ab amicorum tuorum turba divellens, abscurrere procul volueris, quasi amoris in te nostri oblitus? Dic nobis, Eleutheri, inquit, unde emolumentum
B tibi majus potuit existere, ex regia potestate liberalitateque nostra; an ex fundi istius tui reditibus? Ecquid plus honoris et gloriæ tibi poterit afferre, regia, principumque usus et conversatio; an villa rustica et vilium ac pauperculorum ejus colonorum convictus et familiaritas? Cedo, Eleutheri, non potius conducibile tibi videtur ad gloriam, et ad omnis voluptatis materiam per se sufficiens, si cum imperatore familiariter agas vivasque; quam si ita versere cum rusticis? An exhibitam ab his tibi venerationem sic deperis, ut eam celebritati, gloriæ, honoribus per nos tibi partis anteponas?

respondet Sanctus, cum ad prædium mitans;

10 Ad hæc Vir maximus: Non ita, inquit, o imperator; absit profecto. Sed naturalis corporis ægritudo, et strepitus urbis, ejusque vapores, fumum ac fuliginem olentes, eo me adigunt; uti et loci illius saluberrima simul ac temperata constitutio. Tum imperator ironicam denuo simulatamque quæstionem effingens: Cur vero, inquit, et nos una non admittis, ut ejusdem tecum loci tam defæcatæ, ut ais, ac mitis auræ respiratione fruamur? Reposuit vero ei sanctus Eleutherius, dicens: Si majestati tuæ visum ita
C fuerit, faciat.

qui proditum a servo Eleutherium

11 Unus autem e famulis sancti Eleutherii, cum hæc, imperatore ipsum interrogante, audisset, animum furore multo plenum gerens, imo cædem, ut potius dicam, eructans, ad imperatorem accedit, quæ Dominus suus fecisset, ac faceret, revelaturus: Judæ enim avaritia, imo cædis aviditate, æstuans miser, et lingua atque animo venena circumferens, sicut ille Magistrum suum ac Dominum, ita et hic Herum prodit: Et tuam, inquit, fidem ejuravit, et Cru-
a cifixum pro Deo colit *a*. O perfidiam! O crudelitatem immanem! Enimvero impii impie audent omnia! Maximianus ergo tyrannus et imperator infestissimus hæc jam sciens, magnum ad se denuo Eleutherium evocat, rogatque, dicens: Eamus, si placet, Eleutheri; et agri tui ac prædii una tecum amœnitatem contemplemur. Respondit ei sanctus Eleutherius: Fiat, imperator, ut libitum est tibi. Quo dicto, statim eo se contulit; et quæ ibi erant circumspiciens, secundum relationem a scelerato sibi ministro factam, curiose indagavit.

12 Dum ergo oculos interea hac illac assidue vertit, subterraneum quemdam observat hiatum,

Οὕτως τοίνυν αὐτὸν ὁρῶν ὁ κρατῶν ἀναστρεφόμενον, καὶ τὸ ὅλον τοῖς ἔξω σχεδὸν διατρίβειν ἐθέλοντα, καὶ πᾶσαν τὴν σχολὴν ἐκεῖσε προσαπονέμοντα, καὶ τῆς ἐκείνου φιλίας καὶ ἑταιρίας ὑπομακρύνοντα, καὶ μήτε ποτοῦ, μήτε ὁμιλίας μετέχοντα, ἐν ὑποψίᾳ ἤδη τινὶ γίνεται, καὶ τὰ κατ' ἐκεῖνον διαπαντὸς πολυπραγμονεῖντε καὶ μανθάνειν ἠβούλετο· καὶ τὴν ἐπὶ πολὺ αὐτοῦ ἀπουσίαν παρ' αὐτοῦ ἐκείνου λοιπὸν διεπύθετο· Τίς ἡ αἰτία, φάσκων, ὦ οὑτωσὶ προσφιλέστατε ἐμοὶ Ἐλευθέριε, καὶ τῆς ἐμῆς ψυχῆς περιπόθητε, δι' ἣν τῆς τῶν ἑταίρων σου φάλαγγος ἑαυτὸν ἀποῤῥηγνὺς, πόῤῥω θέειν βεβούλησαι, τῆς ἡμετέρας ὥσπερ ἐκλελησμένος φιλίας; Φράσον ἡμῖν, Ἐλευθέριε, τί σοι πλέον, εἶπε, τὸ κέρδος παρέχειν δεδύνηται, ἣ ἡμετέρα βασιλεία καὶ μεγαλοψυχία, ἢ τὰ ἐκεῖθεν προσγινόμενά σοι εἰσφόρια; Ποῖος τὴν τιμὴν καὶ τὴν δόξαν σοι περιποιήσασθαι μᾶλλον δυνήσεται, τὰ βασίλεια καὶ ἡ μετὰ βασιλέων συνδιαγωγὴ καὶ ἀναστροφὴ, ἢ ἡ ἀγροικία καὶ τῶν ἐν αὐτῇ εὐτέλων καὶ μετρίων οἰκητόρων ἡ συμβίωσις καὶ συνέλευσις; Εἰπὲ οὖν, Ἐλευθέριε, οὐ μέγα σοι δοκεῖ πρὸς δόξαν καὶ θυμηδίας ἁπάσης ὑπόθεσιν αὔταρκες τῷ βασιλεῖ συνομιλεῖν καὶ συνδιαιτᾶσθαι, ἤπερ ἀγροίκοις συναναστρέφεσθαι; Ἢ τὴν παρ' ἐκείνων ὀρέγῃ καὶ προκρίνεις προσκύνησιν τῆς παρ' ἡμῶν εὐκλείας δόξηστε καὶ τιμῆς;

E

10 Εἶτά φησιν ὁ Ἀοίδιμος· Οὐχ' οὕτως, ἄναξ· μὴ γένοιτο· ἀλλ' ἡ τοῦ σώματος φυσικὴ νοσηλεία, καὶ τὸ θορυβῶδες τοῦ ἄστεως, καὶ ἡ ἐν τούτῳ τῷ ἄστει αἰθελώδης καὶ καπνώδης ἀναθυμίασις, εἰς τοῦτό με ὑπάγειν βιάζεται, ἅμα δὲ, καὶ ἡ ἐκεῖσε ὑγιεινοτάτη καὶ εὔκρατος αὖθις κατάστασις. Εἶτα ὁ βασιλεὺς εἰρωνικήν τινα καὶ πεπλασμένην πεῦσιν αὖθις ὑποκρινόμενος, ἔφησεν· Τί δὲ καὶ ἡμᾶς οὐ συμπαραλήψῃ ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ συναπολαῦσαί σοι τῆς ἐκεῖ τοῦ καθαροῦ, ὡς ἔφης, καὶ ἡδέος ἀέρος ἀναπνοῆς; Ὁ δὲ ἅγιος Ἐλευθέριος ἀνταπεκρίθη τῷ βασιλεῖ, λέγων· Καθα κελεύει τό κράτος σου, ποίησον.

F

11 Εἷς δὲ τις τῶν τούτῳ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ὑπηρετουμένων, ὡς ταῦτα μαθὼν, πυθομένου τοῦ ἄνακτος αὐτὸν, θυμοῦ πολλοῦ τὴν φρένα φέρων ἀνάμεστον, καὶ φόνου, μᾶλλον εἰπεῖν, ἐρευγόμενος, τῷ βασιλεῖ πρόσεισι καταμηνύσων τὰ τῷ δεσπότῃ ἐξειργασμένα καὶ δρώμενα· τὴν γὰρ Ἰούδα νοσήσας φιλαργυρίαν, μᾶλλον δὲ μιαιφονίαν, ὁ δείλαιος, καὶ ἰοβόλον γλῶσσαν ἔχων ὁμοῦ καὶ προαίρεσιν, ὥσπερ ἐκεῖνος τὸν οἰκεῖον διδάσκαλον ἅμα καὶ κύριον, τῷ αὐτῷ δὴ καὶ οὗτος τρόπῳ τὸν δεσπότην προδίδωσιν· Καὶ ὅτι, φησὶν, τὴν σὴν πίστιν ἐξώμνυται, καὶ τῷ ἐσταυρωμένῳ ὡς Θεῷ πρόσεισι. Ὢ τῆς ἀγνωμοσύνης, καὶ πολλῆς ἀπανθρωπίας! Ὄντως τολμῶσιν πάντα κακοὶ κακῶς. Ταῦτα τοὶ διαγνοὺς ὁ τύραννος καὶ τρισέχθιστος βασιλεὺς Μαξιμιανὸς, τὸν μέγαν Ἐλευθέριον ἐκεῖσε αὖθις καλέσας, ἐπερωτῶν αὐτὸν, ἔφησεν· Ἀπέλθοιμεν, εἰ βούλει, Ἐλευθέριε, τὰ ἐκεῖ κάλλη τοῦ ἀγροῦ ἅμα καὶ τοῦ τόπου σὺν σοι ἐποψόμενοι. Ὁ δὲ ἅγιος Ἐλευθέριος λέγει τῷ βασιλεῖ· Ὡς δοκεῖ σοι, βασιλεῦ, ποίησον. Ταῦτα εἰπὼν, τὰ ἐκεῖ θᾶττον κατέλαβεν, καὶ τὰ ἔνδον περισκοπῶν, κατεμάνθανεν ἀκριβῶς, κατὰ τὴν τοῦ εἰπόντος κακούργου ὑπηρέτου διαλαλίαν.

12 Ὡς οὖν ἐν τούτοις ὑπῆρχε, πυκνὰ τὸ ὄμμα περιστρέφων τῇδε κἀκεῖσε, ὁρᾷ τι χάσμα κυκλοτερὲς

τυγχάνον

EX MS.

τυγχάνον ὑπόγαιον, μικρᾷ πλακὶ καλυπτόμενον, καὶ τί ἂν εἴη διηρώτα τοῦτο. Καὶ ἔλεγεν ὅδε Δίκαιος, φρέαρ αὐτῷ ἄνυδρον εἶναι. Καὶ ὑπολαβὼν ὁ Μαξιμιανὸς, ἐκεῖσε ἐιναι, ὅνπερ ἠκηκόει, εὐκτήριον οἶκον, θᾶττον ἀνακαλυφθῆναι καὶ κατελθεῖν ἐν τούτῳ ἐπέταττεν, καὶ αὐτίκα τοῦτο ἤνύετο. Καταβὰς τοίνυν ἐκεῖσε ὁ Μαξιμιανὸς, καὶ τὴν εὐκοσμίαν τοῦ ἱεροῦ, καὶ τῶν λαμπάδων τὸ πλῆθος, καὶ τὸ κάλλος τοῦ θυσιαστερίου θεασάμενος, θυμοῦ καὶ λύασσης πολλῆς παραχρῆμα ἐπέπληστο, καὶ πρὸς τὸν Μακάριον τὸ ὄμμα στρέψας ἀγριωδέστερόν πως, ἔφησεν· Λέγε μοι τὸ τάχος, Ἐλευθέριε, Χριστιανὸς εἶ, καὶ γεγένησαι τῆς τῶν θεῶν εὐμενείας ἀλλότριος; Καὶ ὁ Ἅγιος ἔφη· Ναὶ ὄντως, Χριστιανός εἰμι, καὶ Χριστός μοι Θεὸς, καὶ σέβας Τριὰς, καὶ ὁ σταυρὸς, ἀρωγός· ἀλλ' ἐπεὶ νόμος ἡμῖν πρὸς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν δέδοται, μὴ ἐπιπηδᾷν τοῖς κινδύνοις, φειδοῖ τῶν διωκόντων ὑμῶν, ὡς ἄν μὴ παραίτιοι αἰωνίου κολάσεως ὑμῖν καὶ πυρὸς ἀσβέστου ἐσόμετα, τούτου ἕνεκα λανθάνειν μέχρι τῆς δεῦρο ἐσπούδαζον.

13 Ἔφη πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλεύς· Μή μου τὴν περί σε ἀγάπην ἀθέτει, ὦ Ἐλευθέριε, ὅπως μὴ πικρὸν, ἀπενέγκης τῆς ζοῆς, σου τὸ τέλος. Ἐμοὶ τοῦ σκήνους οὐ φοβερὸς, ὁ Ἀθλητὴς ἔφησε, θάνατος· πάλιν γὰρ
B σῶον αὐτὸ παρὰ τοῦ κτιστοῦ μου ἀπολήψοιμι· ἀλλ' ὁ χωρισμὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος θάνατός μοι αἰώνιος καθέστηκεν. Τί δῆτα τοῦτο; ὁ βασιλεὺς ἔφησεν. Ὅτι ὁ μὴν μικρὰν ὀδύνην ἔχει καὶ πρόσκαιρον, ὁ Ἀθλητὴς ἔφη, ὁ δὲ μακρὰν καὶ ἐπίμονον κόλασιν. Ὁ δὲ βασιλεῦς πάλιν κολακείαις καὶ δωρεῶν ὑποσχέσεσιν τοῦτον ἐκλύειν ἐμηχανᾶτο ὁ δόλιος· ἀλλ' ἔκαμνεν οἷς μάτην πονούμενος, τῇ πίστει, τοῦ Ἀνδρὸς ἀδρανὴς ἐλεγχόμενος. Ὅθεν τοῦ σκοποῦ αὐτοῦ ὁ τύραννος ἀπειπων, διδωσιν αὐτῷ τὴν διὰ ξίφους ἀπόφασιν· καὶ παραυτίκα οἱ εἰς τοῦτο τεταγμένοι, τὸ προσταχθὲν αὐτοῖς ἐπετέλουν μετὰ πολλῆς τῆς ταχύτητος. Ὁ δὲ Ἅγιος ἀπίει χαίρων, ὡς εἰς νυμφῶνα βασιλέως καλούμενος. Καὶ τούτου καρατομηθέντος, καὶ πρὸς Κύριον ἤδη ἀναδραμούση τῆς ἀοιδίμου καὶ μακαρίας αὐτοῦ ψυχῆς, κατέλειπον τὸ ἱερὸν καὶ πολυτιμητὸν αὐτοῦ σῶμα, καὶ ἀληθῶς τοῖς ἀγγέλοις αἰδέσιμον, ὀρνέοιστε καὶ κυσὶ βορρὰν προκεῖσθαι αἴθριον, ἐν ᾧ τετελείωτο τόπω· ὅπερ λαβὼν ὁ τὴν ἱερατείαν τοῦ ἐκεῖσε εὐκτηρίου οἴκου πεπιστευμένος, σὺν μύροις πολλοῖς καὶ ἀρώμασιν, αὐτόθι τοῦτο κατέθετο ἐν ᾧπερ οἴκῳ τὸ εὐκτήριον ἔδρυστο.

14 Χρόνοις δὲ πλείστοις μετέπειτα, τῆς εὐσεβείας τρανωθείσης, καὶ τῶν εἰδώλων κατασιγασθέντων, καὶ
C τοῦ τῆς ἀληθείας κερύγματος πανταχοῦ διαπεφοιτηκότος, ἄνδρες εὐλαβεῖς καὶ Θεῷ ἀνακείμενοι οἶκον σεπτὸν καὶ πανθαύμαστον ἐπ' ὀνόματι τούτου ἐγείραντες, καὶ εἰς δόξαν τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν, καὶ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος εἰς μνημόσυνον ἀνεπίληστον καθιέρωσαν· εἰς γὰρ μνημόσυνον αἰώνιον ἔσται δίκαιος. Καὶ τί ἂν γένοιτο τοῦ ὑπὲρ Χριστοῦ τὸ αἷμα ἐκχέαντος δικαιώτερον ἢ μακαριώτερον; Ὧν τὸ μνημόσυνον, οὐ μόνον παρὰ τοῖς ἐπὶ γῆς, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς οὐρανίοις μεμακάρισται, καὶ παρὰ τῷ δικαίῳ Κριτῇ. Καὶ νῦν ὑπάρχει ἡ τούτον σῶρος τὰ μύρα πᾶσι πηγάζουσα, καὶ νόσον πᾶσαν ἐλαύνουσα τοῖς πίστει ταύτῃ πελάζουσι, πνεύματα πονηρὰ διώκουσα, καὶ παρειμένους ἀνορθοῦσα ὡς τάχιστα· φαρμακείαν παύει καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἰᾶται ἐν αὐτῷ Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν, καὶ τῃ Ταρσίᾳ τυγχάνει ταρσὸς, καὶ τάφρος, καὶ περιτείχισμα, καὶ ἀσφάλεια εἰρήνης, καὶ σύνδεσμος τελειότητος.

15 Οὗτος, καὶ μετὰ ἀγγέλων ἡμῖν ἐν ὑψίστοις αὐλίζεται, καὶ σὺν ἡμῖν σύνεστιν ἀοράτως, τὰ τῇ δὲ ἐνοπτριζόμενος, καὶ Θεῷ ἀμέσως παρίσταται, τὰς ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῷ προσάγων ἱκετηρίας· Θεῷ γὰρ ζῇ καὶ ἐντυγχάνει ἑκάστοτε, καθά φησιν τὸ ἱερώτατον λόγιον, ὅτι Θεῷ ζῶσι πάντες οἱ κατὰ Θεὸν ζήσαντες· οὗτος καὶ ἄνωθεν ἐποπτεύει τοῖς ἐν τῷ σεπτῷ σηκῷ

rotundum, et parva tabula obturatum, rogatque, ecquid hoc sit. Respondet ei Vir justus, puteum esse aqua vacuum *b*. At Maximianus suspicans, ibi esse, quam audiverat, ecclesiam, aperiri spiraculum jussit, in illudque descendi; ut e vestigio factum est. Ingressus vero istuc etiam ipse, et templi ornatum, multitudinem lampadum, altaris elegantiam demiratus, ira continuo atque immodico furore turgescit, et vultu in Beatum ferocius defixo: Edissere, inquit, mihi sine mora, Eleutheri; Christianus es; et hostem te professus deorum? Omnino, ait Sanctus, Christianus sum; Christus mihi Deus est; numen, Trinitas; Crux, defensio: sed quoniam a Christo, Deo nostro lex data nobis est, ne periculis ultro insiliamus, ex commiseratione erga vos, qui nos persequimini, ne forte vobis supplicium sempiternum atque inexstinctum accerseremus incendium, latere ad hunc usque diem conati sumus.

D

ibi deprehendit esse Christianum,

b

13 Tum imperator: O Eleutheri, amorem, quo te prosequor, noli respuere, ne tristem tibi referas vitæ finem. Non est mihi tristis, inquit Athleta, tabernaculi hujus interitus; salvum enim illud a Creatore meo recipiam: sed si a Deo vivente sejungar, hic demum interitus mihi erit æternus. Nam qui sic? ait imperator. Nempe, inquit Pugil, interitus ille exiguum affert ac brevem dolorem; hic autem longos ac perpetuos cruciatus. Imperator vero inde blanditiis illum iterum largisque pollicitationibus vafer adoritur; sed irrito conatu, imbecillitatem ejus redarguente Viri sancti constantia. Itaque tyrannus spem omnem successus abjiciens, lata sententia, jubet eum gladio plecti: id quod extemplo, quibus imperatum hoc fuerat, multa cum celeritate sunt exsecuti. Sanctus vero, tamquam ad regales invitatus nuptias, abibat exsultans. Postquam autem ei caput amputatum esset, et gloriosus ejus ac felix animus jam evolasset ad Dominum, sacrum ejus pretiosumque, atque ipsis vere angelis venerabile corpus inhumatum eo, quo ceciderat, loco escam avibus et canibus reliquere; donec sacerdos ecclesiæ istius loci præfectus illud accipiens, cum unguentis multis et aromatibus in eadem domo deposuit, in qua abscondita erat ecclesia.

et gladio jubet interfici: qui mox ibidem sepultus est.

E

14 Post annos deinde plurimos, cum, vera religione patefacta, obmutuissent idola, et veritatis jam ubique prædicatio frequentaretur, viri pii Deoque devoti *c* ædem sacram et prorsus admirandam ejus nomini construxerunt, atque ad Dei optimi ac Salvatoris nostri gloriam, et sancti Martyris memoriam sempiternam consecrarunt. In memoria namque æterna erit justus. Et vero quid eo justius, quid beatius, qui pro Christo effuderit sanguinem? Talium memoria non hic solum apud homines, sed etiam apud Superos, et justum Judicem in benedictione est. Nunc sane hujus tumulus unguenta profundit omnibus, et ab iis, qui hunc adeunt cum fiducia, morbum quemlibet expellit; malignos abigit spiritus; debiles erigit quam citissime; adimit veneficio vires; omnem denique sanat ægritudinem per eumdem Christum, verum Deum nostrum; imo vero Tarsiæ *d* et septum est, et vallum, et murus, et pacis securitas, et vinculum perfectionis.

Ecclesia, tumulo ejus posterius imposita,

F

c

d

15 Hic et cum angelis, ut nobis consulat, versatur in altissimis; et invisibiliter nobiscum hic adest, quæ hic geruntur, inspiciens; et assistit immediate Deo, preces ipsi pro nobis offerens: Deo enim vivit, eumque interpellat assidue; sicut sanctissimum testatur oraculum; Deo vivere, quicumque secundum Deum vixerunt: idem et de cœlo

et miraculis gaudent Tarsienses in Bithynia.

EX MS.

A lo eos aspicit, qui sacram ejus ædem sedulo frequentant, et hic loculo suo salutari assidet quotidie, et vota complet eo cum fide accedentium, divinitus hanc habens potestatem. De hoc etenim hujusque similibus Dominus omnipotens per Isaiam dixit: Ne dicat eunuchus: Ego lignum aridum et sine fructu: dico enim eunuchis electis meis, quod dabo vobis in domo mea et in muro meo locum meliorem filiis et filiabus, et quæ sequuntur *e*.

Epilogus auctoris

16 Hæc autem disserui, non ut elogium aliquod eloqui pollicitus (hoc enim vires, ut dixi, meas superat; neque me, ut id tentarem, idoneum reputavi: talia namque aliis, ut monui, conveniunt, quam mei similibus, hoc est, humi gradientibus, et, nisi quod ante pedes est, nihil videntibus) non etiam, ut viderer mirabilia dicere; sed ut, juvante Deo, id facerem, quod et imperanti gratum esset, et me culpæ præstaret immunem *f*; tum ut magno veritatis Præconi consentanea prædicarem, Deoque agerem pro viribus gratias, qui beneficio suo, et Sancti jam memorati precibus, os muto mutius fecit loquacissimum.

cum apostrophe ad Sanctum, et auditores.

B 17 Sed, o Eleutheri, inter Christi Dei Martyres et res et nomen illustre, utere apud Deum parta illa tibi martyrio libertate, nobisque concede, ut libere porro vivamus, neque subjiciamur cupiditatibus carnis, sed iis constanter imperemus; et libera voce, lingua, ore tuarum exhortationum facti participes, Christo, communi Domino per te laudem offeramus. Vos autem, Patres *g*, vere amici Dei, expertes conjugii, et ipsi soli viventes, solumque amantes, orate ut hujus mihi cœpti temeritas condonetur, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas et nunc et per infinita secula seculorum. Amen.

αὐτοῦ προσεδρεύουσι, καὶ κάτω τῇ ἰαματηφόρῳ αὐτοῦ σορῷ παρεδρεύει ὁσημέραι, καὶ τὰς αἰτήσεις τῶν πίστει προσιόντων ἀποπληροῖ, θεόθεν ἔχων τὸ δύνασται· περὶ γὰρ τούτου καὶ τῶν τούτῳ παραπλησίων ὁ παντοκράτωρ Κύριος διὰ Ἡσαίου ἔλεγεν· Μὴ λεγέτω ὁ εὐνοῦχος· Ἐγώ εἰμι ξύλον ξηρόντε καὶ ἄκαρπον· λέγω γὰρ τοῖς εὐνούχοις τοῖς ἐκλεκτοῖς μου, ὅτι δώσω ὑμῖν ἐν τῷ οἴκῳ μου, καὶ ἐν τῷ τείχει μου κρείττονα τόπον υἱων καὶ θυγατέρων, καὶ τὰ ἑξῆς.

16 Καὶ ταῦτα διῆλθον οὐκ ἐγκώμιόν τι φράσαι ἐπαγγελομενος· τοῦτο γὰρ ὑπὲρ ἐμὲ τυγχάνει, ὡς εἴρηται· οὐ δὲ γὰρ τοῦτο ποιεῖν ἱκανὸς εἶναι νενόμικα· ἀλλοὶς γὰρ ταῦτα, ὡς εἶπον, προσέοικεν, ἢ τοῖς κατ᾽ ἐμὲ χαμαὶ βαίνουσι καὶ τῶν ἐν ποσὶ πλέον εἰδότων οὐδέν· οὐδ᾽ ἱνα δόξω παράδοξα φθέγγεσθαι, ἀλλ᾽ ἵνα τῷ κελεύσαντι μὲν τὸ κατὰ γνώμην ποιήσω, ἐμαυτῶ δὲ, σὺν Θεῷ, τὸ ἀκατάγνωστον· καὶ τῷ μεγάλῳ τῆς ἀληθείας Κήρυκι τὰ εἰκότα συνεορτάσαιμι, καὶ Θεῷ τὴν κατὰ δύναμιν εὐχαριστίαν προσοίσαιμι, τῷ τῇ αὐτοῦ χάριτι, καὶ ταῖς τοῦ δηλουμένου Ἁγίου πρεσβείαις στόμα κωφόντε καὶ δίσκωφον λαλίστατον δείξαντι.

17 Ἀλλ᾽ ὦ μαρτύρων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ Ἐλευθέριε τὸ καλὸν καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα· τῇ μαρτυρικῇ παῤῥησίᾳ σου πρὸς Θεὸν χρώμενος, δίδου ἡμῖν ἐλευθερίως πορεύεσθαι, καὶ μὴ τοῖς πάθεσι τῆς σαρκὸς κυριεύεσθαι, ἀλλὰ κυρεύειν τούτων ἑκάστοτε, ὅπως ἐλευθέρᾳ φωνῇ καὶ γλώσσῃ καὶ στόματι, ταῖς σαῖς κοινωνῶμεν προσαναμνήσεσιν, καὶ τῷ κοινῷ δεσπότῃ Χριστῷ διά σου τὸν αἶνον προσοίσωμεν. Καὶ ὑμεῖς δὲ, πατέρες, οἱ Θεοῦ ὄντως φίλοι, καὶ ἄζυγες, καὶ αὐτῷ μόνῳ ζῶντες, καὶ στέργοντες, συγγνώμην τῆσδε τῆς ἐγχειρήσεως δοθῆναί μοι εὔξασθε, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν τε, καὶ εἰς τοὺς ἀτηλευτήτους αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. E

ANNOTATA.

a Προσθέμενος, *aiunt Menæa impressa*, ὅτι καὶ κρυπτὸν οἴκημα ὑπὸ γῆν κεκτημένος, παννύχους λατρείας τῷ τῶν Χριστιανῶν προσάγει Θεῷ, νηστείᾳ καὶ κλαυθμῷ καὶ χαμευνίᾳ τὸ σῶμα κατατρύχων. *Id est:* Addens, quod et ædem haberet subterraneam, et noctes integras colendo Christianorum Deo insumeret, jejunando, flendo, humi cubando corpus affligens.

C b *Hoc famam olet, non plebeiam modo, verum etiam Græcam. In Menæis excusis et Mss. non legitur, uti neque in Menologiis Basilii imperatoris et Cardinalis Sirleti.* F

c *Videtur hac phrasi monachos indicare, eorum, quibus hæc recitat, majores. Vide Commentarium prævium num.* 7; *et infra ad litteram* g.

d *De* Tarsia *urbe et regione Bithyniæ vide Commentarium prævium num.* 5.

e *Isaiæ textum non recitat auctor, ut est; sed ut occurrebat memoriæ.*

f *Fallor, nisi ejusdem ecclesiæ monachus fuerit; cum ita de obedientia loquatur. Idem colliges facile ex numero sequente, ubi auditores monachos* Patrum *nomine compellat.*

g Vos autem, Patres, *etc. Auditores iterum alloquitur orator, et quidem iis epithetis eos ornans, quæ monachos absque dubio solos designant; quandoquidem, ut alia, prætercam, hujus scriptoris ætate ad cælibatum apud Græcos monachi tantum, et episcopi (de quibus patet, hic non agi) ex instituto tenebantur: nam clericis aliis licebat esse conjugatis.*

A D

DE SS. EPIPHANIO ET ISIDORO MM.

J. B. S.

VESONTIONE IN GALLIA.

SYLLOGE

De cultu.

IV Augusti.

Nomina et cultus certa sunt;

B

Reperiuntur ambo hi Sancti in nostris antiquis indicibus hoc die notati, solo vade Ferrario, ut qui in Catalogo suo generali ita hoc die scripserit :* Vesontione, SS. Epiphanii et Isidorum *(voluit dicere* Isidori) martyrum. *Adducit autem* Kalendarium ecclesiæ Vesuntinæ, ubi corpora illorum asservantur. *Adjungi poterat Saussayus in supplemento Martyrologii sui Gallicani, pag.* 1154, *ubi etiam ad hunc diem pluscula de iis tradidit, his verbis :* Vesontione, susceptio corporum beatorum Epiphanii et Isidori martyrum, quæ dudum a Theodosio juniore, cum nonnullis ossibus sanctorum Innocentium, eam ad urbem missa, et ibi servata, tandem ad uberiorem honorificentiam Vitalis episcopus in capsa argentea collocavit. *Adde his id quod est apud Joannem Jacobum Chiffletium in Vesontione parte* 2, *pag.* 114, *sacra illa corpora eo pervenisse sub episcopo Celidonio circa annum* 444; *porro a Vitale decentius exornata fuisse anno* 1320, *et habebis quidquid de sanctis illis Epiphanio et Isidoro a nobis hic tuto referri potest; nempe coli Vesontione bina sacra corpora jam dictis nominibus insignita, ut ex antiquis Breviariis, et Ms. et edito etiam datur intelligi.*

ignota reliqua omnia.

2 *Si quis ulterius ex me quærat, utrum Sancti illi vere ita appellati fuerint, an forte nomina adscititia sint; in qua Orientis parte, aut quo seculo vixerint; quid et sub quo tyranno, simul an divisim, passi fuerint; quid tota vita egerint; laici an clerici, monachi an milites fuerint; et quidquid demum de ipsorum ætate aut gestis, virtutibus aut miraculis a nobis sedulo indagari solet; ingenue fatebor et candide, frustra me quæsivisse hactenus, quod his omnibus vel hilum lucis afferre possit. Quæ de magni thesauri sacri translatione in Celidonio episcopo tradit laudatus Chiffletius, ea ad S. Stephani brachium aliasque reliquias multo magis spectant, quam ad Sanctos hodiernos, ut docebit hymnus quem ex ipso daturi sumus, potius quam verbosissimam Legendam, in varias lectiones distributam, et a P. Petro Francisco Chiffletio huc missam, ex qua, præter locos communes, de Sanctis omnibus prædicabiles, otiosasque etymologias nihil huc conducens extuderis, quod non melius explicet Vesontionensis historia in Vitale II, episcopo* LXIX *pag.* 283. *En ipsum textum integrum.*

C

De elevatione seu revelatione

3 Vitalis natione Vasco, vir magnæ in rebus gerendis, tum auctoritatis tum prudentiæ, Hugoni suffectus, sacra ossa SS. Epiphanii et Isidori, olim Vesontionem a Juniore Theodosio missa, anno MCCCXX, cum nonnullis ossibus sanctorum Innocentium perhonorifice collocavit in capsa argentea, bene gravi et affabre elaborata, quam dono misit Joanna regina Franciæ, filia Comitis Burgundiæ ex legendario S. Joannis IV Augusti, in quam diem transfertur officium de sanctis Epiphanio et Isidoro, cum tamen sacra eorum ossa Vesontione accepta sint III Augusti, ut superius monuimus in Celedonio. Reposita autem putamus in ea capsa, a Vitali archiepiscopo V Nonas Octobris; qua die notatur in Martyrologio S. Joannis : » Revelatio S. Epiphanii et Isi- » dori, in matrice ecclesia S. Joannis Euangeli- » stæ. » Ubique in Martyrologiis Bisontinis REVELATIONEM invenias pro RELEVATIONE : an mendum est exscribentium? an etiam relevatio sanctorum ossium, quædam eorum revelatio ac manifestatio est, dum ex obscuriori loco in ornatiorem transferuntur? E

non conveniunt testimonia;

4 *Quod vero hic in* relevatione *et* revelatione *ludere videatur Vesontionensis Historicus, sua aliquali non caret difficultate, videnturque diversa duo indicari, quæ et diversis diebus facta sint, ut saltem innuunt binæ annuntiationes ejusdem Martyrologii ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ, quas huc olim misit P. Petrus Franciscus Chiffletius; et quarum prior hoc die seu* Pridie Nonas Augusti *ita sonat:* Apud Bisontium, inventio sanctorum martyrum Epiphanii et Isidori, in ecclesia S. Joannis Euangelistæ, quorum corpora a Theodosio imperatore in præfatam civitatem missa leguntur. *Posterior non* V Nonas Octobris, *sed* V *Idus Novembris sic expressis terminis legit:* Relevatio sanctorum Epiphanii et Isidori, in matrice ecclesia S. Joannis Euangelistæ. *Alterutrum ex Chiffletiis hic male legisse oportet; an Joannes Jacobus, an Petrus Franciscus, non est mihi promptum decernere. Nodus qui superest, opportune dissolvi posse videtur, si hac die* IV *Augusti sacra ea corpora sanctorum* Epiphanii et Isidori *a Vitale II inventa dicantur, relevata vero seu exaltata die* IX *Novembris.*

F

res videtur explicari in Gallia Christiana.

5 *Sammarthani in Gallia Christiana satis opportune rem explicant, dum et inventionem et relevationem ita conjungunt, ut qua ratione* inventio *seu* revelatio *dici debeat, qua vero* relevatio *seu* exaltatio *commode intelligatur. Sic ibi legitur, quod mirum est in novissima editione non reperiri ; sic, inquam, ibi legitur :* Vitalis, natione Vasco, nobili prosapia ortus, præfuit annis viginti duobus. Hujus fit mentio in membrana veteri S. Pauli MCCCXII, et eo præsente, MCCCXIX Indictione 2 die XV Septembris, a fabro quodam murario, ex improviso repertæ sunt reliquiæ sanctorum Innocentium et sanctorum martyrum Epiphanii et Isidori, in quodam altari in confessione subtus majus altare basilicæ sancti Joannis. Quæ reliquiæ sequenti anno repositæ sunt in pretiosa capsa argentea, dono transmissa a Johanna regina Francorum, Othonis Burgundiæ comitis filia. *Hinc patet, repertas esse sacras illas omnes reliquias anno* 1319, *thecam autem argenteam in quo honorifice recluderentur, anno proxime sequenti* 1320 *accessisse, ut* inventio *et* revelatio *atque item* relevatio *intelligi possint; quidquid signati festivitatum dies, pro arbitrio selecti videantur. En modo hymnum, de quo supra meminimus.*

6 Lau-

A *et in hymno.*

AUCTORE J. B. S.

6 Laudemus Epiphanium
Demus mundum præconium,
Pangat Chorus noster melos
Tangat dulcor cujus cœlos :
Isidoro causa pari
Laus a choro debet dari
Non funebri tragœdia
Sed celebri melodia.
Hi devote toti tui,
Christe, pro te sunt mortui ;
Hæc profecto plenissima
Ostenditur dilectio,
Pro dilecto dum anima
Exponitur martyrio.
Sic Stephani debet cani
Egregium martyrium ;
Militum Christi prævius
Meritum habet celsius :
Hujus latum os brachii
Ornat statum Bisuntii.
Magnificemus Virginem
Cujus habemus pectinem,
Crines, cingulum filii
Sui cumulum gaudii,
Excedit rerum ordinem
Quæ dedit Deum hominem.
Innocentum reliquiæ
Sunt augmentum lætitiæ ;
Hi sanguine baptisati
Sine fine sunt beati.
Hæc præfata, simul data
Sunt incolis Chrysopolis
A pio Theodosio.
O quam bonum fuit donum !
Quanta præsens ecclesia
Tanta habens jocalia :
Quorum adest solemnitas
Horum juvet nos sanctitas,
Ut consequamur gratiam ;
In qua veræ divitiæ
Sunt et veræ delitiæ,
Fastigia concordia
Præconia perennia. Amen.

DE S. EUDOCIA MARTYRE

J. P.

B

IN PERSIDE.

E

SYLLOGE

Cultus et elogium apud Græcos. Eadem ne cum S. Ia, an diversa.

Sub Sapore.

Duas, *hodiernæ* Eudociæ *synonymas, martyrio coronatas invenio in Opere nostro : unam quidem die* XXXI *Januarii pag.* 1081, *aliis Ægyptiis sub Diocletiano Martyribus conjunctam ; alteram vero ad diem* I *Martii pag.* 8 *Heliopolitanam sub Trajano : de qua tunc Martyrologium Romanum ; utramque ab hodierna distinctam, in cujus cultu publico varii hoc die Græcorum fasti conspirant, nimirum magna eorum Menæa typis vulgata, Menologium ex interpretatione Cardinalis Sirleti a Canisio editum, Typicum S. Sabæ, ne alios commemorem. Dicta Menæa, quibus fere ad verbum consonat Sirletus, hoc die ita eam annuntiant :* Relatio reliquiarum sanctæ matris nostræ et martyris Eudociæ. *Versiculos ibidem appositos sic verto :*

Hanc Martyrem annuntiant tabulæ Græcorum,

C

Ὀσμὴ τί ; τοῦτο σῶμα τῆς Εὐδοκίας
Ἀθλητικῶν ἀπόζον ἥκει χαρίτων.
Πότνια Εὐδοκίη νεκρὰ ἤχθη ἀμφί τετάρτην.
Quidnam hoc odoris? Corpus Eudociæ venit
Sacro e triumpho, gratiæ donis fragrans.
Quarta venerandæ corpus Eudociæ tulit.

laudant eorum Menæa.

2 *Sequitur ibidem elogium ; quod utinam tam distincte exprimeret alia martyrii adjuncta, quam pœnas ejusdem graphice exhibet ! Illud ex versione Ms. nostri Raderi sic habet :* Sancta martyr Eudocia gente Romana erat, ex Oriente tamen oriunda, captaque a Persis in Persarum regionem devenit. Hæc Litterarum sacrarum scientissima omnes captivos ad virtutem cohortabatur, omniumque illic ore celebrabatur, Persicis etiam feminis familiaris ; e quibus non paucas ad veri Dei cognitionem traduxit. Quo nomine accusata, nervis bubulis cæditur, et in carcerem conjecta, duos ibi menses transegit. Tum retracta ad tribunal judicum, cum in fide Christiana perstaret, virgis cæsa est, quoad carnes solutæ defluerent, et lictores sanguine perfunderentur. Rejecta rursus in carcerem, post sextum demum mensem, iterum sistitur et damnatur. Itaque lictores arundines diviserunt, et ad staturam corporis illius accommodarunt, vinctamque et nudatam arundinibus intexuerunt, quas funiculis sparti tenuibus adstrictas, omnibus corporis illius membris inseruerunt, alteramque post alteram immanes illi tam violenter intenderunt, ut carnes Martyris cum ingenti dolore concerperent. Deinde suspensam, et funibus nauticis toto corpore circumdatam, per asperas trabes raptarunt, omniaque ejus ossa contriverunt. Cumque jam seminecem, voceque defectam cernerent, caput demum a cervice revulserunt. *Hæc ibi : unde consequens est, ut tempore persecutionis, sub Persarum rege Sapore excitatæ, martyrium consummasse videatur ; de qua consule, quæ hoc die de S. Ia ac sociis martyribus num. 4 dicuntur.*

F

An Eudocia a S. Ia sit distinguenda.

3 *Quæres, an* S. Eudocia *eadem sit cum S. Ia, de qua agitur apud nos hac die, an ab ea diversa. Pro identitate hæc faciunt : quod S. Iæ Acta tam multa contineant, quæ redolent elogium Eudociæ modo productum, ut prorsus verosimile appareat, aliud ex alio desumptum fuisse, sicut perspicuum fiet, si quis ea inter se contulerit. Propendeo tamen in illam sententiam, quæ asserat, aliam ab alia distingui.* 1°. *Quia distinguuntur earum nomina.* 2°. *Quia in fastis Græcis eodem die tamquam duæ referuntur.* 3°. *Quia facile contingere potuit, ut ista* Eudocia *vel tamquam ignota et anonyma e Perside Constantinopolim adducta, nomen ibi tunc suum acceperit, vel sub hoc nomine eo fuerit allata ; summa narrationis martyrii S. Iæ applicata nostræ* S. Eudociæ, *alienis utique honoratæ Actis, cum fortasse careret propriis. Quid, quod forte hæc una Sociarum fuerit S. Iæ, de quibus fit mentio in ejus annuntiationibus ? Quidquid sit de his conjecturis ; ob ea, quæ mox dixi,* S. Eudociam *martyrem a S. Ia martyre distinguendam esse censui.*

A D

DE S. IA AC SOCIIS MARTYRIBUS

J. P.

IN PERSIDE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus ex Martyrologio Romano, ac tabulis Græcis; tempus martyrii; Acta.

Anno circiter CCCLX.

Romanum Martyrologium *ita de illis hodierna die commemorat* : In Perside sanctarum martyrum Iæ et Sociarum, quæ cum novem millibus Christianis captivis sub Sapore rege diversis pœnis afflictæ martyrium subierunt. *Præluxerat Menologium, e Cardinalis Sirleti interpretatione a Canisio editum, quod ista scribit :* Natalis beatæ martyris Iæ et Sociarum. Hæc sub Sapore rege Persarum, provectæ ætatis femina, comprehensa cum novem millibus Christianis captivis, a principibus magorum, variis tormentis, et acerbis cruciatibus traditi sunt : cum quibus et beata Ia fortiter et constanter perseverans, gladio percussa, martyrio coronata est. *Consonant Menæa magna Græcorum excusa, præmissis duobus versiculis, quos ita interpretor :*

Cultus publicus, B

Ὀσμὴν ἴων ἔπνευσεν ἡ μάρτυς Ἴα
Ἐρυθροβαφῶν αἱμάτων ἀτμοπνόων.
Violarum odores suaviter rubentium
Spirat fragantes, sanguinem effundens, Ia.

templum Constantinopoli : C

2 *Alludit poëta ad nomen proprium Martyris* Ἴα, *et nomen appellativum* τὸ ἴον, *quod violam, ac florem significat. Hanc porro Martyrem etiam signant nostra apographa ex bibliothecæ Ambrosianæ Menæis Mss., ac supplementum, quod habemus, ad Menæa excusa, ex Ms. Synaxario Sirmondi ac Ms. Chiffletii, utrobique cum elogio : illud quidem, quod in dictis ecgraphis bibliothecæ Ambrosianæ exstat, fere ad verbum coincidit cum eo, quod habetur in Menæis excusis; in exemplari autem Sirmondo-Chiffletiano, quod citabam, adscripsit noster Papebrochius, ibi Martyri nostræ* applicari elogium, quod in excusis M. Eudociæ. *Ceterum* S. Iæ *nomine templum vetustum pene collapsum restituit Constantinopoli Justinianus imperator, teste Procopio lib.* I, *cap.* 9, *pag.* 22 *editionis regiæ Parisinæ :* Ad lævam, *ait,* introitus portæ Aureæ, cum Martyrium sanctæ Iæ collapsum vidisset, illi reparando omnem adhibuit munificentiam. *Atque hæc quidem de Martyris cultu : circa quem addo, martyrium ejus inecti diei* V *Augusti in Actis Græcis bibliothecæ Vaticanæ, quæ damus; in Ms. autem bibliothecæ Cæsareæ, ad quod ea collata sunt, huic diei* IV. *At non est, quod tantilla discrepantia nos moretur.*

annus martyrii,

3 *Ferbuit seculo Christi quarto dira adversus cultores Christi sub Sapore Persarum rege persecutio, innumeris pro orthodoxa fide victimis ejus crudelitati atque impietati mactatis; de quibus actum est apud nos variis locis, nimirum : tom.* I *Februarii pag.* 466 ; *tom.* III *ejusdem mensis pag.* 175 ; *tom.* I *Aprilis pag.* 538 ; *ibid. pag.* 821 *exstant* SS. martyres Desa episcopus, Mariabus presbyter, Abdiesus, *etc., post annum* 355, *uti ibidem notatur, martyrio coronati; quos hic nominatim exprimo, quia eorum memoria cum brevi gestorum quorumdam epitome Actis* S. Iæ *inserta est. Alii Martyres in Perside occurrunt tom.* II *Aprilis, pag.* 844 ; *tom.* III, *pag.* 19 ; *tom.* III *Maii, pag.* 574. *Annus, quo hæc nostra Sancta martyrii palmam adepta est, secundum Acta prædicta, fuit circiter æræ vulgaris trecentesimus sexagesimus, vel, ex Ms. bibliothecæ Cæsareæ, sexagesimus circiter tertius. Nam Acta sic incipiunt :* Ἐν τῷ πεντηκοστῷ ἔτει τῆς βασιλείας Σαβωρίου. Anno regni Saporis quinquagesimo : *illud vero, de quo dicebam, manuscriptum, addit* τρίτῳ, tertio. *Deinde nonnulla in Actis subjunguntur de S. Dossa episcopo; post cujus certamen, sequitur narratio martyrii* S. Iæ. E

tempus persecutionis :

4 *Cœpisse illam sub Sapore persecutionem anno* 343, *censet Pagius in Critica Baroniana, post nostrum Henschenium tom.* II *Aprilis, die* XXI, *pag.* 844, *occasione S. Simeonis, de quo infra, ac sociorum Martyrum Persarum; et Saporem tot, quot vixit , annis, nimirum septuaginta, imperasse, anno circiter* 380 *mortuum; ut videre est apud eumdem Pagium ad dictos annos. Sed Joseph Simonius Assemanus V. C. in bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana tom.* I, *cap.* 12 *agens de S. Marutha, episcopo Tagritensi, ac num. ibidem* XIV *de ejus scriptis, pag.* 183 *Historiam Martyrum sub Sapore coronatorum a dicto Marutha conscriptam fuisse arguit ex ipsius verbis; ac mox affirmat, Marutham sub finem primæ persecutionis Persicæ floruisse, testibus Photio, Mari, et Amro, quos citat ; hanc autem sub Sapore persecutionem cœpisse statuit anno Christi* 330, *secundum ea, quæ præmiserat in S. Simeone Barsaboë, Seleuciæ et Ctesiphontis episcopo et martyre, tomi mox citati cap.* I ; *ubi num.* 8 *rejicit Henschenii ac Pagii opinionem de illa persecutione anno Christi* 343 *excitari cœpta. Etenim :* Cum, *inquit,* Constantinus magnus anno Christi CCCXXXVII in vivis esse desierit, qui fieri potuit, ut litteras ab Eusebio relatas *(lib.* 4 *de Vita Constantini, a cap.* 9*)* ad Saporem mitteret, quibus eumdem a persecutione Christianorum cohibebat, si hæc sex dumtaxat post ejus obitum annis, hoc est, anno Christi CCCXLIII moveri cœpit? Neque potuit Eusebius eas fingere, qui circa annum CCCXL obiit, vel certe annum CCCXLIX, quo Simeon juxta Pagium coronatus est, non attigit? *At legi, ac relegi dictas litteras; et nihil invenio, quod assertam ab Assemano persecutionis anticipationem suadeat. Nunc de Actis.* F

Acta.

5 *Prænotantur hoc titulo :* Μαρτύριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἴας; *id est :* Martyrium sanctæ martyris Iæ. *Ex bibliothecæ Vaticanæ codice* 1671 *desumpta notantur in nostro apographo. Lectiones varias, ex Vaticani exemplaris collatione cum Ms.*

biblio-

A *bibliothecæ Cesareæ in pergameno, continente Sanctos mensis Augusti acceptas, partim adscripsi ad marginem textus Græci, partim ipsi textui intra uncinos inclusi. Quamquam vero ea, quæ initio memorant Acta, de Heliodoro, Dossa, ac Mareabe, intelligantur ex primo tomo Aprilis pag.* 821 *et sequente; ne tamen eorum textum in his mutilarem, illa non omisi. En tibi nunc ipsa Acta.* EX MS.

MARTYRIUM

Auctore anonymo,

Ex bibliotheca Vaticana Codice 1671, *cum Ms. bibliothecæ Cæsareæ collatum.*

Ms. bibliothecæ Cæsareæ addit τρίτῳ

Ἐν τῷ πεντηκοστῷ * ἔτει τῆς βασιλείας Σαβωρίου [τοῦ] Περσῶν βασιλέως ἀνῆλθεν ὁ αὐτὸς Σαβώριος εἰς τὰ κάστρα, καὶ εἰς τὰ μεθόρια τῶν Ῥωμαίων, ποιήσας φωσάτον μετὰ τοῦ στρατοπέδου αὐτοῦ · ἦλθεν [δὲ] καὶ ἐπὶ [τὸ] κάστρον [τὸ] προσαγορευόμενον Βιζαϊδέον, καὶ ἠδυνήθη κατακυριεῦσαι
B
ἐν διακατοχῇ

αὐτοῦ, καὶ διακάτοχος * αὐτοῦ γενέσθαι, καὶ τὰ τείχη καταστρέψαι, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλῆθος [πολὺ ἐκ τῶν πολεμάρχων] τῶν Ῥωμαίων ἐκεῖ ἠδυνήθη διὰ τῆς τιμωρίας τῶν ξιφῶν ἀνελεῖν, πορθήσας * ἄνδρας τε, καὶ γυναῖκας * ὡσεὶ πεντήκοντα χιλιάδας, ἅμα δὲ * καὶ τὸν [ἁγιώτατον] ἐπίσκοπον Ἡλιόδωρον σὺν Δοσσᾳ, καὶ Μαρεάβῃ πρεσβυτέροις γηραλέοις, καὶ ἄλλοις πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἁγιωτάτοις ἀνδράσι, μετὰ συστήματος ἁγίων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν κανονικῶν ἀειπαρθένων, πάντας αἰχμαλώτους ἔλαβον · καὶ ἐν τῷ ἀποφέρεσθαι αὐτοὺς εἰς τὴν χώραν τὴν λεγομένην Οὐζαϊνῶν, συνέβη αὐτοὺς ἐλθεῖν ἐν μονῇ λεγομένῃ Βισακὲρ · ἐγένετο δὲ ἀῤῥωστίᾳ περιπεσεῖν παναγιώτατον ἐπίσκοπον Ἡλιόδωρον μέλλων δὲ τελευτᾷν, ἐχειροτόνησε Δόσσαν τὸν προῤῥηθέντα πρεσβύτερον ἀντ' αὐτοῦ ἐπίσκοπον θεοσεβῆ τυγχάνοντα · οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ θυσιαστήριον, ὅπερ ἦν λαβὼν εἰσερχόμενος εἰς αἰχμαλωσίαν, παρέδωκεν αὐτῷ τῷ ὁσιωτάτῳ Δόσσᾳ, ἵνα ἱερατεύῃ ἐν αὐτῷ ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ἐνώπιον Κυρίου · αὐτὸς δὲ ὁ θεοφιλέστατος Ἡλιόδωρος ἀνεπάη ἐν Κυρίῳ.

* καὶ πορθῆσαι
* μετὰ τῶν γυναικῶν
* ἀλλὰ γὰρ

2 Τὸ δὲ τίμιον αὐτοῦ λείψανον ἐτάφη ἐκεῖ παρὰ Χριστιανοῖς ἀνδράσι μετὰ τιμῆς πολλῆς καὶ δόξης ·
C
ἐν δὲ τῷ ἀπέρχεσθαι αὐτοὺς, ἐν τῇ ὁδῷ, ἀποκινησάντων τῶν τόπων ἐκείνων *, συνηθροίσθησαν ἔν τινι τόπῳ, καὶ ἔψαλλον, καὶ ὕμνους δοξολογοῦντες τὸν ἅγιον Θεὸν, [ἀλλὰ καὶ] καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐκτελοῦντες τὴν διακονίαν ταύτην · οἱ δὲ [ἄθλιοι καὶ πονηροὶ] μάγοι διὰ τὸ ψάλλειν [αὐτοὺς] καὶ λειτουργεῖν * Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, θυμοῦ μεγάλου ἐπλήστησαν, καὶ αἱ καρδίαι αὐτῶν, καὶ αἱ ψυχαὶ ἐταράχθησαν δεινῶς, καὶ [λοιπὸν] ἤρξαντο κακολογεῖν, καὶ συσκευάζειν * τοὺς τῷ Θεῷ λειτουργοῦντας Χριστιανοὺς πρὸς Ἀδελφὲρ * τὸν ἀρχιμάγον, τὸν καὶ πρώην αἴτιον γενόμενον αἱματεκχυσιῶν πολλῶν Χριστιανῶν, καὶ ἀθλοφόρων μαρτύρων τοῦ ἁγίου Θεοῦ, τῶν μαρτυρησάντων ἐν τῇ ἀνατολῇ · καὶ ὁπλισθεὶς Ἀδελφὲρ ὁ ἀρχιμάγος τοῖς ὅπλοις τοῦ ἀντικειμένου, εἰσῆλθεν πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ λέγει αὐτῷ · Ἀγαθὲ βασιλεῦ, ἀνήρ τίς ἐστιν ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ ταύτῃ πρῶτος ὑπάρχων τῶν Χριστιανῶν, ἔχων τὴν προσηγορίαν Δόσσας, καὶ πολλοὺς συναρπάζει πρὸς αὐτὸν ὄχλους ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας ὁμοπίστους, καὶ ὁμόφρονας αὐτῷ τυγχάνοντας, καὶ λοιδοροῦσι τὸ ὑμέτερον κράτος, βδελυσσόμενοι τὴν ὑμετέραν βασιλείαν · καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν τοῦτο διαπράττονται · παρήγγειλα δὲ αὐτοῖς μὴ ποιεῖν ταῦτα, καὶ οὐ παύονται · ἀλλὰ γὰρ καὶ περισσοτέρως ἀτιμάζουσι τὸ ὑμέτερον βασιλικὸν μέ-

* ἀποκινηθέντες ἐκ τοῦ τόπου ἐκείνου
* ἀεννάως τῷ ἁγίῳ ἡμῶν Χριστῷ καὶ Θεῷ
* ἐνδιαβάλλειν
* Ἀδερφὴ

Anno regni Saporis, Persarum regis, quinquagesimo abiit ipse Sapor in castra *a*, et in confinia Romanorum, [ac] fecit fossam *b* cum exercitu suo. Ivit [autem] etiam ad castrum appellatum Bizaïdeon *c*, potuitque illud superare, atque in potestatem redigere, murosque evertere: quin imo multitudinem [magnam præfectorum militarium] Romanorum illic potuit per supplicium gladiorum e medio tollere, et perdere viros ac mulieres, quasi quinquaginta millia *d*. Simul vero episcopum Heliodorum cum Dossa *e* et Mareabe *f* presbyteris ætatis devexæ, aliisque presbyteris et diaconis, sanctissimis viris, cum cœtu sanctorum virorum, ac mulierum sub perpetuæ virginitatis tenore viventium, omnes captivos tenuit. Et dum illi in regionem, quæ dicitur Ouzaïnorum abducerentur, contigit, ut venirent in mansionem, dictam Bisacer. Factum est autem, ut in morbum incideret sanctissimus episcopus Heliodorus. Moriturus autem ordinavit Dossam prædictum presbyterum, ut suo loco gereret religiose episcopatum. Et vero altare, quod acceperat ingrediens captivitatem, tradidit ipsi sanctissimo Dossæ, ut sacerdotio sancte, et juste, et inculpate in eo fungeretur coram Domino. Ipse vero Dei amantissimus Heliodorus requievit in Domino *g*.

S. Dossa episcopo
a
b
c
E
d
e
f
g

2 Venerandum autem ejus corpus sepultum est illic a Christianis viris multo cum honore et gloria. Dum autem abirent illi, in via, ex isto digressi loco, congregati sunt in loco quodam, et cantabant ac hymnos dicebant, glorificantes sanctum Deum, singulis [etiam] diebus perficientes illud ministerium. Verum [miseri et malitiosi] magi, quia [illi psallebant] et publice ministrabant Christo Deo nostro, ira magna impleti sunt, et corda eorum ac animi graviter turbata sunt, et cœperunt [postea] maledicere, et criminari Christianos, Christo publice ministrantes, apud Adelpher, magorum principem, qui antea auctor fuerat effusionis sanguinis multorum Christianorum, et gloriosorum Martyrum sancti Dei, qui martyrio affecti sunt in Oriente. Et armatus Adelpher, magorum princeps, armis adversarii, ingressus est ad regem, et dicit illi: Bone rex, vir quidam est in civitate hac, qui inter Christianos primatum tenet, habens nomen Dossæ, et multas rapit ad se turbas ex captivitate viros ac mulieres idem credentes, et ipsi consentientes, et convitiantur vestræ potestati, abominantes vestrum regnum. Singulis autem diebus hoc faciunt. Admonui ipsos, ne hoc facerent, et non quiescunt. At enim vehementius etiam dedecore afficiunt vestram regiam magnitudinem,

martyrii laurea coronato.
F

et

EX MSS.

et non parum blasphemant contra deos Persarum. Hæc ubi audisset rex [gravesque in furias actus esset] jussit [statim] caput beati Dossæ episcopi [gladio] amputari.

S. Ia, de fide orthodoxa bene merita

3 Post [pretiosum et gloriosum] vero certamen sancti episcopi Dossæ, delata est etiam Dei ancilla [sancta Ia,] quæ erat ex captivitate, quæ tenebatur, magno utique erga fidem salvatoris nostri Christi studio flagrans. Erat autem in sacris etiam Scripturis accurate exercitata per desiderium, quod habebat erga Christum Dominum. Nam [tota] Christi amore succensa, adversabatur omni resistenti, et odienti Christianum populum se opponebat, docens verbum Christi, et auribus ejus inserens doctrinam Dei. Multos igitur ex errore idololatrico gentilitatis convertit ad Christianismum. Per illud autem tempus [beata martyr Christi Ia] habitabat in Zaïnorum regione, et multos adducebat ad Christum. Ipsa vero Sancta ad mulieres veniebat semper in charitate, et verbum Dei illas docebat, et ex sanctis Scripturis admonebat, et consolabatur eas. Mulieres autem [illæ] lenitate visa sanctæ Iæ, et audito
B gratioso illius sermone, libenter eam admiserunt, et coram viris suis adduxerunt, doctrinas et sermones sanctæ [Iæ] narrantes.

a gentilibus accusatur apud regem Saporem,

4 Viri autem illarum [hæc] audientes, ira magna repleti sunt, et alter alteri retulit verba dicta a sancta Ia uxoribus suis, habito inter se sermone dicentes : Mulier illa per magiam suam uxores nostras avertit et abalienat a nobis. Ejusdem igitur sententiæ facti omnes, coram rege steterunt, et [una voce] dixerunt : Rex noster bone, in secula vive. Mulierem unam ex captivitate adduxit majestas vestra, genere Romanam, quæ magias perficit in hac patria, quæ est sub regno tuo, et multas animas avertit ab adoratione deorum [quos potestas tua colit et honorat] : deos enim nostros dedecore afficit, et contemnit omnes leges vestras. Hæc audiens rex, magnopere iratus est, et furore multo repletus præcepit ; et evocati sunt duo magorum principes, quorum erat hæc appellatio : unus quidem vocabatur Adersabor ; alter vero Adelpher. Et dixit illis rex : Illa, de qua loquuntur, siqui-
C dem adorat deos, et honorat solem, et ignem,
h et aquam, et potentiam meam [non aspernatur], et maleficium, quod docet, non facit *h*, habitabit in hac patria [pingui ac florente ; et decentem] honorem habebit a nobis. Si vero non adorat deos [nostros] et ignem et aquam [non honorat] sicut dii nostri, ac nostræ leges præcipiunt, omnem pœnam ei inferte.

in carcerem conjicitur,

5 Cum accepissent [impii magorum principes iniquum] hoc mandatum, egressi jusserunt comprehendi sanctam ancillam Dei [et conjici illam in carcerem. Paucis autem post diebus, dum consedissent principes magorum, jusserunt duci Sanctam coram se]. Adducta illa, clamorem et tumultum adversus illam concitarunt, et dixerunt ipsi : Christiana es? Sancta respondens dixit : Christiana sum. [Tunc ira succensi] responderunt iniqui dicentes : Mortis rea es, quia dixisti, te esse Christianam. Sancta vero Ia sacra voce exclamavit, dicens : Christiana sum, et uni viventi Deo servio, qui omnem materiam creavit, a quo, quos deos vestros dicitis, constructi sunt, sol, luna, ignis, et aqua. Omnia enim opera manuum ejus
i sunt *i*.

6 Tunc jusserunt exui [vestem ipsius et ex-

γεθος, καὶ οὐ μικρῶς βλασφημοῦσι κατὰ τῶν θεῶν D
τῶν Περσῶν. Ταῦτα ἀκούσας ὁ βασιλεὺς [καὶ μανεὶς σφόδρα] ἐκέλευσε [παραχρῆμα] τὴν κεφαλὴν τοῦ μακαρίου Δόσσα τοῦ ἐπισκόπου [ξίφει] ἀποτμηθῆναι.

3 Μετὰ δὲ τὴν [τιμίαν καὶ ἔνδοξον] ἄθλησιν τοῦ μακαρίου ἐπισκόπου Δόσσα, διεβλήθη [καὶ] ἡ τοῦ Θεοῦ δούλη [ἡ ἁγία Ἴα] ἡ οὖσα ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας τῆς παραληφθείσης, ὡς ζῆλον πολὴν ἔχουσα περὶ τὴν πίστιν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ· ἦν γὰρ καὶ τὰς ἁγίας γραφὰς ἀκριβῶς ἠσκημένη, διὰ τὸν πόθον, ὃν εἶχεν πρὸς τὸν δεσπότην Χριστόν· καὶ γὰρ ἐν * τῇ ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ πυρουμένη ἠναντιοῦτο ἑκάστῳ περιπίπτοντι *, καὶ ἐχθραίνοντι τῷ τῶν Χριστιανῶν λαῷ ἀντιτιθοῦσα, καὶ διδάσκουσα τὸν λόγον τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ ἐνσπείρουσα τὴν διδασκαλίαν τοῦ Θεοῦ· πολλοὺς οὖν ἐκ τῆς πλάνης τῆς εἰδωλικῆς τοῦ ἑλληνισμοῦ ἐπέστρεφεν πρὸς Χριστιανισμόν· κατὰ τὸν καιρὸν δὲ ἐκεῖνον [ἡ μακαρία μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Ἴα] ᾤκησεν εἰς τὴν Ζαϊνῶν χώραν, καὶ πολλοὺς προσήνεγκε τῷ Χριστῷ· αὕτη δὲ ἡ ἁγία πρὸς τὰς γυναῖκας ἐν ἀγάπῃ ἤρχετο ἀεὶ καὶ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐδίδασκεν αὐτὰς, καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων γραφῶν ἐνουθέτει, καὶ παρεκάλει αὐτάς. Θεασάμεναι δὲ αἱ γυναῖκες [ἐκεῖναι] τὸ πρᾶον τῆς ἁγίας Ἴας, καὶ ἀκούσασαι τὸν κεχαρισμένον αὐτῆς λόγον, ἡδέως αὐτὴν προσεδέχοντο. Καὶ ἐνώπιον τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν προσεκόμιζον αὐτὴν, διηγούμεναι τὰς διδαχὰς καὶ τοὺς λόγους τῆς Ἁγίας [Ἴας]. E

* ὅλη

* ἀντιπίπτοντι

4 Οἱ δὲ ἄνδρες αὐτῶν ἀκούσαντες [ταῦτα], ὀργῆς μεγάλης μεστοὶ γεγόνασι, καὶ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ ἔλεγεν τὰ ῥήματα τὰ λεχθέντα ὑπὸ τῆς ἁγίας Ἴας ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν, φάσκοντες πρὸς ἀλλήλους καὶ λέγοντες· Ὅτι ἡ γυνὴ αὕτη διὰ τῆς μαγείας αὐτῆς τὰς γυναῖκας ἡμῶν ἀποστρέφει, καὶ ἀλλοτριοῖ ἀφ' ἡμῶν· μιᾷ οὖν γνώμῃ γενόμενοι ἅπαντες, ἐνώπιον τοῦ βασιλέως ἔστησαν καὶ [μιᾷ φωνῇ] εἶπον· Βασιλεῦ ἡμῶν ἀγαθὲ, εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι· γυναῖκα μίαν ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας ἤνεγκεν τὸ κράτος ὑμῶν, γένος οὖσαν τῶν Ῥωμαίων, ἥτις μαγείας τελεῖ ἐν ταύτῃ τῇ πατρίδι τῇ οὔσῃ ὑπὸ τὴν βασιλείαν σου, καὶ πολλὰς ψυχὰς ἀποστρέφει ἀπὸ τῆς προσκυνήσεως τῶν θεῶν· * τοὺς γὰρ θεοὺς ἡμῶν ἀτιμάζει, καὶ καταφρονεῖ πάντων τῶν νόμων ὑμῶν. Ταῦτα ἀκούσας ὁ βασιλεύς, μεγάλως ὠργίσθη, καὶ θυμοῦ πολλοῦ πλησθεὶς, ἐκέλευσεν, καὶ ἐκλήθησαν δύο ἀρχιμάγοι, ὧν ἦν ἡ προσηγορία αὕτη· ὁ μὲν εἷς ἐκαλεῖτο Ἀδερσαβὼρ, ὁ δὲ ἕτερος Ἀδελφέρ· καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ βασιλεύς· Ἐκείνη περὶ ἧς λέγουσιν, ἐὰν μὲν προσκυνεῖ τοὺς θεοὺς, καὶ τιμᾷ τὸν ἥλιον F
καὶ τὸ πῦρ, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ κράτος μου [οὐκ ἀτιμάζει] καὶ τὴν φαρμακείαν, ἣν διδάσκει, οὐ πράττει, οἰκήσει ἐν τῇ πατρίδι ταύτῃ [τῇ πίωνι καὶ εὐθαλει, καὶ τὴν πρέπουσαν] τιμὴν ἕξει παρ' ἡμῶν· εἰ δὲ οὐ προσκυνεῖ τοὺς θεοὺς [ἡμῶν] καὶ τὸ πῦρ, καὶ τὸ ὕδωρ [οὐ τιμᾷ] καθὼς κελεύουσιν οἱ θεοὶ ἡμῶν, καὶ οἱ ἐμέτεροι νόμοι, πᾶσαν τιμωρίαν ἐπαγάγετε αὐτῇ.

* ὧν σέβει τὸ κράτος ὑμῶν καὶ τιμᾷ

5 Δεξάμενοι δὲ [οἱ ἀσεβεῖς ἀρχιμάγοι] τὸ [παράνομον] κέλευμα τοῦτο, ἐξελθόντες προσέταξαν κατασχεθῆναι τὴν ἁγίαν δούλην τοῦ Θεοῦ [καὶ ἐμβληθῆναι αὐτὴν εἰς τὸ δεσμοτήριον. Μετὰ δὲ ὀλίγας ἡμέρας καθεσθέντες οἱ ἀρχιμάγοι ἐκέλευσαν ἀχθῆναι τὴν Ἁγίαν ἔμπροσθεν αὐτῶν]. Ἐνεχθείσης δὲ αὐτῆς, κραυγὴν, καὶ θόρυβον ἐπ' αὐτῇ ἐποίησαν *. Καὶ εἶπον αὐτῇ· Χριστιανὴ ὑπάρχεις ; Ἡ Ἁγία ἀποκριθεῖσα εἶπεν· Χριστιανή εἰμι. [Τότε ἐξαφθέντες τῷ θυμῷ] ἀπεκρίθησαν οἱ παράνομοι λέγοντες· Θάνατον χρεοστεῖς, ὅτι ἔφης εἶναι Χριστιανή. Ἡ δὲ ἁγία Ἴα ἱερᾷ φωνῇ ἐβόησεν λέγουσα· Χριστιανὴ ὑπάρχω, καὶ ἑνὶ ζῶντι Θεῷ δουλεύω, τῷ πᾶσαν ὕλην κτίσαντι, ἐξ οὗ καὶ οὓς λέγετε θεοὺς ὑμῶν κατεσκευάσθησαν, ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, καὶ τὸ πῦρ, καὶ τὸ ὕδωρ· πάντα γὰρ ἔργα χειρῶν αὐτοῦ ὑπάρχουσιν.

* καὶ κατ' αὐτῆς ἤγειραν

6 Τότε ἐκέλευσαν ἀποδυθῆναι τὴν [ἐσθῆτα αὐτῆς,

A καὶ ἐκταθῆναι τὴν] ἀμνάδα τοῦ Χριστοῦ, καὶ σχοίνους ἔβαλον ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς, καὶ ἐν τοῖς ποσίν, καὶ πέντε ἄνδρες πάνυ ἰσχυροὶ ἕκαστον μέλος αὐτῆς εἷλκον, καὶ ἄλλοι ἄνδρες [πέντε πάνυ ἰσχυροὶ καὶ] νεανίσκοι μετὰ σαρακηνικῶν μαστίγων τύπτοντες, τὸ σῶμα αὐτῆς διέφθειρον *. Ἡ δὲ ἁγία Ἴα ᾠδὴν ἀνέπεμπεν πρὸς τὸν Κύριον *. Καὶ γὰρ εἰς τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ ἐπάρασα τοὺς ὀφθαλμοὺς, μετὰ παρρησίας τὸν ἑαυτῆς δεσπότην ἐπεκαλεῖτο λέγουσα · Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ, ἐνδυνάμωσον τὴν δούλην σου εἰς τὸν ἀγῶνα τοῦτον, εἰς ὃν νῦν εἰσῆλθον, καὶ ῥῦσαί με ἀπὸ τῶν λύκων τῶν διασπαραττόντων με [ὅτι εὐλογητὸς εἶ, εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν].

* διέσχιζον καὶ κατεδαπανοῦν.

* μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Ἴα ᾖδε πρὸς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἦν.

7 Ὅτε δὲ ἐτυπτήθη [ἡ Μακαρία] ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε γενέσται αὐτὴν ἄλαλον, ἐκέλευσαν [οἱ ἀρχιμάγοι πάλιν] ἐμβληθῆναι αὐτὴν εἰς τὴν φυλακήν, καὶ μετὰ δύο μῆνας ἐκέλευσαν [ἀχθῆναι πάλιν ἐπ' αὐτῶν τὴν ἁγίαν Ἴα] καὶ ἤχθη ἐνώπιον αὐτῶν ἡ ἁγία Ἴα, καὶ λέγουσιν αὐτῇ · Ἐν ποίᾳ διανοίᾳ ἔμεινας τοσοῦτον χρόνον ἐν τῇ εἱρκτῇ; ἄρα ἐνουθέτησας ἑαυτὴν εἰς τὸ θῦσαι τοῖς θεοῖς, καὶ σέβεσθαι τὸν βασιλέα, καὶ τὸ πῦρ, καὶ τὸν ἥλιον, καὶ οἰκῆσαι ἐν τῇ πατρίδι ταύτῃ, καὶ παρ' ἡμῶν δέξασθαι δωρεὰς, καὶ δόματα μεγάλα;
B ὥστε τιμήν σοι παρασχεθῆναι κατὰ τὸ θέσπισμα τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων; ἢ εἶναι Χριστιανήν; τότε ἡ [ὄντως] πιστοτάτη, καὶ ἁγία [τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Ἴα] ἀποκριθεῖσα εἶπεν · Ἐγὼ τὴν διάνοιαν ἔσχον [ἣν εἶχον ἐξ ἀρχῆς, τὴν αὐτὴν καὶ ἔχω] ἵνα εἰς τὴν χάριν, ἣν ἐκλήθην, ἰσχυρῶς ἀγωνίσωμαι, καὶ τὸν Θεόν μου τὸν ἀληθινὸν μὴ ἀντικαταλλάξω τοῖς οὐκ οὖσι θεοῖς · τοῖς γὰρ ματαίοις ὑμῶν σεβάσμασιν οὐ προσκυνῶ.

8 Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ ἀρχιμάγοι, μετ' ὀργῆς καὶ θυμοῦ μεγάλου ἐκέλευσαν ἐνεχθῆναι ἀπὸ τοῦ παραδείσου κλάδη ῥοῶν μεστότερα, ἀκαθάριστα τεσσαράκοντα, καὶ ἐξέτειναν αὐτὴν ἄνδρες δώδεκα, καὶ ἔτυπτον αὐτὴν δεινῶς ἔμπροσθεν, καὶ ὄπισθεν · καὶ τὸ σῶμα αὐτῆς ἔῤῥεεν αἷμα ἐπὶ γῆν, ὁμοίως καὶ αἱ σάρκες αὐτῆς, μέχρις οὗ οἱ ἐκτείνοντες αὐτὴν, ἐπληρώθησαν τοῦ αἵματος αὐτῆς · καὶ θεασάμενοι, ὅτι ὅλη αἱματωμένη ἐστὶν, καὶ αἱ σάρκες αὐτῆς ἐδαπανήθησαν, ἐκέλευσαν αὐτὴν ἀρθῆναι ὥσπερ σκήνωμα νεκρὸν, καὶ ῥιφῆναι αὐτὴν εἰς τὴν φυλακήν · καὶ μετὰ ἓξ μῆνας ἐκέλευσαν [πάλιν] αὐτὴν ἀχθῆναι πρὸς αὐτούς · καὶ μετακαλεσάμενοι οἱ ἀρχιμάγοι τὴν ἁγίαν μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Ἴαν, ἠρώτησαν αὐτὴν λέγοντες · Ἔτι τῷ φρονήματι τῶν Χριστιανῶν
C διαμένεις; Ἡ δὲ ἀποκριθεῖσα εἶπεν αὐτοῖς · Χριστιανὴ ὑπάρχω, καὶ Θεὸν ἀληθινὸν φοβοῦμαι, καὶ προσκυνῶ.

9 Οἱ ἀρχιμάγοι εἶπον · Οὐκοῦν ἀληθινά ἐστιν, ἃ ἠκούσται περὶ σοῦ, ὅτι διδάσκεις ἐν τῇ πατρίδι ταύτῃ ἐναντία τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων; Ἡ δὲ ἁγία ἀποκριθεῖσα εἶπεν · Εἴτι ἐὰν ἐῤῥήθη περὶ ἐμοῦ ὑπὲρ Χριστοῦ, ἀληθὲς τυγχάνει · [ἐγὼ γὰρ] ἀσφαλῶς ἕνα Θεὸν μόνον κηρύττω τοῖς ἀνθρώποις, ἵνα μετανοήσωσι, καὶ ἐπιστρέφωσι πρὸς αὐτὸν τῶν ὁδῶν αὐτῶν τῶν πονηρῶν, καθὼς περιέχουσιν αἱ ἅγιαι ἡμῶν γραφαί. Καὶ ταῦτα ἀκούσαντες οἱ ἀρχιμάγοι ἐθυμώθησαν οὐ μικρῶς, καὶ ἐκέλευσαν τοῖς ὑπηρέταις, καὶ ἐποίησαν καλάμους ἐνεχθῆναι μεγάλους, καὶ διασχισθῆναι αὐτοὺς, καὶ ἐπιτεθῆναι τῇ Ἁγίᾳ καθ' ὅλου τοῦ σώματος αὐτῆς, καὶ * σχοινίοις λεπτοτέροις σφιγχθῆναι αὐτὴν [ἐπὶ τοσοῦτον] μέχρις οὗ αἱ ἁρμονίαι αὐτῆς μετὰ τῶν μελῶν ψόφον ἐποίησαν. Καὶ ἐκέλευσαν ἕνα καθ' ἕνα κάλαμον ἀποσύρεσθαι ἀπ' αὐτῆς.

* ἐπενδυθῆναι τὴν ἁγίαν Ἴαν, καὶ εἶθ' οὕτως

10 [Τούτου δὲ γενομένου ὁμοίως, πάλιν] καὶ ἡ σὰρξ μετὰ τοῦ αἵματος κατέῤῥει ἐπὶ τὴν γῆν [ὅθεν ἐκ τοῦ πολλοῦ καὶ ἀνυποίστου πόνου, καὶ τῆς δριμυτάτης ἀλγηδόνος ἔπεσεν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἔκειτο ὥσπερ νεκρὰ εἰς τὸ ἔδαφος ἐπ' αὐτῶν τῶν σαρ-

tendi] agnam Christi, et junceos funes injecerunt manibus illius et pedibus; et quinque valde fortes viri singulas singuli partes illius trahebant, et alii viri [quinque, fortes omnino, et] juvenes Saracenicis flagellis verberantes, corpus illius labefactabant. Sancta vero Ia canticum transmisit ad Dominum. Etenim sublatis in altitudinem cœli oculis, cum fiducia Dominum suum invocabat, dicens: Domine Jesu Christe, Fili veri Dei, corrobora ancillam tuam ad certamen istud, in quod nunc ingressa sum, et erue me a lupis illis, qui discerpunt carnes meas [quia benedictus es in secula. Amen.]

EX MSS. cruciatibus torquetur;

7 Cum autem verberaretur [Beata] eo usque, ut loqui non posset, jusserunt [magorum principes iterum] immitti illam in custodiam, et post duos menses jusserunt [adduci iterum coram se sanctam Iam]. Et adducta est coram illis S. Ia, et dicunt ipsi: Quænam tibi fuit mens, tanto tempore in carcere? Num in animum induxisti tuum, sacrificare diis et honorare regem, ignem ac solem, et habitare in hac regione, nec non accipere a nobis dona et magnas domos, ut honor tibi detur juxta mandatum regis regnantium, an E
esse potius Christianam? Tunc [vere] fidelissima et sancta [Christi martyr Ia] respondens dixit eis: Ego mentem habui [quam habui ab initio, et quam etiamnum habeo] ut per gratiam, Christi qua vocata sum, fortiter certem, et Deum meum verum non commutem cum diis, qui non existunt: nam vana vestra simulacra non adoro.

post longum carcerem archimagis sistitur;

8 Hæc audientes magorum principes, ira et furore magno jusserunt afferri ex pomario ramos *k* malorum Punicarum densiores et immundos quadraginta. Et extenderunt eam viri duodecim, et verberabant eam graviter antrorsum ac retrorsum; et ex corpore ejus fluebat sanguis in terram, similiter et carnes ipsius, donec qui illam extendebant, impleti sunt sanguine ipsius. Et conspicati, quod tota sanguinolenta esset, et carnes illius consumerentur, jusserunt eam tolli, sicut cadaver *l* mortuum, et projici in custodiam. Et post sex menses jusserunt [iterum] illam adduci ad se. Et postquam arcessivissent magorum principes sanctam Christi martyrem Iam, interrogaverunt eam, dicentes: Etiamnum in opinione Christianorum permanes? Illa vero respondens, F
dixit ipsis: Christiana sum, et Deum verum timeo et adoro.

quorum jussu novis tormentis cruciatur, k

l

9 Principes magorum dixerunt: Num igitur vera sunt, quæ audita sunt de te, quod hac in regione doceas contraria regi regnantium? Sancta vero respondens dixit: Si quid de me dictum sit super Christo, verum est: [ego enim] certe unum Deum solum prædico hominibus, ut pœnitentiam agant, et convertantur ad ipsum a viis suis malis, sicut complectuntur sacræ nostræ Scripturæ. His auditis magorum principes non parum commoti sunt ira, et præceperunt ministris, et curarunt arundines magnas inferri, easque discindi, et infigi Sanctæ per totum corpus suum, et funibus tenuioribus eam, stringi [tamdiu] donec corporis compages una cum membris strepitum [maximum] fecerunt. Et jusserunt arundinem unam post alteram ab ipsa avelli.

constanter ac fortiter eorum interrogata respondens:

10 [Hoc autem postquam esset factum, similiter iterum] caro cum sanguine diffluebat in terram. [Quocirca præ multa ac intolerabili molestia atque acutissimo dolore, illa ipsa hora cecidit in terram, jacuitque instar mortuæ in pavimento super

donec post iterata nova tormenta.

EX MSS.

per ipsis carnibus, ac sanguine, qui ex ea effluxit] donec ossa illius et intestina apparerent. Post decem vero dies jusserunt extendi Sanctam et flagellis *m* æreis ossa illius frangi. In illa autem hora in pavimento quasi mortua jacebat ante ipsos. Et jusserunt afferri pressorium, et suspenderunt eam in illo. Et in orbem agebant viri stringentes multum, donec membra illius separata a se invicem humi deciderent.

tandem capite plectitur.

11 Dum autem viderent, quod deinceps profari non posset, quodque membra illius dissoluta cecidissent, tunc caput illius amputari jusserunt gladio. [Hoc autem multa cum festinatione facto, pretiosaque ac sancta anima ejus in manus Dei delata; jussa dederunt sanguivori et impii archimagi]. Præceperunt vero custodibus ut [diligenter] custodiretur corpus ejus, ut nemo sepeliret illam, donec volatilia cœli venirent, et corpus illius comederent. Quando quidem Persis non erat in more positum, sepelire mortuos, ut non contaminetur, inquiunt, terra. Quidam vero viri Christiani occulte corpus sanctæ Iæ, pecunias dantes, redemerunt a custodibus, et sepelierunt eo, quo decebat, honore. Martyrio autem affecta est sancta Ia in regione Iouzaïnorum *n*, quæ est in Perside, mense Augusto die quinta *o*, regnante apud Persas Sapore, apud nos vero regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria et potestas in secula seculorum. Amen.

κῶν καὶ τοῦ αἵματος τοῦ ἐκρεύσαντος ἐκ αὐτῆς] ἕως οὗ τὰ ὀστᾶ αὐτῆς, καὶ τὰ ἐντὸς ἐφάνη · μετὰ δὲ ἡμέρας δέκα ἐκέλευσαν ἐκταθῆναι τὴν Ἁγίαν, καὶ ἐν φραγέλλαις χαλκαῖς τὰ ὀστᾶ αὐτῆς κατακλασθῆναι. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ εἰς τὸ ἔδαφος ὡς νεκρὰ ἔκειτο πρὸ αὐτῶν · καὶ ἐκέλευσαν ἐνεχθῆναι πραισσόριον, καὶ ἐκρέμασαν αὐτὴν ἐν αὐτῷ · καὶ ἐκύκλουν ἄνδρες σφίγγοντες ἐπὶ πολὺ, ἕως ὅτου τὰ μέλη αὐτῆς χωρισθέντα ἀπ' ἀλλήλων ἔπεσον χαμαί.

11 Θεασάμενοι δὲ ὅτι λοιπὸν ἄλαλος ὑπῆρχεν, καὶ τὰ μέλη αὐτῆς διαλυθέντα ἔπεσον, τότε τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσαν ξίφει. [Τούτου δὲ μετὰ πολλοῦ τοῦ τάχους γενομένου, καὶ τῆς τιμίας καὶ ἁγίας αὐτῆς ψυχῆς εἰς χεῖρας Θεοῦ ἀπενεχθείσης, ἐκέλευσαν οἱ αἱμοβόροι καὶ ἄθεοι ἀρχιμάγοι.] Παρήγγειλαν δὲ τοῖς τηροῦσι φυλαχθῆναι [ἐπιμελῶς] τὸ λείψανον αὐτῆς, ἵνα μηδεὶς ἐνταφιάσῃ αὐτὴν, ἕως οὗ τὰ πετηνὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέλθωσι, καὶ τὸ σῶμα αὐτῆς καταφάγωσιν · ἐπειδήπερ οὐκ ἦν ἔθος Πέρσαις θάπτειν νεκροὺς, ἵνα μὴ μολύνηταί, φησιν, ἡ γῆ. Τινὲς δὲ ἄνδρες Χριστιανοὶ κρυφῇ τὸ λείψανον τῆς ἁγίας Ἴας, χρήματα δόντες, ἐξηγοράσαντο παρὰ τῶν τηρούντων, καὶ ἐνεταφίασαν μετὰ τιμῆς, καθὼς ἔπρεπεν. Ἐμαρτύρησεν δὲ ἡ ἁγία Ἴα ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ τῇ Ἰουζαϊνῶν, τῇ οὔσῃ ἐν Περσίδι, μηνὶ Αὐγούστῳ πέμπτῃ, βασιλεύοντος τῶν Περσῶν Σαβωρίου, κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a Κάστρα *in textu Græco, vox est Græco-barbara, apud Cangium in Glossario notata; ubi observat, hodie Græcos quasvis urbes* κάστρα *vocare;* πόλιν *vero solam Constantinopolim.*

b *Circa vocem Græco-barbaram, quæ huic Latinæ respondet, varia curiose collegit mox citatus auctor.*

c *In Ms. bibliothecæ Cæsareæ est* Βιζαδέον *; apud Assemanum autem Bibliothecæ orientalis Clementino-Vaticanæ tom.* 1, *cap.* 12, *pag.* 191 *scribitur* expugnato Zebedæo Romanorum castro.

d *Apud Assemanum jamjam citatum hæc habentur :* Millia circiter novem virorum ac mulierum in Persidem abducta sunt ; quos inter episcopus loci Heliodorus, et Dausas, atque Mariab presbyteri, et diaconus Hebedjesu.

e *Ms. Cæsareo :* Δωσᾶ, Dosa; *apud nos tom.* 1 *Aprilis pag.* 881 Desa; *apud Assemanum scribitur* Dausas, *uti mox retuli; ac Sozomenum lib.* 2, *cap.* 12.

f *Ms. bibliothecæ Cæsareæ :* Μαρεαβῆ; *apud nos tom.* 1 *Aprilis, quem modo indicabam,* Mariabo.

g Et Heliodorus quidem cum in pago Stacarta gravi morbo decumberet, Dausam imposita manu episcopum ordinat, et mox ad Dominum migrat; Dausas vero Mariabum chorepiscopum designat. Cumque illa captivorum turba in varias Persarum urbes dispersa fuisset, Dausas episcopus una cum Mariabo chorepiscopo, Hebedjesu diacono, aliisque ducentis nonaginta septem viris ac mulieribus, ad montem Masebdanum in pagum Gaphetam relegantur : ubi exquisitis ab Adarpharo præfecto suppliciis affecti, gladio cæsi sunt omnes, præter viginti quinque viros ac mulieres, qui solem adorantes, mortem evasere; *uti refertur apud Assemanum pag.* 192. *De Dausa ac sociis etiam agit Sozomenus loco superius designato.*

h *Præplacet lectio Ms. Cæsarei :* ἣν ἐπίσταται, οὐ διδάσκει, quod scit, non docet.

i *Simplicior est textus Ms. Cæsarei :* καὶ αὐτῷ μόνῳ προσκυνῶ, καὶ σέβομαι τῷ πάντα ἐκ μὴ ὄντων συστησαμένῳ. *Id est :* Et ipsum solum adoro ac veneror, qui omnia e nihilo condidit.

k Κλάδη, ramos, *hic est neutrius generis, et contractum in plurali numero; at communiter dicitur* ὁ κλάδος, ου, *generis masculini; et* κλάδους *(non* κλάδη*) hic scribitur in Ms. Cæsareo.*

l Σκήνωμα *proprie* tentorium, tabernaculum, habitatio; *hic* cadaver : *de qua voce Cangius in appendice ad Glossarium suum Græcum, tom.* 2, *col.* 172.

m *Voces* φραγέλλαις, *ac* πραιστόριον *exstant in dicto Glossario. At pro hac ultima occurrit in Ms. bibliothecæ Cæsareæ* ὑποπιαστήριον, *id est,* prælum, torcular; *estque melioris notæ.*

n *Superius scribitur* Οὐζαϊνῶν; *Ms. Cæsareum hic* Οὐζανηνῶν.

o *Ms. Cæsareum :* τετάρτῃ; quarta, *qua etiam fastis Græcis inscribitur, ut supra monui.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

PEREGRINO, MACHORATO
ET VIVENTIANO
APUD CENOMANOS IN GALLIA.

J. B. S.

SECULO VI.

Trium horum sanctorum Martyrum notitiam in suo Martyrologii Gallicani supplemento primus ad hunc diem suggessit Saussayus his omnino verbis : Eodem die, passio sanctorum monachorum et martyrum Peregrini, Machorati et Viventiani Hispanorum, qui pro defensione sororis suæ Flamineæ virginis Christo sacratæ, ab ejus raptore in Gallia cæsi sunt tempore Clodovæi Francorum regis. *Atque hæc satis mira annuntiatio est, accepta ex Gononi Vitis PP. Occidentis lib.* 4 *pag.* 258, *quam avide arreptam Tamayus Martyrologio suo Hispano inseruit, in* B *hunc modum adornatam* : In Gallia, SS. Peregrini, Machorati et Viventiani martyrum Hispanorum, qui professione monachi, zelo fidei accensi, et sororis virginis Deo devotæ, a quodam Gallo sacrilego raptæ, restitutionis sollicitudine compulsi, Galliam petivere, captorem invenere, sororem precibus et pretio redimendam proposuere ; sed a fero homine trucidati, coronas immarcessibiles martyrio promeruere.

a Saussayo signatos

reperit Tamayus et ornavit.

2 *Saussayum hic Tamayo præluxisse manifestum est, etiam ex illius ad hunc epistola inter notationes adducta, ubi verbosiori oratione nonnullas difficultates sibi objectas explanare conatur, quas huc adducere, operæ pretium non censui, quandoquidem id inquiri videatur potissimum, fuerintne tres illi sancti Martyres vere Hispani genere, an Gothi potius, aut fortasse Galli Narbonenses, cujus operosæ inter istos viros quæstionis solutionem aliis facile diri-* C *mendam relinquo, uti et ceteras momenti ad rem nostram non majoris; de vero horum Sanctorum apud Cenomanos cultu magis, quam de tota implexa historia sollicitus, vacillante præsertim in multis utriusque jam laudati Martyrologi auctoritate, nisi aliunde fulciatur, quod hic certe perdifficile est, tacentibus, ut jam dixi, Martyrologiis et sacris fastis etiam recentioribus omnibus, excepto solo Castellano, inferius referendo, ubi totius rei fundamentum adduxerimus, nempe lectiones ipsas Breviarii Cenomanensis ex laudato jam supra Gononi opere.*

Brevis ex Gononio historia

3 Temporibus Clodovæi inclyti regis, dum ipse cum exercitu suo, scilicet Francorum et aliorum, in partibus Hispaniæ, adversus regem Gothorum properaret : in eadem provincia tres germani nobiles, scilicet Peregrinus, Machoratus et Viventianus Christiano apice decorati, et in monasterio sub sancta regula constituti, ordinem monasticum et religiosam vitam erant agentes.

Habebant etiam sororem germanam specie decoram valde, et in omni sancta religione Deo devotam, nomine Flammineam. Evenit itaque ut dum ipsi exercitus ad deprædandam terram illam essent divisi, eamque delerent, eamdem Deo sacratam Flammineam cum aliis pluribus in Franciam perduxerint.

Tunc fratres sui Peregrinus, Machoratus et Viventianus multum dolentes de perditione germanæ, venerunt in Franciam, perquirentes circumquaque, ubi eam invenire valerent. Tandem invenerunt eam cum uno deprædatore, qui eam rapuerat, asserentes eam eorum esse germanam. Ille e contrario negans et dicens eos esse raptores et exploratores, tandem ipsos temeraria crudelitate peremit, et sic ad Dominum migraverunt, cui est honor et gloria in secula seculorum. E

a Corvaiserio non satis explicata;

4 *Fateor equidem, non deesse in brevi eo compendio quæ explicatione opus habeant, videnda apud Tamayum, ut hic proinde in iis operam ponere necesse omnino non sit, multoque adeo minus in iis enodandis quæ Corvaiserius, et post ipsum Bondonnetus pluribus involverunt, ex nescio quo Chartulario sive Legenda; ut in illo videre est ubi agit de Principio episcopo a pag.* 108, *eo pacto dubiam de se historiam implicans, ut ducem aliquem Emolamum adducat, ejusque filium Baymerum, in quorum potestate fuerit dicta S. Flaminea, quorumque adeo jussu cæsus continuo fuerit* Peregrinus, *non paucis vulneribus confossus* Machoratus ; *fugerit vero* Viventianus *factus subinde sutor adeo peritus et elegans, ut aliorum ejusdem artis invidiam incurrerit, usque adeo ut eorum aliquis, nimia zelotypia incensus, ipsum prope fontem aliquem laborantem crudeliter interfecerit, sacro corpore ibidem occultato, quod, variis signis apparentibus, repertum, et a fidelibus elevatum, exstructo insigni templo honoratum fuerit usque ad Normannicas grassationes, quando Blesas translatum est, ubi in ecclesia abbatiæ S. Launomari perpetua veneratione colitur, fonte etiam ipso multis miraculis claro : quorum an ulla habita sit ratio, me plane latet.* F

minus etiam ab iis qui nos docere debuerant.

5 *Atque hæc quidem de* S. Viventiano *tradit Corvaiserius ex suo Chartulario, in quo de duorum aliorum sacrorum corporum sepultura nihil procul dubio notatum invenerit, quod nec alibi mihi reperire licuit hactenus, ut proinde Cenomanum recurrendum fuerit, ut de hodierna ipsorum celebritate, depositionis loco et cultu certior fierem, haudquaquam dubitans quin ad proposita responsum saltem aliquod nanciscerer. Hoc autem cum frustra toto biennio et amplius exspectaverim, id reliquum fuit, ut relati supra Breviarii auctoritate debitum Sanctis locum in hoc nostro Opere tribuerem; nixus etiam fide Castellani, ipsos hoc eodem die simul consignante :* Apud Cenomanos sanctorum martyrum Macorati, Peregrini et Viventiani.

A D

DE S. BAUMADO CONFESSORE

J. B. S.

TUTELÆ APUD LEMOVICES IN GALLIA.

SYLLOGE

De cultu et gestis, ex Baluzii monumentis Tutelensibus.

SECULO VI.

Olim vix notus, B

Edidit pridem, *anno nimirum seculi proxime elapsi sexto et quinquagesimo Vir Clar. Stephanus Baluzius eruditam imprimis dissertatiunculam, cujus pars non minima ad singulos prope Actorum nostrorum dies referri mereretur, adversus seculorum ignorantiæ seu mediæ ætatis tyrannicam, ut vocat, et plane barbaram crudelitatem imperitissimorum hominum, in veras Sanctorum historias immaniter grassatorum, ipsas aut temerando turpiter lacerandoque, aut tot tenebris involvendo, ut post devorata sæpe ingentia tædia, multum te reperisse existimes, si vel id demum assequaris, ut tuto judices, Sanctum id nominis aliquem certo exstitisse in rerum natura. Opusculi titulus est:* Stephani Baluzii Tutelensis Dissertatio de sanctis Claro, Laudo, Ulfardo, Baumado, quorum sacræ reliquiæ servantur in cathedrali ecclesia Tutelensi apud Lemovices. *Notanda potissimum libelli præfatio, de qua jam dicebam, mereri ipsam, ut plurimis Sanctorum Actis præfigatur, quamque adeo hic describendam censerem, nisi totam ferme retulisset Henschenius ad diem* I *Junii, ubi S. Clari gesta ex eodem opusculo recensens, fusius de eo argumento disseruit.*

a modernis laudatus est,

2 *Et certe ex eorum numero dici potest Sanctus quo de hic agitur, ut cujus vix aliud præter nomen et cultum supersit, et is quidem in Fastis nostris ecclesiasticis adeo incognitus, ut nisi indubitata Tutelensis ecclesiæ pro ejus cultu monumenta adduxisset Baluzius, vix aliunde suppeterent argumenta, quibus Sanctorum nostrorum numero satis tuto aggregaretur. Etenim inter tot codices Usuardinos, tam variis locis et tot Sanctis auctos, ut nostra refert editio, nec unus repertus est, apud quem ejus exstaret memoria, frustra etiam alibi quæsita, ut vel de Saussayo quis dubitet, dum* Baamirum *signat* III *Novembris, nisi adjuncta recte expensa, utrumque confundendum ostenderent. Accedit Castellanus hoc die Sanctum diserte commemorans, his verbis :* Ibidem, *nempe in agro Cenomanensi,* S. Boamadi (*Gallice* Baumez) solitarii, origine Aquitani, cujus reliquiæ cum aliis sancti Ulfacii tempore Normannorum Tutelam translatæ sunt, ubi sanctus Baumardus dicitur. *Atque hæc hoc die jam laudatus Castellanus, ex cujus altera annuntiatione ad diem* III *Novembris facile intelliges, non immerito hic de nomine quæstionem institui posse.* C

a Castellano

3 *Ita istic habet* : Apud Odonis mansionem (*Gallice* Auton) in Pertico, S. Baomadi, diaconi, catechistæ sub S. Innocentio Cenomanensi episcopo; qui Parisiis existens eo tempore quo ægrotabat Childebertus rex, eum precibus suis sanavit. Corpus ejus partim Tutelæ honoratur, ubi Baumarum ipsum appellant, partim ad S. Deodati prope Blesas, ubi Baudomirus dicitur, partim ad S. Frambaldi Silvanectensis, ubi nuncupatur Baumezius. *Audisti supra* Boamadum *et* Baumardum, *hic legis* Baumarum *et* Baudomirum; *Saussayus ad eamdem* III *Novembris stat pro* Boamiro, *ut mox referam ; Baluzius* Baumadum *constanter nominat. Porro Castellanus ad hujus annuntiationis marginem citat diploma Caroli Magni, Franconi I Cenomanensi episcopo concessum, ubi* Baomadus, *quemadmodum hic scripsimus, nuncupatur. Tu utcumque visum fuerit, appella sis, modo eum Sanctum intelligas, de quo hic nobis sermo est, cujusque reliquiarum pars potissima, nisi vehementer fallimur, Tutelam translata est, ubi hodie, saltem Baluzii tempore fuere celebres. En modo Saussayi elogium :* E

et ante a Saussayo;

4 In tractu Cenomanensi, sancti Boamiri presbyteri et confessoris itidem gloriosi. Hic editus illustri genere et spiritus gratiæ muneribus ditatus, adlectis aliquot sancti propositi sociis, de permissu sancti Innocentii episcopi Cenomanensis, in vastæ eremi solitudinem, loco ubi Brygiæ rivulus surgit, se recepit : ubi vitæ sanctissimæ sibi suisque præfixa observantia, tanta spiritus puritate et ardore Christo servire studuit, ut cœlestem potius quam terrestrem vivendi agendique rationem consectaretur. Cujus sanctitatis cum jam late erumperent lumina, sanctus Innocentius, ut magis merita commendaret, Virum humilem, et sui ipsius contemptorem, eo honore decoravit ut presbyterio insigniret. Nec frustra ; abstracti enim e latebra felici opera usus, lucum, quem populus, cæca adhuc superstitione frequentabat, subruit idolumque, quo malignus ille spiritus populum decipiebat, evertit. Hinc Boamirus ipsemet a sancto præsule missus est ad Clotharium regem, qui cum ipsa accessus die admittere Dei Virum neglexisset, febri sequenti nocte ardentissima correptus, ejus supplex suffragia implorans, veniamque petens, ipsiusmet mox oratione sanitatem recepit. Sic cum honore ad cellulam remissus, alia multa admiranda operatus est : nam hydropicum jam triennio lecto defixum, oleo sanctificato in modum Crucis liniens, repente curavit. Cæcum, indicta ei pœnitentia, videntem reddidit ; alterum manu arida infirmatum, cum sacrati olei fomento effecit sospitem. Febre decoctos innumerabiles optato temperamento restituit. Ex multorum corporibus dæmones visibiliter ejecit. Deinde meritis justitiæ coronatus, ad Christi regnum, cujus dignus erat, lætanter profectus est. Ad cujus exequias is factus est populi concursus, ut vix funeri locus esset, eaque mirabilia coruscarunt, ut beati Confessoris gloria affatim quibusque spectantibus ostenderetur. Sepultus fuit autem in ecclesia sancti Petri, quam pone monasteriolum suum construxerat. F

5 *Hæc*

AUCTORE J. B. S.

A *sed maxime a Baluzio*

5 *Hæc pro Saussayi more, satis ample, magnifice et eloquenter; at si res Parisiis contigit seculo* VI *quo Sanctus vixisse creditur, Clotharium pro Childeberto irrepsisse, historiæ Francicæ periti facile intelligunt. Paucioribus verbis Sanctum exornat Baluzius Dissertationis suæ pag.* 27 *in hunc modum:* Sed quo te, Baumade, piaculo taceam? Tu enim solitus eras præstare idem beneficium Tutelensibus, quod Ægyptiis Nilus. Tu terram imbre perfundis, teste Bernardo Guidonis. *Hoc præmisso exordio, sic pergit:* Sanctus Baumadus Aquitanus fuit, nobili genere procreatus: qui cum a teneris annis ingentem operam virtuti litterisque navasset, relicta demum patria, ad Cenomanos profectus est. Ibi vixit vitam monachi, miraculis magis quam nomine notus; atque post aliquammultos annos ibidem mortuus est, die quarta mensis Augusti, qua transitus ejus celebratur in ecclesia Tutelensi; ibidemque sepultus est. Unde intelligas, errare fortasse Turrianum, qui credit Baumadum fuisse monachum Tutelensem. Demum sacræ Baumadi reliquiæ Tutelam delatæ sunt eodem tempore, quo B illæ sancti Laudi, hoc est ea tempestate, qua Normanni maxime turbabant Gallias. Translationem autem sancti Baumadi notatam IV Idus Julii reperimus in citato Breviario Tutelensi.

lectiones referente,

6 *Ex eo nos modo etiam Lectiones dabimus, a laudato Baluzio descriptas, ita præmonente:* Illud monendus es, lector, priora tria capita hujus Vitæ sancti Baumadi; illi vocant lectiones, de industria hic esse omissas: quia nihil ad rem pertinent, et nihil habent præter inutilem loquacitatem, si spectes historiam. Itaque caput primum in hac editione est quarta lectio in Breviario. Hoc te monere volui, nescius ne esses. *Nos quinque ejus capita, totidem lectiones appellamus, quarum* I *sit:* Sanctus itaque Baumadus ex regione Aquitaniæ, non ab infimis parentibus procreatus, sed nobili ex genere ortus, litterarum studiis traditus, et prudenter est edoctus. Ipse autem a cunabulis infantiæ totam spem suam in Salvatoris posuit dispositione; credens sibi sufficere, si omnem dilectionem in solo amore cœlestis patriæ plantaret. Qui in tantum servis Dei et viris religiosis se subdidit, ut salva horum honestate, nihil de ingenuitatis privi- C legio indicaret; intelligens magis esse utile, cum viris religiosis conversari, quam cum potentibus vel stultis debacchari. Lect. II. Denique proficiebat in eo quotidianæ exercitationis specialis effectus in tantum, ut ultra se semper ascendens, suis meritis reliquos consodales transcenderet, et, edomito corporo, de se ipso potius triumpharet. Cui ergo dicere sufficiat, quantum fuerit jejuniorum parcitate præcipuus, vigilia assiduus, in miserationis opere delectatus, in obedientia præclarus, in dato hilaris, in hospitalitatis susceptione laudabilis, in eleemosynarum largitione præcipuus, in ceterorum bonorum operum exhibitione semper paratus: ut hostem, qui sibi repugnabat, extingueret, et eum affligens, cunctis spem maximam superandi donaret.

in quibus de vita et miraculis:

7 Lect. III. Hujus itaque sanctitatem Dominus miraculis voluit demonstrare. Erat enim mulier haud procul ab eo, diu sterilis permanens: quæ necessitate compulsa, ad sanctum Virum venire destinavit, humiliter deprecans, ut oret pro ea; quatenus condignis suis precibus, filium ei Dominus daret, qui ad suam cellulam deserviret. Cujus oratione mulier concepit, filiumque peperit. Qui ad exemplum Samuel, quem Anna mater prece, sicut et ista hunc consecuta est, in prædicta cellula, in habitu monastico, et sacerdotali benedictione Domino deservivit, et sepulcrum ejusdem S. Baumadi diligenter custodivit. Lect. IV. Quidam adolescens de numero fratrum, gravibus cœpit febribus æstuare, in tantum, ut etiam fratres ejus vitam desperarent; quem S. Baumadus, facta oratione, liquore sancti olei sanavit ac pristinæ obedientiæ redintegravit. Non multo post tempore quid miraculi Dominus per eum operatus sit, non est reticendum. Quædam mulier, debilitate manuum contracta, nervis stupescentibus, flens occurrit S. Baumado, petens ab eo medicinam; cujus dolori ipse condolens, signum Crucis super contractas manus fecit, ac pristinæ reddidit sanitati. Lect. V. Nec illud minus prædicandum est miraculum, quod accidit in sequenti. Quidam senex, multis jam annis ægrotus, et numquam per se vel manum movens, petiit a memorato sancto Viro, eulogiarum perciperet benedictionem. Cujus sanctus Vir desiderium agnoscens, et Domini præceptum implens, quod ait: Infirmus fui et visitastis me; venit ad E eum, et non solum benedictionum eulogias ei dedit, sed orationem super eum fudit. Qui post perceptam benedictionem, sanitati redintegratus, et velut aquila in juventute, juxta propheticam vocem, renovatur, ubi ait: Renovabitur, sicut aquilæ, juventus tua. Hic itaque cœlesti dono, venerandis floribus adornatus, multorum miraculorum signa est per Dei virtutem operatus.

item de ejus et S. Laudi reliquiis,

8 *Addit porro Baluzius ex veteri Ms. Tutelensi notitiam de S. Laudi nostrique* Baumadi *reliquiarum translatione, unione et separatione, cujus hic medullam transcribimus. Sic notat:* Hic itaque continentur beatissimorum reliquiæ virorum Laudi atque Baumadi. *Narratis autem iis quæ ad S. Laudi cathedram episcopalem, factamque, Normannis grassantibus, sacri ejus corporis translationem spectant, sic pergit:* Beatus vero Baumadus, nobilissimis ortus natalibus, in pago Cenomanensi solitariam vitam, sanctitate et virtutibus plenam duxit, et ibidem pretiosa morte quievit. Prædicta vero gentilium invalescente persecutione, ab ipsius ecclesiæ rectoribus corpus ipsius, divina dispositione, hoc in loco de- F portatum est. Uterque ipsorum in propriam cryptam collatus est. *Pavidis vero subinde Tutelensibus monachis, ne per comitissam Andegavensem S. Laudi corpore privarentur,* consilium inierunt salubre; ut beatorum virorum Laudi atque Baumadi reliquias conjungerent, aliquibus ossibus in eadem capsula, ubi corpus ipsius prius continebatur, satisfactionis causa relictis. Sed amori et mœrori ipsorum miseratio divina benigne consuluit, prædicta comitissa non multum post temporis decedente. Modernis vero temporibus, cum capsulæ ipsæ, in quibus, ut dictum est, reliquiæ ipsorum continebantur, nimia vetustate consumptæ essent et pene confractæ, Petrus de S. Aredio, tunc sedens sacrista, pro dictorum Sanctorum reliquiis condendis, capsulas novas emit, et ossa ipsorum, prout dignosci possibile fuit, singula singulis collocavit. Per ipsorum vero merita Sanctorum innumeras Dominus virtutes tunc temporis operatus est. *Signatur annus* MCLIII.

quibus insigne beneficium adscribitur.

9 *Subjungitur demum ex altero Codice Ms. etiam Tutelensi, sermone Lemovicensi scripto, quod cum anno* 1531 *mensibus Januario, Februario et Martio cœli gravis intemperies tum ipsorum ani-*

AUCTORE J. B. S.

malium tum fructuum terræ stragem minitaretur, sequenti mox anno 1532 a Paschate inchoato, Dominica Quasimodo incidente in VII *Aprilis, instituta fuerit solennis supplicatio circum totam Tutelensem civitatem, comitantibus non solum Canonicis totoque clero, sed incolis omnibus summis atque infimis, in qua delata sunt quatuor Sanctorum istorum corpora seu saltem reliquiæ, quos supra ex Baluzio nominavimus, atque adeo eas inter et sancti nostri* Baumadi, *ad impetrandam, eorum intercedentibus meritis, desideratam cœli serenitatem, eo* D *successu subsecutam, ut, si recte Lemovicensem ejus ævi barbariem intelligo, manna ferme depluere visum sit, certe abundantiorem messem, ceteraque æque fertilia omnia, incolæ et accolæ numquam experti fuerint. Atque ibi sistit Baluzii dissertatio, neque nobis aliunde suppetunt, quibus* S. Baumadi *cultum, gesta aut miracula ulterius illustrare possimus, cum Bondonnetus aut alii scriptores Cenomanenses vix eum a limine salutent.*

DE S. EUPHRONIO EPISC. CONFESSORE

J. B. S.

TURONIS IN GALLIA.

B

SYLLOGE

De cultu, ætate et gestis.

CAPUT I.

Cultus et elogia.

ANNO DLXXIII.

Recte olim observavit Henschenius, dum ad VIII *Aprilis de S. Perpetuo episcopo Turonensi ageret; quæ de primis illius urbis episcopis certiora habemus, ea nos a S. Gregorio, et ipso Turonensi episcopo, accepisse, quod et de hodierno* S. Euphronio *omnino prædicandum est, utpote cujus nulla exstet Vita antiquitus scripta, sed quem historicus ille non uno loco meritis ornarit encomiis; gesta porro, virtutes ac sanctitatem ita celebraverit, ut mirum prorsus sit* C *neglectam fuisse tam præclari Viri memoriam in omnibus omnino classicis Martyrologiis, neque ante adultum seculum* XVI, *tam insigne nomen in sacris ullis tabulis innotuisse : certe Baronius in annotationibus suis nullum adducit, quem sibi præluxisse commonstret. Inter multiplices additiones nostras Usuardinas, hanc solam suggessit Molanus :* Eodem die, depositio S. Euphronii, decimi octavi episcopi Turonensis et confessoris, de quo proximus ejus successor Gregorius Turonensis nonnulla scribit in Francorum historia, et de Gloria Confessorum. *Brevius de ipso Galesinius :* Apud Turones, sancti Euphronii episcopi, qui præclaræ sanctimoniæ laude florens, Parisiensi concilio primo adfuit. *Melius dixisset* tertio.

Serius in Fastos relatus,

laudatorum egregium habet.

2 *Cultum in ecclesia Turonensi perennem probat lectio in ejus festivitate recitari solita hac die* IV *Augusti, quæ sumitur ex Gregorii Historia lib.* 10, *cap.* 31, *num.* 18 *his verbis :* Octavus decimus Eufronius presbyter ordinatur episcopus, ex genere illo, quod superius senatorium nuncupavimus, vir egregiæ sanctitatis, ab ineunte ætate clericus. Hujus tempore civitas Turonica cum omnibus ecclesiis magno incendio concremata est : de quibus ipse postea duas reparavit, E tertiam vetustissimam relinquens desertam. Postea vero basilica S. Martini et ipsa incendio est adusta per Wiliacharium, cum ibi confugium pro Chramni quondam circumventione fecisset : quam postea idem pontifex texit stanno, opitulante rege Chlothachario. Hujus tempore basilica S. Vincentii ædificata est. Tauriaco, Cerate, et Orbigniaco vicis ecclesiæ ædificatæ sunt. Sedit autem annos septemdecim, obiitque ætate septuagenaria et sepultus est in basilica S. Martini; cessavitque episcopatus dies XIX. *De tribus jam dictis vicorum ecclesiis videnda Ruinartii annotatio. Hæc est oratio Sancti propria :* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per hujus sancti Confessoris tui atque pontificis Eufronii, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa; ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum, *etc.*

S. Gregorius Turonensis.

3 S. Euphronii *spiritum propheticum satis manifeste probant ea quæ narrat laudatus Gregorius de Gloria confessorum cap.* 19, *in hunc modum :* Ipse quoque Pontifex, cum a multis crebrius urgeretur, ut ad occursum Chariberti regis deberet accedere, et innectens moras, ire differret; tandem F commotus a suis, ait : Ite, præparate iter, ut eamus ad occursum regis, quem visuri non sumus. Igitur imponens plaustris necessaria, et caballis ad iter præparatis, jamque in hoc stante ratione, ut deberet viam incedere, ait : Revertantur plaustra, laxentur equi, non modo hoc iter incedimus. Dicentibus autem suis, quæ esset hæc levitas, ut quæ tam instanter parari jusserat, tam facile deturbaret, ait secretius : Princeps, ad quem nos ire compellitis, obiit; nec viventem, si abierimus, inveniemus. Stupefacti audientes diem notant, et Sancti verba taciti servant. Advenientibus autem ab urbe Parisiaca hominibus, ea hora regem transiisse nuntiant, qua Sacerdos plaustra de itinere jusserat revocari. *Huic signo non absimilia alia invenies apud Gregorium, præsertim inter Miracula S. Martini, ut lib.* I, *cap.* 23 *et alibi.*

ex quo apud Saussayum

4 *Vitam Sancti ferme totam complecti voluit Saussayus, dum ipsum in suo Martyrologio Gallicano, sequenti elogio exornavit :* Eodem die Turonis, sancti Euphronii episcopi et confessoris, decessoris beati Gregorii. Qui genere Senatorio editus, magnisque dotibus præstans, cum ab adolescentia,

A lescentia, Domini jugum tulisset, Gunthario carne soluto sublectus, hujus sedis solium sic conscendit, ut in dubio reliquerit, an magis fuerit dignitate provectus, quam depressus spontanea humilitate, cujus majorem in episcopatu quam antea curam excoluit. Vir apostolicis plane donis ornatus, ut columba simplex, prudens ut serpens, mansuetus ut agnus. Quem ob morum suavitatem, sermonis dulcedinem, cordis puritatem, actionum honestatem, totiusque vitæ sanctimoniam admirandum Fortunatus condignis evehit encomiis; id in ejus decoris præcipue collaudans: quod igne charitatis, quo fervebat, dura quæque corda emolliret: humilitate, qua præstabat pusillus in terris, excelsus in cœlo habitaret: pietatis affectu mire oves complecteretur, cum sic cunctos diligeret, ac si unumquemque de suo latere genuisset; sic in singulos se impendens, ut in universos plenitudinem amoris profunderet.

insigne elogium,

5 Sub quo rapina, inquit, in grege non audita, quia pastor ipse justus ac pacificus, ovili in pacis et justitiæ spiritu anteiret. Non jacturam B in caulis Dominicis lupus edidit, quia custos pervigil omnes insidias inimici eluderet. Hujus tamen tempore Turonica civitas incendio immani conflagravit, flammisque omnes fere ecclesiæ consumptæ sunt. Ex quibus ipse pius Antistes duas a fundamentis instauravit. Sancti autem Martini ecclesiam, quæ per Wilicharium comitem adusta fuerat, rege Clotario opitulante, reparavit, culmenque stanno compingens, venustiori specie cohonestavit. Sub ipso etiam exstructa est sancti Vincentii basilica; atque duobus in vicis Cerate et Orbiniaco ecclesiæ ædificatæ. Sud eodem itidem habita est synodus secunda Turonensis. Ipse vero secundæ Parisiensi, ceteris cum primoribus Gallicanæ ecclesiæ patribus interfuit anno DLIX. Deinde Vir sanctus, post prorogatam ad annum usque Christi DLXXIII sedem, ætate septuagenaria, placido fine in Domino quievit, atque in basilica sancti Martini, cujus sedis et virtutis consors fuerat, condigno honore sepultus, sanctitatis gloriam patentibus meritorum indiciis in universa Ecclesia perennavit.

etiam ex Venantio Fortunato.

6 *Hactenus Saussayus, pro more suo, nitide* C *juxta, ornate ac vere; non solum ex S. Gregorio sua depromens, verum et ea quoque paucis complexus quæ Venantius Fortunatus binis epistolis, apud Browerum non nihil expurgatis; atque eleganti carmine de* S. Euphronio, *quem vivum impense coluit, egregie prosecutus est, quæque huc adducenda omnino fuerant nisi Eminentissimus Annalista Baronius, ad annos* 559 *et* 574 *omnia integre et cumulatissime recensuisset, ut hic actum agere, superfluum esse omnino existimem. Hæc igitur de* S. Euphronii *cultu, singularibus virtutibus, sanctitate, signis ac miraculis satis dicta sint: jam cetera quæ ad ejus ætatem et gesta pertinent, aliquousque etiam in ordinem redigenda supersunt.*

CAPUT II.

Ætas et gesta.

Duratio episcopatus,

Q*uam de* S. Euphronio *bene meritum Cardinalem Baronium jam diximus, in ordine ad cultum ac sanctitatem, tam fateri nos oportet, Sancti ætatem ab eo non recte determinatam, dum initia anno* 559, *finem vero anno* 574 *innexuit, solos quatuordecim annos ipsi adscribens, ut aliter omnino computanda sint ejus tempora. Neque tamen Turonensium præsulum Chronologiam hic ordinandam suscipimus; satis nobis erit, eos sequi calculos, quos ex ipso Gregorio Majores, nostri pridem, et hodiernus eruditorum consensus ut verosimiliores admittit. Rejiciendus præ ceteris, nisi vehementer fallor, Turonensis historicus Maanus, dum* S. Euphronii *episcopatus durationem ab anno* 548 *ad* 564 *solus imperite circumscribit, locum ei in episcoporum ordine assignans non* decimum octavum *cum Gregorio, sed* decimum nonum, *adducto alio episcopo, quem mirum plane esset Gregorium ignorasse. Neque vero magis congrue cum aliis ordine* vigesimum *dixeris. Sit igitur, si non certa, saltem probabilior supputatio, quod ab anno* 556 *administrationem exorsus, ad* 573, *nempe per annos, ut jam ex Gregorio diximus, decem et septem Turonensem sedem episcopalem tenuerit.*

AUCTORE J. B. S.

ad ipsum electio,

8 *Ejus electionem, confirmationem et ordinationem describit laudatus Gregorius Historiæ lib.* 4, E *cap.* 15, *ut est in editione D. Ruinartii, quidquid apud Cointium de ea relatione dubitasse aliqui videantur:* Turonici autem audientes regressum regem de cæde Saxonum, facto consensu in Eufronium presbyterum, ad eum pergunt; dataque suggestione, respondit rex: Præceperam enim ut Cato presbyter illic ordinaretur; et cur spreta est jussio nostra? Responderunt ei: Petivimus enim eum, sed noluit venire. Hæc illis dicentibus, advenit subito Cato presbyter, deprecans regem, ut ejecto Cautino, ipsum Arverno juberet institui. Quod rege invidente, petiit iterum ut Turonis ordinaretur, quod ante despexerat. Cui rex ait: Ego primum præcepi, ut Turonis te ad episcopatum consecrarent, sed quantum audio, despectui habuisti ecclesiam illam, ideoque elongaberis a dominatione ejus; et sic confusus abscessit. De sancto vero Eufronio interrogans, dixerunt eum nepotem esse B. Gregorii, cujus supra meminimus. Respondit rex: Prima hæc est et magna generatio; fiat voluntas Dei et B. Martini; electio compleatur. Et data præceptione, octavus decimus post beatum Martinum sanctus Eufronius ordinatur episcopus. F

calamitates,

9 *Ad* S. Euphronii *gesta temporum serie pertinet Concilium Parisiense tertium habitum anno* 557, *aliunde satis notum et celebre, cui sexto loco subscripsit:* Eufronius peccator episcopus consensi et subscripsi. Hic est Eufronius, *inquit Cointius,* qui Turonis sedere cœpit anno superiori. *Secutæ mox sunt Turonenses calamitates quæ* S. Euphronii *tolerantiam, caritatem in suos et paternam misericordiam non parum exercuerunt. Rem narrat Gregorius lib.* v, *cap.* 20, *ubi de memorato a Saussayo Chramni interitu agitur. En pauca ex quibus reliqua facile intelliges.* Wiliacharius autem socer ejus ad basilicam sancti Martini confugit. Tunc sancta basilica a peccatis populi ac ludibriis, quæ in ea fiebant, per Wiliacharium conjugemque ejus succensa est, quod non sine gravi suspirio memoramus. Sed et civitas Turonica ante annum jam igne consumpta fuerat, et totæ ecclesiæ in eadem constructæ, desertæ relictæ sunt, *ut non dubites, afflictissima fuisse optimi Antistitis principia, quibus superandis et virtute et sanctitate certandum, nimis quem manifestum est. Solatio fuit quod* protinus beati Martini basilica,

AUCTORE J. B. S.

lica, ordinante Chlothachario rege, stanno cooperta est, et in illa, ut prius fuerat, elegantia reparata.

Chariberti benevolentia.

10 *Clotario non diu post mortuo, alia sese occasio obtulit qua populo egregiam navavit operam* S. Euphronius. *Loquitur idem Gregorius lib.* 9, *cap.* 30: Post mortem vero Chlothacharii regis, Chariberto regi populus hic sacramentum dedit. Similiter etiam et ille cum juramento promisit, ut leges consuetudinesque novas populo non infligeret, sed in illo quo quondam sub patris dominatione statu vixerant, in ipso hic eos deinceps tetineret : neque ullam novam ordinationem se inflicturum super eos, quod pertineret ad spolium, spopondit. Gaiso vero comes ejusdem temporis, accepto capitulario, quod anteriores scriptores fecisse commemoravimus, tributa cœpit exigere ; sed ab Eufronio episcopo prohibitus, cum exacta pravitate ad regis direxit præsentiam, ostendens capitularium in quo tributa continebantur. Sed rex ingemiscens, ac metuens virtutem sancti Martini, ipsum incendio tradidit; aureos exactos basilicæ sancti Martini remisit, obtestans ut nullus de populo Turonico ullum tributum publico redderet. Post cujus obitum Sigibertus rex hanc urbem tenuit, nec ullius tributi pondus invexit. Sic et nunc, *etc.* ; *pergit Historicus easdem exemptiones adusque sua tempora deducere, ut habes ibidem toto reliquo capite.*

B

Præsidet concilio Turonico,

11 *Synodus Santonensis in qua episcopus Emerius, agente Leontio Burdegalensi, depositus est anno* 562, *catenus dumtaxat ad* S. Euphronium *spectat, quod rogatus* Vir Dei *ut concilio isti subscriberet,* manifeste respuit. *Longior est historia variis adjunctis intermixta, quæ cum huc non pertineant, videri possunt lib.* 4, *cap.* 25, *vel apud Cointium, ad eumdem annum* 562 *rem totam uberius explicantem. Sequitur Concilium Turonense secundum, sub ejusdem sancti* Euphronii *auspiciis celebratum anno* 566, *quod habes apud Sirmondum tomo* I *Conciliorum Galliæ a pag.* 329, *cui Sanctus ipse in hunc modum subscripsit :* Eufronius Turonicæ civitatis episcopus has constitutiones nostras relegi et subscripsi. Notavi sub die XV Kalendas Decembris, anno sexto regni domni Chariberti gloriosissimi regis. *Canones sunt numero* XXVII *singulari plane maturitate et prudentia compositi, ex quibus clarissime perspicitur, quanta cura et solicitudine tum Sanctus noster, tum reliqui Charibertinæ ditionis episcopi in reformandos istius temporis corruptissimos mores incubuerint, nec regum ipsorum crimina dissimulantes.*

C

cujus exstat epistola.

12 *Subjungit Sirmondus* epistolam episcoporum provinciæ Turonicæ ad plebem missam post synodum suprascriptam, *occasione grassantis tunc in proximo pestilentiæ.* Hortantur ut imminentem cladem avertere audeant, ideoque nuptialia vota differant, rerum omnium decimas persolvant, cum inimicis redeant in gratiam, mancipiorum etiam decimas offerant; et qui mancipiis carent, pro singulis filiis singulos dent tremisses. Incestas denique conjunctiones dissolvant. *Subscribunt tres episcopi cum* S. Euphronio, *cujus et aliorum hæc est formula :* In Christi nomine Eufronius episcopus plurimum saluto. *Habes et istic* S. Radegundis epistolam ad episcopos, quam initio institutæ congregationis, pro ejus tutela et stabilitate scripsit, concilioque Turonensi confirmandam absens obtulit. *Eamdem refert Gregorius Historiæ lib.* 9, *cap.* 42. *Subdit vero Sirmondus ipsum* decretum episcoporum quod suscepta beatæ Radegundis epistola, conscripserunt. *Desunt episcoporum subscriptiones, verum vel ex ipso titulo satis patet, præcipuum istius rei auctorem fautoremque fuisse, ipsum nostrum* S. Euphronium, *ut pluribus dicendum erit ad diem* XIII *hujus mensis, dum ex professo agetur de ipsa S. Radegunde.*

D

Bene meretur de S. Radegunde

13 *Huc etiam spectat quod eadem B. Radegundis, obtento ex Oriente de sacro Dominicæ Crucis ligno, cum Maroveus Pictavensis episcopus pretiosissima illa pignora debita cum veneratione et solennitate transferre detrectaret:* Tunc regina iterato ad regem Sigebertum direxit, deprecans ut injunctione sua quicumque ex episcopis hæc pignera, cum illo quo decebat honore, votumque ejus exposcebat, in monasterio conlocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius urbis Turonicæ episcopus injungitur. Qui cum clericis suis Pictavum accedens, cum grandi psallentio, et cereorum micantium ac thimiamatis adparatu, sancta pignera, absente loci episcopo, in monasterium detulit. *Exstant hæc apud Gregorium lib.* 9, *cap.* 40 ; *sed de hac ipsa veneranda sanctæ Crucis parte videndus apud eumdem lib.* 1, *de Gloria martyrum sap.* 5, *cujus hic est titulus :* De Cruce et mirabilibus ejus apud Pictavum. *Neque prætereunda hic esset memorabilis inventio et elevatio sacrorum corporum sanctarum Mauræ et Brittæ ex singulari revelatione a* S. Euphronio *peracta, nisi pridem in Actis nostris tota ejus exstaret historia ex sancto ipso Gregorio relata ad* XV *diem mensis Januarii tomo* I, *pag.* 1018.

E

et de duobus aliis sanctis.

14 *Reliqua duo sunt de* S. Euphronio *memoranda, alterum nempe ex toties jam a nobis laudato sancto Gregorio, quod in Vitis Patrum cap.* 15 *agens de sancto Senoch abbate, referat, Beatum hunc* infra territorii Turonici terminum, reperisse oratorium, in quo ferebatur celebre, nostrum orasse Martinum. Quod diligenti cura compositum erecto altari, loculumque in eo ad recipiendas Sanctorum reliquias præparatum, ad benedicendum invitat episcopum. Adfuit tunc Eufronius beatus episcopus, qui consecrato altari, diaconatus eum honore donavit. *Alterum est quod de* S. Euphronio *prædicavit Fortunatus, agens de dedicatione ecclesiæ Nannetensis, a S. Felice, ejusdem urbis episcopo solennissime instituta, ubi inter multos alios antistes Sanctum nostrum ut metropolitam memorans, ita de eo cecinit :*

F

Inter quos medios, Martini sede sacerdos
  Euphronius fulget, metropolita sacer,
Plaudens in sancta fratrum coeunte corona,
  Et sua membra videns, fortior exstat apex.
Lætius inde caput, quia sunt sua viscera secum,
  Ecclesiæ, juncto corpore, crescit honor.

DE

A D

DE S. LUGIDO SIVE LUANO

ABBATE CLUAINFERTENSI

IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti nomina, distinctio, cultus, ætas, et Acta.

ANNO DCII.

Sancti nomina Lugidus, Molua, Luanus, etc.

B

Sancti *hujus Abbatis duo præcipue nomina sunt : alterum* Molua; Lugith *seu* Lugidus *alterum. De utroque sic habet ejus Vita per Sirinum edita num.* 46 : Sanctus videlicet Molua pridem Lugidus nominatus est; sed a matre sua per pietatem vocabatur Molua ; et postea similiter, a sancto magistro suo Comgallo : et inde omne vulgus vocat eum Molua; et sciunt primum nomen ejus, id est, Lugidum. *Hinc Vitæ, quam infra dabimus ex codice Ms., hæc est inscripto :* Incipit Vita S. Lugidi Cluona Ferta ; *alterius vero brevioris ibidem hæc :* Incipit Vita Molua Droma Snecta. *Videtur autem eadem esse significatio nominum* Lua *et* Lugith *seu* Lugaidh; *et nomen* Mo-Lua *(ut sæpe scribitur apud Colganum) compositum esse ex particula, seu litteris initialibus* Mo (O *enim nomini præpositum, merita significat et pretium nominati ; huic autem præfixum* M, *tenerum ac benevolum, ut aiunt, nominantis affectum) et nomine* Lua; *quasi dicatur,* Carissime Lugide, Fili mi Lua, *vel, ut secundum Vitam nostram cap.* 2, *num.* 12 *appellabat eum S. Comgallus,* Lugith maccan, Lugide filiole. *Certe ab Hibernis sermone vernaculo vocitatur non* Molua

C

tantum et Lugaidh, *verum etiam simpliciter* Lua ; *et hinc ab iisdem Latine non solum* Lugidus, Lugidius, Moluanus, *sed etiam* Luanus; *ut in Vita Siriniana num.* 1 *observatur in margine : imo ejusdem ibi Vitæ titulus est :* Vita S. Moluæ seu Luani. Luani *quoque nomine non semel eum designat Colganus, Hibernicarum rerum peritus in paucis, atque adeo Hibernus ipse : ut nihil hic dicam de aliis.*

Idem hic est, de quo in Prætermissis egimus 12 Julii,

2 *Quare mihi quidem dubium videri vix potest, quin hic ille sit sanctus* Luanus, *de quo apud nos mentio facta est in Prætermissis ad diem* XII *Julii, quo refertur a Ferrario, idque auctoritate Martyrologii Anglicani. At ipsum illud Martyrologium Wilsonis Anglicanum nihil pro se citat, præter Wionem in Appendice ad librum tertium Ligni vitæ, et Acta S. Malachiæ episcopi; neutro autem loco vel dies cultus ejus designatur, vel alia, quæ peccat ibi Wilson, cum asserit,* S. Luanum *fuisse abbatem in Hibernia Benchorensem; item, vixisse tempore S. Malachiæ, episcopi Connerthensis ; obiisse vero circa annum Christi* 1140 *: non enim abbatem Benchorensis monasterii* Luanum *nuncupat S. Bernardus in Actis S. Malachiæ apud Surium die* III *Novembris num.* 4; *sed* unum ex filiis sanctæ illius congregationis : *neque illum vixisse dicit Malachiæ temporibus; sed cum* nobilissimum exstiterat *(monasterium illud)* ante sub primo patre Congello; *hoc est, seculo sexto ; non duodecimo. Nostrum, inquam,* Luanum *illum existimamus esse : huic etenim, et quidem, quod sciamus, unice congruunt characteres omnes, quos Martyrologi jam dicti pro commentitio seculi duodecimi Luano assignant in Actis S. Malachiæ, his S. Bernardi de cœnobio Benchorensi verbis expressi :* E Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput; locus vero sanctus fœcundusque Sanctorum, copiosissime fructificans Deo; ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur.

et quem laudat S. Bernardus in Vita S. Malachiæ episcopi;

3 *Ac primo quidem congruit nomen, ut ostensum jam est : deinde fuit noster* unus ex filiis sanctæ illius congregationis, sub primo patre Congello; *ut constat ex omnibus Vitæ ejus exemplaribus : denique hunc fundatorem fuisse, si non centum, at* multorum *certe* monasteriorum et cellarum, *tradit Vita ejus ex codice Armacano apud Sirinum edita, num.* 5 ; *et ea quidem fundasse dicitur in Hibernia : nam et hoc exigere videntur quæ subjicit ibidem Bernardus de S. Columbano et aliis ejusdem Congelli discipulis. Hæc omnia, cedo, cui alteri* S. Luano *quadrant? Illine, de quo agit Jonas in Vita S. Columbani apud Sirinum cap.* 20*? Ita censet quidem Usserius de Britannicarum ecclesiarum Primordiis pag.* 1157*; idemque suspicatur Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* I, *pag.* F 293*; non alia, opinor, ex causa, quam quod illum ibi et* virum sanctissimum et Lua *nuncupatum legissent; nec scirent, idem hoc nomen alteri cuiquam esse commune. At enim Lua, seu Luanus iste Columbani discipulus fuisse scitur; Congelli fuisse non scitur. Tum ubi, quæ fundarit iste, cœnobia? Alemandus sane, qui quidquid in hoc genere scriptum reperit, magno labore corrasit in monasticam Historiam regni Hiberniæ, idiomate Gallico vulgatam Parisiis anno* 1690, *a pag.* 356 *cœnobiorum in Hibernia fundatores ordine longo præcipuos recenset, et inter eos pag.* 364 S. Moluam, seu Lugidum, *qui certo noster est : sed alium ibi sive Lua sive Luanum agnoscit neminem. Plura hic dicerem, nisi hæc abunde ad retundendam opinionem nullo argumento probatam, et quosvis alios (si tamen utcumque noti sunt alii) Luanos a S. Bernardi elogio excludendos, sufficerent. Et vero idem ante nos absque hæsitatione pronuntiarunt Colganus, tum in Triade thaumaturga, nota* 109 *ad Jocelinum, seu Vitam sextam S. Patricii, pag.* 113, *tum alibi; venerabilis item servus Dei Flemingus, aut qui ejus opera recensuit ediditque, Sirinus, vel uterque potius, in Dissertatione de S. Columbani monachatu*

pag.

AUCTORE P. B.

pag. 438, *num.* 94; *Benedictus Haestenus Disquisitionum monasticarum lib.* 1, *tractatu* 7, *disquisitione* 2, *pag.* 72; *Alemandus in Historia monastica Hiberniæ, pag.* 70, *etc.*

sed ab illo diversus sive Luano, sive Lœvano,

4 *Dixi : Si tamen utcumque noti sunt alii : nam, ut nos docuit annis* 1666 *et* 1668, *tum Flexiæ commorans, P. Petrus Verne, Societatis Jesu presbyter, celebris est apud Armoricos sanctus quidam Luanus, ad quem spectare contendit ipse textum S. Bernardi citatum; sed id alia ratione non conatur evincere, nisi hac sola quam copiosa et prorsus erudita dissertatione Ms. defendit, quod Luanus ille suus videlicet nequaquam fuerit ab hoc nostro diversus. Itaque sententiam nostram tam certam putavit, ut hac, tamquam base, suam fulciret. Scribit autem, coli sanctum istum Luanum in superiore Cornubia, diœcesi Corisopitensi, parœcia de Mur, prope ecclesiam S. Albi, vulgo Saint Guen; ubi sacellum spectetur moderni operis elegans et vertici collis impositum, eo ipso loco, in quo vetustum aliud oratorium fuerat, sed peregrinorum eo suppliciter accurrentium multitudini nimis angustum, ac propterea dilatatum : in veteris porro istius ædiculæ ara* B *superfuisse usque ad initia seculi decimi septimi statuam antiquam, quæ illum, cujus nomine consecratus esset locus, exhiberet habitu eremitico : huic proximum fuisse saxum, sic excavatum, ut videatur ejusdem Sancti, nonnihil incurvi et sinistro lateri incumbentis, corpus, ut cera mollis, excepisse; cujus hodieque impressa servet vestigia : ibidem frequentia continuari prodigia, de quibus ipse commentarios aliquot acceperit a* Patre nostro Juliano Maunoir, missionario, quibus is multa, eaque relatu dignissima miracula, præmissis antea juridicis informationibus, complexus esset. *Addit, Sanctum illum ab indigenis appellari, Saint Luhan, a Gallis vero, Saint Elouan : ejus istic Acta, si umquam exstiterint, nulla nunc superesse; sed solam Armoricorum traditionem, quæ ad hæc quinque capita reducatur :*

quem colunt Armorici,

5 *Primum, missum fuisse Sanctum hunc a S. Tugdualo, seu Tugalo, primo Trecorensium episcopo, ut in ea silva, ubi nunc parœcia visitur de Mur, vitam excoleret solitariam; ibi vixisse deinceps, ibique mortuum esse, et anniversario festo, Dominica postrema mensis Augusti ab omni memoria celebratum. Secundum, eumdem natione Hibernum fuisse : esse quidem, qui S. Tugduali discipulum,* C *atque adeo gente Britannum faciant; sed horum opinionem erroneam esse ac nuperam. Tertium, nomen ejus apud veteres Armoricos maxime usitatum fuisse Luhan; apud eosdem tamen etiam nuncupari consuevisse Luan, Elvan, aut Elven. Quartum, conditum ibi fuisse sancti istius viri corpus in sepulcro lapideo, quod nunc vacuum sit; nec sciri, quo translatæ fuerint reliquiæ. Quintum, sanctitatem ejus pridem agnitam ab Ecclesia fuisse : id enim colligi ex erectis ad ejus honorem cultumque sacello et statua.* Hæc sunt, *inquit laudatus P. Petrus Verne,* quæ vetusta nos docet Armoricorum traditio, cui a nemine potest contradici, et cui ego nihil quidquam addidi vel ademi; imo si id facerem, nemo est in Armorica qui non me falsi posset arguere.

et cum nostro male quidam confundunt.

6 *Non video equidem, quid huic Sancto secundum traditionem istam qualem qualem commune potuerit esse cum nostro, præter nomen, ætatem (si tamen ista conveniunt) et sanctimoniam. Noster enim Hibernia tota notissimus est; iste non Hibernis modo, sed et Armoricis Luani nomine pridem ignotus : nam neque apud Albertum Le Grand in Vita S. Tugduali, neque apud Lobinavium in Hist. Britanniæ minoris lib.* 2 *sub finem, compareret usquam* D *inter Sanctos Armoricos; nisi sit ille, quem ipsi appellant saint Loëvan et discipulum faciunt S. Tugduali; quod nostro non congruit. Iste eremita fuit; cœnobita noster, imo cœnobiorum plurium fundator et abbas, eremita numquam. Iste numquam forte vidit Hiberniam, maxime si S. Tugduali Britanni discipulus fuit; noster vidisse nusquam legitur Armoricos. Iste in Armorica mortuus est et sepultus; noster secundum Acta ejus omnia mortuus in Hibernia, atque in cœnobio Cluainfertensi sepultus. Istius festum ab immemorabili tempore usque ad annum* 1668 *celebratum fuit ultima Dominica Augusti, non item nostri, ut mox videbitur. Quid plura? Non ergo ille noster est; neque proinde de illo S. Bernardus meminit : quantumvis id etiam sensisse videatur Castellanus in suo Martyrologio universali, cum illum, non ultima Augusti Dominica, sed mensis ejusdem die* IV *sic annuntiat :* In inferiore Britannia, S. Eluani, abbatis Benchorensis in Hibernia, memoratus a S. Bernardo, qui scripsit, eum dictum fuisse monasteriorum centum fundatorem. Honoratur ejus sepulcrum ad S. Albi *(a Saint Guin)* in diœcesi Coriso- E pitensi. *In Vocabulario Hagiologico Latine* S. Lugidianum *appellat. Quod si hæc non e suo sensu deprompsit, sed ex hausta in ipso loco notitia, consequens est, ut hæc ibi nunc opinio invaluerit, ideoque mutatus modo sit dies ejusdem Sancti festus olim, in illum qui nostro convenit. Sed qui utrumque confundere volunt, cur non etiam idem utrique nomen faciunt? Cur* Eluanum *nuncupant et Lugidianum? Cur abbatem quoque appellant Benchorensem; quod neuter umquam fuit? Redeamus igitur ad nostrum.*

Colitur S. Lugidus noster apud Hibernos 4 Aug.

7 *Dictum est jam sæpius a Majoribus nostris, sanctum* Luanum *hunc nostrum coli die* IV *Augusti; ut vide tom.* 2 *Januarii pag.* 1119, *tom.* 3 *Martii pag.* 22, *tomo* 3 *Aprilis pag.* 580, *etc. Neque vero apud Hibernos assignatum reperire uspiam potui diem celebritatis ejus alium, præterquam in Mss. Catalogis Sanctorum Hiberniæ, quos præterito seculo ad usum nostrum concinnavit P. Stephanus Vitus noster, Hibernus ipse, et, cum Theologiam Dilingæ traderet, antiquitatum patriæ sacrarum indagator assiduus. Is enim Catalogo octavo sic habet :* Luanus, qui et Agnellus, abbas in Hibernia, quem S. Bernardus scribit solum fundasse centum mo- F nasteria... Vivebat Vir Dei circa annum DCC. *In margine vero festum ejus notat die* XII Julii *(forte ex Wilsono) et* XXVII Decembris. *Bucelinus in Menologio Benedictino eum refert die* V Decembris, ex diversis, *ut subdit,* rerum Hibernicarum scriptoribus; *sed nullum nominat. Nullum etiam profert Bollandus noster tom.* 1 *Januarii pag.* 46; *ubi eum coli dicit die* 2 Augusti. *Certe in vita ejus apud Sirinum edita pag.* 378, *num.* 53 *legitur Sanctus non* 1 *Augusti, sed* 2 Nonas Augusti emisisse spiritum; *quem solum diem sæpius ei proprium facit Colganus, idque ex Menologiis Hibernicis, ut significat in Actis Sanctorum Hiberniæ tom.* 1 *pag.* 58, *not.* 8 : Commemorant enim, *inquit,* nostra Menologia, multos ibi *(in cœnobio Cluainfertensi)* Sanctos requiescere, et coli; ut S. Luanum IV Augusti, S. Lactanum, ejus successorem, *etc. Haeftenus loco superius citato, cum de regula* S. Luani *egisset,* de ipso, *subjicit,* IV Augusti agunt S. Euchusius *(seu Ængussius)* S. Marianus in suis Martyrologiis, et Martyrologium Tamlactense; *de quorum ætate consule laudatum opus Colgani pag.* 4, *et sequente. Eodem die notatur in Kalendario Sanctorum Hiberniæ per P. Henricum Fitz-Simon no-*

strum

strum digesto, editoque Duaci 1615, *et fusius Leodii* 1619; *etsi utrobique corrupte legitur* S. Motna *pro* S. Molua.

Cœnobium ejus præcipuum. Cluain fearta Molua.

8 *Locus vero ejus cultu et reliquiis longe celeberrimus fuit cœnobium, quod ab ipso, tamquam fundatore et patrono, nomen habuit* Cluain fearta Molua, *seu secundum interpretationem Vitæ impressæ pag.* 374, *num.* 30, Latibulum mirabile sancti Moluæ, *sic nuncupatum, ut ibidem additur,* eo quod ipse in sua vita multa miracula in eo fecit; et adhuc gratia Domini per eum patrantur in honore sancti Moluæ. *Fuit autem Cluain ferta cœnobium duplex: alterum ad Sinei fluminis, quod Connaciam a Lagenia dividit, ripam occidentalem, pertinetque adeo ad Connaciam*; *hoc a S. Brandano conditum, in sedem exinde crevit episcopalem, vulgo Clonefart; vide Colganum in indice topographico ad Acta Sanctorum Hiberniæ tom.* 1, *pag.* 874; *alterum, quo de hic agimus, aliquot a priore leucis versus Orientem in Lagenia dissitum fuit; ut colligere est e Vitæ Sirinianæ loco jam supra assignato, ubi fuisse* in confinio Mumoniensium et Lageniensium, inter regiones Osraighe (*id est Osseriam ab Oriente*) et Heli (*vulgo Haly, a Meridie*) et Laighse, *seu Lagisiam, quæ non videtur hic posse confundi cum Reginæ Comitatu (cum enim in eo comitatu sit Osseria, inepta hæc esset loci circumscriptio) sed monasterium inter et extremum angulum Momoniæ partemque Connaciæ et Midiam ab Occasu et Septemtrione extendebatur, secundum dicenda inferius cap.* 3, *num.* 23, *littera* h. *In Vita nostra ibidem, num.* 24 *conditum dicitur* juxta montem Sinnoir, *quod non potest cadere in cœnobium illud Cluainfertense Connaciæ; ut ibi colliges ex annotatis: et indicat, non tantum ab illo diversum fuisse monasterium nostrum (quod fatetur Alemandus in Historia monastica Hiberniæ pag.* 70 *et seq.) sed etiam longius ab illo remotum, quam velit ibidem auctor iste. Ceterum in Ophalia, seu Comitatu Regis, collocatum fuisse, docet Usserius pag.* 943, *et Colganus ad diem* XXIX *Januarii pag.* 193; *qui nusquam innuunt, ulla nunc ejus rudera superesse. Ibi vero quanto in pretio fuerint Sancti hujus ab ipso statim obitu reliquiæ, patebit ex Actis, quæ infra dabimus.*

Annus, mensis, et dies obitus ejus:

9 *Obiit vero, si quam illa fidem exigunt, Romanam Sedem ornante Magno Gregorio: hoc enim adstruunt tria pariter Actorum exemplaria: non ergo vixit usque ad annum Christi* 608, *ut visum Usserio in Indice chronologico, Britannicarum ecclesiarum Primordiis subjuncto, pag.* 1156; *nec attigit annum Christi* 605, *quem illi supremum facit Colganus* XII *Januarii pag.* 58, *not.* 3, *et* X *Martii pag.* 572, *not.* 1, *citans quatuor Magistros in Annalibus. Constat etenim, S. Gregorium decessisse die* XII *Martii anno* 604; *hunc autem antecessisse debet toto amplius anno* S. Luanus: *siquidem exspiravit secundum utrumque exemplar Actorum ejus in codice nostro Salmanticensi, die Sabbati, et secundum Vitam a Sirino editam ex codice Armacano, die* IV *Augusti: dies vero quarta Augusti, sedente Gregorio, Sabbatum non fuit, nisi annis* 591, 596, *et* 602; *ad quorum proinde aliquem reducenda est mors* S. Luani. *Nos ad ultimum reducimus, propter ea, quæ de S. Fintano observabimus in Actis infra cap.* 6, *num.* 48 *ad notam ee. Senem tum fuisse, tradit Vita Siriniana; quod verum est, si, ut asserunt Acta nostra cap.* 4, *num.* 30, *jam abbas fuerit Cluainfertensis, cum ad eum venit S. Aidanus ante obitum S. Davidis episcopi* 544, *uti ostendimus Martii tom.* 1, *pag.* 40. *At enim id qua ratione consistit cum iisdem his Actis nostris cap.* 2, *num.* 10: *ubi dicitur* Luanus *adhuc puer a S. Comgello, jam tunc abbate Benchorensi, ad cœnobium Benchorense, jam utique fundatum, deductus; quandoquidem juxta quatuor Magistrorum Annales apud Colganum* XXIX *Januarii, pag.* 192 *fundatum illud non fuit ante annum Christi* 551; *imo juxta Usserium pag.* 956, *non ante annum circiter* 555 *vel* 559? *Nimirum anachronismis hujusmodi respersa non raro Hiberniæ monumenta interpolatores vel auctores arguunt aut parum fideles, aut certe credulos admodum ac rudes.*

Item Acta,

10 *Sunt igitur Acta, quæ hic dabimus, ejus fere generis ac notæ, cujus alia Sanctorum gentis istius non pauca jam dedimus; plena scilicet miraculis, rebusque paradoxis, quæ vix cuiquam gravissima persuadere possit auctoritas, ab anonymo ignotoque scriptore congestis. Quatuor vero reperimus eorum exemplaria: primum, quod, antequam esset editum, sæpe Colganus, non numquam etiam Usserius usurpavit, donec illud ex codice quodam Armacano desumptum, inter Collectanea sacra R. P. Patricii Flemingi anno* 1667 *typis Lovaniensibus vulgavit Sirinus a pag.* 368; *alterum ac tertium in codice membraneo P. Ms.* XI, *qui seculo* XII *vel sequente scriptus videtur: quemque Salmanticensem vocamus, quod ad collegium istic nostrum Hibernicum olim pertinuerit; quartum denique in Ms. non admodum antiquo P. Fitz-Simonii nostri, signato* ✠ *Ms.* 167; *ubi Sanctus noster etiam appellatur* Molo. *Ex his antiquissimum apparet secundum, cum ex styli barbarie, tum quod ex alio codice, vetustate, jam tunc obsoleto, in Salmanticensem seculo jam dicto transcriptum fuisse iudicent relictæ locis uno alteroque lacunæ, et quædam alibi scriptione quidem juncta, sed sensu neutiquam cohærentia. Hoc igitur hic visum est edere præ ceteris, quæ, si res attendas, in plerisque cum illo consentiunt; non item, si rerum adjuncta quædam, et narrandi modum, qui in Siriniano nitidior est et explicatior, in exemplari autem tertio et quarto ut plurimum adeo brevis, ut multa prætereat, reliqua fere leviter omnia perstringat, Actorum epitome potius, quam historia. Dixi: in plerisque, quia in illis aliqua sunt, quæ nostro desunt; uti et in nostro quædam occurrunt, de quibus illa non meminerunt.*

quorum hic breve supplementum

11 *Sic desideratur in utroque Ms. nostro, quod legitur apud Sirinum pag.* 375, *num.* 33: Aliquando vir Dei Molaissi ulcus pessimum habuit sub pectore suo, et os ejus controversum est: et renuit ille medicinam propter magnitudinem doloris et nimiam acerbitatem. Hoc audiens S. Molua, venit ad eum, et dixit ei: Si mihi licet benedicere pectus tuum, quo torqueris, o pater chare? Dixitque ei S. Molaissi: Benedic sancto signo et tua oratione tantum; sed cave, ne tangas illud ullo modo. Et ita benedicens S. Molua pectus viri Dei, illico dolor evanuit ex eo radicitus, et sanus apparuit S. Molaissi statim. Tunc ipsi duo Sancti cum suis discipulis Christo gratias egerunt. *Item illud ibidem num.* 34: Deambulans quadam die sanctus pater Molua circa monasterium, et unus Frater secum, nomine Dechonna, [hic] cecidit in quamdam fossulam; et ibi subito pes ejus in tres partes confractus est, et nullo modo potuit se inde amovere. Accessit ad eum pius pater Molua, et accepit coxam divisam in manibus suis, et conglutinavit os ad os, orans; et illico sanatus est pes Fratris in manibus, quasi numquam esset fractus. Et surgens Frater Dochonna sospes, comminavit ei S. Molua, et dixit: Cave, ne in vita nostra ulli hoc factum dixeris: in quacumque enim die indicaveris cuiquam, pes tuus erit fractus, et citius morieris; sicut modo

tibi

AUCTORE P. B.

tibi contigisset, nisi per me Deus te sanaret. Quod et factum est. Ille enim Frater Dochonna post plurimos dies colloquens cum quibusdam Fratribus de S. Molua, narravit eis prædictum factum, [et] ibi illico pes ejus coram Fratribus fractus est, et post breve spatium obiit; sicut Vir sanctus dixit. Et Fratres talia audientes et videntes ædificati sunt in suo sancto Seniore. *Tum quæ sequuntur num.* 35 *et* 36, *lepida magis, quam credibilia*:

præmittimus.

12 Quodam die sanctus pater Molua ivit videre armentum monasterii sui; et vidit prope viam inter arbusta lupos esurientes et clamantes in cœlum: et motus misericordia, accersivit illos secum, et collocavit in hospitio; et lavit pedes eorum; et fecit vitulum occidi et coqui, et traditus est eis cum omni humanitate. Et tale convivium anniversario more fecit S. Molua lupis. Postea lupi alacres cœperunt custodire pecora ab aliis lupis, et a furibus; et erant quasi domestici cum pastoribus Sancti, cognoscentes se invicem. Et multis diebus post obitum S. Moluæ hoc illi lupi faciebant. Quodam die Frater quidam Finanus oblationes faciebat in quodam cœnaculo; et sanctus Pater Molua adjuvabat eum: venitque perdix avis per fenestram, et abstulit unam oblationem secum in rostro suo. Et signavit S. Molua post avem; et illico cecidit in terram mortua. Hoc S. Molua videns, benedixit illam orans, et suscitavit eam a morte: et cibavit illam pie. Ipsa avis postea in vita sua familiaris fuit inter Fratres. *Hæc in Vita Siriniana tantum; sed quod legitur ibidem num.* 50, *breviter etiam narrat epitome Salmanticensis*: Unus de dentibus S. Moluæ in sua senectute cecidit; et ait ipse Fratri sibi ministranti: Hunc dentem, fili, diligenter custodi: erit enim dies, quando necessarius erit; et ne sepeliatur mecum. Quod post multum tempus completum est: nam post obitum S. Moluæ quidam monachi venerunt ad Hiberniam quærere reliquias Sanctorum Hiberniæ: et cum venissent ad civitatem Cluainferta petere de reliquiis S. Moluæ, noluit populus scrinium aperire reliquiarum S. Moluæ. Videns ille Frater anxietatem monachorum et populi, indicavit eis de illo dente, sicut supra diximus: et utrique lætati sunt inde. Et datus est ipsis ille dens secundum suam petitionem. *In compendio memorato dicuntur venisse isti monachi ex Iensi cœnobio S. Columbani. Est autem Ia insula una ex Hebridibus ad Occidentem Scotiæ. Cetera vide in Annotatis*; *uti et tom.* 2 *Januarii Vitam S. Aidani pag.* 1118; *ubi de itinere ejus Romano, uno die confecto: tom.* 2 *Martii Vitam S. Mochœmoci pag.* 287, *num.* 30; *ubi dicitur pernoctasse sub dio defensus a venti pluviæque injuria: tom* 3 *Maii Vitam S. Carthaci pag.* 380, *num.* 12, *ubi narratur aliqua hujus* S. Moluæ *prophetia; de quibus silent Acta, quæ modo subjicimus, ex antiquo, uti jam monuimus, codice nostro Ms. Salmanticensi, notata ad marginem veteri capitum divisione.*

VITA

Ex antiquo codice nostro Ms. membraneo Salmanticensi P. Ms. XI. cum aliis collato.

CAPUT I.

S. Luani natales, et mirabilis infantia, ac pueritia.

Sanctus Lugidius de genere Corchode *a* nepotum Fithgente *b* oriundus fuit: cujus pater Origo duxit genus, et vocabatur Carthach *c*, filius Daigri; mater vero ejus Sochte *d*, Dadail Birnn Osrigi *e* duxit genus; quæ viro suo Carthacho tres filios genuit: scilicet Lugith, et Luger, et Johain. Lugidius autem ætate minor fuit fratrum, sed major gratia: nam ab infantia sua, spiritali gratia repletus est, et virtutes faciebat. I *Sancti patria, parentes, fratres.*

2 Quadam ergo die mater ejus Sochta cum infante Lugidio exiit ad vicinam domum, ut sua pecora solveret, quæ ibi more plebis erant in custodia castigata *f*; cumque mater intrasset in domum, vir, qui præerat in domo, vidit subito Infantem ardentem, sicut fulgur; tunc vir ille nimio timore perterritus, pene mortuus factus est, et dixit: Afferte mihi infantem istum, ut manu sua tangat caput meum. Cumque mater infantem Lugidium portaret ad eum, flevit Infans, et lacrymæ ejus ceciderunt supra pectus viri illius. Vir autem ille multo tempore habebat ulcus pessimum sub suo pectore; et statim ulcus evanuit, et vir sanatus est ab omni dolore; et mater cum suis pecoribus læta reversa est ad domum suam. II *Infans lacrymis ulcus sanat:*

3 Alio quoque die sanctus puer Lugidius cum suis fratribus pascebant oves parentum suorum, in agris juxta ignem sedentes: et, ecce, impetus subito repentinus aquarum venit ad eos, et ignem coram eis extinxit: tunc Lugidius mortuum carbonem in manu sua tenens, venit ad eum angelus Domini, et benedixit carbonem, et igne exarsit; et iterum pueri ignem accendentes, calefacti sunt. Ignis autem ille per omnes sanctos regionis divisus est: et in illo loco signa, et cruces positæ sunt usque hodie *g*. III *puer ignem obtinet miraculo:*

Quadam *h* quoque die erat Ligidius cum ceteris pueris custodientes sues: cumque sues longius ab eis recederent, unus de pueris vicissim exibat, et sues ut grex ovium videbantur a turba hominum, quæ prope stabat: quia Lugidius ovis innocens erat, et pastor ovium postea fieret *i*. IV *sues ejus tamquam oves apparent:*

4 Alio *k* autem tempore sanctus puer Lugidius defuit, et die ac nocte nemo cognovit, ubi esset. Cumque pater quæreret illum, invenit eum in campo dormientem; sed tamen propius accedere ad illum non ausus est, quia virum in vestibus albis stantem juxta illum vidit: et odor ex ore pueri egrediens patrem inebriavit per novem... *l*. Tunc Carthachus perrexit ad filios Coilboth, septem V *angelus ei assistit: odor ejus mirificus.*

A ptem presbyteros; et venerunt cum eo ad Puerum; et unius ex eis, qui Puerum suscitavit, optimus odor ex ore Pueri, faciem replevit et os, et ipse vir odore illo satiatus, usque ad diem mortis suæ cibum non comedit, nisi Corpus et Sanguinem Christi, quando offerebat *m*. *m*

VI *Iterum videtur cum angelo;* 5 Alio autem die cum puer Lugidius vitulos custodiret, somnus cecidit super eum; et vituli ad vaccas ruerunt; sed ora vitulorum circa mamillas matrum siccaverunt *n*, nec lac sugere poterant, quamdiu Puer in somno fuit. Tunc mater videns vaccas simul et vitulos, cucurrit, et Puerum excitavit; volensque flagellare eum, elevavit manum: sed angelus Domini manum illius tenuit, ne Puerum læderet. Tunc mater angelum timens, corruit in terram; et puer Lugidius vitulos a vaccis separavit. *n*

VII *suscitat mortuum:* 6 Alio die quidam vir, senex de filiis Coilboth caput suum in sinum pueri Lugidii reclinavit, ut Puer a capite senis vermes colligeret *o*. Accidit autem ut ille senex subito moreretur in sinu ejus. Tum alii venientes dixerunt Lugidio: Ecce, vir, qui in sinu tuo jacet, mortuus est. B Quibus ille ait: Relinquite eum; nec enim faciet Dominus, ut in sinu meo aliquem occidat. Et orante Lugidio, senex revixit sanus.

VIII *ægrum sanat:* Quodam die æstivo sanctus puer Lugidius perrexit in aquam, ut in calore solis corpus suum lavaret. Quidam autem vir infirmus longo tempore, quem medici curare non poterant, exiit et ipse in aquam, ubi lotus erat. Statim vir ille sanatus est ab omni dolore in æternum.

IX *pedem abscissum restituit:* Pedem Carthachi, patris Lugidii, dolor pessimus, scilicet carcur *, consumpsit; et ne dolor iste in majus cresceret, pes illius abscissus est. Videns autem puer Lugidius pedem patris in duas partes divisum, contristatus est; et pedem iterum corpori conjunxit; et statim conglutinatus est pes, et sanus ab omni dolore usque ad diem mortis suæ effectus est.

* *lege* cancer

X *mororum succum vertit in vinum: Foilano revelatur futurus abbas:* 7 Alia autem die erat Lugidius cum ceteris pueris in quodam loco ludentes, feceruntque sibi cerevisiam de succis mororum, sicut ludentibus pueris mos est: et puer Lugidius, bonus cerevisor *p*, liquorem simul et aquam in unum vas commiscuit, et vinum factum est; et de isto liquore pueri inebriati sunt. In illa hora filius regis Felanus, filius Dimma *q*, cum suo latrunculo *r* per eamdem viam venit: qui cum vidissent C lætos pueros et liquorem cum bono odore coram eis, postulaverunt, ut de liquore isto poculum biberent; et puer Lugidius cum gaudio dedit eis; et statim laici inebriati sunt, et somnus cecidit super eos. In illo autem somno Felanus visionem vidit; scilicet quod puer Ligidius torquidem * aureum circa collum suum dedisset, qui casulam circa illum usque ad terram fecit. Quod completum est: nam iste Felanus rex, monachus postea sancti Lugidii fuit, et multa dona obtulit ei: et Lugidius coronam vitæ æternæ, et stolam sanctam in cœlis Felano regi dedit. *p* *q* *r*

* *imo* torquem

XI *punit molitorem iniquum:* 8 Quadam autem die Lugidius cum matre sua panem in domo non habentes, exierunt, ut molendinum *s* quærerent. Sed Dominus ipsius molendini, illum non dedit eis. Tunc Lugidius cum matre vacui sine farina ad domum suam reversi sunt: et statim molendinus ille currere cessavit, et tribus diebus ac noctibus sine cursu immobilis stetit. Tunc filius Colbach dixit: Currite post puerum Lugidium; quia causa ipsius molendinus non currit. Cum autem venisset Lugidius, manum suam plenam de granis in os molæ projecit; et statim mola velociter cucurrit, et grana plebium fortiter comminuit. *s* EX COD. MS.

XII *sanat mutam:* Filia Fintani, fratris Carthachi, sedecim annis erat muta, nil loquens: quadam die ista puella faciem suam dedit contra faciem pueri Lugidii, cognati sui; et anhelitus pueri Lugidii circa faciem ejus spiravit; et statim aperta est lingua puellæ, et loquebatur. Hæc est sancta Kayner Cluana Clarith *t*. *t*

XIII *ab angelis in aerem tollitur:* 9 Alio *u* autem die Lugidius ludebat cum tribus juvenibus coram patre et matre sua: et tres isti elevaverunt secum Puerum in aërem, ibique per tertiam diei partem manens, non apparuit, ubi esset. Tunc mater ejus lacrymas fudit, nesciens, quo Puer raptus est; et iterum tres isti juvenes venientes, dimiserunt puerum in eodem loco. *u*

XIV *prægnantem liberat:* Erat autem mulier prægnans tribus annis, quæ mortuum partum in suo utero habuit, nec poterat generare eum. Quadam autem die ipsa mulier ambulans tristis cum lacrymis invenit in via puerum Lugidium, quem inter suas manus tenens, contra pectus suum applicuit illum; et statim illa mulier sanata est, et in sequenti nocte suum partum genuit. E

ANNOTATA.

a *Vita impressa num.* 1 *habet:* De plebe Corcoiche.

b *Vita impressa ibidem:* De regione Hua-Fidhgenti. Nepotes *autem* Fidhgenti, *ut eadem explicat num.* 27, gens est in medio planitiei Mumoniæ usque ad medium montem Luacra *(nunc Logher, ut arbitror)* in occidente ad australem plagam fluminis Sinna, *seu Sinei, aut Senani, vulgo* Sennon, *et* Shannon.

c Vocabatur Carthach; sed vulgo Coche dicitur, *inquit ibidem auctor Vitæ impressæ. Unde sæpe Sanctus noster appellatus invenitur,* Filius Coche.

d *Seu* Sochla, id est Larga, *juxta Vitam impressam ibid.*

e *Vel, ut est in Vita impressa,* De occidentali Laginiensium plaga, id est Osraigi. *Est autem* Osraigi *et* Osrigi, *sive* Osrigia, *idem cum* Ossoria, *ut patet ex Vita septima S. Patritii apud Colganum pag.* 155, *num.* 27: *hæc vero Lageniæ tractus est inter Comitatum reginæ et Kilkenniensem.* F

f *Id est, detenta, quia nimirum in pascuis deprehensa fuerant alienis; ut significat Vita impressa num.* 2.

g *In Vita impressa additur:* Quæ dicuntur Cruces Moluæ. *Hoc miraculum non est in Vitæ compendio Ms.*

h *Hoc in Vita impressa narratur num.* 5.

i *Addit Vita impressa:* Ipse enim electus est a Deo Christi ovium, id est, justorum hominum, pastor.. : etenim fundator multorum monasteriorum et cellarum et plurimorum monachorum ipse in eis postea *(forte* pastor *sive* abbas*)* exstitit.

k *Habetur hoc in Vita impressa num.* 6; *sed aliter narratum.*

l *Hic erat hiatus unius vocis, ut* dies, *aut alterius similis. Sed quomodo afflare patrem potuit odor ex ore Pueri egrediens, si ad Puerum non sit ausus accedere? Ceterum hoc factum, et quæ sequuntur usque ad num.* 9, *desunt in compendio Ms.*

m *Refertur hoc in Vita impressa num.* 4.

n Siccaverunt, *pro* aruerunt, *seu* stupefacta sunt.

EX COD. MS.

o *Causa hæc omittitur in Vita excusa num.* 7.

p Cerevisor, *id est cerevisiæ confector, seu braxator.*

q *Vita impressa num.* 10 : Filius Dimai, ducis illius regionis *(Fidhgenti videlicet, ut explicat eadem Vita num.* 27*)* Faolanus nomine. *De hoc infra recurret sermo num.* 20

r Latrunculo, *id est, milite stipatore. Vide etymologos.*

s Molendinus *hic masculine accipitur pro mola.*

t *Vita impressa num.* 12 : Et ipsa Finn-Cainner (*id est*, Candida Cannera) vocabatur, quæ ibi virginitatem suam Domino devovit, et effecta est sancta et mirabilis in signis et prodigiis virgo; et construxit monasterium, quod dicitur Cluain Claraidhi, in quo ipsa Christi virgo ancillas congregavit. *Hæc tamen cum ab illa diversa sit, quam exhibet Colganus ad diem* 28 *Januarii, nobis aliunde prorsus ignota est.*

u *Quæ toto hoc numero referuntur, habentur etiam tam in Compendio Ms., quam in Vita excusa num.* 13 *et* 14.

B

CAPUT II.

Educatio ejus apud S. Congallum abbatem Benchorensem ; plura ibi miracula; fundatio Droma-Snectæ.

XV *Miraculo agnitum S. Congallus erudiendum adoptat : docetur ab angelo.*

Alio autem die cum puer Lugidius oves custodiret, venit secus illum sanctus Congallus, abbas Benchorensis *a* : cumque Congallus paulisper de via perrexisset, vidit ex latere quemdam locum; qui diligenter intuens, stetit, unique ex fratribus dixit : Vade ad locum illum, et vide, quid illic est. Exiens autem frater, invenit ibi puerum Lugidium dormientem : et contra anhelitum Pueri, quando insufflabat, juncus propinquus ardebat. Ductus est ergo ad Congallum ; vocatisque parentibus illius, dixit eis Congallus : Vultis, ut Puer iste mecum pergat ut alatur, ut legat, et disciplinam discat? Cum hoc parentibus placuisset, Puer profectus est cum Congallo ad civitatem * Benchurensem, et alphabetum scriptum est ei. Quadam autem die invenit Congallus angelum juxta Puerum, qui litteras explanabat Puero, et docebat eum, et leniter consolabatur illum *b*.

* *id est*, cœnobium, *ut infra sæpius.*

C

XVI *Capræ ejus, ut oves apparent :*

11 Item quadam die puer Lugidius missus est ut gregem caprarum custodiret ; sed grex ovium erat, quamdiu Lugidius custodiebat eum *c*.

XVII *ipse ferrum candens manibus tractat illæsis :*

Alio quoque die Lugidius ministrabat in monasterio fratrum : in illo autem tempore mos erat, ut sphæra ferrea in igne calefacta in conices *d* Fratrum daretur, ad calefaciendum liquorem. Cum autem Lugidius sphæram ex igne forcipe tenuisset, ut in conicem Congalli illum portaret, ferrum rubicundum ex forcipe, in ignem cadebat. Hoc autem videns Congallus, arguit eum dicens : Non bene tenes ferrum. Tunc Lugidius, verbis senioris confusus, misit manum suam in ignem, et tenens ferrum ignitum in manu, portavit ad Congallum ; sed *e* Congallus nolens recipere ferrum, retraxit ad se conicem suum cito, et ferrum cecidit super mensam et perforavit mensam usque ad terram : et usque hodie foramen illud, manet in mensa, et moles instar pugni intrat per illud.

XVIII

12 Multo autem tempore, fuit Lugidius minister Congalli; cui Congallus nomen dedit scilicet Lugith Maccan; quia quinquaginta viri apud Congallum erant, et unusquisque eorum Lugidius vocabatur *f*.

XIX *variis locis eodem tempore præsens est :*

Alio autem tempore misit Congallus ter novem viros de sua familia in tres provincias, scilicet novem viros in unamquamque provinciam diversam, tam in Hibernia, quam in Britannia : et hi ter novem viri elegerunt singuli, ut Lugidius Maccan in suo comitatu veniret, et ministraret illis. Et ita factum est : nam his ternis novem viris visum est, quod Lugidius Maccan in comitatu singulorum esset in via, et pedes eorum lavaret, et in omnibus ministraret eis, donec reversi sunt ad suam civitatem. Hinc illi nomen datum est, Gylla na trinonber *g*.

XX *cedit ipsi mare circumfusum :*

13 Quodam autem die cum Fratres de navi descendissent, unus ex eis increpavit puerum Lugidium; et statim Lugidius prostravit se in littore, et Fratres hoc non viderunt, et venerunt ad terram; quibus dixit Congallus : Ubi Lugidius puer est? Cumque non esset inventus, ait Congallus : Numquid aliquis ex nobis increpavit illum? Tunc Frater ille dixit : Ego illum in littore increpavi. Et ait Congallus : Ite velociter, et ibi requirite eum. Euntes autem Fratres, invenerunt eum in littore jacentem, et mare in circuitu illius undique stetit, et latitudine domus non accessit ad illum. Et littore surgens, venit cum illis ad Congallum. E

XXI *vasis pertusis liquorem portat mirificum :*

14 Alio autem die Lugidius puer missus est, ut lac a bucceto *h* deferret ; cumque in via ambularet, equus calcitravit sub vasis ; et vasa in terram cadentes *, fundum eorum confractum est, et lac effusum est. Tunc Lugidius vasa aquis replevit, et lac factum est : angelus Domini elevavit vasa super equum secum, vasaque sine fundo lactis plena ad civitatem perduxit, et in monasterio assignavit : et lac illud saporem mellis et ebrietatem vini habebat.

* *imo* vasis cadentibus

XXII *zizania mutat in frumentum :*

Quadam die missus est Lugidius ad molendinum, ut granum zizaniorum in mola frangeret : sed Dominus per merita sancti pueri Lugidii de zizania * optimum frumentum fecit : hæc autem videns œconomus, non ausus est illud frumentum comedere ; sed ad materiam oblationum apud Congallum servatum est.

* *imo* zizaniis

F

XXIII *sanat paralyticum :*

15 Alio autem die dixit Congallus Lugidio : Vade cum viro paralytico, qui est in hospitio, ut illum ad alium locum perducas, et ad portandum illum ab œconomo equum quære. Cum autem œconomus aliis rebus occupatus, equum ad portandum infirmum Lugidio non dedisset, dixit Lugidius paralytico : Surge, ut ad alium locum deducam te, et statim paralyticus surrexit sanus ; cumque in via ambulassent, dixit ei Lugidius : Si quis te interrogaverit, quomodo sanus factus es, dices, quod sanctus Congallus sanavit te. Sed tamen celare non potuit, quod Lugidius hanc fecit virtutem.

XXIV *postulat a Deo, et obtinet intellectum :*

16 Quadam autem die dixit Congallus Fratribus suis : Quis ex vobis in hac nocte petitionem a Domino postulavit, scilicet ut sibi intellectus detur? Respondentibus autem omnibus, quod nemo illorum hanc rem postulasset, dixit Lugidius : Non est mirum, si ego istam petitionem a Domino postulassem. Cui Congallus ait : Periculosam rem postulasti : multi enim per acutum intellectum decepti sunt, et sua prudentia causa ruinæ illis fuit. Lugidius dixit : Si intellectum haberem, Deum non offenderem, et

diabolo

A diabolo non consentirem : nam si inter me et diabolum catena posita fuisset, non me secum traheret. Cui Congallus ait : Firmam fidem habes : fiet tibi sicut credidisti : nam intellectum bonum habebis, et vitam æternam recta via intrabis *i*.

XXV *candelam mire accendit:*

17 In nocte Paschæ cum sanctus Congallus Sacrificium offerret, Lugidius coram illo in manu sua lucernam tenebat : cum autem Lugidius paulisper dormitasset, lucerna de manu ejus juxta altare cecidit in aquam Paschæ consecratam : et Congallus increpavit eum. Tenens autem Lugidius extinctam et humidam lucernam, insufflavit eam ex ore suo ; et exarsit igne coram populo. Tunc unus de senioribus ait : Duæ istæ lucernæ *k* in uno loco fieri non possunt.

XXVI *fundat cœnobium Droma-Snecta.*

Audiens autem Lugidius verbum senioris illius, voluit ab illo loco venire *l ;* et dimissus a sancto Congallo venire cum magna benedictione, venit ad locum qui dicitur Druim-Snechti *m ;* ibique multo tempore habitavit, et multas virtutes fecit.

B

ANNOTATA.

a *De* S. Congallo, *sive* Comgallo *egimus die* 10 *Maii a pag.* 579.

b *Additur in Vitæ compendio Ms.:* Puer autem ætate crescens et scientia, confortabatur in spiritu, sub districtissima tanti patris regula Christi jugum suaviter portans, corde mitis et humilis, ceterisque pollens virtutibus, patri universæque Fratrum multitudini dilectissimus, signis succrescens et virtutibus.

c *Hoc in sola hac Vita nostra legitur.*

d Conices *positum videtur pro* Conides, *a voce Græca* κωνὶς, *quæ urceolum significat et hydriam ; Vita impressa* cupas *vocat ; Compendium Ms.* vas *potum continens.*

e *Omittuntur sequentia in Vita impressa, non item in Compendio Vitæ Ms.*

f *Hoc iterum narratur in hac Vita tantum. Cum vero* mac filium *sonet Hibernis,* maccan, *ut puto,* filiolum *significat.*

g *Id est,* Puer trium turmarum, *ut explicat Vita impressa num.* 18. *Compendium Ms. non habet hoc prodigium ; uti nec modo sequentia usque ad num.* 16.

C h Buccetum, *seu potius* bucetum *appellat auctor locum vaccis emulgendis destinatum ; ut observat Sirinus, et res ipsa satis indicat.*

i *Eadem narrantur hoc loco in compendio Vitæ Ms.; at in Vita impressa transferuntur ad numerum* 16.

k *SS. Comgallus scilicet et* Luanus *noster. In Compendio Ms. legitur :* Unde quidam senior, Hæc, inquit, lucerna ardens et lucens sub modio non est abscondenda, sed super candelabrum ponenda ; *innuens, æquum esse, ut Vir tantus alterius cœnobii quamprimum abbas creetur.*

l *Vita impressa num.* 24 *hæc ita narrat :* Deinde coactus est sanctus Molua a S. Comgallo sacros Ordines accipere ; et acceptis gradibus, dixit ei pater Comgallus : Accipe quosdam discipulos tecum, Fili mi ; et vade ad patriam tuam. Acceptaque licentia et benedictione, *etc.*

m *In Compendio Ms. legitur :* Deinde paterna fultus benedictione, in Fernagensium *(forte* Fermanagensium, *in Ultonia et confinio Connaciæ ad lacum Erne :)* ubi juxta quoddam stagnum monasterium construxit, Druim-Snecta nomine. *Hinc titulus ejusdem Compendii ductus est :* Incipit Vita Molua Droma-Snecta.

EX COD. MS.

CAPUT III.

Mutatio non una stationum ; fundatio cœnobii Cluainfertensis; varia miracula.

Quadam autem die cum illic duo pueri sui coram ipso in stagno propinquo natassent, bestia terribilis, magnitudine navis, surrexit a stagno. Tunc Lugidius ait pueris : Ad me velocius natate ; ut videam, quis ex vobis duobus ad me prior perveniat. Cumque celeriter natassent pueri, et de aqua ascendissent pueri, bestia post eos currens, suum pectus percussit in portum : unus autem de pueris retro respexit, vidensque terribilem bestiam, mortuus est. Quem sanctus Lugidius a morte suscitavit, bestiamque benedixit : et ab illo die nil nocuit, quæ prius semper nocuerat. — XXVII *In Druim-Snecta mortuum suscitat :*

E

19 In illo loco angelus Domini dixit Lugidio : Si in hoc loco manere desideras, ista terra tibi dabitur inter duo stagna, scilicet inter stagnum Euthath et stagnum Herne, et pecora tua ibi pascentur. Sed Lugidius in illo loco tentatione mulierum valde gravatus, habitare non potuit. Quadam autem die quædam mulieres in vicino loco habitantes, Lugidium videre volentes, vitulos suos subter vaccas reliquerunt, elevatisque vocibus clamaverunt, quasi vitulos a vaccis segregare voluissent. Tunc Lugidius clamorem audiens, velociter foras cucurrit. Mulieres vero, relictis vitulis, nihil aliud agebant, nisi tantum conspicere Lugidium. Hoc impedimentum videns Lugidius, quasi ignem vitaret, velociter ab illo loco fugit *a*. — XXVIII *inde migrat, ob importunitatem mulierum,*

20 Venitque ad scholam sancti Finniani Cluana Hirraird, ut ibi legeret *b*. De schola autem illa unusquisque in die suo semen in terra mittebat. Lugidius vero in die suo quodcumque semen seminaret, triticum fiebat, et crastino die herba fiebat et operiebat terram. — XXIX *ad S. Finnianum ;*

Post hæc venit Lugidius ad suam patriam, ad nepotes Fithgente ; ibique invenit regem Felanum, filium Dimma ; ad quem introiens, postulavit ab eo locum sibi, ubi maneret. In ipsa autem hora rex ille ludo regali, aleam suam sua manu componebat, sicut regibus mos est. Cumque rex diu taceret, dixit ei vir, qui juxta eum sedebat : Quare Clericum non salutas ? Cui rex ait : Illum in corde meo saluto, et in adventu ejus valde gaudeo, et quæstionem illius in mente cogito. Tunc a Domino inspiratus, dixit Lugidio : Si in gente tua habitaveris, locus tuus non erit latus, nec bene promovebitur : clericus enim in sua patria honorem non habet, et gens tua sola, rejectis peregrinis, in tuo loco semper regnabunt : si vero in peregrinatione locum constitueris, locus tuus magnus erit, et ab omnibus honorabitur, et quotidie in majus crescet *c*. Cui Lugidius ait : Quid ergo faciam ? Rex dixit : Si placet, vade, et in confinio Munensium et Lagnensium * locum tibi constitue ; et postquam in quolibet loco sederis, omnia, quæ tibi necessaria fuerint, a me ministrabantur. — XXX F *hinc in patriam ; ubi non subsistit ;*

* *lege* Mumoniensium et Lagenensium

21 Sciens autem Lugidius, hoc consilium a Deo fuisse, profectus est a rege ; et assumptis secum paucis monachis, et quinque vaccis in itinere, — XXXI *[illegible] usque in [illegible] matris suæ :*

EX COD. MS.

nere, venit primitus ad regionem matris suæ ad Dail Birnn Osrigi; ibique invenit duos fratres matris suæ, quorum unus lætus fuit in adventu Lugidii, et obtulit ei hereditatem suam; alter vero asper fuit, et laicus pessimus; qui evaginato gladio venit ad Lugidium, et destruxit ædificium, quod sibi Lugidius ædificavit. Cui Lugidius ait: Priusquam mensis impleatur, morieris. Quod ita completum est. Lugidius autem illic manere noluit: ibique angelus Domini venit ad eum, et ostendit ei montem Sinnoir *d* dicens: Vade ad montem illum, et ibi locum tibi constitue.

XXXII *sed pergit in Rosbilech, ubi cum suis diu habitavit:*

22 Profectus itaque Lugidius, venit ad virum, nomine Bledne *, ad Rosbilech *e*; et vaccæ suæ præcedebant eum illic, et Lugidius manebat *f*. In illa autem nocte angelus Domini apparuit Bledno dicens: Crastino die ad te veniet clericus cum quinque vaccis albis, et auribus rubicundis: huic ergo offeres hereditatem tuam; quia monachus illius eris. Sequenti autem die adveniens Lugidius, obtulit se ei Bledenus cum hereditate sua: et illic Lugidius multis diebus habitavit *g*. Quadam autem die, cum ibi Lugidius audisset balatum ovis, dixit: In hoc loco non ero: ubi enim fuerit ovis, ibi erit mulier; et ubi fuerit mulier, ibi peccatum; ubi vero peccatum, ibi erit diabolus; et ubi diabolus, ibi infernus erit.

* *al.* Bledene *et* Blendenum

B

XXXIII *inde porro discedens, moribundum sanat:*

23 Exiit Lugidius a Roysbilech ad Berachum, filium Bacain, in finibus Lygese *h*, et quæsivit sibi ab eo locum secretum. In illa hora adventus Lugidii, filius Beraky infirmus prope mortem erat *i*, et nullum responsum dabat. Cui Lugidius aquam benedixit; et aspersus puer de aqua, statim sanus surrexit. Tunc Berachus dixit Lugidio: Ecce, offero tibi arcem istam cum omnibus, quæ in ea sunt, et cum agris. Videns autem Lugidius amœnitatem et pulchritudinem loci illius, dixit: In hoc locò non ero; quia in eo magna seculi abundantia fiet, et multæ ex eo animæ ad cœlum ibunt *k*.

XXXIV *ac tandem ædificat cœnobium Cluainfertense.*

24 Post hæc dedit rex Lygisi sancto Lugidio agrum juxta montem Sinnoir, ubi grex regis illius pascebatur; in quo Lugidius civitatem suam ædificavit, scilicet Cluoin-Ferta *l*. Cum autem habitacula civitatis ædificarentur, dixit Lugidius populo suo: In quo loco ædificatis domum abbatis? Responderunt Fratres: In hoc loco. C Quibus ait: Abbas noster Christus est; in loco illo domum hospitum facite. Item Lugidius dixit eis: Quem agrum dabitis senioribus nostris? Responderunt Fratres: Fitheth. Lugidius dixit: Noster senior Christus est; illum agrum hospitibus ad serviendum date.

XXXV

Post hæc exit Lugidius ad gentem suam *m*; et ibi a plebibus plurimæ oblationes oblatæ sunt ei; et dixit ei rex: In qua terra ædificasti locum tuum? Lugidius respondit: Inter multas plebes ædificavi. Rex respondit: Populus tuus in novissimis diebus multas persecutiones in illo loco sustinebit. Lugidius ait: Qui eos persequuntur in terra, faciem meam non videbunt in cœlo *n*.

ANNOTATA.

a *Prætermissa est hæc narratio in Vita impressa et Compendio Ms.; sed in hoc illius vicem supplent sequentia:* Generalis, et electorum inimicus, sancti Viri æmulans studiis, feminarum quarumdam in vicino oppido carnali ejus amore animos inflammavit; quæ, magistro instigante malitiæ, quemdam rogaverunt hominem, quatenus Viri Dei capillorum aliquid pro benedictione deferret eis. Cui ille, causæ non nescius, caprinæ, cui sedebat, pellis pilos dedit. Quæ paulo post extra monasterium ad illas avolavit. Vir itaque sanctus hostis evitans insidias, loci habitationem mutavit. *Non ita tamen discessit, quin locum simul benedixerit, constituto illic monasterio, ut asserit Vita impressa num.* 26. D

b Cluana-Hirraird, *seu* Cluain-Iraird, *correpte* Clonardia, *cœnobium fuit S. Finniani, ad Comitatum occidentalis Midiæ spectans; teste Colgano ad diem* 23 *Februari pag.* 398, *not.* 23. *Eo illustres undique viri partim ad sacrarum Litterarum, partim ad ecclesiasticarum institutionum studia convolabant; ut narratur in ejus Vita ibidem pag.* 395, *num.* 19. *Vide et Vitam impressam* S. Luani *num.* 26.

c *Consonat fere Compendium Ms. At in Vita Siriniana num.* 27 *dixisse Fœlanus prophetice, scribitur:* In hac gente tua, pater Molua, locus nominatior tuus non erit, nec etiam resurrectio tua. Videns autem B. Molua sanctum ducem spiritu prophetico inspiratum, dixit ei: Ubi igitur, domine dux, meus major locus erit, et resurrectio mea? Dux ait ei: In confinio jam Mumoniensium et Laginiensium erit nominatior locus tuus, et resurrectio tua. Multa quoque alia loca in hac patria tua et in aliis regionibus Domino ædificabis; et quæcumque necessaria tibi fuerint, ministrabuntur a me: et post tempus siquidem ego ipse monachus tuus ero. E

d Sinnoir *habet textus noster; at Compendium Ms.* Smoyr; *Vita impressa num.* 29, Smôil; qui mons dicitur Mons Bladhma*; idem, ni fallor, quem Camdenus in descriptione Lageniæ vocitari ait* Sleiew Bloemy; *a Giraldo autem,* Bladinæ montes: e quorum visceribus, quasi maternis, *inquit,* Suirus, Neorus, et Birgus *(clara Lageniæ flumina)* eduntur.

e Rosbilech. *Vita impressa num.* 29, Ros-Buaileadh*; qui locus proinde Osseriam inter, unde veniebat Sanctus, et montem, quo pergebat, jam dictum interjacebat.*

f *In Vita excusa ibidem dicitur:* Et in quocumque loco vaccæ expectabant, illic Sanctus cum suis manebat; et quacumque hora vaccæ inde ibant, sequebantur eas Molua cum suis.

g *Fundata scilicet ibi cella seu monasterio Rosbualensi, ut asserit Vita impressa loco citato, et Compendium Ms. Porro quod jam sequitur, in solo legitur exemplari nostro; studiose forsan in aliis, nec temere prætermissum.* F

h *Vita impressa num.* 30 *sic habet:* Et inde S. Molua veniens, perrexit ad Berachum, ducem regionis Laighse, quæ est in angulo Lageniensum contra Mumonienses, et nepotes Neil; et quæsivit, *etc.* Laighse *ergo,* Lœgsi, Lygisi, Luigse, Lygese, *seu Lagisia, pars erat Lageniæ versus angulum, Mumoniæ, Midiæ (quam Neil, seu Nielli primi, nepotes obtinebant) et Conaciæ (cujus partem iidem nepotes insedisse dicuntur) conterminum. Usserius eamdem putat esse cum Læsia, vulgo Lease, in Comitatu Reginæ; sed hoc non videtur consistere cum descriptione cœnobii Cluainfertensis, de qua egimus in Commentario.*

i *In Vita impressa et Compendio Ms. dicitur fuisse mortuus.*

k *Legendum:* Et non multæ, *etc.: nam in Compendio Ms. dicitur Sanctus locum hunc recusasse,* providens, non posse se ibi fructum animarum consequi.

l *De cœnobio Clonfertensi vide dicta in Commentario prævio.*

m Gentem suam, *Fidhgentanam scilicet in Mumonia, de qua supra cap.* 1, *num.* 1*; et cujus rex, seu princeps erat Foilanus, ut jam dictum est.*

n

A

n *Hic multum discrepat Vita Siriniana num. 31 : sic enim habet :* Post hæc sanctus abbas Molua venit cum multis monachis ad gentem suam, id est, ad nepotes Fidhgenti; et magnas oblationes de agris, et de substantiis ibi invenit; et cellas et clara monasteria illic Deo instituit; et non solum in ipsa regione, sed et aliis, in quibus congregationes et officia ordinavit; et multa miracula S. Molua in illis locis fecit, et adhuc in eis per eum monstrantur. *Compendium Ms. sic refert :* Postmodum in patriam suam profectus est; eique plurimas rex et terræ incolæ eleemosynas dederunt. Denique sanctitatis ejus fama discrescente, miraculisque crebrescentibus, plurimi valefacientes seculo, ad eum fluxerunt : quibus vitæ sic se præbuit speculum, ut in omnibus esset imitandus.

CAPUT IV.

Lenitas erga subditos : miracula varia.

B

XXXVI *Monacho persuadet, ut contubernalem admittat :* a

Sancto autem Lugidio mos erat, ut nullum per asperitatem increparet; sed per lenitatem, et spiritalem intellectum corrigeret. Erat autem apud eum quidam laicus *a*, qui in sua domo solus habitabat; alterum autem secum habitare nolebat. Quadam autem die cum laicus ille in domo sua juxta ignem [se] calefaceret, Lugidius ad eum perrexit in domum suam. Cui laicus dixit : Sede paulisper, ut pedes tuos calefacias. Lugidius dixit : Optimum consilium est. Cum post paululum ipse laicus foras exisset, iterum revertens, invenit Lugidum circa ignem ambulantem, aliquando hinc, aliquando inde se calefacientem. Cui laicus ait : Quid facis? Quare circa ignem discurris? Lugidius dixit : Ne ignis otiosus et infructuosus ex altera parte fiat, ideo circa ignem me calefacio. Hæc audiens laicus, voluit, ut alius secum habitaret in domo sua.

XXXVII *alteri, ut sæpe confiteatur peccata :*

26 Erat quoque apud Lugidium alius laicus, qui confessionem peccatorum suorum alteri manifestare nolebat. Quadam autem die sanctus Lugidius istum laicum secum ducens, perrexit in viam; cumque simul venissent haud longe ab illo loco, qui dicitur Tomidomnich, stetit Lugidius in via, ubi crux habetur, et genua flectens, pœnitentiam egit, dicens : Peccavi; quia hodie oblitus sum confessionem peccatorum meorum pandere seniori meo, quod usque hodie non evenit mihi. Dixitque laico : Sustine hic, donec retro vadam ad confitendum peccata mea, et iterum ad te revertar. Cui laicus ait : Numquid grandis est vobiscum ista peccatorum confessio? Dixit Lugidius : Nisi quis confessus fuerit sua peccata, veniam a Domino non consequetur : et sicut pavimentum domus quotidie scopa tergitur, ita anima omni die purgatione peccatorum mundari indiget. Hæc audiens laicus ille, sanatus est; et ex ipsa die peccata confitebatur; et reversi sunt ad domum suam.

C

XXXVIII *alteri, ut libenter laboret manibus :* b

27 Fuit quoque apud Lugidium quidam poeta *b*, Conanus nomine, qui laborare suis manibus peritus non erat; cui Lugidius quadam die dixit : Simul eamus, ut modici operis aliquid faciamus. Et assumentes secum ferramenta, ambo perrexerunt ad silvam; ibique invenientes campulum, plenum cardis *, Lugidius benedixit ferramenta, et Conano dixit : Veni, ut cardum istum pariter abscindamus. Cui Conanus respondit : Ego solus possum abscindere. Tunc Lugidius furcam posuit contra cardum, et Conanus abscidit illum : statimque Lugidius ferramenta alligavit. Cui dixit Conanus : Quare non amplius laboris agimus? Lugidius respondit : Hoc opus hodie sufficit. Et sic in illa die ad domum suam reversi sunt. Crastino autem die venientes, duos cardos percusserunt, et tertio die tres cardos; et sic paulatim in majus crescebat opus. Tunc iste Conanus magnam silvam abscindens, fecit latum campum, cujus nomen dicitur Via Conani.

* id est carduis

EX COD. MS.

XXXIX *consuenda nectit miraculo :* c

28 Quadam autem die unus de Fratribus commissuram pelliceam ficoni *c* consuere coram Lugidio voluit; cumque illam commissuram sua manu ficoni congruenter copulasset, dixit : Bonum erat, si sic illa commissura ficoni adhæreret. Cui Lugidius ait : Hoc non est Deo impossibile; et statim illa commissura ficoni indissolubiliter adhæsit.

XL *solem precibus sistit :* d

E

Alio quoque die cum sanctus Lugidius, et episcopus Setni *d* invicem salutassent in civitate Cluana Ferta, Lugidius dixit episcopo : Mane nobiscum ista nocte; quia ad occasum sol appropinquat. Cui episcopus ait : Necesse est mihi, ut in hac nocte ad Fratres meos pergam, ne de absentia mea tristes efficiantur; sed roga Dominum, ut dies non deficiat, antequam ad meum locum perveniam. Exeunte episcopo, Lugidius elevata manu benedixit solem; et stetit sol in cœlo, donec episcopus Setne ad civitatem Segri *e*, ante occasum solis pervenit.

XLI *granum ad eleemosynam vertit in aurum :* f

29 Erat vir quidam captus in vinculis apud regem Neill *f*; qui dimissus a rege, ut suæ redemptionis pretium ab omnibus quæreret, venit trans montem ad Lugidium, et invenit illum mittentem semen in agrum; quærensque eleemosynam ab eo, misit Lugidius in sinum illius manus plenas granorum; et statim factum est aurum. Et dixit Lugidius, ut illud regi daret pro redemptione sua. Videns autem rex aurum in sinum illius, dixit : Quis tibi hoc aurum optimum largitus est? Cui vinctus respondit : Quidam clericus ultra montem istum hoc donum in sinum meum misit. Rex ait : Hoc aurum non accipiam a clerico : illi te liberum gratis dimittam. Venit ergo iterum vinctus ad Lugidium; et aurum in granum reversum est, et vinctus liberatus est.

F

XLII *prædicit peregre ituris locum sepulturæ :* g

30 Quadam autem die Sanctus Lugidius ecclesiam circuiens, invenit post ecclesiam quatuor viros, qui in exilium ire * cogitabant; quibus Lugidius ait : Vos cogitatis ire in exilium; ego autem dico vobis, quia locus, ubi nunc pedes vestri stant, ibi corpora vestra sepelientur, et resurgent. Quod completum est *g*.

* *id est* perigrinatum ire

XLIII *carnes bis mutat in pisces;* h i k l m n o

Alio autem tempore sanctus Aidus, abbas Ferna *h*, voluit ire trans mare ad David [episcopum] ecclesiæ Muini *i*, ut ipse fieret amicus animæ suæ *k*. Cum autem Aidus in mari navigasset *l*, surrexit contra eum mare, et ventus contrarius; et dixit ei angelus : Noli ire trans mare, sed ad virum tibi propinquum, scilicet Lugidium Coche; et ipse amicus tuus fiet. Venit ergo Aidus cum septem viris secum ad Lugidium Hiroysbilech *m*. Et occidit eis Lugidius vitulum saginatum; et benedicens * Lugidius carnem, et facti sunt octo pisces. Hoc autem sciens Aidus, benedicens *n* pisces illos, reversi sunt iterum in carnem. Sed Lugidius tertium de carne fecit pisces *o*.

* *forte* benedixit

31 Tunc Aidus genua flectens coram Lugidio, tenuit

EX COD. MS. quo miraculo motus S. Aidus, illi offert locum suum :

tenuit eum amicum animæ suæ, et dixit Lugidio : Veni mecum, ut locum meum tibi offeram coram populo meo. Perrexit *p* ergo Lugidius ad civitatem Ferna ; et Aidus obtulit ei locum coram populo suo. Sed Brandubus rex Lagnensium hoc non permisit, dicens : Non ero subditus subdito *q* : callidum est clerico, ut inter Aidum et dominum medius fiat. Cui Lugidius ait : Si viros totius mundi in manu propria tenuissem, propter murmurationem unius viri, si illi displicuisset, illos omnes ex manu mea dimisissem *r*. Verumtamen regis, qui hoc prohibuit, de genere non erit rex, et omnes jugulabuntur. (Quod usque hodie completum est.) Nec possum tamen claudere cœlum contra te propter Aidum ; ego vero et Aidus unum cor in terra habemus, et simul erimus in cœlo.

ANNOTATA.

B

a *Compendium Ms.* conversorum quidam : *et sic etiam numero sequente. Hoc autem factum omittit Vita impressa.*

b Poeta. *Sic etiam habet Compendium Ms. Intelligendus videtur homo liberalibus disciplinis, non operi servili, assuetus in seculo. Forte etenim poesis eo in pretio apud Hibernos tunc erat, quo fuit apud Septemtrionales plerosque, ac præsertim Islandos. Ceterum in Vita impressa non legitur hæc historia; uti neque jam sequens; sed earum loco narrantur aliæ, quas dedimus in Commentario prævio sub finem.*

c Ficon, sive fico, est genus calceamenti, quo nostri passim monachi et eremitæ olim utebantur, *inquit Colganus ad Vitam S. Maidoci pag.* 216, *not.* 17. *Adi Cangium, et indices nostros onomasticos a tom.* 1 *Februarii.*

d *De S. Sedna, sive Sedonio hoc, ut putat, agit Colganus* 10 *Martii pag.* 572.

e Segri, *seu* Saighir, *sedes olim fuit episcopalis in vicina Osseria. Vide Colganum tom.* I *in indice topographico*; *ubi de* Sagirensi *ecclesia.*

f *Vita Siriniana nomen omittit*; *sed* regem *vocat* Temoriæ *num.* 38. *Erat autem Temoria regum Hiberniæ in Midia sedes ; utramque vero Midiam tenebant Nielli, primi nepotes. Quibus forte et nomen ejus proprio suo adjectum adhæsit.*

C

g *Hi quatuor viri in Vita per Sirinum edita dicuntur fuisse ejusdem cœnobii monachi ; et, omisso peregrinandi consilio, permansisse in monasterio. At in Compendio Ms. legitur :* Denique illi Romam profecti sunt, et reversi : consummatoque vitæ cursu, in præfato sepulti sunt loco.

h *De* S. Aido, *sive* Aidano, *seu* Mœdoco *vide quæ dicta sunt ad diem* 31 *Januarii a pag.* 1111.

i *Id est, Meneviæ in Wallia. De hoc egimus ad diem* I *Martii a pag.* 38. *Adi et Commentarium hic prævium num.* 9.

k *In vita impressa num.* 40 *dicitur :* Ut interrogaret eum, quem in Hibernia haberet patrem confessionis suæ. *De qua re vide notata ad Vitam S. Aidani cap.* 3 *littera* c.

l *In Vita S. Aidani dicitur, deficiente navi, ambulasse supra mare : quæ diversitas fabulam olet.*

m *De cœnobio* Rosbualensi *diximus cap. præcedenti ad litteram* e.

n *Casus rectus pro sexto absoluto recurrit in Actis frequenter.*

o *De hoc triplici miraculo nihil habet Compendium Ms., neque Vita S. Aidani : est tamen etiam in Vita Sancti nostri impressa num.* 40.

p *Sequentia desunt Vitæ Sirinianæ ; forte, quia explicatu difficilia sunt.*

D

q *Sensus videtur hic esse : Non patiar, ut loca, in mea ditione sita, Aidani ac suorum auctoritate cuiquam subjiciantur ; ne subesse videar subditis, talia, me inconsulto, aggressis. Vel etiam hic : Cum Aidano me pridem ego submiserim,* ut per eum in vita dirigar *(ut est in Vita S. Aidani pag.* 1116, *num.* 28*;) si nunc feram, ut Aidanus se suaque subjiciat directioni* Luani *abbatis et subditi mei ; profecto jam hujus ego ipse arbitrio præceptisque per Aidanum obnoxius fiam. Huic expositioni secundæ melius congruit quod sequitur ; imo et Compendium Ms. Salmanticense. Obiisse* Brandubum *anno Christi* 601, *docet Colganus ad* 16 *Januarii pag.* 89, *not.* 5.

r *Sequentia non sunt in Compendio Vitæ Ms.*

CAPUT V.

Prodigia plura : exaltatio S. Gregorii Magni revelata : prophetia.

E

XLIV *Prodigio terret latrones, quorum duos convertit :*

Fuit quidam vir, alumnus sancti Lugidii, nomine Cruimcher Luichteth, quem Lugidius ordinavit. Et indicavit ei Lugidius, in finibus Cortholuigde locum sibi constitueret, scilicet Ochtar-Narde. Exiitque Lugidius cum eo, ut deduceret illum in viam ; et septem viri secum. Cum autem ambularent in finibus Eugenachte *a*, schola diaboli * cucurrit * eis, vexilla in capitibus habentes. Videns autem eos Lugidius de longe venientes, benedixit familiam suam ; et versi sunt in ligna putrida. Laici dixerunt ei : Ubi sunt viri, quos tecum vidimus ? Lugidius respondit : Recesserunt. Duo autem ex illis jugulaverunt ligna putrida *b* ; et statim manus et pedes eorum siccaverunt * ; et ceteri timentes, celeriter fugerunt. Duo autem illi Lugidium rogantes, soluti sunt ; et obtulerunt se Lugidio in monachos, et exierunt cum presbytero Luigteth, et fuerunt cum eo in Ochtar-Narde usque ad obitum suum.

a — * *id est* turba sceleratorum — * *forte* occurrit

b — * *id est* aruerunt

XLV *mortuam sororem vitæ restituit. c*

33 Alio autem tempore cum sanctus Lugidius exisset ad salutandum virum Dei, scilicet Emneban *c*, soror ejus Cron mortua est interim. Cum autem Lugidius reversus esset, invenit sororem suam mortuam, et quamdam mulierem flentem ac lacrymantem juxta eam. Cui Lugidius ait : Pro lacrymis tuis habebis gaudium in æternum in cœlis. Et orante Lugidio, soror revixit ; et cum se invicem salutassent, soror elegit mori ; et accepto Sacrificio, dormivit, et sepulta est.

XLVI *aquam convertit in lac prodigiosum.*

34 Quadam autem die cocus dixit Lugidio : Quid faciemus, quia hodie vituli ad vaccas intraverunt ? Cui Lugidius ait : Ite, et aqua fontis vasa implete. Quod cum fecissent, factum est lac, quod saporem mellis, et ebrietatem habebat vini : et cœnam magnam fratribus fecit. Quod vero superfuit cœnæ, jubente Lugidio, iterum effusum est in fonte, qui erat juxta Milsal ; et quædam pars vaccarum ex illo fonte bibentes, lac earum in ebrietatem versum est ; et fons iste per multa tempora dulcis erat ; donec quidam laici post effusionem sanguinis ex ipso fonte biberunt ; et statim fons exsiccatus, nequaquam apparuit *d*.

d

XLVII *S. Gregorii Magni exaltatio S. Luano revelatur :*

35 Quadam autem die sanctus Lugidius et duo discipuli ejus sederunt in quodam loco legentes ; et subito Lugidius contristatus, flevit ; et post pusillum gavisus est. Interrogantes eum disci-

A disciuli de causa tristitiæ et lætitiæ, dixit eis : Hodie sanctus Gregorius in Principatum Romæ ordinatus est; et ipse recusans Principatum, et contra dicens populo, flevit; donec angelus a Deo missus, venit ad eum, præcipiens ei, ut Sedem Petri teneret. Tunc Gregorius lætatus est. Flevi cum Gregorio flente, et cum illo gaudente gavisus sum *e*.

c — XLVIII *dormiens pecora continet :* — *f*

36 Alio autem tempore cum Lugidius esset in civitate Benchuir *f*, vitulos custodiebat, et ostium apertum erat inter vitulos et vaccas, hinc inde stantes; et Lugidius procul sedens, lugebat; sed vituli ad vaccas intrare non audebant.

XLIX — *g* — *liberat inſessam tribus dæmoniis :*

Quadam die ambulans Lugidius in finibus Lagensium, quædam regina *g*, catenis alligata, in qua erant tres dæmones, adducta est ad eum : et orante Lugidio, dæmones fugati sunt ab ea.

L — *potum noxium reddit salubrem et sapidum :* — *h*

37 Alio quoque tempore Berachus, rex Luigse *h*, fecit cœnam magnam regi Lagensium; sed liquor illius cœnæ omnibus bibentibus vomitum præstabat. Tunc Berachus foras paulisper egressus, vidit ibi quemdam pauperem, cibum a se po-B stulantem, qui in suis humeris ficones * habebat : cui Berach ait : Quare ficones istos circa pedes tuos in die frigido non fiunt; et quis tibi illos dedit? Respondit pauper : Sanctus Lugidius duos ficones suos mihi dedit. Tunc Berachus accipiens unum ficonem, miscuit eum in omni liquore, et statim liquor sanatus est, et magnam ebrietatem omnibus fecit.

* *id est* calceos

LI — *religionem diei Dominicæ miraculo asserit :*

38 Alio tempore rex Lagenorum Brandubus cum quadringentis secum viris, venit ad Lugidium in Dominico die; quæsivitque rex, ut sibi celeriter cibus daretur. Lugidius autem rogavit eum; ut, quia in Dominico die advenerunt, usque in crastinum diem sustinerent. Sed rex noluit sine cibo fieri. Tunc Lugidius jussit dari illis cibum. Cumque rex primum morsum accepisset, adhæsit in gutture ejus, et nec intus intrare, nec foris morsus potuit exire : et sic rex sine cibo et potu et dormitatione usque in crastinum diem mansit, sicut Lugidius rogavit. Crastino autem die benedixit eum Lugidius; et sanatus est. Et rex genua flexit Lugidio, et obtulit ei multas oblationes *i*.

i — LII *cæcam sanat :* — *k*

39 Quodam tempore venit Lugidius ad arcem Fiachrach, filii Scanlau mair, in finibus Osrigi *; et ibi hospitatus est Lugidius. Filia autem Fiachrach cæca erat a pueritia sua; [sed aqua *k*] lotionis pedum Lugidii, oculi filiæ loti, aperti sunt.

* *id est* Osseriæ

LIII — *ignem facit innoxium :* — *l*

Alio quoque tempore venit ad convivium regis Fithgente, scilicet Trilline mac Ercce *l*, et dixit ministro regis : Vocate regem ad me foras; sed minister aliis rebus occupatus, Lugidium foris stare, regi non dixit. Tunc ignis apprehendit arcem; donec rex timens ignem, foras venit ad Lugidium, et pœnitentiam agens, cecidit ad pedes Lugidii; et ignis non nocuit arci.

LIV — *suscitat interfectum :* — *m*

Erat quidam vir, qui apud Lugidium fodiebat terram juxta locum, qui dicitur Troscath; quem plebs Eughenachte jugulavit, et Lugidius suscitavit a morte *m*.

LX — *prædicit, pueros fore monachos :* — *n* — *o*

40 Quadam autem die cum venisset Lugidius ad locum, qui dicitur Acheth boohele *n*, tres ibi pueri parvuli *o*, filii Dari nigri, manus suas miserunt juxta collum Lugidii : cumque homines dicerent, quare pueri fatui manus mittant circa collum viri ignoti, respondit Lugidius : Quia tres isti post me erunt monachi mei in æternum. Quod completum est.

EX COD. MS. — LVI — *aquam mutat in vinum.* — *p*

Alio autem tempore cum venisset sanctus Gobanus ad Lugidium, fecit Lugidius cœnam in Dolab-glas, et benedixit fontem, et factum est vinum optimum; et tunc Gobanus locum suum sancto Lugidio obtulit *p*.

ANNOTATA,

a *Quæ narrantur hoc numero, desunt et Vitæ impressæ et Compendio Ms. Erat vero* Eugenachte *sive* Eoganacht, *regio Momoniæ, et quidem circa patriam* S. Luani; *ut colligi videtur ex Vita S. Senani episcopi, ad diem* 8 *Martii, pag.* 773, *num.* 14. *Quare ad eamdem quoque Momoniam pertinuisse suspicamur cœnobium* Ochtar-Narde, *de quo hic agitur.*

b *Id est, socios* S. Luani, *lignorum putridorum speciem præ se ferentes.*

c Emneban. *Vita impressa num.* 41 : Einenum *(rectius* Eminum, *ut notatur ibidem in margine)* abbatem, in regione Kennselach non longe a flumine Berbha in monasterio Ros-Mactreoin, quod sanctissimus Abbanus fundavit, habitantem : *in australis nempe Lageniæ Comitatu Wexfordensi ad ripam orientalem fluminis Berbha, seu Birgi, vulgo Barrow. Vide Colganum ad diem* 16 *Martii pag.* 623, *not.* 13; *at cum eo confer etiam Alemandi Historiam monasticam Hiberniæ, Gallice Parisiis editam* 1690, *pag.* 15 *et* 176. *Porro de* S. Abbano *adi Prætermissos ad diem* 16 *Martii; de* S. Emino, *seu* Evino *agendum erit* 22 *Decembris, quo refertur in Martyrologiis Hibernicis, teste Colgano ad* 31 *Januarii pag.* 215, *not.* 1. E

d *Legitur hoc miraculum in solo codice nostro.*

e *Hoc idem narratur in Vita impressa num.* 42, *et in Compendio Ms. Accidit vero anno* 590; *ut patet ex Actis S. Gregorii Magni ad diem* 12 *Martii.*

f *Id est, in cœnobio Benchorensi : unde patet, hoc non narrari loco suo ; narratur autem in hoc nostro exemplari tantum.*

g *In Vita impressa num.* 43 *dicitur fuisse regina Lageniensium : at in Compendio Ms.* In Lagenia quædam regina : *non videtur ergo indicari conjux Brandubi Lageniæ regis, sed alterius in ea principis inferioris.*

h *Vide superius notata ad cap.* 3, *num.* 23. *Consentiunt hic tria exemplaria.* F

i *Hoc iterum legitur in solo hoc Vitæ exemplari.*

k *Hic erat hiatus exiguus in textu, quem supplevimus interjectis uncinis. In Compendio enim Ms. (nam in Vita impressa hoc prodigium reticetur) dicitur hæc* filia, pedum ejus *(S. Luani)* lavacro lota, lumen oculorum recepisse.

l *An jam ergo monachus erat Fœlanus; et hic ejus successor? An gentis ejusdem princeps alius? Deest hoc prodigium Vitæ impressæ et Compendio Ms.*

m *Et quidem desecto* capite corpori apposito, *ut est in Compendio Ms. Et hoc omittit Vita impressa.*

n *Vita impressa num.* 45 : Ad civitatem S. Cannici Achadh-bo; *quæ ad Osseriam pertinet.*

o *Nempe SS. Chrittanus, Lonanus, et Mellanus, de quibus vide Colganum in Januario pag.* 58, *nota* 8, *et alibi. Nos illos Prætermissis adscripsimus die* 7 *Februarii.*

p *Invenitur hoc rursus in solo exemplari nostro. Quis vero fuerit* Gobbanus *iste ex tot Sanctis apud Hibernos homonymis, operæ pretium non videtur inquirere.*

CAPUT

EX COD. MS.

CAPUT VI.

Alia miracula : sanctus obitus : contentio de corpore : festus in cœlum transitus.

LVII *Suscitat mortuum :*

Quadam autem die armentarius sancti Lugidii, nomine Cronanus, mortuus est in Achthib Critri : tunc sancti Lugidii œconomus, tunicam sancti Lugidii secum portans, posuit eam super mortuum; qui statim surrexit vivus *a*.

LVIII *sanat mutum:*

Quidam puer mutus, filius Mailduib, de genere Maile-Andich, adductus est ad Lugidium; mittens autem Lugidius tres digitos in os pueri, statim locutus est puer.

LIX *avaros punit.*

Alio quodam die venit Lugidius ad cellam Croo; ibique sitiens Lugidius, quæsivit potum. B In illa autem hora familia loci illius lac in vase cædebant, ut ex eo butyrum exprimerent; et potum Lugidio non dederunt : statimque lac, quod tundebant, in vacuo vase nusquam apparuit. Et ex illa die locus iste vacuus non habitatur *b*.

LX *reginam suscitat cum fœtu mortuo:*

42 Quodam autem tempore ambulans Lugidius in regionibus na Desse *c*, invenit ibi luctum magnum in quodam loco : regina enim regis *d* mortua est dolore partus, et mortuum infantem in utero habebat. Rogatus * autem Lugidius Dominum, suscitavit utrosque, scilicet reginam et infantem in utero ejus. Tunc regina obtulit se cum suo partu sancto Lugidio; et rex obtulit ei agrum optimum, in quo loco filius reginæ ipsius, Bercham, locum sancto Lugidio ædificavit, scilicet Ard Gabreni.

* imo rogans

LXI *invisitur ab angelo :*

Angelus a Domino missus ad Lugidium, dixit : Si vis, mons iste *e* vertetur in optimam terram cum oleribus suis, et dabitur tibi. Sed hoc Lugidius noluit, ne elationem Fratribus faceret.

LXII *adhortatur suos ad virtutem :*

43 Fratres *f* mei, manibus vestris bene laborate : nam si bene laboraveritis, saturati eritis, et stabiles permanebitis; et si stabiles fueritis, religiosi eritis. Apud vos semper fieri debet stabilitas, ante stabilitatem silentium, ante silentium exilium, ante exilium *g*... Item, propter orationem laborem manuum relinquite; et propter hospites familiam sinite. Vos fatui nescitis *; alioqui declinabis * : quando ero in regno, in inferno vigilabitis.

* forte ne sitis ;
* forte declinabitis

LXIII

Quadam autem die dixit minister Lugidio : Quare non comedis ; quia hora nona est? Lugidius ait : Non comedam, donec... illo cibo mel fiat, et desiderium magnum *h*.

LXIV *Regula ejus Romæ approbatur :*

Cum autem Deganus episcopus *i*, exisset ad Romam, portans secum Regulam sancti Lugidii; cum vidisset sanctus Gregorius istam Regulam, et legisset eam, dixit : Vir, cujus est Regula, circumsepsit [sepem] circa familiam suam usque ad cœlum *k*. Sanctus Lugidius diem in tres partes dividebat : prima ad orationem, secunda ad lectionem, tertia ad operationem *l*.

LXV *lutum in panem,*

44 Quadam die cum venisset Lugidius ad Toim Domnich *m*, invenit ibi puerum juxta vitulos offerentem sacrificium ludo puerili, habebatque oblationem de limo. Hanc autem oblationem Lugidius benedicens, versa est in frumentum, et de manu illius parvi statim Lugidius sacrificium accepit. Ipse vero puer postea episcopus fuit. Hic est Documini mac Maleanfith. *n*. D

LXVI *salicem in malum commutat :*

Sanctus vero Lugidius in cella Echairit benedixit lignum salicis; et fecit de eo malum cum suis pomis, ne lignum infructuosum ante januam domus Maidoc fieret.

LXVII *obedientia fratris ejus compensata miraculo :*

Tres filii Carthachi, Lugerus, Lugidius, Johannes, virgines erant. Venitque nuncius a Domino ad Lugidum dicens : Unus ex vobis exeat; et heredem in vestra hereditate gignat. Tunc Johannes per obedientiam probatus, nolens exiit; et in sua patria duos filios genuit; et iterum reversus est ad Lugidium, qui tunc erat in insula Cree *o*; et, jubente Lugidio, Johannes siccis pedibus sine rate in insulam venit.

LXVIII *prædicit instantem sibi obitum :*

45 Cum autem dies exitus sancti Lugidii appropinquasset, venit ad Daganum episcopum ad Ath-Dagain *p*; ut simul cogitaret, quis suum locum teneret. Cui Daganus ait : In tua sede Lactenus *q* sedere debet. Et hoc Lugidio placuit. Tunc Daganus ait : Tuam benedictionem da super nos. Lugidius respondit : Desuper dabitur. Illi E autem putabant, quod de excelso loco, sibi propinquo, diceret *r*; Lugidius vero de cœlo dicebat. Tunc venit Lugidius ad sanctum Cronanum Ruis-Cree *s*, sedentem tunc in cella Sen-Ruis *t*; et postulavit ab eo Sacrificium, quod secum portaret. Et dedit ei Cronanus. Cui Lugidius ait : Tecum relinquo locum meum, ut illum a persecutoribus defendas.

Obitum ejus: corporis translatio mirabilis:

46 Cum ergo Lugidius a Cronano trans Grunnam *u* exiret ad Doim Domnich, sedit lassus in medio Grunnæ; et dixit Scellano * ministro suo : Si quis videret viros cœli simul et terræ; apud quos de utrisque exires? Scellanus respondit : Sine dubio apud viros cœli exirem. Lugidus ait : Da mihi Sacrificium, ut cum illis exeam. Et accepto Sacrificio, emisit spiritum in die Sabbati *x*. Et corpus ejus portatum est ad Toim-Domnich : et erat magna contentio circa corpus ejus inter Mumnenses et Lagnenses *y*, donec angelus Dei dixit eis : Ponite duos boves indomitos subter plaustro cum corpore. Junctis ergo bobus, portaverunt corpus ad Cluoin-Ferta : et boves indomiti sub plaustro et juxta ecclesiam steterunt. Tunc Manchenus sapiens inclinavit faciem suam F supra corpus Lugidii. Oculus autem Mancheni cruentus erat foris extra caput ejus; et statim sanatus est *z*.

* alias Stellano

LXIX *lætissima ejus in cœlum receptio.*

47 Ostensum est autem sancto Fintano, filio Tulchani *aa*, quod per septem dies post exitum Lugidii ingens lætitia et epulatio in cœlo fuit, et pœnæ inferni *bb* cessaverunt, et tenebræ fugatæ sunt a facie terræ; et omnis homo, qui dolorem habuit in terra, sanus fuit his septem diebus propter honorem Lugidii. Angelus quoque, qui ad sanctum Fintanum semper veniebat duobus diebus in hebdomade, in die Dominico et in quinta feria, non venit ad eum in his septem diebus, usque ad diem Dominicum *cc*. Et interrogavit eum Fintanus : Quare ad me non venisti in quinta feria? Angelus respondit : In his septem diebus non venerunt angeli ad visitandos Sanctos, cum Hyberniæ hospes mirabilis ad cœlum migravit, scilicet Lugidius Cluana-Ferta. Fintanus dixit : Nunc apparet, quod Lugidius solus plus præ omnibus mandata Dei implevit. Vade ad Dominum, ut sciam, pro qua causa carius est in adventu Lugidii gaudere, quam ad me venire.

et ejus causa revelatur S. Fintano, non sine correptione. Angelos canentes audit S. Gregorius Papa.

A 48 Exivit ergo angelus; et statim venit ad eum, dicens : Quia facies hominis ante Lugidium non erubuit, et cum lenitate monachos suos corripuit ; tu vero cum asperitate corripis monachos tuos. Verumtamen lætus esto *dd*... quia in quinta feria sanctus Fintanus percussus est lepra a capite usque ad pedes usque ad diem mortis suæ *ee*. Item sanctus Gregorius Romæ in die exitus Lugidii audivit choros in cœlo, et suavia carmina angelorum, qui hanc Antiphonam canebant : Sancte Pater o Lugidi, tua non tacebo merita *ff*. Sanctus Lugidius *gg* Apostoli exemplo certamen bonum certavit, cursum consummavit, et coronam vitæ æternæ accepit a Domino : cui honor et gloria in sæcula.

ANNOTATA.

a *Congruit Vita impressa num.* 46. *In Compendio Ms. dicitur ipse* S. Luanus *jussisse deferri tunicam suam ad mortuum.*

B b *Hoc prodigium non habetur in Vita impressa, neque in Compendio Ms.*

c *Id est,* Desiorum, *in Momoniæ Comitatu Waterfordico.*

d *Vita impressa num.* 47 *appellat, non* reginam, *sed* uxorem ducis illius regionis, *nempe Desiorum. At Compendium Ms. asserit, fuisse* Scanlani magni, Osrigensium *(Ossoriensium)* regis uxorem, Buoan *nomine.*

e *Nescio, quo hæc spectent. Non leguntur in Vita impressa aut Compendio Ms.*

f *Hæc, adhortatio manca videtur, aut certe non posita loco suo. In Vita impressa num.* 52 *sic habetur :* Sciens sanctus senex Molua, diem migrationis suæ proximum fuisse, collectis monachis suis ante se, præcepta divina mandavit eis ; et inter cetera dixit : Charissimi Fratres, bene colite terram, et bene laborate, ut habeatis sufficientiam cibi et potus et vestitus : ubi enim sufficientia erit apud servos Domini, ibi stabilitas erit; et ubi stabilitas in servitio divino fuerit, ibi religio erit : finis autem veræ religionis vita æterna erit. Filii mei charissimi, sit apud vos stabilitas, sit congruum silentium : peregrinos curate : propter orationem laborem manuum diligite : hos-
C spites semper propter Christum recipite : vacate semper orationibus mane ; postea lectionibus ; inde operamini (sic ipse dividebat diem in tres partes) usque ad vesperam, vacantes ad opera Dei et alias necessitates.

g Exilium, *ut antea vidimus, peregrinationem vocat auctor : hic videtur intelligi exsulum, seu peregrinorum cura. Porro etsi nulla hic erat in textu lacuna, puncta tamen inserui, quia sensus erat imperfectus.*

h *Hæc sibi quid velint, non satis assequor. Desunt in aliis exemplaribus.*

i *De hoc* S. Degano, *sive* Dagano *egimus in Prætermissis die* XII *Martii, quo die plura dedit Colganus, et inter alia id ipsum, quod hic narratur, pag.* 585, *num.* 6; *et quod num.* 45 *infra narrabitur, ibidem refert num.* 7.

k *Additur in Vita Siriniana num.* 48 *:* Et mandavit S. Gregorius suam orationem et benedictionem sancto Moluæ ; et de hoc sanctus Molua gaudens, gratias egit Deo. *Hanc approbationem, nescio quo argumento, refert in Britan. eccles. Primord. pag.* 1153 *Usserius ad annum Christi* 599. *Potest certe facta tunc esse.*

l *Videtur id quasi compendium esse istius Regulæ, cujus aliud jam nihil exstat.*

m *Vita impressa num.* 49, Tuaim-Domhnaigh. *Vde infra, num.* 46, *littera* y.

n *Vita impressa ibidem habet :* Qui est Dochonnu, filius Mailanfii ; *sed neque sic nobis aliunde notus est. Meminit de illo tamen ex hoc loco Colganus die* VIII *Martii pag.* 566; *ubi de S. Mochonna. Quæ sequuntur hoc numero, in solo hoc exemplari memorantur.* EX COD. MS.

o *De stagno* Cree, *in quo est insula modica, in qua fuit monasterium monachorum semper religiosissimorum, vide Acta S. Cronani abbatis Roscreensis ad diem* 28 *Aprilis, pag.* 579, *num.* 2. *Situm est hoc stagnum ad Nuram fluvium in occidentali Lageniæ tractu inter fluvium jam dictum, Conaciam, et Momoniam; imo ad Momoniam tunc spectasse videtur ex notandis infra* 46 *ad litteram* y.

p Ath-Dagain, *aliter* Achadh-Dagain, *cœnobium in Lagenia. Adi Colganum* 12 *Martii pag.* 585.

q *De* S. Lacteno *egimus die* 19 *Martii a pag.* 31.

r *Hæc non consonant Vitæ impressæ num.* 51 ; *ubi S. Daganus et prophetasse dicitur Lacteni successionem, et præscisse instantem obitum* S. Luani.

s S. Cronanum Ruis-Kree, *sic appellatum ; quia fundavit monasterium Roscreense non admodum procul a stagno Cree.*

t *De* cella Sens-Ruis, *sive* Sean-Ross *propinqua eidem stagno vide Acta S. Cronani loco citato. Dissonat hic iterum Vita impressa num.* 53 *cum ita refert :* Venit S. Molua ad S. Cronanum in insula Crê tunc habitantem. E

u Grunna, *seu* Gronna, *teste hic Sirino,* terra quædam montana et humida est, ex qua effodiuntur glebæ in ignis pabulum. *Dicitur vero in Vita impressa num.* 53 : Gronna jam magna est inter insulam Crê et civitatem Cluain-Ferta.

x In die Sabbati. *Compendium Ms. :* Feria VII ad perenne migravit Sabbatum. *Vita vero impressa :* Secundo *(id est pridie)* Nonas Augusti emisit spiritum.

y *Nam illud, ut scribitur in Vita impressa,* Mumonienses volebant habere, eo quod ipse de gente eorum esset natus, et in sua provincia monasterium et cellas habuit, et in terra eorum, quamvis in extrema parte, migravit. *(Hinc patet, non recta via a Cronano Cluain-Fertam repetiisse Sanctum ; et cellam, circa quam decessit,* Toim-Domnich, *sitam fuisse in confiniis Momoniæ, Lageniæ, et Conaciæ :)* Lagenienses vero beatum suum corpusculum ducere [volebant] ad civitatem suam Cluain-Ferta, quam ipse constituit in occidentali termino regionis, dono Berachi ducis Laighsi, ut sepeliretur in ea. In illa contentione angelus Domini, *etc.* F

z *Addit Vita impressa num.* 53 : Postea a multitudine Sanctorum corpus beatissimum sancti senis Molua cum honore debito traditum est humo in loco ædificato in suo monasterio, quod ipse de agro construxit; ubi claras civitas crevit, in qua Christi gratia in signis et prodigiis juxta reliquias sancti Molua per seculum apparet.

aa Fintanus *hic appellatur etiam* Munnu, *seu* Mundus, *uti dicetur* 21 *Octobris, quo colitur. Vita impressa num.* 54 *addit locum, ubi tunc Sanctus ille degebat, nempe :* in monasterio suo Tech-Munnu in australi plaga Lageniensium, qui dicitur Keanseu-lach. *Porro duplicem habemus S. Fintani ejusdem in eodem codice membraneo Ms. Vitam : et in utraque hæc historia narratur.*

bb Id est purgatorii, *inquit Sirinus. In Compendio Ms. de inferno nulla fit mentio : imo in neutra Vita S. Fintani de inferni pœnis mitigatis, de fugatis tenebris, aut ægris sanatis quidquam legitur eo loco.*

cc *In hoc tria hujus Vitæ exemplaria conveniunt cum utraque Vita S. Fintani : at in Vita S. Mochuæ Lægsiensis tom.* I *Januarii pag.* 46, *num.* 6 *dicitur angelus* quotidie *S. Fintanum solitus fuisse visitare.*

EX MS. dd *Deesse hic aliquid videtur. In Vita impressa legitur :* Tamen tu lætus esto : similem enim honorem invenies in cœlo ; quia pœnam in hoc seculo denuo usque ad mortem tuam patieris. Et feria quinta proxima percussus est lepra a capite ad pedes, *etc. De hac lepra nihil est in Compendio Vitæ Ms.*

ee *Vita impressa :* Et ita permansit per viginti annos usque ad mortem suam. *At in altera Vita S. Fintani sic permansisse narratur* viginti quatuor annis; *et sic altera quoque, quæ in textu* viginti *tantum annos habebat, in margine, posteriori calamo, correcta est. In Vita S. Mochuæ citata leprosus tantum fuisse dicitur* usque ad septem annos; *quando sanatus a S. Mochua, diutius supervixerit. Sed unum testimonium cedere debet aliis quatuor, æque, ut minimum, antiquis. Porro sive Fintanus* Moluano *annis tantum 20 supervixerit, sive 24; differri non potest ejus obitus usque ad annum* D 634, *uti differtur apud Colganum* 10 *Januarii pag.* 50, *not.* 8; *et Usserium in Indice chronologico : cum* Luani *vita ultra annum* 602 *extendi non possit; ut ostensum est in Commentario prævio; ubi eam extendimus quantum licuit, ut ad chronologos illos accederemus propius; donec Acta S. Fintani nos ipsi discusserimus.*

ff *In Vita impressa additur :* Et hæc verba S. Gregorius mandavit ad Hiberniam per sanctos viros transferri.

gg *Vita impressa :* Beatissimus noster Patronus *Molua, etc. Unde colligi posse, videtur exemplaris istius scriptorem fuisse monachum sub regula Sancti hujus. Quod idem de Compendii Ms. auctore innuit hæc apostrophe :* Nos itaque, Fratres, in tanti Patris festivitate supernis congaudeamus civibus, et collaudemus Filium Dei, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

B E

DE S. SIGRADA VIDUA

J. B. S.

SUESSIONE IN GALLIA.

SYLLOGE

De cultu, ætate et gestis.

SECULO VII. *In celeberrimo parthenone*

Celeberrimum totius *Galliæ nobilium sanctimonialium regale monasterium apud Suessiones ab intemerata Deipara Virgine nuncupatum, multis utriusque sexus Sanctis inclytum non semel in hoc Opere memorandum fuit. Prima ejus initia describuntur* v *Februarii occasione* C *S. Vodali, seu Vodoali (Gallice S. Voué) ibidem eremitæ, cujus sacrum corpus in ejusdem parthenonis ecclesia, cum plurimis aliis pridem depositum fuit. Longe vero uberius res tota explicatur ad* v *Martii, ubi de S. Drausio seu Drauscione (S. Drausin) Suessionensi episcopo agitur, præcipuo illo nimirum illustrissimæ congregationis fundatore, institutore ac patre. Ast hæc paulo operosius ac fusius eruderavit individuus Clarissimi Mabillonii peregrinationum socius Domnus Michael Germanus, in ea quam anno* 1675 *Parisiis edidit Gallica ejusdem parthenonis historia, in qua et ea memorat quæ de hodierna* S. Sigrada *(Segrede, Segrette, Segrauz) pauca supersunt, unde haurienda fuerunt quæ a nobis hic dici possunt :*

illustris religiosa vixit; 2 *Ex ea, inquam, historia (quandoquidem alibi vix quidquam præter solum ejus nomen invenias) idque potissimum in insigni S. Leodegarii epistola, qua sanctam Matrem, de alterius ejus filii S. Guerini immani cæde consolatur, videnda in Bibliotheca Labbeana tom.* 1, *pag.* 777, *tum sec.* 2 *Benedictino pag.* 707, *et de qua etiam meminit Cointius tom.* 3 *pag.* 760. *Inde et ex Germano intelliges, nobilissimo ipsam genere ortam, post æque illustris mariti obitum, filiis matura jam ætate florentibus, ad laudatam modo Suessionensem congregationem se recepisse, sumpto sanctimonialis habitu, religiosam vitam felicissimo exitu coronasse, adeo ut Sanctorum honores consecuta sit; id quod priusquam ad alia progrediamur, hic omnino stabiliendum suscipimus, tametsi in nullis generalioribus Fastis aut Martyrologiis, saltem antiquis, ejus nomen consignatum reperiatur, ne quidem in amplissimo Gallicano Saussayi, qui ambos sanctos fratres Leodegarium et Guerinum, seu Guarinum debitis elogiis prosecutus, de sancta hac eorum Matre nec verbo meminit.*

3 *Primam itaque ejus notitiam acceptam refero soli Clarissimo Castellano, in Martyrologio suo universali, inter hujus diei adjectitios Sanctos sic ipsam signanti*: Suessione, sanctæ Sigradæ viduæ, religiosæ abbatiæ Nostræ Dominæ; *quæ in Martyrologio Parisiensi anni* 1727 *hoc modo referuntur:* Suessionis in monasterio beatæ Mariæ, S. Sigradæ viduæ, matris beati Leodegarii Augustodunensis episcopi. *Ipsam etiam diserte* Sanctam *pronuntiat noster Longuevallius in historia Ecclesiæ Gallicanæ tom.* 4 *pag.* 116, *quorum omnium ductu eo pergendum putavi, ubi de immemorabili, vero et constanti cultu edoceri possem, in quo pro solita sua officiosissima humanitate scrupulos omnes mihi evulsit adjutor noster indefessus P. Stephanus Souciet, collegii nostri Parisiensis eruditissimus bibliothecarius, usus alterius amici opera, a quo de tota re certior redditus sum. Accurata idcirco epistola Suessione data atque ad me missa est* 12 *Januarii anni* 1732, *quam ad verbum ex Gallica Latinam reddo* : *a Castellano primum signata,* F

4 Perrexi ad abbatiam beatissimæ Virginis, ubi ex Domina magna Priorissa, et altera ibidem religiosa sollicite inquisivi, utrum ipsæ singulari festiva solennitate annis singulis celebrarent S. Sigradæ diem anniversarium, atque etiam an Officio proprio? Ad primam quæstionem responderunt, annuam istic ab omni memoria Sanctæ festivitatem recoli die VII mensis Augusti. Ad al- *de cujus cultu edocti sumus.*

teram

AUCTORE J. B. S.

A teram, Officium decantari sub ritu duplici, sed totum de communi nec virginis nec martyris, excepta oratione, quæ est ipsa de S. Gregorio magno Papa recitari solita et sanctæ isti aptata: Deus, qui animæ famulæ tuæ Sigradæ, etc. Nec vero satis habuere bonæ Dominæ, id mihi oretenus explicuisse, Breviarium etiam suum particulare, quo propria Sanctorum Sanctarumque continentur, quorum Officia apud ipsas celebrantur, mihi committere dignatæ sunt. Singula per otium accurate examinare licuit, omniaque reperi iis plane conformia, quæ mihi ante rogatæ exposuerant, quæque ego modo paucis communico. *Cur ad* VII *mensis diem differatur, inde colligere satis obvium est, quod hic et duo sequentes dies majoribus Officiis impediantur.*

Obiit post annum 678,

5 *Ceterum hoc ipso* IV *mensis die ad Superos evolasse, inde persuasum habeo, quod non temere id asseruerint laudati Germanus et Castellanus, quibus certiora monumenta præluxisse oportet. De anno mortis non eadem est ratio; seculum* VII *ad marginem signavit Castellanus, satis indicans, de vero obitus anno nihil sibi exploratum esse. Recepta videtur opinio,* B *Guerinum S. Leodegarii fratrem, qui cum sancta Matrem in eadem ecclesia honoratur, toto ante ipsum biennio seu anno* 676 *lapidibus obrutum fuisse, cæsum vero S. Leodegarium anno* 678; *ut verosimiliter ambobus filiis martyribus supervixerit* S. Sigrada; *quot annis, jam incertum diximus; notat citatum Martyrologium Parisiense,* post annum DCLXXVIII. *Jam vero ne et aliud præclarum testimonium ad cultum spectans hic prætercam, in altero suo Itinerario de visu testatur eruditissimus Martene, elegantem* S. Sigradæ *lipsanothecam, cum aliis duabus nominatorum sanctorum Vodoali et Drausionis supra clathra chori sanctimonialium venerationi expositam esse.*

laudata maxime

6 *Fortis Mulieris sanctitatem non parum etiam commendat Cointius ad annum* 674, *num.* 9, *ubi de prima monasterii puellaris Suessionis fundatione verba faciens:* in illo, *inquit*, monialium asceterio per multos annos pie sancteque vixit Sigrada, mater S. Leodegarii, de qua plura post biennium, *nempe ad* 676 *num.* 2 *nonnulla excerpit ex laudata sanctissimi Augustodunensis episcopi et martyris consolatoria epistola, quam matri inscribit in hunc modum:* Dominæ et sanctissimæ genitrici C Sigradæ, quæ antea per cognationem carnis, modo per conjunctionem spiritus facta es vera mater, et impletum est illud quod sancta Veritas dicit: Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est; Leodegarius servus servorum Jesu Christi Salvatoris nostri, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Salvatore Jesu Christo. *Pergit deinde ostendere ex variis sacræ Scripturæ locis, hujus seculi tribulationes ac persecutiones non esse nisi momentaneas, sed quæ gaudia pariant sempiterna.*

in celebri epistola

7 *Atque hinc rerum perditarum, quin et amissi filii necem, non tristitiæ, sed lætitiæ causam esse, in apposita ad sanctam Matrem oratione pronuntiat:* O felix mors, quæ vitam tribuit! felix amissio rerum, quæ divitias restituet sempiternas! felix tristitia, qua gaudium affert angelorum! Impræsentiarum probasti quantum clementissimus dominus Jesus Christus misertus est tui, qui devotionem spiritualem, et custodiam sanctæ disciplinæ, et contemptum mundi tibi habere concessit et pignora uteri tui de ærumna hujus seculi, et de errore præsentis vitæ eripuit, et dedit spem vitæ æternæ iis quos lugere poteras quasi mortuos, si superstites reliquisses in mundo, de quibus non est habenda mœstitia, sed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri et Domino Jesu Christo. *Eo deinde orationem flectit, ut etiam dimitti velit vel ipsis persecutoribus, quæcumque in ipsam, vel familiam deliquerint: tum vero hortatur, ut relicta Marthæ solicitudine, toto amoris æstu cum Maria anhelet ad Dominum.*

filii sui S. Leodegarii.

8 *Nec prætereunda censeo, quæ ad sanctæ Matris consolationem etiam spectant, eamque veram probant religiosam, dum ipsam ita alloquitur:* O! bona Domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendere potest. Qualiter in præsentem vitam te Dominus remuneravit, audi et ausculta: Pro obsequio famularum, dedit tibi omnes fratres sanctos, qui quotidie pro te orant; pro servitio ancillarum, dedit tibi sorores sanctas, quarum consortio frueris; pro labore præsentis vitæ, quietem in congregatione monasterii; pro amissione rerum, Scripturam sanctam divinam, et meditationem sanctam, et orationem assiduam; pro amissione parentum, habes venerabilem et sanctam dominam Itheriam abbatissam; est tibi mater, est tibi soror, est tibi filia. Tu itaque ei vicissitudinem redde, quia, ut certus sum in Christo Jesu, est vobis cor unum et anima una. *Ex ea epistola plane colligitur, quam exacta esset religiosæ vitæ observantia, in tam numeroso et nobili parthenone, qualis tunc erat Suessionensis, vere dicendum sanctuarium.* E

Pagi duo ab ipsa denominati.

9 *De rebus* S. Sigradæ *nihil ultra habuit quod proferret Germanus. Ad aliqualem ejus cultus extensionem conducere possunt, quæ mecum pro solita sua benevolentia communicavit Clar. D. Le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ Autisiodorensis, alibi in hoc Opere non semel laudatus. Monuit me ipse non ita pridem, pagum, dicamus potius vicum aliquem reperiri, non procul Sidoleuco (Saulieu) in ducatu Burgundiæ, diœcesis Augustodunensis, a* S. Sigrada *cognominatum, unde et hodiernus toparcha appellationem nanciscitur; ut supponendum omnino videatur, ibidem loci peculiari aliquo cultu Sanctam olim honoratam fuisse, tametsi hodie nullum ejus supersit vestigium. Notavit porro, fontem ibidem satis celebrem esse, dictumque* fontem sanctum, *in quo infantes curari solent, dum nudi ejusdem aquis tinguntur. Nota est item Sancta in monumentis vicinæ ibidem collegiatæ ecclesiæ Thilensis sub nomine* S. Sacratæ. *Paulo celebrius quid exhibet pagus alius synonymus in diœcesi Ambianensi, ubi non solum* S. Sigradæ *nomen inditum, verum et ipsa annua festivitate sua recolitur, saltem Officio de communi nec virginis nec martyris, quemadmodum me docuit R. P. Le Vaillant, Rector collegii nostri Cameracensis, cui post adhibitam omnem diligentiam, integrum non fuit ulteriora monumenta inde impetrare, quæ et nos frustra alibi quæsivimus, ut proinde iis, quæ hic a nobis satis parce colligi potuere, omnino acquiescendum sit.* F

A D

DE SANCTO RAYNERIO

ARCHIEPISCOPO SPALATENSI ET MARTYRE

P. B.

IN DALMATIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultu et Acta.

ANNO MCLXXX.

Ostenditur Sancti Raynerii veneratio

Tametsi sanctum hunc Raynerium *Martyrologorum, quod sciamus, nemo commemoret, præter Ferrarium in Catalogo generali; de cultu tamen ejus publico ac legitimo nequaquam dubitandum videtur: auctor enim laudatus, cum* pridie Nonas Augusti, Spalati in Dalmatia S. Rainerii episcopi, et martyris *celebritatem annuntiasset, dicta confirmavit in annotatis ibidem his verbis:* Ex tabulis ecclesiæ Spalatensis (ubi corpus) quas inde nuper accepimus. *Hæc ille in opere, quod Urbano PP. VIII dedicavit eodem anno Christi* 1625, *quo hic sub initium Aprilis celebrem illam evulgavit Bullam, qua retudit abusus eorum, qui absque auctoritate Romana, vel consuetudine temporis immemorabilis, quempiam ut Sanctum colerent. Qua quidem Bulla cum intacta permanserit apud Spalatenses hujusce Martyris veneratio, necesse est, ut ea vel admodum antiqua sit, vel decreto Apostolicæ Sedis aliquo stabilita; etsi neutrum satis aliunde perspectum habeamus. Permansisse autem intactam, colligimus ex Hieronymo Fabro in Sacris antiquæ Ravennæ monumentis, prælo Veneto Italice cusis anno* 1664; *ubi asserit part.* 1, *pag.* 275, Raynerium *nostrum* fuisse Sanctum celebrem, et subiisse martyrium; ideoque memoriam ejus, tamquam sancti Martyris, die IV mensis Augusti celebrari ab ecclesia Spalatensi. *Idem quadriennio posterius affirmavit omni major exceptione testis, utpote Dalmata prænobilis et eruditus, Joannes Lucius in notis ad Memoriam archiepiscoporum Salonitanæ ecclesiæ, pag.* 474; *ubi hunc nuncupat* Beatum Rainerium, qui in ecclesia S. Benedicti *(apud Spalatenses)* magna veneratione colitur: *et quidem ut Martyr miraculis clarus; ut indicat idem pag.* 133.

B

C

apud Spalatenses publica,

2 *In scriniis quoque, in quibus undecumque collecta servamus monumenta Sanctorum, de* S. Raynerio *unum reperi, imo unicum, ibi repositum olim a Papebrochio nostro, cujus manu adscripta leguntur hæc verba tantum:* Dono D. Joannis Lucii Romæ. *Tum alio, ac forte ipsius Lucii, charactere scripta continet sequentia:* DIE IV AUGUSTI. OFFICIUM S. RAYNERII, ARCHIEPISCOPI SPALATENSIS. LECT. IV. Raynerius, Callensis primum episcopus, ut a molestiis litium, quas cum suo clero habebat in tuendis suæ ecclesiæ juribus, liberaret *, ad sedem metropolitanæ Spalatensis ab Alexandro III summo Pontifice translatus fuit, oblata tunc temporis occasione, cum nuncii Spalatenses, vita functo Gerardo, ipsorum archiepiscopo, a Sede Aspostolica archiepiscopum efflagitabant. Quæ mutatio facta est non sine doloris sensu eorumdem, qui paulo ante ipsum persequebantur. Spalatum cum primum appulit, ingenti cum gaudio totius cleri et populorum susceptus est. Tu autem, *etc.*

* *forte* liberaretur

LECT. V. Alexandro summo Pontifici, Venetias per mare properanti ad componendas res cum imperatore Frederico, cum variis itineris refocillamentis in insula Issa ornatissimis lembis et coloribus * instructis occurrit magno cum cleri et nobilium Spalatensium comitatu; et Iadram usque eum est prosecutus. Constantinopolim ad imperatorem Emmanuelem, qui tunc toti Dalmatiæ et Croatiæ imperitabat, pro suorum civium beneficio est profectus; cujus gratia et muneribus ditatus, negotiis optime confectis, ad suos rediit. Tu autem, *etc.*

* *annon* celocibus?

E

et legitima.

3 LECT. VI. Fuit Raynerius vir constantissimus et intrepidus in juribus et facultatibus suæ ecclesiæ defendendis. Cumque in recuperandis ecclesiæ prædiis a Sclavis occupatis ad montem Massaron se recepisset, et adversus barbaros illos invicto pectore pro sancti Domnii agris laboraret, prope montem Crassum est ab illis lapidibus obrutus; indeque a civibus sublatus, in ecclesia S. Benedicti extra muros honorifice sepultus, adhuc etiam ibidem super altare proprium reconditus, magna cum devotione, et non sine admirandis interdum curationum effectibus, colitur. Tu autem, *etc. Hæc ibi: absque ullo indicio vel loci, in quo istud Officium publice recitetur; vel temporis, quo introductum usu acceptumve fuerit; vel codicis, unde illud nobis aut Lucius ipse transcripserit, aut curarit exscribi: forte quia id vel coram explicavit, vel per epistolam (si per epistolam huc Officium istud miserit,) quæ perierit. Certe nisi Officium istud usus tunc esset et auctoritatis publicæ ac legitimæ sive in metropolitana Spalatensi, sive in ecclesia saltem S. Benedicti, non is profecto vir erat Lucius, qui nostris illud obtruderet; nec tam inepti Majores nostri, ut illud tam solicite gazophylacio nostro asservandum includerent. Non est ergo, quod de publico* S. Raynerii *hujus tam ante, quam post Urbani PP. VIII decreta, cultu dubitemus.*

F

Ejusdem Acta per Thomam archidiac. Spalatensem:

4 *Acta ejus per compendium aliqua posteritatis memoriæ commendavit Thomas, archidiaconus Spalatensis in Historia Salonitana cap.* 22. *Ostendit autem Lucius, qui hoc et alia popularium suorum inedita monumenta una cum sex suis de Regno Dalmatiæ et Croatiæ libris emisit in lucem; ostendit, inquam, Lucius pag.* 469, *natum esse Thomam* anno MCC; *mortuum vero* anno MCCLXVIII; *ac proinde satis idoneum esse testem eorum, quæ de Sancto nostro conscripsit. Atque utinam ea et aliquanto repetisset altius, et paulo uberius esset prosecutus! Narrationem enim suam a* S. Raynerii *ex*

Calliensi

A *Calliensi cathedra ad metropolim Spalatensem evectione exorsus, in obscuro reliquit omnia, quæ præcesserant; tum quæ deinde consecuta sunt, breviter nimium ac parce consignavit. Sed neque Ughellus Italiæ sacræ, secundum nuperam editionem, tom.* 2, *col.* 812, *ubi in episcoporum Calliensium serie proponitur, de gestis ejus vel ante vel post acceptam istius ecclesiæ administrationem aliud refert, quam, quod* Raynerius Calliensibus divinum jus dixerit anno MCLIV, junctusque amicitia fuerit S. Ubaldo, episcopo Eugubino, cui [*S. Ubaldus*] post mortem apparuerit, illumque rogaverit [*antea*] ut supremo funeri suo haud dedignaretur adesse. Hic Raynerius anno MCLXXV ab Alexandro III Papa Spalatensis archiepiscopus renunciatus est, etc., *quæ ex archidiacono Spalatensi desumpta sunt.*

et quæ alibi de ipsa reperiuntur. 5 *Quod ait Ughellus,* S. Raynerio *nostro apparuisse S. Ubaldum jam vita functum, id non legitur in hujus Vita, quam illustravimus ad diem* XVI *Maii a pag.* 630 *: imo ne quidem nominatim exprimitur inter eos, qui ejus funeri anno* 1160 *adstiterunt; tametsi Oliverius, ut ibidem annotatum est, pag.* 637 *littera* d, *episcopos sepulturæ ejus præsentes fuisse asserat Perusinum, Calliensem* B *(qui tunc erat* Raynerius, *non* Rogerius, *ut ibi perperam impressum est) et Tifernensem. Eadem interim etiam cum Ughello narrat Hieronymus Faber supra jam assignatus, pag.* 275, *sed ex ipso, ut paulo inferius innuit, Ughello, qui hujus rei testem nullum appellat. Porro ad episcopatum Calliensem, seu Callensem, vulgo di Cagli, assumptum fuisse putamus* Raynerium *e cœnobio Fontis Avellanæ, in diœcesi Eugubina, ubi monasticum institutum professus fuerit : quandoquidem, teste Jacobillo in Sanctis Umbriæ, tom.* 3, *pag.* 355, *in ejusdem cœnobii Martyrologio die* XXV *(mensem omisit) mentio fit Raynerii cujusdam, qui ex palæstra illa sacra ad infulas Callienses evocatus accesserit : in tota vero Calliensium antistitum serie, ut exstat apud Ughellum unicus occurrit* Raynerius, *isque noster. Plura non suppetunt, præter Acta, quæ hic subjicimus.*

C

ACTA

Auctore Thoma, archidiacono Spalatensi, in Historia Salonitana cap. 22.

Promovetur Sanctus a sede Calliensi ad Spalatensem; Mortuo tandem bonæ memoriæ Girardo archiepiscopo *a*, in hoc totius ecclesiæ Spalatinæ resedit consilium, ut neminem eligerent; sed a Sede Apostolica pastorem idoneum postularent. Tunc miserunt legatos suos ad curiam, sacerdotem quemdam Jonium sacristam et quemdam alium. Qui accedentes ad pedes Domini Alexandri Papæ, petitionem Spalatensis ecclesiæ humiliter porrexerunt. Erat autem tunc temporis magna controversia inter clericos Callenses Tusciæ civitatis *b* ex una parte, et Raynerium, eorum episcopum, ex una parte altera, super quibusdam juribus ecclesiæ ipsorum, steterantque ambæ partes diu in curia implacabiliter litigantes. Cumque non posset inter eos tumultus hujus discordiæ mitigari, Dominus Papa hanc viam invenire voluit, fomitem tanti rancoris utiliter extinguendi. Itaque absolvit Raynerium ab administrationis vinculo, quo Callensi ecclesiæ fuerat alligatus : et quia sciebat eum virum valde habilem regimini pastorali, vocatis ecclesiæ Spalatinæ nuntiis, dedit ipsum illis in patrem et pastorem suæ ecclesiæ deducendum. Tunc clerici Callenses, licet ipsum odiis et vexationibus prosecuti fuissent; multum tamen tristes de amisso Pastore effecti, ad propria sunt reversi. D

2 Raynerius autem suscepto dignitatis pallio gaudens et lætus, cum nuntiis iter arripuit veniendi. Descenderunt ergo Ravennam. Habebat autem Raynerius archiepiscopus vasa argentea non modica, pecuniam et indumenta pontificalia pretiosa. Cum autem timerent in mari latrocinia pyratarum, noluerunt prædictas opes secum in navi portare; sed includens eas Archiepiscopus in quodam dolio, recommendavit servandas apud sanctæ Mariæ monasterium de Porta Ravennate *c*, mandans, ut nulli hominum illud depositum traderetur, nisi ad manus cujusdam servientis sui, quem eis præsentem ostendit. Tunc conscendentes navem, profecti sunt. Cum autem pervenisset ad civitatem, cum magno tripudio cleri populique susceptus est. Cœpit autem ecclesiam multa prudentia gubernare, emendare clericos, populum instruere salubribus documentis, facultates ecclesiasticas vigilanti studio ampliare. Sed nunc ad Martinum episcopum Insularum *d* redeundum est. Hic cum esset senex quadam valetudine comprehensus, quasi amens effectus erat. Insulani vero ejus amentiam non ferentes, expulerunt eum; et accedentes ad ecclesiam Spalatensem, elegerunt Luccarum filium Duymi Ciclæ, archidiaconum ejusdem ecclesiæ; qui præsentatus Raynerio archiepiscopo, consecratus est ab eodem. *ubi applaudente clero et populo, suscipitur :* E

3 Per idem fere tempus dominus Alexander Papa tempore Schismatis *e* navigavit ab Apulia, et venit ad Insulam Lissam *f*. Statim autem ut præsensit Raynerius archiepiscopus, præparatis navibus multis, cum magno comitatu cleri et nobilium civitatis venit ad eum, deferens ei cibaria et xenia multa. Tentabat rogare ipsum, ut ad Spalatensem urbem, quæ prope erat, divertere dignaretur; sed non acquievit Papa : festinabat enim ire Venetias ad componendum cum Frederico imperatore *g*. Navigavit ergo inde, et venit Jaderam *h* : ivit autem Raynerius archiepiscopus cum eo. Tunc Martinus Insularum episcopus, recuperata sanitate, jam compos mentis effectus, querelam Domino Papæ de sua expulsione et de Luccari intrusione deposuit : summus vero Pontifex, auditis et cognitis causæ meritis, Luccarum deposuit; Martinum vero ad suam sedem remisit. *obviam navigat summo Pontifici, eumque ad se perhumaniter invitat;* F

4 Eo tempore Emanuel inclytæ memoriæ apud Constantinopolim imperabat. Tota autem Dalmatia et pene Chroatia universa subjecta erat principatui ejus. Ipse autem erat benignissimus circa omnes sibi subjectos; non tributorum exactor, sed divitiarum suarum liberalissimus distributor. Omnes ad se venientes honorabat, omnibus impensas ex fisco regio exhibebat; recepta etiam computatione capitum civitatis Spalatensis, mittebat stipendia omnibus; infantibus etiam in cuna jacentibus singulos aureos dari faciebat. Mittebat autem duces suos cum magno apparatu armorum, portantes pro sumptibus pecuniam copiosam; qui veniebant, tenebant civitates maritimas, et magnam Chroatiæ partem *i*. Itaque Spalatenses rogaverunt Raynerium *adit Manuelem Comnenum imperatorem Constantinopolitanum erga se benignissimum :*

rium

EX MSS.

rium archiepiscopum, ut pergeret Constantinopolim ad imperialem curiam visitandam. Qui gratanti animo acquiescens, associatis sibi aliquod * de nobilibus civitatis, Constantinopolim profectus est. Ingressusque ad Emanuelem imperatorem, ipsumque ex parte suorum civium multum reverenter salutans, valde honorifice ab imperatore susceptus est, et quamdiu ibi mansit, satis venerabiliter impensis ex curia affluenter exhibitis, procuratus est. Cum autem redeundi licentiam a principe postulasset, donavit ei munera pretiosa satis, et non pauca; sicque ad ecclesiam suam gaudens, et locuples est reversus. k

* *lege* aliquot

recuperare nititur erepta ecclesiæ bona;

5 Fuit autem Raynerius vir valde constans et intrepidus, nec patiebatur aliquid de juribus et facultatibus ecclesiæ deperire: unde factum est, ut quodam tempore iret ad montem Massarum, ut exquireret quædam prædia ecclesiæ, quæ a Sclavis occupata detinebantur; et cum faceret circuitum cum his, qui terrarum illarum habebant notitiam, ambiendo et limitando eas per suas extremitates, ecce, Nicolaus quidam cum fratribus et parentela sua, qui erant ex genere Cacitorum *l*, de facto Archiepiscopi valde dolore cœpit, et convocata populari multitudine, in magno furoris impetu Raynerium circumdantes, exclamaverunt: Quid tu, pessime præsul et inique, contra nos agere conaris? Numquid putas posse nos ejicere de possessionibus territorii patrum et antecessorum nostrorum? Nisi in continenti recedas, hic dies vitæ tuæ ultimus erit.

B

quod constanter exsequens, ab iniquis possessoribus lapidatur, et sepelitur a suis.

6 Raynerius autem (ut erat constantissimus) nil eorum minis perterritus, libera et intensa satis voce respondit, dicens: Non vestrum est territorium, ut asseritis; sed possessio ecclesiæ B. Domnii *m*, a vobis hactenus usurpata. Ad hanc vocem omnis multitudo Sclavorum, arreptis lapidibus, in eum unanimiter projecerunt, tamdiu dextris furentibus debacchantes, donec exanime corpus sub magno acervo lapidum dimitterent, et abirent. Viri autem illi, qui Præsulem fuerant comitati, videntes Sclavorum rabiem in ejus fore mortem succensam, cucurrerunt ad civitatem, tantum malum civibus nuntiantes. Cives autem subitaneo rumore attoniti, repente ad arma concurrunt, et alii quidem per mare, alii per terram ad montem Crassum, ubi scelus perpetratum fuerat, venire accelerant properanter. Ut autem pervenerunt ad locum, ecce, Pontifex miserandus sub illa lapidum congerie, quasi tumulatus jacebat; hostes omnes recesserant. Tunc extrahentes eum, navique extincta imponentes membra, cum magno luctu et mœrore ad civitatem duxerunt. Clerus autem, præparatis de more solemnibus exequiis, una cum populo extulerunt corpus Pontificis, et sepelierunt eum in ecclesia sancti Benedicti *n*.

C

Pœna sacerdotis improbi hoc facto lætantis,

7 Erat autem eo tempore sacerdos quidam, nomine Micha: hic cum de suis excessibus a prædicto Antistite sæpe argueretur, in magnum exarserat odium contra eum: non enim erat homo, qui de correctione proficeret in melius; sed qui deficeret in deterius. Hic ergo videns, quod mortuus erat insectator vitiorum suorum, lætus effectus est; et quasi insultans morti ejus, dixit quibusdam complicibus suis: Date mihi potum aquæ, ut possim dicere, quia superstes sum illi maligno præsuli, qui me quiescere non sinebat. Et cum datam aquam ex voto bibisset, statim se jecit in lectum, a quo numquam surrexit; sed paulo post vita decessit.

D

uti et omnium, qui lapidaverant. Annus martyrii; tempus, quo sedit.

8 Spalatenses autem, facta inquisitione de interfectoribus Archiepiscopi, aliquos invenerunt, quos statim patibulis suspenderunt. Sed Deus omnipotens non diu permisit tam nefarium scelus sine manifesta ultione manere: nam quotquot in effusione innocentis sanguinis impias extenderunt manus, post modicum tempus, alii fame, alii gladio, alii peste cum sua posteritate consumpti sunt. Obiit autem venerabilis Raynerius 2 Nonas Augusti anno Domini MXLXXX. Præfuit vero ecclesiæ annis quinque *o*. Post cujus decessum Spalatenses rogaverunt servientem ejus, quatenus Ravennam pergeret, depositumque Archiepiscopi ad ecclesiam Spalatensem deferret. Ipse autem cum esset fidelis et bonus, acquievit civibus; et præparato navigio perrexit Ravennam. Miserunt autem cum ipso quemdam clericum, nomine Baddam Marulle. Tunc ostenderunt depositariis quædam intersigna Archiepiscopi; et quia ille idem erat, ad cujus manus depositum illud jusserat Archiepiscopus tradi, reddiderunt totum illud dolium, in quo fuerant opes illæ reclusæ. Receptis vero omnibus, reversi sunt. De rebus itaque illis, quædam ecclesiæ datæ sunt; de aliis fecit communitas voluntatem suam. E

ANNOTATA.

a *De hoc* Girardo *egerat auctor noster sub finem capitis* 20*: de ecclesia vero seu archiepiscopatu Salonitano, nunc Spalatensi, consuli meretur Lucius lib.* 2, *toto cap.* 14.

b *De* Callio *et episcopis* Calliensibus *seu* Callensibus, *Urbinatis metropolitæ suffraganeis, adi Ughelli editionem novam tom.* 2, *col.* 808.

c *Hoc monasterium Canonicorum regularium fuse describit Hieronymus Faber in Sacris veteris Ravennæ monumentis parte* I, *a pagina* 266; *ubi et quæ hic et infra num.* 8 *narrantur, invenies pag.* 274 *et seq.*

d *De hoc* Martino, insularum *Pharon et Brachia* episcopo, *egerat auctor cap.* 20. *Ceterum res hæc ad Acta nostra non spectat, nisi quatenus suffectum Martino Luccarum consecrasse rogatus dicitur* S. Raynerius. *Plura in hunc locum Lucius lib.* 3, *cap.* 13. F

e *Hoc schisma sub Alexandro PP. restinctum est anno* 1180, *cum annos* 21 *per quatuor antipapas durasset. Vide Pagium in Breviario Romanorum Pontificum tom.* 3, *pag.* 107.

f *Insula hæc nunc* Lissa, *olim frequentibus* Issa *nuncupata, in mari Adriatico sedecim circiter leucis horariis Spalato distat. De ea plura Lucius locis variis, quos assignat in indice, verbo* Issa.

g *Venetias appulit Pontifex anno* 1177 *die* XXIII *Martii;* Fredericum *vero, composita pace, ad pedis osculum admisit ibidem die* 24 *Julii eodem anno. Adi Pagium citatum, pag.* 98 *et seqq.*

h Jadera, *nunc vulgo* Zara, *urbs Dalmatiæ maritima et archiepiscopalis, abest Spalato versus Occasum leucis fere* 23.

i *Adi Cinnamum Historiarum lib.* 6 *ab initio*; *et Lucium lib.* 3, *cap.* 9 *et* 10.

k *Hac eadem occasione ab eodem imperatore mandatum illud obtinuit, quo restitui volebat ecclesiæ Spalatensi, quæcumque ad eam demonstrare per chartam aut testes posset* Raynerius *aliquando pertinuisse, et inique ab invasoribus sacrilegis possideri. Exhibet illud Lucius lib.* 3, *cap.* 10, *pag.* 132, *datum* mense Martio Indictione XIII, *hoc est, anno Christi* 1180 *: additque, in hujus præcepti exsecutione sanctum hunc Præsulem occubuisse.*

l Caciti, *Cinnamo* Κατζίκιοι, *item* Cacicli, Cazzeti,

A zeti, *et* Cazethi, *juxta Lucium lib.* 4, *cap.* 4, *pag.* 163, *una fuit ex duodecim tribubus Croatorum, in Zupania maritima potens et piraticæ assueta ac latrociniis.*

m Domnii, *patroni scilicet ecclesiæ Spalatensis, et primi episcopi Salonitati, de quo egimus ad diem* XI *Aprilis a pagina* 5.

n *Quam nimirum extra muros Spalatenses Benedictinis monialibus opipare fundaverat Laurentius archiepiscopus, ut narrat Thomas noster cap.* 16. *Vide etiam in Commentario prævio num.* 3. EX MSS.

o *Confirmantur hæc in Memoria archiepiscoporum Salonitanæ et Spalatinæ ecclesiæ apud Lucium pag.* 383 *his verbis :* Raynerius sedit annos V. Iste fuit lapidatus a Slavis de Masaro, eo quod circuibat terras ecclesiæ. A. D. MCLXXX prid. Non. Aug. Sepultus est apud monasterium S. Benedicti intus in ecclesia.

DE S. DOMINICO CONFESSORE

FUNDATORE ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM.

G. C.

BONONIÆ IN ITALIA.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Præmittitur notitia veterum auctorum, qui Vitam Sancti conscripserunt.

ANNO MCCXXI

Multi *scriptores synchroni aut suppares eximia* S. Dominici *gesta posteritati reliquerunt. His adde novem testes, omni exceptione majores, qui egregias ejusdem Sancti virtutes, quas ipsi viderant ac observaverant, jurejurando coram judicibus declararunt. Nec minorem fidem merentur jurati testes Tholosani, numero trecenti, qui aliqua Sancti gesta et miracula, a se in partibus Tholosanis visa vel audita, non parum confirmarunt, ut postmodum dicemus. Unde miror, Adrianum Bailletum tomo* 2 *Legendæ suæ Gallicæ auctoritatem horum omnium tam flocci pendere, ut in tabula critica, mensi Augusto præfixa, ad diem* IV *istius mensis audacter more suo innuat, in hac re parum B. Jordano, primo Vitæ scriptori, aliisque antiquis biographis deferendum esse. Nam si severus ille Aristarchus non credat dignissimo* S. Dominici *successori, qui Acta sancti Patris sui facile indagare poterat, et testibus occulatis, aliisque viris huic tempori vicinis, quid tandem ad fidem faciendam in historia exiget? Si hæc hypercriticus iste novisset, aut attente considerasset, forte mitiorem de illis auctoribus censuram tulisset. Interim ad pleniorem rigidi hujus censoris refutationem, ac clariorem rerum dicendarum intelligentiam, ex Bernardo Guidonis, qui circa finem seculi* XIII *in Ordine Prædicatorum floruit, et postea ex illo ad episcopatum Lutevensem assumptus est, antiquos istos biographos transcribemus, eosdemque hinc inde suppletos observationibus nostris dilucidabimus.*

Præter testes oculatos gestorum S. Dominici,

C

2 *Igitur Bernardus ille apud Edmundum Martene in Collectione amplissima veterum scriptorum et monumentorum tomo* 6 *col.* 404 *ac* 405 *eos ita recenset :* Gesta præclara B. Dominici conscripserunt, qui sequuntur Fratres, viri præclari. Primo omnium venerabilis Frater ac pater Magister Jordanis, dignus ejus successor, in libello seu tractatu suo, quem intitulavit : DE PRINCIPIO ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM ANTE CANONIZATIONEM IPSIUS; et generale Capitulum approbavit; qui libellus incipit in prologo hoc modo : FILIIS GRATIÆ, COHEREDIBUS GLORIÆ, FRATRIBUS UNIVERSIS. Vita autem seu Legenda incipit ibidem in secundo capitulo hoc modo : HUJUS TEMPORIBUS FUIT QUIDAM ADOLESCENS, NOMINE DOMINICUS. *Ex hoc distincto prologi et capitis initio, aliisque adjunctis abunde colligimus, in Museo nostro servari antiquum apographum ejusdem libelli, quem B. Jordanus paucis annis post obitum* S. Dominici *conscripsit, ut infra clarius apparebit.*

habemus de iisdem libellum B. Jordani, synchroni,

3 *Dum hic dicitur libellus ille a Capitulo generali approbatus, non id ita intelligi debet, quasi Capitulum istud omnia et singula in eo contenta approbarit : nam Capitulum generale, quod Bononiæ anno* 1242 *celebratum est, apud Edmundum Martene in Thesauro novo anecdotorum tomo* 4 *col.* 1684 *post alia decreta sic statuit :* Item monemus et volumus, quod abradatur de Legenda beati Dominici; ubi semetipsum asserit, licet in carnis integritate divina gratia conservatum, nondum illam imperfectionem evadere potuisse, quin magis afficeretur juvencularum colloquiis, quam affatibus vetularum. *Periodus illa, quæ hic supprimenda decernitur, in apographo nostro membranaceo ita erasa est, ut adhuc aliquo modo legi potuerit, quemadmodum inferius patebit.* F

in quo capitulum Bononiense anni 1242

4 *Porro Jacobus Echardus, qui non ita pridem scriptores Ordinis Prædicatorum duobus voluminibus recensuit, et ex eodem B. Jordani libello Vitam* S. Dominici *huic operi inseruit, notisque illustravit, tomo* I *pag.* 22 *in observationibus suis ad istud Capituli generalis decretum notat sequentia :* Sapientes illi viri (erat Capitulum diffinitorum secundum) forsan veriti sunt, ne ista confessio eximiæ beati Dominici sanctitati officeret, et labem inureret, eorumque prudentia in harum linearum abrasione non nisi laudanda est; verum cum affectio illa externa tantum esset, nec ad Sancti animam penetraret, imo quam toto corde detestabatur, quid obstat, si ipse ita fassus est, ut nos fragiles nobis caveremus, quod minus eum

aliquam periodum supprimendam decernit.

tam

AUCTORE G. C.

tam sanctum humani quid tamen passum esse, salva innocentia, sciamus. *Hæc de libello B. Jordani dicta sufficiant.*

Post B. Jordanum Petrus Ferrandi,

** forte* Gallæcia.

5 *Bernardus Guidonis ad alterum Vitæ scriptorem ita pergit :* Secundo scripsit Frater Petrus Ferrandi, Hispanus natione de Galexia * post canonizationem sancti Dominici; et generale Capitulum similiter approbavit. Hæc Legenda incipit, ut æstimo : BEATUS DOMINICUS ADHUC PUERULUS SUB NUTRICIS CUSTODIA CONSTITUTUS. *Nicolaus Antonius in Bibliotheca veteri Hispana lib.* 8 *cap.* 3 *num.* 119 *de eodem Petro ita meminit*: Ejusdem instituti *(videlicet Ordinis Prædicatorum, de quo antea egerat)* sodalis F. Petrus Ferdinandi sive Fernandez, Gallæcus, inter Fratres a puero persancte vixit, ac plurimis locis professor fuit, tandemque e Zamorensi cœnobio ad Superos abiit. Hic sancti patris Dominici Vitam diligentia non mediocri adhibita compilavit. Legendam vocat Antonius Senensis, quæ incipit : P. DOMINICUS ADHUC PUERULUS. *Nescio, unde Nicolaus Antonius, Echardus, aliique cognomen* Ferdinandi *vel* Fernandez *eruerint, cum a Bernardo Guidonis, et in Vitis Fratrum, quas in veteri Ms. codice nostro, signato P. Ms.* 7, *habemus, part.* 5 *cap.* 3 *diserte* Frater Petrus Ferrandi *nominetur.*

B

cujus opusculum hactenus invenire non licuit,

6 *Laudatus Echardus tomo* 1 *de scriptoribus Ordinis Prædicatorum (hoc opus deinceps brevitatis causa sub nomine Bibl. Prædicat. citabimus) pag.* 1 *Petrum illum facit patria Lusitanum, vel quia Gallæcia vicina est Lusitaniæ, vel quia forte provincia illa, ex qua oriundus erat Petrus, olim ad Lusitaniam spectabat. At Echardus eodem tomo pag.* 127 *de hoc Petro distinctius agit, eumque ibi appellat Hispanum, et argumentis quibusdam recte probat, ipsum ante annum* 1260 *ex hac vita migrasse. Ceterum Echardus post memoratum hujus scriptoris opusculum de Actis* S. Dominici, *et assignatum illius principium, sic ad propositum nostrum ibidem scribit :* Hanc Vitam Malvenda citatus ex Bernardo Guidonis in Commentario de rebus Ordinis dicit fuisse in Capitulo generali approbatam; sed quodnam illud Capitulum, non indicat : Commentarium autem illum Guidonis *(nuper ab Edmundo Martene in Collectione amplissima tomo* 6 *a col.* 398 *typis excusus est, ut supra indicavimus)* mihi videre non licuit. Ceterum Vita illa videretur curiosius investiganda, et ab iis, penes quos est, in lucem edenda : etsi enim ea usus fuerit venerabilis Humbertus, et, quæ in ea præcipua, Vitæ a se scriptæ inseruerit, non parum confert ad factorum veritatem dilucidandam, hujusmodi æqualium vel supparium scriptorum prima et simplicia exemplaria genuinaque intueri. *Cum suspicarer, anecdoton istud opusculum alicubi in bibliothecis RR. PP. Prædicatorum conservari, desiderium illius edendi ipsis indicavi in scheda memoriali, quæ ad reverendissimum totius Ordinis Magistrum transmissa est. Insuper ad amicos in Lusitania et Hispania scripsi, ut hanc Petri lucubrationem alicubi detegerem; sed hactenus oleum et operam perdidi.*

C

Bartholomæus Tridentinus,

7 *Hunc Petrum in ordine biographorum sequitur, aut forte præcedit, Bartholomæus Tridentinus, quem Bernardus Guidonis omisit, aut non novit, et de quo Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 110 *hæc tradit :* Frater Bartholomæus Tridentinus, a patria sic nuncupatus, vir doctrina et pietate conspicuus, circa Ordinis primordia claruit, et vel ab ipso B. Dominico, vel ad ejus primorum sodalium aliquo vestem induit. Certe S. Antonium de Padua, qui anno MCCXXXI mortuus est, vidisse se ac cognovisse, et translationi primæ corporis S. Dominici interfuisse anno MCCXXXIII, ipse asserit in opere mox laudando. *Hoc autem opus inscribitur :* Epilogus Vitæ sanctorum, *ut habet Echardus; vel :* Liber epilogorum in gesta Sanctorum, *ut Henschenius noster in ecgrapho suo notavit; et exaratum videtur circa annum* 1240, *sicut Echardus nobiscum censet. At certe synopsis Actorum* S. Dominici *post annum* 1244 *et ante annum* 1251 *conscripta est, ut postea in Annotatis observabimus. Ex hoc manuscripto Bartholomæi Tridentini opere, quod anno* 1660 *adhuc in bibliotheca Cardinalis Barberini codice* 2061 *servabatur, Henschenius primam* S. Dominici *translationem, et Papebrochius brevem ejusdem Sancti Vitam Romæ excerpserunt, quas infra suo loco nunc primum typis excudemus.*

Angelica de Bononia,

8 *Circa hæc tempora etiam vixit monialis Dominicana, a Bernardo Guidonis prætermissa, quæ Acta* S. Dominici *conscripsisse dicitur, et de qua laudatus sæpiusque laudandus Echardus tomo* 2 *Bibliothecæ Prædicatorum pag.* 831 *tradit sequentia :* Soror Angelica de Bononia ex primis sacri gynæcei sanctæ Agnetis, in civitate Bononiensi in ipsis Ordinis initiis erecti, sanctimonialibus una fuit, quæ sub B. Cæciliæ de Cesarinis supra laudatæ institutione ad eam perfectionem ascendit, ut illustrem vitæ suæ sanctissimæ actæ memoriam reliquerit. Floruisse dicitur ab anno MCCXXV ad MCCXL, et ultra. Scripsit Vitam et gesta B. Dominici, ut ea narrantem B. Cæciliam, et primos ejusdem Sancti socios audierat. Hujus operis exemplum Ms. extat Matriti in regio S. Dominici monasterio, a Fratre Josepho de Sarabia, de quo supra pag. 782, visum; qui testatur tamen, non nisi apographum esse, post annum MCCCLXXII scriptum, cum eadem manu in eo habeatur non solum Vita S. Thomæ de Aquino, sed et hujus translationis corporis historia. *Nos ea lucubratione caremus, nec magnopere indigemus, cum Ferdinandus de Castillo in sua Hispanica Ordinis Prædicatorum Historia haud dubie his monumentis usus fuerit, ut in prologo ejusdem Historiæ videtur indicare. Porro quantum fidei narrationibus sororis Cæciliæ tribuendum sit, ex infra citandis Echardi verbis apparebit.*

E

et Constantinus Urbevetanus, auctores suppares,

9 *Ad hanc ætatem quoque pertinet Constantinus, qui ab episcopatu Urbevetano, ad quem ex Ordine Prædicatorum assumptus fuit, vulgo cognominatur Urbevetanus, et de quo Bernardus Guidonis loco supra citato hæc habet :* Tertio scripsit Frater Constantinus, qui fuit episcopus Urbevetanus, de mandato venerabilis patris Magistri Ordinis, Fratris Joannis Theuthonici, sicut patet in epistola ipsius Fratris Constantini, quæ incipit : REVERENDO IN CHRISTO PATRI. Prologus vero incipit consequenter hoc modo : MULTIFARIE MULTISQUE MODIS. Legenda vero incipit hoc modo : VENERABILIS QUIDEM PATER, BEATUS DOMINICUS; et hanc Legendam similiter generale Capitulum approbavit. *Inter scriptores Actorum* S. Dominici *etiam ab Echardo in Bibliotheca Prædicatorum tomo* 1 *pag.* 1 *numeratur* tertius Constantinus Medices, Etruscus, episcopus exinde Urbevetanus, qui jubente Joanne ab Wildeshusen, quarto Ordinis Magistro, novam Legendam scripsit ac edidit inter MCCXLII et MCCXLVII, multa a Jordano omissa addens, testibus usus, qui Sancto annis pluribus familiariter convixerant.

Vitam ejusdem Sancti litteris mandarunt.

10 *Deinde Echardus eodem tomo pag.* 153 *narrat præcipua hujus Constantini gesta, et ibidem de Legenda ipsius ad rem nostram sic monet :* Hanc

vero



Paris V. Palme. P. B. Bouttats sculp. Ant.

EFFIGIES S. DOMINICI.

A vero nos supra integram edidimus ex accurato codice nostro Ms. seculi XIII membr. charactere minutissimo, sed eleganti. Vitam hanc Vincentius Bellovacensis Speculi historialis libro XXXII inseruit, sed non integram, et in editis præterea mendis scatentem. Hanc appellat LEGENDAM NOVAM ad discrimen alterius a beato Jordano antea scriptæ. Constantinum volunt ex jussu quarti Ordinis Magistri Joannis ab Wildeshusen, anno MCCXLII in comitiis Bononiensibus dato, scripsisse; quod verosimile, licet in actis ejus Capituli, quæ nunc habentur, nihil de hoc legatur. Opus finiisse ante MCCXLVII, fere mihi certum. *Quandoquidem igitur Echardus hanc* S. Dominici *Vitam tomo* 1 *Bibl. Prædicat. a pag.* 25 *edidit, non judicamus, eam a nobis recudendam esse, cum præsertim Theodoricus de Appoldia, quem post hunc Commentarium prævium typis subjiciemus, ex eadem aliisque ampliorem suam lucubrationem composuerit. Si quid tamen notatu dignum, aut ab aliis discrepans, in ista Constantini Legenda occurret, id in Commentario nostro, vel in Annotatis ad Acta Theodorici de Appoldia, indicabimus.*

B *Hos secuti sunt Gerardus de Fracheto,*

11 *Bernardus Guidonis seriem biographorum suorum post Constantinum Urbevetanum statim prosequitur his verbis :* Scripsit etiam dilectus Deo et hominibus Frater Geraldus de Fracheto, Lemovicensis diœcesis, Prior Provincialis provinciæ, quasi colligens spicas, quæ manus metentium evaserunt, sicut ipsemet testatur ibidem, multa, quæ omissa vel ignorata ab aliis scriptoribus videbantur, recolligens et componens in secundo libro, qui VITAS FRATRUM inscribitur, quem ipse composuit, et quinque libellis distinxit, qui secundus liber incipit : NON DEBET VIDERI SUPERFLUUM. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 259 *hunc scriptorem vocat Gerardum, et pagina sequente ostendit, jam ab anno* 1260 *absolutum fuisse ipsius opus, cujus secundam partem, quæ ad Acta* S. Dominici *spectat, ex duplici codice Ms. emendatius recusam, eidem tomo* 1 *Bibl. Prædicat. a pag.* 37 *inseruerat. Nos idem Gerardi vel Geraldi opus integrum et in quinque partes divisum, habemus in membraneo nostro codice* P. *Ms.* 7, *quem cum editis conferemus, si quid ex eo per decursum hujus Commentarii aut in Annotatis ad Acta* S. Dominici *observandum occurrat.*

C *qui jussu Humberti, Generalis Magistri Prædicatorum,*

12 *Theodoricus de Appoldia in prologo primo ad Acta* S. Dominici *inferius apud nos num.* 3, *memoratas* Vitas Fratrum *venerabili Humberto tribuit, dum ibidem post alia de illo hæc habet :* Etiam librum, qui VITAS FRATRUM dicitur, sua devotione et diligentia compilavit. *Hinc quoque Malvenda, aliique nonnulli recentiores istam collectionem eidem Humberto adscribunt. At illustrissimus Bernardus Guidonis præter illa, quæ numero præcedente in hanc rem retulimus, apud laudatum Edmundum Martene eodem tomo* 6 *citati operis col.* 423 *scribit sequentia :* Octavus Prior Provincialis fuit Frater Geraldus de Fracheto, Lemovicensis diœcesis, de Castro Luceti prope Lemovicam oriundus, qui successit Fratri Stephano Alverno, electus in Capitulo provinciali, in Podio beatæ Mariæ celebrato, anno Domini MCCLI...... Hic librum, qui VITAS FRATRUM inscribitur, de mandato venerabilis patris fratris Hymberti, Magistri Ordinis, compilavit, in quo suæ Religionis viventem imaginem legentibus posteris dereliquit.

Vitas Fratrum collegit,

13 *Verum Theodorici et Bernardi assertiones, in speciem contrariæ, videntur inter se conciliari posse, si dicamus, venerabilem Humbertum Gerardo materiam hujus opusculi subministrasse, et Gerardum subministrata sibi varia monumenta digessisse, ac apto ordine collocasse. Huic conciliationi fundamentum præbet Echardus, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 147 *de venerabili Humberto hæc tradit :* In libro, cui titulum indiderunt VITAS FRATRUM, non modicam partem habet : nam et ejus jussu a Fratre Gerardo Lemovicensi compilatus est, et plura a se cognita et scripta eidem misit, suis locis inserenda. *Deinde pag.* 260 *ejusdem tomi* Vitas Fratrum *inter lucubrationes Gerardi Lemovicensis recenset, et de opusculo illo inter alia sic monet :* Tempus, quo editum fuit hoc opus, ex actis comitiorum generalium eruitur. Anno itaque MCCLVI Parisiis ordinatum fuit, ut quod memoria dignum rescirent sodales, illud Magistro Ordinis quamprimum scriberent. Cum autem exinde multa memorialia ex provinciis omnibus missa fuissent, ea Humbertus Gerardo commisit, qui laudabiliora seligens, opus jam anno MCCLX confecerat, et eodem anno in comitiis Argentinensibus approbatum, per Ordinem publicum redditum est; quæ ex ipso prologo constant. Postea autem quædam variis locis addita fuerunt, ut ad finem partis secundæ et ad initium capitis sexti partis quartæ, et alias; sed hæc addita et E inserta ante annum MCCC. *Nunc ad aliam certam venerabilis Humberti Magistri Ordinis quinti lucubrationem progrediamur.*

14 *Huic Gerardo seu Geraldo Bernardus venerabilem Magistrum Humbertum ita subjungit :* Scripsit nihilominus venerabilis pater frater Hymbertus, Magister Ordinis quintus, omnia bene dicta et posita a præcedentibus recolligens et compingens, conflans unam compilationem ex Legenda præfati Fratris Ferrandi et Fratris Constantini, minus necessaria resecans, bene posita altius repetens, stylo fideli, pulchro, et venusto, ordine quoque valde rationabili et congruo, quæ in pluribus ceteris antefertur, sicut patet diligenter examinanti et conferenti, idem assumens principium, quod et Frater Constantinus in suo prologo, scilicet in sequentibus, in locis suis etiam in ipso prologo superaddens et immutans convenienter et apte. Prologus incipit sic : MULTIFARIE MULTISQUE MODIS. Legenda vero incipit consequenter hoc modo : BEATUS DOMINICUS FRATRUM PRÆDICATORUM DUX ET PATER INCLYTUS. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 147 *conjicit, ante annum* 1254 *ab Humberto scriptam fuisse hanc* S. Dominici *Vitam, quam habemus in ecgrapho codicis Ultrajectini (huic adde breve ejusdem Humberti chronicon, quod in codice nostro* P. *Ms.* 7 *exstat) quo utroque instrumento utemur, si aliqua majoris momenti differentia sese obtulerit.* F

ac ipse Magister Humbertus,

15 *Videtur illa Humberti Legenda in Ordine Prædicatorum maxime usitata fuisse : ea enim jam ab anno* 1254 *inserta erat Lectionario sive Officio ecclesiastico istius Ordinis, ut Echardus tomo* 1. *Bibl. Prædicat. pag.* 147 *testatur. Communiorem ejusdem Legendæ usum etiam colligo ex actis Capituli generalis, quod anno* 1260 *Argentinæ celebratum est, et ex quo Edmundus Martene in Thesauro novo anecdotorum tomo* 4 *col.* 1727 *profert sequens decretum :* Item mandat Magister, quod Fratres utantur Legenda beati Dominici, quæ inserta est in Lectionario, et aliæ deinceps non scribantur. *Dum hic decernitur, ut aliæ Legendæ deinceps non scribantur, suspicor, tantummodo prohiberi, ne quis injussus novam* S. Dominici *Vitam scribat, aut scriptam Officio ecclesiastico saltem inserat : nam postea varii ejusdem Ordinis scriptores*

cujus lucubratio maxime in usu fuit.

AUCTORE G. C.

Acta S. Dominici *ediderunt diversis modis, ut jam videbimus.*

Denique Jacobus de Voragine, aliique duo,

16 *Jacobus de Voragine operi suo, quod nunc communiter* Legenda aurea *appellatur, inseruit brevem* S. Dominici *Vitam, ut præter alios laudatus Bernardus Guidonis testatur his verbis :* Frater Jacobus de Voragine, Lombardus, postmodum archiepiscopus Januensis, suam conflavit compilationem more suo in Vitis Sanctorum novis, sicut et de aliis Sanctis fecit, prout ibidem patet. *De hoc Jacobi opere varia sunt eruditorum judicia : nam Melchior Canus lib.* XI *de Locis theologicis apud nos pag.* 540 *cum altero quodam veteri exemplorum collectore simul auctorem hujus Legendæ sic acriter perstringit :* Nec eo hic libri illius auctorem excuso, qui SPECULUM EXEMPLORUM inscribitur; nec historiæ etiam ejus, quæ LEGENDA AUREA nominatur : in illo enim miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas; hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi et prudentis. *Nihilominus Bollandus noster in prologo ad Acta Sanctorum ante tomum* 1 *Januarii* § 4 *pag.* XIX *et sequente Legendam auream hujus Jacobi contra Ludovicum Vives aliosque criticos tuetur. Quid sentiendum sit de illa collectione, quæ semel manuscripta in codice membraneo notato* ✠ *Ms.* 87, *et bis antiquis typis excusa in Museo nostro exstat, parum hic nostra interest, cum vetustiora et ampliora* S. Dominici *Acta nobis aliunde suppetant.*

B

quos tres Melchior Canus acri censura perstringit,

17 *Cum hic mentio inciderit de Melchiore Cano, apte hoc loco referri potest severa ejusdem censura, quam tulit de duobus diversi temporis et Ordinis sui scriptoribus, qui etiam Acta* S. Dominici *collegerunt. Is itaque criticus lib.* XI *de Locis theologicis pag.* 540 *et* 541 *historicas Vincentii Bellovacensis, et S. Antonini collectiones sic censoria virgula notat :* De Vincentio Valvacensi et divo Antonio *(ita hic lustrali nomine dictus est, licet jam communiter Antoninus appelletur)* liberius judico, quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam non artificum statera, sed ne populari quidem trutina usi sunt. Quamobrem boni licet ac minime fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, a quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves atque severos auctoritate carent. *Hoc rigidum Melchioris Cani judicium non impediet, quo minus ex duobus istis auctoribus nonnulla excerpamus, ubi operæ pretium videbitur.*

C

et Theodoricus de Apoldia eamdem Vitam conscripserunt.

18 *Denique Bernardus Guidonis loco supra memorato ultimum ætatis suæ biographum ita refert :* Frater Theodericus de Appoldia Theutonicus, de conventu Erfordensi, provinciæ Saxoniæ, tempore et jussu venerabilis patris Fratris Munionis, Magistri Ordinis nostri septimi, librum novum, quem intitulavit : DE VITA ET MIRACULIS S. DOMINICI, ET DE ORDINE PRÆDICATORUM, QUEM INSTITUIT, compilavit circa annum Domini MCCXC per capitula et rubricas. Primus liber post omnes prologos incipit in hunc modum : DOMINICUS HUMILIS SERVUS JESU CHRISTI. *Is auctor est Theodoricus, natione Germanus, qui a loco natali, inter Vimariam et Ienam sito, cognomen* de Apoldia *accepit, et de quo pluribus infra agetur.*

Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum 1234 *pag.* 530 *et* 531, *et Altamura sparsim in Bibliotheca Dominicana, aliique Ordinis scriptores jam memoratis auctoribus superaddunt nonnullos veteres* S. Dominici *biographos, quorum scripta sunt supposititia, aut dubia, et omnibus antiquis ignota, ut paragrapho sequente ostendemus.* D

§ II. Ficti et supposititii vel dubii ejusdem Vitæ scriptores, qui sub nomine veterum aut aliorum perperam ab aliquibus allegantur.

Aliqui auctores Joannem de Monte et Thomam de Templo

Si *Joannes de Monte et Thomas de Templo umquam exstitissent, aut saltem scripsissent illa opera, quæ quidam recentiores eis confidenter attribuunt, inter primos* S. Dominici *biographos paragrapho præcedente collocandi erant : nam Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum* 1226 *centuria prima pag.* 5 *ætatem et lucubrationem prioris indicat his verbis :* Joannes de Monte sanctissimi nostri patriarchæ Dominici socius amantissimus, natione Hispanus, vir antiquæ fidei et candoris, nec minus doctrinæ præstantia, quam vitæ probitate insignis, immortalem sibi apud posteros peperit gloriam scribendo de laudibus B. Mariæ librum prænotatum MARIALE. Lusitanus, in Bibliotheca, Plodius part. 2 lib. 1. Claruit anno reparatæ salutis MCCXXVI. *Deinde levem quamdam conjecturam proponit, qua Joannem de Monte cum Joanne de Navarra perperam cupit confundere, ut ex infra referendis patebit.* E

perperam inter veteres S. Dominici biographos recensent,

20 *Altamura in proxime citato suo opere centuria prima pag.* 56 *et* 57 *alterum* S. Dominici *socium ita recenset :* Thomas de Templo Hispanus, sanctissimi nostri patriarchæ Dominici multo tempore socius fuit; vir plane liberalium litterarum et sacræ Scripturæ peritissimus, qui calluit quoque theologicas disciplinas, religione conspicuus, nec non spectabilis fama; at super omnia fervore ardenti complectebatur Virginem de Rosario : hinc scripsit librum de miraculis sanctissimi Rosarii beatissimæ Virginis; item de prædicatione illius sancta per eumdem sanctissimum Patrem. Vixisse proditur fere usque ad hunc annum MCCLXXX. Taëgius in Monum. part. 1, Lusitanus in Bibliotheca, et Plodius part. 2 lib. 1. F *Nicolaus Antonius in Bibliotheca veteri Hispana lib.* 8 *cap.* 3 *num.* 120 *mortem ejus anno* 1260 *affigit, et incaute quosdam recentiores Dominicanos secutus est, dum ibidem sic scribit :* Coævus his et parenti Dominico fuit frater Thomas de Templo, utpote ejusdem sancti Patriarchæ socius, qui scripsisse librum refertur de Rosario B. Virginis obiisseque anno MCCLX. *Nescio, cur Nicolaus Antonius in Bibliotheca sua Hispana omiserit Joannem de Monte, cum hic etiam Hispanus fuisse tradatur.*

sicut Jacobus Echardus.

21 *At quæcumque sit hujus omissionis causa, juverit audire Jacobum Echardum ex Ordine Prædicatorum, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 472 *et* 473 *de duobus hisce prætensis* S. Dominici *sociis ac scriptoribus tale fert judicium :* Fratres Joannes de Monte et Thomas de Templo una sunt a nobis laudandi, nec ab invicem disjungendi, cum eadem de utroque fabulentur. Ambo dicuntur Hispani, ambo beati Dominici, dum verbo Dei apud Albigenses instaret, socii et comministri, ambo a sancto Patre ad Ordinem suum allecti, et sua veste donati, ambo gestorum ejus scriptores : primus scilicet Joannes in libro, cui titulum faciunt

A ciunt Mariale, seu de laudibus B. Virginis; alter nempe Thomas, in altero, quem ei inscribunt de miraculis rosarii B. Mariæ Virginis, et de prædicatione illius facta per beatum Dominicum.

scriptor ordinis Prædicatorum,

22 *Deinde Echardus citat Lusitanum, Gozzeum, Pium, Malvendam, aliosque Ordinis sui auctores, qui ex fide Alani de Rupe (hujus fidem infra examinabimus) jam memorata amborum scripta laudant, et adversus illorum opinionem sic judicare pergit :* Interim hos duos scriptores, homines plane fictitios sincerus veri amator habebit, et quæ ex iis de beato Dominico proferuntur, nulla veri specie fulcita, cum certis ejus Actis non convenientia, imo omnino adversa deprehendet. Certe mirum esset, si sancti Dominici socii fuissent, nullam amborum in antiquis Ordinis monumentis esse memoriam : nam nec beatus Jordanus, secundus Ordinis Magister, qui sexdecim ejus primos sodales tam diligenter ex nomine numerat, de his duobus quidquam habet : nihil Stephanus de Borbone seu de Bellavilla, nihil Stephanus de Salanhaco, nihil ceteri ejus ætatis, B Humbertus de Romanis quintus Magister Ordinis, Gerardus de Fracheto, Vincentius Bellovacensis, Thomas de Cantimprato, Theodoricus de Appoldia, Jocobus de Voragine, verbo nullus ; quorum tamen plerique tractatus ediderunt speciales de cultu B. Virginis, de ejus miraculis, de Salutatione angelica, de speciali Ordinis ad eam devotione, et de gratiis ab ea acceptis. Gesta beati Dominici curiosius primitivi illi Ordinis Patres perscrutati sunt, ut posteris traderent. Qui factum est, ut omnia ex illis duobus prolata, quæ solemnia et vulgatissima esse debuerunt, præsertim stupenda illa Tolosæ perpetrata, eos fugerint?

variis demonstrat argumentis,

23 Sed est aliud mirum, libros illos Joannis de Monte et Thomæ de Templo apud Alanum solum, si ipse revera meminit, laudari, a nullo alio suæ ætatis visos aut lectos. Certe non meminit Jacobus Sprengerus, qui primam Rosarii sodalitatem anno MCCCCLXXV Coloniæ erexit, nec Cornelius de Snekis, congregationis Hollandiæ circa MD Vicarius generalis, qui antiqua Psalterii B. Virginis monumenta diligentius quæsivit, et C quædam etiam anni circiter MCCXXX profert. Si libri illi, ducentis et amplius annis antiquiores, Alani ætate constabant adhuc, cur deinceps non visi, cur non multiplicati, cur non prælo dati : nam hoc e re erat? Hunc Joannem de Monte Altamura eumdem conjicit cum Joanne de Navarra, illustri beati Dominici socio; sed vereor, ut hæc conjectura ulli placeat : nam si quæ scripsit Navarræus, antiquos nostros gestorum S. Dominici scriptores non latuissent, sed avidius excepissent. Quam autem hactenus dicta antiquitati cultus B. Virginis per unicam vel triplicem Salutationum angelicarum quinquagenam non officiant, et ex jam identidem observatis et ex postea dicendis constabit. Unam inquirimus veritatem, quam mendaciis non egere, non fulciri, imo potius deteri et obrui, persuasi sumus. *Nos eumdem veritatis amorem profitemur, et propterea inferius sine ullo partium studio originem instituti Rosarii indagare conabimur.*

in quibus tamen aliquid difficile intellectu occurrit.

24 *Sed non satis clare intelligo, cur Echardus initio numeri præcedentis sub conditione dicat, libros illos Joannis de Monte et Thomæ de Templo laudari apud solum Alanum,* si ipse revera meminit. *Certe dubitare non poterat, quin libri isti ab Alano sæpissime citentur, ut opuscula ejus leviter percurrenti manifestum fiet. An forte illo loquendi modo innuit, Alanum de Rupe non esse revera auctorem istorum opusculorum, quæ ei passim adscribuntur? Hoc si velit, non magnopere refragabimur. At in ea hypothesi videbitur Echardus secum pugnare, quando ipsemet eadem opuscula postmodum Alano attribuit, et ibidem monet, inspersa iis fabulas sanctitati ejus non officere. Verum de his figmentis infra fusius agendum erit. Interea transeamus ad alios scriptores, qui per magis innocuum errorem sub alieno nomine laudantur.*

AUCTORE G. C.

Dicuntur eamdem Vitam scripsisse quidam Mauritius,

25 *Joannes a sancta Maria, alio cognomine Rechacus, in præfatione sua ad Gallicam* S. Dominici *Vitam pag.* 6 *inter antiquos sancti Patris sui biographos citat quemdam Mauritium, quasi is fuerit socius* S. Dominici, *et ex testimonio suo oculato Acta illius conscripserit ; cum interim nec apud veteres, nec apud recentiores (si forte solum Stephanum de Sampayo excipias) ulla hujus socii et scriptoris mentio occurrat. Attamen Gallus ille Ordinis sui hagiographus confidenter ibidem addit, hanc Mauritii lucubrationem Parisiis in conventu S. Jacobi apud Dominicanos inter ecclesiastica Officia inveniri. At quomodo ea Mauritii Legenda latuisset Echardum, ejusque adjutores, qui ubique tum impressos tum manuscriptos Ordinis sui scriptores diligenter investigarunt, et nuper in eadem urbe Parisiensi duobus magnæ molis voluminibus recensuerunt? Quomodo de illo Mauritio* S. Dominici *biographo non meminit Antonius Senensis, qui* bibliothecas ubique lustrans, archiva discutiens, antiqua Ordinis monumenta annotans, *ut Echardus tomo 2 pag.* 271 *loquitur, anno* 1585 *Bibliothecam Prædicatorum Parisiis edidit, et post unum alterumve annum in Gallia e vivis excessit?* E

tamquam oculatus gestorum testis,

26 *Quare non omnino temere suspicor, ab illo facili ac polygrapho Joanne Rechaco, de cujus nimia credulitate inferius recurret sermo, unum auctorem pro altero acceptum fuisse, et Mauritium istum annumerandum esse commentitiis* S. Dominici *sociis, quos Alanus de Rupe part.* 3 *cap.* 18 *pag.* 181 *et* 182, *post confictam* S. Dominici *concionem de Rosario, ita nobis obtrudit :* Hæretici, errore suo damnato, ad Ecclesiæ gremium sese transtulerunt; inter quos viri tres præcipui nominis, accerimique hæretici sese ad Catholicos palam sunt professi, ejurata hæresi, videlicet : Magister Norbertus de Valle, juris canonici doctor, Magister Guelrinus de Fracmo, in artibus philosophiæ eximius, Magister Bartholomæus de Prato, experientissimus medicus pariter et theologus profundissimus. Hi tres præter alios complures, de manibus S. Dominici humiliter susceperunt Psalterium, idemque una cum S. Dominico cœperunt late circum prædicare, institutum secuti Prædicatorum S. Dominici. *At de his eximiis Magistris Ordinem Prædicatorum ingressis, silent veteres biographi, cum tamen sedecim primos* S. Dominici *socios nominatim recenseant.* F

Justinus pro altero erronee acceptus,

27 *Occasione Constantini Urbevetani, quem paragrapho præcedente inter veros* S. Dominici *biographos numeravimus, nonnulli auctores hallucinati sunt, quos secutus Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1234 *pag.* 530 *et* 531 *ex uno scriptore Actorum* S. Dominici *duplicem fecit, et Justinum quemdam, toti antiquitati incognitum pro distincto* S. Dominici *biographo nobis ita assignat :* Frater Justinus in Capitulo generali Bononiæ anno MCCXLII sub Magistro Joanne Teutonico jussus est a Patribus Vitam S. Dominici conscribere, ut Ambrosius Taëgius prima parte Monumentorum Ordinis, Leander lib. 4 in historicis, Antonius Senensis in Ordinis Bi-

bibliotheca

AUCTORE G. C.

bliotheca referunt. *Sed hos omnes Echardus tomo* 1 *Bibliotheca Prædicatorum pag.* 153 *recte corrigit, et ibidem sic concludit :* Certum itaque habeat lector, Justinum hoc nomine antiquis æqualibus et supparibus ignotum, cujus nulla umquam ab ullo visa B. Dominici Vita, non alium esse a nostro Constantino.

et Joannes de Castilla, aliique nonnulli,

28 *Huic fictitio Justino juxta sententiam Echardi addendus est Joannes de Castilla, de quo Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum* 1234 *pag.* 6 *sic scribit:* Hoc anno Gregorius IX reponit inter Sanctos confessores sanctissimum nostrum patriarcham Dominicum. P. F. Joannes de Castilla Hispanus, vir pius ac eruditus, composuit Officium sanctissimi Patriarchæ, et accurate ejusdem Vitam. Duo ex nostris composuerunt dictum Officium, scilicet P. F. Joannes de Castilla (ut dixi) et reverendissimus P. F. Constantinus episcopus Urbevetanus: at quia editum ab episcopo Constantino judicatum fuit a Patribus elegantius, hoc legitur in ecclesia. Plodius in Appendice, Lusitanus in Bibliotheca, et alii.

de quibus antiqui scriptores

B

29 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 472 *de hoc vero aut fictitio viro sic disserit*: Frater Joannes de Castilla Hispanus laudatur a Lusitano anno MCCLXII florens, Pio in Appendice ad P. II, et sequacibus, et recens ab Altamura, diciturque composuisse Officium ecclesiasticum pro festo S. Dominici, et ejus Legendam. Cum autem Lusitanus illud idem esse præstet, quo ab initio Ordo usus est, plurimum nutat ejus fides ; cum istud opus sit Constantini Medices, episcopi Urbevetani, de quo nos supra. Hinc Altamura ad MCCXXXIV aliud esse contendit, sed ab Ordine non admissum, penes quem fides, cum nullum testem laudet, a quo visum fuerit.

nullam mentionem faciunt,

30 *Tunc de adscriptis ei Actis* S. Dominici, *quæ propius ad rem nostram spectant, sic ibidem judicat*: Idem censeo de Legenda seu Vita S. Dominici ACCURATA, inquit, Altamura; nempe cujus nulla est apud veteres memoria. Videsis Malvendam Annalium pag. 529 et sequente, ubi antiquos omnes recenset, qui Vitam Sancti scripserunt, quos inter locum non habet iste Joannes. *Equidem fateor, huic Joanni locum non esse inter veteres gestorum* S. Dominici *scriptores, quos Malvenda ibi ex commentario Bernardi Guidonis recenset; sed ipsemet Malvenda ibidem in Annalibus pag.*

C

530 *inter alios, quos Bernardo Guidonis superaddit, eumdem Joannem memorat hoc modo:* Frater Joannes Hispanus de Castella Legendam de S. Dominico compilavit, ut auctor est Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum. Claruisse dicitur ad annum salutis MCCLXII. *Hinc tamen inferre nolo, Vitam* S. Dominici *ab illo Joanne scriptam fuisse : nam Malvenda et alii neminem veterum citant, qui eam lucubrationem umquam viderit, nec locum indicant, ubi illa aliquando exstiterit aut inveniri possit. Quarè potius assentior Echardo, qui memoratum ratiocinium suum de hoc auctore ibidem sic concludit:* Non negaverim, quædam antiquis incognita quotidie detegi : sed tum unde eruta sunt, una monetur; quod cum illi non aperiant, si parca eis fides, non mirentur.

et quos propterea referimus

31 *Nobis non minus de suppositione suspectus redditur Conradus, vulgo cognominatus Teuto, quem Leander Albertus lib.* 4 *de viris illustribus Ordinis Prædicatorum fol.* 152 *verso inter antiquos* S. Dominici *biographos numerat hac phrasi :* Intuere illum Germanum, olim provinciæ Germanicæ præfectum, Conradum nomine, portantem Vitam divi parentis Dominici, claro et non ineleganti stylo ab se editam, circa annum Domini MCCXC. D
Hunc secutus est Lusitanus, aliter dictus Antonius Senensis, qui in Bibliotheca Ordinis FF. Prædicatorum pag. 61 *Conradum illum tali elogio exornat*: Frater Conradus, natione Teuto, ejusdem Teutoniæ aliquando Prior Provincialis, vir cum honestate morum, et observantiæ regularis splendore clarus, tum etiam doctrina fulgens, qui ex omnibus, qui ante eum de hoc scripserant, compilavit librum de vita, obitu, et miraculis beati Dominici, patris nostri; quæ Legenda est aliis copiosor. Claruit circa annum MCCXC. *Ex his duobus Altamura, aliique recentiores bibliographi, tum Dominicani, tum exteri, sua hauserunt.*

secundum opinionem Echardi

32 *Non tam facile illa Conradi Legenda admittitur ab Echardo, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 421 *contra recentiorum plurium opinionem ita ratiocinatur* : Mirum esset, Vitam hanc, ceteris præstantem, a nullo umquam visam, a nullo veterum aut æqualium aut supparium laudatam. Theodoricus de Appoldia, qui circa MCCXC Vitam S. Dominici scribere aggressus est, et circa MCCXCVI absolvit, auctores citans, qui idem eatenus susceperant, Jordanum, Constantinum, Humbertum E
et Gerardum tum Teutoniæ Provincialem, tantum memorat. An Conradum, ut volunt, suæ ejusdem provinciæ anno MCCXC præsidentem omisisset ? An saltem illi idem ac sibi, esse consilium ignorasset? Bernardus Guidonis post annum MCCC scribens, et quotquot Vitam Sancti scripserant, enumerans, præter Theodoricum, et ab eo laudatos non addit nisi Petrum Ferdinandi Hispanum, et Jacobum de Voragine in Legenda Sanctorum. Qui illum ista Conradi copiosior effugit ?

inter suppositios

33 *Dein quærit, quis fuerit ille Conradus, et postquam distinxit varios synonymos, quibus tamen ob easdem aliasque rationes illa* S. Dominici *Legenda non videtur posse adscribi, tandem pagina sequente sic concludit*: Vehemens itaque mihi suspicio est, Leandrum primum hujus auctoris assertorem allucinatum esse et CONRADUM pro GERARDO scripsisse ; cujusmodi errata nomenclatoribus etiam attentioribus aliquando et facile excidunt ; idque eo magis allubescit, quod etsi Gerardus plura ex ore B. Cæciliæ Bononiæ anno MCCLXXXVIII accepta de gestis beati Dominici scripserit, ex quibus suam Vitam Theodoricus ditavit et auxit, ejus tamen Gerardi Leander nullibi meminerit. *Non diffiteor, hoc et alia Echardi* F
ratiocinia potissimum argumento negativo niti ; sed istud argumentationis genus interdum non caret vi sua, quam hic eruditis expendendam relinquo.

aut saltem dubios Actorum scriptores,

34 *Denique inter dubios gestorum* S. Dominici *collectores referendus est quidam F. Bornasius, quem Antonius Sinensis in proxime laudata sua Bibliotheca pag.* 58 *sic allegat :* Frater Bornasius, natione Siculus, vir ob religionis et doctrinæ præstantiam venerandus, confecit librum unum de Vita beati Dominici, patris nostri ex illis omnibus, quæ testes adjurati super illius sanctitate, cum fuit Divorum adscribendus consortio, de illo testati sunt, in quo multa continentur et notabiliora, quam in aliis chronicis, quibus communiter de Vita patris nostri Dominici tractatur. Claruit anno. * *Antonius hoc asterisco verosimiliter indicare voluit, ætatem istius Bornasii sibi ignotam fuisse. Nihilominus Altamura eumdem in Bibliotheca Prædicatorum ad annum* 1344 *diserte refert. Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 617 *post relatum ex Antonio Senensi titulum operis, de hujus præstantia sub conditione loquitur, et de ipsius auctore dubitat :* Si ita est, *inquit,* nullis curis par-

cendum

A cendum esset, ut in lucem ederetur; sed, ne relatis plenam fidem adhibeam, obstat, quod hujus scriptoris non meminerint Leander, Malvenda, nec Vallius in Compendio, nec Toppius in Bibliotheca Neapolitana, nec Mongitorius in Bibliotheca Sicula.

quibus etiam forsan Alanus de Rupe est annumerandus.

35 *Dubitare etiam quis posset, an in hac suppositítiorum auctorum serie non sit collocandus Alanus de Rupe, cui forsan externus aliquis impostor fabulosa opuscula de Psalterio seu Rosario Christi ac Mariæ affinxerit, isque nomen Alani perfide inscripserit; qua falsa inscriptione deceptus Joannes Andreas Coppenstein, ex sacro Prædicatorum ordine, ea primus postmodum sub nomine B. Alani de Rupe redivivi typis vulgaverit. Cum enim Alanus ille dicatur fuisse vir pius et doctus, quinimo in Ordine passim* Beatus *appelletur, non videntur ei tribui posse crassa et manifesta figmenta, quibus auctor horum opusculorum Vitam* S. Dominici *contaminavit. Non ignoramus, huic dubio opponi posse testimonia plurium auctorum, qui similia opuscula Alano adscripserunt. Quapropter hanc quæstionem in medio relinquemus, et RR. PP. Prædicatoribus o-* B *ptionem dabimus, an ea Alano suo, an alteri ignoto tribuere malint. At certe opinamur, verum horum opusculorum auctorem (quisquis iste demum fuerit) fuisse imprudentem fabulatorem, qui aperuit lutulentum figmentorum fontem, ex quo nihilominus posteriores quidam scriptores incaute sua hauserunt, et veris* S. Dominici *gestis immiscuerunt multas fabellas, ut duobus paragraphis sequentibus, et in decursu hujus Commentarii prævii demonstrabitur.*

§ III. Examinatur auctoritas Alani de Rupe, qui stupenda, et antiquis ignota, S. Dominici gesta narrat.

Omissis recentioribus Vitæ scriptoribus,

Cum superius § 1 *tantum agere proposuissem de veteribus biographis, nolui illic enumerare omnes scriptores, qui post Theodoricum de Appoldia Vitam* S. Dominici *variis linguis ediderunt. Unde præter alios ibi omisi F. Thomam Antonium de Senis, et F. Joannem Lopez, quorum primus Italice,* C *alter Hispanice Acta* S. Dominici *seculo* XV *conscripsit, ut apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 781 *et* 826 *licet videre. Etiam obiter dumtaxat et alia occasione ibidem memini de S. Antonino, qui eodem seculo* XV *Acta* S. Dominici *ex antiquioribus documentis collegit: cum enim varia istorum monumenta suppeterent, non judicavi de his recentioribus fusius agendum esse. Sed inter hos recentiores seculi decimi quinti scriptores solus Alanus de Rupe (sive is verus, sive fictus sit auctor, quod jam semel atque iterum monuisse sufficiat) miras et antea inauditas de* S. Dominico *narrat historias in quibusdam opusculis, quæ deinceps citabo sub nomine Alani Redivivi juxta titulum, quem primus editor Coppensteinius eis præfixit. Hoc paragrapho nunc discutiendum est, quantam fidem tales Alani narrationes mereantur.*

examinatur auctoritas Alani de Rupe,

37 *Postquam Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 850 *et* 851 *varia Alani gesta ac scripta retulit, ibidem de opusculis, quæ sub titulo Alani Redivivi prodierunt, sic judicat:* Quædam autem hic de isto scriptore addenda; primo revelationes ejus et visiones, sermones sancti Dominici ipsi revelatos, exempla et miracula Rosarii: ista, inquam, omnia non habenda, quasi revera exstiterint; sed meditationes tantum esse viri pii, qui D in hunc modum cogitationes suas efformabat, ut auditorum animis facilius illaberetur; tale enim fuit ejus seculi ingenium, et tale etiamnum in quibusdam Europæ provinciis, ut auditores ejusmodi historiolis et exemplis magis delectentur, ea facilius memoria retineant, iis potentius et acrius et a vitiis deterreantur et ad bonum moveantur, quam ab accurata et solida doctrina, quæ mox ex eorum cordibus evanescit.

qui narrat prodigia, veteribus omnibus ignota,

38 Ea vero, quæ de sancto Dominico narrat, ita cum veris ejus gestis pugnant, ejus historiæ adeo sunt dissona et contraria, ut nulli cordato placere possint, nec ab historico veritatis amico et cultore adoptari. Sic historia, quam de Sancto, Rosarium Tolosæ prædicante, et de stupendis prodigiis, quæ tum acciderunt, refert Part. 2 cap. 3, si vera fuissent, quis putet, in inquisitione de ejus gestis anno MCCXXXIII tam diligenter facta, ubi tot testes, qui ipsum viventem viderant, auditi, a nemine fuisse memorata? Quis credat, Jordanum ejus successorem, Petrum Ferdinandi Hispanum (*his ego superaddo Bartholomæum Tridentinum)* Constantinum, Humbertum E de Romanis, Stephanum de Borbone, Vincentium Bellovacensem, Stephanum de Salanhaco, Theodoricum de Appoldia, omnes ejus ætatis scriptores Dominici gestorum apprime cupidos, et qui mira ejus omni solicitudine et diligentia quæsierunt, effugisse?

et toti historiæ,

39 Idem dicas de Conrado Cardinali, quem vult in juventute Oximi studiorum Dominici sodalem ab eo ad frugi revocatum, inde Cisterciensem; cum certo Cardinalis ille in Hispaniis juvenis moratus non sit nec studuerit, sed in Germania. Idem de Dominici captione a piratis, a quibus conversis in portum Armoricæ deductus sit, quam provinciam numquam Dominicus vidit. Idem de Dominici itinere Parisios per Germaniam Part. 3 cap. 3, et de castro ad Rhenum aut Danubium, in quo dæmones sub specie puellarum formosissimarum rectorem et satellites deludebant, quam viam Sanctus numquam arripuit, qui nec Parisios venit, nisi semel ex Hispania. Idem brevi de omnibus, quæ de Sancto narrat. Omitto, eum Part. 5 cap. 38 Dominicum exhibere in æde sanctæ Mariæ super Minervam habitantem, quod illum arguit in historia Ordinis omnino pe- F regrinum, qui hanc ædem nescierit sub Gregorio X tantum, anno scilicet MCCLXXV, nostris Romanis concessam.

verisque S. Dominici Actis contraria,

40 Ingenium Alani ut cognoscas, confer historiam Benedictæ Florentinæ, (*utramque hanc infra inter se conferemus)* quam habet Part. 5 cap. 38, cum numero 35 Vitæ Dominici per Constantinum, qui ex ore ipsius Benedictæ rem gestam audivit et simpliciter narrat. Heu quantum discrimen! Quidquid Alanus habet ultra id totum amplificatio ejus est, visio, si velis, meditatio, compositio; et quis addet forsan quædam esse fidei rectæ non consona, si ad litteram sumantur, ut cum beatam Virginem in altari exhibet, cum beato Dominico celebrante, Sacrificium dividentem, partemque Hostiæ et calicis sumentem et bibentem, et postea ad vestes sacras deponendas adjuvantem; quæ nisi modo quodam spirituali, meam fateor mentem excedente, explicentur, nescio, quis theologus ferat. Sunt alia plura hujus rationis; ut cum Dominicum sponsum beatæ Virginis vocat, quo titulo nec Sanctus se, nec illum Vitæ ejus scriptores laudati ornarunt; vel cum Alanus ipse se a beata Virgine in sponsum

acce-

AUCTORE G. C.

acceptum, et torque in collo, annuloque in digito, utroque ex crinibus ipsius Virginis concinne facto, ab ipsa donatum, imo et ipsa ubera Virginea sugere sibi permissum, quod egerit avidius; quæ nisi spiritualiter intelligantur, vix concipias, aut patiaris.

quæ tamen fictis testibus confirmare nititur.

41 Joannes de Monte et Thomas de Templo, quos socios beati Dominici et ejus rerum scriptores laudat, ejusdem sunt fabricæ ac ejus revelationes, homines primis nostris scriptoribus Gallis, Italis, Hispanis, Germanis, Anglis plane incogniti. Si codices eorum Mss. perstabant adhuc ætate Alani, utique non solus ille legisset; at nullus alius eos se vidisse umquam asseruit, non Michaël Francisci Insulensis, ejus discipulus, non Cornelius de Snekis, alter ejus auditor (ambo de Rosario scripserunt) non Jacobus Sprenger, qui primus societatem Rosarii Coloniæ erexit : verbo hos auctores nemo umquam legit, nisi apud Alanum.

Echardus contendit illas Alani narrationes

42 Hæc itaque esto nostra conclusio : vir fuit piissimus Alanus, cultui beatæ Virginis per Rosarium addictissimus, ecclesiastes salutis animarum sitientissimus; ejus visiones, revelationes,
B
seu verius parabolæ ex ea, qua illas in concionibus depromebat, ratione, miros fructus ediderunt; sed neu in historiam trahito; hoc solum volo. Sic beata Elisabeth Schonaugiensis miras habuit revelationes de circumstantiis passionis Christi, de beata Virgine, non nisi quadragesimo a morte die, id est XXIII Septembris suscitata, et in cœlum assumpta, de historia undecim millium Virginum ; has tamen viri emunctioris naris in historiam non trahendas sanxerunt. Videsis, quid de istis sentiant editores Actorum Sanctorum tomo III Junii pag. 635 in Annotatis, et tomo IV Maii pag. 246 παρέργῳ. Ex his tamen seu adversus Elisabeth sanctitatem, seu contra Alani pietatem nihil concludas. *Deinde subjungit multa de usu Rosarii, quorum aliqua laudabili Belgarum nostrorum devotioni erga Deiparam, et fervidis Rosarii prædicatoribus non ubique placitura existimamus. Sed cum hæc non sint hujus loci, ad jam relatam Echardi crisim examinandam progredimur.*

pro meditationibus aut parabolis accipiendas esse,

43 *Echardus præter morem suum non satis clara argumentandi ratione nobis hic libenter persuaderet, ut omnes Alani visiones seu revelationes pro piis ejus meditationibus, et falsas ipsius historias pro parabolis acciperemus, ac denique prodigiosa beneficia,*
C
quæ sibi cœlitus collata fuisse asserit, spiritualiter intelligeremus. Sed videtur ipse Alanus hanc spiritualem interpretationem recusare, seu potius huic effugio viam præclusisse : nam Part. 2 *Alani Redivivi cap.* 3 *post longam historiam de* S. Dominico, *Rosarium Tolosæ prædicante, et integram stupendorum prodigiorum congeriem, quæ supra num.* 38 *ab ipso Echardo rejiciuntur, narrationem suam ita confirmat* : Hæc omnia piissima Dei genitrix Virga Maria cuidam, quem desponsavit per annulum et Psalterium mirandum, ex crinibus ipsius Virginis Mariæ in collo sponsi pendens, narravit VISIBILITER et SENSIBILITER esse verissima. *Iste sponsus est ipsemet Alanus de Rupe, qui in memoratis opusculis se sæpius novellum Deiparæ sponsum appellat, ut omnes ejus laudatores ultro admittunt. Cum autem Alanus hoc loco diserte asserat, hæc omnia sibi* visibiliter et sensibiliter *fuisse revelata, quomodo verum dicet, si ea cum Echardo tantum spiritualiter intelligere velimus?*

quæ Echardi sententia hic refellitur,

44 *Quantum vero ad historicas ipsius narrationes attinet, hæ spiritualiter aut parabolice explicari nequeunt, quandoquidem talibus locorum, temporum, ac personarum circumstantiis exornatæ sunt, ut omnia narrationis adjuncta clament, aut illas historias revera contigisse, aut fraudulenter confictas esse, sicut Alanum Redivivum leviter percurrenti patebit. Sic Part.* 3 *cap.* 20 *narrat de* S. Dominico *adeunte castrum in Germania, ubi dæmones sub forma puellarum latebant, fabulosam historiam, ut Echardus supra num.* 39 *fatetur; et tamen Alanus ad majorem narrationi suæ fidem faciendam ibidem interserit sequentia :* Locum de nomine appellare non audeo, neu quam in præsentiarum incolæ notam infamiæ sibi intorqueri conquerantur : nam etiamnum ibi forte nefanda geruntur. *Quis ex hoc loquendi modo non inferet, Alanum voluisse indicare, quod* S. Dominicus *istud Germaniæ castrum re ipsa adierit, ac dæmones sub puellarum forma latitantes ex eo discedere coegerit? Quis similes Alani narrationes pro meditationibus pii viri accipiat? Certe plures docti scriptores ex Ordine Prædicatorum putarunt, narratas ab Alano de Rupe historias vere evenisse, ut paragrapho sequente apparebit.*

cum ipse Alanus pro suis historiis allegat juratas revelationes, sibi factas,

45 *Præterea Echardus in supra relato judicio* E
suo fatetur, historiam Benedictæ Florentinæ, quam Constantinus Urbevetanus ex ore ipsius Benedictæ exceptam sincere narrat, ab Alano multis fabulis auctam fuisse, et eidem inseri nonnulla, quæ communi theologorum opinioni ac rectæ fidei non satis consona videantur. Attamen Alanus Part. 5 *cap.* 68 *post hanc ipsam Benedictæ Florentinæ historiam, quam multis episodiis seu potius figmentis contaminaverat, hæc majoris confirmationis gratia subjungit :* In Legenda S. Thomæ de Templo pro parte sunt scripta, qui fuit Hispanus, et sancti patris nostri Dominici socius, ex qua Legenda et pluribus aliis Legendis facta, quæ nunc de Dominico dicta sunt, fuerunt exstracta, et sunt nuper per revelationem Christi et Virginis Mariæ confirmata cum signis magnis et portentis : et de omnibus his fidem et testimonium sub juramento fidei Trinitatis perhibeo sub periculo omnis maledictionis mihi infligendæ, in casu, quo deficio a veritatis recto tramite. *Sic sæpe alibi revelationes suas jurejurando confirmat, et portentosas historias probat auctoritate Joannis de Monte ac Thomæ de Templo, in quorum libris eas a se lectas fuisse testatur. Si Alanus visiones suas pro meditationibus* F
accipi voluisset, quomodo eas juramento confirmasset? Si historicæ ejus narrationes parabolice sint intelligendæ, cur ad earum parabolarum confirmationem citat testes, quos sub nomine veterum allegat? Quomodo denique Alanus sine mendacio dicere potuit, sese historias illas legisse apud scriptores, qui juxta opinionem Echardi numquam in rerum natura exstiterunt?

quibus, exemplo Sanctorum,

46 *Nobis etiam non placet illa Alani confidentia, qua tam firmiter adhæret suis revelationibus, ut eas iteratis juramentis confirmet. Potius prudenter de illis visionibus dubitasset cum B. Margarita Ravennate, de qua Seraphinus Firmanus in ejus Vita cap.* 2, *quam nos ad diem* XXIII *Januari retulimus, tomo istius mensis secundo pag.* 550 *tradit sequentia :* Non omittam hic aliquod ejus documentum, omnibus spiritualis vitæ studiosis apprime necessarium; quod quamvis plurima ei divinitus revelarentur, numquam tamen ea magni fecerit, neque ullam eis fidem habuerit, ne hac ratione a diabolo incaute falleretur, qui (ut est in sacris Litteris) transfigurat se in angelum lucis, ut facilius imprudentes fallat. Idcirco clare diserteque præcipit discipulæ isti, de qua supra memini, ne

fidem

AUCTORE G. C.

A fidem cuicumque demum rei adhiberet, nisi quam Ecclesia credendam proponeret : quo uno documento omnes evanescunt dæmonis illusiones, quæ ut plurimum alioqui redundant hoc tempore....; adeo ut vix decima eorum pars, qui supernaturalibus revelationibus facile credunt, callidi astutique inimici fraudes possit evadere. Cujus rei periculum utinam cum magno animarum detrimento quotidie non fieret! *Si hoc B. Margaritæ consilium secutæ fuissent moniales istæ, de quibus Ribadeneira in Vita S. Ignatii de Loyola apud nos tomo* VII *Julii pag.* 767 *meminit, non tam turpiter dæmon eas decepisset, nec illæ tam facile aliis imposuissent, ut eventus probavit. Propter has aliasque rationes caute in dubium revocamus omnes illas Alani revelationes et historias, quæ certis ac veris* S. Dominici *gestis repugnant.*

et prudentium virorum, cautius fidere debuisset.

47 *Æqui rerum æstimatores non ægre ferent, nos facile fidem non adhibere falsis Alani revelationibus, cum ipsimet RR. Prædicatores veras exstases et visiones B. Osannæ Mantuanæ sine severo examine non admiserint. Nam F. Franciscus Silvester Ferrariensis, ex eodem Prædicatorum Ordine testis oculatus, in Vita B. Osannæ, quæ anno* B 1505 *die* XVIII *Junii ad Superos migravit, apud nos tomo* III *Junii pag.* 680 *de hac re scribit sequentia :* Fuit Prædicatorum Ordini antiqua et vetusta consuetudo, eas omnes res, quæ popularium auram captare solent, non modo aspernari, sed etiam admodum detestari, ratis divinæ profecto providentiæ interesse, gloriam et famam, quibus voluerit, impartire. Igitur cum Osannam divinæ cujuspiam formæ Prædicatorum Fratres, qui divi Dominici templo serviebant, intuerentur, eamque identidem digressam sensibus conspexissent, veriti, ne per urbem fama vagaretur, Osannam talem mentis excessum ad alliciendos plebis animos vendicandamque religiosis seu sanctitudinis opinionem, eorum suasionibus ementiri, non mediocri insontem molestia afficiebant. Talibus autem eam maledictis incessebant; vecordem feminulam esse, eam mentis segregationem aut ab se confictam, aut ab iniquissimo exstructam dæmone, aut (quod verebantur magis) ab imbecillis cerebri morbo manare. *Si id ipsis prudenter suspicari licuerit de pia femina, quam Leo X Papa* C *anno* 1515 *in numerum Beatarum retulit, cur aliis non licebit dubitare de visionibus Alani, qui ex iis refert historias, antiquis* S. Dominici *Actis contrarias, et quem Ecclesia hactenus nec Sanctum nec Beatum agnoscit?*

Etsi auctores Dominicani Alanum titulo Beati passim ornent,

48 *Equidem scio, Alanum in Diario Italico Marchesii, Viridario Germanico Frederici Steil, Anno Dominicano Flandrico Dominici de Herre, ad diem* VIII *Septembris inter Beatos referri, et ab Hyacintho Choquetio in Sanctis Belgis Ordinis Prædicatorum pag.* 202, *aliisque recentioribus ejusdem Ordinis scriptoribus passim* Beatum *appellari. Sed alia auctoritate opus est, ut Alanum numero Beatorum adscribamus, et propterea superius confidenter dixi, illum nondum ab Ecclesia Sanctum aut Beatum agnosci. Si tamen RR. PP. Prædicatores solida immemorabilis cultus testimonia de illo proferre possint, ea nobis communicare ne graventur, ut Alanus ad diem* VIII *Septembris Operi nostro inseratur : tunc enim discutiendum esset, qua ratione tot jurata figmenta possint cum vera sanctitate consistere. Interim de difficili illa convenientia hic scrupulos nostros proponemus.*

et Echardus exemplo B. Elisabethæ Schonaugiensis

49 *Supra laudatus Echardus post rejectas Alani visiones et historias, nihilominus concludit, illum fuisse virum piissimum, et ex falsis ejus revelationibus nihil contra pietatem ipsius inferri posse. Hoc autem probare nititur exemplo B. Elisabethæ Schonaugiensis, quæ in revelatis sibi Dominicæ Passionis circumstantiis quibusdam, in tempore Assumptionis Deiparæ, in historia undecim millium Virginum a communiore et forsan veriore sententia deflectit. Citat etiam Parergon, quod Papebrochius Actis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis tomo* VI *Maii a pag.* 246 *inseruit, et quod ad clariorem hujus rei intelligentiam totum legi meretur. His ultro addimus B. Coletam, quæ contra probabiliorem opinionem ex revelatione putabat, S. Annam, Deiparæ matrem, trigamam fuisse, ut in Actis S. Annæ ad diem* XXVI *Julii, tomo* VI *istius mensis pag.* 242 *fusius explicatum est.*

sanctitatem illius tueri conetur,

50 *Verum inter revelationes Alani et istarum Sanctarum magna est disparitas : sanctæ enim illæ aberrant, et interdum sibi invicem contradicunt, in levioribus historiarum quarumdam circumstantiis, de quibus inter eruditos disceptatur. Hinc etiam in exstasi aut raptu sæpe judicant de rebus juxta species naturaliter præhabitas, et communiorem Ordinis aut temporis sui opinionem, ut Papebrochius in proxime citato Parergo variis exemplis declarat. At Alanus* E *integras historias a capite ad calcem confingit, illas sibi revelatas juratus asserit, easque fictis veterum scriptorum testimoniis confirmat. Saltem in exstasi non legit libros Joannis de Monte ac Thomæ de Templo, qui juxta Echardum numquam scripti fuerunt. Nihil itaque ad probandam Alani sanctitatem Echardo prodest exemplum B. Elisabethæ Schonaugiensis, quamvis ex eo ibidem recte concludat, similes Sanctarum revelationes in historiam non esse trahendas.*

tamen a nobis vera pietas cum tot juratis fictionibus conciliari non potest,

51 *Adde, quod Papebrochius tomo* III *Junii pag.* 635 *dubitet, an erroneæ istæ revelationes, quas Echardus supra memorat, vere B. Elisabethæ Schonaugiensi sint tribuendæ. Unde ibidem ita concludit :* Pro Elisabetha nihil hactenus (saltem quoad Ursulanas) commodius video, quam dubitare, utrum talia ipsa revera dictaverit. *Etiam pro Alano nihil commodius video, quam dubitare, utrum ipse revera scripserit talia figmenta, quæ diu post mortem ejus primum typis excusa prodierunt : cum enim Alanus fuerit doctissimus theologus, ut Joannes Rechacus in præfatione ad ejus Vitam tomo* 2 *operis sui Gallici de Sanctis Ordinis Prædicatorum pag.* F 760 *contendit, non videtur numerandus inter simplices illos viros,* qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere, *ut Ludovicus Vives et post ipsum Melchior Canus lib.* XI *Locorum Theologicorum apud nos pag.* 534 *de nonnullis conqueruntur. Quare ii, quorum interest, eligant, utrum hæc opuscula malint Alano adscribere, an eidem abjudicare. Interea ingenue fateor, tot apertas ac juratas fictiones hactenus a me cum vera auctoris sanctitate conciliari non posse.*

quæ eadem difficultas occurrit in auctore illo.

52 *Ut huic paragrapho finis imponatur, breviter memorandum est* Speculum peccatricis animæ; *quod opusculum Echardus tomo* I *Bibl. Prædicat. pag.* 851 *etiam Alano tribuit, et ibidem tantummodo monet, historiam Benedictæ Florentinæ, quæ in ea opella refertur, ex Parte* 5 *Alani Redivivi cap.* 27 *(apud nos* 60) *desumptam esse. Postmodum occasione editoris tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 502 *et* 503 *de eodem libello sic meminit :* Frater Ludovicus Loumans Belga, Conventus Antverpiensis alumnus, vir pius et eruditus, obiit ibidem X Octobris MDCXXXIX. Emisit in lucem asceticum anonymi libellum, cui titulum hunc fecit : SPECULUM PECCATRICIS ANIMÆ, SIVE ORATIONES AD DEIPARAM QUINDECIM, PER VARIOS ARTICULOS

AUCTORE G. C.

VITÆ SANCTI DOMINICI TOTIDEM VITIA DEPRECANTES, AB ANONYMO AUCTORE ORDINIS PRÆDICATORUM EDITÆ. *Postquam deinde locum et tempus impressionis assignavit, a se majorem in editore crisim requiri significat his paucis verbis:* Notas quasdam addidit Ludovicus, qui ampliores et severiores merito adjecisset.

qui Speculum peccatricis animæ composuit.

53 *Denique Echardus ibidem de auctore istius libelli ita judicat :* Anonymum illum conjicit Loumanus, nostrum esse B. Alanum de Rupe, cujus scripta qui fuerint ab ejus morte collecta, pleraque ab auctore non finita nec recognita, supra retulimus, ubi de eo. Sane quæ de beati Patris Dominici Vita sive in isto libello, sive alibi refert a beata Virgine sibi revelata, tantum abhorrent ab iis, quæ de eo in veteribus Ordinis monimentis ac certis documentis habentur, ut nec verisimilia videantur, piique viri meditationes potius et parabolæ, quam revelationes censendæ sint, certe non ad historiæ veritatem trahendæ, ipsique inserendæ, ut quibusdam nostris et exteris excidit non satis attentis. *Istud Echardi ratiocinium, quo nobis revelationes Alani pro meditationibus et parabolis obtrudere cuperet, supra abunde impugnavimus. Ceterum paragrapho sequente referemus præcipuos auctores domesticos et exteros, qui ex Alano Redivivo, et hoc Speculo peccatricis animæ quasdam ineptias Actis* S. Dominici *incaute inseruerunt.*

B

§ IV. Judicium de recentioribus ejusdem Vitæ scriptoribus, qui post Alanum de Rupe floruerunt.

Præter alios Joannes Martin,

Non est mihi animus in hoc paragrapho judicare de singulis auctoribus, qui post Alanum de Rupe gesta S. Dominici *Legendis aut Annalibus suis inserunt, et quos Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1234 *pag.* 531 *longo ordine recenset. Itaque præcipuos dumtaxat ex illis seligam, quibus nonnullos alios addam, et præsertim breviter examinabo eos, quorum lucubrationes mihi licuit videre. Inter hos ordine ætatis agmen ducet F. Joannes Martin, patria Hanno, et professione religiosa Valencenensis, qui anno* 1495 *ex hac vita migravit. Scripserat Gallice quamdam* S. Dominici *Legendam* stylo ingrato, obscuro et duriori, sed ejus ætatis et nationis homini facile donando, *inquit Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 881 ; *qui pagina sequente post recitatum Gallicum istius Legendæ titulum, et indicatum ex conjectura annum editionis, de ipso opere sic judicat:* Scripta est hæc Legenda per modum dialogi inter confessarium seu conscientiæ moderatorem, et devotam pœnitentem. Eam vero auctor ex beato Jordano, Constantino, Humberto et Theodorico de Appoldia se collegisse asserit; sed plura etiam adjecit ex revelationibus nostri Alani de Rupe, quæ in historiam inseri numquam debuerunt.

C

Joannes Garzo,

55 *Huic ætate proximus est Joannes Garzo, insignis orator, qui varios ingenii sui fœtus posteritati reliquit, et quem Vossius lib.* 3 *de Historicis Latinis cap.* 12 *apud nos pag.* 683 *sic laudat :* Joannes Garzo seu Garzonius Bononiensis memoratur Leandro in Romanulæ descriptione atque alibi; imo, quo loco Latium nobis depingit, eum præceptorem suum appellat. Hic in litteras retulit Vitam S. Dominici, eamque dicavit Vincentio Bandello theologo, ac postea generali Magistro trigesimo sexto. *Cum Vincentius Bandellus anno* 1501 *Magister generalis electus fuerit, et anno* 1506 *obierit, ex hac operis dedicatione certo colligimus, Vitam* S. Dominici *ante hoc tempus a Garzonio exaratam fuisse. Leander Albertus illam Garzonii lucubrationem inseruit operi suo de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum a fol.* 7, *quod anno* 1517 *Bononiæ impressum habemus. Est autem rhetorica gestorum narratio, et satis elegans Vitæ compendium, in quo hactenus nihil deprehendi, quod ex feculento Alani fonte haustum sit.* D

Joannes Antonius Flaminius,

56 *Hunc proxime sequitur Joannes Antonius Flaminius, de quo Aubertus Miræus in Bibliotheca ecclesiastica cap.* 45 *ita scribit :* Joannes Antonius Flaminius Forocorneliensis, pater Marci Antonii Flaminii, ludum litterarum Bononiæ aperuit, et ibidem MDXXXVI decessit; sepultus apud Dominicanos. *Deinde enumerat scripta illius, inter quæ Vitam* S. Dominici *non expressit. Attamen idem Flaminius illam tribus libris complexus est, eamque anno Christi* 1527, *ut ex præfatione liquet, Laurentio Puccio Cardinali dedicavit. Hic scriptor Actis* S. Dominici *varias fabulas immiscuit, quas unde hauserit, non obscure indicat, quando lib.* 2 *istius Vitæ apud nos fol.* XLI *verso de restauratione Rosarii hæc tradit :* Quod Virgo felicissima indigne ferens, et quam utile quamque necessarium id mortalibus esset intelligens, in desuetudinem ire ac diutius obsolescere non est passa, et anno MCDLXX Alano de Rupe Britanniæ, viro ex Ordine Prædicatorum, sanctitate ac magisterio theologiæ insigni, videndam se præbuit, et jussit, ut suis ipse concionibus Psalterii memoriam et cultum renovaret, et alios, ut idem facerent, per loca induceret. E

Ferdinandus de Castillo,

57 *Cautior utcumque fuit Ferdinandus de Castillo, qui post medium seculi* XVI *eleganti stylo Hispanico Annales Ordinis Prædicatorum cœpit scribere, eorumque initio Vitam* S. Dominici *inseruit: is enim in prologo exacte citans tum manuscripta tum excusa monumenta, quibus ad historiam suam concinnandum usus est, nusquam Alanum de Rupe allegat. Quinimo in fine ejusdem prologi forte de illo aut certe similibus conqueritur, quod potius nugas et fabulas, quam solidas historias collegerint. Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 308 *et* 309 *pro meritis hunc prudentem ac doctum virum honorifico exornat elogio, et ad rem nostram in fine hæc addit:* Huic saltem illustri viro gratiam hanc habet Ordo Prædicatorum, quod Annales nostros lingua Hispana purissime et elegantissime scripserit, sed et summa fide. Sicubi autem, præsertim in primordiis, aliquando aberraverit, id penuriæ documentorum antiquorum, quæ ipsi defuerunt, adscribendum est; quod et ipse in prologo queritur, dolens, eos, qui ipsi in hoc argumento præiverant, frivolis et puerilibus colligendis operam impendisse, et præclare gesta, quibus unis incumbere debuissent, omisisse. Unde fit, ut jam accurata et clara Ordinis historia vix sit speranda, nisi plures sodales in variis regnis et provinciis antiqua summorum Pontificum, regum, principum, civitatum, collegiorum et monasteriorum archiva impigri et diligentes scrutentur, et alterum Ferdinandum de Castillo offendant, cui a se reperta commendent in ordinem concinnanda, et pari elegantia Latine scribenda. *Cum tamen sincerus ille vir nimiam fidem Flaminio adhibuerit, atque hoc modo inscienter subinde Alanum secutus fuerit, hinc eleganti suæ historiæ interdum immiscuit nonnullas narrationes apocryphas, ut per decursum observabimus.* F

Auctore G. C.

A

Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum.

58 *Ineunte seculo* XVII *F. Thomas Malvenda Annales Prædicatorum Latine collegit, cujus operis prima pars, ultra quam auctor non est progressus, jussu reverendissimi P. Seraphini Sicci, Magistri generalis, et cura F. Dominici Gravinæ anno* 1627 *prodiit Neapoli, etiamsi Malvenda hunc fœtum suum supprimi, aut alieno nomine edi desideraret, et postea editum pro suo agnoscere noluerit. Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 455 *et* 456 *rationem, quæ Malvendam ad id movit, reddere conatur his verbis:* Nec mirum, quod hos Annales nec suos agnoverit, nec haberi voluerit, non quod in eis plurima non congesserit et erudita et recondita; sed quod revera indigesta sit moles et quibuscumque sibi suppeditatis memorialibus tantum juxta annorum seriem distributis coagmentata, quæ ultimam manum exspectabat, qua vera et certa a fabulosis et incertis secernerentur, quam vel ad graviora negotia vocato, vel deficientibus, quibus ab integram illius primi Ordinis seculi notitiam indigebat monumentis, ei non licuit apponere. Id probant inter alia, quæ de beato Dominico ex Alani de Rupe visionibus, veluti Vitam Sancti attinentibus refert, cui tamen nulla ratione accommodari possunt, et ad summum ut pii viri meditationes habendæ. *At unde Echardus novit, quod Alani fabulæ Malvendam ab edendis Annalibus suis averterint? Nonne id humili modestiæ, solicitæ timiditati, scrupuloso politioris styli aut chronologiæ corrigendæ studio, aliisve causis tribui potest?*

B

qui jussu reverendissimi Magistri Generalis

59 *Sed quidcumque demum auctorem moverit ad desiderandam operis sui suppressionem aut dilationem, reverendissimus totius Ordinis Magister cum gravissimis censoribus censuit, primum Annalium tomum sub ipso Thomæ Malvendæ nomine vulgandum esse, ut discimus ex F. Dominico Gravina, qui post hujus operis dedicationem, reverendissimo Magistro generali factam, inter alia lectorem ita præmonet :* Porro eorum scriptor A. R. P. màgister F. Thomas Malvenda, vir eminentis ingenii et doctrinæ, acris judicii, et eruditionis incomparabilis ad horum Annalium lectionem alliciet et incitabit : ita enim suam orationem instituit, ut veritatem sententiarum cum verborum delectu conjungens, variamque rerum copiam tam ex sacris quam profanis auctoribus hauriens, ad proprium institutum tanta proportione adaptet, ut per oblectationem reconditarum rerum e fastidio delicatulos animos avocet, et ad excitandos animorum motus dictione sua, cum gravitate conjuncta, valde sit accommodata.

C

contra desiderium auctoris Neapoli anno 1627 editi sunt;

60 Optasset auctor intermissum abhinc viginti quinque annis opus istud, se ipso doctior et locupletior factus, auctius et, ut dicitur, politiori lima in lucem edere; quin pro ea, qua pollet, modestia, datis litteris e Valentina civitate (ubi tamquam argumentosa apis super universam Scripturam doctissimas elucubrationes parat) obnixe petiit, ne imprimerentur Annales, vel si imprimerentur, alieno potius, quam suo ederentur nomine. Verum ne thesaurus iste invisus lateret, reverendissimi Patris nostri prudentia opus istud Romæ a gravissimis Patribus recognitum et probatum, ut typis mandaretur, mihi Fratri Dominico Gravinæ transmissum est. Jam ergo impressum lucem aspicit eo fine, ut in Sanctorum suorum cultu divina Majestas glorificetur, fides Catholica exaltetur, hæreticus confundatur, fidelis in hortis uberrimis heroïcarum virtutum abunde pascatur, *etc. Cum igitur primus ille Annalium tomus publica Ordinis Dominicani auctoritate sub nomine Malvendæ in lucem prodierit, exemplo Echardi aliorumque nobis licebit illum sub eodem nomine citare, quantumvis ipse auctor reclamet. Hæc tamen præmonere volui, ne videar Malvendæ injuriam inferre.*

Nicolaus Janssenius,

61 *Anno* 1622 *F. Nicolaus Janssenboye, alias Latine cognominatus Janssenius, Antverpiæ idiomate Latino edidit Vitam* S. Dominici, *eamque variis observationibus illustravit. Sed hunc virum eruditum etiam nimis facile Alano credidisse, patet ex libro* I *istius Vitæ cap.* 2, *ubi de* S. Dominico, *in Gallæcia a piratis capto, portentosam narrat historiam, cui ibidem præmittit sequentia :* Verum enimvero evenit sub annum MCC, ut ad S. Jacobum, ubi prædicationi intenderat *(videlicet* S. Dominicus *adhuc canonicus Oxomensis)* a piratis supervenientibus caperetur. Rem narrat apud nostrum Alanum de Rupe, virum sanctissimum, ipsa Deipara hoc fere modo. *Tunc longam refert fabulam, quæ Part.* 2 *Alani Redivivi cap.* 17 *adhuc fusius narratur, et quam postmodum suo tempore discutiemus.*

Hyacinthus Choquetius,

62 *Frater Hyacinthus Choquetius, sacræ theologiæ magister et professor,* Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna *(is libri titulus est) Antverpiæ anno* 1634 *edidit. Huic opusculo, quod Romæ usque ad correctionem proscriptum est, auctor immiscuit quædam apocrypha* S. Dominici *gesta, ut supra explosam Sancti captivitatem in Gallæcia, et nonnulla similia commenta, quæ ex Alano Redivivo incaute accepit, et de quibus per decursum hujus Commentarii hinc inde mentio occurret. Dum Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 543 *in altera ejusdem auctoris lucubratione notabilem errorem correxit, postmodum de jam memorato opusculo sic generaliter pronuntiat* : Opus prohibetur in Indice Romano, donec corrigatur; vel ob id præsertim, ut ferunt, quod de Fratris Thomæ de Lemos, Urbani VIII conspectum adeuntis, irradiata facie narrat, vel etiam de stigmatibus sancto patri Dominico impressis, et similibus parum firma fide adductis, et ex aliis auctoribus levioris criterii acceptis.

E

et Joannes Rechacus collegerunt Vitam S. Dominici,

63 *Post hunc F. Joannes a sancta Maria, in seculo cognominatus de Giffre de Rechac, Vitam* S. Dominici *ex variis monumentis Gallice composuit. Jam sæpe laudatus Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 595 *et sequentibus diversa hujus scriptoris opera recenset, ipsumque auctorem magnifico exornat elogio, in quo etiam laudatur tamquam* historiarum tum domesticarum Ordinis, tum et exterarum perscrutator indefessus, paulo tamen credulior. *Hæc ejus credulitas satis patet ex historia, quam de itinere principis Æthiopici Zagachristi conscripsit, et reginæ Francorum epistola nuncupatoria dedicavit: teste enim ibidem Echardo,* hic Zagachristus obiit Ruellæ ad Parisios x Kalendas Maii MDCXXXVIII, et detectus impostor, narratioque ejus fabulosa, quam in hac parte nimium credulus Johannes noster ex ore ejus acceptam scripserat. *Ipse Joannes a sancta Maria in jam memoratis Gallicis* S. Dominici *Actis pag.* 631 *et sequente enumerat varias suas lucubrationes, quas partim ediderat, partim edendas proposuerat, et de quibus posterioribus nondum absolutis laudatus Echardus tomo proxime citato, pag.* 596, *sic loquitur :* Undique collecta bene multa reliquit, quibus otiosior, modo criterium rectum adhibeat, uti aliquando poterit, et novis ac certioribus adjectis documentis, opus Johanni nostro propositum complere.

F

cui plerique Alanum incaute secuti.

64 *Ex dictis facile colligitur, polygraphum illum virum non satis rigide examinasse omnia, quæ*

AUCTORE G. C.

litteris mandavit. Id maxime liquet ex ipsa S. Dominici *Vita, de qua jam agimus, et cui ex Alano Redivivo, aliisque ejusmodi scriptoribus, multa incerta et fabulosa immiscuit. Nihilominus hanc Gallicam* S. Dominici *Vitam tetrico et inutili labore Latinam reddidisse videtur F. Hyacinthus Cunibert, de quo Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 687 *agit, ubi inter alias Cuniberti ex idiomate Gallico in Latinum translationes refertur* sanctissimi patris Dominici Vita, ex Gallico F. Johannis a sancta Maria Latine reddita, *cui titulo laudatus Echardus addit sequentia :* Huic operi incumbebat anno MDCLXV, ut ipse scripsit Augusta Parisios ad nostrum Vincentium Cronenbach Germanum, apud nostros Sanjacobeos agentem, epistola, XIII Augusti data. An autem prælo commiserit, hactenus me latet. *Id etiam nos latet, et scire parum nostra interest, cum fabulas, huic Vitæ insertas, Gallice satis intelligamus.*

aliquas fabulas immiscuerunt.

65 *Ceterum Joannes a sancta Maria non tantum more aliorum Alanum Redivivum citat; sed etiam ex professo, ut vulgo aiunt, auctoritatem illius tuetur : nam in præfatione ad Gallicam suam* S. Dominici *Vitam pag.* 6 *sic fere loquitur:* Multi, qui sine examine de rebus judicant, conati sunt rejicere hunc auctorem, tamquam apocryphum; sed apparebunt irriti eorum conatus, quando videbunt apologiam, quam initio Vitæ ejus præmisi. *Postmodum inter Acta Sanctorum Ordinis Dominicani tomo* 2 *a pag.* 758 *promissam apologiam exhibet, eamque Vitæ Alani de Rupe præfigit, ubi allegat varios scriptores, qui Alanum laudarunt, vel ejus revelationibus ac historiis incaute fidem adhibuerunt. Sed bona et facilis eorum fides Echardo et mihi nondum persuasit, veras esse historias, quas Alanus Redivivus nobis confidenter obtrudit. Quapropter auctoritati illorum opponimus viros istos ecclesiasticos, qui non probabant insolita miracula, quæ Alanus evulgabat, ut Choquetius inter Sanctos Belgas Ordinis Prædicatorum in Vita Alani de Rupe pag.* 212 *et* 213 *fatetur, et qui forte in ea re prudentiores fuerunt; quamvis Choquetius ibidem sine testibus aut tabulis asserat, illos Alani adversarios stimulis invidiæ agitatos fuisse. Cum denique juxta supra relatum testimonium Joannis a sancta Maria multi conati sint rejicere Alanum, tamquam apocryphum, saltem recte concludimus, Echardum et nos non fuisse primos ex iis, qui Alano Redivivo credere recusarint.*

quas Thomas Soëgius

66 *Huic etiam tacite fidem abrogavit Stephanus Thomas Soueges ex eodem Prædicatorum Ordine, quem deinceps cum Echardo Latine Soëgium appellabimus:* is *enim in Gallica* S. Dominici *Vita, quam non ita pridem Anno Dominicano ad diem* IV *Augusti inseruit, prudenter fabulosas Alani Redivivi historias omisit. Quinimo licet Malvendam et Joannem a Maria plerumque sequatur, tamen caute abstinuit ab illis fabulis referendis, quas duo isti scriptores ex Alano Redivivo acceperant. Sic Soëgius in laudata* S. Dominici *Vita nullum verbum facit de portentosis Rosarii miraculis, quæ Sanctus in Hispania patrasse dicitur, et quæ Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 15 *et sequentibus commemorat. Sic idem scriptor Gallus altum silet de plurimis prodigiis, quæ Joannes a sancta Maria ex eodem fabulatore confidenter narrat.*

in Gallicis ejusdem Sancti Actis prudenter omisit.

67 *Sed etiamsi hæc Soëgii prudentia magnam laudem mereatur, propterea tamen nondum adoptamus omnia et singula, quæ diligens ille biographus de* S. Dominico, *aliisque Ordinis sui Sanctis tradit, ut opportuno tempore videbimus. Hanc cautam agendi rationem RR. PP. Prædicatores in nobis non improbabunt, cum ab ipso Echardo inter laudes istius scriporis tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 748 *sic moneamur :* Erat Stephanus judicio peracri et vivido, quique vera a falsis in tanta relationum varietate facile internosceret, ut probant antiqua quæ dedit monumenta, vel etiam dissertationes aliquando adjectæ. Quod si quædam ipsi exciderunt minutiora in Vitis præsertim sequioris sexus, aut etiam in aliis minus probata, nec semper ad accuratam chronologiæ rationem reddita, id Vitarum, quas scribebat, multitudini, urgentibus typorum operis, ac nescio cui in gratiam antiquarum fabularum (quæ enim historia seu secularis seu regularis suas non habet? quas, ubi semel receptæ sunt aut imbibitæ, vix quis deponere potest, aut audet arguere) præconceptæ opinioni facile condonandum. *Ne quid meritis Soëgii laudibus videamur velle subtrahere, ingenue fatemur, neminem hactenus a nobis perlectum esse, qui majore cum crisi et accuratione Acta* S. Dominici *collegerit.*

§ V. Præmonitio de vetustis Sancti Actis, quæ post hunc Commentarium edituri sumus.

Excudemus libellum B. Jordani

E*x antiquis* S. Dominici *biographis, quorum manuscripta vel impressa exemplaria nobis ad manum sunt, paucos et præcipuos ita eligere conabimur, ut simul omnia Sancti gesta exhibeamus, et tamen non nimis sæpe eadem cum tædio lectoris repetantur. Quapropter omittemus Constantinum Urbevetanum, jam ab Echardo editum, Spicilegium Gerardi de Fracheto, venerabilem Magistrum Humbertum, Vincentium Bellovacensem, et Jacobum de Voragine; quibus tamen utemur in hoc Commentario prævio aut in Annotatis, ubi quid diversum et notatu dignum occurrerit. His itaque prætermissis, primo loco et sub uno conspectu edemus ex antiquo Ms. membraneo libellum, quem B. Jordanus de principio Ordinis FF. Prædicatorum conscripsit, et quem Echardus nuper tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 99 *et* 293, *sparsim typis vulgavit ex codice monasterii Pruliani, cum quo manuscriptum nostrum conferemus. Insuper addemus ex eodem Ms. nostro miracula, quæ B. Jordanus videtur collegisse, et quæ Echardus aut non habuit, aut prætermisit.*

ex antiquissimo codice Uxamensi.

69 *Deinceps hunc libellum nostrum, in membrana scriptum, vocabimus codicem Uxamensem, quia illum Uxama olim accepimus. Tantæ autem est antiquitatis, ut eum ante annum* 1242 *exaratum fuisse opinemur : nam in Capitulo Bononiensi istius anni decretum est, ut aliqua periodus ex hac Legenda* S. Dominici *abradatur, quemadmodum supra num.* 3 *ostendimus. Hæc vero periodus in Ms. nostro Uxamensi utcumque erasa est, ut ibidem diximus. Unde probabilissime inferimus, illam periodum, et reliquam Legendam, quæ eodem charactere exprimitur, ante illud Capitulum Bononiense anni* 1242 *scriptam esse : quis enim facile sibi persuadeat, hæc contra decretum Capituli generalis postea scripta, ac deinde iterum erasa fuisse? Ceterum ubique in suis narrationibus maximam fidem meretur B. Jordanus, qui* S. Dominico *in magistratu supremo Ordinis successit, eumque Parisiis et Bononiæ vidit, et juxta testimonium Echardi tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 1 toto regiminis sui tempore ab anno MCCXXII

ad

ad MCCXXXVI, quæ ad illum attinerent, in suis per varia Europæ regna visitationibus ab æquævis et convictoribus diligenter inquisivit. *Si quis plura scire desideret de beato hujus Vitæ scriptore, legat Opus nostrum ad diem* XIII *Februarii, ubi Majores nostri Acta B. Jordani illustrarunt.*

et anecdotam Vitæ synopsim, quam in bibliotheca Barberiniana invenimus.

70 *Antiquitatis ordine post libellum B. Jordani typis vulgabimus breve quidem, sed pretiosum, Vitæ compendium, quod hactenus numquam publicam lucem aspexit. Hujus auctor est Bartholomæus Tridentinus, de quo præter Echardum, supra num.* 7 *citatum, Antonius Senensis in Bibliotheca Prædicatorum pag.* 40 *sic meminit:* Frater Bartholomæus Tridentinus, vir religione conspicuus, fama celebris et doctrina clarus, et spiritu devotionis fervidus, scripsit Legendarium Sanctorum, a quo plurimi postea hauserunt. Plura scripsisse fertur, quæ tamen ad meam notitiam non devenere. Claruit circa primordia Ordinis. *Similia habet Altamura ad annum Christi* 1225, *ubi citat Taegium part.* I *Monument. Ordinis, aliosque; qui tamen omnes videntur ignorasse, ab illo Bartholomæo talem gestorum* S. Dominici *synopsin posteris relictam* B *fuisse, et nusquam innuunt, aliquod istius apographum in suis cœnobiis exstare. Attamen Papebrochius noster Romæ istud Actorum compendium ex Ms. codice bibliothecæ Barberinianæ transcripsit, et in Commentario Prævio ad Vitam S. Antonii Patavini tomo* 2 *Junii pag.* 703 *conjicit, illa Sanctorum gesta a Bartholomæo Tridentino circa annum* 1240 *collecta esse; cui conjecturæ Echardus assentitur. Sed nos postea in Annotatis observabimus, saltem compendiosam* S. Dominici *Vitam certe ab eo inter annum* 1244 *et* 1251 *conscriptam fuisse.*

sicut deteximus alia Ordinis monumenta, Prædicatoribus ignota, teste Echardo,

71 *Quandoquidem ad conquirenda undique Sanctorum Acta nec labori nec sumptibus parcimus, et ad eumdem finem per diversas Europæ provincias diuturna itinera instituimus, nemini mirum videri debet, interdum a nobis detegi quædam monumenta ad Sanctos monasticos spectantia, quæ eruditos ejusdem professionis viros latent. Echardus enim in præfatione ante tomum primum Bibliothecæ Prædicatorum fatetur, id pluries contigisse, et hoc obsequium Ordini suo præstitum grate agnoscit his verbis:* Viros eruditos veteres et recentiores, qui historiæ ecclesiasticæ vel etiam litterariæ expurgandæ et accurandæ incubuerunt, vel etiamnum C incumbunt, omni qua par est reverentia prosequor et ubique laudo, ceu ex quorum lucubrationibus non parum profecerim. Inter alios nominandi veniunt eruditi Actorum Sanctorum, quæ Antverpiæ in dies prodeunt, editores, quosque gratus animus oblivisci non sinit, cum multa Ordinis monumenta e tenebris eruerint, quorum apud nos nulla jam extabat memoria.

cui aliquas notitias libenter acceptas referimus;

72 Cum tamen Ordinis Prædicatorum regimen nec illi nec alii a nobis extrates calleant, ut nec rescire illis obvium est, sicubi a vero aberrant, quod aliquando contingit, eos ea libertate emendo, quam permittit veritatis amor, quo se unice flagrare præstant, et quo uno flagrare omnes tenemur, nullo vero contendendi affectu, a quo sum alienissimus. Idem omnibus eruditis integrum de hoc opere judicium relinquo, tantumque abest, ut, si aliquoties erraverim, emendari ægre patiar, quin id ipsum totis præcordiis exoptem, ut historia nostra litteraria quam purissima tandem, et ab omnibus sphalmatis expurgatissima prodeat. *Nos quoque hoc veniam libenter damus, petimusque vicissim. Quare cum candida grati animi significatione fatemur, nos interdum ab Echardo aliisque meliora ac certiora edoceri, quæ omnia suo tempore et loco in Opere nostro corrigentur, et in hoc ipso Commentario quædam ad Vitam* S. Dominici *utcumque spectantia, de quibus alia occasione olim obiter sermo incidit, ultro emendabuntur. At eadem venia libere utemur, ubi ab opinionibus Echardi aliorumque dissentiemus, et tunc solidas sententiæ nostræ rationes reddere conabimur, ut jam superius facere cœpimus.*

et cujus desiderio satisfacimus citius

73 *Tertio denique loco edendam censuimus ampliorem* S. Dominici *Vitam, quam Theodoricus de Appoldia ex præcedentibus biographis, aliisque documentis undique collegit, ut ipsemet in prologo suo testatur. Hanc quidem Surius ad diem quintam Augusti typis vulgavit; sed more suo stylum mutavit, ac truncato codice usus, non nisi pauca fragmenta partis septimæ et octavæ exhibuit. Quapropter Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 454 *integram ac sinceram hujus Theodorici lucubrationem desiderat hoc modo:* Cum vero Surius stylum se immutasse fateamur, optandum esset, ut quis eam Vitam primigenio, quo scripta est, stylo quantumvis barbaro redderet, et prælo subjiceret ex codicibus Mss. authenticis et melioris notæ, idque quamprimum: etsi enim hac ratione E proditura sit in Actis Sanctorum Antverpianis, vix speranda est ante viginti quinque vel triginta annos. Addo ex codicibus antiquis et non corruptis: nam vitio notariorum plura irrepere errata notum est apud peritos; ea vero nonnisi ex plurium codicum Mss. collatione deprehendi possunt. Sic codicem, quo usus est Surius, corruptum fuisse hinc conjicio, quod quædam apud eum legantur, quæ non eodem modo referuntur a sancto Antonino, qui tamen codice Theodorici præcipue usus est in Vita S. Dominici.

quam ipse putaverat.

74 *Doleo, neminem ex Ordine Prædicatorum hactenus tam justo Echardi desiderio satisfecisse, et integram Theodorici lucubrationem ex antiquis codicibus edidisse: nam is editor me tetrico codicis nostri transcribendi et cum aliis conferendi labore liberasset. Attamen simul gaudeo, me Echardo citius obsequi potuisse, quam putarat: cum enim anno* 1719 *primum operis sui tomum ediderit, et tunc illam* S. Dominici *Vitam adhuc per viginti quinque vel triginta annos exspectandam censeret, ex anno editionis nostræ patet, media fere temporis parte exspectationem ejus jucunde deceptam fuisse. Dum autem Echardus antiquos et plures codices* F *exigit, ut errata ex plurium Mss. codicum collatione deprehendi possint, postulationi ejus ex parte dumtaxat satisfacere licet, cum non habeamus plures, quam duos hujusmodi antiquos codices, in membrana scriptos, de quibus hic nonnulla præmonebimus.*

integram Theodorici Appoldianam lucubrationem edentes ex Ms. codice Francofurtensi.

75 *Primus est codex membraneus optimæ notæ et antiqui characteris, quem Francofurtensem appellabimus, eo quod R. P. Udalricus Nols ex Ordine Prædicatorum, anno* 1688 *Prior Francofurtensis, eumdem nobis dono dederit, cum in bibliotheca sua haberet aliud ejusdem Vitæ Ms. exemplar, ut Papebrochius noster in fronte codicis notavit. Alter vero est codex Ultrajectinus, ut ex nota, cooperculo inscripta, patet, quem jam dudum possedimus. In eo plura ad Ordinem Prædicatorum spectantia, puta Vitas Fratrum Gerardi de Fracheto, Chronicon venerabilis Magistri Humberti, et Acta quorumdam Sanctorum ejusdem Ordinis, referuntur. Quamvis etiam ex membranis constet; tamen character illius recentior est, quam præcedentis, ut ex variis signis conjicimus. Quare Vitam* S. Dominici *transcripsimus ex codice Francofurtensi, qui in Museo nostro P. Ms.* 8 *notatur, eum-*

que

AUCTORE G. C.

quæ contulimus cum hoc codice Ultrajectino, qui ibidem P. *Ms.* 7 *signatur. Hi autem codices sibi mutuam præstant operam, ita ut ex uno suppleverimus, quod in altero deerat. Supplementa illa ad majorem securitatem uncis inclusimus, et in Annotatis subinde lectorem de hac re monebimus, ubi operæ pretium visum fuerit.*

eique caput ultimum ex Ms. bibliothecæ Vaticanæ adjungentes.

76 *At in neutro exemplari inveni caput ultimum* de modo orandi corporaliter sancti Dominici, *quod ex codice Bibliothecæ Vaticanæ numero* 1218 *accepi, et cui apographo Henschenius noster præfixit hæc verba :* Est caput ultimum Vitæ per Appoldiam. *Certe S. Antoninus Parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 2 § 1 *agens de eximiis* S. Dominici *virtutibus, etiam hos novem diversos orandi modos Sancto adscribit. Cum autem S. Antoninus codice Theodorici præcipue usus sit, ut Echardus supra asserit, ex codice Vaticano illud ultimum caput lucubrationi Theodorici de Appoldia confidenter adjungemus. Facile tamen credidero, hoc caput de variis orandi modis conscriptum fuisse a Gerardo Provinciali Germaniæ, qui comitiis Lucensibus interfuit, et multa ex ore sororis Cæciliæ exceperat,*

B

et Theodoricum forte illud pro suo adoptasse, aut saltem lucubrationi suæ addidisse : nam auctor istius apud nos num. 408 *sic loquitur :* Hoc modo oravit, quando suscitavit Deus oratione sua puerum Napoleon Romæ in sancto Sixto, in loco sacristiæ et in ecclesia in celebratione Missæ, quando elevatus est a terra, sicut narravit mihi illa devota et sancta soror Cæcilia, quæ præsens erat, et vidit cum alia multitudine. *Soëgius in Vita Gallica* S. Dominici *pag.* 448 *testatur, in bibliotheca Carcassonensi servari vetus manuscriptum (de eodem cum imaginibus, quæ Sanctum repræsentant, ibidem pag.* 257 *meminerat) in quo hi novem orandi modi exprimuntur. Sed quisquis demum sit auctor istius ultimi capitis, illum antiquum esse satis patet ex dictis et sequentibus verbis, quæ apud nos eodem numero ita leguntur :* Visus est etiam aliquando orare sanctus pater Dominicus, sicut a vidente audivi auribus meis, manibus et ulnis expansis.

Theodoricus Vitam Sancti colligere cœpit jussu Munionis, septimi Magistri Prædicatorum,

C

77 *Theodoricus hanc* S. Dominici *Vitam colligere cœpit jussu Munionis, qui ab anno* 1285 *usque ad annum* 1291 *toti Prædicatorum Ordini præfuit, ut colligitur ex epistola ejusdem Magistri generalis, qui in codice nostro Ultrajectino ante prologum memoratæ Vitæ ad Theodoricum ita scribit :* Dilecto sibi in Christo Fratri Theodorico de Appoldia, domus Erfordiensis provinciæ Theutoniæ, Frater Munio Magister Ordinis licet indignus, salutem et augmentum continuum cœlestium gratiarum. In remissionem peccatorum et in augmentum nihilominus meritorum vobis injungo, quatenus dictandi Legendam sancti Dominici patris nostri secundum datam vobis gratiam, de qua gero fiduciam in Domino pleniorem, meritum subeatis, ut non in vacuum gratiam Dei videamini accepisse; hæc inter alia diligentius attendens, ut sit veritate firmissima, integritate completa, gratiosa decore. Volo autem, quod Prior vester, qui pro tempore fuerit, vobis adsit consiliis, auxiliis, et solatiis, consolationibus optimis. Valete et orate pro me. Datum in Urbe veteri Idibus Aprilis. *Quamvis in hac epistola annus desit, tamen Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 453 *conjicit, illam anno* 1288 *datam fuisse, cum ad habenda Lucæ comitia generalia Munio se accingeret, vel inde reverteretur.*

78 *Interea Nicolaus IV Papa anno* 1291 *Munionem deposuit, cui successit Stephanus de Bisuntio, et hoc post biennium mortuo, ad supremum totius Ordinis magistratum evectus est Nicolaus de Tarvisio, aliter cognominatus Bocassinus, cui tandem Theodoricus de Appoldia lucubrationem suam offert hac epistola nuncupatoria :* Patri filiorum amabili, Nicolao Fratrum Ordinis Prædicatorum venerabili, Frater Theodoricus de Theutoniæ provincia per prosperitatem provincialium * meritorum pertingere ad æternorum præmia gaudiorum. Libellum, quem de patre divino Dominico et Ordine ab ipso instituto compositum sibi deferri vestra dignatio imperavit, in abjectis quidem cedulis ac vilibus petiis primum jam senex conscripsi, propriis manibus, oculisque caligantibus, et compegi; de cujus materia ipsius libelli proœmium vos instruet et docebit. Reperto igitur ex chronicis tempore, qui Sancti hujus parentes exstiterunt, ea quæ circa ortum et progressum et exitum vitæ ipsius gesta sunt, secundum decursum temporis disponere curavi; ita tamen, quod propter convenientiam materiæ, postmodum quæ acta sunt, præposui, et quæ ante, postposui subjungendo.

D

eamque absolvit sub Nicolao Bocassino.

* *alias* præsentium

E

nono ejusdem Ordinis Magistro Generali,

79 Legi sanctorum Patrum Bernardi et Francisci Vitas, cum multa integritate editas, elegantique stylo compositas, insigni sinceraque devotione probatas, nostrique eximii Patris præfulgentem et prælucidam valde dissimiliter scriptam Vitam. Cupiens igitur, statum Ordinis nostri plenaria certitudine non carere, posterisque nobilitatem aucti generis intimare, paternæ sanctitatis, prout potui, verbis simplicibus designavi. Multa de verbo ad verbum, sicut in exemplaribus reperi, posui; quandoque tamen propter consequentiam aliquid immutavi. Cumque ex iis, quæ ad manum habebam, exemplaribus, omnia consummassem, allata sunt mihi ad petitionem meam quædam scripta, quæ et pretio comparavi, propter quæ opus præteritum, ut illa insererem, penitus dissipavi : erant enim illa magnæ auctoritatis, utpote dicta testium juratorum, quæ Papa Gregorius nonus approbavit, magnorumque meritorum et exemplorum sanctitatis præcipue expressiva. Prævenit præterea me littera venerabilis patris nostri Fratris Munionis, tunc Magistri Ordinis, mihi istum laborem injungens et studium pro peccatis.

F

ut docet epistola dedicatoria.

80 Non ut volui, nec ut debui, feci tamen quod potui, ut videtis. Verum vos, reverendissime Pater, quod vestrum est, manum peritam apponite, et de hac informi materia opus, sicut scitis, perficite gloriosum. Decreveram certe huic operi superaddendo, immutando, ornando, ordinando, ulteriorem diligentiam adhibere, si facultas expensarum, et opportunitas temporum adfuisset; quibus deficientibus, destiti, et, ut aspicitis, dereliqui. Verumtamen quamdiu vivo, iis laborem impendere, si requiritur, non recuso. Ignosce, obsecro, mihi in nomine Jesu Christi : expavi et dolui primum, quod ad aures vestras mea imperitia pertingere debuit, nec credidi, hoc futurum. Spiritus Dei sanctus spiritum vestrum dirigat, et infundat, ut sanctitatis, in hoc libello descriptæ, devotus æmulator, et exsecutor efficax, et in Ordine, vestro regimini commisso, fidelis inveniamini consolator. *Hanc epistolam, cujus aliqua fragmenta Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 453 *et* 454 *exhibet, ex codice nostro Ultrajectino* P. *Ms.* 7 *integram transcripsimus.*

ex qua Echardus intervallum et finem elucidavit.

81 *Porro Echardus ex fragmentis hujus epistolæ ibidem monet observanda sequentia :* Cum dictus Nicolaus Bocassinus electus fuerit Argentinæ

MCCXCVI,

A

[illegible] operis præterpropter determinat

MCCXCVI, et sub finem anni MCCXCVIII Cardinalis assumptus; horum annorum aliquo jusserit hoc opus sibi nuncupari: unde septem aut octo annis solidis Theodoricum huic operi concinnando desudasse colligas. Quod autem ait auctor, se jam senem, cum scribere incepit, indicat se tum plus quam sexagenarium; nec mirum, oculorum caligantium meminisse, cum ea ætate nondum adinventa essent vitra illa, oculis senum adeo accomoda. Maxime etiam annotandum, quod monet, se in narratione non semper seriem annorum, quibus res actæ sunt, sequi; sed multa ὕστερον πρότερον, prout gestorum cognitio poscebat, se referre, ad quod maxime attendat, necesse est, qui ἀναχρονίσμους vitare voluerit. *Dein post alterum ejusdem epistolæ fragmentum ita concludit :* Ex his habetur, bis opus confecisse; prima vice ex prioribus Legendis; altera, receptis novem testibus Ordinis in canonizationis processu juratorum responsionibus, aliisque certis documentis, quæ in causa fuerunt, cur huc usque scripta conscindens, novum opus aggrederetur. *Quibus autem documentis ad colligendam hanc* S. Dominici *Vitam usus fuerit Theodoricus de Appoldia, postmodum distinctius ex prologo ejus intelligetur. Nunc examinandum est, an Theodoricus in suis narrationibus ubique æqualem fidem mereatur.*

B

Melchior Canus explodit quamdam Theodorici narrationem,

82 *Non est dubium, quin huic auctori summa fides debeatur in iis, quæ ex B. Jordano, Constantino Urbevetano, aliisque veteribus biographis collegit. Sed inter ipsos Prædicatores disceptatur, utrum prudenter credi possint omnia illa, quæ Theodoricus ex testimonio sororis Cæciliæ narrat. Sic scriptor ille apud nos num.* 147 *ex auctoritate ejusdem Cæciliæ præter alia prodigia refert, quomodo* S. Dominicus *dæmonem, sub forma simiæ sibi illudentem, tamdiu tenere jusserit candelam, donec digiti ejus comburerentur. At Melchior Canus lib.* XI *de Locis theologicis pag.* 533 *hæc et similia, tamquam fabulosa, explodit his verbis :* Illud item quam ridiculum, diabolum Dominico patri nostro semel obstrepentem, a Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta non molestiam solum, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi; sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ Divorum clarissimorum historias obscurarunt. Non autem decebat, veras Sanctorum res gestas falsis et commentitiis fabulis contaminari.

C

quam tamen Malvenda tueri nititur

83 *Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1219 *cap.* 25 *et sequentibus hanc sodalis sui Cani censuram ita refellit :* Ridet nostros historicos præclarus auctor, quod ad sanctum Dominicum referant, se jussisse diabolo accensam candelam, qua torqueretur, manu tenere. Ergo ridiculi sunt Theodoricus de Appoldia, S. Antoninus, Joannes Garzo, Marcus * Antonius Flaminius, et alii rerum sancti Dominici auctores, integri, prudentes, tanto consensu unam et eamdem rem prodentes. *At hoc loco adducere non oportebat recentiores scriptores, qui bona fide historiam illam ex Theodorico hauserunt. Quare Malvenda adversarium suum magis urget, dum ex verbis Theodorici probat, illam narrationem ex ore Cæciliæ, testis oculatæ, exceptam esse, ac deinde sic disserit :* Cernis, lector, quam integra fide Theodoricus rem gestam de diabolo, tenente candelam summo cruciatu, reddiderit. Acceptum a sanctissima virgine, quæ ex manibus S. Dominici habitum Ordinis accepit, plurima ejus miracula vidit, ipsum sæpe allocuta est, aliaque per-

** lege Joannes*

AUCTORE G. C.

multa ex ore ipsius audivit. Si hæc non est fides humana, nescio quænam esse potest.

testimonio Sororis Cæciliæ,

84 *Denique eamdem Theodorici, seu potius sororis Cæciliæ, narrationem variis exemplis credibilem reddere conatur, ac tandem ita concludit :* Atque hæc hactenus pro defensione historiæ, tot optimorum scriptorum fide relatæ, dicta sunto : quibus etiam viam munire voluimus ad similes narrationes stabiliendas, quas critici forsitan irriserint, dummodo de integritate auctorum simus securi. Illud tamen corrigendum in sancto Antonino, cum ait, illud dæmonis sub effigie simiæ terriculamentum, a sancto Dominico difflatum, Bononiæ contigisse : nam nisi bis id acciderit, certum est, uti prædiximus, apud sanctum Xistum rem effectam. *At nullo modo est verosimile, id bis contigisse, cum antiquiores biographi ne de unico quidem hujusmodi prodigio meminerint, ut jam videbimus.*

cui Echardus videtur parum deferre.

85 *Echardus profitetur, se mediam viam eligere, et velle hos duos adversarios conciliare, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 87 *de eodem Cæciliæ testimonio sic judicat:* Adde sororem Cæciliam, ex cujus ore hæc Bononiæ anno MCCLXXXVIII a Fratre Gerardo, tum pro Teutonia in comitiis generalibns Luchæ habitis diffinitore, et postea ejusdem Teutoniæ Priore provinciali, accepta sunt, octogesimum quartum ætatis tum excessisse, quæ et facile præ senio in quibusdam circumstantiis rei ante annos sexaginta octo gestæ errare potuerit. Imo ut vetularum est, quæ sua juvenili ætate acciderunt, non raro exaggerare ; hinc evenisse haud immerito quis putet, ut prædicta Cæcilia quædam de beato Dominico retulerit, verbi gratia de dæmone, in specie modo lacertæ, modo passeris, moniales turbante aut terrente, vel etiam simiæ, quam Sanctus candelam coram se tenere ad digitorum usque combustionem jusserit, et alia similia, quæ, ut verbo Ferdinandi de Castillo ad historiam generalem Ordinis præfantis utar, a viris gravioribus ceu pueriles ineptiæ, NIÑERIAS Y CUENTOS (*hæ voces Hispanicæ etiam* nugas et fabulas *significant*) habentur. E

ac proinde favere judicio Cani.

86 Hæc enim cum antiquiores et Sancto æquales vel suppares scriptores, Jordanus et Humbertus Ordinis Magistri, et Constantinus provinciæ Romanæ alumnus, ejus licet rerum vel minimarum curiosissimi, non meminerint, F
de iis nil umquam vel a sororibus Sansixtinis, vel a sodalibus, qui vivum viderant, se audiisse ostendunt; ac proinde ceu viro sapiente, ut Dominicum Bonifacius VIII vocare solebat, non satis dignis, ea saltem ratione, qua a Theodorico narrantur si fidem omnino non adhibeas, haud injuria feceris : ita tamen ut in relatis aliquid veri latere existimes, sicque Melchiorem Canum de Locis theologicis lib. XI cap. 6 omnia susdeque habentem, et Malvendam ad MCCXIX num. XXIV omnia suspicientem ac propugnantem conciliabis. *Quando Echardus ea, quæ narrantur de dæmone, candelam tenere jusso usque ad digitorum combustionem, et his similia phrasi Hispanica Ferdinandi de Castillo vocat* pueriles ineptias *seu* nugas et fabulas, *propius ad Melchiorem Canum accedit, quamvis sibi mediam viam tenendam proposuerit. Ego inter hos tres eruditos Dominicanos arbiter esse nolo, et propterea totam hanc litem maturo prudentis lectoris judicio decidendam relinquo.*

[illegible] extendendum [illegible]

87 *Sed interim moneo, ne quis hoc severum Cani et Echardi judicium ad alias quaslibet Theodorici narrationes extendat, atque ita omnem fere fidem ei adimat : nam impiger ille collector pleras-*

qu

AUCTORE G. C.

Theodoricus ex antiquis biographis hausit

que Actorum istorum historias ex antiquis scriptoribus et authenticis monumentis hausit. Id satis patebit ex Actis B. Jordani, et Bartholomæi Tridentini, quæ lucubrationi ejus præmittam, et ex instrumentis juridicis, quæ eidem subjungam. Ceteros hujus collectionis fontes, quos detegere potui, in Annotatis breviter assignabo ; reliquos vero, qui inquisitionem meam effugerunt, sagacitati aliorum indagandos relinquam. Hisce autem circa varios Vitæ scriptores præmissis, ut infra dicenda clarius intelligantur, ad eumdem finem paragrapho sequente exhibebimus chronologicam gestorum S. Dominici *seriem, juxta quam reliquus Commentarius noster prævius dirigetur.*

§ VI. Chronologicum Vitæ compendium, juxta quod reliquus Commentarius prævius ordinabitur.

Brevis Actorum chronotaxis,

B

Jam sæpe citatus Echardus tomo 1 *Bibl. Prædicatorum inter paginam* 86 *et* 87 *edidit folium expansum, in quo Vitam* S. Dominici *ordine chronologico breviter exhibet, et cui præfigit hunc titulum :* Tabula chronologica Actorum sancti Dominici, additis ad marginem cujuslibet anni Indictione, numero aureo, littera Dominicali, ac die Paschæ in commodum lectoris, ut in promptu habeat, qui numeret initium anni seu stylo veteri a die Paschæ, seu novo a prima Januarii, monitus una, apud chronologos seculi XIII, præsertim Gallos, annum a Pascha semper inchoari, mensesque præcedentes superioris anni censeri. *Infra discutiemus, an hæc regula generalis ubique locum habeat, et an ea methodus numerandi annos a Pascha ab omnibus seculi* XIII *scriptoribus usurpetur. Cum igitur hæc tabula per decursum examinanda sit, non existimavimus, Indictiones, litteras Dominicales, et alias notas chronologicas hic scrupulose exprimendas esse. Quapropter solos annos juxta opinionem Echardi rebus gestis præmittemus, ut saltem lector postmodum pervolvens antiqua Acta, quæ plerumque sine ullo temporis ordine vel indicio conscripta sunt, quamdam chronologicam rerum gestarum ideam formare possit.* C *Præterea hanc Echardi tabulam hic transcribimus, ut habeamus aliquam Actorum chronotaxim, juxta quam reliquus Commentarius noster prævius serie temporis procedat. Nunc ipsam tabulam exhibemus, et majoris perspicuitatis gratia singulos annos a nova linea incipimus :*

quæ exhibet Vitam S. Dominici in pueritia et juventute,

89 Anno MCLXX. Dominicus nascitur.

Anno MCLXXVI. Avunculo suo traditur educandus.

Anno MCLXXXIV. Palentiam in universitate humanis et divinis instruendus disciplinis amandatur.

Anno MCXCI. Theologiæ dans operam, exorta fame, libros et supellectilem distrahit, et pretium dat pauperibus, et per decem annos a vino abstinet.

Anno MCXCIV. Palentiæ sacras interpretatur Litteras.

Anno MCXCIX. Hoc anno circiter, Palentia, unde nondum alio excurrerat, Uxamum sive Oxomam evocatur a Didaco episcopo, fitque Canonicus regularis, tum Capituli Supprior; Collationes Patrum legit : si quandoque concionatur, ut verosimile, semper intra fines diœcesis.

90 Anno MCCIII. Hactenus nondum Uxamo egressus, Didacum episcopum, ad Marchias Alphonsi regis Castiliæ legatum, comitatur, et Tolosa transiens hospitem suum hæreticum convertit. D

Varia itinera et prima certamina

Anno MCCIV. Cum episcopo ad regem Alphonsum reversus, rursus cum eodem, iterum a rege ad Marchias legato, vadit.

Anno MCCV. Cum eodem episcopo, legatione peracta, Romam pergit ; inde redeundo Montem Pessulanum accedunt sub finem anni, Februario scilicet vel Martio sequenti : tres legatos, et duodecim Ordinis Cisterciensis abbates ibidem apud congregatos inveniunt, quos ad prosequendam apud Albigenses missionem adhortati, eisdem duces se præstant. Fulco recens electus episcopus Tolosanus possessionem init quinta Februarii stylo novo MCCVI, veteri MCCV.

Anno MCCVI. Circa Pascha, ut dictum, vel paulo ante vel paulo post, Didacus episcopus et Dominicus, ceu prædicatorum laudatorum antesignani et duces, hæreticos Albigenses verbo et exemplo adoriuntur, variisque in locis acres cum iis habent concertationes. Apud Carcassonam messes hæreticorum sanguine fluentes apparent die sancti Joannis Baptistæ. Arnaldus unus e legatis et abbas Cisterciensis mense Julio vel Augusto Cistercium ad comitia Ordinis generalia regreditur, et sequuntur plures abbates. Didacus et Dominicus in missione perstant impigri. Apud Fanumjovis celebris habetur cum hæreticis disputatio. Libellus a Dominico scriptus, fidem Catholicam exponens, ter in ignem projectus, exit illæsus. Dominicus tum monasterium Prulii erigit, et feminas nobiles a se conversas ibidem includit intra Natale Domini. E

91 Anno MCCVII. Mense Aprili Berengarius archiepiscopus plura monasterio Pruliano confert beneficia. Apud Montem regalem plures habentur cum hæreticis disputationes. Ibi adhuc erat Didacus, Dominicus, et alii prædicatores, cum Cistercio redit Arnaldus abbas et legatus, abbatibus duodecim comitantibus, mense Maio : hi omnes nudipedes, bini vel terni divisi, totam regionem perambulant, ubique per tres menses euangelizantes. Dum quadam die nostri prædicatores cum Albigensibus disputarent, Dominicus uni ex illis schedulam dat a se scriptam, et fidei Catholicæ argumenta continentem ; hanc hæreticus cum suis sodalibus tradidisset, hi in ignem ter projiciunt, unde semper evolavit illæsa : sed hoc privatim et inter perfidos solum actum, quod tamen revelavit miles quidam, qui affuerat. Appamiis solemnis indicitur circa Novembrem vel Decembrem disputatio cum Valdensibus : eo se conferunt plures episcopi et abbates, inter quos Fulco Tolosanus, Navarrus Consoranensis, Didacus Oxomensis cum Dominico, et alii. Exitus felix fuit, plurimis conversis, aut in vera fide confirmatis. Tum in Hispaniam redit Didacus ; sed priusquam discederet, Dominicum prædicationis ducem et præfectum instituit : jam quibusdam antea mensibus plerique abierant abbates. Petrus de Castellonovo unus ex legatis Papæ tum occisus est : Radulphus alter legatus tum etiam obiit : Arnaldus jam laudatus, vir magnarum partium, in Franciam ad regem se contulit.

adversus hæreticos Albigenses, F

92 Anno MCCVIII. Didacus Uxami moritur sexta Februarii. Fulco Tolosanus et Navarrus Consoranensis episcopi Romam adeunt, ut ab Innocentio

aliaque præclare gesta

nocentio

A nocentio III crucem obtineant adversus Albigenses prædicari. Voto adepto, crux in Francia prædicatur, in provinciis præsertim Cis-Ligerianis. Guido Vallium-Sernaii abbas inter prædicatores crucis ferventissimus claret. Interim Dominicus in Occitania perstat, Albigensium conversioni in omni patientia et doctrina totus incumbens.

Anno MCCIX. Cruce signati, duce Simone, Montisfortis comite, in Occitaniam adveniunt. Dominicus, huic bello non implicitus, verbo Dei solum instat; irrisiones, contumelias, insidias ab Albigensibus patitur: in his omnibus superat, suo eis martyrii desiderio declarato.

Anno MCCX. Idem prædicatoris munus Dominicus prosequitur: hospitatus apud nobiles dominas. Quadragesimam in pane et aqua jejunat, et super nudam tabulam cubat, easque ad fidem reducit.

Anno MCCXI. Concionari pergit. Simon comes Montisfortis Tolosam obsidet. Interim Dominicus in quodam ad Garumnam sacello orat, et quadraginta peregrinos Anglos, navi, qua flumen trajiciebant, demersa, pereuntes suis precibus ex aquæ profundo sustollit et liberat. Duodecimo Kalendas Junii Guillelmus de Cardalliaco, episcopus Caturcensis, apud Simonem Montisfortium clientelam profitetur: inter magnates testes adest Dominicus, et instrumento exinde confecto sigillum apponit. S. F. DOMINICI PRÆDICATORIS.

in partibus Tholosanis

93 Anno MCCXII. Guido Vallium-Sernaii abbas, electus episcopus Carcassonensis, e Francia redit, et Albiæ jam aderat vigilia Paschæ; mense Maio Narbonæ consecratur: quibusdam postea mensibus in Franciam revertitur, relicto in spiritualibus et constituto vicario Dominico. Ipse Dominicus ecclesiarum Consoranensis, Convenarum, et Biterensis pastor eligitur, quas omnes constanter recusat.

Anno MCCXIII. Guidone toto hoc anno absente, Dominicus vicarias ejus partes agit, et per Quadragesimam conciones semper habens, in pane et aqua jejunat, nec lectum intrat. Mense Septembri committitur prælium ad Murellum. Vincit Monfortius. Petrus Aragonum rex occiditur. Interim dum fervet pugna, Dominicus cum episcopis in ecclesia Murelli auxilium divinum implorat.

Anno MCCXIV. Guido episcopus Carcassonensis e Francia in Occitaniam revertitur, et ad partes Albigenses venit circa Octavam Paschæ. Dominicus nuptiis Almarici primogeniti Montisfortis, cum Beatrice Delphina benedictionem impertit Carcassonæ: filiam Simonis Montisfortis patris hoc circiter anno baptizat.

usque ad institutionem Ordinis Prædicatorum.

94 Anno MCCXV. Petrus Cellani quas Tolosæ ad castrum Narbonense habebat ædes, dat Dominico, qui eum et Thomam civem Tolosanum, virum nobilem, aliosque Ordini a se instituendo aggregat. Fulco episcopus Dominicum et socios prædicatores constituit in sua diœcesi, et ut victui aliisque necessaria habeant, sextam partem decimarum eis confert. Eumdem episcopum, Romam ad concilium Lateranense pergentem, comitatur Dominicus, qui Romæ jam existens mense Octobri, ab Innocentio III ante concilium, ecclesiarum, castrorum, prædiorum, redituum, hactenus monasterio Pruliano datorum confirmationem obtinet. Tum ab eodem Pontifice postulat, ut Ordinem instituere sibi liceat, qui Prædicatorum Ordo diceretur et esset. Responsum accipit, ut ad sodales Tolosæ agentes redeat, cum eis communi consilio regulam jam approbatam electurus, et postea Romam repetat, confirmationem sui Ordinis accepturus.

AUCTORE G. C.

Anno MCCXVI. Dominicus Prulii cum sexdecim circiter sociis regulam sancti Augustini, et quasdam severiores institutiones eligit. Mense Junio vel Julio datur eisdem ecclesia sancti Romani Tolosæ, ibique erigitur prima Ordinis domus. Decima sexta Julii moritur Innocentius III, cui altero die sufficitur Honorius. Sex e suis sodalibus nondum in sacris Litteris satis exercitatos Dominicus ad scholam theologiæ publicam ducit, ac sedulam studiis operam dare jubet; ipse vero Romam abit, eratque jam in Urbe, ut verosimile, mense Novembri. Vigesima secunda Decembris confirmationem Ordinis duplici diplomate testatam obtinet.

cujus confirmatione impetrata, Sanctus socios dispergit,

95 Anno MCCXVII. Duo alia diplomata Dominicus ab Honorio III obtinet mensibus Januario et Februario. Quadragesimam Romæ transigit, et ut conjectu pronum, in aula Pontificis epistolas sancti Pauli explicat publice. Tum apud Cardinalem Ostiensem frequentans, cum Guilielmo de Monteferrato ibidem morante, familiaritatem jungit, a quo et promissum accipit Ordinem amplectendi, sed postquam per biennium exinde Lutetiæ theologiam audiisset. Post Pascha in Galliam ad suos revertitur Dominicus, quos Tolosæ in S. Romani agentes invenit: menses duos tresve iis ultimo formandis insumit. Die Assumptionis omnes in Pruliano monasterio congregatos dividit; quatuor in Hispaniam, septem Parisios ablegat; duos Prulii, totidem Tolosæ e primis sociis relinquit; sed et plures tum ad Ordinem allegit. Mense Septembri etiamnum ipse in partibus Tolosanis perstabat, forte et ultra. Tum Romam vadit, socium assumens F. Stephanum Metensem, sed et quatuor alios recens ad Ordinem ascitos. Quos Lutetiam miserat, duodecima Septembris alii, alii paulo post advenerant, et domum ad majorem ecclesiam conduxerant, ubi fere per annum morabantur. Quos in Hispaniam F. Petrus Matriti, F. Suerius Gomez Scalabi domos Ordinis erexerunt: alii duo F. Michaël de Uzero, et F. Dominicus ad ipsum Romam redierunt.

et eumdem Ordinem per Galliam,

96 Anno MCCXVIII. Dominicus Romæ ab Honorio ecclesiam S. Sixti et cœnobium ei adjunctum accipit. Sodales plures indies aggregat. Collationes in palatio Apostolico resumit, vel Euangelium Matthæi vel epistolas Pauli explicare pergendo: interim et per Urbem concionatur, etiam in S. Petri basilica tanto plausu et fructu, ut ejus vestes auditores veluti reliquias conscinderent, ita ut ejus scapulare sic per particulas decisum vix ad genua descenderet. Circa initium anni, quod Romæ a die Annuntiationis numerabatur, quosdam e suis, nempe Joannem de Navarra, et quemdam Bertrandum, Bononiam mittit, iisque Ricardum ætate jam provectum præficit, illum scilicet, qui Tancredum virum nobilem, et alias in exercitu imperatoris tribunum, allegit ad Ordinem, quibus postea Michaëlem de Uzero et Dominicum, ad se ex Hispania reversos, jungit. Tum etiam Reginaldum, Aurelianensem sancti Aniani decanum, a febre ardentissima miraculose sanatum veste sua donat; voti tamen explendi causa in Palæstinam ire permittit. Plura ipse in S. Sixti miracula edit. Architectum, sub ruina ædificii oppressum, incolumem restituit.

Sodales

AUCTORE G. C.

Sodales in summa rerum omnium penuria, una vice quadraginta, altera ad centum, pane cœlitus misso pascit. Conventus procuratorem jam inunctum, et jamjam animam exhalantem, ad vitam revocat. Ex urbe ita tempestive egreditur, ut per Galliam Narbonensem Tolosanasque partes transeundo, Segobiæ in Hispania affuerit paulo ante Natale Domini, ubi cum ob summam siccitatem agricolæ nondum seminare incepissent, precibus copiosum illis e cœlo imbrem impetrat, et domum Ordinis erigit. Reginaldus e Palæstina redux, Bononiæ jam aderat XXI Decembris. Hoc eodem anno sodales Lutetiæ agentes e domo, a se conducta ad ecclesiam sancti Jacobi sibi concessam transeunt, et ingrediuntur sexta Augusti.

Hispaniam,

97 Anno MCCXIX. Matritum Dominicus progressus, domum a Fratre Petro, quem e Tolosa eo miserat, anno MCCXVII erectam instaurat, et plures ad Ordinem allegit. Apud Gualdafaien seu Guadalajara multos novitios induit, moxque propositi pœnitentes, liberos abire sinit; sed precibus ad Deum fusis, ut redeant, obtinet. Pluribus B in Hispania gestis, circa Pascha in Galliam revertitur. Tolosa rursus iter habet. Sodales tirones aqua in vinum versa recreat, et verbis mellifluis ad dura quæque pro Christo fortiter sustinenda excitat. Tum F. Bertrandum de Garriga, ibi inventum, socium assumens, primo ad Rupem-amatoriam, exinde octo diebus Aurelianos, ac tandem Parisios advenit, ubi Conventum triginta sodalium, sub F. Matthæo abbate sanctissime rectum, lætus aspicit. Collationes plures, ut illi ubique solemne, publice habet. Remos, Metas, Pictavos, Aurelianos mittit, qui in his civitatibus domos novas erigerent. Fratrem Petrum Cellani, ibidem inventum cum quibusdam sociis Lemovicas destinat, et jubet, ut intra Januarium sequentem eo advenerit. Jordanum, suum postea successorem, tum sacræ facultatis baccalaureum, nec de Ordine amplectendo adhuc cogitantem familiarem sibi facit. Guillelmum de Monteferrato, de quo supra, et a duobus annis Lutetiæ ex condicto theologiæ dantem operam, promissum exigens sua veste induit, et socium assumit, Bertrando de Garriga Tolosam dimisso.

C Italiam tum cogitans, iter per Burgundiam instituit. Castellione transiens filium sui hospitis, qui de superiori tabulato ceciderat, quasi exanimem vitæ restituit. Alpes dum pedes superat, quemdam F. Joannem Conversum, secum ex Hispania deductum, animo præ lassitudine et fame deficientem, pane cœlitus misso reficit. Bergomum primum, tum Mediolanum ingreditur. Hic apud Canonicos S. Nazarii honorifice excipitur. Concionibus suis totam commovet civitatem, tresque præstantissimos viros ad Ordinem adciscit : hos secum ducens, Bononiam pervenit sub finem Augusti. Numerosius jam erat Bononiæ Fratrum collegium, ferventissimis Reginaldi concionibus et sanctissimis exemplis aggregatum. Hinc itaque Dominicus eumdem Reginaldum Parisios ablegat, similem ab eo sperans in regia urbe successum. Tum vero sodales ad celebriores Longobardiæ civitates mittit, qui domos Ordinis erigant, et inter alios F. Joannem Salernitanum Florentiam. Ipse Romam cogitans, Florentia transit, ubi Benedictam, feminam nobilem, sed ob mores mundanos, permittente Deo, a malo spiritu vexatam liberat, et ad meliorem frugem adducit. Viterbii apud summum Pontificem Honorium III jam aderat XV Novembris. D Aulam summi Pontificis sequitur ad XVII Decembris, quo die per Breve Apostolicum, in civitate Castellana datum, ecclesiam S. Sixti sibi suisque Fratribus absolute concedi obtinet. Postea Romam pergit.

et Italiam mirifice propagat usque ad annum Christi 1221,

98 Anno MCCXX. Dominicus, Romam forte ante Natale ingressus, sodales sua præsentia beat. Tum vero resciens, cœnobium ad ecclesiam S. Sixti, quod sui inhabitabant, olim ab Innocentio III recludendis sanctimonialibus Romanis erectum fuisse, licet morte Pontificis opus interrumpente non perfectum, concilium Innocentii tam salubre, se tum conscio et quodammodo obice, irritum fieri non patitur : facilem esse omnia componendi rationem Honorium monet, sibi ecclesia S. Sabinæ detur, in eam sui sodales deducantur, tum in S. Sixti cœnobium, nostrorum curis religioni aptissimum factum, transferantur moniales Romanæ. Laudat Honorius, negotio cum Dominico conficiendo tres præponit Cardinales, Hugolinum Ostiensem et Nicolaum Tusculanum episcopos, ac Stephanum de Fossanova, titulo duodecim Apostolorum presbyterum. E Januario res incepta, Februario perficitur; at non sine miraculo. Die S. Valentini martyris XIV Februarii feria sexta cinerum ad S. Sixtum accesserat Cardinalis Stephanus præfatus, et cum Dominico colloquebatur; et ecce affertur Neapoleonis juvenis, dicti Stephani consanguinei, cum equo in foveam præcipitati corpus ab omnibus existimatum jam inanime. Dominicus jubet in quamdam cellam deferri, omnibusque exclusis, solus ingressus, oratione ad Deum fusa, juvenem vitæ restituit, et patruo Stephano coram adstantibus reddit sanum et incolumem. Præsentem miraculo ait Theodericus fuisse abbatissam S. Mariæ de Tempore, quæ cum quibusdam suis monialibus venerat, ut cœnobium, in quod transferendæ erant, lustraret. Dominica sequenti, prima Quadragesimæ, XVI Februarii, quadraginta moniales, omnes ecclesiæ S. Mariæ de Tempore, vel ut alii scribunt de Templo, ad S. Sixtum veniunt, ibi deinceps intra claustra absque egrediendi facultate moraturæ. His voluntariæ se jungunt eodem die magna pars monialium sanctæ Bibianæ, et aliæ ex diversis Urbis monasteriis ad numerum viginti F unius : quibus deinde accessere plures nobiles virgines Romanæ, quæ, seculi deliciis contemptis, crucem Christi magno animo amplexæ sunt. Octo sorores e monasterio Pruliano a Dominico vocatæ mox adveniunt, quarum primam, nomine Blancam, sanctus Vir monialibus S. Sixti dat præfectam seu Priorissam. Has certum e Prulio excessisse saltem mense Martio, forte et Romam advenerint ante XXV Martii, quo Romæ novus annus incipiebat.

Dominicus hac occasione S. Hyacinthum ejusque socios B. Ceslaum, Henricum et Hermannum ad Ordinem allegit, et post Pascha secum Bononiam, ubi ad Pentecosten prima sua comitia generalia habenda edixerat, deducit. Ex itinere Senis transit, ubi sodales a se Roma missos invenit, jam a decima quarta Martii locum a valetudinarii publici curatoribus ad inhabitandum accepisse, interim dum commodius ad erigendam Ordinis domum solum reperiretur. Florentiam etiam in transcursu visitasse volunt. In illis primis Bononiensibus comitiis regula S. Augustini et constitutiones in monasterio Pruliano anno MCCXVI superadditæ ab omnibus confirmantur, et pro

A pro toto Ordine acceptantur ; illa in primis, qua reditus certi cujuscumque generis abdicantur. Mox a finitis comitiis Dominicus Hyacinthum et socios in Poloniam ablegat. Ipse civitates Longobardiæ percurrit, ubique de more concionatus. Mediolani erat die S. Barnabæ, suosque in S. Eustorgii ecclesia, quam Dominica Passionis xv Martii intraverant, jam stabilitos, et in magno numero religiosissime viventes lætus videt. Ibidem febri correptus, quibusdam diebus hærere cogitur ; sed mox convalescens alio pergit, ubi domus Ordinis nondum erectæ erant, facile obtinens.

Bononiam jam redierat ante Assumptionem beatissimæ Virginis, illoque ipso festo die Conradum Teutonem, famosum universitatis magistrum, dum Primam canerent, ad pedes suos prostratum et habitum Ordinis enixe petentem, absque mora in gremium admittit. Postea identidem ad alias Longobardiæ, ut videtur, inferioris civitates Ordinis dilatandi causa se transfert, tumque, ut conjectu pronum, eum Mutinæ prædicantem decanus quidam de Francia audivit, qui et
B ei tentationem gravem, qua impetebatur, confessus, ejus precibus a Deo castitatem obtinuit. Dum etiam agit Bononiæ, sive hoc anno, sive superiori, Fratres victui necessariis carentes, misso cœlitus pane, bis reficit. Mense Novembri Romam rursus contendit, et Florentia iter instituens, ac Benedictam, quam anno superiori a maligni spiritus vexatione liberaverat, in negotio salutis negligentiorem reperiens, ea consentiente, ipsoque Deo rem committente, ut spiritus salvus fieret, in carne ut olim vexatam videt. Initio Decembris Dominicus jam erat Romæ.

quo Bononiæ obiit, postea honorifice sepultus, et numero Sanctorum adscriptus,

99 Anno MCCXXI. Dominicus Romæ agens, XVIII Januarii ab Honorio III Breve obtinet, in quo Canonicus tantum dicitur, et aliud XXIX Martii, in quo Prior Ordinis Prædicatorum nominatur. Lectiones vero suas in palatio Apostolico resumpsisse vix dubitaverim, ut et passim in Urbe prædicasse : id enim illi semper in more. Ibidem existens mille nonaginta libras dono accipit pro monasterio Sororum S. Sixti. Perstabat adhuc die XVII Aprilis, quo cum Fulcone episcopo Tolosano, in Urbe etiam præsente, transigit, et sextam partem decimarum, olim ab eo sibi et suis
C concessam in ejusdem manibus remittit, cedit, et, ut loquitur, desamperat, in perpetuum. Bononiam redeundo quam viam tenuerit, non omnino certum : probabilius, Viterbium cum Raynerio Cardinali Capoccio ivisse, tumque ab eo ecclesiam S. Mariæ ad gradus, et cœnobium adjunctum accepisse; hinc Senas, Florentiam, ac tandem Bononiam. Ad ferias Pentecostes XXX Maii, secunda habet in ea civitate comitia generalia. In his, Ordine in octo provincias distributo, totidem præfecti provinciales creantur, et ut supremum super eos caput MAGISTER deinceps vocaretur, injungitur. Post comitia, quinta Junii absoluta, Venetias ad Cardinalem Hugolinum vadit, tumque, ut verosimillimum, in ea urbe cœnobium Ordinis erigit : redit sub finem Julii; sed præ nimio æstu febre acriori correptus, qua indies invalescente, tandem in cœlum rapitur VIII Idus seu sexta Augusti, die Veneris, hora meridiana, ætatis quinquagesimo primo. In ecclesia veteri S. Nicolai sepultum fuit ejus corpus, sacra et omnia funeris officia celebrante sæpius nominato D. Hugolino, Ostiensi episcopo, summo postea Pontifice Gregorio IX.

Anno MCCXXXIII. Die XXIV Maii feria tertia Pentecostes, dum comitia Ordinis generalia Bononiæ habentur, præsidente Magistro Ordinis B. Jordano, sancti Dominici successore, hujus sanctissimi Parentis corpus in locum decentiorem celeberrima cum pompa translatum fuit : cujus translationis historiam postea scripsit idem Jordanus. AUCTORE G. C.

Anno MCCXXXIV. Gregorius IX beatum Dominicum Sanctorum albo inscribit Reate, V Nonas Julii.

ut docet hæc Actorum synopsis, secundum quam reliquus Commentarius ordinabitur.

100 *Habes hic historicum et satis accuratum Actorum compendium, quod pleraque* S. *Dominici gesta ordine chronologico complectitur. Quia tamen Malvenda, aliique scriptores ab hac Echardi chronologia interdum dissentiunt, diversas illorum opiniones suo loco indicabimus, et, ubi operæ pretium videbitur, eas breviter discutiemus : cum enim sæpe parum intersit, et certo statui non possit, an hujusmodi res uno anno aut aliquot mensibus serius vel citius contigerint, tricis hisce chronologicis non diu inhærebimus, ne lectori tædium afferamus; sed potissimum dabimus operam, ut in hoc compendio jam relata, antiquis instrumentis aut testimoniis confirmemus. Subinde etiam examinabimus quasdam narrationes, ab auctoribus recentioribus traditas, ut historias veras a falsis, et certas ab ambiguis secernamus. Denique interserendæ erunt nonnullæ controversiæ, quæ cum Actis* S. *Dominici connectuntur, et addenda quædam de miraculis, aliisque rebus, quæ ad posthumam Sancti gloriam spectant. Sed antequam promissam Actorum chronologiam sequamur, paragrapho sequente discutienda sunt nonnulla, quæ nativitatem Sancti præcessisse narrantur.* E

§ VII. Examen signorum, quæ nativitatem Sancti prænuntiasse et antecessisse dicuntur.

Sanctus dicitur prænuntiatus esse Sibyllinis oraculis,

Nonnulli existimant, Ordines Dominicanorum et Franciscanorum ante plura secula Sibyllinis oraculis clare prænuntiatos fuisse. Præter scriptores Franciscanos, Gerardus de Fracheto Dominicanus in Vitis Fratrum (hoc opus quidam venerabili Humberto tribuunt) post alias Ordinis sui prædictiones part. I *cap.* 2 *de hac re sic loquitur :* Sibylla etiam de hoc Ordine prophetasse videtur, et cum excel- F lenti eloquio commendasse, sicut patet inspicientibus librum ejus. *Joannes Garzo in Vita* S. Dominici *apud Leandrum Albertum fol.* 12 *hoc vaticinium adscribit Sybillæ Erythrææ, et ab ea non solum Ordinem Prædicatorum, sed etiam splendidum illius Institutorem, designatum esse innuit his verbis :* Sibylla Erythræa, quam Apollodorus Erythræus suam affirmat esse civem, sidus, cujus nitore universus terrarum orbis illustris redderetur et clarus, in Hispania procreandum denuntiavit... Atqui ab ea, quæ hæc cecinit, usque ad id temporis, quo Dominicus vitam vivebat, duo millia sunt et quadringenti nonaginta septem anni. *Garzo verosimiliter hanc Sibyllæ Erythrææ notitiam hausit ex historia Italica Joannis Villani, quam hic auctor circa medium seculi* XIV *conscripsit, et quæ nuper Mediolani inter Scriptores rerum Italicarum tomo* 13 *recusa est: postquam enim Villanus originem Prædicatorum ac Minoritarum, et sanctos utriusque Ordinis Fundatores laudaverat, in eadem editione Mediolanensi lib.* 5 *cap.* 25 *Italice ad rem nostram subjungit sequentia,*

AUCTORE G. C.

quæ sic Latina reddo : Vere Sibylla Erythræa respiciendo hæc tempora prophetavit de duobus istis Ordinibus dicens, duas stellas orituras, quæ mundum illuminarent.

quorum auctoritatem hic discutere non vacat.

102 *Non lubet hic fuse examinare auctoritatem istorum vaticiniorum, de quibus varia sunt eruditorum judicia, ut apud Honoratum a sancta Maria in Observationibus Gallicis de usu Criticæ tomo 2 lib. 2 dissert. 2, aliosque obvios scriptores licet videre. Nicolaus le Nourry ex Ordine S. Benedicti in Apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum tomo 1 lib. 1 dissert. 12 cap. 3 post accuratum Sibyllinorum oraculorum examen tandem § 10 ita concludit:* Verior enim videtur eorum opinio, qui censent, adulterina illa Sibyllarum carmina ab auctoribus variis, diverso tempore, variisque occasionibus composita fuisse, ac in eum tandem, quem nunc videmus, ordinem subsecutis temporibus, et forsitan recentioribus, compacta ac redacta. *Ceterum de hac re consuli potest Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi 1216 cap. 20, qui tamen ibi ac alibi prudenter monet, octo libros Sibyllinorum oraculorum, qui nunc circumferuntur,* non carere in multis imposturæ et suppositionis suspicione. *Non est etiam necesse, ut hoc loco repetam varios sacræ Scripturæ textus, quos Joachimus abbas Florensis prophetico spiritu de duobus hisce Ordinibus explicuit; cum Papebrochius noster ad diem* XXIX *Maii in Vita ejusdem sancti Abbatis illustrata tomo* VII *istius mensis pag. 141 interpretationes illas propheticas retulerit ac approbaverit. At circa similem materiam nunc discutienda est alia opinio, quam Papebrochius loco proxime citato non admisit.*

et diu ante nativitatem depictus fuisse Venetiis,

103 *Postquam S. Antoninus part. 3 Chronicorum tit. 23 cap. 1 § 1 retulit propheticam explicationem abbatis Joachimi, qui verba Zachariæ cap. 11 ℣ 7 de duobus Ordinibus mendicantium brevi orituris exposuerat, ibidem de Sancto Fundatore Ordinis Prædicatorum, in imagine prævia expresso, immediate subnectit sequentia:* Sed apertius prænuntiatus fuit, et declaratus particularius in pictura quadam, quæ reperta est in ecclesia sancti Marci Venetiis, ubi, antequam Dominicus nasceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur a cunctis, quarum una erat ad modum religiosi in habitu Ordinis Prædicatorum cum lilio in manu; altera similitudinem habebat apostoli Pauli, prout pingi consuevit, super quam scriptum erat ἅγιος Παῦλος, id est SANCTUS PAULUS ; sub figura vero ad pedes sic: PER ISTUM ITUR AD CHRISTUM. Super figuram alteram scriptum erat ἅγιος Δομινικὸς, SANCTUS DOMINICUS; sub ipso vero: FACILIUS ITUR PER ISTUM. Nec mireris de scriptura hujusmodi, quia doctrina Pauli, sicut et ceterorum Apostolorum, erat doctrina inducens ad fidem et observantiam præceptorum ; doctrina Dominici ad observantiam consiliorum, et ideo facilius per ipsum itur ad Christum.

ut etiam de S. Francisco asseritur,

104 *Scriptores Franciscani loco sancti Pauli in figuris istis Venetis substituunt Seraphicum suum patriarcham, ut fusius videre est apud Waddingum in Apparatu ad Annales Minorum, quem Franciscus Haroldus ejusdem Ordinis in compendio istius Apparatus num. 8 ita contraxit:* Joachimus, etsi non centum aut pluribus annis, ut quidam arbitrantur, præcesserit, ortum horum Sanctorum, cum illis etiam natis adhuc floruerit; multa tamen prophetico spiritu de iis prædixit, antequam vel ipsi inclarescerent, vel suos Ordines instituissent et specialiter de Minorum Ordine multa et magna in suo libro de Concordia utriusque Testamenti (etsi alibi plura) prædixit, quæ rerum eventus vera esse demonstrant, atque ex præteritis futurorum spem firmant. Idemque Joachimus utriusque Patriarchæ imagines fieri curavit opere musivo in templo divi Marci Venetiis, eo habitu corporis et vestitu, quem postea assumpturi, suisque sectatoribus præscripturi erant; dum tamen adhuc nec quemquam illorum viderit, nec ipsi excesserint ex ephebis; sed vel recens nati fuerint, vel, quod communior opinio fert, antequam nascerentur, sancto Dominico hoc ipsum Dominici nomen Græcis characteribus adscribens, et in sancti Francisci imagine exprimens ea stigmata, quibus a Christo postmodum insignitus fuit.

quibus picturis Papebrochius aliquas difficultates opposuit.

105 *Papebrochius noster tomo* VII *Maii pag. 141 huic imagini Venetæ varias opponit difficultates, et suspicatur, eam post obitum utriusque sancti Fundatoris exornatam fuisse, quod pagina sequente ex silentio veterum scriptorum ita probat:* Antiquiores certe de Vita eorumdem Sanctorum scriptores non videntur tam evidentem claramque, et quæ vulgo notissima esse posset, prophetiam fuisse prætérituri, si quid de ea tunc scivissent; maxime Gerardus in Vitis Fratrum, talia studiose colligens, et chronici Prædicatorum auctor. *Candidus Chalippe in notis ad Vitam S. Francisci, quam nuper Gallice cum prudenti ac erudita crisi edidit, lib. 1 pag. 3 istas Papebrochii oppositiones citat, iisque videtur acquiescere, cum illas non refutet. Contra vero Soëgius in Vita Gallica* S. Dominici, *quæ Anno Dominicano tomo 1 Augusti inserta est, pag. 281 et sequentibus, in omnem se vertit partem, ut prænuntiam illam imaginem partim vindicet, et oppositas Papebrochii rationes dissolvat. Sed nondum nobis hanc prophetiam persuasit, et saltem fateri cogitur, duas diversorum locorum figuras ab Antonino in unam conflatas fuisse, aut illam, de qua meminit, perperam Venetiis ab ipso collatam esse, quod ex numero sequente satis apparebit.*

Huic imagini Venetæ quidam addunt alteram Constantinopolitanam.

106 *Joannes Antonius Flaminius in Vita* S. Dominici *lib. 1 fol. 1 verso duas propheticas ejusdem Sancti imagines nobis ita exhibet :* Illud quoque silentio prætereundum non est, quod ad claritatem tanti Viri pertinet, aliquot ante seculis sacrum hunc Prædicatorum Ordinem, nec Ordinem tantum, sed et ipsum Institutorem, ac illius nomen, et quod non minus mirere, habitum quoque Prædicatorum, hoc est vestitum, fuisse præmonstratum: exstabat enim ac visebatur in templo divæ Sophiæ Constantinopoli beati Dominici et Pauli apostoli effigies, cujus supra caput scriptum erat Græce ἅγιος Παῦλος, id est, SANCTUS PAULUS; Dominici vero καλὸς Δομινικὸς, id est, BONUS DOMINICUS. Sub Apostoli pedibus scriptum erat: PER HUNC AD CHRISTUM ASCENDITUR; Dominici autem: PER HUNC AD CHRISTUM FACILIUS ASCENDITUR. Similis pictura Venetiis in templo divi Marci conspicitur in fornice loci, ubi ejus ædis reliquiæ servantur, ubi divorum effigies Dominici atque Francisci visuntur, auctore (ut perhibent) Joachim abbate, non paucis annis priusquam Prædicatorum ac Minoritarum Ordo institueretur; quem quidem abbatem prophetico insignem spiritu fuisse, constans fama est: neque solum ejus picturæ, sed et ceterarum, quæ in templo conspiciuntur, auctorem exstitisse ferunt. *Ex his patet, imaginem similem, qualem S. Antoninus Venetiis in templo S. Marci assignaverat, Constantinopoli in ecclesia S. Sophiæ a Flaminio collocari. Verum hæc concilient, quorum interest.*

AUCTORE G. C.

A *est. Interea pergamus Constantinopolitanam illam effigiem curiosius indagare.*

cujus vestigia adhuc supersint,

107 *Joannes a sancta Maria in Gallicis* S. Dominici *Actis lib.* 1 *cap.* 3 *agens de duabus istis imaginibus Constantinopolitanis, asserit, præter nomen utriusque Sancti, quod super capita eorum Græce expressum erat, in stylobata S. Pauli olim lecta fuisse sequentia verba:* διὰ τοῦτον ἀναβαίνεται εἰς τὸν Χριστὸν, *id est:* Per hunc ascenditur ad Christum; *pedibus vero* S. Dominici *subscripta fuisse hæc:* διὰ τοῦτον ῥαδιωτέρως ἀναβαίνεται εἰς τὸν Χριστὸν, *hoc est:* Per hunc facilius ascenditur ad Christum. *At unde scriptor ille novit, has voces Græcas præcise stylobatis utriusque Sancti inscriptas fuisse, cum eas non legerit, et ne quidem figuras illas viderit, etsi ipsemet anno Christi* 1630 *vel* 1631 *Constantinopoli fuerit? Quinimo ibidem ex relatione comitum itineris sui Constantinopolitani fatetur, imagines illas tunc fere omnino destructas fuisse, et tantum obscura earumdem vestigia superesse. Cum ipsemet jam esset Constantinopoli, cur eas figuras non examinavit? Certe hæc antiqua sancti Patris sui effigies accurate ei inspicienda erat,* B *quandoquidem comites itineris ad illam videndam admittebantur. Ex his circumstantiis non improbabiliter conjicio, Constantinopolitanas illas inscriptiones, de quibus nullus veterum meminit, ab ipso laudato Joanne ex Latinis S. Antonini aut Flaminii verbis Græce compositas fuisse.*

quæ opinio nobis non fit verosimilis

108 *Præterea suspicor, illos itineris Contantinopolitani comites viro simplici, et ut supra ex Echardo diximus, nimis credulo imposuisse. Ad istam suspicionem me movet summa Turcarum superstitio, qua peregrinos, ac præsertim Christianos, templis suis excludunt, ita ut vix umquam Christianus delubra eorum ingredi permittatur. Testatur id Augerius Busbequius, qui peculiari beneficio ad templum S. Sophiæ videndum admissus est, etiamsi esset legatus Cæsareus, ut ipse in epistola sua prima apud nos pag.* 73 *indicat his verbis:* Imprimis divæ Sophiæ templum adire placuit, quo tamen non nisi singulari beneficio sum admissus. Turcæ sua templa profanari credunt, si quis Christianus ingrediatur. *Joannes Cotovicius in suo Itinerario Hierosolymitano et Syriaco lib.* 4 *cap.* 5, *ubi de templis ac ritibus Mahometanorum agit, post alia idem testatur hoc modo:* Ad hæc templa nemini Christianorum patet aditus : C profanari siquidem Mahometæi putant, si Christianus aliquis ea introeat. Quare summopere cavere debet Christianus, ne temere ea ingrediatur; id enim si faxit, vel fidem Christi abneget, et Mahometæis sacris initietur, vel ultimum supplicium sustineat, necesse est. *Hinc igitur mihi suspecta redditur narratio illorum comitum, quibus Joannes a sancta Maria nimis facile credidit.*

nisi forte imago illa postmodum Constantinopoli collocata fuerit.

109 *Adde, quod apud Grelotum, Cangium, Bandurum, aliosque, qui templum S. Sophiæ exacte descripserunt, nulla harum figurarum mentio occurrat. Si tamen quispiam testibus fide dignioribus probaverit, aliquam* S. Dominici *effigiem olim in augusto S. Sophiæ templo exstitisse, aut etiamnum probabilia ejusdem indicia inveniri, non difficulter concedam, illam erectam fuisse a Prædicatoribus, qui jam ab anno* 1252 *Constantinopolim incolebant, ut Echardus tom.* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 136 *affirmat. Hoc autem fieri potuit intra illud tempus, quo Latini eam urbem possidebant, et priusquam anno Christi* 1261 *eamdem rursus Græcis relinquere cogerentur. Atque hæ sunt rationes, ob quas dubitamus, an Veneta vel Constantinopolitana* S. Dominici *effigies nativitatem ejus præcesserit, quamvis S. Antoninus et Flaminius forsan id ex populari quadam traditione confidenter asserant. Porro curiosus lector mature expendere poterit alias difficultates, quas Papebrochius noster loco supra citato contra antiquitatem Venetæ imaginis adduxit.*

Videtur abbas Joachimus S. Dominicum ejusque Ordinem prænuntiasse,

110 *Multo facilius nobis persuademus, propheticam quamdam* S. Dominici *effigiem alicubi in Calabria ab Abbate Joachimo formatam fuisse: id enim tradunt antiqui scriptores ex Ordine Prædicatorum, inter quos Stephanus de Salanhaco apud Malvendam in Annalibus ad annum Christi* 1216 *cap.* 20 *sic testatur:* Hunc beatum patrem Dominicum quasi præsentem obtulit facto et verbo venerabilis abbas Joachim, Florensis Ordinis institutor; facto quidem, quod habitum, non quem primo, ut Canonicus regularis, S. Dominicus tulit, sed quem a beatissima Virgine, Fratrem Reginaldum inungente recepit, Fratribus suis ostendit, et in quodam monasterio Ordinis sui in Calabria depinxit, dicens: « Cito surrecturus est in Ecclesia Dei Ordo novus docentium, cui præerit unus major, et cum eo ac sub eo erunt duodecim præfatum Ordinem regentes, qui sicut patriarcha Jacob cum duodecim filiis ingressus E est Ægyptum, sic ipse cum illis duodecim in illo Ordine post ipsum majoribus, ingredietur et illuminabit mundum. Cum venerint, illos cum honore excipite. » Quod et faciunt et fecerunt: nam quando primo Fratres venerunt ad eos, exierunt eis obviam cum crucibus et cum canticis spiritualibus, et in omnibus locis suis ipsos, sicut Fratres proprios, exhibent et pertractant.

esti in illa prædictione occurrant quædam

111 *Hermannus Cornerus ex Ordine Prædicatorum, cujus Chronicon Georgius Eccardus in Corpore historico medii ævi tomo* 2 *nuper edidit, ibidem col.* 846 *hanc abbatis Joachimi prophetiam refert, et etiam memorat duodecim majores sive regentes, cum quibus sanctus Fundator mundum ingrederetur ac illuminaret. At circa hunc numerum duodenarium nonnulla oritur dubitatio, an Joachimus in hac parte verum prædixerit. Si enim de primis* S. Dominici *sociis intelligatur, ii fuerunt sedecim, ut omnes antiqui biographi affirmant. Non ignoro Soëgium in Gallicis Sancti Actis pag.* 256 *operam dedisse, ut hunc numerum qualicumque modo explicaret, et illam abbatis Joachimi prophetiam prorsus illæsam servaret; sed, ut candide mentem meam* F *aperiam, necdum eruditus ille vir nodum solvit, cum vetustiores ejusdem Ordinis scriptores hunc numerum de duodecim Provincialibus interpretati fuerint, ut Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1216 *cap.* 20 *indicat hoc modo:* Jacobus Susatus duodecim illos majores Ordinis nostri, intelligit duodecim Provinciales, duodecim provinciis Ordinis impositos, qui numerus in Capitulo generalissimo Parisiis anno MCCXXVIII statutus, diu postea mansit. *At ea interpretatio suam quoque habet difficultatem, ut infra mox videbimus.*

intellectu difficilia,

112 *Scriptor anonymus ex Ordine Prædicatorum, quem Mabillonius Romæ ex manuscripto S. Sabinæ anni* 1367 *eruit, et quem Edmundus Martene Amplissimæ collectioni veterum scriptorum et monumentorum tomo* 6 *a col.* 331 *nuper inseruit, ibidem col.* 335 *memoratam Joachimi prædictionem ita recitat:* Venerabilis etiam abbas Joachim, Florinensis Ordinis institutor, Fratribus suis habitum, quem dictus magister Reynaldus a beatissima Virgine acceperat, prophetice demonstrans, in quodam monasterio Ordinis sui depingi fecit in Calabria, dicens: « Cito surrecturus est in » Ecclesia Dei Ordo novus docentium, cui præe-

» rit

AUCTORE G. C.

» rit unus major, et cum eo et sub eo erunt duodecim præfatum Ordinem regentes : quia sicut patriarcha Jacob cum duodecim filiis ingressus est Ægyptum, sic ipse cum illis duodecim in illo Ordine post ipsum majoribus, ingredietur et illuminabit mundum. Parcat illi Dominus, qui, causam et occasionem dederit, ut per provinciarum divisionem hic propheticus et apostolicus numerus tolleretur. » *Ultima illa periodus hic etiam uncinis distinguitur, acsi ea ad præcedentem Joachimi prophetiam pertineret. Attamen opinor, hæc potius esse verba auctoris anonymi, quam abbatis Joachimi : nam alter anonymus ejusdem Ordinis scriptor, qui ibidem ab Edmundo Martene editur, relatis iisdem Joachimi verbis, tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 348 *subjungit hanc clausulam :* Stante illa prophetia, timeo eos peccasse, qui causam et occasionem dederunt, ut per provinciarum divisionem hic propheticus et apostolicus numerus ab Ordine tolleretur.

et quæ cum aliis narrationibus ægre conciliantur.

113 *Superius dixi, hanc interpretationem non carere sua difficultate. Quomodo enim veritati consonum est, futuros* cum eo et sub eo duodecim B præfatum Ordinem regentes *seu Provinciales, quandoquidem ex antiquis monumentis constat, Ordinem solummodo divisum fuisse in octo provincias, vivente sancto Fundatore? Quomodo intelligemus, quod* S. Dominicus *juxta prophetiam abbatis Joachimi, vere* cum duodecim in illo Ordine post ipsum majoribus *ingressurus ac illuminaturus esset mundum, cum in vita sua plures socios, et pauciores provinciales habuerit? Non videmus probabilem hujus nodi solutionem, nisi dicamus, varias prædictiones Joachimo adscriptas fuisse, de quibus sanctus Abbas ille numquam cogitaverat, ut Papebrochius noster tomo* VII *Maii pag.* 137 *et* 138 *ostendit. Certe Gerardus de Fracheto, omnibus hactenus citatis hujus prophetiæ assertoribus antiquior, nullum verbum facit de duodenario illo sociorum aut provincialium numero, ubi tamen in Vitis Fratrum part.* I *cap.* 2 *eamdem Joachimi prædictionem sic refert :* Joachim etiam abbas, et institutor Florensis monasterii, de ipso Ordine Prædicatorum in multis libris et in multis locis scripsit : et describens Ordinem et habitum, monuit Fratres suos, ut post mortem suam, cum talis Ordo ex- C surgeret, susciperent eum devote ; quod et fecerunt, recipientes Fratres cum cruce et processione, quando primo venerunt ad eos. *Si quis hinc inferat, Ordinem Prædicatorum ab abbate illo prænuntiatum, ejusque vestitum in aliquo Calabriæ monasterio (puta Florensi) forsan in pictura aut statua* S. Dominici *prophetice expressum fuisse, propter testimonium laudati Gerardi credibilibus hisce consectariis non refragabimur. Nunc breviter expedienda est altera quæstio, quæ ad hunc paragraphum spectat, et cujus materiam indiscreta quorumdam pietas nobis subministrat.*

Aliqui tradunt, S. Dominicum in utero matris sanctificatum fuisse.

114 *Joannes a sancta Maria in supradictis* S. Dominici *Actis Gallicis lib.* I *cap.* 5 *quasi ex opinione S. Antonini refert, sanctum Ordinis sui Fundatorem in utero matris sanctificatum fuisse. Sed nec ego, nec Soëgius illam S. Antonini sententiam usquam hactenus invenire potuimus. Attamen Ludovicus Loumans in Notis ad Speculum peccatricis animæ, quod opusculum Echardus Alano Rupensi tribuit, eumdem sanctum archiepiscopum pro hac exotica opinione citat, et ibidem pag.* 246 *et* 247 *observat sequentia his verbis :* Nota, pium hunc auctorem non ignorasse quidem doctrinam S. Thomæ 3 part. quæst. 26 art. 6, ubi docet, certum non esse quemquam in materno utero sanctificatum, præter beatissimam Virginem Deiparam, de qua id universa Ecclesia sentit, et Jeremiam prophetam, ac Johannem Baptistam de quibus id sacra Scriptura clarissime tradit; videtur tamen in aliquorum sententiam propendere, qui de sancto Dominico idem docuerunt, quorum meminit sanctus Antoninus tertia parte Summæ theologicæ, cap. 5 § 6 (*neque hoc loco neque alibi simile quidquam in sancto Antonino reperi)* et cum non refellat, censeri potest adhæsisse. D

quibus opponitur doctrinam S. Thomæ,

115 *Si tamen Sanctus ille usquam huic singulari opinioni consenserit, opponimus ei auctoritatem S. Thomæ, qui Part.* 3 *Summæ theologicæ quæst.* 27 *art.* 6, *ex sacra Scriptura probans sanctificationem Jeremiæ et Joannis Baptistæ in utero materno, sic concludit :* Nec est credendum, aliquos alios sanctificatos esse in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit, quia hujusmodi privilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem communem ordinantur ad utilitatem aliorum (secundum illud I Cor. 12 : Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem) quæ nulla proveniret ex E sanctificatione aliquorum in utero, nisi Ecclesiæ innotesceret. *Quapropter Loumannus post notam suam superius citatam sic pergit, et auctorem suum prudenter deserit hac conclusione :* Ceterum nos S. Thomæ sententiam libentius amplectimur, et quæ sancti Dominici ortum præcurrerunt prodigia, futuræ tantum maximæ ejus sanctitatis portenta et argumenta fuisse plane asserimus. *At omittere potuisset, quod ibidem inutiliter ita subjungit :* Addimus tamen, quod, si quispiam beatum Nicolaum Mirensem episcopum, Levinum, Christinamque Coloniensem, id prærogativæ consecutos concedat, multo magis id sancto Dominico debere ab illo tribui ob rationem hoc loco ab auctore positam. *Nos juxta doctrinam S. Thomæ, ut supra diximus, Part.* 3 *Summæ theologicæ quæst.* 27 *art.* 6 *traditam, neque Nicolao Myrensi, neque Livino, neque Christinæ Coloniensi, neque aliis Sanctis (excipe illos, quibus sanctus Doctor id diserte tribuit) singulare hujusmodi privilegium concedimus.*

etiamsi auctor Speculi peccatricis animæ

116 *Quod si pius iste Speculi auctor, ut Loumannus supra asserit, doctrinam S. Thomæ non ignoraverit, sane miramur, illum sancto Doctori, ratiocinia sua et quamdam revelationem opposuisse,* F *dum in Speculo peccatricis animæ pag.* 17 *et sequentibus hanc orationem præscribit :* Amorosissima Maria, totius Trinitatis nobilissimum triclinium, universæ fidei via, methodus et regula, propter sponsum tuum Dominicum, ante conceptionem mirabiliter prævisum, post nativitatem prodigio stellæ magnificatum, et in utero matris a Deo visitatum, et matri in specie canis gerentis in ore faculam, qua totum mundum ad charitatem et fidem Christi inflammabat, ostensum; ex quo pie creditur, ipsum in utero matris fuisse sanctificatum ; magis enim hoc de ipso apparet, quam de sanctis Levino et Christina Coloniensi, qui in utero matris sanctificati leguntur ; non enim minus apparet de ipso, quam de Jeremia, cum pro majori causa Dominicus mundo fuerit datus, videlicet ad fundandum Ordinem Fratrum Prædicatorum, et totum mundum reformandum, quam Jeremias, qui fuit datus ad prædicendum tantum Judæorum populi futuram captivitatem.

exoticam hanc opinionem probare conetur.

117 Amplius etiam apparet, quoniam puer in originali peccato existens, non potest esse charitate inflammatus, nec a Deo dilectus singulariter

ter

A ter, nec electus, ut privilegiate et familiariter maxime Deo gratum faciat officium. Dominicus autem in utero matris erat Christi canis, et ita a Christo amabatur, ut catelli solent a suis dominabus. Habebat etiam faculam charitatis pro se et pro aliis in ratione summi et nobilissimi officii, scilicet Prædicatorum; qui maximæ erat excellentiæ : ipse enim primus est et principalissimus, qui statum fundavit pro causa prædicationis animarum; ob hoc Ordo suus divinitus nomen habuit Prædicatorum Fratrum. Aufer, inquam, a me et meis per hunc Dominicum, in utero matris sanctificatum (sicut tu aliquando visibiliter cuidam tuo famulo revelasti) mortale peccatum, quod secundum S. Ambrosium est inobedientia diviuorum mandatorum, *etc. Sed omnes hæ ratiunculæ et prætensa revelatio non magis me movent, quam Soëgium, qui in Gallica* S. Dominici *Vita pag.* 154 *hanc novam quorumdam opinionem recte explosit.*

Alias verisimiliores prædictiones de eodem Sancto

118 *Saltem majorem veritatis speciem habet quædam traditio, quam Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1170 *cap.* 9 *ex Ferdinando de Castillo, aliisque ita refert :* Sed B non absque præcedentibus prophetiis et divinis revelationibus natus est sanctus Dominicus. Gerebat uterum mater Joanna, et de periculis partus anxia, novemdiales vigilias ad sepulcrum S. Dominici Exiliensis abbatis, qui ante centum annos magna sanctitatis opinione obierat, et in Hispania, præcipua veneratione colebatur, cum non longe is locus a Calaroga abesset, devote peragebat. Vigilia, diviniore specie visus est illi sanctus abbas Dominicus, dulcibusque verbis consolatus devotam feminam, promisit etiam, nasciturum ipsi filium, qui sanctitate et doctrina insignis in ecclesia foret. Sic Joanna natum ex se postea infantulum in fidem oraculi et monumentum grati animi erga annuntiatorem patronum, nomine Dominici appellandum curavit. *Nicolaus Janssenius in Vita* S. Dominici *lib.* I *cap.* 1, *et Joannes a sancta Maria lib.* I *cap.* 4 *eamdem revelationem alia phrasi narrant. Nos traditionem illam relinquimus talem, qualem invenimus, cum ex veteribus biographis confirmari non possit.*

non difficulter admittimus.

119 *Longe certiorem fidem adhibemus alteri prænuntiæ visioni, quam mater ejusdem Sancti habuisse dicitur, dum sibi visa est parere catulum, qui* C *facem ore præferebat : id enim præter Vincentium Bellovacensem, venerabilem Humbertum, aliosque, Constantinus Urbevetanus apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 25 *narrat his verbis :* Mater, priusquam ipsum conciperet, ut quis esset futurus, non solum facta sequentia, verum etiam factorum sequentium procurata divinitus præsagia loquerentur, vidit in somnis se catulum gestantem in utero, ardentem faculam bajulantem in ore, qui egressus ex utero totam mundi faciem inflammabat. In quo quid detur intelligi, nemo qui prædicatorem in catulo, in ardente vero facula divinum eloquium, sacra attestante Scriptura, designari recordatur, ignorat. *Hæc de signis nativitatem Sancti præcedentibus dicta sufficiant. Jam ad alia ordine temporis examinanda progrediamur.*

§ VIII. Annus nativitatis, patria, parentes, et consanguinei.

Sanctus anno Christi 1170 *natus est*

S*anctus noster anno Christi* 1170 *in lucem editus est, ut post Theodoricum de Appoldia Antoninus Parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 *diserte tradit his verbis :* Beatus Dominicus, Prædicatorum dux et pater inclytus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus, villa, quæ dicitur Calorga, Oxoniensis * diœcesis, oriundus fuit, præsidente Romæ Alexandro III, imperante autem Frederico I, anno scilicet Dominicæ Incarnationis MCLXX. *Hanc nativitatis epocham sequuntur historici recentiores, eamque implicite confirmant omnes illi, qui passim asserunt,* S. Dominicum *anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo primo, ætatis suæ quinquagesimo primo, ad Superos migrasse.*

* *lege* Calaroga, Oxomensis

Calarogæ in Hispania,

121 *Patria ei fuit Hispania, ut omnes antiqui biographi consentiunt, cum quibus Constantinus Urbevetanus apud Echardum tomo* 1 *pag.* 25 *locum ipsius natalem ita distincte expressit :* Venerabilis E igitur pater beatus Dominicus, quem tempore mundo pariter occidenti destinandum providentia divina disposuit, ex Occiduis partibus Hispaniæ, scilicet villa quadam, quæ dicitur Calaroga, Oxomensis diœcesis, patre Felice, matre vero Joanna nomine, secundum carnem duxit originem. *Quidam scriptores aut eorum amanuenses hunc nativitatis locum diverso modo luxarunt, ut ex Actis infra edendis patebit. Stephanus Garibayus in Compendio historiæ Hispanicæ lib.* 12 *cap.* 44 *contendit, hanc* S. Dominici *patriam vernacule* Caleruega *appellandam esse. At non tantum in nomine, verum etiam in ipsa re errant Lucius Marineus Siculus, Franciscus Tarapha, et Alfonsus Garsias Matamorus, quorum verba tomo* 1 *Hispaniæ illustratæ pag.* 347, 559, *et tomo* 2 *ejusdem operis pag.* 811 *videri possunt, ubi hunc Sanctum perperam a patria* Calagurritanum *cognominant : duplex enim in Hispania est Calagurris, a Calaroga prorsus discrepans, quarum una nunc vernacule* Calahorra, *altera vulgo* Loharre *vocatur, et de quibus illustrissimus Petrus de Marca in Limite Hispanico lib.* 2 *cap.* 28 *num.* 2 *consuli pot-* F *est. Joannes Mariana noster lib.* 12 *de Rebus Hispaniæ cap.* 8 *situm Calarogæ sic breviter indicat :* In hoc numero principem locum Dominicus tenuit, Calarogæ natus in agro Uxamensi, pari propemodum Uxamam inter et Arandam intervallo.

cujus loci natalis situm Malvenda describit,

122 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1170 *cap.* 1 *eumdem locum fusius describit his verbis :* In Arevacis etiam urbs insignis, Uxama Argellæ Ptolomæo, Plinio vero aliisque Uxama simpliciter dicta, hoc tempore adhuc prisci nominis vestigia retinens Osma nuncupatur; quæ episcopali cathedra, et magnis ornamentis a multis jam annis illustrata, inter nobiles Hispaniæ civitates celebratur. In hujus urbis agro atque episcopatus ditione, quam diœcesim vocant, oppidum est Calaroga, sexdecim millia passuum ab Aranda Durii dissitum, pari propemodum Uxamam inter et Arandam intervallo, quondam opulentum, et splendidis familiis insigne, nunc pristinæ claritudinis vix reliquias conservat : diversum plane ab utraque Calagurri, quæ duæ urbes in Hispania eodem nomine celebres apud auctores habentur : cum Calaroga * nulla

* *forsan* Calarogæ

AUCTORE G. C.

nulla mentio priscis auctoribus, et eo nomine felix, quod primum ortum infantiamque beatissimi patris Dominici exceperit.

et ubi inter alia, ad gloriam Sancti spectantia,

123 *Alfonsus Castellæ rex, cognomento Sapiens, æra Hispanica* MCCCIV, *id est anno Christi* 1266, *Calarogæ cœnobium monialibus* S. Dominici *exstruxit, eo quod Sanctus ibidem natus esset, ut rex in suis litteris testatur, quas Malvenda se postea exhibiturum promittit. Sed cum hic Annales suos usque ad annum Christi* 1266 *non perduxerit, diplomata ad illam fundationem spectantia idiomate Hispanico apud Ferdinandum de Castillo in Historia Ordinis lib.* 2 *cap.* 78 *legi possunt. Porro cœnobium istud in catalogo, quem Edmundus Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ ex Ms. bibliothecæ Regiæ edidit, ibidem col.* 541 *inter monasteria Hispaniæ ita recensetur:* Monasterium sororum apud Calarogam in loco nativitatis S. Dominici, patris omnium. *Præter hanc Sancti memoriam, quæ Calarogæ adhuc superest, Nicolaus Janssenius in Commentario ad Vitam* S. Dominici *pag.* 242 *aliam magis prodigiosam memorat his verbis:* Ii, qui in Hispania nuper fuere, testantur

B

ibidem audivisse se eo loci, quo natus est sanctus Dominicus, pulverem quemdam enasci (quemadmodum Barcinone e sepulcro sancti Raymundi de Pegnafort) quo plura in dies fiunt miracula. *Miror, alios S. Dominici biographos de hoc miraculo non meminisse.*

honorifice conservari dicitur lustralis fons ipsius,

124 *Laudatus Janssenius in ipsa* S. Dominici *Vita lib.* 1 *cap.* 1 *de alia Sancti memoria ibidem superstite sic scribit* : Natus infans Calarogæ sacro fonte ablutus est, atque a sanctissimo abbate, de quo paulo ante docuimus *(intelligit S. Dominicum Exiliensem abbatem, qui matri gravidæ apparuisse dicitur, ut paragrapho præcedenti a nobis relatum est)* Dominici nomen accepit. Fons ille hodieque magno studio adservatur, in quo (existimem non sine felicissimo omine) expiatus est anno MDCV Catholicus Hispaniarum rex Philippus Dominicus Victor ; cui pater non satis putavit, si Philippus foret ea appellatione quartus, nisi et Dominicus esset hac appellatione primus. *De eodem venerando baptismatis fonte, ac singulari Philippi III regis Hispaniæ erga hoc sacrum monumentum pietate Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1170 *cap.* 10 *habet sequentia:* Exstat ad

C

hanc usque nostram ætatem baptisterium illud, seu concha lapidea candida, in qua sanctus infans Dominicus divino baptismatis sacramento vitæ suæ initia consecravit. Calarogæ summa veneratione conservatur. Nec est silentio prætereundum eximium pietatis exemplum, quo Philippus III Hispaniarum rex Catholicus amorem suum ac devotionem erga S. Dominicum ejusque Ordinem testari voluit, cum anno salutis MDCV, die vero XXIX Maii, Vallisoleti, totius Ordinis Prædicatorum conventus (Capitulum generale vocant) sub reverendissimo P. Fr. Hieronymo Xavierre, sacræ theologiæ professore, ejusdemque Ordinis Magistro Generali, de more ageretur.

in quo etiam Philippus IV, rex Hispaniæ baptizatus est.

125 *Deinde narrationem suam probat ex ipsis comitiorum generalium actis, quæ ad splendorem Ordinis hic libenter transcribam, et quæ ita sonant:* Denuntiamus omnibus nostri Ordinis Fratribus, potentissimum Hispaniarum regem Catholicum, Capitulum hoc nostrum amplissimis favoribus cumulasse : namque nostram solemnem et Fratrum multitudine numerosam supplicationem die sanctissimo Pentecostes ab ecclesia nostra sancti Pauli ad cathedralem tam in accessu, quam in

D

reditu, ipsemet pluribus principibus et horum regnorum proceribus comitatus, condecoravit. Fontem baptismalem, in quo sanctissimus pater noster Dominicus nomen in Christianam religionem dedit, ab oppido Calaroga Vallisoletum adsportari mandavit, et in eo principem ejus filium eodem sacratissimo die a Vesperis solemnissimo ritu ab illustrissimo et reverendissimo domino D. Bernardo de Rojas et Sandoval, S. R. E. Cardinali, archiepiscopo Toletano, in templo nostro baptizari jussit, vocatumque est principis nomen Philippus, Dominicus, Victorius *. Publicas nostras disputationes sua regia præsentia cum regina uxore cohonestavit : amplissimam eleemosynam pro alendis Fratribus, qui ad Capitulum ex diversis terrarum orbis partibus confluxerant, maxima cum hilaritate tribuit, ac permulta alia præstitit, quibus magnam, qua erga nostrum Ordinem afficitur, benevolentiam clarissime ostendit.

* *alias* Victor

Judicium de nomine Dominici,

126 *Paucis interpositis, Malvenda ibidem de nomine, quod Sanctus in baptismo accepit, sic disserere incipit*: Dominici nomen, quod Vir Dei in sacro fonte suscepit, commune illi cum aliis Dei

E

servis, qui ante eum eximia sanctitate floruerunt, fuit. *Tum enumerat varios hujus nominis Sanctos, et ad eumdem annum* 1170 *cap.* XI *ita pergit :* At sanctus Dominicus noster, ut horum nominis, ita et sanctitatis æmulus, haud dubium, quin eos in omni virtutum genere superarit. Ab Exiliensi Dominico nomen nostro ex oraculo factum, jam superius annotavimus. Ceterum Dominici appellatio sublime quiddam et eximium indicat, nempe eum, qui totus Domini sit. Ridendum, quod quidam *(is est Stephanus de Salanhaco, ut in margine indicatur)* Dominicum quali Domini cuppam dictum existimavit, nempe vas electionis. *Jacobus de Voragine Actis* S. Dominici *præmisit plures hujusmodi etymologias, quæ simplicem seculi istius genium produnt. Etiam recentiores quidam biographi mysticas ejusdem nominis explicationes excogitarunt, quæ æque tribui possent aliis Sanctis, qui idem nomen gesserunt. Sed mihi non videntur quærenda mysteria in illo nomine, quod huic Sancto facile imponi potuit propter S. Dominicum Calciatensem vel alterum Exiliensem, qui tunc temporis in Hispania plurimum celebrabantur.*

F

et opinione Salazarii, qui nomen patris ipsius perperam immutavit.

127 *Sanctus habuit parentes honestos ac pios, ut Theodoricus de Appoldia apud nos infra num.* 2 *testatur. Pater ipsius vocabatur Felix, mater autem Joanna, quorum nomina veteres scriptores clare exprimunt. Unde satis mirari nequeo, qua auctoritate Ludovicus Salazarius de Castro in Historia familiæ de Lara lib.* 2 *cap.* XI *patrem* S. Dominici *Ferdinandum appellaverit. Nempe genealogus ille conjiciebat, patrem Sancti perperam nominari Felicem propter initialem litteram* F. *(initiales nominum litteræ nonnumquam in veteribus diplomatibus occurrunt) atque hac conjectura fretus pervulgatum Felicis nomen in appellationem Ferdinandi commutavit. Franciscus de Berganza ex Ordine S. Benedicti, qui Antiquitates Hispaniæ propugnatas anno* 1719 *et* 1721 *Matriti Hispanice edidit, parte* 2 *istius operis pag.* 99 *suis popularibus quasi de nova notitia detecta gratulari videtur, et ibidem asserit, Salazarium in laudata Historia familiæ Laranæ pag.* 89 *et* 348 *contra communiter receptam opinionem consueta sua eruditione probasse, quod pater* S. Dominici *non Felix, ut hactenus credebatur, sed Ferdinandus appellatus fuerit. At tam auctorem hujus novæ notitiæ, quam ejus laudatorem vehementer hallucinatos esse, patet ex consensu vete-*

rum

A *rum Mss. nostrorum, in quibus nomen Felicis non initiali littera* F *designatur, sed totum exprimitur.*

Contra Joannem Garzonium ostenditur,

128 *Sancto fuerunt duo fratres germani, etiamsi Joannes Garzonius in Vita* S. Dominici *apud Leandrum Albertum fol.* 8 *de uno dumtaxat ita meminerit :* Id temporis Callarogam, quod Hispaniæ admodum nobile est oppidum, Felix quidam incolebat, vir summa probitate, summa virtute, summaque liberalitate præditus. Hic Joannam sibi matrimonio conjunxerat, puellam quidem venustam, muliebribusque officiis ornatam. Ex hac Christi optimi maximi munere duos suscepit filios, Dominicum et Antonium. Eos, ut consuetudinis est, instituendos curavit : quo factum est, ut, cum ætate progrederentur, in sacerdotum numerum adscriberentur. Antonius, quod mira pollebat misericordia, his, qui in summa erant mendicitate, egregiam navabat operam ; omnibus siquidem et petebat et serviebat : ut morte defunctus est, multa sunt ab eo signa perpetrata. Dominicus autem, contemptis hujus mundi illecebris, sese Religioni addixit. *Nescio, unde Joannes Garzonius nomen Antonii eruerit, quod veteres siluerunt.*

B

Sancto fuisse duos fratres germanos,

129 *Maxime miror, ei ignotum fuisse alterum* S. Dominici *fratrem, cum Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 1 *evidenter duos recenseat hoc modo :* In primis igitur ad sanctitatis ejus argumentum dicimus, quod non solum habuit parentes honestos et pios, sed et duos fratres germanos, viros valde perfectos, quorum unus presbyter operibus misericordiæ in quodam hospitali se totum exponens in obsequiis pauperum, fertur in vita et post miracula claruisse ; alter vero frater, Manes dictus, vir contemplativus et sanctus, Deo diu in Ordine serviens, beato fine quievit. Duo vero nepotes ejus * in Ordine sancte et laudabiliter vixerunt. *Echardus tomo* 1 *Bibliot. Prædicat. pag.* 37 *ad hunc textum præter alia sic notat :* Duo vero nepotes hic laudati, filii fuerint cujusdam S. Dominici sororis, nisi tertius ei fuerit frater hic non recensitus. *Quid si Gerardus nepotes pro aliis consanguineis vel affinibus in latiori significatione acceperit ? Ceterum ambos hos fratres fuisse natu majores, Flaminius in Actis* S. Dominici *clare indicat his verbis* : Parentes illi fuere Felix atque Joanna, qui quales fuisse censendi sint, de tanto Filio, deque aliis, quos genuere, facere conjecturam licet : nam duos, antequam Dominicus nasceretur, susceperant, qui doctrina, vitæ sanctitate, ac sacerdotio clari evaserunt, quorum alter relicta domo et opibus paternis, Christi pauperibus, dum vixit, ægrotantibus in xenodochio ministravit, vivusque ac vita functus miraculis claruit. Alter, cui nomen fuit Manes, terrenis et ipse renuntians rebus, vitam elegit monasticam, et cum sanctissimo Fratre suo inter Prædicatores diu, et magna cum laude vixit.

* *In Ms. nostro* duo etiam nepotes eorum

C

quibus Josephus Lopez Agurleta alios addit,

130 *Josephus Lopez Agurleta, Canonicus Augustinianus ex Ordine S. Jacobi, in Appendice ad Apologiam suam pro* S. Dominico, *quam Matriti anno* 1732 *Hispanice edidit, pag.* 93 *et sequentibus pro certo habet, secundum* S. Dominici *fratrem a memorato Mamete differre, et consequenter eidem Sancto ut minimum tres fratres concedendos esse. Id autem clarissime deduci existimat ex Actis Appollianis, quæ apud Surium legerat, et ex quibus propterea Latine et Hispanice recitat sequentia :* Peperit enim Johanna duos filios, qui litteris imbuti, sacerdotio initiati sunt. Alter ex eis in domo quadam hospitali ministerio pauperum se mancipans, in vita sua clarus fuit, et, ut fertur, post obitum miraculis coruscavit. Alter vero mundo valefaciens, vitam monasticam complexus est, et in ea multo tempore Domino serviens, vir sanctus et contemplationibus divinis deditus, beato fine quievit. *Ex his verbis confidenter concludit, Mametem ab his duobus* S. Dominici *fratribus diversum esse, eo quod Mames non fuerit* vitam monasticam complexus, *sed vixerit inter Canonicos Tolosanos S. Romani, seu primos Prædicatores, qui proprie monachi appellari non possunt. Inde ulterius infert, certissime Mametem, et forte alios* S. Dominici *fratres ac sorores a Theodorico omissos fuisse. Sic quidem ille ratiocinatur.*

AUCTORE G. C.

et erronee putavit, unum ex iis fuisse monachum,

131 *Sed auctor hujus novæ opinionis advertere debuisset,* vitam monasticam *sæpius in latiori significatione ab auctoribus accipi, ac usurpari pro quolibet instituto religioso in Ordine regulari. Præterea consulendus erat genuinus Theodorici textus, qui apud nos sic sonat :* Genuit enim Johanna Dei gratia viro suo Felici duos filios *(scilicet ante nutivitatem* S. Dominici, *de qua postmodum agit)* qui litteris instructi et probabiliter conversati, gradum sacerdotii conscenderunt. Horum unus in hospitali quodam obsequiis pauperum se dedicans, humilitatis gratia et misericordiæ operibus, aliisque virtutibus in vita sua clarus exstitit, et, ut fertur, post obitum miraculis coruscavit ; alter vero relinquens seculum, ad Religionem transiit, in qua multo tempore Domino laudabiliter serviens, vir sanctus et contemplativus beato fine quievit. *Nullum hic fit verbum de vita monastica ; sed secundus ille* S. Dominici *frater dicitur transiisse ad* Religionem, *per quam commode intelligi potest Ordo Prædicatorum, in quo Mametem vixisse constat. Denique laudatus Josephus consulere poterat Vitas Fratrum, in quibus Gerardus de Fracheto nomen Mametis diserte exprimit, et secundo* S. Dominici *fratri idem elogium texit. Itaque Hispanus ille scriptor mutato Surii stylo inductus est in errorem, in quo eum fortasse confirmarunt sequentia, quæ jam relaturi sumus.*

E

forte quia Manes Prædicator sepultus est apud Cistercienses,

132 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 6 *de Manete, seu Mamete, vel Maneete (sic nomen illius varie scribitur) recitat sequentia Bernardi Guidonis verba :* Hic obiit et quiescit in monasterio quodam monachorum alborum in Hispania, ubi miraculis et virtutibus claruit. Sanctus reputatur et honorabiliter custoditur prope altare, ibidem habens venerabilem sepulturam. Sic de loco sepulturæ et fama sanctitatis retulit in Capitulo generali Tolosæ anno Domini MCCCIII *(Echardus tomo* 1 *pag.* 37 *in notis annum* MCCCIV *assignat)* quidam Frater Hispanus, qui erat socius Prioris provincialis Hispaniæ, et fuerat ad tumulum ejus. *Supra laudatus scriptor anonymus seculi* XIV *apud Edmundum Martene in Collectione amplissima tomo* 6 *col.* 333 *enumerans primos* S. Dominici *socios, similia de tumulo ejusdem pii viri ita repetit :* Quintus Frater Manees Hispanus, uterinus frater sancti Dominici, et sanctitatis ipsius purissimus imitator. Hic fuit vir contemplativus, qui diu in Ordine serviens beato fine quievit. Hic obiit et quiescit in quodam monasterio alborum monachorum in Hispania, ubi virtutibus et miraculis claruit.

F

qui hunc perperam Ordini suo adscribunt.

133 *Dein Malvenda loco proxime citato post allegata Bernardi Guidonis verba recte notat, nomen monachorum alborum tunc communiter datum fuisse Cisterciensibus, et ibidem ex Ferdinando Castillo refert, in monasterio S. Petri Gumielis Izanensis (locus vernacule* Gumiel de Yzan *vocatur, et in*

diœcesi

AUCTORE G. C.

diœcesi Uxamensi situs est) corpus hujus Manetis religiose asservari. Hinc Cistercienses hagiographi venerabilem illum virum Ordini suo passim adscribunt, atque inter alios Chrysostomus Henriquezius eumdem sub nomine Mamerti ad diem undecimam Martii Menologio suo ita inseruit : In sancto Petro prope Gumialem, Mamertus, monachus Cisterciensis, et ejusdem cœnobili abbas, sanctissimi confessoris Dominici Prædicatorii Ordinis antesignani frater germanus, qui continua carnis maceratione et spiritus mortificatione longum duxit martyrium, et suis operibus præparatam coronam, carnis solutis nexibus, in cœlesti Jerusalem accipere meruit : cujus sacra ossa, auctoritate ecclesiastica elevata, inter Sanctorum corpora in altari eisdem dicato honorifice adservantur. *Henriquezius ibidem in notis hanc annuntiationem suam quibusdam testimoniis confirmare nititur. Sed longe probabilius existimamus, hunc germanum* S. Dominici *fratrem ad Ordinem Prædicatorum spectare. Quare RR. PP. Dominicanos iterum rogamus, ut nos clare edoceant, an in illo S. Petri monasterio sit tam publicus ac licitus hujus* B *Manetis vel Mamerti cultus, ut in Actis nostris inter Beatos vel Sanctos referri mereatur.*

Flaminius, narrat, quemdam Sancti consanguineum Romæ jubileo anni 1200 et 1300 interfuisse,

134 *At de quibusdam* S. Dominici *consanguineis vel affinibus aliquid dicendum superest occasione duorum nepotum, quos Gerardus de Fracheto superius memoravit. et quibus Flaminius in Vita ejusdem Sancti fol.* 1 *verso tertium ita superaddit :* Fuere per idem quoque tempus, *inquit,* ex propinquis illius tres quidem non dissimiles, quorum duo in Ordine Prædicatorum magna cum laude vixerunt. Tertius vitam duxit eremiticam : qui cum annum ageret decimum quintum, et annus esset ille jubileus, Romam venit, et post annos centum eodem ad alterum jubileum rediit, et coram Bonifacio octavo, Pontifice maximo, juravit, se superiori jubileo interfuisse; qui reversus in Hispaniam diem suum feliciter obiit. *His verbis scriptor ille indicat, hunc Sancti propinquum Romæ fuisse anno* 1200 *et* 1300, *quo posteriori jubileum sub Bonifacio VIII Pontifice celebratum est. Quamvis id omnino fieri potuerit, tamen de veritate istius narrationis dubitamus propter rationes, quas jam adferemus.*

de cujus rei veritate dubitamus

135 *Jacobus Cardinalis diaconus sancti Georgii ad velum aureum, et Bonifacii VIII Pontificis* C *consanguineus, scripsit opusculum de jubileo anni* 1300, *quod Coloniensi veterum Patrum Bibliothecæ tomo* XIII *a pag.* 479 *insertum est. In eo libello testis ille oculatus narrat præcipua, quæ tempore istius jubilei Romæ contigerunt, et ibidem cap.* 2 *pag.* 481 *ad rem nostram hæc habet :* Nec vivus præteritorum defuit testis, qui peregrinationis suæ centum et septem asseverans annos, multis etiam eodem Præsule coram (ob id ipsum ascitis) astrueret, meminisse, patrem alio centesimo Romæ (quousque, quem secum detulit agricola, suffecit victus) ob indulgentiam moratum; seque admonuisse, ut si (quod non putaret) advenisset, ut venturo centesimo Romæ nequaquam puer adesse pigritaret : nobisque idem sciscitantibus intulit, unaquaque ejusdem anni die illic centum annorum indulgentiam lucrifieri posse. *Non opinor, Flaminium ex hoc agricola, vel agricolæ filio, propinquum aut consanguineum* S. Dominici *facere voluisse.*

propter silentium testis oculati.

136 *Deinde Jacobus Cardinalis cap.* 7 *ejusdem opusculi in prædicta editione Coloniensi pag.* 482 *aliud extraordinariæ senectutis exemplum tunc visum stylo non minus barbaro sic refert :* Ipsa venientium modestia progressusque famulatum merebatur, cum et septuagenarii et ultra infirmi etiam lecticis deferrentur; fuitque centenarius de Sabaudia, genere non humilis, præteriti centesimi tamquam qui fuerat memor, per filios allatus causa jam salubrem aspiratus mortem. Nec ut alias vage, sed circumcisus labia, lumbos præcinctus, vel infra id temporis, quo metam jam putamus peregrinatio caperet in cœlis. *Suspicor, quod auctor his posterioribus verbis significare velit, senem illum Sabaudum Romæ ipso tempore jubilei feliciter obiisse. Ut ut est, adjuncta hujus narrationis Hispano eremitæ, et* S. Dominici *propinquo, convenire non possunt. Si itaque eremita ille Hispanus coram Bonifacio VIII Pontifice jurasset, se præterito Jubileo anni* 1200 *interfuisse, cur Cardinalis Jacobus hoc prodigium omisisset, cum studiose exempla hujusmodi colligere videatur? Etiamsi hæc ad Sanctum nostrum proxime non spectent, tamen ea hoc loco discutere voluimus, ne quis aliis Flaminii narrationibus nimium confidat.* D

E

§ IX. An Sanctus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit.

Ex stirpe Guzmanica, quam genealogi nobilissimam agnoscunt,

Hieronymus de Villalobos, Lazarus de Puerta Quinones, Petrus Barrantes Maldonatus, Ambrosius Morales, Prudentius de Sandoval, Petrus Hieronymus de Aponte, aliique genealogi tum Hispani tum exteri consentiunt, stirpem Guzmanorum inter nobilissimas Hispaniæ familias numerandam esse, etiamsi de antiqua illustrissimi istius stemmatis origine disputent, quam aliqui ad Gothos, quidam ad duces Britanniæ Armoricæ referunt, ut apud Jacobum Wilhelmum Imhoffium in Genealogia aliquot illustrium familiarum Hispaniæ pag. 118 *et sequentibus videre est. Nullus itaque de insigni et vetusta familiæ Guzmanicæ nobilitate dubitat; sed quæstio pure historica superest, an* S. Dominicus *ex illustri illa stirpe ortum duxerit. Imhoffius, Ludovicum Salazarium de Castro secutus, in tabulis genealogicis operis proxime citati pag.* 103, *patrem* S. Dominici *Ferdinandum appellat; at paragrapho præcedente ex constanti veterum Mss. lectione ostendimus, patrem ejus Felicem vocari, et hanc novam Ludovici Salazarii de Castro conjecturam abunde refutavimus.* F

ortus dicitur S. Dominicus ab auctoribus neotericis,

138 *Ambrosius Morales peculiari dissertatione Hispanica, quam tomo* 3 *Chronici generalis Hispaniæ subjunxit, consanguinitatem* S. Dominici *cum stirpe Guzmanica variis argumentis vindicare nititur, ubi tamen fol.* 332 *fatetur, eam suo tempore nondum satis probatam fuisse, et propterea quosdam de illa dubitasse. Hinc passim recentiores auctores, qui de rebus gestis* S. Dominici *agunt, hunc Sanctum eodem nobilitatis titulo exornant, ita ut Malvenda in Annalibus ad annum Christi* MCLXX *cap.* 5 *de consanguinitate illa sic confidenter scribat :* Natum Virum Dei splendidissima Guzmanorum familia, auctores omnes et cuncta vetera monumenta testantur. *Sed utinam Malvenda protulisset cuncta vetera ista monumenta, quæ nos hactenus invenire non potuimus! Certe apud biographos nostros aliosque veteres scriptores, nullum nobilissimæ istius consanguinitatis vestigium reperimus, ut ex allegandis eorum textibus jam apparebit.*

quamvis de nobilitate illa taceant veteres biographi,

139 *Beatus Jordanus apud nos num.* 4 *agens de pueritia* S. Dominici, *hæc tantum habet :* Fuit quidam adolescens, nomine Dominicus, in eadem

diœcesi

AUCTORE G. C.

A diœcesi, villa, quæ dicitur Chaleruega, oriundus, quem ab annis puerilibus parentum suorum, specialiter autem cujusdam archipresbyteri, avunculi sui, diligentia nutriebat. *Huic ætate proximus est Bartholomæus Tridentinus, qui synopsim Vitæ six exorditur* : Dominicus, ...a vico Calagora diœcesis Oxomensis provinciæ Hispaniæ, patre Felice, matre Joanna editus, ante suam præfiguratus est nativitatem. *Constantinus Urbevetanus apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 25 *de natalibus ac parentibus ejusdem Sancti sic breviter agit :* Venerabilis igitur pater, beatus Dominicus, quem tempore mundo pariter occidenti destinandum providentia divina disposuit, ex occiduis partibus Hispaniæ, scilicet villa quadam, quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis, patre Felice, matre vero Joanna nomine, secundum carnem duxit originem. *Præterea Gerardus de Fracheto, qui ab aliis biographis omissa* S. Dominici *Acta collegit, de parentibus et fratribus ejus sic obiter meminit :* Non solum parentes habuit honestos et pios, sed et duos germanos fratres, viros valde perfectos, *etc. Nullus horum de illustri* B *illa Sancti prosapia verbum facit.*

inter quos Theodoricus ab Echardo violenter exponitur,

140 *Denique inter veteres biographos Theodoricus de Appoldia inferius num.* 13 *patrem et matrem Sancti nostri ita indicat :* In Hispaniæ partibus, villa, quæ dicitur Calaroga, Oxomensis diœcesis. anno Dominicæ Incarnationis MCLXX fuit vir unus, qui vocabatur Felix et accepit uxorem nomine Johannam; qui secundum statum seculi satis quidem erant honesti, et ante Deum Christiana pietate devoti, *etc. Echardus tomo* 3 *Bibl. Prædicat. pag.* 25 *ex hoc Theodorici textu nobilem* S. Dominici *prosapiam elicit, et ibidem ad ea biographi verba sic notat :* Tò SATIS juxta grammaticos significat ABUNDE; itaque SATIS HONESTI, hoc est multum præstantes, maxime illustres et honesti, generis nobilitatem indicat. *Dubito an hæc interpretatio ab omnibus statim admittenda sit, etiamsi ultro concederem, vocem* satis *apud grammaticos interdum pro* abunde *usurpari : cur enim Theodoricus satis honestos* S. Dominici *parentes non appellasset nobiles, aut genere illustres, ut biographi nobilium Sanctorum facere consueverunt? Præterea Echardum rogamus, ut hanc ex-* C *plicationem suam conciliet cum verbis ejusdem Theodorici, qui numero præcedente eximias* S. Dominici *virtutes laudans inter alia de eo sic scripserat :* In hac peregrinatione admirabilis refulsit in gratia, naturalisque nativitatis ortu HUMILITER fulsit ex Hispania. *Quid hic sibi vult adverbium* humiliter, *si parentes* satis honesti *pro maxime illustribus accipiendi sint, et iste loquendi modus nobilitatem stirpis indicet, ut Echardus contendit?*

et a Thoma Trugillo turpius interpolatur.

141 *At illa Echardi expositio saltem tolerabilior est, quam interpolatio Fratris Thomæ de Trugillo, qui in Actis Appoldianis satis honestos* S. Dominici *parentes tacite sola sua auctoritate in illustrissimos commutavit, et tomo* 2 *Thesauri concionatorum col.* 1411 *Vitam ejusdem Sancti ipsis fere Theodorici verbis ita narrare incipit :* Præsidente in cathedra sancti Petri magno patre domino Alexandro tertio, et Frederico primo imperante, in Hispaniæ oppido Callaroga Oxomensis diœcesis, anno Domini MCLXX fuit quidam vir, Felix nomine, qui sibi matrimonio junxit uxorem Joannam; erant autem hi tum secundum seculi conditionem ILLUSTRISSIMI, tum erga Deum Christiana pietate devoti, *etc. Nescio, qua fide F. Thomas de Trugillo hisce Actis ibidem præfixerit titulum sequentem :* Vita beatissimi patris Dominici, Ordinis Prædicatorum primi institutoris, auctore Fratre Theodorico de Appoldia Dominicano. *Quis, hisce lectis non crederet, parentes* S. Dominici *ab ipso Theodorico de Appoldia* illustrissimos *vocari, cum tamen hic auctor eos tantum* satis honestos *appellet; imo superius asserat, eumdem Sanctum naturalis nativitatis ortu* humiliter *ex Hispania fulsisse? Hic igitur majorem fidelitatem in Fratre Thoma de Trugillo desiderare cogimur. Jam videamus, utrum alii historici, aut etiam recentiores Actorum collectores, nobilitatem illam clarius expresserint.*

Etiam nobilitatem illam silent historici synchroni ac suppares,

142 *Lucas Tudensis,* S. Dominico *synchronus, tomo* 4 *Hispaniæ illustratæ pag.* 2 *inter alios patriæ suæ martyres et confessores Sanctum nostrum recenset; sed de nobilitate ipsius altum silet. Bernardus Guidonis in Libello de Magistris Ordinis Prædicatorum apud Edmundum Martene tomo* 6 *col.* 397 *de loco natali aliisque dotibus sancti sui Fundatoris hæc tradit :* Primus ac præcipuus dominus et Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum fuit beatus Dominicus, natione Hispanus, de villa, quæ dicitur Calaroga, diœcesis Oxomensis, vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus; qui fuit primo Canonicus Regularis ac E Superior regulatus et regulans in ecclesia Oxomensi provinciæ Toletanæ, qui superioratus habebat in eadem ecclesia personatum. *Nicolaus Trivettus, chronographus Dominicanus, in Spicilegio Dacheriano novissimæ editionis tom.* 3 *pag.* 180 *de natalibus ejusdem Sancti tradit sequentia :* His temporibus in Hispania claruit vir Dei Dominicus, sanctitate et religione insignis, qui in villa, quæ Calaroga dicitur, ex piis natus parentibus, et religiose nutritus, cœpit esse puer ingeniosus, utpote qui sortitus est animam bonam. *Hæc ille verosimiliter transcripsit ex venerabili Humberto, qui eadem phrasi utitur.*

qui tamen de gestis S. Dominici agunt

143 *Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* 7 *cap.* 22 *patriam et parentes* S. Dominici *exprimit his verbis :* Dominicus Ordinis Prædicatorum dux et fundator inclytus ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga Exomensis diœcesis, patre Felice, matre Joanna originem duxit. *Denique ut Vincentium Bellovacensem, Jacobum de Voragine, Mombritium, similesque Actorum collectores omittam, sanctus Antoninus tomo* 3 *Chronici tit.* 23 *cap.* 4 *circa eamdem rem sic scri-* F *bit :* Beatus Dominicus Prædicatorum dux et pater inclytus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Callagora, Oxeniensis * diœcesis oriundus fuit, præsidente Romæ Alexandro tertio, imperante autem Friderico primo, anno scilicet Dominicæ Incarnationis MCLXX; cujus pater vocatus est Felix, mater Joanna; honesti siquidem parentes et Deo devoti habuerunt filios tres, qui litteris instructi gradum sacerdotii conscenderunt. Unus eorum se dedit hospitalitati in hospitali deserviens, et magnis virtutibus clarus, dicitur post mortem miraculis claruisse; secundus dictus est Mannes contemplationi deditus, et Frater Ordinis effectus; tertius fuit beatus Dominicus. *Dein ibidem repetit, Sanctum nostrum natum esse* ex piis parentibus, *et supradictam venerabilis Humberti aliorumque phrasim imitatur. Sane miramur, neminem ex his omnibus scriptoribus de tam illustri* S. Dominici *nobilitate expressam mentionem fecisse. Hinc etiam patet, Malvendam non parum hyperbolice locutum esse, dum loco supra citato dixit, quod nativitatem ejusdem Sancti ex* splendidissima Guzmanorum familia

* *lege* Calaroga, Oxomensis

AUCTORE G. C.

sicut et Breviaria ante medium seculi XVI *excusa.*

familia auctores omnes, et cuncta vetera monumenta *testentur*.

144 *Ipsa Breviaria Romana, medio seculo decimo sexto antiquiora, de hac splendidissima* S. Dominici *consanguinitate silent : nam, ut vetustiora prætermittam, in Breviario Romano, quod anno* 1556 *Parisiis excusum est, præscribitur sequens Lectio :* Dominicus natione Hispanus, vir sanctitate et doctrina clarus, Ordinis Prædicatorum auctor Calagura *(in editione Coloniensi anni* 1536 *melius* Calaroga *legitur)* Oxomensis diœcesis oppido, natus est patre Felice, matre vero Joanna; quæ facta gravida in somnis visa sibi est utero se gestare catulum cum facula ori inserta, qua egressus ex utero totum mundum incenderet. *Quinimo ipsi PP. Prædicatores ante medium seculi decimi sexti non videntur illustrem illam sancti Fundatoris sui nobilitatem Officio ecclesiastico inseruisse : nam in Breviario Ordinis sui, quod Parisiis anno* 1549 *impressum est, in lectionibus primi nocturni tantum de natalibus ejus cantabant sequentia :* Beatus Dominicus, Prædicatorum dux et pater inclytus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis oriundus fuit..... Pater ejus Fœlix; mater vero Johanna nuncupata est, quæ antequam ipsum conciperet, vidit in somnis, se gestare catulum accensam ore faculam bajulantem, qui egressus ex utero totum mundum incendere videbatur.

B

quibus hæc postmodum inserta est.

145 *Non ignoro, illam* S. Dominici *cum stirpe Guzmanica consanguinitatem post aliquot annos Lectionibus insertam esse : siquidem in Breviario Prædicatorum, quod in eadem urbe Parisiensi post sex annos, sive anno Christi* 1555, *iterum typis excusum est, Lectio quarta sic recitatur* : Beatus Dominicus, Prædicatorum Ordinis dux et pater inclytus, in Hispaniæ partibus ex nobilissima Gusmannorum prosapia ortus, quasi novum sidus mundo emicuit. Hic matri suæ carnali, adhuc eum in utero gestanti, præmonstratus est in figura catuli, accensam in ore faculam bajulantis, etc. *Hinc forte opinio illa postmodum transiit in Breviarium Romanum, quod jussu S. Pii V typis Plantinianis Antverpiæ anno* 1569 *editum est, et in quo legimus sequentia :* Dominicus Calarogæ in Hispania ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis ac theologiæ operam dedit : quo in studio cum plurimum profecisset, prius Oxomensis ecclesiæ canonicus Regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Hujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alvo catulum, ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. *Eadem hodiedum in Breviario Romano recitamus.*

C

Affictum S. Catharinæ Senensi illustre stemma

146 *Nemo mihi hic dicat, istam Breviariorum auctoritatem sufficere, ut de illustribus* S. Dominici *natalibus non dubitetur : simile enim hujus rei exemplum habemus in sancta Catharina Senensi, de cujus stirpe in antiquis Actis et lectionibus tantum narrabantur sequentia :* Beata Catharina de Senis patrem Jacobum, matrem vero Lapam nomine, in civitate Senensi virtute fideque probatos habuit. *In Breviariis Prædicatorum, quæ circa medium seculi decimi sexti prodierunt, eadem Sancta* honesto genere orta *dicebatur. Postmodum credebatur nata* ex Benincasia una cum Burghesia familia, ex eodem stipite proveniente, *quemadmodum in Breviario Romano usque ad annum* 1641 *legimus. At eo anno hæc splendida Sanctæ consanguinitas examinata, et ex Breviario Romano legitime expuncta est, postquam ipsa nobilissima Burghesiorum familia sese huic lectioni opposuisset, ut apud nos tomo* III *mensis Aprilis pag.* 978 *fusius licet videre.*

D

irrepsit in Breviaria recentiora, ut fatetur Echardus.

147 *Unde Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 833 *de natalibus ejusdem sanctæ Virginis hæc tamquam certa statuit :* Patrem nimirum, *inquit*, habuit sancta Catharina Jacobum de Benencasa dictum, Senensem utique civem, virum simplicem et sine dolo, Deum timentem et recedentem a malo; qui parentibus orbatus, duxerat Lapam ejusdem cum eo civitatis, nec statu dissimilem. Plebeia scilicet uterque de gente fuit, nec tamen illaudabili popularium genere sati, quique temporalibus pro modo status satis abundarent, uti notat in Vita Sanctæ capite primo Raimundus; tinctoriamque Senis Jacobus exercebat, pannis et lanis tingendis occupatus, unde tinctoris audiebat ille nomine. Quod hic annotamus, ne quis ultra modum et veritatem, Catharinam sorte sua contentam, inanibus stemmatum et fictis attollat titulis, aut nimia generis obscuritate deprimat : tam enim injurius in Sanctos, qui falsam eis affingit generis claritatem, et qui nativam eorum obscurare nititur aut præripere : illud quidem vani otiosique hominis est; hoc lividi : quod utrumque fugiendum et pudendum. *Deinde huic recentiori opinioni, propter quam prætensa S. Catharinæ nobilitas postea Breviariis quibusdam inserta fuerat, opponit silentium veterum, ac ibidem ita concludit :* Quare mirum satis, qua typorum an aliorum temeritate vel levitate in Romani Prædicatorumque Breviarii lectionibus immutatum et affictum de Benincasia Burghesiaque nobilitate et affinitate, quod Urbani VIII decreto, die XXVIII Septembris MDCXLI Romæ, sanctæ fidei promotore interveniente, in congregatione sacrorum rituum, Cardinali Caietano referente, dato, deleri merito jubetur, eque nova Breviarii editione hæc abradi in lectionibus temere adducta sequentia verba : EX BENINCASIA UNA CUM BURGHESIA FAMILIA EX EODEM STIPITE PROVENIENTE. Quæ scilicet in editionibus Breviarii præcedentibus ad annum usque MDCXXX, aut circiter, haud inveniebantur.

E

qui id etiam judicat de stirpe S. Francisci Borjæ, qua suo tempore examinabitur.

148 *Laudatus Echardus pagina sequente tomi proxime citati asserit, in examinandis Sanctorum Actis non nisi per accidens et secundario discuti nobilitatem generis, eamque obiter comprobari, dum processus Canonizationis instituitur, vel Officium in festivitate alicujus Sancti recitandum admittitur. Scriptor ille ibidem hanc assertionem suam probare nititur exemplo S. Francisci nostri, qui communiter de Borja cognominari solet, et cujus progenitores asserit oriundos esse,* non ex antiquis Aragoniæ regno primævæ nobilitatis de Borja nuncupatis, sed ex Dominico quodam Borgia vili utique homine, tenueque prædium apud Setabim Aragoniæ habente, qui Borgianum usurpavit sibi nomen. *Tum denique, quasi jam hominibus hanc opinionem suam persuasisset, sic confidenter concludit :* Adeo verum est, in hisce Sanctorum apotheoseos vel lectionum et Officiorum approbationis negotiis, ubi nihil aperte reclamat fama, nec communis populorum abhorret sensus, nec ad viri plurimum refert sanctitatem atque commendationem, non nisi leviter ista tractari, fumosasque vel avorum imagines, vel obsitas parum iis attendi membranas. *Hanc Echardi sententiam suo tempore in Actis nostris examinabimus ad diem* X *Octobris, quo annua S. Francisci Borgiæ festivitas celebratur.*

A

Nos nihil certi statuimus de nobili S. Dominici prosapia,

149 *Nos interim de nobili aut ignobili* S. Dominici *stirpe non tam audacter pronuntiare audemus : cum enim, teste Echardo, otiosi vanique hominis sit, falsam Sanctis nobilitatem affingere, et lividi, veram iisdem abrogare, utrumque hoc vitium evitare cupientes, nihil certi de genere* S. Dominici *statuimus. Quinimo libenter fatemur, argumentum nostrum maxima ex parte esse negativum quod nihilominus sæpe vim suam habet, ut plures viri eruditi demonstrarunt. Attamen hoc genus argumenti plane corruit, quando aliunde ex genuinis et antiquis monumentis res aliqua probari potest. Propterea omnem lapidem movimus, ut RR. PP. Prædicatores authentica hujus nobilitatis testimonia nobis communicarent : jam enim a tribus annis et eo amplius publica epistola, quæ Memoriis Trivultianis anno* 1729 *Gallice inserta est, exactam* S. Dominici *genealogiam expetiimus.*

pro qua solidas probationes hactenus frustra exspectavimus,

150 *Apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 25 *in notis de patre* S. Dominici *legeram sequentia :* Ex illustri Gusmana Felicem ortum accurate probasse dicitur noster Andreas Ferrer Valdecebro in Historia Ordinis idiomate Hispano elegantissime scripta; sed quam morte præventus typis non edidit. *Deinde Echardus tomo* 2 *ejusdem operis pag.* 650 *iterum mentionem faciens de Hispanica auctoris illius historia, quæ adhuc Ms. servatur, editionem ejus desiderat his verbis :* Hic scriptor inter eos sane recensendus est, qui puriori et elegantiori lingua Hispana scripserunt; et utinam Annales Ordinis, quos post Ferdinandum de Castillo scripserat (nam a Johanne de Lopez scriptos ei saltem ratione styli ferunt non placuisse) typis ederentur, præsertim quæ dicuntur ab eo scripta de genealogia sancti Dominici ex antiqua stirpe Gusmanica! *Cum hæc ab uno alterove anno legissem, idem desiderium me incessit. Sed cum editionis hujus videndæ exigua et remota spes esset, præter alia studia in istum finem collata, statim R. P. Priori Prædicatorum conventus Antverpiensis hos ipsos Echardi textus assignavi, ut jussu reverendissimi Magistri Generalis totius Ordinis ex his operibus posthumis et anecdotis quædam argumenta pro nobilitate* S. Dominici *impetrarem; at licet laudatus R. P. Prior paginas assignatorum textuum tunc coram me in pugillares suos referret, et sic non parvam petitionis obtinendæ spem faceret, tamen post moram duorum annorum nihil hactenus accepi.*

B

C

et quam tamen recentiores scriptores confidenter asserunt.

151 *Equidem sciebam, ab Ambrosio de Morales in Dissertatione Hispanica, et Ferdinando de Castillo in Historia Hispanica Prædicatorum citari quædam diplomata ad asserendam Guzmanicam* S. Dominici *stirpem; sed ea vel rem non conficiunt, quam auctores illi intendunt, vel nobis suspecta sunt, quia nec æram nec annum exprimunt; quod tamen in genuinis hujusmodi instrumentis fieri consuevit. Sic Castillus parte* I *laudatæ Historiæ lib.* 2 *cap.* 78 *pag.* 435 *recitat diploma Hispanicum, quo Didacus Garcia ex devotione erga* S. Dominicum, *et propter locum natalem, quem cum eodem Sancto communem habebat, monialibus Calarogensibus concedit ea omnia, quæ in Calaroya possidebat. Hoc autem donationis motivum inter alia Hispanice sic exprimit :* Por naturaleza e per devocion especial, que yo è con sancto Domingo de Caleruega, padre e fundador de la Orden de los frayres Predicadores. *Ambrosius Morales, aliique nonnulli per vocem Hispanicam* naturaleza *intelligunt consanguinitatem, quam Didacus iste Garcia secundum illorum opinionem cum* S. Dominico *habuerit. At ea vox æquivoca est, et æque pro natali alicujus solo, quam pro consanguinitate accipitur, ut Hispanicæ linguæ periti norunt, et Ambrosius Morales fatetur. Ita etiam vox* natureza *apud Lusitanos patriam seu natalem locum significat, ut Augustinus Barbosa in Dictionario Lusitanico-Latino col.* 763 *testatur. Potuit igitur Didacus iste Garcia ad donationem illam faciendam moveri, eo quod* S. Dominicum *singulari veneratione prosequeretur, et patriam cum eodem Sancto communem haberet.*

D

silente interim tota antiquitate.

152 *Hinc etiam Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1170 *cap.* 5 *nimis leviter et perfunctorie hanc illustrem* S. Dominici *prosapiam persuadere nititur his verbis:* Vetustæ memoriæ exstare dicuntur, in quibus subscriptio sancti Dominici in hunc modum expressa legitur : FRATER DOMINICUS DE GUZMAN. *At has similesque subscriptiones ex authenticis archivis extractas, notis chronologicis distinctas, et fide dignis testimoniis roboratas exhibere oportuit. Adde, quod in diplomate anni* 1203 *inveniamus alium Dominicum de Gusman, Priorem cœnobii Vitensis, ut postmodum alia occasione dicetur. Quod si quis Guzmanicam* S. Dominici *nobilitatem antiquis ac genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus, et raram omnium veterum biographorum taciturnitatem deinceps tantummodo mirabimur. Quo autem ea testimonia fuerint plura et certiora, eo erunt nobis gratiora; maxime tamen placuissent eadem, si tempestive fuissent subministrata, quandoquidem iis instructi, claros* S. Dominici *natales etiam in hoc Commentario prævio intrepide asserere potuissemus.*

E

§ X. Pia Sancti pueritia, studia litterarum, et eo tempore eximia virtutum exercitia.

Sancti pueritia claruit quibusdam miraculis,

I*psa Sancti infantia miraculis non caruit : nam venerabilis Humbertus in codice nostro* P. *Ms.* 10 *cap.* 4 *Vitæ hæc narrat :* Volens quoque, magnum aliquid proventurum ex puero, futurorum præscius Deus ostendere, cuidam matronæ, quæ eum videlicet ex baptismi fonte levaverat, visionem hujuscemodi per somnium demonstravit. Videbatur siquidem illi matri ejus spirituali puer Dominicus quasi stellam habens in fronte, quæ totam terram suo lumine perlustrabat : quo dabatur intelligi, quod dandus foret quandoque in lucem gentium, illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Erat autem hæc matrona nobilis, quæ visionis magnitudine stupefacta, matri ejus cum ingenti gaudio, quod viderat, nuntiavit. *Constantinus Urbevetanus apud Echardum tomo* 1 *pag.* 25, *Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* 29 *cap.* 94, *Jacobus de Voragine, et S. Antoninus similia habent. Sed ab his omnibus differt B. Jordanus, qui hanc visionem matri ipsius Sancti attribuit, ut infra in Actis edendis num.* 6 *potest videri.*

F

ut Theodoricus de Appoldia.

154 *Non minus mirum est, quod Theodoricus de Appoldia inferius apud nos num.* 14 *de eodem sancto Puero sic narrat :* Cum autem jaceret in cunis, quodam tempore examen apum circa os ejus volitabat; [quod] linguam ejus melle divinæ sapientiæ effluere præfigurabat. *Fateor, hæc tantummodo legi in codice nostro Ultrajectino, ac in Francofurtensi omissa esse; sed eadem in codice suo legerat Surius, qui in Vita* S. Dominici *ad diem* IV *Augusti hæc stylo mutato ita refert :* Cumque jaceret

AUCTORE G. C.

ret aliquando in cunis, examen apum circa os ejus volitans linguam ejus divinæ sapientiæ melle affluituram indicabat. *Etiamsi autem istud prodigium desit in nostro codice Francofurtensi, et ab aliis antiquis Actorum scriptoribus non memoretur, abunde tamen silentium illud compensatur veteri testimonio Bartholomæi Tridentini, qui in compendio Vitæ quam post hunc Commentarium prævium secundo loco edemus, num.* 1 *aperte affirmat, circa os Infantis, cum in cunis positus esset, examen apum volitasse.*

aliique vetustiores biographi testantur,

155 *Vincentius Bellovacensis lib.* 29 *Speculi cap.* 94 *singulare in sancto Puero præludium secuturæ austeritatis ac pœnitentiæ postmodum exercendæ observat his verbis:* Nato igitur ex piis parentibus et religiose viventibus, in illa puerili ætate sua cor ei senile jam inerat, et sensus veneranda canities tenella sub facie latitabat: cum enim esset adhuc puerulus, nondum a nutricis diligentia segregatus, deprehensus est sæpe lectum dimittere, quasi jam carnis delicias abhorreret, et eligebat potius ad terram accumbere. *Similia tradunt Constantinus Urbevetanus, venerabilis Humbertus, Jacobus de Voragine, et Theodoricus de Appoldia, qui postremus infra in Actis amplioribus num.* 14 *et* 15 *alias sancti Pueri virtutes singillatim enumerabit.*

B

quibus neoterici scriptores addunt aliud,

156 *Non tam firmo fundamento nititur præsagium de futura ejusdem Pueri sanctitate, quod Hyacinthus Choquetius in opere suo cui titulus* Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna, *cap.* 4 *pag.* 38 *sic enarrat:* Mater ejus Joanna cum proxime a consueto puerperii tempore illum ad sacram beati Dominici Exsiliensis, ex Benedictino Ordine sanctissimi (a quo et nomen habet noster Dominicus) ædem religionis ergo detulisset, sacerdos votivum pro illo Missæ sacrificium inchoaturus, Deo ejus linguam movente, præter Missalis præscriptum, præter suam ipsius mentem et propositam legendi rationem, tertio istud repetiit: ECCE REFORMATOR ECCLESIÆ. *Eamdem historiam R. P. F. Ignatius Coutiño, paucis mutatis, Promptuario spirituali de Sanctis tract.* 22, *considerat.* 1, *apud nos pag.* 310, *inseruit, illamque auditoribus suis in concione Hispanica proposuit. Sed nullos istius prædictionis testes allegat.*

cujus fidem penes ipsos relinquimus.

157 *Nicolaus Janssenius in Commentario ad Vitam* S. Dominici *pag.* 243 *et* 244 *testem hujus rei citat nostrum Baltazarem Arias, qui in concione quadam de eodem Sancto id dixerit, et simul historiam hujus vaticinii ita refert :* Quidam (inter quos Baltazar Arias) asserunt, in archivis monasterii Exsiliensis sequens exstare testimonium de futura Dominici sanctitate: nimirum cum is admodum puer a matre deduceretur in templum, ut rei divinæ interesset, sacerdotem, cui aliud dicendum erat, de ipso semel, iterum, ac tertio pronuntiasse: ECCE REFORMATOR ECCLESIÆ. Antistes vero loci affirmavit, id certissimum esse futuræ magnitudinis indicium. *Joannes a sancta Maria in Actis Gallicis jam aliquoties citatis lib.* 1 *cap.* 6 *tam graphice hanc historiam depingit, acsi eam oculis suis vidisset. Insuper ibidem præter nostrum Baltazarem Arias et jam laudatum Nicolaum Janssenium, allegat duos recentiores ejusdem præsagii narratores, penes quos omnes fidem hujus rei relinquimus, cum veteres biographi de ea siluerint, et ætatem istius testimonii Exsiliensis ignoremus.*

C

Cum Sanctus pie pueritiam transegisset,

158 *Cum Sanctus infantiam in domo paterna innocenter exegisset, anno ætatis suæ septimo ad avunculum archipresbyterum missus est, ut elementis litterarum imbueretur, et in pietate proficeret, quemadmodum Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1176 *cap.* 1 *tradit hoc modo:* Erat Joannæ frater germanus, archipresbyter in ecclesia Gumielis Isanensis *(Ferdinandus Castillus lib.* 1 *cap.* 4 *Hispanice scribit* en Gumiel de Yçan, *de quo loco superius alia occasione mentionem fecimus)* haud procul a Calaroga, vir honestissimis moribus, prudentia, gravitate et religione conspicuus; huic religiosa matrona filiolum Dominicum custodiendum, et bonis litteris sanctaque disciplina erudiendum tradidit. At quantum sub cura sacerdotis avunculi Dominicus in litteris et virtute promoverit, Theodoricus lib. 1 Vitæ ejus cap. 1 ita narrat. *Hic Malvenda ex Surio recitat interpolata Theodorici verba, quæ infra apud nos genuino hujus auctoris stylo legi possunt. Hanc vero piam* S. Dominici *educationem apud avunculum suum B. Jordanus num.* 4, *et Bartholomæus Tridentinus num.* 1 *inferius testimonio suo confirmabunt.*

D

ad academiam Palentinam missus est,

159 *Sanctus post septem annos apud avunculum transactos, anno ætatis decimo quinto, et juxta chronologiam Echardi ac Malvendæ anno Christi* 1184, *studiorum causa Palentiam se contulit, ut inter alios veteres biographos Constantinus Urbevetanus in Vita* S. Dominici *num.* 4 *apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat.* 26 *testatur his paucis verbis:* Puerilibus igitur annis innocenter excursis, tandem missus Palentiam, ubi tunc temporis studium generale florebat, postquam liberalibus artibus diligenter insudans sufficienter edoctus est, ne in eis diutius tempus, debitum salubrioribus disciplinis, expenderet, ad theologiam se transtulit, cujus studiis per quatuor annos ardenter invigilans, de thesauris ejus hausit avide, quæ postea effudit abunde. *Sanctus Antoninus Part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4, *aliique nonnulli Valentiam, alteram Hispaniæ academiam., pro Palentia scripserunt, nisi forte sit error amanuensium, qui facili solius litteræ initialis mutatione in eorum scripta irrepere potuit. Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1184 *cap.* 2 *etiam hunc errorem corrigit, et ibidem recte observat, tunc Valentiam, amplam Hispaniæ Tarraconensis urbem, sub jugo Maurorum gemuisse, et alias ejusdem nominis urbes in Hispania non fuisse tam claras, ut publicis academiis nobilitarentur. Sed etiamsi hæc Palentina studiorum palæstra primo intuitu appareat plana et certa; tamen non levem patitur difficultatem, quam jam proponemus, ac dein dissolvere conabimur.*

E

F

circa quam studiorum palæstram

160 *Rodericus archiepiscopus Toletanus lib.* 7 *de rebus Hispaniæ cap.* 34, *sive tomo* 2 *Hispaniæ illustratæ pag.* 128 *laudans præclaras regis Alfonsi actiones, illis instaurationem academiæ Palentinæ sic accenset:* Sed ne fasciis charismatum, quæ in eum a sancto Spiritu confluxerunt, virtute aliqua fraudaretur, sapientes a Galliis et Italia convocavit, ut sapientiæ disciplina a regno suo numquam abesset, et magistros omnium facultatum Palentiæ congregavit, quibus et magna stipendia est largitus, ut omni studium cupienti quasi manna aliquando in os influeret sapientia cujuslibet facultatis: et licet hoc fuit studium interruptum; tamen per Dei gratiam adhuc durat. *Mariana noster lib.* XI *cap.* 22, *et alii rerum Hispanicarum scriptores passim statuunt, id circa annum Christi* 1209 *factum fuisse. At si rex Alfonsus anno circiter* 1209 *academiam Palentinam erexerit, inquies, quomodo ante annum Christi* 1183, *quo* S. Dominicus *studiorum causa ad illa profectus est, ibi* tunc temporis studium generale florebat, *ut Constantinus, aliique veteres Actorum scriptores affirmant?*

161 *Huic nodo scindendo cuneum suppeditat Lucas Tudensis, Hispanus ejusdem seculi scriptor,*

dum

A

occurrens aliqua difficultas explicatur.

dum in Chronico mundi, sive tomo 4 *Hispaniæ illustratæ pag.* 109 *de eadem academia sic meminit:* Eo tempore rex Adefonsus evocavit magistros theologicos et aliarum artium liberalium, et Palentiæ scholas constituit, procurante reverendissimo et nobilissimo viro Tellione, ejusdem civitatis episcopo. Quia, ut antiquitas refert, semper ibi viguit scholastica sapientia. *Ex his postremis Lucæ verbis colligimus, ab Alfonso rege magistros omnium facultatum Palentiæ tunc congregatos, ac undique magnis stipendiis eo allectos fuisse, ut academia illa celebrior redderetur; cum semper etiam antea ibi viguerit scholastica sapientia, ut juxta Lucam Tudensem antiquitas testatur. Quapropter cum Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1184 *cap.* 1 *respondemus,* antequam generales academiæ omnium scientiarum cum his juribus et privilegiis, quibus frui solent eæ, quas universitates vocant, Palentiæ ab Alphonso rege fundarentur, Pontificia et regia auctoritate jam in eadem urbe viguisse artium liberalium et theologiæ studia, magna confluentium celebritate, privato tamen veluti jure, et sine universitatis privilegiis: quæ res Alphonsum fortasse impulit, ut ob frequentiam et nobilitatem studiorum, eas scholas generalis universitatis dignitate augendas existimarit.

B

et ibidem tempore famis supellectilem suam vendit ad alendos pauperes.

162 *Inter præclaras virtutes, quas Sanctus in academia Palentina exercuit, et quæ infra in Actis ejus accurrent, examinandum est insigne caritatis exemplum, quod post B. Jordanum Constantinus num.* 6 *ita narrat*: Per idem tempus cum universam Hispaniam clades famis invaderet, vir Dei Dominicus adhuc Palentiæ constitutus, mira quorumdam pereuntium inopum compassione commotus, cum aliunde subvenire non posset, distractis libris cum omni supellectili, quam habebat, dispersit, dedit pauperibus, prudenter sane imo simul misericordiæ opere et egenorum necessitatibus providens, et euangelicis consiliis obsecundans: qua in re non paucos de scholaribus et magistris ad misericordiæ opera provocavit. *Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1184 *cap.* 5 *putat, Sanctum exercuisse nobile istud misericordiæ opus anno* 1191, *quo totus fere terrarum orbis gravissima fame affligebatur, et Thomam Cantipratanum lib.* 2 *de Apibus cap.* 3 § 8 *pro sua opinione allegat. Contra Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 3 *in notis probabilius censet, peculiarem quamdam Hispaniæ famem sequentibus annis ante annum* 1198 *huic eximiæ* S. Dominici *caritati ansam præbuisse. Sed quocumque demum anno id acciderit, quod parum interest, inter ipsos scriptores Dominicanos controvertitur, an egregia illa Sancti actio sit duplicanda.*

C

quem caritatis actum Flaminius

163 *Flaminius in Actis* S. Dominici *fol.* 3 *factum illud ita duplicat:* Mira igitur charitate egenos et commiseratione prosequebatur, quæ tunc præcipue sese ostendit atque diffudit, cum non solum Palentiam urbem fames, in qua ille adhuc studiorum causa commorabatur, sed etiam totam Hispaniam invasisset, nec esse videretur Palentiæ, qui inopum esurientium misereretur, et illorum curam susciperet. Clamabant viduæ ac pupilli, et alia numerosa famelicorum multitudo; sed eos aure surda præteribant, qui opitulari poterant; nec erant, qui lamenta et gemitus efflagitantium panem audirent. Non potuit sanctus et misericors Juvenis diutius ferre, et subveniendum laborantibus quacumque ratione posset, arbitratus, ubi alia defuere, libros et omnem suam supellectilem, quam in ea urbe habebat, vendidit, et pretium egenis erogavit: cujus moti exemplo plurimi cœpere certatim esurientibus opem ferre, et ita quidem tolerabilior et mitior esse dira fames cœpit. *Deinde simile caritatis exemplum, tamen judicio suo distinctum, eodem folio verso ita refert*: Legimus, divum Dominicum, postquam in numerum Canonicorum Regularium ascitus est, et ad archidiaconatum promotus, rediisse Palentiam, ac libros iterum vendidisse, pretiumque egenis partitum, dicentem, nolle se amplius mortuorum pellibus vacare, cum vivi homines fame conficerentur: cujus exemplo (ut antea quoque) alii quidam moti, idem fecere.

et Malvenda duplicandum censent,

164 *Huic distinctioni probabilem causam dedit F. Stephanus, juxta notas Bernardi Guidonis* natione Hispanus, *cujus testimonium in Relatione juridica Bononiensi apud nos num.* 45 *ita profertur:* Frater Stephanus, Prior provincialis Ordinis Prædicatorum provinciæ Lombardiæ juratus dixit, quod quindecim anni sunt et plus, quod novit magistrum Dominicum fundatorem et plantatorem Ordinis Fratrum Prædicatorum et primum Magistrum; sed antequam haberet per visum notitiam personæ ipsius, audivit multa bona de eo a magnis viris fide dignis, scilicet quod cum esset Prior vel Supprior ecclesiæ Oxomensis, cujus erat Canonicus, studebat apud Palentiam in Divina pagina, et tempore illo incepit invalescere fames pessima in regione illa, ita quod multi pauperes ibi fame moriebantur. Unde F. Dominicus motus compassione et misericordia, vendidit libros suos, manu sua glossatos, et pretium ipsorum, et alias res, quas habebat, dedit pauperibus dicens: Nolo studere super pelles mortuas, et homines moriantur fame: cujus exemplo quidam magnæ auctoritatis similia fecerunt, et ex tunc cum eo prædicare cœperunt. *Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1200 *ex hoc Stephani testimonio concludit,* sanctum Dominicum bis venditos libros et supellectilem Palentiæ in pauperes distribuisse; semel, antequam Canonicus Regularis esset, litteris in ea urbe operam navans, et iterum jam factus Canonicus, cum ibidem Euangelium prædicaret, quod litteris Sacris vacare forsan appellant testes Canonizationis; nisi velimus, sanctum Dominicum Palentiæ prædicantem sacra etiam studia frequentasse.

E

F

Soëgio et Echardo contra statuentibus,

165 *Soëgius in jam laudatis Sancti Actis pag.* 156 *et sequente putat, hanc unam eamdemque* S. Dominici *actionem fuisse, cujus opinioni consentit Echardus, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 52 *in notis ad supradictum Stephani testimonium ita disserit:* Quod ibidem addit, priusquam ipsius per visum notitiam haberet, jam a magnis viris de eo multa audivisse, nullum dubium, quin ista audierit in Hispania, ac priusquam Romam se conferret. Sequentia Malvendæ occasionem dederunt duplicandæ celebris illius a beato Dominico factæ suorum librorum Palentiæ venditionis in pauperum commodum, adeo ut prima vice id egerit secularis adhuc et studens, altera jam Canonicus et Supprior Oxomensis. Verum dum alii omnes, Jordanus, Constantinus, Theodoricus, qui hoc Stephani testimonium legerant, non nisi semel id egisse beatum Dominicum narrent, his assentiendum certius censeo, eo magis, quod Sanctus, ex quo Canonicus Regularis allectus est, nihil proprium habuerit. Vide etiam supra Joannis Hispani testimonium quintum num. 5. *Hic Joannes Hispanus infra apud nos num.* 34 *tantum meminit de una librorum venditione, et ex testibus fide*

dignis

AUCTORE G. C.

dignis asserit, illam tempore famis factam esse, quando ipse F. Dominicus erat in seculo, et studebat Palentiæ.

hanc unam eamdemque actionem fuisse.

166 *Ex his Echardus ibidem ita concludit :* Itaque in hoc Stephani testimonio agnoscendum, irrepsisse ὕστερον πρότερον; adeo ut, quod occasio fuit (illa scilicet mira tumque ab omnibus laudata in pauperes caritatis effusio) ut Didacus episcopus Uxamensis Dominicum in suum collegium asscisceret, putarit, Dominicum jam Priorem vel Suppriorem Uxamensem egisse. Neque vero mirum, Stephanum in eo lapsum esse, qui a se tum adhuc seculari et juvene audita solum referat, et rem quidem gestam, quod potissimum erat, narret ; quoad vero rationem temporis, quod levius, non ita certo doctus fuerit. *Habet hoc loco lector fundamenta utriusque sententiæ, ita ut ipsemet de hac controversia judicium ferre possit. Nos Soëgio et Echardo probabilius adhærendum arbitramur, quamvis contraria Malvendæ opinio propter relatum Stephani testimonium non omni prorsus probabilitate destituatur.*

Tunc etiam Sanctus inter alia virtutum exempla

167 *Quod autem ibi Stephanus addit, viros quosdam magnæ auctoritatis, exemplo* S. Dominici *motos similia fecisse, et* ex tunc cum eo prædicare *cœpisse, probat, Sanctum Palentiæ commorantem* B *interdum concioni operam dedisse. Quid si Sanctus tempore istius famis conciones instituerit, ut alios ad sublevandam pauperum inopiam commoveret, et tunc viri graves hunc pium prædicationis zelum imitari cœperint? Si Echardum interroges, quid prætcrea* S. Dominicus *speciatim Palentiæ egerit, tomo* 1 *operis mox citati pag.* 4 *in notis respondet in hunc modum :* Non produnt speciatim scriptores ; unde augurandum relinquunt, egisse, quod in academia, ea præsertim ætate, solemne. Sex circiter annos artibus, id est litteris humanioribus et philosophiæ dederat, theologiæ quatuor ab anno ætatis XX ad XXIV : deinceps pro more (nam is erat ad gradus scholasticos ascendendi modus) ipsemet sacram doctrinam, libros potissimum veteris ac novi Testamenti, quod tum maxime in usu, interpretatus est, et indicat Stephanus, septimus in Processu canonizationis testis, postea referendus, cum ait, in fame supra relata VENDIDISSE LIBROS SUOS, MANU SUA GLOSSATOS. Conciones etiam identidem habebat C (nam hæ inter actus academicos numerabantur) hisque omnibus officiis perfunctum Dominicum satis innuunt auctores, cum tamdiu Palentiæ morantem exhibent.

seipsum vendere voluit, ut captivum liberaret.

168 *Laudatus Soëgius in supradictis* S. Dominici *Actis Gallicis pag.* 157 *huic tempori affigit aliam summæ caritatis actionem, qua Sanctus pro redemptione cujusdam captivi se ipsum vendere voluit, et quam venerabilis Humbertus in Ms. nostro Ultrajectino post alterum ejusdem fere generis exemplum ita exponit :* Simile quiddam prius fecisse dignoscitur, cum adhuc in patria sua *(id est in Hispania, quæ late pro patria ipsius accipi potest)* moraretur : quædam enim mulier conquesta est ei, fratrem suum apud Saracenos detineri captivum. Et ille, ut erat plenus spiritu pietatis, intimo compassionis affectu saucius, vendendum se obtulit pro redemptione captivi. Sed non permisit hoc Dominus, qui eum sibi ad uberiores fructus justitiæ, et animarum quamplurium conversionem servabat : clarificatur enim in hoc Pater, ut discipuli non solum fructum, sed et fructum plurimum afferant ; et vult, ut servi sui pecuniam sibi traditam cum multo reportent fœnore usurarum, et ideo revocat interdum a bonis minoribus, quos dotavit bonis cœlestibus ad majora. D *Adverte, Humbertum hæc subjunxisse alteri similis caritatis actioni, qua Sanctus alias se ipsum vendere proposuit, ut virum quemdam ab hæresi revocaret, et quam Constantinus Urbevetanus num.* 13 *et* 14, *Vincentius Bellovacensis lib.* 29 *Speculi cap.* 104, *Theodoricus de Appoldia apud nos num.* 40 *et* 198, *aliique cum Jacobo de Voragine ab alia distinxerunt.*

sicut putat Soëgius, contra cujus opinionem censemus,

169 *Attamen Soëgius loco proxime citato contendit, primum et unicum dumtaxat hujus eximiæ caritatis actum in sancto Juvene admittendum esse, eo quod Sanctus postea Canonicis Regularibus aggregatus, hanc potestatem sui ipsius vendendi non habuerit. Sed hæc difficultas, quæ variis modis solvi posset, cedere debet auctoritati veterum biographorum, inter quos Constantinus apud Echardum tomo* 1 *pag.* 27 *unum ita narrat :* Tanto vero erga proximorum animas convertendas caritatis ferebatur ardore, ut aliquando exhortatus quemdam hæretica malignitate seductum, cum didicisset, eum intuitu temporalis subsidii propter nimiam, quam patiebatur, inopiam, hæreticorum consortiis adhæsisse, Paulum sequens dicentem Corinthiis: E Libentissime impendam et superimpendar ego ipse pro animabus vestris, decrevit se ipsum venumdare, quatenus ex accepto pretio de seipso, et egestatis simul occasionem præcideret, et sub errore venumdatum liberaret. Quod fecisset, nisi aliunde, quo illius resarciretur inopia, dives in omnibus divina dispensatio providisset.

similem caritatis actum postea ab illo iteratum esse,

170 *Huic narrationi ibidem alteram sic immediate subnectit :* Alias etiam simile quiddam dudum fecisse existens in sua patria perhibetur : cum enim quædam mulier fratrem suum lamentabili sibi conquestione in Saracenorum captivitate detentum exponeret, nullumque sibi ad liberationem illius fateretur superesse consilium, vir Dei Dominicus intima, qua plenus erat, compassione commotus, vendendum se obtulit pro redemptione captivi. Sed Deus, qui ipsum ad multorum necessariorem redemptionem, spiritualiter scilicet captivorum, præviderat, non permisit. *His adde testimonium Bartholomæi Tridentini, qui inferius apud nos num.* 5 *agens de ardenti* S. Dominici *erga proximum zelo sic testatur :* Caritate in tantum fervebat, ut se ipsum pro Christianorum necessitate vendere SÆPIUS esset paratus. F *Ex hac communi veterum scriptorum assertione, ac diversis utriusque historiæ adjunctis contra opinionem Soëgii inferimus, hunc præclarum caritatis actum* S. Dominico *bis tribuendum esse.*

et hac occasione rejicimus ineptam fabulam,

171 *At sicut hic veris* S. Dominici *laudibus nihil detractum volumus, ita quoque cuperemus, alibi miraculis ac virtutibus ipsius nihil affingi eorum, quæ recentiores quidam biographi Actis hujus Sancti imprudenter immiscuerunt. Inter hos Joannes a sancta Maria lib.* 1 *Vitæ Gallicæ cap.* XI *narrat, Sanctum adhuc Palentiæ commorantem gravi morbo laborasse, eique tunc ægrotanti apparuisse sanctum Jacobum majorem, quâ apparitione statim ex morbo convaluerit. Dein capite sequente præter alia figmentarefert, quod* S. Dominicus *Palentiæ condiscipulum suum Conradum, postea Cardinalem Portuensem, de quo infra in Actis agetur, ad meliorem frugem reduxerit. Verum credulus ille scriptor ea gesta, omnibus antiquis biographis ignota, hausit ex part.* 2 *cap.* 10, *et part.* 4 *cap.* 40 *Alani Redivivi, cui nos ne jurato quidem credimus.*

quam nonnulli neoterici eidem affingunt.

172 *Licet viro nimis credulo id condonandum sit, non tam facile ignoscimus Adriano Bailleto, qui vix synchronis* S, Dominici *biographis fidem adhibet*

AUCTORE G. C.

A *hibet, ut initio hujus Commentarii diximus, et interim in Gallica ejusdem Sancti Vita num.* 3 *has recentiorum fabulas adoptat. Unde Echardus intempestivum illum hypercriticum, qui sæpe de certis Sanctorum gestis ac miraculis ob leves conjecturas dubitat, tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 29 *in notis sic jure merito corrigit :* Obiter monendum, Bailletum in Vita sancti Dominici allucinari, cum hunc Conradum *(de illustri ejus stirpe in Germania, et variis dignitatum gradibus, officiisque administratis supra breviter egerat)* ejusdem Sancti in schola Palentina vult fuisse condiscipulum, et ab eodem ex licentiori vita ad frugi conversum, qui sub cura parentum sanctissime educatus, et sui semper similis deinceps, Hispaniam certe ad annum MCCXXI non viderat ; sed apud hunc auctorem plura alia sunt errata. *Nihilominus recens scriptor in Historia Gallica Ordinum religiosorum ac militarium tomo* 3 *pag.* 199 *et* 200 *hunc periculosum ducem incaute secutus est, ac cum ipso in eamdem foveam incidit.*

B

§ XI. Pia Sancti vita inter Canonicos Regulares, et examen quarumdam rerum, quæ hoc tempore ab eo gestæ memorantur.

Sanctus in ecclesia Uxamensi fit Canonicus Regularis ante annum 1200.

Beatus *Jordanus in Vita* S. Dominici *apud nos num.* 3 *tradit, Didacum episcopum Uxamensem verbis et exemplis Canonicos ecclesiæ suæ hortatum esse, ut* sub regula beati Augustini ad observantiam canonicæ religionis consentirent. *Præsul autem ista juxta testimonium ejusdem Jordani* tanta hoc ipsum egit solicitudine, ut eorum animos (licet quosdam ex ipsis contradictores habuit) ad suum desiderium inclinaret. *Quo circiter tempore id factum fuerit, præterpropter colligimus ex epistola Innocentii III Papæ, quam anno Pontificatus sui secundo, id est Christi* 1199, *ad Didacum Uxamensem dedit, et qua commutationem Canonicorum secularium in Regulares ab ipso factam approbat, ut apud Malvendam in Annalibus ad annum Christi* 1194 *cap.* 1, *aliosque ejusdem epistolæ editores licet videre. Ex his Echardus tomo* 1 *pag.* 2 C *infert, errasse Ægidium Gundizalvum Davila, dum in Theatro ecclesiastico Hispaniæ, inter præsules Uxamenses cap.* 5 *asserit, decessorem Didaci anno Christi* 1186 *ad eam cathedram evectum fuisse, eumdemque post sedecim annorum gubernationem, anno* 1202 *ex hac vita migrasse. Echardus ibidem pag.* 4 *quærentibus, quo anno* S. Dominicus *institutum Canonicorum Regularium amplexus fuerit, eodem fundamento respondet, id verosimiliter contigisse anno Christi* 1199, *cum Didacus Canonicis ecclesiæ suæ vitam regularem persuasisset.*

quæ chronologia componi non potest cum opinione nuperi scriptoris.

174 *Verum hæc chronologia non facile conciliabitur cum dissertatione historica, quam R. D. Josephus Stephanus de Noriega, abbas Ordinis Præmonstratensis, Salmanticæ anno* 1723 *Latine edidit, et in qua probare nititur,* S. Dominicum *a tenera ætate usque ad annum Christi* 1203 *sub regula S. Norberti militasse, eamque in monasterio sanctæ Mariæ de Vite professum esse, antequam institutum Canonicorum Regularium in ecclesia Uxamensi amplecteretur. Hunc laudatæ Dissertationis scopum R. P. Petrus Manso ex Ordine eremitarum S. Augustini, in censura prævia exponit, et approbat his verbis :* Contendit sapientissimus ac piissimus Dissertator, clarissimum fundatorem et parentem sacri Ordinis Prædicatorum sanctum Dominicum de Guzman, non tantum fuisse Canonicum Regularem in ecclesia Oxomensi, ut omnium tenet scriptorum consensus ; sed in Vitensi Præmonstratensium ecclesia a pueritia educatum, sub sancti patris Norberti habitu ac professione sanctissime vixisse ad annum trigesimum et ultra ætatis suæ : dignus ibidem factus, ut solo contactu cæcum illuminaret, et cum aliis ejusdem instituti ad magnum reformationis opus ecclesiæ Oxomensis opportunissime assumeretur. Hoc adeo validis sapientissimus scriptor ostendit monumentis, rationibus item ex temporum chronologia, ac prudentibus conjecturis, ut nihil in contrarium alicujus videatur obstare.

qui contendit S. Dominicum æra 1241 *sive anno Christi* 1202.

175 *Sed huic opinioni præter alia, quæ in Annotatis ad Acta Sancti postmodum obiter observabimus, videtur etiam obstare ratio temporum seu chronologia, quæ hic a censore laudatur : nam R. D. Josephus Stephanus de Noriega ad sententiam suam stabiliendam præter alia instrumenta* § 2 *pag.* 14 *profert diploma Latinum, quod datum est* Era MCCXLI, *id est anno Christi* 1203, *ut ipsemet Dissertator pagina sequente computat, et cui post abbatem monasterii Vitensis statim subscribit* D. Dominicus de Guzman, Prior ejusdem ecclesiæ. *Deinde etiam eidem diplomati nomen subnotat* D. Petrus de Guzman canonicus ejusdem ecclesiæ. *At si Dominicus iste sit idem cum sancto Prædicatorum Fundatore, qui anno Christi* 1199 *institutum Canonicorum Regularium in ecclesia Uxamensi professus est, quomodo potuit æra* 1241, *seu anno Christi* 1203, *prædictum diploma, tamquam Prior cœnobii Vitensis, subscripto suo nomine confirmare? Præterea paragrapho sequente ex venerabili Humberto et Bernardo Guidonis probamus,* S. Dominicum *anno Christi* 1203 *cum Didaco Uxamensi episcopo ex Hispania in Galliam discessisse, postquam in ecclesia Uxamensi inter Canonicos Regulares jam munere Supprioris functus fuerat, et verosimillime uno alterove anno professionem emiserat. Quomodo igitur idem* S. Dominicus *potuit eodem anno Christi* 1203 *in monasterio Vitensi Ordinis Præmonstratensis morari, et munere Prioris fungi?*

E

in cœnobio Vitensi Ordinis Præmonsratensis munus Prioris gessisse

176 *Quapropter suspicamur, hunc Dominicum Vitensem Priorem ab altero* Dominico *Uxamensi Suppriore diversum esse. Forsan ob identitatem nominis hi duo in unum conflati sunt. Attamen hæc nominum similitudo non sufficit ad duos viros confundendos : nam nomen Dominici eo tempore in Hispania satis commune erat propter duos ejusdem nominis Sanctos, qui in eadem regione celebrabantur, ut supra monuimus. Certe abbas monasterii Vitensis, sub quo* S. Dominicus *prima religiosæ vitæ fundamenta posuisse dicitur, etiam vocabatur Dominicus, ut R. D. Josephus Stephanus de Noriega in Dissertatione sua* § 1 *pag.* 4 *et* 5 *ostendit. Ex hac duorum confusione etiam fortasse* S. Dominico *nostro ab auctoribus recentioribus additum est cognomen* de Guzman, *de quo veteres biographi nusquam meminerunt.*

Malvenda tradit, S. Dominicum anno Christi 1194 *admissum fuisse*

177 *Quidquid sit de hac postrema suspicione aut conjectura, quam prudenti lectoris judicio subjicimus sane chronologicum Præmonstratensium systema multo minus componi potest cum Malvenda, qui in Annalibus Ordinis Prædicatorum hanc Regularem* S. Dominici *professionem in ecclesia Uxamensi, ad annum Christi* 1194 *refert, et ibi cap.* 1 *mutatam Canonicorum Uxamensium formam sic singillatim describit :* Ergo Didacus, illato in ecclesiam suam religioso Canonicorum Ordine, novum ingressis institutum nova quoque nomina fecit ; dignitatum

ecclesiasticarum

AUCTORE G. C.

ecclesiasticarum vocabula, veteri more usurpata, in nova commutavit. Archipresbyterum Priorem nuncupavit; archidiaconum Suppriorem, propriæ Religiosorum appellationes. Ad sustinendam vero et propagandam novi instituti rationem optimus antistes, quos ferventi in res divinas spiritu, et magnos ad virtutem gerere animos noverat, sibi magno studio adjungebat, in novamque societatem cooptabat.

inter Canonicos Regulares Uxamensis ecclesiæ,

178 *Deinde expetitam et ecclesiæ Uxamensi utilissimam* S. Dominici *inter Canonicos Regulares receptionem ibidem exponit his verbis :* Volitabat eo tempore per ora hominum fama virtutum, litterarum et sanctitatis adolescentis Dominici. Didacus destinatis suis aptissimum hunc ratus, et quia suæ ditionis erat (nam Calaroga, ubi ille natus, Oxomensi diœcesi accensebatur, et urbi vicinum oppidum) ad se e Palentia, ubi tunc morabatur, Oxomam accersendum curavit. Haud fuit difficile, Juveni ad omnem virtutem adspiranti, eam viam ut amplecteretur, persuadere. Immo is, oblatam sibi divinitus occasionem ratus, libenter arripuit. Oxomam veniens incredi-
B
bili episcopi Didaci et Canonicorum lætitia excipitur, moxque habitu sanctæ Religionis e manibus episcopi suscepto, in sacram societatem adscribitur. Erat is habitus, ut nunc, super tunicam candidam e lana inductum lineum ephod, seu superhumerale, laxioribus manicis, quod nigro pallio tegebatur.

de quorum vestitu Echardus disserit.

179 *Non ignoro, de certis Canonicorum Regularium vestibus inter eruditos disceptari, et Echardum occasione imaginis, qua Helyotus tomo* 3 *Ordinum religiosorum et militarium antiquum Prædicatorum seu* S. Dominici, *adhuc Canonici Regularis, habitum inter paginam* 198 *et* 199 *expresserat, tacito nomine contra ipsum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 71 *scripsisse sequentia :* Hinc saltem clare refellitur recens Historiæ Ordinum regularium cum imaginibus ex ære excusis, illorum varias vestes exhibentibus, Gallice scriptæ editor. Quantum in aliis a vero aberrarit, illis, quos res tangit, discutiendum relinquo, nostra tantum attingo. Huic igitur novo auctori, ubi de Ordine Prædicatorum, placuit imaginem pri-
C
mam cudere, in qua vir exhibetur tunica nigra ad talos usque demissa, et desuper rocheto cum manicis ad pugnum strictioribus, vixque ad genua descendente, brevi, quale nunc episcopi et abbates gerunt, vestitus, cetera capite omnino nudo et libero, eamque sancti Dominici et sodalium ad annum usque MCCXIX vult fuisse se vestiendi rationem. At purum putum esse hominis aberrantis commentum, nullo veteri documento innixum, nulla antiqua imagine astructum, evincunt allata testimonia, quæ sanctum Dominicum, ex quo in Capitulum Oxomense allectus est, tunica talari alba, et saltem capa desuper nigra cum caputio ejusdem coloris vestitum fuisse asserunt. Rochetum a sancto numquam gestatum patebit ex sequentibus, ubi genus hoc indumenti toto seculo XIII incognitum fuisse ostendetur. *Quidquid sit de antiquo Prædicatorum vestitu, de quo inferius breviter agendum erit, et qui ad gloriam* S. Dominici *nihil aut parum facit, potius ad piam ejusdem Sancti inter Canonicos Regulares conversationem transeamus.*

Cum juxta veteres biographos tunc Sanctus sibi vacaret,

180 *Constantinus Urbevetanus apud Echardum num.* 7 *admissionem ipsius inter Canonicos Regulares, et eminentem istius temporis pietatem describit hoc modo :* Interea dum Vir Dei, hujuscemodi ascensionibus in corde suo dispositis, de virtute proficeret in virtutem, fragrans odor conversa- D
tionis ipsius ad notitiam bonæ memoriæ Didaci Oxomensis episcopi, fama celebri deferente, pervenit. Accersitum ergo in sua fecit ecclesia Canonicum Regularem, beatum sane se reputans in hoc ipso, dum et sibi de tanto filio, et suæ ecclesiæ de ministro tam inclyto providisset. Nec multo post ipse factus omnibus vitæ speculum, religionis exemplum, a Canonicis in eadem ecclesia Supprior ordinatur. Ipse vero ad totius sanctitatis studium se totum conferens, totus pergens in Deum, die noctuque terebat ecclesiam, lectioni et orationi sine intermissione vacabat, secumque cum Jacob in tabernaculis habitans, Esau vagos declinabat excursus. In libro quoque de Collationibus Patrum frequentissime [et] studiosissime legens, magnum ex eo perfectionis cumulum apprehendit. Flebat autem uberrime (hanc enim specialem gratiam contulerat ei Deus) pro peccatoribus, miseris et afflictis, novumque in se præferens Jeremiam, totus erga pereuntium animas miro compassionis liquescebat affectu. Quapropter hoc apud se semper speciali deside-
rio pulsabatur, ac præcipue et incessanter aures E
divinæ clementiæ petitione hac pulsabat, quatenus hanc sibi gratiam dignaretur infundere, qua se totum aliquando saluti posset impendere proximorum : nec fraudatus est tandem a desiderio suo. *Nempe desiderium illud tandem completum est, quando postmodum contra hæreticos Albigenses verbo et exemplo strenue certavit, et multos peccatores ad viam salutis æternæ reduxit.*

et vix cœnobio egrederetur,

181 *Interim adverte, Sanctum eo tempore, quo inter Canonicos Uxamenses degebat, raro extra cœnobium prodiisse, aut publica ministeria foris exercuisse : nam juxta testimonium Constantini* die noctuque terebat ecclesiam, lectioni et orationi sine intermissione vacabat, secumque cum Jacob in tabernaculis habitans, Esau vagos declinabat excursus. *Beatus Jordanus infra apud nos num.* 9 *id ipsum sic clare indicat :* Ille autem velut oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, die noctuque terebat ecclesiam, orationi sine intermissione vacabat, et redimens sibi contemplationis otia, vix extra septa monasterii comparebat. *Ad ultima illa B. Jordani verba Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 4 *sic recte*
notat : Hæc docent, ex quo Oxomensis Cano- F
nicus allectus fuit, vix ea civitate egressum, nisi forte ad obeundas cum episcopo diœcesis visitationes, vel ad habendas in eadem conciones ; fabulamque lectoribus obtrudere, qui narrant, a viris Palentiæ academicis episcopum requisitum, ut eum jam Canonicum illis concederet rursus, apud eos sacras Litteras professurum, et Didacum assensisse. *Quomodo igitur has veterum scriptorum phrases explicabunt biographi illi recentiores, qui confidenter asserunt,* S. Dominicum *eo tempore percurrisse varias Hispaniæ provincias, quas Mahometani et hæretici suis erroribus infecerant?*

corruunt figmenta eorum scriptorum,

182 *Inter illos auctores iterum præcipue castigandus est Adrianus Bailletus, hic præter morem suum minime criticus, qui in Gallicis* S. Dominici *Actis num.* 4 *non solum narrat, Sanctum jussu episcopi sui Didaci Uxama Palentiam rediisse, ut ibi publice theologiam doceret ; sed etiam addit, illum tunc instituisse excursiones apostolicas, in quarum prima converterit Rainerium hæresiarcham, qui postea Ordinem Prædicatorum ingressus est, et de quo Leander Albertus in opere Virorum illustrium lib.* 4 *fol.* 148 *habet sequentia :* Rainerius Sacconus Placentinus est, qui primo hæreticorum

antistes

A antistes, antequam ad sanam mentem rediret, fuerat, et multa damna reipublicæ Christianæ in Æmilia intulerat : tandem in se reversus orthodoxam sanctamque Christi fidem totis viribus totoque animo complectens, Prædicatoriam togam accepit; qua accepta, mox hæreticis, quorum falsum dogma antea tam vehementer tutatus fuerat, bellum indixit, et quantum prius cæcutiens illis faverat, tantum et multo plus ex eis supplicium sumpsit : suo enim jussu oppidum Gathæ, cujus ruinam divus Petrus Veronensis, postea martyr, aliquando prædixerat, solo eversum est. Non timuit subire pro defensione Catholicæ fidei exsilium, *etc. Plura ibidem legi possunt, quæ ad propositum nostrum non spectant. Ferdinandus Castillus in Historia Hispanica Ordinis Dominicani lib.* 2 *cap.* 22 *circa finem, et Petrus Maria Campius in Historia Placentina part.* 2 *lib.* 18 *ad annum Christi* 1250 *fusius de eodem Raínerio agunt; sed neuter conversionem illius ad fidem Catholicam prædicationibus* S. Dominici *adscribit.*

B

qui ei tunc temporis adscribunt excursiones apostolicas

183 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 154 *et* 155 *gesta et scripta hujus Rainerii contra hæreticos recenset, et in fine ad rem nostram sic concludit:* Ex hactenus dictis colliges, quam præpostere quidam recentiores, in quibus Bailletus et Girius, qui Vitas Sanctorum Gallice ediderunt, scripserint, hunc Rainerium a beato Dominico, tum juvene, et Palentiæ studiis operam dante, ab hæresi conversum, et ab Innocentio III ad plura postea, præsertim adversus hæreticos, adhibitum: nulla enim antiqua monumenta docent, Rainerium umquam in Hispania egisse; aliunde ejus conversio pluribus annis morte beati Dominici posterior videtur, et sancti Petri martyris persuasionibus, afflante numine, potius adscribenda; sicque non Innocentius III, sed Gregorius IX, et Innocentius IV ejus opera adversus hæreticos usi fuerint. Vicinitas vocum Palentiæ et Placentiæ forsan errandi occasio fuit, ut quæ Placentiæ acta, ad Palentiam illi detorserint. *Ita quidem ille hos errantes benigne excusat; sed ea excusatio saltem non purgat Joannem a sancta Maria, qui lib.* I *memoratæ Vitæ Gallicæ cap.* 15 *expresse notat, urbem illam, in qua* S. Dominicus *Rainerium convertit, non fuisse Placentiam in Italia (exstat enim ejusdem nominis civitas in utraque*

C *regione) sed Placentiam in Hispania, et ibidem præterea cognomen Rainerii* Sacconi *commutavit in* Sancho, *ut ex Italo Hispanum efficeret.*

usque ad fines Gallæciæ, ubi a piratis captus fuerit,

184 *Bailletus in Actis proxime citatis num.* 4 *et* 5 *etiam tunc* S. Dominico *tribuit alias missiones apostolicas, easque ab se invicem multum dissitas ac longinquas, ita ut dicatur Sanctus usque ad fines Gallæciæ pervenisse, et ibidem a piratis captus esse. Equidem fateor, Bailletum de ea captivitate subdubitare; sed totam illam excursionem, nec cum tempore nec cum antiquis Actis cohærentem, rotunde rejicere poterat, si crisi sua opportune usus fuisset. Prodigiosa illa historia primum prodiit ex Alano Redivivo, qui part.* 2 *cap.* 17 *eam ita narrare incipit :* Sanctus Dominicus indutus virtute ex alto, et vir factus vere apostolicus, Hispaniarum terras (in quas se jam ante Saracenus nominis Christiani hostis infuderat) late prædicando peragrarat, suisque doctrinis saluberrimis informatas complerat. Cum ecce jam ad exteras circum nationes spectaret, contigit (annis fere quindenis ante gloriosum obitus sui diem, nondum auspicato sacri Ordinis Prædicatorum instituto ; sed ipso sub regula S. Augustini professo Canonico) ut non procul ab sancti Jacobi Compostellæ in piratarum manus cum Fratre Bernardo, peregrinationis comite, incideret; qui utrumque, raptum ad suarum navium classem, nobilem prædam abducunt. D *Bailletus dicit, istos piratas fuisse Mahometanos, et ab Hyacintho Choquetio in Opere supra citato pag.* 166 *vocantur* Africani prædones, *ut tanto magis stupenda videatur sequens historia, quam Deipara Alano Rupensi revelasse fertur, et quam tamen totam, ni fallor, viri cordati ex sola lectione apud Alanum Redivivum loco proxime citato, de fictione suspectam habebunt.*

de qua captivitate Nicolaus Janssenius

185 *Nobis non vacat transcribere totam illam historiam, quam Alanus de Rupe multis verborum ambagibus exponit. Ut tamen eruditus lector de hac narratione aliquod judicium ferre possit, illam dabimus ex Nicolao Janssenio, qui in Vita* S. Dominici *lib.* I *cap.* 2 *eam ita contraxit :* Cum gloriosus pater Dominicus Hispanias per viginti pene annos *(Alanus habet* annis fere quindenis, *ut numero præcedente retulimus)* ante obitum, prædicationis causa lustraret, prædones illum, descensione facta, prope sancti Jacobi una cum socio Bernardo intercepere, et triremi impositum ad transtra et remum damnavere, ubi continuos ferme tres E menses, instar mancipii barbari aut hominis scelerati remigem egit. Ego misericordiæ Mater *(ex revelatione Deiparæ narratio instituitur, ut supra monui)* non tuli hanc ejus calamitatem, et visceribus charitatis accensa, contra raptores infandos vehementer exarsi. Confestim, me volente et mandante, cœlum in nubes cogitur, fulmina, tonitrua feriunt, pluviæ et tempestates involvunt. Ferebantur jam incerti maris et ignari siderum, cum profanos illos advertens Dominicus (quem nihil hæc procella commoverat) rebus suis diffidere, atque in desperationem esse præcipites, eos ardenti sua prædicatione ad spem erexit : Fratres, inquiebat, pœnitentiam agite, et dulcissimam Mariam invocate. Ad hæc verba insanire isti et fremere, in Dominicum manibus fustibusque debacchari, reum tanti periculi ac mali traducere : plerique enim abnegaverant fidem, aut nomen virtutis seu pœnitentiæ nec sustinebant.

portentosam historiam

186 Aderat tandem nox, cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit, in qua ob festi reverentiam acerrimus iste animarum Zelator, ut tunc saltem ducerentur pœnitentia scelerum, rogando, supplicando, minas cœlestes ob oculos F ponendo hortabatur. Quo audito, quasi in rabiem acti, Me et Filium meum horrende blasphemaverunt. Atque illico tempestas invaluit, et gubernatore fluctibus excusso abreptoque, totam noctem nimbis et densa caligine cooperti ad auroram in mortem, ut putabant, servati sunt; qua illucescente, cum carissimus Dominicus pro eorum salute enixius Me interpellaret, oranti facta sum conspicua, et dixi, me ignoscere hominibus flagitiosis hac lege , uti omni die Psalterium *(id est Rosarium, ut ex infra dicendis apparebit)* meum dicerent, et confratriam novam, quæ Jesu Christi et virginis Mariæ nuncuparetur, inchoarent : accepta conditione, futurum, ut, benedictione contra tempestatem per ipsum facta, ea mox abscederet ; repudiata, ipso erepto, alii in corporis atque animi exitium demergerentur.

ex Alano Rupensi contraxit,

187 Inculcante hæc Dominico, mox lacrymæ impiis excussæ : pœnitentiam se facturos profitentur, et confratriam hanc sanctam incepturos se promisso adstringunt; simul magno ejulatu ad ejus provoluti genua, veniam rogant et auxilium. At ille : Præsto, inquit, sum ; et manu contra turbines extenta: In nomine, ait, Jesu Christi, et

 per

AUCTORE G. C.

per Mariam matrem ejus piissimam tace, et velocius obmutesce. Mira res! Dixit; posuit et obmutuit ventus, reddita Oceano tranquillitate. Verum cum gubernaculo effracto, et prora ad cautem elisa, navis jam pene hauriretur, omnesque ad genua in aquis starent (uno excepto Dominico) omnibus me videndam proposui, sustulique e mari navem, ac, rimis diligenter obstructis, incolumes abire jussi. Cum vero lacrymis et gaudio perfusi gratias laudesque dicerent, voces protinus horribiles dæmonum in mari clamantium audiebantur: Væ, væ nobis! quia hic Dominicus nos enervat, prædam nostram rapit, majoraque intendit, Ordinem scilicet Prædicatorum. Vectores porro periculis erepti confratriam præfatam inceperunt devote sub forma, per Me filio meo Dominico tunc temporis revelata.

et cui ipse Alanus,

188 *Habet hic eruditus lector satis fidele compendium prodigiosæ historiæ, de qua jam mature judicare poterit, et cui laudatus Janssenius subjungit sequentia*: Hæc Dei Parens nostro beato Alano de Rupe, a qua assertus in libertatem Dominicus (quantum augurari licet, quia hæc perscripta non reperi) ad Canonicos rediit, incredibili ab his exceptus lætitia, quod perditum et misere afflictum fama vulgasset. *At sane miror, Janssenium hæc perscripta non reperisse, cum Alanus illam ipsam historiam capite supradicto num.* 15 *sic finiat*: Interea cursum tenuere rates, portumque propinqui in Britannicum sese penetrabant, et cunctis ordine periculis perfunctis, felix psalticum celeuma cantabant. Hic, ut prædictum, ejecta reperiunt universa, ac vina etiam, quæ cum vasis plurima ejecerant, nunc, quam prius, pretiosiora. Confraternitatem in alios mutati viros sancte colunt, seque in Psalterio ad diversa pœnitentiæ devovent instituta. *Hinc Joannes a sancta Maria lib.* 1 *Vitæ jam sæpius citatæ cap.* 20 *asseveranter intulit*, S. Dominicum *ea occasione ad Venetensem Britanniæ Armoricæ urbem venisse, ut Rosarium Deiparæ prædicaret, et consanguineum suum Ducem Britanniæ inviseret.*

cumque incaute secutus Joannes a sancta Maria

189 *Verum hæc omnia figmenta iterum incaute hausit ex Alano Redivivo, qui Part.* 3 *cap.* 22 *apud nos pag.* 228 *visitationem illam Britannicam ita comminiscitur*: Sanctus Dominicus, novus orbis apostolus, Euangelii prædicationem cum Psalterii virtute in Britanniam quoque inferebat; et quod mater ejus, cujusdam Britanniæ Ducis filia, indidem oriunda fuisset, tanto audiebatur attentius, velut cognato sanguine Ducis magni propinquus. *Deinde post recitatum quemdam* S. Dominici *sermonem et stupenda prodigia, quæ tunc ibi coram omnibus patrata dicuntur, capite sequente apud nos pag.* 260 *narrat, quomodo Sanctus summam Britanniæ dignitatem ecclesiasticam, sibi instantissime ac violenter oblatam, miro modo effugerit*: Ex eo tempore, *inquit*, omnia omnium studia in unum versa sunt sanctum Dominicum. Dux ipse, clerusque totus, universaque natio beatos se prædicabant, si in præsulem Britanniæ summum ipsis habere contigisset sanctum Dominicum; quem honorem ipso constanter recusante, vim sine vi facta per artem excogitavit istam, inque exsecutionem perduxit, ut per omnes oras Britanniæ severe mandaret, neu quisquam sanctum Dominicum pedem efferre, patriaque sineret excedere, quod vel sic ad præsulatum adigeretur subeundum.

190 Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum: nam sanctus Dominicus in Dei sese voluntatem dedit, et ecce sub oculis circumsistensium factus invisibilis, eripitur ex oculis vi diviniore: eripitur Britanniæ, et ipso eo tempore est in Hispania repertus, unde pater ejus fuerat oriundus. Dux in alteram diem jam omnem fieri apparatum mandarat, ut in Dolensem pontificem crearetur: is enim id temporis vacabat. Antevertit autem ad Ducem rumor certus, sanctum Dominicum comparere in momento desiisse, neque dum apparere usquam. Hic Dux movere omnia, emittere quaquaversus indagatores, totaque Britannia perscrutari omnia, nec cœpto desistere. Jam solidum mensem acerrima tenuerat investigatio, cum ecce per Hispanos certum nuntiatur, sanctum Dominicum jam ab mense ipso per Hispaniam prædicasse, sequentibus signis. Hic vero summa cunctos incessit admiratio, comperto, sanctum Virum per agilitatis ac subtilitatis donum eodem die ex Britannia procul in Hispaniam divina potentia transportatum fuisse. Ergo spes animusque incolis revertit prior. Frequentantur legationes aliæ super alias ad sanctum Dominicum exorandum in præsulem. Quibus ille: Euangelizare misit me Dominus, non episcopari. Ite, dicite vestris, meminerint eorum, quæ viderunt et receperunt, inque Dei gratia et timore persistant: nam si infideles eam gratiam cognovissent, relictis erroribus, in Dominum Jesum Christum credidissent. *Nos postmodum alia occasione agemus de episcopatibus, quos humillimus Sanctus noster sibi revera oblatos constanter recusavit.*

varias fabulas addiderunt.

191 *Joannes a sancta Maria in Actis* S. Dominici *loco superius citato hæc omnia variis personarum rerumque circumstantiis exornavit, iisque jam lib.* 1 *cap.* 14 *inserueral aliam ejusdem generis fabellam, quam Alanus Redivivus præcedenti historiæ ita subnectit*: Simile idem sanctus Dominicus Compostellæ fecisse proditur, ut narrat noster Frater Joannes de Monte, qui fuit Juris utriusque Magister, et sacræ theologiæ baccalaureus formatus, sancti Dominici socius ante fundationem Ordinis Prædicatorum, quando prædicta contigerunt, sancto Dominico solum tunc Canonico Regulari agente. *Hoc loco meminisse oportet eorum, quæ* § 2 *hujus Commentarii de fictitiis illis Alani Redivivi testibus cum Echardo pronuntiavimus. Interim Joannes a sancta Maria, his nondum contentus, lib.* 1 *ejusdem Vitæ nobis ex Alano Redivivo obtrudit varia Rosarii prodigia, quæ tunc in Gallæcia, aliisque Hispaniæ provinciis contigerint, et quæ hic non lubet exscribere, multo minus refutare. Attamen obiter observo, Flaminium, Bzovium in Annalibus ecclesiasticis, ac Malvendam portentosa illa miracula aliis temporibus collocare, etiamsi prudentius ea omisissent, ac nulli umquam tempori affixissent. Sed ne solus videar de expeditione illa Gallæca, aliisque rebus, quæ tunc a Sancto gestæ perhibentur, tam severum judicium ferre, audi Echardum, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 4 *in notis agens de tempore, quo* S. Dominicus *Palentiæ commoratus est, et inter Canonicos Regulares vixit, omnia hæc figmenta sic implicite rejicit*: Plura vero, *ait*, quæ his annis vel etiam ex quo fuit Canonicus, ab eo in variis Hispaniæ provinciis gesta, aut etiam tolerata ad captivitatem usque inter maritimos prædones commentantur quidam recentiores, nec conveniunt cum relatis a Jordano, Constantino, Humberto, Theodorico, Bernardo Guidonis, et ceteris ad sanctum Antoninum, quibus omnibus fuerunt ignota, quos tamen, si vera essent, non fugissent, nec sancto Viro digna, nec ulla verisimilitudine fulcita *.

* *lege* fulta

§ XII.

AUCTORE G. C.

A

§ XII. Sancti itinera cum Didaco episcopo Uxamensi, et varia, quæ in iis contigisse traduntur.

Sanctus hospitem suum hæreticum convertit in itinere.

Cum Sanctus, teste B. Jordano, hactenus vix extra septa cœnobii Canonicorum Regularium comparuisset, et plerumque orationi vacasset, divina Providentia flagranti ipsius desiderio tandem satisfecit, eique opportunam zeli sui exercendi occasionem præbuit, quam Constantinus Urbevetanus apud Echardum num. 8 *describit his verbis :* Igitur cum jam tempus esset in januis, quo divinæ voluntatis propositum exigebat, ut beati Viri virtus prodiret in publicum, ne diutius lucerna, quam divinus ignis tam diligenter accenderat, sub modio latitaret, factum est, ut bonæ memoriæ Didacus Oxomensis episcopus, cujus cor Deus jam dudum simili procurandæ salutis inspiratione tetigerat, rogatu regis Castellæ proficisci deberet ad Marchias, occasione cujusdam connubii inter ipsius regis filium, et quamdam puellam nobilem procurandi. Assumpto itaque comitatu decenti, secum etiam servum Dei Dominicum non sine Dei nutu in sanctæ collationis solatium, nec minus in religiosæ societatis ornamentum assumpsit. Cum autem cœpto itinere pervenissent Tolosam, eadem nocte, qua ibidem hospitio sunt recepti, deprehendit vir Dei Dominicus, suum hospitem hæretica pravitate corruptum : quem benigna simul et euangelica persuasione conveniens, et ad fidem convertens, quasi quemdam primitiarum manipulum futuræ messis, congregandæ per ipsum, Domino præsentavit.

B

quod anno 1205 cum episcopo Uxamensi instituit ad Marchias,

193. *Tempus hujus legationis, quod ab antiquis biographis hic non exprimitur, venerabilis Humbertus in Chronico nostro Ms. sic indicat :* Anno Domini MCCIII beatus Dominicus cum Oxomensi episcopo Didaco Tholosam venit, ubi in prima die, cooperante Deo, hospitem suum hæreticum ad veram fidem reduxit. Deinde peracta legatione regis semel et iterum, et Curia visitata *(subintellige Romana)* ab ipso episcopo, remansit cum eodem quasi per biennium in prædicationis officio in partibus Tholosanis. *Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene in Collectione amplissima veterum scriptorum tomo* 6 *col.* 397 *et* 398 *eumdem hujus itineris annum notat, et ibidem alia sic addit :* Anno siquidem Dominici MCCIII beatus Dominicus cum felicis memoriæ Didaco suo episcopo Oxomensi in Marchias sive in Daciam proficiscens, exigente matrimoniali negotio, ab Alphonso rege Castellæ sibi commisso, transiens per Tolosam, prima nocte, qua ibidem hospitio sunt recepti, hospitem suum hæretica pravitate, quæ multum in illis partibus invaluerat, infectum esse deprehendit, et cum eo multa disputatione et persuasione fortiter et ferventer agens, cum non posset hæreticus resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur, eadem nocte ipsum hæreticum ad veritatem fidei Catholicæ, Deo cooperante, convertit; et ex tunc concepit infidelium conversioni operam dare, ac statum religiosum instituere et ipsum prædicationi euangelicæ dedicare. Per annum autem in dicto negotio regis Castellæ moram contrahens, cum præfato episcopo Romam adiit, et notitiam sibi, immo et gratiam summi Pontificis ac ejus collateralium vindicavit.

C

de qua regione auctores

194 *Hac occasione eruditi quidam quærunt, ubi sitæ sint illæ Marchiæ, ad quas rex Alfonsus Didacum Uxamensem cum Sancto nostro misit. Dum Bernardus Guidonis* Marchias *explicat per* Daciam, *ea explicatio displicet Malvendæ, ut in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1205 *cap.* 1 *declarat hoc ratiocinio :* Bernardus Guido in tractatu de Gradibus prælatorum Ordinis, Didacum in Marchias sive in Daciam legatum profectum affirmat. At illud de Dacia nos commovet, ne pro Dacia legendum sit vel Marchia vel Dalmatia : Dacia siquidem provincia est Europæ ad Danubium, de qua Strabo lib. 7, Plinius lib. 4 cap. 14, Ptolomæus lib. 3 cap. 8, Dion Cassius historiæ Romanæ lib. 51, Suidas verbo DACIA, et alii; sed seorsim plura de eadem reperientur apud Ortelium in Theatro, et in Thesauro geographico. Horum rex Decebalus Traiani victoriis nobilis. Nec apparet verisimile, in hanc barbaricam provinciam missam ab Alphonso legationem.

inter se disputant,

195 *Sed Malvenda advertere debuisset, apud scriptores medii ævi ac Ordinis sui, Daciam sæpius accipi pro Dania, ut inter alios asserit Echardus, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 4 *post recitata eadem Bernardi Guidonis verba sic disserit :* Frustra hic quidam sibi fingunt castrum in Marchia Lemovicensi, Daciæ nomine insignitum : nam etiamsi forsan ejusmodi quoddam fuerit, quod non probant, non solent ejus rationis loca, passim non nota, apud antiquos scriptores annotari. Dacia, prout seculo XIII accipiebatur, et in notitia provinciarum Ordinis nostri, et apud Bernardum Guidonis, Daniam, Sueciam, et partem Marchiæ nunc Brandemburgensis complectebatur. Nec mirum, principem aliquam harum regionum feminam a rege Hispano quæsitam filio suo uxorem, cum Philippus Augustus Francorum rex exinde sibi conjugem ascivisset regis Dani filiam Ingelburgim. *Opportune hic addere poterat Christinam, Haconis Norvegiæ regis filiam, quam Alfonsus X Castellæ rex in conjugem sibi expetiit, et quæ circa annum Christi* 1254 *fratri ejus Philippo nupta est, ut Mariana noster narrat lib.* 13 *de Rebus Hispaniæ cap.* 9, *ubi patrem hujus puellæ* regem Daniæ *appellat. De Christina illa mentionem fecimus in Actis S. Olavi martyris ad diem* XXIX *Julii, tomo* VII *istius mensis, pag.* 88 *et* 89, *ubi assignatur Thormodus Torfæus, apud quem Part.* 4 *Historiæ Norvegicæ lib.* 4 *cap.* 44 *plura de hac re videri possunt.*

E

F

et tam diversa tradunt.

196 *Etiamsi hæc omnia iter istud in Daniam aliquo modo reddant probabile; tamen Bailletus, aliique recentiores rotunde affirmant, hanc puellam, quam Alfonsus filio suo conjugem petiit, fuisse filiam Hugonis de Luzignano, comitis Marchiæ in Gallia; de qua opinione Echardus loco proxime citato sic judicat :* Quæ sint illæ Marchiæ, quas ex Hispania petentibus Tolosa transeundum fuerit, nemo clare explicat. An Marchia in Aquitania, Lemovicensis provinciæ pars, cujus Comes tum erat in Gallia potentissimus, qui et Ludovico IX Francorum regi non levia negotia facessivit? Sic plures censent; sed obstat, quod, cum regio illa non tam longe a Tolosa dissita sit, non tantis, quantis innuit Jordanus, illud iter Didaco constitisset laboribus. *Soëgius in Actis Gallicis S. Dominici pag.* 158 *addit, hunc locum provinciæ Lemovicensis a Bernardo Guidonis, in eadem regione nato, haud dubie distinctius indicandum fuisse.*

197 *Denique Echardus ibidem ita concludit :* Verum Hispani soli ex archivis suis regiis, quæ-

nam

AUCTORE G. C.

ut certum illius situm assignare non possimus.

nam sit illa virgo Ferdinando, Alphonsi IX primogenito, sedecim tum annos nato in sponsam petita, et cujus principis filia, docere possunt; quod hactenus neglexere. *Si fides habenda esset Joanni Tamayo Salazar, qui in Martyrologio Hispanico ad diem* VI *Februarii profitetur, se Acta Didaci dare* ex pervetusto Legendario Ms. Uxamensis ecclesiæ, *saltem intrepide asserere possemus, Marchias illas in Gallia vel Italia sitas esse; cum in iis Actis legantur sequentia* : Rex Alphonsus Castellæ, eveniente gravium negotiorum involucro, Didacum ad Galliæ et Italiæ partes exlegavit. *Sed quia is auctor non raro compositiones suas pro antiquis Actis obtrudit, illumque jam sæpe fallacem experti sumus, huic testimonio confidere non audemus, et assentiri cogimur conclusioni Malvendæ, qui in Annalibus ad annum Christi* 1205 *cap.* 2 *post multas Marchias, in diversis regionibus assignatas, tandem ita fatetur* : Divinare non possumus, ad quam harum Marchiarum Didacus sit missus legatus; nam et in Franciæ et in Germaniæ et in Italiæ Marchia potuisse sponsam dignam Ferdinando per hæc tempora inve-
B niri, verisimile fuerit. *Cum igitur certum duplicis legationis locum assignare non liceat, saltem videamus, an chronologia utriusque facilius inveniri possit.*

Echardus duplex illorum iter ad Marchias,

198 *Breviter uno verbo innui, tunc duplicem legationem a Didaco peractam esse, quam Theodoricus non distinxit, et quam utramque Constantinus apud Echardum num.* 9 *obscure indicat, dum ibidem de* legatione denique semel et iterum consummata *meminit. At B. Jordanus apud nos num.* 13 *utramque aperte exponit his verbis :* Ad locum destinatum, ubi puella erat, multorum laborum dispendio venientes, exposita causa sui itineris, habitoque consensu, confestim ad regem festinavere reverti; cui rem prospere actam et puellæ responsum vel consensum nuntiavit episcopus. Rex igitur iterato duxit, eum cum majoris apparatus honorificentia remittendum, quatenus cum honore puellam duceret suo filio copulandam : qui laboriosum iter rursum aggrediens, cum ad Marchias pervenisset, puellam interim defunctam invenit. *Humbertus in apographo nostro Ultrajectino etiam duplicem illam legationem ita distinguit :* Jam dictus episcopus prosecutus iter, ex-
C secutus nuntium, assecutus propositum, ad regem regrediens, successum prosperum, et puellæ nuntiavit assensum. Rursus cum majori apparatu ab eodem rege missus, Marchias adiit; sed puellam, quæ ducenda tanti laboris causa exstiterat, defunctam invenit; id nimirum divina providentia disponente, ut disceret Didacus meliores et spirituales nuptias inter Deum et animam dedicare. Remisso igitur ad regem nuntio, ipse cum clericis suis curiam Romanam adiit, cessionem a summo Pontifice postulavit, *etc.*

et alia quædam pro suo arbitrio chronologice ordinat,

199 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 5 *chronologicam harum rerum seriem ita ordinat*, ut Didacus ex Hispania primum iter ad Marchias sub finem anni MCCIII aggressus, intra sex menses reversus sit, alios sex menses secundæ legationi dederit, tum itineri Romano sex adhuc menses impenderit; quæ nos ducunt ad medium circiter anni MCCV, annum numerando stylo veteri vel a Pascha, vel a XXV Martii : quod ad sequentium intelligentiam necessario monendum fuit. *Deinde post pauca alia interjecta ibidem reliquam chronotaxim sic disponit :* Didacus itaque et Dominicus ex aula Romana redeuntes et in Hispaniam properantes, Montempessulanum sub finem anni MCCV advenerunt. Cum dico finem D
anni, stylo veteri loquor, circa Februarium aut Martium, qui stylo novo MCCVI diceretur. *Denique id probat ex Bernardo Guidonis, apud quem in Chronico supra memorato hæc legi asserit* : Anno Domini MCCV in fine istius anni deliberavit præfatus episcopus cum sancto Dominico redire in Hispaniam. Transeuntes autem per Montempessulanum, *etc.*

cujus chronotaxim

200 *At totum illud systema chronologicum ab Echardo gratis excogitatum videtur : unde enim novit, Didacum iter ad Marchias sub finem anni* 1203 *aggressum esse? Quid si id post initium vel ante medium ejusdem anni instituere cœperit? Unde novit, Didacum cum* S. Dominico *Roma redeuntem circa finem anni* 1205 *stylo veteri, et circa Februarium aut Martium anni* 1206 *stylo novo, Montem Pessulanum advenisse? Ex Bernardo Guidonis, inquiet, qui annos stylo veteri numerat, et qui* anno Domini MCCV *notat, Didacum* in fine istius anni *ad Hispaniam voluisse reverti, et per Montem Pessulanum transiisse. Sed ego in eodem Chronico Bernardi Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ veterum scriptorum col.* 398 *hæc ita lego :* Anno Domini MCCV E
(suspicor pro MCCV, *legendum esse* MCCIV, *propter antecedentia et sequentia)* in fine QUARTI istius anni deliberavit præfatus episcopus cum sancto Dominico redire in Hispaniam. Transeuntes autem per Montempessulanum, *etc. Quid autem ibi facit vox illa* quarti, *nisi referatur ad annum præcedentem; aut in numerum immediate verba illa antecedentem error irrepsisse dicatur?*

ex obitu episcopi Uxamensis,

201 *Præterea quomodo Echardus in sua chronologia biennium, quod Didacus in partibus Tolosanis prædicando contra hæreticos transegisse traditur, cum morte ejusdem Didaci conciliabit? Juvat hunc nodum chronologicum paulo arctius stringere verbis ipsius Bernardi Guidonis, qui, postquam loco jam citato narraverat, quomodo Didacus et* S. Dominicus *in Monte Pessulano invenerint quosdam abbates Ordinis Cisterciensis, eisque utile consilium ad convertendos hæreticos suggesserint, columna sequente sic pergit*: Per continuum autem biennium sunt omnes in dicto prædicationis officio demorati, multum fructum in populo facientes. Post biennium vero præfatus Didacus episcopus Oxomensis, ne forte negligentiæ posset argui circa F
sibi commissam ecclesiam Oxomensem, in Hispaniam redire decrevit : qui cum Castellam intrasset, post paucos dies vitam præsentem in magna sanctitate complevit, bonorum laborum fructum gloriosum accepturus in abundantia, sepulcrum ingrediens in requiem opulentam, anno Domini MCCVII. Fertur autem post mortem miraculis claruisse.

vel æra Hispanica,

202 *Menardus, Henriquezius, aliique scriptores passim consentiunt, Didacum anno Christi* 1207, *die* VI *Februarii, e vivis excessisse. Hic mortis annus confirmatur ex Uxamensi illius epitaphio, quod apud Ægidium Gundizalvum Davila in Theatro ecclesiastico Hispaniæ inter episcopos Uxamenses lib.* 2 *cap.* 6 *sic exprimitur :* ✠ Hic jacet Didacus Azeves, episcopus Oxomensis. Obiit Era millesima ducentesima quadragesima quinta. *Præter alios ejusdem epitaphii relatores Malvenda in Annalibus ad annum* 1207 *cap.* 4 *post illud sic notat :* At cum Æræ ratio triginta octo annos, ut est perspicuum, addat ad annos Christi nati, constat, Didacum hoc anno MCCVII defunctum. *Si ergo Didacus juxta stylum novum Echardi primum mense Februario vel Martio anni* 1206 *Montem*

Pessu-

A *Pessulanum advenerit, et postea in Hispaniam reversus, mense Februario anni* 1207 *obierit (quædam Necrologia alium mensem, sed omnia eumdem annum notant) quomodo Echardus inveniet duos annos prædicationis, quos in partibus Tolosanis conversioni hæreticorum impendit, ut omnes veteres biographi unanimiter testantur?*

tumulo ejus inscripta,

203 *Cum Echardus istud mortis tempus negare non posset, tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 8 *in notis aliud effugium ita quærit :* Hæc ejus tumulo in ecclesia suburbii Oxomensis insculpta epigraphe, a Malvenda, et a Tamaio in Martyrologio Hispano ad diem sextam Februarii relata: HIC JACET DIDACUS AZEBES EPISCOPUS OXOMENSIS. OBIIT ÆRA MCCXLV. Cum autem Æra Hispana Christianam præcedat annis XXXVIII, annus in tumulo notatus convenit cum anno Christi MCCVII, quem tamen intelligas stylo veteri, novo MCCVIII, Februarii VI. Sic qui anno MCCVI circa Februarium Montempessulanum advenerat, biennium fere in Occitania cum hæreticis viriliter decertavit. *Sed dum eruditus ille scriptor hoc modo difficultatem effugere nititur, magis intricatur, ut nunc* B *ostendam.*

impugnamus

204 *Primo etiam in sua hypothesi non potest invenire duos integros prædicationis annos, et* biennium fere in Occitania *ab episcopo Didaco contra hæreticos impensum admittere cogitur; cum tamen B. Jordanus apud ipsum num.* 16, *et infra apud nos num.* 22 *diserte illud tempus ita exprimat :* In hujusmodi prædicationis exercitio permansit Didacus episcopus annis duobus, quibus EXPLETIS,..... in Hispaniam redire decrevit. *Præter Bernardum Guidonis, cujus verba superius retuli, Constantinus Urbevetanus, Humbertus, Vincentius Bellovacensis, et Theodoricus de Appoldia suo loquendi modo etiam satis indicant, duos illos prædicationis annos complete numerandos esse. Præterea Echardus vehementer errat, dum stylo novo mensem Februarium anni* 1208 *cum Æra Hispanica* 1245 *componere conatur : nam mense Februario istius anni, jam Æra Hispanica* 1246 *currebat. Quod si hunc nodum quolibet modo scindere decreverat, potius sine ullo fundamento rotunde edixisset, Æram Hispanicam in hac tumuli inscriptione vitiatam esse, et errasse omnes illos scriptores, qui mortem Didaci mense Februario anni* 1207 *consignarunt. Sed haud* C *dubie vir ille, alioquin eruditus, putabat, Æram Hispanicam cum novo et veteri annorum stylo mutari, et verosimiliter ignorabat, aut saltem non meminerat, Æram Hispanicam a Kalendis Januarii fixum semper initium habere, ut Josephus Perezius ex Ordine S. Benedicti in Dissertationibus suis ecclesiasticis pag.* 362 *invicte demonstrat.*

et aliud systema chronologicum proponimus.

205 *Quare proponimus aliud horum gestorum systema chronologicum, quod cum duobus completis memoratæ prædicationis annis, et cum morte Didaci facile conciliari possit. Primo ponamus, Didacum post initium vel circa medium anni* 1203 *cum* S. Dominico *ad Marchias profectum esse : nihil enim nos cogit primam illam legationem cum Echardo usque ad finem ejusdem anni differre. Secundo juxta Bernardum Guidonis statuamus, episcopum Uxamensem, postquam* per annum *in his duabus legationibus, sive* in dicto negotio regis Castellæ moram *contraxerat, Romam adiisse, ac demum* in fine quarti istius anni *Montem Pessulanum advenisse, ubi invenerit illos Ordinis Cisterciensis abbates, cum quibus contra Albigenses hæreticos prædicare cœperit. In hac hypothesi Didacus duos integros annos conversioni hæreticorum impendere potuit, et mense Februario Æræ* 1245 *sive anni* 1207 *ad æternam laborum suorum mercedem evocari, ut consideranti patebit. Computamus hic annos novo stylo : nam antiquus ille stylus, quem Echardus tam studiose ubique distinguit, non videtur in hac re locum habere, nec semper apud scriptores usitatus esse, ut inferius alia occasione dicemus. Nunc, relictis hisce tricis chronologicis, ad aliam disceptationem historicam progrediamur.*

AUCTORE G. C.

Dicitur Didacus episcopus Uxamensis in illo itinere

206 *Beatus Jordanus post Romanum Didaci iter, ubi Pontifex ei licentiam deserendi episcopatum denegaverat, apud nos numero* 15 *refert sequentia :* Revertens igitur, in via Cistercium visitavit, ubi multorum servorum Dei conversationem intuitus, et altitudine Religionis illectus, assumpto ibidem habitu monachali, et aliquibus monachis, quorum instructione formam conversationis addisceret, secum adductis, reverti in Hispaniam properabat. *De illa monasterii Cisterciensis visitatione silet Constantinus, et apud Humbertum in apographo nostro Ultrajectino tantum hæc leguntur :* Revertens itaque, visitato Cistercio, redire in Hispaniam festinabat. Sed superna prævisio, quæ plerumque jam eum ab his, quæ mente conceperat, ad meliora reduxerat, aliud nunc etiam sibi viæ hujus E obstaculum præparabat. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 5 *testatur, etiam in suo codice Humbertum de habitu Cisterciensis Ordinis assumpto tacere. Attamen in codice nostro membranaceo P. Ms.* 10, *apud Humbertum sic legitur :* Revertens itaque visitavit in via Cistercium, ubi multitudinis servorum Christi sanctam conversationem intuitus, Religionis pulchritudine delectatus, assumpsit habitum monachalem, adductisque secum aliquibus monachorum, quorum instructione formam quoque Religionis indueret, redire in Hispaniam festinabat. Sed superna prævisio, *etc. Quidquid sit de hoc dubio Humberti testimonio, Bartholomæus Tridentinus infra apud nos num.* 3 *iter Didaci et* S. Dominici *ita breviter ordinat :* Post hæc Romam veniunt; abinde redeuntes visitant Cistercium, ubi episcopus Oxomensis assumpsit habitum. *Eadem inferius num.* 28 *narrabit Theodoricus de Appoldia, cui Ferdinandus Castillus lib.* 1 *cap.* 8, *aliique recentiores subscribunt.*

assumpsisse habitum Cisterciensem, F

207 *Soëgius tamen in Actis* S. Dominici *pag.* 159 *et sequente, istam habitus Cisterciensis assumptionem tam multis tamque urgentibus argumentis impugnat, ut ingenue fatear, me illa omnia non posse dissolvere. Nihilominus clara B. Jordani, et Bartholomæi Tridentini assertio videtur omnibus Soëgii rationibus præferenda esse. Forte auctoritas horum veterum scriptorum cum argumentis Soëgii utcumque conciliari poterit, si cum Joanne a sancta Maria in Gallicis* S. Dominici *Actis lib.* 2 *cap.* 2 *dixerimus, Didacum non professione, sed quadam devotione, habitum Cisterciensis Ordinis assumpsisse. Certe Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1206 *cap.* 2 *post descriptum monasterii Cisterciensis situm, de hac re sic loquitur :* Hinc Didaco, ad sublimius semper vitæ genus aspiranti, ingens cupido incessit insigne illud monasterium invisendi, et habitum, institutumque capessendi. Sic autem sacram monasticam vestem accepisse intellige, ut non episcopi dignitatem et insignia deposuerit (neque enim illi integrum esset, Romano Pontifice inconsulto;) sed episcopus manens, et habitu et instituto monachum (quantum ei per episcopales curas liceret) imitari et exercere decrevit.

208 *Alfonsus de Villegas in Hispanica* S. Dominici *Vita pro monasterio Cisterciensi substituit*

Cartu-

AUCTORE G. C.

quæ narratio videtur intelligenda eo modo,

Cartusiense, idque forsan ex aliqua traditione, quæ inter Cartusianos conservari dicitur, et de qua Joannes a sancta Maria et Soëgius locis proxime citatis meminerunt. Teste enim laudato Joanne a sancta Maria, Cartusiani tradunt, S. Dominicum *venisse ad magnam Cartusiam, in Gallia non procul Gratianopoli dissitam, ibique ab Ordinis totius generali petiisse habitum istius Religionis, quem Generalis petenti negaverit, ac divino lumine illustratus, ei responderit :* Vade, in majora vocatus es. *Juxta Soëgium vero in Actis pag.* 160 *Cartusiani narrant, id* S. Dominico *contigisse in suo monasterio Portarum, quod in diœcesi Lugdunensi situm est, et Priorem ei similiter respondisse :* Vade, ad majora vocaris. *At ubicumque id evenisse dicatur, alia auctoritate opus est, antequam hoc factum, ab apostolica et activa vita, quam Sanctus tam diu desideraverat, et quam jam agere cœperat, prorsus alienum, admittamus. Sane illa Cartusianorum traditio non magni facienda est, si non nitatur firmiori fundamento, quam altera quædam publicis etiam scriptis consignata, quæ insigni parachronismo se ipsam destruit, ut jam demonstrabimus.*

B

quo explicari potest traditio Cartusianorum,

209 *Dionysius Cartusianus in opusculo de Præconio sive laude Ordinis Cartusiensis art.* 8, *quod tomo* 2 *minorum ejus operum insertum est, ibi in editione Coloniensi anni* 1532 *fol.* 413 *verso sic scribit :* Sanctus ille Dominicus a devotissimo viro domino Basilio, tunc Priore majoris Carthusiæ, legitur accepisse consilium de modo prædicandi adversus hæreticos, et de institutione ac habitu Ordinis sui. *Theodorus Petræus in Notis ad Chronicon Cartusiense Petri Dorlandi pag.* 75 *idem ex Dionysio Cartusiano refert; et ibidem addit,* hinc forsitan factum *esse,* quod tanta inter Dominicanos ac Cartusianos vestium reperiatur confirmitas. *Sed bonus vir suo se gladio jugulat : nam eadem pagina ex testimonio aliorum expresse notat, Basilium illum circiter anno Christi* 1173 *mortuum esse. Hic mortis annus, quem Petrus Sutor aliique scriptores Cartusiani passim exprimunt, confirmatur ex antiquiore ejusdem Ordinis Historia, quæ apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ veterum scriptorum nuper edita est, ubi col.* 275 *de hoc Basilio leguntur sequentia :* Anno Domini, ut videtur, millesimo centesimo quinquagesimo primo in Prioratu domus Cartusiæ eidem Anthelmo successit, ut jam

C

præmissum est, sanctæ et recolendæ memoriæ domnus Basilius, monachus dictæ domus Cartusiæ : qui multa scientia præclarus, virtutibus eximius, domum Cartusiæ non modicum in spiritualibus ac temporalibus ampliavit. Hic egregius vir viginti tribus annis, vel circa, Prioratum Cartusiæ tenuit....., deficiensque mortuus est in senectute sancta circa annum Domini millesimum centesimum septuagesimum tertium. *Cum igitur* S. Dominicus *tantum natus fuerit anno Christi* 1170, *satis liquet, Dionysium Cartusianum aliosque hujus narrationis assertores falli, cum Sanctus in obitu Basilii solummodo triennis esset.*

qui existimant, S. Dominicum

210 *Cautior fuit Henricus Kalcariensis, qui anno Christi* 1408 *octogenarius in Ordine Cartusiensi obiit, dum Priorem illum Cartusiæ, ad quem* S. Dominicus *accessisse traditur, non nominat, et apud laudatum Edmundum Martene eodem tomo* 6 *col.* 209 *hanc rem ita narrat :* Cuidam Priori Ordinis eorum *(videlicet Cartusianorum)* in oratione consistenti, et Ecclesiæ de paucitate prædicantium condolenti contra errores Albigensium, quia Papa compulsus fuit mittere contra eos abbates Cistercienses, cum non haberet alios, revelavit Deus aperte, venturos esse breviter quatuor Ordines prædicantium, loco quatuor Euangelistarum, dicens ei : Fili, esto bono animo, quia mihi breviter de prædicantibus providebo. Quod confidenter prædictus Prior Fratribus suis retulit, et aliis Christianis ; et ecce non diu post venit Dominicus, Canonicus Regularis, ad Cartusiam, recipiens a Priore consilium de prædicando contra hæreticos, pariter et quasi habitum sine clausura, scilicet vittarum ; qui tamen habitus post hoc per beatam Virginem cuidam eorum est ostensus, et tandem aliqualiter commutatus. *De habitu Prædicatorum, quem Deipara Reginaldo ostendit, infra agetur.* D

aliqualem Ordinis sui habitum petiisse ac impetrasse :

211 *Si Cartusiani ex vetustioribus Ordinis sui documentis probaverint,* S. Dominicum *ad Jancelinum vel Ancelinum, qui majori Cartusiæ ab anno* 1176 *usque ad annum* 1233 *præfuit, consultationis causa venisse, haud gravate id admittemus, cum Sanctus ob varias rationes hoc fecisse potuerit, ac præsertim eo intuitu, ut felicem suæ expeditionis successum, et desideratam hæreticorum conversionem precibus sanctæ istius congregationis commendaret. Quod si etiam solide confirmaverint ea, quæ hic de assumpto* quasi *habitu* sine clausura *memorantur,* E *illa omnia non facile intelligemus de stabili istius Ordinis professione ; sed ea explicabimus de aliquali rigidæ vitæ Cartusianæ imitatione, et habitu ex devotione suscepto, ut superius occasione habitus Cisterciensis de Didaco Uxamensi diximus. Porro Joannes a sancta Maria non videtur omnino alienus ab hac explicatione nostra, quandoquidem in Vita Gallica lib.* 2 *cap.* 2 *probabile censet,* S. Dominicum *exemplo episcopi sui Didaci habitum Cisterciensem petisse aut assumpsisse.*

quæ omnia facilius componi possunt quam iter Parisiense.

212 *Ceterum operose hic non disputabimus de itinere Parisiensi, quod Ferdinandus Castillus lib.* 1 *cap.* 7, *et Michael Pius sive Plodius lib.* 1 *cap.* 10 *tunc ab episcopo Uxamensi et Sancto ejus socio institutum volunt, et in quo narrant quædam gesta, toti historiæ ac evidenti chronologiæ contraria : nam ipse Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1205 *cap.* 9 *falsas hujus itineris circumstantias evidenter refellit hoc modo :* Cum Tolosa par illud insigne virtutum Didacus et Dominicus discessissent, venisse eos in curiam Ludovici principis Galliarum, nomineque Alphonsi regis salutasse Blancham filiam, et quædam negotia cum rege Philippo, F ejusque filio Ludovico agitavisse, nonnulli produnt. Sed quod addunt, Blancham desiderio prolis, qua carebat, orasse tum sanctum Dominicum (cujus sanctitatem ab aliquot retro annis, cum adhuc in Hispania esset, notam habebat) ut precibus sibi a Deo filium impetraret, et sanctum Virum, imposita Blanchæ sacri Rosarii devotione, ac in toto ferme regno promulgata, suis orationibus ipsi a Deo filium Ludovicum, magnum postea sanctitate futurum, obtinuisse, optima sane ratione nequaquam (rem alioqui apertissime gestam) ad hæc tempora retulerim, cum necdum sacrum illud ac divinum Rosarii institutum, hoc anno a sancto Dominico fuerit excogitatum, et sanctus Ludovicus non nisi post novem annos sit in lucem editus, nempe MCCXIV, ut Francorum Annales tradunt. Equidem et Rosarii devotione et sancti Dominici precibus datum Blanchæ divinitus filium Ludovicum, ex probatis auctoribus in tempore et loco referemus. *Id autem postea in Annalibus suis ad annum Christi* 1215 *cap.* 22 *refert, ut inferius* § 14 *hujus Commentarii audiemus. Nos autem putamus,* S. Dominicum *neque hoc tempore, neque anno Christi* 1212 *vel* 1213, *ut*

Mal-

A *Malvenda loco citato conjicit, Parisios venisse, quemadmodum ex decursu Commentarii nostri prævii apparebit.*

quod tunc Didacus cum Sancto instituisse fertur.

213 *Interea hic obiter observari cupimus, Malvendam in adhibenda Alani Rupensis auctoritate sibi non constare, et jam relatis ipsius verbis tacite improbari omnia illa prodigia, quæ Alanus ejusque sectatores antea in variis Hispaniæ provinciis contigisse narrant, et prædicationi Rosarii adscribunt : si enim* necdum sacrum illud ac divinum Rosarii institutum hoc anno (*scilicet* 1205, *de quo Malvenda ibidem agit*) a sancto Dominico fuerit excogitatum, *quomodo idem Sanctus, cum adhuc esset Canonicus Regularis, piratas Rosarium docuit, et in Britannia Armorica confraternitatem Rosarii tunc instituit, ut paragrapho præcedente retulimus? Cur Malvenda in hac re auctoritatem Alani implicite rejicit, et eamdem in historia Blanchæ reginæ admittit? Si Alanus in illa narratione fidem non mereatur, neque in hac apud nos fidem obtinebit, ut infra paragraphis* 14 *et* 19, *atque alibi per decursum hujus Commentarii ostendemus.*

B

§ XIII. Prima Sancti certamina cum hæreticis Albigensibus, et fundatio monasterii Pruliani.

Orthodoxi consilio Didaci Uxamensis,

Omnes Vitæ scriptores memorant, qua occasione Didacus Uxamensis et S. Dominicus *in Gallia quosdam Albigensium impugnatores convenerint, iisdemque consilio et exemplo persuaserint, ut contra hæreticos illos fructuosius prædicarent. Inter alios Constantinus apud Echardum num.* 10 *hanc rem ita narrat :* Adhuc eo tempore, invalescente morbo pravitatis hæreticæ in partibus Albigensium, ad ipsius morbi per verbum prædicationis pestem mortiferam exstirpandam a summo Pontifice Innocentio III duodecim abbates Cisterciensis Ordinis, adjuncto eis Apostolicæ Sedis legato, ad easdem partes fuerunt destinati ; quibus cum prælatis ceteris ecclesiarum regionis illius congregatis in unum, et diligenter inter se conquirentibus, quisnam modus aptior haberetur C ad id, cujus rei gratia missi fuerant, fructuosius exsequendum, præfatus Didacus Oxomensis episcopus illinc iter faciens, advenisse refertur. Lætantur omnes, advenientem vocant, vocatum cum honore suscipiunt, et quia sciebant eum virum non minus sanctitate vitæ quam scientiæ discretione conspicuum, ipsius sententiam super hujusmodi consilii deliberatione requirunt.

abjecta omni pompa,

215 Ille vero hinc pompam in equis et sarcinis varii, quem secum tulerant, apparatus considerans, hinc hæreticorum versutiam ex hoc contra Romanam Ecclesiam ad subversionem simplicium insultationis suæ syllogismos connectere non ignorans, nec minus ex præcedentium fidei Jesu Christi præconum tot et tantis exemplis argumentum assumens, hac sententia sui determinationem consilii, Spiritu sancto dictante, conclusit, ut abjectis armis Saülis, id est temporalium sarcinis, cum David in funda et baculo contra Goliath prosternendum pergentes, Christum pauperem in paupertatis semita prædicarent, ut sic clavum clavo retunderent, dum quod linguæ vox promeret, vitæ meritum confirmaret, et adversariorum religionem sophisticam sanctitatis veræ confutaret aspectus.

216 Statimque dictis facta connectens, equos cum pueris nec non et cetera supellectili, quam habebat, remisit Oxomam, retentis secum paucis ex clericis, præ ceteris autem servo Dei Dominico, admodum sibi ad hoc necessario, cui etiam per hæc omnia ad id, quod per eum consummandum præviderat, viam Dominus præparabat. Unde et tunc cœpit non Supprior, sed Frater Dominicus appellari. Nec mora ; acquiescunt omnes, qui causa fidei prædicandæ missi fuerant, salutari consilio ; et quod consultum, est exsecutioni demandatum, remissisque omnibus ad loca propria temporalium sarcinis, cœperunt pariter Christum pauperem pedites et pauperes prædicare. Quod videntes hæretici, nec modicum invidentes, ex adverso fortius insistere prædicationi cœperunt.

hæreticos Albigenses aggrediuntur.

contra quos antea

217 *Quidam scriptores hanc rem anno Christi* 1206, *alii* 1203 *vel* 1204, *gestam volunt, ut apud Malvendam in Annalibus ad annum* 1206 *cap.* 1 *videri potest. Bernardus Guidonis, paragrapho præcedente citatus,* anno Domini MCCV *eamdem rem ita refert :* Transeuntes autem per Montempessulanum, invenerunt ibi quemdam Apostolicæ Sedis E legatum cum duodecim abbatibus Cisterciensis Ordinis, qui, convocatis et præsentibus archiepiscopis et episcopis, ac aliis ecclesiarum prælatis super cruce prædicanda in terra Albigensi et prædicatione infidelium, concilium celebrabant. Accersitis ergo Didaco episcopo, et beato Dominico, a legato inquisivit, quonam modo commodius id, cujus gratia missus erat, exsecutioni mandaret : quorum exstitit, Spiritu suggerente, consilium, ut dicti abbates et ceteri ad prædicationis officium deputati, abjecta pompa superflui apparatus in equitaturis et vestibus et expensis, pedites Christum pauperem in paupertate voluntaria prædicarent, et, remissis Oxomam suis clericis cum evectionibus et supellectili, et diverso, quem secum tulerant, apparatu, primi hoc facere pollicentur. Prosequentes itaque hoc modo prædicationis officium, ipsum dicti abbates et ceteri ad hoc sunt secuti. *Bartholomæus de Luca, vulgo dictus Ptolomæus Lucensis, qui initio seculi* XIV *in Ordine Prædicatorum floruit, et cujus Historia ecclesiastica nuper Mediolani inter Scriptores rerum Italicarum tomo* XI *excusa est, lib.* 21 *istius Historiæ cap.* 10 *in dicta editione tomo* XI *col.* 1124 *etiam prædicationem* S. Dominici *contra Albigenses ab anno Christi* 1205 *exorditur. Nos ob rationes paragrapho præcedente allatas probabilius opinamur, illud prædicationis exordium exeunte anno* 1204, *vel ineunte* 1205 *styli novi collocandum esse.* F

exiguo cum fructu

218 *Facile tamen nobis persuaderi sinemus, Cistercienses illos ante adventum Didaci Uxamensis et* S. Dominici *contra hæreticos Albigenses exiguo cum fructu prædicasse : nam apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 5 *in notis id satis indicat Stephanus de Borbone vel de Bellavilla, qui circa medium seculi* XIII *floruit, et qui in opere suo de Septem donis Part.* IV *de dono fortitudinis, tit.* 5 *de malo exemplo et bono cap.* 1 *hæc refert :* Audivi a Fratribus Provinciæ illius temporis, quod cum quidam legati, et XIII abbates missi fuissent ad terram Albigensium ad prædicandum contra hæreticos Albigenses, cum ipsi secum haberent equitaturas ad portandum vestes suas et ad viæ necessaria, et prædicarent contra hæreticos et errores, insurgebant contra eos hæretici, prædicantes contra exempla mala et insolentiam vitæ Catholicorum, de corruptela cleri et Religiosorum maxime texentes sermonem. Ex quo maxime illi abbates confusi, sine multo fructu a prædicatione

cessantes

AUCTORE G. C.

cessantes, a terra illa recesserunt, dicentibus hæreticis: Ecce quomodo isti equites prædicant nobis Christum Dominum suum peditem, divites pauperem, honorati abjectum et vilem, et hujusmodi.

prædicaverant.

219 *Confirmatur id ipsum ex auctore synchrono Petro, Cisterciensi Vallis-Sernensis monacho, qui in Historia Albigensium cap.* 3 *post alia de Didaco Uxamensi sic scribit*: Factum est igitur, dum rediret a curia (*scilicet Romana Didacus*) et esset apud Montempessulanum, invenit ibi venerabilem virum Arnoldum abbatem Cisterciensem, et F. Petrum de Castronovo, et F. Radulphum, monachos Cistercienses, Apostolicæ Sedis legatos, injunctæ sibi legationi præ tædio renuntiare volentes, eo quod nihil aut parum hæreticis prædicando proficere potuissent: quotiescumque enim vellent ipsis hæreticis prædicare, objiciebant eis hæretici conversationem pessimam clericorum, et ita, nisi vellent clericorum vitam corrigere, oporteret eos a prædicatione desistere. Memoratus autem episcopus adversus hujusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens
B et consulens, ut ceteris omissis, prædicationi ardentius insudarent, et ut possent ora obstruere malignorum, in humilitate præcedentes exemplo pii Magistri facerent et docerent, irent pedites sine auro et argento, per omnia formam apostolicam imitantes. Dicti vero legati hæc omnia quasi quamdam novitatem per se arripere non valentes, dixerunt, quod si quis favorabilis auctoritatis eos sub hac forma vellet præcedere, ipsum libentissime sequerentur. Quid plura? Obtulit se vir Deo plenus, moxque familiam suam Oxomum transmittens, uno comite contentus, cum duobus sæpe dictis monachis, Petro videlicet et Radulpho, Montem ingreditur Pessulanum. *Ex his satis patet, Cistercienses illos antea alio modo contra Albigenses prædicare cœpisse, et prædicationem istam propter dicteria hæreticorum interrupisse.*

S. Dominicus cum Didaco Albigenses strenue impugnat,

220 *Quis porro fuerit ille Didaci Uxamensis comes, cujus nomen hic non exprimitur, clare edisserit Guilielmus de Podio Laurentii, scriptor ejusdem seculi* XIII, *qui in Chronico suo de rebus Albigensium cap.* 8 *hæc habet*: In ipsis quoque diebus dominus Deus, ipse qui sagittas electas in providentiæ suæ conservat pharetra, duos de Hispania
C ad hoc opus produxit electos pugiles, dominum Didacum episcopum Oxomensem, et religiosum virum, sanctum postea declaratum, socium ejus Dominicum, Canonicum ecclesiæ suæ Regularem. Duo ergo isti mittentes manus ad fortia, aggregatis illis abbatibus Ordinis Cisterciensis, et aliis bonis viris, superstitionem hæreticorum in altitudine sathanæ gloriantium, cum omni humilitate, abstinentia, patientia, cœperunt aggredi, non pomposa aut equestri multitudine, sed calle pedestrico ad indictas disputationes de castro in castrum nudis plantis et pedibus ambulabant; fuitque una de primis congressionibus apud Viride folium (*est castrum diœcesis Tolosanæ, quod vernacule* Ver feuil *dicitur*) ubi hæresiarchæ plurimi, scilicet Pontius Jordani, et Arnardus Arifati, et alii affuerunt.

et contra eos scribit libellum,

221 *Prædictus Petrus Vallis-Sernensis in Historia Albigensium cap.* 3 *et* 6 *plures recenset disputationes, quas eo tempore Catholici contra hæreticos instituerunt, et quibus* S. Dominicus *verosimiliter interfuit, quamvis scriptores Vitæ ejus eas singillatim non expresserint: Petrus enim affirmat iis interfuisse Didacum Uxamensem, quem haud dubie Sanctus noster in hujusmodi expeditionibus plerumque comitabatur. At juvat audire illustre miraculum, in una earum disputationum patratum, quod laudatus auctor synchronus ac testis auritus cap.* 7 *ejusdem Historiæ ita narrat*: Contigit tempore illo D
quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco dignum duximus interserendum. Disputaverant quadam die quidam prædicatores nostri viri religiosi adversus hæreticos; unus autem de nostris, Dominicus nomine, vir totius sanctitatis, qui socius fuerat episcopi Oxomensis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptum, et cuidam hæretico tradidit scedulam illam, ut supra objectis deliberaret.

qui apud Montem Regalem,

222 Nocte igitur illa erant hæretici congregati in una domo, sedentes ad ignem. Ille autem, cui Vir Dei tradiderat scedulam, produxit eam in medium: tunc dixerunt socii sui, ut in medium ignem illam projiceret, et si scedula illa combureretur, vera esset fides, imo perfidia hæreticorum; si vero incombusta maneret, fidem, quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? In hoc consentiunt omnes, scedula in ignem projicitur; sed cum in medio igne aliquantulum moram fecisset, incombusta penitus ab igne E
resiluit. Stupentibus qui aderant, unus ceteris durior ait illis: Projiciatur in ignem iterum, ex * tunc experiemini plenius veritatem. Projicitur iterum, iterum resiliit incombusta. Quod videns ille durus et tardus ad credendum, dixit iterum: Trina vice projiciatur, et tunc sine dubio rei exitum cognoscemus. Projicitur tertio, nec tunc quidem comburitur, sed integra ab igne resiliit et illæsa. Hæretici autem visis tot signis, nec tunc ad fidem voluerunt converti; sed in sua manentes malitia, districtissime sibi invicem inhibuerunt, ne miraculum istud per narrationem alicujus ad nostrorum notitiam deveniret. Sed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulum consentiebat fidei nostræ, noluit celare quod viderat, sed pluribus enarravit. Factum est autem hoc apud Montem Regalem, sicut ab ore Viri religiosissimi audivi, qui scedulam hæretico tradidit superscriptam. *Ex hac clausula patet, Petrum id ab ipso* S. Dominico *audivisse, quo certius testimonium requiri non potest.*

* *forte* et

et Fanum Jovis in igne illæsus permansit,

223 *Circa eadem tempora in Fano Jovis (oppidum istud Galli vulgo* Fanjaux *appellant) simile quid evenisse memoratur, ut post B. Jordanum et Bartholomæum Tridentinum Constantinus Urbevetanus in Actis jam sæpe citatis num.* 11 *refert hoc* F
modo: Cum igitur inter Catholicos et hæreticos tunc temporis in iisdem partibus frequenter fierent disputationum conflictus, ad quas utriusque sexus multitudo populi confluebat, factum est, ut apud Fanum Jovis celebris indiceretur disputatio sub judicibus deputatis, quibus ab utraque parte scripto præsentari deberet assertio fidei, quam docebat. Quapropter conscriptis diversis super hoc a diversis Catholicis diligenter libellis, et in commune redactis ac mutua inter se collatione discussis, libellus, quem scripserat vir Dei Dominicus, communiter et commendatur præ ceteris, et decernitur præsentandus. Statuto itaque die, ac multitudine populi circumstante, libelli utriusque partis in medium proferuntur. Verum judicibus inter se discrepantibus, hæc fuit tandem communis eorumdem sententia, ut utrosque libellos flammis injicerent, et quem ab igne contingeret non comburi, ille veram fidem procul dubio contineret. Fidelis sermo et omni acceptione dignus! Accensus est in publicum magnus ignis, libelli projiciuntur in medium: libellus partis hæreticæ statim comburitur: libellus vero servi Dei

Dominici

AUCTORE G. C.

A Dominici non solum non læditur, verum ab igne foras prosilit in longinquum ; secundo injectus ac tertio, æque prodiit incombustus, ut sic divina potentia, quod olim in tribus pueris gestum cognovimus, in uno eodemque libelli, prorsus ab igne conservati, stupendo prodigio, et orthodoxæ fidei veritatem et sui comprobaret sanctitatem auctoris.

quod miraculum ob diversa loci ac rei adjuncta

224 *Propter quamdam utriusque hujus historiæ similitudinem dubitari posset, an hæc duo prodigia sint distinguenda, præsertim cum plerique scriptores de alterutro tantum meminerint : beatus enim Jordanus, Bartholomæus Tridentinus, et jam relatus Constantinus solummodo narrant illud, quod apud Fanum-Jovis contigisse traditur ; Hubertus vero in codice nostro* P. *Ms.* 10 *(aut quisquis forte Humbertum interpolavit) et Nicolaus Trivettus in ultima editione Spicilegii Acheriani tomo* 3 *pag.* 181 *memorat dumtaxat miraculum, in Monte-regali patratum, quod supra ex Petro monacho Vallis-Sernensi retulimus. Sed Theodoricus de Appoldia infra apud nos num.* 31 *et* 46 *(huic ab Echardo Bernardus Guidonis additur) utrumque distinguit, et Humbertus in apographo nostro Ultrajectino post narratum miraculum Montis-regalis hæc subnectit :* B Simile quoddam dicitur contigisse apud Fanum-Jovis, indicta ibidem in diebus illis quadam contra hæreticos disputatione solemni.

bis contigisse opinamur.

225 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 8 *in notis utrumque istud miraculum diversum putat, et primum in Fano-Jovis, tamquam publice patratum, anno Christi* 1206 *collocat ; alterum vero apud Montem-regalem, privatim inter pertinaces hæreticos factum, anno Christi* 1207 *affigit, ut supra* § 6 *in chronologico Actorum compendio, quod juxta ipsius computum exhibuimus, distincte legi potest. Sed laudatus Nicolaus Trivettus, qui exeunte seculo* XIII *in Ordine Prædicatorum vixit, unicum Fani-Jovis miraculum in Chronico suo ad annum Domini* 1205 *refert. Alii autem biographi certum annum non exprimunt. Quare nos neutrum certo tempori alligamus, quamvis ob relata veterum testimonia, et diversas rei gestæ circumstantias, utrumque distinguendum esse, arbitremur. Ad hanc distinctionem faciendam etiam nos movet antiqua traditio incolarum Fani-Jovis, qui sacro monumento memoriam istius prodigii conservarunt, ut laudatus Echardus tomo* 1 *pag.* 6 *testatur his verbis :* C Hujus miraculi fama ita civium Fani-Jovis animis insederat, ut domum nobilis viri Raimundi de Duroforti, ejus castri condomini, in qua rem gestam traditione acceperant, in sacellum sub sancti Dominici nomine converti curaverint, cui postea claustrum adjunctum, et nostris datum. *Plura de hac traditione apud Soëgium in Actis* S. Dominici *pag.* 169 *et sequentibus videri possunt.*

Instituitur Prulianum feminarum cœnobium,

226 *Interea Didacus Uxamensis et* S. Dominicus *ad debilitandam Albigensium hæresim instituerunt cœnobium feminarum, cujus institutionis tempus et occasionem Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 437 *breviter exponit :* Anno Domini MCCVI beatus Dominicus, opitulante sibi viro Dei Didaco, episcopo Oxomensi, eo scilicet tempore quasi biennio, quo in partibus manserat Tolosanis, nec non patrocinante viro per omnia memorando domino Fulcone, episcopo Tolosano, cujus ope et patrocinio in hac parte, præcipue in sua diœcesi, opus erat, monasterium quoddam instituit, quod dicitur Prulianum, situm inter Fanum-Jovis et Montem-Regalem in diœcesi Tolosana *(nunc locus ille pertinet ad diœcesim Papuli-fani, quæ cathedra a Joanne XXII Pontifice erecta est, ut Echardus notat)* ad susceptionem quarumdam nobilium feminarum, quas parentes earum ratione paupertatis egestate compulsi tradebant hæreticis, qui illo in tempore in eisdem partibus et locis circumvicinis plurimi habitabant, erudiendas et nutriendas ab eis, imo et revera erroribus potius deludendas et in anima perimendas, sicut de tempore et de causa institutionis satis colligitur et habetur ex Libello venerabilis patris Fratris Jordanis, Magistri Ordinis, quem fecit, et intitulavit : DE PRINCIPIO ORDINIS PRÆDICATORUM. *Testimonium, quod hic assignatur, in opusculo B. Jordani infra apud nos num.* 21 *reperietur.*

quod S. Dominicus non parum auxit

227 *Deinde Bernardus ibidem meminit de variis donationibus, huic monasterio factis, earumque refert diplomata, inter quæ primum est illud, quo Berengarius archiepiscopus Narbonensis anno Domini* 1207, *die* XVII *Aprilis,* Priorissæ et monialibus noviter conversis, monitis et exemplis Fratris Dominici Oxomensis sociorumque ejus, habitantibus et in perpetuum habitaturis in Castro de Fano-Jovis, et in ecclesia beatæ Mariæ de Pruliano Tolosanæ diœcesis *diversas possessiones ac privilegia concedit. Postea varii præsules aliique* E *pii benefactores, bona hujus monasterii auxerunt, aut privilegia confirmarunt, ut apud laudatum Bernardum Guidonis columna superius citata et multis sequentibus licet videre. Soëgius in Actis Gallicis pag.* 174 *et sequentibus ex quadam monialium aut accolarum traditione refert, per tres noctes* S. Dominico *ostensum fuisse globum igneum, quo locus monasterii instituendi divinitus assignabatur. Verum cum alii biographi de hac re sileant, et auctoritas hujus traditionis nobis ignota sit, illam sine ulteriori discussione intactam relinquimus.*

cum ostendisset novem mulieribus

228 *Firmioribus testimoniis roboratur prodigium, circa hæc tempora patratum, quod venerabilis Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 44 *distincte narrat, et quod apud nos in Ultrajectino ejusdem Vitæ apographo sic sonat :* Cum aliquando apud Castrum, quod dicitur Fanum-Jovis, in prædicatione quadam idem beatus Dominicus, fidem probans Catholicam, hæreticorum perfidiam multipliciter improbasset, post prædicationem more solito in ecclesia ad orationem remansit. Et ecce novem matronæ nobiles ex eodem castro intrantes ecclesiam, ad pedes ejus prociderunt dicentes : F Serve Dei, adjuva nos. Si vera sunt, quæ hodie prædicasti, jam diu mentes nostras erroris spiritus excæcavit : nam istis, quos tu hæreticos vocas, nos autem bonos homines appellamus, usque in hodiernum diem credidimus, et adhæsimus toto corde. Nunc autem in medio fluctuamus. Serve Dei, adjuva nos, et ora Dominum Deum tuum, ut notam nobis faciat fidem suam, in qua vivamus, moriamur, et salvemur.

visibiliter dæmonem, cui in hæresi servierant;

229 Tunc Vir Dei stans aliquamdiu, et intra semetipsum orans, post aliquantulum dixit eis : Constantes estote, et exspectate intrepide *. Confido in Domino Deo meo, quod ipse, qui neminem vult perire, jam ostendet vobis, quali domino hactenus adhæsistis. Statimque viderunt de medio sui catum * unum teterrimum prosilire, qui magni canis præferens quantitatem, habebat grossos oculos et flammantes, linguam longam latamque atque sanguinolentam protractam usque ad umbilicum ; caudam vero habens curtam sursumque protensam, posteriorum turpitudinem quocumque se verteret, ostendebat, de quibus fœtor intolerabilis exhalabat. Cumque circa matronas illas se per aliquam horam huc illucque

* *alias* intrepidæ

* *alias* cattum

AUCTORE G. C.

vertisset, ad chordam, ex qua campana pendebat, exsiliens, et per eam usque ad superiora conscendens, tandem per campanile lapsus disparuit, fœda post se vestigia derelinquens. Conversus autem ad matronas illas vir Dei Dominicus, et consolans eas : Ecce, inquit, per hoc, quod coram oculis vestris, faciente Deo, figurative comparuit, potestis advertere, qualis est ille, cui hactenus, sequentes hæreticos, servivistis. Illæ vero gratias Deo referentes, ab illa hora ad fidem Catholicam sunt conversæ, quarum etiam aliquæ apud Sorores de Pruliano religionis habitum assumpserunt. *Verosimiliter Humbertus istud miraculum diligenter examinavit, quandoquidem illud distinctiori modo, quam alii scriptores, posteritati reliquit.*

cui prodigio, aliisque Echardi observationibus,

230 *Hinc facile fidem adhibemus iis, quæ Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 6 *et* 7 *ex monumentis ejusdem monasterii ita profert :* Novem nobiles matronæ, Fani-Jovis, incolæ, prædicatione et exemplis sancti Patris ab hæresi conversæ sunt per miraculum, quod viderunt, dæmonis, sub forma bestiæ egredientis, in tempore, quo Vir Dei concionem finivit : quarum una, nomine
B
Berengaria, in inquisitione facta pro sancti Viri canonizatione dictum miraculum a se visum cum juramento testata est. *Theodoricus de Appoldia inferius num.* 43 *et* 44 *ex aliis hoc prodigium narrabit, et in Epistola authentica inquisitionis Tolosanæ num.* 11 *Berengaria testis oculata idem jurejurando confirmabit. Dein Echardus ex iisdem monasterii monumentis has feminas conversas ita nominat :* Harum novem nomina hæc sunt ex iisdem Actis. Sorores Aadaicia, Raymunda Passarina, Berengaria, Richarda, Barbairana Jordana, Guillelmina de Belloponte, Curtolana, Raimunda Claretta, Gentiana, quæ domum qualemcumque ad sacellum beatæ Virginis Prulianum constructam intrarunt die sanctæ Cæciliæ XXII Novembris et die S. Johannis euangelistæ sequenti XXVII Decembris MCCVI sub clave deinceps non egressuræ clausæ fuerunt. His paulo post duæ se adjunxere Manenta et Guillelmina de Fano-Jovis, quam ultimam beatus Dominicus Priorissam constituit.

potius fidem adhibemus,

231 *Præterea Echardus ibidem pag.* 7 *post relata Berengarii archiepiscopi Narbonensis et Fulconis Tolosani episcopi diplomata notari jubet,* hujus
C
monasterii erectionem (favente quidem et suppetias conferente Didaco) at singulare Dominici opus fuisse, qui et feminas illas convertit, ut ait archiepiscopus, et optimis legibus instituit, et primus earum Prior seu præpositus fuit; quod laudantes et foventes sacri præsules multis deinceps prædiis has sanctimoniales ditarunt. Hæc vero probant, quam graviter a primordio, Albigensium conversioni, et efficaciter ac prudenter hæresis destructioni desudaret Dominicus, testibus ecclesiæ principibus, licet parce admodum ejus meminerit Sernensis. *Non dubitamus, quin* S. Dominicus *ad convertendos hæreticos prudentissime ac impensissime laboraverit, etiamsi Petrus monachus Vallis-Sernensis de magnis ejus laboribus singillatim non meminerit. At in exstructione monasterii Pruliani Didacum Uxamensem sua laude non privandum existimamus, cum B. Jordanus apud nos num.* 21 *institutionem hujus monasterii Didaco tribuat, et Bartholomæus Tridentinus num.* 5 *de eadem re sic scribat :* Dum igitur multi præ inopia filias suas in partibus illis, hæreticis alendas traderent, Didacus Priuillianum monasterium instituit, ancillas Christi [congregans] et Tolosæ excidium prædicens, apud Castellam obiit, et multis claruit miraculis. *Ex his colligimus, ambos illos fidei pugiles ad exstruendum illud monasterium strenue collaborasse.* D

quam alteri miraculo,

232 *Vix scimus, an hic locum habere mereatur mira quædam et simul ridicula narratiuncula, quam Joannes a sancta Maria post librum secundum Actorum* S. Dominici, *agens de origine cœnobii Pruliani, et primas illius moniales enumerans, pag.* 198 *Gallice exponit in hunc fere modum :* Monasterio feliciter incepto, una ex primis novem Sororibus ad egressum tentata fuit, eo quod pati non posset, pulchritudinem corporis sui in claustro latere, et oculis hominum ignotam esse. In hac tentatione S. Dominicus opem laturus filiæ suæ spirituali, quæ in proximo naufragii periculo versabatur, eam pia exhortatione excitabat, et variis modis muliebrem illam imbecillitatem ex corde illius expellere nitebatur. At dæmon desiderium placendi hominibus tam alte menti ejus impresserat, ut S. Dominicus nihil proficeret. Attamen Sanctus animum non despondens, sperabat, se hanc prædam recuperaturum, et idcirco pro salute ejus preces fundebat.

E
quod solus Joannes a sancta Maria ibi patratum narrat.

233 Interim accidit, ut illa sese emungeret, et nasus remaneret in linteo, quod purgandis naribus adhibebat. Hoc ipsa sentiens et divinam vanitatis suæ punitionem agnoscens, statim S. Dominicum accersiri jussit, et inconstantiæ suæ pœnitens, ab ipso veniam petiit, promisitque, se deinceps fore fideliorem Christo suo sponso, et ædes dulcissimæ Matris suæ Mariæ numquam deserturam. Sanctus videns sinceram ipsius pœnitentiam, imperavit, ut faciem suam eidem linteo imponeret; quo facto, coram omnibus Sororibus nasus ei tam perfecte restitutus est, acsi nihil sinistri evenisset. *Ita ille solus : nec enim apud veteres, nec recentiores, ullam similis prodigii memoriam invenimus. Quare hæc damus tamquam analecta, quibus tamen sine firmiori testimonio non credimus.*

§ XIV. Alia gesta tempore decennii, quod Sanctus conversioni hæreticorum impendit.

F
Sanctus Dominicus, quem hæretici

Venerabilis Humbertus in Chronico suo apud Echardum tomo 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 69 *gesta* S. Dominici *in partibus Tolosanis ab anno Christi* 1205 *usque ad annum* 1215 *ita summatim refert :* Post reditum Didaci episcopi ad suam diœcesim, beatus Dominicus remanens quasi solus, paucis sibi adhærentibus sine professionis tamen vinculo, per decem annos per diversa loca provinciæ Narbonensis, et præcipue [circa] Carcassonam et Fanum-Jovis impugnando hæreticos, Catholicam fidem extulit, et animarum saluti datus, totus officio prædicationis vacavit, multas vilitates et abjectiones et angustias læte sustinens propter nomen Domini Jesu Christi. Illis etiam temporibus domum Sororum de Pruliano instituit ante Ordinis confirmationem. *Cum monasterium ante reditum Didaci institutum fuerit, ut omnes biographi consentiunt, satis patet, Humbertum hic indiscriminatim etiam narrare illa, quæ ante discessum Didaci contigerunt, eumque idcirco notasse annum Domini* 1205, *ut jam monuimus.*

235 *Quæ autem Humbertus hoc loco breviter attingit circa injurias,* S. Dominico *ab hæreticis illatas,*

A *variis contumeliis afficiebant;*

tas, idem auctor alibi Vitam ejusdem Sancti describens, in codice nostro P. *Ms.* 10, *et in ecgrapho Ultrajectino sic distinctius explicat:* Dignus est habitus pro nomine Jesu contumeliam pati; irridebant siquidem et multipliciter subsannabant hæretici Virum sanctum, conspuentes, et lutum et hujusmodi vilia projicientes in eum. Venit quoque postmodum aliquis ex illis pœnitentia ductus, qui diceret in confessione, se luti injectione ipsum sanctum Dominicum percussisse, eique a tergo pro derisu paleas alligasse. *Nihil hic addimus de invicta Sancti patientia, ardenti desiderio martyrii, aliisque præclare gestis, et insignibus miraculis, quæ tunc temporis contigerunt: ea enim omnia apud B. Jordanum, Bartholomæum Tridentinum, aut Theodoricum de Appoldia inferius recurrent, et in hoc Commentario prævio tantum discutimus illa, quæ ab antiquis Actis discrepant, aut iis lucem afferre possunt.*

maxime carus erat Simoni,

236 *Quapropter pergimus cum Humberto qui in laudato Chronico suo reliqua istius temporis gesta sic prosequitur:* Illo quoque in tempore Comes Montisfortis pugnans contra hæreticos gladio materiali, et beatus Dominicus gladio verbi Dei, in partibus illis facti adeo familiari*, quod voluit Comes, quod ipse beatus Dominicus benedictionem faceret in nuptiis uxoris filii sui, quam acB cepit, filiæ scilicet Delphini Viennensis apud Carcassonam; et filiam quamdam suam baptizaret, quæ usque hodie vivens, est Priorissa apud S. Antonium Parisius religiosissima, et magnæ sanctitatis habetur. *Etsi Petrus Vallis-Sernensis in Historia Albigensium cap.* 79 *referens easdem nuptias, de hac* S. Dominici *benedictione non meminerit, tamen propter tam expressum venerabilis Humberti testimonium ea de re dubitari non potest, ut Echardus ibidem in notis recte observat.*

* *In Ms. nostro* facti sunt amici adeo,

Comiti Montis-Fortis,

237 *Porro Humbertus ita pergit:* Dedit etiam (*videlicet Comes Montis-fortis*) quoddam castrum beato Dominico in sustentationem sui, et sibi adhærentium in prædicatione. *Suspicor, illud esse castrum Cassanolii, de quo Jordanus apud nos num.* 29 *meminit, et cujus obsidionem Petrus Vallis-Sernensis in Historia Albigensium cap.* 79 *speciatim describit. Certe Comitem Montis-fortis erga* S. Dominicum *animo plane munifico ac benevolo fuisse, abunde liquet ex diplomatibus, quæ Echardus* C *tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 10 *et* 11 *recenset, et ex quibus hic unum proferimus, quod ita sonat:* Noverint universi, quod ego Simon dominus Montis-fortis, Dei gratia vicecomes Biterensis et Carcassonensis, assensu et voluntate A *(hoc est Aliciæ)* uxoris meæ, et A (*id est Almarici)* primogeniti mei, ad honorem Dei et beatæ Mariæ, et in remissionem peccatorum nostrorum dono et concedo et confirmo quidquid Ugo de Lascum, dominus Lauriacensis et Castrinovi, dedit domino Dominico Oxomensi Canonico et Fratribus et dominabus de Prolan nunc et in perpetuum, quod prædictus Ugo de Lascum habet et habere debet apud Villam-novetam inter Podium-serranum et Villam-pictam. Præterea dono et concedo et confirmo similiter quidquid Fratres prædictæ domus habent vel possident jure emptionis sive donationis, sive alio justo modo, vel habituri sunt: et ut firmum et stabile maneat in perpetuum, sigilli nostri appositione præsentem paginam confirmamus. Datum apud Carcassonam mense Maio, anno Domini MCCXIII. *Nec minor piissimo Comiti erat cura conservandi possessiones,* S. Dominico *ejusque sodalibus concessas, ut patebit ex vernaculo diplomate, quod inferius alia occasione referemus.*

238 *Deinde Humbertus exemplis quibusdam declarat, Simonem Montis-fortis non solum Sancto et ipsius sociis egregia amoris indicia dedisse, sed eamdem benevolentiam quasi hereditariam reliquisse suis posteris, qui erga Ordinem Prædicatorum optime affecti fuerunt. Verum omissis his rebus, quæ ad Acta Sancti nostri proprie non spectant, commemoremus illud, quod propius ad* S. Dominicum *pertinet, et quod Humbertus his exemplis ibidem sic subnectit:* Porro instante tempore, quo prælati se parabant ad eundum ad concilium Lateranense, quidam de Tolosa, Petrus Sciliani nomine, se et domos nobiles, quas habebat juxta castrum in eadem civitate, obtulit beato Dominico, in quibus primo apud Tolosam ipse cum sibi adhærentibus habitavit, et ibi moribus religiosorum se conformare cœperunt. *Huic Petro, qui tunc cum possessionibus suis simul se ipsum Sancto obtulit, Jordanus, Bartholomæus Tridentinus, et Theodoricus de Appoldia addunt Thomam, virum gratiosum et facundum, quem recentiores quidam germanum dicti Petri censent, cujus consanguinitatis nulla apud veteres est memoria, ut Echardus cum Percino et Soëgio notavit.* E

qui varias possessiones ei contulerunt,

239 *Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 399 *et* 400 *de utroque illo* S. Dominici *socio hæc habet:* Circa annum Domini MCCXIV, ingruente tempore, quo ad Lateranense concilium Romam adire cœperunt episcopi, obtulerunt se sancto Dominico duo probi viri et idonei de Tolosa, quorum unus fuit Frater Petrus Cellani, qui fuit postmodum primus Prior Lemovicensis; alter vero Frater Thomas, vir admodum gratiosus et sermone facundus. Horum primus nobiles et insignes, quas Tolosæ circa castrum Narbonense domos possederat, obtulit et dedit sancto Dominico et ejus sociis: a quo tempore cœperunt primum apud Tolosam in eisdem domibus commorari, atque ex tunc omnes, qui cum ipso aderant, magis ac magis ad humilitatem descendere, et religiosorum se moribus conformare. Præfatus Frater Petrus postmodum ludendo sæpius dicebat, quod ipse Ordinem, in suis videlicet domibus, non Ordo ipsum recepisset. In eisdem vero domibus inquisitores pravitatis hæreticæ postmodum habitaverunt Tolosæ usque in præsentem diem.

F *atque hoc modo benevolum munificumque animum*

240 *Denique Humbertus ibidem de liberalitate Fulconis episcopi Tolosani erga* S. Dominicum *ejusque socios sic meminit:* Episcopus vero Tolosanus, vir sanctus et fidei zelator, Fulco nomine, sextam partem decimarum cum consensu Capituli dedit ad libros et necessaria, sperans, se habiturum eos fideles pugiles ad hæresim expugnandam. *Instrumentum hujus donationis apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 12 *sic legitur:* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod nos Fulco Dei gratia Tolosanæ sedis minister humilis ad extirpandam hæreticam pravitatem et vitia expellenda, et fidei regulam edocendam, et homines sanis moribus imbuendos, instituimus prædicatores in episcopatu nostro Fratrem Dominicum et socios ejus, qui in paupertate euangelica pedites religiose proposuerunt incedere, et veritatis euangelicæ verbum prædicare. Et quia dignus est operarius cibo suo, et os bovis triturantis non est obturandum, imo qui Euangelium prædicat, de Euangelio debet vivere, volumus, ut cum prædicando incesserint, de episcopatu habeant victui necessaria, et de consensu Capituli beati Stephani et cleri Tolosanæ diœcesis

assi-

AUCTORE G. C.

assignamus in perpetuum prædictis prædicatoribus, et aliis, quos zelus Domini et amor salutis animarum eodem modo ad idem prædicationis officium accinxerit, medietatem tertiæ partis decimæ, quæ assignata est ornamentis et fabricæ omnium parochialium ecclesiarum, quæ in nostra potestate sunt, ad indumenta et cetera necessaria in infirmitatibus suis, et cum quiescere aliquando voluerint.

erga illum demonstrarunt.

241 Si quid vero post annum superfuerit, volumus et statuimus, ut ad easdem parochiales ecclesias refundatur adornandas, vel ad usus pauperum, secundum quod episcopus viderit expedire: cum enim jure cautum sit, quod aliquanta pars decimarum debeat semper pauperibus assignari et erogari, constat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius assignare, qui pro Christo euangelicam paupertatem eligentes, universos et singulos exemplo et doctrinæ * donis cœlestibus innituntur *, et elaborant ditare: ut a quibus nos metimus temporalia, per nos et per alios possimus congruenter et opportune spiritualia seminare. Datum anno Verbi incarnati MCCXV, regnante Philippo rege Francorum, et comite Montisfortis principatum Tolosæ tenente. *Bernardus Guidonis, paucis verbis discrepantibus, idem instrumentum refert apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 446, *ubi etiam sequitur alterum* tertio Idus Septembris, et feria secunda, anno Verbi incarnati MCCXVII *in Castro-novo datum, quo Fulco Tolosanus et* S. Dominicus *controversiam de iisdem decimis ortam amice componunt, et sicut veri pacis amatores omnem deinceps litigandi materiam amputant.*

* *alias* doctrina
* *alias* nituntur

B

Cum Sanctus per decennium constanter in partibus Tolosanis manserit,

242 *Ex Chronico Humberti aliisque veterum biographorum testimoniis facile colligimus,* S. Dominicum *post mortem Didaci per decem fere annos in Gallia Narbonensi constanter commoratum esse, utiliter conversioni hæreticorum Albigensium se totum impendisse, quod etiam Bernardus Guidonis apud jam sæpe laudatum Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 399 *satis indicat his verbis:* Post obitum vero præfati domini Didaci mansit beatus Dominicus quasi per decem annos in provincia Narbonensi, maxime in partibus Tolosanis et Carcassesii, et Albigesii, in quibus pestis hæretica amplius sæviebat, confundens hæreticos et confirmans Catholicos verbis pariter et exemplis, annuntians Dominum Jesum Christum, sequentibus signis et miraculis gloriosis, videlicet usque ad tempus Lateranensis concilii, quod celebratum fuit sub præfato Innocentio Papa tertio, anno Domini MCCXV, mense Novembri. *Sanctum hoc decennio continue in illis provinciis perstitisse, satis etiam probat chronologica Actorum ejus series, quam supra* § 6 *ex Echardo repræsentavimus.*

C

corruit iter ejus Parisiense, quod Malvenda anno 1212 vel 1213 affigit,

243 *Nihilominus Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 22 *nobis persuadere cupit sequentia:* Ad hæc quoque tempora, *inquit*, retulerim nobile illud miraculum, quo sanctus Dominicus, media devotione S. Rosarii, Blanchæ uxori Ludovici, Philippi Augusti primogeniti, filium Ludovicum IX Francorum regem sanctitate insignem impetravit. Ex Annalibus Francicis certum est, sanctum Ludovicum natum anno salutis MCCXIV; jam satis verisimile est, sanctum Dominicum anno Domini MCCXII vel MCCXIII adeuntem regiam Francorum ob ardua illa Albigensium negotia, cum Philippo rege et ejus filio Ludovico peragenda, invisisse Blancham, utpote gentilem suam, Alphonsi regis Castellæ filiam. Miraculum insigne, et dignum Annalibus, auctores omnes, qui de Rosario Commentaria ediderunt, constanti fide ita produnt, Flaminius lib. 2 Vitæ sancti Dominici, Castillus lib. 1 cap. 7, Sagastizavallus lib. 1 de Rosario, aliique. *Deinde subnectit longam hujus rei narrationem, quam hoc loco transcribere non lubet.*

D

et quod incaute hausit ex Alano.

244 *Facile crediderim, illam historiam ab omnibus fere recentioribus tradi; sed Malvenda omisit præcipuum eorum ducem, videlicet Alanum Redivivum, qui part.* 5 *cap.* 68 *eamdem historiam ita narrat:* Legitur de Blancha, matre sancti Ludovici regis Francorum, quod cum rogaret beatissimum Dominicum, ut pro ea orare vellet, quatenus Dominus dignaretur ab ea sterilitatem auferre, et proles ad servitium suum et honorem conferre; at ipse consuluit et persuasit, ut ipsamet Psalterium Virginis gloriosæ devote peroraret, multaque Patriloquia (*id est Rosaria*) emeret ad dandum omnibus, illud legere volentibus. Quæ cum devote fecisset, post breve spatium precibus beatæ Virginis Mariæ concepit et peperit nobilissimum, pulcherrimum, et devotissimum filium Ludovicum, et alias proles regias subsecutas.

E

quem ducem alii etiam secuti,

245 *Hunc ducem intrepide secuti sunt Abrahamus Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1213 *num.* 10, *Nicolaus Janssenius in Latina* S. Dominici *Vita lib.* 1 *cap.* 5 *et Joannes a sancta Maria in Gallicis ejusdem Sancti Actis lib.* 2 *cap.* 23; *qui postremus hoc miraculum contra omnes difficultates ei oppositas tueri conatur. At omnia ipsius effugia, aliorumque recentiorum auctoritatem parvi fecit jam sæpe citatus Echardus, eruditissimus ejusdem Ordinis scriptor, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 11 *post recitata Bernardi Guidonis verba, quæ nos supra num.* 242 *retulimus, sic concludit:* Ex hac vero narratione, in qua ceteri antiqui scriptores conveniunt *(scilicet circa assiduam Sancti commorationem in tractu Tolosano aut vicinis provinciis per decem annos)* infertur, Dominicum toto illo intermedio tempore continuo in illis partibus stetisse, nec aliorsum excurrisse; eos itaque sua nobis commenta obtrudere, qui in Franciam tum et Parisios venisse fingunt. Revera nullum aliud Dominici iter Parisiense agnoscunt veteres nostri scriptores, quam quod ex Hispania suscepit anno MCCXIX de quo postea.

varias fabulas libris suis inseruerunt

F

246 *Inter apocrypha quoque referendum est, quod Hyacinthus Choquetius circa eadem tempora evenisse existimat, atque in Deiparæ erga Ordinem Prædicatorum Visceribus maternis cap.* 5 *ita ex Alano Redivivo contrahit* : Cum sanctissimus parens Dominicus adversus Albigensium hæresim acerrime depugnaret, aliquando in proximam Tholosatibus sylvam se recepit, ibique augustissimæ cœlorum Reginæ (cui singulare est maledicti serpentis caput proterere, omnemque hæresim interimere atque exstinguere) opem præsidiumque ardentibus suspiriis, multo lacrymarum imbre, triduana inedia, dirisque corporis castigationibus, carne sentibus propemodum lacerata varieque excarnificata, impensius est deprecatus. Adfuit tandem conspicabilis benigna Mater, jacentem semianimemque erexit, atque in virgineos acceptum amplexus fixo osculo dissuaviavit, castissimis uberibus appressit, largoque materni sui lactis haustu refecit. *Hæc Alanus Part.* 2 *cap.* 3 *multis portentosis circumstantiis exornat, eaque omnia sese ex revelatione Deiparæ visibiliter et sensibiliter cognovisse affirmat. Sed de fide, quæ revelationibus ac narrationibus Alani adhibenda est, superius* § 3 *abunde egimus. Tædet hic referre alias fabellas, quas Bzovius, Joannes a*

A *sancta Maria, aliique ex eodem fonte avide hauserunt, et veris* S. Dominici *gestis imprudenter immiscuerunt. Quare potius ad solidam ejusdem Sancti laudem hoc loco discutiemus et illustrabimus nonnulla, quæ intra memoratum decennii intervallum re ipsa contigerunt.*

Vere ad gloriam Sancti spectant intelligentia linguæ ignotæ.

247 *Constantinus Urbetanus apud Echardum num.* 33 *inter res a Sancto in partibus Tolosanis gestas refert sequens miraculum :* Sed et istud relatione dignum non parum est, quod etiam per reverendum patrem D. Rainerium, sanctæ Mariæ in Cosmedim venerabilem Cardinalem, in Conventu Fratrum in festo ejusdem Sancti viri beati Dominici, præsentibus quibusdam episcopis aliisque non paucis clericis, sermocinantem atque referentem, verum prorsus fuisse compertum est. Contigit enim aliquando, Viro Dei iter agente, associari sibi religiosum quemdam conversationis quidem sanctitate domesticum, sed loquela et lingua penitus alienum. Dolens itaque, quod de divinis verbis una cum illo mutua se collocutione refovere non posset, tandem a Domino orationum suarum instantia, ut unus lingua loB queretur alterius, verbisque sic alterutrum variatis sese per triduum, quo videlicet simul ituri erant, intelligerent, impetravit. *Venerabilis Humbertus in Vita cap.* 40, *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 74, *S. Antoninus part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 § 10 *eadem totidem verbis semel exponunt.*

quod miraculum videtur perperam duplicari;

248 *Theodoricus de Appoldia apud nos num.* 38 *et* 154 *simile miraculum bis memorat. Unde Malvenda in Annalibus ad annum* 1211 *cap.* 4 *illud ex Vincentio Bellovacensi refert, et simile ad annum* 1219 *cap.* 19 *ex Theodorico et S. Antonino repetens ultimo loco hæc notat :* Clam autem nos est, an unum et idem fuerit miraculum, vel diversum alio tempore et cum diverso socio effectum; et num in uno mutua tantum intelligentia alterutrius linguæ, in alio vero et intelligentia et locutio diversæ linguæ tributa fuerit. Sed potius remur, unum tantum illud fuisse miraculum, quod anno Domini MCCXI cap. IV descripsimus. *Cum non sint multiplicanda miracula sine solido fundamento, etiam probabilius opinamur, id unicum dumtaxat fuisse et adhæremus sententiæ* C *Echardi, qui tomo* 1 *operis jam sæpe citati pag.* 32 *in notis de duplici illa Theodorici de Appoldia narratione sic pronuntiat :* Miraculum hic relatum dubitat Malvenda, an sit unicum vel duplex, quia bis apud Theodoricum habetur, scilicet lib. I cap. VII, et iterum lib. III cap. VIII. Unicum potius censuerim, bis a Theodorico repetitum, cum semel tantum a Constantino et Humberto antiquioribus referatur.

extasis ipsius in ecclesia Castrensi,

249 *Ad declarandam sublimem Sancti contemplationem inter tot apostolicas occupationes non parum facit, quod Theodoricus de Appoldia in codice nostro Ultrajectino infra num.* 50 *et* 51 *narrat. Sed ab hujus narratione nonnihil discrepat antiquior Stephanus de Salanhaco, qui apud Malvendam in Annalibus ad annum Christi* 1212 *cap.* 6 *eamdem rem ita refert :* Visitabat beatus Pater loca orationum et corpora Sanctorum frequenter et libenter, nec sicut nubes sine pluvia pertransibat : sed illic in orationibus frequenter diem jungebat nocti. Frequentius autem, quotiens opportunitas se offerebat, apud villam, quæ dicitur Castras in diœcesi Albigensi, quæ est contigua Tolosanæ diœcesi, divertebat ob reverentiam et honorem beatissimi levitæ Vincentii, cujus corpus absque omni dubio a tempore Caroli Magni et gloriosi regis ibi noscitur et certum est requiescere, sicut tradit historia de hoc scripta, per multiplicem revelationem facta ; clamant miracula, testatur ecclesia mirabiliter illic a fidelibus populis fabricata : sed et omnis spiritu ambulans, quam cito intrat ecclesiam, virtutem Sancti spiritualibus sensibus haurit et sentit. *Variæ ecclesiæ de reliquiis istius martyris inter se contendunt, quæ lis huc non spectat, et de qua Majores nostri ad diem* XXII *Januarii in Actis S. Vincentii sat multa dixerunt.*

quam Stephanus de Salanhaco,

250 *Porro Stephanus ibidem ad rem nostram sic pergit :* In hac ecclesia instituit juxta morem ecclesiæ Gallicanæ nobilis comes Monfortis præfatus, cum dominabatur in terra, seculares præbendas, et fuit ibi Prior Frater Matthæus, qui fuit postmodum in Ordine Fratrum Prædicatorum primus et ultimus abbas, et Prior Parisius, ut audivi dici, et primus Prior Franciæ, sicut inferius est notatum. Hujus tunc Prioris tempore beatus Dominicus more suo remansit ante altare in ecclesia orans. Cum autem jam ascendisset dies, et prandium paratum esset, et mensa posita, misit Prior unum de clericis, qui E ad prandium vocaret Sanctum ; qui cum intrasset ecclesiam, vidit beatum virum Dominicum totaliter separatum a terra, et quasi per unum cubitum in aere elevatum. Tremens ac stupens nuntiat hoc domino suo, qui aliquamdiu exspectans tandem ivit, et quasi per unum cubitum elevatum vidit, et tanto tempore exspectavit, quousque a cœlesti habitatione revertens ad incolatum corporeum, ante altare prostratus jacuit. Hoc videns dictus Prior, post modicum tempus secutus est eum, panem vitæ et aquam cœli sibi et omnibus, quos recipiebat, promittentem : hunc enim modum tenebat semper beatus Pater, quando Fratres recipiebat, et eis habitum dabat. *Malvenda in Annalibus Ordinis ad annum Christi* 1220 *cap.* 34 *et* 35 *occasione Fratris Matthæi eamdem historiam ex veteri Lectionario recitat.*

et Theodoricus de Appoldia diversimode narrant ;

251 *Theodoricus apud nos num.* 50 *dicit,* S. Dominicum *Castris* ab abbate *invitatum fuisse et* unum de clericis, qui adstabant abbati, *hanc miram corporis elevationem vidisse. Certe eo tempore erat Castris monasterium Ordinis Benedictini, ut liquet ex diplomate Guilielmi abbatis Castrensis, quod Majores nostri ad diem* XXII *Januarii occasione reliquiarum S. Vincentii* § 3 *exhibuerunt.* F *Verum hæc discrepantia non obstat, quo minus fidem adhibeamus huic miraculo, quod Stephanus de Salanhaco, Theodoricus de Appoldia, et Bernardus Guidonis testimonio suo confirmant. Non tam certum est miraculum, quod Baptista Fulgosius lib.* 1 *Factorum dictorumque memorabilium cap.* 6 *breviter memorat his verbis :* In urbe quoque Castrensi opinio est, Dominico Crucifixum locutum, qui hoc quoque tempore veneranter colitur, atque ostenditur. *Forte Fulgosius hæc retulit ex traditione civium Castrensium, penes quos fidem hujus miraculi relinquimus, cum veteres biographi de illa re non meminerint. Quare transimus ad illustrandam eximiam* S. Dominici *humilitatem, qua dignitates ecclesiasticas sibi oblatas constanter recusavit.*

ac fuga dignitatum ecclesiasticarum.

252 *Jam supra rejecimus narrationem Alani Redivivi, qui episcopatus in Gallæcia et Britannia Armorica Sancto oblatos fingit. Sed nescimus, in quo pretio habenda sint ea, quæ Antonius Senensis in Chronico Ordinis Prædicatorum pag.* 42 *sic scribit :* Beatus pater Dominicus ad archiepiscopatum Tarraconensem vel (ut placet Clau-

dio

AUCTORE G. C.

dio a Rota in sermone vel Legenda beati Dominici patris nostri, quam habet partim ex Jacobo de Voragine, partim ex aliis) ad episcopatus Cotoronensem et Citaviensem promovebatur; sed maluit in paupertatis vita, quam delegerat, Christum annuntiare, et ideo constanter hujusmodi semper dignitates fugit. Divus Antoninus de illo affirmat, quod dignitates episcopales pluries illi oblatas renuit, et cap. IV dicit, quod tres episcopales dignitates, diversis temporibus ei repræsentatas, recusavit. *Antiqui omnes de archiepiscopatu Tarraconensi, quem Sanctus respuerit, altum silent, ut proinde ignoremus, unde Antonius Senensis illam notitiam eruerit.*

qua S. Dominicus tres episcopatus,

253 *Quod vero attinet ad alios episcopatus quos ex Claudio a Rota memorat, suspicamur, nomina illorum apud hos aliosque scriptores luxata exstare, et pro episcopatu Cotoronensi legendum esse Consoranensem, ut Constantinus in Actis* S. Dominici *num.* 44 *satis innuit hac expressione :* Electus aliquando in Cozeranensem episcopum, omnino renuit, contestans, se prius terram deserere, quam electioni alicui de se factæ aliquatenus consentiret. *Id confirmatur ex Epistola authentica*

B

inquisitionis Tolosanæ, in qua testes jurati num. 2 *et* 3 *idem de episcopatu Consoranensi affirmant, et in qua ibidem num.* 11 Raimundus et Zonzamias dixerunt, quod audierunt ab eo, quod antea fugeret de nocte cum baculo suo, quam acciperet episcopatum vel aliam dignitatem.

sibi in Gallia oblatos, recusavit.

254 *De duobus aliis episcopatibus eidem Sancto oblatis testatur Joannes Hispanus in Relatione juridica inquisitionis Bononiensis, ubi infra apud nos num.* 33 *interrogatus, ad quos episcopatus* S. Dominicus *fuisset electus, respondit* ad Biterensem et Convenarum. *Hisce consonant Stephanus de Salanhaco, et Bernardus Guidonis, qui juxta testimonium Malvendæ ad annum Christi* 1212 *cap.* 5 *sive pag.* 104 *in quodam Ordinis commentario ita scribunt :* Beatus Dominicus renuit episcopatum in provincia Narbonensi, et episcopatum Convenarum, et episcopatum Conseranensem in Gasconia, sicut compertum exstitit de hoc per testes juratos illius temporis, quando facta fuit inquisitio auctoritate Gregorii noni de vita et moribus et miraculis beati Dominici, quando debuit Sanctorum confessorum ca-

C

talogo annotari anno Domini MCCXXXIII; in hoc ipso nobis Fratribus et filiis suis relinquens exemplum, ut ejus consequentes vestigia, paupertatis et humilitatis præcipue, possimus ad æterni regni gloriam et coronam tanto confidentius quanto securius pervenire, si mundi hujus gloriam et honorem corde et animo fugiamus. *Igitur hic ex antiquis instrumentis assignavimus tres episcopatus, de quibus Echardus in chronologica Actorum serie superius* § 6 *ad annum Christi* 1212 *obiter meminit, et quos Sanctus revera renuit, ita ut opus non sit cum Alano Redivivo, aliisque ipsius sequacibus, fictitias hujusmodi recusationes in Gallæcia et Britannia Armorica quærere. Nunc instituendæ sunt quædam disputatiunculæ circa res, quæ intra idem decennium contigerunt, vel* S. Dominico *adscribuntur.*

D

§ XV. Nonnulla alia, quæ tunc in partibus Tolosanis contigisse dicuntur, et eidem Sancto tribuuntur.

Sacerdos quidam dissipat præstigias dæmonum,

Cæsarius Heisterbachcensis lib. 9 *illustrium miraculorum et historiarum memorabilium cap.* 12 *narrat sequens prodigium :* Tempore illo, *ait,* quando manifestari cœperunt hæreses Albienses, quidam maligni virtute diabolica suffulti, quædam signa atque portenta ostenderunt, quibus et easdem hæreses roboraverunt, et multos fidelium in fide subverterunt; super aquas ambulaverunt, et non sunt summersi. Cernens hoc sacerdos quidam, fide Catholicus, et vita religiosus, sciens, vera signa cum falsa doctrina esse non posse, Corpus Domini cum pixide ad flumen, ubi illi populis suas ostensuri erant virtutes, deportavit, dixitque in audientia omnium : Adjuro te, diabole, per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine ad hujus populi subversionem

E

per hos homines tantas exerceas fantasias.

ab hæreticis Albigensibus ostensas,

256 Post hæc verba, illis super undas fluminis ambulantibus, ut prius, sacerdos turbatus Corpus Dominicum in flumine jactavit. Mira Christi potentia ! Mox enim ut elementum tetigit Sacramentum, fantasia cessit veritati, et pseudo illi Sancti, quasi plumbum descendentes, in profundum sunt submersi; pixis vero cum Sacramento statim ab Angelis sublata est. Videns sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exsultavit, sed de jactura Sacramenti doluit; totam vero noctem in lacrymis et gemitu transigens, mane pixidem cum Sacramento reperit super altare. Hæc nobis eodem tempore relata sunt. *Non ignoramus, Cæsarium Heisterbachcensem illum facilem fuisse ad quaslibet relationes ac populares rumores scripto consignandos; at hæc nimia ipsius credulitas non spectat ad rem, quam hoc loco examinandam suscipimus.*

quam rem aliqui temere S. Dominico tribuunt.

257 *Cum Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1211 *cap.* 8 *ex Cæsario idem prodigium retulisset, illud ex conjectura* S. Dominico *attribuit, et factum istius sacerdotis ita excusat :* Nec

F

temerarium et atrox facinus illud sacerdotis, Eucharistiam in aquam projicientis, ulli videatur: nam certum est, non nisi instinctu divino, quo luculentius et illustrius esset miraculum, ut rei ostendit eventus, illud a sacerdote attentatum. *Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1211 *num.* 10 *etiam hoc miraculum inter gesta* S. Dominici *refert, quem Nicolaus Janssenius lib.* 1 *Vitæ Latinæ cap.* 5 *secutus est. Denique Joannes a sancta Maria lib.* 2 *Vitæ Gallicæ cap.* 22 *sine ulla hæsitatione id ipsum avide arripit, et in fine citati capitis addit, ex adjunctis evidenter demonstrari, istud sacerdotis anonymi facinus* S. Dominico *adscribendum esse. Sed Soëgius in Vita Gallica pag.* 216 *et* 217 *ob varias rationes censet, illud factum nequaquam (ne per conjecturam quidem) Sancto tribuendum esse. Nos propter silentium antiquorum, aliasque rationes, opinioni Soëgii subscribimus, et istud miraculum* S. Dominico *prorsus abjudicamus : si enim id publice patratum fuisset, testes synchroni inquisitionis Tolosanæ et Bononiensis, veteresque biographi illud non tacuissent.*

Sanctus famoso prælio ad Murellum adfuit,

258 *Cum rex Aragonum anno Christi* 1213 *contra Comitem Montis-fortis magnas suppetias Albigensibus ferret, ad castrum Murellum vel Mure-*

tum,

AUCTORE G. C.

A

tum, quod tribus leucis distat Tolosa, commissum est prælium, in quo ipse rex Aragonum occubuit, et Comes Montis-fortis cum exigua militum manu ingentem hostium exercitum divinitus profligavit. Non est nostri instituti hanc prodigiosam victoriam pluribus describere, quam Petrus Vallis-Sernensis in Historia Albigensium cap. 72, *et Guilielmus de Podio Laurentii in suo Chronico cap.* 22, *aliique passim historiographi copiose enarrant.* Quod autem proprie nostrarum partium est, jam exsequamur *(verbis utor Malvendæ ad annum Christi* 1213 *cap.* 6*)* quid nimirum sanctus pater Dominicus egerit, cum tam insigne prælium est factum. Annales Francici, Hispanici, Aragonici, quos sæpius citamus, mira concordia tradunt, virum Dei Dominicum adfuisse præsentem in arce Mureli cum reliquis episcopis et viris religiosis, preces ad Deum fundentem eo tempore, quo Simon grande illud prælium inibat, et præclare vincebat. *At illud, quod Malvenda hic de Annalibus Francicis obiter attigit, paulo clarius explicemus.*

et ibi cum aliis pro exercitu Catholico preces fudit;

B

259 *Franciscus Du Chesne inter scriptores historiæ Francorum tomo* 5 *edidit opusculum, quod ordine chronologico præcipua gesta Simonis Montis-fortis aliorumque ab anno* 1201 *usque ad annum* 1311 *recenset, ubi pag.* 768 *post narrationem memorati prælii, ac prodigiosæ victoriæ, ad rem nostram leguntur sequentia :* Interim autem dum bellum Domini gerebatur, septem episcopi, qui convenerant, scilicet : Fulco Tholosanus, et Guido Carcassonensis *(pro Carcassonensi substituendus est Biterensis, ut Echardus loco mox citando ostendit)* et Seditius Agathensis, [Nemausensis,] Uticensis, Lodovensis et Convenarum; ac tres abbates, scilicet : de Claraco, de Villa-magna, et sancti Tyberii cum suis clericis et aliquibus religiosis, inter quos erat religiosus Dei amicus Frater Dominicus, Canonicus Oxomensis, postmodum Fratrum Prædicatorum Ordinis instructor et institutor, ecclesiam intraverunt, exemplo Moysi in bello Josue levantes manus in cœlum, deprecantes Dominum pro servis suis, qui se mortis eminentis periculo pro ejus nomine ac fide exponebant; orantes vero ac clamantes in cœlum tantum mugitum pro imminenti angustia immittebant, quod ululantes videbantur potius, quam orantes.

C

Bernardus Guidonis apud Echardum relatus, videtur sua ex hoc opusculo excerpsisse, et in Vitis Pontificum Romanorum, quæ nuper inter Scriptores Rerum Italicarum editæ sunt, tomo 3 *col.* 483 *similia repetuntur. His testimoniis saltem refelluntur illi, qui dubitant, an* S. Dominicus *huic prælio ad Murellum adfuerit.*

sed falso dicitur tunc in prima acie prætulisse crucem,

260 *Sed ea præsentia nondum contenti quidam recentiores, volunt,* S. Dominicum *tunc imaginem Christi crucifixi in prima Catholicorum acie prætulisse, atque ita militibus animos ad pugnam addidisse. Inter eos Nicolaus Janssenius lib.* 1 *Vitæ cap.* 6 *istam Sancti actionem sic breviter adstruit :* Tunc evenit, ut Comes Montfortius, quidquid reliqui erat armis debellandum, subigeret, occiso Petro Aragonum rege, qui perduellibus subsidio venerat. Confluxerat magna sacrorum militum pars *(veteres historici octingentos dumtaxat aut mille numerant)* qui cruce insignes sacræ militiæ dederant nomen. Hos ille contra religionis hostes educebat, Dominicus cruce ligneo præibat inermis, et quod supra dicebam, nullo telo perstrictus, Christique imagine intacta, victoriæ pars magna fuit. Exstat ea crucis effigies Tolosæ in ædibus sacræ Inquisitionis, bino certe miraculo illustrissima, quæ et illæsa permanserit, et Dominicum servarit illæsum. *Joannes a sancta Maria lib.* 2 *Vitæ Gallicæ cap.* 26 *et* 27 *hæc pluribus exponit.*

quæ inter densos telorum imbres illæsa manserit,

261 *Malvenda de hac Crucifixi effigie agens, videtur sui ipsius oblitus : nam in Annalibus ad annum Christi* 1213 *cap.* 6 *asserit,* S. Dominicum *in castro Murelli cum episcopis aliisque pro felici certaminis successu orasse, dum Comes Montis-fortis præliabatur, et tamen postea ad annum Christi* 1215 *cap.* 5 *de cruce Tolosana sic scribit :* Nec hoc loco omittendum duximus, quod a fidis et probatis testibus sæpius audivimus, exstare adhuc Tolosæ in ædibus sacræ Inquisitionis sacram Christi crucifixi imaginem, quam in bellis, quæ Simon Monfortius adversus impios Albigenses gerebat, sanctus Dominicus pro militari vexillo præferre solitus fuit : signum illud salutare in hostium cuneos sæpius inferens certissime mortis argumentum; quod cum hostile ipsum, lignumque crucis multis locis sagittarum telorumque hostilium perfossionibus terebratum ostentet, imago tamen Christi affixi cruci integra et illibata sine ulla læsione adhuc visitur, summaque omnium veneratione adoratur : ut hinc duplex grande patrari tunc solitum miraculum admirari libeat, et illæsæ imaginis Christi, et sancti Dominici, qui eam præferens inermis, inter densissimos sagittarum telorumque imbres nullum acciperet aut vulnus aut damnum.

E

prout, adhuc Tolosæ monstratur;

262 *Quomodo hæc cum antecedentibus cohærent? Quomodo* S. Dominicus *in illo prælio imaginem Crucifixi inter densos telorum imbres prætulit, si tempore istius pugnæ in Castro Murelli cum episcopis et abbatibus orabat, sicut Malvenda superius affirmat? Unde Jacobus Quetif ex Ordine Prædicatorum, qui aliquando Tolosæ commoratus, crucem illam viderat, teste Echardo tomo* 1 *pag.* 10, *ad priora Malvendæ verba manu sua hanc notam adjecit :* Hinc satis convellitur asserta sancti Dominici inter pugnam præsentia, crucem elatam manu præferentis, quæ etiamnum Tolosæ visitur exigua, sagittarum contis transfixa, in ædibus Inquisitionis, quod veterum Scriptorum nulla probatur auctoritate. *Si Malvenda forte velit, id in alio quodam prælio factum fuisse, contradicit traditioni Tolosanæ, quæ asserit,* S. Dominicum *eamdem Crucifixi imaginem, hactenus Tolosæ reverenter conservatam, in pugna ad Murellum vel Muretum prætulisse, ut Soëgius in Gallicis Sancti Actis pag.* 242 *testatur, qui tamen ibidem perperam putat, Bernardum Guidonis de præsentia sancti sui Patris in castro Murelli tacuisse : nam Bernardus Guidonis expresse dicit,* S. Dominicum *ibi cum episcopis et abbatibus orasse, etiamsi de prælata ab ipso cruce altum sileat.*

F

at Echardus variis argumentis

263 *Quare Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 10 *contra Soëgium aliosque traditionis Tolosanæ defensores ex verbis Bernardi Guidonis ita argumentatur :* Ceterum hinc habetur, cum Montifortius manus cum hoste consereret, Dominicum in sacello cum episcopis Deum orasse, et de cœlo auxilium super arma Catholicorum implorasse, quod ejus gravitate, pietate, ac zelo erat dignissimum. Exinde vero colligas, ætate Bernardi Guidonis nondum adinventum, quod vulgo jam apud recentiores invaluit, scilicet Dominicum, crucem præ manibus gestantem, in prima aciei Catholicæ fronte obviam hostibus occurrisse, sagittasque undique vibratas receptas in cruce omnes, ita tamen divinitus, ut nulla in Christi figuram ceciderit; sed vel ad latera vel inter crura affixa fuerit, quam crucem etiamnum apud nostros Tolosanos servari et ostentari dicunt,

AUCTORE G. C.

cunt. Hæc, inquam, nondum sic narrabantur ætate Guidonis, qui tamen pluribus annis, nempe a MCCCVIII ad MCCCXXII inquisitorem egit Tolosæ: alias rerum Ordinis curiosissimus scrutator ista non omisisset, nec tam distincte Dominicum cum episcopis in ecclesia orantem, dum ferveret prælium, exhibuisset.

et explicationibus

264 *Deinde Echardus ibidem exponit varios modos, quibus crux in hoc bello portari solebat, et ad rem præsentem ita opportune disserit:* Verum his facile est lucem afferre, si qua ratione crux in præliis vel in urbium obsidione a cruce-signatis præferretur, quis attendat: primo enim singulis quamdam crucem in superiori veste circa pectus assutam, ceu militiæ sacræ signum, habebant, in quam si quando sagitta caderet, ictu casso retrorsum abiisse pluries animadversum, de quo videsis Sernensem cap. XXXIV. Secundo in obsidione urbium in summitate machinarum crucem imponebant, quam hæretici perosi, omni industria vibratis contra lapidibus confringere enitebantur. Videsis Sernensem cap. LII. Tertio cum castrum aliquod impugnabant, et irruptionem milites tentarent, B episcopi et clerus in locum quemdam tutum secedebant, ubi extra omne periculum, cruce coram se posita, auxilium divinum invocabant. *Hunc tertium modum confirmat verbis Petri Vallis-Sernensis cap.* 63, *ubi de impressione in castrum Mosaïcum facta agit. Quartum denique modum præferendi crucem probat ex eodem monacho Vallis-Sernensi, qui in Historia Albigensium cap.* 37 *de deditione arcis Minerbæ meminit.*

impugnat hanc traditionem Tolosanam,

265 At quod in pugna, *subdit ibidem Echardus*, aciebus adversis hinc inde concurrentibus, quis clericus seu canonicus, monachusve in fronte exercitus Catholici cetera inermis, crucem gestans præiverit, nec apud Sernensem, nec apud alios hujus belli scriptores legitur; nec prudentiæ fuisset ita gratis se periculo exponere, ac Deum, ista non jubentem, tentare. *Demum post alia jam relata Echardus de effigie Crucifixi, quæ jam Tolosæ ostenditur, hanc conjecturam facit:* Itaque si crux, *inquit*, ejus est ætatis, ut volunt, ea forte est, non quæ in prælio delata fuerit, sed quam sibi præferri jubebant episcopi, et quam, ubi Monfortio ejusque copiis e loco eminentiori benedictionem impertivit episcopus Convenarum, C ut habet Sernensis loco citato, secum in ecclesiam reportarunt, coram ea Dominum pro felici pugnæ exitu deprecaturi: cui denique in signum victoriæ quasdam hostium sagittas affixerint, et ceu quoddam anathema appenderint.

de cujus veritate alii diu ante ipsum dubitarunt.

266 *Neque Echardus hanc traditionem Tolosanam primus in dubium revocat: jam enim a centum annis Guilielmus Catel in Historia sua Gallica Comitum Tolosanorum lib.* 2 *apud nos pag.* 298 *de eadem traditione dubitavit, ut etiam advertit Angelus Manrique, dum in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1213 *cap.* 8 *num.* 7 *post memoratam pugnam ad Murellum hæc subnectit:* Cum episcopis et viris religiosis in castro permansisse sanctum Dominicum, qui a Fulcone vix umquam discedebat, plures auctores tradunt; quamvis non desit aliquis, qui dicat, discurrisse per acies, Christi in cruce pendentis sacram imaginem præferentem militibus, atque eos ad prælium animantem. Quin crucem ipsam observari hodieque lego *(in margine hic citat Ferdinandum de Castillo)* sagitta confixam in ipso prælio ex his, quæ ab adversariis jactabantur. Quod tamen antiquis prætermissum Guilielmus Catel, et alii suspectum habent. *Attamen Soëgius loco superius citato traditionem illam mordicus tuetur; sed præcipuum ipsius argumentum, quod ex silentio Bernardi Guidonis format, falsa hypothesi nititur, ut supra monuimus. Si quis porro ex antiquis documentis probet, in alio quodam prælio aut casu Crucifixum illum, qui Tolosæ servatur, sagittis Albigensium terebratum fuisse, traditioni eatenus non refragabimur.* D

Sanctus in tractu Tolosano energumenum

267 *Videtur etiam in tractu Tolosano accidisse prodigiosa energumeni liberatio, quam Constantinus Urbevetanus in Vita* S. Dominici *num.* 34 *refert his verbis:* Nec defuit viro Dei Dominico ad assertionem sanctitatis ipsius virtus Altissimi in dæmonibus effugandis: sicut enim idem etiam D. Rainerius venerabilis Cardinalis *(ex testimonio ejusdem antea narraverat illud miraculum, quod nos paragrapho præcedente num.* 247 *retulimus)* in eodem sermone ad Fratres coram omnibus supradictis fideli quidem attestatione narravit. Quadam die viro Dei Dominico in quadam ecclesia constituto, accidit sibi quemdam obsessum diversis dæmonibus præsentari. Qui, accepta stola, prius ad collum proprium posuit, deinde eadem collum cinxit ejusdem dæmoniaci, mandans illis, ut de cetero illum hominem non vexarent. Ipsi E vero in ejusdem obsessi corpore torqueri statim cœperunt fortiter et clamare: Permitte nos exire. Quare nos hic cruciari compellis?

multis dæmonibus mirabiliter liberavit,

268 At ille: Non dimitto vos, inquit, nisi mihi fidejussores dederitis, quod huc ultra nequaquam de cetero redeatis. Quos, inquiunt illi, fidejussores possumus tibi dare? Et ille: Sanctos martyres, quorum corpora in ecclesia hac requiescunt. Qui dixerunt: Non possumus, quia nostra merita contradicunt. Oportet, inquit, vos dare; alioquin a cruciatu hoc nequaquam liberos vos dimittam. Tunc illi responderunt, ad hoc se daturos operam, prout possent; et interjecto modico intervallo dixerunt: Ecce impetravimus, licet immeriti, quod sancti Martyres fidejusserunt pro nobis. Quod signum, ait, quia hoc verum sit, datis mihi? Qui dixerunt: Eatis ad capsam, in qua sunt recondita capita Martyrum, eam invenietis inversam. Mira res, et divinis prorsus adscribenda prodigiis! Quæsitum est, et ita inventum per omnia, sicut illi fuerant protestati. *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 16 *explicat, quomodo mirabilis illa fidejussio fieri potuerit.* F

quæ prodigiosa liberatio

269 *Humbertus in Actis* S. Dominici *cap.* 41 *idem miraculum totidem verbis exponit, et post hanc aliamque dæmonum ejectionem, ibidem cap.* 43 *addit sequentia:* Inventum est etiam per illos, quibus post obitum Viri Dei commissa est inquisitio super miraculis perpetratis per eum in partibus Tolosanis, sacerdote quodam attestante, quem non solum officium, verum etiam ætatis reddebat maturitas fide dignum, quod in sua parochia homo fuerat, qui male dudum a dæmonio vexabatur. Cum autem causa prædicationis illuc vir Dei Dominicus advenisset, oratione sua et devotione et dæmonem expulit et hominem liberavit. Addebat præterea, quod in eadem parochia multos a languoribus febrium, orationum suffragio restituit sanitati. *Verosimiliter Humbertus hoc loco alludit ad examen authenticum testium Tolosanorum, quos inferius post Acta audiemus.*

forsan fundamentum præbuit portentosiori historiæ,

270 *Porro suspicamur, supra relatum miraculum, aut simile in partibus Tolosanis patratum, occasionem dedisse exornandæ narrationi, quam Abrahamus Bzovius Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1213 *num.* 12 *inserendum censuit, cum rem hoc ipso anno* 1213 *aut præcedente apud*

Carcas-

A *Carcassonam contigisse existimet. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1219 *num.* 22, *et Dermicius Thaddæus in Nitela Franciscanæ Religionis pag.* 3 *propter hanc ipsam relationem de Bzovio conqueruntur, eumque malæ fidei, et interpolatæ lectionis arguunt. Sed cum hæc interpolatio ad Acta* S. Dominici *nihil faciat, nostrum non est, litem illam componere. Potius ad nos spectat indagare, quis primus istius portentosæ historiæ relator fuerit. Videtur autem hic fuisse F. Joannes Martin, qui ex veteribus biographis Gallice collegit Acta* S. Dominici, *quibus varia apocrypha immiscuit,* quæ in historiam inseri numquam debuerunt, *ut superius* § 4 *de illo agentes, cum Echardo diximus. Certe Bzovius non citavit antiquiorem auctorem, dum ab illo in fine narrationis testis allegatur* Joannes Martinus Valencenensis 1 part. cap. 5 ex Jordano, Constantino, Humberto, et Theodorico scriptoribus Vitæ sancti Dominici.

pro qua veteres biographi

271 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1215 *cap.* 23 *et sequentibus eamdem prodigiosam historiam refert ex Speculo magno* B *exemplorum, cujus collector etiam non videtur novisse antiquiorem hujus relationis testem Joanne Martino, quem ille ibidem apud Malvendam cap.* 25 *in fine indicat his verbis :* Ex Legenda sancti Dominici, quæ ex quatuor Vitæ ejus scriptoribus sumpta est, nempe : ex Fratribus Jordano, Constantino, Umberto, et Theodorico de Appoldia Ordinis Dominicani viris piis et doctis ; transtulit autem illam in Gallicam linguam venerabilis Religiosus ejusdem Ordinis Frater Joannes Martinus, Conventus Valencenensis qui supradictum miraculum refert 1 parte cap. 5 fol. 35 columna 4. *Sic collector Speculi magni exemplorum, qui haud dubie putavit, Joannem Martinum ex aliquo horum quatuor veterum biographorum stupendum istud miraculum retulisse. Alphonsus Fernandez lib.* 2 *de Rosario, cap.* 6, *et Ægidius de Lalaing part.* 2 *cap.* 4 § 1, *aliique scriptores Dominicani eumdem Joannem Martinum, tamquam primum hujus miraculi relatorem, passim allegant.*

falso allegantur,

272 *Sed ne quis incaute decipiatur specioso nomine veterum auctorum, ex quibus Joannes Martinus Gallicam* S. Dominici *Legendam collegisse di-* C *citur, candidum lectorem monemus, nullum ex quatuor laudatis Vitæ scriptoribus meminisse de tam prodigiosa tot dæmonum expulsione, qualis a Joanne Martino, ab editore Speculi magni exemplorum, Abrahamo Bzovio, Thoma Malvenda, aliisque recentioribus refertur. In supradicta Constantini Urbevetani narratione quidem traditur* S. Dominicus *energumenum* diversis dæmonibus *liberasse, et id etiam Theodoricus de Appoldia inferius num.* 47 *paucis verbis indicabit*; *at in illa Joannis Martini aliorumque recentiorum relatione numerus ille dæmonum ad quindecim millia excrescit, et omnes dicuntur expulsi virtute Rosarii, de quo hi duo veteres scriptores nullum verbum faciunt. Facile tamen credimus, hanc miram et veram diversorum dæmonum expulsionem imprudenti cuidam fabulatori fundamentum præbuisse, ut inde novum prodigium cuderet, et variis adjunctis exornaret, quamvis una historia ab altera plurimum differat, ut utramque conferenti manifestum fiet. Nobis non vacat transcribere prolixam illam narrationem, quam locis citatis apud Bzovium et Malvendam aliosve legere potest, quisquis longioribus hujusmodi fabulis delectatur.*

et cujus epitomen damus ex Janssenio,

273 *Ut tamen lector rudem quamdam recentioris hujus historiæ ideam habeat, eam hic damus ex Nicolao Janssenio, qui in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *cap.* 5 *illam nonnihil mitigat, et contrahit in hunc modum :* Excitabat is *(nimirum* S. Dominicus, *quem ibi primum Rosarii institutorem asserit)* concionem ad Rosarii cultum ; cum hæreticus multa de ejus usu et commodo disserentem ore cynico allatravit, momordit. Et ecce pœnam plerumque ejus flagitii comitem. Tanta illum dæmonum vis opplevit, ut credidisses, tartarum migrasse. Fremebat infelix, spumabat, laniabat sese ; vultum, os, oculos fœdum in modum distorquebat. Hic obtestati omnes Dominicum, uti opem vel immerenti adferat. Illo variis quæstionibus tetros spiritus agitante, palam edicunt, irruptionis causam esse : primo quidem, quod impudenter esset conatus honorem Virginis lædere ; deinde quia ante mensem hæc ipsa de Rosario edoctus, Dominicum riserit, et modo sine fronte propalam ausus sit violare, ac sui consimiles contra innoxii caput impellere. Hinc post varia ultro citroque accepta et reddita, collum obsessi injecto serto Rosaceo ungit Dominicus, adjuratque dæmones, uti patefaciant, quinam inter Christianos maxime damnentur. Hic illi anxie premi, naribus jactare sanguinem, lutum auribus, ore despumare. Adacti, ut dicerent : Nos, inquiunt, ingentem principum ac prælatorum numerum possidemus, colonorum seu rusticorum haud ita magnum : mercatores et cives habemus quamplurimos, quos plerumque avaritia, doli, cupediæ, voluptates tartaro immergunt. De sacerdotibus tandem ac religiosis compulsi fatentur, ex illis magnum esse numerum : ex his eos tantum, qui nulla habita ratione status sui, atque observantiæ religionis, extraordinariis mage cupiditatibus, quam monitis majorum et regulæ obsecuti sunt.

AUCTORE G. C.

E

qui eam non parum mitigavit,

274 Post hæc atque alia hujuscemodi intentius postulantur, coram enarrent, quis in cœlo Sanctus, quem ipsi timeant præ ceteris, quemque homines præ omnibus colere ac venerari debeant. Hic rugire illi, horrendum fremere, consternare arbitros, ut plerique sensu atque animo excidere viderentur. Contra Vir Dei excitare, monere, ut macti sint, neque hæc terriculamenta inania formident. Indicto dein silentio, dæmonibus edicit, numquam fore, ut torquere eos desinat, nisi ad quæstionem palam, omnibusque audientibus, responderint. Cum id clam se dicturos pollicerentur, nec secus fieri posse affirmarent absque insigni sua jactura et detrimento, sanctus Pater fervido affectu, afflictis solo genibus, Deiparam exorat, uti contumaces per virtutem sanctissimi Rosarii ad veritatem cogantur. Mirum dictu, visuque ! Confestim ore hominis flamma diffunditur, miseroque ejulatu discessum orant. Frustra omnia : quippe Dominicus iterato interpellat Virginem, memor sit honoris sui et Rosacei cultus : quid de re sit, ipsi dæmones aliquando fateantur ; tempus esse, quo ex mendaciorum architectis verum exsculpere oporteat. F

contraxitque [illegible]

275 Finierat, cum subito cœlestium angelorum turba delabitur, mediamque se sistit ipsa Dei parens : virga aurea hominem percutit, jubetque, vera efferant, quæ Dominicus exigeret. Tum illi exclamare et quiritari : « O inimi-
» ca nostra ! O damnatrix, confusio nostra !
» Cur de cœlo descendisti, ut hic nos torque-
» res? Nunc per te, quæ infernum exspolias,
» et pro peccatoribus tamquam potens advocata
» deprecaris, o via cœli certissima, cogimur
» eheu ! cogimur ipsissimam dicere veritatem.

» Decla-

AUCTORE G. C.

„ Declarandus est modus, quo ipsi vehementer „ confundemur. Væ et maledictio tenebrarum „ principibus ! Audite ergo Christiani. Hæc „ Christi Mater potens enimvero est in præser- „ vandis suis clientibus, quo minus præcipites „ ad inferna volvantur. Illa est, quæ solis in- „ star, fraudium nostrarum tenebras dispellit; „ quæ enervat, dissolvit, quidquid ipsi moli- „ mur. Quicumque in sancto ejus cultu persti- „ terit, perire non potest : valet enim illa plus, „ quam omnes Sancti. Ac certi estote, complu- „ res, dum illam in extremo vitæ actu implo- „ rant, contra jus nostrum esse conservatos ; et „ ni ipsa conatibus nostris obviasset, totam „ ferme Ecclesiam exterminassemus. Præterea „ (quod o pudor! compellimur edicere) nemo, „ nemo, qui in Rosarii cultu perseveravit, æter- „ nis adjudicatur suppliciis : illa quippe suis „ clientibus, ut scelerum commissorum eos pœ- „ niteat, indulget; quo fit, ut ea per confessio- „ nem abjiciant, et certam a Deo veniam conse- „ quantur. „

in qua occurrunt nonnulla,

276 Dixerant vero ista falsitatis artifices, cum beatus Pater concionem excitat, uti ingeminent Psalterium. Ingeminant; atque ecce res stupenda. Ad quodque AVE MARIA quisque dæmonum cedit ardentissimi carbonis effigie. Ac tandem infelici homine hospitibus iis liberato, Deipara omnibus, qui aderant, bene precata, ab oculis discessit. Hac catastrophe obstupuerunt hæretici, atque hortante Dominico, non pauci ad veram Christi fidem, et Rosaceum Virginis cultum accessere. *Hactenus Nicolaus Janssenius, qui ingentem dæmonum istorum numerum subticuit, et alias incredibiles longioris narrationis expressiones caute mitigavit. Equidem scimus, non esse abbreviatam manum Domini, Deumque per Sanctos suos mirabilia operari; sed quis cordatus huic narrationi sine antiquioribus testibus ac tabulis statim fidem adhibeat? Quis facile credat, coram duodecim millibus hominum, ut in prima relatione traditur, hæc prodigia apud Carcassonam publice contigisse, et nullum ex trecentis testibus synchronis, qui in examine Tolosano juridice auditi sunt, de rebus adeo memorabilibus meminisse ?*

quæ prudentiam S. Dominici non satis decent.

277 *Adde, quod in illis dæmonum interrogationibus et responsis occurrant aliqua, quæ non videntur decere prudentiam* S. Dominici, *quæ certe virtus in ipso maxima fuit, et quam Bonifacius VIII Pontifex in illo Sancto præcipue laudare consueverat, ut anonymus ineuntis seculi* XIV *scriptor ex Ordine Prædicatorum apud Echardum tomo* 1 *pag.* 2 *testatur his verbis :* Bonifacius aliquando loquens de Patre nostro beato Dominico, dicebat : ILLE SAPIENS HOMO SIC FECIT VEL DIXIT. *Unde Melchior Canus in Opere de Locis theologicis lib.* XI *apud nos pag.* 535 *recte dixit :* Dum quidam affectui suo nimium indulgent, et ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent. *Itaque ad majorem* S. Dominici *gloriam pertinet, et nos eidem Sancto gratissimum facere arbitramur, quando absona hujusmodi commenta rejicimus. Ceterum similibus fulcimentis non indiget solidissima Rosarii devotio, quam orbis Catholicus quotidiano usu probat, Deus sæpe certis miraculis confirmat, et Romani Pontifices singularibus privilegiis decorarunt, ut postmodum videbimus.*

§ XVI. Actus judiciales, quos Sanctus contra Albigenses exercuit, et hac occasione digressio de suppliciis hæreticorum.

Videtur S. Dominicus

E*x duabus formulis, quæ adhuc supersunt, facile colligimus,* S. Dominicum *sæpius hæreticis ad Ecclesiam reductis juridice pœnitentiam injunxisse, et plures hujusmodi actus judiciales exercuisse. Exemplaria harum formularum apud Janssenium, Soëgium, Echardum, aliosque scriptores Dominicanos passim occurrunt, et Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 7 *primum sic refert :* Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Frater Dominicus, Oxomensis Canonicus, prædicator minimus, salutem in Christo. Auctoritate domini abbatis Cisterciensis, apostolicæ Sedis legati, qui hoc nobis injunxit officium, reconciliavimus præsentium latorem Pontium Rogerium, ab hæreticorum secta, Deo largiente, conversum : mandantes in virtute præstiti sacramenti, ut tribus Dominicis festivis diebus ducatur a sacerdote nudus in femoralibus ab ingressu villæ usque ad ecclesiam verberando.

non tantum hæreticis resipiscentibus

279 Injungimus etiam ei, ut a carnibus, ovis, et caseo, seu omnibus, quæ sementinam trahunt carnis originem, abstineat omni tempore, excepta die Paschæ et die Pentecostes et die Natalis Domini, in quibus ad abnegationem erroris pristini præcipimus, ut eis vescatur. Tres Quadragesimas in anno faciat a piscibus abstinens ; tribus diebus in hebdomada semper a piscibus et ab oleo et vino abstineat, et jejunet, nisi corporalis infirmitas vel labores æstatis exegerint dispensationem. Religiosis vestibus induatur tum in forma, tum etiam in colore, quibus in directo utriusque papillæ singulæ cruces parvulæ sint assutæ. Quotidie, si opportunum fuerit, Missam audiat, et diebus festivis ad Vesperas in ecclesiam pergat. Alias horas tam nocturnas quam diurnas, ubicumque fuerit, Deo reddat; scilicet septies in die, decies Pater noster dicat ; media nocte vigesies. Castitatem observet, et mane apud Cererim villam chartam istam capellano suo per singulos menses ostendat. Capellano etiam præcipimus, ut de vita ejus curam diligenter habeat. Hæc omnia diligenter observet, donec alias super his dominus legatus suam nobis exprimat voluntatem. Quod si ea observare contempserit, tamquam perjurum et hæreticum et excommunicatum ipsum haberi præcipimus, et a fidelium consortio sequestrari. *Echardus tomo* 1 *pag.* 9 *in notis conjicit, hanc chartam anno Christi* 1208 *scriptam fuisse, etiamsi in ea annus et mensis non exprimantur.*

pœnitentiam injunxisse,

280 *Malvenda ad eumdem annum cap.* 8 *alterum exemplar ita recitat :* Universis Christi fidelibus, ad quos litteræ præsentes pervenerint, Frater Dominicus, Oxomensis Canonicus, prædicationis humilis minister, salutem et sinceram in Domino charitatem. Discretio vestræ universitatis præsentium auctoritate cognoscat, quod nos Raymundo Guilielmo de Altaripa Pelaganirio licentiam concessimus, ut Guilielmum Ugotionem, hæreticali quondam habitu, ut idem coram nobis asseruit, investitum secum in domum

suam

A *al. in domo sua*

suam * apud Tholosam teneat, more aliorum hominum conversantem, quo usque super hoc nobis, vel sibi expressius mandatum faciat dominus Cardinalis : et quod sibi non cedat, videlicet Raymundo Guilielmo ad infamiam sive damnum. *Echardus loco proxime citato in iisdem notis ex titulo* Cardinalis, *qui hic memoratur, probabilissime colligit, has litteras inter annum* 1210 *et* 1215 *datas esse.*

sed etiam pertinaces judicio seculari tradidisse,

281 *Videtur etiam* S. Dominicus *ab Apostolicis legatis accepisse potestatem convincendi in juridico examine hæreticos, eosque in erroribus suis pertinaces tradendi judicio seculari, ut eruimus ex historia, quam Constantinus Urbevetanus apud Echardum num.* 36 *ita narrat* : Prædicante aliquando viro Dei Dominico in partibus Tolosanis, contigit, quosdam hæreticos captos et per eum convictos, cum redire nollent ad fidem Catholicam, tradi judicio seculari. Cumque essent incendio deputati, aspiciens inter alios quemdam Raimundum de Grossi nomine, acsi aliquem in eo divinæ prædestinationis radium fuisset intuitus : Istum, inquit officialibus curiæ, reservate, nec

B

aliquo modo cum ceteris comburatur ; conversusque ad eum, blandeque alloquens : Scio, inquit, fili mi, scio, quod adhuc, licet tarde, bonus homo eris et sanctus. Res stupenda, et digne commendanda memoriæ ! Dimissus namque, per annos fere viginti in hæretica cæcitate permansit; tandem vero Dei gratia illustratus, relictis tenebris ad lumen venit : Frater enim Prædicator effectus, in eodem Ordine vitam suam et laudabiliter duxit, et feliciter consummavit. *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 77 *prorsus eadem refert, et Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 33 *in notis ad hunc Constantini textum observat, Humbertum cap.* 45 *hanc historiam totidem verbis excepisse, putatque, rem illam inter annum Christi* 1209 *et* 1215 *contigisse.*

ut Malvenda libenter admittit;

282 *At miramur, hic alias notas ab Echardo non fuisse additas, cum præsertim Malvenda in Annalibus anno Christi* 1215 *cap.* 9 *respiciens ad illam historiam, quam ad eumdem annum supra cap.* 2 *ex Vincentio Bellovacensi, aliisque retulerat contra hæreticum quemdam ita scribat :* Non abnuimus, sanctum Dominicum primum fuisse, qui inquisitoria auctoritate *(paragrapho sequente indagabimus, an id ex officio primi inquisitoris egerit)* hæ-

C

reticos igne punierit ; et vidimus superius hoc anno, Tolosæ ipso Viro Dei et convincente et judicante, hæreticos incendio consumptos, et unum reservatum : et superioribus annis, cum Simon, Monfortii Comes, diversa loca armis occuparet, multi hæretici obstinati combusti sunt, uti superius diximus, haud dubie Inquisitorem agente sancto Dominico. Ergo canis ille ore facem gestans, qui a matre sancti Dominici, antequam eum pareret, in somnis est observatus, recte designasse videtur et munus indefessum docendi et prædicandi custodiendique gregis dominici, et Inquisitionis officium, quod utrumque in Viro Apostolico, ejusque Ordine mirifice viguit.

Echardus vero id ultimatum negat,

283 *Contra vero Echardus contendit* S. Dominicum *sola prædicatione vitæque exemplo conversionem hæreticis suasisse, et numquam sese suppliciis eorum immiscuisse. Hanc opinionem suam variis locis sedulo inculcat, eamque præcipue repetit, quando Sanctus in Epistola authentica inquisitionis Tolosanæ ab oculatis et juratis testibus non sine magna laude bis ac tertio* persecutor hæreticorum *appellatur : nam ad hunc titulum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 56 *inter alia in notis ita sollicite monet* : Viden', qui hæreticorum assiduus persecutor fuerit? Nempe redarguendo tam verbo, quam exemplo bonæ vitæ, non jugulum petendo, non ferrum et ignem minitando, quod sui non erat officii. *At quid, obsecro, piaculi aut dedecoris in* S. Dominicum *redundaret, si hic ex subdelegata Ecclesiæ potestate pervicaces hæreticos brachio seculari, ut vulgo loquimur, puniendos tradidisset, quemadmodum illis resipiscentibus ex eadem legati Apostolici auctoritate pœnitentiam injunxit?*

cui opponimus doctrinam S. Thomæ,

284 *Certe Catholicus quispiam dubitare non potest de illa Ecclesiæ potestate, quæ innumeris exemplis ac testimoniis probatur, et quam Alfonsus de Castro, Judocus Coccius, aliique scriptores integris voluminibus contra heterodoxos vindicarunt. Solum hoc loco producimus divum Thomam, qui in Summa Theologica* 2. 2. *quæst.* XI *art.* 3 *ex sententia S. Hieronymi eamdem Ecclesiæ potestatem confirmat, et familiari quadam similitudine hanc rem sic explicat :* Respondeo dicendum, quod circa hæreticos duos sunt consideranda. Unum quidem ex parte ipsorum ; aliud vero ex parte Ecclesiæ. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesia per excommu- E nicationem separari, sed etiam per mortem a mundo excludi. Multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarii pecuniæ vel alii malefactores statim per seculares principes juste morti traduntur, multo magis hæretici statim, ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et juste occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem ; et ideo non statim condemnat, sed post primam et secundam correptionem, ut Apostolus docet : postmodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam, et ulterius relinquit eum judicio seculari, a mundo exterminandum per mortem.

zelum S. Ferdinandi regis,

285 *Quid igitur nos impedit, quo minus cum Malvenda dicamus, quod* S. Dominicus *illos hæreticos a se convictos, et post iterata monita obstinatos, de quibus supra relatus Constantinus meminit, seculari potestati plectendos reliquerit? Sane id nullo* F *modo officii sanctitati ipsius, quandoquidem zelus hujusmodi adversus pervicaces hæreticos in Actis Sanctorum laudatur. Propterea Lucas Tudensis in Chronico mundi, quod Tomo* 4 *Hispaniæ Illustratæ editum est, apud nos pag.* 112 *sanctum Ferdinandum regem his laudibus extollit :* In tantum, *inquit,* regnum sibi subditum succensus igne Catholicæ veritatis strenue rexit, ut inimicos fidei Christianæ totis viribus persequeretur, et quoscumque reperiebat hæreticos flammis exureret; et ipse vice famulorum ignem et ligna in eis comburendis ministrabat. *Ne hic quis fortasse effugium quærat, nobisque respondeat, hæc potius severitati regiæ, quam sacerdotali mansuetudini convenire, pauca proferemus exempla piissimorum præsulum ac sacerdotum, qui pertinaces hæreticos brachio seculari tradiderunt.*

praxin præsulum orthodoxorum in Gallia.

286 *Primum occurrit in Gallia, ubi Euraudus de Castro-novo, ab Hugone præsule Autissiodorensi hæreseos convictus, et in ea persistens combustus est, ut in Historia episcoporum Autissiodorensium cap.* 58 *apud Labbeum tomo* 1 *Bibliothecæ Ms. pag.* 477 *narratur his verbis :* Increbrescente contra eum tandem hæreseos, qua notabatur, infamia, idem episcopus, sicut erat Catholicorum dogma-

tum

AUCTORE G. C.

tum zelator præcipuus, et perversitatis hæreticæ fervidus exstirpator, in Parisiensi concilio, ab Octaviano Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, qui tunc legationis officio fungebatur in Francia, Parisiis convocato, multis archiepiscopis, episcopis, et ceteris ecclesiasticarum dignitatum vel administrationum inferiorum personis præsentibus, ipsum de hæresi publice accusavit, accusatum testimoniis irrefragabilibus convicit : convictus, approbante concilio, sententiam damnationis excepit, damnatus ignis concrematione profanam animam exhalavit, digna recipiens stipendia meritorum, et generi suo fœdam suæ perversitatis notam imprimens et opprobrium sempiternum.

aliisque regionibus

287 *In hac materia prorsus singulare est, quod anno Christi* 1234 *in Belgio contigit, et quod Joannes Buzelinus noster in Annalibus Gallo-Flandriæ lib.* 6 *ad illum annum ex antiquis monumentis refert hoc modo :* In hæreticos Duaci eodem anno justissime gravissimeque sævitum est. Decem viri eo veneno imbuti fuerant reperti ; frustraque laboraverant quidam, ut ab insana mente ad rectam eos reducerent. Igitur cum placuisset eos pro meritis insigni supplicio plectere, nihil ad judicii pœnarumque celebritatem defuit. Opportune tunc has in partes venerat Henricus Remensis archiepiscopus, aderatque P. Robertus ex Ordine Dominicanorum, ab summo Pontifice capiendorum et puniendorum hæreticorum potestate præditus. Neque suam passi sunt præsentiam desiderari Godefridus Cameracensis pontifex, Asso Atrebatensis episcopus, et Tornacensis Walterus. Junxit etiam iis sese Joanna Flandriæ princeps, multa ditionum suarum septa nobilitate. Quove plus terroris hominum multitudini incuteretur, delectus est supplicio dies Dominicus Maio mense, uti cives omnes, ac vicinorum incolæ locorum ab operibus feriati spectaculum usurparent. Ergo tot viris nobilissimis et innumeris hominum turbis adstantibus et videntibus, extra portam Oliveti, qua Lambras tendebatur illi flammis injecti absumptique sunt.

pervicaces hæreticos morte affici permiserunt

288 *Cæsarius Heisterbachcensis de simili supplicio, quod Coloniæ suo tempore pertinaces hæretici subierunt, lib.* 5 *Miraculorum et historiarum memorabilium cap.* 19 *sic meminit :* Circa illa tempora sub archiepiscopo Raynaldo, Coloniæ plures sunt hæretici comprehensi, qui a litteratis viris examinati et victi, per judicium seculare damnati sunt. Data sententia, cum ducendi essent ad ignem, unus illorum, Arnoldus nomine, quem ceteri magistrum suum fatebantur, sicut narraverunt, qui interfuerunt, panem et pelvium cum aqua sibi dari petivit. Quibusdam volentibus, ut hoc fieret, viri prudentes dissuaserunt, dicentes : Aliquid hic fieri posset opere diabolico, quod infirmis esset in scandalum et in ruinam... Ducti sunt extra civitatem, et juxta cæmiterium Judæorum simul in ignem missi. *Deinde hic scriptor eodem libro cap.* 22 *nominatim recenset quosdam clericos hæreticos, qui ab episcopo et theologis de hæresi convicti, et Parisiis ob suam pertinaciam combusti sunt. Ne hic longiores simus, omittimus S. Petrum Thomasium ex Ordine Carmelitarum, qui in insula Creta ad morte plectendos hæreticos auxilium ducis imploravit, ac tandem obtinuit, ut apud nos ad diem* XXIX *Januarii in Actis istius Sancti cap.* 7 *num.* 43 *et sequentibus legi potest.*

et contra quem argumentamur

289 *Ut autem Echardus hanc severitatem sancto suo Fundatori, aut inclyto ipsius Ordini, ignominiosam non putet, subministrabimus ei aliquot exempla domestica, inter quæ Leander Albertus in Opere de viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib.* 2 *apud nos fol.* 59 *unum refert his verbis :* Cum Bosina et Dalmatia maximis agitarentur erroribus, populos hæreticis seducentibus, a Pontifice maximo Colocensis antistes illuc Legatus missus est, ut suasionibus, seu Crucesignatorum armis ad sanam mentem redire compelleret. Sed cum nec verbis nec armis ab erroribus suis evelli possent, rem prorsus desperatam jussu Pontificis Prædicatoriæ familiæ commisit antistes; qui Pontificis jussa diligenter et intrepide perficientes, cœperunt disceptationibus litterariis et concionibus hæreseos labe inquinatos tam acriter urgere, Colomano rege assistente, ut plures coëgerint e tenebris ad veræ fidei lumen redire. Verum initio ex Fratribus plures, dum constantissime fidem Christi tuerentur, martyrio coronati sunt. Tandem pede firmato, multos erroribus implicitos, et in sua perfidia obstinatos, igni tradiderunt.

ex domesticis Prædicatorum exemplis,

290 *Leander in eodem Opere lib.* 4 *fol.* 149 *alia hujus generis exempla memorat, et severos hæreticæ pravitatis censores ita laudat :* Ecce Jacobus Ferrariensis cum Ludovico Pisano Jacobum de Petris Brixiensem sacræ theologiæ interpretem, hæreticorum limam severissimam, et Vercellinum Vercellensem virum doctum et eruditum, florentes circa annum Domini MCDLXX, comitans. O quam severe omnes isti incedunt, et præcipue ille Jacobus Brixiensis, qui neminem pro fide Christi umquam veritus, plures igni, hæreseos labe infectos nec resipiscentes, adjudicavit; cujus vestigia secutus Antonius Casalensis anno elapso per se ac vicarios suos ultra triginta, existens inquisitor Novocomi, ubi vita functus est, igni tradidit.

quibus Malvenda gloriatur;

291 *Hinc etiam Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 8 *Ordinem suum tali exornat elogio :* Quantum gloriæ, splendoris, dignitatis Ordo Prædicatorum habeat, quod auctore sancto Dominico istud adeo sacrosanctum Inquisitoris officium primam originem ceperit, deincepsque in posteros Fratres Prædicatores feliciter propagatum, vix verbis exprimi possit. Divinum hoc plane inventum fuit, et ingens in eo Dominicana religio Christianæ reipublicæ momentum intulit: quando eo potissimum præsidio hæreticorum audacia retunditur, orthodoxi in officio continentur, puritas et sinceritas Christianæ fidei illibata conservatur, evulsis radicitusque exstirpatis pravis noxiisque hæresum et falsorum dogmatum fruticibus; denique quibusvis hæreticis, sanæ doctrinæ novatoribus et alteratoribus igne, ferro, ni resipiscant, exstinctis, vel saltem deterritis, fugatis, profligatis. Quam egregiam in hoc munere religiosi Prædicatores operam semper in provinciam Christiani orbis præstiterint, quam admirabili integritate, industria, prudentia illud perpetuo administraverint, quamque se et Christiano populo digna Ecclesiæque salutaria eo in genere egregie facta patraverint, Annales nostri suis temporibus et locis locupletissimi testes existent.

imo ex gestis Sanctorum

292 *Sed ne Echardo ullus scrupulus supersit, etiam ex Opere nostro exhibebimus aliquos illustres ejusdem Ordinis viros, quos Ecclesia catalogo Sanctorum aut Beatorum adscripsit, licet in hæreticos severe animadverterint. Primus juxta seriem Operis nostri est S. Antoninus, ex Ordine Prædicatorum ad archiepiscopatum Florentinum assumptus, de quo ad diem secundam Maii, tomo* 1 *istius mensis pag.* 339

A 339 *in summario processuum leguntur sequentia:* Hæreticum quemdam Mag. Joannem de Canibus dictum, adventitium accolam Florentini soli, magicum et necromantum, ac male de beatissima et immaculata Domina nostra semper virgine Maria, Matre Domini nostri Jesu Christi pertinaciter sentientem, post canonicas monitiones, ac debitum examen, et justum suæ condemnationis processum, dimisit in manu curiæ secularis, a qua publice demum in sua pertinacia perseverans, fuit combustus. *Leander Albertus lib.* 3 *Operis supra citati fol.* 100 *eumdem Sancti zelum sic breviter laudat:* Non defuit etiam tum Antonio (*hoc nomen in baptismo accepit, ut alibi notavimus*) magnitudo animi, cum sordidissimum hominem ac detestabile caput Joannis Canini, quem hæretica pravitate infectum deprehenderat, non approbantibus id multis civibus, flammis concremandum esse adjudicavit.

ejusdem Ordinis ostendimus,

293 *Alter est B. Joannes Dominici, ex eodem Ordine ad purpuram evectus, qui in Opere nostro ad diem* x *Junii celebratur, ubi tomo secundo istius mensis pag.* 396 *et* 397 *refertur ejus elogium ex*
B *memorato S. Antonino, qui ibidem Part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 11 § 3 *de illo suo quondam magistro post alia sic scribit:* Ad requisitionem domini imperatoris Sigismundi missus est legatus in Ungariam, ad exstinguendam hæresim exortam Bohemorum. Qui profectus illuc, cum vidisset gentem illam obduratam in ea hæresi, nec verbis posse reduci, consuluit imperatori, ut populos illos gladio exponeret, cum adhuc essent debiles in potentia: ne forte multiplicati postea domari non possent. Durus visus est imperatori sermo iste, et carnaliter compatiens corporibus eorum, ne occiderentur, et regnum ejus desolaretur, non acquievit, forte sperans per alium modum ab erroribus revocandos. *Exitus docuit, consilium beati Viri utile fuisse, et regna miseris modis dirui, nisi exortæ hæreses statim exstirpentur, ut ibidem pag.* 399 *in Annotatis observavimus. Tertius in eodem Ordine occurrit B. Joannes Vicentinus, cujus Acta ad diem secundam Julii illustrata sunt, ubi tomo* 1 *istius mensis pag.* 485 *Gerardus Maurisius, scriptor synchronus, ad rem nostram de illo hæc habet:* Hic persecutor fuit ibi hæreticorum, sic quod plures comburi fecit.

illam severitatem,

C 294 *Non ignoramus, hanc rigidam Sanctorum praxim hæreticis plurimum displicere, eosque contra sacrum Inquisitionis tribunal, tamquam crudele, assiduis quærelis debacchari. Unde ex illorum secta Philippus Camerarius centuria* 1 *Operarum subcisivarum cap.* 58 *multis argumentis suadere nititur, libertatem religionis impune permittendam esse, et de ipso* S. Dominico *sic inepte conqueretur:* Dominicus auctor unius ex quatuor mendicantium Ordinibus, primus incendia et ustulationes inter Christianos religionis ergo invexit, ideoque ejus imitatores adhuc Inquisitionem tamquam peculiarem sibi vendicant, et multis in locis severe eam exercent. Tradunt autem, matrem ejus jamjam eum enixuram somniasse, ingentem canem se parere, qui ardentem torrem ore gestaret; qui torris designavit fortasse rogos, quibus in cinerem redacta est infinita hominum multitudo. *Quod hoc loco heterodoxus ille de infinita hominum multitudine in cinerem redacta blaterat, facile refelli posset, si operæ pretium foret, cum ex ecclesiasticis variorum temporum ac locorum historiis constet, innumerabiles Catholicos ab hæreticis flamma ferroque sublatos fuisse.*

295 *At sufficit hic brevis refutatio Malvendæ, qui in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 8 *post relata hujus hæretici verba sic respondet:* Sint hæ nobis palmares coronæ, natam Religionem Prædicatorum exstinguendis in orbe hæreticis, et ferro flammaque impœnitentibus exscindendis. Sed non est verum, sanctum Dominicum primum incendia et ustulationes inter Christianos religionis ergo invexisse: nam quod attinet ad hæreticos capitali pœna mulctandos, certum est, in hujusmodi pestes ultimum supplicium inflixisse Valentinianum et Marcianum imperatores, ut apparet ex Codice Theodosiano. *Si quis hæc distinctius nosse cupit, consulat Judocum Coccium tomo* 1 *Thesauri Catholici lib.* 7 *art.* 27, *eminentissimum Bellarminum tomo* 2 *Controversiarum lib.* 3 *de Laicis cap.* 21 *et* 22, *Alfonsum de Castro, aliosque passim obvios, qui antiquas imperatorum leges, et evidentia veterum Patrum testimonia allegant. Tum Malvenda capite sequente assignat plurima hujus rei exempla ætatem* S. Dominici *præcedentia, ex quibus liquet, ineptire Camerarium, dum primam capitalis supplicii praxim, adversus hæreticos usurpatam, huic Sancto mendaciter adscribit.*

auctore G. C. seu potius fidei conservandæ curam

E 296 *Denique Malvenda ibidem Catholicum lectorem contra politicam quamdam Justi Lipsii opinionem præmunit his verbis:* At ista tu cave, et caute lege, simulque Ecclesiæ doctrinam usumque amplectere, hæreticos quosvis deprehensos, obstinate in sententia persistentes post institutionem, suavia blandaque monita, nisi spes clara et perspicua conversionis (quod rarum et difficile) affulgeat, ignis supplicio consumendos. Exstant ea de re innumerabiles theologorum jurisconsultorumque sententiæ; sed interim tu consule hos paucos, Alfonsum Castrensem lib. 2 de justa hæreticorum punitione cap. 12 et sequentibus, Bellarminum lib. 3 de Laicis cap. 21 et 22, Bannez 2. 2 quæst. 1 art. 3 et 4, Azorium 1 Parte Institutionum lib. 8 cap. 13. Ecclesia Christi divino consilio judicat, nullum præsentius hæresis morbo remedium adhiberi posse, quam ut putridæ affectæque partes ferro igneque abscindantur, gravissimo nimirum et desperato malo.

quam hæretici et politici oderunt,

297 *De his tam fuse disputavimus, eo quod hodiedum sub nomine Catholicorum reperiantur nonnulli novatores, qui Ecclesiæ suasoriam dumtaxat quamdam potestatem in convertendis hæreticis concedunt. Inter hos tamen minime numeramus* F
Echardum, qui forte tales actus judiciarios S. Dominico *abjudicat, quia illam severitatem sancto suo Fundatori minus honorificam existimavit. Sed jam memoratis Sanctorum exemplis hunc scrupulum ei exemimus. Quod si fortasse id fecerit, quia ex ipsius opinione tunc nondum institutum erat tribunal Inquisitionis, nihilo magis proficit: nam ex antiquioribus exemplis manifestum est, hæreticos ab episcopis aut theologis examinatos, et post pertinaciam judicio seculari traditos fuisse, quamvis eo tempore tribunal Inquisitionis contra hæreticam pravitatem necdum hodierno modo institutum esset.*

et quam forte Echardus nimis sævam judicat,

298 *Itaque hic inter nos et Echardum sola, ut opinamur, agitatur illa quæstio, an* S. Dominicus *umquam hæreticos pertinaces potestati seculari plectendos tradiderit. Ille id negat, quia nusquam satis clare exprimi arbitratur. Nos vero contendimus, hoc satis erui ex supradicta Constantini Urbevetani narratione, ejusque adjunctis, et cum plerisque scriptoribus Dominicanis id affirmamus. Etsi autem tunc Inquisitio nondum fuisset instituta, Sanctus facere illud potuit jussu Legatorum Sedis Apostolicæ, aut episcoporum, ad quos tunc temporis examen hæreticorum pertinebat, et quorum auctoritate alios actus*

Sancto minime ignominiosam esse.

judiciales

AUCTORE G. C.

judiciales in eadem materia exercuit, ut supra vidimus. Facillime id contingere potuit, quando Sanctus fuit vicarius episcopi Carcassonensis, qui a diœcesi sua aberat, ut Theodoricus de Appoldia inferius num. 50 *testabitur. Quis credat, Guidonem episcopum Carcassonensem, ferventissimum crucis prædicatorem, qui integritatem et virtutem Sancti nostri intime noverat, eique vices suas commiserat, examen hæreticorum sibi absenti reservasse? Sed jam tempus est, ut inquiramus, an* S. Dominicus *officium Inquisitionis primus administraverit.*

§ XVII. An Sanctus a Pontifice Romano constitutus fuerit primus Inquisitor contra hæreticam pravitatem?

Prædicatores primum inquisitoris officium S. Dominico,

Jam diuturna lis agitatur inter Cistercienses et Dominicanos, dum hi exordium Inquisitionis in hæreticos S. Dominico *tribuunt; illi gloriam incepti hujus officii suo S. Petro de Castronovo adscribunt.* B *Utraque litigantium pars pro se multos testes adducit, et causam suam æquissimam existimat. Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 6 *breviter pronuntiat,* consensu omnium ferme exploratissimum haberi, sanctum Dominicum primum ea forma ac modo, quo nunc viget et administratur, obiisse munus delegati et ordinarii Inquisitoris adversus hæreticam pravitatem in provincia Narbonensi, et primum Inquisitorem fuisse in Ecclesia Dei. *Nicolaus Janssenius in Commentario ad Vitam* S. Dominici *pag.* 250 *asserit, quod ipse lector, si consuluerit Concertationem Prædicatoriam Alfonsi Fernandez, in hac materia judicaturus sit,* contrarias sententias sic esse jugulatas, ut alte sepeliri debeant. *Quinimo Ludovicus de Sousa in Annalibus Lusitanicis Ordinis Prædicatorum Part.* 1 *lib.* 1 *cap.* 3 *ab Angelo Manrique et alio Ordinis Cisterciensis scriptore confidenter exigit, ut in hac controversia sententiam suam retractent.*

et Cistercienses S. Petro de Castro-novo confidenter vindicant,

300 *Verum Angelus Manrique postea in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1204 *cap.* 3 *opinionem suam, quam ante triginta sex annos in Laurea euangelica tradiderat, multis argumentis* C *confirmat, et ibidem num.* 14 *Dominicanos ad retractationem invitat, eosque pari confidentia monet,* ut quam hactenus gloriam, velut pro derelicto, *inquit,* a nostris habitam, bona, ut putamus, fide sibi appropriarunt, a veris dominis tandem repetitam, sponte restituant, nec sine debito fœnore gratiarum. *Deinde protestatur, quod non alio fine, quam propalandæ veritatis, hæc scripserit,* paratus semper, *addit,* si quis aliud demonstret (nam solis verbis, fateor, non movebor) hæc et quæcumque alia recantare: nec enim nostros puto tales esse, qui fictis indigeant; nec, si indigerent, acciperent a nobis, saltem scientibus; qui ut propriis et veris numquam parcimus, sic ab alienis omnino temperamus. *Augustinus Sartorius, qui Pragæ anno* 1700 *Cistercium bis tertium seu Historiam elogialem sacerrimi Ordinis Cisterciensis edidit, titulo* XXIV *istius Operis pag.* 684 *et sequentibus argumenta Angeli Manrique in compendium redigit, et opinionem ipsius de initio Inquisitionis contra Dominicanos strenue tuetur. Hinc satis patet, scriptores utriusque Ordinis æquitati causæ suæ multum confidere.*

301 *Auctores alii, qui extra utrumque Ordinem de hac materia scripserunt, ac idcirco in illa causa optimi judices essent, etiam inter se dissident: nam* D *Aubertus Miræus lib.* 5 *Originum monasticarum cap.* 16 *in favorem Cisterciensium sic pronuntiat:* Beatus Petrus de Castro-novo monachus Cisterciensis in cœnobio Fontis-frigidi in Francia et diœcesi Bellovacensi, fuit primus hæreticæ pravitatis Inquisitor ab Innocentio III Papa constitutus. *Deinde hunc titulum primi Inquisitoris variis testimoniis et argumentis probare conatur, atque ibidem post illa sic concludit:* Hæc visum fuit paullo latius deducere, ut contra vulgi opinionem ostenderemus, non Dominicanis, sed Cisterciensibus, primum institutæ adversus hæreses Inquisitionis officium deberi acceptum. *Miræus consentientem sibi habet illustrissimum Spondanum, qui in Continuatione Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 1208 *num.* 4 *scribit,* Petrum Cisterciensem monachum cœnobii Fontis-frigidi diœcesis Bellovacensis (sive, ut alii volunt, Narbonensis, ubi est monasterium ejus nominis et Ordinis) primum omnium sanguine proprio tribunal sanctæ Inquisitionis, quod ab eo et eodem Arnaldo abbate ac Radulpho socio, de quibus supra, ante Religionis Dominicanæ ortum, exordium E habuit, firmiter stabilisse, eique quidquid tot Cistercienses monachi, tot ex Prædicatorum familia, posthac instituta, viri illustres pro exstirpandis hæresibus deinceps sub Inquisitionis titulo peregerunt, tamquam primario ejusdem sancti officii ministro, a Sede Apostolica instituto, deberi. *Huic opinioni etiam quidam alii exteri scriptores adstipulantur, ut apud Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus loco mox citato num.* 3 *videre est.*

in qua controversia scriptores exteri

etiam inter se dissident.

302 *Contra vero Flaminius in Vita* S. Dominici *fol.* 18 *Prædicatoribus favet, et de sanctissimo eorum Fundatore hæc narrat:* Postquam in Pruliano monasterio de mittendis per diversa loca Prædicatoribus (sicut ostendimus) egit, dum sacrificaret ibidem, convertit se ad multitudinem, quæ de diversis locis ad locum, veteri quidem veneratione populis celebrem, et ad diem festum convenerat, et declaravit omnibus, factum se a Pontifice maximo adversus hæreticos Inquisitorem, ac negotium fidei sanctæ maxime necessarium sibi esse commissum; quod se quidem sic tractaturum affirmavit, ut omnes admonitos vellet, F futurum, ut nemini parceret, quemcumque hostem fidei Christianæ deprehendisset: et, ubi arma spiritualia non proficerent, concitaturum se adversus illos cum principibus ac regibus populos, ac bello persecuturum, et illorum urbes eversurum. *Stephanus de Salanhaco apud Malvendam in Annalibus anno Christi* 1217 *cap.* 3 *eamdem Sancti comminationem referens, de officio Inquisitoris nullum verbum facit. Attamen Franciscus Pegna in Commentario ad Directorium Nicolai Eymerici Part.* 3 *Comment.* 32 *in editione Veneta apud nos pag.* 461 *istud munus eidem Sancto ita asseveranter attribuit:* Officium delegatæ Inquisitionis (ut obiter illud hic dicam) exploratum est, in provincia Provinciæ, sive in Gallia Narbonensi, primum beato Dominico fuisse commissum, ab eoque circa annos MCC sumpsisse prima exordia temporibus Innocentii tertii Pontificis maximi. *Huic sententiæ Famianus Strada noster, et plures subscribunt externi, quos Ludovicus de Sousa in Opere supra memorato, aliisque scriptores Dominicani passim recensent. Cum itaque illi ipsi, quorum judicio lis decidenda est, inter se non concordent, breviter præcipua utriusque partis argumenta audiamus.*

A

Scriptores Dominicani pro sua opinione

303 *Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1204 *cap.* 3, *et rursus ad annum* 1210 *cap.* 4 *contendit,* S. Dominicum *ab Arnaldo Cisterciensi accepisse potestatem agendi contra hæreticos, sicut hodiedum in Hispania Inquisitores privati et inferiores ab Inquisitore generali eamdem accipere solent. Id non negant Dominicani, cum constet et ipsis* S. Dominici *litteris, quas paragrapho præcedente retulimus : sed addunt, eam potestatem sancto suo Fundatori postmodum ab ipso Pontifice Romano immediate concessam fuisse, ut Nicolaus Janssenius in laudato Commentario ad Vitam* S. Dominici *pag.* 252 *indicat his paucis verbis:* Eam auctoritatem hæreticos plectendi vel reconciliandi beatus Pater primum receperat ab Arnoldo abbate Cisterciensi, Legato Sedis Apostolicæ. Verum non appellabatur Inquisitor, donec Innocentius III id munus ille confirmasset. *Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 6 *etiam fatetur, quod Sanctus noster ante concilium Lateranense in provincia Narbonensi officium Inquisitoris auctoritate legatorum Apostolicorum exercuerit ; postea vero in iisdem Annalibus ad annum* 1217 *cap.* 3 *affirmat, illud munus ei ab Innocentio III, et Honorio III Pontificibus immediate demandatum fuisse.*

B

afferunt litteras Sixti V Papæ,

304 *Dum laudatus Angelus petit, litteras horum Pontificum sibi exhiberi, Prædicatores respondent, eas quidem jam non inveniri, sed de hac re satis constare ex constitutione trigesima Sixti V, qui anno* 1586 *Officium S. Petri martyris ex Ordine Prædicatorum ritu duplici celebrandum præscripsit : ibi enim Pontifex occasione sancti istius Inquisitoris, quem ob ferventem contra hæreticos zelum laudat, post alia de exordio Inquisitionis ita meminit :* Imitatione accensus beati patris Dominici, ut ille perpetuis et concionibus et disputationum congressibus, officioque Inquisitionis, quod ei primum prædecessores nostri Innocentius III et Honorius III commiserant, contra hæreticos mirabiliter se gessit, ita ipse cum nullum iis perditionis filiis movendis locum in omni sermone umquam reliquisset, tum in obeundo Inquisitoris munere sibi litteris Apostolicis commisso, mira quadam diligentia illos insectari atque urgere non destitit. *Hoc est præcipuum fundamentum, quo Malvenda, Bzovius, et plerique scriptores Dominicani nituntur.*

C

quibus Angelus Manrique respondet,

305 *Verum Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1204 *cap.* 3 *num.* 13 *huic argumento ita respondet :* Una nobis Sixti V auctoritas incutit reverentiam, incuteret metum, si nesciremus, materiam hanc omnino ex illis esse, in quibus successores Petri numquam asserere nedum definire ; sed præcise ad communem, et plerumque ad petentium, mentem loqui in usu habeant : velut qui sensum suum illis permittant, non adstruentes, sed condescendentes sibi propositis. Posset quidem Pontificis sententia, etiam in his, exsequibilem habere auctoritatem, ut non diffinitivam, judicialem, si partibus citatis auditisque, et probationibus atque instrumentis utriusque perpensis, prolata esset. At parte neque citata, quid sive potuit seu voluit judicare, quod nobis noceat? Maxime cum specialia hæc instrumenta, quæ extra corpus juris circumferuntur, nedum quæ in solis archiviis Vaticanis abdita latent, in scrinio pectoris habere non censeatur : quare nec eis derogatum vult, quoties de eis non facit mentionem. Quid, quod in eisdem litteris habetur, sanctum Petrum Veronæ primum martyrem occisum ab hæreticis, ob munus inquirendi in eos illi commissum? Et tamen Petrum nostrum de Castro-novo longe ante ab eisdem occubuisse propter eamdem causam, ne ipsi quidem auctores, contra quos disputamus, negare possunt. Sic Cassinenses Floriacensesque de pretioso thesauro corporis sancti patris Benedicti invicem decertantes, Pontificias pro se producunt litteras ; quæ dum utrisque officiunt, neutris favent, atque æque ad utrisque repelluntur. *Dein subdit plura hujusmodi exempla, de quibus Responsiones Papebrochianæ et Acta nostra Sanctorum variis locis consuli possunt.*

et quas Augustinus Sartorius explicat.

306 *Supra citatus Sartorius in Historia elogiali Ordinis Cisterciensis Titulo* XXIV *pag.* 687 *hanc Angeli responsionem approbat,* si rigore scholastico procedendum sit. *At* vero, *subjungit,* si benigniori genio expendenda sit Sixti Pontificis historica auctoritas, uti poterimus interpretatione ; Pontificem asseruisse divo Dominico honorem primi Inquisitoris, in suo videlicet Ordine, non in universa Ecclesia, quod nos absque controversia cum reverentia admittimus. Atque hic conciliationis modus ex ipso epistolæ contextu, et Dominicana historia aperte promicat. Asserit pari stylo Sixtus, divum Petrum Veronensem, gloriosum martyrem ex eodem Prædicatorum Ordine, primum martyrem ob munus Inquisitionis, quod exercuerat, ab hæreticis fuisse occisum ; et Dominicana Historia lib. 1 cap. 3 affirmat, laudatum Petrum, sacerrimam pro religione victimam, primum suo sanguine sacrosanctum officium Inquisitionis consecravisse. Intellige primum ex sacra Prædicatorum familia, non vero primum simpliciter : ceteroquin verba Pontificis et Historia Ordinis non cohærerent antiquitati et veritati, cum annis quadraginta quatuor ante Petrum martyrem Veronensem, ab hæreticis in odium fidei, atque ob exercitium sanctissimæ Inquisitionis crudeliter interemptus sit S. Petrus de Castro-novo, gloriosissimus ille Christi e Cistercio martyr, quod vel ipsi scriptores Dominicani non diffitentur. Non præsumendus est Pontifex, atque sacer Prædicatorum Ordo correxisse historiam, quæ jam per annos trecentos et amplius vera fuit ; sed accipienda sunt verba utriusque in sensu accomodo, in quantum scilicet non præjudicant tertio (Cistercio) cui neque Sixtus, neque Dominicani censendi sunt voluisse in aliquo derogare. Assumendum est hoc loco, velutique collocandum pro idea, juris-consultorum illud dogma : Si actus non valet, ut agitur, valeat, quantum valere potest. Asseruit Sixtus Papa in allegata epistola Dominicum parentem primum Inquisitorem, et quia primus non potuit esse simpliciter, cum eumdem antecesserint Cistercienses nostri, Petrus, Arnaldus, Radulphus ; intelligendus est fuisse primus ex suo, quem instituit, Ordine. Et ita quidem similiter ducenda est paritatis ratio et linea a divo Dominico primo Inquisitore ; sensu jam explanato, ad divum Petrum Veronensem, primum Inquisitionis martyrem, utrosque primos ; at dumtaxat in sua Prædicatorum familia.

E

F

Si disceptatur de nomine Inquisitoris

307 *Arbitramur, hanc oblatam litis componendæ conditionem a Dominicanis non admittendam ; quandoquidem Malvenda loco superius citato juxta communem Ordinis traditionem diserte pronuntiavit,* S. Dominicum *non in Ordine suo dumtaxat, sed* primum Inquisitorem fuisse in Ecclesia Dei. *Quare Ludovicus de Sousa et Franciscus Arauxo, aliique Dominicani postea distinxerunt (hanc distinctionem Angelus rotunde* evasionem *appellat)*

inter

inter Legatos Apostolicos et Inquisitores, et S. Petro de Castro-novo titulum Legati Apostolici concedunt, Inquisitoris denegant, quem posteriorem sancto suo Patriarchæ præ omnibus tribuendum censent. At Angelus in Annalibus Cisterciensibus ad annum supradictum ex variis Innocentii III litteris probat, Arnaldum cum sociis specialiter destinatum fuisse ad exstirpandam hæreticam pravitatem, *eisque a Pontifice in provinciis Galliæ Narbonensis*, et vicinis etiam diœcesibus, si quæ sunt hæreticorum labe pollutæ, *concessam esse* plenam facultatem *faciendi ea omnia, quæ ab Inquisitoribus fidei contra hæreticos postea fieri consueverunt.*

quod aliqui antiquis hæreticorum expulsoribus tribuunt,

308 *Habemus itaque in his Innocentii III litteris officium Inquisitorum, etiamsi ipsum Inquisitoris vocabulum in iis non sit expressum. Unde etiam minime mirum est, Cistercienses illos et* S. Dominicum *ex officio, quod gerebant, ab auctoribus posteriorum temporum secundum phrasim suæ ætatis Inquisitores nominari. Sic Johannes de Poelde, Canonicus senior ecclesiæ Hamelensis, qui anno* 1374 *Chronicon ejusdem ecclesiæ conscripsit, S. Bonifacio, Germanorum apostolo, tribuit titulum*
B Inquisitoris, *dum apud Meibomium tomo* 2 *Rerum Germanicarum pag.* 513, *et apud Menckenium inter Scriptores Rerum Germanicarum, præcipue Saxonicarum, iterum editus, tom.* 3 *col.* 820 *hæc narrat :* Hic athleta et præliator Bonifacius triginta tres annos in episcopatu Moguntinensi viguit, Francos, Bavaros, Thuringos, Hessiones, Frisiones ad veram fidem convertit. Auctoritate Apostolica INQUISITOR hæreticæ pravitatis exstiterat; unde adjutorio dicti regis Pipini multos hæreticos exterminavit, et igni tradidit comburendos. *Certe seculo octavo, quo S. Bonifacius ille laurea martyrii coronatus est, tales hæreticorum impugnatores nondum titulo Inquisitorum appellabantur. Quare Johannes iste Canonicus potius ad rem, quam ad nomen attendit, et juxta communem seculi sui usum sancto huic hæreticorum exterminatori titulum* Inquisitoris *adscripsit. Sic etiam Majores nostri die* V *Martii S. Petrum de Castro-novo magis ex re, quam ex nomine, primum Inquisitorem fidei appellarunt.*

potius ad officium quam ad titulum attendentes,

309 *Videtur etiam huc respexisse Paulus Sherlogus noster, dum tomo* 3 *Cogitationum in Cantica Canticorum, Vestigatione* 34, *num.* 31 *juxta bul-*
C *lam Sixtinam* S. Dominico *titulum primi Inquisitoris tribuit. Sed ibidem post relatum bullæ Sixtinæ fragmentum mox subjungit sequentia :* Verum si Inquisitores, eos intelligere præstat, quibus ampla facultas adversus hæreticos concessa ex speciali summorum Pontificum motu, eam sane indultam potestatem ante sanctum Dominicum, Montis-frigidi * cœnobii Cisterciensis abbati. Innocentii directæ ad eumdem litteræ indicant. *Si igitur Prædicatores relinquant questionem de nomine, de quo nobis fusius disputare non lubet, et cum Cisterciensibus de re convenerint, libenter admittemus,* S. Dominicum *in Ordine suo primum Inquisitorem hæreticæ pravitatis ab Arnaldo abbate constitutum fuisse. Hinc forte Joannes Azor noster Part.* 1 *Institutionum Moralium lib.* 8 *cap.* 18 *quæst.* 1 *dicit, munus Inquisitionis* quadam ex parte *primum* S. Dominico *fuisse demandatum. Dum vero Dominicani aliique scriptores asserunt, illud officium ei postea ab Innocentio III et Honorio III immediate confirmatum fuisse, assertionem suam ex ipsis istorum Pontificum litteris, aut saltem ex antiquis auctoribus, probare deberent.*

* *lege* Fontis frigidi

id neutri Sancto stricte adscribendum est;

310 *Quod si Cistercienses et Dominicani de primo et stricto dicto Inquisitoris titulo litigare per-* D
gant, eumque alterutri Ordinis sui Sancto dandum contendant, utrique hoc nomen abjudicabimus cum Echardo, qui tomo 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 88 *de illa re sic disserit :* Hac occasione quæritur, an sanctus Dominicus hæreticorum censor, et, ut aiunt, Inquisitor fuerit, institutus? Breviter respondeo, certum esse apud omnes hoc munere non functum, imo nec ullum alium id gessisse ante concilium Lateranense quartum. Hinc illi graviter allucinantur, et gestorum ejus ætatis prorsus ignaros se produnt, qui Petrum de Castello-novo primum Inquisitorem fuisse asserunt. Legatus ille Apostolicus fuit adversus Albigenses; sed non ideo Inquisitor dicendus; alioquin legati omnes, imo omnes episcopi, quibus ex jure competit in hæreticos animadvertere, Inquisitores dicendi essent, quod nescio, an facile paterentur. *Echardus hic agit de stricto Inquisitoris nomine : si enim rem ipsam inspiciamus, omnes episcopi ex jure et officio sunt Inquisitores hæreticæ pravitatis. Dum autem addit, se nescire, an id facile paterentur, juxta consuetudinem patriæ suæ loquitur : nam in Hispania et Lusitania summi præsules titulum Inquisitorum non dedignantur.* E

hoc tamen munus non desinebat in S. Petro de Castro-novo,

311 *Tum ibidem sic pergit :* Sed est qui amplius. Nempe Petrus nullum revera Inquisitionis actum exercuit; an, et qui essent, hæretici, scrutandum non habuit : tum enim palam se prodebant fidei Catholicæ hoste, adversus legatos Apostolicos, iisque subministrantes prædicatores, locis condictis ex æquo publice disputabant, suos errores pro virili propugnabant; ullum hæreticum Albigensem ad annum usque ad MCCIX captum, ullum brachio seculari traditum, ullum morti addictum, nulla est memoria. Legati Apostolici eorumque adjutores patientiam solam hæreticis objecerunt, et cum paterentur, non comminabantur : imo ipse Petrus de Castello-novo ab Albigensibus, quibus tamen nihil umquam vel minimum intulerat mali, quos solum ad fidem revocare studuerat, impie interfectus est, verus Christi martyr et innocens victima, circa finem anni MCCVIII.

etsi potestatem suam actu exercere non posset.

312 *At Echardus nimis restricte hic explicat munus S. Petri (de re disputamus, et circa nomen Inquisitoris, tunc nondum usurpatum, cum illo consentimus) quasi id in exercitio inquirendi, capiendi, ac puniendi hæreticos tantummodo consisteret. Legati Apostolici ab Innocentio III potestatem hæc* F
omnia faciendi acceperant, ut patet ex litteris istius Pontificis, quæ apud Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum 1204 *cap.* 2 *integræ exstant, et in quibus Pontifex ibidem num.* 10 *post alia sic loquitur :* Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus omnes pariter ad extirpandam hæreticam pravitatem in nomine Domini procedatis, ut ad ovile Christi oves reducatis errantes, et si quæ in contumacia sua forte persistant,.... satanæ in interitum traditas nuntietis, et expositas personas eorum exsilio, et judicio seculari, et bona confiscationi subjecta etc. *An igitur juxta Echardum hæc omnia exsecutioni mandanda sunt, ut quispiam Inquisitor, aut ad hæresim exstirpandam legatus dicatur? An talis esse desinet, si similes actus judiciarios per accidens exercere non possit? An denique potestas illius diminuitur, eo quod majori principum potentia, aut aperta hæreticorum rebellione, exercitium officii ejus impediatur?*

Echardus hanc quæstionem

313 *Interim audiamus Echardum, qui ratiocinium suum ita prosequitur :* Jam vero ab anno MCCIX, quo Cruce-signati in Occitaniam venerunt, ad concilium usque Lateranense nulla

etiam

A etiam hæreticorum perquisitio apparet. Bello acri, fateor, hæretici oppugnabantur, sæpius vincebantur; sed ipsi non se occultabant, imo fortiter et animose resistebant, et aliquando superiores erant. Tum quidem multi rebelles ac in errore pertinaces flammis addicti, sed a principibus et ducibus Cruce-signatorum hæ strages fiebant; in his primorum Prædicatorum, et speciatim beati Dominici, assensus non petebatur. Huic multas contumelias illatas, multas structas insidias legimus; vim vi repulisse, non legimus, imo martyrii sitibundum, intrepidum apud eos mansisse; quod cum illi viderent, et persequi desierunt. Ut Christo et Ecclesiæ reconciliarentur, hortabatur indefesse; quos ob paupertatem hæreticis addictos noverat, iis necessaria ministrabat; apud nobiles feminas aliquando hospitabatur, ut sancta sua austeraque vitæ ratione ab hæresi revocaret, et tandem obtinebat: conversis vel de fide periclitantibus monasterium erexit, in quo secure viverent, et in fide Catholica instruerentur. *Hæc non inficiamur; sed paragrapho præcedente ex narratione Constantini Ur-*
B *bevetani aliorumque eruimus*, S. Dominicum *præterea alios actus judiciales contra pertinaces hæreticos exercuisse.*

variis digressionibus involvit,

314 *Non multum ad rem faciunt ea, quæ Echardus antecedentibus ita subjungit:* In concilio Lateranensi sui officii moniti sunt episcopi, ac in primis ut quisque hæreticos a sua diœcesi ejicere satageret: unde Inquisitorem tum beatum Dominicum delegatum nemo statuit. *At quamvis in concilio Lateranensi ad ejiciendos a sua diœcesi hæreticos incitati fuerint episcopi, tamen Innocentius III antea jam miserat Arnaldum, aliosque monachos Cistercienses* ad extirpandam hæreticam pravitatem, *quia tunc varii præsules negligentius munere suo fungebantur, ut Pontifex ille in iisdem litteris, quarum fragmentum supra dedimus, post alia indicat hoc modo:* In mercenarium ergo pastor degenerat, dum pascens, non populum, sed se ipsum quærit in ovibus lac et lanam; nec lupis in ovile insurgentibus se opponit, nec se objicit obicem aut murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso; sed, quia mercenarius est, conversus in fugam, cum possit perturbare perversos, et negligat, eorum convincitur iniquitati fa-
C vere. Cumque declinaverint fere omnes, et facti simul inutiles sint quamplures, vix est, qui cum Moyse causam Dei gladio in populo exsequatur etc. *Litteræ integræ videri possunt apud Angelum Manrique loco supra citato, ubi etiam epistola ejusdem Pontificis ad regem Francorum tunc data legi meretur. Hinc colligimus*, S. Dominicum *eo tempore facile potuisse subdelegari ab Arnaldo Cisterciensi ad examinandos et plectendos hæreticos obstinatos, sicut auctoritate ejusdem tunc illis resipiscentibus canonicam pœnitentiam imponebat.*

qui tamen primum Inquisitoris officium S. Dominico abjudicat,

315 *Solidiora sunt Echardi argumenta, quæ jam sequuntur:* An vero post concilium, *inquit*, hoc ei (*videlicet* S. Dominico) munus impositum fuerit, dubium. Affirmant aliqui, et litteras hujus institutionis se vidisse testantur, quas deperditas dolent. Negant alii, nec argumentis carent: primo quod nullum in Actis Vaticanis ejus ætatis supersit instituti hujus officii vestigium. Secundo omnes illorum temporum historiæ ecclesiasticæ, vel etiam Vitæ beati Dominici scriptores altum de tribunali Inquisitionis tum constituto servant silentium. Tertio mox a Lateranensi synodo finita hæretici in Occitania prævalere cœperunt, et annis sequentibus superiores Catholicis fuerunt, usque quo illa provincia regi Franciæ cessit, quod non nisi post mortem beati Dominici evenit; adeo ut, illo vivo, nulla fuerit erigendi hujus tribunalis libera facultas. Quarto quia post illam synodum beatus Dominicus non vitam statariam ullibi egit, præsertim in Gallia, quod tamen ad hujus tribunalis erectionem et officii exsecutionem necessarium erat; sed in continua concursatione fuit, Ordinis sui stabiliendi causa, in Galliam et Italiam pluries eundo et redeundo, Hispaniam postea, tum et Parisios petendo, Bononiæ denique sedem figendo, ubi tamen vix paucis mensibus hærebat, alternis exiens, ubique verbum reconciliationis ad ultimum usque spiritum populis annuntians, sed nullum tribunalis Inquisitionis actum exercens, saltem quem prodant historici.

AUCTORE G. C.

et illud tribuit Conrado Marpurgensi in Germania

316 Denique quia hujus tribunalis erectio a scriptoribus Gregorio IX asseritur, qui illud in Teutonia primum instituit, ac magistro Conrado Marpugensi commisit anno circiter MCCXXXI. *Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1231 *num.* 17, *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1233 *cap.* 15 *et sequentibus,* E
Malpæus in Palma fidei pag. 13 *et* 14, *Fredericus Steil in Viridario Germanico ad diem* XXVI *Septembris, aliique scriptores Dominicani de Conrado illo passim agunt, eumque Ordini suo et numero Beatorum adscribunt. Sed Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 487 *inter alia de eo sic scribit:* Hunc post Trithemium in Chronico Hirsaugiensi et Spanheimensi, et Leandrum Albertum fol. 55 Ordini Prædicatorum accensent nostrates: sunt ex adverso, qui Ordini Minorum asserunt; cum revera neuter fuerit; sed sacerdos in seculo degens, votis religiosis numquam astrictus, sui vir plane juris ac omnino liber, beneficiorum ecclesiasticorum capax, licet omnia constantissime repudiarit sæpius oblata. *Deinde ibidem et pagina sequente id pluribus probat. Ceterum quod attinet ad titulum Beati, Albericus, trium Fontium monachus, in Chronico Hirsaugiensi ad eumdem annum de indiscreto illius zelo parum honorifice loquuntur, quorum narrationem discutere non est hujus loci. Quare ad propositum nostrum redeamus.*

ac deinde sodalibus suis Tolosanis,

317 *Echardus tomo* 1 *pag.* 88 *ex mutilo Bernardi Guidonis textu probat, curam Inquisitionis contra hæreticos anno* 1233 *primum datam esse Do-* F
minicanis in urbe Tolosana, ibique F. Petrum Cellani et F. Guilielmum Arnaldi primos Inquisitores a Gregorio IX Pontifice constitutos fuisse. Integrum illud testimonium inter Scriptores Rerum Italicarum, nuper Mediolani editos, tomo 3 *col.* 573 *legi potest. Sed cum Bernardus Guidonis haud dubie id transcripserit ex Chronico Guilielmi de Podio Laurentii, malumus id referre similibus verbis hujus auctoris, qui de rebus Albigensium cap.* 43 *rem eamdem fere phrasi sic narrat:* In diebus autem legationis ejusdem episcopi Tornacensis per summum Pontificem commissa est Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitio in his terris contra hæreticos facienda; fueruntque ad hoc deputati Frater Petrus Cellani et Guilielmus Arnaldi, qui Tolosæ quosdam, quos facilius convinci posse præsumebant, citaverunt, et convictos hæreticos judicaverunt; sicque paulatim cœpit majores quosdam Inquisitio prævenire: factumque est, ut nonnulli dorsa paliosa * habentes; cœperint difficultates opponere, quibus possent Inquisitionis officium impedire, quod adeo profecit in pejus atque prævaluit, quod Inquisitores villam exire idemque episcopus cogerentur, et etiam to-

* *Bern. Guid.* paleosa

AUCTORE G. C.

tus Conventus Fratrum Prædicatorum una nihilominus est ejectus.

quæ opinio ejus aliunde confirmatur,

318 *Addimus, id ipsum confirmari potuisse ex antiquioribus Vitis Fratrum, in quibus Gerardus de Fracheto Part.* 5 *cap.* 1 § 1 *sic scribit* : Cum Ordo Prædicatorum a beato Dominico contra hæreses et errores specialiter fuerit institutus, et Tholosæ fere quadraginta annis Fratres de partibus illis in fame et siti, in frigore et nuditate, et in tribulationibus multis certaverunt contra illos et contra tyrannos, qui hæreticos defendebant TANDEM a beatæ memoriæ Papa Gregorio nono Inquisitio contra dictos hæreticos et eorum fautores Fratribus per Provinciam est commissa, propter quam Fratres se multis periculis exposuerunt. *Ipse Flaminius in Vita S. Dominici fol.* 15 *hanc opinionem sequitur, dum de eodem Petro Cellani hæc narrat :* Fuit hic primus in Tholosanis cum Guilielmo magnæ integritatis et animi viro adversus hæreticos a Sede factus Apostolica Inquisitor anno MCCXXXIII. *At hic auctor videtur sui oblitus : alibi enim asserit,* S. Dominicum *in iisdem partibus Tolosanis fuisse primum Inquisitorem, ut supra num.* 302 *retulimus.*

B

et ex ipso elogium S. Dominici refertur.

319 *Etiamsi ob rationes hactenus allatas cogamur* S. Dominico *officium primi Inquisitoris abjudicare; tamen libentissime ad gloriam ejusdem Sancti cum Echardo hunc paragraphum ita finimus :* Ceterum qui ita sentiunt, *ait,* beatum Dominicum tamen agnoscunt perfectum Inquisitorum exemplum innocentia et austeritate vitæ, accurata sanctarum Scripturarum et sacrorum canonum peritia, ardentissimo pro Christi sponsæ Ecclesiæ decore zelo, odio in errores, in errantes caritate insuperabili, patientia in persecutionibus læta et gloriante, constantissima in Sedem Apostolicam devotione, animo ad effundendum pro fide sanguinem paratissimo, virum denique omni virtutum genere fulgentem, quibus alterum se sui seculi Paulum exhibuit. Quæ vero ego hactenus, hæc tantum relative scribo : nam de munere Inquisitoris, quid certum ac tenendum, a sapientioribus, et rerum Ordinis peritioribus, libens docebor. *Licet nos non tantum hæc relative scribamus, sed revera sentiamus, neque S. Petrum de Castro-novo, neque* S. Dominicum *umquam nomine (de re facile inter nos conveniet, ut supra indicavimus) Inquisitorum insignitos fuisse, tamen ab eruditis viris et studio partium alienis libenter discemus, an hic hoc judicio a veritate aberraverimus.*

C

§ XVIII. An Sanctus instituerit Ordinem de Militia Jesu Christi, qui postea in tertium Ordinem de Pœnitentia mutatus sit ?

De militia Christi, quam Sanctus instituisse dicitur,

N*on convenit inter scriptores Dominicanos, quo tempore* S. Dominicus *sacram illam Militiam erexerit : quidam enim innuunt, id factum esse, quando Sanctus adhuc in partibus Tolosanis degebat; alii vero institutionem istius Ordinis militaris usque ad annum Christi* 1219 *vel* 1220 *differunt. Si Ordo ille umquam ab ipso Sancto institutus fuerit, ob conjecturas infra allegandas probabilius opinamur, id contigisse in urbe Tolosana, et propterea illam quæstionem hoc loco examinamus. Malvenda ingenue fatetur, tempus istius institutionis sibi ignotum esse, et in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 19 *de hac re ita scribit :* Inter præclara et eximia facta sancti Dominici, dum hic in terris vixit, quæ tamen certa temporis nota consignari non potuerunt, merito numerari debet institutio Ordinis Fratrum et Sororum de Militia Jesu Christi, seu de Pœnitentia beati Dominici. Ea de re nunc ex professo tracturi, non aliis verbis utemur, quam ipsismet publicis et authenticis, quæ F. Vincentius Bandellus, et F. Vincentius Justinianus, uterque Magister Ordinis, in volumine nostrarum Constitutionum, tamquam in publica Religionis Acta et monumenta inseruerunt. *Tum longam hujus institutionis narrationem excerpit ex illis Constitutionibus, quas simul cum aliis Prædicatorum privilegiis Mediolani anno* 1505 *editas habemus. Sed cum duo illi editores, et Magistri generales, quos ibidem nominat, majorem historiæ illius partem hauserint ex Raymundo Capuano, seniore ejusdem Ordinis Magistro generali, infra fontem ipsum adibimus, et ex eo qualiacumque hujus traditionis argumenta depromemus.* D

præter alios neotericos, Antonius Senensis,

321 *Malvenda his verbis indicat, Ordinem de Militia Jesu Christi, et de Pœnitentia unum eumdemque esse, quamvis decursu temporis nomen mutatum fuerit, cui opinioni plures assentiuntur. Attamen Antonius Senensis videtur dubitare, an non sint duo distincti Ordines, dum in Chronico Prædicatorum pag.* 13 *inter alia* S. Dominici *gesta de institutione istius Militiæ sic loquitur :* Per idem tempus quemdam alium pium vivendi modum instituit in unius et alterius sexus personarum gratiam, quo quibusdam certis legibus domino Deo famularentur, de propria salute soliciti, ac proximorum etiam memores; et quidem viri armis corporalibus pro fidei defensione se pugnaturos devovebant; feminæ autem, exhortationibus et aliis spiritalibus armis. Hi primo dicti sunt confratres de Militia Jesu Christi; postmodum vero de Patrum Ordinis consensu et dispositione (cessante etiam militiæ corporalis ratione saltem pro parte) dicti sunt confratres de Pœnitentia beati Dominici (nisi forte melius sentiant, qui horum et illorum diversam fuisse institutionem autumant) et successu temporis hi de tertio habitu vel Ordine divi Dominici nuncupari cœperunt, quæ nomenclatura in hodiernum usque diem in plerisque locis perdurat. E

F

et Philippus Bonannius noster meminerunt;

322 *Philippus Bonannius noster in Catalogo Ordinum militarium cap.* 55 *institutionem ejusdem Militiæ* S. Dominico *tribuit, et in Catalogo Ordinum Religiosorum Part.* 2 *cap.* 48 *similia repetit, tertiumque Ordinem de Pœnitentia ex hac Militia ortum esse significat his verbis:* Sanctus Dominicus videns jura Ecclesiæ ab hæreticis usurpata, præcipue in regione Tolosana, instituit quamdam Militiam virorum, qui juramenta præstabant, se, suaque bona exponendi, ut hæretica pravitas evinceretur. Ut autem a conjugibus impediri non possent, etiam uxores jurabant, se viros non impedituras. Vocavit autem eos Fratres de Militia Christi, utque aliquo signo dignoscerentur, præscripsit, ut tam viri quam feminæ album et nigrum colorem semper haberent in vestibus. Post mortem sancti Dominici hi Fratres decreverunt mutare nomen, et vocare Fratres de Pœnitentia, eo quod hæreticis deficientibus, necessaria non videretur pugna, nisi interior. Cessavit post sanctum Petrum martyrem hæc pia turba virorum; sed remansit in mulieribus, quibus P. Munio, natione Hispanus, vivendi modum præscripsit juxta documenta sancti Dominici,

AUCTORE G. C.

A ci, qui vocatur regula tertii Ordinis, licet hic regularis non sit: non enim profitentur tria vota Religionis. In aliquibus tamen locis inveniuntur congregationes ejusmodi mulierum, quæ etiamsi vota publica non profiteantur, vivunt simul in aliqua domo inclusæ instar monialium. Earum vestem exposita imago demonstrat, scilicet tunicam et scapulare alba, et pallium nigrum capiti impositum, usque ad pedes protensum: quamobrem hæ sorores dicuntur etiam MANTELLATÆ, ut testatur P. Raymundus Capuanus in Vita sanctæ Catharinæ Senensis *etc.*

at Raymundus Capuanus, Magister Ordinis Prædicatorum,

323 *Nunc illam institutionis ac mutationis historiam confirmabimus testimonio Raymundi Capuani; sed ut prius viri hujus ætatem ac merita noveris, audi pauca ex scriptore anonymo Ordinis Prædicatorum, qui apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 387 *tale ei texuit elogium:* Anno Domini MCCCLXXX electus fuit Bononiæ in Magistrum generalem Ordinis vigesimum tertium pro obedientia Urbani VI Frater Raymundus de Capua, magister in theologia, vir sanctus et doctus, qui fuit confessor sanctæ Catharinæ de B Senis. Hic pater cœpit Ordinem reformare in Conventu sancti Dominici de Venetiis, a quo postea et Lombardia et Tuscia et Sicilia et Trinacria et Hollandia, Hungaria et Alemannia, Hispania et Francia pro magna parte reformatæ sunt. Hic Ordinem rexit annis XIX, et in Conventu Nurembergensi provinciæ Theutoniæ totus contractus, ad Dominum migravit anno Domini MCCCXCIX. *Plura de eo, ac varia illius fortuna apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 679 *et sequentibus videri possunt.*

originem istius militiæ,

324 *Porro iste Raymundus, quem hactenus primum hujus traditionis assertorem certum agnoscimus, in Vita S. Catharinæ Senensis cap.* 8, *apud nos ad diem* XXX *Aprilis, sive tomo* III *hujus mensis, pag.* 871 *et sequente, originem istius Ordinis ita explicat:* Cunctis volentibus legere, præsens per capitulum notum facio, prout legi pariter et audivi a fide dignis in diversis Italiæ partibus, gestaque beatissimi Patris nostri testantur. Ipse gloriosus fidei Catholicæ pugil ac Christi athleta beatus Dominicus, sicut sacer zelator boni status Ecclesiæ militantis, quamvis per se et suos Fratres, tam in Tolosa, quam in Lombardia hære- C ticos triumphaliter debellasset, ita ut, sicut tempore suæ canonizationis, coram summo Pontifice probatum legitime fuit, centum millia hæreticorum et ultra conversi fuerunt tantum in Lombardia, tam doctrina quam miraculis ejus; nihilominus tam valde infecerat mentes hominum, dictorum hæreticorum venenosa doctrina, quod fere omnia jura ecclesiarum erant per laïcos, qui possidebant ea tamquam jure hereditario, sicut et (proh dolor!) hoc in multis ejusdem Italiæ partibus actitatur.

progressum,

325 Ex hoc cogebantur pontifices mendicare, nec ullam habebant potentiam, per quam possent errori resistere, nec etiam clericos aut pauperes valebant secundum officii sui debitum, nutriendo juvare: quod sanctus Pater cernens zelotypa mente, et sustinere non valens, qui pro se suisque sequacibus eximiam elegerat paupertatem, cœpit pro Ecclesiæ divitiis decertare. Advocans igitur aliquos laicos Deum timentes, et sibi notos, cœpit cum eis tractare de ordinanda quadam sancta militia, quæ haberet jura ecclesiarum recuperare, simul et defensare, nec non et fideliter resistere hæreticæ pravitati; quod et factum est: nam illos, quos voluntarios reperit, sic induxit, quod juramentum præstabant ei, cuncta se, quæ dicta sunt, facere juxta vires, et propter hoc exponere tam personam, quam illa, quæ possidebant. Ut autem a conjugibus hoc opus sanctum impediri non posset, faciebat etiam conjuges seu uxores eorum jurare, quod viros non impedirent, sed juxta modum suum cooperarentur eis in omnibus possibilibus sibi; promittebatque Sanctus utrique parti copulæ, servanti hoc, secure vitam æternam; vocavit autem eos Fratres de Militia Jesu Christi.

spiritualia exercitia,

326 Verum ut per aliquod saltem signum secernerentur a ceteris laicis, et aliquid super erogatorii operis adderent super consuetudinem aliorum, dedit colorem habitus proprii, ut scilicet tam viri quam mulieres, quacumque figura vestium uterentur, album tamen semper portarent et nigrum, ita quod uterque color exterius appareret ad innocentiæ et humilitatis indicium. Insuper assignavit eis quemdam taxatum numerum Dominicæ orationis et salutationis Angelicæ, quem pro qualibet hora canonica quotidie deberent perficere orando, ut a divino officio non vacarent. *Papebrochius ad hunc Raymundi textum* E *recte notavit, hoc loco non indicari Psalterium seu Rosarium Deiparæ, quod scriptor eidem assuetus clarioribus et paucioribus verbis expressisset. Unde ibidem observat, ab Alberto Carmelita præscriptum fuisse Fratribus litteras ignorantibus, certum Dominicarum orationum et salutationum angelicarum numerum, qui a Rosario discrepat. Sic in ipso Prædicatorum Capitulo, quod Bizuntii anno* 1303 *celebratum est, indicuntur sacerdotibus Ordinis Missæ pro vivis et defunctis, et decernitur, ut* pro qualibet Missa superius posita quilibet Frater clericus non sacerdos septem psalmos cum letania, et quilibet Conversus centum PATER NOSTER cum totidem AVE MARIA dicant, *quemadmodum apud Edmundum Martene in Thesauro novo Anecdotorum tomo* 4 *col.* 1889 *videre est.*

et mutationem

327 *Deinde Raymundus Capuanus ibidem narrationem suam sic prosequitur:* Hoc facto, postquam beatus Pater, relicto carnis onere, migravit ad cœlum, et crebrescentibus ejus miraculis, Sedes Apostolica ipsum Sanctorum annotans catalogo, honorandum exhibuit universis Fratres hi et Sorores, dictæ de Militia Jesu Christi, volentes Ordinatori suo jam glorioso singularem reddere F gratiam et honorem, decreverunt mutare nomen, et vocari Fratres de Pœnitentia beati Dominici. Induxit etiam eos satis ad hóc, quod beatissimi Patris meritis atque miraculis, nec non et Fratrum ejus laboriosa doctrina jam pestis hæretica et pene defecerat, et necessaria non videbatur multum amplius pugna exterior; sed restabat tantum, ut per pœnitentiam cum hoste interiori pugnarent, propter quod nomen Pœnitentiæ etiam singulariter elegerunt. Demum crescente quotidie turma Prædicatorum fidelium, inter quos velut matutinum astrum resplenduit martyr et virgo Petrus, qui occisus plures hostium conculcavit, quam vivens, deleta est quasi totaliter turba vulpecularum, demoliri cupientium vineam Domini sabaoth, redditaque fuit pax, faciente Domino, Ecclesiæ sanctæ Dei: quamobrem causa illius militiæ cessavit ex toto, ac per consequens et effectus.

in tertium [illegible] de Pœnitentia.

328 Verum decedentibus hujusmodi status viris, feminæ remanentes propter religiosam vitam, quam cum viris tenuerant, amplius nubere non audebant; sed statum, quem servaverant, continuabant usque ad mortem. Hoc cernentes aliæ

[illegible]

AUCTORE G. C.

non hujusmodi status viduæ, quæ decreverant viduitatem servare, cœperunt dictas Sorores de Pœnitentia beati Dominici velle sequi, et earum observantiam pro remedio suorum peccaminum imitari: unde paulatim crescentes in diversis locis Italiæ, coegerunt Fratres Prædicatores ibidem morantes ad informandum eas de modo vivendi, quo a beato Dominico fuerat institutus. Quia vero modus ille strictus non erat, quidam sanctæ memoriæ Pater, qui totius Ordinis curam gerebat, vocatus Frater Munio, natione Hispanus, modum illum vivendi redegit in scriptis, quem hodie habent, et Regulam vocant; quamvis proprie regula dici non debet, qui nec ille status proprie de se regularis dicitur, ex quo tria vota in qualibet Religione principalia non includit.

satis fuse describit,

329 Porro crescentibus numero et merito prædictarum Sororum in diversis locis Italiæ, felicis memoriæ dominus Honorius Papa, hujus nominis quartus, sentiens odorem bonæ famæ ipsarum, concessit eis per bullam, quod tempore interdicti possent in ecclesia Fratrum Prædicatorum audire divina. Item dominus Papa Joannes XXII, postquam promulgaverat Clementinam contra Beginas pariter et Begardos, declaravit per bullam suam, illam decretalem non debere intelligi de Sororibus dictis de Pœnitentia beati Dominici per Italiam constitutis, nec per ipsam statui earum fuisse quomodolibet derogatum. Nunc igitur, lector, habes, quare in præsentiarum status in solis feminis reperitur, et quare Sorores illæ responderant prima vice, se non consuevisse recipere virgines, sed tantummodo viduas probatas. Hæc autem, quæ scripsi, in diversis Italiæ partibus pro majori parte reperi scripta; quædam vero, licet pauca, percepi audiens et inquirens a fide dignis utriusque sexus antiquis Fratribus Prædicatoribus, et Sororibus de Pœnitentia beati Dominici.

qui hactenus noscitur primus illius traditionis testis,

330 *Hic est antiquissimus auctor, quem hactenus invenire potuimus, qui institutionem Ordinis de Militia Jesu Christi* S. Dominico *diserte adscribit. Neque antiquiorem hujus traditionis assertorem invenerunt duo illi Dominicani, qui in supra memorato Tractatu, quem Constitutionibus Prædicatorum adjunctum esse diximus, de initio ejusdem Militiæ apud nos fol.* 1 *ita testantur:* Pateat universis fidelibus, qualiter ego Frater Thomas de Senis una cum reverendo patre et magistro Fratre Bartholomæo de Senis, ambo de Ordine Prædicatorum, anno Domini MCCCCXXII in Venetiis existentes, et quantum valuimus diligentius inquirentes de regula sive statu Fratrum et Sororum de Militia Jesu Christi de Pœnitentia beati Dominici, invenimus, quantum ad initium ejusdem regulæ taliter se habere, sicut patet in Legenda beatæ Catharinæ de Senis supradicta capitulo VIII, ubi sic dicitur. *Tum ibidem sequitur interpolata Raymundi Capuani narratio, quam nos supra genuinam exhibuimus. Si duo illi Prædicatores anno* 1422 *post diligentem inquisitionem invenissent vetustiora hujus institutionis monumenta, haud dubie ea etiam retulissent, aut saltem assignassent. Attamen non dubitamus, quin Raymundus Capuanus tempore suo antiquiora instrumenta viderit, cum id ipse testetur. Sed utinam verbo indicasset, cujus ætatis et auctoritatis illa essent! Quapropter opinionem Raymundi non omnino rejicimus; at quia veteres biographi illam Militiæ institutionem* S. Dominico *non attribuunt, et Raymundus Capuanus sesquiseculo post Sanctum vixit eamdem secure admittere non audemus.*

cum diploma Gregorii IX, quod Prædicatores pro se citant,

331 *Forte RR. PP. Dominicani dicent, antiquiora hujus rei testimonia exstare, cum ex veteribus Romanorum Pontificum diplomatibus constet, tertium illum Ordinem sub Honorio III et Gregorio IX floruisse, ut Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1228 *cap.* 2 *asserit his verbis :* Florentem jam per hæc tempora tertium illum Ordinem, de pœnitentia nuncupatum, a beato patre Dominico, uti superius vidimus, institutum, et ab Apostolica Sede approbatum, Gregorius Papa exemplo prædecessoris sui peculiaribus favoribus prosequendum duxit, datis hoc anno Apostolicis litteris in hanc sententiam. *Dein Malvenda exhibet ipsam epistolam, quam Gregorius IX Papa dedit* Laterani tertio Kalendas Aprilis Pontificatus *sui* anno secundo, *id est Christi* 1228 *vel* 1229, *et in qua* universis Fratribus de Pœnitentia per Italiam constitutis *concedit quædam privilegia exemplo sui decessoris, de quo ibidem sic meminit :* Sane felicis recordationis Honorius Papa, prædecessor noster, attendens vos fructus pœnitentiæ facientes ab hujus seculi filiis angustiis inexquisitis affligi, per hoc fovendos esse, laudabili actione Religionem vestram amplexans in visceribus Jesu Christi, prosecutus est gratia speciali, *etc. An hæc, inquies, non satis antiqua vobis videntur?*

videatur spectare ad tertium Ordinem S. Francisci;

332 *Respondemus non immerito dubitari posse, an hoc Gregorii IX diploma ad Fratres de Pœnitentia* S. Dominici *pertineat: nam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1229 *num.* 33 *putat, illud datum esse ad Fratres de Pœnitentia S. Francisci; et propterea ibidem de hac re sic affirmate loquitur :* Propitius hoc anno Pontifex instituto Pœnitentum seu tertii Ordinis, cujus professoribus concessit grave et honorificum diploma, in quo eos liberat a gravaminibus et juramentis publicis præstandis, quod privilegium testatur jam a suo antecessore Honorio concessum. Incipit : DETESTANDA HUMANI GENERIS. Datum Laterani III Kalendas Aprilis, Pontificatus anno secundo. *Waddingus post tomum* 1 *Annalium suorum in Regesto Pontificio pag.* 3 *et* 4 *exhibet integram Gregorii IX epistolam, quæ omnino similis est ei, quam Malvenda loco supra assignato in Annalibus suis edidit, ut utramque inter se conferre volenti evidenter apparebit.*

ut argumentis quibusdam probatur,

333 *In hac controversia de diplomate Honorii III et Gregorii IX (alia hic discutienda non suscipimus) Franciscanis favet primo silentium S. Antonini, qui Part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 14 § 2 *originem hujus tertii Ordinis sui ex Raymundo Capuano breviter refert, et exemplo hujus tacet de litteris Honorii III et Gregorii IX, etiamsi ibidem privilegia posteriorum Pontificum Romanorum studiose recenseat. Secundo favet illis consuetudo Romanorum Pontificum, qui tertiarios S. Francisci simpliciter* Fratres de Pœnitentia *appellare solent, ut ex altero ejusdem Gregorii IX diplomate apud Waddingum in citato Regesto Pontificio pag.* 5 *apparet; dum autem tertio Ordini Prædicatorum privilegia concedunt, illum communiter nuncupant* de Pœnitentia S. Dominici, *et expresse addunt nomen* sancti Dominici, *ut ab alio tertio Ordine Franciscano de Pœnitentia distinguatur, quemadmodum patet ex variis Pontificum diplomatibus, quæ reverendissimus Magister Vincentius Bandellus anno* 1505 *cum Constitutionibus Prædicatorum excudi jussit. Denique Raymundus Capuanus, S. Antoninus, et anonymus Dominicanus apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 348 *et* 349 *hæc duo diplomata tertio suo Ordini tacite*

abju-

A *abjudicant, dum unanimi consensu narrant, Fratres de Militia Jesu Christi nomen mutasse, et ad honorem sui Institutoris appellari voluisse* Fratres de Pœnitentia sancti Dominici, *postquam hic catalogo Sanctorum solenniter adscriptus esset : cum enim* S. Dominicus *anno Christi* 1234 *in numerum Sanctorum relatus sit, quomodo Honorius III, et post ipsum Gregorius IX jam ab anno Christi* 1228 *vel* 1229 *illos* Fratres de Pœnitentia *nominavit?*

et aliud pertineat ad militiam Christi in Italia.

334 *Propius ad originem hujus tertii Ordinis accedunt litteræ, quas Gregorius IX Papa scripsisse dicitur* Fratribus Militiæ Jesu Christi per Italiam constitutis, *quæ incipiunt* EGREDIENS HÆRETICORUM, *et in quibus Pontifex illos in tutelam Sedis Apostolicæ sic suscipit :* Hinc est, quod cum de vana et seculari militia ad servitium Jesu Christi conversi Apostolicæ Sedi et diœcesanis episcopis promiseritis obedientiam, et Ecclesiæ libertatem contra omnes pro nostra et successorum voluntate defendere, ac hæreticorum insaniam spoponderitis totis viribus expugnare, vestris justis supplicationibus annuimus clementer, et personas vestras cum omnibus bonis, quæ in B præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. *Deinde post alia privilegia, eis in articulo mortis plenariam peccatorum indulgentiam largitur. Hoc diploma integrum cum supradictis Prædicatorum Constitutionibus fol.* 9 *excusum est sub nomine Gregorii IX, et notatur* datum Perusii XI Kalendas Januarii, Pontificatus *ejus* anno VIII, *qui anno Christi* 1234 *respondet. Si quis hinc inferat, litteras illas certo certius directas esse Fratribus de Militia Jesu Christi, quam* S. Dominicus *instituit, jure merito respondebimus, in toto illo diplomate nullam de primo hujus militiæ institutore mentionem fieri.*

quam S. Petrus martyr ibidem instituit.

335 *Quinimo potius suspicabimur, has litteras spectare ad Militiam Jesu Christi, quam S. Petrus martyr ex Ordine Prædicatorum in Italia instituit, cum Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis ad eumdem annum Christi* 1234 *num.* 5 *inter alia Gregorii IX gesta ex Flaminio referat sequentia :* Etiam Cruce-signatos militiæ Jesu Christi ad strenue pugnandum contra hæreticos animavit, eamque C operam in exstirpandis hæreticis non frustra navavit. Erat Florentiæ non parvus numerus illorum, qui Deum non esse Creatorem visibilium asserebant. Hos divus Petrus Veronensis, magnus sanctæ fidei propugnator, modis quibus poterat persequebatur, exagitabat, ac delere studebat. In illos igitur auctoritate Gregorii Pontificis Christi fidelium multitudinem concitavit, et nobili Rubeorum familiæ, cui præcipue negotium hoc demandatum fuit, vexillum cruce insignitum dedit, quod ad præclarum certamen ituri Christiani sequerentur. Collecta itaque ingenti multitudine armatorum, itum adversus hæreticos est, et orto acri certamine citra Arnum in loco, qui Puteus aquæ dicebatur, ultra fluvium illos profligarunt, et in platea sanctæ Felicitatis prostraverunt, reliquos autem ex urbe fugaverunt. A recenti victoria divus Petrus collegium *(Flaminius in Vita S. Petri Martyris apud nos fol.* 100 *verso notat, vulgo* fraternitatem *vocari)* Militiæ Jesu Christi apud Florentinos instituit, et sacrosanctum illud vexillum ei pro magno munere reliquit, quod hactenus Florentiæ servatur, et in festivitate ejusdem Divi ostentatur. *Similia in antiquioribus S. Petri martyris Actis apud nos tomo* III *Aprilis, pag.* 693, *leguntur, et eadem a sancto Antonino Part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 6 § 2 *repetuntur.*

Si militia illa S. Dominicum auctorem habeat,

336 *Etsi hæc vetera monumenta probent, Florentiæ quamdam sacræ militiæ congregationem ab illo S. Petro martyre institutam fuisse ; ideo tamen nondum abjudicamus* S. Dominico *institutionem Militiæ Jesu Christi, quam Raymundus Capuanus, S. Antoninus, aliique recentiores ei passim adscribunt : facile enim potuit S. Petrus exemplo sancti sui Fundatoris similem militiam instituere aut propagare. Sic nemo hactenus primam tertii Ordinis Dominicani de Pœnitentia institutionem tribuit B. Ambrosio Sansedonio ex eodem Prædicatorum Ordine, quamquam in antiquis ipsius Actis, quæ ad diem* XX *Martii dedimus, apud nos tomo* III *istius mensis pag.* 192 *num.* 53, *legantur de illo sequentia :* Instituit præterea diversas virorum confraternitates, quas suis religiosis constitutionibus ad observantiam vitæ Catholicæ et ad pœnitentiam de peccatis suis peragendam inducebat. Mulieres quoque virgines et viduas ad religiosum vivendi modum in unum congregavit, quibus et vivendi modum discretis constitutionibus tradidit E sub regimine Fratrum Prædicatorum. *Cum itaque ex his nihil certi concludere liceat, alio modo tentandum est, an traditionem illam, quæ originem Militiæ Jesu Christi* S. Dominico *adscribit, aliunde probabili conjectura confirmare possimus.*

verosimiliter consilio ejus in partibus Tolosanis orta est,

337 *Videmur nobis detexisse obscurum aliquod indicium aut vestigium istius sacræ militiæ in Historia Guilielmi de Podio Laurentii, qui cap.* 15 de confratria magna, facta Tholosæ et Cruce-signata contra hæreticos et usurarios manifestos *hæc narrat :* Venerabili itaque patre Fulcone episcopo curam gerente vigilem, quod omnes ejus cives Tholosani ista, quæ extraneis concedebatur, indulgentia non carerent, utque per hanc devotionem eos Ecclesiæ aggregaret, atque facilius per eos expugnaret hæreticam pravitatem, et fervorem exstingueret usurarum, cum Dei auxilio, juvante Legato, obtinuit Tholosæ magnam fieri confratriam, confratres omnes consignans Domino signo crucis, in qua fuit tota fere civitas præter paucos, et de burgo aliqui consenserunt, et omnes astrinxit Ecclesiæ vinculo juramenti, præpositisque bajulis confratriæ Aymerico de Castronovo, qui dicebatur Cofa, et Arnaldo fratre ejus F militibus, et Petro de sancto Romano, et Arnaldo Bernardi, dicto Endura, viris quidem strenuis et discretis atque potentibus, adeo, Deo faciente, ipsa convaluit confratria, quod cogebantur usurarii coram eis conquerentibus respondere et satisfacere malo velle : et cum armis in ruinam domorum et prædam contumacium currebatur ; et aliqui turres, ut se defenderent, muniebant : factaque fuit ex hoc magna inter cives et Burgenses divisio, ita quod in burgo adversus istam, fecerunt alteram confratriam vallatam vinculo juramenti : tamque processum erat, quod ista diceretur confratria candida, alia nigra, fiebantque cum armis et vexillis, frequenter etiam equis armatis prælia inter partes : venerat enim Dominus per ipsum episcopum, servum suum, non pacem malam, sed gladium bonum, mittere inter eos.

ut ex conjecturis nonnullis deducimus.

338 *Dein subæqualis ille auctor in eadem Historia cap.* 17 *refert, magnam juratæ istius congregationis seu militiæ multitudinem, invito etiam Comite Tolosano, hæreticorum fautore, Tolosa ad Castrum Vaurum discessisse, ut Catholicis obsidentibus suppetias ferret, et hæreticos expugnaret. Nihil*

hil

AUCTORE G. C.

hil igitur miri, si S. Dominicus, *tunc hæreticorum conversioni intentus, et Fulconi episcopo amicissimus, zelo ac industria sua hanc sacram militiam excitaverit. Non ignoramus, huic conjecturæ quædam opponi posse. Primo quidem dici potest, ab historico citato illam militiæ institutionem Fulconi episcopo expresse tribui. At omnes norunt, præclara hujusmodi gesta viris in dignitate ecclesiastica constitutis adscribi consuevisse, quantumvis alii inferioris ordinis prima illorum consilia suggesserint, et ad ea perficienda impigre laboraverint, Sic supra nonnulli erectionem monasterii Pruliani Didaco Uxamensi attribuunt, quamvis* S. Dominicus *in ea fundatione maximam partem habeat, ita ut hic jure merito institutor illius appelletur. Secundo objici potest, militiam illam Tolosanam* contra hæreticos et usurarios manifestos *institutam esse, cum tamen tradatur* S. Dominicus *Militiam Jesu Christi contra hæreticos et bonorum ecclesiasticorum usurpatores instituisse. Sed forte historicus latiori loquendi modo vocavit usurarios, qui injuste bona ecclesiastica usurparent. Ceterum hanc conjecturam nostram, cum testimonio Raymundi Capuani, S. Antonini,* B *aliorumque conjunctam, non prorsus improbabilem putamus, cum præsertim huic Ordinis traditioni nullum certum argumentum repugnet. Interim viri eruditi in hac re opinionem nostram tanti faciant, quanti eam faciendam judicaverint.*

§ XIX. Quid sit Psalterium seu Rosarium Deiparæ, et an sanctus Prædicatorum Fundator illud primus instituerit?

Quid sit Psalterium Deiparæ, seu Rosarium,

A*lanus Rupensis in Apologia sua ad Ferricum episcopum Tornacensem de hoc precandi genere disserens, Part.* 1 *editionis Moguntinæ, cap.* 3 *censet, illud potius* Psalterii *nomine, quam alio quovis, appellandum esse; hujusque opinionis suæ causas sequentes allegat :* Primo, *inquit*, ob figuram Davidici Psalterii; figura enim et figuratum eodem nomine, etsi non eodem significandi modo nominantur. Ita Christus dicitur leo, vermis, lapis, etc. C Similem ad modum nomina hæc CORONA, ROSARIUM, SERTUM, significatu proprio longe distant, (ut disparata et diversa) a genere orationis. Psalterium autem Ecclesiæ, quod hujus est psalterii fundamentum et figura, vere et univoce oratio est. Secundo vocabula CORONA, ROSARIUM, SERTUM metaphorica sunt, et similitudine dicta; psalterium vero a psallendis Deo laudibus nomen habens, proprie est oratio. Tertio nomina illa vulgaria sunt, sapiuntque seculi vanitatem, quod sic a sertis puellaribus dicantur; at psalterium est ecclesiasticum, ideoque religiosius ab Ecclesiæ filiis amplectendum est, venerandum, usurpandum, ac prædicandum. Quarto psalterium vox est divina, biblica, et utriusque Testamenti stylo consona atque conformis; at nomina cetera ex hominum nata sunt et intellectu et affectu, neque abs ratione similitudinis. Quinto coronæ, rosaria, serta geruntur a viris, feminis, puellis juxta bonis et malis; psalterium vero in sacra Scriptura tantum in usu bonorum est, inque Dei solius cultu.

quæ vox posterior videtur serius usurpata,

340 *Quidquid sit de congruentiore istarum precum appellatione, nos more jam recepto istum orandi ritum voce* Rosarii *passim exprimimus, licet hoc nomen in ea significatione recentius videatur.* D *Primum ea vox nobis occurrit apud Thomam Cantipratanum, qui post medium seculi* XIII *floruit, lib.* 2 *de Apibus cap.* 19, *ubi numero octavo præfigitur hic titulus :* De juvene quotidie tria Rosaria recitante, qui revixit, et pœnitentiam egit. *In ipsa autem narratione istius miraculi non exprimit vocem Rosarii; sed utitur* triplici quinquagena in salutatione versus Angelici AVE MARIA, *et similem phrasim numero sexto ejusdem capitis adhibet occasione alterius juvenis, qui quotidie Deiparam* tribus quinquagenis *salutationum angelicarum honorabat. Unde Choquetius in Visceribus Deiparæ jam aliquoties citatis cap.* 23 *pag.* 467 *dubitat, an Cantipratanus scripserit* ipsam Rosarii vocem, nequedum forte usitatam : suspicamur siquidem, *inquit*, titulos articulorum, seu numeris præfixos, a Cantipratano ipse editos non esse. *De hac opinione judica, ut lubet : nam de nomine non disputabimus, si de ipsa re inter nos convenerit.*

explicat Malvenda;

341 *Porro Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1215 *cap.* 10 *hunc precandi modum ita exponit :* Divina illa ratio et formula sacrarum E precum, quam ROSARIUM beatissimæ virginis Mariæ appellamus, a multis PSALTERIUM dicitur, quod in ea centies et quinquagies recitata Angelica salutatione AVE MARIA etc. instar Davidici psalterii, quod centum quinquaginta Psalmis constat, et cuilibet Angelicarum salutationum decadi, interjecta semel oratione Dominica PATER NOSTER, per quindecim Angelicarum salutationum decades, quindecies repetitam orationem Dominicam, quindecim majora humanæ instaurationis mysteria, piis meditationibus percensentur. *Deinde singula mysteria singulis decadibus aptat, eumque orandi ritum distinctius explicat, quod etiam plures ejusdem Ordinis scriptores laudabiliter præstiterunt. Sed cum nostrum non sit hæc passim nota et obvia transcribere, ad indagandum hujus institutionis tempus progredimur.*

sed inter ipsos auctores Dominicanos non convenit.

342 *Joannes Andreas Coppensteinius lib.* 2 *de Fraternitate Rosarii cap.* 3, *Nicolaus Janssenius, Hyacinthus Choquetius, Joannes a sancta Maria, aliique omnes, qui prædicationem* S. Dominici *in Gallæcia et Britannia Armorica ex Alano Rupensi* F *admittunt, consequenter primam Psalterii seu Rosarii institutionem, ab illo Sancto factam, ad annum circiter* 1200 *referre coguntur : nam Alanus Redivivus Part.* 2 *cap.* 17 *ex revelatione sibi facta asserit, Deiparam tunc* S. Dominico *imperasse, ut impiis piratis, a quibus captus fuerat, Rosarium prædicaret. Nec ea prædicatio optato successu caruit, ut ibidem Alanus indicat his verbis :* Est vox suntque vota una omnium supplicum, mandata se facturos; tantum ipse imperet. Perfidiam, scelera, vitam anteactam, seque ipsos detestati, pœnitentiam ejulatu magno spondent; Psalteria de manu servatoris sui *(nimirum* S. Dominici, *qui eos servaverat)* accipiunt, acceptant, coëuntque Fraternitatem omnes unam ac novam sub auspicio Jesu et Mariæ, tituloque Psalterii. *Sed cum superius* § XI *hanc Alani historiam rejecerimus, pergamus ad alia tempora, quæ huic institutioni assignantur.*

quo tempore illud doceri cœperit.

343 *Postquam Malvenda in Annalibus ad annum* 1215 *cap.* 10 *et sequentibus longam dissertationem de etymologia Rosarii instituit, et ex testimoniis Romanorum Pontificum primum illius usum sancto Fundatori suo vindicavit, tandem cap.* 19 *de chronologico ejusdem initio hæc addit :* De tempore,

quo

AUCTORE G. C.

A quo institutum istud Rosarii a sancto Dominico inventum est, cum ex scriptoribus annus certus statui nequeat, omnes tamen *(excipe scriptores numero præcedente citatos, qui tempus illud mutare aut narrationem Alani inficiari coguntur)* in eam sententiam abeunt, prædicante apostolico Viro contra Albigenses, in Tolosana regione id ab eo excogitatum. Nos procul dubio, cunctis rite perpensis; intra decennium istud prædicationis sancti Dominici adversus Albigenses, ac prioribus hujus decennii annis, institutionem Rosarii reponendam existimamus. Nec tamen sic dicimus, sanctum Dominicum Rosarii auctorem fuisse ut ipsum primum et a se tam sancti ritus inventorem et excogitatorem affirmemus : ipsa enim beatissima Deipara, Viro Dei apparens, illum docuit Rosarii institutionem : ore, verbis, monituque beatæ Virginis, eaque præeunte, sanctus Dominicus Rosarii formulam didicit. Sacra igitur Dei Genitrix inventrix; sanctus Dominicus potius promulgator exstitit. Rei gestæ historiam scriptores omnes in hanc ferme sententiam exponunt. *Tum subjungit hujus apparitionis historiam,* B *omissisque stupendis prodigiis, eam studiose mitigat, ac credibiliorem reddit. Alanus Redivivus, quo antiquiorem hujus narrationis auctorem hactenus non novimus, Part.* 2 *cap.* 3, *eamdem Deiparæ apparitionem fusius exponit, plurimisque portentis auget.*

cum aliqui ad Tolosam S. Dominici commorationem,

344 *Ne prolixa Alani oratione tædium lectori afferamus, illam transcribimus ex Nicolao Janssenio, qui in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *cap.* 4 *eamdem contraxit, et post narratam Albigensium pertinaciam sic ibidem pergit:* Tandem sub annum MCCX haud procul Tolosa in solam aliquando silvam, fervidamque orationem se dedit. Cum in ea constaret ipso triduo, ac subinde rubis et sentibus corpusculum atrociter lacerasset (uti hoc suo supplicio crimina expiaret Tolosatium: quæ impedimento esse arbitrabatur) demum tertio die, cum inter verbera fractis viribus collaberetur, fortissimo Pugili adfuit Deipara, insigni cœlestium virginum turba comitante. Hæc novo recreatum aspectu compellans, Carissime, inquit, Dominice, numquid scis, quæ et qualia arma Trinitas beata acceperit, queis totum orbem nova induit forma? Cui ille : O Domina, tu melius me nosti; per C te enim salus data est mundo, per te nostra omnium reparatio cœpta est : Et illa : Dilecte mi Dominice, beata certe Trinitas, ut peccata omnia deleret, arma non elegit alia, quam Psalterium angelicum, quod est totius novi Testamenti fundamentum. Quocirca si fructum exoptas tuæ prædicationis, commenda et inculca Psalterium meum, ex quo brevi messis tibi uberrima edetur.

alii ad maritimam illius captivitatem id antea referant.

345 Dixerat; simul instruxit de Rosarii ritu atque ordine, quem et hodie tenemus, ac denique Tolosam ire jussit, prædicare Rosarium, suis fretum auspiciis bono animo esse : qui recta in urbem; cum æra campana templorum, ut in festis, simul consonant omnia. Fit concursus ad parœciam, sancti Romani dictam. Videtur hic Dominicus, auditur de Rosario. Quid ultra? Non tulit infernus prædicationem, et continuo venti, tonitrua, fulgura, terræ motio, ejulatus, horror, desperatio occupant universos. Contendit voce Dominicus, Rosarium suadet, pollicetur quietem, persuadet. Legunt, atque en tota aëris regione cacodæmonum planctus et ululatus : Væ, væ nobis, quia ab angelis per Psalterium religamur catenis igneis. Inter hæc visum in ecclesia Deiparæ simulacrum manu elevata minitabundo simile. Hic populus omnis supplex almæ Virginis opem implorat, præeunte in verba archangeli Dominico. Fit pax et alta quies; admiratio pariter et mutatio animorum. *Ut hoc loco taceam de suspecto hujus narrationis primo auctore, non video, qua chronologiæ cohærentia Janssenius hic originem Rosarii ad annum Christi* 1210 *referat, cum superius* § XI *narraverit,* S. Dominicum *jussu Deiparæ jam ab anno Christi* 1200 *prædicasse Rosarium prædonibus marinis, qui tunc eum ex littore Gallæciæ in navim suam cum socio captivum abduxerant. Quomodo igitur nunc primum anno* 1210 *didicit a Deipara apparente ritum Rosarii, quem jam a decennio, per apparitionem ejusdem sanctissimæ Virginis edoctus, piratis prædicaverat ac persuaserat?*

quam discrepantiam Choquetius conciliare nititur,

346 *Hyacinthus Choquetius sensit hanc difficultatem; sed eam effugere aut levi ratiuncula eludere nititur, dum in opere proxime citato cap.* 22 *pag.* 451 *ante elegans ejusdem historiæ compendium ita præfatur* : Tempus jam est, ut admirandam, et quovis stupore dignissimam Rosarii originem et promulgationem enarremus. Prætermissis vero E quibusdam, quæ in hanc rem a beato Alano de Rupe dicuntur, quæ hic referre operæ pretium non est, cum privata quædam tantum sint Rosarii rudimenta et proludia : nos solemnem, et ipsi orbi factam, illius publicationem dabimus. *Deinde satis eleganter et fideliter portentosam historiam, jam ex Janssenio breviter relatam, juxta Alani Redivivi textum refert, eamque exeunti anno Christi* 1213 *vel ineunti* 1214 *affigit. At eadem difficultas chronologica, quam Choquetius brevi prætermissione evadere vel involvere conatur, ei solvenda superest, ut jam ostendemus.*

dum priorem illam Rosarii prædicationem gratis vocat privatam,

347 *Paragrapho undecimo hujus Commentarii prævii citavimus Joannem a sancta Maria, qui in Gallicis* S. Dominici *Actis lib.* 1, *cap.* 19 *et* 20, *ex Alano narrat, quomodo Sanctus post sedatam maris tempestatem una cum piratis jam conversis in Britanniam Armoricam appulerit, ac ibidem primam Rosarii confraternitatem erexerit. Nunc audiamus ipsum Alanum Redivivum, qui Part.* 3 *cap.* 22 *pag.* 228 *de successu hujus prædicationis Britannicæ sic scribit:* Sanctus Dominicus, novus orbis apostolus, Euangelii prædicationem cum Psalterii virtute in Britanniam quoque inferebat; et F quod mater ejus, cujusdam Britanniæ ducis filia, indidem oriunda fuisset, tanto audiebatur attentius, velut cognato sanguine ducis magni propinquus. *Postea ibidem recitat ipsos Sancti sermones, in Britannia de Rosario habitos, et accumulat prodigiosa miracula, quæ tunc in eadem provincia publice contigerunt, eaque omnia sibi ab ipso* S. Dominico *revelata fuisse testatur. Hæc Sanctus diu ante apparitionem Tolosanam publice coram omnibus in Britannia prædicasse, et plerosque hujus provinciæ incolas ad usum Rosarii induxisse dicitur.*

alteram vero publicam,

348 *Quo igitur fundamento Choquetius hanc publicam Psalterii prædicatione inter* privata Rosarii rudimenta et proludia *reponit? Si* S. Dominicus *hæc umquam fecerit, certe non privatim ab illo gesta fuisse, abunde patet ex iis, quæ Alanus in prosecutione ejusdem narrationis Part.* 3 *cap.* 23 *pag.* 260 *habet in hunc modum :* Ex eo tempore omnia omnium studia in unum versa sunt sanctum Dominicum. Dux ipse, clerusque totus, universaque natio beatos sese prædicabant, si in præsulem Britanniæ summum ipsis habere contigisset sanctum Dominicum. *Dein ibi narrat, quomodo Sanctus illam dignitatem ecclesiasticam,*

ad

AUCTORE G. C.

ad quam acceptandam Britanni eum cogere volebant, constanter recusarit, et ex Britannia in Hispaniam prodigiose translatus fuerit, ut § XI retulimus. Hæc satis indicant publicam gestorum famam, quam Sanctus in illa provincia ex suis prædicationibus et miraculis acquisiverat, si Alano credimus. Debuisset itaque Choquetius primam Rosarii promulgationem, quam S. Dominico *adscribit, aliquot annis prævertere, aut in hac Britannica prædicatione fidem Alano abrogare. Eadem argumentatio urget omnes illos, qui narrationes Alani, tamquam oracula, recipiendas censent.*

de qua tamen publica nulli veteres historici

349 *Verum Choquetius ab illa Alani repudiatione tam longe abest, ut cap.* 13 *operis sui supradicti pag.* 227 *et* 228 *mirabilem* S. Dominici *trajectionem, quæ ex Britannia Armorica in Hispaniam divinitus facta traditur, solo Alani testimonio confirmet. Præterea cap.* 22 *ejusdem operis pag.* 461 *apparitioni Tolosanæ, quam tot publica prodigia comitabantur, obvium quoddam dubium opponit, ac simul solvere nititur his verbis:* At obganniet fortasse nonnemo: si adeo constans sit, ut asserimus, ejusmodi portentorum veritas, cur ad Alanum usque, nimirum per duo secula, orbem latuit res omni stupore excipienda, et cui parem non prodit vetustas? Sane haud credibile est, tot veterum scriptorum memoria calamoque excidisse, ut nemo plane vel ex ipsa Prædicatorum classe ejusce meminerit, si tam ornata, tam splendida fuerint Rosarii nascentis primordia. *Tum huic objectioni, quam cuilibet homini cordato statim incidere pronum est, ita respondet:* Enimvero caliginem illam nullo quidem negotio discutimus; erant siquidem tunc in Gallia Narbonensi belli atrocitate adeo turbata omnia, ut cunctis ad alia intentis, facilem orci rabies modum habuerit, admiranda illa penitus supprimendi, quæ Rosarii quoque ipsam memoriam Alani ætate fere extinxerat.

nec testes in Processu Canonizationis examinati meminerunt

350 *An ergo hic reverendus sacræ theologiæ magister ignorabat, plures scriptores gesta istius temporis ac regionis posteritati reliquisse? An non meminerat, Petrum Vallis-Sernensem, oculatum in pluribus testem, etiam minutiora hujus belli adjuncta litteris mandasse? An ei ignotus erat Guilielmus de Podio Laurentii, qui ætati illi proximus historiam Albigensium copiose conscripsit? An denique nesciebat, alia vetera chronica de hoc bello edita fuisse? Facile intelligo, quod ipsum latuerit Processus Tolosanus, qui nuper primum prodiit, et in quo plures testes synchroni jurejurando declarant eximia* S. Dominici *gesta et miracula, quæ ipsimet in partibus Tolosanis viderant, vel audierant. At nullus horum (tamen trecenti et ultra, testimonium suum juratum perhibuerunt, ut ex infra dicendis patebit) verbum facit de magnis prodigiis, quæ tunc palam in urbe Tolosana contigissent. His adde novem testes ex Ordine Prædicatorum, qui in Processu Bononiensi juridice examinati sunt, et juramento confirmant varia, quæ sanctum Patrem suum in Gallia Narbonensi contra Albigenses gessisse noverant. Cur, obsecro, omnes illi scriptores ac testes de re tam publica ac portentosa siluissent?*

Quinimo Alanus contendit, istud Psalterium Deiparæ

351 *Hoc argumento negativo, quod hic suo robore non caret, præcluditur alterum Choquetii effugium, ex sola Alani auctoritate arreptum, quod ille ibidem responsioni jam datæ mox subjungit. Quod si tamen quispiam cum Choquetio, Joanne a sancta Maria, aliisque nimium credulis scriptoribus contendat, narrationibus Alani omnino fidem historicam adhibendam esse, jam non tantum primam* S. Dominici *de Rosario prædicationem aliquot annis antevertere, verum etiam ipsam Rosarii institutionem ei denegare oportebit: nam ipse in sua Apologia, Part.* 1 *Alani Redivivi cap.* 8 *quasi de novitate inducta accusatus, Ferrico Tornacensi episcopo suadere conatur, hunc Rosarii recitandi usum primis Ecclesiæ seculis viguisse, et post allegatos varios hujus antiquæ pietatis testes, caput citatum sic confidenter concludit:* Quibus ex omnibus de plano liquet, quod docere vel prædicare Psalterium virginis Mariæ minime de ulla novitatis nota juste suspectum haberi culparique possit. Adeo ritus est antiquissimus, laudatissimus, et honoratissimus in Ecclesia, tametsi per incuriam hominum, et temporum injuriam, subinde torpuit neglectus.

diu ante tempora S. Dominici usitatum fuisse,

352 *In decursu ejusdem capitis inter præcipuos Psalterii seu Rosarii cultores numerat S. Benedictum, venerabilem Bedam, S. Ottonem, S. Dominicum Loricatum, et S. Bernardum, quibus tandem sanctum Ordinis sui Fundatorem ita subjungit:* Sanctus Dominicus post eum *(videlicet S. Bernardum, de quo immediate antea egerat)* primus idem sacri Ordinis Prædicatorum dux et pater inclytus, vel tenera ab ætate Christo et Deiparæ in hoc precandi ritu devotus adeo fuit, ut assidue Psalterium oraret, versaret, gestaret. Robustioribus vero annis in ceteris suæ religionis ac prædicationis exercitiis ad illius recitationem, inflictam sibi ferrea catena disciplinam, ter ad minus omni die repetitam, constanter usurpavit; et ita frequenter quoque, ut aliquando per diem octona aut dena etiam Psalteria dictum ad modum orando persolvisse tradatur. Iste est apostolus ille Psalterii, de quo alma Dei Virgo non semel ei facta revelatione, mandatum formamque dedit ejusdem prædicandi. Et vero prædicavit, circumque tulit per omnem Hispaniam, Italiam, Galliam, Angliam et Alamaniam. *At ex omnibus* S. Dominici *Actis, et chronologica eorumdem serie evidenter colligi potest, Sanctum numquam in Anglia aut Germania fuisse, multo minus ibi de Rosario prædicasse. Quare ex hoc Alani ratiocinio, cui magna ex parte non credimus, tantummodo argumentamur ad hominem, ut vulgo dici solet.*

quam difficultatem Choquetius tentat eludere;

353 *Forte aliquis Alani defensor reponet, ante ætatem* S. Dominici *ab illis sanctis Psalterii seu Rosarii recitatoribus selectiora Christi Mariæ que mysteria singulis decadibus non fuisse immixta, sicut Choquetius eodem capite operis proxime citati pag.* 435 *similem difficultatem eludit hac explicatione:* Duo in Psalterio hoc vel Rosario observari debent. Unum est, ejusmodi orationum substantia, et frequentia, imo et calculorum seu lapillorum usus: alterum, ipsa precandi seu orandi formula, ita disposita et aptata, ut per quindenas salutationum decades, quindecim Dominicis orationibus interjectis ad globulos numeratas, præcipua quindecim nostræ salutis sacramenta piis meditationibus percenseantur. Primum ab Apostolis, ipsisque exorientis Ecclesiæ incunabulis mirum in modum in usu fuisse asserimus. Alterum a sanctissimo Dominico, Ordinis Prædicatorum conditore, ipsius Deiparæ monitu atque eruditione, primo in orbem adeoque Ecclesiam invectum esse et publicatum, verissime pronuntiamus.

sed ipse Alanus et effugium præclusit,

354 *Sed hunc distinctionis excogitatæ scrupulum tollere videtur ipse Alanus, dum Part.* 2 *cap.* 2 *veteres Psalterii sive Rosarii propagatores iterum enumerat, iisque hic pag.* 95 *egregios Ecclesiæ doctores ita addit:* Sanctus Augustinus Ecclesiæ doctor incomparabilis Psalterium Mariæ usurpavit

A pavit : ecquis enim dicere audeat, vel cogitare, tantum virum Psalterium tantum ignorasse, quod nos scimus, quod Ecclesia prædicat, et frequentat? Scimus, ut beata virgo Maria revelavit; scimus, sancto Hieronymo dictum orandi ritum ad calculos numero centum quinquaginta singulare exstitisse refugium, tum adversum hæreticos, tum ut in omnibus * scientiarum genere tantum præstaret stylo, quantum orbis admiratur. Scimus, ut item ter benedicta Mater Dei revelavit, S. Ambrosium et S. Georgium * hujusce Psalterii sanctissimam scivisse dignitatem, idque IN SUBSTANTIA, IN QUANTITATE, ET QUALITATE. Et eos quisquam de ulla ejusdem orandi negligentia et omissione suspectos habere vel cogitatione poterit? *Haud dubie Alanus hic agit de Psalterio, quod ipsemet cum meditatione præcipuorum mysteriorum nostræ redemptionis docebat, et cujus antiquitatem ostendere cupiebat, ut illud ab objecta novitatis accusatione vindicaret. Hoc satis indicat asserens, S. Augustinum illud Psalterium* (quod nos, *inquit*, scimus) *non ignorasse. Id ipsum rursus abunde confirmat addens, illum precandi ritum* in substantia, in quantitate, et qualitate *sanctis hisce Doctoribus notum fuisse. Hic iterum utimur argumento ad hominem, ut supra monuimus : quid enim de antiquitate illa verosimilius censendum sit, apud eruditissimum Mabillonium in Præfatione ad Partem* 1 *seculi* V *Benedictini num.* 118 *et sequentibus fuse examinatur.*

B

* forsan omni

* lege Gregorium

et Echardus distinctionem aut explicationem illius

355 *Interim Echardus alia via hanc Choquetii distinctionem evertit, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 852 *sic scribit :* Primus Alanus religionis mysteria quindecim Rosarii decadibus alligandi rationem excogitavit, quibus suas visiones, suaque exempla vel miracula, ut volueris, adjungendo, magnam sibi dicendi materiam præparavit. Bene est, ubi hæc facile audiuntur; sed non omnibus allubescit hæc ratio, qua vis omnis et vehementia orationis frangitur, et cujus demum hæc unica semper conclusio, quam solam reportant auditores : ERGO ROSARIUM DICITE. *Hæc improbatio piarum concionum de Rosario, quæ ibidem antecedentibus et consequentibus verbis nimis studiose inculcatur, nobis non placet, nec placituram existimamus plerisque fervidis Rosarii prædicatoribus, qui hac ratione cultum Deiparæ laudabiliter promovent. Etsi autem non velimus, ut hujusmodi concionibus prodigia Alani immisceantur; tamen nullo modo improbamus, vera beatissimæ Virginis miracula, quæ certe sedulo concionatori deesse non possunt, in iis referri, et ita populum Catholicum ad recitandum Rosarium excitari. Multo magis nobis displicet libellus Gallicus, Parisiis anno* 1727 *editus, qui* Solida devotio Rosarii, *etc., inscribitur : is enim continet plures propositiones damnatis Quesnelli erroribus affines, et sub fallaci titulo potius ad destruendam, quam ædificandam Rosarii devotionem, compositus videtur. Intelligenti pauca, ut proverbii loco dici solet. Nos itaque ex hac historica Echardi opinione tantummodo concludimus, supradictam Choquetii distinctionem inutilem esse, et* S. Dominicum *non fuisse primum, qui quindecim decadibus meditationem totidem mysteriorum alligavit.*

C

bis evertit alia via,

356 *Echardus tomo* 2 *ejusdem Operis pag.* 845 *hanc sententiam suam repetit, ubi ad Vitam B. Æmiliæ Biccheriæ, quam in Appendice ad diem tertiam Maii, tomo* VII *istius mensis a pag.* 557 *edidimus, notat sequentia :* Quod etiam numero 19 dicitur Beata portariæ monasterii mandasse, ut omni sabbato in honorem quindecim mysteriorum Rosarii totidem panes pauperibus erogaret, novitium est et recentius adinventum : neque enim ulla quindecim mysteriorum Rosarii memoria ante Alanum de Rupe, qui primus vel sublevandæ attentionis vel pietatis excitandæ causa hanc distinctionem adinvenit, et ad quindecim Rosarii decades adjunxit et coaptavit. Unde nulla istius facti memoria in Vita ejusdem Beatæ, quam circa annum MDCIX scripsit Soror Petronilla Bava, ejusdem monasterii sodalis, et quam excepit Michaël Pio parte secunda libro primo col. 140.

AUCTORE G. C.

quam tamen postea deseruisse dicitur,

357 *Equidem scio, hanc Echardi opinionem ab eruditissimo P. Ludovico Robyn, Dominicano Gandensi, erroris accusatam esse, eo quod in regulis sive statutis Begginarum Gandensium, quarum confessiones jam ab aliquot seculis RR. PP. Prædicatores excipiunt, Psalterium beatissimæ Virginis vel Rosarium cum meditatione mysteriorum recitandum præscribatur. Hinc Echardus putans, illam mysteriorum meditationem præscribi in primævis Begginarum Gandensium statutis, et ipso Alano antiquioribus, post Opus suum edidit alteram appendicem, in qua circa hanc rem dicta sua retractavit. Sed unicum dumtaxat hujus appendicis exemplar hactenus videre potui, et frustra Parisiis ac in aliis ejusdem Operis exemplaribus eamdem appendicem quæsivi. An forte Echardus hanc retractationem suam tantummodo edidit in gratiam monitoris sui, eamque communicavit Belgis illis, quos priori opinione sua offenderat?*

E

forte nimis facile monitori credens,

358 *Ut ut est, dubitari potest, an Echardus non nimis facile hic dicta sua retractaverit, eo quod statim crederet, istas Begginarum Gandensium constitutiones ab ipsa Begginasii origine usque ad nostram ætatem sine ulla mutatione permansisse. At hic hærebat aqua, ut vulgo dici solet : nam amplissimus D. Josephus Geldolphus a Ryckel ab Oorbeeck, Lovanii abbas S. Gertrudis, in Historia Begginasiorum Belgii, Actis S. Beggæ subjuncta, satis innuit, has constitutiones variis temporibus auctas vel mutatas fuisse, dum ibidem* § 71 *pag.* 315 *scribit :* Duo sunt in Flandricarum matre urbium Ganda Begginasia. Primum est sanctæ Elizabethæ fundatum a Joanna et Margareta Comitibus Flandriæ circa annum MCCXXXIV. Estque locus amplissimus trium et amplius bonariorum terræ. Additus et amplitudini decor, adeo ut, qui multa viderunt, fateantur, se pulchrius nullum vidisse. Olim a prima sui origine fuit extimum civitati; nunc intra pomœria conclusum est. Hujus directio semper penes PP. Dominicanos fuit, qui duos ad minus eidem confessarios ordinarios ex gremio chori sui, claustro tamen suo obnoxios, assignant; sed per sacellanos seculares Officia sacra celebrant. Ludovicus Flandriæ Comes auxisse legitur hujus Begginasii statuta ex suggestione prælatorum, quæ et sic aucta confirmavit anno MCCCLIV. Hæc eadem augustæ memoriæ Carolus V approbavit anno MDXXXI duodecima Maii. Rursus anno MDCXXIII vigesima septima Novembris examinata et approbata meminimus. *Cum igitur statuta illa aliquando aucta et examinata fuerint, admodum verosimile est, ea pro variis rerum ac temporum circumstantiis etiam nonnihil mutata fuisse. Porro hæc lis decidi non potest nisi ex oculata veterum constitutionum Mss. inspectione, et accurate examinandum esset, an in antiquis et ætatem Alani præcedentibus statutorum autographis illa mysteriorum meditatio Psalterio seu Rosario beatissimæ Virginis adjungatur.*

F

359 *Saltem illa non exprimitur in antiquo diplomate, quod amplissimus D. Josephus Geldolphus Ryckel-*

AUCTORE G. C.

se contradicere antiquis monumentis Begginasii Gandensis,

Ryckelius in laudata Historia Begginasiorum Belgii pag. 563 *et* 564 *ex autographo Gaudensi sic refert:* Universis præsentes litteras inspecturis Joannes F. Alexandri salutem et noscere veritatem. Noscant universi tam præsentes quam futuri, quod ego de communi consensu et voluntate Joannis et Jordani filiorum meorum, et meo, quondam fossam jacentem ab Oriente curiæ Begginarum S. Elizabethæ juxta Gandavum inter terram meam et terram earumdem protensam a ponte portæ dictæ curiæ versus Boream juxta aggerem sive dycum, et eidem aggeri sive dyco in longitudine coæquatam, dictis Begginis in puram eleemosynam pro remissione peccaminum meorum et antecessorum meorum, contuli in perpetuum jure hæreditario possidendam; renuntians omni juri, quod in dicta fossa tenui, habui, et possedi, et quod ego vel successores mei in posterum essent habituri: et remotis omni dolo et fraude, promisi bona fide, quod dictæ collationi per me, vel alium, seu per alios minime contrairem.

ex quibus id tamen hactenus non evincitur,

B

360 Quapropter domicella Elizabeth, magna magistra curiæ, et Begginæ ejusdem loci supradicti in bona fide promiserunt, quod anniversarium Elizabeth *(erat hæc uxor benefactoris)* in perpetuum celebrari facerent. Quælibet vero domicella sive Beggina dicti loci dicet pro anima uxoris meæ, filiæ quondam Jordani de Rym, pariter atque anima mea Psalterium B. Mariæ Virginis, eodem die, quo dicta anniversaria contigerit celebrari. Cujus rei testes fuerunt Joannes et Jordanus filii mei; et discreti viri Prior Ordinis Fratrum Prædicatorum Ganden. F. Zigerus dictus de Zotteghem, F. Laurentius, F. Zigerus de Aelst, Theodoricus dictus Wtten Ramen, D. Ægidius et D. Joannes, Capellani curiæ supradictæ. In quorum omnium testimonium, robur, et munimen, sigillum meum una cum sigillo Prioris Prædicatorum Gandens. præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCXXVII, mense Julii. *Etiamsi hic a Begginis Gandensibus recitandum promittatur* Psalterium B. Mariæ Virginis, *quo Alanus aliique passim Rosarium Deiparæ intelligunt, nullum fit verbum de præfata mysteriorum meditatione, quæ tamen in antiquis Begginarum Gandensium statutis exprimi perhibetur.*

C

Quod si nihilominus ista mysteriorum meditatio contra opinionem nostram in primævis Begginarum Gandensium constitutionibus expressa et Rosario adjuncta inveniatur, jam inde Echardo retractanti adhæremus,

et distinctioni Choquettanæ alia difficultas opponi posset.

361 *Verum tunc alia orietur quæstio, utrum hæc pia Psalterii seu Rosarii meditatio ætatem* S. Dominici *non præcesserit: siquidem R. D. Josephus Stephanus de Noriega in superius laudata Dissertatione historica* § 21 *contendit, illam Rosarii meditationem ante tempora* S. Dominici *in Ordine Præmonstratensi usitatam fuisse, et ibidem pag.* 209 *post aliquas hujus sententiæ suæ probationes ita concludit:* En quibus ducor fundamentis, ut credam, B. P. Dominici ætate jam in Ordine Præmonstratensi Rosarium Virginis, per mysteria et gaudia distributum et ordinatum, recitari consuevisse: quandoquidem B. Joseph, ut liquet ex superius dictis num. 180, anno Domini MCLXIII candidum habitum duodennis suscepisse, certius asseritur. Quo tempore prælaudatus Albertus primus abbas, et ultimus Præpositus monasterii Steinfeldensis, libellum illum gaudiorum Virginis composuerat, ut Præmonstratensium corda in cultum et obsequium Patronæ Ordinis inflammaret. Quibus B. Joseph nova gaudia superaddens et Salutationes angelicas novo devotionis ordine, velut rosas intermiscens, Marianam Coronam sive Rosarium, quo Rosæ suæ charissimæ caput redimiret, intexuit. Atque adeo potuit quam optime S. P. Dominicus inter Marianos Vitenses Canonicos (quorum aliquos, ea tempestate ex illis regionibus huc missos, Hispaniam appulisse, compertum est) Rosarii Mariani devotionem didicisse; quam postmodum sic, ut apud Fideles modo in usu est, a se dispositam, et innumeris mirabilibus confirmatam, sui præclarissimi Ordinis Fratres per universum orbem disseminarunt, et in dies miro fervore ac solemnissimo cultu promovere non desistunt. *Quamvis de commoratione* S. Dominici *in Vitensi cœnobio dubitemus, (hoc dubium nostrum infra in Annotatis ad Acta Theodorici Appoldiani non parum confirmabitur) et ea saltem usque ad annum Christi* 1203 *prorogari non possit, ut paragrapho undecimo ostendimus, tamen in Ordine Præmonstratensi potuit usurpari hæc pia Rosarii praxis, de qua tamen nihil certi determinamus.* D

E

§ XX. Argumenta eorum, qui primam Rosarii institutionem S. Dominico tribuunt, et responsa, quæ illis opponi possunt.

Scriptores Dominicani fatentur,

Quamvis plerique recentiores originem Rosarii S. Dominico *adscribant; tamen hanc non esse omnium sententiam, Nicolaus Janssenius in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *cap.* 5 *significat his verbis:* Quidam in incerto habent, fueritne, adeoque an vocari debeat institutor sanctissimi Rosarii beatus Dominicus. Paucis quid ex vero sit, expediam. Venerabilis Beda de hoc precandi ritu meminisse videtur, ejusque usum ætate sua exstitisse. Sed de illo studiosius agit Polydorus Virgilius, atque excogitatum esse a quodam Petro Ambianensi eremita, annum circiter MLXXV. At facile solvitur quæstio, si distinctius de Rosario loquamur: vel enim per hoc intelligitur ratio precandi per supputationem calculorum, F vel prout Rosarium complectitur centum quinquaginta salutationes Angelicas, cuilibet decadi oratione Dominica interjecta. Si primo modo accipias, fuerit inventor Petrus ille Polydori, aut quivis alius; secundo modo accepti institutor est sanctus Dominicus.

quæstionem de primo Rosarii institutore

363 *Antonius Senensis in Chronico Fratrum Ordinis Prædicatorum pag.* 11 *et* 12 *ad hanc distinctionem non confugit; sed fatetur, quod* S. Dominicus *usum Rosarii, qui tempore venerabilis Bedæ vel Petri eremitæ forsan viguerat, postea exstinctum vel oblivioni traditum invenerit aut suscitaverit. En ipsius verba:* Eodem tempore, quo vir Dei Dominicus Euangelii prædicationi insistebat, etiam fidelium devotioni suggessit pium illum precandi modum Rosarii beatæ Virginis, ut etiam illa, quæ olim cunctas hæreses sola interemerat, fidelium devotis excitata precibus, intercessione sua illam, quæ tunc serpebat, dignaretur exstinguere; ut sic zizaniis falsæ doctrinæ emortuis, sacræ doctrinæ succresceret triticum. Licet autem hunc precandi modum Polydorus Virgilius ad annum MLXXIII referat, a patre * quodam eremita Ambianensi inventum;

* forte Petro

Beda

A Beda autem et alii etiam ad antiquiora tempora; tamen non immerito divo Dominico adscribitur, quod illum, cum jam forsan a notitia hominum excidisset, divino (ut creditur) ad id Numine motus, adinvenit, et miro devotionis affectu atque nimio ardore prædicavit.

inter auctores Catholicos controverti,

364 *Ceterum Choquetius in Opere jam sæpe citato ac deinceps citando etiam satis indicat, de hac questione inter eruditos disceptari, dum ibi cap.* 22 *pag.* 429 *et sequente primam Rosarii institutionem sanctissimo suo Parenti vindicaturus, ita præfatur :* Porro ante omnia accurate disquirendum est, quænam fuerint sacrosancti Rosarii Mariani primordia; quando nimirum istud primo natum sit, et cœperit in Ecclesia usitari: ea siquidem res haud videtur adeo luculenta, quibusdam scilicet in diversa placita abeuntibus. *Deinde refert ac refellit varias auctorum de hac controversia opiniones, ex quibus nos paragrapho sequente seligemus paucas, iisque unam alteramve addemus, quæ aliquam difficultatis speciem præferunt, postquam hic prius produxerimus validissima argumenta, quibus Rosarii institutio* S. Dominico *vindicatur.*

et pro sua opinione afferre possunt Breviarium Romanum,

B 365 *Primum argumentum peti potest ex novo Officio, quod nuper a Benedicto XIII Pontifice accepimus, et in quo Lectionem quartam ita recitamus :* Cum Albigensium hæresis per Tolosatium regionem impie grassaretur, atque altius in dies radices ageret, sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissime impetebatur, cuique datum est cunctas hæreses interimere in universo mundo, enixis precibus imploravit: a qua (ut memoriæ proditum est) cum monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses ac vitia præsidium; mirum est, quanto mentis fervore, et quam felici successu injunctum sibi munus sit exsecutus. Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum salutationum decades oratione Dominica interjecta distinguimus, et ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per sanctum Dominicum promulgari au-
C gerique cœpit; quem ejusdem institutorem, auctoremque fuisse, summi Pontifices Apostolicis litteris passim affirmarunt. *De hac summorum Pontificum assertione mox agemus.*

quod hic non videtur niti antiquis testimoniis,

366 *Liceat interim nobis petere, quis ante tempora Alani de Rupe memoriæ prodiderit,* S. Dominicum *ab apparente sibi Deipara monitum fuisse, ut Rosarium populis prædicaret. Sane Choquetius non videtur antiquiorem hujus historiæ auctorem novisse, quando pag.* 459 *et* 460 *præfati Operis sic scribit :* Et vero quæ de Rosarii institutione, et Tolosæ per beatum Dominicum prædicatione diximus, habet Alanus Rupensis operis Redivivi parte 2 cap. 3. *Huic subdit alios recentiores istius apparitionis assertores, et ad majorem fidem faciendam ex fine citati capitis ibidem allegat hæc Alani verba :* Et hæc omnia piissima Dei genitrix virgo Maria cuidam, quem desponsavit per annulum et Psalterium mirandum, ex crinibus ipsius virginis Mariæ, in collo sponsi pendens, narravit visibiliter et sensibiliter esse verissima. *Quinimo Choquetius pagina sequente fatetur, quod privatum illud* S. Dominici *cum Deipara colloquium in silva Tolosana,* æternum latuisset, nisi cœlum ipsum pro sua benignitate tandem retexisset, *scilicet Alano Rupensi, de cujus suspecta fide superius* § 3 *satis superque cum Echardo disseruimus. Ex his igitur concludimus, sacram Rituum Congregationem et Benedictum XIII a nobis in hac re non exigere majorem fidem historicam, quam mereatur auctoritas Alani Rupensis, qui illud singulare privilegium post ducentos quinquaginta annos a morte* S. Dominici *primum memoriæ prodidit.*

AUCTORE G. C.

et quod ea in re non habet summam auctoritatem,

367 *Præterea hæc nova Lectio innuit, quod Rosarium, prout a sancto Prædicatorum Fundatore institutum traditur, sit* certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum salutationum decades oratione Dominica interjecta distinguimus, et ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. *Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 34 *verso etiam diserte asserit, totam illam formulam Sancto ab ipsa Deipara revelatam esse, et integrum Psalterium in tria Rosaria dividens, de hac revelatione sic disserit :* Monuit autem felicissima Virgo, ut, cum primum profertur Rosarium, succurrat dicenti Dominicæ nativitatis mysterium, et in ea re consideranda mens illius occupetur: in secundo autem durissimi cruciatus Redemptores nostri, E
et nulli comparabilis neci mors atrocissima, quam Domini Passionem dicimus: in tertio demum admirandæ ac nullo satis alloquio * explicandæ resurrectionis Dominicæ, simulque aliorum Sanctorum gloria. *Sed si ad Psalterium seu Rosarium, quod* S. Dominicus *dicitur instituisse, etiam pia illorum mysteriorum meditatio requiratur, quomodo cum hac narratione conciliabitur opinio Echardi, qui paragrapho præcedente bis affirmat, Alanum de Rupe fuisse primum, qui istam mysteriorum meditationem decadibus Rosarii alligaverit? Quod si velis, illam mysteriorum meditationem ab ipso* S. Dominico *institutam esse, dissolvenda sunt argumenta auctorum Præmonstratensium, qui contendunt, istam Rosarii recitandi praxim ante tempora* S. Dominici *in Ordine suo usitatam fuisse, ut paragrapho præcedente ex amplissimo D. Josepho Stephano de Noriega, abbate Præmonstratensi, retulimus.*

* *forte* eloquio

ut Benedictus XIII Pontifex alia occasione declaravit.

368 *Propter hoc Breviarii Romani examen accusandi non sumus de irreverentia erga Sedem Apostolicam, ut in Responsionibus Papebrochianis ad articulum* IX *et alibi sæpe demonstratum est. Si quis tamen imprudens aut imperitus nos propterea argueret, eadem accusatione involveret ipsum Be-* F
nedictum XIII, qui olim ex Ordine Prædicatorum ad Romanam Purpuram et cathedram Beneventanam evectus, contra Romanos integra dissertatione contendit, reliquias S. Bartholomæi Apostoli adhuc in ecclesia sua Beneventana quiescere. Cum autem ei opponeretur contraria Breviarii Romani sententia, articulo septimo ejusdem dissertationis respondet, maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per sese ad cultum ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in Vita Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit, correxeritque.... Quæ omnia argumento sunt, Breviaria non illico putanda esse ab omni historica aberratione libera, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia. Imo nec suis omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium, doctis-

AUCTORE G. C.

doctissimi historiarum exploratores indicant. *Ita ille, tunc eminentissimus S. R. E. Cardinalis, ac postea summus Pontifex, qui ad auctoritatem Martyrologii Romani, quod etiam opinioni ejus adversabatur, ibidem similia respondet, et dicta sua variis exemplis confirmat. Nunc alia Romanorum Pontificum de hac re testimonia referamus.*

Leo X confraternitatem Rosarii S. Dominico adscribit,

369 *Petrus Louvetus ex Ordine Prædicatorum Duaci anno* 1635 *edidit libellum, qui inscribitur* Thesaurus Apostolicus gratiarum et privilegiorum *etc., et in eo collegit authenticas litteras prærogativarum ac indulgentiarum, quas Legati Apostolici vel summi Pontifices in favorem Rosarii concesserunt. In ea collectione exhibetur bulla Leonis X, et ibidem pag.* 22 *Pontifex ille post alia ad rem nostram sic loquitur :* Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum et Fratrum domus Prædicatorum Coloniensium nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in historiis legitur, a sancto Dominico quædam confraternitas utriusque sexus fidelium de Rosario beatæ Mariæ virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ salutationis instituta, et in diversis mundi partibus B prædicata fuit, sequentibus signis; sed cum ipsa confraternitas decursu temporis fere neglecta fuisset, et in oblivionem transisset, ac anno MCDLXXV civitas et diœcesis gravibus bellis premeretur, eadem confraternitas ad laudem et honorem præfatæ Virginis, ut civitas et diœcesis prædicta meritis et intercessionibus ejusdem Virginis ab eis bellis liberaretur, in ecclesia dictæ domus innovata et de novo instituta fuit cum certo modo orandi, videlicet quod confratres et sorores ejusdem confraternitatis tribus diebus cujuslibet hebdomadæ ad honorem Dei et præfatæ Virginis, ac contra imminentia mundi pericula legerent conjunctim vel divisim toties Angelicam salutationem, quot sunt psalmi in Psalterio Davidico, singulis decem salutationibus hujusmodi orationem Dominicam semel præponendo, et modum orandi hujusmodi Psalterium sive Rosarium ejusdem beatæ Virginis vulgariter appellatum. *Vides, hic institutionem confraternitatis Rosarii* S. Dominico *adscribi.*

quam tamen Martinus Navarrus,

370 *At quamvis Martinus ab Azpilcueta, qui vulgo doctor Navarrus appellatur, vir pius et eruditus, primam Rosarii prædicationem* S. Dominico C *tribuat; tamen hanc Leonis X assertionem de prima institutione confraternitatis Rosarii non admittit, dum inter Miscellanea de oratione tomo* 2 *Operum suorum, quæ Venetiis anno* 1601 *excusa sunt, fol.* 316 *initium confraternitatis istius assignat his verbis :* Secundo respondeo directe ad ipsam quæstionem, esse receptam sententiam quod anno MCDLXXVI quidam egregius doctor provincialis ejusdem Ordinis, nomine Jacobus Sprenger, cum esset Prior celebris monasterii Prædicatorum celeberrimæ urbis Coloniæ Agrippinæ, instituit solemnem et generalem omnibus Christianis utriusque sexus confratriam Rosarii Dominæ nostræ, quibusdam statutis super ingressu et obligatione confratrum adjectis, quam præfatus Alexander legatus ad instantiam imperatoris Federici III et ejus uxoris Augustæ confirmavit, et indulgentiis auxit, ut constat ex ejus litteris. *Deinde affert fragmentum litterarum Alexandri Legati Apostolici, quas curiosus lector apud laudatum Louvetum pag.* 1 *et sequentibus integras inveniet. Etsi Alexander Legatus hanc confraternitatem anno* 1476 *primum approbarit; tamen videtur erecta anno præcedente, ut ex mox dicendis apparebit.*

371 *Hanc doctoris Navarri opinionem confirmat Echardus, quando tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 881 *narrans occasionem, qua Jacobus Sprengerus illam Rosarii congregationem Coloniæ erexit, narrationi suæ subnectit sequentia :* Quo factum, ut societatem hanc Alexander Nanni de Malatestis, episcopus Foroliviensis, Sixti IV de latere Legatus, Coloniæ tum agens, confirmarit ac indulgentiis ditarit, x Martii anni sequentis MCDLXXVI. Hæcque prima est confraternitas, ut vocant, Rosarii, auctoritate Apostolica roborata et approbata, quæ brevi ubique certatim allecta, novisque in dies privilegiis aucta, Ecclesiam fere implevit universam. *Adverte, congregationem illam Coloniensem ab Echardo dici primam, auctoritate Apostolica roboratam et approbatam : nam Duaci anno* 1470 *alia Rosarii confraternitas jam erecta fuerat, quam F. Joannes Excuria in communionem meritorum recepit, et de qua Echardus eodem tomo pag.* 871 *sic meminerat :* Cum ejus ætate noster Alanus de Rupe cultum sanctissimi Rosarii seu Psalterii beatæ Virginis ardenter prædicaret in Flandria, erecta est quædam hujus tituli socie- E tas Duaci, in cujus promotionem has litteras dedit noster hic Joannes, quas hic inserere visum est, quod primæ sint in favorem pii hujus exercitii collatæ. *Post recitatas Joannis litteras, quæ Duaci anno* 1470, *die* XVI *Martii datæ sunt, ibidem hæc subdit :* Hancque primam lego pii hujus cultus eo seculo congregationem, seu, ut aiunt, confraternitatem. Quo anno et mense datæ litteræ, Duaci agebat F. Alanus de Rupe præfatus, earum ut videtur, impulsor. *Ex his sequitur, originem talium congregationum ab his duobus scriptoribus non referri ad* S. Dominicum, *licet Leo X Pontifex ex aliorum relatione illam ei tribuerit.*

et Echardus multo serius institutam credunt.

372 *Sed defensores vetustioris institutionis haud dubie dicent, Martinum Navarrum et Jacobum Echardum errasse, quandoquidem Sixtus V Papa tomo* 2 *Bullarii Romani pag.* 515 *inter suos decessores, qui confraternitatem Rosarii indulgentiis ditarunt, Urbanum IV et Joannem XXII numerat. Hinc Choquetius pag.* 469 *et sequente, post allatum Bullæ Sixtinæ fragmentum, ex eo, quod inter Pontifices,* qui parthenium Rosarii sodalitium sacris muneribus cumularunt, a Sixto V recenseatur Urbanus IV, *antiquitatem institutæ confraternitatis sic probat :* Unde liquet, haud multo post sancti F Dominici ætatem Romanos Pontifices fuisse in Rosarii sodalitatem munificos; quod sane argumento est, illam jam tum magna populi Christiani frequentia et cultu; nec non stupendis prodigiis florentem exstitisse. Atque ut annos supputare liceat, Urbanus IV creatus fuit Pontifex anno seculi duodecimi sexagesimo primo, annis scilicet a beati Dominici transitu quadraginta. Porro Andreas noster Coppenstein lib. 2 de Fraternitate Rosarii cap. XI Alexandrum IV Pontificibus, qui sacra Rosarii collegia magnis favoribus auxerunt, adscribit; uti et Clementem IV, e quibus Alexander Urbanum IV in pontificia sede proxime antecessit, quem itidem proxime secutus est Clemens IV, vir in Ordinem Prædicatorum longe propensissimus. *Deinde ascendit ad Pontifices Romanos, ætati* S. Dominici *propiores, quos etiam confraternitati Rosarii favisse arbitratur. Non sumus adeo morosi, ut antiquiora testimonia requiramus, si id de Alexandro IV aut Urbano IV probari possit. Quinimo libenter fatemur, validissimum esse hoc argumentum, si nitatur monumentis, quæ ætatem Alani Rupensis præcedunt.*

Choquetius citat indulgentias veterum Pontificum,

373 *Varia nos movent, ne huic argumentationi*

statim

A *de quibus omnes Bullarum collectores silent.*

statim subscribamus. Primo auctoritas et eruditio Martini Navarri, qui tomo 2 Operis citati fol. 315 *verso ita diserte pronuntiat :* Constat autem, Psalterium appellari Rosarium non quidem ex litteris Sixti quarti, qui primus maximorum Pontificum hoc genus orandi approbavit; sed ex litteris Alexandri Legati, in sequenti Miscellaneo referendis, qui primus confratriam Rosarii confirmavit. *Secundo silentium Petri Louveti, qui initio libelli sui litteras Alexandri Legati ex Sixti IV Pontificis profert, ac de antiquioribus Romanorum Pontificum Bullis non meminit, quamvis omnes indulgentias, confraternitati Rosarii concessas, ordine temporis studiose digesserit, certe alias veteres non omissurus, si illas invenisset, aut ad confraternitatem Rosarii pertinere judicasset. Hoc argumentum negativum confirmatur ex Josepho Stephano Valentino, Canonico ecclesiæ Segobricensis, cui F. Joannes Brunus, post diligentem tabulariorum Romanorum perquisitionem, tantummodo easdem Bullas communicare potuit, quas ille eleganti suo opusculo de Rosario, quod Romæ anno* 1584 *editum est, pag.* 149 *et sequentibus inseruit. Tertio ipsum ratiocinium quorumdam auctorum, qui institutionem istius confraternitatis* S. Dominico *vindicant, et idcirco indulgentias veterum Pontificum commemorant.*

B

et quas Coppensteinius ex conjectura putat

374 *Audiamus ex his primo Coppensteinium, qui lib.* 2 *de Fraternitate Rosarii cap.* XI *in hanc finem allegat diploma Alexandri IV Papæ, cujus fragmentum ex ipso autographo, quod in archivo Conventus Coloniensis servatur, ita exhibet :* Vitæ perennis gloria redemptis pretio sanguinis meritoque fusi de pretioso corpore Redemptoris, debet acquiri virtute : inter quæ illud esse prægrande dignoscitur, quod ubique, sed præcipue in Sanctorum ecclesiis Majestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino, in remissionem peccatorum vobis injungentes, quatenus ad ecclesiam delictorum filiorum Prioris et Fratrum Ordinis Prædicatorum Coloniensium imploraturi a Domino dilectorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos etiam, ut Christi fideles quasi per præmia ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad eamdem ecclesiam

C

in singulis festivitatibus gloriosæ Virginis Mariæ etc., causa devotionis accesserint annuatim, centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus, etc. Datum Anagniæ v Idus Januarii Pontificatus nostri anno sexto. *Hic annus Alexandri Pontificis, anno Christi* 1260 *respondet.*

concessas esse Confraternitati Rosarii,

375 *At quomodo, inquies, hæc ad confraternitatem Rosarii spectant? Proxime ; si credimus Coppensteinio, qui loco jam citato post alias nullius momenti conjecturas, ex hoc Alexandri IV diplomate sic divinare pergit :* Sed qui erant isti Mariani cultores apud Prædicatores, nisi qui in fraternitate Rosarii numerabantur numero maximo? His igitur maxime, licet non unice, Apostolicam favisse gratiam, existimandum est. Hanc mihi opinionem affert scriptorum, ut dixi, istorum auctoritas, et testificatio de Urbano IV, qui expresse ac singulatim Rosarii fraternitatem ornavit anno MCCLXIII; ideoque et antecessoris anno MCCLX, et successoris anno MCCLXVI circiter intentionem fuisse eodem versam, mihi valde accidit probabile ex annorum conjunctione atque Pontificum consensione. *En totum fundamentum, ab Alano Rupensi aliisque recentioribus constructum, quo speciosa Choquetii argumentatio nititur, et cujus imbecillitas penitius inspicienda est.*

AUCTORE G. C.

ad quam minime pertinent,

376 *Antonius Senensis in Chronico Prædicatorum pag.* 101 *agit de Clemente IV Pontifice, qui varia privilegia Ordini Dominicano concessit, et pagina sequente inter alia unum refert hoc modo :* Indulgentias etiam concessit visitantibus ecclesias nostras in dedicationis ipsarum anniversario die, et octo diebus consequentibus, et in festis beatæ Virginis, divi Dominici patris nostri, et aliorum Sanctorum Ordinis nostri, etc. *Ex his Coppensteinius loco supradicto num.* 6 *infert, has indulgentias confraternitati Rosarii præcipue concessas esse, eo quod illa in ecclesiis Prædicatorum exercitia sua tunc peragere soleret. At supponit id, in quo totus quæstionis cardo vertitur. An igitur hæc illatio sit magis legitima, quam præcedens, peritis logicis dijudicandum relinquimus.*

ut ex ipsis Pontificum illorum verbis,

377 *Ceterum ipsæ Clementis IV litteræ, quas eruditissimus Edmundus Martene nuper in Thesauro Anecdotorum tomo* 2 *col.* 212 *edidit, de confraternitate vel Rosario nullum verbum faciunt ; sed* omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesias ipsas *(scilicet Prædicatorum)* in dedicationibus ipsarum, et anniversario dedicationum earum die, ac usque ad octo dies sequentes, nec non in beatæ Mariæ Virginis, sanctorum Dominici confessoris et Petri martyris, ac etiam aliorum Sanctorum, in quorum honore altaria majora in ecclesiis ipsis sunt constructa, festivitatibus causa devotionis venerabiliter visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi *(inquit Pontifex)* centum dies indulgentiæ de injunctis sibi pœnitentiis, annis singulis misericorditer relaxamus. Datum Perusii v Idus Octobris, Pontificatus nostri anno primo. *Nunc videamus, an de Urbano IV quid amplius probari possit.*

E

et aliorum scriptorum textibus ostenditur,

378 *Imprimis petimus, ubinam Urbanus IV* expresse ac singulatim Rosarii fraternitatem *ornaverit, ut Coppensteinius supra confidenter affirmat. Ne quidem ipse Alani discipulus Michaël ab Insulis id asserere ausus est, dum in Quodlibeto Coloniensi de veritate fraternitatis Rosarii (hoc opusculum Coppensteinius Alano Redivivo sub nomine hujus Michaëlis adjunxit) cap.* 5, *apud nos pag.* 40 *sic scribit :* Nec silentio prætereundum hic puto, quod Urbanus IV QUIBUSCUMQUE nomen Jesu in fine salutationis Angelicæ addentibus pro qualibet vice triginta dies indulgentiarum concessit, quas Joannes XXII successor ejus confirmans, alios triginta dies superaddidit, ut patet in Bulla authentica, quæ habetur in ecclesia Avenionensi, ubi Joannes XXII multis annis stetit. *Si Urbanus IV* quibuscumque *nomen Jesu salutationi Angelicæ addentibus illas indulgentias concesserit, quomodo juxta Coppensteinium iisdem* expresse ac singulatim Rosarii fraternitatem ornavit?

F

quamvis Alanus pro suo arbitrio

379 *Quod hic ad Joannem XXII attinet id Michaël ab Insulis accepit ex magistro suo Alano, qui in Apologia, seu parte* 1 *cap.* 13, *hæc habet :* Pontifex maximus Joannes XXII indulgentiam XXIV hebdomadum, et duorum dierum concessit orantibus Psalterium Mariæ, quod centum quinquaginta salutationibus Angelicis constare definit. Bullæ transumptum vidi; autographum Avenione in Conventu nostro asservatur, ut audii. Idem sexaginta dies indulget ad clausulam cujusque salutationis addentibus voces JESUS CHRISTUS. Centies vero et quinquagesies sexaginta dies indulgentiæ additi supradictis, ingentem

gentem

AUCTORE G. C.

gentem numerum conficiunt. *Non immerito fidem Alani hic suspectam habemus, etiamsi testetur* transumptum *seu ecgraphum Bullæ Joannis XXII a se visum esse : nam etiam asserit, se legisse libros Joannis de Monte ac Thomæ de Templo, quos nullus vidit, et qui verosimiliter numquam exstiterunt, ut* § 2 *hujus Commentarii cum Echardo diximus.*

illas indulgentias Rosario arithmetice aptaverit,

380 *Attamen gratis credamus, ab ipso visum fuisse exemplar Bullæ, qua Joannes XXII indulgentias aliquot dierum largitur recitantibus salutionem Angelicam : Raynaldus enim in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1318 *num.* 58, *et ad annum* 1327 *num.* 54 *meminit de duabus hujusmodi litteris, quas Joannes XXII Avenione dedit, et quibus indulgentias decem dierum concedit omnibus Christi fidelibus, qui salutationem Angelicam ad vespertinum campanæ pulsum recitaverint. At Alanus videtur similes indulgentias, nescio qua auctoritate, ad Psalterium seu Rosarium arithmetice transferre, easque pro numero salutationum Angelicarum multiplicare, et ad plures annos augere : nam centies quinquagesies numerati sexaginta dies indulgentiæ conficient* indulgentiam XXIV annorum, XXXIV hebdomadum, et duorum dierum, *quam Alanus supra* B *exprimit, ut calculos subducenti patebit. Sed quid, obsecro, hic computus ad probandam confraternitatis Rosarii antiquitatem spectat? Ex ipsis Pontificum bullis ostendendum esset, Urbanum IV et Joannem XXII illas triginta vel sexaginta dierum indulgentias pro numero salutationum Angelicarum multiplicasse et extendisse ad confratres, qui Psalterium seu Rosarium recitarent.*

cumque in hac re secutus sit Coppensteinius,

381 *Coppensteinius tamen lib.* 2 *Operis supradicti cap.* XI *num.* 5 *in hunc finem eodem argumento arithmetico sic clarius utitur :* Urbanus IV ut salututionem Angelicam assidue pieque frequentare solitis calcar. adderet, et devotionem exaugeret ; eumdem, ut testes fiunt illius complures, constat ad salutationem Angelicam solenni decreto sancivisse, addendas esse hasce voculas Jesus Christus; simul addidisse in gratiam earumdem pronuntiantibus illas, XXX dierum indulgentiam : ut, qui unum orasset Psalterium Mariæ, is XII annorum, hebdomadarum XVIII *, et unius diei commereretur remissionem. Easdem confirmavit aliquanto post Joannes XXII, atque etiam alterum tantum addidit sub annum C Domini MCCCXXX. *Hinc cap.* 14 *ejusdem libri num.* 4 *vestigiis Alani insistit, et computum ita duplicat :* Joannes XXII orantibus Psalterium remissionem annorum XXIV, hebdomadumque XXXVI *, et dierum duum erat elargitus litteris publicis sub annum MCCCXXX. Bullæ transumptum vidit Alanus, et testatur, autographum in Conventu Avenionensi asservari.

* lege XVII

* lege XXXIV

cum tamen nemo hactenus talia Pontificum diplomata protulerit.

382 *Si tempore Alani de Rupe Bulla ista Joannis XXII servabatur in Avenionensi Prædicatorum Conventu, et ad confraternitatem Psalterii seu Rosarii pertinebat, vehementer miramur, illam non fuisse communicatam Vincentio Bandello, generali Ordinis Magistro, qui anno* 1505 *plures veterum Pontificum litteras, in favorem Ordinis sui concessas, constitutionibus subjunxit. Mirum quoque est, quod ea latuerit Josephum Stephanum Valentinum, et Petrum Louvetum, qui Bullas Romanorum Pontificum, ad confraternitatem Rosarii spectantes, studiose in supradictis libellis vulgarunt. Si nihilominus adhuc proferri possit genuinum Joannis XXII diploma, in quo de confraternitate Psalterii seu Rosarii expresse meminit, contra opinionem Martini Navarri et Jacobi Echardi libenter fatemur, confraternitatem illam ante tempora Alani et Jacobi Sprengeri floruisse. Quod si quoque* D *tales Urbani IV litteræ producantur, jam inde* S. Dominicum, *non Rosarii dumtaxat, sed etiam confraternitatis istius auctorem asserimus, et ea conditione RR. PP. Prædicatoribus victoriam, in hac materia de omnibus adversariis suis relatam, ex animo gratulamur.*

Præter alios Romanos Pontifices,

383 *Atque hæc præcipua argumenta, quibus Choquetius antiquitatem confraternitatis Rosarii tuetur : quæ enim ex verbis venerabilis Humberti et litteris Petri a Vineis repetit, facile de aliis congregationibus aut tertio Ordine Minorum et Prædicatorum intelligi possunt. Forte similibus ratiociniis sive testimoniis inductus fuit Sixtus V Pontifex, ut inter suos decessores, qui confraternitatem Rosarii privilegiis ac indulgentiis promoverant, Urbanum IV et Joannem XXII recenseret. Eruditi Catholici passim norunt, Romanos Pontifices in hujusmodi Bullis non confirmare facta historica, quæ in illis occurrunt, sed ea plerumque simpliciter referre, prout probabiliter suggeruntur, quemadmodum superius occasione primi Inquisitoris ex Angelo Manrique retulimus. His de confraternitate Rosarii discussis, ad ipsam Rosarii originem* E *redeamus.*

S. Pius V institutionem Rosarii S. Dominico adscribit,

384 *Pius V hanc institutionem* S. Dominico *clare adscribit, et in Bulla anni* 1569 *apud Louvetum pag.* 79 *inter alia sic loquitur :* Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatus beatus Dominicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor (cujus institutum et regulam, cum in minoribus essemus, expresse professi sumus) simili qua nunc temporis occasione, qua Albigensium hæresis [per] partes Galliarum et Italiæ misere grassabatur, et tam multos excæcaverat seculares, ut in Domini sacerdotes et clericos sævissime furerent, levans in cœlum oculos, et montem illum gloriosæ virginis Mariæ, almæ Dei genitricis, quæ germine suo tortuosi serpentis caput obtrivit, et cunctas hæreses sola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris mundum primi parentis lapsu damnatum salvavit, et de quo sine humanis manibus abscissus est lapis ille, qui ligno percussus, gratiarum aquas affluentes produxit, respiciens, modum facilem et omnibus pervium, ac admodum pium orandi et precandi Deum, Rosarium seu Psalterium ejusdem beatæ Mariæ virginis nuncupatum, quo eadem beatissima Vir- F go salutatione Angelica, centies et quinquagies ad numerum Davidici Psalterii repetita, et oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam ejusdem Domini nostri Jesu Christi vitam demonstrantibus, interposita veneratur, excogitavit, excogitatum per sanctæ Romanæ Ecclesiæ partes propagavit *etc. Gregorius XIII; aliique quidam Pontifices Romani, de quibus superius mentio facta est, cum sancto Pio V consentiunt. Sed observa, omnes illos Christi Vicarios, qui de Rosario aut confraternitate istius meminerunt, post tempora Alani de Rupe Ecclesiam gubernasse.*

quam tamen opinionem viri apprime Catholici

385 *Non diffitemur, magnam esse Pontificum Romanorum auctoritatem, eamque huic opinioni non exiguum pondus addere : attamen in hac materia talis non est, ut viri Catholici ac eruditi prohibeantur illa questione, pure historica, publice disputare, ac inter se dissentire. Sic R. D. Nebridius Mundelheimius ex Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini post hæc omnia summorum Pontificum diplomata putat, originem Rosarii antiquiorem esse ætate* S. Dominici, *ut in Antiquario Monastico secundæ editionis pag.* 314, *sive in fine epistolæ* 70

indicat,

indicat, ubi quemdam Ordinis sui Fratrem ita alloquitur : Tu Rosarium tuum cura, quo post Breviarium Deus nihil (puto) in Ecclesia nobilius, et ad impetrandum efficacius instituit, quo etiam tui similes laïci facillime uti possunt : quid enim de mercibus divinis non ibi latet ? Habes orationem Dominicam, habes fidei symbolum ibi, habes et salutationem Angelicam, qua Reginæ cœlorum quid acceptius et suavius ? *Postquam deinde exemplo B. Mechtildis probavit, quam grata sit beatissimæ Virgini salutatio Angelica, ibidem sic pergit :* Quo vides, Josippe, quam pretiosa gemma sit Angelica salutatio, quibus pene solis constat Rosarium. Petri eremitæ hæc inventio est, cui magnum deinde incrementum dedit sanctus Dominicus.

et eruditi non admittunt.

386 *Eruditissimus Mabillonius in Præfatione ad Acta Sanctorum seculi* v *Benedictini num.* 125 *varias de hac institutione sententias ita refert* : Sed veniamus tandem ad id, cujus gratia hæc adducta sunt ; nempe ad Rosarii originem, videamusque an de illo mentio facta sit in concilio Celichitensi. Rosarium constat orationibus Dominicis quindecim, et salutationibus beatæ Mariæ centum quinquaginta. Corona (quam vocant) beatæ Virginis habet sex septemve decadas salutationum cum sex aut septem orationibus Dominicis, pro diversa auctorum sententia de annis ejus vitæ. De Rosarii auctore variæ sunt opiniones. Alii ad sanctum patrem Benedictum, alii ad venerabilem Bedam, alii ad Petrum eremitam, alii denique ad sanctum Dominicum Prædicatorum institutorem referunt. *Postmodum in eadem Præfatione num.* 128 *hæc addit :* De Rosario, quod quinquaginta supra centum salutationes cum quindecim orationibus Dominicis complectitur, in Actis sancti Dominici, cui hoc inventum ante annos ducentos tribuitur, nulla mentio est. Thomas Cantipratensis Ordinis Prædicatorum, Dominico suppar, tres salutationum quinquagenas, a quibusdam beatæ Mariæ devotis frequentari solitas, semel et iterum memorat : at de auctore nihil dicit. *Inter hos viros Catholicos, qui similibus Pontificum Romanorum diplomatibus contraria sentiunt, numerandus est nuperus Ordinis Præmonstratensis scriptor Hispanus, cujus verba huc spectantia paragrapho præcedente num.* 361 *allegavimus. Etiam iisdem accenseri possent omnes illi, qui primam Psalterii seu Rosarii institutionem ad antiquiora tempora referunt, et quorum opiniones, earumque refutationes, proponemus paragrapho sequente, ubi interdum sine ulla litis decisione nostras aut alienas animadversione immiscebimus.*

§ XXI. Argumenta illorum, qui originem Rosarii putant antiquiorum ætate S. Dominici, et ad ea responsiones, variæque ad hæc responsa observationes.

Mabillonius originem Rosarii seculo circiter decimo,

Etsi ab ineunte Christi Ecclesia, *inquit Mabillonius in Præfatione ad Acta Sanctorum seculi* v *Benedictini num.* 115, beatissimæ virginis Mariæ cultus receptus (ut decebat) propagatusque sit, subinde tamen incrementum accepit. Neque illud insuper habendum, quod ex quatuor primis conciliis unum, scilicet Ephesinum, ad asserendam ipsi Matris Dei superexcellentem dignitatem coactum sit in ecclesia eidem nuncupata, ubi multis (ut par erat) elogiis a Patribus donata est. Procedente tempore sensim in ejus honorem varia festa statuta sunt. At seculo decimo pronior in ipsam fidelium devotio facta : tria quippe sub id tempus instituta sunt ; videlicet sabbato ejus memoria, et abstinentia a carnibus etiam extra jejunia ; Officium parvum ; et numeratæ preces seu salutationes Angelicæ ad numerum dictæ, quod coronam vel Rosarium vocant. *Mabillonius videtur his posterioribus verbis originem Rosarii ad seculum circiter decimum referre.*

et alii auctores prioribus seculis affigunt,

388 *Alii tamen scriptores non exiguæ auctoritatis, ut Joannes Lopez ex Ordine Prædicatorum, ad cathedram Crotonensem in Calabria evectus, in opere Hispanico de Rosario Deiparæ lib.* I *cap.* 2 *num.* 6 *fatetur, usum Rosarii ab Apostolorum tempore repetunt, eumque primis Ecclesiæ Catholicæ seculis floruisse contendunt. Quinimo Joannes Rebellus existimat, Apostolos Rosarium instituisse, ac primis Christianis præscripsisse, ut hoc modo exstinguerent aut commutarent superstitiosum ritum paganorum, qui ex calculis filo inductis quamdam Rosarii speciem efficiebant, et in cultu suorum idolorum numeratas aliquot orationes obmurmurabant. Hinc nonnulli objiciunt exemplum S. Bartholomæi Apostoli, qui centies interdiu et toties noctu orasse fertur. Quidam allegant consuetudinem Pauli Ægyptii, qui quotidie recitabat trecentas orationes, quas totidem lapillis designabat, ut Palladius in Historia Lausiaca cap.* 23 *testatur. Sed cum non exprimatur, quales fuerint illæ præces, Choquetius cap.* 22 *memorati sui Operis objectiones hujus facile refellit. Quare nos, omissis incertis aut obscuris istiusmodi historiis, quarum veritatem vel circumstantias scrupulosius examinare non vacat, adducemus ea tantum argumenta, quæ prima fronte majorem difficultatem videntur habere, dum præsertim magna cum confidentia ab auctore quodam intrepide proponuntur.*

inter quos Alanus illam refert ad tempora S. Benedicti

389 *Primo talis est assertio Alani de Rupe, qui in sua Apologia, sive Part.* 1 *Alani Redivivi cap.* 8, *usum Rosarii fidenter S. Benedicto sic adscribit :* Sanctus Benedictus porro, sacri Ordinis amplissimi patriarcha dignissimus, ea cura et religione sanctum in Psalterio salutatorio cultum Dei, familiarem sibi perpetuumque voluit, et observavit sic, ut eo tam divinæ monasticæ institutionis fundator et auctor fieri mereretur. Tanti Patris ab exemplo sacer mox chorus Fratrum universus per orbem late secum circumtulit Psalterium, et cetera præter consueta Ordinis exercitia divina, istud quoque velut privatum quisque in deliciis suis secretioribus deamavit interius, et in eo almam Virginem Matrem, sponsam sponsi sui, sancta quadam familiaritate cordialibus dissuaviavit, ut doctor quidam Joannes de Prato traditum reliquit. *Similia Part.* 2 *cap.* 2 *repetit, et ibidem declarat, testem hujus historiæ Joannem de Prato ex Ordine Benedictino fuisse. Sed nullus bibliographus de tali auctore Benedictino meminit, ita ut non prorsus temere suspicer, hunc Joannem de Prato cum Thoma de Templo ac Joanne de Monte inter scriptores fictitios collocandum esse. Quod porro ad rem ipsam spectat, ipse Mabillonius eruditissimus Benedictinus notitiam Rosarii sancto suo fundatori ingenue abjudicat, ut mox verbis ejus referemus.*

et venerabilis Bedæ.

390 *Pari confidentia Alanus Part.* 1 *cap.* 8 *instaurationem Psalterii seu Rosarii tribuit venerabili Bedæ :* Post hos, *inquit,* venerabilem Bedam excitavit sibi Deus, qui tota Anglia, Britannia, et Francia longe lateque Psalterii Mariani inter-

AUCTORE G. C.

missam frequentationem prædicationibus suis instauravit. Atque ex eo gentes illæ, imprimis Anglicana, in hanc usque diem eo Psalterium hoc amore et honore complexa est, ut passim in ecclesiis videre esset suspensa fixaque oraria complura, publicum ad usum omnibusque communem, quibus templum ingressis ad ea suas fundere preces Deoque libare placuisset. Tenuit ea sat diu religio; sed et ipsa demum labentibus annis, usuque tritis et deperditis in publico, ut vocabant, patriloquiis, raritatem ac sui tandem in vulgus oblivionem accepit. *Fere eodem modo id ipsum Part. 2 cap. 2 iterum affirmat. Joannes de Marieta, scriptor Hispanus ex Ordine Prædicatorum, hanc Alani opinionem amplectitur, dum in Historia ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ Part. 3 lib. 8 cap. 3 asserit, venerabilem Bedam recitationem Rosarii, post tempora Apostolorum intermissam, in Anglia renovasse. Imo ibidem narrat, quomodo usus ille, postea iterum collapsus, a monacho quodam Cartusiano, cui nomen erat Eloï, in Germania ante ætatem* S. Dominici *restauratus fuerit. Choquetius refellit utramque illam sententiam, et pag.* 444 *rejicit hanc Eloïni historiam, tamquam sibi ignotam, ex qua certe sequeretur,* S. Dominicum *non fuisse primum Rosarii repertorem. Nos* B *eamdem Eloïni historiam frustra apud veteres Ordinis Cartusiensis scriptores quæsivimus, adeoque fidem illius penes F. Marietam relinquimus.*

cui posteriori difficultati Choquetius

391 *Porro aliqui ad confirmandam venerabilis Bedæ restaurationem in hac materia addunt, Rosarium in Anglia ab illo Beda nomen suum traxisse, atque hinc Anglice* bedes *vocari, ut Angli pronuntiant, etiamsi vocem illam* beades *scribant. Non placet hæc etymologia Mabillonio, qui loco mox citando censet, Rosarium aliunde sic Anglice appellari potuisse, nempe a* beltide, *de qua voce statim inferius plura occurrent. Interim audiamus Choquetium, qui pag.* 443 *præfati operis huic difficultati ita respondet:* Sanctum ac venerabilem Bedam, calculos filo nectendi modum in Britanniam invexisse fatemur, ad quos singulas orationes Dominicas, et forte salutationes quoque Angelicas majore aut minore numero fideles orarent; et hoc picturis, vetustisque Angliæ monumentis damus. Ceterum ut Psalterii Mariani inventor aut observator fuerit, plane negamus. Et revera C maximo Ecclesiæ, Christianæque reipublicæ commodo, plurima suæ pietatis eruditionisque argumenta ad posteros transmisit divinus vir; et cum maxima, minima, sit prosecutus, ne verbum tamen de Rosario scripsit; facturus haud dubie, si illius repertor aut restaurator exstitisset. Quocirca Joannes Sagastizaval constanter asserit, non vidisse se in historia ulla, Rosarii olim in Benedictino aut Cisterciensi Ordine cogniti authentica monumenta. Nec certe si Beda aliusve Rosarii auctor, restitutor, cultorve fuisset, id tacuissent, innumeri pii, sancti, et Deiparæ studiosissimi illorum Ordinum scriptores, vel saltem ex omnibus unus. *Ita ille.*

non satis apte respondet,

392 *Præter alia, quæ in hoc responso notari possent, primo observamus, Choquetium hic nimis scrupulose Alano credidisse, ne ei etiam in aliis narrationibus fidem abrogare videretur: si enim ætate Alani adhuc vestigia Rosariorum istorum in Anglia supererant, unde probabitur, illa venerabilis Bedæ Psalteria seu Rosaria ab hodiernis diversa fuisse? Secundo credulus ille Alani vindex sua responsione totum ejus argumentum enervat ac frivolum reddit: nam si Psalteria Bedæ ab Alanianis discrepabant, frustra Alanus exemplo Bedæ aliorumque veterum se tuetur, et ridicule ex precibus alterius* D *formæ probat antiquitatem sui Psalterii seu Rosarii, cujus novitas, vel potius nova instauratio, impugnabatur. Tertio Choquetius contra seipsum arma suppeditat, dum hic ex silentio veterum ratiocinatur: nam hoc argumentum negativum potiori jure in ipsum retorqueri potest, ut postea dicetur.*

et quam Mabillonius breviter solvit.

393 *Quapropter Mabillonius in laudata Præfatione ad Acta Sanctorum seculi V Benedictini num.* 125 *hanc Alani narrationem implicite explodit, et ibidem huic objectioni brevius ita respondet:* Si salutationis Angelicæ usus nondum invaluerat (ut superius ostendimus) ævo sancti Benedicti, neque Bedæ, frustra ejus (*nimirum Rosarii, de quo agit*) institutio ad illa tempora revocatur. Huc id torquent, quod Rosarium apud Anglos BEDES nomine appellatur, tamquam a Beda auctore. At potuit alia de causa sic vocari, puta a beltide; quæ vox in concilio Celichitensi usurpatur, et quidem pro Rosario, ut Spelmannus existimat. *Præcipuum hujus responsionis fundamentum jactum est in eadem Præfatione, ubi Mabillonius de usu et progressu salutationis Angelicæ disserit, ut ibidem num.* 118 *et sequentibus licet videre. Ceterum dubitamus, an statim ab omnibus admittenda sit derivatio Anglicæ appellationis* bedes (*Angli* beades *scribunt, ut supra monuimus*) *a voce* beltis, *cujus* E *posterioris significatio nunc inquirenda est.*

Nonnulli scriptores putant, in concilio quodam Anglicano,

394 *Anno Christi* 816 *in Anglia celebratum est concilium apud Celichyth, quod Labbeus noster tomo* VII *Conciliorum col.* 1484 *et sequentibus edidit. Canone decimo istius Synodi ordinantur ea, quæ facienda sunt, dum quis episcopus e vivis excessit, et post determinatum numerum psalmorum ac Missarum, certaque misericordiæ opera, quæ pro anima defuncti indicuntur, inter alia apud eumdem Labbeum col.* 1489 *statuitur, ut* septem beltidum Pater noster pro eo cantetur. *Hæc obscura expressio ingenia multorum torsit, et hactenus non convenit inter eruditos, quid voce* beltidum *proprie significetur. Dominicus Magri in Hierolexico ad vocem* beltis *citat verba hujus synodi Celichytensis, et ipsius judicio est* beltis, instrumentum ad preces et orationes Dominicales, salutationesque Angelicas dinumerandas, sicuti cum corona seu Rosario hodie calculamus. *Frater autem ejus Carolus Magri ibidem hæc addit:* Septem beltidum puto vices significare, quod ab Hispanis SIETE BUELTAS, Italice SETTE VOLTE, id est septem vices, a F VOLVENDO verbum vulgariter deductum. *At hæc ultima* beltimum *explicatio, ex idiomate Hispanico aut Italico deducta, non immerito quibusdam nimis violenta ac longe accersita videbitur. Adde, quod* buelta *Hispanice non significet* vicem; *sed præter alias significationes, quas ea vox habet, plerumque pro reditu aut circuitu accipiatur.*

quod anno Christi 816 habitum est.

395 *Unde potius in ea Caroli Macri hypothesi per vocem* beltis *intelligeretur circuitus vel circulus, qui volvendo ac recitando Rosario fieri consuevit: nam voces initiales orationis Dominicæ* Pater noster, *quæ in hac synodo Celichytensi diserte exprimuntur, communiter pro Rosario sumi, quotidiana experientia nos docet. Neque id novum est, quandoquidem F. Petrus Dacus ex Ordine Prædicatorum, qui Acta B. Christinæ Stumbelensis seculo* XIII *conscripsit, apud nos tomo* IV *Junii pag.* 314 *testis oculatus de socio suo F. Nicolao hæc narrat:* Dedit autem Nicolaus Christinæ suum PATER NOSTER, quod personaliter quatuor annis portaverat. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 411 *ad hunc F. Petri Daci textum notat sequentia:* Cum per illud PATER NOSTER aliud non possit

intel-

A intelligi, quam quod nunc Corona vel Rosarium dicitur, hinc argumentum est, nostris tum in usu fuisse coronas illas seu globulorum certo numero seriem filo trajectam et firmatam ad zonam continuo ferre. *Plura hujus significationis exempla apud eumdem Echardum tomo proxime citato pag.* 852 *videre est, ex quibus patet, vocem* Pater noster *seculo* XIII *et sequentibus communiter pro Corona aut Rosario usurpatam fuisse. Sed inde nondum manifeste sequitur, illam vocem* Pater noster *in synodo Celichytensi eamdem significationem habere.*

voce beltis *significari Rosarium,*

396 *Henricus Spelmannus in Glossario archaiologico ad nomen* beltis *recitat verba hujus synodi Celychitensis, putatque, ibi illa voce indicari* Rosarium, quo precantes usi sunt, *eamque derivat a radice Saxonica* belt, *quæ* cingulum *significat. Sed quid cingulum, inquies, hic ad rem facit? Respondeo, nomen* beltis *a radice Saxonica* belt, *id est,* cingulo *deduci potuisse, quia fortasse cultores Deiparæ Rosaria e cingulis suis pendula gestare consueverant, ut ex numero præcedente colligitur. Certe* S. Dominicus *adhuc in tenera ætate Rosarium suum ita gestavit, si Alano Rupensi credimus, qui* B *Parte 2 cap. 3 de sancto illo Puero narrat sequentia:* Neque orare tantum, sed et e zonula secum gestare pendulum, plus quavis aurea gemmatave torque, delectabatur. Hausisse illud cum materno lacte potuit, aut ab ecclesiastico dato ejus pueritiæ rectore, atque magistro, imbibisse: verum altior homine indoles Pueri, altiore digna Deo visa fuit disciplina magistra. Itaque Maria Virgine hoc ipsi revelante, cum adhuc circiter decem esset annorum, Psalterium semper portavit et oravit. *Si hæc vera sint, ultro se mihi offerunt quædam difficultates, quibus conciliandis aut dissolvendis me imparem libenter confiteor: si enim Sanctus hunc singularem orandi modum cum materno lacte hausit, aut ab avunculo pueritiæ suæ rectore didicit, quomodo dicitur illum primus invenisse? Si adhuc puerulus,* Maria virgine hoc ipsi revelante, *Psalterium seu Rosarium portavit et oravit, quomodo primum Deipara, in silva Tolosana apparens, hunc orandi modum eidem Sancto revelavit, illumque* instruxit de Rosarii ritu atque ordine, *ut ex Nicolao Janssenio supra retulimus? His obiter ex occasione observatis, ad propositum nostrum revertamur.*

C

quæ etymologia non satis clara est;

397 *Doctissimus Cangius in Glossario ad eamdem vocem* beltis *refert quædam synodi jam sæpius memoratæ verba, iisque hæc subdit:* Quo loco beltidem, Rosarium interpretatur Spelmannus, deducitque a Saxonico belt, id est cingulum. Verum, an Rosarii usus ea tempestate exstiterit, jure addubitari potest. *Viderat has diversas auctorum opiniones eruditissimus Mabillonius, et de obscura illa controversia sic judicium suum profert:* His verbis beltidum Pater noster certum orationum Dominicarum numerum designari non dubitamus. Spelmannus de Rosario interpretatur a Saxonico belt, quod cingulum significat. Verum, utrum illo tempore Rosarium esset in usu, merito addubitari potest, inquit doctissimus Cangius. Mihi vero videtur esse recentius inventum: sed tamen certum (ut jam dixi) orationum Dominicarum numerum illis verbis signari, perspicuum videtur. Cum vero de salutatione Angelica, quæ Rosarii præcipua pars est, nulla ibi mentio sit, neque ad Rosarii antiquitatem ostendendam assumi potest hic locus. Certe numeratæ orationes in usu erant longe ante seculum ix, teste Palladio, ubi agit de Paulo Ægyptio, qui trecentas quotidie orationes, numeratis in sinu suo trecentis calculis, recitabat. Nihil tamen vetat, quo minus vocabulum beltis, quod solas orationes Dominicas certo numero recitatas primo significabat, postea ad Rosarium significandum (si quidem id aliunde probari potest) usurpatum sit. *Nos ulteriorem hujus ambiguæ vocis indagationem philologis relinquimus, et ad alia argumenta progredimur.*

Auctore G. C.

alii vero ex quibusdam historicis colligunt,

398 *Guilielmus Malmesburiensis lib. 4 de Gestis pontificum Anglorum cap. 4 apud nos pag. 289 laudat comitem Leofricum et uxorem ejus Godivam, qui anno Christi* 1040 *monasterium Conventreiense in Anglia fundarunt, et ibidem ad præsentem quæstionem spectantia hæc habet:* In ambabus porticibus Conventreiæ jacent ædificatores loci præcellentissimi conjuges, quorum maxime prædicatur femina; quæ cum thesauros vivens ibi totos congessisset, jamjamque moritura circulum gemmarum, quem filo insuerat, ut singularum contactu singulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret; hunc ergo gemmarum circulum collo imaginis sanctæ Mariæ appendi jussit. *Sed hoc exemplum rem necdum conficit, cum clare ex eo probari non possit, preces illas, quas Godiva, tactis singulis gemmei circuli globulis, ad certum numerum* E *recitabat, pro orationibus Dominicis et salutationibus Angelicis accipiendas esse. Quare pergamus ad aliam seculi undecimi exeuntis historiam, in qua salutationes Angelicæ evidenter exprimuntur.*

recitationem Rosarii seculo undecimo,

399 *Herimanus abbas S. Martini Tornacensis et scriptor synchronus in Spicilegio Acheriano novissimæ editionis tomo 2 pag.* 905 *narrat, quemdam eremitam commorantem in silva Hannoniæ, quæ Brocherota* vocatur, revelationem habuisse de Theoderico Avesniensi, in Dei judicium postulato, de quo S. Waldetrudis et S. Aldegundis conquerebantur, eo quod in bello contra Balduinum Montensem monasteriis earum grave damnum intulisset. Deinde auctor subdit, Deiparam pro eo intercessisse, ac duabus hisce Sanctis ultionem postulantibus ita respondisse:* Parcite, quæso, mihique nolite esse molestæ, quia nolo ad præsens eum gravare: uxor enim ejus domina Ada quoddam servitium mihi facit, quo me sibi sic familiarem adstringit, ut nec ipsi nec marito ejus pati possim aliquid inferri gravaminis. Cumque illæ Sanctæ requirerent, quod esset illud servitium, respondebat: Angelicam illam salutationem, quæ in terris principium mihi lætitiæ exstitit, singulis diebus F mihi sexagies replicat; et vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando aut in ecclesia, aut in cubiculo suo, aut in aliquo secreto loco, Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, mihi commemorat. *Denique Herimannus eadem pagina addit, hanc rem ita divulgatam fuisse,* ut etiam Gosceguinus..., qui avunculo suo præfato Theodorico successit, easdem salutationes beatæ Mariæ quotidie replicaret, militibusque suis eas dicere suaderet. *Majores nostri die* IX *Aprilis in Appendice ad Acta S. Waldetrudis, tomo 1 istius mensis pag.* 842 *eamdem narrationem ex Ms. ediderunt.*

* *al.* Brocheroia

et ineunte duodecimo usitatam fuisse;

400 *Lucas Acherius ex Ordine S. Benedicti, qui eodem circiter tempore hanc historiam typis vulgavit, in utraque Spicilegii sui editione ad illam notari jubet,* Rosarium B. Virginis, vulgo chapelet, tunc usitatum *fuisse. Mabillonius autem in memorata Præfatione num.* 127 *post relatam ejusdem historiæ synopsim, sic ex ea concludit:* Hinc initium puto Coronæ beatæ Viginis, quam eo tempore, id est ineunte duodecimo seculo, novam fuisse ex his Herimanni verbis intelligitur. Quod

AUCTORE G. C.

si eremita ille idem sit cum Petro eremita, cui a Polydoro Virgilio inventum Rosarii tribuitur, hinc apparet, quo fundamento id dictum sit, quia scilicet hanc Adæ in beatissimam Virginem devotionem in publicum vulgavit. *Circa hanc brevem Mabillonii conclusionem sequentia notanda occurrunt. Primo in tota illa narratione non fit mentio de orationibus Dominicis, quæ tamen proprie ad constituendam Coronam requiruntur. Quod si quis contendat, illas satis subintelligi, et hic a majori parte sumi denominationem, haud gravate fatebimur, ibi Coronam Deiparæ indicari: sed tunc alia superest difficultas: nam Corona differt a Rosario, ut sub finem paragraphi præcedentis ex ipso Mabillonio diximus. Secundo Polydorus Virgilius institutionem Rosarii Petro eremitæ tribuit, ut ex verbis illius mox referendis patebit. Et eremita iste, qui devotionem Adæ in publicum protulit, non potest dici divulgasse Rosarium, si stricte loquamur, etiamsi Lucas Acherius Coronam cum Rosario confundat. Tertio probandum est, Petrum eremitam tunc in silva Brocherota habitasse, antequam vagam illam Mabillonii conjecturam admittamus. Nos vero hactenus invenire non potuimus, Petrum istum umquam eo loco anachoreticam vitam duxisse.*

B

sed ea exempla rem prorsus non conficiunt,

401 *Polydorus Virgilius lib.* 5 *de Inventoribus rerum cap.* 9 *inventionem Rosarii famoso Petro Ambianensi, qui vernacule* l'Eremite *cognominabatur, attribuit his verbis :* Ceterum ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam Dominicam precem cum Angelica salutatione recitaremus, est modus orandi postremo inventus per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus modo preculas, modo Pater-nostros appellat. Ii numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo (sunt enim perforati) et quot hi sunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam salutationem ter numerum ineundo recitent; terque symbolum brevius inferant ; et id divæ Mariæ virginis Psalterium nuncupant. Ejus rei auctor fertur Petrus Eremita, homo Gallus, civis Ambianensis, qui abhinc annos quadringentos triginta, hoc est circiter annum salutis humanæ millesimum nonagesimum, sanctitate floruit, egitque cum Urbano Romano Pontifice, ut bellum Asiaticum a nostris sumptum fuerit, quo Hierosolyma recepta sunt. Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modo et ligno, succino, et corallio, sed ex auro argentoque fiant *etc. Vides hic sat claram descriptionem Rosarii, quod Petro Eremitæ ab illo auctore adscribitur.*

C

ut censemus cum Choquetio,

402 *Choquetius pag.* 443 *et sequente ad hanc difficultatem sic leviter respondet :* Nostra de Petro Lermitano sententia est, eum rationem ad calculos filo inductos precandi non invenisse quidem, sed prius a Beda repertam in Gallorum gentem invexisse, illamque Cruce-signatis, quos in Palæstinam duxit, proposuisse. Antecessit siquidem eum venerabilis Beda trecentis sexaginta septem annis, cum vixerit anno septingentesimo vigesimo tertio; Petrus vero millesimo nonagesimo. Nisi dicamus, modum sphærulis preces adnumerandi, a Beda primo inventum, penitus interiisse, et a Petro denuo restitutum, cujus rei gratia ab illo facinore Lermitani posteros globulorum decadem gentilitiis insignibus additam gestare, quod ex antiquo numismate expressum suo de Vita Lermitani libro Gallico inseruit Petrus Doultreman Societatis Jesu. Nostram hanc sententiam et interpretationem probat ipse Petrus Doultreman, qui dicti libri cap. XI diserte tradit, primum Rosarii seu repertorem, seu præconem, fuisse beatissimum parentem nostrum Dominicum.

D

in cujus responsione tamen quædam improbamus.

403 *Sed Choquetius in hac responsione dissimulat, quod Doultremannus noster loco citato Rosarium a Corona distinxerit, et Petrum Eremitam hujus,* S. Dominicum *vero illius primum inventorem fecerit. Arnoldus Wionus ex Ordine S. Benedicti has duas orandi formulas etiam accurate inter se distinguit lib.* 5 *Ligni Vitæ, apud nos Part.* 2 *pag.* 837, *ubi Petro Eremitæ institutionem Coronæ et* S. Dominico *originem Rosarii adscribit. At Benedictus Gononus inter Vitas Patrum Occidentis lib.* 5 *pag.* 327 *in Actis Petri Eremitæ, nulla Rosarii facta mentione, ad rem præsentem profert sequentia :* Petrus Eremita, beatæ Mariæ virgini Dei Genitrici valde devotus, instituit Coronam illius, quam militibus quotidie recitandam dedit. *Sed horum trium aliorumque recentium scriptorum erat probare, quod Polydorus Virgilius Rosarium, cujus formam et numerum studiose explicat, cum Corona confuderit. Verumtamen auctoritatem istius Polydori, qui circa medium seculi decimi sexti floruit, non tanti facimus, ut propterea institutionem Rosarii* S. Dominico *abjudicemus. Quapropter hic postremo loco majoris antiquitatis ac ponderis testimonium producimus.*

E

Quare producimus exemplum S. Ayberti

404 *In Opere nostro ad diem* VII *Aprilis occurrunt Acta S. Ayberti (Choquetius Albertum nominat) monachi reclusi in Hannonia, qui anno Christi* 1140 *obiit, in quibus Robertus archidiaconus et biographus coævus tomo* 1 *istius mensis pag.* 677 *inter alia orationis exercitia hoc commemorat :* Centies in die flectebat genua, et quinquagesies prostrato corpore, scilicet articulis et digitis sublevato, in unaquaque flectione dicens : AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM, BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI. *Ex his sequitur, S. Aybertum centies flexis genibus et quinquagesies prostrato corpore salutationem Angelicam recitasse, atque ita quotidie Deiparam honorasse* tribus quinquagenis, *ut Thomas Cantipratensis lib.* 2 *Apum cap.* 29 *num.* 6 *loquitur occasione cujusdam juvenis, quem beatissima Virgo ob simile salutationum Angelicarum pensum ad gloriam invitavit, ubi etiam num.* 8 *narrat prodigium de altero juvene,* qui, quamvis esset totaliter seculo deditus, beatæ tamen virgini Mariæ devotus, quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exsolvebat.

F

qui ineunte Seculo XII quotidie 150 salutationes Angelicas recitabat

405 *Choquetius non diffitetur, eumdem salutationum Angelicarum numerum S. Ayberto quotidie usitatum fuisse, dum pag.* 432 *hæc sibi objicit :* Insuper Albertus monachus, qui sub Paschali II vixit, annum circiter MCV, solitus erat, teste Surio *(potius testem appellasset Robertum synchronum, ex quo Surius Vitam S. Ayberti dedit)* centies interdiu, et quinquagesies noctu salutationem Angelicam orare. *Deinde pag.* 438 *id ipsum repetit, et simul de præfata Ada Hannoniensi meminit his verbis :* Ada (quam nunc addimus) uxor Theodorici Avesnensis sexaginta quotidie Angelicas salutationes orabat, quæ vixit anno MLXXX. Albertus monachus centum quinquaginta; quo numero ille Psalterium referebat, et ad Rosarium accedebat magis : at Rosarium non dixit, ut mox patebat. *Cur, obsecro, S. Aybertus suis* tribus quinquagenis *Rosarium non dixit, cum juxta ipsum Choquetium pari salutationum Angelicarum numero illud dixerint duo isti juvenes, quos Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 29 *num.* 6 *et* 8 *commemorat ?*

406

A *quo se frustra extricare conatur Choquetius.*

406 *Audiamus tamen Choquetium ibidem pag. 438 et 439 respondentem, ubi post quædam dicta de veteri psalmorum Davidicorum usu sic effugium quærit :* Alii, *inquit*, quibus forte tantæ lectioni otium non erat, quot Davidici Psalterii hymni sunt et carmina, tot orationes Dominicas fundebant; et hocce pietatis studium Psalterii quoque nomine significabant, illudque sæpius repetebant anachoretæ. Alii augustissimæ Deiparæ totidem eulogiarum seu Angelicarum salutationum canonem et Psalterium pendebant; e quibus Albertum monachum fuisse fatemur, et gratulamur. At eos Rosarium non tenuisse, sed illi dumtaxat prælusisse, certissimum est : defuit siquidem illis ipsa Rosarii species et forma; interpunctio scilicet decadum per adjunctam orationem Dominicam, et mysteriorum distinctio atque meditatio. Quemadmodum enim rudis atque indigesta lapidum lignorumque moles, domus non est, donec artis formam induat, ita Rosarium non est Angelicarum salutationum repetitio, frequentia et acervus; sed earumdem in quindenas classes, ad præcipua vitæ, mortis, et gloriæ Christi, B Deique Parentis, totidem sacramenta attentius meditanda compositas, studiosa et apta digestio.

dum argumento ad hominem prorsus constringitur,

407 *Probe intelligimus hoc responsum; sed putamus, in eo varia gratis asseri ac supponi. Primo otium suppetebat S. Ayberto recluso seu anachoretæ ad legendos psalmos Davidicos : nam præter magnum illorum numerum, quem recitabat, quotidie centum quinquaginta salutationibus Angelicis beatissimam Virginem colebat, ut loco supra citato in antiquis ejus Actis videre est. Secundo meditatio mysteriorum ad singulas decades postmodum ab Alano Rupensi excogitata est, ut superius ex Echardo diximus, adeoque ad constituendum Rosarium requiri non debet. Tertio videtur interpunctio decadum per adjunctam orationem Dominicam hic tacite subintelligenda, quantumvis explicite non exprimatur. Alioquin non videmus, quomodo apud Cantipratanum duo isti juvenes Rosarium recitaverint, cum ibi de meditatione mysteriorum et oratione Dominica nullum verbum occurrat. Attamen illi ambo Rosarium dixerunt, teste ipso Choquetio, qui cap. 23 pag. 466 et sequente, hæc eadem duo exempla pro sua opinione sic allegat :* His scriptoribus me- C rito accensendus quoque est Cantipratanus noster, qui de Apibus lib. 2 cap. 29, numero seu parte 6 et 8, duo sui temporis exempla refert de virtute Rosarii, quamquam ipsam Rosarii vocem non scribat, nequedum forte usitatam. *Volve et revolve hos duos numeros citatos, et præter tres salutationum Angelicarum quinquagenas nihil invenies. Si igitur propterea judicio Choquetii duo juvenes isti Rosarium dixerint, pari jure S. Aybertus illud recitasse censendus est. Ita nos argumentamur ad hominem, ut vulgo aiunt, et interim de ipsa quæstionis summa nihil certi statuimus.*

et ideo forsan addit alteram responsionem,

408 *Nunc videamus, an felicius successerit altera Choquetii responsio, quam pag. 439 præcedenti subnectit, et qua sese ab hoc molesto S. Ayberti exemplo sic expedire conatur :* Et vero, *ait*, cum unicus Albertus monachus eo numero salutationes Angelicas indies orasse referatur, ut ad Marianum Rosarium ceteris propius videatur allusisse, et tamen illud assecutus non sit; nec per duodecim secula innumerorum scriptorum quispiam vel ipsum Rosarii nomen attigerit, vel speciem formamve calamo prodiderit; cum tamen omni ætate plurimi res ecclesiasticas, omniaque Christianæ pietatis vetusta documenta tradiderint studiosissimi Deiparæ clientes : hac quoque argumentandi ratione, tametsi (uti aiunt) negativa, nobis exploratum omnino est, Rosarium tamdiu in virginis Deiparæ sinu latuisse, donec ipsa pro sua benignitate per apostolici sui Ordinis primum ducem Dominicum in Christianum orbem invehi, suo ipsius monito dignata sit. Et procul dubio stuporem cuivis pariat, si Rosarium, Mariæ matris Dei deliciæ, orbi antea cognitum, Cisterciensi Ordini, in quem quoque effusus est Deiparæ amor, adeoque ipsi melleo Bernardo, ignoratum fuisset. Maximi Ordinis historias diligenter perscripsere multi; nihil etiam, quod Dei Parenti jucundum gratumque nosset Bernardus stylo intactum præterivit : omnium Sanctorum Cisterciensium illustriora monumenta in suo Menologio recensuit P. Chrysostomus Henriquez : sui temporis et Ordinis exempla duodecim libris in lucem produxit Cæsarius; et tamen in his omnibus nulla Rosarii, nulla hujus precum formulæ memoria. Quia nimirum res ipsa Rosarii e cœlis et Mariæ sinu necdum in terras devolarat.

AUCTORE G. C.

quæ in ipsum retorqueri potest.

409 *At imprimis Choquetius videtur hac responsione fidem abrogare charo suo Alano, qui in Apologia sua, seu Part. 1 cap. 8, antiquitatem Psal-* E *terii vel Rosarii exemplis confirmans, inter alia de mellifluo Ordinis Cisterciensis amplificatore habet sequentia :* Sanctus Bernardus, specialis Mariæ sponsus, mirifico zelo idem hoc Psalterium propagavit et exemplo illustravit, et ad psalmorum Davidis numerum sententiamque concinnavit, sicut et vidi et tenui. Fuit id viro divino certum instrumentum ad tantam vitæ sanctitatem, quantam vidit orbis, invidit orcus, hodieque veneratur Ecclesia. *Id ipsum rursus Part. 2 Alani Redivivi cap. 2 clarius explicatur, et duplex S. Bernardi Psalterium distinguitur. Dum præterea Choquetius in hac responsione silentium scriptorum adversariis opponit, an satis recordabatur, se simili argumento negativo vehementer urgeri posse? Sane nescimus, quid solidi responderi possit, si quis adversariorum illam responsionem in ipsum auctorem retorqueret hac eadem argumentandi ratione : Plures antiqui Vitam* S. Dominici *conscripserunt; trecenti testes synchroni in examine Tolosano varia gesta ejusdem Sancti jurejurando exposuerunt ; novem testes in Ordine Prædicatorum, qui cum eodem Sancto familiariter conversati fuerant, in juridico processu Bononiensi singulares illius virtutes, et etiam* F *minutiora pietatis exercitia jurato suo testimonio confirmarunt. Attamen nullus eorum vel ipsum Rosarii nomen attigit, aut de ejus forma meminit : nemo ex his omnibus institutionem Psalterii Mariani sive Rosarii* S. Dominico *attribuit. An inde juxta Choquetium sequitur, illud pietatis exercitium aliquot annis post mortem* S. Dominici *nondum in usu fuisse ?*

sibique objicit difficultatem,

410 *Paulo superius quærebam, an Choquetius satis* recordaretur, *se simili argumento negativo urgeri posse : non enim ignorabat, adversarios suos eodem argumento uti, cum ipsemet cap. 23 pag. 464 et 465 illud alia occasione sic sibi objiciat :* Et ut omnia moveamus, *inquit*, haud deerunt fortasse ex iis aliqui, qui cujusque rei causas et principia digito sibi demonstrari, eaque ipsi manibus tractare cupiunt : hi enim nobis opponent, vetustorum scriptorum neminem istius sodalitatis *(quod hic de sodalitate Rosarii dicitur, etiam de institutione ipsius Rosarii intelligi potest)* a beato Dominico conditæ ne vestigium quidem posteris tradidisse. Res sane a primo magni Ordinis Parente gestas e plurimis perscripserunt illius vel ætatis, vel florentis adhuc memoriæ

viri;

AUCTORE G. C.

viri; beatus Jordanes Saxo, proxime a Dominico ipso supremus Ordinis moderator *(huic adjunge ultra trecentos examinis Tolosani ac Bononiensis testes coævos, ac Bartholomæum Tridentinum biographum)* Humbertus, qui a Jordane tertius ad eumdem clavum sedit, Gerardus Lemovicensis, Stephanus Salanachus, Constantinus Urbevetanus postmodum episcopus, qui etiam Officium de eodem Sancto, quo Ordo utitur, beato Joanni Teutonico inscriptum concinnavit, Theodoricus de Appoldia, aliique; qui cum illustria plane sanctissimi eorum Ducis facinora commemorent, istud tamen, quod excellens et singulare est, nec vero ulla ratio præterire suadet, quin potius virginis Matris gloria publicum fieri suo jure deposcebat, calamo non attingunt quidem. Adde, quod exteri et aliorum Ordinum scriptores, atque inter eos Cæsarius Heisterbacensis, qui ætate sancti Dominici scripsit, nullam tantæ rei memoriam ad nos transmiserunt: quod argumento est, eos latuisse, et porro ejusmodi sodalitatem ab Ordinis Prædicatorum principe Dominico constitutam non esse; ut proinde certior videatur B Navarri, qui omnia haud dubie discussit, sententia. *Ita ille nomine adversariorum contra se ipsum exercitii gratia ratiocinatur.*

quam minime dissolvit,

411 *Deinde ibidem pag.* 465 *et* 466 *huic difficili argumento sic intrepide respondet:* Verum hæc inter perstat laureata veritas: clarissima quippe priorum illorum temporum, ac cujusvis deinceps ætatis, damus, quæ omnem oblatrantium pervicaciam et cynicos dentes evincant, testimonia. Imprimis ab innumeris, qui Rosarii admiranda stylo sunt prosecuti, refertur noster Joannes de Monte, sacræ theologiæ doctor, et sanctissimi Dominici socius, qui libro, quo laudes et eximia Deiparæ in mortales beneficia percenset, cui Mariale nomen fecit, diserte scribit, beatum Ordinis nostri patriarcham Dominicum Rosarii sodalitatem ante omnes instituisse: cujus libri tametsi copia nobis haud fuerit, tot nihilominus ac tantis scriptoribus, viris religiosis, theologiæ professoribus, episcopis, Pontificibus, qui librum illum viderunt, perlegeruntque, haud est neganda fides. Alter ab illo etiam commemoratur noster Thomas a Templo, sancti Dominici itidem socius, vir sanctimonia clarus, qui studiose, et (ut aiunt) C ex professo sacri Rosarii historiam grandiaque prodigia in librum redegit, in quo de ejus sodalitate, a sancto Dominico condita, illiusque progressu præclara habet, ex quo, veluti ex primo fonte, selecta prodit Flaminius.

cum ejus responsum falsa hypothesi nitatur.

412 *At Choquetius hæc magis confidenter, quam vere, reponit, ut ex paragrapho* 2 *et* 3 *hujus Commentarii prævii facile colligitur: oportet enim hic meminisse eorum, quæ cum Echardo ibidem de duobus istis fictitiis scriptoribus monuimus. Corruentibus namque duabus istis columnis, quibus ratiocinium Choquetii præcipue fulcitur, iis superstructum ejusdem scriptoris systema corruere, necesse est. Præterea quinam auctores, viri religiosi, theologiæ professores, episcopi, Pontifices librum Joannis de Monte* viderunt, perlegeruntque, *ut Choquetius temere asserit, si excipias solum Alanum de Rupe, qui illum a se visum testatur, et cui neque Echardus neque nos fidem adhibemus? Ea vero, quæ de Rosario narrat Flaminius, non hausit ex his auctoribus,* veluti ex primo fonte; *sed ex ipso Alano, qui sæpe illos citat, ut stupenda miraculorum suorum portenta incautis persuadeat. Cum itaque totum Choquetii responsum falsa hypothesi ac ruinoso fundamento nitatur, negativa adversariorum argumentatio omnem vim suam retinet, et solidior istius objectionis refutatio excogitanda est. His in utramque* D *partem disputatis ac observatis, de ipsa controversia liberum judicium eruditis lectoribus relinquimus, et ad certiora Sancti nostri gesta properamus.*

§ XXII. Conamen Sancti ad instituendum Ordinem Prædicatorum, electio regulæ et constitutionum.

Ut diu præmeditatum Prædicatorum Ordinem fundaret,

Jam dudum S. Dominicus *de condendo Prædicatorum Ordine cogitaverat, ut Bernardus Guidonis in Tractatu de tribus gradibus prælatorum apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 397 *testatur his verbis:* Primus ac præcipuus dominus et magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, fuit beatus Dominicus, natione Hispanus, de villa, quæ dicitur Calaroga, diœcesis Oxomensis; vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus, qui fuit primo Canonicus Regularis, ac Supprior regulatus et regu- E lans in ecclesia Oxomensi provinciæ Toletanæ, qui supprioratus habebat in eadem ecclesia personatum. Incepit autem Ordinem Prædicatorum mente concipere et tractare in partibus Tolosanis a primordio computando, quo Tolosam advenit, anno Domini MCCIII, Pontificatus domini Innocentii Papæ tertii anno sexto, qui sedit annis octodecim, mensibus quatuor, diebus viginti tribus. *Exactiores chronologi Pontificatui Innocentii III assignant octodecim annos, menses sex, ac novem dies, quod hic monuisse sufficiat.*

Sanctus anno 1215 se Romam contulit;

414 *Quandonam Sanctus tandem diu meditatum consilium suum exsecutioni mandare decreverit, venerabilis Humbertus in Chronico sic indicat:* Anno Domini MCCXV beatus Dominicus Romam ivit ad concilium generale cum episcopo Tholosano Fulcone causa procurandi Ordinis, qui diceretur et esset Ordo Fratrum Prædicatorum; et tunc accepit responsum de redeundo ad Fratres et regulam eligendo. *Nullum hic sit verbum de repulsa, quam Sanctus primo tulisse dicitur, et de ea B. Jordanus in Actis ejus apud nos num.* 31 *et* 32 *etiam non meminit. Hoc silentium mirifice placet Echar-* F *do, qui tomo* I *pag.* 12 *in notis ex eo sic disserit:* Hæc Jordani simplex Actorum in postulatione Ordinis narratio admodum placet: nullam ex parte Pontificis factam difficultatem innuit, saltem quæ Jordano eo usque cognita fuerit; idque eo sit verisimilius, quod hæc supplex petitio cum iis, quæ de prædicatoribus in synodo statuenda jam apud se decreverat Pontifex, recta ac mire convenirent. *Dein ibidem recitat canonem decimum concilii Lateranensis, in quo decretum est, ut præsules impediti idoneos verbi Dei præcones loco suo substituant, et ex eo Echardus ita ad rem suam argumentatur:* Hæc, inquam, cum in synodo decernenda jam animo gereret Pontifex, quid ei magis arridere poterat, quam Dominicum videre, virum utique potentem in opere et sermone, sibi ab episcopo Tolosano oblatum, et societati hominum instituendæ anhelantem, qui pro nomine Christi Jesu animas suas traderent, et prædicationis officio se totos ac per orbem terrarum devoverent.

sed cum ab Innocentio III licentiam ad id

415 *Hæc Echardi argumentatio saltem efficit, ut non probemus rationem repulsæ, quam Bernardus Guidonis tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 400

allegat

AUCTORE G. C.

primo impetrare non posset, *allegat in hunc modum :* Anno Domini MCCXV profectus est sanctus Dominicus cum præfato domino Fulcone episcopo Tolosano ad prædictum concilium generale, cum quo adiit præfatum dominum Innocentium Papam tertium, petens, ut dignaretur sibi Ordinem confirmare, qui Prædicatorum diceretur et esset : cujus petitioni difficilem se exhibens, pro eo quod prædicationis officium majorum esset Dei in ecclesia prælatorum, vidit summus Pontifex in ipsa nocte, quod ecclesia Lateranensis caput omnium ecclesiarum, gravem minaretur ruinam; sed vir Dei Dominicus eam suis humeris sustentabat; cujus intellectum altius percipiens Vicarius Jesu Christi, tandem sancto Viro respondit, ut ad Fratres suos rediens, invocato Spiritu sancto, aliquam eligerent regulam approbatam, et sic confirmationem ad libitum reportaret.

verosimiliter ob canonem decimum tertium concilii Lateranensis, 416 *At licet hæc ratio primæ repulsæ, quam Bernardus Guidonis hic affert, non videatur subsistere, potuit tamen Innocentius Papa institutionem novi hujus Ordinis initio improbare ob alias causas, puta propter canonem decimum tertium ejusdem* B *concilii, quem Pontifex statuendum jam mente gerebat, et qui apud Labbeum nostrum tomo* XI *Conciliorum Part.* 1 *col.* 165 *et* 168 *sic sonat :* Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat; sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de Religionibus approbatis. *Fortasse quispiam petet, quomodo Innocentius III hunc canonem inviolatum servaverit, dum novum Prædicatorum Ordinem sub hac conditione approbare promisit, et ejus successor Honorius III, qui eumdem Ordinem confirmavit. Respondemus cum Echardo, qui hanc difficultatem loco proxime citato recte sic solvit :* Enimvero regulam et institutiones jam approbatas assumere, non tam erat novum Ordinem fundare, quam jam constitutum erigere ad perfectiora. Unde Dominicus cum suis eligendo regulam sancti Augustini, et institutiones in aliis congregationibus, maxime Canonicorum Regularium, jam usu receptas et approbatas, non tam Ordinem C novum erexit, quam Ordinem Canonicum auxit in apostolicum. *Hinc Ordo Prædicatorum ab Honorio III in prima confirmationis Bulla* Ordo Canonicus *appellatur, ut infra videbimus. Hoc scrupulo discusso, redeamus ad repulsam, quam Echardus inficiari videtur.*

Pontifex ille monetur cœlesti visione, 417 *Etsi B. Jordanus et venerabilis Humbertus in Chronico suo tacuerint de repulsa, et hujus causa nobis ignota sit, tamen Constantinus Urbevetanus in Actis* S. Dominici *num.* 17 *illam diserte exprimit sequenti narratione :* Post hæc bonæ memoriæ Fulcone Tolosano episcopo proficiscente Romam ad concilium generale, adjunctus est ei vir Dei Dominicus, qui ab eodem episcopo propter suæ meritum sanctitatis tenero dudum confovebatur affectu; cum quo etiam summum Pontificem Innocentium adiit, atque Ordinem, qui Prædicatorum diceretur et esset, confirmari sibi suisque sequentibus postulavit. At ille postulationi hujusmodi visus est aliquantulum primitus se difficilem exhibere, quod tamen non sine nutu divino factum est, ut nimirum ex revelatione sequenti Vicarius Jesu Christi cognosceret, quam necessarium esset universali, cui præsidebat, Ecclesiæ id, ad quod vir Dei Dominicus inspiratus divinitus aspirabat. Sicut enim a plerisque fide dignis compertum est, quadam nocte idem summus Pontifex, Deo sibi revelante, videbat in somnis, quod Lateranensis ecclesia, quasi suis compagibus resolutis, gravem subito minaretur ruinam : quod dum tremens simul ac mœrens aspiceret, ex adverso vir Dei Dominicus occurrebat, humerisque suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat. Cujus quidem visionis novitatem admirans, et significationem prudenter intelligens, sine ullo dilationis obstaculo Viri Dei et commendavit propositum, et petitionem hilariter acceptavit, hortans eum, ut ad Fratres suos rediens et diligenter deliberans cum eisdem, pari voto regulam sibi aliquam approbatam eligerent, super quam inchoandi Ordinis promotionem formarent, et sic deinde ad ipsum veniens, confirmationem ad libitum reportaret. Quod sapienter sane, nec sine sancto Spiritu suggerente consideravit vir sapiens, sciens nimirum validiora esse ædificia, quæ fundamentis ex antiquo suppositis innituntur, viasque antiquas et regias novis semitis tutiores *etc. Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 22, *Vincentius Bellovacensis lib.* E 30 *Speculi cap.* 65, *Theodoricus de Appoldia inferius num.* 61 *et* 62, *aliique recentiores unanimi consensu similia tradunt.*

418 *Quod hic ad nocturnam summi Pontificis visionem de corruente ecclesia Lateranensi attinet, similem omnino habuisse dicitur idem Innocentius III occasione S. Francisci, quem antea repulerat, cum approbationem suæ regulæ petiisset. Porro potuit talis visio in gratiam utriusque sanctissimi Fundatoris eidem Pontifici bis offerri, ut Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1215 *cap.* 27 *indicat his verbis :* Sanctus Bonaventura, aliique rerum sancti Francisci auctores referunt, postulante sancto Francisco confirmationem sui Ordinis, ei ab Innocentio rejecto, eamdem, quam de sancto Dominico nuper diximus, oblatam Pontifici visionem; nempe cernebat in somnis Innocentius Franciscum, quem repulerat, collabentem Lateranensem basilicam suis humeris sustinere. At non hæc nostræ visionis, tanto consensu auctorum, ut diximus, firmatæ, fidem levat, sed magis statuit. De utroque sanctissimo viro consimilis visio diverso tempore cur Innocentio Pontifici rectissime non potuit obversari? *Nunc* F *referamus, quomodo* S. Dominicus *Roma Tolosam reversus, regulam S. Augustini, aliasque religiosæ vitæ constitutiones, cum sociis elegerit.* *qualem etiam occasione S. Francisci habuisse dicitur,*

419 *Laudatus Constantinus in iisdem* S. Dominici *Actis num.* 18 *hæc ita exponit :* Regressus igitur post celebrationem concilii vir Dei Dominicus, verbum summi Pontificis Fratribus patefecit; erant autem Fratres numero circiter sexdecim, qui mox, invocato Spiritu sancto, regulam beati Augustini, doctoris et prædicatoris egregii, ipsi pariter re et nomine Prædicatores futuri, unanimiter elegerunt, quasdam quidem arctioris vitæ consuetudines, quas sibi per formam constitutionum observandas statuerent, insuper assumentes. In quo Pater providus circa Ordinis sui componenda primordia præcedentium patrum non dedignatus vestigia, sic medium tenuit, ut eis, qui nascerentur et exsurgerent, filiis, et in quo starent, modus debitæ perfectionis adesset, et quo possent ascendere per profectum continuum, non deesset; non ignorans, quod scriptum est: Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. Et hoc satis consulte, ne, dum statim se in altum supra mo- *qua motus, Dominicum mittit, ut cum suis approbatam regulam eligat,*

dum

AUCTORE G.C.

dum extenderet, succedentes in posterum retrocedere potius, quam procedere cogerentur; sicque merito contra ipsos juxta euangelicum illud improperium diceretur: Iste Ordo cœpit ædificare, et non potuit consummare. Quapropter ne prædicationis, cui summopere debebant intendere, impediretur officium, proposuerunt ex tunc terrenas possessiones et reditus prorsus abjicere, quod postmodum in primo capitulo generali, Boniæ anno Domini MCCXX celebrato, affectu pariter et effectu per constitutionem immobilem perpetuæ fuit exsecutioni mandatum. *Sed quæstio est, ex quibus approbatis religionibus* S. Dominicus *suas consuetudines seu constitutiones desumpserit, cum varii Ordines de illa gloria contendant.*

qui ad socios reversus, adoptat cum illis regulam S. Augustini,

420 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1216 *cap.* 3 *nos docet sequentia:* Jam quod sanctus Dominicus, sociique ejus, constitutiones quasdam, ad quarum normam vitam exigerent, delegisse memorantur, existimavere plerique, quod cum sanctus Dominicus admonitus ab Innocentio Pontifice fuerit, ut regulam ex jam approbatis a Sede Apostolica suo Ordini sumeret, accepisse quoque ipsum constitutiones ex

B

aliqua Religione confirmata, putantque hanc fuisse Carthusiensem, quæ ortum habuit anno Domini MLXXXVI. At Humbertus generalis Magister Ordinis nostri, qui sanctum Dominicum recte videre potuit, certissimus auctor est, Virum Dei ex Ordine Præmonstratensi primum suas constitutiones mutuatum, nimirum re cum Fratribus suis Tolosæ communicata, omnium consensu elegisse cum regula sancti Augustini quasdam ex Præmonstratensi Religione constitutiones, atque cum his Ordinem Prædicatorum initio confirmatum ab Honorio: quamvis postea decursu temporum aliæ plures in diversis Capitulis generalibus sint adjectæ. Eas autem primigenias et originarias Ordinis constitutiones istiusmodi fuisse constat: Perpetua a carnibus abstinentia, nisi in gravi morbi necessitate; aspera jejunia a festo Exaltationis sanctæ Crucis ad Pascha continuata; lineis indusiis ad carnem nullo pacto vestiri, aut uti in lectis et stragulis linteaminibus, et id genus alia. *Quod hic de Cartusianis dicitur, ex* § 12 *colligi potest, ubi illud verbo attigimus.*

et quasdam constitutiones Ordinis Præmonstratensis,

421 *Joannes Le Paige in Bibliotheca Præmonstratensi lib.* 1 *cap.* 17 *opinionem Malvendæ confirmat ex communicatione meritorum, quæ anno*

C

Christi 1233 *inter Dominicanos Teutonicos et Præmonstratenses stabilita est, et cujus testimonium authenticum ibidem pag.* 304 *sic sonat:* Viris Religiosis et amicis charissimis in Christo, universis Fratribus Ordinis Prædicatorum per Teutoniam constitutis, abbatum Præmonstratensis Ordinis Capitulum generale salutem et ex semine verbi Dei salutis manipulos reportare. Quam fructuosus existat labor ille, quam acceptum Deo et hominibus sacrificium operentur, qui specialiter salutem animarum procurant, et in acquirendis Deo devotis animabus suum exercitium incessanter impendunt, noverunt omnes, qui Christiani nominis insignia profitentur. Unde cum operationis vestræ studium ad hoc præcipue et principaliter dirigatur, ut per prædicationis vestræ laborem peccatores ab errore viæ suæ salubriter convertantur, et propulsis ignorantiæ tenebris, ad rectam fidei et sanctitatis lucem recurrant; decet profecto et expedit, ut vobis per orationes fidelium succurratur, quatenus et libere, quod pie intenditis, exsequi valeatis, et desideratum fructum de vestro labore abundantius reportetis. Cum igitur orationes Ordinis nostri ex parte D
vestra a vobis fuerint devote postulatæ, eidem petitioni benigne et humiliter inclinati, concedimus vobis universis et singulis plenam participationem nostrorum et omnium spiritualium beneficiorum, quæ de cetero in universo eodem Ordine nostro fient. Et ut labor vester melius sortiatur effectum, auctoritate præsentium vobis plenam concedimus facultatem concedendi, erogandi orationes nostras omnibus illis, qui ad prædicationem vestram aut monitionem a peccatorum perpetratione cessabunt, aut injurias vel inimicitias inimicis remittent. Valete. Datum Præmonstrati in capitulo generali, anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo tertio.

422 *Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1216 *cap.* 1 *num* 3 *vult, aliquas Prædicatorum constitutiones ex suo Ordine assumptas esse, et partem hujus gloriæ sodalibus suis ita vindicat:* Tolosæ et sociis restitutus beatus Dominicus, quo Innocentii præceptum adimpleret, communicato cum eis ante consilio (nec mihi dubium, quin etiam cum Fulcone) sancti Augustini regulam elegit, sub qua, quos instituebat E
Prædicatores, militare usque ad mortem profiterentur; superadditis quibusdam constitutionibus, quas a Præmonstratensibus desumptas Ferdinandus Castillus, Malvendaque, et alii ejusdem familiæ testificantur. Certe instituentem Prædicatorum Ordinem sub regula Augustini, a Norberto prædicatore egregio, et sub regula eadem militante, sumpsisse quædam, nequaquam a ratione alienum censeo. Verum quæ Thomas in exemplum adducit, abstinentiam a carnibus, jejunium magnum, ut ejus verbis utar, a festo Exaltationis sanctæ crucis usque ad Pascha, et id genus alia, quæ numquam usurpavit sanctus Norbertus, nequaquam potuit ab ipso desumpsisse. Porro cum ea omnia nostris ex regula observanda injungantur, facilius ego ab eis mutuata crederem, consulente Fulcone; maxime cum sanctissimus Patriarcha Præmonstratensibus raro, quod sciamus, Cisterciensibus, ex quo ex Hispania venit, adeo frequens adhæserit, ut numquam sine ipsis inveniretur; in quo etiam post Ordinem institutum perseverasse, quæ inferius dicemus, declarabunt. *Augustinus Sartorius novissime in Cistercio bis tertio tit.* XXVII *pag.* 897 F
eamdem sententiam tuetur.

etiamsi Angelus Manrique contendat,

423 *At certe Angelus Manrique a vero aberrat, dum abstinentiam a carnibus et id genus alia, numquam ab institutore Ordinis Præmonstratensis usurpata fuisse asserit: nam Cardinalis Vitriacus, illis temporibus vicinus qui primam Præmonstratensium disciplinam vidit in Historia Occidentali cap.* 22 *de illis inter alia sic scribit:* Carnes siquidem Præmonstratensis Ordinis Canonici et Fratres laïci numquam, nisi in infirmitate manducant: a festo sanctæ Crucis usque ad Pascha jejunant. *Sed perpetua abstinentia a carnibus relaxata fuit auctoritate Pii II Papæ, et sequentium Pontificum, qui etiam alias quasdam rigidiores ejusdem Ordinis observantias modificarunt. Non vacat hanc minoris momenti controversiam operosius discutere, quandoquidem venerabili Humberto, qui id optime scire potuit, et quem Ferdinandus de Castillo, Malvenda, aliique scriptores Dominicani in hac re testem citant, facile fidem adhibemus.*

eas potius ex Ordine Cisterciensi petitas esse

424 *Unde judicio nostro videtur Echardus tomo* 1 *pag.* 12 *et* 13 *in notis de hac regulæ et constitutionum electione sic probabilissime disserere:* Cum concilium post tres sessiones, inquit, circa festum

quam opinionem cum Echardo improbabilem censemus.

A tum sancti Andreæ absolutum fuerit, ambos (*scilicet* S. Dominicum *et Fulconem episcopum Tolosanum)* continuo de repetenda Gallia cogitasse, haud dubium. Quando in Occitaniam advenerint non produnt annales; sed tantum statim a reditu Dominicum anno MCCXVI, ac proinde circa Pascha, quod eo anno decima Aprilis accidit, socios in monasterio Pruliano coegisse, unaque omnes, ut Pontifici morem gererent, regulam sancti Augustini, et instituta quædam in victu arctiora e Præmonstratensibus, inquit Humbertus, sed quæ apud quasdam alias Canonicorum Regularium congregationes tum florentes et severiores, et forte in ipsa Oxomensi reformatiône in usu erant, adoptasse sibique imposuisse, ut non tam novus Ordo, quam nova Canonicorum Regularium, prædicationi speciatim addictorum, congregatio videretur, sicque nihil jussis concilii adversum fieret. *Amplissimus D. Josephus Stephanus de Noriega in laudata Dissertatione historica* § 7 *et sequentibus eamdem sententiam fusius confirmat.*

B

§ XXIII. Tolosanum Fratrum cœnobium, notitia de primis Sancti sociis, et alia nonnulla, quæ hoc circiter tempore ante confirmationem Ordinis contigerunt.

Primum Prædicatorum cœnobium Tolosanum,

Bernardus Guidonis apud jam sæpe laudatum Edmundum Martene tomo 6 *Collectionis amplissimæ col.* 400 *et* 401 *de primo Fratrum cœnobio post alios scriptores hæc habet:* Anno Domini MCCXVI, æstatis tempore, data est beato Dominico et Fratribus suis a bonæ memoriæ Fulcone episcopo Tolosano, cum assensu totius Capituli, una ecclesia in civitate Tolosana, in honore beati Romani martyris fundata; circa quam protinus ædificatum est claustrum, cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis apertas * (erant autem, ut dictum est supra, Fratres numero circiter sexdecim) et alia ecclesia in villa Appamiensi; tertia vero ecclesia inter Soricinium et Podium Laurentii, quæ vocatur ecclesia beatæ

C Mariæ de Lescura, in quarum qualibet Conventus et Prioratus esse debebat; in his vero duabus ultimis nullum umquam Fratrum contigit habitare. *Echardus tomo* 1 *pag.* 13 *ad textum B. Jordani notat sequentia:* Ecclesia de Lascura hic laudata recensetur in bulla confirmationis Ordinis, eaque forsan monasterio Pruliano cesserit: quod idem dicendum de tertia ecclesia Appamiensi. Etsi autem in hoc ultimo loco sub beato Jordano et postea diutius Fratrum collegium non fuerit, tandem anno MCCLXIX Sodales nostri eo vocati domum conventualem erexerunt.

* *lege* aptas

cujus occasione etiam Conventu Appamiensi agitur,

426 *Haud dubie Echardus initium hujus Conventus Appamiensis ex veteribus instrumentis aut forte ex ipso Bernardo Guidonis eruit: nam hic tomo* 6 *citatæ Collectionis col.* 507 *de fundatione Conventus Appamiensis sic scribit:* Anno Domini MCCLXIX in Actis Capituli provincialis, Biterris die ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ celebrati, fuerunt assignati Frater Peregrinus et Frater Guillelmus Blanchi loco Appamiensi providendo, qui operarentur et procederent in ipsius loci promotione de Prioris Tolosani consilio et assensu; de aliis autem Fratribus necessariis Prior Provincialis provideret vel faceret provideri. Anno Domini prætaxato MCCLXIX in festo omnium Sanctorum dominus Frater Raymundus episcopus Tolosanus in præfato loco Fratrum Appamiensi Missam solemniter celebravit, et cimeterium * Fratribus benedixit, et prædicavit clero et populo convocato; et ex tunc cœperunt Fratres ibidem divinum officium solemniter peragere et pariter habitare. Frater Bernardus Gauterius Tolosanus, fuit vicarius institutus. Anno Domini MCCLXX in Actis Capituli Sistarici in festo apostolorum Petri et Pauli celebrato, fuit in villa Appamiensi, quæ tunc erat diœcesis Tolosanæ, Çonventus Fratrum Prædicatorum regulariter positus et receptus, et primus Prior institutus Frater Guillelmus Garini de Fano-Jovis. *Si Bernardus Guidonis hic de eodem urbis Appamiensis loco agat, quomodo illa cohærent cum supradictis, ubi asseruerat,* nullum umquam Fratrum *in duabus ultimis ecclesiis habitasse? Sed ab hac brevi digressione ad cœnobium Tolosanum revertamur.*

AUCTORE G. C.

* *lege* cœmeterium

Flaminius ob paupertatem commendat,

427 *Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *fol.* 13 *laudans varias Sancti virtutes, ad rem præsentem spectantia hæc addit:* Fuit hæc illi quoque nec in postremis quidem cura prospicere imposterum, quod ad ædificationem monasteriorum attinet. Propter hoc summam in exstruendo Tholosano sancti Romani cœnobio, quod primum fuisse Prædicatorum Ordinis monasterium diximus, diligentiam adhibuit, ut ad illius tamquam propositam omnibus formam cetera exstruerentur, in quo digna memoratu quædam non tacebimus. Cubicula singulorum (cœnobitæ cellas vocant) sex tantum ut essent pedum instituit, ubi fulcra lectuli ex cratibus fierent cum scamno, ubi legere, scribere, ac studere possent; sed omnia vilia, et humilitatem ac paupertatem indicantia: ipsa vero cubicula esse aperta jussit, ut, qui intus essent, a prætereuntibus conspici possent *etc. Unde Flaminius tam distinctam cœnobii Tolosani descriptionem hauserit, ignoramus.* E

et Bernardus Guidonis primos S. Dominici socios nominat,

428 *Beatus Jordanus*, *Constantinus Urbevetanus, aliique veteres biographi consentiunt, tunc Fratres circiter sedecim numero fuisse, quos Bernardus Guidonis eodem tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 457 *nominatim ita recenset :* In prædicta ecclesia sancti Romani protinus ædificatum est claustrum, cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis aptas. Erant autem F tunc Fratres numero circiter sexdecim, quorum nomina, quæ potui reperire, breviter hic perstrinxi, quia alibi superius diffusius sunt conscripta. Frater Matthæus Gallicus, vir doctus, et ad docendum paratus, qui fuit postmodum primus et novissimus in Ordine nostro abbas. Frater Bertrandus de Garriga, prope Alestum oriundus, qui fuit postmodum primus Prior Provincialis hujus provinciæ. Frater Petrus Cellani, qui fuit primus Prior Lemovicensis. Frater Thomas Tolosanus, vir admodum gratiosus, et sermone facundus. Frater Mames Hispanus, carnalis frater sancti Dominici, et sanctitatis ejus purissimus imitator. Frater Michael Hispanus, vir contemplativus. Frater Dominicus Hispanus, alius a sancto Dominico, vir humilitatis eximiæ, parvus quidem scientia, sed virtute magnificus. Frater Joannes de Navarra, de villa sancti Johannis de Pede-Portus, diœcesis Bajonensis. Frater Laurentius Anglicus. Frater Stephanus Metensis, carnis suæ rigidus macerator. Frater Odorius Conversus Normannus. Frater Guillelmus Clareti Appamiensis. Frater Petrus Madritum *. Frater Gomecius. Frater Michael de Uzeco,

* *forte* Madritensis

alius

AUCTORE G. C.

alius a prædicto Michaele. De istis tribus ultimis plenam certitudinem non inveni, sed habeo opinionem verisimilem ex his, quæ circa hoc legi.

quos etiam Echardus ordine nationis recenset,

429 *Anonymus seculi decimi quarti scriptor ex Ordine Prædicatorum apud laudatum Martene tomo proxime citato col.* 333 *eosdem primos* S. Dominici *socios luxatis nominibus enumerat. Sed hunc defectum satis supplet Echardus, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat, pag.* 13 *in notis eosdem ordine nationis ita nominat :* Fratres illi sexdecim, primi Dominici socii, hi a Stephano Salanhaco et Bernardo Guidonis numerantur; Matthæus olim sancti Vincentii de Castris Prior; Nathalis de Prulio; Bertrandus de Carriga, a loco natali ad Arelatum sic nuncupatus; Petrus Cellani et Thomas ambo cives Tolosani nobiles; Stephanus Metensis; Guillelmus Clareti Appamiensis, et Odorius conversus Neustrius. Hi octo Galli, septem sequentes Hispani; Mannes vel Mammes, germanus uterinus beati Dominici; Michael Fabra; Michael de Uzero; Petrus, a Matrito a quibusdam agnominatus; Suerius Gomezius; Dominicus alius; Joannes de Navarra; denique Laurentius Anglicus, de quibus singulis breviter postea agetur. *Nos etiam ad nomina illorum, ubi in Actis occurrent, breviter aliqua annotabimus. Porro nusquam hic comparent Joannes de Monte, Thomas de Templo, Norbertus de Valle, Guelrinus de Fracmo, et Bartholomæus de Prato, quos supra* § 2 *Alanus de Rupe inter primos* S. Dominici *socios nobis temere obtrusit.*

B

et ex quibus ipse Sanctus sex ad scholam theologicam deduxit.

430 *Sanctus Patriarcha sex ex his sodalibus suis; qui forte nondum satis scientia theologica imbuti erant, ejusdem doctrinæ perficiendæ causa ad scholam deduxit, qua occasione Humbertus in Actis* S. Dominici *cap.* 32 *sequentem visionem ita narrat:* Cum apud Tolosam in theologia regeret magister quidam, genere, scientia et fama præclarus, quodam mane ante diem, dum suas lectiones prævideret, oppressus gravi somno caput suum in cathedra paululum reclinavit, et dormire cœpit; visumque est eidem eadem hora, quod sibi septem stellæ præsentarentur : qui dum de novitate talis xenii * plurimum miraretur, subito in lumine et quantitate tantum excreverunt, quod totam patriam et mundum illuminaverunt. Qui statim a somno excitatus, ortum diei percepit, et vocatis servientibus, qui libros suos deferrent, scholas intravit. Et ecce beatus Dominicus cum sex sociis ejusdem habitus ante dictum magistrum humiliter accesserunt, intimantes eidem, quod Fratres essent, qui Euangelium Dei in partibus Tolosanis contra infideles et fidelibus prædicarent; significantes eidem, quod scholas suas venerant frequentare, et lectiones audire avidis cordibus cuperent et optarent. Dictus vero magister multo tempore dictos septem fratres familiares et devotos habuit, et scholares instruxit. Recólens autem visionem, quam paulo ante viderat, beatum Dominicum et socios suos, quos stellas lucidas interpretatus est, quas immenso lumine famæ et scientiæ vidit subito clarescere, summa est veneratione prosecutus, grandi etiam est jugiter ex tunc dilectionis affectu amplexatus. Hoc autem retulit idem magister Fratri Arnulpho de Bethunia et socio ejus, cum essent * in Anglia in curia regis.

* *Ms.* exenii *id est* doni

C

* *Ms.* esset

ut eos forsan suo exemplo ad studia incitaret,

431 *Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1216 *cap.* 4 *eamdem historiam ex Theodorico de Appoldia refert, et hac occasione in laudes sancti sui Patris ita excurrit :* Admirandum profecto in sancto Dominico humilitatis et modestiæ exemplum enituit, cum vir plane doctissimus, et summus verbi Dei concionator, qui doctrinæ suæ clara specimina per tot annos in ea provincia disserendo cum hæreticis et prædicando dedisset, quique munere Inquisitoris Apostolici functus esset *(recordare eorum, quæ supra* § 17 *de hoc officio diximus)* qui eruditionis ergo Fulconem episcopum ad concilium Lugdunense * euntem comitatus in petitione Ordinis approbationis, in concilio, aliisque actionibus magnum sibi sapientiæ nomen et auctoritatem Romæ peperisset, nunc adire scholas discendi causa non dedignetur, immo ultro expetat : nimirum ut eo exemplo alumnos suos commonefaceret, quanto studio divinæ theologiæ, sacrarumque Litterarum peritiæ ipsis incumbendum esset, ut cum optato fructu prædicationis munus in populis administrarent. Condebat Prædicatorum Ordinem, cujus summas præcipuasque partes eas esse volebat, ut fructus sui divinarum Scripturarum assidua meditatione se exercerent, ob id exemplo illis suo præluxisse voluit, scholas publicas frequentando. Forsan quia sex illi Fratres nondum magnos progressus in theologicis rebus fecerant, ut verbi Dei prædicationi jam essent idonei, et ne pudore ab eo studio deterrerentur, præire illis ipse in discendo, quamvis summus theologus, voluit; cum domi nulla adhuc opportunitas aut commoditas in exortu novi Ordinis docendi daretur : sic enim sex illos Fratres, profecturus mox Romam, præsentia sua magistro illi commendandos existimavit.

D

* *lege* Lateranense

E

ut censet Malvenda, cujus chronologia

432 *Non dubitamus, quin* S. Dominicus *inter doctissimos sui seculi viros sit numerandus, et præcipue ad scholam istam accesserit, ut exemplo suo socios ad studia theologica excitaret, aut illos huic magistro commendaret. Doctrinam ejus satis probant gesta contra Albigenses, et evidens hujus eximiæ scientiæ argumentum est, quod libellus ipsius, quem contra hæreticos scripserat, præ ceteris electus fuerit, quemadmodum B. Jordanus apud nos num.* 20, *aliique veteres scriptores passim testantur. At veremur, ut Malvenda ea omnia, quæ de primo Romano Sancti itinere in hanc rem memorat, facile componat cum* multo tempore, *quo magister iste socios illos instruxisse dicitur, et quod Humbertus, ac Theodoricus de Appoldia expresserunt : Malvenda enim indicat, id post concilium Lateranense et constructionem Tolosani cœnobii primum anno Christi* 1216 *contigisse.*

F

hic cum opinione Echardi non convenit.

433 *Saltem opinio ejus conciliari non potest cum ratiocinio Echardi, qui tomo* 1 *pag.* 11 *et* 12 *in notis de tempore hujus historiæ ita disserit :* Cum istud primus referat Humbertus, eum a dicto Fratre Arnulpho audivisse conjectu pronum est; et licet, quando id acciderit, non ita facile dictu, creditu tamen promptius, id actum cum primos sodales, puta sex, in ædibus Petri Cellani ad castrum Narbonense anno MCCXV ante vel circa æstatem secum adunavit : hos enim forsan nondum satis theologia informatos verisimillimum est, Dominicum ad scholam publicam secum duxisse, quam et per duos annos sequentes ad usque ipsorum dispersionem æstate anni MCCXVII, de qua mox, frequentare perrexerint, dum interea Dominicus Romam bis adivit, institutionem Ordinis impetraturus : sic enim verum sit, quod in narratione habetur, MULTO TEMPORE illos hunc theologum audivisse. *At miramur, Echardum in chronologica Actorum synopsi illam* S. Dominici *actionem post concilium Lateranense collocasse, ac anno Christi* 1216 *affixisse. Ceterum nos illum*

chro-

A *chronologiæ ordinem secuti, ut* § 6 *promisimus, hanc theologicam primorum sodalium institutionem hoc loco examinavimus. Præterea Echardus ibidem et alibi ex ista narratione eruit, vestes Prædicatorum numquam mutatas fuisse, qua de re inferius agemus. Interim comitemur* S. Dominicum, *qui anno Christi* 1216 *rursus Romam tetendit, ut confirmationem Ordinis sui obtineret.*

Sanctus mense Septembri anni 1216

434 *Laudatus Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1216 *cap.* 7 *de tempore hujus itineris Romani sic scribit :* Facile crediderim, sanctum Dominicum mense Septembri ad initia Pontificatus Honorii Romam pervenisse; et quamvis gravi nuntio ictus in itinere de morte Innocentii, non propterea retro ad suos abiit, sed cœptum iter prosecutus est. Graves Virum Dei agebant curæ, num novus Pontifex Honorius rata vellet habere, quæ Innocentius promisisset; in mutatione rerum novis principibus alias solere esse mentes, alia destinata. Sed causa Dei, quam cœperat, ipsum bene sperare jubebat, affuturum Deum, sacramque Deiparam tam piis consiliis, et quæ tanta Ecclesiæ utilitate inchoabantur, in optatos B fines haud dubie promovenda. *Deinde memorat varia negotia, quæ huic confirmationi moram injecerunt.*

iterum Romam profectus est.

435 *Verum hic quædam gratis ab auctore illo excogitata sunt : cum enim Innocentius III anno Christi* 1216, *die* XVI *Julii, obierit, et altero die Honorius III huic successerit, prorsus verosimile est,* S. Dominicum *adhuc in partibus Tolosanis agentem publica fama has res cognovisse, adeoque tali nuntio in itinere Romano non fuisse perculsum. Istud satis liquet ex argumento Echardi, qui tomo* 1 *pag.* 13 *in notis de tempore ejusdem itineris ita ratiocinatur :* Sanctus Dominicus Tolosæ adhuc aderat XXVIII Augusti : eo enim die Fratris Joannis de Navarra professionem inter manus suas in sancti Romani ecclesia accepit, ipso teste Joanne, adeo ut Romam rediturus iter arripere non potuerit, nisi mense Septembri, nec proinde in Urbem nisi mense Octobri pervenire. Sic autem instanter egit, ut ante natale Domini, quæ volebat, obtinuerit. *Post hæc verbis Bernardi Guidonis chronologiam suam confirmat. Malvenda et Echardus hoc tempore meminerunt de quadam* C *visione, quæ tunc Romæ ante confirmationem Ordinis* S. Dominico *oblata est, et quam hic ex primo fonte referemus.*

ubi habuit cœlestem visionem,

436 *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 1 *in codice nostro* P. *Ms.* 7 *narrat sequentia :* Frater quidam Minor, religiosus et fide dignus, qui socius beati Francisci multo tempore fuit, narravit quibusdam Fratribus, quorum unus hæc Magistro Jordano scripsit; quod cum esset Romæ beatus Dominicus, et pro Ordinis confirmatione apud Deum et apud Dominum Papam instaret, nocte quadam orans, ut solebat, vidit in visione Dominum Jesum stantem in aëre, et tres lanceas contra mundum vibrantem : cui ad genua procidens Virgo Mater rogabat, ut his misericors, quos redemerat, fieret, et justitiam misericordia temperaret. Ad quam Filius aiebat : Nonne vides, quantæ injuriæ mihi fiunt? Justitia mea non patitur tanta mala impunita. Tunc dixit ei Mater : Sicut tu scis, qui omnia nosti, hæc est via, per quam eos ad te reduces. Habeo unum servum fidelem, quem mittes in mundum, ut verba tua annuntiet; et convertentur et quærent te omnium Salvatorem. Alium etiam ei servum dabo in adjutorem, qui similiter operetur.

437 Tunc Filius inquit Matri : Ecce placatus suscepi faciem tuam; verumtamen ostende mihi eos, quos vis ad tantum officium destinare. Tunc domina Mater offerebat beatum Dominicum domino Jesu Christo. Cui Dominus : Bene et studiose faciet, quod dixisti. Obtulit similiter et beatum Franciscum, et hunc similiter Dominus laudavit. Sanctus igitur Dominicus in visione illa socium diligenter considerans, quem ante non noverat, in crastinum cum in ecclesia eum invenisset, ex iis, quæ nocte viderat, recognovit, et in oscula sancta ruens et sinceros amplexus dixit : Tu es socius meus; tu curres pariter mecum; stemus simul et nullus adversarius prævalebit. Visionem etiam illam ei narravit, et ex tunc facti sunt cor unum et anima una in Deo, quod et suis posteris mandaverunt in perpetuum observari. *Circa charitatem, posteris utriusque Ordinis commendatam, legi merentur litteræ encyclicæ, quas S. Antoninus part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 13 § 5 *recitat, et quas venerabilis Humbertus, et Joannes Parmensis, duorum Ordinum istorum Generales, communi consilio ad suos subditos anno Christi* 1255 *in hunc finem direxerunt.*

AUCTORE G. C.

in qua S. Franciscum primo agnovit,

E

quæ tunc etiam S. Francisco ostensa fuisse dicitur

438 *Theodoricus de Appoldia apud nos inferius a num.* 65 *eamdem visionem narrat, et ad fidem ei conciliandam, ibidem narrationi suæ subnectit sequentia :* Hujus visionis seriem et cognitionem per sanctum Franciscum meruimus accipere, cui etiam beatus Pater noster ante confirmationem Ordinis (hanc) patefecit. *Sanctus Antoninus part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 3 *eadem Theodorici verba repetit. At quomodo, inquies, Gerardus de Fracheto socium S. Francisci, et Theodoricus de Appoldia ipsum S. Franciscum hujus visionis testem allegat? Hæc discrepantia utcumque conciliari potest, si dicamus, S. Franciscum hanc visionem socio suo, et hunc socium postea eamdem Prædicatoribus narrasse, atque ita Dominicanos mediate* hujus visionis seriem et cognitionem per sanctum Franciscum *accepisse. Verosimile autem est, hanc visionem B. Jordano perscriptam esse, postquam libellum suum de principio Ordinis Prædicatorum jam ediderat; alioquin illam gestis* S. Dominici *haud dubie inseruisset. Non tam facile cum hac narratione conciliatur opinio quorumdam, quam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1216 *num.* 16 *ita refert :* Ut autem ad visionem ipsam redeamus, Franciscum etiam F eamdem ipsam habuisse expresse asserit ex aliis sanctus Vincentius Ferrerius, et pie judicat Ferdinandus Castillo atque Ludovicus Rebolledo, qua moneretur, quid de tanto viro sibi in socium dato, et de semetipso Deus ex alto statueret, quantoque operi et oneri eos dedicarit. *Quomodo igitur* S. Dominicus *hanc visionem S. Francisco* narravit, *aut* patefecit, *ut Gerardus de Fracheto et Theodoricus de Appoldia loquuntur? Non video huic difficultati satis aptum responsum, nisi probetur, eamdem visionem etiam S. Francisco postea oblatam fuisse, aut dicatur uterque Sanctus tunc mutuam revelationem sibi invicem indicasse.*

et quæ facilius admitti potest,

439 *Echardus tomo* 1 *pag.* 15 *in notis miratur, quod* S. Dominicus *illam visionem sodalibus suis non revelaverit, adeoque quod ea non nisi per Franciscanum Prædicatoribus cognita fuerit. Præterea miratur, illam a sancto Bonaventura in Vita S. Francisci omissam fuisse. Huic ultimæ admirationi Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1216 *cap.* 9 *ita occurrit :* Eamdem visionem narrari quoque in vetustis Ordinis Minorum Annalibus, atque etiam in eorumdem recentioribus historiis manifestum est. Quocirca fidem ei velle detra-

AUCTORE G. C.

detrahere ea solum ratione, quod sanctus Bonaventura in rebus sancti Francisci, ejus non meminerit, durum nimis et injurium esset. In primis habemus consensum scriptorum et Annalium, nec ullum auctorem hactenus refragantem. Deinde e silentio sancti Bonaventuræ quam validum duci potest argumentum? Dices : Rem tantam et in laudem sancti Francisci non tacuisset sanctus Bonaventura, si compertam habuisset. *Dein argumentum istud negativum exemplis quibusdem refellere conatur, ac ibidem ita pergit :* Absit, ut in sancto Bonaventura dolum malum suspicemur, aut eam visionem pro vera non habuisse. Forsan, cum Vitam sancti Francisci condebat, nondum ipsi innotuerat ; vel quia de sancto Dominico potissimum facta illa fuit revelatio, idcirco eam describere omisit, quod satis esse putavit, in Annalibus Prædicatorum eamdem fuse et integra fide proditam. Utcumque sit, parum pii et prudentis animi procul dubio fuerit, rem tanto scribentium consensu firmatam, in dubium revocare velle. *Quidquid sit de hac Malvendæ responsione, nos illam revelationem propter testimonium*
B *Gerardi de Fracheto, qui ab istis temporibus non admodum remotus fuit, tamquam historice probabilem recipimus.*

quam propheticum colloquium S. Angeli Carmelitæ,

440 *Sed tanta facilitate non admittemus propheticum colloquium, quod Romæ S. Angelus Carmelita cum his duobus sanctis Ordinum Fundatoribus habuisse traditur, et de quo Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1216 *num.* 17 *sic meminit :* Nullo alio quam hoc et superiori anno inveni simul convenisse Romæ hos sanctos Patriarchas. Quare persuasum mihi habeo, vel illo vel isto supervenisse sanctum illum virum Angelum Carmelitam, egregium mox fidei athletam martyrio coronandum apud Siculos, et propheticum admirandumque illud iniisse cum his Patriarchis colloquium apud Lateranum, quod sequentibus verbis retulit Enoch patriarcha Jerosolymitanus Carmelita, *etc. Inter Acta S. Angeli Carmelitæ, quæ Papebrochius in Appendice ad diem* v *Maii cum aliis collata edidit, ac observationibus discussit, tomo istius mensis* II *pag.* 824 *et* 825 *occurrit istud colloquium, in quo Sancti illi divinitas invicem agnovisse ac sibi futura prænuntiasse dicuntur.*

quod tunc cum his duobus Sanctis habitum negat Papebrochius,

441 *Dum Waddingus congressum illum anno Christi* 1215 *vel* 1216 *affigit, non videtur ullo modo rationem habuisse chronologiæ, cum qua tamen historiam concordare necesse est : uterque enim an-*
C *nus iste Annalibus Carmelitanis ac ipsis hisce S. Angeli Actis repugnat. Unde Papebrochius noster præter aliam observationem, qua hoc colloquium de falsitate suspectum reddit, ibidem pag.* 828 *eamdem narrationem argumento negativo impugnat, et simul Waddingo aliam difficultatem opponit his verbis :* Suspicionem auget silentium eorum omnium, qui alterutrius Patriarchæ Vitas antiquitus scripserunt, multa de mutua eorumdem familiaritate memoriæ commendantes. Accedit, quod difficile sit, utrumque *(videlicet* S. Dominicum *et S. Franciscum)* Romam simul adducere anno MCCXIX ; et ideo Waddingus, nolens congressum utriusque cum sancto Angelo prorsus rejicere ut fabulosum, retulit eumdem ad annum MCCXVI, quod auctoritati Vitæ hujus æque repugnat.

qui tamen ibi in chronotaxi S. Dominici errat.

442 *Nolo tamen omnia tueri, quæ Papebrochius illa occasione obiter de chronotaxi* S. Dominici *tradit. Sic ibi dicit,* S. Dominicum *post Capitulum Minoritarum anno* 1219 *in Hispaniam ivisse, et de mora ac reditu ejusdem Sancti perperam hæc addit :* Magna æstatis parte peracta, Segoviam appullit, nec nisi sequenti anno, mense Septembri D
Bononiam rediit, neque Romæ fuit, quoad vixit, id est usque ad Augustum anni MCCXXI. *In itinere illo Hispanico definiendo certe hallucinatus est Papebrochius, re nondum mature discussa : si enim* S. Dominicus *mense Septembri anni* 1220 *primum ex Hispania Bononiam redierit, contra fidem veterum monumentorum necessario sequitur, Sanctum non interfuisse Capitulo generali, quod eodem anno* 1220 *Bononiæ in festo Pentecostes celebratum est. Hunc igitur errorem vir candidissimus, si viveret, correctum vellet, et more suo ingenue retractaret. Præsentiam autem* S. Dominici *in Capitulo Minoritarum, et alia, quæ hic Echardo displicent, per decursum hujus Commentarii sui locis examinabimus.*

§ XXIV. Confirmatio Ordinis Prædicatorum, singularia illius elogia, et breves vindiciæ ab impacta eidem calumnia.

E

Honorius III Papa Ordinem Prædicatorum approbavit

Venerabilis Humbertus in Chronico annum, quo confirmatus est Ordo Prædicatorum, sic breviter indicat : Anno Domini MCCXVI, redeunte beato Dominico Romam, Innocentio mortuo, et Honorio substituto, concessus est Ordo et confirmatus. *Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 401 *mensem ad diem ejusdem anni distincte exprimit his verbis :* Anno Domini MCCXVI, undecimo Calendas Januarii, crastino beati Thomæ apostoli, Indictione quinta, Romæ apud sanctum Petrum *(pleraque diplomata* apud sanctam Sabinam *notant)* fuit confirmatus Ordo Prædicatorum, et beatus Dominicus, quem Deus elegerat ab æterno, et Innocentius Papa tertius approbaverat præcedenti anno, fuit institutus et confirmatus magister et dominus Ordinis ab Honorio Papa tertio, præfati Innocentii successore, Pontificatus ipsius domini Honorii anno primo. Hic Honorius Papa sancto Dominico et Fratribus suis plura privilegia et libertates contulit, et ecclesias ac decimas, atque castra et possessiones datas sancto Dominico confirmavit, sicut in privilegio de confirmatione Ordinis continetur. F

duobus diplomatibus, quorum unum est brevius,

444 *Eamdem confirmationis epocham signant duo Honorii Pontificis diplomata, quorum primum apud Bzovium in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1216 *num.* 9 *sic sonat :* Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Fratri Dominico, Priori sancti Romani de Tolosa, et Fratribus suis regularem vitam professis et professuris salutem et Apostolicam benedictionem. Nos attendentes, Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, et vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum cum omnibus castris et possessionibus habitis et habendis, et ipsum Ordinem ejusque possessiones et jura sub nostra gubernatione et protectione suspicimus. Datum Romæ apud sanctam Sabinam XI Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno primo. *Eadem bulla apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1216 *cap.* 12, *Joannem a sancta Maria in Actis Gallicis* S. Dominici *lib.* 3 *cap.* 12, *et Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 13 *in notis legi potest, ubi iisdem plane verbis refertur. Inter privilegia Ordini Prædicatorum a Romanis Pontificibus concessa, quæ reverendissimus Magister Vincentius Bandellus constitutionibus subjunxit, et anno Christi* 1505 *Mediolani*

A *diolani edidit; primo loco legitur idem breve diploma; at in eo mensis aut dies confirmationis non exprimitur, nec illud* apud sanctam Sabinam *notatur, sed in fine tantummodo dicitur* Datum Romæ Pontificatus nostri anno primo. *Nihilominus ibidem innuitur, illud apographum desumptum esse ex bulla plumbea, quæ in monasterio Pruliano conservatur.*

alterum amplum, 445 *Joannes a sancta Maria in proxime laudatis* S. Dominici *Actis lib.* 3 *cap.* 13 *judicat, hanc breviorem Honorii Pontificis bullam primis Prædicatoribus usitatam fuisse in itinere, quando ad fundandos Conventus peregre proficiscebantur, vel ad obeunda sua munia sese episcopis offerebant, ut omnibus ostenderent, institutum suum ab Apostolica Sede approbatum esse. Forte accuratior usus similium litterarum testimonialium renovatur in Capitulo generali Prædicatorum, quod Argentinæ anno Christi* 1296 *celebratum est, et cujus decretum decimum tertium in Thesauro Anecdotorum apud eruditissimum Edmundum Martene tomo* 4 *col.* 1852 *sic habet :* Item monemus, quod constitutio de litteris testimonialibus ferendis, a Fratribus itinerantibus arctius observetur. *At qualiscumque* B *sit hæc conjectura nostra, Joannes a sancta Maria censet, veteres Dominicanos hac breviori bulla in itineribus usos esse, tamquam testimonio suæ professionis, et ibidem addit,* S. Dominicum *insuper impetrasse aliam ampliorem, in qua possessiones et prærogativæ Ordinis singillatim exprimebantur.*

in quo posteriori possessiones 446 *Alterum illud diploma, quod Honorius III Pontifex eodem anno, mense, ac die dedit, apud ipsum, aliosque scriptores Dominicanos passim occurrit, et in Bullario Romano Laertii Cherubini tomo* 1 *pag.* 44 *et sequente sic legitur :* Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Dominico Priori sancti Romani Tolosanensis, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis salutem et Apostolicam benedictionem. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam sancti Romani Tolosanensis, C in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Prulliano cum omnibus pertinentiis suis; villam de Cassenolio cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sanctæ Mariæ de Lescura cum omnibus pertinentiis suis; hospitale Tolosanense, quod dicitur Arnaldi Berardi cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sanctæ Trinitatis de Lobens cum omnibus pertinentiis suis; decimas a venerabili Fratre nostro Fulcone Tolosanensi episcopo de assensu Capituli sui vobis pia et provida liberalitate concessas, prout in eorumdem litteris plenius continetur. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. AUCTORE G. C.

447 Liceat quoque vobis clericos vel laïcos, liberos et absolutos, e seculo fugientes ad conversionem recipere, vel eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in ecclesia vestra professionem, fas sit sine Prioris sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communi litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. In parochialibus vero ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, debeant respondere. Statuimus præterea, ut nulli liceat, ecclesiæ vestræ novas et indebitas exactiones imponere, aut in vos vel prædictam ecclesiam vestram, sine manifesta et rationabili causa, excommunicationis vel interdicti sententias E promulgare. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero et oleum sanctum consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem Catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere : alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatis, impendat. *exemptiones,*

448 Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi forte excommunicati vel interdicti sint) nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, F nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars majoris et sanioris consilii, secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Libertates quoque et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines, ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et *ac privilegia ejusdem Ordinis distincte confirmat*

domini

AUCTORE G. C.

domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

et cui Pontificis ac Cardinalium nomina subscribuntur.

449 Ego honorius Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Nicolaus Tusculanensis episcopus.

Ego Guido Prænestinus episcopus.

Ego Ugolinus Hostiensis et Veletrensis episcopus.

Ego Pelagius Albanensis episcopus.

Ego Cinthyus titulo S. Laurentii in Lucina presb. Card.

Ego Leo titulo S. Crucis in Hierusalem presb. Card.

Ego Robertus titulo S. Sixti in Monte Cœlio presb. Card.

Ego Stephanus basilicæ duodecim Apostolorum presb. Card.

Ego Gregorius titulo S. Anastasiæ presb. Card.

B

Ego Petrus titulo S. Laurentii in Damasio presb. Card.

Ego Thomas titulo S. Sabinæ presb. Card.

Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano diac. Card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. Card.

Ego Joannes SS. Cosmæ et Damiani diac. Card.

Ego Gregorius S. Theodori diac. Card.

Ego Raynerius S. Mariæ in Cosmedin diac. Card.

Ego Romanus S. Angeli diac. Card.

Ego Stephanus S. Adriani diac. Card.

Datum Romæ apud sanctam Sabinam per manum Raynerii Prioris S. Eridiani * Lucanæ diœcesis, S. R. E. vicecancellarii, XI Calendas Januarii, Indictione V, Incarnationis Dominicæ anno MCCXVI, Pontificatus vero Domini Honorii Papæ III anno primo. *Hæc nomina subscripta apud Malvendam, Joannem a sancta Maria, Echardum, et hic apud Cherubinum diverso ordine collocantur, quod argumento est, alterutrum apographum ex autographo desumptum non esse. Ceterum Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1216 *cap.* 13 *de singulis hisce Cardinalibus brevem notitiam subministrat.*

*al. Fridiani

C

Veteres historici,

450 *Sic itaque confirmatus est Ordo ille præclarus, qui toti Ecclesiæ magnum fructum attulit, et quem fere omnes istorum temporum historici meritis laudibus extollunt. Inter alios Guilielmus de Podio Laurentii, qui locis et temporibus exorientis hujus Ordinis vicinus vixit, in Chronico rerum Albigensium cap.* 10 *de illo sic honorifice scribit :* Continuato itaque biennio et amplius hoc labore, cum accensum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei pugiles, attendentes, quod res ista altiori consilio indigeret, clamare ad Sedem Apostolicam sunt coacti, et ut cœpta prædicatio remaneret, de ordinandis perpetuis prædicatoribus est provisum, inspirante Domino; et hac de causa sub beato episcopo domino Fulcone Ordo Prædicatorum principaliter est exorsus : quorum vexillifer beatus Dominicus prælationem suscepit pariter et laborem, super quo non interest mea narrationem prosequi, cum per historiam vitæ suæ et Ordinis ubique dilatati evidentiam sit jam volentibus atque nolentibus manifestum, verumque, quod dicit Apostolus, oportuisse hæreses esse in nostris temporibus sive regionibus, ut Ordo beatus non tam apud nos, quam apud totum mundum fructuosus et publicus appareret. *Similia ejusdem Ordinis elogia apud abbatem Uspergensem, aliosque auctores synchronos et suppares passim occurrunt. Verum obvia illa laudum præconia nolumus hic accumulare, aut ex scriptoribus notis excerpere, cum suppetant clariora summorum Pontificum testimonia, quibus eumdem inclytum Ordinem exornarunt. Quare hic tantummodo nova quædam et eximia seligemus ex Anecdotis eruditissimi Edmundi Martene, quæ non ita pridem publicam lucem aspexerunt.*

D

et Pontifices Romani, inter quos Gregorius IX,

451 *Tomo* 1 *Thesauri Anecdotorum editur epistola, quam Gregorius IX Papa* ad universos episcopos et Ecclesiæ prælatos *dedit, et quæ in favorem Prædicatorum ibi col.* 954 *et sequente sic sonat :* Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, Prioribus, et aliis ecclesiarum prælatis salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam abundavit iniquitas et refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tam contra promulgatas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicaverat in euangelizatione verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum Fratrum propositum et necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuose duximus commendandos; caritatem vestram rogantes et exhortantes in Domino, ac per Apostolica scripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis memorati pro reverentia divina et nostra ad officium prædicandi, ad quod sunt et professione sui Ordinis deputati, recipiatis benigne, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, et confiteantur eisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire et pœnitentias injungere, sedulo ammonentes pro vestra et Apostolicæ Sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati, tamquam bona ac fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, et dicti Fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum. Quia vero sæpe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus Satanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si qui de Prædicatorum Fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad quæstum se pecuniæ convertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tamquam falsarios capiatis et condemnetis eosdem. Datum Laterani XVII Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio. *Hoc idem diploma inter privilegia post Constitutiones Prædicatorum num.* 6 *ab eodem Pontifice dicitur.* Datum Laterani XIII Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

E

F

Innocentius IV,

452 *Innocentius IV Pontifex eodem tomo col.* 1046 *Ordinem Prædicatorum* rectæ vitæ speculum, salutiferæ conversationis exemplar *appellat. Alexander IV Papa ibidem col.* 1061 *et sequente Fratres Prædicatores et Minores ita laudat :* Patris æterni benignitas pro sui nominis attollenda gloria, et fidelium procuranda salute inter personas

AUCTORE G. C.

A nas plurimas, divinis obsequiis deputatas, viros Ecclesia sua sancta constituit conversationis et vitæ honestate conspicuos, àc scientiæ titulis insignitos. Hi sunt dilecti Deo et hominibus Fratres Ordinis Prædicatorum et Minorum, qui suum semper affectum ad amorem cœlestium dirigentes, virtutem nominis divini per orbem terræ publicant, et pro Christianæ religionis ampliando cultu, vigili attentione desudant. Hi sunt, qui vitam et merita beatissimi Pauli apostoli contemplantes, gloriantur in sola cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis paradisi. Hi sunt, qui hostes animæ per scutum fidei et loricam justitiæ, et gladium spiritus, salutis galeam et hastam perseverantiæ debellantes, obtinere satagunt, ut Catholicis universis fidei, spei, et caritatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, et hæreticæ pravitatis insania evanescat. *Deinde propter has virtutes omnibus Ecclesiæ præsulibus utrumque istum Ordinem impense commendat.*

Clemens IV,

453 *Juvat etiam exscribere fragmentum epistolæ, quæ tomo 2 ejusdem Thesauri col. 282 et 283* B *refertur, et qua Clemens IV Papa anno Christi 1266 necessitates Ecclesiæ precibus Fratrum Prædicatorum ita commendat :* Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis et Capitulo generali salutem et Apostolicam benedictionem. Innuit sacræ lectionis eloquium, quod Ordo vester, veri filii, urbem fortitudinis repræsentat, quam justa gens apertis portis ingreditur, custodiens veritatem : vobis enim justitiæ zona præcinctis janua misericordiæ cœlestis aperitur ad gratiam, dum summæ veritatis, quæ Christus est, mandata servatis, et eorum observantiam summopere custoditis, eumdem Ordinem velut tabernaculum suum Altissimus et in eo sibi habitaculum præparavit, constituens lucem in populis, viam salutis et gratiæ fidelibus ostensuram, qui quasi sol in Dei templo refulgens, et quasi cypressus in altitudinem se extollens respicientium eum mentes illuminat, et quietis umbraculum sub mundanæ miseriæ sarcina fatigatis. Hic est ager Dominicus, superioris benedictionis rore perfusus, requirens cultores industrios, pudicitiæ nitore præclaros, argumentosæ probitatis munere præditos, nullius inquinamenti labe respersos; ut militantes in C terris, triumphare mereantur in cœlis, et currentes in solis studio *, beatitudinis æternæ bravium apprehendant. Hic est profecto fertilitatis ager fructus uberes proferens : nam semina in ipso sparsa non pereunt, flores editi non arescunt, et tamen ex multiplicatis manipulis gramina gloriæ colliguntur. Quapropter Ordinem ipsum, quem sic in domo Domini prælucere conspicimus, tenerrime diligimus, et corde tenemus, paterna circa eum solicitudine vigilantes, ut protegatur a noxiis, salubria semper suscipiat incrementa, et caritativæ pacis effluat ubertate. *Deinde illos exhortatur, ut exemplo sancti sui Fundatoris verbum Dei populis strenue prædicent, et pro afflicto Ecclesiæ statu preces eorum paterne exposcit.*

* *lege* stadio

Urbanus IV,

454 *Denique tomo 4 Thesauri Anecdotorum col. 1735 occurrit Urbanus IV, qui recenter ad summum Ecclesiæ regimen assumptus, anno Pontificatus sui primo, sive Christi 1262, orationes Prædicatorum magna fiducia sic petiit :* Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis Magistro, Prioribus et Fratribus Ordinis Prædicatorum in generali Capitulo Bononiæ congregratis salutem et Apostolicam benedictionem. In præclaræ dignitatis honore, quo nos prætulit Exaltator humilium, quasi onus importabile nostris est humeris alligatum; cujus dum magnitudinem stupendam attendimus, adinstar Apostolorum Principis, quem pelagi fluctus exterruit, non immerito formidamus. Si vero quodammodo ex fragilitatis nostræ consideratione mergimur, ex fiducia Dominicæ clementiæ relevamur; sperantes, quod prospere hujusmodi procellosas maris transire possimus angustias, si nobis impetretis auxilium, qui cœlesti Sponso in conscientiæ sanctæ deliciis lectum floridum præparastis. Quid enim vobis a Dei pietate negabitur merentibus illam semper habere propitiam odore bonorum operum et candore virtutum? Quid enim apud Reginam perfulgidam, intemeratam Matrem Domini gloriosam angelica vestra conversatio non habebit, quorum meritis splendet Ecclesia, florum exemplis viget et proficit religio Christiana? Quid beata Sanctorum acies vestris votivis non impetrabit affectibus, quæ vobis benignior redditur pro laudis Dominicæ præconiis et vitæ meritis innocentis? Ecce Regis æterni et cœlestis curiæ vos habere favorem claris argumentis præsumitur, et signis perspicuis declaratur. *Dein ad Ecclesiam feliciter gubernandam ab illis enixe postulat pia precum subsidia, eosque de suo erga eumdem Ordinem affectu certiores reddit.* E

aliique allegantur,

455. *Eodem tomo 4 Thesauri col. 1794 Nicolaus III Pontifex ad Capitulum Prædicatorum, quod Mediolani anno 1278 habitum fuit, anno Pontificatus sui primo scribit :* Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo generali Ordinis Prædicatorum salutem et Apostolicam benedictionem. Ordo vester institutus divinitus claret in conspectu altissimi Patris per beatam sobolem, quam produxit ad hæreditatis æternæ gloriam assumendam. Claret in terris tamquam luminare præfulgidum, effundens in conventibus radios claritatis. Digne quidem in ipso chorus exsultat angelicus; et nos, qui Ordinem ipsum prærogativa conceptæ ab eodem specialis dilectionis amplectimur, in ejus claritate delectamur, ac in sua religione veluti stabili soliditate quiescimus, dum vos circa virtutum exercitium jugiter insudantes, per devotarum orationum instantiam et expositionem verbi Dominici, quasi Dei mediatores et hominum, salutem quæritis animarum, et prosperi status universalis Ecclesiæ fervidi F zelatores, eidem indefessis laboribus et argumentosis operibus deservitis. Quare dominum Deum nostrum anima vestra lætificat, et in ipso lætanter exsultat, quod in humilitatis spiritu confirmati, promptitudine devotionis et operis, illius studetis imitari vestigia, ejus vias summo opere custoditis, qui descendens a Patre luminis, et formam servi accipiens, et in laudis sacrificium placabilem hostiam offerens, immolavit. *Postea hortatur illos, ut in his virtutum exercitiis constanter perseverent, et augmentum totius Ordinis optans, eidem favorem suum promittit.*

impense laudarunt Ordinem Prædicatorum.

456 *Denique ibidem col. 1874 Bonifacius VIII Papa generale Prædicatorum Capitulum, quod Massiliæ anno 1300 proxime celebrandum erat, in litteris suis ita alloquitur :* Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis definitoribus Capituli generalis Ordinis Prædicatorum Massiliæ proximo celebrandi. Inter Religiones singulas, quas ad curiæ cœlestis obsequia, et salutem fidelium populorum statuit in terris divinæ providentiæ consilium, Ordo vester Prædicatorum præcellentiæ operum claritate præfulgens Deo se placidum exhibet, et apud singulos gra-

AUCTORE G. C.

tiam gloriosæ opinionis effundit; circa cujus statum eo perspicacius aciem mentis extendimus, ejusque prosperitatem eo desiderabilius affectamus, quo per eum tam Apostolicæ Sedi, quam universali Ecclesiæ ampliores fructus commodi et honoris accedunt. *Post hæc Pontifex iste monet Prædicatores, ut de divisione provinciarum, quam nonnulli petierant, mature deliberent, et consilium suum ad Sedem Apostolicam referant, spondetque, se huic divisioni consensurum, si ea Ordini utilior videatur.*

quem ab antiqua calumnia,

457 *Atque hæc sunt præcipia sacri istius Ordinis elogia, quæ mihi se ultro obtulerunt. Equidem non ignoro, plura ejusmodi inveniri posse; sed sancte profiteor, me ex omnibus occurrentibus illustriora ac solidiora studiose selegisse. Quinimo libenter in hoc facili ac jucundo laudum argumento diutius versarer, nisi consueta Commentariorum nostrorum methodus me ad difficilius ac magis tetricum Actorum examen revocaret. Priusquam tamen ad illud revertar, paucis refellenda est quædam accusatio, qua Richerius monachus in Spicilegio Acheriano novissimæ editionis pag.* 633 *et sequente, famam* B *veterum Prædicatorum contumeliose proscindit: is enim scriptor lib.* 4 *Chronici sui Senoniensis cap.* 16 *effutit, Ordinem Prædicatorum non diu post ortum suum a primæva pietate discivisse, bona temporalia injuste accumulasse, aliaque similia, quæ forte ab invidis hujus Ordinis obtrectatoribus audivit, et Chronico suo malevole vel incaute inseruit. Certe hunc auctorem plura insulsa et falsa ex vanis vulgi rumoribus imperite scripsisse, patet ex ipso ejusdem capitis initio, ubi acturus de Ordine Prædicatorum asserit, quod illius institutor fuerit* quidam, Dominicus nomine, de TUSCIÆ partibus oriundus, *et ibidem mox subjungit,* Dominicanos *per universas regiones dispersos esse*, postquam a Gregorio Papa confirmati *fuissent. Profecto exiguam Prædicatorum notitiam habuit, qui* S. Dominicum *origine Tuscum facit, et confirmationem ejusdem Ordinis Gregorio Papæ perperam adscribit. Ceterum tota hæc contumeliosa narratio satis refellitur ex jam relatis testimoniis Romanorum Pontificum, qui Prædicatores sui temporis propter eximiam pietatem, singularem paupertatis amorem, aliasque virtutes merito laudarunt.*

et odiosa comparatione

458 *Ex iisdem Pontificum elogiis facile colligitur, monachum illum Senoniensem studio partium* C *abripi, aut obtrectatoribus Ordinis Dominicani nimis leviter credidisse, dum eodem lib.* 4 *sui Chronici cap.* 17 *comparationem instituit inter Fratres Minores ac Prædicatores, et de sectatoribus utriusque Ordinis ita temere pronuntiat*: Illorum siquidem et conversatio et vita semper melius et sanctius, quam Prædicatorum ad tempora nostra *(id est annum Christi* 1250, *quo circiter Chronicon suum contexuit)* usque perduravit. *At eo tempore, si unquam, Ordo Prædicatorum viris sanctitate et doctrina clarissimis fulgebat, quod etiam de Ordine S. Francisci dictum volumus. Id autem manifestum fiet omnibus, qui Vitas Fratrum, et utriusque Ordinis Annales, levi oculo usque ad hæc tempora percurrere voluerint.*

vindicamus.

459 *Præterea inutilem et odiosam illam comparationem destruit Clemens IV, quem superius quoque inter laudatores Prædicatorum recensuimus: cum enim nobilis Ermengaudus de Melgorio seculum deserere vellet, et Clementem illum consuluisset, quem potius Ordinem amplecteretur, Pontifex tomo* 2 *Thesauri anecdotorum col.* 314 *sic eidem respondet*: Quæris a nobis consilium, quod apud te rectius poteris invenire. Si enim Dominus inspiravit, relicto seculo, vitæ frugem appetere D melioris, Dei spiritum, sicut non possumus, sic nec volumus prohibere; præsertim cum filium habeas bene disciplinatum, ut credimus, qui tuæ sciet domui providere. Quod si proposito non mutato sciscitaris ulterius, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum et Minorum Ordinibus præeligendum credamus, id præcipue conscientiæ tuæ relinquimus: magis enim tu scire potes utriusque Ordinis observantias, quæ non sunt pares in omnibus, et in diversis articulis excedentes sunt et excessæ. Alteri quidem istorum Ordinum lectus est durior, nuditas gravior, et, ut nonnulli judicant, paupertas profundior; et alteri cibus parcior, longiora jejunia, et, ut quamplures asserunt, severior disciplina. Neutrum ergo neutri præferimus; sed in una et in illa altissima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, salutem scilicet animarum, et ideo sive hunc, sive illum elegeris, arctam viam aggredieris, et per portam intrabis ad terram mellifluam et præ ceteris spatiosam. Unde hæc apud te pondera, hæc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quem tu speres melius portaturum. Sic E uni conversatione adhæreas, ut amore ab altero non recedas: Frater enim Prædicator est reprobus, qui Minores non dilexit; et exsecrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem vel contemnit. Datum Perusii XIII Calendas Maii, anno secundo, *nimirum sui Pontificatus, qui anno Christi* 1266 *respondet. His ex occasione dictis, ad cœptam Actorum discussionem redeamus.*

§ XXV. Quomodo hic Ordo titulum Prædicatorum acceperit, et quibus aliis nominibus appellatus fuerit.

Videtur Honorius III Pontifex

Echardus tomo 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 14 *in notis existimat,* S. Dominicum *ab Honorio III statim consecutum fuisse, ut Ordo suus Prædicatorum esset (hoc Sanctus præcipue intendebat) idque putat satis indicari in memorata confirmationis synopsi, ubi Pontifex ita loquitur*: Nos attendentes, Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, et vera F mundi lumina. *Quapropter censet, his verbis rem ipsam designari, etiamsi illic titulus Prædicatorum non concedatur. Unde Echardus ibidem fatetur, sanctum sui Ordinis Fundatorem* illud non videri obtinuisse, ut Ordo Prædicatorum diceretur, *cum in duabus prioribus Honorii III bullis nomen Prædicatorum nusquam exprimatur. Attamen loco proxime citato recte monet, quod* S. Dominicus *etiam ipsum Prædicatorum titulum impetraverit tertio ejusdem Pontificis diplomate, quod eximias primorum Prædicatorum laudes complectitur, et quod ad gloriam istius Ordinis jam transcribemus.*

titulum Prædicatorum

461 *Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1217 *num.* 50 *laudat indefessum* S. Dominici *sociorumque laborem contra Albigenses, et ibidem citat testes hujus rei litteras, quas Honorius III Pontifex* Priori et Fratribus sancti Romani Prædicatoribus in partibus Tolosanis *scripsit in hunc modum*: Gratiarum omnium Largitori, gratiarum dignas referimus actiones in gratia Dei, quæ data est vobis, in qua et statis, et stabitis finaliter, ut speramus, quia interius charitatis flamma flagrantes, exterius famæ fragrantis odore, qui et sanas delectat et reficit

mentes

AUCTORE G. C.

A mentes infirmas, quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras, tamquam studiosi medici, exhibentes, eas semine verbi divini vestra salutari facundia fœcunditatis *, sic velut servi fideles talenta vobis credita erogantes, ut eadem reportetis Domino geminata, sic sicut invicti Christi athletæ, scuto fidei et galea salutis armati, non timentes eos, qui corpus possunt occidere, verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exeritis inimicos, sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam æternam custodiatis easdem.

* *forte fœcundatis*

Dominicanis primus concessisse,

462 Ceterum quia finis, non pugna coronat, et currentibus in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit destinatum, charitatem vestram rogamus, et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, et in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus magis ac magis in Domino confortati euangelizare verbum Dei studeatis, opportune, importune instantes, et opus euangelistæ laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, B non solum eas æquanimiter toleretis, sed gloriemini cum Apostolo, in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine Jesu contumelias sustinere: hoc enim leve et momentaneum tribulationis immensum pondus gloriæ operatur, ad quam non sunt condignæ hujus temporis passiones. Nos quoque intendentes vos tamquam speciales filios favorabiliter confovere, petimus, ut pro nobis offeratis vitulos labiorum, si forte, quod nostris meritis non valemus, vestris suffragiis assequamur. Datum Laterani VII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo. *Istud est primum diploma Pontificum Romanorum, in quo titulum Prædicatorum huic Ordini datum legimus.*

etsi quidam velint, hunc ab Innocentio III mirabiliter iis datum esse,

463 *Attamen reverendissimus Vincentius Bandellus, apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1216 *cap.* 16 *laudatus, in Commentariis Constitutionum Distinct.* 1 *cap.* 15 *de origine hujus tituli tradit sequentia :* Hoc nomen Prædicatorum fuit impositum Ordini nostro a Papa Innocentio III, qui dum scriberet beato Dominico et Fratribus suis, imposuissetque scriptori, ut scriberet hoc modo : FRATRI DOMINICO C ET SOCIIS SUIS, statim revocavit, et dixit : Scribe hoc modo : MAGISTRO DOMINICO ET CUM EO PRÆDICANTIBUS ; statimque aliquantulum plus considerans, noli, inquit, sic dicere ; sed scribe hoc modo : MAGISTRO DOMINICO ET FRATRIBUS PRÆDICATORIBUS. Et ex tunc ipse beatus Dominicus et filii ejus cœperunt se Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in curia et ubique ab omnibus sic vocari. *Huic traditioni anonymus seculi* XIV *scriptor apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 334 *et* 347, *Hermannus Cornerus in suo Chronico, Jacobus Susatus, Sebastianus de Olmeda, Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1215 *num.* 6, *Nicolaus Janssenius in Vita* S. Dominici *cap.* 6, *aliique recentiores passim assentiuntur.*

pro qua opinione perperam citatur Stephanus de Salanhaco,

464 *Sed antiquissimus ejusdem traditionis assertor, quem hactenus novimus, allegatur Stephanus de Salanhaco, qui apud Malvendam loco proxime citato sic scribere perhibetur :* Celebrato siquidem Lateranensi concilio, anno Domini MCCXVI summus Pontifex ordinans quædam circa negotium fidei in partibus Tolosanis agenda, et decernens super his scribere beato Dominico et his, qui cum eo erant, accito notario, dixit ei : Sede, scribe super his FRATRI DOMINICO ET SOCIIS EJUS in hæc verba. Et stans paululum, Noli scribere, inquit, sic ; sed hoc modo : FRATRI DOMINICO ET CUM EO PRÆDICANTIBUS IN PARTIBUS TOLOSANIS etc. Statimque aliquamdiu considerans plus, sic, inquit, scribe : MAGISTRO DOMINICO et FRATRIBUS PRÆDICATORIBUS etc. Et surrexit. Sicut dixit dominus, scripsit notarius. Nutu Dei præsens tunc Romæ aderat Pater sanctus, qui audito verbo domini totius mundi, vicarii Jesu Christi, gavisus est gaudio magna valde : nam deinceps in curia, et ubique ipse, et filii ejus cœperunt se Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in curia et ubique ab omnibus sic vocari juxta illud Isaiæ 62 : Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. *Quicumque similes recentiorum auctorum narrationes cum hac conferre voluerit, haud difficulter perspiciet, omnes illas ex hoc primo, ni fallimur, fonte prodire. At circa allegatum hujus rei primum narratorem nonnulla notanda occurrunt.*

cujus scripta interpolata sunt,

465 *Primo observamus, ab antiquiore hujus traditionis teste non dici, quod illa triplex inscriptionis mutatio statim post celebratum concilium Lateranense contigerit.* E *Quinimo hic scriptor indicat, id anno Christi* 1216 *evenisse, quo eodem anno Honorius III in locum Innocentii III successit. Secundo advertimus, in hoc textu non exprimi nomen Innocentii III Papæ, cui forte recentiores auctores illud ex conjectura adscribunt, cum successori ejus Honorio III tribuendum esset. Tertio notamus, illud opus Stephani de Salanhaco interpolatum esse, ut Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 415 *testatur. Unde laudatus Echardus pag.* 71 *ejusdem tomi ad objectam sibi istius Stephani auctoritatem ita respondet :* Testimonium magni esset momenti, si a Salanhaco scriptum esse constaret ; sed cum Bernardus Guidonis ipse moneat, hunc tractatum a se ubique interpolatum, et plura postea sibi cognita, et a Salanhaco omissa, a se suis locis inserta, non aliam quam a Bernardo habet auctoritatem, cujus ætate ista de mutatione facta invaluerat opinio. *Quod Echardus hic respondet argumento de facta mutatione vestium, quam postea discutiemus, eodem jure in hac materia reponimus.*

ut exemplo probatur.

466 *Præterea dubitamus, an solus Bernardus Guidonis opus illud Stephani interpolaverit. Imo suspicamur, postmodum plura ac recentiora ad idem opus augendum vel supplendum paulatim accessisse :* F *nam etiam Bernardo Guidonis tribuere non audemus, quod apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 8 *sub nomine Stephani de Salanhaco narratur his verbis :* Discurrebat beatus Dominicus, et mittebat Fratres, quos ab initio paucos habuit, et mediocriter litteratos, et ut plurimum adolescentulos. Unde mirabantur quidam Religiosi, Cisterciensis Ordinis præcipue, quod tam juvenes Fratres mitteret ad prædicandum, et tam secure, ipsosque Fratres observabant, si vel in verbis vel in factis reprehendere eos possent : quod cum diu sustinuisset, sumpta sancta audacia, quadam die ; Quid, inquit, more Pharisæorum curiose meos discipulos observatis? Scio, scio, et certus sum, quod juvenes mei ibunt, et redibunt, mittentur et revertentur ; juvenes autem vestri claudentur, et non revertentur. *Flaminius lib.* 2 *Vitæ* S. Dominici *fol.* 50 *eamdem Sancti responsionem refert, eamque adhuc duriorem reddit. At nobis vix persuadere possumus, mitissimum Sanctum tam acerbe respondisse Religiosis Ordinis Cisterciensis, cui tantum debebat, et cum quo familiariter conversa-

versabatur, ut legimus in veteribus illius Actis, quæ de odioso hujusmodi responso nusquam meminerunt.

Thomas Cantipratanus miram hujus tituli historiam Honorio III tribuit.

467 *Potius itaque credemus, circa titulum Prædicatorum simile quid Honorio III accidisse : nam Thomas Cantipratanus, qui Bernardo Guidonis antiquior est, lib.* 1 *Apum cap.* 9 *num.* 5 *talem fere inscriptionis mutationem huic Pontifici tribuit, et de origine istius appellationis tradit sequentia :* Hinc quidem, nacta occasione, videndum est, Prædicatorum Ordo qualiter tali nomine sit vocatus : cum enim Ordo confirmari ab Apostolico debuisset, præcepit notario, ut in inscriptione Ordinis Fratres prædicantes poneret. Qui ordinans litteram confirmationis, Fratres Prædicatores posuit recto modo. Littera ergo inspecta, Apostolicus dixit notario : Ut quid, secundum quod tibi dixeram, non posuisti Fratres prædicantes, sed Prædicatores ponere voluisti? Tunc ille constanti vultu respondit : Prædicantes, inquit, nomen est adjectivum, licet a participio substantivari posse concedatur, et est commune nomen in actu; Prædicatores vero nomen est
B proprie substantivum, et est nomen verbale simul et personale, in quo nomen officii manifestissime declaratur. Vide ergo, lector, quam veridice notarius ad objecta responderit : Prædicans enim numquam significat rem suam, nisi per modum actus; Prædicator vero significat rem suam per modum habitus, licet non sit semper in actu, et ideo debuit poni congrue Prædicator. Consentiente ergo domino Apostolico evidentissimæ rationi, Ordo intitulatus est nomine Prædicatorum, et inter Cardinales solenniter confirmatus.

cui Flaminius aliud prodigium gratis addit,

468 *Flaminius in laudata* S. Dominici *Vita fol.* 11 *et* 12 *hanc Ordinis confirmationem novo miraculo sic exornat :* Illud quoque hoc loco prætereundum non est, quod divinitus illis accidit, quibus ab ipso Pontifice maximo demandatum fuerat, ut de confirmatione Ordinis, ac de ceteris ipsi Ordini ab eo concessis testes litteras scriberent : nam cum eum tamquam fastidientes ac indignabundi Ordinem Prædicatorum nollent scribere, quod (ut diximus) non nisi episcopis ac similibus id negotium ac nominis titulus dabatur, sæpius exorsi, ac volentes aliter scribere, inviti
C Prædicatores semper scribebant. Quod demum tamquam miraculo moti scripsere, quod sibi divinitus edici animadverterunt. *Nescimus, unde Flaminius eruerit hoc prodigium, de quo omnes antiqui biographi altum siluerunt. Quare majorem ei fidem habemus, dum ibidem subnectit narrationem de sanctis Apostolorum principibus Petro et Paulo, qui circa hoc tempus* S. Dominico *Romæ apparuerunt, et quorum unus Sancto baculum, alter librum dedit, officium prædicationis eidem injungentes : hanc enim apparitionem Constantinus Urbevetanus num.* 20, *Humbertus cap.* 26, *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 67 *narrant, et eadem apud Theodoricum de Appoldia inferius num.* 70 *recurret.*

et Malvenda eamdem Innocentio et Honorio adscribit :

469 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1216 *cap.* 17 *auctoritatem Stephani de Salanhaco et Thomæ Cantipratani illæsam conservare nititur, et propterea de origine hujus gloriosi nominis ita disserit :* Neutiquam dubitaverim ab utroque et ab Innocentio III et ab Honorio III illustre id et splendidum Prædicatorum nomen Ordini nostro, non sine divino instinctu, concessum. Sed quod ad Honorium attinet, cum in authenticis confirmationis Ordinis litteris, quas supra posuimus, nulla mentio Prædicatorum nominis fiat, cogimur existimare, ne fides Cantipratani solida vacillet, Honorium vel in libello memoriali, quem notario dictabat, cum confirmationem Ordinis in Cardinalium consistorio propositurus esset, vel in regesto rerum in suo Pontificatu gestarum, cum ei confirmatio Ordinis inserenda esset, ita demum Ordinem Prædicatotorum jussisse inscribi. *Malvenda hoc loco sic divinare cogitur, quia non viderat tertium Honorii diploma, quod supra ex Raynaldo dedimus, et in cujus epigraphe contingere potuit illud, quod mox ex Thoma Cantipratano retulimus. Porro certioribus documentis probatum cupimus, aliquid simile sub Innocentio III Pontifice evenisse.* D

sed ab Echardo plane explicatur Prædicatorum nomen.

470 *Dum Echardus de hoc Ordinis suo titulo agit, nullum in ipsius impositione mysterium aut miraculum commemorat; sed tomo* 1 *jam sæpe laudati operis pag.* 14 *in notis apertum istius appellationis fontem candide assignat his verbis :* Quia vero de Prædicatorum nomine varii varie disserunt, veram et simplicem ejus originem facile est indicare. Sciendum igitur, eos qui primi Albigensium conversioni operam dederunt, vulgo Prædicatores dictos fuisse, quod obvium passim apud Sernensem. *Deinde ex Historia Petri Vallis-Sernensis quosdam profert textus, in quibus monachi Cistercienses, aliique Albigensium impugnatores, nomine Prædicatorum promiscue appellantur. Denique ostendit, alios plerosque munere prædicationis dumtaxat functos esse ad aliquod tempus, quo transacto, nomen et officium Prædicatorum deponebant, et ad sua redibant.* At Dominicus contra, *inquit ibidem,* ex quo huic se dedit operi, ac titulo Prædicatoris ornatum se vidit, in eo ita sibi complacuit, ut semel assumptum numquam dimiserit, imo in cognomen asciverit, sigilloque suo voluerit insculptum, et expressum S. F. Dominici Prædicatoris. Sic etiamnum visitur in actu hominii, quod episcopus Cadurcensis Simoni comitis Montis-fortis præstitit xii Kalendas Julii mccxi Cadurci, cui cum aliis pluribus magnatibus et viris religiosis Dominicus præsens et testis affuit. *Post hæc indicat, ubi antiquum istud instrumentum inveniri possit, ac tandem exponit, quomodo* S. Dominicus *hunc Prædicatorum titulum, quem semper magni fecerat, Ordini suo solenniter ab Honorio III Pontifice impetraverit. En satis planam istius appellationis originem, propter quam non oportet miracula multiplicare. Idcirco tamen non inficiamur, sub Honorio III factum esse illud, quod memoratus Thomas Cantipratanus narrat.* F

circa quod Choquetius scrupulum movet.

471 *Cum hæc jam scripsissem, fortuito incidi in nonnulla verba F. Hyacinthi Choquetii, qui cap.* 6 *operis jam sæpe citati pag.* 66 *circa hoc nomen mihi scrupulum ita injicit :* Mirum tamen magis, *inquit,* quosdam, ceteroqui pios et eruditos, speciosum atque in cœlo scriptum Prædicatorum nomen, non tam nobis, quam Ecclesiæ invidere. Nescio certe, quidnam humani patiantur, qui in verbis, litteris, libris, ubi nostrorum memoria occurrit, prætermisso Prædicatorum titulo, Dominicanos eos appellant : quamquam enim Religiosæ cujusvis familiæ hominibus jucundissimum sit primi ducis atque institutoris nomen, gaudeantque ab illo suum ducere, cujus castra, disciplinam et exempla sequuntur; peccant nihilominus, et nominandi leges vel ignorant, vel contemnunt, qui inferiores titulos, dignioribus omissis, cuipiam adscribunt. *Equidem fateor, quod per decursum hujus Commentarii Prædicatores promiscue Dominicanos nominaverim; sed simul sincerissime testor,*

nullam

AUCTORE G. C.

A *nullam scrupulosæ hujus distinctionis cogitationem mihi tunc incidisse, meque id innocue fecisse exemplo plurium Prædicatorum, qui in scriptis aut libris se ipsos sæpe Dominicanos appellant. Quare videtur ille Choquetii scrupulus tuto contemni posse. Si quis tamen cum Choquetio censuerit, aliquid in ea re piaculi esse, quod hactenus cum plurimis scriptoribus ignoravi, is libere secundum mentem meam pro Dominicanis ubique Prædicatores substituat. Nunc ad alia nomina, quibus hic Ordo appellatus fuit, assignanda progrediamur.*

Occasione alterius tituli Echardus a nobis exigit retractationem,

472 *Cardinalis Vitriacus in Historia sua Occidentali præfixit capiti* 27 *hunc titulum :* De nova religione, et prædicatione Bononiensium Canonicorum. *Deinde vitam illorum Canonicorum describens inter alia asserit, eos in summa paupertate vivere, ac fidelibus verbum Dei prædicare,* canonicam regulam et salutares regularium observantias prædicationis et doctrinæ gratia decorantes, et Prædicatorum Ordinem Canonicorum Ordini conjungentes. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 24 *ex toto hoc Vitriaci capite contra opinionem Andreæ Hoii erudite demonstrat, Cardinalem Vitriacum hic de Ordine Prædicatorum egisse, et pagina sequente ratiocinium suum ita concludit :* B Si eruditi Actorum Sanctorum editores hæc aliquando legerint, eos sperare ausim emendaturos, quod tomo III Maii pag. LIV in serie episcoporum Hierosolymitanorum a Daniele Papebrochio, sola Andreæ Hoii supracitati fide innixo, ceu certum profertur, nullam a Vitriaco fieri Ordinis Prædicatorum mentionem.

quam Papebrochius jam bis vulgavit,

473 *Verum quod a nobis Echardus hoc loco exigit, jam ipse candidissimus Papebrochius in Responsionibus suis ad exhibitionem errorum bis præstitit : nam in responsione ad articulum* XVI *num.* 170 *et sequente probat, Ordinem Prædicatorum ab Honorio III Ordinem Canonicum appellari, ideoque ibidem addit, se non debuisse dubitare,* quin nova religio et prædicatio Bononiensium Canonicorum *(alludit ad verba Jacobi Vitriaci Cardinalis)* esset Ordo Prædicatorum. *Præterea in responsione ad articulum* XXII *num.* 32 *Papebrochius de eadem re sic loquitur :* Denique mihi Ordinique gratulor, quod potuerim articulo XVI num. 170 primus observare, notitiam ejus apud Jacobum Vitriacensem sub honorifico Canonicorum Bononiensium C titulo, prius usurpato, quam ipsa Prædicatorum appellatio Pontificis Romani nutu stabiliretur. Hoc autem ne gratis videar asseruisse, licet fundatum in ipsis Pontificum bullis, ab Ordinis annalista productis, eccum tibi ipsum Vitriacensis contextum. *Tum numeris sequentibus refert integrum Vitriaci textum, et ex illo eruit, ibi Ordinem Prædicatorum designari.*

et quam reprehendit Helyotus,

474 *Quinimo Helyotus in Historia Gallica Ordinum Religiosorum ac militarium parte* 2 *cap.* 37, *sive tomo* 2 *istius operis pag.* 247, *Papebrochium propter hanc retractationem carpit, acsi Ordinem Prædicatorum cum congregatione scholarium Bononiensium perperam confudisset. Interim Helyotus fatetur, progressum et habitum hujus congregationis a se ignorari, et dum initium illius ante annum Christi* 1200 *collocat, nullum veterem hujus epochæ testem allegat. Præterea congregationem scholarium Bononiensium ab Ordine Prædicatorum distinguendam censet, eo quod Cardinalis Vitriacus dicat, illos* Prædicatorum Ordinem, Canonicorum Ordini *conjunxisse. At hæc ipsa expressio nos movet, ut hic Ordinem Prædicatorum assignari existimemus : nam Fratres Prædicatores ea ætate sæpius nomine Canonicorum appellantur. Sic anno Christi* 1224 *Girardus archiepiscopus Bisuntinus* reverendos Fratres Canonicos Ordinis Prædicatorum *laudavit in suo diplomate, quod Joannes Jacobus Chiffletius in sua Vesuntione part.* 2 *pag.* 258 *et sequente integrum exhibuit. Ex pluribus aliis authenticis instrumentis de illa appellatione constat, et eadem inferius ex processu Bononiensi confirmabitur.*

licet putemus, retractationi Papebrochianæ adhærendum esse.

475 *Denique Helyotus distinctionem inter illos faciendam putat, eo quod Fratres Prædicatores carnibus abstinerent, et interim Vitriacus de canonicis Bononiensibus sic scribat :* Tribus in hebdomade diebus carnes, si eis apponantur, non recusant. *Sed huic argumento Echardus in notis proxime citatis ita diversimode respondet :* Scrupulum forsan quis ingeret, quod idem Vitriacus addat, Prædicatores illos tribus in hebdomada diebus carnes, si eis apponerentur, non recusasse. Sed facilis responsio, Vitriacum non ad amussim de his, quæ in quaque Religione, præsertim nova, observabantur, edoctum fuisse : sic enim, ubi de Ordine Minorum, quædam habet, quæ apud eos numquam fuerunt in usu ; ut cum dicit, summum apud eos esse Priorem, cui subsunt Priores in- E feriores ; quas denominationes numquam usurparunt : item capitula generalia quotannis semel vel bis etiam apud eos convocari, quod non verum, nec agnoscit ipse Wadingus. Adde, forsan Bononiæ in illis principiis et antequam beatus Dominicus sua haberet Capitula generalia, carnium usum tribus hebdomadæ diebus, si offerrentur, licitum fuisse, aut certe nondum prohibitum, vel tandem de infirmis id intelligendum. *Omnibus mature expensis, probabilius sententiæ Echardi et retractationi Papebrochianæ adhærendum arbitramur.*

Prædicatores olim vocabantur Fratres Virginis Mariæ,

476 *Sanctus Antoninus parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 3 § 1 *aliud nomen eidem Ordini datum ita indicat :* In principio Fratres Ordinis dicebantur Fratres Virginis Mariæ; sed placuit Ecclesiæ Dei titulum eis dare Fratrum Prædicatorum. *Hoc pio nomine Choquetius in Deiparæ Visceribus maternis erga Ordinem Prædicatorum cap.* 6 *pag.* 60 *sic jure merito gloriatur ;* Qui titulus jucundaque nominis appellatio, *ait,* non ab ipso primo duce Dominico, aliove mortalium fuit Ordini indita ; sed a maximis Deiparæ in illum beneficiis, mutuaque vicissim hujus in illam admi- F randa religione, toto jam tum orbe clarissimis, variisque ejusdem Virginis revelationibus, occulto Numinis instinctu, communi Christiani orbis consensione atque acclamatione, passim usurpata cœloque delapsa. Nonnulli quidem alii sacri hominum Ordines a gloriosissimæ virginis Mariæ nomine nomen habent, sed quod ab ejus cultu atque amore illis ipsorum conditores primitus imposuerint ; noster vero titulum illum a cœlo obtinuit, quo usque alium ab apostolico prædicandi munere ipsi adornabat Virgo Mater, Pontificis maximi, tamquam supremi dictatoris, postmodum ore publicandum. *In antiquis* S. Dominici *Actis recensentur singulares Deiparæ favores erga Ordinem Prædicatorum ; sed in illis nusquam legimus, Fratres ab eadem Virgine Maria nomen accepisse.*

et Fratres majores,

477 *Discimus ex Gestis Trevirensium archiepiscoporum, quæ diligentissimus veterum monumentorum indagator Edmundus Martene nuper tomo 4 Collectionis suæ amplissimæ inseruit, Prædicatores aliquando vocatos fuisse* Fratres majores : *cum enim auctor illic retulisset Acta Joannis archiepiscopi, qui anno Dominicæ incarnationis 1190 ad*

AUCTORE G. C.

cathedram Trevirensem evectus est, et anno gubernationis suæ vigesimo tertio e vivis excessit, ibidem col. 229 *ad propositum nostrum interserit sequentia:* Ejus quoque temporibus claruerunt in Lombardia duo luminaria magna, Ecclesiam Dei mirifice irradiantia, Dominicus videlicet et Franciscus; quorum prior MAJORUM FRATRUM, id est, Prædicatorum; posterior MINORUM FRATRUM, id est, nudipedum seu nodatorum Ordinem instituit. *Forsan hæc appellatio tantum usitata fuit in Germania, aut apud plebem, ut Prædicatores a Fratribus Minoribus seu Franciscanis distinguerentur, cum alibi hunc titulum Fratrum majorum nusquam invenerimus.*

sicut in Gallia appellantur Jacobini,

478 *Denique in Gallia Prædicatores jam a multis seculis et adhuc hodiedum vulgo vocantur* Jacobini, *cujus appellationis originem Matthæus Parisiensis in Historia majori, Parisiis anno* 1644 *recusa, inter gesta anni* 1198 *pag.* 134 *explicat his verbis:* Eodem anno, defuncto Papa Cœlestino, Innocentius tertius successit, in die cathedræ sancti Petri Papa consecratus, et in Petri cathedra collocatus, cujus favore exortum est in Italia

B

novum genus Prædicatorum, qui Jacobitæ voluerunt appellari, eo quod vitam cœperunt Apostolicam imitari. Isti in victu et vestitu satis tenues, aurum et argentum vel aliud quid proprii non possidentes, ibant per civitates et vicos et castella, verbum Euangeli prædicantes. Multiplicati sunt autem in brevi per orbem universum propter spontaneam paupertatem, habitantes deni et septeni simul in urbibus capitalibus, nihil de crastino cogitantes, nec quidquam usque mane retinentes. De euangelio quoque juxta regulam euangelicam vivebant, et si quid sibi in mensa ex eleemosynarum largitione superabundabat, hoc continuo pauperibus erogabant. Ibant autem calceati in præparatione Euangelii; vestiti dormiebant; mattis postratis* utebantur, saxeis cervicalibus capitibus subnixis.

* *forte* prostratis

quam etymologiam præ exteris

479 *Monachus ille Anglus melius testari potuit de austera vita primorum Prædicatorum, quos haud dubie suo tempore in Anglia vidit, quam de Gallica Jacobinorum aut Jacobitarum appellatione, quæ hic frivole ab ipso explicatur. Præterea in aliis rebus hic etiam aberrat: quomodo enim Innocentii III* favore exortum est in Italia novum genus Prædicatorum, *qui sub ipsius Pontificatu adhuc Tolosæ*

C

in Gallia degebant? Denique istud elogium, quod hic antiquis Prædicatoribus tribuit, prorsus non cohæret cum contumeliosis dicteriis, quibus eosdem in illo opere alibi incessit. Unde non temere suspicabimur, ab hæreticis editoribus huic operi insertas esse plerasque calumnias, quibus sub nomine Matthæi Parisiensis contra Romanos Pontifices ac religiosos Ordines furiose debacchari solent. Hinc etiam minus corruptus (saltem circa præsentem Jacobinorum appellationem) nobis videtur Cæcilianus ejusdem Matthæi codex, in quo ante elogium Prædicatorum hæc leguntur: Quod nomen *(videlicet Jacobitarum)* in principio subarratum, tunc deinde cœpit eis adhærere, cum magister Johannes, regis Francorum physicus, natione Anglicus, et de pago sancti Albani oriundus, eisdem Prædicatoribus mansionem suam dedit, quam peregrinis hospitium quærentibus, Parisius assignaverat; quæ domus sancti Jacobi fuerat appellata. Unde JACOBITÆ ipsi Prædicatores hodie appellantur.

recte explicant auctores Galli,

480 *Vix intelligimus, quid Matthæus per* nomen subarratum *significare velit. Quare audiamus unum alterumve scriptorem ex Gallis, qui eamdem etymologiam clarius explicant, et inter quos*

D

Cæsar Egassius Bulæus in Historia universitatis Parisiensis tomo 3 *pag.* 678 *sic breviter scribit:* Dominicus Hispanus, Canonicus Oxomensis, occasione Albigensis hæresos collegium seu sodalitium Fratrum Prædicatorum instituit, qui ab eo Dominicani dicti sunt; deinde JACOBINI vel JACOBITÆ, postquam Parisiis in via San-Jacobæa sedem posuerunt. *Gerardus Dubois in Historia ecclesiæ Parisiensis lib.* 14 *cap.* 6 *num.* 8 *agit de adventu Prædicatorum in urbem Parisiensem, et ibidem num.* 9, *seu tomo* 2 *istius operis pag.* 264 *ad rem nostram hæc habet:* Neque tum Dominicanis locus erat ad sacra facienda, utebanturque basilica beatæ Mariæ de Campis, et in ea Reginaldus sepultus est. Locum vero, quem sancti Jacobi vocabant, illis ultro concesserunt Magistri universitatis Parisiensis, ad quos attinebat. Ibi exstructum est oratorium seu capella sancti Jacobi; unde postea Dominicanis et vico nomen fuit: illi enim populari appellatione JACOBINI dicti sunt, et vicus JACOBÆUS dictus est.

481 *Nuper R. D. Josephus Lopez Agurleta, Canonicus Augustinianus ex Ordine militari S. Jacobi, Hispanice conscripsit Apologiam, qua non solum* S. Dominicum, *sed omnes Prædicatores usque* *et de qua nuperus scriptor Hispanus frivole disserit.*

E

ad annum 1236, *aut saltem usque ad mortem sancti Fundatoris, Ordini suo Augustiniano vindicat, et hanc Apologiam iteratis typis Matriti anno* 1731 *continuavit. In illa continuatione* § 22 *cap.* 1 *num.* 5 *ex nomine* Jacobitarum, *quo Dominicani appellantur, et aliis quibusdam signis, aut communibus utriusque instituti consuetudinibus, probare nititur,* S. Dominicum *ad Ordinem militarem S. Jacobi pertinere, et primum Prædicatorum institutum ex Ordine suo ortum esse. Nobis nec vacat nec lubet singulas R. D. Josephi conjecturas examinare aut refellere. At cum hic in nomen Jacobitarum vel Jacobinorum inciderimus, hac occasione obiter observamus, ex isto Prædicatorum nomine pro identitate utriusque Ordinis frivolum argumentum desumi, cum ex hactenus dictis constet, illud alia ex causa Prædicatoribus in Gallia inditum esse. His tamen R. D. Apologista non acquiescit; sed in laudata Apologiæ suæ continuatione* § 22 *cap.* 9 *num.* 21 *hanc nominis originem infirmare conatur, et ibidem confidenter interrogat, cur Prædicatores in Flandria aliisque partibus* Jacobitæ *vocentur. Verum hic negamus erroneam R. D. Josephi hypothesim:*

F

nam omnes sacri istius Ordinis sectatores in Flandria aliisque partibus, si Galliam excipias, Prædicatores *vel* Dominicani *vulgo appellantur. Locus ille Parisiensis, a quo nomen* Jacobinorum *Prædicatoribus in Gallia adhæsit, paragrapho sequente distinctius assignabitur, postquam ibidem de reditu* S. Dominici *Tolosam, ac dispersione primorum sodalium nonnulla præmiserimus.*

§ XXVI. Reditus Sancti ex urbe Romana in Tolosanam, dispersio primorum sodalium per Hispaniam et Galliam, et origo Conventus Parisiensis.

Joannes a sancta Maria in Actis Gallicis S. Dominici *lib.* 3 *cap.* 16 *refert quartam bullam, quam Sanctus post confirmationem Ordinis sui adhuc Romæ existens ab Honorio III Pontifice impetravit, et quæ* Priori sancti Romani *inscripta sic sonat:* Justis petentium votis inclinati, auctoritate Apo-

Sanctus post quatuor diplomata.

stolica

AUCTORE G. C.

A stolica districtius inhibemus, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eo professionem fas sit sine tua, fili Prior, aut successorum tuorum licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, ab eodem loco discedere; discedentem vero absque communium vestrarum litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres regularem sententiam promulgare. Nulli ergo etc. Datum Laterani VII Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

ab Honorio III Pontifice obtenta,

483 *Bzovius eamdem Honorii III bullam ex registro anni primi excerpsit, illamque manuscriptis Ordinis Annalibus inseruit, quam inde Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 15 *profert, et ex ea chronologiam hujus temporis sic ordinat:* Ex hoc diplomate habetur, Dominicum Romæ adhuc perstitisse VII Februarii anni MCCXVI veteri stylo, novo MCCXVII, quo numerus aureus 2, littera Dominicalis A, Pascha XXVI Martii. Quadragesimam autem, quæ VIII Februarii incepit, ibidem transegisse docebit postea Guillelmus de Monteferrato, secundus in processu canonizationis testis. B Itaque sic statuimus, Dominicum post accepta quatuor relata diplomata non tam cito, sed post Pascha anni MCCXVII Roma exivisse: nec dubium, quin toto hoc tempore pluries prædicaverit, ut illi ubique solemne, forteque etiam tum in aula summi Pontificis, sancti Pauli epistolas interpretatus fuerit, quod sacri palatii magistri munus erigendi occasionem dederit. *De magisterio sacri palatii infra agemus.*

Tolosam revertitur,

484 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum existimat,* S. Dominicum *post obtenta ab Honorio Pontifice diplomata statim Tolosam ad socios suos rediisse, et res gestas anni* 1217 *cap.* 1 *ita narrare incipit:* Annus Dominicæ nativitatis millesimus ducentesimus decimus septimus adest; Honorii Pontificis continuatur primus ad mensem usque Julii, unde incipit numerari secundus; vitæ vero sancti Dominici quadragesimus octavus, Ordinis vero magistratus primus. Vir Dei, expeditis omnibus, quæ ad confirmationem Ordinis pertinere videbantur, Roma Tolosam ad socios rediit. De tempore conveniunt omnes auctores. Et valde verisimile est, sanctum Dominicum, confirmato C Ordine, non nisi brevissimo tempore mansisse Romæ, cupidissime ad suos, quibus tam lætum nuntium confirmati Ordinis afferret, regredi festinantem, cum quibus etiam de constituendo et propagando Ordine consilia esset agitaturus.

et primos suos socios in varias regiones dispergit,

485 *Dum Malvenda hoc loco dicit, auctores omnes convenire de tempore, intelligendus est de illis auctoribus, qui annum novo stylo numerant: hi enim consentiunt, hæc omnia anno Christi* 1217 *contigisse. Sed cum ipsemet verosimile putet, Sanctum statim post confirmationem Ordinis ad socios suos rediisse, discrepat ab opinione Echardi, qui pagina proxime citata reditum ejusdem Sancti usque ad Pascha sic differt:* Anno MCCXVII post pascha, quod fuit XXVI Martii, Dominicus, peractis Romæ negotiis, discessit, et in Galliam ad suos Tolosæ in sancti Romani agentes reversus est, quos quatuor bullarum relatarum lectione beavit: tum jamjam a se dividendos monuit, quamquam, ne id faceret, dissuaderent Montis-fortis comes, archiepiscopus Narbonensis, episcopus Tolosanus, et alii plures. Sed eum urgebat propagandi per orbem Ordinis ratio. Huic divisioni diem Assumptionis XV Augusti ejus anni elegisse prodit Salanhacus; locum vero monasterium Prulianum. *Deinde eumdem diem confirmat ex archivo Pruliano, in cujus monumentis legitur sanctus Ordinis Fundator* in die Assumptionis *socios ad monasterium Prulianum convocasse, et inde eos ad diversas provincias misisse.*

eo quod divinitus prænosset instantem mortem Comitis Montis-fortis,

486 *Jam quæritur, quænam ratio* S. Dominicum *moverit, ut gregem suum adhuc tenellum tam cito in diversas regiones dispergeret. Beatus Jordanus, et Bartholomæus Tridentinus innuunt, id eum fecisse propter revelationem, qua mortem Comitis Montis-fortis præviderat. Humbertus in apographo nostro Ultrajectino hanc propheticam visionem ita narrat:* Nec silendum quoque est, qualiter Virum Dei occasus excellentis viri Simonis Comitis Montis-fortis, specialis amici et familiaris sui, qui pro negotiis fidei, quam * strenue agebat in partibus Tolosanis, ibidem mortuus est, per visionis mysterium, divina sibi revelante virtute, non latuit, priusquam dispergeret Fratres de Tolosa: videbat enim in somnis imaginaria quadam visione, sed intellectu non vacua, arborem quamdam quantitate proceram, ramorum expansione diffusam, densarumque frondium venustate perpulcram; quiescentem quoque in ramis ejus avium multitudinem copiosam. Post E paulululum autem arbor illa corruit, et omnis ille cœtus volatilium dispersus aufugit. Intellexit igitur statim Vir divino Spiritu repletus. Comiti videlicet Montis-fortis, magno videlicet principi, pupillorumque tutori, mortis excidium proximum imminere, sicut et rei postmodum probavit eventus. *Certe* S. Dominicum *de dispersione illa facienda divinitus edoctum fuisse, satis ostendunt illa simplicia verba, quibus apud Theodoricum de Apoldia num.* 71 *Comiti Montis-fortis, aliisque hanc rem dissuadentibus sic humiliter respondet:* Nolite, patres et domini, contradicere mihi, quia ego scio bene, quid facio.

* *forte* quæ

et antea Romæ habuisset alteram visionem cœlestem

487 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 1 *alteram hujus dispersionis causam, eamque præcipuam, exprimit his verbis:* Certum est, sanctum Dominicum, cum sic in primordiis novellæ plantationis statuit Fratres ad prædicandum Ordinemque propagandum per diversas mundi regiones amandare, potissimum divina illa visione, quam ad finem anni præcedentis descripsimus, fuisse permotum; nempe quando divinitus ipsi apparentes Apostolorum principes Petrus et Paulus jusserunt, ut vaderet, populisque Euangelium annuntiaret, ad hoc F enim munus a Deo delectum *etc. Flaminius in Actis* S. Dominici *fol.* 12 *eamdem apparitionem, in qua Petrus Sancto baculum et Paulus librum tradidit, eique subito videbantur Fratres bini et bini incedentes ubique per mundum prædicare, sic interpretatur:* Per traditum autem illi baculum credere debemus, significari auctoritatem, non modo prædicandi, sed et solvendi ac ligandi præstitam, non solum quia Honorius facultatem illi ac toti Prædicatorum Ordini confitentes audiendi permisit; sed etiam quia ex posteris illius futuri erant Pontifices maximi, Cardinales, episcopi, et alii dignitatibus ecclesiasticis insignes viri. Per librum vero apertum, diluciditatem mentis, qua posset aperte divinæ legis vim et sensa percipere. Sparsi autem momento temporis passim per orbem terrarum bini Prædicatores numerositatem et propagationem mox futuram præmonstrabant. Constat autem, beatum Dominicum post illud tempus, sive resideret in monasterio, sive usquam iter faceret, baculum semper manu gestasse, et Pauli epistolas, quocumque iret, secum habuisse. Baculus autem, quo assidue

usus

AUCTORE G. C.

usus est, Bononiæ in monasterio sanctæ Agnetis adhuc visitur, et non aliter, ac reliquiæ Sanctorum soleant, asservatur.

qua etiam ad hanc sodalium dispersionem motus est,

488 *Quidcumque sentiendum sit de hac Flaminii interpretatione, juvat eamdem visionem referre ex Constantino Urbevetano, qui in Vita* S. Dominici *num.* 20 *et sequente illam dispersioni Fratrum causam dedisse, innuit his verbis :* Cum igitur vir Dei Dominicus esset Romæ, et in basilica sancti Petri in conspectu Dei orationem suam pro conservatione et dilatatione Ordinis, quem per ipsum dextera ejus propagabat, effunderet, facta manu Domini super eum, gloriosos principes Petrum et Paulum ad se subito visione quadam imaginaria venientes aspexit, quorum primus, Petrus videlicet, baculum; Paulus vero librum sibi videbatur tradere; addebantque dicentes : Vade, prædica, quoniam a Deo ad hoc ministerium es electus ; moxque in momento temporis videbatur ei, quod filios suos per totum mundum dispersos aspiceret, incedentes binos et binos, et verbum Dei populis prædicantes. Quapropter Tolosam rediens, ubi jam Fratres in ecclesia sancti Romani, quam eis supradictus Fulco episcopus Tolosanus contulerat, claustrum construxerant et manebant, convocatis omnibus dixit, hoc suum esse propositum, ut Fratres omnes, licet paucos, per diversas mundi dispergeret regiones, sciens quia semina dispersa fructificant, congesta putrescunt.

B

ut Constantinus Urbevetanus testatur.

489 Voluit etiam, ut sibi quemdam per electionem præficerent, penes quem super omnes. sub ipso tamen, regendi et corrigendi auctoritas resideret. Hoc autem faciebat Vir sanctus disponens adire terras Saracenorum, et eis verbum Domini prædicare; propter quod etiam barbam aliquanto tempore nutriebat. Electus est igitur Frater Matthæus, et abbatis nomine nuncupatus, post quem in eodem Ordine abbas nec surrexit alius, nec resurget : placuit namque postmodum Fratribus, ut qui toti præesset Ordini, non abbas, sed magister Ordinis diceretur; ceteri vero inferiores prælati Priorum et Suppriorum communi scilicet Religiosorum vocabulo censerentur, devitantes nimirum juxta Apostolum, etsi non profanas, superstitiosas tamen vocum in omnibus novitates. Invocato igitur Spiritu sancto, dispersit fidelis dispensator et prudens servus Dei Dominicus Fratres suos, et quosdam in Hispaniam, quosdam vero Parisius *(nomen hujus civitatis ab auctoribus medii ævi passim non inflectitur per casus, quod hic semel monuisse sufficiat)* alios tandem Bononiam destinavit. Illi autem profecti salutarem ubique disseminaverunt scientiam, magnas quidem sustinentes angustias paupertatis, et virtus Dei erat ad multiplicandum eos. ipse vero Romam, Domino ducente, profectus est.

C

Inter illos socios, qui ad varias regiones missi sunt,

490 *Acta nostra ab antiquis biographis conscripta, quæ inferius dabimus, sodales illos dispersos nominatim recensent, et Echardus tomo* 1 *pag.* 16 *in notis eosdem universim ita distribuit :* E sedecim primis sociis, cum quatuor in Hispaniam, et septem Parisios misisset Dominicus, quinque reliquos sic distribuit. Fratrem Natalem de Prulio, et Fratrem Guillelmum Clareti in monasterio Pruliano constituit, primum in spiritualibus præfectum, alterum in temporalibus curatorem, ut constat ex antiquis loci monimentis, mihi inter schedas servatis. Fratrem Petrum Cellani et Fratrem Thomam Tolosanos Tolosæ reliquit in sancti Romani. *Quod hic Echardus circa curatores monasterii Pruliani ex antiquis istius loci instrumentis memorat, confirmari potest ex Bernardo Guidonis, qui apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 452 *sic scribit :* Primus Prior tempore, dignitate et ordine, utpote institutor, fundator et gubernator monasterii Sororum beatæ Mariæ de Pruliano, fuit beatus Dominicus, natione Hispanus, nunc et semper ante Deum Sororum et loci defensor et patronus. Hic monasterium rexit et direxit ab exordio, ut principalis per se ipsum annis aliquibus, quamvis non ibi assidue residens, sed ad diversas partes pro multorum salute discurrens, et ob hanc causam alios instituit loco sui, scilicet Fratrem Natalem et Fratrem Guillelmum Clareti. A confirmatione vero Ordinis cœpit non Pruliani, sed sancti Romani Prior, et Magister Ordinis appellari, et per Priores alios, sub ipso tamen, monasterium gubernari.

D

præcipue laudatur quidam Dominicus Hispanus

491 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 3 *et sequente de quatuor sodalibus in Hispaniam missis, ac præsertim de Gomezio, multa memorat. Sed cum non noverimus auctoritatem testimoniorum, quæ Malvenda ibi allegat, illa eruditis istarum regionum incolis examinanda relinquimus. Saltem Bernardus Guidonis, qui plurima antiqua Ordinis monumenta pervolverat, ibidem apud Malvendam de iisdem quatuor sociis tantum tradit sequentia :* Frater Dominicus Hispanus, alius a sancto Dominico. Hunc Fratrem Dominicum cum Fratre Michaële de Uzero, alio a prædicto Michaële nempe de Fabra, et aliis duobus, scilicet Fratre Petro et Fratre Gomezio idem pater beatus Dominicus, quando Fratres dispersit de Tolosa, in partes Hispaniæ destinavit : qui primi duo, scilicet Frater Dominicus et Frater Michael postmodum de Hispania Romam ad beatum Dominicum redeuntes, quia sicut desideraverant, in Hispania fructificare non potuerunt, per magistrum Dominicum de Roma Bononiam sunt transmissi, ubi moram fecerunt, sicut in eodem libello venerabilis patris magistri Jordanis expresse continetur. Hic Frater Dominicus quasi a principio fuit individuus comes beati Dominici in partibus Tolosanis. Hic postmodum in Hispaniam reversus exstitit Prior monasterii, de quo in eodem libello magistri Jordanis inter cetera ita scribitur : FUIT MEMORATUS DOMINICUS HUMILITATIS EXIMIÆ, HOMO QUIDEM PARVUS CORPORE, SED SCIENTIA ET VIRTUTE MAGNIFICUS.

E

F

cujus elogium apud auctores diverso modo legitur.

492 *Obiter hic observamus, istud postremum Dominici elogium apud beatum Jordanum in editione Echardi num.* 28, *et in codice Uxamensi inferius apud nos num.* 36 *sic legi :* Fuit autem hic memoratus Dominicus humilitatis eximiæ, homo parvus quidem scientia, sed virtute magnificus. *Unde suspicamur, textum Bernardi Guidonis hoc loco interpolatum aut corruptum esse : ipse enim Bernardus, paragrapho* 23 *a nobis relatus, de eodem Dominico hæc habet :* Frater Dominicus Hispanus, alius a sancto Dominico, vir humilitatis eximiæ, parvus quidem scientia, sed virtute magnificus. *At oportet, illam interpolationem antiquam esse, cum Theodoricus de Appoldia in utroque nostro codice infra apud nos num.* 74 *eumdem Dominicum ita laudet :* Hic novissimus quidem corpore exiguus, sed sanctitate, scientia, et virtute erat magnificus. *Cum vero Ms. nostrum Uxamense antiquissimum sit, ut supra* § 5 *ostendimus, lectionem beati Jordani præferendam censemus. Adde, quod Bartholomæus Tridentinus infra num.* 7 *de eodem pio viro scribat sequentia :* Etiam quidam, qui Frater

A ter Dominicus SIMPLEX dicebatur, a quadam illecebrosa tentatus, inter duos rogos accensos et vicinos se projecit, et nil læsus miseram convertit. *Nunc de septem Fratribus, qui Parisios destinati sunt, et quos B. Jordanus speciatim nominat, nonnulla dicamus.*

Joannes de Navarra invitus Parisios mittitur.

493 *Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 3 *fol.* 72, *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1217 *cap.* 5, *et Joannes a sancta Maria lib.* 4 *ejusdem Vitæ Gallicæ cap.* 21 *pag.* 528, *Joannem de Navarra quintum testem in processu Bononiensi ita loquentem inducunt :* Cum Tolosæ essem, Parisium me invitum et recusantem cum aliis quinque Ordinis sacerdotibus, et uno ex iis, quos dicimus Conversos, ad studendum, prædicandum, ac erigendum in ea urbe monasterium misit, præfatus, ut nihil timeremus; quamquam ne id faceret dissuadebant Montis-fortis Comes, archiepiscopus Narbonensis et Tolosanus episcopus, aliique complures, quibus respondebat : Ne mihi impedimento sitis ; ipse enim, quid agam, scio. *Similia alio stylo infra in processu Bononiensi apud nos num.* 29 *referentur.*

et recusat sine viatico discedere.

B 494 *Stephanus de Salanhaco apud Malvendam loco proxime citato, et Soëgium in Actis Gallicis pag.* 318, *de eodem Joanne hæc memoriæ prodidit :* De quo subit animum, quod istomet Fratre de se ipso narrante audivi. Cum, sicut dictum est, mitteret eum cum Fratre Laurentio prædicto sanctus Pater Parisius, petiit Joannes expensas sive viaticum. Noluit Sanctus dare monens, quod irent, sicut discipuli Jesu Christi, non aurum nec argentum ferentes. Sed confidite, inquit, in Domino, quia timentibus Deum nihil deest. Noluit dictus Joannes acquiescere, sed prorsus fuit inobediens verbis Sancti; vidensque sanctus et pius Pater inobedientiam miseri, procidit ad pedes ejus flens et ejulans super miserum, qui super se ipsum non flebat, et duodecim tantum denarios pro viatico dari præcepit usque Parisius. *Nemo prudens suspicabitur, textum Stephani de Salanhaco hic interpolatum esse, cum ipse narrator asserat, sese id ex ipso Joanne audivisse, quod Bernardo Guidonis aliisve recentioribus Stephani interpolatoribus convenire non potest. Ceterum facile credimus, quod Joannes de Navarra postmodum facti pœnitens impudentiam suam apud socios et pertinaciam accusarit, ut Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *fol.* 17 *verso post narrationem hujus rei affirmat.*

C

quocum alii ad eam urbem venientes, ibique aliquamdiu morati.

495 *Beatus Jordanus et Theodoricus de Appoldia in Actis, post hunc Commentarium dandis, summatim narrabunt, quomodo septem illi Fratres in urbe Parisiensi locum acceperint, quæ omnia Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 17 *ex antiquis domus San-Jacobeæ tabulis distinctius exponit in hunc modum :* Nostri ut primum Parisios accesserunt, hospitium ad palatium episcopale conduxere, quem locum eos elegisse non dubitaverim, tum ut episcopo suam in ministerio euangelico promptius exhiberent operam, tum ut scholas Capituli ecclesiæ Parisiensis theologicas commodius frequentarent, ut antea frequentarant Tolosanas. Cum tamen domus esset conductitia, locum interim ampliorem quærebant, ubi mansionem stabilem erigerent. Occurrit eis Joannes, sancti Quintini decanus, quem de Barastre agnominat Hemeræus in sua decanorum Quintini-fani chronologia, vir ea ætate nominatus, regius sacellanus, ac unus ex sacræ facultatis professoribus publicis; is ut erat pietati deditus, publicam pauperum advenarum domum cum sacello sub invocatione sancti Jacobi recens erexerat ex altera parte sancti Stephani in exitu civitatis ad portam Aurelianensem, in eoque Fratres quosdam Conversos, qui pauperibus inservirent, constituerat. At seu hoc institutum non satis firmum agnosceret, seu alia quacumque de causa, certe majus Ecclesiæ commodum perpendens, relicto priori consilio, dimissisque illis Conversis, nostros ibidem collocavit VI Augusti, MCCXVIII, et tandem cum iis ultimo transegit anno MCCXXI.

obtinuerunt locum ampliorem,

496 *Deinde hæc dicta sua probat tribus diplomatibus, quorum primum ibidem ex archivo San-Jacobeo sic refert :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Ego Simon de Pisciaco notum facio universis præsens scriptum inspecturis, quod ego de consensu et concessu Agnetis uxoris meæ et heredum meorum concessi et dedi magistro Johanni, regis clerico, et amico meo XVI denarios in censu, quos habui ante ecclesiam sancti Stephani Parisius cum omni libertate et dominio et justitia ejusdem censivæ ad opus domus Dei, hospitalis videlicet sancti Jacobi, quod idem Johannes ibidem construere proponit, in E perpetuum libere possidendos. Ut autem hæc donatio firma sit, sigilli mei munimine hanc chartulam roboravi. Rogo etiam dilectissimum dominum meum Philippum, Francorum regem, quatenus amore Dei et meo, ipsi hoc factum meum placeat confirmare Actum apud Egremont anno incarnationis Dominicæ MCCIX. *Ex hoc diplomate colligitur primum Joannis decani consilium, ut Echardus recte observat.*

quem decanus sancti Quintini

497 *Alterum donationis instrumentum sic sonat :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Johannes, decanus sancti Quintini, notum facimus etc. quidquid juris habemus in loco nostro, qui est Parisius coram sancto Stephano ad manum dextram inter duas portas proximas in exitu civitatis, sicut viæ communes ambiunt, tam in terris quam ædificiis omnibus, dilectis Fratri Matthæo Priori suisque Fratribus Ordinis Prædicatorum conferimus et donamus etc., ita tamen, quod jus, honorem et reverentiam, quæ debentur de communi jure patronis et fundatoribus locorum religiosorum, nobis personaliter tantum teneantur exhibere; inter quæ hæc duximus amplius declaranda, locum in choro, in F refectorio, in capitulo; quod nobis inclinent advenientibus, sepulturam in ecclesia, exsequias et memorias per omne tempus, sicut uni Fratrum, et singulis annis anniversarium diem nostri transitus celebrabunt : et quod in diebus solemnibus possimus et horas in choro et Missam in majori altari, si voluerimus, celebrare; aliis vero diebus vel unus de Fratribus nobis Missam celebrabit, si poterit, aut nobis assistens, vel capellano nostro in nostra præsentia hora competenti celebrare volentibus ministrabit.

tandem anno Christi 1221.

498 Si vero prædicti Fratres vel eorum successores locum ipsum, nisi causa studii vel interdicti generalis, reliquerint, habitationem et statum suum ad locum alium penitus transferentes, volumus, quod locus ipse ad nos, si vivimus, aut ad Fratres Conversos, qui locum prius inhabitarant, si pauperum hospitalitatem retinuerint, revertatur ; ita tamen, quod pro iis, quæ in eo ipsi Fratres Prædicatores posuerint, tam pro ecclesiis quam pro terris, secundum æstimationem D. episcopi Parisiensis et nostram, et aliorum bonorum virorum a nobis vel ab ipsis Fratribus Conversis recipiant. Quod si nos vel prædicti

Fratres

AUCTORE G. C.

Fratres hospitalis non potuerimus vel noluerimus juxta æstimationem prædictam prænominatis Fratribus Prædicatoribus reddere de omnibus suis missionibus *, si aliquam tamen partem Prædicatorum retinere voluerimus, illam juxta prædictorum virorum æstimationem retinebimus; de ceteris autem secundum quod prædicti viri ordinaverint, maneat ordinatum. Ad cujus rei memoriam et perpetuam in posterum firmitatem præsentem paginam tam venerabilium patrum domini episcopi, decani et cantoris Parisiensis sigillis, quam nostro fecimus roborari. Actum in eodem loco in capella sancti Jacobi anno incarnationis Dominicæ MCCXXI quinto Nonas Maii. *Ex anno hujus absolutæ donationis facile intelligimus, quare beatus Jordanus in libello suo infra apud nos num.* 40 *sic scripserit :* Anno Domini MCCXVIII data est Fratribus domus beati Jacobi, quamvis nondum absolute, a magistro Johanne, decano sancti Quintini.

* *id est expensis*

et Universitas Parisiensis prorsus iis concesserunt.

499 *Tertium denique diploma Universitatis Parisiensis apud Jacobum du Breul in Theatro Antiquitatum Parisiensium, pag.* 499, *et Cæsarem* B *Egassium Bulæum in Historia Universitatis Parisiensis tomo* 3 *pag.* 104, *et novissime apud Echardum loco mox citato ita refertur :* In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ad honorem Dei, beatissimæ Virginis Mariæ, beati Jacobi Apostoli et omnium Sanctorum, nos Universitas magistrorum et scholarium Parisiensium pro salute animarum nostrarum, quidquid juris habemus vel habuimus in loco sancti Jacobi, qui est coram ecclesia sancti Stephani in exitu civitatis Parisiacæ, Fratri Matthæo Priori suisque Fratribus Ordinis Prædicatorum, et ipsi Ordini sponte ac libere offerimus ac donamus. Et in signum reverentiæ et recognitionis, quod locum ipsum teneant ab Universitate nostra, tamquam a domina et patrona, ipsi nos recolligent nostrosque successores in participationem generalem et perpetuam omnium orationum et beneficiorum suorum, tamquam confratres suos. Insuper singulis annis in crastino festivitatis beati Nicolai Missam solemnem in majori altari, præsente Conventu, pro vivis magistris et scholaribus, nec non et pro conservatione studii Parisiensis; in crastino vero Purificationis beatæ Mariæ virgi- C nis cum eadem solemnitate Missam pro illis, qui de Universitate nostra Parisius discesserint, celebrabunt. Præterea pro quolibet magistro, cujuscumque facultatis fuerit de nostris, qui in officio regendi decesserit Parisius, tantam facient solemnitatem, quantam facerent pro uno de Fratribus suis defunctis; et quilibet sacerdos de eis celebrabit Missam pro eo, et Prior eorum faciet legi tria psalteria pro eodem. Si vero ibi elegerit sepulturam, si fuerit theologus, sepelient eum in Capitulo; si autem alterius facultatis, in claustro. In cujus rei perpetuam firmitatem, præsentem paginam sigillis magistrorum theologiæ fecimus roborari. Actum anno gratiæ MCCXXI. *Echardus ibidem post relatum hoc instrumentum notat, huic postremo oneri modum adhibendum fuisse, cum postea numerus magistrorum in immensum excrevisset, quod etiam auctoritate senatus Parisiensis factum esse testatur.*

quæ omnia scriptor anonymus obiter et confuse narrat.

500 *Porro ex relatione horum diplomatum patet, auctorem brevis historiæ conventus Parisiensis Fratrum Prædicatorum, quam Edmundus Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ ex Ms. sancti Victoris edidit, multa et varia in idem tempus congessisse, dum ibidem col.* 549 *de origine illius Conventus* D *hæc simul tradit :* Post confirmationem Ordinis Prædicatorum fidelis dispensator et prudens, beatus Dominicus spiritu Dei afflatus, dispersit Fratres suos per mundum, velut quædam semina salutis, animarum fructus uberrimos productura, et anno Domini MCCXVII misit aliquos Parisius, et Fratres primo receperunt domum ad manendum inter domum episcopi et domum Dei; et eodem anno data est eis domus sancti Jacobi. Et modicum post venit beatus Dominicus Parisius, et ibidem fere triginta Fratres invenit, et illis domum regularem disposuit, ordinando claustrum, dormitorium, refectorium, cellasque ad studendum. Istum autem Conventum, quem sanctus Pater fundavit, inter omnes Conventus Ordinis speciali amore et affectu dilexit, Spiritu divino prævidens, quales et quantos Fratres in futurum nutriret et educaret, qui vita et doctrina totam illuminarent Ecclesiam : nam quando recessit de Parisius, et ivit Bononiam, statim misit Conventui Parisiensi probatissimum Fratrem Reginaldum, qui post beatum Dominicum in vita et doctrina secundus habebatur, et rexerat Parisius in jure Canonico annis quinque : qui sanctus pater E in isto Conventu diem clausit extremum. Fuit autem in Conventu Prior longo tempore Frater Matthæus, qui canonice in Ordine Prædicatorum electus est in abbatem, fuitque primus et novissimus abbas vocatus, et sepultus est in capite chori dextri istius Conventus prope sedes inferiores. *Hæc de prima Fratrum dispersione, et origine Conventus Parisiensis dicta sufficiant. Jam comitemur* S. Dominicum, *qui anno Christi* 1217 *Romam rursus rediit, et ibidem plurimis miraculis coruscavit.*

§ XXVII. Discessus Sancti ex partibus Tolosanis ad urbem Romam, insignia quædam miracula et synopsis rerum, quas Romæ gessit.

Sanctus Tolosa Romam non discessit

H*umbertus in Chronico suo dispersionem Fratrum et reditum* S. Dominici *in urbem Romanam anno Christi* 1217 *sic affigit :* Anno Domini MCCXVII F disponentibus Tolosanis insurgere contra Comitem Montisfortis, dispersit beatus Dominicus Fratres, electo primo in abbatem Fratre Matthæo, alios mittens in Hispaniam, alios Parisius, et ipse Romam ivit, et illo tempore domum sancti Sixti Sororum instituit. *Huic chronologiæ consentit Theodoricus de Appoldia, qui apud nos num.* 76 *de itinere illo ita scribit :* Eodem anno, quo sanctus Pater filios suos disperserat, ut prædictum est, ipso Domino duce, Romam profectus est, ubi per eum ad honorem sui nominis, et corroborationem inchoati noviter Prædicatorum Ordinis mirabilia operari dignatus est, sicut sequentia declarabunt. *At ex præcedente paragrapho et tota Actorum serie constat, Fratres mense Augusto anni* 1217 *dispersos esse, adeoque secundum relata Humberti ac Theodorici testimonia videtur Sanctus eodem anno* 1217 *Romam pervenisse. Intricata tamen superest quæstio, utrum annus ille stylo novo, an veteri, sit numerandus. Hæc obscura difficultas fortasse aliquid lucis accipiet ex accuratiori temporis examine, quod jam instituemus.*

502 *Sanctum adhuc anno Christi* 1217, *die* XI *Septembris, in partibus Tolosanis fuisse, liquet ex diplo-*

ante Septembrem anni 1217, ut patet ex diplomate;

A *diplomate, quod Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 446 *et sequente refert in hunc modum :* Anno Verbi incarnati MCCXVII, cum inter nuntios reverendi patris Fulconis Dei gratia Tolosani episcopi et Fratrum Prædicatorum controversia moveretur super sexta portione decimarum, ab eodem domino episcopo Fratribus Prædicatoribus collata in ecclesiis, quæ ad ipsum spectare videntur in diœcesi Tolosana, dicentibus nuntiis Fratrum Prædicatorum dictam sextam portionem ipsos Fratres debere percipere in omnibus ecclesiis parochialibus diœcesis prænotatæ, licet non haberent nisi septem parochianos; nuntiis autem domini episcopi reclamantibus et dicentibus, nullam ecclesiam debere parochialem appellari seu intelligi, nisi ad minus haberet decem parochianos.

quo litem inter suos et nuntios episcopi Tolosani ortam

503 Quæstione hujusmodi ad aures domini episcopi et Fratris Dominici demum relata, placuit domino episcopo et Fratri Dominico eam in hunc modum, præsentibus archidiaconis Lezatensi et Villamurensi, et consensum præstantibus, amicabiliter terminari. B Placuit eis in omnibus ecclesiis, ad dominum episcopum spectantibus, in quibus decem domus parochianorum fuerint vel amplius, modo et in posterum, quæ divina ibidem percipiant Sacramenta, licet etiam alibi domicilium habuerint, Fratres Prædicatores sextam partem percipere decimarum, in quibus decem domus parochianorum fuerint, ut superius est notatum. Si aliqua ecclesia propter insufficientiam alii ecclesiæ adjuncta fuerit, quæ capellanum habeat, in qua etiam divina percipiant Sacramenta; in aliis vero nullam prorsus percipiant portionem.

amice componit;

504 Placuit etiam eis ad cautelam, ut omnis via calumniæ in posterum præcludatur, et materia altercationis, prout est possibile, amputetur, ut si forte super dicta sexta portione circa hunc vel alium articulum aliquam inter eos vel eorum procuratores quæstionem deinceps contigerit exoriri, per arbitrium Petri de Parlevivi Lezatensis archidiaconi, et Petri Donati causidici, et Arnaldi Saucii capellani decidatur, omni dilatione penitus amputata. Si autem unus eorum vel omnes adesse non poterunt, vel noluerint, vel forte C decesserint, ad cognitionem utriusque partis et electionem aliæ tres personæ idoneæ illico subrogentur. Ut autem hæc inconcussa permaneant, nos Fulco Dei gratia Tolosanus episcopus, et Frater Dominicus sigillorum nostrorum ea munimine confirmamus. Factum fuit hoc in Castronovo III Idus Septembris et feria secunda anno Domini prætaxato. *Omnes hæ notæ chronologicæ designant annum Christi* 1217, *quo dies* XI *Septembris in feriam secundam incidit. Ut autem authentica hujus diplomatis fides magis confirmetur, oculatus quidam ejus testis hæc addit :* Exstat inde littera amborum per alphabetum partita, cujus ego ipse originale vidi et tenui, et ex ea de verbo ad verbum exstraxi; tamen amota erant inde sigilla, ipsorum locis, in quibus appensa fuerant, apparentibus manifeste, anno Domini MCCXXI, mense Julii.

imo adhuc circa Tolosam Decembri anni 1217 si litteræ tutelares,

505 *Quinimo* S. Dominicum *eodem anno* 1217, *die* XIII *Decembris, nondum Romam discessisse, probabiliter conjicimus ex tutelaribus Comitis Montis-fortis litteris, quarum authenticum exemplar apud Prædicatores Tolosanos exstare dicitur, et quæ vernaculo istius ætatis idiomate sic sonant :* Symo per la gracia de Dio duc de Narbona, coms de Tholosa et de Lencastre, vescons de Beses et de Carcassona, a ses amats fiels als senecals de Carcasses et Agenes salut et dileccio. Mandem vos et vos comandem, que todas mages e las causas de nostre car Frayre Domenge Carorgue gardet et deffendat, com las nostras proprias causas. Lettras dadas el cetti de Tolosas en ydas de Desembre. *Sic habent litteræ illæ apud Echardum tomo* 1 *pag.* 16 *in notis, ubi Percinus easdem ita Latine reddit :* Simon Dei gratia dux Narbonensis, Comes Tolosæ et Leycestriæ, vice comes Biteris et Carcassonæ, dilectis et fidelibus Carcassonensi et Aginensi senescallis salutem et dilectionem. Mandamus vobis et præcipimus, quatenus domos et res omnes cari nostri Fratris Dominici canonici, ut nostra propria custodiatis ac defendatis. Datum in obsidione Tolosæ Idibus Decembris.

quas Comes Montis-forti in secunda obsidione Tolosana signavit,

506 *Simon Montis-fortis bis Tolosam obsedit; semel anno* 1211, *quando post paucos dies obsidionem solvere coactus est; rursus anno* 1217, *quæ obsidio sub finem Septembris cœpit, et ultra mensem Junium anni sequentis protracta est, in qua ipse Comes die* XXV *Junii occubuit. Sed etiamsi duplex* E *Tolosanæ urbis obsidio distinguenda sit, tamen hæ litteræ non conveniunt nisi posteriori, cum prima tantum paucis diebus duraverit, et tempore æstatis facta sit, ut in Historia Albigensium apud Petrum Vallis-Sernensem cap.* 55 *manifeste indicatur. Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 23, *et Joannes a sancta Maria lib.* 3 *Actorum* S. Dominici *cap.* 21 *Latine exhibent easdem litteras tutelares, tamquam die* III *Decembris in obsidione Tolosana signatas, easque a Comite ad Sanctum jam absentem transmissas existimant. Hæc paucorum dierum discrepantia, quæ in fine istarum litterarum occurrit, nos hic diutius morari non debet.*

sancto Dominico præsenti datæ fuerint.

507 *Porro Echardus pagina mox citata non improbabiliter putat, illas litteras* S. Dominico *præsenti traditas esse, et ex iisdem sic ratiocinatur :* Si Dominico ipsi præsenti illæ litteræ tutelares concessæ fueriut, ut conjectu pronum, non nisi post XIII Decembris MCCXVII partes Tolosanas reliquerit, Italiam repetiturus. Ut ut sit, Romam advenisse certum ante Quadragesimam sequentem, qua dies Cinerum accidit XXVIII Februarii : ea enim Quadragesima in Urbe prædicavit, ut in sequentibus probabitur. F *Nobis etiam non lubet de re incerta operosius disputare, nempe utrum hæ litteræ Simonis Montis-fortis* S. Dominico *præsenti, an absenti, concessæ fuerint; cum saltem constet, Sanctum ante Quadragesimam anni* 1218 *(stylo novo loquimur) Romam advenisse. Parum etiam hic nostra interest, sive hunc annum stylo veteri* 1217, *sive novo* 1218, *computare volueris, quo posteriori certe tantum Romæ adesse potuit, si usque ad diem* XIII *Decembris in partibus Tolosanis perstiterit. Quomodocumque sese ea habeant, sane ex jam dictis patet, Sancto illud iter Romanum conficiendum fuisse intra spatium quatuor mensium et aliquot dierum, quandoquidem anno Christi* 1217, *die* XI *Septembris in Castro-novo supra relatum diploma sigillo suo munivit, et postea Romam discessit, quo ante diem* XXVIII *Februarii, sive Quadragesimam anni* 1218 *pervenerat.*

Malvenda ex monumentis ad se missis narrat,

508 *Etsi Humbertus aliique veteres biographi nullo verbo innuant,* S. Dominicum *in eo itinere Romano ad alias urbes divertisse, multo minus aliquamdiu in illis commoratum esse, tamen Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 12 *Sanctum tunc Venetias ita deducit :* Missis

AUCTORE G. C.

sis igitur Fratribus in Hispanias et Parisios atque Lemovicas, et de his, quæ ab ipsis agenda in his locis essent, abunde edoctis, sanctus Dominicus ardentissimo illo desiderio, quo flagrabat, prædicandi verbum Dei Saracenis et infidelibus et pro fide Christi obeundi martyrii (ob eam enim causam barbam nutrierat, uti superius vidimus) valedicens Simoni Monfortio atque Tolosano episcopo, necnon et archiepiscopo Narbonensi, et paucos illos Fratres, quos Tolosæ relinquebat, egregiæ consolatus, atque gravissimis verbis ad propagandum Ordinem hortatus; cum decrevisset in transmarinas provincias navigare, Tolosa discessit relictis illis paucis Fratribus: ipse vero, ut antea diximus, Venetias adiit, ut mare transiret ad gentiles. Quid autem Venetiis egerit sanctus pater Dominicus, habemus ex monumentis clarissimi Conventus sanctorum Joannis et Pauli, quæ ad nos Patres illius cœnobii miserunt, quorum verba fidelissime referimus.

S. Dominicum tunc Venetias divertisse,

509 *Audiamus hæc Conventus Veneti monumenta, quæ ibidem apud Malvendam sic habent*: Anno Domini MCCXVII pater sanctus Dominicus Venetias venit, et cum paucis aliquot Fratribus accepit a Republica oratorium quoddam, appellatum sancti Danielis, quod post canonizationem ejusdem sancti Viri vocatum est sacellum sancti Dominici; præsenti vero tempore post annum salutis MDLXVII dicitur capella Rosarii. In eo oratorio, quod prius angustius multo erat, construxit sanctus Dominicus parvum monasterium pro Fratribus; antiquæ autem illius fabricæ cernuntur adhuc hodie vestigia in parietibus et fenestris eo in loco, qui hoc tempore PROFESSORIUM nuncupatur. *At ea monumenta, quæ Malvenda ibi* antiqua et sincera *appellat, nobis videntur recentiora et forte ex populari quadam traditione circa annum Christi* 1567 *conscripta, ut ipsa eorum verba produnt.*

et in illo itinere cœnobium Venetum, Patavinum,

510 *Certe Echardus illa monumenta non magni facit, dum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 16 *in notis de diverticulo isto Veneto sic judicat:* Quod vero quidam volunt, ex itinere Venetias adiisse, et domum Ordinis ibidem erexisse, nullo veteri ejus ætatis documento fulcitur; imo ex actis, a Bernardo Guidonis collectis, Conventus Venetus non nisi tertium locum in dextro choro sortitus est in provincia Lombardiæ inferioris, quod argumentum est invictum, non solum post quatuor alios antiquiores, sed etiam post quosdam Lombardiæ superioris, quæ primitus una fuit cum inferiori, fuisse erectum. *Simile judicium ferendum est de Patavino Prædicatorum Conventu, cujus monumenta ibidem apud Malvendam relata tradunt, illud eodem anno* 1217 *fundatum esse, quod Malvenda loco mox citato sic explicare nititur:* Facile existimamus, sanctum Dominicum vel e Venetiis vel e Roma hoc ipso anno misisse Fratres Patavium; nisi velimus (quod est verisimile) eumdem Virum Dei et Venetiis Romam venientem, Patavium ingressum, paucosque ibidem dies commoratum, monasterium inchoasse. *Cum autem Malvenda annos stylo novo computet, et* S. Dominicum *anno* 1217 *Romam adducat, nullo modo nobis fit verisimile, Sanctum spatio trium mensium duos Conventus construxisse, et tam longum iter confecisse. Quare arbitramur, Malvendam in admittendis hujusmodi monumentis nimis facilem fuisse, ut ex sequenti exemplo evidenter apparebit.*

et Spalatense in Dalmatia fundasse,

511 *Prædicatores Spalatenses in Dalmatia contendunt, monasterium suum jussu* S. Dominici *anno* 1217 *fundatum esse, et idcirco ad Malvendam miserunt* vetusta *(sic ipse ea vocat)* ejusdem monasterii monumenta, *quæ in Annalibus Prædicatorum ad eumdem annum* 1217 *cap.* 23 *sic refert:* Ex tabulis ecclesiæ Spalatensis constat, dominum Ugrinum de Ungaria, Spalatensem archiepiscopum obiisse anno Domini MCCXIX, postquam per annum sedisset, sepultumque fuisse apud Prædicatores; ipsum autem Ugrinum non dedisse Fratribus locum in solo archiepiscopali, in quo fundaretur Conventus, sed archiepiscopum ejus antecessorem, qui fuit monachus ex monasterio sancti Stephani de Piuis: ita ut anno MCCXVIII, quo Ugrinus sedere cœpit, jam Conventus ædificabatur in loco, quem Fratribus prædecessor Ugrini attribuerat. Unde certa ducitur conjectura, monasterium anno præcedenti, hoc est isto MCCXVII, fundatum et extrui cœptum. Fundavit autem ipsum Conventum beatus Gregorius, socius sancti Dominici.

quod postremum suo ratiocinio confirmat,

512 *Malvenda vero ibidem hanc fundationem ita confirmat suis verbis:* Hæc in veteribus memoriis, *inquit*, at hæc de tempore fundationis Spalatensis cœnobii inde solidius stabiliri posse videntur, quod ejus fundator Gregorius, sancti Dominici comes, initio sequentis anni MCCXVIII Romæ præsens aderat, et, uti videbimus, ante mensem Martium ejusdem anni, defunctus est. Sic igitur existimamus, sanctum Dominicum hoc anno vel a Venetiis, vel quamprimum Romam pervenit, misisse Gregorium socium suum, qui forte Dalmata erat, et rerum patriæ peritus (nam eum virum industrium et civibus gratiosum fuisse, anno sequenti docebimus) ut Ordinem Prædicatorum in Dalmatia plantaret: illumque ut primum Spalatum, Dalmatiæ urbem insignem, appulit, monasterium extruxisse, aliquotque receptis ad Ordinem, illis etiam præscripta Religiosæ vitæ norma, statim ad sanctum Dominicum Romam revertisse.

et quod tamen ex antiquis testimoniis certe corruit,

513 *At totum illud Malvendæ ratiocinium corruit una cum falsis tabulis, quibus innititur: nam Thomas archidiaconus Spalatensis, et scriptor synchronus, in Historia Salonitana, quam Joannes Lucius post medium præcedentis seculi edidit, atque operi suo de Regno Dalmatiæ et Croatiæ subjunxit, cap.* 47 *pag.* 366 *promotionem hujus Ugrini, vel Hugrini, ad cathedram Spalatensem anno Christi* 1247 *sic affigit:* Postea vero, toto elapso triennio, iste Hugrinus ex mandato Apostolico consecrationem suscepit in ecclesia beati Domnii.... anno Redemptoris MCCIIIL, duodecimo Kalendas Octobris, gerens annos natu circiter quadraginta. *Deinde ibidem narrat, quomodo paulo ante mortem archiepiscopus ille pallium acceperit ab Innocentio IV Pontifice, et tandem citatum caput ita concludit:* Præfuit autem Hugrinus a die consecrationis suæ usque ad diem sepulturæ anno uno, mensibus duobus, diebus decem. *Consonat fere Catalogus præsulum Spalatensium, qui in eodem Opere Joannis Lucii pag.* 386 *de Ugrino illo hæc pauca habet:* Hugrinus natione Ungarus præfuit anno uno, mensibus duobus, diebus septem. Iste non erat usus pallio, nisi cum delatus est ad sepulcrum. Obiit tertio die ante festum sancti Andreæ apostoli; sepultus vero in ecclesia Fratrum Prædicatorum anno Domini MCCXLIIX. *Ex his liquet, Prædicatores Spalatenses, forte imperitia veterum characterum numeralium deceptos, perperam pro anno* 1247 *vel* 1248 *annum* 1217 *vel* 1218 *legisse, atque ita hanc erroneam notitiam scriptori Annalium Ordinis sui subministrasse, ne quid fraudis suspicari cogamur.*

514

AUCTORE G. C.

A

ut Echardus fatetur;

514 *Sed quocumque modo id factum sit, Echardus tomo* 1 *pag.* 33 *post relatam Malvendæ opinionem de errore illo sic rotunde pronuntiat :* Verum a tabulis sibi communicatis delusus est Malvenda : nam Ugrinus de Hungaria non nisi anno MCCXLVIII *(forsan Echardus annos stylo novo hic numerat)* electus est archiepiscopus, et mortuus est anno sequenti MCCXLIX, apud nostros ibidem sepultus, uti habet Thomas archidiaconus ejus ecclesiæ in Historia archiepiscoporum Spalatensium a Lucio typis data, in Historia Dalmatiæ et Croatiæ edita Amsteledami MDCLXVI. Aliunde certum est, Conventum Spalatensem et alios Dalmatiæ a Fratribus provinciæ Hungariæ erectos omnes fuisse, cujus et pars toto primo Ordinis seculo et ultra fuerunt, Paulus autem Hungarus primus ejus provinciæ præfectus, institutus in Capitulo secundo generali MCCXXI, non nisi post hæc comitia ad eas regiones progressus est, et primos Conventus erexit. Unde non tanta est antiquitas Conventus Spalatensis, quantam putavit Malvenda. Si vero quis Gregorius ejus est fundator, alius plane est ab eo, qui apud sanctum Sixtum, prævidente beato Dominico, mortuus est. *Si quæ alia Prædicatorum cænobia (excipe Parisiense, Bononiense, aliaque in veteribus* S. Dominici *Actis expressa) originem suam ad idem tempus referant, caute ab illis exigimus antiqua et authentica fundationis instrumenta, ne supposititiis tabulis, quales jam retulimus, cum Malvenda decipiamur.*

B

sed crassoris erroris convincitur Joannes a sancta Maria,

515 *Hac digressione Veneta nondum contentus Joannes a sancta Maria in jam sæpe citatis Gallicis* S. Dominici *Actis lib.* 3 *cap.* 21 *et sequentibus discessum Sancti et partibus Tolosanis ad urbem Romanam ita ordinat, ut primo ex Occitania Parisios pervenerit. Deinde illum Parisiis deducit Metas in Lotharingia, ubi Conventum fundaverit, et multos ad Ordinem receperit. Post hæc iter ipsius dirigit per Germaniam, ubi dicitur incidisse in latrones quos omnes prædicatione Rosarii ad pœnitentiam converterit, postquam Sanctus eis ostendisset horrendos dæmones, qui sub forma puellarum latronibus illis serviebant. Sed hoc postremum episodium prodit ex fabulosa Alani officina, qui part.* 3 *cap.* 20 *pag.* 193 *eamdem historiam plurimis exornat circumstantiis, quas hic piget referre.*

C

qui hoc iter adhuc aliis diverticulis improbabiliter auget.

516 *Tandem Joannes a sancta Maria asserit,* S. Dominicum *per Helvetiam ac Tirolim ad urbem Venetam pervenisse, ibique Conventum Ordinis sui ædificasse. Quinimo addit, Venetiis socios quosdam a Sancto in Dalmatiam tunc missos fuisse, ut Spalati cœnobium Prædicatorum exstruerent. Demum affirmat, illum Venetiis discessisse Patavium, ibidemque cum primoribus civitatis de construendo novo Conventu egisse, atque ita tandem circa finem anni* 1217, *quem novo stylo computat, Romam advenisse. Cum omnes antiqui scriptores de ingenti illo diverticulo sileant, quis facile credat,* S. Dominicum *spatio trium aut quatuor mensium omnes illas regiones percurrisse, et in itinere confecisse tot negotia, quæ tam diuturnam moram postulabant? Attamen hypercriticus Bailletus, qui alibi synchronis Sanctorum biographis vix fidem habet, hæc omnia incredibilia Actis* S. Dominici *inserit, ac facile deglutit. Nos, relictis incertis hisce narratiunculis, paulatim accedemus ad illustrandas res præclaras, quas Sanctus Romæ gessit.*

Sanctus Romæ Fratribus suis in necessitate

517 *Juvat hic ex gestis illis excerpere unum alterumque insigne miraculum, quod Constantinus Urbevetanus, temporibus istis vicinus, apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 31 *in Vita* S. Dominici *sic ex testibus oculatis refert :* Præterea sub silentio prætereundum non est, quod cum Fratres adhuc apud locum sancti Sixti morarentur in Urbe, multamque necessariorum, propter Ordinem, apud homines nondum notum, frequenter paterentur inopiam, contigit die quadam, ut procurator Fratrum, F. scilicet Jacobus de Melle Romanus panem, quem apponeret Fratribus, non haberet. Missi vero Fratres pro eleemosyna cum domos multas more solito circuissent, sacerdotes quidem et Levitas quamplurimos, sed Samaritanum rarissime invenerunt. Unde factum est, ut panis vix modicum et valde modicum reportarent. Imminente igitur refectionis hora, ad servum Dei Dominicum, qui tunc præsens erat, procurator accessit, defectum exposuit; ipse vero exultans spiritu alacri benedixit Deum, et quasi quadam fiducia infusa sibi desuper confortatus, id modicum, quod habebatur, panis per partes dividi super mensam mandavit. Erant autem in Conventu tunc temporis Fratres circiter quadraginta.

bis panem cœlitus obtinet,

E

518 Facto itaque signo, veniunt Fratres ad refectorium, benedictionem mensæ lætis vocibus prosequuntur, dumque per ordinem residentes buccellam panis, quam unusquisque coram se reperit, cum gaudio frangerent, ecce duo juvenes ejusdem habitus formæque consimilis refectorium intraverunt, palliorum sinus, quæ a collo pendebant, pleno panibus, quales ille pistor, qui mittebat, novit conficere, deferentes : quibus in capite unius mensæ, juxta quam vir Dei Dominicus residebat, silenter oblatis, ita subito discesserunt, ut nullus umquam de cetero vel unde venerint, scire potuerit, vel quo postmodum divertissent. Illis vero prædictis juvenibus discedentibus, vir Dei Dominicus manu ad Fratres circumquaque protensa, Modo, inquit, Fratres mei, comedite. Quod autem hoc divinitus, meritisque servi Dei Dominici fuerit procuratum, nemo penitus dubitavit, sicut quamplures adhuc superstites ex illis, qui tunc aderant, Fratribus attestantur. Alia quoque vice in casu consimili miraculum simile de panibus scilicet divinitus procuratis in eadem Urbe meritis ejusdem servi Dei Dominici, eodem F. Jacobo, viro siquidem fide digno, procuratore tunc temporis similiter existente, et postmodum, me audiente, narrante, contigisse compertum est : a quo etiam aliud quoddam, non minus relatione dignum, quod ibidem per eumdem virum Dei Dominicum circa se gestum referebat, audivi.

F

ad quod duplex miraculum ab Echardo aliqua notantur,

519 *Aliud istud prodigium, quod F. Jacobus circa se gestum Constantino narravit, statim ex eodem teste aurito transcribemus, postquam retulerimus observationem Echardi, quam loco proxime citato in notis ad memoratum Constantini textum exprimit his verbis :* Hoc miraculum et sequens de panibus cœlitus missis refert etiam Theodoricus lib. 3 cap. 4; sed inverso ordine : nam quod est secundum apud Constantinum, primum est apud Theodoricum, et fusissime narratum, apud sanctum Sixtum etiam patratum. Quod vero primum Constantini, secundum est Theodorici, et brevissime relatum. In primo Constantini et secundo Theodorici erant tantum circa XL Fratres; in secundo Constantini, et primo Theodorici erant ad centum. *At Constantinus in secundo miraculo non expressit numerum Fratrum, quem tantummodo ex narratione Theodorici colligit Echardus, et ex quo nihilominus ibidem sic argumentatur :* Hinc invicte probatur, Dominicum diutius apud san-

AUCTORE G. C.

ctum Sixtum mansisse, quam putet Malvenda: dato enim, quod Romam pervenerit mense Novembri MCCXVII (nam citius certo non potuit) incredibile est, sodales ad centum auxisse ante XVI Kal. Martii anni sequentis, quo tamen die vult Malvenda, eos ad Sanctam Sabinam transiisse. *Sed ex illo numero invicte non probatur, quod Echardus intendit: nam admodum verosimile est, plurimos nomina sua dedisse huic novo Ordini, cujus sanctus Institutor publicis miraculis coruscabat. Sic S. Franciscus in ipso Capitulo Storearum, quod anno Christi* 1219 *celebratum est, et cui quinque millia Fratrum Minorum interfuerunt, breviori temporis spatio quingentos candidatos in Ordinem suum recepit, ut apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1219 *num.* 17 *legi potest.*

et ibidem Fratrem moribundum statim sanat,

520 *Quandoquidem veritas horum prodigiorum satis constat, hic de certo illorum tempore ulterius non disputamus, et pergimus ad transcribendum aliud miraculum, quod memoratus Constantinus Urbevetanus ibidem duobus præcedentibus ita adjungit:* Narrabat namque *(nimirum F. Jacobus de Melle, cui id contigerat, et ex cujus ore Constantinus illud exceperat)* quod quodam tempore gravi quadam infirmitate præventus, morboque invalescente quotidie, jam ad extremum vitæ, natura prorsus succumbente, devenerat. Cumque Fratres, Unctionis officio jam præmisso, circa eum, ut egredientem spiritum orando protegerent, convenissent, tristesque essent non modicum de subtractione Fratris, sibi tunc temporis tam necessarii, pro eo quod tam notum in Urbe Fratrem alium non haberent, benignus Pater filiorum admodum compassione commotus, seclusis omnibus, clausoque ostio super se, super corpus Fratris morientis incubuit, mensusque se quasi alter Elisæus per membra singula, super eum oratione fusa, egredientem spiritum potenter retinuit, Fratribusque vocatis, reparatum Fratrem ipsis per manum restituit, suoque officio Fratrem incolumem resignavit. In quo nimirum id, quod in socru Petri per Dominum gestum esse cognovimus, manifeste per Servum ejus conspicimus innovatum. *Quamvis non ignorarem, similia miracula in Actis infra edendis repetenda esse, tamen hæc pauca vetustiore atque expresso Constantini Urbevetani testimonio confirmare volui.*

B

C

quæ miracula hic ex teste aurito retulimus inter Romana Sancti gesta,

521 *Præterea circumferuntur Romana quædam* S. Dominici *gesta, de quibus Theodoricus Appoldianus aliique veteres biographi non meminerunt. Nihilominus Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *et* 1218 *omnia illa operose collegit, et in fine memoriam eorum renovat brevi anacephalæosi seu repetita rerum gestarum synopsi, quam hoc loco transcribendam duximus, ut paragraphis sequentibus quædam ambigua ejusdem capita examinemus, et certissimas veterum biographorum historias ab incertioribus recentiorum traditionibus accurate distinguamus. Malvenda igitur in laudatis Annalibus ad annum Christi* 1218 *cap.* 36 *longam rerum Romanarum narrationem concludit his verbis:* Atque hactenus res gestas sancti Dominici hoc anno Romæ ex magnis auctoribus et monumentis certissima veritate perscripsimus. Rapit mentem ingens admiratio, quam multa, quamque præclara ac plane heroica facinora isto et superiori anno (quod tempus non adeo quatuordecim menses excessisse Annalium nostrorum ductus ipse palam ostendit) Vir apostolicus Romæ patraverit.

522 *Dein ab illo Romana Sancti gesta et miracula sic summatim recensentur:* Tres mortui in vitam reducti publice aperteque in oculis tot hominum ac testium, stupente Roma: Fratres bis angelicis manibus pasti; panis divinitus multiplicatus et auctus; vinum semel et iterum miraculo crescens: vaticinio prædictus duorum Fratrum obitus: in salutem novitii fluvius derepente tumens, quo persequentes arceret: bis a terra per cubitum sublimis in aëre visus sanctus Pater in excitatione Neapoleonis: obsessa a septem dæmoniis liberata: tres sanctimoniales, solo imperio ejecta febri, sanitati redditæ. Unctio, salus, habitus Ordinis, ejus precibus Reginaldo a Dei Genitrice obtenta. Tot, tamque clara miracula virtute Rosarii designata. Magisterium sacri palatii. Beata virgo Deipara Fratres visitans, aspergens, et benedicens; eadem illos sub pallio tegens, et unice protegens. Bona et Lucia inclusæ a gravissimis morbis curatæ: præsente angelo et comitante, portæ monasterii validis seris obseptæ, reclusæ: novitius deficiens ad sanitatem mentis revocatus: dæmonis terriculamenta abacta; ingens saxum ab eo jactum, vitatum: medica arbor quadringentorum annorum in salutem hominum sata et vigens; et innumera alia clarissima facta, quæ ob multitudinem silentio relicta, a scriptoribus ignorantur. *Cum Theodoricus de Appoldia inferius pleraque ex his gestis fuse narraturus sit, tantum in paragraphis sequentibus attingemus ea, quæ aliquam explicationem vel discussionem requirunt.*

D

quorum synopsim Malvenda exhibet.

E

§ XXVIII. Principia cœnobii Bononiensis, mira visio Reginaldi, qui ordinem ingredi voverat, et habitus Prædicatorum post hanc visionem mutatus.

Prædicatores anno 1218 mittuntur Bononiam,

B*eatus Jordanus infra num.* 41, *et Theodoricus de Appoldia num.* 102 *narrant, quomodo* S. Dominicus *Fratres quosdam Roma Bononiam miserit. Humbertus autem in Chronico suo eamdem rem breviter memorat, et simul conversionem F. Reginaldi, mox fusius a nobis exponendam, attingit his paucis verbis:* Anno Domini MCCXVIII circa principium anni misit beatus Dominicus Fratres de Urbe* Bononiam, et eodem anno in curia Fratris Reginaldi notitiam acquisivit, qui eodem anno venit Bononiam XII Kalendas Januarii. *Quod ad originem commorationis Bononiensis attinet, Fratribus eo advenientibus primum data est ecclesia S. Mariæ, quæ* de Mascarella *cognominabatur; sed paulo post ab episcopo Bononiensi ecclesiam S. Nicolai ad Vineas obtinuerunt, ut in Actis num.* 122 *testabitur Theodoricus de Appoldia, qui ibidem exemplo quodam probat, locum hunc posteriorem antea cœlitus designatum fuisse. Nos illud ex primo fonte hic hauriemus, et hac occasione cœlestem illam prædictionem uno alterove exemplo confirmabimus.*

F

* *Ms. nostrum addit* Roma

ubi adventus eorum

524 *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 3 *de hac re sic habet:* retulit Frater Radulphus vir bonus et timens Deum, quondam capellanus dictæ ecclesiæ beati Nicolai, quam ipse amore Ordinis resignaverat, et factus est ibi Frater; quod fuit Bononiæ, antequam Fratres venirent, mulier quædam despecta mundo, sed Deo devota et chara, quæ, cum oraret frequenter flexis genibus versus vineam quamdam, ubi modo sunt Fratres, et eam quasi fatuam homines

deri-

A deriderent, aiebat: Miseri vos et fatui potius: si sciretis, qualia ibi futura, et qui ibi futuri, hic Deum mecum adoraretis: nam per eos, qui futuri sunt hic, totus illuminabitur mundus. *Theodoricus de Appoldia loco proxime citato de eadem prædictione meminit; sed cum illius testem non allegaverit, eam ex Vitis Fratrum hic integre referendam existimavimus.*

quibusdam visionibus prænuntiatus fuerat.

525 *Huic confirmationis gratia addimus duo alia testimonia, quæ collector ejusdem operis Gerardus ibidem subjungit his verbis:* Retulit Frater Joannes Bononiensis, quod antequam Fratres Prædicatores venissent Bononiam, vinitores viderunt in loco, ubi modo sunt Fratres, luminaria et multos splendores. *Alterum ab eodem refertur ibidem in hunc modum:* Frater Clarus testatus est, quod cum esset puer, et cum patre suo, qui bonus et fidelis erat, juxta locum, quem modo Fratres habitant, quadam die transiret, dixit ei pater suus: Fili, in isto loco auditi sunt frequenter cantus angelorum, quod est magnum prognosticum futurorum. Cui cum dixisset puer: Forte fuerunt voces hominum ludentium, vel monachorum beati Proculi; B respondit pater: Aliæ sunt voces hominum, aliæ angelorum, et multum differentes. Quæ verba numquam ab ejus memoria exciderunt. *Hæc dicta sufficiant de initio Conventus Bononiensis, cujus infra in Actis sæpe mentio recurret. Nunc ad memorabilem F. Reginaldi conversionem, et controversiam ei annexam progrediamur.*

Reginaldus institutum Prædicatorum amplecti statuit;

526 *Omnes biographi historiam istam referunt; sed quia Constantinus Urbevetanus eamdem exponit cum quibusdam circumstantiis, quas alii non expresserunt, illam transcribemus ex hoc auctore suppari, qui in Vita* S. Dominici *num.* 24, *seu apud Echardum tomo* 1 *pag.* 29 *et sequente narrationem hujus rei sic instituit:* Romæ igitur viro Dei Dominico posito, eodem tempore vir quidam venerabilis, magister Reginaldus, sancti Aniani Aurelianensis decanus, peritus scientia, virtute conspicuus, et opinione præclarus, qui etiam Parisius in jure Canonico rexerat annis quinque, Romam una cum Aurelianensi episcopo mare transiturus advenerat. Hujus viri cor tali Deus dudum tetigerat inspiratione, ut, relictis omnibus, prædicationis officio se totaliter manciparet; quonam autem C modo, quod mente conceperat, ad effectum perduceret, necdum adverterat, nec adhuc recens Prædicatorum Ordinis institutio sibi fuerat manifesta. Cum autem a quodam, cui familiari colloquio hujusmodi votum expresserat, jam novum Ordinem, juxta desiderii sui propositum, institutum ejusdemque Ordinis institutorem et patrem, videlicet servum Dei Dominicum in eadem urbe prædicationis insistentem officio didicisset, accersito eo, ejusque mira collocutionis dulcedine vehementer affectus, nec minus aspectu suæ sanctitatis attractus, mentis suæ proposito revelato, ex tunc ipsius Ordinis deliberavit ingressum.

at gravi morbo correptus, precibus S. Dominici,

527 Nec mora, gravi febrium infirmitate corripitur; dumque languor fortius invalescens medicinæ remedia, natura prorsus deficiente, nequaquam admitteret, excluserat enim penitus mors in januis spem salutis. At vir Dei Dominicus exspectatæ sobolis intempestiva damna non sustinens, totum se ad orationem contulit, aures divinæ clementiæ, reginæque misericordiæ beatæ Mariæ, cui tamquam speciali patronæ curam Ordinis commiserat, importunis cordis clamoribus interpellans, ne se tam subito nondum nati, sed quodam modo concepti, filii consolatione privaret: tantoque importunius insistebat, ut vel saltem eum modico tempore sibi concedere dignaretur, quanto certius ipsum futurum vas electionis et gratiæ nullatenus dubitabat.

et visibili unctione Virginis Deiparæ mirabiliter sanatur,

528 Eo igitur in oratione persistente, ecce subito Reginam misericordiæ, duabus admodum speciosis comitatam puellis, Reginaldus vigilans et mortem exspectans ad se visibiliter venientem aspexit, blandaque facie dicentem sibi: Pete a me, quod vis, et dabo tibi. Expavescenti autem ad tam venerandæ visionis occursum, deliberantique, quid peteret, una ex his, quæ Reginam comitabantur, puellis suggessit ei, ne quid peteret, nisi quod Regina misericordiæ dignaretur conferre, seseque totum ejus committeret voluntati. Quod cum factum esset, tunc illa manum extendens, ægrotantis oculos, aures et nares, os quoque et manus, renes et pedes salutari, quam secum detulerat, unctione perunxit, formulas verborum proprias ad singulas unctiones subinferens: quorum verborum ea dumtaxat comperta sunt, quæ ad renum et pedum protulit unctionem. Ad renes quidem ait: Stringantur E renes tui cingulo castitatis; ad pedes autem: Ungo pedes tuos in præparationem Euangelii pacis. Tunc ei habitum Ordinis Prædicatorum ostendens: En, inquit, iste est habitus Ordinis tui, statimque et illa ab ægrotantis oculis speciem suæ visionis subtraxit, et ægrotans languore penitus propulsato convaluit; nimirum utpote quem Mater ejus perunxerat, qui novit unctiones conficere sanitatis.

confectaque peregrinatione Hierosolymitana, Ordinem ingreditur,

529 Hoc autem totum, quod erga præfatum Reginaldum præsentialiter gestum est, servum Dei Dominicum in oratione absentialiter positum, Deo sibi revelante, non latuit. Mane itaque ad eum veniens, et sanum reperit, et ab eodem pariter totius visionis seriem audivit. Hujus etiam tam stupendi miraculi vir quidam religiosus de Ordine Hospitalariorum testis exstitit, qui die tertia ejusdem visionis seriem eidem Reginaldo, præsente quoque viro Dei Dominico, iterato exhibitam ipse simul ibidem præsens existens propriis oculis, Deo sibi concedente, et vidit et stupuit. Illa autem cœlestis unctio ita corpus ipsius magistri Reginaldi non solum ab æstu febrium, F verum etiam ab odore concupiscentiæ temperavit, quod, sicut ipse postmodum est confessus, nec primus in eo motus libidinis de cetero pullulavit. Hanc visionem, hoc insigne miraculum multis Fratribus, ex quibus adhuc nonnulli supersunt, maxime post illius transitum servus Dei Dominicus publicavit. Recepta igitur taliter sanitate, Deo se et Ordini totaliter obtulit, votoque potitus, tandem Bononiam adiit *etc. Hæc ita intellige, ut Reginaldus post expletum peregrinationis Hierosolymitanæ votum anno Christi* 1218, *die* XXI *Decembris, Ordinem Bononiæ ingressus fuerit.*

quæ omnia chronologice ordinat Echardus.

530 *Echardus tomo* 1 *pag.* 18 *in notis hoc Hierosolymitanum Reginaldi iter sic chronologice ordinat:* Si ponatur Reginaldus mense Aprili sanatus, et Maio sequenti iter Jerosolymitanum agressus, facile potuit circa Octobrem Romam esse redux, præsertim cum hæc peregrinatio ea ætate et frequentissima esset et facillima; sicque Dominicum adhuc in Urbe repererit, a quo Bononiam legatus fuerit, et suus super sodales ibi agentes vicarius institutus. Ut ut sit, sive a Sancto, Romæ etiamnum consistente, sive eo jam ex

Urbe

AUCTORE G. C.

Urbe egresso, litteris ante exitum relictis, hanc de se ordinationem didicerit, Bononiam tandem advenit XXI Decembris, ibidemque multam ex concionibus sibi pepererat famam, cum die sancti Stephani prædicavit. *Non inficiamur, quod Reginaldus tam brevi temporis spatio peregrinationem Hierosolymitanam conficere potuerit; at in re, quæ ab aura et vento pendet, circa unum alterumve mensem nihil certi statuimus.*

qui potius dissolvisset intricatam difficultatem

531 *Maluissem, ut Echardus in notis ibidem explicasset intricatiorem quamdam difficultatem, quæ nobis hic sese ultro offert : nam B. Jordanus apud Echardum mox citata pag.* 18, *et infra apud nos num.* 42, *mirabilem illam Reginaldi visionem testimonio suo sic confirmat :* Hoc insigne miraculum multis usque hodie manentibus magister Dominicus postmodum publicavit, et cum hoc aliquando pluribus in collatione recitaret Parisius, ego ipse præsens interfui. *Humbertus vero in Vita* S. Dominici *cap.* 27 *eamdem historiam narrat, et sub finem adjungit sequentia :* Hanc visionem beatus Dominicus post ejus transitum Fratribus publicavit : adjuratus enim ab ipso Fratre Reginaldo

B

fuerat, ne hoc in vita ipsius alicui revelaret, sed secretum quasi sub sigillo confessionis servaret. *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi historialis cap.* 70 *phrasim Humberti imitatur, et Theodoricus de Appoldia post narratam cælestem illam Reginaldi unctionem apud nos num.* 106 *hæc habet :* Hæc omnia sanctus pater Dominicus adjuratus ab eodem magistro, nisi post mortem ejus, nulli umquam voluit revelare; quo defuncto, ea Fratribus patefecit.

quæ in hac variorum narratione occurrit,

532 *Jam quærimus, quomodo hæc biographorum testimonia inter se conciliari possint. Si* S. Dominicus *hanc visionem nemini ante obitum Reginaldi aperuerit, non potuit B. Jordanus illam Parisiis ex ore* S. Dominici *in collatione audire, nisi sine ulla verisimilitudinis specie dicamus, sanctum Fundatorem post mortem Reginaldi iterum Parisios venisse. Sed omnes antiqui scriptores unicum dumtaxat Parisiense* S. Dominici *iter agnoscunt, quando nempe Sanctus anno* 1219 *ex Hispania Parisios venit, et alterum seriei Actorum repugnat, ut Echardus tomo* 1, *pag.* 11 *fatetur. At eo tempore, quo* S. Dominicus *Parisiis substitit, adhuc Bononiæ vivebat Reginaldus, quem postea Sanctus inde Parisios mi-*

C

sit. Nihil itaque videtur superesse, quam ut B. Jordano, aut Humberto, aliisque similia narrantibus fidem abrogemus. Cum tamen Bartholomæus Tridentinus et Constantinus Urbevetanus de jurato illo silentio non meminerint, potius credimus B. Jordano synchrono et testi aurito, qui in veteri Ms. nostro, et editione Echardi diserte asserit, se Parisiis in collatione S. Dominici *id audivisse.*

et propter quam hactenus putamus Annales Prædicatorum ea in re corrigendos esse

533 *Donec igitur implexus ille nodus alio modo solvatur, ex Annalibus Prædicatorum delendam putamus speciosam narrationem, quam Malvenda ad annum Christi* 1219 *cap.* 40 *sic instituit :* Tunc etiam certum est, sanctum Dominicum, morte Reginaldi jam juramenti religione solutum, divinam illam et admirandam visionem Reginaldi exposuisse ac frequentius narrasse, qua idem B. Reginaldus a sanctissima Dei Genitrice bis inunctus, et a desperato morbo sospes effectus, ejusdem Dei Matris manibus habitum Prædicatorum pro se et Ordine toto meruit accipere : quam, quoad vixit Reginaldus sub inviolabili secreti fide (quemadmodum illi fuerat stipulatus) tenuerat, ut anno MCCXVIII cap. 18 et 20 ex magnis auctoribus fuse narravimus. Tunc enim magnus pater Dominicus multis perfusus lachrymis, et

D

devotissima oratione Fratribus totam illam cœlestem apparitionem sacrosanctæ Deiparæ, beato Reginaldo factam, ordine aperuit, simulque ingens beneficium a beata Virgine Ordini collatum ostensi datique habitus, quo Fratres Prædicatores uterentur, commemoravit, et hanc fuisse causam suscepti hujus habitus, priore Canonicorum regularium relicto, quamvis mutationis rationes antea non explicuisset, sacro juramenti vinculo obstrictus.

In illa Constantini narratione displicet Echardo iterata Deiparæ unctio,

534 *Malvenda ibidem fusius prosequitur hæc eadem, quæ hic brevitatis causa prætermittimus, et revertimur ad propugnandam memoratam Constantini Urbevetani narrationem, in quo displicet Echardo iterato unctio, quæ tertio die coram* S. Dominico, *et quodam religioso Hospitalario, rursus facta dicitur. Unde tomo citato pag.* 30 *in notis proferens eamdem historiam ex Humberto, qui de repetita unctione, et præsentia dictorum duorum testium silet, sollicite ibidem hæc monet :* Nihil habet de iterata illo die tertio et illis præsentibus visione et unctione, quæ etiam prorsus inutilis. *Sed observandum est, ab omnibus scriptoribus, eamdem historiam narrantibus, singulas rei circumstantias non semper*

E

scrupulose enumerari. Alioquin Echardus simili argumentandi ratione concludere potuisset, comitatum duarum speciosarum puellarum, quas Constantinus, Humbertus, aliique, socias Deiparæ adjungunt, superfluum aut inutilem esse, cum B. Jordanus in narratione ejusdem historiæ illas omiserit, et de sola beatissimæ Virginis Mariæ visitatione meminerit. Nobis sufficit testimonium horum veterum auctorum, ut etiam hisce rei adjunctis fidem habeamus, quemadmodum infra clarius probare conabimur.

quæ tamen ab antiquis auctoribus asseritur :

535 *Interim Echardus circa hæc historiæ adjuncta audiat Stephanum de Borbone, qui anno* MCCXXIII jam Ordini adscriptus et tum jam clarus *erat, ut ipsemet tomo* 1 *laudati operis pag.* 72 *loquitur, et ex quo ibidem ad aliam opinionem suam stabiliendam allegat sequentia :* Legitur in Vita beati Dominici, quod cum magister Reginaldus, decanus Aurelianensis, ei *(videlicet Deiparæ)* devotus laboraret in extremis, et esset ab omnibus remediis quasi desperatus relictus, apparuit ei beata Virgo cum duabus puellis, quarum altera portabat Ordinis Prædicatorum habitum, qui

F

Ordo novus erat et incognitus, et altera unguentum. Quem inunxit beata Virgo supra membra singula exprimens certam formam verborum, et ostendit ei habitum Ordinis prædicti, quem monuit eum suscipere; et cum pedes inungeret, dixit : Ungo tibi pedes in præparatione Euangelii pacis; cum renes, dixit : Constringantur renes isti cingulo castitatis; et promisit ei, quod die tertia rediret, et plenam sanitatem ei daret. Cum autem die tertia coram dicto magistro esset beatus Dominicus et quidam Frater Hospitalarius, affuit beata Virgo, quæ etiam non solum liberavit dictum Reginaldum ab infirmitate corporis, sed a tentatione carnis, ita ut postea factus Frater Prædicatorum Ordinis, et egregius prædicator, primum etiam motum carnis ex ipsa unctione ejus non sentiret, ut ipse postea fuit confessus. *Vides hic igitur apud auctorem, cujus antiquitatem ipse Echardus extollit, duos testes iteratæ unctionis vel visitationis, quæ certe non erat* prorsus inutilis, *cum Reginaldus antea nondum plenam sanitatem consecutus fuisset. At hæc omnia inferius alia occasione ex altero ejusdem ætatis scriptore confirmabimus.*

536 *Præterea Echardo non placet opinio Theodorici*

A *dorici de Appoldia, Bernardi Guidonis, aliorumque veterum et recentiorum, qui ex veste, quam tunc Deipara Reginaldo ostendit, habitum Ordinis mutatum fuisse passim existimant. Quare tomo* 1 *pag.* 18 *in notis ad libellum B. Jordani sedulo observari jubet sequentia:* Simplici huic narrationi, quæ, ut sensum meum prodam, mirum perplacet, sequentes scriptores alias addiderunt circumstantias, et quo recentiores, eo ampliores. Vide postea Constantinum num. 24, et Humbertum ibidem. Videsis etiam Theodoricum lib. 2 cap. 11, et S. Antoninum tit. 23 cap. 4 § 4. Interim singula Jordani verba, et rerum ordinem perpende, ac memoria tene, et qui non addat, ex hac visione ullam esse a Dominico factam vestis, qua seu ille, seu sodales hactenus usi erant, mutationem; quod dissertatione speciali postea discutietur. *Id etiam sæpius alibi, arrepta occasione, per decursum inculcat.*

nec ei placet hinc illata habitus Dominicani mutatio,

537 *Porro Echardus in illa dissertatione, quam tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 71 *et sequentibus edidit, ultro fatetur, Jacobum de Voragine, et plerosque alios Ordinis sui scriptores opinioni suæ adversari; sed potissimum hujus novæ sententiæ argumentum reperit ex silentio B. Jordani, Humberti,* B *et Constantini, qui de illa vestis mutatione non meminerunt, ut ipse contendit. At respondemus, in hac re apertas historiæ circumstantias colloqui, et istam vestis mutationem ab antiquis illis auctoribus tacite indicari, quando dicunt, Deiparam Reginaldo ægrotanti habitum Ordinis ostendisse. Cur enim monstrasset habitum, quem Reginaldus jam noverat, et quo* S. Dominicum *indutum viderat? Nam* S. Dominicus, *teste B. Jordano*, exhortans eum ad paupertatem Christi, et Ordinis sui consortium, liberum et plenum suscipiendæ ab eo Religionis hujus consensum elicuit, ita ut se voto astringeret. *Hæc omnia Constantinus et Humbertus fusius explicant, ut supra in relato Constantini textu licet videre. Quid igitur opus erat monstrare vestem Ordinis, quam haud dubie jam sæpius viderat, et ad quam suscipiendam voto tenebatur? Itaque ex adjunctis probabiliter colligimus, Deiparam Reginaldo ostendisse novam habitus formam, quo tum ipse, tum alii sodales ejusdem Ordinis, quem ingredi voverat, deinceps induendi essent. Hinc etiam sequitur, in ipsum auctorem retorqueri posse ratiocinium, quod* C *Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* 109 *pag.* 556 *mutationi vestium objicit, et quod Echardus tomo* 1 *pag.* 72 peremptorium *appellat.*

quam contra opinionem Echardi probamus

538 *At huic peremptorio ratiocinio, aliisque speciosis Echardi argumentis et effugiis, quæ singula refellere aut præcludere non vacat, unicum opponimus testimonium Bartholomæi Tridentini, qui* circa Ordinis primordia claruit, et vel ab ipso beato Dominico, vel ab ejus primorum sodalium aliquo vestem induit, *ut ipse Echardus tomo* 1 *pag.* 110 *testatur. Ille itaque antiquus auctor, qui usum utriusque habitus facile videre potuit, in Vita breviori* S. Dominici *infra apud nos num.* 8 *et* 9 *mutationem vestium et alia adjuncta, quæ superius Echardo non placebant, diserte exprimit his verbis:* Fratrem Reginaldum, decanum sancti Aniani Aurelianensis a desperata infirmitate sanctus Dominicus per illam, quæ vitæ medicinam mundo attulit, orando liberari impetravit. Visibiliter ei Mater misericordiæ, duabus pulcherrimis comitata puellis, ægrotanti apparuit dicens: Pete a me, quod vis, et dabo tibi. Deliberanti, ne quid indiscrete peteret, una ex domicellis suggessit, ut se Dominæ nostræ committeret voluntati: quod dum fecit, Regina cœli manu virginea oculos, aures et nares, os, manus, renes et pedes saluberrima quadam unctione perunxit, his utens verbis: Stringantur renes tui cingulo castitatis, et ungo pedes tuos in præparatione Euangelii pacis; addiditque: Die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plenæ sanitatis; statimque habitum Ordinis, quo NUNC Fratres Prædicatores utuntur, ei ostendit dicens: Ecce habitus Ordinis tui. Hanc visionem liberatus illico sancto Patri retulit, et habitum, ut præviderat, assumpsit: nam ante superciliis* utebantur. Tertia die solicita suorum Mater Dei affuit, et totum corpus Reginaldi Regina angelorum perunxit, et non solum ardores febrium, verum etiam motus libidinum in eo prorsus exstinxit.

ex verbis Bartholomæi Tridentini,

AUCTORE G. C.

* *lege* superpelliciis

539 *Ad majorem hujus rei confirmationem Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 45 *verso, Ferdinandus de Castillo in Historia generali Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *cap.* 51, *et Antonius Senensis in Chronico pag.* 21 *addunt, Fratres quosdam huic vestium mutationi primum obstitisse. Verum Echardus tomo* 1 *pag.* 73 *hanc primorum sodalium repugnantiam, tamquam fabulosam, rotunde explodit, et omnes immutationis defensores ita impugnat:* Scio, nostros Soegium et Percinum fabulam illam Flaminianam ex eo refellere, quod E velint, Tolosanos ita Sancto semper obsecutos, ut ad primas ipsius litteras continuo novum habitum assumpserint: verum an non promptius, revera non reluctatos, quia revera nulla facta est immutatio? Factam enim, nemine reluctante, Flaminii sequaces sibi persuaderi difficillime patientur. *Nos hanc traditionem, quæ cum altera connectitur, infra suo loco discutiemus.*

et quam plerique scriptores tuentur.

540 *Etiamsi ex relato Bartholomæi Tridentini testimonio de facta vestium mutatione satis constare videatur, tamen non adeo clarum est, qualis fuerit ille habitus, quem* S. Dominicus *primique ejus socii ante visionem Reginaldi gestarunt. Verosimile quidem est,* S. Dominicum *ab Uxamensibus in Hispania Canonicis regularibus, inter quos vixerat, formam vestitus retinuisse; sed propter penuriam veterum monumentorum certo determinare non possumus, qualis Canonicorum istorum habitus fuerit. In quo autem mutatio potissimum facta sit, Bernardus Guidonis in Actis* S. Dominici *cap.* 34 *utcumque indicat his verbis:* Post prædictam vero cœlestem visionem, et habitus Ordinis Prædicatorum ostensionem, beatus Dominicus et ceteri Fratres deponentes superpellicea, loco ipsorum alba scapularia pro habitu distinctivo induerunt, capas desuper tunicas albas retinentes, quas prius ut Canonici Regulares deferebant. F

cum tamen non constet, in quo mutatio illa sit facta,

541 *Ipsi scriptores Dominicani de reliquis priorum vestium partibus inter se disceptant: Malvenda enim in Annalibus ad annum Christi* 1218 *cap.* 20 *de priori habitu sic scribit:* Ad hunc usque diem sanctus Dominicus et socii habitum Canonicorum Regularium detulere, quem supra anno Domini MCXCIV diximus fuisse super tunicam laneam albam inductum lineum ephod seu superhumerale, quod rocchete seu cottam aut superpellicium vocant, adjecto desuper laneo pallio nigri coloris. Sed postquam Regina cœli habitum eum, quem diximus, Reginaldo dedit, nempe scapulare, tam ipse beatus Pater, quem reliqui ejus Fratres eumdem habitum accepere et in posterum ad hæc usque nostra tempore gestare perseverant. *Hunc Soegius in Anno Dominicano tomo* 1 *Augusti pag.* 351 *sequitur. Sed cum uterque de caputio non meminerit, Echardus pagina proxime citata posteriorem præcipue sic erroris arguit:* Verum ille, licet

et ipsi auctores Dominicani

alias

AUCTORE G. C.

alias accuratus, seculorum XII, XIII et XIV mores non attendisse certo dicendus est : nam iis temporibus non solum regulares, sed et seculares clericos et laicos, nobiles et cives, caputiis usos, imagines ejus ætatis invicte probant.

de primis Prædicatorum vestibus inter se disceptent,

542 *Dein Echardus ibidem refert sententiam Percini, eamque simul ita refellit :* Percinus in Monumentis Tolosanis pagg. 24 et 25 vult, habitum priorem Dominici hæc comprehendisse; tunicam talarem albam cum caputio albo, more, inquit, ecclesiæ Oxomensis, rochetum more Canonicorum Regularium, capam cum caputio nigri coloris; in immutatione vero habitus loco rocheti, quod deposuit, caputio albo appendicem illam additam anteriorem et posteriorem, quam scapulare vocant, non quidem a caputio divisam, qualem nunc gestamus (id enim novitium est) sed ipsi caputio assutam qualem primis Ordinis seculis tulerunt; unde in constitutionibus caputium et scapulare indiscriminatim pro eodem usurpantur. Tota igitur difficultas eo tandem redibit, an caputium illud album, quo more ecclesiæ Oxomensis juxta Percinum Dominicus utebatur, B collo tunicæ assutum fuerit, an appendicium illud anterius et posterius habuerit, quod scapulare vocant. Sane ejusmodi est, ipso Percino teste oculato, quod apud sanctimoniales Prulianas etiamnum, ut Dominici proprium, servatur; et licet, cujus anni sit, jam ignoretur, ex iis unum esse verisimillimum est, quæ Sancto, dum earum institutioni ab anno MCCXVI ad MCCXVII operam daret, conficiebant et lavabant ipsæ : nam post hunc ultimum, non nisi in transcursu, dum iter Hispanicum conficeret, eas vidit. Rochetum vero a sancto Dominico numquam gestatum, invinctum argumentum est, quod genus indumenti sit toto seculo XIII et sequenti Regularibus omnino incognitum, et a nullis usurpatum : nam et ipsi Canonici Victorini tum non rochetis, sed superpelliceis tantum utebantur, tunicæ albæ fere æqualibus, et quorum manicæ latiores duobus palmis ultra digitos prominebant; sic enim in eorum constitutionibus antiquis forma præscribitur. *De superpelliceo, et reliquo Canonicorum Regularium habitu consuli potest Nicolaus Desnos in opere Latino, quod inscribitur* Canonicus Secularis et Regularis, *ubi* C *toto libro* 4 *singulas istius habitus partes speciatim examinat.*

saltem exhibemus antiquam Prædicatoris effigiem,

543 *Cum igitur litem illam de antiquioribus vestibus, inter scriptores Dominicanos agitatam, defectu veterum monumentorum decidere non possimus, saltem proferendum est aliquid certius de habitu, quem Prædicatores post visionem Reginaldi assumpserunt. Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 144 *agens de lucubrationibus venerabilis Humberti, earumque titulos ex veteribus Mss. recensens, exhibet antiquam Prædicatoris effigiem, cui hanc notitiam præmittit :* In quadrato, in quo tituli omnes allati scripti, eleganti manu picto, ad quatuor angulos sunt quatuor figuræ; ad duos superiores hinc beata Virgo, inde angelus Gabriel; ad inferiores hinc et inde duo Ordinis sodales in habitu, ea ætate consueto, caputio nempe acuminato adinstar fere Cartusianorum, scapulare habente assutum, manicis tunicæ ad pugnum strictioribus, capa nigri naturalis seu tannei ad caputium ejusdem coloris assuta, ut exemplum certum, esset omnibus sequendum. *His subjungit ipsam imaginem, quam cælatorem nostrum exacte imitari jussimus.*



Ex hac effigie satis patet qualis vestium forma tempore venerabilis Humberti apud Prædicatores usitata fuerit, de qua hic fusius disputandum non est, cum Echardus tomo 1 *pag.* 75 *et sequentibus exteriores et interiores habitus partes ex anonymo seculi* XIII *scriptore singillatim explicuerit.*

jam mutato Ordinis habitu, quem Pontifices Romani

544 *Circa medium seculi* XIII *videntur nonnulli privata auctoritate eumdem aut similem habitum assumpsisse, ut colligimus ex duplici diplomate Innocentii IV Pontificis, quorum primum inter privilegia Prædicatorum Constitutionibus subjuncta, Mediolani anno* 1505 *edita num.* 15 *sic sonat :* Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Magistro et Fratribus Ordinis Prædicatorum salutem et Apostolicam benedictionem. Quia confusio habitus sæpe confusionem inducit Ordinum et etiam animorum, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine vel extra Ordinem constitutus, habitum vestrum aut ita consimilem, quod F propter eum Frater Prædicator credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis apostolicæ speciali. Ceterum ut dicta inhibitio majorem consequatur effectum, statuimus, ut ii, qui habitum vestrum vel prædicto modo sibi consimilem deferre præsumpserit, ad deponendum ipsum per diœcesanos locorum, cum a vobis requisiti fuerint, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VIII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo, *qui anno Christi* 1244 *respondet. Deinde ibidem num.* 16 *sequitur alterum ejusdem Pontificis diploma, eodem tempore ad archiepiscopos et episcopos directum, quo præcipit, ut memoratum decretum suum exsecutioni mandari curent.*

ab aliis gestari prohibuerunt.

545 *Diuturna etiam lis fuit circa gestamen habitus inter Fratres Eremitas Augustinianos et Fratres*

A *tres Prædicatores, ut Clemens VIII Papa tomo* 3 *Bullarii Romani pag.* 154 *testatur his verbis :* Alias siquidem, cum inter dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum sancti Dominici et Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini de habitus albi delatione, quo ita consimiles viderentur, ut si absque veste superiori nigra incedant, vix alter ab altero discerni queat, controversiæ non sine ipsorum Fratrum perturbatione et laicorum offensione sæpius ortæ fuissent, nonnullæ Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, præsertim vero felicis recordationis Alexandri Papæ quarti constitutiones super ea re prodierunt. *Cum ea lis tempore Clementis in regno Lusitaniæ et Algarbiorum renovata esset, hic Pontifex illam in perpetuum exstinxit, et utrique Ordini præscripsit certam vestium formam, publice gestandam, qua facile alumni utriusque Ordinis distinguerentur, quemadmodum tomo* 3 *Bullarii Romani pag.* 154 *et sequente fusius datur videre.*

B

§ XXIX. An Sanctus Romæ exercuerit Magisterium sacri palatii, ad Ordinem admiserit S. Hyacinthum, et viderit divinam essentiam in quadam extasi.

Magisterium sacri palatii,

F*laminius in Vita* S. Dominici *lib.* 1 *fol.* 24 *verso et sequente originem illustris istius Magisterii refert his verbis* : Cum beatus Dominicus cerneret, quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum ministros in aula vanis deambulationibus ac nugis tempus terere, indoluit, ac Pontificem adiit ac dixit, turpe et damnosum esse, tempus a tanta multitudine incassum teri; sibi videri utile futurum, si tantisper, dum Cardinales cum eo in negotiis Ecclesiæ occupentur, quispiam doctus utile aliquid publice interpretetur. Placuit admodum Honorio consilium, et ipsi, qui consulerat (nam magnus in sacris Vir erat Litteris) id negotium dedit; quod libenter ille suscepit, et quotidie Pauli apostoli in magno auditorum consessu et attentione interpretari epistolas cœpit : adeoque res placuit, ut deinceps C institutum sit, ut ex Ordine Prædicatorum ad ejusmodi munus aliquis semper eligeretur, et dignitatis ille titulo, qui delectus fuisset, insigniretur, hoc est, SACRI MAGISTER PALATII diceretur. Codex autem ille, quo usus est beatus Dominicus, epistolarum Pauli, Tholosæ in sancto Romano servatur. *Has narrationis circumstantias relinquimus fidei relatoris, quem non magni faceremus, nisi præcipua rei substantia ab antiquis auctoribus confirmaretur, ut ex dicendis apparebit.*

quod S. Antoninus,

547 *Sanctus Antoninus parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 2 § 3 *laudans eximias* S. Dominici *virtutes ac dotes, de hoc insigni officio sic meminit :* Ad hanc (*videlicet* sapientiam Scripturarum et sacræ theologiæ, *de qua paulo superius egerat)* totum se applicans beatus Dominicus, amore ejus noctes pene ducebat insomnes, ut sacra ejus testatur historia : indeque hausit avide, quod postea effudit abunde, magisterque factus in sacra theologia, primusque Magister sacri palatii (quæ postea dignitas Ordini Prædicatorum fuit indulta) legit in curia Romana, et in aliis locis plures libros Paginæ sacræ, disputans frequenter contra hæreticos et prædicans, et exhortans cunctos fideles, et maxime per Ordinem suum, cui soli collatus est titulus Prædicatorum. *Certe nemo dubitare potest, quin* S. Dominicus *in sacra Scriptura fuerit versatissimus, ut abunde colligitur ex assiduo illius studio, quod Joannes Hispanus, testis oculatus, in processu Bononiensi apud nos num.* 34 *exponit his verbis :* Semper gestabat secum Euangelium Matthæi et epistolas Pauli, et multum studebat in eis, ita quod fere sciebat eas corde tenus. *Hinc facile admittimus, Sanctum epistolas Pauli in palatio Pontificis interpretatum esse, atque ab illo loco communiter Magistrum sacri palatii appellatum fuisse.*

AUCTORE G. C.

aliique recentiores passim tribuunt S. Dominico,

548 *Echardus inter alios indices, quos ante tomum Operis jam sæpe laudati exhibet, pag.* XXI *texuit seriem Magistrorum sacri palatii, cui sequens monitum præfigit :* Quæ fuerit Magistrorum sacri palatii toto seculo XIII series, non ita dictu promptum, nisi antiqua monumenta evolvantur, quod solis Romanis nostris facile. Verum cum eo seculo id munus in scholæ Romanæ et Pontificiæ regimine, et in publica sacræ Scripturæ expositione potissimum contineretur, quos duplici hoc officio functos certo nobis constat, hos inter sacri palatii Magistros recenseri nemo mirabitur. E *Deinde nominatim enumerat Magistros illos, qui seculo* XIII *et sequentibus in istud officium* S. Dominici *successerunt. Ceterum Echardus ipso tomo* 1 *ejusdem Operis pag.* 15 *in notis conjicit, huic muneri initium datum esse, quando* S. Dominicus *juxta veterem stylum anno Christi* 1216, *vel juxta novum anno* 1217 *post confirmationem Ordinis sui, et ante dispersionem Fratrum, in urbe Romana commorabatur, ut ibidem indicat his verbis :* Itaque sic statuimus, Dominicum post accepta quatuor relata diplomata non tam cito, sed post Pascha anni MCCXVII Roma exivisse; nec dubium, quin toto hoc tempore pluries prædicaverit, ut illi ubique solemne, forteque etiam tum in aula summi Pontificis, sancti Pauli epistolas interpretatus fuerit, quod sacri palatii Magistri munus erigendi occasionem dederit. *At quodcumque sit chronologicum istius Magisterii exordium, nos hic cum Malvenda ad annum Christi* 1218 *de illo agimus, et potius rem ipsam, quam tempus, inquirimus.*

confirmatur testimonio veteris scriptoris,

549 *Etsi veteres biographi istud Sancti Magisterium diserte non expresserint, tamen illud nobis satis certum est ex testimonio Joannis de Columna, qui sub Gregorio IX Pontifice Ordinem Prædicatorum intravit, et postea ad cathedram Messanensem evectus est, ut fusius videre est apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 418 *et sequentibus, ubi gesta et scripta ipsius recensentur. Is itaque auctor in libro de Viris illustribus, post alia* F *quæ de* S. Dominico *ejusque Ordinis institutione refert, et quorum in adolescentia aut pueritia testis oculatus esse potuit, ad rem præsentem spectantia hæc habet :* Cum autem esset Vir Dei Romæ, multi ad ejus sanam doctrinam convolabant : legebat enim tunc in publicis scholis Paulum, ad cujus scholas confluebat non modica turba scholarium et etiam prælatorum, et MAGISTER ab omnibus vocabatur..... Scripsit autem tunc super omnes epistolas Pauli, cujus scripta, multa scientia et devotione plena, adhuc inveniuntur. *De his aliisque Sancti scriptis infra agetur.*

cujus authenticam fidem Echardus probat.

550 *Porro Echardus, qui hoc Joannis testimonium in appendice ad tomum* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 996 *retulit, ad probandam authenticam illius fidem hæc ibidem addit :* Excerpta sunt ex laudato libro Joannis de Columna de Viris illustribus, et ad me Roma recens missa a R. A. P. Benedicto

Zoanelli,

AUCTORE G. C.

Zoanelli, sacræ theologiæ professore, bibliothecæ Casanatensis præfecto, qui cum sit domus Ordinis Venetæ sanctorum Johannis et Pauli alumnus, hoc opus hactenus in tenebris detentum, et ab eruditis desideratum, facilius sibi tradi obtinuit, et eidem notis illustrando, et quamprimum typis edendo jam sedulus incumbit. Itaque ex paucis hic relatis ab auctore suppari, imo teste oculato, constat, sanctum Dominicum et Romæ cum ingenti auditorum confluxu et plausu in publicis scholis docuisse; quod occasionem dederit instituendi Magistri sacri palatii, siquidem ea ætate scholæ publicæ theologicæ erant in sacro sanctissimi domini Papæ palatio, et eumdem Sanctum, quod nunc nos attinet, in sancti Pauli apostoli epistolas omnes scripsisse, quæ scripta toto seculo XIII servata sunt. *Verum hic thesaurus videtur jam periisse, aut alicubi latere, ut postmodum indicabimus, quando de scriptis* S. Dominici *agemus. Hæc ad asserendum Sancto Magisterium sacri palatii allata sufficiant.*

Lis est inter Echardum, aliosque auctores de anno,

551 *Nunc pergimus cum Malvenda, qui in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1218 *cap.* 23 *receptionem S. Hyacinthi ad Ordinem im-* B *mediate huic Magisterio subjungit, et cum plerisque historicis contendit, eam anno Christi* 1218 *affigendam esse. Contra vero Echardus integra dissertatione, quam tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 81 *et sequentibus inseruit, fuse evincere conatur, famosam Neapoleonis mortui excitationem, et consequenter conversionem S. Hyacinthi, usque ad annum* 1220 *novi styli differri oportere. Ingenue fatemur, non esse contemnenda Echardi argumenta, quibus tamen graves difficultates opponi possent ex obitu venerabilis Vincentii Kadlubkonis, cujus Vitam et miracula Simon Starovolscius collegit, aliisque chronologicis historiæ Polonicæ circumstantiis, quæ forte in Actis S. Hyacinthi ad diem* XV *Augusti discutientur. Interea hic rem ipsam referimus ad præsentem* S. Dominici *commorationem Romanam cum Odorico Raynaldo, illustrissimo Cromero, aliisque scriptoribus Polonis, ex quibus hoc loco unicum antiquiorem et diligentissimum rerum Polonicarum scrutatorem seligemus.*

quo S. Hyacinthus Ordinem Prædicatorum intraverit,

552 *Cum igitur Joannes Dlugossus sive Longinus lib.* 6 *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1218 *narrasset firmum propositum piissimi Vincentii* C *Kadlubkonis, qui se episcopatu Cracoviensi abdicare decreverat, ad rem nostram subnectit sequentia :* Dum successor idoneus quæreretur, Iwo filius Saulis Comitis de Konskie, genere nobilis de domo Odrowaz, et natione Polonus, cantor Gnesnensis, Canonicus Cracoviensis, et Leszkonis albi Cracoviensis et Sandomiriensis ducis cancellarius, inter ceteros duci et Capitulo dignior videbatur; qui ut propter litterarum peritiam et prudentiæ humanæ fulgorem Vincentio in episcopatu succederet. Verum dum in admittenda Vincentii cessione per summum Pontificem difficultas timeretur, Iwo, assumpto sibi in comitem et consultorem Jackone *(id est Hyacintho)* de Opoliensi provincia et villa Lanka, Canonico Cracoviensi, viro sensato et industrioso, ad Honorium tertium in Urbem se contulit, et tam Vincentii cessionem admitti, quam suam nominationem confirmari, et in Cracoviensem episcopatum se promoveri, personam suam Ugolino Cardinali, episcopo Hostiensi propter familiaritatem præcipuam, quam invicem in studio Parisiensi contraxerant, coram Papa et Cardinalium collegio altis efferente laudibus, facile obtinuit.

553 Qui dum Romæ promotionis suæ pertractans negotia moraretur, beatum Dominicum D magnis jam prodigiis initia suæ sanctitatis et Religionis declarantem videre, ejusque familiari conversatione uti, prædicationi suæ coram interesse promeruit. Et dum die quadam Stephanus Cardinalis ad sanctum Sixtum, ubi Vir Dei Dominicus cum Fratribus suis morabatur, venisset, nepos Cardinalis præfati equo in foveam præcipitatus, plangentium manibus exanimis efferebatur. Vir Dei Dominicus *, obsecrante illum Fratre Tangredo, viro magnæ religionis, atque dicente : Qui agis Pater? Casus iste tuæ virtutis experimentum expectat. De superna autem Dominicus certus virtute, defunctum oratione fusa, vitæ pristinæ incolumem reddidit. Quo quidem miraculo Iwo Cracoviensis episcopus, qui omnibus, quæ circa resuscitatum agebantur, aderat, provocatus, in Poloniam rediturus, Fratres a beato Dominico petiit. Alios autem obtinere non valens, tres suos comites et familiares, videlicet Jackonem Canonicum Cracoviensem, qui et ipse de domo Odrowaz erat, item Ceslaum Polonum, Henricum Moravum, et Hermannum Teutonicum ad Ordinem per beatum Dominicum assumi E obtinuit, et illos secum in Poloniam deducens, primus Ordinem Prædicatorum in Polonia, beato Dominico adhuc superstite, plantavit. Et Iwo quidem ex Roma reversus ab Henrico Gnesnensi archiepiscopo in episcopum Cracoviensem consecratus est.

quam rem ex Dlugosso sive Longino narramus,

* *forte offerebatur viro Dei Dominico*

et ex eodem chronologiam Echardianam impugnamus.

554 *Sed teste ibidem Dlugosso ad annum Christi* 1219, Gnesnensis ecclesiæ metropolitanus Henricus, cum in archiepiscopali sede annis decem et novem sedisset, ad horam extremam perveniens, salutari sumpto Viatico, XX Martii moritur, et in ecclesia Gnesnensi justo honore sepelitur. *Si Henricus ille anno* 1219, *die* XX *Martii obierit, quomodo Iwonem Roma in Poloniam reversum consecrare potuit, cum Iwo secundum sententiam Echardi adhuc mense Februario anni* 1220 *in urbe Romana versaretur, et tunc miraculo resuscitati Neapoleonis interesset? Sive Echardus veteri sive novo stylo annos numeret, hinc elabi non potest, nisi dixerit, hunc sedulum historiæ Polonicæ scriptorem a vera chronologia aberrasse, quod probandum esset. Præterea diligens ille historiæ patriæ indagator eodem libro* 6 *mortem Vincentii Kadlubkonis ad annum Christi* 1223 *ita* F *refert :* Vincentius Kadlubkonis, olim Cracoviensis episcopus, cum annos quinque in Ordine monasterii Andrzeioviensis religiose exegisset, octava die mensis Martii laborum suorum immarcescibilem coronam a Christo, propter quem omnia deseruerat, percepturus, carnis ergastulo solutus est, et in eodem monasterio in chori medio sepultus est. *At si ab hoc mortis tempore retrograde numeres quinque annos in Ordine Cisterciensi exactos, pervenies ad ineuntem Martium anni* 1218, *quo Iwo jam Romam discesserat, eo quod in admittenda Vincentii cessione difficultas timeretur. Nullo autem modo verisimile est, piissimum Vincentium sine licentia Romani Pontificis episcopatum suum reliquisse, et vitam monasticam amplexum esse. Plura huic novo Echardi systemati opponi possent. Sed nobis hic non lubet de anno rei gestæ operosius disceptare, ut jam diximus, dummodo constet de admissione S. Hyacinthi ad Ordinem Prædicatorum, ab ipso* S. Dominico *facta, quam sincerus ille historicus et canonicus Cracoviensis haud dubie ex antiquis patriæ suæ monumentis eruit, etiamsi veteres biographi nostri illam sigillatim non commemoraverint.*

AUCTORE G. C.

A 555 *Ad hanc commorationem Romanam etiam referendus est mirus Sancti raptus, quem Theodoricus de Appoldia apud nos cap. 10, et ex ipso S. Antoninus part. 3 Chronicorum tit. 23 cap. 3, aliique recentiores fuse narrant. Nobis hic ad prævium notitiam sufficiet epitome ejusdem ecstasis, quam Joannes Garzo in Vita* S. Dominici *apud Leandrum Albertum lib. 1 de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum fol. 14 breviter exponit his verbis :* Confestim Dominicus ad orationem regressus est : nec multo interjecto tempore fuit extra se positus. Contemplatus est Vir sanctissimus Mariam cœli reginam Christo assidentem, multos præterea Patrum, qui sacris Religionibus mares feminasque dicaverant ; insuper eorum multitudinem, qui Deum immortalibus laudibus prosequebantur. Ut suorum intuitus est neminem, lacrymas continere non potuit. Verum Majestatem divinam contemplans, pedem retulit. At Virgo, ut ad se accederet, digito annuit. Ille pavore consternatus, in sententia permanebat, quoad a Domino accersitus est. Verum nullis lacrymis temperans, ad utriusque pedes procidit. Tum
B Dominus : Quid subest causæ, ut te in lacrymas effundas? Hoc, inquit, ille : Nulla est Religio, ex qua fructus uberes non acceperis ; at nostra ne ullum quidem fructum edidit. Tum Dominus : Conspicare Religionem tuam, quæ intra Matris pallium delitescit ; quod ut extensum vidit, vehementer lætatus est : cognovit enim, unam esse cœli Reginam, quæ Prædicatorum Religionem firmissimo teneret præsidio. *Nicolaus Janssenius similem ejusdem historiæ synopsim Actis* S. Dominici *lib. 2 cap. 12 inseruit.*

Sanctus Romæ raptus est in miram ecstasin,

556 *Sanctus Antoninus occasione hujus visionis, quam parte mox citata tit. 23 cap. 1 § 1 iterum breviter attigit, hæc notatu digna verba profert :* Dicit quidam Magister Ordinis Minorum, qui composuit librum magnum de beato Dominico valde magistralem, quod in dicta hujusmodi visione posset dici scholastice, non assertive, quod tunc viderit Dominicus Deum per essentiam ut Paulus in raptu. *Verumtamen, salva reverentia istius Magistri, qui hactenus nobis ignotus est, huic opinioni nequaquam assentimur, et probabilissime putamus, id nec assertive nec scholastice dici posse : nam S. Thomas parte 1 Summæ theologicæ quæst.*
C *12 art. 11 de hac re disputans et rationes in speciem contrarias more suo dissolvens, ad secundum argumentum ita respondet :* Dicendum, quod sicut Deus miraculose aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam supernaturaliter et præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium, usque ad visionem suæ essentiæ elevavit, ut dicit Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram et in libro de videndo Deum, de Moyse, qui fuit magister Judæorum, et Paulo, qui fuit magister gentium. *Deinde 2. 2 quæst. 175 art. 3 disserens de raptu S. Pauli eamdem sententiam suam repetit, et ex mente S. Augustini talem visionem Moysi et Paulo dumtaxat concedit.*

in qua ne quidem scholastice dici potest vidisse divinam essentiam,

557 *Doctor angelicus adhuc propius ad præsentem controversiam accedit, dum in Quæstionibus Quodlibetalibus quæst. 1 art. 1 examinat,* utrum beatus Benedictus in visione, qua vidit totum mundum, divinam essentiam viderit. *Hunc sublimem raptum, in quo etiam vidit animam S. Germani Capuani episcopi in cœlum ferri, Gregorius Magnus Papa lib. 2 Dialogorum cap. 35 narrat, et nos in Actis S. Benedicti ad diem* XXI *Martii, tomo 3 istius mensis pag. 287 ex eo retulimus. Divus Thomas solvens difficultates, quæ opinioni suæ ex verbis S. Gregorii Papæ objici possunt, ibidem inter alia sic respondet :* Dicendum, quod corpus corruptibile aggravat animam, ut dicitur Sapien. 9. Summa autem elevatio mentis humanæ est, ut ad divinam essentiam videndam pertingat. Unde impossibile est, ut mens humana corpori unita Dei essentiam videat, ut Augustinus dicit duodecimo super Genesim ad litteram, nisi huic vitæ mortali funditus homo intereat, vel sic alienetur a sensibus, ut nesciat, utrum sit in corpore an extra corpus, sicut de Paulo legitur 2 ad Cor. 11 *. Beatus autem Benedictus, quando illam visionem vidit, nec huic vitæ funditus mortuus erat, nec a corporeis sensibus alienatus : quod patet per hoc, quod dum adhuc in eadem visione persisteret, alium ad idem videndum advocavit, ut idem Gregorius refert. Unde manifestum est, quod Dei essentiam non vidit. *Ex jam dictis quisque abunde intelligit, supradictum Magistrum Ordinis Minorum in hac singulari sententia sequendum non esse. Quapropter, relicta quæstione illa theologica, ad historiam redeamus.* E

ut contra opinionem cujusdam Magistri ex S. Thoma probamus ;

** lege 12*

558 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum 1218 cap. 31 quamdam cavillationem, quæ memoratæ* S. Dominici *visioni ab hypercriticis objici posset, ita prævenit ac enervat :* Quod vero ad secundam visionem spectat, notandum, ne calumniam ab aliquo parum pio nos pati contingat, hoc secundo confirmati Ordinis anno paucissimos Fratres adhuc fuisse defunctos ; et ut aliquos demus, jam tempore hujus visionis de vita migrasse, de duobus enim nobis tantum hactenus lectum, Fratre Alberto Romano, et Fratre Gregorio. At mirum valde est, in tanta adhuc paucitate mortuorum Fratrum adeo lamentabiliter indoluisse sanctum Dominicum, quod nullum sui Ordinis in cœlesti gloria viderit, et postea sub pallio sacræ Deiparæ innumerabilem Prædicatorum multitudinem aspexerit. Verum observa, erudite lector, visionem hanc non tam defunctorum jam Fratrum gloriam, aut rerum jam gestarum manifestationem expressisse, quam futurarum repræsentasse certissimam veritatem. In ostensa imaginaria illa visione beato Dominico, cum in beatorum cœlesti gloria innumeros diversorum Ordinum Religiosos aspiceret, ex suo vero F nullum, id ejus menti oblatum tunc est, nullo ex mortuis Fratribus in cœlo apparente, forte non esse cordi Deo novum a se fundatum Ordinem, aut suos alumnos cœlo indignos : nisi velimus, eo spectaculo perturbatum ac causas ignorantem Dominicum, nec satis præ stupore rationes suas explicantem, mœrore correptum in lacrymas prorupisse ; sed Christum, ut ostenderet illi Fratres Prædicatores et præsentes et futuros, singulari sanctissimæ suæ Matris curæ et tutelæ commissos, eamque illorum et esse, semperque futuram patronam, advocatam et tutelarem, innumerabilem eorum multitudinem sub ejus pallio, et in ejus gremio, et sub certissimo munimine et præsidio reconditos, ac sub umbra alarum illius protectos demonstrasse, qui post exantlatos pro Deo Ecclesiaque ejus præclaros sudores in hac mortali vita, tandem æternam gloriam essent adepturi, ac suis virtutibus cœlum ipsum clarius reddituri. *Hactenus ille.*

sed ex illa visione,

559 *Joannes a sancta Maria in Actis Gallicis* S. Dominici *lib. 3 cap. 33 etiam suspicatur, eidem visioni opponendam esse similitudinem alterius historiæ, quam Cæsarius Heisterbachcensis lib. 7 Dialogorum*

potius etiam monacho Cisterciensi

AUCTORE G. C.

logorum cap. 60 *ita refert :* Monachus quidam Ordinis nostri, Dominam nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem gloriæ cœlestis deductus est; ubi cum diversos Ecclesiæ triumphantis Ordines videret, angelorum videlicet, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, et eosdem certis characteribus distinctos, item Canonicos Regulares, Præmonstratenses, sive Cluniacenses, de suo Ordine sollicitus, cum staret et circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei Genitricem cum gemitu respiciens ait : Quid est, sanctissima Domina, quod de Ordine Cisterciensi neminem hic video? Quare famuli tui, tibi tam devote servientes, a consortio tantæ beatitudinis excluduntur? Videns eum turbatum Regina cœli, respondit : Ita mihi dilecti ac familiares sunt hi, qui de Ordine Cisterciensi sunt, ut eos etiam sub ulnis meis foveam, aperiensque pallium suum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem monachorum, Conversorum, et sanctimonialium illi ostendit : B qui nimis exultans et gratias referens, ad corpus rediit, et quid viderit, quidve audierit, abbati suo narravit; ille vero in sequenti Capitulo hæc referens abbatibus, omnes lætificavit, ad ampliorem sanctæ Dei Genitricis amorem illos accendens.

circa tutelam sui Ordinis

560 *Si quis ex similitudine utriusque hujus historiæ inferret, scriptores Dominicanos hanc ecstasim ex Cæsario accepisse, ac Sancto suo Fundatori aptasse, eadem suspicio in Cistercienses caderet, inquit laudatus Joannes, et hoc idem argumentum in ipsos retorqueri posset. At Cistercienses in eo casu responderent, Cæsarium suum Heisterbachcensem antiquiorem esse Theodorico de Appoldia, qui inter biographos primus hanc* S. Dominici *visionem litteris mandavit. Tandem Joannes a sancta Maria post inutilem illam retorsionem cautius consentit opinioni Malvendæ, qui loco proxime citato in Annalibus unam ecstasim ex altera sic confirmat :* Ceterum quo firmius præfatæ visionis fides constet, exemplo quoque stabiliendum censemus. Eos Religiosorum Ordines quos singularibus beneficiis sacra virgo Deipara fovet et ornat, sub suaque C protectione recondit, cœlestibus quibusdam virtutibus sub pallio suo, tamquam sibi charissimos, ostentare solet. *Deinde propter testimonium memorati Cæsarii, qui anno Christi* 1222 *Dialogos suos scripsit, utrique Ordini hanc prærogativam concedit.*

et sacerdoti nostræ Societatis oblata est,

561 *Certe non videmus, cur similis visio monacho Cisterciensi, et* S. Dominico *offerri non potuerit, cum beatissima Virgo minimam nostram Societatem eodem favore dignata sit, ut Nicolaus Lancicius tomo* 2 *Opusculorum spiritualium opusc.* 17 *lib.* 2 *cap.* 2 *num.* 178 *narrat his verbis :* Fundata plene Societate, et per Apostolicam Sedem sæpius confirmata, quam ea sit beatissimæ Virgini cara, ostendit imprimis viro sanctissimo P. Martino Guttierez Hispano, cujus mortui in carcere (in quem ab hæreticis Gallis conjectus fuerat) animam sancta Teresia vidit cum aureola martyrii cœlum intrantem : apparuit enim illi Virgo sanctissima, eximia admodum specie micans, veste in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem totam collectam continente, quam illa materno affectu complectebatur, eoque quasi charitatis ac gratiæ tegumento confovebat. *Lancicius noster ibidem in margine citat relatores hujus apparitionis, et eadem in Historia Societatis Jesu ad annum Christi* 1573 *part.* 4 D *lib.* 1 *num.* 7 *et* 8 *memoratur his paucis verbis :* Inter eximias Martini Guterrii virtutes eminebat adversus Dei Parentem, cœli Reginam, prope inenarrabilis observantia inde usque ab ineunte ætate suscepta. Neque indulgentissima Mater clientis sui vincebatur officiis. Certum est, ostendere se illi perbenigne solitam, atque inter alia aliquando visam, sub augustissimo pallio Societatem universam, in singularis patrocinii symbolum, contegentem. *Qualem clientelam pallium istud significet, ipsa Deipara explicat in Revelationibus S. Birgittæ lib.* 3 *cap.* 17 *et* 18, *ubi etiam monemur, veros professionis suæ exsecutores tantummodo sub hac tutela latere, ne forte sectatores cujuscumque Ordinis sese propter hujusmodi privilegia extollant, aut similibus Religionis suæ favoribus nimis temere confidant.*

recte colligitur amor Deiparæ erga Ordinem Prædicatorum,

562 *Licet Theodoricus de Appoldia primus, quantum hactenus comperire potuimus, mirabilem illam* S. Dominici *ecstasim scriptis mandaverit, tamen Thomas Cantipratanus, Theodorico vetustior, memoratam Deiparæ curam de Ordine Prædicatorum duobus exemplis demonstrat. Primum lib.* 2 E *Apum cap.* 10 *num.* 16, *cui titulus,* Visio, qua declaratum est, beatam Virginem esse patronam Ordinis Prædicatorum *exponit in hunc modum :* Super hoc quidam Cisterciensis Ordinis monachus vitæ tam sanctæ visionem mirabilem vidit, ut ei non credere, flagitiosissimum et impium putaretur : raptus enim in spiritu patronam ipsius Cisterciensis Ordinis vidit Christi Jesu benignissimam Genitricem. Cui beata Virgo, Ut sincere, inquit, diligas eos et pro eis intensius ores, tuæ caritati meos Fratres et Filios recommendo. Cumque ille lætus annueret, Fratres Ordinis sui hos confidens, beata Virgo, Habeo, inquit, et alios Fratres, quos meo patrocinio fovendos et custodiendos amplector. Et hæc dicens, revelato pallio, Fratres Ordinis Prædicatorum sub eo contutatos ostendit, et adjecit : Hi sunt, inquit, qui specialiter * insistunt negotio, ne dilecti Filii mei sanguis inutiliter sit effusus.

* al. spiritualiter

qui aliis historiis confirmatur.

563 *Alterum ejusdem tutelæ exemplum ibidem numero sequente sic refert :* Similiter cum quædam in Saxonia (ut nobis Frater Walterus de Treviri Ordinis Prædicatorum retulit) sanctissimæ opinionis reclusa, Prædicatorum nomine excitata, F videre Fratres in principio Ordinis vehementius affectasset, et tandem duos juvenes Fratres, data occasione, vidisset, attonita mentis acie dixit ad Dominum : Quid est, Domine, quod prædicatio verbi tui per tam infantiles et imperitos homines usurpatur? Cui mox ad hæc verba Christi Mater apparens, revelato pallio, ut prius dictum est, ei Fratres Ordinis ostendit, dicens : Ne despicias quoscumque tales; ego sum, quæ rego eos et protego, et eorum pedes dirigo in viam pacis. *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 5, *et Theodoricus in Actis* S. Dominici *infra num.* 270 *simile quid narrant de femina solitaria, quam Deipara ob eamdem causam corripuit, et cui Fratres sub pallio suo ostendit. Sed uterque tradit, id* in Lombardia *contigisse. Bartholomæus Tridentinus apud nos num.* 12 *hanc narrationem nonnihil mutat, et non exprimit regionem, in qua id acciderit.*

§ XXX.

A

§ XXX. Alia nonnulla, quæ Sanctus in hac commoratione Romana gessisse dicitur.

Inter alia gesta Romana narratur,

Inter alia Romana Sancti gesta Theodoricus infra num. 118 *et sequentibus referet prodigiosam historiam de duabus mulieribus reclusis seu solitarie viventibus, quas* S. Dominicus *oratione sua mirabiliter sanaverit. Etsi veteres biographi de talibus prodigiis non meminerint, et Theodoricus forsan ex relatione Sororis Cæciliæ primus ea conscripserit, adeoque secundum supra* § 5 *relatam Echardi crisim tanta illis fides non debeatur, tamen faciliori eorum admissioni fundamentum aliquod præbet narratio Stephani de Borbone, qui apud Echardum tomo* 1 *pag.* 18 *in notis hæc testatur :* De beato Dominico audivi, quod ipse, cum esset Romæ, postquam officium suum audierat *, fere singulis diebus muros urbis circuibat, et alia loca, ubi erant immutari, et eis monita salutis dabat. *Deinde Stephanus* S. Dominicum *propter hæc opera misericordiæ comparat Tobiæ, et addit, sese hæc audivisse a Bartholomæo de Clusa, archidiacono Matisconensi et Canonico Carnotensi, cui ipse Sanctus multa futura prædixit, ut alia occasione breviter annotabimus. Non est ergo improbabile, quod* S. Dominicus *etiam visitaverit has pias mulieres, propter Christum voluntario carceri inclusas, et tunc ea contigerint, quæ postmodum in Actis narrabuntur.*

* *forte* obierat

B

quomodo dæmon ad latus S. Dominici projecerit magnum lapidem,

565 *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 14 *de sancto suo Fundatore refert sequentia :* Cum quadam nocte Vir sanctus in oratione prostratus jaceret, diabolus invidens ei, de tecto ecclesiæ lapidem magnum projecit tam fortiter juxta eum, ut per totam ecclesiam sonitum faceret; ut scilicet eum ab orationis instantia deturbaret. Venit autem lapis tam prope, ut etiam tangeret caputium cappæ ejus. Cumque Vir sanctus immobilis in oratione persisteret, diabolus mox voce terribili ejulans, confusus abscessit. *Theodoricus de Appoldia apud nos num.* 171 *haud dubie ex hoc spicilegio Gerardi eamdem rem excerpsit, et quamvis locus non exprimatur, tamen scriptores Dominicani communiter tradunt, id Romæ in ecclesia S. Sabinæ accidisse. Unde Echardus tomo* 1 *pag.* 40 *in notis tempus hujus rei ita colligit :* Romæ in ecclesia S. Sabinæ id evenisse, Romani sodales asserunt, ceu traditione acceptum. Quod si verum, cum hanc ecclesiam non obtinuerit Dominicus, nec cum suis ingressus fuerit nisi mense Februario MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX, ad hunc annum vel sequentem hoc factum revocandum est. *Jam supra innuimus, hanc Echardi chronologiam monumentis Polonicis impugnari posse; sed nobis de determinato hujus facti anno altercari non lubet. Quare ad referenda posthuma ipsius rei testimonia progredimur.*

C

quo pavimentum adhuc scissum cernebatur, ætate Flaminii,

566 *Flaminius lib.* 2 *Vitæ* S. Dominici *fol.* 44 *verso et sequente illam saxi dejectionem, ejusque relicta vestigia memorat his verbis :* Nocte quadam in æde divæ Sabinæ hostis antiquus illum ab incepto deterrere conatus est. Saxum ingens de summo tecto dejecit sic, ut capitis illi tegmen perstrinxerit. Sed dolos ipse veteratoris intelligens, tamquam saxum permansit immobilis : quod cernens dæmon, terribiliter infrendens, abiit. Subjectum marmor, in quod saxum decidit, eo ictu adhuc scissum cernitur; ipsum autem saxum vitri habens cujusdam nigri similitudinem, rotundum quidem, sed veluti compressum, fidem miraculi ac testimonium servans, ibidem appensum hodieque conspicitur. *Hæc Flaminius de posthumis hujus saxi vestigiis, quæ ætate sua adhuc supererant. Verum post hæc tempora pavimentum istius ecclesiæ sublatum ac mutatum est.*

AUCTORE G. C.

et qui ad posthumam rei memoriam

567 *Quapropter Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1218 *cap.* 35 *opportune nos ita monet :* Pompeius Ugonius libro de Stationibus Urbis, statione prima auctor est, marmor illud pavimenti, ictu saxi a dæmone jacti, in diversas partes scissum et conquassatum, ad annum MDLXXXVI mansisse omnibus conspicuum, signum miraculi retinens. Sed eo anno, dejecto mediano pariete, qui ecclesiam intersecabat, uti superius diximus, et instaurato pavimento, jussu Xisti V Pontificis maximi, qui eam ecclesiam illustrandam curabat, mercenarii operæ nihil minus curantes, marmor illud fractum amoverunt, veteremque illam miraculi memoriam imprudentes dissiparunt. *Pompeius Ugonius, quem Malvenda hic allegat, in Italica Historia Stationum Romanarum apud nos fol.* 11 *verso refert testatam hujus restaurationis inscriptionem, quæ in eadem ecclesia S. Sabinæ sic legitur :* Sixtus V Pont. Max. ecclesiam hanc, intermedio pariete, ruinosoque tectorio sublatis, pavimento strato, gradibus erectis, picturis ad pietatem accommodatis, altarique una cum sacris martyrum Alexandri Papæ, Eventii, Theodoli, Sabinæ, et Seraphiæ reliquiis ob stationarias pontificiasque Missas celebrandas translato, in hanc formam restituit anno Pont. 11, *id est Christi* 1586.

E

in ecclesia S. Sabinæ hactenus conservatur,

568 *Deinde laudatus Pompeius fol.* 15 *suggerit Italice posteriorem memorati saxi notitiam, quam Malvenda in Annalibus loco proxime citato sic fere Latinam reddit :* Nunc saxum ipsum, quod dæmon in sanctum Dominicum jecit, in medio ecclesiæ supra columnellam bicubitalem positum revinctumque catena ferrea, ne quis auferat, visitur, quod nos sæpe conspeximus. Est nigri coloris, rotundum, et ut reor, ponderis quinquaginta librarum. Existimamus, esse ex vetustis Romanorum ponderibus : nam multos hujus usus consimiles lapides Romæ vidimus. Ante hæc tempora sub eo saxo nigro hi versus legebantur, rudi quidem et pingui Minerva, sed qui monumentum gestæ rei fideliter exprimerent :

F

Credidit orantem jacto contundere saxo
Sanctum hic Dominicum hostis versutus; at illum
Illæsum Dominus servat. Mirabile factum
Marmoris illisi confractio monstrat in ævum,
Hisque fidem præbet suspensus et iste molaris.

ibique ostenditur malus medica, Sanctus plantasse traditur.

569 *Denique Malvenda ibidem aliud posthumum Romanæ commorationis monumentum memorat his verbis :* Exstat adhuc visiturque in hortulo sanctæ Sabinæ arbor malus medica, quam constanti et fama et traditione produnt, manibus sancti Dominici satam. Incredibile dictu, quanta frequentia et devotione populi, quotannis feria quarta Cinerum, cum viri, tum feminæ, certatim confluentes, ex fructu, ex frondibus, porrigentibus Fratribus, abstrahant in varios usus et medicinas, immo et præsentissima variorum morborum reme-

AUCTORE G. C.

remedia; sæpius in his non sine miraculo malorum suorum præsidia experti. Stat, vigetque ea arbor per quadragentos jam ferme annos, quasi miraculo quotannis rediviva, cum sine frondibus, singulis annis propemodum relinquatur. *Mirum sane est, antiquos omnes biographos, ac ipsam sororem Cæciliam, de hac arbore medica tacuisse. Attamen incolas hujus cœnobii relinquimus in pacifica possessione qualiscumque suæ traditionis, cum nobis desint vetera instrumenta, quibus eamdem confirmare aut improbare possimus.*

Hisce miraculis prodigia improbabilia,

570 *Magis ab omni verisimilitudine recedunt sequentia, quæ Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 40 *inter Romana Sancti gesta sic refert:* Cum Romæ quoque Psalterium publicaret, erat admirabilis totius civitatis ad eum concursus propter ingentia prodigia, quæ sequebantur, dum populum ad id alliceret et hortaretur, adeo quidem, ut non alii solum, sed etiam Cardinales ipsi, et aliis insignes dignitatibus ecclesiasticis viri certatim se Rosariorum numero adscribi poscerent, Erat tunc formosissima Romæ et magni nominis meretrix, cui Catharinæ fuit nomen cognomento B pulchræ, ad quam propter elegantiam morum et formæ, et exquisitum corporis cultum frequens juventus conveniebat : quæ licet adeo corruptis esset moribus, et numerosam ipsa multitudinem corrumperet, accepto tamen de manibus beati Dominici Rosarii funiculo, ad ecclesiam quotidie veniebat, et ibi Rosarium dicebat. Dum autem illa per urbem die quadam iret, factus est illi pulcherrimus juvenis obvius, qui blande nimis illam appellavit et dixit : Cur ita per urbem, Catharina, vagaris? An forte domum non habes? At illa : Domum habeo pulchram et excultam, ac rebus omnibus refertam necessariis. Tunc juvenis : Visne, ut apud te hodie cœnem? Ait illa : Maxime; polliceorque fore, ut te opipare accipiam. His dictis, manum illius apprehendit, ac domum duxit.

et omnibus vetustis scriptoribus ignota,

571 Ne longum faciam, apposita est cœna, in qua, quidquid ille tangebat, sanguis inficiebat. Stupuit cum multis, quæ simul discumbebant, puellis Catharina et ait : Quid est, quod video, mi hospes, cujus manu tacta omnia sanguine fœdantur? Cui juvenis : An ignoras, Catharina, non debere verum Christianum quidquam esse aut C bibere, quod non sit Christi sanguine tinctum! Tunc meretrix : Puto, te quempiam esse venerabilem virum. Ait juvenis : Qui sim, non ignorabis, ubi cubiculum ingressi fuerimus. Suspenso admodum animo ac rei exitum illa maxime videre cupiens, cubiculum cum juvene ingressa est, ac prior lectum insiliens ad se juvenem invitat. Tunc repente juvenis in puerum transformatur, coronam in capite spineam habentem, et crucem humeris gestantem, confossum diris quinque vulneribus, corpore toto verberibus lacero, et exterritæ atque stupenti ait : O Catharina infelix, adhibe tandem tuæ stultitiæ modum, et finem fac insaniendi. Aspice me, ac vide, quam dira pro te supplicia sum passus. Quibus dictis, in virilem se formam transmutavit, ac talis apparuit, qualis fuit, cum diros cruciatus ac verbera tulit. Postmodum vero tamquam sol resplenduit, et vulnera quinque divinum ex se fulgorem effudere, ac rursum ait : Desine, o Catharina, desine jam insanire, et quæ vidisti reminiscere, ac te jam respice.

adjungit Flaminius,

572 Cumque hæc et alia multa illam admonuisset, evanuit. Quæ continuo resipiscens, beatum Dominicum adiit, et illi hæc omnia narravit, ac delicta sua confessa est, et accepta alacri animo Psalterii dicendi mulcta, consortio etiam Rosariorum adscripta est : cumque tota mente orationi esset intenta, magna Dei Parens, beatam Catharinam comitem assumens, ad eam venit, et ait : Vides, filia, quantum deliqueris : æquum est, ut ad purgandam animæ tantam labem aliquid supplicii perferas. Volo igitur, ut tibi ter quotidie quinquaginta verbera inferas. Mira fuere, quæ post de illa beato Dominico cœlitus fuere monstrata; ut stuperet ipse, quod tam fœda paulo ante meretrix ad tantum sanctitatis gradum et excellentiam pervenisset : quem sic mirabundum pia Dei Genitrix, et humani generis certissima salus, sic allocuta est : An ignoras, fili mi, me amatricem ac tutelam peccatorum esse, ac in meis manibus collocatam Dei clementiam? Hæc tibi, quæ miraris in hac meretrice, nota esse volui, ne quispiam sit, qui de Dei misericordia desperet. Illud præterea volo te non ignorare, me a Filio meo impetrasse, ut quicumque Psalterii mei cultores exstiterint, et Rosariorum numero fuerint adscripti, tanta redundent gratia, ut omnibus stuporem ingenerent. Catharina vero, contemptis rebus omnibus, ac derelictis anteactæ vitæ illecebris ac voluptatibus, in loco se conclusit, ubi feliciter vitam finivit; cui quidem affuit in obitu humani generis Redemptor, et cum beata Catharina felicissima Dei Genitrix.

cujus fidem frustra nobis commendat Malvenda,

573 *Ferdinandus de Castillo in Historia Hispanica Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *cap.* 35, *Abrahamus Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1221 *num.* 10, *Joannes a sancta Maria in Vita Gallica* S. Dominici *lib.* 3 *cap.* 30, *ac denique Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1218 *cap.* 28 *eamdem prodigiosam historiam ex Flaminio confidenter narrant. Quinimo Malvenda ad majorem fidem ei conciliandam loco citato hæc præmonet :* At quanto cum mentis et spiritus ardore sanctus Dominicus hoc tempore divinum Rosarii institutum Romæ prædicaverit, quamque claris de cœlo prodigiis illud contigerit illustrari, Flaminius ex antiquis monumentis ita refert. *Deinde recitat stupendam hujus Catharinæ historiam, jam a nobis relatam, cui duas hujusmodi alias ex eodem auctore subjungit, et post illas capite sequente fidem Flaminii iterum commendat his verbis :* Hactenus Flaminius, vir probus, et eruditus, integræque fidei, non nisi sibi comperta in historiam conferens : accepta ea procul dubio ex vetustis memoriis Ordinis Prædicatorum, et ex aliis, qui ante ipsum libros integros de Rosario condiderunt; quæ etiam posteriores ex ipso et aliis exscripta suis commentariis inseruere. *Non negamus, Flaminium fuisse virum eruditum et probum; sed sine injuria dici potest nimis pie credulus, quod etiam de Ferdinando Castillo, prudenti alioquin historico, et quibusdam illius sectatoribus intellectum volumus.*

cum ille hæc acceperit ex Alano Rupensi,

574 *At videtur Malvenda ignorasse, aut dissimulasse, primum harum narratiuncularum auctorem : nam hic mentionem faciens de* antiquis monumentis, *quæ Flaminio præluxerint, nusquam nominat Alanum Rupensem, qui tamen part.* 5 *cap.* 59 *eamdem Catharinæ Romanæ historiam litteris prodidit, et ibidem in editione Moguntina apud nos pag.* 506 *ante illam ita præfatur :* Narravit gloriosus ille magister Joannes de Monte in suo Mariali, quod etiam reperi in libro Fratris Thomæ de Templo. Tempore, quo beatissimus Dominicus, Prædicatorum Ordinis dux et pater inclytus

AUCTORE G. C.

A clytus prædicabat in orbe terrarum famosissimus, plurimis in regnis populos incessanter ad Virginis inviolatæ Mariæ laudem hortabatur, et ad angelicam ipsius Psalterii confratriam, contigit, Romæ eum prædicare *etc. Tandem post longiorem prologum de Catharina Romana agere incipit, et pium istud drama, quod Flaminius in compendium redegit, per plures paginas variis episodiis amplificat. Nihil hic repetimus circa Joannem de Monte et Thomam de Templo, de quibus antea satis superque dictum est.*

cui forte conversio cujusdam peccatricis fundamentum præbuit,

575 *Dum hanc historiam pio dramati comparamus, inde inferri nolumus, totam illius substantiam ab Alano confictam esse: nullo enim modo dubitamus, quin* S. Dominicus *Romæ et alibi fervidis suis concionibus multos magnosque peccatores ad pœnitentiam converterit. Quid si Sanctus alicubi famosam meretricem mirabiliter ad frugem reduxerit, et Alanus more suo hanc conversionem prodigiis adjunctis exornaverit, quod forte ad magis commovendos auditorum suorum animos sibi non illicitum putabat? Certe Alanum in hujusmodi episodiis addendis minime scrupulosum fuisse, postea ad oculum*
B *patebit ex historia Benedictæ Florentinæ, quam inferius ex Constantino Urbevetano, et ex ipso Alano exhibebimus, ut utraque narratio inter se conferri possit. Simile quid factum suspicamur in historia cujusdam fœneratoris, quam Flaminius præcedenti subjungit, et quam Alanus de Rupe ad Rosarium suum aptavit, ut mox infra demonstrabimus.*

sicut et vera usurarii alicujus historia

576 *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrem part.* 2 *cap.* 19 *de* S. Dominico *narrat sequentia:* Cuidam usurario, sibi mentienti justitiam, et petenti Eucharistiam, sacram porrexit Hostiam, quæ quali carbo ignitus ejus palatum adurere videbatur, ut Mulciberi ignis, qui puerorum refrigerat viscera, adureret Chaldæi nequitiam. Unde compunctus, conversus est, quæ male acquisierat, restituens universa: *Auctor his satis manifeste alludit ad miraculum fornacis Babylonicæ, quæ pueros illæsos servavit, et cujus flamma Chaldæos adstantes combussit. Præterea usurarius iste hac punitione ad frugem reductus dicitur. Verum Stephanus de Borbone, antiquus Ordinis Dominicani scriptor, apud Echardum tomo* 1 *pag.* 40 *et sequente in notis eamdem aut similem fœneratoris historiam aliter sic refert:* Legi in libro cujusdam
C antiqui Fratris, quod in Lombardia beatus Dominicus visitavit ad preces aliquorum quemdam legistam, magnum advocatum et usurarium; quem graviter infirmum rogavit in præsentia sacerdotis beatus Dominicus, quod usuras suas restitui præciperet. Qui nolebat acquiescere, dicens, quod filios et filias nolebat pauperes relinquere; ideo recessit sanctus Dominicus cum aliis et cum Corpore Christi. Confusi autem sunt amici, rogaverunt eum, ut promitteret usque quo communionem reciperet, et ne sepultura Christiana careret; quod fecit, sic eos decipere credens. Eis autem recedentibus, postquam communionem receperat, cœpit clamare, se totum succendi, et quod posita erat gehenna in os ejus; Ecce totus ardeo. Et elevata manu dicebat: Ecce tota ardet, et sic de aliis membris, et sic mortuus et consumptus est. *Nihil hic de conversione istius usurarii indicatur.*

dedit materiam copiosæ narrationis,

577 *Nunc patienter audiamus, quomodo Alanus de Rupe part.* 5 *cap.* 38 *pag.* 450 *et sequentibus alterutram hujus fœneratoris historiam mutaverit, et stupendis miraculis amplificaverit:* Erat in Italia, *inquit*, quidam usurarius maxime famosus et nominatus, habens villas, civitates et castra. Quid multa? Comitibus fuit potentior. Similiter in plurimis villis et terris paucos* habuit. Qui quodam tempore audivit prædicari Psalterium beatæ Virginis a sancto Dominico, et proponens ipsum legere, acquirebat sibi ad legendum Patriloquium pretiosissimum, quod non solum devotionis causa, sed forsan magis causa ostentationis portavit, et triennio continuavit. Contigit, ut tactus aliquando devotione, quamdam capellam intraret, ubi modo inconsueto audivit vocem imaginis Mariæ terrificam sibi dicentem: Jacobe, Jacobe, redde rationem mihi et Filio meo, sicut exigis dictincte a tuis subditis, etiam de minimis. Hoc autem audivit pluries. Unde tandem adeo territus fuit, ut fugeret de ecclesia. Ipso veniente domum, terror ille cordis non cessavit. Inquirentibus autem uxore et filis, cur turbaretur, [exposuit, quid sibi contigerit]. Cui rem narranti dixerunt, phantasiam esse; et quid facerent, si hæc omnia redderentur, interrogabant: propter quod non habuit cor reddendi. Sed ei suabebant, ut se et omnia beatæ Mariæ commendaret.

* *forte bancos id est, æraria*

quam incredibilibus episodiis,

578 Contigit deinde post duos annos, ipso equitante cum multa comitiva quasi potens in divitiis suis, ecce lupi et ursi invaserunt eum, aliis non videntibus; sed solum vocem audientibus et E
rumores: a quibus ex equo tractus, equo strangulato, miserabiliter mordebatur, et vulnerabatur in capite, brachiis, et per totum corpus a bestiis. Alii, qui cum eo erant, hortabantur, ut clamaret ad beatam Virginem; quod et fecit, proponens se emendare; et sic liber ad minus a morte evasit corporis. Eum sic graviter vulneratum in villam deduxerunt, et curam ejus egerunt. Redeunti igitur illi domum, volentique se emendare obviavit amor mulieris et filiorum, nec vitam sic mutavit, ut proposuerat. Qui post duos annos iterum equitavit cum magna comitiva. Et ecce statim fulgura et tonitrua sonare cœperunt horribiliter, et mox ipse solus a turbine abreptus est et deportatus sursum a dæmonibus cum equo ad sex milliaria. At ille clamabat ad beatam virginem Mariam, promittens emendationem. Cui mox Maria adfuit cum Patriloquio fulmineo, et cunctis, qui aderant ad nocendum, fugatis dæmonibus, reduxit eum in equo sedentem propria manu ad terram. Quo facto, virgo Maria disparuit. Territus vero equus visione dæmonum, F
quasi furiosus, per diversa prata corruebat*, Demum intravit domunculam quamdam in via, et valde sunt territi illi, ad quos declinabat ex visu terribili equi et insidentis. Et sic evasit iterum. Non tamen habens cor reddendi, sed propter infamiam sui et suorum distulit promissum implere.

* *forte currebat*

diversisque fabulis auxit,

579 Confessus est, non tamen habens cor restituendi per usuram ablata: super quod, ipso dolente, confessor absolvit eum, admonuitque, ne ipsum saluberrimum servitium Mariæ virginis desereret. Post hæc multa bona faciebat, et in diversis locis monasteria construxit, et eleemosynas largiebatur abundantissime. Apparuit post hoc eidem beata virgo Maria visibiliter interrogans eum, anne vellet adhuc restituere non sua? Ipso respondente, quia non haberet cor ad hoc faciendum, beata Virgo dulciter interrogavit, an reddere vellet, si ipsa daret, unde satisfaceret. Annuit ille; et ecce dabantur illi per Imperatricem cœlestis paradisi dona innumera. Mox ille conspexit domum plenam divitiis; quas attente contemplans, cupiditate tentatus est, ut adhuc illa per Virginem sic indulta retineret cum

suis,

AUCTORE G. C.

suis. Affuit tamen virgo Maria comminans ei, quod datam substantiam simulque et suam auferret cum ipsius vita, nisi acquiesceret et votum adimpleret. Propter quod territus cœpit ubique terrarum ad suos barcos* scribere et publicare restitutionem, et restituere singulis. Quod et factum est. Remanserunt autem solum illi cuncta priora, de quibus faciebat multa bona. Appropinquante vero ejus vitæ termino, intimavit eidem virgo Maria, ut suæ domui disponeret, quia ab hac luce esset migraturus: fuit enim annosus satis. Qua disposita, moritur, ecclesiasticis munitus Sacramentis.

* *forsan* bancos, *ut supra.*

ac tantopere immutavit,

580 Adstabant illi innumeri dæmones miserabiliter ejus animam susceptam discerpentes. Clamante ipsa itaque miserabiliter, at illis portis infernalibus appropinquantibus, apparuit quædam Regina pulcherrima cum Michaële archangelo arrestans eos, quærensque, quare sic servum suum deportarent; allegant ipsi, eum esse suum, proponentes peccata omnia. Quibus Virgo regina respondit: Suscipite stateram, et ponderentur mala omnia contra bona: aliqua enim bona fecit. Quod factum est. Sed mala statim deorsum descenderunt, bonis ascendentibus. Tunc beata Virgo suis bonis apposuit unum parvum Patriloquium, et mox pars bonorum descendit præponderando omnibus in altera parte jacentibus malis. Dixitque gloriosa virgo Maria, quod majoris esset meriti suum Psalterium, quam omnia sua mala. Sic igitur datus est et redditus virgini Mariæ. Quod videntes dæmones numerosi et non audentes accedere, sed beatam Virginem blasphemantes, et se invicem verberantes, fugerunt. Atrocissime tamen custodem illius usurarii omnes impetunt clamoribus et verberibus improperantes, quod cum eum tam diu habuisset tot vinculis ligatum, et tamen evadere permisisset: et similiter quare ei dicere Psalterium permisisset. Et confusi redierunt cum strepitu mirabili in infernum. Ipse vero liberatus a dæmonibus, ascendit cum Virgine gloriosa ad superna et siderea regna, quod et nobis suis concedat famulis Jesus Christus cum virgine Maria. Amen.

B

ut tota ab illo conficta videri possit.

581 *Si quispiam forte contenderet, hanc narrationem ab antiquis duabus historiis supra memoratis tam multum differre, ut non fiat satis verosimile, illam ex his desumptam esse, non magnopere refragabimur, et facile credemus, integram hanc fabulam ab Alano adinventam fuisse. Saltem ex ea lector non difficulter cognoscet ingenium Alani, quod stupendis prodigiis, ne cum Melchiore Cano dicam, incredibilibus miraculorum monstris delectatur, ut ex infra dicendis iterum apparebit. Hæc sunt præcipua, quæ ex Romanis Sancti gestis discutienda esse duximus; alia vero insignia et magis perspicua inferius in Actis referentur. Nunc autem cum* S. Dominico *iter Hispanicum aggrediamur.*

C

§ XXXI. Hispanicum S. Dominici iter, gesta Segoviæ, posthuma commorationis Segoviensis monumenta, et an Sanctus ibi sacra stigmata acceperit.

B*eatus Jordanus infra apud nos num.* 44 *annum hujus itineris ita assignat:* Eodem anno *(nimirum Christi* 1218, *quem paulo superius expresserat)* perrexit in Hispaniam Magister Dominicus ibique duabus domibus instauratis, una apud Madrid, quæ nunc est monialium; altera vero apud Segobiam, quæ prima fuit domus Fratrum Hispaniæ. *Venerabilis Humbertus Theodoricus de Appoldia, Bernardus Guidonis, aliique auctores passim consentiunt huic chronologiæ, quam Malvenda in Annalibus ad eumdem annum* 1218 *cap.* 42 *et sequente ab objectionibus vindicat, et pluribus argumentis confirmat. De tempore istius anni nihil certi statuere possumus, quamvis exactiores chronologi censeant, Sanctum circa mensem Octobrem vel Novembrem Roma in Hispaniam discessisse. Tantummodo ex infra dicendis constabit, illum hoc anno ante festa natalitia Domini nostri Jesu Christi Segoviam pervenisse, ibidemque prædicasse.*

D

Sanctus anno 1218 ex urbe Romana in Hispaniam profectus est,

583 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 19 *in notis hoc Hispanicum Sancti iter sic ordinat:* Dominicus Roma egressus, puta mense Octobri MCCXVIII, in Occitaniam venit. Ut in eam provinciam se conferret, plura urgebant; mors Simonis comitis Montis-fortis, amici sui conjunctissimi, quem in obsidione Tolosæ a novem mensibus hærentem lapis e machina projectus obruerat die XXV Junii ejusdem anni; sodales sui, amisso insigni illo heroe, patrono suo beneficentissimo, mœrore confecti et consolandi; res sui Ordinis, prævalentibus in illa regione hæreticis, non parum perturbatæ: his quantum licuit in transitu reparatis, recreatis Fratribus, et ad sustinenda pro fide quæque adversa excitatis, relicto ipsis præfecto Fratre Bertrando de Garriga, quem anno superiori cum abbate Matthæo Parisios miserat, sed qui, ut conjicere est, tum Tolosam redierat, Hispaniam ingressus est, Segobiæque jam aderat ante Natale Domini, ibidemque pro more prædicabat, et incolis ob diutinam siccitatem, quæ agricolas eatenus seminare prohibuerat, afflictis et pene jacentibus, copiosissimum e cœlo imbrem obtinuit. *Hæc Echardi conjectura admodum probabilis est, etiamsi B. Jordanus hanc brevem* S. Dominici *commorationem in Occitania non expresserit.*

et secundum conjecturam Echardi tunc per Occitaniam transiit,

E

584 *At priusquam in Hispaniam transeamus, duo miracula, quæ Sanctus in itinere illo patrasse dicitur, paucis referenda sunt ex Flaminio, qui in Actis* S. Dominici *fol.* 31 *primum sic narrat:* Compositis in Urbe rebus, beatus Dominicus in Hispaniam rediit. In eo itinere comitem habuit Albertum Minoritam, cui cum canis tunicam lacerasset, et in locis essent, ubi propter sutorum penuriam et acuum resarciri non poterat, beatus Dominicus luto laceram partem inspersit, quod exsiccatum esset et fricando excussum, sic tunica quidem apparuit integra, acsi numquam fuisset lacerata. *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1218 *cap.* 43 *post relata Flaminii verba probare conatur, quod Sanctus in itinere illo comitem habere potuerit Minoritam, et prodigiosam laceratæ tunicæ restitutionem aliis exemplis ibidem sic confirmat:* Nec tamen nimis leve aut minutum reputandum, quod disceptam Minoritæ vestem Vir Dei miraculo resarcierit, cum et sanctus Benedictus Fratrum nutricis suæ capisterium *(est vas seu instrumentum, quo frumenta purgantur, ut Cangius in Glossario tradit)* signo crucis integrarit: et sanctus quidam Conversus Ordinis Cisterciensis ollam confractam precibus integram restituit apud Cæsarium lib. 10 cap. 14; et multa id genus miracula etiam in rebus minutis edidisse Sanctos, satis constat. *Hæc quidem probant, id fieri potuisse, quod nemo inficiabitur; sed maluissemus,*

quo in itinere dicitur patrasse duo miracula,

F

A *semus, ut Malvenda ibi antiquiora hujus rei factæ testimonia protulisset.*

quorum antiquiorem testem non novimus, quam Flaminium;

585 *Porro Flaminius folio proxime citato alterum miraculum exponit his verbis :* Inde ad tabernam quamdam venerat meritoriam, ubi cum beato Dominico et ceteris convivis appositæ fuissent carnes, nec ipse comederet, cauponis uxor lucro intenta, et rata, id ab eo instinctu avaritiæ fieri, contumeliis afficere, ac procaciter in eum probra jacere non cessabat. Indignitas rei convivas movit, et sanctum rogarunt Virum, ut suis illi verbis silentium indiceret : qui cum blande eam alloqueretur et hortaretur, ne adeo inhumaniter Christi famulos tractaret; nec finem tamen jurgandi faceret, nulla concitus ira, sed sola Dei reverentia, cujus nullam videbat rationem in ejus ministros haberi, dixit : Indicat tibi silentium Deus. His dictis, si illa obmutuit, ut totos octo menses, hoc est usque ad reditum beati Dominici loqui non potuerit. Quem reversum ubi, quæ facta muta erat, agnovit, illius advoluta genibus eo modo, quo potuit, veniam petiit, et linguam sibi restitui precata est, quam facile sancti Viri B oratione impetravit. *Hactenus nos latet, unde Flaminius hæc hauserit, cum nec ipse Alanus, nec alii veteres de duobus illis miraculis meminerint.*

certiora autem sunt ea, quæ in agro,

586 *Majorem fidem merentur miracula, quæ Sanctus Segoviæ patravit, et quorum primum in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 6 *sic legitur :* Tempore, quo beatus pater Dominicus in Hispania apud Segobiam domum accepit, accidit, ut die quadam extra muros dictæ civitatis ingenti convocato populo prædicaret. Non autem latebat eum, populum pro defectu pluviæ multa tristitiæ materia innodatum, cum instaret festum Nativitatis Dominicæ, et deficiente pluvia, nondum agricolæ seminare cœpissent. Post sermonis igitur primordia Vir Dei divinitus inspiratus in hæc verba prorupit : Nolite expavescere, fratres, confidite in Dei misericordia, quia hodie, ex abundanti concessa vobis a Domino pluvia, tristitia hæc vestra vertetur in gaudium. Sane tunc temporis nullum pluviæ apparebat indicium; quin potius totus aër, solaribus radiis claritate fulgentibus, nec cujusquam nubis oppositione fuscatis, serenissimus effulgebat. Eo igitur cœpto sermoni instante, ecce subito tanta, tamque vehe- C mens descendit pluvia, ut propter aquæ inundationem vix possent ad civitatem redire, certatim domos proprias repetentes. Aguntur gratiæ Deo ab omni populo, qui facit mirabilia magna solus, quique servi sui Dominici promissum tam velociter producere voluit ad effectum.

vel urbe Segoviensi.

587 *Alterum ibidem capite sequente ita narratur :* Per idem tempus cum idem servus Dei Dominicus vellet quodam die festo in concilio jam dictæ civitatis proponere verbum Dei, omnesque, qui convenerant, regales, qui tunc temporis eis missæ fuerant, litteras audivissent, ait : Nunc usque, fratres mei, terreni et mortalis regis audistis edicta; jam igitur mandata cœlestis et immortalis audite. Ad quam vocem nobilis quidam secundum seculi fastum sensu carnis inflatus, non solum audire contempsit, verum etiam in verba indignationis prorupit dicens : Numquid non esset malum, quod verbosus iste detinens diem sermonibus, nos a prandio impediret? Dixit, atque incontinenti equum, cui insidebat, versus domum suam, quæ prope erat, dirigens abiit murmurando. Cui beatus Dominicus ait : Ecce nunc quidem receditis; sed antequam anni circulus evolvatur, equus vester, cui nunc insidetis, sessore carebit, et ad turris vestræ elaboratum præsidium, occupante interfectore, non poteritis pervenire. Quod verbum ex Dei sententia fuisse prolatum, sequens eventus manifestissime comprobavit : nondum enim anno peracto, idem nobilis eodem loco, quo stabat, cum sententia proferretur, fuit a suis æmulis cum proprio filio ac consobrino atrociter interemptus, dum ad turrim, quam sibi ædificaverat, ut posset evadere, festinaret. *Etiamsi hæc miracula in codice nostro Ultrajectino* P. *Ms.* 7, *et aliis quibusdam istius operis exemplaribus desint, tamen sufficientem de iis fidem facit alter codex seculi* XIII, *ex quo illa apud Echardum tomo* 1 *pag.* 38 *referuntur.*

AUCTORE G. C.

tunc temporis mirabiliter contigerunt,

588 *Tertium denique in iisdem Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 9 *exponitur his verbis :* In civitate Segobiensi fuit quædam mulier Deo devota, apud quam aliquando sanctus Dei Dominicus hospitans saccineam tunicam, qua loco cilicii ad tempus usus fuerat, deposuit, invento asperrimo cilicio, et juxta voluntatem suam admodum pungitivo; quam tunicam mulier multa cum devotione suscipiens, in arca sua inter pretiosiora quæque E reposuit, et diligentius, quam regalem purpuram, custodivit. Accidit igitur, ut quadam die dicta mulier ad negotium expediendum egrediens, solam ac clausam reliquit * domum suam, relicto ibidem propter festinantiam sive alia ex causa igne accenso, quo paulatim invalescente, quidquid in pavimento domus erat, exustum est, nisi sola arca lignea, in qua Sancti tunica servabatur, quæ in medio incendii posita non solum non arsit, sed nec fumo fuit obfuscata. Rediens igitur mulier, ac de tam vehementi miraculo obstupescens, primo quidem gratias egit Deo et beato Dominico hospiti suo, qui cum tunica sua etiam totam substantiolam suam, quam pene totam in arca habebat repositam, ab incendio reservavit, ac detentis ad devotionem tunicæ manicis, partem reliquam Fratribus reservandam tradidit, quæ usque hodie in Conventu Fratrum pro reliquiis conservatur.

* *al.* relinqueret

et quorum monumenta posthuma

589 *Didacus de Colmenares in Historia Segoviensi, quam anno* 1640 *Hispanice recudi jussit, cap.* 20 § 8 *agens de hoc miraculo asserit, illam Sancti tunicam post aliquot annos venisse in potestatem Mariæ de Meneses, quæ regi Sanctio Forti* F *nupta erat, eamque cum aliis sacris reliquiis postea relictam fuisse Huelgensi monasterio Vallisoletano, ibique hodiedum magna cum devotione honorari. Ambrosius de Morales tomo* 3 *Chronici Hispanici fol.* 349 *testatur, se ibi tunicam illam, excepta una manica, integram vidisse. Donationem et identitatem harum reliquiarum illis, quorum interest, accuratius indagandam relinquimus. Ceterum Echardus tomo* 1 *pag.* 39 *ad narrationem hujus miraculi notat sequentia :* Hinc arguitur, cœnobium Segobiense nondum inceptum, cum beatus Dominicus ad eam urbem pervenit; alioquin apud Fratres suos, non apud mulierem devotam, hospitatus esset. Primum tamen Hispaniæ dicitur erectum; quia Matritense, licet a sodalibus, anno MCCXVII eo missis, jam inchoatum, in sacrum gynæceum, vivo adhuc Sancto, conversum est; nec nisi longe postea domum Fratrum Matriti Ordo habuit.

adhuc hodiedum ostenduntur,

590 *Ægidius Gundisalvus Davila in Theatro ecclesiastico Hispaniæ tomo* 1 *pag.* 512 *novam nobis notitiam suggerit : nam enumerans monasteria diœcesis Segoviensis, ibidem agit de Conventu Prædicatorum, cui* S. Dominicus *Fratrem quemdam, no-*

mine

AUCTORE G. C.

mine Corbalan, primum Priorem assignaverit. Cum autem hic post exiguum temporis intervallum in magna sanctitatis opinione obiisset, reliquiæ ipsius in sacello majori ad latus Euangelii collocatæ sunt, et hodiedum venerationi exponuntur, ut testatur sequens inscriptio Hispanica, quam sic Latinam reddimus : Hic sunt reliquiæ multorum Sanctorum, et corpus sancti Corbalani, socii sancti Dominici, qui mortuus est in hac æde anno millesimo ducentesimo decimo octavo. *Laudatus Didacus de Colmenares in Historia Segoviensi cap.* 20 § 8 *id ipsum confirmat, additque, reliquias illas in Conventu Prædicatorum supra portam sacrarii elevatas esse, et ibidem jam memoratam inscriptionem legi. Sane miramur, nos nullam istius Corbalani mentionem apud Menologos, aliosque scriptores Dominicanos reperisse. Quapropter RR. PP. Prædicatores hac occasione rogamus, ut nos de legitimo hujus sodalis sui cultu, die mortis, aliisque ad ipsum spectantibus instruant, si illum Operi nostro inseri desiderent.*

inter quæ est antrum, S. Dominici commoratione venerandum,

591 *Neque de primo illo Conventus Segoviensis Priore quidquam habet Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1218, *ubi tamen cap.* 44 *posthuma* S. Dominici, *in ea urbe commorantis, monumenta sic recenset :* Cum Vir Dei Segoviam pervenisset hoc anno *(videlicet Christi* 1218) mense Decembri, cœpit magno animi ardore frequenter concionari ad populum de mundi contemptu, de rerum cœlestium et æternarum desiderio, tanto cum audientium fructu, ut multi, relictis vitiis, vitæ melioris frugem capesserent, nonnulli mundo nuntium remittentes, divinam illam Prædicatorum philosophiàm profiterentur. Visitur autem et ostenditur hodieque ad flumen prope Segoviam locus, ubi Vir Dei prædicare solebat, magna confluentium hominum frequentia, insigni ad hunc usque diem monumento nobilitatus, erecto ibidem sacello seu oratorio, quod prædicantis ibi quondam Dominici memoriam conservat. Ergo adjunctis sibi in disciplina sanctissima sociis aliquot, concedentibus ultroque offerentibus Segovianis, condendo monasterio locum delegit inter asperrimas rupes et saxa prærupta, ubi spelunca erat, in quam sanctissimus Pater, noctibus oraturus potius quam dormiturus, se recipiebat. Ibi purissimum illud corpusculum jejuniis et vigiliis, itinerumque laboribus penitus exhaustum, dirissime singulis noctibus ferrea catena contundebat : fluebat sanguis magna copia, nedum ut latera specus tingeret, sed terram quoque ipsam irrigaret, Fidelis ac certa per manus a majoribus accepta traditio, ad hæc usque nostra tempora perducta, fidem adstruebat, guttas sanguinis e sacro illo corpore rupi ipsi speluncæ aspersas, tamquam recentes, magna cum aspicientium admiratione cerni, cum specus ea nunc jam inclusa intra capellam, nomine sancti Dominici, dicatam, in ecclesia Prædicatorum Segoviæ maneat.

quod S. Teresa aliquando devote invisit,

592 *Occultas illas corporis afflictationes, et cruenta harum in antro Segoviensi relicta vestigia confirmare possumus ex Vita S. Teresæ, quam Franciscus de Ribera Hispanice conscripsit, et in qua Latinus hujus scriptoris interpres Mathias Martinez lib.* 4 *cap.* 13 *ad rem nostram de illustri ista Sancta refert sequentia :* Segobia Abulam jam erat abitura ; prius tamen Prædicatorum Fratrum invisere cœnobium, a sancta Cruce denominatum, voluit, quod ibidem locus sit religione pristina sacer, in quo gloriosus Ordinis illius parens Dominicus vitæ severitatem exercuit, et sanguinis plurimum corpore flagellis elicitum fudit. Sacellum ingressa, comitantibus ipsam Priore loci et F. Didaco de Yanguas, cui tum quidem confitens operam dabat, aræ facta vicinior, in genua prostrata diutius in oratione hæsit ; ac tum quidem ad latus sinistrum illi apparuit idem Dominicus. Quo viso, Didacus nominatim ipsam compellavit : ad quam ipsa vocem illico ab oratione surrexit, denso lacrymarum imbre perfusa, etsi, quoad poterat, rem dissimularet, sicut similibus in rebus facere consueverat. Illius tum confessionem Didacus excepit, sacrum fecit, et Eucharistica eam communione impertiit.

et ubi Sanctus ei cum Christo apparuit :

593 Cum vero etiam post in oratione perstaret, eo prorsus modo, quo ante, sanctum Dominicum ad idem sibi adstare conspexit latus : petentique, cur ad hanc sese partem sisteret ; Aliud latus, inquit, Domino meo reservavi. Et ecce illico sibi a dextris adstantem redemptorem vidit Christum, qui postquam aliquantisper apud ipsam mansisset, discessit dicens : Cum amico meo oblectare interim. Duabus prope horis hic Teresa mansit, et illi interim Dominicus adfuit, gavisum sese asserens, quod hunc ipsa in locum venisset ; simul etiam quos subiisset hic olim labores, et quas ibidem a Domino gratias accepisset, pluribus aperiens : deinde, illius arrepta dextra, summam illi opem et auxilium in instituti a se Ordinis rebus promovendis spopondit, insuper addens alia, quæ consolationem et gaudium illi attulere. Dicebat subinde Teresa, cum tantam, a Deo hoc in sacello gratiam accepisset, tantaque consolatione delibuta fuisset, gratissimum sibi futurum fuisse, perpetuo in eodem manere. *Hactenus per interpretem suum Ribera noster, qui aliquando huic seraphicæ Virgini a confessionibus fuit, ac proinde forsan revelationem illam ex ore ipsius S. Teresæ excepit. Hisce insignibus ac venerandis cryptæ Segoviensis monumentis scriptores aliqui nondum contenti, ex populari quadam traditione asserunt,* S. Dominicum *ibidem insignitum fuisse sacris stigmatibus, qualia S. Franciscus anno Christi* 1224 *accepit. Inter alios Joannes a sancta Maria in Gallicis* S. Dominici *Actis lib.* 4 *cap.* 7 *hanc traditionem mordicus tuetur ; imo ipsam S. Teresæ revelationem, quam mox retulimus, ad sententiam suam confirmandam violenter ibidem detorquet. Verum hæc exotica opinio, de qua Malvenda prudenter tacuit, verosimillime originem suam debet Alano, ut jam ostendemus.*

sed hæc nondum sufficiunt quibusdam scriptoribus,

594 *Hanc incertam traditionem F. Ludovicus Loumans notis suis ad Speculum peccatricis animæ confidenter inseruit, dum ibi pag.* 253 *et sequentibus speluncam Segoviensem, commoratione* S. Dominici *venerandam, ita distinctius describit :* Nota, cœnobium nostrum Segoviense extra muros situm, eo loco a sancto Dominico exstructum esse, in quo rupes erat, quæ nostrorum usibus aliqua ex parte cessit ; ea antra quædam habet et recessus, quorum solitudinem cum Vir Dei meditationibus maxime opportunam cerneret, et perspiceret secretiorem, ad animi contemplationes et corporis afflictationes sibi delegit, quoad usque Segoviæ vixit. Ibi pernoctans in oratione Dei, modo abreptò in cœlum animo divinus Vir ejus gaudia prægustabat, modo ad omnem carnificinam languida atque exhausta membra dirissimis flagris exercebat, tum ut egregie domitam carnem ad rationis imperium flecteret, tum maxime, ut totus ipse cum patiente Christo cruci confixus esset. Quo tempore non anilis quædam suspicio, sed magno rationum pondere firmata, eadem in urbe, conjectura fuit, eum ibi Christi morientis

stigmata

A stigmata accepisse, uti aliquorum testimonio prodit, et commonstrat R. admodum P. Magister Hyacinthus Choquetius in libro, quem Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna inscripsit, cap. 18, quem videre te cupio.

qui insuper eidem Sancto ibi tribuunt

595 *Consulamus itaque Magistrum Choquetium, qui cap.* 18 *Operis assignati pag.* 348 *et sequente improbabilem illam traditionem ita tueri nititur :* Omnium e nostris primus beatissimus Dominicus anno MCCXXIV *(hic haud dubie error irrepsit in numerum anni* 1224, *pro quo certe alius annus substituendus est)* Florentiæ cum esset, et aliquando sacris operaturus, ad aram intenderet, piæ devotæque feminæ Benedictæ conspectus est, sacris Christi stigmatibus insignitus, spineam capite gestans coronam. Quod tunc P. Thomas a Templo, sancti Viri socius, refert : tum B. Alanus Rupensis illud ipsum a beatissima Virgine sibi revelatum asserit. Idem prodit Flaminius et alii : quin etiam memorant, B. Catharinæ Senensi et quibusdam aliis eumdem sanctissimum nostrum Parentem, immortalem atque æterna felicitate donatum, cum sacrorum vulne- B rum characteribus conspectum. *At imprimis infra videbimus, quod Alanus visionem illam Benedictæ Florentinæ affinxerit. Præterea non recipimus testimonium Thomæ de Templo, quod ex dictis dicendisque plane fictitium cognoscitur. Denique de tali apparitione, quæ B. Catharinæ Senensi facta fuerit, nullus meminit ante auctorem Speculi peccatricis animæ, quod opusculum Echardus etiam Alano Rupensi adscribit. Saltem in genuinis B. Catharinæ Senensis Actis, quæ ad diem* XXX *Aprilis in Opere nostro illustrata sunt, nihil simile invenimus, licet in iis aliquæ* S. Dominici *apparitiones narrentur.*

sacra stigmata, aliaque improbabilia tormenta.

596 *Attamen audiamus alia argumenta Choquetii, qui loco supradicto ratiocinium suum ita prosequitur :* Porro Alphonsus Fernandez in prologo ad insigne suum de Rosario secundæ editionis opus, ex Alphonso Venero scribit, annos quatuor, priusquam ea visio Florentiæ occurreret, jam perspectam et exploratam in Hispania fuisse sacrorum stigmatum sancti Dominici veritatem, illaque ipsum accepisse Segoviæ in specu cœnobii nostri, quæ in hæc tempora piis plurimorum hominum peregrinationibus est celeberrima. Rem C vero hanc illustrem profecto, et longa atque continua traditione receptam his versibus in specu ipsa expressit idem Venerus.

Præterea Domino pendenti in stipite vivo
Compatiens, lacrymis pallida et ora rigans,
Hac sub rupe crucis totus liquefactus amore,
Stigmata per totam sensit acerba cutem.

Alphonsus Fernandez in prologo ejusdem operis Hispanici de Rosario, quod Matriti anno 1620 *rursus recusum est, alios duos versiculos, superius eidem spelunce inscriptos, commemorat ad hunc modum :*

Sacratæ quiqui penetratis limina criptæ,
Dominici vestri ecce habitacula ducis.

His duobus versibus hexametris, (forte secundus est pentameter, si elisionem unius vocalis omittas, et pro habitacula *leges* habitacla) *in quibus nec orthographiæ nec metri ratio habita est, subjungit carmen distichon, quod ibidem inferius legi testatur, et quod nos ex Choquetio jam retulimus.*

597 *Si quis forte dixerit, hæc sacra stigmata* S. Dominici *(quemadmodum fuerunt ea S. Francisci) debuisse multis esse nota et conspicua. Choquetius ibidem pag.* 349 *hanc objectionem ita prævenit :* Summa sancti Dominici modestia, *inquit,* profundissimaque humilitas et incredibile cœlitus ipsi collata munera perpetuo silentio premendi studium egere, ut nec omnibus conspicua fuerint sacra illa ejus stigmata, et nesciret posteritas. At admirandam illam visionem Benedictæ Florentinæ, quam ex ejus ipsius ore in suum librum congessit Thomas a Templo, sibi quoque a Deipara relatam jurejurando asserit B. Alanus, ut inficias ire nemo bonæ mentis audeat. Unde etiam vires roburque accipit, quæ Segoviæ olim serpsit, de impressis sancto Dominico Christi vulneribus opinio, et a majoribus accepta traditio. Cur enim vel Benedicta, quod non erat, conspexisset; vel aliis quoque ea ostendisset Deus, qui fallere numquam potest? Et vero cur umbratica tantum species fuerit, et magnorum Dominici meritorum ænigmatica solum significatio, haud capimus : etenim exigit res ipsa, quæ profecto esse potuit, quin etiam plurimis aliis, et ipsis quidem Ducis maximi asseclis postea concessam liquido constat, ut non in imagine solummodo, sed revera, Dominicum exornarit. E *Verum prima hujus responsionis pars ruinoso fundamento innititur, et tota tandem resolvitur in testimonium Alani, cui etiam juranti propter dictas ac deinceps dicendas rationes non credimus. Ultima autem pars nihil, aut nimium, probat : nam omnibus Ordinum fundatoribus tribui non possunt ea privilegia aut miracula, quæ singulis eorum asseclis, etiam sanctitate minoribus, divinitus concessa fuerunt. Sic nemo sine idoneis testibus admittet,* S. Dominicum *in medio igne illæsum perstitisse, etiamsi id contigerit alteri Dominico, discipulo ipsius, ut B. Jordanus infra apud nos num.* 37 *et* 38 *narrabit. Nunc audiamus mirabilem modum, quo* S. Dominicus *his stigmatibus insignitus fuisse fertur.*

G. C. AUCTORE

quæ Choquetius et Loumanus

ex Alano vel Speculo peccatricis animæ hauserunt,

598 *Auctor anonymus in Speculo peccatricis animæ, qui ab Echardo Alanus fuisse creditur, pag.* 186 *et sequentibus Deiparam post alia sic precatur :* Amplius, o pulcherrima Maria, propter dilectissimum seraphicum sponsum, sanctum Dominicum, cui impetrasti a Filio tuo, ut ipse in passionibus ipsi Domino Jesu Christo assimilaretur, propter quod ab innumeris dæmonibus pro hominum peccatis fuit comprehensus, ligatus, flagellatus, cum clavis realiter in cruce affixus et lancea confossus, ceterosque omnes articulos Passionis sustinuit cum doloribus indicibilibus, adeo ut, cum morte deficeret, rursus per te et Filium tuum, dæmonibus fugatis, denuo est reparatus. F Propterea in gloria a quibusdam, aliquando in hoc mundo viventibus, quemadmodum a beatissima Catharina Senensi, et a quibusdam aliis sanctissimis, visus est cum stigmatibus in gloria coruscantibus; et postmodum etiam visus est mortalibus in visionibus multis miraculosis, cum eisdem Passionis intersigniis, quamvis in ejus corpore, ipso rogante, corporali visione postmodum non remanserint. Nec cuiquam hoc impossibile videatur, quia ipse Dominicus sic fuerit a dæmonibus crucifixus, quoniam ipse Dominus noster Jesus Christus a diabolo fuit tentatus, et supra pinnaculum templi et montem portatus, et postmodum per eum crucifixus, adeo ut in cruce stans vellet rapere animam ejus *etc. Jam supra negavimus,* S. Dominicum *sic S. Catharinæ Senensi apparuisse.*

599 *Ludovicus Loumans in Notis ad hunc locum* pag.

AUCTORE G. C.

et frivolis ratiunculis

pag. 255 *post verba superius relata, quibus cryptam Segoviensem descripserat, et traditionem de stigmatibus* S. Dominici *admiserat, absonam illam anonymi auctoris vel Alani historiam sic tueri ac explicare conatur :* Tunc accidisse, quod auctor hoc loco ex Deiparæ revelatione memorat, plane credendum est, præsertim cum a sancti Dominici morte majores nostri ex religione eam antri partem, veluti sacrarium quoddam, pariete intercluserint, quam anno MDLXVI Petrus Fernandez, et ipse sanctitatis laude clarus, cum Segoviensis Prior esset, aperuit, locum sub rupe abstrusum, prælucentibus funalibus, una cum cœnobii primoribus lustravit, et hic illic sparsim per antrum tantam concreti sanguinis copiam reperit, ut mactatam in eo pecudem aliquam dixisses. Erat tamen sanguis ille pupureus plane et recens effuso simillimus. Obstupuere omnes, et post fusas preces lacrymasque denuo locum illum pariete occluserunt. Ut vero iis, quæ ab auctore dicuntur, fidem tribuas, lector, meminisse te oportet, quæ pluribus Sanctis illata sunt a cacodæmone salutis humanæ invido verbera, B flagra, tormenta et omnis generis cruciamenta : quod vero hic singulare est, veritati nihil detrahit; sed sancti Dominici gloriam auget, qui a carnificibus ipsis tortoribusque ea toleravit, a quorum emissariis Christus passus est, qui et Jobos Antoniosque varie exagitarunt orci tenebriones, Dominicum alterum veluti mundi salvatorem, Christi instar, Dei nutu, Maria agonotheta spectante, ut flagris exceperint, spinis coronarint, ac tandem in crucem egerint, nihil absurdi continet, et, si (quod scribit auctor) Deipara fidem fecit, non est cur eamus inficias.

perperam tueri conantur.

600 *Plura in hac explicatione notari possent; sed pauca observasse sufficiet. Primo Loumannus nihil pro sua traditione evincit ex reverentia, quam majores erga hunc locum semper monstrarunt : certe enim antrum illud, orationibus et suspiriis* S. Dominici *nobile, piis ejus lacrymis irrigatum, innocuo rigidæ pœnitentiæ cruore tinctum, magnam fidelium venerationem meretur. Sic nos veneramur speluncam Manresanam S. Ignatii, quamvis ibi sanctus Pater noster nec a dæmonibus crucifixus fuerit, nec sacra stigmata acceperit. Secundo hic non quæritur, quid absolute fieri possit, sed quid verosimiliter* C *factum fuerit. Tertio Loumannus supponit, mirabilem illam historiam revelatione Deiparæ confirmatam esse. At hanc hypothesin negamus, et revelationes auctoris anonymi sive Alanicum Echardo nihili facimus. Quare opus est alia auctoritate, priusquam vagam illam et incertam traditionem secure admittamus.*

§ XXXII. Alia nonnulla, quæ Sanctus in Hispania gessisse perhibetur.

Cum Sanctus Segoviæ et Matriti cœnobia sui Ordinis fundasset,

Antiqui scriptores tantummodo nominatim exprimunt duos Ordinis Conventus; videlicet Segoviensem ac Matritensem, quos S. Dominicus *præsens in Hispania erexit, aut perfecit. Nihilominus recentiores quidam volunt, plura in eadem regione cœnobia Prædicatorum, puta Zamorense et Cæsar-Augustanum, ab ipso Sancto fundata esse. Sed ne decipiamur in dijudicanda antiquitate harum fundationum, quarum vetera instrumenta nobis desunt, certiorem istarum originum notitiam indagationi incolarum relinquimus cum Echardo, qui tomo* 1 D *Bibl. Prædicat. pag.* 19 *in notis de sancto Hispaniensium monasteriorum Fundatore sic pronuntiat:* Duas in Hispania domos instituisse, certum ; primam Segobiæ, quo prius pervenerat, hancque ejus unius opus facile credas; alteram Matriti, quam Frater Petrus, quem e Tolosa eo miserat, anno superiori inchoarat, sed beatus Dominicus instauravit, et pluribus ad Ordinem allectis auxit.... Cum quibusdam mensibus Dominicum ferant in Hispania restitisse, alias a relatis domos erexisse haud dubitaverim : vir enim fuit quietis impatiens, et qui, ut verbo Dei prædicando, sic et suo Ordini augendo impigre et continuo laborabat. Superest, ut, qui sua ab eo cœnobia erecta contendunt, id certis et veteribus documentis evincant et astruant.

ac moniales ad Matritense transtulisset.

602 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 13 *putat,* S. Dominicum *eo tempore locum, quem antea Fratres Matriti ad inhabitandum acceperant, in cœnobium monialium commutasse. At Echardus pagina mox superius citata censet, merito dubitari posse, an illa immutatio tunc facta fuerit. Dubium istud crescere videtur ex diplomate, quod Matriti mense Maio anni* 1219 E *datum est, et quo Jacobus Mames Fratribus Prædicatoribus prædium quoddam donat, nulla monialium, quæ ibi degerent, facta mentione. Id ipsum confirmat ex epistola Honorii III Pontificis, et phrasi quadem B. Jordani, tandemque probabilius concludit, hanc mutationem factam esse post Capitulum generale anni* 1220, *in quo possessionibus et reditibus Ordo renuntiavit, et tunc domum Matritensem, quæ quibusdam prædiis gaudebat, a Fratribus relictam et sororibus deinceps concessam fuisse. Attamen Echardus hanc opinionem suam ulteriori indigenarum disquisitioni permittit, cui examini nos etiam libenter assentimur. Porro memoratum diploma Jacobi Mames apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 13, *et litteræ Honorii III ibidem ad annum* 1220 *cap.* 9 *inveniuntur.*

dicitur illis postea scripsisse epistolam

603 *Sed hac occasione nolumus prætermittere epistolam, quam Sanctus postea Monialibus Matritensibus scripsisse dicitur, et quam laudatus Malvenda ad annum* 1220 *capite proxime citato refert in hunc modum :* Frater Dominicus, Magister Fratrum Prædicatorum, charissimæ nostræ Priorissæ et Conventui Sororum apud Majoricum F salutem et virtutum augmentum. Plurimum lætamur, et reddimus Deo gratias pro fervore sanctæ vestræ conversationis, et quod Dominus ex fœtore hujus mundi vos eripuit. Pugnate, filiæ, contra antiquum vestrum hostem orationibus et jejuniis incessanter, quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Huc usque non erat vobis domus opportuna ad servandum ea, quæ sunt nostræ Religionis; sed modo jam nullam excusationem prætexere potestis, quia habetis gratia Dei, sufficienta ædificia, ubi observantia regularis integre custodiri possit. Et ita volo, ut deinceps servetur silentium in locis ab Ordine statutis, videlicet in choro, in refectorio et dormitorio, et in omnibus aliis vivatis secundum vestras constitutiones.

qua eas ad perfectionem religiosam hortatur.

604 Nulla extra portam monasterii egrediatur, nec ulla secularis persona ingrediatur ad vos, nisi fuerit episcopus vel prælatus aliquis ad prædicandum, vel causa publicæ visitationis. Non omittatis disciplinas, vigilias, et estote obedientes vestræ Priorissæ. Ne occupemini in mutuis inter vos collocutionibus, nec perdatis tempus in vanis et inutilibus colloquiis. Et quia in neces-

AUCTORE G. C.

A necessitatibus temporalibus vobis subvenire non possumus, nolumus vos aggravare, nec assentiri, quod ullus Fratrum potestatem habeat recipiendi novitias, nisi sola Priorissa cum consilio sui Conventus. Mandamus quoque nostro charissimo Fratri, qui in domo ista vestra multum laboravit, et vos in isto sanctissimo statu conjunxit, quod omnia disponat, statuat, ordinet, ut ei visum fuerit magis expedire, quatenus vos sancte et religiose vivatis; et damus illi potestatem et facultatem ad visitandum et corrigendum vos, et ad removendum Priorissam, si necessarium fuerit, cum consensu majoris partis monialium, et ad dispensandum in rebus aliquibus, sicuti judicaverit expedire. Valete in Christo.

cujus tamen authentica fides nobis non omnino liquet.

605 *Ferdinandus de Castillo in Historia Prædicatorum lib.* 1 *cap.* 42 *easdem Sancti litteras Hispanice exhibet, ibidemque addit, sese eas ex idiomate Latino, quo autographum primitus exaratum fuit, in Hispanicam linguam fideliter transtulisse. At profecto miramur,* S. Dominicum, *natione Hispanum, monialibus Hispanis, et plerisque linguæ* B *Latinæ verosimiliter ignaris, hanc epistolam Latine scripsisse. Verumtamen hæc ratio non sufficit, ut litteras illas de suppositione suspectas habeamus. Ne quis in principio hujus epistolæ hæreat ad vocem* Majoricum, *et fortasse Majoricam, unam e Balearibus insulis, indicari putet, sciendum est, Mantuam Carpetanorum sive Matritum ea ætate* Majoricum *Latine appellatum fuisse, ut patet ex epistola prima Honorii III Pontificis, quam Malvenda loco supradicto in Annalibus allegat. Dum in relata epistola Sanctus curam monialium Matritensium suo* charissimo Fratri *imponit, quidam scriptores existimarunt, hic Mannem, germanum* S. Dominici *fratrem, designari. Sed Ferdinandus Castillus lib.* 1 *Historiæ laudatæ cap.* 41 *scribit, istam eorum conjecturam prorsus levem esse, ac solido fundamento carere. Ceterum* S. Dominicus, *peractis Matriti suis negotiis, in Galliam reversurus, transiit Guadalajara, ut Malvenda ad annum Christi* 1219 *cap.* 14, *aliique auctores passim tradunt. Quid autem in illo oppido, quod novem circiter leucis Matrito distat, ei tunc contigerit, ex antiquo biographo jam referemus.*

C

Sanctus in Hispania quosdam Fratres, Ordinem deserentes, mirabiliter revocat.

606 *Constantinus Urbevetanus in Vita* S. Dominici *num.* 38 *rem ita narrat :* Cum autem esset in Hispania in loco, qui dicitur Gualdafaien *(hoc corrupto nomine Gualdalajaram intellige)* quibusdam sibi Fratribus sociatis, tentavit eos satanas, ut a beati Viri societate discederent ; quod Virum Dei non latuit, sancto sibi Spiritu revelante : apparuit enim ei per visum immanissimus quidam draco, qui Fratres illos, qui secum erant, absorbere apertis faucibus videbatur. Intellexit igitur Vir Spiritu Dei plenus, grave Fratribus tentationis imminere discrimen, quibus etiam visionem illam terribilem propalavit, hortans eos, ut tentationibus futuris constanter resisterent, a quibus nemo, nisi spontaneus, absorbetur. Brevi autem spatio temporis interjecto, draco ille, qui paulo ante Fratres illos absorbebat per visum, absorbuit per effectum : nam omnes, qui cum viro Dei Dominico fuerant, exceptis tribus, scilicet Fratre Adam et duobus Conversis, suadente diabolo, recesserunt. Interrogatus autem quidam ex illis a Viro Dei, an et ipse vellet abire; Absit, inquit, Pater carissime, ut relicto capite, sequar pedes. At vero Pater misericors erga eos, qui recesserant, non indignatione, sed compassione commotus, continuo ad consuetum orationis refugium se convertit, et quos monitis retinere non potuit, orationibus revocavit : nam paulo post omnes fere ad eum instinctu divinæ gratiæ redierunt. *Stephanus de Borbone apud Echardum tomo* 1 *pag.* 33 *similia de hac tentatione tradit ; sed in eo ab aliis differt, quod dicat, illud contigisse,* cum Dominicus ædificaret quemdam Fratrum Conventum in Hispania.

de cujus rei tempore scriptores neoterici disputant,

607 *Constantino Vincentius Bellovacensis in Speculo lib.* 30 *cap.* 77, *et Humbertus in Actis* S. Dominici *cap.* 28 *plane consonant, e quibus hic rem illam fundationi Segoviensi ac Matritensi subjungens satis innuit, eam in reditu ex Hispania in Galliam evenisse. Tamen Ferdinandus de Castillo lib.* 1 *Historiæ suæ cap.* 40 *hanc tentationem aliquot mensibus prævertit, et ad ingressum Sancti in Hispaniam refert, quem Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1219 *cap.* 14 *recte refellit his verbis :* Scio, Castillum aliosque narrationem prædictam ad ingressum sancti Dominici in Hispanias, cum Segoviam pergeret, fundaturus ibi monasterium, retulisse. At nos aptius in egressu, cum in Galliam ire destinaret, fundatis Segoviensi et Madritiensi Conventibus, contigisse putamus : nam non est verosimile, in primo ingressu recta in veterem Castellam iter instituentem, tot sanctum Virum jam socios comitatos; cum tamen rationi consentaneum videatur, ædificatis jam duobus monasteriis, post aliquot mensium variis in locis celebres conciones, et famam opinionemque sanctitatis et doctrinæ ubique pervolitantem, sanctum Dominicum familiam recte potuisse ducere. Verum in his non magnopere pugnaverim. *Echardus tomo* 1 *pag.* 33 *hanc Malvendæ sententiam tacite approbat, dum ibi ad relatum Constantini textum notari jubet, Fratres illos, qui in Hispania ad defectionem tentati sunt, non fuisse ex istis sodalibus, quos Sanctus ex Italia vel Gallia secum in Hispaniam adduxerat, sed novitios Hispanos, quos in ea regione recenter ad Ordinem suum admiserat.* E

et cui Flaminius ac Malvenda addunt portentosas historias,

608 *Deinde Malvenda ad eumdem annum Christi* 1219 *cap.* 15 S. Dominicum *in Aragoniam deducit, eique adscribit stupenda miracula, quæ illic prædicatione et virtute Rosarii patraverit. Eadem prodigia narrantur ab Alphonso Fernandez, Ægidio de Lalaing, Petro Vloers, et ab aliis plurimis, qui tum Latine tum vernacule libros de Rosario composuerunt. Quinimo Abrahamus Bzovius ea digna censuit, quæ Annalibus ecclesiasticis insererentur. Nihilominus hæ incredibiles historiæ, ut eas mitissimo nomine appellemus, prodeunt ex fabrica Alani de Rupe, qui part.* 5 *plura hujusmodi portenta congessit. Nobis nec lubet prolixas hujus primi auctoris narrationes transcribere, nec licet easdem prorsus omittere, cum curiosus lector de re, oculis suis subtracta, et forsan sibi ignota, rectum judicium ferre non possit. Quandoquidem igitur breves fabulæ viris eruditis minus displicent, quam longæ, mediam viam ingrediemur, et judicio prudentis lectoris subjiciemus quædam talia miracula transcripta ex Flaminio, qui prodigiosas Alani narrationes satis fideliter in compendium redegit. Attamen veremur, ne hæc ipsa compendia nimis longa sint, et lectorem veritatis amantem tædio afficiant. Quare ob rationem jam dictam ex omnibus tantum excerpemus tres hujusmodi historias, quas etiam Malvenda ad annum* 1219 *cap.* 15 *et sequentibus studiose selegit.* F

609 *Itaque Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 36 *primum miraculum ex Alano contraxit his verbis :* Fuit in regione Aragonum puella

nobilis

AUCTORE G. C.

inter quas prima narratur de refecto puellæ capite,

nobilis genere ac forma egregia, cui nomen Alexandræ; quæ mota prædicationibus beati Dominici de Psalterio Virginis, collegio voluit adscribi, quam Rosarii fraternitatem vocant : quæ tametsi certo tempore Rosarii cultrix exstiterat, attamen ob æqualium puellarum consortium et corporis cultum, cui plus æquo indulgebat, sæpe illud intermiserat. Hanc nobiles duo juvenes deperibant, ex qua re (ut sæpe contingit) magnæ inter eos exortæ sunt inimicitiæ, quæ demum in perniciem illorum sunt versæ : tantum enim odia inter eos crevere, ut at singulare certamen devenerint, in quo citatis equis et infestis hastis concurrentes mutuo vulnere transfixi ceciderunt. Quidam ex illorum propinquis indignissime rem ferentes, Alexandram occulte invadentes lethaliter vulnerarunt, cui petenti sacerdotem, ut sua delicta, priusquam exspiraret, confiteretur, ex illis unus caput amputavit, veritus, ne suos illa percussores panderet, ac in propinquum puteum abjecit.

cujus confessionem S. Dominicus Aragonia exceperit,

610 Quinque jam menses a cæde præterierant : beatus Dominicus hujus rei divinitus fuit admonitus, qui jussu beatæ Virginis ad puteum B veniens, Alexandram ad se vocavit. Mira res secuta est; puellæ caput, multis præsentibus, qui ad tantum spectaculum convenerant, ab imo puteo sursum ascendit vitæ restitutum, vulnus habens adeo recens, acsi eadem hora recisum fuisset, et oculis in beatum Dominicum intentis ait : Cupio, Pater, mea delicta confiteri. Facta non solum ejusce rei, sed sacræ etiam Eucharistiæ compos, mirandum in modum exhilarata est, et beato Dominico gratias egit, quod ejus monitis et hortatu, Rosarii beatæ Virginis collegio adscripta fuisset. Mira quædam a beato Dominico interrogata respondit, quæ post suam cædem viderat; quorum e numero primum illud fuit, quod Rosarii collegium plurimum sibi profuisset, cujus meritis additum esset, quod sibi defuerat; tantus scilicet delictorum suorum dolor, quantus sufficeret ad pœnitentiam. Secundum, quod exsecto sibi capite, dæmonum a se impetus atque terrores castissima Dei Mater fugasset. Tertium, quod ob eadem Rosariorum merita, purgatoria supplicia, quæ merita esset, multo breviora essent futura : namque propter juvenes, qui sua causa in C singulari certamine ceciderant, ducentorum annorum; propter delicias autem et nimium corporis cultum, qui multos in perniciem traxerat, quingentorum se annorum pœnis cruciandam fuisse affirmavit; sed ob eam, quam dixi, causam, sperare se multo illas breviores fore.

et quod biduo supervixerit.

611 Biduum caput illud supervixit cum magna omnium admiratione ac eorum lætitia, qui ea in urbe Rosarii cultores erant. Dein suo junctum corpori honorifice humanum est. Decimo quinto post die anima illius beato Dominico adstitit lucentior quam stella, et dixit, legatione se fungi eorum, qui purgatorio igne cruciarentur : eos precari propinquos suos, et familiares, ut eorum opera collegio Rosariorum adscriberentur, pollicentes, se postea, ubi ad perpetuam felicitatem migrassent, magno illis apud Deum adjumento futuros. Illud insuper addidit, sanctos angelos collegiis Rosariorum mirifice lætari, Deumque dicere, se illorum patrem; matrem vero affirmare se felicissimam Dei Genitricem : et his dictis, relata in cœlum felix est anima. *Alanus part.* 5 *cap.* 62 *eamdem historiam aliis quibusdam circumstantiis amplificat, et ad pleniorem rei formam addit, recisum illud caput post factam peccatorum confessionem non tantum sacra Eucharistia, sed etiam* sancta extrema unctione, *præmunitum fuisse.* D

Alterum portentum refertur de puerpera, inter Mauros captiva,

612 *Flaminius eodem folio verso alterum prodigium sic contrahit :* Admiserat beatus Dominicus, cum in Hispania populos ad Psalterium hortaretur, in collegium Rosariorum aliam quamdam nobilem puellam, quæ claro equiti postea nupsit. Prægnans erat, quando ex regno, quod Granatæ dicitur, erupere gentiles, qui ejus urbem cepere ac diripuere. Puella ipsa, interempto ante oculos suos marito, cum multis aliis in captivitatem adducta est : quæ durissimam patiens servitutem, et asperrime tractata, sanctum non omiserat Rosarium. Venit pariendi tempus. Nox illa fuit Dominicæ Nativitatis, et in stabulo et inter porcos ac boves, et omni ope humana et solatio destituta puerum peperit sola annorum circiter quindecim puella, nec tales dolores amplius experta; quæ dum magnis torqueretur partus laboribus, beatæ Virginis opem implorabat. Affuit illa suis promptissima supplicibus precibus, et obstetricis per omnia officio functa est. Venit et E pius Jesus cum omnibus in suo corpore durissimorum cruciatuum, quos passus est, insignibus, secum habens diaconum et subdiaconum et chrisma, puerumque recenter natum, tenente illum gloriosa Virgine, suis ipse manibus sacro baptismate, more Christiano, lavit, et Marianum dici voluit. Quibus peractis, Dei Genitrix infantem matri reddidit dicens : Bono esto animo, filia, nec meum omitte Rosarium; nam tibi opem meam præsto semper futuram polliceor. His dictis, cœleste spectaculum ab oculis mortalibus evanuit.

quam Deipara incredibiliter juverit,

613 Aderat purgationis gloriosæ Virginis dies. Venit ad Luciam *(erat hoc captivæ feminæ nomen, quod Alanus initio historiæ exprimit, et Flaminius antea omisit)* juvenis quidam decora admodum facie atque splendenti, et ait : Nondum purgata es more Christiano post partum, Lucia; sed ut nunc purgeris, accingere. Ait illa : Quomodo facere hoc possum, cum neque populus hic sit Christianus, neque ecclesia, neque item sacerdos. Tunc juvenis : Ergo me sequere; ducam enim te in ecclesiam, in qua mira videbis et audies. Tunc illa statim sustulit in ulnas infan- F tem, et sanctum ducem secuta est. Cumque pulcherrimum, nescio quo in loco, templum ingrederetur, occurrit illis Martha et Maria Magdalena, quæ utrimque illam brachiis apprehensam, in eam partem ædis, quæ chorus vulgo dicitur, introduxere : quo in loco obviam illi processit castissima Dei Genitrix, ac illam blande admodum salutavit, filiam vocans, et ait : Sæpe tu quidem Filium meum, dum meum Psalterium celebras, mihi obtulisti : nunc tempus est, ut te ac tuum illi filium offeram; et apprehensam manu apud aram sedere jussit. Et ecce sacerdos idem, qui ejus filium sacro baptismate laverat, Christus repente affuit, et celebrare cantu Eucharistiæ sacrificium cœpit, accinente ac respondente choro cantu inenarrabili.

et quæ momento temporis ex regno Granatensi Compostellam translata fuerit.

614 Cumque ad eam partem Sacri deventum esset, quod Offertorium dicitur, purissima Virgo manu apprehendit Luciam, ac primam esse voluit, quæ cereum sacerdoti offerret, ac ejus manum exoscularetur. Alii postmodum subsecuti sunt. Ubi vero tempus advenit sacra vescendi Hostia, voluit itidem mitissima Virgo, Luciam esse primam, quæ vesceretur. Peracto demum Sacro,

illam

A illam plurimum hortata est ad perseverandum, et usque ad portam templi abeuntem comitata est. Momento autem temporis divinitus in suam regionem translata est, ubi in quodam secessu Lucia se cum filio conclusit, et ibidem vitam finivit. Filius autem vitam in solitudine quadam ducens eremiticam, feliciter et ipse ab hac vita migravit. *Alanus part.* 5 *cap.* 63 *hæc omnia vivis adeo coloribus depingit, acsi rem gestam oculis suis usurpasset, et de mirabili illa captivæ mulieris translatione ad patriam suam sic distinctius scribit :* Subito circa decimam horam hæc Lucia se reperit in media ecclesia sancti Jacobi cum suo parvulo : nam ipsa oriunda erat de Compostella ; sed longe ad regnum Granatæ fuit maritata.

Tertium denique prodigium tribuitur peccatori cuidam Hispano,

615 *Tertium denique miraculum Flaminius ibidem fol.* 37 *verso ac sequente narrat in hunc modum :* Erat vir clarus genere ac opibus, ex propinquis beati Dominici unus, sed multorum labe vitiorum inquinatissimus. Is ad audiendum concionantem propinquum suum venit. Tunc forte beatus ipse Dominicus in flagitia hominum acriter invehebatur, et contemnentes præcepta
B divinæ legis graviter accusabat. Ubi autem propinquum suum vidit ecclesiam ingredientem, quem optime noverat, Deum extemplo precatus est, ut illius misereretur, ut ejus mentem mutaret in melius : nam circumdatum vidit illum innumerabili dæmonum multitudine, qui in ferinas demutati formas, supra quam quisquam fari queat, deformes erant atque terrifici, qui ferreis catenis, quocumque vellent, vinctum trahebant. Formæ autem illæ turpitudinem hominis indicabant : nam et Vir sanctus aiebat, vitiis homines in varias demutari ferarum formas. Miser ille tali motus vitiorum detestatione, ac vehementer exterritus, domum reversus est.

quem S. Dominicus visibiliter a dæmonibus traditum hipermiserit

616 Alio die festo ad audiendum propinquum suum rediit, quo ecclesiam ingrediente, beatus Dominicus sublata voce ait : Domine Jesu Christe, da huic populo, ut videre possit, qualis sit iste, qui domum tuam ingreditur : sciebat enim, nihil esse, quod illum efficacius movere posset, quam si aliqua publice afficeretur ignominia. Conversus ergo ad illum populus, vidit innumerabilem dæmonum multitudinem, qui ferreis (ut dixi) catenis illum trahebant. Terruit omnes dirum il-
C lud ac horribile spectaculum, et sustulere clamorem, ut solent, qui repente ingenti aliquo et improviso terrentur malo ; fugam quoque parabant clamantes : Fugiamus infernum. Ejus etiam uxor ingenti terrore perculsa illum fugiebat. Tunc tantæ perturbationis et clamoris causam requirenti respondere famuli, perculsam esse multitudinem aspectu dæmonum, qui eum catenis vinctum tenerent. Stabat ille stuporis ex novitate rei plenus, et tamquam attonito similis.

et virtute Rosarii

617 Tunc beatus Dominicus ad eum conversus, ait : Petre infelix, jam cogitare incipe, quo in statu sis, qui tuo populum hunc aspectu adeo terrefacis ac fugas, ac resipisce, infelix. Ad Psalterium tibi Virginis confugiendum est, ut tantam tempestatem evadas, ne te terra absorbeat. Jussitque Bertrando comiti suo Vir sanctus, ut funiculum, Psalterii numerum continentem, ad eum perferret. Miser ille resipiscens, et magno suorum flagitiorum dolore tactus, beatum Dominicum precatus est, ut suis Deum sibi orationibus propitium redderet, et continuo ad aram beatæ Virginis confugit, ac flexis ante illius effigiem genibus totum peregit Psalterium. Terrificam illam oris deformitatem, quam nemo poterat intueri, velavit, et ad beatum accedens Dominicum, delicta sua confessus est : quod ubi fecit, considerans Vir sanctus numerositatem delictorum illius et gravitatem, et ambigens, quam illi mulctam injungeret, contulit sese ad beatæ Virginis effigiem, et eam precatus est, ut sibi ipsa, quid in ea re faciendum esset, ostenderet. Ait illa : Nulla quidem alia mulctes illum pœna, quam ut meum constanter Psalterium dicat ; quod ubi fecit, illum etiam in numerum Rosariorum transcripsit.

AUCTORE G. C.

ad frugem reduxerit;

618 Mira cum stupore omnium continuo res secuta est. Oris illa tanta deformitas ac horror ad pristinam formam rediit, demptoque velamine, quo faciem operuerat, tres de rosis coronæ propter tria Rosaria in ejus capite conspectæ sunt, et pulsis cum suis catenis dæmonibus, innumeri circa illum angeli astitere, affirmavitque ipse beatus Dominicus illud quoque, dum sua Petrus flagitia confiteretur, id etiam mirabile contigisse ; ad singula delicta, quæ promebat, sensisse illum singulis se catenis solvi. Ita deinceps homo paulo ante flagitiosissimus, factus Psalterii summus cultor, magna cum laude vitam et felici E
fine transegit. *Alanus part.* 5 *cap.* 53 *hæc iterum pluribus exornat, et de felici istius Petri morte adjungit sequentia :* Tandem in cunctis agendis bene illuminatus ac prospere agens, postquam uxorem et totam familiam induxisset ad frequentationem et assiduitatem prædicti Psalterii una cum illis perseverando hoc sancto in proposito, prænuntiationem obitus sui et suorum a Maria virgine obtinuit ; et apparentibus sibi Christo et Maria Virgine, promeruit hic peccator pœnitens per idem Psalterium inter manus ejusdem Christi et Mariæ spiritum tradere, non sine multorum, qui adstabant, singulari devotione ex præsentia Domini Jesu et Virginis Mariæ.

sed Echardus hæc et similia recte fabulis accenset.

619 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1219 *cap.* 17 *pro veritate harum historiarum, tamquam pro aris et focis, acriter decertat, easque testimonio Joannis de Monte potissimum confirmat. Sed arbitramur, Malvendam omni suo conatu necdum effecisse, ut homines cordati hisce portentosis miraculis fidem adhibeant. Saltem veritatem illorum ac similium prodigiorum nondum persuasit sodali suo Echardo, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 19 *in notis has ipsas historias ita explodit :* Quæ stupenda miracula, ab eo in illis partibus F
patrata, ex Flaminio refert Malvenda ad MCCXIX num. 15 et 16 de Petro quodam Sancti cognato, ex perditis moribus ad frugem revocato ; de quadam Lucia prægnante apud Mauros captiva, et post partum cum filio suo, a Christo ipso baptizato, in suam patriam Christianam in momento mirabiliter translata ; de Alexandra dicta, cujus caput a quinque mensibus recisum e puteo vivum emerserit ; de insigni latrone, occiso putato, et a sociis in via sepulto, sed sub terra ad Dominici adventum vivo divinitus servato, si alium non habent, ut ille præstat, quam Joannem de Monte auctorem, hominem pure fictitium, vereor, ut apud sapientes fidem inveniant, eo magis, quod et Jordano et Humberto, qui Hispanias peragrarunt, incognita fuerint. Hujusmodi miraculis non indiget gloria Dominici, nec iis astruitur dignitas societatis Rosarii, propriis meritis abunde stabilita. *Ita Echardus, cujus crisim hic approbamus.*

§ XXXIII.

AUCTORE G. C.

§ XXXIII. Quo tempore Sanctus ex Hispania in Galliam Italiamque discesserit, et quæ in illo itinere gesserit.

Contra hypothesim Echardi probamus, S. Dominicum exeunte Martio anni 1219

Veteres biographi consentiunt, S. Dominicum *anno Christi* 1219 *ex Hispania in Galliam rediisse, et Humbertus in Chronico suo hunc annum diserte exprimit his verbis :* Anno Domini MCCXIX de Hispania venit beatus Dominicus Parisius, et invenit ibi de Fratribus ferme triginta. Paululum ibi commoratus, divertit Bononiam, ubi jam magnus erat Fratrum numerus sub Fratre Reginaldo congregatus apud sanctum Nicolaum (nam ante fuerant in alio loco a principio) qui eum cum mirabili gaudio receperunt, et ideo misit Fratrem Reginaldum Parisius. *Hæc eadem Humbertus in Actis Sancti cap.* 29 *repetit, quibus B. Jordanus et Theodoricus similia habent, ita ut* B *de anno illo* 1219 *satis constet. Sed intricata quæstio superest, quo tempore istius anni Sanctus Parisios advenerit, et an standum sit opinione Echardi, qui tomo* 1 *pag.* 19 *in notis ita disserit :* Anno MCCXIX Hispaniam reliquisse, et exinde in Franciam et Parisios usque venisse Dominicum, asserit Jordanus; adeoque juxta stylum ejus ætatis post XXV Martii, vel post Pascha, quod fuit VII Aprilis, Hispania egressus est.

potuisse ex Hispania Parisios advenisse,

621 *Echardus hic primo supponit, Sanctum post diem* XXV *Martii, vel post Pascha, tantummodo Hispania egredi cœpisse. Sed B. Jordanus solum dicit, quod Sanctus* revertens inde, Parisius *venerit* anno MCCXIX; *ita ut hic annus* 1219 *æque ad Parisiensem* S. Dominici *adventum, quam ad discessum ejus ex Hispania referri possit. Itaque in hypothesi, qua exordium anni ab Annuntiationis festo, seu die* XXV *Martii, sumitur, potuit* S. Dominicus *mense Februario anni* 1218 *ex Hispania discedere, et circa exeuntem Martium anni* 1219 *jam inchoati Parisios advenisse. In hoc systemate vera est B. Jordani aliorumque veterum narratio, etiamsi annos ab Annuntiationis festo, seu a die* XXV *Martii inchoarent. Secundo Echardus suppo-* C *nit, omnes illos biographos a die* XXV *Martii, vel a Paschate, principium anni computasse. At illud certis argumentis clare ac solide probatum oportuit : eo enim tempore diversi scriptores initium anni diversimode numerabant, ut jam paucis demonstrare conabimur.*

et ex Bernardo Guidonis,

622 *Inter Scriptores rerum Italicarum nuper Mediolani editos, tomo* 3, *pag.* 480 *refertur* ex Ms. Bernardi Guidonis *Vita Innocentii III Pontificis, in qua auctor ille Gallus ad propositum nostrum hæc habet :* Innocentius III, natione Campanus, de castro Saumani ex patre Transmundo, consecratus in cathedra sancti Petri. Cœpit anno Domini MCXCVII secundum illos, qui annos Incarnationis Dominicæ incipiunt a festo Annuntiationis Dominici in Martio computare; secundum illos vero, qui annos Dominicæ Incarnationis computare incipiunt in Natali, scribitur anno Domini MCXCVIII. *Innocentius ille ad cathedram S. Petri evectus est die* VIII *Januarii, anno Christi* 1198 *secundum hodiernam computandi methodum, ut vetera monumenta testantur. Hinc liquet, ætate Bernardi Guidonis sive seculo* XIII *et* XIV *duplicem anni numerandi modum in usu fuisse, licet Echardus tomo* 1 *pag.* 78 *sic generatim loquatur :* Scriptores itaque seculi XIII et in iis nostrates, ubi de chronologia agunt, stylum veterem SEMPER sequuntur, quo annus vel a die Annuntiationis XXV Martii ad XXV Martii sequentis, vel a festo Paschæ ad Pascha sequens computabatur, adeo ut Januario, Februario, Martio, et aliquando Aprilis parte acta ad annum præcedentem referant. Hunc stylum sequebantur in Gallia, Hispania, et pluribus Italiæ civitatibus, ut Florentiæ et Romæ, quod innumeris diplomatibus Pontificiis ab Odorico Rainaldo relatis evincere facillimum. D *Verum Hispani usque ad seculum* XIV *usi sunt sua peculiari æra, quæ a Kalendis Januarii incipiebat, ut superius alia occasione monuimus.*

aliisque antiquis monumentis contra opinionem ipsius ostendimus,

623 *Quod Echardus hic addit de stylo Romano, in dubium revocari potest : videtur enim seculo* XIII *annus Romæ a Nativitate Christi cœpisse, ut colligimus ex synodo Coloniensi anni* 1310, *quæ canone* 23 *apud Labbeum nostrum tomo* 11 *Conciliorum, part.* 2, *col.* 1529 *decernit sequentia :* Statuimus etiam, ut ex nunc de cetero annus Domini observetur, et in Nativitate Christi innovetur a quolibet anno, prout sacrosancta Romana ecclesia id observat, quæ est omnium ecclesiarum caput et E magistra, ut errores et difficultates, qui propter diversitatem inceptionis anni Nativitatis ejusdem multoties evenerunt, de cetero evitentur. *Adde, quod Covarruvias tomo* 2 *Resol. var. lib.* 1 *cap.* 12 *num.* 1 *hunc computandi morem universim adscribat Italiæ, etsi postea aliquos excipiat, ut Mabillonius in Opere de re diplomatica lib.* 2 *cap.* 23 *num.* 3 *exponit his verbis :* In Italia etiam annos a Nativitate inchoari, mos vetus est, teste Covarruvia, præterquam apud Pisanos, qui initium anni Incarnationis desumunt novem mensibus ante Nativitatem; qua ratione annus e Nativite quinquagesimus, est et ejusdem numeri ab Incarnatione usque ad diem XXV Maii; et ab eo die, qui est quinquagesimus a Nativitate, erit quinquagesimus primus ab Incarnatione, adeoque calculus Pisanus novem mensibus alium antevertit. Secus Florentini tribus mensibus post Nativitatem incipiunt annos Incarnationis eodem modo, quo de Gallis postea dicendum : quod etiam de Mediolanensibus sæpius animadvertit Puricellus de Basilica Ambrosiana.

non apud omnes istorum temporum scriptores

624 *Equidem fateor, plures historicos Gallos seculi* XIII *hoc Florentino vel Mediolanensi stylo usos esse,* non tamen omnes, *ut Mabillonius capite* F *mox citato, num.* 6 *scribit :* nam Bernardus Guidonis, episcopus Lutevensis *(sunt ibidem verba ejusdem Mabillonii)* in Actis sancti Fulcranni, ejusdem sedis episcopi, ab se seculo XIV scriptis, asserit, ipsum ordinatum fuisse anno gratiæ DCCCCXLIX, pridie Nonas Februarii, quæ dies Dominica erat novi anni littera G præditi; obiisse vero anno gratiæ Christi MVI, Idibus Februarii, quarta feria, quæ omnino calculo novo respondent. *In Actis S. Fulcranni, quæ Bollandus noster ex Bernardo Guidonis ad diem* XIII *Februarii edidit, sub finem capitis primi etiam legitur, quod sanctus ille præsul Lutevensis fuerit* consecratus... pridie Nonos Februarii, anno generationis Christi DCCCCXLIX. *Post alia ibidem cap.* 5 *tempus mortis ejus ita signatur :* Migravit autem ad Dominum anno generationis Christi MVI, Idus Februarii, quarta feria, octava fere diei hora transacta.... Mansit autem in episcopatu annis LXII, et diebus IX.

initium anni ab Annuntiationis festo.

625 *Non ignoro, circa præfatum consecrationis annum a Bollando difficultatem quamdam proponi, eo quod S. Fulcrannus dicatur annis* LXII *ecclesiam*

Lute-

AUCTORE G. C.

A *Lutevensem gubernasse, quæ chronologia cum initio et fine episcopatus stare non potest. Pagius in Critica ad annum Christi* 1006 *num.* 2 *hanc Bollandi dubitationem avide amplexus est, et asseveranter pronuntiat, errore librariorum num.* x *pro* v *irrepsisse, ac annum Christi* DCCCCXLIV *pro anno* DCCCCXLIX *legendum esse. Verum eadem facilitate in annos episcopatus error irrepere potuit et numerus* x *perperam pro* v *poni, ita ut anni illi* LXII, *qui episcopatui S. Fulcranni erronee tribuuntur, in annos* LVII *commutandi sint. Hac eadem unius numeri mutatione facta, omnia recte consistunt, et vere dici potest S. Fulcrannus mense Februario anni* 949 *ad cathedram Lutevensem evectus esse, illamque eodem mense Februario anni* 1006 *moriens reliquisse.*

aut a Pascha computari,

626 *Insuper hunc Bollandi et Pagii scrupulum sufficienter dissipat illustrissimus Joannes Plantavitius de la Pause, episcopus Lutevensis, dum in Chronologia præsulum Lutevensium pag.* 45 *ex Necrologio istius ecclesiæ tradit, decessorem S. Fulcranni anno* MCCCCXLIX, die III Januarii *obiisse, et ibidem pag.* 50 *et* 51 *ex vetustis Breviariis aliisque* B *monumentis Lutevensibus de successione S. Fulcranni habet sequentia :* Narbonam provinciæ metropolim invitus perducitur, ibique ab Americo archiepiscopo confirmatur, ac consecratur in basilica beati Pauli proconsulis, civitatis istius protopræsulis, pridie Nonas Februarias, anno salutis nongentesimo quadragesimo nono. *Deinde idem illustrissimus scriptor de obitu ejusdem Sancti (de hoc mortis anno nullus dubitat) pag.* 63 *et* 64 *hæc addit :* Præfuit ecclesiæ Lutevensi quinquaginta septem annis et diebus novem. Tandem senio confectus, et laboribus fractus..., sanctam animam carne solutam, dum sacra benedictionis verba frigescentibus labiis vix tenuiter super assistentes proferret, efflavit anno salutis MVI, Idibus Februarii, feria quarta, hora octava matutina. *Cum igitur illo anno Christi* 1006 *littera Dominicalis fuerit* F, *et Idus Februarii in feriam quartam inciderint, ex his characteribus chronologicis liquet, Bernardum Guidonis in his Actis S. Fulcranni exordium anni a Nativitate Domini vel a Kalendis Januarii sumpsisse.*

sed variam anni incunlis epocham

627 *Ex hoc exemplo concludere nolumus, Bernardum Guidonis constanter illo stylo usum esse :* C *nam is auctor alibi clare indicat, se ab Annuntiationis festo, sive a die* XXV *Martii, more quorumdam Gallorum, novum annum numerare. Sed ex iis tantum conjicimus, scriptorem illum modo unam, modo alteram adhibuisse ex duabus anni epochis, quas sua ætate usitatas fuisse, superius asserebat. Sic etiam alii Galli duplicem computandi rationem exprimunt, ut Mabillonius in laudato opere diplomatico cap.* 23 *num.* 9 *indicat his verbis :* Porro etsi a Paschate anni principium repetebant nostrates; Januarii tamen Kalendas initium novi anni censebant. Unde charta Drogonis de Vineæ-curte apud Cangium in Glossario, ubi de anno, data dicitur ab Incarnatione MCLXXXIII, MENSE JANUARIO, ALTERA DIE ANNI INEUNTIS. Historici vero nonnulli utrumque calculum non raro exprimebant, ut in Historia episcoporum Autissiodorensium, ubi Audoïnus in capite septuagesimo sexto translatus dicitur ad sedem Magalonensem ANNO QUINQUAGESIMO TERTIO (nempe post MCCC) MORE CURIÆ ROMANÆ, IN NATIVITATE DOMINI; MORE AUTEM GALLICANO, ANNO QUINQUAGESIMO SECUNDO : quem duplicem modum idem auctor distinguit etiam in sequentibus capitulis ad octogesimum.

628 Atque inde evidens fit, annos Incarnationis apud Gallos, etsi a Paschate incœptos, non prævertisse annos Nativitatis repertos a Romanis, sed trimestri spatio posteriores fuisse (quod maxime notandum) tametsi Incarnatio Nativitatem novem mensibus præcesserit. Quippe Galli, ut fit etiam modo, annos Incarnationis et Nativitatis promiscue adhibebant, sicut postea dicturi sumus. Romanorum calculum Germani passim sequebantur, annumque inchoabant a Nativitate Christi, ut erudite probat Cangius in Glossario. *Obiter hic observari velim, duos ex præcipuis* S. *Dominici biographis, videlicet B. Jordanum et Theodoricum de Appoldia, natione Germanos esse, adeoque in assignandis annis probabiliter morem patriæ suæ servasse. Forte etiam hi aliique Actorum scriptores stylum curiæ Romanæ sequebantur. Ceterum particulares diœceses ac urbes in computando anni initio diversum modum usurpabant, ut apud Cangium in Glossario Latino-Barbaro ad vocem* annus, *et Mabillonium lib.* 2 *laudati operis diplomatici, tota capite* 23 *fusius probatur.*

tunc apud auctores diversos usitatam fuisse.

Ex chronotaxi nostra sequitur,

629 *Ex omnibus hactenus dictis concludimus, quod Echardus nimis confidenter asserat, omnes* S. Dominici *biographos* semper *stylo veteri usos esse.* E *Si vero hi auctores Germani secundum praxim curiæ Romanæ et consuetudinem plurium historicorum in describenda Sancti Vita annos a Nativitate Domini numerare incipiant, nulla nos urget difficultas; sic enim potuit Sanctus Vir mense Januario, vel ineunte Februario, anni* 1219 *ex Hispania discedere, et mense Martio Parisios pervenire, atque inde post brevem moram in Italiam proficisci. Quod si quis solide probaverit, scriptores illos festo Annuntiationis sive die* XXV *Martii (hæc epocha certe in quibusdam Galliæ et Italiæ civitatibus tunc usitata erat) novum annum exordiri, secundum hypothesin supra propositam dicemus,* S. Dominicum *ineunte vel inchoato jam anno* 1219, *circa finem Martii Parisios advenisse, ibidemque transactis aliquot diebus, post Pascha, sive diem* VII *Aprilis, inde in Italiam profectum esse. In hoc systemate potuit Sanctus circa medium mensem Maium ejusdem anni per varias Italiæ urbes transire, et festo Pentecostes seu die* XXVI *Maii interesse Capitulo Minoritarum, ut scriptores Franciscani passim asserunt, quorum testimonia, et contraria Prædicatorum argumenta, paragrapho sequente breviter expendemus.* F

Sanctum more suo celeriter confecisse hæc itinera,

630 *Nemo hic nobis objiciat nimiam omnium itinerum istorum properationem, et fortasse dicat, Sanctum in nostra hypothesi nullibi potuisse diutius quiescere aut hærere : nam respondebimus cum Malvenda, qui in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 14 *hunc sancti Fundatoris festinationem ita laudat :* Nullibi sanctus Vir longo saltem tempore se detineri patiebatur; sed cursum omnino solis imitatus, incredibili celeritate omnia perlustrans, ubique virtutum suarum et doctrinæ radios diffundebat : sciens enim, velocem esse depositionem tabernaculi sui, infatigabili labore varias provincias et loca percurrebat, quo vivens adhuc certissima Ordinis sui incrementa cernere posset. *Nihil igitur mirum, quod* Vir quietis impatiens, *ut ab Echardo supra recte appellatur, et desiderio propagandi sui Ordinis flagrans, nusquam diu substiterit. Adde, quod Sanctus spatio octo dierum ex Rupe Amatoria usque ad urbem Aurelianensem pervenerit, ut postea apud Theodoricum de Appoldia num.* 150 *et sequente narrabitur. Ex hoc postremo velocis peregrinationis specimine satis colligimus, Sanctum indies magna itinera confecisse.*

631

AUCTORE G. C.

in quibus prodigiose auxit vinum,

631 *Hisce tricis chronologicis utcumque expediti, pergimus ad exponenda Sancti gesta, quæ in illis itineribus contigerunt. Cum autem pleraque in Actis infra edendis narrentur, tantum examinabimus ea, quæ ibi omissa sunt, aut quæ explicatione quadam indigent. Probabiliter opinamur, in illo reditu accidisse miraculum, quod in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 5 *narratur hoc modo:* Quadam die cum in partibus illis *(nimirum Tolosanis, de quibus ibi immediate antea fit mentio)* cum multis fratribus iter ageret, et ad prandium non nisi unum scyphum vini haberent, beatus Pater compatiens aliquibus, qui in seculo multum fuerant delicati, jussit illud modicum fundi in vase magno, et aquam in abundantia superfundi: erant autem octo Fratres, qui omnes abunde biberunt aquam vinum factam valde bonum, et superfuit illis. *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 18 *etiam putat,* S. Dominicum *in reditu suo ex Hispania istud miraculum patrasse, et ibidem de comitibus illius itineris hæc addit:* At cum sanctus Antoninus dicat, octo illos socios Fratres noviter ad Ordinem receptos fuisse, suspicamur hos illosmet exstitisse, qui sancto Dominico in Hispania adhæserant, et apud Guadalajaram tentata defectione, ad sanam mentem a Viro Dei revocati fuere.

B

eoque tirones octo Hispanos vel Tolosanos recreavit,

632 *Hæc Malvendæ suspicio displicet Echardo, qui propterea tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 38 *in notis, illam sic improbat:* Hoc miraculum Malvenda refert ad annum MCCXIX num. 18 ad reditum beati Dominici ex Hispania, et in gratiam juvenum Hispanorum actum, quos scilicet recens ad Ordinem ascitos Tolosam secum adduxisse putat, quod non placet: cum enim dilatando in Hispania Ordini studeret, verisimile non est, sodales ibi allectos a patria, ubi necessarii erant, removisse. Rectius censet Soegius, in actum sodalium Tolosanorum gratia, quorum plures, cum illac transiret Sanctus, vel Hispaniam petens, vel exinde Parisios cogitans, quamdam itineris partem, ut dulcibus ejus colloquiis fruerentur, eum comitari voluerunt. *Si Soegius et Echardus nobis prorsus persuadere volebant, istud miraculum in gratiam sodalium Tolosanorum patratum fuisse, iis præcipue probandum erat, socios illos Tolosanos recenter ad Ordinem admissos esse, quandoquidem S. Antoninus parte* 3 *sui Chronici tit.* 23 *cap.* 4 § 9 *diserte affirmat,* Fratribus, noviter ad Ordinem receptis, et deliciis assuetis in seculo, *illud evenisse.*

C

et varia negotia exiguo tempore,

633 *Echardus tomo* 1 *pag.* 19 *in notis post discessum* S. Dominici *ex Hispania, de eodem Sancto hæc memorat:* Occitaniam repetens, et socios Tolosanos ultimo amplexus, Fratrem Bertrandum de Garriga socium assumpsit, et magnis itineribus Parisios contendit. Cum paululum demoratum addunt Jordanus et Humbertus, mensem circiter in regia urbe substiterit. Interim, ut illi solemne erat, ubique collationes publicas habuit, quibus Jordanus ipse, tum sacræ facultatis baccalaureus, se affuisse testatur; imo et ei in sacro tribunali peccata confessum, et ejus monitis diaconatum suscepisse. *Cum antiqui Actorum scriptores consentiant, quod* S. Dominicus *Parisiis* paululum *manserit, non cogimur amplecti conjecturam Echardi, qui huic commorationi mensem concedit: nam intra unam alteramve hebdomadam fieri potuerunt ea, quæ Sanctus Parisiis fecisse traditur. Unde Malvenda tantum assignat huic mansioni Parisiensi paucos dies; dum in Annalibus jam sæpe laudatis ad annum* 1219 *cap.* 21 *hæc scribit:* Illis quoque paucis diebus, quibus sanctus Pater Parisiis mansit, recepisse ad Ordinem F. Guilielmum Monferratensem, insignis nominis in Religione virum, ipsemet F. Guillelmus affirmat. *Hunc ipsum in Processu Bononiensi secundum testem infra de hac re audiemus.*

D

quo Parisiis substitit,

634 *Deinde Echardus loco proxime citato et pagina præcedente meminit de quibusdam civitatibus, ad quas tunc* S. Dominicus *ex urbe Parisiensi misit socios, ut in iis cœnobia Ordinis fundarent. Nobis non vacat, singulas horum Conventuum origines indagare, et propterea in hac re opinionem Echardi haud gravate admittimus. Nihilominus aliquam observationem meretur fundatio cœnobii Lemovicensis, quam Echardus ibidem pag.* 19 *refert his verbis:* Fratrem Petrum Cellani, quem Parisiis invenit, et quo se contulisse post mortem Comitis Montis-fortis merito putes, sive ut Raymundi Comitis Tolosani, Albigensiumque victorum furorem effugeret, sive ut sacras Litteras aliquamdiu saltem Parisiis audiret, Lemovicas erigendi cœnobii causa legavit; qui tamen, Sancto haud dubie sic disponente, non tam cito Parisiis exiit: siquidem Lemovicas cum sociis sibi designatis non advenit, nisi circa Epiphaniam sequentem anno MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX.

E

divina providentia maxime confidens,

635 *Probat singularem Sancti nostri fiduciam in Deo, quod in illa Petri Cellani missione contigit, et quod laudatus Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene eodem tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 402 *sic narrat:* Anno Domini MCCXIX beatus Dominicus de Hispania venit Parisius, et in domo sancti Jacobi præfata Conventum triginta Fratrum invenit, et inde misit Lemovicas ad Conventum accipiendum ibidem Fratrem Petrum Cellani, Tolosanum superius memoratum, qui cum ignorantim et librorum penuriam allegaret (nam unum solum quaternum de homiliis beati Gregorii tantum habebat) respondit pius Pater, cujus cor erat fiduciam habens in Domino: Vade, inquit, fili, et confidenter vade; omni die bis habebo te coram Deo, et ne dubites; multos acquires Domino, et afferes multum fructum; cresces et multiplicabis, et Dominus erit tecum. Et sic ipse Frater Petrus postmodum suis familiaribus enarravit, cum intus vel extra angustia arctabatur, invocabat Dominum et Dominicum, reducens ad memoriam promissum suum, et omnia ei prospere succedebant.

F

ad Ordinem suum propagandum gessit.

636 *Dicitur etiam Alexander II rex Scotiæ, qui negotiorum causa tunc Parisiis versabatur,* S. Dominicum *rogasse, ut quosdam e sodalibus in regnum suum mitteret, quemadmodum Hector Boëthius lib.* 13 *Historiæ Scotorum apud nos fol.* 283 *verso narrat in hunc modum:* Ferunt, Alexandrum, cum in Galliam ad Philippum ad redintegranda antiqua fœdera venisset, forte etiam Dominicum convenisse, multumque precatum, ut ex iis, quos ipse secum habebat, sanctos quosdam viros in Scotiam ad erudiendum populum mitteret: quod ubi factum est, maximo apud Alexandrum honore habiti sunt, ædesque, ubi agerent, aut suppeditatæ sunt, aut novæ ædificatæ. *Illustrissimus Joannes Leslæus, episcopus Rossensis, lib.* 6 *de Rebus gestis Scotorum pag.* 232 *editionis Romanæ similia fere scribit. Fidem istius colloquii relinquimus penes recentiores illos auctores, cum ipsi antiquos testes non allegent, et veteres nostri biographi de hac re non meminerint. Utrum vero Prædicatores in Scotiam penetraverint, vivente adhuc Sancto, ut Malvenda existimat, inferius alia occasione breviter examinabimus.*

AUCTORE G. C.

A *Etiam in illo itinere inter Alpes Lombardiæ*

637 *Porro* S. Dominicus, *peractis post brevem moram negotiis, Guilielmum de Monte-ferrato forte cum aliis in socium itineris assumpsit, et ex urbe Parisiensi per Burgundiam (haud dubie celeriter more suo) in Italiam profectus est. Varia miracula, quæ Sanctus in via patravit, postea in Actis legentur. Certe in illo itinere contigit, quod S. Antoninus parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 § 9 *narrat, etiamsi illic ordinem profectionis inverterit : nam putat, id factum esse,* cum beatus Pater ex Bononia in Galliam proficisceretur, et in Alpibus socius ejus præ debilitate ex fame ulterius procedere non valeret. *Sed procul dubio errat sanctus historicus, aut mendum in verba illius irrepsit, cum ex tota Actorum serie constet,* S. Dominicum *post confirmationem Ordinis sui numquam Bononia in Galliam Transalpinam venisse.*

socium præ fame deficientem

638 *Quapropter hoc miraculum transcribimus ex Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 8, *ubi post iter Hispanicum sic recte refertur* : Post hæc gloriosus Pater in Italiam rediit, quodam Fratre Joanne Converso sibi associato ; qui Frater Joannes inter Alpes Lombardiæ subito cœpit præ fame deficere, ita ut nec ultra posset procedere, nec de terra præ lassitudine se levare. Cui pius Pater ait : Confortamini, fili, et procedamus paulatim, et perveniemus ad locum, ubi aliquam refectionem invenire possimus. Cui cum ille nequaquam se posse procedere, responderet, sed usquequaque deficere, Vir sanctus pietate, qua plenus erat, ac Fratris commiseratione commotus, ad solitum se convertens refugium, breviter oravit ad Dominum, ac conversus ad Fratrem ait : Surgite, fili, et ite ad locum illum, et quod ibi inveneritis, huc usque afferte.

B

pane cœlitus assignato refecit,

639 Surrexit ille quamquam cum magna difficultate, et gressu quo potuit ad locum, qui ad jactum lapidis distare poterat, tandem perveniens, panem unum miri candoris candidissimis mappis involutum reperit, assumptoque illo ad Sanctum Dei rediit, ac de ejus mandato de eodem pane comedens ad sufficientiam vires recepit ; interrogatusque à Viro Dei, an jam fame fugata refectus posset incedere, respondit, se sufficienter refectum, et optime posse prosequi cœptum iter, qui paulo ante non poterat se movere. Surgite, inquit, fili, et residuum panis mappis involutum in loco, quem invenistis, reponite. Quo facto, cœptum iter ire cœperunt. Cum autem aliquantulum processissent, Frater ad se reversus ait intra se : Deus meus ! Quis ibi panem posuit, aut unde illic allatus fuit ? An non et ego lentus pariter et ignarus, qui nihil super hoc hactenus requisivi ? Tunc ait ad Sanctum : Pater sancte, panis ille unde allatus fuit, aut quis ibi posuit ? Tunc verus humilitatis amator et conservator Fratrem interrogavit dicens : Fili, comedistis, quod sufficit vobis ; Deo gratias agite, ut dignum est, et nequaquam amplius inquiratis. Hæc dictus Frater Joannes, cui contigit, postmodum in Hispaniam rediens Fratribus enarravit : qui tandem sociatus Fratribus, qui de Domini Papæ mandato ob fidem Catholicam prædicandam in Africam ibant, Marrochium perveniens, migravit ad Dominum, cursu feliciter consummato.

C

et forte tunc ad quasdam Italiæ urbes divertit,

640 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 19 *et sequente in notis varia recitat monumenta, ut probet,* S. Dominicum *in illo itinere Mediolanum divertisse, fervidas ibidem conciones instituisse, et aliquos ad Ordinem suum aggregasse. Verum veteres biographi nostri de his rebus silent, et Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 22 *hunc reditum describens, de hac digressione Mediolanensi non meminit ; imo ibidem in fine refellit Flaminium, qui in Vita* S. Dominici *fol.* 30 *verso asserit, Sanctum tunc Bergomi multis diebus commoratum esse. Non ignoramus, Sanctum aliquando ad urbem Mediolanensem venisse ; sed discrepant historici circa tempus, quod id factum sit, ut videre licet apud Puricellum in Dissertatione Nazariana cap.* 109, *ubi fuse disputatur, quoties, et quando* S. Dominicus *Mediolanum adierit. Quinimo ipse Puricellus, expensis antiquis monumentis, ibidem pag.* 545 *de hac controversia sic pronuntiat :* Nusquam profecto apparet, quemadmodum Dominicus interim venire Mediolanum potuerit, antequam Bononiam proficisceretur. *Tacentibus itaque vetustis scriptoribus, ordo istius itineris arbitrarius videtur.*

priusquam Bononiam perveniret.

641 *Quare nobis etiam suspicari licebit,* S. Dominicum *tunc Ordinis sui dilatandi causa plures Italiæ civitates peragrasse, antequam Bononiam perveniret, et eo tempore propter negotia adiisse Perusium, ubi Cardinalis Hugolinus degebat, adeoque hac occasione potuisse interesse Capitulo Minoritarum, quod anno Christi* 1219, *festo Pentecostes, in vicino loco sanctæ Mariæ de Portiuncula celebratum est. Cum in systemate nostro chronologico* S. Dominicus *statim post Pascha anni* 1219, *quod in diem* VII *Aprilis tunc incidit, Parisiis in Italiam discesserit, hactenus tantummodo diximus, Sanctum* potuisse interesse Capitulo Minoritarum, *quod eodem anno die* XXVI *Maii celebrabatur : alia enim questio est, an re ipsa huic Capitulo interfuerit, et in eo contigerint illa omnia, quæ scriptores Franciscani de* S. Dominico *narrant. Hanc controversiam historicam, inter duos præclarissimos Ordines dudum agitatam, jam paragrapho sequente breviter discutiemus.*

E

§ XXXIV. An Sanctus interfuerit comitiis Franciscanorum, quæ vulgo Capitulum storearum appellantur.

Inter Minoritas, et Prædicatores controvertitur,

Anno Christi 1219, *circa festum Pentecostes sive diem* XXVI *Maii ad generalia Ordinis comitia ex diversis regionibus convenerunt quinque millia Minoritarum, quos S. Franciscus anno præcedente per litteras evocaverat. Cum vero cœnobium vix caperet decimam tantæ multitudinis partem, non procul Assisio in campo circa Portiunculam jacebant in storeis; unde illa congregatio communiter* Capitulum storearum *appellata est. Scriptores Franciscani passim tradunt,* S. Dominicum *huic Capitulo interfuisse ; at Prædicatores id prorsus negant, et illam Minoritarum traditionem variis argumentis impugnant. Inter illos Lucas Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1219 *num.* 1 *et sequentibus hanc rem fuse tractat, et communem Ordinis sui opinionem pluribus testimoniis confirmare nititur ; ex his vero Jacobus Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. a pag.* 77 *non ita pridem integram dissertationem huic opinioni opposuit, et totum Waddingi fundamentum evertere conatur.*

F

[illegible] S. Dominicus [illegible] interfuerit [illegible] Capitulo storearum [illegible].

643 *Cum autem Papebrochius noster in Appendice ad tomum* II *Maii pag.* 828 *et* 840 *in Vita S. Angeli Carmelitæ Waddingum secutus fuerit, et in hac controversia obiter Franciscanis faverit, laudatus Echardus tomo* 1 *citati operis sui pag.* 81 *non dubitat, quin illam Papebrochii sententiam, re*

AUCTORE G. C.

maturius discussa, revocaturi simus. Ingenue fatemur, Papebrochium in Appendice ad dictum tomum II Maii pag. 828 *Hispanicum* S. *Dominici iter huic Capitulo storearum perperam postposuisse. Neque id mirum videri debet, cum hanc rem tantum leviter ex occasione attigerit, antequam omnes veteres* S. Dominici *biographos attente pervolvisset. Quare idem sine ullo eruditissimi viri dedecore dici posset de præsentia* S. Dominici *in Capitulo storearum, quam etiam obiter dumtaxat ex Waddingo asserit, si argumenta Echardi nos plane convincerent. Sed nondum videmus, ea esse talia, ut hanc Papebrochii assertionem et immemorabilem Franciscanorum traditionem deserere cogamur. Certe Candidus Chalippe, eruditus Minorita Gallus, hæc omnia Echardi ratiocinia legerat, et tamen nuper in Gallica S. Francisci Vita ad annum* 1219 *lib.* 3 *pag.* 124 *et sequentibus eamdem Ordinis sui traditionem narrat, ibidemque in notis de hac controversia cum Echardo judicium nostrum requirit. Ne forte videamur uni Ordini præ altero impensius favere, præcipuas utriusque partis rationes allegabimus, et primo asserentium, deinde negantium, argumenta expendemus.*

B

licet Franciscani id asserant ex testimonio veterum scriptorum,

644 *Bartholomæus Pisanus, qui exeunte seculo* XIV *scripsit, lib.* 1 *Conformitatum fol.* 18 *col.* 1 *de præsentia* S. Dominici *in Capitulo memorato hæc habet :* Declaratus fuit etiam beatus Franciscus beato Dominico in Capitulo generali, celebrato per beatum Franciscum apud Assisium; in quo cum essent ultra quinque millia Fratrum, ipse beatus Dominicus cum pluribus ex suis affuit Fratribus; ubi divinam providentiam agnovit circa Fratres adesse meritis beati Francisci, cum tot Fratribus nihil habentibus, nec de victu cogitantibus subito divina providentia omnia eis ministravit copiose; propter quod ipse beatus Dominicus dixit : Vere Dominus habet curam de istis sanctis pauperculis, et ego nesciebam. *Verum Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1219 *num.* 13 *varios antiquiores hujus rei testes citat his verbis :* Porro ita factum, et cum septem sociis adfuisse *(scilicet* S. Dominicum *huic Capitulo storearum)* ex nostris expresse referunt tres Francisci socii Leo, Ruffinus, et Angelus in ejus Legenda ; Thomas Celanus in altera, Bernardus a Bessa, Bonaventuræ socius, in sua historia, Frater Hugolinus de sancta Maria in Monte, qui ante ter centum annos floruit, in Historia S. Francisci apud me manuscripta. *Deinde allegat Bartholomæum Pisanum, aliosque scriptores recentiores, tum domesticos, tum externos, qui de eadem* S. Dominici *præsentia meminerunt. Cum hi posteriores de re tam diu transacta certum testimonium perhibere non possint, narrationem hujus traditionis ex vetustis Ordinis Franciscani monumentis exhibebimus.*

C

inter quos testes synchroni narrant,

645 *Attamen hic nobis non vacat ante tempus operose evolvere ac discutere omnia S. Francisci Acta, quæ in scriniis nostris, conservantur. Quapropter hanc historiam transcribemus ex obvio Speculo Vitæ S. Francisci, quod F. Philippus Bosquierus sub nomine coævorum sodalium ejus edidit, et ubi Centuria* 2 *cap.* 68 *ex his synchronis auctoribus refert sequentia :* In quodam Capitulo generali, quod fidelissimus servus Christi Franciscus in planitie sanctæ Mariæ de Angelis celebravit, congregati sunt ultra quinque millia Fratrum. Adfuit etiam ibi sanctus Dominicus, caput Ordinis Prædicatorum, cum septem Fratribus de Ordine suo. Adfuit insuper dominus Cardinalis *(nempe Hugolinus, qui postmodum sub nomine Gregorii IX ad cathedram S. Petri evectus est)* valde devotus beato Francisco, et Fratribus ejus, cui sanctus Franciscus prædixit, quod debebat esse Papa, et ita factum fuit. Cum ergo curia domini Papæ esset tunc Perusii, dictus Cardinalis studiose venit Assisium, et omni die veniebat ad sanctum Franciscum, ut videret eum et Fratres ejus : quandoque cantabat Missam, quandoque sermonem faciebat eisdem.

D

S. Dominicum ibi præsentem,

646 Cum autem veniebat visitare illud felix collegium, et videret illos in campo prædicto turmatim ad sexaginta et centum et ad trecentos sedere, aut in collocutione divina aut orationibus et lacrymis, aut exercitiis charitatis, et cum tanto silentio, quod nullus erat ibi rumor vel strepitus, admirans de tanta multitudine, ut castrorum acies, ordinata, cum lacrymis et magna devotione dicebat : Vere castra Dei sunt hæc : non enim audebat aliquis inter eos fabulas dicere sive truffas *. Sed ubicumque congregabantur, vel orabant, vel plorabant, vel de salute animarum loquebantur; et habebant in illo campo tecta distincta de carticinis in circuitu et supra; lecti vero erant vel terra, vel modicum de palea; cervicalia vero lapides vel ligna. Propterea erat cunctorum devotio, quod ex curia ibi propinqua multi Comites et Barones, duces et milites, Cardinales etiam pariter cum episcopis et clericis, et nobiles cum popularibus concurrebant, ut viderent tam sanctam congregationem et humilem, quod mundus non habuit de tot sanctis hominibus similem; ad videndum etiam caput ipsorum Fratrum sanctissimum, qui tam pulcram prædam mundo rapuerat, et tam devotum gregem ad beata Christi pascua dirigebat.

* *id est* nugas

E

visa ingenti fiducia,

647 Congregatis autem omnibus, surrexit sanctus pastor et venerabilis dux Franciscus in fervore Spiritus sancti, illi beato gregi verbum vitæ proposuit voce altisona et tubali, quam sibi divina unctio infundebat; et istud thema proposuit : Magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis; servemus hæc, spiremus * ad illa. Brevis voluptas, perpetua pœna. Modica passio, gloria infinita. Et super hæc verba devotissime prædicando, hortabatur omnes ad obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ, ad suavitatem charitatis fraternæ, ad orandum pro universo populo sancto Dei; ad patientiam etiam adversus dura, ad munditiam et castitatem angelicam, ad pacem et concordiam cum Deo et hominibus, ad humilitatem et mansuetudinem cum omnibus, ad mundi contemptum et ferventem zelum altissimæ paupertatis; et solicitudinem et vigilantiam orationis, divinæ laudis, ad jactandam totam curam animæ et corporis in pastorem bonum et nutritorem animarum et corporum, in Dominum nostrum Jesum Christum benedictum. Et propter hoc melius observandum, Præcipio, inquiebat, omnibus Fratribus congregatis in meritum obedientiæ salutaris, quod nullus vestrum curam aliquam vel solicitudinem habeat de aliqua re comestibili, aut de aliquibus necessariis corporis; sed tantummodo intendatis orationi et laudi Dei, omnem curam vestram projicientes in Christum, quoniam ipsi est specialis cura de nobis. Et ita fecerunt, hilari animo ad orandum curentes.

* *al.* suspiremus

F

qua S. Franciscus curam rerum temporalium abjiciebat,

648 Sanctus autem Dominicus, qui adhuc erat præsens, admirans de mandato, quod fecerat sanctus Franciscus, et reputans, eum indiscrete procedere, eo quod præcepisset in magna multitudine, quod nullus haberet curam de rebus necessariis corporis, existimabat, in tanta multi-

tudine,

A tudine, inconvenientiam debere contingere. Sed Dominus Jesus Christus volens ostendere, quod ipse curam gereret de tam caris ovibus et suis pauperibus singularem, statim inspirando facta est manus Domini super Perusinos, Spoletanos, Fuliginenses, Spelthenses, Assisinates, et cunctas circumjacentes terras : et veniebant cum asinis, mulis, et equis, et curribus oneratis pane et vino, fabis et caseo, et omnibus bonis, quibus putabant illos beatos pauperes indigere. Insuper portabant tobalias, et vasa magna et parva, et quidquid utensilium opus erat, et beatum se putabat ille, qui devotius et attentius servire posset, et in omnibus illi beatæ multitudini [in] necessitate studiosissime providere.

exemplo hujus arctiorem paupertatem amplexum esse,

649 Vidisses autem sanctorum illorum cœtui milites nobiles devotissime servientes. Vidisses etiam ibidem clericos devotos et fideles more domicellorum undique discurrentes. Vidisses ibi adolescentium floridam juventutem cum tanta reverentia ministrantem, ut videretur non pauperculis Fratribus, sed Apostolis Domini nostri Jesu Christi servire. Quæ omnia cum sanctus B Dominicus cerneret, et divinam providentiam ibi vere cognosceret, humiliter redarguit se ipsum de judicio indiscretionis prædictæ, quod fecerat, et genu flectens beato Francisco, dixit humiliter culpam suam, et ait : Vere Deus curam habet de istis pauperculis Fratribus, et ego nesciebam. Unde ex nunc promitto servare sanctam euangelicam paupertatem, et maledico ex parte Dei omnes Fratres de Ordine meo, qui in Ordine ipso propria habere præsumpserint. Fuit ergo sanctus Dominicus valde ædificatus de fide sancti Francisci, et de obedientia, et de paupertate tam ordinati et magni collegii, et de providentia divina, et copia abundantissima omnis rei.

ut primigenia auctorum phrasi referre voluimus.

650 *In speculo Vitæ S. Francisci, quod F. Guilielmus Spoelberch anno* 1620 *Antverpiæ edidit, et quod etiam synchronis seraphici Patris sui sodalibus adscribit, part.* 1 *cap.* 20 *similia leguntur; sed is editor stylum et ordinem istius opusculi mutavit, ut ipsemet in præmonitione ad lectorem testatur his verbis :* Scripsere illi quidem stilo admodum simplici et impolito, qualem nasutum hoc seculum vix fert, vix admittit; ideoque historiæ servata veritate eum parumper expolivi- C mus. Scripsere ordine utcumque confuso: nos in meliorem judicio nostro redegimus. *Sed quandoquidem nostro seculo magis placet primigenia veterum scriptorum phrasis, illam narrationem dedimus ex editione Philippi Bosquieri, quæ etiam fere convenit cum apographo ejusdem Speculi quod ex archivo Lovaniensi Minoritarum accepimus, et quod cum variis codicibus Mss. collatum est. At hactenus ignoramus antiquitatem istorum codicum, quæ accuratius indaganda erit, ubi ad illustranda S. Francisci Acta pervenerimus. Interim consuli potest P. Mathias Grouivels, qui in Historia critica sacræ indulgentiæ B. Mariæ Angelorum, vulgo de Portiuncula, part.* 4 *cap.* 5 *auctoritatem et fidem hujus Speculi contra scriptorem anonymum vindicavit.*

Huic narrationi Echardus Dominicanus,

651 *Nunc audiendum est, quid huic narrationi opponant auctores Dominicani, inter quos nuperrime Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 78 *sic disserit :* An Capitulum illud storearum revera habitum sit, seu [congregatio] potius (nam congregationem Fratrum suorum principum sanctum Franciscum convocasse nemo forsan negabit, quam si Capitulum generale appellare placuerit, fas esto;) verum * an tot millia sodalium suo cœtui jam tum allecta fuerint, unaque in illis comitiis convenerint, inquirere non est animus : erunt fortassis aliquando, qui rem a sancto Bonaventura omissam ac ei, quantum conjicere licet, vel incognitam vel non probatam, scrutabuntur curiosius, Legendamque, trium sancti Francisci sociorum nomine jactatam, quam se exscribere profitetur Waddingus, ad lydium lapidem revocantes, quam fidem mereatur, pro suscepta provincia docebunt. De sancto Dominico hic tantum ago; contendo plane commentitium esse relatum illud ab Waddingo ejus cum sancto Francisco seu Perusii *(an hoc Perusii factum sit, infra examinabimus)* seu Assisii in Capitulo storearum colloquium.

* forte item

qui certe in aliqua re neganda erravit,

652 *Hoc loco aliquid humani passus est Echardus, dum nempe hic innuit, de illo Capitulo et tanto Minoritarum numero non meminisse S. Bonaventuram, qui tamen in Vita S. Francisci cap.* 4 *diserte scribit sequentia :* Processu quoque temporis multiplicatis jam Fratribus, cœpit eos Pastor solicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale Capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum, unicuique tribueret obedientiæ portionem : ubi E licet omnium necessariorum esset penuria, Fratrumque multitudo ULTRA QUINQUE MILLIA conveniret, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. *Itaque evidenter patet, non esse omissum a Bonaventura istud generale Capitulum, eique* ultra quinque millia *Fratrum interfuisse. In membraneo Musei nostri codice signato* P. *Ms.* 1, *qui cum aliis Mss. Sanctorum Actis illam Bonaventuræ lucubrationem continet, prorsus eadem sancti hujus biographi verba leguntur, quod hic addimus, ne forte Echardus suspicetur, aliquam interpolationem in excusa ejusdem Vitæ exemplaria irrepsisse.*

et fidem testium evertere debuisset.

653 *Præterea Echardus jam relatis verbis indicat, Legendam S. Francisci sive præfatum Vitæ Speculum, quod synchronis ejusdem Sancti sociis tribuitur, sibi de fictione ant interpolatione suspectum esse. Verum primo loco illam suspicionem, quam adeo confidenter ingerit, ac aliis discutiendam committit, aliquot rationibus aut saltem conjecturis ab ipso probatam oportuit : si enim Echardus demonstrasset, istud Speculum confictum esse, facilius argumentis ipsius acquievissemus. Præcipue insuper* F *ostendere debuisset, illam controversam* S. Dominici *præsentiam in Capitulo storearum non asseri a Thoma Celano, aliisque antiquis scriptoribus, quos supra laudatus Waddingus in Annalibus Minorum testes hujus rei allegat. Vix dubitamus, quin Franciscani exhibere possint varia antiqua horum omnium scriptorum exemplaria, quibus ostensis aut legitime probatis, tuto de hac controversia judicare possemus.*

varia opponit argumenta,

654 *Interea breviter percurramus alia Echardi argumenta, inter quæ tomo* 1 *pag.* 78 *fortissimum ex chronologia sic repetit :* Ipso Annalista Franciscano teste, in eo tota vertitur quæstio, an anno MCCXIX festum Pentecostes sanctus Dominicus in Italia celebrarit; quem proinde si in Hispania vel Gallia tum egisse demonstravero, narrationem Waddinganam funditus ruere necesse est. Rem conficere ex auctoribus æqualibus haud est difficile; sed priusquam affero, monendus lector, ut semper ob oculos habeat in computandis annis styli veteris discrimen a novo, quod cum scriptores quidam recentiores, et in eis Waddingus, sæpius non attenderint, in varias ambages sese intricarunt, et gravissime sunt allucinati. *Deinde*

ibidem

AUCTORE G. C.

ibidem affirmat, omnes S. Dominici *biographos, aliosque seculi* XIII *scriptores stylo veteri usos esse, et initium anni vel a die* XXV *Martii, vel a Paschate, semper numerasse.*

quæ tamen rem nondum plane conficiunt,

655 *Sed jam paragrapho præcedente ostendimus, duplicem eo tempore epocham in usu fuisse, et plures annum a Nativitate Domini cœpisse, quod etiam evidenti exemplo ex Bernardo Guidonis confirmavimus. Si veteres scriptores Actorum* S. Dominici *hanc eamdem epocham cum pluribus sui temporis historicis usurpaverint, chronologia non impedit, quo minus hic Sanctus Capitulo storearum interfuerit, ut consideranti manifestum fiet. Quinimo ibidem in ipsa Echardi opinione, secundum quam scriptores illi principium anni ab Annuntiationis festo, sive a die* XXV *Martii, computarent, proposuimus quoddam systema, cui verba horum auctorum non repugnant, et in quo* S. Dominicus, *statim post Pascha anni* 1219 *Parisiis discedens, absolute eodem anno circa festum Pentecostes Assisii esse potuit. Non diffitemur, in hac hypothesi longinquum iter intervallo quinquaginta dierum conficiendum esse ; sed cum id absolute confici potuerit,* B *malumus illam difficultatem deglutire, quam statim temere fidem abrogare testibus, quos Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die* IV *Octobris synchronos agnoscit, et quorum testimonio sententia Franciscanorum potissimum nititur, quod proinde ab Echardo ante omnia evertendum erat, si quid tota dissertatione sua proficere volebat.*

et hactenus litem non decidunt,

656 *Præterea Echardo in memorata Speculi narratione displicet, quod* S. Dominicus *post visam divinæ providentiæ curam de alendis tot millibus pauperum Fratrum, ut ibidem traditur, proposuerit exemplo S. Francisci omnia bona temporalia abdicare : nam tomo* 1 *pag.* 80 *et sequente contendit,* S. Dominicum *jam dudum antea hanc bonorum temporalium abdicationem in animo habuisse, eamque quamprimum exsequi statuisse. At istud* S. Dominici *propositum, quod in Capitulo storearum concepisse dicitur, explicari potest de strictiori paupertatis observantia, quam postea in primo Capitulo Bononiensi sodalibus suis præscripsit. Huic explicationi aliquod fundamentum præbet ipse B. Jordanus, qui infra apud nos num.* 29 *ita scribit :* Nec illa postmodum edita constitutio servabatur, ut nec recipere possessiones, nec jam receptas retinere liceret. C *Deinde ibidem num.* 32 *de electione regulæ, et primis quibusdam constitutionibus agens, hæc addit :* Proposuerunt etiam et instituerunt non habere possessiones, ne prædicationis impediretur officium solicitudine terrenorum ; sed tantum redditus recipere, unde possent sibi in victui necessariis providere. *Vides hic possessiones a redditibus distingui. Potuit ergo* S. Dominicus *non tantum possessionibus, quas antea abdicare decreverat, sed exemplo S. Francisci, etiam redditibus renuntiare, ac strictiorem paupertatem amplecti.*

quæ ex oculata Mss. codicum inspectione terminari posset.

657 *Quamvis hæc aliaque Echardi argumenta non sint contemnenda, tamen utcumque solvi debent, donec scriptores Dominicani demonstraverint, relatam supra narrationem synchronis S. Francisci sociis, aliisque antiquis scriptoribus affictam esse. Candidus Chalippe in præfatione ad Vitam Gallicam S. Francisci pag.* XXXII *testatur, Legendam trium sodalium in bibliotheca regis Franciæ, et apud Minoritas Lovanienses ac Mechlinienses in codicibus Mss. conservari. Non dubitamus, quin in aliis Europæ bibliothecis plura ejusdem opusculi exemplaria reperiantur. Cum tamen antiquitas istorum Mss. codicum nobis hactenus ignota sit, certo decidere non audemus litem illam, inter Prædicatores et Franciscanos agitatam, quæ in Actis S.* D *Francisci poterit ad examen revocari. Interea Prædicatoribus incumbit ostendere, Speculum istud Vitæ S. Francisci perperam coævis sodalibus ipsius adscribi, aut saltem memoratam relationem ei, alisque vetustis scriptoribus, postea insertam esse : Franciscanis vero legitime probandum est, illam ipsam narrationem in veteribus Mss. ac fide dignis codicibus inveniri, ut de veritate alterutrius opinionis plane constet. Quod si collegæ aut successores mei tunc certiora illa documenta pro alterutra parte acceperint, vel alia inter biograpos S. Francisci detexerint, illos rogatos volo, ut conjecturas meas confirment, aut liberrime refellant, si a veritate aberrare videantur. Nunc propter similitudinem materiæ progredior ad alium eorumdem Sanctorum congressum, tametsi hic forsan alio tempore contigerit.*

§ XXXV. Alterum colloquium, quod Sanctus noster Romæ aut Perusii cum S. Francisco habuisse dicitur. E

Non convenit inter scriptores

N*on convenit inter scriptores de tempore et loco hujus colloquii, quod S. Antoninus parte* 3 *Chronicorum in Actis S. Francisci tit.* 24 *cap.* 2 § 2 *sic narrat :* In urbe Romana cum illa duo luminaria orbis essent beatus Dominicus et beatus Franciscus coram domino Cardinale Ostiensi, qui postea fuit Papa, dixit dominus Cardinalis : Cur non facimus de Fratribus vestris episcopos et prælatos, qui documento et exemplo ceteris prævalent? Fit inter Sanctos de respondendo longa et pia contentio, uter prior esse deberet. Vicit tandem humilitas Franciscum, ne se alteri præponeret, vicit et Dominicum, ut primus interroganti humiliter obediret. Dixit ergo beatus Dominicus : Domine, gradu bono sublimati sunt Fratres mei, si recognoscunt : nec pro meo posse permittam, ut aliud assequantur specimen dignitatis. Post eum beatus Franciscus respondens, inquit : Domine, Minores ideo facti sunt Fratres mei, ut majores fieri non præsumant. *Ferdinandus de Castillo in Historia Ordinis Dominicani* F *lib.* 1 *cap.* 50 *eadem Hispanice eleganter exponit.*

de tempore et loco colloquii,

659 *Malvenda autem in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1219 *cap.* 28 *post relatam hanc S. Antonini narrationem subdit sequentia :* Sic magni proceres et Christianæ religionis celsa columina præ magna humilitate disserebant, ac de suis Ordinibus, quod maxime cuperent, statuebant. At longe aliud fuit judicium ea in re summorum Ecclesiæ Præsidentium, qui quantum utilitatis et splendoris Christianæ reipublicæ ex his sacris Ordinibus esset accessurum, probe perspicientes, cœpere mox certatim ex his præsidiis eximios educere præsules, duces, antistites, qui fidelium cœtibus et ecclesiis magno cum rei Christianæ commodo imponerentur, ut suis locis fusius in his Annalibus ostendemus. Nec dubitamus, illis diebus, quibus Romæ sanctissimi patriarchæ Dominicus et Franciscus commorati sunt, quin mutuis inter se amoris et charitatis officiis mirifice certaverint, dulcissima de Deo colloquia sæpius miscuerint, quibus modis populis prodesse, salutem animarum adjuvare, virtutem ubique promovere possent, non raro contulerint. O si videre licuisset sanctam illam Christi xynoridem,

et

A et par in terris sine pari! Quam inexhausta siti, quo mentis ardore Dei honorem, vitiorum extinctionem, virtutum propagationem in mundo statuere conabantur! *Hactenus ille, qui ex conjectura putat, hanc rem Romæ circa ultimos menses anni* 1219 *gestam esse*; *Soëgius vero in Actis Gallicis* S. Dominici *pag.* 381 *censet, id ibidem ante Pascha anni* 1220 *contigisse.*

quod S. Dominicus et S. Franciscus habuisse dicuntur,

660 *Waddingus in Opusculis S. Francisci, quæ anno* 1623 *Antverpiæ typis Plantinianis edita sunt, tomo* 3 *colloquio* 10 *pag.* 449 *hunc utriusque Sancti congressum etiam Romæ collocarat*; *sed postea in Annalibus Minorum sententiam mutavit, et probabilius existimat, sanctos illos Patriarchas Perusii paulo ante Capitulum storearum coram Cardinale Hugolino convenisse, et in laudatis Annalibus ad annum Christi* 1219 *num.* 2 *rationem mutatæ opinionis ita reddit*: Sunt, qui putaverint, hoc initum colloquium in Urbe, quos ego secutus sum in collectione Opusculorum sancti Patriarchæ; sed magis credendum hic judicaverim B. Leoni testi oculato, ipsiusque hujus itineris socio. *At miramur, quomodo Waddingus ex testimonio Leonis dicat,* B *istud colloquium Perusii habitum esse, cum Speculum Vitæ S. Francisci, quod eidem Leoni aliisque coævis Sancti sodalibus adscribitur, in impressis et manuscriptis quibusdam exemplaribus clare exprimat, id Romæ evenisse. Hæc inter se concilient Franciscani, ad quos pertinet.*

et ideo Echardus putat, illud fictitium esse;

661 *Interea audiamus Echardum, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 80 *omnes hujus congressus assertores ita impugnat*: Verum nec sanctus Antoninus, nec qui eum ex nostris excipiunt, Waddingum quicquam juvant: ille enim non Perusii, sed Romæ habitum hoc colloquium scribit absque nota anni. Soëgius noster Anni Dominicani Gallici tomo 1 Augusti pag. 381 Romæ item collocat ante Pascha anni MCCXX, quod cum chronologia Vitæ sancti Francisci nullo modo cohæret: nam post annum MCCXVI ambos Sanctos Romæ convenisse negat, et probat Waddingus. Anno autem MCCXX vix e Palæstina vel Syria, ubi annum circiter hæserat, redux sanctus Franciscus, non Romam, sed per plures Longobardiæ civitates pedetentim Assisium, ubi plurima ipsi negotia erant, se contulit. *Tandem ex hac opinionum diversitate concludit, illum utriusque sancti Funda-* C *toris congressum fabulis annumerandum esse.*

quæ ratio ipsius nimium probat.

662 *Sed hæc Echardi argumentatio nimium probat: nam ex discrepantia temporis et loci, quibus res aliqua gesta fuisse dicitur, non statim inferri potest, eam numquam aut nusquam evenisse. Sic canonizatio* S. Dominici *diverso loco ac tempore secundum varios scriptores peracta dicitur, ut postea videbimus, et ipse Echardus in notis ad Chronicon Humberti tomo* 1 *pag.* 70 *fatetur his verbis*: Mirum in re tam publica, qualis fuit beati Dominici canonizatio, tantum inter scriptores et æquales et suppares, imo eorumdem scriptorum varios codices, et bullæ ipsius varia exempla esse discriminis, ut nec quoad locum, nec quoad annum, mensem, diemve conveniant. *Nemo tamen inde concludit,* S. Dominicum *nullibi aut numquam solenniter catalogo Sanctorum adscriptum fuisse. Igitur ex differentia loci ac temporis nondum sequitur, memoratum amborum istorum Patriarcharum congressum, quem S. Antoninus refert, fictitium esse.*

Scriptores Franciscani de illo colloquio,

663 *Waddingus aliique scriptores Franciscani huic colloquio multa addunt ex præfato Speculo Vitæ S. Francisci, quod in editione Philippi Bosquieri Centuria* 1 *cap.* 42 *illum duorum Sanctorum congressum ita narrat*: In urbe Roma, cum illa duo luminaria clara orbis, videlicet beatus Franciscus et beatus Dominicus, essent simul coram domino Hostiensi, qui postea fuit summus Pontifex, atque vicissim eructarent de Deo melliflua, dixit tandem illis dominus Hostiensis: In Ecclesia primitiva pastores et prælati erant pauperes homines, cum charitate, non cupiditate ferventes. Cur ergo non facimus de Fratribus episcopos et prælatos, qui documento et exemplo omnibus aliis prævalerent? Fuit inter Sanctos de respondendo humilis et devota contentio, non quidem præcipientibus, sed deferentibus sibi invicem, ac se cogentibus ad responsum. Sed tandem vicit humilitas beati Francisci, ne prius responderet. Vicit etiam Dominicum, ut prius respondendo humiliter obediret. Respondens ergo beatus Dominicus dixit domino Guidibono: *(in Ms. Lovaniensi legitur* dixit: Domine, gradu bono, *quam lectionem Waddingus videtur etiam sequi)* sublimati sunt Fratres mei, si hoc agnoscere volunt; et pro posse meo numquam permittam, ut aliud assequantur speculum dignitatis. Tunc beatus Franciscus inclinans se coram dicto domino dixit: Domine, Minores ideo vocati sunt E Fratres mei, ut majores fieri non præsumant; et docet eorum vocatio, ipsos in plano subsistere, et humilitatis Christi vestigia imitari, ut per hoc tandem in respectione Sanctorum plus aliis exaltentur: si enim vultis, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, atque ipsos si ad alta conscenderint, ad plana reducite violenter, et ad prælationem aliquam illos numquam ascendere permittatis. Hæc fuerunt Sanctorum responsa: quibus finitis utriusque responsionibus, fuit ædificatus valde dominus Hostiensis, et immensas gratias egit.

quod duos hos Sanctos de variis rebus instituisse narrant,

664 Discedentibus autem ambobus simul, rogavit beatus Dominicus beatum Franciscum, ut dignaretur ei donare chordam, qua cingebatur. Recusavit beatus Franciscus ex humilitate, sicut ille poscebat ex charitate. Vicit felix tandem postulantis devotio, et chordam beati Francisci, per violentiam charitatis acceptam, ipse beatus Dominicus sub inferiori tunica cinxit, et ex tunc devote portavit. Tandem alter posuit manus suas inter manus alterius, et alter alteri se mutua recommendatione dulcissime recommendavit. Dixitque beatus Dominicus beato Francisco: Vellem, F Frater Francisce, unam Religionem fieri tuam et meam, et nos in Ecclesia vivere pari forma. Post hæc, cum se invicem separabant, dixit beatus Dominicus pluribus, qui adstabant: In veritate dico vobis, quod hunc sanctum Virum omnes Religiosi imitari deberent; tanta est enim sanctitatis ejus perfectio.

ex antiquis testibus multa tradunt.

665 *Hic non exprimitur, quid S. Franciscus responderit* S. Dominico *desideranti, ut uterque Ordo sub eadem regula in Ecclesia Dei viveret. Sed Waddingus inter opuscula S. Francisci tomo* 3, *colloquio* 10, *pag.* 449 *et sequente hanc responsionem ex Bartholomæo Pisano, Pelbarto Themeswariensi, et Ms. Codice Fanensi sic refert*: Obviam se habuere in Urbe vir Dei, et beatus pater noster Dominicus Prædicatorum patriarcha et fundator inclytus, quibus seria quædam ad animarum salutem et plurima ad Ecclesiæ Catholicæ emolumentum et pacem secum proponentibus et disponentibus, ait Prædicatorum magnus ille decor ad socium et amicum suum Franciscum: Frater charissime, propter magnam meam tecum necessitudinem, præcordialem erga filios tuos amorem, et pacis fraternitatisque inter tuos

et

AUCTORE G. C.

et meos stabilitatem, utrosque gauderem sub una Religione militare, ut quos patrum firmus amor ita conjunxit, Religionis aut vitæ disparitas non dissolvat. Cui summa humilitate Franciscus : Divinæ est voluntatis, amantissime Frater, quod factum est ab eaque ordinatum est, diversas a nobis fundari Religiones, ut in utriusque varietate, præceptorum diversitate, illorum rigore et horum lenitate varietati subveniatur humanæ infirmitatis, et quibus hæc non placent, illa non displiceant; quibus una dura videtur, altera lenior appareat, et sic non unius Religionis angustiis Deus animas perdat, sed alterius capacitate lucretur. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1219 *num.* 1 *et sequentibus hæc aliaque jam superius relata narrat, et testimonio Leonis synchroni, ac Bernardi de Bessa supparis, confirmat.*

quæ vehementer offendunt Echardum,

666 *Verum tota hæc Waddingi relatio offendit Echardum, qui tomo* 1 *Bibl. Prædicat pag.* 79 *et* 80 *illam sic acriter impugnat :* Tria in colloquio Perusino inter utrumque acta narrat Waddingus : primum, ambos coram Hugolino Cardinali præsentes, ab eoque interrogatos, an non e re Ecclesiæ censerent eorum sodales ad infulas abripi; alterum, Dominicum a Francisco petiisse, ut ex ambobus Ordinibus unus fieret, quod iste non probavit; tertium, Dominicum tandem amica humilitate et sancta importunitate a Francisco saltem nodosam, qua præcingebatur, chordam obtinuisse, quam mox ille sub suis vestibus corpori circumdederit. Nænias scilicet istas tyrunculis Minoritis, cum vestiebantur, canebant : puerilia enim ejusmodi et insulsa pueris tantum conveniunt; verum Sanctorum ad majorem Dei gloriam non nisi magna cogitantium haud majestate digna. Non chorda Dominicum, sed carena ferrea occulte cinctum; sanctum Franciscum vero, quam antiquiores monachi sub vestibus ferebant chordam, suis, ut aperte supra vestes omnium oculis objicerent, præscripsisse, dissertatione superiore ostensum est.

qui propterea diversis argumentis contendit,

667 Alterum, ut ex ambobus Ordinibus unus fieret, quocumque modo intelligatur, in mentem Dominici venire non potuit : non quidem ut in Franciscanum suus transiret, quem tot laboribus instituerat, per Europam jam disperserat, cœlum tot visionibus approbarat, summus Pontifex solemni diplomate confirmarat, et multis privilegiis jam ornarat, cum sanctus Franciscus nullam adhud suæ societatis confirmationem, scripto saltem obtinuisset, nec nisi pluribus annis postea obtinuerit; neque etiam in suo Franciscani accederent : Dominicus enim, ut alter Paulus, quemque in sua vocatione permanere suadebat. Sic, ut dissertatione sequente ostendetur, varios ex variis Ordinibus et monasteriis socios in prædicatione anno MCCXX asciscebat, sed in proprio quemque sui Ordinis habitu. Cur Minores suum deponere voluisset?

totum istud colloquium esse fabulosum,

668 Jam quantum ad Cardinalis Hugolini propositionem, utrumque Sanctum Waddingus, fateor, summa cum modestia respondentem exhibet. At idne tanti est, ut tota Dominici Vitæ ratio propterea evertenda sit? Sanctus Bonaventura quidem de his Hugolinum cum sancto Francisco aliquando egisse refert; at cum nec ille, nec scriptores nostri, qui ante seculum MCCC floruerunt, Dominicum in eo congressu præsentem fuisse meminerint, istud postea adinventum credere est ab iis, qui res, ut apud primos ac ingenuos auctores legitur, simpliciter narrare non sustinent, nisi novis pro libito circumstantiis augeant et adornent. *Deinde ibidem fatetur, S. Antoninum de prima colloquii parte in Actis S. Francisci meminisse. Denique tamen concludit, narrationem illius non esse admittendam, ut jam supra indicavimus.*

quod tamen necdum evincit,

669 *Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 10 § 10 *scribit sequentia :* In clericis nostris triplex vivendi modus distinguitur. Clerici seculares laborant in studio ; Canonici seculares vel regulares horis canendis invigilant ; monachi vero, vel alii Religiosi, institutionibus regularibus diligenter insudant, et in his omnibus suo modo vivendi singuli sunt contenti. Fratres autem Prædicatores et Minores, prout Ordo eorum instituit, simul hos tres vivendi modos servare videntur. Student cum clericis, cum Canonicis horis canendis invigilant, cum monachis vero, et aliis Religiosis, in conventibus suis accusationes, vapulationes, jejunium, et pro magna parte silentium, quotidianasque fere ac generales post Completorium sustinere tenentur disciplinas ; præter illa, quæ intrinsecus sunt, ut est ad nudum in Prædicatoribus durus super lumbos funiculus, vestis in itinere pedestri lanea, multis sudoribus infecta, cum eo quod sine ullis possessionum proprietatibus vivere elegerunt. *Georgius Colvenerius, Duacenus sacræ theologiæ doctor, ad hunc Cantipratani textum notat, Dominicanos a se consultos respondisse, sibi talem funiculum ex instituto gestandum esse, et occasione hujus funiculi cum Sedulio Franciscano meminit de chorda S. Francisci, qua* S. Dominicus *se sub interiori tunica cinxisse traditur.*

cum non destruxerit fidem veterum testium, qui allegantur,

670 *Cum hæc doctoris Duaceni observatio displiceret Echardo, illam tomo* 1 *pag.* 77 *sive refutatione prætereundam non putavit* : Ex hactenus dictis colliges, *inquit,* Georgio Colvenerio in suis notis ad locum Cantimpratani supra citatum nostros sciscitanti recte respondisse, eam se ex Ordine consuetudinem habere, duro nempe funiculo ad carnem constringi; sed puram putam fabulam esse, quod ibidem Colvenerius subjungit ex Henrico Sedulio in commentario ad caput XII Vitæ sancti Francisci, et ex libro cui titulus Speculum Vitæ ejusdem Sancti, Dominicum, cum Francisco aliquando congressum, ab eo chordam nodosam, qua cingebatur, petiisse, et, licet ægre, tamen obtinuisse, qua mox sub interiori tunica se cinxit, nec deinceps dimisit. Primo enim licet beatus Dominicus durum funiculum ad renes suis præscripserit ex more apud Religiosos communi, ipse funiculum numquam gestasse legitur, sed catenam ferream. *Postquam de catena ferrea id solide probavit ex Rodolpho, teste oculato, quem postea in processu Bononiensi audiemus, ibidem ita prosequitur :* Quis locus illic chordæ, ubi catena ferrea? Sane si et illa etiam fuisset, eam non secus ac catenam, ceu depositum duplici ex capite sacrum, Rodolphus servasset, et quod sancto Francisco usui fuisset aliquando, et quod sancto Dominico tam arcte tamque intime adhæsisset; cujus tamen nulla est memoria.

et ex quorum inspectis codicibus lis decidenda esset.

671 *Sed Echardus (quod salva eruditissimi viri pace dictum sit) hoc argumento rem non conficit : potuit enim* S. Dominicus *chordam gestare, quemadmodum suis præscripserat, eique majoris pœnitentiæ causa catenam ferream superaddere. Sic in Opere nostro ad diem* XIX *Februarii in Actis B. Bonifacii, episcopi Lausanensis, legimus, quod hic præsul corpus jejuniis vigiliisque domuerit, et majo-*

ris

AUCTORE G. C.

A *ris castigationis causa cum cilicio simul circulum ferreum gestarit. Adde, quod in Officio proprio diœcesis Antverpiensis de S. Lamberto, episcopo et martyre, quotannis recitemus sequentia :* Incredibili ejus abstinentiæ orationumque instantiæ cilicinus ad nudam carnem respondebat cum nodosa chorda amictus. *Locus ergo erat nodosæ chordæ, licet illic cilicinus esset amictus, aut etiam catena ferrea fuisset. Quod autem nulla fiat mentio de funiculo, quem Rodolphus etiam servasset, nihil, aut nimium probat. Sic speciatim non memorantur aliæ interiores* S. Dominici *vestes, quarum aliquas propter istud silentium Sancto abjudicare, aut quas omnes simili argumentandi ratione ab eodem Rodolpho servatus dicere possemus, cum tamen nulla hujus rei distincta memoria exstet. Nos probabiliter opinamur, post mortem* S. Dominici *sacras hujus exuvias inter socios distributas aut ab illis præsentibus certatim acceptas esse, et in ea distributione vel acceptione, catenam ferream memorato Rodolpho obtigisse, aliasque reliquias aliis sodalibus datas esse, quamvis expressa harum notitia non inveniatur. Ceterum de summa hujus controversiæ idem* B *pronuntiamus, quod paragrapho præcedente de altera diximus : nam etsi argumenta quædam Echardi robore suo non careant, tamen omnem vim perdent, si Franciscani ex antiquis Mss. codicibus legitime probaverint, hanc narrationem ab oculato teste, nimirum Fratre Leone, aliisque supparibus Ordinis sui historicis posteritati relictam esse. Nunc series Actorum postulat, ut* S. Dominicum *deducamus Bononiam, et varia illius gesta ante primum Capitulum Bononiense recenseamus.*

§ XXXVI. Varia Sancti gesta et itinera usque ad Pentecosten anni 1220, sive primum Capitulum generale.

Cum S. Dominicus æstate anni 1229 Bononiam venisset,

N*escimus, quo mense anni* 1219 S. Dominicus *Bononiam pervenerit, cum Soëgius adventum ipsius mensi Julio, alii scriptores Augusto affigant. Præterea ignoramus, an propagandi Ordinis aut negotiorum causa non adierit plures Italiæ civitates,* C *priusquam se ad urbem Bononiensem conferret. Attamen ex testimonio Theodorici de Appoldia, aliorumque synchronorum constat, illum in æstate anni* 1219 *Bononiam advenisse. Frugerius Pennensis in processu Bononiensi infra num.* 59 *testabitur, quod ipse Kalendis Septembris Bononiam revertens, ibidem* S. Dominicum *invenerit. Hinc patet error Joannis Garzonis, qui hunc adventum nimis diu distulit, dum apud Leandrum Albertum in Opere de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *fol.* 17 *reditum Sancti ex Gallia in Italiam ita narrat :* A Natali Salvatoris anni erant mille et ducenti ac decem et novem, cum Dominicus Parrhysio proficiscens, ad castrum, cui Castellioni est agnomen, pervenit. *Deinde relato miraculo, quod Sanctus in itinere illo patravit, ibidem hæc subjungit :* In exitu anni Bononiam venit. *Verum ex dictis liquet,* S. Dominicum *Kalendis Septembribus jam Bononiæ fuisse, adeoque ingressum illum Bononiensem perperam ad finem ejusdem anni* 1219 *differri.*

ibi paululum commoratus,

673 *Non videtur Sanctus ibi diu mansisse ex sententia Malvendæ, qui in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 23 *scribit sequentia :* Facile autem disertus quisque nobiscum existimabit, quod est quam maxime verisimile, Virum Dei paucis diebus Bononiæ commoratum, statim Romam contendisse, summo Pontifici Honorio III rerum a se in Hispania et Gallia in fundatione et constitutione Ordinis gestarum rationes omnes expositurum; quod et Pontifici gratissimum fore non dubitabat, et muneris sui eas esse partes arbitrabatur. Quem morem æquum et bonum servant ad hanc usque diem generales Magistri Ordinis nostri, ut simul atque ex provinciarum lustratione, quam visitationem vocant, Romam redeunt, ipsi Christi Vicario majorum rerum ab se in provinciis actarum, veluti summam quamdam referant, breviter statum Religionis, merita Fratrum præclara, statuta imposita, et id genus alia perstringentes. *Attamen Echardus tomo* 1 *pag.* 87 *existimat, Sanctum tunc Bononiæ* tribus circiter mensibus *substitisse.*

socios ad varias Italiæ civitates misit,

674 *Quidquid sit de hac breviore aut longiore commoratione, Sanctus Reginaldum Bononia Parisios ablegavit sperans, ab ipso non minorem fructum referendum in urbe Parisiensi, quam antea retulerat in Bononiensi, ubi egregius ille vir multos Ordini aggregarat. Misit etiam inde socios ad varias* E *Italiæ civitates, ut cœnobia Ordinis erigerent, quibus forsan ipse Sanctus viam aperuerat peragrando illas urbes, antequam Bononiam veniret. Certe Echardus putat, anno sequenti nova quædam Prædicatorum cœnobia erecta esse in diversis Italiæ civitatibus, quas tomo* 1 *pag.* 20 *in notis sic enumerat :* At non Bergomum solum aut Mediolanum anno MCCXIX sodales misit beatus Dominicus, sed et ad celebriores Longobardiæ civitates, Veronam, Brixiam, Faventiam, Placentiam; qui verbo et exemplo ita earum urbium cives sibi devinxerunt, ut et plures ad Ordinem aggregarint, et intra annum sequentem MCCXX, forte etiam ante Pentecosten, in iis omnibus cœnobia erexerint.

et ipse Viterbium discessit ad Honorium III,

675 *Cum autem* S. Dominicus *Bononiæ negotia sua peregisset, assumptis aliquot sodalibus, profectus est ad Romanum Pontificem, qui tunc Viterbii degebat, et videtur Sanctus in eo itinere transiisse per urbem Florentinam, ubi feminam liberioris vitæ ad frugem reduxit, de cujus conversione postmodum fuse agemus. Hæc omnia Echardus loco proxime citato sic breviter exponit :* His ita Bononiæ constitutis, sed et pluribus eximiis viris recens in so- F cietatem aggregatis, Fratre Ventura Veronensi, qui primus fuit in processu Canonizationis testis, Fratre Stephano Lombardo, qui septimus in eodem, et aliis, Dominicus ipse Romanum iter aggressus est, summo Pontifici gestorum rationem redditurus, et plura seu pro regimine Ordinis, seu pro ejus ad exteros commendatione petiturus. Comites duxit Fratrem Guillelmum de Monte-ferrato, et Fratrem Bonvisium de Placentia, quod et ipsi testantur; nec dubium, quin et alios adjunxerit. Quocumque vero die Bononia excesserint, Florentia transeuntes, ut postea probabitur, jam Viterbii Honorium III ibi agentem convenerant XV Novembris : eo enim die Dominicus ab eo diploma obtinuit datum Viterbii XVII Kalendas Decembris, anno IV, quo Papa archiepiscopis et ceteris prælatis, per Hispaniam constitutis, latores præsentium commendat omni meliori modo.

[illegible] travit tria [illegible]

676 *Diploma, de quo Echardus hic meminit, in Annalibus Malvendæ ad annum Christi* 1219 *cap.* 37 *legitur, et ibidem ita sonat :* Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis ab-

batibus,

AUCTORE G. C.

batibus, Prioribus, et aliis ecclesiarum prælatis per Hispaniam constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Si personas Religiosas diligere et honorare curatis, Deo, cui servire, regnare est, satis gratum obsequium exhibetis, qui quidquid uni ex minimis suis fit, sibi fieri asseverat. Rogamus proinde devotionem vestram et exhortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios latores præsentium Ordinis Prædicatorum, quorum utile ministerium et Religionem credimus Deo gratam, in eorum laudabili proposito confoventes, ad officium prædicationis, ad quod deputati sunt, curetis benigne recipere: ac habentes eos pro nostra et Apostolicæ Sedis reverentia commendatos, in suis eis necessitatibus assistatis : qui verbum Dei gratis et fideliter proponentes, intendentes profectibus animarum, ipsum Dominum sólum secuti, paupertatis titulum prætulerunt. Preces et mandatum nostrum taliter impleturi, ut in districti examinis die positi ad dexteram, cum electis regnum cum eis percipiatis æternum : non audituri damnationis sententiam B reproborum, quos pro contemptu talium ipse Deus, qui se asserit in eorum despectione contemni, perpetuo incendio deputabit. Datum Viterbii XVII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno quarto. *Hi characteres chronologici mensem Novembrem anni* 1219 *designant, ut manifestum est.*

quibus Pontifex Ordinem Prædicatorum

677 *Sanctus ab Honorio Pontifice ibidem eodem anno, die* VIII *Decembris, obtinuit alterum diploma, quod apud Odoricum Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1219 *num.* 54 *et* 55 *exstat sequenti tenore :* Archiepiscopis, et episcopis, et abbatibus, et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint. Dilecti filii Prior et Fratres Ordinis Prædicatorum provide attendentes, quod, qui abscondunt frumenta, maledicuntur in populis, frumentum suum, verbum prædicationis videlicet, quod est pabulum animarum, super aquas multas, id est populos multos, seminant incessanter, et sarcinis divitiarum mundanarum abjectis, quo expeditius currant per mundi hujus agrum, quem plus solito sentes operiunt vitiorum, in abjectione voluntariæ paupertatis eunt, et flentes semina sua mit- C tunt, ut, Domino dante misericorditer incrementum, ad ejus aream suos cum exultatione valeant manipulos reportare.

variis præsulibus commendat,

678 Ipsos igitur, quorum et propositum sanctum et ministerium necessarium arbitramur, universitati vestræ affectuose duximus commendandos, charitatem vestram rogantes et exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro reverentia divina ad officium prædicandi, ad quod deputati sunt, benigne recipientes eosdem, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admonentes pro nostra ac Apostolicæ Sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad illud suscipiendum vestris exhortationibus præparati, tamquam bona et fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, et dicti Fratres per cooperationem vestram, suscepti ministerii cursum felicius Deo consummantes, optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum. Datum Viterbii VI Idus Decembris, Pontificatus nostri anno IV.

679 *Denique Honorius Pontifex mense Decembri ejusdem anni in civitate Castellana absolute dedit* S. Dominico *Romanam S. Sixti ecclesiam per litteras, ex quibus Raynaldus ad eumdem annum Christi* 1219 *num.* 50 *excerpsit sequentia :* Ligna pomifera in Ecclesiæ paradiso plantare, ac fovere plantata, juxta quod ex officii nostri tenemur debito, cupientes, dilecto filio Fratri Dominico et Fratribus sui Ordinis ecclesiam sancti Xisti de Urbe duximus concedendam, sperantes in Domino, quod tam ipse, quam Fratres sui poma nova et vetera, quæ Sponsus legitur Sponsæ servasse, ministraturi sint esurientibus animabus etc. Datum apud civitatem Castellanam XVI Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno IV. *Nemini mirum videatur, quod hoc anno primum data fuerit Prædicatoribus ecclesia S. Sixti, quam jam dudum antea incoluerant : nam etiam Parisiis ecclesiam S. Jacobi intrarant mense Augusto anni* 1218, *quæ tamen absolute dumtaxat eis concessa est mense Maio anni* 1221 , *ut superius* § 26 *notavimus, et recte observat Echardus, qui etiam ex jam relatis diplomatibus concludit, mensibus Novembri ac Decembri* S. Dominicum *Viterbii aut in vicinis Romæ civitatibus commoratum esse, et de negotiis suis cum Pontifice Romano egisse.*

D *et ecclesiam S. Sixti Dominico, Fratribusque concedit.*

E

Dein Sanctus Romam profectus est, ubi nonnulla fecit,

680 *Deinde Sanctus exeunte anno* 1219, *vel ineunte* 1220, *si stylo novo computes, Romam profectus est, et ibidem patravit multa miracula, quæ infra in Actis nostris narrabuntur. Echardus integra dissertatione probare nititur,* S. Dominicum *eo tempore nobilem juvenem Neapoleonem publice ad vitam revocasse, moniales Trans-Tiberinas ad cœnobium S. Sixti transtulisse, et tunc S. Hyacinthum aliosque ab ipso sancto Fundatore ad Ordinem Prædicatorum admissos esse. Verum Odoricus Raynaldus, Abrahamus Bzovius, Thomas Malvenda, aliique historici existimant, hæc et iis connexa in priori Romana* S. Dominici *commoratione contigisse. Quare superius* § 29 *ex monumentis Polonicis obiter indicavimus, huic opinioni Echardianæ plures difficultates chronologicas opponi posse. Sed non est operæ pretium, ut ibidem monuimus, operosius disputare de re, quæ gloriam Sancti nostri neutiquam diminuit, sive uno sive altero anno gesta sit.*

quæ Echardus ad præcedentes annos refert,

681 *Quinimo Echardus tomo* 1 *pag.* 87 *in gratiam sententiæ suæ violenter torquere cogitur textum Theodorici de Appoldia, qui infra num.* 146 *sic scribit :* Tempore quodam rediens de Hispania F Pater sanctus detulit Sororibus cochlearia cypressina, unum pro qualibet Sorore. *Echardus non diffitetur, hunc loquendi modum adversari opinioni suæ, dum ibidem post relata Theodorici verba sic disserit :* Hæc enim jam in sanctum Sixtum translatas moniales indicare viderentur, priusquam beatus Dominicus iter Hispanum susciperet, adeo ut ille filiarum suarum vel Segobiæ vel Matriti memor, singulis hæc xeniola compararit. Sed idne tanti est, ut propterea tota ratio itinerum Sancti, tot monumentis firmata, sit evertenda? Itaque cum ὕστερον πρότερον in narratione Theodorici necessario sit agnoscendum, ubi translationem monialium refert ante iter Dominici Hispanum, utrumque tamen ad annum MCCXIX collocans; quod si verum, ut mihi constat, iter præcessit, et translatio subsecuta est, ut supra a nobis constitutum : sic et in ista cochlearium delatione ac distributione aliquid in Theodorico necessario supplendum. *Non satis intelligimus, quomodo Echardus hic innuat, Hispanicum* S. Dominici *iter a Theodorico ad annum* 1219 *collocari, quandoquidem eodem tomo* 1 *pag.* 78 *asserit, quod*

Theo-

A *Theodoricus* annum non notet, quo Dominicus Roma exiit Hispaniam petiturus.

et propter quæ narrationem Theodorici, opinioni suæ contrariam,

682 *Postea Echardus supradicta pag. 87 veritatem narrationis Appoldianæ sic in dubium revocat :* Præterea incredibile est, *inquit*, etiamsi moniales illæ ante iter Dominici Hispanum translatæ asserantur, Sanctum ex Hispania tot regiones peragrare pedes * cogitantem, scilicet Galliam universam Parisios usque, exinde per Burgundiam in Italiam, tandem Bononiam, ubi tribus circiter mensibus substitit, priusquam Romam adiret, hujusmodi onus plus quam centum cochlearium (nam ab ipsis initiis plus quam centum Sorores apud sanctum Sixtum fuisse, omnes produnt) centum, inquam, illa et amplius cochlearia suis humeris imposuisse ; onus illud importunum et fastidiosum secum semper habuisse Tolosæ, Parisiis, in Burgundia, per Alpes, Bergomi, Mediolani, Bononiæ ; sodales eum non interrogasse, quid secum deferret, nullos, ut sibi daret, postulasse. Serio Dominicum alta omnia pro Dei gloria, pro majori Ecclesiæ incremento, stabilimento Ordinis in toto hoc itinere cogitantem, ubique prædicationi indefatigabiliter insi- B stentem, aliunde codicibus Euangeliorum et Epistolarum Pauli, quos semper secum in via ferebat, satis onustum, ad cochlearia attendisse, nemini sapienti probabitur.

** forte pedibus*

cogitur mutare,

683 *Denique textum Theodorici de Appoldia mutandum censet, eumque opinioni suæ accommodat, dum ibidem sic ratiocinari pergit :* Quid ergo? En quod verisimilius videtur ; nimirum quemdam e sodalibus Hispanis, qui ad prima Ordinis comitia Bononiam anno MCCXX venerunt, hæc cochlearia secum attulisse, a quo beatus Dominicus dono accepta, postea sub finem anni Romam, ut dictum est, se conferens Sororibus San-Xistinis munusculum hoc Hispanum distribuerit ; sicque verba Theodorici recte ordines : Tempore quodam rediens Romam beatus Dominicus detulit Sonoribus ex Hispania allata cochlearia cypressina, unum pro qualibet Sorore. *Hæ Echardi conjecturæ satis speciosæ sunt ; sed si ubique textum veterum auctorum ita mutare aut supplere liceat, facile non multis difficultatibus expediemus.*

ac testimonium Sororis Cæciliæ

684 *Attamen illa Theodorici narratio nititur auctoritate Sororis Cæciliæ, testis oculatæ, de qua* C *idcirco Theodoricus in suo prologo infra num. 4 sic scribit :* Tandem dilectus pater noster, Frater Gerardus, Prior provincialis Theutoniæ rediens de generali Capitulo, in Luca celebrato, detulit quædam præclara gesta sancti Dominici, de Bononia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt ; quæ sicut vidit et audivit, plena fide sincerissime enarravit, quæ usque ad annum Domini millesimum ducentesimum nonagesimum religiosissimam et sanctissimam vitam duxit. *Dein Theodoricus in ipsis Actis hanc cochlearium apportationem, et quædam prodigia, quæ* S. Dominicus *Romæ tunc temporis patravit, testimonio ejusdem Sororis Cæciliæ infra apud nos num.* 148 *ita confirmat :* Soror Cæcilia, decem et septem annorum puella, prima de sancti patris Dominici manu habitum Ordinis accepit, quæ Bononiam translata ad instaurandum cœnobium sanctæ Agnetis, ibidem adhuc vivit in senectute bona, et conversatione sanctitatis summa. Hæc ea, quæ memorata sunt, oculis suis perspexit, et auribus audivit, et fideliter enarravit.

in dubium revocare.

685 *Malvenda testimonio Sororis Cæciliæ contentus asserit, ipsum* S. Dominicum *hæc cochlearia cypressina ex Hispania attulisse, et in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 24 *laborem illum humili ejus charitati ita adscribit :* Miranda divini Patris humilitas et charitas, qui munuscula illa, amoris tamen et paupertatis signa, ex Hispaniis apportaverit, eaque Sororibus dederit. *Dein ibidem cap.* 25 *et sequentibus acriter tuetur aliud miraculum, quod Theodoricus ex ore Sororis Cæciliæ refert, et quod tamen Melchior Canus explodit. Ad hunc severiorem criticum proxime accedit Echardus, dum loco mox citato indicat, quod Soror Cæcilia præ senio vix mentis compos facile in quibusdam circumstantiis errare potuerit, aut vetularum more ea, quæ in juvenili sua ætate acciderant, forsan exaggerarit, ut alia occasione superius* § 6 *diximus, ubi ipsa Echardi verba recitavimus, et Malvendam cum Melchiore Cano concertantem vidimus. Illud utriusque critici judicium non omnibus placiturum existimamus : nam hac argumentandi ratione de pluribus aliis Theodorici narrationibus dubitari posset. Nos interim litem illam, inter tam eruditos ejusdem Ordinis scriptores agitatam, dirimere non audemus, ejusque decisione peritioribus relicta, potius ad discutienda* E *alia Sancti nostri gesta pergimus.*

Denique Sanctus Roma rediit Viterbium,

686 *Videtur* S. Dominicus, *Romæ transactis tribus circiter mensibus, ad Romanum Pontificem adhuc Viterbii agentem rediisse, ut Echardus tomo* 1 *pag.* 20 *in notis censet, et colligitur ex diplomate, quod Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1220 *cap.* 9 *sic retulit :* Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis et universo populo Majorici *(id est Matritensi, ut supra notavimus)* salutem et Apostolicam benedictionem. Gratum et acceptum nobis fuit, quod audivimus, videlicet quod nostros dilectos filios, Fratres Ordinis Prædicatorum, qui habitant apud Majoricum, recepistis in visceribus charitatis, et protexistis laudabiliter cum officiis pietatis : in quo intelligimus, vos gratum obsequium Deo præstare ; quia inter bona opera, quibus Deo servimus, fere nullum invenitur illi gratius, quam subvenire illis, qui propter sitim, quam habent, salutis hominum hauriunt in gaudio et lætitia aquas de fontibus Salvatoris, ut eas dividant in plateis ; non solum ad satietatem animarum, quæ sitim habent, sed etiam in salutare remedium et medicinam contra venenum ægrotantium animorum. F Et ut plenius cognoscatis sincerum affectum, quem erga prædictos Fratres gerimus, rogamus proinde devotionem vestram et exhortamur attente per Apostolica scripta mandantes, ut sicut laudabiliter cœpistis, ita pro nostra et Apostolicæ Sedis reverentia eos habeatis affectuosius commendatos, et in suis eos necessitatibus, beneficiis et eleemosynis vestris assistatis, taliter ut Deum vobis propitium reddatis, et nos obligetis vobis esse magis favorabiles et benignos. Datum Viterbii XIII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

ubi rursus ab Honorio III Pontifice

687 *Pontifex ibidem eodem anno Christi* 1220, *die* VI *Maii, dedit alias litteras, quibus Ordinem Prædicatorum archiepiscopo Tarraconensi commendat, et quæ loco proxime citato apud Malvendam sic sonant :* Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri archiepiscopo Tarraconensi salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam abundavit iniquitas, et refriguit charitas plurimorum, Ordinem Fratrum Prædicatorum, sicut credimus, Dominus suscitavit ; qui non, quæ sua sunt, sed quæ Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes alias morti-

AUCTORE G. C.

mortiferas exstirpandas se dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum pium propositum et necessarium ministerium favore prosequentes, fraternitatem tuam pro eis rogandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reverentiam divinam et nostram eos habeas devotius commendatos, ut ad promotionem eorum Ordinis taliter intendere studeas, quod apud Deum, cui est eorum grata Religio, possis multipliciter promereri, et dicti Fratres per cooperationem tuam et aliorum fidelium roborati, suscepti ministerii cursum felicius consummantes, optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum, ac nos devotionem tuam exinde possimus in Domino commendare. Datum Viterbii pridie Nonas Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

in illa commoratione vel post discessum suum

688 *Si hoc secundum diploma Viterbii* S. Dominico *præsenti datum fuerit, ut Echardus tomo* 1 *pag.* 84 *innuit, ex die* VI *Maii, quo illud signatum est, et die* XVII *ejusdem mensis, quo Sanctus Bononiæ Capitulum generale celebrare cœpit, manifeste* B *sequitur, illum spatio decem dierum Viterbio Bononiam pervenisse, adeoque quotidie magna itinera conficere consuevisse, ut superius alia occasione dictum est. Sed non videtur præsens Viterbii ab Honorio Pontifice obtinuisse tertium diploma, quod Echardus tomo* 1 *pag.* 85 *ex Soëgio ita refert :* Honorius etc. Dilectis filiis Magistro Roberto sancti Victoris, Vincentio de Sillia, Cattorgio de Mansu, Josepho de Flore, Jacobo Vallisumbrosæ, et Domingo de Aquilari monasteriorum monachis etc. Quia qui seminant super aquas, et qui frumentum abscondunt, in populo maledicuntur, consulte agitis, si talentum vobis a Deo creditum in sudario non ligatis; cum a nemine accendatur lucerna, ut ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut cunctis, qui in domo sunt, luceat, statuatur.

obtinuit diversa diplomata,

689 Cum ergo dilectus Frater Dominicus, Prior Ordinis Prædicatorum, magnum credat animarum profectum, si quam recepistis a Domino prædicationis gratiam, juxta suam erogetis providentiam utilitatibus proximorum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus pro illius amore, qui propter nimiam C charitatem, qua dilexit nos, de secreto Patris ad publicum humanæ conditionis exivit, proficiscamini cum ipso Fratre Dominico ad proponendum, quibus expedire viderit, verbum Dei, quo lumine veritatis ostenso, errantes ad viam justitiæ revertantur, scientes, quod vos concessimus Fratri prædicto, ut eidem in ministerio verbi Dei cooperari teneamini, proprium semper habitum deferendo. Datum Viterbii IV Idus Maii, Pontificatus nostri anno quarto. *Cum litteræ illæ signatæ sint* XII *Maii, verosimillime* S. Dominicus *eas absens impetravit, quandoquidem nullo modo est probabile, Sanctum intervallo quatuor dierum ex urbe Viterbiensi ad Bononiensem pervenisse. Unde Echardus ibidem post relatas istas litteras notat sequentia :* Hoc diploma non putem Dominicum præsentem accepisse, cui non satis superfuisset temporis, ut Bononiam rediret, ubi XVII ejusdem mensis, die Pentecostes. Capitulum suum generale aperire debebat; sed saltem ad ejus preces, dum Roma paulo ante reverteretur, a Pontifice obtentum.

quæ hoc loco exhibuimus

690 *Echardus tomo* 1 *pag.* 20 *in notis tradit,* S. Dominicum *etiam tunc temporis, seu vivæ vocis oraculo, seu scripto et sigillato diplomate, quod jam* D *forsan periit, absolutam et plenam in universum Ordinem Prædicatorum ab Honorio Papa potestatem obtinuisse. Causam hujus rei Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 29 *erudite explicat, et ibidem allegat irrefragabile testimonium Venturæ Veronensis, quo in Processu Bononiensi infra apud nos num.* 2 *id ipsum confirmatur in hunc modum :* Frater Ventura Veronensis presbyter et Prior Conventus Fratrum Prædicatorum de Bononia juratus dixit, quod XIII anni sunt et plus, quod ipse testis intravit Ordinem Fratrum Prædicatorum ad inductionem et admonitionem Fratris Dominici, Ordinis Fratrum Prædicatorum fundatoris et primi Magistri, et in manu ejus fecit professionem, et ab eo habitum recepit. Et tunc temporis ipse Frater Dominicus habebat plenam potestatem et dispensationem et ordinationem et correctionem totius Ordinis Prædicatorum post dominum Papam. *Similia occurrent apud Theodoricum de Appoldia inferius in Actis num.* 182, *ubi memorabit primum Capitulum generale, de quo jam nobis agendum est.*

E

§ XXXVII. Acta quædam in primo Capitulo generali, quod Bononiæ anno 1220 celebratum est.

Humbertus de primo Capitulo Ordinis Prædicatorum,

H*æc prima Ordinis comitia celebrata sunt anno Christi* 1220 *festo Pentecostes, quod eo anno in diem* XVII *Maii incidit. De tempore veteres et recentiores historici consentiunt, et inter illos venerabilis Humbertus in suo Chronico eumdem annum ac præcipua decretorum capita summatim indicat his verbis :* Anno Domini MCCXX primum Capitulum generale celebratum est Bononiæ sub beato Dominico, cui interfuit etiam Frater Jordanis missus ad istud de Parisius, ubi intraverat paulo ante Ordinem in Quadragesima præcedenti. In hoc autem Capitulo inter multa, quæ statuta fuerunt, fuit et hoc statutum, quod amodo possessiones et reditus non reciperentur, et quod illa resignarent, quæ habebant in partibus Tolosanis, et quod Capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononiæ celebraretur, quod F longo tempore observatum fuit; sed postmodum aliter est statutum.

cujus aliqua decreta postmodum mutata sunt,

692 *Decretum illud celebrandi Capitulum alternis annis Bononiæ et Lutetiæ Parisiorum postea in Comitiis Parisiensibus anni* 1241 *explicatum est, ut apud Edmundum Martene tomo* 4 *Thesauri anecdotorum col.* 1682 *in Actis horum comitiorum num.* 1 *exprimitur hisce verbis :* In constitutionibus, ubi dicitur, Capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononiæ celebretur, addatur : Nisi Magistro et definitoribus ex causa legitima quandoque aliud videatur. *Mos tamen iste alternandi comitia generalia obtinuit usque ad annum* 1245, *quo Capitulum Coloniæ celebratum est. Quod autem attinet ad comitia singulis annis habenda, id mutatum videtur in Capitulo Burdigalensi anni* 1287, *in cujus Actis apud laudatum Martene tomo* 4 *Thesauri col.* 1819 *num.* 4 *legimus sequentia :* Capitulum generale uno anno intermittatur et sequenti anno celebretur. Et quidquid contra formam hujus constitutionis repertum fuerit in constitutionibus, per definitores Capituli generalis, in quo hæc constitutio confirmabitur, removeatur. *Ceterum de celebratione Capitulorum generalium Malvenda*

venda

AUCTORE G. C.

A *venda ad annum Christi* 1220 *cap.* 21, *et Constitutiones Ordinis Prædicatorum dist.* 2 *cap.* 8 *ac* 9 *consuli possunt.*

et Bernardus Guidonis summatim meminerunt:

693 *Bernardus Guidonis in Libello de Magistris Ordinis Prædicatorum apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 402 *et* 403 *de iisdem comitiis hæc habet:* Anno Domini MCCXX sanctus Dominicus primum generale Capitulum Bononiæ celebravit: in quo Capitulo per constitutionem perpetuam, omnibus temporalibus abdicatis, resignando tam præsentibus quam futuris, Ordo Prædicatorum paupertatem voluntariam est professus; in quo etiam fuit statutum, ut Capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononiæ celebretur, ita tamen quod sequens immediate Capitulum deberet propter solemnitatem numerosi tunc Conventus apud Bononiam celebrari, sicut et factum fuit. Multa etiam fuerunt statuta ibidem, quæ usque hodie in Ordine observantur. Huic Capitulo interfuit Frater Jordanis, successor beati Dominici, sicut ipsemet in suo libello describit. *Hoc testimonium infra in Actis* S. Dominici *num.* 64 *ex ipso B. Jordano* B *audiemus.*

etsi nobis desint ipsa hujus Capituli Acta,

694 *Laudatus Edmundus Martene tomo* 4 *Thesauri anecdotorum a col.* 1669 *Capitula generalia Ordinis Prædicatorum ex Ms. Tolosano edidit; sed non invenit singularia hujus primi et aliquot sequentium Capitulorum decreta, quæ jam dudum perierunt, aut alicubi delitescunt: nam antiquus eorum collector, quem Bernardum Guidonis esse suspicamur, ibidem col.* 1669 *ante illa Acta Capitulorum generalium ita præfatur:* Ab anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo usque ad annum ejusdem Domini benedicti; millesimum ducentesimum quadragesimum, de actis Capitulorum generalium pauca, quæ potui reperire, inferius annotavi. Ab anno vero Domini MCCXL usque ad annum Domini MCCCXIII, quo hæc scripsi, habentur completius recollecta, quibusdam tamen exceptis, pro quibus suo tempore recolligendis et complendis spatia vacua locis suis inferius dimittuntur. *Deinde ibidem de primo Capitulo Bononiensi fere memorat eadem, quæ jam numero præcedente retulimus.*

tamen aliunde scimus, Sanctum ibi cum magna animi demissione

695 *Etiamsi ignoremus multa, quæ in his primis comitiis gesta sunt, tamen præter jam memorata Theodoricus de Appoldia inferius apud nos cap.* 16 *narrat, quomodo* S. Dominicus *tunc magistratum* C *abdicare voluerit, et ad demonstrandam ejusdem Sancti humilitatem, ex veteribus monumentis refert sequentia:* Præsidens autem Capitulo humilis Servus Christi, dixit inter Fratres: Ego sum dignus depositione, quia sum inutilis et remissus. Et qui sanctitate et auctoritate major erat omnibus, multum se humiliavit in omnibus coram omnibus. Cumque cessionem ipsius nequaquam Fratres admittere acquiescerent, decrevit ex eorum beneplacito, ut deinceps statuerentur diffinitores, qui haberent potestatem super ipsum et totum Capitulum diffiniendi, statuendi, ordinandi, donec duraret Capitulum, salva imposterum reverentia magistrali... Prædicatorum Ordinem ad utilitatem Ecclesiæ divina dispensatione erectum, ac a Sede Apostolica rite conconfirmatum Christi confessor beatus Dominicus auctoritate ejusdem Sedis hactenus regendo cum omni sanctitatis diligentia gubernarat. Nunc autem illustres dicti Ordinis viri ipsum in hoc Capitulo cessionem humiliter petentem unanimi caritate sibi ac devotione volunta ia concorditer prætulerunt. Magister igitur et rector ab eis constitutus, fuit in illis sicut unus ex illis, nisi quod rigore primus, abstinentia, vigiliis, jejuniis, et castigationibus in se ipsum maximus, sanctitate summus, humilitate exstitit altissimus. *Hoc infra testibus oculatis in processu Bononiensi confirmabuntur.*

se frustra voluisse supremo Ordinis magisterio abdicare,

696 *Malvenda vero in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1220 *cap.* 14 *ex his et similibus monumentis ita concludit:* Sic igitur Vir Dei, qui præ humilitate generali Magisterio Ordinis et supremæ præfecturæ, quam Apostolica auctoritate sibi impositam hactenus gesserat, renuntiare cupiebat, communi definitorum et totius generalis Capituli consensu, electus est generalis Magister et summus totius Ordinis prælatus; et quod ante a Pontifice habebat, nunc electione Fratrum accepit, seu potius communi consensu, auctoritatem supremi præsidentis, quam in totum Ordinem a Sede Apostolica acceptam exercebat, Fratres acceptarunt, agnoverunt, probarunt, inspexerunt, venerati sunt; et si opus esset, ipsi de novo eum in suum Magistrum et præfectum eligebant, ipsumque humiliter rogarunt, ut eam potestatem deinceps exerceret et continuaret, E eosque, ut hactenus fecerat, gubernaret, regeret, et quidquid auctoritatis ipsi poterant ex vi illius religiosi cœtus et confirmati Ordinis vel more vel statutis, aut ratione approbatæ in Ecclesia Religionis in se ipsos dare, eidem sancto Patri plenissime permisere. *Dein fuse disserit de auctoritate Magistri generalis, potestate definitorum, ac regimine Ordinis Prædicatorum: quæ omnia nos curiosis harum rerum lectoribus assignamus, ac ibidem pervolvenda relinquimus.*

et edidisse decretum de stricta paupertatis observantia,

697 *Porro Malvenda ad eumdem annum* 1220 *cap.* 17 *circa abdicationem possessionum ac redditaum, in illis comitiis stabilitam, hæc observat:* Mirus euangelicæ paupertatis amor, et ardens illa Christianæ perfectionis sitis, in pectore Dominici exæstuans, Virum apostolicum ad sanciendam severam illam de paupertate constitutionem adegit. Sed cum res Ordinis, uti videmus, in eum statum evaserint, ut exiguæ possessiones et redditus in communi a Conventibus pro modica et temperata alimonia Fratrum sint admissæ, paucis videndum, quamdiu rigor illæ disciplinæ regularis de non habendis possessionibus in Ordine nostro viguerit, et ut cœperit remittere, F quanam occasione vel causa possessiones inductæ fuerint, et num contra statuta majorum et sancti patris Dominici factum, ut redditus et bona stabilia Conventus nostri possiderent. Nam quod quidam aiunt, sanctum Dominicum maledictionem Dei et suam in eos fulminasse, qui possessiones in Ordinem importassent, agemus fusius de his in obitu Viri Dei anno sequenti, cap. 37, quando ea exsecratio ab eo jacta traditur.

cujus mitigationem postea inductam Antoninus Senensis excusat,

698 *Deinde ibidem cap.* 18 *et sequentibus copiose de hac re disputat, et auctoritate S. Thomæ, S. Antonini, aliisque rationibus probat, stabiles possessiones licite postea in Ordinem Prædicatorum inductas esse. Nos neutiquam dubitamus, quin illa primi Capituli constitutio postmodum legitime mutata fuerit, et propterea libenter acquiescimus argumento Antonii Senensis seu Lusitani, qui in Chronico Prædicatorum pag.* 19 *et* 20 *rem totam expedit his paucis verbis:* Anno MCCXX beatus pater Dominicus generalia comitia celebravit Bononiæ; et in eis ordinavit, ne possessiones ullas aut redditus haberent Conventus nostri, et habitis renuntiarent. Et quidem, si ea hoc nostro seculo in nobis fervens charitas perdurasset, quæ in

patribus

AUCTORE G. C.

patribus nostris viguit olim, in populo etiam Christiano ad erogandas eleemosynas non jam foret adeo diminuta vel potius exstincta, opportuna admodum esset hæc Religionis statui constitutio. Sed illo antiquo fervore spiritus in nobis tepefacto, et in populo per cupiditatem (quæ utique est charitatis venenum, teste Augustino) charitate sopita et exstincta, oportuit secundum conditionem legum, quæ sive ecclesiasticæ fuerint, sive civiles, variatis temporibus, etiam mutantur interdum, hanc constitutionem Pontificia dispensatione mutari: nam experientia hodie comprobatur clarissima, quod regularis disciplinæ integritas hoc seculo nostro ægre potest, regulariter saltem, ita consistere, cum Conventus necessariorum premuntur penuria; quinimo ibi abusus consurgunt innumeri, et exsecrabile proprietatis vitium fit multis familiare.

et cui strictioris paupertatis decreto,

699 *Nunc discutienda sunt nonnulla, quæ in iisdem comitiis gesta memorat Flaminius, dum in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 45 *verso imprimis hæc scribit:* Anno autem MCCXX primam per dies Pentecostes generalem synodum Bononiæ celebravit ea potissimum de causa, ut quædam ad stabiliendum magis et amplificandum Ordinem pertinentia in tanto patrum conventu decerneret. Convenere autem ad edictum, ut de diversis quidem aliis locis, ita Parisio quidam. Primum vero decretum fuit, ut prædia omnia, quæ ad eam diem Prædicatores possederant, ubicumque essent, sine mora dimitterent: quod quamvis (ut supra ostendimus) agitatum antea fuisset, ac propterea sacris virginibus Prulianensibus multa essent condonata, non tamen publice adhuc decretum id fuerat, ut bonis talibus Ordini interdiceretur.

B

sicut et vestium mutationi, dicuntur Fratres Tolosani restitisse,

700 Cumque Tholosani quidam Prædicatores hanc rem moleste ferrent, et auctoritate jussi Apostolica nolle parere synodo viderentur, nec etiam vetus indumentum deponere, ac Virgineum accipere, Pontificem maximum appellarunt; qui cum Romam ea de causa ituri, prius Bononiam venirent, graviter mulctati sunt: nam, petente beato Dominico, Bononiensis magistratus nummos, quos secum attulerant, et equos illis ademit. Nec passus est Vir sanctus præsenti synodo interesse, ut exemplo ceteris essent et continuo Tholosam abirent, jussit; qui demum sibi ipsis displicentes, et factum suum improbantes, synodo paruerunt, et jussum indumentum accepere. Ita de servanda imposterum euangelica paupertate, ac gestando virginali habitu, lata ibi lex et promulgata est. *Quidam scriptores hanc Flaminii narrationem mitigant; alii autem cum Echardo eamdem, tamquam fabulosam, totam explodunt, ut postmodum videbimus.*

C

quod certe tunc non contigit, si umquam factum fuerit.

701 *Si id umquam factum fuerit, certe post hæc prima comitia fieri oportuit, ut Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 2 *recte contendit sequenti ratiocinio:* Hoc ipso anno MCCXXI, *inquit*, procul dubio contigisse putamus, quod auctores referunt de Fratribus Tolosanis, detrectantibus parere constitutionibus Capituli generalis superioris anni, et ad Pontificem Romam ea de causa euntibus, atque a sancto Dominico detentis et increpatis: nam quamvis Flaminius, id anno superiori in ipso Bononiensi Capitulo factum existimet, ac tum id non potuerit accidere, nisi postquam Acta Capituli generalis Tolosam delata et publicata fuere, et in ea contentione ultro citroque oportuerit multa inter sanctum Dominicum et ipsos per litteras agitari, in quibus non modicum tempus intercessisse necessum fuerit, verisimilius est, controversiam anno superiori versari cœptam, hoc anno tandem finitam et compositam, ut Antonius Senensis in Chronico pag. 21 et alii annotarunt. *Ceterum infra suo loco examinabimus, an verosimiliter id umquam revera contigerit.*

D

Statuerat Sanctus curam rerum temporalium Fratribus Conversis committere;

702 *Interea pergamus cum Flaminio, qui in Vita* S. Dominici *fol.* 46 *hæc præcedentibus subjungit:* In eadem synodo optavit beatus Dominicus [se] abdicare Magisterio sed id passi non sunt patres. Quosdam etiam instituit (diffinitores vocant) quos in se quoque potestatem habere voluit, ut arbitrio illorum et jussu vel abdicaret [se] Magisterio, vel id retineret, qui et ipsi, ut abdicaret non permisere. Ex eorum numero fuit insignis vir Jordanis Theutonicus, qui tunc vix tertium mensem in Ordine agebat. Voluit etiam beatus Dominicus, ut ab iis tantum, qui Conversi dicuntur, temporalia tractarentur, a reliquis spiritalia, ne quid illorum studiis, ne quid prædicationibus et divinis officiis impedimento esset. Sed non permisere diffinitores, veriti, ne Prædicatoribus accideret, quod et Grandimontensibus, qui ob talem causam defecisse dicebantur: quorum sententiam Vir sanctus æquo animo tulit, et approbavit. *Quod Flaminius hic refert de desiderio abdicandi supremum Magisterium, jam supra ex antiquioribus monumentis exposuimus; ad illud autem, quod de administratione rerum temporalium Fratribus Conversis relinquenda tradit, etiam Theodoricus infra in Actis num.* 194, *et S. Antoninus parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 § 12 *alludunt. Id ipsum F. Joannes Hispanus infra in Processu Bononiensi num.* 30 *clare explicabit. Quod denique addit de exemplo Grandimontensium, explicatione nonnulla indiget.*

E

sed sententiam mutavit, territus exemplo laïcorum Grandimontensium,

703 *Bollandus noster ad diem* VIII *Februarii egit de S. Stephano, fundatore Ordinis Grandimontensis, et ea occasione in Commentario prævio* § 2 *retulit aliqua ex Cardinale Jacobo de Vitriaco, qui cap.* 19 *Historiæ Occidentalis, Ordinem Grandimontensem ita describit:* Est altera Fratrum Religio seu regularis institutio, quæ de Grandimonte nominatur, quorum caput et originale monasterium in partibus est Aquitaniæ. Hi siquidem Grandis-montis Fratres a principio Ordinis prudenter instituerunt, quod monachi spiritualibus et divinis officiis tantummodo intenderent, temporalium administratione et providentia laïcis Fratribus credita et relicta. *Deinde Ordinis regulam explicat, et ad rem nostram hæc subdit:* Licet autem monachis et viris spiritualibus videatur expedire, temporalium administrationem, seu qualecumque dominium, non habere, ut tanto tranquillius spiritualibus vacare valeant, quanto de temporalibus non cogitant, inimicus tamen humani generis et totius religionis callidus impugnator tam sanctis quam et salutaribus invidens institutis, hac occasione murmur valde perniciosum, seditionem et scandalum aliquando suscitavit inter clericos et laïcos, monachos et Conversos prædicti monasterii Grandis-montis. *Postea ibidem exponitur, in qua re potissimum superbi isti laïci peccaverint, et quomodo demum clericis subjecti fuerint.*

F

quorum superba insolentia

704 *Sed ista Conversorum Grandimontensium insolentia graphice depingitur in litteris, quas Edmundus Martene tomo* 1 *Thesauri Anecdotorum a col.* 845 *nuper inseruit, et in quibus monachi Grandimontenses apud Innocentium III Pontificem post alia sic miserabiliter conqueruntur:* Ipsi siquidem laïci nos opprimunt ultra quam credi potest, et affi-

A affligunt, et de die in diem suis astutiis suæ nos satagunt subjicere servituti. De servientibus facti sunt domini, magistri de discipulis, Fratres de nuntiis, et divites de egenis. Nolunt corrigi, sed corrigere; non doceri, sed docere. Volunt videri philosophi, cum sint omnino stolidi. Sapientes autem sunt, ut faciant mala; bona autem facere nesciunt, quia a Deo non sunt. Domos siquidem Ordinis, quibus præsident, destruunt, instituta Religionis violant, bona communia dissipant, consanguineis, notis, et amicis secularibus ea nequiter erogantes, et sic Hebræos spoliant, abutentes præcepto Domini, et Ægyptios ditant, et ideo de receptis et expensis juxta mandatum tuum, domine, nolunt reddere rationem; sed contradicunt dicentes, quod curam habent temporalium de mandato tuo, et prout voluerint dispensabunt. *Sequuntur deinde atrociora laïcorum istorum facinora, quæ brevitatis ac verecundiæ causa omittimus.*

ex monumentis coævis hic breviter indicatur,

705 *Habebant tamen Conversi illi magnificos superbiæ suæ patronos, ut colligimus ex epistola Innocentii III Papæ, qui tomo* 1 *ejusdem Thesauri* B *anecdotorum col.* 847 *Robertum de Corchon Cardinalem, eorumque fautorem acriter reprehendit his verbis :* De tua prudentia mirari cogimur et moveri, quod cum aliis debeas esse vivendi forma, et religionis et honestatis exemplar; tu, sicut ex tuarum rescriptis perpendimus litterarum, materia dissensionis et scandali dignosceris esse factus : nam cum Conversi Grandis-montis jam dudum calcaneum suum erexerint contra Priorem et Clericos loci ejusdem, tu Conversos ipsos, ut majoris elationis cornua assumerent, et in fastuosam mentem * ascenderent superbiæ grandioris, ipsos protinus, cum fuisti legationis tuæ fines ingressus, sub tua protectione suscipiens, inhibuisti præfato Priori, ne quid contra statum Fratrum Ordinis permutare modo quolibet attentaret; mandans tam archiepiscopis, quam episcopis, ceterisque ecclesiarum prælatis, ac universis Christi fidelibus, ut contra ipsum Priorem ipsos fideliter tuerentur, *etc. Post hæc Pontifex tota illa epistola nervose ostendit, quod iste Sedis Apostolicæ legatus in hac causa multipliciter erraverit, ac limites suæ potestatis transgressus fuerit.*

* *forte* fastuosum montem

et refellitur error Flaminii qui falso putavit,

706 *Jam ab hac explicatione seu digressione revertamur ad Flaminium, qui de iisdem comitiis agens in Vita* S. Dominici *eodem fol.* 46 *sic pergit :* C Dum hæc synodus haberetur, recepti sunt in Ordinem Prædicatorum præclari duo viri, et humani ac divini juris scientia insignes, Raymundus Barchinonensis Decretalium scriptor, ac postea totius Ordinis generalis Magister loco tertius, et Joannes Theutonicus, Pontifici maximo charus pœnitentiarius, ac non multo post ad episcopatum Bossinæ promotus. Et cum non multo post episcopatu [se] abdicasset, totius Ordinis generalis Magister quartus post beatum Dominicum factus est, de quo quædam infra dicemus, quæ quantus vir fuerit, ostendent.

S. Raymundum in hoc Capitulo ad Ordinem Prædicatorum admissum esse.

707 *Sed constat, Flaminium errasse in assignando tempore, quo S. Raymundus de Penafort Ordinem Prædicatorum amplexus est, ut Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1222 *cap.* 9 *evidenter ostendit his verbis :* Mansit Raymundus Barcinone Canonicus et præpositus illius ecclesiæ ad præsentem usque annum MCCXXII, summa cum doctrinæ et probitatis laude in ore omnium celebris, quo anno mota lite inter Berengarium de sancto Vincentio et Bernardum Rapacem, Canonicos ecclesiæ Barcinonensis, uterque Berengarii episcopi consensu judicem arbitrum in ea causa delegerunt sanctum Raymundum, atque totum litis judicium et arbitrium deposuerunt, ut in publico instrumento dicitur, in manu magistri Raymundi de Penaforte, qui hoc anno MCCXXII, decima quarta Martii sententiam in causa tulit, subscripsitque manu propria in hæc verba : SIGNUM MAGISTRI RAYMUNDI DE PENAFORTI. Exstat tota de re ipsum publicum instrumentum autographum in archivo Capituli Barcinonensis. Atque hoc eodem anno in die Parasceves, sumpto sanctæ Religionis habitu, sanctum Raymundum Ordinem Prædicatorum ingressum, affirmat Nicolaus Rosellius. *Deinde tempus illud variis monumentorum testimoniis confirmat. At ex memorato instrumento satis patet, etiam hallucinatos esse illos auctores, qui ingressum S. Raymundi ad annum* 1218 *vel* 1219 *retulerunt. An autem Joannes Theutonicus tempore hujus primi Capituli ad Ordinem receptus fuerit, ut visum est Flaminio, curiosis Ordinis Dominicani historiographis accurate indagandum relinquimus, cum hactenus apud antiquos scriptores nondum invenerimus determinatum annum, quo eximius ille vir, et postmodum generalis Magister, habitum Prædicatorum suscepit.* E

AUCTORE G. C.

§ XXXVIII. Sanctus post primum Ordinis sui Capitulum generale ad diversas Italiæ civitates excurrit.

Quamvis Sanctus post prima Ordinis sui comitia

F*laminius, Castillus, aliique recentiores scriptores passim tradunt,* S. Dominicum *post finita prima Ordinis sui comitia ad varias Italiæ civitates excurrisse, inter quas nonnullæ gloriantur, sese bis terve diversis temporibus eumdem Sanctum hospitem habuisse. Saltem ex veteribus instrumentis post hunc commentarium edendis constabit, Sanctum Mediolani, Mutinæ, et in quibusdam aliis Italiæ urbibus aliquando substitisse. Sed antiqua illa documenta non exprimunt determinatum tempus, quo sanctus Ordinis Fundator ad eas accesserit. Quare hic præfari cogimur cum Malvenda, qui in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1220 *cap.* 31 *lectorem de apostolicis illis sancti Viri excursionibus ita monet :* Nos, quia in hac visitatione sancti Dominici seriem temporum et locorum, quæ invisit, exacte exprimere nequimus, nec ordinem itineris exponere licuit, simul hic omnia, quæ investigare ea de re potuimus, dabimus, gesta nimirum in his urbibus, quas adiit Vir Dei a Bononia profectus. *Nos hoc paragrapho idem faciemus, omissuri tamen ea, quæ infra in Actis aliisque antiquis instrumentis referentur.* F

ad aliquas Italiæ civitates excurrerit,

709 *Joannes Petrus Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* 109 *num* 16 *ex Ambrosio Taëgio in hanc rem profert sequentia :* Finito autem Capitulo generali, beatus *(nimirum* Dominicus, *ut Puricellus supplet)* toto illo anno planum Lombardiæ circuivit, prædicationi et saluti animarum intendens. Pervenit itaque Mediolanum in festo sancti Barnabæ apostoli, et ad Conventum Fratrum declinans, magnum ibi reperit numerum Fratrum, a quibus summo cum honore et omnium lætitia receptus fuit. Post non modicum arripuit eum febris, in cujus accessione jugiter orabat. Unde Frater Bonvisus, de quo supra mentio sæpius facta est, qui socius ejus tunc temporis erat, per signa vultus deprehendit, ip-

sum

AUCTORE G. C.

sum multas consolationes recipere divinas, ac cœlestia contemplari. Discedente vero febre, librum ante se deferri fecit, lectionemque legi faciebat. Postmodum cœpit Deum laudare et Fratribus prædicare; convalescensque de infirmitate, valedicens Fratribus, inde discessit. *Hæc ad annum Christi* 1220 *refert, et numero sequente addit*, S. Dominicum *anno* 1221 *post celebrationem secundi Capituli rursus Mediolanum venisse, quod alterum iter Mediolanense postea discutietur.*

tamen interdum rediit Bononiam,

710 *Dum Taëgius hic dicit, quod* S. Dominicus *planum Lombardiæ* toto illo anno *circuierit, id ita intelligendum est, ut Sanctus interdum Bononiam redierit : nam Bononiæ erat festo Assumptionis Deiparæ, quemadmodum discimus ex sequenti narratione, quam Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 50 *sic instituit :* Viri vitæ venerabilis, Alatrini episcopi, fidelissima attestatione res infra scripta comperta est, qui hoc etiam F. Joanni de Columna, Priori Fratrum tunc temporis in Romana provincia solicite perquirenti per suas litteras proprioque sigillo communitas transmisit. Hic cum adhuc esset Prior monasterii Casamaris * de Ordine Cisterciensi, quodam tempore dum a bonæ memoriæ Papa quondam Honorio in Theutoniam missus, per Bononiam iter faceret, ad dilectum virum Dei Dominicum, cum quo magnæ familiaritatis notitiam dudum Romæ contraxerat, visitandum accessit. Erat autem tunc temporis Bononiæ magister quidam Conradus Theutonicus, cujus ingressum ad Ordinem Fratres mirabiliter affectabant.

B

* *Const.* Casamariæ

ubi Conradum precibus suis mirabiliter ad Ordinem attraxit,

711 Cum ergo in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ vir Dei Dominicus cum præfato tunc Priore, quem intimo diligebat affectu, secretam atque consolatoriam de divinis vitæque cœlestis deliciis collocutionem haberet, familiari quadam confidentia, exigente materia, dixit ei : Fateor tibi, Prior, quod tamen adhuc nulli umquam exposui, nec tu alteri, quamdiu vixero, revelabis, quod numquam adhuc a Deo in hac vita aliquid petii, quod non assequerer juxta votum. Ille vero vehementer admirans, et desiderii, quod habebant Fratres circa conversionem supradicti magistri Conradi Theutonici, conscius, confidenter adjecit : Pete ergo, Pater, ut det tibi magistrum Conradum ad Ordinem, cujus Fratres introitum tam ardenter flagitare videntur. At ipse, Rem, inquit, Frater bonè, difficilem postulasti. Si tamen volueris in hac nocte orationi mecum insistere, confido in Domino quod nos a petitionis nostræ desiderio non fraudabit.

C

et festo Assumptionis Deiparæ in eumdem recepit;

712 Finito itaque Completorio, Fratribus ad quiescendum pergentibus, vir Dei Dominicus in ecclesia, præsente dicto Priore et vidente, remansit, et in oratione more solito pernoctavit. Peractis vero solemniter tam celebrium matutinarum vigiliis, illucescenteque die, convenientibus ad Primam Fratribus, cum cantor incepisset JAM LUCIS ORTO SIDERE, ecce lucis vere sidus novum futurus magister Conradus subito veniens, et ad pedes beati patris Dominici se prosternens, habitum Ordinis et instanter petiit et perseveranter accepit : quo statim cum Fratribus aggregato, Deus omnipotens servi sui Dominici et præcedens verbum et sequens, quam ab effectu suo nequaquam vacua fuerit *, indicavit. Narravit quoque prædictus episcopus, quod cum beatus Dominicus rogaret, ut hujusmodi factum secretum haberet, dum viveret, et ipse episcopus responderet, quod fortassis prius quam ipse moreretur, respondit beatus Dominicus, quod sciret ipse, post eum se * supervicturum; quod et postmodum rei demonstravit eventus, cum multo plus quam XX annos post beatum Dominicum ipse vixerit. *Excepta hac postrema prædictione, quam exitus probavit, Constantinus Urbevetanus in Actis* S. Dominici *num.* 42, *et Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi historialis cap.* 110 *eamdem historiam narrant.*

* lege fuerint

D

* *forte* eum post se

in qua historia Echardus

713 *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 34 *in notis ad similem Constantini Urbevetani narrationem solerter advertit, Alatrium esse civitatem episcopalem Campaniæ, Romano Pontifici immediate subjectam, ad cujus cathedram Prior iste Cisterciensis postea evectus fuit; et hinc recte corrigit Malvendam, et Menologos Cistercienses, qui ex corrupta Vincentii Bellovacensis editione hunc Priorem vocant Alacrinum vel Alacrionem, et ita appellationem sedis pro nomine proprio istius episcopi perperam acceperunt. Ab his in errorem inductus est Angelus Manrique, ut satis ostendit, dum in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1220 *cap.* 4 *num.* 8 *post allegata Malvendæ verba sic disserit* : Ergo ex his, si exacte perpendantur, non solum annus colloquii Alacrini cum beato Dominico, sed et mortis ipsius deduci potest : quippe si ab eo supervixit viginti annis, consequitur obiisse MCCXL, non tamen quoto episcopatus anno, nec cui ecclesiæ præsederit, quod neque in aliis invenire hactenus potui. *Denique Augustinus Sartorius in Historia elogiali Ordinis Cisterciensis, non ita pridem vetero-Pragæ edita, tit.* XI *pag.* 305 *et tit.* XXVII *pag.* 898 *ad eumdem scopulum bis impegit.*

E

errorem quorumdam neotericorum corrigit,

714 *Quapropter Echardus loco proxime citato sic concludit* : Legendum itaque ALATRINUS EPISCOPUS; ille vero haud dubie est, qui decimus nonus inter episcopos Alatrinos ab Ughello numeratur, nomine Joannes, qui jam sedebat anno MCCXXXIII, ut constat ex diplomate, eo anno, mense Junio, Indictione sexta, dato, et ab eodem Ughello relato, quo dictus Joannes episcopus cum suis Canonicis Stephano presbytero Cardinali sanctæ Mariæ trans Tiberim dat ecclesiam sancti Benedicti pro monasterio sancti Sebastiani. Hunc autem esse, evincitur ex ipsamet relatione, in qua dicitur sic scripsisse Fratri Joanni de Columna, tum provinciæ Romanæ Priori, quod munus iste jam obibat prima vice anno MCCXXXVI. *Licet hoc Echardi argumentum solide episcopum Alatrinum istius temporis demonstrare videatur, tamen circa hanc rem nobis scrupulum ingerit Ughellus ipse, dum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 290 *de Jacobo episcopo Alatrino et memorati Joannis decessore, ita scribit :* Jacobus vivebat anno MCCXXXVI, quem nonnulli scriptores Cardinalem fuisse affirmant, e Comitum gente Anagnia, ac IX Gregorii affinem; sed ut multum conatus sim, hoc ipsum perspicue reperire non potui. *Quid si error in numeros aut seriem præsulum Alatrinorum irrepserit, vel, sicut ibidem Echardus asserit, Joannem cum successore confundi, et mortem illius ab Ughello nimis diu differri contigerit?*

F

et nos circa annum rei gestæ aliquid observamus.

715 *Quod vero ad tempus rei gestæ attinet, Echardus cum Malvenda consentit, id anno Christi* 1220 *contigisse, et illam chronologiam probare nititur, quando pagina mox citata in notis circa conversionem Conradi Theutonici hæc observat :* Iste Ordini nomen dedit XV Augusti, MCCXX : nullo enim alio anno festum Assumptionis beatæ Virginis Dominicus Bononiæ celebravit; anno vero

sequenti

sequenti in comitiis generalibus ad Pentecosten habitis datus est primus Teutoniæ præfectus provincialis. *At illa argumentatio rem nondum omnino conficit : nam hactenus non videmus, cur* S. Dominicus *Bononiæ anno Christi* 1219 *festum Assumptionis Deiparæ celebrare non potuerit, cum ex antiquis monumentis tantummodo constet, Sanctum æstate anni* 1219 *Bononiam venisse, et ibi Kalendis Septembris certo certius fuisse. Sed illa testimonia non impediunt, quo minus jam ibidem per unum alterumve mensem Sanctus antea substiterit. Si igitur cum Soëgio adventum illum Bononiensem mensi Julio affigamus, potuit* S. Dominicus *anno* 1219 *Bononiæ festum Assumptionis beatissimæ Virginis celebrare, adeoque mense Augusto anni* 1219 *memorata historia evenire. Facile tamen admittemus, id contigisse anno Christi* 1220, *quamvis certior hujus rei chronologia eruenda esset ex tempore, quo præfatus Prior Cisterciensis, et postmodum episcopus Alatrinus, ab Honorio III Pontifice in Theutoniam seu Germaniam missus est, quod hactenus ignoramus. Quare circa annum nihil certi determinamus, et ad alias Italiæ urbes cum Sancto nostro proficiscimur.*

Wadingus asserit, SS. Dominicum et Franciscum fuisse Bergomi,

716 *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1220 *inter alias Italiæ urbes, quas S. Franciscus ex Oriente redux adiit, recenset Bergomum, et ibidem num.* 5 *ad propositum nostrum hæc narrat :* Adfuisse asserunt *(nimirum Bergomi cum S. Francisco)* sanctissimum Prædicatorum Institutorem, et habitasse in sacello sanctæ Mariæ Magdalenæ, sito in arce: Franciscum vero in oratorio sancti Vigilii episcopi Tridentini, sito prope ipsam arcem, quo tempore erat pastor hujus urbis Joannes Novariensis e familia Torniella, quem sancti Viri sæpius visitabant, et cum eo multis ad animarum salutem agebant. Monachos vallis de Astino sub ipsa urbe frequenter invisebant, et apud eos Dominico sacra facienti sancta humilitate et charitate pius Diaconus Fratribus ministrabat. Tandem clerus, senatus, populusque Bergomensis sanctis Viris ab urbe recessuris duas ecclesias dederunt in Fratrum suorum habitationem; sancto Dominico, quæ sancti Stephani dicebatur; sancto Francisco, quæ sancti Joannis Baptistæ, et hodie Minorum est conventualium : quibus occupatis, et relictis, qui contigua adderent habitacula, Brixiam perrexerunt. *Antonius Guarnerius Canonicus in Commentariis de Vita et rebus gestis Sanctorum Bergomatum fol.* 127 *et sequente similia distincte ac eleganter memorat, penes quem aliosque scriptores recentiores fidem hujus traditionis relinquimus, cum auctores veteres de illo utriusque Sancti congressu non meminerint.*

et Brixiæ, quod Brixianum illius iter

717 *Deinde ambo illi illustrium Ordinum Fundatores dicuntur venisse Brixiam, quam urbem* non minus favorabilem et piam expertus est uterque Patriarcha, *ut Waddingus ibidem num.* 6 *tradit. At miramur, nullam distinctam hujus commorationis Brixiensis memoriam exstare apud obvios scriptores Dominicanos, cum Jacobus Malvecius, nuper inter Scriptores Rerum Italicarum tomo* 14 *a col.* 777 *editus, jam a trecentis et pluribus annis in suo Chronico Brixiano cap.* 94 *seu ibidem col.* 899 *scripserit sequentia :* Illis in diebus beatissimus Dominicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum pater et conditor, Lombardiæ loca perambulans, hanc urbem ingressus est. Hic apud basilicam sanguinis sanctorum Faustini et Jovitæ hospitium habens, illic quosdam religiosos viros sub jugo suæ sanctissimæ regulæ Christo domino servire constituit. Sane prægrandi devotionis et reverentiæ cultu eumdem locum observandum et sacra religione putavit.

AUCTORE G. C.

ex antiquo Chronico confirmamus,

718 Qui cum ibidem diebus multis inducias ageret, juxta ipsam ecclesiam versus septemtrionalem plagam, ut a senioribus traditum est, arborem junibarum * plantavit, de cujus radicibus plantulæ exortæ sunt, a quibus et diebus meis plancta * convaluit. Hoc autem potius ad suam suorumque Fratrum recreationem, quam ad ipsius memoriam creditur esse factum. Post hoc vero ab hac civitate discedens, per loca multa Christi domini Euangelium prædicando, qui vita et actibus semper floruit, tandem ab hac luce ad æternam patriam migravit anno ab adventu Christi Jesu domini nostri MCCXXI. *Ferdinandus Ughellus istud Brixianum* S. Dominici *iter etiam memorat, quando in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 4 *col.* 546 *inter gesta Alberti episcopi Brixiensis de benevolentia hujus antistitis erga Sanctum nostrum ejusque Ordinem ita scribit :* Adhuc viventem sanctum patriarcham Dominicum, Ordinemque non ita pridem a se fundatum proferentem Brixiæ excepit, et in honore habuit, eidemque locum idoneum attribuit, qui peramplo ædificando cœnobio posset sufficere. Inde digrediens, Gaulam *, sui Ordinis insignem virum, loci præfectum reliquit. *De hoc Fratre Guala, qui ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Brixiensem evectus est, et memorato Alberto successit, in Actis post hunc Commentarium edendis mentio occurret.*

* *forte* juniperum

* *lege* planta

* *al.* Gua.

ac inde eos deducit Cremonam, ubi traditio est,

719 *Denique Waddingus in laudatis Annalibus Minorum ad eumdem annum* 1220 *num.* 6 *sanctum suum Fundatorem Brixia Cremonam, et alterum* S. Dominici *cum illo congressum ita narrat :* Venerunt demum Franciscus cum socio Cremonam, quæ nobilis civitas est in Cenomanis Italis, in eadem regione Lombardiæ Transpadanæ, ubi per aliquot dies hæserunt, et monasterii ædificandi situm adepti sunt, quod dum ædificarent, supervenit sanctissimus patriarcha Dominicus, qui ad dilectum suum Franciscum visendum statim concessit. Cum una essent, et longum de divinis rebus sermonem haberent, convenere ad eum cœnobitæ, quæ penuria puræ laborabant aquæ, rogantes utrumque, ut Deum precarentur, ne putei sui aqua turbulenta et cœnosa esset. Fuit aliquamdiu inter Viros sanctos certamen, uter aquæ benediceret : demum beatus vicit Franciscus. Igitur beatus Dominicus afferri sibi vasculum ex ea jussit aqua, cui postquam benedixit, in puteum mitti, ac paulo post inde hauriri aquam voluit, quæ quidem purissima et haustui optima inventa est, ac fuit deinceps et perduravit. *Sic ille ex Flaminio et Ferdinando de Castillo, quos in margine citat, et quorum posterior lib.* 1 *cap.* 50 *putat, cœnobitas illos, qui puræ aquæ inopia laborabant, Franciscanos fuisse.*

ambos hos Sanctos signo crucis

720 *Nicolaus Janssenius in Commentario ad Vitam* S. Dominici *pag.* 253 *et sequente, istam puræ aquæ penuriam civibus attribuit, et eamdem rem diversimode ex aliis sic refert :* Hanc amicitiam sartam rectam conservavere duo sanctissimi Patriarchæ; qui deinde iterum se mutuo amplexati sunt in civitate Cremonensi (ubi adfuit etiam sancta Clara) anno MCCXVIII, si vera asserit chronicon ejus urbis vulgatum ab Antonio Campo et Vincentio Cavitello : Ferdinandus autem de Castello refert, id contigisse anno MCCXX, postquam sanctus Dominicus Mediolano, ubi gravissima fuerat corporis ægritudine conflictatus, venisset Cremonam. In hac civitate, ut prædi-

ctum

AUCTORE G. C.

ctum chronicon enarrat, duo Viri sanctissimi nobile miraculum patravere. Puteus erat ad ipsum pomerium aqua turbida et fœtida, civibus nulli commodo nec usui. Illam isti in vase ad Sanctos deferunt, et rogant, uti consignent sacra benedictione. Auditæ sunt preces civium; sed pia quædam exsistebat contentio, cum alter alteri benedictionem impertiendam cederet. Tandem uterque simul impendit, et mox aqua illa perspicua et suavissimi saporis reliquæ in puteo superfusa est, hodieque dulcedinem collatam divinitus conservat. Ferdinandus de Castello tradit, noluisse sanctum Franciscum benedictionem impendere, et hanc datam a beato Dominico : qua in re (si gesta hoc modo) iste suam humilitatem, quod sacerdos esset Dominicus; hic obedientiam, qua paruit amico, posteris commendavit. *Ceterum de tempore hujus congressus consule Supplementum ad Annales Minorum anno* 1215 *num.* 4, *quod Taurini anno* 1710 *editum est.*

insipidam putei aquam in dulcem commutasse,

B

721 *Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus ad annum Christi* 1218 *fol.* 78 *verso et sequente idem miraculum aliter narrat his verbis :* Divi Dominicus et Franciscus una cum diva Clara Assisiate Cremonam accesserunt, et hospitati sunt in domibus, in quibus olim fuit gymnasium publicum extra portam Pulesellam ipsius civitatis, in quibus cum esset puteus, qui haberet aquas turbidas et lutulentas, et potui insuaves, et ex eis hausta hydria et portata coram ipsis per habitantes in eis domibus, et ad eorum intercessionem benedictæ fuerint per ipsos venerabili signo sanctæ crucis, et per eos, qui ipsas asportarunt, projectæ in puteum, ejus omnes aquæ fuerunt purgatæ ab omni immunditia, et effectæ dulces et suaves ex gratia et virtute omnipotentis Dei, et summa fide in eum, ac bonitate et meritis ipsorum Sanctorum, et omnium illic incolarum stupore; et adhuc exstat puteus in eodem loco, in quo fuit templum ad honorem divi Guilielmi, tunc erecto monasterio monialium Ordinis de Observantia divæ Claræ sub vocabulo sacratissimi Corporis Christi in vico sancti Pauli ipsius civitatis, exhortantibus divi Dominico, Francisco, et Clara.

qui puteus nuper retectus est, et cujus aquæ potu varia miracula hactenus patrantur.

C

722 *Ex his patet, puteum istum adhuc notum fuisse ætate Cavitellii, qui Annales suos Cremonenses anno* 1588 *typis vulgavit. Imo memoria illius perseveravit usque ad annum Christi* 1649, *quo propter ingruens bellum et nova civitatis Cremonensis munimenta puteus coopertus, memoriam et venerationem perdidit, ut legimus in libello Italico, qui nuper Cremonæ editus est. In eodem libello narratur, quomodo hic puteus tandem anno Christi* 1728 *detectus fuerit, ac pristinam venerationem recuperaverit. Quinimo benignissimus Deus anno* 1728 *et* 1729 *per intercessionem* S. Dominici *et S. Francisci multis ægris aquam ex hoc puteo bibentibus prodigiose sanitatem restituit, et ad gloriam utriusque Sancti plura patravit miracula, quæ ibidem legitimis ac juratis testimoniis solide confirmantur. Libenter hæc omnia ætatis nostræ prodigia Latine edidissem, si per occupationes licuisset. Quare præfatum libellum obtuli RR. PP. Prædicatoribus, ut ab aliquo idiomatis Italici perito Latine verteretur, et post hunc Commentarium, præfixo interpretis nomine, typis excuderetur. Sed cum interpretationem istam obtinere non potuerim, et jam prælum numquam quiescens me urgeat, omittere cogor illa miracula, quibus forsan quotidie nova accedunt. Cum tamen ea gloria posthuma partim etiam ad S. Franciscum spectet, poterunt prodigiosa illa beneficia, aliaque forsan accessura, Actis S. Francisci ad diem* IV *Octobris inseri, si PP. Franciscani ea nobis Latine communicaverint.*

D

Malvenda narrat, S. Dominicum Faventiæ prædicasse,

723 *Interim pergamus ad Faventinam* S. Dominici *commorationem, quæ insigni miraculo illustrata traditur, ut Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1220 *cap.* 32 *et* 33 *ex monumentis cœnobii Faventini refert in hunc modum :* Beatus pater Dominicus cum indefesse pro Ordinis sui dilatatione laboraret, Italiæ partes sedulo peragrabat, et inter cetera quamplura memoratu digna, quæ circa eum dispositione divina contigerunt, hoc unum fideliter annotatur. Siquidem [per] Romandiolæ partes ferventi prædicationum zelo discurrens, Faventiam advenit; ubi tunc primum apud ecclesiam sancti Vitalis juxta portam commoratus, confluenti illic populo aliquamdiu prædicabat. Postmodum vero ulteriusprogrediens, Forlivium petiit, ibique paucis diebus permansit, ac denuo Faventiam rediens ab episcopo civitatis est receptus : deputa sibi camera cum socio, ibidem multorum dierum spatio mansit.

E

ibique ab angelis de nocte ad ecclesiam deductum fuisse,

724 Cum itaque Sanctus Dei, ut consueverat, nocte surgeret ad matutinas, visi sunt aliquoties duo pulcherrimi juvenes in ipsa hora luminaribus accensis ad ostium cameræ ejus accedere, et beatum Dominicum cum socio, januis penitus obseratis, extra episcopatum ducere, ac post aliquantulum spatium etiam redire. Igitur ex inspectoribus quispiam episcopo hæc nuntiavit : de quo cum ille stupens hæsitaret, voluit cum ipsis observans, id ipsum visu potius experiri. Dum itaque matutinali hora prædictos juvenes cum ardentibus cereis, sicut relatum fuerat, evidenter aspexisset, foresque diligenter omnino obfirmatas agnosceret, facto mane, ad Sanctum Dei pergens, sic illum affatur : Dilectissime Pater, scio, te optime nosse, quod scriptum sit; Quoniam secretum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum. Quapropter precor, insinues, qui sunt illi juvenes, qui nocte cum lumine inde te ducunt, atque reducunt. Ad hæc beatus Pater rem subticens, ne eam videretur agnoscere, dixit : Heu reverende domine, de quibusnam juvenibus percunctamini? Cui præsul : Scientes, inquit, duos juvenes vos inde cum luce comitari, simulque vobiscum reverti, in nomine Christi, qui sint, et quo pergatis, ut declaretis, oramus.

F

ut ipse Sanctus fateri coactus est episcopo.

725 Hac obtestatione motus Vir Dei Dominicus, humiliter ait : Domine, ut ego, quod a me quæritis, explicem, vos meam petitionem excipite. Quo annuente, sic est prosecutus : Noveritis plane, reverende præsul, omnes vitæ meæ labores, jam diu ad proximorum salutem anxius aspirans pro Ordinis mei dilatatione instantissimæ adhiberi. Quare numquam quietus, Hispaniam, Gallias, Italiam, et omnes pene partes occiduas frequenter et cum anxietate perambulans, omni studio ut Ordini Fratres, et Fratribus loca multiplicentur, invigilo. Ex quo aliquantulum hic demoratus, si Fratribus meis idoneam mansionem Deus præparasset, cum orando inquirerem, duos angelos hos, quos sciscitatus es, sub juvenum specie ad me misit, qui matutinali tempore ad ecclesiam sancti Andreæ inter Vineas sæpius me perducentes, ibi devote Matutinis persolutis, et adorato Domino, etiam huc reducebant. Hoc autem ideo Deus vobis innotescere voluit, ut locum ipsum pro dedicando Conventu

Fratribus

A Fratribus meis confidentius expeterem. Supplex ergo, ut mihi concedatur elaboretis, deprecor.

qui cœnobium Prædicatoribus extrui curavit in ea urbe,

726 Episcopus autem, hoc audito, eum tenerrima charitate amplexatus, ait: Omnino id faciam, Pater. Eodem itaque die ad civitatis rectores rem exposuit, et ecclesiam illam sancti Andreæ cum circumjacente spatio patri ipsi Dominico pro Fratrum Prædicatorum mansione, sub publico instrumento, solemnique communitatis sigillo, obtinuit designari. Insuper quoque episcopus, quo prompta populo prædicandi beato patri Dominico facultas adesset, pulpitum ex lapidibus in media fronte palatii prætoris super publicum forum erigi procuravit; ibique beatus pater Dominicus divini verbi semina populo Faventino largiter ministravit. Ex tunc igitur cœperunt in prædicto loco sancti Andreæ ab urbis civibus pro construenda Fratribus domo fundamenta jactari et parietes erigi; ecclesiaque illa amplificata, atque ad latus Occidentis claustro disposito, dormitorioque, et aliis quibusdam completis, in tantum populi devotio ac solicitudo profecit, ut spatio breviori Fratres circiter viginti ibidem hospitarentur. B In horum autem memoriam adhuc in via publica, Imolensi appellata, pulpitum antedictum apparet, et adhuc exstat via, per quam a duobus prædictis angelis divus pater Dominicus sociabatur, quæ ex illo eventu ANGELORUM VIA usque in præsentem diem nuncupatur.

ubi, præter alia posthuma harum rerum vestigia,

727 *Hæc relatio non præfert magnam vetustatem, et colloquium istud* S. Dominici *cum præsule Faventino videtur magis rhetorice exornatum, quam historice certum: auctor enim in illo adducit potius ea, quæ probabiliter in simili casu dici potuerunt, quam quæ dicta fuisse constat. Propterea tamen in dubium non revocamus substantiam hujus historiæ seu traditionis Faventinæ, quam Julius Cæsar Tondutius in Historia Faventina, Italice anno* 1675 *excusa, part.* 2 *pag.* 252 *ex F. Michaële Pio contrahit, et pro qua antiquiorem auctorem non allegat. Certe cuperemus, ut tam illustre miraculum vetustioribus documentis probaretur: nam eorum, quæ Malvenda citat, antiquitatem et auctoritatem ignoramus. Attamen piæ Faventinorum persuasioni non refragamur, etiamsi jam sæpius experientia didicerimus, traditiones hujusmodi populares sine* C *idoneis instrumentis caute admittendas esse. Sed miramur, in his monumentis Faventinis nullam fieri mentionem de perpetua pulpiti istius memoria posthuma, quam Flaminius in Actis* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 49 *commemorat his verbis:* Præcipue vero Faventiæ constitit, ubi multos commoratus est dies; qua in urbe, cum ad ejus conciones numerosa nimis multitudo conflueret, cives publice suggestum illi loco celeberrimo fabricarunt, ubi sæpe concionatus est, ac post illum beatus Thomas, ac Petrus martyr; cautumque est, atque in hunc usque diem servatur tribus illis Sanctis reverentia, ne alius quisquam diversi Ordinis in eo concionetur.

legitur recens inscriptio,

728 *Porro circa erectionem pulpiti lapidei, quæ in superiori relatione memoratur, difficultas quædam nobis occurrit: Malvenda namque hanc historiam, et consequenter erectionem lapidei pulpiti, quod hac occasione constructum est, anno Christi* 1220 *affigit. Laudatus vero Julius Cæsar Tondutius in opere Italico mox citato pag.* 21 *Latinam Prædicatorum Faventinorum inscriptionem marmori insculptam exhibet et explicat his verbis:* ANNO DOMINI MCCXVIII, CUM BEATUS PATER DOMINICUS PRO FERVENTI FIDEI ZELO ET ORDINIS DILATATIONE ITALIÆ PARTES SEDULO PERAGRARET, FAVENTIAM DEVENIT, ET A REVERENDISSIMO CIVITATIS EPISCOPO BENIGNE ACCEPTUS EST, QUI UT PROMPTA POPULO PRÆDICANDI BEATO PATRI DOMINICO FACULTAS ADESSET, SUGGESTUM HOC EX LAPIDIBUS ERIGI PROCURAVIT, UBI SANCTUS PATER DOMINICUS DIVINI VERBI SEMINA POPULO FAVENTINO LARGITER PRÆDICAVIT, AC A REVERENDISSIMO EPISCOPO CIVITATISQUE RECTORIBUS ECCLESIAM SANCTI ANDREÆ INTER VINEAS CUM CIRCUM ADJACENTE SPATIO PRO FRATRUM MANSIONE PRECIBUS IMPETRAVIT. LAPIDEM HUNC (ALIO VETUSTIORE CONSUMPTO) HUMILES EJUS FILII IN TANTI PATRIS MEMORIAM GRATITUDINIS ERGO RENOVARUNT MDXC. *Quomodo annus Christi* 1218, *in hac inscriptione expressus, cum chronologia Malvendæ cohæret?*

AUCTORE G. C.

in qua occurrit difficultas chronologica,

729 *Non nescimus, quod præfatus Tondutius duplicem* S. Dominici *adventum distinxerit, et pag.* 247 *sine ullo solido fundamento asserat, Sanctum anno* 1218, *atque iterum postea anno* 1221 *Faventiam venisse. Sed illa chronologia cum Actis* S. Dominici *non concordat, et ea distinctio certe repugnat monumentis Faventinis, quæ superius ex Malvenda retulimus: in his enim omnia tribuuntur* E *eidem præsuli Faventino, cum interim Ughellus in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 2 *col.* 500 *de duobus istorum temporum episcopis Faventinis ita scribat:* Rotlandus igitur, translato nuper Ubaldo, tamquam dignus suffectus est, cum esset Cathedralis præpositus anno MCCX. Decessit MCCXIX. *Tum de immediato Rotlandi successore hæc addit:* Albertus ex Præposito ad hanc sedem promotus est anno MCCXX. Fratres Prædicatores in civitatem recepit. *Si igitur* S. Dominicus *anno* 1218 *Faventiam venerit, et anno* 1220 *vel* 1221 *rursus eo redierit, primus illius adventus sub Rotlando, alter sub Alberto collocandus esset. Nihilominus jam relata monumenta Faventina indicant, totam historiam sub uno eodemque episcopo contigisse, et Joannes a sancta Maria in Actis Gallicis* S. Dominici *lib.* 4 *cap.* 6 *antistitem illum expresse* Albertum *appellat. Quapropter Faventini in gratiam suæ traditionis hæc inter se concilient, aut chronotaxim Ughelli evertant.*

qualem etiam Malvenda invenit in historia Benedictæ Florentinæ.

730 *Post has similesque excursiones Sanctus iterum Romam discessit, et Florentia transiens ibi feminam solutioris vitæ, quam antea converterat, et per annum ab obsessione dæmonis liberaverat, rursus a dæmone vexari permisit, eamque tandem* F *omnino ad frugem reduxit. Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 3 *plurimum laborat, ut tempus hujus historiæ inveniat, et in sua opinione textum Vincentii Bellovacensis ac sancti Antonini mutare cogitur. Verum Echardus tomo* 1 *pag.* 32 *in notis seriem chronologicam hujus rei sic apte disponit:* Ut hæc historia cum serie gestorum beati Dominici conveniat, dicendum, illum, cum primum ex itinere Hispano et Parisiensi Bononiam accessit mense Augusto MCCXIX, et in quasdam Longobardiæ civitates sodales dilatandi Ordinis causa mitteret, Florentiam etiam aliquos destinasse, præfecto iis superiore F. Joanne Salernitano, viro insigni: Dominicum ipsa postea anno eodem circa Novembrem Romam proficiscentem, Florentia, ut suos visitaret, iter instituisse, tumque concionibus, quas indesinenter ubique habebat, Benedictam, de qua hic, ad meliorem frugem adduxisse, et a maligno spiritu liberasse. Non dubitaverim, quin Sanctus anno sequenti post Pascha Roma per Viterbium Bononiam repetens, etiam Senis et Florentia transierit. Ut ut sit, certe sub finem

 anni

AUCTORE G. C.

anni MCCXX, puta Novembri, Romam rursus vadens, Florentia denuo iter habuerit, et Benedictam tepidam et in rebus salutis negligentem reperiens, ea consentiente, ipsoque rem Deo commitente, iterum a maligno spiritu vexatam viderit.

quam Echardus probabiliore modo disponit.

731 His ita explicatis, necesse non est, ut vult Malvenda, Constantinum, eumque excipientes Humbertum, Bellovacensem et sanctum Antoninum emendare, quodque illi omnes habent, ULTRA ANNUM sanam perstitisse Benedictam, expungere. Sed ipse potius corrigendus Malvenda, qui de itineribus beati Dominici tribus his ultimis vitæ suæ annis haud accurate agit. Opponit tamen Malvenda pag. 313 traditionem antiquam, nostros scilicet Florentiam non accessisse, nisi anno MCCXX post Capitulum primum generale Bononiæ habitum; nimirum tum civem Florentinum, nomine Deusdedit, Bononiam venisse, ac domum quamdam Religiosis accommodam a se in planitie Ripolitana exstructam, sancto Dominico obtulisse, qui continuo eo Fratres miserit, sicque sibi a Seraphino Razzio scriptum. B Sed facilis responsio. Si monumenta antiqua proferrentur, rem ita se habere testantia, libens acquiescerem; sed traditionem absque documentis frustra opponat quis notitiæ antiquæ Romanæ provinciæ, juxta quam Conventus Florentinus post Romanum ceteros antiquitate præit, qui proinde jam anno MCCXIX erectus fuerit: nam Senensis posterior anno MCCXX, mensis Martii die XIV certo fertur inchoatus, nempe a sodalibus quos Dominicus, tum Romæ existens, eo misit, qui die indicata cum domus hospitalis Magdalenæ curatoribus transegere. *Jam paragrapho sequente illam Benedictæ Florentinæ historiam narrabimus ex teste aurito et fide dignissimo, eamque conferemus cum alia fabulosa ejusdem historiæ narratione, ut lector ex hac collatione semel evidenter agnoscat ingenium Alani de Rupe, qui veræ alicui rei plurima falsa admiscere consuevit.*

§ XXXIX. Vera narratio de conversione Benedictæ Florentinæ, quæ cum fabulosa ejusdem conversionis historia conferri potest.

C

Constantinus Urbevetanus, aliique veteres scriptores

Constantinus Urbevetanus in Actis S. Dominici *num.* 35 *conversionem Benedictæ Florentinæ, et mirabilia eam subsecuta, exponit his verbis:* Rem promo, quam tanto securius refero, quanto per eamdem, circa quam gesta est, Sororem Benedictam videlicet ancillam Christi, instructus certius devote scribo. Hæc namque mulier multo tempore mundo dedita, carnis illecebris vacabat: sed culpa tandem pœna non caruit: nam hanc malignus spiritus per intervalla temporum graviter vexare cœpit. Erat autem vicina ecclesiæ, in qua tunc temporis Prædicatores Fratres Florentiæ morabantur; quo adveniens vir Dei Dominicus, ipsam primitus ad pœnitentiam exhortando perduxit. Postmodum etiam vexationi ipsius compatiens, suis orationibus, ut ab ea malignus discederet spiritus, impetravit; ita ut quæ vix interpolatis diebus quietem modicam habere poterat, ultra annum vexationis solitæ molestiam non sentiret.

733 Verum a vexatione carnis libera, vexari se deterius in animo deprehendit, et medicina D corporis sibi facta est protinus morbus mentis, tantoque negligentius a Dei servitio cœpit tepescere, quanto a carnis illecebra redivivis tentationibus fortius trahebatur. Quod ubi Viro Dei exposuit, illeque beneficium præstitum in ruinæ scandalum versum vidit, blande eam, an reduci vellet ad statum pristinum, requisivit. Quæ cum voluntati Dei suæque discretioni committeret: Rogabo, inquit, igitur Dominum, filia, ut tibi fiat, quod saluti tuæ magis viderit expedire. Unde factum est, ut non post multos dies malignus spiritus super corpus ancillæ Christi iterato potestatem acciperet, quatenus anima salva permaneret, et vexatio, quæ prius pœna culpæ exstitit, postmodum fieret conversationis * remedium, et cumulus meritorum. *Ita testis ille omni exceptione major narrat totam hanc historiam, quam venerabilis Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 42, *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 75, *et S. Antoninus parte* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 § 6 *iisdem fere verbis retulerunt.*

narrant conversionem Benedictæ Florentinæ,

* *Humb.* conservationis

734 *Nunc audi et mirare verbosam facundiam Alani Rupensis, qui eamdem rem variis stupendis exornavit episodiis, seu potius figmentis contaminavit. Quod si quis eruditus abunde convictus sit præcedentibus argumentis de fabulosa hujus auctoris indole, illumque tædio afficiat prolixa fictæ narrationis lectio, is ad paragraphum sequentem transiliat. Cum tamen Joannes a sancta Maria strenue pugnet pro auctoritate Alani, et forsan adhuc aliquos commilitones habeat, in illorum gratiam ex ipso Alano transcribimus hanc longam historiam ut utramque narrationem commode inter se conferant, et ex hoc specimine mature judicent, quam fidem hic scriptor in aliis hujusmodi narratiunculis aut revelationibus mereatur.*

cum qua confertur narratio ejusdem historiæ apud Alanum, E

735 *Igitur in editione Moguntina Alani redivivi a pag.* 514, *seu parte* 5 *cap.* 60 *legimus sequentia:* Fuit quædam mulier in civitate Florentia Tusciæ, nomine Benedicta *(omitto hic pauca verba parenthesi inclusa, et alio charactere expressa, eo quod potius videantur editoris, quam auctoris)* nobilibus orta natalibus, et incomparabili decorata pulchritudine. Annos adolescentioris vitæ perdidit et consumpsit lubricis discursibus. Tandem facta est ibidem publica meretrix in laqueum maximum perditionis animarum. Quam videns beatissimus Dominicus, sponsus singularis beatissimæ virginis Mariæ, miratus est nimiam ejus pulchritudinem, simul et ejus turpitudinem, et doluit vehementer de ipsius et multarum animarum, Christi sanguine redemptarum, perditione. Dei autem nutu peccatrix illa post sermonem Dominici, ex ejus sermone compuncta, venit ei ad confessionem. Cui post cetera, confessione facta; Vis, inquit Dominicus, ut Dominum nostrum Jesum Christum sponsum tuum, et dulcissimam Mariam, matrem suam, orem pro te, ut te reponant in illum statum, qui magis tibi expediens est pro tua salute? Cui illa: Etiam, pater dulcissime, rogoque humiliter et deprecor, ut sic facias. Surgensque Dominicus a sede confessionis, mox pro illa oravit.

qui fingit, Benedictam illam fuisse publicam meretricem, F

736 Et statim multitudo dæmonum corpus mulieris intravit, et per annum integrum sic ligata et obsessa permansit non sine magno totius populi stupore atque terrore, et signanter amasiorum ejus, et aliorum multorum hominum carnalium. Quid plura? Post annum Dominicus rediens, suam captivam visitavit. Tunc illa fletibus et suspiriis maximis deprecabatur eum, ut sibi

quæ post conversionem suam a plurimis dæmonibus obsessa fuerit.

manus

AUCTORE G. C.

A manus porrigat pietatis, liberando eam ab hostibus humani generis. Quod ille libenter annuit, signoque crucis facto, virtute Psalterii Virginis Mariæ (per quod magnalia semper solitus erat facere) dæmones omnes ab illa fugavit, qui erant numero quadringenti quinquaginta. Ob hoc ipsi in pœnitentiam injunxit diebus singulis tria dicere Virginis Mariæ Psalteria, in quibus sunt tot, scilicet quadringenta quinquaginta AVE MARIA contra tot prædicta dæmonia. Res dolenda! Audi, quid sequitur.

et ab iis per preces S. Dominici liberata, ad pristinam luxuriam redierit,

737 Postquam illa infelicissima peccatrix fuit ab illis liberata et sibi derelicta, in ea inceperunt carnis iterum incendia excitari, carnales cogitationes succrescere, et nova desideria carnalium pomparum ebullire. Amatores pristini ad eam redeuntes, cum eam primæ gloriæ et corporis pulchritudini cernerent restitutam, ad peccandum solicitabant, adeo ut miserrima illa, Dei misericordiæ et gratiæ oblita, pristinis actibus malignis, profundiusque, quam antea consueverat, semetipsam manciparet. Ad eam pene innumerabiles currunt, et fit theatrum diaboli gravius, B quam umquam fuerat. Novum spectaculum! Dominicus piissimus præfatæ Benedictæ audiens ruinam, innumerorum hominum perniciem, ad eam concitus Dei spiritu veniens (cum tamen longinquis tunc esset in partibus) eaque reperta in domo, miserorum stipata solatiis, cunctisque divina luce fugatis, facie terrifica ad eam conversus, ait: Estne, inquit, o filia, verum, quod Christo et virgini Mariæ promiseras, vitam ducere immaculatam? Agnoscens quidem jam cognosce, grandem jacturam tibi a Domino imminere in vindictam, nisi te cito pœniteat recidivasse. Quod illa audiens, cum tremore tacens et obstupescens, non audebat loqui. Tum inquit Vir Dei: Sequere me: et duxit eam eadem hora, sicut tunc fuit, meretricali habitu indutam, in majorem ecclesiam, in qua populorum multitudo maxima advenerat, ibique pro tribunali sedens confessiones illius maledictæ audivit, cunctis videntibus, et in immensum stupentibus. Nova Dei manus et stupenda! Confessione facta, ait Dominicus ad eam: Vis, filia, pro tua et aliorum salute, te dulcissimæ Matri committere misericordiæ? Ad quem illa paupercula tremens ac stupens, ait: C Etiam, domine; fiat ejus voluntas.

et quam ideo dæmones quadringinti quinquaginta rursus possederint.

738 Cum igitur Dominicus (qui in omnibus suis petitionibus ad votum exaudiebatur) paululum pro ipsa orasset, subito cunctis cernentibus a quadringentis et quinquaginta dæmonibus, ut prius, est arrepta, et coram omnibus horribiliter vexata. Capitur, catenatur, ligatur, et ululans ac clamans maximo cum stridore et horrore omnium, qui adstabant, ad domum deducitur. Dominicus autem subito disparens, post horam repertus est Parisiis. Sic igitur illa misera per annum et amplius obsessa permansit, et quotidie horribiliter vexabatur. Tempus tamen qualibet die habebat quietum et liberum, quo tria Virginis Mariæ Psalteria frequenter orabat: nec eam tunc illo tempore vexare poterant vel impedire, licet ad extra percussionibus tabularum, aut murmure vocum seu tractionibus vestimentorum ejus vel crinium molirentur pauperculam illam a servitio Dei Matris impedire.

Teste eodem Alano, hæc mulier ad tribunal divinæ justitiæ trahitur,

739 Cum igitur tantis tribulationibus agitaretur beatæ virginis Mariæ et Dominici captiva paupercula, contigit quadam vigilia Mariæ virginis, quod attonita et in spiritu rapta (Dominico iterum jam subito ad eam Dei nutu reverso, et pro illa suppliciter Deum orante) cernit, se ad tribunal Christi in infinitum terribiliter pertrahi, agminibus Sanctorum sole fulgentioribus vallati; liberque ingens ad modum cella vel cameræ est delatus, signis maledictionis et inferni consignatus: in eo perfecte tota vita Benedictæ illius erat depicta simul et descripta. Jubetur illa paupercula primi folii picturam et scripturam intueri et legere; quæ scriptura tanti erat terroris et oneris, ut multo libentius fornacem incendii centum quinquaginta stadiorum intrasset, quam ut solum primum solium respexisset.

et cogitur legere librum vitæ suæ,

740 Tunc tremens ac stupens, clamare altis vocibus cœpit, dicens: Heu, heu me maledictam et non Benedictam! Cur misera veni in mundum? Cur male fortunata præ aliis filiis Evæ et filiabus, tot malis repleta sum? Væ mihi miseræ maledictionis filiæ! Væ parentibus, qui me genuerunt, et non docuerunt! Et heu! væ amplius his, qui primo me deceperunt. Heu, heu me! Quo pergam? Quo ibo? Ubi latitabo? Quo fugiam? Qui dicam, aut quid faciam? Heu, heu me miseram! Infernum apertum ad me suscipiendum intueor; Judicem mihi terribiliorem inferno conspicio. E Heu me! Cur juvenis non sum mortua? Cur non in cunis sum exstincta? Sed heu prolixa vita mala ad has extremas miserias sum deducta! O si scivissem ista tanta pericula et bene cognovissem, utique sancte vixissem. O si mundus, et mundanæ mulieres ista, quæ video, cognoscerent, quid hujusmodi cogitarent? Quid dicerent? Quid facerent? Væ mihi abominationis filiæ, et confusionis, miseriæ et omnis immunditiæ, baratro horribilis turpitudinis et omnis iniquitatis! Brevia fuerunt mea gaudia, et ecce heu heu! pro illis intueor ante me mihi parata esse æterna supplicia!

quæ lectio eam intolerabilibus tormentis afficiebat;

741 Sicque clamans et in terram corruens coram summo Judice, dolore immenso agitabatur. Ad quam Judex iratus terrifica voce ait: Surge, inquit, surge; fac quod dixi, et lege in tuo libro coram omnibus, quæ fecisti. Legitque illa primam primi folii marginem et vidit: cunctæque litteræ et apices sibi videnti cum figuris varia inserebant tormenta, ut longe facilius fuisset et dulcius mitiusque corporis mortem sufferre, quam libri illius minimæ litteræ sufferre dolorem. Res horrenda! Vellet, nollet, hæc misera primi folii paginam libri mortis legit cum tantis clamoribus, F suspiriis, lamentis et doloribus, ut viribus deficiens, quasi mortua ante Judicem procumberet: quam tamen atrocius terribilissimus Judex inclamans, consummare totius libri sui scripturam jubet. Cumque folium aliud ad legendum verteretur, sic clamavit paupercula illa cum tanto terrore, pavore, et tremore præ timore pœnarum sequentis scripturæ, ut etiam lapides et cetera inanimata, si eam audissent et intellexissent, cum ea flevissent. Propterea adstantes ipsi compatientes, ad Judicis genua sunt provoluti, veniam postulantes isti miserrimæ pauperculæ; quos Judex longe repellens, gravius se per eam offensum fuisse, et animas quamplurimas per eam perdidisse, asserebat; et ideo juste istum librum, quem ipsa fecerat, totum legere debebat, et tandem ex illo condignam, sicut meruerat, suscipere sententiam pro meritis suis.

Sed S. Dominicus ei sua[illegible]

742 Tunc unus de adstantibus, qui, ut sibi videbatur, erat sanctus Dominicus (qui totam rei visionem clarius quam ipsamet cernebat) ad illam miserrimam conversus, aiebat: Ad Mariam matrem Dei, cui in Psalterio servivisti, nunc celeriter clama, ut tui misereatur. Tunc fortiter gemens

AUCTORE G. C.

mens et suspirans, ad Dei genitricem Mariam conversa, humiliter ait: O Domina, dulcissima misericordiæ mater et regina, miserere mei maledictissimæ peccatricis, in tantis angustiis pro delictis meis heu! hic jam stantis. Tunc Domina nostra pro ipsa Judicem orans et obsecrans, tandem sub spe emendæ, illum placabat. Benignius, quam ante, illam Judex tunc alloquens ait: Ecce, filia, jam pœnitentiæ tempus tibi concedo. Vide ergo bene diligenter, per pœnitentiam cuncta deleas peccata, quæ scripsisti in tuo mortis libro. Si autem aliter feceris, damnationis æternæ de te dabo sententiam in die, qua non speras. Sic itaque disparente visione, ad se rediit, et Dominicum in ecclesia secum præsentem conspexit; cui celerius confessa attentius, et postulat modum, quo terrificum oportet delere librum, Ad quam ille: Commenda te, filia, virgini Mariæ: quæ enim te sic juvit hodie, te sibi servientem etiam in futurum adjuvabit indubie; alio enim propero, et cum reversus fuero, sicut Dominus pro te mandabit, tibi manifestabo.

743 Itaque trium mensium spatio quotidie viribus totis dulcissimam in Psalterio suo salutabat Mariam. Adveniente Dominico, cum Missam celebraret, rapta fuit in spiritu, quasi trium horarum spatio, in quo dulcissimam Virginem intuetur se sic alloquentem: Filia, filia, de modo delendi librum tuum infernalem sæpius me rogasti, et ecce ego Mater misericordiæ adveni, ut artem et modum docerem te, qualiter ipsum totaliter delere poteris. Moxque lilium dulcissima Maria proferens pulcherrimum, aureis litteris inscriptum, dedit Benedictæ dicens: Lege, filia, et in hoc dele tua peccata. Ista autem erat lilii scriptura: Memorare gravitatis peccati, et in hoc erga te misericordiam Dei. Et cum illa obmutesceret præ confusione, Domina nostra eam alloquens ait: Dico tibi, filia, quod tanta est gravitas minimi peccati mortalis et tam odibilis Deo, et omnibus Sanctis, curiæque cœlestis paradisi adeo detestabilis (si possibile esset) quod ego et omnes Sancti in cœlo existentes uno solo mortali peccaremus peccato, mox in infernum caderemus, et in æternum damnaremur. Ob hoc, filia, nonne Lucifer et tot dæmonum millia propter unicum solum peccatum mortale subito de cœlo sunt expulsi et in æternum damnati? Cum igitur, o filia, tu magis demerueris, quam omnes isti, in numero peccatorum, et sis indignior, miserabilior, in infinitum minor et ipsis et nobis sine ulla comparatione, numquid parva misericordia et gratia tibi facta est? Ergo tanta misericordia debet te movere, ut redeas ad clementiam et gratiam per misericordiam Conditoris. Quod audiens Benedicta, singultus et fletus virtute hujus lilii dabat abundantissime.

B *quæ ei ostendit septem lilia, in quibus videbat gravitatem peccati,*

C

mortem Christi et pœnitentias Sanctorum,

744 Post hoc benedicta Virgo in mulieribus Maria secundum protulit lilium ipsi Benedictæ legendum, in quo erat scriptum: Memorare innocentissimæ Christi mortis, et Sanctorum pœnitentias attende. Si, inquit Domina nostra, Deus Pater in tantum odio habuit peccatum, ut proprio Filio suo non pepercerit, sed triginta tribus annis eum ad mundi injurias exposuerit, et finali morte turpissima condemnari fecerit propter solum inobedientiæ peccatum Adæ, numquid ergo Deo debes quamplurimum regratiari, qui usque nunc dedit tibi pœnitendi tempus sine pœna tui peccati, cum tamen ipse Dei Filius a principio suæ conceptionis usque ad mortem inclusive pro te semper fuit omni instanti in tot angustiis mortis, quot Deum offendisti peccatis? Et insuper non vides, quod qui magis fuerunt Deo grati, uti prophetæ, apostoli, martyres, confessores ac virgines, ac Sancti omnes, fuerunt in mundo magis tribulati? Et tu miserrima tanta mala fecisti, et tamen tot temporibus exspectata es misericorditer, et nullam pœnam sustinuisti. Quæ verba cor Benedictæ penetrabant, velut sagittæ acutæ, et fontes in ea provocabant copiosos lacrymarum. D

745 Tertium lilium proferens sapientissima Maria tradidit Benedictæ legendum, in quo erat hoc scriptum; Memorare punitionis peccati primi hominis et omnium justorum peccantium, Quod exponens Maria ait: O filia Benedicta, numquid non debet tibi tua vita multum displicere ex recognitione divinæ misericordiæ, cum videas protoplastum Adam cum sua consorte Eva de paradiso expulsum, mortis damnationem toti suæ posteritati inferentem, et sic esuriei, siti, frigori, calori, et infinitis mundi calamitatibus usque in finem mundi subjectum, sicut patet? Ecce coram te vides divinæ ultionis gladium ubique et undique punire omni hora Adæ peccatum, et tamen tu tanta et tot mala toties, tam fœtida, tam horrenda, a tot annis commisisti, nec pro eis correpta fuisti, sed semper dulciter supportata. Nonne tibi, o filia, hoc magnum et non modicum apparet? Et amplius, nonne totus mundus pene in diluvio periit propter peccatum luxuriæ, non solum homines, sed etiam animalia cuncta et insensibilia, et quod majus est, pueri innocentes innumeri. Et tu tantis peccatis repleta non vis ad Deum converti, quæ nec adhuc aliquid mali passa fuisti? Vide, inquit, Sodomam et Gomorram, et civitates alias eis conjunctas, in quibus in igne de cœlo descendente perierunt innumerabiles ferre innocentes cum eorum parentibus; et tu habitaculum omnium vitiorum et peccatorum manes illæsa. Nonne patres omnes sic in deserto (quinimo Moyses et Aaron sanctissimi) mortui sunt propter solam gloriam, aut murmurationem? Et tu tam abominabile scortum, tam nefandis plena peccatis, necdum punita pro eis non recognoscis erga te clementiam Judicis, tam severi et terribilis aliis? Quæ verba audiens Benedicta, tantis absorbebatur fletibus et gemitibus, ut pene moreretur.

punitionem Adami,

E

F *gratiam vocationis suæ ad fidem*

746 Quartum lilium clementissima mater Maria protulit filiæ suæ Benedictæ, in quo erat scriptum: Memorare, quomodo es vocata, et tot regna gentium et Judæorum a Christo non sunt tracta. Quod exponens fons pietatis sancta Maria ait: Numquid non, o filia, magna tibi gratia facta est, quod Christus te vocavit, totque reges paganorum, duces et nobiles, tam pulchros juvenes, et pulchras mulieres, fortissimos, ditissimos utriusque sexus tot annis jam ad legem suam non traxit; te antem pauperculam, miseram, et miserabilem, et minimam omnium, carnalem et lubricam, ad sui cognitionem adduxit? Pensa hoc ergo, et pensa, an non tibi hoc magnum videatur, quod illi sunt filii diaboli, et cum dæmonibus ambulant in cunctis peccatis, et vadunt per viam mortis descendentes in infernum; et tu indignissima a Deo in baptismo es vocata, angelis sociata, et in via salutis constituta. Cogita hæc, et recogita in hoc, quanta est tibi gratia et benignitas et clementia ostensa, et tamen plus omnibus Judæis et paganis sine omni comparatione Deum tuum offendisti. O quanti, putas, sunt Judæi et pagani, qui nunc jejunant, cilicia continuo

portant,

AUCTORE G. C.

A portant, et se acriter disciplinant, silentium tenent, misericordiæ opera implent, et tamen cum his omnibus ad inferna trahuntur. Et tu plena miseriis et peccatis, huc usque sine pœnitentia et bonis, a Deo exspectaris, et in viam salutis a me et angelis custodiris. O si tales essent conversi et fideles, et talia circa eos fierent, quanta, putas, facerent pro amore Dei, si tanta faciunt cum errore seculi. Unde, inquit, nunc vide attentius, quoniam in hoc tibi magis datur, quam si omni die viginti quatuor montes aurei tibi donarentur; et tu tamen hæc non cogitas, neque times. Quod illa audiens et dentibus stridens præ terrore et timore quasi exsanguis reddebatur, se cunctis miseris miserabiliorem cognoscens.

pœnas peccatorum præteritorum,

747 Deinde quintum lilium pulcherrimum protulit benedicta Dei Mater et regina Benedictæ ancillæ suæ, in quo sic scriptum erat : Memorare pœnas mundanas temporibus præteritis peccatoribus iu isto mundo inflictas. Quod exponens benedicta mater Maria ait : Numquid scis, quam pœnam habuit Saul, quam pœnam Cain, quam B pœnam Pharao, Datan et Abyron, et multi? Quanti, quæso, fuerunt suspensi pro uno furto? Quanti incensi, combusti et jugulati pro una luxuria? Quanti autem flagellati, incarcerati, adjudicati, exactionati, et tribulati pro uno solo peccato a principio mundi? Et tu cum infinita feceris mala, et nihil horum passa fueris, numquid parum tibi videtur? Quinimo in vita donis naturæ et fortunæ dotata et servata fuisti, indigna omni dono et immerita, cum plus omnibus tu promerueris. Quod illa audiens, et conscientia remordente ita esse confitens, in immensum confusa, pedibus ejus provoluta, fletibus irremediabilibus humiliter veniam precabatur.

ac præsentium,

748 Sextum lilium protulit regina pietatis Maria, quod talem scripturam in se continebat : Memorare pœnas præsentium, et futurorum in hoc seculo viventium. Quod exponens ipsa Magistra omnium scientiarum, domina nostra Maria inquiebat : Sane, filia Benedicta, plerique hodie bonæ vitæ corruerunt, et tu erigeris; multique hodierna die propter unum solum mortale morientur : quidam enim miles dormiens, et suo scorto cohabitans, in somno subito morietur pro C hoc solo peccato. Et quidam in Anglia pro uno solo peccato iræ decollabitur. Et in hac civitate Florentia tres pro uno peccato comburentur. Hoc die plerique in una mensa pro peccato gulæ exstinguentur. Quinimo et quidam religiosi sine observantia viventes, propter proprietatis vitium singulariter, ac cum toto Conventu in Alemaniis comburentur, et cum oppido adjacente majori ex parte, quia participes sunt peccatis illorum, et etiam defendunt illos. Et tu scelestissima usque nunc remanes impunita. Item hodie aliqui efficientur leprosi, aliqui rabidi, aliqui dæmoniaci, aliqui infirmi, aliqui submergentur, aliqui damnabuntur. Et tu omnibus illis pejor non agnoscis Dei misericordiam te vocantem? O quanti sunt et erunt in hoc mundo, qui, si inspirationem, quam habes, et occasiones conversionis haberent, totis viribus ad Deum per pœnitentiam redirent. Vide ergo ista, quoniam in hac misericordia tibi exhibita magis tibi donatur, quam si centum mundi aurei tibi, donarentur. Vide ergo et audi, quæ dico, et convertere ad Deum toto corde. Illa hæc audiens, et voces lamentabiles proferens, peccataque sua confitens, capellam totam sic lacrymis implebat, ut etiam ejus vestimenta viderentur undique madefacta simul cum terra.

et damnationem variorum hominum.

749 Septimum lilium dedit domina nostra inclyta et benignissima Maria præfatæ Benedictæ, in quo sic scriptum continebatur : Memorare damnationem hominum præcedentium, præsentium, et futurorum. Quod exponens Mater pietatis ait : Non est aliquis damnatus, quin, si esset, ubi tu es, summe posset pœnitere. Et rursum plerique sunt damnati et erunt, qui si tuam gratiam habuissent vel haberent, procul dubio salvati essent. O quanti sunt pro uno solo peccato mortali damnati! Et tu, quæ tanta commisisti flagitia, adhuc es indamnata. O quanti usque ad mortem fuerunt justi, et in morte peccantes, fuerunt et sunt damnati, justo Deo juste hoc faciente vel permittente! Et tu misera adhuc es viva. O quanti propter solum peccatum ignorantiæ sunt damnati et damnabuntur; et tu, quæ tanta perpetrasti scelera ex certa malitia affectata, adhuc es reservata, et impunita. Cognoscis, quæ dico? Si credis, convertere; si non credis, iterum adverte, quæ dicuntur. Hodie puella una duodecim annorum propter solum E peccatum luxuriæ, cum proprio patre occisa, in æternum est damnata : et hodie in Hispania puer octo annorum submergetur, et solum propter peccatum luxuriæ, quod cum sorore egit, etsi non consummavit, tamen inchoavit, in æternum damnabitur. Quid plura? Hodierna die quædam domina pulcherrima et nobilissima choreas ducens, coram omnibus subito morietur, et propter chorearum peccatum damnabitur in æternum. Quinimo quidam ab omnibus bonus et quasi sanctus habetur in Lombardia, qui solum propter peccatum negligentis confessionis et non perfectæ conscientiæ examinationis morietur, et in æternum damnabitur, cum tamen de hoc nullam haberet conscientiam remordentem. Timeant ergo cuncti in posterum grosse confiteri et negligenter, sicut heu! hodie quamplures faciunt.

quæ omnia Deipara exemplis confirmat.

750 Hodie etiam in hac civitate quatuor morientur, et unus burgensis damnabitur propter solam negligentiam, quod filios suos et etiam servos diligenter secundum Deum non erudivit. Quidam etiam curatus sive pastor in sua persona bonus, sed quia negligenter nimis rexit oves F suas, et in examinatione confessionis non correxit, subito morietur et damnabitur. Quidam etiam religiosus de cellario hodie corruens, fracto collo, morietur, et damnabitur propter hoc, quod non habebat firmum propositum vivendi secundum statuta et regulam sui Ordinis, ad quod propositum habendum ad minus in voto et intentione sub periculo peccati mortalis quilibet religiosus obligatur. Est autem et alius religiosus in alio monasterio, qui hodie in pestilentia subito morietur et damnabitur singularissime propter hoc, quod negligenter et vagabunde dicebat Officium divinum. Et tu misera peccatis plena, quæ plus in una hora, peccasti, quam omnes isti quatuor in sua vita, non timebis, nec expavesces, cum tamen hodie in hac hora duæ sociarum tuarum in lupanari a ribaldis nunc jugulantur et damnantur? O si nunc tibi hæc contingerent, quid faceres, diceres, aut cogitares? Vide ergo, vide et pensa, quod in inferno sunt multi te meliores, salvo statu, qui tamen numquam salvabuntur. Et tu omnibus illis magis rea, adhuc non es damnata. Quid amplius vis audire? Cernis, quanta tibi bona Deus fecit, nec tamen facit aliis, te in immensum melioribus? Vide ergo, et pensa bene.

et

AUCTORE G. C.

et nota, quæ dixi, ne post hæc ad infamiam tuam rediens, ruat super te, absque misericordia, Dei ira: nam in hoc dono plus tibi donatum est, quam si tibi fuissent dati tot mundi lapidum pretiosorum, quot sunt stellæ in cœlo. Sic igitur hæc audiens supradicta paupercula signanter mortes subitaneas sibi conviventium, et se ream supra modum agnoscens, palpitare cœpit coram Virgine gloriosa: venæ franguntur, et sanguis per omnes corporis meatus fluit, et quasi exanimata præ cordis angustia remansit. At quam, post populi adstantis clamorem, Dominicus adveniens de Missa (in qua tribus horis illis steterat, quibus præfata Benedicta in raptu fuerat, supplicius pro illa orando) cuncta, quæ dicta et facta fuerant erga filiam suam agnoscens, et eam per manum apprehendens, ac in virtute Psalterii virginis Mariæ consignans, mox illam fere mortuam integræ restituit sanitati, populo universo adstante et vidente, atque immensas in cœlum laudes proclamante.

Denique hæc femina resipiscens,

B

751 Post hebdomadem dierum cum devotissimus pater Dominicus celebraret in ecclesia beatæ Virginis, et illa Benedicta præfata præsens esset, vidit Dominicum in crucifixi specie cum stigmatibus omnibus et corona spinea ad altare procedentem cum assistentia virginis Mariæ et plurimorum angelorum. Cumque facta esset consecratio, apparuit Christus visibiliter in cruce extensus cum omnibus signis passionis, stillabatque super Dominicum sanguinem divinissimum, et eum perfecte sibi configuravit. Quo facto, vidit a dextris librum maximum, quem prius viderat in judicio, candidissimum factum, sed nondum scriptum. Cumque vehementius super hoc miraretur, clara voce audivit Dominum Jesum Christum sibi dicentem: Filia Benedicta, librum tuum septem liliis delevisti ab omni specie septem peccatorum mortalium. Vide, ut de cetero rescribatur, non ut prius, picturis infernalibus nigris et horribilibus, sed litteris albis, rubeis. Sin autem; vindictam rursus de te accipiam, et corrues. Quod audiens illa vehementer territa, et ad pœnam priorem venire pertimescens, proprius accedens, et ad pedes dulcissimæ Virginis Mariæ se prosternens, misericordiam petebat, ne, ut prius, tantis afficeretur pœnis.

C

habuit incredibiles revelationes ac cœlestes favores,

752 Tunc misericordiæ Regina chlamydem suam elevans, ex variis lapidibus pretiosis, de collo suo traxit Patriloquium pulcherrimum dicens: Hoc, filia, mihi donasti, et ego illud tamquam torquem imperialem in collo meo defero: Filiusque meus, quem cernis in cruce pendentem, similiter pro torque regali habet suum sertum, collo suo impositum miræ pulchritudinis et valoris, quæ tu nobis dedisti, et in quibus librum tuum mortis cum adjunctione liliorum delevisti. Nunc ergo, filia, constanter age. Ecce Psalterium meum, in quo in posterum tua peccata et aliorum delebis, tibi commendo. Et in prima quinquagena, quæ est ex lapidibus pretiosis albis et claris, scribes in libro articulos Incarnationis filii mei et Dei, Jesu Christi, meditando dignitates meas in ordine ad Filium secundum omnes corporis mei partes, scilicet quam reverenter caput ei inclinavi, auribus ejus vocem audivi, manibus maternis et virgineis ejus tenerrima et pulcherrima membra contrectavi, ac materna ministeria impendi, per singula membra discurrendo usque ad pedes. Litteris autem rubeis scribes cum secundo serto, quod dices devote ad horas Passionis Filii mei: quod sertum est de rubeis lapidibus pretiosis, meditando scilicet hic quinquaginta articulos Passionis Filii mei, et habendo ante te crucifixi imaginem, et cuilibet vulneri Ave Maria offerendo, nec non cum hoc meditando dolorem illius partis. Litteras autem aureas scribes cum tertio serto, quod erit ad honorem Sacramentorum sanctorum et contra tua peccata, et pro imaginibus habebis imagines tuæ ecclesiæ et tuæ patriæ, de una in aliam meditando [et] spiritualiter discurrendo; et hoc designatur post tertium sertum ex signis aureis compositum. Sic igitur, filia, prædicto in Psalterio mihi et Filio meo devote servias, sicut incepisti, et quoties nobis Psalterium obtuleris, tot torques imperiales infiniti valoris collis nostris honore condigno ac regio circumaptabis.

D

si credimus Alano jurato,

753 Igitur Missa sic miraculose consummata, in qua Virgo Maria partem Hostiæ et Sanguinis Christi accipiens, Dominico sibi familiarissimo communicavit in signum summæ et singularissimæ amicitiæ, tamquam sponsa cum sponso, eumque juvit ad vestes ecclesiæ deponendum, et humiliter ei valefaciens et Benedictam consignans (de qua prædicta acta sunt) cum gratissima facie disparuit. Atque post Benedicta ista a dæmonibus omnino liberata, et in bono proposito confirmata, in servitio Psalterii Christi et virginis Mariæ usque in finem permansit in omni sanctitate devotionis et pœnitentiæ fervore, adeo ut Domina nostra postea ipsi sæpius appareret, et plurima sancti Dominici facta, quæ nemo hominum sciebat, revelaret, quæ in Legenda S. Thomæ de Templo pro parte sunt scripta; qui fuit Hispanus, et sancti patris nostri Dominici socius: ex qua Legenda, et pluribus aliis Legendis, facta, quæ nunc de Dominico dicta sunt, fuerunt extracta; et sunt nuper per revelationem Christi et virginis Mariæ confirmata cum signis magnis et portentis. Et de omnibus his fidem et testimonium sub juramento fidei Trinitatis perhibeo, sub periculo omnis maledictionis mihi infligendæ in casu, quo deficio a veritatis recto tramite.

E

vel auctori Speculi peccatricis animæ,

F

754 *In Speculo Peccatricis animæ, quod F. Ludovicus Loumans Antverpiæ anno* 1635 *edidit, conversio ista Benedictæ Florentinæ iisdem longis ambagibus, seu totidem fere verbis, a pag.* 203 *exponitur, et auctor narrationis in fine ibidem pag.* 240 *et* 241 *sic clarius indicatur:* Post hæc Benedicta a dæmonibus omnino liberata, et in bono confirmata, in servitio Psalterii Christi et virginis Mariæ usque in finem permansit, in omni sanctitate devotionis et pœnitentiæ, adeo ut Domina nostra sæpius ei apparuerit, et plura Dominici facta, quæ nullus hominum sciebat, revelarit, quæ in Legenda Thomæ de Templo aliqua pro parte sunt scripta, qui fuit Hispanus; et sanctissimi Dominici socius: ex qua Legenda, et pluribus aliis Legendis, de tanto Sancto factis, quæ nunc de Dominico dicta sunt, fuerunt extracta, et sunt nuper per revelationem Christi et virginis Mariæ confirmata cum signis magnis et portentis, adeo ut ipsa Domina nostra visibiliter desponsaverit illum, cui ista revelavit, ubera sua dederit ad sugendum, osculumque virgineum sibi impresserit, et maximis gratiis decoraverit, adeo ut nulla umquam fuerit mulier viro suo sic familiaris, sicut Christus et virgo Maria frequentius familiares sunt præfato sic desponsato. Et de omnibus his fidem sub juramento fidei Trini-

tatis

A tatis et testimonium perhibeo sub periculo omnis maledictionis mihi infligendæ in casu, quo deficio a veritatis recto tramite. *At illa desponsatio, aliique singulares favores Alano Rupensi adscribuntur, ut apud Hyacinthum Choquetium inter Sanctos Belgas Ordinis Prædicatorum cap.* 23, *pag.* 202 *et sequentibus in Vita ejusdem Alani videre est.*

cui utrique scriptori, aut forsan eidem,

755 *Quisquis porro hanc prolixam historiam levi oculo percurrere voluerit, facile intelliget, ab Alano veram Benedictæ conversionem hyperbolicis circumstantiis et variis fictionibus scenice amplificatam fuisse. Si quis autem eamdem narrationem attente persolvat, in ea quædam vix secum cohærentia inveniet : nam auctor inducit Deiparam huic peccatrici dicentem, quod nihil hactenus pro peccatis suis passa fuerit. Attamen antea narraverat, Benedictam ad expianda peccata a quadringentis et quinquaginta dæmonibus obessam ac vexatam fuisse. Præterea attento lectori occurrent aliqua dogmata absona, quæ thæologis discutienda relinquimus. Nobis maxime displicet juramentum, quod auctor ad confirmandam narrationis suæ veritatem in fide sanctissimæ Trinitatis adjungit, et quod cum pietate relatoris conB liare non possumus, nisi is mente captus aut falsis visionibus delusus fuerit, ut supra* § 3 *innuimus.*

fidem Echardus in hac narratione recte abrogat

756 *Echardum præcipue offendit narratio de communione Deiparæ in Missa* S. Dominici, *et tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 33 *in notis ad textum Constantini Urbevetani de tota hac historia tale fert judicium :* Hanc mulierem, quam prius BENE, scilicet cum adhuc esset in seculo, nominat Humbertus, nunc vero Sororem Benedictam uterque Constantinus et Humbertus nuncupant, indicant ambo, cum hæc scriberent, adhuc fuisse in vivis et Ordini aggregatam sive in monasterio Ripolitano ad Florentiam, ex Fratrum cœnobio in sacrum gynæceum paucis post beati Dominici obitum annis converso, quod verius æstimo ; sive sub regula tertii Ordinis de Pœnitentia tantum, ut vult sanctus Antoninus. Quas vero huic Sorori Benedictæ visiones tribuit Flaminius, a Malvenda exceptus pag. 320, nec probamus, nec ab ullo exquisiti judicii viro probandas censemus. Quis eos ferat narrantes, Benedictam, dum beatus Dominicus Sacrum faceret, vidisse beatam Virginem partem Eucharistiæ sumentem ac edentem, similiter partem Sanguinis ex eodem C calice bibentem, sicque cum Sancto in signum amicitiæ una communicantem, et cetera ejusdem farinæ ex libello, cui titulus, SPECULUM PECCATRICIS ANIMÆ deprompta ; qui libellus licet sub nomine nostri Alani de Rupe ab ejus morte prodierit, vix adducor, ut ejus esse credam?

et ab omnibus viris eruditis abrogandam censet.

757 *At hactenus ignoramus,* Speculum peccatricis animæ *sub nomine Alani prodiisse : nam Ludovicus Loumans opusculum istud edidit sub nomine auctoris anonymi ex Ordine Prædicatorum, etiamsi editor in dedicatione, reverendissimo totius Ordinis Magistro facta, pag.* 7 *non prorsus temere suspicetur, illud Alano adscribi posse. Insuper ipse Echardus tomo* 1 *pag.* 851 Speculum peccatricis animæ *inter opera Alani recenset. Sed cujuscumque sit istud Speculum, nostra nihil interest, cum Echardus eadem pagina fateatur, historiam Benedictæ Florentinæ ab Alano Rupensi interpolatam esse, ibidemque de illa interpolatione lectorem moneat his verbis :* Ingenium Alani ut cognoscas, confer historiam Benedictæ Florentinæ, quam habet parte 5 cap. 38, cum numero 35 Vitæ Dominici per Constantinum, qui ex ore ipsius Benedictæ rem gestam audivit, et simpliciter narrat. Heu quantum discrimen! *Quod si tamen quis contendat, Alano non esse adscribenda opuscula, quæ sub titulo Alani redivivi prodierunt, non repugnabimus, modo ille agnoscat, auctorem longioris historiæ jam relatæ (quiscumque is demum sit) ineptum fabulatorem fuisse.*

AUCTORE G. C.

§ XL. Ultima Romana Sancti commoratio, et reditus Roma Bononiam, ubi exeunte Maio anni 1221 secundum Capitulum generale celebravit.

Sanctus Romæ commorani

E*o tempore* S. Dominicus *verosimiliter Florentia Romam profectus est, jamque in Urbem advenerat ineunte Decembri anni* 1220, *ut colligimus ex sequenti diplomate, quod apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1220 *cap.* 36 *sic legitur :* Honorius episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio Fratri Dominico, Priori Ordinis Prædicatorum salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum quibusdam de Fratribus tuis, E quorum quidam adhuc in seculo existentes minus canonice Ordines ecclesiasticos assumpserunt, dignaremur misericorditer dispensare, ut ministrare in Ordinibus sic susceptis, et ad superiores valeant promoveri. Nos ergo de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus sic, prout eorum saluti videris expedire, cum ipsis dumtaxat, qui jam habitum Ordinis susceperunt, super hoc misericorditer agas, quod justitiam non relinquas, ac sic moderate mandatum hujusmodi exsequaris, quod in extremo districti examinis [die] dignam coram Domino possis reddere rationem. Datum Laterani VI Idus Decembris, Pontificatus nostri anno V.

exeunte anno Christi 1220.

759 *Malvenda ibi ex conjectura notat, hoc privilegium* anno V, vel IV *Pontificatus Honorii datum esse, et hujus disjunctivæ chronologiæ ibidem sic antea rationem reddiderat :* Cum diploma illud datum dicatur VI Idus Decembris, Pontificatus Honorii anno VI, quo tempore sanctus Dominicus jam de vita excesserat (nam ostendemus, obiisse anno sequenti, VIII Idus Augusti, Honorii Ponti- F ficatus sexto) nimis perspicue licuet, mendum in datam temporis Apostolicarum litterarum illapsum, et quod proclivius videtur, restituendum in Pontificio diplomate pro VI anno Pontificatus Honorii, V vel IV, qui lapsus numeri facile admitti potuit. Sic igitur existimamus, bullam illam vel anno superiori, cum sanctus Dominicus rediens ex Hispaniis et Galliis, Romæ illam a Pontifice postulasset, vel hoc anno, octava Die Decembris concessam. *Sed non erat opus hac disjunctiva conjectura, cum diploma ejusdem Pontificis, quod supra* § 36 *a num.* 677 *ex Raynaldo retulimus, evidenter demonstret, Honorium III eo die anni* 1219 *Viterbii commoratum esse, adeoque manifeste sequitur, præsentes litteras anno Christi* 1220, *sive quinto ejusdem Pontificis anno, Romæ datas fuisse.*

et ineunte 1221.

760 *Honorius III mense Januario anni* 1221 *(annum stylo novo cum Malvenda aliisque computamus) sive* XV Kalendas Februarii, anno quinto *Pontificatus sui, Sancto concessit alterum diploma, in quo Ordinem Prædicatorum, et nominatim* Fratrem Dominicum, præsentium latorem *archiepiscopis aliisque Ecclesiæ prælatis commendat, illumque*

AUCTORE G. C.

que Canonicum supradicti Ordinis *appellat. Has litteras commendatitias, quia similes sunt iis, quas supra* § 36 *ad archiepiscopum Tarraconensem datas recitavimus, hoc loco non repetimus, easque apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 1 *legendas assignamus. Cum autem Honorius in his et superioribus litteris* S. Dominicum, *modo Priorem Ordinis Prædicatorum, modo Canonicum nuncupet, Malvenda et Echardus ex ea appellatione concludunt, tunc titulum Magistri Ordinis nondum ei collatum fuisse.*

ab Honorio III Pontifice

761 *Sanctus Fundator sibi ac Ordini suo circa hoc tempus ab eodem Pontifice impetravit alias litteras commendatitias, quæ apud Malvendam loco proxime citato sunt hujus tenoris* : Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis universis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum, qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiat, universati vestræ viros Prædicatores Ecclesiæ sanctæ pernecessarios, pro eo quod ministrant pabulum verbi Dei, merito commendamus, ut ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis. B Hinc est, quod dilectum filium Fratrem Dominicum, Priorem Ordinis Prædicatorum, qui paupertatem et vitam regularem professus, verbi Dei est euangelizationi totaliter deputatus, vobis duximus propensius commendandum; universitatem vestram rogantes, et hortantes attentius, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum ad partes vestras accesserit ad prædicandum * officium, ad quod deputatus est, charitative recipiatis eumdem, et populos vobis commissos, ut ex ore ipsius verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admonentes pro divina et nostra reverentia, in suis ei necessitatibus liberaliter assistatis. Illum autem super his studeatis ei exhibere favorem, ut per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportet sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum.

* *forte* prædicandi

sibi ac Ordini suo

762 Quia vero sæpe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus satanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, C si qui de prædictorum Fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint ad quæstum se pecuniarum convertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tamquam falsarios capiatis, et condemnetis eosdem. Datum Laterani IV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto. *Ex hac clausula conjicimus, tunc temporis quosdam impostores sub nomine, ac forsan etiam sub habitu, Prædicatorum circumcursasse. Nec videtur istorum circulatorum audacia hoc diplomate Honorii III prorsus compressa fuisse : nam Gregorius IX Pontifex eadem clausula usus est in litteris, quas* § 24 *num.* 451 *retulimus. Imo suspicamur, Innocentium IV propter eamdem causam prohibuisse, ne quis absque speciali sedis Apostolicæ mandato deferret habitum Prædicatorum, aut ita consimilem, ut Frater Prædicator credi posset, quemadmodum* § 28 *num.* 544 *in epistola hujus Pontificis expressum est.*

varia obtinet diplomata,

763 *Mabillonius in Itinere suo Italico, quod anno Christi* 1685 *instituit, ad mensem Julium ejusdem anni num.* 22, *sive tomo* 1 *Musei Italici pag.* 74 *testatur, se Romæ in bibliotheca Chigiana legisse vetus instrumentum, quo* Magister Centhius Gregorii Ranpazoli, in præsentia Stephani Cardinalis sanctorum Apostolorum, reverendo et per D omnia referto Fratri Dominico, Priori venerabilis monasterii sancti Sixti, recipienti pro ipso monasterio, et pro monasterio sanctæ Mariæ in Tempulo, et eorum servientibus, in perpetuum concedit MXC libras prov. Sen., quas dominæ Eugeniæ olim abbatissæ dicti monasterii sanctæ Mariæ in Tempulo mutuaverat, et de quibus ipsi pignus fecerat, scilicet in hortis ipsius monasterii de Circulo maximo. Actum anno MCCXXI, Pontificatus domini Honorii Papæ anno V, indictione IX. *Echardus tomo* 1 *pag.* 86 *ex anno hujus instrumenti colligit, illud scriptum esse anno* 1221 *post diem* XXV *Martii,* quo die, *inquit,* annus Romæ tum incipiebat. *Sed jam supra ostendimus, hanc regulam chronologiæ non adeo generalem esse, ut ex ea semper certum tempus erui possit. Porro parum interest, quocumque mense anni* 1221 *id exaratum fuerit, cum saltem ex assignato anno constet, donationem illam in ultima* S. Dominici *commoratione Romana factam esse.*

et ibidem donationem, sibi olim factam,

764 *Anno Christi* 1221, *die* XVII *Aprilis, Sanctum adhuc Romæ substitisse, colligimus ex alio instrumento, quod Bernardus Guidonis apud Edmundum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* E 447 *et* 448 *sic refert :* Anno Domini MCCXXI, Indictione nona, XV Calendas Maii. In nomine Domini. Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod nos Fulco, Tolosanæ ecclesiæ gratia Dei episcopus, donamus et libere concedimus per nos et successores nostros, in remissionem animæ nostræ, et ob tuitionem fidei Catholicæ, et ad utilitatem totius diœcesis Tolosanæ, tibi dilecto nostro Dominico, magistro prædicationis, et per te tuis successoribus et Fratribus ejusdem Ordinis, ecclesiam beatæ Mariæ Fani-Jovis, quam eidem Ordini prædicationis cum decimis, sive ad nos, sive ad fabricam ecclesiæ, sive ad capellanum ibidem instituendum, quondam pertinentibus, primitiis, oblationibus, et cum omnibus juribus suis pertinentibus, jure perpetuo et possidendam integre assignamus, te et per te Fratres ejusdem Ordinis cum traditione præsentis cartæ in possessionem inducentes, salvo tamen jure episcopali nobis et successoribus nostris tam in cathedratico, quam in procurationibus et visitationibus, et in commissione curæ F animarum illi sacerdoti, qui a magistro et Priore in dicta ecclesia a dicto magistro instituto, vel a Fratribus jam dicti Ordinis nobis vel nostris successoribus fuerit præsentatus.

rescindit legitimo instrumento

765 Et nos supradictus Magister prædicationis per nos et successores et Fratres ipsius Ordinis vobis, domine Fulco episcope, vestrisque successoribus sextam partem decimarum ecclesiarum parochialium totius Tolosanæ diœcesis, quam nobis et Ordini prædicto de consensu Canonicorum sancti Stephani Tolosani retroactis temporibus libere concessistis, sicut in instrumento publico plenius continetur, solvimus et desamparamus in perpetuum ; ita quod dictum instrumentum sit penitus irritum et inane ; renuntiantes omni legum et canonum auxilio, quod nobis et Ordini antedicto ex donatione vestra, vel alio modo, super prædicta parte decimarum posset competere vel valere. Ut autem omnia supradicta omni firmitate subnixa permaneant, sigillorum nostri, et Dominici magistri prædicationis præfati munimine fecimus roborari. Actum in urbe Romæ anno et die prætaxatis, præsentibus ad hoc vocatis Aymerico et Petro monachis Cister-

ciensis

AUCTORE G. C.

A ciensis Ordinis, et Fratre Bertrando ejusdem Ordinis, et magistro Arnaldo de Compragnano, et Guillelmo Calveto, et me Guillelmo Gayraudo, qui hæc rogatus scripsi, domino Amico Arelatensi archidiacono dictante.

qui appendens sigillum S. Dominici hic repræsentamus.

766 *Echardus tomo* 1 *pag.* 85 *exhibet istud ipsum instrumentum, quod cum jam relato concordat, si exiguam paucorum nominum discrepantia excipias, et annum, mensem, ac diem circa finem ponas, qui in nostro sub initium signantur, et qui una cum testibus apud Echardum sic in fine referuntur :* Actum in urbe Romæ anno Domini MCCXXI, Indictione 9, XV Kal. Maii. Præsentibus ad hoc convocatis Aimerico et Petro, monachis Cisterciensis Ordinis, et F. Bertrando Converso ejusdem Ordinis, et magistro Arnaudo de Campragnano, et Willelmo Calveto, et me W. Garrado, qui hæc rogatus scripsi, D. Amico Arelatensi archidiacono dictante. *Ibidem Echardus monet, Tolosano istius instrumenti archetypo, quod apud Prædicatores etiamnum servatur, appendere tria sigilla, primum ecclesiæ S. Stephani, alterum Fulconis episcopi, et tertium* S. Dominici, *ut satis patet ex* B *characteribus, in circuitu expressis, quibus* SIGILLUM DOMINICI MINISTRI PRÆDICATIONUM *indicatur. Nos ex tribus istis sigillis ultimum, tamquam ad rem nostram propriæ spectans, hic æri incisum repræsentamus.*



Vides hic manicas ad pugnum strictiores, et reliquum habitum Prædicatorum satis distincte expressum. Sed utinam invenire liceret sigillum, quod S. Dominicus *anno* 1211 *apposuit instrumento clientelæ, quam Guilielmus de Cardalliaco, episcopus* C *Cadurcensis, mense Maio ejusdem anni* 1211 *apud Simonem comitem Montis-fortis professus est, ut laudatus Echardus tomo* 1 *pag.* 14 *in notis testatur. Tunc forte ex oculata similis sigilli inspectione Echardum de mutato Prædicatorum habitu prorsus convincere possemus. Sed hunc defectum utcumque supplevimus, et superius mutationem illam ex variis veterum testimoniis probavimus. Denique Echardus ad illud instrumentum Romanum anni* 1221, *citata pagina* 85 *notat,* S. Dominicum *jura omnia, sibi et suis Fratribus super dictam ecclesiam Fani-Jovis per hoc instrumentum acquisita, monialibus Prulianis cessisse, quæ iis ab eo tempore etiamnum potiuntur.*

Sanctus Romæ rediturus Bononiam,

767 *Dubitari potest, an* S. Dominicus *Romæ præsens suo Ordini obtinuerit privilegium, quod apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 2 *sic sonat :* Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Fratribus de Ordine Prædicatorum salutem et Apostolicam benedictionem. Postulastis a Nobis, ut cum extra civitates et villas frequentius exsistatis, nec vobis expediat per hujusmodi loca discurrere pro divinis Officiis audiendis, celebrandi vobis, ubi Conventus de Ordine vestro fuerit, super altari portatili licentiam præberemus : Nos autem his vestris supplicationibus inclinati, concedimus sine juris præjudicio alieni. Datum Laterani Nonis Maii, Pontificatus nostri anno quinto. *Diximus, dubitari posse, an Sanctus Romæ præsens die* VII *Maii privilegium istud acceperit, tum quod in illo nulla fiat mentio* de S. Dominico, *tum quod ipse die* XXX *ejusdem mensis Capitulum secundum generale Bononiæ celebrare cœperit. Præterea videtur sanctus Fundator in illo reditu ex urbe Romana ad Bononiensem aliquamdiu Viterbii substitisse, ut jam dicemus.*

videtur transiisse Viterbio,

768 *Malvenda et Echardus consentiunt, quod eo tempore* S. Dominicus, *Roma Bononiam reversurus, cum Cardinale Capoccio Viterbium iverit, ibique ab eo ecclesiam S. Mariæ ad Gradus et adjunctum monasterium acceperit. Verum de prodigiosa cœnobii Viterbiensis origine, seu donatione Prædicatoribus tunc facta, audiamus Malvendam, qui in Annalibus ad annum jam memoratum cap.* 5 *ex monumentis Viterbiensibus illam ita refert :* Gradus plures lapidei cunctis ad ecclesiam hanc accedentibus scandendi sunt, a quibus cognomentum accepit. Raynerius Capoccius Viterbiensis, sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis, vir E fuit dignitate conspicuus, et vitæ sanctitate clarus. Consueverat autem sanctis precibus frequenter vacare. Nocte igitur quadam orationi incumbens, somno oppressus obdormivit. Visa est autem dormienti femina decora et valde formosa, quæ ardentem cereum tenens, Cardinalem manu apprehendit, ducereque videbatur ad nemus seu inter arbusta, ubi nunc ecclesia nostra est, positum, cereoque illo herbas arbusculaque comburere toto eo ambitu, quo nunc ecclesia nostra protenditur.

ubi, cœlesti visione duobus piis viris ostensa,

769 Expergefactus Cardinalis, quod viderat, recogitare et pensare cœpit. Nesciens autem, quid sibi vellet visum, quod tamen divinitus factum non dubitabat, mane ad monachum, nomine Album, vere monachum, qui montem, qui nunc sancti Martini dicitur, solitarius incolebat, accessit eum consulturus : solebat enim sæpius illum invisere, et de arduis sibi occurrentibus negotiis exquirere consilium, qui Deo vacabat, et ut spiritualis divina et humana judicare noverat. Venit ergo ad eum, et totam visionis seriem monacho narravit. Is statim respondit Cardina- F li : Maria mulier illa est, quæ ibi eo spatio et loco ecclesiam a te sibi ædificari exposcit. Quare ut cœli Reginæ auscultes, etiam atque etiam hortor : ea enim est, quæ tibi propterea maxime propitiari et adesse poterit, et tuto itinere ad cœli alta deducere. Quid multa? Cardinalis eremitæ verba læto et alacri animo accepit, et Mariæ obsequi paratus, a monte descendens, ad visum locum contendit, et incendii vestigia, ut dormiens viderat, oculis vigilans cernit; nec distulit Mariæ voto facere satis. Non prius e loco dimotus est, quam accitis fabris murariis, clero et populo Viterbiensi adstantibus, et gaudentibus, ecclesiæ fundamenta jacere cœpit, quam juxta designatum ignium spatium brevi absolvit, et Mariæ perpetuo virgini dedicavit.

cœnobium Fratribus suis impetrat.

770 Eadem autem nocte monachus ille viderat eo in loco, ubi nunc maximum sacellum est, Mariam regio cœlesti solio residentem, suadentemque Cardinali, qui adstare videbatur, hujusmodi ecclesiam ædificare. Unde non mirum, si, ut audivit Cardinalis visionem vel somnium, statim quo tenderet, intellexerit : voluit enim Deus utriusque visionem ex alterutrius certiorem et firmio-

AUCTORE G. C.

firmiorem consistere. Ecclesiam vero non absolutam, sed tantummodo inchoatam, et ei adjacens exile monasterium sanctæ Crucis, olim sacrarum virginum habitaculum, tunc autem vacuum, in colle Caponio vocato situm, idem Cardinalis beato Dominico, quem ab Urbe Viterbium secum duxerat, tradidit pro se et Ordine suo possidendam. Conventum autem Ordo habuit anno Domini MCCXX, vel, ut alii putant, sequenti anno. Quis vero tunc primus institutus fuerit Prior, ignoramus. *Cum collector monumentorum Viterbiensium ingenue fateatur, ibi certum fundationis annum non exprimi, et primum cœnobii istius Priorem ignorari, facile conjicimus, documenta illa diu post fundationem Conventus conscripta esse, forsan ex vulgari incolarum traditione; quæ utinam antiquioribus testimoniis confirmaretur!*

et tunc etiam Florentiæ prophetiam edit.

771 *Echardus tomo* 1 *pag.* 21 *in notis putat, eo in reditu Sanctum etiam Senis ac Florentia transiisse, suosque Fratres ibi agentes visitasse. Hinc nos quoque non omnino temere suspicamur, tunc Florentiæ contigisse illam* S. Dominici *prophetiam, quam venerabilis Humbertus in Vita ipsius cap.* 46 *memorat his verbis :* Apud Florentiam quidam Clericus secularis pro eo quod ecclesia, in qua erat Clericus, collata fuerat Fratribus (in qua etiam Fratres aliquanto tempore in principio Ordinis commorati sunt) gravem in eumdem Ordinem persecutionis tyrannidem exercebat. Erat et quædam mulier in eadem parochia per virum Dei Dominicum de mundo noviter ad Deum conversa, Bene nomine; nunc vero Soror Benedicta, de qua paulo superius sermo est habitus, cui etiam in Fratrum odium non paucas dictus Clericus quotidie molestias inferebat. Cum itaque frequenter super hoc ad virum Dei Dominicum præfata mulier lamentabiles querimonias detulisset, tandem ille blandis eam consolans sermonibus : Patienter, inquit, age filia, sciens, quod iste, qui te et Ordinem tam insolenter persequitur, adhuc et cito bonus Ordinis Frater erit, et in eodem Ordine labores non paucos et longo tempore sustinebit. Fidelis sermo. Effectus sequens totum per omnia, quod Vir Dei prædixerat, comprobavit. *Constantinus Urbevetanus in Actis* S. Dominici *num.* 37 *eamdem rem narrat, et Clericum illum, qui postea Ordinem Prædicatorum ingressus est, Hugonem appellat. Cum autem mulier illa, nomine* Bene, *postmodum* Benedicta, *tantum anno* 1220, *ut supra ostensum est, ab iterata dæmonis obsessione liberata fuerit, et tunc prorsus ad frugem redierit, non improbabiliter existimamus.* S. Dominicum *nunc istam Clerici conversionem ei prædixisse.*

§ XLI. Acta in secundis comitiis generalibus, quibus Sanctus interfuit.

Anno 1221 Prædicatores missi sunt in Angliam.

Anno Christi 1221, *festo Pentecostes, vel die* XXX *Maii, celebrari cœpit secundum Capitulum generale Ordinis Prædicatorum, de quo Humbertus in Chronico hæc habet* : Anno Domini MCCXXI celebratum est secundum Capitulum generale Bononiæ sub eodem patre Dominico, et de illo Capitulo missi sunt Fratres in Angliam, et Fratri Jordani, qui præsens non erat, injunctum est officium Prioratus provinciæ Lombardiæ, ad quod officium exsequendum cum iret de Parisius, Frater Everardus, archidiaconus quondam Lingonensis, vir magnæ auctoritatis, qui suo exemplo ad ingressum Ordinis multos commoverat Parisius, vadens cum eo, desiderio videndi beatum Dominicum, et ipsius Fratris Jordanis amore illectus, mortuus est apud Lausannam, ubi aliquando in episcopum fuerat electus. Interim autem eodem anno mortuus est beatus Dominicus octavo Idus Augusti, et intra ecclesiam Fratrum honorifice sepultus. *Beatus Jordanus, testis oculatus, de pia morte Everardi Lingonensis inferius post hunc Commentarium prævium plura narrabit. Alia vero hujus Capituli Acta sigillatim infra discutientur.*

ut Nicolaus Trivetus distincte explicat,

773 *Illud autem, quod hic ab Humberto summatim attingitur de missione Fratrum in Angliam, Nicolaus Trivetus, scriptor Anglus ejusdem Ordinis, in Chronico suo ad annum Christi* 1221, *sive in novissima Spicilegii Acheriani editione tomo* 3, *pag.* 188 *distinctius exponit his verbis :* De secundo Capitulo generali Fratrum Ordinis Prædicatorum, quod sub beato Dominico celebratum est Bononiæ, hoc anno missi sunt Fratres Prædicatores in Angliam, qui numero tredecim, habentes Priorem Fratrem Gilbertum de Fraxineto, in comitiva venerabilis patris, domini Petri de Rupibus, Wintoniensis episcopi, Cantuariam pervenerunt; ubi cum se domino Stephano Cantuariensi archipræsuli præsentassent, audito, quod Prædicatores essent, statim Fratri Gilberto imposuit, ut coram se sermonem faceret in ecclesia quadam, in qua ipsemet proposuerat eodem die prædicare : cujus verbis admodum ædificatus pontifex, toto suo tempore Religionem Fratrum Prædicatorum et officium prosecutus est gratia et favore. Progredientes autem Fratres de Cantuaria, venerunt Londonias in festo sancti Laurentii, et ulterius Oxoniam in festo Assumptionis Virginis gloriosæ, in cujus honore oratorium construxerunt, et habebant scholas illas, quæ nunc sancti Edwardi dicuntur, in cujus parochia locum acceperant, in quo tempore aliquo morabantur. Sed cum non esset opportunitas locum sufficienter dilatandi, transtulerunt se ad locum a rege eis concessum, ubi nunc habitant extra muros.

cui Malvenda et Janssenius Scotiam Hiberniamque gratis addunt,

774 *Malvenda in Annalibus ad annum Christi* 1221 *cap.* 6 *et sequente existimat, Prædicatores ex Anglia statim in Scotiam et Hiberniam transiisse, ac inde illos Sueciam, Norvegiam, aliasque Septemtrionis regiones eo tempore penetrasse. Hanc Malvendæ opinionem secutus est Nicolaus Janssenius in Vita S. Dominici lib.* 1 *cap.* 8, *ubi varias mundi plagas, ad quas Fratres ab ipso Sancto adhuc vivente missos putat, asseverate recenset his verbis :* Sanctus præterea Dominicus anno MCCXXI, quo ex hac vita in cœlos abiit, tribus ferme, antequam decederet, mensibus, ipso Pentecostes die per comitia Ordinis, quæ Bononiæ agebantur, Fratres aliquot in Angliam, Scotiam, Scandinaviam, Groenlandiam; item in Hungariam et Cumanorum regionem destinavit, haud sine fructu, schismaticis plerisque ad Catholicam fidem perductis, atque excisa pluribus locis dæmonum superstitione. *Libro* 1 *ejusdem Vitæ cap.* 11 *id ipsum repetit.*

cum ad has regiones videantur Fratres serius venisse.

775 *De missione Anglica satis constat ex iis, quæ jam supra retulimus. Sed non immerito dubitari potest, an etiam adierint alias regiones jam memoratas,* S. Dominico *adhuc vivente. Nam ipse Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 22 *et* III *asserit, sodales Ordinis sui non tam cito Scotiam ingressos esse, et ad assertionem suam probandam ibi-*

dem

A *dem ex Chronico Maylrossensi allegat sequentia :* Anno Domini MCCXXX primo ingrediuntur Scotiam Fratres Jacobini, quos allexit Alexander II rex, et in magna teneritudine, tamquam patronus et procurator singularis, eis astitit, assignavit loca, ornavit ac fundavit. *Ut autem Chronici istius Maylrossensis antiquitatem cognoscas, audi eumdem Echardum, qui pagina* 22 *tomi proxime citati post jam relatum ejusdem Chronici textum hæc notat :* Chronicon illud Ms. memb. seculo XIII scriptum, servatur etiamnum in Anglia in celebri bibliotheca Cottoniana, viditque D. Ines Scotus, vir eruditus, Parisiis hoc anno MDCCXVII agens, ac illustrandæ historiæ ecclesiasticæ Scoticæ incumbens, a quo et notitiam istam accepi; qui et conjicit, e domo San-Jacobea Parisiensi primos nostros sodales a rege Alexandro laudato accitos, quia in ipso in Scotiam ingressu dicti sunt Jacobini; non vero ex Anglia, in qua hoc nomine nostros audiisse, nuspiam legitur. *At sive ex Gallia, sive ex Anglia, Prædicatores in Scotiam transierint, ad præsens examen nobis sufficit, aliquot annis post mortem* S. Dominici *illos primum* B *eo pervenisse, quod etiam veteribus documentis destituti suspicabimur de aliis regionibus, quas Malvenda et Janssenius supra enumerant; si tamen excipias Hungariam de cujus ingressu mox aliqua testimonia proferemus.*

Bernardus Guidonis provincias, in quas tunc Ordo divisus erat,

776 *Bernardus Guidonis apud eruditissimum Martene tomo* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 403 *de iisdem Ordinis comitiis agens, sic caute et candide scribit :* Anno Domini MCCXXI fuit a beato Dominico secundum generale Capitulum Bononiæ celebratum, in quo Capitulo, vel in præcedenti (quod magis æstimo; sed certitudinem plenariam non inveni) fundatis jam per orbem Conventibus circiter sexaginta, dicti Conventus per octo provincias sunt distincti, scilicet: Hispaniam, Provinciam, Theutonicam, Lombardiam, Romanam provinciam, Franciam, Hungariam, Angliam. *Echardus tomo* 1 *pag.* 21 *circa numerum Conventuum in hoc textu expressum notat sequentia :* Quoad numerum domorum, videtur hic positus certus pro incerto; vel quæ brevi sperabantur erigendæ indicatæ, ceu jam essent institutæ : nam ex notitia Ordinis supra posita jam erectæ ultra quadraginta ascendisse non apparent.

earumque Priores Provinciales enumerat,

C 777 *Porro Bernardus Guidonis loco proxime citato præfectos harum provinciarum ita nominatim recenset :* Priores provinciales primi instituti sunt hi, qui sequuntur. Primus Prior provincialis in provincia Provinciæ, Frater Bertrandus de Garriga supra commemoratus et inferius memorandus. Primus provincialis in provincia Hispaniæ Frater Suggerus. Primus Prior provincialis in provincia Franciæ, Frater Matthæus supra memoratus, qui fuit primus et novissimus Ordinis nostri abbas. Primus Prior provincialis in provincia Lombardiæ Frater ac pater Jordanis, sicut ipsemet in suo libello descripsit. Primus Prior provincialis in provincia Angliæ Frater Gilibertus. De Theutonica, Hungaria, et Romana provincia nondum potui certitudinem invenire. Anno Domini MCCXXI Frater Paulus Hungarus, qui, quando intravit Ordinem, erat actu legens in jure Canonico Bononiæ, cum aliis quatuor Fratribus missus est in Hungariam per beatum Dominicum. Hunc æstimo primum Priorem provincialem fuisse illius provinciæ; non tamen assero, quia aliter non inveni. *Nunc aliqua dubia et incerta, quæ hic occurrunt, ex documentis postmodum detectis cum Echardo illustranda sunt.*

AUCTORE G. C.

circa quos cum Echardo

778 *Primus Prior provincialis Hispaniæ, quem laudatus Bernardus hoc loco Suggerum nominat, ab aliis communiter Suerius Gomes appellatur, et de illo Echardus tomo* 1 *pag.* 15 *in notis hanc notitiam suppeditat :* Frater Gnomitius (legunt alii Gomizius, quod agnomen fuisse volunt, nomen vero Suerius) vir nobili loco natus, Lusitanus ortu, cœnobium Scalabitanum erexit, in eoque plures ad Ordinem adduxit. *Ludovicus de Sousa, in Historia Prædicatorum regni Lusitanici, quam anno* 1623 *Lusitanice edidit, lib.* 1 *cap.* 9 *multis argumentis probat, huic Priori nomen Suerii et cognomen Gomesii fuisse, idque inter alia ostendit ex veteri necrologio, quod in monasterio Ulyssiponensi sancti Vincentii Latine sic habet :* Sexto Calendas Mai obiit Suerius Gometii, quondam Prior Prædicatorum. *De illius nobili stirpe ac egregiis gestis ibidem capita sequentia consuli possunt.*

ex documentis postea detectis,

779 *Echardus tomo* 1 *pag.* 115 *et sequente contendit, Petrum Remensem, fuisse primum Priorem provincialem Franciæ, et ibidem ex litteris Wilhelmi præpositi Insulensis probat, anno Christi* 1224 *illum adhuc isto munere functum esse. Unde pagina* 21 *ejusdem tomi in notis antea lectorem* E *monuerat his verbis :* Scio, a quibusdam Fratrem Matthæum primum Franciæ provincialem dici, qui nempe titulo abbatis non solam domum Parisiensem, sed et ceteras Franciæ a MCCXVII rexit; sed expuncto in comitiis anni MCCXX abbatis titulo, Prior Pariensis tantum habitus est postea, quod gerebat etiamnum anno MCCXXV : tantum abest, ut obierit anno MCCXX, ut habet Malvenda. *Verum hæc cum sententia Bernardi Guidonis conciliari possunt, si dicamus, Matthæum ab anno Christi* 1217 *usque ad annum* 1220 *et* 1221 *provinciam Franciæ gubernasse, tumque exstincto abbatis titulo, Priorem cœnobii Parisiensis factum esse, cui tunc Petrus Remensis in administranda provincia Franciæ suffectus fuerit, quemadmodum hic eidem mortuo postea in officium Prioris Parisiensis successit. Forsan hoc modo Bernardus primam Franciæ præfecturam Matthæo assignat, licet eo tempore titulus Prioris nondum in usu esset, ut infra dicetur. Jam indaganda sunt ea, de quibus laudatus Bernardus certitudinem non invenit.*

et Vitis Fratrum

780 *In provincia Romana Prior provincialis videtur fuisse Frater Clarus, de quo in Vitis Fratrum, anno* 1619 *Duaci editis, part.* 1 *cap.* 4 *hæc* F *legimus :* Frater Clarus vir bonus et magnæ auctoritatis et peritus in jure civili, qui etiam in artibus et jure canonico rexerat, postmodum fuit Prior Provincialis (*Ms. nostrum hic interserit* in Romana provincia) et domini Papæ pœnitentiarius et capellanus, *etc. Similia de illo refert Echardus tomo* 1 *pag.* 92, *et inde ibidem ita disserit :* Ex quibus discimus, tum quis fuerit ante ingressum Ordinis, scilicet academiæ Bononiensis juris utriusque doctor et professor, virque auctoritate gravis; tum quæ in Ordine gesserit munia, primus nempe in Romana provincia Prior provincialis a beato Dominico in alteris suis comitiis Bononiæ anno MCCXXI institutus, exinde a summo Pontifice Honorio III et Gregorio IX pœnitentiarius et capellanus ascitus. *Plura ibi de patria et scriptis ejus discutiuntur.*

aliaque distinctius notamus.

781 *Prior provincialis Teutoniæ seu Germaniæ fuit Conradus, qui medio mense Augusto anni* 1220 *mirabiliter Ordinem intraverat, ut supra* § 38 *ex Humberto narravimus. Cum is in hoc secundo Ordinis Capitulo Teutoniam administrandam accepisset, statim iter arripiens, Frisaci vel Friesaci cum sociis substitit, ibique primum provinciæ suæ cœno-*

bium

AUCTORE G. C.

bium erexit, vel ab Hyacintho, ut alii volunt, jam antea erectum instauravit. De hac urbe Echardus tomo 1 *pag.* 21 *disserit, et ibidem Malvendam sic corrigit :* Est autem Friesacum, non, ut rursus habet Malvenda, Viranum Ptolemei, quod ad Dravum in Noricis, et vernacule VOLCKMARCK nunc dicitur; sed urbecula ditionis archiepiscopi Salisburgensis seu Luvaviæ * in superiori Carinthia ad torrentem MATNITZ sita cum arce supra rupem vicinam valida, et in qua episcopus Lavantmundensis sæpius commoratur. *Ceterum de pia hujus Conradi morte, quæ Parthenopoli seu Magdsburgi post aliquot annos accidit, Vitæ Fratrum part.* 5 *cap.* 2 *legi possunt.*

* *lege* Juvaviæ

In secundo Capitulo Prædicatores destinati sunt in Hungariam.

782 *Omissis denique aliis provinciarum præsidibus, qui satis noti sunt, primus Prior provincialis Hungariæ verosimiliter fuit F. Paulus, de quo in codice nostro membraneo P. Ms.* 7 *post Vitas Fratrum legimus sequentia :* Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo cum magister Paulus Ungarus, qui actu legens erat in jure Canonico Bononiæ, intrasset Ordinem, cum aliis quatuor Fratribus missus est in Ungariam per beatum Dominicum; B et primo venerunt in civitatem Lauriensem, ad quorum prædicationem concurrebat multitudo hominum, tamquam ad novum et inauditum spectaculum; ubi in ipsa prima prædicatione tres de bonis scholaribus ad Ordinem sunt recepti. *Dum Echardus tomo* 1 *pag.* 21 *illam Pauli sociorumque missionem ex Theodorico contrahit, situm memoratæ urbis ad clariorem rei intelligentiam sic explicat :* Civitas Lauriensis hic laudata haud dubie est Lauriacum ad confluentem Anisi in Danubium, Lentiam inter, cui proximus, et Vindobonam situm; quod quidem alias florentissimum fuit, sedesque archiepiscopi : verum nunc, dignitate Luvaviam * translata, in oppidum redactum, LORCH ab indigenis etiamnum dictum. Revera hinc secundo Danubio Hungariam, quam petebant, ingredi facile; aliunde Italiam egressis, Noricisque Alpibus superatis et mediterraneis transactis, portus ille commodus occurrebat.

* *lege* Juvaviam

et postmodum inde perrexerunt

783 *Deinde noster Ms. Codex iter eorum prosequitur his verbis :* Et quia nondum locum habebant, egressi inde transierunt in Panoniam, ubi ipsa nocte Fratri Sadoch, qui unus erat de qua- C tuor, et postmodum Prior Conventus Sagrabiensis exstitit, vir magnæ perfectionis, multitudo dæmonum apparuit alta voce et multo ululatu dicentium : Venistis, ut auferatis jus nostrum? Et dirigentes [aspectum] in illos tres novitios juvenes aiebant : Heu per tales parvulos nos confunditis! Quod dictus Frater dictis sociis suis post Matutinas narravit. Inde procedentes venerunt in civitatem Visprimensem, et inde in Albiam. Tandem numero Fratrum accrescente, missi a Fratre Paulo, intraverunt terram, quæ Feuriensis vocatur; cujus habitatores schismatici pariter et publici hæretici erant : ubi multis tribulationibus perpessis, tandem convalescentes, multos ab hæresi ad veram fidem et a schismate ad Ecclesiæ unitatem converterunt.

ad Cumanos,

784 Deinde memores Fratres devotionis beati Dominici de paganorum conversione et præcipue Cumanorum, qui nullam omnino Dei notitiam habuerunt, ordinaverunt Spiritus sancti consilio, Fratres viros virtutis ad gentem mittere jam dictam; ubi tribulationibus et vix credibilibus miseriis affecti, repulsi sunt a paganis, et nullo fructu allato, redire ad propria sunt compulsi. D Sed Spiritu sancto inflammante, et zelo animarum urgente, secundo ad gentem jam dictam redierunt, et per multa viarum discrimina pervenerunt ad eos juxta quemdam fluvium, qui dicitur de Neper, ubi frequenter fame et siti et nuditate ac varia persecutione sunt afflicti : alii ex ipsis in captivitatem sunt ducti ab infidelibus; duo sunt interempti. Alii nihilominus in incepto prædicationis officio constanter permanebant. *Post hæc sequitur, quomodo in altera illa expeditione quidam duces Cumanorum ad Christianam fidem conversi fuerint; quæ, aliaque Theodoricus de Appoldia apud nos cap.* 27 *fere ad verbum transcripsit.*

quos S. Dominicus adire statuerat.

785 *Quamvis hæc inferius in Actis partim repetenda sint, tamen pauca illa ex Ms. nostro codice referre voluimus, ut assignaremus fontem, ex quo Theodoricus sua hausit : nam horum relator certe antiquior est Theodorico, ut ibidem satis patet ex sequenti narrationis epilogo :* Noveritis etiam, quod infinita miracula per gratiam Dei et meritis beati Dominici in pluribus Conventibus nostris facta sunt in Ungaria, adeo quod numerum excedant. Sed et noviter, anno Domini millesimo ducen- E tesimo quinquagesimo nono *(hinc ætas narratoris facile colligitur)* cum populus venisset ad ecclesiam Fratrum nostrorum de Poroch in vigilia translationis beati Dominici, et post celebrationem de beato Petro martyre, causa devotionis accederet populus ad reliquias beati Petri martyris, mulier quædam Rutenica in manu dextera a gravi infirmitate, quam patiebatur, recepit sanitatem, videntibus cunctis tam Religiosis, quam secularibus, qui ibi interfuerunt. *Multa insignia miracula, quæ in Hungaria patrocinio* S. *Dominici patrata sunt, inferius in Actis Appoldianis narrabuntur. Ceterum in Ms. nostro ibidem refertur epistola (hæc etiam in editione Duacena post Vitas Fratrum pag.* 139 *et sequente legitur) quam ad Capitulum quoddam generale miserunt Fratres Prædicatores, qui inter Cumanos degebant.*

et quorum regio ab auctoribus diversimode describitur.

786 *At quoniam de Cumanis hic et alibi sæpius mentio occurrit, indagare lubet, qualis gens illa fuerit, et ubi sedes suas habuerit : qua de re variæ reperiuntur auctorum sententiæ, ut testatur Sigismundus Ferrarius in Opere de Rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum, ubi parte* 1 *cap.* 4 *de natione ista hæc habet :* Cumani qui fuerint, F non una sententia est. Non mihi displicet, quod apud Maginum a nonnullis est annotatum, Tartarorum Præcoperitum tractum inter Boristhenem et Tanaim circa Pontum Euxinum et Meotidem paludem, Cumaniam appellatam, cum Theodoricus asserat, Cumaniæ flumen conterminum fuisse Neper (quem Latine scimus dici Boristhenem) ad quem denique venerint Fratres in Cumaniam proficiscentes, ut postea referemus. In Hungariam porro multi ex eis convenientes, in ea tandem regione consederunt, quæ ultra Temeswarum et Tibiscum hodie Cumania vocatur, viginti quinque Hungarica milliaria in longum, et quindecim in latum amplectens. *Qua occasione Cumani sedes in Hungaria obtinuerint, et quomodo incolis usque ad invidiam permixti fuerint, apud obvios rerum Hungaricarum scriptores passim legitur.*

etsi certe habitaverint circa fluvium Borysthenem.

787 *Haitonus Armenus in Libro de Tartaris cap.* 5 *regionem Cumanorum ita describit, ut propter antiqua vel vernacula locorum nomina distincte cognosci non possit, ubi illi antea habitaverint. Sed saltem videtur gens illa prodiisse ex Tartaria minori, et fuisse genus quoddam Tartarorum, ut colli-*

gimus

AUCTORE G. C.

A *gimus ex Antonio Bonfinio, qui decade* 2 *Rerum Hungaricarum lib.* 10 *apud nos pag.* 350 *de Ludovico Hungariæ rege sic scribit :* Cumanos, Tartarica feritate ac ritibus infectos, ad veram fidem impensissime revocare studuit, et spe sua nequaquam frustratus revocatos, immissis eo sacris declamatoribus, religionis magistris, quantum in se fuit, diligentissime confirmavit. *Hoc ipsum confirmat Nicolaus Isthuanffius, dum in Historia Rerum Hungaricarum lib.* 18 *apud nos pag.* 324 *de munitione urbis Temeswariensis sic meminit*: Temesvarium urbs et arx celeberrima a fluvio Temesso, qui ex Alpibus ad Severinum urbem haud procul ab Istro seu Danubio sitis profluit, urbemque et arcem præterlabitur, nominata est, quam veteres Pannoniæ reges contra Bulgarorum nondum Christiana religione imbutorum, qui a Pannoniæ finibus solo Istro dirimuntur, ac Cumanorum seu Cunorum, quos Poloni Poloucios *(hoc nomen juxta tnterpretationem quorumdam* vagos *significat)* nos nunc Tartaros vocamus, crebriores incursus avertendos ædificaverant. *Denique ex vicino fluvio Borysthene, qui in Actis nostris* Neper *et nunc communiter ab accolis* Nieper *vocatur, præterpropter* B *conjicere possumus, quo loco Cumani olim sedes suas habuerint. Porro Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1222 *cap.* 22 *de origine et sedibus Cumanorum diversas opiniones assignat. Atque hæc dicta sint occasione missionis Hungaricæ, quam in hoc Capitulo secondo generali decretam putamus.*

atque aliud ejusdem Capituli decretum refertur.

788 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1221 *cap.* 8 *aliud ejusdem Capituli statutum exponit his verbis :* In eadem quoque generali patrum synodo institutum, ut Conventuum præfecti Priores, provinciam vero præsidentes Priores provinciales, et supremus totius Ordinis moderator Magister Ordinis appellaretur, facile suspicamur; cum certum sit, has nomenclaturas ante Capitulum hujus anni non fuisse, uti superius vidimus, et statim post hoc Capitulum hujusmodi appellationes usu recipi cœperint. Equidem anno MCCXXV ostendemus, jam usurpari solitas. Alia ejusdem Capituli Acta nos latent. *Huic Malvendæ opinioni subscribimus cum Echardo, qui tomo* 1 *pag.* 22 *in notis circa easdem præsidum appellationes observat sequentia :* In his C alteris a beato Dominico habitis comitiis ultimam Ordinis regimini formam præscriptam recte monet Malvenda, et ut, qui certo domorum numero præfecti fuere, Priores provinciales dici placuit, sic et statutum, ut, qui universis præpositus esset, Magister Ordinis deinceps vocaretur.

§ XLII. Examen eorum, quæ Sanctus post secunda Ordinis comitia usque ad ultimum morbum fecisse traditur.

Antonius Senensis ad hoc tempus refert repugnantiam Fratrum Tolosanorum,

789 *Jam supra* § 37 *meminimus de Fratribus Tolosanis, qui abdicationi possessionum ac mutationi vestium dicuntur restitisse; et ibidem ex ratiocinio Malvendæ conclusimus, a Flaminio illam repugnantiam (si tamen id umquam contigerit) tempori primorum comitiorum perperam alligari. Quapropter huic quæstioni discutiendæ non invenimus aptius tempus, quam præsens, quod etiam assignat Antonius Senensis in Chronico Prædicatorum, dum ibi pag.* 21 *post secundum Capitulum generale et ante felicem* S. Dominici *obitum de eadem Fratrum Tolosanorum dissensione sic mitius scribit :* Eodem anno *(nimirum Christi* 1221, *quo secundum Capitulum generale Ordinis celebratum est, et sanctus Fundator ad cœlum migravit)* cum Fratres aliquot Tolosanæ provinciæ nollent recipere habitum Ordinis, quem sacratissima Virgo beato Reginaldo dederat, et in Ordine nostro gestandum monstrarat, sed antiquum, quo primo usus fuerat pater Dominicus; nec vellent possessiones abdicare, prout ante in generali Capitulo fuerat ordinatum, ut de his apud sedem Apostolicam verba facerent, Romam proficiscebantur. Dum vero illi Bononiam pervenissent, ubi tunc temporis erat gloriosus pater Dominicus, ab illo de hac re fuerunt reprehensi, et illi ad obtemperandum divinitus inclinati; et ita Tolosam mox reversi, se in habitu et abdicatione possessionum et redituum ceteris conformarunt, et possessiones universas abdicarunt, monialibus nostri Conventus Pruliani eas donantes,

quam cum Echardo fabulosam censet

790 *Etiamsi hæc narratio multo tolerabilior sit altera crudiore, quam superius ex Flaminio retulimus, tamen Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 272 *de Antonii Senensis scriptis agens, hunc auctorem propter hanc similesque historias ita carpit :* In digerendis autem tum Chronico tum Bibliotheca sæpius et graviter Senensem impegisse, certum est; quod in eruendis hisce prioris ætatis et tot seculorum ruderibus proclive, auctorique facile donandum; sed certioribus nunc monumentis et luminibus accedentibus, quæ apud illum vel dubia vel falsa reperiuntur, sunt emendanda. Inter alia fabulis accensendum, quod Chronici pagina 21 refert de Fratribus Tolosanis, de mutatione habitus et possessionibus abdicandis, cum sancto Dominico contendentibus, quo nihil excogitari potuit insulsius, historiæque nostræ antiquæ magis adversum, quod et egregie refellit Soëgius noster in Annuali Dominicano Gallico, ad IV Augusti. *At non videmus, quomodo narratio illa veteri Ordinis historiæ adversetur, cum in ea nullum de hoc dissidio verbum occurrat.* E

Joannes Rechacus, qui certe in re quadam hallucinatur.

791 *Joannes a sancta Maria, qui quaslibet fabulas avide arripere solet, in Actis Gallicis* S. Dominici *lib.* 4 *cap.* 6 *hanc Flaminii et Antonii Senensis narrationem variis argumentis impugnat. Attamen ipsemet lib.* 3 *eorumdem Actorum cap.* 7 *jam asseruerat, Guilielmum Claretum ante mortem* S. Dominici *ab Ordine Prædicatorum discessisse, eo quod abdicationi possessionum et reddituum consentire nollet. Ex hac assertione saltem sequeretur, unum ex primis sodalibus Tolosanis professioni strictioris paupertatis restitisse. Sed Joannem a sancta Maria hic hallucinatum esse, colligimus ex testimonio Bernardi Guidonis, qui apud Edmundum Martene in Collectione amplissima veterum scriptorum tomo* 6 *col.* 452 *de illo sancti Fundatoris socio tradit sequentia :* F Frater Guillelmus Clareti Apamiensis, Prior Pruliani anno MCCXVIII, item MCCXIX, item MCCXXII, item MCCXXIV, item MCCXXIX, sicut patet in quibusdam litteris ipsius monasterii, in quibus nominatur et scribitur Prior. Hic transtulit se ipsum ad monachos albos Cisterciensis Ordinis, in abbatia de Borbona Apamiensis diœcesis *(hoc monasterium vulgo* Bolbona *vocatur, et in comitatu Fuxensi situm, nunc ad diœcesim Mirapicensem pertinet)* ut audivi dici, et ad eos transferre monasterium voluit; sed, nolente Deo, minime valuit. De quo Fratre Guillelmo

AUCTORE G. C.

lelmo habetur etiam supra inter Fratres, qui cum beato Dominico regulam elegerunt, inter quos fuit unus. *Hinc liquet, Guilielmum illum ante mortem* S. Dominici *ab Ordine Prædicatorum non descivisse, et verosimiliter alia ratione motum esse, ut ad Cistercienses postea transiret.*

et quam alii scriptores Dominicani admittunt,

792 *Ferdinandus de Castillo in Hispanica Ordinis Historia lib.* 1 *cap.* 51, *et Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 2 *illam Flaminii ac Antonii Senensis narrationem sine ullo scrupulo admittunt; imo Malvenda eamdem ab aliqua difficultate, quæ opponi posset, ibidem vindicare nititur his verbis :* Verum ne illud quemquam offendat, quod sanctus Dominicus Fratres Tolosanos, Romam ad Pontificem appellantes, vi retinuerit, et ab incepto itinere et causa deterruerit, et redire coëgerit, quasi ea in re dignitati Apostolicæ Sedis parum detulerit : Sciebat probe Vir sanctus, Pontificem Honorium laudasse et approbasse, quæ in Capitulo generali de abjiciendis possessionibus statuta fuerant, hæcque velle ab omnibus, nisi cum quibus ex justa causa dispensatum esset, observari; nec eam Fratrum Tolosatium appellationem admissurum, cum quo Vir Dei omnia contulerat. Unde certum est, in hac re nihil inconsulto Pontifice sanctum Dominicum attentasse ; siquidem secus facere sibi inconcessum esse, non ignoraret. *Verum effugia illa nos nondum movent, ut fidem adhibeamus huic historiæ, prout a Flaminio narratur.*

B

etsi illam Echardus acriter impugnet

793 *Nunc audiamus Echardum, qui tomo* 1 *pag.* 73 *non tantum narrationem Flaminii, sed etiam Antonii Senensis seu Lusitani, aliorumque rejicit, et simul præfatam vestium mutationem ex hac parte sic evertere conatur :* Id non attenderunt primi immutationis scriptores; sed posteriores, ut Joannes Antonius Flaminius, Lusitanus, et ex iis Malvenda, videre, qui et narrant, sodales Tolosanos, eos nimirum primogenitos Dominici filios, immutationi revera obstitisse; et quidem ita pertinaciter, ut, licet Sanctus post admissum Reginaldum Hispaniam petens, Prulio et Tolosa iter habuerit, et ex Hispania regressus, Tolosa iterum Parisios petens transierit, eosque, utpote non amplius visurus, tenerrime amplexus sit, novum ejus habitum exhorruerint, ac induere detrectarint. Imo amplius. Etsi anno MCCXX in comitiis primis, Bononiæ sub Sancto habitis, nova illa habitus forma præcepta fuerit, mortuo tum Reginaldo, et visione omnibus jam revelata, Tolosanos adhuc non solum non acquievisse, sed summum Pontificem appellasse, Romamque procuratores litem contestaturos misisse, quos nisi casu Bononia transeuntes Dominicus, adhibito brachio seculari, apprehendisset, ac severius castigasset, Ordo nascens funestissimum schisma cum maximo Ecclesiæ scandalo passurus erat.

C

variis argumentis,

794 Hæc referre visum est, ut, quæ immutationis defensores fingere ac devorare coguntur, omnibus pateat. Nam ista omnia putidissimam esse fabulam certo certius est, cujus nec apud Jordanum, nec in Vitis Fratrum, quo in libro nostrorum defectus nec omittuntur, nec palpantur, nec apud ullum scriptorem æqualem aut supparem, vel levissimum vestigium. Tolosanos itaque sodales Dominico summa animorum consensione conjunctissimos semper fuisse, certissimum est. Neque sanctis illis Ordinis lapidibus primariis ejusmodi protervia nisi per summam calumniam tribui potest. Scio, nostros Soëgium et Percinum fabulam illam Flaminianam ex eo refellere, quod velint, Tolosanos ita Sancto semper obsecutos, ut ad primas ipsius litteras continuo novum habitum assumpserint. Verum an non promptius, revera non reluctatos, quia revera nulla est immutatio? Factam enim, nemine reluctante, Flaminii sequaces sibi persuaderi difficillime patientur.

D

quæ tantum evincunt hanc Antonii Senensis narrationem incertam esse.

795 *Non intelligimus, qua ratione Echardus contendat, ab immutationis defensoribus fabulam Flaminianam devorandam esse : nam illa vestium mutatio fieri potuit, nemine Fratrum reluctante. Sic teste ipso Echardo, restricta est paupertas, et decreta abdicatio possessionum ac reddituum, nullo repugnante, tametsi hæc paupertatis restrictio magis, quam exigua habitus mutatio, illos commovere potuisset. Quod si cum Soëgio et Percino dicamus, sub initium utrique mutationi repugnasse paucos Tolosanos, qui mox facti pœnitentes Sancto obtemperaverint? An propterea monstra fingere, ac fabulas devorare cogimur? Stat enimvero hactenus inconcussa vestium mutatio, quam superius antiquis testimoniis confirmavimus, licet aliqui, aut nulli, eidem contradixerint. Libenter tamen fatemur, hæc argumenta Echardi tantum apud nos effecisse, ut crudam Flaminii historiam de fictione suspectam habeamus, et mitigatam Antonii Senensis narrationem judicemus prorsus incertam, cum præsertim nullus veterum de hac dissensione meminerit.*

E

Malvenda, aliique a Bzovio decepti,

796 *Certius judicium ferre poterimus de epistola, quam nonnulli auctores Dominicani existimant, hoc tempore ab ipso* S. Dominico *ad Fratres Polonos datam esse, et cui Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 8 *præmittit sequens elogium :* Ex hoc Capitulo generali *(agit ibi de secundis generalibus Ordinis comitiis, seu ultimis, quibus sanctus Fundator interfuit)* aut mox ab ejus celebratione, datas a sancto Dominico litteras publicas et patentes ad Fratres provinciæ Poloniæ, quibus eos ad omnem virtutem, et regularis disciplinæ cultum vehementer hortatur, vetera illius provinciæ monumenta testantur. Eas litteras, pretiosissimum divini Patris thesaurum, e vetustissimo codice descripsit Abraham Bzovius in Historia Prædicatorum Poloniæ, dignas plane, quæ semper et ubique legantur, cordibusque Prædicatorum altius infigantur tamquam aurea quædam documenta, hic inserimus.

F

S. Dominico tribuerunt epistolam encyclicam,

797 *Deinde ibidem recitat ipsas litteras, quæ apud illum sic sonant:* Filiis et Fratribus charissimis, universis Prioribus et Conventibus Ordinis Prædicatorum per provinciam Poloniæ* constitutis Frater Dominicus* servus humilis in consolatione sancti Spiritus gaudium et salutem. Quotidiana* de omnium vestrum profectu et salute soliciti, et annua vos exhortatione admonere consueti, ecce iterum celebrato Capitulo generali, quasi annuum nostræ servitutis tributum vestræ charitati rependimus, charitatis debitum in hoc exsolventes, quod quanto magis solvimus, plus debemus. Itaque, Fratres mei desideratissimi et dilectissimi, gaudium et lætitia cordis mei, per Dei misericordiam obsecramus, ac per charitatem sancti Spiritus contestamur, ut inter mundanas varietates et fluctus feri maris, in quibus reproborum confusiones, ut cernitis, deprimuntur*, vos qui ad vitam Religionis, Dei adspirante gratia, confugistis, ad portum cœlestis patriæ inde continuis desideriis et indefessis laboribus contendatis.

* *alias* Provinciæ

* *alias* Johannes

* *forsan* Quotidie

* *alias* despumantur

eamque sub ejus nomine

798 Intumescentes adversitatum procellas et tentationum varias tempestates magna fide calcantes, et ad Christum, potestati maris dominan-

tem

AUCTORE G. C.

A tem, et motum fluctuum ejus mitigantem, confidenter et alacriter properantes festinate, charissimi, ingredi in requiem, qui alios festinare monetis. Estote vigilantes, qui alios ad vigilantiam excitatis. Estote omni puritate et sanctitate conspicui, qui fideles ad sanctimoniam invitatis. Calceati pedes in præparationem Euangelii, fraterna charitate estote concordes. Humilitatis et obedientiæ [persuasores, Christo humillimo et obedientissimo] vero Dei Patris Filio vos exhibete conformes, ut angelicum vestræ professionis officium condignis actibus honoretis, qui in salutis humanæ officium * missi estis. Divinis aspectibus in omni loco reverenter assistite, et proximorum ædificationi fideliter ministrate, ut ignito prædicationis eloquio, et salutari in confessionibus consilio, abundare possitis. Scripturas divinitus inspiratas, et legem Domini immaculatam, convertentem animas, audiendo, meditando, scrutando sectemini, studio semper utilium insistentes, et curiositatis dispendium evitantes.

** alias ministerium*

799 Et quoniam linguam vestram sacratissimis eloquiis consecratam decet exhibere orationem charitatis, non officium vanitatis, sermo B vester semper sit sale conditus, ut det gratiam audientibus, et resumpta censura silentii, quæ jam minus reverenter ac parenter a quibusdam vestrum noscitur esse projecta, argentum vestrum et aurum conflate, verbis vestris stateram justam facite, et frænos rectos imponite ori vestro. Sit vobis sermo vivus et efficax, omne vanum et non planum respuens, lingua placabilis, lignum vitæ, verbum sanctum et irreprehensibile, quod adversarius revereatur, quo ædificetur proximus et Dei gloria dilatetur. Ferveat in cordibus vestris animarum lucrandarum zelus [incessabilis], ardens et acutus, quem regat ratio, dirigat discretio, temperet conversatio mansueta. Et quoniam vos in eminentissima specula constitutos oculi multorum respiciunt, et a vobis magis virtutum exempla requirunt, quam ornamenta sermonis, mittamus manum ad fortia, digitis myrrham probatissimam distillantes, rigorem * in operibus, perseverantiam in adversitatibus exhibentes, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spe concepta, cœlestium secura mente convivium prægustemus in terris, quo noC bis est in æternitatis abundantia perfuendum. Valete, ut vigeat fraternitas vestra in Domino Jesu Christo, meque inutilem servum vestrum cum sociis habete vestris orationibus commendatum.

perperam ediderunt,

** alias vigorem*

800 *Cum hæc epistola non sit indigna* S. Dominico, *et singulis septimanis sub ipsius nomine in Conventibus Poloniæ publicitus prælegi consueverit, ut Malvenda ibidem ex Bzovio refert, non magnopere miramur, Michaëlem Pium in Progenie* S. Dominici *lib.* 2 *cap.* 61 *et Nicolaum Janssenium lib.* 1 *Vitæ cap.* II *illam sancto suo Fundatori adscripsisse. Hinc etiam Romani editores Constitutionibus Prædicatorum, anno* 1620 *excusis, eamdem sub nomine* S. Dominici *præfixerunt. At omnes illi a Bzovio decepti erravrunt: nam hæc ipsa epistola Joanni Theutonico, quarto totius Ordinis Magistro generali, evidenter tribuenda est,* cum ex Actis Capitulorum generalium manuscriptis, *inquit Echardus tomo* 1 *pag.* 113, adhuc ubique servatis certissimum sit, non beati Dominici, sed nostri Joannis a Wildeshusen fœtum esse. *Joannes autem ille anno Christi* 1250 *has litteras dedit ex Capitulo Londinensi, ut patet ex earumdem clausula, quæ tomo* 4 *Thesauri anecdotorum col.* 1699 *sic habet:* Valete et vigeat fraternitas vestra in Domino Jesu Christo, meque inutilem servum cum sociis viæ nostræ habete in vestris orationibus commendatum. Datum Londoniis in Capitulo generali. *Ceterum illa Joannis Theutonici epistola, quam eruditissimus Edmundus Martene in laudato Thesauro anecdotorum a col.* 1697 *inter Capitula generalia Prædicatorum ex Ms. Tolosano edidit, cum jam relatis litteris concordat, si potissimum excipias illam majoris momenti discrepantiam, quam superius in margine notavimus. Quapropter non satis clare intelligimus, qua fide Bzovius eamdem epistolam primus* S. Dominico *attribuere potuerit. Nunc discutiamus reliqua, quæ Sanctus ante ultimum morbum revera gessit.*

cum spectet ad Joannem Theutonicum, qui illam anno 1250 Londini scripsit.

801 *Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* 109 *num.* 17 *ex Ambrosio Taegio citat sequentia:* Post celebrationem Capituli beatus Dominicus domini Hugolini sæpe dicti, legati in Lombardia, curiam visitavit. Regrediens autem a legato circa finem mensis Julii, venit Bononiam valde lassus: æstus quippe erat magnus, et labor itineris fuerat multum gravis. Tunc ægrotare cœpit ea infirmitate, qua decessit. *Similia apud* E *Theodoricum de Appoldia inferius num.* 232 *legemus. Ex his quidam scriptores inferunt, Sanctum in illo itinere rursus ad civitatem Mediolanensem divertisse. Hinc suspicari quis posset, Sanctum tunc tantummodo Mediolani cum Cardinale Hugolino, legato in Lombardia, de negotiis Ordinis sui egisse, cum Carolus Sigonius lib.* 17 *in historia Regni Italiæ, ad annum* 1221 *de* S. Dominico *sic obiter meminerit:* Mediolano reversus, cum adhuc de via langueret, per totam noctem cum Ventura Priore et Rodulfo procuratore de statu Ordinis consultavit, ac postridie vehementi tentari febri cœpit; quod ut ille sensit, vitæ sibi adesse finem intelligens, Fratres advocavit, ac testamento facto, res familiæ suæ composuit.

Sanctus forte Mediolanum divertit,

802 *At ipse Frater Ventura, testis oculatus, qui hic a Sigonio allegatur, in Processu Bononiensi apud nos num.* 7 *diserte asserit,* S. Dominicum *tunc Venetiis ubi Cardinalis Hugolinus erat, Bononiam rediisse, ut patet ex sequenti ejus testimonio:* Item dixit, quod circa finem mensis Julii, sicut de tempore credit, fuit reversus de curia domini Hugolini, tunc temporis Ostiensis episcopi et Apostolicæ sedis legati, et nunc summi Pontifi- F cis, qui erat Venetiis, sicut ipse certissime credit de loco, et rediit Frater Dominicus valde lassus, et licet sic fatigatus esset, locutus fuit cum ipso teste, qui tunc fuit novus Prior, et Fratre Radulpho, usque ad magnam partem noctis de facto Ordinis. *Quamvis hoc testimonium cum narratione Sigonii aliorumque pugnare videatur, tamen cum ea haud difficulter conciliari potest, si dicamus,* S. Dominicum *in reditu illo Veneto Mediolanum divertisse, atque inde Bononiam reversum esse. Jam paragrapho sequenti promiscue referemus aliqua Sancti gesta, quæ in Actis nostris omissa sunt, aut alio modo narrantur, et quæ certo tempori affigere non potuimus.*

quando non diu ante mortem Venetiis Bononiam reversus est.

§ XLIII. Aliqua Sancti gesta, quæ ad certum tempus reduci non potuerunt.

Etsi in decursu hujus Commentarii nonnullas S. Dominici *actiones ex conjectura ad determinatum tempus præterpropter reducere conati simus, tamen*

Sanctus aliquando cœnobium clausum ingreditur,

AUCTORE G. C.

men alias, *nulla temporis nota distinctas, huic paragrapho reservavimus, inter quas primo loco nobis occurrit duplex miraculum, quod in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 13 *exponitur his verbis:* Venit aliquando beatus Pater ad quemdam religiosum Conventum, postquam omnes lectos intraverant; et timens eos inquietare, prostratus ante portam cum socio rogavit Dominum, ut sine eorum inquietudine suis necessitatibus provideret. Mira res! sic enim prostratos, ut erant foris, statim invenerunt se intus. Hoc ei idem accidit, cum esset in conflictatione hæreticorum cum quodam Converso Ordinis Cisterciensis, viro valde devoto: venit enim sero ad quamdam ecclesiam, et clausam invenientes, cum orassent ad ostium, se deintus subito invenerunt, et totam illam noctem orationibus dederunt.

arcana cordis videt,

804 *In iisdem Vitis Fratrum part.* 4 *cap.* 2 *aliud exemplum, quod* S. Dominicum *arcanorum conscium probat, ita narratur:* Dum iret quidam Frater ad quamdam sibi injunctam obedientiam, obviavit beato Dominico a prædicatione redeunti. Post aliqua ergo verba quæsivit ab eo Sanctus, B an aliquam portaret pecuniam: sensit enim in spiritu, eum non regulariter ire. Dictus ergo Frater se deprehensum videns, humiliter se habere confessus est: qui * statim jussit projici, et ei condignam pœnitentiam pro hujusmodi excessu injunxit. *Huic ibidem subjungitur alterum memoratu dignum, quod cap.* 6 *ejusdem partis in Ms. nostro sic correctius legitur:* Quidam Frater magnæ auctoritatis in Ordine, vitæ et famæ præclaræ in provincia Lombardiæ narravit, quod cum esset novitius tempore beati Dominici, et quadam nocte post Matutinas ante altare paulum obdormisset, audivit vocem dicentem sibi: Vade, iterum rade caput tuum. Qui evigilans interpretatus est, quod iterum moneretur confiteri, et melius dicere circumstantias omnes. Unde ad * beatum Dominicum se prosternens, confessus est omnia cum contritione et majori attentione, quam prius fecisset. Qui cum post modicum paululum recepisset quietis, vidit angelum descendentem de cœlo, et in manu portantem coronam auream miro modo ornatam, et appropinquans posuit in capite ejus. Evigilans ergo Frater se multum consolatum invenit, et gratias C egit Deo.

* *Ms.* quam

* *alias* ante

Fratrem energumenum liberat,

805 *Denique parte* 4 *ejusdem Operis, historia de Fratre energumeno, quæ potestatem* S. Dominici *contra dæmones ostendit, in Ms. nostro codice cap.* 14 *ita refertur:* In Conventu Bononiæ contigit, quemdam Fratrem Conversum subito a dæmone vexari gravissime. Conversi ergo surgentes (quia jam lectos intraverant) vocaverunt magistrum suum, dehinc beatum Dominicum, tunc in domo erat: qui præcepit, eum ad ecclesiam deferri, quem vix decem Fratres portare poterant. In ingressu autem ecclesiæ exsufflans, exstinxit omnes lampades uno flatu. Cum ergo multis modis eum dæmon vexasset, dixit ei beatus Dominicus: Adjuro te per Christum, ut dicas, quare vexas istum Fratrem, et quando, et quomodo huc intrasti. Respondit: Vexo eum, quia meruit: bibit enim heri in civitate sine licentia et sine signo crucis; unde tunc intravi in eum in specie bibitoris *; imo ipse me bibit cum vino. Interea pulsatum est signum ad Matutinas. Et ait dæmon: Amodo hic manere non possum, quia surgunt caputiati ad Deum laudandum. Et recedens dimisit Fratrem quasi mortuum in terra. Fratres autem tulerunt ipsum in infirmatorium, et mane sanus surrexit, nesciens, D quid sibi accidisset. Hoc autem narravit Magistro Frater, qui interfuit. *Ex hac narratione quidem scimus, id Bononiæ contigisse; sed cum* S. Dominicus *inter annum Christi* 1219 *et* 1221 *sæpius aliquo tempore in ea urbe substiterit, et identidem ex illa ad quasdam Italiæ civitates excurrerit, ut supra demonstravimus, ad certum annum referre non possumus hæc et similia, quæ jam sequuntur.*

* *alias* bibionis

æditnum ob oculos non caute custoditos acriter castigat,

806 *Sanctus Antoninus part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 2 § 1 *summam castitatis curam, quam* S. Dominicus *in suis Fratribus requirebat, indicat hoc severo exemplo:* Cum quadam vice beatus Dominicus cum Fratribus tractaret de aliquo negotio Bononiæ, sacrista vocavit unum de istis Fratribus ad audiendam confessionem unius mulieris, ut creditur, dixitque ei: Una pulchra mulier petiit vos; venite cito. Et quamvis submisse dixerit, audivit in spiritu pater Dominicus, et zelo honestatis turbatus, dixit sacristæ: Confitere reatum tuum; Deus fecit mihi notum, quod tu putabas occultum. Et veniam petentem disciplinavit fortiter et diu, ita ut Fratres moveren- E tur ad compassionem propter livorem verberum. Et ait: Vade, fili, didicisti de cetero qualiter intuearis feminam, ut de colore non judices: ora et tu, ut Deus te faciat pudicum. *Verosimiliter sanctus historicus id hausit ex Theodorico de Appoldia, qui infra num.* 412 *eamdem rem narrabit. Sed apud biographos, Theodorico antiquiores, nihil simile invenimus.*

dæmonem picta confessione Fratribus insidiantem,

807 *Etiam ignoramus, in cujus anni commoratione Bononiensi acciderit mira illa res, quam laudatus S. Antoninus in Opere mox citato tit.* 23 *cap.* 4 § 6 *narrat hoc modo:* Cum B. Dominicus esset Bononiæ, diabolus in forma juvenis lascivi accessit ad Conventum Prædicatorum, et petiit sibi a sacrista dari unum confessorem. Et adducti sunt successive quinque Fratres confessores. Et hæc erat causa, quia ita affecit et inflammavit primum confessorem ex suis verbis turpibus, quod surrexit ab auditione confessionis, et noluit audire usque in finem illas abominationes. Similiter fecit secundus, tertius, et quartus. Similiter autem recedebant, nec causam dicebant, ne confessionem revelarent; quia ex parte eorum confessio sacramentalis erat, cum crede- F rent hominem esse, sed non ex parte diaboli.

et sibi etiam confitemi volentem arguit.

808 Tunc sacrista accersivit beatum Dominicum, conquerens coram eo, quod quinque Fratres non potuerunt unum peccatorem audire; subdens: Scandalum magnum! Fratres prædicant pœnitentiam, et nolunt peccatoribus pœnitentiam imponere. Tunc beatus Dominicus recedens a lectione, oratione, et contemplatione, accessit ad eum in ecclesiam, et, ut vidit, cognovit eum, ipsique dixit: Cur, maligne spiritus, sub hac pietate tentas servos Dei? Et durissime increpavit eum; qui evanescens, ecclesiam dimisit fœtidam odore sulphuris: placatusque est exinde sacrista contra confessores illos indignatus. *Similia in Actis Appoldianis infra num.* 417 *et sequente legemus. At etiam hactenus reperire non potuimus ullum hujus rei narratorem, qui ætate Theodoricum antecedit: quamvis enim Cæsarius Heisterbachcensis lib.* 3 *Dialogorum cap.* 26 *mirabilem historiam referat de dæmone, qui peccata sua sacerdoti confitebatur, tamen hæc ab illa multum discrepat.*

809 *Non videtur etiam certo tempori affigi posse, quod Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 33

verso

AUCTORE G. C.

A

Vineam hospitis sui mirabiliter conservat.

verso sic narrat : Post hæc beatus Dominicus Bononiam rediens, in Orvietensi agro ad quemdam hospitem suum divertit, qui quoties Vir sanctus ea iter faciebat, hospitio illum benigne ac liberaliter excipiebat. Locus ille sancta Christina dicitur. Tunc forte ingens grandinis tempestas repente oborta est, quæ vineas in eo tractu omnes præterquam hospitis antedicti vastavit; qui tanto motus miraculo, multo magis Prædicatorum admirans et venerans Ordinem, statuit et jussit, ut sua perpetuo domus Prædicatoribus pateret, qui ob suam in eos liberalitatem non solum vineæ suæ fructum illæsum vidit, sed etiam uberiorem solito et multo meliorem expertus est. *Theodoricus de Appoldia inferius in Actis* S. Dominici *num.* 342 *idem miraculum fusiori ac distinctiori narratione exponet; sed nullam temporis notam indicabit.*

de cujus ultimi miraculi tempore Malvenda disputat.

810 *Interim Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1221 *cap.* 18 *circa tempus hujus miraculi sic conjecturas suas proponit :* Sed de tempore, *inquit*, quo tantum miraculum contigit, non levem sentio difficultatem : nam Flaminius ait, accidisse tunc, quando, postquam sanctus Dominicus revertens ex Hispaniis, Romamque adiens, inde Bononiam rediret. At diligenti temporum inspecta ratione, jam superius diximus, reditum eum sancti Dominici e Roma Bononiam ad extremum anni MCCXIX contigisse, quando jam penitus vindemia peracta erat, nec grandine vineæ poterant vastari. Numquam putabimus, Flaminium, virum disertum et pium, ista narrantem incertis et forte falsis rumoribus adductum, sed comperta sibi ex veteribus memoriis expressisse, tametsi in tempore lapsum. Nos ex ductu rerum gestarum sancti Patris, ad certam chronologiam his nostris Annalibus explicatam, existimare aliud non possumus, quam in eo itinere, quo Vir Dei, postquam ex Hispaniis et Galliis Bononiam ad finem æstatis anni MCCXIX venisset, statim ex ea urbe Romam se contulit, illud miraculum apud Orvietensem agrum contigisse : instante enim vindemia, verisimile est, sanctum Dominicum Orvietum pervenisse; nisi dicamus, anno MCCXXI, quando sanctus Pater Florentiam, Viterbium, et forte Romam adiit, in reditu Bononiam, illud miraculum accidisse, nempe mense Maio, quando vineæ florere incipiunt.

B

C

Flaminius etiam refert miraculum incertum,

811 *Ea, quæ hactenus hoc paragrapho retulimus, satis certa sunt, etiamsi determinatum illorum tempus assignare non possimus. Verum non de tempore dumtaxat, sed etiam dubitamus de ipsa re, quam Flaminius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *fol.* 4 *verso sic narrat :* Tantus creverat in beatum Dominicum populi Bononiensis cultus ac reverentia, admiratio tanta sanctitatis, et audiendi concionantem adeo vehemens erat desiderium, ac tantus consequebatur ex ea re animarum fructus, ut, cum modo in hoc templo, modo in illo, ut rogantibus morem gereret, concionaretur, non ad id templum populus, sed ad ædem, ubi commorabatur, divi Nicolai frequens conveniret, ut euntem illum comitaretur. Die quadam cum multitudine ita confluentis populi, duo scholastici facti sunt illi obvii, cum nondum ex templo divi Nicolai recessisset; quorum alter propius accedens, ait : Rogo te, Pater, ut meorum peccatorum, quæ sum omnia confessus, mihi veniam a Deo impetres. Se libenter id facturum, continuo respondit, et ad aram templi unam accessit, ac brevi oratione usus, ad eum rediit ac dixit : Bono, fili, animo esto, et crede tibi Deum ignovisse. Hoc audiens alter, idem ab eo petiit ac impetravit. Sed Vir sanctus ab oratione ad eum reversus dixit : Non potest, fili mi, Deus falli. Tua confessus delicta es, sed non omnia : nam tibi pudor obstitit, quo factum est, ut unum reticueris; ac seorsum ducto, quod illud esset, dixit. Vera juvenis dixisse Virum sanctum affirmavit, ac delicti illius vere pœnitens ab eo recessit. *Nescimus, unde Flaminius eruerit ea, de quibus veteres biographi omnino siluerunt. Quare exigimus antiquius testimonium, antequam huic miraculo certam fidem adhibeamus.*

et deinde duo alia prodigia

812 *Multo magis dubitamus de duobus aliis prodigiis, quæ laudatus Flaminius in eadem Vita fol.* 38 *et sequente sic refert :* Concionantem per diversa loca *(nempe* S. Dominicum, *ut ex antecedentibus patet)* et audientem benigne sibi confiteri delicta volentes, felicissima illum Virgo, quæcumque agenda essent, admonebat. Ante omnia jubebat, ut suum Psalterium mulcta esset confitentibus, dum eos absolveret; ac insuper, ut eos cum Rosariis conscriberet. Cum ergo pie mandata Matris sedulus exsequeretur Filius, in mulierem quamdam Romanam incidit, cui confessæ mulctam ejusmodi septem dierum indixit; dein hortatus est, ut per totum dicere annum Psalterium, non mulctæ quidem nomine, sed solo Dei Genitricis honore, ne gravaretur, a qua id institutum ac mandatum esset. Ac, ne causari occupationes et impedimenta posset, permisit, ut eundo, sedendo, et alia quælibet agendo id faceret, et quocumque tempore vellet. Sed illa onus ejusmodi detrectavit, nec suasu et adhortationibus sancti Viri potuit adduci, ut illud admitteret.

E

nullis temporum characteribus distincta

813 Post hæc affuit illa die quodam, beato Dominico sacrificanti; cui dum esset intenta, ablata corporeis sensibus, ad tribunal æterni Judicis rapta est, ubi prius accusata graviter, quod mulctam sibi a Famulo indictam Christi respuisset, atrocibus destinata suppliciis fuit; quæ Genitricis mox recordata Dei, opem illius imploravit. Affuit illa continuo, deque pœnis exemit. Affuit et beatus Dominicus cum multis funiculis, Rosarii numerum continentibus, de cujus unum manibus Virgo felicissima sumpsit, et in lance posuit : in altera vero lance quidquid boni mulier illa umquam egisset, aut agere quisquam posset; et Rosarii par pondus inventum. Tunc Dei Mater ad illam conversa : Mulctam, inquit, Famuli contempsisti mei, nec voluisti Rosariorum adscribi numero. Jam videre potes, quantum erraveris, et quantam vim Rosarium meum habeat. Restituta sensibus mulier, quantum deliquisset, intellexit, et, omni sublata mora, fecit omnia, quæ sanctus Vir jusserat, pro quo felicem vitæ exitum sortita est.

F

et non parum nobis suspecta de fictione

814 *Deinde is auctor ibidem huic mox alterum ita subjungit :* Cum in Italia quoque Psalterium publicaret, et ad id vehementi adhortatione populos accenderet, quidam eques motus vehementer ad eum venit, et sua delicta confessus est. Quod ubi fecit, ait illi beatus Dominicus : Tu quidem parva delicta confessus es, sed reticuisti magna; et, quæ essent, dixit : nam dabat illi Deus, ut sæpe arcana etiam cordium nosset. Stupuit eques et ait : Ii, quibus confiteri solemus, non ista nos docent; et quis docebit, ubi tu, Pater, discesseris ? Tunc beatus Dominicus; At ego magistrum, inquit, tibi relinquam, qui te numquam deseret. Is erit Rosarii funiculus, in quo calculi quinque magni erunt, qui toties dicendam

AUCTORE G. C.

cendam orationem Dominicam monent; sequuntur illos quinquaginta minores, numerum Angelicæ salutationis complexi. Quinque autem illi majores hoc ordine hisque coloribus distincti erunt. Et primus quidem, in quo diversitatem videbis colorum, varia figurat flagitia, quæ ab hominibus in Deum, in se ipsos, et in proximum, quæque cogitatione, verbo, desidia, et opere patrantur; at decem minores, qui sequuntur, calculi particularia designant peccata. Secundus major suo pallore mortis tibi memoriam suggerit, quali sunt colore mortuorum cadavera; decem, qui post illum sunt, minores discrimina monent, quæ morienti homini accidere possunt. Tertius igneo colore iram in peccatores æterni Judicis indicat, qui pro qualitate meritorum sententiam in quemlibet prolaturus est; decem minores, qui post illum sunt, pericula indicant, quæ tali tempore accidunt. Quartus atro colore infernos cruciatus; minores decem particulares inferni pœnas ostendunt. Quintus denique aureus cœlestis patriæ lætitiam; minores decem particularia illius gaudia demonstrant. Hic est magister, B quem tibi relinquo; hic te vivendi modum, et quomodo vitanda sint flagitia, docebit, si diligenter in eo, quæ dixi, consideraveris.

ex Alano Rupensi narrat;

815 Lætanter hæc excepit eques, et sancti Viri consilium secutus, ita Psalterium magnæ Virginis accepit, ut illud postea non omiserit: quod dum die quodam proferret, putavit, se videre, quoties angelicam Salutationem repetebat, angelum in ipsius Virginis manu ponentem lapidem, in magnitudinem mox ac diluciditatem miram excrescentem, [et] ita cum totum peregisset Psalterium, de centum et quinquaginta lapidibus admirandæ pulchritudinis ædificium fuisse constructum. Ex quo intellexit, locum in cœlo unicuique parari, qui sancti cultores Psalterii existant. *Cum hæc primo legerem, adhuc ignorans, unde Flaminius ea hausisset, suspicari cœpi, istud fabulosi cujusdem scriptoris commentum esse, et ab ingenio Alani Rupensis non multum abhorrere. At ecce, dum Alanum Redivivum leviter percurro, utrumque hoc prodigium, multis verborum ambagibus et variis rerum circumstantiis adornatum, parte* 5 *cap.* 42 *et* 71 *reperio. Cum igitur hæ merces rursus ex officina Alani Rupensis prodeant, nobis* C *non immerito spuriæ videntur; et propterea existimamus, duo illa miracula nulli tempori alliganda esse, quamvis Malvenda in Annalibus Prædicatorum eadem ad annum Christi* 1219 *cap.* 28 *retulerit. Etsi autem simile judicium ferendum sit de plerisque ejusdem Alani narrationibus, quas in decursu partim indicavimus, partim omisimus, facile tamen fieri potuit, ut* S. Dominicus *mulierem aliquam Romanam et equitem quemdam Italum mirabiliter ad frugem reduxerit, quorum conversionem Alanus episodiis suis interpolaverit, ac Rosario applicuerit, quemadmodum superius in historia Benedictæ Florentinæ vidimus. Cum tamen de duplici hac conversione veteres biographi sileant, ne quidem substantiam Flaminianæ narrationis asserere audemus, donec quispiam in vetustioribus et fide dignioribus auctoribus illam assignaverit.*

quibus addi potest apparitio S. Norberti, quæ Sancto nostro facta dicitur,

816 *Vehementer etiam dubito, an ad* S. Dominicum *nostrum spectet, et an ei ullo tempore aptanda sit prodigiosa sanatio, quam Josephus Stephanus de Noriega in superius laudata Dissertatione historica* § 21 *num.* 181 *sic pathetice narrat*: Receptus itaque in Vitensium Canonicorum consortium spectabilis puer Dominicus, eorumdem oculos et corda rapiens, cum aliquando graviter ægrotasset, sanctissimi patris nostri Norberti ope, sibi D archiepiscopali ornatu apparentis, et baculo pastorali caput infirmi leniter tangentis, illico fertur convaluisse. Quid enim faceret Pater piissimus? Cessaverat gaudium tympanorum, quieverat sonitus lætantium, conticuerat dulcedo cytharæ, ingemebant omnes, qui pridem lætabantur corde, luxit vindemia, quoniam clamor futurus præsentiebatur super vino in plateis, ex quo in uno tenello palmite Dominico ad mortem jamjam crederetur infirmata Nobertina vitis. Nuper, Domine (ad cœlum clamantes auscultare mihi videor Vitenses) nuper orta ex Parente nostro, dilecto servo tuo Jacob, stella ista matutina, Solis justitiæ prænuntia, nobis resplenduit. Ut quid ergo tam celeri cursu ad occasum properat? Nuper flos iste, suavissimo fragrans odore, in terra nostra apparuit, et jam tempus putationis advenit? Vixdum vidimus, Austro flante, quod vinea nostra sic floruit, cur non videamus, te protegente, spei nostræ florem hunc uberrimos fructus parturire, quos promittit?

et quæ forsan ad alium Dominicum Vitensem pertinet.

817 Comprimite at lacrymas, venerandi Patres: ecce nube cœlo delapsus vineæ nostræ plantator et custos pervigil Norbertus, invidæ numquamque sæviori Atropo falcem præripiens, E baculo suo inserendum sarmentum designat; marcescentem palmitem fotu juvat, et fœcundissima per universum orbem propagine traducendum, tenellum filium suum Dominicum ab imminentis mortis periculo reservat. *Anno* 1643 *R. P. Joannes de Sossa ex Ordine Prædicatorum in concione Hispanica, quam festo S. Norberti instituit, idem miraculum retulit, ut laudatus scriptor Præmonstratensis in eadem Dissertatione* § 1 *pag.* 8 *num.* 7 *affirmat. At propter argumentum chronologicum, quod supra* § XI *proposuimus, non immerito suspicamur, Dominicum de Guzman, Canonicum Vitensem Ordinis Præmonstratensis, cum* S. Dominico *nostro confusum fuisse. Quinimo propter illa, quæ in Actis Appoldianis postea annotabimus, probabiliter existimamus, sanctum Prædicatorum Fundatorem numquam in Ordine Præmonstratensi religiosam professionem emisisse. Quod si forte* S. Dominicus *adhuc puer in monasterio Vitensi aliquamdiu vixerit, et tunc intercessione S. Norberti mirabiliter sanitatem obtinuerit (de ea re tamen apud veteres biographos altum est silentium)* F *nullum certum tempus assignare possumus huic miraculo, quod ideo in hunc paragraphum rejecimus.*

§ XLIV. Ultimus Sancti morbus, et pia mors, cœlitusque absentibus facta ejusdem obitus revelatio.

Sanctus de imminente sua morte præmonitus

Sanctum nostrum de morte sua præviam revelationem habuisse, colligimus ex Vitis Fratrum, ubi part. 2 *cap.* 27 *leguntur sequentia*: Visitaverat ipse beatus Pater scholares quosdam sibi familiares; cumque recedere vellet, eis inter cetera transitum suum prædixit, inducens eos ad mundi contemptum et memoriam mortis. Vos, inquit, charissimi, videtis me modo sanum; sed antequam veniat Assumptio Dominæ nostræ, ego submotus ero de vita hac mortali. Quod rei probavit eventus: nam parum ante Assumptionem Dominæ nostræ a Domino est assumptus. *Quinimo Bartholomæus Tridentinus asserit, illum*

de

de imminente obitu ab angelo præmonitum fuisse, ut infra apud ipsum num. 13 *Vitæ brevioris videbimus. Propterea tamen non statim credimus Alano Rupensi vel auctori anonymo, qui in Speculo peccatricis animæ pag.* 182 *certum hujus præmonitionis tempus determinat, et ibidem alia immiscens sic Deiparam alloquitur :* Pulcherrima virgo Maria, propter beatissimum Dominicum, cui sæpius pœnas inferni ostendisti, et paradisi gaudia demonstrati cum ordinibus Sanctorum ibidem existentium, sibique obitum suum per centum et quinquaginta dies ante mortem prædixisti, et dies illos omni genere miraculorum plus quam umquam adornasti, privilegiaque pulcherrima, utilissima, et maxima dicentibus Psalterium tuum dudum sibi prius ostendendo verbis, signis, prodigiis et portentis confirmasti atque corroborasti, *etc.*

jam æger convocavit Fratres, et maledictionem minatus est iis,

819 *Porro* S. Dominicus *exeunte Julio anni* 1221 *Venetiis Bononiam reversus, in morbum incidit, ut jam supra indicavimus, et finem vitæ suæ instare præsentiens, fecit ea, quæ Constantinus Urbevetanus in Actis ejusdem sanctissimi Viri num.* 45 *exponit his verbis :* Igitur appropinquante peregrinationis termino, fineque certaminis, quo laborum bonorum vir Dei Dominicus gloriosum fructum perciperet, coronamque victoriæ reportaret, constitutus apud Bononiam, gravi cœpit corporis infirmitate languere. Positis autem ex his, qui tum aderant, filiis coram eo, testamentum pacis disposuit, in quo præcipue tam ipsis, quam cunctis per Ordinem circumquaque diffusis, salubri quadam admonitione præmissa, caritatis humilitatis atque paupertatis legitimam successionem legavit; in hujus, inquam, triplicis proprietate thesauri summopere universos filios heredes instituit, per quem nimirum illius regni, quod repromisit Deus diligentibus se, secum fierent coheredes. Illud vero qua potuit districtione prohibuit, ne quis umquam in suo Ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis et suam terribiliter imprecans ei, qui Prædicatorum Ordinem, quem præcipue paupertatis decorat professio, terrenæ substantiæ veneno respergere laboraret.

qui possessiones temporales in Ordinem suum inducerent;

820 Denique circumstantibus Fratribus, et quasi inconsolabiliter de tanti Patris destitutione dolentibus, dulciter consolans eos, adjunxit : Ne vos mea, filii, corporalis turbet discessio, nullatenus dubitantes, vos meliorem me mortuum habituros, quam vivum. Grandis sane, sed non vana fiducia! sciebat enim nimirum, cui crediderat, et de reposita sibi corona gloriæ certus erat, qua percepta, tanto fieret ad impetrandum potentior, quanto in potentias Domini jam securior intrasset. *Venerabilis Humbertus in vita* S. Dominici *cap.* 53 *et Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 113 *prorsus similia habent, præterquam quod narrationem Constantini Urbevetani nonnihil amplificaverint. Ceterum Theodoricus de Appoldia inferius in Actis, et testes oculati in Processu Bononiensi minutiora morbi adjuncta, et singularia istius temporis gesta distinctius explicabunt.*

quod tamen negat reverendissimus Magister Bandellus,

821 *Reverendissimus Ordinis Magister Vincentius Bandellus narrationem istam de maledictione, quam* S. Dominicus *vibrasse dicitur contra eos, qui primi possessiones ac redditus in Ordinem Prædicatorum inducerent, falsitatis arguit, et ut commentitiam explodit, dum apud Malvendam in Annalibus ad annum Christi* 1221 *cap.* 37 *eam opinionem evertere nititur his verbis :* Nec est verum, quod beatus Dominicus in testamento suo maledictionem Dei et suam cuilibet inducenti redditus et possessiones in Ordine dederit. Tum primo, quia in contestationibus factis pro canonizatione ejus per illos, qui interfuerunt morti ipsius, hoc non reperitur, sed bene istud : Charitatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariam possidete. Tum secundo, quia in Legenda antiqua ipsius, quæ dicitur fuisse edita a beato Jordane, talis maledictio scripta non invenitur. Tum tertio, quia in Capitulo apud Argentinum celebrato anno MCCLXX *(lege annum* 1260, *quo in urbe Argentinensi istud Capitulum habitum est)* mandatur omnibus Fratribus, ut utantur Legenda beati Dominici, quæ fuit edita a beato Jordane, et est inserta in Lectionariis antiquis, et aliæ deinceps non legerentur. In prædicta autem Legenda, quæ est in antiquis Lectionariis, talis maledictio non habetur.

et opinionem suam ex silentio quorumdam auctorum,

822 *At illa argumenta, quæ reverendissimus scriptor huic narrationi opponit, non satis firma sunt, ut jam paucis ostendere conabimur. Primo non sequitur, imprecationem illam esse fictitiam, quia testes synchroni et beatus Jordanus de ea non meminerunt : jam enim per decursum hujus Commentarii ex Constantino Urbevetano, venerabili Humberto, Vincentio Bellovacensi, aliisque varia retulimus, et infra in Actis Appoldianis plura narrabuntur, quæ tamen omnia non statim fabulis annumeranda sunt, licet hæc ab oculatis testibus et beato Jordano sileantur. Unde Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 2 *spicilegium Actorum* S. Dominici *conscripsit, etsi jam ab aliis ampla gestorum ejus messis collecta esset, et ibidem cap.* 1 *de hoc labore suo sic nos præmonet :* Non debet videri superfluum, si ea, quæ ab ipsis compilatoribus Legendæ beati patris nostri Dominici fuerunt omissa vel ignorata, quasi spicas elapsas de manu metentium colligamus.

falsaque hypothesi frustra probare nititur,

823 *Præterea in comitiis Argentinensibus anni* 1260, *quæ reverendissimus Bandellus pro opinione sua allegat, nullum fit verbum de Legenda* S. Dominici, *quam beatus Jordanus dicitur edidisse ; sed in iis apud Edmundum Martene tomo* 4 *Thesauri anecdotorum col.* 1729 *tantummodo* mandat Magister, quod Fratres utantur Legenda beati Dominici, quæ inserta est in Lectionario, et aliæ deinceps non scribantur. *At tunc Lectionario inserta erat Legenda* S. Dominici, *quam Humbertus concinnaverat, ut Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 143 *et* 147 *ex ipso Humberti autographo evidenter demonstrat. Si necesse foret, pluribus argumentis probari posset, Lectionarium istud ab Humberto ordinatum, et ante comitia Argentinensia anni* 1260 *jam in toto Ordine Prædicatorum receptum fuisse. Id etiam patet ex codice nostro membraneo* P. *Ms.* 10, *in quo Vita* S. Dominici *in Lectiones divisa est, et ubi legimus sequentia :* Illud autem Pater egregius quanta potuit districtione prohibuit, ne quis in hoc Ordine possessiones induceret temporales ; maledictionem Dei et suam terribiliter imprecans ei, qui hunc Ordinem, quem præcipue paupertatis decorat professio, terrenarum divitiarum pulvere præsumpserit obfuscare. *Atqui hæc sunt ipsa verba, quæ venerabilis Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 53 *habet, ut apud Echardum tomo* 1 *pag.* 36 *in notis videre est.*

etsi postmodum hæc Sancti constitutio legitime mutata sit,

824 *Quapropter nobis magis placet ultima reverendissimi Magistri responsio, quam apud citatum proxime Malvendam præcedentibus argumentis ita subjungit :* Et dato, quod in prædicta Legenda talis maledictio esset inserta, intelligenda est

data

AUCTORE G. C.

data illis Fratribus, qui sine ulla necessitate et causa legitima, et sine dispensatione Magistri hujusmodi dispensationes inducerent. Unde reperiuntur Conventus instituti a beato Dominico, qui possessiones et redditus, quos tunc habebant, etiam nunc habent. *Non ignoramus, monasterio Pruliano et forsan aliis monialium cœnobiis possessiones ac redditus relictos esse; sed hactenus nobis ignoti sunt Conventus Fratrum, qui bona hujusmodi stabilia tempore* S. Dominici *post primum aut secundum Capitulum retinuerint. Neutiquam tamen dubitamus, quin constitutio illa sancti Fundatoris postmodum legitime mutata fuerit, quandoquidem concilium Tridentinum sessione* 25 *cap.* 3 *de reformatione omnibus monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum etiam mendicantium (excipe illos, qui ab hoc privilegio excludi petierunt) possessionem bonorum stabilium concessit aut confirmavit.*

quas justas mutationis causas S. Antoninus

825 *Sanctus Antoninus part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 4 § 13 *videtur quodammodo hanc sacrosanctæ synodi concessionem præsensisse : postquam enim acriter ibidem reprehenderat illos Religiosos, qui temere regulas et statuta sui Ordinis violant, in rem præsentem hæc addit :* Quod autem, ut in sacra habetur ejus *(videlicet sancti Fundatoris sui)* historia, dicitur, quod quanta potuit districtione prohibuit, ne quis in hunc Ordinem possessiones induceret temporales, maledictionem Dei et suam imprecans in contrarium facienti. In hoc commendatus est zelus ejus ad paupertatem et omnino servandum testamentum ejus, ubi necessitas non urgeat, ne maledictionem incurrat; sed ubi necessitas (quæ non habet legem, sed ipsa sibi facit legem, ut dicitur 1 q. 1 § SED NOTANDUM) ad hoc urgeat, utpote quia Fratres aliter vivere non possunt in numero competenti, experientia habita, quæ est rerum magistra.

etiam ante concilium Tridentinum examinavit.

826 Verum quia ultra prohibitionem beatissimi Patris cum maledictione adjuncta expresse per constitutiones factas in Capitulo generalissimo hoc etiam strictissime inhibetur, quæ constitutiones approbatæ sunt ab Ecclesia, ideo non videtur tute hoc fieri sine dispensatione Sedis Apostolicæ, quæ in hujusmodi (cum positiva sint) habet plenitudinem potestatis. Si enim Deus secundum diversitatem temporum mutat prohibitiones et ordinationes factas hominibus, ut patet de ceremonialibus et judicialibus præceptis veteris legis, quæ ablata sunt in novo secundum litteram, cum etiam ad illa additæ sunt multæ maledictiones Dei in transgressores eorum, et Ecclesia etiam mutat sua decreta et constitutiones, cum necessitas vel utilitas urgeat, (ut de consan. et affi. NON DEBET;) nec hoc adscribendum est levitati, sed rationi : ita etiam, si mutatis conditionibus illius temporis, mutetur seu dispensetur illa constitutio, cum aliter apparet, sustentari non posse [nullum inde sequitur inconveniens.] Tunc enim alii Religiosi non erant, nisi monachi, qui non mendicabant, quia non egebant; unde copiose eleemosynas recipiebant. Nunc multiplicatæ sunt Religiones quæstuantium etiam in utroque sexu. Et quoniam abundavit iniquitas, refriguit caritas multorum, et multiplicatis penuriis ex guerris et pompis laïcorum, parci sunt in eleemosynis dandis, et libentius expendunt in capellis vel ornamentis superfluis et pompis ecclesiarum, quam in subventione pauperum. Hæc breviter et incidenter sint dicta, salvo semper meliori judicio. *Ex hactenus dictis liquet, constitutionem illam Prædicatorum justa de causa mutatam fuisse.*

Sanctus moribundus ob publicam declarationem suæ virginitatis

827 *Nunc alia Sancti nostri ægrotantis gesta prosequamur cum eodem Antonino, qui in Opere mox laudato tit.* 23 *cap.* 4 § 14 *de illo hæc narrat :* Invalescente autem infirmitate, confortatus spiritu, Deo infatigabiliter adhærebat, tam patienter ægritudinem illam sustinens, ut semper jucundus et hilaris appareret, licet dysenteria urgeretur, et febribus ureretur. Sciens autem diem mortis proximo sibi imminere, jussit coram se novitios convenire; quos serena facie intuens, ad amorem Dei et Ordinis, et ad devotionem religionis et observantiam verbis dulcissimis hortabatur. Nec tamen sic debilis acquievit requiescere super lectum. Exinde vocatis duodecim Fratribus discretioribus, Priori Conventus Fratri Venturæ (vel Bonaventuræ) de omnibus actibus suis generaliter est confessus, dixitque Fratribus : En usque in hanc horam incorruptum carne misericordia Dei me conservavit, illibatamque virginitatis munditiam custodivit : quæ ut in vobis immaculata permaneat castitas, feminarum omnium suspecta consortia devitate. *Alia occasione superius* § 1 *indicavimus, et infra ex libello B. Jordani apparebit, quid ab hac periodo rescissum fuerit.*

scrupulo angitur, quod Soëgius perperam numerat inter fabulas,

828 *Ferdinandus de Castillo in Historia Hispanica Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *cap.* 56 *similem* S. Dominici *monitionem refert, et huic narrationi addit, Sanctum postea remorsu conscientiæ, seu potius scrupulo, vexatum fuisse, eo quod virginitatem suam publice coram Fratribus declarasset. At Soëgius in Anno Dominicano tomo* 1 *Augusti pag.* 459 *istud Castilli aliorumque auctorum additamentum, tamquam fabulam, rotunde refellit. Sed non videtur Soëgius vidisse testimonium ipsius Fratris Venturæ, quem Castillus loco proxime assignato citaverat, et qui in Processu Bononiensi apud nos num.* 5 *affirmat,* S. Dominicum *post hanc publicam virginitatis suæ declarationem sibi dixisse hæc verba :* Frater, ego peccavi, quia publice dixi de virginitate mea coram Fratribus, quod non debuissem dixisse. *Attamen profecto absit, ut propterea sanctissimum Virum accusemus ullius culpæ, licet ipse præ teneritudine conscientiæ sese reum alicujus noxæ putaverit :* Bonarum quippe mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, *ut S. Gregorius Magnus in Responsionibus ad interrogationes Augustini Cantuariensis cap.* 10 *testatur. Jam discutienda restant nonnulla, quæ in Actis infra edendis omissa sunt, etsi illa tempore ejusdem ultimi morbi contigisse tradantur.*

quibus potius accensemus apparitiones, ab auctore Speculi relatas,

829 *Alanus de Rupe, sive auctor anonymus ejusdem furfuris, in Speculo peccatricis animæ pag.* 189 *et sequente narrat, miros favores* S. Dominico *ægrotanti cœlitus collatos esse, dum ibidem Deiparam invocat his verbis :* O pulcherrima Maria, propter dulcissimum filium tuum sanctum Dominicum, cui infirmanti plus quam quater apparens ministrasti; quinimo cum ipso in signum amicitiæ singularissimæ de bonis per te allatis comedisti et bibisti, etiam cum Filio tuo, domino nostro Jesu Christo, veraciter et realiter, sicut ipse Filius tuus comedit et bibit cum discipulis suis, postquam surrexit a mortuis, da nobis duo mandata legis naturæ implere, *etc. Nescimus, ex quo fonte auctor ille hæc singularia privilegia hauserit. Si forsan quis dixerit, ista auctori Speculi divinitus revelata fuisse, quemadmodum ipsemet de aliis quibusdam exoticis narrationibus suis affirmat, requirimus certiorem personæ notitiam et plura histo*

ricæ

A *ricæ fidei motiva, antequam huic privatæ revelationi credamus.*

et transcribimus verosimiliorem S. Birgittæ revelationem,

830 *Majoris apud nos auctoritatis sunt revelationes S. Birgittæ, quæ in Ecclesia rigidum examen subierunt, et in quibus lib.* 3 *cap.* 17 *ad laudem Sancti nostri legimus sequentia :* Item loquitur Mater Dei ad sponsam *(nimirum S. Birgittam)* dicens : Dixi tibi heri de duobus, qui erant de regula sancti Dominici. Certe ipse Dominicus Filium meum habuit pro suo charissimo Domino, et me Matrem ejus dilexit plus, quam cor suum. Huic sancto inspiravit Filius meus, tria esse in mundo, quæ displicebant eidem Filio meo, superbiam scilicet, et cupiditatem, et concupiscentiam carnis : ad quarum trium diminutionem sanctus Dominicus impetravit maximis suspiriis auxilium et medicamentum ; cujus Deus compassus lacrymis, inspiravit ei legem et regulam vivendi, in qua ipse Sanctus contra tria mala mundi tria bona constituit. Nam contra vitium concupiscentiæ instituit nil possidere, nisi cum licentia Prioris sui. Contra superbiam instituit habere humilem habitum et simplicem. Contra
B carnis insatiabilem voraginem instituit abstinentiam, et tempus debitum ad se regulandum. Priorem quoque constituit Fratribus suis ad observationem pacis et custodiam unitatis. Deinde volens quoddam spirituale signum dare Fratribus suis, impressit quasi unam spiritualem crucem et rubeam in sinistro brachio eorum juxta cor, per doctrinam et exempli sui efficaciam, quando docuit et monuit eos continue recordari Passionem Dei, prædicare ferventer verba Dei, non propter mundum, sed propter amorem Dei et animarum. Docuit insuper illos magis subjici quam præesse, voluntatem propriam odire, contumelias patienter ferre, nihil præter victum et vestitum desiderare, veritatem corde diligere et ore proferre, laudem propriam non quærere, sed divina verba semper in ore habere et docere, et illa non propter pudorem dimittere, nec propter favorem humanum recitare.

in qua narratur, quomodo S. Dominicus

831 *Dein immaculata Dei Genitrix alia occulta, quæ in postremo* S. Dominici *morbo evenerunt, ibidem S. Birgittæ sic revelat :* Cumque instaret tempus resolutionis ejus, quod Filius meus ei in spiritu ostendit, ivit ad me Matrem ejus, cum
C lacrymis dicens : O Maria regina cœli, quam ipse Deus præelegit sibi in conjunctionem Deitatis et humanitatis ! Tu es illa singularis virgo et singulariter dignissima Mater ; tu es illa potentissima, de qua ipsa potestas prodiit, audi me rogantem te : quia enim scio, te potentissimam, ideo præsumo de te. Suscipe Fratres meos, quos educavi et fovi sub stricto scapulari meo, et defende eos sub lato mantello tuo. Rege eos et refove, ne hostis antiquus prævaleat eis, et ne dissipet vineam novellam, quam plantavit dextera Filii tui. Quid vero, Domina mea, aliud noto per scapulare strictum, quod palliolum unum habet ante pectus, et aliud retro, nisi duplicem considerationem, quam ad Fratres meos habui. Solicitabar quippe nocte et die pro eis, quomodo in rationabili et laudabili deservirent Deo temperantia. Orabam etiam pro eis, ne quid de mundo concupiscerent, quod vel Deum offenderet, aut famam humilitatis et pietatis apud proximum denigraret.

Ordinem suum commendaverit Ib. paræ paulo ante mortem,

832 Nunc igitur quia tempus remunerationis meæ instat, assigno tibi membra mea. Doce ergo eos, sicut filios, et porta eos, sicut mater. Cum his enim verbis et aliis vocatus est Dominicus in gloriam Dei. Cui ego per similitudinem loquendo respondi taliter : O Dominice, amice dilecte, quia dilexisti me, plus quam te, ego sub lato mantello meo defendam et tegam filios tuos, nec non et omnes, qui in regula tua perseverant, salvabuntur. Mantellus vero meus latus, misericordia mea est, quam nulli feliciter petenti denego ; sed omnes, qui quærunt, sub misericordiæ meæ sinu proteguntur. Sed quid credis tu, o filia mea, quod regula Dominici sit? Utique humilitas, et continentia, et contemptus mundi : nam omnes, qui hæc tria assumunt, et perseverando diligunt, numquam damnabuntur, et hi sunt, qui tenent regulam beati Dominici. *Postmodum eodem capite et sequenti fusius explicatur, quinam vere sub regula* S. Dominici *militent, ne quis forte has promissiones perperam interpretetur, aut iis temere confidat.*

AUCTORE G. C.

quam anno 1221, die sexta Augusti, obiit,

833 *Tandem sanctissimus Ordinis Fundator post alias morbi circumstantias, quæ infra in Actis et Processu Bononiensi minutim exponentur, anno Christi* 1221, *die* VI *Augusti ad cœlum migravit, ut venerabilis Humbertus in Vita ejusdem Sancti cap.* 53 *testatur his verbis :* Denique beatus Domi- E
nicus post labores diuturnos, quibus in vinea Domini Sabaoth fideliter desudaverat, introivit in gaudium Domini sui, diurnumque accepit denarium, complevitque dies suos in bono, et annos suos in gloria, anno Incarnationis Dominicæ MCCXXI, octavo Idus Augusti post secundum Capitulum generale, quod eodem anno Bononiæ fuerat celebratum. *Constantinus Urbevetanus, et alii plerique scriptores eumdem annum ac diem morti ejus assignant. Quare non est operæ pretium hoc loco refellere illos auctores, qui ab hac chronologia aberrarunt, et quos Malvenda in Analibus Prædicatorum ad annum* 1221 *cap.* 34 *recenset.*

et quæ statim duobus Fratribus absentibus

834 *Felix Sancti mors statim cœlitus duobus Fratribus absentibus revelata est, ut Bartholomæus Tridentinus in compendio Actorum num.* 14 *et* 15 *infra narrabit. Sed cum B. Jordanus tantum de prima hujusmodi revelatione meminerit, juverit hic secundam transcribere ex Constantino Urbevetano, qui in Actis* S. Dominici *num.* 47 *illam testimonio suo ita confirmat :* Verum non inferioris habet stuporis indicium, non minoris certitudinis argumentum, quod de transitu ejusdem beati Pa- F
tris Fratri Raoni, ejusdem Ordinis viro prorsus sanctitatis præcipuæ, longius posito, luce clarius revelatum fuisse compertum est. Eadem namque die defunctionis ipsius dictum Fratrem Raonem cum Fratre Tancredo, de quo in loco alio facta est mentio, de Urbe Tibur contigit accessisse. Pervenientibus autem ipsis ad hospitium solitum hora quasi sexta de mandato ipsius Fratris Tancredi Frater Rao ad altare Missam celebraturus accessit : a quo etiam, præmissa confessione, injunctionem accepit, ut dilecti Patris, quem ægrotasse Bononiæ nuper audiverant, memor esset.

divinitus revelata est.

835 Cum igitur ad illum locum, in quo in Missa de vivis consuevit fieri mentio, pervenisset, injunctionemque factam solicitus ad memoriam revocasset, subito factus est in excessu mentis, stansque immobilis in altari, raptus in Spiritu, vidit manifesta siquidem visione virum Dei Dominicum corona quadam aurea laureatum totumque mirabili splendore fulgentem, duobus quibusdam reverendis viris comitatum hinc inde extra Bononiam via regia procedentem. In eadem vero visione, revelatione certa sibi dabatur intelligi,

AUCTORE G. C.

telligi, quod vir Dei Dominicus eadem hora, scilicet sexta, sextaque feria migrans a corpore, cœlestem patriam gloriosus adiisset. Visione autem illa perfecta, mox ad se reversus sibique redditus, ab eodem loco, quo in excessu factus, dimiserat, quam inceperat, Missam prosecutus explevit. Frater vero Tancredus, qui se post eum ad terram postraverat, sive somni, præ lassitudine viæ, sopore depressus, sive alia quacumque meditatione suspensus, nec interpositæ moræ distantiam, nec ipsius raptus argumentum aliquod deprehendit. Hanc autem visionem ex humilitate quadam, qua procul dubio plenus erat, is, qui viderat, Frater longo tempore tacuit; postmodum autem divina inspiratione præmonitus, pluribus revelavit, eoque referente, frequenter audivi, eamdemque manu propria mihi scripsit. *Ex his fit verosimile, B. Jordanum de illa revelatione non meminisse, eo quod Frater Rao fortasse post discessum aut obitum B. Jordani eamdem tantummodo patefecerit. Ut ut est, venerabilis Humbertus in Actis* S. Dominici *cap.* 55 *istam visionem refert, et Bartholomæus Tridentinus in compendio*
B
Actorum infra num. 15 *testabitur, sese eamdem ex ore ipsius Fratris Raonis excepisse.*

§ XLV. Corporea Sancti forma, et Opera litteraria, quæ ab eo posteritati relicta dicuntur.

Theodoricus de Appoldia describit corpoream S. Dominici formam.

Hic imitabimur hagiographos illos, qui exteriorem Sanctorum formam depingere solent, priusquam corpora eorum oculis hominum subtrahantur ac sepulturæ mandentur. Utinam B. Jordanus, aliive testes synchroni, qui S. Dominicum *sæpius viderant, accuratam hujus Sancti effigiem nobis repræsentassent! Sed forte illi id prætermiserunt, eo quod externa corporis forma nihil ad sanctitatem conferat. Attamen plerisque hominibus insita est quædam curiositas, qua cupiunt inclytos antiquitatis heroës, et viros doctrina aut sanctitate illustres, vivis coloribus depictos contemplari. Hinc Theodoricus de Appoldia illam historiæ partem sibi non negligendam putavit, et infra apud nos num.* 213
C
imaginem S. Dominici *expressit isto verborum penicillo :* Erat staturæ mediocritate æqualis, corporis tenuitate agilis, facie pulcher et paulisper rubens; barba vero ejus et capilli aliquantulum rufi coloris speciem præferebant. De fronte ipsius et interciliis splendor quidam radiosus micabat, qui omnes ad venerationem ac dilectionem ejus attrahebat. Hilaris semper et jucundus apparebat, nisi cum ac compassionem per quamlibet afflictionem proximi movebatur. Manus longas habebat ac pulchras ; vocem magnam et pulchram, et tubaliter resonantem. Calvus non fuit, sed coronam rasilem totam integram habebat, paucis canis respersam.

quæ ab alio scriptore antiquiore etiam depingitur :

837 *Videtur hoc loco Theodoricus præ oculis habuisse antiquiorem S. Francisci Legendam, tempore Gregorii IX Pontificis scriptam, ex qua Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1221 *num.* 48 *refert similem* S. Dominici *effigiem, quæ iisdem fere verbis in veteri illo monumento sic depingitur :* Erat statura mediocris, æqualis corpore, tenuitate agilis, facie pulchra et rubicunda, barba, et capillis subrufus, et decorus aspectu. De fronte ejus et superciliis splendor quidam radiosus micabat, qui omnibus venerabilem redde- D bat. Religiosam præ se semper ferebat lætitiam et hilaritatem, nisi quando ex naturali compassione egenis commiserebatur. Manus longas habebat, vocem claram et sonoram. Nihil capitis calvum, sed integre concinnum in orbem æqualem habebat paucis canis respersum. *Candidus Chalippe in notis ad Vitam S. Francisci, nuper Parisiis editam, pag.* 228 *et sequente eamdem Sancti imaginem Gallice exponit.*

sed huic duplici descriptioni opponitur difficultas

838 *Etiamsi hæ duæ corporis descriptiones optime inter se concordent, non tam facile conciliari possunt cum historia seu revelatione, quam Gerardus de Fracheto in excusis Vitis Fratrum parte* 3 *cap.* 26, *et in Mss. nostris cap.* 25 *ita narrat :* In nocte circumcisionis Dominicæ, cum secundum morem Parisius dictus Pater *(videlicet B. Jordanus, in cujus Actis hæc referuntur)* nonam * legeret lectionem, quidam Frater obdormiens vidit pulcherrimam dominam stantem in pulpito, habentem coronam auream in capite, et pallio miri decoris ornatam, respicientem intentissime in legentem. Cum autem finisset lectionem, ipsa librum accipiens de manu ejus, cœpit mature ante ipsum per gradus descendere, hinc inde assistentibus Sanctis, inter quos unus, aliquantu- E lum calvus, major et dignior videbatur, qui baculum portans, quasi viam faciens, ipsam Dominam præcedebat. Frater autem, qui hoc manifeste viderat, æstimans, ipsam esse beatam Virginem, et præcedentem beatum Paulum vel beatum Dominicum, qui etiam circa finem vitæ fuerat calvus, accedens ad Magistrum quæsivit, an in ista lectione aliquid sensisset dulcedinis, et ei, quod viderat, manifestabat : qui ad verba ejus arridens, noluit aliquid revelare.

* *alias* novam

ex Vitis Fratrum circa calvitiem Sancti,

839 *Hoc loco dicitur* S. Dominicus *circa finem vitæ calvus fuisse, et superius in duplici corporis dèlineatione Theodoricus de Appoldia, et alius illo vetustior asserunt, eumdem Sanctum* nihil capitis calvum, sed coronam rasilem totam integram *habuisse. Hæc difficulter componi possunt, nisi dicamus, utramque priorem formæ descriptionem, licet post obitum Sancti concinnatam,* S. Dominico *juniori, et alteram istius Fratris assertionem eidem Sancto jam seniori convenire. Quid si Frater ille* S. Dominicum *pro S. Paulo perperam acceperit, cum præsertim dicat, quod iste Sanctus, qui calvus erat et Deiparam præcedebat,* major et dignior *vi-* F *deretur? At hæc major dignitas S. Paulo tribui potest. Quare facile fieri potui, ut hic Frater in illa visionis circumstantia erraverit : superius enim alia occasione diximus, ex quibusdam revelationum adjunctis argumentum historicum tuto deducendum non esse. Ut ut est, Joannes a sancta Maria in Actis Gallicis* S. Dominici *lib.* 4 *cap.* 11 *affirmat, Sanctum illum nullo modo calvum fuisse, et ibidem carpit eos, qui in imaginibus ipsius aliquam calvitiem appingunt. Attamen aliqualem* S. Dominici *calvitiem supra frontem exprimit quædam ejusdem Sancti effigies in Soriano, quæ a cœlo delata traditur, ut infra fusius referemus.*

quæ tamen in effigie hic exhibita non apparet

840 *Hæc lis decidi posset ex antiqua et genuina Sancti imagine, quæ alicubi adhuc conservari dicitur, et cujus accuratum ectypon mihi jam diu promissum est. Certe nulla calvities exprimitur in depicta* S. Dominici *effigie, quam non ita pridem, curante Reverendissimo totius Ordinis generali Magistro, ab Antverpiensibus Prædicatoribus accepi, et quæ cum duplici corporis descriptione superius relata satis recte convenit. Loquor hic de sola vultus similitudine, cum fortasse forma vestium aliaque picturæ ornamenta pro arbitrio pictoris expressa sint.*

A *sint. Sed quia hæc* S. Dominici *pictura multum discrepat ab alia ejusdem Sancti effigie, quæ tamen cœlitus ad Sorianense Prædicatorum cœnobium allata creditur, aliquot quæstiones circa illam abhinc sex aut septem mensibus proposui, ut de corporea Sancti forma cautius certiusque judicarem. Inter alia tunc per litteras inquisivi, quo circiter tempore prototypon imaginis mihi traditæ depictum esset, et an ex immemorabili traditione semper pro vera* S. Dominici *figura habitum fuisset : cum enim inter hanc picturam et imaginem Sorianensem (posterior hæc* § 51 *postmodum exhibebitur, et cum illa conferri poterit) vix ulla appareret faciei similitudo, egomet mecum sic argumentari cœpi : Si imago illa Sorianensis e cœlo delata sit, ut Soriani habet traditio, non potest magis certa aut vera* S. Dominici *effigies requiri, cum haud dubie cœlestes pictores formam Sancti istius viventis optime noverint, ac divino penicillo expresserint ; si autem pictura ad me missa veram ejusdem Sancti* Dominici *effigiem repræsentet, alteram Sorianensem minime genuinam esse oportet. Hac argumentatione intricatus hæsi, et quamdam dubitationis meæ solutionem exspectavi;* B *at post diuturnam aliquot mensium moram nihil hactenus mihi responsum est. Quapropter picturam ad me missam, quæ saltem ad memoratam Theodorici de Appoldia et alterius veteris auctoris descriptionem propius accedit, exacte exprimi atque æri incidi curavi, eamque hic fideliter exhibeo, quantum fert cælatoris ars, etiamsi hæc varios penicilli colores distincte imitari non possit.*

Nicephorus Callistus repræsentat formam Christi,

841 *Jam superest alia quæstio utrum* S. Dominicus *corpore similis fuerit Redemptori nostro, quem Nicephorus Callistus lib.* 1 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 40 *depingit his verbis :* Porro effigies formæ Domini nostri Jesu Christi, sicuti a veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eam crassius verbis comprehendere licet, fuit. Egregio is vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos *(Græce legitur* ἑπτὰ σπιθαμῶν, *ubi vox* σπιθαμὴ *significat palmum majorem seu mensuram duodecim digitorum)* prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem ; supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis fulvis et subflavescentibus mirifica prominebat gratia; acres ii erant, et nasus longior. Barbæ capillus flavus, C nec admodum demissus ; capitis porro capillos tulit prolixiores : novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam matris, in tenera dumtaxat ætate ejus. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo et extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris ejus erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam ; gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ Genitrici. *Ita Græcus ille seculi* XIV *scriptor, qui nimium juvenis est, ut de re tam antiqua certum testimonium perhibeat : nam inter ipsos veteres de vera Christi effigie non convenit, et recentiores auctores de ea disputare non cessant.*

cui S. Dominicus corpore similis fuisse dicitur,

842 *Ceterum mox descripta Redemptoris nostri imago non multum differt ab illa* S. Dominici, *quam Theodoricus de Appoldia et alius vetustus scriptor superius delinearunt. Quinimo auctor Speculi peccatricis animæ pag.* 21 *asserit,* S. Dominicum *Christo simillimum fuisse, dum ibidem Deiparam ita precatur :* Rursus, o amorosissima Maria propter sponsum tuum Dominicum, Domino Jesu Christo Filio tuo virgineo et naturali in corpore simillimum, in quantitate, colore, figura et eloquentia, sicut sanctæ Catharinæ Senensi divinitus fuit revelatum, aufer a me et meis hæc mala horrendissima, quæ consequuntur ex omni mortali culpa, *etc. Editor vero Ludovicus Loumans ad hunc Speculi textum pag.* 248 *notat sequentia :* Quod auctor ait, sanctum Dominicum facie et aliis ibidem appositis, Christo similem fuisse, ingenue fateor, me numquam legisse, cum tamen Vitæ sancti Patris scriptores diligenter consuluerim et perspexerim. Proinde donec luculentum istius rei habeamus documentum, tamquam incertum, nullius fidei et apocryphum hoc loco adnotare lubet. Si quis vero in probato aliquo auctore istud legerit, et probaverit, ut me certiorem reddat, precor.

et quam similitudinem confirmamus

843 *Non parum miramur, quod Loumannus non consuluerit Vitam S. Catharinæ Senensis, quam Raimundus Capuanus synchronus conscripsit, et quæ anno Christi* 1553 *Coloniæ typis vulgata est : in ea enim invenisset illam revelationem, quæ ab auctore Speculi breviter indicatur. Nos Acta hujus sanctæ Virginis ex editione ista Coloniensi cum manuscriptis collata, ad diem* XXX *Aprilis in Opere nostro recudimus, ex quibus hic ad gloriam* S. Dominici *non pigebit transcribere sequentia, quæ laudatus Raimundus, generalis Magister Ordinis Prædicatorum, et confessarius ejusdem Sanctæ apud nos tomo* 3 *Aprilis pag.* 904 *sic refert :* Verum quia beato Dominico me, ut veritatem fatear, miraculose vocante, ejus Ordinem immeritus sum ingressus ; ne ingratus inveniar tanto Patri, si ejus gloriam, huic Virgini revelatam, silentio pertranseam, visionem hujus virginis superius tactam, inserere hic decrevi. Narrat siquidem mihi supradictus Frater Bartholomæus, qui nunc actualiter mecum est, quod dicta die Virgo sacra, dum sibi loqueretur, asserebat actualiter se videre in imaginaria visione summum et æternum Patrem de ore suo (ut videbatur) coæternum sibi Filium producentem, qui etiam cum assumpta natura humana ei demonstrabatur aperte. Quod dum attenderet, ex alia parte vidit beatissimum patriarcham Dominicum ex ejusdem Patris produci pectore, luce ac splendoribus circumdatum ; audivitque ex eodem ore prolatam vocem, quæ verba infra scripta formabat : Ego, dulcissima filia, istos duos filios genui ; unum naturaliter generando, alium amabiliter et dulciter adoptando.

ex revelatione S. Catharinæ Senensis,

844 Cumque illa nimium miraretur de tanta comparatione, et tam alta ipsius Sancti assimilatione, pro admiratione tollenda taliter verba supradicta fuerunt exposita per ipsum, qui protulerat ea : Sicut hic Filius a me naturaliter et æternaliter genitus, assumpta natura humana, in omnibus fuit perfectissime obediens mihi usque ad mortem; sic filius adoptivus meus Dominicus omnia quæ operatus est ab infantia sua usque ad terminum vitæ suæ, fuerunt regulata secundum obedientiam præceptorum meorum ; nec umquam semel fuit transgressus quodcumque præceptum meum, quia virginitatem corporis et animæ illibatam servavit, et gratiam baptismi, quo spiritualiter renatus est, semper conservavit. Et sicut Filius naturalis hic, tamquam verbum æternum oris mei, locutus est palam mundo ea, quæ imposita sunt ei per me, testimoniumque perhibuit veritati, prout ipse dixit Pontio Pilato ; sic filius meus adoptivus Dominicus veritatem verborum meorum prædicavit palam mun-

do,

AUCTORE G. C.

do, tam inter hæreticos, quam inter Catholicos, et non solum per se ipsum, sed etiam per alios; nec tantum, dum vixit, sed et per successores suos, per quos adhuc prædicat et prædicabit. Nam sicut Filius meus naturalis misit discipulos suos; sic iste adoptivus misit Fratres suos: unde sicut Filius meus naturalis est Verbum meum; sic iste adoptivus est præco et portitor verbi mei, propter quod ex singulari dono datum est ei, et Fratribus ejus intelligere veritatem verborum meorum, et ab ipsa non discedere.

quam videtur ignorasse Loumannus, qui frustra hanc rem apud veteres quæsivit.

845 Item sicut Filius meus naturalis totam vitam et actus suos tam doctrinales quam exemplares ordinavit ad animarum salutem; sic filius meus adoptivus Dominicus totum studium et conatum suum posuit semper ad liberandum animas tam de laqueo errorum, quam de laqueo vitiorum: et ista fuit ejus principalis intentio, quare suum Ordinem inchoavit et irrigavit, pro zelo scilicet animarum. Propter quod dico tibi, quod ipse assimilatur Filio meo naturali quodammodo in omnibus actis suis; et ideo tibi nunc ostenditur etiam similitudo corporis ejus, quod habuit
B
multum de similitudine corporis mei sacratissimi Filii naturalis et unigeniti, *Papebrochius noster in Responsionibus suis ad accusationem proœmialem articuli* XX *recte monuit, ex revelationibus exstaticarum mulierum, etiam sanctarum, controversias historicas prudenter dirimi non posse. Nos tamen hæc referre voluimus, ut satisfaceremus desiderio Loumanni, qui corpoream* S. Dominici *cum Christo similitudinem frustra in antiquioribus monumentis quærebat, eamque sibi alicunde assignari cupiebat. Nunc agendum est de scriptis, quæ Sanctus posteritati reliquisse traditur.*

Bibliographi tribuunt S. Dominico quædam opuscula,

846 *Non possumus determinare, quid singillatim continuerint duo opuscula, quæ* S. Dominicus *contra Albigenses scripsit, quandoquidem illa jam perierunt. Hoc loco etiam prætermittimus duplicem formulam, qua Sanctus hæreticos pœnitentes Ecclesiæ reconciliavit, et quam supra* § 16 *retulimus. Hisce Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 88 *subjungit alterum ejusdem sancti Fundatoris scriptum, cui diverso charactere hunc titulum præfigit:* Constitutionum, quas sancti Augustini regulæ superaddidit, corpus ab ipso de primorum sodalium assensu ex antiquiorum Ordinum statutis
C
collectum et concinnatum. *Laudatus Echardus ibidem de opere illo tradit sequentia:* Hoc Ms. in memb. etiamnum apud nostros Ruthenenses servari me monuit R. A. P. Melchior Thomas de Lermite, ceu a se visum, dum provinciæ Tolosanæ præfectus visitationes suas obiret. Opus jam rarum, ex quo beatus Raimundus, tertius Ordinis Magister, licet idem, alia tamen ratione, composuit. *Nos huic domestico testi libenter credimus, cum de opere nobis incognito et numquam viso judicium ferre non possimus.*

quæ nobis ignota sunt,

847 *Antonius Senensis sive Lusitanus in Bibliotheca Prædicatorum pag.* 68 *jam memoratis opusculis polemicis, quæ* S. Dominicus *contra hæreticos Albigenses scripsit, alia ad explicationem sacræ Scripturæ spectantia, sic subdit:* Magister autem sacri palatii existens, ab Honorio III summo Pontifice factus, legit Romæ, et postillavit Epistolas divi Pauli; Bononiæ autem Epistolas Canonicas et Psalterium, in fine cujuscumque psalmi pulchram faciens collationem. Euangelium quoque Matthæi postillavit, et super illo verbo Matth. 8: ABEUNTE JESU IN NAVICULAM, etc., omnia ad navem necessaria pulcre moralizavit. *Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana, et*
D
Antonius Possevinus noster in Apparatu sacro easdem S. Dominici *lucubrationes, seu scriptas sacrarum Litterarum expositiones recensent.*

et quorum aliqua Nicolaus Antonius censet supposititia;

848 *Nicolaus Antonius lib.* 8 *Bibliothecæ veteris Hispanæ cap.* 7, *sive tomo* 2 *pag.* 69, *similia opuscula ex Antonio Senensi citat; sed videtur ea* S. Dominico *abjudicare, dum post aliud eidem abrogatum de his ipsis sic disserit:* Nullus vero aut vidit manuscriptos codices, aut de loco monet, in quo visi ab aliis, aut videri possunt. Vix autem est, ut doctissimi et sanctissimi Parentis lucubrationes tam viles apud suos fuerint, ut nemo hactenus, si minus ediderit, servari tamen has veneratione magna hoc vel illo bibliothecarum Dominicarum aut aliarum angulo, nondum admonuerit. Vereor igitur, ne ista ejusdem commatis sint cum his, quas Alphonsus Cicarellus, impostorum coryphæus ille, quem vir clarissimus Leo Allatius integro opusculo descripsit, vivis coloribus exprimens, Dominico attribuit, homilias: tres videlicet DE GRATIA DEI, ac totidem DE INEFFABILI TRINITATE, quas penes se habere planus aiebat.

sed putamus ab ipso scriptas esse nonnullas sacræ Scripturæ interpretationes,

849 *Quidquid sit de sex istis homiliis, quas nemo præter Cicarellum memorat, probabiliter existimamus,* S. Dominicum *aliquas sacræ Scripturæ partes interpretatum esse: nam S. Antonius part.* 3 *Chronicorum tit.* 23 *cap.* 2 § 2 *agens de donis gratiæ* S. Dominico *collatis, inter alia charismata ei tribuit interpretationem sermonum sive explicationem sacræ Scripturæ, et de hujusmodi scriptis illius sic meminit:* Quosdam libros Scripturæ postillavit, ut Euangelium Matthæi et Epistolas Pauli, quæ opera aliqui fide digni retulerunt se vidisse. *Unde verosimillimam judicamus conjecturam, quam Echardus tomo* 1 *pag.* 88 *et* 89 *proponit his verbis:* Qui Matthæi Euangelium, qui Pauli Epistolas continuo legebat, adeo ut corde teneret integras, difficile est, quin de his plura commentatus sit, præsertim cum, asserente Stephano, in eodem Processu teste septimo, juvenis adhuc et in schola Palentina agens, codices plures, quos Scripturæ sacræ recte conjicias, manu sua glossis illustrasset. Fatendum tamen, rerum ac temporum seu vicissitudine seu incuria, ubi jam hæc ejus scholia habeantur, a nemine prodi. *Ex hac clausula patet, argumentum Nicolai Antonii non evincere, quod ex eo probare intendebat.*

et litteras quibus tamen annumeranda non est epistola ad Polonos,

850 *Ex teste synchrono constat,* S. Dominicum *quasdam litteras scripsisse ad suos Fratres: nam Joannes Hispanus in Processu Bononiensi apud nos num.* 34 *inter alia de ipso* dixit, quod prædictus Frater Dominicus sæpe monebat et hortabatur Fratres dicti Ordinis verbis et litteris suis, quod semper studerent in novo et veteri Testamento; et hoc scit, quia audivit eum illa dicentem, et litteras ejus vidit. *Beatus Jordanus in libello suo meminit de illa epistola, qua sanctus Fundator quatuor Fratres Parisienses ad prima comitia generalia evocavit. Non dubitamus, quin plures aliæ ad Fratres et ad Sorores ab ipso datæ fuerint; sed* utinam auro pretiosiores omnes servatæ fuissent, *ut desiderare cogimur cum Echardo, qui ibidem tomo* 1 *pag.* 89 *contra supposititiam quamdam epistolam nos præmunit his verbis:* Caveas autem, ne quam in fide Bzovii idem Malvenda refert, ceu a beato Dominico e suo altero Capitulo generali ad provinciam Poloniæ scriptam, ejus esse credas: est enim Magistri Ordinis IV Fratris Joannis a Wildeshuzen e comitiis Londini anno MCCL habitis data, ut ex actis ubique servatis constat. Adde cœnobia Poloniæ in provinciam distinctam non-

nisi

AUCTORE G. C.

A nisi in generalissimis, Lutetiæ anno MCCXXVIII habitis, fuisse erectam. *Hanc epistolam supra § 42 exhibuimus, et Bzovium aliosque ejus sequaces de errore evidenter convicimus.*

ac in dubio relinquimus librum, de quo plures viri docti inter se disceptant.

851 *Major controversia est circa librum* de Corpore Christi, *quem Bernardinus de Bustis, Pelbartus de Temeswar, aliique, et ex nostris Petrus Canisius, Alphonsus Salmeron, Franciscus Suarez, Gabriel Vasquez,* S. Dominico *adscripserunt. Contra vero Joannes de Turre-cremata, Bartholomæus de Pisis, Thomas Malvenda, Theophilus Rainaudus noster, et Nicolas Antonius eumdem* S. Dominico *plane abjudicant. Altamura autem et Antonius Senensis opus illud cuidam Dominico de Pantaleonibus, qui seculo* XIV *floruit in Ordine Prædicatorum, diserte attribuunt. Hinc Echardus tomo pag.* 89 *de priori plurium auctorum opinione sic asseveranter pronuntiat:* His omnibus, et si qui sunt alii, qui idem astruant, allucinandi occasio fuit, quod noster Dominicus de Pantaleonibus Florentinus librum scripsit hoc titulo DE CORPORE CHRISTI, et quod erat discipuli, ob nominis cognationem Magistro tribuerunt. *Nos non dirimimus hanc* B *controversiam, quæ ex diligenti Operis istius perquisitione, et oculata Mss. codicum inspectione decidenda esset.*

§ XLVI. Prima Sancti sepultura, et postmodum honorifica sacri cadaveris elevatio.

Cardinalis Ostiensis sepelivit cadaver Sancti,

Non commemorabimus hoc loco visiones, miracula, atque alia prodigiosa, quæ statim post mortem Sancti, et in exsequiis illius contigerunt: siquidem hæc omnia inferius in Actis et processu Bononiensi copiose exponentur. Paucis tantummodo hic referemus primam sacri cadaveris sepulturam, de qua Humbertus in Vita S. Dominici *cap.* 53 *sic breviter meminit:* Interfuit autem ejus exsequiis venerabilis Ostiensis episcopus, tunc Apostolicæ Sedis in Lombardia legatus, postmodum vero Papa Gregorius, corpusque ejus sacro-sanctum cum digna devotione per se ipsum sepulturæ mandavit: noverat quippe sanctam conversationem ejus C in Domino, et specialis eum sibi, dum adhuc viveret, adstrinxerat dilectionis amplexu. Sepultus est autem Bononiæ in ecclesia sancti Nicolai Fratrum Prædicatorum, quorum Ordinis ipse primus exstitit institutor.

quod post aliquot annos honorifice elevatum est,

853 *Interim crebra miracula, quæ per intercessionem* S. Dominici *fiebant, occasionem dederunt honorificæ sacri cadaveris elevationi, ut Constantinus Urbevetanus in Vita Sancti cap.* 48 *testatur his verbis:* Post transitum quoque venerabilis patris beati Dominici a multiplicandis miraculis per ejus merita, divina potentia incessanter non destitit; quorum quamplurima indiscreta Fratrum humilitas, ne videlicet sub hoc obtentu notam superbiæ vel cupiditatis incurrerent, occultavit: sicque sibi tam improvide providentes, unde famæ suæ cogitaverunt inconsulte consulere, inde quantum Dei subtraxerint gloriæ, minus providi non viderunt. Nonnulla vero per negligentiam prætermissa ingratitudinis proles oblivio sub silentio sepelivit; sed Deus omnipotens, qui in Sanctis suis gloriosus ostenditur, non est passus solem sub nubilo obumbrari, nec thesaurum in pulvere latitare, ut nimirum lucerna tam inclyta super candelabrum Ecclesiæ posita, ad profectum omnium coruscaret signis, radiaret exemplis. Quapropter crebrescentibus indesinenter miraculis, cum non posset ulterius beati Viri sanctitas occultari, fidelium dignum duxit devotio, corpus ejus, humili prius loco depositum, ad altiorem debito cum honore transferre. *Tam celebris fuit hæc prima corporis elevatio, ut memoria illius in Martyrologio Romano ad diem* XXIV *Maii quotannis celebretur hac annuntiatione:* Bononiæ, translatio sancti Dominici confessoris, tempore Gregorii Papæ noni.

quam elevationem seu translationem B. Jordanus,

854 *Inferius in Processu Bononiensi audiemus de hac translatione plures testes oculatos, præter quos B. Jordanus de eadem re scripsit sequentem epistolam encyclicam:* Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Ordinis Prædicatorum universis Frater Jordanus ejusdem Ordinis humilis Magister et servus, salutem et gaudium sempiternum. Solet divina bonitas sua inindagabili sapientia plerumque bonum differre, non ut auferatur, sed ut dilatum surgat uberius in tempore opportuno. Sive igitur Deo Ecclesiæ suæ melius providente, sive diversis diversa sentientibus, quidam viam simplicitatis absque prudentia sectantes, immortalem memoriam servi altissimi Domini, Ordinis, E qui Prædicatorum dicitur, institutoris sancti Dominici fatebantur sufficere notam esse apud Deum, nec curandum fore, utrum ad hominum notitiam perveniret: nam quædam caligo, ut supra dictum est, Fratrum corda sic obtexerat, ut vix esset, qui divinæ gratiæ condigna gratiarum occurreret actione.

testis oculatus,

855 Expergefacta siquidem est post obitum Viri Dei reverentia populi, occurrentibus multis, qui diversis infirmitatum quarumcumque premebantur molestiis, ibique permanentes diebus ac noctibus, fatebantur omnino percepisse se remedia sanitatum. Unde curationum suarum testimonia deferebant, suspendentes ad tumulum beati Viri cereas oculorum, manuum, pedum, ceterorumque membrorum effigies, prout varia eorum infirmitas fuerat corporum, sive rerum multifarie reddita valetudo. Enimvero vitam, quam in cœlis possederat, in terris miraculis declarabat. Visum est autem plerisque, non debere receptari miracula, ne sub specie pietatis notam quæstus incurrerent. Frangebant itaque allatas imagines, et dejiciebant; et dum propriam opinionem inconsiderata celare cupiunt sanctitate, F communem Ecclesiæ neglexere profectum, et gloriam sepeliere divinam. Alii etiam aliter sentiebant; tamen pusillanimitatis depressi spiritu, his non obviabant. Sicque factum est, ut beati patris Dominici gloria absque omni sanctitatis veneratione per annos fere duodecim sopita maneret. Jacebat nempe thesaurus absconditus, carens utilitate, et subtrahebantur beneficia desuper a virtutum Largitore: justitiæ enim æquitas exigebat, iis gratiam subtrahi, qui gratiam Dei et gloriam occultare nitebantur. Nec enim granum in fructum prodiit*, si, quando prodierit, sæpius conculcetur. Prodibat sæpius virtus Dominici; sed suffocabat eam incuria filiorum. Patiens et multum misericors patienter exspectabat, sed cum vox non esset, neque sensus de debito honore sancti Dominici cogitans, adjecit Deus occasionem, qua Fratrum segnities excitaretur.

*alias prodiet

et dignissimus S. Dominici cuscessor

856 Crescente denique Fratrum numero apud Bononiam, necesse erat domos et ecclesiam dilatari. Novis succedentibus, vetera diruuntur, et corpus Dei Famuli sub dio remansit. Quis rationis capax dignum existimaret, puritatis speculum,

AUCTORE G. C.

lum, castitatis vasculum, virginitatis sacrarium, sancti Spiritus organum, sic humili tectum loculo permanere, qui tota vita sua, ut ejus ultima adstantibus duodecim Fratribus confessio declaravit, mortalis culpæ macula ipsum dulcem hospitem animæ numquam a suæ animæ hospitio ejecit? Ad cor igitur quidam e Fratribus reversi, conferebant inter se, ut ad locum decentiorem transferretur. Sed nec hoc absque Romani Pontificis licentia fieri volebant. Vere in multis perpenditur, humilitatis virtutem exaltationem promereri. Poterant siquidem per se Patrem sepelire Fratres et filii; sed dum in hoc majoris auctoritatem requirunt, cessit in melius, ut non solum simplex, sed canonica fieret translatio gloriosi. Neglectum tamen est et hoc diutius, Fratribus interim de decenti sarcophago ordinantibus, et aliis, summum Pontificem Dominum Gregorium adeuntibus, ut prædictum negotium eidem intimarent. Ille vero, ut erat vir magni zeli et fidei, durissime illos corripuit, qui tanto Patri debito honore neglexerant famulari. Subjunxit autem : Novi Virum totius Apostolicæ
B regulæ sectatorem, quem in cœlis non ambigo sanctorum ipsorum Apostolorum gloriæ copulatum. Ravennati igitur archiepiscopo scripsit, ut quia multis præpeditus ipse personaliter adesse non poterat, tantæ translationi cum suis suffraganeis interesset.

accurate descripsit

857 Volens itaque omnipotens Deus, consilio universalis Ecclesiæ Pastoris, segnitiei nebulas detergere, aperuit et ipse manum suam de alto, et miraculorum fragore intonuit de cœlo, ut manifeste daretur intelligi, totam illam cœlestis Jerusalem curiam immensa tunc lætitia exultare et congratulari, gloriam sui magni Concivis terrigenis declarari : Sancti namque invidiæ fomite excluso, et divini amoris gremio amplexati, suæ benedictionis abundantiam omnibus volunt esse communem. Cæcis visus, claudis gressus, paralyticis sanitas, mutis loquela, dæmonibus fuga, febribus convalescentia, et diversis languoribus exsilium indicitur, et Dominici sanctitas luculenter omnibus demonstratur. Salientem vidimus Nicolaum Anglicum, diu paralyticum, in hac solennitate. Morbus viri incurabilis, voto emisso, cessit; apostemata fugiunt, et multa alia in ipsius
C canonizatione coram summo Pontifice, et dominis Cardinalibus, et universis adstantibus perlecta et exposita clarissime patuerunt. Nec mirum, si cum Deo regnans hæc facere potuit, qui mortali theca vestitus librum fidei ab igne illæsum rehabuit, Virginem Matrem infirmanti Fratri adesse persensit, pluviam signo dominico repulit, prece candelam in luto accendit *(hoc miraculum candelæ accensæ nusquam in Actis Sancti legimus)* novitium a stupendo vestium ardore eripuit, dæmonem cruce expulit, duobus mortem corporis, duobus animæ prænuntiavit. Duobus Romæ vitam restituit, Christum se vocantem in morte vidit, in canone existenti discipulo coronatus apparuit, scalis candidis a Virgine Maria et ejus Filio in throno gloriæ elevatus ostensus fuit. Testantur Domini Gregorii Papæ de ipsius canonizatione litteræ plurima miraculorum ipsius insignia, et virtuosæ vitæ fastigia gloriosa.

in litteris encyclicis,

858 Adest igitur dies celebris, ut translatio eximii Doctoris celebretur; [adest et venerabilis archiepiscopus, et episcoporum ac prælatorum multitudo;] adest innumerabilis diversarum linguarum * populi devotio; adsunt et Bononiensium catervæ armatæ, ne sanctissimi corporis patrocinia ipsis auferantur. Sunt Fratres anxii, A pallent, et orant timidi, illic trepidantes timore, ubi non erat timor, ne scilicet sancti Dominici corpus, quod pluviis et æstui, tanto tempore vili reconditum loculo, sicut alius, qui inter mortuos computabatur, patuerat, vermium scateret voragine, fœtore horrido præsentium odoratum gravaret, et sic tanti Viri devotio fuscaretur. Ignorantes ergo, quid agerent, hoc solum habent residui, ut totos se Deo committant. Accedit pia episcoporum devotio, accedunt et alii : instrumentis fabrilibus lapis duriori cæmento sepulcro compaginatus aufertur, et erat de subtus capsa lignea terræ suffossa, sicut venerabilis Papa Gregorius, Ostiensis tunc episcopus, sacrum corpus humaverat, in qua parvulum foramen eminebat. Ablato siquidem lapide, cœpit odor quidam mirificus ex foramine exhalare, cujus fragrantia adstantes attoniti mirabantur, quid esset. Removeri jubent capsæ tabulam, et ecce apotheca unguentorum, paradisus aromatum, hortus rosarum, campus liliorum et violarum, ac omnium florum suavitas victa perhibetur. Bononia quondam, quod plaustra ingredientia tetrum E odorem fundant adveniente rota, fætore perfunditur; dum gloriosi Dominici sepulcrum panditur, odore omnium aromatum suavitatem vincente, purificata exhilaratur. Stupent, qui aderant, et stupore perterriti cadunt. Hinc ruunt dulces fletus, miscentur et gaudia; timor et spes in campo animæ consurgunt, moventque bella mirifica, mirifici odoris suavitatem sentientes.

** alias terrarum*

quas ad universum Prædicatorum Ordinem misit,

859 Sensimus et nos hujus odoris dulcedinem, et quæ vidimus et sensimus, hæc testamur : numquam enim, licet diutius juxta corpus eloquii portitoris sancti Dominici studiose steterimus, poteramus tanto dulcore satiari. Dulcor ille fastidium expellebat, devotionem ingerebat, miracula suscitabat. Si manu, si cingulo, si aliqua re tangebatur corpus, per tempus prolixum odor ille permanebat. Delatum est corpus ad monumentum marmoreum, cum propriis aromatibus ibidem recondendum. Spirabat odor mirificus ex corpore sancto, ostendens cunctis dilucide, quam bonus Christi odor hic esset. Celebrantur Missarum solennia ab archiepiscopo. Et quia tertius dies Pentecostes enituit : Accipite jucunditatem gloriæ vestræ gratias agentes Deo, qui vos ad F cœlestia regna vocavit, in Introitu chorus intonat; quam vocem de cœlis sonantem Fratres in sua jucunditate susceperunt. Tubæ concrepant, innumeram cereorum multitudinem populi erigunt, processiones etiam honestæ fiunt; benedictus Jesus Christus ubique resultat. Acta sunt hæc in civitate Bononiensi IX Kalendas Junii, anno gratiæ MCCXXXIII, Indictione VI, Romanæ Sedi Gregorio nono præsidente, et imperii sceptra Friderico II gubernante. Ad honorem Domini Jesu Christi, et beati Dominici servi sui fidelissimi. *Hanc epistolam transcripsi ex Nicolao Janssenio, qui in Actis* S. Dominici *lib.* 3 *cap.* 2 *illam refert, etiamsi eadem apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1233 *cap.* 9 *et* 10, *aliosque ejusdem Ordinis scriptores passim occurrat. Videtur autem tantummodo ad Fratres missa esse anno* 1234 *post peractam Sancti canonizationem, cum hic B. Jordanus de canonizatione illa meminerit, ut Echardus tomo* 1 *pag.* 99 *solerter observavit.*

et quas Bartholomæus Tridentinus

860 *Confirmationis causa huic epistolæ subnectimus ineditum hactenus testimonium Bartholomæi Tridentini, qui in supradicto codice bibliothecæ Barberinianæ*

A *berinianæ de eadem translatione hæc habet* : Translationem sancti Dominici, qui Ordinem Prædicatorum instituit, cui ipse interfui, fideliter cupio elucidare. Anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo tertio, Indictione VI, Bononiæ ad Capitulum generale multi Fratres dicti Ordinis cum piæ memoriæ magno Jordano, sancti Dominici successore, convenerunt. Crebrescebant tunc in ecclesia, ubi sanctum ejus corpus satis humiliter erat reconditum, miracula, et devotio populorum exuberabat. Vocatus est Ravennas archiepiscopus, et alii episcopi quamplures, inter quos dominus Wilhielmus, tunc Mutinensis, qui est Sabinensis Cardinalis episcopus, vir quasi Thomas miraculorum incredulus, qui tamen postea, sicut ipse audivi, testimonium perhibuit veritati.

oculato suo testimonio confirmat,

861 His ex parte Domini Gregorii fuit injunctum, ut glebam sacri corporis honestius collocarent : jacuerat enim annis fere duodecim altius terræ suffossum, et sæpius pluviæ et nivi monumentum patebat. Decimo igitur Kalendas Junii, qui tunc tertia feria post Pentecosten erat, propter nimiam multitudinem populorum nocte pontifices cum Fratribus aliquibus, et aliis devote B conveniunt, ut sibi injunctum [officium] exsequantur; instrumentis ferreis prægrandem lapidem superpositum elevant, et inveniunt cæmentum fortissimum, quod cum difficultate ejecerunt. Dein capsam ligneam inveniunt, cujus operculum removentes, tanti suavitatem odoris omnes persenserunt, acsi apotheca paradisi eructasset. Erat autem odor ille aliis odoribus fragrantia dissimilis, et ut liquido Dominici eloquii Prædicatorem pateret in agro Ecclesiæ Christi bonum odorem fuisse, videbatur odor agri pleni, cui Deus benedixit. Et merito : viola pollebat humilitatis, liliis virginitatis albescebat, vernabat rosa patientiæ in ipso. Botrum jucundæ prædicationis in calice sui regis expresserat, Salvatori unguenti apotheca exstiterat, et bonæ famæ balsamum ac nitorem conscientiæ conservaverat illibatum. Hoc etiam erat mirabile, quod non solum sacris membris aut aliis rebus proximis odor immanebat; verum sive manu sive pannis ossa tangerentur, odor diutius in iis remanebat. Mane populorum frequentia cum summa devotione acC celerat; chorus voce altisona: Accipite jucunditatem gloriæ, vestræ intonat, et cum gaudio divina peraguntur. Denique consurgunt miracula, quæ coram summo Pontifice fuerunt fidelissime comprobata, quæ etiam post Vitam beati Viri suo loco scribentur.

quibus Thomas Cantipratanus addit miraculum, ab illis omissum.

862 *Hoc loco prætermittimus minutiores istius sepulturæ ac primæ elevationis circumstantias, quæ infra in Actis et processu Bononiensi distinctius explicabuntur; sed miramur, nullam hic nec ibi occurrere mentionem miraculi, quod B. Joanni Vicentino in ea translatione contigit, ut Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 1 *num.* 9 *post alia ejusdem Beati gesta narrat his verbis* : Præterea, Fratre Ordinis Prædicatorum narrante, cognovi, dictum Fratrem Joannem venerabilem elevationi corporis Dominici cum ceteris Fratribus in Bononia interfuisse. Posito autem quodam episcopo Cardinali ex parte capitis in elevatione corporis sacri, dictus Frater Joannes positus est ad pedes. Et subito facta est mirabilis et inexcogitabilis conversio, ut ipse Frater ad caput, episcopus vero ad pedes subito videretur. Repositus est autem episcopus ad caput, et Frater ad pedes; iterumque subito conversio facta est, stupentibus universis. Quis autem dubitat, in hoc facto sancti viri merita divino judicio placuisse, qui eum in digniore parte corporis sacri episcopo prætulit collocandum? *Nunc exponamus, quo tempore et modo egregius ille religiosi Ordinis Fundator numero Sanctorum solenniter adscriptus fuerit.*

AUCTORE G. C.

§ XLVII. Legitimus Processus, et alia ad locum tempusque canonizationis spectantia.

Gregorius IX Pontifex

Quomodo Gregorius IX Pontifex ad instituendum examen de virtutibus et miraculis S. *Dominici inductus fuerit, discimus ex Flaminio, qui in Vita Sancti lib.* 3 *fol.* 66 *de hac re tradit sequentia :* Magnitudo et claritas eorum, quibus in translatione sacri corporis illustrem multo magis Sanctum suum fieri Deus voluit, movere Gregorium nonum Pontificem maximum et senatum Apostolicum, ut merito illum honore prosequerentur, et catalogo Sanctorum adscriberent. Ejus nos E rei seriem scribere non gravabimur, ut Viri sanctissimi populorum præconio celebratæ laudes sacra Ecclesiæ sanctæ approbatione et attestatione magis clarescant et illustrentur. Secutus igitur veterem in referendis in catalogum Sanctis Ecclesiæ morem, ad tantum Pontifex ipse negotium claros scientia, fide, ac omni vitæ integritate tres viros delegit. Ii autem fuere: Tancredus Bononiensis archidiaconus, Thomas sanctæ Mariæ ad Rhenum præfectus (Priorem dicebant) et Palmerius sanctæ Mariæ cognomento Campagnolæ; ut ii auctoritate Apostolica diligenter Magistri Dominici Ordinis Prædicatorum institutoris, et generalis Magistri Vitam, obitum, et miracula conquirerent.

archidiacono Bononiensi aliisque delegatis mandat,

864 *Habemus testes hujus rei ipsas Gregorii IX litteras, quibus hic Pontifex* archidiacono Bononiensi *et ceteris ad id delegatis mandat,* ut inquirant de miraculis Fratris Dominici, plantatoris Ordinis Fratrum Prædicatorum. *Porro has litteras non invenimus, nisi apud Joannem a sancta Maria, qui in Actis* S. *Dominici lib.* 4 *cap.* 20 *illas vitiose exhibet; et quas propterea ex conjectura utcumque emendare conati sumus. Apud ipsum au-* F *tem loco citato sic sonant* : Visibilium et invisibilium Conditor cunctipotens et æternus, etsi gratis multorum perpetuitate bonorum populum reficiat, quem plasmavit, illum tamen gratorum*, et suæ salutis effectibus [aptiorem reddit, si] sint votiva *; prout probat inspectio florum amœna recentium, et exhibet perceptio fructuum gratuita novellorum. Igitur ad æternas delicias fidelibus exponendas, ad dandum gentibus fidei, spei et charitatis augmentum, ad dirigendos in viam pacis et charitatis æternæ pedes in tenebris et mortis umbra sedentium, solis et lunæ mirificus Operator in cœlesti solio nova produxit lumina, lucis inexstinguibilis emissiva, per quæ cordibus devotorum, quærentium luminis ineffabilis lucidissimas mansiones immensitas exultationis diffunditur, et alia infinita beneficiorum genera conferuntur. Porro lætantur plures hujus præsentia temporis solam stellam in die prospicere, qui decursæ noctis tempore innumeras se recolunt inspexisse. Gaudebant et Magi fulgorem siderum, quæ ab initio Dei sapientia fecerat, intueri; sed spectantes stellam novam in Oriente, Regis novi nuntiam, gaudio inexplicabili sunt

* *forte* gratiarum

* *lege* nova

perfusi,

AUCTORE G. C.

perfusi. Exultet nimirum et sancta mater Ecclesia, cum in ejus fulgido firmamento, diversis Sanctorum splendoribus illustrato, fulget de novo sidus conspicuum, singularis et præcellentis luminis ostensivum, per quod ignorantium Dominum tenebræ propelluntur, per quod hæreticorum perversum dogma confunditur, et fidelium beata credulitas adaugetur.

ut inquirant in miracula S. Dominici,

865 Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolendæ memoriæ Frater Dominicus, plantator Prædicatorum Ordinis et Magister, divina misericordia favente, aggregatus existat collegio Supernorum, gloriam concessæ beatitudinis signis exprimens gloriosis : nam circa sepulcrum ejus et locis aliis, per invocationem sui nominis et devotionis sinceræ suffragia, complura miracula circa multos mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum etsi per virtutum insignia, quibus olim memoratus Frater exstitit multiformiter insignitus, seu per pretiosa miracula, quibus ejus sancta rutilare dicitur sepultura, cœlestis sponsæ vocibus de Sanctorum esse numero debeat affirmari, tamen quia mentibus ambiguis B subito rei veritas non clarescit, et repentinis non solet miraculorum relatibus quorumdam spiritus exultare, eo quod omne rutilum, nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niveum imitatur; Nos, quos providentia præambula docet festinos in certis, et lentos in dubiis inveniri, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, mandamus, quatenus provide attendentes, quod lux vera Sanctorum Dominus Jesus Christus signis publicis, et prodigiis evidentibus trepidantium discipulorum pectora roboravit, mentes eorum rutilas de resurrectionis admiranda gloria expressæ certitudinis clarificans fulcimentis, vitam et conversationem præfati Fratris, quibus Deo et hominibus noscitur placuisse, nec non miracula, quæ auctore Deo, de sui corporis sanctitate procedunt, habita præ oculis sola divinæ reverentia majestatis, per testes idoneos studeatis inquirere, cauta diligentia et solicitudine vigilanti ; quæ in scriptis redacta sub sigillis vestris fideliter conservetis, illa Nobis, postquam mandatum Apostolicum receperitis, per fideles et solennes nuntios transmissuri. Datum Laterani III Idus Julii, anno VII *Pontificatus Gregorii IX, seu* C *Christi* 1233. *Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1233 *num.* 39 *recitat quoddam hujus epistolæ fragmentum, ex quo correximus prorsus vitiosam ejusdem epistolæ clausulam, quam Joannes a sancta Maria misere luxaverat, aut luxatam invenerat, sicut etiam satis patet ex initio, quemadmodum ex uncis et marginali nostra emendatione ibidem colligi potest.*

quorum severum examen Bononiæ

866 *Ceterum isti, quibus hoc examen a Pontifice commissum erat, mandata Apostolica exsecuturi, monuerunt F. Venturam, Priorem cœnobii Bononiensis, ut de mediis ad promovendum negotium sibi injunctum deliberaret. Hic statim convocavit Capitulum, in quo statutum est, ut ea res legitime perageretur, quemadmodum Flaminius in Actis proxime laudatis fol.* 66 *verso testatur hac narratione :* Ventura, qui monasterio Prædicatorum sancti Nicolai Bononiæ præerat, et patrum monasterii collegium, quod Capitulum vocant, huic negotio legitimum procuratorem Philippum Vercellensem præfecere, qui de diversis locis patres Ordinis vocaret, qui vitam et Acta beati Dominici, quod cum eo vixissent, optime noverant. Is ex omni numero novem delegit viros, sacerdotio, gravitate ac vitæ sanctitate insignes, ac omnium D fide dignissimos, qui beato Dominico familiarius usi fuerant, qui jurejurando promiserunt, se vere ac sincere testimonium de vita et gestis illius dicturos. Illorum autem nomina hæc sunt: Ventura Veronensis, monasterii præfectus, ut modo diximus ; Guillielmus Montiferratensis ; Amizus Mediolanensis; Bonvisus; Joannes Hispanus; Rodulphus Faventinus; Stephanus provincialis Magister; Paulus Venetus; Frigerius Pennensis. Adducti igitur hi a Philippo, quem diximus, procuratore in conspectum trium illorum, qui auctoritate Apostolica delecti ad hoc inquisitionis negotium fuerant, virorum, singuli quidem indicto prius jurejurando interrogati super vita, obitu et miraculis sancti Viri sic, ut infra relaturi sumus, responderunt. *Deinde Flaminius refert jurata illa testimonia, quæ etiam Joannes a sancta Maria Actis* S. Dominici *lib.* 4 *post caput* 21 *Latine inseruit; sed cum testimonia ista ibi interpolata sint, ut Echardus tomo* 1 *pag.* 2 *monet, primigenio et authentico stylo eadem inferius repræsentabimus.*

ac Tolosæ institutum est,

867 *Neque solum Bononiæ hæc inquisitio instituta est; verum etiam delegati illi in Galliam et* E *forte alias regiones, in quibus Sanctus aliquamdiu commoratus fuerat, litteras miserunt. Certe scripserunt ad Tolosanos, ut patet ex titulo, quem verosimiliter Bernardus Guidonis apud Echardum tomo* 1 *pag.* 56 *Processui Tolosano præfixit in hunc modum :* Exemplum epistolæ, quam miserunt quidam abbas et duo archidiaconi de Tolosa venerabilibus viris magistro Tancredo archidiacono Bononiensi et D. Thomæ Priori sanctæ Mariæ de Reno, et Fratri Palmerio de Campagnola, a Sede Apostolica delegatis super examinatione vitæ beati Dominici, de his quæ invenerunt et audierunt ab his, qui conversati sunt cum prædicto Viro Dei, sicut inferius continetur. *At quisquis sit auctor hujus tituli, ex ipso ejusdem epistolæ initio constat, ab inquisitoribus Bononiensibus litteras in hanc rem datas fuisse ad Tolosanos, ut post hunc Commentarium apparebit.*

sicut ex instrumentis postea edendis patebit.

868 *Hunc brevem Processum Tolosanum, sive responsorias subdelegatorum Tolosatium litteras, infra recudemus ex Echardo, apud quem tomo* 1 *pag.* 58 *Bernardus Guidonis, ni fallimur, authenticis testimoniis hanc clausulam addidit :* In fine autem hujus litteræ posita erant ultra trecenta F nomina virorum et mulierum sub juramento testificantium supradicta, inter quos erant multi Religiosi et presbyteri, et clerici et sanctimoniales et aliæ personæ honestæ et fide dignæ. Sed et super hæc omnia de his omnibus in partibus illis, in quibus fuerat commoratus, erat tunc publica vox et fama de sanctitate et virtutibus ejus, sicut patet in littera, sigillorum prædictorum dominorum munimine roborata. *Hoc instrumentum Tolosanum, quod post Processum Bononiensem infra sub titulo Epistolæ authenticæ edemus, singularia nonnulla continet, quæ Ferdinandus de Castillo, Malvenda, Joannes a sancta Maria, aliique Actorum collectores non viderunt.*

Miraculis S. Dominici rite probatis,

869 *Omnibus itaque severe discussis ac juridice peractis, Gregorius IX solenniter catalogo Sanctorum adscripsit* Dominicum, *quem adhuc viventem optime noverat, et de cujus virtutibus ac miraculis tam certam opinionem conceperat, ut Stephanus Salanhacus apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1234 *cap.* 2 *de eodem Pontifice narret sequentia :* Dominus quoque Gregorius, Papa nonus, qui eum catalogo Sanctorum adscripsit, sanctitati ejus testimonium perhibens,

A bens, cum de ipso canonizando coram ipso et Cardinalibus tractaretur, adeo parum de ipsius sanctitate dubitare se dixit, sicut de sanctitate Petri et Pauli. *Igitur Pontifex ille, processibus mature expensis, egregium hunc Virum et præclarum Ordinis Fundatorem, in numerum Sanctorum retulit singulari bulla, quam hic transcribere non est necesse, cum Theodoricus de Appoldia eamdem Actis* S. Dominici *inseruerit. Nos postea illam conferemus cum Codice canonizationum, quem illustrissimus Fontaninus nuper Romæ edidit, et occurrentes majoris momenti discrepantias in margine vel in Annotatis observabimus.*

Gregorius IX Papa ipsum numero Sanctorum adscripsit;

870 *At profecto mirum est, auctores veteres et recentiores in re tam publica, qualis est hæc* S. Dominici *canonizatio, inter se de loco et tempore datæ bullæ non convenire : nam venerabilis Humbertus in Chronico apud Echardum edito, et nostro Ms. codice hæc tradit :* Anno Domini MCCXXXIII translatum est corpus beati Dominici ad locum honorabiliorem, et eodem anno est Sanctorum catalogo aggregatus apud Perusium, per Papam Gregorium nonum; in quo tempore tanta gratia B prædicationis et mirabilium per Fratres diffusa est in Lombardia et alibi per Fratres inde venientes, quod totus mundus fere ex auditu stupebat. *Vides, hic ab Humberto canonizationem* S. Dominici *collocari in Urbe Perusina, et affigi eidem anno* 1233, *quo sacrum illius cadaver honorifice translatum est. Theodoricus de Appoldia inferius in Actis num.* 311 *eumdem locum et annum exprimit; at postea num.* 371 *ipsam canonizationis bullam* Spoleti v Kalend. Septembris *datam exhibet.*

sed de loco,

871 *Quod attinet ad locum, circa quem varii eorumdem auctorum codices differunt, Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1234 *cap.* 1 *diversas de illo opiniones sic refert :* De loco vero, ubi canonizatio beati patris Dominici facta est, hæsitatio quoque inest. Theodoricus, Susatus, Flaminius Perusii factam existimant; sanctus Antoninus Spoleti; Castillus Romæ; Humbertus *(hic apud nos illam Perusii collocat, ut jam vidimus)* Martinus Polonus, Bernardus Guido, et alii Reate; et hæc est veritas. Ambiguitas inde partim nata, quod diploma ipsum Pontificium canonizationis sub diversa loci, ubi datum fuit, nota C consignatum in variis exemplaribus circumferatur. *Nos cum Malvenda, aliisque probabilius putamus, illam canonizationis bullam in urbe Reatina datam esse : nam præter alios hujus opinionis nostræ assertores, in ipsa Gregorii IX bulla, quam reverendissimus Magister Vincentius Bandellus anno* 1505 *post Constitutiones Prædicatorum edidit, sic in fine notatur :* Datum Reate III Idus Julii, pontificatus nostri anno octavo. *His adde Sebastianum Perusinum ex Ordine Prædicatorum, qui in Vita B. Columbæ Reatinæ apud nos tomo* 5 *Maii pag.* 321* *patriam ejus laudat, et ea occasione ibidem in rem nostram sic scribit :* Ibidem canonizatus fuit sanctus Dominicus a Gregorio IX, relatusque catalogo Sanctorum. *Hæc dicta sufficiant circa locum, qui ex infra dicendis confirmabitur.*

anno

872 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum loco proxime citato illos auctores, qui canonizationem* S. Dominici *anno* 1233 *affigunt, recte impugnat his rationibus :* At valida nimis sunt argumenta, *inquit*, quæ nos, ut hoc anno MCCXXXIV potius factam beati Viri canonizationem existimemus, inducunt. Primum fatentur omnes, post translationem sancti Dominici cœptum agi de ejus canonizatione; scilicet magna signa et prodigia, quæ D in translatione sacri corporis contigere, permovere Pontificem, ut in diversis orbis provinciis, auctoritate Apostolica juberet fide publica inquiri de sanctitate et miraculis Viri Dei. At dum mittitur in longe dissitas partes, dum perquiruntur, discutiuntur, excipiuntur testimonia, dum formantur Processus, et ad Pontificem remittuntur; dum in curia iterum examinantur et comprobantur, quis dicet, non nisi unum mensem interfluxisse? Cum translatio sancti Dominici facta fuerit XXIV Maii, litteræ autem Apostolicæ canonizationis ejusdem datæ procul dubio sint tertio Idus Julii, ut mox videbimus. Deinde ipsa canonizationis bulla, disertissime in autographo Vaticano Registri Gregorii noni, et in cunctis sinceris, quæ videre potuimus, exemplaribus data legitur anno octavo Pontificatus Gregorii IX, tertio Idus Julii.

ac die canonizationis

873 *De loco et anno cum Malvenda consentimus; sed superest quæstio circa diem canonizationis, quem ille in omnibus sinceris bullæ exemplaribus* tertio Idus Julii *signari existimat. Attamen Bernardus Guidonis in libello de Magistris Ordinis Prædicatorum apud Edmundum Martene tomo* 6 E *collectionis amplissimæ col.* 404 *haud dubie ex antiquioribus monumentis locum et tempus canonizationis diserte indicat his verbis :* Hunc beatum patrem Dominicum præfatus dominus Hugolinus, episcopus Ostiensis, post mortem Honorii III factus Papa, et Gregorius IX appellatus, canonizavit, et Sanctorum catalogo annotavit apud Reatam, civitatem Tusciæ, v Nonas Julii, anno Dominici MCCXXXIV, Pontificatus ipsius Gregorii Papæ noni anno VIII, et a felici ejus transitu anno XIII. *Cum hac die convenit Bullarium Romanum Laërtii Cherubini, et Codex canonizationum, quem illustrissimus Fontaninus anno* 1729 *Romæ vulgavit.*

inter veteres auctores et diversos Mss. codices non convenit.

874 *Quamvis Bernardus Guidonis alibi alium canonizationis diem assignet, tamen Echardus huic ipsius lectioni adhærendum putat, et tomo* 1 *pag.* 70 *in notis ab opinione sua dissentientes ita oppugnat :* Omnes tamen hactenus relatos fatendum est, rem ad unguem non attigisse, quamvis ultimi ad veritatem propius accesserint. Certissimum itaque habeat lector, beatum Dominicum Sanctorum fastis inscriptum, Reate, anno MCCXXXIV. F quinto Nonas Julii, Pontificatus VIII : sic enim habet bulla ejus ætatis authentica, sigillo plumbeo firmata, et apud nostros Tolosanos servata. Sic antiquum Bullarium Ordinis apud eosdem servatum Ms. in membr., in quo eædem litteræ Apostolicæ integræ transcriptæ. Sic etiam eædem ibidem tertio habentur ad calcem Vitæ beati Dominici per B. Humbertum V Ordinis Magistrum concinnatæ. Odoricus Rainaldus, qui easdem refert ad MCCXXXIV num. 24 et 25 haud dubie ex ipso Gregorii IX registro datas prodit REATE, QUINTO NONAS JULII, ANNO PONT. VIII. Hanc eamdem epocham confirmat Stephanus Salanhacus, æqualis, et jam anno MCCXXVIII Ordini adscriptus, in suo de rebus Ordinis opere, quod bis habetur Ms. Tolosæ apud nostros in duobus variis Bernardi codicibus Mss : in utroque enim legitur bulla data REATE, V NONAS JULII, PONTIF. VIII. Verum est, in alio ejusdem operis codice seorsim scripto legi III NONAS JULII; sed non dubium, quin sit notarii erratum : nam codicem illum non ita esse accuratum, aliunde mihi perspectum est, ut alibi moneo. *Deinde citat emendatiorem Bernardi Guidonis textum, quem nos jam supra retulimus.*

875

AUCTORE G. C.

Pagius putat, festum S. Dominici non fuisse celebratum die ejus emortuali,

875 *Hæc Echardi sententia confirmari potest ex Francisco Pagio, qui in Breviario Romanorum Pontificum tomo* 3 *pag.* 273 *eumdem canonizationis diem assignat, et simul de celebranda* S. Dominici *annua festivitate sic disserit :* Sequenti anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto idem Gregorius Pontifex, fama miraculorum sancti Dominici Prædicatorum institutoris excitatus, præmissa anno antecedenti debita miraculorum inquisitione, Cœlitum fastis eum etiam adscripsit, de quo gravissimas litteras ad ecclesiarum prælatos dedit REATE V NONAS JULII, ANNO VIII Pontificatus, ideoque anno MCCXXXIV. Obierat sanctus Vir anno vigesimo primo supra millesimum ducentesimum Bononiæ, et quidem die sexta Augusti; ait enim Pontifex in iis litteris : « Statuentes firmiter, et universitati vestræ præsentibus injungentes, ut Nonis Augusti ante diem, quo, posita carnis sarcina, dives meritis penetravit in sancta, similis Sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, et faciatis solenniter celebrari. » Ex quo conjicere est, festum sanctæ Mariæ ad Nives non fuisse tunc solemniter celebratum, vel ejus celebrationem fuisse intermissam, si verum est, quod scribit Raynaldus anno MCCXXIII num. 22, Honorium scilicet Papam jussisse illud agitari : cum enim Pontifex sancti Dominici solemnitatem celebrari præceperit die quinta Augusti, quæ immediate præcesserat diem ejus obitus, qui concurrebat cum solemnitate Transfigurationis Domini, evidens est, diem quintam Augusti non fuisse solemnem ob festum sanctæ Mariæ ad Nives; alioquin Gregorius ad alium diem transtulisset sancti Dominici festivitatem, quam ad diem ante ejus obitum retraxisse videtur, quia mortis ejus dies sacer erat Transfigurationi Domini, quod festum longe ante hæc tempora celebratum ostendemus in Callisto III.

B

quia hæc impediebatur festo Transfigurationis

876 Nec dici potest cum Baronio in notis ad Martyrologium Romanum, ideo Gregorium IX statuisse, ut sancti Dominici solemnitas die quinta Augusti in Ecclesia ageretur, quia eo die relatus est inter Sanctos : ex sententia enim ipsius Baronii Sanctorum catalogo adscriptus est Dominicus anno octavo Gregorii IX, ideoque anno MCCXXXIV, et litteræ canonizationis datæ sunt Reate v Nonas Julii, et consequenter ante diem quintam mensis Augusti. Nulla itaque alia hujus rei mihi videtur posse assignari causa, quam mox a nobis assignata ; quod scilicet cum dies mortis Dominici concurreret cum festo Transfigurationis Domini, Pontifex ejus solemnitatem fieri præcepit die ejus obitum antecedente, nempe quinta Augusti, quæ ideo non erat impedita festo sanctæ Mariæ ad Nives. Ex quo et inferri potest, longe post hæc tempora festivitatem sanctæ Mariæ ad Nives in universa Ecclesia fuisse celebratam, et ideo Paulum IV festum sancti Dominici retraxisse ad diem quartam Augusti, quia tunc dies quinta ejusdem mensis coincidebat cum solemnitate sanctæ Mariæ ad Nives, quæ in universa Ecclesia agebatur. *Ecce hic paucis ea, quæ auctor anonymus fuse deducit in dissertatione impressa, quam præ manibus habemus, et qua demonstrare nititur, annuam* S. Dominici *festivitatem die* IV *Augusti ab omnibus ubique celebrandam esse.*

C

quam rationem refellit Echardus,

877 *Sed Echardo hic displicet argumentum, quo Pagius contendit, festum Transfigurationis Domini tunc obstitisse, quo minus annua* S. Dominici *festivitas die ejus emortuali, sive sexta Augusti, celebraretur. Quapropter laudatus Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 46 *in notis tacite Pagium, aliosque ejusdem opinionis propugnatores, refellit his verbis :* Obiter animadverte, *inquit,* speciatim ab eo *(nimirum Fratre Ventura, qui in Processu Bononiensi de gestis et virtutibus sancti sui Fundatoris testimonium reddit)* notari festum sancti Sixti, non festum Transfigurationis; quia scilicet festum Transfigurationis etsi jam in quibusdam ecclesiis celebraretur, non tamen ea ætate in Ecclesia Romana, nec in Ordine : neque enim in Kalendariis nostris seculi XIII et sequentis XIV annotatur. Falluntur ergo, qui hactenus putarunt, festum beati Dominici ab octavo Idus ad Nonas Augusti a Gregorio IX translatum ratione festi Transfigurationis, cum nonnisi ob festum sancti Sixti, summi Pontificis et martyris, id factum fuerit : seculo vero XVII ob festum sanctæ Mariæ ad Nives a Nonis Augusti ad pridie Nonas a S. P. Clemente VIII *(Pagius supra id Paulo IV Pontifici tribuit)* rursus est translatum. Festum vero Transfigurationis Calixtus III primus per totam ecclesiam Latinam jussit celebrari ob insignem victoriam sexta Augusti de Turcis reportatam anno MCCCCLVI.

D

E

cujus argumentatio nobis hactenus probabilior videtur.

878 *Istud Echardi ratiocinium nobis valde probabile videtur, quamvis Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1457 *num.* 73 *circa institutionem ejusdem festivitatis notet sequentia :* Hoc anno Callistus ad memoriam divinitus concessæ Christi fidelibus anno superiori victoriæ recolendam, ecclesiasticum de Transfiguratione Domini in monte Thabor diem festum agi jussit sexta Augusti die, recurrentibus in posterum singulis annis, celebrandum : quod ab eodem Pontifice conceptum testatur Platina ac promulgatum, propositis iisdem indulgentiarum præmiis, quæ in sacra Corporis celebritate sunt concessa. Porro festivitas non tam instituta, quam instaurata a Callisto fuit, cum eam longe ante hæc tempora celebratam in suis ad Martyrologium Romanum notis adjectis ostendat Cardinalis Baronius ex vetustissimis cum Græcorum tum Latinorum monumentis, ex quibus eorum error refellitur, qui festum hoc a Callisto III primo institutum affirmarunt. *Certe Wandelbertus, qui seculo IX floruit, ad diem sextam Augusti de Transfiguratione Domini meminit, ut in Usuardo nostro illustrato ad eamdem diem videre est. At probare oportet, festum Transfigurationis in universa Ecclesia, aut saltem in Italia, antiquitus isto die celebratum fuisse, ut lis illa secure decidatur. Cum igitur Pagius supra promiserit, sese majorem hujus festivitatis antiquitatem ostensurum in Callisto III, ad quem in edito hactenus Breviario Romanorum Pontificum nondum pervenit, claram hujus rei probationem ab ipso exspectabimus, et interea ad celeberrimum Sancti nostri cultum pergemus.*

F

§ XLVIII. Sancti cultus diversimode propagatus et auctus.

Anno 1234 cœpit publica S. Dominici veneratio

Anno Christi 1234 *post solennem* S. Dominici *canonizationem statim festivitas ejusdem Sancti non sine cœlesti revelatione celebrari cœpit, ut Stephanus de Salanhaco, testis oculatus, apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad eumdem annum* 1234 *cap.* 5 *narrat his verbis :* Anno Domini

Auctore G. C.

mini MCCXXXIV, die hac beati Patris solemnitatem primariam præcedente, contigit, me obvium habere in Tolosa devotum virum Fratrem Aymericum de Solemniaco, monachum Cisterciensis Ordinis, cum multis monachis de Grandi-Silva; quem, quia antiquus socius et fidelis amicus beati Dominici fuerat in domo Fulconis episcopi Tolosani, instanter rogavi, quod ad festum veniret in crastino celebrandum. Qui exultans in spiritu (spiritualis enim vir erat et sanctus) dixit : Omnipotens Deus gratias ago tibi, quia glorificas servum tuum Dominicum, quia per totam noctem fui per spiritum in visione cum eo, et more solito post caritativa oscula, post divina colloquia mutuo habita, obnixe rogabat, et omnimode injungebat, quod hodie ad domum filiorum suorum venirem, et suæ curiæ interessem : solemnis enim futura erat valde. Et ecce veniam læto animo, et adero cum gaudio et exultatione. In crastina venit cum multis, et munera orationum et laudum obtulit, honorans Deum in Sancto suo.

quam B. Jordanus auxit,

880 *Circa idem tempus B. Jordanus venerationem ac devotionem suam erga* S. Dominicum *prodidit, composita in illius honorem piissima oratione, de qua Malvenda in laudatis Annalibus Prædicatorum ad annum* 1237 *cap.* 25 *sic meminit* : Illud quoque scitu dignum, beatum Jordanem singulari affectu dilexisse sanctum patrem Dominicum adhuc viventem, et post mortem incredibili erga eumdem devotione et amore flagrasse ; unde auctor exstitit piissimæ illius orationis, cujus initium est : SACERDOS DEI SANCTISSIME, CONFESSOR ALME, etc., in qua miram dilectionem et affectum erga charissimum Parentem ostendit : quæ sane Dominicanis Fratribus assidue est merito recitanda. *Usus tam piæ orationis non tantum Fratribus Prædicatoribus, sed omnibus Christi fidelibus suadendus est. Certe ego, ne turpissimum ingrati animi vitium incurram, de memet ipso testari cogor, hanc orationem mihi plurimum profuisse : cum enim in difficili ac pertinaci morbo, qui me non ita pridem corripuit, eamdem quotidie per duos fere menses magna fiducia recitassem, animum ad tolerandas morbi molestias alacriorem sensi, et paulatim ita vires recuperavi, ut huic Commentario, tunc cœpto, finem imponere potuerim. Etsi in ea re nullum sit miraculum, tamen libens agnosco beneficium, cujus ne videar immemor, illam orationem ad honorem* S. Dominici, *et communem omnium fidelium usum, hic transcribere non gravabor.*

composita in ejus honorem pia oratione,

881 *Nicolaus Janssenius in Vita* S. Dominici *lib.* 3 *cap.* 5 *illam sic exhibet :* Sacerdos Dei sanctissime, confessor alme, et prædicator egregie, beatissime Pater, sancte Dominice, virgo electe a Domino, et super omnes in diebus tuis placens atque dilecte; vita, doctrina, miraculis gloriose, quem apud Dominum Deum nostrum gratiosum advocatum habere gaudemus; ad te, quem inter Sanctos et electos Dei devotione præcipua veneror, de profundis clamo in hac valle miseriæ. Adesto, quæso, piissime, peccatrici animæ meæ, omni virtute et gratia destitutæ, multisque vitiorum et peccatorum maculis involutæ : adesto miseræ et infelici animæ meæ. O benedicta et beata anima Viri Dei, quam tanta benedictione ditavit gratia divina, ut non solum te ad beatam requiem, tranquillam sedem et cœlestem gloriam sublimarit, sed et alios quoque innumerabiles ad eamdem beatitudinem tam laudabili vita traxerit, dulci admonitione incitarit, suavi doctrina instruxerit, et ferventi prædicatione provocarit : adesto igitur, beate Dominice, et inclina aurem pietatis tuæ ad vocem supplicationis meæ. Ad te confugiens pauper ac mendica anima mea tibi se prosternit, qua humili mente potest, tibi sese conatur languida præsentare, tibi moribunda, quantum valet, supplicare flagitans, ut potentibus meritis et piis precibus tuis eam digneris vivificare atque sanare, et benedictionis tuæ dono copioso replere. Scio namque et vere scio, et certus sum, quod potes; confido ex magna charitate tua, quod voles, et spero ex immensa misericordia Salvatoris, quod apud eum, quidquid volueris, efficies. Spero utique ex magna tua familiaritate, quam habes cum dilectissimo tuo et ex millibus electo Jesu Christo, qui tibi nihil negabit: sed apud eumdem, quamvis Dominum et Deum, tamen amicum etiam tuum, quidquid volueris, obtinebis : quid enim dilecto suo negare poterit tam dilectus? Quid non dabit illi, qui, postpositis omnibus, se ipsum et sua omnia ipsi dare non dubitavit?

qua devotionem erga suum Fundatorem prodit,

882 Sic utique didicimus, sic te laudamus et veneramur. Tu, ætate adhuc florente, virginitatem tuam specioso virginum Sponso dedicasti. Tu candidatus fonte sacro, et decoratus Spiritu sancto, animam tuam castissimo amore Regi regum devovisti. Tu jam pridem regularibus disciplinis instructus, ascensiones in corde tuo disposuisti. Tu de virtute crescens in virtutem, de bono semper in melius profecisti. Tu corpus tuum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibuisti. Tu institutione divina formatus, te ipsum totum Deo sacrasti. Tu viam denique perfectionis agressus, relictis omnibus, nudus nudum Christum sequens, thesaurizare magis in cœlestibus, quam in terra elegisti. Tu vehementius te ipsum abnegans, crucemque tuam viriliter bajulans, Redemptoris nostri, veri utique ducis, sequi vestigia studuisti. Tu zelo Dei et superno igne succensus, propter nimiam charitatem tuam, in vehementi spiritus fervore et paupertatis voto, perfectissimæ adeoque apostolicæ Religioni temetipsum totum impendisti, et ad hoc opus, alto jam dudum consilio providente, Ordinem Prædicatorum instituisti. Tu per orbem terrarum gloriosis meritis et exemplis tuis sanctam Ecclesiam illuminasti. Tu relicto tandem carnis ergastulo, ad supernam sumptus curiam, cœlum gloriosus ascendisti. Tu, prima jam decoratus stola, advocatus noster ad Deum accessisti.

et quam ad majorem Sancti gloriam hic transcripsimus.

883 Te ergo quæso, mihi et omnibus charis meis, imo universo clero et populo, nec non et devoto femineo sexui subveni, qui salutem humani generis tanto zelo desiderasti : tu enim præ cunctis Sanctis post beatam virginum Reginam spes mea et dulce solatium; tu singulare mihi refugium. Intende igitur propitius in meum auxilium : ad te namque unum confugio, ad te solum audacter accedo, ad tuos pedes me prosterno, te patronum supplex invoco, te imploro, et tibi devote me commendo. Tu suscipere et custodire, tu protegere et adjuvare me, quæso, digneris propitius, ut tuo interveniente præsidio desideratam Dei gratiam obtinere, misericordiam invenire, et præsentis denique atque futuræ vitæ remedia ad salutem merear impetrare. Sic sic Magister obtine, sic fiat, dux inclyte et pater alme, beate Dominice. Sic mihi, precor, adsis, et omnibus te invocantibus; esto nobis vere Dominicus, hoc est Dominici gregis custos assiduus.

Custodi

AUCTORE G. C.

Custodi nos semper et guberna tibi commissos, nos emenda, emendatos Deo reconcilia, et cum gaudio post hoc exsilium nos repræsenta benedicto Domino et dilecto altissimo Dei Filio, Domino nostro Jesu Christo, Salvatori nostro, cujus honor, laus et gloria inenarrabilis, gaudium et beatitudo perpetua cum gloriosa virgine Maria, et universa civium supernorum curia sine fine manet in sempiterna seculorum secula. Amen. *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 99 *eamdem orationem inter opuscula B. Jordanis recenset, additque, illam insertam fuisse Breviario Prædicatorum, quod anno* 1492 *in urbe Veneta excusum est, ut ea in festo* S. Dominici *pro sex primis Matutinarum lectionibus recitaretur.*

Prædicatores ad varias mundi plagas missi,

884 *Haud dubie Prædicatores, ad varias mundi regiones transgressi, una cultum sanctissimi Fundatoris sui in eas invexerunt : nam apud Edmundum Martene tomo* 7 *Collectionis amplissimæ col.* 132 *Constitutiones episcopi Sabinensis, quæ anno* 1239 *in concilio Tarraconensi confirmatæ sunt, festivitatem* S. Dominici *solemniter celebrandam præscribunt. Sic etiam apud Harduinum nostrum* B *tomo* 7 *Conciliorum col.* 346 *in synodo Wigorniensi, quæ anno Christi* 1240 *celebrata est, decreto* 54 *legimus sequentia :* Festa autem sanctorum Dominici et Francisci in ecclesiis cum novem lectionibus volumus super hoc celebrari; nolumus tamen per hoc opera laïcorum fidelium impediri. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1251 *num.* 3 *ad rem nostram scribit, Innocentium IV Pontificem eo anno venisse in civitatem Ferrariensem,* in qua ædes duas recens constructas unam Fratrum Prædicatorum, alteram Minorum consecravit, atque illam divo Dominico, hanc divo Francisco dicavit. Itaque ab illo tempore civitas hos Divos tutores sibi apud Deum constituit. *Nolo hic enumerare Beneventum, Neapolim, aliasque civitates, quæ singulari devotione sese in clientelam* S. Dominici *contulerunt, eo quod ista patroni electio vel recentior sit, vel determinatum illius tempus ignorem.*

ac ipsi Pontifices Romani

885 *Porro cultum* S. Dominici *propagarunt ipsi Pontifices Romani, inter quos Alexander IV apud Edmundum Martene tomo* 1 *Thesauri Anecdotorum col.* 1063 *Cisterciensibus ita scribit :* Alexander C episcopus servus servorum Dei, dilecto filio abbati Cistercii, ac generali Capitulo Cisterciensis Ordinis salutem et Apostolicam benedictionem. Licet Apostolica Sedes per justum et meritorium judicium beatum Dominicum confessorem, institutorem Ordinis Fratrum Prædicatorum, et beatum Petrum martyrem ejusdem Ordinis catalogo adscribens Sanctorum, per universos mandaverit eorum festa solemniter celebrari; vos tamen occasionem sumentes ex eo, quod id vobis specialiter non exstitit demandatum, Sanctorum ipsorum festa solemnitate debita, ut dicitur, minime celebratis. Hinc est, quod universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes, quod Sanctorum meritis inclyta gaudia illi procul dubio assequuntur, qui eum venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est et retributio meritorum, per universum Ordinem vestrum prædictorum Sanctorum festivitates celebrari solemniter faciatis, juxta quod per Sedem eamdem pie noscitur ordinatum. Datum Anagniæ XII Cal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo. *Hic primus Alexandri IV annus cum anno Christi* 1255 *concurrit.*

886 *Clemens IV Pontifex anno Christi* 1266 *annuam ejusdem sanctissimi Viri festivitatem solemniter celebrari præcepit, datis ad præsules Lusitanos litteris, quæ apud laudatum Edmundum Martene in Thesauro Anecdotorum tomo* 2 *col.* 294 *et sequente sic sonant :* Clemens episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus archiepiscopo Bracharensi, et episcopis per regnum Portugaliæ constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem. De meritorum excellentia, quibus BB. Dominicus confessor et Petrus martyr Ordinis Fratrum Prædicatorum claruerunt in hujus mundi tenebris sub vitæ studio innocentis, processisse dignoscitur, quod eos Sedes Apostolica post felicem eorum obitum adscripsit catalogo Beatorum, festa Confessoris et Martyris eorumdem celebrando solemniter annuatim ad illius gloriam et honorem, qui utrique ipsorum diversis illustrato miraculis contulit præmia perpetuæ claritatis, sicut ad generalem notitiam cunctorum Christi fidelium a multis annis præteritis pervenisse credimus multis modis, et præcipue per supradictum Ordinem, quem scilicet præfatus Confessor, illectus amore cœlestium cum despectione omnimoda terrenorum, per inspirationis divinæ gratiam adinvenit, quemque memoratus Martyr, tamquam vir in divinæ legis meditatione sedulus, et in operibus bonis assidue studiosus, diligenter et constanter observans, tandem pro defensione Catholicæ fidei, martyrii palmam meruit adipisci.

D *late propagarunt*

E

cultum S. Dominici,

887 Cum itaque res tam celebris et solemnis vobis et ceteris fidelibus regni Portugaliæ non inculta vel incognita, sed modis omnibus debeat esse reverenda, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, ac in remissione peccaminum injungentes, quatenus festum Confessoris ejusdem Nonis Augusti, ac solemnitatem præfati Martyris tertio Calendas Maii diebus videlicet, quibus iidem Sancti, absolutis mortis vinculis, ad perennis vitæ delicias pervenerunt, celebretis annis singulis, et ab universis vestris subditis præfati regni celebrari cum debita reverentia faciatis, ipsorum festa in vestris et illorum calendariis conscribi nihilominus procurantes, ut id vobis de thesauris cœlestibus eorum pia intercessione perveniat*, quod uterque ipsorum, præstante Dei Filio, percepisse dignoscitur, et possidere perpetuo gloriatur. Datum Perusii XIII Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo. *Quamvis Clemens Papa in hac epistola innuat,* S. Dominicum *obiisse* Nonis Augusti, *tamen in fine* §§ 44 *et* 47 *ex Gregorio IX Pontifice, aliisque auctoribus retulimus, sanctum illum Confessorem* octavo Idus Augusti, *seu die sexta istius mensis, ex hac vita migrasse.*

* *forte proveniat.*

F

qui potissimum viget Bononiæ.

888 *Etsi jam ubique terrarum vigeat veneratio* S. Dominici, *tamen ea celeberrima est Bononiæ in Italia, ubi sacrum ejus corpus quiescit, ut Nicolaus Janssenius in Vita ejusdem Sancti lib.* 3 *cap.* 4 *testatur his verbis :* Clarior enimvero exstitit beatus Pater in dies, perque omnium aures diffusa est gloria miraculorum, quibus eum Omnipotens magis magisque inclarescere voluit. Hinc certatim ad monumentum ejus accedere ægri pariter et sani : illi quidem, ut levamen acquirerent morbo; isti ut pericula fors imminentia discuterent. Alii in hoc laborabant, uti circa et ad sepulcrum egregia cum primis ornamenta certarent. Unde advecta marmora, imagines artificiosæ in eam majestatem brevi ipsum tumulum et

ædi-

A ædiculam extulere, ut inter splendidissima non solum Ordinis, sed totius Italiæ decora censeantur. Sarcophagus quidem undique incrustatus candidissimo marmore historias aliquot mirifice excisas repræsentat ; quibus cædendis inter alios artifices nobilissimos doctam hercle navavit operam F. Damianus Bergomensis, nostri Ordinis Conversus, qui peritiam artis suæ in choro majori omnium cum admiratione expressit, ut testabitur facile, quisquis viderit. Notandum vero ditissima illa arca non contineri integre corpus sancti Dominici : quippe aperto iterum sepulcro, anno MCCCLXXXIII, decimo sexto Kalendas Martii, episcopi duo sacrum caput a reliquis membris disjunxere, quod theca argentea inclusum ac ditissimis ornatum cimeliis in summa ecclesiæ ara spectatur.

ubi sepulcrum ejus magnifice exornatum est.

889 *Papebrochius noster, qui Bononiense RR. PP. Prædicatorum templum anno Christi* 1660 *attente inspexit, in Ms. suo Itinerario magnificentiam illius fuse describit. Dein ibidem agit de amplissimo* S. Dominici *sacello, quod stellato pavimento stratum, et ubique artificiosis picturis, pretiosoque marmore adornatum est.* B *Denique de sacris sancti Fundatoris reliquiis ad rem nostram habet sequentia :* Ipsum sancti Dominici corpus super altari ac basi marmorea in tumba itidem marmorea elegantissimæ cælaturæ requiescit, in qua Alphonsi Lombardi manus varias historias minutim velut in ebore expressit; signa superposita Michaël Angelus elaboravit. Includit ea tumba argenteam thecam, et in hac crystallinam, ac cedrinam denique, in qua sancti Patriarchæ corpus conservatur. Sequitur denique eodem in latere post altaria aliquot interjecta, reliquiarum sacellum, in quo altare inauratis clatris munitum continet sancti Dominici caput, digitum divi Thomæ, aliaque lipsana, thecis argenteis inclusa, et per modum perspectivæ disposita intra eosdem cancellos, per quos, sublata intermedia tabula, Rosariis ad bacillum appensis singula contingi poterant. *An interea situs quarumdam reliquiarum mutatus sit, ignoramus. Saltem ex dictis patet, congesta esse in hanc ecclesiam omnia illa ornamenta, in quibus ars cum materia certet, eo quod semper creditum fuerit, illic præcipua* S. Dominici *ossa requiescere, tametsi quidam illam sacri corporis* C *præsentiam in dubium revocaverint, aut etiam negaverint, quos paragrapho sequente refutabimus.*

§ XLIX. Præcipua Sancti ossa apud RR. PP. Prædicatores Bononienses conservata, iisdemque asserta.

Præter alia improbabilia quidam asserunt,

C*herubinus Ghirardaccius in Historia Bononiensi, quam anno Christi* 1596 *Italice edidit, part.* 1 *lib.* 5 *pag.* 135 *et sequentibus refert ac refellit varias opiniones eorum, qui negant, corpus* S. Dominici *in Bononiensi Prædicatorum ecclesia hactenus conservari. Nonnulli, inquit, putarunt, corpus istius sancti Fundatoris in Hispania inveniri; sed hi haud dubie sanctum Institutorem Ordinis Prædicatorum cum alio sancto Dominico Hispano confuderunt, ut R. P. Ghirardaccius ibidem recte respondet. Alii vero existimant, sacrum cadaver* S. Dominici *sepultum esse in ecclesia Annuntiationis B. Mariæ, prope muros Bononienses, ut præter hunc auctorem Michaël Pius in Opere Italico de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *col.* 119 *memorat, ubi Franciscani anno Christi* 1475 *cœnobium sui Ordinis obtinuerunt. Verum hæc opinio nullum habet fundamentum, ut laudatus Cherubinus notat fusiusque ostendi posset ex illustrissimo Francisco Gonzaga, aliisque scriptoribus Minoritis, qui de tanto thesauro tacent, etsi fundationem et reliquias ejusdem Conventus recenseant. Plures denique volunt,* S. Dominicum *Assisii cum S. Francisco in ecclesia quadam subterranea adhuc quiescere.* AUCTORE G. C.

corpus S. Dominici requiescere Assisii,

891 *Hæc ultima opinio jam abhinc duobus seculis apud quosdam recepta fuit, ut colligimus ex Joanne Garzone, qui in Actis* S. Dominici *apud Leandrum Albertum fol.* 21 *verso hæc habet :* Aiunt, me veritatem non mediocri contaminasse mendacio, quod Dominici corpus Bononiæ in Nicolai templo sepultum scripserim. quando gravissimi et sapientissimi viri Assisii in sepulcro conditum affirment. Exstant litteræ Clementis quarti Pontificis maximi, quibus si fidem nullam habendam putant, vereor, ne ad insaniam redigantur, vel sint natura levissimi. In his et Magistro et Fratribus Religionis Prædicatorum, ut in urbe Bononiensi nobiliorem pro sanctissimo Dominici corpore in sepulcro constituendo ad voluntatem E deligant locum, potestatem facit ; se in illo transferendo eorum sententiæ accedere; Dominicum ita caste, pie, sancteque vitam instituisse, ut qui se Christianos profitentur, eum venerari et colere debeant. Venerunt et ad manus meas Vincenensis episcopi litteræ, quas cum diligenter accurateque legissem, coactus sum eos fateri aniliter desipere, qui Dominici corpus ad Assisium delatum, atque in Francisci templo sepultum asserunt.

quam opinionem Joannes Garzo explodit,

892 Affirmat vir gravissimus, cum corpus transferebatur, [sese] affuisse. Hæc ejus verba sunt : Cum Dominici corpus, quod humili jacebat loco, transferendum esset, convenerunt Bononiam Fratrum multitudo; accersiti sunt Arnulfus ac Ægidius, quorum alter Hunianensis, alter Torcellanensis episcopatus dignitate præditus erat : imperator præterea Bononiensis, consulesque ac tribuni plebis. Omitto populum Bononiensem universum, qui ad rem perspiciendam profectus est. Dixisses ipsam Bononiam prope convulsam sedibus suis : quippe omnium generum, ætatum, ordinum, viri ac mulieres omnis fortunæ ad perspectandum corpus, et evulsum F ab humeris caput, iter contulerunt. *Hæc omnia ex mox dicendis majorem lucem accipient, postquam verosimilem contrariæ opinionis originem detexerimus.*

et quæ forsan originem habet ex epistola Francisci de Bautio,

893 *Suspicamur, popularem illam traditionem de Assisiensi* S. Dominici *sepultura ortam esse ex epistola Francisci de Bautio, quam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1230 *num.* 4 *exhibet. In ea narratur, quomodo Nicolaus V Pontifex anno Domini* 1449 *visitaverit Assisii in ecclesia subterranea corpus S. Francisci, et hac occasione ibidem viderit aliud cadaver incorruptum, cujus utriusque status ita describitur :* Ex Orientali latere corpus illud sacrum Francisci Seraphici erectum stabat, facie ad occasum tendens, et oculis elevatis in cœlum ; manus vero copertæ erant habitus manicis et simul junctæ, ut Fratres ferre consueverunt. Erat autem corpus ita incorruptum, quasi esset prima die positum : videbatur enim quasi dormiens. Ex alio vero latere alium erectum stantem vidimus habitu beati Dominici, qui et manus simul junctas habebat cum articulis sursum junctis, veluti mos est orantium ; oculi vero ejus ad beati Francisci pedes intue-

AUCTORE G. C.

intuebantur. Ambo autem ita lucidos et splendentes habebant oculos, ut nulla ad vivos esset differentia. *Fides hujus epistolæ ad diem* IV *Octobris, quo illustranda S. Francisci Acta, severius poterit examinari.*

etsi scriptor quidam Franciscanus fateatur,

894 *Interim supposita narrationis istius veritate, nondum sequitur, alterum illud cadaver esse* S. Dominici, *etiamsi habitu Dominicano indutum videatur : potuit enim Assisii circa obitum S. Francisci pius aliquis Dominicanus mori, ac ibidem sepeliri, ut Soëgius recte observat. Hinc F. Petrus Rudolphius, ex Ordine Franciscanorum Conventualium ad episcopatum Senogalliensem assumptus, in Historiis Seraphicæ Religionis lib.* 2 *a fol.* 247 *verso eamdem Francisci de Bautio epistolam referens, ibidem fol.* 248 *verso ad supra relata epistolæ verba in margine sic notat :* Errant, qui ex hoc loco colligunt, beatum Dominicum hic cum beato Francisco conditum esse, cum pro comperto habemus, eum Venetiis redeuntem Bononiæ fessum ex itinere et æstu, utpote circa finem Julii, urgente obitus die, ibidem obiisse et tumulatum esse anno MCCXXI, superstite adhuc beato Francisco.

B

ex hoc talem consequentiam erronee deduci.

895 *Primo ex hac Rudolphii notatione liquet, quosdam ex laudatis epistolæ verbis Assisiensem* S. Dominici *sepulturam collegisse. Secundo ex eadem patet, non fuisse hanc communem omnium Franciscanorum sententiam, licet id innuat Eminentissimus Vincentius Maria Orsini, postea sub nomine Benedicti XIII ad Cathedram Ramanam evectus, dum in supradicta Dissertatione reliquias S. Bartholomæi vindicans ecclesiæ suæ Beneventanæ, articulo* 6 *pag.* 21 *sic adversariis suis respondet :* Asserere quoque poterant, ibi adfuisse corpus sanctissimi parentis Dominici, quod confratres mei religiosissimi, Franciscani Assisii, apud se quiescere contendunt, non Bononiæ, in cujus urbis celeberrimo meæ Religionis Conventu, cum sacris theologiæ studiis vacaremus, pluries sanctissimi Patriarchæ caput continens ostensorium pro summo honore manus meæ contrectaverunt. *Saltem ex hac Eminentissimi Dissertatoris responsione colligimus, exoticam illam sententiam de Assisiensi* S. Dominici *sepultura aut translatione adhuc ab aliquibus propugnari. Sed ne quis circa hanc rem scrupulus remaneat, ex antiquis et authenticis instrumentis corpoream* S. Dominici *præsentiam Bononiensi RR. PP. Prædicatorum ecclesiæ jam evidenter vindicabimus.*

C

Authentico testimonio B. Bartholomæi

896 *Constat ex duobus testibus oculatis, quos superius* § 46 *citavimus, corpus* S. Dominici *anno* 1233 *Bononiæ ab innumeris hominibus visum fuisse. Postmodum anno Christi* 1267 *B. Bartholomæus ex Ordine Prædicatorum, episcopus Vicentinus, interfuit alteri ejusdem sacri cadaveris visitationi seu translationi, de qua ipsemet Beatus apud Michaelem Pium lib.* 1 *de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum col.* 118 *fidem facit sequenti diplomate :* Venerabilibus Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, Frater Bartholomæus, miseratione divina episcopus Vincentinus, salutem et æternam in Domino caritatem. Justus et pius Dominus, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, vota bene servientibus multo majora retribuit, quam valeant promereri.

episcopi Vicentini,

897 Cum itaque in generali Capitulo Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Bononiam celebrato sanctissimum corpus piissimi patris Dominici, Ordinis institutoris ipsius, præsentibus et cernentibus venerabili patre F. Joanne Vercellensi Magistro, et Fratribus dicti Ordinis in dicto Capitulo anno a Nativitate Domini MCCLXVII, Indictione X, die Pentecoste, V Junii congregatis; D
venerabilis pater dominus Philippus, Dei gratia archiepiscopus Ravennas, præsentibus et adstantibus venerabilibus patribus dominis Dei gratia Octaviano Bononiensi, Tomasio Imolensi, Fratribus Arnulfo Humanensi et Ægidio Torcellanensi episcopis, atque nobis, nec non viris nobilibus dominis Yrech de la Turre potestate, Guiesto de Ponte Carali capitaneo, et Antianis Bononiæ, de tumulo lapideo non cælato, ad marmoreum et cælatum cum debita reverentia et debita devotione transtulerit, atque caput pretiosum ad devota dictorum episcoporum, Magistri et Fratrum oscula primo reverenter exhibitum, consequenter in angulari pulpito ecclesiæ dicti Sancti in platea exteriori, præsente laudabili fidelium multitudine, ad tollendum de ipsius corporis in dicta ecclesia conservatione solida et integra dubitationis cujuslibet scrupulum, qui forte quorumdam cordibus insidebat, per nos ibidem præmissa solemni prædicatione, monstraverit, ipsum in prædictum tumulum cælatum manu devota reducens, et in sui compagine E
corporis in osculo sancto recondens : nos de dictorum dominorum archiepiscopi auctoritate et episcoporum concessione cupientes, ut jam dictum corpus in dicta ecclesia singulis annis, festivis honoribus visitetur, omnibus vere pœnitentibus et confessis, ad quos jam dictorum dominorum archiepiscopi, episcoporum, et nostra jurisdictio se extendit, qui prædictum corpus in festo translationis ipsius, et usque ad octavas devote ac laudabiliter visitare curaverint annuatim, ex parte dicti domini archiepiscopi duos annos, et dictorum dominorum episcoporum et nostra pro unoquoque annos singulos de Omnipotentis misericordia, et gloriosæ Mariæ Virginis Genitricis ejus meritis, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, Sanctorumque omnium confisi suffragiis, de injunctis sibi pœnitentiis, misericorditer in Domino duximus relaxandos, præsentibus in perpetuum valituris. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus et nostro sigillo muniri. Dat. Bononiæ anno Domini MCCLXVII, Indictione decima, die nona, intrante Junio. *Liquet ex hoc* F
instrumento, cui vetera historicorum Bononiensium testimonia consonant, sacrum S. Dominici *cadaver usque ad annum Christi* 1267 *in Bononiensi PP. Prædicatorum ecclesia quievisse. Nunc porro ad recentiora tempora paulatim pergamus.*

aliisque posterioribus instrumentis probatur,

898 *Anno Christi* 1383 *sepulcrum* S. Dominici *rursus apertum est, ut Carolus Sigonius in Opere de episcopis Bononiensibus lib.* 3 *pag.* 154 *narrat his verbis :* Anno millesimo tercentesimo octogesimo tertio, XII Kal. Martias, Fratres Prædicatores caput sancti Dominici ex arca, Philippo episcopo, magistratibusque præsentibus, extraxerunt, et ad usum ecclesiæ nobili loculo argenteo condiderunt. Mirum vero illud oculis mortalium accidit, quod interim dum arca patuit, stella supra ecclesiam clarissime fulsit : quæ res animadversa, civitatis religionem erga sanctum Confessorem accendit. *Hæc publica prodigiosæ stellæ apparitio, aliæque circumstantiæ memorantur in veteri Chronico Bononiensi, quod nuper Italice inter Scriptores Rerum Italicarum tomo* 18 *col.* 525 *editum est. Præterea in archivo civitatis Bononiensis exstant antiqua et authentica hujus narrationis testimonia, ut Michael Pius in laudato Opere*

de

A *de viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *col.* 120 *testatur.*

sacrum S. Dominici cadaver

899 *Ceterum sepulcralis illa inspectio anni* 1383 *confirmatur altero instrumento anni* 1473, *quod apud Michaelem Pium loco mox citato col.* 122 *et* 123 *sic sonat :* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno Domini MCCCCLXXIII. Noverint universi, qualiter ego Joannes Bologninus, Bononiensis civis, ex quatuor viris unus ad curandum perfici sepulcrum divi Dominici, annuentibus aliis sociis, videlicet Joanne Guidoto vexillifero justitiæ, Ludovico de sancto Petro et Baptista Manzolo, hora tertia feriæ sextæ, videlicet die XVI Julii hujus anni MCCCCLXXIII, et annuente venerabili P. F. Georgio de Vercellis Priore monasterii, sancti Dominici cum Patribus et Fatribus dicti monasterii, ac adstantibus, operimentum vetus ex præfato sepulcro, veluti tanti opere indignum, auferri jussi, ut superimponi possit novum, miro opere elaboratum per Nicolaum Barrensem.

in Bononiensi Prædicatorum ecclesia

900 Quo ablato, invenimus capsam ligneam ex larice, clausam, bene firmatam, clavibusque munitam, super quam ternas litteras obsignatas, B quæ per partes resignatæ et lectæ fuerunt : quorum alteræ, prout subscriptio præ se ferebat, manu Bartholomæi de Saliceto, præstantissimi ac litteratissimi doctoris scriptæ fuerant; alteræ a quodam Patre de Ordine Prædicatorum, ultimæ per Jacobum Blanchettum, notariorum correctorem. Siquidem manibus propriis omnes illi præfatam ligneam capsam anno Domini MCCCLXXXIII fuisse reseratam, ac in ipsa sacra divi Dominici ossa reperta, eaque ibidem intacta demissa, et eo tempore a reliquo corpore venerandum caput extractum, et loculo argenteo collocatum, ubi modo asservatur, attestabantur. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et antedicti beatissimi patriarchæ Dominici, protectoris et defensoris hujusce nostræ civitatis, cujus precibus et interpellationibus apud Deum oro ac deprecor, ut civitas nostra ab imminentibus periculis, eruatur. Et in præmissorum fidem, et ad perpetuam rei memoriam ego Joannes Bologninus supradictus hæc propria manu scripsi, et sigillo, quo utor, signavi die, mense et anno, quibus supra, etc.

adhuc honorifice conservari.

901 *Carolus Sigonius lib.* 4 *Operis proxime laudati pag.* 204 *de eodem eleganti ornamento,* C *quod tunc tumulo* S. Dominici *impositum est, sic breviter meminit :* Fastigium etiam marmoreum, miri artificii ac singularis et antiquæ elegantiæ opus, arcæ quadratæ sancti Dominici supra commemoratæ impositum, sic sepulcrum illud nobilitavit, ut hodie nemo paullo humanioris ingenii Bononiam veniat, quin in primis, vel eo nomine sibi invisendum existimet. *Quamvis post hæc tempora sepulcrum ejusdem Sancti apertum non fuerit, tamen ad augendum illius splendorem varia ornamenta collata sunt, et multi principes, tum ecclesiastici tum seculares, venerati sunt Bononiæ has sanctissimi Confessoris reliquias, quas ibidem quiescere sibi certissime persuadebant. Nolo hic referre diplomata Romanorum Pontificum, qui corpoream* S. Dominici *præsentiam Prædicatoribus Bononiensibus asserunt, et fidelibus has sacras reliquias pie visitantibus indulgentias concedunt. Prætermitto etiam alia argumenta, quibus Michael Pius, aliique scriptores Dominicani sacra Fundatoris sui ossa Bononiensibus vindicant : nam hactenus relata instrumenta mihi abunde videntur sufficere, ut cordati hujus communissimæ opinionis adversarii errorem suum agnoscant. Quod si quis ex his pertinacior priori suæ sententiæ adhuc velit adhærere, is nobis edisserat, qua occasione, aut quo tempore, corpus* S. Dominici *alio translatum fuerit, quemadmodum nos id de quibusdam eorumdem sacrorum ossium particulis jam ostendemus.*

AUCTORE G. C.

§ L. Nonnullæ ejusdem Sancti reliquiæ alio translatæ, et varia per eas patrata miracula.

Præter costam S. Dominici, quæ Pisas delata est,

Non est mihi voluntas aut facultas ad enumerandas omnes S. Dominici *reliquias, quæ in variis Ordinis Dominicani cœnobiis vel ecclesiis honorantur. Quapropter defectu distinctioris notitiæ hic tantum recensebo illas, quæ mihi facile occurrerunt, et inter quas Papebrochius noster in schedis posthumis notavit costam ejusdem Sancti hoc modo :* Frater Wilhelmus Pisanus Conversus, optimus lapidum sculptor, vir beatus et bonus; hic interfuit secundæ translationi corporis beati patris Dominici Bononiæ anno Domini MCCLXVII, tempore Magistri Joannis Vercellensis, quo in tempore clan- E destine unam de costis ipsius beati Dominici secum Pisas detulit, ignorantibusque Fratribus, sub altari beatæ Mariæ Magdalenæ, quamdiu vixit, veneratus est. Demum morti appropinquans, Fratribus rem patefecit; qui locum adeuntes, prout dixerat, sanctam costam invenerunt. Claruit autem vir sanctus circa annum Domini MCCLXX. *Cum schedula illa Papebrochii ab aliis ejusdem codicis ecgraphis separata fuerit, nescio, unde eam desumpserit, et propterea ulteriorem hujus sacri lipsani notitiam curiosis indagandam relinquo.*

memorantur Asculanæ ejusdem Sancti reliquiæ

903 *Joannes Garzo in Vita* S. Dominici *apud Leandrum Albertum fol.* 22 *de quibusdam ejusdem Sancti reliquiis, olim in urbe Asculana servatis, refert sequentia :* Asculum civitas est Piceni, a qua non longe abest amnis, cui Truento est nomen. Huc se mulier quædam linteum lotura contulerat. Subsequebatur eam filius nondum quintum annum agens. Is dum in ripa ludum ludit, fato, nescio quo, in flumen decidit. Imperitum nandi hauserunt gurgites. Sic absorptus impetu aquæ ad molendinum quoddam deductus est. Mater ubi F filium exanimem audivit, dolore commota, juges lacrymas continere non poterat. Quæ aderant mulieres accurrunt; miseram consolantur. Illud unum superesse, ut cadaver extrahatur, sepeliaturque. At matrem, quamquam puerum pro egressione aquæ pedibus appendisset, nec succederet exitus, magna spes tenebat, illum in vitam rediturum, si ad Dominici templum, in cujus sacrario ejus dens, qui ab ipsius ore, dum vitam agebat, exciderat, servabatur, deportasset. Igitur mortui super aram constituti ventrem [dum] Fratres dente contigerunt, subito defunctus revocatus est, et qui non vivebat, vixit.

ubi per eas patrata sunt miracula.

904 *Flaminius in Actis* S. Dominici *fol.* 88 *verso idem miraculum narrat ; sed puerum istum digito ejusdem Sancti, qui in Asculana civitate honorifice conservabatur, tactum fuisse asserit, et ibidem narrationi suæ hæc præmittit :* Erat Asculi, quæ urbs in Piceno est, sicut jam ostendimus, ex digitis beati Dominici unus, cujus attactu varii quidem a corporibus humanis morbi depulsi fuerunt; et magno in honore is erat, et præcipua cum veneratione asservabatur. *Deinde exponit, quomodo puer submersus, de quo supra, ad tactum*

hujus

AUCTORE G. C.

hujus sacri digiti revixerit. Laudatus Flaminius folio 85 *verso citati opusculi jam de iisdem reliquiis meminerat, et ea occasione aliud miraculum Asculanum exposuerat his verbis:* In Asculana civitate præfectus ædis Prædicatorum, tabulam grandem marmoream beati Dominici superpositurus aræ, operas et ipse adjuvabat; sed dum ponderis ferre gravitatem non possent, qui saxum attollebant, totum onus in ipsum præfectum recidit, ac ita quatuor manus digitos illisit et confregit, ut ferreo viderentur malleo contusi. Jussit ille Dominici digitum, qui ea in æde asservabatur, ad se afferri, cujus tactu ita continuo restituti sunt digiti, ut nullum in iis diræ illisionis vestigium remanserit. Eum postea digitum Joannes Vercellensis, generalis Prædicatorum Magister, regi Gallorum Philippo, sancti Ludovici filio, aliquid reliquiarum beati Dominici, quem magno cultu prosequebatur, petenti dono dedit. At rex accepti muneris tanti gratiam referens, unam de corona Christi spinam ad Asculanum monasterium misit.

quæ aliqui auctores adscribunt digito,

B

905 *Echardus tom.* 1 *Bibl. Præd. pag.* 258 *etiam meminit de Asculano sancti sui Fundatoris digito, eumque postea ad Galliam translatum esse refert his verbis:* Cum Asculi digitum sancti Dominici servari et coli sanctus rex Ludovicus rescisset, et ejus habendi desiderium suum indicasset, mox Magister Ordinis F. Joannes de Vercellis jam laudatus, de eo monitus, Asculum accedens digitum accepit, et ad sanctum regem detulit, qui gratissimum habens munus, vice versa spinam ipsi coronæ Domini dedit, quæ ea est, quam apud se venerantur Asculani nostri. *At Sebastianus Andreantonellus in Historia Asculana, quam summo studio elaboravit, pag.* 214 *de hoc digito agit, illumque alteri Galliæ regi datum fuisse sic memorat:* Custodiebatur vero in eadem *(scilicet Asculana Prædicatorum ecclesia, de qua ibi mentionem facit)* veneranda reliquia, ipsius nimirum sancti Dominici digitus, Philippo Galliarum regi, cognomento Pulchro, traditus a Fratre Francisco de Jacobis, cive Asculano, ejusdem cœtus Religioso, qui fuit ejusdem regis a confessionibus; a quo etiam accepit spinam ex patientis Christi serta corona avulsam, quæ ibidem summa colitur veneratione. *Has diversas narrationes inter se componat, qui potest.*

C

alii autem denti,

906 *Nos interim de Asculanis* S. Dominici *reliquiis hic transcribemus ea, quæ accepimus ex Ms. Pragensi, in quo Vitæ quædam Sanctorum, ab illustrissimo Bernardo Guidonis scriptæ, simul cum translatione* S. Dominici *continentur. Itaque in scriniis ad diem* XVI *Octobris post alia Sanctorum Acta legitur translatio reliquiarum* S. Dominici, *ex qua ad propositum nostrum excerpimus sequentia:* Tempore venerabilis patris Fratris Joannis de Vercellis, Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, corpus beati Dominici fuit translatum secunda vice de tumulo marmoreo, in quo in prima ejus translatione fuerat collocatum; fuitque transpositum in capsam pretiosam candidi marmoris, super columnas elevatam, quam vocant arcam sancti Dominici; sub anno Domini MCCLXVII. Tunc vero Frater Franciscus de Esculo civitate *(sic etiam pro* Asculo *vocatur hæc urbs, ut Sebastianus Andreantonellus in opere supra laudato pag.* 204 *tradit)* socius præfati Magistri Ordinis, dentem unum beati Dominici clam accepit, quem postea de ipsius Magistri licentia dedit et posuit in Conventu Fratrum Prædicatorum de Esculo pro reliquiis venerandis, ubi ad contactum ipsius dentis, meritis sancti Dominici, multa miracula sunt patrata, ex quibus unum duximus subnectendum. D

Asculi olim servato.

907 Mulier quædam in Esculo in canali molendini juxta ecclesiam beati Dominici cum aliis mulieribus pannos lavabat, quæ filium suum parvulum, Franciscum nomine, secum adduxerat. Cumque mater suo intenta esset operi, puerulus super canalem ludens, in aquam cecidit, et suffocatus est; fuitque ab aquæ decursu usque ad rotas molendini deductus, et vehementer sub aqua compressus a rotis. Audiensque mater casum et periculum filii cum ceteris mulieribus cucurrit ad rotas molendini, et vix violenter de sub rotis filium mortuum elevavit. Cumque adstantibus pluribus, qui convenerant, nihil aliud videretur, nisi quod puer mortuus traderetur sepulturæ, mater ubertim flens, mente recogitans, quod in propinquo erat ecclesia Fratrum Prædicatorum, ubi esse audiverat dentem sancti Dominici, et multa miracula esse facta, assumpta fiducia, ait: Non sepelietur filius meus, sed ipsum deferam ad reliquias sancti Dominici, quia spero, quod per ipsum [Deus] vivum et incolumem mihi reddet. E
Elevans autem mater in ulnis suis filium mortuum, ingratis vocibus ad ecclesiam beati Dominici properans clamabat: Beate Dominice, redde mihi filium meum. Quid plura? Corpusculum mortuum super altare beati Dominici posuit, rogans Fratres, ut dentem ejusdem Sancti ponerent super eum. Commoti vero Fratres ad compassionem et devotionem, dentem sanctum cum multa reverentia super defuncti pueri corpusculum posuerunt. Omnibus autem ibi existentibus condolentibus, et orantibus Deum, et sanctum ejus Dominicum, puer, qui mortuus fuerat, subito revixit, et mater, quæ flens filium attulerat mortuum, gaudens beati Dominici meritis reportavit vivum.

ac postea in Galliam translato;

908 Post hæc autem annis aliquibus jam elapsis, dum præfatus Magister Joannes de Vercellis esset Parisiis, rogatus est ab illustri rege Francorum Philippo, filio quondam Ludovici regis, ut ei daret pro reliquiis de ossibus sancti Dominici, ad quem magnam habebat devotionem. Cum idem Magister aliunde commode habere non posset, fecit idem domino Regi dentem prædictum de Esculo deferri Parisios: quem Rex in F
thesauro reliquiarum suarum in vase pulcherrimo reposuit reverenter, et pro recompensatione spinam unam de corona Christi spinea, quæ in capella Regis habetur, transmisit præfato Conventui Esculano. *Vides, hic de dente* S. Dominici *omnia referri, quæ alii scriptores, paucis mutatis, de digito ejusdem Sancti narrant.*

circa quam variam narrationem intricata difficultas proponitur.

909 *Præterea in his diversis narrationibus occurrunt nonnulla, quæ inter se conciliare non possumus: nam primo Joannes Garzo affirmat, hunc dentem* S. Dominico *adhuc viventi excidisse, cum interim Ms. Pragense asserat, eumdem dentem a Fratre Francisco Asculano in secunda sacri cadaveris translatione clam surreptum fuisse. Secundo apographum nostrum Pragense tradit, hunc dentem Asculanum a Joanne Vercellensi datum fuisse Philippo regi Francorum, qui patri suo Ludovico successit, et vulgo* audax *cognominabatur. Quod si pro dente digitus substituendus sit, iterum inter scriptores non convenit: Echardus enim tomo* 1 *Bibl. Præd. pag.* 211 *et* 258 *scribit, illum* S. Dominici *digitum sancto Ludovico Galliæ regi ab eodem Joanne Vercellensi fuisse traditum. Laudatus vero Sebastianus Andreantonellus ait, eumdem Sancti digitum*

a

AUCTORE G. C.

A *a Fratre Francisco de Jacobis Asculano delatum fuisse ad Philippum, cognomento* pulchrum, *qui Philippo Audaci in regnum Galliæ successit. Verum hæc omnia inter se et cum chronologia ægre componentur, quamvis uni Francorum regi dentem* S. Dominici, *et alteri digitum ejusdem Sancti diversis temporibus concessum esse dixeris. Etsi autem in quibusdam narrationis circumstantiis erratum sit, tamen propter illas difficultates non dubitamus de miraculis, quæ per Asculanas* S. Dominici *reliquias contigerunt.*

in Hungaria

910 *Nescio, quo tempore in Hungariam translatus sit digitus* S. Dominici, *de quo Flaminius in jam sæpe citatis ejusdem Sancti Actis fol.* 89 *verso sic scribit:* Cum jam multa per Pannoniam fabricata fuissent Prædicatorum monasteria, unus ex sacro divi Dominici corpore digitus in eam provinciam allatus est in urbem, quæ Simlu dicitur. *Deinde inter alia miracula, quæ illic patrata sunt, fol.* 90 *verso refert sequens his verbis:* Alba Regalis ejusdem provinciæ urbs est, cujus ecclesiæ Præpositus (dignitatis id ecclesiasticæ nomen est) fato functus est. Circa jacentis cadaver, cum B jam pararentur exsequiæ, multi assidebant, e quibus unus divino (ut est credibile) instinctu ait: Ego quidem in spem adducor, posse defunctum hunc nostrum ad vitam revocari, si digitus huc beati Dominici afferatur. Placuit omnibus consilium, et ad multa funalia accensa allatus est in calice sacro digitus, quem monasterii præfectus aqua lavit, quam ori jacentis immisit: quæ ubi descendit in gutture, exstinctus ille continuo revixit. *Vincentius Bellovacensis et Theodoricus Appoldianus de his Hungaricis* S. Dominici *reliquiis plura memorant, quæ post hunc Commentarium suo loco infra referentur.*

mortui ad vitam revocati sunt,

911 *Sed ab his antiquis scriptoribus etiam omittitur aliud miraculum, in Hungaria patratum, quod laudatus Flaminius præcedenti sic subnectit:* Obierat annorum duodecim puella in loco, qui ab urbe Simlu antedicta diei unius itinere distabat. Propinqui et amici patrem hortati sunt, ut aquam juberet afferri, qua beati Dominici sacer digitus esset ablutus, sperantes, fore ut ope acceptissimi Deo Sancti ad vitam puella revocaretur. Laudavit consilium pater, et continuo ipse profectus est. Abiens autem jussit, ne ullo pacto, prius- C quam redisset ipse, filiam sepelirent. Sed cum differre nimium propter distantiam loci videretur, decreverant illam sepelire domestici. Quare cum jam efferrent, inciderunt in patrem, qui aquam afferebat. Excanduit ille, ac suos graviter increpans, qui contra suum jussum filiam sepelirent, consistere jussit lectum ferentes funebrem. Tunc ipse, adstante multitudine, ori per vim aperto aquam immisit, et statim, stupentibus omnibus, vitæ restituta est.

et Leodii vel Laudæ

912 *In Vitis Fratrum, quæ Duaci anno* 1619 *excusæ sunt, part.* 2 *cap.* 39 *quædam miracula, alibi per reliquias* S. Dominici *patrata, recensentur hoc modo:* Civis quidam Leodiensis, villicus ejusdem urbis, morbum patiebatur in collo, pro quo loca Sanctorum visitaverat multa; et cum minime curaretur, rogavit Priorem Fratrum Prædicatorum, ut secreto reliquias sancti Dominici poneret super morbum: quo facto, perfectam recepit continuo sanitatem. Hæc ipse Prior mihi narravit. Alius de ditioribus ejusdem civitatis morbum gravem cum tumore magno et ulcere terribili patiebatur, ita quod de vita ejus sui penitus desperabant: tantus enim erat dolor et cruciatus, quod nec palpationem medici poterat sustinere. Frater autem Lambertus, cum videret illius afflictionem permaximam, induxit eum, ut haberet devotionem ad beatum Dominicum, quia per eum Dominus fecerat mirabilia multa. Ille statim rogavit devote, ut afferretur ei aqua ablutionis reliquiarum beati Dominici, qua super locum aspersa, statim incepit dolor minui, et tumor evanescere, et sic est perfecte curatus. *Ignoro, an hic memoratæ Sancti reliquiæ ad Leodiensem in Belgio, an ad Laudensem in Italia civitatem spectent: Echardus enim tom.* 1 *Bibl. Præd. pag.* 43 *in Ms. codice seculi* XIII *pro* Leodiensis *legit* Lodiensis, *et ibidem in notis censet, hac voce indicari civitatem Italiæ, quæ vernacule* Lodi *appellatur. In Ms. nostro codice idem iste civis* Lodienensis *vocatur.*

ac Metis contigerunt alia miracula,

913 *Laudatus Echardus tomo proxime citato pag.* 44 *notat, B. Jordanum anno Christi* 1233 *distribuisse sodalibus, qui tunc Bononiam convenerant, sacrum pulverem, in tumulo* S. Dominici *inventum, et ibidem ex Vitis Fratrum narrat facta per has reliquias sequentia miracula:* Frater quidam in Conventu Metensi ob os, quod supercre- E verat* ei in conjunctura*, quæ est inter pugnum et brachium, graviter patiebatur in manu, ita ut timeret probabiliter amittere usum manus: super quo frequenter a medicis et chirurgicis habuit responsum, quod non posset curari nisi per incisionem; quod tamen periculum erat propter venarum et nervorum ibidem concursum. Contigit autem in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ, patronæ in Conventu prædicto, quod duo Fratres venientes de remotis partibus Teutoniæ, hora, qua parabatur altare, post nonam introirent chorum ad benedictionem. Frater autem, qui patiebatur in manu, unus erat de parantibus cum sacrista. Qui dimittentes altare, Fratribus benedictionem dederunt, et surgentes a benedictione dixerunt: Detulimus nobiscum de pulvere beati Dominici patris nostri.

* *edit. Duac.* supervenerat

* *edit. Duac.* junctura

per sacra ejusdem Sancti ossa.

914 Frater ille, qui patiebatur in manu, audito nomine beati Dominici et adventu reliquiarum ejus, repletus devotione et mentis exultatione non modica, cœpit dicere corde et ore: Pater, Pater, bene veneris ad nos. Qui sequendo Fratres, sacras reliquias ad altare deferentes, plaudens manibus post eos incessanter: Pater, F Pater, bene veneris, clamabat. Et accedens ad altare, reliquias accipiens cum duabus manibus, et eas deosculans, subito est ab ossis illius periculo liberatus. Et cum recederet ab altari, videns quasdam immunditias circa lampadem in medio chori, tangendo et mundando lampadem, manus aliquantulum sordidavit; et vadens ad lavatorium, dum manus lavaret, scivit tunc primo, ab illius ossis periculo se curatum, et præ gaudio illotis manibus currens ad Priorem, qui erat in Capitulo, curatum in adventu reliquiarum beati Dominici se ostendit. Quod cum esset mirabile in oculis Fratrum, et divulgaretur per domum, Frater quidam decumbens in infirmitorio, qui torsionibus ventris gravissime torquebatur, hoc audiens, petiit devote sacras reliquias beati Dominici sibi deferri, et ad tactum earum alleviatum se a suis doloribus asseruit et sanatum. *Hæc etiam in citata editione Duacensi leguntur, paucis mutatis, quæ in margine observavi.*

quæ haud dubie in pluribus aliis urbibus ac regionibus inveniuntur.

915 *Non dubito, quin in aliis Prædicatorum cœnobiis plures hujusmodi reliquiæ serventur. Sic illustrissimus Joannes Lopez in Historia Prædicatorum part.* 4 *lib.* 2 *cap.* 75 *ad annum* 1598 *agit de monasterio sui Ordinis, quod in Hispania non*

procul

AUCTORE G. C.

procul Matrito situm est, et inter alias sacras reliquias, quibus illud ditatum est, os quoddam S. Dominici *recenset. Etiam in Scorialensi monasterio, præter tria minora ejusdem Sancti ossicula, conservatur articulus digiti pedis cum sicca pelle sua, ut anno* 1722 *ex Lipsanologio magnifici istius monasterii descripsi. Ceterum hoc paragrapho dumtaxat mentionem feci de illis* S. Dominici *ossibus, quæ ex urbe Bononiensi alio translata sunt : nam de vestibus ejusdem Sancti, aliisque sacris hujusmodi exuviis vel in Commentario nostro prævio jam actum est, vel porro per decursum agetur. Cum itaque ignorem, quales sint Panormitanæ* S. Dominici *reliquiæ, nihil hic de illis dixi, etiamsi per eas insignia quondam patrata sint miracula, quæ apud Sylvestrum Frangipanium in Appendice ad prodigia Sorianensia Italice, vel apud Joannem Doye in altera additione Gallice legi possunt.*

§ LI. Effigies sancti Dominici in Sorianensi Prædicatorum cœnobio, ubi intercessione ejusdem Sancti plura clientibus ejus beneficia conferuntur.

B

Teste Choquetio Prædicator quidam

Ut sequentia, quæ hoc paragrapho referemus facilius intelligantur, iis præmittemus mirabilem cænobii Sorianensis fundationem, quam P. Hyacinthus Choquetius in Mariæ Deiparæ erga Ordinem Prædicatorum maternis visceribus cap. 27 *sic eleganter describit :* Anno superioris seculi decimo *(id est anno Christi* 1510) Catanzari Calabriæ superioris urbe, quidam e nostris erat vir cumprimis pius, ac monasticæ disciplinæ ad amussim sectator egregius, Vincentius nomine ; cui eadem ipsa urbs cognomen fecit. Hic mensis Decembris nocte quadam post brevem somnum lecto adstare sanctissimum parentem Dominicum multo lumine cinctum videt, serioque monentem, et porro imperantem audit, uti confestim in pagum Sorianum iret, cujus homines ad sui Ordinis cœnobium exstruendum propensissimos promptissimosque reperiret. Visum istud Vincentius ex interno animi affectu occultaque vi, quæ eum parere impelleret, e cœlo profectum interpretatus quidem est ; C itineri tamen continuo non accinxit sese, quod forte istius provinciæ præfecti seu provincialis placitum, pro Ordinis legibus, ne quid temere tentasse videretur, expetere cuperet.

post trinam S. Dominici apparitionem Ordini suo cœnobium impetrat,

917 Dum hæc et plura animo versat, hæretque anceps et consilii inops, nocte proxima illi ipsi incumbenti rursus spectandum se offert supremus ipse maximusque sui Ordinis e cœlo moderator Dominicus ; ut moras omnes abrumpat, ocyusque proficiscatur, jubet ; injectos animo scrupulos dubitationesque posthabeat. Vincentius primo diluculo Priorem adit, tantæ rei sacramentum aperit, eundi facultatem petit, obtinetque. Dum tamen ad jussa exsequenda se parat, diem illum etiamnum hæret : cum tertio soporem illi excutit clarissima lux, Dominicumque multo quam antea splendidiorem, graviore tamen subiratoque vultu contuetur, tantas moras increpantem ; quo territus Vincentius, mox sub auroram in Sorianum properat. Quod cum venisset, pagi optimates reperit de quopiam cœnobio exstruendo inter sese consilium ineuntes ; dumque multa ultro citroque in medium proferunt expenduntque, in ipsum illorum cœtum introgressus Vincentius, itineris adventusque sui causam ex ordine exponit. Sorianenses attoniti juxta, et maxima lætitia perfusi, Vincentium uti cœlo delapsum angelum excipere, votis annuere ; sibique ipsis gratulari. D

quod non sine variis miraculis

918 Ergo lætis animis Ordini Prædicatorum ejusque beatissimo parenti Dominico templum cœnobiumque decernunt ac vovent, locoque, quem antea in pagi bifidi seu bicorporis medio statuerant, grandem crucem illo ipso die figunt. Hæc crux prodigiorum, quæ Soriani olim patranda erant, initium fecit : proxima siquidem nocte ex loco, ubi pridie fixa fuerat, olivis consito, sua sponte in alium confragosum durissimas inter rupes, juxta ædiculam Virgini Annuntiatæ sacram transmigravit. Postero die cum omnibus exploratum esset, crucem loco amotam, atque in superiore pagi clivo positam, rati Sorianenses inferiores, superiorum dolo id factum, ut nimirum templum cœnobiumque illis viciniora essent ; crucem ad priorem sedem, communibus votis destinatam, referunt, altius tenaciusque infigunt. Et porro superioris Soriani incolis nullam se fraudem nosse sancte profitentibus, illi nihilominus plures viros cruci custodiendæ, et fraudi (si qua esset) retegendæ adhibent : qui cum nocte tota illam cinxissent insomnes, invigilassentque attentius, sub crepusculum ex eorum oculis dilapsam vident, stupent, perquirunt, atque eidem loco infixam adspiciunt, in quem ipsa se priore nocte transvexerat. Agnita mox ab omnibus divina virtus et sententia. Quocirca consentientibus animis continuo, tum communi ære, tum privatis multorum muneribus, templum exstrui cœptum, pluribus suas quoque operas ultro impendentibus. E

in Soriano extructum est,

919 Duo porro miranda isto in opere tunc acciderunt. Primo quidem cum calx procul quærenda esset, multo scilicet labore et impendio, optarunt nonnulli, calcariam fornacem viciniore aliquo loco excitari ; quod plerisque, ac potissime natu majoribus haud probabatur, quibus exploratum erat, Sorianum juxta istiusmodi fornacem haud umquam fuisse, quæ nimirum olim non semel tentata, minime successisset. Vincentius vero tantorum laborum sudorumque misertus, qua maxima erat in beatissimum Parentem fiducia, illam aptari curat ; duri saxi fragmentis ex arte compositis ignis supponitur, felicissimoque exitu succedit, proditque calx omnibus numeris absoluta, cum neque antea, neque postmodum, ex fornace quidem illa eadem prosper fuerit calcis eventus. Alterum haud minore stupore dignum fuit, quod cum omne saxum in lapicidina Fellerina excisum operarii in ædificii locum abeunte die semper deferrent, postridie tamen totidem excisa reperiebant, ignari prorsus, quis exscidisset, atque fossæ in ora, unde ipsi alia detulerant, reposuisset. Multa in eam rem sciscitantibus, nocturnosque labores demirantibus, placuit non semel, quis id ageret, explorare : quod dum agunt, saxorum fragorem, secantium ictus, et ex fossa seu valle in locum superiorem ac planum comportantium gressus auribus clarissime excipiunt, nemine tamen conspecto, nisi quod interdum visus aliquis est in Prædicatoria veste supra humanam speciem operi præesse, veluti ergodioctem *, quem sanctissimum ipsum Dominicum haud dubie interpretati sunt. F *Supponimus, illam narrationem ex antiquis loci istius monumentis prodire. Sed utinam genuina veterum hujusmodi instrumentorum apographa nancisci, et curioso lectori authentica talium prodigiorum testimonia exhibere potuissemus ! Nunc videndum, quo-*

* *Græce* ἐργοδιώκτης *est præfectus operis*

modo

A *modo ad hoc monasterium pervenerit imago* S. Dominici, *quæ innumerabilibus miraculis fulget.*

ad quod dein miro modo effigies Sancti delata est, ut narrat Janssenius;

920 *Nicolaus Janssenius in Vita* S. Dominici *lib.* 2 *cap.* 12 *hanc rem paucis verbis sic expedit :* In Calabria anno a Virginis partu MDCVI *(alii ædificationem cœnobii anno Christi* 1510 *collocant, et donationem prodigiosæ imaginis ad annum* 1530 *referunt)* loco, quem vocant Surianum, non procul Monte-Leone novam ædem nostri exstruxerant. Modicus erat ornatus, paucæ ad parietes tabulæ, religiosæ paupertatis indicium. Cum inopinato fores pulsant binæ matronæ, humana specie majores. Deipara erat et sancta Maria Magdalena, ut deinde cognitum. Interrogant, quid esset loci, quis cœtus, cui ædes sacra? Sancto Dominico, responsum, et Fratres Prædicatores ibi sedem fixisse. Hic illæ : Effigiem ergo Dominici ecquid habetis? Pudore quasi attonitis (nec enim habebant): Accipite, aiunt, et hanc media templi ara collocate. Erecta est, et ad novum munus undique concursum : cæci, claudi, hydropici, aliisque afflicti morbis sanitatem acceperunt ; mortui etiam ad vitam revocati, ut vulgo diceretur : B Corpus sancti Dominici quiescit Bononiæ ; sed anima in Suriano. Id paucis abhinc annis et nostro ævo. Ubi sane, qui hactenus Dominico, ejusque filiis Virgo Mater sit affecta, manifesto arrhabone declaravit, effecitque, ut ibidem veneratio ejus cresceret, et plurima tum divinæ potentiæ, tum humanæ pietatis monumenta viserentur. *Nescio, unde Janssenius eruerit hanc narrationem, quæ ab aliis discrepat, ut cuilibet eam et sequentem attente inter se conferenti patebit.*

sed ab hujus narratione discrepat Choquetius,

921 *Laudatus Choquetius cap.* 27 *Operis proxime citati eamdem miræ imaginis historiam fuse et ornate sic narrat :* A Joannæ Aragoniæ præpropera morte, quæ hoc anno accidit, tota Calabria ingentibus infestissimisque bellis arsit, fusoque plurimorum hominum cruore, propemodum vastata est. Quæ temporum injuriæ atroxque calamitas inchoati feliciter templi tardiores progressus fecere ; adeo ut a primis illius initiis viginti anni lapsi fuerint, templo necdum exstructo ; sed posterior dumtaxat illius pars surrexerat, quam ecclesiastico vocabulo chorum vocamus : ea pars muro interclusa, sacelli seu sacræ ædis loco erat, in qua e nostris pauci divina officia peragebant, C nimirum Dominicus quidam, ab illo ipso pago cognomine Sorianensis, in Vincentii locum subrogatus, et alii duo. *Hic meminisse oportet eorum, quæ de mira cœnobii Sorianensis origine et prima templi ædificatione superius ex Choquetio retulimus.*

qui fuse refert, quomodo ædituus illam effigiem acceperit

922 *Deinde ipsam memoratæ imaginis narrationem sic aggreditur :* Accidit vero anno MDXXX, nocte, quæ natæ Virginis Deiparæ octavum diem proxime antecedit; is, qui sacristæ munere fungebatur, in templum (sic enim partem dumtaxat templi appellare lubet) ivit; cereos ad matutinas preces persolvendas pro suo more et munere incendit; et ecce, dum ab ara regreditur, tres conspicue feminas, vultu et veste supra modum decoras videt. Attonitus et porro veritus, ne nocte templum sua incuria patuisset, confestim fores adit, lustrat, obseratas videt, et magis stupet. Hærentem anxiumque ad se vocat, quæ illarum princeps habebatur, mediaque stabat, forma aliis augustiore, ex eoque sciscitatur, cujusnam nomini ea ædes sacra esset, quæve imago e muro penderet. Refert ille, templum beato Dominico dicatum consecratumque esse, cujus unica imago rudis, et indocta manu picta, pro ara spectabatur. Tum illa e sinu involutam telam profert, aitque : Cum in hocce templo non alia vestri Institutoris ac ducis effigies sit, tu istam accipe, et ad tuum hujusque domus præfectum defer, illique dicito, uti in hac æde honoris illi locum tribuat.

ab ipsa Deipara, duabus feminis comitata,

923 Ædituus quamquam intempestivo feminarum conspectu attonitus, ac stupens, qua illuc irrepsissent via, obseratis undequaque foribus serisque impositis ; cœlitus tamen illapsa animi lætitia perfusus, istud iconis munus venerabundo vultu accipit, continuoque ad præfectum, seu (ut Ordinis more loquamur) vicarium properat, eum accersurus * ; quem ad Matutinas venientem offendit. Illi rem omnem ordine exponit, telamque, ut involutam acceperat, offert. Illico adfuit sacerdotum alter, qui vicarium pone sequebatur, simulque rei novitate percelluntur : ac primo quidem æditiuum accusant, cujus incuria templum noctu patuisse crederent. At cum telam explicant, iconemque contuentur, ardentes pietatis flammas in ipsorum corda ejaculantem, et occulta quadam vi ad sui venerationem permoventem, nihil quidem ejus, quod suberat, suspicati, sed dumtaxat muneris dignitatem et E præstantiam vehementius admirati, in templum eunt, nobilibus istis feminis gratias acturi.

* *lege* accersiturus.

quæ omnes postea quæsitæ, disparuerunt.

924 Verum in cœlum sese jam receperant; quas cum non reperisset præfectus, viderentque nostri et porro magnopere obstupescerent, illas occlusis foribus abivisse, cœpit eos ex rerum novitate ardor, quænam essent, disquirendi. Quocirca domo, intempesta etiam nocte, exeunt, per pagum undequaque eas investigant diligentissime : nullum illarum vestigium assecuti, domum redeunt, imaginem rursum inspiciunt attentissime, venerantur, Deumque precantur, beatissimæ Virginis Deiparæ et sancti Dominici opem implorant, ut ejusce rei mysterium, iconisque, quam divinum quiddam merito suspicabantur, originem, a cujus scilicet manu illis obvenisset, aperire sua benignitate haud dedignentur. Cum post multas preces, variaque ea de re inter sese toto die habita colloquia, insequente nocte beatissima Catharina virgo et martyr nostrorum sacerdotum uni (cujus in illam erat singularis amor et pietas) a Matutinis idem oranti ardentius conspicua fuit, remque totam clarissime retexit; illam nimirum Dominici effigiem, non hominis cu- F juspiam penicillo aut arte pictam, e cœlo ad eos delatam esse, ipsamquemet sanctissimam Dei Parentem attulisse, et æditiuo tradidisse, seque una cum beata Maria Magdalena, Virginis Matris comitem fuisse.

Hæc imago ab eodem auctore describitur,

925 Sed nunc effigiem ipsam, quantum Deus dederit, inspiciamus : etenim qualis ipsa est, supra omnem humanæ artis apicem industriamque, haud magis calamo assequi nos posse confidimus, quam ingenio manuque præstantissimi, nec Apelle inferiores, pictores, ex ea, proposito sibi archetypo alias exprimere, illamque imitari sæpius conati, haud umquam potuerunt. Aliquorum namque oculis illam contuentibus maximus clarissimusque fulgor objecit sese, qui illud simulacrum penitus obtexit. Alii imaginis majestate territi, titubante penicillo et manu, ab incepto destiterunt. Porro illius paulo amplius quam palmorum quinque longitudo est; Dominicum vero exhibet formoso, sed longe venerando aspectu, et ad omnem virtutem composito, facie nonnihil oblonga, naso aquilino, capillis ut plurimum canis, subinde tamen aliquantulum subrufis intercurrentibus. Candidus est faciei color

cum

AUCTORE G. C.

cum gratissimo pallore conjunctus, sereniores oculi in omnem partem conversis similes cum placidissimo terrore. Vestes ultra talos non protensæ; uterque pes calceis nigris indutus; dextera librum, sinistra lilium gestans, clarissima eruditionis et virginei pudoris symbola. Picta imago non variis colorum floribus tincta est, sed simplex tantum, et quæ virum non ab arte factum, sed potius a natura formatum genuine referat. Et tandem nihil in imagine est, quod cœlestem penicillum artificemque non arguat : quæ enim exprimit, humanæ artis opere simul cohærere nequeunt. Exhibet siquidem illa raram viri majestatem, et nihilominus summam in eodem sui ipsius abjectionem et contemptum. Elucet vultus serenitas, intuentibus lætitiam provocans; terret tamen, et ad pœnitudinem permovet pius mœror. Præ se fert pallorem maciemque; splendet nihilominus jucunda animi tranquillitas. Pariter eminent maturitas senis et amœnitas infantis. In se ipsum rigidior severiorque spectatur, simulque in alios suavior, placidiorque. Denique arctior externorum sensuum custodia totum sibi B ipsi intentum demonstrat; æque tamen emicat in suos clientes solicitudo et benevolentia. Enimvero de hac imagine dicere liceat, quod humanæ arti, naturæque ipsi negatum est : Et bene conveniunt, et in una sede morantur majestas et amor.

ejusque ectypon hic repræsentatur.

926 *Huic descriptioni lucem afferet* verum exemplar prodigiosæ imaginis sancti Dominici in Soriano, *quam F. Joannes Baptista de sancto Georgio, Prior Conventus Sorianensis Prædicatorum, æri incidi jussit, et illustrissimo D. Antonio Dardinelli dedicavit, ut Italice in eodem imaginis ectypo notatur. Cœlatorem nostrum monuimus, ut hanc* S. Dominici *effigiem in minorem formam contraheret, et nihilominus cum proportione omnia prototypi sui lineamenta exacte imitaretur, prout hic expressam vides.*



Noluimus hoc loco memorare. quid Petrus Paulus Rubbens, famosissimus Belgii nostri pictor, judicaverit de ipsa Sorianensi S. Dominici *pictura, quam aliquando penitius inspexit, quia judicium istud tantummodo ex vaga aut incerta fama refertur, et forsan authenticis testimoniis probari non posset. Ceterum calvities, quæ hic in corona Sancti supra frontem exprimitur, non convenit cum descriptione formæ, quam supra* § 45 *num.* 836 *et* 837 *ex Theodorico de Appoldia et altero antiquiori scriptore dedimus, ubi etiam repræsentavimus aliam* S. Dominici *effigiem, quæ ab hac plurimum discrepat, ut utramque conferenti facile apparebit. Tantum obiter in hac imagine observamus, manicas tunicæ esse laxiores, cum tamen antiquitus illæ ad pugnum strictiores fuisse videantur, ut patet ex veteri Prædicatoris figura, et ipso* S. Dominici *sigillo, quæ duo antiquitatis monumenta superius* §§ 28 *et* 40 *exhibuimus. Nihil hic dicimus de minutioribus utriusque effigiei adjunctis, quæ forsan ab arbitrio pictoris pendent. Sed qualiscumque sit hæc primigenia pictura, et undecumque Sorianum pervenerit, ex indubitatis testimoniis constat, illic fidelibus, patrocinium* S. Dominici *implorantibus, plurima beneficia conferri, ut jam summatim narrabimus.*

Ratio redditur, cur antiqua ejus miracula non fuerint litteris mandata;

927 *Eximius Choquetius alia prodigia, quæ memoratam ejusdem imaginis donationem subsecuta sunt, ibidem referre pergit his verbis* : Verum prima omnium admiranda portenta, quæ ad cœlestem hanc sancti Dominici effigiem sua benignitate patravit Deus, nostrorum incuria, alta oblivione sepulta sunt : tres enim solummodo illorum erant, variis rebus præpediti; siquidem post preces et quotidiana sacrificia, pars ædificii curam gerebat, pars eleemosynis tum ad illud, tum ad rem domesticam victumque conquirendis vacabat. ut aliis negotiis pene obruti, adnotandis, quæ frequentissime contingebant, prodigiis animum non adjecerint; vel forte si illorum quispiam sibi ipsi conscripserit, nulla ab aliis eorum ratio habita est. Tandem quæ demum fuerit ejusce incuriæ causa, plurima sane ac stupenda sanctissimi Dominici meritis, Virginisque Deiparæ favore ad portentosam hanc imaginem, vel ab ipsis cœlitus allatæ initiis evenisse compertum est, clareque demonstrat augusta atque ampla Soriani nostrorum templi structura, quæ, rejecta priori idea, in elegantem prorsus formam surrexit. Etenim cum nostri rerum omnium inopes essent, et totius pagi æs non sufficeret, ex libro computus fabricæ constat, in solam illius sacræ ædis structuram supra aureorum quadragena millia impensa esse; quæ sane auri vis non aliunde cogi potuit, quam ex piorum hominum, qui ex religione in Sorianum ad stupendæ hujus iconis præsidia profecti sunt, prodiga manu, et pro muneribus receptis effusa pietate.

ex quibus tamen duo

928 Ex vetustis quoque sancti Dominici ad suam hanc effigiem prodigiis pauca in nostram ætatem constante memoria et omnem dæmonis invidentiam superante, perstiterunt; e quibus duo obiter indicamus. Unum est : alta quædam rupes posteriori ædis muro proxima imminebat, ex qua continuo decurrens aqua parietem, ex quo imago ipsa pendebat, jam dudum infecerat, certo certius exesura, dum indies perplueret, sensimque fieret putris. Veriti Patres, ne et ipsa imago humorem admitteret, præsentissimum telæ et pictis coloribus exitium, prudente (uti videbatur) consilio, illi cautum volentes, eam alio loco reposuerant. Cum vero secundo et tertio id fecis-

A fecissent, totiesque priorem sedem ipsa repetivisset, rati Patres, ab æditúo id factum, eo severius habito, vicarius seu præses, templi claves ei eripit, imaginem alio loco ipsemet ponit, ædem occludit, in quam nisi ipsi accessus non esset; ipsemet ad Matutinas preces reserat, omnium primus ingreditur, imaginemque in pristinum veteremque et a Deipara quidem destinatum locum revertisse spectat et stupet.

breviter referuntur.

929 Rursus id temporis accidit, annis nimirum a cœlitus icone decem *(præter alios prodigiorum Sorianensium collectores, F. Carolus Myleman in Compendio Flandrico eorumdem miraculorum cap.* 5 *pag.* 42 *tradit, illud anno Christi* 1609 *contigisse)* cum nostri illo miraculo didicissent, sedem illam divinitus imagini datam; ut quod verebantur, tum illius, tum templi detrimentum amolirentur, rupem templumque inter, aquæductum fieri curarunt, quo aquas in partem alteram declinarent. Huic operi dum incumbit Stephanus Schiavellius Sorianensis, vir magnæ in sanctum Dominicum pietatis, fragorem audit, oculos attolit, saxum ingens rotari, atque in se B ruere videt, et adeo celeri fuga saxi illapsum haud potis antevertere, sancti Dominici nomen inclamat et opem. Adfuit illico Dominicus, visusque sinistra grande illud saxum detinere; dextra vero Stephanum ipsum apprehendere, et loco amovere, additis his ad eum verbis: Secede nonnihil, fili, et vitæ discrimen fuge, cui te mei gratia objecisti. Dixit, abiit, adspexitque Stephanus, illam saxi molem in locum, ubi ipse prius constiterat, decidisse.

Denique ad illam Sancti picturam devote confluit

930 *Quidquid sit de variis hujus narrationis circumstantiis, et diversa prodigiorum chronologia, quas antiquioribus monumentis confirmatas cuperemus, ex unanimi omnium auctorum consensu ac quotidiana experientia constat, innumeros cujuslibet conditionis homines devotionis causa ad imaginem illam Sorianensem confluere, et intercessione* S. Dominici *illic plura evidentiaque patrari miracula, quæ laudatus Choquetius loco citato summatim ita recenset :* Præterea cum ab ipso sacræ imaginis primordio ingens semper fuerit ad eam hominum concursus, nihil tamen speciatim a nostris de eo litteris proditum est, uti nec de miraculis ad annum usque hujus seculi nonum (*id est Christi* 1609) C quo Augustinus Galaminius, S. R. E. Purpuratorum patrum nunc numero a Paulo V additus, generalem tunc Ordinis Prædicatorum præfecturam gerens, et Sorianum adiit, et, ut singula tum prodigia, tum scitu memorabilia, fastis inscriberentur, imperavit. Ex iis vero, quæ ab anno illo memoriæ prodita sunt, operæ pretium est, nos hic pauca vel breviter referre. Anno ipso nono peritorum quidem judicio et calculo, a XXIX Julii ad usque Nonas Augusti recensita sunt in Sorianum piæ peregrinationis ergo venisse centum circiter hominum millia; aliis interdum ad centum triginta millia. Nec solum venere inopes, rustici, et ex infima plebe plurimi; sed innumeri quoque locupletes, patricii, illustres, principes viri feminæque, et tandem cujusvis status ordinisque homines.

Ingens multitudo hominum, etiam illustrium,

931 Sorianum pietatis ergo, atque ad sancti Dominici iconem, Virginis Deiparæ manibus cœlo allatam, venerabundi venere sacrorum antistites episcopi : Miletensis, Neocastrensis, Catanzarinus sive Cathacensis, Cotroniensis, Strongolensis vel Strangulensis, Oppidensis, Umbraticensis, aliique. Venere abbates, prælati, canonici, et cujusvis instituti regulares. Eodem supplices profecti sunt : marchio Arenensis, dux Nucerinus, comes Melissanus, marchio Grotteriensis, princeps Rupellanus, marchio Castriveteris, principissa Squillacina, dux Cerisanus, dux Cardinalius, princeps Maidensis, marchio Paulinas, princeps Geracinus, marchiones Nicosianus et Casabonus; aliorum tametsi sanguine illustrium vel accurata ratio iniri haud potuit, vel certe nomina perscribere, nullius pretii fuerit labor. Nos ex innumeris istos, tum sacros proceres, tum aviti sanguinis sua majorumque gloria illustrissimos principes adnotavimus, ut quanta quorumque adversus hanc sancti Dominici effigiem sit religio, quamque celebris ad eam omnium undique peregrinatio, indicaremus. Porro nuper etiam serenissimus Cardinalis Medices, prodigiose recuperata a Dominici manu valetudine, voti fidem liberaturus, et sospitatori suo grates acturus, Sorianum adspexit. AUCTORE G. C.

quorum pietas ibidem

932 Sed pro dignitate et merito satis explicari non potest maximus pietatis ardor, quo sancti Dominici præsidium enixissime implorant omnes, infimi, summi : plures siquidem videre est ab ipso templi limine ad majorem usque aram reptantes solum ipsum elingere; plures durissimis E flagellis se atrociter diverberare, copiosumque cruorem profundere; alios caput, humeros, pectus lumbotenus nudatum pungentibus carnemque lacerantibus spinis ingeniose opertos in templum ingredi, sacræque imagini sistere sese, et post mistas lacrymis preces, silvestre illud et aculeatum indumentum ad aram deponere. Cernere est feminas puellasque etiam illustres, vel in templo ipso comas capillosque sibi præscindere, vel antea præcisos illuc adferre, et veluti carissima pignora, anathematis loco beato Dominico vovere atque offerre. Conspicere est etiam antistites ac optimates in sacram illam peregrinationem aliquot dierum spatio venire nudipedes. Et quia ex donariis populi undique concurrentis tum multitudo tum pietas supra id, quod antea diximus, utcumque conjici possunt, anno hujus seculi nono a XXIX Julii ad VII usque Augusti numerata sunt septingenta pondo serici, quingentæ faces, boves, equi, jumenta viginti duo, oves et capræ centum quinquaginta tres, pecunia ad ducatos mille. Insequente anno, ejusdem temporis spatio, feriis nimirum sancto Dominico thaumaturgo sacris, in ære oblati sunt bis mille qua- F dringenti triginta septem ducati; absque aliis cujusvis generis rebus maximo pretio æstimandis : sicque in singulos annos crescit minuiturve munerum copia, prout unus alio fœcundior, feliciorque est.

crebris compensatur miraculis.

933 Quia vero prodigia, quæ per sanctum Dominicum, sacramque ejus in Soriano effigiem patrare dignatus est Deus, quod innumera sint prorsusque stupenda, sigillatim percensere, supra institutum nostrum est : lubet tamen vel verbulo pauca indicare. Ab anno salutis MDCIX usque ad ejusdem seculi vigesimum cum splendida, [tum] admiranda, et quæ stuporem provocant ad Sorianensem hanc sancti Dominici effigiem, effuso cœli favore, cujusvis generis patrata sunt prodigia : sane e mortis præsentissimæ faucibus, supra naturæ cursum et vires, erepti fuere undetriginta, et a morte ipsa in vitam revocati duodecim. Plura deinceps in hunc usque diem nec inferiora continenter acciderunt, semperque succedunt. Quia tamen eorum exactam rationem assequi non potuimus, hic præterimus. Quæ vero toto hoc capite dedimus, memoriæ prodidit Sylvester

AUCTORE G. C.

vester Frangipanis, suo de hac ipsa imagine libro, Florentiæ excuso, anno MDCXXII, quem consule, si lubet, omnia prolixius Italico idiomate enarrantem.

quæ apud varios scriptores vernacule legi possunt.

934 *Habemus duas miraculorum Sorianensium collectiones, sub nomine Sylvestri Frangipane Italice editas, quarum una Venetiis anno* 1630 *prodiit, altera Messanæ anno* 1635 *excusa est. Sed inter tot lucubrationes nobis non vacabat, integrum istud opus ex Italica lingua Latinum reddere. Quapropter in scheda memoriali, quam abhinc duobus annis R. P. Priori Conventus Antverpiensis obtuli, quamque is ad Reverendissimum Ordinis Dominicani Magistrum Generalem transmisit, præter alia suppliciter petieram num.* 2 *sequens adjumentum his verbis :* Circa prodigiosam sancti Dominici imaginem in Soriano tantummodo habemus, quæ R. P. Hyacinthus Choquetius breviter scripsit. Illustria autem miracula, quæ istic contigerunt, Sylvester Frangipanius Italice, et R. P. Joannes Doye Gallice ediderunt duabus partibus, quarum primam R. P. Ægidius van Swieten, secundam R. P. Cornelius Janssenboy Flandrice transtulerunt. B Si quis Reverendorum Patrum miracula illa ex idiomate Italico, Gallico, vel Flandrico interpretari velit, ea Actis nostris inseremus, præfixo interpretis nomine. Quod si forte hoc opus majoris molis videatur, posset Latine reddi compendium utriusque partis, quod R. P. Carolus Myleman Gandavi anno MDCL Flandrice typis vulgavit. *Tunc multa nobis promissa sunt; sed præter promissionem hactenus nihil horum accepimus. Nemo igitur negligentiæ nostræ adscribat illam miraculorum omissionem, cum præter exspectationem auxilio isto destituti, urgentibus jam typothetis, ea prætermittere cogamur. At hunc defectum utcumque supplebit insigne ejusdem loci prodigium, quod Latine editum inter schedas nostras invenimus, et quod paragrapho sequenti inseremus.*

§ LII. Posthuma Sancti gloria ex innumeris miraculis.

Præter innumerabilia beneficia, C

Certe innumerabilia sunt beneficia, quæ S. Dominicus *clientibus suis contulit, et quæ omnium pene gentium linguis celebrantur. Libenter post hunc commentarium ad gloriam Sancti etiam edidissem ea, quæ in variis Europæ partibus vernacule conscripta sunt, si satisfactum fuisset desiderio meo, quod in præfata scheda memoriali, R. P. Priori Antverpiensi oblata, num.* 4 *indicaveram his verbis :* Denique si quæ nova miracula contigerint, de quibus S. Antoninus, Flaminius et Malvenda non meminerunt, dignentur Reverendi Patres illa Latine colligere, ut Actis sancti Dominici inserantur. Si RR. PP. noverint alia ad elucidandam sancti Dominici Vitam spectantia, quæ nos latent, ne graventur ea nobis subministrare. *Sed cum nihil impetraverim, huic commentario et Actis* S. Dominici *subjungam dumtaxat ea miracula, quæ apud varios auctores Latine exarata inveni.*

quæ S. Dominicus ubique clientibus suis contulit,

936 *Nescio, quo tempore contigerit aut quibus testimoniis nitatur miraculum, quod apud antiquos scriptores non inveni, et quod tamen Joannes Garzo in Actis* S. Dominici *apud Leandrum Albertum folio* 22 *asseveranter narrat his verbis :* Eques quidam auratus Apulus Dominico amplissimos honores habebat. Qui Prædicatorum Religioni addicti erant, si ad oppidum suum diverterant, hos D humane benigneque excipiebat. Erat huic in cubiculo non longe a cubili tabella, Dominici signo exornata. Casu accidit, ut, quas habitabat, ædes corruerent : ipse universaque familia, præter unicum filium in cubiculo relictum, abessent. Ad rem inspiciendam factus est hominum concursus existimantium, equitem una cum familia periisse. Semotis lapidibus, inventus est puer illæsus, tabellaque incorrupta, ac nullis maculis infecta. Quærebatur ex eo, ullone fuisset metu perculsus. Nullo, aiebat ille, quod eum Dominicus tutatus esset. *Utinam Garzo, locum, tempus, ac testes hujus miraculi distincte expressisset!*

mense Martio anni 1638

937 *Ceterum hoc loco referam singulare prodigium, quod mense Martio anno* 1638 *in Soriano contigit, et quod R. P. Hyacinthus Choquetius anno* 1639 *Antverpiæ in expanso folio Latine edidit. Præter aliqua antecedentia et consequentia, quæ hoc loco ad propositum nostrum non pertinent, elegans idem scriptor ipsam historiam narrat hoc modo :* Calabriam utramque, ea scilicet quæ Tyrrhenum mare spectat, citerior superiorque dicta ; et quæ ab Ionio incipit ulterior inferiorque nuncupata, ultimam Italiæ regionem amœnissimam, omnique rerum ubertate florentissimam, quam post alios accurate libris quinque describit Gabriel Barrius, superiore anno, sexto Kalendas Apriles, infestavit et porro miserandum in modum funestavit horrendus terræ motus, qui urbes aliaque loca gravi ruinarum labe concussit, quædam solida absorbuit. Pro Deum immortalem, quæ tunc non fuerunt totius populi in communi illo excidio lacrymæ! Eorum, quos non oppresserat calamitas, oculis non aliud obversabatur, nisi certissimæ mortis ingens metus, et ab ejus jam tum occursu trepidatio. Immensæ hiabant non uno loco terræ voragines; ubique obvia erant suorum vel parentum, vel amicorum et popularium funera. Omnium unica erat Dei misericordiam inclamantium deplorata vox. Quoquo pedem verterent, præsentissimum vitæ discrimen metuebant et incurrebant. Nec erat vel una perfugii umbra vel spes salutis : ecquæ enim esse poterat, irato atque in scelerum vindictam armato Numine, et in eorum perniciem conjurata terra, quæ scelera, iisque deditos Dei hostes haud ultra velle sustinere videbatur, sed in orcum proscribere? E

F *in horrendis terræ motibus,*

938 Sane si flammæ pariter tunc in miseram Calabriam desæviissent, poterat cuique videri supremus iste orbis dies, cujus terræ ille motus vere prodromus et imago erat. Quid enim aliud fuit tot urbium eversio, tot terrarum exstinctio, tot hominum interitus? Quantum quidem nos ex hujus rei relatione quadam, typis Ludovici Grignani Romæ edita, quam solam impressam vidimus, assequi potuimus, horrendo illo terræ motu, vel penitus excussa sunt, vel graviter concussa populosa oppida novem decemve, atque in iis Consentia superioris Calabriæ, et Catanzarum inferioris, metropoles; Messana Siciliæ quidem clara urbs, ac tunc Calabriæ nimis vicina; Miletum, cujus episcopus beati Dominici meritis, cujus opem ardenter concepto etiam voto expoposcerat, opportune ex communi periculo ereptus est. Neocastrum, amœnissima urbs ac frequens, funditus eversa, in ruinam secum tria hominum millia et principem Castiglionensem traxit. Pagi etiam triginta tres vel terra obruti sunt, vel ab ejus fremitu quassati. Interierunt hominum cujusvis ætatis ac status quindecim millia, quorum magna pars sub ruinis sepulta,

atque

A atque inde tanto ejulatu Dei misericordiam hominumque opem inclamare audita, ut et lapides quoque lamentari coëgisset.

qui Calabriam afflixerunt.

939 Ad Neocastrum, cujus jam meminimus, fluvius Ametus labitur : hujus aquæ dies aliquot sanguinem colore retulerunt, sulphureum odorem spirantes. Fragmentum præterea cujusdam epistolæ vidimus, quæ alterius quoque terræ motus, isto posterioris, in eadem Calabria meminerat; et ab hoc quidem priore plures homines interemptos, plura oppida et loca oppressa vel afflicta commemorabat. Nos illi, aliisque Romana illa Grignani posterioribus narrationibus facile fidem habebimus, quod Romanæ scriptor majorem certitudinem progressu temporis exspectandam dicat, ut nobis plane persuasum sit, Romanam illam Grignani relationem typis commissam, re non satis adhuc perspecta. Et sane cum numerus hominum urbiumque ac locorum eversorum aut concussorum, quem hic ponimus, illius terræ motus atrocitatem, et miraculi, quod subjicimus, magnitudinem satis demonstret, major tamen copia cladium funerumque, utramque
B exaggeraret magis. Utut sit, miseranda prorsus et æternis lacrymis deploranda est ista florentis Calabriæ calamitas, atque funestissimus tot hominum a terræ dehiscentis vorantisque ingluvie interitus. Quod si noctu, ut interdiu, insanivisset terra, profecto longe deterius fuisset malum, sed benignius fuit cœlum; et Deus, qui non umquam misericors esse non potest, et, cum iratus fuerit, misericordie recordatur (ubi præsertim afflictorum opitulatrix Maria sua fulmini opponit ubera) non solum furenti terræ modum posuit, sed et in tanta malorum inundatione, insolitoque et periculosiore naufragio faventem cynosuram voluit esse beatum Dominicum, cœlestemque ejus iconem, Virginis Deiparæ manu ostensum Soriano sidus, quod nova tunc luce splenduit.

Sanctus Sorianenses opem suam implorantes

940 Igitur cum horrendum infremeret terra, unde unde poterat, ad suum illud, quod unicum superesse videbatur, asylum maxima hominum accurrit frequentia. Cœnobii nostri Prior sacram iconem, reserata argentea porta, qua clauditur, palam detegi jussit. Erant omnium oculi lacrymis perfusi, atque ab ejulatu exterriti et conster-
C nati populi haud minor erat omnium perturbatio et confusio, quam a terræ ipso motu. Beati Dominici, qui unica afflictis spes erat, facies in imagine, tetrica, tristior ac severior omnibus visa est; quæ res mortis metum non excussit, sed, velut funestum necdum placati Numinis omen, et precibus non annuentis Patroni, ad quem recurrebant, auxit magis. Accedebat in momenta fama alia atque alia loca ab eodem terræ motu occupata, et vel eversa vel concussa. Altero die, qui XXVIII Martii fuit, et ex Ecclesiæ ritu Dominica Palmarum, nostri supplicationem publicam instituerunt, et nudipedes ac cinere conspersi processerunt; quos pone sequebantur omnis ætatis, sexus, et conditionis homines, collacrymantes, unoque ore tutelarem suum Dominicum obtestantes, ut infaustam illam rerum faciem in sereniorem benignioremque commutaret. Continuatæ preces, ac totus ille dies magnis pietatis operibus impensus, cum ab ortu solis fidelium devotioni publice expositum fuisset augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, et secundum Deum omnipotentis Deiparæ Virginis Rosarii gratiarum rosis coronata statua.

941 Finito sub vesperum Completorio, cum nostri Dei et suam amantissimam Matrem, sanctissimam Mariam, quotidiano et singulari sui Instituti ritu, per Hermanni contracti tota Ecclesia celebre et nobile canticum SALVE REGINA consalutassent, atque in odeum reverterentur, dictus cœnobii præfectus in sancti Patris iconem oculos cursim conjecit, adspexitque in eo rutilantem stellam : quod cum ipse tunc, et, cum in odeo esset, summopere tacitus miraretur, ecce auditæ voces populi, sibi ipsi gratulantis, voluptate et nimia rei insolitæ lætitia gestientis, atque inclamantis, se non unam stellam in sacra illa imagine contueri, sed plura faventia sidera sibi allucere. Ad hos clamores, in populi medium et sacræ imaginis prospectum penetrat Prior, miraturque, a se verum deprehendi, quod tota hominum frequentia clamitabat : ab omnibus siquidem conspicue visebantur tres in sancti patris Dominici pectore splendentes revera stellæ, et in singulis genibus singulæ, ejusque vultum sereniorem ac lætiorem; Dei scilicet nutu, quantum Sorianum suum deperit, ostentat, missis e cœlo, quibus olim mortalis et nunc Deo proximus hominum salutem ardet, ignibus in suam illam iconem, elementi furores triumphantem. Misit et in E genua, quibus ipse Numen potentissimus orator Soriano excidium deprecatus est; ad quæ clientes suos supplices manus tendere, atque ut aras venerari, haud sine commiseratione videbat. Etenim et ex gentium observatione, hominis genibus religio quædam inest, teste inter alios Plinio lib. II cap. 45; et amoris sedem cor esse, cujus flamma non uno loco in Dominici pectore tunc erupit, nescit nemo.

AUCTORE G. C. consolatus est prævio imaginis suæ splendore,

942 Aderat tum in cœnobio nostro magni nominis spectatissimæ fidei vir quidam (secularem aut alterius Ordinis magnum, qui voti ergo ad tempus ubi agebat, omnino existimamus, cum viri qualitas in litteris ad Generalem nostrum scriptis non perscribatur; et si ex nostris quispiam fuisset, tunc maxime in Completorio et meditatione, quæ proxime sequitur, stationem cum aliis servasset suam) : is ad tantas omnium voces festivasque acclamationes in templum descendit, et oculis suis vix credens, ad omne dubitationis nubilum semovendum, templi valvas fenestrasque omnes occludi, faces, cereos, lampades omnes exstingui voluit. Tum hinc inde omni ex parte diligenter iterum iterumque circumlustrans, deprehendit tandem, splendorem illum F non a sole esse, non a facibus cereisve, sed qui revera a prodigiosis illis stellis in Calabriæ ac maxime Soriani salutem, maximo portento luceret. Etenim præcluso omni externæ lucis aditu, obseratis quoque argenteæ portæ (intra quam prodigiosa icon asservatur) foribus, radii tamen rimas invenerunt, per quas latens sidus emicaret. Vir sane ille magnus sua sagacitate, male feriatorum nec non hæreticorum proterviam in radice ipsa præsecuit, et, si quæ occurrere possent deliramenta, palam fecit, ac tandem tanto in sacra icone prodigio integram fidem asseruit. Verum populus ardens et moræ impatiens, delapsum cœlo salutis suæ sidus, eoque radiantem tutelarem suum Dominicum obnubilari haud ferens, eclipsim accusat, atque certissimæ suæ cynosuræ conspectum magnis vocibus repetit et obtinet.

quam multi stellis rutilantem viderunt,

943 Postridie, cum percrebuisset tantorum prodigiorum gloria, multo major hominum frequentia fuit, pariaque omnium tot mala sibi suisque deprecantium vota; ideoque et toto illo die

eosque ab imminente ruina mirabiliter servavit,

patuit

AUCTORE G. C.

patuit omnibus conspicua inusitato sidere nobilis sancti Dominici icon. Aliquot in ea stellæ etiam tum cum omnium stupore atque applausu splendebant, et sparsim cœlestis quædam nec antea conspecta lux. Ad plures deinde dies unica dumtaxat stella in Dominici pectore superfuit, quam non cuivis conspicere datum; eam videbant soli, quorum erat major vitæ integritas, a peccati sorde purior animus; eam videbat cœlo grata et necdum sceleri matura infantium et puerorum ætas: vidisse quoque se inter alios publice fassus est, et posteritati ad æternam fidem testes litteras dedit inclytus Soriani Comes. Enimvero exploratum cuique erit, omnem illam tantorum prodigiorum in sancti Dominici icone non claritatem et bonorum laudem dumtaxat, sed maximam etiam gloriam, non aliud significasse, quam eum studiose a se delecti Soriani singulare columen esse ac tutelarem; ipsique Numinis clementiam propitiare, interpellata scilicet ope omnipotentis Mariæ Deiparæ: nihil etenim etiamnum in æternis gloriæ triumphis circa mortales aggreditur Dominicus, quod non prius cum sua suique Ordinis Matre, a cujus nimirum ubere pendet, composuerit, ipsaque opem addixerit. Hinc cum magna Calabriæ pars funesta illa terræ motione vel dehisceret, vel horrende concuteretur, communis ista calamitas Sorianum quoque prostravisset; et porro minas intulit, terruitque: at Mariæ Dominicique præsidio, futuro alioqui exitio absque cujusquam damno prælusit solum.

B

quod miraculum plurimos peregrinos eo attraxit,

944 Nescio, quid ædificii moliebantur nostri: cœnobiarcha pridie illo Palmarum, cura lustrandi operis urgente, aliquam contignationem inscenderat, stabatque super necdum concluso arcu seu fornice, cum tigna vehementer inter se collidi, marmora concuti, haud secus quam furente vento arbores casuris simillimæ acrius concitantur. Quo tempore et de se et de ædificio solicitum cœnobii præfectum alter e nostris, singulari virtute vir, qui forte juxta inferne stabat, submisse admonet, conspexisse se duas præstanti corpore et eximia supra humanam specie feminas, fabricæ molem suis manibus sustinentes. Nemo sane earum heroïdum unam augustissimam Mariam fuisse inficiabitur, vel ejus imperio cœlo totoque orbe celeberrimas Magdalenam et Catharinam Alexandrinam, quæ Deiparæ cœlestem iconem offerenti comites olim fuere. Porro ubi fama per utramque Calabriam finitimasque provincias tanta hæcce prodigia nuntiavit, effusa hominum cujusvis sexus, ætatis, ac conditionis supra mensem integrum ad sacram peregrinationem in Sorianum certatim accurrit frequentia; qualem quotannis videt Sextilis, cujus initium eidem beato Dominico sacrum. Accurrerunt, inquam, innumeri, atque insolita prorsus et admiranda dederunt tum pietatis tum pœnitentiæ argumenta. Præiverunt viamque straverunt principes et optimates; ac supra omnes eluxit singularis episcopi Miletani religio, qui, comitante Canonicorum collegio, ceteroque Clero, et frequentissima hominum multitudine, toto itinere nudipes fuit, et sacco amictus, maximo virtutis et gratitudinis exemplo. *Tota hujus narrationis substantia confirmatur ex epistola, quam R. P. Franciscus Castel-vetere, tunc Prior Sorianensis et testis oculatus, dedit ad reverendissimum totius Ordinis Magistrum Generalem, et quæ apud Joannem a Sancta Maria in Actis* S. Dominici *lib.* 4 *capite ultimo Gallice legi potest.*

C

et cultum ejusdem Sancti propagavit.

945 *Denique Choquetius ibidem breviter exponit, quomodo propter hoc beneficium veneratio erga* S. Dominicum *creverit, et illud publici cultus augmentum sic paucis indicat:* Fecit quoque fama illa, et perspecta atque explorata rei veritas, ut plurimi in perpetuam sancti Dominici clientelam se suaque dederint; ac in primis ut universi regni Neapolitani principes, proceres, urbes eumdem sanctum Dominicum totius regni patronum tutelaremque maximo consensu a se delectum, missis ad Urbanum VIII legatis, per Sedis Apostolicæ oraculum declarari, constitui, ac confirmari quam ardentissime expetierint. *Hanc regni Neapolitani clientelam R. P. Paulus Caracciolus ex Ordine Prædicatorum celebravit in opere Italico, quod inscribitur* Triumphus sancti Dominici, *et quod variis carminibus aliisque ornamentis litterariis decoratum Neapoli anno* 1644 *edidit.*

Puella Antverpiæ

946 *Huic prodigio Sorianensi subnecto miraculum Antverpiense, eo quod ad Sorianensem* S. Dominici *imaginem quodammodo spectet, quandoquidem puella Autverpiensis, ibidem oleo Sorianæ lampadis inuncta, statim ex morbo convaluit. Accidit illud Antverpiæ circa finem anni* 1632, *et in expanso folio, quod ibidem anno sequente cum approbatione episcopi typis excusum est, refertur in hunc modum:* Catharina Praet, puella octennis Antverpiæ nata, eo devenerat ægritudinis, humore e cerebro continuo defluente, et jam hebdomadas pæne quinque inveterato, ut decem dierum spatio pedibus nullo modo posset insistere; quod clarissimus dominus Lazarus Marquis, civitatis Antverpiensis juratus et ordinarius medicinæ doctor, post crebras satis visitationes fideliter attestatus est. Die XXIII Decembris hora sexta mane Maria Tengieters Deo devota, et prædictæ puellæ cognata, eam miserrime afflictam ad sacram ædem sancti Pauli Ordinis Prædicatorum Antverpiæ suis ipsam brachiis detulit, pie confidens, eam sancti patris Dominici sacris precibus adjutum iri.

E

oleo lampadis Sorianæ inunctæ,

947 Quare rogat obnixe R. P. F. Jacobum de Brouwer, sacræ theologiæ magistrum et ejusdem Conventus Priorem, ut cognatæ suæ votivam benedictionem impertiat, oleoque ex lampade prodigiosæ imaginis sancti Patris Dominici in Soriano eam inungat. Reverendus pater Prior, qui horariis precibus (quas Primas vocant) intererat, exspectare jubet, donec Officio canonico finis imponatur. Imponitur; et puella ad sacristiam defertur; collocatur in suppedaneo, et preces beatæ Mariæ Virgini et sancto patri Dominico sacræ a reverendo patre Priore recitantur; fronti oleum applicatur una cum benedictione; e sacristia ad templum, reverendi patris Prioris Sacrum auditura, deportatur. Audit; domum denuo Mariæ brachiis defertur; in consueta sede collocatur, et ita ad cognatam: Nonne Deus, si vellet, in instanti, tibiarum defectui posset mederi? Posset, inquit, illa. Et ecce novum quid sentit in crure, in pedibus; gressum affectat, et quod mirum, sponte sua surgit, valide stat, et feliciter incedit. Eodem die mane hora octava, comitante cognata, ad sancti Pauli revertitur, adit reverendum patrem Priorem, pœnitentiæ Sacramentum gregi suo, ut solet, administrantem, et gratulabunda, multis adstantibus æque atque admirantibus, beneficium insolitum exaggerat. Hic, inquit, a sancto Dominico mihi favor; illi debeo salutem hanc, et pedum incolumitatem. Petita et obtenta benedictione, pedes nullius adminiculo domum exultabunda redit.

F

statim sanitati restituta est:

948 Reverendus pater Prior, rei novitate perculsus, eam accedit, totius rei seriem ad amussim examinaturus; sed (quod Dei donum) puella sospes et incolumis, Maria comite, visitanti occurrit, eique et aliis circumquaque cursitantibus divinam opem, et sancti patris Dominici auxiliantem manum, qua potest pietate, extollit. Hora post meridiem prima rogat R. P. Prior clarissimum et expertissimum medicinæ doctorem D. Lazarum, puellam adeat, mature discernat, judicem se exhibeat et arbitrum, candide profiteatur, quid rei sit, cui adscribendum, naturæne, an naturæ Auctori. Inspecta sunt omnia et singula: et quinta die manu propria luculente testatus est, adeo repentinam medelam non homini, sed Deo soli et Sanctis ejus deferendam. *Tunc vero ibidem sequitur approbatio episcopi Antverpiensis, quæ sic sonat:* Nos Joannes Malderus episcopus Antverpiensis, examinatis et expensis supradictis attestationibus, auditoque desuper theologorum et piorum virorum judicio, sanationem supra nominatæ Catharinæ Praet declaramus per præsentes, videri nobis, precibus et meritis sancti Dominici miraculose esse obtentam. B
Datum Antverpiæ XII Januarii, anno Domini MDCXXXIII.

et altera ibidem ab inveterato cancri morbo liberata est,

949 *Anno Christi* 1635 *in eadem urbe contigit aliud miraculum, quando intercessione* S. Dominici *filia quædam, nomine Catharina Vande Vaert, ab inveterato cancri morbo prodigiose liberata est, ut constat ex approbatione illustrissimi ac reverendissimi D. Gasparis Nemii, episcopi Antverpiensis, quam R. P. Joannes Doye Gallice interpretatus est, et miraculis Sorianensibus pag.* 293 *subjunxit. Fortassis hoc authenticum episcopi Antverpiensis testimonium et Latina hujus miraculi narratio conservantur in archivo Prædicatorum Antverpiensium, ut conjectare licet ex Belgio Dominicano, quod R. P. Bernardus de Jonghe Bruxellis anno* 1719 *edidit, ubi pag.* 205 *et sequente post mirabilem Catharinæ Praet sanationem, de hoc posteriori miraculo ita meminit:* Alterius miraculi obtenti eadem erga sanctum Dominicum devotione mentionem facit Auctarium seu Registrum resolutionum Patrum a concilio hujus Conventus *(nimirum Antverpiensis, de quo ibi agit) in cujus regesto asserit legi sequentia:* Die XXV Augusti MDCXXXV conclu-
C sum fuit, ut proxima Dominica, prima Septembris, promulgaretur miraculum factum in persona Catharinæ Vande Vaert miraculose sanatæ unctione olei lampadis sancti Dominici in Soriano; quæ Catharina subito sanata fuit a cancro in pectore, quem per septemdecim annos habuerat, et ab aliis gravissimis morbis.

quibus alia miracula post hunc Commentarium addemus.

950 *Præterea laudatus Joannes Doye in præfato Opere pag.* 290 *et sequentibus Gallice refert miraculum, quod anno* 1634 *Valencenis in Belgio evenit, et quod ab illustrissimo et reverendissimo D. Francisco Vander Burch, archiepiscopo Cameracensi, publicis litteris approbatum est. Sed hæc aliaque mira* S. Dominici *beneficia, quæ vernacule scripta sunt, ob rationem supradictam omittere coactus sum. Attamen hanc omissionem satis compensabunt plura ejusdem Sancti prodigia, quæ apud Theodoricum de Appoldia aliosque auctores Latine exarata inveni, et quæ ab Echardo, Flaminioque collecta postmodum Actis illius subnectam. Nunc huic Commentario meo finem impono, per cujus decursum more nostro vera a falsis, et certa ab ambiguis, secernenda esse existimavi. Quod si crisis illa mihi non semper ex voto successerit, et præter mentem meam subinde a veritate aberraverim, corrigi non recuso, facile genuinis veterum auctorum testimoniis, aut probabilioribus quorumlibet argumentis cedere paratus. Interim eruditus lector, hac prævia rerum gestarum discussione munitus, jam pervolvat antiqua* S. Dominici *Acta, quæ consuetis notis post singula capita breviter illustrabo.*

AUCTORE G. C.

VITA

Auctore B. Jordano synchrono ex Ordine Prædicatorum, et secundo ejusdem Ordinis Magistro generali.

Ex antiquo Ms. membranaceo Uxamensi, quod conservatur in codice Musei nostri, signato ✠ Ms. 162, et cum editione Echardi collatum est. E

PROLOGUS.

Beatus auctor rationem reddit, ob quam Acta S. Dominici a

Filiis gratiæ, et coheredibus gloriæ Fratribus universis Ordinis Prædicatorum Jordanis *a*, eorumdem servus inutilis, salutem, et in sancta subsequi professione lætitiam. Flagitantibus plerisque Fratrum, et scire cupientibus, qualiter hic Ordo Prædicatorum, per quem horum temporum novissimorum periculis dispensatio divina providit, sumpserit institutionis exordium, quales etiam exstiterint, qualiterve numero multiplicati fuerint, et confortati per gratiam primitivi Ordinis nostri Fratres; jam dudum investigatum est et compertum ab eisdem Fratribus, qui novellis interfuere primordiis, quique viderunt et audierunt venerabilem servum Christi beatum Dominicum, primum Religionis hujus institutione * magistrum et Fratrem, qui in hac carne vivens inter peccatores, cum Deo et angelis F
pia mente conversabatur, præceptorum custos, consiliorum æmulus, et ex omni, quod scivit et potuit, æterno suo Creatori deserviens, et lucens in hujus mundi tetra caligine per vitam innocuam, et conversationis sanctissimæ cœlibatum.

* *alias* institutorem

et primordia Ordinis Prædicatorum litteris mandet.

2 Igitur visum est mihi, omnia hæc per ordinem assecuto, qui licet omnino de primis non fuerim, cum primis tamen conversatus sum, et ipsum beatum * Dominicum non solum extra Ordinem *b*, sed existens in Ordine satis vidi, familiariterque cognovi, utpote qui ei confessus sum, et ad ejus voluntatem suscepi diaconatus officium, qui etiam quadriennio post primam Ordinis institutionem habitum hunc assumpsi; visum est igitur mihi ea, quæ vidi personaliter et audivi, ac partim verorum * Fratrum relatione cognovi, de principiis Ordinis, de vita et miraculis beati viri, patris nostri Dominici, et de aliis quoque quibusdam Fratribus, prout se memoriæ meæ talium ingessit occasio, sub scripto redigere, ne filii, qui nascentur et exsurgent, Ordinis hujus ignorent primordia, et tunc frustra scire desiderent, cum inveniri non possit ex nimio processu temporis, qui de eisdem principiis certum aliquid enarrare

* *alias* sanctum magistrum b

* *alias* primitivorum

EX MS.

enarrare sufficiat. Igitur, dilectissimi in Christo, hæc, quæ subsequentur, [et] ad consolationem ædificationem vestram qualitercumque collecta sunt, devote suscipite, et primæ caritatis Fratrum nostrorum æmulatione fervete *c*.

c

ANNOTATA,

a *Vocatur etiam* Jordanus, *ut videri potest in ejus Actis, quæ Henschenius noster ad diem* 13 *Februarii illustravit.*

b *Nempe B. Jordanus in academia Parisiensi ante ingressum Ordinis studebat, quando* S. Dominicus *ex Hispania Parisios venit.*

c *Ex toto hoc prologo patet, certam fidem adhibendam esse iis, quæ deinceps narrabuntur.*

CAPUT I.

B

Sancti patria, pueritia, studia litterarum, virtutes, dignitas in Ordine Canonicorum Regularium, itinera, et prima cum hæreticis Albigensibus certamina.

a

Cum Didacus vir pius Oxomensi præesset ecclesiæ,

* *alias* natales, ingenium

In Hispaniarum partibus vir erat venerabilis vitæ, Didacus *a* nomine, ecclesiæ Oxomensis episcopus, quem sacrarum Litterarum notitia, et secundum seculum natales ingenui *, magis autem morum insignis decorabat honestas : hujus amor sic Deo totus inhæserat, ut seipsum abjiciens et solum, quæ Jesu Christi sunt, quærens, ad id summopere animum intentionemque converteret, qualiter animarum multarum fœnerator effectus, talentum sibi creditum cum usura multiplici suo Domino reportaret. Satagebat ergo, ubicumque perscrutari posset, viros honestate vitæ moribusque laudabiles sibi modis, quibus valebat, attrahere, et in ecclesia, cui præerat, beneficiando locare; illos vero subjectorum suorum, quibus [desidiosa] *b* foret ad sanctitatem

C

b

voluntas, prona magis ad seculum, ut laudabilioris atque religiosioris vitæ formam assumerent, suadebat verbis, invitabat exemplis. Hinc accidit, ut daret operam suis persuadere Canonicis crebris admonitionibus et exhortatione pervigili, quatenus sub regula beati Augustini ad observantiam canonicæ Religionis consentirent; et tanta hoc ipsum egit solicitudine, ut eorum animos (licet quosdam ex ipsis contradictores habuit) ad suum desiderium inclinaret.

S. Dominicus Palentiæ

* *alias* Charaloga

c

4 Hujus in temporibus fuit quidam adolescens, nomine Dominicus, in eadem diœcesi, villa, quæ dicitur Chaleruega * *c* oriundus, quem ab annis puerilibus parentum suorum, specialiter autem cujusdam archipresbyteri avunculi sui diligentia nutriebat. Hunc primitus in usu ecclesiastico erudiri fecerunt, ut quem sibi Deus vas electionis futurum præviderat, in ipsa adhuc puerili ætate, velut testa recens exhiberet * (a quo nec postmodum immutaretur) sanctitatis odorem. Postmodum autem missus Palentiam, ut ibi liberalibus informaretur scientiis, quarum studium eo tempore vigebat ibidem; postquam eas, ut sibi videbatur, satis edidicit, relictis iis studiis, tamquam in quibus temporis hujus angustias minus fructuose vereretur expendere, ad theologiæ studium convolavit, cœpitque divinis vehementer inhiare eloquiis, utpote dulcioribus super mel ori suo.

* *alias* imbiberet

D

studiis operam dabat,

5 Itaque in iis sacris studiis annos transegit quatuor, per quos hauriendis sacrarum Scripturarum rivulis tam incessanter, tamque avide inhiabat, ut præ discendi infatigabilitate noctes pene insomnes perageret, et veritatem, quæ auribus ingerebatur, profundo mentis repositam sinu, tenaci memoria retineret. Ea nempe, quæ facilitate capiebat ingenii, piis irrigabat affectibus, et ex iis salutis opera germinabant. Beatus in hoc sane juxta Veritatis sententiam dicentis in Euangelio : Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Etenim cum gemina sit verbi divini custodia: una, qua, quæ aure suscipimus, memoria retinemus; altera vero, qua et ipsum, quod audierimus, mancipamus effectui, et exhibemus in opere : quod custodiæ genus commendabilius fore, nemo quidem ambigat, quemadmodum granum frumenti melius conservatur terræ mandatum, quam in arca repositum. In neutro felix hic Dei Famulus deficiebat, cujus memoria velut quoddam Dei promptuarium ex hoc in illud eructabat uberius; forisque mores et opera, quid sacro reconditum lateret in pectore, manifestissime clamitabant. Ob hoc ergo, quia mandata Domini tam fervido complectebatur affectu, excipiens vocem Sponsi tam pio bonæ voluntatis applausu, gratiam ei scientiarum Deus adauxit, ut non solum ad lactis potum redderetur idoneus, sed et quæstionum difficilium humili cordis intelligentia penetraret arcanum, et solidioris cibi scrutinium sufficienti admodum facilitate glutiret.

E

et inter alias virtutes

6 Iste fuit ab ipsis cunabulis indolis valde bonæ, et jam magnum aliquid insignis præconizabat infantia, quod futurum maturiori præstolaretur ætate. Non se cum ludentibus miscuit, nec cum iis, qui in levitate ambulant, participem [se] præbuit; sed instar placidi Jacob vagos Esau cavebat excursus, sinum matris ecclesiæ ac domestica sanctæ quietis tabernacula non relinquens. Juvenem simul ac senem aspiceres, quoniam et paucitas dierum loquebatur infantiam, et senem jam ipsa conversationis maturitas et morum constantia prædicabat. Respuebat seculi lascivientis illecebras, ambulans in via immaculata, virginitatis suæ decus illibatum usque in finem incorruptionis amatori Domino conservavit. (Cogitavit a vino tunc abstrahere carnem suam; unde et vinum per decennium non bibebat.] Jam autem illa sua juvenili ætate futurorum præscius Deus aliquatenus est dignatus ostendere, quod insigne aliquid proventurum ex Puero speraretur. Denique matri suæ in visione monstratus est velut habens lunam * in fronte; quo profecto præfigurabatur, dari eum aliquando in lucem gentibus illuminare his, qui in tenebris, et in mortis umbra sederent, ut rei postmodum probavit eventus.

F

* *alias* stellam

insigni exemplo misericordiam erga pauperes exercet.

d

7 Eodem tempore, cum Palentiæ studens persisteret, orta est fames valida fere per universam Hispaniam *d*; cum ecce pauperum necessitate permotus, et æstuans in se compassionis affectu, uno decrevit opere dominicis simul obsecundare consiliis et resarcire pro posse morientium egenorum inopiam. Vendens itaque libros, quos sibi oppido necessarios possidebat [cum omni supellectile sua] et eleemosynam quamdam instituens, dispersit, dedit pauperibus : cujus pietatis exem-

plum

EX MS.

A plum sic aliorum theologorum ac magistrorum animos provocavit, ut juvenis liberalitate suam parcam segnitiem æstimantes, eleemosynis ex tunc largioribus abundarent.

Postea institutum Canonicorum regularium amplexus,

8 Cum hujusmodi ascensiones taliter in corde suo Vir Dei disponeret, de virtute progrediens in virtutem, et se ipso melior effectus quotidie cunctorum oculis, inter quos quasi stella matutina in medio nebulæ per vitæ innocentiam rutilabat, mirabilis videretur, ad audientiam episcopi Oxomensis ejus fama pervenit; qui diligenter percunctata de ipso veritate, accersitum in sua fecit ecclesia Canonicum regularem. Ille confestim inter suos concanonicos velut jubar singulare emicuit, humilitate cordis imus, sanctitate præcipuus, factus omnibus odor vitæ in vitam, et quasi thus redolens in diebus æstatis.

ab illis Supprior eligitur

9 Mirantur Fratres tam celerem et invisum Religionis apicem, Suppriorem eum constituunt, quatenus in eminentiori specula constitutus, omnium splenderet obtutibus, omnes invitaret exemplis. Ille autem velut oliva pullulans et cypressus in altitudinem se extollens, die noctuque terebat ecclesiam, orationi sine intermissione vacabat et B redimens sibi contemplationis otia, vix extra septa monasterii comparebat. Flendi pro peccatoribus, pro miseris, pro afflictis, singularem gratiam tribuerat ei Deus; quorum calamitates in intimo gestans compassionis sacrario, æstuantem interius per exitus oculorum foras ebulliebat affectum.

et magnum orationis, salutis animarum,

10 Pernoctandi in orationibus mos erat ei creberrimus, et clauso ostio orare Patrem suum. Interdum et inter orationes a gemitu cordis sui rugitus et voces [solebat] emittere; nec continere se poterat, quin erumpens evidenter eminus audiretur. Fuit autem ei frequens et specialis ad Deum petitio quædam, ut ei largiri dignaretur veram caritatem, atque curandæ et procurandæ saluti hominum efficacem, arbitrans, sese tunc primum fore membrum Christi veraciter, cum se totum pro viribus, lucrifaciendis animabus impenderet, sicut Salvator hominum dominus Jesus Christus totum se nostram obtulit in salutem.

ac sacræ lectionis studium ostendit. e

11 Librum quemdam, qui COLLATIONES PATRUM *e* inscribitur, tractantem de vitiis et omni spiritualis perfectionis materia; hunc, inquam, legens et diligens, in eo salutis rimari semitas et easdem tota animi virtute studuit imitari. Hic C liber ad arduam conscientiæ puritatem, ad multam contemplationis lucem, ad magnum eum perfectionis apicem, gratia suffragante, provexit. Dum vero in hunc modum decoræ Rachelis foveretur amplexibus, Lia non sustinens cœpit ipsum impetere, quatenus ad ipsius ingressum prole fœcundata multiplici suæ lippitudinis sopiret opprobrium.

Didacus episcopus S. Dominicum assumit socium f

12 Accidit igitur tunc temporis Aldefonsum, regem Castellæ, inter filium suum Ferdinandum et quamdam nobilem de Marchiis *f*, desiderare connubium. Quam ob causam adiit præfatum episcopum Oxomensem, postulans fieri eum hujus procuratorem negotii. Precibus regiis acquievit episcopus, moxque adjuncta sibi juxta sanctitatis suæ exigentiam honesta societate, secum virum Dei Dominicum, prænemoratum ecclesiæ suæ Suppriorem, adduxit, atque iter arripiens, Tolosam usque pervenit: cujus terræ incolas cum deprehendisset dudum fuisse hæreticos, cœpit super illusis tam innumeris miserabiliter animabus multa compassione turbari. Ipsa vero nocte qua in præfata civitate hospitati sunt, Supprior ille cum hospite domus hæretico multa disputatione et persuasione fortiter et ferventer agens, dum non posset hæreticus resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur, ad fidem ipsum, Spiritu Dei mediante, reduxit.

in quadam legatione, ab Alfonso rege Castellæ imperata,

13 Postmodum recedentes inde, et ad locum destinatum, ubi puella erat, multorum laborum dispendio venientes, exposita causa sui itineris, habitoque consensu, confestim ad regem festinavere reverti; cui rem prospere actam et puellæ responsum vel consensum nuntiavit episcopus. Rex igitur iterato duxit, eum cum majoris apparatus honorificentia remittendum, quatenus cum honore puellam duceret suo filio copulandam; qui laboriosum iter rursum aggrediens, cum ad Marchias pervenisset, puellam interim defunctam invenit, Deo salubrius sui causam itineris disponente, quatenus per ejusdem occasionem viæ multo magis excellentium nuptiarum causaretur * exordium inter Deum et animas per universam Ecclesiam ad æternæ salutis copulam de diversis peccatorum erroribus multifarie revocandas, sicut consequentium probat eventus.

* *alias* procuraretur.

E *qua peracta, totus conversioni infidelium vacare cogitat;* g

14 Igitur episcopus, remisso ad regem nuntio, ipse cum suis Clericis, nacta opportunitate, adire curiam festinavit. Veniens autem ad dominum Innocentium *g*, summum Pontificem, instanter petiit, si fieri posset, gratiam cessionis, suam allegans multipliciter insufficientiam, et immensam supra vires officii dignitatem. Revelavit quoque summo Pontifici sui cordis esse propositum conversioni Sarracenorum * *h* pro viribus operam adhibere, si cessionem ejus dignaretur admittere. Non acquievit Papa postulantis instantiæ; sed nec saltem ei, quamvis petenti, voluit indulgere, [vel in remissionem peccatorum injungere], ut manens episcopus fines Sarracenorum * ad prædicandum intraret, occulto sane consilio vel Dei nutu, qui ad alterius salutis uberem frugem tanti viri labores providerat.

* *alias* Cumanorum h

* *alias* Cumanorum

sed, Deo disponente, invenit oppugnatores Albigensium hæreticorum

15 Revertens igitur, in via Cistercium visitavit, ubi multorum servorum Dei conversationem intuitus, et altitudine Religionis illectus, assumpto ibidem habitu monachali, et aliquibus monachis, quorum instructione formam conversationis addisceret, secum adductis, reverti in Hispaniam properebat, ignorans adhuc, qualem in via, procurante Deo, suæ festinantiæ foret obicem habiturus: eo etenim tempore dominus Innocentius Papa duodecim abbates Ordinis Cisterciensis F cum uno legato contra hæreticos Albigenorum * *i* ad prædicandam fidem direxerat; qui, celebrato cum archiepiscopis et episcopis, aliisque illius terræ prælatis concilio, deliberabant, quisnam esset aptior modus ad id, pro quo missi fuerant, fructuosius exsequendum.

* *alias* Albigenses i

et illis suggerit optimum consilium, k

16 Interim dum sic consiliarentur ad invicem, accidit, prænemoratum Oxomensem episcopum per Montem Pessulanum *k* iter agere, ubi concilium agebatur. Venientem ergo cum honore suscipiunt, quærunt consilium, scientes hominem sanctum, maturum, et justum, et fidei zelatorem. Ille, ut erat vir circumspectionis et gnarus viarum Dei, de ritu et moribus hæreticorum cœpit inquirere, atque addiscere modum, quo alios ad perfidiæ suæ partem persuasionibus et prædicationibus, ac simulatæ sanctitatis exemplis allicere consueverunt. Vidensque ex adverso grandem eorum, qui missi fuerant, in expensis, equis, et vestibus apparatum: Non sic, ait, Fratres, non sic vobis arbitror procedendum. Impossibile mihi videtur, homines istos solis ad fidem reduci verbis, qui potius innituntur exemplis.

EX MS.

ad hos hæreticos convertendos,

17 En hæretici dum speciem præferunt pietatis *, dum euangelicæ parsimoniæ et austeritatis mentiuntur exempla, persuadent simplicibus vias suas. Quamobrem si contraria monstrare veneritis, ædificabitis parum, destruetis forsitan *, et nullatenus acquiescent. Clavum clavo retundite; fictam sanctitatem vera religione fugate, quia fastus pseudo-apostolorum evidente vult humilitate convinci. Sic Paulus cogitur fieri insipiens suas veras enumerando virtutes, austeritates et pericula proferendo, ut eorum tumorem refelleret, qui de vitæ merito se jactitabant. Dicunt ei: Quod ergo das consilium, pater bone? Quod me videritis facere, inquit, faciatis.

* *alias* sanctitatis

* *al.* multum

quod exemplo istius episcopi

18 Mox itaque, insiliente in eum Spiritu sancto, vocavit suos, eosque Oxomam *l* cum equis et supellectilibus et diverso, quem secum adduxerat, apparatu remisit, paucis clericis in sua societate retentis. Dixitque, suum propositum in eo esse, ut in illa terra moram faceret, causa fidei propagandæ. Detinuit et secum prædictum Dominicum Suppriorem, quem magni æstimabat, magno complectens eum caritatis affectu. Hic est
B
Dominicus, primus Prædicatorum Ordinis institutor et Frater, qui ex eo deinceps tempore cœpit, non Supprior, sed Frater Dominicus appellari; et vere Dominicus custoditus a Domino, innocens a peccato; vere Dominicus omni virtute Domini custodiens voluntatem.

l

ceteri sequuntur, et contra hæreticos strenue certant,

19 Audito igitur abbates, qui missi fuerant, hujuscemodi consilio, et animati exemplo, acquieverunt et ipsi simile aggredi, remittentes singuli ad loca sua, quæ secum adduxerant, retentis sibi dumtaxat libris ad Horas, et ad studium, atque ad disputationem, cum opportunum foret, necessariis; et habentes prædictum episcopum super se majorem, et quasi caput totius negotii pedites sine expensis in voluntaria paupertate fidem annuntiare cœperunt. Quod ubi viderunt hæretici, cœperunt et ipsi ex adverso fortius prædicare. Factum est autem, ut apud Apamias et apud Labancum, apud Montem quoque Regalem et Fanum Jovis *m* frequenter disputationes fierent sub judicibus deputatis, ad quas conveniebant statutis diebus magnates et milites, mulieres, populi, fidei disceptationi interesse volentes.

m

C

quos S. Dominicus miraculo confundit.

20 Contigit autem apud Fanum Jovis celebrem quamdam disputationem institui, ad quam convocati sunt tam fidelium, quam infidelium plurima multitudo. Plerique suos in communi conscripsere libellos, rationes atque auctoritates confirmationis fidei continentes, inter quos, omnibus inspectis, beati viri Dominici libellus plus ceteris est commendatus et communiter approbatus, quatenus cuilibet de arbitris, de consensu partium ad sententiæ diffinitionem electis, cum libello hæreticorum, quem et ipsi pro se conscripserant, præsentari deberet; et cujus partis libellum rationabiliorem arbitri judicarent, ejus fides præstantior haberetur. Cumque multa verborum disceptatione ad alteram partem arbitri venire non possent, tandem incidit eis consilium, ut libellos utrosque flammis injicerent; et si quem illorum non comburi contingeret, ille veram fidem procul dubio contineret. Accensus igitur est ignis magnus; utrumque librorum * injiciunt: liber hæreticorum confestim uritur; alter autem, quem conscripserat vir Dei Dominicus, non solum permansit illæsus, sed et de flammis palam omnibus in longinquum exsiliit. Iterum rejectus et tertio, totiesque resiliens monstravit fidei veritatem, et ejus, qui libellum conscripserat, sanctitatem. D

* *alias* libellum

Didacus Oxomensis, instituto monasterio Pruliano,

21 At vero tam insigne morum decus fulgebat in viro Dei Didaco episcopo, ut ipsorum quoque infidelium sibi vendicaret affectum, et cordibus omnium, inter quos conversabatur, influeret. Unde de ipso pronuntiabant hæretici, impossibile fore, talem hominem non esse prædestinatum ad vitam, atque ob hoc in partes illas fortasse transmissum, ut veræ fidei inter ipsos apprehenderet disciplinam. Ad susceptionem autem quarumdam mulierum nobilium, quas parentes earum ratione paupertatis erudiendas et nutriendas tradebant hæreticis, quoddam instituit monasterium, situm inter Fanum Jovis et Montem Regalem, et nomen loci ejusdem Prulianum *n*, ubi usque in hodiernum diem ancillæ Christi grata exhibent suo *n*
Creatori servitia, magno sanctitatis exemplo, et præclara innocentiæ puritate vitam agentes, salutarem sibi, exemplarem hominibus, jucundam angelis, gratam Deo.

Dominicum aliis fidei prædicatoribus præficit,

22 In hujusmodi prædicationis exercitio permansit Didacus episcopus annis duobus, quibus expletis, veritus, ne negligentiæ forsan argui posset circa suam domesticam ecclesiam Oxomensem, si diutius moram protraheret, in Hispaniam redire decrevit; proponens, visitata ecclesia sua, aliquam inde pecuniam ad consummationem præfati monasterii feminarum secum assumere et reverti, et tunc demum cum consensu Domini Papæ in illis partibus aliquos ordinare viros ad prædicandum idoneos, quorum esset officium, hæreticorum errores semper elidere, et tuendæ veritati fidei non deesse. Eis autem, qui remanserant, Fratrem Dominicum in spiritualium cura, tamquam spiritu Dei vere plenum, præposuit; in temporalibus Guilielmum Clareti Apamiensem *o*, ita dumtaxat, ut ad Fratrem *o*
Dominicum referret omnium, quæ ageret, rationem.

E

et ad suam diœcesim reversus, pie moritur.

23 Vale ergo dicens Fratribus, cum venisset Oxomam, pedes transiens per Castellam, post paucos dies infirmitate corripitur, et ad finem usque perductus, vitam præsentem in magna sanctitate complevit, bonorum laborum gloriosum fructum percipiens, et in abundantia sepulcrum ingrediens in requiem opulentam. Fertur autem, ipsum quoque post obitum miraculis claruisse. Nec mirum, si in operandis virtutibus potens apud omnipotentem Deum existeret, qui inter homines in hoc infimo et flebili positus incolatu, tantis pollebat gratiarum insigniis, tanto radiabat decore virtutum. Igitur intellecto viri Dei transitu, ii, qui in partibus Tholosanis remanserant, ad propria redierunt; beatus vero Dominicus solus ibidem in prædicationis officio permansit, quem licet interdum aliqui sequerentur, non tamen ei quasi per obedientiam tenebantur. Ex his autem suis sequacibus erant memoratus Guilielmus Clareti, et Frater Dominicus quidam Hispanus, qui postmodum in Hispania Prior exstitit de Manionio * *p*.

F

* *al.* Manino

p

ANNOTATA.

a *De hoc Didaco, Uxamensi episcopo, plura videri possunt apud Ægidium Gundisalvum Davila in Theatro ecclesiarum Hispaniæ. Tamayus in Martyrologio Hispanico ad diem* VI *Februarii*

eumdem

A *eumdem numero Beatorum adscribit. Majores nostri eadem die illum inter Prætermissos collocarunt defectu certi cultus, cujus ulteriorem notitiam et ipsi requirimus.*

b *Quæ in hac Vita uncis inclusi, in Ms. Codice nostro non leguntur, eaque ex editione Echardi desumpsi, quod semel monuisse sufficiat.*

c *Hoc nomen patriæ ab amanuensibus aut scriptoribus varie exprimitur, ut* § 8 *Commentarii prævii monuimus.*

d *De tempore hujus famis non convenit inter auctores, ut* § 10 *Commentarii indicavimus.*

e *Auctor hujus Operis est S. Joannes Cassianus, de quo Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1194 *cap.* 4 *et sequentibus fuse disserit. Sed is Cassiani accusator in aliquibus est corrigendus, ut facile intelliget, quisquis Acta sancti illius Scriptoris, ad diem* 23 *Julii a nobis discussa, attente evolvere voluerit.*

f *De hac regione, ad quam* S. Dominicus *cum Didaco Uxamensi profectus est, in Commentario prævio* § 12 *varias conjecturas proposuimus.*

g *Is est Innocentius III, qui ab anno Christi* 1198 *usque ad mensem Julium anni* 1216 *Ecclesiam gubernavit.*

h *Quales fuerint hi infideles, quos Didacus Uxa-*
B *mensis et* S. Dominicus *ad fidem adducere cupiebant,* § 41 *Commentarii prævii alia occasione explicare conati sumus.*

i *Hæretici illi passim noti sunt, quorum historiam noster Joannes Baptista Langlois ex antiquis monumentis non ita pridem Gallice edidit. Eamdem quoque Latine conscripserunt auctores synchroni, quos in Commentario prævio citavimus.*

k *Mons Pessullanus, vernacule* Montpellier, *sat nota Galliæ civitas in Occitania inferiore. At obvia similium regionum et urbium nomina deinceps non explicabimus.*

l *Uxamum, vulgo* Osma, *est civitas Hispaniæ, cujus situm* § 8 *Commentarii prævii ex Malvenda assignavimus.*

m *Sunt oppida Galliæ, quæ curiosus lector apud Baudrantium aut in mappis geographicis facile inveniet.*

n *De fundatione monasterii Pruliani actum est in Commentario prævio,* § 13.

o *Hujus Guilielmi Clareti, qui postea ex Ordine Prædicatorum ad Cistercienses transiit, alia occasione mentionem fecimus in Commentario prævio,* § 42.

p *Forte legendum est* Matrito. *Ceterum cum*
D *Echardo hoc nomen diligentiæ indigenarum disquirendum relinquimus.*

CAPUT II.

Bellum contra Albigenses decretum, intrepida S. Dominici inter hæreticos constantia, confirmatio Ordinis Prædicatorum ab ipso procurata, et Hispanicum Sancti iter.

Mortuo Didaco, bellum contra Albigenses decernitur,

Post mortem vero episcopi Oxomensis cœpit crux adversus Albigenos in Francia prædicari: siquidem indignatus Papa Innocentius, quod indomabilis hæreticorum rebellio nulla veritatis posset pietate molliri, non transverberari gladio Spiritus, quod est verbum Dei, materialis saltem gladii decrevit aggrediendos potentia; quam secularis districtionis animadversionem Didacus episcopus adhuc vivens quasi prophetalis spiritus inspiratione * futuram prædixerat: nam dum aliquando erroneam hæreticorum rebellionem coram multis nobilibus evidenter et publice confutasset, illique irridentes suos subversores sacrilega excusatione defenderent, indignatus, manus in cœlum tetendit, et ait: Domine, mitte manum, et corrige eos (quod verbum qui audierunt prolatum in Spiritu, postmodum adverterunt) ut eis saltem hæc vexatio tribuat intellectum.

*Ex Ms. * alias imprecatione*

quo tempore Dominicus minas et insidias hæreticorum

25 Eo tempore, quo ibi cruce signati fuerunt, mansit ibidem beatus Dominicus usque ad obitum comitis Montis-Fortis verbi divini sedulus prædicator. Quantas in illis partibus pertulit ab iniquis injurias, superavit insidias! Denique dum aliquando ei minarentur interitum, imperterritus eis respondebat: Non ego martyrii dignus sum gloria; nondum merui mortem istam. Postmodum autem locum pertransiens, in quo positas sibi forte suspicabatur insidias, cantans et alacer incedebat. Quod cum insinuatum fuisset hæreticis, mirantes tam inconcussam ejus constantiam, dixerunt ei: Numquid non horres mortem? Quid acturus fuisses, si comprehendissemus te? E

tam intrepide contemnit, ut ipsimet mirentur.

26 At ille: Rogassem vos, inquit, ne repentinis me subito perimeretis vulneribus; sed successiva mutilatione membrorum protraheretis martyrium; dehinc autem ostensis ante oculos meos detruncatis membrorum particulis, et erutis postmodum oculis, truncum reliquum relinqueretis in hunc modum suo sanguine volutantem, et exstingueretis omnino, quo majorem coronam martyrii protractione mererer. Stupuerunt ad hujusmodi verba veritatis inimici et jam ultra ei non posuerunt insidias, nec captabant in animam justi, tamquam cui mortis illatione potius obsequerentur, quam nocerent. Ipse vero totis viribus et zelo ferventissimo satagebat, ut animas, quas posset, lucrifaceret Christo. Et inerat cordi ejus mira et pene incredibilis salutis omnium æmulatio.

Interim Sanctus propter virtutes et eximiam caritatem

27 Nec certe deerat ei caritas, qua majorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: siquidem dum piis exhortationibus quemdam infidelem ad fidele matris Ecclesiæ gremium invitaret; et ille responderet, necessitudinem temporalium provocativam esse societatis infidelium, pro eo quod eidem ab hæreticis necessariæ ministrabantur impensæ, quas aliunde habere non poterat, ex intimo mox ei compassus affectu, seipsum venumdare decrevit, et pretio sui redimere animæ periclitantis inopiam: quod et fecisset, nisi Dominus, qui dives est in omnibus, aliunde providisset, quo illius hominis resarciretur egestas. F

omnibus orthodoxis venerabilis ac dilectus,

28 Itaque virtute et opinione proficiebat servus Dei Dominicus, quod invidebant hæretici. Quanto iste bonus erat, tanto nequior eorum oculus sua lippitudine radium lucis ejus ferre non poterat. Irridebant autem eum, et adhærentes ei varie subsannabant, de malo thesauro cordis proferentes mala. Sed subsannantibus infidelibus, fidelium ei congratulabatur devotio, et a Catholicis omnibus multo venerabatur affectu; ita ut sanctitas ejus, suavitas, et venustas morum magnatum quoque corda percelleret, et ab archiepiscopis et episcopis, et aliis prælatis illarum partium multo dignus haberetur honore.

a cum variis possessionibus

29 Comes Montis-Fortis *a*, qui spirituali ipsum devotione fovebat, cum assensu suorum castrum insigne

EX MS.
* *alias* Cassanel.
b

insigne, quod dicitur Cassames *, dedit ei, et successoribus suis sive sequacibus, quicumque ei in officio inchoatæ salutis assisterent *b*. Habebat et ipse beatus Dominicus ecclesiam Fani Jovis, et quædam alia, de quibus omnibus poterat sibi et suis necessaria providere. [Quæ vero de eisdem redditibus sibi possent subtrahere, impartiebantur Sororibus monasterii de Pruliano.] Necdum Ordo Prædicatorum fuerat institutus; sed solum de Ordinis institutione fuit tractatum, quamvis ipse pro viribus officio prædicationis insisteret: nec illa postmodum edita constitutio servabatur, ut nec recipere possessiones, nec jam receptas retinere liceret.

quosdam sui imitatores et socios acquirit,

30 Igitur a tempore obitus episcopi Oxomensis usque ad Lateranense concilium anni fluxere fere decem, quo tempore quasi solus permansit. Ingruente autem tempore, quo ad Lateranense Romam episcopi adire cœperunt, obtulerunt se servo Christi Dominico probi viri et idonei de Tholosa, quorum unus fuit Frater Petrus de Salam *, postmodum Prior Lemovicensis; alter Thomas, vir admodum gratiosus, et sermone facundus *c*. Horum primus F. Petrus sublimes et nobiles domos, quas Tholosæ circa castrum Narbonense possederat, tradidit F. Dominico et ejus sociis, a quo tempore cœperunt primo apud Tholosam in eisdem domibus commorari; atque ex tunc omnes, qui cum eo erant, cœperunt magis ac magis ad humilitatem descendere, et Religiosorum se moribus conformare.

* *alias* Cellani
c
B

et Ordinem Prædicatorum instituere cogitat,

31 At vero episcopus Tholosanus felicis memoriæ, Fulco nomine, qui tenerrime dilectum Deo et hominibus F. Dominicum diligebat, videns eorumdem Fratrum religionem et gratiam, atque in prædicatione fervorem, exultans ad novæ lucis exortum, de consensu totius Capituli sui contulit eis suæ diœcesis sextam partem omnium decimarum; cujus emolumenti subsidio suis ad libros atque ad sustentationem necessariis providerunt *d*. Adjunctus autem eidem episcopo F. Dominicus, ut simul adirent concilium Lateranense, et pari voto Dominum Papam precarentur Innocentium, confirmari F. Dominico et sociis ejus Ordinem, qui Prædicatorum diceretur et esset; et confirmaret nihilominus prædictos redditus, tam a Comite quam ab episcopo Fratribus assignatos.

d
C

habitoque cum sodalibus consilio, et electa S. Augustini regula,

32 Auditis ergo eis super hac postulatione, Romanæ Sedis Antistes hortatus est F. Dominicum reverti ad Fratres suos, et habita cum eis plena deliberatione, cum unanimi omnium eorum consensu regulam aliquam jam approbatam eligere, ac demum iis exactis, rediret ad Papam, confirmationem super omnibus accepturus. Itaque celebrato concilio, revertentes, verbo Domini Papæ Fratribus publicato, mox beati Augustini, prædicatoris egregii, ipsi futuri prædicatores regulam elegerunt, quasdam sibi super hoc in victu et jejuniis, in lectis et laneis arctioris consuetudines assumentes. Proposuerunt etiam et instituerunt non habere possessiones, ne prædicationis impediretur officium solicitudine terrenorum; sed tantum redditus recipere, unde possent sibi in victui necessariis providere. Episcopus etiam [Tholosanus cum assensu sui Capituli tres] eis ecclesias assignavit; unam juxta * terminos civitatis; aliam in Appamiensi villa; tertiam inter Poreda * et Podium Laurentii, scilicet sanctæ Mariæ de Lescara; in quarum qualibet Conventus et Prioratus esse deberet.

* *alias* intra
* *alias* Soricinium

33 Anno Domini MCCXVI æstatis tempore data est Fratribus prima ecclesia in civitate Tholosa, quæ in honore beati Romani fundata est, in reliquis autem duabus nullum umquam Fratrum contigit habitare. At vero in prædicta ecclesia sancti Romani protinus ædificatum est claustrum, cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis aptas. Erant autem Fratres tunc numero sedecim. Interim dominus Innocentius Papa sublatus est de medio, et successor pro eo Honorius constitutus est, quem mox adiit beatus Dominicus, et juxta propositum ordinationemque conceptam, confirmationem Ordinis, et ea, quæ obtinere voluisset, plene per omnia impetravit.

D
confirmationem ejusdem Ordinis ab Honorio III Papa impetrat.

Sanctus Vir, prævisa morte comitis Montis-Fortis,
* *alias* cognovisse declaratum est.

34 Anno Domini MCCXVII disposuerunt Tholosani contra Comitem Montis-Fortis insurgere, quod et virum Dei Dominicum per spiritum aliquatenus antea cognovisse cognovimus *. Monstrata est ei arbor in visione, protractione grandis, venustate gravis, in cujus ramis multus avium numerus habitabat. Præcipitata est arbor, et requiescentes in ea volucres diffugerunt. Intellexit igitur Homo Dei Spiritu plenus comiti Montis-Fortis, magno videlicet et sublimi principi, et multorum populorum * tutori, proximum imminere mortis exitium: et invocato Spiritu sancto, convocatisque Fratribus, dixit, hoc esse sui cordis propositum, ut omnes eos, licet paucos, per mundum transmitteret, nec jam diutius insimul habitarent.

* *alias* pupillorum
E

in varias regiones dispersit socios suos,

35 Admirati sunt omnes tam subitæ dispositionis ab eo prolatam sententiam; sed quoniam animabat eos evidens in ipso sanctitatis auctoritas, acquievere facilius, ad bonum hæc omnia finem perventura sperantes. Visum est autem ei bonum, ut aliquem sibi Fratrum in abbatem eligerent, cujus auctoritate ceteri regerentur, ut majoris et capitis, cujus tamen correctionem ipse sibi retinuit. Et electus est F. Matthæus Celoide * *e* in abbatem. Ipse in hoc Ordine primus atque novissimus abbas appellatus est, quia postmodum placuit Fratribus, ut ob humilitatis insinuationem is, qui præesset, non abbas, sed magister Ordinis diceretur.

* *alias* canonice
e

ex quibus misit quatuor in Hispaniam,
* *alias* Uzero
F

36 Destinati sunt igitur quatuor Fratres in partes Hispaniæ: F. Petrus Matritensis, et F. Gnomicius, F. Michaël de Utero *, et F. Dominicus; qui novissimi [duo] postmodum missi Boniam de Roma per magistrum Dominicum, ad quem de Hispania redierant, moram fecerunt ibidem: neque enim, sicut desideraverant fructificare in Hispania potuerunt; reliquis tamen duobus abunde proficientibus et disseminantibus verbum Dei. Fuit autem hic memoratus Dominicus humilitatis eximiæ, homo parvus quidem scientia, sed virtute magnificus *f*, de quo breviter aliquid commemorare non erit inutile.

f

inter quos fuit quidam Dominicus, cujus castitas
* *alias* cum sociis

37 Dispositum fuit aliquando consciis * quibusdam, forsitan æmulis, ut mulier quædam effrons et meretrix, instrumentum sathanæ, castitatis obex, facula vitiorum, sub simulatione confessionis veniret ad eum, quæ talibus ipsum alloquitur: Angustor nimis, supra modum exæstuo, vehementer aduror, et nunc heu me non novit! sed etsi novisset, non me forsitan dignaretur ille, quem diligo, cujus amor cor meum tam irremediabiliter penetravit. Da, quæso, consilium; adhibeto remedium pereunti: potes enim. Dum his virulentis et exquisitis sermonibus ad illecebrandum innocentem uteretur meretrix, et a sua per salutiferam Fratris persuasionem flecti non posset instantia, scrutatur ille personam, causamque periculi.

A *miraculo probata est;*

38 Prodit illa, suum incendium ipsum esse: Vade, inquit, nunc, et ad tempus revertere; parabo locum, ubi congruenter convenire possimus. Intrans itaque in cubiculum duos ignes præparat, hinc et inde, vicinos tamen ad invicem, et veniente meretricula, se ipsum prosternit in medio, illamque hortatur, ut veniat: En, inquit, locus congruus tanto facinori. Veni, si placet, ut cummisceamur ad invicem. At illa vehementer exhorruit videns hominem circumflagrantibus ignibus imperterritum irruisse; et exclamans, compuncta recessit. Ipse vero surrexit intactus, nullo sibi prorsus æstu vel materialis incendii vel illecebrosæ libidinis dominante *g*.

g quosdam vero destinavit

39 Missi sunt quoque Parisius Matthæus supradictus abbas cum F. Bertrando, qui postmodum fuit Prior provincialis Provinciæ, vir existens sanctitatis magnæ et rigoris circa se ipsum inexorabilis, quoniam suæ carnis erat mortificator acerrimus, et magistri sui, beati Dominici, exemplar se in multis exhibebat*; cui etiam aliquando comes itineris sui fuit. Hi, inquam, missi sunt Parisius cum litteris summi Pontificis, ut Ordinem publicarent, et cum eis alii duo Fratres ad studium; videlicet F. Johannes de Navarra, et F. Laurentius Anglicus, cui, antequam Parisius ingrederentur, multa ex iis, quæ circa Fratres postmodum acciderunt Parisius, videlicet de habitatione et situ domorum, de receptione multorum Fratrum, a Domino revelata sunt, prout ipse prædixit, et rei postmodum probavit eventus. Seorsum autem ab iis F. Mames, uterinus frater beati Dominici, et F. Michaël Hispanus, habentes secum Conversum Normannum, cui nomen Oderius *h*.

* *alias* sibi formam et exemplar in multis imbiberat.

B

h Lutetiam Parisiorum

40 Hi omnes Parisius sunt transmissi; sed novissimi tres agentes celerius, citius pervenerunt. Ingressi sunt igitur Parisius pridie Idus Septembris, quos post trium septimanarum spatium subsecuti sunt alii supradicti. Conduxerunt autem sibi domum juxta hospitale beatæ Virginis ante fores Parisiensis episcopi. Anno Domini MCCXVIII data est Fratribus domus beati Jacobi, quamvis nondum absolute, a magistro Johanne, decano sancti Quintini, et ab universitate Parisiensi ad instantiam precum Domini Papæ Honorii; quam intraverunt ad habitandum VIII Idus Augusti. In ipso etiam anno missi sunt Aurelianis quidam juvenes Fratres et simplices, qui et ipsi tamquam parva quædam semina futuri postmodum uberioris germinis principium exstiterunt.

C

et Bononiam in Italia, ubi Reginaldus

41 Anno Domini MCCXVIII circa principium missi sunt a Roma per beatum Dominicum Fratres Bononiam, videlicet: F. Johannes de Navarra, et quidam F. Bertrandus; postmodum vero F. Christianus cum Fratre Converso, qui moram facientes Bononiæ magnam perpessi sunt ibidem paupertatis angustiam. Eodem anno, cum sanctus Dominicus esset Romæ, magister Reginaldus, decanus sancti Aniani Aureliensis *, mare transiturus, illuc usque pervenit. Erat vir opinione magnus, doctus scientia, celebris dignitate, qui in jure canonico rexerat Parisius annis quinque. Hic igitur cum venisset Romam, gravi infirmitate corripitur: ad quem magistrum Dominicus aliquoties, ut eum visitaret, advenit, et exhortans eum ad paupertatem Christi, et Ordinis sui consortium, liberum et plenum ab eo suscipiendæ Religionis hujus consensum elicuit, ita ut se voto obstringeret.

* *lege* Aurelianensis

42 Relevatus est igitur ab infirmitatis suæ gravi et quasi desperato periculo; sed non sine divini virtute miraculi: nam visibiliter inter æstus febrium suarum, ad eum veniens Regina cœli, misericordiæ mater, virgo Maria, et ejus oculos, nares, os, umbilicum, manus, pedesque quadam salutari, quam secum detulerat, unctione perungens, hujuscemodi verba subjunxit: Ungo pedes tuos oleo sancto ad præparationem Euangelii pacis. Nihilominus etiam ei omnem hujus Ordinis habitum demonstravit. Confestim igitur sanatus est, et sic repente toto corpore reparatus, ut medici, qui de ejus convalescentia quasi desperaverant, visis ejus sanitatis indiciis, mirarentur. Hoc insigne miraculum multis usque hodie manentibus magister Dominicus postmodum publicavit; et cum hoc aliquando pluribus in collatione recitaret Parisius, ego ipse præsens interfui *i*.

EX MS. *post receptam prodigiose in urbe Romana sanitatem,*

i et peractam peregrinationem Hierosolymitanam Fratribus præfuit,

43 Igitur magister Reginaldus, sanitate recepta, licet jam professione Ordini teneretur, ad complendum desiderium suum mare pertransiit, et inde revertens, venit Bononiam XII Kalendas Januarii. Cœpit autem mox prædicationi totus insistere, et ignitum erat eloquium ejus vehementer, sermoque ejus quasi facula ardens corda cunctorum audientium inflammabat, ut vix esset tam saxeus, qui se absconderet a calore ejus. Tota tunc fervebat Bononia, quia novus surrexisse videbatur Elias. In diebus illis multos Bononiæ recepit ad Ordinem, et numerus discipulorum cœpit excrescere, et plures additi sunt ad eos.

E

quem S. Dominicus, ex Hispania reversus,

44 Anno eodem perrexit in Hispaniam magister Dominicus, ibique duabus domibus instauratis, una apud Madrid, quæ nunc est monialium, altera vero apud Segobiam, quæ prima fuit domus Fratrum Hispaniæ. Revertens inde, venit Parisius anno Domini MCCXIX, ubi Fratrum ferme triginta congregationem invenit. Paululum autem demoratus ibidem, divertit Bononiam, et apud sanctum Nicolaum magnum invenit Fratrum collegium, quos sub disciplina F. Reginaldi cura et diligentia nutriebat. Venientem igitur omnes recepere cum gaudio, reverentiam deferentes, ut patri; et mansionem faciens apud eos, informabat teneram adhuc novæ plantationis infantiam monitis et exemplis.

Parisios migrare jussit.

F

45 Transmisit autem inde Parisius F. Reginaldum non sine gravi desolatione filiorum illorum, quos per verbum Euangelii recenter genuerat; qui flebant, a consuetæ matris uberibus sese tam festinanter avelli. Sed hæc omnia divinis nutibus agebantur. Eratque quiddam mirabile de servo Dei beato Dominico, ut in mittendis huc illucque Fratribus per diversas Ecclesiæ Dei partes, quemadmodum supra memoratum est, sic faceret omnia confidenter, et absque hæsitationis ambiguo, licet non sic faciendum aliis videretur interdum, acsi jam de futuris eventibus certus existeret, aut per revelationem Spiritus fuisset edoctus. Et hoc inficiari quis audeat? Paucos primum Fratres secum habuerat, et eosdem ut plures illitteratos et simplices; illosque mittens sparsim per Ecclesiam dividebat, ut filiis hujus seculi, secundum suam prudentiam judicantibus, potius id, quod fuerat inchoatum, diruere, quam magna struere videretur. Quos autem mittebat, orationum prosequebatur suffragiis, et virtus Domini erat ad multiplicandum eos.

ANNOTATA

EX MS.

ANNOTATA.

a *Hic est illustris ille heros, et in sacra profanaque historia notissimus, qui acerrime contra hæreticos Albigenses pugnavit.*

b *De hac aliisque hujus Comitis donationibus in Commentario prævio,* § 14 *obiter meminimus.*

c *In Commentario prævio,* § 23 *de primis* S. Dominici *sodalibus abunde egimus.*

d *De liberalitate Fulconis episcopi Tolosani erga* S. Dominicum *ejusque Ordinem suis locis actum est, et per decursum Commentarii prævii aliqua donationum diplomata exhibuimus.*

e *Nescio, an illud sit cognomentum hujus Matthæi, an vox corrupta pro adverbio* canonice, *ut habet editio Echardiana. Saltem Ms. nostrum fideliter secutus sum. Porro de Matthæo isto apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 92 *plura legi possunt.*

f *Paragrapho* 26 *Commentarii prævii monuimus, hoc elogium Dominici ab alio scriptore aliter referri.*

B g *Apud Malvendam in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1219 *cap.* 8 *et sequentibus videri potest, quam diversimode hæc aut similis historia ab antiquis auctoribus narretur.*

h *Hos ceterosque primos* S. Dominici *socios in Commentario prævio* § 23 *ex Bernardo Guidonis recensuimus.*

i *Ex hoc B. Jordani testimonio intricatam difficultatem eruimus, eamque superius* § 28 *proposuimus.*

CAPUT III.

Pia Reginaldi mors, professio religiosa Jordani et Henrici in Ordine Prædicatorum, et ejusdem Henrici laudes.

Beatus scriptor hic narrat piam Reginaldi mortem, C

Venit itaque sanctæ memoriæ F. Reginaldus Parisius, et indefesso mentis fervore Christum Jesum et hunc crucifixum verbo prædicabat et opere; sed cito de terra sustulit eum Deus, et consummatus in brevi, explevit tempora multa. Denique pauco post tempore correptus infirmitate, et ad mortem carnis usque perductus, obdormivit in Domino, pergens in gloriosas divitias domus Dei, qui dum hic viveret, paupertatis ac vilitatis strenuum se exhibuerat amatorem. Sepultus est autem in ecclesia beatæ Mariæ in Campis, eo quod nondum Fratres sepulturam haberent. Sed jam subit animum, quod, dum adhuc viveret F. Matthæus, qui ipsum in seculo gloriosum delicatumque cognoverat, aliquoties veluti admirans requisivit ab eo: Estne vobis, magister, severum, hunc habitum assumpsisse? At ille submisso vultu respondit: Nihil in hoc mereri me reputo, quia nimis in eo mihi semper complacuit.

de qua sibi visionem oblatam fuisse testatur.

47 Ipsa nocte, qua spiritus viri sancti evolavit ad Dominum, visum est mihi, nondum quidem secundum habitum Fratri, sed in ipsius manibus jam professo, Fratres quadam navi per medium aquæ vehi. Submersa est autem navis, qua vehebantur; ipsi vero de aqua incolumes exierunt. Hanc navem fuisse F. Reginaldum existimo, quem utique Fratres tunc temporis suum baculum * *a* æstimabant. Visum est alii cuidam ante mortem ipsius, veluti si videret fontem quemdam limpidum obturari, pro quo duo fontes alii protinus eruperunt: quæ visio an aliquid sibi voluerit verum, ego propriæ sterilitatis conscius interpretari non audeo *b*. Unum scio, neminem apud Parisius præter duos ipsum ad professionem Ordinis recepisse: quorum quidem ego primus; alter vero F. Henricus, postmodum Prior Coloniensis, mihi singulari affectu præ cunctis, ut puto, mortalibus in Christo carissimus, tamquam vere vas honoris et gratiæ, quo gratiosorem creaturam me in hac vita vidisse non recolo: qui quoniam ceteri maturitate festinavit jam ingredi in requiem Domini, quantarum virtutum homo fuerit, commemorare non erit inutile. D

* *alias* bajulum

et explicat, quomodo ipsemet, c

48 Hic igitur Henricus bonis secundum seculum ortus natalibus, cum esset in ecclesia Trajecti inferioris *c* Canonicus, ibidem ab annis puerilibus a viro quodam sancto ac plurimum religioso ecclesiæ illius Canonico, sub timore Domini et disciplina diligenter educatus est: nam cum ibidem vir bonus et justus carnem suam crucifigendo seculi hujus nequam calcaret illecebras, et multis abundaret pietatis operibus, tenerum adhuc adolescentis animum ad omne virtutis opus imbuerat, faciens eum lavare pedes pauperum, frequentare ecclesiam, horrere vitia, spernere luxum, diligere castimoniam; et iste, cum optimæ esset indolis adolescens, in omnibus sese exhibuit ad disciplinam docilem, facilem ad virtutes; sicque dum cresceret ætate, crescebat et moribus usque adeo, ut si cum ipso conversareris, velut angelum æstimares, et quasi innatam ei crederes honestatem. E

concionibus ejusdem Reginaldi permotus,

49 Itaque processu temporis venit Parisius, et statim ad studium theologiæ se contulit, habens magnum ingenii naturalis acumen, et ordinatissimam rationem. Adjunctus est autem mihi hospitio, et commanentes in suavem ac validam convenimus unitatem. Interea F. Reginaldo felicis recordationis veniente Parisius, et strenue prædicante, ego divina præventus gratia, concepi et vovi intra memetipsum Ordinem istum assumere, arbitrans, securam me reperisse salutis semitam, qualem et ante Fratrum cognitionem in animo meo sæpe deliberando conceperam. Firmato igitur cordis mei proposito, laborare cœpi tota solicitudine, qualiter socium et amicum animæ meæ pari mecum voto pertraherem, videns eum naturali et gratuita dispositione ad ministerium prædicationis perutilem. Renuebat ipse, et ego magis instare non desii. F

quemdam egregium juvenem Henricum,

50 Itaque procuravi, ut ad F. Reginaldum confessionem facturus et exhortationem accepturus accederet: a quo rediens ad me, codicem Isaiæ velut conjecturandi causa aperuit, et in eum locum primum conjecti sunt oculi ejus, ubi dicitur: Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii. Quæ verba prophetæ dum interpretarer ei, veluti ipsius intentioni tam proprie respondentia, et quasi de cœlo sonantia (erat enim linguæ facundissimæ) et hortarer eum sub jugo obedientiæ suam redigere juventutem, advertimus post paululum illud, quod sequitur: STEMUS SIMUL, tamquam si admoneremur, in hoc præclaro societatis genere alter alterum nequaquam

deserere

A deserere. Hujus occasione verbi postmodum, dum essem Bononiæ, ipse de Colonia mihi scripsit: Ubi nunc estis, STEMUS SIMUL? Vos Bononiæ et ego Coloniæ. Dixi itaque ei: Quidnam, quæso, ditius ad meritum, quid gloriosius ad coronam, quam si paupertatis illius participes, quam in se ipso Christus exhibuit, et sui sequaces Apostoli tenuerunt, totum hoc seculum ejus amore spreverimus? Acquievit igitur rationis judicio; sed voluntas pigra recalcitrans suadebat contrarium.

initio reluctantem induxerit,

51 Eadem igitur nocte, cum ad Matutinas ecclesiæ beatæ Virginis perrexisset, perduravit ibi usque ad diluculum orans et deprecans Matrem Domini, quatenus ejus voluntas ad hoc propositum flecteretur. Et cum nihil, ut sibi videbatur, orando proficeret, sentiens adhuc cordis duritiam, super se ipso compati cœpit et parare recessum, dicens intra se: Nunc, o virgo beata, quod me non digneris, experior; non est mihi pars in pauperum Christi collegio. Siquidem urgebat cor ipsius perfectionis illius appetitus, quam inesse sciebat voluntariæ paupertati; quoniam aliquando monstratum erat ei a Domino, B quam secura sit coram districti Judicis examine paupertas assistenti.

ut juxta visionem ei antea ostensam,

52 Nempe cum quadam vice in visione se coram tribunali Christi putaret assistere, immensam illic judicandorum et cum Christo judicantium vidit adesse multitudinem. Ipse autem inter alios judicandus, dum sibi de nullo crimine conscius, securus et innocens putaret evadere, quidam a latere Judicis extensa versus eum manu talibus alloquitur: Tu, qui adstas, dic, quid aliquando pro Domino reliquisti? Exterruit eum tam districtum interrogationis examen; quoniam, qui ad interrogata responderet, non habuit; sicque visio illa disparuit. Hinc ergo admonitus, magis optabat euangelizare paupertatis fastigium, nisi voluntatis segnities impediret.

voluntarium paupertatis jugum subiret,

53 Itaque, sicut memoratum est, dum jam pene de ecclesia se ipsum redarguens et mœstus abscederet, subvertit fundamenta cordis ejus ille, qui humilia respicit: et obortis lacrymis ac resolutus spiritu, se totum coram Domino cœpit effundere; et contrita est omnis illa durities in spiritu vehementi, ut suave jugum Christi, quod C paulo ante gravissimum æstimarat, jam computrefactum a facie olei, leve per omnia fieret et jucundum. Surgens igitur in illius fervoris impetu, et ad ipsum F. Reginaldum properanter accedens, votum emisit: moxque ad me rediens, dum in angelico ipsius vultu lacrymarum considerarem vestigia, et unde veniret, perquirerem, respondit: Votum vovi Domino et solvam. Distulimus tamen usque ad Quadragesimæ tempus tirocinium nostrum, lucrati interim unum e sociis, F. Leonem, qui F. Henrico postmodum successit in officio Prioratus.

et secum Ordinem Prædicatorum ingrederetur.

54 Veniente itaque die, quo cinerum impositione suæ fideles admonentur originis et reversionis in cinerem, disposuimus et nos congruo ad pœnitendum exordio, quod Domino voveramus, implere, ignorantibus tamen adhuc sociis ejusdem nobiscum hospitii. Unde cum F. Henricus egrederetur hospitio, et unus sociorum requireret: Domine Henrice, quo itis? Vado, inquit, in Bethaniam. Quod ille verbum non tunc quidem, sed facti postmodum explicatione, quid sibi voluerit, intellexit, cum ipsum Bethaniam, quod est interpretatum DOMUS OBEDIENTIÆ, videret ingressum. Convenientes igitur nos tres ad sanctum Jacobum, Fratribus jam decantantibus IMMUTEMUR HABITU, nos in medium eorum improvise quidem, sed opportune advenimus, et confestim veterem hominem exuentes, ibidem novum induimus; ut quod illi voce psallebant, in nobis opere compleretur *d*.

EX MS.

Henricus ille, insignibus gratiæ

55 Hic est F. Henricus, cui multam atque mirabilem in verbo suo ad clerum Parisiensem Dominus largitus est gratiam, cujus sermo nimis efficax audientium corda violentissime penetrabat. Non est visus ante ipsum nostræ recordationis temporibus apud Parisius in audientia omnis cleri tam juvenis, tam facundus, tam gratiosus per omnia prædicator. Et quidem in hoc vas electionis multa contulerat Deus gratiarum insignia: erat nempe obedientia promptus, patientia firmus, mansuetudine placidus, hilaritate gratus, caritate diffusus. Nec deerat ei morum honestas, cordis sanctitas, et in carne virginali integritas: quippe qui in omni vita sua mulierem impudicam cordis intentione non vidit, nec contigit.

ac naturæ dotibus præditus,

56 Inerat ei sermonis modestia, linguæ facundia, acumen ingenii, gratia faciei, personæ venustas, scribendi habilitas, dictandi peritia, vocis angelicæ melodia. Numquam tristem, D numquam turbulentum aspiceres. Semper æquanimis, semper hilaris. Licentiaverat eum ab austeritatis rigore justitia, totumque sibi eum vendicaverat misericordia. Tanta cordibus felicitate omnium influebat, tam se cunctis exhibuit socialem, ut, si cum eo conversareris ad modicum, dilectum te ab ipso præ omnibus æstimares. Et necesse fuit, ut, quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amaretur. Et cum in prædictis omnibus sic excelleret, ut singulariter bonus in quacumque gratia videretur, de iis tamen nesciebat extolli: a Christo enim didicerat esse mitis et humilis.

quem amici ab Ordine retrahere cœlitus prohibentur,

57 Post ingressum F. Henrici vir ille sanctus, qui ipsum nutriverat cum duobus aliis ejusdem ecclesiæ spiritualibus et bonis viris, qui tres eum grandi affectu dilexerant, gravissime sunt turbati ignorantes novam adhuc eis Religionem, et quasi perditum tantæ spei juvenem æstimantes. Igitur in hoc pene convenerant, ut aliqui vel aliquis eorum vadens Parisius, ipsum ab hac indiscretione, ut videbatur, averteret atque retraheret. Tunc unus ex eis: Non sic, ait, præcipitanter agamus, sed noctem pari voto cum orationibus peragamus, postulantes, ut suum nobis super hac re Dominus beneplacitum aperire E dignetur. Venit nox; et orantibus eis, vocem de sublimi sonantem unus eorum audivit: A Domino factum est illud, et non poterit immutari. Itaque hac revelatione divina facti certissimi, jam non amplius turbabantur; sed scribentes ei Parisius, ut perseveraret, fiducialiter hortabantur, insinuantes ei revelationis hujus modum et ordinem: quas litteras pietate plenas, suaves et melleas ego legi.

postmodum fuit Prior Coloniensis. e

58 Missus autem pro Priore Coloniam *e*, quam copiosum ibidem et uberem manipulum animarum in virginibus, in viduis, et vere pœnitentibus per assiduam prædicationem lucrifaceret Christo, quam etiam diligenter ignem, quem Dominus venit mittere in terram, in cordibus multorum accenderit, et accensum nutrierit, tota adhuc clamat Colonia. Nomen Jesu admonere consueverat omni reverentia cultuque dignissimum; nomen, inquam, quod est super omne nomen, in tantum, ut usque hodie, cum in ecclesia aut prædicatione sacrandum hoc nomen sonuerit,

Ex ms.

nuerit, multorum cordium ad alicujus exhibitionem reverentiæ confestim expergefiat devotio.

et post felicem mortem,

59 Tandem completo felicis vitæ cursu, præsentibus Fratribus et orantibus, sancto fine quievit in Domino. Sed ante egressum animæ, cum extremæ Inunctionis eidem exhiberentur officia, ipse velut unus ex Fratribus litanias et suffragia vivaciter perorabat, et completo illo officio, devotis verbis Fratres admonens, uberes eos provocavit ad lacrymas. Quanti autem in ejus morte fletus, quot viduarum et virginum singultus et gemitus, quot Fratrum et amicorum suspiria, quis enumeret? Multa quidem de ipso mens suggerit; sed ne forte nimis in longum pergat oratio, unum saltem ex iis, quod post mortem ejus [inter] plura per veritatem confessionis, et a personis sanctis et fidelibus intellexi, commemorare sufficiat.

juxta pactum cum pia matrona initum

60 Fuit in civitate Colonia venerabilis quædam matrona, quæ, dum ipsum F. Henricum adhuc viventem mira devotione diligeret, aliquando precabatur eum, ut sponderet ei post mortem apparere velle, si tamen ipse primitus moreretur. Acquievit ille precibus postulantis, si tamen divinæ foret placitum voluntati. Defuncto (B) igitur eo, præstolabatur, et graviter æstuabat videre promissum: et tunc quoque quadam pulsari consueverat tentationis molestia, ut circa fidem graves inquietudines ab adversario pateretur; an scilicet post hanc vitam redigerentur in nihilum, an viverent, animæ defunctorum. Sed exspectanti diutius et desideranti, nihil apparuit. Itaque gravius invalescebat tentatio, et dicebat illa in corde suo: Si quid de futura vita, quod nobis annuntiatur, veritatis haberet, is, quem tanto venerabar affectu, me jam sane certificasse debuerat.

prius cuidam religioso viro

61 Dum sic affligeretur et in corde tabesceret, ecce cuidam viro religioso F. Henricus apparuit, et dixit ei: Vade ad matronam illam, proprio eam vocans nomine, quod videlicet nomen usque tunc vir ille nescierat, quia mutatum ab infantilibus annis ex quadam delicatione * vocabulum, vero nomini, in baptismate dato, præjudicaverat; quod tunc primum vir ille, F. Henrico sibi declarante et exponente, cognovit. Vade, inquit, ad eam, et cum ipsam pro me salutaveris, (C) dices ei: Hæc et hæc opera facere consuevisti. Non sic amodo facies; sed talem et talem modum observabis in eis. Erant autem eadem opera sic occulta, ut præter eam nullus hominum nosset. Dum hæc itaque loqueretur, advertit ille vir bonus gemmam in pectore claram nimis et fulgidam, et quemdam murum ante faciem ejus lapidibus pretiosis intextum, quem multo contemplabatur intuitu, dixitque ei: Quid sibi vult, domine mi, gemma hæc in pectore vestro tam fulgida, et murus iste tam pretiosus? At ille: Hæc gemma munditiei mei cordis indicium est, quam habebam in seculo; et dum eam respicio, multa consolatione perfundor. Hic quoque murus pars illa est in ædificio Domini, quam adhuc vivens consilio, prædicatione, et confessione construxi.

* alias devotione

gloriosus apparuit,

62 Interea supervenit regina cœli, mater misericordiæ, virgo Maria; et ea appropinquante, dixit F. Henricus ad hominem: Hæc est domina mea, Salvatoris Mater, quæ me in suum famulatum elegit. Pensa, quantum mihi sit refrigerium in ipsius consortio. Hæc cum dixisset, confestim associatus ei, cum ipsa discessit. Venit itaque vir ille bonus, et eidem matronæ revelavit cuncta per ordinem, prodens ei quædam (D) suorum operum, maxime secretorum, manifesta inter signa, quorum relatione veritas probaretur. Illa vero, multa consolatione recepta, a suæ tentationis æstu relevata est. Sed fortius consolabatur eam quiddam, quod per se postmodum meruit experiri.

ac dein eidem matronæ se videndum præbuit.

63 Denique dum aliquando reclinata super arcam quamdam in thalamo domus suæ litteras, a F. Henrico sibi quondam transmissas, cum pia delectatione relegeret, occurrit in eisdem litteris verbum quoddam, cujus secundum Latinam interpretationem hæc erat sententia: Super Jesu dulce pectus recumbite, et animæ nostræ sitim exstinguite. Cujus verbi commemoratione succensa, veluti si illud ex ore viventis et præsentis adhuc exciperet, rapta est in spiritu, viditque, se ab una parte juxta pectus Jesu Christi assistere, et F. Henricum ab altera: in quo raptu tam profundum tamque mirificum experta est divinæ consolationis gustum, ut inebriata prorsus tam immenso salutaris influxionis irriguo, præsentes ancillas domus et vociferantes ipsam, quatenus ad mariti præstolantis mensam festina veniret, minime persensisset, quousque ab hu- (E) juscemodi melliflua spiritus debriatione reversa, sensibus reddita est. His de F. Henrico commemoratis, jam residua prosequamur.

ANNOTATA.

a *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 93 *legit* bajulum, *per quam vocem ibidem in notis intelligit* tutorem, mystagogum, ceu penes quem erat cura et educatio sodalium. *Non satis apparet, utra lectio sit præferenda.*

b *Præ modestia B. Jordanus illam visionem de se et F. Henrico clare interpretari non audet; sed Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 3 *cap.* 4 *eam de eodem Beato exponit.*

c *Trajectum inferius est urbs Belgii in regione Batavorum, quam nunc communiter Ultrajectum et vernacule* Utrecht *vocamus, ut distinguatur a Trajecto superiore, alia Belgii civitate, quæ vulgo Trajectum ad Mosam et Belgice* Maestricht *appellatur.*

d *Ex his temporis circumstantiis colligimus, B. Jordanum cum F. Henrico et F. Leone vestem Ordinis induisse die* 12 *Februarii, anno* 1220, *in quam illo anno dies cinerum incidebat.* (F)

e *In Vitis Fratrum part.* 4 *cap.* 13 § 3 *dicitur hic Henricus fuisse* primus Coloniensis Prior, *quod Ordinis cœnobium anno* 1224 *erectum est, ut Echardus affirmat.*

CAPUT IV.

Duo prima Ordinis Capitula generalia, Sancti felix obitus, honorificæ exsequiæ, quædam miracula, et eximiæ virtutes.

Narrat B. Jordanus, qui primo capitulo anno 1220 interfuit,

Anno Domini MCCXX primum Capitulum generale hujus Ordinis Bononiæ celebratum est, cui ipse ego interfui, missus de Parisius cum tribus Fratribus, eo quod magister Dominicus mandasset per litteras suas, quatuor Fratres de

eadem

eadem domo Parisiensi ad Bononiensem sibi mitti. Sed cum mitterer, nondum duos menses in Ordine peregeram. In eodem Capitulo de communi Fratrum consensu statutum est, generale Capitulum uno anno Bononiæ, altero vero Parisius celebrari; ita tamen, ut proximo futuro anno apud Bononiam ageretur. Tunc etiam ordinatum est, ne possessiones vel redditus de cetero tenerent Fratres nostri; sed et iis renuntiarent, quos habuerant in partibus Tholosanis. Alia quoque plura ibi constituta sunt, quæ usque hodie observantur.

et ab altero sequentis anni abſuit,

65 Anno Domini MCCXXI in generali Capitulo Bononiensi visum est eis, mihi officium Prioratus super provinciam Lombardiæ primum imponere, cum anni spatium peregissem in Ordine, necdum fixis, quemadmodum oportuit, in altum radicibus, ut regendis aliis ante præficerer, quam meam imperfectionem regere didicissem. In ipso Capitulo quoque Conventus Fratrum in Angliam cum F. Gilberto Priore transmissus est. Huic ego Capitulo minime interfui.

quam secure F. Everardus, Ordinem Prædicatorum non diu ingressus

66 Intraverat autem tunc temporis Parisius F. Everardus, archidiaconus Lingoniensis *a*, vir multarum virtutum, opere strenuus, consilio providus: qui cum esset auctoritatis eximiæ, quanto fuerat notus in seculo, tanto plures assumpto paupertatis ædificavit exemplo. Hic mecum, ituro in Lombardiam, quem tenero diligere videbatur affectu, iter arripuit, desiderans videre magistrum Dominicum; et per omnes partes Galliæ et Burgundiæ, per quas transitus nobis erat, in quibus ipse fuerat aliquando notissimus, Christum egenum et pauperem in corpore suo circumferens, tandem infirmitate corripitur, et apud Lossanam *b*, ubi aliquando fuerat electus episcopus, sed acceptare renuerat, vitam hanc ærumnosam et flebilem, festino quidem, sed omnino felici fine, complevit.

ex hac vita migraverit;

67 Paululum vero antequam moreretur, cum jam certum ipsi obitum physicorum pronuntiaret sententia; sed hoc ipsum celaretur ab eo, dixit mihi: Si moriturus sum medicorum judicio, quare mihi non dicitur? Celetur ab eis mors, quibus est amara mortis memoria. Ego morte non terreor. Nihil ei timendum, qui, si terrestris domus hujus miseræ carnis subruitur, domum non manufactam, æternam in cœlo felici commutatione consolationem exspectat. Defunctus est igitur, commendans ibidem terræ corpusculum, spiritum Creatori. Felicis autem defunctionis ejus hoc mihi laudabile fuit indicium, quod in exitu spiritus ejus, cum me ad dolorem cordis et turbationem spiritus crederem excitari, quadam e contra devotione atque jucunda hilaritate perfusus, ut jam minime flendum eum, qui migrasset ad gaudia, testimonio conscientiæ commoverer *c*.

et deinde refert monita S. Dominici ægrotantis

68 Interim apud Bononiam magister Dominicus, appropinquante suæ peregrinationis termino, cœpit graviter ægrotare, et in ipso suæ ægritudinis lectulo duodecim de Fratribus discretioribus advocans, cœpit ad fervorem, et ad promotionem Ordinis ac perseverantiam sanctitatis hortari, admonens feminarum, maxime juvencularum, suspecta vitare consortia, quoniam hoc genus illecebrosum est nimis et efficax illaqueandis animabus, nondum ad purum excoctis. En, inquit, usque ad hanc horam in carnis incorruptione misericordia me divina servavit; non tamen hanc me imperfectionem evasisse confiteor, quin magis me afficerent juvencularum colloquia, quam vetularum affatus *d*.

ejusque mortem,

69 Ante mortem quoque suam dixit Fratribus confidenter, quod defunctum eum utiliorem forent habituri, quam vivum: sciebat nimirum, cuinam credidisset sui laboris et uberis vitæ depositum, non diffidens, sibi coronam de reliquo esse repositam justitiæ, qua percepta, tanto fieret ad impetrandum potentior, quanto in potentias Domini jam securior introisset. Itaque invalescente magis infirmitatum angustia, denique febribus simul laborabat et fluxu. Tandem pia illa anima carne soluta est, pergens ad Dominum, qui eam dederat, et lugubrem incolatum in cœlestis habitationis perenni consolatione commutans.

quæ eodem tempore Fratri Gualæ revelata fuit.

70 Eodem die, eademque hora defunctionis ipsius F. Guala *e* Prior Brixiensis, postmodum autem civitatis ejusdem episcopus, in loco campanilis Fratrum in Brixia reclinatus obdormierat levi somno, viditque aperturam quamdam in cœlo præfulgidam, per quam in terram scala aurea descendebat, cujus summitatem Jesus Christus una parte tenebat, et gloriosa Mater ipsius alteram *f*. Positus est igitur in imo scalæ Frater quidam, cujus non agnoscebat vultum, quem cuculla tectum habebat, ut moris est nostros mortuos sepeliri; et hic super cathedram erat sedens. Scalam autem sursum trahebat Christus Dominus et Mater ejus, quousque ad summum usque pervenit, qui in imo scalæ fuerat collocatus; isque demum, cum receptus fuisset in cœlum, clausa est illa apertura cœli præfulgida, nec quidquam ultra comparuit. Frater igitur, qui hanc viderat, paulo post cum venisset Bononiam, comperit, eadem die, atque ipsa diei hora defunctum fuisse servum Christi Dominicum, sicut, ipso nobis narrante, didicimus.

Exsequiis ejus honorifice celebratis,

71 Sed adhuc paulisper ad beati Viri venerabiles redeamus exsequias. Diebus igitur defunctionis suæ contigit, ordinante Deo, venerabilem patrem Ostiensem episcopum, sedis Apostolicæ tunc temporis in Lombardia legatum, postmodum vero Romanæ Sedis summum Pontificem, Papam Gregorium venisse Bononiam, ratione cujus multi magni viri, et ecclesiarum prælati præsentes tunc aderant; qui, cognito magistri Dominici ab hac vita decessu, præsens advenit (quippe qui valde familiariter eum noverat, et multo dilexerat amoris affectu, sciens Virum justum et sanctum) ejusque sepulturæ per semetipsum explevit officium, multis ibidem præsentibus, in quorum cordibus felix beati Viri transitus et manifesta cunctis sanctitas, quam hic vivens habuerat, stola quoque immortalitatis æternæ, quam eum percepisse jam adstantium conscientiæ testabantur, despectum seculi loquebantur, dum in eisdem exsequiis considerandum occurreret, quam sit securum supernæ illius habitationis, et æternæ requiei locum, vitæ præsentis despectione mereri, et vilitate conversationis hanc mortem sibi conquirere pretiosam.

simplicitas Fratrum occultavit prima mortui Sancti beneficia, ægris collata,

72 Itaque expergefacta est devotio vulgi, reverentia populorum, et accurrentes multi, qui diversis infirmitatum quarumcumque premebantur molestiis, ibique permanentes diebus ac noctibus, fatebantur omnino, percepisse se remedia sanitatum, et curationum suarum testimonia deferebant, suspendentes ad tumulum beati Viri cereas oculorum, manuum, pedum, ceterorumve membrorum effigies, prout varia fuit eorum infirmitas, et corporum seu rerum multifarie reddita valetudo. Sed inter hæc vix erat e Fratribus, qui huic divinæ gratiæ condigna gratiarum occurreret

EX MS. ret actione: siquidem visum est plerisque non debere recitari* miracula, ne sub velamento pietatis, quæstus maculam incurrerent; sicque dum propriam opinionem inconsiderata sanctitate celarent, communem Ecclesiæ neglexere profectum, et gloriam sepelivere divinam.

* *al.* receptari

quorum defectu B. Jordanus memorat pauca,

73 Constat tamen, eum etiam in hac vita positum certis fulsisse virtutibus, coruscasse miraculis; et ex iis plura audivimus, sed ob diversitatem narrantium scripto mandata non sunt, ne forte, dum res gesta ordine describeretur incerto, incertum generaret legentibus intellectum. Libet tamen quædam eorum, prout certius innotuerunt nobis, advertere. Cum esset aliquando Romæ, quidam domini Stephani Cardinalis de Fossa-nova consanguineus adolescens, dum insideret equo, et incaute lasciviens cursu ferretur præcipiti, lapsus gravissime deferebatur cum lacrymis, quem vix semivivum vel forte jam indubitanter exanimem inter mortuos æstimabant. Cumque circa illum* mœror et ululatus incresceret, affuit ibidem beatus Dominicus, et cum ipso F. Tancredus *g*, vir bonus et fervidus, Prior
B aliquando Romanus, cujus revelatione* hæc didici, qui dixit ad eum: Videsne circumstantium ululatum? Quare dissimulas? Cur non interpellas Dominum? Ubi nunc compassio tua ad proximos? Ubi ad Deum fiducia cordis tui? Commotus igitur exhortatione Fratris, et victus æstuantis compassionis affectu, asportatum juvenem in conclavi virtute precum suarum refocillavit ad vitam, et palam cunctis eduxit incolumem.

* *alias* defunctum

g

* *alias* relatione

sed insignia, viventis miracula, h

74 Retulit quoque mihi F. Bertrandus *h*, de quo transmisso Parisius superius facta est mentio, quod cum aliquando una cum ipso iter ageret, et gravis super eos intemperies aeris oriretur, jamque pluviarum inundatio multa terram infunderet, facto signo crucis, magister Dominicus sic ante se depulit omnem ejusdem inundationis eluviem, ut gradientibus eis, dum semper coram se viderent ad trium cubitorum spatium stillicidia dense stillantia super terram, nec una quidem gutta vel fimbriam vestimentorum ejus contingeret. De curationibus etiam infirmitatum plura nobis innotuerunt, quæ ad præsens scripto mandata non sunt, ejus sanctitatis insignia*.

* *alias* valida argumenta

C

quibus tamen præfert

75 Ceterum quod ipsis fulgentius est magnificentiusque miraculis, tanta morum honestate pollebat, tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris et gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso haud dubium probaretur. Inerat ei firma valde mentis æqualitas, nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur. Et quia cor gaudens exhilarat faciem, placidam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate ac vultus hilaritate prodebat, nec aliquatenus acquiescebat irasci. Tantam autem servabat in iis, quæ secundum Deum rationabiliter fieri concepisset, constantiam, ut vix aut numquam semel enuntiatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Et cum multa in ejus facie, sicut commemoratum est, de bono conscientiæ testimonio semper eluceret hilaritas, lux tamen vultus ejus non cadebat in terram. Denique per hanc omnium sibi facile vendicabat amorem, omnium sine difficultate, mox ut eum aspicerent, illabebatur affectibus.

eximiam vitæ sanctitatem

76 Ubicumque versaretur, sive in via cum sociis, aut in domo cum hospite, reliquaque familia, aut inter magnates et principes et prælatos, semper ædificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad Dei amorem, seculive D
contemptum audientium animi flecterentur. Ubique virum Euangelicum verbo se exhibebat et opere. Tempore diurno cum Fratribus sociisve nemo communior, nemo jucundior: nocturnis horis nemo vigiliis et obsecrationibus per omnem modum instantior. Ad vesperum demorabatur fletus, et ad matutinum lætitia. Diem impartiebatur proximis, noctem Deo; sciens, quoniam in die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. Flebat autem uberrime atque creberrime, et fuerunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte: die quidem tunc magis, cum Missarum crebra sibi et quotidiana celebraret solennia; nocte vero, cum super omnes infatigabilibus excubaret vigiliis.

77 Erat ei pernoctandi in ecclesiis creberrima consuetudo usque adeo, ut vix aut raro certum, ad quiescendum, lectulum habere videretur. Orabat igitur noctibus, et perseverabat vigilans, quantum a fragilitate corporis extorquere potuisset; et cum tandem lassitudine succedente, et lentescente spiritu, somni interpellaret necessitas, sive ante altare, seu alio quocumque loco, E
aut certe super lapidem, instar partriarchæ Jacob, capite reclinato, paululum requiescens rursus evigilabat ad spiritum, orationisque fervorem. Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu; et cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium vendicabat, affluens pietate, et se totum in proximorum curam ac miserorum compassionem effundens. Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum, quod simplici gradiens via, nullum umquam in verbo vel opere duplicitatis ac fictionis prætendebat vestigium. Verus erat paupertatis amator, vilibus utens indumentis, et in cibo simul ac potu modum temperatissimum observabat, delicata vitans, et libenter simplici pulmento contentus, habens firmum suæ carnis imperium, et utens vino sic temperate limphato, ut necessitudini satisfaciens corporali numquam subtilem ejus spiritum ac tenuem hebetaret.

et varias illius virtutes,

78 Quis hujus hominis usquequaque virtutem imitari sufficiat? Mirari possumus, et ipsius exemplo pensare nostri temporis inertiam. Posse vero, quod ille potuit, non humanæ virtutis, sed singularis est gratiæ, nisi quem forte miserans F
Dei bonitas in simile dignata fuerit prorogare sanctitatis fastigium. Sed ad hoc quis idoneus? Imitemur tamen, Fratres, ut possumus, paterna vestigia, simul et agamus gratias Redemptori, qui talem in via hac, qua ambulamus, ducem exhibuit servis suis, per eum nos in hujus conversationis lucem regenerans; et deprecemur misericordiarum Patrem, ut illo nos regente spiritu, quo filii Dei aguntur, per terminos, quos posuerunt patres nostri, ad eamdem metam perpetuæ felicitatis et æternæ beatitudinis, ad quam ille sine fine felix intravit, nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur.

quas meritis laudibus extollit.

ANNOTATA.

a *Lingones, urbs Galliæ, vernacule* Langres *in Campania provincia, cujus incolæ plerumqne Lingonenses appellantur.*

b Lausonium *seu Lausanna, vulgo* Lausanne, *urbs Helvetiæ, in qua olim episcopus degebat. Sed*

cum

A *cum jam civitas illa hæreticis subsit, sedes episcopalis Friburgum translata est.*

c *Hæc pia ac tranquilla Everardi mors in Vitis Fratrum part. 5 cap. 2 etiam refertur.*

d *Ultima illa periodus jam ab anno 1242 deleri jussa est, ut § 1 Commentarii prævii monuimus, et ex hac ibidem § 5 antiquitatem codicis nostri Uxamensis collegimus.*

e *Hic F. Guala anno 1229 ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Brixiensem evectus est, eamque solitariæ vitæ amore relinquens, anno 1244 inter monachos Vallumbrosanos spiritum exhalavit, ut tradit Ughellus, apud quem in editione Veneta Italiæ sacræ tomo 4 col. 547 breve hujus pii viri elogium legi potest.*

f *Hæc in editione Echardi sic leguntur:* Viditque velut aperturam quamdam in cœlo, per quam duæ scalæ candidæ descendebant, quarum unam Christus in summitate tenebat, alteram Mater ejus, et per utrasque angeli descendentes et ascendentes discurrebant.

g *In Vitis Fratrum part. 4 cap. 13 narratur mira vocatio hujus Tancredi ad Ordinem Prædicatorum. Echardus tomo 1 Bibl. Prædicat. pag. 90 et sequente plura de illo habet, eumque ab alio homonymo distinguit.*

B h *Is est F. Bertrandus, cognomento de Garriga, de quo laudatum Echardum tomo 1 Bibl. Prædicat. pag. 16 in notis consule.*

CAPUT V.

Mira F. Bernardi energumeni historia, honorifica corporis S. Dominici elevatio seu translatio, et diversa miracula eo tempore per intercessionem ejusdem Sancti patrata.

Cum B. Jordanus provinciam Lombardiæ visitaret,

Jam exactis iis, quæ de temporibus magistri Dominici memoranda fuerunt, convenienter de quibusdam gestis postmodum advertendum. Itaque defuncto apud Losannam, ut dictum est, F. Everardo, ego procedens, Lombardiam intravi, injunctum mihi per illam provinciam ministerium peracturus. C Erat autem tunc temporis Frater quidam, Bernardus nomine, Bononiæ, qui obsessus acerrimo cruciabatur dæmonio, in tantum, ut die noctuque furiis exagitaretur horrendis, et supra modum omne Fratrum exturbaret collegium: quam tribulationem haud dubium operandæ patientiæ servorum suorum causa divina misericordia providerat.

invenit Bononiæ Fratrem obsessum a dæmone,

80 Sed referam, quo Ordine Fratri huic tale flagellum evenerit: post ingressum enim suum ad nos, crebro peccatorum suorum doloribus stimulatus, desiderabat a Domino aliquod genus infligi purgationis. Suggerebatur igitur cordi ejus frequentius, an vellet affligi obsessione per dæmonem; et horrebat animus, nec poterat consentire. Tandem post multas deliberationes, dum quadam vice suis offensis esset gravius indignatus, assensit animo, ut corpus ejus operandæ purgationis causa dæmoni traderetur, ut ipse mihi perhibuit. Et sic confestim factum est, ut idem, quod corde conceperat, permittente Deo, perficeretur opere.

qui interdum eruditum sacræ Scripturæ interpretem agebat,

81 Multa miranda per os ejusdem dæmon evomuit. Interdum quoque, licet obsessus ille non foret in theologia peritus, et sacrarum velut inscius Scripturarum, adeo tamen profundas per os ejus de Scripturis sanctis eliciebat sententias, ut hujusmodi etiam per Augustinum edita laudabilia merito censerentur. *Ex ms.* Gloriabatur autem quam plurimum (sed suggerente superbia) si quis aurem suis sermonibus inclinaret. Interdum hanc, ut recolo, conditionem mihi exhibuit, ut a prædicatione desisterem, et ipse a Fratrum omni tentatione cessaret. Cui ego: Absit, ut fœdus cum morte ineam, aut pactum faciam cum inferno *a*. Tuis tentationibus, te nolente, Fratres proficient, et ad vitam gratiæ convalescent, quia tentatio est vita hominis super terram. *a*

et inter alias fraudes

82 Nitebatur autem, sub quadam fraudulenta palliatione verborum, crebro aliquod in cordibus nostris suæ nequitiæ seminare vestigium; quod ego dum adverterem, dixi ei: Ut quid nobis toties ingeminas dolos tuos? Non ignoramus cogitationes tuas. At ille: Et ego cognovi figmentum tuum; quod semel oblatum tibi respuis et contemnis, tandem mea supplantatus improbitate facile et gratanter admittes. Audiant hoc milites Christi, quibus non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum, contra spiritualia tela nequitiæ in cœlestibus; ut discant ex ipsorum hostium sedulitate continua suum econtra continuare fervorem, et vitare spiritus in se torpentis ignaviam. E

corpus obsessi suavi odore perfundebat,

83 Interdum quoque, quod amplius est, tam efficacibus utebatur, velut in modum prædicationis, sermonibus, ut ipso pronuntiationis modo ac pietate, simul et profunditate verborum uberes elicuerit lacrymas de cordibus auditorum. Mirum in modum et Fratris ipsius obsessi corpus suavissimis aliquando super omnem humanam confectionem perfudit odoribus, idemque tentationis genus mihi in memetipso nequiter intulit, simulans, se torqueri graviter eisdem odoramentis, velut ab angelo cœlitus procuratis, cum ipse foret omnino, per quem ad suscitandam temerariam sanctitatis præsumptionem hujusmodi tendebantur insidiæ.

eum ab angelo ejus afferri fingens,

84 Denique dum quadam vice Fratrem illum, nobis præsentibus, graviter afflixisset, cœpit simulare turbationem gravi voce, et dicere: Ecce odor, ecce odor, ecce odor. Et post pusillum effusa super ipsum Fratrem Odoris illius suavitate, horrorem et despectum se pati vultu simul ac voce simulatorie demonstravit, dixitque mihi: F Scitisne, quid modo abhorrui? Ecce angelus hujus Fratris suavissimis eum consolatus odoribus advenit, et in hac ejus consolatione grave mihi tormentum incussit; sed ecce profero tibi de thesauris meis alterius modi odoramenta, quibus ego visitare consuevi. Moxque ut verbum protulit, sulphureis aërem respersit fœtoribus, intendens eorumdem successione, præcedentis illius suavitatis palliare fallaciam.

et eadem odoris fragrantia ipsum Jordanum imbuit,

85 Igitur cum et mihi fecisset similia, ego multa perplexus ambiguitate, diffidebam quidem de meritis; sed tamen hæsitabam incertus, quocumque pergerem. Mira circumfusus fragrantia, vix ipsas manus audebam exserere, veritus eam, de qua nondum conscius eram, perdere sanctitatem. Si gestarem calicem, ut interdum fieri solet, pro hostia dominici Corporis deferenda, tanta de ipso calice mihi videbatur prodire suavitas, ut totus possem præ immensitate tantæ dulcedinis immutari. Sed non passus est Spiritus veritatis, maligni spiritus in longum durare fallacias. Nempe cum quadam die divina celebraturus in quodam loco, psalmum istum JUDICA DOMINE NO-

EX MS. CENTES ME, propulsandis tentationibus efficacem, cum aliqua attentione spiritus perorarem, et jam istum versiculum ruminarem: OMNIA OSSA MEA DICENT: DOMINE, QUIS SIMILIS TIBI? repente tanta super me effusa est odoriferi dulcoris immensitas, ut revera viderentur omnes medullæ meorum ossium irrigari.

qui post detectam dæmonis fallaciam

86 Stupefactus ergo, tali plus solito raritate percussus, oravi ad Dominum, ut, si diabolicis hic ageretur insidiis, sua gratia revelaret, nec jam calumniari sineret pauperem a potente, cui aliunde certus non erat adjutor. Mox ut oravi ad Dominum (in ipsius laudem refero) tantam recepi spiritus illustrationem intrinsecus, et tam indubitatum per infusam veritatem plenæ securitatis indicium, ut jam omnino non ambigerem, cuncta hæc fraudulenti hostis exstitisse figmenta. Jamque ex tunc revelato iniquitatis arcano, cum Fratrem illum certum de diabolica tentatione fecissem, ab utroque nostrum cessavit illius odoris immissio, atque ex tunc mala loqui B cœpit et turpia, qui prius sermones devotione plenos nobis narrare consueverat. Cui cum dicerem: Ubi nunc pulcri sermones tui? respondit mihi: Manifestum est nunc meæ fraudis consilium; manifestam jam volo exercere nequitiam.

ea occasione Antiphonam salve Regina *in Ordinem induxit.*

87 Hujus prædicti F. Bernardi tam fera vexatio, fuit occasio, qua permoti antiphonam SALVE REGINA post Completorium decantandam instituimus apud Bononiam, qua de domo eadem per omnem postmodum Lombardiæ cœpit frequentari provinciam, et sic postmodum per universum Ordinem hæc pia et salutaris invaluit consuetudo. Quantas præconium venerandæ Matris Christi lacrymas devotionis excussit, quoties audientium pariter atque psallentium liquefecit affectum, mollivit duritiem, et pium eorum cordibus invexit ardorem! An non credimus, Matrem Salvatoris nostri talibus delectari laudibus, misceri præconiis? Retulit mihi vir quidam religiosus et fide dignus, frequenter vidisse in spiritu Dei Fratres canentes EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA, ipsam Matrem Dei ante Filii sui prosterni præsentiam, et pro totius Ordinis conservatione precari. Quod idcirco commemoratum sit, ut legentium Fratrum devotio magis jam deinceps in lau-C dem Virginis animetur.

Elevato S. Dominici corpore,

88 Quando corpus beati Dominici translatum fuit, cum palis ferreis vix fracto duro cœmento, cum difficultate magna elevato lapide, qui superpositus fuerat monumento, mirabilis et suavissimus odor de ipso monumento exivit, et talis, qui videbatur omnia aromata superare; nec odori alicujus rei humanæ similis videbatur: et odor non solum erat in ossibus, capsa, et pulvere; verum etiam in manibus eorum, qui supradicta tetigerant, vel aliquid de supradictis, per plures dies duravit.

Nicolaus quidam Anglus

89 Quidam scholaris, nomine Nicolaus de Bosco, Anglicus Wigorniensis diœcesis, Bononiæ commorans, quem dolor renum et genuum a festo sancti Michaëlis usque ad Pentecosten miserabiliter afflixerat, non poterat se erigere nec per domum ire, nisi sustentaretur baculis servientibus. Et tandem adeo gravata fuit infirmitas per quindecim dies, quod non poterat lectum exire; et coxa ejus sinistra sic erat attenuata, et carnibus evacuata, quod aliqua medicorum ope non poterat liberari; sed per varia medicamenta deterius sibi erat, ita quod de sanitate ejus amici sui et medici desperarent. Facto voto b beato Dominico, statim restitutus est sanitati *b*.

et plures alii

90 Quædam puella, nomine Thomasina, filia Thomasini scriptoris, qui stat Bononiæ juxta curiam sancti Ambrosii *c*, per quindecim dies c in maxilla sinistra gravi detenta fuit infirmitate, ita quod, rupta carne, multa sanies et putredo defluebat, nec poterat restingui aliqua re. Itaque timebant parentes ejus, quod non de facili sanaretur, et deformitatem incurreret valde magnam. Facto autem voto beato Dominico, sequenti mane, nullo apposito medicamine, ita fuit liberata, quod nec cicatrix, nec aliquod vestigium infirmitatis remansit, nisi quædam rubedo in maxilla, quæ nullam præbet deformitatem.

Quædam domina, nomine Gilla, uxor domini Marscoti, qui stat in strata Castillionis, per octo annos et amplius in dextro latere a cingulo inferius omnes amiserat corporis sui vires, ita quod nec movere pedem nec tibiam poterat, nisi cum manibus sic moveret baculum. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit liberata.

tum viri, tum feminæ

91 Quidam juvenis, nomine Manfredinus, de Mausolino, a festo sanctæ Agathæ usque ad festum diem post Pentecosten, vires omnium mem- E brorum suorum amiserat, ita quod non sine baculo vel alio sustentamento ire poterat, nec super ancas *d* suas, sed supinus, nec in terra se d ponere ad sedendum, nec etiam se erigere; et inflaturas habebat et tumores magnos; et medicinas fecit, et nullis profuit, imo multum nocuit, et non poterat tibias attrahere, nisi manibus moveret, volveret, vel attraheret. Facto voto beato Dominico, restitutus est sanitati, ita quod eadem die propriis pedibus ambulavit XXVIII milliaria absque adminiculo vel auxilio alieno.

Quædam mulier, Gilla nomine, filia Joannis de Corviago, de castro Mansolini, a carni-privio *e* e usque ad tempus translationis corporis beati Dominici, infirma fuit in toto corpore, et infirmitate amisit brachium sinistrum penitus, ita quod non poterat de ipso aliquo modo se juvare, et facta minutione, sanguis nullo modo exivit, quia brachium erat aridum et mortuum, et insensibile, ita quod in minutione non sensit vulnus; et dictum brachium erat magis tenue, quia adeo attenuatum, scilicet in ægritudine. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit curata. F

variis morbis afflicti,

92 Quidam puer, filius Jacobini Bonfantini, nomine Petriciolus, per duos annos ruptus est in inguine, ita quod intestinum defluebat in bursam testiculorum, et nulla medicorum ope sibi subveniri poterat. Facto voto beato Dominico ante translationem corporis, liberatus est.

Quædam mulier: Menecata nomine, filia Hugonis Massarii de Sesso, cui labium inferius ita ingrossatum fuit et quasi emortuum, quod absque maxima pœna comedere non poterat, nec bibere, nisi labium illud sustentaret; nec intelligibiles voces proferre poterat; cui et prædicta infirmitas per annum et quinque menses duraverat. Facto voto beato Dominico, statim restituta est sanitati.

Quidam Geminianus nomine, filius Petri Bachalari, quadam infirmitate per quatuor annos ultra detentus fuerat, ita quod ex capite ejus capilli ceciderant, et putredo sanguinea defluebat, nulla medicorum ope liberari poterat. Facto voto beato Dominico a matre sua, statim fuit liberatus.

implorata Sancti istius intercessione

93 Quidam Cambius nomine de Barticoribus dum purgaret aream quamdam, arista guttur ejus intravit, et occasione illius aristæ per octo dies

A dies gravi dolore detentus, per quatuor dies nec comedere, nec bibere, nec intelligibiles voces proferre poterat, nec ei [ab] aliquo medico subveniri poterat. Facto autem voto beato Dominico, plene statim fuit liberatus.

Quædam mulier, nomine Bona-filia, passa fuit malum fici *f* in naso et labio superiori per duos annos et amplius; et habebat nasum et labium grossum plus quam ovum gallinæ, et multum fœtebat, ut nulla medicorum ope sibi subvenire poterat. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit liberata, ita quod vestigium infirmitatis aliquod in ipsius naso vel labio non remansit.

Quidam puer, nomine Petrinus, filius Gerardi Petrini de Tornello, per quindecim dies et amplius, gravissima fuit infirmitate detentus, et ab umbilico inferius usque ad pedes erat gravissime inflatus, ita quod non poterat stare, nec aliquo modo se juvare; et ab omnibus pro mortuo habebatur. Facto voto beato Dominico, statim restitutus est sanitati.

et voto facto,

94 Quædam mulier, Alda nomine, filia Bertæ B Tuscæ, per quinque annos habebat scrofulas sub ascella dextra et glandulas, et circa mamillas in dextro latere vesicas multas, quæ saniem multam et putredinem emittebant; et multum fœtebat, ita quod sibi abominabile videbatur, et multum affligebat eam, ita quod non poterat super latus jacere. Facto voto beato Dominico, incontinenti liberata est.

Quidam puer, Rodulfus nomine, filius Hymeliæ, uxoris Ildebrandini Jucellini, detentus fuit gravi infirmitate, ita quod per octo dies nec comedit, nec mamillas sumpsit; et jam cor ejus quasi frigidum et aridum factum erat, et de ejus sanitate omnes penitus desperabant. Facto autem voto beato Dominico a parentibus, statim fuit liberatus.

Quidam puer, nomine Aimericus, per octo dies et amplius gravissima detentus fuit infirmitate, ita quod nec comedere, nec bibere poterat, nec loqui; et totum corpus ejus jam frigidum factum fuerat, et omnes de ejus sanitate penitus desperabant. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit liberatus.

statim sanitatem mirabiliter recuperarunt.

95 Quædam mulier, nomine Cortesina, uxor Maynardi, per annum et dimidium et plus, gravissima infirmitate detenta fuit in omnibus membris suis, ita quod se juvare non poterat, nec aliquid operis exercere. Facto voto beato Dominico, statim fuit liberata.

Quidam nomine Marsilius de Suavitis, quem febris continua, et jugis dolor totius corporis, et præcipue circa pectus, adeo afflixerat per sex dies, quod sumpta Eucharistia et facto testamento, de sanitate ejus amici ejus penitus diffidebant; facto voto beato Dominico, statim fuit liberatus.

Quidam, nomine Andulfus, de Mazanello, per unum mensem et amplius habuit gravissimam infirmitatem apostematis a latere dextro sub ascella, interiori parte, ita quod omnes, qui videbant, ipsum ad mortem judicabant. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit sanitati restitutus. EX MS.

Quidam puer, nomine Johannes, per tres dies adeo gravissima infirmitate detinebatur, quod, apparentibus signis mortis, de salute ipsius medici, et omnes alii desperabant. Facto autem voto beato Dominico, statim fuit liberatus.

Quidam scholaris, nomine Willelmus Alare, de Castro Vauri diœcesis Tholosanæ, Bononiæ commorans, per octo dies graviter affligebatur duplici tertiana, ita quod amici ejus diffidebant de ejus sanitate. Ex quo autem jacuit super lapidem, qui est sub tumba beati Dominici, statim restitutus est sanitati.

Quædam mulier, Gilla nomine, uxor Hugonis, qui fuit Bononiæ; sed nunc *g* stat Imolæ, gravissimo dolore dentium tenebatur, ita quod nullatenus quiescebat, semper quasi furiosa clamabat. Facto voto beato Dominico, statim fuit liberata.

ANNOTATA.

E

a *Ex hoc irrefragabili B. Jordani testimonio constat, errasse Thomam Cantipratanum, dum lib.* 2 *de Apibus cap.* 57 *num.* 48 *asserit, Jordanum huic conditioni, quam dæmon obtulerat, ad aliquod tempus consensisse; et postea pactum istud rescidisse; cum nempe de fœdere illo frangendo cœlitus moneretur. Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 3 *cap.* 31 *in editione Duacena, et in nostro Ms. codice cap.* 30, *hoc B. Jordani testimonium prorsus confirmat.*

b *Hoc miraculum apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 58, *et infra apud Theodoricum de Appoldia num.* 280 *ac sequente fusius narratur. Haud dubie B. Jordanus fuit oculatus hujus miraculi testis, cum in epistola encyclica, quam* § 46 *Commentarii prævii exhibuimus, inter alia sic scribat:* Salientem vidimus Nicolaum Anglicum, diu paralyticum, in hac solennitate.

c *Hæc adjuncta præsentis habitationis indicant, collectorem horum miraculorum synchronum aut istis temporibus maxime vicinum fuisse, et ea verosimiliter ab ipso B. Jordano conscripta esse, ut arbitramur. Hæc opinio nostra confirmatur ex similibus sequentium miraculorum circumstantiis, quas posteriores auctores omiserunt, ut facile videbit, quisquis eadem beneficia conferre voluerit cum iis, quæ apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicatorum a pag.* 58, *et infra in Actis Appoldianis cap.* 24 *referuntur.* F

d Anca *a voce Gallica* hanche *vel ab Italico nomine* anca, *coxendicem significat; unde satis clara est hujus loci interpretatio.*

e Carni-privium *apud auctores mediæ ætatis idem est, quod jejunium Quadragesimale.*

f *Ea vox hic accipitur pro tuberculo ulceroso, quod varias corporis partes occupat, ut apud Castellum in Lexico medico ad vocem* ficus *videre est.*

g *Istud adverbium præsentis temporis confirmat ea, quæ superius littera* c *de collectore horum miraculorum diximus.*

EX MS.

VITA ALTERA

Quam F. Bartholomæus Tridentinus ex Ordine Prædicatorum ante medium seculi XIII breviter conscripsit.

Excerpta est ex Ms. Codice 2061, qui Romæ in bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini exstat, et nunc primum typis excuditur

S. Dominicus pie educatus

B Dominicus, qui [Domini] custos, vel a Domino custoditus etymologicatur, vel quia præcepta Domini custodivit, vel quia Dominus custodivit eum ab inimicis, a vico Calagora diœcesis Oxomensis, provinciæ Hispaniæ, patre Felice, matre Joanna editus, ante suam præfiguratus est nativitatem : vidit enim se mater sua catulum gestare in utero, qui egressus, faculam ore gestabat, ex qua totum mundum incendere videbatur : nam eloquium ejus, sicut facula ardebat, sicut postea manifeste [patuit]. Bonæ erat indolis, et [cum esset] in cunis positus, examen apum circa os volitabat infantis ; et matronæ, quæ eum de baptismo levaverat, ostensus est
a stellam habere in fronte *a*. In puerili ætate ab avunculo suo archipresbytero ecclesiasticis officiis imbuitur.

post absoluta theologiæ studia fit Canonicus Regularis,
b

2 Deinde Valentiam *b* mittitur, ubi liberalibus studiis eruditur. Fame grandi ingruente, libros suos vendens, pauperes pavit, et multos ad id induxit. Non se cum ludentibus miscuit ; carnem suam immaculatam servavit, decem annis a vino abstinuit : in lapidibus vel super terram sæpe solitus fuit dormire. Ecclesias libentissime visitabat, divina devotissime audiebat. Theologiam audiens, eam opere adimplebat.
C Didacus ergo Oxomensis episcopus eum in sua ecclesia Canonicum fecit, sub regula sancti Augustini ; inter quos post pauca proficiens, eis prælatus efficitur.

et occasione cujusdam legationis
e

3 Post hæc rogatu Alphonsi regis..... episcopus cum beato Dominico pro conjugio filii sui Ferdinandi proficiscitur ; apud Tolosam hospitatur in itinere, in qua tunc hæresis valde pullulabat, et sanctus Dominicus hospitem suum convertit. Post hæc Romam veniunt ; abinde redeuntes, visitant Cistercium, ubi episcopus Oxomensis assumpsit habitum *c*. Deinde Tolosam venit, ubi tunc legato Romanæ Ecclesiæ cum multis prælatis concilium celebrante contra hæreticos, de consilio dicti episcopi Didaci et sancti Dominici omnes pompas superfluas abjecerunt, et in paupertate Christum pauperem prædicabant.

strenue contra hæreticos Albigenses certat,

4 Hæretici contra se muniunt ac libellos contrarios scribunt fidei. Apud Fanum Jovis fit solennis disputatio sub judicibus constitutis ; et dum nimia esset verborum altercatio, libellus unus approbatus ab hæreticis, et libellus unus a sancto Dominico compositus, et approbatus a Catholicis, hinc inde examinantur ; sed cum veniret in dubium judicibus, quem libellum approbarent, placuit, ut examine ignis comprobaretur. D
Libellus hæretici mox consumptus ; liber Dominici tunc* igni injectus, tunc* prosiliit illæsus, ipsius et scientiam et sanctitatem in fidei approbans puritate.

** forte ter*

magnumque fidei zelum ostendit.

5 Dum igitur multi præ inopia filias suas, in partibus illis, hæreticis alendas traderent, Didacus Priuillianum monasterium instituit, ancillas Christi [congregans] et Tolosæ excidium prædicens, apud Castellam obiit, et multis claruit miraculis. Beatus vero Dominicus Tolosæ remansit, ubi ab hæreticis multa perpessus, in tantum martyrium sitiebat, ut desideraret membratim dirumpi præ zelo fidei. Caritate in tantum fervebat, ut se ipsum pro Christianorum necessitate vendere sæpius esset paratus. Per totam Quadragesimam cilicio indutus in pane et aqua jejunavit, ut vera parsimonia vinceret hæreticos, quia ficta parsimonia multos seducebant.

Postea Sanctus Ordinem Prædicatorum instituere incipit,
E

6 Adhæserunt tunc quidam Viro Dei, inter quos F. Petrus de Sela, et F. Thomas viri generosi. Episcopus Tolosanus Fulco sanctum Dominicum diligens, suos et alienos redditus [ex] bonis dedit, et insuper de consensu Capituli sextam partem omnium decimarum totius diœcesis suæ.... Romæ tunc ab Innocentio tertio generale celebratur concilium, ad quod cum dicto episcopo sanctus Dominicus perrexit, et Ordinem, qui Fratrum Prædicatorum diceretur et esset, impetravit. Assumpta ergo sancti Augustini regula de consilio Fratrum Tolosæ, ecclesiam sancti Romani anno Christi MCCXVII *d* sunt ingressi. d

ejusque confirmationem ab Honorio III Papa impetrat,

7 Obitum comitis Montis-fortis sanctus prævidit Dominicus, arbore sibi perpulchra in visu apparente, in qua multitudo avium quiescebat ; sed succisa corruit, et aves disperguntur. Dispersit igitur et ipse paucos, quos habuit, Fratres, et multi appositi sunt ad eos. Honorius itaque Papa Ordinem confirmavit, et, ne pusillus grex timore quateretur, miraculis et revelationibus Deus eos cœpit consolari. Etiam quidam, qui F. Dominicus simplex dicebatur, a quadam illecebrosa tentatus, inter duos rogos accensos et vicinos se projecit, et nil læsus miseram convertit.

et variis miraculis
F

8 Pater bonus Dominicus multis etiam cœpit miraculis clarere : nam Romam eundo signo crucis a se, et a Fratre Bertrando pluviam in circuitu inundantem depulit, ut nec gutta eos contingeret ; Fratrem Raynaldum decanum sancti Aniani Aurelianensis a desperata infirmitate sanctus Dominicus per illam, quæ vitæ medicinam mundo attulit, orando liberari impetravit : visibiliter ei Mater misericordiæ, duabus pulcherrimis comitata puellis, ægrotanti apparuit, dicens : Pete a me, quod vis, et dabo tibi. Deliberanti, ne quid indiscrete peteret, una ex domicellis suggessit, ut se Dominæ nostræ committeret voluntati : quod dum fecit, Regina cœli manu virginea oculos, aures et nares, os, manus, renes, et pedes saluberrima quadam unctione perunxit, his utens verbis : Stringantur renes tui cingulo castitatis, et ungo pedes tuos in præparatione Euangelii pacis ; addiditque : Die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plenæ sanitatis ; statimque habitum Ordinis, quo nunc FF. Prædicatores utuntur, ei ostendit dicens : Ecce habitus Ordinis tui.

ac revelationibus illustratur,

9 Hanc visionem liberatus illico sancto Patri retulit, et habitum, ut præviderat, assumpsit : nam ante superciliis* utebantur. Tertia die solicita

** forte superpelliceis*

A cita suorum Mater Dei affuit, et totum corpus Raynaldi Regina angelorum perunxit; et non solum ardores febrium, verum etiam motus libidinum in eo prorsus exstinxit. Hic postea Bononiæ, Parisiis, et alibi Jesu Christo plurimos attraxit, et post pauca in pace quievit. Claruit eisdem temporibus sanctus Franciscus, qui Ordinem FF. Minorum instituit: ei tanta caritate sanctus Dominicus fuit conjunctus, ut idem velle et idem nolle esset uterque*. Dilatantur ergo sub his Patribus duo Ordines. Nec invidi hostis versutia defuit, quin decipulam poneret pedibus multorum: sanctus nempe Dominicus, dum esset in Hispania, vidit in visione draconem immanissimum Fratres, qui secum venerant, absorbere; unde factum est, ut, exceptis tribus, omnes alii abscederent, quos dum sanctis persuasionibus retinere non valuit, orando reduxit. Sic et cujusdam delicati novitii, ad seculum redire volentis, oratione ardenti vestes incendit, ut ignem tentationis exstingueret in eodem.

* *forte* utrique.

quibus Ordinem suum dilatavit,

10 Conversum, qui sine licentia et benedictione [sumpserat] potum, a dæmone, qui eum invaserat, liberavit. Ludibria dæmonum sæpe ipse B pertulit: nam aliquando post Completorium diutius oranti in specie Fratris dæmon apparuit, cui dum ex compassione diceret: Vade, dormi; ille insultans: Fregisti silentium, inquit. In refectorio etiam aliquando intrarunt, de mensa ad mensam salientes, et dicentes repetendo: Intellexit autem plus aut minus *e*. Duorum Fratrum mortem in anima, qui Ordinem exierant, duorum in corpore eadem hebdomade prædixit. Duos mortuos suscitavit: Romæ nepotem domini Stephani Cardinalis de Fossa-nova, qui in equo lasciviens et corruens exspiraverat, sicut a suis parentibus in Hispania ego ipse audivi; alterum operarium, quem apud sanctum Sixtum moles monticuli oppresserat, orando a morte similiter revocavit. Fratribus in mensa dum panis deesset, Patre sancto orante, advenerunt duo juvenes omnibus ignoti, albissimos panes portantes, et Conventui capita inclinantes, ultra non comparuerunt: id a Fratre, qui intererat, intellexi *f*.

illiusque institutionem Deus sibi gratam esse ostendit.

11 Denique Patris hujus opus inchoatum, Deo bene placitum esse, non solum suis, sed et aliis C est demonstratum: quidam enim sacerdos Ordinem istius intrare disponens, dum nullam aliam dilationem quæreret, nisi quod novum emeret Testamentum, subito quidam affuit, et ei vendidit, quod optabat: quo empto, mox venit, in dubium ambiguum, quod prius fuit peroptatum. Ex ipso ergo libro a Deo quærit oraculum, et facta cruce, librum orando aperuit, et in prima apertione invenit verba Domini dicentis ad Petrum de nuntiis Cornelii: Surge, descende, et vade cum eis nihil hæsitans, quia ego misi illos. Certus igitur factus, adjunctus est Sancto. Dominus etiam Conradus *g*, Portuensis episcopus, cui in dubium venerat, utrum hic Ordo a Deo esset, an ex hominibus, oravit a Deo certificari; et, aperto Missali, in prima linea legit: LAUDARE, BENEDICERE, ET PRÆDICARE. Unde omni ambiguitate exsiliata, devotissimus Ordini deinceps exstitit. Sic et dominus Guilielmus, tunc Mutinensis, nunc autem Sabinensis Cardinalis episcopus, mores sancti Dominici sedule explorans, se in confratrem Ordinis ab eo petiit recipi: cui sanctus Pater annuens, eidem, tamquam patri, Ordinis negotia recommisit; quod idem episcopus ferventer observat usque in hodiernum diem *h*.

12 Denique venerabilis vir Dominicus plus de divina gratia, quam de humana sapientia præsumens, Fratres, quos ad prædicandum emittebat, sedulis orationum suffragiis prosequebatur. Quantum autem oratio justi valeat, loco omnium duos introducam: ii pro Deo incarceratam visitarant, quorum juvenilem elegantiam intuens, hæsitare cœpit, vix tales, aut horum similes, immaculatos ab hoc seculo posse custodiri. Anxiatæ pro talibus, et devote oranti adstitit Regina, mœrentium consolatrix, protectrix suorum, Virgo Maria, et inenarrabile pallium, quo ei tunc amicta videbatur, coram anxia expandens, pro quibus erat solicita, juxta se adstantes ostendit, dicens: Ne sis pro his anxia aut horum similibus, qui mei sunt, et mihi eos servabo. Merito tanta spe fulciti*, clamant assidue: VITA, DULCEDO, ET SPES NOSTRA, SALVE.

EX MS.

Sanctus Fundator post piam Ordinis sui gubernationem

* *lege* fulti

anno 1221 ad Superos migrat,

13 His ergo et multis aliis copiis virtutum in se et in filiis beatus Pater effulgens, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo, qui [ad] annum Christi MCCXXI Bononiæ constitutus dissolutionem sui corporis novit imminere: vidit enim pulcherrimum juvenem his verbis se vocantem: Veni, dilecte mi, veni ad gaudia, veni. Convocatis itaque XII spopondit securrissime, se post E mortem corporis utiliorem fore Ordini, quam in vita. Virginitatem sui corporis eis in exemplo relinquens, caritatis, humilitatis et voluntariæ paupertatis condens testamentum, intravit in gaudium Domini sui. Venerabilis autem pater, dominus Ugolinus, tunc Ostiensis episcopus et Apostolicæ Sedis legatus, postea vero IX Papa Gregorius, eum in ecclesia sancti Nicolai, quæ nunc suo nomine intitulatur, inter duo altaria sepelivit.

cujus mors eodem tempore revelata est

14 Hora sui exitus F. Guala piæ memoriæ *i*, tunc Prior FF. Prædicatorum Berisiæ*, postmodum autem episcopus ejusdem civitatis, in campanili ecclesiæ Fratrum, capite ad murum inclinato, levi somno occupatus, vidit cœlum aperiri, et duas scalas candidas ad terram submitti, quarum summitates Jesus cum Matre sua virgine tenebat, et angeli per eas jubilando ascendebant et descendebant in medio scalarum: in imo posita erat sedes, et super eam sedens Frater velato capite; Jesus autem et Maria scalas sursum trahebant, psallentibus angelis. Sedente in cœlum elevato, porta clausa est, quæ antea [aperta] videbatur. Expavit his, quæ viderat, et pan- F dens ea Fratribus suis, Bononiam festinat, et visionis ac transitus eadem hora invenitur. Hoc ipsum episcopum in festo Dominici Bononiæ coram omnibus in nova* Lectione devote legentem audivi; hoc, cum mihi Dei et sui gratia esset familiarissimus, coram multis sæpe protestantem intellexi.

* *lege* Brixiæ

* *forte* nona

duobus Fratribus Prædicatoribus,

15 Frater Rao mihi narravit, quod Romæ in ecclesia sancti Sixti, cujus festum imminebat, Missam ea hora celebrabat; et dum in canone, ubi vivorum memoria agitur, more solito pii Patris devotam memoriam habere proponeret, vidit ipsum reverendo collega associatum, et corona adornatum gloriæ per amœnissimam incedere viam; et licet eum tunc transisse nesciret, horam tamen notans, reperit, Sanctum eadem hora transisse. Unde de hac visione idem Frater Antiphonam composuit, quam in dicta sancti nostri Dominici die, voce ejus audivi. Alter adolescens mihi familiaris, Bononiæ tunc exsistens, ibi sanctæ veritate fidei retulit invocata, se quidem obitum Sancti novissime cognovisse; sed se plus trimestri ignorasse. In visione igitur noctis vidit

sanctum

EX MS. sanctum Dominicum in throno glorioso inter doctores sedentem, sacerdotalibus indumentis gloriosissime adornatum, cui dum videns diceret: Mi domine, itane mortuus non estis? respondit: Mi fili, non sum mortuus, quia bonum habeo Dominum, in quo vivo in æternum. Mane hic, qui viderat, dum ecclesiam intrat, in eodem loco sepultum reperit, ubi eum viderat sedentem.

et post obitum suum multis ægris.

16 Crebrescebant ibidem miracula; sed quorumdam Fratrum insulsa simplicitas imagines, ob curatorum vota illuc delatas, frangebant, dicentes, sub sanctitatis specie, cupiditatis vitium subrepere posse. Verum Dominus ad tempus talia sustinuit. Sed dum de translatione ejus, quam supra memini *k*, ageretur et canonizatione, tanta eruperant miracula, ut celari non possent; e quibus probata et approbata quædam breviter tangam. Nicolaus Anglicus, sicut ipse vidi, a gravi et multiplici paralysi curatus, coram nobis omnibus adstantibus tamquam cervus prosiliit lætus et gaudens *l*. Alios etiam paralyticos diversimode infirmos, diversimode curatos, probatum est; apostemata incurabilia quatuor, probata et approbata, et multa alia ejus meritis Christus curavit.

B

opem ipsius implorantibus, sanitatem restituit. *m*

17 Allophitium *m* et apostematicum similiter eum curasse, probatum est. Præfocatum crusta in gutture, quatuor diebus nec cibo nec loquela potitum, invocato Dominici nomine, sanatum cognovimus. Febricitantes plurimos, votis ad eum emissis, Jesus Christus meritis Servi sui liberavit. Corruptos igitur in intestinis plures suis meritis Jesus Christus redintegravit. Tres desperatos et morti proximos, sicuti probatum et approbatum est, vitæ restituit et sanitati. Puerum pro mortuo a cunctis habitum per plures dies, voto ad sanctum Dominicum facto, vitæ præsenti [reddidit.] Mutorum quatuor et multorum aliorum linguas absolvit; cæcis visum restituit et surdis auditum. Multa quidem et alia signa et miracula Jesus Christus per hunc sanctum servum suum Dominicum fecit, quæ longum esset enarrare: ista autem ad fidelium ædificationem sufficiant; quia sine dubio plura sunt sanctitatis ejus indicia, quam narrentur.

C

ANNOTATA.

a *Beatus Jordanus supra num.* 6 *matri* S. Dominici *tribuit hanc visionem, quam hic Bartholomæus, aliique veteres biographi matrinæ ipsius adscribunt, ut in Commentario prævio* § 10 *monuimus. Non video, quomodo hæc diversa narratio componi possit, nisi forte B. Jordanus matrem ejus spiritualem intelligi voluerit.*

b *Eodem paragrapho diximus, mutatione unius litteræ initialis facile hunc errorem ab amanuensibus commiti potuisse; et ibidem ostendimus, pro* Valentia *legendam esse* Palentiam.

c *Soëgius contra habitum Cisterciensem, tunc ab episcopo Didaco assumptum, non leves movet difficultates, ut* § 12 *Commentarii prævii monuimus, et ubi argumenta ejus cum expressione veterum scriptorum conciliare conati sumus.*

d *Supra B. Jordanus in Actis* S. Dominici *num.* 33 *asserit,* anno Domini MCCXVI æstatis tempore *Tolosanam S. Romani ecclesiam Fratribus datam esse. At Fratres* ecclesiam sancti Romani anno Christi MCCXVII sunt ingressi, *ut hoc loco Bartholomæus scribit. Uterque biographus conciliari potest, si Fratres Tolosanam S. Romani ecclesiam anno* 1216 *acceperint, eamque anno* 1217 *primum ingressi fuerint, aut in illa functiones sacras obire cœperint.* D

e *Hic sensus obscurus est, et forte aliquid ei deest.*

f *Ex hac similibusque phrasibus patet, quantam fidem narratio hujus scriptoris mereatur.*

g *Elogium hujus præclari viri apud Ughellum in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 127 *et sequentibus legi potest.*

h *Guilielmus ille obiit anno* 1251 *Lugduni, ibidemque sepultus est apud Prædicatores, ut Ughellus in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 172 *tradit. Itaque ex hoc loquendi modo liquet, hanc brevem* S. Dominici *Vitam a Bartholomæo Tridentino ante illum annum* 1251 *conscriptam esse.*

i *Cum F. Guala anno Christi* 1244 *e vivis excesserit, ut superius ad lucubrationem B. Jordani post caput* IV *littera* e *observavimus, et hic idem F. Guala* piæ memoriæ *appelletur, quæ phrasis mortuis convenit, non improbabiliter concludimus, hæc compendiosa* S. Dominici *Acta post annum* 1244 *ab eodem Bartholomæo collecta fuisse.*

k *Hoc loco auctor innuit, se etiam scripsisse de translatione* S. Dominici, *cui interfuerat, et quam* § 46 *Commentarii prævii ex ipso retulimus.*

l *Circa hanc publicam Nicolai Angli sanationem superius nonnulla notavimus ex teste oculato, ad cujus confirmationem hic testis ejusdem fidei accedit.* E

m *In Glossario Cangii legimus,* allopitium *aliquando usurpari pro* alopecia, *quæ est capillorum defluvium propter vitiatos humores; de quo morbo consule, si lubet, Lexicon medicum Castelli, aut Gorræum in Definitionibus medicis. Suspicor hic per vocem* allophitium *indicari illum, qui tali morbo laborat.*

ACTA AMPLIORA

quæ F. Theodoricus de Appoldia, suppar Ordinis Prædicatorum scriptor, ex variis antiquioribus monumentis collegit.

Nunc primum ea sincera et integra exhibemus ex membranaceo nostro Codice P. *Ms.* 8., *quem cum altero Musei nostri Codice signato* P. *Ms.* 7. *contulimus.* F

PROLOGUS PRIMUS.

Auctor ait, diu prænuntiatum fuisse Ordinem Prædicatorum.

Multifarie multisque modis olim Deus electos ad æternum invitans convivium, novissime istis diebus, id est hora undecima, misit servum suum dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Servum hunc, ordinem prædicatorum, sanctus interpretatur Gregorius, novissimis dirigendum temporibus ad humanas videlicet mentes de vicino adventu judicis commonendas: novum enim aliquem prædicatorum ordinem futurum Scriptura præmonuit, quem circa finem seculi mittendum tam signanter expressit: Misit, inquiens, servum sum hora cœnæ. Hora cœnæ finis est mundi; nos autem sumus, in quos fines seculo-

A seculorum devenerunt, missus est igitur hora cœnæ, id est diebus novissimis, Ordo novus; novus inquam, pariter et antiquus: novus institutione, antiquus auctoritate; novus, imo novissimus spatio, primus autem officio; conductis equidem primo mane vineæ ex denarii conventione cultoribus, et etiam hora tertia, sexta, et nona, hora restat, imo exstat, jam undecima, qua novissimi multiplicentur.

quem S. Dominicus instituit,

2 Hi sunt prædicatores, quorum Ordinem temporum horum novissimorum periculis dispensatio divina providit, ut appropinquante judicio illius, cujus in humilitate judicium sublatum est, testium numero augeretur. Idcirco jam nunc multiplicantur in senecta uberi, ut bene patientes annuntient, quoniam rectus dominus Deus noster. Hæc sunt tintinhabula, quibus pontificalis poderis extremitas decoratur. Hi sunt equi fortes et varii in quadriga novissima de medio duorum montium æreorum egressi, ut perambulent omnem terram. Hujus Ordinis primus institutor et pater inclytus exstitit beatus Dominicus, cujus vitam virtutibus plenam, Deoque gratissimam, obitum quoque, et ex parte miracula, et
B Ordinis ipsius, in occiduis mundi partibus et occasu temporis orientis, exordium rudi quidem, sed veraci stylo perstringere operæ pretium est,
a opitulante gratia Jesu Christi *a*.

et assignat auctores

3 Sciendum, quod venerabilis pater noster beatus Jordanus, secundus nostri Ordinis Magister, successor sancti Dominici dignissimus, libellum de initio Ordinis composuit, in quo primorum Patrum et Fratrum sanctorum gesta gloriosa et mirabilia opera conscripsit, ne in oblivionem venirent Patres tam excellentes, eorumque exempla tam eximiæ sanctitatis: de quo libello prima sancti Dominici Legenda conscripta
b est *b*. Postea de mandato beati Johannis episco-
c pi *c*, qui quartus a sancto Dominico Magister ex-
d stitit, Frater Constantinus *d* secundam Legendam edidit, multa insignia superaddens. Sanctus
e Pater succedens Humbertus *e*, Magister Ordinis quintus, ex prædictis tertiam conflans Legendam, multis superadditis, non modicum ampliavit; qui etiam librum, qui Vitas fratrum dicitur, sua
f devotione et diligentia compilavit *f*.

ac documenta

4 Tandem dilectus Pater noster, Frater Gerardus, Prior provincialis Theutoniæ, rediens de
g generali Capitulo, in Luca celebrato *g*, detulit
C quædam præclara gesta sancti Dominici de Bononia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt; quæ sicut vidit et audivit, plena fide sincerissime enarravit, quæ usque ad annum Domini millesimum ducentesimum nonage-
h simum *h* religiosissimam et sanctissimam vitam duxit. Præterea dicta illustrium virorum, videlicet novem Fratrum, quorum testimonia credibilia nimis, auctoritate domini Gregorii noni approbata, etiam aliis præferenda, Patris nostri exi-
i miam prædicant sanctitatem *i*. Accedunt ad hæc revelationes Sanctorum, quæ spernendæ non sunt, relationesque veterum fidelissimæ, et omni credulitate dignissimæ, per quas et Prædicatorum Ordinis auctoritas, ac Fundatoris ejusdem
k inclyta merita declarantur *k*.

ex quibus sancti hujus Fundatoris Vitam collegit,

5 Ex iis omnibus præsentis opusculi materia sumpta, in unum libellum conscripta est fideliter et compacta, cui auctoritatem præstat gestorum veritas, sine qua nulla valet auctoritas. Quis vero prædictis Patribus auctoritatem audeat derogare, quorum hic sententiæ et plerumque verba de verbo posita sunt. Distinctus est autem hic libellus in octo particulas, et subdistinctus per capitula, ut, quod quærit quis, facilius inveniat, et legendo distincta amplius delectetur. Est autem ex hoc libellus iste prolixior, quod gesta magistri Reynaldi, et obitum ejus, et quorumdam aliorum Patrum, et quæ ad commendationem Ordinis spectant, plenius inserta continet et adscripta. EX MSS.

et scriptionis suæ rationem ac methodum explicat.

6 Fateor, quod hæc omnia ornatius et ordinatius exprimi poterant et conscribi; sed concedendum est mihi, quia in iis compingendis nullus mihi affuit, nec propter hunc laborem aliquid, quod regularis observantia exigit, intermisi; feci autem hanc ex diversis collectam compositionem, ut cum quanta gloria et religione Prædicatorum institutus sit Ordo, et sanctorum Patrum eumdem fundantium eximia devotio et præclara discretio posteris innotescat. Nec volo, quod Legendæ vocabulo censeatur, sed libellus de Vita et obitu et miraculis sancti Dominici, et de Ordine, quem instituit, nominetur. Pleraque, sicut in prænominatis exemplaribus reperi, de verbo ad verbum hic posui, pauca propter continuationem immutans et prolationis decorem. Oro autem et E desidero, ut ad utilitatem sint legentium, cupioque, ut omnis pius lector et devotus auditor attento studio hæc corrigat et emendet.

ANNOTATA.

a *Huc usque Theodoricus prologum partim ex Constantino Urbevetano, partim ex venerabili Humberto transcripsit, ut apparebit ei, qui textum utriusque istius scriptoris apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 25 *consulere, et cum hoc conferre voluerit.*

b *Hunc synchronum ac primum Actorum scriptorem superius edidimus.*

c *Is est Joannes a Wildeshusen, communiter cognominatus Teutonicus, qui ex quarto Ordinis Prædicatorum Magistro generali factus est episcopus Bosniensis, et de quo apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 111 *et* 112 *plura licet videre.*

d *Iste est Constantinus, cognomento Medices, qui ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Urbevetanam evectus est, ut laudatus Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 153 *et sequente fusius exponit.* F

e *Hic est celeberrimus Humbertus de Romanis, cujus gesta et scripta Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 141 *et sequentibus recenset.*

f *Paragrapho* 1 *Commentarii prævii explicuimus, quomodo Humbertus dici possit compilasse istud opusculum, quod Bernardus Guidonis Gerardo Lemovicensi adscribit.*

g *Hoc Capitulum anno* 1288 *Lucæ celebratum est, cui interfuit iste F. Gerardus Teuto, quem Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 450 *laudat.*

h *Papebrochius noster tomo* 2 *Junii pag.* 366 *putavit, Cæciliam illam usque ad annum Christi* 1297 *vixisse. Sed Echardus tomo* 2 *Bibl. Prædicat. pag.* 830 *in elogio hujus Cæciliæ ex hoc Theodorici textu contendit, illam anno Christi* 1290 *mortuam esse. Omnibus mature expensis, rationes Echardi probabiliores judicamus, et ejus opinioni adhærendum censemus.*

i *Hæc jurata novem Fratrum testimonia hisce Actis ex codice Echardiano subjungemus.*

k *Utinam Theodoricus auctores harum revelationum subinde distinctius assignasset!*

EX MSS.

PROLOGUS SECUNDUS.

Theodoricus in hoc altero prologo

Caritas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, quæ finis præcepti est, et per occultam inspirationem a Deo Sanctis infunditur, interiorem hominem penetrando sanctificans, ac in eorum cordibus per Spiritum sanctum diffunditur, mentis vires irrorando fœcundans, atque ad utilitatem Ecclesiæ in electorum virtutibus se manifestans effunditur, prout ille unus atque idem omnium artifex vult Spiritus, qui omnia in omnibus operatur. Hujus operatione Artificis divinissima expolitus et perfectus famulus ejus sacer Dominicus in ædificationem corporis Christi, et in opus Euangelii destinatus est inter eos, quos Apostolus ad consummationem Sanctorum datos pastores et doctores enumerat, non infimus computandus: quos enim mellifluis erudivit sermonibus, hos et gratissimis pavit beneficiis, et sanctissimis roboravit exemplis; cujus sanctitatis B præclara præconia, vitæ perfectissimæ merita eximia, signa varia nec non miracula innumera, a diversis multifarie conscripta, præcelsi quidem Prædicatoris laudes personant, nec tamen ad plenum exprimunt, quod intendunt. Impossibile namque est cuilibet spiritualem hominis spiritualis describere vitam, nisi Spiritus vitæ mentem irradians et loquens mysteria, moveat linguam ejus.

sodales suos

8 Quis ergo describet Vitam Dominici, nisi in spiritu Dominici, adjutus per Spiritum Domini? Nempe erat hic ex iis, qui Spiritu Dei aguntur, filiis, habens spiritum adoptionis filiorum, in quo adorans Patrem postulat pro nobis gemitibus, id est desideriis, inenarrabilibus, clamans fiducialiter: Abba pater. Vere non erat in spiritu ejus dolus, cui primitias et pignus Spiritus habenti testimonium fidele reddebat conscientia sua in Spiritu sancto, quod filius Dei esset. Statuens igitur servire Deo in Spiritu suo, in Euangelio Filii ejus, perfectionis euangelicæ et institutionis Apostolicæ adamavit regulam, quærens eam sponsam assumere, ut ex ea spirituales filios procrearet. Nec fraudatus est desiderio suo: ecce enim jam sterilis euangelica perfectio peperit plurimos, et multi filii desertæ religionis Apostolicæ, magis quam ejus, quæ habet firmamen- C tum temporalis substantiæ: sterilis namque peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.

ad imitandas S. Dominici virtutes exhortatur.

9 Infirmata est prorsus opulenta Religio, peperitque plurimos sterilis paupertatis professio. Hujus matris Patrisque nos vere sumus filii, si maternæ paupertatis amatores fieri, et paternæ sanctitatis imitatores studuerimus effici: sicut enim fidem et justitiam sectantes Abrahæ, ejus solummodo æstimantur filii, ita pietatem matris nostræ Religionis, Patrisque nostri sanctitatem conversationis imitantes, filii merebimur apellari. Imitatione omnino erimus filii carissimi, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus, ne spiritualia prædicantes, et carnaliter viventes, efficiamur ab hereditate paterna reprobi, et velut infatuatum sal despectionis pedibus conculcati. Filiis igitur, sicut ille ambulavit, ambulare volentibus ejus vestigia præscripta sunt, ut et manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt, et nobis monstretur via justitiæ, et innotescant semitæ æquitatis, per quas ad hereditatis D paternæ patriam procedamus, ipso comite et præduce, qui hunc Justum deduxit per vias rectas et mirabiles, ostendens illi gloriam regni sui, qui est via ducens, veritas lucens, et vita indeficiens, Jesus Christus dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

TITULI VETERUM CAPITULORUM.

PARS PRIMA

Cap. I. De honestate et pietate parentum sancti Dominici.
II. Quod in physica et theologica scientia sufficienter eruditus sit.
III. De venerabili Didaco Oxomensi episcopo, qui beatum Dominicum fecit in sua ecclesia Canonicum Regularem.
IV. De perfecta ejus religiositate, et admirabili sanctitate. E
V. De societate et mutua caritate inter Didacum episcopum, et sanctum Dominicum.
VI. De prædicatione contra hæreticos, et de libello ab incendio conservato.
VII. De iis, quæ post mortem episcopi evenerunt, et de miraculis, quæ per sanctum Dominicum Dominus fecit.
VIII. De mira Sancti patientia, et caritate fraterna, desiderio martyrii, et stupendis operibus.
IX. De multiplici pugna contra hæreticos, et pluribus miraculis perpetratis.
X. De gloriosa fama, et contemptu dignitatum.
XI. De abstinentia et spiritu prophetiæ, quo claruit Vir Dei.
XII. De revelationibus, quibus Ordo Prædicatorum præmonstratus est.

PARS SECUNDA

Cap. I. De confirmatione Ordinis Prædicatorum per beatam Virginem impetrata.
II. De dispersione Fratrum per Ecclesiam Dei, et profectu eorum. F
III. De gratia prædicationis, et veneratione populi ad ipsum, et suscitatione duorum mortuorum.
IV. De commissione Apostolica, facta beato Dominico de unione monialium Urbis.
V. De monialibus sanctæ Mariæ trans Tiberim.
VI. De suscitatione juvenis, dicti Napuleon, filii fratris Stephani Cardinalis.
VII. De transitu Fratrum Prædicatorum ad sanctam Sabinam, ubi nunc manent.
VIII. De transitu monialium sanctæ Mariæ trans Tiberim ad sanctum Sixtum.
IX. De instructione Sororum, et miraculis apud eas perpetratis.
X. De solicitudine salutis animarum, et Ordinis dilatandi.
XI. De magistro Reynaldo, quem beata Virgo perunxit, eique Prædicatorum habitum ostendit.

XII. De

A xii. De commendatione magistri Reynaldi et Ordinis.
xiii. De revelatione sacratissima, et omni acceptione dignissima.
xiv. De quibusdam miraculis.

PARS TERTIA.

Cap. i. De adventu Fratris Reynaldi in Boboniam.
ii. De gloriosis gestis Fratris Reynaldi in Bononia.
iii. De consolatione Fratrum post turbationem, et de illustribus viris.
iv. De pane et vino cœlitus ab angelis ministratis.
v. De prophetiis, et quodam juvene recepto ad Ordinem.
vi. De triplici miraculo gloriose perpetrato.
vii. De potestate, qua prævaluit dæmonibus imperare.
B viii. De miraculis, quæ contigerunt per Servum Christi in itinere existentem.
ix. De adventu sancti Dominici in Bononiam.
x. De morte Fratris Reynaldi, et de duobus ab eo receptis ad Ordinem.
xi. De religiositate veneranda sanctissimi Patris nostri.
xii. De vilitate habitus et vestimenti, et stratus austeritate.
xiii. De amore paupertatis, et humilitate mendicitatis.

PARS QUARTA.

Cap. i. De primo generali Capitulo apud Bononiam celebrato.
ii. De custodia religionis, et dulci correctione Fratrum.
iii. De sanctitate, quam servavit in itinere.
iv. De ferventi prædicatione sancti Dominici.
C v. De zelo animarum, et missione Fratrum per partes Ecclesiæ.
vi. De efficacia orationis Viri sancti.
vii. De secundo Capitulo generali apud Bononiam celebrato, et morte Fratris Everardi.
viii. De exteriori forma, et dispositione corporis Viri Sancti.
ix. De perfectione operum activæ vitæ.
x. De contemptu secularis gloriæ, et vitatione curiositatum.
xi. De quibusdam, quæ in præcedentibus sunt omissa.
xii. Quod vocatus a Domino, prædixit mortem suam, vel diem mortis suæ.

PARS QUINTA.

Cap. i. De extrema ægritudine sancti Patris, et de iis, quæ dixit tunc et fecit Dominicus.
ii. De ultima exspiratione.
iii. De revelationibus in ejus transitu factis.
iv. De sacri corporis involutione, et de exsequiis circa corpus exhibitis. E mss.
v. De solenni et devota sepultura.
vi. De glorificatione sepulcri prima per quædam miracula.
vii. De merito, et præmio sancti Dominici glorioso ex revelationibus.

PARS SEXTA.

Cap. i. De primo statu sanctorum Patrum et Fratrum Ordinis Prædicatorum.
ii. De perfecta conversatione, et vera cordis contritione.
iii. De diligenti novitiorum institutione, et stricta silentii observatione.
iv. De divini Officii frequentatione, et continua oratione.
v. De abstinentia Fratrum, et obsequiis mutuæ caritatis.
vi. De veneratione Fratrum ad beatam Virginem.
vii. De frequentia et fervore prædicationis. E
viii. De principio Ordinis. Ex revelationibus hoc capitulum est assumptum.

PARS SEPTIMA.

Cap. i. De miraculis beati Dominici.
ii. De curationibus membrorum quorumdam debilium ad invocationem beati Dominici.
iii. De curationibus diversarum infirmitatum.
iv. De curationibus mutorum, cæcorum, et surdorum.
v. De his, qui translationem corporis sancti Dominici procurarunt.
vi. De iis, qui interfuerunt apertioni sepulcri.
vii. De odore suavissimo de sepulcro progresso.
viii. De collocatione sacrosanctorum ossium in novo sepulcro.
ix. Recapitulatio et contemplatio de prædictis.
x. De inquisitionibus, delegatis, et dictis testium.
xi. De canonizatione solenni beati Dominici. F
xii. De quibusdam miraculis post canonizationem factis.

PARS OCTAVA.

Cap. i. De profectu Fratrum, quos sanctus pater Dominicus misit in Hungariam.
ii. De conversione ducis pagani.
iii. Item de alio duce pagano converso.
iv. De suscitatione quorumdam mortuorum.
v. Item de suscitatione aliorum.
vi. De curatione quorumdam languidorum, et quorumdam monstruose contractorum.
vii. De curatione mutorum, surdorum et aliorum.
viii. De curato a dæmonibus, et miraculo exhibito in candelis.
ix. De muliere blasphema, et puella a passione lapidis curata.
x. De hydropicis a beato Dominico curatis

EX MSS. XI. De vino meritis beati Dominici augmentato.

XII. De sanctimoniali, quam sanctus Pater unctione salutifera curavit.

XIII. De puero a mortuis suscitato.

XIV. De iis, quæ Fratres Minores ad commendationem sancti patris Dominici Fratribus nostris scripserunt et narrarunt.

XV. De Fratre sanato.

XVI. De abbate Dithmaro Cisterciensis Ordinis.

XVII. Exemplar epistolæ, quam dominus Papa Gregorius nonus direxit per totam Ecclesiam de solenni canonizatione sanctissimi patris nostri Dominici, almi confessoris.

XVIII. Sequuntur revelationes factæ devotis personis in diversis partibus de sanctis patribus Dominico et Francisco, et de Ordinibus ab eisdem institutis.

XIX. De verissimis revelationibus a Sanctis.

XX. De eximia sanctitate primorum Patrum et Fratrum Ordinis Prædicatorum.

B XXI. Item de gloria, quam accepturi sunt in patria.

XXII. Qualiter beatus Dominicus defunctos Fratres suscipit, et omnes excellit.

XXIII. De triplici statu privilegiatorum.

XXIV. [De modo orandi corporaliter sancti Dominici.] *Ex codice Vaticano, num.* 1218.

CAPUT I.

Sancti prænuntiata nativitas, pia pueritia, studia litterarum, misericordia erga pauperes, aliæque virtutes; conversatio et dignitas inter Canonicos Regulares.

PARS I. CAP. I. *Sanctus in Hispania* C

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Dominicus humilis servus Jesu Christi, segregatus in Euangelium Dei, sobrie et pie et juste conversatus, dignus factus in partem sortis Sanctorum in lumine, vere est lux mundi; qui velut stella matutina in medio nebulæ coruscus apparens, innocentiæ, pudicitiæ, verecundiæ, simplicitatisque radiis omnes a se puerilis stultitiæ, lascivientis adolescentiæ, petulantisque concupiscentiæ tenebras elongavit. Hic studiis sapientiæ, operibus misericordiæ, perfectioneque Religionis Canonicæ, ut lux splendens, procedens sicut luna plena in diebus suis, se et proximos illustravit, et tamquam sol oriens ad perfectum excrescens diem in altissimis Dei donis, Prædicatorum Ordinem erexit, qui rutilans in virtute sua, per omnia prospexit, opaca illuminans, sterilia fœcundans, frigida calefaciens, et tepida reaccendens. Nunc a claritate in claritatem transfiguratus a Domini spiritu gloriosus effulget in patria, qui in hac peregrinatione admirabilis refulsit in gratia, naturalisque nativitatis ortu humiliter fulsit ex Hispania *a*. Tempus, quo hujus splendidissimi sideris radios super filios terræ Dominus consurgere fecit, sequentia declarabunt. a

post duos suos germanos fratres

11 Præsidente Romæ in Sede sancti Petri magno patre domino Alexandro tertio, ac Friderico imperatore hujus nominis primo per orbem rempublicam gubernante, in Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga, Oxomensis diœcesis, anno Dominicæ Incarnationis MCLXX fuit vir unus, qui vocabatur Felix, et accepit uxorem, nomine Johannam : qui secundum statum seculi satis quidem erant honesti *b*, et ante Deum Christiana pietate devoti; qui divinæ dispensationis munere præventi, benedictionem in fœcunditate prolis sanctissimæ meruerunt : genuit enim Johanna Dei gratia viro suo Felici duos filios, qui litteris instructi et probabiliter conversati, gradum sacerdotii conscenderunt. Horum unus in hospitali quodam obsequiis pauperum se dedicans, humilitatis gratia et misericordiæ operibus, aliisque virtutibus in vita sua clarus exstitit, et, ut fertur, post obitum miraculis coruscavit; alter vero relinquens seculum ad Religionem transiit, in qua multo tempore Domino laudabiliter serviens, vir sanctus et contemplativus beato fine quievit *c*. Tales itaque fructus terra bona profert : quorum unus exhibendo misericordiam, gratiam redolet; alius contemplando veritatem, felicitatem perpetuam prægustat. D b c

in visione quadam prænuntiatus nascitur, E

12 Adjecit autem adhuc Dominus, magnificans misericordiam suam cum illis : nempe excellentioris gratiæ filium paritura mater, priusquam conciperet, visione futuri partus indicativa a Domino cœlitus præventa est: vidit enim se gestare catulum in utero, qui ardentem in ore faculam bajulabat; egressus autem ex utero totum mundum ignibus de ore suo procedentibus incendebat. Post hæc visitabat Johannam Dei gratia, et inebrians partus sui fructum, germinare eam fecit, multiplicans genimina ejus sacra. Impletum est tandem pariendi tempus, et peperit filium, fratrum decus et matris gaudium, exultantis in Domino, quia prævisum præsagio intuetur et continet in gremio. Cathezizatus * ex more infantulus sacerdotali benedictione sanctificatur, unctioneque salutari chrismatis consignatur. Baptizatur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et nutu ejus, cui Dominus nomen est, Dominicus appellatur. Matri quoque ejus spirituali *d*, feminæ nobili cuidam, sacer infans Dominicus per visum apparuit, stellam præfulgidam habens in fronte, cujus splendore nimio totius mundi facies illuminata radiabat. d

* *id est* catechizatus

et ab honestis parentibus F

13 Attendite nunc infantulum gloriosum. Generatur a patre Felice; parturitur, nutritur, fovetur a Johanna Dei gratia matre ; renascitur, et Dominico nomine insignitur gratiæ alumnus, divinitatis cupidus, æternæque felicitatis heres futurus. Nondum natus signo veraci præostenditur, renatus nomine reali attolitur, facieque corusca splendore stellæ demonstratur. Flammescit ignis in facula tam copiosus, quo totus mundus ardeat; fit nomine tam gloriosus, ut adversarios terreat; luce tam radiosus, ut peccatis tenebrosos illuminet, et inter astra cœli luceat, fervore caritatis igneus, famosa auctoritate solidus, luce scientiæ radiatus. Sed et in ortu suo hic Infans beatissimus præclari, cujus futurus erat pater et princeps, Ordinis forma et signifer exstitit et propheta : nam prædicatio succendens cor peccatoris ad pœnitentiam, ardens catuli facula est; auctoritas reconcilians in gratiam, potentiæ nomen est ; doctrinæ claritas ad sapientiam ducens, fulgor stellæ est. Errat valde, qui non credit, hæc futura ab æterno disposita, et sic in hoc tempore cœlitus præsignata.

pie educatus,

14 Nutrit puerpera filium cum diligentia, lactat

A ctat et ablactat, et ad incrementum perducit parvulum lætabunda. [Cum autem jaceret in cunis, quodam tempore examen apum circa os ejus volitabat, linguam ejus melle divinæ sapientiæ effluere præfigurabat *e*:] qui ablactatus a lacte, et avulsus ab ubere, mox nutriri cœpit mamilla gratiæ. Unde statim, cum potuit, adhuc infantilibus annis non completis, piorum exemplo parentum ecclesias frequentare, Deumque colere didicit. Lectulum quoque proprium tener existens, sæpius deseruit; stratusque mollitiem declinans, super nudam humum infantilia membra composuit *f*, quod etiam in diebus suis indefessus postmodum observavit. Crevit itaque sub piorum parentum custodia religiose nutritus, quem specialiter etiam in annis puerilibus quidam venerabilis archipresbyter, ipsius avunculus, cum magna diligentia instruens, educavit. Horum religioso et prudenti consilio traditus est Puer sanctus, ecclesiastico principaliter imbuendus officio.

et in pueritia variis fulgens virtutibus,

15 Affuit ergo sanctæ devotionis voto divina promotio, cœpitque esse puer ingeniosus et docilis, utpote sortitus animam bonam, vasculum gratiæ, scientiæ receptaculum. B Proficiens autem in divini cultus instituto venerabilis Puer in ecclesiis morabatur, cum clericis psalmos orabat, hymnos decantabat, altaria circuibat, devote sacris mysteriis assistebat, Christi ministris et sacerdotibus serviebat. Sic velut testa recens anima puerilis in iis exercitiis sanctitatis sibi odorem imbibit, quem perpetuo tenore servavit. Jam tunc manus summi Artificis formare cœpit ex isto vas electionis sibi, in quo effunderet suæ charismata benedictionis. Custodivit electus Puer innocentiam, amavit munditiam, conservavit disciplinam. Pudicus in sensibus, et in actibus exstitit verecundus. Hæc et alia in secundo ætatis suæ septenario, prout suggerebat unctio, adhuc Puerulus observabat, nil puerile gerens in opere: jam enim ei senile cor inerat, et sub tenella facie, sensus veneranda canities latitabat: ab ipsis namque cunabulis tam peroptimæ indolis exstitit, ut aliquid magnum futurum tam insignis infantia præconizandum*, tamque sancta pueritia testificans loqueretur.

* *alias* præconizans

II *Palentiam mittitur,*

16 Videntes pii parentes continuum ætatis et gratiæ in sancta Prole profectum, ipsum ad studendum Palentiam transmiserunt *g*: ibi enim tunc C generale vigebat studium, abundans tam multitudine scholarium, quam peritia magistrorum. Cœpit ergo providus adolescens non segniter agere; sed studio, cujus gratia missus fuerat, diligenter intendere, adeo ut, gratia opitulante, supra multos coætaneos suos spatio proficeret breviore: omissis namque [frivolis], quibus juventus effluit, se necessariis mancipavit. Noxiæ societatis, maximeque feminarum, vitiosa* et lubrica devitans contubernia, cum ludentibus non miscuit se, neque cum iis, qui in levitate cordis secundum concupiscentias carnis ad curiositates superfluas, ad insanias falsas et spectacula novissima* ambulant, participem se præbuit. Respuebat seculi blandientis et fallentis lætitiam, et carnis spurcitias immaculati affectus pede transiens, suæ decus virginitatis illibatum Domino consecravit. Influebant ergo [largiter] puro intellectui, mentique sordibus liberæ, liberales scientiæ, quæ tantum mundis intellectibus capiuntur.

* *alias* viscosa

* *alias* vanissima

ubi studiis operam dans

17 Sane angelicus adolescens Dominicus iis humanæ sapientiæ scientiis, quas tamen facile capiebat, non satis rapiebatur, quod non in ipsis, quem quærebat, Christum Dei sapientiam intuebatur: nullus enim eam philosophorum tradidit, nec aliquis principum hujus mundi cognovit. Proinde ergo, ne florentis fortitudinem juventutis vane consumeret, et ut sitim, qua æstuabat, exstingueret, ad fontem theologicæ sapientiæ se transtulit; ut hauriret, quod avide cupiebat]. Invocans itaque orando Christum, Patris sapientiam, inclinavit cor suum disciplinæ, sanctarumque Scripturarum doctoribus aurem suam; erantque eloquia illa dulcia super mel et favum cordi ejus: quibus addiscendis pius Juvenis tanta aviditate tantoque desiderio per quatuor annos instabat, quod pene noctes ducebat insomnes, quietis tempus vigiliis occupando; veritatem vero auditam humiliter, pio complectens affectu dulciter, animoque tenens memoriter, opere complevit efficaciter: nam ut de fonte salutaris sapientiæ poculum mereretur accipere, per decem annos vinum, in quo est luxuria, castitatis amator penitus non gustavit.

EX MSS.

varia virtutum exempla præbet,

18 Mirum valde fuit et amabile videre hominem, quem et paucitas dierum juvenem prætendebat, senemque conversationis maturitas et morum constantia prædicabat. E Juvenilia fugiebat desideria, sectabatur justitiam, vagosque cavens excursus, sinum matris Ecclesiæ et sanctæ quietis tabernacula non reliquit; in ecclesia orans, et in studiis residens assidue morabatur. Ob hoc ergo, quia mandata Domini tam fervido complectebatur amore, in tantum implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus, ut etiam quæstionum difficultates faciliter penetraret. Quia vero ex toto corde suo dilexit Dominum, qui fecit illum, non neglexit proximum, quem Deus in se censuit diligendum.

et venditione librorum suorum

19 Fulsit ergo in Dei famulo Dominico erga proximorum calamites et miserias piissima admodum compassio, et miserationum affectum comitabatur effectus operis manifestus: cum enim adhuc Palentiæ moraretur in studio, universam fere Hispaniam fames prævalida opprimebat. Deficiebant præ inedia et siti pauperes, et non erat, qui reficeret. Moriebantur miseri et inopes, nec fuit, qui curaret. Clamabant pupilli et viduæ, parvuli et debiles; nec erat, qui exaudiret. Inter hæc affligebatur spiritus juvenis Dominici, et compatiebatur anima ipsius misericors pauperum multitudini. F Tunc jam euangelici consilii non surdus auditor, et perfectionis sectator vendidit libros et omnia, quæ habuit, acceptumque pretium dispersit et dedit pauperibus.

tenerum erga pauperes affectum declarat.

20 Sic dulcissimus Juvenis, Christi obediens verbo proximorum succurrit periculo, et intuentes sacro provocavit exemplo. Auxit in eo concupiscentia sapientiæ, non diminuit opem justitiæ, nec retraxit a perfectione studium scientiæ; sed consummavit in virtute: sciebat enim, quomodo oportuit eum scire, factus super senes intelligens, quia mandata Domini quæsivit, et beatus complens operando, quod scivit. Agebat hæc et alia præclara angelicus Dominicus, necdum habitu vel convictu sequestratus a mundo *h*; et, ut vere dicamus, non ipse, sed Dominus et inhabitans in eo virtus Christi fecit hæc omnia: prævenit etenim eum benedictio dulcedinis Dei, mirificans signiferis ejus infantiam sacramentis, sanctificansque innocentem pueritiam munditiæ rudimentis; adjecitque concomitans adolescentiam Sancti, misericordiam Dei roborare solidissimis geminæ scientiæ fundamentis, morumque suavium ornamentis; nec destitit, donec consummaret

maret

EX MSS.

maret in finem, bonorum operum virtutumque omnium incrementis.

III *Didacus Oxomensis episcopus*

21 In diebus illis erat vir vitæ venerabilis, Didacus nomine, ecclesiæ Oxomensis episcopus, quem sacrarum Litterarum notitia, et secundum seculum carnalis ingenuitas, magis autem morum insignis decorabat honestas: hujus amor sic Deo totus inhæserat, ut se ipsum abjiciens, et sola, quæ Jesu Christi sunt, quærens, ad id summopere animum intentionemque converteret, qualiter animarum multarum fœnerator existens, talentum sibi creditum cum usura multiplici suo Domino reportaret. Satagebat igitur ubicumque perscrutari posset viros honestæ vitæ, moribusque laudabiles, sibi modis, quibus valebat, attrahere, et in ecclesia, cui præerat, beneficiando locare. Illos vero subjectorum suorum, quorum studiosa foret ad sanctitatem voluntas, pœna ad seculum, ut laudabilium virorum, atque religiosioris vitæ formam assumerent, suadebat verbis, invitabat exemplis. Hinc accidit, ut daret operam id suis persuadere Canonicis crebris admonitionibus et exhortatione pervigili, quatenus
B sub regula beati Augustini ad observantiam Religionis Canonicæ consentirent. Denique hoc tanta egit solicitudine, ut eorum animos, licet aliquos contradictores habuerit, ad suum desiderium inclinaret.

IV *eum Canonicis suis Regularibus aggregat,*

22 Ad audientiam hujus venerandi pontificis, celebris et odorifera servi Christi Dominici fama pervenit, qui percunctata diligenter veritate et comperta, accersitum eum fecit in sua ecclesia Canonicum Regularem, beatum reputans se in hoc ipso, dum et sibi de tali filio, et ecclesiæ suæ de ministro tam idoneo providisset. Habitu igitur Canonicæ Religionis indutus exterius, servus Christi Dominicus per gratiam Dei novum hominem induit interius; moxque in Dei timore ad totius sanctitatis studium conversus, cœpit agere in se ipso, quod alios erat docturus. Satagens igitur perfectorum imitari vestigia, virtutumque conscendere fastigia, Canonicus novitius cœpit solicite de semitis antiquis quærere, quæ esset via bona, ut ambularet in ea. Unde librum, qui Collationes Patrum inscribitur, in quo veterum Sanctorum perfectio summa describitur, aggressus est studiose legere,
C lecta intellectu capere, affectu sapere, effectu fortiter adimplere; edoctus in eo puritatem cordis, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem, unctione magistra: agit siquidem de hujusmodi liber ille.

a quibus Supprior eligitur,

23 Abjiciens itaque et despiciens se ipsum, in humilitate cordis omnibus cessit, reverentiam exhibens concanonicis et honorem: invitatus quippe ad æterni Sponsi nuptias, novissimum locum tenuit, inferiorem se, et ceteros reputans sanctiores. In oratorio morabatur, nocte dieque orationi sine intermissione, lectionibusque sacris et meditationibus assidue insistebat. Exteriora solatia parvipendit, excursusque vanos omnino vitavit, contemplationique tempus redimens, extra [septa] monasterii vix umquam comparuit. Sic Sanctus Dei inter canonicos, velut singulare jubar emicuit, miraque celeritate de virtute in virtutem progrediens, omnium in se provocavit affectum. Mirantur omnes tam subitum Religionis apicem, et eum, licet invitum, communi decreto constituunt Suppriorem.

et in ea dignitate constitutus,

24 Tunc quasi lucerna supra candelabrum, et civitas supra montem posita, factus est omnibus vitæ speculum, sanctitatis exemplum: erat enim in oratione assiduus, in caritate præcipuus, com- D
passione anxius, contemplatione suspensus, et sibi subditis cum omni humilitate subjectus. Vigil ei cor et sensus ad Deum erat, crebroque in orationibus pernoctabat; eratque oratio ejus lacrymosa et fervida, rugiebatque a gemitu cordis sui, nec continere se poterat, quin vox plangentis devotissima eminus audiretur. Macerabat corpus jejuniis et abstinentia multa, ut vix necessariam sumeret sustentationem naturæ. Unde etiam vinum, quod per decennium non bibebat, a venerabili Didaco episcopo suo sumere propter infirmitatem stomachi cogebatur, quod tamen permodicum et aquis bibebat dilutum et permixtum.

variis virtutibus

25 Vehemens erat in ejus pectore desiderium salutis omnium animarum, quam ut procurare cum effectu dignus fieret, frequentibus precibus et votis specialibus a Domino flagitabat. Optabat se totum saluti impendere proximorum, arbitratus, tunc se veraciter membrum Christi, si se exemplo ipsius omnino lucrifaciendis impenderet animabus. Nec fraudatus est a desiderio suo: semen enim fratri suo defuncto, Christo videlicet crucifixo, verbum ipsius disseminans et Prædicatores instituens, suscitare meruit. E
Et ecce granum seminis multiplicans Deus, auget frugum justitiæ incrementa.

inter illos splendet.

26 Plenum erat sanctissimis affectibus pectus ejus et ad omne commodum, incommodumve proximi piissime movebatur; afflictorum cruciatibus torquebatur, pauperum defectibus miserorumque doloribus afficiebatur, maximeque pereuntium animarum zelo succensus, mente vulnerabatur. Sic propheticus Dominicus peccata populorum miserorumque calamitates aspiciens, æstuabat interius, et flens uberrime latentem compassionis affectum per lacrymas prodebat exterius: hanc enim excellentissimam caritatis gratiam infuderat ei Deus. Quantum autem per compassionem miserorum defectui compatiens, turbabatur, tantum bonorum profectui congratulans, tamquam pigmentis refectus odoriferis, consolabatur. Inter hæc, quæ sursum sunt, quærens, agebatur in Deum homo divinus, gloriam Sanctorum contemplans, et ad patriam anhelans, deflebat largiter diuturnum sui exsilii incolatum.

F

ANNOTATA.

a *Ex his Theodorici verbis circa natales Sancti in Commentario prævio* § 9 *num.* 140 *nonnulla observavimus.*

b *De hac phrasi, quam Echardus ad violentam significationem detorquet, loco proxime citato Commentarii prævii disputavimus.*

c *In Commentario prævio* § 8 *contra opinionem recentioris scriptoris Hispani ex veteribus monumentis probavimus, hunc secundum* S. *Dominici fratrem appellatum fuisse Mametem, etiamsi hic nomen ejus non exprimatur.*

d *Jordanus hanc visionem matri ejus tribuit, nisi forte matrem spiritualem intelligere voluerit, ut supra monuimus.*

e *Hæc uncis inclusa desunt in codice nostra Francofurtensi. Attamen hæc res satis certa est ex testimonio Bartholomæi Tridentini, ut* § 10 *Commentarii prævii diximus.*

f *Hoc Theodoricus ex Constantino et Humberto desumpsit.*

g *Si parentes Sanctum Palentiam miserint, ut*

hic

A *hic asseritur, corruit argumentum R. D. Josephi Stephani de Noriega, qui in nupera Dissertatione historica pag.* 21 *et* 201 *contendit*, S. Dominicum *studiorum causa ab abbate Vitensi Ordinis Præmonstratensis Palentiam missum fuisse.*

h *Si tunc Sanctus* necdum habitu vel convictu sequestratus a mundo *fuerit, evertitur tota proxime laudati scriptoris Hispani Dissertatio historica, in qua probare nititur*, S. Dominicum *a teneris annis habitum Præmonstratensium in monasterio Vitensi induisse, et usque ad trigesimum ætatis annum sub regula S. Norberti militasse.*

CAPUT II.

Iter cum episcopo Oxomensi, prima contra hæreticos Albigenses certamina, et varia Sancti miracula.

B

V

Didacus Oxomensis et S. Dominicus occasione legationis,

Cum tot et tantis virtutum fulgeret insignibus angelicus Dominicus, a venerabili Didaco, episcopo suo, miro diligebatur affectu: erat enim in mentibus eorum similitudo spiritus et convenientia gratiarum, quia pari zelo domus Dei, ad procurandam animarum salutem sancti Spiritus impetu ferebantur. Cum ergo placuit Deo in eis revelare gratiam suam, ut virtus prodiret utriusque in publicum, sic eos in ministerium, quod voluit, assumpsit, ut ipsi quoque, licet sancti, erga se divinæ providentiæ consilium ignorarent. Ecce enim Aldefonsus, rex Castellæ, rogavit Didacum episcopum, ut suam apud Marchias legationem agere debuisset. Profecturus itaque ad regalia negotia prudens pontifex, ecclesiæ suæ Suppriorem, dilectum sibi Dominicum, assumpsit in suæ societatis ornamentum, et sanctæ collationis solatium. Dum ergo transiret Tholosam, audito, quod incolæ illius terræ hæreticis essent fraudibus depravati, ingemiscens Christicola Dominicus, spiritu turbatus est, hospitemque suum hæreticum deprehendens, tam affabili quam rationabili sermone devincens ad Catholicæ fidei veritatem reduxit. Et hic est primus manipulus, quem diabolo ereptum ad aream Domini reportavit.

C

quam jussu regis Castellæ peregerant,

28 Pertractatis tandem apud Marchias regalibus, pro quibus missus erat, negotiis, remissoque regi responso per nuntium, episcopus cum suis ad curiam profectus est, expositoque summo Pontifici suo desiderio, cessionem petivit, ut conversioni Cumanorum curam impenderet; sed minime impetravit. Vere felix præsul, in quo tanta eminebat humilitas, ut dignitati cedere; et tam excelsa fervebat caritas, ut pro salute proximi morti et periculis se optaret exponere! Verum disponebat dispensatio divina juxta suum beneplacitum, pium episcopi desiderium aliter adimplere. Redire ergo compulsus est, precis quidem exauditione vacuus, sed obedientiæ et caritatis gratia plenus, et nequaquam a salubri proposito permutatus. Regrediens autem visitavit Cistercium, ubi multorum servorum Dei conversatione virtutis et altitudine Religionis illectus, habitum suscepit monasticum, ducens secum ex monachis aliquos, per quos conversationis consuetudinem, et Ordinis disceret disciplinam.

29 Felicem vere dixerim electum Dei Dominicum, qui hujus tanti pontificis et apostolici viri societate meruit et amicitia decorari, per quem nulli dubium, quin sanctitatis exemplum et Religionis sumpserit documentum. Per Montem autem Pessolanum transeuntes, invenerunt duodecim abbates Cisterciensis Ordinis contra Albigenses hæreticos ab eodem Papa Innocentio directos, ibidem cum episcopis et aliis prælatis concilium celebrantes; qui, adventu Didaci episcopi comperto, gavisi ipsum accersunt, cum honore suscipiunt, consulunt, et ejus consiliis acquiescunt: erat quippe homo sanctus, vir justus et maturus, et zelator fidei Christianæ; qui videns eos non recte ad veritatem Euangelii ambulantes, ut erat miræ circumspectionis et gnarus viarum Dei, dixit ad eos: Non sic, fratres, non sic arbitror procedendum. Impossibile mihi videtur solis verbis reduci homines istos; sed magis operibus convincendi sunt et exemplis, qui se de vitæ merito jactitant impudenter.

EX MSS.

VI

inveniunt in Gallia quosdam Albigensium impugnatores,

30 Dicunt illi: Quod igitur das consilium, pater? Quibus ille: Quod me, inquit, videritis facere, facite. Moxque familiam cum equitaturis et omni apparatu, quem copiosum habebat, remisit, disponens in illa terra moram contrahere, gratia fidei propugnandæ. Hoc exemplo ceteri excitati sunt, similiter facientes. Vide divinum miraculum et delectabile spectaculum! Duodecim patres conjunxit sibi verbo et exemplo tertius decimus pater patrum et patriarcha factus, quem tamquam magistrum et dominum unanimiter sequebantur. Assumpsit et alios virtutis viros et gratiæ, comites laboris ei fideliter adhærentes; inter quos præcipuus, omnique sanctitate conspicuus vir angelicus Dominicus, episcopo præ aliis dilectus, verbo et opere veluti stella splendidissima rutilabat. Hi omnes cœperunt pedites sine expensis discurrere, in voluntaria paupertate Christum pauperem prædicare. Ecce forma Christi instaurantis Ecclesiam in principio, figuraque Prædicatorum Ordinis secuturi hoc tempore novissimo. Tunc invidentes hæretici cœperunt e regione importunius prædicare; at vero tam insigne fulgebat in episcopo morum decus, ut ipsorum infidelium et omnium, cum quibus versabatur, vendicaret affectum.

quibus ille faciliorem hæreticos convertendi methodum suggerit,

E

31 Fiebant tunc frequenter prædicationes in plebibus et disputationes cum hæreticis sub judicibus deputatis. Nec etiam tunc destituit signis et miraculis Ecclesiam suam Deus. Libellos quoque ad munimentum fidei plures ex fidelibus conscripserunt. Scripsit quoque sanctus Dominicus librum fidei suæ, sacris auctoritatibus et divinis rationibus roboratum, qui etiam præ ceteris approbatus, ab omnibus est receptus; qui ad confutandam hæreticam falsitatem, comprobandamque Catholicæ fidei veritatem, post longam disputationem, apud Fanum Jovis habitam, cum libello cujusdam hæretici ignibus est injectus. Verum libellus hæretici mox a flammis consumptus et incineratus periit; libellus confessoris Christi Dominici ab igne prosiliit in longinquum: secundo iterum injectus et tertio, et tunc quidem prosiliit incombustus, sui scriptoris sanctitatem et fidei Christianæ comprobans veritatem *a*. Stupebant omnes, lætabanturque pii, et compuncti sunt impii.

et hic veritatem fidei orthodoxæ insigni miraculo probat.

F

a

32 Erant autem illis in locis nobiles quidam, qui egestate compulsi, filias suas tradebant hæreticis nutriendas et erudiendas, imo revera erroribus pestiferis eludendas, quarum perniciosum miseratus opprobrium Dei servus Didacus episcopus, monasterium quoddam ad earum susce-

Didaco post exstructum monasterium Prulianum mortuo,

ptionem

EX MSS.

ptionem instituit in loco, qui dicitur Prulianum, ubi usque hodie ancillæ Christi gratum Deo exhibent famulatum. Transacto autem in prædicationis labore biennio, memorabilis pontifex Didacus suam visitare volens ecclesiam, sociis ad prædicandum remanentibus, sacerdotem Dei devotissimum eis præfecit Fratrem Dominicum, ut ad ipsum omnium ratio referretur: magnum enim aliquid in eo perpendebat; unde et ipsum specialissime diligebat. Valedicens autem omnibus rediit, multoque labore pedes transiens per Castellam, tandem Oxomam pervenit; ubi infirmatus extremitate vitæ temporalis, initium æternitatis accepit cum gloria cœlesti, claruitque post obitum miraculis, qui in vita sua insignis exstiterat operibus sanctis et virtutibus multis.

VII
Sanctus constanter certat contra Albigenses,

33 Proposuerat dilectus Deo et hominibus Didacus episcopus ad susceptum prædicationis redire officium, ordinareque de assensu summi Pontificis viros, qui semper verbo et exemplo hæreticæ resisterent pravitati; pro consummando quoque monasterio, quod in Pruliano instauraverat, aliqua subsidia reportare. His aliisque sacris refertus gratiæ desideriis migrans ex hoc

B

seculo vivit in Christo. Cujus morte comperta, omnes, qui in partibus illis gratia prædicationis remanserant, tamquam non habentes ducem aut principem, ad propria sunt reversi. Tunc surrexit confessor Christi verus, vir beatus Dominicus, ejus in Domino filius pro eo, et adjuvabant eum meritis et precibus omnes fratres ejus conjuncti Patri suo, qui in cœlis est, et præliabantur prælium fidei cum lætitia. Similis factus est leoni de tribu Juda in operibus suis, erantque arma militiæ suæ non carnalia, sed spiritualia.

a quibus multa opprobria lætus tolerat,

34 Congregata est etiam ad eum synagoga fortis viribus Cruce-signatorum, eorumque, qui fugiebant a malis, nec non omnium voluntariorum in fide. Christiani Catholici additi sunt ad eos, et facti sunt illis in firmamentum: ex mandato enim summi Pontificis domini Innocentii tertii contra illos Albigenses hæreticos crux prædicabatur, signabanturque fideles. Accedit ad hæc fortissimus et Christianissimus princeps, dominus Simon, Comes Montis-Fortis, pater orphanorum, defensor viduarum, tutor pupillorum, benefactor pauperum, protector ecclesiarum, qui fidem Catholicam contra hæreticos constantissi-

C.

me defensabat. Hic illustrissimus princeps Christi athletam Dominicum cernens coram Deo et hominibus innocenter et laudabiliter ambulare, sanctitatem ejus multo amplexabatur amore, et venerabatur honore: circuibat enim vir Dei Dominicus vicos et castella et civitates, prædicans verbum Dei. Erat certe vitiorum mirabilis objurgator, hæresum oppugnator, fidei zelator, Christianorum diligentissimus exhortator, verbaque ejus ardebant, ut faculæ, qui in spiritu Eliæ venerat et virtute. Invidebant ergo hæretici et fremebant adversus justum, irridebantque simplicem veritatis doctorem, sputum et lutum, aliaque vilia projicientes in eum, a tergo etiam in derisum sibi paleas alligantes. Ibat itaque gaudens et exultans spiritu, quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu contumeliam pati.

et patientia sua hæreticum quemdam convertit.

35 Accidit eo tempore, ut disputatio solennis deberet cum hæreticis ventilari; ad quam cum episcopus loci cum multa se pompa præpararet iturum, dixit ad eum humilis Præco Christi: Non sic, mi domine pater, non sic contra filios superbiæ est procedendum. Humilitatis, ac patientiæ, religionis aliisque virtutum exemplis

D

convincendi sunt veritatis adversarii, non fastu elationis, et ostentatione gloriæ secularis. Armemur ergo devotis orationibus, et humilitatis indicia præferentes, discalceati contra Goliath procedamus. Assensit episcopus consilio pietatis, et discalceati sunt omnes. Cumque de via dubitarent, obvium habuerunt hæreticum, quem Catholicum æstimabant; qui eos ad locum recto itinere, ut spoponderat, non perduxit, sed ad nemus quoddam perfidus malitiose seduxit, ubi inter vepres et spinas pedes eorum vulnerati sunt, et crura sanguine sunt respersa. Tunc Pugil Dei cum omni patientia sufferens, et in jucundam Dei laudem prorumpens, ad collaudandum et sustinendum cum patientia omnes hortatus est dicens: Confidite in Domino, carissimi, quia de cœlo nos manet triumphus et victoria, jam enim pecata nostra sanguine expiantur. Cernens malignus ille miram eorum et lætam patientiam, optimisque sermonibus Sancti compunctus, malitiam confessus, hæresim abjuravit *b*.

b

libros suos in fluvium delapsos mirabiliter siccos recipit,

36 Venientibus autem ad locum, rectis corde orta est lætitia; perversis vero confusio et tristitia: propter hoc dissecabantur impii cordibus suis, et stridebant dentibus in Servum Dei, et

E

captantes in animam ejus, mortis in eum disponebant consilia, ut condemnarent sanguinem innocentem; Dominus autem irridebat eos, et non tradidit eum in manibus eorum. Sed et mirificis glorificavit operibus Sanctum suum, qui prædicando discurrens frequenter, fluviolum qui vocatur Aregia *c*, vado transibat; in cujus medio libri, quos portabat in gremio, cum se succingeret, ceciderunt. Qui benedicens Deum, cuidam devotæ matronæ innotuit suorum perditionem librorum. Tertia die post, cum piscator de ipsa aqua grandem speraret piscem se hamo extrahere, libros illos eduxit, sic penitus illibatos, acsi fuissent in sicco armario custoditi. Hoc autem valde amplificat miraculum, quod nec pannum, nec corium, nec aliquod habebant conservatorium, præter merita Dominici, libri illi, quos devota femina Tholosam misit cum magno gaudio Sancto Dei *d*.

c

d

deficiente pecunia, cælitus naulum invenit,

37 Accidit etiam, cum euangelizans circuiret, ut aquam quamdam in eisdem partibus cum multis aliis transivisset, a quo dum is, qui eum transvexerat, denarium pro mercede peteret importune, dixit ei: Servus sum Dei, et discipulus Christi. Argentum et aurum non est mihi; mercedem regni cœlorum tibi promitto. Quam sponsionem miser ille vilipendens, instabat acrius, Sanctumque violenter per cappam trahens: Aut cappam, inquit, dimittes, aut denarium solves. Tunc erectis in cœlum oculis, paululum intra seipsum oravit, moxque in terram aspiciens, denariumque divino nutu allatum jacentem videns: Ecce, inquit, frater, quod postulas; tolle, et me liberum in pace dimitte *e*.

F

e

religiosum ignotæ sibi linguæ intelligit, et ab eo intelligitur.

38 Contigit aliquando, dum iter ageret Famulus Christi, associari sibi religiosum quemdam, conversationis quidem sanctitate domesticum, sed loquela linguæ penitus alienum. Dolens itaque quod divinis verbis una cum illo mutua se consolatione refovere non poterat, a Domino orationum suorum instantia, ut unus alterius lingua loqueretur, impetravit. Sic verbis alterutrum variatis sese per triduum, quo simul ituri erant, intelligentes consolati sunt, Domino gratias referentes *f*. Vere convenienter omnino dono sancti Spiritus variis loquitur linguis, cujus lingua placabilis et doctrina salutaris mundo cœli exsti-

f

tit

A tit clavis, et portæ apertio æternalis. Benigne desuper misso nautæ pretio honoratur, qui omne suum in Domino jactaverat cogitatum; quique ejus corpus et animam immaculatam custodivit a carnali concupiscentia, ipse libros ejus illibatos conservavit in unda. Itaque donum loquelæ illustrat fidei Prædicatorem, solutio pretii honestat voluntarium Christi pauperem, integritas librorum venustat pudicitiæ florem.

ANNOTATA.

a *Hoc publicum miraculum ex aliis testibus synchronis in Commentario prævio* § 13 *confirmavimus.*

b *Theodoricus hanc hæretici perfidiam ac conversionem ex Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 2 *accepit.*

c *Teste Echardo, Aregia, qui et Aurigera dicitur, vernacule* l'Auriegue *vel etiam* l'Ariege *fluvius est, qui e Pyrenæis montibus ortus, urbes Fuxum, Pamiasque alluit, et duobus supra Tolosam milliaribus Gallicis in Garumnam labitur.*

d *Hoc miraculum etiam ex Vitis Fratrum part.*
B 2 *cap.* 2 *desumptum est.*

e *Hæc prodigiosa nauli solutio apud Constantinum Urbevetanum aliosque veteres biographos legitur, et ex Processu Tolosano confirmatur, ut postea patebit.*

f *In Commentario prævio* § 14 *miram illam ignotæ linguæ et mutuæ loquelæ intelligentiam ex vetustioribus biographis confirmavimus, et ibidem probabilius judicavimus, istud miraculum tantummodo semel contigisse, quamvis Theodoricus idem bis narret.*

CAPUT III.

Ardens martyrii desiderium, conversio quarumdam mulierum hæreticarum, et aliqua Sancti miracula in partibus Tolosanis patrata.

C

VIII *Minas hæreticorum Sanctus intrepide sprevit,*

Mansit autem in illis Tholosanis partibus multo tempore sacerdos Dei Dominicus, vir per omnia apostolicus, propugnans fidem et expugnans hæresim, verbis et exemplis et miraculis Ecclesiam roborans. Insurrexerunt autem in eum testes iniqui, synagoga sathanæ, et fortes quæsierunt animam ejus. Cumque sibi atroces sacrilegis linguis interitum minarentur, pectore pleno fiducia dixit ad ipsos: Non sum ego dignus martyrio; nondum merui mortem istam. Sitiebat ardore inæstimabili bibere calicem passionis; ideo transiens per loca, ubi sibi paratæ ferebantur insidiæ, cantans et alacriter incedebat. Admirantes Antichristi satellites tantam Viri constantiam, tentantes dixerunt ei: Numquid non tu mortis horrore concuteris? Quid acturus eras, si comprehendissemus te? Tunc Athleta Christi, amore fervens martyrii, dixit eis: Rogassem vos, ne brevi compendio mortem mihi celerem inferretis, aut repentinis perimeretis vulneribus; sed paulatim et successive singula membra mutilata meis ostenderetis oculis intuenda. Deinde rogassem, ut meos erueretis oculos, permitteretisque sic truncatum corpus in suo sanguine volutari. Vere beatissimam animam, in qua non solum perfecta caritas foras misit mortis timorem, verum etiam durandi in tormentis inauditum cunctis infudit amorem! EX MSS.

pro salute proximi se ipsum vendere

40 Animam quoque suam pro salute dare proximi paratus erat Imitator Christi, qui dum hæretica pravitate deceptum conaretur ad fidem reducere, dixit ille: Necessaria, quæ aliunde non habeo, ab istis accipio; propter quæ eisdem adhærere compellor. Tunc Sanctus ex intimo compassus affectu, seipsum venumdare disposuit, ut periclitantis suppleret inopiam, et redimeret venumdatum sub peccato *a*. Tulerat iste veraciter crucem Christi, qui pro ejus amore tam desideranti animo morti se exposuit, et pro salute proximi incunctanter perpetuæ servituti subjici concupivit: flagrabat enim in corde ejus, qua nemo majorem habet, caritas, cupiens omnino Deo similari et conformis esse imaginis Filii Dei. *a*

et ad partes transmarinas transire desiderat,

41 Satagebat proinde omnibus utriusque hominis viribus, desideriis, gemitibus, vigiliis, jejuniis, affectibus, orationibus, prædicationibus, laboribus, die noctuque, opportune importune insistendo, ut dignus dono Dei fieret, totus impendi et superimpendi pro animabus salvandis, E et per gloriam martyrii consummari. Propter quod terram adire disposuerat transmarinam, si quo modo tandem in voluntate Dei mereretur, quod tantopere concupierat, adipisci. Omnipotens vero Deus, piorum inspirator votorum, sic timentium se deprecationem exaudit, et voluntatem clementer perficit, quod tamen a sua inscrutabili dispositione non recedit. Occultus itaque Moderator omnium, et maxime fidelium custos, et amator electorum, sic electionis suæ vas sanctum in domo sua magna in honorem et utilitatem constituit, ut in ipso poculum vitalis gratiæ propinaret, multorumque saluti proficeret, et tamen corona martyrii non careret: sicut enim discipulus ille, quem diligebat Jesus (Johannes euangelista præcipuus) calicem Domini bibit, quamvis sanguinem non fuderit, quia animo passioni non defuit; ita sanctus Dominicus propter ardentissimum, quod habebat, patiendi desiderium, palmam martyrii non amisit.

exemplo suæ pœnitentiæ nonnullas nobiles matronas ab hæresi reducit,

42 Ad hæc crucifigebat carnem suam quotidie et mortificabat membra sua austeritate nimia; spiritum vero dolore compassionis pereuntium assiduo animarum: inerat enim cordi ejus mira quædam et pene incredibilis salutis omnium æmulatio; propter quod apud quasdam nobiles feminas, hæretica simulatione deceptas, ut eas ad Ecclesiam reduceret, hospitatus est: a quibus imminente Quadragesima acceptis occulte ciliciis cum socio suo indutus est. Quibus dum ad quiescendum stratus pararetur, dixit: Non sic, sed super tabulas quiescemus. Somnus autem eorum brevis erat: more enim solito noctem vigiliis occupabat. Hoc modo totum illud sacræ Quadragesimæ tempus in rigore pœnitentiæ pro peccatis aliorum homo innocens consummavit; soloque pane et aqua frigida contentus usque ad Pascha diebus omnibus jejunavit. Hinc ergo factum est, ut nobiles illæ feminæ Viri justi meritis, erroribus relictis, ad fidem Ecclesiæ redirent, gratia suffragante *b*. *b*

et novem alias hære- [illegible].

43 Accidit ad hoc, quod per eum Dominus in eisdem Tholosanis partibus prædicantem operatus est: cum enim apud castrum, quod dicitur Fanum Jovis, prædicans aliquando, fidem probans Catholicam, hæreticorum perfidiam multipliciter improbasset, post prædicationem in ecclesia

more

EX MSS.

more solito ad orandum remansit. Et ecce novem matronæ nobiles de eodem castro intrantes ecclesiam, ad pedes ejus prociderunt dicentes: Serve Dei, adjuva nos. Si vera sunt, quæ hodie prædicasti, jam diu mentes nostras erroris spiritus excæcavit: nam istis, quos tu hæreticos vocas, nos autem bonos homines appellamus, usque in hodiernum diem credidimus, et adhæsimus toto corde; nunc autem in medio fluctuamus. Serve Dei, adjuva nos, et ora Deum tuum, ut notam nobis faciat fidem suam, in qua vivamus, moriamur, et salvemur.

prodigiose ostenso eis dæmone, cui servierant.

44. Tunc Vir Dei stans aliquamdiu et intra semetipsum orans, post aliquantulum dixit eis: Constantes estote, et exspectate intrepide. Confido in domino Deo meo, quod ipse, qui neminem vult perire, jam ostendet vobis, quali domino hactenus adhæsistis. Moxque viderunt de medio sui cattum teterrimum prosilire, qui magni canis præferens quantitatem, habebat grossos oculos et flammantes, linguam longam, latam atque sanguinolentam, et usque ad umbilicum protractam; caudam curtam, sursumque protensam. Posteriorum turpitudinem, quocumque se veteret, ostendebat, de quibus fœtor intolerabilis exhalabat. Cumque circa matronas illas se per horam huc illucque divertisset, ad cordam, quæ ex campana pendebat, exsiliens, et per eam ad superiora conscendens, tandem per campanile lapsus disparuit, fœda post se vestigia derelinquens. Conversus autem ad matronas sanctus Dominicus, territas nimis consolabatur, dicens: Ecce per hoc, quod coram oculis nostris, faciente Deo, figurative apparuit, potestis advertere, qualis est ille, cui, credentes hæreticis, servivistis. Illæ vero gratias Deo referentes, ad fidem Catholicam perfectissime sunt conversæ; quarum etiam aliquæ apud Sorores de Pruliano Religionis habitum assumpserunt *c*. Sic Servus Christi opus euangelistæ faciens, in omnibusque laborans, priores feminas exemplo rigidissimæ pœnitentiæ, et istas verbo fidelissimæ doctrinæ, ostensioneque fraudis diabolicæ ad matris Ecclesiæ gremium revocavit.

IX *Schedula Sancti contra hæreticos scripta,*

45. Beatus itaque Dominicus per decem annos per diversa loca provinciæ Narbonensis versabatur, et præcipue circa Carcassonam et Fanum Jovis impugnando hæreticos, Catholicam fidem extulit, animarumque saluti deditus, totus prædicationis officio vacavit, multas despectiones, vilitates, abjectiones et angustias læte sustinens propter amorem domini nostri Jesu Christi. Illo in tempore dominus Simon Comes Montis-fortis, illustris princeps, pugnans contra hæreticos gladio materiali, et confessor Christi Dominicus gladio verbi Dei, multam societatem familiaritatis et amicitiæ mutuo contraxerunt: legitur enim in gestis dicti principis, quod dum Catholici die quadam cum hæreticis disputassent, sanctus Dominicus quædam fidei argumenta scripsit in cartula tradens hæretico, ut de objectis deliberaret.

ter ex igne resilit illæsa, ut testis oculatus fatetur;

46. Ea nocte hæretici cum sederent ad ignem, protulit ille cedulam, quam conscripserat Servus Dei. Dixerunt ergo: Mittatur in ignem cedula, ut sic, quæ sit hinc inde veritas, comprobetur. Mox projecta in ignem cum aliquantulum fecisset in eo moram, cartula illæsa prosiliit a camino. Tunc unus ceteris durior: Projiciatur, inquit, secundo, et sic certius [veritatem] cognoscemus. Projicitur secundo, et iterum resiliit incombusta. Stupentibus autem eis, induratus ille in perfidia: Jactetur, ait, adhuc in ignem tertio, et sic indubitanter videbimus veritatem. Projicitur cartula in ignem tertio, et tunc quidem minime læditur; verum ab incendio resiliit, sicut prius. Viso tanto prodigio, miseri illi compuncti [non] sunt, inhibentes inter se firmiter, ne quisquam eorum hoc fidelibus intimaret. Verum miles quidam, qui tunc aderat, fidei expertæ consentiens, hoc insigne miraculum Catholicis propalavit *d*.

energumeni precibus ejus ab obsessione dæmonis,

47. Venit etiam aliquando Famulus Omnipotentis cum quodam Converso Cisterciensis Ordinis valde devoto de conflictione hæreticorum ad unam ecclesiam sero, et invenit eam clausam: qui cum orassent ad ostium, intus se subito, clausis januis, mirabiliter invenerunt. Tunc gratias agentes Deo, totam illam noctem in ejus laudibus deduxerunt *e*. Prædicante sancto Dominico in quadam parochia, oblatus est quidam, qui jam dudum a dæmonio vexabatur; quem Vir Dei orationum suarum suffragio a dæmonio liberavit, aliosque diversis oppressos languoribus, fusis ad Deum precibus, restituit sanitati. Alium quoque multis obsessum dæmonibus sibi contigit præsentari: qui, accepta stola, prius suum, deinde dæmoniaci collum ipsa cinxit, mandans illis, ut hominem de cetero non vexarent *f*.

et quadraginta peregrini a submersionis periculo liberantur.

48. Cum autem vir Christianissimus Comes Montis-fortis cum Cruce-signatis obsideret Tholosam, venerunt peregrini de Anglia, sancti Jacobi volentes limina visitare: qui propter excommunicationem vitantes Tholosam, navem modicam intraverunt, ut fluvium pertransirent; præ multitudine autem (nam fere quadraginta erant) absorpta est navis, et submersi sunt omnes, ita ut nec eorum capita apparerent. Erat tunc ibi orans in ecclesia vicina juxta fluvium sanctus Dei Dominicus, qui ad clamorem pereuntium et circumstantis exercitus excitatus, festinus accurrit, vidensque proximorum periculum, compassione permotus, toto corpore prosternitur, expansisque in modum crucis manibus, flens amarissime, clamavit ad Dominum, ut suos peregrinos liberaret a morte; et post pusillum surgens ab oratione conversus ad fluvium, sumpta de Deo fiducia, imperavit dicens: Præcipio in nomine Christi, ut ad ripam omnes veniatis. Mira res; sed ab eo facta, qui facit mirabilia magna solus! Statim ad hanc vocem omnes, qui submersi in aquis tanto tempore latuerant, cunctis videntibus, qui ad tam triste spectaculum aderant, super undas apparuerunt. Tunc undique accurrentes extendentesque eis lanceas et hastas, universos de fluctibus incolumes eduxerunt, clementiam Salvatoris, et sui almi confessoris Dominici merita prædicantes *g*.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio* § 10 *contra opinionem Soëgii censuimus, quod* S. Dominicus *bis similem caritatis actum exercuerit.*

b *Constantinus et Humbertus apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 28 *hanc Quadragesimalem Sancti pœnitentiam fusius exponunt.*

c *Venerabilis Humbertus in Vita* S. Dominici *cap.* 44 *prodigium istud distinctius refert, ex quo illud* § 13 *Commentarii prævii exhibuimus, et idem postea in Processu Tolosano testis oculata confirmabit.*

d *Nos hoc miraculum ab altero superiori distinctum*

A *ctum putamus ob varias circumstantias, ut in Commentario prævio* § 13 *diximus.*

e *In Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 13 *narratur duplex hujusmodi miraculum, quod utrumque* § 43 *inter gesta incerti temporis simul retulimus, etiamsi unum contigerit tempore decennii, quo Sanctus in partibus Tolosanis conversatus est.*

f *Occasione hujus energumeni, quem Sanctus multis dæmonibus liberavit, in Commentario prævio* § 15 *fabulosam quamdam hujusmodi historiam rejecimus.*

g *Theodoricus hæc excerpsit ex Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 3, *ubi etiam oculatus hujus miraculi testis ita allegatur:* Antiquus quidam et honestus civis Caturci (*Cadurcum, vulgo* Cahors, *est nota Galliæ civitas*) narravit Fratribus hoc paratus jurare, quod ipse vidit, cum esset in obsidione Tolosæ, quod peregrini de Anglia, limina beati Jacobi visitare volentes, propter excommunicationem vitantes intrare Tolosam, navem modicam ascenderunt, ut fluvium pertransirent: præ multitudine autem (nam fere quadraginta erant) absorpta est navis, et submersi sunt omnes, ita ut nec eorum capita apparerent. *Deinde ibidem sequuntur reliqua, prout hic narrantur.*

B

CAPUT IV.

Sancti humilitas in recusanda dignitate episcopali, ecstasis, duæ prophetiæ, benevolentia Comitis Montis-fortis, aliorumque erga ipsum.

X *Renuit acceptare episcopales infulas sibi oblatas,*

Igitur vir inclytus Dominicus, prædicator eximius, Dei gratia plenus, omnique virtute probatus et perfectus, apud homines opinione et fama sanctissimus habebatur. Invidebant autem ei hæretici, et irridentes blasphemabant Sanctum Dei. Accrescebat ad eum omnium fidelium devotio, et apud archiepiscopos et episcopos, aliosque ecclesiarum prælatos in partibus illis pro suæ excellentia sanctitatis omni dignus reputabatur honore.* Contigit ergo, ut a collegiis trium cathe- C dralium ecclesiarum episcopalis dignitas eidem offerretur; ipse vero malens humiliari cum mitibus, paupertatem Christi præposuit sedibus et regnis, ideoque et Biterensis et Converarensis [et Siceranensis] ecclesiarum infulas recusavit, a nec cathedras acceptavit *a:* voluit enim liber esse ab omnibus, ut posset omnium servus esse. Divitibus namque et pauperibus, Judæis et gentibus, quorum in Hispania multi sunt, amabilem se exhibuit, et ab omnibus amabatur, præterquam ab hæreticis et Ecclesiæ inimicis, quos convincebat disputationibus, et prædicationibus impugnabat. Eosdem ad conversionem benignitate gratissima hortabatur.

XI *et dum vices episcopi Carcassonensis supplet,*

50 Sane demoratus apud Carcassonam in domo episcopi per unam Quadragesimam prædicationi ardentius insistebat; commissas quoque sibi vices episcopi, tunc absentis, in spiritualibus diligentius exercebat. [Egressus igitur de palatio episcopi Vir Dei, cujus vices gerebat, venit ad quoddam monasterium, quod Castris dicitur, ubi ab abbate invitatus ad comedendum, intravit; sed cum hora refectionis protraheretur, more suo solito ecclesiam Vir sanctus oraturus ingressus est; qui cum intentius preces effunderet ad Deum, elevatum est corpus a terra, in Deum spiritu elevato. Cumque refectionis hora adesset, requirebatur, ubinam esset, qui fuerat invitatus; et cum per diversa loca quæsitus, non inveniretur, unus de clericis, qui adstabant abbati, ipsum quæsiturus egressus, ecclesiam casu introivit, et Sanctum Dei inter cœlum et terram aspexit mirabiliter elevatum. EX MSS.

in monasterio quodam a terra elevatus cernitur;

51 Stupefactus ergo valde, stabat admirans et exspectans, quem exitum esset res tam insolita habitura. Tandem paulatim cœpit elevatum corpus terram attingere, et sensibus exterioribus, a superioribus descendens, coaptari. Tunc accedens, qui hæc viderat, ad Sanctum Dei dixit: Domine, hora refectionis præteriit, et meus abbas vestram præsentiam præstolatur. At Sanctus Dei, quasi de somno dulci evigilans: Ecce, inquit, ego venio, ut dixistis. Post hæc clericus, qui hæc in Sancto Dei mirabilia devotionis et sanctitatis, ut prædictum est, videbat, beatum Dominicum, relictis omnibus, est secutus *b*.] b Nempe veneranda Dei providentia Virum hunc mirabili consilio destinaverat illarum partium incolis, inter quos tamquam lucerna ardens et lucens in caliginoso loco frigescentem caritatem in multorum cordibus [reaccenderet, et obfuscatam hæretica falsitate fidei veritatem lumine doctrinæ euangelicæ perlustraret. E

imminentem regis Aragonum cædem præscivit,

52 Stabat tunc pro fide Catholica princeps illustris Simon Comes Montis-fortis, cui Comes Tholosanus, auxilio fultus regis Arragonum, fortiter resistebat, cœperuntque non modicum prævalere. Tunc quidam Conversus Cisterciensis, qui aderat, accedens ad sanctum Dominicum, dixit ei: Magister Dominice, numquamne finem habitura sunt mala ista? Cumque Vir Dei reticeret, illeque importunius ageret, tandem, præsente Fratre Stephano *c*, respondit: Finem certe c habebit istorum Tholosanorum malitia; verumtamen longe adhuc est finis; multorum interim sanguis fundetur, et unus rex in hujus guerræ *d* certamine interrumptus occumbet. Illis d timentibus hoc de rege Franciæ dictum, qui de novo Albigense negotium acceperat, ait: Ne timeas pro rege Franciæ; alius rex erit, et cito erit, cujus vitam hujus belli varietas intercidet.

ut eventus probavit;

53 Sequenti ergo anno rex Arragonum interfectus occidit, qui utinam non in perpetuum contra Ecclesiam dimicans occidisset! Hæc dudum post futura Sanctus Dei prophetalis spiritus illuminatione prævidit et prædixit. Nec immerito: nam tota illa Quadragesima jejunans, pane solo tantum et aqua refectus fuerat, nec etiam lectum intraverat strati sui. Adveniente vero Pascha sancto, et viribus valentior erat et specie pulchrior apparebat: invisibili namque intus pastus est cibo, et sicut adipe et pinguedine, Dei dulcedine, repleta est anima ejus, ex cujus redundantia carnis infirmitas firmabatur, et purificabatur mentis serenitas, ut cognosceret mysteria futurorum.

similiter conversionem hæretici pervicacis prædixit,

54 Quidam hæretici capti et convicti in partibus Tholosanis, cum redire nollent ad fidem, judicio seculari traditi et incendio deputati sunt; inter quos unum aspiciens secretorum Dei conscius Dominicus: Istum, inquit officialibus curiæ, reservate, et nullatenus comburatur. Et conversus ad illum dulciter ac blande alloquens: Scio, inquit, fili, scio, quod adhuc, licet tarde, bonus homo eris et sanctus. Res stupenda pariter et amanda *! Dimissus ille fere per annos viginti in hæretica cæcitate perduravit; tandem per gratiam

* *alias* admiranda

EX MSS. gratiam rediit ad fidem, Ordinemque Prædicatorum assumpsit, in quo et laudabiliter vixit, et fideliter consummavit *e*. e

et ei a Comite Montis-Fortis, qui illum magni faciebat,

55 Denique præfatus Comes Montis-fortis tanto favore amicitiæ, tantoque honore reverentiæ sanctitatem confessoris Christi Dominici prosecutus est, quod voluit, quod ipse filiam suam baptizaret, et nuptias filii sui benediceret. De consensu quoque heredum suorum juxta munificentiam principalem tradidit eidem, suisque in salutis officio sequacibus, castrum insigne, quod Cassamiel dicitur; habuitque ecclesiam castri, quod Fanum Jovis vocatur, et alia, de quibus sibi et suis poterat sustentatione providere *f*. f Episcopus vero Tholosanus, vir sanctus et bonus, fideique zelator, qui sanctum Dominicum tenerrime diligebat, exultans ad novæ lucis exortum, de consensu capituli sui pro libris aliisque necessariis comparandis sextam partem omnium decimarum dedit illi.

aliisque Tolosanis certatim possessiones offeruntur.

56 Tunc etiam obtulerunt se sancto Dominico duo probi viri de Tholosa, videlicet Frater Thomas, homo gratiosus et facundus; et Frater Petrus Deselan, qui insignes domos, quas Tholosæ habebat, ei contulit *g*. B g Tunc qui cum servo Dei Dominico erant, cœperunt Religiosorum se moribus conformare. Nondum Ordo Prædicatorum fuerat institutus; sed quædam conceptio fuit habita, et de ipso instaurando in consilio tractabatur. Multi quidem multa de hoc sacro Ordine futuro, revelante eis Domino, præviderunt, et congratulantes Ecclesiæ, præsago spiritu prædixerunt: teste enim Scriptura, insignia, quæ facturus est Dominus, consuevit electis et prophetis, servis suis, multifarie multisque modis per suum Spiritum manifestare; ita de hoc quoque electorum electissimo Ordine aliqua dignatus est mirabiliter præmonstrare, de quibus aliqua interserere judicavi utile et decorum.

ANNOTATA.

a *De episcopatibus, quos Sanctus recusavit et quorum nomina hic corrupta sunt, egimus in Commentario prævio* § 14. C

b *Hic uncis inclusa in Codice nostro Francofurtensi non leguntur. Attamen Stephanus de Salanhaco eamdem ecstasin modo nonnihil diverso narrat, ex quo veteri auctore illam in Commentario prævio* § 14 *transcripsimus.*

c *Constantinus in Actis* S. Dominici, *num.* 40, *et Humbertus cap.* 48 *apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 34 *testimonium hujus prædictionis distinctius exponunt his verbis :* Cumque Vir Dei reticeret, illeque *(nimirum Conversus Cisterciensis)* importunius ageret, non ignorans, quod ei multa Dominus revelaret, tandem præsente F. Stephano Metensi, socio suo tunc temporis, cujus etiam hoc frequenti relatione vulgatum est: Finem, ait, certe habebit istorum Tolosanorum malitia, *etc.*

d Guerra *ab auctoribus mediæ ætatis barbare pro bello usurpatur, ut passim notum est.*

e *Alia occasione in Commentario prævio* § 16 *hanc Sancti prophetiam ex Constantino Urbevetano retulimus.*

f *De affectu et liberalitate Comitis Montis-fortis erga* S. Dominicum *nonnulla monuimus in Commentario prævio* § 14.

g *De donationibus episcopi Tolosani, aliorumque actum est suis locis sparsim in Commentario prævio, ubi etiam interdum authentica similium donationum diplomata exhibuimus.* D

CAPUT V.

Prædictiones de instituendo Ordine Prædicatorum, consilium istius institutionis revelatione probatum, et ejusdem Ordinis splendor cuidam theologiæ magistro in visione ostensus.

XII *Præter alios,*

Venerabilis igitur Aurasitensis *a* ecclesiæ episcopus Ordinis albi *b*, vir multæ religionis ac operum virtutis, colebatur a populis tamquam sanctus. a b Hic gratia prædicationis et fervore fidei, non solum in sua diœcesi, sed et in locis aliis singulariter excellebat. Iste publice prædicando asseruit dicens : Ego annuntio vobis verbum Dei, prout scio; sed in brevi venient, qui vobis veraciter prædicabunt, utpote qui officium habebunt et scientiam, nomen et vitam *c*. E c Conveniens valde fuit, ut pontifex et prædicator fervens de Prædicatorum Ordine tam solenniter prophetaret. Magnus etiam pater Stephanus, Prior Carthusiensis, Lugdunensis diœcesis, vir eximiæ sanctitatis, Fratribus suis Prædicatorum Ordinem prædixit, rogans eos affectu speciali, ut Ordo hic ab eis in omni amore et reverentia haberetur; quod et impleverunt devotissime Ordinem honorantes *d*. d

abbas Florensis,

58 Abbas quoque et institutor Florensis monasterii de Prædicatorum Ordine in multis libris et locis scripsit ; describens autem Ordinem et habitum, monuit Fratres suos, ut post mortem suam, cum talis Ordo exsurgeret, ipsum cum devotione susciperent et honore; illi vero obedientes, venientibus ad se primo hujus Ordinis Fratribus cum cruce et processione obviam exierunt *e*. e Perpendat quilibet, quem in hoc Ordine dignatus est Dominus collocare, quam solicita devotione in eo conversari oporteat; quem divina providentia per servos suos mandavit etiam extraneis tanta pietate colendum. F Perpendat nihilominus, quantæ gravitatis personæ, quam sublimis officii, et eximiæ sanctitatis viri exstiterint, quorum credibili nimis testimonio Prædicatorum Ordinis dignitas et utilitas comprobatur.

pius quidam monachus.

59 Accedunt et alia non minus vera fidelium testimonia devotorum. Fuit ante Ordinis institutionem monachus quidam honestam ducens vitam; is infirmatus, raptus in ecstasi sine sensu et motu exteriori, tribus diebus continuis sic permansit : rediens vero ad se, nulli dicere voluit, quid vidisset. Elapso aliquanto tempore, cum vidisset in ecclesia sua Fratres Prædicatores, percunctatus diligenter in ipsorum officium, Religionem, et nomen, post prædicationem assumens eos seorsum, coram honestis viris dixit eis : Ea, quæ mihi Deus sua benignitate revelavit, et hactenus silentio occultavi, amodo tacere non debeo. Olim raptus in ecstasi tribus diebus et tribus noctibus, vidi dominam nostram, Dei matrem Mariam, flexis genibus et junctis manibus Filium deprecantem pro humano genere, ut ipsum adhuc ad pœnitentiam exspectaret; qui sæpius dans

piæ

A piæ Matri repulsam, tandem instanti sic respondit: Mater mi *, quid possum vel quid debeo mundo amplius facere? Misi patriarchas et prophetas ad eorum salutem, et parum se correxerunt. Veni ego, misi apostolos; et me et illos nequiter occiderunt. Misi martyres, doctores, et confessores plurimos; nec illis acquieverunt. Verum quia fas non est ut tibi denegem aliquid, dabo eis Prædicatores meos, per quos illuminentur et emendentur; sin autem, vindicabo me de illis, et veniam contra illos *f*.

** pro mea*

vir a morte resuscitatus Ordinem Prædicatorum prænuntiarunt,

60 Eo tempore, quo duodecim abbates Cisterciensis Ordinis ad prædicandum contra Albigenses hæreticos a domino Papa Innocentio tertio missi sunt, quidam, qui de morte revixerat, requisitus ab uno abbatum illorum monachorum, quid vidisset, respondit: Vidi dominam nostram virginem Mariam tribus diebus continuis flexis genibus coram Filio pro populo deprecantem; cui Filius beneficia, quæ mundo contulerat, et mala, quæ mundus retulerat, commemorans, dixit: Et quomodo amplius parcere potero sic ingrato? At Virgo, bone, inquit, Fili, non secundum eorum malitiam, sed juxta mansuetudinem tuam
B agas. Victus tandem precibus matris Filius: Ad votum tuum, ait, faciam adhuc misericordiam istam; mittam eis Prædicatores, qui eos ad pœnitentiam exhortentur, et siquidem ab injustitia sua conversi fuerint, omnium iniquitatum eorum non recordabor *g*.

et instituti illius utilitas

61 Anno ab Incarnatione Dominica MCCXV, dum ad generale concilium Romam proficiscerentur de omnibus mundi partibus omnium ecclesiasticarum dignitatum principes et prælati, adjunctus est venerabili et sancto viro Fulconi, Tholosano episcopo, illuc tendenti devotissimus Christi famulus Dominicus; quos ita caritas conjunxerat, et Spiritus Jesu direxerat, ut salutem animarum zelo ferventissimo affectarent. Opportunum igitur æstimantes tempus, jam dudum conceptum et deliberatum de institutione Prædicatorum Ordinis consilium summo Pontifici pandere decreverunt. Qui cum reverenter et humiliter, ut oportuit, coram Christo Domini exposuissent cordis sui vota, visus est primitus
C aliqualiter obsistere Domini Dispensator.

Pontifici Romano in visione præmonstratur,

62 Nocte ergo sequenti idem Vicarius Jesu Christi vidit in somnis, quod Ecclesia Lateranensis, suis compagibus resoluta, minaretur ruinam: quod dum tremens simul ac mœrens aspiceret, ex adverso vir Dei Dominicus occurrebat, et humeris suis totam illam casuram fabricam sustentabat. Cujus visionis novitatem vir sapiens admirans, et significationem prudenter intelligens, oblatam petitionem hilariter acceptavit, et pium propositum commendavit *h*. Hortabatur vero beatum Dominicum, ut ad suos rediret Fratres, habitaque deliberatione, regulam aliquam approbatam eligerent, super quam inchoandum Ordinem firmarent, et sic ad ipsum veniens, confirmationem ad libitum reportaret.

et in quibusdam sancti Fundatoris discipulis

63 Reversus post celebrationem concilii Servus Dei, verbum summi Pontificis Fratribus patefecit: invocato Spiritu sancto, regulam beati Augustini, prædicatoris egregii, ipsi Prædicatores futuri unanimiter elegerunt, quasdam tamen sibi, per formam constitutionis, arctioris vitæ consuetudines assumentes *i*. Et ne prædicationis impediretur officium, proposuerunt ex tunc terrenas possessiones abjicere, et redditus postponere temporales; ac tum in ecclesia sancti Romani Tholosæ, quam eis felix ille Fulco, ejusdem civitatis episcopus, assignaverat, protinus ædificatum est claustrum, cellas habens ad studendum, et dormitorium insuper satis aptum. Erant autem tunc Fratres numero circiter sedecim. EX MSS.

futurus ejusdem Ordinis splendor cuidam in ecstasi revelatur.

64 Cum apud Tholosam in theologia regeret magister quidam, genere, scientia et fama præclarus, quodam mane ante diem, dum lectiones suas prævideret, oppressus gravi somno, caput suum in cathedra paululum reclinavit et dormire cœpit; visumque est eidem eadem hora, quod sibi septem stellæ præsentarentur. Qui cum de novitate talis xenii plurimum miraretur, subito in lumine et quantitate tantum excreverunt, quod totam patriam et mundum illuminaverunt; qui statim excitatus a somno, ortum diei percepit, et vocatis servientibus, qui libros suos deferrent, scholas intravit. Et ecce beatus Dominicus cum sex sociis ejusdem habitus ad antedictum magistrum humiliter accesserunt, intimantes eidem, quod Fratres essent, qui Euangelium in partibus Tholosanis contra infideles et fidelibus prædicarent; significantes etiam eidem, quod scholas [suas] venerant frequentare, et lectiones avidis cordibus [audire] cuperent et optarent. Dictus vero magister multo tempore dictos septem Fratres familiares et devotos habuit, et scholares E instruxit. Recolens autem visionem, quam ante viderat, beatum Dominicum et socios suos, quos stellas lucidas interpretatus est, quos immenso lumine famæ et scientiæ vidit subito clarescere, summa est veneratione prosecutus, grandi etiam est jugiter ex tunc dilectionis affectu amplexatus *k*.

ANNOTATA.

a *Quandoquidem Vitæ Fratrum, in quibus part.* 1 *cap.* 2 *hæc eadem historia refertur, episcopatum illum* in provincia Arelatensi *collocant, satis facile colligimus, luxato hoc nomine indicari episcopatum Arausionensem vel Arausicanum: nam Arausio, vernacule* Orange, *est urbs episcopalis in Gallia sub metropoli Arelatensi, de qua Dionysius Sammarthanus in novissima editione Galliæ Christianæ tomo* 1 *a col.* 763 *consuli potest.*

b *Cum per monachos* Ordinis albi *ea ætate plerumque intelligerentur Cistercienses, ut alia occasione in Commentario prævio* § 8 *observavi, non prorsus temere conjicio, hunc episcopum appellari* F *Guilielmum, qui ex Ordine Cisterciensi ad cathedram Arausicanam evectus est, et in locum Arnulfi, cujus coadjutor antea fuerat, anno* 1200 *successit, ut laudatus Sammarthanus tomo proxime citato col.* 776 *testatur.*

c *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 2 *illam ejusdem antistitis Arausicani prophetiam referens, confirmationis gratia in fine hæc addit:* Supersunt autem aliqui *(in Ms. nostro codice* adhuc *pro* autem *legitur)* qui eum talia dicentem audierunt.

d *Hæc prædictio Stephani Carthusiani etiam ex Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 2 *excerpta est.*

e *De hoc Sancto Florensis monasterii institutore, cujus Acta ac diem* XXIX *Maii illustravimus, in Commentario prævio* § 7 *nonnulla dicta sunt, et ibi relatus est quidam textus Stephani de Salanhaco, qui cum hac narratione et ibidem allegato Gerardi Lemovicensis testimonio satis concordat.*

f *Hæc mira historia fere totidem verbis in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 1 *refertur.*

g *Illa mortui resuscitati prædictio in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 1 *ex antecedentibus et consequentibus verbis ita confirmatur:* Ad confirmationem autem

EX MSS. autem prædictæ visionis facit, quod quidam monachus grandævus, et religiosus in abbatia Bonæ Vallis Cisterciensis Ordinis, diœcesis Viennensis, Fratri Humberto, qui postea fuit Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, narravit. *Tum ibi sequitur historia eo fere modo, quo hic narratur, et adduntur sequentia:* Hæc, inquit, ille reverendus senex nobis narravit; quia brevi tempore vos Prædicatores surrexistis. Quare sperari potest indubitanter, quod Ordo vester ad preces gloriosæ Virginis sit creatus. Unde et Ordinem tantum* debetis diligenter* servare, et beatissimam Mariam potissime honorare.

* *Ms.* tanto diligentius

h *Istam Innocentii III Papæ visionem in Commentario prævio* § 22 *ex Constantino Urbevetano, aliisque antiquis scriptoribus confirmavimus.*

i *In proxime citato paragrapho Commentarii prævii examinavimus, ex quo Ordine primi Prædicatores illas constitutiones et arctioris vitæ consuetudines assumpserint.*

k *Hanc apparitionem in Commentario prævio* § 23 *ex venerabili Humberto retulimus.*

B

CAPUT VI.

Diversæ Sancti revelationes, approbatio Ordinis Prædicatorum impetrata, et dispersio primorum sodalium ab ipso facta.

PARS II. CAP. I.

Sanctus roboratus revelatione,

Postquam vir Dei Dominicus juxta mandatum Apostolicum de eligenda regula locutus est Fratribus, Romam, Domino comitante et ipsum in omnibus dirigente, profectus est. Interea dominus Papa Innocentius defunctus est, et Honorius succedens apostolicæ Sedis dignitatem accepit. Egit ergo apud eumdem Christi Vicarium Sanctus Dei, ut contra hostes Ecclesiæ Prædicatorum Ordinem confirmaret. More autem solito nocte in ecclesia vigil Dominicus sedentem ad Patris dexteram Filium exsurgere in ira sua vidit, ut interficeret omnes peccatores terræ, et C disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthere aspectu terribilis, et contra mundum, in maligno positum, lanceas tres vibrabat: unam, qua superborum cervices erectas transfigeret; alteram, qua cupidorum viscera effunderet; tertiam, qua concupiscentiis carnis deditos perforaret. Cujus iræ dum nemo posset resistere, occurrit propitia Virgo Mater, et pedes amplectens ejus, rogavit, ut parceret eis, quos redemerat, et justitiam misericordia temperaret. Ad quam Filius: Nonne vides, inquit, quantæ mihi irrogantur injuriæ? Justitia mea tanta mala non sustinet impunita.

in qua se et S. Franciscum Christo offerri viderat,

66 Tunc Mater: Tu scis, ait, qui omnia nosti, quia hæc est via, per quam eos ad te reduces. Habeo servum fidelem, quem mittes in mundum, ut verba tua annuntiet eis, et convertentur ad te omnium Salvatorem. Alium quoque habeo servum, quem ei dabo adjutorem, ut similiter operetur. Filius dixit: Ecce placatus suscepi faciem tuam. Verumtamen ostende mihi, quos velis ad E tantum officium destinare. Tunc domina Mater obtulit beatum Dominicum Domino Jesu Christo. Et ait Dominus Matri: Bene et studiose faciat*, quæ dixisti. Obtulit quoque sanctum Franciscum, quem similiter Dominus laudavit. Sanctus ergo D Dominicus in visione diligenter considerans socium, quem prius non noverat, in crastinum cum in ecclesia invenisset eum, ex iis, quæ nocte viderat, cognovit eum, et in oscula sancta ruens et sinceros amplexus, dixit: Tu es socius meus; tu curres pariter mecum; stemus simul, nullus adversarius prævalebit. Visionem etiam narravit illi. Ex tunc ergo facti sunt cor unum et anima una in Domino, quod etiam posteris mandaverunt in perpetuum [observari.] *a*

* *alias* faciet

a

Romæ confirmationem Ordinis sui impetrat,

67 Hujus visionis seriem et cognitionem per sanctum Franciscum meruimus accipere *b*, cui etiam beatus Pater noster ante confirmationem Ordinis [hanc] patefecit; qua roboratus, certusque factus, ad præfatum Christi Vicarium accedens servus Dei Dominicus, juxta propositum ordinationemque conceptam, confirmationem Ordinis Prædicatorum, et omnium, quæ obtinere voluisset, opitulante Dei gratia, plene per omnia impetravit. Si quis magnæ hujus rei processum solerter curaverit advertere, admiratione vehementi tenebitur, stupens, quod homo tam humilis extremæque paupertatis, nullo humano fultus auxilio, apud excellentiam Apostolicam, glorio- E sissimumque Cardinalium cœtum prævaluerit hoc arduum pietatis negotium solus tam efficaciter exsequi, tamque faciliter consummare. Sed vere non humana industria, imo potens Dei sapientia, prout voluit, per humilem Servum perfecit hæc omnia, sicut obtinuit Dei Genitricis intercessio veneranda.

b

quod beneficium auctor intercessioni Deiparæ adscribit,

68 Efferamus ergo, prout possumus, ejusdem Mediatricis mundi, Virginis matris Dei, potentiam, clementiam, diligentiam. Potentiam nempe dixerim, quæ omnipotentis Judicis iram, qui exacuerat ut fulgur gladium suum, et arripuerat judicium manus ejus, supplici tantum verbo continere prævaluit, ne emissa devoraret impios, sicut stipulam, et arderet usque ad inferni novissima. Clementem autem eam esse quis ambigat, quæ pro perituris continuo tam humiliter atque misericorditer, tamque instanter interpellat? Ejus clementiam exspectant peccatores, ne pereant; prædicatur justis, ut proficiant; euangelizantur pauperes, ut euntes et docentes fructum afferant. Porro solicitudinem diligentiæ tuæ circa nos, o Domina nostra, in iis omnibus experimur, non solum quod potentis furorem judicis intercipis, F et pro nobis apud Filium clemens intervenis; imo quod salutis omnium ministros providisti, Filio tuo tam placitos mundo destinasti, tam sanctos quam doctos.

et se eis vel grati animum ostendendum hortatur.

69 Isti sunt vere electissimi viri Dominicus et Franciscus, quos Virgo mater offerens Filio, fidelitatis laudat præconio; et Filius acceptans veritatis approbat testimonio, et velut agnos inter lupos a se missos conservat præsidio. Benedicamus ergo, Fratres carissimi, Patrem et Matrem cum Filio et Spiritu sancto, quorum super nos inscrutabile videmus consilium, et benignissimum sentimus affectum: iratus enim Filius populi peccatis, placatus est precibus piæ Matris, et in ira misericordiæ memor fuit, relinquens nobis semen divinum, sine quo sicut Sodoma fuissemus, et qui Gomorræ similes perissemus. De hoc ergo benedicto germinati semine, mittamus radices deorsum, facientes fructum sursum, ut inveniatur in nobis propriæ recognitio vilitatis, et impermutabilis intentio æternitatis. Nos sumus semen Servorum ejus, cum quo bona permanent: semen, cui benedixit Dominus, ut crescat, et he-

reditate

A reditate capiat terram viventium cum beatis mitibus, et portas inimicorum suorum, hoc est dæmonum, possideat. Amplectamur ergo amanter, et imitemur incessanter tantorum Patrum exempla præclarissima, et virtutes eximias cum fide, ut imitatione digni effecti mereamur cum eorum semine inter Dei filios computari.

Principes Apostolorum apparent Sancto,

70 Cum ergo in basilica sancti Petri in conspectu Domini orationem suam pro conservatione et dilatatione Ordinis, quem per ipsum dextera ejus propagabat, effunderet, facta manu Domini super eum, gloriosos principes Petrum et Paulum ad se subito venientes aspexit: quorum primus, Petrus videlicet, baculum, Paulus vero librum sibi tradere videbatur; addebantque dicentes: Vade, prædica, quoniam a Deo ad hoc ministerium es electus. Mox in momento temporis vidit filios suos per totum mundum dispersos, incedentes binos et binos, et verbum Dei populis prædicantes *c*.

c

II

qui Tolosam reversus discipulos suos dispergere statuit,

71 Quapropter Tholosam, ubi Fratres reliquerat, reversus est, invocatoque cum ipsis Spiritu sancto, dixit, hoc sui cordis esse propositum, ut omnes eos, licet paucos, per mundum dispergeret tamquam grana pauca, multam segetem allatura: intellexerat enim per revelationem Apostolicam dispersionem eorum fore Domini voluntatem. Mirati sunt omnes conceptum ab eo tam subitæ dispersionis propositum. Illustris itaque princeps dominus Simon Comes Montis-fortis, et venerabilis pater archiepiscopus Narbonensis, episcopusque Tholosanus, aliique prælati juxta humanam industriam sentientes, viro Dei Dominico obsistentes, tam paucorum dispersionem tam subitam dissuaserunt; quibus Vir spiritu Dei plenus confidenter dixit: Nolite, patres et domini, contradicere mihi; quia ego scio bene, quid facio. Et Fratribus dixit, ut studerent et prædicarent, et Conventus facerent, et non timerent; quia omnia prospera evenirent.

prævisaque morte Comitis Montis-fortis

72 Tunc quia animabat eos evidens in eo sanctitatis auctoritas, acquievere facilius, tamquam Deo eis per hominem imperante. Disponentibus jam tunc Tholosanis contra Comitem Montis-fortis insurgere, amicus ipsius sanctus Dominicus hoc per revelationem præcognovit: monstrata namque ei in visione arbor est, protractione
C grandis, venustate grata, in cujus ramis multus avium numerus habitabat. Præcipitata est arbor, et quiescentes in ea volucres diffugerunt. Intellexit ergo Homo, spiritu Dei plenus, amico suo, principi magno et sublimi, proximum mortis imminere excidium; quod et rei probavit eventus.

ipse terras infidelium adire proponens,

73 Anno Domini MCCXVII de beneplacito sancti patris Dominici electus est in abbatem Frater Matthæus, per quem ceteri regerentur; cujus nominis prælatus postmodum in hoc Ordine non surrexit: nam qui toti præest Ordini, Magister Ordinis, ceteri vero inferiores prælati, Priorum et Suppriorum vocabulum sortiuntur. Hanc vero abbatis institutionem fieri sanctus decrevit Dominicus, quia disposuerat terram Sarracenorum adire, ut eis verbum fidei prædicaret: urgebat enim eum caritas Christi, salus proximi, et desiderium martyrii. Unde et barbam aliquamdiu nutriebat.

aliquos ex suis sociis in Hispaniam,

74 Porro fidelis servus et prudens Dominicus in agro Ecclesiæ electa grana seminare curavit, fructum, in quo glorificatur Pater, plurimum productura. Destinati sunt ergo in partes Hispaniæ quatuor Fratres, videlicet: Gnoninocius, Petrus, Michaël, Dominicus. Hic novissimus quidem corpore exiguus; sed sanctitate, scientia, et virtute erat magnificus *d*. Missi quoque Parisius sunt Frater Matthæus electus abbas cum Fratre Bertrando, rigoris circa seipsum inexorabilis, quoniam suæ carnis erat mortificator acerrimus, et sancti Dominici sibi formam et exemplar impresserat in multis, qui etiam aliquando comes itineris ejus fuit. EX MSS.

d

alios misit in Galliam,

75 Hi cum litteris summi Pontificis sunt Parisius destinati, ut Ordinem Prædicatorum confirmatum publicarent, et cum eis alii duo ad studium, videlicet Frater Johannes et Frater Laurentius, cui multa de habitatione et situ domorum, de receptione multorum Fratrum, a Domino revelata sunt, quæ prædixit, et rei postmodum probavit eventus. Seorsum autem missi sunt et alii tres, videlicet: Frater Manes, uterinus sancti Dominici germanus, vir contemplativus et sanctus, cum Fratre Michaële Hispano, et Frater Otherius Conversus. Hi omnes Kalendis Octobris Parisius congregati, conduxerunt domum ante fores episcopi, in qua primitus habitabant.

qui Parisiis primo sedem fixerunt.

76 Anno sequenti ad instantiam precum domini Papæ Honorii data est domus sancti Jacobi a magistro Johanne decano sancti Quintini et ab universitate Parisiensi Fratribus Ordinis Prædicatorum *e*, quam ad inhabitandam ingressi sunt octavo Idus Augusti, in die Tranfigurationis Domini, hoc est in die Sixti Papæ. Eodem anno, quo sanctus Pater filios suos disperserat, ut prædictum est, ipso Domino duce, Romam profectus est, ubi per eum ad honorem sui nominis, et corroborationem inchoati noviter Prædicatorum Ordinis mirabilia operari dignatus est, sicut sequentia declarabunt. e

ANNOTATA.

a *Theodoricus verosimiliter hic tacite alludit ad litteras encyclicas venerabilis Humberti, de quibus in Commentario prævio* § 23 *num.* 437 *obiter mentionem fecimus, et quæ apud Nicolaum Janssenium in Commentario post vitam* S. Dominici *a pag.* 255, *aliosque auctores obvios legi possunt.*

b *Nota, Fratres Prædicatores narrationem hujus visionis mediate* per sanctum Franciscum *accepisse, ut* § 23 *Commentarii prævii explicuimus, ubi etiam visionem illam ex Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 1 *recitavimus.* F

c *Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiarum lib.* 30 *cap.* 67, *et venerabilis Humbertus in Actis* S. Dominici *cap.* 26 *de illa visione meminerunt, eamque nos* § 26 *Commentarii prævii ex Constantino Urbevetano retulimus.*

d *Istud Dominici elogium, et nomina quorumdam primorum sodalium diverso modo leguntur, ut in Commentario prævio* § 23 *et* 26 *monuimus.*

e *Hæc omnia* § 26 *Commentarii prævii distincte explicavimus, et ibidem diplomata harum donationum exhibuimus.*

CAPUT VII

EX MSS.

CAPUT VII.

Ferventes ejus prædicationes, fama Sanctitatis, reformatio sanctimonialium, et insignia quædam illius miracula.

III *Cum Sanctus prædicaret Romæ,* Veniens Romam pater et fundator novæ Religionis, confessor et sacerdos Christi Dominicus, prædicationis officium, ad quod divinitus electus, et per Sedem Apostolicam fuerat institutus, in ipso principali Apostolicæ auctoritatis loco, cœpit ferventer, devote, et humiliter exercere. Diffusa est ergo gratia in labiis ejus, et fuit Dominus in ore ipsius, et audiebatur cum desiderio verbum ejus : sermo enim et prædicatio ejus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ vel inanis philosophiæ verbis erat ; sed in devotione cordis, et ostensione spiritus et virtutis. B Cooperabatur proinde Dominus, et sermonem ejus sequentibus signis confirmabat.

filio viduæ, quæ concioni interfuerat, 78 Erat namque quædam matrona, civis Romana, vidua Gutadonia, quæ magna devotione erga beatum Dominicum ferebatur. Hæc habebat filium unicum parvulum infirmum. Cum Vir Dei in ecclesia sancti Marci prædicaturus esset, matrona hæc desiderio audiendi verbum Dei ex ore ejus, filio relicto, ad prædicationem venit; qua peraudita, domum reversa filium defunctum reperit : quæ nimium dolorem, quem de morte filii conceperat, silentio premens, de virtute Dei meritisque sancti Dominici confidens, assumptis ancillis suis, tulit secum mortuum puerum ad ecclesiam sancti Sixti, ubi tunc Confessor Domini cum Fratribus morabatur. Et quia domus illa tunc ad receptionem Sororum præparabatur, alii occasione artificum introibant. Ingressa autem invenit eum stantem ad ostium capituli, quasi aliquem exspectaret : quo viso, misit mortuum ad pedes ejus, et prostrata coram eo, cœpit rogare cum lacrymis, ut sibi redderet filium C suum salvum.

a mortuis suscitato, 79 Tunc misericors Dominicus mœrentis dolori vehementius compatiens, secessit ab ea paululum, et prostratus, oratione brevi completa, surrexit, et accessit ad mortuum, crucis signum faciens super ipsum. Deinde tenens manum defuncti, elevavit eum viventem, et sanum et incolumem reddidit matri suæ, præcipiens ei, ut hoc nulli penitus revelaret. Illa autem cum ingenti gaudio regressa beneficium Dei, quod in filio a morte suscitato consecuta fuerat, jucunda et glorians in Domino indicavit, ut etiam summi Pontificis ad aures perveniret; qui exultans et congratulans donis Altissimi, suis temporibus patefactis, decreverat hoc omni populo prædicandum. At verus humilitatis cultor Dominicus obstitit contestans, si hoc fieret, quod mare transiret, nec ultra in illis regionibus compareret. Destitit proinde Christi Vicarius a decreto. Quanto autem fuit profundior humilitas in corde ejus, ut se deprimeret et abjiceret, tanto apud Altissimum major erat benignatis sublimitas, ut ipsum magnificaret et erigeret *a*. *a*

80 Ex tunc igitur, quia gloriam propriam non quæsivit, summi Pontificis et Cardinalium, qui eum pridem non minime dilexerant, affectum et benevolentiam ad ipsum abundantius inclinavit, ut majori personam ejus amplecterentur amore, et ampliori prosequerentur honore. Devotionem quoque omnium tantam Deus ad ejus reverentiam excitavit, ut magnates et populi ipsum mira caritate colerent, et tamquam angelum sequerentur, et beatum se crederet omnis, qui eum vel posset contingere, vel quidquam de iis, quæ ad eum pertinebant, mereretur accipere. Unde cappam ejus et caputium adeo incidebant, ut vix sufficere viderentur ad genuum operturam ; et cum a Fratribus a tali compescerentur vestimentorum præcisione : Sinite eos, ait Sanctus, suam devotionem perficere : congratulabatur enim proximorum fidei. Idcirco parvipendit, truncato habitu despicabilis apparere. Affuerunt in his sancto Patri nostro viri probati, videlicet : Tancredus, Otto, Henricus, Gregorius, et Albertus, quorum nomina ideo hic inseruimus, quia tanti Patris consortio decorati, Prædicatorum Ordinis fundamenta sacra et vivi et pretiosi lapides exstiterunt. Sic etiam inscripta divina majorum nomina venerabiliter memorantur. D *publicam Sanctitatis famam adipiscitur,* E

81 In eodem loco, dum Fratres ædificando laborabant, architectum quemdam conductum in quadam crypta moles desuper resoluta contrivit, et diu jacentem sub tanto pondere penitus exstinxit. Concurrunt Fratres ad miserabilis casus eventum, tam diri vulneris mortifera novitate tristes vehementer effecti. At pius pater, misericors Dominicus, et inopinatæ mortis periculo ex intimis visceribus compatiens, et filiorum mœrentium desolationem non sustinens, defuncti corpus de caverna eductum ad se deferri jussit, orationumque suffragio statim vitæ simul et sanitati restituit gaudiumque filiis reddidit desolatis. *b*. *quæ crevit, dum ibidem architectum mortuum vitæ restituit* *b*

82 In tempore illo de beneplacito Cardinalium decreverat dominus Honorius Papa omnes sanctimoniales, per diversa urbis loca dispersas, si fieri posset, in unionem colligere, ut et facilius possent regi, et cautius custodiri : in unum enim congregata, leviore custodia conservantur ; easdem vero sic adunatas apud sanctum Sixtum propter antiquam loci reverentiam et congruentiam disposuerat collocare. Considerans autem servum Christi Dominicum, per omnia religiosum devotum, et in cunctis gratiosum, eidem hoc opus pium exsequendum commitere dignum duxit; qui acquiescens Apostolicæ voluntati nequaquam restitit; concedi tamen sibi cooperatores idoneos ad hoc tam grande, quod ejus excessit vires, negotium humillime postulavit. IV *Jubetur sanctimoniales Romæ dispersas in unum monasterium congregare,* F

83 Dati sunt ergo ei a domino Papa tres Cardinales in adjutorium, videlicet : dominus Hugolinus Ostiensis, qui postea fuit summus Pontifex, dominus Stephanus de Fossa-nova, Cardinalis [Nicolaus] Tusculanus episcopus, qui sibi in hac commissione exsequenda consilio et auxilio fideliter assistebant. Cum autem cum omni modestia et discretione, quod Papa injunxerat, attentatum fuisset, consuetudine inveteratæ libertatis absorptæ parere Apostolicæ voluntati et nuntiorum ejus persuasionibus, quadam stolida audacia et feminea pertinacia omnes pariter recusabant. *qua in re tres Cardinales sibi adjutores petit,*

84 Erat tamen in Urbe quoddam solenne sanctimonialium monasterium, sanctæ Mariæ trans Tiberim dictum, in quo venerabilis et omnis devotionis honore dignissima ejusdem Virginis matris servabatur imago, quam beatissimus euangelista V *et non sine magna difficultate*

lista

A lista Lucas ad similitudinem vultus, corporis et habitus memoratæ et memorandæ semper Genitricis Dei, per picturam plenissime creditur expressisse *c*: quæ dulcissima imago, nescio quo casu, ab illa sublata fuerat [ecclesia]; sed ad eamdem per gratiam Virginis cœlesti miraculo reportata. Quam, ut dignum est, illius monasterii Sorores totaque Romanorum frequentia ineffabili veneratur affectu.

c

sub certis conditionibus,

85 Ad hunc locum cum beatus accessisset Dominicus, abbatissam cum omnibus Sororibus præter unam, ad voluntatem Apostolicam inclinavit. Accepit ergo ab omnibus obedientiam manualem. Promisit abbatissa et Sorores omnes, se transituras, si illa dulcis imago illic cum ipsis voluisset remanere: quam conditionem nuntius Apostolicus, famulus Christi Dominicus gratanter admisit adjectam. Quod si illa desiderabilis imago, sicut olim, ad suam rediret ecclesiam, et ipsæ pariter a sua essent obediendia absolutæ. His itaque gestis, prohibuit, ne claustrum egrederentur amodo, ad parentes vel personas quaslibet visitandas.

B

consanguineis sanctimonialium obmurmurantibus,

86 Audientes cognati, proximi, et amici, quid egerint et in quo consenserint moniales, irati sunt et commoti sunt, furor apprehendit eos; venientesque cum strepitu, in ira sua arguerunt eas, quod ad persuasionem viri ignoti tam solennem locum desererent, et ad aliam ecclesiam disponerent transmigrare. Furentes vesana mente, sacrilegis linguis et blasphemo ore sunt ausi Sanctum Dei, peregrinum, ribaldum, et incognitum appellare. Turbatæ itaque et femineo pavore perterritæ plures ex ipsis de beneficio inutilem tristitiam et irrationabilem pœnitudinem conceperunt. Hæc omnia Vir, spiritu Dei plenus, absens cognovit, Spiritu, a quo regebatur, suo spiritui revelante.

tandem eis claustrum in eodem monasterio persuadet,

87 Sustinens hæc per aliquantulum temporis intervallum, quodam die mane accedens ad locum, post celebratam Missam, sermone completo, dicit ad illas in spiritu lenitatis: Filiæ meæ, tam de sanctitatis proposito, utpote de maleficio, resilientes, graviter gemuistis, et vultis pedem retrahere a via Domini, et a tergo ejus recedere. Nunc igitur, quia voluntarie sacrificantes, et spontanea se voluntate offerentes acceptabiles in conspectu Domini sunt et grati, si qua in vobis est timens Deum, et audiens vocem Servi ejus, sponte surgens, ut condictum est, ad manus meas veniat, suam denuo obedientiam Domino oblatura.

C

negotiumque arduum perficit,

88 Tunc abbatissa cum aliis omnibus, sicut prius, ad manus ejus obedientiam voluntariam promiserunt: nam quæ retro post sathanam abierant, sancti Patris meritis sunt reversæ. Tunc prudens Pater quosdam Conversos, viros religiosos et providos, adhibuit, qui monasterio, omni tempore Sororibus clausis, necessaria ministrarent; tulitque Vir religiosus et discretus omnes claves, cunctamque usurpans monasterii potestatem, non concessit, ut deinceps propinquis vel personis aliis sine testimonio loquerentur. Porro sapiens et in commisso Apostolico fidelis cum assensu trium Cardinalium, quorum regebatur et ducebatur * auxilio, ordinavit, ut ipsi quarta feria in capite jejunii apud sanctum Sixtum convenirent, ut ibi prædicta abbatissa cum omnibus monialibus suis præsens, officium et jura omnia monasterii Cardinalibus et sibi liberaliter resignaret; quod et factum est *d*.

* *alias* tuebatur

89 Cumque Vir sanctissimus cum illis venerabilibus patribus in medio capituli resideret, domina quoque abbatissa cum monialibus adstaret, ut hoc opus a Domino gestum, secuturum mox miraculum declararet, ecce vir quidam ejulans, et sibi capillos extrahens, voce horribili lamentabiliter exclamavit: Heu, Heu! Exterritis omnibus et requirentibus, quid haberet, respondit: Nepos domini Stephani de equo cecidit, et mortuus est. Erat autem nomen juvenis Napuleon. Hac inopinata auditione et miserabili dominus Stephanus Cardinalis, patruus ejus, attonitus et angustiatus, se super beatum Dominicum reclinavit. Alii vero excipientes, sustulerunt eum; surgensque Sanctus aqua benedicta in nomine Domini aspersit eum.

EX MSS.

VI

et postea consanguineum Cardinalis Stephani,

d

ex equo delapsum ac defunctum,

90 Tunc Vir Dei egressus ibat, ubi corpus defuncti jacebat, miseranda concussione nimis dissipatum et horribiliter deturpatum. Præcepit ergo illud in quamdam domum reportatum recludi; Fratri vero Tancredo et aliis, qui secum erant, dixit, ut sibi pro Missa celebranda altare præpararent. Ibant ergo Cardinales cum iis, qui eis aderant, et abbatissa cum sanctimonialibus suis ad locum, ubi sacerdos sanctus Dominicus salutarem Hostiam immolabat: qui altari sacro cum summa assistens, ut solebat, reverentia, immenso perfusus est lacrymarum imbre, Spiritu sancto flante. Cum vero corpus Domini Jesu tenens purissimis manibus, elevasset in altum, cunctis, qui adfuerunt, videntibus et stupentibus, ipse pariter a terra in altitudinem unius cubiti elevatus est, corpus terrenum et grave devotionis et gratiæ Spiritu sursum divinitus attollente.

E

peracto Missæ sacrificio,

91 Oblationis itaque salutaris officio devotissime terminato, Pater beatissimus ad corpus defuncti, Domini misericordiam invocaturus, accessit. Sequebantur et Cardinales cum familiis* suis, nec non domina abbatissa cum sanctimonialibus suis cum mœrore et fiducia, quid facturus esset Dominus pro gloria nominis sui, penitus ignorantes. Stans autem Vir piissimus ad corpus exanime, caput et cetera membra conquassata ex casu, pedes quoque manu sua sanctissima tetigit, ordinate et dulciter componendo. Deinde ad orationem juxta feretrum se aptando convertit. In hunc modum cum secundo fecisset ac tertio, vultum quoque dilaceratione deformatum, aliaque membra locis suis coaptasset, surgens ab oratione, fecit signum crucis super eum.

* *alias* famulis

F

publice coram multis adstantibus ad vitam revocat.

92 Tunc stans ad caput mortui, elevatis in cœlum manibus, virtute divina elevatus est ipse a terra super altitudinem cubiti suspensus in aere, et magna voce clamavit: O adolescens Napuleo, in nomine Domini nostri Jesu Christi tibi dico, surge. Et statim, videntibus cunctis, qui ad tam grande spectaculum confluxerant, sanus et incolumis surrexit; et dixit Suscitatori suo: Pater, da mihi manducare. Et Vir pius dedit ei cibum et potum; et sanum et hilarem, nullumque læsionis signum habentem, reddidit ipsum patruo suo, domino Stephano venerabili sancti Apostoli* Cardinali *e*. Jacuerat autem mortuus a mane usque ad horam nonam. Suscitatus vero est, ut opinor et conjicere potero, XVI Kalend. Martii in die martyris Valentini *f*.

* *alias* Apostolici

e

f

EX MSS.

ANNOTATA.

a *Illud pueri resuscitati miraculum ejusque adjuncta apud Scriptores, Theodorico de Appoldia antiquiores, non inveni. Quare suspicor, hæc omnia prodire ex narratione Sororis Cæciliæ, de qua superius meminimus.*

b *Constantinus Urbevetanus num.* 27, *venerabilis Humbertus in Actis cap.* 34, *et Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 71 *etiam idem prodigium referunt, ex quibus haud dubie Theodoricus illud transcripsit.*

c *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1217 *cap.* 21 *et sequente traditionem de hac imagine tueri nititur. Etiam consuli potest Floravantes Martinellus, qui Romæ anno* 1642 *Latinam dissertationem de translatione hujus imaginis edidit.*

d *Cum hæc historia ab antiquioribus non memoretur, iterum suspicamur, notitiam illius ex relatione Sororis Cæciliæ ad Theodoricum mediate* B *pervenisse.*

e *Hoc miraculum B. Jordanus, Bartholomæus Tridentinus, et alii veteres biographi testimonio suo confirmant.*

f *Circa has notas chronologicas fuse disputat Echardus, easque corruptas esse contendit, ut apud ipsum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 82 *et sequentibus licet videre.*

CAPUT VIII.

Migratio FF. Prædicatorum et sanctimonialium in alterum locum, translatio imaginis Deiparæ, ejectio dæmonis ex energumena, et tres moniales a febri mox liberatæ.

C VII *Romæ FF. Prædicatores ex ecclesia S. Sixti* Usque ad hoc tempus in urbe Roma Fratres Prædicatores apud sanctum Sixtum morabantur, ubi hæc et alia multa mirabilia et magna dignatus est omnipotens Jesus per dilectum confessorem suum beatum Dominicum operari. Summus vero Pontifex Honorius, devotus et specialis hujus sancti Patris amator, ecclesiam sanctæ Sabinæ Fratribus præfatis ad inhabitandum tradidit, in qua usque hodie per gratiam Apostolicam perseverant. Ad hunc locum libros et omnia, quæ apud sanctum Sixtum hactenus habuerant, transtulerunt. In hac siquidem ecclesia sanctæ Sabinæ, sanctorum martyrum Alexandri Papæ, Eventii et Theodoli corpora requiescunt.

migrant ad ecclesiam S. Sabinæ. 94 Hic beatus Alexander a beato Petro Apostolo septimus est, hujus nominis primus, Romanæ Sedis antistes; sub Adriano principe post vincula et carceres, equuleum, ignem et ungulas punctis* acerrimis per tota membra peremptus est. Eventius quoque et Theodolus presbyteri post longam carceris sustinentiam ignibus examinati, ad ultimum decollati sunt *a*. Horum Martyrum locus iste Fratrum gloriosis titulis decoratur. Exstat nihilominus hic sub nomine sanctæ Sabinæ titulus insignis, cujus dominus Hugo *b*, venerabilis vir, religiosissimus pater, doctissimusque hujus Ordinis Frater, floruit Cardinalis; cujus doctrina scriptisque præclaris usque hodie Ecclesia eruditur. In Theutonia etiam Apostolicæ Sedis missus a latere legatus cum omni discretionis scientia et religione sine avaritia suæ legationis ministerium est exsecutus, cujus usque nunc ibidem justitia memoratur.

* *alias* pœnis

D

95 Nunc quoque ejusdem tituli, nominis, scientiæ, religionis, doctrinæ, pietatisque vir, et pater venerandus per omnia cunctis reddit honorabilem locum ipsum *c*, ad quem cum [Fratres] transissent cum omnibus ad se pertinentibus, ut præfati sumus, procurante beatissimo patre nostro Dominico, constitutum est ab ipso tempus, quo debebant Sorores ecclesiam sancti Sixti, ubi Fratres habitaverant hactenus, subintrare. Anno igitur ab Incarnatione Domini MCCXVIIII, VII Kalend. Martii, quæ tunc erat Dominica prima Quadragesimæ *d*, venerunt domina abbatissa cum sanctimonialibus suis de Trans-Tiberi accipientes in possessionem ecclesiam sancti Sixti, ibique habitare cœperunt, Domino perpetuæ serrituræ. Inter quas erat quædam puella, nomine Cæcilia *e*, tunc XVII annorum [juvencula], quæ in ipso portæ introitu prima omnium habitum Ordinis assumpsit a Patre sancto, in manibusque ejus tertia vice obedientiam est professa. Post hanc abbatissa cetere que moniales, nec non tot aliæ similiter indutæ et professæ sunt, quod omnes quadraginta quatuor exstiterunt. VIII *in quorum locum succedunt Sanctimoniales,* E

96 Romani vero gloriosam illam imaginem genitricis Mariæ, quæ apud moniales trans Tiberim manserat, inde auferri nolebant, eo quod ibi pateret eis accessus facilior imaginem intuendi. Idcirco Pater providus nocte sequenti, duobus Cardinalibus, domino videlicet Nicolao Tusculano episcopo, et domino Stephano, cujus nepotem suscitaverat, comitantibus aliisque plurimis personis cum multitudine præcedentium et subsequentium luminarium, nudis pedibus incedentibus cunctis, desideratissimam illam ac dulcissimam Virginis matris imaginem propriis humeris reverentissime deportavit, quam Sorores nudis pedibus in oratione positæ exspectantes, eamdem cum lacrymis et cordis jubilo susceperunt; quæ permanet usque hodie apud ipsas. *ad quas Sanctus transfert* F

97 Hæc est imago veneranda, quam sanctus Papa Gregorius ob imminentem plagam repellendam, tempore quodam Pascali ante processionem cum litaniis deferri jussit per Urbis circuitum reverenter *f*. Et ecce tota aëris infectio, Virginis virtuti, in sua imagine operanti, cedebat, tamquam fugiens, ejusque præsentiam ferre non sustinens; sicque mira serenitas et aëris puritas per gratiam Dei Matris, Mariæ Virginis remanebat. Auditæque sunt tunc voces in aëre juxta imaginem in hunc modum: Regina cœli lætare alleluia; quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit alleluia. Et beatus Gregorius mox subjunxit: Ora pro nobis Deum rogamus alleluia. Collocata est itaque apud sanctum Sixtum per almum Christi confessorem Dominicum, et duos Cardinales venerabiliter inter virgines imago Virginis genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, in qua vultum ejus deprecabuntur omnes divites plebis adorantes in Matre Filium, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum. Amen. *venerandam Deiparæ imaginem,*

98 Hoc primum Sororum monasterium fundator primus Prædicatorum Ordinis et pater in-

clytus

IX *ibidemque dæmonem, concioni suæ obstrepentem,* clytus instituit Dominicus; quas cum summa diligentia sub religiosa servans custodia, erudivit, pro quarum consolatione sermones frequenter et collationes, audientibus Fratribus, adhibuit, easque de disciplina Ordinis edocuit, eo quod sibi singularis gratiæ prærogativa virtus affluenter adesset. Coram ipsis et in ipsis per eum multa miracula ostendit virtus Altissimi evidenter. Cum enim secunda Dominica Quadragesimæ apud sanctum Sixtum beatus Dominicus prædicaret, et adesset populi plurima multitudo, ecce dæmoniaca prædicationem cœpit clamando nimium impedire [dicendo ac pluries repetendo:] Ribalde, ribalde *g*, tuis deceptionibus mihi quatuor, quæ meæ erant, abstulisti. Meæ erant, et mihi eas tulisti; sæpe replicans: Ribalde, ribalde.

ex energumena ejicit, 99 Cumque populus de prædicationis impedimento murmuraret, dixit ei pluries sanctus Dominicus: Obmutesce, obmutesce. Respondit dæmon per os obsessæ: Nos non ejicies hinc. Nostra est hæc, nec inde egrediemur. Septem sumus, qui in eam sic et sic ingressi sumus. Cœperuntque singuli modum, quo eam possederant, diversis vocibus elatrare. Crescente autem tumultu populi, elevata Vir Dei manu, fecit signum crucis, dicens: In nomine Jesu Christi præcipio vobis, ut exeatis, et eam ulterius non lædatis. Continuo illa horribili corporis distensione commota, magnam carbonum congeriem evomuit, quam tanta sanguinis abundantia subsecuta est, ut quasi mortua videretur. Quam Vir sanctus de ecclesia duci præcepit, et curam ejus agi, donec plenius sanaretur, imponens ei nomen, Soror Amata; quæ postea sana et incolumis in bonis operibus diu vixit. Factum est hoc miraculum octavo die post ingressum Sororum ad ecclesiam sancti Sixti: quæ videntes eum in publica prædicatione stantem, et cum tanta auctoritatis potestate dæmonibus imperantem, stupentes timuerunt valde.

et tres moniales prodigiose a febri liberat. 100 Alio tempore Pater dulcissimus, de filiarum salute solicitus, accedens ad rotam, Constantiam rotariam interrogavit, si Sorores, videlicet Theodora, Thedramia et Nimpha corporaliter sanæ essent. Dixitque illi Constantia, quod dolore febrium torquerentur, et soror Theodora jam accessione febrili cruciata jaceret. Tunc misericors Pater: Vade, inquit, dic eis, quod ego præcipio eis, ne amplius febricitent. Abiit illa, præcipiens infirmis ex parte Patris sancti, ne amplius febricitarent. Mox ab omni infirmitate liberatæ, surgentes incolumes abierunt, videntibus aliis Sororibus, et stupentibus de tanto prodigio, virtute Christi [per venerabilem Patrem facto.] Reversa est Constantia (expectabat enim Pater) nuntians, quod acciderat; qui gratias agens Deo, abiit *h*.

ANNOTATA.

a *Henschenius noster Acta horum Martyrum ad diem 3 Maii, tomo 1 istius mensis, a pag. 367 illustravit.*

b *Is est F. Hugo, qui communiter* de sancto Charo *cognominatur, et ex Ordine Prædicatorum inter Cardinales S. R. E. ab Innocentio IV Pontifice adscitus est. De scriptis ac gestis illius fuse agit Echardus, quem tomo 1 Bibl. Prædicat. pag.* 194 *et sequentibus consule.*

c *Theodoricus hoc loco tacite indicat F. Hugonem de Bilhonio, qui tunc titulo S. Sabinæ inter purpuratos S. R. E. Patres fulgebat, et anno Christi* 1297 *e vivis excessit, ut apud laudatum Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 450 *et sequentibus videre est.* EX MSS.

d *Certe hic in numeros diei error irrepsit, et cum superiori nota chronologica componi non potest, ut Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 82 *ostendit. Sed quis spondeat, etiam numerum anni ab imperitis amanuensibus non esse corruptum?*

e *De hac eadem Sorore Cæcilia superius meminimus, et gesta ejus apud Echardum legenda assignavimus.*

f *Soëgius in Actis Gallicis* S. Dominici *pag.* 343 *negat, hanc esse eamdem Deiparæ imaginem, quam S. Gregorius Papa circumferri jussit, et consequenter implicite affirmat, Theodoricum in hac narratione popularem sui temporis traditionem sine examine secutum esse.*

g *Pro vili homine accipitur hæc contumeliosa vox, de cujus etymologia et significatione plura apud Cangium in Glossario ad nomen* ribaldi *habentur.*

h *Liberationem hujus energumenæ, et subitam illarum febricitantium sanationem apud antiquiores biographos non invenimus. Quare existimamus, Sororem Cæciliam hæc et similia F. Gerardo Teutonico narrasse, et hinc Theodoricum illa Actis suis inseruisse.*

CAPUT IX.

Zelus Sancti, missio Fratrum Bononiam, Reynaldi morbus precibus ejus ac mira Deiparæ unctione curatus, novus Ordinis habitus eidem ægrotanti ostensus, et punitio alicujus, qui sacram Prædicatorum vestem ludibrio exposuerat.

X *Dum Sanctus saluti animarum ubique intendit,* Prædicans itaque Romæ Vir beatus, tamquam palmes in vite manens, uberes animarum fructus protulit, ut duo præclara (unum Fratrum Prædicatorum, aliud Sororum) monasteria plena personis religiosissimis et devotissimis instauraret: Sanctus enim erat, et cum Sancto conversantes sancti fiebant. Sic, prout semper optaverat, fructificans profecit. Nec tamen dilatatio per caritatem cordi suffecit: diffusa enim erat caritas Dei in corde ipsius per inhabitantem Spiritum ejus in eo, et cupiebat omnes in visceribus Jesu Christi. Hæc namque affectio purissima, Deoque acceptissimum sancti desiderii sacrificium, piissimum illud pectus occupaverat, ut animas proximorum lucrifaceret, et suo conjungeret Creatori.

missis Bononiam Fratribus, 102 Hoc lacrymosis orationibus a Domino expetiit, hoc devotis prædicationibus egit, hoc perfectissimis fecit laboribus, et gloriosis miraculis per eum Dominus adimplevit. Desiderabat impendi et superimpendi pro animabus proximorum Salvatoris exemplo, qui se ipsum pro nostris tradidit animabus. Nil tam laboriosum, nil tam terribile, quod pro salute proximi refugeret. Nil tam carum, nil tam pretiosum, quod non caritati postponeret, et pro ea exponeret. Igitur pro

EX MSS.

pro multorum salute misericorditer solicitus, Ordinisque sui dilatatione vigilanter studiosus misit ab Urbe Bononiam Fratres Johannem et Bertrandum anno Domini MCCXVII * *a* circa principium; postmodum Fratrem Christianum cum Converso, qui moram contrahentes ibidem perpessi sunt magnas angustias paupertatis.

** alias MCCXXIII*

a

XI *Romam venit Reynaldus, decanus Aurelianensis,* *b*

103 Eodem anno Romam venit Aurelianensis episcopus, et cum eo magister Reynaldus *b* decanus, vir per omnia laudabilis, celebris fama, doctus scientia, qui etiam in jure Canonico Parisius rexerat annis quinque. Hic habito cum quodam Cardinali familiari colloquio, dixit, hoc suum esse propositum, ut, relictis omnibus, discurrendo per mundum pauper Christum pauperem prædicaret. Verum quonam modo, quod mente conceperat, aggredi posset, nondum animo satis occurrerat. Tunc ille: Ecce, inquit, sicut desiderat anima tua, novus Ordo exoritur, qui prædicationem et paupertatem voluntariam profitetur; et nunc Fundator hujus Ordinis in hac Urbe, prædicationis insistens officio, demoratur.

B *qui ibidem in morbum incidens sanatur precibus S. Dominici,*

104 Gavisus ex hoc vir sapiens ad se Christi Famulum convocavit, cujus sanctitatis aspectu delectatus, et benignitatis ac veritatis affatu attractus, vir prudens ex tunc Ordinis ipsius deliberavit ingressum. Mox sancti propositi examinatrix adversitas magistrum Reynaldum gravi correptum infirmitate dejecit. Invalescente ægritudine, natura succumbens deprimitur, et salus a medicis desperatur. Confidens autem in Dei virtute sanctus Dominicus, sanitatem ei precibus impetrare [curavit.] Et ecce, orante Famulo Dei, magistro Reynaldo vigilanti, et vi febrium graviter æstuanti, regina cœli, Maria virgo, mater Dei cum duabus supra modum speciosis comitantibus se puellis, visibiliter apparuit, dicens ei: Pete a me, quod vis, et dabo tibi.

et visibili unctione Deiparæ,

105 Deliberanti, quid peteret, una ex his, quæ cum Regina venerat, puellis, suasit, ne quid peteret, sed se et donum Dominæ suæ committeret voluntati. Qui salubri parens consilio, Reginæ se subjecit per omnia voluntati. Tunc illa manum extendens virgineam, ægrotantis oculos, aures, nares, os, manus salutari, quam secum detulerat, unctione perunxit, proprias verborum formulas ad singulas unctiones subinferens. At pedes autem Virgo inquit: Ungo pedes tuos in præparationem Euangelii pacis; et ad renes: Stringantur renes tui cingulo castitatis. Omnem quoque Prædicatorum Ordinis habitum viro eidem Virgo mater demonstrans, ait: En hic est Ordinis habitus tui. Sic ab ægrotantis oculis cœlestis illa visio, et a toto corpore omnis infirmitas ablata disparuit, ut mirarentur medici, quorum judicio ejus vita fuerat desperata.

C

quæ eamdem iterasse dicitur,

106 Omnia vero quæ circa magistrum Reynaldum corporaliter per Virginem gesta sunt, famulum Dei Dominicum spiritualiter non latebant, utpote cujus intercessione et meritis sunt patrata. Tertia die post hanc saluberrimam unctionem, cum sederet dictus Reynaldus cum beato Dominico, affuit clementissima Mater et virgo, unctionem præcedentem in magistro, ut promiserat, feliciter iterando. Aderat etiam tunc vir religiosus et devotus de Ordine Hospitalis, testificans, se vidisse beatam Virginem Mariam, magistri Reynaldi corpus totum sua manu perungentem. Illa ergo salutaris unctio corpus ejus sic ab omni carnali concupiscentia temperando purgavit, quod, sicut ipse professus est, nec primus in eo motus carnis deinceps pullulavit *c*. Hæc omnia sanctus pater Dominicus adjuratus ab eodem magistro, nisi post mortem ejus, nulli umquam voluit revelare, quo defuncto, ea Fratribus patefecit *d*.

D

c

d

XII *eique ostendisse novum Prædicatorum habitum*

107 Suscepit post hæc de manu sancti patris Dominici habitum sibi divinitus præmonstratum honorabilis vir, magister Reynaldus, Prædicatorum novelle conjunctus Ordini, et consortio pauperum Christi. Hic est vir gratiosus, scientia præditus, gratia præventus, virtute robustus, sanctitate conspicuus, religiositate præcipuus, castitate mundissimus, quem salutari perungens unguento Maria intacta tetigit virgo, quæ præter Filium, nullum umquam tetigit virum; et sanctificatus est ad tactum ejus. Huic ore Matris virginis designatus est habitus Prædicatorum Ordinis. Hic est habitus speciosus, fulvus rigore pœnitentiæ, candidus vigore pudicitiæ, tunica polimita et talaris vestis nuptialis, stola sacerdotis, indumentum honestatis clericalis, donatus, non ab angelis, sed dignatione clementi Virginis matris.

E

quem quidam ludibrio exponens divinitus punitur,

108 Quanta autem devotionis pietate deferendus, quantaque venerationis honestate sit colendus religiosus iste sacri hujus Ordinis habitus, hoc modo dignatus est Dominus postmodum declarare: nam magister quidam regens in artibus apud Silamantiam *e*, urbem Hispaniæ, ubi studium tunc vigebat, cum in mane cujusdam Dominicæ diei venisset cum multis scholaribus ad domum Prædicatorum, ut sermonem audirent, subito facta est inundantia magna pluviarum, ut domum egredi non valerent. Supprior igitur domus, cum dictum magistrum invitans ad prandium retinere non posset, induit ei cappam unius Fratris, ne vestes ipsius a pluvia læderentur. Tunc in præsentia multorum scholarium et doctorum, qui erant in capitulo, dixit supprior: Protestor ego die, et vos omnes testes invoco, quod magister Nicolaus habitum nostrum assumpsit. Ipse vero magister ridens et deridens discessit, totaque die illa per plateas et domos scholarium discurrens, cum multo risu et cachinno detulit habitum sanctitatis; propter quod ipsa nocte, gravissima febre continua arreptus, vehementius torquebatur.

e

et illum assumere cogitur;

F

109 Unde cum ipse et medici non modicum expavissent, tabescebat, sicut aranea, anima ejus, valdeque perterritus anxias ad Dominum preces fudit. Audivit igitur divinitus vocem manifeste dicentem sibi: Credisne tu, quod ego decreverim personas tantum Ordinis Fratrum Prædicatorum haberi in reverentia et honore; imo cognosce, quia et habitum et vestes eorum volo veneratione et honore debito non privari: quæ quia inhonorasti, nisi pœnitendo resipueris, impunitus minime pertransibis. Hæc vox non dormientis, sed vigilantis et anxie supplicantis auribus insonuit, et contremuerunt a voce omnia intima ejus. Vocatis ergo Fratribus, habitum, quem derisione ludendo gestaverat, reverentia multa suscepit, et cum devotione solenniter induit, ut in eo satisfaceret, quo deliquit.

qua occasione auctor habitum

110 Beati plane, qui iis vestiri meruerunt indumentis gratiæ multiplicibus, quæ mulier fortis suis contexuit domesticis, ut armis lucis induti honeste ambulent, ne ab Agni nuptiis excludantur. Vere felix et gloriosus Prædicatorum Ordo, omnium Ordinum præcipuus, angelico ordini simillimus: laudat namque, benedicit, et prædicat; et hoc angelorum officium esse, nemo est, qui

ambigat

A ambigat. Præterea purgat more angelici ordinis, peccatorum immunditiam, suadendo et offerendo reis pœnitentiam. Illuminat infidelium et insipientium ignorantiam, salutarem prædicans scientiam. Proficit ad patriam proficientibus, excellentiorem demonstrans viam.

ac Ordinem suum commendat.

111 Hæc est hujus Ordinis ordinatissima Religio, Deoque gratissima professio, ab æterno ordinata consilio, et ex antiquis Sanctorum designata scriptis, quem Virgo mater expetiit a Filio pro salute populi dirigendum tempore novissimo. Hunc juvat patrociniis, attollit beneficiis decorat miraculis, assistit in tribulationibus, conservat in tentationibus, et a periculis omnibus clementer eripit et potenter. Specialis quoque caritatis indicio, singularisque gratiæ privilegio, hujus sacri Ordinis filios pretiosissimi habitus induit vestimento, et peculiari præ aliis ornavit indumento; qui cum Regularium Canonicorum vestibus induerentur, nunc gloriosissimæ Virginis matris vestitu impretiabili induti ex alto, præ ceteris glorientur. Quis enim umquam Sanctorum, præter Sanctum Sanctorum meruit a Regina cœli sibi collatis induviis gloriari? Custodi B igitur, Frater carissime, omni diligentia hæc regalia et virginalia, quibus indueris, vestimenta; maneant candida omni tempore, ut munditia sit castitatis in corpore, lux veritatis in opere, puritas sinceritatis in corde.

ANNOTATA,

a *Etsi hic in uno exemplari signetur annus Christi* MCCXVII, *tamen videtur cum altero codice legendus annus* MCCXVIII, *quandoquidem B. Jordanus et venerabilis Humbertus hunc eumdem exprimunt, ut* § 28 *Commentarii prævii monuimus. Hinc patet, quam facile etiam in numerum annorum error irrepat.*

b *Iste etiam appellatur* Reginaldus, *de cujus chronotaxi ac gestis Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 89 *et* 90 *consule.*

c *Nos in Commentario prævio* § 23 *mirabilem hanc unctionem ex Constantino Urbevetano retulimus, et ex simili veterum scriptorum narratione contra Echardum aliqua consectaria deduxi-* C *mus.*

d *Paragrapho proxime citato Commentarii prævii intricatam quamdam difficultatem huic juramento opposuimus.*

e *Lege* Salmanticam, *ut patet ex Vitis Fratrum, in quibus Gerardus de Fracheto part.* 4 *editionis Duacenæ pag.* 79 *eamdem historiam sic narrare incipit :* Anno MCCLII magister quidam regens in artibus, apud Salmanticam urbem Hispaniæ, ubi studium, *etc. Tum denique confirmationis gratia post similem hujus historiæ narrationem in fine hoc addit :* Hæc omnia ipse Frater *(cui nimirum contigerat)* Magistro Ordinis plenarie scripsit.

CAPUT X.

Revelationes Sancto factæ de singulari Deiparæ affectu erga Ordinem Prædicatorum ; et subitanea duaram mulierum sanatio, precibus illius mirabiliter obtenta.

XIII *Apparet Sancto Deipara Fratribus dormientibus benedicens,*

Intuere et imitare patrem gloriosum Dominicum, munditiæ speculum, castitatis æmulum, virginalis innocentiæ vasculum, per cujus puritatem Mater virgo dono Filii omnem hanc Prædicatorum Ordini influit sanctitatem; qui cum Romæ apud sanctam Sabinam in ecclesia Fratrum more solito pernoctasset orando, noctis medio, cum quietem tenerent omnia, ingressus dormitorium, in una ejus parte constitit orans, elevatisque oculis in partem alteram respiciens, vidit tres virgines admirandæ pulcritudinis, qua- E rum media * præ aliis incomparabili decoris specie rutilabat. Una ex iis, quæ erant altrinsecus a latere, portabat situlam, vas splendidum et ornatum; altera vero gradienti in medio Reginæ aspersorium porrigebat. Transiens autem Regina cum virginibus dormitorium, singulos Fratres, suis quiescentes in lectulis, aspergebat, benedicensque eos crucis signaculo consignabat; uni autem ex quiescentibus hanc gratiam aspersionis et benedictionis penitus denegavit, ut discant posteri, quam Religionis disciplinam pudicitiæque custodiam vult in nobis etiam dormientibus visitans nos omni tempore Mater misericordiæ invenire.

*alias una

excepto uno, qui non satis decenter tectus erat,

113 Consideravit itaque Pater almus, hoc intuens, Fratrem illum, surgensque ab oratione processit Reginæ obviam usque ad medium, ubi lampas dormitorii dependebat, et prostratus ante pedes ejus suppliciter oravit dicens : Obsecro, mi* Domina, indica servo tuo, quæ sis. Hoc licet diceret, tamen eam in spiritu cognoscebat. Eo tempore Antiphona SALVE REGINA Romæ in Conventu Fratrum et Sororum, legendo tantum, flexis genibus dicebatur. Respondit servo suo Domina dicens: Ego sum illa misericordiæ Regina, F quam omni sero devotis mentibus invocatis; et cum dicitis EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA, prosterno me coram Filio meo, deprecans eum pro conservatione Ordinis istius. Tunc sumpta fidelis Servus fiducia : Quæ sunt, inquit, o Domina, quæ comitantur te virgines istæ pulcherrimæ? Respondens illa dixit : Hæ sunt Cæcilia et Katherina. Iterum ille : Cur, mi Domina, Fratrem aversando præteristi? Cui dixit : Quia non habuit se decenter. Deinde cum Fratres reliquos circuisset, et aspergendo signasset, disparuit.

* pro mea

et in altera visione ei ostenditur.

114 At Vir sacer ad locum rediit, ubi prius steterat ad orandum ; et ecce repente facta manu Domini super eum, raptus est in spiritu ante Deum, et vidit Dominum sedentem, et Matrem ipsius, quæ sedebat ad dexteram ejus, Virginem gloriosam, amictam cappa coloris sapphyrini. Aspiciens autem in circuitu, vidit ex omni natione spiritualium patrum, qui ex sacris Religionibus Christo filios et filias spirituales genuerunt, multitudines innumeras in conspectu Altissimi gloriantes; et, cum nullum illic suorum consiceret filiorum, erubescens et compunctus ex in-

timis,

EX MSS.

timis, amarissime flere cœpit. Exterritus ergo a gloria majestatis Domini, stetit a longe, nec audebat vultui gloriæ et Virginis excellentiæ propinquare. Innuit autem ei manu Domina, ut ad se veniret. At ille tremens ac pavens non præsumpsit accedere, quousque eum similiter vocavit Dominus majestatis.

quam singularem curam eadem beatissima Virgo

115 Accessit itaque homo compunctus et humilis spiritu et contrito corde amarissimis totus perfusus lacrymis, Filii et Matris propitiis pedibus devotissime et humillime se prostravit: ac consolator flebilium, Dominus gloriæ dixit ei: Surge. Qui cum staret coram Domino, interrogavit eum dicens: Cur sic amarissime ploras? Qui ait: Quia in conspectu gloriæ omnis Religionis homines intueor; de mei vero Ordinis filiis hic, proh dolor! nullum conspicio. Cui Dominus: Vis videre Ordinem tuum? At ille: Hoc desidero, Domine Deus. Tunc Filius Dei manum suam super scapulam Virginis, matris suæ ponens, dixit ad illum: Ordinem tuum Matri meæ commisi. Et cum adhuc pio adhæreret affectu, Ordinem suum videre desiderans, Dominus iterum dixit ei: Omnino vis eum videre? Respondit: Hoc affecto, mi Domine. Et ecce Mater virgo, dum placuit Filio, cappam, qua decorata cernebatur, evidenter patefaciens aperuit, expandens coram lacrymoso Dominico servo tuo; eratque hoc tantæ capacitatis et immensitatis vestimentum, quod totam cœlestem patriam amplexando dulciter continebat. B

de Ordine Prædicatorum gerat;

116 Sub hoc securitatis tegumento, in hoc pietatis gremio vidit ille contemplator sublimium et prospector secretorum Dei Dominicus Fratrum sui Ordinis innumeram multitudinem singularis protectionis custodia et brachiis amoris peculiaris complexam. Conversus est ergo luctus ejus in gaudium, et lamentum in jubilum, et exsultans spiritu, prostratus gratias egit Dei Filio, Matrique ejus virgini gloriosæ. Tunc ad se reversus ad Matutinas cum campana signum dedit, Fratresque continuo surrexerunt. Finitis Matutinis, convocatisque ad capitulum Fratribus, prædicavit magnum sermonem et pulcrum, exhortans eos ad amorem Virginis matris, quia fuerat consolationis ejus uberibus satiatus.

unde auctor socios ad studium pudicitiæ ac cultum Deiparæ excitat,

117 Post hæc Fratrem benedictionis gratiæ expertem leniter alloquens, reperit, ipsum penitus a culpa alienum; sed tantum didicit, quod expergefactus a somno se invenerat denudatum. O quanta nobis indicta est necessitas disciplinæ, et custodia pudicitiæ, quia etiam ignorantes et nolentes, illos misericordes oculos a nobis avertimus, qui clementer aspiciunt semper vias suas sollicite observantes! Quanta a nobis veneratione colenda est, quanta Virgo excellentissima, Genitrix Christi dignissima, mater nostra benignissima, caritatis laude prosequenda est, cui a Majestate committimur, sub cujus alis protegimur, cujus manu benedicimur, cujus gratiæ rore perfundimur, de cujus interventu dilatamur, conservamur et salvamur *a*! Hæc est, quæ patrem nostrum beatissimum Dominicum, tamquam servum fidelissimum, Filio obtulit, cui frequenter apparuit, dulciter allocuta fuit, in extremis morienti affuit, ipsumque cum Filio in scala candidissima subvectum cum angelis coronavit.

XIV

et narrat, quomodo S. Dominicus mulierem solitariam magnæ patientiæ

118 Volebat vir iste pater noster piissimus Dominicus visitare tribulatos, et pauperes consolari: erat quippe Romæ in turri juxta portam Lateranensem quædam solitaria, magnæ religionis et sanctitatis femina, nomine Bona, veritatem sui nominis assecuta. Hæc infirmitate laborabat gravissima: nam de pectore et mamillis ejus scaturiebat innumerabilis vermium multitudo. Quam horrendam ægritudinem cum tanta patientia et gratitudine mulier hæc sustinuit, ut decidentes quandoque vermes recolligeret, et in suo pectore collocaret. Hanc devotus Dominicus visitabat, confessionem ejus audiebat, et frequenter communicabat. Quam cum die quadam communicasset, verbaque ei consolationis et ædificationis, sedens ad ejus fenestrulam, loqueretur, inter alia petivit ab ea, ut sibi doloris locum horribilis demonstraret; quod et fecit, et erat locus pectoris plenus vermibus. Quod cernens Vir misericors, vehementi dolori compatiens, dixit: Rogo te, ut pro magno munere unum de his vermibus mihi dones. D

ab horribili morbo mirabiliter liberaverit,

119 Noluit illa, nisi se vermem promitteret redditurum. Quod cum spopondisset, illa, Sancto inspiciente, ablatum de suo pectore vermem eidem tradidit per fenestram; qui magnus erat, nigrumque caput habebat. Quem cum Pater sanctissimus extensa manu exciperet, digitoque suo verteret et inspiceret, subito versus est in pulcherrimum lapidem pretiosum. Quo viso, qui cum eo erant Fratres stupentes, admirati sunt valde dicentes, quod non restitueret sibi gemmam. Tunc cœpit sancta femina lacrymari, rogans, ut sibi redderet suum lapidem pretiosum. Sanctus vero lapidem restituens super fenestram posuit, ut promisit; quem mox illa, Viro Dei et iis, qui cum eo erant, inspicientibus, pectori suo restituit, unde tulerat eum; qui confestim iterum mutatus est in vermem. Tunc oratione facta super ipsam, Pater sanctus consignans benedicensque Dei famulam in pace dimisit. Quo descendente [de turri,] ceciderunt mamillæ a pectore ejus cum vermibus, et vermes exstincti sunt, pectusque consolidatum, paulatim omnino renovatum est, et omnis dolor horrendæ putredinis ablatus est. Transactis aliquot diebus, Sanctus visitans eam, incolumen ipsam reperit et gaudentem; narravitque [ipsa] Fratribus, qualiter per gratiam Dei, meritis ipsius a tam horribili morbo fuerat liberata. E

et alteri reclusæ sanitatem suis precibus statim restituerit.

120 Romæ retro ecclesiam sanctæ Anastasiæ, quamdam reclusam, nomine Luciam, crebro cum ad sanctum Sixtum pergeret, beatus Dominicus visitabat; cujus brachium unum gravissima infirmitas adeo corroserat, ut carne et pelle consumpta, totum os usque ad cubitum, nudum penitus appareret: quod cum sancto Patri, eo jubente, devota femina ostendisset, ille dolori compatiens consignavit eam cruce, et benedixit, et abiit. Quæ mox per sancti Patris merita recuperavit integram sanitatem. Aderat tunc Frater Bertrandus, et alii quamplures hoc videntes *b*. F

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio* § 29 *circa hanc ecstasim, ac singularem Deiparæ benevolentiam aliqua observavimus.*

b *Quamvis hæc duo miracula ab antiquioribus biographis non memorentur, tamen initio paragraphi* 30 *in Commentario prævio nonnulla allegavimus, quibus ea verosimilia redduntur.*

CAPUT XI.

A

CAPUT XI.

Gesta Reynaldi aliorumqae illustrium Prædicatorum, apparitiones, tentationes, et varia alia, quæ in Conventu Bononiensi contigerunt.

PARS III. CAP. I. *Reynaldus Hierosolyma reversus Ordinem Prædicatorum ingreditur Bononiæ,*

Porro venerabilis ille magister Reynaldus, sanitate utriusque hominis per beatam Virginem recepta, licet jam professione Ordini obligatus, de consensu tamen patris sancti Dominici cum episcopo Aurelianensi ad complendum desiderium suum mare transiit, indeque reversus, Bononiam venit anno Domini MCCXVIII *a*, XII Kal. Januarii, hoc est in die beati Thomæ apostoli. *a* Cœpit autem prædicationi mox totus insistere; et erat ignitum eloquium ejus vehementer, sermoque ejus, quasi facula ardens, corda cunctorum audientium inflammabat, ut vix esset tam B saxeus, qui se a calore ejus absconderet. Tota tunc fervebat Bononia, quia novus surrexisse videbatur Elias.

ubi brevi crevit numerus Fratrum,

122 In diebus illis Bononiæ multos recepit ad Ordinem, et numerus Prædicatorum cœpit excrescere, pluresque additi sunt ad eos, quorum prædicationis luce velut stellæ per mundum plurimi radiant et effulgent; quam lucem primordialiter præcipueque fulsuram Bononiæ, Deus futurorum præscius præmonstravit: etenim antequam Fratres venirent Bononiam, mulier quædam Deo devota et cara, contra locum, ubi futuri erant Fratres, et nunc sunt, frequenter flexis genibus adorabat, quam dum tamquam fatuam homines irriderent, dixit eis: Miseri vos et fatui magis. Si sciretis, qui ibi futuri sunt, et qualia, hic utique mecum Deum adoraretis; nempe per eos, qui ibi futuri sunt, illuminabitur totus mundus *b*. Itaque dum Fratres prius apud ecclesiam de Vascarella* manerent, paulo post adventum Fratris Reynaldi, ad preces domini Hugolini Ostiensis episcopi, qui post Papa factus est, Bononiensis episcopus ecclesiam sancti Nicolai Fratribus Prædicatoribus conferens assignavit, cujus C capellanus et sacerdos, Rudolfus nomine, vir bonus et devotus, Prædicatorum Fratrum Ordinem est ingressus.

* *lege* Mascarella

II *et Conventus ille variis signis*

123 Felicem illum locum Bononiæ, Patris nostri domicilium, Deus noster angelorum concentibus, supernis luminaribus, cœlestibusque splendoribus ante introitum Fratrum prophetice decoravit. Ad hoc asylum reorum domumque refugii quidam clericus, sufficienter quidem instructus, seculi tamen vanitatibus admodum seductus, monitus a Deo, salvandus confugit: vidit enim in visione, in campo tempestate valida se circumdatum occupari. Fugiens ergo ad domum quamdam, clausamque reperiens pulsat, petit recipi. Cui hospita ait: Ego justitia hic habito, et hæc domus mea est; et quia tu justus non es, non intrabis in eam. Dolens ille aliam, quam vidit, pulsat domum, petens recipi. Cui hospita: Ego sum, inquit, veritas; [nec ego te recipio, quia veritas] non liberat eum, qui eam non amat. Tertiam item videns mansionem, et ibi petit recipi. Quæ autem de intus erat, dixit: Pax sum ego, et non est pax impiis, sed tantum hominibus bonæ voluntatis. Attamen quia cogito cogitationes pacis, et non afflictionis, utile consilium tibi do. Ultra me habitat soror mea misericordia, quæ semper miseris auxiliatur; ad hanc accede, et mandata ejus comple. EX MSS.

et mira Cle- [illegible] commendatur.

124. Cumque pergeret, divina misericordia sibi occurrens dixit: Si ab imminente tempestate salvari desideras, vade ad sanctum Nicolaum, ubi Fratres Prædicatores habitant, et invenies ibi stabulum pœnitentiæ, et præsepe continentiæ, pabulum doctrinæ, asinum simplicitatis cum bove discretionis, Mariam illuminantem, Joseph perficientem, et Jesum te salvantem. Evigilans ille et hæc ruminans, consilium misericordiæ sequitur. Ad Fratres vadens, misericordiam ab ipsis devotissime petiit et impetravit *c*. Erat *c* tunc in Fratribus fervor caritatis magnus ad omne opus virtutis, suavitas eximiæ devotionis, vigilantia continuæ orationis, observantia strictissima Religionis, ardens animarum zelus in prædicationibus et confessionibus assiduis, pulcritudo conversationis in exemplis et moribus sanctis, rigor strenuissimus in vitiis coercendis, tuncque levem transgressionem nequaquam levis ultio sequebatur. E

Dum Fratres Bononiæ variis modis

125. Conversus quidam tunc deprehensus est vilem pannum præter specialem licentiam accepisse: quem magnus pater Reynaldus acriter in capitulo castigavit, pannumque in claustro coram Fratribus concremavit. Verum cum miser ille murmurans, neque culpam recognoscens, se nollet ad pœnitentiam humiliare, præcepit vir Dei Fratribus, ut ipsum violenter ad disciplinam pararent. Tunc ipse, erectis in cœlum oculis, cum lacrymis ait: Domine Jesu Christe, qui famulo tuo Benedicto dedisti virtutem, ut a corde monachi sui per disciplinam expelleret dæmonem, da quæso, ut hujus virtute disciplinæ ab hujus Fratris anima tentatio diaboli expellatur. Castigavit autem illum tam acriter verberans, ut Fratres ad fletum moverentur. Nec frustra: ille enim compunctus cum lacrymis ait: Gratias tibi ago, pater, quia vere a me diabolum expulisti. Manifeste sensi serpentem de renibus meis exivisse. Qui conversus postmodum proficiens, Frater bonus et humilis est effectus.

a dæmone tentarentur,

126. Alius quoque Frater cum apostatando domum vellet egredi, deprehensus, coram magno patre Reynaldo Bononiæ ad Capitulum adductus est; qui culpam confitens coram ipso, se F ad disciplinam humiliavit. Tunc vir Dei ad Fratrem conversus, castigans eum graviter, dicebat: Exi, dæmon. Ad Fratres se vertens: Orate, ait, Fratres; per orationem et castigationem volens expellere dæmonem. Cumque diutius id ageret, [exclamavit ille dicens]: Audi me, pater. At ille: Quid, fili, vis? Tunc Frater: Vere diabolus recessit; et ego tibi stabilitatem promitto. Et gavisi sunt Fratres; ille [vero] remansit in Ordine confirmatus *d*. *d*

III *[illegible]*

127. Cum adhuc esset Ordo quasi pusillus grex, orta in Conventu Bononiensi tentationis quædam commotio, ut aliqui spiritu diffidentiæ decepti, conferrent ad invicem, ad quos Ordines se transferrent, eo quod novella plantatio hujus Ordinis infirmiter posita videretur. Unde etiam duo ex ipsis litteras legati, qui tunc erat, super hujusmodi impetrarunt: quas cum magnus Reynaldus inter Fratres recitasset, factus est ingens luctus, et commotio succrescere cœpit. Tunc vir Dei Reynaldus, erectis in cœlum oculis, cordeque ad Deum loquente, Frater Clarus, vir bonus magnæ auctoritatis, utpote qui in artibus et jure

Cano-

EX MSS. Canonico rexerat, insuper peritus jure civili, exorsus est consolari Fratres, et multis rationibus confortare.

alii viri, 128. Vix sermonem compleverat; et ecce magister Rolandus, qui tunc regebat Bononiæ, cujus erat fama celebris, spiritu Dei succensus, de mundo fugiens, solus venit ad Fratres: et quia spiritu ebrius erat, nulla locutione præmissa, recipi ad Ordinem simpliciter postulabat. Magnus vero Reynaldus præ nimio gaudio vestes alias non exspectans, exuto suo caputio, mox induit ipsum. Tunc pulsata campana, et Fratribus cantantibus VENI CREATOR, fit cursus virorum, mulierum, et scholarium, totiusque commotio civitatis. Vix autem cantare poterant Fratres præ ubertate gaudii, et abundantia lacrymarum. Tunc revocata pristina devotio, et omnis error et tentatio conquievit; illique duo Fratres prosilientes in medium, male se egisse confessi sunt, et renuntiantes litteris, stabilitatem promiserunt.

virtute et scientia clari 129 Sequenti nocte apparuit Fratri Rodolfo jam prædicto Christus Dominus, et a dexteris ejus Virgo mater, et a læva beatus Nicolaus, qui B manum supponens capiti ejus dixit: Ne timeas, Frater, quia omnia prospera evenient tibi, et Ordini tuo, Domina nostra curam habente pro vobis. Moxque vidit in aqua, quæ transit juxta civitatem, navem plenam multitudine Fratrum; et ait illi beatus Nicolaus: Videsne hos Fratres? Ne timeas ergo, quia tot sunt, quod totum mundum implebunt *e*. Consolatus est ergo Frater, quia de commotione prædicta admodum fuerat conturbatus. Delectat valde horum illustrium memoria virorum, sicut musica in convivio vini, et sicut odor suavium unguentorum. Quantus Frater Reynaldus fuerit, ex præscriptis jam patuit, et ex sequentibus patebit.

eumdem Ordinem amplectuntur. 130 Frater Clarus *f* secundum nomen suum, bonitate et sanctitate vitæ constans et insignis exstitit, scientia præditus claruit, utpote qui in artibus et in jure Canonico rexerat, ac in jure civili instructus fulsit; nec minus auctoritate resplenduit, qui Prior provincialis Romanæ provinciæ, domini quoque Papæ pœnitentiarius et capellanus fuit. At Frater Rolandus Cremonensis *g*, qui regebat Bononiæ, ex consideratione C vanitatis deliciarum et gloriæ, quibus affluebat, compunctus, ad Ordinem veniens, primus inter Fratres Parisius in Theologia legit, et multis annis Domino in sanctitate servivit, fama, scientia, et vita præclarus. Frater quoque Moneta *h*, qui tunc in artibus legens, in tota Lombardia famosior habebatur, in prædicatione magni patris Reynaldi violenter compunctus, multos, adhuc secularis existens ad Ordinem adduxit. Indutus vero vestibus Ordinis, qualis in omni sanctitate exstiterit, quantum in verbo, et doctrina et hæresum confutatione profecerit, non potest scripto faciliter explicari. Hi sunt viri gloriosi, Patres nostri et Fratres, quos magnus pater Reynaldus per verbum Euangelii Bononiæ Domino cum multis aliis acquisivit.

ANNOTATA.

a *Hinc confirmantur ea, quæ* § 28 *diximus de tempore, quo F. Reginaldus Hierosolymitanum iter conficere, et in Italiam reverti potuit.*

b *Initio paragraphi* 28 *similem prædictionem aliis exemplis confirmavimus, quando de exordio cœnobii Bononiensis egimus.* D

c *Theodoricus hanc visionem excerpsit ex Vitis Fratrum, in quibus part.* 4 *cap,* 3 *similis narratio confirmatur sequenti testimonio*: Hoc magister Alexander, vir bonus et verax et honestus, super illo versu MISERICORDIA ET VERITAS, etc., in scholis dixit, et in suis Postillis notavit. Hic fuit multo tempore doctor in theologia, post factus est episcopus in Anglia, unde fuerat oriundus.

d *Hæc duo severioris disciplinæ exempla eodem fere modo in Vitis Fratrum part.* 4 *cap.* 2 *referuntur.*

e *Hæc historia etiam ex Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 4 *desumpta est.*

f *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 92 *et sequente, gesta et scripta hujus F. Clari recenset.*

g *Laudatus Echardus tomo proxime citato pag.* 125 *et sequentibus, de eodem F. Rolando Cremonensi fusius disserit.*

h *De hoc F. Moneta etiam consuli potest Echardus, qui tomo* 1 *Operis laudati pag.* 122 *et* 123 *gesta illius ex Vitis Fratrum aliisque auctoribus enumerat.*

E

CAPUT XII.

Mira cibi et potus multiplicatio, prophetia, aliaque Sancti miracula Romæ patrata.

Retinuit me scribentem dulcis et odorifera recordatio filiorum, et suspendit interim animum a magnifica et melliflua paternorum reminiscentia meritorum. Verum reflecto mentis oculum ad radicem dulcissimam, de qua omnis hæc suavitas pullulavit. Interea enim, dum hæc per venerabilem patrem Reynaldum Bononiæ agerentur, omnipotens Deus per merita sancti patris Dominici dignatus est per diversa loca mirabilia operari: nam cum Romæ apud sanctum Sixtum cum ipso Fratres, numero centum, congregati sub euangelica viverent paupertate, die quadam missi sunt ab eo duo Fratres, Johannes de Galabria et Albertus Romanus, ut peterent eleemosynam: qui cum a mane usque ad tertiam petendo laborassent, nullam prorsus eleemosynam acceperunt. Et cum redirent, occurrit eis quædam mulier Ordini devota, dans eis unum panem dicens: Nolo, quod omnino vacui redeatis. Quo accepto, ecce vir quidam candidus et pulcher comitatus eos, rogavit obnixe, ut eleemosynam sibi darent. At illi excusabant se, dicentes, non posse sibi dare, cum pro se etiam non haberent. Cumque ille instantius peteret, dederunt ei panem pro amore Dei. Tunc is, qui panem acceperat, mox evanuit ab oculis eorum. IV *Cum Romæ Fratres magna cibi et potus inopia laborarent,* F

132 Redeuntibus illis venit obviam pius Pater, qui, sancto Spiritu revelante, jam omnia cognoverat, quæ illis acciderant, et hilari vultu dixit ad eos: Filii, jam nihil habetis? Et narraverunt, quæ acciderant, et de paupere, cui dederant panem. Ille dixit eis: Angelus Dei fuit; Dominus vero pascet servos suos; eamus ad orandum. Intransque ecclesiam, post modicum egressus, dixit, ut Fratres ad prandium convenirent. Dicunt quidam ex ipsis: Ut quid convenient, cum non habeamus, quod ponamus ante illos? Ipse vero sciens, quid facturus esset Dominus, dixit: Dominus pascet servos suos. Cum- *S. Dominicus fiduciam in Deo collocat,*

que

A

que ut pusillæ fidei adhuc dubitando tardarent, vocavit Fratrem Rogerum cellerarium mandans, ut Fratres congregaret ad prandium, quod Dominus provideret eis.

et cœlitus panem

133 Tandem coopertis mensis et scyphis appositis, facto signo, ingressi sunt Fratres refectorium, et benedixit sanctus Pater mensas. Residentibus cunctis, legit ad mensam Frater Henricus Romanus. Sanctus autem Dominicus junctis manibus cœpit orare super mensam; et ecce, ut promiserat, affuit providentia divina, ut pasceret servos suos. Nam duo juvenes pulcherrimi in medio apparuere refectorii, missi cum duabus aliis pallis*, videlicet candidissimis panibus plenis, a tergo et ante; incipientes autem ab inferioribus, unus ad dexteram et alter ad sinistram, singulis Fratribus panem integrum obtulerunt. Venientes ad sanctum Dominicum, sibi, sicut ceteris, panem integrum apponunt, et inclinantes capita amplius non comparuerunt.

* *alias* missi a Deo cum duobus palliis

ac vinum impetrat;

134. Tunc sanctus Dominicus dixit: Comedite, Fratres, comedite panem, quem Dominus misit nobis. Deinde servitoribus mensæ: Vinum, inquit, Fratribus ministrate; qui cum dicerent:

B

Pater sancte, non habemus, ipse plenus Spiritu sancto dixit: Ite ad vegetem, et de vino, quod Dominus ibi misit, propinante. Euntes ergo, ut sibi fuerat imperatum, invenerunt vegetem optimo vino plenam usque ad summum, et haurientes tulerunt Fratribus propinantes. Quibus sanctus Pater ait: Bibite, Fratres, de vino, quod Dominus dedit vobis. Comederunt itaque et biberunt, quantum voluerunt, die illo et sequenti; tertia vero die, postquam comederant, omnia fragmenta, quæ superaverant, jussit sanctus Dominicus dari pauperibus, noluitque, quod de iis aliquid remaneret. Post hæc fidelissimus Pater exhortans filios spem suam in Domino ponere, nec in ulla necessitate desperare, sermonem eis pulcherrimum prædicavit.

Sanctus alia vice panem multiplicat.

135 Alia quoque vice in eadem domo procurator Fratrum ad Patrem sanctum accedens, defectum panis nuntiavit, qui exultans spiritu benedixit Deum, eique modicum, quod habebatur, panis, super mensam per partes dividi mandavit. Erant tunc temporis in Conventu Fratres numero circiter quadraginta; qui, facto signo,

C

ingressi refectorium, cum post benedictionem unusquisque buccellam coram se positam cum gaudio frangeret, ecce duo juvenes habitus formæque consimilis intraverunt, palliorum sinus a collo dependentes plenos panibus deferentes: quos cum coram Patre sancto silenter obtulissent, subito discesserunt, nec eorum notitia potuit inveniri. Tunc Vir sanctus manum circumquaque protendens: Modo, inquit, Fratres, comedite. O veneranda benignitas Dei, quæ talem timentibus se præparavit escam dulcem *a*!

a

V

Fratribus futura prædicit,

136 In eadem domo Pater sanctus, facto super se Spiritu, Fratribus ad Capitulum convocatis, palam omnibus nuntiavit, duos ex ipsis in corpore, et duos in spiritu morituros. Nec mora, verbum comitatur effectus. Frater enim Gregorius, vir pulcherrimus et admodum gratiosus, primo; tertia vero die post Frater Albertus, quem idem Pater pro eleemosynis miserat, qui etiam angelo dedit panem, sumptis devote Sacramentis, in Domino mortui sunt. Alii vero duo discedentes ab Ordine, perierunt *b*.

b

F. Jacobum morti proximum morbo liberat,

137 Frater Jacobus quadam gravi infirmitate quodam tempore præventus, morboque invalescente quotidie, jam ad extremum vitæ, natura prorsus succumbente, devenerat. Cumque Fratres, Unctionis officio jam præmisso, circa eum, ut egredientem spiritum orando protegerent, convenissent, [tristesque essent] non modicum de subtractione Fratris, sibi tunc temporis tam necessarii, pro eo quod tam notum in urbe Fratrem alium non haberent; benignus Pater filiorum admodum desolatione commotus, seclusis omnibus, clausoque ostio super eum, oratione fusa, egredientem spiritum potenter retinuit, Fratribusque vocatis, reparatum Fratrem ipsis per manum restituit, suoque officio factum incolumem resignavit. Hæc de se facta prædictus Frater Jacobus publicavit, quo etiam procuratore existente, contigit miraculum de multiplicatis panibus, antea memoratum *c*.

EX MSS.

c

et alterum persecutioni consanguineorum mirabiliter subducit.

138 Recepit servus Christi Dominicus quemdam juvenem pulcherrimum, Heiricum nomine, nobilem quidem genere, sed moribus nobiliorem, civem Romanum. Indignantes super hoc propinqui ejus, ipsum extrahere de Ordine nitebantur. Quo cognito, prudens Pater, datis sociis, ipsum ad Conventum alium destinavit: qui cum jam fluvium juxta viam Numentanam transisset; ecce propinqui, ut raperent fugientem, jam ex alia parte fluminis aderant. Tunc novitius Deo se et Sancti Dominici meritis commendavit, ut eum de illorum manibus eripere dignaretur. Et ecce nutu Dei in tantum excrevit aqua, ut eam persecutores in equis transvadare nullatenus potuissent: quo viso, stupefacti reversi sunt, relinquentes juvenem in Ordine confirmatum. Videntes autem Fratres, illos rediisse stupefactos, complacuit eis, ut redirent. Cumque ad præfatum fluvium venissent, ut redirent, aqua in locum suum reversa est, liberum transeuntibus præbens iter.

E

VI

Quando alia vice coram Fratribus

139 Venit die quadam tardius ad Sorores pater sanctissimus Dominicus, et convocatis omnibus ad fenestram, præsentibus Fratribus, dixit: Filiæ meæ, ego venio de piscatione, et Dominus dedit mihi magnum piscem. Dicebat hoc de Fratre Gaudione, qui fuit filius unicus domini Alexandri, magnifici viri urbis Romæ, quem ad Ordinem receperat. Facta collatione multam eis consolationem exhibuit. Quibus finitis, dixit: Bonum est, filiæ meæ, ut modicum gustemus potum. Ad jussum ergo ejus per Fratrem Rogerum cellerarium allatus est scyphus vino plenus usque ad summum. Deinde benedixit, et primo ipse bibit, et postea ceteri Fratres, qui præsentes erant numero triginta: qui omnes postquam biberunt, quantum voluerunt, non est imminutum vinum; sed scyphus in sua plenitudine permansit.

F

et Sororibus vinum multiplicaverat,

140 Tunc vocans Sanctus Sororem Nubiam, dixit ei: Vade ad tornum, id est, rotam, tolle scyphum, da potum Sororibus universis. Abiit illa cum socia afferens scyphum plenum usque ad summum; et cum ita esset plenus, nec una quidem gutta ex eo effusa est, licet per multas manus et locorum spatia transferretur. Biberunt igitur primo Priorissa, omnesque aliæ Sorores, dicente eis frequenter Patre benigno: Bibite satis, filiæ meæ. Erant tunc Sorores centum quatuor. Cumque Fratres et Sorores omnes de illo poculo caritatis biberent, plenus tamen ac sine diminutione scyphus permansit.

[illegible]

141 His itaque gestis, dixit Pater sanctus: Dominus vult, quod vadam ad sanctam Sabinam consolari filios meos. Priorissa autem et filii nitebantur eum detinere dicentes: Pater, hora

præter-

EX MSS. præteriit; jam prope mediam noctem est. Non expedit, ut hinc amodo recedatis. Ille autem non acquievit eis, dicens: Quia Dominus omnino vult, ut proficiscar, et ipse mittet angelum suum nobiscum. Assumens igitur Fratrem Tancredum, Priorem Fratrum, et Fratrem Odonem, Priorem Sororum, cœpit proficisci. Cumque egrederentur, ecce juvenis pulcherrimus adstitit ante portam, tenens in manu baculum, tamquam paratus ad iter, cœpitque præcedere eos in via.

mirabiliter ab angelo in illud introducitur,

142 Tunc Pater sanctus Fratres socios ordinavit inter se et illum, et ipse loco tertio sequebatur. Venientes autem ad portam Fratrum, invenerunt eam diligenter seris firmatam. Tunc juvenis, qui dux viæ fuerat, ad unam partem portæ se traxit, quæ statim aperta est eis: et primo quidem ingressus est ipse, deinde Fratres, et post eos pater Dominicus introivit; egressoque juvene, qui eos introduxerat, inventa est clausa janua, sicut prius. Tunc Frater Tancredus interrogavit beatum Dominicum, dicens: Pater sancte, quis fuit iste juvenis, qui venit nobiscum? Respondit: Fili, angelus fuit sanctus, quem ad nostri custodiam Dominus destinavit. Videntes B itaque in choro ad Matutinas Fratres Patrem sanctum et socios suos, mirabantur, quomodo clausis januis introissent.

et novitium ab Ordine discedere prorsus volentem

143 Erat tunc quidam juvenis novitius in Conventu, civis Romanus, nomine Jacobus, qui vehementi tentatione victus, deliberavit omnino, cum ecclesiæ aperirentur januæ, ab Ordine discedere. Quod Pater almus divina revelatione prænoscens, in spiritu lenitatis dulciter monuit, ne se a tam sancto consortio segregaret. At ille deprecanti et supplicanti non acquiescens, surgens abstraxit sibi habitum, dicens, se deliberasse recessurum. Vir autem mitissimus violentæ tentationi compatiens: Exspecta, inquit modicum, fili mi, et post facies, quod volueris.

fusa ad Deum oratione, facile retinet.

144 Tunc prostravit se in oratione Pater pius, supplicans Domino pro filio perituro. Mox quantum valuerit justi deprecatio, apparuit, et quam facile potuerit, quod voluit, obtinere. Necdum orationem finierat, et ille lacrymarum imbre perfusus, ad pedes Sancti provolutus, habitum, quem rejecerat, sibi reddi petiit, pollicens, se semper in Ordine Domino serviturum: quem beC nignus Pater dulciter alloquens, habitum reinduit, ad perseverantiam exhortans: qui meritis sui Intercessoris adjutus, postmodum in Ordine laudabiliter temporibus multis vixit. Mane regressi cum Fratres, quæ acciderant, omnia Sororibus recitarent, ea Pater verax sic esse simpliciter recognovit, et dixit: Filiæ meæ, inimicus Dei rapere voluit ovem dominicam; sed Do-
d minus liberavit ipsam de manibus ejus *d*.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio* § 27 *duo illa miracula panis cœlitus allati ex antiquiore teste retulimus, et ibidem notas Echardi circa hanc rem exhibuimus.*

b *Constantinus Urbevetanus apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 33, *Humbertus in Actis Sancti cap.* 47, *et Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi historialis cap.* 77 *eamdem prophetiam narrant.*

c *Paragrapho* 27 *Commentarii prævii hanc mirabilem sanationem transcripsimus ex laudato Constantino Urbevetano,* qui illud exceperat ex ore ipsius F. Jacobi, cui id acciderat.* D

d *Nescio, unde Theodoricus eruerit illa miracula, quæ post sanationem F. Jacobi narrat. Tamen suspicor hæc et aliquot sequentia ex relatione Sororis Cæciliæ prodire, ut ad caput sequens observabimus.*

CAPUT XIII.

Dæmon a Sancto castigatus, vinum rursus multiplicatum, mira linguæ ignotæ intelligentia, aliaque prodigia.

Ingressus Vir sanctus cum pluribus Fratribus claustrum Sororum, ibidem prædicabat constanter de fallaciis inimici. Et ecce affuit sathan in specie lacertæ nimis horribilis et deformis, habens duo capita, eratque* magna valde. Discurrens autem juxta ripam, ubi sedebant, caudam et unum de capitibus citissime elevabat et deponebat, impetum faciens in Sorores, acsi ipsas aggredi niteretur. Pater vero sanctus agnoscens, quis esset, accensus contra eum zelo Dei, terribili aspectu agitans caput dixit: Inimice, inimice; et conversus ad Sorores, ait: Nolite timere, quia vobis nocere non potest. Cumque præ nimio terrore jam aliquæ surrexissent, ut fugerent, dixit illi: Præcipio tibi, humani generis inimice, ut statim te projicias in hanc aquam. Et mox, cunctis videntibus, immersit se aquæ, et nusquam comparuit.

VII *Sanctus dæmonem sub specie lacertæ,*

* *alias* eran-que

E

et alias sub forma passeris,

146 Tempore quodam rediens de Hispania Pater sanctus, detulit Sororibus cochlearia cypressina, unum pro qualibet Sorore. Et cum ad fenestram sedens cum pluribus Fratribus, prædicaret Sororibus, inimicus humani generis in similitudine passeris prope terram, ut manu capi posset, super Sorores volitans in aëre, prædicationem impedivit. Quod videns Sanctus, Sorori Maximillæ dixit: Surge et apprehende, et adduc eum ad me. Quæ surgens, sine difficultate apprehendit eum, et per fenestram tradidit Viro sancto. At ille cœpit eum festine depennare dicens: Inimice, inimice. Cui cum, subridentibus F omnibus, lamentabiliter garrienti pennas omnes abstulisset, projecit eum dicens: Vade, inimice generis humani; modo vola, si potes. Strepitum quidem magnum facies, sed damnum inferre non poteris. Itaque per fenestram ingressus, ascendit ad vas æreum, quod ante altare beatæ Virginis in catenulis dependebat, in quo erat lampas accensa plena oleo, et magno impetu catenas concutiens, ipsum evertit; lampas vero de vase egressa est, nec læsa, nec exstincta, et in aere versa stetit, os habens inferius, et fundum superius. Levantes ad strepitum capita Sorores, viderunt lampadem in aere sine sustentaculo mirabiliter persistentem, quæ nec exstincta est, nec una quidem gutta de ea olei effusa; sed [nec] furfur, quod in pelvi erat sub lampade ob custodiam, dispersum est; sed omnia illæsa permanserunt et integra, velut ore prophetico prædixerat Pater sanctus. Quod videns, ipse cum Fratribus gratias egit Deo. Passer autem ille instabilis ulterius non est visus, præcepitque Vir Dei lampadem restitui loco suo.

147 Accidit ibidem, cum Vir Dei in oratione

usque

A *ac simiæ apparentem castigat,* usque ad noctis medium vigilasset, ut egressus de ecclesia, ad lumen candelæ in capite dormitorii sedens scriberet. Et ecce dæmon in specie simiæ apparens, cœpit gestus illusorios cum torsione vultus coram ipso deambulans exercere. Tunc Sanctus ei manu innuit, ut fixus staret, dans ei candelam, ut ante se teneret, accensam; qui tenens nihilominus gestus cum irrisione vultus faciebat. Interea finitur candela, cœpitque ardere digitus simiæ, et quasi præ dolore torquendo se lamentari, cum tamen gehennæ ignibus ardens, flammam non timeat corporalem. Sanctus autem ei, ut staret adhuc, innuit. Quid plura? Tam diu stans permansit, donec digitus indicialis usque ad juncturam manus, totus crematus est, et magis ac magis se torquendo lugebat. Sic in fide fortis Homo Dei volenti sibi illudere illudens, ferula, quam semper secum, portabat percussit eum fortiter dicens: Recede nequam; insonuitque percussio, acsi percussisset utrem siccum plenum vento. Tunc in parietem proximum se projiciens nusquam comparuit, fœtoremque post se relinquens, quis fuerit, patefecit. Vere merito inter angelicas potestates coronandus est, qui tam po-
B tenter diabolicas confundit et reprimit pravitates.

ut Soror Cæcilia testatur 148 Hæc et multa alia præclara virtutum exempla et miraculorum prodigia per gloriosum confessorem suum Dominicum virtus Altissimi operari dignata est in urbe Romana tempore Honorii Papæ, qui Prædicatorum Ordinem confirmavit, et eumdem Patrem benigno prosequebatur favore, et omni dignum reputavit honore. Soror Cæcilia, decem et septem annorum puella, prima de Sancti patris Dominici manu habitum Ordinis accepit; quæ Bononiam translata ad instaurandum cœnobium sanctæ Agnetis, ibidem
a adhuc vivit *a* in senectute bona, et conversatione sanctitatis summa. Hæc ea, quæ memorata sunt, oculis suis perspexit, et auribus audivit, et fide-
b liter enarravit *b*.

VIII *Iterum vinum multiplicat,* 149 Cum in Hispania duos instaurasset Conventus, non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quærens, ad terras alias properavit. Qui cum in partibus Tholosanis cum multis Fratribus iter ageret, accidit die quadam, quia pauperes Christi erant, ut ad prandium non nisi unum vini
C scyphum, quo reficerentur, haberent. Quidam autem ex illis Fratribus in statu seculi multum fuerant delicati; quorum defectui pius Pater compatiens, jussit id modicum vini, quod habebant, in vase magno recipi, et aquam in abundantia superfusam Fratribus propinari. Erant autem Fratres numero octo, qui biberunt ad sufficientiam aquam vinum factam valde bonum, Domino gratias referentes. Superabundavit autem vinum,
c quod desuper dono Christi fuerat ministratum *c*.

et Germanicæ linguæ ignarus 150 De Tholosa quoque vadens Parisius Pater sanctus, cum ad Rupem Amatoriam venisset, ibidem in ecclesia beatæ Mariæ devote vigilans pernoctavit, habens comitem itineris, societatis et devotionis Fratrem Bertrandum, virum sanctum, qui fuit Provinciæ primus Prior. In crastino procedentes habuerunt in via obvios quosdam Theutonicos peregrinos, qui audientes Virum Dei cum socio psalmos et lectiones orando frequentare, adhæserunt eis devote. Venientes autem ad villam, invitaverunt Sanctos, et eos more consueto dapsiliter procuraverunt: sicque fecerunt per quatuor dies continuos.

151 Quarta die ingemiscens beatus Dominicus socio suo dixit: Frater Bertrande, vere læsam habeo conscientiam, quod istorum peregrinorum carnalia metimus, cum eis spiritualia non seminamus. Si placet, flexis genibus oremus Dominum, ut linguæ eorum nobis det intelligentiam pariter et loquelam, ut eis dominum Jesum annuntiare possimus. Qui cum orassent, stupentibus illis, intelligibiliter idioma Theutonicum sunt locuti, per aliosque dies quatuor ambulantes et loquentes cum eis de domino Jesu, tandem Aurelianis venerunt. Dimiserunt autem eos Theutonici in strata Parisiensi, eorum se orationibus humiliter commendantes *d*. *Ex ... mirabiliter per quatuor dies Germanice loquitur.* *d*

152 Altera die dixit humilis Pater Fratri: Ecce, Frater, ingredimur Parisius, et si sciverint Fratres miraculum, quod Dominus dedit nobis, credent nos sanctos, cum simus peccatores; et si ad seculares pervenerit, multæ patebimus vanitati. Per obedientiam igitur tibi præcipio, ne ante mortem meam alicui hominum ista dicas. Sic res latuit, donec post mortem ipsius Frater Bertrandus devotis Fratribus indicavit. Hic Frater Bertrandus vir sanctus, primus Prior provincialis Provinciæ Missam pro peccatis fere quotidie celebravit; a quo Frater Benedictus vir prudens quæsivit, cur raro pro defunctis, et pro peccatis frequenter celebraret. Respondit ei: Quia defuncti salutem æternam certam habent; nos autem adhuc in periculo fluctuamus. *quod miraculum silere imperat socio suo Bertrando,* E

153 Cui Frater ait: Duo pauperes mendici, unus sana habens membra, alter iis carens, æqualiter egent; quem horum potissime juvabitis? Dicit ei pater: Eum, qui minus se juvare potest. Hi sunt, ait Frater, defuncti non habentes os ad confitendum, manus ad operandum, sola nostra adjutoria præstolantes; vivi autem peccatores iis omnibus poterunt se juvare. Cum autem nec sic acquiesceret pater, sequenti nocte apparens ei terribilis defunctus, et cum cumulo ligneo eum graviter compressit, et plus quam decies illa nocte eum excitans terruit et vexavit. Unde in aurora Fratrem Benedictum advocans, ad altare cum lacrymis devote accedens, ex tunc pro defunctis sæpius celebravit *e*. Hic est Frater Bertrandus, pater reverendus et sanctus, cui beatus Dominicus interdixit, ne culpas proprias, sed aliorum defleret: consideraverat enim, quod se pro peccatis suis nimium affligebat: tantæque virtutis erant verba Patris sancti in corde Fratris, quod ex tunc pro se plorare non poterat etiam volens, cum pro peccatis aliorum plangeret abundanter *f*. *qui Bertrandus comparatione ac visione sæpius pro defunctis orare discit.* *e* F *f*

154 Alio item tempore iter agens Pater sanctus obvium quemdam habuit, hominem Dei sanctum; contristatus est autem, quod eum alloqui non poterat, eo quod linguæ illius et idiomatis intelligentiam non haberet. Tunc consolationis cœlestis, fraternæque ædificationis flagrans desiderio servus Dei Dominicus, ad Dominum se in oratione convertit, postulans, ut sibi concederet perfrui colloquio ejus, qui sibi occurrerat, viri Dei. Et ecce datum est utrique per Spiritum Dei, ut variis linguis alterutrum loquerentur; sicque per dies tres, quibus simul gradiebantur, spiritualibus sermonibus et divinis colloquiis affecti, tandem consolati in Domino, valedicentes ab invicem discesserunt *g*. *Sanctus alium virum [illegible] git,* *g*

155 Cum iter ageret tempore quodam Vir Dei per viam cum Fratre Bertrando, sibi dilecto socio, facta est super eos tempestas gravis, quam pluvia est secuta. Cumque densus imber inundans terram per circuitum inunderet, Pater sanctus imminenti tempestati et imbri signum crucis *[illegible] servat*

EX MSS. crucis opposuit. Itaque in illa tanta aeris intemperie, virtute crucis protecti, processerunt, ut nec fimbriam vestimenti ipsorum pluvia contingeret, [licet imber] circumquaque omnia vehementius irrigaret *h*. Contigit e regione, ut supervenientibus pluviis, sua suorumque quam plurimum madefierent vestimenta; et cum alii pro vestibus exsiccandis remanerent ad ignem, ipse sancti Spiritus igne fervens more suo statim ad pernoctandum in oratione sic madens complutis vestibus ecclesiam introivit. Mane cum aliorum vestes, qui ad ignem remanserant, madidæ persisterent, ejus vestes adeo siccæ repertæ sunt, acsi tota nocte in loco calido jacuissent *i*.

ANNOTATA.

a *Nempe Soror Cæcilia adhuc vivebat, cum Theodoricus prima vice colligeret Acta* S. Dominici, *quæ postea auxit et reformavit, ut* § 5 *Commentarii prævii diximus.*

b *Certe mirum est, a sola Sorore Cæcilia memorari hæc portenta, quibus tamen tot alii testes adfuisse dicuntur. Quare Melchior Canus, aliisque his non æqualem fidem adhibent, ut eodem* § 5 *Commentarii prævii monuimus.*

c *Hæc prodigiosa vini multiplicatio ex Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 5 *excerpta est, quam alia occasione in Commentario prævio* § 33 *retulimus.*

d *Istud miraculum etiam in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 10 *narratur.*

e *Hæc eadem de F. Bertrando in Vitis Fratrum part.* 5 *cap.* 7 *referuntur, ubi tamen ad rei confirmationem in fine sic additur:* Hæc ab ore ipsius Fratris Benedicti audivit, qui ista descripsit.

f *Efficax illud* S. Dominici *mandatum in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 19 *totidem fere verbis exprimitur.*

g *Putamus, idem hoc esse miraculum, de quo Theodoricus supra cap.* 2 *iterum meminit, ut ibidem annotavimus.*

h *Confirmatur hoc miraculum ex testimonio B. Jordani, qui illud ex F. Bertrando audivit, ut ipse supra in Actis* S. Dominici *cap.* 4 *num.* 74 *testatur.*

i *Constantinus Urbevetanus num.* 31 *et Humbertus cap.* 38 *apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 31 *et sequente, de siccatis Sancti vestibus eadem tradunt.*

CAPUT XIV.

Prodigiosa pueri læsi ac matris febricitantis sanatio, severa paupertatis et regulæ observantia, iterata panis ac vini multiplicatio.

IX *Sanctus puerum graviter læsum ac matrem febri afflictam sanat,*

Anno igitur Domini millesimo ducentesimo decimo nono veniens Parisius, invenit ibidem in domo sancti Jacobi Fratres numero triginta, cum quibus modico tempore *a* demoratus, valedicens eis, et committens Dei gratiæ, profectus est. Cumque per Franciam transiens, ad castrum Castellionis *b* venisset, capellanus eum hospitio recepit, cujus sororis filius de solario cecidit, et a matre et parentibus, tamquam exanimis, plangebatur: quorum dolori sanctus compatiens Dominicus, in oratione cum lacrymis se prostravit. Exaudivit autem eum Dominus, et puerum incolumem reddidit matri suæ; tristitiaque in gaudium est conversa. Sacerdos igitur, avunculus pueri, magnum fecit convivium, multis Deum timentibus invitatis. Mater vero pueri quartanis febribus vexata, aliis anguillas edentibus, non edebat. At Christi famulus Dominicus morsellum *c* anguillæ signans cruce mulieri obtulit dicens: Comede in nomine Salvatoris. Comedit, et ab omni febre curata est *d*.

157 Tandem in æstate prædicti anni Bononiam introivit, ubi jam tunc apud sanctum Nicolaum magnus fuit cum Fratre Reynaldo Fratrum numerus congregatus; qui de adventu Patris valde gavisi, cum ingenti eum devotione et reverentia, sicut patrem carissimum, susceperunt. Mansit autem pater sanctus Dominicus in eadem civitate usque ad finem vitæ suæ, nisi cum ivit ad curiam Romanam, et quando egressus visitavit quasdam terras Lombardiæ, civitatemque Venetiarum. Diligebat autem verus Jesu Christi imitator super omnes divitias euangelicam paupertatem. Unde cum venisset in Bononiam, et dominus Odericus Galicani possessiones suas, quæ valebant ultra quingentas libras Bononiensium, vellet dare Fratribus, iste verus divitiarum contemptor accipere penitus recusavit, factamque inde coram domino Bononiensi episcopo cartam rescindi fecit *e*: non enim voluit, quod Fratres haberent possessiones aliquas temporales; sed solummodo de eleemosynis parce viventes, vilibus vestibus contenti, parvas domos et humiles habitarent.

Bononiam veniens possessiones rejicit,

158 Cum ergo Frater Rudolfus procurator Bononiæ parvas et vilissimas cellulas, quas habebant Fratres, absente Patre sancto, per brachium elevare cœpisset, reversus videns hoc, procuratorem et alios dolenter et cum gemitu reprehendit; et erumpens in lacrymas, cum fletu dixit ad ipsos: Heu! tam cito vultis paupertatem relinquere, et magna palatia ædificare? Ad mandatum igitur ejus opus hoc imperfectum remansit, quamdiu vixit. Erat Sanctus Dei patiens et gaudens in tribulationibus, quas ex defectu victus et vestitus illo tempore ipse cum Fratribus multiplices sustinuit, in quibus jucundatus et delectatus est, sicut invenisset spolia multa.

rigidam paupertatis

159. Regulam in se rigide et integre custodivit, voluitque a Fratribus firmiter observari. Et si quos transgressores reperisset, mansuetudine maxima et verborum dulcedine puniebat, ut nullus turbaretur, licet esset pœnitentia multum gravis. Cui [aliquando] Frater vadens, ut injunctam sibi impleret obedientiam, occurrit de prædicatione revertenti (intellexit autem Vir sanctus in spiritu, quod non regulariter ambularet) a quo post salutationis verba dum Pater quæreret, quemadmodum pergeret, et si quid illicitum deferret, deprehensum se videns miser, erubuit, seque portare pecuniam humiliter recognovit, quam statim religiosissimus Pater projici jussit, Fratremque per injunctam satisfactionis pœnitentiam emendavit *f*. Silentium horis semper consuetis et debitis secundum Ordinem observabat; a verbis otiosis abstinebat; semper de Deo et cum Deo loquebatur.

ac regulæ observantiam profitetur,

X *et F. Reynaldum Parisios mittit.*

160 Eodem anno, quo sanctus Dominicus Bononiam venerat, non sine gravi desolatione Fratrum, quos receptos ibidem paterno consolabatur affectu, missus est ab ipso Frater Reynaldus

Parisius

A Parisius, ut ibi Christum euangelizans, impartiretur etiam eis aliquid gratiæ spiritualis. Venerabilis igitur Frater Reynaldus mandato humiliter obediens, Parisius veniens, indefesso cordis fervore prædicabat Jesum Christum verbo, [et opere]. Sed cito tulit eum Deus: placita enim erat Deo anima ipsius; propterea festinavit educere illum de medio iniquitatum. Verumtamen duos dedit ei Deus filios admodum generosos, dulcissimum videlicet magistrum Jordanum, beati Dominici successorem, et illum gratiosum prædicatorem, Fratrem Henricum de Colonia, Theutonicos natione; de quorum inenarrabilibus virtutibus malo humiliter tacere, quam insufficienter aliquid enarrare: gloriam enim virtutis eorum quis poterit explicare?

qui grave Ordinis jugum pro levi reputans,

161 Frater vero Matthæus, primus et ultimus abbas hujus Ordinis, tunc Prior exstitit Parisiensis; is, quia magistrum Reynaldum olim decanum Aurelianensem in seculo gloriosum et delicatum cognoverat, requisivit ab eo aliquoties cum admiratione dicens: Magister, estne vobis severum, hunc durum et asperum habitum assumpsisse? At ille vultu demisso respondit: Ni-
B hil in hoc Ordine mereri me reputo, quia nimis in eo mihi complacuit [semper]. Nimirum unctione cœlica perunctus vir sanctus, jugum durum euangelicæ paupertatis leniter tulit, et grave onus monasticæ Religionis odor unguenti fragrans suaviter portabile sibi fecit.

pie ex hac vita discedit,

162 Postquam brevi tempore idem Frater Reynaldus Parisius manserat, cœpit infirmari corpore; sed confortari mente, qui dum ad hujus labentis terminum, et perennis vitæ introitum approximaret, accedens ad eum Frater Matthæus Prior, de Sacramento secum extremæ unctionis contulit, dicens, quod pugna mortis et dæmonum immineret. Respondit beatus ille: Ego luctam hanc non timeo; sed expecto cum gaudio et exopto. Mater misericordiæ quidem Romæ me inunxit, in qua confido, et ad ipsam cum multo desiderio vado; tamen ne hanc ecclesiasticam unctionem contemnere videar, placet mihi, et eam peto: qua devote suscepta, coram positis Fratribus et orantibus, in Domino feliciter obdormivit. O vere beatum virum, in die obitus sui benedictum, qui nec asperitatem mortis, nec cru-
C delitatem dæmonis expavit; sed confidens in dulcedine Virginis matris, ad æternitatem cum gaudio properavit! Sepultus est in ecclesia sanctæ Mariæ de Campis, eo quod Fratres nondum propria gauderent sepultura, anno Domini millesimo ducentesimo decimo nono.

postquam duos egregios juvenes ad Ordinem admisisset.

163 Post mortem vero ipsius duo illi Theutonici, Jordanus videlicet et Henricus, valde gratiosi, qui in manibus ipsius votum emiserant, uti prædictum est, in capite jejunii, dum Fratres cantarent Antiphonam IMMUTEMUR HABITU, secularibus vestibus exuti, Ordinis habitum induerunt. Isti sunt duo fontes limpidissimi, qui de obturato fonte protinus orti sunt, prout visio præsignaverat: erant quippe virginei corporis, munditia purissimi, et fluentis doctrinæ gratia dulcissimi, lavandis peccatorum sordibus patententissimi. Isti sunt duæ olivæ, pietatis et misericordiæ visceribus affluentes, qui suæ suavitatis odore totam Ecclesiam resperserunt. Hi sunt duo candelabra, super quæ clara, quæ non marcescit, sapientia lucem pedibus insipientium præbuit in hac vita, augentque nunc Sanctorum gaudia, ante Dominum lucentia *g*. g

EX MSS XI

Sanctus Fundator exemplo suo Fratres

164 In diebus illis exemplar Religionis et speculum, sanctus pater noster Dominicus manens Bononiæ, sicut oliva fructifera in domo Dei, floribus virtutum et famæ redolens, verbo et exemplis radians, gratiaque devotionis pinguescens, per incomparabiles fructus ubertim germinans pullulavit: qui tamquam lignum vitæ in medio paradisi, sic inter Fratres constitutus, Deo placitam, angelis similem, hominibus amabilem, solisque perfectis vix imitabilem duxit vitam: cujus divinissimam sanctitatem conversationis, quia dignis laudibus nequeo describere, verbis simplicibus attentabo. Fuit igitur iste homo valde humilis, mansuetus, patiens, et benignus; quietus, pacificus, sobrius, et modestus, in omnibusque suis actibus valde maturus.

ad exactam regularum observantiam excitat,

165 Regularis observantiæ discretus institutor et sanctus, cultor præcipuus, exsecutor strenuus et justus integre et perfectissime super omnes Ordinem suum servans, in nulloque sibi parcens, rigorem Conventus tenens in omnibus continue sequebatur. In choro, refectorio, vestitu, cibo, potu, jejuniis et aliis, Prædicatorum regulam et Ordinem in se strictissime tenuit, voluitque a Fratribus observari. Interdum quidem bene cum aliis rationabiliter dispensabat; E
sibimet vero supra humanum modum asper et durus, in nullo penitus condescendit: aliis namque duo pulmenta edentibus, ipse sibi alterum subtrahebat: valde enim virtute abstinentiæ præeminebat: cum enim Frater Rudolfus, tunc procurator, quandoque pitanciam *h* Fratribus faciebat, vocans eum silentio dixit ei: Quare interficis Fratres, dando pitanciam? Modico enim contentus erat. h

in summa penuria cibum divinitus obtinet,

166 Quando vero dictus Frater defectum victualium intimabat ei, ait: Vade in ecclesiam, et ora; qui dum iret, frequenter eum sanctus Dominicus sequebatur; sicque dono Dei factum est, ut semper sustentationes haberent idoneas. Quandoque modicum panem, quem habebat, ponebat de mandato ejus in mensa, et ipsius meritis abundabat. Quadam die jejunii, cum in refectorio panis deficeret, dedit Sanctus procuratori signum, ut panis coram Fratribus poneretur: qui dixit ei, quod non esset panis. Tunc Vir Dei alacri vultu elevavit manus, et laudans Deum benedixit; et in continenti intraverunt duo portantes duo canistra, unum plenum pane, aliud quoque plenum ficubus siccis, ita quod ex iis abundanter F
Fratres sunt refecti *i*. Prædicatores etenim sanctos, spe et contemplationis pennis ad sublimia evolantes, qui non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, Pater cœlestis pascit, qui juxta mandatum Unigeniti soliciti non sunt, quid comedant, vel quid bibant. i

et rursus panem

167 Igitur in eodem Conventu procurator Fratrum ad sanctum Virum accedens, dolenter querebatur, quod non nisi duos haberet panes, tam ingenti Fratrum multitudini apponendos: quod audiens Christi Confessor, præcepit in particulas minutas dividi panes illos, et in nomine Domini benedixit, confidensque de benignitate divina, servitori dixit, ut circuiens per mensas, duas vel tres particulas apponendo singulis ministraret. Circuivit sic servitor secundo et tertio apponendo, et tunc, quod modicum fuerat, abundavit. Quid plura? Toties circuivit, quod omnes satiati sunt, et multo plus de pane sublatum est Dei miraculo, quam per homines appositum fuerat die illa *k*. k

168 Et cum Fratres illius Conventus primitivo tempore propter paupertatem, aquam plerumque biberent,

EX MSS. biberent, infirmis tamen vinum providebatur, sicut poterat, undecumque. Quod cum defecisset de vasculo, infirmarius hoc cum multa compassione pio Patri, qui tunc aderat, nuntiavit; qui mox ad orationem currens more solito, ad hoc etiam ipsum et alios hortabatur. Dixit autem Prior infirmario, ut attolleret vas, et, prout posset, infirmos reficeret die illa. Qui dum mandatum vellet perficere, vas usque ad summum
l plenum reperit vino cœlitus procurato *l*. Itaque et per sancti Patris merita filiis timentibus Deum nihil defuit, et quærentibus regnum Dei principaliter et justitiam ejus, necessaria adjecta sunt, et jactantes cogitatum in Domino ipse misericorditer enutrivit.

ANNOTATA.

a *Omnes scriptores consentiunt, Sanctum* modico tempore, *vel* paululum, *ut B. Jordanus et venerabilis Humbertus scribunt, tunc Parisiis commoratum fuisse.*

B b *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 40 *in notis duplex Castrum Castellionis distinguit quorum unum ad Sequanam, alterum ad Matronam situm est, et putat, sequentia miracula in Castro Castellionis ad Sequanam contigisse.*

c Morsellus *hic accipitur pro frusto vel buccella, ut videre est apud Cangium in Glossario.*

d *Hæc duo miracula in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 12 *iisdem fere verbis exponuntur.*

e *Hanc chartæ rescissionem infra testis oculatus in Processu Bononiensi num.* 40 *confirmabit.*

f *Hoc exemplum* § 45 *Commentarii prævii ex Vitis Fratrum inter gesta incerti temporis retulimus.*

g *Quæ hic de Reginaldo et duobus insignibus ejus discipulis dicuntur, superius ex ipso B. Jordano audivimus.*

h Pitancia, *Gallice* pitance, *est obsonium seu portio rei comestibilis, quæ Religiosis ad manducandum apponitur.*

i *Ipse F. Bonvisus, tunc procurator, hoc miraculum infra in Processu Bononiensi num.* 24 *confirmabit.*

k *Idem miraculum in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 20 *refertur eum hac præfatione* : Narravit F.
C Reginaldus, *(hic obiit anno* 1256, *ut Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 41 *in notis observat)* domini Papæ pœnitentiarius, et post archiepiscopus Armachanus, valde religiosus, quod ipse præsens fuit Bononiæ, quando procurator accedens ad virum Dei Dominicum, cœpit conqueri, quod non haberet, quod apponeret ingenti Fratrum multitudini, nisi tantummodo duos panes, *etc.*

l *Hæc mira vini augmentatio in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 4 *similiter narratur.*

CAPUT XV.

Variæ dæmonis insidiæ fraudesque patefactæ, summa in Sancto dilectio euangelicæ paupertatis, et ejusdem virtutis commendatio.

Sed neque de vestimento, quo operiretur, solicitus fuit Vir sanctus. Vestibus vilissimis induebatur, indeque gloriabatur; nec erubuit etiam D
inter magnos deformi habitu apparere : curtum XII *Cum rigidus ille sui ipsius Contemptor*
enim et vilissimum aliquando scapulare deferens, cappa operire noluit in præsentia magnatorum : a superfluis quoque omnino abstinens, hieme et æstate contentus tunica sola fuit. Nullo umquam lecto in domo vel extra sanus vel infirmus uti voluit, nisi terra vel banco, crate, stramine, palea, vel saccone; jacebatque nocte vestitus, sicut ambulabat in die, nisi quod extrahebat subtalares. Semper portabat catenam ferream, cinctam ad carnem super lumbos, qua, cum mortuus esset, cinctum invenit Frater Rudolfus, et ablatam a carne sanctissima [retinuit,] posteaque pro munere dedit Fratri Jordano, magistro Ordinis, ejusdem Patris sanctissimi successori.

170 Post Completorium et orationem, a Fratribus communiter factam, faciebat eos intrare *in oratione pernoctaret,*
dormitorium, seque ad orandum in ecclesia occultabat. Orabat autem cum clamore valido, gemituque maximo ad tantum prorumpens planctum et motum, quod in vicino dormientes excitabantur a somno, et plerumque ad lacrymas movebantur. Sic orans usque ad Matutinum E
pernoctabat, et nihilominus stabat ad Matutinum cantans alacriter, et vociferans usque ad cœlum. Circuibat etiam utramque partem chori in voce jubilationis, monendo et solicitando Fratres, ut alte cantarent psalmos et devote, et cantarent solenniter et distincte. Post Matutinum autem tradens cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, ita orans perstitit, quod numquam visus est in lecto dormire. Inveniebatur tamen quandoque sedendo, vel in terra jacendo, vel in assere præ lassitudine obdormisse *a*.

171 Sic devotus suspensusque insistebat orationibus, quod propter tumultum vel turbationem *frustra illum terrere,*
qualemcumque non movebatur ab oratione, abstractus a sensibus et devotioni conjunctus. Nocte ergo quadam sanctum Dominicum, in oratione ante altare prostratum, diabolus revocare conatus, de tecto ecclesiæ lapidem *b* magnum projecit b
tanto impetu, ut per totam ecclesiam resonaret; venitque tam prope sacro capiti jactus lapis, ut caputium ejus contingeret. Cumque Sanctus maneret immobilis, inimicus ejulans terribili voce, confusus abscessit. F

172 Qui cum eum terrere non posset, illudere *aut illudere conatus est dæmon,*
attentavit : cui post Completorium oranti dæmon in specie Fratris orantis ante quoddam altare apparuit; quem Sanctus Fratrem æstimans, manu innuit, ut ad quietem iret. Tunc ille inclinans caput discessit. Postea monuit Pater Fratres, ne quis post ultimum signum in ecclesia remaneret. Nihilominus tamen falsus ille et fictus Frater, sicut primo orationem simulans, sic secundo fecit et tertio. Tunc accedens ad eum Pater dixit: Quænam est ista inobedientia, quod in hoc, quod toties prohibui, te tertio deprehendi? Tunc cachinnans ille nequissimus: Modo, inquit, silentium te frangere feci. Noli, ait Sanctus, miser lætari in eo, quod tibi non proderit. Ego sum super silentium dispensator, et loqui potero, cum mihi videtur expedire.

173 Occulto et jucundo judicio suo insidiatoris *qui alias et apparens*
nequissimi versutias electis suis Deus prævidit et ordinavit ad meritum et salutem : etenim sanctus Dominicus vidit quadam nocte accusatorem Fratrum quasi ferreis manibus tenentem scedulam, et ad lumen lampadis hanc legentem; a quo dum

Vir

A Vir sanctus quæreret, quid legeret, respondit: Peccata Fratrum tuorum lego. Præcepit ergo Pater potens, ut scedulam dimitteret, quam in nomine Christi coactus dimisit; in qua Pater quædam reperit, super quibus filios emendavit. Ecce quomodo in insidiis suis iniquus capitur, et justi de angustiis liberantur.

insidias ac fraudes suas 174 Cum idem Sanctus civitatem, quam dilexit anima sua, quærendo circuiret, et vigilans muros Hierusalem custodiret, invenit eum, qui circuit quærens quem devoret, tamquam leo rugiens, omnia loca monasterii pervagantem, et dixit ei: Cur hic circuis, sæva bestia? Respondit: Propter lucrum, quod inde recipio. Dixit ei Sanctus: Quid lucraris in dormitorio? Respondit: Somnum necessarium eripiens, quietem impedio, lenteque surgere faciens, pigritiam ingero, sicque ab Officio divino remanere persuadeo. Insuper, cum permittor, carnis stimulos et illusiones immitto. Traxitque eum Sanctus ad chorum et ait: Quid in tam sacro loco lucraris? Respondit: Facio tarde venire, cito exire, et seipsum oblivisci.

patefacere cogitur. 175 De refectorio quoque interrogatus, respondit: Quis non plus, quis non minus? Hinc ad B locutorium ductus, respondit cachinnans: Hic locus est totus meus. Hic veniunt risus, hic narrantur rumores, verba proferuntur in ventum. Cumque a Sancto traheretur nequam ad Capitulum, cœpit locum exhorrendo fugere, dicens: Iste locus mihi infernus est: nam quod alibi lucratus fuero, hoc hic perdo: etenim hic monentur, hic confitentur, hic accusantur, hic verberantur, hic absolvuntur. Idcirco hunc locum ceteris plus abhorreo et detestor. Sic coactus a Sancto virtute Altissimi, malitiæ suæ fraudes detexit invitus, ut videant justi, et ipsum irrideant, sibique a laqueis caveant, ne irretiti capiantur, et teneantur in ipsis *c*.

c

XIII *Sanctus in victu et vestitu* 176 Summus erat Pater noster paupertatis amator, in omnibus actibus et moribus suis ipsam præferens et ostendens, filios et Fratres suos in id ipsum exhortans cum omni devotione et diligentia, monitis et exemplis. Propter hanc divinam et singularem discipulorum Christi virtutem, possessiones habitas abjici voluit, et oblatas accipere renuit, possidendasque in Ordine suo, statuto perpetuo prohibuit, et strictissime interdixit. C In ædificiis sumptuositatem vitari voluit; in ecclesiis quoque cavendo curiositatem paupertati studuit. In cultu etiam et ornatu ecclesiasticarum vestium, paupertatis et sanctitatis indicia voluit apparere, magis quam divitias ostentari. Idcirco multum ad hæc nisus est in diebus suis et operam dedit, ne Fratres super se, vel in altaribus, sericeis vel purpureis uterentur præparamentis, aut vasis aureis vel argenteis, nisi in calicibus tantum, et ut vestes sacræ de buchirano *d*, seu de panno alio simplici haberentur.

d

ubique paupertatem dilexit ac commendavit, 177 Injunxit quoque Fratribus, et ipse tenuit, ut vilibus induti numquam in via portarent pecuniam, sed ubique de eleemosynis victitarent. Possessionibus suum Ordinem omnino obfuscari noluit, et hæc in regula sua scribi mandavit. Sciebat Vir prudens, quod spinæ semen, injectum sibi, suffocant, ideoque ne pungens sollicitudo divitiarum, anxiusque temporalium amor sanctitatis fructum aut prædicationis semen opprimeret, paupertatem Euangelicam, quæ sollicitudinem abjiciens, de crastino non cogitat, elegit, mandavitque filiis eligendam: dum enim temporalium curæ vehementer insistitur, minus diligenter spiritualibus intenditur, et plerumque prædicatio dissipatur. Hoc certe Pater noster dulcissimus non fecit, cui numquam illa temporalium cura fuit; quin potius propter Christum et Euangelium omnia detrimentum fecit, et tamquam stercora reputavit, Christique inopia divitem eum fecit. *Ex MSS.*

qua occasione cographus socios suos 178 O si attenderemus Patrem sanctum, penetraretque cor nostrum sincerissimus ille intimusque paupertatis Euangelicæ amor, qui ejus præcordia tanta perfudit dulcedine cum effectu, ut nec in divinis Officiis, nec quibuscumque necessariis judicaret ei aliquid præponendum. Gaudebat inopiæ et egestatis defectibus, sicut filii seculi gaudere solent in abundantia et superfluorum profectibus. Lætabatur, cum nuntiabatur defectus victualium, sicut lætantur in messe portantes manipulos suos. Exultabat in nuditate, sicut exultantes victores capta præda, quando dividunt spolia. Hæc procul dubio effecit in mente ejus gratiæ copia et caritas paupertatis non ficta. Plerumque tunc Fratres inopia pressi cum Patre sancto aquam bibebant, modicoque cibo contenti, Domino læti gratias referebant: anima enim eorum sicut adipe et pinguedine desuper replebatur. E

179 Hæc profecto Patrum nostrorum vita, perfectio fuit Euangelica. Nos autem vita vivimus tantum, et non erit tale nomen nostrum. Pauperes quidem sumus, quia omnia pro Christo dimisimus. Summa nostræ perfectionis paupertas voluntaria et Euangelica est. Paupertas quidem omnibus mortalibus communis est, et miseriam habet; voluntaria vero paupertas philosophorum est, et gloriam habet, sed non apud Deum; Euangelica autem tantum Apostolorum et perfectorum est, et hæc habet miseriam propter Deum, gloriam apud Deum, suavitatemque amoris in Deo. In paupertate sine amore miseri erimus, et apud Deum gloria carebimus, licet voluntaria sit, et apud homines habere gloriam videatur. Euangelica autem præ amore miseriam non sentiet: perfundetur enim dulcedine, habebitque gloriam apud Deum. *ad amorem euangelicæ paupertatis,*

180 Hanc amavit et exquisivit a juventute sua, et quæsivit sibi sponsam assumere Pater noster, amator factus formæ illius. Summa namque sapientia est omnia relinquere, unique, quod solum est necessarium, adhærere: Christus etenim Dei sapientia id non suasisset, nisi hoc esse veram sapientiam cognovisset. Itaque et euangelicus pauper Dominicus, hac caritate affectus, ostiatim aliquoties quærebat eleemosynas, nec dedignabatur Vir humilis porrectum sibi pro nomine Christi panem accipere, ut mendicus. Instigavit ad hoc animam ejus non cupiditas, aut egestas; sed humilitas et caritas: nec fuit istud causa necessitatis, sed exercitium pietatis. Contigit ergo, quod ei sic mendicanti homo quidam integrum panem dedit. Sanctus vero et gratus pauper Dominicus flexis genibus oblatum pro Deo panem cum multa devotione et humilitate accepit. *et ad imitandum sancti Patris exemplum* F

181 Donet Deus, ut hæc Patris nostri mendicitas eximia, Euangelicæ caritatis dulcedine respersa, humilitatisque pinguedine ac devotionis referta, gratitudo quoque in acceptione muneris in ipso comperta sic in nostris mentibus perseveret, ut paupertatem, cum adfuerit, tamquam sponsam amanter amplectamur, mendicitati libenter et humiliter conjungamur, acceptisque eleemosynis gratissimi inveniamur. Dilectio paupertatis *[illegible]tatur.*

pertatis

Ex MSS.

pertatis murmurationem cohibens, dat patientiam; humilitas desidiam expellens, reddit alacres; gratitudo duritiam cordis auferens, orationem multiplicat et gratiam.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia ex Processu Bononiensi confirmabuntur.*

b *De posthumis hujus saxi monumentis in Commentario prævio* § 30 *sat fuse actum est.*

c *Has dæmonis illusiones et apparitiones in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 14, *et tribus sequentibus invenies.*

d *In codice nostro Ultrajectino pro* buchirano *legitur* burrono; *sed forte legendum est* boqueranno: *nam* buquerranus, bucaranum *et* buchiranum *est species telæ subtilioris aut levioris, ut in nova et auctiori Glossarii Cangiani editione ad vocem* boquerannus *pluribus exemplis probatur.*

B

CAPUT XVI.

In primo Capitulo generali effulgens Sancti humilitas, fortis ac suavis suorum gubernatio, stricta regularum et jejuniorum custodia etiam in itineribus servata.

Pars IV. Cap. I. *Anno* 1220 *habitum est primum Capitulum generale,* * *alias* quarto

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo vigesimo, a confirmatione Ordinis Prædicatorum sexto*, servus Altissimi, beatus pater Dominicus, ipsius inspiratus Spiritu, decrevit pro conservatione Ordinis inchoati capitula generalia a posteris frequentanda: ex concessione quippe Sedis Apostolicæ acceperat et habebat tunc temporis super totum Prædicatorum Ordinem disponendi, ordinandi, corrigendi plenariam potestatem. Mandavit igitur ipse primus magister Ordinis inclytus pater Dominicus per litteras suas Parisius, ut sibi quatuor Fratres de illo C Conventu ad celebrandum generale Capitulum Bononiam mitterentur. Missus est ergo venerabilis Frater Jordanus Theutonicus cum aliis tribus ad Capitulum, prout mandaverat Pater sanctus. Frater vero Jordanus, cum missus fuit ad Capitulum, nondum in Ordine peregerat tres menses; erat autem gratia plenus, et ad omne opus bonum idoneus et paratus.

in quo S. Dominicus frustra desideravit

183 In hoc Capitulo, cui beatus confessor, almus pater, sanctusque magister præsedit Dominicus, consilio sancti Spiritus et illustrium virorum, quos advocaverat, collocata sunt hujus Ordinis fundamenta. Ibi paupertas Euangelica primarius lapis fuit: abjecerunt enim statuto perpetuo possessiones et redditus temporales, renuntiantes etiam iis, quas habebant in partibus Tholosanis, paupertatem Christi Ægyptiorum divitiis præferentes. Præsidens autem Capitulo humilis Servus Christi, dixit inter Fratres: Ego sum dignus depositione, quia sum inutilis et remissus. Et qui sanctitate et auctoritate major erat omnibus, multum se humiliavit in omnibus coram omnibus.

184 Cumque cessionem ipsius nequaquam Fratres admittere acquiescerent, decrevit ex eorum beneplacito, ut deinceps statuerentur diffinitores, qui haberent potestatem super ipsum et totum Capitulum diffiniendi, statuendi, ordinandi, donec duraret Capitulum, salva imposterum reverentia magistrali. Ad exstirpandas etiam vitiorum frutices, et plantanda virtutum germina, statutum est ab illis sanctis patribus, ut singulis annis generalia Capitula celebrarentur. Transacto Capitulo, Frater Jordanus, accepta benedictione a magistro sancto Dominico, valedicens eidem Parisius est reversus, ubi Euangelium beati Lucæ tam gratiose Fratribus legit, quod ex ejus doctrina et profectum veritatis in scientia, et affectum pietatis in conscientia perceperunt: eratque conversatio ejus sancta, et vita perfecta. Unde et doctrina ipsius utilis exstitit et accepta.

D *officio Magistri generalis se abdicare,*

II *et in supremo illo munere confirmatus*

185 Prædicatorum Ordinem ad utilitatem Ecclesiæ divina dispensatione directum, ac a Sede Apostolica rite confirmatum Christi confessor beatus Dominicus auctoritate ejusdem Sedis hactenus regendo cum omni sanctitatis diligentia gubernarat. Nunc autem illustres dicti Ordinis viri ipsum, in hoc Capitulo cessionem humiliter petentem, unanimi caritate sibi ac devotione voluntaria concorditer prætulerunt. Magister igitur et rector ab eis constitutus, fuit in illis, sicut unus ex illis, nisi quod rigore primus, abstinentia, vigiliis, jejuniis, et castigationibus in se ipsum maximus, sanctitate summus, humilitate exstitit altissimus; die noctuque divinum in choro frequentans Officium, mensa conventuali parce præ omnibus utebatur.

E

subditos fortiter ac suaviter rexit,

186 Religiosæ institutionis [cultor] erat, custosque præcipuus, omnique studio nitebatur, ut sincere et integre ab omnibus servaretur: et si quando, sicut humana fragilitas est, aliqua a quoquam commissio fiebat negligentius, vel omissio, non parcebat omnino. In correctionibus autem tam dulcem servabat rigorem, tam rigidamque tenuit dulcedinem, ut et sufficienter puniret culpabilem, et hominem non turbaret. Si videbat quandoque Fratrem præoccupari aliquo delicto, fiebat quasi non videns, nec habens os loquelæ, et dissimulando transivit. Opportunitate vero facta, cum multa mansuetudine dixit illi: Frater non bene egisti, faciens quod non licet. Da gloriam Deo, et confitere peccatum tuum. Et sicut patrem se exhibuit verba correctionis infligendo, F sic etiam matrem consolationis ubera infundendo in spiritu lenitatis; eratque tam dulcis et efficax consolator, ut omnes turbati, venientes ad ipsum, discederent consolati *a*.

a *et ad perfectionem concionibus excitavit.*

187 Custodivit semetipsum et animas Fratrum suorum solicite, de omnis honestatis et religiositatis observantia curam habens. Unde quia scriptum est: Incessus hominis et risus dentium et amictus corporis enuntiant de illo, si cujus Fratris vestes videbat formam Religionis paupertatisve excedere, nequaquam sustinuit, sed protinus emendavit. Omni fere die, nisi grande impedimentum obstaret, prædicationem vel collationem Fratribus faciebat; cum tali vero devotione, tantaque lacrymarum effusione loquebatur, ut ipsos ad compunctionis gratiam et lacrymas provocaret. Nec est inventus similis illi, cujus verbum sic Fratres ad fletum et ad gratiam emolliret. Quando videbat filios aliqua occasione eventus cujuslibet desolatos, movebantur ex pietate paterna omnia viscera ejus, ipsisque semper orationis præsidio succurrebat, multosque ad consolationem suorum, ut prædictum est, orando

miracu-

A miraculose suscitavit a mortuis, et a diversis infirmitatibus liberavit.

Sanctus Fratrem a dæmone obsessum liberat,

188 Quidam Frater Bononiæ ad serviendum infirmis deputatus, reliquias carnium frequenter sine licentia comedebat; quod cum sero unius diei fecisset, arreptus a diabolo, cœpit horribiliter clamare. Accurrentibus autem Fratribus, pius Pater advenit, compatiensque graviter patienti, arguebat dæmonem, quod corpus invaserat Fratris sui. Dixitque ei diabolus : Intravi in eum, quia meruit comedendo carnes infirmorum contra ordinationem constitutionum tuarum. Sanctus pater Dominicus ait : Ego eum absolvo auctoritate Dei a peccato, quod fecit; tibi autem, dæmon, præcipio in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut exeas ab eo, et amplius eum non vexes. Quo dicto, statim Frater liberatus est *b*.

b

III *et in itinere discalceatus incedens et orans,*

189 Cum egrederetur occasione quacumque Vir beatus, omnibus secum euntibus per se vel per alios proposuit verbum Dei, et aut disputans, aut conferens, aut docens, aut legens vel orans, a divinis eloquiis non cessabat; ac quando loqui vel orare cum aliis non oportebat, B dicebat sociis suis : Præcedite, et cogitemus de Salvatore nostro. Tunc audiebant eum gementem ad Dominum, et medullitus suspirantem. Numquam iratus visus est, nec commotus, vel turbatus in labore itineris, vel fervore passionis, seu occasione quacumque; sed semper in tribulationibus erat patiens. Discalceatus per vias nudis pedibus ambulabat, villas autem et civitates transiens, calceos induebat, quibus egressis, rursus discalceatus, incedebat. Portabat autem calceos super scapulas, et cappam, aliasque vestes suas, et nolebat in iis portandis ab aliquo sublevari. Et si quando offendebat pedem ad lapides, imperturbatus alacri facie sustinebat dicens: Hæc est pœnitentia.

aut hymnos cantans

190 Sic nudis pedibus ambulans ab urbe Roma, cum venisset ad locum, ubi erant acuti lapides, dixit socio : En ego miser hic fui coactus semel calceare me. Qui dum quæreret causam, respondit beatus Dominicus : Quia tunc pluerat. In eadem via ex redundantia pluviarum [rivi et flumina plurimum] excreverunt. Tunc Sanctus gaudens in turbine laudabat et benedicebat Do- C minum cantans hymnos Ave maris stella et Veni creator spiritus integraliter alta voce. Venientes autem ad aquas inundantes signabat eas signo crucis, dicens socio multum pavido, ut transiret. Confisus tamen ille de obedientia, et signo crucis ab eo facto, pericula inundantium aquarum cum Sancto securus et prospere pertransivit.

statuta Ordinis

191 Cum autem declinare deberet cum sociis ad manendum, non secundum suam, sed secundum sociorum voluntatem hospitium requisivit. Ambulans autem per civitates et villas, a terra vix oculos elevabat. Existens in via, singulis fere diebus Missam celebrabat, si ecclesiam inveniebat; et quando Missam celebrabat, multas lacrymas effundebat. Veniens ad hospitium, si erat ibi ecclesia, semper ibat ad orandum in eam. Cum extra Conventum esset, audiens primam pulsationem Matutinarum monasterii, surgebat et excitabat Fratres, celebravitque totum Officium cum multa devotione tam diurnum quam nocturnum horis competentibus, ita quod nihil dimittebat. Et post Completorium erat cum sociis in silentio in itinere, acsi essent in Conventu : maneque dum ibat, servabat et faciebat Fratres servare silentium usque ad horam tertiam. *Ex MSS.*

et jejunia severe observabat.

192 Jacebat in palea vestitus et calceatus, sicut ambulabat, nisi forte extraheret sotulares. Per vias eundo observabat jejunium continuum, a festo Exaltationis sanctæ Crucis usque ad diem Dominicæ Resurrectionis. In æstate quoque omnia jejunia ab Ecclesia constituta, et omnes sextas ferias jejunabat. Comedebat autem ea, quæ dabantur, patienter, excepto, quod carnes non edebat, nec aliqua cibaria condita cum carnibus vel sanguine scienter; et si quando exilis esset procuratio, inde gratulabatur in Domino. Quando veniebat ad Conventus Fratrum, convocans eos, faciebat sermonem, proponens verbum Dei cum multa consolatione; et si quando in Conventibus moram trahebat, conformabat se Conventui in cibo et mensa, observabatque regulam integre et plenissime, et pro posse laborabat, ut Fratres eam totis viribus observarent : erat enim vir sapiens, discretus, patiens, et multum misericors, valdeque familiaris, sobrius et justus. Qui dum iret Romam, graviter infirmatus in via, propter hoc non fregit jejunium, nec carnes comedit, nec pitanciam sibi fecit, nisi de E pomis sive de rapis aliquando, servans jejunia omnia statuta in regula in sanitate et infirmitate : nam apud Viterbium et apud Mediolanum infirmatus, similiter faciebat; quando vero remittebat infirmitas, loquebatur de Deo cum Fratribus, et tenebat librum, vel faciebat sibi legi, et laudavit Dominum. Gaudebat quoque in infirmitate, sicut moris ipsius erat gaudere semper in tribulationibus potius, quam in prosperitatibus.

IV *Frequenter prædicabat,*

193 Multum erat hic primus Prædicatorum Dux solicitus exhibere se ipsum operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Ne, quod lingua decorum sonaret, vita reprehensibilis deformaret, curavit prius opere exercere, quod postmodum nitebatur alios edocere. Prædicabat frequenter, clamabatque non cessans, veritatem et salutare Dei dicens in corde suo : Ejus justitiam non abscondi. Et erat ignitum eloquium ejus vehementer, habebatque verba multum motiva : prædicando uberes lacrymas effundebat; plurimique compuncti ad fletum in ejus sermonibus movebantur. Prædicabat generaliter omnibus scholaribus, populis, F sapientibus et insipientibus debitor factus. A concilio multo veritatem Dei et misericordiam non abscondit. Religiosorum monasteria visitabat, eisque verbum prædicationis et gratiæ proponebat.

et suos ad prædicationem

194 Hortabatur etiam Fratres cum omni diligentia caritatis, ut de salute animarum essent soliciti, et ad prædicandum benevoli, et parati : et ut hoc divinum officium possent liberius exercere, noluit, ut ad hoc habiles et deputati, temporalium exteriorumque occupati solicitudine ad alia traherentur. Decreverat etiam ab initio Pater noster, ut Conversi illitterati temporalibus administrando præessent, et ceteri Fratres orationi tantum, et meditationi prædicationique essent intenti. At discretiores Fratres in tali administratione Patri non annuerunt, timentes, ne forte inconvenientia sequeretur *c*.

c

195 Quia vero sine sanctarum scientia Scripturarum perfectus prædicator nemo esse potest, suadebat fideliter filiis, ut semper studerent in novo et veteri Testamento. Ipse etiam beatus Vir Euangelium sancti Matthæi et epistolas Paul.

secum

EX MSS. secum deferens, multum studebat in eis, ut eas fere cordetenus retineret. Euangelicam quippe et Apostolicam doctrinam et vitam diligens et amplectens, figmenta philosophica parvi pendit. Ad confessiones peccatorum audiendas paratus et benignus fuit, et ad consolationes valde serenus et clemens faciendas omnibus tribulatis. Nempe summus et optimus tentatorum, turbatorum, omniumque, et maxime Fratrum suorum consolator erat, misericordiæ et compassionis visceribus affluens, efficacibusque sermonibus et dulcibus semper abundans.

quo exemplo sacerdos quidam

196 Quidam sacerdos videns beatum Dominicum cum Fratribus prædicationi ferventer insistere, nulla terrenorum præmii solicitudine, ceterisque postpositis, solis spiritualibus indulgere, cœpit eorum vitam pia æmulatione appetere, beatum fore se reputans, si eos posset aliquando imitari; deliberavitque, prorsus omnibus relictis, eorum vestigiis adhærere, dum modo novi Testamenti librum haberet, quem sibi ad prædicandum necessarium existimabat. Hæc autem eo cogitante, ecce quidam juvenis, venalem bajulans sub veste codicem, affuit; quem sciscitatus B presbyter, cujusmodi liber esset, agnovit, esse novum Testamentum, statimque cum magno gaudio illud emit. Habito autem libro, mox irrepsit ei tentatio, et cœpit hæsitare, an propositum illud, quod mente conceperat, exsequi expediret, et an forsitan Deo placeret.

mirabiliter ad Ordinem pertrahitur.

197 Cum ergo in mente variæ sibi cogitationes succederent, visum est ei in libro illo divinum flagitare responsum, et fusa ad Dominum prece, impressaque exterius in libro cruce, invocatoque Dei nomine, librum aperuit, et oculos ad capitulum, quod primo se obtulit, in ipsa libri apertione conjecit. Occurrit autem ei mox illud, quod in Actibus Apostolorum beato Petro de Cornelii nuntiis dictum a Spiritu sancto legitur: Surge, descende, et vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi. Statimque tamquam divino certificatus oraculo, relicto seculo, secutus *d* est eos *d*.

ANNOTATA.

C

a *Apud Edmundum Martene tomo* 3 *Collectionis amplissimæ col.* 810 *de mansueto gubernandi modo inveni notum paucis apophthegma* S. Dominici, *quod F. Albertus Sarthianensis Minorita, in Capitulo Patavino anni* 1443 *concionem instituens, refert usurpatum* præclare nimis a beato Dominico, quem, *inquit*, devotionis causa nomino: Frater enim in Christo nostri patris beati Francisci, in Christo patruus itidem nobis es. *Hic* DURUM, *aiebat*, IMPERIUM CONTEMPTUM PROVOCAT ET SCISSIONEM INDUCIT.

b *Eodem modo hæc Fratris energumeni liberatio in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 22 *exponitur.*

c *Supra* § 37 *Commentarii prævii indicavimus, quare hoc decretum non fuerit exsecutioni mandatum.*

d *Bartholomæus Tridentinus supra num.* 11, *Constantinus Urbevetanus num.* 22, *et venerabilis Humbertus cap.* 30 *miram illam sacerdotis vocationem describunt.*

D

CAPUT XVII.

Fervens Sancti zelus in procuranda animarum salute, magna orationis efficacia, et firma in Deo fiducia.

Sciens Pater noster, quia Deus humanarum animarum æternus amator est, satagebat toto nisu ut omnes animas suo conjungeret amatori: inerat enim ei mira quædam et pene incredibilis salutis omnium æmulatio, zeloque ferventissimo æstuabat molas iniqui conterere, et de dentibus illius eruere prædam. Nec tantum Christianorum, verum etiam gentilium, maxime Cumanorum, desiderabat salutem, quos etiam personaliter adire decreverat, ut eis verbum fidei nuntiaret: tantus enim erat animarum zelator, ut vix aliquis in hac virtute sibi possit similis inveniri: ea quippe, qua majorem nemo habet, plenus erat, etiam cum adhuc esset juvenis, caritate; nam mulier quædam, cum adhuc in sua maneret patria, conquesta est ei, fratrem suum apud Sarracenos retineri captivum. Tunc ille compassionis gladio mox saucius, vendendum se obtulit pro redemptione captivi, ut sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic ipse paratus erat pro fratre animam suam dare *a*. *a*

Sanctus salutem animarum sitiens E

sine viatico mittit suos Prædicatores

199 Sed et peregrinari et pro salute animarum proximorum exulare cupiens, loquens Fratribus patefecit votum suum pergendi ad exteras nationes. Dicebat enim: Cum instruxerimus et disposuerimus Ordinem nostrum, ibimus ad gentiles, eosque prædicando lucrabimur domino Jesu Christo. Exemplo autem Christi et Apostolorum filios, quos dederat ei Deus, misit in universum mundum prædicare pœnitentiam in remissionem omnium peccatorum. Instruxit autem eos, ut spem suam in Deo ponerent, pecuniamque non portarent; sed tantum viverent piorum hominum eleemosynis sustentati. Egressi itaque multam experti sunt penuriam, vias difficiles ambulantes. F

quibus Deus providet, ut exemplo probatur,

200 Contigit ergo duos Fratres itinerantes, cum jam transisset hora nona, quærere ad invicem, ubi possent sustentationem necessariam corpori invenire: jejuni enim erant, lassique et in terra paupere et ignota. Mox illis ita solicitis adstitit vir magnus in habitu peregrino et ait: Quid confertis ad invicem, modicæ fidei? Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis. Credidistis Deo, ut propter eum omnia dimitteretis, et nunc timetis, quod ipse vos dimittet impastos? Qui dat jumentis escam ipsorum, non affliget fame suorum animas filiorum. Et hoc vobis signum : Transibitis campum istum, ac in valle sequenti parvam villam invenietis, ubi, cum intraveritis ecclesiam, vos invitabit sacerdos; adveniet autem quidam miles, qui vos ei auferet violenter. Illis vero sic pie altercantibus, patronus ecclesiæ superveniet, qui vos, ac sacerdotem, et militem largissime procurabit. Quibus dictis, disparuit. Fratribus vero omnia, ut prædixerat, evenerunt. Revertentes autem Parisius hæc Fratribus, qui tunc erant ibi pauci et pauperrimi, retulerunt *b*. Benignus pater-familias *b* Dominus noster propheticum sancti sui Dominici

verbum

A verbum complens ministrat usque hodie largiter alimoniam servis suis.

eosque orationibus suis juvabat,

201 Paucos quidem in principio Pater sanctus Fratres habebat; tamen eosdem ad prædicandum per totam Ecclesiam dirigebat. Confidenter autem et sine hæsitationis scrupulo misit eos, licet quandoque simplices et exigue litteratos, sciens quia per stultitiam prædicationis complacuit Deo salvos facere credentes: qui cum se propter novitatem et imperitiam excusarent, edocebat eos dicens: Ite, et fructum facite, quia ad hoc sumpti estis, suadentes, ut agant pœnitentiam de iis, quæ et vos aliquando, diligentes hoc seculum, perpetrastis; quia qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam suam a morte, et operit propriorum multitudinem peccatorum. Et addidit: Confidite in Domino, et nihil deerit vobis; securus de protectione Dei cœli, cui eos precibus commendabat. Exeuntes autem in spiritu humilitatis et zelo Dei, fructum faciebant multum, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, quia virtus Domini erat ad multiplicandum eos. Denique quos Pater sanctus mittendo periculis exponebat, orationis suæ clypeo B protegebat.

sicut duo Fratres ejusdem Ordinis

202 Venerunt ergo duo Fratres sic missi in Theutoniam ad quamdam Cisterciensis Ordinis abbatiam, cui religiosus et devotus præerat abbas, nomine Hebberardus, cui Dominus apparens in somnis, ait: Cras ad te mittam equos meos, et tu ferrabis eos mihi. Evigilans vir sanctus, interpretari somnium nesciebat. Sequenti die adierunt idem monasterium, quod Salem dicitur, in diœcesi Constantiensi situm, præfati duo Fratres, quorum unus erat ille illustris vir, F. Johannes Theutonicus, postmodum in Ungaria Bernensis * episcopus, sanctique Dominici successor quartus: quos adhuc in locis illis incognitos religiosus abbas sciscitatus est de Ordine dicens: Cur, inquit, libros, et baculos, et varium portatis habitum?

* *lege* Bosnensis *vel* Bossinensis

in abbatia quadam Germaniæ experti sunt.

203 Cui vir prudens et doctus F. Johannes eleganter respondit ad singula: Prædicatores, inquit, sumus, liberque scientiæ * nobis competit; et quia Virgo Dei genitrix virga est aromatum, Christique crux directionis virga est, iis utimur, et tamquam baculis sustentamur. Secundum prophetiam etiam Zachariæ vatis sancti, quadriga C ultima de medio duorum montium æneorum gressa, habens equos varios et fortes quadrifidam Euangelii prædicationem significat, quæ de duobus Testamentis confecta per viros ornatos variis conscientiis, virtutibus, et miraculis, fortesque contra diabolicos, mundanos, et carnales incursus, paratosque ad discurrendum prædicando per omnem terram, in extremo seculi tempore per orbem vehitur universum: Angelus enim magni consilii misit illos. His auditis, abbas procidit ad pedes eorum, et devote osculans eos dixit: Vere vos estis equi, quos promiserat * mihi Dominus. Statimque lotis pedibus eorum, calceamenta nova et vestimenta jussit proferri; ipseque et Fratres illius cœnobii usque in hodiernum diem, Prædicatorum Ordini sunt devoti *c*.

* *alias* conscientiæ

* *alias* misit

VI.

Precibus suis Sanctus cuidam donum castitatis impetrat,

204 Quidam decanus de Francia Romam pergens, beatum Dominicum apud Mutinam prædicantem invenit: ad quem accedens, et de salute animæ suæ secum conferens, hoc inter alia dolenter exposuit, et quasi inevitabile naufragium esse dixit, quod a carnis lubrico continere non poterat, propter quod etiam a variis bonis operibus quasi desperatus abstinebat. Cui Vir Dei fide, qua plenus erat, confortatus dixit: Vade de cetero; viriliter age, et de misericordia Dei non desperes. Ego tibi carnis continentiam impetrabo. Sic dixit, et veraciter sic evenit: nam qui immundus fuerat et lubricus, deinceps castus et continens est effectus *d*. Ecce quantum valet deprecatio justi, qua carnis concupiscentia exstinguitur, castitas acquiritur, dæmones fugantur, morbi curantur, spiritualia simul et temporalia commoda conferuntur.

Ex MSS.

eiusdem tantum efficit, ut ad Ordinem Prædicatorum amplectendum

205 Tempore, quo sanctus pater Dominicus Bononiæ morabatur, erat ibi magister Conradus Theutonicus, cujus consortium habere in Ordine Fratres ardenti desiderio cupiebant. Contigit autem, ut religiosus quidam, ac venerabilis Prior Cisterciensis Ordinis ex speciali amicitia, quam Romæ contraxerant, patrem sanctum Dominicum transiens Bononiam visitaret: qui dum insimul in vigilia Assumptionis de cœlestibus dulciter loquerentur, ex familiaritatis confidentia dixit beatus Dominicus ad amicum: Vere fateor tibi, Prior, quod numquam in hac vita petii aliquid a Domino, quod non assequerer juxta votum. Hoc tamen nulli umquam hominum dixi; nec tu illud alicui, quamdiu vixero, revelabis. E

moveatur Conradus, vir insignis

206 Admirans ille tam specialem in Patre sancto gratiam, memorque desiderii, quod de conversione magistri Conradi habebant Fratres, dixit ad eum: Pete ergo, Pater, ut det tibi magistrum Conradum ad Ordinem, cujus societatem Fratres desiderant tantopere et exquirunt. Cui Pater sanctus ait: Rem, Frater bone, difficilem postulasti. Si tamen hac nocte Dominum volueris mecum deprecari, solita ejus benignitate confido, quod nos a petitionis nostræ desiderio non fraudabit. Dictoque Completorio, Pater almus, præfato Priore præsente et vidente, orans in ecclesia more solito pernoctabat. Illucescente vero die, cum Fratres Primam decantarent, ecce magister Conradus ad pedes Confessoris Christi procidens, Ordinem instanter et humiliter petiit, et perseveranter accepit *e*.

cujus pius [illegible] casione narratur,

207 Hic F. Conradus conversatione religiosus et lector gratiosus obitum suum et locum prædixit; qui morti proximus in Magdeburch, Priore et Fratribus præsentibus, dulci voce cecinit: Cantate Domino canticum novum, alleluia. Et cum aliud non proferret, orabant Fratres septem F psalmos. Tunc apertis oculis circumspiciens omnes, dixit: Dominus vobiscum. Et cum respondissent: Et cum spiritu tuo; subjunxit: Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Responderunt: Amen. Et obticuit, et cœperunt orare quindecim gradus. Cumque dicerent: Hæc requies mea in seculum seculi, elevato brachio et extento digito ad cœlum, ore jucundo et facie lucida exspiravit. Tunc prostrati sunt omnes pro reverentia Salvatoris, et quidam ibidem tantam dulcedinem experti sunt, quam nec credere nec exprimere valuerunt. Ii quoque, qui defuncti corpus induerunt, delectabilem et suavem odoris senserunt fragrantiam, quæ ipsorum manibus diutius post adhæsit *f*. Vere beata et efficax Patris nostri oratio, quæ talem filium gratiæ et coheredem gloriæ meruit obtinere.

[illegible] quemdam de Apulia

208 Recepit etiam sanctus Dominicus Bononiæ Apulum *, Thomam nomine, quem propter innocentiam et simplicitatem tantum dilexit, ut ejus filius specialiter vocaretur. Hunc seculares sui socii a claustro insidiose abstractum, Religiosis vestibus spoliantes, secularibus induerunt.

EX MSS. Currunt igitur Fratres ad sanctum Patrem, conquerentes : En filius vester ad seculum trahitur violenter. Mox ecclesiam intrat Confessor almus, postulaturus judicium de rapina; judicavitque Dominus humili Dominico. Et ecce, mox ut lupi illi rapaces ovi raptæ lupinam vestem camisiam vi induerunt, exclamavit : En totus exuror; nec quiescere potuit, donec vestibus agninæ Religionis reindutus, ad ovile claustri tutissimum est ductus; qui postea tempore multo vivens, utilis et admodum exstitit gratiosus.

in eodem Ordine retineat.

209 Legistam quemdam Bononiensem dum amici violenter de Ordine extrahere conarentur, timentes Fratres deliberabant quosdam milites patronos suos ad sui defensionem advocare; quibus pius Pastor ait : Non indigemus seculari brachio, vel humano præsidio : ego enim video plus quam ducentos angelos circa ecclesiam, ad Fratrum custodiam a Domino destinatos. Recesserunt ergo, terrore cœlesti pavidi et concussi *g*. *g*

B

ANNOTATA.

a *Propter has circumstantias aliasque rationes, quas* § 10 *Commentarii prævii breviter protulimus, hunc caritatis actum duplicavimus.*

b *Huic divinæ providentiæ exemplo in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 4 *testis seu relator illius sic præmittitur :* Narravit Frater Henricus Theutonicus, quod circa principium Ordinis contigit, duos Fratres itinerantes jejunos, cum jam hora nona transiret, ad invicem quærere, ubi comedere possent in terra paupere et multum eis ignota, *etc. Suspicor, hunc Henricum Theutonicum esse eumdem, qui cum B. Jordano Ordinem intravit, et qui fuit primus Prior Coloniensis : nam Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 54 *num.* 11 *eamdem historiam narraturus, ita præfatur :* Consimile prope duobus Fratribus Ordinis Prædicatorum (ut per Fratrem Henricum de Colonia, Prædicatorem elegantissimum inter Fratres indubitabili relatione didicimus) contigit in partibus Galliarum, illo Ordine noviter inchoato. *Finita dein historiæ ejusdem narratione, laudatus Thomas Cantipratanus hæc addit :* Revertentes Parisios dicto Fratri Henrico de Colonia et Fratribus quibusdam aliis, qui sibi contigerant, retulerunt. C

c *Totam hanc abbatis Cisterciensis historiam eodem fere modo in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 4 *legimus.*

d *Constantinus num.* 43 *et Humbertus cap.* 51 *idem castitatis donum, Decano Gallo impetratum, iisdem ferme verbis commemorant.*

e *Subitam istam Conradi Teutonici conversionem alia occasione in Commentario prævio* § 38 *ex antiquioribus biographis confirmavimus.*

f *Pia ejusdem Conradi mors in Vitis Fratrum part.* 5 *cap.* 2 *narratur, ubi collector istius Operis ad confirmationem in Codice nostro Ms. hæc addit :* Hæc ipse Frater Robertus, Prædicator bonus, qui ejus servitor fuit, et omnibus iis interfuit, mihi Gerardo narravit.

g *Mira illa duorum tironum liberatio etiam in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 11 *et* 21 *legi potest.*

D

CAPUT XVIII.

Propagatio et incrementum Ordinis Prædicatorum, forma corporea sancti Conditoris, et singulares animæ ejus dotes.

VII *Frendente dæmone, Ordo propagatur,*

Anno ab Incarnatione dominica millesimo ducentesimo vicesimo primo contigit, duos Fratres proficisci Bononiam ad Capitulum generale, quibus in via junxit se quidam succinctus ad iter, speciem præferens cursoris, dicens : Quo pergitis? Responderunt : Bononiam imus ad Capitulum generale. Tunc ille : Quid ibi tractabitur? Responderunt : Ordinabitur ibi, ut Fratres euntes in mundum universum, prædicent Euangelium omni creaturæ, et annuntient regnum Dei. Tunc ille : Mittenturne aliqui in Ungariam? Dixerunt : Dante Domino, multi mittentur. Tunc fictus ille cursor exsilivit in aëre, terribili voce clamans : Ordo vester, confusio nostra est; et mox ab oculis eorum evanuit, tamquam fumus. Fratres autem illi venientes Bononiam, narraverunt hæc omnia patri sancto Dominico, et aliis ibi in nomine Domini congregatis *a*. E *a*

et insignibus viris splendet, inter quos archidiaconus Lingonensis

211 Eo quoque tempore magister Paulus Ungarus, actu legens in jure Canonico Bononiæ, inspiratus Dei gratia, Prædicatorum Ordinem est ingressus. Post celebrationem hujus secundi generalis Capituli missus est conventus in Angliam cum F. Giselberto Priore. Misit quoque tunc beatus Dominicus prædictum F. Paulum in Ungariam cum quatuor Fratribus, quorum unus fuit F. Sadoch, vir magnæ perfectionis. In hoc præfato Capitulo injunctum fuit venerabili viro, F. Jordano Theutonico absenti officium Prioratus provinciæ Lombardiæ *b*. Intraverat tunc temporis Parisius Ordinem FF. Prædicatorum dominus Ebberhardus, archidiaconus Lingonensis, vir multarum virtutum, opere strenuus, consilio providus, qui auctoritatis magnæ quanto fuerat latius notus in seculo, tanto plures assumptæ paupertatis ædificavit exemplo. Hic cum F. Jordano, quem valde dilexit, in Lombardiam iter agressus est desiderio videndi magistrum Ordinis sanctum Dominicum. Et per omnes partes Galliæ et Burgundiæ, per quas transierunt, et in quibus erat notissimus F. Ebberhardus, Christum egenum et pauperem in corpore suo circumferens, tandem infirmatus apud Losannam, ubi episcopus electus fuerat, sed acceptare renuit, vitam hanc ærumnosam et flebilem festino quidem, sed omnino felici fine complevit. *b* F

brevi piam vitam cum secura morte commutavit.

212 Paululum vero antequam moreretur, cum jam certum ipsius obitum medicorum pronuntiavit sententia, et dum hoc celaretur ab ipso, dixit ad Provincialem : Si moriturus sum medicorum judicio, quare mihi non dicitur? Celetur mors ab eis, quibus mortis est amara memoria. Ego morte non terreor. Nihil timendum, si terrestris hæc domus miseræ carnis subruitur, qui domum non manu factam æternam in cœlis felici commutatione exspectat. Defunctus est itaque, commendans ibidem corpusculum terræ, spiritum Creatori; de quo sic scribit magister Jordanus

A nus dicens : Felicis defunctionis ejus hoc mihi laudabile indicium fuit, quod in exitu spiritus ejus, cum me crederem ad dolorem cordis et turbationem spiritus concitandum, quadam e contra devotione atque jucunda hilaritate perfusus, ut minime flendum eum, qui migrasset ad gaudia, testimonio conscientiæ commoverer. Itaque defuncto apud Losannam F. Ebberhardo, F. Jordanus procedens, Lombardiam intravit, injunctum sibi per illam provinciam ministerium peracturus *c*.

c VIII *Scriptor Actorum hoc loco formam corporis,*

213 Interim sanctus pater Dominicus in conventu Fratrum Bononiæ morabatur, ex hoc seculo in proximo migraturus; qui utriusque hominis sui decore ac puritate gratiosus, omnium in se provocavit aspectum pariter et affectum : erat namque staturæ mediocritate æqualis, corporis tenuitate agilis, facie pulcher et paulisper rubens. Barba vero ejus et capilli aliquantulum rufi coloris speciem præferebant. De fronte ipsius et interciliis splendor quidam radiosus micabat, qui omnes ad venerationem ac dilectionem ejus attrahebat. Hilaris semper et jucundus apparebat, nisi cum ad compassionem per quamlibet B afflictionem proximi movebatur. Manus longas habebat et pulcras; vocem magnam et pulcram, et tubaliter resonantem. Calvus non fuit; sed coronam rasilem totam integram habebat, paucis canis respersam *d*.

d *et diversas Sancti virtutes,*

214 Hoc vas fictile et corpus fragile plasmavit, suaque sic gratia perornavit Conditoris manus, ut ei digne infunderetur Spiritus sanctus : sic instituit corporis hujus membra, ut essent donorum Dei vascula, et spiritus ejus organa. Templum revera Spiritus sancti fuit hoc corpusculum, quod numquam maculavit mortalis culpæ contagium, nec infecit carnalis concupiscentiæ vitium. Vere beata membrorum hujus corporis organa, in quibus talis ac tanta est cordis ac carnis in Deum vivum exultantis consonantia! Ad omnem enim sanctitatis perfectionem tendenti caro in eo cum spiritu concordabat : agebatur namque spiritu Dei, liberum habens imperium suæ carnis. In operibus miraculosis signorumque prodigiis, in gratia sanitatum et curationibus infirmitatum, quibus Christus glorificat Sanctos suos, clarusque efficitur in conspectu hominum Christianus, nulli secundus vel inferior reperitur.

C *eximiasque animæ dotes*

215 Ceterum quod ipsis fulgentius est magnificentiusque miraculis, tanta morum honestate pollebat, tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris et gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso verissime prædicemus. Inerat ei firma valde mentis æqualitas, nisi ad compassionem et misericordiam cujuspiam turbaretur. Et quia cor gaudens exhilarat faciem, placidam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate ac vultus hilaritate prodebat. Tantam autem servabat in iis, quæ secundum Deum rationabiliter fieri concepisset, cordis constantiam, ut vix vel numquam semel enuntiatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Et cum multa, ut memoratum est, in ejus facie de bono conscientiæ testimonio semper luceret hilaritas, lux tamen vultus ejus non cadebat in terram.

graphice depingit.

216 Erat jucunditas ejus secundum faciem Sanctorum, per quam omnium sine difficultate, mox ut eum aspicerent, illabebatur affectibus. Ubicumque versabatur, sive in via cum sociis, aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates aut principes et prælatos, semper ædificatoriis affluebat sermonibus, sacris abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemptum præsentium animi flecterentur. Ubique virum euangelicum verbo se exhibebat et opere, excipiens omnes largo caritatis sinu. Et cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, sibi proprium vendicabat, affluens pietate se totum in proximorum caritatem atque miserorum compassionem effundens. Et cum pie moveretur ad omnia, super peccatis tamen hominum miserabili tabescens turbabatur affectu. Unde civitati vel villæ, quam longe videre poterat, propinquans, et hominum miserias recogitans, totus in lacrymas solvebatur *e*. Hoc etiam eum cunctis faciebat gratissimum, quod simplici gradiens via, nullum umquam in verbo vel opere duplicitatis aut fictionis prætendebat vestigium.

EX MSS. *e*

ANNOTATA.

a *In Vitis Fratrum part.* 4 *cap.* 15 *eadem dæmonis apparitio narratur.* E

b *Paragrapho* 41 *Commentarii prævii examinavimus ea, quæ in his secundis comitiis gesta fuerunt.*

c *Quæ de Everhardo Lingonensi hic dicuntur, supra ex B. Jordane teste oculato retulimus, ex quo similia in Vitis Fratrum part.* 5 *cap.* 2 *repetuntur.*

d *De corporea Sancti forma, quæ hic describitur, in Commentario prævio* § 45 *fuse egimus.*

e *Huc pertinet oratio, quam Joannes a sancta Maria in Actis* S. Dominici *lib.* 4 *cap.* 15 *eidem Sancto adscribit, et exhibet his verbis :* Domine, pro tua bonitate, quæso, peccata mea ne respicias, nec ad ingressum meum iram tuam in istum populum effundas, aut propter iniquitates meas illum punias aut evertas. *Soëgius eamdem orationem ex monumentis monasterii Pruliani edidit, et Actis Gallicis* S. Dominici *Latine inseruit.*

CAPUT XIX.

Efficaces Sancti conciones, ardens orationis ac mortificationis studium, tenera devotio in sacrificio Missæ, abstinentia, et prævia imminentis mortis suæ notitia. F

IX *Post [illegible]*

Hic dulcissimus Homo, paterque piissimus, Prædicatorum Ordinis institutor devotissimus in hac carne vivens inter peccatores, cum Deo et cum angelis pia mente versabatur, præceptorumque Dei custos, consiliorum æmulus, ex omni, quod scivit et potuit, æterno suo Creatori deserviens, lucens in hujus mundi tetra caligine per vitam innocuam, et conversationis sanctissimæ cælibatum, diem impartiebatur proximis, noctem Deo : quia mandavit Dominus in die misericordiam suam, et nocte canticum ejus. Prædicabat diebus populis et clericis, nec revertebatur verbum ejus vacuum : nam multos avertit ab iniquitate. Audiens namque quidam clericus eum peroptime prædicantem, et de Scripturis potenter et lucide disserentem, quæsivit ab ipso,

querum

EX MSS. quorum librorum studiis tam sublimia didicisset. Cui benigne Sanctus respondit: Fili, in libro caritatis plus quam in aliis studui; hic enim liber
a de omnibus docet *a*. Erat itaque eruditus paterfamilias de thesauro caritatis proferens nova et vetera. Circuibat vicos, civitates et castella, prædicans et annuntians regnum Dei, visitans infirmos, consolans desolatos et curans languores.

Sanctus in oratione 218 Cum post laborem itineris ad hospitium declinabat, exstinguebat prius sitim ad aliquem fontem vel aquam, timens ne ex siti, quæ labore accenditur, plus bibendo notam incurreret, quam in omnibus toto conamine devitabat. Diebus cum sociis ac proximis nemo communior, nullus utilior; noctibus vero vigiliis et obsecrationibus nemo per omnem modum instantior: ad vesperum demorabatur fletus, et ad matutinum lætitia. Pernoctabat in ecclesiis et orabat, modo geniculans, modo prostratus, quantum a fragilitate corporis extorquere poterat. Cumque tandem, lassitudine succedente, somni interpellabat necessitas, sive ante altare, sive alio quocumque loco, aut certe super lapidem, instar patriarchæ
B Jacob, capite reclinato, paululum requiescens, rursus evigilabat ad orationem spiritusque fervorem. Circuibat vero tunc visitans altaria, Sanctorumque patrocinium invocans, sic usque noctis medium perdurabat.

et Fratrum custodia perseverabat, 219 Postea Fratres dormientes quietissime visitans, discoopertos operuit, ipsosque cruce Christi consignans, ad oratorium rediit, orationem continuans vigilando. His horis multos dæmonum insultus et tentationes sustinuit, multosque de ipsis triumphos in virtute nominis Altissimi reportavit. His horis multas animæ illuminationes, multasque supernas visitationes ac divinas revelationes, de quibus præscriptum est, meruit, quia Deum in nocte desideravit, et ad eum totis suspirando præcordiis vigilavit. Hæc erat ei vigilandi et orandi creberrima consuetudo, et vix umquam lectulo dormiens quiescebat, cum tamen Fratres ad quietem diligentius hortaretur. Oratio ejus munda et accepta in conspectu Dei fuit, quam sine intermissione obtulit, in quam omnem spem contulit, per quam quidquid voluit, a divina misericordia impetravit: sicut enim ipse confessus est, numquam aliquid in hac vita a Do-
C mino orando petiit, quod non ab ipso perceperit juxta votum. Nempe quia veritati promittenti credidit, quod acciperet, quidquid peteret, a benignitate largiente omne quod petiit, impetravit.

carnem suam affligebat, 220 Non suffecit ei vigiliis jugibus macerando tabefacere carnem suam; sed afflixit etiam et attrivit Vir innocens multis flagellationibus virgineum corpus suum. Nempe tres accepit singulis noctibus de catena ferrea disciplinas: unam pro se; aliam pro peccatoribus, qui versantur in mundo; tertiam pro iis, qui in purgatorio cruciantur. Sane de suis oculis quasi quemdam fontem effecerat lacrymarum, flebatque uberrime atque creberrime, fueruntque lacrymæ suæ sibi panes die ac nocte. Die quidem tunc magis, dum Missarum crebra et quotidiana celebraret solennia; nocte vero, cum super omnes infatigabilibus vigiliis excubaret. Erga dominici corporis Sacramentum flagrabat devotione permaxima, et Crucifixi memorans divinissimam caritatem et abundantissimam suavitatem, frequenter, dum elevaretur in Missa corpus Christi, in mentis rapiebatur excessum, Majestatis divinæ præsentia delectatus.

221 Dives in fide, hujus mundi divitias respuit, et despexit pompam seculi, humilitatem amplectens Christi et euangelicam paupertatem: nam electus in Cozcranensem episcopum, omnino renuit, dicens, se potius terram velle deserere, quam electioni de se factæ alicui consentire *b*. Mundus sibi, et ipse mundo crucifixus fuit, dum ipse mundi gloriam contemneret, et contemnendam prædicaret, amatoresque mundi ipsum despicerent, et despicabilem judicarent. Interrogatus namque, cur non libentius in Tholosana diœcesi moraretur, quam in Carcassona, respondit: Quia in Tholosana multos, qui me honorant, invenio; in Carcassona, vero omnes e contrario me impugnant. En verus mundi contemptor, Christique imitator, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. x *et contemnens honorem, in adversis lætabatur.* b

222 Verus erat paupertatis amator, utens vilibus indumentis: amorem quippe suum sic divinitati affixum tenebat, quod non solum a magnis abstinere, sed etiam a minimis affectus suos studuit cohibere. Unde vestimenta, calceamenta, libros, cultellos, cingulos, aliaque sui corporis usui necessaria, pretiosa ac curiosa habere noluit; sed humilia Religionique consona, et paupertati congrua acceptavit. Monebat etiam Fratres, ne quidquam talium appeterent, vel deferrent, quod Religioni et modestiæ non per omnia concordaret. In cibo quoque et potu temperatissimus erat, delicata vitans, et libenter simplici pulmento contentus: sic necessitati naturæ satisfaciens, ut numquam cor ejus crapula gravaretur, aut refectio corporis subtilem ejus spiritum hebetaret: a prima enim ætate usque ad finem vitæ suæ, carnem in servitutem redegit spiritus, corpusque suum impollutum ac innocens vigiliis, jejuniis, orationibus, flagellis, ceterisque pœnitentiæ operibus castigavit. *Cum verus ille pietatis Amator,* E

223 Quis hujus hominis virtutes usquequaque imitari poterit, quas etiam lingua exprimere non sufficit? Tanta quippe fuit in anima ejus per Spiritum sanctum gratiarum ac virtutum diffusa copiositas, in corde sinceritas, in sermone veritatis auctoritas, talisque in actione caritatis ac humilitatis lucebat sanctitas, quod humanam naturam excederent, Deumque inhabitantem verissime prædicarent. Mirari possumus, ex ipsius exemplo pensare nostri temporis inertiam: posse vero, quod ille potuit, non humanæ virtutis, sed gratiæ est singularis, nisi quem forte miserans Dei bonitas, in hanc dignata fuerit gratiam prorogare. Sed ad hoc quis idoneus? *quem copiosis gratiarum donis* F

224 Benedictus Deus, Pater domini nostri Jesu Christi, qui benedixit servum suum sanctum Dominicum omni benedictione cœlesti, ut nihil illi desit in ulla gratia: præparavit enim cor suum, in mente habens Deum et quærens eum in omni virtute sua et operatione: providens enim Deum in conspectu suo semper, visus est in contemplatione, elevatis in cœlum manibus, stare suspensus, ut vix terram contingere videretur. Vigilabat et orabat plus ceteris, majores et frequentiores accipiens disciplinas. Verberabat se, et verberari ab aliis faciebat cum catena ferrea, quæ tres habebat ramos, castigans innocens corpus suum. XI *misericors Deus ditavit*

225 Missam celebrans quotidie, in domo et extra, uberes fundebat lacrymas, tantaque devotione sacris adstabat altaribus, orationemque dominicam dicebat in Missa, ut intelligerent præsentes gratiam infusam cœlitus cordi ejus. In horis Canonicis et psalmodia, quas cum multa reverentia et devotione dicere consuevit, visa est *saluti proximi*

facies

A

facies ejus frequenter lacrymis irrigari. Coram hominibus quidem serenus et gaudens semper erat, in abscondito autem Patrem orans deducebat, velut torrentem, lacrymas, quas ab oratione evocatus a facie detergebat. Observabat diligentissime, ne delinqueret in lingua sua; volebatque in via et in domo semper de Deo vel cum Deo loqui, raroque alias loquebatur: testatique sunt viri perfecti, cum ipso multo tempore conversati, quod non est inventus in ore ejus dolus, nec est auditum verbum otiosum vel nocivum, vel detractionis, vel adulationis umquam processisse ex ore ejus. Maledicentibus sibi benedicebat, nec omnino umquam pro maledicto reddidit maledictum, qui non solum maledici, verum etiam flagellari, et frustatim incidi pro caritate Christi concupivit et mori.

ac propriæ perfectioni

226 Sane volens, Fratres solis spiritualibus intentos semper esse, prohibuit, ne intromitterent se de negotiis domus vel consiliis temporalium, exceptis iis, quos obedientia ad hoc adstrinxit, et prælatorum injunctio obligavit: in solicitudine enim caritatis Fratribus præerat, attendens sibi et universo gregi.

B

Delicta juste satis, benigne tamen et misericorditer puniendo correxit; cruciabaturque mente compatiens eis, quibus nihilominus debitas pœnitentias infligebat. Sic tamen dulcis consolator erat, quod a multis et variis tentationibus novitii per eum pluresque alii sunt erepti. Gratuitam etiam gravemque in corpore suo pœnitentiæ portans crucem, cum de terra ad terram pergeret, discalceatus nudis pedibus incedebat. Siquidem proximis compatiebatur omnibus et afflictis, maximeque peccatoribus ac infidelibus, quorum salutem laboribus promovere et apud Deum precibus obtinere ardentissimo desiderio cupiebat. Sanctorum Patrum Religiones venerabatur devote, Religiosasque personas omnes affectuose præ ceteris diligebat, tamquam cives Sanctorum et domesticos Dei, statumque ipsorum et vitam condignis præconiis extollebat, utpote consortum et confratrum.

omnem vitam impendisset,

227 Porro propter præcedentes vigilias parum comedit, minusque bibit. Unde frequenter in mensa præ lassitudine dormitavit. Itinerando tempore jejunii, horam nonam certam semper et

C

debitam exspectavit; socios autem prævenire ac bis refici dispensavit. Numquam pro cibo vel potu, aut lecto seu procuratione tenui, sanus aut infirmus, querulosus fuit, sed gratias agens omnibus diebus vitæ suæ. In via priusquam vespere post Completorium ad quietem se aptaret, orationibus tamdiu incubuit, ut plerumque per fletum a somno socios excitaret. Zelator erat Ordinis et regulæ ferventissimus, religiosusque et valde strenuus statutorum conservator, Fratrum etiam piissimus consolator, adeo quod in istis habere non creditur successorem.

eusdemque virtutes filiis suis sæpe commendasset,

228 Inter cetera doctrinæ suæ monita vitæque eximia exempla, tria præ ceteris a posteris observanda solicitus flagitavit, videlicet: ut semper de Deo vel cum Deo loquantur, pecunias per vias eundo non deferant, et in æternum possessiones non recipiant temporales: hæc enim sunt, quæ cor mundum, et a curis liberum efficiunt animum, servumque Christi ad meditanda divina, tractandaque spiritualia constituunt expeditum. Conemur igitur, Fratres, imitari monita paterna, prout possumus, et vestigia; simulque agamus gratias Redemptori, qui talem in via hac, qua ambulamus, ducem exhibuit servis suis, per eum nos in hujus conversationis lucem regenerans; deprecemurque Patrem misericordiarum, ut illo nos regente spiritu, quo filii Dei aguntur, per terminos, quos posuerunt patres nostri, ad eamdem metam perpetuæ felicitatis, ad quam ille felix introivit, nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur.

x mss

XII

ei instans mors

229 Cum in omni sanctitate perfectus beatissimus pater Dominicus cunctis fulgeret virtutibus, inter cetera spiritualium charismatum dona etiam spiritum prophetiæ a Domino meruit accipere, quo multa futura prævidit, effectus divinorum conscius secretorum. Cui etiam, tamquam specialis electionis dilecto, suæ vocationis terminum Dominus præostendere dignatus est: quomodo enim celaret a dilecto, quæ imminebat, mortem, suorumque dissolutionem membrorum, qui ei multorum mortes revelaverat aliorum? Nempe, quia fuerunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte præ desiderio veniendi et apparendi ante faciem Dei sui, audivit desiderium pauperis Dominus, ponens in conspectu suo lacrymas ejus.

ab angelo nuntiatur.

E

230 Et ecce oranti, supernorumque desiderio vehementer æstuanti vidit sibi juvenem pulcherrimum assistere, qui vocans eum, dixit illi: Veni, dilecte mi, veni; intra ad gaudia vera c. O gloriosa et omni caritatis dulcedine plena amicabilis hujus sancti et felicis Viri vocatio, qua non ad vana et caduca, sed ad certa mansuraque perpetuo gaudia invitatur! Vere beatus homo, qui vocatus non quæsivit inducias, Judicem formidando, nec venire jussus ad cœnam magnam Agni, distulit perperam excusando; sed præcinctus lumbos, lucernamque ardentem in manibus bajulans Vir euangelicus pulsanti incunctanter aperuit, venientique Domino obviam alacriter properavit.

c

quam quibusdam amicis suis prædixit.

231 Gratulans itaque et gratias agens de certitudine suæ gloriæ Vir justus visitavit quosdam clericos Bononiæ sibi familiares admodum et dilectos, cum quibus de contemptu mundi, et incolatu transeuntis seculi habita collatione perutili, postremo vale faciens eis, dixit ad eos: Vos quidem, carissimi, videtis me nunc sanum; sed ego adhuc ante illam solennissimam Dominæ nostræ Virginis Matris assumptionem de hac vita assumptus, ad Dominum emigrabo.

F

Fidelis sermo: sicut enim prædixit, sic evenit *d*: nam decimo die *e* ante festum assumptionis Virginis assumptus est ab ipsa Dominicus servus ejus fidelis, super omnia bona ipsius Filii constitutus.

d

e

ANNOTATA.

Hoc responsum clerico datum in Vitis Fratrum part. 2 *cap.* 25 *etiam refertur.*

b *Hæc honoris fuga, aliæque jam relatæ Sancti virtutes infra in Processu Bononiensi ab oculatis vel auritis testibus exponentur.*

c *Putamus, hunc fuisse angelum, de cujus prævia apparitione ac monitione Bartholomæus Tridentinus in compendio Actorum supra num.* 13 *meminit.*

d *Vitæ Fratrum part.* 2 *cap.* 27 *eamdem Sancti prædictionem quoque memorant.*

e *Videtur Theodoricus hac computandi ratione indicare, Sanctum die* 6 *Augusti mortuum esse, cum postmodum num.* 246 *clare dicat, illum octavo* Idus Augusti *ex hac vita migrasse.*

CAPUT XX.

EX MSS.

CAPUT XX.

Ultimus Sancti morbus, pia monita, et felix mors absentibus quibusdam statim revelata.

PARS. V. CAP. I. *Sanctus Bononiam reversus* a

Celebrato secundo generali Capitulo, beatus Dominicus domini Hugolini Ostiensis episcopi, tunc in Lombardia Sedis Apostolicæ legati, curiam pro sui directione et promotione Ordinis visitavit *a*. Regrediens autem a legato circa finem mensis Julii, venit Bononiam valde lassus: æstus quippe erat maximus et labor itineris fuerat multum gravis. Tamen, licet sic concussus, cum Priore domus, F. Ventura, et cum F. Rudolfo usque in noctis partem de statu et factis Ordinis loquebatur: qui cum ad quiescendum pergerent, instabant ei, ut ad quietem fatigata
B membra componeret, Matutinoque non interesset. Quorum non acquievit precibus; verum ecclesiam ingressus, in ea more solito pernoctavit, insuper et interfuit Matutino. Post Matutinum vero dixit Priori, quod dolorem capitis pateretur.

ex defatigatione morbum contrahit,

233. Ex tunc ergo cœpit manifeste languere infirmitate, qua ex hac luce subtractus est. Qua invalescente, confortatus spiritu, Deo infatigabiliter adhærebat, tam patienter hanc ægritudinem sustinens, ut semper jucundus et hilaris appareret, licet dysenteria urgeretur, et febribus ureretur. Sciens autem diem mortis sibi proximum, jussit coram se novitios convenire; quos serena facie intuens, ad amorem Dei et Ordinis, ad devotionem, Religionisque observantiam verbis dulcissimis hortabatur. Moreque suo contentus sacco, nec sic debilis acquievit requiescere super lectum.

in quo Fratres de castitatis

234 Tunc vocatis duodecim discretioribus Fratribus, Priori domus F. Venturæ multis sacerdotibus audientibus, de omnibus actibus suis generaliter est confessus; et dixit eis: En usque in hanc horam incorruptum carne Dei misericor-
C dia me servavit, illibatamque mihi virginitatis munditiam custodivit: quæ ut in vobis immaculata permaneat, feminarum omnium suspecta consortia devitate; qua custodita, servus Dei per puritatem vitæ gratus Christo, ac per odorem bonæ famæ fructuosus et gloriosus erit in populo. In fervore spiritus persistite, et in ipso semper Domino deservite; promotioni et dilatationi inchoati Ordinis intendite, stabiles in sanctitate manete, in Religione canonica et virtutum omnium incremento perseverate.

ac paupertatis custodia monet,

235 Et quoniam, revelante Spiritu sancto, se de hoc seculo cognoverat migraturum, congregatis coram se filiis et Fratribus testamentum condidit, cui superordinare nulli licet: testatoris enim morte confirmatum est. Hæc sunt, ait, Fratres et filii, quæ vobis hereditario jure possidenda relinquo: caritatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariam possidete. Argentum et aurum terrenaque substantia, unde testamentum conderet, quod filiis relinqueret, non erat illi; quod autem habuit dives in fide, hoc legavit, divitias videlicet salutis, thesauros cœlestes, et opes immortales, quas ipsum possedisse sacra insinuat vita, clamant exempla, miracula protestantur. Ne autem paupertas euangelica, firmissimum hujus Ordinis fundamentum, per inimicam Deo carnalem sapientiam quateretur, quanta potuit districtione prohibuit, ne quis in hunc Ordinem possessiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis et suam terribiliter imprecans ei, qui Ordinem Prædicatorum, quem præcipue decorat paupertatis professio, terrenæ substantiæ pulvere præsumpserit offuscare *b*. D b

eoque ingravescente, ad salubriorem locum transfertur;

236 Cum autem de die in diem invalesceret ægritudo, filii de Patris salute soliciti, ipsum ad sanctam Mariam in Montem deportaverunt, sperantes, ipsum ibi ad vitam reformari, quia sanior erat locus: qui ibi positus, cum viribus magis cœpisset destitui, sentiretque, dissolutionem sui corporis imminere, jussit ad se vocari Priorem; qui venit, Fratresque viginti secuti sunt eum, desiderio Patrem sanctum debilem visitandi. Quibus coram se positis prædicavit jacens sermonem pulchrum valde et motivum. Audito vero, quod rector illius loci ipsum disponeret in sua ecclesia sepelire, dixit humiliter et mansuete: Absit, ut ego sepeliar, nisi sub pedibus Fratrum E meorum. Tunc homo caritatis et pacis spiritu plenus, præcavens, ne vel optato fraudaretur sepulcro, vel forsitan oriretur contentio: Portate me, ait, extra, ut in vinea illa moriar sub divo, ut possitis me in nostra ecclesia sepelire. O vere fidelem Patrem et felicem virum, qui magis incommodam et despectam elegit sepulturam*, quam a filiis separari corporaliter etiam post mortem!

* *alias* mortem

sed sese inde reportari jubet,

237 Tollentes igitur filii dilectum Patrem retulerunt ad domum Prædicatorum paventes nimis, ne in via forsitan moreretur. Collocatus est autem in quadam cella, unctionis sacræ sibi præstito Sacramento: ubi dum aliquamdiu permaneret, F. Rudolfus caput Sancti tenens, sudorem faciei cum tobalia *c* linea detergebat. Flebant autem adstantes Fratres videntes in agone jam constitutum dulcissimum Patrem, cujus se dolebant consolatione destitui, numquam in ea gratia sui similem habituri. Quos Pater pius lacrymantes aspiciens, consolans eos dixit: Nolite plorare, filii carissimi, nec vos mea corporalis turbet discessio; in loco, ad quem vado, utilior vobis ero, quam hic fuerim, et post mortem advo- F catum me potiorem habebitis, quam in hac vita me habere possitis. Grandis hæc in morte sua fiducia vere justum eum omnino proloquitur, nec mori timuit, nec de æternitatis introitu dubitavit, ubi patrocinari tam confidenter filiis se promisit.

sub pedibus Fratrum suorum sepeliri cupiens,

238 Tunc interrogavit eum unus Fratrum dicens: Pater, ubi vi corpus tuum sepeliri? Respondit: Sub pedibus Fratrum. Invitatus ad nuptias, locum elegit novissimum, quem jam Paterfamilias summus ad locum superiorem, utpote amicum honoratiorem, transferret, et coram simul discumbentibus in gloria sublimatum. Tunc convocatis ad se Priore et Fratribus dixit: Præparate vos. Qui dum ad commendationem dicendam essent solenniter præparati, dixit eis: Exspectate adhuc. Tunc dixit ei Prior: Pater, tu scis, quomodo dimittis nos desolatos et tristes. Memento nostri, ut ores pro nobis ad Dominum.

et placide spiritum Creatori reddit,

239 Tunc in Deum jam totus absorptus Homo suavissimus, elevatis manibus ad cœlum, dixit: Pater sancte, tu scis, quia libenter persti in vo-

luntate

luntate tua, et illos, quos dedisti mihi, custodivi et conservavi. Ego recommendo eos tibi; conserva eos et custodi. Et ego venio ad te, Pater cœlestis. Et post paululum sciens, quia venit hora, ut ex hoc mundo transeat ad cœlum, dixit Fratribus: Incipite. Qua devotione, quibus lacrymis et singultibus tunc completum fuerit commendationis officium, novit, qui non spernit preces pauperum, nec gemitum mœrentium despicit et affectum. Interea Pater migrans motu labiorum orabat in spiritu, licet vox minime audiretur. Cumque in conclusione commendationis, ut moris est, dicerent: Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi; elevatas ad
d cœlum habens manus, emisit spiritum *d*. Et ecce manus angelicæ susceperunt eum, conspectui divinæ gloriæ præsentantes. Remansit autem jacens in cinere corpus exanime, mœrentium desolationi miserabile, fidei pietati amabile, et pro sua sanctitate cunctis venerabile.

III *cujus felix obitus Priori Brixiensi* B

240 Affuit in hac hora sacratissimæ mortis fideli Famulo gloriosa cum Filio Mater, Maria Virgo, angelorumque psallentium multitudo, beatum spiritum in cœlum deferentes cum gaudio, quemadmodum fidelibus suis divina patefecit revelatio. Eadem quippe die, eademque hora defunctionis ejus, venerabilis vir ejusdem Ordinis, F. Wala, Prior Brixiæ, postmodum ibidem episcopus, levi depressus somno, vidit interioribus oculis quamdam aperturam in cœlo, per quam submittebantur duæ candidissimæ scalæ. Summitatem unius scalæ manu tenebat dominus Jesus Christus; summitatem vero alterius scalæ tenuit Virgo, mater ejus beata, angeli vero discurrebant ascendentes et descendentes per eas.

in mira quadam visione,

241 Et ecce inter utramque scalam sedes posita erat in imo, et supra sedem sedens: et qui sedebat, similis erat Prædicatori, habenti faciem euntis in Jerusalem supercœlestem. Scalas autem illas sursum ducebant paulatim Christus Jesus, ejusque Mater, virgo gloriosa. Ducebatur pariter sedes cum sedente, donec psallentibus angelis cœlo illatus est. Receptis itaque in cœlum scalis et sede pariter cum sedente, cœli apertura clausa est, visioque disparuit. Veniens prædictus vir Bononiam, reique veritatem explo-
C rans comperit, eamdem fuisse diem et horam, qua Pater sanctus migravit a corpore, qua sibi visio illa cœlestis fuerat revelata: qui etiam ad gloriam Dei et sancti Dominici visionem mani-
e feste populo prædicavit *e*.

et F. Raoni Missam celebranti

242 Ipsa etiam die migrationis beatissimi Patris nostri contigit, duos viros Ordinis Prædicatorum, F. videlicet Tancredum, de quo supra facta est mentio, Fratremque Raonem in via pariter ambulare: qui cum in hospitium pervenissent, F. Rao ad altare Missam celebraturus accessit: cui F. Tancredus, ut magistri Dominici, quem ægrotare Bononiæ audierat, memor esset, injunctionem fecit. Cumque ad illum locum, quo pro vivis in Missa solet fieri memoria, pervenisset, injunctionemque sibi factam mente revolveret, subito factus in excessu mentis, stans ad altare immobilis, raptus in spiritu, vidit manifesta visione sanctum patrem Dominicum corona aurea laureatum, totumque mirabili splendore fulgentem, duobus reverendis viris comitatum hinc inde, extra Bononiam via regia procedentem.

statim revelatur.

243 In eadem visione vir ille devotus, Spiritu sancto sibi revelante, didicit, quod eadem die, sexta scilicet feria, hora sexta confessor sanctus Dominicus migrans a corpore cœlestem patriam gloriosus adisset. Hanc visionem præclaram is, qui viderat, Frater ex humilitate, qua utique plenus erat, longo tempore sub silentio custodivit; postea vero admonitus a Domino, quibusdam Fratribus ad laudem Dei et sancti confessoris Dominici recitavit *f*. Sic dulcis Pater, f
almus Christi confessor, adstantibus Fratribus et orantibus, mundus ex hoc mundo transiit ad obvia angelorum agmina, præsentis vitæ et incolatum miseriæ, supernæ habitationis decore commutans.

EX MSS.

ANNOTATA.

a *In fine* § 42 *Commentarii prævii de hoc itinere disputavimus.*

b *De necessitate relaxandi hanc paupertatem in Commentario prævio* § 44 *abunde egimus.*

c Tobalia *hic accipitur pro linteamine vel sudario, ut ex sensu patet.*

d *Has felicis mortis circumstantias postea in Processu Bononiensi ex oculatis testibus audiemus.* E

e *Hanc revelationem, Fratri Gualæ vel Walæ factam, B. Jordanus in Actis* S. Dominici *supra num.* 70 *etiam narravit.*

f *Licet B. Jordanus de hac secunda revelatione non meminerit, tamen Bartholomæus Tridentinus num.* 15, *et Constantinus Urbevetanus num.* 47 *eam satis confirmant, ut* § 44 *Commentarii prævii ostendimus.*

CAPUT XXI.

Honorificæ Sancti exsequiæ, varia beneficia statim post obitum ejus nonnullis collata, et revelatio cuidam facta de magnis illius meritis ac virtutibus.

IV *Sancti cadaver catena ferrea cinctum invenitur,*

Cum autem filii sacrosanctum corpus beati Patris ad sepeliendum involverent, invenerunt carnem ejus ad lumbos catena ferrea circumcinctam; quam F. Rudolfus auferens, et reverenter conservans, postea venerabili patri magistro Ordinis Jordano pro munere magno dedit. Itaque reverenter ac religiose involutum sanctissimum corpus cum lacrymosa solennitate ad ecclesiam deportarunt. Assistentes vero Fratres sacro funeri cum psalmis et canticis congruis, illud devotione lugubri venerabiliter ambiebant. Affuit tunc inter eos quidam vir religiosus et devotus, beatæ Catharinæ in Bononia Prior, dominus Albertus, qui beatum Dominicum speciali familiaritate et devota coluerat caritate; qui cernens Fratres miserabilem planctum in amicum jubilum commutasse, cœpit et ipse gaudentibus congaudere: concepta namque de gloria Patris sanctissimi non inani fiducia, jubilare cœperant filii Dei, et laudare Dominum super omnibus, quas viderant, virtutibus.

[illegible]

245 Vir autem ille sui ipsius misertus, in semetipso compunctus, accessit ad sacrosanctum defuncti corpus exanime, ruens cum mœrore in pia oscula et devotos amplexus, quibus tam diu inhæ-

EX MSS.

inhærens, inde non recessit, quousque mortis suæ, quæ imminebat, indubitatum meruit habere responsum. Quo accepto ad votum, vir bonus et pius surgens ab amplexibus corporis sacri, quibus devotus inhæserat, ait Priori Fratrum jucundus et gaudens : Fidelis sermo et omni acceptione dignus! Magister Dominicus amplexatus est me, dicens : Hoc anno ibis post me ad Christum; quod et factum est : nam eodem anno defunctionis sancti Patris, vir ille justus migravit ad Dominum, sicut prophetavit mortuum corpus sanctum *a*.

a

V *illudque coram variis præsulibus sepelitur,*

246 Contigit in diebus illis venerabilem Hugolinum Ostiensem episcopum, sedis Apostolicæ in Lombardia legatum, qui post fuit summus Pontifex Gregorius, Bononiam, ordinante Domino, advenisse: propter quod multi magni viri et ecclesiarum prælati aderant tunc præsentes. Hic, cognita, beati Viri morte, advenit, et corpus ejus sanctum condigna devotione personaliter sepulturæ mandavit. Noverat quidem sanctam ejus conversationem in Domino, et specialis eum, dum viveret, sibi adstrinxerat amoris amplexu; qui etiam præsens exstiterat, quando idem sanctus Pater Romæ Domini Stephani Cardinalis nepotem a mortuis orando suscitavit. Aderat nihilominus illustris patriarcha Aquileiensis, pluresque episcopi et abbates, aliorumque prælatorum ac populi non minima multitudo. Transiit igitur ex hoc seculo sanctus iste confessor Dominicus octavo Idus Augusti, sepultus Bononiæ juxta filios et Fratres suos Prædicatores, quorum Ordinis primus magister exstitit et fundator, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo.

B

ac firmo tumulo includitur,

247 Porro monumentum hoc sacri corporis hospitium de contemptibili quidem est et nequaquam pretiosa materia compositum; verumtamen pia devotione ac solerti studio præparatum : nempe F. Rudolfi diligentia, qui tunc procurator erat, ad cujus nutum omnia gerebantur, fabricata est arca de lignis ad hoc aptis et congruis, in qua per eumdem depositum corpus sacrum, ferreis clavis firmiter est conclusum; locumque sepulcri magnis lapidibus forti cæmento connexis circumseptum undique communivit : metus quippe erat eis, ne quid circa tam pretiosum thesaurum agerent impii malo dolo. Suppositus est igitur tumulo sancto grandis cæmento firmatus lapis, sub quo gleba illa auro præclarior, argento mundior, omnique gemma nobilior servaretur.

C

quem locum, licet humilem,

248 Dormit itaque in sinu matris suæ sic contentus, requiescens in pace; suavisque est somnus ejus; nec evigilabit, donec tuba novissima excitatus resurgat, cum electis Dei in parte dextera collocandus. Vigilat tamen anima ejus, discussa tenebrarum caligine, apertis oculis desideratam æterni luminis intuens claritatem. Vigilat, miserorum precibus ac languentium clamoribus patulas aures præbens, eorumque calamitatibus jugiter occurrens : omnipotens enim Dei virtus multa in morte et post mortem electi famuli sui Dominici evidenter ad exaltationem ipsius miracula dignanter operatus est, et usque hodie per ipsius merita in omnibus regnis Ecclesiæ operatur.

VI *Deus variis miraculis*

249 Jacet igitur, sicut desideraverat, Pater sanctus inter filios, in loco humili et depresso conditus, nullisque, aliorum Sanctorum more, aromatibus conditus, terra tantum et pulvere ab aspectibus hominum absconditus et opertus. At Deus, qui facit de tenebris lumen splendescere, ex hoc obscuro lumine dignanter et misericorditer præcepit miraculorum fulgura coruscare. Clericus etenim quidam honestus, Bononiæ constitutus, de morte quidem beati Dominici audierat; verumtamen qualitercumque impeditus, sepulturæ ejus solenniis non meruit interesse. Nocte igitur sequenti vidit in somnis beatum Dominicum in ecclesia sancti Nicolai sedentem in cathedra, gloria et honore mirifice coronatum. Dixitque clericus ad ipsum : Numquid vos estis magister Dominicus, qui estis mortuus? Respondit : Non sum mortuus, fili, quia Dominum bonum habeo, cum quo vivo. Mane facto, pergens ille ad ecclesiam Fratrum, in illo loco Sanctum sepultum reperit, ubi eum in visione inthronizatum vidit *b*.

D

b

Ipsa die ad hoc sancti Patris sepulcrum dæmoniacus quidam adductus est; qui cum ingressus esset ecclesiam, cœpit clamare dæmon dicens : Quid mihi vis, Dominice? Frequenter hoc clamans et replicans, Dominice. Sic super sepulcrum ejus tractus, a dæmonio liberatus est *c*.

c

et suavi odore illustravit.

250 Eodem etiam anno dormitionis Viri sancti, tempore hibernali cœpit odor suavissimus et maximus juxta sacrum fragrare sepulcrum, ac per totam Ecclesiam circumfundi. Duravit igitur hujus odoris fragrantia per multos dies; quam F. Ventura Prior Bononiensis, ac de ipso Conventu Fratres alii persenserunt. Cumque cœpissent innovari signa, et multiplicari mirabilia, videntes Christiani fideles, vere in loco operari Dei virtutem, decreverunt præ reverentia claudere sepulturam et pannis sericis operire. Fratres autem non admiserunt, timentes, ne cupiditatis vel jactantiæ notam incurrerent, si hoc facerent, vel fieri paterentur.

E

VII *Devotæ cuidam personæ*

251 Cuidam beatum Dominicum speciali caritate diligenti Dominus multa de meritis ipsius et gloria, et etiam de Ordine Prædicatorum revelavit, quæ scripta reliquit *d*; ubi inter alia sic loquitur : Peculiari dilectum meum affectu prosequor, arctiorisque amoris, quantum fas est amplexibus stringo præ ceteris delicatum virum sanctum Dominicum. Igitur in ejus solennitate cum Dominum pro Prædicatorum Ordine deprecarer, dignatus est mihi Dominus suam exhibere præsentiam, dilectum meum mihi in gloria manifestans. Ecce, inquit Dominus, quæ in omnibus fidelium meorum requiro rectoribus, iis servus meus fidelis et bonus pastor inter ceteros effulsit Dominicus. Nimirum in carne degens, nullum umquam subditorum sibi Fratrum amaricavit corde, aut exasperavit verbo vel opere : non enim poterat de scaturigine caritatis, quidquam amaritudinis emanare.

d

F

revelantur eximiæ virtutes,

252 Inerat ei quoque tam larga benignitas ac suavis pietas erga omnes, ut corporalem necessitatem, non solum religiosam et frugalem, verum etiam commodam pro tempore, sicut poterat, procuraret, ne vel adolescentior ætas inedia tabescens, saturitatem Ægyptiacam appeteret, neve senilis gravitas, jejunio confecta, deficeret. Sic autem clementer omnibus condescendens, antecessit omnes, eleganti docens exemplo laudabilem esse modestiam et abstinentiam salutarem. Misericordiam insuper et judicium superexaltans, in corrigendis delinquentium commissis intra regulares limites se continuit juste parcens hujus clementia, et pie sæviens disciplina. Hæc dilectus dixit ad me de dilecto; et vidi, et ecce dilectus meus erat vestitus multis coloribus, et varietate admirabili circumtectus : nam amictu candoris nivei, decorisque purpurei ac virentis coloris

specie

A specie resplendebat : tincta namque est illa immortalitatis, qua tegitur, tunica virginalis munditiæ candore pulcherrimo, super nivem nitido veritatisque primæ viriditate, quæ cœlestes oblectat et reficit mentes, splendore radiat, rutilo permixta caritatis geminæ colore roseo, qua per compassionem jungebatur proximo, et pro Christo ponendi animam flagrabat desiderio.

quas sanctus Prædicatorum Fundator

253 Et adjecit Dominus loqui ad me, de Sancto suo dicens : Cum aliquando rideret hic Electus meus, de suavitate spiritus mei prodiit risus ejus. Verax erat, talique risu veracis debuit os impleri. Cum autem orans funderet lacrymas, totius Ecclesiæ causam et angustias, specialiter filiorum Ordinis sui, et necessitates in thuribulo devotionis suæ cum grandi fide conspectui meo præsentabat. Consideravit diligentissime Pastor pius pecoris sui vultum aspectu benigno, devotione sincera, discretione prudenti : perversi sensus homines pia animadversione convertit. Docebat sapientes scientiam suam columbina simplicitate, juxta Domini Salvatoris Euangelium perornare, informans simpliciores eam quæ desursum est, sapientiam pudicam et modestam quærere B præ omnibus, et amare.

in vita sua exercuerat

254 Tentatorum pericula et turbulentas molestias compassione paterna et miseratione anxia in secreto sacri portabat pectoris, pie consolans, discrete consulens, et oratione sustentans. Suadebat juvenibus juge silentium propter assequendam prudentiam et observantiam disciplinæ. Debiles et infirmos piissimo fovebat affectu, necessitatibus eorum solicito providens cum effectu. Gaudebant igitur de ejus diutina præsentia universi, ejusque dulcissimæ conversationis desiderabilis societas tolerabilem eis reddidit omnem paupertatis inopiam, et totius laboriosæ vitæ austeram duritiem levigabat. Agamus gratias Domino Jesu Christo, et gloriemur in laude ejus, qui talem nobis hujus peregrinationis Ducem ac principem contulit, cujus magnificentia sanctitatis probata et laudata est ore ipsius dominicæ Veritatis. Gloriemur de ipso in Domino, quia ex honore Patris nostri gloria nostra est, nosque ejus erimus gloria, si fuerimus sapientes.

C

ANNOTATA.

a *Ista sacri cadaveris prophetia rursus ex Vitis Fratrum part. 2 cap. 28 desumpta est.*

b *Revelatio, quæ huic Clerico Bononiensi facta est, etiam in Vitis Fratrum part. 2 cap. 29 legitur.*

c *Illa energumeni liberatio in Vitis Fratrum part. 2 cap. 30 cum prologo sic refertur :* Narravit Frater Chabertus de terra Sabaudiæ, fervens et gratiosus Prædicator, qui post mortem multis dicitur miraculis claruisse, quod cum esset scholaris Bononiæ, in crastinum sepulturæ beati patris Dominici vidit cum aliis multis quemdam dæmoniacum ad sepulcrum beati Patris adduci ; qui, cum esset ingressus, clamare cœpit dæmon : Quid mihi vis, Dominice ? frequenter clamans et replicans, Dominice : et sic super sepulcrum tractus, liberatus est.

d *Utinam Theodoricus nomen et professionem hujus anonymi indicasset, ut tutius judicare nobis liceret, quam fidem revelatio illa mereatur !*

Ex Ms.

CAPUT XXII.

Illustre Ordinis Prædicatorum incrementum post mortem sancti Institutoris, et magnus primorum Fratrum fervor ad imitandam Fundatoris sui sanctitatem.

Pars VI Cap. I.

Auctus est Ordo Prædicatorum

Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, patre nostro sancto Dominico inter angelos et Sanctos translato, celebratum est Parisius tertium Capitulum generale, in quo vir vitæ venerabilis, F. Jordanus Theutonicus de Saxonia oriundus, per voluntatem Dei, dirigente spiritu Jesu, in magistrum Prædicatorum Ordinis est electus. Hic primo ejusdem Ordinis fundatori sancto Dominico, non tam administratione regiminis, quam æmulatione justitiæ et rectitudinis, successit, intentionis ac E religionis, fervorisque paterni factus perfectissimus imitator : qui dilectus Deo et hominibus quæsivit bona genti suæ, et dilatavit gloriam Ordinis sui, amplificans eum in provinciis, in Conventibus, et in optimarum multitudine personarum : nam multi natalibus et dignitatibus præeminentes, plurimi possessionibus et beneficiis locupletes, plerique diversarum scientiarum magistri et doctores, aliique innumeri delicati juvenes et litterati scholares, ad sermonem ejus et mellifluum eloquium compuncti, omnia propter Christum et Euangelium relinquentes, Prædicatorum Ordinem assumpserunt. Creverunt tunc filii Dei, et quasi germinantes multiplicati sunt, et roborati nimis impleverunt terram *a*. Nempe purissimum illud tritici granum mortuum in terra latens, sed in cœlo vivens, sanctus Dominicus in hanc pulcherrimam et copiosissimam segetem pullulans redundavit.

a

doctis et illustribus viris,

256 Erat profecto tunc tempus acceptabile diesque salutis, cum tot illustres viri de sua aliorumque salute soliciti, se ipsos aliosque odoriferum sacrificium et in conspectu Domini holocaustum acceptabile obtulerunt. Erant tunc vere F dies immaculatorum, quos novit Dominus, qui spiritu ferventes, Domino servientes erant in sanctitate et justitia coram ipso. Miserat namque tunc Deus ignem de excelso in ossibus eorum, et facta sunt corda ardore caritatis æstuantia vehementer. Diffundebatur autem flamma exterius lucentium operum et efficacium exemplorum, de quibus innumeris aliqua pauca sanctitatis perfectionisque opera memoramus ad ædificationem modernorum. Qui enim per gratiam a voluptatibus seculi et peccatis tunc convertebantur ad frugem vitæ melioris, de malis perpetratis compuncti, in tota tribulatione animæ suæ præterita expurgare peccata conati, cor contritum immolabant sacrificium Deo, delicta sua strictissime purissimeque confessoribus accusantes. Rimabantur solicite suarum secreta conscientiarum, ne quid vel modicum cor pungeret vel ejus munditiam offuscaret : delicata enim conscientia non solum criminalibus, verum etiam minimis culpis affligitur et mordetur.

257 Fiebant igitur tunc discussiones mentium assiduæ, confessionesque quotidianæ : nec tantum

EX MSS. tum uno diei tempore, aut semel; sed vespere et mane et meridie, quandocumque quidpiam occurreret, quod piam conscientiam perturbabat. Tunc contra omnes carnis dæmonisque tentationes armati viriliter, primos sentire motus indignum reputabant; admittere vero, vel in eis moram contrahere, utpote abominationem turpissimam respuebant. Omnium præcedentium negotiorum, commodorum, deliciarumque nulla erat eis recordatio; sed solum peccata plangere, divinis intendere, se intra se continere, corpus suum servituti subjicere et despicere, Deo omnia committere, eique soli jugiter adhærere, solicitudo et intentio tota fuit; animadvertentesque Ordinis honestatem et Religionis assumptæ pulcritudinem, eamque sermonibus et cordibus efferentes, hoc tantum querebantur, quod eam assumere, Deoque servire tanto tempore distulissent.

III *diligenter novitios erudiebant,* 258 Magna valde tunc fuit ad novitiorum informationem diligentia, grandis ad conservationem salutis, corporalisque sanitatis eorum ac studiosa custodia, ne nimietate indiscreti laboris debiles effecti, postmodum ad potiora inutiles B redderentur. Sicut necesse est tepidos ac remissos ad operandum stimulis urgere, sic oportuit tunc frenum discretionis nimio devotionis calore ferventibus adhibere: et sicut plerique nunc vix excitantur impulsibus, ut a sommo evigilent, sic tunc in diversis angulis requisiti ac in orationibus inventi, vix compelli poterant, ut dormirent.

ut exemplo ostenditur, 259 In observatione silentii, quod fundamentum Religionis sacræ est, stricta fuit censura, devota cura, et observatio studiosa et pura: nisi enim grandis urgeret necessitas, vel periculum immineret, disciplinam silentii infringere, inter eos nefas erat. Verbi gratia, cum quidam Frater Bononiæ ante altare prostratus post Completorium exoraret, diabolus eum apprehendens pede, usque ad medium protraxit ecclesiæ: quo clamante, accurrunt plus quam triginta Fratres, qui in diversis ecclesiæ angulis orantes latitabant, qui tractum intuentes, trahentem vero penitus non videntes, nitebantur, sed nequaquam eum poterant, retinere. Valde itaque territi, ipsum aqua resperserunt benedicta; nec sic etiam C profecerunt. Frater vero unus de senioribus illi ad retinendum adhærens, et ipse cum tracto pariter trahebatur. Multo tandem conamine ad altare sancti Nicolai perductus est. Tunc veniens venerabilis pater Reynaldus confessionem ejus audivit, et confestim eum Dominus a potestate diaboli liberavit: latuerat enim nescio quod in b corde ejus malum, quod non ejecerat confitendo *b*. Mira vere et miranda virtus puræ confessionis, et imitanda nihilominus et commendanda disciplina Fratrum in observantia religionis: nam in tali tantaque vexatione non est inventus Frater, qui vel modico uno verbo legem silentii sit transgressus.

in rigida linguæ custodia, 260 Fuit igitur pax in eis, quia refrenabatur lingua loquax: nam sicut obstructo ore clibani, calor intus fovetur, sic, servato silentio, gratia Spiritus sancti in corde retinetur. Hoc cognoscentes ponebant custodiam ori suo, ut non delinquerent in lingua sua, ideoque concaluit cor eorum intra eos, et in meditatione eorum exarsit ignis ille consumens vitia, Deus noster. Hanc observantiam sacer Dominicus instituit et exemplo docuit, qui detractorium vel adulatorium verbum numquam protulit aut nocivum: qui etiam in itinere constitutus silentium usque ad horam D tertiam tenuit, mandans idem a sociis observari. Numquam nisi de Deo seu cum Deo loquens, os aperire dignum duxit.

261 Matutinum et Missa, omnesque horæ canonicæ certis temporibus quotidie cantabantur IV *in orationibus,* solenniter et distincte, quibus magister Ordinis, sanctus pater Dominicus semper interesse consuevit, dans operam diligentem, ut psalleretur alacriter et devote. Adstabant cum eo divinis laudibus viri reverendissimi hujus Ordinis Patriarchæ, ac generaliter omnes Fratres, quorum medius stetit, qui se promisit congregatis in suo nomine affuturum. Præterea raro vacabat obsecrantibus, raroque ecclesia sine Fratribus videbatur; unde inveniebantur ibi frequentius a quolibet homine requisiti: non enim discedebant, die ac nocte orationibus insistentes. Alta pœnitentiæ suspiria internosque cordis dolores Domino immolantes, sua aliorumque peccata expressis quandoque clamoribus deplorabant. Alii centenis ac ducentenis genuflexionibus per diem et noctem laborantes affligebant se, Majestatem Domini adorantes.

262 Expletis cum observatione debita et omni *aliisque pietatis* pietate Horis diurnis, Fratres tamquam desiderabile quoddam Completorium exspectabant, seque ad id tamquam ad festum aliquod solenne devotius præparantes, mutuis se invicem orationibus commendabant. Pulsato autem signo, de omnibus monasterii locis ad ecclesiam festinantius properabant, salutataque post Completorium per Antiphonam REGINA CŒLI, subjiciebant se Fratres communiter disciplinis. Deinde cives Sanctorum et domesticos Dei, patronos suos, quorum in oratoriis altaria habebantur, ipsi ut peregrini, nec habentes hic manentem civitatem, jam beatos in patria corde et corpore visitantes, et eos a longe aspicientes, devotissime salutabant. Interim ex devota Sanctorum memoria mundabatur cogitatio, incaluit affectio, serenebatur conscientia, elevebatur in Deum mens, et radiante luce gratiæ compuncta corda et commota sunt viscera, et erumpebant lacrymæ; nec poterant se continere, quin ab extra stantibus audiretur expressius vox ploratus et ululatus multus, qui putabant, quod funus a circumpositis plangeretur. Unde plurimi compuncti sunt, et aliqui habitum Ordinis susceperunt. F

263 Nec tamen hac exercitatione contenti, in *ac pœnitentiæ exercitiis perseverabant,* angulis quibuscumque se monasterii occultabant, actusque suos examinatione strictissima discutientes, alii virgarum verberibus, alii nodosis corrigiis carnem suam acerrime lacerabant. Ex his ardentissimæ devotionis exercitiis facti quasi ignis effulgens, et quasi thus ardens in igne; alii in oratione elevati inter cœlum et terram aliquamdiu manere cernebantur, igne Spiritus ipsos sursum agente; alii pœnitentiæ flammis concremati, in favilla gemebant et cinere, ponentesque in pulvere os suum, nolebant oculos levare ad cœlum, quousque ardor ebulliens per lacrymas doloris incendium irritaret; alius præ desiderio amoris quiescere non valens, somnum oculis indulgere renuit, donec calefacientem se novam gratiam invenisset. Perpendat omnis devotus, quantum noctis spatium post hujusmodi exercitia ad quiescendum servis Dei potuerit superesse.

264 Surgentes ad Matutinas, officium Virgi- *et Deiparam devote venerabantur.* nis Matris reverenter, ut moris est, stando complentes, ad altare ipsius devotius percurrebant,

ne

A ne illud tantillum tempus orationi deesset. Dictis autem Matutinis et Completorio, præfatum altare Virginis triplici quandoque ordine ambiebant in gyro, ut merito cantetur, quod circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium : nimirum gyrabant adorantes eam pœnitentes, verecundia rosei, et innocentes virginali pudicitia liliati. Itaque post Matutinas pauci ad lectionum studium, pauciores recurrebant ad lectum, plerique remanebant vigiles ad orandum. Cum autem claresceret, et ad celebrationem Missarum signum fieret, vix inveniebatur, qui non per confessionem ante Missam, suam conscientiam emundaret. Tunc ad unum sacerdotem concurrebant plurimi gratia ministrandi, eratque inter eos sancta contentio, qui potissimum sacerdotem in tam sacro officio adjuvaret *c*. c

ANNOTATA.

a *Hæc ingens multitudo, quam B. Jordanus ad* B *Ordinem admittebat, facile colligitur ex Thoma Cantipratano, qui lib.* 2 *Apum cap.* 19 § 2 *de hac re sic scribit :* Memor sum loci et temporis et personæ, quod beatissimæ memoriæ Frater Jordanus, Magister Ordinis Prædicatorum secundus, prædicator strenuus, juvenes uno tempore tam parvæ litteraturæ ad Ordinem recepit Parisiis sexaginta, ut plures eorum vix possent, ut audivi, cum multa repetitione ad Matutinale Officium unam legere lectionem. Super quo, ut dicitur, a Fratribus graviter ad generale Capitulum accusatus, Spiritu sancto repletus dixit : Sinite istos ; ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico vobis, quod multos et fere omnes Prædicatores videbitis gloriosos, et per quos Dominus, super multo lucidiores et litteratiores, in salutem operabitur animarum. Quod nos veridico ore dictum, usque in hodiernum diem vidimus et videbimus. *Etiam istud Ordinis incrementum sub ministerio B. Jordani ex Vitis Fratrum part.* 3 *cap.* 15 *confirmari potest.*

b *Theodoricus hic dicit, Fratrem illum sic a dæmone tractum fuisse, quia latuerat* nescio quod in corde ejus malum, quod non ejecerat confitendo. *Sed Gerardus de Fracheto malum istud distincte explicat, dum in Vitis Fratrum part.* 4 *cap.* 4 *nar-* C *rat, eumdem Fratrem ab hac dæmonis vexatione liberatum esse, quando* advenienti magistro Reginaldo unum mortale peccatum, quod numquam dixerat, confessus est.

c *Hæc et sequentia primævi fervoris elogia ex Vitis Fratrum part.* 4 *excerpta sunt, ubi similia variis capitibus referuntur.*

CAPUT XXIII.

Ordo Prædicatorum magna primorum Fratrum pietate, singulari Deiparæ cura, quibusdam revelationibus, et caritate erga proximum clarus.

V *Austera primorum Prædicatorum abstinentia,*

Post tantos in divinis Officiis impensos labores, accessuris ad refectionem plerumque panis et cibus deerat atque potus. Verumtamen Christi benignitas sive per merita patrum mirabiliter, sive ex eleemosynis fidelium misericorditer providit, ut in se confidentibus nihil deesset. *ex mss* Et licet mensa conventualis per se parca et sobria satis esset, ipsam tamen quorumdam sobrietas et superaddita abstinentia perornabat : alius enim per octo dies a potu abstinens non bibebat ; alius saporem cibi superfusa aqua frigida diluebat. Multi etiam ne notam singularitatis incurrerent, nunc ab uno cibo, post ab alio abstinebant, de oblatis sibi aliqua subtrahentes. Alius per totam Quadragesimam stetit non bibens nisi semel in die, nec loquebatur, nisi de aliquo requisitus.

fraterna caritas,

266 In Conventu vero lecturis et servituris tam gregatim alii pro adjutorio occurrebant, quam solent fidissimi suis amicis in prælio congressuris. Nimirum tanta fuit in iis pietatis servitiis devotio, tantaque cordis hilaritas, ut non hominibus servire viderentur, sed angelis ; tantamque nonnulli senserunt dulcedinem, ut præ jubilo cordis scutellas etiam deoscularentur occulte. Præterea quanta in fraternæ caritatis obsequiis promptitudo fuerit, quis enarrare valebit ? In sublevandis etenim infirmorum Fratrum necessitatibus misericors valde erat omnium compassio, et indefessa et efficax sermonis et operis consolatio. E

magna erga peregrinos hospitalitas,

267 In susceptione advenientium de laboribus affectuosa admodum fuit et caritativa jucunditas, quorum servitiis se Fratres passim ingerebant, et in abluendis pedibus se humiliter provolvebant. Proinde si quis in compassione infirmorum suavior, in susceptione hospitum lætior, in lotione pedum humilior, in conventualibus servitiis sedulior esse poterat, feliciorem se coram Domino reputabat. Exuebant frequenter tunicas, cappas, et scapularia, spoliantes semetipsos, et peregrinis Fratribus vel alia occasione indigentibus exhibebant. Plures quoque ex Fratribus asperitate regularis habitus non contenti, induti occulte ciliciis, carnem propriam afflixerunt, lumbosque suos super nudo cingulis ferreis accinxerunt.

VI *et immaculata vitæ puritas,*

268 Inter hos prædictos rigores exterioris hominis et corporalis afflictionis, quod majus est, virtutum veritas in hac Religione munda et immaculata, et innocentiæ puritas eminebat. Nempe, Fratre sancto viroque magno referente, compertum est, quod infra modicum tempus, centum Fratrum confessionem audierat generalem, F qui mente integri pariter et corpore pudicitiam conservaverant virginalem *a*. a Si unus sacerdos in confessione tot sanctorum castimoniam meruit experiri, quot et quanta putas in toto Ordine latere sanctimonia ? De florido nimirum Prædicatorum Ordinis horto, Virginis Matris manu plantato, hæc lilia colligit flos Filius ejus, Dominus Jesus Christus. In hunc hortum, regio cultu et manu consitum, Regina mundi supernis comitata proceribus ac virginibus ad deliciandum progrediens, exstirpat vitiorum genimina, plantans virtutum omnium germina ac inserens semina, fundens desuper gratiæ stillicidia. Hic cum Filio Ecclesiæ sponso ejusque sodalibus, deliciis affluens, delectatur venustate florum, suavitate odorum, et satietate saporum. Flores sacros dico mores, orationes odores, consolationes spiritus sapores.

[illegible]

269 Iis ex hoc horto refecta Virgo delicata refertaque deliciis, libenter ipsum perambulat et frequenter, conclusumque Dei custodia circumdat et protegit diligenter : non enim solum summis excelsisque hujus horti cedris, sancto videlicet

EX MSS.

licet Dominico, dulcique Jordano, et Reynaldo doctissimo, ut prædictum est, dignata est suam exhibere præsentiam; verum etiam myrtum et hyssopum, rosam, lilium, et violam et nardum non respuit manifestata facie visitare. Hæc hortulana in laboribus, in tentationibus, in periculis, in extremis vitæ constitutis Fratribus visibiliter apparens, fatigationem, titubationem, angustiam et timorem abstulit; itemque in choro, in cellis, in dormitorio, in Completorio ac in itinere positis præsentia sua gaudium et consolationem infundit, quæ omnia alteri tempori et operi reservantur. Unum tamen de solicita hujus horti custodia, quod quanto extranius tanto carius, enarrabo.

ut ipsa ostendit apparens cuidam mulieri,

270 Femina quædam devota in Lombardia *b* solitariam agens vitam, audiens novum Prædicatorum Ordinem surrexisse, videre ex iis aliquos concupivit. Contigit autem, duos Fratres partes illas prædicando transire; qui divertentes ad eam, ipsam more Fratrum verbis sacris allocuti sunt. Quæ cum quæsisset, qui et de quo forent Ordine, responderunt, se de Prædicatorum Ordine novo esse. Quæ considerans eos pulchros B et in habitu decenti, juvenes, despexit existimans, quod sic non possent in hoc nequam seculo subsistere illibati. Cui nocte sequenti beata Dei Virgo Mater turbata facie adstans, dixit : Ab heri me graviter offendisti. Non credis, quod valeam servos meos juvenes custodire illæsos, pro salute animarum per mundum discurrentes? Ut autem noveris, me in specialem eos custodiam suscepisse, ecce ostendo tibi, quos heri despicere præsumpsisti : et elevans pallium ostendit ei multitudinem Fratrum magnam, et eos, quos despexerat, inter illos. Tunc femina sacra compuncta, Fratres deinceps ex intimis dilexit, et hæc per ordinem enarravit.

quæ hos ignotos beatissimæ Virginis clientes despexerat.

271 Sane pallium Dei Matris Virginis insignis habitus est sacri Prædicatorum Ordinis, quem si cum religiosa caritate in vera humilitate gestamus, profecto sub alis protecti ejusdem Virginis in adjutorio Altissimi habitamus. Tanta igitur fuit ad hanc Dei Genitricem Mariam Fratrum omnium devotio, tam mira in ejus reverentia piaque in laudis ejus cultu diligentia, tam sedula ac fervens ad eam oratio, sanctique amoris af- C fectio, tam grandis fidelisque de ipsius patrocinio confidentia atque insatiabilis in ejus contemplatione suspensio, quod hæc humanus sermo non prævalet explicare. Habebant itaque in cellulis habitaculisque suis expressas imagines Virginis cum Filio, et Crucifixi pendentis in ligno, quarum aspectus memoriam dormitantem excitaret, exterioremque sensum contra vana lubrica spirituali robore solidaret.

VII
Episcopus Portuensis Ordinem Prædicatorum magni facit, fortuito inventis verbis,

272 Accidit etiam eo tempore, cum jam Fratrum Conventus numerosior esset Bononiæ, ut quidam Apostolicæ Sedis legatus, episcopus videlicet Portuensis, Conradus nomine, vir religiosus Ordinis Cisterciensis, Bononiam *c* devenisset. Hic in Conventum Prædicatorum veniens, cum honore debito est susceptus. Quædam autem hæsitationis de hoc Ordine mentem ejus cogitatio agitabat, videlicet quid sibi vellet nova hujusmodi et inusitata Religio, et an esset ex hominibus, an ex Deo. Posita autem sibi cathedra residens in ecclesia Fratrum, librum aliquem petiit, et allatus est ei liber Missalis : quem facto signo crucis aperiens, in superiori primi folii parte legit : LAUDARE, BENEDICERE, ET PRÆDICARE. Quo tamquam cœlitus emisso responso exhilaratus, omnem ambiguitatis scrupulum jam D certus abjecit. Tunc quasi totis visceribus Fratres amplexus, ait : Ego quidem, etsi alterius professionis habitum exterius præfero, vestrum tamen interius mente gero; nec dubium vobis sit, quin totus sim vester. Vestri Ordinis sum : vobis me tota devotione committo.

quæ præcipuum ipsorum officium exprimebant;

273 Bene revera hujus Religionis viris laudatio, benedictio, et prædicatio per divinum oraculum coaptatur, in quorum ore laus Domini semper resonat, totaque die benedicunt ei, virtutem, magnitudinem ejus populis prædicantes. Etenim quatuor illa sancta animalia mystica Ezechielis prophetæ visione, Johannisque apostoli Apocalypsi in Prædicatorum figura descripta non cessant die ac nocte clamare : SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, quia Prædicatores sancti laudare, benedicere, ac prædicare Majestatis divinæ magnificentiam non disistunt : gratiam enim admirandi fervoris Spiritus sanctus cordibus eorum infuderat, ut verbum Dei annuntiare fidelibus et Jesum Christum prædicare pio desiderio affectarent. Qui quia sciebant, Ordinem principaliter ob prædicationem animarumque institutum salutem, aliqui simplici zelo moti, ad sumendum cibum E non accedebant læti, nisi prius pluribus vel saltem uni verbum Domini prædicassent. Vere isti prædicabant cum Apostolo, non ut comederent; sed comedebant, ut prædicarent. Ponam hic aliqua, quæ de iis sanctis Prædicatoribus dignatus est Dominus revelare.

VIII
et Christus eumdem Ordinem commendat precibus pii monachi.

274 In diebus illis fuit in Tuscia in monasterio sancti Galgani Cisterciensis Ordinis monachus, nomine Jacobus, multæ simplicitatis et gratiæ et famæ, cui frequenter Dominus in orationibus suam præsentiam exhibebat : cui Fratres duo Prædicatorum Ordinis illuc venientes, se et totum Ordinem devotissime commiserunt. Post Matutinum igitur orans, dum cogitaret, quomodo pro Prædicatoribus exoraret, apparuit ei Dominus dicens : Frater Jacobe, accipe has orationes, et sic pro Prædicatoribus ora *d*. Quas vir devotus intellectu capiens, publicavit, et auctoritas Apostolica confirmavit, et in Officio Missæ frequentare concessit : erat quippe monachus ille propter sanctitatem suam acceptus, et ad curiam sæpius vocabatur. F

qui etiam vidit Deiparam cuidam Prædicatori verba suggerentem,

275 Hic vir simplex et rectus dum cujusdam Fratris sermonibus frequentius interesset, Domino revelante, vidit, quod beata Dei Mater virgo Maria librum apertum tenebat coram facie ejus, ex cujus lectione tota prædicationis illius series decurrebat. Alterius quoque Prædicatoris, de materia improvisa loquentis, sermonem idem vir electus audiens, vidit beatam Virginem dignanter adstantem, quæ verba jactabat in os Fratris, et singula, quæ protulit, largitatis suæ munere ministravit. Secuta est ex iis Prædicatorum dictis animarum multa salus, nimirum Matre Verbi, virtute multa verbum euangelizantibus ministrante. Dilexit proinde vir iste sanctus Ordinem, Fratresque sequebatur, optans, quod omnes sui Ordinis, aliique clerici litterati Prædicatorum Ordini juncti essent, ut curam saluti impenderent animarum *e*.

cum tunc Fratres fervidis concionibus,

276 Erat autem tunc prædicatio fervida, continua, et voluntaria, annuntiabantque verbum Domini desideranter, ardenter, et frequenter. Deus igitur, cui complacuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, supplebat effectu gratiæ in eis defectum scientiæ, ut multos ad salutem acquirerent, et ad agendam pœnitentiam

tiam

A tiam provocarent. Beati Matthæi Euangelium cum septem Canonicis epistolis tantum in prædicatione euntes deferebant. Divinus namque pater noster Dominicus hæc deferenda, provida dispensatione decreverat, ut filiorum suorum prædicatio et euangelica veritate roboraretur, et auctoritate Apostolica firmaretur. Sic simplices filii Dei, scientiam principum hujus mundi, quæ destruitur et quæ inflat, contemnentes, per caritatem, quæ ædificat, et per scientiam Sanctorum, quæ stultissimos hominum facit *, ibant, et fructum faciebant, et fructus eorum manet. Ardebat in se ipsa igne divini amoris mens prædicantium, ideoque verba exinde procedentia alios inflammabant.

* *Hic videtur aliquid deesse.*

et pro vitæ exemplo salutem proximi ubique quærerent,

277 Nec solum ardor scintillabat in sermone; imo plus flammescebat in actione : cum enim in generali vel provinciali Capitulis de mittendis trans mare vel ad Tartaros, aut certe ad alias barbaras gentes Fratribus mentio fieret, quot cum veniis * et lacrymis multis, devotissimisque se offerebant precibus, nullus prævalet enarrare *f* : flagrabat siquidem in eis gloriosus ardor salutis proximi et adipiscendi martyrii. Hunc B missum in terram ignem sui amoris accenderat tunc Salvator in cordibus hujus Congregationis volens , ut arderet et accenderet, et tenebrarum hujus mundi lux et illuminatio magna esset. Ibant igitur accincti virtutibus, flammis sancti Spiritus ardentes : erat enim aspectus eorum, ut carbonum ignis ardentium, et incendebant ignito vehementer Dei eloquio ad compunctionis gratiam frigidos peccatores, illustrantes devotos, mentibus puriores, ferebanturque sursum flamma, ceteris humilitate altiores.

* *id est* genuflexionibus

f

quem zelum optat auctor refervescere.

278 O utinam refulgeat igneus ille, qui jam nunc (proh dolor!) est in nubilo, fervoris sol, qui nos accensos devoret, ut ignis cœlitus missus olim consumpsit sanctorum patrum mysticum holocaustum! O Domine Deus, perfunde crassa illa tuæ benedictionis aqua, de abscondito sacri ignis loco concepta, jam dudum siccos ac gelidos majores dignitate hujus structuræ lapides, ut accensa ex eis flamma tenebrosos irradiet, et tepidos reaccendat, ut, sicut olim, tibi serviant cum fervore, tuoque ardeant in amore !

C

ANNOTATA.

a *Gerardus de Fracheto in Vitis Fratrum part. 4 cap. 1 editionis Duacenæ pag. 61 hæc paulo aliter exponit his verbis :* Quidam valde religiosus Frater retulit, quod infra paucum tempus centum Fratrum confessionem audierat generalem, quorum invenit sexaginta integritatem corporis et animæ conservasse. *At Vitæ Fratrum in nostro Codice* P *Ms.* 7 *cum expressione Theodorici concordant.*

b *Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 10 *num.* 17 *scribit, similem apparitionem mulieri solitariæ seu reclusæ* in Saxonia *factam esse, ut alia occasione in Commentario prævio* § 29 *diximus.*

c *Laudatus Thomas Cantipratanus lib.* 1 *Apum cap.* 9 *num.* 4 *eamdem rem narrans, asserit, illum Sedis Apostolicæ legatum venisse* Parisios, *et ibi in novo Prædicatorum cœnobio id contigisse. Sed Constantinus num.* 23 *et Humbertus cap.* 31 *in Actis* S. Dominici *indicant, id Bononiæ evenisse. Bartholomæus Tridentinus supra apud nos num.* 11 *idem breviter referens, locum non expressit.*

d *Hic in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 4, *unde hæc narratio excerpta est, adduntur ipsæ orationes, quæ sic sonant :* ORATIO. Corda famulorum tuorum, Domine, illumina Spiritus sancti gratia, et ignitum eis eloquium dona, et qui tuum prædicant verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum, *etc.* SECRETA. Famulis tuis, Domine, verbum tribue gratiosum, et munera oblata sanctificans, corda eorum in salutari tuo, quæsumus, visita. Per Dominum, *etc.* POSTCOMMUNIO. Conserva, Domine, famulos tuos Unigeniti tui Corpore et Sanguine suscepto, et tuum nuntiantibus verbum largitatem tribue gratiarum. Per eumdem Dominum nostrum, *etc. Deinde confirmationis gratia adjunguntur sequentia :* Istas autem orationes dominus Papa approbavit, et concessit (*in Ms. nostro legitur* licentiavit,) ut dicerentur in Missa. *Ex Mss.*

e *De eodem monacho Cisterciensi similia in Vitis Fratrum part.* 1 *cap.* 5 *narrantur.*

f *Zelus ille primorum Prædicatorum confirmatur ex Vitis Fratrum, in quibus part.* 4 *cap.* 1 *hæc narrantur :* In quodam Capitulo generali Parisiis, cum incumberet aliquos Fratres mittere ad provinciam Terræ sanctæ, dixit Magister Jordanis Fratribus in ipso Capitulo, quod si qui parati essent bono animo illuc ire, quod hoc significarent ei. Vix verbum compleverat, et ecce vix E fuit aliquis in illa multitudine, quin faceret statim veniam, cum fletu et lacrymis petens mitti ad illam terram, Salvatoris nostri sanguine consecratam. *Ibidem alia de hoc ferventi zelo primorum Prædicatorum sequuntur.*

CAPUT XXIV.

Aliquot miracula patrata per intercessionem S. Dominici, antequam solenniter catalogo Sanctorum adscriberetur.

Pars VII Cap. I. Inter miracula coram Romano Pontifice probata

Interea dum sanctus pater iste Jordanus aliique devoti Fratres, tamquam stellæ radiantes, ut prædictum est, luce suæ prædicationis, et exemplo datæ conversationis, peregrinam adhuc in hujus mundi tenebris perlustrarent ecclesiam, F gloriosus ille jam fulgens in regno claritatis æternæ, ut sol, radios caritatis igneos exsufflans, beatissimus Dominicus beneficiorum fulgores spargebat, et miraculorum fulgura coruscantia indesinenter per virtutem emittens, admirationem et amorem cordibus infudit fidelium et stuporem; qui sicut in hac mortalitate positus, nulli umquam clausit gremium caritatis, ita nunc fonte pietatis inebriatus, omnibus invocantibus se præstat, quod desiderant, suæ Majestatis potentia sublimatus, cujus virtute ipsius meritis salus ægris, lumen cæcis, auditus surdis, loquela mutis, gressus claudis redditur, membra quoque mortalium paralysi dissoluta, ariditate inutilia, contractione monstruosa, putredinis fluxu sordida, febribus languida, variisque infirmitatibus morbida, optatæ sanitatis remediis solidantur : quorum nonnulla diligenti inquisitione discussa, coram domino Gregorio Papa nono recitata, et ab ipso approbata sunt.

280 Scholaris quidam, nomine Nicolaus de Busco, Anglicus Wingonensis * diœcesis *a*, degens Bononiæ, gravi renum ac genuum dolore vexatus a festo sancti Michaëlis usque ad Pentecosten.

* [illegible]

EX MSS. costen, nec per se poterat surgere, nec per domum sine baculo vel alterius sustentationis adminiculo se movere. Denique invalescente morbi molestia, quindecim diebus de lectulo non surrexit. Sed et lævum femur ejus vehementi macie attenuatum emarcuit in tantum, quod omnis ab eo secundum medicorum judicia spes curationis abscessit: adhibitis enim quampluribus medicinæ remediis, nihil ei proderat; sed magis deterius habebat.

occurrit sanatio Nicolai Angli,

281 Itaque humano destitutus auxilio, Christo domino et beato Dominico se devovit. Volens etiam in signum devotionis offerre candelam juxta modum propriæ quantitatis, cœpit filo stuppeo, de quo candela facienda erat, corporis sui longitudinem et grossitudinem mensurare. Cumque se mensus esset in longum, caput etiam et collum, ac pectus, deinde renes ac femora, tandem genu filo ambiente, succinxit, invocato ad quamlibet mensurationem nomine Jesu Christi et beati Dominici, continuo se alleviatum sentiens, exclamavit: Ego sum liberatus. Et exsurgens lacrymabatur præ gaudio, currensque sine baculo vel aliquo fulcimento venit non egens vehiculo ad ecclesiam, ubi corpus beati Dominici quiescebat. Distabat autem ecclesia ab ejus hospitio, quantum jacere potest arcus. Recessit igitur restitutus pristinæ sanitati, Christi gratias agens nomini, ac beati Dominici testimonium perhibens sanctitati.

qui a gravi morbo statim per invocationem S. Dominici liberatus est.

B

b

Alii multi

282 Quædam puella Bononiensis, nomine Thomasina, gravem morbum et pene incurabilem diebus quindecim in sinistra patiebatur maxilla. Cumque multa putredinis sanie ulcerata ejus facies fœdaretur, impossibile videbatur, quin aliqua cicatrice vel deformi macula turparetur. Tentatis igitur frustra variis medicinæ remediis, ad invocationem beati Dominici beneficium obtinuit sanitatis: mane siquidem diei sequentis nec vestigium quidem morbi remansit in facie, excepta quadam rubedine, nullam prorsus deformitatem præstante, sed tanti dumtaxat miraculi memoriam commendante.

Bononiensis quædam domina, Hilla nomine, octo annis dextri lateris a cingulo inferius vires prorsus amiserat, ita quod nec pedem nec tibiam movere poterat, nisi forte manibus, sicut lignum. Hæc, invocato beato Dominico, accepta protinus sanitate, caruit omni morbo, gratias agens Deo.

C

diversi sexus

283 Juvenis quidam de Manzelino, nomine Manfredinus, a festo sanctæ Agathæ usque ad festum Pentecostes omnium membrorum viribus destitutus, nec ambulare per se poterat, nec super latus jacere, nec in terra, nisi alio se deponente, sedere, nec se, nisi alio trahente, levare. Tibias quoque proprias frustra, et quasi alienas portabat. Is, cum adhibita sibi medicamina expertus esset inania et nociva, invocavit beatum Dominicum, et perfectæ sanitatis continuo assecutus est donum.

c

Ghislina *c* quædam mulier apud Mansolinum commorans, ab introitu Quadragesimæ usque ad translationem beati Dominici, gravi totius corporis infirmitate detenta, brachii sinistri usum pariter et sensum amiserat, quod ita erat emortuum et penitus arefactum, quod nec vulnus in eo causa minutionis illatum sentire poterat, et nec ex ipso vulnere sanguinem emittebat: eratque ipsum brachium dextro gracilius, quia ipsum nimis extenuaverat longus morbus. Quæ, ut beato Dominico se devovit, statim perfectæ curationis beneficium reportavit.

Alia quoque manens apud Mansolinum mulier, nomine Menatheta, labii jam per anni spatium privata erat officio, ut nec loqui posset, nec sine magna difficultate sumeret alimenta, eo quod enormiter labium illud intumuerat, et quasi emortuum dependebat. Invocabat opem beati Dominici, et dudum amissæ reddita est continuo sanitati. Nec mirum, si labia sanat corporis, cujus labiis sæpe curatæ sunt pestes mentis. D

284 Quidam Cambrius nomine de Bacicoribus apud Pragatuli, dum purgaret aream, ingressam in guttur atque inhærentem rejicere non valebat aristam. Octo denique diebus gravi gutturis dolore gravatus, per dies quatuor increscente gravamine, nec cibum sumpsit, nec sermonem emisit. Cumque sibi medicinæ remedio subveniri non posset, ad invocationem beati Dominici statim redditus est sanitati.

et variæ ætatis

Quædam mulier, nomine Johanna, quinque annis habens scrofulas et glandulas sub ascella, vesicas etiam circa mamillas in dextro latere, fœtida valde sanie defluente, gravi admodum affligebatur dolore, ita ut nec etiam super dextrum latus posset jacere. Hanc quoque ad invocationem sancti Dominici, Jesu Christi pietas continuo liberavit. E

Quædam mulier, Johanna nomine, ultramontana usum digiti viginti annis amissum (incurabiliter siquidem arefactus fuerat et contractus) sancti Dominici devota invocatione statim recepit.

Rafanelus quidam nomine ruptus in inguine, descendentibus quoque in virilia intestinis, vehementer afflictus, invocato beato Dominico, fuit continuo liberatus.

285 Ante translationem corporis beati Dominici quidam puer *, nomine Petriolus, rupturam passus in inguine, annis duobus defluentia in ocream * *d* intestina gestabat; cumque nulla posset medicorum opera curari, matre ejus invocante beatum Dominicum, præter spem, diu desperatam recuperavit salutem.

gravibus morbis

* *alias* vir

* *alias* ocreas

d

Adjiciendum ad hæc laudibus Viri sancti ad conterendas molas obloquentis iniqui, quod mulier quædam, nomine Geyla, apud Imolam gravi dentium urgebatur dolore. Itaque vehementissimi cruciatus aculeis agitata, nec quiescere poterat, nec sommum oculis capiebat; sed velut furiosa continuis clamoribus ululabat. Facto autem ad beatum Dominicum voto, incolumitatem obtinuit in momento. F

286 Sed et juvenis quidam, nomine Geminianus, per quatuor annos et amplius gravi languore detentus, ita ut capillis elapsis capite, et sanie defluente, gravissimæ passionis præferret indicia, beati Dominici meritis potitus est beneficio sospitatis: cum enim juvari non posset a medicis, invocato beato Dominico a longe, breviter curatus est a morbo.

III

vel insanabilibus malis afflicti,

Alius quoque, nomine Marsilius, de sua vita desperans, febri continua, et gravi pectoris dolore vexatus, et quasi jam in extrema vitæ suæ regula constitutus, beato se commendans Dominico, statim convaluit, admirantibus cunctis pro subitatione insperatæ salutis.

287 Scholaris quidam, nomine Guillelmus, de castro Vari * diœcesis Tholosanæ, studens Bononiæ, duplici tertiana graviter cruciatus, cum jam incurreret desperationem de recuperando remedio sanitatis, is ad ecclesiam sancti Nicolai veniens, super lapidem superpositum sepulcro beati Dominici jacuit, perceptaque continuo sanitate, surrexit.

implorata S. Dominici ope,

* *alias* Vauri

Quæ-

A Quædam mulier, nomine Bona-filia, nasi et superioris labii tumore non mediocriter gravabatur: obortus siquidem morbus, qui ficus *e* dicitur, sic labium illius et nasum inflaverat, quemadmodum ovi gallinæ ori ejus grossities imminebat, ac fœtorem horribilem exhalabat. Hoc malum igitur perpessa biennio, nec umquam proficiens medicorum auxilio, beatum Dominicum precibus adiit, et diu desideratam salutem protinus impetravit.

Puer quidam, Johannes nomine, gravissima per tres dies discubuit infirmitate; cumque evidenter apparerent mortis indicia, omnes etiam medicinæ artis periti de ejus desperarent vita, mater ejus beatum Dominicum petiit, et ab ipsius mortis januis revocatum, incolumem mox recepit.

vel voto quodam emisso,

288 Mulier quædam, nomine Corthesina, gravi per annum et dimidium et amplius infirmitate confracta, cum fere membrorum esset officio destituta, et inutilis prorsus effecta, ita ut non posset quidpiam operis exercere, invocatione autem facta ad beatum Dominicum, liberata continuo vires corporis recuperavit et usum.

B Quidam puer, nomine Henricus, per octo dies et amplius gravissima ægrotatione decumbens, nec loqui jam poterat, nec cibum aut potum sumere prævalebat, totumque corpus ejus lethali jam frigore pene congelatum, vicinæ mortis evidens præferebat indicium. Cunctis igitur de salute ejus desperantibus, invocatus beatus Dominicus, et subito rediit salus.

Alius quoque puer, nomine Petrinus, per quindecim dies et amplius gravissimæ infirmitatis molestiis occupatus, miserabiliter intuentium molestabat aspectus: ab umbilico siquidem inferius gravi tumore inflatus, suique impotens erat effectus, ut nec ire posset aut stare, vel aliquatenus se juvare. Nec erat quisquam, qui eum cerneret, qui non ipsum, quasi unum ex mortuis reputaret. Facto autem voto ad beatum Dominicum, contra spem omnium adeptus est celerem sanitatis effectum.

per intercessionem ejusdem Sancti

289 Nec silenda est pueri Rudolfi mira curatio ad ejus gloriam, qui ex ore infantium perficere novit laudem, ut destruat inimicum suæ perfidiæ defensorem: languens siquidem per tres septimanas et amplius dictus puer, ad portas mortis C evidenter et secundum rationem inferioris naturæ irrevocabiliter appropinquabat. Denique diebus octo nec cibum sumere poterat, nec mamillam sugebat; eratque illud corpusculum summa confectum macie, naturalique calore adeo destitutum, ut nemo esset, qui ipsum ad vitam præsentem confideret rediturum. Facto autem pro ejus salute a parentibus voto ad beatum Dominicum, invenerunt eum protinus liberatum.

Illud quoque nulla oblivione delendum est, quod Andulfus nomine de Mazanello, in se ipso expertus est, patratum miraculum: periculosa namque admodum apostematis per mensem et amplius gravatus inflatione, ab omnibus videntibus judicabatur mali illius gravamine moriturus: erat enim apostema illud perturgidum parte interiori dextri lateris sub ascella, nec videbatur ei posse ulla succurrere medicina. At ubi facto voto invocatus est beatus Dominicus, sanitatis effectrix statim affuit Dei virtus: nam protinus ulcus detumuit, et is, de cujus vita desperabatur, homo sanus evasit.

IV *derepente et mirabiliter*

290 Scribantur et hæc in generatione altera, ut populus, qui creabitur, laudet Dominum in Dominico servo suo, et nihilominus Dominicum laudibus attollat in Domino, qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas. Duo itaque pueri, cujusdam Alberti de Casmato * filii, muti a nativitate permanserunt; ætatis quidem alter supra quintum et dimidium; alter vero supra tertium et dimidium agens annum. Facto autem voto, pater eorum invocavit beatum Dominicum, et statim utrique datum est divinitus expeditæ locutionis officium, et vetus absolvit silentium novum verbum.

Ex MSS. — * *alias* Kasinato

Huc accedit et Bertæ puellæ diu quidem perdita, sed mira celeritate restituta loquela: hujus enim lingua, trans guttur bovis cornupetæ percussione discussa, muti oris inutiliter occupabat claustra, coactoque pressa silentio, nulla formare poterat prorsus verba. Invocato autem beato Dominico, fecit votum, et integritatem linguæ recuperavit et usum.

optatam sanitatem recuperarunt.

291 Nec sane prætermittendum est sanctitatis abundans quidem et evidens argumentum, quod beati Dominici meritis non tantummodo salus ægris, gressus claudis, loquela mutis sed etiam lumen cæcis redditur, et surdis auditus: nam quædam mulier, Druda nomine, oculorum privata lumine, per tres annos et amplius subtracti sustinuit damna visus, nec ullius potuit medicaminis exhibitione juvari. Invocato autem beato Dominico, votum fecit, et statim lumen oculorum recepit. E

Quædam autem puella, Gilborga nomine, surditatem incurrerat, ita quod per mensem et amplius nihil prorsus intelligere poterat vel audire. Clamans igitur ejus mater ad beatum Dominicum, exaudiri meruit, et auditum filiæ impetravit.

Similiter quædam mulier, nomine Riochaldina de Serra, diœcesis Imolensis per annum et amplius tantæ surditatis sustinebat incommoda, ut nihil auditu perciperet, nisi quis super eam auribus ejus fortiter inclamaret. Invocatus igitur ab ea beatus Dominicus, et clamosis precibus aures præbuit, et auditum surdis auribus restauravit *f*. *f*

ANNOTATA. F

a *Arbitror legendum esse* Wigorniensis, *ab urbe vernacule appellata* Worcester, *quæ est civitas episcopalis in Anglia: nam Nicolaus iste erat Anglus, ut supra observavimus.*

b *Duos oculatos hujus miraculi testes supra in Annotatis assignavimus.*

c *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicatorum a pag.* 58 *ex Ms. codice hæc eadem miracula alio ordine referens, mulierem illam* Gillinam *appellat. Sed non est operæ pretium frequentes similium nominum discrepantias observare, cum veram illorum expressionem certo argumento probare non possimus. Quare deinceps istas levioris momenti variationes non annotabimus.*

d *Echardus loco proxime citato in notis per* ocream *intelligit* scrotum, *et propterea ibidem in textu hanc vocem pro illa substituit.*

e *Quid hoc loco sit* ficus, *superius ad lucubrationem B. Jordani in Annotatis post caput* 5, *littera* f *explicuimus.*

f *Pleraque hæc beneficia vel miracula ex B. Jordano, aut saltem ex auctore synchrono superius dedimus, ut ibidem ex notis præsentis temporis eruimus.*

CAPUT XXV

EX MSS.

CAPUT XXV.

Translatio sacri cadaveris ad honorificentiorem locum, et in ea translatione fragrantissimus odor ab omnibus adstantibus perceptus.

V *Frater Stephanus, qui miro modo ad Ordinem vocatus fuerat,*

Crescentibus itaque per totam Italiam per merita sancti confessoris Dominici tam evidentibus miraculis, fidelium dignum duxit devotio, corpus ejus, humili prius solo repositum, ad altiorem locum debito cum honore reverenter transferre: indignum quippe erat, ut ejus ossa humanis subjecta pedibus humus obtegeret, cujus anima æthereis jam sublimata sedibus in cœlis regnabat. Erat tunc Prior Provincialis Lombardiæ B F. Stephanus, vir strenuus et probatus, quem beatus Dominicus studentem Bononiæ habuerat in confessione specialem filium ac dilectum. Huic quodam sero cœnanti cum sociis misit sanctus Pater duos Fratres dicentes: Frater Dominicus mandat vobis, ut statim veniatis ad ipsum. Cui respondit: Cum cœnavero, ego veniam ad eum. Imo, inquiunt illi, statim veniatis. Et surgens, relictis omnibus, venit ad eum. Invenit autem eum cum multis Fratribus, et ait sanctus Pater: Instruite eum, quomodo petat veniam; et facta venia, tradidit sese in manus ejus, induitque eum habitu FF. Prædicatorum dicens: Ego volo tibi dare arma, cum quibus toto tempore vitæ tuæ debeas pugnare contra diabolum, hostem tuum *a*. A Domino factum est illud, eratque mirabile in oculis hujus: nihil enim super eo secum pertractaverat Pater sanctus.

corpus Sancti ad honoratiorem locum transferre statuit,

293 Extractus itaque per Patrem sanctum de hoc nequam seculo, junctus bonorum consortio, rependit nunc vicem Patri fidelis filius, laborans et satagens, ut transferatur a mortalitatis opprobrio, adscribaturque Sanctorum catalogo. Ordinatione ipsius etenim dies et modus transferendi C sacrosanctum corpus Confessoris sanctissimi constitutus est, et devotione celeberrima frequentatus: ad Capitulum namque generale, quod tunc occurrerat celebrandum, Fratrum copiosa confluxerat multitudo, inter quos F. Nicolaus de Juvenacio, virtute et opinione præclarus, dum intentus cogitaret, an Dominus Sanctum suum dignaretur in hac translatione aliquibus miraculis exaltare, adstans quidam in visione dixit ei: Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

VI *et coram plurimis testibus, tum domesticis, tum exteris,*

294 Præfatus autem Prior provinciæ Lombardiæ Stephanus, ceterique Fratres Bononiensis Conventus considerantes locum sepulcri humilem et depressum,, ubi pluviales aquæ confluxerant, simulque verentes conditionem humanæ miseriæ, si corruptio quælibet exhalaret, translationem occulte facere disponebant, sed nullatenus potuerunt: noluit enim Omnipotens suam Sanctique sui gloriam occultari; sed ex mandato Potestatis multi honorati cives Bononienses, antequam aperiretur sepulcrum, pluribus diebus custodiebant illud, timentes, ne surriperetur eis, et perderent impretiabilem hunc thesaurum.

aperit sepulcrum firmissime clausum,

295 Statuta igitur hora, qui ad hoc opus sacratissimum exsequendum et intuendum digni et idonei reputati sunt, convenerunt; videlicet Dominus archiepiscopus Ravennas, aliique plures episcopi, nec non Magister Ordinis dulcis pater Jordanus cum diffinitoribus Capituli; Potestas quoque cum multis Bononiensibus, aliarumque civitatum non paucis civibus honoratis, cum Fratribus, et clericis, et laicis affuerunt, ambientesque sepulcrum almi Confessoris circumsteterunt: in quorum omnium præsentia F. Stephanus Prior provincialis, Fraterque Rudolfus cum aliis Fratribus accedentes, ut aperirent sepulcrum, invenerunt terram durissimam, cæmentumque fortissimum, utpote jam per annos tredecim solidata. Foderunt tamen cum piconibus et ferreis instrumentis; et malleis ferreis confregit F. Rudolfus murum sepulcri, quem fieri jusserat valde fortem. Vix tamen cum difficultate magna elevaverunt cum palis ferreis lapidem superpositum monumento. D

VII *ex quo prodiit suavissima odoris fragrantia,*

296 Elevato igitur taliter lapide, egressus est odor suavis et delectabilis, ut non tam sepulcrum, quam cella sentiretur aromatum patuisse; eratque tam magnus et ingens, quod omnium, E qui aderant, sensus totamque ecclesiam adimplevit, incognitus dissimilisque omni rei naturali, et aromata superans universa. Tunc archiepiscopus cum episcopis et omnes, qui aderant, stupore et gaudio repleti, ad terram se cum devotione et lacrymis prostraverunt, laudantes Dominum, qui glorificavit tam magnifice Sanctum suum. Revoluto vero penitus superiori saxo grandi, invenerunt capsam ligneam, clausam studiose clavis ferreis et firmatam, in qua exanime corpus jacuerat sacrosanctum: quæ dum manifestata est, ampliatus et odor dulcis ac bonus, et inclinantes se circumstantes, osculati sunt capsam, eratque fluminis et lacrymarum impetus, Dei lætificans civitatem. Erutis deinde clavis ferreis, quibus firmata fuerat arca, inæstimabilis odor de sacrosanctis ossibus exspiravit. Tunc Magister Jordanus aliique Fratres cum multa devotione et reverentia de veteri capsa tollentes ossa sacra, in nova, quam paraverant, posuerunt, clausamque et firmatam clavi, quam tenebat Potestas Bononiensis, et tenet idem Magister, et Provincialis Stephanus, coram omnibus usque ad sepulcrum marmoreum transtulerunt. F

VIII *quam omnes præsentes senserunt.*

297 Mane facto, præsentibus archiepiscopo aliisque episcopis cum Fratribus et multis, aperta denuo et reserata fuit arca, pristinum odorem effundens, per manusque episcoporum deposita est capsa cum ossibus sacris in novo sepulcro, seris et clavibus obfirmato. Deinde quidem in octava die post, Potestas Bononiensis cum multis honoratis civibus ad instantiam eorum, qui translationi non interfuerant, sepulcrum iterum aperuit, ut a devotis filiis sacrosanctæ reliquiæ viderentur. Tunc dulcis Magister Ordinis Jordanus piissimi prædecessoris sui sancti Dominici caput purissimis manibus tenens, filiis obtulit osculandum. Erant trecenti et ultra Fratres, qui ad hoc sanctitatis osculum accedentes, eum, de quo dictum est, inenarrabilem suavitatis odorem sensibiliter perceperunt. Remansit autem sacer odor ille postmodum multo tempore in priori sepulcro, et in rebus in eo positis, in vestimentis quoque et manibus eorum, qui sanctas reliquias contigerant, et usque hodie in ossibus mirabiliter perseverat. Facta est autem hæc translatio anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo

tertio,

A tertio, Indictione sexta, Pontificatus domini Gregorii noni anno sexto, Friderici Romanorum imperatoris undecimo anno, a confirmatione Ordinis anno decimo septimo; a transitu vero ipsius beati Dominici anno decimo tertio *b*. Per omnia benedictus Deus. Amen.

IX *cujus odoris occasione auctor digreditur*

298 Delectat immorari aliquantulum recapitulando et memorare contemplando corpus illud immaculatum et multiformem gratiam sanitatum, quæ hæc florigera Patris nostri et odorifera salutiferaque translatio repræsentat. Revera etenim corpus ejus virgineum, quod illibata integritate manserat incorruptum, unde tam mirifica manabat odoris fragrantia, sancti Spiritus organum, salutarisque unguenti exstiterat alabastrum, virtutum cella, charismatum apotheca; quod dum in hoc mundo vitalis vegetaret spiritus, conversatione gratissima floruit, suavi fama fragrans redoluit, prædicationis verbo fronduit, pretiosa morte aruit, translatione refloruit, odore mirifico sensus exteriores implens, corda lætificans, atque languentia membra sanans: eratque odor iste tam magnus tamque mirabilis, ut inusitata fragrantia cuncta superaret aromata, nec alicujus rei naturalis odori similis videretur: non enim de terra vel terrenis aromatibus processit odor iste, nec naturaliter, sed supernaturaliter ac divinitus de mortui hominis ossibus et pulvere fluebat redolentia tam suavis. B

ad laudandas sancti Patris sui virtutes,

299 O gloriosum sepulcrum, in quo tam pretiosus thesaurus immaculati corporis latuit, in quo tam sanctus Pater a suis laboribus requievit, de quo spirat tam dulcis odoris jucunditas, et tam mira emanat et varia ægrotis sanitas! Ingressus est enim, in abundantia sepulcrum, ideoque redundant et effluunt fidelibus de ipso deliciæ gratiarum: nam non solum virginei corporis pulverem ossaque sacrosancta cum capsa deliciosus ille ac divinus odor perfuderat, verum etiam circumquaque in re congesta sic hæsit, ut ad longinquas regiones delata odorem sacrum multo tempore retineret. Fratrum quoque manibus, aliquid de sacrosanctis reliquiis contingentibus, illa fragrantia sic adhæsit, ut quantumcumque lotæ vel confricatæ redolentiam suavissimam reservarent. Qua in re pensandum, quam immensis in cœlo deliciis perfruatur spiritus, cujus tanta suavitate redolet adhuc in pulvere jacens corpus. C Nempe ædificaverat, dum adhuc viveret, in templo corporis sui altare aureum Domino, super quo thymiamata sanctorum desideriorum et thura suavium orationum jugiter incendebat; quorum odor dulcissimus in conspectu majestatis ascendens, supercœlestes cives odoramentis mirificis respergebat. Odoratus igitur Dominus suavitatem odoris, benedictionem inæstimabilis hujus fragrantiæ superfudit ossibus fidelissimi Prædicatoris et sanctissimi Confessoris. Et ecce factus est odor bonus in omni loco dominationis ejus, curruntque in odore unguentorum salutarium istorum omnes fideles, alii spiritus, alii corporis sanitatum beneficia capientes.

et narrandum miraculum, quod in vita ejus contigit,

300. Redit nunc ad mentem odoriferæ sanctitatis gloriosi Patris hujus insigne miraculum, quod per manum ejus adhuc in carne positi dignatus est Dominus operari. Auditurus namque sermonem et Missam ad Fratres Bononiæ scholaris quidam, carnalis concupiscentiæ lubrico sordens, accessit in festo solenni; qui, dum sancto Dominico celebrante Missam, oblaturus accederet, tantam in deosculatione manus ejus sacræ, suavissimi odoris percepit fragrantiam, quantam in vita sua non senserat umquam. Mira satis res *Ex Mss* de odore percepto; sed admiranda magis de lubrico carnis in homine restricto: sicut enim fassus est, tantam in ipso carnis temperantiam illa divini odoris fragrantia operata est, ut postmodum facilis ei esset continentia, quæ prius impossibilis videbatur *c*. Si de clauso adhuc tam efficax tamque salubris erupit odoris suavitas, quid mirum, quod de fracto et aperto ore tot spiritualium unguentorum alabastro nunc emanans effluit cum odoris jucunditate infirmitatum curatio? Multi namque de populo in hujus effusi unguenti odore concurrentes, sanitatum beneficia perceperunt. Vere celebris omnino tumba, quæ tanto tempore sacrosancti corporis fovit membra, de quibus tam dulcis exuberat fragrantia; unde inardescunt corda, languida reparantur corpora, et dilatantur præconia Christi.

simulque enumerat eos, qui interfuerunt huic translationi,

301 Ad hanc itaque sacrosanctorum ossium beatissimi patris nostri Deo dilecti Dominici translationem convenerant cum tota devotionis reverentia: magnus pater, dominus scilicet archiepiscopus Ravennas; necnon et venerabiles viri Salunnensis*, Bononiensis, Brixiensis, Cornatensis* episcopi. Aderat etiam dulcissimus et felicissimus ejusdem patris sancti Dominici successor dignissimus F. Jordanus Magister Ordinis cum diffinitoribus Capituli, et Fratrum multitudine devota; adstabat etiam Potestas Bononiensis cum suis militibus reverenter. Hi omnes cœlestis doni benedictione perfusi, dum inæstimabilis ille virginei corporis effoderetur thesaurus, gavisi sunt vehementer, invenientes sepulcrum tanta munditia præditum, tamque suavi fragrantia respersum, necnon supernæ virtutis magnificentia refertum. Lacrymabantur tunc Fratres, omnesque Deo devoti præ exultatione cordis et gaudio spiritus. Jubilabat clerus et conclamabat populus in voce exultationis, resonabatque in ore omnium gratiarum actio et vox laudis. Stupebant autem omnes et mirabantur, quod de sepulcro gratia Spiritus sancti in odore dulcissimo effusa est, factusque tumulus defuncti paradisus deliciarum, pigmentorum areola, et aromatum apotheca. Nempe facta est memorabilis hæc translatio in diebus Pentecostes, quando Spiritus sancti gratia super Apostolos effusa est, feria videlicet tertia, ut sicut tunc per ignem inflammavit ad amorem, ita nunc invitaret ad gratiam per odorem. F

* *alias* Sabinensis

* *alias* Tornatensis

quam magnus prædicationis fructus subsecutus est.

302 Collocatis itaque in loco honorabili sacrosanctis reliquiis, singuli redierunt in sua, Jesum Christum in servo suo sancto Dominico collaudantes. Tanta tunc temporis prædicationis gratia totque mirabilium operum efficacia non solum in Italia, verum etiam in aliis provinciis, per Fratres Ordinis, meritis sancti Patris hujus effulsit, quod totus mundus stupuit, ac in amorem et laudem Salvatoris exarsit: nam F. Johannes Vincentius *d*, vir utique devotus, ubique Dei prædicator egregius, prædicti Ordinis filius, cœpit tunc circa Bononiam gloriosis coruscare miraculis, adeo ut virtute fidei per gratiam mediantem decem mortuos suscitaret: aliaque ducenta miracula admiranda per eum dignatus est Dominus potenter et misericorditer operari: postquam enim idem F. Johannes revelationem de patre sancto Dominico divinitus sibi factam cœpit prædicare, vitamque et conversationis ipsius sanctitatem populo nuntiare, et postquam F. Stephanus Prior provincialis de translatione sacrosancti corporis ejus cœpit tractare, ex tunc manifeste

EX MSS.

tam in Fratribus hæc prædicantibus, quam in auditoribus amplior gratia benedictionis refulsit: in civitatibus etenim Lombardiæ maxima hæreticorum multitudo resipiscere nolentium, igne cremata est, et plus quam centum millia hominum, qui nesciebant, utrum Ecclesiæ Romanæ, an hæreticis, adherere deberent, ad Catholicam fidem per Prædicatores conversi sunt; nunc persequuntur hæreticos, et abominantur, quos primitus defendebant. Civitates etiam Lombardiæ et Marchiæ fere omnes facta sua et statuta in manibus Fratrum tradunt, eorum consiliis et judicio ordinanda. De bellis quoque exstirpandis et discordiis componendis, de usuris et male quæsitis reddendis Fratrum sententiæ se submittunt *e*. Hæc admiranda, quæ in cordibus fidelium est, gratia, stupendaque Dei, quæ per orbem coruscabant, mirabilia ad audientiam Apostolicam pervenerunt.

ANNOTATA.

B

a *Hunc mirum Ordinis ingressum ipse F. Stephanus infra in Processu Bononiensi num.* 46 *de se narrabit.*

b *Hæc et alia, quæ in illa translatione contigerunt, partim* § 46 *Commentarii prævii retulimus, partim infra in Processu Bononiensi ex oculatis testibus audiemus.*

c *Istud continentiæ donum, mirabiliter scholari Bononiensi collatum, in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 26 *narratur.*

d *Is est B. Joannes Vicentinus, cujus Acta in Opere nostro ad diem secundam Julii, tomo* 1 *istius mensis a pag.* 465 *illustravimus.*

e *De his gestis ipse F. Stephanus infra in Processu Bononiensi num.* 51 *juratum testimonium reddet.*

CAPUT XXVI.

C

Compendium juridicæ relationis novem testium juratorum de virtutibus Sancti, quas viderant; et aliquot miracula, quæ circa tempus hujus examinis contigerunt.

Ex Ordine Prædicatorum novem Fratres,

Eodem igitur anno, quo sancti patris Dominici corpus translatum est, summus Pontifex dominus Gregorius nonus honorabiles viros magistrum Tancredum, Bononiensem archidiaconum, et Priorem sanctæ Mariæ de Reno, Fratrem quoque Palmerium ecclesiæ de Campagnola Bononiensis et Reginæ diœcesium, inquisitores auctoritate Apostolica delegavit, ut de vita, conversatione, transitu miraculisque prædicti Confessoris perquirerent diligenter. Frater vero Philippus Vercellensis Ordinis Prædicatorum a Fratre Ventura Priore et Conventu Bononiensi ejusdem Ordinis, hujus rei procurator legitime institutus, Fratres de diversis Conventibus collectos, qui supererant, ejusdemque sancti Dominici familiari consortio et amicitia decorari meruerunt, pro testimonio introduxit; qui utique illæsæ dignitatis, omnique exceptione majores, utpote viri sacerdotes, Religiosi et sancti, coram præfatis inquisitoribus se de iis, quæ viderunt et audierunt, quibus interfuerunt, reddituros veritatis testimonium jurarunt sub anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio, Indictione sexta; quorum testimonia Olderandus quondam Theobaldi, auctoritate imperiali notarius, in præsentia memoratorum inquisitorum recepit, eorumque mandato in publicam formam redegit et subscripsit. D

qui cum S. Dominico familiariter conversati fuerant,

304 Hi præclarissimi viri et testes fide dignissimi coram prædictis dominis paternæ sanctitati testimonium perhibentes, singulis diebus quasi singulas edidere legendas, de quibus ex magna parte præsens opusculum est confectum: non enim poterat laus et præconium tantæ sanctitatis verbis paucissimis explicari. De quorum prolixis de tam prolixa sanctitate prolatis testificationibus verba quædam paucissima breviter hic repetendo ponuntur, de late patentibus et virentibus pratis quidam pro delectamento flosculi decerpuntur, ut per hæc succincta verba et abbreviata humilis viri F. Dominici eximia sanctitas, reique processus veneranda auctoritas, necnon testium religiosa dignitas, omnium fidelium maximeque filiorum memoriis arctius imprimatur. E

videlicet: F. Ventura et F. Wilhelmus

305 Anno igitur Domini MCCXXXIII, Indictione sexta, die sexta intrante, Augusto, F. Ventura Prior Bononiensis, vir timoratus et devotus testimonium perhibuit dicens: « Magnæ auctoritatis » exstitit sanctus Dominicus, pater noster, super » confirmatum a Sede Apostolica Prædicatorum » Ordinem, habens ejusdem Sedis plenariam po» testatem, qua fretus Ordinem, quem instituit, » omni carnali commoditate destituit, cunctis» que terrenis possessionibus habitis et habendis » carere constituit. Immaculatam et rigidam » valde ducens vitam, virgo obiit, de cujus tu» mulo in translatione corporis ejus, odor sua» vissimus prodiit, qui ante et post multo tem» pore perduravit. » Ipso die F. Wilhelmus, vir prudens et constans testificatus est dicens: « Re» ligiosus valde fuit Pater sanctus, sanus et in» firmus jejunia ecclesiastica et regularia ser» vans, vigiliis et orationibus instans, silentium » secundum Ordinem semper tenens, virgo per» mansit. In apertione sepulcri ejus odorem de» lectabilem et admirabilem ego sensi. »

F. Amizo et F. Bonvisus,

306 Die octava intrante, Augusto, F. Amizo, vir pius et modestus Prior Paduanus sic ait: » Magister Dominicus fuit homo humilis, man» suetus, patiens et benignus, quietus, pacificus, » sobrius, modestus, et in omnibus actibus et » verbis suis valde maturus, pius consolator » omnium, maxime Fratrum; regularis obser» vantiæ cultor præcipuus, summus paupertatis » amator in victu et vestitu ac ædificiis; de cujus » ossibus odorem dulcem percepi. » Die nona intrante, Augusto, Kanevisus* vir bonus et devotus dixit: « Audivi Virum Dei frequenter nocti» bus in ecclesia cum clamore valido et lacrymis » orantem, gemituque maximo Dominum depre» cantem. Religiosos et Religiones omnes dilige» bat. De terra vadens ad terram, nudis pedibus » incedebat. In psalmodia frequenter, et in offi» cio Missæ semper in tanta abundantia per fa» ciem ejus lacrymæ decurrebant, quod vix gutta » aliam exspectabat. Odorem mirificum ex ossi» bus ejus sensi. »

* *lege* Bonvisus

F. Joannes, et F. Rudolfus,

307 Die decimo intrante, Augusto, F. Johannes Hispanus, unus de primis vir expertus testificans ait: « Pater noster, contemptor mundi,

electus

A » electus in episcopum renuit, Prædicatorum » Ordinem instituit, quia salutem animarum ardentissime concupivit. Sæpe et frequenter » prædicabat, Fratresque ad prædicandum modis, quibus poterat, inducebat, rogans et exhortans, ut de salute animarum essent soliciti. » Persuadebat verbis et litteris Fratribus, ut in » utroque Testamento divino suum studium firmiter collocarent. Raro loquebatur, nisi de » Deo. Abstinens, cum lacrymis semper orans, » virgo permansit, pro fide mori cupiens. » Die tertio decimo intrante, Augusto, F. Rudolfus de Francia, capellanus ecclesiæ sancti Nicolai, vir sanctus et bonus sic dixit: « Pater noster frequenter in ecclesia orabat cum multo gemitu » et lacrymis. Sanctus Dei catena ferrea cinctus » ad lumbos, dormiebat in terra indutus, sicut » ibat in die. Verbum otiosum vel malum aut » nocivum nullum umquam dixit. Prædicans » plorabat. Religiosus et devotus super omnes » erat, hilaris, jucundus, patiens, misericors, et » benignus, Fratrum consolator, omnium hominum salutem desiderans. De sepulcro ejus » processit odor aromata superans universa. »

B

F. Stephanus, qui erat Prior Provincialis Lombardiæ,

308 Die tertio decimo intrante, Augusto, F. Stephanus, Prior provincialis Lombardiæ, vir reverendus testatus est dicens: « Post orationem » a Fratribus communiter factam pater noster » sanctus Dominicus in ecclesia remansit, et » orans ad tantum gemitum et planctum motus » prorumpebat, quod in vicino dormientes a » somno excitati ad lacrymas movebantur; sicque usque ad Matutinum permanens, in Officio » nihilominus perstitit, utramque partem chori » circuiens innuit, ut Fratres alte psallerent, et » psalmos cum reverentia decantarent. In prædicando sic erant efficacia verba ejus, ut ad » fletum se et alios commoverent. Dum Missas » celebraret, oculi ejus et maxillæ lacrymis rigabantur. Oblatas possessiones respuit paupertatis summus amator, et Ordinis æmulator. » Corpus ejus de terra sustuli, et odoris percepi » cum omnibus, qui aderant, inæstimabilem » suavitatem. »

F. Paulus, et F. Frigerius de virtutibus sui Fundatoris dant testimonia:

C

309 Die tertio decimo F. Paulus Venetus, vir prudens et justus testabatur dicens: « Sermonem otiosum aut malignum de ore sancti Patris nostri procedere non audivi. Paupertatem » amans, panem ostiatim ut pauper accepit. » Virgo semper fuit, et omnibus virtutibus ita » pollebat, quod meliorem tunc temporis non » credo fuisse; sed nec adhuc ei similem inveni. » Modo, cum a Venetiis venissem Bononiam pro » isto testimonio ferendo, arripuit me dolor renum maximus, qui me diebus pluribus affligere consuevit. Timens igitur in hoc sancto actu » impediri, ad sepulcrum Sancti orans, sanitatem continuo impetravi. » Die quarto decimo exeunte, Augusto, F. Frigerius Penensis, vir humilis et devotus dixit: « Sanctus Pater noster » asper sibi erat, etiam in via jejunia Ordinis » servans, nec ante horam debitam cibum sumens, licet cum sociis dispensaret. Æstate et » hieme una tunica contentus fuit. Et confessione ejus didici, quod numquam lethali crimine » inquinatus fuit; sed virgo semper permansit. » In tribulationibus patiens, in adversitatibus » gaudens, misericors consolator omnium, sic » cunctis adornatus virtutibus, quod sui similem » non cognovi *a*. »

a

310 Hi sunt discipuli magistri primi beati Dominici, qui testimonium perhibent de his, et scripserunt hæc, et scimus, quia verum (sub sacramento quippe factum) est, testimonium reddente eis conscientia eorum in Spiritu sancto, et receptum approbatumque est testimonium eorum a Sede Apostolica cum effectu. Accedit ad hoc testimonium Dei, quod majus est; nempe Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, unus Deus, qui facit mirabilia magna solus, testificatur in Ecclesia signis et prodigiis veram sui dilecti famuli Dominici sanctitatem. Summus igitur Pontifex, qui sanctam ejus conversationem in Domino noverat, eumque sibi speciali, dum adhuc viveret, adstrinxerat dilectionis amplexu, pari una cum Cardinalibus devotione decrevit servum Christi Dominicum Sanctorum catalogo adscribere in hac Ecclesia militante, quem certissime cognoverunt, cum ipsis regnare in Ecclesia triumphante.

EX MSS

quibus auditis, Papa statuit eum adscribere catalogo Sanctorum,

XI

quod postea solenniter exsecutioni mandavit.

311 Anno igitur dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo tertio constitutus apud Perusium Pater patrum, præsentibus archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum prælatis multis cum Fratribus et populis, fidelem Christi famulum humilem Dominicum inter Sanctos Dei nominavit et invocavit, ejusque nomen Sanctis adscribi, ac diem celebrari Ecclesiæ universali mandavit. Consummatum est hoc canonizationis officium solenniter apud Perusium per dominum Gregorium Papam, regnante Friderico Romanorum imperatore, anno a confirmatione Ordinis Prædicatorum decimo octavo, a transitu ipsius beati Dominici tertio decimo, sub venerabili ac sancto patre Jordano, Prædicatorum Ordinis Magistro secundo. Directæ sunt etiam litteræ Sedis Apostolicæ per omnia regna Ecclesiæ de sancti Patris hujus solenni canonizatione, in quibus vitæ ipsius sinceritas et gloriæ sublimitas universis Christi fidelibus declaratur *b*.

E

b

XII

Interim ope Sancti Dominicanus sexagenarius

312 Fuit tunc temporis Frater quidam plus quam sexagenarius in Conventu Lemovicensi, quem ad Ordinem recipi sanctus pater mandaverat Dominicus. Hic, antequam canonizaretur, audiens signa miranda, quæ ad tumbam ejus super infirmis divina operabatur potentia, prosternens se ante altare, humiliter orans, dixit: Domine Jesu Christe, si vera sunt, et si aliquid potest servus tuus Dominicus, per quem ad hunc Ordinem me vocasti, sicut vere credo, quæso, ut ejus meritis curare me ab hac turpi infirmitate digneris: erat enim hæmorrhoïdarum morbum patiens multis annis. Statim ergo sanatus, Deo gratias egit, nec umquam postea, cum per septennium vixerit, est ea infirmitate vexatus.

F

bis sanita- [illegible]

313 Postmodum idem Frater in Carducensi Conventu positus, canonizatum audiens sanctum Patrem, cum Fratres ob hoc exultantes hymnum angelicum TE DEUM LAUDAMUS canerent, idem senex humili corde dixit: O bone pater Dominice, ab hoc quoque gravi morbo meam libera senectutem. Hac oratione completa, a ruptura quam per aliquot annos habuerat, continuo perfecte curatus est *c*.

c

In eisdem partibus monialis quædam, quæ multis annis surda fuerat, cognitis beati patris Dominici miraculis, ipsum devote invocans, plene recuperavit auditum *d*.

d

314 Frater *e* Bartholomæus *f* vir valde venerandus transfretans, cum litteras canonizationis beati patris Dominici transmarinis directas partibus transportaret, contigit, navem ex vi ventorum et tempestate contra quemdam portum fractionis sustinere jacturam. Unde omnia, quæ

supra

EX MSS.

supra et infra litteras conjuncta erant, per aquam totaliter sunt corrupta; litteræ vero canonizationis sacræ in nulla sui parte læsæ sunt, sed illibatæ penitus permanserunt, cum tamen ex solo contactu rerum aqua madentium destrui potuissent. Custoditæ autem sunt Dei miraculo, ne gentes illæ Sancti privarentur patrocinio, et ut Christus magnificaretur in ipso.

vir Bononiensis gravi morbo statim liberatur,

315 Vir quidam magnæ religionis in Bononia defluentibus ad inferiora intestinis graviter torquebatur, qui timens oneri esse iis, cum quibus vivebat, interpellabat pro curatione beatum Jacobum, cujus visitaverat limina, aliosque Sanctos, quos familiares habebat: et cum a nullo sibi præstari sentiret auxilium, occurrit menti ejus beatus Dominicus nuper canonizatus; quem quidem bonum hominem et cum Christo regnare credebat, nec tamen tanti meriti, qui posset se invocantibus patrocinari, ut multi asserebant. Firmans tandem animum ad invocandum eum, vovit, se crediturum operibus mirificis per ipsum gestis, et glorificaturum in eo Deum, si ipsius
B meritis curaretur. Igitur post prolixam orationem soporato apparuit beatus Dominicus, colligens in anteriori parte scapularis sui defluentia intestina. Expergefactus a somno vir debilis et senex, puta septuagenarius et amplius, invenit se ab omni
g infirmitatis molestia absolutum *g*.

et alia beneficia multis conferuntur.

316 Non est morbus, quem sanctus Dominicus non curet, dummodo morbidum infidelitas non obduret. Multa quidem et alia tam in vita gloriosi Patris hujus, quam etiam post obitum perpetrata innotuere miracula, quæ non sunt styli officio designata. Hæc autem breviter annotata sunt ad sanctitatis ejus demonstrationem, ad fidelium ædificationem, ad laudem quoque et gloriam ejus, qui facit mirabilia magna, qui trinus in personis, et unus in essentia vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Testimonia illa, quæ Theodoricus de Appoldia hoc loco in compendium redegit, postmodum, ut jam sæpe promisimus, ex authenticis instrumentis inte-*
C *gra exhibebimus.*

b *De loco et tempore hujus canonizationis in Commentario prævio* § 47 *verosimiliora testimonia produximus.*

c *Duplex hujus Fratris sanatio in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 31 *invenitur.*

d *Sanatio hujus surdæ monialis in iisdem Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 33 *sic refertur:* In eodem Conventu Bononiæ cum Prior Fratrum de miraculis beati Dominici populo prædicaret, quædam monialis, quæ multis annis surda fuerat, beatum Dominicum invocans, plene recuperavit auditum.

e *Etiam in Vitis Fratrum, quas in codice nostro* P. *Ms.* 7 *habemus, part.* 2 *cap.* 33 *Bartholomæus iste* Frater *appellatur. Hinc Flaminius in Actis* S. Dominici *fol.* 87 *confidenter asserit, hunc Bartholomæum fuisse virum memorabilem* ex Ordine Prædicatorum. *Sed in editione Duacena et Echardiana ejusdem partis, vocatur idem Bartholomæus* dominus, *qui titulus ei potius convenire videtur, ut ex observatione sequenti apparebit.*

f *Bartholomæus ille cognominabatur* de Clusa *eratque antea archidiaconus Matisconensis et Canonicus Carnotensis, de quo Stephanus de Borbone coævus apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 42 *in notis, ad rem nostram narrat sequentia:* De eodem beato Dominico dixit mihi idem archi- D
diaconus, quod cum ipse esset Romæ canonizatus, et ipse præsens esset in canonizatione beati Dominici, cum ipse esset tunc Tripolitanus cantor, et deberet transfretare rogaverunt eum Fratres Prædicatores, qui tunc erant Romæ, quod ferret litteras canonizationis beati Dominici ad Fratres transmarinos: quod cum faceret, in quodam loco cum applicuisset, submersa est navis, et omnia, quæ erant dicti archidiaconi cum aliis; et quæcumque erant in ejus cophinis repleta sunt aqua, in qua diu jacuerunt et læsa; litteræ autem dictæ inventæ sunt illæsæ solæ ab aqua, in qua diu jacuerant in medio aquæ, acsi eas aqua omnino non tetigisset. *Stephanus itaque ex ipso Bartholomæo id audivit, ut præterea apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 18 *in notis videre licet.*

g *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 62 *idem miraculum narrat ex Ms. codice, ubi ex circumstantiis facile colligitur, hanc virum in Ordine quodam Religioso tunc vixisse.*

CAPUT XXVII.

E

Apostolici Prædicatorum labores apud Cumanos et Hungaros, et varia prodigia, quæ patrocinio S. Dominici in illis regionibus patrata sunt.

PARS VIII. *In Hungariam, Cumanis conterminam,*

Miracula prænotata ad tumbam sancti Dominici et in Italia per merita ipsius ante translationem ejusdem virtute Dei facta sunt: quoniam tunc in illa terra Pater sanctus tantummodo notus, ibique erat magnum nomen ejus; super candelabrum vero canonizationis positum lucet omnibus, qui sunt in domo Ecclesiæ, nomen ejus, et beneficiorum splendores, mirabiliumque radii per omnia diffunduntur: a solis enim ortu usque ad occasum in sancto Dominico laudant pueri nomen Domini: nam propitium eum sentiunt in necessitatibus invocatum. Multis namque in diversis, sed in iis præcipue, quæ infidelibus adjacent, regionibus, miraculis gloriosius coruscavit. Unde in regno Ungariæ, cui Cumanorum F
gentilis populus conterminus est, cujus fidem et salutem beatus Confessor summe desideraverat, stupenda et innumera mirabilia per ejus merita contigerunt.

CAP. I *profecti sunt quidam Prædicatores;*

318 Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo cum magister Paulus Ungarus, qui actu legens erat in jure Canonico Bononiæ, intrasset Ordinem, cum aliis quatuor Fratribus missus est in Ungariam per beatum Dominicum
ipso anno *a*. Et egressi primo venerunt in civi- *a*
tatem Lauriensem; ad quorum prædicationem concurrebat multitudo hominum, tamquam ad novum et inauditum spectaculum: ubi in ipsa prædicatione tres de bonis scholaribus ad Ordinem sunt recepti. Et quia nondum locum habebant, egressi inde transierunt in Pannoniam, ubi ipsa nocte Fratri Sadoch, qui unus de quatuor erat, viro magnæ perfectionis, multitudo dæmonum apparuit, alta voce et multo ululatu clamans: Venistis huc, ut auferatis jus nostrum. Et conversi ad illos tres novitios aiebant: Heu per tales parvulos nos confunditis! Hæc, dictis Matutinis, Frater Sadoch sociis enarravit.

ex quibus duos pauper piscator benigne hospitio excipit,

319 Illis temporibus duo Fratres in eadem provincia ad quamdam villam venerant hora, qua solet ad Missam audiendam Christianus populus convenire. Qua celebrata, cum redirent omnes ad propria, et ecclesiam sacrista clauderet, remanserunt soli Fratres in atrio ; nec erat, qui eis caritatis viscera aperiret. Vidit eos piscator pauper, et misericordia motus super eos, cum non haberet, unde eos pasceret, ad hospitium trahere non præsumpsit. Præcurrens tamen ad domum conjugi suæ affectum compassionis indicat dicens : O si haberemus, unde possemus pascere duos Fratres ! Torqueor valde pro peregrinis Fratribus, qui stant in atrio ecclesiæ, et a nemine colliguntur. Cui mulier : Non habeo, nisi parum de milio ad vescendum. Ad mandatum ergo viri revolvens masurpium, præter spem reperit æra duo. Unde gavisus homo nimis : Accelera, ait, uno ære panem, et altero eme vinum. Milium etiam coque et pisces.

et propterea cœlitus ditatur.

320 Obedivit mulier viro imperanti, qui reversus, adhuc invenit eos ubi reliquerat, in atrio stantes, et humiliter eos, invitans, deduxit eos B et excepit in domum suam gaudens. Qui dum in mensa paupertatis, ferculis immensæ caritatis fuissent refecti, gratias agentes abierunt, hospiti suo retributionem a Domino imprecantes. Dedit ergo Dominus mercedem viro illi pro misericordia, quam fecerat, et ab illo die non defecerunt in zonis ejus æra duo pro quibuslibet necessariis domus suæ. Sed duobus datis et consumptis, duo alia mox habebat. Ditatus est igitur homo in ædibus et agris habens oves et boves, et alia quæque bona, addiditque sibi heredem Dominus. Cumque secundum statum suum sufficiens esset sibi, subtracta est gratia æris, sibi cœlitus ministrati. Deinceps vero Fratrum receptor exstitit et amator.

II
Postea adeunt Cumanos infideles,
* *alias* Furiensis

321 Post hæc numero Fratrum crescente, missi a Fratre Paulo quidam intraverunt terram, quæ Feuriensis * vocatur, cujus habitatores schismatici et publici hæretici erant : ubi multis tribulationibus perpessis, tandem convalescentes, multos ab hæresi ad veram fidem, et a schismate ad unitatem Ecclesiæ converterunt. Deinde memores fideles filii devotionis et zeli patris sancti Dominici, qui Cumanos personaliter adire decreverat, qui nullam Dei omnino habebant notitiam, C ordinaverunt Spiritus sancti consilio Fratres, viros virtutis mittere ad gentem jam dictam, ubi tribulationibus et vix credibilibus miseriis affecti, a paganis repulsi, nullo fructu allato, redire ad propria sunt compulsi.

et post longam patientiam multasque tribulationes unum,

322 At, Spiritu sancto inflammante, zeloque animarum movente, secundo ad eam gentem redierunt, et per multa viarum discrimina pervenerunt ad eos juxta fluvium, qui dicitur de Neper ; ubi frequenter fame et siti, ac varia persecutione afflicti, alii ex ipsis in captivitatem ducti, alii ab infidelibus interempti sunt, alii nihilominus in cœpto prædicationis officio constanter permanserunt. Respexit tandem Altissimus constantiam et laborem eorum, deditque eis gratiam, ut audirentur a paganis ; et sic primo omnium ducem, nomine Brut, cum aliquibus de familia sua baptizaverunt ; qui post aliquot annos in confessione veræ fidei perseverans, obdormivit in Domino, facta prius confessione, et communione, ut moris Christianorum est, suscepta, per manus Fratrum in capella beatæ Virginis, quam in eadem gente commorantes Fratres, ut se ibi quandoque colligerent, ædificaverant, honorifice est sepultus.

EX MSS.

III
alterumque eorum ducem cum familia ad fidem convertunt.

323 Post hæc Bernborch nobiliorem ducem cum mille circiter de familia sua ad fidem Jesu Christi convertebant, quem de sacro fonte baptismatis non sine magno gaudio illustris rex Ungariæ Andreas, pater sanctæ Elisabeth levavit. Hic dux, dum in extremis ageret, in manibus Fratrum in agone constitutus, dixit : Discedant a me omnes Cumani pagani, quia video circa eos dæmones horribiles ; remaneant soli Fratres et Cumani baptizati, quia ecce circa me video Fratres martyrizatos, qui exspectant me, ut secum ducant ad gaudia, quæ prædicaverunt. Et his dictis, cum mirabili gaudio exspiravit, et in capella beatæ Virginis supra memorata traditus est sepulturæ. Profecerunt itaque in regionibus illis Fratres prædicando, hæreticos et schismaticos, gentilesque, ut prædictum est, ad fidem Catholicam convertendo, Domino cooperante et sermonem signis efficacibus confirmante *b* : infinita etenim miracula per gratiam Dei meritis beati Dominici in pluribus Conventibus nostris sunt in Ungaria facta, adeo quod numerum etiam excedunt : de quibus aliqua, quæ fideli testimonio probata sunt, adscribere curavimus ad gloriam Domini nostri Jesu Christi. E b

IV
Patrocinio S. Dominici, cujus reliquiæ in Hungaria quiescunt, puer mortuus,
c

324 Est quædam illius regni regio, quæ Sumlu *c* nominatur, ubi in Conventu Fratrum almi Confessoris reconditæ habentur reliquiæ sacrosanctæ, quas populus cum multa devotione frequentans veneratur, reportans meritis ipsius optata beneficia sanitatum. Accessit igitur vir quidam nobilis cum uxore ad Conventum Fratrum, devotionis causa, ad sancti Patris reliquias visitandas, cujus filius, quem secum duxerat, parvulus infirmatus, ibidem ad extremum vitæ moriendo pervenit : quem pater mœrens ad ecclesiam deferens, et coram altari beati Dominici collocans, voce flebili lamentari cœpit et dicere : Beate Dominice, lætus veni ad te ; en tristis redeo. Cum filio veni ; en orbatus recedo. Redde mihi, quæso, filium meum ; redde mihi lætitiam cordis mei. Cumque lugens usque ad noctem perseveranter insisteret, circa noctis medium puer revixit, lac suxit, et per ecclesiam ambulavit, tandemque ad domum propriam a parentibus est incolumis cum lætitia reportatus.

juvenis in flumine submersus,

325 Juvenis quidam dominæ Justinæ, Michæ Comitis uxoris, mancipium, dum in Cris flumine piscationi minus cautus insisteret, in aquam lapsus, suffocatus disparuit. Magno autem spatio temporis interjecto, ejus corpus in profundo fluminis requisitum, mortuum est eductum. At præfata domina super subtracti famuli nece tam miserabili condolens, pro resuscitatione ejus beatum Dominicum invocavit, promittens, se ad suas reliquias in Sumlu visitandas personaliter nudis pedibus accessuram, et resuscitatum mancipium libertati daturam. Statimque, qui fuerat mortuus, in medium, videntibus omnibus, vitæ redditus prosilivit ; quem devota domina in Sumlu, sicut promiserat, veniens, Priori domus et Fratribus et suscitatum retulit, et liberum præsentavit.

[illegible]

326 Cujusdam viri nobilis, Ladislai nomine, filius parvulus lethali febrium infirmitate præventus, per mortis transitum ex hac vita discessit ; cujus corpusculum pannis juxta consuetudinem involutum, extra domum fuerat jam delatum. Mater vero nobilis domina inter nimiam, qua fuerat absorpta, tristitiam, resumens spiritum, accersiri fecit ad se continuo sacerdotem, coram quo, emisso voto, cum devote bea-

tum

EX MSS. tum Dominicum invocasset, quæ plorabat mortuum, recepit filium vitæ protinus restitutum; cum quo in Sumlu reverenter accedens, præsente sacerdote, coram quo puer fuerat suscitatus, viroque ipsius, et rei gestæ veritatem exposuit, et in Sancto suo Dominico debitas egit gratias Salvatori.

V *et alius defunctus revixerunt.* 327 Vir quidam de castro Somuf de villa Lelei, Gothart nomine, orbatus filio, Thoma nomine, jam defuncto, superveniente nocte circa corpus plorans et ejulans residebat. Socio tandem, qui secum aderat, ad quiescendum pergente, cum remansisset solus, accenso lumine, juxta caput adolescentis filii defuncti se collocavit, habenas lacrymis relaxavit, beatum Dominicum, ut patri redderet filium, incessanter votis pariter et vocibus interpellans. Factum est igitur circa pullorum cantum, ut, qui mortuus fuerat, se moveret: et apertis oculis patri dixit: Quid est, pater, quod sic habeo faciem madefactam? Cui ille: Lacrymæ patris tui sunt, fili, quia tu mortuus fueras, et ego solus remanseram omni gaudio destitutus. Et ille: Multum, inquit, flevisti, B pater; sed beatus Dominicus desolationi tuæ compatiens, ut tibi vivus redderer, suis meritis impetravit.

quale prodigium ibidem duo alii viri 328 Crebrescente per totam Ungariam virtutum fama, quas per merita beati Dominici super vivos et mortuos manus Domini frequentabat, vir quidam ad omnia infidelis prorsus et incredulus persistebat. Contigit autem, ejus filium, quem habebat, graviter infirmari; in qua etiam infirmitate tandem ultimum spiritum exhalavit. Quidam autem de iis, qui ad consolandum patrem, et assistendum nocte circa corpus defuncti filii ex more convenerant, dixit illi: Crede, beatum Dominicum magni esse meriti apud Deum, virtutemque Dei in veritate operari per eum miracula, quæ feruntur, nec non ipsum invoca toto corde; forsitan, qui plerosque mortuos suis meritis suscitavit, tuum etiam filium suscitabit. Tunc ille compunctus corde super incredulitate præterita, amare redarguit semetipsum, assumptaque fiducia, ab invocatione beati Dominici, per noctem illam cordis gemitibus ac oris precibus non cessavit. Igitur prima hora diei, qui jacebat mortuus, manum movit, vela- C men abjecit, quo ejus facies involuta fuerat, ac surrexit. Tandemque pater cum filio suscitato in Sumlu properans, quanta sibi fecerat Dominus, ad honorem gloriosi confessoris sui Dominici nuntiavit.

in filiis suis experti testantur. 329 Honestus quidam vir, Gentus * nomine, de villa Pinar, quæ est sub castro Crassu, cum suis parochianis ad Fratres venit, filium parvulum secum ferens ac dicens: Hic est filius meus, quem beatus Dominicus jam defunctum a mortuis suis meritis suscitavit: nam cum a summo mane usque post meridiem in domo mea in medio ululantis familiæ jaceret exanimis, subtraxi me paululum, et recordatus, quod Deus beato Dominico super mortuos suscitandos tantam gratiam contulisset, sumpta fiducia, locum, in quo orare consueveram, adii, et gloriosum Domini Confessorem, ut orbato patri unicum redderet filium, fusis amarissimis lacrymis invocavi. Cumque rediissem ad corpus pueri, et me super faciem ejus flens et ejulans incurvassem, ecce puer aperuit oculos factus vivus, quem ad vos gaudens attuli ad laudem et gloriam Salvatoris, qui sancti Dominici merita d tot et tantis miraculis exaltare non cessat *d*.

* alias Getus

D

ANNOTATA.

a *De sedibus Cumanorum et hac missione Hungarica in Commentario prævio* § 41 *aliqua diximus.*

b *De his Prædicatorum laboribus consule Appendicem ad Vitas Fratrum, et Sigismundum Ferrarium in Opere De rebus Hungaricæ provinciæ Ordinis Prædicatorum, qui parte* 1 *cap.* 2 *et sequentibus hæc omnia fusius exponit.*

c *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 60 *legit* Similou; *sed hæc et ejusmodi nomina in variis codicibus ita luxata sunt, ut veram earum expressionem detegere non possis. Quare deinceps variis illorum lectionibus indicandis non immorabimur.*

d *Hæc miracula Hungarica simili fere modo apud Vincentium Bellovacensem in Speculo historiali lib.* 30 *cap.* 116 *et* 117 *referentur. Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicatorum a pag.* 60 *etiam hæc et sequentia ex quodam Ms. Codice edidit.*

E

CAPUT XXVIII.

Aliqua miracula, quæ intercessione ejusdem Sancti in Hungaria et Sicilia contigerunt.

Languidus quidam et morti proximus lecto decumbens, qui etiam ad decem et octo annos lumen amiserat oculorum, cum audisset sacerdotem cum suis parochianis proficisci velle ad beati Dominici reliquias visitandas, confortatus spiritu voluit et ipse pariter proficisci. Cum autem eum sacerdos, tamquam rem impossibilem præsumentem, modis omnibus prohiberet, tandem valetudinem corporis desiderio superans, tamquam tentans ire, de lecto surrexit, tantamque subito sibi sensit infundi virtutem, quod passu concito gradi cœpit, tanto magis ac magis in convalescentia corporis et oculorum illuminatione proficiens, quanto quotidie in itinere procedebat; donec tandem ad locum destinatum perveniens, perfectum recepit utriusque beneficium sanitatis. VI *Quidam languidus et simul cæcus.* F

331 Quædam mulier de villa Corzordinem ab antiquo tempore dorsum habens monstruose contractum, ita ut quasi in dorsum versa statura cetera corporis videretur, ad reliquias beati Dominici super currum posita ducebatur. In mentem autem illi venit, ut, quod petebat, facilius impetraret, ex devotione, quamvis non sine multa molestia, pedes aliquantulum ambularet. Igitur de curru posita, dum, vix attrahens spiritum, cœpisset incedere, subito fracto cingulo et in terram fluente, corpus ejus in directum extensum est, et ad statum debitum mirabiliter reformatum. Quam sacerdos suus et ceteri convicini, qui secum venerant, accedentes ad locum, Fratribus præsentaverunt, tam infirmitatis pristinæ, quam sanitatis taliter subsecutæ, testimonium perhibentes. *mulier monstruose contracta,*

332 De villa Tytuliensis ecclesiæ quidam, Tequeren nomine, cum propter infirmitates graves, quas patiebatur in dorso, scapulis atque brachiis, *alius diversis infirmitatibus afflictus.*

reliquias

A reliquias beati Dominici visitasset, sanitatem ad integrum de omnibus reportavit. Post paucos autem dies morderi cœpit in conscientia; quod perceptæ beneficium sanitatis, quo Deo debitæ gratiæ redderentur, nequaquam Fratribus revelasset. Unde et se promisit continuo rediturum. Cum autem iterum ex negligentia ire differret, nocte quadam apparuit ei beatus Dominicus, et ab eo sanitatis præstitæ pretium exigebat. Quapropter expergefactus de somno, statim iter arripuit, ad locum venit, et coram Fratribus de ingratitudine seipsum digne redarguens, quod factum fuerat, totum tam de sanitate prius exhibita, quam de revelatione postmodum facta, simul devote et diligenter exposuit, audiente quamplurimo, qui aderat tunc, populo, et Deo gratias referente.

multique variis malis vexati,

333 Juvenis quidam retortos miserabiliter habens pedes, ita quod in superficie pedum cum afflictione non modica plantis contractis et inversis posterius ambulabat, ad beati Dominici sacrosanctas reliquias accedens, curationis est integram gratiam assecutus. Huic non solum mater et cognati, vicinique quamplurimi, verum etiam B ipsa pedum postmodum superficies figuram plantæ retinens ingrossatæ, infirmitatis pristinæ testimonium perhibebat.

Filius cujusdam Comitis curialis, diebus pluribus graviter infirmatus, ductus tandem ad reliquias sacrosanctas, et tactis eisdem, perfectam recepit in virtute Domini sanitatem, ita quod post paucos dies occidebat bestias coram rege.

De villa Ondon puer quidam mutus, cujus pater vocabatur Morith, ad tactum reliquiarum beati Dominici, loquelæ protinus beneficium reportavit.

Vidua quædam Orodiensis, Pita nomine, post annum tertium maritalis thori, loquelæ usum prorsus amiserat, muta facta. Hæc jam vetula, tactis sacrosanctis reliquiis, linguæ officium sibi sensit statim integre restitui.

inter quos erant muti, surdi, et cæci,

334 Senex quidam clericus, qui ab antiquo gravem aurium incurrerat surditatem, cum convicinis suis ad reliquias beati Dominici visitandas accessit: quas cum osculatus esset, ab eisdem iterum iterumque tactus, ad auditum integrum proficiendo pervenit.

C De villa Reseud vir quidam, nomine Tybi, filium suum surdum penitus, Gurtu nomine, ad reliquias sacrosanctas adduxit; quibus tactis, audiendi gratiam incunctanter accepit.

Cæcus quidam, Paulus nomine, de villa Vrecha in festo beatorum martyrum Abdon et Sennen, meritis beati Dominici lumen recepit integrum oculorum.

Eodem die mulier quædam, Leufeva nomine, uxor Uvonet, paralytica, perfectæ sanitatis gratiam est adepta.

De villa Thyca vir quidam, Bulchum nomine, tanta cordis vesania vexabatur, quod in omnes homines, quos habebat obviam, quasi canis rabidus insurgebat, et fere nihil comedens, die noctuque agitatus furiis ferebatur. Hic ad reliquias ductus beati Dominici, ad earum tactum sanæ mentis statim compos effectus est, rationi pristinæ restitutus.

VIII
apud reliquias Sancti in Hungaria conservatas,

335 De villa Genen juvenis quidam, Orodiensis præpositi dapifer, gravissima quadam infirmitate detentus est, in qua manifeste contra se videbat irruere multitudinem dæmonum infinitam, nunc ad suspendium eum trahentium, nunc diversis generibus affligentium tormentorum. Ipse vero inter hæc inæstimabili timore depressus, voto simul et voce, qua poterat, Deo se et beato Dominico commendabat: statimque in forma Fratris beatus Dominicus aderat, qui sinu cappæ collecto, importunas ab eo dæmonum abigebat molestias, eorumque impetum virtuosa potentia coercebat; nec mora, simul eumdem ab infirmitatis desperato gravamine penitus liberavit. Quapropter ad reliquias beati Dominici properans, et de tanto beneficio coram Fratribus gratias retulit, et peccata sua humiliter confitens, emendationem vitæ proposuit et promisit. EX MSS.

prodigiosum ejusdem auxilium evidenter experti sunt.

336 Matrona quædam de villa Pinar, ætate pariter et honestate provecta, votivam Missam ad honorem beati Dominici disponens facere celebrari, candelas tres ad hoc idoneas præparavit; sed hora debita sacerdotem, qui Missam celebrare debuit, non invenit. Quapropter candelas ipsas in vase quodam reposuit, manutergio mundo pariter involutas. Cum autem aliquantulum divertisset, post horam rediens, candelas flammis patentibus ardere vidit. Stupefacta igitur foras exiit, vicinas undique convocavit. Concurrunt omnes ad mirandum spectaculum, tamque diu ibidem trementes pariter et orantes steterunt, donec prædictæ candelæ, ipsis videntibus, E penitus arserunt. Sic autem usque ad extremum paulatim ardendo consumptæ sunt, quod manutergium vel aliquid, quod in vase fuerat, non læserunt *a*. a

IX
In Sicilia mulier festum Sancti spernens punitur, sed pœnitens curatur.

337 Ad hoc accedit, quod in Sicilia apud Augustam per Fratres, tunc temporis ibidem manentes, contigisse probatum est. In festo namque translationis beati Dominici cum matronæ quædam, quæ in ecclesia Fratrum Missarum interfuere solenniis, domum redirent, invenerunt mulierem quamdam, domus suæ sedentem præ foribus, et filantem: quam cum verbis caritativis arguerent, quare in festo tanti Patris a servili opere non cessasset, illa protinus indignanti animo, et turbata facie dixit eis: Vos, quæ estis bezozæ *b* Fratrum ejus, festa colite Sancti vestri. Statimque oculi ipsius in tumorem cum pruritu conversi sunt, et ex ipsis cœperunt vermes protinus scaturire. Itaque vicina quædam, quam ad se perterrita convocavit, decem et octo vermes eduxit ex ejus oculis instanti. Quapropter contrita spiritu, ad ecclesiam beati Dominici cum ejulatu cucurrit; ante cujus januam se prosternens, et peccata sua confitens cuidam Fratri, F facto voto, quod de cetero sancto Dei Dominico numquam detraheret, et festa ejus devotissime custodiret. Continuo tumor cum pruritu disparuit, et in ejus oculis vermes amplius non fuerunt. b

et ibidem [illegible]

338 In eadem civitate devotæ cujusdam matronæ filia vitio lapidis * longo tempore graviter laboravit. Nullo autem medicinæ consilio suffragante, sibi solum supererat remedium incisuræ. Cum igitur dies esset statuta, qua puellam oportebat incidi, mater timens periculum filiæ, præcedenti die ad ecclesiam beati Dominici perrexit, orationi se contulit, suamque filiam Deo et beato Dominico voto, quo potuit, commendavit. Sequenti ergo nocte dormienti puellæ beatus Dominicus adstitit, in manu ejus, qua torquebatur, lapidem posuit, et abscessit: quem puella evigilans, et se liberatam inveniens, matri dedit, et visionem per ordinem explicavit. Mater vero cum ingenti lætitia lapidem ad Fratres attulit, rem gestam coram se exposuit, quem Fratres in ecclesia coram imagine beati Dominici in futuram memoriam tam stupendi miraculi suspenderunt.

* [illegible] calculo

Hydropi-

EX MSS.

Hydropicus quidam monstruose inflatus, auditis beati Dominici miraculis, ipsum devote invocans, pro salute corporis votum fecit; cui dormienti sanctus apparens Pater, ventrem ejus aperuit, immunditias exstraxit sine molestia et dolore, ipsum denuo consolidans sancta manu: qui evigilans, seque sanatum inveniens, gratias Deo et sancto Domino dignas egit.

ubi etiam juveni cuidam,

339 In Siciliæ castro, quod dicitur Johannis, erat juvenis quidam ventrem habens mira turgiditate distentum, ceteris membris tanta gracilitate debilitatis, ut mortem exspectaret vicinam. Is tamen egestate compulsus ad campos ibat, ut fascem lignorum apportaret, qui se ipsum portare non poterat. Et dum die quadam jacens in campo, miseriam suam querulosis vocibus deploraret, venit in mentem, quod beatus Dominicus se invocantibus clemens esset. Invocans igitur ipsum, votum fecit, ut, si ipsius meritis sanaretur, Fratribus suis per annum gratis in Placentia *c* deserviret. Mox adstitit Frater extendens manum ad arborem, sub qua jacebat, dicens ei: Accipe folia hujus sambuci, et ter bibe succum ejus, et sanaberis. Quo dicto, disparuit. Surgens autem infirmus lapidibus de foliis succum expressit, ter bibit, et mox venter ejus detumuit, pleneque curatus est: et confortatus magnum lignorum fascem incolumis domum tulit, seriem miraculi cunctis narravit, et valedicens matri, Placentiam venit, Fratribus, ut voverat, serviturus.

et matri alterius remedia recuperandæ sanitatis cælitus suggeruntur.

340 Ibidem apud Placentiam mulier quædam pauper videns Fratres in opere ecclesiæ laborantes, vovit sancto Dominico, quod filium suum ad labores Fratrum deputaret, si ab infirmitate, quam patiebatur, per ejus merita sanaretur. Et ecce nocte illa apparuit sanctus Dominicus mulieri in specie Fratris dicens: Mulier cognoscis has res? Expressit autem hæc; videlicet æs viride, pylatrum, lappacium *d*, et succum porri. Et ait mulier: Cognosco. Tunc Sanctus intulit: Accipe hæc, et cum succo porri conficias, et super bumbacium *e* pone, colloque filii tui adhibe, et sanabitur. Mane facto, fecit mulier, ut edocta fuerat, et sanatus est filius ejus, et sanum eum Fratrum laboribus præsentavit.

XI *Sanctus in gratiam piæ mulieris vinum multiplicat,*

* *alias* Placita

341 In eadem terra in villa, quæ dicitur Placicia *, erat femina Deo et Fratribus valde devota, viro tamen malevolo renitente; quæ, cum in Conventu vinum deficeret, ignorante viro, ipsa Fratribus ministrabat. Quod cum defecisset, vir de illo vase, unde Conventui devota mulier dederat, vinum exigebat. Cumque non nisi fex reperiretur in vegete, stupens ancilla, dominæ nuntiavit. Mittit ergo domina ancillam iterum. Interim autem domina, positis in terra genibus, beatum Dominicum invocat, viri metuens malitiam et tumultum. Accepta autem de meritis sancti Patris fiducia, ad vegetem tertio remittit ancillam: quæ murmurando vadens, reperit vas plenum usque ad summum. A Domino factum est istud: vinum enim, quod Fratribus familiæque illorum per sex tantum hebdomadas consuevit sufficere, hoc Fratribus et familiæ per menses quatuor, Domino multiplicante, abundavit. Quod dum vir admirans cognovisset per uxorem, Deo et Fratribus postmodum factus est devotus.

et alibi vineam hospitis sui, qui eum viventem recipere consueverat, a tempestate servat.

342 In comitatu Urbevetano in patrimonio beati Petri, civitate, quæ ad sanctam Christinam appellatur *f*, erat quidam ex civibus, qui beatum Dominicum, loca illa transeuntem, hospitio recipere consuevit. In illo tempore in territorio civitatis ejusdem exorta tempestas prævalida omnes in circuitu ejus vineas cum vitibus contrivit penitus et destruxit. Tunc omni inspectante populo et mirante, apparuit visibiliter Frater in habitu Prædicatorum Ordinis, qui inter cœlum et terram in aere stans, cappa sua memorati hospitis vineam a turbine protegebat. Unde cum omnia vineta plaga illa tempestatis terribiliter grassando percuteret, et funditus destrueret, sola illa vinea penitus illæsa permansit, quia sanctus pater Dominicus amictum suum expanderat super illam. Igitur vinea hæc uberes fructus tempore illo, et vinum delicatius germinavit. In memoriam ergo tam evidentis miraculi ordinavit dominus hujus vineæ, ut Fratres Prædicatores in perpetuum benigne a suis successoribus suscipiantur, et de illo vine sufficienter refecti, commodius procurentur: quod usque in præsens tempus observant fideliter devoti hospitis successores. Accidit hoc tam insigne miraculum, dum adhuc in hac mortalitate degeret, et in hujus viri hospitio quiesceret Pater almus. Et cum alia illius fundi habitacula propter vetustatem renovata sint, solum sancti viri domuncula pro ejus reverentia perseverat adhuc, in qua Fratres usque hodie requiescunt.

ANNOTATA.

a *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 118 *quædam ex his miraculis Hungaricis narrat, adeoque Theodoricus potuit ea ex illo excerpere. Sed nescio, unde Theodoricus eruerit alia, ibi omissa, nisi ætate Theodorici antiquior sit codex Ms. Echardianus, in quo omnia fere cum his concordant.*

b *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 62 *pro* bezozæ *legit* bizotæ. *At quocumque modo scribatur ea vox, videtur esse nomen injuriosum, et forsan deductum ab Italico* bizocchi *vel* bizoci, *aliisve vicinis nominibus, quibus hæreticorum sectam Fraticellorum appellabant.*

c *Echardus loco proxime citato pro* Placentia *ubique legit* Placia, *atque ibidem in notis observat, esse municipium Siciliæ, fere in meditullio insulæ situm, quod vernacule* Piazza *nominatur. Hoc miraculum, et duo alia, quæ hic reliquis immiscentur, legi possunt in Vitis Fratrum part.* 2 *cap.* 26 *et duobus sequentibus.*

d *Laudatus Echardus ibidem notat,* pylatrum *corrupte legi pro* pyretro, *et* lappacium *pro* lapatho, *quia in remediis hujus morbi frequens est usus istarum herbarum : nam juvenis ille* affligebatur infirmitate quadam scrophularum, quas in collo solent habere pueri.

e *Echardus pro* bumbacio *legit* baubantium, *et hanc lectionem suam explicare conatur. Sed puto, melius apud nos legi* bumbacium *vel* bambacium, *quæ vox telam gossypinam significat, ut apud Cangium in Glossario ad vocem* bombax *et* bambax *fusius explicatur. Videtur itaque hoc loco mandari, ut ex his herbis, telæ gossypinæ illitis, fiat emplastrum.*

f *Suspicor, Ferdinandum de Castillo errasse, quando in Historia Hispanica Ordinis Prædicatorum lib.* 1 *cap.* 53 *eumdem locum nomine* sanctæ Cæciliæ *appellat. Porro nos istud miraculum in Commentario prævio* § 43 *inter gesta incerti temporis ex Flaminio recensuimus.*

CAPUT XXIX.

A

CAPUT XXIX.

Mira sanatio monialis cujusdam in Syria, et resuscitatio pueri mortui in Hungaria, qui postmodum Ordinem Prædicatorum ingressus est.

XII *Cum monialis Maria variis morbis laboraret,*

Fuit in Syria vir quidam nobilis, valde devotus beato Dominico, cui se cum liberis totamque commendaverat domum suam. Hic duas filias virgines in monasterio apud Tripolim, quod Magdalenæ dicitur, divino famulatui dedicavit: quarum una, Maria nomine, simplex et innocens, post multas infirmitates, in tibia et pede tanta passione per quinque menses vexata est, quod nec per se nec per alios se verti sustinere poterat, jacens resupina continue, ex adhæsione lecti carnibus jam consumptis. B Primis quidem tribus mensibus tam acutis cruciabatur doloribus, ut Sorores miserabilibus clamoribus inquietaret; præ doloris autem vehementia septem diebus sine cibo et potu languit; aliquando etiam in pallorem vultu converso sine sensu et motu jacens putabatur illico moritura: cujus tandem femur cum tibia et pede arefacta, quasi lignum insensibile, permanebant.

et tamen valetudinis recuperandæ causa nollet exire monasterio,

344 Quam dum mater et proximi pro adhibendis medicinæ remediis de licentia majorum de monasterio vellent educere, id Religiosa et pudica puella penitus recusavit. Unde germana ejus irata improperans: Modo, inquit, propter sanctitatem tuam sanabit te Dominus. Mater quoque indignans: Non est, ait, antiquum tempus, in quo miracula fecit Deus. Tunc illa pavens periculum, confugit ad Dominum, et recordata paternæ devotionis, qua beatum dilexerat Dominicum, humiliter deprecando dixit: Mi domine Deus, non sum digna rogare te, nec apud tuam misericordiam mereor exaudiri, ideoque rogo dominum meum sanctum Dominicum, dilectum servum tuum, ut inter te et me mediator existat, C et suis mihi meritis impetret beneficium sanitatis.

apparet ei S. Dominicus, cujus opem imploraverat,

345 Tanta vero precum instantia, tantaque lacrymarum abundantia beatum interpellavit Dominicum, cui erat devotissima, quod data est in corde ejus fiducia impetrandi. Et cum adhuc ad probationem ejus sanitas differretur, admirabili quadam interpellatione Sanctum allocuta est, cur tam diu exaudire distulerit preces ejus: quem cum iteratis orationibus nocte quadam in suis obnixius interpellaret doloribus, in ecstasi facta mentis, vidit ipsum cum duobus Fratribus aperta cortina, quæ lecto præerat, introëuntem. At illa, cum datum esset ei Sanctum cognoscere, cœpit eum suppliciter pro sua sanitate rogare. Cui Sanctus; Cur, inquit, tanto desiderio sanari exoptas? Respondit: Ut devotius Christo famulari valeam, si tamen meæ congruit hoc saluti. At ille: Extende, ait, tibiam tuam in nomine Christi. Quod cum se nullo modo posse virgo assereret, ille de sub cappa proferens unctionem miræ et inconsuetæ fragrantiæ, manu sua perunxit eam. Confestim perfecte sanata, tibiam extendit libere et retraxit.

EX MSS. *illamque sensibili unctione sanitati restituit*

346 Postea dixit ei beatus Pater: Hæc unctio salubris pretiosa est et dulcis, unde et valde difficilis. Cujus verbi dum puella quæreret rationem, Sanctus respondit: Hæc unctio dilectionis Dei signum est et figura, quæ revera pretiosa est, quia nullo pretio comparari potest, et nullum in donis Dei melius est. Dulcis, quia nihil dulcius caritate. Difficilis, quia cito perditur, nisi valde caute custodiatur. Ipsa nocte apparuit sanctus Pater sorori ejus in dormitorio dicens: Ego curavi sororem tuam; quæ statim currens ad ipsam, invenit sanam, Domino et sancto Dominico gratias referentem. Inveniens autem unctam se etiam unctione sensibili virgo, illam panno detersam per plures dies apud se ex humilitate conservavit occulte. Tandem, urgente conscientia, matri et confessori suo aperuit, ut docerent, quid ageret de tam sacra penes se recondita unctione. Et cum protulisset, quod latuerat apud ipsam, confessor et mater, sororque tanta et tam nova suavissimi odoris fragrantia sunt perfusi, ut nulla ei possent aromata comparari *a* *a*

XIII *Puer mortuus arbitrio S. Dominici reviviscit,*

347 Erant quidam in Ungaria honesti homines, quorum filius in annis infantilibus viam universæ carnis ingressus, ad cœlestia evolavit. Unde contristati vehementer, sanctos martyres Cosmam et Damianum pro suscitatione pueri, anxia devotione et supplici exorabant: solebant enim hos martyres jejuniis, orationibus, eleemosynis, et oblationibus præ ceteris Sanctis specialiter honorare. Sancti igitur martyres, beatæ Dei Genitricis adstante patrocinio, suorum supplicum vota Domino obtulerunt; qui de divino oraculo tale acceperunt responsum, quod consilium Altissimi hoc servi sui Dominici arbitrio commisisset. Interpellatus igitur a Regina cœli sanctisque Martyribus pius Arbiter et sapiens decrevit, tantorum intercessorum precibus annuendum. Mox puer parentibus redditur, ab angelis corpori restitutus: qui adolescens ejus, cujus arbitrio revixerat, Ordini se conjunxit, quod circa se gestum fuerat nulli dicens; qui cum studeret Parisius, novitius quidam insignis ad exitum Ordinis tentatus, nullis potuit persuasionibus retineri.

qui postea Ordinem ejus amplexus, novitio [illegible] miraculum [illegible].

348 Tunc zelo caritatis accensus, ut Fratrem periclitantem Domino lucraretur, eidem tentato, quod secum Dei gestum erat consilio, revelavit, affirmans, quod in conspectu Domini beatum Dominicum admirabili præ ceteris fulgentem decore, Prædicatorumque Ordinem super omnes inenarrabili superexaltatum gloria pervidisset. Itaque quod diu latuerat, patuit, et tentatus Frater, accepta consolatione, remansit. Erat autem Frater ille, qui revixerat, valde devotus et maturus, et semper ad superna, quæ gustaverat, intentus totis viribus et suspensus: qui licet raro loquens, exactus tamen quædam de angelis et de regina cœli Virgine enarravit. Dixit autem, quod angelus lux est clarissima et excedens, de quo plus intelligere potuit, quam proferre. Asseruit etiam, Dei genitricem Virginem, corpore et anima glorificatam, superexcellenter Filio conregnare *b*. *b*

ANNOTATA.

a *Hæc prodigiosa Tripolitanæ monialis sanatio in Vitis Fratrum part. 2 cap. 35 fusius describitur, et ibidem in fine testis hujus miraculi allegatur*

EX MSS. *his verbis :* Hoc miraculum magna cum diligentia examinavit et scripsit Frater Ivo, Prior Provincialis Fratrum in Terra sancta, vir totius sanctitatis et religionis, apud Deum et homines gratiosus, et in linguis plurimis optimus prædicator, quem rex Franciæ et regina transeuntes mare invenerunt, et specialiter dilexerunt, et laudes ejus mirifice extulerunt.

b *Nescio, ex quo fonte Theodoricus hanc mirabilem mortui resuscitationem hauserit, cum hactenus eam apud scriptorem, Theodorico antiquiorem, invenire non potuerim.*

CAPUT XXX.

Quædam revelationes ac punitiones, quas Fratres Minores ad gloriam S. Dominici Fratribus Prædicatoribus indicasse dicuntur; et repentina sanatio abbatis Cisterciensis, qui eumdem Sanctum ejusque Ordinem diligebat. B

XIV *Minorita juxta pactum initum, post mortem apparens F. Prædicatori,*

Antequam ossa sacrosancta beati Dominici de primo tumulo transferrentur, duo Fratres Minores cum F. Johanne Vincentino de Ordine Prædicatorum, in via convenerunt : quorum F. Johannes unum assumens, reliquum socio suo junxit. Qui dum de Jesu loquerentur in via, factum est cor eorum ardens in ipsis, et orta est in mentibus ipsorum ad invicem quædam confidentia ex amore. Inierunt ergo inter se illi devoti et sancti viri pactum caritatis in Domino, ut qui prior de hoc seculo emigraret, superstiti in hac vita, si Dominus concederet, appareret. Post hæc verba, resumptis sociis, in suos Conventus redierunt, et infirmati sunt illi duo, qui inierant simul pactum.

asserit, S. Dominicum in cœlo suos filios Deo offerre,

350 Mortuus est autem ille Ordinis Minor Frater in Domino, et ab angelis in sinu Abrahæ collocatur. Frater vero Johannes Vincentinus convaluit de infirmitate; cui post ægritudinem die quadam in meridie de somno evigilanti sedens ante lectum ejus apparuit Frater Minor, ad quem C territus dixit : Quis es tu? Ego, inquam, ille sum, qui pepigi tecum pactum; et veni, ut spopondi. Tunc F. Johannes ait : Quomodo circa te gestum est? Ait : Amaritudo mortis, quam pertuli, omnem culpam delevit, pœnamque sustulit, et in gloriam Christi misericordia me perduxit. Et F. Johannes : Quis te, inquit, coram Domino præsentavit? At ille : Sanctus, ait, Franciscus obtulit me Domino, sicut et sanctus Dominicus offert Fratres suos.

et alius Minorita ægre ferens laudes S. Dominici, febri affligitur,

351 Postquam autem sacrosancti corporis translatio, in qua sanctitatem Servi sui per odorem mirificum, ut prædictum est, Omnipotens mirifice declaravit, facta est, accidit, ut quidam Prædicatorum Ordinis Frater ejus Patris præconia exaltaret. Frater Nicolaus Veronensis de Ordine Fratrum Minorum, qui præsens erat, eidem verbis stomachantibus contumaciter obsistens contradixit. Quia vero Deus corripit, quem diligit, ipsum mox febris valida arripuit, et tota nocte vexavit; ad quem visitandum præfatus Frater accedens, dixit ei : Attende, Frater, ne hæc tibi plaga evenerit, quia dilectum Dei sanctum Dominicum blasphemasti. Tunc ille cæca mente et obstinato corde, laudantem virum gloriosum D Patrem suum, acrius irridebat.

et tandem facti pœnitens subito sanatur.

352 Cumque circa meridiem febre invalescente, vehementius æstuaret, vexatione dante intellectum, in se reversus dixit : Vere vereor, quia Sanctum inhonoravi, aggravata est super me manus Domini, plaga crudeli me percutiens et prosternens. Voveo igitur Deo, et servo ejus sancto Dominico, quod, si meritis ipsius ab hoc dolore in hac die fuero liberatus, de cetero numquam ejus gloriæ derogabo; imo etiam derogantibus contradicam. Vix verba finierat, et sensit se continuo ab omni dolore penitus liberatum. O veneranda misericordia Dei, quæ et pœnitentis votum tam faciliter acceptavit, dolores curando, Sanctique gloriam ampliavit tam patenter declarando! Frater vero Nicolaus Dei in se virtutem expertus, quod circa se gestum erat, Fratribus Prædicatoribus per litteras demandavit *a*. *a* Mira certe dispensatione inscrutabilis misericordia Dei electos suos aliquando in veritatis lumine caligare permittit, ut postmodum in ea firmius roborentur, et veritatis splendor clarius elucescat.

XV *Alteri Minoritæ graviter ægrotanti*

353 Miles quidam honestus in Theutonia de consilio cujusdam probatissimi Fratris Ordinis Prædicatorum, assumens Fratrum Minorum Ordinem et vitam, religiose valde et devote conversatus, labores Fratrum suorum cum omni utilitate et humilitate tractabat, et ab omnibus Fratribus amabatur. Prædicatorum vero Ordinem, per quos ad conversionem venerat, speciali prosequebatur amore, et venerabatur honore, ipsis ad domum, in qua erat, venientibus procurans, quæ poterat, commoda, exhibensque obsequia caritatis. Tandem adeo graviter infirmatus est, ut elephantino morbo putaretur infectus : quem cum Fratres sui post Matutinas, utpote desperatum, communicassent, præ nimia debilitate soporatus, leviter obdormivit.

ostenditur mirabilis visio,

354 Raptus autem in visu in quamdam perpulcram domum, vidit dominum Jesum sedentem, habitu Ordinis Prædicatorum vestitum; eratque miri decoris habitus, maximeque album de subtus indumentum candore nimio * delectabiliter effulgebat. Assistebant Domino omnes Apostoli, et aliqui ex prophetis, sanctique Martinus, et Nicolaus episcopi, multique doctores. Aderat etiam beatissimus F. Franciscus cum multis Ordinis F sui Sanctis. In illo quoque raptu sanctus ille et simplex Frater conspexit insignes viros Jordanum et Johannem episcopum, Prædicatorum Ordinis Magistros et patres; præterea juxta Magistros istos, Johannem Magdeburgensem, Zachariam Halverstadensem, Gotscalcum Lipzensem Priores, intuens recognovit. Mirabatur autem apud se, quod in tam copiosa Prædicatorum sanctorum multitudine F. Wichmannum Repinensem Priorem, nuper tunc defunctum, quem sanctum noverat, non viderat. Tunc repente dictus pater Wichmannus surgens ostendit in se, qua pollebat, gloriam excellentem.

* *alias* niveo

in qua S. Dominicus

355 Dixit vero Salvator præsidens clara voce : Dominice, Dominice. Et exsurgens sanctus Dominicus : Adsum, inquit, Domine. Et Dominus demonstrans infirmum : Ecce, ait, amator tuus, et tuorum. Assume igitur ipsum, duodecimque legiones angelorum, eique lavacrum adhibe balnei salutaris, cunctisque tui Ordinis dilectoribus beneficia salutis semper procurare memento; quem cum laveris, indue eum sui Ordinis vestimentis. Assumens ergo sanctus Dominicus infir-

mum,

A mum, in dolio aureo, ministrantibus angelis, lavit ipsum; cui in illo lavacro, ut testabatur, delectatio magna fuit. Sic juxta mandatum Domini loto, vesteque suæ Religionis induto, beatus Dominicus ait : Duodecim litteras sume, et ad Capitulum Hyldense defer, ut mittantur duodecim Ordinis meis provinciis, ut quod in te factum est miraculum omnibus innotescat. Audierat quidem, quod in civitate Sosato * assignatum fuerat Capitulum; nunc vero discit, quod ex causa in Hyldensem *b* postea est translatum.

* *alias* Solato

b

derepente et integre eum morbo liberat.

356 Reconditis ergo apud se litteris evigilans, rediit ad se ipsum. Cumque litteras quærens, hinc inde manus verteret, sensit corpus suum, quod tamquam leprosum ulceribus plenum exstiterat, restitutum per omnia sanitati. Sanitatem igitur et virtutem in se advertens, surrexit incolumis, ingressusque ecclesiam gratias egit domino Jesu Christo omnium Salvatori. Mane facto, Fratres, quem æstimaverant moriturum, in consuetis laboribus invenerunt ; qui dum causam suæ salutis inquirerent, respondit : Sancti curaverunt me. Hujus visionis seriem is, qui sanus factus fuerat, Fratribus Prædicatoribus cum humi- B litate magna occultissime revelavit. Accidit hoc signum in diœcesi Havelburgensi in civitate quæ Kyriz nominatur.

Quidam Euangelium Sancto proprium legere nolens in Missa punitur,

357 Sanctæ memoriæ F. Ludowicus Theutonicus, qui Gardianus in Ordine suo exstiterat, Prædicatorum sincerus amator, narravit eis dicens : Fuit sacerdos quidam in quodam famosæ Religionis Ordine, qui in festivitate beati patris Dominici Missas celebrans, Euangelium illud : Vos estis sal terræ, ejus Officio annotatum, quod proprie doctoribus et apostolicis Sanctis congruit, pronuntiare in oblatione salutaris Hostiæ recusavit. Accidit autem in anniversario ejusdem Patris die, ut dictus Frater in suo pertinaci errore permanens, Missam quidem de sancto Dominico celebraret, præfatum tamen Euangelium prætermittens. Omnipotens vero Deus, piorum benignus corrector, famulum suum nequaquam in hujus perversi erroris stultitia reliquit. Et ecce dum dominici Corporis sacramentum secundum sui Ordinis morem in patena depositum sumere debuisset, invenit patenam totam salis C massa terribiliter occupatam. Coactus itaque acerbum sal pro dulci Sacramento sumere, didicit, beatum Dominicum conditum esse sale divinæ sapientiæ et Apostolicæ doctrinæ. Compunctus igitur, exarsit in amorem, qui deviaverat per errorem.

et aliqui honori ejusdem Sancti detrahentes

358 Accidit in quodam prædicti Ordinis Conventu, ut quidam erroris perniciosi spiritu seducti, verbis malignis in sanctum Dei Dominicum garriendo, ipsius meritis derogarent. Erat inter eos unus Deo devotus Frater et bonus, qui ab hoc blasphemiæ malo custodierat linguam suam. Huic sanctus apparens Dominicus, dixit illi : Dic Gardiano et Fratribus tuis, ut omnia, quæ conservare voluerint, hinc efferant : incendam enim domum istam, blasphemiam, qua mihi detrahunt, vindicando. Manet namque propter hoc divini judicii sententia super eos. Quæ cum Fratribus retulisset, irridebant ipsum, phantasticum asserentes. Die ergo, qua non credebant, et hora, qua non putabant, venit ignis, ut prædictum fuerat, et omnia concremavit.

post iteratas frustra monitiones prævios,

359 Æstimantes igitur non divina ultione, sed casu hoc factum, impœnitentes super peccato suo, reædificare cœperunt : qui dum casulas viles et domunculas humiles, in quibus utcumque habitare poterant, erexissent, nec tamen de commisso contriti ad cor redissent, apparuit secundo ei, cui pridem apparuerat, sanctus Dominicus dicens : Dic Fratribus, ut de iis casulis, quæcumque habent, educant : delebo enim per ignem in ultionem blasphemiæ habitacula ista. Qui dum hæc referret Fratribus, visa sunt eis quasi deliramenta verba ista. Tunc, quia non crediderunt Deo, exarsit ignis improvisus, ut prius, et flamma combussit eos, multo amplius sæviens et devastans. Sed nec tunc reversi sunt ad cor, casui plagam blasphemiæ adscribentes.

Ex Mss.

triplici domus suæ incendio plectuntur ;

360 Ædificaverunt igitur iterum, quæ non poterant persistere, quia carebant fundamento pœnitentiæ pro commisso. Instauratis itaque structuris congruentibus, tertio apparuit illi devoto Fratri pater sanctus Dominicus dicens : Adhuc oportet, in vobis ut injuriam meam puniam et ulciscar. Tunc bonus ille Frater ait : Parce, pie Pater ; quia jam pauperes facti sumus nimis. Cui sanctus Pater : Exigit, ait, Dei justitia, ut trinam de vobis capiam ultionem. Post hæc egressus ignis a Domino omnia, quæ habebant, consumpsit etiam usque ad fundamenta, penitus nihil relinquens. Si vocem Domini audissent, et E non obdurassent corda sua, conversique egissent pœnitentiam, propitius fuisset Deus peccatis eorum, et non delevisset incendio habitacula eorum *c*. Non ergo ponat homo terrestris in cœlum os suum, ut Sanctis Dei detrahat : introierunt enim in potentias Domini, tenentes gladios in manibus, ut faciant vindictam in hostes suos, conculcentque suis pedibus colla regum. Judicabunt enim nationes, et dominabuntur populis ; quos utique, si voluerimus, humili devotione ac supplici reverentia amicos nobis facere possumus, et patronos propitios, ut ab ipsis et cum ipsis in æternis recepti tabernaculis, lætemur in requie opulenta.

c

XVI

contra vero abbas Cisterciensis,

* *alias* Volbrorde

361 In Thuringia, Alemaniæ provincia, monasterio quodam Cisterciensis Ordinis, quod Volkolderode * dicitur, Moguntinæ diœcesis, erat vir valde venerabilis abbas, Dithmarus nomine, religiosus admodum et devotus, moribusque suavissimis adornatus. Hunc pro suæ sanctitatis reverentia honorabant ecclesiasticæ et seculares personæ, principes et nobiles, Clerus et populus, et omnes generaliter diligebant : inter omnes F enim patres illius Religionis et Fratres in hac terra, sicut sol super sidera, effulgebat : eleganti namque statura spectabilis eminebat, benignitate multa præditus, sermone dulcis et affabilis, misecors in pauperes et afflictos, in monachos devotus et humilis, et de observantia Ordinis et pacis solicitus, utilitateque monasterii procuranda industrius et discretus.

qui S. Dominico et ipsius Ordini [illegible]

362 Hic gloriosus pater Deo dilectus, et hominibus pariter acceptus, singulari quadam devotione ad beatum Dominicum ferebatur, omnes personas Ordinis ab eo instituti sincero corde complectens et benefica caritate. Unde Conventibus prædicti Ordinis sibi vicinis largas frequenter conferebat eleemosynas, et nihilominus familiaribus Fratribus nonnulla solatia impendebat. Dum hæc indefessus ageret, contigit, eum ad generale Capitulum euntem in quodam cœnobio sui Ordinis graviter infirmari : quem dum medicus visitasset, infirmitatisque circumstantias considerasset, desperans de vita viri, pronuntiavit, eum in proximo moriturum. Licet taliter loqueretur, erat tamen cor abbatis fiduciam habens

in

EX MSS.

in Domino et meritis sancti Dominici servi ejus. Cumque nimia oppressus debilitate jaceret anxius, vidit vigilans sanctum Dominicum cum socio introëuntem ad se. Sedit autem sanctus Dominicus ad caput lectuli, socius ad pedes ex adverso. Abbas vero putabat, quod Fratres aliqui venissent ad eum gratia visitandi, et sanctum Dominicum non cognovit. Tunc dixit sanctus Dominicus ad infirmum: Confortare, abba, in Domino, et non paveat cor tuum, quia non morieris tu, sed vives, et de hac infirmitate protinus convalesces. Dicit ei infirmus: Unde hoc nosti, dilecte mi? Respondit Sanctus: Ego sum Dominicus servus Altissimi, qui Fratrum Prædicatorum Ordinis institutor exstitit *, quem sincero corde hactenus dilexisti; et nunc missus sum a Domino tibi hæc salutis tuæ gaudia nuntiare.

* *alias* exstiti

statim a periculoso morbo liberatur.

363 Audiens abbas, sanctum adesse Dominicum, exhilaratus nimis sperabat, se cum tam dilecto Patre propensius locuturum. At ille declinaverat, atque transierat absque mora. Abbas autem confortatus a sancto Dominico, recepta plena sanitate, convaluit. Sequenti die medicus, qui eum moriturum autumaverat, supervenit, et quæsivit, quomodo mortis periculum evasisset. Et dixit ei abbas: Non carnalis medicinæ industria, sed supercœlestis unctionis gratia me sanavit. Vixit autem postea pluribus annis, beatissimæ virginis Dei Mariæ specialis amator et devotissimus famulus abbas Dithmarus, proficiens in omni bonitate, Fratrumque Prædicatorum amicabili caritate, quos etiam in extremis constitutus, successori suo diligentissime commendavit. Defunctus est tandem in senectute bona, conversatione et devotione eximia, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, quinto Idus Octobris.

B

ANNOTATA,

a *Vincentius Bellovacensis lib.* 30 *Speculi cap.* 120 *eamdem rem narrat, et Fratrem Prædicatorem, qui tunc* S. Dominicum *laudibus extulerat,* Jacobinum de Mantua *appellat.*

b *Inter Capitula Ordinis Prædicatorum, quæ ab anno* 1220 *usque ad* 1300 *celebrata sunt, nullum reperio* Hyldense *vel* Hildesiense, *quod tamen in hac visione nominatur. Consuli potest Echardus ante tomum* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* XVI *et* XVII, *ubi singula Capitula quotannis exhibet.*

C

c *Theodoricus debuisset hic locum et tempus exprimere, si certam sibi fidem adhiberi volebat: licet enim non difficulter credamus, quod privatus aliquis tam impius fuerit, attamen tantam tamque impiam totius Religiosi Conventus pertinaciam sine evidenti testimonio non admittimus.*

CAPUT XXXI.

Bulla Gregorii IX Pontificis, qua eximium Prædicatorum Fundatorem albo Sanctorum inscribit.

Exemplar epistolæ quam dominus Papa Gregorius nonus direxit per totam Ecclesiam de canonizatione sanctissimi patris nostri Dominici almi confessoris. » Gregorius episcopus servus » servorum Dei, venerabilibus Fratribus archie- » piscopis et episcopis, et electis * filiis abbati- » bus, decanis, archidiaconibus, præpositis, » Prioribus, ceterisque ecclesiarum prælatis, ad » quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apo- » stolicam benedictionem *a*.

XVII *Papa epistolam dirigit ad viros in ecclesiastica dignitate constitutos,*

* *alias* dilectis

365 » Fons sapientiæ, Verbum Patris, Domi- » nus Jesus Christus, cujus natura bonitas, opus » misericordia, redimens et renovans, quos crea- » vit; qui vineam, quam de Ægypto transtulit, » usque ad consummationem seculi non relin- » quit, sapienter signa propter instabiles mentes » innovat, et mirabilia propter * diffidentiam in- » credulitatis immutat, dum in Ecclesiæ nascen- » tis exordio, post obitum Moysi, videlicet finem » legis, ascensurus equos in Euangeliorum qua- » drigis, quæ vere sunt sanitas *, arcu sacri elo- » quii, quem, donec Judæus infirmetur, intende- » rat, et juramentis, quæ in patribus nobis dispo- » suerat, suscitatis, confidentiam Jericho, glo- » riam mundi, quem prædicationis fremitu, obstu- » pefactis gentibus, vicerat, calcaturus, viam e- » quis suis in mari faceret, et in Raab salutem » latitudinis gentium signo coccineo figuraret.

a desumptisque ex sacra Scriptura comparationibus, significat,

* *alias* contra

* *alias* sagittæ sagittatæ

E

366 » In prima quadrigarum quatuor, egre- » dientium, in Zacharia, de medio duorum mon- » tium æreorum protulit equos rufos, populo- » rum principes, fortes terræ: qui per obedien- » tiam fidei Deo Abraham, patris credentium, » in fundamentum novi fœderis adhærentes; ad » ducis instar tinctis de Bosra, id est tribulatio- » nis angustia, vestibus cuncta signa suæ mili- » tiæ rubricarunt, ut pro futuræ gloriæ gaudio » præsentem gladium non timentes, effecti mar- » tyres, id est testes novæ legis, libro confessio- » nis voce subscriberent, et forinsecis miraculo- » rum signis, ad stipulationum robur appositis, » librum et tabernaculum, quod Deus, et non » homo fixit, ac euangelici vasa ministerii, non » brutorum, sed rationabilium hostiarum san- » guine tingerent, et in universam spatiosi ma- » ris faciem sagena prædicationis expansa, mul- » tiplicatam super numerum arenæ maris, de » cunctis, quæ sub cœlo sunt, nationibus Eccle- » siam congregarent.

quomodo Deus post primos novæ Legis prædicatores,

367 » Sed quia præsumptio multitudinem, et » malitia subsecuta est libertatem, in quadriga » secunda sub colore, qui lugentibus et pœni- » tentibus congruit, equestrem cuneum deputa- » vit, qui ad claustrale desertum ductus per » spiritum sub novo Israelis auriga, sanctissimo » Benedicto, velut sub altero Helisæo, filii pro- » phetarum, communis vitæ bonum, occasione » multitudinis perditum, in jucundæ cohabita- » tionis grata societate restituit, et sic unitatis » scissum rete reficiens, ac per bona opera pie- » tatis ad terram Aquilonis, unde omne malum » panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis » thesauros nivis, et contritis corde quiescere: » qui dedignatur in corpore peccatis subdito ha- » bitare: post quos quasi lassum renovaturus » exercitum, et redditurus jubilum post lamen- » tum, applicitis ad quadrigam tertiam equis » albis, Fratribus Cisterciensis Ordinis et Flo- » rensis *b*, velut tonsarum greges, geminæ cari- » tatis fœtibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fe- » cit ascendere, sancto Bernardo, ariete ovium » in virtute spiritus, qua ex alto indutus exstitit, » et in abundantia frumenti vallium præeunte, » ut transeuntes liberati per eum, in fortitu-

aliasque Religiosas congregationes

F

b

dine

A

» dine clament ad Dominum, dicant hymnum, et » ponant castra Dei exercituum super mare.

excitaverit Ordinem Prædicatorum,

368 » Novo igitur Israele his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philistiim fecerant, » occurrente hora undecima, cum dies jam declinasset ad vesperum, et propter iniquitatis » abundantiam, caritate plurimum frigescente, » vergeret justitiæ radius ad Occasum, quia vineam, ad quam pater-familias operarios diversis temporibus, denarii conductos conventione, » præmiserat, et quam sua dextera plantaverat, » non solum vitiorum vepres et spinæ pervaserant; sed jam propemodum vulpeculæ demolientes, convertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant, adversus infestissimam multitudinem, militiam adunare voluit promptiorem. Et sicut in præsentiarum cernimus, post » trium signis differentium tirocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios et robustos, Prædicatorum et Minorum Fratrum agmina cum electis ducibus simul in prælium directurus, spiritum sancti Dominici suscitavit, » et ei, velut equo suæ gloriæ, præbens fidei » fortitudinem et fervorem, divinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo ejus: qui gerens a pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ requisivit auctorem, et Deo deditus, ac in Nazaræum sub » beati Augustini regula consecratus, sedulum » circa sancta Samuelis imitatus obsequium, in » castigatione desiderii pissimum Danielis continuavit affectum, justitiæ semitas et Sanctorum vias strenuus athleta custodiens, et velut » ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Ecclesiæ magisterio ac ministerio non » discedens, carnem spiritui et sensualitatem » subjiciens rationi, et factus unus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, et sobriæ compassionis studiis » a caritate proximi non recessit: quo sagittante » delicias carnium, et vulnerante * mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exsultavit.

B

al. fulgurante

cujus pium Fundatorem ob virtutes et miracula

369 » Ætate crescente, crevit et gratia; » quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo » concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit » animum, et per Euangelium Christi multos » generans in conversione tam strenuæ multitudinis Euangelicæ dignitatis officium perficiens, » nomen et opus in terra meruit obtinere magnorum. Pastor et dux inclytus in populo Dei » factus, novum Prædicatorum Ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis » confirmare desiit evidentibus et probatis: » nam præter opera sanctitatis, et signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diversorum curatis languoribus, loquela mutis, visu » cæcis, surdis auditu, gressu paralyticis, et » sanitate pristina multarum generibus invaletudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in ejusdem sanctissimi gleba corporis habitavit.

C

numero Sanctorum adscribit,

370 » Cum igitur ex multa familiaritate, » quam nobiscum, in minori constitutis officio, » habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetque » postmodum de miraculorum veritate dictorum » facta nobis per testes idoneos plena fides: Nos » cum commisso nobis grege Domini confidentes, ejus posse suffragiis per Dei misericordiam » adjuvari, ut cujus in terris solatium gratiosæ » familiaritatis habere meruimus, ejus in cœlis » potenti patrocinio gaudeamus, ipsum de fratrum nostrorum consilio et assensu, ac omnium » tunc apud Sedem Apostolicam consistentium » prælatorum, catalogo Sanctorum adscribi decrevimus; statuentes firmiter, ac universitati vestræ præsentibus injungentes, ut Nonis Augusti ante diem, quo, posita carnis » sarcina, dives meritis penetravit in sancta, » similis Sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, et faciatis solenniter celebrari, quatenus ipsius precibus Deus, quem » vivens coluit, exoratus, gratiam in præsenti seculo, et gloriam nobis tribuat in futuro.

EX MSS.

et festa ejus luce indulgentias largitur.

371 » Nos vero tanti Confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illustrat Ecclesiam, cupientes » dignis Christianæ devotionis honoribus frequentari, vere pœnitentibus et confessis, illam » in festivitate præfata annis singulis cum devotione ac reverentia debita visitantibus, de » omnipotentis Dei misericordia, et beatorum » Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate » confisi, unum annum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Spoleti » v Kalend. Septembris, Pontificatus nostri anno VIII c. »

E

ANNOTATA.

a *Hæc bullæ inscriptio et sequens textus apud S. Antoninum part.* 3 *Chronici tit.* 23 *cap.* 4 § 17, *Mulvendam, aliosque auctores passim obvios referuntur. Nos eam contulimus cum illa, quam illustrissimus Fontaninus nuper ex Tabulario Vaticano desumpsit, et suo Codici Canonizationum a pag.* 70 *inseruit.*

b *De Ordine Florensi egimus tomo* VII *Maii a pag.* 125 *post Acta B. Joachimi abbatis, qui Ordinem illum instituit.*

c *Errorem, qui circa locum et tempus canonizationis in hunc codicem Theodorici et alia quædam exemplaria irrepsit, in Commentario prævio* § 47 *correximus, et cum illustrissimo Fontanino aliisque ibi allegatis hic in fine sic legendum putamus :* Datum Reate quinto Nonas Julii, anno octavo.

F

CAPUT XXXII.

Mystica quædam visio ac revelatio de S. Dominico et S. Francisco, eorumque Ordinibus.

XVIII

Eremita quidam [illegible]

Hoc in loco interserere opportunum omnino judicavi et congruum ea, quæ Spiritus sanctus ad commendationem Sanctorum suorum Dominici et Francisci patrum nostrorum, nec non et Ordinum, quos per ipsos instauravit, dignatus est suis fidelibus revelare. Ex gestis sancti Isidori Hispalensis sequens revelatio est conscripta a, quæ circa principium Ordinum Fratrum Minorum et Prædicatorum, adhuc in carne viventibus sancto Francisco, sanctoque Dominico, ad commendationem utriusque et robur cœlitus est ostensa: quam conscriptor miraculorum beati Isidori, qui

tunc

EX MSS.

tunc temporis magnis prodigiis coruscabat, domino Jacobo Tusculano episcopo *b* transmisit, ita scribens :

similitudinem seu figuram alatam,

* *alias* Austriæ

* *alias* religione

373 Advenit quidam eremita de partibus Asturiarum *, nomine Johannes *c*, qui miræ abstinentiæ in nostra regione * habetur famosus, qui a beato Isidoro fatebatur se missum, et ut, quæ asserebat, scriberem in præsentia quorumdam FF. Prædicatorum, imperavit dicens : Cum essem in oratione hora diei nona, vidi cujusdam venerabilis pulcritudinis similitudinem corporis sex alas habentem ; ex quibus duæ supereminebant capiti, duabus volabat, et duabus totum corpus tegebatur. Hujus similitudinis caput erat Christus filius Dei, et facies ejus rutilabat, ut sol clarissimus : in circumferentia ejus aureum diadema fulgebat. In superiori diadematis parte, beati Petri Apostolorum principis, et successorum ejus Romanorum Pontificum facies refulgebant; atque ad ejus dorsum Pauli, Jacobi, et ceterorum Apostolorum et Euangelistarum vultus decori gloria in ordine apparebant. Ad lævam autem veteris Testamenti patriarcharum et prophetarum facies consistebant, inter quos Abraham, Moyses, et David ceteris erant pulchriores. Salomonis autem locus vacuus tenebatur; diversarum tamen gemmarum ornatu conscriptus erat.

in qua Christus et Deipara

374 Inter faciem et pectus similitudinis, Dei Genitricis Mariæ facies cum ineffabili claritate et gloria celsior assistebat : hinc inde Johannem Baptistam et Johannem habens Apostolum et Euangelistam. In alis etiam singulis doctores ecclesiæ duodecim; in eminentioribus alis Augustinus et Hieronymus, tenentes libros et phialas aureas; in mediis alis Gregorius habens sagittas igneas et arcum extentum, et Isidorus Hispalensis ignem et gladium fulgentem nimium, ex utraque parte acutum. In iis vero alis, quibus tegebatur corpus, Ambrosius et Hilarius tenentes thuribula aurea, et fumus aromatum odoris suavissimi in conspectum Domini ascendebat. Ex thuribulo atque thymiamatis odore terris immerso multi mortui resurgebant.

cum innumeris Sanctis repræsentabantur.

375 Horum doctorum singuli erant in alis singulis, et cum unoquoque eorum Sanctorum facies, qui quiescunt in provinciis, ubi maxime ipsi doctores verba vitæ docuerunt. Omnes alæ diversis insignitæ erant gemmis et coloribus, et in eis multitudo vultus Sanctorum. Ubi etiam super humeros superiores alæ mediis jungebantur, Martinus episcopus eminebat, tenens Christi Euangelium, et Nicolaus Myrensis vetus Testamentum : quo autem mediæ alæ jungebantur eis, quæ corpus tegebant, erant Benedictus et Bernardus, lucernas splendidissimas tenentes in manibus. Miræ magnitudinis et pulcritudinis erat similitudo, et manus ejus extensæ et candidæ, et pedes ejus recti erant et igniti, et sub pedibus ejus duæ rotæ igneæ, undique splendidos radios emittentes. Spiritus vitæ et facies hominis erat in rotis.

quam S. Dominicus ac S. Franciscus

376 Quando similitudo volabat per aëra, in momento ferebatur ab Occidente in Orientem, a Septemtrione in Meridiem, et iterum revertebatur in locum suum pristinum; quando vero descendebat ad terram, beatissimi Franciscus et Dominicus, et ipsi senas alas habentes, Ordinis FF. Prædicatorum et Minorum primi, similitudinem ducebant: habebat enim Franciscus funem interius innexum rotis, et Dominicus catenam auream similiter rotis innexam. Funiculus Francisci triplex et tricolor, scilicet rubeus, albus, et viridis ; aspectus ejus tamquam fulgur; Dominici albus tamquam nix : eorum operatio ad mortuorum vitam, sanitatem ægrorum, et Christi Ecclesiam decorandam. Oculi autem Domini, Apostolorum et Euangelistarum, patriarcharum et sex doctorum, sex alas regentium, erant continue intendentes in Franciscum et Dominicum.

ubique comitabantur,

377 Rotæ volubiles erant, et tanta celeritate movebantur per terram, quanto volatu ferebantur per aëra. Quando similitudo ducebatur per terram, vestigia rotarum imprimebantur lapidibus, et liquescebant quasi cera : quando ducebatur per loca plena et arida, vestigia rotarum erant madida, acsi a rotis largissima flueret aqua; quando autem per maria et flumina, rotarum vestigia remanebant ignea; quando vero per loca lutosa, nulla omnino apparebant impressionis vestigia, nisi exsiccato luto in aridam verterentur. Si volatu similitudo ferebatur, Franciscus et Dominicus similitudinem sequebantur, et ipsi totis viribus adjuvantes. Et sonitus eminentium alarum, sicut sonitus musicorum; sonitus mediarum alarum, sicut sonitus tubarum et cornuum adhortantium ad bellum; et sonitus earum alarum, quæ corpus operiunt, sicut sonitus aquarum multarum. Sonitus rotarum, quasi sonitus tympanorum, et ferrariorum contra incudem ferientium.

et quam contra draconem aliasque bestias defendebant.

378 Aspiciebam; et ecce draco ingentis magnitudinis, gallus, et multæ vulpes, mulierum et diversarum bestiarum facies habentes, insequebantur similitudinem : et horum unus erat labor, rotarum scilicet vestigia et impressiones totis viribus destruere ac calcare. Dum igitur Franciscus et Dominicus cum summa diligentia et suavissima harmonia per universum orbem similitudinem ducerent, super terram et per omnes vicos universi cantarent dulciter alleluia, adhæsit draco rotis et similitudinis cursum fere per dimidiam detinuit horam. Tunc Franciscus et Dominicus quasi dolentes in similitudinem contra draconem concitaverunt tumultum, et in omnibus alis et rotis personuit buccinæ clangor et belli clamor, atque Francisco et Dominico exercitus populorum, et principum accrevit innumerabilis multitudo; qui contra draconem similitudinem impellentes, confracto capite, draco interiit. De capite draconis innumerabiles stellas Franciscus et Dominicus excusserunt, qui decorem nimium similitudini attulerunt : quæ gallus ut vidit, dolens, se rotarum vestigia pro viribus delevisse, in locum, unde ceciderat, volavit, et in pectore similitudinis locum accepit, et omnes Sancti exultationis voce laudabant Deum, Latine et Græce dicentes : Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

Deinde terribilem bestiam abyssi vulnerant,

379 Post hæc, dum universa viderentur tranquillitate perfrui, bestia terribilis surrexit de abysso. Anteriora ejus mulieris erant similia, posteriora leonis, et cornua ferrea deaurata in capite ejus. Loquebatur suavia et placentia, atque lingua viperea infundebat occulte venena. Ad similitudinem dolose accessit, catenam Dominici fregit, et funem Francisci, rotasque in parte evertit. Lætatus est aries super bestia, et coronam æream deauratam accepit ab ea. Adhæserunt vulpes bestiæ, et spem suam posuerunt in ea. Obtenebrata est similitudo, et partem exercitus Sanctorum bestia interfecit; sed bestiæ doli

memo-

A memores Franciscus et Dominicus, accepto de manu Gregorii arcu et sagittis, et Isidori gladio, bestiam in manu valida expugnabant. Abbreviati sunt dies bestiæ, atque ignis a Domino exiens, bestiam et multas vulpium vorando consumpsit.

et cum sic pulchrior facta esset similitudo,

380 Facta est similitudo solito pulchrior, et usque ad terminos universæ terræ alas suas expandit. Instauratæ sunt rotæ, et funiculus Francisci, et catena Dominici eis indissolubiliter insertæ sunt, et earum splendor in septuplum coruscabat. Evanuerunt vulpes, et nec una quidem superfuit. Lætatus est lætitia sempiterna populus Sanctorum in Francisco et Dominico, et eis laudibus et canticis applaudebant. Aries vero considerans, hactenus se errasse, dolore cordis erubuit, et coronam acceptam a bestia fregit, et pedibus conculcavit. Respexit Dominus arietem, et fontem vivum perennem ostendit illi, in quem descendens, candidior nive factus est. Datæ sunt illi alæ a Domino, et corona aurea. Volavit aries, atque in pectore similitudinis locum obtinuit. Et facta est multitudo quasi arenæ maris innumerabilis, Latine, Græce et Hebraïce laudantium Deum, et dicentium : alleluia. Et tuba de B cœlo mugiente, vox in parte dulcis et in parte terribilis audita est dicens : Mortui, qui in pulvere terræ dormitis, surgite : appropinquabit enim hora misericordiæ et judicii. Et continuo surrexerunt, et in conspectu Dei et similitudinis steterunt. Et libri aperti sunt, et discussa sunt merita singulorum ; et in similitudine mansionem meruerunt multi, atque alii in stagnum ignis ardentis missi sunt. A similitudine ignis exiit, et totam terram exurendo splendidiorem auro reddidit.

angeli ambobus Sanctis gratulabantur,

381 Igitur perfecta est similitudo decore ineffabili et ab inenarrabili angelorum multitudine congratulantium Francisco et Dominico, Deum laudantium, quia in his militibus triumphavit in Ecclesia, delata est in cœlum. Et factus est cœli et terræ color inæstimabiliter delectabilis, et vox suavissima continue personabat undique laudantium atque dicentium : Est Deus omnipotens omnia in omnibus, et regnabit in æternum, et omnes Sancti ejus cum eo. Facta est hujus visionis revelatio anno ab Incarnatione Domini mille- C simo ducentesimo decimo sexto.

quibus obscura quædam futurorum prædictio additur.

382 Præterea interrogatus a nobis, quæ sit causa vel occasio, quare funis Francisci aut catena Dominici separetur a rotis, vel qualiter Antichristus poterit dominari : Afficientur, inquit, Sancti tædio propter luxus Religiosorum cupiditatem, et avaritiam prælatorum. Surgent Religiosi contra episcopos propter eorum oppressa monasteria, et privilegia annullata : reges et principes contra Clerum propter possessionum et divitiarum affluentiam, et regnum in se ipsum divisum desolabitur. Tunc homo peccati, proditionis filius revelabitur, regnum et sacerdotium et imperium obtinebit, terram gratuito dividet, contra Deum et Antistitem Romanum loquetur, atque sanctorum Patrum traditiones evertet. Studio autem concordante Sanctorum, omnia in statum debitum convertentur, ita ut unusquisque gradu proprio sit contentus, Romanus Pontifex se esse Christi vicarium glorietur. Hæc ideo vestræ scripsi paternitati, quia vos prudentes inter gramina colligere flores scitis.

XIX *Alia revelatio explicat,*

383 Ex secretissimis et verissimis revelationibus sumpta sunt, quæ sequuntur. Cum dominus noster Jesus Christus, sicut promiserat, discipulos electos Apostolos accepisset ad semetipsum, et essent, ubi ipse est, viventes, sicut et ipse vivit, in gloria, cœperunt lapsu temporis magistri negligentius agere, populusque immemor multitudinis misericordiæ Dei a mandatorum ejus aberrando rectitudine deviare. At Deus misericors pater omnium nostrorum, electorum suorum curam gerens, uno tempore duos, quasi gemellos de sponsa sua, scilicet Ecclesia, per gratiam progenuit filios fratrum suorum fidelium in salutem, quos genitrix Ecclesia uberibus de cœlo tam copiosa dulcedine, quæ exhauriri non potest, plenis fideliter enutrivit. Hæc sunt duo testamenta, quibus omnes Dei filii per matrem Ecclesiam educantur. Hujus matris gemini Fratrum Minorum et Prædicatorum Ordines duo sunt, quorum radices et origines, beatissimi Franciscus et Dominicus exstiterunt. EX MSS.

cur Deus S. Franciscum miserit in mundum,

384 Mihi vero de divina providentia admiranti dixit Dominus : Servum meum electum Franciscum ad hoc in mundum destinavi, ut clericorum avaritiam malam, irrationabilem et detestabilem ostenderem, quæstumque inutilem E et damnabilem confutando libertatem misericordiæ imitabilem, humilitatemque virtutum omnium eximiam in ejus conversatione mihi placitam declararem, paupertatemque euangelicam cunctis venerabilem, meisque conspectibus acceptabilem comprobarem. Inani autem gloria, mundique fastu tumentibus ac superbis laïcis ipsum crucis præferentem stigmata formam statui et speculum exhiberi recognoscendi infirmitatis propriæ pravitatem. Et famulum meum Dominicum verbi mei bajulum ac prædicatorem inclytum ad incredulorum duritiam, hæreticorumque perfidiam conterendam direxi, Ecclesiæque meæ aream ab erroribus doctrinæ exempli ventilabro permundandam. Dedi eum in lucem gentium, ut sapientibus et insipientibus debitor illuminet eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, dans salutis scientiam plebi meæ, fiantque oris ejus verba sustentatio lassorum, consolatio afflictorum, et medicina saluberrima peccatorum.

et postquam laudavit eorum virtutes,

385 Hi sunt duo filii novissimi Jacob patriarchæ senescentis, qui extremitate genituræ, singularitate amoris, nominumque significationibus F duos Ordines præfigurant : augmentum enim doloris et dextræ filii nuncupantur; dextera enim Domini faciens virtutem, a tribulatione malorum et dolore exaltans eos auget et multiplicat super numerum, in omni tribulatione consolationibus suis lætificans animas eorum. Hos igitur dilectionis suæ filios Pater æternus multitudinis Sanctorum patres effectos honoravit in filiis, constituens eos super omnem terram. Generatio autem et gloria eorum non derelinquetur a Domino et cum semine eorum bona perpetuo permanebunt. In præsenti etiam vita quis enarrabit, quanta a Patre misericordiarum hi præcordiales filii benevolentia foveantur? Abstulit a cordibus eorum solicitudinis jugum gravissimum, volens eos tantummodo cum Domino suo solicitos ambulare, et omnium ecclesiarum solicitudinem corde et opere exercere. Misit proinde spiritum suum in corda filiorum hominum, ut honorificent eos, suscipientes sicut angelos, ad se verbi Dei gratia venientes.

[illegible] tem,

386 Antiquorum quoque mirabilium suorum memoriam faciens Altissimus, qui per quadraginta

EX MSS. ginta annos Israël manna pavit in eremo, ipse per omnia mundi climata his pueris suis largitur gratuito victui necessaria, et nihil deest eis. Et quod abundantius est, cibat eos pane vitæ et intellectus, verbi, quod procedit de ore Dei, in quo solo vivit homo, quod est solidus perfectorum cibus, et panis cor hominis confirmans, quem de manu Domini acceptum edunt, et satiati distribuunt populis tempore opportuno. Ut ne quid desit gloriæ filiorum Dei, gladii ancipites auctoritatis et scientiæ in manibus eorum sunt: ligant enim reges et nobiles alligatura pœnitentiæ salutari; faciunt autem vindictam in nationibus, increpationes in populis, peccata dijudicando, Deique justitiam intonando. Hæc est hereditas servorum Dei, et gloria, qua filii Sanctorum per universalem Ecclesiam sublimantur, quam Patrum humilitas, devotio, et caritas posteris, prævaluit impetrare.

Ordinesque ab illis institutos

387 Hos viros gloriosos, duces et patres inclytos sequitur piorum filiorum et expeditorum militum innumera multitudo. Verumtamen non sunt inventi similes illis, qui ad tam eminentem puritatis prærogativam, sanctimoniam vitæ, disciplinæ rigorem, Religionis observantiam, abstinentiæ parsimoniam attingerent, fervoremque tam inæstimabilis caritatis ac zelum proximorum salutis, devotionis studium, omniumque perfectionem virtutum potuerint adæquare. Heu, heu, heu! Quot sanctissimæ consuetudines, quot pietatis humilitatisque exercitia, quot spiritualis disciplinæ studia, et regulares observantiæ saluberrimæ defecerunt; quæ omnia Patres illi devotione fidelissima servaverunt, et servanda posteris exemplo efficacissimo docuerunt, et auctoritate firmissima mandaverunt!

B

nonnulla futura obscure prædicit.

388 Quanto autem igniti fervoris devotio paupertatisque Christi desiderabilis et affectuosa imitatio tepescere cœpit, et non capere incrementum, tanto periculosius imminet exterminium: sicut enim imminente eversione Babylonica, regem sanctum Josiam, zelatorem legalis justitiæ synagoga Moysi progenuit, ita imminente Antichristi tyrannide, generabit Ecclesia Agni Sponsa statum duorum Ordinum perfectionis altissimæ, qui fideles contra draconem virulentum confortabunt, et ab ipsa bestia pessima conterentur martyrio coronati. Et erit Romani dignitas imperii exordium ejus, excelsaque et sancta Religio ejus annorum exigui temporis numero trium denariorum terminata. Cessent nunc interim præsentium Ordinum rectores cum austeritate imperare subditis: nam durum imperium contemptum provocat, et scissionem inducit *d*.

C

d

ANNOTATA.

a *Majores nostri Acta et miracula S. Isidori Hispalensis in Opere nostro ad diem* 4 *Aprilis ediderunt; sed inter ea nusquam similem visionem invenimus.*

b *Ex adjunctis temporum circumstantiis colligo, hic indicari Jacobum de Vitriaco, qui anno Christi* 1228 *ad purpuram et cathedram Tusculanam a Gregorio IX Pontifice evectus est, ut apud Ughellum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 234 *videre est.*

c *Iste Joannes eremita nobis hactenus ignotus est, ac propterea auctoritatem sequentis visionis erudito lectori dijudicandam relinquimus.*

d *Albertus Sarthianensis ex Ordine Minorum hoc apoththegma* S. Dominico *adscribit, ut supra post cap.* 16 *littera* a *diximus.* D

CAPUT XXXIII.

Aliæ mirabiles visiones de primitiva sanctitate Prædicatorum, et magna eorum gloria in cœlo.

XX *Quidam videt, primitivam Prædicatorum sanctitatem*

Exordium hujus Ordinis primitivum ardenti caritatis deificæ fervebat calore, eximiæque puritatis munditia candens, velut lilium, fragrabat odore, fictionis hypocrisisque nescius, veræ simplicitatis effulsit decore. Itaque Dominus dixit ad me: In hoc Prædicatorum Ordine duo, id est statum cultum, et fructum multum, adeo complectens amo, quod eisdem conjucundans, semper arrideo ex mei beneplacito cordis multo. Ipsi namque totis utriusque hominis sui viribus E studiose prædicant meæ gloriam majestatis: prodit enim ex eorum intimis vehemens gemitus, præcordialis fletus, desiderium mundum, solicita cogitationum restrictio, humilitas fida, caritas jucunda, frequens mutatio peregrina. Porro exterius resultat ministerii sacri devota solennitas, prædicationis utilitas, absolvendi peccatores auctoritas, afflictorum pia et dulcis consolatio, nutantium confortatio, Catholicæque unitatis salutaris connexio. Hæc quoque dixit Dominus: Eleemosyna, quam pro nomine meo larga ipsorum tribuit inopia, paupertasque largitur prodiga, accipientium culpas diluit ac minuit, diabolum elidens expellit per virtutem euangelicæ paupertatis *a*. *a*

XXI *in cœlo copiose compensari,*

390 At ecce mihi exsuli non desideranti, futuram Prædicatorum gloriam dignanter Omnipotens revelavit, et vidi in choro Cherubim sedes eorum admirabiles, præmiaque singularia meritorum. In anteriori parte sedium duo candelabra lucentia, quæ sunt ardens caritas et exempli claritas cum intentione sincera; in interiori vero sedis sella ac reclinatorio ineffabilis pausatio, admirabilisque requietionis dulcedo. F Pro labore cursus et itineris, speciosi facti sunt pedes eorum, decorati margaritis et lapidibus, de quibus optarem coronam meo capiti superponi. O Prædicatores, cur ad prædicandum tam inviti ora laxatis et aperitis labia? Quare sic graves estis audire culpas pauperum, et inclinare aurem vestram in ora peccatorum? Ego vidi spiritum oris vestri egredientem, tamquam fumum aromatum ad thronum majestatis æternæ, qui vobis sapientiam inspiravit, vestri consortem officii Filium Dei glorificantem cum sancto Spiritu, qui gratiarum omnium est largissimus distributor.

et eorum Ordinem usque ad extrema tempora perseveraturum.

391 Orta est aliquando gravis quorumdam fallacium doctorum, aliorumque, qui avaritiæ student, peccatorum adversus Ordinem electorum veritatis lucidæ Prædicatorum persecutio; quibus ex intimis animæ meæ visceribus compatiens, oravi Dominum, ut in Ordine tam necessario Ecclesiæ suam gloriam conservaret. Et dixit Dominus ad me: Quamdiu eos tenere meæ placuerit voluntati, impossibile est, eos per hominis cujuspiam quantamcumque malitiam aboleri. Et dixi

ad

A ad Dominum : Numquid, mi Domine, usque ad consummationem seculi manebit Ordo iste? Et respondit mihi Dominus : Usque ad extrema tempora permanebit.

XXII *Deinde narrat, quomodo sacerdos ejusdem Ordinis*

392 Consuetudo mihi erat ad sepulcra piorum accedere defunctorum, ipsosque tamquam Dei domesticos salutare. Accidit autem, ut quidem sacerdos de Ordine Prædicatorum a me more solito salutatus in tumulo, ad suæ me cœlestis susceptionis solennia invitaret. Et ecce universa illa supernorum civium multitudo in occursum se illius felicis animæ per suas cohortes et turmas ordinabat, cum gaudio processura. Venit itaque dux et princeps exercitus sacri Prædicatorum Ordinis gloriosus Dominicus cum filiorum suorum multitudine copiosa, qui singuli serta deferebant aurea ineffabiliter micantia, prout in carne positis promereri contulit misericors Dei clementia. Occurrens vero Pater de exsilio revertenti filio, dux triumphanti militi de prælio coronam protulit in morem solis mirifice radiantem, propter quod ipsius exemplorum vestigia fuerat imitatus.

a sancto Fundatore suo

393 Excellebat tamen incomparabiliter omnes filios Pater excelsus in gloria : universorum enim
B merita, ejus sunt beatitudinis incrementa. Byssus namque et purpura viridisque coloris jucunditas ipsius indumentum ornabat, veritatis doctrinam cum patiendi desiderio exprimens, ac innocentiam virginalem. Sequebantur autem Prædicatores, ac eorum consiliis adhærentes, insigne quoddam, quod præferebatur, vexillum, quod nulli, nisi ipsorum, erat congruum dignitati. Sic illa beata Fratris anima sedenti in throno oblata, pro obedientia grata, pro paupertate voluntaria, pro abjectione accepta, de manu ipsius divitias accepit et gloriam, atque perpetuam libertatem.

in gloriam receptus fuerit;

394 Gratias igitur agens dixit : Gloria tibi, Domine, pro talentis mihi traditis, pro iis quoque per tuam gratiam conservatis, quodque tua Majestas mihi misericorditer condescendit. Et inclinans Majestati, conversus ad Fratres cum exultatione multa excipitur. Dixitque illi pater Dominicus gloriosus : Bene venisti, dilecte fili; intra in gaudium Domini tui, alleluia. Tunc in jubilo mihi influente divinitus vidi felicem illam animam summæ Trinitatis beatis amplexibus dulciter et inseparabiliter inhærentem. Vere
C non est personarum acceptio apud Deum : ecce enim mendicus cum gloria susceptus, sicut signaculum positus inter brachia Altissimi delectatur.

XXIII *et quomodo simul viderit*

395 Vidi; et ecce triplex privilegiatorum exercitus Sanctorum, indumento splendidus, cantu jucundus, serto redimitus, in conspectu Domini apparuit gloriosus. Erat candoris lilii vestimentum virgineum, Prædicatorum igneum solis fulgorem præferens, martyrum roseum valde rutilans. Virginum serta fuerunt multiformia, martyrum grandia et evidentia, Prædicatorum florida et fragrantia, quæ sunt Dei verba. Hæc præcellentia agmina simul juncta cum ineffabili ducentes choros lætitia, coram throno sua depromebant modulamina. Et egrediens inde fluminis triplex impetus, mentes ipsorum debrians voluptate, ora complevit jucunditate.

triplex agmen privilegiatorum,

396 Tunc Prædicatorum cœtus intonans voce altisona conclamabat dicens : Te magne laudamus Domine, quia digni inventi sumus tua sequi vestigia, pauperes effecti voluntarie et abjecti. Te adoramus, Pastor æterne et bone, quia oves, pro quibus animam tuam posuisti, derelictas a mercenariis, errantes congregare, reducere, pascere, in tuoque ovili meruimus collocare. Præferebatur his miri decoris eximiique ornatus vexillum, ceteris omnibus incommutabile Sanctis, quod aspicientes sequebantur cum gaudio, qui in carne positi Prædicatorum fide et dilectione consiliis adhæserunt. Exclamabant autem et martyres sancti dicentes : Benedictus es, Domine Jesu, Fili Dei, agnus immaculatus, cujus innocens sanguis nos purificans, sanctificavit mortem nostram, conformes nos et socios tuæ beatificæ et divinissimæ passionis. Tibi laus et gloria, alleluia. EX MSS.

seu gloriosorum Prædicatorum.

397 Insonuit quoque vox dulcisona pudoris virginei, in æternis tabernaculis mellifluam reboans * armoniam dicens : Sanguis tuus impollutus, dulcis Jesu, et meus unum sunt ineffabili unione. Amor tuus et meus unum sunt inaccessibili caritate. Tuum os et meum inosculabile unum sunt propter inscrutabilem veritatem. Tuum pectus et meum intactum unum sunt propter incorruptionis integerrimæ sanctitatem. Hæc hujus concentus verba capere potui ; organici autem amoris suavitas et resonantis affectionis dulcedo verbis non exprimitur, nec depingitur atramento *b*. E

** alias resonans*

ANNOTATA.

a *Nescio, an hæc ad superiorem revelationem pertineant, et utrum hæc atque sequentia eidem personæ an diversis adscribenda sint.*

b *Hic iterum conqueri cogimur, quod Theodoricus auctores similium mysticarum visionum distincte et nominatim non expresserit, ut de fide eorum cautius aut certius judicaremus.*

CAPUT XXXIV.

Novem orandi modi, quibus Sanctus utebatur, et duo exempla, quæ alibi omissa sunt.

F

XXIX *In oratione, de qua fuse agunt doctores*

A sanctis doctoribus Augustino, Leone, Ambrosio, Gregorio, Hilario, Isidoro, Joanne Chrysostomo, et Joanne Damasceno, et Bernardo, et aliis doctissimis doctoribus Græcis et Latinis latissime dictum est de oratione, quantum ad ejus commendationem, descriptionem, necessitatem, utilitatem, et modum, et præparationem, insuper et impedimenta; sed et gloriosus et venerabilis doctor sanctus Thomas et Guilielmus, et Albertus Ordinis Prædicatorum in suis libris in tractatu de virtutibus nobiliter et scientifice, et devote et pulcre prosecuti sunt. Tamen de modo orandi secundum quod anima exercet membra corporis, ut ipsa devotius feratur in Deum, ut anima movens corpus removeretur a corpore, et fiat quandoque in exstasi, ut Paulus; quandoque in agonia, ut Salvator; in excessu mentis, ut David propheta; quemadmodum sæpe beatus Dominicus orabat, hic aliquid dicendum est ad operis terminationem *a*.

a [illegible] modis.

399 Namque et Sancti veteris et novi Testamenti inveniuntur taliter aliquando orasse : talis enim

EX MSS.

enim modus orandi incitat devotionem alternatim ex anima in corpus, et ex corpore in animam: et iste modus faciebat sanctum Dominicum resolvere vehementer in lacrymas, et accendebat fervorem bonæ voluntatis in tantum, ut mens cohiberi non posset, quin devotionem membra corporis manifestarent certis indiciis. Unde ipsa vi mentis orantis quandoque insurgebat in postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones. Modi autem orandi præter illos modos, quos habebat devotissimos, et omnes in celebratione Missæ, et decantatione psalmodiæ, ubi videbatur subito sæpe rapi supra se, et confabulari cum Deo et angelis, in horis canonicis, sive in choro, sive in itinere, fuerunt isti:

Sanctus aliquando orabat profunde inclinatus,

400 Primus videlicet modus humiliando se ante altare, acsi Christus per altare significatus, realiter et personaliter esset ibi, non tantum in signo, juxta illud: Oratio humilitatis penetrabit nubes. Dicebat aliquando Fratribus illud Judith: Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio; humilitate obtinuit Chananæa, quod voluit, et filius prodigus; sed ego non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Humilia, Domine, valde spiritum meum: nam, Domine, ante te humiliatus sum usquequaque. Et sic Sanctus erecto corpore inclinavit caput suum et renes capiti suo Christo, considerans servilitatem suam, et Christi excellentiam, et totum se dans in ejus reverentiam. Et hoc docebat fieri a Fratribus, dum transirent ante humiliationem Crucifixi, ut Christus pro nobis humiliatus maxime videret nos humiliatos suæ Majestati. Item toti Trinitati mandabat Fratribus sic humiliari, cum solenniter diceretur: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Et iste modus, ut descriptus est in figura, erat principium devotionis ejus se inclinando profunde sic *b*.

prostratus in terra,

401 Orabat etiam sæpe beatus Dominicus projiciendo se totum ad terram pronum super faciem suam, et compungebatur in corde suo, et erubescebat semetipsum, et dicebat aliquando ita alte, ut etiam audiretur, illud Euangelicum: Deus propitius esto mihi peccatori; et pie et verecunde satis memorabat verbum David dicentis: Ego, qui peccavi, et qui inique egi. Et flebat atque gemebat fortiter, et postea dicebat: Non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci. Et de illo psalmo, Deus auribus nostris audivimus, fortiter et devote dicebat: Quoniam humiliata est in pulvere anima mea; adhæsit in terram venter noster. Et iterum: Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Fratres suos docens reverentiam in oratione,

402 Volens autem aliquando docere Fratres, quam reverenter deberent orare, dicebat eis: Magni illi devoti reges, intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Certum est autem, quod invenimus hominem Deum cum Maria ancilla ejus. Venite adoremus et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, qui fecit nos. Juvenes etiam hortabatur dicens: Si non poteritis flere vestra peccata, quia non habetis, sunt tamen multi peccatores ordinabiles ad misericordiam et caritatem, propter quos prophetæ et Apostoli gemuerunt, quos videns Jesus, eos flevit amare, et sanctus similiter David flebat dicens: Vidi prævaricantes, et tabescebam. Unde stabat sic.

et ferrea catena se percutiens,

403 Ista de causa recipiebat surgens de terra de catena ferrea disciplinam de qua supra dictum est, dicens: Disciplina tua correxit me in finem. Unde et totus Ordo statuit, quod omnes Fratres in memoriam exempli sancti Dominici essent orantes et dicentes: Miserere mei Deus, et cetera; sive: De profundis, et cetera; et reciperent omnibus profestis diebus post Completorium de virgulis ligneis super dorso nudo disciplinam, sive pro suis culpis propriis, sive pro alienis, quorum de eleemosynis vivunt. Unde ab hoc sancto exemplo nullus, quantumcumque innocens, debet se subtrahere; cujus exempli figura talis est.

sæpe genua flectens,

404. Post hæc sanctus Dominicus ante altare sive in Capitulo fixo vultu ad Crucifixum, firmo intuitu respiciebat eum, genua flectens iterum atque iterum sive centies; imo quandoque a post Completorium usque ad mediam noctem modo elevabat se, modo genua flectebat, sicut Jacobus Apostolus, sicut leprosus euangelicus, qui dicebat genu flexo: Domine, si vis, potes me mundare. Et sicut Stephanus, positis genibus, clamabat voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et fiebat in sancto patre Dominico grandis fiducia de misericordia Dei pro se et pro cunctis peccatoribus, et pro conservatione novitiorum Fratrum, quos faciebat discurrere ad prædicationem; et non poterat continere aliquando vocem suam; sed audiebatur a Fratribus dicens: Ad te Domine clamabo; ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum: et quædam similia divinæ Scripturæ verba.

ac lachrymas fundens,

405 Quandoque autem loquebatur in corde suo, et vox penitus non audiebatur, et quiescebat in genuflexione stupefactus animo aliquando diu valde; et aliquando videbatur in ipso modo aspectus ejus intellectu penetrasse cœlum, atque cito videbatur exhilaratus gaudio, et exstergens lacrymas defluentes. Et fiebat in magno desiderio, quasi sitiens cum perveniret ad fontem, et sicut peregrinus, cum jam est prope patriam. Et prævalebat et invalescebat, et multum composite atque agiliter movebatur, et sursum erigendo se, et genu flectendo: et in tantum assuefactus erat flectere genua, ut in itinere, et in hospitiis post labores viarum, et in viis etiam, aliis dormientibus et quiescentibus, quasi ad quamdam suam artem, et suum singulare ministerium, reverteretur ad genuflexiones. Et hoc exemplo plus faciens, quam dicens, docebat Fratres hoc modo.

interdum stans et nulli rei innixus,

406 Stabat aliquando erectus sanctus pater Dominicus ante altare cum esset in Conventu, toto corpore directus super pedes suos, non appodiatus, nec hærens alicui rei, habens aliquando ante pectus suum manus expansas ad modum libri aperti; et ita se habebat in modo standi, quasi ante Deum legeret valde reverenter et devote. Et videbatur tunc in oratione meditari eloquia Dei, et velut sibi ipsi dulciter enarrare: habituaverat enim sibi illum Domini modum, qui in Luca legitur, scilicet, quod intravit Jesus secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et in psalmo dicitur: Stetit Phinees, et oravit, et cessavit quassatio.

manus varie ordinans,

407 Quandoque jungebat manus invicem, extendens fortiter ante oculos complosas, constringens semetipsum; et quandoque manus [elevabat] ad humeros, sicut moris est sacerdotis, cum celebrat Missam, acsi vellet aures figere ad aliquid diligentius percipiendum, quod ab altero diceretur. Tunc existimasses, si vidisses devotionem stantis erecti et orantis, videre prophetam cum

angelo

A angelo vel cum Deo modo loquentem, modo audientem, modo cogitantem silenter de his, quæ sibi revelata fuissent. Quod si quando erat in itinere tempus orandi, tota mente stans subito intendebat in cœlum, et cito audisses eum dulcissime loquentem, ac delicatissime [proferentem] aliquod suave verbum de medulla et adipe sacræ Scripturæ, quod videbatur hausisse de fontibus Salvatoris. Et hoc exemplo valde Fratres movebantur in aspectu Patris sui et Magistri sui; et devotione ea optime instruebantur ad orandum reverenter et continue, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, et sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ut hic patet.

nonnumquam brachiis extensis,

408 Visus est etiam aliquando orare sanctus pater Dominicus, sicut a vidente audivi auribus meis, manibus et ulnis expansis, ad similitudinem crucis vehementer extensis, et rectus secundum suam possibilitatem. Hoc modo oravit, quando suscitavit Deus oratione sua puerum Napoleon Romæ in sancto Sixto, in loco sacristiæ, et in ecclesia in celebratione Missæ, quando elevatus est a terra, sicut narravit mihi illa devota et sancta Soror Cecilia, quæ præsens erat, et vidit cum B alia multitudine *c*. Sicut Elias, quando suscitavit filium viduæ, expandit se atque mensus est super puerum. Similiter oravit, quando juxta Tholosam liberavit peregrinos de Anglia in periculo submersionis fluminis, ut supra scriptum est. Hoc modo oravit Dominus pendens in cruce, scilicet extensis manibus et ulnis, et cum clamore valido et lacrymis exauditus est pro sua reverentia.

quandò rem difficilem

409 Nec istum modum frequentabat vir sanctus Dei Dominicus; sed cum aliquid grande et mirabile fieri cognovisset, inspiratus a Deo, virtute orationis. Nec vero prohibebat Fratres sic orare, nec etiam suadebat. Et cum puerum illum suscitavit orando scilicet et stando expansis brachiis et manibus ad modum crucis, nescimus, quid dixerit. Forte dixit illud verbum Eliæ: Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus; sicut etiam modum ejus servavit in orando. Sed Fratres et Sorores, et domini et Cardinales, et ceteri attendentes ad modum orandi eis inconsuetum et mirabilem, non recollegerunt verba, quæ dixit; nec C postea licuit eis interrogare de his Sanctum illum et admirabilem Dominicum, qui in hoc facto valde exhibuit se eis omnibus tremendum et reverendum.

vel singularem gratiam a Deo postulabat,

410 Illa vero verba, quæ in Psalterio mentionem faciunt de isto modo orandi, ponderose et graviter, et mature proferebat, atque attente, videlicet: Domine Deus meus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te, usque tibi clamavi ad te, Domine; tota die expandi ad te manus meas, et cetera usque ad finem. Item: Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam; in veritate tua exaudi me in tua justitia usque ibi: Expandi manus meas ad te, anima mea, sicut terra sine aqua tibi; velociter exaudi me. Per hoc poterit quilibet devotus orator intelligere hujus patris doctrinam in orando hoc modo, cum vellet Deum mirabiliter movere virtute orationis, vel potius cum sentiret ex occulta inspiratione, se a Deo magnifice moveri ad singularem gratiam, sive pro se, sive pro alio [petendam,] fultus ex doctrina David, ex significatione Eliæ, ex caritate Christi, ex devotione Dominici, ut in hac figura patet.

EX MSS

elevatus et extra se raptus,

411 Inveniebatur nihilominus sæpe in orando erigi totus ad cœlum, per modum sagittæ electæ, de arcu extenso projectæ, sursum in directum, elevatis manibus sursum supra caput fortiter extensis atque conjunctis invicem, vel aliquantulum ampliatis, quasi ad aliquid recipiendum de cœlo. Et creditur, quod augebatur ei gratia tunc, et rapiebatur, et impetrabat a Deo pro Ordine, quem inceperat, dona Spiritus sancti, et suavitates delectabiles in actibus beatitudinum sibi et Fratribus, ut in altissima paupertate, in amaro luctu, in gravi persecutione, in multa esurie, et siti justitiæ, in anxia misericordia quilibet reputaret se beatum, et ut in servandis præceptis, in perficiendis consiliis euangelicis, devotis delectabiliter se haberent. Videbatur tunc ingredi sanctus Pater raptim in sancta sanctorum, et in tertium cœlum. Unde et post illam orationem sive in corripiendo, sive in dispensando, sive in prædicando, more prophetico se habebat, ut in miraculis memoratum est.

quo orationis modo peracto, Fratrem delinquentem corripit,

412 Sed unum hic ponendum est breviter ad ædificationem. Post talem orationem sanctus magister Dominicus requisivit Bononiæ super quibusdam agendis, secundum morem suum, consilium seniorum, quia, ut dicebat, revelatur uni E bonorum, quod non revelatur alteri, ut patet in prophetis. Et tunc sacrista de assistentibus in illo consilio vocavit unum ad ecclesiam feminarum, gratia, ut puto, audiendæ confessionis, et subintulit fatue (non tamen ita, ut putaret audiri a sancto magistro Dominico): Una pulchra domina petiit vos; venite cito. Factus autem in Spiritu sanctus Dominicus agitabatur in se ipso, et reveriti sunt eum consiliarii. Tunc præcepit advenire sacristam, et dixit illi: Quid dixisti? At ille: Petivi, inquit, sacerdotem ad ecclesiam. Et pater dixit: Increpa te ipsum, et confitere reatum, quod pervenit usque ad os tuum. Deus, qui fecit omnia, fecit, quod me non laterent verba tua hæc, quæ putabas occulta. Et disciplinavit eum ibi fortiter et diu, ita ut adstantes moverentur in compassionem propter livores. Et ait: Vade, fili, didicisti de cetero qualiter intuearis fixo aspectu feminam, ut de colore non judices. Ora et tu, ut Deus in oculis faciat te pudicum *d*. Sic cognovit occultum, sic corripuit fatuum, sic docuit castigatum, sic in oratione prævidera; et admirati sunt Fratres, quia sic dixit E esse fiendum *.

* *forte* faciendum

et brevi ad se reverti consueverat.

413 Et dixit sanctus Magister: Justitiæ nostræ, justitiæ divinæ comparatæ immunditiæ sunt. Itaque sanctus Pater in illo modo orandi non diu stabat; sed revertebatur in se ipsum, quasi de longinquo veniens, et velut pergrinus mundo videbatur: quod faciliter perpendi poterat in aspectu ejus et moribus. Verumtamen orans clare aliquando auditus est a Fratribus ita dicens, ut Propheta dicebat: Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, et dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Et docebat verbo et exemplo sanctus Magister Fratres sic orare, dicens illud Psalmistæ: Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. Et illud: Domine, clamavi ad te, exaudi me; intende voci meæ, dum clamavero ad te; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Quod ut melius intelligatur, perspecta figura docet.

414 Erat nempe sancto patri Dominico et alius orandi modus pulcher et devotus et gratus: post horas quippe canonicas, et post gratiarum actiones, quæ communiter post sumptionem cibi

fiunt,

EX MSS. fiunt, sobrius et delibutus Pater spiritu devotionis, quem spiritum hauserat ex divinis verbis, quæ cantabantur in choro, seu in refectione, cito ponebat se ad locum aliquem solitudinis in cella vel alibi, ut legeret vel oraret consistendo secum et stando cum Deo; et sedebat quietus; et expandebat librum aliquem ante faciem suam munitus signo crucis: et legebat, et afficiebatur mente dulciter, acsi audiret Dominum loquentem, sicut dicitur in psalmo: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor. Et quasi cum socio disputaret, nutibus et mente modo impatiens videbatur, modo quietus auditor disceptare et luctari, et arridere simul et flere, et figere intuitum, et submittere, et iterum loqui silenter, et tundere pectus.

quasi cum Deo colloquebatur,

415 Si aliquis curiosus voluisset eum videre latenter, videbatur sibi sanctus pater Dominicus, sicut Moyses, qui intrasset ad interiora deserti, et conspiceret rubum ardentem, et dominum loquentem, et se humiliantem: mos enim iste propheticus viro Dei erat, cito ex lectione superferri ad orationem, et ex meditatione ad contemplationem. B Et cum sic solitarius legeret, venerabatur librum, et inclinabat libro, et osculabatur quoque librum; maxime si erat codex Euangelicus, vel si legeret verba, quæ Christus ore suo protulerat. Quandoque vero faciem abscondebat, et avertebat alio, vel deponebat faciem in manibus suis, aut modicum velabat eam caputio suo: et etiam tunc fiebat totus anxius, et plenus desiderio, et etiam, quasi redderet gratias personæ excellenti de receptis beneficiis, modicum reverenter assurgebat, et inclinabat, et totus refertus et factus quietus in se ipsum, iterum legebat in libro.

et ex meditatione hauriebat spiritum prophetiæ,

416 Talem modum etiam eundo de patria ad patriam servabat, cum esset in aliqua solitudine, et ludebat cum meditationibus suis in contemplatione sua, et dicebat aliquando sociis in itinere: Scriptum est in Osea: Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Unde aliquando a socio declinabat, vel præibat, vel potius sequebatur a longe, et vadens seorsum orabat, et ambulabat, et in meditatione ejus accendebatur ignis. C Et hic inerat ei in tali oratione [gestus,] acsi abigeret favillas aut muscas a facie sua. Et propter hoc muniebat se sæpe signo crucis. Putabant autem Fratres, quod in isto modo orandi adeptus sit Sanctus plenitudinem sacræ Scripturæ, et medullam intelligentiæ eloquiorum divinorum, et potestatem audacem ferventer prædicandi, et occultam familiaritatem Spiritus sancti in cognoscendis occultis.

qua semel dæmonem Fratribus insidiantem,

417 Unde semel accidit, ut unum adducamus de multis, quæ omissa sunt, quod diabolus venit ad ecclesiam FF. Prædicatorum Bononiæ in modum juvenis habentis mores vanos et lascivos, et petiit confessorem: et adducti sunt ei alternatim quinque sacerdotes, modo unus, modo alius; et fuit hæc causa, quia ita affecit, et male inflammavit primum confessorem ex suis verbis, quod surrexit ab auditione confessionis, et noluit audire usque in finem illas abominationes. Similiter fecit secundus, et tertius, et quartus, et quintus. Silenter autem recedebant, et nunquam voluerunt hanc confessionem revelare, quia ex parte illorum, qui audierant, confessio illa sacramentalis erat, licet non a diabolo.

418 Tunc sanctus Dominicus, in Conventu præsens, accersitus a sacrista querulo contra sacerdotes, eo quod quinque non potuerunt unum peccatum audire, dixit hoc sancto Patri, et adjecit: Scandalum magnum est; prædicant sacerdotes Fratres pœnitentiam, et nolunt imponere peccatoribus pœnitentiam. Et surrexit sanctus pater Dominicus a lectione et oratione et contemplatione (puto negotio non ignarus) et venit audire confessionem diaboli. Cum ergo intrasset ecclesiam, accessit ad eum diabolus, et statim cognovit eum sanctus Pater, et dixit ei: Cur, maligne spiritus, sub hac pietate tentas servos Dei? Et durissime increpavit eum. Et diabolus ibidem statim evanuit, et dimisit ecclesiam fœtidam odore sulphuris; et placatus est sacrista super indignatione contra sacerdos *e*. *e*

et confessionis causa se venire fingentem, novit et abegit.

ANNOTATA.

a *Ex illo loquendi modo conjicimus, hoc caput, quod in codice nostro non legitur, et quod ex Bibliotheca Vaticana accepimus, esse coronidem alicujus operis, ut* § 5 *Commentarii prævii dictum est.* E

b *Hæ et similes expressiones secuturæ denotant, huic capiti adjunctas fuisse diversas imagines seu picturas Sancti orantis, ut eodem* § 5 *Commentarii prævii verbo indicavimus.*

c *Propter illam phrasim citato proxime paragrapho suspicati sumus, forte Gerardum Teutonicum hæc de novem orandi modis conscripsisse, et hanc lucubrationem a Theodorico de Appoldia adoptatam esse.*

d *Alia occasione idem exemplum* § 43 *Commentarii prævii ex S. Antonino retulimus.*

e *Hoc prodigium ibidem inter gesta incerti temporis ex eodem S. Antonino recensuimus.*

RELATIO JURIDICA,

in qua novem testes oculati et jurati ex Ordine Prædicatorum narrant pia gesta et miracula S. Dominici, quæ in vita, obitu, vel post mortem ejus observaverant. F

Ex editis apud R. P. F. Jacobum Echardum, qui hoc authenticum instrumentum inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo 1, pag. 44 et sequentibus, nuper ex Ms. codice Carcassonensi in lucem dedit.

PROOEMIUM NOTARII.

Coram inquisitoribus a Gregorio IX Papa delegatis,

Testes recepti super vita, conversatione et transitu Fratris Dominici plantatoris, fundatoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, et primi Magistri, auctoritate D. Gregorii Papæ IX per magistrum Tancredum archidiaconum Bononiensem, et Thomam Priorem sanctæ Mariæ de Rheno,

et

A et Fratrem Palmerium ecclesiæ de Campagnola Bononiensis et Reginæ diœcesium : et sunt introducti a Fratre Philippo *a*, ejusdem Ordinis Canonico *b*, constituto procuratore a Fratre Ventura Priore Conventus ecclesiæ S. Nicolai Ordinis FF. Prædicatorum, et Capitulo ipsius ecclesiæ congregato more solito ad sonum campanæ in ipso Capitulo : et super miraculis, quæ Deus operatus est per merita F. Dominici ante obitum ejus, et post. Et juraverunt coram dictis inquisitoribus sub anno Domini MCCXXXIII, Indictione sexta *c*.

ANNOTATA.

a *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 103 *et sequentibus huic Fratri Philippo varia gesta adscribit.*

b *Hinc patet, Prædicatores olim appellatos fuisse nomine Canonicorum, quem titulum in Commentario prævio* § 25 *eis vindicavimus.*

B c *Supra ex Actis Theodorici cap.* 26 *distinctius intelligimus, testes istos mense Augusto anni* 1233 *auditos fuisse, quem mensem etiam Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 46 *in notis recte huic examini assignat.*

CAPUT I.

Testimonium Prioris Bononiensis de iis rebus, quas in conversatione, ultima ægritudine, ac post mortem Sancti conspexit.

Frater Ventura, sancto Dominico familiaris,

Frater Ventura Veronensis presbyter, et Prior Conventus Fratrum Prædicatorum de Bononia, juratus dixit, quod XIII anni sunt et plus, quod ipse testis intravit Ordinem Fratrum Prædicatorum ad inductionem et admonitionem Fratris Dominici, Ordinis Fratrum Prædicatorum C fundatoris et primi Magistri, et in manu ejus fecit professionem, et ab eo habitum recepit. Et tunc temporis ipse F. Dominicus habebat plenam potestatem et dispensationem et ordinationem, et correctionem totius Ordinis Fratrum Prædicatorum post D. Papam. Et eodem anno fuit celebratum primum Capitulum generale Ordinis, ipso teste præsente, apud Bononiam. Et tunc placuit ipsi F. Dominico, quod diffinitores constituerentur in Capitulo, qui haberent plenam potestatem super toto Ordine, et super ipso Magistro, et ipsius Ordinis diffinitoribus scilicet diffiniendi, statuendi, ordinandi et puniendi, salva reverentia magistrali. Et stetit cum ipso F. Dominico in civitate Bononiensi, et in eundo cum ipso extra civitatem per provinciam Lombardiæ, et multa familiaritate uniebatur ipsi F. Dominico in eundo, redeundo, stando, comedendo et bibendo, et jacendo, et orando.

de ardenti orationis studio,

3 Item dixit, quod eundo per viam fere omnibus, qui ibant secum, volebat proponere verbum Dei per se vel per alios; et hoc scit, quia sæpe vidit prædicta. Et semper volebat vel disputare de Deo, vel conferre, vel docere, vel legere, dum in via erat, vel orare. Et etiam eundo fere singulis diebus celebrabat Missam, si ecclesiam inveniebat. Et quando Missam cantabat, multas lacrymas effundebat, sicut ipse testis vidit. Et quando veniebat ad hospitium, si ibi erat ecclesia, semper ibat ad orandum in ecclesia. Et fere semper, cum esset extra Conventum, cum audisset primam pulsationem Matutini monasteriorum, surgebat et excitabat Fratres, et celebrabat cum multa devotione totum divinum Officium diurnum et nocturnum, ita quod nihil dimittebat : et post Completorium erat, et faciebat socios suos esse in silentio in itinere, acsi essent in Conventu. Et in mane dum ibat, servabat et faciebat suos servare silentium fere omni die usque ad Tertiam. Et dum erat in itinere, jacebat in palea vestitus et calceatus, sicut ambulabat in die; tamen credit, quod extrahebat sotulares *a*.

EX IMPRESSIS.

jejuniis,

4 Item dixit, quod eundo per vias observabat jejunium continuum a festo Exaltationis sanctæ Crucis usque ad festum Resurrectionis, et etiam in æstate omnia jejunia ab Ecclesia instituta, et omnes Sextas ferias : et in itinere ea, quæ dabantur sibi ad comedendum, patienter comedebat, excepto quod non comedebat carnes, E nec aliqua cibaria condita cum carnibus vel sagimine scienter. Et si quando male procuraretur in via in cibo et potu, non inde conquerebatur ; sed inde videbatur gaudere. Et cum erat in itinere, quando veniebat ad locum, ubi Fratres habebant Conventum, non ibat ad quiescendum, sicut quidam faciunt; sed convocatis Fratribus, faciebat eis sermonem, et proponebat eis verbum Domini et multam consolationem.

aliisque piis exercitiis

5 Item dixit, quod, quando F. Dominicus erat in Conventu, ubi moram deberet facere, conformabat se Conventui in cibo et mensa, et observabat regulam integre et plenissime, et pro posse laborabat, ut Fratres sui servarent. Et omnia prædicta scit, quia vidit, et numquam recordatur, quod viderit vel audiverit eum contraria facientem vel dicentem : nec audivit umquam vel vidit, quod diceret verbum otiosum vel injuriosum, vel detraheret alicui. Item dixit, quod idem F. Dominicus erat sapiens, discretus, patiens, benignus, et multum misericors, multumque familiaris, sobrius et justus, ita quod toto tempore vitæ suæ F non credit se vidisse aliquem hominem, consideratis omnibus conditionibus, qui magis polleret omnibus virtutibus, licet multos viderit et noverit bonos Religiosos viros in diversis partibus mundi. Et dixit, quod audivit ejus confessionem in ægritudine, de qua migravit ad Dominum, generaliter de omnibus actis suis, præsentibus multis sacerdotibus et audientibus, et credit, eum numquam mortaliter peccasse : et credit, eum semper virginem fuisse, et hoc credit per confessionem prædictam generalem, quam ab eo audivit; et postea dixit ipsi Fratri in secreto : Frater ego peccavi, quia publice dixi de virginitate mea coram Fratribus, quod non debuissem dixisse *b*.

testimonium reddit.

6 Item dixit quod quando erat in itinere, visitabat loca religiosa, cujuscumque Ordinis essent, et prædicabat eis, et hortabatur ad bonum, et hoc sæpissime vidit. Item dixit, quod si quis Frater sui Ordinis vel alieni tentationem vel turbationem haberet, et iret ad eum locuturus super hoc, valde bene hortabatur eos, ita quod fere omnes bene consolati recedebant ab eo : et hoc sæpis-

EX IMPRESSIS. sæpissime vidit per provinciam Lombardiæ, scilicet apud Mediolanum et Columbam *c*, et alibi in multis locis. Item dixit, quod fere omni die non magna necessitate impeditus faciebat prædicationem et collationem Fratribus, et multum plorabat, et provocabat alios ad plorandum. Item dixit, quod zelator erat regulæ et rigide puniebat culpas Fratrum; tamen in tanta dulcedine et benignitate injungebat pœnitentias, quod Fratres patienter sustinebant. Item dixit, quod assiduus erat in Officio, et sequebatur chorum in Officio. Item dixit, quod nescivit umquam, quod haberet proprium locum jacendi, nisi in infirmitate, nec de levi potuisset habuisse, quin scivisset. Item dixit, quod pro majore parte noctis erat in oratione, et sæpissime pernoctabat in ecclesia, et multum plorabat in oratione. Interrogatus quomodo sciret, respondit, quod sæpissime invenit eum in ecclesia orantem et plorantem, et aliquando victum somno, dormientem: et propter multas vigilias præcedentes sæpissime dormitabat in mensa.

et speciatim narrat ea,

7 Item dixit, quod circa finem mensis Julii, sicut de tempore credit, fuit reversus de curia B domini Hugolini, tunc temporis Ostiensis episcopi et Apostolicæ Sedis legati, et nunc summi Pontificis, qui erat Venetiis, sicut ipse certissime credit de loco, et rediit F. Dominicus valde lassus, et licet sic fatigatus esset, locutus fuit cum ipso teste, qui tunc fuit novus Prior, et F. Radulpho usque ad magnam partem noctis de facto Ordinis: et dum iste vellet dormire, rogavit dictum F. Dominicum, quod iret ad dormiendum, et non surgeret in nocte ad Matutinas; sed ipse non acquievit precibus istius, sed intravit in ecclesiam, et pernoctavit in oratione, et nihilominus interfuit in Matutinis, sicut audivit a Fratribus, et ab eodem F. Dominico; et post Matutinas audivit ab eo, quod dolebat caput, et ex tunc cœpit languere manifeste de illa ægritudine, de qua migravit ad Dominum. Item dixit, quod, dum jacebat in ipsa ægritudine, noluit jacere in lecto, *d* sed in saccone *d*, et faciebat vocari ad se Fratres novitios, et dulcissimis verbis et alacri vultu consolabatur eos, et hortabatur ad bonum: et ita patienter sustinebat illam ægritudinem, et etiam alias, quod nec conquerebatur, nec gemitum C emittebat; imo videbatur esse semper hilaris et jucundus,

quæ contigerunt in ultimo Sancti morbo,

8 Item dixit, quod dum graviter infirmaretur, fecerunt eum portare ad sanctam Mariam de Monte, qui erat sanior locus, et cum crederet se mori, vocavit istum Priorem et Fratres: et venerunt illuc fere viginti Fratres cum dicto Priore, et cum essent circa eum, ipse sic jacendo cœpit prædicare eis, et fecit eis valde bonum sermonem, et compunctivum, et numquam audivit magis ædificativum sermonem ab ore ejus; et, sicut credit, tunc inunxerunt eum. Et audivit tum a quibusdam, quod monachus, qui erat tunc rector in dicta ecclesia dixit, quod, si moreretur ibi, non dimitteret asportari eum, sed faceret eum sepeliri in dicta ecclesia. Sed cum ipse Prior retulisset prædicta F. Dominico, ipse F. Dominicus respondit: Absit, quod ego sepeliar, nisi sub pedibus Fratrum meorum: portate extra, ut * ego moriar in vinea illa, ut possitis me sepelire ad ecclesiam nostram. Et tunc sumentes eum, reduxerunt eum Bononiam ad ecclesiam S. Nicolai, timentes, ne in via moreretur.

* *forte* ne

9 Et cum fuisset illic, stetit per bonam horam, D et fecit vocari postea Priorem, et dixit ei: Præparate vos. Et cum iste Prior et alii Fratres præparassent se solemniter ad commendationem animæ, et cum venissent circa eum, ipse F. Dominicus, dixit huic Priori et Fratribus: Exspectate adhuc. Et dum ista fierent, dixit ipse Prior ei: Pater tu scis, quomodo dimittis nos desolatos et tristes; memento nostri, ut ores pro nobis ad Dominum. Et ipse F. Dominicus, elevatis oculis in cœlum et manibus, dixit: Pater sancte, quia libenter perstiti in voluntate tua, et illos, quos dedisti mihi, custodivi et conservavi, ego recommendo eos tibi, conserva et custodi eos. Et dixit, se audivisse a Fratribus quod, dum rogarent eum de se, respondit eis: Ego utilior ero vobis et fructuosior post mortem, quam fuerim in vita mea. Et post paululum ipse Frater Dominicus dixit huic et Fratribus: Incipite. Et inceperunt Officium commendationis animæ solemniter facere. Et sicut credit, ipse F. Dominicus dicebat Officium cum eis, quia movebat labia: et dum Officium facerent, vitam finivit, et credit firmiter quod, dum dicebant verba illa: Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi, E quod tum emisit spiritum. Et sic credit, quod ex benignitate et providentia Dei factum fuit, quod D. Hugolinus Ostiensis episcopus, et nunc Apostolicus, et D. patriarcha Aquileiensis, et multi venerabiles episcopi et abbates interfuerunt sepulturæ ejus. Et ipse D. Ostiensis episcopus, nunc Apostolicus, celebravit Missam, et commendavit animam ejus, et fecit exsequias. Et dixit, quod in festo S. Sixti *e* proxime præterito fuerunt XII anni quod migravit ad Dominum. *e*

imminente mortis tempore,

honorificis exsequiis

10 Item dixit, quod in eodem anno, quo mortuus fuit, in hieme sequenti maximus odor sentiebatur in ecclesia veteri, in qua sepultus fuit, et per totam ecclesiam; sed præcipue circa sepulturam, et ipse testis sensit ipsum odorem, et multi Fratres senserunt, qui adhuc vivunt, sicut eos audivit dicentes, et duravit per multos dies; sed nesciebant, quis odor esset, credentes firmiter, quod de sepultura exiret. Item dixit, quod, sicut audivit et firmiter credit, Deus multa miracula operatus fuit per eumdem Fratrem Dominicum in morte ejus et post mortem ejus in eo anno et sequentibus annis. Et hoc ideo F credit et dixit, quia multi viri et mulieres veniebant ad sepulturam ejus cum candelis, et imaginibus, et votis, dicentes, quod Deus operatus fuerat miracula circa eos vel suos per merita beati Dominici. Et voluerunt quidam claudere sepulturam ipsius F. Dominici, et cooperire pannis sericis; sed Fratres prohibuerunt, ne Ordo inde propter multitudinem turbaretur, et ne aliqui dicerent, quod propter cupiditatem et jactantiam facerent Fratres, vel fieri paterentur.

translatione sacri cadaveris

11 Item dixit, quod, quando corpus prædicti F. Dominici debuit transferri de loco, in quo erat, in locum, in quo nunc est, ex mandato Potestatis Bononiensis, multi honorati cives custodierunt arcam per multos dies, timentes, ne subriperetur eis. Unde cum in nocte Fratres venerunt ad aperiendam arcam, præsente Potestate *f*, et multis civibus Bononiensibus, et aliis *f* honoratis et religiosis viris clericis et laicis, invenerunt sepulcrum bene clausum et cæmentum durum et valde forte, ita quod vix elevaverunt lapidem superiorem. Et cum elevatus fuisset lapis,

A pis, exivit inde mirabilis et suavissimus odor, et omnibus, qui ibi erant, incognitus, et talis, qui videbatur superare omnia aromata; nec videbatur habere odorem alicujus rei humanæ. Et elevato dicto lapide, invenerunt capsam ligneam bene clausam et firmam cum clavis ferreis, in qua dictum corpus F. Dominici requiescebat, quam similiter aperuerunt, et valde majorem fragrantiam odoris statim senserunt: et ossa ipsius corporis, quæ erant in antiqua capsa, posuerunt in nova bene firmata cum clave, quam semper tenebat Potestas et tenet; quæ postea in aurora in adventu archiepiscopi et multorum episcoporum aperta fuit, et eumdem reddidit odorem, et deposita fuit cum ossibus per archiepiscopum et alios episcopos in novo sepulcro: quo clauso, idem sepulcrum in octava die apertum fuit, præsente Potestate Bononiensi, et multis aliis civibus, et Magistro Jordane, Priore provinciæ, et multis aliis Prioribus et Fratribus Ordinis Prædicatorum: et tunc Magistro Jordane tenente caput dicti F. Dominici in manibus suis, quasi trecenti Fratres de Ordine Prædicatorum et ultra osculati fuerunt caput, sentientes eumdem in-
B enarrabilem odorem: et mirabilis et inenarrabilis odor remansit in manibus Magistri Jordanis, et hujus testis, et omnium illorum, qui tetigerunt de ossibus suis.

in qua magnam odoris fragrantiam percepit.

12 Interrogatus, quomodo scit prædicta omnia, respondit; quia interfuit omnibus prædictis, et vidit, et sensit odorem non solum in ossibus et vestimentis, et capsa et pulvere, sed etiam in suis manibus, et Fratrum, qui tetigerunt supradicta, vel aliquid de prædictis. Item dixit, quod multoties usque ad hoc tempus sensit istud odorem incognitum. Item dixit, quod in tantum erat zelator animarum, quod non solum ad fideles, sed etiam ad gentes et infideles, et in inferno damnatos extendebat caritatem suam, et compassionem, et multum pro eis flebat, et multum erat fervens quoad se ad prædicandum, et quoad alios in mittendo prædicatores, in tantum etiam, quod desiderabat ire ad prædicandum gentibus. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit; quia audiebat ab eo, et ab aliis Fratribus, et in talibus tractatibus, sæpe fuit cum eo, et etiam in collationibus.

C

ANNOTATA.

a Sotulares *vel* subtalares *accipiuntur pro calceis, ut apud Cangium in Glossario fusius ostenditur.*

b *Ex his verbis in Commentario prævio* § 44 *contra Soëgium ostendimus, hunc scrupulum* S. Dominici *non esse inter fabulas numerandum.*

c *Videtur esse castrum, quod Fredericus Ænobarbus anno* 1164 *ad Lambrum fluvium exstruxit, et de quo Leander Albertus in Descriptione Italiæ, quam Coloniæ Agrippinæ anno* 1566 *Latine editam habemus, pag.* 646 *inter oppida Lombardiæ Transpadanæ mentionem facit.*

d Sacco *vel* fisco *videtur usurpari pro culcitra straminea, ut apud Cangium in Glossario ad vocem* fisco *quibusdam exemplis explicatur.*

e *Quia hic festum sancti Sixti nominatur, nulla facta mentione de festo Transfigurationis Domini, in Commentario prævio* § 47 *proponitur aliqua difficultas Francisco Pagio, qui putat, festivitatem* S. Dominici *a Gregorio IX ad Nonas Augusti retractam esse, eo quod ipse emortualis Sancti dies festo Transfigurationis impediretur.* EX IMPRESSIS.

f Potestas *aliquando significat dominum alicujus loci, vel magistratum, vel præcipuum civitatis, ut apud Cangium in Glossario ad hanc vocem fusius licet videre.*

CAPUT II.

Narratio eorum, quæ F. Guilielmus de Monteferrato, et F. Amizo Prior Paduanus in vita et post obitum Sancti observaverunt.

Guilielmus de Monteferrato

Frater Guillelmus de Monteferrato de Ordine Prædicatorum presbyter juratus dixit, quod XVI anni sunt vel circa tempus illud, quod ipse venit ad urbem Romanam, ut celebraret ibi Quadragesimam, et dominus Papa, qui nunc est, qui tunc erat Ostiensis episcopus, recepit eum E in domo sua: et in diebus illis F. Dominicus, Ordinis Prædicatorum inventor et primus Magister, erat in curia Romana, et sæpe veniebat ad domum D. Ostiensis episcopi: unde ex tunc ipse habuit notitiam ejus, et placuit sibi conversatio dicti Fratris, et cœpit diligere eum, et multoties tractabat cum eo de his, quæ pertinebant ad salutem eorum et aliorum hominum. Et videbatur sibi testi, quod F. Dominicus esset multum religiosus magis, quam aliquis homo, quem umquam viderat, quamvis cum multis Religiosis ipse testis locutus fuisset. Et videbatur ei, quod magis esset zelator salutis humani generis, quam aliquis, quem vidisset. Et in eodem anno ipse testis ivit Parisius auditurus theologiam, quia primo promiserat, et convenit cum eo, quod postquam audiisset per biennium theologiam, et ipse ordinasset Fratres suos, ambo simul irent ad convertendum paganos, qui morabantur in Pcia *a* et aliis partibus Septentrionis.

laudat accuratam regularum observantiam.

14 Et dum ipse studeret Parisius, venit præfatus F. Dominicus illuc de Hispania, et tunc recepit habitum Fratrum Prædicatorum, et intravit Ordinem, et ex tunc conversatus fuit cum eo F pluribus temporibus, diversis locis, in eundo ad curiam Romanam et alibi, eundo, stando et redeundo, comedendo, bibendo, jacendo, orando, cum eodem Fratre Dominico sano et infirmo. Et dixit, quod toto tempore, quo fuit cum eo, vidit eum servantem regulam Fratrum Prædicatorum et ordinem multum districte; et bene dispensabat cum Fratribus suis, sed secum non dispensabat. Et vidit, quod jejunia statuta in regula omnia servabat et in sanitate et in infirmitate. Et vidit eum eundo secum Romam patientem gravem infirmitatem, scilicet fluxum ventris et tamen propter hoc non fregit jejunium, nec carnes comedit, nec pictantiam sibi fecit, nisi de pomis sive de rapis aliquando: et hoc scit, quia semper erat in comestione cum eo; et in infirmitatibus, in quibus eum vidit, eodem modo se habebat. Interrogatus, ubi eum vidit alias infirmum, respondit; quod apud Viterbium, sed non recordatur, quam infirmitatem patiebatur.

15 Item dixit, quod quamdiu fuit cum eo, licet sæpe male procurarentur in cibo et in potu, et male reciperentur, et male jacerent, numquam

audivit

EX IMPRESSIS. audivit eum conquerentem de his, nec in infirmitate, nec in sanitate. Item dixit, quod quotiescumque debebat se collocare in lecto, prius incumbebat multum orationi, et pluribus vicibus cum gemitu et lacrymis, ita quod sæpe excitabat ipsum testem, et alios cum gemitu et fletu suo a somno. Et firmiter credit, quod majori spatio temporis erat in oratione, quam in dormitione: et semper jacebat indutus et cum capa, et cinctus, et cum caligis calceatus, dum cum eo fuit, et semper sine culcitra, videlicet in terra, tabula, sive palea, vel alio stramine. Silentium semper horis consuetis et debitis secundum Ordinem observabat, a verbis otiosis abstinebat, et semper de Deo vel cum Deo loquebatur. Interrogatus, qualiter scit ista, respondit; quod tamquam principalis socius conversabatur cum eo de die et nocte eundo et stando, et videbat et audiebat prædicta, sicut præmissa sunt.

aliaque, quæ in Sancto vivente,

16 Item dixit, quod firmiter credit, quod idem F. Dominicus semper servaverit virginitatem; et hoc credit propter bonam conversationem, quam vidit eum habere, et quia hoc audivit a multis viris religiosis, et ab aliis fide dignis, qui cum
B eo longo tempore fuerunt conversati. Interrogatus a quibus hoc audivit, respondit: Ab episcopo Oxomensi, cujus Canonicus fuerat, et a Canonicis suis, cum quibus erat in seculo conversatus et ab aliis, de quorum nominibus non recordatur.

et mortuo, vidit vel audivit.

17 Item dixit, quod ipse interfuit in translatione præfati F. Dominici, quando corpus ejus translatum fuit a priori sepultura in ecclesiam ad locum, in quo nunc est. Et dixit, quod Prior provincialis et Fratres ecclesiæ S. Nicolai timebant, ne fœtor esset in ecclesia, ubi jacebat corpus, et ideo, quia locus erat valde depressus, et aquæ multæ pluviales defluxerant ad locum sepulturæ; et propter hoc nolebant, quod laici et extranei interessent, quando aperirent sepulturam; sed non potuerunt facere, quin Potestas cum XXIV nobilibus et honoratis civibus Bononiensibus interessent in apertione dictæ sepulturæ, quorum quidam custodierant ipsam sepulturam, antequam aperiretur, pluribus noctibus. Et cum sublatus esset lapis, qui superpositus erat dictæ sepulturæ, et apparuit capsa, in qua jace-
C bat corpus dicti F. Dominici, exivit tunc de ipsa tumba odor suavis et delectabilis, nec potuit umquam perpendere, cujus rei aromaticæ esset odor ille. Et ipse et omnes alii senserunt ipsum odorem: et inclinavit se, et osculatus fuit capsam, et majorem sensit odorem. Hoc etiam alii fecerunt, tam Fratres, quam seculares, qui erant ibi, et senserunt eumdem odorem, et præ gaudio et devotione multum fleverunt. Tandem translatum fuit corpus ad locum, in quo nunc jacet. Item dixit, se postea plures vidisse personas, quæ dicebant, se passas graves infirmitates et diversas, et se liberatas fuisse per merita B. Dominici; sed non recordatur, qui fuerunt, scilicet qualiter nominarentur, quia non noverat eos ante, eo quod erat unus de diffinitoribus et non poterat illis intendere.

b Prior Paduanus

18 Frater Amizo *b* Mediolanensis, prior Paduanus et presbyter, juratus dixit, quod magister Dominicus fuit homo humilis, mansuetus, patiens et benignus, et quietus, pacificus, sobrius, et modestus, et in omnibus actibus suis et verbis valde maturus, pius consolator aliorum, et maxime Fratrum suorum, regularis observantiæ zelator præcipuus, summus paupertatis amator tam in victu et vestitu Fratrum Ordinis sui, quam in ædificiis suis et ecclesiis Fratrum, et in cultu etiam et ornatu vestium ecclesiasticarum. Multum enim ad hoc studuit in diebus suis et operam dedit, quod Fratres in ecclesiis non uterentur vestimentis purpureis vel sericis tam super se quam in altaribus, nec vasa aurea vel argentea haberent, præterquam in calicibus. D

similia a se visa

19 Item dixit, quod fuit assiduus in oratione tam diebus, quando vacabat, quam noctibus, et pernoctabat frequenter in oratione, ita quod parum vel nihil recipiebatur in lecto. Item dixit, quod integre Ordinem suum super omnes suos servabat, nec de levi sibi parcebat in aliquo, sed plene tenebat Conventum suum in choro, et in refectorio, et in aliis. Item dixit, quod erat multum frequens in prædicatione et zelator animarum, et ad hoc ipsum Fratres suos studiose invitabat. Item dixit, quod Religiones et viros Religiosos multum diligebat, et commendabat. Interrogatus, quomodo sciret hoc, respondit; quia fuit conversatus cum eo aliquanto tempore, et ex prædictis plura vidit et cognovit in ipso, pluraque audivit, et firmiter credit ita fuisse. E

testimonio suo confirmat.

20 Item dixit, quod audivit et credit, quod virgo semper usque in finem perseveravit, et de hoc erat fama publica inter Fratres. Item dixit, quod post translationem F. Dominici nuper factam quadam nocte, præsente Potestate Bononiensi cum multis militibus et Magistro Ordinis, et Priore provinciali, et aliis multis Fratribus, et Prioribus ad hoc instantibus, aperta fuit arca et capsa, et ostensa fuerunt ossa Fratribus, inter quos unus ipse fuit, et sensit ibi magni odoris suavitatem in deosculatione ossium, et aspectu et adoratu eorum, et talem odorem numquam meminit se sensisse.

ANNOTATA.

a *Echardus propter hoc luxatum nomen dubitat, an forte* Percia *pro* Persia, *vel* Græcia *sit legendum. Sed non satis clare intelligo, quomodo Persia vel Græcia accenseri possint* aliis partibus Septemtrionis, *quæ hic conjungi videntur cum illa regione assignata, in qua pagani morabantur.* F

b *De hoc F. Amizone, quem alii* Amizium *vocant, Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 48 *in notis plura refert ex Taëgio vel Galvaneo Flamma, quæ tamen ab antiquioribus biographis tacentur.*

CAPUT III.

Testificatio F. Bonvisi et F. Joannis Hispani de diversis Sancti virtutibus, quas viderunt vel audiverunt.

Frater Bonvisus narrat ea,

Frater Bonvisus Placentinus *a*, sacerdos de Ordine Prædicatorum juratus dixit, quod XIV *b* anni sunt et plures, quod intravit Ordinem Fratrum Prædicatorum, et fuit conversatus cum F. Dominico circa tempus quatuor *c* mensium Bononiæ in claustro B. Nicolai, et etiam Romæ, *a b c*

et

et eundo Romam et Mediolanum conversatus fuit cum eo, et in infirmitate custodivit eum. Et dixit, quod habebat hanc consuetudinem, scilicet quod quando Fratres sui post Completorium egrediebantur de ecclesia, ut irent dormitum, ipse F. Dominicus, ut oraret, se in ecclesia occultabat. Et ipse cum hoc cognoscere vellet, quid dictus F. Dominicus faceret in ecclesia, sæpius se occultabat in ecclesia, et audiebat eum cum clamore maximo et lacrymis orantem Dominum, et cum gemitu maximo. Interrogatus, quomodo scit, quod esset F. Dominicus, respondit; quia videbat eum, cum esset lumen in ecclesia, et eum in voce similiter cognoscebat, ita quod bene certus est, quod erat F. Dominicus. Item dixit, quod firmiter credit, quod sæpius pernoctabat in oratione Dei, et hoc erat famosum inter Fratres : et cum vellet scire locum, ubi jaceret, non potuit invenire, quem locum haberet ipse proprium jacendi, sicut habebant alii Fratres : sed quandoque inveniebatur in banco *d* dormire, quandoque in terra, et quandoque funibus cathedræ *e* vel cadeleti *f*. Item dixit, quod ita jacebat indutus in nocte, sicut ambulabat in die. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit; quia vidit, et communis erat fama inter Fratres.

quæ vidit in itinere.

22 Item dixit, quod veniendo Romam cum eo, quando F. Dominicus egrediebatur de aliqua civitate, seu villa vel castro, discalceabat se, et nudis pedibus ambulabat, et ipsemet portabat sotulares super spatulas *g*, et nolebat dare ipsi testi, qui paratus erat portare, donec venirent prope aliquam civitatem vel villam vel castrum; et tunc calceabat se, et exeundo iterum discalceabat, et discalceatus ibat, donec venirent ad locum destinatum. Et cum venissent ad quemdam locum, ubi lapides erant acutissimi, tunc dixit ipsi testi : Heu ego miser! hic fui coactus semel calceare. Et dictus testis quæsivit, quare; et ipse F. Dominicus respondit, quia tunc pluerat. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit; quia interfuit et vidit. Item quod, cum dictus testis ambularet cum dicto Fratre Dominico in eadem via, invaserunt eum inundationes aquarum et pluviarum, ita quod rivi et flumina plurimum creverunt, et tunc ipse, cum esset gaudens in tribulationibus, laudabat et benedicebat Dominum, cantando alta voce: Ave Maris stella; et finito isto hymno, incipiebat alium hymnum, scilicet: Veni creator Spiritus, et cantabat cum alta voce usque in finem. Item dixit, quod quando veniebant ad aquas magnas, quæ creverant propter inundationes et pluvias, dictus F. Dominicus signabat aquas, et dicebat ipsi testi, qui timidus multum erat in aquis, quod ingrederetur in nomine Domini ; et ipse confisus de signaculo crucis ab eo facto, et obedientia securus, intrabat aquas, quæ periculosæ videbantur, et prospere credebat ei. Item dixit, quod aliquando juvabat eum in celebratione Missæ, et tunc inspiciebat vultum ejus, et videbat lacrymas decurrentes in faciem suam in tanta quantitate, quod una gutta non exspectabat aliam : et hoc etiam vidit ei contingere in psalmodia.

quod cum Sancto confecerat,

23 Item dixit, quod quando debebant alicubi hospitari vel comedere, non sequebatur voluntatem suam, sed voluntatem Fratrum suorum, qui secum erant : et si male procurabatur, majora signa gaudii ostendebat, quam si bene procuraretur. Interrogatus, quomodo scit hæc, respondit; quia vidit et fuit præsens prædictis. Item dixit, quod, cum esset Mediolani, et custodiret eumdem F. Dominicum in infirmitate positum, et ipse haberet accessionem febris, non conquerebatur de infirmitate; sed videbatur ipsi testi, quia ipse esset in oratione et contemplatione : et istud videbatur propter quædam signa, quæ videbat in facie sua, quæ quidem signa consueverat ipse habere tempore sanitatis, cum esset in oratione et contemplatione, sicut ipse bene noverat. Item dixit, quod, quando febris recesserat, tunc loquebatur de Deo cum Fratribus, vel tenebat librum, vel faciebat sibi legi, et laudabat Deum, et de infirmitate gaudebat, sicut moris erat ipsius gaudere semper in tribulationibus potius, quam in prosperitatibus.

et testatur de pane mirabiliter subministrato,

24 Item dixit, quod, cum idem testis esset procurator Bononiæ, et procuraret Fratres in Conventu Bononiensi in refectorio, et deficeret panis in refectorio quadam die jejunii, tunc F. Dominicus fecit signum, ut apponeretur panis coram Fratribus : qui testis etiam dixit ei, quod non erat panis ibi. Tunc F. Dominicus alacri facie elevavit manus suas, et laudavit Dominum et benedixit, et statim incontienti intraverunt duo, qui portaverunt duo canistra, unum de pane, et aliud de ficubus siccis, ita quod abundanter habuerunt Fratres : et hoc dixit, se scire, quia interfuit his. Item dixit, quod fuit valde humilis, benignus, pius et misericors, patiens, sobrius, zelator paupertatis et salutis animarum, amator Religiosorum, et Religionum omnium. Item dixit, quod in se regulam rigide observabat; et dixit, quod non reddebat malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed maledicentibus benedicebat. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit; quia conversatus fuit cum eo in eundo et redeundo, stando, in sanitate, in infirmitate, comedendo et jacendo.

et odore post obitum ejus percepto

25 Item dixit, quod post translationem corporis beati Dominici de priori loco, in quo jacebat, ad locum, in quo nunc est, a Magistro Ordinis ostensa fuerunt ossa dicti F. Dominici Magistri Ordinis Fratribus, qui non interfuerant translationi, quia multum illa desiderabant videre : et ipse testis tum fuit præsens, quando dicta ossa ostensa fuerunt, præsente Potestate Bononiensi et aliis quibusdam civibus, et Priore provinciali, et aliis omnibus Fratribus ; et odorem mirabilem et suavissimum sensit egredientem de ossibus ; sed cujus rei aromaticæ esset ignorabat, sed videbatur ei, quod omnis rei aromaticæ odorem excederet; nec credit, quod talis et tantus odor ibi posset esse, nisi miraculose a Domino cœlitus esset datus. Et non solum iste testis persensit istum odorem, sed multi alii senserunt, sicut sibi dixerunt positi a remotis.

ac fructu concionis suæ, jussu Sancti habitæ.

26 Item dixit ipse testis, quod, quando ipse erat novitius, et non haberet aliquam peritiam prædicandi, quod nondum in sacra Pagina studuisset, prædictus F. Dominicus præcepit ei Bononiæ existenti, quod deberet ire Placentiam prædicaturus ibidem : et cum ipse propter imperitiam se excusaret, dulcissimis eum verbis induxit, quod ire deberet, et dixit : Vade secure, quia Dominus tecum erit, et ponet verbum prædicationis in ore tuo. Et ipse testis obediens ivit Placentiam et prædicavit; et tantam gratiam contulit sibi Deus in prædicatione, quod ad prædicationem ejus tres Fratres intraverunt Ordinem Prædicatorum.

EX IMPRESSIS.

Frater Joannes Hispanus,

27 Frater Johannes Hispanus sacerdos de Ordine Prædicatorum juratus dixit, quod in illo anno, quo confirmatus fuit Ordo Prædicatorum in concilio D. Innocentii Papæ III *h*, ipse testis intravit Ordinem istum, et in festo S. Augustini proximo venturo erunt octodecim anni *i* sicut Frater credit de tempore, quod recepit habitum de manu Fratris Dominici plantatoris ipsius Ordinis et primi Magistri, et ipsa die fecit professionem in manu prædicti Fratris in ecclesia S. Romani apud Tolosam : et ex tunc conversatus fuit cum dicto F. Dominico, et stetit, et ivit cum eo per diversa loca, et per diversas terras tam de die, quam de nocte.

qui cum Sancto sæpe conversatus est

28 Et dixit, quod prædictus F. Dominicus erat in oratione assiduus die ac nocte. Item dixit, quod plus orabat, quam ceteri Fratres, cum quibus conversabatur, et plus etiam vigilabat, et majores disciplinas in corpore suo accipiebat et frequentiores; et hoc scit, quia vidit eum prædicta sæpissime facientem. Item dixit, se etiam audivisse a quibusdam de Fratribus, quod idem Magister Dominicus faciebat se disciplinari, et etiam se disciplinabat cum catena ferrea, quæ habebat tres ramos; et de hoc erat fama publica B inter Fratres : et dixit, hoc se audisse a Fratribus, qui ei disciplinas dederunt. Item dixit, quod Fratres peccantes, secundum regulam puniebat; tamen peccantibus compatiebatur, et multum dolebat, quando pro culpa aliquem puniebat.

et ab eo Parisios missus fuit,

29 Item dixit, quod proximis compatiebatur, et salutem eorum ardentissime desiderabat. Sæpe et frequenter ipsemet prædicabat, et Fratres ad prædicandum modis, quibus poterat, inducebat et mittebat ad prædicandum, rogans et monens, quod essent de animarum salute soliciti, et multum confidens de Deo; mittebat etiam simplices ad prædicandum dicendo : Ite secure, quia Dominus dabit verbum prædicationis vobis, et erit vobiscum, et nihil deerit vobis. Et ibant, et cedebat eis, sicut dicebat. Item dixit, quod, cum esset cum dicto Fratre Dominico apud Tolosam in Conventu ecclesiæ supradictæ, ipse F. Dominicus contra voluntatem Comitis Montisfortis et archiepiscopi Narbonensis, et episcopi Tolosani, et quorumdam aliorum prælatorum misit hunc testem, quamvis invitum, Parisios cum ullis Fratribus clericis et uno Converso, ut studerent C et prædicarent, et Conventum ibi facerent, et non timerent, quia omnia eis prospere cederent; et prælatis prædictis, et Comiti, et Fratribus dicebat : Nolite contradicere, ego scio bene, quod facio. Et tum alios etiam misit in Hispaniam, et similia eis dicebat et præcipiebat. Et dum ipse testis et socii studerent Parisiis, data fuit ei et sociis suis a magistro Joanne decano S. Quintini tunc regente in theologia Parisius, et ab Universitate magistrorum et scholarium Parisiensium ecclesia S. Jacobi, posita in porta Aurelianensi, ubi steterunt et fecerunt Conventum, ubi multos bonos clericos receperunt, qui Ordinem Fratrum Prædicatorum intraverunt, et multæ possessiones et redditus tunc eis datæ fuerunt, et omnia cesserunt eis prospere, sicut F. Dominicus eis prædixerat : et etiam temporibus ipsius data fuerunt Ordini Prædicatorum castra et possessiones multæ in partibus Tolosanis et Albigensibus.

indicat aversionem ejus a possessionibus rerum temporalium

30 Item dixit, quod, cum Ordo Fratrum Prædicatorum haberet castra et possessiones multas in partibus supradictis, pecuniam portarent secum in via, et equitarent, et superpellicea deferrent, præfatus F. Dominicus laboravit et fecit, D quod Fratres ipsius Ordinis dimitterent et contemnerent omnia temporalia, et insisterent paupertati, et non equitarent, et viverent de eleemosynis, et nihil secum in via portarent ; et ita datæ fuerunt possessiones de Francia monialibus Ordinis Cisterciensis, et aliæ aliis. Et ut Fratres fortius intenderent studio et prædicationibus, voluit dictus F. Dominicus, quod Conversi ejus Ordinis illitterati præessent Fratribus litteratis in administratione et exhibitione rerum temporalium ; sed Fratres Clerici noluerunt, quod Conversi præessent eis, ne contingeret eis, sicut contigit Fratribus Grandimontensis Ordinis de suis Fratribus *k*. Interrogatus, quomodo scit omnia prædicta, respondit; quia diu conversatus est cum dicto F. Dominico, et vidit ea, quæ de eo dixerat, excepta disciplina de catena ferrea, de qua supra dixerat : et alia scit, quia vidit, et interfuit prædictis, et contigerunt sibi, et suis sociis.

zelum animarum,

31 Item dixit, quod omnibus divitibus, pauperibus, Judæis et gentilibus, quorum multi sunt in Hispania, se præbebat amabilem, et, ut vidit, ab omnibus amabatur, exceptis hæreticis et ini- E micis Ecclesiæ, quos in disputationibus et prædicationibus suis insequebatur et convincebat : et tamen eos charitative ad pœnitentiam et conversionem fidei hortabatur et monebat, sicut prædicta audivit et vidit. Item dixit, quod, sicut ibat in die, sic jacebat in nocte, nisi quod extrahebat sotulares; et dixit, hoc sæpissime se vidisse. Item dixit, quod, quando idem F. Dominicus ibat de una terra ad aliam terram, discalceabat se, et ibat discalceatus usque ad aliam terram, et tunc calceabat se, et iterum in egressu discalceabat se, et portabat ipse sotulares suos, et nolebat, quod aliquis juvaret eum in his portandis. Interrogatus, quomodo scit istud, respondit ; quia hoc audivit a Fratribus, et sæpe vidit ea. Et si quando offendebat pedem ad lapidem, alacri facie sustinebat, et non turbabatur, et dicebat : Hæc est pœnitentia, sicut homo, qui gaudebat semper in tribulationibus suis.

paupertatis amorem,

32 Item dixit, quod paupertatem multum dilexit, et, ut Fratres eam diligerent, eos studiose monebat. Interrogatus, quomodo scit, re- F spondit; quia vilibus vestibus gloriabatur, et quia temporalia omnia dimisit, et, eo præsente, Fratres sæpissime ad paupertatem hortabatur. Item dixit, quod in cibo et in potu fuit parcus, et in pictantiis maxime, ita tamen quod, licet cum aliis dispensaret, secum tamen dispensare nolebat; imo regulam in se totam rigide observabat. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia vidit hoc. Item dixit, quod quando ambulabat per civitates et villas, oculos a terra vix elevabat, et hoc scit, quia cum eo ambulavit per civitates et villas, et vidit ea. Item dixit, quod non habebat proprium lectum jacendi, sicut alii Fratres : et interrogatus, quomodo sciret hoc, respondit ; quia si locum proprium habuisset, bene scivisset, maxime cum studiosus fuit in quærendo.

humilitatem in recusanda episcopali dignitate,

33 Item dixit, quod bis vel ter electus fuit in episcopum, et ipse semper renuit, volens potius cum Fratribus suis in paupertate vivere, quam aliquem episcopatum habere. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia non solum de hoc communis fama erat tunc temporis inter Fratres ; sed etiam apud omnes alios laicos et

clericos

A clericos. Interrogatus, ad quos episcopatus fuit electus, respondit; ad Biterensem et Convenarum *l*. Interrogatus, quando hoc scivit, respondit antequam intraret Ordinem Prædicatorum.

aliaque variarum virtutum exempla.

34 Item dixit, quod raro loquebatur, nisi cum Deo, scilicet orando, vel de Deo; et hoc monebat Fratres. Item dixit, quod semper vidit eum lætum in præsentia hominum; sed in orationibus frequenter plorabat, et hoc scit, quia vidit et audivit eum plorantem. Item dixit, quod audivit tempore vitæ ipsius F. Dominici, et etiam post, quod permansit in virginitate usque ad mortem; et de hoc est fama publica inter Fratres. Item dixit, se audivisse aliquando ab eo dici, quod desiderabat flagellari et frustatim incidi, et mori pro fide Christi. Item dixit, quod prædictus F. Dominicus sæpe monebat et hortabatur Fratres dicti Ordinis verbis et literis suis, quod semper studerent in novo et veteri Testamento: et hoc scit, quia audivit eum illa dicentem, et literas ejus vidit. Item dixit, quod semper gestabat secum Euangelium Matthæi et Epistolas Pauli, et multum studebat in eis, ita quod fere sciebat eas B corde tenus. Item dixit, se audivisse a concanonicis dicti F. Dominici, et a multis aliis viris fide dignis, quod quando ipse F. Dominicus erat in seculo *m*, et studebat Palentiæ, invaluit fames in regione illa, ita quod pauperes fame affligebantur, et multi moriebantur: unde dictus F. Dominicus, motus pietate et caritate, vendidit libros et omnia, quæ habebat, et dedit pro cibo pauperum, cujus exemplo, sicut audivi, multi multa dederunt.

ANNOTATA.

a *Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 49 *in notis aliqua hujus F. Bonvisi gesta ex recentiori historia Placentina recenset.*

b *Flaminius in Vita* S. Dominici *fol.* 70 *verso pro* XIV *expressit anno* XV, *quem Joannes de S. Maria in Actis Gallicis ejusdem Sancti lib.* 4 *cap.* 21 *pag.* 525 *cæce secutus est. Sed Echardus loco proxime citato ex Ms. suo codice et probabilissima ratione probat, annos* XIV *legendos esse.*

C c *Flaminius et Joannes de sancta Maria locis proxime citatis hic rursus contra lectionem Echardi menses* X *pro* quatuor *ponunt.*

d Bancus *hic barbare pro scamno usurpatur, et ab Italico vel Gallico nomine derivatur.*

e Cathedra *aliquando pro sede et interdum pro arca accipi videtur, ut Cangius in suo Glossario ad illam vocem exponit.*

f *Nusquam in lexicis Latino-barbaris hoc nomen inveni. Sed cum in Dictionario Italico invenissem, voce* cadaletto *vel* cadiletto *significari lecticam et lectulum, suspicatus sum, Sanctum subinde super funes lecticæ aut lectuli, velut in crate funium, quievisse. Hæc suspicio aut conjectura mea confirmari videtur testimonio F. Radulphi num.* 37 *proxime sequenti, aliisque textibus; quod si a vero aberret, aliam significationem edoceri cupio.*

g *Id est calceos suis humeris imponebat ac portabat.*

h *Hic testis approbationem seu confirmationem Ordinis inchoat ab eo tempore, quo Innocentius III Pontifex* S. Dominicum *ad partes Tolosanas remisit, ut regulam approbatam eligeret.*

i *Videntur hi* octodecim anni *incomplete accipiendi esse, ita ut festo S. Augustini proxime venturo annus decimus octavus dumtaxat inchoetur, quemadmodum manifestum fiet ei, qui computare voluerit spatium temporis, quod inter Augustum anni* 1216 *et eumdem mensem sive memoratum festum anno* 1233 *effluxit.* **EX IMPRESSIS.**

k *Quid Grandimontensibus contigerit, in Commentario prævio* § 37 *ex antiquis monumentis abunde exposuimus.*

l *His duobus episcopatibus quos Sanctus recusavit in Commentario prævio* § 14 *tertium ex veteribus testimoniis addidimus.*

m *Si Sanctus tunc adhuc* erat in seculo, *ut hic testis synchronus affirmat, corruit totum systema Josephi Stephani de Noriega, qui in Dissertatione historica* S. Dominicum *jam tum Ordini suo Præmonstratensi vindicat, et ibidem* § 21 *num.* 182 *pag.* 201 *de eo sic scribit:* Solemni emissa professione,.... a D. Nunnio de Lara successore *(nimirum abbatis Dominici, sub quo S.* Dominicus *in monasterio Vitensi tirocinium posuisse dicitur)* sub disciplina D. Joannis sive Gundisalvi de Agoncillo, Vitensi item Canonico, viro insigniter erudito, episcopo post hæc Calagurritano, majoribus studiis operam daturus Palentiam (ubi ea tempestate maxime florebant) beatus Dominicus missus, ibidem per aliquot annos (ad decem extendunt communiter scriptores) non minus sanctitatis, quam sanæ sapientiæ opinione celebris, se exercuit, *etc. Hanc itaque narrationem testis synchronus abunde refutat.* E

CAPUT IV.

Expositio eorum, quæ F. Radulphus circa conversationem, mortem, et sepulturam Sancti declaravit.

Procurator cœnobii Bononiensis

Frater Radulphus, qui fuit de Faventia, de Ordine Prædicatorum juratus dixit, quod ipse erat rector et capellanus ecclesiæ S. Nicolai de Bononia, quando data fuit Fratribus Prædicatorum a D. Bononiensi episcopo dicta ecclesia S. Nicolai ad preces venerabilis patris Hugolini, tunc temporis Ostiensis episcopi, et Apostolicæ Sedis legati, et nunc summi Pontificis; et sunt quatuordecim anni et plus, quod hoc fuit. Et eodem anno venit F. Dominicus, primus magister Ordinis Prædicatorum et ejusdem Ordinis inventor; et a dicto tempore, ex quo venit Boniam, usque ad finem vitæ suæ stetit in dicta civitate Bononiensi, nisi quando ivit ad curiam Romanam, et visitavit quasdam villas terræ Lombardiæ, et etiam civitatem Venetiarum. Et toto tempore, quo F. Dominicus stetit in civitate Bononiensi, ipse testis conversatus fuit cum eo in ecclesia, in Officio, in dormitorio, in refectorio die ac nocte, quoniam ipse testis erat procurator domus et Fratrum, et unus de Ordine, qui fecerat professionem antequam dictus F. Dominicus veniret Bononiam, et bene novit personam et vitam dicti F. Dominici. F

vidit sæpe Sanctum in ecclesia pernoctantem.

36 Item dixit, quod dictus F. Dominicus habebat consuetudinem sæpissime pernoctandi in ecclesia, et orabat, et in oratione plorabat cum lacrymis et multo gemitu. Interrogatus, quomodo scit prædicta, respondit; quia sæpissime sequebatur eum in ecclesia, et videbat eum, et stabat sæpe cum eo de nocte, et videbat sæpe sic orantem, et plorantem audiebat; et sæpe vidit eum stantem in oratione in infirmitate pedum, et te-

nebat

EX IMPRESSIS. nebat manus suas elevatas, quasi esset in oratione. Interrogatus, quomodo vidit eum, cum esset de nocte, respondit; quia lumen semper erat in ecclesia, et ipse testis ponebat se ad orandum prope ipsum, quia erat multum familiaris ei. Et pro certo dixit, quod multum erat devotus et assiduus in oratione magis, quam aliquis homo, quem umquam vidisset.

invenitque mortuum ferrea catena cinctum,

37 Item dixit, quod dictus F. Dominicus semper portabat catenam ferream cinctam ad carnem super lumbos, et portavit eam sic cinctam usque ad mortem. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit; quia, quando mortuus fuit, invenit eum cinctum dicta catena, et ipse accepit eam, et habuit eam; sed postea dedit Magistro Ordinis, scilicet magistro Jordani. Item dixit, quod semper jacebat de nocte ita indutus, sicut ambulabat in die, nisi quod extrahebat sotulares; et quandoque jacebat in terra, quandoque super quamdam cratem, super quam ipse testis consuevit extendere quemdam pannum, super quem ipse jacebat, et sæpissime ipse dormiebat sedendo. Item dixit, quod sæpe dormiebat in B mensa propter multas vigilias et pernoctationes, quas faciebat in oratione.

et testatur illum temperantiæ et jejuniis,

38 Item dixit, quod assiduus erat in Officio, et semper sequebatur Conventum, tam in Officio, quam in mensa, et reficiebatur eisdem cibis, quos Conventus manducabat. Et quando ipse testis, qui procurator erat, faciebat Fratribus pittantiam aliquam, ipse F. Dominicus vocabat eum, sub silentio dicebat ei : Quare interficis Fratres dando eis pittantias? Item dixit, quod quando panis vel alia cibaria, sive vinum deficiebat in domo, ibat ad dictum F. Dominicum, et dicebat ei : Non habemus panem vel vinum. Et ipse dicebat : Vade et ora, quia Deus providebit. Et ipse testis ibat in ecclesiam ad orandum, et dictus F. Dominicus sæpe sequebatur eum: et sic faciebat Deus, quod semper habebant idoneas sustentationes, et quandoque illum modicum panem, quem habebant, de mandato ejus ponebat in mensa, et Dominus supplebat defectum eorum. Item dixit, quod ipse F. Dominicus plenissime servabat regulam et Ordinem Fratrum Prædicatorum, quoad se, et quoad alios, in vestimentis in cibo et potu, in jejuniis, et omnibus C aliis. Et hoc scit, quia conversabatur cum eo, et sæpissime videbat prædicta.

saluti animarum,

39 Item firmiter dixit, quod numquam vidit hominem, qui tantum sibi placeret in religione et devotione, quantum dictus F. Dominicus. Item dixit, quod desiderabat salutem omnium animarum tam Christianorum quam etiam Saracenorum, et specialiter Cumanorum, et aliorum: et magis erat zelator animarum, quam aliquis homo, quem umquam viderat, et sæpe dicebat, quod desiderabat ire ad Cumanos, et alias gentes infideles. Item dixit, quod erat jucundus, hilaris, patiens, misericors et benignus, et Fratrum consolator; et si quem Fratrem videbat in aliquo delinquentem, quasi non videret, pertransibat; sed postea placito vultu et blandis verbis [dicebat :] Frater tu malefecisti, confitere; et benignis verbis omnes inducebat ad confessionem pœnitentiæ: et licet cum humilitate verborum graviter puniebat excessus eorum, tamen consolati recedebant ab eo.

paupertati

40 Item dixit, quod dictus F. Dominicus multum diligebat paupertatem, et hortabatur Fratres ad paupertatem. Et scit hoc, quia, quando dictus F. Dominicus venit Bononiam, dominus Hodoricus Galiciani volebat dare Fratribus quasdam possessiones suas, quæ valebant bene ultra quingentas libras Bononienses, et facta erat inde charta coram domino episcopo Bononiensi; sed ipse F. Dominicus fecit rescindi contractum, et noluit quod haberent illas, vel quasdam alias possessiones; sed solummodo viverent de eleemosynis et parce; quoniam si haberent in domo, unde possent vivere in die, nolebat, quod reciperent aliquid illa die, nec mitterent pro eleemosynis. Et volebat, quod haberent parvas domos, et viles vestes, et etiam in ecclesia nolebat, quod essent panni serici, sed essent indumenta de bucaranno *a*, vel aliquo alio panno. Item dixit, quod nolebat, quod Fratres intromitterent se de temporalibus, nec de facto domus, nec de consiliis temporalium, exceptis illis, quibus fuerat commissa cura domus; sed volebat, quod alii semper essent intenti lectioni, orationi et prædicationi; et si quem Fratrem sciebat utilem ad prædicandum, nolebat, quod injungeretur ei aliud officium. D a

aliisque piis operibus addictissimum fuisse,

41 Item dixit, quod semper volebat in domo et in via loqui de Deo vel salute animarum; et numquam audivit verbum otiosum vel nocivum vel detractionis exire de ore ejus. Et omnia prædicta dixit, se scire, quia conversabatur cum eo de die et de nocte, et videbat et audiebat eum prædicta facientem et dicentem. Item dixit, quod multum erat solicitus et devotus et assiduus in prædicationibus et confessionibus; et sæpe plorabat in prædicationibus, et movebat auditores ad plorandum. Item, quod tempore, quo primum Capitulum Fratrum Prædicatorum fuit celebratum in civitate Bononiensi, dictus F. Dominicus dixit inter Fratres: Ego sum dignus depositione, quia ego sum inutilis et remissus; et humiliavit se multum in omnibus. Et cum Fratres nollent ipsum deponere, placuit ipsi F. Dominico, quod constituerentur diffinitores, qui haberent potestatem tam super ipsum, quam super alios, et super totum Capitulum statuendi, diffiniendi et ordinandi, donec duraret Capitulum.

cum magna erga Deum fiducia ex hac vita migrasse,

42 Item dixit, quod, quando dictus F. Dominicus erat in infirmitate, de qua mortuus est, Fratres erant circa ipsum, et plorabant : et ipse testis tenebat ejus caput cum quadam toalia *b*, et tergebat faciem ejus de sudore, et F. Dominicus dixit: Nolite plorare, quia ego utilior ero vobis ad locum, ad quem vado, quam hic fuerim. Interrogatus, qui erant præsentes, respondit; multi Fratres, de quorum nominibus non recordatur. Item dixit, quod unus Frater tunc interrogavit eum, et dixit ei: Pater, ubi vultis sepeliri corpus vestrum? Et ipse dixit: Sub pedibus Fratrum. Item dixit, quod firmiter credit, quod cum dicebant Fratres, qui faciebant Officium commendationis ipsius F. Dominici, verba illa : Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi : quia tunc emisit spiritum. Et dixit, quod ista dicta et facta fuerunt in quadam cella apud S. Nicolaum. Item dixit, quod numquam vidit ipsum jacentem in lecto plumæ, nec etiam in saccone, nisi tunc quando mortuus fuit, quia jacebat in saccone. Item dixit, quod idem F. Dominicus, cum erat in articulo mortis, dixit Fratribus : Parate vos; et Fratres iverunt et paraverunt se, et dum fieret commendatio animæ, emisit spiritum tenendo manus elevatas versus cœlum. b F

43 Item dixit, quod ipse testis fecit fieri sepulturam

et ex ejus sepulcro quod ipse testis fieri curaverat,

pulturam, et invenit lapidem, qui fuit superpositus sepulturæ, et fecit fieri capsam ligneam, in qua corpus fuit clausum cum clavis ferreis; et ipse clausit ipsum corpus in capsa lignea cum clavis ferreis, et diligenter custodivit, donec se-
c pultum fuit. Et nullæ species *c* nullæque res aromaticæ fuerunt positæ in capsa vel sepultura, nec potuissent esse, quin ipse vidisset, quoniam ipse procurator erat domus, et omnia ad mandata ejus fiebant. Item dixit, quod fuit unus de illis, qui aperuerunt sepulturam ipsius F. Dominici, in qua primo sepultus fuit, quando translatum fuit corpus ad locum, in quo nunc est, et ipsemet cum malleis ferreis fregit murum sepulturæ, qui murus erat multum fortis, et cum forti et duro cæmento compositus, et cum palo ferreo elevavit lapidem superiorem, quia sepulcrum erat valde magnis lapidibus munitum, et cum cæmento firmatum : quod diligenter fieri fecerat a principio, ne aliqui furarentur corpus illud.

in translatione fragrantem odorem prodisse.

44 Et quando dictus testis elevavit lapidem illum cum palo ferreo, et aperta fuit sepultura, magnus, imo maximus, et suavis et delectabilis odor et sibi incognitus exivit de sepultura,
B et non credit, quod fuerit similis odori alicujus rei aromaticæ : et ita magnum sensit odorem, quod nec in apotheca specialium, nec in aliquo loco ita magnum vel delectabilem vel similem senserit odorem. Et hoc idem testabantur omnes, qui erant ibi, scilicet episcopi, clerici, Potestas Bononiensis, multi honorati cives, qui custodiebant sepulcrum; et odor ille remansit multis diebus in priori sepultura, et in rebus in ea positis, et in vestimentis et in manibus illorum, qui illa tetigerant; et adhuc hodie durat in ossibus prædicti F. Dominici. Et prædicta scit, quia vidit, et interfuit, et manibus suis contrectavit.

ANNOTATA.

a Bucarannum, *quod etiam* buchiranum *vel* boquerannus *scribitur, est telæ subtilioris species, ut supra post caput* 15 *Theodorici de Appoldia ad litteram* d *observavimus.*

C b *Existimo, legendum esse* tobalia, *quam vocem etiam supra in Annotatis ad Theodoricum de Appoldia post caput* 20, *littera* c *explicuimus.*

c Species, *Italice* specie *sæpius pro aromatibus accipitur, ut apud Cangium ad eamdem vocem pluribus exemplis probatur. Hinc etiam paulo post* apotheca specialium *significat apothecam aromatum.*

CAPUT V.

Declaratio illarum rerum, quas F. Stephanus, Prior provincialis Lombardiæ de Sancti vita, patrocinio, ac translatione noverat.

Prior provincialis Lombardiæ,

Frater Stephanus Prior provincialis Ordinis Prædicatorum provinciæ Lombardiæ juratus dixit, quod quindecim anni sunt et plus, quod novit Magistrum Dominicum fundatorem et plantatorem Ordinis Fratrum Prædicatorum et primum Magistrum ; sed antequam haberet per visum notitiam personæ ipsius, audivit multa bona de eo a magnis viris fide dignis, scilicet quod, cum esset Prior vel Supprior ecclesiæ Oxomensis, cujus erat Canonicus, studebat apud Palentiam in divina Pagina; et tempore illo incepit invalescere fames pessima in regione illa, ita quod multi pauperes ibi fame moriebantur; unde F. Dominicus motus compassione et misericordia, vendidit libros suos *a*, manu sua glossatos *b*, et a
pretium ipsorum, et alias res, quas habebat, dedit pauperibus, dicens : Nolo studere super pelles mortuas, et homines moriantur fame : cujus exemplo quidam magnæ auctoritatis similia fecerunt, et ex tunc cum eo prædicare cœperunt. Et sicut intellexit, post paucos dies venit F. Dominicus ad partes Tolosanas cum episcopo Oxomensi ad prædicandum, et præcipue contra hæreticos, et ibi instituit et ordinavit Ordinem Prædicatorum.

EX IMPRESSIS.

qui ab ipso S. Dominico mirabiliter ad Ordinem admissus est,

46 Item dixit, quod, cum studeret Bononiæ ipse testis, præfatus Magister Dominicus venit Bononiam, et prædicabat scholaribus, et aliis bonis hominibus; et ipse testis confitebatur ei peccata sua, et videbatur sibi, quod diligeret eum. Et quodam sero, dum ipse testis vellet cœnare in hospitio suo cum sociis suis, præfatus F. Dominicus misit duos Fratres dicentes huic : Frater Dominicus mandat vobis, quod statim veniatis ad eum. Et ipse dixit : Cum cœnavero, statim veniam ad eum. Et ipsi dixerunt : Imo statim veniatis. Et surgens, relictis omnibus, venit ad eum, et invenit eum cum multis Fratribus apud ecclesiam S. Nicolai. Et dictus F. Dominicus dixit Fratribus : Instruite eum, qualiter petat veniam. Et venia facta, misit se in manibus ejus, et antequam recederet, induit eum habitum Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicens : Ego volo dare tibi arma, cum quibus toto tempore vitæ tuæ debeas pugnare contra diabolum. Et multum fuit ipse testis tunc miratus et etiam postea, quo instinctu ipse F. Dominicus sic eum vocavit et induit habitum Fratrum Prædicatorum, quia primo nihil tractaverat de conversione ipsius cum eo ad Religionem; credit tamen, quod divina inspiratione vel revelatione hoc fecit.

testimonium reddit de efficacibus Sancti prædicationibus,

47 Item dixit, quod dictus F. Dominicus fuit optimus et summus consolator Fratrum, in tentationibus Fratrum et aliorum ; et hoc scit, quia cum in principio conversionis ipsius erat novitius, multas et varias tentationes habuit, de quibus per admonitionem et prædicationem ejus plenam consolationem recepit. Hoc idem contigit multis aliis Fratribus novitiis, sicut ab eis audivit. Et dixit ipse testis, quod post conversionem suam stetit cum dicto F. Dominico in claustro S. Nicolai Bononiensis fere per annum, et magnam familiaritatem habuit cum eo; et toto prædicto tempore, quo conversatus fuit cum prædicto F. Dominico, dixit, non audivisse malum vel nocivum vel otiosum verbum ab ore ejusdem F. Dominici. Item dixit, quod in prædicationibus erat assiduus et solicitus, et verba habebat ita commotiva, quod sæpissime commovebat se et auditores ad fletum : ita quod numquam audivit hominem, cujus verba ita commoverent Fratres ad compunctionem et fletum. Item dixit, quod consuetudo sua erat, ut de Deo vel cum Deo semper in domo et extra domum, et in via loqueretur : et ad hoc idem hortabatur Fratres, et etiam in constitutionibus suis posuit : et hoc scit, quia vidit,

EX IMPRESSIS. dit, et interfuit, et audivit, et conversatus fuit cum eo.

assiduitate orationis,

48 Item dixit, quod erat assiduus et devotus in oratione super omnes homines, quos umquam vidit: hanc consuetudinem habebat, sicut dixit se vidisse, quia post Completorium et orationem communiter factam a Fratribus, faciebat nos intrare dormitorium, et ipse remanebat in ecclesia in oratione; et in nocte, dum orabat, ad tantum gemitum et planctum prorumpebat et movebatur, quod Fratres, qui erant in vicino, excitabantur a somno, et quidam eorum ad lacrymas commovebantur; et sæpissime in oratione pernoctabat usque ad Matutinas, et nihilominus stabat in Matutinis circumeundo utramque partem chori, monendo et solicitando eos, ut alte et devote cantarent: et ita pernoctabat in oratione, quod numquam recolit, se eum vidisse dormientem in lecto de nocte, licet quidam locus appropriaretur ei ad jacendum, ubi erat solummodo c coopertorium extensum super cadeletum *c* unum sine palea, et sine saccone, quando tanto tempore stetisset in uno claustro cum eo, et solicite perquisivisset et sæpissime, si eum invenire posset in lecto. B

lacrymis in Missa fusis,

49 Item dixit, quod sæpissime vidit eum celebrare Missam, et semper in Canone Missæ vidit oculos et maxillas ejus lacrymis irrigari: et cum tanta devotione celebrabat, et orationem Dominicam in Missa dicebat, quod bene poterant circumstantes devotionem ejus intelligere: et numquam recolit, eum se vidisse celebrantem, quin ita moveretur ad lacrymas, sicut superius dixit. Et hæc omnia dixit, se vidisse et audivisse, sicut superius testatus est. Item dixit, quod ipse erat zelator et conservator Ordinis et regulæ, et consolator Fratrum magis, quam aliquis, quem umquam viderit; et vix credit, quod umquam similem sibi in prædictis habeat successorem. Item dixit, quod ipse F. Dominicus erat amator paupertatis, et hoc audivit eum sæpissime prædicantem, et Fratres hortari ad paupertatem: et si quando sibi vel collegio Fratrum offerebantur possessiones, nolebat eas recipere, nec permittebat Fratres recipere: et volebat, quod haberent viles domos et parvas, et ipsemet vilissimum habitum portabat et viles vestes. Interrogatus, C quomodo scit hoc, respondit; quia vidit eum sæpissime portare vilissimum habitum, et curtum scapulare, nec volebat ipsum capa cooperire etiam in præsentia magnorum.

studio paupertatis,

50 Item dixit, quod haberent Fratres apud S. Nicolaum cellas vilissimas et parvas, et F. Radulphus, qui erat procurator Fratrum, in absentia ejusdem F. Dominici quasdam cellulas cœpit per brachium elevare. Sed F. Dominicus revertens, cum videret cellulas elevatas, cœpit cum fletu pluries prædictum Fratrem Radulphum et Fratres alios reprehendere, dicendo sibi et aliis Fratribus: Vultis tam cito paupertatem relinquere, et magna palatia ædificare? Unde injunxit eis, quod prædictum opus dimitterent, et sic stetit imperfectum, donec vixit. Item dixit, quod, sicut amaverat paupertatem in se, sic amavit eam in Fratribus suis; unde injunxit eis, ut vilibus vestibus uterentur, et in via numquam pecuniam portarent, sed ubique de eleemosynis viverent, et hoc fecit in sua regula seu constitutionibus scribi. Item dixit dictus testis, quod fuit parcus in cibo et potu. Interrogatus quomodo scit, respondit; quia vidit multoties in refectorio, quod, quando Fratres habebant duo pulmenta cocta seu duo fercula, quod unico erat contentus, et aliis Fratribus comedentibus, ipse F. D Dominicus quasi semper super mensam dormiebat propter nimias vigilias, quibus adeo fatigatus erat, quia et parum comedebat, et parum bibebat, et sic a somno super mensam quasi violenter occupabatur.

virginitate, potenti patrocinio,

51 Item dixit, quod firmiter credit, quod dictus F. Dominicus fuit virgo mente et corpore usque ad finem vitæ suæ. Interrogatus, quomodo hoc credit, respondit; quia et præfatus F. Dominicus sibi fuit confessus, et numquam sua confessione potuit intelligere, eum peccasse mortaliter. Item dixit, quod erat patiens et gaudens in tribulatione. Interrogatus quomodo scit, respondit; quia videbat eum in necessitatibus suis et indigentiis suis et Fratrum, quas patiebatur in illo tempore in victu et vestitu, jucundari et lætari. Item dixit prædictus testis, quod firmiter credit, quod gratia, quæ his temporibus collata est Fratribus Prædicatoribus in Lombardia et in aliis provinciis, precibus et meritis F. Dominici sit collata vel etiam augmentata. Interrogatus quare hoc credit, respondit; quod ab illo tempore postquam F. Joannes Vincentinus cœpit prædicare revelationem sibi de F. Dominico divinitus factam, et vitam et conversationem et ipsius E sanctitatem populo nunciare, et ipse testis cum aliquibus Fratribus cœpit tractare de translatione corporis prædicti F. Dominici, ex tunc manifeste refulsit et apparuit amplior gratia, tam in Fratribus, qui ejus sanctitatem prædicabant, quam etiam in populis, qui eos audiebant, sicut patet per effectum in civitatibus Lombardiæ, in quibus maxima hæreticorum multitudo combusta est, et plus quam centum millia hominum, qui nesciebant, utrum Ecclesiæ Romanæ, an hæreticis deberent adhærere, ad Catholicam fidem Romanæ Ecclesiæ per prædicationes Fratrum Prædicatorum ex corde sunt conversi: et hoc, quia illi conversi hæreticos, quos primo defendebant, modo persequuntur et abominantur. Et fere omnes civitates Lombardiæ et Marchiæ facta sua et statuta ordinanda et mutanda ad voluntatem Fratrum tradunt in manibus eorum, ut radant, addant, minuant, et mutent, secundum quod eis visum fuerit expedire. Et etiam hoc faciunt de guerris exstirpandis et pacibus faciendis et componendis inter eos, et de F usuris male ablatis reddendis, et confessionibus audiendis, et multis aliis bonis, quæ longum esset enarrare.

et suavi odore, quem in translatione ipsius sensit.

52 Item dixit prædictus testis, quod ipse ordinavit de die et modo transferendi corpus prædicti Magistri Dominici, et interfuit ipsi translationi cum multis Fratribus, et Potestate Bononiensi, et multis honoratis civibus ipsius civitatis, et aliis multis aliarum civitatum, in quorum præsentia ipse testis cum aliis Fratribus palis ferreis et piconibus *d* cœperunt fodere et invenerunt d terram duram et cæmentum fortissimum et durum, cum quo clausum erat sepulcrum. Et elevantes lapidem, qui erat superpositus sepulcro, tantam senserunt odoris fragrantiam tam ipsi, quam omnes circumstantes, quod ipse, ut asserebat, narrare non posset, cum nullius rei mundanæ videretur habere odorem. Propter cujus odoris fragrantiam, tam Fratres, quam omnes circumstantes, prostraverunt se ad terram, cum lacrymis laudantes et benedicentes Deum, qui tam mirifice ostendit Sanctum suum fore glorificandum. Et invenerunt capsam ligneam, in qua corpus

A pus præfati F. Dominici reconditum erat, clavis ferreis fortiter clausam et firmatam, quam similiter aperuerunt, et tunc ex ea major odor primo odore spiravit. Et tunc cum reverentia et devotione Magister Ordinis cum aliis Fratribus præsente D. archiepiscopo Ravennate, et aliis pluribus episcopis, et clericis, et Potestate Bononiensi cum multis aliis civibus Bononiensibus ad sepulcrum marmoreum, in quo nunc est, transtulerunt. Item dixit prædictus testis, quod plures dies postmodum sentiebat vestigia primi odoris, tam in suis manibus, quam aliorum, qui ossa dicti F. Dominici tractaverunt. Et hæc omnia prædicta scit, quia vidit, et interfuit, et suis manibus tractavit, et odorem in suis manibus et aliorum Fratrum, qui prædicta tractaverant et tetigerant, postmodum pluries persensit.

ANNOTATA.

a *Propter hoc Stephani testimonium in Commentario prævio* § 10 *controvertimus, an istud caritatis exemplum sit duplicandum.*

B

b *Id est: vendidit libros, manu sua notatos, aut notis illustratos. Unde Echardus conjicit, tunc* S. Dominicum *Palentiæ sacram Scripturam interpretatum esse, ut proxime citato* § 10 *Commentarii prævii retulimus.*

c *Supra suspicati sumus, hac voce cratem seu craticulam funium indicari; quæ suspicio nostra ex aliis textibus præcedentibus confirmatur.*

d *Barbare* pico *vel* pica *oritur ab Italico* piccone *vel Gallico* pic, *quæ voces ligonem, seu instrumentum, unico et grandiore dente ferreo præditum significant.*

CAPUT VI.

Notitia eorum, quæ F. Paulus Venetus, et F. Frugerius Pennensis circa gesta Sancti ejusque miracula testati sunt.

C

Hic testis exponit caritatem Sancti erga Deum,

Frater Paulus Venetus, sacerdos de Ordine Prædicatorum, juratus dixit, quod quatuordecim anni sunt et plus, quod intravit Ordinem Prædicatorum Bononiæ, et professionem fecit in manibus Magistri Reginaldi, et recepit habitum Dominica, in qua cantatur Euangelium Chananææ *a*. Et Magister Dominicus in sequenti æstate venit Bononiam. Et ab eo tempore, quo dictus Magister Dominicus venit in civitatem Bononiensem, dictus testis magnam familiaritatem habuit cum eo, et diu conversatus fuit cum eo, stando in conventu Bononiensi, et eundo secum fere per totam Marchiam Trivisinam, comedendo, bibendo, stando, eundo, et in Officiis tam de die quam de nocte fere per duos annos. Item dixit, quod non meminit, se audivisse ab eo verbum otiosum, vel detractionis, vel adulationis, vel nocivum: imo quando erat secum in itinere, vidit aut eum orare, aut prædicare, aut ipse vacabat orationi aut meditationi de Deo. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia dictus Magister Dominicus dicebat ipsi testi, et aliis, qui cum eo erant: Procedite et cogitemus de Salvatore nostro: et audiebat eum gementem et suspirantem. Item dixit, quod, ubicumque esset dictus Magister, de Deo, vel cum Deo semper loquebatur, et ad hoc hortabatur Fratres suos, et in regula, id est in constitutionibus Fratrum Prædicatorum, hoc scribi fecit. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia diu conversatus est cum eo, et vidit et audivit hoc. Item dixit, quod numquam vidit eum iratum, nec commotum, nec turbatum, nec in labore itineris, nec in fervore passionis, nec alibi; sed vidit eum in tribulationibus gaudentem, et in adversitatibus patientem. EX IMPRESSIS.

affectum paupertatis,

54 Item dixit, quod diligebat paupertatem habere in se et in Ordine, et ad hoc hortabatur Fratres. Item dixit, quod quando dictus Magister erat Bononiæ, quidam Bononienses volebant dare possessiones Ordini, et ipse noluit recipere, et prohibuit Fratribus, ne reciperent, et posuit in constitutionibus suis, ne possessiones reciperentur in Ordine. Item dixit, quod habitum vilissimum portabat, et in exitu viarum et civitatum se discalceabat, et nudis pedibus itinerando ambulabat, et hoc sæpissime vidit, eundo secum per viam. Item dixit, quod vidit ipsum F. Dominicum quandoque eundo ostiatim quærendo eleemosynas, et recipere panem, sicut pauper; et apud E Duliolum *b*, dum quæreret eleemosynas, quidam homo obtulit ei unum panem integrum, quem ipse Pater flexis genibus cum multa humilitate et devotione suscepit. Et volebat et dicebat Fratribus, sicut sæpe audivit, quod de eleemosynis viverent.

rigorem pœnitentiæ,

55 Item dixit, quod eundo per viam cum eo, numquam vidit, quod ipse jaceret in lecto; sed aliquando jacebat in stramine, et quod, cum venisset cum eo longo itinere et hospitati essent, ipse beatus Dominicus, et ipse testis cum socio apud plebem de Portu Lignatico *c*, ipse F. Dominicus fecit præparari locum, in quo jacerent socii, et ipse intravit ecclesiam, et pernoctavit in ea in oratione; et nihilominus fuit in Matutino cum clericis ecclesiæ et sociis suis. Item dixit, quod itinerando jejunabat ipse beatus Dominicus, et faciebat socios, qui cum eo ibant, comedere propter laborem itineris. Item dixit, quod, licet steterit cum eo apud ecclesiam S. Nicolai, sicut præmissum, numquam recolit, quod haberet certum locum, in quo jaceret de nocte; sed quandoque jacebat in terra, quandoque in crate de viminibus, quandoque in assere, et sæpissime per- F noctabat in oratione in ecclesia, et orando multum plorabat. Et hoc scit, quia vidit eum pluries sic facientem. Et aliquando vocavit eum ab oratione, et vidit faciem ejus lacrymis perfusam. Et dixit, quod ipse erat devotus et assiduus in oratione etiam eundo per viam, et omni die volebat cantare Missam, si inveniebat ecclesiam idoneam ad hoc.

zelum animarum,

56 Item dixit, quod multum desiderabat salutem animarum, tam fidelium quam infidelium, et sæpe dixit huic testi: Postquam ordinaverimus et instruxerimus Ordinem nostrum, ibimus ad Cumanos, et prædicabimus eis fidem Christi, et acquiremus eos Domino. Item dixit, quod rigide et perfecte servabat regulam quoad se, et hortabatur Fratres et præcipiebat eis, quod regulam plene observarent, et delinquentes rigide puniebat; tamen cum tanta patientia et benignitate verborum corripiebat eos, quod nullus super correctionem commovebatur vel turbabatur. Item dixit, quod ipse sequebatur Conventum et in cibis et in Officiis, et licet sæpissime pernoctaret in ecclesia et in orationibus, tamen semper

erat

EX IMPRESSIS. erat cum Fratribus in Matutino, et circuibat utramque partem chori, et hortabatur eos verbis et factis, quod bene et intente cantarent, et psalmos devote dicerent, et sic devote insistebat orationibus, quod propter tumultum aliquem vel turbationem aliquam non movebatur ab oratione. Item dixit, quod ipse fuit summus consolator Fratrum, et aliorum existentium in tribulationibus et tempestatibus; et hoc scit, quia in se probavit, et ab aliis audivit. Item dixit, quod fuit patiens et misericors, sobrius, pius, humilis, benignus, castus, etc.; sicut firmiter credit et audivit, semper virgo fuit; et prædictis virtutibus et aliis ita pollebat, quod non credit, aliquem hominem tempore vitæ suæ meliorem fuisse, nec aliquem scit esse sibi æqualem. Item dixit, quod cum ibat per viam, omnibus, qui se adjungebant ad eundum cum eo, prædicabat, et hortabatur eos ad bonum et ad pœnitentiam.

fragrantiam ex sacro cadavere perceptam,

57 Item dixit, quod interfuit translationi corporis Magistri Dominici de sepultura in qua, dum moreretur, sepultum fuit (cui sepulturæ ipse testis interfuit) ad locum, in quo nunc requiescit, et quando debuit aperiri prima sepultura, in qua a principio positum fuerat, et interB erant ibi multi episcopi et multi alii clerici, et Potestas Bononiensis cum multis aliis civibus honoratis. Et incipientes fodere, invenerunt terram durissimam, et murum fortem, et cæmentum valde forte et durum, ita quod vix fregerunt illud cum malleis et palis ferreis, et cum difficultate levaverunt lapidem, qui superpositus fuerat sepulturæ: et quando ipse lapis separatus fuit a muro, et cœpit aperiri sepulcrum, odor maximus et delectabilis et suavis exivit de sepultura illa, ita magnus, quod replevit totam ecclesiam, ita quod, cum ipse testis sensit et alii, qui ibi erant, prostraverunt se cum lacrymis referentes gratias Domino de odore, quem senserant; et numquam tantum odorem in apotheca specierum, vel in multitudine florum, vel in aliquo loco sensit; et odor ille erat sibi incognitus et aliis, sicut dicebant, nec videbatur similis odor alicujus rei temporalis. Et hoc scit, quia interfuit apertioni sepulchri, et vidit, et sensit odorem, sicut prædixit.

et sanitatem patrocinio ejus statim sibi redditam.

58 Item dixit dictus testis, quod die Dominica proxime præterita venit a Venetiis Bononiam pro isto testimonio faciendo, et eodem die in sero invasit eum dolor maximus renum et lumborum, qui consuevit eum affligere pluribus diebus: unde ipse timens, ne posset facere istud testimonium, ivit ad arcam beati Dominici, et devotissime rogavit, quod juvaret eum, et liberare dignaretur, et quasi in continenti fuit plenissime liberatus.

Denique novus testis similia virtutum exempla,

59 Frater Frugerius Pennensis, Ordinis Prædicatorum, juratus dixit, quod quatuordecim anni fuerunt in Quadragesima proxime præterita, quod ipse intravit Ordinem Prædicatorum, et fecit professionem in manibus F. Reginaldi, et ab eodem recepit habitum apud ecclesiam de Mascarella, ubi primo fuit Ordo Prædicatorum Bononiensium: et eodem anno in æstate sequenti venit F. Dominicus fundator Ordinis S. Nicolai et primus Magister Bononiam. Et quia de licentia magistri Reginaldi visitavit propria, et in Kalen-d dis Septembris *d* rediit Bononiam, et invenit apud ecclesiam S. Nicolai de Bononia Ordinis Prædicatorum dictum Magistrum Dominicum. Et dixit quod conversatus fuit cum eo quatuor menses et amplius in Conventu Bononiensi, et in Conventu Florentino, et in Conventu Romano, in eundo D cum eo Romam et per alias civitates, et stando secum et in Officio et in comedendo, loquendo, confessiones ejus audiendo, et in orationibus, et conferendo de Deo cum eo tam de die quam de nocte. Item dixit, quod fuit assiduus et devotus in oratione, tam in itinere, quam in Conventu, adeo quod numquam potuit percipere, quod in lecto jaceret, licet aliquando pararetur sibi, nec in via, nec in Conventu; sed aliquando fatigatus nimia pernoctatione, super se ipsum, vel super terram, vel super lignum aliquando, dormiebat. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia vidit. Item dixit, quod, cum plures Missas audiverit ab eo in Conventu et in itinere, non audivit aliquam, in qua multas lacrymas non effunderet; et hoc scit, quia vidit.

ac pietatis exercitia

60 Item dixit, quod pernoctabat in oratione et cum gemitu et lacrymis orabat, et, quando faciebat sermonem Fratribus, lacrymas effundebat; et propter hoc Fratres sæpius ad lacrymas movebantur. Item dixit, quod numquam audivit verbum otiosum vel nocivum, adulationis vel detractationis ab eo; sed semper de Deo vel cum Deo loquebatur, et cuicumque se adjungebat in E via, prædicabat de Deo, et ad hoc ipsum hortabatur Fratres suos, et hoc in Fratrum Prædicatorum regula fecit poni. Item dixit, quod multum zelabat salutem animarum; quod ipse, Fratribus suis ordinatis, disposuerat ire ad gentes, et mori pro fide, si expediret. Interrogatus, quomodo hoc scit, respondit; quia vidit eum dicentem et facientem supradicta. Item dixit, quod asper erat sibi in tantum, quod, cum esset in via, observabat integre jejunia Ordinis, nec volebat comedere ante horam; socios tamen faciebat comedere bis. Una tunica hieme et æstate utebatur. Item dixit, quod diligebat paupertatem, et ad hoc hortabatur Fratres suos. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia vidit eum portantem vilem habitum, et audivit eum hortantem Fratres suos ad paupertatem amplexandam et diligendam. Et si inveniebat aliquem Fratrem habentem vestimenta reprehensione digna quoad pretiositatem, vel quoad formam, statim corrigebat et emendabat. Et in tantum dilexit paupertatem, quod noluit, quod Fratres deberent recipere possessiones; sed de eleemosynis vivere rent, et hoc in Fratrum regula fecit scribi. Vole- F bat, quod viles domos haberent, et viles discos *e* e ad legendum, ita quod quasi in omnibus vilitatem et paupertatem prætenderent.

in eodem Sancto observavit,

61 Item dixit, quod dictus F. Dominicus in se regulam integre et rigide observabat, et volebat a Fratribus observari. Et si quos transgressores regulæ aliquando inveniebat, cum maxima mansuetudine verborum et dulcedine puniebat, ita quod nullus scandalizabatur, licet pœnitentia esset multum gravis. Interrogatus, quomodo scit, respondit; quia diu conversatus fuit cum eo, et vidit, et audivit ab eo. Item dixit, quod audivit confessionem ejus, et ex ea percepit, et ita firmiter credit, quod numquam inquinatus fuerit aliquo mortali peccato. Item dixit, quod fuit humilis, benignus, patiens in tribulationibus, et gaudens in adversitatibus, pius, misericors, consolator Fratrum et aliorum, et virtutibus omnibus ita ornatus, quod per ea, quæ vidit et cognovit in eo, firmiter credit, quod non habuit similem aliquem sibi, quem ipse viderit, vel cognoverit.

EPILOGUS

A

EPILOGUS NOTARII.

ut notarius juridice testatur f

62 Andrevander *f*, quondam Tebaldi, auctoritate imperiali notarius, hos testes de mandato dominorum magistri Tancredi Bononiensis archidiaconi, Thomæ prioris de Rheno, Fratris Palmerii de Campagnola, judicum delegatorum a D. P. Gregorio IX, recepit, et in publicam formam redegit, et scripsit. Deo gratias. Amen.

ANNOTATA.

a *Cum Evangelium Chananææ tunc Dominica secunda Quadragesimæ cantari consueverit, Echardus tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 54 *in notis colligit, istum F. Paulum mense Martio anni* 1219 *habitu Prædicatorum indutum fuisse.*

b *Certum hujus loci situm Echardus frustra quæsivit, ut pagina mox citata in notis fatetur. Neque* B *ego eumdem invenire hactenus potui, nisi forsan pro* Duliolo *legendum esset* Dosiolum, *de quo Leander Albertus in supradicta editione Latina Descriptionis Italiæ pag.* 626 *inter oppida Lombardiæ Transpadanæ meminit.*

c *Videtur hoc oppidum situm esse in Marchia Tarvisina, ut Echardus loco proxime citato notat, et apud Leandrum Albertum in memorata editione Latina pag.* 713 *videre licet.*

d *Ex hoc testimonio Frugerii in Commentario prævio* § 36 *correximus errorem Joannis Garzonis, qui adventum Sancti in urbem Bononiensem perperam usque ad finem anni distulit.*

e Discus *etiam Latino-barbare varias habet significationes, ut patet ex versu, quem Cangius in Glossario ad vocem* discoferæ *sic allegat :*

Discus scutellam, mensam notat atque mapellam.

At hoc loco non videtur nisi mensa posse intelligi.

f *Qui hic appellatur* Andrevander, *apud Theodoricum de Appoldia superius num.* 303 Olderandus *appellatur. Utra lectio sit præferenda, nescimus.*

C

EPISTOLA AUTHENTICA

qua subdelegati inquisitores Tolosani exponunt ea, quæ circa virtutes et miracula S. Dominici ex testibus oculatis ac juratis audiverant.

Ex editione R. P. F. Jacobi Echardi inter scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo 1 pagina 56, et sequentibus.

Inquisitores Tolosani, judicibus ab Apostolica Sede constitutis,

Viris venerabilibus et discretis magistro Tancredo, Bononiensis ecclesiæ archidiacono, et Thomæ priori S. Mariæ de Rheno, et F. Palmerio Canonico S. Trinitatis, judicibus seu inquisitoribus a Sede Apostolica delegatis, P. dictus abbas S. Saturnini de Tolosa, Raimundus Donati archidiaconus S. Stephani de Tolosa, EX IMPRESSIS. et Pontius archidiaconus ecclesiæ S. Saturnini de Tolosa, salutem et reverentiam. Sicut per vestras literas nobis auctoritate Apostolica mandavistis de vita et conversatione beati Dominici per viros reverendos Raimundum Priorem de Pruliano, et P. Agennensem, Fratres Ordinis Prædicatorum, necnon R. de Aura, Priorem S. Antonini, et R. de Villario cellarium S. Antonini, veritatem diligentius inquisitam cum sigillis nostris pendentibus discretioni vestræ duximus transmittendam.

mittunt jurata testimonia abbatis Bolbonensis a

2 D. P. abbas Bolbonensis *a*, Ordinis Cisterciensis, juratus dixit, quod ipse erat archidiaconus Tolosanus, et in eadem civitate etiam audivit a D. Fulcone bonæ memoriæ, tunc episcopo Tolosano, et ab ipso beato Dominico, et a multis aliis, quod archiepiscopus Auxitanus præsentavit B. Dominico prædicto episcopatum Coseranensem, qui ad ejus curam pertinebat; et ipse noluit recipere, ad cujus instantiam opposuit excusationem de novella plantatione Prædicatorum et sanctimonialium de Pruliano, quæ ad ipsum spectabant, et credit, quod electio ejus esset canonica et concors. Et novit, quod ipse fuit zelator E animarum, fervens in oratione et prædicatione, et persecutor hæreticorum *b*, amator paupertatis, parcus sibi, aliis benignus, castus, humilis, patiens, in persecutionibus securus, in tribulationibus lætus, religiosus, sibi despectus, pater et consolator infirmorum Fratrum, et eorum, qui erant in tribulationibus, amator disciplinæ, exemplum Fratrum in omnibus, fugiens gloriam mundi, largus, hospitalis, amator universorum Religiosorum, vilis in vestibus, amator negotii fidei et pacis. Novit etiam et quod peccata aliorum cruciabant eum, ita quod de ipso dici poterat, quod de Apostolo : Quis infirmatur et ego non infirmor? Et credit, eum fuisse virginem.

aliorumque virorum fide dignissimorum,

3 Frater Guilielmus ejusdem loci sacrista juratus dixit idem, excepta electione episcopatus, et excepto, quod super hospitalitate. Dixit, quod pauper erat, dum ipse secum iret. Dixit, quod largus erat in conferendis tunicis, quæ sibi dabantur, Fratribus.

F. B. Clareti, ejusdem loci monachus, testis juratus, dixit idem, quod sacrista; et adjecit, F quod audivit electum fuisse in episcopum Coseranensem, et quod, dum erat Canonicus Oxomensis, carnes cum Fratribus non comedebat, nec respuebat; sed inter pulmenta abscondebat.

D. M. abbas Appamiensis dixit idem, quod abbas Bolbonensis, addens, quod ipse novit visu et auditu ejulatum et effusionem lacrymarum in orationibus, et quod unicam tunicam ferebat.

4 Magister A. de Campranhano, ejusdem loci sacrista, juratus dixit, quod ipse vidit et audivit divum Dominicum persecutorem hæreticorum assiduum et redargutorem tam verbo, quam exemplo bonæ vitæ; et quasi viribus indefessis laborabat ad promotionem pacis et fidei, et ob hoc variis periculis se exponebat : et credit omnia capitula prædicta esse vera.

Raimundus Major, canonicus, testis juratus, dixit, quod scit prædicta capitula esse vera, et credit, eum fuisse virginem : et dixit, quod in impositione manus ipsemet sanatus est a febribus.

Raimundus Geraldus, testis juratus, dixit, quod novit et credit, omnia capitula esse vera, addens,

EX IMPRESSIS. addens, quod, cum iret cum eo et aliis per nemora, remanebat ultimus, et cum requireretur, sæpius inveniebatur flexis genibus, non obstante timore luporum rapidorum *, qui multos invadebant.

* *forte* rabidorum

quæ ab aliis testibus oculatis 5 Guilielmus de Varnhola, testis juratus, dixit, quod ipse novit eum visu et auditu, ferventem in oratione et prædicatione, religiosum, sibi despectum, castum, humilem, paupertatis amatorem, cujus lectus erat ecclesia præcipue, persecutorem hæreticorum; et alia capitula credit esse vera.

Geraldus de Oleris, testis juratus, dixit, se scire prædicta capitula esse vera, et credit, eum fuisse virginem, et, cum eum familiarem haberet, numquam de eo aliquid novit vel audivit suspectum vel sinistrum.

Bernardus de Baulhanis, testis juratus, dixit, quod beatus Dominicus fuit zelator animarum, fervens in oratione et prædicatione, persecutor hæreticorum assiduus, amator paupertatis, parcus sibi, et aliis benignus, patiens, humilis, religiosus, et sibi despectus, amator disciplinæ, et fugiens gloriam mundi, vilis in habitu, amator B negotii fidei et pacis; omnia capitula alia credit esse vera.

Petrus Bruneti testis juratus dixit, se scire et credere, omnia prædicta capitula esse vera: et addidit, quod, cum quadam die aquam navigio pertransisset, nautæ pro mercede sua petierunt denarium: et cum ipse non haberet, unde solveret, ipsi instantes petierunt pignus, aut denarium, et ob hoc eum detinuerunt; at ipse figens oculos in terra, ostendit eis denarium, dicens: Accipite de terra, quod a me petitis; et accipientes denarium, dimiserunt eum.

utriusque sexus 6 Guilielma, uxor Eliæ Martini, testis jurata, dixit, quod ipsa nebat pro cilicio, quod ad induendum ipsi parabatur: et scit et credit, prædicta capitula esse vera, et credit eum virginem: et ducentis vicibus et plus comedit secum; sed non credit, eum quartam partem frustati piscis in uno prandio comedere, vel ultra duo vitella ovorum, nec bibere ultra unum scyphum vini lymphatum pro tribus aquæ: nec etiam vidit eum comedere c ultra unam lenam *c* panis. Vidit etiam, quod, cum gravissimo dolore affligeretur sæpissime, C circumstantes eum in lecto ponebant, et ipse se statim in terra prostrabat, quia non consueverat in lecto jacere.

Tolosana Neguesa, testis jurata, dixit, quod novit supradicta capitula esse vera, et eum credit virginem: et dixit, quod ipsa nebat cilicium de pilis pardorum et hircorum ad usum ipsius.

ei familiaribus, 7 Beceda, monacha S. Crucis, testis jurata, dixit, quod novit, supradicta capitula esse vera, et eum virginem: et congregavit caudas boum ad cilicium faciendum ad opus ipsius, et D. Fulconis episcopi Tolosani: et non audivit ab eo umquam vanum verbum, licet multum fuerit ei familiaris: et cum ipsa fecisset sæpe ei lectum, non jacebat ibi, imo mane inveniebat ita paratum, sicut dimiserat, quando straverat: et hoc etiam faciebat, quando erat infirmus; imo etiam sæpe inveniebat ipsum dormientem in solo discoopertum, et cum eum cooperuisset, quando redibat, inveniebat eum orantem vel stantem, [vel] prostratum: magnam enim curam habebat circa eum. Dixit etiam, quod, cum ipse comedisset ultra ducentas vices in domo, in qua ipsa habitabat, ad plus comedebat duo ova, licet plura cibaria pararentur ei. De omnibus autem supradictis capitulis est publica et celebris fama per D episcopatum Tolosanum totum et Coseranensem, et undecumque ipse transitum fecit, si tamen moram aliquam ibi contraxit, inter Religiosos, clericos et laicos, viros et mulieres, qui eum cognoverunt.

8 Dominus Guilielmus Petri, abbas monasterii S. Pauli, testis juratus, dixit, quod beatus Dominicus ardentissime sitiebat salutem animarum, et erat zelator maximus animarum: item fervens in prædicatione in tantum, ut de die ac de nocte in ecclesiis, in domibus, in agris, in viis, et ubicumque volebat et hortabatur Fratres, ut verbum Domini prædicarent, et non loquerentur, nisi de Deo. Item dixit, quod fuit persecutor hæreticorum, et eis, prædicando, disputando, et in omnibus, quibus poterat, se opponebat. Item dixit, quod amator fuit paupertatis in tantum, quod possessiones, villas, castra, reditus, quibus in diversis partibus fuerat Ordo ditatus, respuerit, et eis abrenunciarit. Item dixit, quod fuit sibi valde parcus in cibis, et præter panem et unum pulmentum non comedebat, nisi propter Fratres vel circumstantes gustaret aliquantulum de pittantiis. Voluit autem semper E alios secundum facultates domus, et, ut possibilitas permittebat, abundare. Item dixit, quod fuit virgo, sicut audivit a multis. Item dixit, quod respuit episcopatum Coseranensem, nec voluit præesse illi ecclesiæ, licet in pastorem et prælatum esset electus. Item dixit, quod numquam in omnibus ita humilem hominem vidit, nec magis contemnentem gloriam mundi, et ea, quæ pertinebant ad gloriam temporalem. Item dixit, quod convitia et maledicta et vituperia patientissime ac cum gaudio, tamquam donum et exenium *d* magnum, accipiebat. Item dixit, quod d in persecutionibus numquam molestabatur; sed securus et intrepidus frequenter ibat inter discrimina, numquam pavore perterritus divertit a strata *e*. Imo quando somnus eum capiebat, e in via vel juxta viam se projiciebat, et dormiebat.

et ab abbate S. Pauli,

9 Item dixit, quod excellebat universos, quos vidit in Religione. Item dixit, quod se valde despiciebat, et tamquam nullum se reputabat. Item Fratres infirmos paterne consolabatur, et infirmitatum eorum erat mirabilis supportator. Item dixit, quod, quando sciebat aliquos in tribulatio- F nibus constrictos, ad patientiam admonebat, et, quando poterat, consolabatur. Item dixit, quod fuit amator disciplinæ, et delinquentes paterne corripiebat. Item dixit, quod Fratribus se præbuit exemplum in omnibus, in dictis et factis, in cibis et in vestitu, et in moribus bonis. Item dixit, quod non vidit hominem tam frequentem in oratione, nec qui tantum in lacrymis abundaret. Item dixit, quod quando erat in oratione, clamabat in tantum, quod undique audiebatur, et in clamore dicebat: Domine miserere populo. Quid facient peccatores? Et sic noctes ducebat insomnes, plorando et ejulando pro peccatis aliorum. Item dixit, quod fuit largus et hospitalis, et cum pauperibus ea, quæ habebat, libentissime dividebat. Item dixit, quod Religiosos, et Religionis amatores, amabat et honorabat. Item dixit, quod numquam audivit vel scivit, quod lectum haberet, nisi ecclesiam, ubi commode poterat ecclesiam invenire; ubi vero ecclesiam non habebat, semper vel in terra jacebat vel in scamno, vel in chordis lecti, deposita culcitra et pannis, quos posuerant in lecto ad jacendum. Item

qui plurima Sancti gesta refert,

dixit,

A dixit, quod numquam vidit eum nisi cum una tunica, et illa erat pitaceata *f*. Item dixit, quod viliores capas volebat semper portare, quam alii Fratres. Item dixit, quod fuit amator negotii fidei et pacis et promotor, quantum potuit, fidelissimus et adjutor.

similibusque omni exceptione majoribus

10 Hæc omnia dixerunt et concesserunt, dato et præstito juramento, A. capellanus de Villario, qui et vidit dæmoniacam a dæmonio liberatam in Fanojovis, mediantibus orationibus beati Dominici. Et A. Pontii capellanus, et Raimundus etiam de Villario, sacerdos de Fanojovis, et R. clericus, qui etiam meritis ipsius credit, se a febribus liberatum: et isti omnes et alii plures de Fanojovis dicentes una voce, quod numquam tam Sanctum tam honestum hominem viderunt in carne.

Frater Michaël juratus dixit, quod omnia supradicta sunt vera, scilicet quod vidit et audivit. Item dixit, quod beatus Dominicus spiritu prophetico cognovit, quod oportebat recedere Fratres de Tolosa.

Frater R. dixit idem, quod suprapositus. Audivit autem de virginitate sua a D. Fulcone episcopo Tolosano, a Fratre D. Aniamino, et a Fratre Johanno de Calagora, et quod respuit episcopatum Biterensem, et quod vidit quemdam liberatum a dæmone per ipsum. B

Marcus diaconus juratus dixit, quod episcopatum respuit, et, ubi oravit, invenit lacrymas, et locum madefactum de lacrymis.

jurejurando confirmantur.

11 Berengaria *g* jurata dixit, quod ipsa oculis vidit et auribus audivit, quando beatus Dominicus præcepit novem mulieribus hæreticis, ab errore conversis, prospicere in dæmonium, quod eas possidebat in specie cati, cujus oculi erant quasi bovis, et velut flamma ignis, et linguam per dimidium pedem extrahentem, quasi ignem, et caudam, quasi dimidiam branchiam *h*, habentem, et magnum quasi... canem: et ad præceptum ipsius per foramen chordæ campanæ exivit, et ab oculis earum evanuit: tamen primo prædixerat eis, quod non timerent, quia ipse ostenderet eis, cui domino servierant.

Raimundus de Sanchis dixit, quod ad orationem ejus, filia cujusdam mulieris restituta est sanitati: rogaverat enim eum, ut visitaret eam, cui dixerat: Recede, et ego orabo pro ea; et in crastino, ut dixit mater, sanata est filia sua.

C Raimundus et Zonzamias dixerunt, quod audierunt ab eo, quod antea fugeret de nocte cum baculo suo, quam acciperet episcopatum, vel aliam dignitatem *i*.

ANNOTATA.

a Bolbona *est cœnobium Cisterciensis in comitatu Fuxensi et in diœcesi Mirapicensi situm, de quo Jongelinus in Notitia abbatiarum inter monasteria Galliæ pag.* 66 *et sequente consuli potest.*

b *Quia Sanctus hic et infra sæpius* persecutor hæreticorum *appellatur, Echardus nimis solicite has voces in notis explicat, et explicationem suam infra repetit, eo quod nimirum timeret, ne hic titulus sancto suo Fundatori esset ignominiosus. At in Commentario prævio* § 16 *hunc scrupulum ei adimere conati sumus.*

c *Etsi hanc vocem in auctiore Glossarii Cangiani editione invenerim, tamen ibi non ita explicatur, ut significatio illius hic locum habere possit. Ceterum ex sensu satis patet, hoc loco exiguam panis quantitatem significari.*

d Xenium *vel* exenium *hic usurpatur pro munere vel dono, ut apud Lexicographos inveniri potest.* EX IMPRESSIS.

e Strata *significat viam publicam, ut passim notum est.*

f *Quandoquidem* patacium *vel* pittacium *sæpe frustum alicujus rei significet, ut apud Macrum in Hierolexico videre est, colligo, hic tunica* pitaceata *intelligi vestem ex detritis frustris consutam.*

g *Suspicor, hanc Berengariam esse unam ex novem istis mulieribus, quas Sanctus tunc ad fidem Catholicam convertit, eamque in monasterio Pruliano postmodum vixisse, cum ab Echardo tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 6 *inter primas moniales hujus cœnobii aliqua* Berengaria *recenseatur, ut in Commentario prævio* § 14 *num.* 230 *dictum est.*

h *Quid hic proprie per* Branchiam *significetur, non satis certum est. Nihilominus conjicio, illam vocem barbare derivari a nomine Gallico* branche, *quod Latine* ramus *appellatur; et hoc loquendi modo indicari, caudam illam instar dimidii rami sursum protensam fuisse. Forsan pro* branchia *legendum est* brachium *ita ut longitudo caudæ per mensuram dimidii brachii exprimatur. Ceterum in Commentario prævio* § 13 *idem prodigium ex Humberto distinctius retulimus.* E

i *Huic epistolæ subscripta erant trecenta et plura testium juratorum nomina, ut illustrissimus Bernardus Guidonis affirmat, cujus verba in Commentario prævio* § 47 *num.* 868 *recitavimus.*

MONITIO PRÆVIA

DE QUIBUSDAM MIRACULIS, JAM STATIM EXCUDENDIS.

P*ostquam Commentarius prævius de* S. Dominico, *et pleraque ipsius Acta jam typis nostris excusa fuerant, R. P. F. Thomas Turpin ex Ordine Prædicatorum una cum humanissimis litteris Gallicis, die* XV *Maii, anno Christi* 1733 *Audomari datis, ad nos misit veterem libellum in membrana scriptum, in quo circa initium finemque aliqua folia deerant, et quem humor atque putredo ita corroserant, ut variis locis vix, aut ne vix quidem, legi potuerit. Continet libellus iste, quem seculo* XIV *exaratum fuisse conjectamus, primo Vitam* S. Dominici, *ab Humberto venerabili compositam; deinde miracula nonnulla, quæ a Theodorico Appoldiano aliisque referuntur; tertio miracula, quæ Rothomagi ab anno Christi* 1261 *usque ad annum* 1270 *intercessione* S. Dominici, *acciderunt; quarto denique gesta ejusdem Sancti, quæ Gerardus de Fracheto instar spicilegii collegit, et quæ in Vitis Fratrum secundam partem constituunt. Etiamsi pleraque ejusmodi opuscula in manuscriptis Musei nostri codicibus servemus, ut ex Commentario nostro prævio liquet, tamen in iis nusquam invenimus miracula Rothomagensia, quæ proinde ex editione Echardi recudere decreveramus; sed ea laudatus P. Thomas Turpinus feliciter in quadam Ordinis sui bibliotheca detexit, et opportune ad nos transmisit, antequam editio Echardiana rursus prælo subjiceretur. Quare prædicta miracula dabimus ex Ms. isto libello, quem deinceps codicem Audomarensem appellabimus, eo quod illum Audomaro acceperimus. Celeriter pervoluto hoc veteri monumento, cujus notitiam humanitati et solertiæ R. P. Turpini libenter debemus,* F

EX MS.

mus, mox memoratam libelli partem contulimus cum iisdem miraculis, quæ R. P. F. Jacobus Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo 1, pag. 63 et sequentibus, ex alio Ms. codice excudi jusserat. Itaque variantes utriusque codicis lectiones, ubi operæ pretium videbitur, in margine vel Annotatis breviter indicabimus.

MIRACULA

quæ Rothomagi in Normannia ab anno Christi MCCLXI usque ad annum MCCLXX contigerunt.

Ex parvo Ms. codice Audomarensi in membrana exarato, quem cum editione R. P. F. Jacobi Echardi contulimus.

B

SECTIO PRIMA

Puer ob infixum faucibus verteolum, seu verticulum,

Anno Domini MCCLXI, placuit Altissimo clarificare miraculis apud Rothomagum in Normannia beatum patrem Dominicum, et celebre facere nomen ejus ; ex quibus multis aliqua pauca, quæ ad Fratrum pleniorem notitiam pervenerunt, rudi quidem, sed veraci stylo, sunt conscripta, examinatione diligenti præmissa. Apud Rothomagum in parochia S. Eligii *a* fuit quidam parvulus, Johannes nomine, circiter anni unius, qui, cum secunda feria in mane infra Octavam beati Dominici coram matre luderet cum quodam verteolo * *b* ligneo, quod est pondus fusi nentium mulierum, juxta satis grossæ nucis quantitatem, illum cum fuso in gutture infixit; extractoque fuso, verteolus in gutture infixus remansit. Aspiciens autem mater parvulum coram se præ angustia volutantem, digitos infixit in gutture, fortiusque verteolum infixit, quod sibi multi accurrentes faciebant, aliud facere non valentes ; tundebantque parvulum per pedes suspensum sub gutture et super collum, nec educi valebat verteolus aliquatenus, nec induci.

** Editio urceolo et sic deinceps.*

C

morti proximus ;

2 Supervenit autem quidam chirurgicus, qui omnem suæ artis expertus industriam, tandem dixit, hoc solum superesse remedium, ut guttur parvuli finderetur : quo audito et viso, mater ejus quasi amens aufugit. Accurrens autem avia parvuli, ad memoriam reducens miracula, quæ per beatum Dominicum fieri audierat, exclamavit * : Sancte Dominice, redde mihi filium meum. Susceptusque parvulus ab una e vicinis ad Fratrum ecclesiam gestabatur, semper avia per vicos clamante : Beate Dominice , redde mihi filium meum. Sicque ad altare beati Dominici delato parvulo, Conventu Fratrum Missam de beato Dominico solenniter inchoante, fit concursus populi ad ecclesiam flentis et compatientis parvulo tam elegantis formæ in tanto periculo constituto, cui per humanum auxilium erat omnino impossibile subveniri. Sic enim verteolus gutturi parvuli adhærebat, intraque gutturis angustias constrictus erat, ut carnibus intra verteoli foramina impactis, sicut in axe rota, tangentium digitis in gutture volveretur. Missa itaque solemniter celebrata, dictaque Sexta, jam ipsius carne præmortua, colore mutato, artubus rigidis frigidisque jam effectis, invicem dentibus constrictis, anhelitu intercluso, per os, nares, auresque sanguine defluente, cum jam omni motu ac sensu privatus penitus videretur, a multisque mortuus indubitanter clamaretur, omniumque ab omnibus desperaretur de vita : ecce, mirantibus omnibus, subito redit vita, repenteque verteolum multo sanguine cruentatum in manu * Fratris, qui astabat, cunctis cernentibus, evomuit, vivificatoque et exhilarato vultu, quasi risum emisit plenarie liberatus. Quo viso, clamor populi attollitur, laudes et gratiæ Deo, et beato Dominico, a populo et Fratribus non sine lacrymis exsolvuntur : verteolus autem super altare beati Dominici in testimonium tanti miraculi suspenditur, ad laudem ejus et gloriam, qui in Sanctis suis mirabiliter collocatur *.

** Editio exclamat :*

D

** Editio manum.*

** Editio mirabilis prædicatur.*

mulier arthritica

3 Mulier quædam ætate et honestate provecta, Agnes nomine, cujusdam servientis *c* regis uxor, de parochia S. Laurentii *d* Rothomagensis, gravi quadam gutta *e*, quæ dicitur artetica *, in omnibus suis membris detinebatur, per dimidium annum et amplius graviter cruciata, ita quod nec stare, nec surgere, nec aliquod membrorum suorum, excepta lingua, per se movere poterat ad momentum ; sed nec etiam ab alio moveri valebat sine gravamine et dolore. Multis autem et variis remediis frustra adhibitis medicorum, cum mulier nullum illorum sibi prodesse, sed potius obesse sentiret, quasi de recuperanda sanitate penitus desperata, omnia medicamina abjecit penitus, et rejecit. Sic itaque omni humano auxilio et consilio de recuperandæ sanitatis beneficio destituta *, omnibusque rite dispositis, ad moriendum parata, beatum Dominicum devote fusis lacrymis invocavit, votumque vovit, se deinceps ejusdem esse servam et famulam, si ipsam a tanto discrimine liberaret. Fidelis sermo. Mox enim ut orationem votumque complevit, manus per se movere cœpit assumptaque fiducia, voce magna clamans : Beatus Dominicus me liberavit, per se de balneo, in quo suorum manibus posita fuerat, surrexit, per seque, cunctis, qui aderant, stupentibus, lectum intravit, quæ paulo ante, si in aquam fuisset paulolum inclinata, se permisisset submergi, nisi alterius auxilio juvaretur. Sicque post modicum recuperatis a Deo per beatum Dominicum plenarie viribus, altare beati Dominici devote visitavit, votumque reddidit, et a longo morbo in brevi liberata, devotas gratias egit de percepto plenariæ et integræ beneficio sanitatis.

** Editio arthritica*

** Editio omnibus*

F

et juvenis phreneticus

4 Juvenis quidam, Guillelmus nomine, ætatis annorum XV, de parochia S. Petri portarii *f* Rothomagensis, dominica in Quinquagesima * iter faciens per locum quemdam, in quo multitudo suspensorum *g* erat, horrore nimio ac tremore percussus, quamdam mentis alienationem incurrit : unde ad domum rediens, quasi alienatus, lecto languidus per octo dies decubuit. Octava autem die cum Christi corpus recepisset, assumptis quibusdam forcipibus *h*, illas in ventrem infigere, et occidere se volebat, nisi fuisset prohibitus a quadam muliere matrona, illi pro custodia deputata. Confestim autem privatus est sensu, loquela, et auditu, omniumque penitus membrorum usu. Ipsum ergo factum tamquam animal brutum

** Editio in Sexagesima*

A brutum et inutile, ac in tali miseria decem diebus continue permanentem, prædicta mulier multis Sanctis devovit. Cum autem adhuc juvenis semper in eodem statu mirabili persisteret, mulier quasi desperata de recuperanda ipsius juvenis sanitate, dixit, quod ipsum nulli Sancto de cetero devoveret.

mirabiliter sanantur.

5 Decima autem die ad memoriam reducens miracula, quæ Deus tunc temporis per beatum Dominicum faciebat, calore fidei succensa, ait : Confido in Domino, quod Deus per beatum Dominicum in isto juvene faciet miraculum ; et adjunxit : Beate Dominice, si umquam fecisti, quod Deo placuit, et si quid potes apud eum, redde isti juveni sensum suum et verbum. Mane autem facto, stans mulier coram ægroto, ait : Guillelme, ego te vovi beato Dominico, et te ducam ad illum, si tibi dederit sanitatem. Nonne vis ire, fili mi? Loquere mihi in caritate. Cumque idem verbum iterum repetiisset, ecce subito juvenis, sensu sibi reddito, auditu recuperato, linguæque soluto vinculo, clara voce respondit : Trade ergo mihi vestes meas in nomine Domini, et ibimus B ad beatum Dominicum. Confestim currens mulier attulit candelam longitudinis ejus cum gaudio. Continuo vero surgens juvenis se induit, seque ipsum per se calceavit, qui paulo ante nec ad modicum pedem aut manum movere poterat, signo crucis se muniens, Deoque et beato Dominico recommendans, sicque ad altare beati Dominici ab amicis cum ingenti lætitia deducitur proprio restitutus sensui et saluti.

Civis quidam Rothomagensis, morbo tibiæ,

6 Eadem hora, cum prædictum miraculum multis astantibus coram altari beati Dominici referretur, Deoque et beato Dominico gratiæ agerentur, affuit quidam civis Rothomagensis, vir honestus, Deo et beato Dominico pro se similiter gratias agens, asserens, se per eum liberatum a gravi dolore et morbo tibiæ medullitus intercluso, qui nec curari valebat a medicis, nec cognosci. Siquidem paulo ante se beato Dominico devoverat, et in signum devotionis tibiam ceream obtulerat, spem suam ponens, in Deo et beato Dominico, auxilio in hominibus non invento.

Frater Ordinis Prædicatorum dolore dentium,

7 Frater quidam de Conventu Rothomagensi, vir religiosus et antiquus in Ordine, Frater Johannes de Ergolio nomine, de civitate Rothoma- C gensi, gravi dentis cujusdam maxillaris dolore torquebatur : vocatus autem quidam peritus artis extractoriæ dentium, cum in extrahendo dente cum forfice *i* ferreo, non sine Fratris angustia, ter totum frustra exeruisset * conatum, quarta vice dentem medium fractum extraxit, reliqua parte media radicitus remanente. Cum autem partem illam toto conamine extrahere bis attentasset, nec posset, remansit dens cum vehementissimi doloris angustia, tumore nimio vultus et gutturis subsecuto. Paucis autem evolutis diebus, cum nec adhuc dolor cessaret, quin potius dens corruptione et fœtore os inficeret, mandavit idem Frater pro quodam alio, qui se in hac arte peritiorem dicebat. Cum autem ejus adventum trepidus expectaret, non immemor pristini adhuc recentis vehementissimi cruciatus, adhuc expectans similem vel majorem, ad beatum patrem Dominicum, ut tutum refugium, se convertit, ipsum devotus invocans atque orans in hæc verba : Beate pater Dominice, miserere mihi servo tuo, Deo tibique in tuo Ordine famulanti, et me a tanto dolore, quem jam tam anxium sum expertus et quem iterum expecto pavidus, digneris misericorditer liberare. Mox autem ut orationem complevit, dens ille evulsus radicitus sine omni, imo omni prorsus fugato, dolore in manum ejus mira celeritate protinus exsilivit ; currensque Frater cum ingenti lætitia ad altare beati Dominici, Deo et beato patri Dominico de tanto beneficio dignas laudes exsolvit. Factum est autem hoc eo tempore, quo adhuc Fratres apud S. Matthæum ultra Secanam * morabantur *k*.

i

* *Editio* exercuisset

EX MS.

* *Editio* Sequanam

k

puer contractione tibiarum,

l

8 In parochia sanctæ Crucis *l* Rothomagensis fuit quidam puer, Garnerus nomine, contractas habens tibias et natibus adhærentes ; quæ si aliquando extenderentur aliquantulum violenter, mox ad nates redibant. Accidit autem, ut quadam die mulier quædam, quæ parvulum ex sacro fonte levaverat, ipsum tenens super gremium, contracto filiolo compatiens, diceret matri ejus : Commater, voveamus filiolum meum beato Dominico, qui est ad S. Jacobum *m* (sic enim Fratrum ecclesia vocitatur) qui, ut dicitur, sanat pueros, ut sanet eum. Placet, inquit mater. Tunc illa : Filiole, voveo te beato Dominico rogans illum, ut tibi in tibiis tribuat sanitatem, et cum candela tuæ longitudinis te ducam ad illum. Mox ut verbum complevit, parvulus unam E tibiam extendit, qua appodiare *n* se cœpit. Tunc illa, assumpta fiducia, exclamavit : Beate Dominice, qui unam tibiam reddidisti, redde et aliam. Confestim parvulus aliam tibiam extendit, et juxta suæ ætatis modum ambulare cœpit. Quem mater et matrina ad Fratrum ecclesiam attulerunt gaudentes, dignas Deo et beato Dominico gratias exsolventes.

m

n

puella gravi infirmitate,

o

9 Puellam quamdam, Amelinam nomine, annorum trium, de parochia S. Salvatoris *o* Rothomagensis quodam sabbato invasit subito horribilis infirmitas ut toto corpore ac membris singulis horribiliter distenderetur, ac tremeret, et sine voce apertis oculis nihil videns, in colorem tetrum ac terreum * mutaretur. Cujus mater nimium stupefacta post longam moram, continue invalescente molestia, ut puella mori morte horribili videretur, per quamdam vicinam suam admonita, parum ante Completorium puellam ad ecclesiam Fratrum coram altari beati Dominici cum lacrymis attulit. Quæ mox voce horribili clamare cœpit, adeo ut clamore terribili ac membrorum motibus, intuentibus et audientibus terrorem incuteret ac horrorem. Appositis F autem super illam beati Dominici reliquiis, post modicum spatium, antequam Completorium finiretur, quievit, mammas suxit, et sugendo suaviter obdormivit. Tota autem nocte suaviter dormiens, facto mane, sana et incolumis exsurrexit, cujus mater gratias agens Deo et beato Dominico, puellam sanam et hilarem Fratribus præsentavit.

* *Editio* terrenum

et alius puer ab angustia gutturis levantur.

10 Parvulus quidam, Durandus nomine, cujusdam divitis filius, de parochia S. Eligii Rothomagensis testam mediam conchæ marinæ, quas Gallice moules *p* dicunt, habuit in gutture infixam profunde, ita quod nec tonsionibus super collum et guttur, sive aliquo alio remedio aliquatenus educi poterat vel induci. Imminente ergo parvuli morte, vultusque ejus mutato colore, cum jam omnino humanum deesset auxilium, invocavit mater beatum Dominicum, ut sibi redderet filium. Continuo parvulus testam cruentatam evomuit, statimque ad altare beati Dominici defertur cum gaudio, pristinæ redditus sospitati *.

p

* *Fort.* sanitati

ANNOTATA.

EX MS.

ANNOTATA.

a *Rothomagi templum S. Eligii non longe distat a cœnobio Prædicatorum, ut Echardus hoc loco notat.*

b *Echardus constanter ubique pro* verteolo *expressit* urceolum ; *sed suspicor, illum hanc vocem perperam legisse, aut ab amanuensi deceptum esse, qui forsan* urceolum *pro* verteolo *vitiose scripserit. Ut ut est, lectionem libelli Ms. Audomarensis expressioni Echardianæ præferendam censeo, et nomen* verteoli *a verbo* vertere *probabiliter deduci existimo : nam ipse Echardus in notis ad hanc vocem fatetur, hic intelligi globum,* qui in aliis minor, in aliis major, pro nentium arbitrio ad extremitatem fusi superadditur, ut hic torquentis manui facilius obediat, et ad primam digitorum pressionem pluribus gyris sibi relictus circumvolvatur. *At ea explicatio videtur potius* verteolo *quam* urceolo *convenire. Hæc opinio mea confirmatur ex propinqua voce* verticulum, *quæ similem habet si-* B *gnificationem, et quam Martinius in Lexico philologico sic paucis exponit :* Verticulum instrumentum, quod fuso adhibetur, ut facilius vertatur.

c *Serviens regis, hic accipitur pro ministro aulæ regiæ, ut ex sensu facile colligitur.*

d *Parochia S. Laurentii fere sita est in meditullio civitatis Rothomagensis, ut laudatus Echardus ibidem observat.*

e Gutta *hic idem est quod podagra, et provenit a voce Gallica* la goutte. *Hæc significatio confirmatur ex epitheto* arthritica : *nam Radulphus in Vita S. Richardi episcopi Cicestrensis apud Cangium in Glossario ad vocem* guta *vel* gutta *sic scribit :* Cum gutta, quam podagram vel artreticam vocant, frequenter vexaretur, *etc. Ceterum arthritis fuse describitur a Gorræo, aliisque medicis, qui consuli possunt.*

f *Hæc parochia S. Petri cognominatur* portarii, *quia alias ei proxima erat porta civitatis, quæ de Calceia vocabatur, et nunc occlusa est. Porro templum istud situm est in vico, communiter* Brasière *dicto, in quo PP. Prædicatores habitant, ut Echardus testatur.*

g *Echardus in notis suspicatur, hunc juvenem transiisse per montem, urbi Rothomagensi vicinum, ad quem deferuntur corpora furum vel latronum, qui* C *ultimo supplicio affecti sunt, et ubi ad terrorem suspensa relinquuntur.*

h *Cum Echardo arbitror, pro* forcipibus *legendum hic esse* forficibus, *cum facilius intelligatur, quomodo forfices, quam quomodo forcipes, in ventrem suum infigere phreneticus iste tentarit.*

i *Hic verosimiliter* forfice *scriptum est pro* forcipe *: nam forceps est aptius instrumentum ad extrahendos dentes.*

k *Echardus ad hunc textum notat, Prædicatores Rothomagi primum domicilium habuisse ultra Sequanam in suburbio sancti Severi ad ecclesiam sancti Matthæi, quæ eis circa annum Christi* 1221 *data fuit, et quæ nunc pertinet ad Sorores ejusdem Ordinis, quas vulgo* immuratas *appellant. Fratres vero ad locum, quem modo incolunt, in vico* Brasière *dicto, se transtulerunt circa annum* 1248, *ut idem scriptor testatur. Hinc sequitur, istud miraculum ante annum Christi* 1248 *contigisse, et extra ordinem narrari.*

l *Rothomagi nunc duplex est ecclesia, nomine sanctæ Crucis insignita, ut notat Echardus. Una cognominatur* ad sanctum Audoënum, *quæ tunc in suburbio sita erat; altera vero* de Pelletariis, *et in civitate semper numerata est, quam posteriorem Echardus hic indicari existimat.*

m *Sic appellatur altera ecclesia, ad quam nempe Prædicatores anno* 1248 *transierunt, ut supra ad litteram* k *monuimus.* D

n Appodiare *a verbo Gallico* appuyer, *quod Latine* inniti *dicimus.*

o *Ecclesia S. Salvatoris non longe distat a templo Prædicatorum, quod in ea parœcia situm est, ut laudatus Echardus hic observat.*

p *Est obvium conchæ marinæ genus, in qua sunt pisciculi, quos Galli* moules, *Latini* mutilos *appellant.*

SECTIO SECUNDA

Sanctimonialis periculose febricitans, a

Sanctimonialis quædam de Bondevilla *a* Rothomagensis diœcesis, Mabilia nomine, antiqua et devota femina, apud Rothomagum acuta febre laborans, gravissima invalescente morbi molestia, desperata est a medicis, evidentibus signis mortis ; in qua quidem infirmitate devote Deo et beato Dominico se devovit. In illo igitur discrimine constituta, cum aliquantulum E in pectore sudare cœpisset, de lecto surrexit, et postmodum ad lectum rediens, omnino sudorem se amisisse invenit. Cum autem conquereretur nimium ac doleret de sudore perdito, ipsumque recuperare conaretur, nec posset, levi quodam corripitur somno, visumque est ei, quod Frater quidam Prædicatorum, similitudinem habens imaginis beati Dominici, quæ super ejus altare in ecclesia Fratrum decenter habetur insculpta, ipsam aqua suis digitis leviter aspergebat, blandisque verbis eam consolabatur dicens : Confide, filia, ne desoleris, quia tibi dabo satis aquam : in qua aspersione et jocunda visione miro delectabatur modo. Expergefacta vero invenit, sudore se adeo madefactam, ut in aqua immersa penitus videretur, in quo sudore convaluit, et Deo beatoque Dominico gratias dignas egit.

mercator cardiacus,

12 Mercator quidam de parochia S. Eligii Rothomagensis in quibusdam existens nundinis, quinquaginta leucis a Rothomago distantibus, gravi cordis dolore per triduum vexabatur, eique videbatur, quod cor ejus acuum aculeis pungeretur, adeo quod nec valeret quiescere ad mo- F mentum. Die ergo tertia ad memoriam reducens beneficia, quæ Deus per beatum Dominicum ipsum invocantibus apud Rothomagum exhibebat, beatum Dominicum invocavit, illique se devote devovit ; alleviatum, liberatumque se continuo sensit. Qui postquam Rothomagum rediit, beatum Dominicum adiit, votumque suum reddidit, liberatorique suo gratias egit.

et alii tum viri, tum feminæ,

13 In festo beatæ Mariæ Magdalenæ venit quidam fullo de parochia S. Machuti Rothomagensis ad reliquias beati Dominici visitandas, quas cum devote oscularetur, devote Deo et beato Dominico gratias exsolvebat, asserens, se a magnis et gravibus doloribus, qui ipsum per triduum vexaverant, liberatum. Testabatur etiam, quod uxorem suam a febre quartana, quæ ipsam per annum integrum vexaverat, mox ut se beato Dominico devovit, penitus liberavit.

Eadem hora astitit matrona quædam Rothomagensis gratias agens, et beati Dominici testimonium perhibens sanctitati, asserens, se die Dominica præcedenti in sero propter ulcus periculosum et grande, quod super aurem habebat,

graviter

A graviter cruciatam; quæ invocato beato Dominico, beneficium sanitatis obtinuit in momento.

diversis morbis afflicti,

14 Eadem die post prandium duæ mulieres ecclesiam intraverunt, quarum una matrona puerulum gestabat in sinu, quem inde extrahens super altare beati Dominici projecit. Cumque a Fratribus, qui astabant, an parvulus esset mortuus (nulla enim ejus vox audiebatur) quæreretur, responderunt: Absit, inquiunt; sed per beatum Dominicum vita vivit: nam cum mater ejus in partu per triduum laboraret, plus quam decem galones aquæ, sive quartas *b*, diebus singulis hauriebat, ita quod parvulum submersum indubitanter in utero credebamus. Heri ergo ipsam et parvulum beato Dominico devovimus, et continuo parvulum istum sanum et incolumen ex maternis visceribus suscepimus, propter quod non immerito Deo et beato Dominico gratias agimus.

implorata S. Dominici ope,

15 Ante festum beati Dominici tribus circiter septimanis, Robertus piscarius, de parochia S. Michaëlis *c* Rothomagensis, gravi dolore dentium cruciatus, invocato beato Dominico, est continuo B liberatus; qui tamen ex oblivione vel negligentia Liberatori suo distulit reddere votum suum: unde factum est, ut feria tertia ante dictum festum dolor idem rediret immanior et adeo gravior, ut ab illa die usque ad sextam feriam nec dormire posset, nec nisi vix cibum sumere, nec ad momentum quiescere, dolore nimium ingravante, vultu ejus converso horribiliter in tumorem. Feria ergo sexta prædicta, qua vigilia beati Dominici habebatur *d*, infirmus ad se rediens, ait uxori: Credo, quod hæc tam gravis infirmitas mihi accidit, quia de sanitate doloris pristini dentium, per beatum Dominicum mihi reddita, ipsi condignas non egi gratias, nec reddidi votum meum. Vade, inquit, cito, et fac mihi fieri vultum cereum, si forte eum inveniam mihi placatum. Quo facto, ad ecclesiam Fratrum venit, votum suum super altare beati Dominici devote obtulit, et, antequam ad domum rediisset propriam, beneficium sanitatis obtinuit. In crastinum autem ad ecclesiam Fratrum rediit, Deo et beato Dominico gratias egit, et prædicta Fratribus nuntiavit.

statim sanitatem recuperarunt.

16 Mulier quædam, Johanna nomine, de parochia S. Eligii Rothomagensis, in partu diebus XV laboravit: viribus ergo corporis penitus destituta, succumbente prorsus natura, deficiente voce, cum jam se sentiret in extremo spiritu constitutam, beati Dominici memoria ejus menti occurrit. Cumque ipsum devote, ut poterat, invocasset, illique votum vovisset, si ab instanti periculo liberaretur, continuo prospere partum edidit, liberataque Liberatori suo dignas laudes gaudens exsolvit.

Nobilis mulier ob spreta S. Dominici miracula gravi morbo punitur,

17 Matrona quædam nobilis, domina Elisabeth de Perches nomine, de parochia S. Gervasii *e* Rothomagensis in ecclesia Fratrum aliquando existens, videns populum devote ad altare beati Dominici confluentem, signaque devotionis plurima offerentem, audiensque, quod Deus ibidem per beatum Dominicum miracula et virtutes plurimas faciebat, devotionem hujusmodi et miracula contemnebat, deridebat, et incredula per omnia existebat, nomenque beati Dominici retinere nullatenus poterat; sed quantumcumque sibi frequenter esset nominatum, oblivioni statim dabat. Ipsa igitur in tali cordis duritia persistente, diebus XII circiter ante festum beati Dominici invasit eam subito dolor gravissimus tibiæ, in tumorem nimium repente conversæ, adeo quod tibia cruri in grossitie æquaretur, ulceribus lividis et rubeis sparsim per totam tibiam superfusis. Vocantur chirurgici, apponunt remedia, et augent supplicia; quantoque plura remedia adhibebantur, tanto plus de die in diem dolor intolerabilis augebatur. EX MS.

et postmodum pœnitens,

18 Hujuscemodi ergo flagello per dies circiter XII cruciata, ita quod nec quiescere valeret aliquatenus ad momentum, in sero quodam, quo beati Dominici vigilia habebatur, severitatem divinæ justitiæ in se sentiens manifeste adeo, quod igne infernali comburi tibiam æstimaret, ad se rediit, devoteque beatam Virginem invocavit, vere confitens et arbitrans, tantum et tam grave flagellum sibi propter peccatum aliquod accidisse. Cœpitque ipsam devote circiter centum vicibus salutatione angelica salutare: in qua oratione subito obdormiens, vidit, se in ecclesia Fratrum coram altari beati Dominici orantem in hæc verba, cum tamen de hoc numquam ullatenus cogitasset, et festum penitus ignoraret: Beate Dominice, propitius esto mihi peccatrici, quæ tibi et tuis miraculis detraxi, tibique devotos E tamquam fatua derisi: miserere, quæso, mei, et indulge mihi. In quibus verbis excitata, si adhuc dies esset, ad familiam exclamavit. Comperto vero, quod non dies esset, expectata luce cum desiderio, statim ceream tibiam fieri sibi jussit; quam assumens, surgere cœpit dicens, se velle ire ad S. Jacobum ad beatum Dominicum, cunctis, qui aderant, stupentibus et clamantibus, quod hoc facere aliquatenus non valeret.

sanitati restituitur auxilio ejusdem Sancti,

19 Cum ergo domum egressa paululum processisset, mox in tibia sensit pruritum, et quasi graves formicarum puncturas. Cum autem portam primam Fratrum fuisset ingressa, cessaverunt omnino punctiones hujusmodi et pruritus: ut autem ad beati Dominici reliquias accessit et adoravit, omnis penitus dolor aufugit: rediensque cum gaudio sine difficultate ad domum, invenit tibiam ab omnibus ulceribus et doloribus penitus liberatam. Mirantur amici, vicini, insuper chirurgici, gratias agentes Deo et beato Dominico, qui, sicut vult, salubriter percutit et sanat, erudit et flagellat. Verumtamen præfata domina rem gestam fortassis ex quadam verecundia, quia Sancto detraxerat, non statim Fra- F tribus intimavit: sed postmodum per soporem frequenter admonita, diligenter de vita beati Dominici a Fratribus inquisivit, devote et cum lacrymis audivit, et totius rei gestæ seriem recognovit, se deinceps servam et famulam beati Dominici profitendo.

quod etiam mulier, infixo faucibus osse periclitans,

20 Mulier quædam, Petronilla de Chaumont nomine, de parochia S. Candidi junioris *f* Rothomagensis in festo beati Augustini in sero carnes comedens, os quoddam ex utraque parte acutum et longum juxta fere duorum latitudinem digitorum transglutivit: sed profunde * in gutture transversatum et infixum remansit, ita quod nullatenus educi potuit vel induci. Cumque vehementissimi cruciatus aculeis agitata, multis se devovisset Sanctis, adhuc nihilominus instabat periculum mortis. In lecto ergo suorum manibus reposita, cum nullatenus quiesceret, utpote quæ mortis instantis in se sentiebat indicia, a filia est admonita, ut se beato Dominico devoveret. Quæ mox de lecto consurgens, cubitos, et genua cum filia in terra posuit, beatum Dominicum devotione,

* Editio profundum

EX MS. tione, qua potuit, invocavit, illique vovit, quod
g ejus reliquias nudis pedibus et sine camisia *g* visitaret, si ipsam ab instanti mortis periculo liberaret. Mirum in modum mox ut verbum complevit, os mira celeritate evomuit; et hæc, de cujus omnino desperabatur vita, sana gaudens evasit. Mane igitur facto, sicut devoverat, devote ad altare beati Dominici venit, rem gestam coram multis retulit, Deo et beato Dominico gratias egit, osque prædictum Fratribus præsentavit.

et puella muta utiliter implorarunt.

h 21 Puella quædam septennis, Joanna nomine, de parochia S. Hermelandi *h* Rothomagensis aliquo tempore amiserat usum linguæ: ducta autem a matre ad reliquias beati Dominici, mox, ut de vino gustavit, in quo intinctæ beati Dominici fuerant reliquiæ, integritatem linguæ pariter recuperavit et usum.

ANNOTATA.

B a *Teste Echardo,* Bondevilla *est antiquum Ordinis Cisterciensis gynæceum, quod bis mille et quingentis circiter passibus versus Caletes Rothomago distat. Hujus cœnobii monialis erat illa Mabilia, quæ intercessione* S. Dominici *sanitatem recuperavit.*

b Galo *et* quarta *hoc loco eamdem potus mensuram significant. Forsan* galones *hic ponuntur pro lagenis, cum Matthæus Parisiensis in Historia sua ad annum* 1256 *memoret* mensuras vini sive cervisiæ, quas lagenas vel galones appellamus, *ut in Glossario Cangii ad vocem* galo *refertur.*

c *Ecclesia S. Michaëlis non longe distat a foro piscario. Hinc forte Robertus ille cognominatur* piscarius, *quia ibidem pisces vendebat.*

d *Ex hac feria, collata cum festo* S. Dominici, *quod anno Christi* 1262 *in sabbatum incidit, Echardus colligit, istud Roberti piscarii miraculum eo anno patratum esse.*

e *Ecclesia S. Gervasii sita est in suburbio Caletensi ad portam, quam vernacule* de Cauchoise *appellant; ut ex Echardo discimus.*

f *Dicitur hæc parochia S. Candidi* junioris, *ut distinguatur ab altera, quæ* veteris *vocatur, quia forte ædificium unius ecclesiæ altero antiquius est: nam Rothomagi est duplex ecclesia S. Candidi,*
C *quem incolæ vulgo* Candre *appellant.*

g *Cum Echardo suspicor, hic voce* camisia *indicari subuculam, aut aliud ornamentum, quo tunc mulieres utebantur.*

h *Ecclesia S. Hermelandi sita est in fine magni vici, sic passim dicti, ante aream basilicæ majoris, ut laudatus Echardus in notis nos docet.*

SECTIO TERTIA.

Juvenis quidam ab angustia faucium,

a b Juvenis quidam, Guillelmus nomine, de parochia S. Gildardi *a* Rothomagensis, sabbato post nativitatem beatæ Virginis os quoddam grossæ persicæ *b* usque ad os stomachi transglutivit; sed ultra nullatenus transire valens, ibidem infixum remansit. Qui mox pene exanimatus et spasmum passus, corruit; sed super collum ab astantibus percussus et concussus, expergefactus est, admonitusque a circumstantibus, ad altare beati Dominici, prout citius potuit, cucurrit. Cumque de vino reliquiarum in ejus esset stillatum ore, nec unam quidem guttam potuit transglutire. D Volutabatur itaque coram altari beati Dominici miserabiliter, multis eum aspicientibus, et compatientibus in tanta angustia et instantis mortis discrimine constituto. Admonitus autem a quodam Fratre, peccata sua, tamquam mox moriturus, prout potuit, est confessus. Facta autem confessione, Deo et beato Dominico emendationem vitæ, prout loqui poterat, promisit, devoteque se devovit, si eum ab imminentis mortis periculo liberaret. Facto autem modico intervallo, populo et Fratribus Deum et beatum Dominicum pro illo devote rogantibus, cum se jam suffocari sentiret et extingui, jamque anhelitum penitus intercludi, Deoque animam suam velut moriens commendaret, omninoque desperaret de vita, de vino reliquiarum in ejus ore est iterum instillatum. Fidelis sermo: mox enim ut vinum transglutivit, mirabili facilitate, multis astantibus coram altari, super pavimentum os illud evomuit adeo subito, quod nec sensit. Clamor populi cum lacrymis præ gaudio attolitur, devoteque a populo et Fratribus Deus in sancto suo Dominico collaudatur.

et alius a gravi languore liberantur

23 In parochia de Doudevilla *c* versus Fiscannum *d*, fuit quidam juvenis clericus, Guillelmus de Fraxino nomine, cujus pater eodem nomine vocabatur, nomen autem matris ejus Johanna. *c d* Hic cum laborasset diuturna infirmitate febrium et lateris, tandem incidit in languorem. Qui cum vidisset, quod nulla humana medicamina nec in febre nec in languore ei aliquatenus profecissent, licet multa talia circa ipsum apposita fuissent: jam omni spe curationis destituti, non expectabant ipse et parentes ejus de ipso, nisi mortem, maxime cum ipse in tantum fœteret, quod vix poterat sustineri, et jam ita erat extenuatus, quod hanchæ *e* suæ videbantur perforatæ, et per *e* multum temporis omne, quod comedebat, per os rejiciebat, etiam quod in intestinis jam receptum erat. Accidit autem quadam die, Domino volente, quod quædam mulier de Rothomago familiaris eorum veniebat per locum illum apud Fiscannum peregre proficiscens: et cum mater infirmi desideraret ire cum ea, filius hæc audiens prohibuit, dicens, sibi mortem imminere, ita quod quasi certus erat, quod moreretur ea nocte. F

per intercessionem S. Dominici,

24 Sed tunc misericors Dominus, qui non vult mortem peccatoris, misit in mentem mulieris advenæ miracula beati Dominici; et ait: Ha! Quare morietur juvenis iste? Et conversa ad infirmum, dixit: Eia carissime, devovete vos ad sanctum Dominicum, cujus altare et reliquiæ sunt in ecclesia Fratrum Prædicatorum Rothomagensium *, qui tam crebra facit miracula apud nos. Qui desiderans salutem propriam corporis, continuo votum emisit, quod requireret eum, et esset de cetero servus ejus; et statim melius fuit ei, et, quod stupendum est, sensit quasi quoddam lignum aridum in corpore suo interius frangi, dixitque clara voce: Ego sum totus sanus. Et venit ad reddendum gratias Deo et beato Dominico cum sacerdote quodam honesto, et Fratribus noto.

* *Editio* Rothomagi

quem etiam aliæ personæ invocarunt

f g h 25 Apud novum castrum *f* in Braio *g* quædam mulier, nomine Ydonia, habebat quemdam puerum masculum, qui erat maliginosus *h* et gravis mirabiliter ad educandum. Quæ cum supra modum gravaretur amittendo somnum suum sæpissime, et in aliis multis, quadam nocte instinctu diabolico, licet esset mulier devota, cum esset

valde

A valde tædio affecta præ gravamine, quasi effrænata, maledixit puero passione illa pessima, ad quam male assueti sunt multi, et quod horrendum est; statim illa passio occupavit puerum, forte tricesies vel quadragesies, illa nocte et die sequenti vexans eum. Quod cum scivit soror sua, devota mulier valde, recordata miraculorum beati Dominici, emisit votum pro nepotulo suo ad sanctum Dei Dominicum, et ex tunc a morbo illo caduco liberatus est. Sed non multo post tempore ipsa pueri supradicti mater peracuta febre correpta, in tantum vexata est, ut morte, ut dicitur, imminente, ut credebatur, muta est effecta. Quod videns dicta Beatrix soror sua, cum esset teneræ conscientiæ, vehementer timuit, ne moreretur dicta soror sua insufficienter parata. Unde et beatum Dominicum rogavit devotissime pro reddenda sorori loquela, ut saltem posset sufficienter confiteri peccata, vel, quod mallet, impetraret ei sanitatem perfectam. Quod statim factum est, quia illico ei loquuta est, et in brevi recuperavit sanitatem.

in diversis necessitatibus, i

26 Quædam puella circa XIII annos ætatis habens, Marota *i* nomine, de parochia S. Eligii Rothomagensis, cum jam vexata fuisset febre quotidiana fere per totam Quadragesimam, circa Pascha recordata miraculorum beati Dominici, venit ad altare ejus, et, sicut videbat et audiebat ab aliis fieri, candela empta, rogavit Sanctum Dei, ut sanaret eam; statimque curata est, ita quod ex tunc de illo morbo maculam non senserat aliquam.

et sibi vel suis

27 Mulier quædam erat Rothomagi, quæ habebat filium parvulum, quem permultum diligebat, maxime quia videbatur ei, quod pro puero illo maritus ejus magis ipsam diligeret, cum prius eam potius haberet in despectu* ; sed diabolus totius boni æmulator procuravit, ut puer subito moreretur. Sed ipsa mater aliunde veniens, puerum mortuum deprehendens, vicinas convocans, et præ dolore in altum ejulans, devovit eum beato Dominico, et attulit, et revixit.

* *Editio* despectui;

Mulier quædam alia attulit filium suum quasi trium annorum ad altare beati Dominici, cujus brachium dextrum erat emortuum, ita quod pendebat ad latus ejus, quasi quædam manica pellicea. Cum autem mater vellet offerre pro filio candelam accensam, mox puer extendit manum C prius mortuam ad candelam, et cœpit eam de manu matris, et ex tunc curatus est.

propitium expertæ sunt.

28 Alia quædam de parochia S. Gervasii habebat filium parvulum, quo lacte mamillarum pasto, necesse habuit mater ire in civitatem: et non habens commode et prompte, cui dimitteret filium custodiendum, nisi Deo et beato Dominico, ipsum dimisit securæ commendans beati Dominici custodiæ. Cum vero post magnum temporis spatium, eadem tamen die, rediret, percepit fumum magnum exire de domo et loco, ubi jacebat puer, et cum intraret, deprehendens lectum suum jam inflammatum, clamans quasi furibunda: Beate Dominice, reddite mihi filium, appropinquavit ad puerum, et extrahens eum de lecto, invenit puerum sanum et incolumem, licet ignis fere omnia circa puerum consumpsisset, videlicet stramen, culcitram et pannos, super quæ jacebat, et etiam manicam circa brachium pueri, ipso brachio illæso remanente.

Quædam monialis,

29 Monialis quædam de Bondevilla, Maria nomine, cognata de Vernone, cum fere duodecim annis interius, ad minus decem in corpore, k quasi morbo, qui dicitur ficus *k*, vel potius hydropisis, infirmaretur, vultuque semper pallido manente, debilis et aliis onerosa multum esset, nec aliqua medicinalia eidem valuissent, licet multa adhibita fuissent, tandem confirmata est in hydropisim, et tunc venit Rothomagum, et mansit ibidem per fere tres menses, ut haberet consilium medicorum. Sed cum tædio affecta in quærendo et sustinendo diversas medicinas jam esset, nec speraret aliqua humana medicinalia sibi valitura, maxime cum de die in diem deterioraretur, rediit ad domum suam, et quotidie plus et plus sentiebat, se debilitari et inflari, et in corrigia sua percipiebatur inflatio excrevisse circa mensuram pedis. Dicebant etiam medici, quod in brevi moreretur. EX MS.

hortatu cujusdam F. Prædicatoris,

30 Porro quia summus Medicus reservabat eam a se per sancti sui Dominici merita sanandam, cum ei placuit, missa sibi occasione, venit ibi quidam Frater devotus, Amicus nomine, tunc lector in Conventu Fratrum Prædicatorum Rothomagi, qui eam monuit de faciendo voto ad sanctum Dei Dominicum. Quo facto, statim sensit se elevari in spem recuperandi sanitatem, et jam se melioratam; et in brevi quasi in tribus diebus perfecte curata est, infra enim triduum E post votum sensit morbum, quasi omnino eam reliquisse. Sed et ex tunc cœpit in beatum Dominicum tantam fiduciam habere, quod in omnibus necessitatibus suis, sive corporalibus, sive spiritualibus, et angustiis ipsum interpellans sensit semper sibi ab ipso subveniri.

cum sua discipula S. Dominicum invocans,

31 Quædam autem alia monialis, discipula supradictæ curatæ, Ascelina nomine, viso tanto miraculo, cum esset quartanaria, et vexasset eam febris quartana per menses circa octo, facto voto ad beatum Dominicum, perfectam ex tunc recuperavit sanitatem. Voverunt enim tam magistra, quam discipula, quod, si beatus Dominicus impetraret eis sanitatem, facerent Officium suum amodo in festis suis annuis.

per intercessionem ejusdem Sancti bis sanatur.

32 Anno etiam Domini MCCLXVII circa Natale* Domini, supradicta Maria monialis de Bondevilla usu membrorum suorum omnino per tres dies destituta, cum se devovisset beato Dominico, quem multoties senserat sibi beneficum in infirmitatibus suis, tam spiritualibus, quam corporalibus, continuo arripuit eam sudor suavissimus, durans per tres dies, et in illis tribus diebus perfecte curata est, licet a multis paralytica judicaretur. F Sed et discipula sua supradicta, hoc viso, et a sua magistra de indevotione ad sanctum Dei Dominicum reprehensa, facto voto, liberata est a tentatione et tribulatione maxima, diu tamen a talibus antea vexata. Quæ etiam cum esset in anxietate et fletu magno pro se et pro magistra sua, aliquantulum præ lassitudine soporata, apparuit ei quidam pulcher et venerandus senex in specie Fratris dicens ei: Ne timeas, quia juvabo te.

* *Editio* Nativitatem

ANNOTATA.

a *Ecclesia S. Gildardi et S. Laurentii, de qua supra actum est, ita sibi invicem vicinæ sunt, ut solo cœmeterio triginta passuum secernantur, ut Echardus notavit.*

b Grossa persica, *Gallis* pesche, *significat magnum malum Persicum, cujus os juvenis ille deglutierat.*

c Doudevilla *pagus est, qui quinque circiter*

EX MS. *milliaribus Gallicis, seu leucis, Fiscanno versus Rothomagum distat.*

d Fiscannum *est celebris portus in ora Normanniæ, ubi etiam est magnifica Ordinis Benedictini abbatia, de qua Arturus du Moustier in Neustria pia pag.* 193 *et sequentibus fuse agit.*

e Hanchæ *hic accipiuntur pro coxendicibus a voce Gallica* hanche, *quæ coxam vel coxendicem significat, ut superius in Annotatis iterum monuimus.*

f Novum Castrum, *præter homonymas aliarum regionum urbes, est oppidum Galliæ in ducatu Normanniæ in Caletensi tractu situm ad initia fluvioli Arcæ, quem Galli vernacule* Arques *appellant.*

g Braium, *Gallice* le Bray *est tractus Galliæ in Normannia versus Eptam fluvium, in quo inter alia non contemnenda oppida situm est Novum Castrum, cujus littera præcedente meminimus.*

h *Suspicor, hoc epitheton provenire a populari voce Gallica* malingre, *quæ apud plebem accipitur pro homine, qui sæpe ægrotat, et cadaverosam faciem habet. Saltem vox illa hoc loco similem significationem habere videtur.*

i Mârota *hic idem est quod Maria; quo priori nomine Rothomagi puellæ infra pubertatem vocari solent, ut ab Echardo traditur.*

B k *Hinc patet, morbum fici accipi in diversa significatione, cum hic hydropysim significet, et supra aliud morbi genus designet, ut alia accasione ibidem diximus.*

SECTIO QUARTA.

Sanctus Dominicus feminam quamdam odontalgia, a b

Fuit apud Vallem Rodolii *a* quædam devota mulier, a longo tempore dolore dentium acerrime vexata, Ada nomine; erat autem Priorissa hospitii Dei, et habebat unam sociam de Beguinnis *b* Rothomagensibus, Aelesiam nomine, quæ hortabatur eam de faciendo voto ad beatum Dominicum. Quæ cum ei non assentiret, fecit sibi dentem extrahi maxillarem a quodam chirurgico dentium; qui fere extraxit maxillam; remansit tamen gena quasi disjuncta cum media parte dentis, in quo dolorem senserat, dolore autem ultra modum augmentato. Sed tandem compuncta; de consilio castellanæ *c* de Valle Rodolii devovit se sancto Dei Dominico, et continuo fuit curata, venitque statim Rothomagum ad memoriam Sancti, dignas Deo et sancto suo Dominico gratias exsolvens. C

alteram diuturna febri liberat;

34 Quædam juvenis Beguinna, quæ creditur multum simplex et devota, nomine Johanna, cum infirmaretur gravissime febre tertiana, et jam continuata esset sibi febris per sex septimanas, nec jam expectaret nisi mortem sibi appropinquantem, deficiente sibi penitus cibi cujuslibet appetitu, quasi tota virtute membrorum destituta, cum fiducia venit ad beatum Dominicum, prosternens se ante ejus altare, preces et devotiones suas Deo et Sancto suo effundens, vovitque, quod, si ab illa febre liberaretur, ipsa de cetero festivaret beati Dominici festum. Mira res! quia statim fuit a febre curata, cum illa hora esset in fervore suæ accessionis, nec deinceps habuit aliam accessionem.

sed aliam,

35 In civitate Rothomagensi erat quædam Burgensis, cui satis hujus seculi prosperitas arridebat, nomine Johanna de Boutelles, quæ quemdam parvulum habebat, quem tenerrime diligebat, Thomam nomine; qui sæpe gravi laborabat infirmitate, et semel et iterum invaluit in eo, quod nihil aliud in ipso nisi mors sperabatur. D Quæ cum filium suum quasi mortuum defleret, nec consolationem vellet accipere, nutrix pueri, Matildis nomine, ait matri: Domina mi*, vovete filium vestrum beato Dominico, per cujus merita Dominus multis patrocinatur. Respondit illa: Quare petam, quod obtinere non possum? En moritur puer. Secure, ait nutrix, vovete, quia inde nihil potestis amittere. Tunc mater: Domine, inquit, sancte Dominice, succurrite isti matri miseræ, et reddite mihi filium meum, si potestis, et ipse erit homo vester, reddens singulis annis altari vestro quatuor denarios. Mira res! Vix verba ista finierat, et ipse puer pristinæ sanitati fuit statim restitutus.

* *pro* mea

quæ promissis stare neglexerat, misericorditer punit.

36 Mater vero ingratitudinis oblivio propositum matris ita impedivit, quod infra usque ad annum ad beatum Dominicum puerum afferre distulit. Unde accidit, quod infirmitas gravissima puerum eumdem arripuit, quæ in tantum eum vexavit, quod jam [non] nisi de sepultura et feretro cogitarent assistentes. Mater tamen ad se rediens, animadvertit, quod votum dudum factum pro puero non solverat, et ideo sibi merito hoc accidere debebat. Quæ accurrens cum magno ejulatu ad ecclesiam Fratrum venit, sed intrare non potuit, quia nimis erat tarde, de voto tamen satisfecit: ipsa vero ad domum rediens, putavit puerum invenire mortuum, sed per Dei virtutem et beati Dominici meritis invenit eum pristinæ sanitati penitus restitutum. E

Parentes post invocatam S. Dominici opem d

37 Sub silentio similiter non est prætereundum, quod accidit in parochia S. Andreæ extra portam *d*. Quidam enim civis Rothomagensis, Galterus de Ambianis nomine, et uxor ejus Gemmina habebant quamdam filiam parvulam, quam tenerrime diligebant. Hæc, cum quadam die ascenderet solarium domus, in quo solario erat quædam apertura, per quam in domum inferius respici poterat, et pater timens de casu filiæ, multoties ea die ab illa apertura puellulam fecerat reportari; instigante tamen inimico humani generis, occupatis parentibus, filia sua iterum ascendit, et per dictam solarii aperturam respiciens, in aream domus, quæ distabat a solario plus quam XXV pedibus, corruit, et quasi exanimis ad terram jacuit. Pater vero casum intelligens, accurrens, et ejulans, et jurans, dicebat matri: Vere accidit, quod verebar; mortua est filia tua. F Mater vero ponens in Domino et beato Dominico totam fiduciam suam, votum faciens ad beatum Dominicum, quod si ei illam filiam suam sanam redderet, eidem vultum cereum filia singulis annis offerret. Quo facto, Deus, qui in Sanctis suis ostendit se mirabilem, dictam puellam, prius omni motu et sensu destitutam, ad honorem suum et sancti sui Dominici exaltationem, nulla apparente læsione vel livore, pristinæ reddidit sanitati.

prolibus suis

38 Anno Domini MCCLXX* quodam sabbato Stephanus le Danois de parochia S. Machuti (ejus uxor Johanna nuncupata est) filiam habebat, nomine Petronillam, quæ monstruose et deformiter manus habebat inversas et penitus inutiles ad operandum: cujus pater recolens, multa, per merita beati Dominici, auribus suis insonuisse miracula, eidem filiam suam assumpta fiducia devovit, et suam oblationem beato Dominico se redditurum promisit. Mirum in modum! Vix verba finierat, et ecce puella statim usum dexteræ totaliter recuperavit; et in crastino, videlicet Dominica, usum sinistræ, et plenam am-

* *Editio* MCCLXV.

barum

A barum manuum ad gloriam Dei et sancti Dominici sui recepit sanitatem.

mirabilia beneficia obtinuerunt, 39 Anno autem Domini MCCLXVI accidit in parochia S. Mariæ dictæ la petite *e*, quod quædam mulier, nomine Aviegne, habebat quemdam puerum nondum anniculum Robinam: huic tradidit mater annulum suum cupreum, quem puer ori suo applicans in guttur recepit; quem cum non posset inducere vel educere, mutato jam colore, propter constrictionem, gutturis angustiam, et anhelitus interclusionem, quasi in extremo spiritu positus, vicinæ mortis eventum sentiens exspirabat. Quo comperto a parentibus, et dicente matre, se credere, quod haberet annulum suum in gutture, pater imposito digito tentabat annulum eripere. Quod cum non posset, devoverunt se et puerum sanguini [apud] Fiscannum *f*. Quod cum non sibi prodesse viderent, consilio cujusdam devotæ mulieris devoverunt eum beato Dominico. Quo facto, vix etiam voto emisso, puer evomuit annulum sanguinolentum, recuperata penitus sanitate.

et alii clientes utriusque sexus 40 Eadem die et anno in parochia S. Petri Honorati *g* fuit quædam puella quasi XV annorum, Aeliesa nomine, quæ usum linguæ quoad loquelam omnino amisit, et propter curationem in civitate sua Rothomagensi multa de consilio amicorum suorum, Sanctorum et Sanctarum petivit limina, nec profecit: tandem ad reliquias beati Dominici veniens, facta oratione et oblatione, loquelam illico recuperavit.

intercessione ejusdem Sancti 41 Apud Bondevillam *h*, versus Fiscannum, fuit quædam mulier, quæ os quoddam cum poreta *i* sua satis magnum ignoranter sumpsit, quod ita fortiter gutturi inhæsit, quod nec inducere illud poterat, nec cibum nisi in liquida substantia sumebat, et fere deficiebat: factis autem votis ad plures Sanctos, videns, se in nullo proficere, de consilio cujusdam alterius ad beatum Dominicum se devovens, statim usum comedendi recepit, et dolorem pristinum amplius non sensit: et interjecto temporis spatio, doloris anterioris oblita, os illud, quod tamdiu gutturi suo inhæserat, absque humano adminiculo in manu sua cecidit, plena sanitate secuta. Hæc omnia dicta mulier cum marito, adjunctis sibi pluribus promiscui sexus, in ecclesia Fratrum coram pluribus
C Fratribus, et plurimorum testimonio vicinorum asseruit esse vera. Habebat etiam in societate quamdam mulierem cum parvulo et patre, qui, emisso voto ad sanctum Dei Dominicum, uxor ejus a quartana febre et puer a tertiana fuerunt protinus liberati. Hæc autem facta sunt circa nativitatem beati Johannis Baptistæ anno Domini MCCLVI prædicto *k*.

sibi vel suis amicis 42 De parochia de Sotevilla juxta Rothomagum vir quidam, nomine Guillelmus le Pilouer, quem gravis dolor guttæ in via S. Jacobi arripuit, vovit se beato Dominico, et fuit omnino liberatus.

Quædam mulier de Bosco Guillelmi *l*, cujus filius graviter infirmabatur, vovit eum beato Dominico, et continuo recepit sanitatem, et inde gratias Deo et Sancto referens, obtulit in altari beati Dominici pallam *m* unam.

similia beneficia, aut sanitatem 43 In domo Sororum Ordinis beati Dominici Rothomagensi, Soror quædam juvencula, Perreta nomine, neptis Fratris Gaufridi de Belloloco *n*, gravi manus circa nodum percussa est morbo: invalescenteque molestia, morbus usque ad totum brachium, postremo usque ad spatulam graviter se infudit. Adhibitis igitur per cujusdam Sororis magistræ suæ solicitudinem multis et variis medicorum remediis, non solum non convaluit, quinimo morbus fortius invalescens continue augebatur, et in tantum postremo invaluit, quod brachium emortuum et omnino invalidum remansit. Desperantibus igitur de puellæ convalescentia medicis, videns præfata Soror, humana omnino deesse juvamina, se contulit ad divina. EX MS.

44 Unde de consilio et licentia confessoris sui puellam Deo et beato Dominico devotione, qua potuit, tradidit et devovit. Dum autem cum puella haberet colloquium, ipsam monendo et instruendo, qualiter a Priorissa peteret licentiam beato Dominico se vovendi, subito manum extendit, quam ante tamquam penitus invalidam nec ad modicum movere valebat. Quo viso dicta soror tanto repleta est gaudio pariter et stupore, quod pene nesciret, quasi extra se posita, ubi esset. Cum autem puellam ad Priorissam perduxisset, sanum brachium invenerunt. Congregato igitur conventu, Sorores [campanam] pulsaverunt, et Deo gratias agentes TE DEUM LAUDAMUS devotis mentibus cantaverunt. Interim autem dum cantarent, puella flexis genibus salutationem beatæ Virginis frequenter repetens, formicationes *o* quasdam in brachio sentiebat. Finitis autem a Sororibus TE DEUM, et a puella centies salutatione Virginea, repertum est brachium ab omni infirmitate totaliter liberatum, omnibus prorsus doloribus effugatis. Hæc autem a Priorissa dicti loci, et a prædictis, puella scilicet, de qua agitur, et magistra ejus, fide per omnia dignis audivi, et scripto fideliter commendavi. Actum est hoc anno gratiæ MCCLXX. *mirabili modo impetrarunt.* E

ANNOTATA.

a *Vallis Rodolii est pagus diœcesis Ebroicensis ad Aduram, qui fere medius jacet inter Luparias et Pontem arcus, ut Echardus hic in notis testatur.*

b *Existimo, hoc loco per* beguinnas *vel* beguinas *intelligi virgines Deo devotas, qualium frequentes congregationes in Belgio nostro videmus. Videtur autem simile beguinarum institutum, quod in Belgio hactenus perseverat, seculo decimo quinto in Gallia desiisse, ut apud Cangium in Glossario ad vocem* beghinæ *licet videre.* F

c *Cum nomen* castellani *in Glossario Cangii aliquando promiscue quemlibet incolam castelli, et interdum castelli custodem, et similia in castello munera vel jura designet, æque incerta hic est significatio* castellanæ, *qua hoc loco uxor cujuslibet castellani, vel domina castelli potest indicari.*

d *Hic additur* extra portam, *quia Rothomagi est duplex S. Andreæ ecclesia. Una in urbe inferiori versus portum, altera extra portam Caletensem in ipso suburbio sita est.*

e *Vocatur Gallice* la petite, *id est,* parva, *ut ab ecclesia majori sanctæ Mariæ distinguatur.*

f *Sic forsan compendiose loquitur collector miraculorum, quia hæc res indigenis satis nota erat: nam in sacrario monasterii Fiscannensis servatur phiala, Sanguine Christi plena, quam ferunt a Nicodemo, in Angliam transfretante apud Fiscannum relictam fuisse, et sub Richardo duce Normannia a monachis Fiscannensibus retectam, cum diu antea latuisset. Non est hujus loci de auctoritate istius traditionis disputare.*

g *Rothomagi tres sunt ecclesiæ sub nomine S. Petri constructæ. Prima S. Petri cognomento por-*

tarii,

EX IMPRESSIS. tarii, *de qua superius egimus. Secunda cognominatur* de castello, *quæ sita est in civitate inferiore, et a statione navium non multum distat. Tertia denique habet agnomen* Honorati, *de qua hic fit mentio, et sita est ad initium vici, quem lebetum æreorum fabri incolunt.*

h *Echardus in notis monet, hunc locum uno tantum milliari Gallico, seu leuca, Fiscanno distare, ac proinde diversum esse a Bondevilla, cujus supra meminimus.*

i *Quid si pro* poreta *legendum sit* porrecta? *Est autem* porrecta *jusculum ex porris confectum, cui forte immixtum erat ossiculum, quod gutturi hujus mulieris inhæsit.*

k *Verosimiliter error amanuensis irrepsit in hunc locum, ubi dicitur id accidisse* anno Domini MCCLVI prædicto*: nam superius nulla hujus anni fit mentio. Quare opinor, legendum esse* anno Domini MCCLXVI prædicto, *quandoquidem auctor eumdem annum* 1266 *supra expressit.*

l Boscus Guillelmi *qui vernacule dicitur* Boguilleaume, *est pagus amplissimus in monte circa Rothomagum situs.*

m Palla *aliquando significat* aulæum, *et subinde linteum, quo tegitur altare. Sæpius etiam* palla *usurpatur pro coopertorio Corporis Christi in Missa. Simile aliquod donum hic oblatum intelligere oportet.* B

n *Is sancto Ludovico Galliæ regi fuit a confessionibus, ut videri potest apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 270, *ubi gesta et scripta ejus recensentur.*

o *Cum scriptor ille supra num.* 19 *dixerit, quod mulier ægra sentiret* quasi graves formicarum puncturas, *non temere conjicio, hic per* formicationes *indicari similes punctiones.*

ALIA MIRACULA

quæ variis locis et temporibus patrata sunt, et quæ nec in Commentario prævio, nec in collectione Theodorici de Appoldia leguntur.

C

Ex Vita S. Dominici apud Joannem Antonium Flaminium folio 86 verso et sequentibus ea excerpsimus.

Intercessione hujus Sancti quidam febre liberatur,

In Metensi monasterio Prædicatorum ægrotaverat diu cœnobita quidam ex iis, qui Conversi dicuntur, gravi quartana et capitis inflatione. Erat forte vigilia primi festi beati Dominici, catalogo Sanctorum nuper adscripti. Venit ad ægrotum monasterii præfectus, et: Quomodo, inquit, te Frater habes? Ait ille: Mox febris accessum exspecto. At ille: Te potest omnipotens Deus beati patris nostri Dominici meritis ægritudine ista liberare. At ille: Ego quidem minime dubito futurum, quin abeat continuo febris, si in ejus nomine, ac in virtute meritorum beati Dominici, ut abeat, jusseris. Cepit his auditis fiduciam archicœnobita, et imperavit febri, quæ cum illo tumore capitis sic abiit, ut amplius reversa non sit *a*...

a *alii periculo naufragii eripiuntur,*

2 Quidam Drepano, urbe Siciliæ, Genuam navigabant. Atrox coorta est tempestas, et, amisso jam clavo et velo, nulla, nisi in ope divina, spes salutis erat. Invocabant igitur omnes cum gemitu et lacrymis Sanctos, quos invocari a navigantibus mos est. Cumque preces exaudiri non viderentur, cœnobita quidam ex Prædicatoribus, qui una erat, hortari eos cœpit, ut relatum nuper in numerum Sanctorum beatum Dominicum invocarent. Illi vero, quia Sanctum non noverant, contempsere initio cœnobitæ consilium. Sed invalescente multo magis tempestate, et illo identidem monente, ut invocarent, sublata voce omnes illius opem implorarunt. Mira continuo res contigit: serenari cœlum mox cœpit, flare desierunt venti, et summa tranquillitas in mari est orta, et incolumes Genuam omnes pervenere; statimque, cœnobita nudis præeunte pedibus, et accensis cereis, quia ita se facturos voverant, cum ingenti lætitia Sancti opem testantes ac miris efferentes laudibus, acturi Deo et illi, quas æquum erat, gratias, per mediam urbem ad ejus ædem perrexerunt *b*. D

b *et partus femineus in masculum mutatur,*

3 Magna sunt et omni admiratione digna, quæ retuli; sed aliquanto admirabilius, quod nunc referam. Narrabat vir clarus Munio, qui generale Magisterium in Prædicatores gessit, in Hispania matronam, genere ac opibus nobilem, quæ præcipuo cultu beatum Dominicum ac totum Ordinem prosequebatur, optasse ac summis petiisse ab illo precibus filium marem, quem ubi adolevisset, in ejus Ordine illi dicare posset: concepisse illam quidem, et se exauditam credidisse; sed maturo jam partu, enixam esse non marem, sed feminam; quod postquam illi obstetrices nuntiarunt, et miratam esse et indoluisse plurimum; et non aliter, ac familiares consueverint, cum beato Dominico, tamquam præsente, esse conquestam, quod parum efficaces suæ apud illum preces fuissent; posse tamen illum suis apud Deum precibus de femina marem facere; et hoc mira cum fiducia, nec minore impetrandi spe, dum peteret, exauditam: nam cum infantem sibi porrigi ab obstetricibus petisset, stupentibus omnibus, quæ paulo ante feminam esse viderant, marem esse deprehendit; quem sanctis educatum moribus, ubi adolevit, in monasterio Prædicatorum Deo ac beato Dominico dedicavit *c*. E

c *Ope ejusdem Sancti puella in proposito virginitatis,*

4 Romana erat puella, quæ virginitatem servare decreverat, nec alium habere sponsum, quam Christum. Sed jam nubilem factam pater eam nobili desponderat juveni. Tristis ac præter modum anxia virgo, quia se videbat ad nuptias a patre cogi, nocte, quæ præcessit diem, quo celebranda erant sponsalia, beati Dominici opem imploravit, ne de sancto proposito violenter extruderetur. Exauditæ continuo illius preces: nam eadem nocte labrum inferius mirandum in modum intumuit ac scissum est, quod puellæ faciem plurimum deformavit. Die, qui secutus est, videns pater, quod repente acciderat, intelligensque, se divinitus admoneri, ne filiam nubere cogeret, permisit ut virgo permaneret.

et novitius in Ordine Prædicatorum mirabiliter perseverant.

5 Juvenis quidam in deliciis enutritus, recenter erat in Ordinem Prædicatorum admissus; sed paucis diebus mutata sententia dolebat, quod prioris vitæ mollitiem ac dilicias reliquisset, austeritate vitæ offensus monasticæ. Magna nihilominus veneratione beatum Dominicum et cultu præcipuo prosequebatur, et die simul ac nocte sacram illi aram frequentabat. Sed stimulis assidue urgebatur acribus egrediendi monasterium; quos cum diutius ferre non posset, noctem quamdam mali consilii consciam delegit, qua, insciis

omnibus,

A omnibus, egrederetur. Quare surreptis ecclesiæ furtim clavibus, parabat exire: quod dum faceret, ad Christi sacram effigiem cruci affixi et ad aram divi Dominici, uti consueverat, venerabundus accessit, quasi veniam petiturus abeundi. Ubi oravit, ad ecclesiæ perrexit januam, ante quam Christi effigiem, quam modo adoraverat, et cœnobitam, nescio quem, sequentem se, vidit. Plenus admirationis retrocessit, et restitutam suum in locum Christi cernens effigiem putavit, se falsis delusum imaginibus, et ad januam reversus est. Sed eamdem ibi effigiem, ac sequentem se cœnobitam, plenus stuporis vidit. Pertinax tamen in sententia sub Christi brachium sese submittens, cujus effigies januæ inhæserat, egredi conabatur. Sed id brachium, divinitus de cruce refixum, gravem pertinaci colaphum incussit. Tunc demum, tamquam alto expergefactus sopore, juvenis resipuit, ac divinum intelligens consilium, ne initam nuper [Religionem] relinqueret, in monasterio permansit *d*...

d

Sanctus Dominicus a parentibus invocatus,

6 Apud Regium Lepidi nobilis matrona diu sterilis, beati Dominici apud Deum precibus, quem præcipue colebat, atque ob hoc precata B fuerat, filium tandem peperit, qui, cum jam duodecimum ageret annum, obiit. Facere conjecturam unusquisque potest, quantus fuerit matris dolor: quæ in tanto luctu et orbitate sua, non tamen beati Dominici oblita, speravit, posse filium suum ejus ope ad vitam revocari. Nec spes illam fefellit: nam inter multas preces pollicita, se quotannis ad illius ædem adducturam filium, et oblaturam tantum tritici, quantum ille penderet, stupentibus, qui aderant, omnibus, voti compos facta est.

quasdam proles mortuas

7 Mulier Bononiensis lavabat in Rheno, in cujus ripa filiam infantem collocaverat, quæ reptans, dum suo mater operi est intenta, in flumen decidit. Inops consilii mater (nec erat ibi quisquam, a qua sperare auxilium posset, et altum erat flumen) ad divinam confugit opem, et beato filiam Dominico anxio clamore identidem commendans, cujus tunc maxime clara erat miraculis fama, vidit filiam, quam impetus amnis jam secum procul abstulerat, extulisse caput, mox totam supra aquam erectam: quod cernens mater, ac divinum præsens auxilium intelligens, ad se filiam vocavit, quæ ita per aquas ad ripam C venit, ut solidam sub pedibus premere terram videretur.

Ganzanici, qui est agri Bononiensis vicus, puer in magnam prolapsus fossam, mersus interiit, ac post longum spatium difficulter inventus est. Mater post longam lamentationem, post longum fletum et miserabiles clamores, cum sciret, multis jam beatum Dominicum clarere miraculis, magna fide ac spe impetrandæ opis illum invocavit, et mox puer revixit. Sed multo admirabilius, quod referam.

prodigiose ad vitam revocavit

e

8 Vir nobilis in regione, quam Provinciam *e* vocant, peculiari cultu et honore beatum Dominicum ac divum Petrum martyrem ipse cum uxore sua prosequebatur; quorum favore filium a Deo, cum diu sine liberis fuissent, impetraverant. Sed antiquus hostis invidens illorum pietati, et a tanto eos cultu retrahere cupiens, in peregrinum se hominem transformavit, et ad hanc veniens domum, benigno est hospitio exceptus. Die postero pueri mater ad ecclesiam se de more contulit. Tunc fraus detecta veteratoris est, qui tempus observaverat, et arreptum puerum non solum occidit, sed etiam exsectum in frusta in ahenum ferventis aquæ conjecit et abiit. Veniens ancilla membra semicocta invenit, et in adventum heræ servat. Ubi domum illa rediit, et quid filio accidisset, cognovit, suppressit ejulatum, et lacrymas cohibuit, ne maritus hoc resciret, et pueri membra in penitiore domus parte abscondit. Domum redit maritus, et dum paratur prandium, duos vidit ex Ordine Prædicatorum cœnobitas, tamquam peregre proficiscentes. Eos ad se ad prandium vocari jubet. Veniunt illi, et, dum colloquuntur, postulant, quæ habeat chariora sibi et pretiosiora, ostendi. Jubet ille continuo filium adduci. Exanimata est mater, ac nesciens, quo pacto amplius rem celaret, in mandato viri hæsitabat, ac rem differebat. Tunc cœnobitæ hortari, ut eat, ne trepidet, spemque in Domino reponat suam. His pulso metu verbis, lacera filii membra protulit; quæ ubi allata in conspectum patris fuere, cum pararet ille lugubres attollere in tam diro spectaculo voces, inhibuere sancti cœnobitæ pollicentes, fore ut mox Dei erga se benignitatem ac liberalitatem experiretur; et scissa miserandum in modum componentes membra vitæ restituerunt: et ne, qui essent, ignoraret, major natu se Dominicum esse dixit, minor, Petrum martyrem. Quibus dictis, evanuere..... E

EX IMPRESSIS

Nonnulli festum S. Dominici contemnentes morbis castigantur,

f

9 Celebrabat Regiensis *f* magno cum honore civitas diem beati Dominici festum, et ad ejus ædem conveniebat utriusque sexus multitudo. Vicinam mulier matronam adiit, et quæsivit, an et ipsa ire vellet; quæ cum pararet sibi caput lavare, indignabunda dixit: I, tu, si placet; interim ego mihi caput lavabo. Nimium profecto hi cœnobitæ cum suis tot festis molesti sunt populis. Vix hæc dixerat, quando subitus illam cutis dolor invasit, ut evelli per vim capitis omnes capilli viderentur. Nec satis fuit; ita crines tamquam viscati aut pice illiti sibi inhæserunt, et in unum condensati sunt et conglobati, ut nulla ratione alter ab altero disjungi posset, et necesse fuerit tondere caput et abradere. Quare divinam intelligens ultionem, et suæ pœnitens impietatis, dolore illo cutis perdurante, opem Sancti, quem neglexerat, cum gemitu et lacrymis imploravit, suam fassa impietatem, ac pollicita, se quotannis festos illius celebraturam dies. Quo voto statim dolor omnis sedatus est, et illa continuo comam suam ad ejus ædem pertulit, et ante illius aram suspendit, tanti testem miraculi diu F futuram.

et resipiscentes,

g

h

10 Dies idem festus in Dacia *g* in Octoniensi *h* diœcesi, etiam episcopali edicto celebrabatur. Ob id pridie illius diei conveniebat ex agris undique in urbem multitudo. Erat tum forte in prædio suo cum messoribus pater quidam familias, qui tantam cernens multitudinem, quæsivit, quonam tenderent. Ad beati festum Dominici, responsum est. Derisit euntes ille, et ait suis: Nemo ex vobis eat; sed mihi et præsenti quilibet operi vacet. Quæ ubi dixit, invasit illum subita ægritudo, qua totum illum annum laboravit, ut e lecto non surrexerit. Ubi dies beati Dominici festus rediit, et multitudinem, sicut priore anno, prætereuntem sensit, recordatus, quod eo die, quia Sanctum contempserat, in eam ægritudinem incidisset, ab imo trahens pectore suspiria, et suam accusans impietatem, ait: Sancte Dei magne, cujus injuriam tam graviter in me ultus est Deus, rogo te, mei miserere, qui factus ex contemptore supplex opem imploro tuam, et polliceor, me posthac diem hunc tibi sacrum, nec me solum, sed et totam familiam meam persancte celebra-

turam

EX IMPRESSIS. turam ac veneraturam. Affuit precanti beatus Dominicus, ac statim omnem diu ægroto morbum depulit.

sanitatem recuperant. 11 Alius in Tholosano agro rusticus, qui ad opus in prædium suum cum bobus egrediebatur, cernens et ipse multitudinem die translationis beati Dominici gradientium in urbem, et audiens, illos ob id tendere, ut debito magni apud Deum meriti, et familiarem Tholosanis Sanctum honore tali die prosequerentur, derisit eos, et multo acrius boves ad opus instimulavit. Cumque in contemptum Sancti sic properaret, divinam in se continuo iram sensit : nam sic illi statim distorti atque reflexi sunt pedes, ut in locum digiti calcium et calces digitorum verterentur. Quod ubi miser animadvertit, subito tactus dolore, ac suæ impietatis pœnitentia, omnibus suis promptam et liberalem supplicibus clarissimi Sancti, restitutis in pristinum pedibus, opem ac benignitatem expertus est *i*.

i

ANNOTATA.

B

a *Etsi hoc miraculum non inveniatur in Vitis Fratrum, codici nostro P. Ms. 7 insertis, tamen illud legitur in editione Duacena cap.* 40, *et apud Echardum tomo* 1 *Bibl. Prædicat. pag.* 44, *ubi etiam confirmationis causa additur sequens testimonium :* Hæc retulit Prior prædictus Frater Jacobus, vir magnæ famæ, Magistro Ordinis.

b *Istud miraculum tum in manuscriptis tum in editis Vitis Fratrum cap.* 34 *refertur.*

c *Garzo in Actis* S. Dominici *apud Leandrum Albertum fol.* 22 *refert idem prodigium, et ibidem in fine hæc addit :* Ut duodecimum egressus fuit annum, ad Prædicatorum Religionem advolavit; ubi, cum esset annos quinque et viginti natus, morbo contracto, decessit. *Tempus autem hujus miraculi præterpropter colligi potest ex ætate Munionis, qui anno* 1257 *Ordinem Prædicatorum intravit, et anno* 1283 *ad generale ejusdem Ordinis Magisterium evectus est.* D

d *Hæc puncta indicant, illic interseri nonnulla miracula, quæ alibi a nobis relata sunt. Hiatus istos superius ac inferius iisdem punctis distinximus, quod hac occasione semel monuisse satis sit.*

e *Laudatus Garzo apud Leandrum Albertum fol.* 22 *verso etiam hanc portentosam historiam narrat, et satis significat, hic Provinciam, vulgo* Provence, *in Gallia designari, cum pater istius pueri ab ipso* Gallus *appelletur.*

f *In Italia occurrit duplex civitas Regiensis, quæ utraque vernacule* Reggio *nuncupatur. Una sita est in Ducatu Mutinensi; altera vero est urbs, maritima in Calabria ulteriori. Utra hic assignetur, ignoramus.*

g Dacia *apud scriptores medii ævi sæpe pro Dania accipitur, ut* § 12 *Commentarii prævii diximus.* E

h *Hoc luxato nomine indicatur diœcesis Othoniensis in Finnia, regni Danici provincia, quæ urbs episcopalis olim erat sub metropoli Lundensi, de qua apud geographos obvios plura legi possunt.*

i *Malvenda hæc aliaque miracula, post obitum* S. Dominici *patrata, ex Flaminio retulit, et Annalibus suis ad annum Christi* 1221 *a cap.* 53 *inseruit. Quapropter penes eos sit fides illorum prodigiorum, quorum certiorem aut antiquiorem notitiam hactenus detegere non potuimus.*

DE B. CICCO SEU FRANCISCO CONF.

C

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

F

PISAURI IN MARCHIA ANCONITANA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De aliquali cultu, ætate et gestis.

SECULO XIV. *Tametsi taceat Ferrarius,*

H*ic ferme repetenda essent quæ pridem ad* XIX *Junii dicta sunt de Pisauro et de tertio Ordine S. Francisci, dum de B. Michelina vidua Pisaurensi, beati hujus* Cicchi *populari, synchrona, et, quod aliqui volunt, Sorore, saltem spirituali, ut loquimur, ageretur; cum idem institutum consectatus sit beatus hic noster* Franciscus, *diminutive,* Ciscus *seu potius* Ciccus *dictus; parem, distributis in pauperes bonis suis omnibus, eamque arduam paupertatem rigidissime professus; tum vero admirabilem castissimæ vitæ per annos quinquaginta austeritatem, unde tanta claruit sanctitatis fama, ut cum in una ex cellulis suis anno* 1350 *purissimam animam Deo reddidisset, in Monte Granario, uti appellebatur, sepultus, a Pisaurensibus continuo inde ablatus, et in Cathedrali ipsa ecclesia, sub mensa altaris S. Sebastiani honorifice collocatus, atque ex eo tempore communi populi voce, si non canonizatus, saltem inter Beatos relatus, habitus et cultus sit; quidquid de eo, nescio quam ob causam, agere neglexerit Ferrarius in suo Sanctorum Italiæ Catalogo.*

2 *Ita me docent monumenta ea omnia quæ jam*

prope

A *prope a seculo, opera laudati sæpius in his Actis P. Silvestri Petrasancta collegit ipse Bollandus, tam in ordine ad* B. Cicum, Ciccum, Ceccum, *seu* Cecculum, *quam ad jam etiam dictam B. Michelinam, quæ mox paulo fusius explicabit Salvator Salvatorius, de Opere nostro sæpius quoque et optime meritus. Ex istis dubia sua ab annis quadraginta proposuit Papebrochius, opera Emin. Cardinalis Coloredi, illustrissimo Avio, tunc Pisaurensi episcopo, unde ea responsa nactus est, quibus B. Michelinam, ad jam dictum diem* XIX *Junii satis copiose illustravit, non neglectis iis quæ ad popularem* B. Ciccum *nostrum propius pertinebant, quemadmodum ipse sedulo ibi monet in Commentario prævio, num.* 8, *his ipsissimis verbis :* Addenda est grata memoria alterius beneficii *(nempe ab eodem Episcopo præstiti)* quo simul accepi informationem de veteri cultu B. Francisci, similiter Pisaurensis, vulgo B. Cicchi aut Cecchi, Ordinis fratrum Minorum, quem quidam volunt B. Michelinæ fratrem fuisse.

ex certis monumentis; 3 *De ea fraternitate recurret sermo; hic cultus stabiliendus est, de quo laudatus Salvatorius sub titulo* de B. Cicco Pisaurensi, *ita diserte testatur :* B Beatus Ciccus Pisaurensis in sua ætate juvenili anno MCCC omnia sua bona pauperibus dispensavit et tertiam Regulam B. Francisci, quæ de Pœnitentia nuncupatur, sumpsit, heremiticam vitam extra suam civitatem ducens. Tres ecclesias seu capellas construxit, unam prope Fanum, alteram prope Pisaurum, tertiam in monte S. Bartoli, in quibus interpolatim orando morabatur, portans pro camisia panseriam seu colectum. Multa miracula in dictis locis et alibi, favente Deo fecit, ita ut fama sanctitatis ejus per provincias undique evolarit. Mortuus est autem anno Domini MCCCL in senectute bona; et ejus corpus translatum est ab ecclesia S. Mariæ de monte Granario in episcopalem ecclesiam Pisauri, ubi gratia Dei ejus corpus requiescit, sequentibus signis et miraculis.

unde et arduam pœnitentiam 4 *Hactenus propria ipsius Salvatorii verba, quibus quæ Italica subdit, sic Latine verto :* Beatus iste ad mortificandum corpus supra nudam carnem gestabat loricam loco indusii, ut modo indicatum vidisti superius per ea verba, PANSERIAM SEU COLECTUM PRO CAMISIA PORTANS, id quod C manifeste patuit quando anno MDC reperta sunt Beati hujus ossa in capsa temporis diuturnitate attrita, sub mensa altaris S. Sebastiano sacri, ubi hodieque asservantur : dum inventa etiam est inscriptiuncula, parvo alicui lapidi incisa, hujus plane tenoris : OSSA B. CICCHI, ac præterea lorica ipsa, qua olim corpusculum suum attriverat. *Addidit porro laudatus jam Salvatorius, veteri traditione istic, nempe Pisauri invaluisse, quod de prædicto Beato Officium in Ecclesia recitatum fuerit, cujus lectiones, sibi aliunde notas, aiebat se non reperisse. Verum easdem invenit illustrissimus Avius, ex cujus verbis, mox referendis, et de prætensa Officii recitatione et de ipsis lectionibus plenius edoceberis.*

vel ex imagine colligas. 5 *Porro quæ Salvatorii erga* Ciccum *veneratio est, eadem et laudati jam illustrissimi Avii, titulo* Beati Ciccum *ubique et semper ornantis. Rogaverat eum Papebrochius, quoniam corpus illius sub altari S. Sebastiani collocatum esset, curaret lipsanothecæ ipsius, quemadmodum et B. Michelinæ delineationem efformari, ad quæ in hunc modum respondet :* Cum semper ex traditione haberemus, quod corpus istius Beati ex Monte Granario in urbem translatum, et sub altare S. Sebastiani in ecclesia cathedrali collocatum fuisset, nuperrime, speciali habita diligentia, occasione executionis decreti in novissima visitatione facti, fuit illud ibidem repertum in capsula existens, et modo in aliam decentiorem arcam repositum, donec illi de loco aptiori et honestiori iterum provideatur. At quia corpus hujusmodi non omnimodæ est integritatis, ideo non apte exponi valet ejus imago. Quare hic adjuncta reponitur ejus figura, quæ alias expressa fuerat ad repræsentandam imaginem illius, quando mortali hac vita fruebatur. *Non video, quo loco opportunius jam dicta imago referri possit, unde eam,* quam simillime in æs incisam repræsento.

AUCTORE J. B. S.

E



F

Legenda satis antiqua 6 *Interrogatus idem Illustrissimus, utrum Officium ecclesiasticum de eo recitaretur, respondet negative.* Hoc solummodo dici valet, *inquit,* quod de ejus vita invenitur Legenda manuscripta, et Latino idiomate efformata, quæ incipit : Gratia et benignitas Salvatoris, etc. Et quia est distincta in novem paragraphos, ad istorum singulos apposita est postilla marginalis Lectio 1, Lect. 2. Lect. 3, etc. Per quod forte indicatur intentio, quod hujusmodi Legenda esset ordinata ad Officium recitandum juxta formam qua olim novem lectiones de Sanctis recitari consueverunt. *Fatetur porro Illustrissimus in eisdem responsis :* sed unde hujusmodi Legenda fuerit desumpta, quisve sit auctor illius, penitus ignoratur. *Secure ego superaddidero, quod infra nimis quam manifeste patebit, obscure juxta ac verbose atque adeo barbare concinnatam esse, quam proinde ferme rejicere et Waddingi textui postponere statueramus ; verum cum similis prope elegantiæ sit cum ea quam de B. Michelina dedit Papebrochius, satius visum est, eam hic qualemcumque describere, vel sola vetustatis, quam in ipso principio scriptor abunde demonstrat, per particulam* nuperrime, *commendatione.*

AUCTORE J. B. S.

in 9 lectiones distribuitur.

7 *Sic de ipsa testatur is qui ipsam ad Papebrochium* XXV *Novembris anno* 1691 *misit idem illustrissimus Avius :* Quantum vero ad secundum quæsitum, concernens antiquam, quam de nostro B. Cecco vitæ descriptionem habemus, cujus initium est: Gratia et benignitas Salvatoris; dabo eam præsentibus adjunctam. Etsi vero illam multis mendis scatere cognoverim (unde quando publicæ luci foret exponenda, debita egeret emendatione) at omnimodam tamen sinceritatem servandam, satius existimavi, qualem inveni, fideliter exscriptam tuæ paternitati transmittere, quam curare, ut ab iis expurgaretur, in quibus vel prisci exemplatores, verborum defectu seu omissione aut variatione (quod in antiquis Actis sæpissime contingere solet) vel fortasse etiam primi hujus piæ historiæ expositores quoquo modo deliquisse conspiciuntur. *Atque eadem hac fide et nos totam historiæ qualemcumque congeriem, nec verbo immutato, hic subjiciemus, lectoris judicio rem totam relinquentes, ut vel ex seculi imperitia Actis ipsis, si non nitoris et auctoritatis, saltem antiquitatis momentum aliquod accedat.*

Quomodo frater B. Michelinæ.

8 *Nunc autem ad fraternitatem supra memoratam quod attinet, ita scribere ausus est D. Salvatorius :* Beatus Cicchus fuit Pisaurensis ex familia Metella, frater B. Michelinæ, ad cujus imitationem, dum eam vidit primam sui sexus habitu tertii Ordinis indutam, continuo et ipse eamdem Regulam inter viros professus est. *Quæ nisi multum fallar, valde accommode intelligenda sunt. Sic enim asserit illustrissimus Avius :* De ejusmodi inter eos, quæ supponitur, consanguinitate aut parentella, ne verbum quidem invenitur in descriptionibus, quæ hic habentur de illorum vita. *Rectissime, opinor, ut sola fraternitas secundum spiritum seu eumdem Ordinem intelligi possit. Minus etiam B. Michelinæ exemplum B. Cicco prælucere potuerit, quandoquidem jam ab anno* 1300 *mundo ipse valedixerat, dum B. Michelina necdum nata erat: certe ex Vita ejus tom.* 3 *Junii pag.* 929 *conficitur, quadragenaria majorem non fuisse dum anno* 1356 *e vivis eriperetur; ut prorsus conjicere nequeam, unde Salvatorius accipere potuerit, quæ ex ipso jam recitavimus. Erat itaque ætatis jam provectæ, et B. Michelina multo senior* B. Ciccus, *dum anno* 1350 *spiritum Deo redderet, ut ex ipsa Vita seu le-* C *ctionibus jam intelliges, quibus nihil est quod superaddamus, præter titulum et annotationes hinc inde necessarias. Titulus autem hujusmodi est :* Incipit Legenda beati Cicchi de Pensauro, Ordinis Fratrum gloriosi Francisci. *Nos cum nostro modo reddimus :*

VITA

in lectiones novem divisa,

ex Ms. Pisaurensi.

Multiplici gratia

LECT. I. Gratia et benignitas Salvatoris quotidie pullulans in Ecclesia militanti, nuperrime in servo suo beato Ciccho *a* refulsit, eumdem præveniens atque ducens ad portum finaliter salutarem, moribus, et vita laudabilem, ac miraculis plurimis coruscantem. Ipsum namque de Pensauri *b* civitate nativum, ut terrena despiceret, desiderio æternorum multiformis gratia spiravit interna, nec non et ipsa ratio efficax, et impellens spiritualiter duodena *c*. Exemplaritas quippe Christi, qui, cum dives esset in cœlis, factus est egenus in terris, ut non haberet, unde caput suum per terrenum desiderium reclinaret, perfecte monuit, et instruxit eumdem, ut cuncta quæ possideret terrena, protinus venumdaret, pro Christi nomine, pauperibus eroganda. Docibilitas euangelica, qua quisque Christi discipulus nuncupatur, renuntians terrenis, et pro Christi amore indigentibus dispensatis, Viri beati animum liquefecit. Caritas illibata, qua Vir quidem beatus tanto fuit divino amori conjunctus, quanto fuit a terrenis disjunctus, et eo fortius proximum diligit, quo mundi cupiditas perfecte deseritur, hujus Viri, in Christo devoti, animum incitavit, terrenis despectis, cœlestia recepturi. Stabilitas pugnæ continuæ et victoria capescente *d* cum nudo serpente; ut nudus luctans cum nudo, victoriam reportaret, et coronam exinde reciperet, adepturus gloriam laureatus. Multiplicitas gloriæ fructus centesimi *e* dulcoravit, ut vilipenderet animo omnia, quæ habentur in terris, procul dubio adipisci considerans, quæ et quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis. E

et virtutum stimulis

LECT. II. Brevitas temporis terrenorum, et ea possidentium breve tempus, veluti uni guttæ aquæ maris, ac arenæ sabulo comparatum, affectum Viri a Deo electi, ita a terrenis disjunxit, ut nullas rerum labentium delectationes requireret, nihil in hoc mundo cordialiter possideret, superni æternitate pensata. Ponderositas terrenorum inclinans affectionem diligentis ad ima, ac impediens cœlestia contemplari, ita Viri beati animum terruit, et pavorem incussit, ut omnibus abdicatis, etiam quæ animo poterat possidere, velut Viator vacuus, et cœlitus *f* exinde effectus, orationibus die nocteque insistens, collega fieret civium supernorum, adhuc in corpore situatus in terris. Viscositas ipsa terrena, more picis, contactu inquinans, a Deo separans inquinatum, animo Viri beati taliter terrorem induxit pariter et dolorem, ut a terrenis solutus, et in Christi servitio liber effectus, uxorem evitans, ut quoque modo placeret Deo, ei conjunctus, perpetuo cogitaret, militaturus summo Domino, nequaquam se negotiis secularibus implicaret. Spinositas terrena pungitiva, quæ ferit animam, atque pungit per avaritiam sitibundam, superflua sitientem, et propriis non contentam, alienorum famelicam, ac per hoc proximorum sanguinem usurpantem, ita Viri Dei mentem terroris pavore incusserat, et dolore, ut, jam cæcus terrenorum effectus, studeret in hoc seculo nil amare, nil appetitu etiam possidere; et conversans dumtaxat in cœlis civium cœlica tenens, civilium cœlicorum consiliorum carorumque ipse Cicchus existens cupidus, atque custos, velut civis cœlum binas suas custodiens jam fenestras, angelorum, civium supernorum Cicchus jam comes, et civis, aliquantarum ovium custos fieret in Ecclesia militanti : existens ipse pariter mitis ovis sub cura Romanæ Ecclesiæ Papalium prælatorum, qui foret percommodus, magnus futurus in Ecclesia triumphanti. F

incitatus hic Beatus,

LECT. III. Laboriositas nempe mundi plerumque impediens animam contemplari volentem a studio quietis mentalis, Viri Deo suasit, ut potius optimam partem Mariæ eligeret, a Domino commen-

Ex MSS.

A commendatam, solicitudine Marthæ aliis reservata. Varietas, et contrarietas morum existens, qua nemo potest Deo, et mundo, mammonæ iniquitatis servire, Viro beato consuluit, et ipsum exhortando induxit, ut moribus terrenis penitus abdicatis, cœlestibus conformaretur. Falsitas demum terrenorum præsentium, quæ et vanitas nuncupàtur, quæ veritate subdola, et veridica falsitate decipiunt animas, et defraudant, Virum Dei Cicchum præmonuit, gratia annuente superna, ut nequaquam rebus temporalibus inhæreret, quæ numquam asserunt veritatem : vovent enim lætitiam duraturam, donant at postea mœstitiam, et dolorem : promittunt requiem, et quietem, et condonant laborem : gloriam paciscuntur supernam, et ad inferos jam impellunt : promittunt satietatem imponentem rebus terrenis habenam, et dant esuriem acquirendi : spondent pacem cum omnibus universam ; at turbationem ac rixam cum pluribus incitant, et plurima mala producunt : promittunt vere inanem gloriam temporalem, et dant postea ingentem ruinam B spiritualem.

omnia in pauperes erogat et in tres capellas

Lect. iv. Prædictis igitur omnibus animo viri Cicchi beati a Deo infusis, vir Cicchus a Deo electus cœpit, atque perfecit sua bona omnia pauperibus erogare anno videlicet Domini mccc, existens ipse Vir Dei juvenilis ætatis, et gloriosi Francisci tertiam Regulam adipiscens, quæ de Pœnitentibus nuncupatur, heremiticam vitam duxit, morans ut plurimum extra Pensauri civitatem nativam, interpellatim in tribus locis solitariis, et devotis. Construxit namque Vir iste beatus, divina favente clementia, tres parvas ecclesias, sive capellas: unam prope Fanum per unum milliare, quæ vocatur S. Maria de Fano, sive de al Metero; ubi figuram, et majestatem gloriosæ Virginis Mariæ ordinari instituit, sub ejus nomine et honore, cum aliquali ædificio adjacenti, et hospitali parvo constructo. Aliam capellam construxit, assistentibus ei in Christo devotis amicis, prope Pensaurum per unum milliare, versus viam, qua itur Fanum, juxta ecclesiam ædificatam ibidem per fratrem Petrum suum spiritualem socium atque fratrem, sub vocabulo S. Mariæ Montis Granarii nuncupatam. Tertiam capellam solitarii loci construxit prope C Pensaurum, per unum milliare in Monte S. Bartholi, sic vocato, ubi orando devotus morabatur.

in quarum una frustra cum impetit diabolus;

Lect. v. Tribus igitur prælibatis constructis ecclesiarum capellis in fide beatissimæ Trinitatis et in assertione trium fidei spei et charitatis theologicarum virtutum, et in præsagium triplicis gratiæ, inchoatæ, adauctæ, et perseveratæ a Deo, et collatæ: quinimo in ostensione triplicium graduum salvandorum, videlicet conjugatorum, viduorum, et virginum, seu claustrorum *g*. Dum in loco Montis præfati S. Bartholi cœlitus, et contemplativus orator orationes Deo humiles et devotas obnixius exhiberet, prope cimam *h* montis existens Cicchus prædictæ Ecclesiæ, atque eo loci instans, et orans, diabolus serpens ejus felicibus actibus invidens, aquarum violentia, et pestilentiæ inauditæ ita fortiter lamam *i* cimæ superioris induxit, et irruit in ecclesiam prælibatam, credens, et sperans interimere devotum incolam, atque locum, ut ecclesia ipsa cum loco vehementi impulsione percussa, per jactum lapidis, de loco suo integraliter moveretur; divina gratia protegente, ut illibata stabilitate maneret.

tum in gula mire superatus.

Lect. vi. Perseverante viro Dei Ciccho in Domino, adjunctis ei aliquibus sociis Deo devotis, circuibat semel in mense, et amplius opportune civitates et castra, Cicchus ipse parvi gregis Custos et ovis, pro petenda eleemosyna a fidelibus eroganda; cujus devotioni Christianus quicumque devotus accurens, tanta cum exhibitione reverentiæ verebatur, ut, qui ejusdem Viri beati crucis signaculo signaretur, manum, vel fimbriam vestimenti contingeret, vel haberet, se fore beatum præ magno gaudio reputaret. Receptarum vero eleemosynarum modicis, pro substentatione ipsius, ac parvi sui gregis alimentis servatis, totum pro maritagio pauperum puellarum, ceterisque mendicis, ac commodis ecclesiarum et hospitalium erogabat. Corpus suum jejuniis multis castigabat, assidue portans pro camisia nudam panseriam *k* vel colectum. Semel autem, dum per locum quemdam civitatis Pensauri, more solito humilis mendicaret, porcellæ assatæ ibidem odore sensui ejus odoratus infuso, gulæ vitio a dæmone incitatus, particulam aliquam præfatæ porsettæ emptam a quodam suo carissimo compatre procuravit, quam ad domum apportans, et in cassa recludens, ad se ipsum E reversus, spiritu Dei superno, multorum dierum curriculo jam elapso, quoadusque vermibus scaturiret, ipsam videns, et tangens, tactu, et visu omnibus aliis horribilem, et despectam, velut fœtentem, et vermibus correpletam, odoratu nasi proprii, et oris osculo intrepide porrigebat. Hincque se totum nudum ex illa perungens, taliter vitium gulæ devicit et dæmonem, qui tentator confusus abscedens, eum de gulæ vitio, tamquam victus, amplius non tentavit.

Non uno miraculo avarum corrigit.

Lect. vii. Revertente Viro Dei de indulgentia Portiunculæ, videlicet S. Mariæ de Angelis, prope Assisium constitutæ, cum sociis pluribus devotis in Christo, cum ejus sanctitatis fama esset Provinciis plurimis patefacta, retento violenter a civibus Perusinis, non odio, sed amore, ut ibidem moraretur cum eis quibusdam diebus, recedentibus comitibus, præ tristitia absentiæ Viri sancti plorantibus, atque mœstis dixit Vir sanctus : Ite in pace, quia prope Pensaurum, Dei gratia operante, vos me videbitis præsentem ; sicque factum est, ut ipsis sociis appropinquantibus Pensaurum propriæ civitati *l*. Virum beatum ibidem alacres cum ineffabili lætitia invenirent, quem in districtu Perusii retentum invitum tristes cum magna mœstitia dimiserant. F Nobilis quidam de Arimino de domo Philippi Domini grandi de Malatestis, compater Viri sancti, duas anguillas salitas, et affumatas per internuntium transmisit eidem beato in monte S. Bartholi commoranti. Qui nuntius, avaritia et gula commotus, una illarum in sylvuncula quadam dimissa sub quadam parva arbore, et appensa, aliam Viro Dei Ciccho, ex parte dicti nobilis assignavit, et recedens, applicans ad anguillam appensam, inveniensque eamdem in vivum serpentem conversam, stupefactus, et tremens, ac se ipsum corrigens de peccato, quod commiserat in virum nobilem et Beatum, reversus ad Sanctum, gemens, et lacrymans, genuflexus, furtum, et factum annuntians, petens veniam ab eodem ei misericordiam condonante : pariter et anguillam quam in pristinam formam reversam a Viro Dei audiverat inveniri, petita licentia, et benedictione secuta, cum magna fiducia est reversus ad sylvam. Inveniens autem anguillam propriæ primæ formæ, et eamdem secum apportans, de tantis visis miraculis, Deum mirabiliter collaudavit.

Lect. viii.

EX MSS.

Gallus gallinacens prodigiose vitæ restituitur: m

Lect. viii. Vir Deo devotus, dum graviter esset infirmus, assistentibus ei commatribus *m* suis plurimis, et devotis. Una illarum, pietate commota, gallum quemdam, quem Vir ipse beatus tenere diligebat, pro eo quod ad singulas horas cantans, eum incitabat ad laudes, absque ferro aliquo interfecit, et eumdem præmortuum in aqua calida balneans, et humectans, pelatum in cassa servavit, volens perutile ferculum facere ex eodem, ipsi Viro Dei ægroto, pro recuperanda pristina sanitate, reddendum. Vir Dei ad se qualicumque vigore reversus, galli cantus amore privatus, sentiens finaliter rei factum: Apportate, inquit, gallum festine meum socium interfectum, quem a commatre illa concita apportatum intuens mortuum, et pelatum, suspirans compassionaliter, manibus apprehendit, et orans Dominum suppliciter decubans in grabato, facto Crucis signaculo, gallus vivus, et sanus, ac pluma velatus cantavit præ gaudio, Domino reddens laudes. Dum Vir Dei per civitatem pergeret Pensaurinam, et more solito mendicaret, duo homines insultantes eum duriter arguerunt de tot, et tantis per eum quotidie mendicatis. Quorum, nutu Dei subito permisso unus perdidit modulos promptæ loquelæ, et alius aridus est effectus.

B

femina vero docetur, vota esse complenda.

Lect. ix. Domina Elisabeth nobilis, et generosa uxor domini Malatestæ Pensauri de Malatestis, dum graviter infirmaretur in tibia, a cujus morbo nullo poterat medicorum remedio liberari, vovens fratri Ciccho beato, mediante, et suadente consilio nobilis dominæ Niesinæ de Urbino spiritualis et in Christo devotæ, atque per eamdem dominam Niesinam voto emisso viro Dei Ciccho, ejus santulo atque patri, qui eam de fonte levaverat, fuit precibus, et meritis Viri sancti pristinæ sanitati illico restituta. Et dum non redderet laudes Deo, et fratri Ciccho beato, ut promiserat jam infirma, sed potius illud attribueret medico, et unguentis, recidivavit protinus in infirmitatem pristinam, et pejorem; et præ nimio dolore ejulans, ac gemens, amaras dabat lacrymas, atque voces. Quapropter contrita de ingratitudine prælibata, et accepti beneficii memor effecta, eidem Beato votum fortius iteravit: cujus vota Deus ex alto prospectans, meritis Viri beati præfatam dominam iterum liberavit. Quæ grata Deo, et beato Ciccho existens, votum, quod promiserat, perfecte implevit; et omni anno, dum vixit, fecit in die natalis Viri beati Officium solemniter celebrari, convocatis ibidem omnibus Religiosis et monachis ad Officium, ad laudem Dei, et reverentiam dicti Sancti devotius celebrandum ab ipsa domina, refectione sequente, et postea ab ipso domino viro, et heredibus subsequuta. Mortuus est autem Vir Dei Cicchus anno Domini MCCL *n* in senectute bona, et plenus dierum, in Monte S. Mariæ Granarii, translatus postea ab eadem ad ecclesiam episcopalem civitatis Pensauri; ubi ejus corpus Dei gratia requiescit, sequentibus signis, et miraculis multis, ejus meritis a Deo factis, et divina gratia annuente, omnibus eum invocantibus pro salute, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cujus est honor, et gloria, cum Deo Patre, et Spiritu sancto, per infinita secula seculorum *o*. Amen.

C

D

ANNOTATA.

a *Jam dixi* Cicchum *diminutivum esse a Francisco, ubi aspiratio Italorum more recte inseritur ante litteram* i, *non item ante* o *et* u, *ut alii passim scribant* Cicco, Ciccum; *nos hic Vitæ ipsius orthographiam sequimur.*

b *De* Pensauro, *ut a sciolis medii ævi scribi solet, egit Papebrochius citata superius pag.* 929. *Nos hic etiam et barbarismos et solœcismos intactos relinquimus, modo aliqualiter intelligi possint.*

c *Quæ sit hic* ratio efficax duodena, *fallor, si quis facile observet, nisi digito ferme præmonstretur. Adverte igitur ad tres primas lectiones, in quibus dodecadem illam demum invenies, incipiendo ab* Exemplaritate Christi, *tum a* Docibilitate euangelica, Caritate illibata, Stabilitate pugnæ, Multiplicitate gloriæ, Brevitate temporis, *etc.*

E

d *Caperem aliquid, si scriberet* capessenda *vel obtinenda.*

e *Aut fallor, aut auctor vult dicere* fructum centuplum.

f *Quid sibi vult* cœlitus? *Diceret* cœlestis; *verum similibus observandis supersedeo.*

g *Voluit dicere* claustratorum, *seu in Claustris viventium. Triades istæ procul accersitæ sunt.*

h Cima *Italis est* summitas *seu* vertex: *atque id quidem intelligitur; sequentia Œdipo ferme opus habent.*

i Lama *sumitur pro* plano *seu* planitie. *Ast illam* aquarum violentiam, pestilentiam inauditam, *et* lamam cimæ inducere et irruere *melius ferme explicat Beati imago superius data, quam contorta scriptoris narratio. Dicamus ecclesiolam fuisse in montis declivi, in quam diabolus ejus verticem devolverit cum pestilenti pluvia.*

k *De* panseria *superius in Commentario prævio actum est.*

l *Patet, opinor, legendum omnino esse* prope civitatem.

F

m Plurimæ commatres, *et supra* compater, *satis ostendunt, Viri famam multos impulisse, ut infantes suos de sacro baptismi fonte ab eo suscipi curarent.*

n *Patet error manifestus, ex eo quod Beatus diserte dicatur pœnitentis vitam agressus anno* 1300.

o *Talis etiam est finalis clausula Vitæ B. Michelinæ, unde recte advertit Papebrochius paratas fuisse Lectiones ut in Officio recitarentur; quidquid de harum usu non satis constet.*

SYNAXARIUM

SYNAXARIUM

Ex Menologio, jussu Basilii Imperatoris collecto, cujus sex postremi menses servantur manuscripti in monasterio Basilianorum

CRYPTÆ-FERRATÆ IN LATIO.

ΜΗΝΙ ΑΥΓΟΥΣΤΩ Α'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΚΚΑΒΑΙΩΝ.

DIE I SS. Machabæi.

Ἐλεάζαρ ὁ τιμιώτατος, διδάσκαλος ἦν τῶν ἑπτὰ παίδων τῆς ἁγίας Σολομωνίδος, κατοικῶν ἐν Ἱεροσολυμοις. Πορθήσαντος δὲ Σελεύκου τοῦ βασιλέως τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ τὸ τῶν Ἑβραίων γένος αἰχμαλωτίσαντος, ἐκρατήθησαν καὶ οὗτοι, καὶ ἠναγκάσθησαν ἑλληνικῶν ἀπογεύσασθαι θυσιῶν, καὶ μιαροφαγῆσαι. Μὴ πεισθέντες δὲ, ἀλλ' ὑπὲρ πατρίων ἀγωνισάμενοι νόμων, διαφόροις ὑπεβλήθησαν τιμωρίαις. Καὶ πρῶτον μὲν ὁ Ἐλεάζαρος τυφθεὶς σφοδρῶς, καὶ εἰς πῦρ βληθεὶς, καὶ εὐξάμενος τῷ Θεῷ τὸ πνεῦμα παρέδωκε. Δεύτερον δὲ οἱ παῖδες κατὰ τάξιν ὡς ἐγεννήθησαν καθ' εἷς ἀχθέντες, καὶ ἀρθρεμβόλοις, καὶ καταπέλταις, καὶ τροχοῖς, καὶ πυρὶ προσομιλήσαντες, ὑπὲρ εὐσεβείας ἐτελειώθησαν· δείξαντες ὄντως τὸν λογισμὸν αὐτοκράτορα τῶν παθῶν. Καὶ τρίτον ἡ αὐτῶν μήτηρ Σολομωνὶς αὐτομάτως εἰς τὴν κάμινον εἰσελθοῦσα, τοῖς ἰδίοις ἐπαπέθανε τέκνοις.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΛΕΟΝΤΙΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΑΣ ΑΥΤΟΥ.

Leontius et Alexander ac Socii martyres.

Λεόντιος καὶ Ἀλέξανδρος, οἱ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρες μετὰ τῆς ἱερᾶς συνοδίας αὐτῶν, ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ ἐκ τῆς χώρας Παμφυλίας, ἐκ διαφόρων μὲν χωρίων ὄντες μίαν δὲ γνώμην ἔχοντες πρὸς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὡς Χριστιανοὶ ἐκ προγόνων τυγχάνοντες. Κοινῇ τοίνυν βουλευσάμενοι, καὶ πάντα τὰ βιωτικὰ εἰς οὐδὲν λογισάμενοι, κατέλαβον τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν· καὶ ἐν αὐτῷ γενόμενοι κατέστρεψαν πάντα τὰ εἴδωλα. Γνωσθέντες οὖν, καὶ κρατηθέντες, ἐτύφθησαν σφοδρῶς, καὶ μετὰ σιδηρῶν ὀνύχων ἐξέσθησαν, καὶ σουβλίοις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξεκεντήθησαν· καὶ φυλακῇ παραδοθέντες, ἄτροφοι διέμειναν ἐπὶ πολλαῖς ἡμέραις. Εἶτα τῆς φυλακῆς ἐκβληθέντες ἐθηριομάχησαν· τὰ δὲ θηρία οὐχ ἥψαντο αὐτῶν. Καὶ λαβόντες τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν, ἀπεκεφαλίσθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Β'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩ.

DIE II Stephanus ac Socii.

Στέφανος ὁ ἱερομάρτυς ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Οὐαλεριανοῦ ἐκ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης. Κρυπτόμενος δὲ διὰ τὸν διωγμὸν, ἐν οἰκήματι τοὺς πρὸς αὐτὸν παραγενομένους ἕλληνας ἐβάπτιζε, καὶ διακόνους καὶ πρεσβυτέρους ἐχειροτόνει, καὶ τὸν Θεὸν παρεκάλει ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας. Ἰασάμενος δὲ καὶ τὴν θυγατέρα Ἐμεσίου τοῦ δημάρχου, παρεσκεύασε αὐτὸν βαπτισθῆναι, καὶ οὐ μόνον αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ πλῆθος ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν, οἵτινες διαφόροις τιμωρίαις ἐτελειώθησαν. Τὰ δὲ λείψανα αὐτῶν συναγαγὼν ὁ ἀρχιερεὺς Στέφανος, ἐντίμως ἐκήδευσεν. Εἶτα ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἄρεως ἀναγκασθεὶς εἰσελθεῖν, καὶ προσκυνῆσαι, εἰσῆλθε, καὶ τῷ Θεῷ προσευξάμενος, κατέβαλε τὸ εἴδωλον, καὶ μετὰ ταῦτα λειτουργῶν, ἀπεκεφαλίσθη, καὶ κατετέθη ἐν αὐτῇ τῇ καθέδρᾳ σὺν τῷ μαθητῇ αὐτοῦ, ἐπὶ χεῖρας κρατοῦντι τὸ τῆς πίστεως ἅγιον σύμβολον.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Γ'.

ΜΝΗΜΗ ΤΩΝ ΟΣΙΩΝ ΔΑΛΜΑΤΟΥ ΚΑΙ ΦΑΥΣΤΟΥ ΚΑΙ ΙΣΑΚΙΟΥ.

DIE III Dalmatus Faustus et Isacius.

Ὁ ὅσιος Ἰσάκιος πρότερον ἐν τῇ ἐρήμῳ ἀσκήσας, καὶ τὰ πάθη τοῦ σώματος νεκρώσας, καὶ τοὺς δαίμονας νικήσας, ὕστερον κατὰ θείαν πρόνοιαν παρεγένετο εἰς Κωνσταντινούπολιν· καὶ προσκαθεσθεὶς ἑνὶ τῶν τῆς πόλεως μοναστηρίων, ὃ τοῦ Δαλμάτου νῦν λέγεται, διὰ τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ καὶ τῆς διδασκαλίας, πολλοὺς ἔπεισε καταλιπεῖν τὸν κόσμον, καὶ γενέσθαι μοναχοὺς, καὶ σωθῆναι· ἐξ ὧν ἦσαν Δάλματος, καὶ Φαῦστος ὁ υἱὸς αὐτοῦ. Οὗτος γὰρ στρατιώτης ὢν ἐπὶ τῆς βασιλείας Θεοδοσίου, ἐν μιᾷ ἀπελθὼν καὶ συντυχὼν τῷ Ἁγίῳ, καὶ τῆς ἐκείνου ὁμιλίας γευσάμενος, καταλιπὼν καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα, μόνον δὲ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Φαῦστον ἀναλαβὼν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ γέγονε μοναχὸς, ἀποκείρας καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Καὶ οὕτως ἠγωνίσαντο, ὡς περιβόητοι γενέσθαι βασιλεῦσι καὶ συγκλήτῳ, καὶ θαύματα διάφορα εἰς δόξαν Θεοῦ ἐπιτελέσαι· καὶ οὕτως μετα τελευτὴν Ἰσαακίου τελειωθῆναι.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Δ'

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ ΤΟΥ ΚΟΥΒΙΚΟΥΛΑΡΙΟΥ.

DIE IV Eleutherius Cubicularius Martyr.

Ἐλευθέριος ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς ἦν μὲν ἐκ τῆς πόλεως Βυζαντίδος ἐπὶ τῆς Βασιλείας Μαξιμιανοῦ, εἷς τῆς συγκλήτου, εὐνοῦχος δὲ καὶ τῷ βασιλεῖ προσῳκειωμένος. Ἐπεὶ δὲ εὐηρέστησε μὲν τῷ Θεῷ διὰ τῆς τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ ἐργασίας· οὐκ ἦν δὲ τετελειωμένος τῷ θείῳ βαπτίσματι, καὶ θέλων βαπτισθῆναι, ἠτήσατο τὸν βασιλέα ἐάσαι αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς τὸ προάστειον αὐτοῦ. Καὶ τυχὼν τῆς αἰτήσεως, ἀπῆλθε πλησίον τοῦ Σαγγάρου ποταμοῦ. Καὶ ποιήσας ὑπὸ

γῆν κρυπτὴν ἐκκλησίαν, καὶ πρεσβύτερον ἀγαγὼν, ἐβαπτίσθη ἐκεῖ · καὶ θέλων ἐκφυγεῖν τὸν βασιλέα; προεφασίσατο νόσον. Καὶ μαθὼν ταῦτα ὁ Μαξιμιανὸς, παρεγένετο ἐπὶ τοῦ τόπου, καὶ αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδὼν τὸν ναὸν, καὶ τὴν εὐκοσμίαν τοῦ θυσιαστηρίου, ὠργίσθη · καὶ κρατήσας αὐτὸν, καὶ πρότερον ἱκανῶς βασανίσας, ὕστερον ἀπεκεφάλισεν.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Ε'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΕΥΣΙΓΝΙΟΥ.

DIE V Eusignius Martyr.

Εὐσίγνιος ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς ἦν μὲν ἐκ τῆς μεγάλης Ἀντιοχείας. Γέγονε δὲ στρατηγὸς Κώνσταντος, τοῦ πατρὸς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου. Καὶ διαρκέσας μέχρις Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, καὶ κρατηθεὶς ὡς Χριστιανὸς, ἤχθη εἰς ἐξέτασιν. Καὶ ἐλέγξας τὸν παραβάτην ὡς τὸν ἀληθῆ Θεὸν καταλιπόντα, καὶ τοῖς ματαίοις εἰδώλοις προσελθόντα ὡς θεοῖς, ἐξετάθη εἰς μάστιγας, καὶ τιμωρηθεὶς ἰσχυρῶς, ἐπείπερ ταῖς πληγαῖς κατεπονήθη, ἐτῶν γὰρ ἦν ἑκατὸν δέκα, ἀπερρίφη ἐν φυλακῇ, καὶ μετά τινας ἡμέρας τῆς φυλακῆς ἐκβληθεὶς, καὶ πάλιν τῷ παραβάτῃ παραστὰς, ἠναγκάζετο ἀρνήσασθαι μὲν τὸν Χριστὸν, θῦσαι δὲ τοῖς εἰδώλοις · καί μὴ πεισθεὶς, ἀλλὰ πάλιν ἐλέγξας τὸν τύραννον, ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη · καὶ οὕτως ἐτελειώθη, ἀπολαβὼν στέφανον ἀμάραντον, καὶ ζωὴν αἰώνιον.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΣΤ'.

Η ΜΕΤΑΜΟΡΦΩΣΙΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

DIE VI Transfiguratio D. N. Jesu Christi.

Ἐπειδὴ πολλὰ περὶ κινδύνων καὶ τινων λυπηρῶν ὁ Χριστὸς πρὸς τούς μαθητὰς διελέχθε · καὶ τὰ μὲν ἦσαν ἐν τῷ παρόντι βίῳ · τὰ δὲ ἀγαθὰ ἐν ἐλπίσι · βουλόμενος αὐτούς πληροφορῆσαι, καὶ δεῖξαι τὶς ἐστὶν ἡ δόξα ἐκείνη, μεθ' ἧς μέλλει παραγενέσθαι, ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν, καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν. Καὶ ἔλαμψεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος · τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς. Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς Μωϋσῆς καὶ Ἡλίας μετ' αὐτοῦ συλλαλοῦντες. Τοὺς τρεῖς δὲ μόνους τῶν ἄλλων παραλαμβάνει ὡς ὑπερέχοντας · Μωϋσῆν δὲ καὶ Ἡλίαν εἰς μέσον παράγει, τὰς εἰς αὐτὸν οὐκ ὀρθὰς ὑπονοίας παρὰ τοῖς πολλοῖς γινομένας διορθούμενος. Ἐπειδὴ γάρ τινες μὲν αὐτὸν Ἡλίαν ἔλεγον, ἄλλοι δὲ Ἱερεμίαν, διὰ τοῦτο τούτους παρίστησιν, ἵνα τοῖς μαθηταῖς δείξῃ τὸ μέσον τῶν δούλων καὶ τοῦ δεσπότου, καὶ πληροφορήσῃ αὐτοὺς, ὅτι καὶ θανάτου καὶ ζωῆς ἐξουσίαν ἔχει.

DIE VII Dometius Martyr.

Sequitur eodem mense *(die)* VII sancti martyris Dometii *annuntiatio cum elogio; sed cum illud ipsum exstet ad diem* XXIII *Martii, ac apud nos Græce editum sit ad calcem tomi* I *istius mensis pag.* 871; *Latine item redditum tom.* III *pag.* 459, *quo de hoc Martyre agitur; supervacaneum foret, elogium idem ex eodem instrumento hic repetere; quod ibi videri potest; uti et Prætermissi ad diem* XII *hujus mensis Augusti.*

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Η'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΜΑΡΙΝΟΥ.

DIE VIII Marinus Martyr.

Ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Μαρῖνος ὑπῆρχε μὲν ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ, ἐκ τῆς πόλεως Ἀναζάρβου. Χριστιανὸς δὲ ὢν, καὶ πολλοὺς τῶν ἀπίστων προσάγων τῷ Χριστῷ, καὶ βαπτίζων, κατεμηνύθη τῷ ἡγεμόνι Λυσίᾳ, καὶ κρατηθεὶς, καὶ παραστὰς ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ τὸν Χριστὸν ὁμολογήσας, ἐτύφθη σφοδρῶς. Καὶ σίδηρα βαρέα περιτεθεὶς, εἰς φυλακὴν ἐνεβλήθη. Καὶ τῇ ἑξῆς ἀχθεὶς εἰς ἐρώτησιν, καὶ ἀναγκασθεὶς ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, καὶ θῦσαι τοῖς εἰδώλοις, καὶ μὴ πεισθεὶς, ἐκρεμάσθη ἐκ τῶν ποδῶν ἐπὶ ξύλου, καὶ κατεκόπη ταῖς μάστιξιν. Εἶτα κατεκάη λαμπᾶσι, καὶ μέχρι τελευταν ἀναπνοῆς ἐμμείνας τῇ εἰς Χριστὸν ὁμολογίᾳ, ἔλαβε τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν, καὶ ἑλκυσθεὶς ἔξω τῆς πόλεως, τὴν ἱεράν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀπετμήθη. Τὸ δὲ σῶμα αὐτοῦ ῥιφὲν τοῖς κυσὶν εἰς βρῶσιν, ὑπὸ Ξανθίου τινὸς εὐλαβοῦς παρεδόθη ταφῇ.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΑΙΜΙΛΙΑΝΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΥΖΙΚΟΥ.

Æmilianus Martyr.

Αἰμιλιανὸς ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν, καὶ μέγας ἱερομάρτυς, καὶ ὁμολογητὴς, ἦν μὲν ἐπὶ τῶν χρίνων τῶν εἰκονομάχων βασιλεὼν ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Κυζίκου. Διέλαμπε δὲ οὐ μόνον εὐσεβείᾳ καὶ γνώσει καὶ τῇ λοιπῇ καταστάσει πρεπούσῃ τοῖς ὄντως ἀρχιερεῦσιν, ἀλλὰ καὶ ἐλεημοσύνῃ καὶ συμπαθείᾳ, μακροθυμίᾳτε, καὶ χρηστότητι. Εἶχε δὲ καὶ ζῆλον θεϊκὸν ὑπὲρ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ διέβαλλε παῤῥησίᾳ τούς μὴ προσκυνοῦντας καὶ τιμῶντας τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας, αἱρετίκοὺς αὐτοὺς ἀποκαλῶν καὶ ἐχθροὺς τοῦ Χριστοῦ. Διαβληθεὶς σὺν τῷ μισοχρίστῳ βασιλεῖ Λέοντι παρὰ τῶν τῆς ἀληθείας ἐχθρῶν, κρατηθεὶς ἤχθη δέσμιος πρὸς αὐτὸν, καὶ μυρίαις κακώσεσι καθυποβληθεὶς πρότερον, ὕστερον ἐξορισθεὶς, ἐν τῇ ἐξορίᾳ πολλοὺς πειρασμοὺς ὑπομείνας, ἐτελειώθη.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΘΕΟΔΟΣΙΟΥ.

Theodosius Monachus.

Θεοδόσιος ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐντολῇ πειθαρχῶν τῇ λεγούσῃ · Ὅστις οὐκ ἀφήσει πατέρα, καὶ μητέρα, καὶ ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς, καὶ ἀγροὺς, καὶ οἰκίαν, καὶ ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκοληθεῖ ὀπίσω μου, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητὴς, κατέλιπεν ἅπαντα, καὶ ἄρας αὐτοῦ τὸν σταυρὸν ἐπ' ὤμων, ἠκολούθησεν αὐτῷ προθύμως, καὶ γενόμενος μοναχὸς, ἐμάκρυνε φυγαδεύων ἐν τῇ ἐρήμῳ, πότε μὲν ἐν ὄρεσι διατρίβων, ποτὲ δὲ ἐν σπηλαίοις διαιτόμενος, καὶ τρεφόμενος ἐκ τῶν καρπῶν τῶν δένδρων, καὶ τῶν παραφυομένων ταῖς πέτραις βοτανῶν, ἐκ νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ τὸν Θεὸν παρακαλῶν ὑπὲρ ἑαυτοῦ, καὶ ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας. Οὕτω δὲ βιοὺς, ἐδέξατο καὶ θαυμάτων χάρισμα, καὶ πολλοὺς ἀσθενοῦντας, πρὸς Θεὸν ἐξεδήμησε χαίρων.

ΚΑΙ

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΕΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΑΙ ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΥ ΜΥΡΩΝΟΣ.

Myro Thaumaturgus.

Μύρων, ὁ ἐν ἁγίοις καὶ μέγας ἱεράρχης, ἦν μὲν ἐκ τῆς νήσου Κρήτης ἐπὶ τῆς βασιλείας Δεκίου, εὐγενῶν δὲ γονέων υἱός· ὑφ' ὧν καὶ ζευχθεὶς γυναικὶ, ἐπολιτεύετο εὐσεβῶς, καὶ ἐργαζόμενος σπουδαίως τὴν γῆν, διέτρεφεν ἐκ τῶν καρπῶν τοὺς πένητας. Ἔχων δέ ποτε κῆπον ἐρεβίνθων, εὗρεν ἐν αὐτῷ κλέπτοντάς τινας ἐρεβίνθους· οἵτινες ἐδόκουν μὲν συνάγειν ἐρεβίνθους, ἐλάμβανον δὲ ἀκάνθας· καὶ δοὺς αὐτοῖς ἐρεβίνθους ἀπέλυσεν. Καὶ ἄλλους εὑρὼν ἐν τῇ ἅλωνι γεμίσαντας τοὺς σάκκους ἑαυτῶν σίτου, καὶ μὴ δυναμένους κουφίσαι αὐτοὺς, ἐπέθηκεν ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν τοὺς σάκκους, καὶ ἀπέλυσε, παραγγείλας ἀπελθεῖν καὶ μηκέτι κλέψαι· Εἶτα χειροτονηθεὶς πρεσβύτερος, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπισκόπος, καὶ τῆς εἰς τοὺς πένητας ἐλεημοσύνης μηδέποτε ἐπιλαθόμενος, ἐν εἰρήνῃ ἐκοιμήθη.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ.

Antonius Martyr.

Ἀντωνῖνος, ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, ἦν μὲν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας τῆς πόλεως, Χριστιανὸς δὲ καὶ εὐλαβὴς, καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν. Διὰ τοῦτο κρατηθεὶς ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν, προσήχθη τῷ ἄρχοντι, καὶ ἐρωτηθεὶς ὡμολόγησε τὸν Χριστόν. Κρεμασθεὶς οὖν ἐπὶ ξύλου ἐξέσθη σφοδρῶς, καὶ ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν δημίων καὶ τῶν παρισταμένων τῷ ἄρχοντι στρατιωτῶν ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, καὶ ἀπολυθῆναι τῆς βασάνου, αὐτὸς μᾶλλον μεγάλῃ τῇ φωνῇ τὸν μὲν Χριστὸν Θεὸν ἀληθινὸν ἀνεκήρυττε, τὰ δὲ εἴδωλα καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὰ διέσυρε καὶ ἐχλεύαζεν. Ἐπὶ πολὺ δὲ ταῖς βασάνοις προσκαρτερήσας, τὴν διὰ τοῦ πυρὸς ἀπόφασιν ἔλαβε, καὶ οὕτως εὐξάμενος, καὶ τοὺς παρεστῶτας διδάξας μόνον τὸν Χριστὸν γνωρίζειν Θεὸν, βληθεὶς εἰς τὴν κάμινον, παρέδωκε τὴν μακαρίαν αὐτοῦ ψυχὴν τῷ Θεῷ.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Θ'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΑΣ ΑΥΤΟΥ.

DIE IX Julianus ac Socii Martyres.

Οὗτοι ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ εἰκονομάχου. Ὄντες δὲ ὀρθόδοξοι, καὶ τὸν Θεὸν φοβούμενοι, καὶ τὰς ἁγίας εἰκόνας τιμῶντες ἐμαρτύρησαν. Ὁρῶντες γὰρ αὐτὸν τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκύνησιν ἀποστρεφόμενον, καὶ αὐτὰς πυρὶ κατακαίοντα, ἐζηλοτύπουν λυπούμενοι. Ὅτε δὲ εἶδον καὶ τὴν χαλκῇ πύλῃ τιμίαν εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ διορυσσομένην, ἐξήνεγκαν τὴν λύπην εἰς φῶς, καὶ κρατήσαντες τὸν ἐπὶ τῆς σκάλας ἀναβάντα σπαθάριον πρὸς τὸ καταλῦσαι τὴν εἰκόνα, καὶ ῥίψαντες ἐπὶ τὴν γῆν μετὰ τῆς σκάλας ἀπέκτειναν. Καὶ κεντήσαντες εἰς θυμὸν τὸν τύραννον, οἱ μὲν παραυτίκα ξίφει ἐτελειώθησαν, πολλοὶ τὸν ἀριθμὸν ὄντες, ἐν οἷς ἦσαν καὶ γυναῖκες οὐκ ὀλίγαι, καὶ Μαρία ἡ πατρικία· οἱ δὲ φυλακῇ παραδοθέντες, καὶ τὰ πρόσωπα κατακαέντες, καὶ πολλὰ δεινὰ ὑποστάντες, ἀπεκεφαλίσθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Ι'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΕΥΠΛΟΥ.

Εὔπλος ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς ὑπῆρχεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ ἐκ τῆς πόλεως Κατάνης τῆς ἐν Σικελίᾳ τῇ νήσῳ. Διάκονος δὲ ὢν τῆς ἐν αὐτῇ ἐκκλησίας, ἐδίδασκε τὸν λαὸν τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, ὑπαναγινώσκων τὰς ἱερὰς Γραφάς. Ὅθεν διαγνωσθεὶς καὶ κρατηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος, καὶ τὸν Χριστὸν ἀρνήσασθαι βιασθεὶς, καὶ μὴ πεισθεὶς, ἐδέθη χεῖρας καὶ πόδας, καὶ κρεμασθεὶς ἐπὶ ξύλου, χερσὶ σιδηραῖς, καὶ ὄνυξι κατεξαίνετο, καὶ βαρείαις σφύραις τὰ ὀστᾶ συνετρίβετο. Εἶτα τοῦ ξύλου καταβιβασθεὶς, φυλακῇ ἐναπερρίφη, ἔνθα διψήσας, καὶ μὴ ἔχων ὕδωρ πιεῖν, προσευξάμενος πηγὴν ὕδατος ἐξήγαγε τῆς γῆς, καὶ πιὼν εὐχαρίστησε τῷ Θεῷ. Μετὰ ταῦτα τῆς φυλακῆς ἐκβληθεὶς, καὶ τὰς ἀκοὰς αὐτοῦ σουβλίοις διατρυπηθεὶς, τελευταῖον ξίφει τὴν ἱερὰν αὐτοῦ κεφαλὴν ἀπετμήθη. DIE X Euplus Martyr

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΑ'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΦΩΤΙΟΥ ΚΑΙ ΑΝΙΚΗΤΟΥ.

Φώτιος καὶ Ἀνίκητος οἱ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρες ὑπῆρχον μὲν ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ· ἦν δὲ ὁ Φώτιος ἀνεψιὸς τοῦ Ἀνικήτου. Δημηγορήσαντος δὲ Διοκλητιανοῦ ἐν Νικομηδείᾳ, καὶ πάντα τὰ βασανιστήρια εἰς μέσον προθέντος, καὶ ἀπειλήσαντος, ὡς εἴ τις ἑαυτὸν Χριστιανὸν ὁμολογήσει, θανάτῳ ὑποπεσεῖται· παρὼν ὁ Ἀνίκητος, Χριστιανὸν ἑαυτὸν μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἀνεκήρυξε. Καὶ κρατηθεὶς ἐτύφθη σφοδρῶς, καὶ τὰ ἐπ' αὐτὸν ἀπολυθέντα θηρία, ἡμερώτερα προβάτων ἀπέδειξεν. Εἶτα προσευξάμενος, συνέτριψε τὸ τοῦ Ἡρακλέως ξοάνον· λαβὼν δὲ τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν, καὶ μέλλων ἀποκεφαλισθῆναι, δι' εὐχῆς ἐξήρανε τοῦ δημίου τὴν χεῖρα. Τότε προσδραμὼν ὁ Φώτιος, ἠσπάσατο αὐτὸν, καὶ κρατηθεὶς συνεδέθη αὐτῷ, καὶ ἀμφότεροι διαφόρως βασανισθέντες, τέλος πυρὶ ἐτελειώθησαν. DIE XI Photius et Anicetus Martyres

Dies isti vacant. XII, XIII, XIV

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΙΕ'.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΟΥΡΣΙΚΙΟΥ.

Ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Οὐρσίκιος ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ ἐκ τῆς χώρας τοῦ Ἰλλυρικοῦ, τὴν τάξιν στρατιώτης, τὴν ἀξίαν τριβοῦνος. Χριστιανὸς δὲ ὢν κατεμηνύθη τῷ βασιλεῖ ὑπὸ ἑνὸς τῶν ὑπ' αὐτὸν στρατιωτῶν, καὶ κρατηθεὶς, ἐβιάζετο θῦσαι τοῖς εἰδώλοις. Μὴ πεισθεὶς δὲ, ἐτύφθη σφοδρῶς, καὶ δεθεὶς χεῖρας καὶ πόδας σχοινίοις πάχεσι χρισθεῖσιν ἐλαίῳ καὶ θεάφῳ καὶ ῥητίνῃ καὶ πίσσῃ, καὶ ἐμπρησθείσῃ πυρὶ κατεκαίετο ἀνιλεῶς. Καιομένων δὲ τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν, ἀνακράξας ἔφη· Καλὰ καὶ δίκαια πάσχω· ἄξιαι γάρ εἰσιν αἱ χεῖρες αὗται καύσεως, ὅτι τὸν τύραννον κάκιστα ἀπολλύμενον ἐν πολέμῳ, ὡς DIE XV Ursicius Martyr

σταντίνου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῖς Ἀριανοῖς προσκειμένου, ᾐτήσατο Εὐσέβειος ὁ Νικομηδείας ἀπελθεῖν, καὶ θεάσασθαι τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ναόν. Καὶ τῆς αἰτήσεως τυχὼν, καὶ ἀπελθὼν, συνήθροισε τοὺς Ἀριανοὺς ἐπισκόπους, καὶ παρασκευάσας γυναῖκα βαστάζουσαν παιδίον, κατηγορῆσαι καὶ εἰπεῖν ὅτι τοῦ Εὐσταθίου ἐστὶν, καθερεῖ αὐτόν. Καὶ γράψας πρὸς τὸν βασιλέα, ἔπεισεν ἐξορίσαι αὐτὸν εἰς Φιλιππούπολιν· ἔνθα καὶ πολλὰ πειρασθεὶς, ἐτελειώθη. Ἡ δὲ γυνὴ ὡμολόγησεν ὕστερον, ὅτι τὸ παιδίον Εὐστατίου μὲν ἦν, ἀλλὰ τοῦ χαλκέως.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΜΕΛΕΤΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΙΑΣ.

Meletius archiepiscopus Antiochenus

Μελέτιος, ὁ ὀρθόδοξος ποιμὴν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας, ὑπῆρχεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίου· ὅστις Κωνστάντιος Ἀριανὸς ὢν, καὶ εὐκαιρῶν ἐκ τοῦ πολέμου, συνήγαγε ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐπὶ τὸ ἀρνηθῆναι μὲν τὸ ὁμοούσιον, ἀντισαχθῆναι δὲ καὶ κυρωθῆναι τὸ ἑτερούσιον. Τῆς δὲ ἐκκλησίας Ἀντιοχείας ποιμένος χηρευούσης, ἤρεσε πρῶτον γενέσθαι ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας, καὶ τότε ζητηθῆναι περὶ τῆς πίστεως. Ἦν δὲ τότε Μελέτιος ἐπίσκοπος Σεβαστείας, λόγιος μὲν ἀνὴρ, διὰ δὲ τὴν τῶν ὑποχειρίων ἀνυποταξίαν παραιτησάμενος καὶ ἡσυχάζων. Νομίσαντες δὲ οἱ αἱρετικοὶ τὰ ἐκείνων φρονεῖν αὐτὸν, ᾐτήσαντο τὸν βασιλέα ἐκεῖνον προστήσασθαι ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας. Ἐπεὶ δὲ προεχειρίσθη καὶ προετράπη τὸ ἀληθὲς εἰπεῖν, στὰς εἰς μέσον, ἐκύρωσε μὲν τὸ ὁμούσιον, κατήσχυνε δὲ τοὺς αἱρετικούς. Οὗτος καὶ ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐλθὼν, καὶ τὸν θεολόγον Γρηγόριον τῷ θρόνῳ ἐγκαθιδρύσας, ἐν αὐτῇ τὸν βίον ἀπέλιπεν.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΔʹ.

ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΜΗΝΑ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ.

DIE XXIV Menas archiepiscopus Constantinopolitanus.

Ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Μηνᾶς ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς βασιλείας Ἰουστινιανοῦ πρεσβύτερος τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίας· διὰ δὲ τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν πατριάρχης προεχειρίσθη Κωνσταντινουπόλεως. Χειροτονηθεὶς δὲ ὑπὸ Ἀγαπητοῦ πάπα Ῥώμης, ἀνελθόντος ἐκ τῆς Ῥώμης τότε ἐπὶ διορθώσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν ζητημάτων, καὶ ἀναθεματίσαντος Ἄνθιμον τὸν αἱρετικὸν, καὶ τοῦ θρόνου ἀπελάσαντος. Ἀλλὰ τούτου πάλιν ὑποστρέψαντος εἰς Ῥώμην, καὶ μετὰ μικρὸν τελευτήσαντος, ἐχειροτονήθη ἕτερος, καὶ μετα χρόνον τινὰ ἀνελθὼν καὶ αὐτὸς εἰς Κωνσταντινούπολιν, ἐτιμήθη καὶ ἐδεξιώθη φιλοφρόνως παράτε τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ πατριάρχου· καὶ ὑπεραρθεὶς ὑπὸ κουφότητος, δέδωκε ἐπιτίμιον τῷ ἁγιωτάτῳ Μηνᾷ μὴ λειτουργεῖν. Καὶ αὐτὸς μὲν ἐδέξατο χαίρων τὸ ἐπιτίμιον ὡς Θεοῦ ἀρχιερεύς. Ὁ δὲ βασιλεὺς ὀργισθεὶς, μετὰ ὕβρεως ἀπεπέμψατο τὸν πάπαν εἰς Ῥώμην. Καὶ μετὰ ταῦτα ὁ ἅγιος Μηνᾶς καλῶς ἰθύνας τὸ ποίμνιον, πρὸς Θεὸν ἐξεδήμησεν.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΕʹ.

ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΤΙΤΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΡΗΤΗΣ.

Τίτος ὁ τοῦ Χριστοῦ ἀπόστολος ἐγένετο μὲν ἐκ τῆς Κρητῶν νήσου. Ἐν ἀρχῇ δὲ τοῦ βίου πολλὴν ἐπιδειξάμενος σπουδὴν εἰς τὰ ἑλληνικὰ μαθήματα, ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ σοφίᾳ παρὰ τῶν ἔξω. Γεγονὼς δὲ ἐτῶν εἴκοσι, ἤκουσε φωνῆς λεγούσης αὐτῷ· Τίτε, δέον σε ἐντεῦθεν ὑποχωρῆσαι, καὶ τὴν ψυχήν σου σῶσαι· οὐ γὰρ ὠφελήσουσί σε τὰ μαθήματα ταῦτα. Ταύτης ἀκούσας τῆς φωνῆς, ἔσκεπτε τὸ καθ' ἑαυτὸν τί δεῖ ποιῆσαι. Καὶ μετὰ ταῦτα ἀκούσας ὁ τῆς Κρήτης ἄρχων τὰ τοῦ Χριστοῦ θαύματα, προσεκαλέσατο αὐτὸν ὡς λόγιον, καὶ λέγει· Τίτε, θέλω ἀπελθεῖν σε εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ μαθεῖν εἰ ταῦτα ἀληθῆ εἰσι, καὶ ἀναγγεῖλαί μοι. Ὁ δὲ ἀπελθὼν, τόντε Χριστὸν εἶδεν καὶ τὰ θαύματα, καὶ τοῖς πιστεύσασιν εἰς Χριστὸν συνηριθμήθη· καὶ μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάστασιν ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἀπεστάλη εἰς Κρήτην. Καὶ διδάξας ἐν αὐτῇ τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ἐκοιμήθη ἐννενήκοντα τεσσάρων ἐτῶν ὑπάρχων.

DIE XXV Titus Apostolus episcopus Cretensis.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΣʹ.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΝΑΘΑΛΙΑΣ.

Ἀδριανὸς ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς καὶ Ναταλία ἡ χρηματίσασα σύμβιος αὐτοῦ, ὑπῆρχον μὲν ἐκ τῆς πόλεως Νικομηδείας. Ἰδὼν δὲ Ἀδριανός τινας Χριστιανοὺς κρατηθέντας ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν, καὶ βασανιζομένους ἠρώτησεν αὐτοὺς διὰ τί ταῦτα ὑπομένεται. Καὶ ἀκούσας παρ' αὐτῶν, ὅτι διὰ τὰ ἀποκείμενα ἡμῖν ἀγαθὰ, ἐκ Θεοῦ κατενύγη εὐθὺς, καὶ παρεκάλεσεν τοὺς ἀπογραφομένους τῶν Ἁγίων τὰ ὀνόματα, ἐντάξαι καὶ τὸ αὐτοῦ ὄνομα. Καὶ τούτου γενομένου, δραμοῦσα ἡ Ναταλία ἐν τῇ φυλακῇ, κατησπάζετο τοῦ ἀνδρὸς τὰ δεσμὰ, προθυμοποιοῦσα αὐτὸν πρὸς τὸ μαρτύριον. Ὑποστρέψασα δὲ εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, ηὔχετο ὑπὲρ αὐτοῦ τελειῶσαι τὸν δρόμον τῆς ἀθλήσεως. Ἐπεὶ δὲ παρέστησαν τῷ Μαξιμιανῷ, καὶ μεληδὸν κατεκόπησαν, παροῦσα ἡ Ναταλία συνέστειλεν αὐτῶν λείψανα, καὶ ἀποκομίσασα εἰς τὸ Βυζάντιον, κατέθηκεν ἐν Ἀργυροπόλει, καὶ μετὰ ταῦτα καὶ αὐτὴ τελειωθεῖσα, ἐτάφη πλησίον αὐτῶν.

DIE XXVI Adrianus ac Natalia Martyres.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΖʹ.

ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΠΟΙΜΕΝΟΣ ΤΟΥ ΑΝΑΧΩΡΗΤΟΥ.

Ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ποιμὴν ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς χώρας Αἰγύπτου· καταλιπὼν δὲ τὸν κόσμον, ἀπῆλθεν εἰς μοναστήριον μετὰ τὸν γνησίων αὐτοῦ ἀδελφῶν, καὶ ἐγένετο μοναχός. Καὶ μετὰ χρόνους πολλοὺς ἀπελθοῦσα ἡ μήτηρ αὐτῶν ἰδεῖν αὐτοὺς, οὐκ ἠδυνήθη· ἀπέκλεισαν γὰρ αὐτῇ τὴν θύραν. Ὡς δὲ ἐπέμενε κλαίουσα, εἶπε πρὸς αὐτὴν ὁ Ποιμὴν, μὴ βλέπων αὐτήν· Τί θέλεις, μῆτερ; Ἡ δὲ εἶπε· Θέλω ἰδεῖν ὑμᾶς. Καὶ λέγει ὁ Ποιμήν· Ἐν τῷ κόσμῳ ἐκείνῳ ὀψόμεθα ἀλλήλους. Ἡ δὲ ἀκούσασα ἀνεχώρησεν.

DIE XXVII Pœmen anachoreta.

σεν. Οὐ μόνον δὲ τουτο ἐποίησεν ἄξιον μνήμης, ἀλλὰ καὶ ἕτερα πολλά. Ὁ γὰρ ἄρχων τῆς χώρας κρατήσας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ τὸν υἱὸν ἐπὶ κακουργίᾳ, ἐβούλετο τιμωρεῖν· καὶ μαθὼν, ὅτι τοῦ Ἁγίου ἐστὶν ἀνεψιος, ἐμήνυσέν αὐτῷ· ὅτι εἰ ἀξιοῖς, ἀπολύω αὐτόν. Ὁ δὲ ἀντεμήνυσεν· Ἐξέτασον τὰ κατ' αὐτόν, καὶ εἰ ἄξιός ἐστι θανάτου, ἀποθανέτω· εἰ δὲ μὴ, ὡς βούλει, ποίησον. Καὶ θαυμάσας ὁ ἄρχων τὸ ἀπροσπαθὲς αὐτοῦ ἀπέλυσεν αὐτόν. Πολλὰ δὲ θαύματα ποιήσας, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΛΙΒΕΡΙΟΥ.

Liberius Papa.

Λιβέριος ὁ μακάριος καὶ τῆς ἀληθείας ὑπέρμαχος, ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης. Ὑπάρχον δὲ ζηλωτὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ὑπεδέξατο καὶ τὸν μέγαν Ἀθανάσιον διωχθέντα ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν, καὶ τοῦ θρόνου Ἀλεξανδρείας ἀπελαθέντα, παῤῥησιαζόμενον τὴν εὐσέβειαν. Εὡς γὰρ περιῆσαν Κωνσταντῖνος καὶ Κώνστας οἱ πρῶτοι υἱοὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, ἐφυλάττετο ἡ ὀρθόδοξος πίστις· ἡνίκα δὲ εκεῖνοι ἐτελεύτησαν, καὶ κατελείφθη κύριος τῶν πραγμάτων Κωνστάντιος. ὁ ἔσχατος υἱός, Ἀρειανὸς ὢν, ὑπερίσχυσαν οἱ αἱρετικοί. Ὅθεν καὶ Λιβέριος μετὰ τὰ πολλὰ διαλεχθῆναι, καὶ ἐλέγξαι τὴν δυσσέβειαν τῶν αἱρετικῶν, ἐξωρίσθη εἰς Βέροιαν τῆς Θράκης. Ἀλλὰ πίστιν καὶ ἀγάπην ἔχοντες οἱ Ῥωμαῖοι πρὸς αὐτὸν, προσῆλθον τῷ βασιλεῖ ζητοῦντες αὐτὸν. Καὶ διὰ τοῦτο πάλιν ἀποσταλεὶς εἰς Ῥώμην, καὶ τὸ ποίμνιον αὐτοῦ καλῶς ποιμάνας, ἐτελειώθη.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ ΚΗ΄.

ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΜΩΣΕΩΣ ΤΟΥ ΑΙΘΙΟΠΟΣ.

Die XXVIII Moyses Æthiops.

Οὗτος ὁ μακάριος τῷ μὲν γένει ἦν Αἰθίοψ· τῇ δὲ χρόᾳ μέλας ἀκριβῶς, οἰκέτης πολιτευομένου τινὸς, ὃν διὰ πολλὴν δυστροπίαν καὶ ληστρικὴν διαγωγὴν, ἀπώσατο ὁ ἴδιος δεσπότης. Οὗτός ποτε ποιμένι τινὶ ἐμνησικάκησε, παρεμποδίσαντι αὐτῷ εἰς πρᾶγμα, ὃν καὶ ἀποκτεῖναι ἐβουλεύσατο. Μαθὼν δὲ ὅτι πέραν τοῦ Νείλου ἐστι, πλημμυροῦντος τοῦ ὕδατος, τῷ στώματι δακὼν τὴν μάχαιραν, καὶ τὸν ἐπενδύτην τῇ κεφαλῇ ἐπιθεὶς, διανηξάμενος ἐπέρασε. Προαισθόμενος δὲ ὁ ποιμὴν τὴν αὐτοῦ ἔλευσιν, φυγὰς ᾤχετο. ὁ δὲ κριοὺς τέσσαρας ἐπιλέκτους σφαγιάσας καὶ δήσας σειρᾷ, τὸν Νεῖλον ἀντεπέρασε κολυμβῶν. Τὰ κρέα δὲ φαγὼν, καὶ τὰ κώδια οἴνῳ πολήσας, ἀπῆλθε πρὸς τοὺς ἑταίρους αὐτοῦ. Ταῦτα δὲ διηγησάμην, ἵνα δείξω, ὅτι δυνατόν ἐστι τοῖς βουλομένοις, διὰ μετανοίας σωθῆναι. Οὗτος ὀψέ ποτε κατανυγεὶς ἔκ τινος περιστάσεως, ἐπέδωκεν ἑαυτὸν μοναστηρίῳ, καὶ οὕτως προσῆλθε τῇ μετανοίᾳ, ὡς καὶ τοὺς συμπράκτορας αὐτοῦ ἀγαγεῖν τῷ Χριστῷ. Καθεζομένου δὲ ποτε ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ, λῃσταί τινες προσέβαλον αὐτῷ, ἀγνοήσαντες εἶναὶ αὐτὸν τὸν Μωσῆν. Οὓς ὁ Μακάριος δεσμήσας σχοινίῳ, καθάπερ σάκκον ἀχύρου, τοῖς αὐτοῦ ὤμοις ἐπιθεὶς, τῷ κυριακῷ παρεγένετο· καὶ φησι πρὸς τοὺς ἀδελφούς· Ἐπεὶ δὴ οὐκ ἔξεστὶ μοι ἀδικεῖν, τούτους δὲ εὗρον ἐπελθόντάς μοι, τί κελεύετε περὶ τούτων; Αὐτοὶ δὲ γνωρίσαντες αὐτὸν, ὅτι Μωσῆς ἐστιν ὁ περιβόητος λῄσταρχος καὶ ἀκαταγώνιστος, ἐξομολογησάμενοι τῷ Θεῷ καὶ αὐτοὶ, ἀπετάξαντο, καὶ γεγόνασι μοναχοὶ δοκιμώτατοι. Θεαρέστως οὖν βιώσας ὁ ἅγιος Γέρων, καὶ τὸν δαίμονα τῆς ἀκολασίας καταπαλαίσας, τελευτᾷ ἐτῶν ἑβδομήκοντα πέντε, γεγονὼς καὶ πρεσβύτερος, καὶ καταλιπὼν μαθητὰς ἑβδομήκοντα.

Vacat dies vigesima nona. Die XXIX.

ΜΗΝΙ ΤΩ ΑΥΤΩ Λ΄.

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΕΙΡΗΝΑΙΟΣ, ΩΡ, ΚΑΙ ΟΡΕΨΕΩΣ.

Εἰρηναῖος ὁ μακάριος λειτουργὸς ἀπῆρχε τοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ ἁγίου Ὢρ, καὶ τοῦ ἁγίου Ὀρέψεως· οἵτινες καὶ κηρύττοντες τὸν Χριστὸν, ἐκρατήθησαν ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν, καὶ παραστάντες τῷ ἄρχοντι, ἐβασανίσθησαν διαφόρως. Εἶτα ἐν πυρὶ ἀπεῤῥίφησαν· καὶ παραυτὰ ὑετοῦ καταῤῥαγέντος ἄνωθεν, καὶ τοῦ πυρὸς σβεσθέντος, ἐξῆλθον ἀβλαβεῖς. Καὶ μετὰ ταῦτα θηρίοις παρ δόθησαν εἰς βρῶσιν· ἀλλὰ καὶ ἐκ τούτων ἐῤῥύσθησαν προνοίᾳ Θεοῦ· καὶ ἐπὶ ξύλου κρεμασθέντες, ἐξέσθησαν σφοδρῶς, καὶ πάλιν Χριστοῦ ἐπινευσει διέμειναν ἀβλαβεῖς. Τότε ἰδόντες οἱ εἰδωλολάτραι τὸ ἀμετάθετον τῆς γνώμης αὐτῶν, καὶ ἔπιπλειον μανέντες ὁμοθυμαδὸν ἐπεισῆλθον αὐτοῖς· ὁ μὲν ξύλοις τύπτων αὐτούς· ὁ δὲ λίθοις συντρίβων τοὺς ὀδόντας αὐτῶν· ὁ δὲ ἐκ τριχῶν ἕλκων· ὁ δὲ τοῖς ποσὶ λακτίζων καὶ συμπατῶν. Καὶ τέλος σχοινίοις δήσαντες αὐτοὺς, καὶ σύραντες ἔξω τῆς πόλεως, ξίφει τὰς ἱερὰς αὐτῶν ἀπέτεμον κεφαλάς.

DIE XXX Irenæus, Or, et Orepseus Martyres.

Vacat dies trigesima prima. DIE XXXI.

ΤΕΛΟΣ.

INDICES

IN TOMUM PRIMUM AUGUSTI.

INDEX HISTORICUS

Numerus paginam indicat; a b c d e f *sectiones paginarum;*
† *Sanctum designat.*

A

Acherius *(Lucas) videtur Coronam Deiparæ cum Rosario confundere* 433 f *et* 434 a
Ada *uxor Theodorici Avesnensis dicitur quotidie recitasse sexaginta Angelicas salutationes* 434 a f
Adalbero *episcopus Wirceburgensis* seu *Herbipolensis* 179 a
Adelbertus *archiepiscopus Bremensis* 179 b
† Adamnanus *scripsit Vitam S. Columbæ* 109 b
Adeleidis *regina Francorum* 54 d
Adrianus IV *Pontifex* 248 b c e f
† Æonius *præsul Arelatensis* 199 b
Agnes *imperatrix capellanum habuit B. Gundecharum* 178 f *et* 179 a
Agrippinus *præsul Carthaginensis in Africa* 117 c
† Ailredus *abbas Rievallensis* 258 c *et* 261 b
Aistulfus *Dux Longobardus Romam vastavit* 127 c
Alaricus *rex basilicam S. Felicis martyris Gerundensis destrui jubet* 25 e f
Albericus, *monachus Trium Fontium, scripsit chronicon* 417 e
Albertus *Romanus, missus a sancto Dominico ad corrogandas eleemosynas, divinam benignitatem experitur* 582 e f
Albertus *episcopus Brixiensis* 495 d *et* 497 e
Albertus *Sarthianensis, ex Ordine Minorum, paucis notum S. Dominici apophthegma refert* 592 c
Albertus *monachus dicitur Rosarium recitasse ante ætatem S. Dominici* 434 e f *et* 435 b c
Alegambe *(Philippus) S. J. Acta S. Justæ ex variis Legendis contraxit* 39 e f
Alexander II *Pontifex Romæ celebravit concilium contra Simoniacos* 104 c. *Quamdiu Ecclesiam rexerit* 237 f
Alexander III *Pontifex Romanus* 133 d *et* 248 c
Alexander IV *Papa B. Thesaurum Beccheria ad purpuram evexit, eumque ad sedanda schismata Florentiam misit* 105 c. *Civitatem Aquilanam spiritualiter exornavit* 38 b. *Laudat Ordinem Prædicatorum* 444 f. *Cistercienses monet de celebrando S. Dominici festo* 528 c
Alexander *episcopus Pisanus* 77 a
Alexander *imperator quo tempore regnarit* 119 a b
Alexander *patri suo Wilhelmo quandonam in regnum Scotiæ successerit* 247 d e *et* 250 c
Alexander II *rex Scotiæ dicitur Fratres Prædicatores advocasse in Scotiam* 480 f *et* 507 a
Alfonsus IX *rex Castellæ* 395 d f
Alfonsus X *rex Castellæ* 395 e
Alfonsus *cognomento sapiens, rex Castellæ* 382 a
Alfricus *abbas Abbendoniensis, ac deinde episcopus Wintoniensis* 83 c
Alicia *uxor comitis Montis-fortis* 403 c
Allatius *(Leo) Alphonsum Cicarellum imposturæ arguit* 520 d
Allegri *(Alamannus) suggessit notitiam de decem Beatis Vallumbrosanis* 102 a
Almaricus *primogenitus Comitis Montisfortis* 403 c
Alphonsus II *rex Lusitaniæ, quando regnum occupaverit* 194 f
Alphonsus IV *rex Lusitaniæ, quamdiu regno potitus fuerit* 195 d
Alphonsus *rex Castellæ, et Maurorum domitor, quando obierit* 191 f
Altamura *(Ambrosius de) edidit Bibliothecam Dominicanam, in qua sæpe hallucinatur* 362 d. *Adscribit librum de Corpore Christi Dominico de Pantaleonibus* 521 a
Altaripa *(Raimundus Guilielmus de) accipit a S. Dominico potestatem recipiendi hæreticum conversum* 410 f
† Amandus *Belgii apostolus* 70 c *et* 73 a b
Amandus *episcopus Vigiliarum quamdiu ecclesiam illam rexerit* 133 d e
Amantius *præsul Tranensis* 134 a
† Amator *episcopus Antissiodorensis fuit S. Germani decessor* 31 c
† Ambrosius *præsul Mediolanensis laudat martyres Machabæos* 9 f *et* 10 a. *Dicitur novisse Psalterium seu Rosarium Deiparæ* 425 a
Americus *archiepiscopus Narbonensis* 479 b
Amizo *ex Ordine Prædicatorum testis juratus in causa canonizationis S. Dominici fundatoris FF. Prædicatorum* 610 f *et* 632 c d e
Ancelinus *vel* Jancelinus *quamdiu majori Cartusiæ præfuerit* 398 d
Andreantonellus *(Sebastianus) erudite conscripsit historiam Asculanam* 532 b
Andrevander *alias* Olderandus *notarius conscripsit relationem juridicam de virtutibus et miraculis S. Dominici* 610 d *et* 641 a b
Andronicus *affligit Judæos* 13 c
Angelica *de Bononia dicitur scripsisse Vitam S. Dominici* 360 d e
Angelus *Minorita, socius S. Francisci* 482 b
Angelus *episcopus Aquilanus* 39 d
† Angelus *ex Ordine Carmeli dicitur Romæ, cum SS. Dominico et Francisco prophetice collocutus fuisse* 442 b c
† Anno *episcopus Veronensis* 81 b e
Anno *archiepiscopus Coloniensis* 178 f
† Anselmus *primus abbas monasterii Nonantulani* 230 c
Anselmus *episcopus Lucensis* 178 f *et* 179 b
Antenori *(Antonius) suggessit notitiam de S. Justa, quæ Aquilæ in Italia colitur* 44 *et* 45
Anthelmus, *Prior majoris Cartusiæ* 398 c
Antiochus *Epiphanes sanctos Machabæos martyrio affici jussit* 12 *et seqq.*
† Antoninus *ob scripta sua carpitur a Melchiore*

Cano

Cano 362 b. *In Actis S. Dominici videtur usus esse codice Theodorici de Appoldia* 372 a. *Historicus illius error corrigitur* 373 d *et* 481 a. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 f. *Fuit severus contra hæreticos* 412 f *et* 413 a. *Ex Theodorico de Appoldia narrat quædam gesta S. Dominici, vetustioribus ignota* 512 d e f

† Antonius *patria Ulyssipponensis, vulgo cognominatus* de Padua *vel Patavinus* 190 c

Antonius *Casalensis ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 412 e

Antonius *(Nicolaus) asserit, Vitam S. Dominici a Petro Ferdinando* vel *Fernandez scriptam fuisse* 360 a. *Auctorem fictitium Bibliothecæ suæ Hispanicæ inseruit* 362 f. *Alphonsum Cicarellum imposturæ arguit* 520 d. *Abjudicat S. Dominico librum de Corpore Christi* 521 a. *Refert veterem tabellam de quibusdam martyribus Gerundensibus in Hispania* 23 c d e

Antonius *an fuerit frater S. Dominici, fundatonis Ordinis Prædicatorum* 383 a

Antonius *episcopus Zagrabiensis* 294 c d

Antonius *Senensis, alio cognomine Lusitanus, in Gallia obiit* 363 e. *Probat, constitutionem de paupertate postea in Ordine Prædicatorum legitime mutatam fuisse* 491 f *et* 492 a. *Crudam Flaminii narrationem de dissensione Prædicatorum Tolosanorum mitigat* 509 c d

† Apollinaris *Sidonius ad studium sacræ Scripturæ hortatus est S. Euphronium episcopum Augustodunensem* 229 a b

Apollonius *cum exercitu missus, cædit et affligit Judæos* 13 c

Appoldia *(Theodoricus de) fuse collegit Acta S. Dominici* 362 c, 558 *et* seqq. *Genuinam illius lucubrationem ex duplici Ms. codice nunc primum edimus* 371 f, 372 a *et* 558. *Qualis fides narrationibus ipsius debeatur* 373. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385. *Ex testimonio Sororis Cæciliæ narrat varia S. Dominici miracula, vetustioribus scriptoribus ignota* 585 b *et* 586 b

Arauxo *(Franciscus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 415 f

Arcadius *quandonam a patre consors imperii declaratus sit* 218 c

Arias *(Baltazar) S. J. refert quoddam miraculum, quod in pueritia S. Dominici contigit* 388 c

Arnaldi *(Guilielmus) ex Ordine Predicatorum primus Inquisitor contra hæreticos Tolosa* 417 f

Arnaldus *abbas Cisterciensis ad convertendos hæreticos Albigenses cum aliquibus monachis missus est* 400 a, 415 a, 416 c *et* 417 b

Arnoldus *quidam hæreticorum magister Coloniæ Agrippinæ comburitur* 412 c

† Arnoldus *episcopus Wormatiensis* 179 a

Assemanus *(Joseph Simonius) edidit nuper Bibliothecam Orientalem* 329 d

Asso *episcopus Atrebatensis* 412 b

Aste *(Franciscus Maria de) archiepiscopus Hydruntinus* 149 f

† Athanasius *episcopus Neapolitanus* 200 c

† Atticus *patriarcha CP.* 218 e *et* 218 a

Audoïnus *quando ad cathedram Magalonensem fuerit evectus* 479 c

† Augustinus *Anglorum apostolus* 157 d e

† Augustinus, *doctor Ecclesiæ, laudat martyres Machabæos* 9 b c. *Dicitur novisse Psalterium seu Rosarium Deiparæ* 425 a

Aurelia *et* Neomisia *coluntur Anagniæ* 237 c

† Auspicius *præsul Trevirensis* 155 c *et* 156 a

Avitus *(Alcimus) laudat martyres Machabæos* 10 d

† Aybertus *monachus reclusus in Hannonia dicitur recitasse Rosarium Deiparæ ante ætatem S. Dominici* 434 e f *et* 435 b c

Azor (*Joannes) S. J. conscripsit institutiones morales* 416c

Azpilcueta *(Martinus) vulgo dictus* doctor Navarrus, *opinionem Leonis X Papæ non admittit* 428 c

B

Badonus *(Joannes Carolus) Canonicus ecclesiæ Blanderatensis subministravit nobis multa monumenta de S. Sereno episcopo Massiliensi, quæ publica facimus* 157 *et* seqq

Bailletus *(Adrianus) novus legendista Gallus reprehenditur* 359 c, 390 f, 391 a, 392 f *et* 393

Bakschay *(Abraham) scripsit regum Hungariæ Chronologiam* 304 e

Baldiunus *cognomento Barbatus comes Flandriæ* 71 b

Bandellus *(Vincentius) Generalis Magister Ordinis Prædicatorum* 368 d, 418 d, 420 *et* 442 f. *De nomine Prædicatorum disserit* 446 b c. *Refellitur* 515

Bandurus *(Anselmus) Græco-Latine edidit Acta S. Dalmati* 216 e, 219 *et* seqq.

Barrachia *(Petrus) Canonicus ecclesiæ Tranensis seculo decimo sexto* 134 d

Barastre *(Joannes de) decanus S. Quintini Parisiis dedit locum Prædicatoribus* 453 *et* 454

Barbosa *(Augustinus) edidit Dictionarium Lusitanico-Latinum* 387 d

† Bartholomæus *Apostolus dicitur Rosarium recitasse* 431 e

B. Bartholomæus *ex Ordine Prædicatorum ad episcopatum Vicentinum assumptus* 530 c

Bartholomæus *Tridentinus breviter conscripsit Vitam S. Dominici* 360 c d. *Illam, numquam hactenus editam, typis vulgamus* 371 a b, 556 *et* seqq. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 a. *Asserit, habitum Prædicatorum post visionem Reginaldi mutatum esse* 461 c d. *Scribit de translatione prima corporis S. Dominici, cui interfuit* 522 f *et* 523 a b

Bartolinus *(Nicolaus) suggessit nobis quasdam notitias de S. Peregrino* 77 b c

Basilius, *Prior majoris Cartusiæ, quando e vivis excesserit* 398 b c

Bava *(Petronilla) monialis ex Ordine Prædicatorum scripsit Vitam B. Æmiliæ Biccheriæ* 425 d

Beaugendre *(Antonius) Benedictinus edidit poëmata Hildeberti et Marbodi de martyribus Machabæis* 15 e f

Beda *venerabilis dicitur novisse Psalterium seu Rosarium Deiparæ* 424 d, 431 f *et* 432

Beeckman *(Franciscus) S. J. Rector collegii Duaceni* 102 a

Bela IV *rex Hungariæ* 289 a, 291 f, 293 a

Belfortius *(Nicolaus) Acta S. Bandaridi nobis subministravit* 62 *et* seqq.

Bello-loco *(Gaufridus de) ex Ordine Prædicatorum fuit a confessionibus S. Ludovico regi Galliæ* 651 c *et* 652 a

Benedicta *Florentina precibus S. Dominici ab obsessione dæmonis liberata* 498 *et* seqq.

† Bene-

† Benedictus *dicitur novisse Psalterium seu Rosarium Deiparæ* 424 d *et* 432 e f
Benedictus X *vel* XI *papa* 293 d, 294 f *et* 295 a b
Benedictus XIII *Pontifex dedit novum Officium recitandum de Rosario Deiparæ* 427 b. *Breviarium Romanum, opinioni suæ contrarium, non admittit* 427 f
Benno *episcopus Metensis non videtur immemorabilem cultum habere* 198 e
Berengarius *episcopus Gerundensis habuit Acta S. Felicis martyris Gerundensis* 22 c, 26 d
Berengarius *archiepiscopus Narbonensis* 401 d
Berganza (*Franciscus de*) *scriptor Hispanus refellitur* 382 f
Bernardus *episcopus Patavinus* 111 b e
† Bernardus *archiepiscopus Toletanus vocat S. Petrum Oxomensem* 189 c, 190 e *et* 191
† Bernardus *abbas Clarevallensis laudat martyres Machabæos* 10 d. *Dicitur recitasse Rosarium, ejusque usum propagasse* 424 d *et* 435 e
Bernardus *ex Ordine Prædicatorum mirabiliter a dæmone obsidetur* 553 *et* 554
Bernborch *dux Cumanorum fidem Christianam amplectitur, et pie moritur* 613 d e
Bessa *(Bernardus a) socius S. Bonaventuræ* 482 b
Biccheria *(B. Æmilia) ex Ordine Prædicatorum cujus Bava Petronilla vitam scripsit* 425 b
Bilhonio *(Hugo de) Cardinalis S. Sabinæ* 577 d
† Birgitta *quædam circa mortem S. Dominici ex revelatione narrat* 517
Bisantius *junior præsul Tranensis* 134 a
Biscelia *(Joannes de) Provincialis Minoritarum in Apulia* 136 a
Bisuntio *(Stephanus de) generalis Magister Ordinis Prædicatorum* 372 c
Blanchinus *(Franciscus) Vitas quorumdam Pontificum Romanorum notis illustravit* 207 b
Bocquetus *(Joannes) ecclesiæ Corboliensis canonicus scripsit opusculum de S. Exuperio* 53 e
Boëthius *(Hector) eleganter conscripsit historiam Scotorum* 246 c *et* 480 f
Boldettus *(Marcus Antonius) edidit observationes ad cœmeteria Martyrum* 129 f *et* 317 f
Bollandus *(Joannes) S. J. in prologo ad Acta Sanctorum tuetur Legendam auream Jacobi de Voragine contra quosdam criticos* 362 b
Bonannius *(Philippus) S. J. scripsit de Ordinibus Religiosis et Militaribus* 418 f
† Bonaventura *scripsit Vitam S. Francisci* 441 f. *Asserit, Capitulo Storearum interfuisse quinque millia Fratrum Minorum* 483 d e
† Bonifacius, *Germanorum apostolus, improprie* Inquisitor *contra hæreticos appellatur* 416 b
B. Bonifacius *episcopus Lausanensis* 486 f
Bonifacius VIII *Pontifex prudentiam S. Dominici laudare consuevit.* 373 f *et* 410 c. *Anno* MCCC *jubileum Romæ celebravit* 384 c. *Laudat Ordinem Prædicatorum* 445 f
Bonvisus *ex Ordine Prædicatorum testis juratus in causa canonizationis S. Dominici ejusdem Ordinis fundatoris* 610 f, 632 f *et* 633
Borbone *vel de* Bellavilla *(Stephanus de) circa medium seculi* XIII *in Ordine Fratrum Prædicatorum floruit* 399 f, 460 e, 467 a *et* 469 b
† Borgia *(Franciscus de) colitur* X *Octobris, ad quam diem stirps ejus examinabitur* 386 f
Bornasius, *natione Siculus, an scripserit Vitam S. Dominici* 364 f
Bosca *(Petrus Paulus) aliquot Martyres perperam patriæ suæ adscribit* 18 b
Bosquierus *(Philippus) ex Ordine Minorum edidit Speculum Vitæ S. Francisci* 482 c *et* 485 c
Bossius *(Donatus) scriptor Italus* 160 a b
Botoniates *(Nicephorus) Michaëli Ducæ in imperium Constantinopolitanum successit* 240 b
Bovo *abbas Corbeiensis* 33 c
Brandaon *(Antonius) scriptor Lusitanus* 194 c
Breul *(Jacobus du) conscripsit Theatrum antiquitatum Parisiensium* 454 b
† Briccius *præsul Turonensis* 279 f
Brithricus *rex Saxonum Occidentalium* 173 f
Bromton *(Joannes) abbas Jornalensis et scriptor Anglus* 173 e *et* 253 c
Brouwer *(Jacobus de) ex Ordine Prædicatorum, Prior Antverpiensis, testis oculatus miraculi, quod intercessione S. Dominici patratum est in persona Catharinæ Praet* 540 *et* seqq.
Brun *vel forte* Bruno *antistes Misenensis* 179 b
† Bruno *episcopus Signiensis* 232 a *et* 234 d e
Brunus *(Cornelius) jam non pridem scripsit Itinerarium Orientale* 11 e
Bruschius *(Gaspar) fidei apostata* 175 c
Brut *dux Cumanorum ad fidem Christianam convertitur, et pie moritur* 613 c
Bucheriani *Kalendarii auctoritas occasione S. Stephani PP. examinatur* 114
Bulæus *(Cæsar Egassius) conscripsit historiam Universitatis Parisiensis* 450 d *et* 454 b
Bulteau (*Ludovicus edidit Historiam monasticam Orientis* 219 d
Burch *(Franciscus van der) archiepiscopus Cameracensis approbat miraculum, quod intercessione S. Dominici contigit anno* MDCXXXIV *Valencenis in Belgio* 544 f
Busbequius *(Augerius) legatus Cæsaris apud Turcas* 378 d e
Bustis *(Bernardinus de) ex Ordine Minorum adscribit S. Dominico librum cui titulus de Corpore Christi* 521 a
Buzelinus *(Joannes) S. J. scripsit Annales Gallo-Flandriæ* 412 a
Bzovius *(Abrahamus) scriptor ex Ordine Prædicatorum sæpius fabulas Alani Rupensis incaute secutus est* 404 e, 408 f *et* 468 e. *Epistolam quamdam ad Fratres Polonos perperam sancto Dominico tribuit* 510, 511 *et* 520 f

C

† Cæcilia *apparet S. Dominico* 579 f
Cæcilia *monialis synchrona ex Ordine Prædicatorum varia retulit de gestis S. Dominici, quæ antiquis scriptoribus ignota sunt* 372 b, 374 b e, 559 c, 584 d, 585 b *et* 586 a b. *Prima inter moniales promisit obedientiam S. Dominico, et ab ipso habitum accepit* 576 e *et* 585 b
Cæsarius *Heisterbachcensis nimis forsan credulus scripsit librum de miraculis illustribus et historiis memorabilibus* 406 d, 412 b c *et* 512 f
Cajetanus *(Octavius) S. J. sanctos Siculos recenset* 108 e
Callistus III *Papa festum Transfigurationis Christi per totam Ecclesiam celebrari jussit* 526 e f
Callistus *(Nicephorus) historicus Græcus describit formam corpoream Christi* 519 b c

Came-

Camerarius *(Philippus) hæreticus refellitur* 413 c
Campitellus *(Petrus) nobilis Tranensis operam contulit ad detegendas reliquias S. Stephani Papæ et martyris* 134 e
Campius *(Petrus Maria) scripsit historiam Placentinam Italice* 393 a
Campus *(Antonius) scripsit Chronicon Cremonense* 495 f
Candidianus *Comes, fautor Nestorii contra synodum Ephesinam* 223 b d *et* 225 d
Canibus *(Joannes de) ob pertinaciam in hæresi publice combustus* 413 a
Canisius *(Petrus) S. J. adscribit S. Dominico librum de Corpore Christi* 521 a
Cantelius *(Petrus Josephus) S. J. edidit historiam urbium metropolitanarum* 207 a
Cantipratanus *(Thomas) scriptor seculi* XIII *ex Ordine Prædicatorum* 422 d. *Meminit de triplici quinquagena salutationis Angelicæ, quæ a Choquetio putatur esse Rosarium Deiparæ* 434 e f, *et* 435 c. *De titulo Prædicatorum disserit* 448 a b. *Exemplis confirmat singularem Deiparæ curam erga Ordinem Prædicatorum* 466 e f
Canus *(Melchior) severum judicium fert de Legenda aurea, Speculo exemplorum, scriptisque Vincentii Bellovacensis ac S. Antonini* 362 b c. *Aliquam narrationem in Actis S. Dominici explodit* 373 b c. *Nonnulla gesta absona Sanctis affícta existimat* 410 c
Capoccius *(Raynerius) S. R. E. Cardinalis dicitur Viterbii fundasse cœnobium S. Dominico* 505
Caracciolus *(Antonius) scriptor Neapolitanus de S. Aspreno* 203 *et* seqq.
Caracciolus *(Paulus) ex Ordine Prædicatorum Italice descripsit Triumphum S. Dominici Neapoli in opere Italico* 540 d
Cardalliaco *(Guilielmus de) episcopus Cadurcensis, apud Simonem Montis-fortium clientelam profitetur* 375 b *et* 505 b c
Carolus III *rex Neapolitanus* 204 b c
Carolus V *imperator* 181 c. *Approbavit statuta Begginasii Gandensis* 425 f
Carolus *episcopus Constantiensis* 181 e
Carolus *frater S. Ludovici IX, et postea rex Siciliæ* 282 b *et* 283 b
Carolus *Dux Calabriæ petiit a summo Pontifice, ut Augustinus episcopus Lucerinus catalogo Sanctorum adscriberetur* 284
Carolus *comes Flandriæ* 75 b
† Cassianus *(Joannes) a S. Dominico legebatur* 543 b *et* 564 d. *Nonnulli scriptorem illum nimis accusant, et in Actis ejus errant* 545 a
Castellanus *(Claudius) de confusis quorumdam Sanctorum Actis meminit* 32 f *et* 33 a
Castel-Vetere *(Franciscus) ex Ordine Prædicatorum Prior Sorianensis* 540 c
Castilla *(Joannes de) an conscripserit Vitam S. Dominici* 364
Castillo *(Ferdinandus de) Hispanice edidit historiam Ordinis Prædicatorum* 368 e f. *Incaute quasdam Alani Rupensis fabulas historiæ suæ inseruit* 468 e
Castro *(Alfonsus de) vindicat Ecclesiæ potestatem tradendi hæreticos brachio seculari* 411 d *et* 413 d
† Castro-novo *(Petrus de) ad convertendos hæreticos Albigenses missus* 400 a. *An fuerit primus Inquisitor contra hæreticos* 414 *et* seqq.
Castro-novo *(Euraudus de) propter hæresim extremo supplicio afficitur* 411 f
Catel *(Guilielmus) Gallice edidit historiam Comitum Tolosanorum* 408 c
† Catharina *martyr apparet S. Dominico* 579 f
† Catharina *Senensis an nobilibus parentibus orta fuerit* 386 c d e. *Perperam allegatur ad exoticam quamdam opinionem confirmandam* 473 b f. *Testatur, S. Dominicum forma corporis similem fuisse Christo* 519 *et* seqq.
Cavitellius *(Vincentius) scripsit Annales Cremonenses* 495 b *et* 496 f
Celanus *(Thomas) scripsit legendam S. Francisci* 482 b
Cellani *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum fuit primus Inquisitor contra hæreticos Tolosæ* 417 f. *Fuit ex primis S. Dominici sociis* 440 a
Chabertus *ex Ordine Prædicatorum testis oculatus miraculi, quod S. Dominicus patravit* 601 c
Chalemotus *(Claudius) edidit Menologium Cisterciense* 242 f *et* 243
Chalippe *(Candidus) ex Ordine Minorum nuper Gallice edidit Vitam S. Francisci* 378 e. *Tradit, S. Dominicum interfuisse Capitulo Storearum* 482 a
Charo *(Hugo de sancto) ex Ordine Prædicatorum Cardinalis S. Sabinæ* 576 c *et* 577 c
Cherubinus *(Laertius) collegit Bullarium Romanum* 443 b
Chesne *(Franciscus du) inter scriptores historiæ Francorum edidit opusculum de bello contra hæreticos Albigenses* 407 b
Chiffletius *(Joannes Jacobus) scripsit historiam civitatis Vesuntionensis* 449 d
Chioccarellus *(Bartholomæus) scripsit de præsulibus Neapolitanis* 200 c
Choquetius *(Hyacinthus) ex Ordine Prædicatorum edidit opusculum, cui fabulas Alani Rupensis incaute inseruit* 369 d. *Lucubratio illa in indice Romano prohibita est, donec corrigatur* 369 e. *Frustra quasdam difficultates solvere nititur* 423 *et* seqq. *Argumento ad hominem constringitur* 435 *et* seqq. *Circa nomen Prædicatorum ingerit quemdam scrupulum, qui videtur tuto contemni posse* 448 f *et* 449 a. *Perperam contendit, S. Dominicum in antro Segoviensi sacra stigmata accepisse* 473. *Conscripsit Vitam Alani de Rupe* 503 a. *Tradit varia de prodigiosa S. Dominici imagine in cœnobio Sorianensi* 534 *et* seqq.
Christina *filia Haconis, regis Norvegiæ* 395 e
Chuonradus *præsul Spirensis* 179 a b
Ciammariconius *(Philippus) Italice conscripsit Sanctuarium Anagninum* 231 c *et* 232 d
Cicarellus *(Alphonsus) imposturæ arguitur circa lucubrationes S. Dominici* 520 d
Cinthyus *Cardinalis, titulo S. Laurentii in Lucina* 444 a
Cirillus *(Bernardinus) historicus civitatis Aquilanæ in Italia* 38 b
Clareti *(Guilielmus) unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a. *Cur, et quando ad Ordinem Cisterciensem transierit* 509 f *et* 510 a
Clarus *ex Ordine Prædicatorum, Prior provincialis in provincia Romana* 507 f *et* 582 b
Claudia *fuit filia Neronis imperatoris* 316 c
Clemens IV *Pontifex laudat Ordinem Prædicatorum* 445 b *et* 446 c d. *Lusitanos præsules monet de celebrando S. Dominici festo* 528 d
Clemens V *Pontifex* 300 e f *et* 304 a
Clemens VIII *Pontifex dirimit litem inter Augustinianos et Prædicatores circa vestes utriusque Ordinis* 463 a. *Festum S. Dominici a die quinta ad diem quartam mensis Augusti retraxisse dicitur* 526 a b
Clemens IX *Pontifex antiquum S. Augustini episcopi cultum confirmat et auget* 286 b
Cloche *(Antonius) Ordinis Prædicatorum* 286 b c

Clotarius, *Clodovæi Magni filius, rex Suessionum* 61 a

Clotharius *vel* Lotharius, *Chilperici filius, rex Francorum* 168 e

Clusa *(Bartholomæus de) archidiaconus Matisconensis, cui S. Dominicus, institutor Ordinis Prædicatorum, multa futura prædixit* 467 b. *Litteras canonizationis S. Dominici trans mare ferens, facto naufragio, eas mirabiliter illæsas invenit* 611 f *et* 612 a d. *An Bartholomæus ille fuerit ex Ordine Prædicatorum* 612 c

Cœlestinus III, *Papa* 54 f

Coccius *(Judocus) vindicat Ecclesiæ potestatem tradendi hæreticos brachio seculari* 411 d *et* 413 d

B. Coleta *perperam putavit, S. Annam fuisse triganam* 367 d

Colmenares *(Didacus de) auctor Hispanus conscripsit Historiam Segoviensem* 471 e *et* 472 a

Columna *(Joannes de) ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Messanensem evectus est* 463 e f. *Fuit Prior in Romana provincia* 494 a e

Colvenerius *(Georgius) Duacenus sacræ theologiæ doctor ab Echardo refellitur* 486 e f

† Comgellus *abbas Benchorensis* 343 c 346 *et* 347

Comnenus *(Alexius) Nicephoro Botoniati in imperium Constantinopolitanum successit* 240 b

Concilium *Senonense, cui interfuit S. Betharius Carnotensis episcopus* 170 f

Conradus *Cardinalis Portuensis falso dicitur ad meliorem frugem reductus a sancto Dominico, fundatore Ordinis Prædicatorum* 390 f *et* 391 a. *Prædicatorum Ordinem magni æstimat* 577 c

Conradus *episcopus Pataviensis, ac deinde archiepiscopus Salisburgensis* 198 d

Conradus *Teuto an revera composuerit Vitam S. Dominici* 364 c d e

Conradus *Teutonicus miro modo Ordinem Prædicatorum ingreditur* 464 b c *et* 593. *Fuit Prior provincialis Germaniæ* 364 d 507 f *et* 508 a

Conradus *Marpurgensis perperam Ordini Prædicatorum vel Minorum adscribitur* 417 d e

Constantinus *Urbevetanus, ab episcopatu sic cognominatus, scripsit Vitam S. Dominici* 360 e f, 361 a *et* 559 f. *Dicitur composuisse Officium de eodem Sancto* 364 a *et* 437. *Non meminit de nobilitate S. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum* 385 a. *Narrat, quomodo Benedicta Florentina precibus S. Dominici fuerit ab obsessione dæmonis liberata* 498 c d

Coppenstein *(Joannes Andreas) ex Ordine Prædicatorum edidit opuscula quædam fabulosa sub nomine Alani Rupensis* 365 a c. *Perperam contendit, antiquitus Confraternitati Rosarii indulgentias concessas fuisse* 429 *et* seq.

Corbalan *dicitur fuisse socius S. Dominici, et in Ordine Prædicatorum sancte obiisse* 472 a

Corchon *(Robertus de) Cardinalis perperam favit Conversis Grandi-montensibus* 493 b

Cornerus *(Hermannus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 379 e f

Corsellinis *(Tiberius de) præses Generalis congregationis Vallumbrosanæ* 103 e

Cosmas *Materiensis poeta Acta SS. Theopompi et Synesii versu scripsit* 231 a

Cosmus I *magnus Etruriæ Dux erexit Ordinem equestrem S. Stephani* 135 f

Cosmus III *magnus Etruriæ dux* 129 f, 135 *et* seqq.

Cotovitius *(Joannes) descripsit iter suum Hierosolymitanum et Syriacum* 379 b c

Cotta *(Lazarus Augustinus) edidit Museum Novariense* 164 b *et* 166 e

Coustantius *(Petrus) epistolas Romanorum Pontificum notis illustravit* 118 e

Coutino *(Ignatius) ex Ordine Prædicatorum edidit Promptuarium spirituale de Sanctis* 388 b

Cratepolius *(F. Merssæus) scripsit de præsulibus Coloniensibus* 10 f

Cumani *quales populi fuerint, et ubi habitaverint* 598 e f, 509 a *et* 614 d

† Cunegundis *vel* Kinga *filia Belæ IV regis Hungariæ* 291 f *et* 293 b

Cunibert *(Hyacinthus) forsan Latina reddidit Acta S. Dominici, quæ Joannes Rechacus Gallice ediderat* 370 a

† Cyprianus *laudat martyres Machabæos* 9 e f. *Ipsius opinio de rebaptizandis hæreticis merito a S. Stephano PP. damnatur* 116 *et* seqq.

† Cyrillus *præsul Alexandrinus* 223 e *et* 226 d

Czeles *(Martinus) S. J. scripsit opusculum de Sanctis Hungariæ* 304 d

Czuittingerus *(David) recenset plerosque scriptores Hungaros* 287 d

D

Dacianus *in Hispania crudelem adversus Christianos persecutionem movit* 27 a

Dacunha *(Rodericus) archiep. Bracarensis* 194 c

Dacus *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum conscripsit Acta S. Christianæ Stumbelensis* 432 f

† Dalmatius *episc. colitur die* v *Decembris* 216 a

Dalmatus *patricius, Constantini magni ex fratre nepos* 222 b

David *rex Scotiæ* 242 f

† David *episcopus Menevensis* 343 c

David *Comes Huntingdoniæ in Anglia* 250 c

Dechamps *(Stephanus) S. J. edidit Opus de hæresi Janseniana* 230 e

Dempsterus *(Thomas) auctor Menologii Scotici turpiter errat in S. Waltheno* 244 a b c

Desideratus *præsul Bituricensis* 60 a

Didacus *episcopus Uxamensis* 391 *et* seqq. 542 b, 556 c *et* 564 a. *Strenue impugnat hæreticos Albigenses* 399 *et* seqq. 565. *Plurimum contulit ad exstruendum cœnobium Prulianum* 401 c d *et* 544 d. *Quo anno obierit* 396 *et* 397 a. *In opinione sanctitatis mortuus est* 544 f

Dietericus *antistes Wirtunensis* 179 a

Dietmarus *præsul Curiensis* 179 a

Dionysius *Cartusianus errans corrigitur* 398 b c

† Dionysius *præsul Alexandrinus* 118 d *et* 120 e

Dionysius *rex Lusitaniæ* 195 d

Dithmarus *abbas Cisterciensis in Germania ob amorem erga S. Dominicum ejusque Ordinem mirabiliter sanatur* 619 e f *et* 620 a b

Dlugossus *(Joannes) historicus Polonus* 464

Dominicus *Hispanus, fuit inter primos S. Dominici socios* 440 a. *Ab obscæna muliere tentatus, illæsus in igne persistit* 546 f *et* 547 a

† Dominicus *abbas Exiliensis* 381 b *et* 382 b c

† Dominicus *Calciatensis* 382 c

† Dominicus *Loricatus dicitur novisse Psalterium, seu Rosarium Deiparæ* 424 d

Dominici *(B. Joannes) ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 413 a b

† Demnius

† Domnius *primus episcopus Salonitanus, et nunc patronus ecclesiæ Spalatensis* 359 a
Donatus *(Junius) quo anno fuerit præfectus urbis Romanæ* 144 f
Dorlandus *(Petrus) scriptor ex Ordine Cartusianorum* 398 b
Dormayus *(Claudius) historicus Suessionensis de S. Bandarido loquitur* 61 b *et* 62 b
Doultreman *(Petrus) S. J. scripsit Vitam Petri Eremitæ* 434 c
Doye *(Joannes) ex Ordine Prædicatorum Gallice edidit Sorianensia et quædam Panormitana S. Dominici miracula* 534 d, 538 b *et* 541 b c
Draskovich *(Paulinus) episc. Scardonensis* 306 b
† Drausio *vel* Drauscio *episc. Suessionensis* 354 c
Dubois *(Gerardus) presbyter Oratorii Latine edidit historiam ecclesiæ Parisiensis* 30 c, 450 d
Ducas *(Michaël imperator CP.* 237 f
† Dunstanus *episcopus Wigorniensis* 91 f
Durantus *(Gonsalvus) episcopus Feretranus* 47 d

E

Eadmundus *rex Anglorum* 86 d
Eadredus *rex Anglorum* 86 d
Eberhardus *archiepiscopus Trevirensis* 178 f
Echardus *(Jacobus) non ita pridem scriptores Ordinis Prædicatorum duobus voluminibus recensuit* 359 f. *Rejicit scriptores fictitios, qui ab aliquibus allegantur* 362 f, 363, 364 *et* 503 c. *Alanum de Rupe frustra excusare nititur* 366 *et* seqq. *Laborem hagiographorum Antverpiensium grato animo agnoscit* 371 d e. *Non videtur multum fidere testimonio Sororis Cæciliæ, quantumvis synchronæ* 373 e f *et* 489 d. *Nobilitatem S. Francisci de Borgia negat* 386 f. *Videtur improbare punitionem corporalem hæreticorum* 411 c d. *Hæc ejus opinio fuse refellitur* 411 *et* seqq. *Negat, tribunal Inquisitionis erectum fuisse, vivente S. Dominico* 416 *et* seqq. *Exigit a nobis retractationem, quam Papebrochius jam bis ultro edidit* 449 b c. *Frustra impugnat mutationem habitus in Ordine Prædicatorum* 461 *et* seqq. *Corrigitur* 464 e f, 483 d e *et* 646 a
Edelstanus *rex Anglorum, filius Eduardi senioris regis Angliæ* 86 d *et* 90 d
† Edibius *episcopus Suessionensis* 61 b
Eduardus *senior rex Anglorum quo tempore regnum occupaverit* 86 c *et* 89 d
Egbertus *rex Saxonum Occidentalium* 174 e
Elfeagus *episcopus Wintoniensis, et S. Ethelwoldi successor* 84 f *et* 88 a
† Elisabeth *Schonaugiensis varias habuit revelationes* 367 d e f
Eliseus *vel* Heliseus *episcopus Mantuanus B. Gundecharo adest* 180 d *et* 183 d
† Elphegus *præsul Cantuariensis* 277 e *et* 278 e
Embrico *episcopus Augustanus* 181 e f
Engilhardus *archiepiscopus Magdeburgensis* 179 b
† Ennodius *episcopus Ticinensis* 317 a
Epiphanius *archidiaconus Alexandrinus* 216 c
Erasmus *Roterodamensis de reliquiis Sanctorum honorifice scribit, et dat salutaria monita, quæ tamen postea videtur deseruisse* 11 a
Ergolio *(Joannes de) ex Ordine Prædicatorum per intercessionem S. Dominici gravi dentium dolore mirabiliter liberatur* 645 c d
Ermenfridus *præsul Situnensis* 179 a b
† Ethelbertus *rex Orientalium Anglorum* 173 e f
† Etheldritha *abbatissa differt ab homonyma virgine reclusa* 173 b
† Ethelwoldus, *episcopus Lindisfarnensis, diversus est ab homonymo præsule Wintoniensi* 83 b
Eugenia *abbatissa monasterii sanctæ Mariæ in Tempulo* 504 d
Eugenius III *Pontifex* 273 a
Eumenius *patriarcha Alexandrinus* 16 f
Eustorgius *episcopus Mediolanensis reliquias martyrum Machabæorum Mediolanum transtulit* 10 f
Evantius *episcopus Augustodunensis* 229 a
Everardus *abbas et confessarius S. Waltheni* 256 b. *An catalogo Sanctorum sit adscribendus* 557 d e
Everardus *quidam abbas Cisterciensis dicitur scripsisse Vitam S. Waltheni* 246 e
Everardus *archidiaconus Lingonensis Ordinem Prædicatorum ingreditur, et in eo pie moritur apud Lausanam* 551 a b c, 594 e f *et* 595 a
Excuria *(Joannes) ex Ordine Prædicatorum confraternitatem Rosarii erexit Duaci* 428 d
Eymericus *(Nicolaus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 414 f

F

Faber *(Hieronymus) edidit sacra antiquæ Raxennæ monumenta* 356 b *et* 357 b
Fabra *(Michaël) fuit unus ex primis S. Dominici sociis* 441 a
Facundus *Hermianensis episcopus in Africa, scriptor schismaticus* 121 f *et* 122 a
Faustinus *antistes Lugdunensis* 115 f
† Faustus *Reiensis episcopus* 230 d
† Felix I *Papa martyrium subivit* 114 b c
Felix *appellabatur pater S. Dominici, quidquid aliqui contendant* 382 f. 385 a, 556 b e *et* 562 d
Ferdinandus *rex Lusitaniæ* 195 d
Fernandez *(Alfonsus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 414 b. *Perperam putat, S. Dominicum in antro Segoviensi sacra stigmata accepisse* 473 b c
Fernandez *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum, Prior Segoviensis* 474 a
Ferrandi *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum dicitur scripsisse Vitam S. Dominici* 360 a. *Lucubrationem illius frustra quæsivimus* 360 b c
Ferrarius *(Sigismundus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 284 *et* seqq.
Ferrer *Valdecebro (Andreas) scriptor Hispanus ex Ordine Prædicatorum dicitur accurate probasse nobilitatem sancti sui Fundatoris* 387 a
Ferrerius *(Joannes Stephanus) episcopus Vercellensis* 165 b
Ferricus *episcopus Tornacensis* 424 d
Firmilianus *episcopus Cæsareæ in Cappadocia* 117 d
Firmanus *(Seraphinus) vitam scripsit B. Margaritæ Ravennatis* 366 f
Fitz-Simon *(Henricus) S. J. edidit Calendarium de Sanctis Hibernis* 343 a
Flaminius *(Joannes Antonius) scripsit Vitam S. Dominici* 368 d. *Ei varias fabulas ex Alano Ru-*

pensi

pensi inseruit 468, 513 *et* 514. *Narrat crudam historiam de Prædicatoribus Tolosanis, qui S. Dominico sese opposuerint* 492. *Narrat varia S. Dominici miracula* 533, 652 *et* seqq.
Flemingus *(Patricius) varia collegit de Sanctis Hibernis* 341 f
Fontana *(Joannes) episcopus Ferrariensis* 49 *et* seq.
Forbesius *(Joannes) in Ordine Capucinorum sub nomine Archangeli pie vixit* 108 b
Fortunatus (*Venantius*) *laudat martyres Machabæos* 10 d
Fortunatus *antistes Trevirensis* 198 d
Fossa nova *(Stephanus de) S. R. E. Cardinalis consanguineum suum a sancto Dominico ad vitam revocari vidit* 575 *et* 576 e. *Adjuvat S. Dominicum in conjungendis sanctimonialibus urbis Romanæ* 574 d *et* 576 e.
Fracheto *(Geraldus vel Gerardus de) collegit aliqua gesta S. Dominici* 361 b. *An ipsi tribuendus sit liber, quem communiter* Vitas Fratrum *appellant* 361 b c d. *Non meminit de nobilitate S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum* 385 a
Fracmo *(Guelrinus de) velut socius S. Dominici, ab Alano Rupensi et aliquibus post illum perperam allegatur* 363 f *et* 440 b
Franchi *(Didacus) scripsit de sanctis et beatis Ordinis Vallumbrosani* 102 d
Franciottus *(Cæsar) scripsit opus de Sanctis Lucensibus* 76 b d
† Franciscus *volens instituere Ordinem Minorum primo ab Innocentio III Pontifice repulsam passus fuisse traditur* 437 e. *Romæ agnovit S. Dominicum in quadam visione* 441 c d *et* 572 d e. *Brevi tempore quingentos candidatos in Ordinem suum recipit* 458 a. *Anno* MCCXXIV *sacris stigmatibus insignitus est* 472 e. *Traditur, Cardinali Hugolino prædixisse summum Pontificatum* 482 d. *An cum S. Dominico coram Hugolino Cardinali collocutus fuerit* 485 *et* seqq. *Dicitur cum S. Dominico Bergomi et Brixiæ fuisse, et Cremonæ cum eodem miraculum patrasse* 495 *et* seq. *Fuit amicus S. Dominici* 557 a *et* 572 d
† Franciscus *de Borgia colitur* X *Octobris, ad quam diem prosapia ejus examinabitur* 386 f
Franco I *episcopus Cenomanensis* 336 d
Frangipanius *(Silvester) ex Ordine Prædicatorum Italice edidit Sorianensia et quædam Panormitana S. Dominici miracula* 534 d *et* 538 a
Fraxineto *(Gilbertus de) Prior Fratrum Prædicatorum in Anglia* 506 d *et* 507 c
Fredegundis *regina Francorum* 168 e
Fredericus II *imperator seculo* XIII *urbem Aquilanam civiliter exornavit* 38 b. *Beneficiis affecit Ordinem Vallumbrosanum* 105 a. *Impium verbum protulisse fertur* 185 e
Fredericus *imperator anno* MCLX *Mediolanum rursus obsedit* 10 f
Frigerius *Pennensis ex Ordine Prædicatorum testis fuit juratus in processu canonizationis S. Dominici* 611 c *et* 640 c d e f
Fulco *episcopus Tolosanus magna benevolentia prosequitur S. Dominicum ejusque socios* 402 c, 403 *et* seq., 546 b *et* 556 d e. *Litem cum Prædicatoribus amice componit* 455 a b c
† Fulcrannus *episcopus Lutevensis quamdiu in cathedra illa sederit* 478 f *et* 479 a b
Fulgosus *(Baptista) scripsit librum de factis dictisque memorabilibus* 405 f

G

Galabria *(Joannes de) missus a sancto Dominico ad corrogandas eleemosynas, divinam benignitatem experitur* 582 e f *et* 583 a
Galeatius *(Joannes) vice-comes Mediolanensis* 162 f
Gallaratus *(Petrns) S. J. officiosus Operis nostri adjutor* 157 b
Gallus *imperator quo anno interierit* 115 d e
Garcia *(Didacus) an fuerit consanguineus S. Dominici* 387 c d
Garibayus *(Stephanus) scriptor Hispanus* 381 e
Garriga *(Bertrandus de) unus ex primis S. Dominici sociis* 440 a. *Primus Prior provincialis Provinciæ* 507 c
Garzo *(Joannes) scripsit rhetorice Vitam S. Dominici* 368 c d. *Putat, Ordinem Prædicatorum ejusque Fundatorem a Sibylla prænuntiatum fuisse* 377 f. *Corrigitur* 487 c. *Vindicat Bononiensibus corpus S. Dominici* 529 d e. *Narrat nonnulla ejusdem Sancti miracula* 531 e f *et* 538 c d
† Gaudentius *laudat martyres Machabæos* 10 d
† Gaudentius *episcopus Novariensis* 197 b
Gaudentius *episcopus Ariminensis* 47 b *et* 49 a
Gaudentius *episcopus Curiensis nobis ignotus* 197 b
Gebehardus *episcopus Ratisbonensis* 179 a
Gebehardus *archiepiscopus Salisburgensis* 181 a
Gebhardus *episcopus Eystadiensis ad cathedram S. Petri evectus est, et Victoris II nomen assumpsit* 179 c
Geminianus *episcopus Mutinensis* 77 a
Gentius *(Antonius) collegit quasdam Vitas Sanctorum* 248 a
Georgiis (*Georgius de*) *procurator Ordinis Vallumbrosani* 106 a
Georgio *(Dominicus de) illustrissimus Operis nostri adjutor* 38 d, 44 b *et* 207 c
Georgio *(Joannes Baptista de sancto) Prior cœnobii Sorianensis prodigiosam S. Dominici imaginem æri incidi jussit* 536 b
Gerard *(Armandus) Canonicus Sarlatensis, Operis nostri adjutor* 18 f
Gerardus *archiepiscopus Spalatensis* 357 c *et* 358 e
Gerardus *ex Ordine Prædicatorum Prior provincialis Germaniæ varia de S. Dominico audivit ex Cæcilia moniali* 372 b, 373 e *et* 559 c
† Germanus *episcopus Capuanus* 465 c
Germanus *(Michaël) edidit Gallice historiam parthenonis Suessionensis* 354 c
Ghirardaccius *(Cherubinus) Italice conscripsit historiam Bononiensem* 529 c
Giannettasius *(Nicolaus Parthenius) S. J. edidit historiam Neapolitanam* 206 b
Gibson *(Edmundus) scriptor Anglus* 173 f *et* 255 a
Giffre *de* Rechac *(Joannes) postea cognominatus* a sancta Maria *ex Ordine Prædicatorum scriptor nimis credulus Actis S. Dominici varias fabulas immiscuit* 369 f *et* 370. *Contendit sanctum Dominicum in antro Segoviensi sacra stigmata accepisse* 472 e
B. Giraldus *archiepiscopus Bracarensis* 190 d
Girardus *archiepiscopus Bisuntinus Prædicatores appellat* Canonicos 449 d
Godefridus *præsul Cameracensis* 412 b
Godeschalcus *sextus Corbeiensium abbas Boroni successit* 33 f
Godiva *Comitissa fundavit monasterium Conventreiense in Anglia* 433 d

Gomezius *(Surius) unus e primis S. Dominici sociis* 440 a. *Primus Prior provincialis Hispaniæ* 507 c
Gononus *(Benedictus) institutionem Coronæ Deiparæ Petro Eremitæ adscribit* 434 d
Gonzaga *(Franciscus) Generalis Minorum scripsit de origine Seraphicæ Religionis* 134 b *et* 194 c
Gorias *(Jacobus) episcopus Vercellensis* 165 b
Grand *(Albertus le) alias de Monte Relaxo cognominatus, collegit historiom Sanctorum Britanniæ Armoricæ* 56 e
Gratianus *episcopus Ferrariensis* 49 d
Gravina *(Dominicus) ex Ordine Prædicatorum Annales Malvendæ typis excudi curavit Neapoli anno* MDCXXVII 369 a
† Gregorius *Nazianzenus laudat sanctos Martyres Machabæos* 8 f *et* 9 b
† Gregorius *Magnus Papa scripsit ad S. Serenum episcopum Massiliensem* 157 *et* seq. *Dicitur novisse Psalterium sive Rosarium Deiparæ* 425 a
† Gregorius *Turonensis narrat miraculum de S. Felice Gerundensi martyre* 25 d e f
Gregorius IX *Pontifex dicitur primo instituisse tribunal Inquisitionis contra hæreticos* 417 d. *Laudat Ordinem Prædicatorum* 444. *In gesta S. Dominici inquiri jussit* 523, 524, 610 c *et* 628 f. *Solenniter S. Dominicum adscribit catalogo Sanctorum* 525. 611 e, 620 *et* 621. *Festum S. Dominici die quinta Augusti celebrandum prescribit* 526 *et* 621 d
Gregorius XV *Pontifex* 55 d
Gregorius *Cardinalis titulo S. Anastasiæ* 444 a
Gregorius *Cardinalis titulo S. Theodori* 444 b
Gretserus *(Jacobus) S. J. scripsit catalogum episcoporum Eystadiensum* 155 c
Grossi *(Raimundus de) hæreticus Albigensis, mirabiliter ad fidem conversus, Ordinem Prædicatorum ingreditur* 411 a b
Grouwels *(Mathias) ex Ordine Minorum scripsit Historiam criticam de indulgentia Portiunculæ* 483 c
Guala *ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Brixiensem evectus est* 495 e. *Absens novit obitum S. Dominici* 551 d e, 557 e f *et* 559 b
Guarnerius *(Antonius) scripsit de Sanctis Bergomatibus* 495 c
Gubernus, *abbas Corbeiensium, caput S. Justini ab Ottone imperatore obtinuisse dicitur* 33 d *et* 34 b
Guido *Cardinalis diaconus S. Nicolai in carcere Tulliano* 444 b
Guido *episcopus Prænestinus* 444 a
Guido *episcopus Carcassonensis* 407 b *et* 414 a
Guidonis *(Bernardus) ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Lutevensem assumptus, varia scripsit* 359 b c. *Non meminit de nobilitate sancti sui Fundatoris* 385 a. *Indicat, principium anni duplici modo computari* 479 c
Guilielmus *episcopus Mutinensis, et postea Cardinalis Sabinensis* 557 c
Guilielmus *episcopus Moraviensis* 272 f
Guilielmus *ex Ordine Cisterciensi ad episcopatum Arausicanum assumptus* 571 f
Guilielmus *Neubrigensis scriptor Anglus* 246 c
Guilielmus *rex Siciliæ et Apuliæ* 133 d
Guilielmus *vel* Wilhelmus *Normannus, cognomento Conquestor, Angliam subegit* 249 f *et* 250 d
Guntherius *præsul Bambergensis* 178 f *et* 179 b
Guttierez *(Martinus) S. J. vidit Societatem Jesu sub pallio Deiparæ* 466 c d
Guzman *(Dominicus de) ex Ordine Præmonstratensi Prior cœnobii Vitensis in Hispania* 387 d. *Distinctus est a sancto Dominico Prædicatorum Fundatore* 391 d e f *et* 514 e
Guzman *(Petrus de) Canonicus Præmonstratensis in Hispania* 391 e

H

Haroldus *(Franciscus) contraxit Annales Ordinis Minorum* 378 c
Hebberardus *abbas Cisterciensis cœlitus monetur, ut Prædicatores benigne excipiat* 593 b c
Hecil *præsul Hiltenesheiminensis, id est, ni fallor, Hildesheimensis* 179 b
Hecilo *præsul Strassburgensis sive Argentinensis civitatis* 179 a
† Helena *imperatrix dicitur corpora martyrum Machabæorum Antiochia Constantinopolim transtulisse* 11 d
Heliodorus *ad spoliandum templum missus statim divinam ultionem sensit* 13 b
Heliseus *vel* Eliseus *episcopus Mantuanus B. Gundecharo adest* 180 d *et* 183 d
† Henricus *episcopus Wintoniensis* 313 f
Henricus *archiepiscopus Remensis* 412 b
Henricus III *vel* IV *imperator* 178 f *et* 179 a
Henricus I *rex Angliæ* 252 d *et* 254 b
Henricus *Gnesnensis archiepiscopus* 464 e
Henricus *ex Ordine Prædicatorum primus Prior Coloniensis a beato Jordano impensis laudibus honoratur* 549 *et* seq.
Henriquez *(Chrysostomus) edidit Menologium Ordinis Cisterciensis* 244 e
Herebertus *præsul Glascuensis in Scotia* 269 d
Heribertus *episcopus Eystadiensis* 179 e f
Herimanus *Tornaci abbas S. Martini, et scriptor seculi undecimi* 433 e
Herlsheym *(Conradus de) vir venerabilis; sed non videtur habere cultum* 198 c
† Hermelandus *abbas Antrensis* 56 c
Herre *(Dominicus de) recenset Sanctos et Beatos Ordinis Prædicatorum* 367 c
† Hieronymus, *doctor Ecclesiæ, dicitur novisse Psalterium seu Rosarium Deiparæ* 425 a
Hildebertus *gesta martyrum Machabæorum carmine exposuit* 10 d *et* 15 e
† Hildebrandus *socius S. Bonifacii* 197 e f
Hiltebrandus *S. R. E. Cardinalis interfuit consecrationi episcopali B. Gundechari* 179 a
Honoratus *a sancta Marta disserit de auctoritate Oraculorum Sibyllinorum* 378 a b
Honorius II *Papa beneficiis affecit Ordinem Vallumbrosanum* 105 a
Honorius III *Pontifex Ordinem Prædicatorum approbat* 442 *et* seqq. *Varia eidem diplomata concedit* 450 a, 451 a b c, 487 *et* seq. 503 *et* seq.
Horstius *(Jacobus Merlonus) edidit Opera sancti Bernardi* 244 f
Hovedenus *(Rogerus) scriptor Anglus* 248 c *et* 249 a
Hucbaldus *scripsit de translatione S. Jonati abbatis I Marchianensi* 74 a
Hugo *vel* Udo *an fuerit archiepiscopus Magdeburgensis* 299 b c
† Hugo *abbas Cluniacensis* 259 c *et* 261 c
Hugo *præsul Autissiodorensis hæreticum pertinacem igne comburi permittit* 411 f *et* 412 a

Hugo *de sancto Charo ex Ordine Prædicatorum ad Romanam purpuram assumptus* 577 c
Hugo *de Bilhonio Cardinalis S. Sabinæ* 577 d
Hugolinus *S. R. E. Cardinalis postea sub nomine Gregorii IX ad cathedram S. Petri evectus* 482 c d. *Adfuit primæ sepulturæ S. Dominici* 521 b, 551 e, 557 e *et* 600 a. *Adjuvat S. Dominicum in transmigratione et unione sanctimonialium urbis Romanæ* 574 f
Hugolinus *de sancta Maria scripsit historiam S. Francisci* 482 c
Hugrinus *vel* Ugrinus *archiepiscopus Spalatensis in Dalmatia* 456 e f *et* 457 a
Humbertus, *quintus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, scripsit Vitam S. Dominici* 361 e f *et* 559 b. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 e. *Scripsit litteras encyclicas ad servandam pacem inter Prædicatores et Minores* 441 d. *An scripserit librum, quem communiter* Vitas Fratrum *vocant* 360 c d *et* 559 b f
† Hyacinthus *quando et ubi in Ordinem Prædicatorum receptus* 464

I

Idiaquez *(Joannes de) vir nobilis per intercessionem S. Sereni Massiliensis præsulis pristinam sanitatem mirabiliter recuperat* 161 a *et* 163 d e
Idiaquez *(Alphonsus de) dux Civitatis regiæ visitavit reliquias S. Sereni Massiliensis* 165 b
Ilbachius *(Odoacer) sub hoc falso nominis sui anagrammate Acta Martyrum misere tuetur* 125 b
† Ildephonsus *contexuit catalogum de scriptoribus ecclesiasticis* 25 c
Imhoffius *(Jacobus Wilhelmus) scripsit Latine de genealogia illustrium familiarum* 258 a *et* 384 e
Immeto *antistes Podelbrunnensis, id est, ni fallor, Paderbornensis* 179 b
Imperatorum *quorumdam Germano - Francorum successio refertur* 33 f
Ingelbertus *abbas monasterii Nonantulani* 230 f
Ingulfus *abbas et scriptor Anglus* 250 d *et* 254 a e
† Innocentius *episcopus Cenomanensis* 336 e
Innocentius III *quando ad cathedram sancti Petri evectus est* 378 c
Innocentius IV *Pontifex laudat Ordinem Prædicatorum* 444 f. *Vetat, ne alii gestent habitum Ordinis Prædicatorum* 462 e f
Innocentius XII *Pontifex Romanus* 129 f
Insulis *(Michaël ab) ex Ordine Prædicatorum, discipulus Alani Rupensis* 429 e f
† Isacii *Acta ad diem* XXX *Maii illustrata defenduntur contra Tillemontium* 214 d e
† Isidorus *laudat martyres Machabæos* 10 d
Iwo *episcopus Cracoviensis* 464

J

Jacobis *(Franciscus de) ex Ordine Prædicatorum digitum S. Dominici dedisse dicitur regi Galliarum* 532 b *et* 533 a
Jacobus *Cardinalis et consanguineus Bonifacii VIII Pontificis* 384 c d
Jacobus *episcopus Alatrinus* 494 f
Jacobus *monachus Cisterciensis divinitus monetur, ut pro Ordine Prædicatorum oret* 604 e. *Videt Deiparam duobus Fratribus Prædicatoribus verba suggerentem* 604 f
Jacobus *Ferrariensis ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 412 e
Jancelinus *vel* Ancelinus *quamdiu majori Cartusiæ præfuerit* 398 d
Janssenboy *alias* Janssenius *(Nicolaus) scripsit Latine Vitam S. Dominici* 369 d. *Varias ei fabulas immiscuit ex Alano Rupensi* 404 e, 409 *et* seq. *Sibi non constat* 423 d
Janssenboy *(Cornelius) ex Ordine Prædicatorum aliqua Sorianensia S. Dominici miracula Flandrice conscripsit* 538 b
† Joachimus *abbas Florensis qualia de Ordinibus Prædicatorum et Minorum prophetico spiritu prædixerit* 370 *et* seqq.
Joanna *regina Franciæ, et filia Othonis Comitis Burgundiæ* 328 f
Joanna *Comitissa Flandriæ fundavit Begginasium Gandense* 425 e
Joanna *fuit mater S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum* 383 a, 556 b, *et* 562 e f
† Joannes Chrysostomus *laudat martyres Machabæos* 9 b c d e
Joannes XXII *Pontifex erexit cathedram episcopalem Papuli-Fani in Gallia* 401 c d. *Dicitur, negantibus tamen aliquibus, concessise indulgentias* XXIV *annorum et* XXXIV *hebdomadum recitantibus salutationem Angelicam* 429 f *et* 430 a b c
Joannes *Cardinalis titulo Sanctorum Cosmæ et Damiani* 444 b
Joannes *Salernitanus ex Ordine Prædicatorum, Prior Florentinus* 497 f
Joannes *episcopus Zagrabiensis* 294 d
Joannes *presbyter Mediolanensis Acta aliquot Sanctorum conscripsit* 18 b
Joannes *archiepiscopus Trevirensis* 449 f
Joannes I *rex Lusitaniæ quando regnarit* 195 d
Joannes *Novariensis, ex familia Torniella, episcopus Bergomensis* 495 b
Joannes *episcopus Alatrinus* 494 e f
Joannes *Hispanicus ex Ordine Prædicatorum testis fuit juratus in causa canonizationis S. Dominici sui fundatoris* 610 f, 611 a, 632 *et* 633
Jocelinus *abbas Melrosensis in Scotia in locum exauctorati Wilhelmi* 275 d *et* 278 a
Jocelinus *monachus Furnesiensis collegit Acta S. Patricii* 247 d
Jongelinus *(Gaspar) scripsit de abbatiis Cisterciensibus* 242 b
Jonghe *(Bernardus de) ex Ordine Prædicatorum anno* MDCCXIX *edidit opus sub titulo Belgium Dominicanum* 541 b
Jordanus *monachus Furnesiensis scripsit Vitam S. Waltheni abbatis* 247 b f, 249 *et* seqq.
B. Jordanus *scripsit Vitam S. Dominici* 359 c e f *et* 559 b. *Lucubrationem illius edimus ex codice Uxamensi, qui ante annum* MCCXLII *exaratus est* 370 e f, 541 *et* seqq. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 384 f. *Interfuit primo Capitulo Ordinis Prædicatorum* 491 a *et* 550 f. *Fuit primus Prior provincialis Lombardiæ* 507 c *et* 551 a. *Fit Magister Ordinis* 601 d. *Scripsit epistolam encyclicam de translatione S. Dominici* 521 *et* seq. *Devotionem suam erga eumdem ostendit, composita in honorem ejus oratione* 527 *et* 528 a

Jostenus *episcopus Suessionensis* 62 a b
Judith *abbatissa Marchianensis* 73 c *et* 74 c
Juhellus *archiepiscopus Turonensis* 279 f, 280 c
Julia *an fuerit filia Neronis imperatoris* 316
† Julianus *episcopus Cenomanensis* 279 d *et* 280 d
Julianus *supposititius scriptor fingit, Martyres Machabæos ex Hispania oriundos esse* 6 d e
Justinianus *(Vincentius) generalis Magister Ordinis Prædicatorum* 418 d
Justinianus *imperator collapsum S. Iæ templum Constantinopoli restituit* 330 c
Justinianus *imperator in Menæis Græcorum memoratur* 108 c
† Justinus *episcopus Pictaviensis* 313 a
Justinus *quidam an conscripserit Acta S. Dominici ut aliqui contendunt* 363 f *et* 364 a
† Juvenalis *præsul Hierosolymitanus Concilio Ephesino interfuit* 223 e *et* 226 e

K

Kadlubko (*Vincentius*) *episcopus Cracoviensis in Polonia* 464
† Kinga *vel* Cunegundis *filia Belæ IV regis Hungariæ* 291 f *et* 293 b
Klodauski *(Paulinus) originem eremitarum S. Pauli perperam tribuit sancto Paulo Thebæo* 304 d
Kalcariensis *(Henricus) octogenarius obit in Ordine Cartusiensi* 398 c

L

† Lambertus *episcopus et martyr* 487 a
Lancicius *(Nicolaus) S. J. scripsit quædam opuscula spiritualia* 466 c
Langlois *(Joannes Baptista) S. J. edidit historiam hæreticorum Albigensium* 545 b
† Launomarus *abbas prædixit ruinam urbis Carnotensis* 172 b
Laurentius *archiepiscopus Spalatensis fundavit cœnobium monialibus Ordinis S. Benedicti* 359 a d
Laurentius *Anglicus fuit inter primos S. Dominici sodales* 440 a
† Leo I *Papa laudat martyres Machabæos* 10 d
† Leo IX *Papa cultum S. Maximi præsulis Patavini resuscitavit* 111 *et* 112
Leo X *Papa Osannam Mantuanam in numerum Beatarum retulit* 367 c
Leo *Cardinalis titulo S. Crucis in Hierusalem* 444 a
Leo *primus nomine, et quartus Ordine, inter episcopos Sipontinos* 41 e
Leo *Minorita, socius S. Francisci* 482 b
Leo *ex Ordine Prædicatorum secundus Prior Coloniensis post fratrem Henricum* 549 c
Leo *Consiliarius regis Alarici ob destructam basilicam S. Felicis martyris Gerundensis divinitus punitur* 25 e f
† Leodegarius *episcopus Augustodunensis* 354 f
Leofricus *Comes fundavit monasterium Conventriense in Anglia* 433 d
Leontius *episcopus Augustodunensis* 229 a
Leontius *antistes Burdegalensis* 340 b
Lermite *(Thomas de) ex Ordine Prædicatorum testatur, se vidisse quasdam lucubrationes manuscriptas sancti Dominici* 520 c
Leslæus *(Joannes) episcopus Rossensis scripsit de rebus gestis Scotorum* 244 a *et* 480 f
Lietuinus *abbas cœnobii Vedastini* 71 b *et* 73 a
Locatellus *(Eudoxius) scriptor Ordinis Vallumbrosani* 102 d
Longinus *(Joannes) historicus Polonus* 464
Lopez *(Joannes) ex Ordine Prædicatorum episcopus Crotonensis in Calabria* 431 d *et* 533 f
Lopez *(Joannes) ex Ordine Prædicatorum scripsit Hispanice Vitam S. Dominici* 365 b c
Lopez *(Joannes de) Hispanice post Ferdinandum de Castillo prosecutus est Annales Ordinis Fratrum Prædicatorum* 387 b
Lopez *Agurleta (Josephus) nuperus scriptor Hispanus refellitur* 383 c d e *et* 450 e f
Lorinus *(Joannes) S. J. interpres sacræ Scripturæ de S. Aspreno disserit* 207 a
Loumans *(Ludovicus) ex Ordine Prædicatorum edidit Speculum Peccatricis animæ, quod figmentis scatet* 367 f. *Citat S. Antoninum pro exotica quadam opinione* 380 c d. *Perperam contendit, S. Dominicum in antro Segoviensi sacra stigmata accepisse* 472 *et* seqq. *Speculum peccatricis animæ, cujus editionem dedicavit Magistro generali reverendissimo totus Ordinis Prædicatorum, tribuit auctori anonymo* 503 c
Louvetus *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum Duaci anno* MDCXXXV *edidit libellum privilegiorum et indulgentiarum, quæ confraternitati Rosarii concessa sunt* 428 a *et* 430 d
Lubinus *(Augustinus) composuit notas geographicas ad Martyrologium Romanum* 46 d
Luca *(Bartholomæus de) aliter dictus* Ptolomæus Lucensis *initio seculi* XIV *in Ordine Prædicatorum floruit* 399 e
Lucas *Tudensis non meminit de nobilitate S. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum* 385 d. *Agit de academia Palentina, in qua studuit sanctus Dominicus* 389 a. *Laudat zelum S. Ferdinandi regis contra hæreticos* 411 f
† Lucius *Pontifex Romanus revera martyrio coronatus est* 114 b c
Lucius *(Joannes) edidit opus de Dalmatia et Croatia, vicinisque locis* 356 f *et* 456 e f
Lucius *quidam nomine, Barcinonensis episcopus fuisse dicitur, et a Tamayo inter Sanctos refertur* 2 d e
† Ludovicus *præsul Tolosanus* 303 d e *et* 304 d
† Ludovicus *rex Galliarum* 303 e *et* 304 d. *Maxime dilexit B. Benignum Generalem* XV *Ordinis Vallumbrosani* 104 f *et* 105 a
Ludovicus *Crassus rex Francorum* 54 d e
Ludovicus *Bavarus imperator* 177 b c
Ludovicus *Comes Flandriæ auxit statuta Begginasii Gandensis* 425 f
Luitboldus *archiepiscopus Moguntinus* 178 f
† Lupus *episcopus Suessionensis* 61 a b
† Lupus *episcopus Baiocensis* 52 f *et* 53 e
† Lupus *episcopus Trecensis* 228 f *et* 229 a

M

Maffeus *(Scipio) illustris scriptor Italus* 81 b
Magistris *(Franciscus de) scripsit librum de statu ecclesiæ Neapolitanæ* 204 b c
† Magnus *præsul Anagninus* 235 e, 236 d *et* 237 f
† Malachias *præsul Connerthensis* 256 e *et* 341 c
Malardus *antistes Carnotensis* 172 b d
Malcomus IV *rex Scotiæ virginitatem illibatam servavit* 255 b
Malderus *(Joannes) episcopus Antverpiensis approbat miraculum intercessione S. Dominici anno* MDCXXXII *Antverpiæ patratum* 541 a
Malmesburiensis *(Guilielmus) descripsit gesta præsulum Anglorum* 433 d
Malpæus *auctor palmæ fidei* 417 e
Malvecius *(Jacobus) scripsit chronicon Brixianum, quod nuper typis vulgatum est* 495 f
Malvenda *(Thomas) scripsit Annales Ordinis Prædicatorum, quos suo nomine edi noluit* 369. *Censuram Melchioris Cani refellit* 373 c. *Quædam illius narratio videtur ex Annalibus Prædicatorum expungenda* 460 c d. *Incaute Alano Rupensi credidit* 468 f, 469 a, 475 *et* seqq. *Corrigitur* 545 a
Mames *(Jacobus) in Hispania Fratribus Prædicatoribus prædium quoddam donat* 474 e
Manderscheidt *(Carolus a) S. J. olim varia nobis monumenta subministravit de Sanctis* 284 a
Manes *vel* Mannes, *frater S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum* 383 *et* 440 a. *Perperam Ordini Cisterciensi adscribitur* 383 e f. *An legitimum cultum habeat?* 384 a. *An direxerit moniales Matritenses Ordinis Prædicatorum* 473 b. *Mittitur Parisios* 547 b *et* 573 d
Manrique *(Angelus) conscripsit Annales Cistercienses* 245 c *et* 246 f. *Negat, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem contra hæreticos, idque multis argumentis probare conatur* 414 *et* seqq. *Sæpius corrigitur* 438 f *et* 494 d e
Mantua *(Jacobinus de) ex Ordine Prædicatorum S. Dominicum laudibus extollit* 620 f
Marbodus *gesta martyrum Machabæorum carmine exornavit* 10 d
Marca *(Petrus de) scripsit de limite Hispanico* 381 f
Marchesius *(Maurus) edidit opera S. Brunonis Signiensis episcopi* 232 c *et* 234 d
Marcianus *episcopus Arelatensis, Novatianis erroribus addictus* 115 f
Marcus *Ulyssipponensis ex Ordine Minorum scriptor Lusitanus* 194 e *et* 195 b
Margareta *Comitissa Flandriæ fundavit Begginasium Gandense* 425 e
† Margaretha *filia Belæ IV regis* 291 f *et* 293 a
B. Margarita *Ravennas prudens consilium dedit circa revelationes* 366 f *et* 367 a
Mariana *(Joannes) S. J. scripsit historiam de rebus Hispaniæ* 381 f
Marieta *(Joannes de) scriptor Hispanus ex Ordine Prædicatorum* 432 a
Marinæus *(Lucius) Siculus corrigitur* 381 e
Maroveus *episcopus Pictaviensis* 340 d
Marquis *(Lazarus) medicus testatur de miraculo per intercessionem S. Dominici Ordinis prædicatorum fundatoris patrato Antverpiæ* 541 a
Martene *(Edmundus) nuper edidit Collectionem amplissimam veterum scriptorum* 359 *et sæpius in sequentibus citatur.*
Martin *(Joannes) scripsit Gallice Vitam S. Dominici* 368 c. *Quasdam ei fabulas immiscuit* 409
Martinez *(Mathias) Vitam S. Teresæ, Hispanice scriptam, Latine interpretatus est* 472 c
Martinez *(Dominicus) abbas Alcobaciensis in Lusitania, an Sanctis sit adscribendus* 313 c
† Maruthas *episcopus Tagritensis dicitur scripsisse historiam martyrum Persarum sub Sapore* 330 e
Massonus *(Salvator) historicus civitatis Aquilanæ in Italia* 38 b
Matamorus *(Alfonsus Garsias) scriptor Hispanus corrigitur* 381 e
Mathildis *regina Scotiæ, mater S. Waltheni abbatis Melrosensis* 249 f *et* 250 d
Mathildis *regina Angliæ* 252 d *et* 254 b
Matrito *(Petrus a) unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a
Matthæus *(Felix) S. J. aliquas notitias suggessit de reliquiis S. Felicis Gerundensis martyris* 26 b c
Matthæus *primus et novissimus abbas in Ordine Prædicatorum* 440 a, 546 e *et* 573 c. *Primus Prior Provincialis Franciæ* 507 c
Matthæus *Parisiensis, scriptor Anglus, forsan ab hæreticis editoribus interpolatus* 450 a b c
Mauritius *quidam an scripserit Vitam S. Dominici FF. Prædicatorum fundatoris* 363 d e f
Mauritius *episcopus Cenomanensis* 281 c
Maximianus *patriarcha Constantinopolitanus* 216 c
Maximus *Taurinensis laudat Machabæos* 10 d
Maximus *(Galerius) proconsul in Africa S. Cyprianum morte damnavit* 141 d
† Medardus *episcopus Noviomensis* 61 b c e *et* 67 b
Medices *(Ferdinandus) Dux Etruriæ* 102 f
Medicis *(Alexander Martius de) episcopus Fesulanus* 101 f, 102 f, 103 *et* seqq.
† Melanius *vel* Mellonus *alias* Mallonus *episcopus Rothomagensis* 122 b
Melazzi *(Josephus) vicarius archiepiscopi Tranensis* 136 d
Melle *(Jacobus de) testis oculatus miraculi, quod S. Dominicus patravit* 428 b *et* 583 c d
Memnon *præsul Ephesinus* 223 e *et* 226 e
Mendoza *(Alvares de) episcopus Aquilanus* 45 a
Menelaus *legis divinæ et patriæ proditor* 13 c
Meneses *(Maria de) dedit monasterio Huelgensi Vallisoletano reliquias S. Dominici* 471 f
Mennas *episcopus Tolosanus* 157 e
Mercæus *(Helias) templum martyrum Machabæorum Coloniæ Agrippinæ restituit* 10 f
Mesnil *(Ludovicus du) S. J. nuper edidit Opus de doctrina et disciplina Ecclesiæ* 158 e
† Metropolus *antistes Trevirensis* 197 e
Michaël *episcopus Zagrabiensis, et postea archiepiscopus Strigoniensis* 293 d *et* 294 d
Minervino *(Bonaventura da) Guardianus Minoritarum in conventu Columnensi* 136 a.
Miræus *(Aubertus) negat, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem contra hæreticos* 414 d
Mladinus *tyrannus Dalmatiæ et Croatiæ* 304 f. *Capitur* 306 a. *Vindicem Dei manum agnoscens pœnitentiam agit* 306 b
Mombritius *in Actis S. Dominici non meminit de nobilitate ipsius* 385 e
Monasterium *S. Mariæ de Columna vel Colonia ubi situm* 131 c
Monferratensis *(Guilielmus) a sancto Dominico in Ordinem Prædicatorum recipitur* 480 d. *Cum S. Dominico ex Gallia in Italiam discedit* 481 a. *Fuit testis juratus in causa canonizationis sancti Dominici* 610 e, 631 *et* seqq.

Monfortius *(Simon) dux belli contra hæreticos Albigenses multis beneficiis affecit S. Dominicum, ejusque Ordinem* 403, 455 d, 545 f, 546 a *et* 570 a b. *Mors illius a sancto Dominico prævidetur* 451 d e, 546 d, 556 e *et* 573 b c. *In obsidione Tolosana occubuit* 455 d

Monte *(Joannes de) auctor supposititius, ab aliquibus perperam inter biographos S. Dominici numeratur et citatur* 362 *et* 363

Montmorency *(Florentius) S. J. Acta S. Justæ ad Bollandum nostrum misit* 39 e

Morales *(Ambrosius de) peculiari dissertatione tuetur nobilitatem S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum* 384 f *et* 387 c d

Moronus *(Christophorus) Præpositus ecclesiæ Blanderatensis* 165 b

Mundelheimius *(Nebridius) Canonicus Regularis S. Augustini institutionem Rosarii Petro Eremitæ adscribit* 430 f

Munio *generalis Magister Ordinis Prædicatorum Theodoricum de Appoldia Vitam S. Dominici colligere jubet* 372 b c. *Scripsit regulas tertio Ordini de Pœnitentia* 418 f *et* 420 a. *Dicitur narrasse stupendum S. Dominici miraculum* 652 e. *Quandonam Ordinem ingressus et ad Magisterium illius evectus sit* 654 d. *Quando autem a Nicolao IV Papa depositus* 372 c

Muratorius *(Ludovicus) nuper edidit Scriptores rerum Italicarum* 208 *et* seqq.

Myleman *(Carolus) ex Ordine Prædicatorum Flandrice edidit compendium miraculorum, quæ S. Dominicus Soriani patravit* 538 b

N

Nanni *de Malatestis (Alexander) episcopus Foroliviensis* 428 d

Natalibus *(Petrus de) præsul Equilinus non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 e

Navarra *(Joannes de) unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a. *Perperam confunditur cum Joanne de Monte, scriptore fictitio* 362 e *et* 363 c

Nectarius *præsul Constantinopolitanus* 218 f

† Nemesius *qua tempore passus* 125 e *et* 126 b c

Nemius *(Gaspar) episcopus Antverpiensis approbat miraculum, quod intercessione S. Dominici anno* MDCXXXV *patratum est Antverpiæ* 541 b

Neomisia *et* Aurelia *coluntur Anagniæ* 237 c

Nero *imperator habuit Poppæam uxorem* 316 c

Nicolaus III *Pontifex laudat Prædicatores* 445 e f

Nicolaus IV *Papa Munionem, Magistrum generalem Ordinis Prædicatorum exauctoravit* 372 c

Nicolaus V *Pontifex invisisse dicitur Assisii corpus S. Francisci* 529 f

Nicolaus *S. R. E. Cardinalis et episcopus Tusculanus* 444 a. *Adjuvat S. Dominicum in unione sanctimonialium urbis Romanæ* 574 *et* 576

Nicolaus *Veronensis ex Ordine Minorum contemnens S. Dominicum, febri affligitur; et resipiscens, mox sanatur* 618 c d

Nols *(Udalricus) ex Ordine Prædicatorum Prior Francofurtensis nobis dedit Acta Mss. S. Dominici, quæ Theodoricus de Appoldia fuse collegit* 371 f

Nonnitus *Gerundensis episcopus S. Felicem martyrem veneratur* 25 c

Noriega *(Josephus Stephanus de) abbas Ordinis Præmonstratensis in Hispania* 391. *Putat, usum Rosarii Deiparæ antiquiorem esse ætate S. Dominici* 426 c d *et* 427 e. *Probat, Dominicanos aliquas consuetudines ex Ordine Præmonstratensi assumpsisse* 439 a. *Quædam incerta de S. Dominico narrat* 514 c d e, 565 a *et* 635 b

Novaria *(Philippus de) seculo* XVI *scripsit quoddam Chronicon* 159 e

Novelli *(Horatius) suggessit notitiam de decem beatis Vallumbrosanis* 102 a

Nourry *(Nicolaus le) fuse disserit de Sybillinis oraculis* 378 a

O

Octavianus *Cardinalis titulo Sanctorum Sergii et Bacchi* 412 a *et* 444 b

Odorius Normannus, *Frater Conversus, numeratur inter primos S. Dominici socios* 440 a

Offa *rex Merciorum in Anglia* 173 b

Oiolinus *præsul Anagninus* 241 c *et* 242 d

† Olavus *martyr, rex Norvegiæ* 395 e

Olderandus *notarius conscripsit relationem juridicam de virtutibus S. Dominici* 610 d *et* 641 a b

† Oliva *colitur Anagniæ* 231 c

† Orcus *(Joannes) episcopus Novocomensis signatus a Castellano* 199 b

Orsini *(Vincentius Maria) sub nomine Benedicti XIII ad Sedem S. Petri evectus* 530 b

B. Osanna *Mantuana circa ectases et revelationes suas severe examinata fuit* 367 b

Osgarus *abbas Abbendoniensis* 93 c

† Oswaldus *rex et martyr* 253 d *et* 255 d

Otho I *Schirensis regulus, palatinus Bavariæ* 178 e

† Otto *dicitur novisse Psalterium sive Rosarium Deiparæ Virginis* 424 d

Otto *imperator caput S. Justini Guberno abbati Corbeiensium dedisse dicitur* 33 d

Oudinus *(Casimirus) Ordinis ac fidei apostata* 248 a

P

Paganica *(Nicolaus de) Ordinis Prædicatorum circa annum* MCCCXXX *floruit* 39 c *et* 42 e

Pagius *(Franciscus) de festo S. Dominici celebrando disserens, ab Echardo refellitur* 526

Paige *(Joannes le) edidit Bibliothecam Præmonstratensem* 438 b c d

Palmerius *Inquisitor in causa canonizationis S. Dominici* 610 c, 629 a *et* 641 c

Palumbus *(Gaspar) canonicus ecclesiæ Tranensis inventioni reliquiarum S. Stephani assistit* 134 e

Pannocchieschis *(Horatius de) præfectus oppidi Vigiliensis* 135 d

Papebrochius *(Daniel) S. J. imagini cuidam Venetæ sancti Dominici nonnullas difficultates opponit* 378 d e. *Corrigitur* 442 c d *et* 559 f. *Opinionem suam facile retractat* 127 f *et* 449 b c. *Errat, obiter agens de gestis sancti Dominici* 482 a. *Non magni facit auctoritatem mulierum exstaticarum in controversiis historicis* 520 b. *Vidit templum Prædicatorum Bononiæ* 529 b c
Papulus *vel* Pappolus *episcopus Carnotensis in Gallia* 169 *et* 171 f
Parmensis *(Joannes) generalis Minister Ordinis Minorum scripsit litteras encyclicas ad servandam pacem inter Fratres Prædicatores et Minores* 441 d
Paschalis I *Papa Romanus* 130 a
Passardus *(Franciscus) ex Ordine Minorum scripsit Italice Vitam S. Sereni Massiliensis* 164 b
† Patiens *archiepiscopus Lugdunensis* 229 f
Patricius *abbas Melrosensis in Scotia* 245 f, 246 f
† Paulinus *episcopus Nolanus* 170 f *et* 172 d
† Paulus *Apostolus apparet S. Dominico, fundatori Ordinis Prædicatorum* 451 e f, 452 a *et* 573 a
† Paulus *Ægyptius dicitur Rosarium recitasse* 431 e
Paulus I *Pontifex transtulit reliquias S. Stephani I Papæ martyris* 127 d e
Paulus *Venetus ex Ordine Prædicatorum testis juratus in Processu canonizationis S. Dominici* 611 b c, 639 *et* 640. *Mirabiliter et subito sanitatem intercessione S. Dominici recuperat* 640 c
Paulus *ex Ordine Prædicatorum putatur fuisse primus Prior provincialis Hungariæ* 507 f
Pause *(Joannes Plantavitius de la) episcopus Lutevensis scripsit opusculum de chronologia præsulum Lutevensium* 479 a b
Pegna *(Franciscus) asserit, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem contra hæreticos* 414 f
Pelagius *episcopus Albanensis* 444 a
† Penafort *(Raymundus) quando Ordinem Prædicatorum ingressus fuerit* 493 c d
† Perpetuus *præsul Turonensis* 230 a
Petræus *(Theodorus) scriptor ex Ordine Cartusianorum* 398 b
Petris *(Jacobus de) ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 412 e
Petrus *monachus Vallis-Sernensis ex Ordine Cisterciensi conscripsit historiam Albigensium* 400 a. *Narrat miraculum, quod audivit ex ipso S. Dominico, fundatore Ordinis Prædicatorum de schedula incombusta* 400 d e
Petrus *Apostolus apparet S. Dominico, fundatori Ordinis Prædicatorum* 451 e f, 452 a *et* 573 a
† Petrus *martyr Veronensis ex Ordine Prædicatorum* 415 b c d e. *Instituit Ordinem de Militia Christi* 421
Petrus *Cardinalis presbyter titulo S. Laurentii in Damaso* 444 b
Petrus *Eremita, civis Ambianensis, dicitur instituisse Rosarium vel Coronam Deiparæ* 434
Petrus *archiepiscopus Ravennas* 230 f
Petrus *episcopus Florentinus simoniace promotus damnatur* 104 c
Petrus *episcopus Segoviensis* 193 e
Petrus *episcopus Palentinus* 193 d e
Petrus *Remensis ex Ordine Prædicatorum dicitur fuisse primus Prior provincialis Franciæ* 507 d e
Petrus *subdiaconus an scripserit Vitam S. Athanasii præsulis Neapolitani* 207 d *et* 209 a b c d
Philippus *Vercellensis ex Ordine Prædicatorum procurator designatur in causa canonizationis S. Dominici* 610 c *et* 629 a
Philippus *episcopus Bononiensis* 530 f
Philippus *episcopus Aurelianensis* 279 f
Philippus *præsul Hierosolymitanus* 312 d
Philippus *episcopus Eystadiensis* 175 f, *et* 182 c
Philippus *episcopus Zagrabiensis* 294 c
Philippus III *rex Hispaniæ* 382 c
Philippus IV *rex Hispaniæ* 382 b
Philippus, *natione Phryx affligit Judæos* 13 c
Pinius *(Ignatius) S. J. Romæ degens, Operi nostro varia monumenta subministrat* 4 c *et* 102 a
Pisanus *(Bartholomæus) scriptor ex Ordine Minorum* 482 b
Pisanus *(Ludovicus) ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 412 e
Pius *(Joannes Michaël) scriptor ordinis Prædicatorum sæpius sub nomine Plodii citatur* 288 c d
Plantavitius *de la Pause (Joannes) episcopus Lutevensis edidit opusculum de præsulibus ejusdem sedis* 479 a b
Podio-Laurentii *(Guilielmus de) scripsit Chronicon de Albigensibus* 400 b c. *Laudat Ordinem Prædicatorum* 444 c d
Poelde *(Joannes de) canonicus Hamelensis S. Bonifacium improprie* Inquisitorem *appellat* 416 a b
Poltri *(Laurentius) Generalis abbas Ordinis Vallumbrosani* 102 d
Pontius *scripsit Vitam S. Cypriani præsulis Carthaginensis et martyris* 113 f
Poppæa *uxor Neronis imperatoris* 316 c
† Poppo *abbas Stabulensis* 71 b
Porraqua *(Alfonsus) abbas Vallumbrosanus* 101 e
Praet *(Catharina) puella Antverpiensis intercessione sancti Dominici anno* MDCXXXII *mirabiliter sanata est* 540 *et* seq.
Prato *(Bartholomæus de) tamquam socius S. Dominici, ab Alano Rupensi perperam iterato allegatur* 263 f *et* 440 a
Prato *(Joannes de) scriptor ignotus ab Alano Rupensi allegatur* 431 f
† Principius *episcopus Suessionensis* 61 b *et* 335 e
† Probianus *præsul Bituricensis* 60 a b
† Proclus *patriarcha CP.* 216 c *et* 219
† Prosdocimus *præsul Patavinus* 110 c
† Prosper *laudat martyres Machabæos* 10 d
Prudentius *laudat martyres Machabæos* 10 d
Prulio *(Natalis de) unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a
Ptolomæus *Lucensis aliter dictus* Bartholomæus de Luca *initio seculi* XIV *in Ordine Prædicatorum floruit et scripsit historiam ecclesiasticam* 399 e
Puerta *Quinones (Lazarus de) scripsit de nobilibus familiis Hispanis* 384 e
Puricellus *(Joannes Petrus) scripsit Dissertationem Nazarianam* 493 f
Purificatione *(Antonius a) scriptor Lusitanus edidit Chronologiam monasticam* 194 b, 195 b

Q

Quendreda *regina Merciorum, impia sanctæ filiæ mater* 173 f *et* 174 a
Quetif *(Jacobus) scriptor ex Ordine Prædicatorum asserit se vidisse crucem quam S. Dominicus in pugna Murelli præferebat* 407 e
Quintus *episcopus in Mauritania* 117 e

R

Raderus *(Matthæus) Gundecharum II episcopum Eystadiensem inter Sanctos aut Beatos numerat* 175 c e
Radiolensis *(Hieronymus) scriptor Ordinis Vallumbrosani* 102 d
Radulphus *monachus Cisterciensis ad convertendos hæreticos Albigenses missus* 400 a *et* 415 e
† Ragnobertus *episcopus Baiocensis* 52 b f *et* 53 c
Ranzanus *(Petrus) episcopus Lucerinus in Apulia, et scriptor* 283 f
Rao *ex Ordine Prædicatorum mortem S. Dominici statim divinitus novit* 517 f, 557 f *et* 599 c d
Raymundus *episcopus Tolosanus* 319 a
Raymundus *Capuanus generalis Magister Ordinis Prædicatorum scripsit Vitam S. Catharinæ Senensis* 419 *et* 519 d
Raynerius *vel* Rainerius *Cardinalis titulo S. Mariæ in Cosmedin* 444 b. *Aliqua sancti Dominici miracula publice narravit* 405 a *et* 408 d
Razzius *(Sylvanus) scripsit vitas Sanctorum Etruscorum* 76 d
Reccaredus *rex Gothorum quo tempore fidem Catholicam amplexus sit* 25 c
Rechacus *(Joannes de Giffre) auctor vitæ B. Elisabethæ Schonaugiensis* 367 e
Reginaldus *decanus Aurelianensis post miram Deiparæ apparitionem ac recuperatam sanitatem Ordinem fratrum Prædicatorum ingreditur* 459 *et* seqq., 547, 556 f, 557 a *et* 590. *Parisiis pie moritur* 548 c d *et* 587
Reginoldus *archiepiscopus Coloniensis reliquias martyrum Machabæorum Mediolano Coloniam Agrippinam transtulit* 10 f *et* 11 d
Relandus *(Petrus) edidit Fastos consulares* 144 d
† Remigius *episcopus Rhemensis inepte conjungitur cum temporibus Caroli Magni* 17 c d
Reynaldus *archiepiscopus Coloniensis* 412 c
Ribadeneira *(Petrus de) scripsit vitam S. Ignatii de Loyola* 367 a
Ribera *(Franciscus de) S. J. confessarius* S. *Teresæ Vitam ejus Hispanice conscripsit* 472 c e
Riccardus *(Vincentius) edidit opuscula et Vitam S. Procli Constantinopolitani* 219 d
Riccius *(Franciscus Antonius) episcopus civitatis Vigiliensis* 136 e
Richardus *(Bartholomæus) Præpositus ecclesiæ Blanderatensis* 165 d
Richardus *patriarcha Aquileiensis* 181 f
Richerius *monachus contumeliose proscindens Ordinem Prædicatorum, refellitur* 446 a b
Rictius-Varus *persecutor Christianorum* 30 e. *Dicitur fuisse præfectus in Gallia* 31 a
Robertus *Cardinalis S. Sixti in monte Cœlio* 444 a
Robertus *rex Neapolitanus* 287 b
Robertus *archidiaconus scripsit vitam S. Ayberti monachi reclusi in Hannonia* 434 e
Robyn *(Ludovicus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 425 d
Rodericus *archiepiscopus Toletanus* 388 f
Rogerius *(Pontius) ab hæresi conversus, pœnitentiam accipit a sancto Fundatore Ordinis Prædicatorum* 410 e f
Rojas *et Sandoval (Bernardus de) archiepiscopus Toletanus, et S. R. E. Cardinalis* 382 d
Rolandus *Cremonensis vir insignis ex Ordine Prædicatorum* 582 b d
Romæus *(David) scripsit de Sanctis quibusdam Neapolitanis* 201 e
Romagnolus *(Joannes Baptista) S. J. nobis aliqua subministravit de sancto Maximo, præsule Patavino* 110 f
Romanus *Cardinalis titulo S. Angeli* 444 b
Rotlandus *episcopus Faventinus* 497 e
Rubbens *(Petrus Paulus) famosus Belgii pictor Sorianensem S. Dominici picturam aliquando penitius inspexit* 536 d
Rudolfus *de Francia ex Ordine Prædicatorum testis fuit juratus in causa canonizationis S. Dominici* 611 a, 635 *et* seqq.
Rudolphius *(Petrus) ex Ordine Franciscanorum conventualium conscripsit historiam seraphicæ Religionis* 530 a b
Ruffinus *Minorita, socius S. Francisci* 482 b
Rufinus *persecutor Christianorum in Hispania Diocletiani temporibus* 27 *et* seq.
Rumaldus *antistes Constantiensis* 179 a b
Rupe *(Alanus de) an in narrationibus suis fidem mereatur* 365 *et* seqq. *Auctoritas ejus ab Echardo rejicitur* 365 *et* seqq. *Ab aliquibus titulo* beati *ornatur* 367 c. *Fabulæ illius a Joanne Rechaco adoptantur, et mordicus defenduntur* 370 b c. *Explicat, quid sit Psalterium Deiparæ* 422. *Sæpe citat scriptores fictitios* 408 f *et* 469 d. *Videtur fuisse primus auctor opinionis, quæ S. Dominico sacra stigmata perperam tribuit* 473. *Historiam Benedictæ Florentinæ, quam S. Dominicus ab obsessione dæmonis liberavit, episodiis et figmentis auxit* 498 *et* seqq. *Fabulas et visiones suas perperam juramento confirmat* 366 e f *et* 503 b
Rupibus *(Petrus de) episcopus Wintoniensis in Anglia* 506 b
Ryckel *ab Oorbeeck (Josephus Geldolphus) Lovanii abbas S. Gertrudis scripsit historiam Begginasiorum Belgii* 425 e

S

Sacconus *(Rainerius) ab hæresi conversus, Ordinem Prædicatorum ingreditur* 392 f *et* 393
Sadoch *ex Ordine Prædicatorum Prior conventus Zagabriensis* 508 b, 594 e *et* 612 f
Sagastizaval *(Joannes) citatus a Choquetio scripsit de Rosario Deiparæ* 432 e
Salanhaco *(Stephanus de) antiquus scriptor ex Ordine Prædicatorum* 399 d. *Corrigitur a Malvenda* 382 e. *Interpolatus est a Bernardo Guidonis, ut exemplo probatur* 447 e f
Salazarius *de Castro (Ludovicus) scriptor Hispanus refellitur* 382 f *et* 384 e f
Sampayo *(Stephanus de) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 363 d
Sandoval *(Prudentius de) scripsit de nobilibus familiis Hispanis* 384 e
B. Sansedonius *(Ambrosius) ex Ordine Prædicatorum instituit pias quasdam congregationes* 421 d
Sapor *rex Persarum* 328 e *et* 329 b c d
Sarabia *(Josephus de) ex Ordine Prædicatorum dicitur*

citur

citur vidisse Vitam S. Dominici, quam soror Angelica de Bononia olim scripsit 360 e
Sarnellus *(Pompeius) illustrissimus scriptor texuit chronotaxim præsulum Sipontinorum et Vigilensium* 41 e f *et* 133 f
Sartorius *(Augustinus) edidit Historiam elogialem Ordinis Cisterciensis* 245 d. *Negat, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem, et litem illam inter Cistercienses et Prædicatores componere nititur* 414 c *et* 415 d e f. *Corrigitur* 438 f *et* 494 e
Saviolus *(Petrus) historicus Patavinus* 112 f
Scala *(Bernardinus) episcopus Feretranus* 47 d. *Scripsit Papebrochio nostro longiorem epistolam de translatione et reliquiis S. Lei* 49 *et* seqq.
† Secundina *colitur Anagniæ* 231 b, 237 c *et* 238 a
Seditius *præsul Uticensis et Convenarum* 407 b
Sedulius *(Henricus) ex Ordine Minorum scripsit commentarios ad Vitam S. Francisci* 486 e
Seleucus *rex misit Heliodorum ad spoliandum templum* 13 b
Senis *(Thomas de) ex Ordine Prædicatorum inquisivit in originem Ordinis de Militia Christi, sive de Pœnitentia S. Dominici* 418 e
Senis *(Thomas Antonius de) scripsit Italice Vitam S. Dominici* 365 b
† Serenus *presbyter cum episcopo Massiliensi ejusdem nominis perperam confusus* 159 f *et* 160 a
Sergius II *Papa quamdiu sederit* 130 b
Severanus *(Joannes) scripsit de septem urbis Romanæ ecclesiæ* 130 d
† Severus *episcopus Barcinonensis et martyr* 198 e
Severus *præsul Ravennas* 77 a
Severus *Sulpitius cum altero Severo confusus* 55 c
Sherlogus *(Paulus) S. J. scripsit commentarios in Cantica Canticorum* 416 b
Sibylla *an Ordines Prædicatorum et Minorum prædixerit* 377 f *et* 378 a b
Siccus *(Seraphinus) generalis Magister Ordinis Prædicatorum Annales Malvendæ Neapoli typis excudi jussit* 369 a
Sicola *(Sigismundus) edidit opus Italicum de gloriosa S. Aspreni nobilitate* 201 e, 203 b *et* 204
Sigonius *(Carolus) opus edidit de Bononiensibus episcopis* 530 f
Silo *præsul Werdunensis* 179 b
Silvester *(Franciscus) ex Ordine Prædicatorum scripsit Acta B. Osannæ Mantuanæ* 367 b
Silvius *(Polemeus) scripsit antiquissimum Kalendarium, quod in Opere nostro edidimus* 7 c
† Simeon, *qui Salvatorem in ulnas accepit, dicitur in Jadrensi ecclesia sepultus esse* 305 f *et* 306 d
† Simeon *(Barsaboe) Seleuciæ et Ctesiphontis episcopus* 330 f
Simeon *Dunelmensis, scriptor Anglus* 250 d e
Simius *(Venantius) scriptor Vallumbrosanus* 102 d
Simon *Comes Huntingtoniæ in Anglia* 241 e
† Simplicius *episcopus Augustodunensis* 229 a
Sisinnius *præsul Constantinopolitanus* 220 f *et* 222 d
Sixtus IV *Pontifex cathedram Glascuensem ad dignitatem archiepiscopalem evexit* 269 f
Snekis *(Cornelius de) ex Ordine Prædicatorum generalis vicarius congregationis in partibus Hollandiæ* 363 b *et* 365 b
Somier *(Joannes Claudius) scriptor Lotharingus, et sacræ theologiæ doctor* 212 c
Sossa *(Joannes de) ex Ordine Prædicatorum narrat incertum miraculum de S. Dominico* 514 e
Souciet *(Stephanus) S. J. indefessus Operis nostri adjutor* 354 f
Soueges *(Stephanus Thomas) ex Ordine Prædicatorum Vitam S. Dominici Gallice edidit et fabulas quorumdam recentiorum prudenter in ea omisit* 370 c d *Quædam ipsius opino rejicitur* 390 c d *Error ejusdem detegitur* 516 e
Sousa *(Ludovicus de) in Annalibus Lusitanicis Ordinis Prædicatorum asserit, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem fidei contra hæreticos* 414 f *et* 415 f
Spelmannus *(Henricus) edidit Glossarium archaiologicum* 433 a c
Spoelberch *(Guilielmus) ex Ordine Minorum edidit Speculum Vitæ S. Francisci* 483 b
Spondanus *(Henricus) asserit, S. Petrum de Castro-novo Cisterciensem fuisse primum Inquisitorem contra hæreticos* 414 d e
Sprengerus *(Jacobus) ex Ordine Prædicatorum Coloniæ primam sodalitatem Rosarii erexit anno* MDCLXXV 362 b, 366 b *et* 428 c
Staffa *(Joannes Lucas) reliquias S. Stephani Papæ et martyris detexisse dicitur* 134 *et* seq.
Starovolscius *(Simon) conscripsit Vitam et miracula venerabilis Vincentii Kadlubkonis* 464 b
Steil *(Fredericus) recenset Sanctos et Beatos Ordinis Prædicatorum* 367 c *et* 417 e
Steinhart *(Franciscus) S. J. Rector collegii Eystadiensis varia de B. Gundecharo monumenta officiose subministravit* 175 f
† Stephanus *fundator Ordinis Grandi-montensis colitur* VIII *Februarii* 492 e
Stephanus III *alias* II *Pontifex* 107 f
Stephanus IV *alias* III *Pontifex* 108 a
Stephanus *Cardinalis titulo S. Adriani* 444 b
Stephanus *Cardinalis presbyter sanctæ Mariæ trans Tiberim* 494 e
Stephanus *Cardinalis Basilicæ duodecim Apostolorum* 444 a *et* 504 d
Stephanus III *antistes Neapolitanus* 207 d
Stephanus *archiepiscopus Cantuariensis* 506 e
Stephanus *Metensis fuit inter primos S. Dominici socios* 440 a
Stephanus *ex Ordine Prædicatorum testis juratus in causa canonizationis S. Dominici* 611 b 637 *et* seqq. *Mirabiliter ab eodem Sancto ad Ordinem Prædicatorum admissus est* 608 *et* 637 e
Stephanus *Cartusianus traditur prædixisse Ordinem Prædicatorum* 570 e *et* 571 f
Strada *(Famianus) S. J. putat, S. Dominicum fuisse primum Inquisitorem contra hæreticos* 414 f
Suardus *(Fabritius) episcopus Lucerinus in Apulia Italiæ* 285 a
Sueci *Germaniam vastant* 177 d e
Summonte *(Joannes Antonius) scripsit historiam Neapolitanam* 211 e
Susatus *(Jacobus) scriptor ex Ordine fratrum Prædicatorum* 379 f
Sutor *(Petrus) Prior Cartusiæ Parisiensis ac scriptor* 279 b *et* 398 b
Swieten *(Ægidius van) ex Ordine Prædicatorum aliqua Surianensia S. Dominici miracula Flandrice edidit* 538 a
Sylva *(Gerardus de) Comes Blanderati, etc., in honorem S. Sereni præsulis Massiliensis pretiosam lipsanothecam fabricari jussit* 167
Sylva *(Donatus de) Comes Blanderati plura nobis subministravit monumenta de S. Sereno episcopo Massiliensi* 157 b
Synaxarii *ex Menologio jussu Basilii imperatoris collecto mensis Augustus editur* 659 *et* seqq.

T

Talasius *episcopus Andegavensis* 228 f
Tamayus *Salazar (Joannes) exhibet in Martyrologio Hispanico ad diem* VI *Februarii Acta Didaci præsulis Uxamensis* 396 a
Tancredus *Inquisitor in causa canonizationis S. Domini* 610 c, 628 a *et* 641 c
Tancredus *ex Ordine Prædicatorum socius S. Dominici, et postea Prior Romanus* 522 a *et* 575 d
Tarapha *(Franciscus) scriptor Hispanus errans corrigitur* 381 e
Tarvisio *(Nicolaus de) cognominatus* Bocassinus, *Magister generalis Ordinis Prædicatorum* 372 d
Tellio *episcopus Palentinus in Hispania* 389 a
Temeswar *(Pelbartus de) scriptor ex Ordine Minorum* 485 f. *Tribuit S. Dominico librum de Corpore Christi* 521 a
Templo *(Thomas de) auctor suppositius, ab aliquibus perperam inter biographos S. Dominici numeratur et allegatur* 362 *et* 363
† Teresa, *comitante ipsam Priore loci, invisit speluncam Segoviensem, in qua S. Dominicus aliquando commoratus est* 472 c d e
† Tharsicius *quandonam passus* 127 b
† Theclæ *inclyta veneratio* 227 e *et* 228 d
Theodebertus *rex Austrasiæ* 172 a
Theodoretus *episcopus Cyri auctor vitæ Sanctorum Maranæ et Cyræ* 226 *et* seqq.
Theodoricus *rex Burgundiæ* 168 *et* 172 a
Theodorus *episcopus Massiliensis* 157 d
Theodosius I *imperator quamdiu regnaverit* 218 b
Theodosius II *seu junior imperator quando regnaverit* 219 c
† Thomas *præsul Cantuariensis* 277 a *et* 278 d
Thomas *Cardinalis titulo S. Sabinæ* 444 b
† Thomas, *doctor Angelicus, non fuit magister B. Augustini præsulis* 288 *et* seq. *Pro quibusdam sententiis allegatur* 380 d, 411 d, *et* 465 c d
Thomas *Prior S. Mariæ de Rheno, designatus est Inquisitor in Processu Canonizationis S. Dominici* 628 f *et* 641 c
Thomas *archidiaconus Spalatensis scripsit historiam ecclesiæ Salonitanæ* 456 e
Thomas *Apulus mirabiliter in Ordine Prædicatorum retinetur* 593 f *et* 594 a
Thomas *Tolosanus fuit unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a
Thomas *archidiaconus Spalatensis conscripsit Historiam Salonitanam* 356 f *et* 456 e
† Thomasius *(Petrus) ex Ordine Carmelitarum in insula Creta severus contra hæreticos* 412 e
Thuroczius *(Joannes) scripsit Chronicon Hungarorum* 294 f 295 c *et* 304 a b
Timotheus *episcopus Zagrabiensis* 294 c
Tinmouth *(Joannes de) collegit quædam Acta Sanctorum Angliæ* 248 a
Tomcus *Marnavitius (Joannes) episcopus Bosnensis conscripsit Acta B. Augustini præsulis Zagabriensis* 287 d. *Hic auctor perperam Ordini Prædicatorum adscribitur* 287 e
Tondutius *(Julius Cæsar) edidit Italice historiam Faventinam* 497 b c
Toppius *(Nicolaus) auctor bibliothecæ Neapolitanæ de chronico Pappansognæ loquens* 204 c
Torsæus *(Thormodus) conscripsit historiam Norvegicam* 395 f
Tridentinus *(Bartholomæus) ex Ordine Prædicatorum breviter scripsit Vitam S. Dominici* 360 c d. *Illam, numquam hactenus editam, typis vulgamus* 371 a b, 556 *et* seqq. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 a. *Asserit, habitum Prædicatorum post visionem Reynaldi mutatum fuisse* 461. *Scribit de translatione prima S. Dominici, cui interfuit* 522 f *et* 523 a b c
Trivettus *(Nicolaus) antiquus scriptor ex Ordine Prædicatorum non meminit de nobilitate sancti sui Fundatoris* 385 e. *Narrat quædam gesta S. Dominici* 401 a b *et* 506 d e
Trugillo *(Thomas de) falso citat textum Theodorici de Appoldia pro nobilitate S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum* 385 c d
Tugalus *vel* Tugdualus *episcopus Trecorensis* 342 b
Turpin *(Thomas) ex Ordine Prædicatorum opportune nobis subministravit libellum Ms. de quibusdam miraculis S. Dominici* 643 e f

U

† Ubaldus *episcopus Eugubinus* 357 a
Ubaldus *episcopus Faventinus* 497 e
Udalricus *præsul Papiensis* 179 a
Udo *vel* Hugo *an fuerit archiepiscopus Magdeburgensis* 299 b c
Ugolinus *episcopus Hostiensis et Veletrensis* 444 a
Ugonius *(Pompeius) scripsit Italice de stationibus Romanis* 467 e
Ugrinus *vel* Hugrinus *archiepiscopus Spalatensis in Dalmatia* 456 e f *et* 457 a
Ugutio *(Guilielmus) hæreticus conversus, a S. Dominico cum Catholico conversari sinitur* 411 a
Urbanus IV *Pontifex laudat Ordinem Prædicatorum* 445 c d
Urbanus VIII *summus Pontifex nobilitatem S. Catharinæ, Senensis ex Romano Breviario, anno* MDCXLI *expungi jussit* 386 e
† Urius, *quem penuria monumentorum, posterius acceptorum, tomo 2 Martii, perperam cum sancto Juliano confudimus* 111 e
Urraca *regina Lusitaniæ* 195 a
† Ursinus *præsul Bituricensis* 60 e
Uzero *(Michaël de) unus ex primis S. Dominici sodalibus* 440 a

V

Vaert *(Catharina van de) intercessione Dominici ab inveterato cancri morbo mirabiliter Antverpiæ anno* MDCXXXV *liberata est* 541 b c
Valentinianus III *quando ad imperium a Theodosio juniore adscitus* 225 e
Valentinus *(Josephus Stephanus) Canonicus Segobricensis*

bricensis scripsit elegantem librum de Rosario Deiparæ 429 a *et* 430 c
Valerianus *abbas Vallumbrosanus* 101 e f
Valerius *(Augustinus) illustris scriptor de rebus Veronensibus* 81 f
Valle *(Norbertus de) velut socius S. Dominici, ab Alano Rupensi perperam allegatur* 363 f *et* 440 b
Venerus *(Alphonsus) ex Ordine Prædicatorum putat, S. Dominicum sacris stigmatibus insignitum fuisse* 473 b
Ventura *ex Ordine Prædicatorum, Prior Bononiensis, fuit testis juratus in causa canonizationis S. Dominici* 610 e, 629 *et* seqq.
Vercellinus *Vercellensis ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 412 e
Vercellis *(Joannes de) generalis Magister Ordinis Prædicatorum dicitur regi Galliæ dedisse digitum vel dentem S. Dominici* 532
Verne *(Petrus) S. J. docuit nos de cultu cujusdam S. Luani in Britannia Armorica* 342 a b
B. Vicentinus *(Joannes) ex Ordine Prædicatorum severus contra hæreticos* 413 b
Victorinus *Afer laudat martyres Machabæos* 10 d
† Vigilius *episcopus Tridentinus Bergomi habuit oratorium* 495 b
Villalobos *(Hieronymus de) scripsit de nobilibus familiis Hispanis* 384 e
Villanus *(Joannes) scriptor Italus seculi* XIV *asserit, Ordines Prædicatorum et Minorum a Sibylla prædictos fuisse* 378 a
Villegas *(Alfonsus de) edidit Hispanice Vitam S. Dominici* 397 f
† Vincentii *levitæ corpus ubi quiescat!* 405 d e
Vincentius *Bellovacensis ob scripta sua carpitur a Melchiore Cano* 362 b c. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 e
Virgilius *(Polydorus) primam Rosarii institutionem attribuit Petro eremitæ* 426 f *et* 434
Vitalis II *præsul Vesontionensis* 328 b c e
Vitriaco *(Jacobus de) S. R. E. Cardinalis scribit de Canonicis Bononiensibus, per quos videtur designare Ordinem Prædicatorum* 449 b c
† Vitus *quando laurea martyrii coronatus fuisse dicatur* 33 e f *et* 34 a
Vitus *(Stephanus) S. J. multa de Sanctis Hibernis in usum nostrum collegit* 342 e
Vives *(Ludovicus) explodit Legendam auream Jacobi de Voragine* 362 a
Vivianus *(Gaspar) episcopus Anagninus* 233
† Vodalus *vel* Vodoalus *eremita in Gallia* 354 c
Volusianus *imperator quando mortuus* 115 d e
Voragine *(Jacobus de) brevem Vitam S. Dominici Legendæ suæ aureæ inseruit* 362 a. *Non meminit de nobilitate S. Dominici* 385 e

W

Waddingus *(Lucas) Annalista Minorum contendit, S. Dominicum interfuisse Capitulo Storearum* 481 *et* seqq. *Edidit quædam opuscula S. Francisci* 485 f. *Videtur errasse in chronologia* 442 b c
Waltheofo *convenitne nomen martyris* 254 a
† Walthenus *abbas Scotus perperam confusus cum abbate Pontisarensi similis nominis* 243 *et* seqq.
Walterus *episcopus Tornacensis* 412 b
Wasseburgius *(Richardus) archidiaconus ecclesiæ Verodunensis* 130 f
Wemiss *(Patricius Ninianus) S. J. varia nobis documenta suppeditavit de Sanctis Scotiæ* 246 b
Witfordus *(Richardus) edidit Anglice Martyrologium* 242 c
Wido *archiepiscopus Mediolanensis* 178 f *et* 179 a
Wildeshusen *(Joannes de) quartus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum* 360 f, *et* 559 b e. *Quando Ordinem Prædicatorum ingressus fuerit* 493 d. *Scripsit epistolam encyclicam, quæ perperam S. Dominico tribuitur* 511 *et* seq., 520 f. *Evectus est ad episcopatum Bossinensem* 559 e
Wilhelmus *primus abbas Rivallensis* 265 e f
Wilhelmus *abbas Melrosensis in Scotia* 247 e
Wilhelmus *vel* Guilielmus *Normannus, cognomento Conquestor Anglicam subegit* 249 f *et* 250 d
Wilhelmus *rex Scotiæ quando mortuus* 247 d
Wilhelmus *(de Monteferrato) ex Ordine Prædicatorum testis fuit juratus in causa canonizationis S. Dominici* 610 e 631 *et* 632
† Willibaldus *primus episcopus Eystadiensis* 175 c
Wilsonus *(Joannes) bis edidit Martyrologium Anglicanum* 242 e
Wionus *(Arnoldus) scriptor Benedictinus Coronam Deiparæ a Rosario distinguit* 434 d
Witlasius *rex Merciorum fugere cogitur* 174 c d e
Woffo *præsul Merseburgensis* 179 b
Wolstanus *monachus Wintoniensis scripsit Vitam S. Ethelwoldi* 83 e, 88 *et* seqq.
Wulketulus *abbas Croylandensis* 254

X

Xavierre *(Hieronymus) generalis Magister Ordinis Prædicatorum* 382 c
Ximenes *(Paulus) archiepiscopus Tranensis translationi S. Stephani PP. consentit* 136 b

Y

Yanguas *(Didacus de) ex Ordine Prædicatorum aliquando confessionem S. Teresæ excepit* 472 d. *Aderat quando S. Dominicus prædictæ sanctæ Teresæ apparuit* 472 d e

Z

Zagachristus *quidam impostor sub nomine principis Æthiopici Rechacum decepit* 369 f
Ziegler *(Sebastianus Josephus) vicarius episcopi Eystadiensis* 177 c *et* 189 d
Zoanelli *(Benedictus) ex Ordine Prædicatorum præfectus bibliothecæ Casanatensis* 464 a
Zotteghem *(Zigerus de) ex Ordine Prædicatorum Prior Gandensis seculo* XIII 426 b

INDEX
TOPOGRAPHICUS

A

Abbandus locus in Anglia ac monasterium; *cujus abbas S. Athelwodus* 91 b
Achadh-Dagain, *vel* Ath-Dagain cœnobium in Lagenia 353 d
Ælia, Hierosolyma dicta 227 a
Aidisnus, locus in silva Rhetia, via Parisiensi 68 d e
Alatrium civitas Campaniæ episcopalis 494 e f
Almisum *vel* Almissum, maritima Chulmiæ civitas. *B. Augustinus episcopus* 308 b
† Andreæ, urbs Scotiæ archiepiscopalis 267 e
Apta Julia (*Apt*) urbs in Provincia Galliæ *S. Auspicius episcopus* 155 c
Aquila, urbs Italiæ. *S. Justa Virgo et Martyr* 38 b
Arausio, urbs episcopalis in Gallia 571 e
Arba, Arbe *vel* Arbum, insula Illyrici; *in qua etiam oppidum ejusdem nominis* 295 b
Aregia, fluvius e Pirenæis montibus ortus 567 a
Arva (*vide* Audura)
Ascula in Piceno. *Reliquiæ S. Dominici* 531 e
Audura (*vulgo Avre*) fluvius Normanniam a Francia dividens 172 d
Aureatensis ecclesia pro Eystettensi in Germania; *unde sic vocata* 178 c

B

Baczanum (*vide* Offidius mons)
Ballancuriæ monasterio Ordinis Cisterciensis in diœcesi Trecensi *dicuntur asservari capita sanctarum virginum et martyrum Fidei, Spei, et Charitatis* 18 f
Bergomi *dicuntur Sancti Dominicus et Franciscus fuisse* 495 b
Berœa, urbs Syriæ. *SS. Marana et Cyra* 226 a
Berolzheim, locus Eystettensis diœcesis 186 a
Blanderatum, locus in diœcesi Vercellensi 160 a b
Blesianus pagus in Gallia. *S. Betharius episcopus confessor* 186 b
Bondevilla, Ordinis Cisterciensis gynæceum in territorio Rothomagensi 648 b
Bononia, urbs Italiæ. *Ubi mortuus Dominicus Prædicatorum ordinis fundator* 458
Borbona abbatia *(vulgo Bolbona)* in comitatu Fuxensi 509 f *et* 643 c
Boscus Guillielmi *(vulgo Boguilleaume)*, pagus in territorio Rothomagensi 652 a
Bosnia, pars occidentalis Serviæ 300 a
Braium *(le Bray)* tractus Galliæ in Normannia versus Eptam fluvium 650 a
Brocheroia, Brocherota, silva Hannoniæ 433 e
Buda, Hungariæ civitas 204 b
Buechenbach *vel* Buchenbach pagus Franconiæ. *B. Gundecharus episcopus* 185 e
Burgense monasterium in Anglia, *a S. Ethelwoldo episcopo restauratum* 87 c

C

Caciti, Κατζίκιοι, Cacicli, Cazzeti, et Cazethi, una fuit ex duodecim tribubus Croatorum in Zupania maritima 358 f *et* 359 a
Calaroga in Hispani, *patria S. Dominici confessoris describitur* 381 d e f
Caldra, monasterium in Anglia 275 d *et* 278 b
† Cannici Achadh-bo civitas Hiberniæ 351 f
Carnotum, urbs Galliæ. *S. Betharius episcopus et confessor* 167 c f
Cartusia magna in Gallia 398 a
Cartusia B. Mariæ de Parco in Gallia. *B. Gaufridus episcopus* 278 f
Casale Beltrami in ditione Novariensi 160 d
Castras, Villa in diœcesi Albigensi. *Ecstasis S. Dominici confessoris* 405 c
Castrum Castellionis duplex 588 b
Catanzarum, urbs Calabriæ superioris 534 b
Celichyth locus in Anglia situs, *ubi anno* DCCCXVI *concilium celebratum fuit* 432 e
Clissa munita Dalmatiæ arx 308 b
Chaldorf, pagus in territorio Eystettensi 185 d
Ciza, (*vide* Sissa)
Claudii ædes Romæ 141 e
Clonardia, cœnobium ad Comitatum occidentalis Midiæ spectans 348 d
Cluain ferta, cœnobium in Hibérnia. *S. Lugidus sive Luanus fundator* 343 a
Cluana-Hirraird *(vide* Clonardia)
Cœmeterium S. Lucinæ secundo ab Urbe lapide, subinde sumpsit nomen S. Callixti 145 b c
Colentina, insula maris Adriatici 308 b
Columba, videtur esse castrum ad Lambram fluvium in Lombardia 630 a *et* 631 c
Corbolium in agro Parisiensi. *S. Exuperius episcopus confessor* 52 a
Cree, stagnum in Hibernia 353 d
Croilandense, monasterium in Anglia 254 a
Crypta Nepotiana Romæ 141 a
Cumanorum regionis situs 509 a *et* 614 d
Cupra, monasterium Scotiæ in diœcesi Brechinensi 264 b
Czernik duplex oppidum 300 d

D

Dacia *pro* Dania 395 d *et* 654 d
Duliolum *forte* Dusiolum, locus in Lombardia Transpadana 641 b

Doudevilla

Doudevilla pagus in Normannia 649 f
Druim-Snechti monasterium Hiberniæ 347 b c

E

Eboracensis Comitatus, Angliæ provincia 253 c
Elcho, monasterium Scotiæ 270 a
Eliense cœnobium in Anglia *a S. Ethelwoldo episcopo restauratum* 87 a b
Eogenacht, Eugenachte, regio Momoniæ 351 d
Eystadium (*vulgo Eyschstet*) urbs Germaniæ, *sedes B. Gundechari episcopi* 175 c

F

Fanum Jovis (*Fanjaux*) oppidum Galliæ 400 e
Fertorius portus, forte Manfredonia, urbs Apuliæ 308 a
Fiscannum, portus in ora Normanniæ 650 a
Fons Avellanæ, monasterium in diœcesi Eugubina. *S. Raynerius episcopus et martyr* 357 b
Fons Bliaudi (*Fontainebleau*) urbs Galliæ 279 f
Friesacum, urbecula in superiore Carinthia 508 a

G

† Galgani monasterium Ordinis Cisterciensis in Tuscia 604 e
Ganzanacus vicus in agro Bononiensi 653 c
Gargarenghi vicus haud procul Blanderato 161 b
† Gerunda, urbs Catalauniæ. *S. Felix M.* 22 b
Glasquum *vel* Glascovium, urbs Scotiæ meridionalis 270 a
Gloweria in provincia Walliæ Clamorgana *S. Kinedus confessor* 69 a d e

H

Heideck, oppidum Germaniæ in territorio Eystadiensi 187 c
Heydenheim, oppidum Sueviæ 185 e
Hochstetten, oppidum prope flumen Danubium in Suevia 186 c *et* 187 c
Holcotranium *sive* Holme, monasterium in Cumbria 257 e
Huntingtonia, Comitatus Angliæ 254 e

I

Iadera (*nunc vulgo Zara*) urbs Dalmatiæ maritima et archiepiscopalis 358 f
Illedorf, locus Augustanæ diœcesis 185 f
Issa (*Vide* Lissa)

K

Kelceon. (*Vide* Elcho)
Kinlos *sive* Kifflos, Scotiæ monasterium in diœcesi Moraviensi 264 b
Kirkeam, Prioratus Canonicorum Regularium in agro Eboracensi 257 d
Kutzingen, locus in Herbipolensi diœcesi 186 b

L

Lagisia, pars Lageniæ in Hibernia 348 b
Lauriacum, oppidum Lentium inter et Vindobonam 508 b
Lausonium *seu* Lausanna, urbs Helvetiæ 552 f
Leopolis, civitas in ditione Urbinate Italiæ. *S. Leus presbyter confessor* 46 c
Lingones, urbs Galliæ 552 f
Lissa, insula in mari Adriatico 358 f
Lisuinus pagus (*le Liévin*) circa urbem Lexoviensem in Gallia. *S. Nemesius confessor* 46 b d e
Lorch (*vide* Lauriacum)
Luceria urbs Apuliæ, *ubi translatus B. Augustinus episcopus* 283 f, 305 b *et* 306 c
Lupera, vicus in territorio Parisiensi. *S. Justinus puer ac martyr* 30 b
Lygese (*vide* Lagisia)

M

Marchianense cœnobium in Belgio. *S. Jonatus confessor abbas* 70 c f
Marchiarum regionis *incertus situs* 395 *et* seq.
† Maria de Biscareto, cœnobium Blanderati in diœcesi Vercellensi 166 c
† Mariæ de Parco monasterium Cartusianorum apud Cenomanos 278 f
† Mariæ de Columna cœnobium in Apulia. *Translatio S. Stephani PP. I ac martyris* 131 c
† Mariæ monasterium apud Suessiones 354 f
† Mariæ de Pratis abbatia 264 a
† Mariæ monasterium de Porta Ravennate 357 e
Martis templum Romæ 141 d
Medeshamsted, monasterium in Anglia *a S. Ethelwoldo episcopo restauratum* 87 c
Melrosense monasterium in Scotia. *S. Waltenus abbas* 242 b
Mons Lethus in Italia, *ubi colitur S. Peregrinus confessor* 75 c d
Mons Granarius 654 d
Mons S. Bartholi in territorio Pisaurensi 657 c
Murellum *vel* Muretum castrum in territorio Tolosano. *Famoso huic prælio interfuit S. Dominicus confessor* 406 f *et* 407
Murrenia, provincia Scotiæ 271 c *et* 273 a

N

Nassenfels, oppidum Germaniæ prope civitatem Eystadium 187 c
Newbottel, monasterium Scotiæ 270 b
Norici, *pro* Norwegis, vel populis Septemtrionalibus 252 f
Northumbria, Angliæ provincia 252 c
Nostiel, locus in agro Eboracensi Angliæ 257 c
Nova civitas (*vulgo Newstatt*) in Bambergensi diœcesi 188 b
Novum castrum, oppidum Normanniæ 650 a
Novum cœnobium in Anglia. *Descriptio metrica multarum rerum* 99 *et* seq.

O

Ochtar-Narde cœnobium (*Vide* Eogenacht)
Oenus (*In vel Inn*) fluvius Germaniæ 183 f
Offidius mons (*Bazzano*) in Italia 39 d *et* 40 f

Osraigi, Osrigi, Osrigia (*Vide* Ossoria)
Ossoria, Lageniæ tractus 345 e f
Othoniensis diœcesis in Finnia 653 f *et* 654 e

P

Paganicum, oppidum in territorio Aquilano Italiæ. *S. Justa Virgo et martyr* 42 b c
Paludellum in Francia. *Translatio S. Exuperii episcopi* 53 e f
Pastoris titulus Romæ 141 b
Pesthum, urbs Hungariæ ad Danubium 304 b
Pensauri civitas 658 d
Pisauri in Umbria. *S. Ciccus confessor* 655 c
Portarum monasterium Cartusianorum in diœcesi Lugdunensi 398 a
Portus Lignaticus, videtur esse oppidum in Marchia Tarvisina 639 e *et* 641 b
Prulianum monasterium in Gallia 401 c

R

Rascia, pars Serviæ late dictæ 303 d
Receptum, locus in Sabaudia 166 c
Regiensis civitas duplex in Italia 654 d
Rhelingen, locus Augustanæ diœcesis 186 b
Rokesburgia (*vide* Rosburgum)
Rosbilech, monasterium in Hibernia 348 e
Rosburgum, urbs Scotiæ meridionalis 269 f
Rosbualense cœnobium (*vide* Rosbilech)
Rothomagus, urbs Normanniæ *S. Dominici confessor miraculis clara* 644 *et* seqq.

S

Saint-Bohaire locus in territorio Blesensi Galliæ, *sic nuncupato a S. Bethario episcopo confessore* 167 c *et* 171 e f
Salem, monasterium Cisterciense diœcesis Constantiensis 593 b
Saltarejum, cœnobium in Comitatu Huntingdoniensi 262 a
Sangarus, fluvius per Bithyniam in Pontum Euxinum labens 323 c f
Scardona, civitas Liburniæ prope fluvii Titii ostia 308 b
Schafhausen urbs Helvetiæ 185 e
Schafhausen pagus Franconiæ 184 f *et* 185 a
Schwabach, locus in Germania, aliquot leucis Eystadio distans 185 d
Segri, *vel* Saighir civitas Hiberniæ 350 b
Serblia, *communiter nunc* Servia, pars Hungariæ late sumptæ 304 c
Severopolis, urbs Apuliæ 308 b
Sicum, civitas antiquæ Dalmatiæ 293 a
Siliaci ecclesia in Gallia 280 f
Silva Pertica in Gallia 172 b
Sinnoir mons Hiberniæ 448 e
Sipontum, urbs Apuliæ 40 a
Sissa, Sicia, fluviolus in territorio Blesensi 172 f
Slavonia, olim latioris, nunc strictioris extensionis 300 d e
Sorianum in Calabria. *Imago S. Dominici confessoris miraculis prodigiosissima* 534 *et* seqq.
Sottevilla, parochia juxta Rothomagum 651 c
Spalatum, urbs Dalmatiæ 304 a *et* 356 a
Spalatense monasterium *an a S. Dominico confessore fundatum* 456 c d e f
Spaltum, oppidum in diœcesi Eystettensi 189 d
Storearum capitulum non procul Assisio. *An eidem interfuerit S. Dominicus* 481 f
Strigonium (*Gran*) urbs archiepiscopalis Hungariæ 295 b c
Suessio, urbs Galliæ. *S. Sigrada vidua* 354 b e

T

Tarsiæ in Bithynia *S. Eleutherius martyr* 318 c
Telluris locus Romæ 144 b
Temesvarii etymon 509 a
Temoria, Hiberniæ regum sedes 350 b
Thorneia, cœnobium in Anglia, *a S. Ethelwoldo episcopo restauratum* 87 a b c
Tininium, urbs episcopalis in Croatia 306 d
Tragurium, *(Trau)* urbs Dalmatiæ 293 a
Trajectum superius et inferius in Belgio 550 e
Transsylvania, pars orientalis Hungariæ 300 e
Tranum, civitas Apuliæ. *Translatio S. Sthephani I Papæ et martyris* 131 c
Trautlingen, locus Eystettensis diœçesis 185 f
Truento, fluvius in Piceno Italiæ 531 e

V

Vallis Rodolii, pagus diœcesis Ebroicensis ad Aduram 651 e
Vetus cœnobium in Anglia. *Dedicatio solennissima ecclesiæ* 96 f
Viguentia in diœcesi Ferrariensi Italiæ. *S. Leus presbyter confessor* 46 b e
Vimaranum, oppidum Lusitaniæ. *S. Gualterus confessor* 194 b
Vindunitta, insula apud Nannetenses. *SS. Friardus et Secundellus* 56 c
Viride folium *(Verfeuil)* castrum diœcesis Tolosanæ, *urbs S. Dominicus confessor cum hæreticis congressus est* 400 c
Volkolderode, monasterium Ordinis Cisterciensis in Thuringia 619 e
Vorcheim, oppidum in Germania 158 d

W

Westmorland, provincia Angliæ 278 d
Windsheim oppidum in Germania 187 c
Worthe, locus Augustanæ diœcesis 186 c

Z

Zagrabia, *alias* Zagabria, civitas Hungariæ, *sedes episcopalis S. Augustini* 295 a

INDEX
ONOMASTICUS

A

Affectualiter, *cum caritate et affectu* 42 f
Affumatus, *fumo expositus vel induratus* 657 f
Allopitium, *capillorum defluvium* 558 e
Ancæ, *coxendices* 555 f
Antiphonarius, *liber antiphonas continens* 282 e
Aparibus, *epistola qualis sit* 159 a b
Aporiantes, *perplexi, consilii indigi, et ad angustias redactus* 66 e *et* 68
Appodiare, *inniti* 646 d
Arpaxare, *rapere* 231 f
Aurisia, *cæcitas vel tenebræ* 290 a

B

Bacinus, *urceus* 282 d
Bajulus, *tutor, mystagogus, etc* 550 e
Baldakinus, baudequinus, *pannus quidam; umbraculum, umbella* 287 e
Bambacium, Bumbacium, *tela gossypina* 616 f
Banci, *æraria* 469 e
Bancus, *scamnum* 635 c
Banus, *gubernator* 300 d
Barones, *magnates, proceres, etc.* 78 a
Basilæus, *rex* 92 c
Beguinnæ, beguinæ, *videtur significare virgines Deo devotas* 651 e f
Beltis, *ambiguæ significationis vox* 432 f *et* 433 a b
Benignivolus, *benignus* 97 a
Bezozæ, bizotæ, *nomen injuriosum* 616 e
Bordonus, *baculus peregrinantium* 76 f *et* 79 d
Borguerantum, *species telæ subtilis* 283 e
Branchia, *vox significationis non satis certe* 643 d
Brevigerulus, *bullas seu breves portans* 278 d
Bucarannum, buchiranum, boquerannus, *telæ subtilioris species* 590 a *et* 637 b
Bucetum, *locus vaccis emulgendis destinatus* 347 c
Buquerannus. (*Vide* Bucarannum)
Bussoleta, *cistæ, capsulæ vel pyxides* 42 f

C

Cadeletum, *forte lectica et lectulus; videtur etiam aliquando accipi pro cratibus seu craticula funium* 635 c 638 a *et* 639 b
Camahutus, *lapis quidam* 283 e
Cambuta, cambuca, *pedum pastorale; ejus superior pars* 283 e
Camisia, *indusium sensu ordinario; videtur aliquando accipi pro subucula, aut muliebri alio ornamento* 655 b 648 c
Canabus, *lusus quidam puerorum* 255 a
Capellus, *pileus vel tegmen capitis* 79 b
Capisterium, *instrumentum quo frumenta purgantur* 470 f
Capitulare, *deponere per capitula* 104 *et* seqq
Cappa clausa, *pallii genus* 282 f
Caputium, *capitis tegumentum* 467 b
Caritativus, *e charitate procedens* 527 a
Carlinus, *species monetæ* 137 a
Carnifex, *lanius* 185 c
Carniprivium, *jejunium Quadragesimale* 555 f
Casata, cassata *designat habitacula cum certa terræ portione* 91 d
Cassa, cassia, *capsa* 43 a b
Castellanus, *incola vel custos Castelli, etc.* 651 f
Cathedra, *aliquando videtur sumi pro arca* 635 c
Catus, cattus, *felis* 401 f
Celeuma, *forte cantus festivus* 84 d
Censiva, *census* 453 d
Cerevisor, *cerevisiæ confector* 346 a
Cima, *summitas, vertex* 658 e
Clientela, *multitudo servorum* 237 e
Colectum (*vide* Panseria)
Colonia, *coloni vel rustici prædium* 237 f
Compassionaliter, *ex affectu vel more animæ compatientis* 656 a
Conices, conides, *urceoli, hydriæ* 347 b
Cotta (*vide* Rochete)
Creditarius, *sic vocatur homo, cui bonorum omnium credita cura* 141 e
Cynico ore, *ore canino, vel inverecundo* 409 a

D

Dantulus, *dator, vel qui dat* 260 c
Dema, *corpus* 100 e
Demandæ, *exactiones sub nomine gratuitæ præstationis* 54 e
Diœceta, *administrator diœcesos, episcopus* 240 c
Discus *Latino-barbare varia significat* 641 b
Dycus, *agger* 426 a

E

Ergodioctes, *præfectus operis* 534 f
Exabbas, *abbas emeritus* 275 d
Exametum (*vide* Samitum)
Exemplaritas, *exemplar* 556 d
Exenium (*vide* Xenium)
Exilium, *peregrinatio* 353 c

F

F

Ferrandus, *color quidam equorum* 269 e
Festinantia, *festinatio* 471 e
Festivare, *colere* 650 c
Ficon, fico, *genus calceamenti* 350 b
Fisco (*vide* sacco)
Ficus *tuberculum ulcerosum* 555 f *et* 607 a
Foratus *vel* furratus, *indicat hominem pellitum vel pellibus ornatum* 261 f
Formicationes, *quasi formicarum punctiones* 652 b
Fusare, *fusum volvere* 187 c

G

Galones, *forte lagenæ* 648 b
Garcio, *servulus* 261 e
Gelunarius *vel* genularium, *acervus frumenti* 264 c
Genu, *generatio, gradus generationis* 261 d
Glossatus, *notatus, notis illustratus* 637 d *et* 639 b
Grangiola, *villula rustica vel prædiolum* 261 f
Gratæ, *crates* 43 b
Gronna *vel* grunna, *terra quædam, etc.* 353 e
Grossa Persica, *magnum malum Persicum* 649 f
Guerræ, *bella* 241 c *et* 570 c
Gutta, *podagra* 646 b

H

Hanchæ, *coxendices* 650 a
Hominium, *species homagii* 253 c
Hundredum, *portio terræ vel comitatus* 253 e
Hydromellum, *cerevisia mellita* 91 f
Hymnicines, *cantores* 98 f

I

Inaltare, *sursum attolere* 67 c
Incaputiatus, *capitis tegumento involutus* 269 f
Incineratæ carnes, *in cinerem seu pulverem resolutæ* 187 c
Incontinenti, *sine mora* 104 a
Infernus, *purgatorium* 352 f *et* 353 f
Infirmitoria, *nosocomia* 262 d
Inforciatum, *genus panni serici* 282 c *et* 283 d
In suo perpetuo, *in omni vita sua* 282 f
Interpellatim, *interpolatis vicibus* 655 b
Intidigruma, *vox incertæ significationis, forte nomen proprium* 266 f *et* 269 e

K

Κάστρα, *urbes* 334 b
Κουϐουκλεῖοι, *regalium cubiculorum præfecti* 324 d

L

Lama, *planum vel planities* 661 a
Latrunculus, *miles stipator* 346 a
Lena, *exigua quantitas* 642 b *et* 643 c
Licentiare, *eximere vel liberare* 549 e
Ligonizare, *ligone effodere* 43 a

M

Maliginosus, *videtur accipi pro morbido* 650 a
Mandra, *monasterium* 94 c
Mannus, *equus nobilior* 258 a
Mansio, *iter unius diei* 228 a
Mansus, *certa portio agri, in qua colonus ædes habet* 172 f
Maritagium, *donatio intuitu matrimonii* 657 f
Marota, *Maria* 650 a
Medo, *cerevisia melita* 91 f
Mi, *pro mea* 650 c
Miches, *parvi panes* 264 c
Missatica, *nuntia jussa* 98 a
Missiones, *expensæ* 454 a
Molendinus, *molendinum* 346 a
Monachi nigri Ordinis, *Benedictini* 261 e
Morsellus, *frustum vel buccella* 588 b
Moscheta, *synagoga* 78 f

O

Occare, *metaphorice confringere* 278 d
Ocrea *scrotum* 607 f
Œstrum *vel* œstrus, *vox Latinis nota, cujus datur explicatio* 261 c d
Officium, *minister judicis* 145 a
Onoma, *nomen* 100 c
Opiffactor, *effector* 43 c
Opificare, *opus perficere* 43 c
Ordinarii, *libri qui instruunt ad celebrandum divinum Officium* 283 e
Oroma, *visio vel somnium* 74 d

P

Palefridus *vel* palefredus, *equus cursor* 269 f
Palla, *aulæum, linteum, etc.* 652 a
Pallium rotatum, *species pallii ecclesiastici* 283 d
Panseria, *lorica* 655 b *et* 658 e
Paraëtericum carmen, *hexametro et pantametro constans* 84 c
Parisius, *per casus non inflexa vox* 452 c
Patriloquia, *rosaria* 404 d
Patruus *pro avunculo* 249 f *et* 251 a
Pausat, *quiescit* 100 e
Pecudium, *multitudo pecudum* 263 b *et* 264 c
Pediligulæ *vel* posturæ, *phaleræ et forte dorsualia equorum* 261 e
Pelatus, *forte plumis exutus* 658 a
Perseveratus, *forte præservatus* 657 c
Φραγέλλαι, *flagella* 334 d
Physicus, *medicus* 450 c
Φωσάτον, *fossa* 331 a *et* 334 b e
Pico, pica, *ligo* 639 b
Pitaceata tunica, *videtur significare ex detritis frustis consutam vestem* 643 d
Pitancia, pictantia, *obsonium seu portio rei comestibilis Religiosorum* 588 b
Pittacium, pittaciolum, *membrana Sancti gesta paucis complectens* 63 a *et* 68 e
Placor, *modus placendi, captatio benevolentiæ, qui Grece dicitur ἀρέσκεια* 261 f
Podia, *fulcra subalaria* 187 c

Porrecta,

Porrecta, *jusculum e porris confectum* 652 a
Posturæ (*vide* Pediligulæ)
Potestas, *dominus loci, magistratus, etc.* 631 d
Præcordialis, *intimus* 485 f
Πραισσόριον, *pressorium* 334 d f
Precaria, *significat genus cujusdam contractus ecclesiastici* 183 f
Probatorium, *tirocinium* 258 e
Psalmocinare, *psalmos recitare* 78 a
Psalterium, *rosarium beatissimæ Virginis* 422 b c
Puero, *mucro* 310 e

Q

Quarta, *lagenam forte significat* (*vide* Galones) 648 b

R

Rancor, *dolor* 237 f
Recidivavit, *recidit* 658 b
Regratiari, *gratias agere* 500 c
Regulatus, *ordinatus* 519 f
Relicta, *vidua* 184 d
Repa, *feretrum pro operculo* 74 f
Reservatorium, *theca corporalium* 283 d
Ribaldus, *vilis homo* 577 d
Rocchete, *superhumerale* 462 a
Roga, *eleemosyna* 220 b
Romane, *Latine* 261 f

S

Sacco *vel* fischo *videtur accipi pro culcitra straminea* 631 c
Samitum *pannus holosericus* 283 d
Scandile, scansile, *stapes* 269 f
Scapulare, *vestis quædam brevior caput et scapulas tegens* 269 f
Scalavina, Sclavinia, *cento* 76 f *et* 79 b d
Schema, *forma, species, ornatus* 74 b
Σκήνωμα, *proprie tentorium aut tabernaculum; aliquando cadaver* 334 c f
Scholæ, *cohortes militum ad custodiam imperatoris vel palatii destinatæ* 222 a b
Scortella, *forte vasculum peregrinantis ad potum hauriendum* 79 b
Sententiare, *sententiam proferre, dare* 106 d
Serviens regis, *minister aulæ regiæ* 646 b
Siccaverunt, *aruerunt seu stupefacta sunt* 345 f
Sinuamen, *varia agitatio aut inflexio membrorum, in ægrotanti* 269 f
Solutares, subtalares, *calcei* 261 e *et* 631 c
Strata, *via publica* 643 d
Spatulæ, *humeri* 633 b *et* 635 c
Specialia, species, *aromata* 637 c
Stolus, stolium, *classis, exercitus* 240 b
Stremula, *index* 266 e
Strima (*vide* scandile)
Stritus, *forte striatus* 81 e
Suatim, *more suium* 93 b
Substantiola, *diminutivum verbi substantia* 471 e
Superaugmentare, *accrescere admodum* 79 d
Syncopizare, *animi deliquium pati* 189 a

T

Tanneus, *niger naturalis color* 462 c
Talliæ, *præstationes quæ dominis fiunt a vassallis* 54 e
Tobalia, *linteamen vel sudarium* 599 d
Toltæ, *exactiones violentæ, et aliquando quodvis tributum, etc.* 54 e
Tonsoratus, *tonsura clericali insignitus* 90 d
Troparius, *liber quidam ecclesiasticus* 283 e
Truffa, *fraus, illusio, etc.* 185 e
Truffæ, *nugæ* 482 d
Trulla, *ferrum latum quo parietes linuntur* 95 c
Tubaliter, *tubæ instar* 518 c

V

Veniæ, *genuflexiones* 605 a
Verteolus, *instrumentum nentium* 646 a

W

Wanti, *chirothecæ; sic ab ipso auctore in parenthesi explicatur* 170 e

X

Xenium, *vox Latinis nota, munus, donum* 643 d
Xynoris, *concors amicorum conjunctio* 484 f

INDEX MORALIS

A

Abbas *et monachi sancti cum cœlesti comitatu post obitum suum quotannis revisentes ter monasteria sua* 265 f *et* 266 a b

Abbatis *officio cedit B. Gregorius, ut solitariam primo, deinde etiam cœnobiticam vitam sub successore suo privatus degat* 230 f

Abbatum *sanctorum insigne specimen in S. Waltheno* 259 b *et* seqq.

Abstinentia *a carnibus quam severa fuit in S. Ethelvoldo* 94 d e. *Item in S. Dominico Prædicatorum fundatore* 552 e, 556 d, 591 d, 629 *et* seqq.

Adversis *lætari solitus S. Dominicus* 638 d

Aëris intemperies *sublata per Sanctorum Baumadi et aliorum reliquias* 337 f *et* 338 a d

Angelus *adversus impudicum castitatem tuetur S. Theodotæ M.* 153 b c. *S. Dominicum morti propinquum invitat ad cœlum* 557 d *et* 597 d e. *Noctu deductum cum sociis S. Dominicum in cœnobium occlusum intromittit* 584 a

Angeli *duo constanter noctu S. Dominicum in ecclesiam obseratam deducunt, indeque post orationem reducunt* 496 e f. *Eorum obsequia erga Martyres* 24 c, 28 b *et* 40 f; *et S. Lugidum dum erat puer et postea* 344 f, 345 d, 352 b *et* 353 a

Angina *letalis prodigiose sanata ope B. Gundechari episcopi* 188 b c; *item ope B. Augustini episcopi* 308 f *et* 309 e

Animam *clientis moribundi defendunt et excipiunt advolantes de cœlo patroni Sancti* 271 c d

Animæ *immortalitas divinitus asserta matronæ dubitanti* 550

Animarum *zelus* (*Vide* Zelus).

Apostata *a Religione dum castigatur severe, liberari se sentit malo dæmone* 581 e f, (*Vide* Religiosæ vitæ desertores)

Apparitio *Martyrum reliquias suas occultas revelantium* 42 c d. *Item S. Jonati* 74 e f. *S. Ethelwoldi episcopi* 97 f *et* seqq. *S. Maximi ep.* 111 b. *Iterum S. Ethelwoldi furem e vinculis et carcere liberantis* 98 c d. *Beatæ Virginis Matris et S. Magni ep. coram S. Petro ep. et Michaële imperatore* 237 a b. *S. Magni revocantis episcopum ad relictam ecclesiam suam* 239. *S. Waltheni, cum Deipara Virgine et alio energumenum liberantis* 276 b. *S. Theodotæ M. S. Anastasiam ad martyrium animantis* 155 d. *Christi, specie infantis, in Eucharistia* 256. *Christi patientis ac resurgentis* 265 a. *Abbatis et monachorum post sanctum obitum suum statis temporibus quotannis revisentium cœnobium suum* 275 *et* 266 a b. *S. Waltheni cœlestem suam gloriam anxio monacho revelantis* 271 b c. *B. Augustini episcopi occulta scripta revelantis* 307 e. *S. Thomæ ep. Cantuariensis et martyris suadentis adire sepulcrum S. Waltheni abbatis* 277 a b. *Deiparæ Virginis cum B. Augustino ep. Lucerinam urbem et agrum in terræ motu terribili tuentis* 307 f. *Deiparæ Virginis ungentis Fr. Reginaldum, et ita sanitatem ægrotanti et castitatis eximiæ donum conferentis* 459 d e f, 547 d *et* 578. *Ordinem Prædicatorum protegentis* 465 a b, 517, 557 d, 579 *et* 604. *Uti et Ordinem Cisterciensem* 466 a b: *et Ordinem Societatis Jesu* 466 c. *Christi et S. Dominici coram S. Teresa* 472 d e. *S. Dominici veterem amicum invitantis ad solennitatem suam* 527 a. *Item quemdam e Fratribus jubentis curare erectionem novi cœnobii apud Sorianum* 534. *Operarium in præsenti mortis periculo incolumen servantis* 537 b. *Deiparæ Virginis, et Christi Domini cum F. Henrico ex Ordine Prædicatorum* 550. *S. Dominici, cœlestem suam gloriam revelantis* 557 f *et* 558 a. *SS. Petri et Pauli apostolorum* 573 a. *S. Dominici herniam sanantis* 612 a; *diabolicas infestationes et morbum arcentis a cliente* 615 d; *laborantes calculo et hydrope, etc., liberantis* 615 f, 616 a b, 617 c *et* 620 a (*Vide* Defunctus).

Aqua *in lac versa per S. Lugidum abbatem*, 349 f. *In vinum per S. Dominicum* 480 a *et* 585 c.

Aqua *libros S. Dominici et chartam illæsam servans* (*Vide* Libri).

Aqua *turbida et insipida per SS. Dominicum et Franciscum in dulcem, limpidam et adhuc salutarem signo crucis commutata* 496 a b

Aranea *calici celebrantis post consecrationem illapsa, et introsumpta, viva per cutem sacerdotis miraculose erumpit* 256 c d

Arbor *per S. Severum presbyterum arefacta, per eumdem refloruit* 55 f *et* 56 a. *Aliæ duæ refloruerunt per S. Friardum* 58 f *et* 59 a

Articularis morbus *subito depulsus ope S. Dominici* 644 d e *et* 651 c

Asperitatem *et duritiam in subditos oderat S. Lugidus abbas* 349 b c d

Avaritia *ac duritas punita* 352 b

Aviculæ *in pisces mutatæ* 228 a b

B

Benignitas *S. Waltheni in alios delinquentes; severitas in seipsum* 259

Bestiarum *immanitas innoxia Martyribus* 22 a

Bibentem *sine facultate superioris et sine præmisso signo crucis Religiosum, dæmon invadit* 512 c

Bilocatio *simultanea* (*Vide* Præsentia).

Blasphemia *punita subito* 185 c, 241

Boves *indomiti litem dirimunt transferentes reliquias S. Luani, de quibus erat contentio* 352 e

C

Cæcitas *depulsa ope S. Ethelwoldi ep. post obitum apparentis* 97 e f *et* 98 a b. *Ope S. Stephani*

PP.

PP. M. 139 e. *Ope S. Sereni ep.* 164 d. *Item per S. Betharium* 171 b e. *Per B. Gundecharum ep.* 184 b *et* 186 e. *Per B. Augustinum episcopum* 309 b. *Per S. Luanum abbatem* 351 b (*Vide* Morbi).

Calculo *liberati per B. Gundecharum ep.* 186 e

Calculo *ac dysenteria laborans sanatur ad tumulum S. Walteni abbatis* 273 d e. *Ope B. Augustini ep.* 309 f *et* 310 a (*Vide* Morbi).

Campanæ *ultro sonantes in obitu et exsequiis B. Melioris Vallumbrosani* 104 f *Item in obitu B. Petri episcopi* 240 e

Candelam *luto accendit S. Dominicus* 522 c

Canino *morsu infecta tibia sanatur ad tumulum B. Augustini episcopi* 308 e

Capitis dolores *sanat S. Aspren episcopus* 202 d

Capitis *vertigines aliaque incommoda sublata ad tumulum S. Waltheni* 276 d e. (*Vide* Morbi)

Caritas *S. Petri erga letalem inimicum suum* 193 b. *Erga proximum admirabilis in S. Dominico,* 389, 545 e f, 552 e, 556 d *et* 567 d e

Caro *B. Gundechari, in ceram conversa* 187 f

Carnes *in pisces mutati et contra per S. Lugidum abbatem* 349 f

Castitas *S. Justæ V. M. defensa miraculis* 40 e f. *Item S. Theodotæ M. ab angelo defensa adversus impudicum* 153 b c. *In S. Waltheno fuit egregia a pueritia* 252 *et* seq. *Eadem necessaria clericis* 295 f, 296 a *et* 298 c. *Quadem suis inesse voluerit S. Dominicus* 512 d e. *Ejusdem impugnatæ prodigiosa per ignem victoria* 547 a. *Ejus insigne donum tentato sacerdoti impetrat S. Dominicus* 593 c d

Casus *e templi culmine per miraculum innoxius* 95 c

Catena ferrea *nudo corpori adstricta assidue se macerat S. Dominicus* 596 c, 634 a b *et* seqq.

Chori Officia *ut gnaviter obirentur a suis, advigilabat sedulo S. Dominicus* 588 d e. (*Vide* Disciplina Religiosa)

Chrisma *sacrum deficiens divinitus auctum S. Ethelwoldo episcopo ad Confirmationem pueris conferendam* 94 e f

Christus *ac Deipara Virgo per epistolam prænuntiant S. Waltheno instantem obitum* 268

Christi *apparitio in Eucharistia specie infantis* 256 (*Vide* Apparitio).

Cibi potusque *parcitas in S. Dominico* 552 e, 556 d, 591 d e, 636 b *et* seqq. (*Vide* Abstinentia)

Claudi *restituti ope B. Gundechari episcopi* 184 d e *et* 186 a. (*Vide* Morbi)

Clementia *S. Ethelwoldi episcopi erga clericum, a quo propinatum biberat venenum* 92 e f

Clericis *quæ commendasse dicatur ad statum suum cum laude sustinendum B. Augustinus episcopus* 295 *et* seqq. *Impudicos non patitur S. Ethelwoldus episcopus* 92 c d

Cœlum *per visa monstratum infideli monacho qui convertitur* 271 *et* seqq.

Colloquia spiritualia *domi forisque, et cum cujusvis conditionis hominibus constanter adhibere solitus S. Dominicus* 552 c d *et* 637 f: *et talia suis etiam præscripsit* 637 f

Concionatores verbi Dei, *etiam juvenes, quam sint dæmonibus formidabiles* 508 c *et* 577 a b. (*Vide* Prædicatores verbi Dei)

Confessarios *ab officio absterrere conatus per turpissimas abominationes diabolus, a S. Dominico deprehenditur* 512 e f. *Confessarius, S. Dominici socius, in confessione ad turpia provocatus, per insigne miraculum castitatem tuetur* 546 f *et* 547 a

Confessio peccatorum *frequens commendatur a S. Luano abb.* 349 c. *Eamdem sedulo ursit S. Ethelwoldus* 95 a b. *Illa uno die sæpius uti solitus S. Walthenus, propter delicta vel levissima, vel nulla volebat severissime semper tractari; cum erga alios esset ipse benignissimus* 259 e f. *Non satis accurate institutam quidam divinitus repetere jubetur* 512 b. *Usus ejus inter FF. Prædicatores primævos plusquam quotidianus* 601 f. *Per hanc Religiosus liberatur infestatione dæmonis* 602 b c

Confessurus *peccata mutus ac moribundus, tantisper usum loquendi recipit per B. Gundecharum episcopum* 186 d

Confitentes *peccata benignissime excipiebat S. Walthenus abbas* 259 d

Confirmationis Sacramentum *pueris collaturo S. Ethelwoldo Chrisma divinitus augetur* 94 e f

Consecrandis *ecclesiis, sacellis, altaribus mirifice delectatus fuit B. Gundecharus* 179 *et* seqq.

Constantia *S. Dominici adversus hæreticos Albigenses* 545 d e, 642 *et* seqq.

Contractio membrorum *sublata per B. Gundechacharum* 184 b, 185 a *et* seqq. *Per B. Augustinum episcopum* 309 c. *Per apparentem S. Magnum et per B. Petrum episcopum* 239 c d. *Per S. Dominicum* 645 d e

Corpus *S. Ethelwoldi post obitum formam induit venustissimam* 97 d. *B. Melioris post obitum, manet genibus nixum, manibus ad cœlum sublatis* 104 f. *S. Waltheni abbatis manet incorruptum cum vestimentis post obitum* 275 c, 277 c; *imo et miram exhalans odorum suavitatem* 277 c d. Corpora *septem in Anglia Sanctorem incorrupta* 277 e. Corpus *S. Friardi post obitum mirifice fragrat* 59 d. *Item B. Michaëlis* 105 c. *B. Petri episcopi* 240 f. Corpora *Sanctorum frequenter invisebat S. Dominicus* 405 c. Corpora *sua elevari postulant apparentes per se Sancti.* (*Vide* Apparitio, Reliquiæ.)

Correptio *lenis et industria quam grata fuerit et efficax in S. Luano abbate* 349 b c d

Crucis imagines *quanti fecerit beatus Gundecharus episcopus* 180 d *et* seqq.

Crucis signo *multo facit miracula S. Bandaridus* 62 e *et* 66 f. *Eodem sæpe dæmones a se fugat B. Melior* 104 f. *Eodem surdum sanat S. Betharius* 171 b. *Contractam S. Baumadus* 337 d. *Eodem SS. Franciscus et Dominicus insipidam putei aquam in dulcem commutant* 496 b. *Eodem pluviam arcet a se et socio S. Dominicus* 556 e *et* 586 a. *Eodem suscitat puerum defunctum* 575 f

Crus *dire affectum sanatur ope B. Gundechari episcopi* 188 e. (*Vide* Morbi.)

D

Dedicatio *ecclesiæ magnifica, auctore S. Ethelwoldo episcopo* 96 *et* seqq.

Dæmonem *abigit imperio S. Dominicus* 584 *et* seq.

Dæmones *confundi se queruntur per viros apostolicos, maxime juniores* 508 c *et* 612 f. (*Vide* Diabolus.)

Dæmoniaci. (*Vide* Energumeni.)

Defunctus *Minorita ex pacto apparet amico, asserens se Deo præsentatum fuisse a S. Francisco; sicut præsentantur ipsi FF. Prædicatores a S. Dominico* 618 b c

Deipara Virgo *revelat monacho fratres brevi morituros* 273 c d e. *Impetrat æternam salutem omnibus discipulis S. Waltheni abbatis* 273 c. *Visitat cœnobium Melrosense* 276 b c. *Deprecatur*

Dei vindictam jam olim universæ terræ minantem excidium 441 c d *et* 572 f. *Protegit Ordinem Prædicatorum* 580 a b *et* 582 b. *Ungit et sanat moribundum eique eximiæ imposterum castitatis donum confert* 459 d e f. *Religiosorum cellas noctu visitans eisque benedicens, unum præterit non decenter tectum, etsi sine culpa* 579 e f. *Mirifice dilexit S. Dominicum, et quibus maxime de causis* 519 e f *et* 620 a. *Multum ei placet antiphona,* Salve Regina, *etc.*, 554 b, 557 b *et* 579 f. *Ejus cultor eximius B. Augustinus ep.* 304 *et* 305. *Ipsi Ordinem suum commisit S. Dominicus* 459 c *et* 517 c. *Ejus imago cum in in supplicatione Romæ circumferretur, purgato in aere cecinerunt angeli,* Regina cœli, lætare, alleluia, *etc.*, 576 f. (*Vide* Apparitio.)

Dentium dolor *cum dente excussus per S. Dominicum* 645 c *et* 650 b. (*Vide* Morbi.)

Diabolus *assumpta Christi forma, specie pietatis ludit S. Secundellum; sed ab eo tandem agnitus, vicissim luditur; non tamen inultus* 58 d e. *Per varias formas turbare conatus S. Waltheni orationes, Eucharistiæ Sacramento fugatur* 265 c d. *Conatur frustra turbare orantem S. Dominicum* 467 b *et* 588 e f. *Cogitur apparere turpi forma per eumdem Sanctum ad conversionem mulierum hæreticarum* 401 f *et* seq. *Ejus fraudes et artificia mirabilia, cum admissus fuisset a viro Religioso ad vexandum corpus, ut anima purgaretur* 553. *Orationes piorum ipsi intolerabiles* 588 e f. *Religiosorum delicta observat accuratissime, eosdem ubique et assiduo tentans,* 589 e. (*Vide* Dæmon.)

Dignitatum *ecclesiasticarum fuga excellit in sancto Waltheno* 257 a b *et* 267 e f. *Item in S. Dominico* 406, 569 c *et* 643 b

Disciplina, *seu flagellum S. Dominici ferreum* 596 c *et* 634 a b, *quam sæpe in die adhibita ab illo fuerit* 596 c

Disciplina *ecclesiastica quam exacte servanda clericis* 296 e f. *Quam severa sub S. Euphronio episcopo Augustodunensi* 229 b

Disciplinæ Religiosæ *severus ac dulcis exactor S. Dominicus* 629 e, 631 e *et* seqq. (*Vide* Regulæ.)

Donationes *piæ S. Severi presbyteri* 55 f. *Eadredi regis* 91 e f. *B. Gaufridi episcopi* 282 b c d e

E

Ecclesiæ *S. Felicis martyris violator cæcitate punitur* 25 f

Ecclesiæ *suæ jura fortissime vindicat S. Petrus episcopus* 193 a b. *Item alius S. Petrus episcopus Anagninus* 236 c. *B. Augustinus episcopus* 304 f *et* 305 a. *S. Raynerius episcopus* 358 a b

Ecstasis *mira S. Dalmatii* 220 c d. *S. Waltheni abbatis* 264 *et* seqq. *S. Dominici a terra sursum elevati* 405 c d

Educatio *pia puellarum quantopere cordi fuerit S. Dominico* 401 d

Eleemosyna *in pauperes quam necessaria clericis* 296 c *et* 297 d e. *Angelo sub specie pauperis data, multiplici fœnore compensatur* 582 f *et* 583 a

Energumena *liberata per S. Dominicum, cum ad priora a peccata tentaretur, iterum dæmoni, orante Sancto Dominico, non invita possidenda permittitur* 498 *et* seq.

Energumeni *liberati ope S. Justini* 41 d. *Ope S. Exuperii ep. septem uno die* 52 f. *Ope S. Bandaridi ep.* 67 f. *Ope B. Orlandi* 105 a b. *Ope S. Stephani PP. et M.* 132 c d. *Ope S. Waltheni abbatis* 276 a. *Per S. Betharium ep.* 171 b. *Per B. Gundecharum ep.* 184 e, 185 f *et* seqq. *Per S. Petrum ep.* 193 b. *Per B. Augustinum ep. plurimi* 285 e f, 308 f *et* 309 d; *et quidem una persona diabolis octo* 291 b. *Per S. Luanum abbatem* 351 a. *Per S. Dominicum* 408 d e, 512 c, 568 d, 577 a b, 591 a *et* 600 d. *Alius per confessionem sacramentalem* 602 b c

Epilepsia *per B. Gundecharum ep. sanata* 187 d. *Item ad tumulum B. Augustini episcopi* 309 b

Episcopatus *plures diversis temporibus oblatos recusat S. Dominicus* 406 a, 569 c *et* 643 b

Episcopus *B. Petrus, Anagniensi sede propter calumnias relicta, Hierosolymam petit, privatim ibi Deo victurus; sed ab apparente sibi S. Magno ep. redire jubetur* 238. *Absens electus S. Walthenus abbas dignitatem omnino recusat* 267 e f. *In* Episcopis *promovendis quanta olim circumspectio, quanta fortitudo adhibita fuerit* 229 d

Epistola *de cœlo missa ad S. Walthenum* 268 e f

Equitum S. Stephani Ordo *institutus* 135 f

Equus *a S. Waltheno dono datus S. Malachiæ episcopo, ex nigro albus, ex duro mollis effectus* 256 e f *et* 257 a. *Sancto Domino mirum in modum serviens et carus* 267

Eucharistiæ Sacramentum *ethnicis invisibile* 143 f. *In eo S. Walthenus puerum Jesum vidit ac dissuaviatus est* 256 b. *Idem alias eodem se obsignans, infestas dæmonis larvas dispellit* 265 d

Evangelio S. Matthæi et Epistolis S. Pauli *plurimum studuit S. Dominicus* 463 d, *ea secum ubique circumferens* 463 d *et* 635 a

Exemplum *bonum omnibus debent clerici* 295 e f. Exempla *senum quantum obesse possint aut prodesse junioribus* 14 c

Exprobrantes *delicta confessis, deteriores esse dæmone censebat S. Walthenus* 259 c

Exsilium *injustum patientissime septennio tolerat S. Bandaridus episcopus* 64, *revocatus autem, pestem ac famem tollit* 64 f *et* seqq.

F

Fame *exhausto socio panem divinitus impetrat S. Dominicus* 481 a b c

Febres *exstinctæ ope Sanctorum* 43 b. *Et sæpissime ope S. Stephani PP. M.* 133 a b. *Ope B. Gundechari ep.* 185 *f*. *Per S. Petrum ep.* 193 c. *Per S. Waltheni benedictionem* 268 b, 274 e *et* 276 d. *Ope E. Gaufridi ep.* 279 c. *B. Augustini ep.* 308 e. *S. Baumadi* 337 d. *Imperio S. Dominici* 577 b c. (*Vide* Morbi.)

Femella *recens nata, implorato S. Dominico, fit masculus* 652 e

Festo die *ecclesiam adire desiderans, nec valens, per miraculum in ea sistitur una cum infante S. Ethelwoldo ad Missæ sacrificium* 90 b. Festum *violans et spernens S. Dominici Prædicatorum fundatoris graviter punitur; sed resipiscens pœna liberatur* 615 e f, 653 e f *et* seqq.

Fides Christi *necessaria fuit in veteri Testamento* 9 a

Fidei *Catholicæ luce paulatim amissa, monachus S. Waltheni patrocinio per cœlestes visiones mirifice convertitur* 271 d *et* seq. *Ejusdem fidei capita per S. Dominicum Ordinis Prædicatorum fundatore scripto congesta, sæpius ab hæreticis in flammas rejecta, ad confirmandam illam semper illæsa resiliunt* 400 d *et* seqq. 544 c *et* 568 c d

Fiducia

Fiducia *S. Dominici eximia in divina providentia.* (*Vide* Providentia Dei.)
Floribus *ecclesiam ornari gratum esse Deo, probavit miraculum anniversarium* 56 a d
Fons *S. Leonis salutaris ægrotantibus* 47 b. *Alius ex alta quercu scaturiens ad obsequium S. Petri ep.* 193 c d. *Alius excitatus prece S. Bandaridi ep.* 61 e *et* 67 a. *Alius salutaris, B. Augustini episcopi precibus elicitus* 294 a
Fortitudo *mirabilis SS. Maranæ ac Cyræ in macerationibus assiduis corporum suorum* 227
Frugalitas *S. Waltheni abbatis in cibo et cultu corporis* 260 d. (*Vide* Cibi potusque parcitas. *Item* Vestitus, Somnus, *etc.*)
Fur *sacrilegus miraculo S. Felicis M. insigniter deceptus et conversus* 25 d e. *Alius miraculo defixus usque ad agnitionem et confessionem criminis* 94 f *et* 95 a b. *Alius cippo liberatus et carcere ope S. Ethelwoldi episcopi post obitum apparentis* 98 c d

G

Gangræna *fœtida patientissime tolerata, decoratur miraculo duplici* 580 d e
Gladius *erectus incidenti domino cedit, ad capulum usque reflexus ope B. Augustini ep.* 308 e
Gloria vana *quam formidanda Sanctis* 58 d e; *aut monachis* 268 d e *et* 516 d e
Grammaticam *libenter adolescentes docebat S. Ethelwoldus ep. maximo Ecclesiæ bono* 94 e
Gratiarum actio *neglecta post acceptum de cælo beneficium graviter plectitur* 650 c d e

H

Hæretici *non sola prædicatione, sed et virtutum solidarum exemplo convertendi ad fidem* 399 c *et* seq., 543 f *et* seq., 565 d e. *Diabolo serviunt, ut ostendit S. Dominicus* 401 f, 402 a, 568 a b *et* 643 d. *Vera et coram se facta miracula conantur occultare* 568 d. *Eorum artes ad eludenda decreta Ephesini concilii, earumque detectio per S. Dalmatium* 221 *et* seqq. *Eorumdem pertinacia, iterato miraculo nil mota* 400 d *et* seq. *Obstinatos quanta severitate S. Dominicus aliique tractaverint* 410 *et* seq. *Eorum miracula, veræ dæmonum præstigiæ demonstrata* 410 d e. Hæreticum *episcopum, quantumvis occultum, arcet a colloquio suo, et palam infamat S. Dalmatius* 221 a. *Ejusdem episcopi pertinacia et blasphemia* 221 *et* 223 c
Hernia *sanata, invocato S. Severo episcopo* 161 a
Hilaritas *vultus semper æquabilis in S. Dominico Prædicatorum fundatore* 552 c *et* 635 a
Homicidium *sacrilegum commissurus, occupatur a dæmone* 193 b. *Alieno lætatus punitur* 358 c (*Vide* Pœna).
Hospitalitas *S. Lydiæ* 200 d. *S. Petri episcopi Anagnini* 238 e. *S. Waltheni abbatis* 362 d e; *compensata miraculis* 262 *et* seqq. *B. Augustini episcopi* 299 c d. *Alterius sæpius miraculo compensata* 513 a, 586 c d, 613 b c *et* 616 c d
Humilitas *insignis S. Bandaridi ep.* 61 d, 64 d e *S. Ethelwoldi ep.* 90 f. *S. Gundechari ep.* 178 c, 179 d. *S. Waltheni* 255 f *et* seq. *Beati Augustini ep.* 292. *S. Euphronii ep.* 339 a e. *S. Dominici* 406 a b c, 440 c d, 491 c *et* seq., 569 c, 574 a, 590 c d, 596 d, 598 e *et* 642 c. Humilitatis *dulce certamen inter SS. Dominicum et Franciscum Assisiatem, insigni miraculo decoratum* 496 a
Hydrops *sanatus ope B. Gundechari ep.* 186 e. *Attactu S. Waltheni benedicentis* 267 b. Hydrope *tympanitico ad ejusdem tumulum sanati* 273 f *et* seq. *Invocato S. Dominico* 649 d e

I

Idoli *fanum corruit, orante S. Stephano Papa I et martyre* 143 c
Idolo *sacrificans corripitur et exstinguitur a dæmone* 139 f. Idolum *aureum destruit prece S. Symphronius martyr* 140 c; *alia plura, eodem hortante, communita* 140 e f
Ignis *per miraculum innoxius* 41 c, 95 e, 346 c, 351 c *et* 400 d *et* seqq. *Ad conservandam castitatem, et convertendam impudicam mulierem* 547 a
Imago *S. Dominici Sorianensis infinitis clara miraculis* 534 b *et* seqq. *Eadem stellis pluribus aliquando rutilare visa, cum suos Sanctus a terræ motu defendit* 539 *et* seqq. *Oleum e lampade istic ardente promptum quam multis salutare* 540 d e. Imagines *Sanctorum indiscreto zelo dejiciens S. Serenus ep. corripitur a S. Gregorio Magno Papa* 158 b *et* seq.
Impudica *mulier propter impuritatem occupatur a dæmone semel et iterum* 498 c d. *Alia compungitur per insigne miraculum* 547 a
Impudicæ *tentationes restinctæ per osculum manus S. Dominici* 609 c d
Impudicos *Canonicos non tulit S. Ethelwoldus* 92 c d
Incendium *restinctum, invocato B. Gundecharo episcopo* 185 c. *Eo non læsus puer, quia S. Dominico commendatus* 649 c
Incredulitas *punita divinitus* 185 c *et* 241
Infirmorum cura *singularis in S. Waltheno* 262 d. *Miraculis illustrata* 268 a b c. *In B. Augustino episcopo* 299 e f. *In fratre S. Dominici* 383 e. (*Vide* Morbi)
Inimicorum *inter se reconciliator eximius fuit B. Augustinus episcopus* 300 a b c
Injuriarum *tolerantia eximia in S. Bethario episcopo* 170 d e. (*Vide* Patientia.)
Intellectus *donum a Domino petit et impetrat S. Luanus abbas* 346 f *et* 347 a
Intestinorum *dolores acutissimi sanati per S. Waltenum* 276 e f
Itinerandi ratio *quam sancta, quam severa in S. Dominico* 591 b c, 629 d *et* 631 f

J

Januas *obseratas, fusa prece, non semel intravit S. Dominicus* 496 e, 512 a, *et* 568 d
Jejunium *prodigiosum presbyteri, non alio cibo, quam Eucharistico vescentis* 345 a. Jejunia *severa B. Melioris* 104 f. *B. Orlandi* 105 a. *S. Dalmatii* 220 b. Jejunia *prodigiosa SS. Maranæ et Cyræ* 227 d e. (*Vide* Abstinentia.)
Jesu nomine *invocato, multa miracula patrat S. Bandaridus episcopus* 62 e. (*Vide* Christus.)
Juventutis *educationem piam maxime promovere studuit S. Dominicus, præsertim inter hæreticos Albigenses* 401 d

L

Labores apostolici *FF. Prædicatorum in conversione Cumanorum* 612 *et* seqq.
Lacrymarum *insigne donum in S. Waltheno* 264 d e f. *In S. Dominico* 552 d, 630 a *et* seqq.
Latrones *miraculo terret et convertit S. Lugidus abbas* 350 e
Lectionis piæ *et orationis assiduitas in sancto Dominico* 392 d
Lecto *duro uti solitus S. Petrus episcopus* 238 e. *S. Dominicus* 632 a *et* seqq.
Lenitas *efficax et industria in S. Luano abbate* 349 b c d; *de cœlo probata* 353 a. Lenitas *cum severitate in subditos mirifice temperata in S. Dominico* 590 e f
Libri *S. Dominici in fluvium collabentes, post triduum sicci inde miraculo educti sunt* 566 e. *Sic mirabiliter illæsæ manserunt litteræ canonizationis ejusdem* 611 f *et* 612 a
Lilia *arida, per annos singulos reviviscunt festo S. Severi presbyteri* 56 a d. *In festo S. Stephani PP. et martyris* 135 e f, *et in translatione reliquiarum ejus* 136 f *et* 137 a
Lingua *B. Benigni post obitum annis multis incorrupta* 105 a
Linguæ ignotæ *usus subito instinctus S. Dominico confessori* 405 a b, 566 f, 567 a *et* 585 c d f
Liquor *salutaris manat e sepulcro B. Gualteri* 195 b. (*Vide* Oleum)
Lis *injuste mota, actorem confudit per insigne miraculum et repentino perdidit interitu coram sancto Dalmatio* 220 e f
Litteratus *evadit subito post visa cœlestia monachus, antea plane rudis* 272 c d
Lupus *infanti parcit, invocato S. Sereno ep.* 161 a *et* 164 c. *Alius puerum arreptum, invocato per matrem S. Benedicto, dimittens, alterum invadit ac discerpit* 231 f. *Alius imperio S. Petri episcopi in locum devorati a se bovis, jugo se subjiciens, plaustrum trahit* 232 e
Lux *miraculosa in obitu B. Melioris* 104 f. *Beati Petri episcopi* 240 f. Luce *cœlesti radiat inter orandum S. Walthenus abbas* 266 c

M

Maledica mulier, *cum silere rogata noluisset, precibus S. Dominici loquendi facultate per menses octo privatur* 471 a
Mansuetudo *severitate gravi temperata in S. Ethelwoldo episcopo* 94 a. *In S. Waltheno* 259 b c d. (*Vide* Clementia, Patientia.)
Manum *Romani Pontificis osculando sanat B. Augustinus episcopus* 293 e
Maria Deipara *et Christus Dominus epistola cœlesti nuntiant S. Walteno abbati instantem obitum* 268 e f. (*Vide* Deipara Virgo.)
Martyrii *desiderium in S. Felice M.* 22 f *et* 24 b. *In B. Augustino episcopo* 305 e. *Item in S. Dominico* 545 e, 567 c, 573 c *et* 635 a
Matri gravidæ *divinitus præsignata futura sanctitas S. Ethelwoldi episcopi* 89 d e f
Matris *constantia in septem filiorum suorum tormentis et martyrio* 15. *Item S. Theodotæ M. et in martyriis trium filiorum* 148 a, 153 b *et* 154 b c
Matrimonio *castitatem cum suo ac filiorum insigni martyrio præfert S. Theodota* 152 *et* seqq.
Miracula *patrare S. Secundellum jubet diabolus, Christum se mentiens* 58 d. *Suis meritis obtenta celari volebat S. Walthenus* 363 d, 266 d *et* 267 b. *S. Lugidus* 343 f c *et* 344 a b. Miracula falsa *hæreticorum, ostenduntur præstigiæ veræ dæmonum* 406 d e. Miracula *ad fidei Catholicæ defensionem coram se facta celare pertinaciter conantur hæretici* 568 d. Miracula *S. Dominici per incredulitatem duram spernens, punitur; at resipiscens mox liberatur* 647 c d e
Misericordia *erga pauperes excellens in S. Justino puero M.* 30 e, 31 a c. *In S. Bandarido episcopo* 63 d. *In S. Ethelwoldo ep.* 94 a b. *In S. Dalmatio* 220 b. *In B. Petro ep.* 238 b. *In S. Waltheno abbate miraculis maximis comprobata adjutaque* 262 d *et* seqq. *In S. Stephano Hungariæ rege* 297 d e. *Item in S. Lugido* 349 e. *Item eximia in S. Dominico* 389 *et* 542 f. *Commendatur clericis a S. Augustino episcopo* 297 d e f
Missam *quolibet die Dominico duobus locis multum inter se dissitis celebrabat S. Severus presb.* 55 f. *Cujusdam eam celebrantis calici illapsa post consecrationem aranea, atque introsumpta, viva per cutem sacerdotis erumpit* 256 c d. *Illam celebrans S. Dominicus elevatur a terra* 575. *Et abundat lacrymis* 629 d *et* seqq. *Idem eidem assistens, ecstases frequentes patitur* 596 c
Modestia *in cultu ac moribus quanta præstiterit S. Walthenus abbas* 260 c d e. *Et S. Dominicus Prædicatorum fundator* 591 c *et* 595 a b c
Monacho *fervente nihil melius; remisso nihil inter homines pejus* 292 f
Monasteria *plura fundat et instaurat S. Ethelwoldus episcopus* 93 c *et* seq.; *uti diu ante revelatum fuerat S. Dunstano* 95 f *et* 96
Monasticum institutum, *relicta uxore et familia, amplectitur cum filio S. Dalmatius* 220 a *et* seq. *Ejusdem instituti propagatio et sanctitas varie præfigurata SS. Dunstano et Ethelwoldo* 95 f *et* 96
Morbi *desperati depelluntur ope S. Sereni ep.* 161 a, 163 e, 164 b c. *S. Petri Apostoli* 201 b. *S. Asprenis ep.* 201 c. *S. Baumadi* 337 c d. *Per S. Dominici reliquias* 533 e f. *Item per vota, ipsius nomine Deo facta* 554 d, 558, 606 e *et* seqq. 611 f, 612 a, 614 *et* seq., 644 f *et* seq.
Morborum *insignis tolerantia in S. Ethelwoldo episcopo* 94 d. (*Vide* Patientia.)
Moribundus *subito sanatus* 43 b c. *Alteri loquela tantisper restituta, dum confiteretur peccata et Viatico instrueretur, ope B. Gundechari episcopi* 186 d. Moribundum *imperatorem Michaelem ope Beatissimæ Dei Matris et S. Magni episcopi subito sanat S. Petrus episcopus* 233 c d *et* 237 a b. *Item puerum morti propinquum* 241 d e. *Alii sanati per S. Luanum* 348 c d. *Per S. Dominicum* 458 b, 555 b d, 583 c d *et* 644. (*Vide* Morti proximus.)
Morientis *clientis animam excepturi ac defensuri accurrunt Patroni sancti de cœlo* 271 c d
Morsus. (*Vide* Caninus.)
Morti proximus *puer subito sanatur ope S. Dominici* 644 c d. *Item femina* 647 f *et* 648 a. *Item juvenes* 648
Morti proximus *S. Dominicus ab angelo invitatur ad cœlum* 557 d *et* 597 e
Mortis *suæ dies prædictus a S. Friardo* 59 a. Mortem *propinquam per epistolam cœlestem a Christo et Virgine Matre edocetur S. Walthenus abbas* 268 e f; *tum hujus ad illam præparatio* 268 f. (*Vide* Obitus.)
Mortis *periculo præsenti per miraculum B. Augustini episcopi ereptus miles* 308 e

Mortificatio *appetitionum quam necessaria sacerdotibus* 297 a
Mortificatio *corporis asperrima eluxit in SS. Marana et Cyra* 227 c d. *Item in S. Dominico* 472 c, 556 d, 563 a, 567 e, 588 d, 591 b c d *et* 596 a b c d. *Usque ad mortem in ipso perseverasse probatur* 699 f
Mortui *suscitati, precibus S. Justæ virginis et martyris* 41 b. *Per S. Lugidum abbatem* 345 a *et* seqq. *Per S. Dominicum* 532 d e, 533 b c, 537 f, 552 a b, 557 b, 558 b, 574 a b c e, 575 d e f, 613 e *et* seqq. 617 c, 649 b *et* 653 b c d
Mulierum *consortia clerico vitanda* 298 c d *et* 347 e ; *item Religiosis* 551 c
Muti *subito loquela donati* 43 c. *Ope B. Gundechari episcopi* 184 f *et* 185 a. *Ope B. Augustini episcopi* 309 e. *S. Lugidi* 345 d *et* 352 a

N

Nativitas *et futura sanctitas S. Ethelwoldi episcopi matri gravidæ cœlestibus indiciis præsignata* 89 d e f. *Item per diversas visiones matri S. Dominici* 381 c, 556 b *et* 562 e
Naufragio *liberati ope S. Dominici* 568 e
Nobilitas *generis spernenda Religiosis* 260 c d
Notitia *rerum occultarum divinitus ornatur S. Isaacius* 220 a. *Rerum absentium S. Dalmatius* 220 c d; *et internarum*, 220 f *et* 221 a. *Item S. Dominicus* 452 a, 459 e, 471 b c d, 480 e, 512 b d, 514 f, 546 d e, 551 d, 557 a b, 569 e f *et* 597 c e
Novitius *monasticus ex Priore Canonicorum regularium factus S. Walthenus, vehementissime tentatur; sed per orationem tandem, nec sine miraculo vincit* 258 e f. *Alius in Ordine Prædicatorum tentatus ad exitum ex Ordine, ope S. Dominici perseverat* 652 f *et* 653 a

O

Obedientia *cæca sæpius miraculis illustribus comprobata* 92 a b, 256 d e *et* 352 d
Obitus *sanctissimus S. Dominici* 598 b *et* seq., *ejusque mox gloria cœlestis revelata*, 599. *Idem* obitum *suum sanus præscivit, et prædixit, quando futurus esset* 514 f. *Eumdem ipsa hora, qua contigit, absenti gloriosus revelat* 517 f *et* 518 a, 551 e. *Jam mortuus revelat alteri obitum felicem prope instantem* 600 a. (*Vide* Mors.)
Oculorum *non satis severam custodiam in Religioso severe plectit S. Dominicus* 512 d e
Odores *mirifici in obitu S. Friardi* 59 d. *Item B. Michaëlis* 105 c. *Item B. Petri episcopi* 240 f. *In corpore S. Dominici post annos fere duodecim a sepultura* 523 b *et* 631 a *et* seqq.
Oleum *salutare defluens e tumulo B. Gundechari episcopi* 184 f. (*Vide* Sepulcra)
Opprobria *quanta quam læto animo passus ab hæreticis S. Dominicus* 566 b c d *et* 642 e. (*Vide* Patientia)
Oratio *mentalis et vocalis conjungenda sacerdoti* 297 b. *Ejus utilitas, necessitas et efficacia miraculosa in S. Friardo elucens* 57 f *et* seq. *Ejus assiduitas in S. Dominico* 392 d e, 543 b, 552 d e, 569 c d, 588 c d e, 596 a b, 630 a *et* seqq. *Idem in orando quot modos observaverit* 625 f *et* seqq. *Ejusdem* Orationis *excellentia exemplo verbisque mirifice commendata a B. Augustino episcopo* 292 c. *Eidem infestissimus est dæmon, et modis variis eam turbare conatur, sed frustra* 265 c *et* 467 b. *Valet plurimum ad vitæ statum eligendum* 549 a. *Item, ut expertus est semper S. Dominicus, ad quidvis impetrandum a Deo* 494 b c *et* 596 b c. *In ea aliquando corpore elevatus ac sublimis apparuit* 569 d *et* 596 f
Ordinem *Canonicorum regularium cum severiore monastico mutat S. Walthenus insigni fortitudine animi* 258 b c d
Ordines Religiosos *omnes multum diligebat et commendabat S. Dominicus* 632 d *et* seqq.
Otium *clericis vitandum* 296 a b c

P

Panis *a S. Waltheno multiplicatur* 263 c d
Panis *Religiosis deficiens, divinitus ministratur sub S. Dominico* 457 d e, 583, 589 e f *et* 633 c. (*Vide* Providentia Dei)
Paralysis *sublata ope S. Sereni episcopi* 161 a, *et* 164 b. *Ope B. Gundechari episcopi* 188 a f. *Ope S. Magni episcopi* 233 d. *Ope S. Luani abbatis* 346 f. (*Vide* Morbi)
Partus *difficultas subito levata tactu zonæ S. Waltheni abb.* 266 f *et* 267 a. *Eadem virtute celebre cingulum B. Augustini ep.* 285 f *et* 306 f. *Item attactus S. Lugidi* 345 d. *Et patrocinium S. Dominici* 647 a b c
Pastoralis *cura et caritas eximia S. Stephani papæ I et M.* 115 c e, 122 b, 139 b *et* seqq. *S. Betharii ep.* 170 f. *S. Petri episcopi* 193 a. *Alterius B. Petri episcopi* 238 f. 239 a b. *B. Augustini episcopi* 299 e. *et* seqq. *S. Euphronii episcopi* 340 c d.
Patientia *et fortitudo S. Ethelwoldi episcopi in assiduis morbis* 94 d. *Mulieris horribili cancro laborantis, miraculo duplici decorata per S. Dominicum Prædicatorum fundatoris* 580. *Ipsius S. Dominici in morbis suis* 630 b *et* seqq.
Patientia *injuriarum insignis in S. Bandarido ep.* 61 d, 63 f *et* seq. *In S. Ethelwoldo ep.* 92 e f *In S. Bethario ep.* 170 d e. *In S. Dominico* 403 a, 566, 633 d, *et* 642 e. (*Vide* Adversa).
Patroni *Sancti quid clientibus præstent in mortis articulo constitutis* 271 c d
S. Pauli Apostoli Epistolas *semper secum circumferebat S. Dominicus* 463 d, *et* 635 a
Paupertas *munifica B. Augustini episcopi* 299 c d
Paupertas Religiosa *in cubiculis etc. qualis fuerit sub S. Dominico* 439 e, 636 c d, *et* 638 c *Per illum subinde magis adstricta in Ordine suo, exclusis possessionibus ac redditibus* 491 *et* seq., 516 b c. *Ejusdem violatio rigidissime castigata* 581 e. *Iterum confirmatus rigor* 586 d e, 589, 596 c *et* 598 c d. *Ejus effectibus et incommodis ipse imprimis lætari solitus* 586 e
Peccati mortalis *expers tota vita fuit S. Dominicus* 629 f *et* seqq.
Peccata *confessis exprobrantes, dæmone pejores esse dicebat S. Walthenus* 259 c. *Idem peccata aliorum lenissime excipiebat in confessione; sed sua, etiam minima ac forte nulla, plecti volebat severissime* 259 d e. *Aliena cruciabant S. Dominicum* 641 e *et* 642 f. *Imo illa in se ipso plectebat quotidie* 595 d *et* 596 c
Peccatores *apud Deum deflebat ubertim S. Dominicus* 392 d *et* 596 c
Pedibus *nudis itinerari solitus extra civitates S. Dominicus* 591 b 633 b *et* seqq.

Peregrinationes *votivæ cum jejunio miraculoso susceptæ per SS. Maranam et Cyram* 227 e
Persecutio *Antiochi Epiphanis immanissima contra Judæos* 12 *et* seqq.
Persecutionem *fuga declinare vetabant Montanistæ hæretici* 146 b c
Perseverantiam *in Religione fugitivis et nutantibus impetrat a Deo S. Dominicus* 557 a, 581 e f *et* 598 c d. (*Vide* Religiosa vita).
Pestis *repulsa per votum Deo nuncupatum in honorem S. Sereni episcopi* 163 f, *et* 164 a
Phreneticus *a S. Dominico sanatus* 644 f *et* 645 a
Pisces *obediunt S. Petro ep.* 193 c. *In carnes versi, et contra, per S. Lugidum abbatem* 349 f
Pluvia *vel serenitas constanter obtinentur ope S. Sereni episcopi* 164 e
Pluvia *cedit incedenti cum socio S. Dominico* 556 e
Pœna *sacerdotis lætantis iniquissima nece S. Raynerii episcopi sui; item aliorum, qui illum interfecerant* 358 c d
Pœnitentia *homicidæ spontanea, severissima, et miraculo illustrata* 187 e
Pœnitentiæ Sacramentum *administrans S. Walthenus, maluit ob misericordiam plecti, si opus esset, quam ob justitiæ severitatem* 259 c d. *Idem ad illud aliquando sæpius uno die recurrens, severissime tractari volebat* 259 e f. (*Vide* Confessio).
Pontificis Romani *auctoritas quanta fuerit seculo tertio* 115 e. *Eadem fuse defenditur* 302 b *et* seq.
Prædicatores *verbi Dei debent verbis exempla conjungere, ut fructum referant* 399 c et seq., 543 *et* seq. *et* 565 d e. *Etiam simplices et parum litteratos adhibebat S. Dominicus absque scrupulo* 593 a; *et juniores* 508 c, 633 f *et* seq.
Prædicatorum *Ordinis origo et elogia* 436 et seqq. 570 et seq. *Ejusdem primævus fervor* 601 *et* seqq., 621 *et* seqq. *Fructus animarum per eumdem collectus post obitum S. Dominici* 638 d e
Præsagia *cœlestia virtutum S. Dominici nondum nati* 381 c. (*Vide* Nativitas).
Præsentia *S. Luani eodem tempore locis variis* 346 d.
Præstigiæ *dæmonum in Albigensibus mirifice detectæ per horum interitum* 406 d e
Prophetia *S. Elfegi ep.* 90 d e. *S. Etheldritæ Virgine* 173 f *et* 174 a. *S. Petri ep. Anagnini* 240 d. *Item Figari presbyteri* 256 e. *S. Euphronii episcopi* 338 f. *S. Lugidi* 344 b. (*Vide* Notitia rerum arcanarum, *etc*).
Providentia Dei *quam fuit, munifica erga S. Dominicum in necessitatibus temporalibus fratrum* 566 f, 582 *et* seqq., 587 e f, 588 a, 592 f, 636 b. (*Vide* Panis, Vinum.)
Pudicitia *S. Waltheni tentata, muliebres insidias egregie vincit* 252 f et seq. (*Vide* Castitas).
Pueritia *S. Dominici Prædicatorum fundatoris proludens futuræ sanctitati* 542 d e f *et* 563 b.
Puerorum *exercitia ludicra maturioris ætatis præsagia sunt* 252 a b c
Purgatorium *pœnis hujus vitæ anteverti postulat et impetrat S. Walthenus abbas* 269 a. *Eo detentas animas quotidiana sui diverberatione levare solitus S. Dominicus* 596 c
Puteus *miraculis frequens per merita SS. Dominici et Francisci Assisiatis* 496

R

Reditus *pie expendendi sunt a clericis* 296 c d
Regulas *Ordinis observari accurate ab omnibus, nec impune violari volebat sanctus Dominicus* 586 e f, 587 d e *et* 590 e f. (*Vide* Disciplina Religiosa).
Religiosa professio *quantum sit beneficium Dei, docet S. Leodegarius* 355 c d e
Religiosæ Vitæ *desertores, fusis precibus S. Dominicus impetrat, ut sponte redeant* 475 c *et* 557 a
Religiosa veste *FF. Prædicatorum ad risum abutens, punitur; sed resipiscens, illamque serio suspiciens, liberatur* 578 e f
Religiosorum Ordinum *S. Dominici et S. Francisci utilitas et necessitas in Ecclesia Dei, revelata Innocentio papæ III.* 437 c d e
Reliquiæ *Sanctorum per ipsosmet revelatæ* 42 c d. *Item S. Jonati per ipsum sanctum* 74 e f. *SS. Rustici et Firmi MM.* 82 f. *Pecunia redemptæ per S. Mariam Consolatricem virginem non sine miraculo* 82 f *et* 83 a. *Eædem allatæ Veronam, famem ac pestem fugant* 83 d. *SS. Maximi ep. et aliorum* 111 b *et* 237 a b. *Furto ablatæ* 131 f *et* 132 a. *Aliæ a furto per miraculum vindicatæ* 195 c d. *Item aliæ* 307 a b. *Latentes divinitus revelatæ, ut S. Stephani PP. M.* 134 *et* seq. *S. Sereni ep.* 160 c d e. *In medio incendio illæsæ cum arca lignea, cui fuerant impositæ* 471 e. *Eas circumferre olim soliti reges Galliæ* 170 a. *Item S. Perpetuus episcopus* 230 a
Rosarii Mariani *origo fuse tractata* 422 *et* seqq.

S

Sacerdotes *quid servare debeant, ut recte et secundum Deum vivant* 295 *et* seqq.
Salve Regina *antiphona quam grata sit Deiparæ Virgini* 554 b, 557 b *et* 579 f
Salutem *subditorum suorum, etiam tum viventium, revelat S. Walthenus abbas* 273 c d
Sanctitatem *S. Dominici futuram præsagia cœlestia nativitati ejus prævia designarunt* 381 c; *item alia post ipsius nativitatem* 387 e f *et* 388 a b c. (*Vide* Nativitas)
Sanctorum *sepulcra frequentare solebat S. Dominicus* 405 c. *Eorum honori detrahentes, donec resipuere, puniti divinitus* 615 e, 618 b *et* seq.
Scandalum *quantopere exhorruerit S. Eleazarus senex martyr* 14 c
Scripturæ sacræ *lectionem cum oratione jungi volebat B. Augustinus episcopus* 292 c d
Senum *exempla quam perniciosa junioribus, si mala fuerint, quam utilia, si bona* 14 c
Sepulcrum *S. Dominici miraculis frequentissimum et celebre* 521 c *et* seq. 600 d e, 606 a *et* seq.
Sepulcra *salutari liquore manantia, B. Gundechari episcopi* 184 d f. *B. Gualteri* 195 b. *S. Dalmatii* 225 d
Sepulturæ *locus S. Ethelwoldo diu ante obitum divinitus designatus* 97 f
Serenitas aëris *vel pluvia constanter data post invocatum SS. Serenum episcopum* 164 e
Severitas *mansuetudine temperata in S. Ethelwoldo episcopo* 94 a. *In S. Waltheno* 259
Severitas *S. Waltheni in seipsum; benignitas in alios peccata confitentes* 259
Sexus *mutatio facta post nativitatem, implorato S. Dominico* 652 c
Siccitas *terræ diuturna et periculosa statim desinit, invocato B. Augustino episcopo* 290 f *et* 291 a (*Vide* Serenitas)
Silentium *perpetuum S. Cyræ, et fere perpetuum S. Maranæ* 227 c. *Quam rigide servatum olim in Ordine S. Dominici* 602 c d, 629 d *et* seqq.

Simoniacum *episcopum apud summum Pontificem accusans B. Rodulfus, paratum se offert, ut rei veritatem per ignem incedendo comprobet* 104 c d
Solis *cursum prece retardat S. Lugidus abbas* 349 e
Solitaria vita *austerissima sub dio semper traducta a SS. Marana et Cyra* 227 b c
Solitudo *monastica tam grata B. Erizzoni, ut annis* XXXVI *cœnobio non exierit* 104 d. *Item S. Dalmatio, qui per annos* XLVIII *licet multum rogatus, non exiit* 216 b *et* 221 d
Solitudinis *captatio sancta S. Waltheni adolescentis ac principis inter aulicos tumultus* 252 e f
Somni *quam parcissimus fuerit S. Dominicus* 552 d, 556 b, 567 f, 588 d, 596 a b, 630 a *et* seqq.
Sorianensis ecclesia, *ubi celebris S. Dominici imago, non uno miraculo construitur* 534 b *et* seqq.
Sterilitas conjugii *sublata meritis S. Asprenis episcopi* 202 c. *Item S. Baumadi precibus* 337 c. *Item S. Dominici* 652 e
Studium Theologicum *quam necessarium sit Evangelii præconibus, ostendit S. Dominicus Prædicatorum fundator* 440 b c d e *et* 463 b c d
Stupor *brachii sublatus ope B. Augustini ep.* 309 a
Submersa *puella miraculo sibi restituta per B. Gundecharum* 287 f *et* 288 a. *Alii quadraginta liberantur ab interitu prece S. Dominici* 568 e
Submersionis *periculo liberatus per invocatum S. Walthenum abbatum* 276 c. *Alius per B. Augustinum episcopum.* 291 c d
Superbia *insana Antiochi Epiphanis* 13 b c
Superior *et abbas S. Walthenus corripi volebat constanter a subditis, quoties minus aliquid recte fecisset* 260 a
Superioris *non satis reverens monachus de cœlo punitur* 95 a b
Superioris Religiosi *præclarum exemplar in S. Walteno abbate* 259 b *et* seqq. *Item in S. Dominico* 600 f
Superiores *habere sanctos quantum prosit cœnobitis* 273 b
Surdi *et muti sanati ope B. Gundechari episcopi* 184 c f *et* 186. *S. Waltheni abbatis* 274 d. *B. Augustini episcopi* 309 e
Suspensione ecclesiastica *ab archiepiscopo suo vinctus B. Gaufridus ep. Cenomanensis, Romæ absolvitur a Gregorio PP. IX* 28 d e

T

Templi *Hierosolymitani profanationes ac desolationes diræ sub Antiocho Epiphane* 12 *et* seq.
Temporalium rerum *cura indigna clericis* 298 f *et* seqq. *Sed commissa Fratribus Laicis Ordinem Grandimontensium pessumdedit* 492 d e f
Tentatio *violentissima contra novam vocationem ad monasticum institutum quomodo superata a S. Waltheno* 258 e f
Tentationes *in vitæ Religiosæ proposito suis adimit orando S. Dominicus* 557 a
Tentationes *novitiorum mirifice dispellebat S. Dominicus* 637 f
Theologiæ studium *Evangelii præconibus necessarium esse, ostendit S. Dominicus Prædicatorum fundator* 440 b c d *et* 463 b c d. *In illo quam ipse fuerit sedulus* 542 d *et* 563 d
Tibia *fracta sanatur per S. Lugidum* 343 f *et* 344 a
Tibiæ *vulnera ulceraque sanata ad sepulcrum S. Waltheni* 276 f *et* 277 a. (*Vide* Morbi).
Translatio *reliquiarum litigiosa, bobus jugo inassuetis permissa* 160 e f

U

Ulcera *sanata per B. Gundecharum episcopum* 185 a. *Item per S. Lugidum abbatem* 344 e. (*Vide* Morbi.)
Uteri dolores *sublati per B. Gundecharum episcopum* 186 a b

V

Venenum *innoxie bibit S. Ethelwoldus* 92 e f
Vestitus vilitas *maxime placuit B. Augustino, cujus paleaceus pileus infinitis dein miraculis ornatus est* 285 e f. *Eamdem semper tenuit S. Dominicus* 552 e, 574 d, 588 c d, 640 e *et* 642 f
Vigiliarum *et orationis assiduitas in S. Dominico Ordinis Prædicatorum fundatore* 543 b, 552 d, 563 d, 567 d, 588 d e, 596 b, 598 a b, 629 *et* seqq.
Vinum *ope S. Dominici multiplicatum* 583 f, 585 b *et* 616 c. Vino *tamen ipse per decennium abstinet S. Dominicus* 542 f
Virginitas *illibata S. Waltheni inter aulæ delicias* 252 *et* seq. *S. Malcolmi Scotiæ regis* 262 e ; *et S. Dominici* 516 e f, 542 f, 551 c, 629 *et* seqq.
Virginitatis propositum *ope S. Dominici et miraculo assertum* 552 f
Virtutem *suam aliquam Fratribus indicasse pœnitet S. Dominicum* 516 f
Visiones *et ecstases S. Waltheni abbatis* 264 e *et* seqq. *S. Dominici quam frequentes* 441 c d, 451, 465, 475 c, 546 d e, 556 e, 572, 579 *et* 597 e
Vitæ spatium *morienti productum ope S. Waltheni abbatis* 268 d e
Vocatio *mirabilis ad vitam Religiosam per S. Dominicum* 608 a b *et* 637 e
Votum *adimplere negligens punitur* 187 a b *et* 650

Z

Zelus animarum *in venerabili Wilhelmo abbate totidem gemmis post obitum decoratus in cœlo, quot animas ad Deum vivens converterat* 265 e. *Eodem eximie fulsit B. Augustinus episcopus* 287 b. *Item sancta Ia martyr* 332 a b. *Item S. Dominicus* 392 d e, 543, 556 d, 567, 573 c, 577 f, 592 d e, 631 e *et* seqq. (*Vide* Anima).

FINIS

VILLANOVA UNIVERSITY

DATE DUE

DISCHARGED
07. 31. 80

BX4655.A2
VILLANOVA UNIVERSITY
*v.035
3 9346 00067365 9

FOR REFERENCE
NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM
CAT. NO. 1935
LIBRARY BUREAU